P. FR. CLAUDII RANGOLII CRESPEIENSIS-VALESII ORDINIS MINIMORUM S...

Claude m. 1625 Rangueil, Giovanni Battista Coccini

Digitized by Google

6
41 N
8

M

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu
12. b.

5-F-12

5.2.14.
5
F
14

Digitized by Google

R. P. F. CLAVDII
RANGOLII
COMMENTARII
IN LIBROS REGVM.

Tomus II.

Ex Legato Illustriss. Cocini.

BIBLIOTECA NAZ. VITT. EMANUELE ROMA

Digitized by Google

P. FR. CLAVDII

RANGOLII

CRESPEIENSIS-VALESII

ORDINIS MINIMORVM S. FRANCISCI DE PAVLA.

Commentariorum in Libros Regum.

Cum permultis vtilibus quæstionibus ad difficiliorum locorum explicationem adhibitis.

TOMVS II.

LVTETIÆ PARISIORVM,
EX OFFICINA NIVELLIANA,
Sumptibus SEBASTIANI CRAMOISY via Iacobæa sub Ciconijs.
M.D.C.XXIII.

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO
AC REVERENDISSIMO
DOMINO D. ARMANDO S.R.E.
PRESBYTERO CARDINALI.
DE RICHELIEV.

QVòd posteriorem hanc Commentariorum Regiorum partem, sub tuæ præsertim Eminentiæ amplitudine ac nomine (CARDINALIS ILLVSTRISSIME) *publicæ vtilitati præbeam, neminem admodum miraturum esse confido, qui tuarum virtutum splendorem, ac ipsius*

Digitized by Google

dignitatem argumenti cogitauerit. Etenim, cùm argumentum ſit eiuſmodi, quod ſapientes quique, tanto eſſe ornatius copioſiúſq; iudicant, quanto, Regum facta, cæterorum mortalium factis antecellunt: vt idcirco, ſcribendorum eorum cura, in Hebræo populo, penes ſacerdotes, prophetaſque vnos verſaretur; quis dubitabit ei fuiſſe inſcribendum, qui virtutibus primùm eximiis, deinde Regis inuictiſsimi iudicio, inter Eccleſiæ principes, ac primarios Religionis ſacerdotes eſt allectus? Quare cum Commentariorum auctor, primam eorum partem, Summo Pontifici dicatam eſſe voluiſſet, ad deligendum ſecundæ partis tutorem ac patronum, minimè longe diſcedendum eſſe duxi, ſed ab eius latere, à vicino ſanctiſsimi Collegii ordi-

ne, atque ſecundis Eccleſiæ ſubſelliis cooptandum. Ex iis autem, qui e Gallicana Eccleſia, inter eius Collegii Patres, decuriati ſunt, & aſcripti, vnus potiſſimum, CARDINALIS ILLVSTRISSIME, *tanquam ſalutare ſidus occuriſti, ſub cuius tutela ac luce, ſi in hominum manus, labor hic præli noſtri prodiiſſet, gratiam piorum ac literatorum omnium obtineret. Nam cum in eo ſis dignitatis loco, ad quem nunquam niſi magnæ virtutes aſpirarunt, tamen egregiis & exaggeratis animi ingeniique dotibus obtines, vt dignitatis ipſius pene potius, abs te eam capi, quam tua, tibi eam obtigiſſe, interſuiſſe ſubinde cogitemus. Multis ſæpe virtutibus obfuit ad eximios honorum gradus aſcendiſſe, quæque prius, cum in turba preſ-*

ſuque hominum latebant, magnæ pu-tabantur, ſimul maiore luce aſperſæ ſunt, opinionem magnitudinis, & æſtimationem omnem amiſerunt. Tuæ vero, ex quo etiam Capitolinam illam purpuram, inter Religionis optimates induiſti, tanto creuerunt amplius, quanto fuerunt meliori in luce, & altiore loco conſtitutæ. Quamobrem cum e prælo noſtro, nullum adhuc opus, cum tui nominis ornatu ac commendatione in eruditorum manus diſceſsiſſet, eum mihi honorem deeſſe diutius non ſum paſſus, qui & egregium horum Commentariorum laborem tanto gratiorem ſtudioſis faceret, quanto eum ornatioris patroni commendatio tegeret; & id aliquo ſaltem modo pro me exſolueret, quod Tuæ eminentiæ, ab omnium ordi-

nun

num hominibus, obseruantiæ, cultus, admirationisque debetur. Ac quidem cum felicitati meæ, cætera tam prolixè ac liberaliter faueant, vnum id modo fortassis incommodum occurrere posse putaretur, quod neque leuitas muneris meritorum tuorum magnitudini respondeat, nec mea tenuitas, aut interpellare, aut etiam adire Eminentiam tuam debeat. Verùm non tantum quid sit quod debeam, sed quid etiam possim, tibi cogitandum esse duco; vt tu, per tete, humaniter facis CARDINALIS ILLVSTRISSIME; *ac serio reor, quæ Tuis virtutibus offeruntur, sic tanquam* ἀναθήματα, *sacra & diuina reputanda: quæ autem existant eius generis, vt ex ingenio ac conditione offerentis leuia sint, nemo putet, nisi*

ampla & luculenta esse ex genio ac dignitate Capientis.

Illustrissimæ Eminentiæ tuæ,

Addictissimus & obsequentissimus.
SEBASTIANVS CRAMOISY.

SANCTIS
MICHAELI
ET PAVLO, VTRIVSQVE
CHORI ANGELICI PARITER ET
HVMANI POTENTISSIMIS ATQVE INVICTISSIMIS

Principibus, gloriam & æternam felicitatem.

ETSI vereor ne quis temerè factum iudicet, quod postremus cùm sim mortalium, receptos iam cœlo duces, & beatorum Coryphæos appellare audeam: non committam tamen, vt quem summum habui laboris atque industriæ meæ fructum, aliorum potius quàm vestro nomini ascribam. Quis enim obsequio offenditur? aut queritur sibi factam iniuriam, si præter cæteros etiam à minimis colatur? Ne Deus quidem, tametsi tantus est quantum nec ipsi capitis, infimorum vota precésque fastidit. Sed noui præterea virtutis & gloriæ splendorem maximum, qui in vos à Deo redundat, cum pari beneuolentia atq ueanimi summillio͞ne esse coniunctum. Neque enim aliis artibus, Michaël maxime Principum, Draconis insolescentis ferociam profligasti, cùm is diuinos honores appeteret: humilitatis tuæ tanquam valido labefactatus ariete corruit, cœlóque præceps deiectus est: tu verò tantæ victoriæ præmium, principatum humilium adeptus, vt quos primùm exemplo docueras, deinceps imperio regeres. Pax ipsa cœlo reddita ad hunc diem humilitatis tuæ monumenta seruat, trophæísque gloriatur. Vnde sequitur, vt si quis ex animo humilitatem colat, alienus à tuo grege videri non possit, aut iure vereri, ne propterea tantæ celsitati sordeat.

Quod si quisquam eo nomine Michaëli placuerit, non poterit idem non vehementius à te Paule probari. Neque enim tu quoque humilitatem inter mortales minore studio complexus es, cùm ad eam animi alacritatem, quam in Angelo miramur, rerum hu-

milium vſus atque experientia ex loci genio accederet. Itaque cùm eſſes alter Apoſtolici chori Princeps, nec tibi quicquam *qui videbantur aliquid eſſe contuliſſent*, ſed *ad tertium vſque cœlum raptus* Deum ipſum magiſtrum ſortitus eſſes, & *Gentium doctor, ac fidelium pares* effectus, *in curam Eccleſiarum omnium* incumberes, denique, *plus omnibus laboraſſes*, nequaquam tamen *altum ſapiens*, animo elatus es: ſed *humilibus conſentiens*, te quidem peccatorum primum, Sanctorum autem nouiſſimum atque minimum ex animi tui ſententia profeſſus es. Nec hactenus feciſſe contentus, te minorem minimis aſſeruiſti, voce reperta, quæ gradum minimo minorem indicet. Ἐμοὶ, inquis, τῷ ἐλαχιστοτέρῳ πάντων. Nam quid ſibi

Ephes. 3. 8. vult nupera iſta dictio? Ἐλαχὺς ſanè *paruum* ſeu *vilem* deſignat: Ἐλάσσων ſiue ἐλάττων *minorem*: ἐλάχιστος *minimum*. At verò hactenus nihil vſque adeo vile ac miſerum fuit quod quiſquam ἐλαχιστότερον diceret. Sed illa quondam ſcilicet neglecta virtus tibi plus vni præſtitit, quàm hominum lingua exprimeret. Quæ cùm ita ſint, non vtique video quamobrem ab offerendo meo munere abſterrear. neque enim, vt apparet, illis mea paupertas ludibrio eſſe poterit, qui humilitatem quondam ſtudioſè ſectati ſunt, & eiuſdem hactenus illecebris maximè capiuntur.

Accedit ad hæc, Principes Illuſtriſſimi, vis immenſa charitatis, quam ſinguli manifeſtis argumentis prodidiſtis. Nam tu quidem Angelorum dux inuictiſſime, & per teipſum periclitantibus ades, & alios tui ordinis, quô miſeris auxiliari queant, autoritate tua confirmas; vti Gabriel tantus autor ſuo iam pridem exemplo didicit. Ioſue capite quinto עַתָּה בָאתִי *Ghatha bathi*, inquis: quas voces *nunc venio* Vulgatus expoſuit, Septuag. νυνὶ παραγέγονα: ſed neutra phraſis ſatisfacit: quinimo ſemper ades. Neque enim quibus tum victoriam conficiebas, eoſdem antea palantes in vaſta eremo, aut etiam in abyſſum demerſos deſerueras: ſed vt te nunquam non præſentem intelligerent, atque adeò tuo præſidio freti nullum diſcrimen formidarent, quod olim Moyſi, tum ſubinde etiam nouo exercitus duci teipſum aſpectabilem & conſpicuum exhibebas. Gabriel porrò de teipſo verba faciens, *Michaël*,

Dan. 12. inquit, הַשַּׂר הַגָּדוֹל *haſar hagadol*, *Princeps ille magnus* (quippe qui linguam Hebraicam callent, ſic ab eo dictum interpretantur, & lubens eorundem ſententiam repeto, ne quem fortè lateat) הָעֹמֵד *haghomed*, *qui nunc ſtat pro filijs populi tui*: ſiue, *eos inſtar columnæ fulcit, & ſua conſtantia tuetur*, aut denique *miniſtrat*. nam ſic quoque עָמַד *ghamad* accipi poſſe nonnulli dictitant, nec video cur pariter exponere dubitem, poſtquam vos *omnes adminiſtratorios*

ſtratorios Apoſtolus eſſe docuit: quibus ille verbis nequaquã de dignitate veſtra detraxit, ſed charitatẽ cõmendauit. Idem, inquit, in tempore צָרָה *tſarah* ſiue *anguſtiæ*, quo tẽpore nullũ aliud pari formidine mẽtes hominum perculit: יַעֲמֹד *iaghamod*, *conſurget*, *ſtabit*, *fulciet*, *proteget*, *tuebitur*, poſtremò etiã *miniſtrabit*. Hæc ille: quibus tuam in nos prolixam beneuolentiam mirificè demonſtrauit; quę, vt nihil amplius dicam, facilè omnes omnium charitates vincit.

Subinde verò tuum illud, Paule, ſingulare ſtudium, & ardentiſſimum amorem, quo mortales omnes complecteris, quo pacto pro dignitate prędicem, aut quibus tandem laudibus ornem? Tu enim *omnibus omnia factus es, vt omnes ſaluos faceres*. Sic enim idem ais, cùm non videretur alia oratio ſatis commodè vim charitatis tuæ poſſe exprimere. Τοῖς πᾶσι, inquis, γέγονα τὰ πάντα, ἵνα πάντας, ſiue, vt alij legunt, πάντως τινὰς σώσω. Nam vulgat. quidem & Syrus interpretes *omnes* te dicere intelligunt; Græci aliquot, *vt omnino aliquos ſeruares*: quod nihilo ſecius beneuolentiam in nos tuam exaggerat. Ad Coloſſenſes autem ſcribens, gaudes, inquis, dum pateris, & te res aduerſæ cruciatúſque reficiunt, quòd ſperes maximis tuis incommodis aliorum ſalutem poſſe promoueri. Νῦν χαίρω ἐν τοῖς παθήμασί μου ὑπὲρ ὑμῶν, ſiquidem ἀνταναπληρῶ τὰ ὑστερήματα τῶν θλίψεων τοῦ Χριστοῦ ἐν τῇ σαρκί μου, ὑπὲρ τοῦ σώματος αὐτοῦ, ὅ ἐστιν ἡ ἐκκλησία. *Supplere te reliquias paßionum Chriſti* S. Ambroſius interpretatur; Vulgatus *adimplere te ea, quæ deſunt paßionum Chriſti*; Arias, *defectiones paßionum Chriſti*: Non quod tu, Beate, aliquando in animum induxeris ad vindicandam Eccleſiam Chriſto aliquid defuiſſe quod ipſe præſtares: ſed quod parta ab eo ſalus tuis maximè laboribus orbi innoteſceret. Itaque rurſum aliàs non minus verè quàm amanter aiebas, Ἐγὼ δὲ ἥδιστα δαπανήσω, καὶ ἐκδαπανηθήσομαι ὑπὲρ τῶν ψυχῶν ὑμῶν· εἰ καὶ περισσοτέρως ὑμᾶς ἀγαπῶν, ἧττον ἀγαπῶμαι. Per quæ Syrus interpres non modò te ſumptum facere velle accipit, tuoque periculo ac damno pereuntes iuuare, ſed vltro quoque in certam perniciem ruere, quo cæteris ſalutem pares; tametſi, inquis, perinde te nemo diligat. Quæ licet amoris argumenta tanta ſint, vt cum his ne paterna quidem in filios charitas conferri poſſit: attamen non modo hæc, ſed humanam quoque fidem ſuperat, quod de teipſo apud Romanos prædicas, Chriſtum, conſcientiam, & Sp. Sanctum laudans, teſtes vtique fide digniſſimos. *Veritatem*, inquis, *dico*, ἐν Χριστῷ, *non mentior*, συμμαρτυρούσης μοι τῆς συνειδήσεώς μου ἐν πνεύματι ἁγίῳ. *Quoniam triſtitia mihi eſt magna*, & continuus dolor cordi meo. Ηὐχόμην γὰρ αὐτὸς ἐγὼ ἀνάθεμα εἶναι ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν μου, quorum tamen ad eum diem capitali odio exagitatus, & cùm aperto marte, tum clandeſtinis appetitus inſidijs, non ſemel capitis diſcrimen adieras, nec hactenus nocendi ſtu-

1. ad Cor. cap. 9. v. 22.

Coloſſ. cap. 1. v. 24.

2. ad Cor. cap. 12. v. 15.

Rom. cap. 9. v. 1. 2. 3.

dium refrixerat ; quò impendiò nunc magis mirentur homines te horum gratia perire voluiſſe.

At verentur nonnulli ne tam prolixæ beneuolentiæ par poteſtas deſit, & voluntatis ſtudium in ipſo conatu facultas neceſſaria deſtituat. Sed nihil ea ſuſpicione abſurdum magis aut alienum à ratione fingi poteſt. Cur enim minus iam parta victoria quàm olim in acie poſſis? Atqui *omnia poſſum*, inquiebas, *in eo qui me confortat.* Tibi verò Michaël fortiſſime Principum, ſi quid negari poſſe verear, indignus ſim qui te noſſe videar. Audio ſiquidem Gabrie-
Dan. 10. lem de te prædicantem, quòd ſis אַחַד הַשָּׂרִים הָרִאשֹׁנִים *Achad*
v. 13. *haſarim hariſconim.* Id quod Hebræi ita interpretantur, intelligant te *Principum priorum*, ſiue *maximorum maximum.* Tu verò idem, Potentiſſime, non minus pro te verè quàm pro nobis vtiliter teipſum denuncias, exercitui Dei viuentis cum ſummo impe-
Iosue. 5. rio eſſe præfectum. אֲנִי *ani*, *inquis*, שַׂר צְבָא יְהֹוָה *ſar tſeba Iehouah.* Nec aliter Græci te dicere intelligunt, totidem verbis ſententiam exprimentes, ἐγὼ ἀρχιστράτηγος δυνάμεως κυρίου. Quod ſi Princeps, non tam quæ deſideremus impetrare poſſe ſperandus es, quàm pro officij poteſtate Dei nomine concedere. Neque enim indoctas hæreticorum fabulas ſequutus, vllo vnquam tempore exiſtimaui diuinum numen vexari contumelia, ſi vos, Præſtantiſſimi, ſerui eius audiretis, & pleraque bona in eos, qui vos patronos aſciuiſſent, vicaria poteſtate deriuare; quin potius in animum ſemper induxi meum, quæ annuiſſetis, eius fauore, quem ſummum & perpetuum conſequuti eſtis, poſſe perficere.

Atque adeo his rationibus mirificè inflammatus, & ſtudio veſtri vehementius incenſus, haud mediocrem animo voluptatem capio, cogitans, quanto vos amore pariter & honore ſummus rerum opifex dignatus ſit, quanto imperio auxerit; ſic prorſus vt in poſterum propriæ imbecillitatis immemor, me dare penitus in amicitiam veſtram decreuerim, aut certè, ſiquidem verbum iſtud arrogantius videatur, me totum in fidem ac clientelam veſtram conferre. ea lege atque omine, vt qui fructus eſſe ſolet amoris iucundiſſimus, non tam meus quàm veſter deinceps habear, quæcunque aſcribi mihi vllo nomine poterunt, ſecundum Deum nomini veſtro aſcribens ac dedicans, ſatis magnum nomen habiturus, ſi veſter dici haberíque merear.

Ad extremum, quando ita ſe res habet, vt quanquam pauper diſſimulet, ſuſpicentur omnes eiuſdem dona hamos eſſe, non verebor, Benigniſſimi Principes, præ me ferre quod opto, & coràm mea vota fateri. Nam horum quidem quæ ſenſus falſa voluptatis

imagine

imagine ludunt, aut elatos animos inani gloriæ specie ludificant, nihil opinor præter modum desidero: sed duo quædam sunt quæ mihi summopere expetenda semper esse duxi; quæ si vestro beneficio impetrem, tot exantlatis laboribus vigilijsque meis abundè rear satisfactum esse. Primum est, vt cùm me virtus vitáque deficient, tum maturè extremum spiritum effundenti adesse, atque opem misero ferre velitis. Alterum, vt qui hoc interim spatio dum ad vitæ metas propero, dicor, sumque reipsa Minimus, talis sim quoque ex animo, & mente cordis mei. Æternùm gaudete.

PRINCIPES ILLVSTRISSIMI, *méque clientem vestrum vestro patrocinio defendite.*

Datum Lutetiæ Paris. in Conuentu Nigeonensi, XII. Cal. Martij, ann. CIↃ DCXXIV.

Gloriæ ac felicit. vestræ fautor studiosissimus, idémque seruus humillimus

F. CLAVDIVS RANGOLIVS Minimus.

LECTORI S.

Nonnihil habeo, Lector, quod te scire velim. Nam posterior illa epistola quæ Commentarij frontem occupat, longè ante typis mandata est, quàm hæc ipsa perfecto demum opere cuderetur. Itaque quod eram tum pollicitus, vt quæstiones seponerem, reipsa non præstiti, quòd plures paucorum sententiæ reclamarint. Vniuersam porrò supellectilem nostram statueram diligentius excutere, ne qua labes offenderet: sed inimica febris conspiratione facta cum asperrima hyeme diligentiam nostram interpellarunt. Menda tamen librariorum non pauca notaui, si fortè in animum inducant ea typis exprimere. Ab ijs, vt hebraic. quas vocant motionum, & Græcor. accentuum rationem habere vellent, impetrare non potui. At verò ipsi dum per seipsos numerorum notas latiùs explicant, elegantes alioqui typos pluribus insuper solœcismis illustrarunt. Cùm laudo Rom. editionem Septuag. interpretum, illam me dicere intelligo, ad quam notas suas Flaminius adiecit. Nonnullis locis arcanæ Dei voluntatis *memini, quam sic interpretor, vt à Caluini dementia vehementius abhorream. Col. 206. S. Thomæ testimonio vsus sum ex eiusdem lect. 2. in cap. 9. epist. ad Rom. quo loco inter cætera hæc habet:* Prædestinatio importat præparationem meritorum, quibus peruenitur ad gloriam; sed Reprobatio importat præparationem peccatorum, quibus peruenitur ad pœnam. *Mersennus noster, alter Censorum nostrorum, arbitratur Librariorum mendum esse, & præscientiam siue præuisionem, non autem* præparationem peccatorum *legendum esse. Sed cùm animaduerterem pleraque in eo exemplaria consentire, nihil mutandum censui. Cæteroqui verò idem Doctor Angelicus, quo pacto intelligendus sit, subinde satis indicat. Vale, meque Deo plurimùm commenda.*

SVMMA LICENTIÆ SVPERIORVM.

REVERENDI admodum Patres F. FRANCISCVS DE MAYDA, & qui eidem nuper successit F. ÆGIDIVS CAMART Ordinis Minimorum, Generales, mihi F. CLAVDIO RANGOLIO potestatem fecerunt edendi meos Commentarios in lib. Regum, quos duo saltem ex eodem Ordine Professores Theologi, annuente R. P. Prouinciali, approbassent; sicut eorundem patentes literæ, quas apud me habeo, manifestè testantur, alterius quidem pridie Kalendas datæ ann. 1621. alterius die 12. Iunij ann. 1623.

APPROBATIO CENSORVM.

NOS infrascripti Lectores Theologi, iuxta Prouinciam nobis à superioribus datam P. F. CLAVDII RANGOLII Crespeiensis-Valesij Ordinis Minimorum Commentariorum in libros Regum tomum secundum legimus, & probauimus. datum Parisiis in nostro Conuentu Calend. Septemb. anno Christi Domini. CIↃ IↃXXIII.

F. MARINVS MERSENNVS.

F. DE LA NOVE.

Summa Christianissimi Regis Priuilegij.

LVDOVICI XIII. Franciæ & Nauarræ Regis Christianissimi authoritate Concessum est SEBASTIANO CRAMOISY Bibliopolæ Parisiensi Iurato, typis mandare & venalem habere R. P. F. CLAVDII RANGOLII Crespeiensis-Valesiaci Commentarios in libros Regum: alijsque cuiuscunque conditionis interdictum est intra nouennium, vt patet in diplomate Regio Burdigalæ dato, die vltima Septembris anno Domini, 1620.

DE MANDATO REGIS.

Sic signatum, RENOVARD.

Hæc prima Editio tomi secundi perfecta fuit die 15. Martij 1624.

ELENCHVS QVÆSTIONVM.

IN CAPVT DECIMVMQVINTVM.

QVÆSTIO PRIMA.

AN parentum filij pœnas luant? 27.*b*

Quæstio 2.

Quæritur ratio, cur inter epitheta diuinæ misericordiæ illud quoque Moses commemorarit Exod 24. *quod Deus* reddat iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem? 31.*d*

Quæstio 3.

Quo pacto Deus reddat iniquitatem patrum in filios plures Doctorum interpretationes. 34.*b*

Quæstio 4.

VER. 11. *Qua ratione intelligi possit, quod Deum pœniteat.* 62.*d*

Quæstio 5.

Facilior ratio explicandi qui tandem Deum pœniteat. 65.*d*

Quæstio 6.

VER. 13. *Quæritur, an Sancti Dei legem impleuerint.* 87.*b*

Quæstio 7.

VER. 17. *Quod Summus Pontifex Ecclesiæ caput dici possit.* 98.*c*

Quæstio 8.

Vocis ראש Rosc, *quæ Lat.* Caput *significat, Hebraica notatio.* 101.*d*

Quæstio 9.

Defenditur vocis Cepha *Græca etymologia, & Petrum à Sanctis Patribus* Caput Ecclesiæ *nuncupatum, eorundem scriptis testimonijs asseritur.* 105.*b*

Quæstio 10.

Eiusdem Latinæ vocis siue Capitis *obseruatio.* 110.*a*

Quæstio 11.

Capitis præcipuè partes & munera describuntur. 110.*d*

Quæstio 12.

Respondetur reliquis hæreticorum obiectionibus, & concluditur, Summum Pontificem Ecclesiæ caput aspectabile iure ac merito dici posse. 112.*d*

Quæstio 13.

Eandem conclusionem SS. Patres suo calculo confirmant. 115.*b*

Quæstio 14.

An igitur verum sit, eum, qui non obtemperet, & qui idolum colat, pari scelere obstringi: & quid Samuel ea sibi oratione velit. 136.*b* VER. 23.

Quæstio 15.

Num Saul tum Rex esse desierit, &, vt primùm lata est hæc sententia, eidem abrogatum sit imperium. 140.*c*

Quæstio 16.

Quid si hominem verè & ex animo pæniteat, num Deus illum semper à culpa liberet, & suam animaduersionem ac supplicium, quo vsurus erat in eum, condonet ac remittat. 167.*a* VER. 29.

Quæstio 17.

Num Talio ad scelerum vindictam iustè adhiberi possit. VER. 33.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

Quæstio 18.

Vtrum Musica dæmones fugare possit. VER. 16.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

Quæstio 19.

De spurijs, & illegitimè natis. VER. 4.

Quæstio 20.

Fueruntne aliquando Gigantes; & si quam possumus ex ea consideratione vtilitatem consequi.

Quæstio 21.

De mole ac statura Gigantum.

Quæstio 22.

Cui bono Deus Gigantes nasci voluerit.

quęstio 23.
VER. 18. *Quæritur, an Quadragesimæ tempore caseo vesci liceat?* 367.c
quęstio 24.
VER. 23. *An fornicatio peccatum sit, & diuina lege prohibita?* 377.a
Refelluntur argumenta, quæ negantem partem tueri videntur.
quęstio 25.
Probatur ex veteri Testamento fornicationem esse peccatum. 379.c
Idem probatur ex Epist. Apostoli. 380.d
quęstio 26.
VER. 25. *Vtrum homines præmijs ad officium allici debeant: tum quid de ijs sentiendum sit, qui virtutem mercedis ergo sectantur.* 386.c
quęstio 27.
Soluitur pars altera quæstionis. 389.b
quęstio 28.
An cuiusquam filia ab eo præmium proponi possit? 391.a
quęstio 29.
VER. 58. *De singulari certamine.* 454.a
quęstio 30.
An igitur duello prorsus interdictum est, ita vt nulla ratione excusari possit? 456.d
S. Agobardi Lugdunensis Archiepiscopi testimonia, quibus lege Gundebadam, la loy Gombette, *quæ olim fauebat, impietatis & iniustitiæ condemnat.* 468.a

CAPVT XVIII.

quęstio 31.
VER. 6. *De choreis.* 486.d
quęstio 32.
VER. 25. *De sponsalibus.* 528.b
quęstio 33.
Sponsalitia largitas. 532.b
quęstio 34.
Ἀντιφέρνη, siue ὑπόβολον, doarium. 533.a

CAPVT XIX.

quęstio 35.
VER. 13. *Quæ sit vis huius vocis* תרפים theraphim, *& quid ea ex vsu Scripturæ significet.* 567.c
quæstio 36.
VER. 17. *De dolo, & an eo quandoque vti liceat.* 577.d
quæstio 37.
An verò non liceat quandoque mentiri, dum propria alteriúsue saluti, qui contra ius petitur, prospicias. 583.b

CAPVT XX.

VER. 26. quęstio 38.
An si quem fortè secundum quietem venereus humor polluerit, arceri à sacris altaribus debeat: & quamobrem is olim immundus est habitus. 652.b

CAPVT XXI.

quæstio 39. VER. 3.
De Commendis, & Commendatarijs quid sentiendum sit. 703.d
quæstio 40.
An legitimus cum vxore concubitus à sacra Communione abarceat? 720.a VER. 5.
quæstio 41.
Quæritur, quantum peccet Episcopus, siue alius quilibet è Clero, qui id quod alendæ familiæ superest, in alios sumptus deriuat, potius quàm vt pauperum necessitati atque inopiæ subueniat. 729.b VER. 6.
quæstio 42.
An si cuius vita clàm aut aperta vi à Rege petatur, cùm sit innocens, nec alia salutis expediendæ ratio appareat, ad hostes fidei se recipere possit? 740.d VER. 10.
quæstio 43.
Quid sit, quod in his, quæ ad religionem pertinent, hæreticis, ad quos fortè confugeris, absque sceleris conscientia gratificari possis? 744.b
quæstio 44.
An quisquam possit vllo in tempore Cenæ Sacramentariorum fieri particeps? 746.d

CAPVT XXII.

quæstio 45. VER. 2.
Num igitur cuiquam liceat detrectare Principis imperium, aut alienas partes fouere, propterea quod priuatus quisquam iniuria ab eo affectus videatur? 771.b
quæstio 46.
An si fortè quisquam debitor ad incitas redactus sit, à creditore in carcerem condi iure queat? 779.b
quæstio 47. VER. 4.
De honorandis parentibus. 785.c
quæstio 48. VER. 8.
Quàm sit misera Tyrannorum conditio. 801.b
quæstio 49.
De delatoribus. 803.d
quæstio 50.
Ergóne Doeg Sacerdotem deferens non poterit excusari à scelere. 814.b VER. 10.
quæstio 51.
De Præsumptionibus. 821.b VER. 13.
quæstio 52. VER. 15.

Reliquæ Præsumptiones explicantur. 826.b

quæstio 53.

VER. 16. *An cuiquam mortalium humano iure liceat manum mittere in* Christos Domini? 835.d.

Quæstio 54.

Exempla cum formulis iudiciorum, quibus olim Episcopi maiestatis accusati, damnati, aut absoluti sunt. 838.b

Quæstio 55.

Quàm malè ijs cesserit, qui Christos Domini *tangere ausi sunt.* 843.b

Quæstio 56.

Ciuilium legũ autoritas Sacerdotes, seu Christos Domini *ad sua tribunalia vocari vetat.* 846.d

Quæstio 57.

Sanctorum nonnullæ rationes, quibus pijssimam Regum ac Imperatorum sententiam confirmant. 852.c

Quæstio 58.

Refellitur Platonis de summo Reipublicæ pastore sententia, & ostenditur cum Religione Christiana non posse conuenire. 859.a

Quæstio 59.

Sunt verè Reges, etiam Sacerdotum Reges, tametsi sacra profanis miscere non debeant. 861.c

CAPVT XXIII.

Quæstio 60.

VER. 6. *Quæritur, vtrum valere debeat Iosephi autoritas in describendis sacris vestibus, quemadmodum S. Hieronymo visum est: &, num reuera Ephodem adhuc suo tempore extantem videre potuerit.* 920.c

Quæstio 61.

De Rationali, eiusdem Ephodis præcipuo ornamento; & de duodecim gemmis, quæ τὸ λόγιον mirificè exornabant. 925.b

quæstio 62.

De Vrim & Thummim quid essent, & quo pacto diuinis oraculis inseruirent. 953.d

quæstio 63.

VER. 20. *Num igitur prodere neminem vnquam licet? Quid autem est proditio?* 998.a

CAPVT XXIIII.

quæstio 64.

VER. 16. *Quod impium sit manum mittere in Christos Domini.* 1062.c

quæstio 65.

Vtrum qui per calumniam iniquo iudicio opprimitur, Deum iudicem appellare, & aduersario diem dicere possit? 1073.b

quæstio 66.

An circumuentis iniquo iudicio, vel potentiorum scelere oppreßis, liceat Deum vindicem appellare? 1082.b

quæstio 67.

Vtrum sic quemquam Deum iudicem appellare liceat, vt diem prodicere, & certum vadimonio tempus constituere audeat? 1088.b

quæstio 68.

An reuera iustus quisquam habendus sit, quod à scelere, aut ab inferenda iniuria manum abstinuerit? 1097.c VER. 18.

quæstio 69.

An quisquam circumuentus insidijs, & periculi metu perterritus, cùm iurarit, Sacramenti religione obstrictus teneatur? 1112.b VER. 23.

CAPVT XXV.

quæstio 70.

Describitur planctus funebris Hebræorum. 1126.c VER. 1.

quæstio 71.

Describitur planctus funebris Gentilium, Iudæis lege prohibitus. 1128.c

quæstio 72.

Non planctu, sed veneratione honoratas quondam fuisse Martyrum reliquias. 1131.a

quæstio 73.

An liceat vxori inconsulto viro opis quidquam egenis largiri? 1207.d VER. 20.

quæstio 74.

An Dauid iure potuerit Nabalem vlcisci, nec temerè iurarit? 1218.b VER. 22.

quęstio 75.

Quo pacto eorum, de quibus bene sis meritus, ingratum animum, & linguæ petulantiam feras? 1222.c

Quæstio 76.

Quàm varia sit & multiplex despicientia, & quibus artibus eidem succurri poßit. 1228.c

De simplici Contemptione. 1230.a

De Incommodatione, altera specie despicientiæ. 1231.d

De Contumelia, tertia specie despicientiæ. 1236.a

quæstio 77.

De Conscientiæ stimulo, quem Abigail cordis singultum vocat. 1274.c VER. 31.

quæstio 78.

Quantus sit æstus Conscientiæ, & quales quantásque perturbationum procellas in nobis excitet? 1278.c

quæstio 79.

De ebrietate siue temulentia Aquilonaribus maximè populis familiari, & an illa gentis aliquo priuilegio excusari possit. 1297. VER. 36.

Quæstio 80.
De ebrietate, & quàm Deus illam exosam habeat. 1302.d
Quæstio 81.
De ebrietatis incommodis, quæ corpus & animum pessundant. 1307.b
Quæstio 82.
Ver. 44 *An potuerit aliquando pater contractum legitimè matrimonium arbitratu suo dissoluere? & de diuortio.* 1328.b
Quæstio 83.
Vtrum Polygamia per seipsam considerata simpliciter probari possit. 1333.a
Quæstio 84.
Quid igitur sentiendum de Patribus veteris Testamenti, apud quos Polygamia obtinuit? 1336.c
Quæstio 85.
Vtrum Polygamia ferri possit apud Christianos? 1339.d

CAPVT XXVI.

Quæstio 86.
Ver. 9. *Quod nemo manum afferens Christo Domini, sceleris purus sit & innocens.* 1365.d
Decretum sacri Constantiensis Concilij ex eiusdem Sessione decimaquinta. 1371.b
Quæstio 87.
Respondetur nonnullis obiectionibus, & probatur Sacri Concilij Constantiensis decreto Regum caedem inhiberi, tametsi in tyrannos degenerent. 1375.b
Quæstio 88.
Ver. 12. *Vini potores, an abstemij somno benigniore perfruantur.* 1388.d
Quæstio 89.
Ver. 14. *De Voce, & quo pacto ex grandi interuallo exaudiri potuerit.* 1392.c
Casu accidit, vt binæ sequent. quæstiones eod numero notarentur.
Quæstio 90.
An reuera Deus homines ad malum incitet? Et quo pacto? 1410.
Quæstio 90.
Ver. 20 *De delatione siue calumnia.* 1421.c
Quæstio 91.
Ver. 24 *Iustitia bonorum operum quo pacto Dei, quo pacto etiam hominis esse intelligenda sit?* 1441.d

CAPVT XXVII.

Quæstio 92.
Ver. 1. *An fas sit periculi vitandi gratia ad hostes fidei transfugere?* 1458.d
Quæstio 93.
Ver. 4. *An peccarit Dauid à Saule ad Achim Regem Geth transfugiens?* 1461.c
Confutatio præcedentium argumentorum. 1465.b
Pars negans statuitur, & asseritur Dauidis innocentia. 1470.b
Quæstio 94.
Quo pacto quis absque scelere inter Gentiles conuersari possit. 1476.c Ver. 5.
Quæstio 95.
Quibus tandem legibus cum Infidelibus nobis habitare liceat. 1479.b
Quæstio 96.
Quàm necesse sit rudes & indoctos ab Infidelium societate seiungi, cùm ratione, tum pluribus Scripturarum testimonijs probatur. 1482.d
Respondetur argumentis ab initio propositis. 1487.a
Quæstio 97.
Quæritur an Reges iurent, cùm primùm principatum ineunt, quæ ad fiscum pertineant, ea se non alienaturos. 1491.c Ver. 7.
Quæstio 98.
Esto, plerique non iurent: Quæritur tamen an non lege aliqua, aut etiam ratione, res Imperij alienare vetentur? 1495.a
Quæstio 99.
Expenduntur rationes, quibus freti nonnulli Doctores negant Reges quicquam alienare posse. 1497.d
Quæstio 100.
An Regi liceat vrbis cuiusquam, quæ regni esse censeatur, potestate abdicare se, & alteri addicere? 1507.b
Quæstio 101.
Quo iure Dauid prædas de tot gentibus egerit; & an quemquam liceat in bona naufragorum inuadere? 1517.a Ver. 9.
Quæstio 102.
Fasne sit ambiguitate sermonis seipsum innocentem periculo liberare? 1525.b Ver. 11.

CAPVT XXVIII.

Quæstio 103.
An reuera Dauid statuerit pro Palæstinis in aciem dimicationémque venire, & cum Hebræis manum conserere. 1539.d Ver. 1.
Quæstio 104.
An magos è medio tollere liceat? 1550.b Ver. 3.
Quæstio 105.
An iure malefici capite pœnas luant? 1552.a
Quæstio 106.
Responsio aduersariorum, quam excipit nostra relatio, instituta ad eorum labefactandam rationem. 1557.b

Primi argumenti examen atque discussio.

Quæstio 107.

VER. 3. *Alterius & tertij argumenti confutatio.*

Quæstio 108.

VER. 3. *Refellitur quartum argumentum, & Canon, Episcopi, accuratè exponitur.* 1562.c

Quæstio 109.

VER. 3. *Iudices Lamiarum crimen, quoniam satis sit ad ferendam sententiam, humano ingenio explorare posse.* 1570.a

Quæstio 110.

VER. 3. *An si fortè dæmon imposuerit, & fucum fecerit, immunes à culpa censeri debeant?* 1573.a

VER. 3. Quæstio 111.

An qui magicas artes ad commodum delectationémue conferunt nec cuiquam nocere student, hi quoque supplicio digni sint. 1577.a

Quæstio 112.

VER. 3. *Qui Magicis artibus sciētias hominum mentibus instillare posse confidunt, reosque criminum piaculo soluere, hi quoque è medio tollendi videntur.* 1583.b

Quæstio 113.

VER. 3. *De diuinis quid sentiendum sit, & an eorum ferenda stultitia.* 1591.d

Quæstio 114.

VER. 6. *De voce* [illegible] *quam septuaginta vsurparunt an bellè satis huic loco conueniat ipse quoque Hebraici nominis* חלום hhalom *etymologia expenditur.* 1911.a

Quæstio 115.

VER. 6. *Somniorum plures differentiæ, quarum nonnullas obseruant Medici, sed Onirocritici procul ablegant.* 1613.d

Quæstio 116.

VER. 6. *De reliquis, somnijs quæ præsagire feruntur & eorundem Interprete arte Oneirocritica.* 1617.c

Quæstio 117.

VER. 6. *De diuinis somnijs, quid sentiendum sit.* 1629.b

Quæstio 118.

VER. 7. *An dæmones futura cognoscant & eosdem consulere liceat?* 1640.b

Quæstio 119.

VER. 7. *An dæmones consulere liceat.* 1644.d

Quæstio 120.

VER. 8. *An sine scelere quisquam possit à dæmone quærere veritatem?* 1650.b

Quæstio 121.

VER. 8. *An reuera Necromantia manes euocet qui de futuris respondeant?* 1653.c

Quæstio 122.

VER. 10. *An reuera Magi dæmonum opera in patrandis maleficijs abutuntur?* 1670.c

Quæstio 123.

An reipsa quicquam dæmones efficere nocereue possint. 1621.b VER. 10.

Quæstio 124.

An fingendo dæmones sensibus illudere nocere quæ possint. 1674.d VER. 10.

Quæstio 125.

De Lamijs, Empusis & similibus, quibus à diabolo miserè ac turpiter imponitur, & quàm sæuè crudelitérque noceant. 1676.d VER. 10.

Quæstio 126.

Quæritur quàm probabiliter ac certa ratione stupenda Magorum opera dæmonibus ascribamus cùm possint, vt plerisque visum est, in causas naturales referri. 1679.a VER. 10.

Quæstio 127.

Quàm graui scelere se obstringant iudices, qui cum possint, in Magos & Ariolos non animaduertunt. 1684.a VER. 10.

Quæstio 128.

An non ipsæ per se animæ exili aliquo corpore constent, perinde, vt vulgus sentire videtur, vmbris nebulisve per simili? an reuera corporea prorsus molis expertes? 1697.b VER. 14.

Quæstio 129.

Omnis illa Fausti ratiocinatio, qua permiscere corporibus animas nisus est, S. Mamerti responsione dissoluitur. 1703.c VER. 14.

Quæstio 130.

Quo genere pugnæ Michael cum Dracone conflixerit & eundem cælo deturbarit? 1705.d VER. 14.

Quæstio 131.

Quo pacto ignis ille stygius separatas mentes cruciet & torqueat. 1707.d VER. 14.

Quæstio 132.

Primus est, vtrum Angeli assumant corpora? alter, vtrum Angeli in corporibus assumptis opera vitæ exerceant? 1714.d VER. 14.

Quæstio 133.

Sed num reuera hoc loco Samuel apparuit? 1718.a VER. 14.

CAPVT XXIX.

Quæstio 134.

De facto Dauidis quid sentiendum sit: & num absque peccato cum fratribus potuerit cominus in acie pugnare. 1776.a VER. 8.

CAPVT XXX.

Quæstio 135.

De lacrymis, num illæ Christianum deceant? Tum quæ sit earum ratio Physica? 1794.d VER. 5.

Quæstio 136.

Elenchus Quæstionum.

Quæstio 136.

VER. 16. *De securitate, quid sit, quas causas, quosue effectus habeat?* 1825.d

Quæstio 137.

VER. 22. *An qui Ciues prædonibus prædam excusserint eandem sibi vindicent? an Ciuibus suis pristinis possessoribus, restituere teneantur?* 1843.b

Quæstio 138.

VER. 25. *Quæ Consuetudo, & quibus legibus obtinere debeat.* 1858.c

Quæstio 139.

VER. 25. *Consuetudo quam vim habeat.* 1861.b

CAPVT XXXI.

Quæstio 140.

VER. 6. *An quemquam sibi manus afferre liceat, seu spontè mortem consciscere?* 1893.d

Quæstio 141.

An vlla ratione humana voluntaria cædes sui ipsius defendi possit. 1901.d VER. 6.

Quæstio 142.

An excellentis alicuius boni gratia, quod specie morte consequi à sponte migrare liceat. 1907.c VER. 6.

Quæstio 143.

An sibi quisquam iustitiæ studio, cum sit nocens, aut etiam à Magistratu Iussus vitam eripere possit. 1914.d VER. 6.

Quæstio 144.

An tuendæ castitatis gratia sibi vitam eripere liceat? 1918.a VER. 6.

Quæstio 145.

Num Magistratibus parere necesse sit, cùm ipsi ieiunia imperant, & Iabensium ieiuniam videri possit Saulis causa susceptum. 1955. VER. 13.

Finis Quæstionum huius secundi Tomi.

F. CLAVDII

RANGOLII,

CRESPEIENSIS-

VALESII, ORDINIS

MINIMORVM.

COMMENTARIORVM IN LIBRVM Primum Regum

TOMVS SECVNDVS.

AD LECTOREM.

ITERVM *pareo, Lector, amicorum consilijs, & longiores disputationes aut penitus fugio, aut, si quæ necessariæ visæ sunt, procul ad calcem operis amandaui: breuiores duntaxat, & quæ præsentes desiderari poterant, Commentarijs inserui. Vermilij deinceps haud memini, multis de causis. Prima est, quòd si institutum sequerer, perpetuò ferè mihi cum hoste dimicandum esset; quo pacto vltrà quàm satis est, Commentariorum moles cresceret. Nam lacessendæ Ecclesiæ nullum finem facit. Et quæ partim è Sanctis PP. partim è Scholasticorum fontibus in suos Commentarios deriuauit (quæ si natiuum seruarent odorem, pietatem redolere poterant) ea sic mendacijs & erroribus aspersit, vt Hercule opus sit tanquam ad purgandà Augeæ stabula. Accedit, quòd plerique eo munere egregiè functi sunt, & cùm aliorum hæreticorum calumnias, tum Vermilij passim fraudes & sycophantias studiosè confutarunt; ita vt iam seriùs Iebusæi iactitent:* Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos & claudos. *Nullus nos Sanaballat interpellat, quo minus Solymæ muros excitemus. Denique Saulis exemplo deterritus sum: qui idcirco regno priuatus est, quòd Amalecitarum Regem viuum seruasset, tametsi vinctum & captiuum. Neque enim Vermilius eo melior: ille corpora; hic animas iugulauit. Ægyptiorum quidem vasa aurea & argentea Hebræis asportare licuit. David quoque ex Amalec, Philisthiim, & manubijs Adarezer, vniuersarúmque gentium quas subegerat, auri, argenti, & æris vim maximam*

2. Reg. c. 5.
Esdr. lib 1. cap. 6.
2. Reg. c. 8.

F. CLAVDII
RANGOLII;
CRESPEIENSIS-
VALESII, ORDINIS
MINIMORVM.

COMMENTARIORVM IN LIBRVM Primum Regum

TOMVS SECVNDVS.

AD LECTOREM.

ITERVM *pareo, Lector, amicorum consilijs, & longiores disputationes aut penitus fugio, aut, si quæ necessaria visæ sunt, procul ad calcem operis amandaui: breuiores duntaxat, & quæ præsentes desiderari poterant, Commentarijs inserui. Vermilij deinceps haud memini, multis de causis. Prima est, quòd si institutum sequerer, perpetuò ferè mihi cum hoste dimicandum esset; quo pacto vltrà quàm satis est, Commentariorum moles cresceret. Nam lacessendæ Ecclesiæ nullum finem facit. Et quæ partim è Sanctis PP. partim è Scholasticorum fontibus in suos Commentarios deriuauit (quæ si natiuum seruarent odorem, pietatem redolere poterant) ea sic mendacijs & erroribus aspersit, vt Hercule opus sit tanquam ad purganda Augeæ stabula. Accedit, quòd plerique eo munere egregiè functi sunt, & cùm aliorum hæreticorum calumnias, tum Vermilij passim fraudes & sycophantias studiosè confutarunt; ita vt iam seriùs Iebusæi iactitent:* Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos & claudos. *Nullus nos Sanaballat interpellat, quo minus Solymæ muros excitemus. Denique Saulis exemplo deterritus sum: qui idcirco regno priuatus est, quòd Amalecitarum Regem viuum seruasset, tametsi vinctum & captiuum. Neque enim Vermilius eo melior: ille corpora; hic animas iugulauit. Ægyptiorum quidem vasa aurea & argentea Hebræis asportare licuit. David quoque ex Amalec, Philisthiim, & manubijs Adarezer, vniuersarúmque gentium quas subegerat, auri, argenti, & æris vim maximam*

2. Reg. c. 5.
Esdr. lib. 2. cap. 6.
2. Reg. c. 8.

Domino consecrauit. Præterea etiam lege communi quæcunque gens anathemate deuota esset, huius metalla cum gemmis tabernaculo inferebantur. Sed esto, vera sint hæc omnia: Veruntamen Iericho & Amalec etiam funditus à Deo perire iussi sunt, nec gratas habuit victimas ex eorum grege pinguissimas.

Allegorias mysticis interpretibus perscrutandas relinquo. S. Gregorius, Venerab. Beda, Hugo à S. Victore, Angelomus, & alij plures magna ex parte eruerunt. Literam diligentius excutio, quòd ea hactenus minus curiosè explicata sit. Tota verò ad mores pertinet: quamobrem etiam in his potissimùm describendis & examinandis operam collocaui. Plures verò Translationes adhibui, non quò earum autoritate vterer: sed quo pluribus testimonijs, nonnunquam etiam aduersariorum, Vulgatam Editionem sanctam atque synceram assererem, & à calumnijs Nouatorum vindicarem, qui nullum non mouent lapidem quo ei fidem derogent. Sed frustrà: siquidem perpetuo Ecclesiæ vsu decretóque firmata est. Reliquas sanè aut cum Vulgata concilio, aut, si fortè discrepent, abdicato errore, Vulgatæ sententiam autoritatémque stabilio.

LIBER PRIMVS REGVM.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

1. ET dixit Samuel ad Saul: Me misit Dominus, vt vngerem te in
regem super populum eius Israël: nunc ergo audi vocem Domini:
2. Hæc dicit Dominus exercituum: Recensui quæcumque fe-
cit Amalec Israëli, quomodo restitit ei in via cùm ascenderet de
Ægypto. 3. Nunc ergo vade, & percute Amalec, & demolire
vniuersa eius: non parcas ei, & non concupiscas ex rebus ipsius ali-
quid: sed interfice à viro vsque ad mulierem, & paruulum atque
lactentem, bouem & ouem, camelum & asinum. 4. Præcepit itaque Saul populo,
& recensuit eos quasi agnos: ducenta millia peditum, & decem millia virorum Iuda.
5. Cúmque venisset Saul vsque ad ciuitatem Amalec, tetendit insidias in torrente.
6. Dixitque Saul Cinæo: Abite, recedite, atque descendite ab Amalec: ne fortè
inuoluam te cum eo, tu enim fecisti misericordiam cum omnibus filiis Israël, cùm
ascenderent de Ægypto. Et recessit Cinæus de medio Amalec. 7. Percussitque Saul
Amalec, ab Heuila, donec venias ad Sur, quæ est è regione Ægypti. 8. Et appre-
hendit Agag regem Amalec viuum: omne autem vulgus interfecit in ore gladij. 9. Et
pepercit Saul, & populus, Agag, & optimis gregibus ouium & armentorum, & vesti-
bus & arietibus, & vniuersis quæ pulchra erant, nec voluerunt disperdere ea: quid-
quid verò vile fuit & reprobum, hoc demoliti sunt. 10. Factum est autem verbum
Domini ad Samuel, dicens: 11. Pœnitet me quòd constituerim Saul regem: quia
dereliquit me, & verba mea opere non impleuit. Contristatúsque est Samuel, & cla-
mauit ad Dominum tota nocte. 12. Cúmque de nocte surrexisset Samuel, vt iret ad
Saul manè, nunciatum est Samueli, eò quòd venisset Saul in Carmelum, & erexisset
sibi fornicem triumphalem, & reuersus transisset, descendissétque in Galgala. Venit
ergo Samuel ad Saul, & Saul offerebat holocaustum Domino, de initiis prædarum
quæ attulerat ex Amalec. 13. Et cum venisset Samuel ad Saul, dixit ei Saul: Bene-
dictus tu Domino, impleui verbum Domini. 14. Dixitque Samuel: Et quæ est hæc
vox gregum, quæ resonat in auribus meis, & armentorum, quam ego audio? 15. Et
ait Saul: De Amalec adduxerunt ea: pepercit enim populus melioribus ouibus & ar-
mentis, vt immolarentur Domino Deo tuo; reliqua verò occidimus. 16. Ait au-
tem Samuel ad Saul: Sine me, & indicabo tibi quæ locutus sit Dominus ad me nocte.
Dixitque ei: Loquere. 17. Et ait Samuel: Nónne cùm paruulus esses in oculis tuis,

caput in tribubus Isräel factus es, vnxitque te Dominus in regem super Isräel: 18. Et
misit te Dominus in viam, & ait. Vade, & interfice peccatores Amalec, & pugnabis
contra eos vsque ad internecionem eorum. 19. Quare ergo non audisti vocem
Domini: sed versus ad prædam es, & fecisti malum in oculis Domini? 20. Et ait
Saul ad Samuelem: Immò audiui vocem Domini, & ambulaui in via per quam misit
me Dominus, & adduxi Agag regem Amalec. & Amalec interfeci. 21. Tulit autem
de præda populus oues & boues, primitias eorum quæ cæsa sunt, vt immolet Domino
Deo suo in Galgalis. 22. Et ait Samuel: Numquid vult Dominus holocausta & vi-
ctimas, & non potiùs vt obediatur voci Domini? MELIOR est enim obedientia
quàm victimæ: & auscultare magis quàm offerre adipem arietum. 23. Quoniam qua-
si peccatum ariolandi est, repugnare: & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere.
Pro eo ergo quòd abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus ne sis rex. 24. Di-
xitque Saul ad Samuelem: Peccaui, quia præuaricatus sum sermonem Domini, &
verba tua, timens populum, & obediens voci eorum. 25. Sed nunc porta, quæso,
peccatum tuum, & reuertere mecum, vt adorem Dominum. 26. Et ait Samuel ad
Saul: Non reuertar tecum, quia proiecisti sermonem Domini, & proiecit te Domi-
nus ne sis rex super Isräel. 27. Et conuersus est Samuel vt abiret: ille autem apprehen-
dit summitatem pallij eius; quæ & scissa est. 28. Et ait ad eum Samuel: Scidit Do-
minus regnum Isräel à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te. 29. Porrò
Triumphator in Isräel non parcet, & pœnitudine non flectetur: neque enim homo
est vt agat pœnitentiam. 30. At ille ait: Peccaui: sed nunc honora me coram se-
nioribus populi mei, & coram Isräel, & reuertere mecum, vt adorem Dominum
Deum tuum. 31. Reuersus ergo Samuel secutus est Saulem: & adorauit Saul Domi-
num. 32. Dixitque Samuel: Adducite ad me Agag regem Amalec. Et oblatus est
ei Agag pinguissimus, & tremens. Et dixit Agag: Siccine separat amara mors? 33. Et
ait Samuel: Sicut fecit absque liberis mulieres gladius tuus, sic absque liberis erit inter
mulieres mater tua. Et in frusta concîdit eum Samuel coram Domino in Galgalis.
34. Abijt autem Samuel in Ramatha. Saul verò ascendit in domum suam in Gabaa.
35. Et non vidit Samuel vltrà Saul vsque ad diem mortis suæ: verumtamen lugebat
Samuel Saulem, quoniam Dominum pœnitebat quòd constituisset eum regem super
Isräel.

ARGVMENTVM, ET DIVISIO TOTIVS CAPITIS.

VNVM quidem argumentum est huius decimiquinti capitis, nempe, Saulis abdicatio, sed quia non satis commodè intelligi potuit, nisi palàm fieret lapsus occasio, idcircò longior historia texitur. Itaque, tametsi præcedenti capite descriptus sit census victoriarum Saulis, attamen profligatio Amalecitarum hic denuò seorsim repetitur. Quare varia & multiplex est totius narrationis materia. Primo loco refert Samuel mandatum Domini, quo iubetur Saul Amalecitas anathemate perdere. Deinde, sequitur victoria: victoriam lapsus comitatur. Mox Samuel in reum seuerè inuehitur. Nõnullas tamen rationes Saul excusationis loco prætexit, quas vbi videt Prophetæ non probari, culpam deprecatur. Amalecitarum Rex, quem Saul hactenus seruauerat, membratim conciditur. Postremò, Samuel à Saulis consortio deinceps abstinet. Nunc, quod ad primum versum capitis attinet, ante omnia diuersas interpretum translationes inuestigemus: sic enim fiet, vt liberiori pede reliqua transcurramus.

VERSVS I.

Et dixit Samuel ad Saul: Me misit A Dominus, vt vngerem te in regem super populum eius Isräel: nunc ergo audi vocem Domini.

Variæ trãslationes.

SVPER *populum eius Isräel.*] Præpositio עַל ghal, *super*, apud Hebræos bis ponitur, & apud Chaldæum Paraphr. Quamobrem Pagninus vertit, *Super populum suum, super Isräel.* Quem imitatur & Vatablus: qui addit in Ecphrasi, Hebraismum esse, *Super Israelem*, Expolitionis loco additum, quasi dicat, *Super populum suum*, hoc est, *super Israelem.* Iunius, *Super populum suum*, nempe *super Isräel.* Complutensis Editio Septuag. Interpr. τοῦ χρῖσαί σε εἰς βασιλέα ἐπὶ Ισραὴλ τὸν λαὸν αὐτοῦ, *Vt vngerem te in regem super Israel populum eius.* Romana simplicius, *vt vngerem te regem super Israel.* Aldina tamen vtrumque retinet, ἐπὶ τὸν λαὸν αὐτοῦ, ἐπὶ Ισραὴλ, *Super populum suum, super Isräel.*

ME MISIT DOMINVS, VT VNGEREM TE.

Nunc ergo audi vocem Domini. Aldina Editio Septuag. Interpr. Καὶ νῦν ἄκουσον τῆς φωνῆς τῶν λόγων Κυρίου, *Et nunc audi vocem sermonum Domini.* Consentit Antuerp. Laurent. Complutensis editio, Καὶ νῦν ἄκουε τῆς φωνῆς τοῦ ῥήματος κυρίου, *Audi vocem verbi Domini.* Chaldæus Paraphr. *Et nunc ausculta dicto verbi Domini.* Hebraicè legimus, וְעַתָּה שְׁמַע לְקוֹל דִּבְרֵי יְהוָה *veghatha schemagh lecbol dibre Iehouah.* Hæc ita vertit Pagninus, *Et nunc audi* (*ad* Montanus addit) *vocem verborum Domini.* Quasi dicat, inquit Vatablus, Pare mandato diuino. Iunius, *Idcirco nũc ausculta voci, verbisque Domini.* Hæc ferè sunt, quæ notare potui: quæ sanè Vulgat. Edit. confirmant potius, quàm de falsitate suspectam reddant. Ad explicationem accedamus.

Me misit Dominus, &c.] Oratio Samuelis est, quà Regi suadet, seu potius imperat, bellum moueat in Amalecitas. Orationi porrò suæ non solùm attentionem captat à persona Domini, & sua, sed etiam autoritatem conciliat. *Me misit*, inquit, *Dominus.* Fortè enim Saül diceret: Regali potestate sum præditus, & in terris secundum Deum maiorem agnosco neminem: huic vni duntaxat obnoxium me esse fateor: Quare te mihi parere æquum est, non edictum proponere. Occurrit à principio Samuel, &, Non ego, ait, impero, sed Dominus. At quî tandem scire possim, an per te mihi imperet Dominus? Paucis expediam. Nam cui fidem habuisti vt regnum susciperes, huic te pariter fidem adhibere par est, vt Dei iussis obtemperes. Neq; enim mihi satisfuerit imperium tuæ potestati permisisse, nisi te quoque admoneam quibus legibus accipias. Vt Rex fieres, ego te quidem dudum Chrismate consecraui; vt verò Rempub. sapienter administres, regere atque hortari perpetuò debeo. Argumentum sumpsit à sacri Chrismatis vnctione, quam qui contulit, autore Deo, huius non leue pondus autoritatis esse debet, vt Reges moneat, suadeat, doceat, corrigat, ne, si fortè contemnitur, in Deum iniuria redundet.

Autoritate diuina Prophetæ Regibus imperant.

Vt ungerem te in Regem, &c. Nunc ergo audi vocem Domini.] Accepti beneficij Regem admonet, & ad officium hortatur. *Nunc ergo audi vocem Domini.* Hoc enim æquum est. Quippe, si quis aliquem eximio aliquo beneficio deuinxerit, is profectò meretur, vt, si quid imperet, quod ab æquitate nõ abhorreat, audiatur. Quis enim, nisi planè ingratus, & egregiè præter cæteros ad improbitatem natus, non ei placere studeat, quẽ sibi antè placere voluisse experimento didicerit? Beneficiis autem magis quàm verbis, D aut alia qualibet animi significatione, aliorum in nos propensam volũtatem exploramus. Nam sæpe admodum verbis deest veritas, sicut & promissis fides: beneficia stabili gratia nituntur. Idcirco Deus olim non rarò sua præstantissima in Rempub. merita commemorat, cùm populum vellet ad studium legis accendere. *Vos ipsi vidistis*, inquit, *quæ fecerim Ægyptijs, quo modo portauerim vos super alas aquilarum, & assumpserim mihi. Si ergo audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, &c.* Et hoc aliàs sæpius facit. Hîc verò etiam manifestissimè. Hoc enim dicere vi-

Dei beneficia ad obediẽdum nos prouocant.

Exod. c.19.

A detur: Singulari beneficio te Deus affecit; meretur igitur vt illum audias. Beneficia porrò non sunt inter se æqualia. Quædam enim ad sustentandam tenuitatem nostram pertinent, & ad vtilitatem duntaxat referuntur: quædam nos, præter commoda & fructus quos afferũt, etiam honoris prærogatiua exornant. Hæc verò tantò maiora habenda sunt, quantò non solùm fama bonis reliquis præstat, sed etiam quantò superat voluntatis indulgentiam, animi iudicium. Nam voluntatis studium etiam meritissima pœna concitare solet: mentis iudicium sola ratio inflectit. Quod si vllo tempore, tum eo maximè illustre id testimoniũ apparet, cùm vnus è plurimis reliquæ multitudini præfictẽdus est. Nam cùm is designetur, qui reliquis virtute præluceat, nemo dubitabit, si quem Deus suo calculo probauerit, eundem cæteris prudentiæ, integritatis, B ac temperantiæ laude diuinitus anteferri. Quare ad maximas opes, quæ Regis creationem consequuntur, non mediocris honoris & gloriæ cumulus accedet: Sic, vt non temerè beneficiũ aliud reperias, quod cũ eo fauore conferri possit. Quod si ita est, ergo propter beneficij magnitudinem ad Officium magis astringeris. Tu namque ex infimo loco Rex à solo Deo delectus es: alij, tametsi diuino munere regnum capessunt, attamen hæreditario iure plerumque, aut rebus præclare gestis illud adipiscuntur.

NVNC ERGO AVDI VOCEM DOMINI.

Beneficia temporalia quæ maxima.

Etsi verò superius argumẽtum ad persuadendum vim maximam habere debuit, vt, si quid Deus mandaret, id Saul vltrò susciperet: placet tamen magis, Samuelem illo sermone Regem Officij ratione potius, quàm beneficij commemoratione, ad audiendum prouocare voluisse. C Quippe mihi dicere visus est: Tu Rex à Deo institutus es, & eo iubente oleo delibutus, nullo refragante imperium obtines: age igitur, & me docente quæ sint legitimi principis partes, diligenter attende. Hoc siquidem primùm omnium curare debes, vt cuius in terris personam sustines, huius voluntatem perspectam habeas. Deinde, vt qua possis ratione perficias. Neque enim aliter quàm diuino nutu ac suffragio regnum consequutus es, quod vtique diuinæ dominationis vicaria quædam potestas est: quam qui nactus est, parere præter cæteros, ac dicto audientẽ esse decet. Neque enim vt in reliquis, sic quoq; perinde est in potestatis cõmunicatione. Nam si quod aliud beneficium confertur, recipientis potestas est, vt de eo suo arbitratu ac voluntate statuat. At qui alterum sui iuris vicarium instituit, ea mente ac consilio facit, vt pro se quidem imperet, verùm sua, non aliena præcepta seruari. Deinde, collata rerum aliarum munera, Domino pereunt; donatario quærũtur. Neque enim pecuniam, aut agros, aut armenta vltra is possidere cẽsendus est qui dedit, sed qui accipit. At qui supremũ obtinet imperium, tametsi plures magistratus instituat, cum quibus studiũ cõseruandæ reipublicæ communicet, nihil tamen illi de suo iure minuitur: sed plures duntaxat ad exigendam obedientiam parat adiutores. Quæ ratio illos cum primis ad obediendum obligat. Nam quo pacto egregiè suo munere fungi poterunt, ni priores obsequantur.

Reges præ cæteris ad seruandas leges diuinas astringuntur.

NVNC ERGO AVDI VOCEM DOMINI.

Regalis officij duæ partes præcipuæ.

At enim Officij eorum duas partes esse comperio. Altera est, vt pareant: quod ni fecerint, perduellionis reos se constituunt. Altera, vt reliquum populum morigerum præstent, & principalibus edictis obtrectare vetent. Id verò non alia ratione magis effectum dabunt, quàm si, quod iubent, priores exequantur. Exemplum siquidem ad impellendos plebis animos nimio plus potest: Edicti remissior vis ac potentia est. Pluris operis fides, quàm vocis, licet omnium clarissimæ. Tametsi enim sermo videatur interpres voluntati à natura datus, quandoquidem tamen verbis nonnihil obscuritatis inest, (nam hoc negare ne Diodorus quidem ausus est, cùm Chrysippum argueret, qui omne verbum ambiguum natura esse dicebat.) Commentario nonnunquam indiget, quod non est aliud, si rerum naturam spectes, quàm operis demonstratio. Nec id alio argumento probari indiget quàm experientia. Quis enim non videt, quemadmodum, qui artes docent, non solùm præcepta tradunt, sed etiam coram discipulis artis aliquod specimen edunt, quo citius erudiantur? Quippe oculi sunt ad imitandum solertiores; aures serius disciplinis imbuuntur. Quare nec aliunde siue artium Magistros, siue populorum Magistratus dictos didicimus, quàm quòd ipsi *magis*. Nam Paulus *D. de verb. Signif. l. 57.* Cui, inquit, præcipua cura rerum incumbit, & qui magis quàm cæteri diligentiam, & sollicitudinem rebus, quibus præsunt, debent: hi Magistri appellantur. Quinetiam ipsi Magistratus per deriuationem à Magistris cognominantur, qui sunt cuiuslibet disciplinæ præceptores, à monendo, vel monstrando dicti. Quod si verũ est, præcipuè ergo Magistratuũ in obseruãdis legibus studiũ eluceat, necesse est. Vnde postremo sequitur, vt Rex quoque, qui humanis legibus solutus esse videtur & superiorem reliquis Magistratibus locum occupat, diuinæ legis obseruantissimus esse debeat, & Dei iussa religiosè tueri. Quod non video qua ratione præstare possit, nisi prius aurem docenti accommodet. Nam quo pacto legem obseruet, quam non nouerit? aut noscat, quam non didicerit? aut discat, si non aurem præbuerit? Sapienter itaque Samuel Regem admonet, *Audi vocem Domini*. Verùm, dicet aliquis, à quo vis audiat? à Samuele, & Sacerdotibus, à quibus iubetur Deuteron. cap. 17. vers. 18. Legis exemplar accipere. Neque enim Regem legi condendæ præficit, sed obseruãdæ. Non quia leges scribere nequeat, quæ ciuilia iura præscribant: sed quia in ijs quæ ad religionem & Dei cultum pertinent, leges Ecclesiæ dare non potest; tenetur accipere.

A. Gellius lib. 11. c. 12.

Exempli vis maxima.

D. de verb. signif.

1. Reg. c. 10. Denique, peculiaris quædam ratio hoc à Saule flagitabat. Nam quo tempore oleo perfusus, Princeps à Samuele renunciatus est, hanc ei specialim legem dixit: *Liberabis populum suum de manibus inimicorum eius, qui in circuitu eius sunt.* Huius nunc edicti refricat memoriam, & iubet, intelligat, in quos primùm hostes Deus velit eum incurrere.

A

B

C

D

HÆC DICIT DOMINUS EXERCITVVM, &c.

VERSVS II.

Hæc dicit Dominus exercituum: Recensui quæcumque fecit Amalec Israël, quomodo restitit ei in via cùm ascenderet de Ægypto.

Variæ trãslationes.

DOMINVS *exercituum.*] Hebraïcè, יְהוָה צְבָאוֹת *Iehouah tsebaoth*. Pagninus vertit, *Recordatus sum eorum*, (*Recensui*, apud eumdem Montanus restituit) *quæ fecit Hamalec ipsi Israël: quid posuit illi in via, quando ascendebat ex Ægypto.* Ita Pagninus in Editione Benedicti Ariæ. At in Antuerpiana Laurentij habet, *insidiarum, quas illi posuit in via.* Pagninum imitatur Vatablus in eadem editione: *Sic dicit Iehouah exercituum, Recordor eorum quæ fecit Amalec Israëli, quòd posuerit illi insidias in via quando ascendebat ex Ægypto.* Hæc ibi Vatablus. At in Editione Salmanticensi consentit cum priori interpretatione Pagnini. *Recensui*, inquit, *quid fecerit Amalec Israeli, & quid posuerit ei in via, &c.* Eodem sensu. Nam in Ecphrasi notat Hebraïsmum esse: *qui opposuit ei* (subaudi, inquit, *insidias.*) Et addit præterea: Chaldæus Paraphr. legit, *Qui insidiatus est ei.* Quidam Hebræorum vertunt, *Visitabo & rependam quæ fecit Israeli: opposuit enim sese illi*, id est restitit. Editio Græca Complut. νῦν ἐγὼ ἐκδικήσω ἃ ἐποίησεν Ἀμαλὴκ τῷ Ἰσραήλ, ὡς ἀπήντησεν αὐτῷ ἐν τῇ ὁδῷ ἀναβαίνοντι ἐξ Αἰγύπτου. *Nunc ego vlciscar quæ fecit Amalec, quomodo obuiauit ei* (Romana, *occurrit*) *in via ascendenti ex Ægypto.* Aldina consentit, quam exprimunt Rom. & Antuerp. Laurentij, nisi quòd vtuntur numero plurali, & habent, *ipso ascendente ex Ægypto*: Aldus enim legit, ἀναβαίνοντος αὐτοῦ. Iunius, *Visitaui id quod fecit Hamalek Israeli: qui opposuit ei aciem in itinere cùm ascenderet ex Ægypto.* Ad marginem: id est, *recognoui, & visitare statui.* Est autem *visitare* in Scripturis, exsequi promissum bonum, vel denuntiatum malum. Quæ interpretatio petitur ex illo Genes. capit. 21. versus 1. *Postea visitauit Dominus Saram quemadmodum dixerat, fecitque Dominus Saræ quemadmodum loquutus fuerat.* Porrò, quæ molitus sit Amalec, dum studet Israëlitas perdere, narrantur Exodi 17. à versu 8. vsque ad finem; & Deuteronomij 25. 17. & sequent. Munsterus, *Recogito quid fecerit Amalec Israëli, quomodo posuerit ei (insidias) in via.* Denique & alius quispiam, *Recordor eorum quæ fecit Amalec Israëli, quòd posuerit illis insidias in via, &c.* Hæc summa est variarum translationum: quarum pleræque ne verbo quidem à Vulgata dissentiunt, sensu omnes coniunguntur.

Hæc dicit Dominus exercituum: &c.] Hoc sentit, opinor, Ne quis te fortè periculi terror commoueat, non alium consilij: seu potius ius-

CIT DO- MINVS EXERCI- TVVM.
ſionis meæ autorem dabo, quàm eum, qui
ſummo iure præeſt exercitibus. Hoc enim
fretus quid fruſtrà paueas? Excutiendus ti-
mor eſt, & hoſtis ſtrenuè conficiendus. *Do-*
Philo. *minus.* Philo docet apud Suidam in voce
θεός, Illius, *qui eſt*, duas eſſe facultates. Qua-
rum vna quidem, inquit, effectrix, & actu-
oſa, vocatur *Deus.* Altera verò Regia, ἡ δὲ
βασιλικὴ, καὶ τιμωρικὴ Κύριος, & peccatorum vin-
dex & vltrix, vocatur *Dominus.*

Exercituum. Hebraïcè צְבָאוֹת *tſebaoth*, ſicut
& Chald. Græci legunt hoc loco pariter σα-
βαώθ, quos non raro Vulgatus imitatur: aliàs
Vocis Sabaoth, varia & multiplex ſignificatio. *virtutum* aut *exercituum* vertit. צָבָא *tſaba*, ſanè
militia eſt, congregatio populi, ſiue exercitus,
à verbo צָבָא *tſaba*, quod eſt, congregatus eſt,
ſeu turmatim conuenit, pugnauit, militauit.
Inde verò tranſlata dictio eſt ad ſignificandos
1. ſyderum choros, quos non rarò *cæli militiam,*
virtuteſque cælorum, Scriptura cognominat;
quòd videantur impios bello laceſſere, quos
Numinis ira perſequitur: aut certè, tanquam
in ſpeculis collocatæ, contemplari facta homi-
num. Frequentius Angelorum turmæ צְבָאוֹת
2. *tſebaoth*, ſiue *virtutes*, aut *exercitus Dei*, *cæliue*,
nuncupantur. *Vidi*, ait Michæas 3. Reg.
capit. 22. *Dominum ſedentem ſuper ſolium ſuum,*
& omnem צָבָא *exercitum cæli aſſiſtentem ei à dex-*
tris & à ſiniſtris. Et Dauid Pſalm. 103. *Benedicite*
Dominum omnes צְבָאָיו *tſebaau*, *virtutes eius, mi-*
niſtri eius, qui facitis voluntatem eius. Sed nec
Lucas ab ea phraſi abhorruit. *Multitudo*, ait,
cæleſtis exercitus, capit. 2. Et item aliàs, *virtutes*
cælorum commouebuntur. Matthæi 24. Marc. 13.
Angeli porrò non temerè cœleſti militiæ ad-
ſcripti ſunt: ab his enim Draconi bellum illa-
tum eſt: quem prælio victum, cœlo deturba-
runt; vt autor eſt Ioannes Apocalyp. 12. At
metaphora demum obtinuit apud Sacros Scri-
ptores, vt ij quoque militare dicerentur, qui-
3. cunque Sacerdotis aut Leuitæ munus in templo
obirent; ſeu quòd illi inſtar militum ſtipendia
mererent; ſeu quòd velut terreſtres quidam
Angeli, arcem religionis templum vallare ac
tueri viderentur. De his namque Numer.
capit. 4. verſu 23. legimus. *Numera omnes qui*
ingrediuntur & miniſtrant in tabernaculo fœderis.
Sic habet Vulgatus. Hebræi tamen legunt,
לִצְבֹא צָבָא *litsbo tſaba.* Græci λειτουργεῖν cum
Vulgato interpretantur. Sed qui ex Hebrai-
cis vberibus ſanguinem malunt elicere,
quàm lac ſugere, exponunt cum Pagni-
no, *Omnem ingredientem ad pugnandum pu-*
gnam, vt faciant opus in tabernaculo Eccleſiæ.
Vel cum Montano, *Ad militandum militiam, ad*
ſeruiendum ſeruitium in tentorio conuentus. Va-
tablus vertit, *Ad miniſtrandum per turmas, &c.*
צָבָא *tſaba*, itaque non cultum propriè aut mi-
niſterium ſignificat, ſed militiam. At meta-
phoricè Ordo ſacer, idcirco acies quædam
militaris dictus eſt, quòd ſicut Milites, ita hi
quoque excubent qui ſacris operantur, & tan-
quam caſtris poſitus tabernaculo præſideant.

Comperi & nonnullas mulieres in album hu-
A ius militiæ à Scriptura referri. De quibus ſcri-
ptum eſt 1. Reg. capit. 2. verſu 22 quod *ob-*
ſeruarent ad oſtium tabernaculi. Et Exodi 38. verſ.
8. quòd *excubarent in oſtio tabernaculi.* Hebraï- 4.
cè הַצֹּבְאוֹת אֲשֶׁר צָבְאוּ *hatſ.beoth aſcer tſabeou.*
Quod ſic exponunt Interpretes, vt de *conue-*
nientibus ad tabernaculum ſimpliciter intelligat
Pagninus. Vatablus addit; Chaldæum ſe-
quutus, *orandi gratia.* Montanus *exercentium*
quæ exercebant duntaxat meminit. LXX. τῶν νηστευουσῶν, αἳ ἐνήστευσαν, *ieiunantium quæ ieiunabant:*
tametſi nonnullus *excubantium* aut *vigilantium*,
non *ieiunantium* vertat. Quæ omnia licet à me
neutiquam reprobentur, negari tamen non po-
teſt, quin, ſi vocis etymologiam ſequamur,
reddendum ſit, *mulierum militantium, quæ mili-*
B *tabant ad oſtium tabernaculi.* Quamquam צְבָאוֹת 5.
tſebaoth, vt verum fatear, & nonnullis placuiſ-
ſe video, etiam à צָבָה *tſabah*, deriuari poſſit;
vnde צְבִי *tſebi*, quod ex vſu Chaldæorum de-
corem, pulchritudinem, iucunditatem, deſi-
derium, ac etiam capreolum ſignificat. Sic
enim tranſtulit Interpres Noſter Cantic. 2.
verſu 7. *Adiuro vos filiæ Ieruſalem per capreas*
(quo loco nos habemus בִּצְבָאוֹת *bitſebaoth*) *cer-*
uoſque camporum. Significabit igitur etiam ea
vox capreolos: & verti poterit, *Hæc dicit Domi-*
nus capreolorum. Sed non propter hoc nomen
ſortiti ſunt: Sed quia aut corporis forma præ-
ſtant, quod volunt nonnulli: aut quia gregatim
incedunt, quo faciliùs ſe aduerſus pericula
tueantur. Fertur verò & nonnullis Scythiæ lo-
ci animal quoddam, ſylueſtri capræ ſimile, Ioach. Camer. in Symbol. cent. 2. Emblem. 44.
Snhak dictum ab incolis, capreolorum turmas
ductare, & inſita à natura ſolertia diſcrimini
frequenter eximere; vt non prorſus inepta vi-
deri poſſit ea comparatio. Veruntamen LXX.
Interpretibus, & Ionathæ Chaldæo magis
placuit, quibus primùm veſtigijs inſtiterant, 6.
in ijs permanere. Quare non *capreas* aut *ceruos*,
ſed *virtutes* aut robur exercitus interpretan-
tur. Græci, ἐν ταῖς δυνάμεσι καὶ ἐν ταῖς ἰσχύσεσι τοῦ
ἀγροῦ. Complut. *in potentijs & in fortitudinibus*
agri. Romana, *in virtutibus & viribus agri.*
Alij, *per virtutes, per exercitus.* Chaldæus, *in*
Domino exercituum, & in fortitudinibus terræ Iſ-
raël. Addam poſtremò, hanc vocem non ſe-
mel deſignare ſtata tempora ætatis humanæ, ſi-
D ue etiam exilij, aut militiæ, & quodcunque cer-
ta lege ſpacium præſcriptum eſt, nec valet vltra
metas proferri. Nam Iſaiæ capit. 40. verſu 2.
legimus: *Quoniam completa eſt malitia eius. Mi-*
litiam vertit Pagninus non multò commo-
dius. Niſi fortè non *militiam*, vt habet Ge-
neuenſis editio, ſed *tempus*, vt Antuerpiana Lau-
rent. & apud eundem Vatablus. Neque enim
hæc ſententia aliud indicat, quàm quod ab eo-
dem mox ſubditur, *Perfecta eſt punitio eius.* Hoc
eſt: Satis iam ſatis pœnarum diuinæ Clemen-
tiæ dedit, & tempus illud luctuoſiſſimum, quo
macerari in exilio debuit, dudum elapſum eſt.
Iob verò capit. 14. verſu 14. *Cunctis*, inquit,

CIT DOMINVS EXERCITVVM, &c.

HÆC DICIT DOMINUS EXERCITUUM.

RECENSUI QUÆCUNQUE FECIT AMALEC ISRAELI.

diebus quibus nunc milito. Hebraicè צבאי *tsebai.* Montanus, *Militiæ meæ.* At Pagninus & Vatablus *temporis mei.* Et capit. 7. vbi nos legimus versu 1. *Militia est hominis vita super terram, &c.* Hebraicè est צבא *tsaba*, quod Montanus quidem *militiam* cum Vulgato exponit: at Pagninus, & Vatablus *certum ac determinatum tempus* explicant; sicut & alijs pluribus locis.

Quot modis interpretari possimus, Dominum Sabaoth.

Ex his omnibus sequitur, *Dominum Sabaoth* pluribus modis non incommodè Latinè reddi posse. Nam & *Dominus virtutum* exponi potest, & item. *Exercituum. Sacerdotum* præterea atque *Leuitarum*, & *eorum omnium, qui in templis Domino deseruiunt.* Poterit etiam intelligi *ieiunantium Dominus*, & *excubantium in sacris ædibus*, *& eorum qui simul adunati publicas preces fundunt*, quarum vis & potentia maxima est. Item *Desideriorum Dominus*, *decoris ac pulchritudinis*, *voluptatis atque omnium*, quarum is thesaurus & inexhausta scaturigo est. Denique *temporum Dominus*, quæ solus ad arbitrium metiri potest; nos ne scire quidem possumus. Neque enim nostrum est, inquit filius, *nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Horum quicquid elegeris, in hunc locum mirificè quadrabit.

Cicero li. 1 Tuscul. Quæ sit De Memoria.

Recensui quæcunque fecit Amalec.] nonnulli, *Recognoui*, *Recogitaui.* Plures *Recordatus sum*, eodem sensu. Memoriæ vim admiratus Mar. Tullius, insigne putat diuinitatis argumentum: Quid est, inquit, illud quo meminimus, aut quam habet vim, aut vnde naturam? Non est certè nec cordis, nec sanguinis, nec cerebri, nec atomorum. Anima sit, animus, ignisue nescio. Nec me pudet, vt istos, nescire, quod nesciam. Quicquid sit, (sic in pauca contraxit Rhodiginus) iurarem esse diuinum. Quid, obsecro te, terrane tibi, aut hoc nebuloso & caliginoso cœlo, aut sata, aut concreta videtur tāta vis memoriæ? An capacitatem aliquam in animo putamus esse, quò tanquam in aliquod vas, ea quæ meminimus, infundantur? Absurdum id quidem. Qui enim fundus, aut quæ talis animi figura intelligi potest? aut quæ tanta omnino capacitas? An imprimi quasi ceram animum putamus? & memoriam esse signatarum rerum in mente vestigia? Quæ possunt verborum, quæ rerum ipsarum esse vestigia? Hæc Tullius. Itaque numinibus ipsis Prisci Memoriam ascripserunt. Poëtæ fingunt Musarum matrem, & Mnemosynen indigitant: cui Athenienses non vino, sed aqua melle diluta sacrificarunt; vt meminit Alexand. Genial. dier. libro tertio capit. 12. Nec hactenus Veteres fecisse contenti, Ioui diphtheram tribuerunt, in qua res humanas perscriberet, ne memoria laberentur. Pellis ea fuit Amaltheæ capræ, si Poëtis credimus. Barbari ad scribendum quondam pellibus vsi sunt. Scribit tamen Herodotus, Ionas prisca consuetudine byblos dicere diphtheras, quòd pellibus primùm elementa literarum inscripsient, quæ à Phœnicibus acceperant, cùm byblis aut sirpis, seu papyro destituerentur.

Deo memoriam Ethnici tribuerunt. Alexand. ab Alex. Diphthera Iouis.

Herodotus lib. 5.

A Audierant forsitan cuiusdam libri, quem Deus sua manu exarasset, à Moyse fieri mentionem. Sed & Nemesi, quæ dea quondam flagitiorum vindex est habita, sedes in corpore humano post aurem dextram data est, teste Plinio lib. 11. capit. 45. qui locus memoriæ solium creditur. Quis igitur dubitet Deum verè memorem, ac propriè recordari? Deus immortalis auerte quæso & detestare hunc procul à nobis errorem. Multa namque me à tanto scelere absterrent. Quid enim Memoria est? Plutarchus lib. de Oraculis quæ defecerant, scribit, Memoriam antistrophon esse diuinationis. Sicut enim futura diuinando præuertimus, ita præterita memoria reuocamus. Neutrum verò genus adest, sed per species impressas in animo faciunt sui videndi copiam. Quæ si B non facilè ad imperium subeant, aut recto itinere ad condictum sequantur, tum opus esse Reminiscentia docent Peripatetici, quam rediuiuam memoriam nominant, aut collapsæ memoriæ instaurationem. Nam sæpe multas rerum imagines, quas non prorsus abducit, obscurat tamen longior ex interuallo incuria. Has vestigat Reminiscentia, & inuentas è latebris in lucem mentis educit; ac sic demum redit veluti postliminio Memoria. Quas species, siue Spiritus in cerebrum impacti combeant, seu cerebri mollior substantia altius impressa seruet, esse profectò necesse est: siquidem se multa nobis ingerunt atque exhibent, quæ funditus excidisse compertum est. At contrà Plotinus: Si formæ, inquit, residerent, consideratione ad reminiscendum nequaquam indigeremus. Quis non videat acumen Plato- C nicum? Nam si formæ non residerent Plotine, consideratione frustrà ad reminiscendum vteremur: res enim plerumque non extant. Quod si Memoria elapsi temporis thesaurus quidam est, & officina rerum non extantium, eritne quisquam tam tardo atque hebeti ingenio præditus, vt illam æterno Deo, quem nihil præterit, cui præstò sunt omnia: tribuere audeat? Non cadunt ista in Deum, vt aut obliuisci possit, aut meminisse. Sed vt homines, cùm reminiscuntur, faciunt id, quod prius obliti erant facere: ita Deus, cùm id facit, quod diu distulit, dicitur meminisse. Distulerat autem iam Deus hanc vltionem annos penè quadringentos. Dicitur ergo nunc meminisse, quia antea vi- D debatur esse oblitus. Quàm lepidè Euripides in Menalippe!

Plinius.

Plutarchus. Quid Memoria & Reminiscentia.

Memoria Deo tribui non potest.

Quid sit Deum recordari.

Euripides.

Delicta subsilire cœlo creditis
Alata, deinde & illa membranis Iouis
Aliquem exarare, illisque conspectis Iouem
Humana iudicare? ne totum quidem
Cœlum Ioui delicta scribentis omnium
Suffecerit, nec ipse rem considerans
Tribuere pœnam singulis. Sed adest prope
Iustitia, si videre vultis, cominus.

Quomodo restitit ei in via.] Est oratio ecliptica. Alij aiunt bellum fuisse commissum, alij intelligunt structas insidias. Sic enim Targum Chaldaicum interpretatur.

Cùm ascenderet de Ægypto.] Id describitur in Exodo cap. 17. Nam cùm Hebræi essent in Raphidim, & transmisso non ita pridem Mari Rubro iter in Palæstinam carperet, Amalecitæ carpebant extrema agminum: vtque habetur in 25. cap. Deuteron. debiles & infirmos, hoc est, vt Hebræi apud S. Hieronymum in Tradit. Heb. interpretantur, immundos, & fluxu laborantes, qui de more erant extra castra, interfecerunt, circuncitionem eorum amputarunt, & in subsannationem Dei in cœlum proiecerunt. Itaque Hebræi commisso prælio Amalecitas profligauerunt. Tum Deus iussit, vt etiam posthac iniuriæ memores essent, & nomen Amalecitarum prorsus ex hominum memoria tolleretur. *Memento*, ait, *quæ fecerit tibi Amalec in via quando egrediebaris ex Ægypto: quomodo occurrerit tibi: & extremos agminis tui, qui lassi residebant, ceciderit, quando tu eras fame & labore confectus, & non timuerit Deum. Cùm ergo Dominus, &c. delebis nomen eius sub cœlo. Caue ne obliuiscaris.* Exodi autem cap. 17. quo loco pugna cum Amalecitis describitur, ac tandem victoria, *Dixit Dominus ad Moysen: Scribe hoc ob monumentum in libro, & trade auribus Iosue: Delebo enim memoriam Amalec sub cœlo. Ædificauitque Moyses altare: & vocauit nomen eius, Dominus exaltatio mea, dicens: Quia manus solij Domini, & bellum Domini erit contra Amalec, à generatione in generationem.* Sed nec tum semel Hebræos lacessiuisse contenti, Amalecitæ iterum anno sequenti, cùm Hebræi motis castris ex deserto Pharan vicini montis iugum subirent, non minimam eorum stragem ediderunt. Nam *percutiens eos Amalec atque concidens, persecutus est eos vsque Horma*; Numer. cap. 14. Nomen hoc Genti fecit Amalec, quem liber Genes. cap. 36. annumerat Esau nepotibus. Nam Esau filium habuit Eliphaz, qui liberos quinque suscepit, inter quos locum quidem non meruit Amalec, sed legitur extra seriem è concubina natus. Quare etiam regionem Idumeæ conterminam nactus est, latrocinijs infamem ob studium Gentis. Quamobrem, tametsi multæ iam generationes intercesserant ab illa pugna, omnes tamen posteri retinebant auitum odium in populum Dei, & pari libidine prædas & cædes exercebant, erantque rei eiusdem criminis. Itaque Deus sumit vltionem de omnibus. Fuisse autem omnes eiusdem animi, apparet ex eo, quod Samuel Regi exprobrat, cùm eum occideret: *Sicut gladius tuus orbas fecit multas mulieres, ita orba eris mater tua.* Probabile ergo est illum Regem multos ex Hebræis interfecisse.

A

Tradit. hebraicæ. Dudũ vlciscitur Dominus, vt Amalecitæ perderentur.

B

Semen nequam, filij scelerati.

Hæc ascripta sunt, ne Saul putet, se sine causa iuberi obtemperare mandato Dei. Quanquam etsi addita non fuisset causa, tamen Deus dignus erat, cui pareretur. Cùm Abraham iuberetur occidere filium suum, nulla adiecta fuit causa, cur ita faceret. Sed vidit Deus animum Saulis esse curiosum ac temerarium. Itaque non tantùm omnia distributè proponit, sed etiam causam addit, cur ita velit fieri. Tandem Deus se aliquando vlciscitur de Amalecitis. Pulchrum est illud Val. Maximi: Deum tarditatem vltionis compensare grauitate supplicij. Et Plutarchus scripsit librum perelegantem. De sera numinis vindicta. Sed hic duo cauenda sunt præcipitia: Alterum, ne putemus Deum non videre: aut curare res humanas: Alterum, ne velimus, Deum primo quoque tempore vlcisci. Nos oportet ingredi regia via & media: vt & sciamus Deum aliquando velle vlcisci, & eius vindictam patienter expectemus. Hoc bellum non ex humano aliquo affectu susceptum est, sed propter perpetuum odium Dei, quo illi in Iudæos, cognatos suos ferebantur. Nam cùm nostram causam persequimur, aliquid dandum est misericordiæ. At cùm agitur gloria Dei, nemini prorsus parcendum est. Graue peccatum erat, quòd ita Iudæos violassent, & præsertim profugos ex Ægypto, & afflictos, & nulli iniuriam inferentes. Itaque Deus apud Esaiam ait,
B *In afflictione eorum ego affligebar.* Ita cùm Ecclesia opprimitur, Deus ipse, cuius Ecclesia est, opprimitur. Et Christus de cœlo clamat, *Saule, Saule, quid me persequeris?* Cùm autem Deus iubet, aliquid seuerè fieri, non amat importunam clementiam. Et quod ad istos attinet, semper inculcat, Neminem oportere tangi misericordia Cananæorum, aut Amalecitarum: Et in Deuteronomio, *Ne obliuiscaris*, inquit, *Amalec.* Non fuit ista crudelitas, cùm Deus ita fieri præciperet. Ita in Ecclesia exercendus est gladius Spiritus seuerè, ac rigidè, &, cùm res ita poscit, sine respectu personarum. Neque reprehendi debent, qui in schismaticos, aut noui Euangelij fautores & Ministros, hostes omnis religionis & pietatis, asperius & vehementius inuehuntur. Imò illi potius reprehen-
C dendi sunt, qui, cùm illorum nefaria scelera, & flagitia videant, tamen dissimulanter velint agere, & reprehensionem suam intempestiua moderatione temperare.

Seueritate in Dei hostes vtendũ est. Clemẽtia in proprios.

VERSVS III.

Nunc ergo vade, & percute Amalec, & demolire vniuersa eius: non parcas ei, & non concupiscas ex rebus ipsius aliquid: sed interfice à viro vsque ad mulierem, & paruulum atque lactantem,
D bouem & ouem, camelum & asinum.

PARAPHR. Chald. *Nunc vade, & percuties eos qui sunt domus Ghamalek, & conficies omne quod illorum, & non parces super eos: & occides à viro vsque ad mulierem, &c.* Pagninus: *Nunc vade, & percute Amalec, & perdetis omnia quæ sunt ei, & non parces ei, sed interficies à viro vsque ad mul. &c.* Eadem Vatablus in Edit. Antuerp. Laur. At in Salmanticensi legit ad hunc modum: *Vade ergo, & cæde Amalec, & exscindetis quæcumque habet, nec misericordia erga eum movearis, interfice tam virum quàm mulierem, &c.* Hinc patet, interpretationis gratia, ex consequentibus, à Vulgato Interprete additum esse, *& non concupiscas ex rebus ipsius*, quod ab

Variæ trãslationes.

alijs omissum est. חמל *hhamal*, enim propriè misereri, ignoscere, parcere significat, & non expetere: tametsi nescio qua fronte negemus, cùm Septuaginta Interpret. qui Hebraicam linguam apprimè calluerunt, eamdem vocem nonnumquam sic exposuerint. Nam Malachiæ capit. 3. vers. 17. vbi nos legimus, וְחָמַלְתִּי *vehhamalthi*, quod Vulgatus exponit, *Et parcam eis, sicut* יַחְמֹל *iahhmol, parcit vir filio suo seruienti sibi*: Septuaginta Interpr. non *parcere*, sed *eligere* transtulerunt; & quidem commodius, si ad reliquam sententiam spectes. Sic enim ait ibidem Dominus exercituum: *Et erunt mihi in die illa, qua ego facio in peculium*, (LXX. *in acquisitionem*) Καὶ αἱρετιῶ *& eligam eos, sicut ἀιρετίζει eligit homo filium suum qui seruit ei.* Quinimò veritas ipsa Hebraica apud Ezechielem capit. 24. vers. 21. eodem sensu interpretari videtur, & vulgatæ autoritatem asserere. Nam quo loco nos habemus, *Ecce ego polluam superbiam imperij vestri, & desiderabile oculorum vestrorum, & super quo pauet anima vestra*: Quæ Paraphr. Chal. ita reddidit, *desiderabile oculorum vestrorum, & quod dilectissimum est animo vestro*; LXX. verò *desiderabile quid oculorum vestrorum, & super quibus parcunt animæ vestræ*: Pagninus pressius exposuit, *desiderabile*, seu potius *desiderium*, vt Arias, *oculorum vestrorum, & indulgentiam animæ vestræ.* Quibus verbis hoc innuitur, illis potissimùm rebus oculos oblectari, quibus anima indulget. Ac si diceret, quæ animis oculisque expetitis, ea pessundabo. Hæc porrò Hebraicè duobus verbis exprimuntur, מַחְמַד *mahhmad*, quod *desiderium* significat, & מַחְמַל *mahhmal*, quod *indulgentiam*: quæ cùm hoc locò eódem manifestè referantur, dubium esse non potest quin idem valeat apud Hebræos rei cuipiam animo indulgere, ac eamdem votis expetere. Quare doctè & eleganter Vulgatus Interpres, id, quod Hebræi scribunt, וְלֹא תַחְמֹל עָלָיו *velo thahhmol ghalau*, & Pagninus interpretatus est, *Et non parces ei*, sic exposuit, vt hoc quoque exprimi his vocibus admoneret, ne quid earum rerum, quæ apud Amalecitas reperirentur, Saul concupisceret. Sed hactenus de Hebraica lectione.

Vocis חמל *hhamal* significatio.

Græca longè copiosior, quæ etiam in nonnullis difficultatem patitur. Describam ex Aldo. Καὶ νῦν πορεύου, καὶ πατάξεις τὸν Ἀμαλὴκ, καὶ Ἱεεὶμ, καὶ πάντα τὰ αὐτοῦ, καὶ οὐ περιποιήσῃ ἐξ αὐτοῦ, καὶ ἐξολοθρεύσεις αὐτὸν καὶ ἀναθεματιεῖς αὐτὸν καὶ πάντα τὰ αὐτοῦ· καὶ οὐ φείσῃ ἀπ' αὐτοῦ· καὶ ἀποκτενεῖς ἀπὸ ἀνδρὸς ἕως γυναικὸς, &c. Hæc ita transfert Rom. Editio: *Et nunc vade: & percuties Amalec, & Hierim, & omnia quæ eius: & non reseruabis ex eo, & exterminabis eum, & anathemabis, & omnia quæ eius: & non parces ab eo: & interficies à viro, & vsque ad mulierem*, &c. De *Hierim*, siue *Hiarim*, vt alij, Flaminius in notis: est vestigium, inquit, dictionis Hebrææ, quæ significat perdere, & demoliri. Quare Vulgata, *Demolire vniuersa eius.* Ita Flaminius. Hebræi legunt וְהַחֲרַמְתֶּם *vehhharamthem, perdetis*, in hiphil, à verbo חָרַם *hharam*, quod est anathemati subiecit, &

Græcæ translationes. Ald. & Rom. Edit.

Quid Hierim. Nobil. Flaminius.

A nomine חֵרֶם *herem*, quod anathema significat. Nescio an Septuaginta Interp. inde deducto nomine, totam Amalecitarum regionem, anathemati subiectam, designare voluerint. Nam & Complutensis Editio, quæ ab ea voce abhorruit, idem tamen reliqua oratione expressit. Complut. & Reg. Edit. ita legunt, Καὶ νῦν πορεύου, καὶ πατάξεις τὸν Ἀμαλὴκ, καὶ ἐξολοθρεύσεις αὐτὸν, καὶ ἀναθεματιεῖς αὐτὸν, καὶ πάντα τὰ αὐτοῦ, καὶ οὐ μὴ φείσῃ αὐτοῦ· καὶ ἀποκτενεῖς ἀπὸ ἀνδρὸς καὶ ἕως γυναικὸς, &c. *Et nunc vade & percuties Amalec, & disperdes eum & omnia eius: & detestaberis eum & omnia eius, & non parces ei: & interficies à viro vsque ad mulierem*, &c. Iunius ex Hebræo non ita pridem vertit: *Nunc abi, vt percutias Hamalekum, & anathemati deuoueatis quicquid est ei, neque clementia vtaris erga eum: sed occidas*, &c. Munsterus, *& extirpate omnia quæ habet*, &c. In Hebræo est, inquit, *Anathemati subijcite*: hoc est, in nihilum redigite omnia. quæ viuunt, occidite: quæ non viuunt, comburite & deuastate; vt nemini hinc vtilitatis aliquid accrescat. Hoc enim significat verbum חרם *hherem*, etiamsi aliquando significet, aliquid Deo dicare & consecrare, atque à profano vsu ad cultum Dei transferre. Alius denique, *Et perdite quæcumque sunt ei.*

Complut. Edit.

B

Nunc ergo vade, & percute Amalec.] Hildibertus Moguntiacus Pontifex, quem multis nominibus Witichindus commendat lib. 2. Annal. Erat quippè Francus genere, Monachus professione, studiis bonarum litterarum, sanctitate, & prophetandi gratia clarus: cùm Ottoni, Henrici filio, Regi Romanorum, in sua consecratione gladium traderet, *Accipe*, inquit, *hunc gladium, quo eiicias omnes Christi aduersarios, barbaros & malos Christianos, auctoritate diuina tibi tradita omni potestate totius Imperij Francorum, ad firmissimam pacem omnium Christianorum.* Ita Witichindus Corbeiensis Monachus.

Vvitichindus.

C

Vade.] Contrà Romani, inquit Suidas in voce ἐμβαίνειν, religiosè cauebant, ne vnquam priores aliis manus iniicere, néve illos iniuriis lacessere: sed semper vim propulsantes: εἰς τοὺς πολέμους ἐμβαίνειν, bella suscipere viderentur. Sed nec iure quisquam prior alteri bellum indixerit nisi prouocatus iniuria. At qui indigno scelere violatus arma corripit, non tam is bellū inferre, quàm depellere credendus est. Estque ea demum ratio pugnandi æquissima, si arcendi periculi, aut sarciendi damni occasione fiat. Sed cùm duplex tempus ad iniuriam pertineat, præsens, & præteritum, non est par vtriusque comparatio. Præsentem iniuriam vi priuata refutare licet, insectari præteritam non nisi autoritate publica. Cuiacius Obseruat. lib. 5. cap. 18. Vt contra vim vi experiri, & arma armis propulsare liceat, iure omni comparatum est, naturali, gentium, & ciuili. Id verò fieri debet non supra modum, sed cum modo æquo & pari, vel, vt est scriptum in l. 1. *Cod. vnde vi*; *cum moderatione inculpatæ tutelæ*, id est, cum defensione æquabili & remota ab omni culpa. Est igitur modus aliquis propulsandæ vis, qui tunc maximè seruatur,

Suidas.

Nemo prior quèquam iustè bello lacessit.

D

Cuiacius tom. 5. l. 5. c. de vi vlciscenda & defendenda.

Quo pacto vim vi repellere liceat.

ET PERCVTE AMALEC.

cùm eam defendendo propulsamus: id est, quatenus nostri nostrorúmque tuitio exigit, non vlciscendo. Vim manu & viribus defendere licet. Vlcisci non licet nisi legitimis actionibus. *l. scientiam. §. qui cùm aliter. D. ad leg. Aquiliam.* Ideoque possessionem mihi per vim ereptam confestim vi repetere possum, non ex interuallo. Confestim, id est, inlico, in ipsa concertatione atque congressu. *l. 3. §. cum igitur. D. vnde vi.* Quæ enim ex interuallo vis infertur, cogitatè infertur, nec tam ad defensionem, quàm ad vltionem spectat, & ob id in lege quoque Atheniensium de vi & contumelia propulsanda apud Demosthenem additur articulus, εὐθύς. Continuò statim Theodorus Hermopolites, *ad l. 12. D. quod metus causa.* Τὸ παραχρῆμα ἐντὸς δύο ὡρῶν. Mox, vt puta intra duas horas. Quod sumpsit ex contextu lib. 60. βασιλικῶν titul. 17. cap. 9. in quo ita est: εὐθὺς οὐ μετά τινα διάστασιν. Statim a principio, non certè post duas horas. Idem & *ad l. scientiam. D. ad leg. Aquil.* Græci ex eodem loco notarunt. Hactenus Cuiacius, quæ spectant ad præsentis temporis iniuriam.

Bellum nō nisi auctoritate publica decerni potest.

Quòd si præteriti temporis ratio habeatur, & res sit cum exteris, tū solus Magistratus auctoritate publica bellum decernere potest: siue vt ablata repetat, siue etiam vt in facinus animaduertat. Nam qua ratione perditorum ciuium audaciam intra cancellos reipub. metu legum coërcet, & suppliciis vlciscitur: sic quoque nefarios hostium conatus armis cohibet, & belli plectit incommodis. Cùm sit enim publicus pacis custos, & humani iuris arbiter, Rempublicam si possit lege tueri, debet: si non possit, eamdem vi bellóque defendere. Quippè videre iussus est, ne quid Respublica detrimenti capiat: quòd si cœperit, primùm curet oportet vt iacturæ compensatio fiat. Deinde, ne impunè sit, sed quod publicè interest, temeritas vindicetur. Id quod priuatim conari ciuibus interdictum est, sicut & reum quemquam pœnæ subiicere: principis ea potestas est, qui salutem Reipub. præstat, & ciuium incolumitati summo iure præsidet. Qui si clade aliqua suorum commotus ad bellum euolet, non tam bellum mouere putandus est, quàm à se procul amoliri. Nec censeri iniustum illud poterit, quod necessitas, non libido suasit; non appetitus vindictæ, sed æquitatis studium; non leuis animi impotentia, sed acerbus dolor iniuriæ; non priuatus furor, sed auctoritas summa decreuit: denique, quod non sacrilegus Ecclesiæ contemptus, sed profanus hostis prouocauit. Vnde postremò sequitur, vt hic à Deo non tam belli initium facere Saul præcipiatur, quàm idem restinguere: & habuisse iustissimas suscipiendæ expeditionis rationes iudicetur.

1. Lyranus. Belli causæ plures numerantur.

Lyranus in cap. 31. lib. Numer. duodecim causas enumerat, ob quas Scripturæ memorent bellum olim iustè inferri potuisse. Prima est, si gens aliqua idolorum cultui dedita esset, nec verum Deum agnosceret, tum iustè nationem illam infestis signis peti, & numinis iniuriam vindicari potuisse. Sic enim scriptum est Deut. 12. *Subuertite omnia loca in quibus coluerunt Gentes, quas possessuri estis, Deos suos.* Verùm locus iste, Lyrane, de illis duntaxat populis loquitur, qui regiones eas incolerent, quas Hebræi, diuino beneficio sibi attributas, inuadere atque vsu capere poterant: in reliquos omnes qui diuersam religionem sequerentur, dum pacem colerent, & à vexatione abstinerent, haud videtur par concessa licentia. Altera est, si qui à fide defecissent, & sanctissimam religionem, quam iurauerant, eiurassent, hos quoque armis perdere, atque internecione delere Iudæos potuisse. 2.
Deuteron. 13. *Si audieris in vna vrbium tuarum dicentes aliquos, Eamus, & seruiamus dijs alienis quos ignoratis, statim percuties habitatores vrbis illius in ore gladij, & delebis eam, &c.* Cæterùm ea potestas, quantum ex legis ipsius verbis discimus, non extra proprios fines porrecta est. Tertia fuit, si fortè regnum aut prouincia iugum excuteret. Nam propterea Ioram & Iosaphat 4. Reg. cap. 3. Regem Moab bello persequuti sunt. Quarta, si ciues desciscerent; vt olim plures Seba autore, 2. Reg. 20. Quinta, si dedere facinorosum sceleris artificem tribus aliqua negaret, vti quondam Beniamitæ Gabaonitas, Iud. 20. qui vnà cum illis cæsi sunt. Habes & Sextam 2. Reg. cap. 10. Cùm enim Rex Ammon, violato iure gentium, Dauidis legatos non leni cōtumelia affecisset, Dauid totis imperij sui viribus in eius perniciem incubuit. Licet etiam Septimò ablata bello repetere, quod ius recuperatorium dicimus; eóque tum Dauid vsus est, cùm cæsis Amalecitis prædam excussit, infrà cap. 30. Putat autem Lyranus eodem iure fretum Dauidem regnum armis ab Isboseth repetere statuisse. 2. Reg. 3. Octauò vim vi repellere semper fas fuit, hostemque procul arcere à finibus, vti non semel Dauid Philisthæos, donec *tributi frenum* vt ait Scriptura, *tolleret de manu Philisthiim.* Illud verò etiam sapienter ab Hebræis factum est, cùm Seon & Og Amorrhæorum Reges, bellum & arma parantes, in proprijs sedibus oppresserunt. Numer. 21. Præterea, nec sine causa hostium loco habuerunt, quicunque partes aduersas fouissent. Nam qui inimicorum audaciam suo præsidio alunt, ij maximè nos oppugnare videntur. Quamobrem Dauid 2. Regum. 8. deuicto Adadezer, Syros quoque adortus est, quòd palàm esset eosdem Regi Soba contra se opem tulisse. Ad hæc æquissima semper ratio visa est, si bellum moueas, vt amicum necis periculo aut seruitutis eripias. Idcirco Abraham Genes. 14. cùm primùm Loth captum rescisset, victorem exercitum cum expedita manu insequutus est, & nocturno superuentu oppressit. Postremò, Lyrani verbis vtar, si tyrannis à præsidente exerceatur, tum quoque iustè bellum geri visum est. Probat exemplo Machabæorum, qui Regis Antiochi Illustris tyrannidem armis vlti sunt. Sed hæc nouissima ratio cautè interpretanda est, ne quis in exemplum trahat, aut legitimis principibus ob eorum impotentem ac superbum dominatum se negotium facessere posse iudicet, cùm Scriptura moneat, etiam dyscolis sedulò parendum esse. Præsentis belli consilium, quod cum Amalecitis Saul iubetur suscipere, ad plures ex superioribus causis pertinet; vt facilè col-

PERCVTE AMALEC, ET DEMOLIRE VNIVERSA EIVS.

Marginal numbers (right column): 3. 4. 5. 6. 7. 8. 1. Reg. 8. 9. 10. 11. 12.

Lyranus in c. 31.

ligi potest, & nos iam satis suprà explicuimus. A

Percute Amalec, & demolire vniuersa eius.]

Non est immensa belli potestas, certis finibus nocendi libido circumscribitur. Paucis complectar, quæ iusto dolori ius & æquitas militaris indulgeant. Nam primùm quidem prædas agere, vrbes depopulari, agris vastitatem in-
1. ferre, fortunas diripere licet, tantisper dum hostis noxios dedat, & damnum sarciat. His enim præcipuè fomentis alitur hostilis contumacia. Deinde etiam omnes qui armis nequi-
2. tiæ fauent, & signa conferunt, fas est neci dare. Quippè maleficium suo præsidio tuentur, &
3. quod defendunt probare videntur. Adhæc, vbi victoria penes nos steterit, quæ prius hostis iniustè rapuerat, extorquere æquum est, aut cum
4. paribus exæquare. Impensas etiam, & omnem sumptum quem læsus fecerit, iure potest à victis exigere. Nam qui iacturæ occasionem dedit, damni reus est, & compensare tenetur. Præ-
5. terea mobilia omnia, vestem, pecuniam, supellectilem, ius gentium victori ascribit. Sic testatur, *l. si quid in bello. & l. hostes, D. de capti. & C. ius gentium. distinct.* 1. & manifestius, *Instit. de rer. diuis. §. item quæ ab hostibus.* Et Deuteron. cap. 25. *Omnem prædam exercitui diuides, & comedes de spoliis hostium tuorum.* Quare non immeritò censet S. Ambrosius in lib. de Abraham Patriarcha, spolia Regum, quos ipse ceciderat, ad eum pertinuisse: quæ tamen vltrò con-
6. cesserit Regi Sodomorum. Sexto loco licet etiam domitos agri parte mulctare. Nam sic quoque Princeps in facinorosos ciues nonnunquam animaduertit. Et Dominus Deuteron. cap. 20. hoc statuere videtur, cùm iubet à filiis Israël ciuitatem occupari, quæ pacem respuerit.
7. Addam & tributum imperari posse, quod vsus
8. probat omnium gentium, & à Deo lege sanciri videtur Deuteron. cap. 20. Subinde etiam arces, propugnacula, & munitiones, quibus gens ipsa confidit, præsidijs teneri, aut dirui ac solo æquari
9. possunt. Denique in sceleris auctores exemplum edi, quò reliquis eripiat formido pœnæ iniuriæ licentiam.

Iusto victori quæ liceant.

Quid si gens vniuersa nocet, nec satis apparet ad meliorem frugem se recepturæ? Respondeo, nocētium sanguine pacem humano generi sanciri posse. Attamen penè fidem superat, omnem aliquem populum tali culpæ fore obnoxium. D Nam primò quidem impubes ætas, cùm sit imbellis, expers criminis habetur. Mulier quoque domesticis tantùm præfecta curis, & virgo assueta colo. Complures deinde ciues, quorum innocens industria pacem colit, & ciuilibus studiis exercetur. Miles denique plurimus, qui tametsi sua virtute victoriam moratur, nusquam tamen ab officio discedit, imperio parens, donec illum Principis nequitia latet: quem si bellicus furor non hauserit, iniquum videtur finito certamine sceleratis Principis libidinem pœnis innocentis lui. Ergóne Deum nostrum immanitatis & sæuitiæ damnabimus, qui nullo discrimine iubeat Saulem in omnium cæde bacchari? Absit, primùm enim ea gens Israëlitas grauiter offenderat. Obiicis: non isti, sed maiores eorum. Quid tum? annon parentum filij hæredes

In quos finito bello sæuire non liceat.

Cur Deus in posteros, & immaturam

habentur? Quæ ergo per vim illi rapuerant, à posteris eorum, si culpæ affines esse nollent, restitui oportuit. Quod tantùm abest vt in animum induxerint suum, vt etiam veteres iniurias nouis in dies cumularent. Ex quo sequitur, vt gratiæ reconciliatio nunquam facta sit, vt quæ consanuerant recruduisse videantur: sed hostilis animus, & nocendi studium ad posteros vsque propagata sunt. Veruntamen plures eius criminis immunes esse potuerunt, quorum supra seriem texuimus. Quinimò sciendum est, non esse morem plerisque Barbaris, vt delectis militibus bellum administrent: sed simulac à principe bellum indictum est, turmatim omnes ad signa conuolant, ac penè tumultuaria acie in prælium ruunt. Quod si vnquam aliàs tum maximè, cùm ad publicum incendium restinguen- B dum, & communem perniciem opprimendam se vocari crederent. Quare pauci omnino excusari potuerunt. Lex verò Deuteron. 20. cap. inimicæ gentis cunctos puberes refert in reos, & iubet internecione deleri. Qui tametsi bellicæ cladis rei citari non possent, attamen aliorum scelerum conscientia conuicti, non habent cur de Dei iustitia conquerantur. Omnium enim Deus iudex & vindex est, etiam quæ clanculùm fiunt, & oculos hominum fallunt. Quæ licet nefas sit homines persequi, iustissimè tamē à Deo hominum ministerio vindicantur. Quod ad puerulos attinet, quorum illibatus sanguis, si vitium originis excipias, frustrà fundi videtur, nonnulli respondent, Deum vitæ necisque esse Dominum, ac propterea etiam cædem innocentium ad suam gloriam posse expetere, cùm nulli C faciat iniuriam. Veruntamen sic ab initio videntur instituti homines, vt si quid præter æquum ac meritum patiantur, quod non ad aliquem fructum suum redundet, non iudicent ad numinis gloriam pertinere. Neque enim aliud esse Deum mente atque animo concipimus, quàm fontem aliquem bonitatis limpidissimum, ex quo mali nihil ad nos deriuari queat. Sed bonum aliud vtile est; aliud honestum; aliud etiam cum voluptate coniunctum. Nemo dixerit pueris honestum esse tam miserè mortem oppetere, aut habere diram necem sensum vllum voluptatis. Vtilem tamen negare nemo poterit, & eo pacto pueris maturè consultum, quo gentilis & auitæ nequitiæ contagionem fugerent, & acerbius immatura morte exitium.

ætatem animaduertere iubeat.

Καὶ ἀναθεματιεῖς αὐτὸν, καὶ πάντα τὰ αὐτοῦ, καὶ οὐ φείσῃ. Ald. & Rom. ἀπ' αὐτοῦ. Complut. αὐτοῦ. *Et anathema facies eum, & omnia eius, & non parces ei,* siue *ab eo.* Ita Septuaginta hæc interpretari videntur. Astipulantibus etiam non paucis Hebræis. Dicitur autem ἀνάθεμα Græcis, vt Suidas auctor est, & illud donum, quod Deo dicatur, & id, quod de medio tollendum est, vt nunquam amplius à quoquam videatur. Suidæ, τὸ εἰς ἀφανισμὸν ἐσόμενον. Dicitur etiam ἀνάθημα per η, donum, quod Deo consecratum est. Hæc Suidas. Ex quibus colligimus duplex genus anathematum fuisse: dona scilicet, & sacra animalia. Et illa quidem sacræ ædis tholo affixa pendebant, aut parte alia templi qualibet: sacra verò animalia, quæ rationis expertia forent, cùm despera-

Suidas in voce ἀνάθεμα.

Anathematum duplex genus apud Græcos.

rent, peruenire posse ad Deos, finibus suis exigebant. At sacratorum hominum animas, quos Græci ζανὰς vocant, cùm in cælum mitti posse arbitrarentur, viduatas corpore quàm primùm illò ire voluerunt. Inde natum docet Macrobius, vt cùm cætera sacra violari nefas sit, hominem sacrum ius fuerit occidi. Anathematis igitur religione cætera animalia in solitudinem aguntur, homines in mortem. Hæc olim apud Græcos.

Macrobius lib. 3. Saturnal. c. 7.

Apud Hebræos verò, vt autor est Elias in Thisbit, in voce שַׁמַּתָּא *scammatha*, quæ extra ordinem ad calcem libri addita est: tres sunt species anathematum, נִדּוּי *nidoui*, חֵרֶם *hherem*, שַׁמַּתָּא *scammatha*. נִדּוּי *nidoui* profligationem significat. Vnde etiam nomen adiectiuum מְנֻדֶּה *menuddehh*, profligatus, proscriptus, relegatus in exilium. Vbi verò quis non resipiscit, hunc anathematizant, quod vocatur חֵרֶם *hherem*, ab eo quòd penetrat in 248. membra eius. Quòd si ne tum quidem eum pœniteat, reum mortis iudicant; vt sit sensus, שַׁמַּתָּא *scammatha*, id est, *ibi mors est*. Hæc Elias. Media harum voce Samuel hoc loco vsus est. Siquidem scriptum legimus וְהַחֲרַמְתֶּם *vehahheramthem*: & *hherem*, *anathemate feriestis*. Pagninus vertit, *& perdetis*. Manat à verbo חָרַם *hharam*, quod est vastare, perdere, occidere, delere, atque anathemati subiicere. Græci, vt antè diximus, vocem illam חֵרֶם *hherem*, ἀνάθημα dixerunt. Ἀναθήματα verò appellarunt etiam ἀποκείμενα & ἀφωρισμένα, quasi consecrata & seposita: & fieri potest, vt ita vocarint, quòd in fanis suspenderentur, semouerentúrque ab hominum vsu, neque liceret ea dimoueri loco. Quin & homines interdum ea voce in scripturis appellati sunt. Paulus vtique non semel eo vocabulo vsus est. Ad Galatas ait: *Anathema esto, quicumque secus Euangelizauerit*. Et ad Romanos, *Optabam anathema esse pro fratribus meis*. Et priore ad Corinth. in hæc verba prorumpit: *Qui non diligit Dominum Iesum, sit ἀνάθημα Maranatha*: vbi accipit ἀνάθημα pro חֵרֶם *hherem*, id est, re separata & disiuncta prorsus ab humano commercio atque vsu, ita vt eam sit nefas aut contingere aut vsurpare. Cuius rei testimonium habemus in libro Iosue cap. 6. de ciuitate Ierichuntina. Ea verò sic deuota fuisse videtur, quòd esset quodammodo vrbium captarum primitiæ. Nam Iordane transmisso, prima omnium est expugnata. Nulla porrò humana ope, cùm eius muri sponte nutúque diuino corruerint: ideóque congruebat, vt illius manubiæ Deo in vniuersum consecrarentur.

Elias in Thisbit. Tres species Anathematum apud Hebræos.

Qua voce vsus Samuel.

At videtur id à Dei cultu prorsus alienum, vt ciuitates & homines exscindantur: & crudelitatis potius quàm religionis hæc speciem habent. Respondeo, excidia ipsa natura quidem sua, neque ad pietatem, neque ad religionem pertinere, nisi quatenus ad gloriam Dei referuntur. Potest autem bifariam id accidere, vt cùm excidium illud veu monimentum quoddam seueritatis & iustitiæ Dei aduersus eos populos habetur, quos ipse ob eorum scelera perditos voluit. Aut quoddam testimonium diuinæ bonitatis atque misericordiæ in Israelitas, quibus in ea expeditione opem clementer tulerit. Itaque ciuitatis, domorum, hominum & animalium euersio, iustitiam & seueritatem Dei demonstrabat. Conseruatio verò bonitatem, auxilium, & misericordiam illi populo exhibitam, indicabat. Deinde, populi sui Deus ea ratione probare obedientiam voluit, in abstinendo à spoliis Deo deuotis. Nouimus quippè, vt milites potiti victoria difficulter à præda cohibeantur. Qui autem indicato ἀναθήματι non paruissent, grauissimè puniebantur: quod Acham euenisse narrat liber Iosue, cùm sibi de spoliis Ierichuntinis nonnihil vsurpasset. Sauli quid acciderit, quòd Agag Regem, boues item & greges pinguiores ex præda reseruasset, quæ iam voto anathematis erant obligata, noscemus postea.

Cur Deus vrbes nonnunquam exscindi præceperit.

De anathematis forma, & fine satis iam dictum est. Illa quidem est, exitium ciuitatum, hominum, & iumentorum: auri verò, argenti, ferri, æris, gemmarum, & rerum pretiosarum consecratio, quæ scilicet vsui tabernaculi tantùm cederent. Finis autem, vt monimentum esset diuinæ bonitatis ac iustitiæ, necnon exercitium & probatio Israelitarum. Nunc restat, vt de materia, & efficienti aliqua dicantur.

Materia quidem erat, quicquid in illis vrbibus inueniretur viuum: nam totum id interfici debuit. Ædificia verò, & alios vrbis cultus oportuit diruere: ornamenta vero & diuitias, vt dictum est, cultui Dei consecrari. Ibi tamen obseruandum fuit, vt exitio tam horrendo non nisi hostes Dei iam declarati & aperti deuouerentur: siquidem fas non est innocentes occidi. Quare illi grauissimè peccarunt, qui Pauli corpus ita deuouerunt, vt nollent edere aut bibere, nisi eum interfecissent. Quin & Iephte se deceptum clamitat, cùm ob deuotionem huius generis, filiam occidendam putauit. Agamemnon etiam damnandus est, qui, vt refert Cicero de Offic. Dianæ deuouit quod natum esset pulcherrimum in regno suo. Quod stultum votum vt redderet, filiam Iphigeniam sacrificauit. Efficiens autem causa voti חֵרֶם *hherem*, interdum est Deus, vt Deuteron. 7. & 10. cap. habetur. Siquidem ibi præcipitur, vt loca dedicata idolis, aræ, statuæ, luci, ac tituli prorsus exscinderentur, idque in terra Chanaan perpetuum fuit ἀνάθημα, & semper obseruari debuit. Aliquando tale votum Princeps nuncupauit, vt de Iosue legimus: nonnunquam populus, quemadmodum Numer. 21. capite habetur. Propheta interdùm hoc fecit: & ita Samuel mandat diuina auctoritate Sauli, vt omnia quæ Amalecitarum erant, extirparet.

Materia anathematis.

Causa efficiens.

Et interficies mulierem.] *Cur fœminas reseruastis?* inquit Moyses, cùm stomacharetur, & molestè ferret, ab iis parcitum esse mulieribus, qui Madianitarum gentem exciderant. *Nonne istæ sunt, quæ deceperunt filios Israel ad suggestionem Balaam, & præuaricari vos fecerunt in Domino super peccato Phogor, vnde & percussus est populus.* Et item

Num. c. 31. Cur mulieres interfici debuerint.

PARVVLVM ATQVE LACTANTEM.

item aliis dicebat: *Certissimè auertent corda vestra à Domino.*

Paruulum atque lactantem.] Quoniã, vt aiunt, mali coruí malũ ouum. Otto Frisingẽsis hanc habet historiã Chronici l.6.c.20. Anno DCCCCLV. Vngarorũ gens sæuissima cũ innumera multitudine erupit, ac totã terrã more locustarũ operiens, ad fluuiũ vsque contra vrbẽ Augustensem, cui tunc venerabilis ac Deo dignus Sacerdos præsidebat, peruenit. Sunt tamẽ repressi à Rege Ottone. Cæterũ huius maximæ concussionis autor fuisse ex Baioaria quidam Scirensis Comes memoratur, qui tamen perfidiæ suæ pœnas soluẽs, dum Vngaros incautè eductos, morti exposuisset, ab eis tanquã traditor necatus est. Porro terra eius in fiscũ redacta, partim à Rege inter Ecclesias diuisa, partim heredibus eius cũ Castro Scirensi relicta, æterno anathemati ab Episcopis addicata fuisse traditur. Ex huius origine cùm multi hactenus Tyranni surrexerint, Otto Palatinus Comes, perfidi & iniqui patris haud dissimilis hæres, omnes priores malitia supergrediẽs, Ecclesiã Dei vsq; in præsentẽ diẽ persequi nõ desistit. Sic enim, mirabile dictu! quo diuino iudicio nescio, penè tota illa posteritas in improbum sensum tradita est, vt vel nulli, vel pauci vtriusq; sexus, cuiuscunque professionis seu ordinis in ea inueniãtur, quin vel aperta tyrannide desæuiãt, vel omnino infatuati, ad omnem tam Ecclesiasticũ, quã sæcularẽ honorẽ indigni, furtis & latrociniis inseruientes, miserã vitam mendicando transigant.] An verò filij parentum pœnas luant, inuenies statim post commentarium huius versiculi. Reliquæ difficultati iam suprà satisfecimus.

Cur paruuli.

Otto Fri[singensis].

Bouem, & ouem, camelum, & asinum.] Inhumanum hoc videtur, & abhorrens à secta Pythagoricorũ, qui mansuetudinem & clẽmentiã erga feras meditati sunt, tanquam humanitatis & misericordiæ specimen; vt inquit Porphyrius lib. de Animal. Pythagoras certè supra modum mitior fuit erga bruta animalia, ideoq; ad vitandã crudelitatem & iniurias, aucupiũ improbauit, & piscium redemptis capturis, dimitti eos iussit, omniq; non feri animalis cæde interdixit. Turcæ nunc etiam pariter affecti feruntur, & in brutas animantes feles, canes, pisces, auiculas, eleemosynas cõferunt. Refert Busbequius epist.3. In quo, inquit, cũ eos accusarem, quòd ea præstarent brutæ animanti, quæ haud scio, an præstarent rationis participi, & sibi congeneri, certè minimè darent homini Christiano: respondent, cõcessam homini à Deo rationẽ, egregiũ ad omnia instrumentũ, qua tamen ille abutatur, sic vt nihil ei cadat incommodi, quod nõ sua culpa cõtraxerit; idcirco minore misericordia dignum: At brutis nihil à Deo tributũ, præter quosdã motus & appetitus naturales, quos non sequi non possint, ideoque humana ope & commiseratione subleuanda. Hæc Busbequius. Nempe videri volunt cum ratione insanire. Quis verò nesciat non omnium incõmoda sceleri ascribenda esse? Deinde, vt hoc verũ sit, reliquit tamen Deus resipiscentiæ locũ; quo magis vnusquisque miser beneficus ad pœnitentiam inuitandus est. Amplector tamen quod addit, ferre eos grauiter, si qua bestia per cruciatum interficiatur, aut voluptas ex eius laniena quæratur: non enim decet nos concessis à Deo muneribus ad sæuitiem abuti.

Brutis indulserunt.

Porphyr.

Busbequius.

Quorsum igitur hoc spectat tam sæuũ & atrox edictum? Fingit Rab. Salomon Amalecitas maleficiis deditos fuisse, & magicis artibus varias animalium formas induisse. Quare, ne quid illis metamorphosis prodesse posset, etiã in pecora sæuitũ. Hebræi apud S. Hieronymum in Tradit. Hebraic. Ne quod eius gentis vestigium relinqueretur, quã se deleturam Deus olim prædixerat, Exodi cap.17. Nos etiam prius non paucas rationes in mediũ attulimus, c. 11. v. 7. Cùm quæreremus, Quamobrẽ bruta, & pleraque sensus expertia pœnæ subiiciantur. Mirari certè nemo debuerat, qui diuini humanique iuris esset conscius. Hoc enim leges vtrobique statuunt. Leuitici c. 20. v. 15. *Qui cum iumento & pecore coierit, morte moriatur: pecus quoque occidite.* vers.16. *Mulier, quæ succubuerit cuilibet iumento, simul interficietur cum eo.* Ac postremo concludit vers.23. *Omnia enim hæc (gentes istæ) fecerunt, & abominatus sum eas.* Videri igitur poterit etiam hæc causa tantæ seueritatis fuisse, quod bestiæ essent criminis participes. Hoc etiam Sacri Canones postea imitati sunt. Nam *cap. mulier.15.qu.1.* pecus flammis traditur, ad quod inhoneste mulier accesserit. Quòd si bestia vlla suopte impetu in hominẽ inuaserit, & occiderit, mandat lex, lapidibus obruatur, & quẽquam eius carnibus vesci prohibet. Exodi 21. Atqui videtur iniustè ad supplicium rapi, cùm ratione ac culpa careat. Iubes itaque alii in hominũ perniciẽ. Si bruta non sibi, sed nobis nascuntur, tolli vtique debent, quæ nocent; estque noxiorũ violẽta mors supplicium. Iure Ciuili, Si quadrupes damnum dederit, nascitur actio quæ vocatur *de pauperie*: Eaque directa est, si animal quadrupes pauperiem fecerit; vtilis, si bipes. *l. pen. ff. si quadrupes pauperiem fecisse dicatur.* *Actio* autem *vtilis*, quæ opponitur *directæ actioni*, dicitur ea, quæ nec ex verbis legis, nec ex mente legis cõpetit, imò legislator non cogitauit de ea, sed posteriores Iureconsulti moti æquitate, & rationis pietate, extendunt etiam ad causas non nominatas in lege. Læso deditur noxium animal. Pharnucis equus apud Herod. l.7. quod Dominũ sella excussisset, ex quo casu plurimo sanguine euomito, in phthisin seu tabem incidit: cæsis cruribus, eodem loco, quo Dominum strauerat, eo iubente, iacuit. Narrat etiã Plutarchus in l. de fortuna Romanorũ, quotannis Romæ solenni pompa canem cruci affixũ circumgestari solitũ, quod olim stertuissent canes, cùm Galli clandestino itinere Capitoliũ subirent. Poterant deniq; non pauca Sanctorũ exempla proferri, à quibus in noxiis animalibus scelera vindicata sunt. Vix enim aliquã diœcesim reperies, quæ nõ huius rei vestigiũ aliquod seruet, vel testibus illis Draconum rictibus, qui sublimes in supplicationibus circunferuntur. Sed à reliquis abstinebo: vnum duntaxat referam, quod memoriæ prodidit Aymoinus Floriacensis lib.4. de miraculis S. Benedicti cap.2. Viuianus, inquit, erat villicus villæ Germiniaci, quæ ad Floriacense Monasteriũ pertinebat, cui erat quoque commissa Ecclesiæ cura & ornatus. Ille superfluũ putãs obsequium in huiusmodi, nec claudere satagebat. Irruunt canes illius venatici quibus abundabat, & lampadem saltu deiiciunt, oleum sorbent, & in rabiem vertuntur, & alios etiam inficiunt: & grex quoque 80. porcorum suorum ingressi rabiosi efficiuntur, donec omnes interirent. Sed quid hæc omnia pertinent ad innocuos ouiũ greges? Factũ arbitror, quò reliquis gentibus me-

BOVEM ET OVEM, CAMELVM, ET ASINVM.

Rab. Salomon.

1. Ratio ob quam in pecora sæuitum.

2.

3. Sacri Canones.

Ius Ciuile.

Herodot.

Plutarchus.

Aymoinus Floriacẽsis.

tus incuteretur, dum nõ oues ad prædam, sed seipsos ad necem peti conspicerent. Deinde inutiles fore visæ sunt pereuntibus dominis, aut sua copia victori populo nocituræ. Vt nihil horum fuerit, certè semper licuit eas immolare Domino. Sed aliàs quidē singulas victimas accepit, nonnunquã etiã hecatombis delectatus est: Nunc verò placuit numerosos greges mactari; nec video, cur quisquã putet, id plus quàm satis est, aut nimiũ fore Deo.

An parentum filij pœnas luant?

QVÆSTIO I.

Proponitur difficultas.

GRAVISSIMA hæc quęstio est, & longè difficillima, quia videntur hoc loco filij portare iniquitatē parentum suorũ. Iam enim dixerat: *Recensui quæcunque fecit Amalec Israeli, quomodo restitit ei in via cùm ascenderet ex Ægypto*: & nunc iterũ præcipit, *Percute paruulũ atque lactantem*. Porrò neque hi vlli culpæ fines esse potuerũt, aut parentũ scelus imitari, cũ ne vti quidē ratione per ætatē possent: neque parentes eorũ haberi insidiarũ conscij, quas sui maiores multis antè seculis Hebræis è mari emergentibus struxerãt: & tamen hi sunt quos dare neci lex iubet, qui innocētes videri poterant, si parentes eorũ deliquissent, & auorũ crimina nepotes premerēt. Ad hæc in Deut. scribitur c. 5. v. 9. quod idē habetur in Exodo, *Reddã peccata parentũ in filios in tertiã & quartã generationem*. At idē repetit Deò Moses cùm ante eum transiret. Exod. c. 34. ver. 7. Nam inter cætera eius epitheta idem adiectũ est, *Reddens iniquitatē patrũ in filios, tertios*, inquam, *& quartos*. Atque mirũ videtur, quo pacto id potuerit inter misericordiæ titulos cõmemorari. Hoc non tacuerũt Hæretici, Marcionitæ, Valentiniani, Carpocratiani, qui ob id Vetus Testamentũ abiecerũt & eius autorē affirmarunt Deũ esse malum; vt qui parceret patribus peccantibus, & plecteret filios innocētes, adeoq; sit alienus à misericordia, vt peccati nequeat obliuisci, sed reseruet irã in tertiã & quartã generationem. Iudæi quoque id malè ferebant, qui apud Ezechielem cap. 18. *Patres*, aiebant, *comederunt vuas acerbas, & dentes filiorum obstupuerunt*. Id erat ac si dicerent, Ieroboam erexit vitulos, Manasses promouit idololatriã, oportuitne vt eorũ pœnas nos lueremus? At Dominus respõdit per Prophetam. *Mea est omnis anima, tam anima patris, quàm anima filij. Anima quæ peccauerit, ipsa morietur, & filius non portabit iniquitatem patris*. Hæc videntur non satis inter se congruere.

Exod. cap. 20. vers. 5.

Quidam arbitrati sunt distinctione de malis & pœnis esse vtendum. Alias enim pœnas aiunt esse, quæ ad æternã damnationem pertineant: alias verò temporarias. Et locum Ezechielis adductũ intelligunt de priori pœnarũ genere: nã quod attinet ad æternã salutem, seu damnationē, *quisque onus suũ portabit*, &c, *anima quæ peccauerit, ipsa morietur*: nec aliter locũ Ierem. c. 31. intelligunt. Quod autem ad tēporarias pœnas attinet, cuius generis sunt, morbus, egestas, exiliũ, mors, &c. Affirmant alienũ non esse à iustitia Dei, quin hisce pœnis inuoluatur simul pater & filius, & populus cũ principibus. Atq; ita exponunt quod in lege dicitur, *Rependã peccata patrum in filios in tertiam & quartam generationem*. S. Augustinus aliquando videtur hanc distinctionem probasse. Nam in Quæstion. in Iosue, quæst. 8. cùm de Achan disputat, qui nonnihil anathematis occultauerat: propter cuius peccatum omnes

Filij ob scelera parentũ pœnis temporalibus affliguntur, nõ æternis.

Israëlitæ miserè sunt afflicti, & ob id non tantùm sumptũ est de Achan suppliciũ, sed filij & filiæ eius vnà dediti sunt neci. Augustinus, inquã, ibi ait, pœnas illas posse cũ prodesse, tum etiam obesse, quod ipse Deus nouit, & idcirco eas ab illo pro sua iustitia temperari. Sic enim illas Deus moderatur, vt & malos affligãt, & bonis nõ obsint. Ea enim est prouidētia eius, vt quæ mala videntur, ea possit facere bona: quod autē ad pœnas æternas spectat, quoniã illę semper obsunt, eas quisq; pro suo malo merito subit. Nemo, inquit, has pœnas luit ob alienã culpã. Idem scribit contra aduersariũ Legis & Prophetarũ, l. 1. c. 16. Nõ dubiũ, inquit, est, quin in hac vita alius pro alio diuexetur. Et cõtra Iulianũ Pelagianũ l. 6. c. 12. Quàm multa sunt, ait, diuinarũ testimonia literarũ quę parentũ peccatis obligãt filios, numerare quis possit? Cur enim peccauit Cham, & in eius filiũ Chanaan vindicta prolata est? Cur pro peccato Salomonis filius eius diminutione regni punitus est? Cur peccatorum Regis Achab in eius posteros pœna dilata est? Negari profectò nõ potest parentũ scelera filiorũ quandoque pœnis lui. Hoc eodē l. c. 28. docet Samuel Saulis culpa nõ ipsum modò, sed filios quoq; cũ exercitu miserè corruisse. Cuius quoq; temeritate factũ est, dum præpostere studet Gabaonitas opprimere, vt duo superstites eius filij, & quinq; nepotes in crucē agerentur. Sodomitæ cũ grauiter peccassent, filij quoque vnà cũ patribus cõbusti sunt. Denique cũ Dauid adulteriũ admisisset, Deus statuit, vt filius ex adulterio susceptus moreretur. Quinimò ne Gētiles quidē ea res latuit. Nam apud Herodotũ l. 1. cũ Crœsus euerso imperio Delphos misisset, qui cum Apolline de fraude oraculorũ expostularēt, Pythia respõdit, Crœsum quintæ retrò ætatis crimen luisse, hoc est Abaui: qui cũ esset satelles Heraclidarum, mulieris dolo inductus, Dominũ interemit: illiusq; dignitate potitus est nihil ad eũ pertinente.

S. August.

Gen. 9.

3 Reg. 12.

Ex his satis liquidò cõstare videtur nõ rarò filios parentũ flagitiis in calamitatē incidere, atq; hanc arbitror certissimã esse legis interpretationē: quam tametsi hæretici veteres iniustitiæ insimularint, facilè tamē ea calũnia refelli poterit, si rē ipsam paulò attentius expendamus. Primũ enim illud considerandũ est, filios veluti partes quasdã esse parentũ, & aliquid eorũ in se habere. Vnde absurdũ non est, si Deus partē illã parentũ in filiis puniat. Deinde, debent profectò parētibus hoc officiũ: nam ab illis hoc ipsum quod sunt, habuerũt. Quare si pro eis vitã relinquant, iniuria minimè afficiuntur. Eis quippe id reddũt, quod ab ipsis acceperũt. Si Deus eis dixerit: Vestro supplicio ad salutem parentis vti volo, nullo iure id possent recusare. Ioannes docet, quemq; debere sic fratrē amare, vt paratus sit salutem eius sua morte pacisci. Quod si vita pro fratre ponenda est, quanto magis pro patre? Deus vtitur variis instrumētis, quibus homines ad se pertrahit. Cur ergo nõ vtatur filiorũ, aut morbo, aut morte, vel ad castigationē, vel ad salutē parentũ? Tertiò æquum est, inquit S. August. q. 8. in Iosue, vt minor pars pro maiori suppliciũ soluat, vt in illa historia contigit, propter sacrilegiũ quod Achan cõmiserat. In acie pauci ceciderũt, & gratiæ reconciliatio facta est. Docet quoq; hoc pacto Deũ disciplinã in mundo, in Repub. in Ecclesia, & in familia statuere. Et Plutarchus in libello de sera numinis vindicta, Laborat, inquit, oculus, & vena brachij secatur. Ita pater peccauit, & plectitur filius.

1. ratio cur filij parentum pœnas luant.

2.

3.

Plutarchus

princeps malè se gessit, & populus vexatur; atque huiusmodi συμπτώματα est in humanis rebus. Iure accusat is autor hominũ temeritatem, qui quoties hæc accidunt, queruntur Deum crudeliter agere. Nam pater, vt inquit, vel bonus est, vel malus. Quòd si boni patris filius fortè malo afficiatur, statim exclamant Deũ iniustè facere, neque par esse filium ita miserè tractari, qui patrem tam bonum habuerit. Sin verò pater sit malus, & filius in calamitatem venerit, rursus exclamant, hîc quoque iniquum esse Deum. Non enim oportuisse filiũ affici supplicio, cùm pater peccarit. Quare videtur vulgo filius nullo modo affligendus. Verùm, quid si pater malus sit, tamen filio cadant omnia feliciter: Hîc etiã queruntur, vt inquit, de iniquitate Dei. Negant enim æquum esse filium feliciter viuere, qui tam malum habuerit patrem. Hæc ille, quamuis Ethnicus, satis piè. Postremò notandum est delicta potissimùm publica in filiis vindicari. Nam cùm gens aliqua atrocitate maleficiorum iram Dei commeruerit, non statim vltio sequitur, ne præcipiti iudicio Deus videatur hominum libertati officere: sed postquam aliquandiu patienter tulerit, tum ob acceptam à parentibus iniuriam filios vlciscitur, ne quis eundem sceleri fauisse censeat. Nec hoc ad eius gloriam parum referre putandum est, vt neque vi quemquam ad officium compellat, neque, si quid deliquerit, impunè ferat. Alterum enim ad laudem eius sapientiæ, alterum ad iustitiæ commendationem pertinet. Nam si res agi suopte ingenio ac nutu veret, credi poterit eundem concessæ libertatis pœnitere, quod alienum est ab eius sapientia: sin scelera foueat nimia indulgentia, in suspicionem veniet desertæ atque neglectæ iustitiæ: qua opinione nulla Deo indignior, aut humano generi nocentior esse potest.

Notatur hominum temeritas.

Obiectio soluitur.

Veruntamen, ais, si patres quidem peccent, filiis autem pœnæ irrogetur, calumniam non effugiet: nam innocentes iniustè plectit, sontes merito supplicio liberat. Quinimò, vir optimè, vnumquemque sua merces aut pœna manet. Sed hoc interim spatio dum vitæ suæ rationem Deus à singulis reposcat, eum ferè morem iudiciorũ sequitur, qui est ad præsentis vitæ rationem, & hominum consuetudinem accommodatissimus. Homines porro communia magis quàm singularia spectant: & cùm sint priuatarum rerum ignari, publica norunt, quæ sola Historici monumentis tradunt, & ad exteros posterosque transmittunt. Quare etiam de his præcipuè iudicium ferunt, & ex his maximè diuinæ prouidentiæ æquitatem metiuntur. Itaque si quæ gens publicè sit nocens, & scelerum infamia laboret, mirantur primùm vicini si nullam ex eo facto calamitatem excipiat. Deinde, vbi intelligunt ferre Deum æquanimiter, & dare pœnitentiæ locum, cùm æquum censent, tum eius bonitatem laudibus in cælum ferunt. At vbi diuturno malorum vsu obduruisse conspiciunt, nec velle resipiscere, & iam diuinæ patientiæ obtrectaturi videntur, tum Deus scelestum populum peste ac clade obruit. Tametsi verò plures in eo populo delitescant, qui à maleficio communi abhorrent, attamen sortem publicam sub-

Deus hominum vtilitati publicæ maximè consulit.

A eunt, quoniam vna censetur Respublica: quæ licet & membra habeat, & ætates etiam diuersas, cùm rea damnatur, tota damnatur, & singulæ partes corruunt totius ruina atque pernicie. Sic Tobias; sic Ezechiel; sic Daniel, & Ieremias, fratresque Machabæi, cùm procul abessent à corruptelis suorum popularium, publico tamen incendio deflagrarunt. Quæ tamen omnia sic intelligenda sunt, vt nullum inde innocentiæ præiudicium fieri, aut æternæ damnationis conflari periculum credatur.

Quæ tametsi iam satis apertè explicata sunt, adhuc tamen exponam manifestius, quò nostra sententia verior appareat. Nam filij sic quandoque intelligendi sunt paterni sceleris pœnas pendere, vt ad patris interitum filiorum clades accedat, & odio execrandi capitis etiam sua pignora torqueantur. Aliquando verò sic illos supplicium soluere, vt animaduersionis metu parentem liberent, & periculo absoluant. Nonnunquam etiam, si quando cita mors autorem iniuriæ discrimini exemerit, in natos inuadimus, quibus illi nihil vnquam coniunctius habuerũt. Inuenimus præterea prolem damnatam futuri metu, dum hæres cauetur paternæ nequitiæ. Magna res, inquit ille, Danaos mouet, futurus Hector: libera nos hoc metu. Cæterùm quod ad secundam partem distinctionis attinet, ea iam satis ante probata est. Prima reliquas ferè coniunctas habet, nec affert tertia nouam difficultatem. Deus porrò, cùm sit vitæ necisque Dominus, & conscius item futuri, temeritatis aut iniustitiæ argui non poterit. Seueritatis certè in quolibet horum genere non pauca exempla edidit. Nam & Dauidis prolem adulterino partu editam, cùm eidem parceret, interemit; & Schismaticorum filios hausit terra dehiscens, cùm infandi generis nullum superesse vestigium vellet; in filios Saül & Amalecitas post mortem parentum sæuitum est; Amorrhæorũ sobolem suspecta deprauatæ stirpis superstitio funditus euertit. Qui omnes idcircò portasse patrum iniquitatem dici potuerunt, quoniã his paterna malitia proprio scelere, aut aliena suspicione exitium peperit.

Quot modis parentũ filij iniquitates ferãt.

Deut 20.18

Veruntamen eius generis iudicia, quæ non rarò Deus exercuit, æmulari homines nequaquam decet. In Deut. quippe cap. 24. edicitur. *Non occidentur patres pro filiis, nec filij pro patribus, sed vnusquisque pro peccato suo morietur.* Quod ita intelligendũ est, si pater non consenserit filio, aut filius patri. Vnde Acham si in forũ & ad tribunal vocatus fuisset, iure ordinario solus periisset, nõ vnà cum liberis. At Deus hoc suum propriũ ius habet, qui aliter fieri voluit: quamuis interdũ & hoc obseruet. Numer. quippe 16. Core cùm in Mosen conspirasset, malè periit; at filij vnà cum patre non sunt deleti, imo seruati sunt ad sacrum ministeriũ, & ex eorum posteritate natus est Samuel. Laudatus est Amasias Rex, qui sicarios occidit, à quibus peremptus fuerat pater suus, filios eorum non interfecit: legis quippe Dei rationem habuit. Causam huius interdicti S. Augustinus affert. Deus potest, inquit, filium punire pro patre: quia etsi eum affligit in hoc seculo, potest eundem in altero seruare. Id autem homo præstare non potest. Ad hæc Deus

Deut. c. 24. ver. 16. Nefas est filios plectere pro patribus.

lib 2. Paral. cap. 25.

S. August.

videt filios non esse innocentes: homo autem id non videt. Quamquam leges ciuiles agunt hîc multò seuerius, & filium puniunt causa patris, vt in *D.* & in *C.* habetur, *ad L. Iuliam maiestatis*: non tamen morte afficiunt filium pro patre, sed eum bonis omnibus paternis expoliant, & dignitatibus, & honoribus. Filiabus tamen ab eis pars aliqua relinquitur, quæ Falcidia vocatur vt nubere possent. Alioqui leges ciuiles cum lege Dei conueniunt. Nam in *Cod. de pœnis, L. Sancimus*, iubetur ne pœna transferatur in alios, vel affines, vel cognatos, sed tantùm teneat autorem peccati. Et tamen tam hæc lex quàm illa superior sunt ab iisdem Imperatoribus, Arcadio & Honorio latæ. Cur verò adeò seueriter decretum sit in reos læsæ maiestatis, idcirco videtur factum, vt homines ab eo genere sceleris deterreantur. Diuinæ tamen leges ea de re nihil tale decreuerunt: verùm id verbis disertis præcipiunt, ne filius occidatur pro patre. De bonis autem nihil statuunt. Apud Liuium lib. 10. decad. 4. Philippus Rex Macedonum negare propalàm cœpit, satis tutum sibi quicquam esse, nisi liberos eorum quos interfecisset, comprehensos in custodia haberet, & tempore alium alio tolleret.] Non licet tamen innocentium cæde suæ saluti prospicere. Tandem illud quoque animaduertisse proderit, cùm Deus dicitur occasione paterni sceleris in filios animaduertere, non ita dictum illud accipi debere, tanquam posteros malorum parentum noua semper clade afficiat, sed quod iis malorum laqueis eos non eripiat, in quos se suique patres induerint; nec pristinas opes, decus, aut gratiam restituat, vel etiam amplificet, quam sua culpa patres eorum prodegerint. Quæ punitio si hominum infirmas vires consideres, & quantum diuinæ gratiæ præsidio indigeant, censeri debet grauissima.

Leges Ciuiles quid statuant.

T. Liuius.

Quæritur ratio, cur inter epitheta diuinæ misericordiæ illud quoque Moses commemorarit, Exod. cap. 24. quòd Deus reddat iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem.

QVÆSTIO II.

ILLVD modò restat explicandum, cur inter epitheta misericordiæ Dei recitatum quoque id fuerit, *Reddens iniquitatem patrum in filios*, cùm hoc potius ad seueritatem spectare videatur. At non ita est: imò si pressius locus expendatur, id esse misericordiæ intelligemus. Nam

1. ratio. vbi primùm peccatum est, posset Deus iure suo statim vlcisci. Est autem adeò bonus, vt vltionem in tertiam & quartam generationem velit differre; atque interim reuocat patrem ad resipiscentiam, Prophetarum monitis, concionibus, & beneficiis, multísque aliis modis. Postremò vbi ad tertiam & quartam generationem peruentum est, & ille nihilo factus est melior, ad verbera se confert, ac ne tum quidem afflictione vtitur, vt extremo supplicio, sed potius vt medicina. Quis non videat totum hoc magnæ mi-

A sericordiæ opus esse? Iure igitur ac meritò hæc verba inter ἐπίθετα misericordiæ censentur. Negari autem non potest, prophetas vnà cum populo fuisse afflictos. Nam Ezechiel & Daniel in captiuitatem fuerunt abducti: & Ieremias coniectus in carcerem, ac miris modis exagitatus obsidionis tempore: deinde in Aegyptum profectus cum Hebræis, occisus est. Vult enim Deus hoc pacto rem geri, vt homines boni, non tantùm vitam suam rectè instituant: sed etiam vt malos, grauia patiendo, admoneant & emẽdent, cùm videant suo quoque periculo insanire. Simul enim cum eis versantur in eadem Repub. & Ecclesia, & sunt quodammodo eiusdem corporis membra. 2.

B Quare bonos ita secum oportet cogitare. Si Deus illos afflixerit, nos quoq; vnà vexabimur: omnes eodẽ pariter supplicio inuoluemur. Idcirco videndum est, vt pro eis laboremus, arguendo, & orando: nam eorum salus neglecta, mala etiam bonis apportabit. Hoc modo intelligendus est S. Augustinus, quando ait, Deum inter homines hoc pacto disciplinam stabilire. Quia si pro Regibus populus affligitur, & pro patre filius: igitur oportet, vt pro se inuicem omnes laborent & satagant. 3. Nec boni tamen interea sine omni peccato viuunt, vt Deus non possit in eis inuenire quod puniat. Quanquam dura quæ piis eueniunt, non queant propriè, pœnæ vocari, sed potius fidei exercitia. Ita enim Deus illorum fidem explorat, & quidquid in eos agit, ipsis in bonum cedit. Vult præterea illos in seipsis fratrem primogenitum Christum Iesum exprimere, qui aliorum peccata in seipso pertulit.

C Nam & hæc portio quædam est crucis Christi, quamuis ipsi non ita sunt innocẽtes, vt Christus fuit: neque illorum crux aliena peccata redimit. Daniel in captiuitate ad hunc modum peccata confitebatur. *Peccauimus*, inquit, *& iniustè egimus, &c.* Non ait, illi peccarunt, sed Nos. Et Isaias ait: *Omnes iustitiæ nostræ sicut pannus mulieris menstruatæ.* Est quidem in Sanctis iustitia, sed non quam iactare possint ad tribunal Dei, tanquam suo potius merito, quàm diuina gratia innocentiam consequuti sint. Proinde si aliqua patiuntur, non habent ius conquerendi.

At dixeris, cur dicitur Deus in illis aliorum peccata vindicare, cum & ipsi peccent? Dicendus esset potius illorum peccata punire, non parentum. Respondeo: Quia cùm Deus multùm diúque expectasset, vt patres resipiscerent, nec

D quicquam proficeretur, & interea peruentum esset ad tertiam & quartam generationem, tandem effundit iram in filios, qui ob id pati dicuntur pro patribus, quia nisi patrum malitia præcessisset, potuisset illorum afflictio longius differri. Nunc autem quoniam inciderunt in tertiam vel quartam generationem, iustitiæ diuinæ ratio non patitur, vt pœna vlterius proferatur. Et quamuis ipsi quoque cõmeriti sunt ea mala, tamen quòd sic in tertia aut quarta generatione corripiantur, id parentibus debent.

Porrò vndique fax quædam elucet diuinæ misericordiæ, seu parentes spectes seu liberos. Nam parentibus quidem eo pacto resipiscendi locus datur, ne in ipso scelere oppressi æternùm per-

cant. Filiis ea ratione stirps & origo seruata est: A
quæ si olim recisa fuisset, ne postea quidem lucis vsuram capesseret: qui si labis expertes interierint, meliorem vitam sortientur. Sin parentũ
4. similes euaserint, hoc tamen consequentur, vt
peccare desinant, & exaggerare cumulũ pœna-
5. rum suarum. Interea verò dum viuitur, his cõ-
6. minationibus ita Deus perterrefacit parentes, vt
sibi temperent à sceleribus: etsi non Dei, aut sua ipsorum causa, at saltẽ posteritatis. Perterrefacit etiam filios ne imitentur parentum peccata, ne pœna patribus debita ab ipsis repetatur. Nec verò iniustũ est, vt supra diximus, filios aliquid pro patribus ferre: nam & patrum causa, hæreditates accipiunt, & honore ac gloria præ aliis afficiuntur. Etenim Deus non tantùm Dauidẽ fortunauit: sed etiam propter illum posteritati eius fauit, & quadringentos annos regnum in eius familia perseuerauit. Quo verò ad æternam salutem, nec patres luent filiorum peccata, nec filij patrum. Attamen multa spiritualia dona per bonos patres filiis impetrantur. Dixit Paulus 1. ad Cor 7. *Alioquin filij vestri immundi essent: nunc autem sancti sunt.* Quod tametsi de natiua quadam sanctitate, & originis illibato candore intelligi nequeat: siquidẽ, *Nascimur omnes filij iræ:* inficiari tamẽ nõ possumus, habere filios à parentibus, vt honestè nati ac suscepti videãtur. Ad quod si deinde liberalis ac studiosa educatio accedat, nõ pauca in filios spiritualis gratiæ emolumenta redundãt. Et contrà per malos parẽtes multa huiusemodi bona impediuntur: neque, cùm mali sint, nec eos pœniteat, à Deo audiũtur, cùm liberis suis petunt spiritualia bona. Tametsi Dei prouidẽtia sæpè fit, vt ex bonis parẽtibus nascãtur mali filij, & ex malis boni: vt Ezechias Rex bonus patrẽ habuit Achaz regem impiũ. E contra verò idem Ezechias pius admodum Princeps, Manassem procreauit valdè impium & crudelẽ regem. Idemq; dicere possem de Iosia. Hoc ideo fit, ne scelera crescant in immensum, si ex malis parentibus perpetuò mali filij procrearẽtur. Interponit se Deus, & filium ex malo patre natum facit membrum Christi. Et vnà ostendit bonitatem suam à parentibus, quamtumuis malis, nõ posse impediri. Deinde nascuntur mali à bonis, vt asseratur gratia, & ne probitas filiorum naturæ tribuatur, quam à parentibus traxerint. Vult enim Deus agnosci suum donum esse, quòd seruemur. Sed siue bonos siue malos parentes filij nacti sint, profectò cùm multa alia tum vitalem ex iis spiritum hauserunt: ex quo iniustum videri nequit, si quod ipsi diuino beneficio ab iis acceperunt, diuino itidem iudicio pro eis ponant. Quandoquidem tamen non id ea lege agitur, vt sceleratorum parentum supplicia filij suo cruciatu redimant, sed vt periculo sobolis patres à flagitiis arceantur; duo vtique consideráda sunt: terror ipse verborum quo patres à scelere reuocantur, deinde tertiæ ac quartæ generationis vexatio. Et de patribus quidem dubitari non potest, quin cum eis benignè Deus ac misericorditer agat. Proles verò non minimo beneficio afficitur, seu vitam commutarit in melius, seu hactenus parentum vestigiis inhæreat. Nam hoc pacto aut pristinas sordes eluit, quibus ab auis

Quare non sit iniustum filios puniri pro patribus.

Non rarò boni ex malis: mali ex bonis nascuntur.

atque atauis immersa est: aut scelestæ vitæ cursum abrumpit. Postremò suo exemplo non modò parentes quoad viuunt, sed etiam quoslibet
mortales ab iniustitia absterret: id quod, mea 7.
quidem sententia, diuinæ misericordiæ aduersus omnes argumentum est clarissimum. Nam ipsi sanè, tametsi pœnitendo errorem correxerit, nulla fit iniuria, quin potius amplissima meritorum seges paratur: virtutem namque certa atque æterna præmia manent.

Quo pacto Deus reddat iniquitatem patrum in filios plures doctorum interpretationes.

QVÆST. 3.

B ETSI verò quæ hactenus à me scripta sunt, vera esse sentio, quandoquidem tamẽ intelligo quàm scopuloso difficilique loco verser, non cõmittam vt aliorum interpretationes neglectæ à me esse videantur, quin potius eas inuestigabo sedulò, vt si cui nostra haud probetur sẽtentia, optimos quosque duces habeat, quos in re obscura & multùm ac sæpè quæsita sequatur. Nam quòd pars ista Legis, quæ in quæstionem venit, multis obstructa sit difficultatibus, maximaque sit & in ipsa sententia obscuritas, & in iudiciis nostris infirmitas, S. Hieron. verba testantur, quibus initio ferè Commentariorum suorũ in Ezech. c. 8. vsus est. Quanquam enim non audiremus, inquit, quippiam dicere, nec vas fictile loqui cõtra figulum, quare ita vel ita me fecisti: tamen scandalum patiebamur occultum, quòd
C iniustitia videretur Dei, alium peccare, & alium luere peccata. Si enim reddit peccata patrũ super filios, in tertiam & quartam generationem, iniustum videtur, vt alius peccet, & alius puniatur. Hactenus S. Hieron. Subinde vero quorundam affert expositionem qui hæc allegoricè interpretantur. Ad animam inquit sententiam referunt: patrem in nobis, leuem punctum sensuũ seu paruum mentis instinctum, & incentiua vitiorum esse dicentes: filios verò, pulsum cogitationum, si cogitatio peccatum conceperit: nepotes, si quod cogitaueris atque conceperis, opere perpetraueris: pronepotem autem, hoc est, quartam generationem, si non solùm feceris
D quod malum est & scelestum, sed in tuis sceleribus glorieris: secundum illud quod scriptũ est: *Impius cùm in profundum malorum venerit, contemnit.* Deus igitur primos & secundos stimulos cogitationum, quas Græci προπαθείας vocant, sine quibus nullus hominum esse potest, nequaquã punit, sed si cogitata quis facere decreuerit, aut ipsa quæ fecerit, noluerit corrigere pœnitentia. Hæc est allegorica interpretatio, litteralem inquirimus. Deus enim, præsertim in lege, simpliciter & apertè loquitur. Mox etiam sermones Dei, si reuocentur ad allegorias, prorsus reddentur incerti. Itaque idem Sanctus aliam solutionem inuenit. Nam ex eo quod sequitur, inquit: *His qui me oderunt*: comminationis siue præcepti scandalum soluitur.] Perinde enim est ac si diceret: Non attingam innocentes, sed eorum iniquitatẽ vindicabo, qui malos patres imitãtur,

S. Hieron.

1. Interpretatio.

Prouerb. 18.

προπάθειας, Impulsiones siue impetus ad malũ, quos primos motus dicunt, a Deo non puniuntur.

a. Exod. 20.

& me oderunt. Ad eundem modum pollicetur, se benefacturum filiis & nepotibus, in mille generationes. Sed quibus? *Iis*, inquit, *qui diligunt me.* Quare si pater impius fuerit, & filius probus, nihil ei patris iniquitas oberit. Sin pater bonus fuerit, & filius impius, nihil ei pietas patris proderit. Eoque ait S. Hieronymus, vindicat iniquitatem patrum in filios, non quòd malos parentes habuerint, sed quòd imitati sint patres. Verba ipsa satis declarant, legem non de Originali peccato intelligendã, sed de eo quod actuale vocant. Tum enim filius portabit iniquitatem patris, quando ille itidem peccabit vt pater. Ezechielis quoque verba de Originali culpa non possunt accipi quemadmodum consequentia facilè ostendunt: quamuis id quod dicitur, animam quæ peccauerit esse morituram, de Originali etiam peccato intelligi possit. Nam quisque in se habet naturam vitiatã donec eluatur, & pronitatem ad malum. Vnde quisque peccatum suum portat. Etsi enim per originem contractum est à parentibus, id vitium tamen iam factum est nostrum.

Soluitur obiectio.

At dices: cùm in lege habeatur, *Iis qui oderunt me*: infantes verò Deum non oderint, idcirco non posse ad eos pertinere. Respondeo. Actu quidem non oderunt, sed natiua corruptela & originali peccato. Lupus adultus ouem deuorat, & odium in pastorem prodit. Lupinus catulus id minimè facit, non quòd ingenium patris non habeat, sed quia necdum fert ætas aut vires suppetunt. Sicut porrò, vt scribit S. Augustinus lib. 6. contra Iulian. Pelagia. c. 12. non imitantur Christum paruuli, quia nondum possunt, & tamen ad eius gratiam spiritalem pertinere possunt, ita sine imitatione primi hominis, contagione tamen ex ipso carnalis generationis obstricti sunt. Si autem propterea vis eos à primi hominis alienos esse peccato, quia eum non sunt imitati propria voluntate, ista ratione alienabis eos & à iustitia Christi, quia nec ipsum imitati sunt propria voluntate. Hæc S. August.

S. Augustinus.

3. Ezech. 18. Ierem. 31. S. Hieron. S. August.

Hinc nobis altera nascitur interpretatio, quam ambo Sancti Hieronymus & Augustinus sequuntur. Parabola hæc, quam scilicet Ezechiel & Ieremias memorant, non dicetur, inquit S. Hieron. in Israel, sed in his qui Dei notitiam non habent, nec possunt perspicere veritatem. Fusius & apertius S. Augustinus contra Iul. lib. 6. cap. 12. Nam carnalis, vt inquit, generatio etiam populi Dei pertinens ad testamentum vetus, quod in seruitute generat, parentum peccatis obligat filios: spiritalis autem generatio, sicut hæreditatem, ita pœnarum atque præmiorum comminationes promissionesque mutauit. Distinguit statum populi, & alios ait regeneratos in Christo esse: alios verò nondum renatos. Eorum autem, qui regenerati non sunt, peccata visitantur in tertiam & quartam generationem, hoc est, in omnem posteritatem. Alludit autem ad peccatum originis, quod ab Adamo in omnes posteros est disseminatum.

Quid significet *in tertiam & quartam generationem.*

Sed cur, inquies, in tertiam & quartam generationem? Respondet idem pater, quæst. 42. in Deuteron. quia tres coniuncti cum quaternario, septenarium efficiunt, qui numerus est plenitudinis, vt in tertiam & quartam generationem idem sit, ac si dixisset, in omnem generationem. Quo genere loquendi vsus est Amos, *Super tribus*, inquiens, *sceleribus, & super quatuor non conuertar.* Augustinus igitur verba legis intelligit de reddendis iniquitatibus patrum in filios in tertiam & quartam generationem, quoad non renatos. Lex enim inquit, de illis egit, qui erant sub lege. Sed Ezechiel & Ieremias de hominibus renatis egerunt, & de dono regenerationis per Christum conferendo. Homines autem renati iudicandi sunt de suis quisque meritis, non de alienis peccatis. Atque ita filius non portabit iniquitatem patris, sed anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Ante regenerationem verò, peccatum originis omnem posteritatem inficit ac perdit. Illi porrò minimè audiendi sunt, qui putant non aliundè Prophetarum explicationem peti oportere quàm ex querelis populi, qui non de gehenna, sed de captiuitate Babylonica querebatur, quam patres quidem infanda superstitione accersierant, ipsi verò tolerabant. Nam duplex genus Prophetarum fuisse didicimus. Alterum eorum qui in rem præsentem, aut de Reipub. statu vaticinarentur, qui dicti sunt *ex dimidio.* Alterum eorum, qui tametsi res quoque præsentes, aut quolibet tempore ad Synagogam pertinentes attingerent, attamen Messiæ potissimum tempora spectabant, & futura mysteria rerum præsentium inuolucris cælabant: quales fuisse minimè dubitarim omnes illos prophetas, qui sua vaticinia litterarum monumentis tradiderunt.

Priore Tõ. in v. 5 c. 10. de multiplici genere Prophetantiũ c. 11.

De his verò, atque adeò de isto loco, qui iam toties à nobis designatus est, luculentum habemus S. Augustini testimonium. Nam Ieremias, inquit, ibidem continuò soluit molestissimam quæstionem, coniungendo atque dicendo, *Ecce dies veniunt dicit Dominus, & consummabo domui Israel & domui Iuda testamentum nouum, non secundum testamentum quod disposui patribus eorum.* De hoc igitur testamento sermo est, in quo per mediatoris sanguinem deleto paterno chirographo, incipit homo paternis debitis non esse obnoxius renascendo, quibus nascendo fuerat obligatus. Non enim vltra vocat patrem super terram.

S. August. ibidem.

Veruntamen, inquis, etiam apud Renatos ad liberos, qui nihil meruerunt, pœna parentum peruenit. Nam nos quoque frequenter in publicas calamitates incidimus: quæ vtique grassari in populo non possunt, quin plures innocentes Principis, aut parentum pœnas luant.

Obiicitur etiam Renatos infantes occasione parentum plecti.

Negant nonnulli, quod ad pœnas huius vitæ attinet, quemquam pati quod non mereatur: quia nemo purus est, ne infans quidem vnius diei: nemo est, qui vel mortem ipsam non sit commeritus. Quid igitur dicant homines, *Patres nostri comederunt vuam acerbam*, &c. cùm quisque portet onus suum, vel quoad hanc vitam, vel quòd ad æternam? Quin potiùs cùm ita se res habeat, & omnes obnoxij simus peccatis, non est quod quiritemur, Deum nimiùm seuerè nobiscum agere, si ob peccata parentum affligamur. Deus enim potest illas molestias ita dirigere, vt non tantùm ad gloriam suam, sed

1. Responsio.

etiam ad parentum salutem pertineant. Crebrò A enim punit parentes in liberis, & in populo principem. Etenim parentibus non minus dolet supplicium liberorum, quàm si ipsimet affligerentur. Quòd si filij parentum causa moriantur, non afficiuntur iniuria: nam & ipsis mors debetur, & sunt alioqui morituri. Quare si Deus ita velit eorum morte abuti, iure suo id potest facere. Quod item de aliis calamitatibus affirmari potest. Nam si filius crucietur morbo, morbum commeritus erat: & si pecunias amisit, res fluxas & instabiles perdidit, & quas ea conditione habuit, vt illas facilè posset amittere. Idcirco si calamitatibus huius generis Deus vult parentes in filiis punire, non potest iniustitiæ accusari. Hactenus illa interpretatio. Quæ si vniuersim intelligatur, fauet errantibus amicis Iob, & eorum fouere errorem, quem nos infrà versu 13. accuratius refellemus. Nam quod B Deus ne tum quidem cùm pœnà insontibus infligitur, accusari iniustitiæ possit, aliis antea rationibus probauimus. Itaque tametsi hæc interpretatio non rarò locum habeat, obtinere tamen semper & vbique non potest, cùm plures innocentissimi, quales sunt quotquot rationis vsum non habent, & baptismi gratiam consequuntur, occasione parentum torqueantur.

Altera responsio. Respondent alij, iniquum non esse, si liberi propter parentes leuioribus incommodis conflictentur, quibus ipsi multas & magnas sæpè molestias exhibuerunt. Nec hoc abnuo. Absit tamen vt leue detrimentum existimem, si Renatis veræ lux fidei parentum scelere extinguatur: si bella, cædes, incendia vrbes populentur, & agris vastitatem afferant: si sacra prophanis, religiosa impiis, sancta superstitiosis misceantur; quæ vbi parentum improbo studio inuecta erunt, sequens ætas ea ferat necesse est. Testis C Græcia, & florens quondam Orientis Imperium, quod ad hunc diem maiorum schisma miseræ seruituti addixit. His omnibus in eam sententiam adducor, vt quæ priore loco à me dicta sunt, veriora esse credam.

Prior nostra sententia potior videtur.

4. eadem cum 2 non nihil tamē addit ad interpretationem. *Hieron. Pradus in 18 c Ezech. v. 20.*

Nec tamen propterea SS. Doctorum interpretationes non vehementer amplector, aut, si quis eas nostræ prætulerit, molestè feram, quin etiam Hieronymi Pradi recentioris interpretis superioribus adiungam, vt ea quoque, cùm sit non mediocri elaborata ingenio, lectori ad veritatis indagationem opis aliquid conferat: tametsi falsum esse arbitror, quod in 1. sua propositione asserit, cùm filius innocens est, nullo modo plecti ob delicta parentis. Sic porrò quæstionem nostram absoluit, vt doceat, cùm pater peccat, & peccandi filio auctor est tum vtrique pœnam infligi: filio quidem, quòd patrem æmulatus sit; patri, quòd filio exemplum dederit. Cæterùm sacræ litteræ, inquit, cùm de supplicio eius peccati, quod à patribus ad filios quadam traditione permeauit, loquuntur, tametsi tam pœnæ quàm culpæ consortes sint vtrique, delictum adscribunt parenti, quia ab ipso tanquam à fonte manauit ad filium; & contrà vltionem exerceri dicunt in filio, quia in eo magis elucet pœna, quàm culpa: culpa enim in filio imitatore patris leuior est, quàm in parente inuentore: pœna verò in filio minus noxio grauior videtur, quàm in parente sceleris auctore, &c. quæ in eundem sensum fusius persequitur. Quæ de adultis dicta vult: nàm quòd spectat ad paruulos, idem nobiscum sentit.

Versus 4.

Præcepit itaque Saul populo, & recensuit eos quasi agnos: ducenta millia peditum, & decem millia virorum Iuda.

Variæ translationes. Septvaginta legũt: Καὶ παραγγέλλει Σαοὺλ τῷ λαῷ, καὶ ἐπισκέπτεται αὐτοὺς ἐν Γαλγάλοις διακοσίας χιλιάδας ταγμάτων, καὶ δέκα χιλιάδας τῶν ἀνδρῶν τοῦ Ἰούδα. *Et nuntiauit Saul populo, & recensuit eos in Galgalis ducenta millia pugnatorum, & decem millia virorum Iudæ.* Ita Complut. & Regia. Aldina etiam consentit, nisi quòd postrema verba legit paulò aliter, Καὶ τὸν Ἰούδαν τριάκοντα χιλιάδας ταγμάτων. Romana ita vertit: *Et condixit Saul populo: & recensct eos in Galgalis quadringenta millia ordinum, & Iudam triginta millia ordinum.* Reliqui constanter *ducenta* legunt, & decem millia, Pagninus, Vatablus, & Chald. Paraphr. Flaminius in notis: Complutensis, inquit, habet ducenta millia ordinum, quæ respondent Hebræo. *In Galgalis.*] Hebræus pro *Galgalis* habet *in Thelaim.* *Quid Thelaim.* C Idem verbum retinent Pagninus, & Vatablus, *in Thelaim*, quod Vulgata interpretatur, *quasi agnos*; Chaldæus, *in agnis paschalibus.* Vatablus in Ecphrasi: *In Thelaim*, nomen loci est. Doctiores Hebræorum vertunt *cum agnis.* Quia singuli adducebant agnum, ex quorum numero noscebatur numerus militum: non enim licebat populum numerare, quòd Deus esset iratus. Hæc Vatablus. Iunius, *Hoc promulgato Saul apud populum, recensuit eos in Telaimis, ducenta*, &c. Ad marg. in agro *Telemi*, oppidi tribus Iudæ, de quo Iosue 15. 24. At quòd tam pauci ad signa conuolarint, hanc putat reddi posse rationem, quòd vicinæ tribus Philisthæis, viris exhauriri non potuerint. Munsterus, *Et* D *congregans Saul populum, numerauit eos in Telaim*, &c. Capitur hîc, inquit, שמע *scamagh* in Piel, pro eo quod vertimus. (Vtique שמע *scamagh* quod est, *audiuit, obtemperauit*, in Piel & hiphil etiam *conuocauit* & *congregauit* metonymicῶs significat. Quare, quod ita etiam hoc loco Scriptura exponi potuerit, vt fecit Munsterus, non contradixerim: propius tamen ad dictionis etymologiam accedit Vulgata translatio.) Et quod sequitur, inquit, *in Telaim*: quidam dicunt בטלאים *batelaim* hic capiendum pro *in agnis*, &c. quæ prius ex Schol. Vatabli notauimus. Certè Kimhi negat esse nomen proprium loci, quòd propriis nominibus non addantur articuli. Vox ipsa significat *agnos*. Ita lustrati sunt

milites, vt singuli agnos singulos adferrent: atque ita ex agnis deprehensus est numerus. Interpres Chaldæus putat tempus illud fuisse Paschatis, quo tempore offerri oportebat à singulis agnum Paschalem. Vulgatus interpres videtur legisse *Caph* pro *Beth*. Ita enim reddidit, *quasi agnos*. Hebræi etiam exponunt *agnos*, quòd putent alioqui nouum peccatum fore, si Saul recenseat milites. Quamquam nusquam vetitum est, habere censum militum, cùm bellum susciperetur. Id enim Deus tum demum dixit displicere, si fieret sine oblationibus. Oportuit enim quemque, cum lustraretur, inferre dimidium sicli in sanctuarium. Hæc ferè Lyranus, & Tostatus ex Hebræorum fontibus ad se deriuauerunt.

Non erat prohibitus militum census.

Postrema hæc verba probare non possum: neque enim eam legem de lustro militari scriptam arbitror, sed de censu totius populi, quem censeri à Sacerdotibus Deus voluit ab anno vigesimo, & quod excurrit; vt singulus quisque dimidium siclum conferret in necessarios sumptus tabernaculi; vt legimus Exodi cap. 30. quo loco nulla belli mentio facta est. Quorsum igitur, inquis, Dauidi succensuit? Respondebo forsan, quoniam à ducibus copiarum suarum, & non à Sacerdotibus Dauid lustrum condi præceperat. Sed non est opus. Multa sunt enim, quæ tametsi licitè fieri possunt, animi tamen deprauatione corrumpuntur. Obtulit Abel sacrificium, & placuit: obtulit & Cain, sed Deo litare non potuit. Achaz signum petere noluit, cùm ea de re ab Isaia Propheta interpellaretur, quòd diceret se nolle *tentare Dominum*. Quid eo sapientius ac religiosius dici potuit! Nam seuerè à Deo interdictum nouerat, ne quis *tentaret Dominum*. Et tamen secus pronuntiatum est ab eo, qui legem tulerat. Non enim idcircò periculum eius fidei ac potentiæ facere noluit, quòd non ambigeret, aut eius numen reuereretur: sed quòd alieno esset animo, & deficere ad idola statueret. De Dauidis censu idem suspicari licet; quòd si numerum militum duntaxat inuestigaret, quibus hostes subigeret, atque in ditionem suam redigeret, in reprehensionem Domini neutiquam incideret. Sed latebat vlcus intus in animo, & rebus prosperis efferri cœperat: quare mox partem populi non minimam dira lues demessuit, & eius numeros, haud mediocriter imminuit. Arrogantia itaque, non militum recensio, illa populi clade punita est. Nec mihi fit verisimile, quoties lustraretur exercitus, vnumquemque militem dimidium siclum erogasse, ne calamitas eum opprimeret. Nam sæpè numeratos milites legimus, cùm educerentur in expeditionem: æris collationem ab eis factam nusquam legimus. An verò putas, cùm Moyses Numer. 13. duodecim exploratores mitteret, qui regionem Chananæorum inspicerent, priusquam viam inirent, singulos agnum aut nummum obtulisse? Quid Iosue, cùm tria millia legeret, qui oppidum Hai excinderent, num censes ab eis tributum illud exegisse? At dices propterea cæsos rem malè gessisse. Sed hoc Scriptura negat, quæ calamitatem hanc acceptam refert Achan sacrilego, quòd anathemati nonnihil subducere clàm ausus esset. Deinde etiam prius duodecim millia expeditorum militum, quibus mandatum erat, vt Madianitarum gentem vlciscerentur, quòd filios Israel scortorum illecebris delinitos in fraudem impulissent: cùm nihil horum dissoluisse Scriptura commemoret, felici victoria potiti sunt. Quid Gedeonis exercitum proferam? Prius quidem ille numeroso milite conflatus est: sed trecenti duntaxat manum cum hoste conserere permissi sunt? qui tamen ingentem hostium multitudinem profligarunt. Hi scilicet imperatam pecuniam contulerant. Quare potius quàm reliquæ copiæ triginta octo millium & sexcentorum, qui tametsi excedere castris iussi sunt, vniuersi tamen censi fuerant, & in numeros relati? Multa fingunt Hebræi ex Apocryphorum somniis, quæ nusquam Scriptura loquitur. Quare sic arbitror, *quasi agnos* dictum à simili. Solet enim pastor suum gregem lustrare sedulò, & singulas oues studiosè numerare, ne qua desit. Sed nec longius à scopo aberrauerit, qui dixerit, ea similitudine populi obedientiam demonstrare voluisse: idque eo animo factum, ne probabilis excusatio foret, qua Saul postea ver. 24. vtitur, se populi contumacia fuisse deterritum, ne Deo morem gereret. Quod si Syros Chaldæosque placet imitari, nil vetat, quo minus *Telaim* delectam iuuentutem interpretemur. Hi siquidem non rarò in Scripturis puerum, & iuuenem, טלא *tele*, & טליו *telè* vocant. Vnde est illud Marci 5. vers. 41. *Talitha cumi*, *Puella surge*. Quod vtique Græcum non est; nam apud eos pariter legitur, ταλιθὰ κοῦμι, quod est interpretatum, τὸ κοράσιον, *puella*, tibi dico, ἔγειρε, *surge*, vel, vt alij, ἐγείρου, *excitare*. Sed Syriaco idiomate scriptum est, טליתא קומי *telitha koumi*, *puella surge*. Ad Galat. 4. Syrus Interpres, *Quamdiu hæres* טליא *tele*, puer, iuuenis, annis minor. Eodem nomine diuersi generis vocatur *puer* Beniamin à Chaldæo, Genes. 44. Cùm ad Ioseph fratrem suum in Ægyptum descendisset: qui tamen admodum puer esse non potuit, cùm Rachel pariens occubuerit eo tempore quo tempore Iacob redibat è Mesopotamia. Et sanè credibile est, delectos fuisse iuuenes ad peregrinam militiam: veteranos iussos fuisse patriæ præsidio esse, ne quid à tergo Palæstini molirentur. Quod ni ita factum esset, census vtique futurus erat auctior.

Quare Dauid ob censum populi reprehensus sit.

Iosue c. 7

Numer 31.

Iudic 7.

Varius dictionis *quasi agnos* interpretatio.

1.

2.

3.

Quasi agnos] Gregatim. Philisthæi cap. 29. *In centuriis & millibus*. Oportet plures, & diuersi militum ordines, aptè disponantur; alioquin acies citò perturbatur, nec duces imperium obtinent. Sed vbi munia exactè constituta sunt, & suus cuique locus præscriptus, tum facile est aduertere, quid cuique facto opus sit, & quo pacto significetur. Thucydides lib. 5. Belli Pelopon. eo nomine plurimùm laudat Lacedæmoniorum disciplinam. Quum Rex, inquit, exercitum ducit, omnia ab illo reguntur, & ipse quidem Tribunis militum imperat ea, quæ sunt facienda. Illi verò, Centurionibus. At Centuriones dimidiæ Centuriæ præfectis.

Non quasi agnos gregatim, sed ordinatè acies instrui debet.

Thucydides.

Rursus isti Decanis. Decani verò, suæ decuriæ. Et imperia, si quid Reges fieri velint, eodem ordine progrediuntur, citoque per omnem exercitum permeant. Nam propemodum totus Lacedæmoniorum exercitus, exceptis paucis, sunt duces ducum, & alij aliis imperant, & rerum gerendarum cura ad multos pertinet. Hactenus Thucydides.

Herodotus Numerosiss. exercitum Xerxes côtemplatus lacrymas fudit.

Ducenta millia peditum, & decem, &c.] Quum Xerxes, inquit Herodotus lib. 7. omnem Hellespontum intueretur nauibus obductum, omnia littora atque Abydenorum plana hominibus referta, ibi se beatum esse iactitauit, & post hæc lacrymas fudit. Quod animaduertês Artabanus eius patruus, Quàm diuersa Rex, ait, inter se nûc facis, & dudum dixisti, qui te beatum esse dixeras, nunc lacrymas fundis. Et ille, Reputantem me, inquit, quàm breuis sit omnis humana vita, subiit horum miseratio: quorum, quum tot sint, nemo ad centesimum annum supererit. Excipiês Artabanus, Atqui, inquit, alia, quàm istud est, viuêdo miserabiliora patimur. Nam in tam breui vita nullus hominum adeò felix extitit, neque horum, neque aliorum, cui non crebrò, nedum semel, subitura sit animo moriendi voluntas potius quàm viuendi. Incidentes enim calamitates & morbi vitam perturbant; efficiúntque vt cùm breuis sit, tamen perlonga videatur.

VERSVS V.

Cúmque venisset Saül vsq; ad ciuitatem Amalec, tetendit insidias in torrente.

Variæ trâslationes.

וַיָּרֶב בַּנָּחַל *vaiaref bannahhal.* Pagninus, *Et certauit in valle.* Arias, *Et insidiatus est in torrente.* Chaldæus Paraphrastes, *Et statuit castra sua in fluuio.* Vatablus edition. Antuerp. Laurent. *Et certauit in valle*: edit. Salmant. *Et duxit exercitum in vallem.* In Ecphrasi verò, *tetendit insidias in valle, vel torrente.* adiacente vrbi scilicet. Alij, *contendit*, siue *certauit*. Chaldæus Paraphr. vt idem ait, *disposuit exercitum, instruxit aciem.* Græci cum Vulgata consentiunt: *ϰ̀ ἐνήδρευσεν ἐν τῷ χειμάῤῥῳ. & tetendit insidias in torrente.* Iunius sic legit: *Quumque Saül peruenisset vsque ad ciuitates Hamaleki: vt contenderet cum eo, in vallem eius: Eduxit Saül Kenæis.* Quod pertinet ad vers. D seq. ex quo hæc melius intelligentur. Munsterus legit cum Vulgato, *Posuit insidias in torrente.* Et scribitur hic, inquit, יָרֶב *taref*, pro ויארב in coniugatione Hiphil. Alij putant radicem esse רוב (aliàs etiam רָב *raf* dicitur) *disceptauit, contendit.* Quidam habet: *Venit itaque Saul vsque ad ciuitatem Amalec, & certauit in valle.* Vulgata interpretatio, vt vides, non tantùm Græcis placuit, sed etiam nonnullis ex iis, qui à Nouatoribus eruditi habentur.

Cúmque venisset ad vrbem Amalec.] Haud dubium est, quin Amalecitæ plures vrbes habuerint: sed illius hic meminit, quæ prima occurrit, cùm in fines Amalecitarum irrumperêt: aut certè regionis Metropolim intelligit; vel vrbem dixit specificè, nullam præter cæteras designans.

A Arbitratur autem Iosephus lib. 6. Antiquit. primùm aperto marte pugnam esse commissam; Deinde Amalecitas campestri prælio victos, mœnium præsidio se tueri statuisse: quos vt denuò Saul ad certamen alliceret, fugam simulauit, & collocatis per montium anfractus insidiis, incautius prorumpentes oppressit. Iosephus.

Tetendit insidias in torrente.] Cùm aliquando Martius in Senatu se Persea Regem dolo circumuenisse iactaret, Veteres, inquit Liuius, & moris antiqui memores, negarunt se Romanas artes agnoscere. Non per insidias, & nocturna prælia, nec simulatam fugam, improuisósque ad incautum hostem reditus, nec vt astu magis quàm vera virtute gloriarentur, bella maiores gessisse. Indicere prius quàm gerere solitos bella, denuntiare etiam, interdum locum B finire in quo dimicaturi essent. Eadem fide indicatum Pyrrho Regi Medicum vitæ eius insidiantem, eadem Faliscis vinctum traditum proditorem liberorum regis. Hæc Romana esse, non versutiarum Punicarum, neque calliditatis Græcæ apud quos fallere hostem quàm vi superare gloriosius fuerit. Interdum in præsens tempus plus profici dolo quàm virtute: Sed eius demum animũ in perpetuum vinci, cui confessio expressa sit, se neque arte neque casu, sed collatis comminus viribus iusto ac pio bello esse superatum. Hæc seniores, quibus noua hæc minus placebat sapientia.] Scilicet, placebat magis aperto marte, & multo cum ciuium tum aliorum sanguine hostes sub iugum mittere, déque iis triumphare, idque virtutem cum primis egregiam censebant quæ, mea quidem sententia, stultitia est maxima.

Liuius. Ab insidiis Rom veteres abhorrebant.

C Nam cùm belli is finis esse debeat, vt tuos præstes incolumes hostes ad officium compellas, cur eos, quorum tuæ fidei salus permissa est, periculo nequicquam obiicias? Nam frustrà videris ciuium strage tibi gloriam parare velle, cùm arte & prudentia rem conficere possis, furant, per me licet, Leones: tu, si mihi auscultes, malis ratione vti, dum fraudibus ac periuriis abstineas. Quare Cùm olim Lacedæmonij Messeniis bellum inferrent, Legatos vtrique Delphos miserunt, qui Apollinem de tota belli ratione consulerent Lacedæmoniis responsum est, dolos nectêrent; Messeniis, cauerent diligenter ab insidiis. Sic enim oraculum Lacedæmoniis:

Probantur insidiæ militares, si fraus & dolus malus absit.

Pausanias in Messenicis.

Non Martis tantùm suadet tibi munera Phœbus:
Astu capta fuit quondam Messenia tellus,
Prisca fraude nouo rursus capietur ab hoste.

Messeniis: *Mens hæc Iouis. Instrue primus*
Ipse dolos, &c.
Vtere forte tua: fatum bis nunc, nunc fauet illis.

Hos dolos, & fraudes bellicas, seu militares insidias, stratagemata vocant. Est autem *στρατήγημα* imperatoria calliditas, seu consilium astutum, *ἀπὸ τοῦ στρατηγεῖν*, quod est bellicæ rei gubernatorem agere. Stratagematum libros quatuor scripsit Frontinus, magno iudicio & prudentia, in quibus de insidiis potissimum tractat lib. 2. cap. 5. Sicut & Polyænus natione Macedo, vir fortis, & studio singulari, quos, si fortè vacat, & bellicarum artium studiosus eris, poteris consulere. Porrò, tantùm abest vt quisquã stratagemata vitio vertat, vt ea maximè Scriptores,

Stratagema quid.

Frontinus & Polyænus Scriptores Stratagematũ.

si tamen perfidia absit, ad laudẽ imperatoris pertinere arbitrentur. Neque enim minor ingenij gloria esse debet quàm armorum, quod minimo periculo victoriam conficit, & immensas vires solerti vincit prudentia. Itaque, ne Sancti quidem à struendis insidiis abhorruerunt. Harũ sæpe Deus autor est, & suos stratagemata docuit, lib. 2. Reg. cap. 5. Cùm Dauid consuluisset Dominum, *Non ascendas*, inquit, *contra eos, sed gyra post tergum eorum, & venies ad eos ex aduerso pyrorum, & percuties castra Philisthiim*. Gedeon, Iud. 7. autore Deo trecentis militibus totidem tubas ac lampades dedit, quibus intempesta nocte tantum terrorem hostium castris incussit, vt singuli palantes nullo ordine fugam arriperent. Infelici primùm exitu vrbis Hai expugnationem Israëlitæ tentauerant; Iosue ca. 7. Sed postquam sublato anathemate Dux ipse diuino oraculo confirmatus est, collocatis insidiis timorem finxit: quem dum ciues vrgent, & longius excurrunt, interim ciuitas capta est. Iosue cap. 8. Sic quoque Iudic. 20. filij Beniamin cæsi sunt, & vrbs Gabaa incensa. Habes postremò & aliud stratagema à Deo 4. Reg. cap. 3. cùm aquæ Moabitis aduerso sole rubere visæ sunt, & ad prædam currentes, cædis causam præbuerunt.

Deus autor stratagematum.

Referam de toto hoc genere quid scripserit Xenophon lib. 1. Cyropæd. quo loco Cambysen Persam Cyrum filium docentem inducit, queis artibus hostes capi possent, & ipse superior euaderet. Nam & stylus ipse me legentem non mediocri voluptate afficit, & alioquin videtur paucis rem totam à principio complexus, stratagematum causas & modos cõmodè explicuisse. Primùm igitur admonet, crebris, si possit, superuentibus vtendum esse; ita vt nudos armis instructi, ieiunos pasti, sopitos vigiles, ordinati confusos, parati imparatos, antè inuadamus quã ordines explicare possint. Iubet deinde rei gerendæ occasionem ex locorum difficultate, viarúmque angustiis sedulò captemus. Adhæc subsessas locis opportunis occultè collocandas esse, quò eos intercipiamus, qui pabulandi gratia longius à castris abscedunt. Somni deinde tempora, epularum, & lucis crepusculum diligenter obseruanda esse, cùm separatim quisque naturæ indulget hesternum onus leuanti. Subinde etiam hostilis acies exploranda est, vt qua parte opportuna iniuriæ videbitur, labantem impellamus. Præterea non rarò vtile fuerit trepidationem fingere, & specie metus instantibus cedere: sic enim fiet, vt hostium animi ferocius insolescant, & fiducia virium eò se præcipites agant, vnde pedem referre non possint. Quæ cùm omnia apprimè calluerimus, tum noua quoque nobis excogitanda esse, quibus hostes maximè decipi solent. Denique Cambyses filium hortatur meminerit aucupij, ac venationis, quibus olim puer auiculas leporesque captabat; quippe iisdem machinis etiam homines posse capi. Et addit: Quod si tu, fili, vel aliud nihil ad hostes transferas, quàm ea inuenta, quæ propter bestiolas excogitabas, non putes admodum meliore conditione esse aduersus hostes? Tu enim ad capiendas aues in vehementissima surgens hyeme ibas noctu: & priusquam mouerentur aues, his

Xenophon Varij modi & vsus stratagematum.

A pedicas interim fixeras, & quem locum moueras, erat immoto persimiles. Erántque aues quædam abs te edoctæ, quæ & vtilia tibi suppeditarent, & eiusdem generis aues deciperent. Ipse verò ita eras in insidiis locatus, vt aues aspiceres ab auibus. Num te exercueras, vt assequereris aues plagularum tractu, antequam fugerent? Aduersus leporem verò, quoniam in tenebris pascitur, diem autem vitat, canes alebas, quæ odoratu eum inuenirent. Et qui celeriter fugeret, vbi esset inuentus, alias habebas canes, quæ erant eruditæ ad eum intercipiendum. Quòd si ab iis etiam euasisset, cognito leporum transitu ac saltu, & ad quæ loca fugientes à venatoribus capiuntur, hic casses visu difficiles tendebas, quo

B in vehementi cursu ipse seipsum incidẽs indueret. Quòd autem neque hinc diffugeret, eius rei speculatores constituebas, qui ex propinquo loco euestigio superuenirent, atque ipse tu à tergo clamore obstrepens, continuò ita leporem exterrebas, vt imprudens caperetur. Qui verò anterius erant in insidiis, hos tu, silentium edoctos seruare, latere faciebas. Quemadmodum igitur ante dixi, si res huiusmodi volueris etiam aduersus homines excogitare & moliri, nescio equidem an vllum hostium relinquas. His longè plura Cambyses, seu potius Xenophon lib. 1. Cyropæd. Sed nos ad institutum reuertamur.

VERSVS VI.

C Dixitque Saul Cinæo: Abite, recedite, atque descendite ab Amalec: ne fortè inuoluam te cum eo. Tu enim fecisti misericordiam cum omnibus filiis Israël, cùm ascenderent de Ægypto. Et recessit Cinæus de medio Amalec.

PAGNINVS, *Ite, recedite, descendite de medio Hamalecbitarum, ne fortè disperdam* (Arias, *deleam*) *te cum eo*. Quare non immeritò admonent Romani Correctores retinendum esse, *descendite*, & non *discedite*, sicut nonnulli faciunt. Græci ferè consentiunt. Pagninum Vatablus imitatur in Edit. Antuerp. Laurentij. In Salmantic. *Tu enim*, inquit, *beneficentiam exercuisti cum omnibus filiis Israel, quum ascenderent ex Aegypto*,

Variæ trãslationes.

D &c. In Scholiis hæc notat. *Dixit autem*. Vel, vt alij, *Iam verò dixerat. Ad Cinæum;*] id est, citò discedite hinc. Cenæi habitabant in tabernaculis: idcirco frequenter locum mutabant. *Ne fortè te cum illo perdam, vel deleam, cùm tamen feceris misericordiam*, id est, præclaro beneficio affeceris propter consilium, quod auus tuus dedit Mosi. Exod. 18. & Numer. 10. 29. & sequentibus. Factum patris tribuitur nepotibus. Hæc Vatablus. Paraphrasis Chald. singulare nomen eius loci Cinæo indidit: *Et dixit Saul Salmaah*. Et iterum, *Et separatus est Salmaah de inter Ghamalekæum*. Chaldaicè, שַׁלְמָאָה *Schalmaah*. Hebraicè, קֵינִי *keni*. Repetam iterum ex Iunio superiorem versum, quo melius hic quoque secundum eius sententiam intelligatur. *Quumque Saul peruenisset vsque ad ciuitates Hamaleki*, (*vt contenderet* cum

co) *in valle in eius*: *dixit Saul Kenæis*, *Abite, recedite, descendite è medio Hamalecitæ*: nam in editis locis & rupibus habitabant Kenæi, quà iter in Hamalex erat faciendum, Numer. 24. 21. quamobrem dicit Saul, *descendite*. Quod intelligendum est de Kenæis, qui in finibus Iudæ & Amalec sedem acceperant, Iethronis gentiles, Iudic. 1. 16. Est porrò hic congeries verborum ἀσύνδετος, celeritatis index, vt item Genes. 18. vers. 6. dum studet Abraham maturare prandium hospitibus.

Cinæi qui fuerint.

Cinæi porrò erant Madianitæ ex stirpe Iethro soceri Mosis, Principis siue Sacerdotis Madian. Nam vox Hebraica vtroque modo commodè exponi potest. Fuit autem Madian primus autor Gentis, filius Abrahæ ex Cetura, quam post obitum Saræ duxerat vxorem. Numer. 10. Sic fertur affatus *Moyses Hobab filium Raguel*, (quem volunt ipsum esse Iethro:) *Noli nos derelinquere: tu enim nosti in quibus locis per desertum castra ponere debeamus, & eris ductor noster. Cumque nobiscum veneris, quidquid optimum fuerit ex opibus, quas nobis traditurus est Dominus, dabimus tibi.* Perrexit itaque Hobab comes Moysi cùm esset ab eo castris præfectus, & sequutus auspicia Gentis Hebrææ ab ea postea non discessit. Cinus posteri cùm numerosa prole aucti essent, primùm circa Iericho in sorte Beniamin tentoria fixerunt: mox, vbi Iudas non paucas Chananæorum vrbes expugnauit, eò se contulerũt. Iudic. cap. 1. *Filij autem Cinæi cognati Moysi ascenderunt de ciuitate palmarum*, (ea est Iericho) *cum filiis Iuda, in desertum sortis eius, quod est ad meridiem Arad, & habitauerunt cum eo.* Habet tamen, cùm esset vnus ex ea familia, diuersa habitatio placuit, & cum Nepthalim moratus est. *Tetenderat*, ait Scriptura Iud. 4. *tabernacula vsque ad vallem, quæ vocatur Sennim, & erat iuxta Cedes.* Quare nunc mirum videri possit, cur Saül Cinæum ab Amalec discedere iubeat. Nonnulli respondent, Madianitas Amalecitis conterminos fuisse, ac penè regione permixtos. Alij reliquos Iethro nepotum eò confugisse, cùm Israëlitæ Madianitas vnà cum Balaam perderent. Vera quæstionis solutio est, quod cùm ipsi pastoritia arte delectati, desertam Iudææ regionẽ, quæ ad Austrum vergit, & Amalecitis conterminia est, incolerent, & pacem cum iisdem colerent, nonnullis locis commisceri viderentur. Siue itaque commercij gratia nonnulli apud Amalecitas diuertissent, seu pascuis inuitati in eorum regionem penetrassent, Saül edicit maturè se recipiant, ne quis eorum incognitus pereat.

Cinæi multis beneficiis Israëlitas affecerant.

Tu enim fecisti misericordiam cum omnibus filiis Israel, cùm ascend. &c.] Certè Iethro excepit Moysen hospitio, cùm fugisset ex Ægypto: nequaquam solùm, sed etiam illi filiam suam dedit in matrimonium. Deinde exiuit Israelitis obuiam in desertum, & illis gratulatus est de liberatione ex Ægypto, & de victoria contra Amalecitas. Deinde cõsilium dedit Mosi de instituenda Republica, deque deligendis Septuaginta senioribus, ne Moses laboribus continuis conficeretur. Et in Numeris scribitur, eum adiumento fuisse Israelitis in deserto. Itaque Moses illi pollicitus est partem felicitatis, quam Dominus daturus erat populo suo. Itaque in libro Iudicũ legimus, istum Cinæum ascendisse à ciuitate palmarum in tribum Iuda, & eius posteros studiosissimos fuisse legis Dei. Ex ea stirpè erat Iael, quæ Sisaram interfecit. Inde etiam erant Rechabitæ, qui tantoperè commendantur in Ieremia. Eos nescio qua causa Iosephus appellat Sichimitas.

Fungerus. Misericordia quid significet.

Tu enim fecisti misericordiam.] Misericordia, inquit Fungerus in Etymol. à Cicerone ita definitur: Dolor est animi & ægritudo, ex miseria alterius iniuria laborantis conceptus. Sed etymon vocis hanc definitionem impugnat. Sæpius enim cordatis hominibus aliorum miseria cordi est, cui opem ferre hilariter festinent, & iubet Paulus, Roman. 12. 8. vt qui miseretur, id est, qui ἐλεημοσύνην largitur misero, in hilaritate faciat. Non significat igitur tristitiam cordis, sed opus benignitatis & clementiæ ex amore ortum, cum hilaritate cordis, ipsi misero præstitum. Cæterùm neque Hebraica vox רִחַם *rahham*, id est, misereri, amare, diligere, vnde רַחוּם *rahhum*, misericors, & Græca ἴλεως, vllam animi ægritudinem sua notatione significant: sed tantùm aut amorem, & cordis propensionem erga miserum, aut ipsum amoris effectum. Hactenus Fungerus: cui nescio cur in mentem venerit à communi sententia discedere.

Verior sententia.

Nam quod ad etymologiam spectat, si Græca vox & Hebræa misereri significant, nil probat: erit enim talis vocum significatio, qualis & illa affectio. Non enim misericordia conatus noster est, quo misero suppetias ferimus; non amor præcisè, quo notos amplectimur. Nam multorum sæpè nos miseret cùm in calamitatem inciderint, quorum nos institutum ac vitæ ratio latet: & nonnullis etiam aliis de causis succurrimus, quorum nos tamen misericordiam non cepimus: sed illum animi sensum misericordia denotat, cùm miseri vicem dolemus, & ad opitulandum à prolixa & benefica natura impellimur. Cur autem Latinæ vocis proprietas hoc ipsum commodè exprimere negetur haud video. Priscis vtique in perscrutandis originibus maior adhibenda est fides quàm neotericis. Paulus verò *Hilarem*, inquit, *datorem diligit Deus.* Si quis opis indigeat, vult illi nos necessaria libenti animo largiri: sed non iubet nos alienis gaudere malis, aut ærũnis oblectari: *Quis infirmatur*, ait, *& ego nõ infirmor? quis scandalizatur & ego non vror?* Christus ipse quam vim haberet misericordia lachrymis sæpe testatus est. Itaque benè definit Cicero misericordiam, dolorem animi ex aliena miseria conceptum. Sed in eo fallit eius astutia, quod velit illum expertem misericordiæ, qui iustè supplicium luat. Quos enim potius illa quàm peccatores amplectitur? Horum illa mater est, & suo merito morti destinatos æternæ vitæ restituit. Misericordia inquit [Da]mascenus est tristitia in alienis malis. Item, est ægritudo animi ob alienarum miseriarum sensum. Dictum bene. Alij: Inclinatio animi ad alienam inopiam aut luctum subleuandum. Lipsius: liberans aut parcens. Et hoc

2. Cor. cap. 11. ver. 29.
Cicero 4. Tuscul.
Seneca 2. de Clementia.

Misericordiæ definitio.
S. Ioan. Damasc.

S Thomas.

item bene. Sed neutra ratio definiendi hactenus perfecta est, si separatim accipias: coniunctè rem absolutè explicant. Itaque hæc est quam Theologi vnà cum S. Thoma tradunt: Misericordia est alienæ miseriæ in corde nostro συμπάθεια, qua vtique, si possumus, subuenire compellimur.

Misereri Græcè & Hebraicè explicatur.

His porrò neutiquam repugnant quæ à Fungero de voce Hebræa deinceps traduntur. Sunt, inquit, qui à visceribus verbum illud *Racham* factum existimant, quasi *inuiscerare* dicas, hoc est, intimo affectu, qui visceribus inditus est, tangi, & commoueri erga aliquem, intimo commiserationis affectu quempiam prosequi, quo scilicet matrix, quæ רחם *rechem* dicitur, fœtum complectitur, tuendo & fouendo. Ac opponitur verbo חרם *charam*, quod est deuouere, ab vsu communi, & è medio, sine commiseratione, tollere. In Kal semel inuenitur *Racham*, Psal. 18. 2. vbi significat diligere: at in Pihel est misereri, & passim occurrit apud Prophetas; item intimis visceribus amplecti, commisereri. Matthæi 9. 36. redditur, misericordia affici, commiseratione intima commoueri. Syrus Interpres scribit, *Iesua ethrechem*, & Græcus contextus, ἐσπλαγχνίσθη. Idem repetit Marcus, ca. 6 ver. 36. Σπλάγχνα non intestina dicuntur, sed præcipua interanea & vitaliora: vt cor, pulmo, iecur, & similia, quæ in cæsis victimis Aruspices considerabant, si quid portenderent. Sumptum enim est ab aruspicinis id vocabulum, deinde ad omnes animaliū partes intrinsecas translatum. Celsus *viscera* Latinè vocat, & ab intestinis distinguit. Σπλάγχνος masc. & σπλαγχνίς, ίδος, ἡ, cor. καρδία etiam dicitur. *Viscera misericordiæ Dei*, Σπλάγχνα ἐλέους θεοῦ. Luc. 2. 78. & Christiani vocantur εὔσπλαγχνοι, *misericordes*. Ephes. 4. 32. Petri 3. 8. Hæc Fungerus. Quæ omnia communem sententiam plurimùm confirmant, & misericordiæ sensum magnopere exaggerant. Veruntamen hac voce Saul hoc loco non vtitur, sed חסד *chesed*, quæ & ipsa frequens est in Scripturis, & videtur quodlibet beneficium ex benignitate collatum innuere. Quicquid in beneficij gratiæque loco ponitur, Hebræi חסד *chesed* vocant. Dicitur & gloria, aut quod optimum vnusquisque possidet. Nam quo loco Esaias clamat cap. 40. *Omnis caro fœnum, & omnis gloria*, LXX. quoque δόξα, Hebræis est חסד *chesed*, quod alij interpretantur, *& bonitas eius sicut flos agri*. Hinc facilè colligi potest quis sit sensus horum verborum. Quod enim habuisti optimum, ô Cinæe, hoc tu nobiscum communicasti, cùm Rempub. nostram consiliis tuis statueres. Teipsum nobis impendisti, & filium charissimum tribuisti, qui nos castrametari & loca stationis opportuniora doceret. Hæc verò idcircò misericordiam vocat, quòd nullis eorum meritis prouocatus, eo tempore ad eos accessisset, quo maximè regi eius consilij in vasta eremo indigebant.

Cæterùm exemplo videmus, Deum liberaliter rependere illis, qui liberales fuerint in Sanctos, qui sunt in terra eius. Deus enim eo loco habet officia nostra, ac si ea ad se pertinerent. Est hoc ciuilis iustitiæ, nolle insontes vnà cum sontibus inuoluere. Quodque ad opus ipsum attinet, id non potest reprehendi. Ita enim distinguendi sunt boni à malis. Quo autem animo Saül illa fecerit, id nobis difficile est iudicare. Videmus hîc prætereà, quantum prosit affinitas, & coniunctio Sanctorum, præsertim si accesserit fides, & pietas. Potest fieri, vt Saül hoc fecerit admonitu Sacerdotis, aut Prophetæ, quâuis id non ascribatur. Seruat hîc Deus, quod promiserat Abraham, *Benedicam benedicentibus te, & bene de te meritis benefaciam*. Stat semper promissis, & dat plus etiam, quam promiserat. Multa sunt exempla huius generis. Angelus ait se non posse perdere Sodomam antequam Loth demigret cum familia. Et in Ecclesiastica historia, Hierusalem non potuit expugnari, & diripi, nisi prius inde Christiani discessissent. Milites & nautæ in naufragio seruati sunt, & donati Paulo. Videmus hîc magna nostra cum consolatione, exempla contraria. Amalecitæ afflixerant Iudæos, Cinæi illis profuerant. Itaque illi perduntur, isti seruantur. Ex hac oppositione videmus, vnam esse Dei voluntatem, vt vlciscatur, & rependat. Itaque in Exodo, statim postquam descripta esset pugna in Rhaphidim contra Amalecitas, subiecta est historia de Cinæo. Admonitu Saülis Cinæus discessit. Id non fecisset sine fide, & nisi credidisset, Deum suis daturum esse victoriam. Sed abitus iste illis bene cecidit. Nos quoque parere oportet, cùm iubemur à Deo, vt fugiamus consuetudinem malorum. Nam Paulus ait, *Ne cibum quidem cum illis sumendum esse*.

Versvs VII.

Percussitque Saül Amalec, ab Heuila, donec venias ad Sur, quæ est è regione Ægypti.

Variæ trãslationes.

Donec *venias ad Sur*. LXX. ἀπὸ Εὐιλὰτ ἕως Σοὺρ. *Ab Euilat vsque ad Sur*. Pagninus, *Veniente te in Sur*. Vatablus, *petente te Sur*: in Scholiis, vel, *qua pergitur in Sur*. Chald. Paraphr. *ad bhantlag ecsensu ibhagra. E regione Aegypti*.] Chald. *quæ super faciem Misraim*. LXX. ἥ ἐστι κατὰ πρόσωπον Αἰγύπτου, *E regione Aegypti*. אשר על פני מצרים *aschar ghol pene Misraim*. Pagninus, *contra faciem Aegypti*. Arias, *super faciem Aegypti*. Vatablus cum vulgata Latinè magis, *è regione Aegypti*. Non describit autem Scriptura, inquit Iunius, terminum quem depopulatus est Saül, sed regionem quam occupabant, qui Saüli occurrerant: non enim omnes Hamalekitæ; sed isti tantùm cæsi sunt: vt apparet infr. 30. *Ab Heuila*, regione Arabiæ; *vsque quà venis Sur*, terminum Arabiæ versus Ægyptum, de quo Genes. 16. 17. & 25. 18.

Tostatus. Quid sentiendum de Heuila.

Arbitratur Tostatus extremos fines regionis describi, à Septentrione *Heuila*, à Meridie *desertum Sur*. De quo Exod. cap. 16. In hanc solitudinem populus à mari rubro venit. Sita autem erat sors tribus Iudæ ad Septentrionalem plagam

ET PERCVSSIT SAVL AMALEC.

gam *Amalec*. *Hauilah* Iosephus interpretatur Pelusium ad ostium Nili. Tam latè patuit ista victoria. Getulos item eius loci Iosephus. R. Kimhi accolas à Iosepho dictos nonnulli referunt. Verùm *Hauela* fuerunt Ismaëlitarum. Sed Rabbi Kimhi suspicatur Amalecitas ea illis per vim eripuisse. Nam quòd spectat ad Orientalem Indiam, quæ etiam ipsa חוילה *Hhauila* dicitur, & habet eosdem literarum characteres, longè abest suspicio. Illa enim remotior est, quàm vt ab ea victoriam Israëlitæ auspicari potuerint. Eadem Gangetica nominatur, auri ferax, & lapillis abundans, quam sic describit liber Genes. cap. 2. Regio est, quam *circuit Phison*, vnus è quatuor fluminibus, qui è Paradiso voluptatis manant. *Ibi nascitur aurum, & aurum terræ illius optimum. Ibi inuenitur bdellium, & lapis onychinus.* Non potest hæc fuisse à qua cædis initium fecerint. Nam in tota Amalecitarum prouincia nullum extat tanti fluminis vestigium, nec vllæ illius aurifodinæ celebrantur. Nonnulli Latinè interpretantur, *Annunciantem ei*. Quod si verè fit, videri poterit specula quædam in finibus posita, vnde hostium aduentus deprehenderetur. Plures tamen חוילה *Hhauilah* deducunt ab חול *Hhol*, siue חיל *Hhal*, quod plura significat, ac proinde etiam non vnam interpretandi ansam præbuit. Nam & *dolens*, & *parturiens*, & *arx* quoque *munita*, & *arena iacens*, ab eadem radice non incommodè exponi potest: quæ omnia non absque probabili arguméto de *Heuila* suspicari possumus. Nam Arabiæ solum arena plurimùm constat sitienti, & arida; & propugnacula in finibus, locis opportunis constitui solent; & vtique partus dolores, & cruciatus maximos Gens experta videtur, cùm repentina & inopinata clade obruta est. Postremò etiam verti posset: *Percussit Saul Amalech* à prima strage exercitus, qui irrumpentibus occurrit, & signa conferre ausus est, vsque ad extimam solitudinem, quæ Amalec Ægyptúmque medio interuallo dirimit.

Deo victoria accepta referenda est.

Datur Sauli victoria, non propter ipsius benefacta & merita, satis enim iam antea Deum temere offenderat: sed quia Deus voluit præstare promissa. Quamobrem non immeritò huic quoque expeditioni accommodamus, quod olim Deus Israëlitas de suis victorijs sentire docuit, cùm eos in possessionem Palæstinæ mitteret. *Cùm veneris*, inquit, *in terram, quam ego pollicitus sum tibi, ne dicas, propter iustitiam meam induxit me Dominus in terram istam, sed propter malitiam populi terræ.* Hæc propositio est copulatiua. Illi quidem propter suam malitiam eiecti sunt: tu autem non inductus es propter pietatem tuam. Atque idcirco Dominus eo loco Deuter. commemorat illorum scelera, & vitulum aureum, & eò appellat *populum duræ ceruicis*. Hinc etiam patet hominum prosperitates secundásque res non esse debitum humanę virtuti testimonium, aut etiam certum diuinæ beneuolentiæ argumentum. Quippe Deus non nobis, sed sibi vincit: fidem suam rerum successu liberat, non nostram prædicat. Quamobrem tametsi reuera victoria, & aliud quodlibet egregium facinus, Numinis præsentiæ nota

A atque indicium sit: non tamen illud magis ad nequitiam fouendam, quàm ad ingrati animi exprobrationem comparatum est. Vnde postremò manifestè liquet, quàm sine ratione victor superbiat, & rerum gestarum splendore efferatur; cùm nec suapte vi victoriam, nec sibi bono, sed alijs sæpe pepererit.

APPREHENDIT AGAG VIVVM.

VERSVS VIII.

Et apprehendit Agag Regem Amalec viuum: omne autem vulgus interfecit in ore gladij.

Variæ translationes.

B RELiqui ferè consentiunt; Pagninus, Vatabl. Chald. Paraphr. interpretantur *in acie gladij*. Aldina Editio LXX. Interpr. nonnulla addit, quæ vix in reliquis codicibus reperiuntur. *Καὶ συνέλαβε τὸν ἀγὰγ βασιλέα ἀμαλὴκ ζῶντα, καὶ πάντα τὸν λαὸν αὐτοῦ ἐξωλόθρευσε. Καὶ ἱερὶμ ἀπέκτεινεν ἐν στόματι ῥομφαίας.* *Et apprehendit Agag Regem Amalec viuum, & omnem populum eius disperdidit, & Hierim interfecit in ore rhomphæa. Hierim* iam suprà vers. 3. explicuimus. Inde verò factum arbitratur nobilius, vt hæc adderentur, quòd plures in vnam translationes coaluerint. Sunt præterea qui velint nomen *Agag*, non personæ proprium, sed commune regum fuisse in Amalec, sicut Pharao in Ægypto. Cæterum ex his verbis, *in ore gladij*, apparet, populum fuisse armatum. Antea cùm confligerent,
C in tota acie duo tantùm erant gladij, Saulis & Ionathæ. Ita eos Palæstini exarmauerant.

Plures sibi mortem consciuerunt, ne in host. potestaté venirent.

Apprehendit Agag viuum.] Miserrimam hanc conditionem plures olim interpretati sunt, & morte ipsa detestabiliorem. Quare potius quàm in hostium potestatem venirent, sibi manus afferre maluerunt. Nero, cùm se hostem à Senatu iudicatum accepisset, voluntaria morte supplicio se eripuit. Otho desperatione victoriæ. Sed Catonem, Brutum, & Cassium, libertatis amor, & conscia præclari facinoris virtus, vt quidem illis visum est, ad maturandam necem egit præcipites. Mithridates, Annibal, Saul denique sua manu perire maluerunt, quàm hostium sæuitiem experiri. Iugurtha & Perses cùm Romanis, Samson Philisthæis dediti essent, ab ijsdem pessimè sunt habiti. Veruntamen
D illud quantum ab officio boni viri & Christiana virtute abhorreat, sibi ipsi perniciem creare atque interitum moliri, dicemus cap. 31. cùm in mortem Saulis animaduertemus.

Rex populo nocentior haberi debuit.

Omne autem vulgus interfecit in ore gladij.] Iure quidem, quando ita Deus decreuerat. Illud tamen, si cum Rege conferatur, innocens haberi debuit. Singulus quisq; speciatim peccat: Rex, cùm per se priuatim, tum generatim in omnibus, seu iubet ille, seu sponte sinit. Et tamen Regem viuum capit, & seruat incolumem; in vulgo ferro & cædibus bacchatur. Quid hoc homine facias, qui magnis sceleribus fauet, minora plectit? Sæuit in vnguiculos, caput nequitiæ tuetur. Habes aliud egregium specimen tyrannici ingenij apud Herod. l. 7. Megarensium,

Herodot. Tyrannicũ ingenium.

APPREHENDIT AGAG VIVUM.

inquit, qui sunt in Sicilia, quum obsessi ad deditionem venissent, Gelo, Syracusarum Tyrannus, locupletissimos quosque, qui bellum ei intulerant, & ob id se interfectum iri putabant, Syracusas traduxit, ac ciuitate donauit: at plebem Megarensem, quæ belli mouendi fuerat expers, quæque nihil mali se passuram expectabat, Syracusas adductam venundedit, ex Sicilia asportandam. Idem hoc fecit Eubœensibus qui sunt in Sicilia, proceres à plebe distinguens. Hoc autem ideo de vtrisque fecit, quòd arbitraretur contubernium plebis rem esse molestissimam. Ea ratione magnus tyrannus effectus est Gelon. Hactenus Herodot.

Personarũ acceptio. Manifesta porrò personarum acceptio est, cùm non scelera, sed tenuis fortuna damnatur. Atqui, *Non consideres*, ait Dominus, Leuit. 19. vers. 16. *Personam pauperis, nec honores vultum potentis.* Et Deuteron. cap. 15. vers. 19. *Non accipies personam, nec munera.* Quid igitur sibi vult quòd communis calumniæ sola Maria pœnam sustinet, Aaron supplicio eximitur? Quòd Dauid Rege peccante solus populus plectitur? Quòd
2. Paral. 19. Iosaphat quam merebatur vim & iracundiam non subijt? Quòd Salomon diuina sapientia præditus cùm Ioab occideret ducem exercitus, Abiathar Sacerdotem læsæ maiestatis reum iussit tantùm secedere? Facit ergo Deus quod prohibet, nec suis legibus viuit, sed personarum acceptor est. Negat Moyses Deuteron. cap. 10. Iosaphat 2. Paralip. 19. Iob cap. 34. Sapientia ca. 6. Ecclesiast. 35. Apostolus ad Rom. 2. ad Galat. 2. ad Ephesios 6. ad Colossenses 3. Petrus denique Actor. 10. & Epist. suæ primæ cap. 1. Grauissima quæstio est, vt inquit Petrus Gregor. Iuris Syn-
Petrus Gregor. tagm. lib. 30. cap. 5. num in iudicijs ratio personarum habenda sit. Siquidem iura sunt, quæ vtramq. partem fouent: quædam enim diuina & humana negant habendam esse: quædam non

Quomodo iura nonnunquam personam vetent accipere, nõnunquam iubeant.

tantùm suadent, sed etiam iubent, cum delinquentium, tum eorum qui læsi sunt. Mox ille suo more iure interpretatur. Quæ vetant, cauere iustitiæ: quæ iubent, nullum quidem habere ad personam respectum, sed cuiusque conditionem ac dignitatem æstimari velle, momentisque suis ponderari. Et quidem in causis ciuilibus, cur dignitas faueat, aut paupertas noceat, afferri rationem nullam posse: at in iudicijs capitalibus multa contingere posse, ob quæ dignitati indulgeas. Etsi verò reatus grauior omnem dignitatem excludat, adhuc tamen dignitas pœnam mutat aut minuit; quippe iura Medicos imitantur, & quò remedium efficacius adhibeant, explorant reorum conditionem. Verum est, inquit, quod ait Demosthenes contra Midium, delicta sine discrimine personarum diuitis & pauperis pari seueritate vindicanda. Cæterùm par seueritas non consistit in æqualitate Arithmetica, veluti, vt omnes, qui homicidium fecerint, capite luant: sed in æqualitate Geometrica, vt secundum id, quod iustum videbitur, puniatur æquali seueritate. Sicut enim Geometræ proportionem metiuntur ex æqualitate, vel inæqualitate figurarum non inspecta quantitate, vt Arithmetici, sed qualitate: sic Iurisconsulti in distributione quod cuiusque

A est, & pœnarum, secundum qualitatem delinquẽtium, & delicti pœnas statuunt. Cùm enim ratione personarum, & circunstantiarum qualitatum earundem, minus vel magis peccetur, nõ potest esse legitima pœna, nisi eiusdem qualitatis criminis, ratione earundem, vel minor vel maior statuatur. Hæc ille, & multò plura, quæ apud eundem legere poteris cum adnotationibus V. I. ad marginem. Sed mihi præterea nonnulla occurrunt animo, in quibus absque personarum acceptione iudex reo gratificari possit, quæ paucis exequar.

1. Ratio, quæ personarum acceptionem excusat.

Nam primùm quidem personarum acceptio obijci posse non videtur in ijs, quæ gratis conferas, sed oportet ea quæ in reprehensionem cadunt, iure aliquo debeantur. Ius porrò omne
B vel à natura manat, vel consuetudine obtinet, vel certis legibus præscribitur. Iuris naturalis summa hæc est, vt de suo quisque gratificari possit. Legem hactenus nemo Deo tulit. Ex pacto tamen conueniri potest. Sed illud ad gratiam pertinet, quæ tota iuris naturalis est, per quod id quod suum est cuilibet tribuendi libera potestas est. Vnde sequitur, vt siue Deus beneficium conferat, siue delicti veniam faciat, acceptionis personarum accusari non possit; iudex excusari non possit, si non ex præscripto legum iudicia administret. Quis itaque Saulem è reis eximat, qui contempta lege diuina sceleris pœnam prætermisit, & alienam iniuriam sontium sceleratissimo condonauit? Veruntamen Deus *cuius vult miseretur, & quem vult indurat. Iacob*, inquit, *dilexi, Esau autem odio habui.*
C Deinde, personæ acceptio ibi locum habere non videtur, vbi non offendentis, sed eius qui læsus est habetur ratio, & indulgentia spectat potius ad lacessiti gloriam, quàm ad eius qui vim fecit incolumitatem. Quis enim neget iniuriæ cumulatè satisfieri, cùm pro minore damno ingens gloria nascitur, quam non ætas modò præsens excipit, sed etiam fama manat ad posteros? Vtilitati etiam nonnunquam prospicitur, seu præsentis temporis, seu futuri: quæ vbi cum impunitate sceleris coniuncta est, quis dubitet nonnunquam peccato veniam ad ignoscendum dari posse? Sic Deus olim Achab pepercit, cùm vellet haberi misericors, & eius exemplo plures ad pœnitentiam prouocare. Sic quoque Philisthæis cùm viderentur fore vtiles ad continendum in officio populum, & com-
D primendam eius ex rebus prosperis insolentiam. Sed horum quicquam Sauli sperare non licuit, cùm iussus esset ab eo qui solus futura nouit, gladio animaduertere: quare ne crimine quidem absolui poterit. Sed nec tum quidem iudex personam accipit, cùm publicè interest, ne cui vita eripiatur; seu Respublica eius ope atque industriâ indigeat; seu fortè periculum timeatur. Sic enim Ioab non semel parcitum est, dum quid possit spectatur potius, quàm quid commeruerit; & iure ciuili seruantur periti artifices qui ad bestias damnati essent. Quod si putamus Saulis causæ fauere posse, ignoramus immitem Tyranni animum, & corpus delitijs corruptum nulli bono apta esse. Verùm indulgetur præterea non rarò meritis. Nam ea gratia

2. (beside "Deinde")
3. (beside "iudex personam accipit")
4. (beside "gerur præterea")

Iosaphat,

APPREHENDIT AGAG VIVUM. Iosaphat, vt propheta testatur, cùm in Dei offensam incurrisset, tamen impunè tulit; & Thamar quòd exploratores gentis Hebrææ clàm texisset, euersa vrbe Iericho incolumitatem nacta est. Plures etiam alij vitam impetrarunt, dum sperant Hebræi ab ijs in vrbium expugnatione se iuuari posse. Erant scilicet nonnulla Agag in populum Domini non contemnenda merita. Quinimo semper hostili animo eundem fatigauerat. Quo magis miror qui Sauli in mentem venerit infensissimum hostem, qui sibi vitam ereptam vellet, contra ius fásque tueri.
5. Quòd si non reo, sed propinquis ac necessarijs de Repub. benemeritis remittitur ac condonatur supplicium, ne tum quidem fieri personæ acceptio dicetur. Sic enim quondam Miphiboset in gratiam patris sui Ionathæ Dauid periculo eripuit, cùm reliquos filios Saul Gabaonitæ ad pœnam deposcerent. (2. Reg. c. 21.)
6. Habetur & ratio dignitatis, ne fortè qui sunt eiusdem ordinis, infamia laborent, & ea res populo scandalum fiat. Non enim aliam ob causam Salomon Abiathar pepercit, cùm reus Maiestatis teneretur, quàm quòd esset Sacerdos Domini. Denique non-
7. nunquam etiam iudex à capitali sententia abstinet, cùm est conscius eiusdem delicti, séque pariter pœnæ obnoxium videt: quod fecisse Iudas Patriarcha legitur postquam non alium, sed seipsum comperit incesto stupro nurũ violasse. (Genes. 38.) Quorum omnium cùm nihil sit, quod ad excusandam Saulis intempestiuam clementiam faciat, & alioquin Dei imperium circa Regem palam contempserit, acceptionis personarum, quod haud leue crimen est, absolui non poterit.

VERSUS 9.

Et pepercit Saul, & populus Agag, & optimis gregibus ouium & armentorum, & vestibus & arietibus, & vniuersis quæ pulchra erant, nec voluerunt disperdere ea: quicquid verò vile fuit & reprobum, hoc demoliti sunt.

Variæ trãslationes. PAgninus: *Et pepercit Saul & populus ipsi Agag* (Arias, *super Agag*) *& bonis pecoribus, & bobus, & pinguibus, & agnis, & in omni quod erat bonum, & noluerunt perdere ea:* (Arias, *& super bonitatem pecoris, & bonis, & pinguium, & super agnos, & super omne bonum.*) *Quicquid autem erat contemptibile*, Hebraicè, וְכָל־הַמְּלָאכָה נְמִבְזָה *vechol hammelacha nemifzah.* Sic vertit Arias, *& omne opificium contemptibile & dissolutum illud perdiderunt.* Chaldæus, *omnem rem quæ vilis & contemptibilis erat, confecerunt.* Vatabl. in Edit Salmant. *Saul autem pepercit cum populo ipsi Agag, & præstantioribus gregibus, pinguioribúsque armentis atque agnis, & cunctis quæ præstantia fuerunt, nec voluerunt ea excindere: vniuersum verò quod contemptum erat & flaccidum, exciderunt.* In Ecphrasi, *præstantioribus gregibus*, Hebraismus inquit, *optimæ parti ouium*, id est, optimis gregibus. *Pinguioribúsque armentis.* Hebraismus, *Et armentis, & pinguibus*, vt vertit Chaldæus Paraphrastes, sua ipsorum natura scilicet. Alij vertunt, *& anniculis.* Alij, *secundo partu natis.* Alij, *bimis. Atque agnis*, & arietibus maioribus natu scilicet. Chald. Paraphrastes vertit, *saginatis.* humana industria scilicet. *Et cunctis quæ præstant.* Coniunctio *&*, perinde accipienda acsi dicas, & vt summatim dicam. Hæc omnia Vatabl. in Schol.

ET PEPERCIT SAVL ET POPVLVS AGAG &c. Græci rem totam copiosiùs explicant. nam & vinetis, & conditis frugibus, & pretiosæ supellectili pepercisse eos docent. Καὶ περιεποιήσατο σαοὺλ καὶ ὁ λαὸς τὸν ἀγὰγ, καὶ τὰ ἀγαθὰ τῶν ποιμνίων καὶ τῶν βουκολίων, καὶ τῶν ἐδεσμάτων, καὶ τῶν ἀμπελώνων, καὶ πάντων τῶν ἀγαθῶν, καὶ οὐκ ἐβούλοντο αὐτὰ ἐξολοθρεῦσαι. πᾶν δὲ ἔργον ἠτιμωμένον, καὶ ἀπεγνωσμένον αὐτὸ ἐξωλόθρευσαν. *Et vendicauit* Complutenses, alij malunt *reseruauit, Saul & populus Agag, & optima gregum & armentorum, & ferculorum*, siue conditarum frugum, *& vinearum, & omnium bonorum, & noluerunt exterminare ea, & omne opus vile, & contemptum exterminarunt.* Hactenus Græci. Ex nouatoribus quidam dissentit ab omnibus: cuius auctoritas quanti facienda sit, ipsa prodit in antiquo grammate recens inuentio. Sic autem vertit: *Itaque clementia vsus Saul cum populo erga Agagum, & erga optimos gregum & armentorum, etiam secundarios, & erga ouium duces, & erga quicquid bonum erat, noluerunt internecioni deuouere ea: tantum omnem rem contemptibilem & tabescentem, eam internecioni deuouerunt.* Quam interpretationem, quantum ad ea quæ prior immutauit, sic explicat & tuetur ad marginem: *Secundarios.*] id est minus præstantes: sed non macilentos & contemptibiles: Hanc genuinam esse Hebraicæ vocis significationem, quicquid alij dicant, docent literarum ordo, & vocalium notæ. *Et erga ouium duces.*] vt commodiùs greges suis ducibus assuefactos, abducere possent: ita autem accipiendam esse Hebræam vocem docet perpetua apud prophetas metaphora, qua duces hominum hanc appellationem obtinent: vt 2. Reg. 11. 4. & 20. Ezechiel. 39. 18. alter quidam postrema verba ita reddidit: *Sed vniuersum pecus vile & caducum peremerunt. Pecus vile.*] In Hebræo est, הַמְּלָאכָה *Hammelachah, opus:* & capitur non tam pro pecoribus, quàm pro reliqua supellectili.

Et pepercit Saul, & populus Agag.] Misericordiæ aram Athenienses quondã statuerunt: cuius ipsi numen, quòd magna habeat in tota hominũ vita & casuũ varietate momenta, singulari quadam religione coluerunt. Ita Pausanias. (Pausanias in Atticis.) Visa est dea fauere miseris, & iacentium patrocinium suscipere, tanto studio ac fauore, vt etiam acerrimorum hostium furorem demulceat. (Misericor. multis nominibus commendatur.) Sed nusquam aliàs potentius vrget, & tanquam præsenti numine vincit, quam vbi è summo vertice præceps fortuna ruit. Tum siquidem certiùs inflectit animos, & stupenda vicissitudine odium in mansuetudinem vertit. Trucibus oculis excutit lacrymas, & minis cedentibus mollior oratio fractos erigit, & de ruina consolatur. Et quanquam dea non est, quod falsò credidit antiquitas: ipsa tamen reliquis virtutibus longè illustrior est, & proximè ad

Et pepercit Savl et popvlvs ipsi Agag, &c.

numen accedit. Hinc scilicet tantopere nobis à natura commendatur, vt illam intimis visceribus inseuerit, & nemo sit qui non eius sensum aliquem percipiat, & cùm non possit asse-qui, laudibus saltem prosequatur. Certè ad comparandam hominum beneuolentiam, nominisque splendorem nihil ea certius præclariúsue cogitari potest. Quare qui gloriam sitiunt, & laudis amore tenentur, misericordiæ famam præcipuè captant, & student haberi clementes. Verùm præter laudis illecebras quibus Reges facilè capiuntur, censetur etiam misericordia vnumquemque fortunæ fragilis admonere, ac proprijs periculi metu ab iniuria reuocare. Porus certè Indorum Rex apud Curtium lib. 8. cùm victus esset ab Alexandro, & ab eo rogaretur, quid ipse victorem statuere debere censeret: Quod hic, inquit, dies tibi suadet, quo expertus es, quàm caduca felicitas esset. Plus monendo profecit, quam si precatus esset: Quippe magnitudinem animi eius interritam, ac ne fortuna quidem infractam, non misericordia modò, sed etiam honore excipere dignatus est. Hæc Curtius. Quid mirum igitur si tot naturæ ac gloriæ stimulis Saul incitatus, & blandientis victoriæ lenocinio delinitus, citò officium deseruit, nec vidit imprudens cùm diuina iustitia emitteret aculeos seueritatis in Amalec, tum humanæ misericordiæ locum non esse.

Curtius.

Saulis ingenium.

Pepercit Saul & populus ipsi Agag, & optimis gregibus ouium.] Saul non paret mandato Domini, sed seruat pecora pinguiora, & Agagum Regem viuum. Ita perpetuò prodit ingenium suum: Primùm non expectauit prophetam, vt iubebatur: hîc impingit in eundem lapidem. Post persequitur Dauidem hominem innocentem, quique & ipsi & Reipub. sæpe profuerat. Maximè autem patefacit nequitiam suam, cùm relicto Deo, consulit Pythonissam. Hæc idcirco commemorantur, vt iustificentur iudicia Dei. Pingitur etiam hic corruptela humani ingenij. Vbi agitur nostra causa, ibi seueri esse volumus supra modum. At si causa sit Dei, ibi modestius & lentius agimus. Quid hoc aliud est, quàm nos ipsos Deo anteponere? Deus iussit, vt Cananæi ad vnum omnes perderentur: at illi imposuerunt eis tributa, & permiserunt viuere. Deus iussit, vt prorsus excinderentur Moabitæ: at illi mulieres eorum pulcherrimas passi sunt viuere: quæ postea magnam offensionem concitarunt in castris. Rex Israel contra mandatum Domini seruauit Benhadab Regem Syriæ. Itaque Deus illi respondit, *Erit anima tua pro anima eius.* Parcit Saul Agag, quem ante alios omnes occisum oportuit. Ille enim erat caput malorum. Itaque Samuel ait illi, *Sicut gladius tuus fecit orbas multas matres, ita orba erit mater tua.* Fortasse Saul deferre voluit aliquid maiestati regiæ. Iosephus ait, Saulem sic apud se cogitasse: Adducam eum captum ad Prophetam: fortasse apud eum inueniet aliquam gratiam. Hoc erat præceptum Domini habere ludibrio. Nam cùm disertis verbis quid Deus fieri vellet propheta mandasset, non debuit vltra expectare quid ipse sentiret. Addit

Cùm simus seueri in hostes proprios, Dei iniurias lenius persequimur.

A Iosephus, Agag fuisse pulchro, & præstanti corpore. Atque ea causa fortasse Saul eum asseruare voluit ad triumphum. Alij putant eum captare voluisse opinionem misericordiæ. Fortasse etiam mouit illum nonnihil conditio Regia, fecitque vt Saul de suo quoque statu cogitaret.

Verùm, quæ est vanitas inquit S. Augustinus, vni parcere, & omnes in discrimen adducere? Polluuntur enim omnes, vno peccante. Inordinata nempe pietas Principis, vt autor est B. Damianus, nihil aliud est, quàm confusio plebis. Princeps, inquit, vt docet Apostolus, *Dei minister est, vindex in iram ei, qui malè agit.* Si ergo Dei minister est, qui mala facientes in iram vindicat; diaboli procul dubio minister est, qui criminosos, ac reprobos suauiter palpat. Et sicut B Deo præbet obsequium qui peruersos vlciscitur; sic minister est aduersarij, qui perpetrantibus iniqua blanditur. Qui percutit malos, inquit S. Hieronymus, in eo, quod mali sunt, & habet causam interfectionis, vt percutiat pessimos, minister Dei est. Item alibi: Homicidas, & sacrilegos punire, non est effusio sanguinis. Et B. ait Ambrosius: hostem ferire victoria est, reum æquitas, innocentem homicidium. Quare multi sæpe, vt est apud eundem Damianum, falsæ pietatis errore decepti, vnde se Deo placere insipienter autumant, inde aduersus eum crudeliter pugnant: & ex eo merentur iram, vnde se adepturos opinati sunt gratiam: & dum alijs veniam falsæ pietatis impertiunt, ipsi motum diuinæ indignationis incurrerunt. Vir namque de filijs prophetarum dixit ad socium, C vt se percuteret: quem, quoniam ille ferire contempsit, protinus à leone percussus, interijt. Placere se Deo de pietate sua arbitratus est Achab, cùm Benadab Regem Syriæ non modò vocauit fratrem, sed & curru proprio sibi dignatus est assessorem. Sed audi, quid indiscreta pietas mereatur audire: *Quia dimisisti*, inquit Dominus, *virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius.* Meminit deinde Agag, & mulierum Moabitidum, quas cùm filij Israël seruassent incolumes, in offensionem Dei incurrerunt; Numer. 31. Moyses Exodi 32. versu 17. postquam fabricatus esset vitulus in Oreb, ait filijs Leui: *Occidat vnusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum.* Et postquam viginti tria millia hominum D cæsa sunt, ait: *Consecrastis hodie manus vestras Domino, vnusquisque in filio; & fratre suo; vt detur vobis benedictio.* Petrus Actor. 5. Ananię, & Saphitæ mendacium non multum abire permisit; sed eos oris gladio feriens, aliorum, ne simile quid fortè præsumerent, corda perterruit. Paulus quoque, dum excessibus coërcere discipulos nititur, virgam delinquentibus comminatur. Denique vir beatus suam sententiam confirmat exemplo quodam Theodosij Imperatoris, qui cùm olim à pio quodam Eremita regeretur, ab eo didicit, reis iudiciorum capitalium delicti veniam facere, quoniam & ipse venia quandoque indigeret. Sic enim scriptum esse: *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Verum cùm ea indulgentia perditorum hominum

Et pepercit Savl et popvlvs ipsi Agag, &c.

S. August.

Rom 13. vers. 3.

Seueritas decet Principem, nimiæ indulgentiæ diabolus autor est.

B. Hieron.

S. Ambros.

B. Petrus Dam lib 7. ep. 11. & 12.

3 Reg. 20 vers. 36. & vers. 42.

1. Cor. 4.

Matth. 7. vers. 2.

ET PEPERCIT SAVL ET POPVLVS IPSI AGAG, &c.

minum audacia cresceret potius quàm minueretur, & procerum querelis fatigaretur, res priuatas ciuium diripi, Rempubl. in summum discrimen adduci conquerentium, eundem per literas denuò consulit, in tanta rerum perturbatione quid facto opus esse iudicet. Verum nihil ille respondit: sed coràm pexo capite, atque excusso sinu, collapsos furfures atque porriginem in ignem conieciт. Mox hortum ingressus, circa olera occupatur: & salubres quidem herbas colit, noxium verò gramen radicitus euellit, & iubet tabellarium, quæ fecerit, Imperatori mandata referre. Qui, vt primùm religiosi viri mentem consiliúmque percepit, superioris temporis licentiam matura seueritate compescuit.

Obedientiæ magis quàm vtilitatis ratio habẽda est.

Et optimis gregibus ouium, &c.] Sed non magis Rex peccat, quàm populus. Ille Agag seruat: isti pecudes. Deus odium suum declarari voluit aduersus Amalechitas. At isti tantùm sequuntur vtilitatem, & commodum suum. Veruntamen, vt docet Tertullianus lib. de Pœnitentia, cap. 4. Ad exhibitionem obsequij, prior est maiestas diuinæ potestatis. Prior est autoritas imperantis, quàm vtilitas seruientis. Leui Ben Ger. ait, in historia Esther, cùm confiscata essent Amani bona, populum noluisse ea attingere, quòd ille esset Amalechita. Fuerunt ergo posteri suis maioribus sapientiores. Tametsi hic quoque Rabinus, aliorum exemplum sequutus, mendacijs delectari videatur. Nam quæ fuerant Aman, ea Esther à Rege donata sunt; vt patet cap. 8. Quorum autem Iudæi opes diripere noluerunt cap. 9. non erant illi Amalecitę, sed Medi, aut Persæ, aut ex finitimis vel remotioribus oriundi prouincijs. *Ouibus, & armentis.*] Parcunt ouibus; homines mactant. Quò nos peccatum deijcit! Vilior habetur præ boue peccatoris anima. Fortasse vt sacrificarent, & conuiuarentur inter se. Nam in pacificis sacrificijs lætabantur coram Domino. Istos autem non rectè fecisse, apparet ex eo, quòd non tantùm boues, sed etiam supellectilia reseruarint. Id enim Hebraica vox sonat. Nam מְלָאכָה *Melacha* pro מַלְאָכָה *Malacha*, quiescente א, opus industriã, artem, significat; à verbo לָאַךְ *Laach*, vnde מַלְאָךְ *Malach*, missus, legatus, nuncius: per metonymiam, quoniam vti legatus in potestate mittentis est, & pendet ex eius arbitrio: ita quicquid fit humana industria, in manu est artificis. Præterea Iosephus ait, eos asseruasse argentum & aurum. *Et vniuersis quæ pulchra erant.*] Pulchrum aspirari non debet, ne duabus consonantibus media intercedat aspiratio. Carisius lib. 1. ex Varrone. Sed cur populi temeritatem Rex non prohibuit? Fortasse, quia verebatur ne milites tumultuarentur, si illis negaretur præda. Itaque voluit ipse eam potius diuidere. Verùm ista humana prudentia non excusat Saulem.

Tertullian.

R. Leui Ben Gerson.

Vilior præ boue peccatoris anima.

מְלָאכָה Melacha supellectilem. & opus arte elaboratum significat.

Quicquid verò vile fuit & reprobum, hoc demoliti sunt.] At pulcherrima quæque reseruarunt. Ita sunt homines. In rebus nihili volunt esse religiosi, & obseruantes leges. At vbi est aliquid momenti, ibi tum interponunt suas *ἑρμηνείας*, & diuinæ legis constantiam, molli inter-

A pretatione ad suas cupiditates inflectunt.

VESTIBVS ET VNIVERSIS QVÆ PVLCHRA ERANT.

Porrò, non nemo fortè mirabitur, quo consilio etiam ea quæ sensu carent, tanquam supplicio affici ac pœnæ subijci Deus voluerit. Nam quod spectat ad pecudes, quoniam illæ sensu præditæ sunt, dolore admoneri videntur, & cæsæ castigatiores euadere. Calcaribus equi obediunt, stimulis boues agitantur. Feruntur etiam Leones coram percusso cane mitescere. Fame, plagis, vinculis, multa decentur animalia, & ad cultum nostrum deliciásq; erudiuntur. Deinde pereuntium gemitus nos plurimùm commouet, si de pauperie damnata cruciari dicantur. Tum enim velut imago quædam supplicij nobis ob oculos versatur, quæ nos à maleficio deterret. Sed quæ potest esse ambustę

B supellectilis vtilitas? aut si gemmę palis eruantur, & soluantur in cineres? Nam ad ea certè nullus doloris sensus peruenit. Quod cùm ipsi nouerimus, neutiquam rerum insensibilium corruptione perturbamur, nisi quantum nobis eo pacto commodi decedit desperata earundem vtilitate. Quare si cui domus incendatur, vasa crepent, vestis laceretur, ille quidem tantisper dum viuit, iniquo animo fert, & damno afficitur. At vbi hostis iacet exanimis, nec iam illis iuuari potest, frustrà illi ægrefacias; te solum iactura petit qui prædam possides. Attamen nonnullum hoc pacto vulneri remedium parari creditum est, si instrumenta, quibus læsi sumus, è medio tollantur. Donec enim supersunt, & in oculos incurrunt, acceptæ iniuriæ

Quare insensibilia exscindantur.

1. Ratio.

C memoriam perpetuò refricant. Deinde etiam hæc seueritas non parum confert ad incutiendum malis terrorem. Quis enim cùm videat non de reis tantùm supplicium sumi, sed etiam plerasque res, quæ neque sceleris consciæ, neque affines culpæ esse possunt, eodem decreto deleri; vt quæ tela libido acuit, pœna destruat: audeat sibi veniam impunitatémque polliceri? Inde factum arbitror, vt Draco, qui leges Atheniensibus scripsit, iudicia institueret rerum insensibilium. Nam Suidas *ἐπὶ πρυτανείῳ* autor est, Athenis Prytaneum prætorium fuisse, in quo de inanimatis iudicia fierent. Visum est enim antiquis si fortè cædis autor lateret, instrumentum palàm esset, seu telum, seu lapis foret, in iudicium adduci posse, & in eo exemplum sta-

2.

Suidas.

D tui. Meminit huius instituti Pausanias in Atticis. Demosthenes verò etiam verba legis habet in Oratione in Aristocratem. *Si lapis*, inquit, *aut lignum, aut ferrum, aut tale quodpiam delapsum percusserit, atque aliquis, à quo id coniectum sit, ignoret, ipsum verò norit, & habeat telũ, quo cædes facta est, his rebus in hoc loco iudiciũ dictatur.* Quare, cũ puer olim in Olympia prono corpore sub boue ænea luderet, & sublatum temerè caput tam vehemẽter æri impegisset, vt ex eo vulnere non ita multò post animam efflaret, Elei bouem cædis ream extra Altim deportandam decreuerant, nisi ab Apolline bouem eo ritu expiari posse didicissent, quo solent Græci inconsultæ cædis fraudem eluere. At narrat Suidas Niconis statuam inuicti pugilis, qui ex varijs certaminibus coronas 1400. tulerat, cùm illam æmulorum vnus odio indulgens, & cõtumeliæ

Pausanias.

Demosthenes.

Pausanias in Eliacis.

Suidas.

VESTIBVS ET VNIVERSIS QVÆ PVLCHRA ERANT.

A gratia fustibus cæderet, in eundem collapsam sua mole oppressisse: ipsam necis damnatam Thasiorum sententia in mare esse demersam. Quæ res toti regioni malè cessit, donec oraculi iussu in pristinam sedem restituta est. Id quod Theagenis statuæ tribuit Pausanias in Eliacis. Bipennis verò iudicio absolutę. & Cambysę acinacis idem Pausanias meminit in Atticis. Ast apud Philippum Camerarium Centur. 2. cap. 79. Iurisconsultus quidam affirmat, se Tolosæ vidisse curiæ decreto ensem ibi suspensum anno 1540. Nos quoque non ita pridem Regij parricidæ manum gladio traiectam vnà cum cædis instrumento igne sulphureo arsisse vidimus.

B At fides in res inanimatas frustrà iudicium dari, & quæ muta sunt, contra iuris dispositionem indefensa damnari. Túne igitur negas spinæ cuspidem, cùm illa cutem pupugerit, & profundo vulnere altius in nos penetrauit, iurè euelli posse? At ferrum quodcunque homini vitam eripuit, hæret viuentium in oculis, & cordi infixum est, quo magis tolli necesse est. Nouit quidem ceruа dictamnum quo sagitta excutitur. Sed nullum tale nobis amuletum in terra nascitur. Sola iustitia est, quæ ferrum pacis violatorem, & quicquid iniurię causam prębuit, procul iubet amandari. Sic enim facile possis iniustum sopire dolorem, si irritamétum ableges. Si valetudini studes, amoue quæ pestem fouet. Haud aliter incendium vites quàm si ignem obruas. Abdicis, si quid tetro odore offícit, aut sensum vellicat, aut auribus obstrepit, oculósue offendit. Atqui nihil horum est telis hostium nocentius. Illa tamen, inquis, neutiquam sæuiunt, sed hominum furor atq; amentia: quam si coërceas, aut si fortè deferbuit, non est cur depulso timore ab ijs abhorreas. Reuera si tantùm futuri metus animum lancinet, vt primùm periculis defuncti sumus, horror aufugiat necesse est. Sed alit in posterũ memoria præteriti sensum doloris, quem teli conspectus vsquequaque renouat. Symbolum illud est iniurię quod deleri oportet, si velis iniuriam obliuione deleri. At hic etiam destruitur innocens domestica supellex. Num igitur hæc quoque de vi damnabitur? Respondeo, fouit illa nequitiam, & iam parta victoria adhuc tamen illius monimentum seruat, & ferro potentior donec superest sitos ab interitu vendicat, nec obliuione extingui sinit. Feramus itaque æquo animo, quando Deo ita visum est, omnem impietatis notam vestigiúmque abstergi.

VERSVS X.

Factum est autem verbum Domini ad Samuel, dicens:

VERSVS XI.

Pœnitet me quòd constituerim Saul regem: quia dereliquit me, & verba mea opere non impleuit. Contristatúsque est Samuel, & clamauit ad Dominum tota nocte.

POENITET ME QVOD CONSTITVERIM SAVL REGEM.

CHaldæus Paraphrastes, *Et fuit verbum prophetię ab ante Dominum cum Semuel, dicens:* versus 11. *Pœnitui in dicto meo quòd regnare feci Saul vt esset rex, quia auersus est de-post cultum meum, & verba mea non firmauit. Et durum fuit Samueli, & orauit ante Dominum tota nocte.* Pagninus postrema hæc ita transtulit, *Et iratus est contra Samuel:* Arias *in Samuel:* scribitur enim Samuel cum articulo ל. לשמואל *Lisemouel: Et clamauit ad Dominum tota nocte.* Vatablus edit. Antuerp. Laurent. *Et iratus est vehementer Semuel, clamauitque ad Iehouam tota nocte.* In edit. Salmant. hæc legimus: *Samuel autem exæstuans dolore, clamauit ad Dominum tota illa nocte.* In Ecphrasi, vt scilicet, inquit, eum placaret. Munsterus, *Et iratus est Samuel.* Complutenses Grçcè legunt, *μεταμεμέλημαι ὅτι ἐβασίλευσα*, *Pœnituit me quia regnare feci Saul.* Aldina editio, *μεταμέλει μοι ὅτι ἔχρισα*. *Pœnitet me, quia vnxi, &c.* & sic Theodoretus qu. 33. de loco isto disputans. Romana editio, *παρακέκλημαι*, *Reuocaui me, quia regnare feci, &c.* Item, *καὶ ἠθύμησε Σαμουήλ*, *& contristatus est Samuel, & clamauit, &c.* Non nemo habet, *Quod displicuit Samueli.* Et sic accipitur Genes. 31. 15. Cæterùm, *Pœnitet me.* humanitus dictum est, vt Genes. 6. 6. quod ostendit infrà versus 29. & 16. 1. Quidam etiam vertit: *Et iratus est vehementer Semuel, clamauitque ad Iehouam tota nocte.*

Variæ translationes.

C *Factum est verbum Domini, &c.* Quanquam hoc esset graue peccatum, tamen nisi Deus id patefecisset, non potuisset intelligi. Labimur quidem sæpe, sed peccatum nostrum intelligere, hoc opus, hic labor est. Ostendit autem Dominus peccata trifariàm: vel per somnia, vt Abimelech, cùm consuetudinem habere voluisset cum vxore Abraham: vel per legem, vel per prophetá ad eam rem priuatim missum, vt Dauidi per Nathan: Sauli per Samuelẽ. Addere quartò possumus, vel per lumen naturale. Apostolus quippe testatur de Gentibus, ad Rom. 2. Quod *ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimoniũ reddente illis conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus.* Hæc autem omnia frustrà fiunt, nisi intus in animo operetur Spiritus sanctus. Is enim *arguit mundum de peccato.* Nisi enim ille D animos nostros illustret, omnia videntur esse munda. Cùm Sol immittitur per fenestras, omnia minima corpuscula possunt in eius radijs animaduerti, quæ extra radios animaduerti non possunt. Ita radijs Spiritus sancti deprehenduntur peccata: quæ alioqui videri non possunt. Sed interdum prophetæ, cùm indicant peccata, denuntiant minas, nisi resipiscant: aliquando minantur, cùm iam sententia sit definita. Quoniam autem nos non possumus videre quid Dominus apud se decreuerit, idcirco de nullo debemus desperare. Cùm populus fecisset sibi vitulum, Deus inquit Mosi, *Descende: quia peccauit populus.* Ita hic Samuel iubetur ire ad Saulem. Agit autem cum eo de Regno illi auferẽdo. Id intelligendũ est de posteritate Saulis. Nã alioqui ipse retinuit Regnũ, quoad viueret.

Deus nobis nostra peccata manifestat.

Pœnitet

POENITET ME QVOD CONSTITVERIM SAVL REGEM.

Pœnitentia latinis vnde dicta.

Pœnitet me.] A pœna latinè dictum volunt, quippe non sine pœna, pudore, aut tædio pœnitentia afficimur: quò magis ad contritionem seu dolorem animi, quàm ad conuersionem pertinet. Pœnam autem Deum esse Democritus censuit, ne fortè eodem indigna pœnitentia videretur. Alij, *pœnitere* tum nos dicitur, cùm quæ fecimus, nobis displicere incipiunt, & molesta esse. Mutare consilium ei cognatum quidem est, sed aliud tamen; nam aliquando aliquis mutat consilium, vel de sua sententia discedit, quem tamen prioris propriè non pœnitet. Antiquiores, inquit Gellius, *pœnitet* ab eo, quod est penè, & à penuria dixerunt. Nos tamen, inquit, *pœnitere* tum dicere solemus, cùm quæ ipsi fecimus, aut quæ de nostra voluntate, nostróque consilio facta sunt, ea nobis post incipiunt displicere, sententiámque in ijs nostram demutamus. Græci non vno modo legunt. Romana editio habet, παρακέκλημαι, *Reuocaui me.* Complutensis, μεταμεμέλημαι, *Pœnituit me.* Aldina propiùs ad nostram accedit, μεταμέλομαι, *Pœnitet me.* Cæterùm Pollux *Pœnitere*, μεταμελῆσαι sic interpretatur. μετανοῆσαι, γνωσιμαχῆσαι, μεταγνῶναι, ἀναλογίσασθαι, ἐπισκέψασθαι, ἐκλογίσασθαι, ἐπανορθώσασθαι, ἀναδῦναι, ἀναχωρῆσαι, μεταβουλεύσασθαι, μεταδοξάσαι, ἀναψηφίσασθαι, μεταδόξαι, ἀναψηλατίσασθαι, ἀναθεάσασθαι, ἀναθέσθαι, hoc est, pœnitentiam agere, alternare, post factum cognoscere, recogitare, considerare, ratiocinari, corrigere, emergere, recedere, pòst consultare, sententiam repetere, decreta rescindere, diuersum decernere, retractare, recognoscere, diuersum statuere. Pœnitétiam verò τὴν μετάνοιαν, curam præposteram vocabis μεταμέλειαν. Item μετάγνωσιν curam posteram, καὶ ἀναλόγισμον, καὶ ἔννοιαν, καὶ ἐπανόρθωσιν, καὶ ἀνάδυσιν, καὶ ἀναχώρησιν, siue recogitationem, considerationem, correctionem, emersionem, recessionem. Est autem, vt inquit Suidas, μεταμέλεια *Pœnitentia*, πάθος ἀνθρώπινον humanus affectus. τὸ γὰρ θεῖον μεταμελείας ἀμύητον, nam numen diuinum pœnitentiæ expers. Res tamen humanas, inquit, mutari sinit, quas sua sapientia gubernat; sicut Iudæorum Sacerdotium dudum sustulit, Assyriorum regnum, & Græcorum imperium euertit. Sed iam satis superque Latinam, Grecámque etymologiam inuestigauimus: Hebræa, quam vim habeat, nunc pariter indigemus.

A Gellius lib. 17. ca. 1.

Græcis quid significet.

Pollux li. 6 cap 23.

Suidas.

Hebraicè legimus, נִחַמְתִּי *Nihhamthi*, *Pœnitet me.* A verbo נחם *Nahham*, quod est doluit suam vel alterius vicem. Et quia dolor est passio, ideo vsurpatur in Niphal, נחם *Nihham.* Itaque illud ægritudinem animi significat, cùm proprium dolorem dolemus, & tum verè pœnitet; cùm vero alienum, tum potius nos miseret; vti Scriptura teste probare possumus. Nam Ezechielis cap. 24. vers. 14. quo loco legimus, *Non parcam, nec* אֶנָּחֵם *Ennahhem*, & Pagninus, Vatablus, Arias, *pœnitebit me* verterunt, vulgata melius, *placabor*; Septuag. & Chaldæus, *miserebor* explicant. Frequens etiam huius vocis vsus est, vt seipsum consolatione demulcere, aut alterius leuare dolorem significet. Verùm postrema hæc significatio huic loco non quadrat, nisi fortè eo sensu dictum volumus, quo apud Esaiam ca. 1. vers. 24. *Heu* אֶנָּחֵם *Ennahhem super hostibus meis*, quod Vulgatus consentientibus Hebræis, *consolabor* vertit; & quod explicationis gratia additum est, *Vindicabor de inimicis meis.* Sic enim tum exponi posset, *Gaudeo quòd Saulem regni negotijs præfecerim.* Quid ita? quoniam cùm imperio præter cæteros obtemperare deberet, mandatis non paruit. Cui verò perperam ab eo factum triumphes & gaudeas? quoniam lacessitus iniurias meas persequar, & de hoste meo pœnas expetam. An verò hæc est causa gaudendi? Maximè. Tales enim sunt pleræque omnes diuinę actiones, vt cum summa voluptate coniunctæ intelligi debeant; sic, vt illum non vsus clementiæ modò, sed etiam iustitiæ delectet. Itaque mœstitia, luctus, & ægritudo aliunde, ἢ ἀνθρωποπαθῶς eidem ascribuntur, lætitia naturâ ipsi insita est, quam sequitur perpetua comes consolatio. Vnde sequitur, vt haud secius improborum supplicijs quàm iustorum præmijs exultet. Quod si ita est, ergo etiam commodè exponi poterit: *Consolor ego, quòd Saul Regem constituerim.* Haud aliter etiam imperitè leges: *Saulis me miseret, quòd eum Regem instituerim; siquidem à me defecit, nec iussis acquieuit. Deus* enim *misericors est, nec vult mortem peccatoris, sed miseretur omniũ. Diligis enim omnia quæ sunt*, inquit Sapiens, cap. 11. *& nihil odisti eorum quæ fecisti: nec enim odiens aliquid constituisti, aut fecisti. Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? aut quod à te vocatum non esset, conseruaretur? Parcis autem omnibus: quoniam tua sunt Domine, qui amas animas.* Addit & versu 24. *quia omnia potes, &, propter pœnitentiam.* Quibus verbis Sapiens manifestè probat, Deum nullius non hominis casum ruinámque miserari, idque potissimum rationibus septem. Prima, quòd humani generis parens & autor sit: solet enim quisque opifex suum opus præcipuo amore complecti. Quòd volens fecerit; neque enim numini vim potuit quisquam afferre. Quòd solus per seipsum seruet & tueatur: quod pleno iure possideat; quòd possit omnia; quòd animas diligat; quòd si quid præposterè deliquerint, mox eas pœnitere possit.

Pœnitentię Hebraica etymologia explicatur.

POENITET ME QVOD CONSTITVERIM SAVL REGEM.

Deum absque dolore pœnitet.

Deus hominum casus miseratur.

Etsi verò hæc non absque probabilitate ac gratia à nobis dicta sunt, nolim tamen à Vulgata translatione recedere, quæ & ipsa cum veritate Hebraica bellè consentit. Nec verò est cur quisquam in verbo, *Pœnitet* exhorrescat, aut dictionis blasphemiam cum Marcionitis auersetur: habet enim apud sacros Scriptores quo dignè Deo exponi possit, si quis animi contentionem adhibeat.

Qua ratione intelligi possit, quod Deum pœniteat.

QVÆST. IV.

MVltùm sudatur ab Interpretibus, quomodo pœnitentia cadere possit in Deum. Deus enim ait, *Ego sum Deus, & non mutor.* Et paulò infrà, *Triumphator Israelis non mutatur,*

POENITET ME QVOD CONSTITVERIM SAVL REGEM.

Et Balaam in lib. Numer. ait, *Non est Deus vt homo, vt mutetur: nec vt filius hominis, vt mentiatur.* Tamen in Genesi ait, *Pœnitet me fecisse hominem.* Hæc loca quoniam videntur pugnare, concilianda sunt. Aliqui sic hæc loca exponunt, vt quemadmodum Spiritus sanctus dicitur clamare, *Et postulare pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, ita Deus dicatur agere pœnitentiam. Spiritus autem non orat, non postulat, nō gemit: est enim Deus. Sed quia nos ad orandum, postulandum, gemendum prouocat, dicitur ipse eadem facere. Atque in hunc sensum Paulus iubet, ne contristemus Spiritum Dei: hoc est, ne sceleribus nostris offendamus Sanctos, in quibus est Spiritus Dei. Ita, quia bonis viris dolebat de nequitia Saulis, cúmque affectum Deus in illis excitauerat, idcircò Deus ipse dicitur duci pœnitudine. Sed S. Augustinus in lib. 83. quæst. quæstione 52. vbi de industria tractat hanc quæstionem, ait Scripturam solere sæpe sese demittere ad captum nostrum, eáque tribuere Deo, quæ in hominum consuetudine, ac vita videmus fieri. Nam eas alioqui non posse intelligi. Itaque, quoniam homines non solent vlcisci, nisi irati, Scripturæ Deum, cùm vlciscitur, dicunt irasci. Et quoniam homines non seruant pudicitiam vxorum suarum sine zelotypia, ita quoniam Deus in primis curat, ne Ecclesiam suam, tanquam vxorem, habeat adulteram, eum dicunt esse zelotypum. Ita pedes, ita manus, ita aliæ partes corporis ascribuntur Deo. Sic etiam, quoniam homines non solent institutum commutare, nisi eos facti alicuius pœniteat, idcirco quoties Deus mutat factum, eum dicunt duci pœnitudine. Non quòd aliqua in Deo facta sit mutatio, sed quòd id mutetur, quod nos sperauimus fore perpetuum. Atque in hanc sententiam dicitur Deum pœnituisse, quòd fecisset Saulem Regem. Alij putant hanc quæstionem facilius & simplicius posse dissolui, si mutatio in reipsa intelligatur, non in Deo. Vtque non discedamus ab exemplo, Saul antea pius erat, & probus: nunc factus est improbus, & rebellis. Itaque dignus esse videbatur de quo Deum pœniteret. Idque tanto videtur probabilius, quia in textu ipso sequitur, *Et discessit Saul.*

Deum pœnitet, quando pœnitentiam in alijs excitat

S. August.

Deum pœnitere dicitur hominum more quādo mutat factum.

Tertiò cū res mutatur, & digna videtur cuius Deum pœniteat

Prima sententia, etsi speciem habeat aliquam, non tamen per omnia probari potest. Dici quidem potest Deus id facere, quod efficit in nobis, facitque vt ipsi faciamus: Verùm id perpetuò non quadrat. Ipse enim incendit Sodomam, ipse perdidit Pharaonem, atque ita exercuit iram, & vltionem suam: non tamen homines impulit, vt ista facerent. Atque hoc ipso loco legimus, pœnituisse Deum: non tamen ascribitur pœnituisse Samuelem. S. Augustini sententia simplex est, & probabilis. Tertia etiam non potest repudiari: in qua tamen considerandum est, quod dicitur mutationem in re ipsa fieri, non in Deo. Hieremias ait, *Si illos pœnituerit viæ suæ, me quoque pœnitebit de omni malo, quod illis denuntiaui.* Ad istam ergo mutationem in homine sequitur mutatio sententiæ diuinæ, siue illa ad promissionem, siue ad minitationem pertineat. Quoties enim pœnitet pec-

Mutato homine nō semper mutatur sententia diuina.

A catorem ex animo & vera fide, statim liberatur ab æterno exitio. Sententia autem de temporarijs supplicijs non semper mutatur, quamuis eum maximè pœniteat. Pœnituit Dauidem adulterij sui, tamen stetit sententia Dei, quam Nathan denuntiarat. Pœnituit Mosen: tamen non potuit ingredi in terram promissionis. Vera est ergo ista sententia de æterna morte: non autem semper de supplicijs temporarijs. Deinde mutatio ea non ex ipsis proficiscitur, sed à Deo. Ita enim Paulus scribit ad Timotheum, *Si fortè Deus det illis pœnitentiam.* Et ad Philippenses, *Ille est, qui operatur in nobis & velle, & perficere. Non possumus ne cogitare quidem bene ex nobis, tanquam ex nobis.* Et primæ ad Corinthios decimoquinto, *Ego plus omnibus laboraui: non ego autem, sed gratia Dei, quæ est in me.* [ἀλλ' ἡ χάρις τοῦ θεοῦ σὺν ἐμοί. B Arias, *Sed gratia Dei quæ cum me.* Erasmus, *Sed gratia Dei, quæ mihi adest.* Syrus, *Sed gratia illius qui mecum est.* Vulgata magis accuratè, *Sed gratia Dei mecum.*]

Hominis ad bonum mutatio ex Deo est.

1. Corinth. vers. 15.

Sed in nobis, inquiunt, situm est, vt assentiamur. Imò assensus etiam ipse est à Deo. Habemus enim cor lapideum: id nisi mutetur, & fiat carneum, nihil efficitur. Et quamuis parum esse videatur, quòd nonnulli aiunt assensum esse ex nobis, tamen si idipsum nobis tribuatur, habebimus vnde possimus gloriari. *Quis enim te discreuit?* inquit Paulus. *Quid habes, quod non acceperis? Quod si acceperis, quid gloriaris, quasi non acceperis? Et non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei.* Hic S. Augustinus ait, Si aliquid nobis relinquatur, Paulus nihil cōcludit. Conuerti enim posset propositio, vt ita legatur, C Non est miserentis Dei, sed volentis & currentis hominis. *Scio*, inquit Paulus, *quod non habitat in me*, hoc est, *in carne mea bonum.* Et Christus, *Nō vos elegistis me, sed ego elegi vos.* Dauid etiam, *Inclina*, inquit, *cor meum in testimonia tua:* Et, *Cor mundum crea in me Deus.* Nemo autem potest seipsum creare. Dicimur regenerari: at nemo regeneratur à seipso. Non tamen regeneramur vt trunci, vt lapides, aut stipites. Nam intelligimus, sentimus, volumus. Sed Deus est, qui facit, vt intelligamus, velimus, sentiamus. Quare distinguendi sunt homines. Alij enim regenerati sunt, alij non sunt. Qui non est regeneratus, ex seipso nihil potest. Postquam autem sumus semel regenerati, habemus vires instauratas, & efficimur *cooperatores Dei.*

Assensus etiam ex Deo est.

S. August.

D Facilius autem, quantum quidem ego iudicio, intelligemus, quid sit Deum pœnitere, si meminerimus aliam esse eius voluntatem arcanam, aliam patefactam. Nam arcana voluntas Dei firma est, & immutabilis. Itaque quod dicitur, Deum non mutari, id ad eam voluntatem referri debet. Deus ab initio decreuerat, Saulem fore Regem. Ea voluntas æterna est, & constans, & sine qua nihil fit. Sed eam non semper plenè ac totam patefacit. Satis habet partem eius aliquam per legem, aut prophetas indicare. Ea voluntas mutari potest. Non quòd mutatio aliqua cadere possit in Deum, sed quòd id mutetur, quod homines putauerunt fore perpetuum. Voluntas Dei patefacta erat, Regnum semper fore in stirpe Saulis. Verisimile enim

Dei voluntas distinguitur, & quæ mutari dicatur.

erat

POENITET ME QVOD CONSTITVERIM SAVL REGEM.

erat in futurum. Altera tamen pars voluntatis erat arcana, & recondita. Ezechias ægrotat: Esaias monet moriendum esse. Ea enim erat natura morbi, vt videretur esse moriturus. Hæc voluntas mutata est: altera recondita mutari non potuit. Sed objiciunt, quod nos dicimus, voluntatem Dei esse ab æterno, meram esse fictionem. Nihil enim in Deo aut præteritum esse, aut futurum. At nos nihil dicimus alienum à Scripturis. Paulus ait, Deum prædestinasse nos ante iacta fundamenta mundi. Si nobis non credunt, videant prædictiones. Iacob prædicit, Dauidem fore Regem. Id quomodo potuisset fieri, si voluntas Dei non feratur in futurum. Sed Paulus vndecimo ad Rom. ait, *Sine pœnitentia enim sunt dona, & vocatio Dei.* Verùm sententiæ Scripturarum non debent latius accipi, quàm locus ipse ferre possit, in quo scriptæ sunt. Nam alioqui facilè induceremur in fraudem. Agebat Paulus eo loco de fœdere, quod Deus icerat cum Iudæis, dicitque promissiones eas non posse esse irritas: nec fieri posse, quin multi ex Iudæis aliquando conuertantur ad Christum; quòd dona, & vocatio Dei sint sine pœnitentia. Quanquam alij locum eum intelligunt de illis donis, quæ pendent ab æterna prædestinatione Dei: illa enim certa esse, & firma: Alia enim dona vel præsentis iustitiæ, vel rerum temporariarum & dari, & auferri posse. Multi enim sunt, qui cùm aliquandiu steterint, postea ruant. S. Theodoretus ait, dona esse sine pœnitentia si rerum ipsarum natura consideretur: At si homines excidant, & illis priuentur, id ipsorum vitio fieri. Hactenus Doctorum nostrorùm sententiam expressimus, ad quam nos quoque accedimus: diuersam tamen explicandi rationem iterum lubet exponere, quò res minus doctis manifestior fiat.

Vers. 29.

Facilior ratio explicandi qui tandem Deum pœniteat.

QVÆST. V.

PHilosophi docent haud aliter cuiusquam rei sententiam nos posse consequi, quàm si causas ipsas probè cognitas habeamus. Quare, si quid sit Pœnitentia, quam vim habeat, aut quibus insideat, scire cupimus, ante omnia causas ipsius inuestigemus oportet, alioquin semper in nouas difficultates incurremus: his verò compertis, iam nihil erit negotij de reliquis ferre sententiam. Suntne igitur etiam nonnullæ causæ Pœnitentiæ, quibus perspectis rem adeò obscuram, & tam difficiles explicatus habentem, oratione illustrare ac patefacere valeamus: nam de impetu illo animi, commotione, seu affectione loquimur, & non de Sacramento Pœnitentiæ, quo apud nos delicti labes diuino beneficio abstergitur.

Quatuor causæ Pœnitentiæ. Haud dubium quin apud nos ingenij leuitas, vel rerum inconstantia, sensus atque adeo animi fastidium, egestas, & ignorantia, Pœnitentiam pariant: hæc enim maximè, vbi se produnt

A & exerunt, nos torquent, & efficiunt, vt quod ante consilij cepimus, non absque animi dolore displiceat. Subiectam materiam dicimus, quæcunque promissa, actus, & consilia ex nobis prodierūt, aut prodire debuisse iudicamus. Ipsi Pœnitentiæ primùm dolet, mox damnat opus, postremò aliter esse velit. Scopus est, vt status mutatio fiat, & res meliore loco sit. Tales sunt quatuor Pœnitentiæ causæ, efficiens, materia, forma, & finis. Nunc verò quærimus, non vtrum Deus causas habeat, qui est rerum omnium principium, sed an liceat secundum analogiam pariter de eo philosophari.

Primùm igitur, quod ad causam efficientem attinet, ingenij leuitas aut inconstantia Deo tribui non potest. Nam *Deus ego sum*, inquit, *& non mutor*; non ignorantia. *Deus enim scientiarum Dominus est*; non egestas, siquidem. *Meus*

B *est*, inquit, *orbis terræ & plenitudo eius*; non denique rerum nouarum studium, cùm ipse sit *omnia in omnibus*. At fortassis rerum aliarum vicissitudo ac mutabilitas numinis cóstantiam nonnihil inflectere poterit. Quinimo, inquit Esaias cap. 40. *Omnes Gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ, & quasi nihilum & inane coram eo reputatæ sunt.* Nulla ergo Pœnitentia Deo ascribi poterit, siquidem causas non habet vnde oriatur. Non vtique qualis hominem cruciat: sed qualis decet Deum. Non enim, inquit S. Augustinus, sic Deum pœnitet vt hominem, sed sicut Deum. Quemadmodū nec sicut homo irascitur; nec sicut homo miseretur; nec sicut

S. Aug li 1. contr. Adu. legis & Prophet. c 20. tom 6.

C homo zelat; sed hæc omnia sicut Deus. Pœnitentia Dei non est post errorem, &c. Vnde ergo nascitur illa Pœnitentia? ex eiusdem constantia atque immutabilitate cum pari iustitia ac bonitate coniuncta. Cùm enim Deus summis his virtutibus præditus sit, nusquam pietati infensus est, aut vitio fauet: sed sicut à principio statuit, opportuno tempore virtutem meritis cumulat honoribus, scelera supplicio plectit. Hinc verò sequitur, vt non pauci qui sapientiæ laude quondam floruerāt, subinde mutati ac vitiorum corruptelis deprauati, laudem cum ignominia, & præmium cum pœna commutarint. Quod vbi accidit, tum Deum prioris beneficentiæ pœnituisse clamitant, & tanquam in vicem bona malis compēsare. Imò nec Scriptura ab ea phrasi abhorret, quòd non satis commode homines res diuinas interpretari

Constantia & immutabilitas diuinæ voluntatis, suo modo, eiusdem pœnitentiæ causa est.

D posse videat, ni consueto loquendi genere abutantur. Nequaquam tamen Deus à seipso dissentit: sed suum morem vbique obtinet, pietatem perpetuo ac constanti studio fouens, & vitium pari constantia puniens. Quare si quę Pœnitentia Deo tribuenda est, non est, non aliunde manabit, quàm ex eiusdem immutabilitate, quæ tamen aliunde habet ex humana inconstantia, vt idem quod Pœnitentia efficiat, & rerum ordo immutetur. Quæritur apud S. Iustinum quæst. 36. ad Orthodoxos, Si diuinitas non est capax mutationis, cur de Saulis inunctione eum, & in Niniuitarum conuersione mutasse sententiam & animum, Scriptura commemorat? Respondeo, inquit, Deus ad ignoscendum, & ad non ignoscendum immutabili animo &

S. Iustinus.

POENITET ME QVOD CONSTITVERIM SAVL REGEM.

sententia se habet. Veniam enim dat sine mutatione ijs qui peccata sua corrigunt. Qui autem mala minimè corrigunt, eis sine mutatione non ignoscit. Illud ergo, *Pœnitet me*, statum eius immutabilem in non ignoscendo declarat: hoc verò, *mutatus est Dominus*, animum eius immutabilem in ignoscendo indicat. Est enim Deus immutabilis, semperque in ijs quæ ipso digna sunt, permanet. Ad ea autem facienda, quæ eo indigna sunt, nunquam in eum cadit mutatio.] Quamobrem non imperitè Tertullianus lib. 2. contra Marcionem: Exhibe bonum semper, & non recusabitur; exhibe malum semper, & nunquam adlegetur. Adlegitur Saul, sed nondum despector prophetæ Samuelis; reijcitur Salomon, sed iam à mulieribus alienis possessus, & idolis Moabitarum, & Sidoniorum mancipatus.] Sed dices, eosdem semper tueri ac fouere debuisse, ne mutatus videretur. Imò semper bonos tueri, malos semper odisse debuit, ne mutatus videretur. Hæc siquidem prima lex est iustitiæ, quam ab æterno sanciuit. Iusti iudicis non est, inquit Tertullianus, rescissis iam bonis pristinis, scelera donare. Dei boni non est nondum merentes prædamnare.] Constantia igitur diuinæ bonitatis ac iustitiæ, qualiscunque illius Pœnitentiæ origo & causa est, non error vllus, leuitas, aut fastidium. Siquidem cùm à principio nosset omnia, vt docet S. Theodoretus quæst. 5. in Genesim, æterna atque incommutabili ratione, pro diuersa morum vicissitudine, decretam fecit pœnæ ac mercedis permutationem.

Tertul. li. 2. cōtr Marc. cap. 23.

S. Theod.

Pœnitentiæ materia tota nostra est. Non enim Deum pœnitet, quòd olim beneficium contulerit, siue illud præsenti iustitiæ dedit, seu voluit ad virtutis studium pellicere: quippe illud non temerè fecit, vti nos plerunque solemus, sed certo consilio ac voluntate: ast cuius illum pœnitet, ingrati animi vitium est, quo nos amplissimis eius muneribus æterno eiusdem decreto priuamur. Pœnitentia, inquit S. Theodoretus, ijs maximè conuenit, qui periculo facto rerum conditionem didicerunt. Ignorantes enim quod futurum est, antea consultant; tum periculo facto discentes quod non rectè deliberauerint, Pœnitentia ducuntur. Deus autem perinde videt ea quæ multas post generationes futura sunt, ac si iam euenissent. Hinc fit, vt tanquam præuidens, & præsciens omnia dispenset.] Si cuius ergo Deum pœnitet, non vtique proprij consilij, decreti, ac voluntatis, quæ semper illi magnopere probantur, nec mutari possunt: sed beneficij, promissionis, dignitatis, quæ de se malè meritis eripit, haud aliter quàm si consilij eundem pœniteat. Hinc S. Augustinus ait: Pœnitentia Dei dicitur, rerum in eius potestate constitutarum, hominibus inopinata mutatio. Et S. Theodoretus cum Procopio in hunc locum, Pœnitentia Dei nihil aliud est, quàm mutatio dispensationis eius. Μεταμέλεια δὲ ἡ τῆς οἰκονομίας μεταβολή.] Quare Pœnitentiæ conuersio circa rem effectam versatur; numinis voluntas immota manet. S. Augustinus iterum manifestiùs li. 17. de Ciuit. Dei, cap. 7. Vbi legitur quòd Deum pœniteat, muta-

Pœnitentia diuina circa delicta nostra tantùm versatur.

S. Theod. quæst. 50. in Genes.

S. Aug. li. 2. aduersus Aduers. legis & Prophet. c. 20

A tio rerum significatur, immutabili præscientia diuina remanente.] Et Tertullianus: Euenit in bonis factis Pœnitentiæ confessio, ad inuidiam & exprobrationem eius, qui beneficij ingratus extiterit. Et mox, Malum factum Saulis onerabat pœnitentiæ suæ professione, quam vacante delicto circa Saulis adlectionem, consequens est inuidiosam potius intelligi, non criminosam. Et infra hæc Pœnitentiam procul arcet à consilio Dei. In quantum, inquit, Deus nec modum admittit, nec bonum damnat, in tantum nec Pœnitentiæ boni aut mali apud eum locus est.] Sed iam satis de materia. Formam inquiramus.

Tertul li. 2. cap. 24. aduersus Marcionem.

Quod spectat ad formam, non deerunt fortassis, inquit Philo, nefarij quidam homines, qui suspicentur Legislatorem (Moysen intelligit) subindicare, pœnituisse opificem creati B hominis, visa tanta impietate primæ ætatis hominum, voluisseque hac de causa id genus extinguere. Hi sciant se istiusmodi opinione, si cum priscis conferantur, eorum impietatem longè superare. Nam quæ grauior iniuria fingi possit, quàm si quis Deum, qui mutationis expers est, inconstantiæ obnoxium esse iudicet. At enim ne Philosophis quidem Sapiens placuit, qui de sententia decederet. Deus verò iubet perfectum hominem nusquam à proposito deflectere. Quî tandem igitur fieri poterit, vt absque calumnia Deus inconstanter se habere credatur? humana quidem, ait, facile mutantur, vel propter ipsorum hominum, vel propter negotiorum inconstantiam. Verbi gratia: amicos eligimus sæpè, quos post non longam con- C suetudinem ob nullam ipsorum culpam auersamur. Hoc factum leuitatis nos arguit, qui non possumus perseuerare in pristino proposito. At Deus non vertit fauorem in fastidium. Interdum tamen statuimus manere in sententia: sed familiares non manent sui similes. Itaque necessariò noster quoque animus vnà cum eis mutatur. Præuidere enim futuros negotiorum exitus, aut sentẽtias aliorum, nemini mortali est possibile: Deo autem, vt in luce purissima, omnia sunt conspicua. Penetrans enim sinus intimos animæ, videt quæ non cernuntur alijs, & pro sua prouidentia præscientiáque, quæ virtutes ei peculiares sunt, nihil abuti libertate sinit, & suæ potestati eximi.] Senis argumentis probat Deum pœnitere non posse. D Primùm, quòd Sapientis sit proprium, nihil, quod pœnitere possit, admittere. Secundo, quòd idem virum bonum constantem esse iubeat. Deinde, quòd Deum tædeat nunquam. Ad hæc, quòd res temerè ferri non finat, vt videri possit ab his ad noua consilia impelli. Præterea, Deum nihil latet, cùm sit ipse καρδιογνώστης, & in intimos animorum recessus latebrasque penetret. Denique, nec quid olim futurum sit, eundem præterit, cùm sit ipse temporis rector & opifex. Huic etiam subijciuntur, inquit, termini temporum. Quippe non tempus, sed temporis exemplar æuum, vita superiorum est. In æuo autem nihil præterijt, nihil futurum est, sed præsens tantummodo.

Philo lib. Quòd Deus sit immutabilis. Genes. 6. cap. vers. 6.

Sex rationibus probatur Deū pœnitere non posse.

Atqui, dices, Deum pœnituisse Scriptura testatur.

POENITET ME QVOD CONSTITVERIM SAVL REGEM.

testatur. Negari non potest. Veruntamen eius vocis varia & multiplex significatio est. Nam & dolore affici propter ea quæ designauimus, & factum improbare, & mutare sententiam, & aliter esse velle significat: quorum omnium, si postremum hoc excipias, nihil in Deum quadrare potest. Propterea Philo sic Deo Pœnitentiam tribui voluit, sicut furorem & iracundiam, quæ nemo aliter quàm metaphoricè interpretari audeat. Sed hoc iam quæritur, quid sit, quod metaphoricè apud Deum Pœnitentia vocetur. Tertullianũ nõ probo. Nihil enim, ait, aliud intelligitur, quàm simplex conuersio sententiæ prioris, quæ etiam sine reprehensione eius possit admitti, etiam in homine nedum in Deo, cuius omnis sententia caret culpa. Nam & in Græco sono, Pœnitentiæ nomen, non ex delicti confessione, sed ex animi demutatione compositum, quam apud Deum pro rerum variantium sese occursurâ, ostendimus. Hic Tertullianus. Sed profectò pro rerum occursurâ neque Deus animum demutat, neque sententiam conuertit, quin potius æternum illius decretum semper & vbique obtinet. Nec verò tanto Tertullianus in errore versatus est: sed quod pluribus antea exposuit, S. Augustinus longè commodius interpretatus est. In hominibus, inquit, opus pœnitendi est, cùm proculdubio reperitur voluntas mutandi, sed in homine cum dolore animi est, reprehendit enim in se quod temerè fecit. Auferamus ergo ista, quæ de humana infirmitate, atque ignorantia veniunt, & remaneat solum, velle vt non ita sit aliquid, quemadmodum erat. Sic potest aliquantulum intimari menti nostræ, qua regula intelligatur quòd pœniteat Deum. Cùm enim pœnitere dicitur, vult non esse aliquid, sicut fecerat vt esset: sed tamen cùm ita esset, ita esse debebat, & cùm ita esse iam non sinitur, iam non debet ita esse, perpetuo quodam & tranquillo æquitatis iudicio, quo Deus cuncta mutabilia incommutabili voluntate disponit. Hactenus Augustinus. Non ergo Deum propriè pœnitet, tametsi hoc habeat quod pœnitentes solent, vt velint rem aliter se habere. Vna quidem Dei voluntas est, & simplex decretum: sed illud partim Dei beneficio innotuit, partim in obscuro latet. Porrò illud decretum sic statuit, vt prius quidem Saul imperium acciperet, deinde eo abdicato Dauid sufficeretur. Quandiu igitur nos latuit pars altera decreti, visus est Deus mutasse consilium, cùm illi, quem prius regnare iusserat, imperium abrogaret. Id enim, si ita quandoque accidat, proculdubio ad Pœnitentiam pertinet, quare etiam Deum pœnituisse dictum est, quòd non appareret hoc illum ab initio decreuisse. Vnde sequitur, vt mihi quidem Philo dicere visus est, numinis Pœnitentiam nihil aliud esse, quàm occultam eius voluntatem, quæ cùm obtinet, tollere manifestam videtur. Et annotat præterea: Vides, inquit, quàm cautè loquatur. *Indignatus sum*, (nam idem verbum recogitare, indignari, pœnitere explicat.) *quia feci*, non contra, *Quia feci eos indignatus sum*. Nam hoc posterius de pœnitente dici poterat, quod non fert natura Dei prudentissima. Prius autem illud est inducentis dogma generale, iram esse peccatorum fontem, sicut rationem originem bonorum operum.

> Pœnitere plura significat; & quid propriè in Deo.
>
> Tertul. lib. 2 aduers. Marcion. cap. 24
>
> μετάνοια.
>
> S. Aug. li. 2. ad Simplic. quæst. 2.
>
> Vera & facilis explicatio.
>
> Philo ibid.
>
> Genes. 6.

Malebam ab effectis potius quàm ab vllo habitu, Numinis Pœnitentiam denominari. Nam & irasci dicitur, & furere, quæ nemo sanus Deo tribuerit, aut putauerit ex vllo diuino habitu oriri posse. Sed hæc idcirco feruntur, quòd cùm deliquimus, paria nobis ab eo expectanda sunt, sicut ab irato atque furenti. Sic igitur Deum pœnitentem prædicari arbitrabar, quòd si eius mandata contempserimus, haud secus quàm si eum beneficiorum suorum pœniteat, iisdem spoliemur; tametsi eum reuera neutiquam pœniteat. Verùm, vt apparet, nullus absque causa effectus nascitur: quare oportet eius quoque rei causam assignari. Nec puto satisfactum iri, si quis asserat cum S. Ambrosio, ea dicendi formula exaggerari sceleris magnitudinem, quæ tanta sit, vt, si fieri posset, etiam Deum pœniteret. Neque enim, inquit, Deus cogitat sicut homines, vt ei aliqua noua succedat sententia; nec irascitur quasi mutabilis: sed ideo hæc credunt, vt exprimatur peccatorum nostrorum acerbitas, quæ diuinam meruit offensam, vt tantùm & eousque creuerit culpa, vt etiam Deus, qui naturaliter non mouetur, aut ira, aut odio, aut passione vlla, prouocatus videatur ad iracundiam, &c. Minus etiam, vt arbitror, Philonis interpretatio probabitur. Qui Scripturam ausus est ea ratione cum medico conferre, quòd sicut hic nonnunquam arte & mendacio ludit ægrotum, ne pharmacum respuat, quo subamaro indiget vt curari possit; ita & illa dyscolos ac inertes confictis terroribus ad officium reuocet. Discant, inquit, quotquot tales sunt, vel falsa, modò vtilia, si per veritatem ad bonam frugem reduci nequeunt.] Equidem tropos plures, figuras, schemata, tota Scriptura non sine gratia sparsa notauit: nec, vt videtur, ab vllo dicendi genere, quod esset cum honestate coniunctum, Spiritus sanctus abhorruit: at clàm fallere, & falsitatis ad rem quamlibet adminiculo vti, dedecet architectum veritatis. Quamobrem sic ego censeo, Deum verè & ex animo pœnitere, sicut & reuera omnium misereri, non tamen quo pacto solent homines dolore anxij atque animi pendentes: æterna pace, tranquillitate, atque lætitia præditus. Vniuersa namque Deus in se vno continet. Et quanquam pleraque omnia quæ de summa perfectione aliquid derogant, diuina Maiestate indigna censeantur: eadem tamen angustiori specie, ac modo, seu, quod aiunt, eminenter aut in se cohibet, aut fundit ex sese. Ex quo tandem collige, quòd si animi cruciatum amoueas, sententiæ mutationem, atque operis instituti reprobationem, quod habet opus Pœnitentia præcipuum, vt velit quippiam secus fieri, quò rerum status melior instauretur, tanquam à Deo alienum frustrà detesteris.

> Confirmatur eadem sententia.
>
> S. Ambros. lib. de Noë & Arca, cap. 4.
>
> Philo.
>
> Architectũ veritatis fingere minimè decet. Quin potius metaphoricè, si cum ijs cõferas; cùm sit æterna.
>
> Deũ quomodo pœniteat.

Nec tamen propterea non vehementer laudo atque amplector quæsitas à Philone rationes, quibus persuaderet, absque Numinis iniuria humanorum affectuum titulos eidem sapienter ascribi. Nam siue propriè in Deum

> Philo. lib. Quod Deus sit immutab.

POENITET ME QVOD, CONSTITVERIM SAVL REGEM.

quadrent, ſiue tantùm metaphoricè tribuantur, A ad componendos mores, & vincendam improborum contumaciam, non parum eius doctrina conferet; multò tamen magis, ſi verè dici in animum induxerimus.

In Legibus, inquit, duo ſumma capita ab earum autore ſunt propoſita: alterum, non eſſe Deum ſicut hominem: alterum verò eſſe eum ſicut hominem. Prius confirmatur veritate certiſſima: alterum adhibetur ad erudiendam vulgarem multitudinem: ad quam dicitur, illum more hominum caſtigare ſuos filios. Quod admonendi cauſa, non quia ſuapte natura talis ſit, dictum eſt. Plures namque eſſe ait, qui cùm non poſſint è corporis tenebris emergere, de Deo pariter vt de ſeipſis philoſophantur. Quippe ſimplicem eius naturam mentis oculis intueri B nequeunt, nec videre qua ratione quicquam agat, ni paribus nobiſcum inſtrumentis exerceatur. Quamobrem illi etiam pedes affingunt, ne torpere otio; oculos aureſque, ne non cernere atque audire omnia videatur. Nam id quo pacto aliter fieri poſſit, nequaquam intelligunt. Quorum cùm ſaluti Legiſlator conſulere vellet, oportuit, errantibus conſueta ac familiaria remedia adhiberet. Hoc ergo ira ſe cõſequi poſſe ſperauit, ſi Deum minacem atque indignabundum induceret, & nonnunquam etiam arma corripientem, in improborum perniciem. Nec enim aliter emendaretur inſipiens. Propterea igitur Moſes pedes, manus, motum, impetum de Deo prædicat, & eundem ad arcendos hoſtes armat, ſagittis, gladio, peſte, igne, C fulminibus inſtruit, furore denique, ira, atque indignatione accendit, vt vel ſic tandem à ſcelere deterreantur, quos ſyncera numinis reuerentia non commouet.

Quàm neceſſariò atque vtiliter hominibus perſuadeatur Deum pœnitere.

Quia dereliquit me, & verba mea opere non impleuit.] Seipſum ſatis explicat, hoc enim eſt Deum deſerere, eiuſdem mandatis non obſequi. Ioann. cap. 14. verſ. 23. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionẽ apud eum faciemus. Qui nõ diligit me, ſermones meos nõ ſeruat, &c.*

Contriſtatúſque eſt Samuel.] Sed quomodo Samuelem quoque non pœnituit, Saulem creatum fuiſſe Regem? Reſpondeo, Non eſt neceſſe, vt ſemper adiungamus voluntatem noſtram ad voluntatem Dei, niſi iubeamur. Habemus D enim ſtorgas naturales; neque affligere debemus eos, quos videmus affligi à Deo. Itaque Deus reprehendit vicinas gentes, quòd inſultarent Iudæis, cùm abducerentur in captiuitatem. Ita Abrahamus tactus miſericordia orauit pro Sodoma; Moſes pro populo; Paulus pro Hebræis. Non diſplicebimus Deo, ſi ſequemur legem charitatis. Non enim debemus eſſe ἐπιχαιρέκακοι, vt de aliorum malis gaudeamus. Samuel niſi fuiſſet vir bonus, gratulatus fuiſſet ſibi de tali ſucceſſore. At ille contrà orat Deum eius cauſa. Ille enim eum vnxerat, & promouerat ad Regiam dignitatem. Et ciues ſemper oportet optare ſucceſſum Regum ſuorum.

Nõ quamcunq; Dei volũtatem, ſed lege præſcriptã ſequi debemus.

Et clamauit ad Dominum tota nocte.] Clamat non vna tantùm hora, ſed tota nocte. Quid autem precatus ſit, id non exprimitur. Non dubito tamen eum vehementer precatum eſſe. Sed preces Sanctorum ſemper habent conditionem adiunctam, ſi Deo placuerit. Voluntas enim Domini eſſe debet ſigillum omnium noſtrarum precum. Ioſephus ait, Samuelem non fuiſſe auditum, quod Deus nolit anſam præbere peccatis. Ionas longe alio affectu dolet, ſeruatam eſſe Niniuem. Samuel prius orat Deum: deinde concionatur, & denuntiat Sauli peccatum ipſius, atque iram Dei. Hæc duo propria ſunt opera prophetarum. Primùm enim orare debent Deum: deinde monere.

CONTRISTATVSQVE EST SAMVEL.

Tota nocte.] Impius Mahumet in Alchorano, azoara LXXXIII. Tu, inquit, ô Propheta noctè ſurgendo, eius medietatem, parúmue minus plúſue pro velle tuo, vigilijs trahe, & Alchoran iugiter atque deuotè lege. Hanc tibi grauitatem inijcio, quoniam, cùm die cæteris intentus ſis negotijs, horæ nocturnæ meliores ſunt atque leuiores. Deique nomen inuocando, qui Dominus eſt Orientis & Occidentis, præter quem non eſt Deus, illi te penitus commenda, &c. Simia nimirum ſemper eſt ſimia, & quantum poteſt ſcelerum artifex, & Satanæ miniſter, Dei prophetas æmulatur. Peripatetici dicunt apud Ælianum var. hiſt. l. 3. c. 11. animam interdiu corpori conſulere, atq; obſequi, inuolutam curis atque implicitam clarè veritatem poſſe perſpicere. Noctu verò, liberatam à miniſterio corporis, & veluti in orbem circa thoracem in ſe collectam, magis ad præuidenda futura idoneam eſſe, vnde exiſtunt inſomnia.

Mahumet in Alcor.

Ælianus var. hiſt.

VERSVS XII.

Cúmque de nocte ſurrexiſſet Samuel, vt iret ad Saul manè, nunciatum eſt Samueli, eò quòd veniſſet Saul in Carmelum, & erexiſſet ſibi fornicẽ triumphalem, & reuerſus tranſiſſet, deſcendiſſetque in Galgala. Venit ergo Samuel ad Saul, & Saul offerebat holocauſtum Domino, de initijs prædarum quæ attulerat ex Amalec.

CHaldæus Paraphraſtes: *Et anticipauit Samuel ad occurſum Saul in aurora, & nunciatum eſt Semueli dicendo: Venit Saul ad Carmela: & ecce conſtitutus eſt illi ibi locus ad diuidendum in eo prædam, & reuerſus eſt & tranſijt & deſcendit ad Gilgela.* Hactenus Chaldæus: reliqua non habet, nec holocauſti meminit; ſicut nec Græci apud Complutenſes, apud quos hæc tantùm legimus: Καὶ ὤρθρισε σαμουὴλ καὶ ἐπορεύθη εἰς ἀπάντησιν τοῦ ἰσραὴλ πρωΐ. καὶ ἀπηγγέλη τῷ σαμουὴλ λέγοντες, ἥκει σαοὺλ εἰς τὴν κάρμηλον, καὶ ἰδοὺ ἀνέστακεν ἑαυτῷ χεῖρα. καὶ ἐπέστρεψε τὸ ἅρμα αὐτοῦ, καὶ κατέβη εἰς γάλγαλα. *Et ſurrexit Samuel, & abijt obuiam Iſrael manè. & nunciauerunt Samueli dicentes: Venit Saul in Carmelum, & ecce erexit ſibi manum. & vertit currum ſuum, & deſcendit in Galgala.* Aldina tamen editio habet, Καὶ ἦλθε σαμουὴλ πρὸς σαοὺλ, καὶ ἰδοὺ αὐτὸς ἀνέφερεν ὁλοκαυτώσεις τῷ κυρίῳ, τὰ πρῶτα τῶν σκύλων ὧν ἐξ ἀμαλὴκ

Variæ tranſlat.

ET ERE-XISSET SIBI,&c.

ἐπολήφθη τὴν ἀνελκ. *Et ecce ipse offerebat holocaustosim Domino, prima spoliorum, quæ tulit ex Amalec.* Habet etiam Vulgata, tametsi Nobilius neget. verum tamen est Romanos Correctores asserere, Manuscripta Latina integerrimæ fidei hoc solùm legere, *Venit ergo Samuel ad Saul, & dixit ei Saul.* Quæ intermedia sunt, in Græcis ferè libris legi confirmant. Pagninus, Arias, Vatablus non agnoscunt, nec apud Hebræos reperitur. יד *iad* autem, quam vocem Paraphr. Chald. *locum*; Septuaginta χεῖρα *manum*; Pagninus, & Vatablus Laurentij *locum*; Arias *manum*: Vatablus Salmanticensis *trophæum*; Vulgatus *fornicem triumphalem* interpretatus est. Vatablus in Ecphrasi, Hebraismus est, inquit, *Manum, locum*, collocando scilicet exercitui, & diuideret illis spolia & prædam. Alij vertunt, *arcum triumphalem. Et circuiuit, & transiuit, descenditque in Ghilgal*, vt legit Pagninus.

Cæterùm יד *iad* propriè manum significat, à verbo ידה *iadah*, quod est iecit, siue eiaculatus est. Metaphoricè ad plura transfertur, & in ijs quoque *locum* significat. De hac voce Hebræi multa tradunt; è multis pauca collegimus. יד *iad manus, locus* alicuius manui seu potestati subiectus; aut quod manibus loca seu ditiones distinguerentur, *spacium, terminus, locus paratus*; sicut manus est parata homini ad omnem necessitatem eius: *Statua* viam demonstrans, & terminum potestatis alicuius: & spatium eiusmodi terminis definitum. Deuteron. *23.* ויד *veiad, & manus erit tibi extra castra, & egredieris illuc foràs.* Targum, *& locus paratus.* ואתר מתקן *vaathar methakan.* Septuaginta, καὶ τόπος *& locus.* 2. Samuel. 8. *vt reduceret* יד *iado manum suam in flunio Phrath:* Targum, *vt mutaret* תחומה *Thebhoumeh, terminum suum.* Vulgat. legit, *Quando profectus est vt dominaretur super flumen Euphraten.* Iosue 15. *Iuxta* יד *iad, manum Asdod.* Targ. תחום *Thebhoum terminum.* Numer. *34. Iuxta* ידי *iede, manus Edom.* Targum. תחומי *Thebhoume, terminos.* Plura conferunt in eamdem sententiam. *Locum* etiam ea voce notari pluribus exemplis ostendi posset. hîc certè, quod etiam norant, יד *iad* Chaldæus Interpr. אתר *athar* exposuit. Nec secus, vt quidem nonnullis videtur, de statua probant. Nam quo loco 2. Regum, cap. 18. vers. 18. legimus Absalonem *titulum* posuisse nomini suo, quidam legunt: *Et appellauit statuam iuxta nomen suum, & appellata fuit* יד *iad, manus Absalonis* Targum. *Locus Absalonis.* Absalon, inquiunt, habuit tres filios, & filiam vnam: sed his mortuis fecit sibi statuam, quæ ipsius mortui memoriam conseruaret, si locus Absalonis appellaretur. Iosephus 7. Antiquit. 9. Absalon erexerat sibi in valle regis columnam marmoream cum inscriptione, duobus stadijs à Ierosolymis dissitam, quam voluit vocari *manum Absalonis.* יד *iad* igitur *titulum, columnam, trophæum, arcum triumphalem*, seu quodlibet aliud insigne monumentum victoriæ interpretari poteris: nam reliquæ significationes, quòd ad præsens attinet, non ita bello quadrant. Quidam hæc ita vertit: *Deinde surgente Samuele vt iret obuiam Sauli manè; nunciatum est Samueli dicendo, Venerat Saul Carmelum*, oppidum Iudæ, quod redeunti ab Amalekitis in itinere erat, Iosue 15. 55. *Vbi ecce constituerat sibi stationem*, id est, cum exercitu constiterat, vt recrearetur à labore, *sed deflectens transijt ac descendit Galgalam.* Holocausti non meminit, vti nec priores.

יד *iad* Hebræis quid significet.

Hebræorũ somnium.

Iosephus.

Quot modis hic versus potuit.

ET EREXISSET SIBI,&c.

Cùmque de nocte surrexisset Samuel, &c.] Hoc est, summo manè surrexisset. Tanta erat vis charitatis in Samuele, vt cùm noctem totam orasset pro Saule, tamen manè ante lucem surgeret, vt eum in tempore conueniret. Intellexit enim, peccatum postquam semel radices egit, non ita facilè curari posse. Ita mulier illa in Euangelio euerrit totam domum, vt inueniat drachmam, quam amiserat. Ita pastor ouem perditam reportat in humeris. Ita Præsules Ecclesiæ in primis cauere debent, ne populi peccata vires colligant. Non aberat à periculo de his agere cum Rege, & impotente, & victore, & adhuc in armis se iactante. Achab, cùm ob dimissum Benadab increparetur à propheta, elatus victoria, *audire contempsit, & furibundus*, vt inquit Scriptura, *venit in Samariam.* Sæuior aliquantò Asa, tametsi non erat à vera pietate alienus: nam supra modum indignatus, teste Scriptura, etiam ipsum prophetam in vincula coniecit, 2. Paralip. cap. 16. Tamen Samuel adfert ad triumphantem minas, neque eas sanè quaslibet, sed de auferendo regno. Reges autem mori potius volunt, quàm regnum amittere. Defert ergo Samuel nuntium ad Saulem coniunctum cum magno periculo. Neque certè facilè adducuntur homines, vt huiusmodi noua velint nuntiare Regibus. Sed concionatori opus est animo firmo & constanti.

Diligentia opus est ad curandos peccatores.

Lib. 3 Reg. cap. 20.

Nunciatum est Samueli, quòd venisset Saul in Carmelum.] Quatuor modis כרמל *Karmel* interpretari possumus. Aut enim est oppidum, vt Iunius scribit, idque vel in monte cognomine situm, vel non ita procul, vt nonnulli Geographi ad meridiem Iudæ annotant, qua iter est in Amalec, cuius etiam Scriptura meminit Iosue ca. 15. vers. 55. vel mons ipse intelligitur, isque duplex est. Alter ad meridianam plagam iacet adscriptus sorti tribus Iuda, iuxta Seir montem, non procul ab Hebron in deserto Maon, in quo Nabal habitauit, infrà cap. 25. mons oleis, vineis, arboribúsque consitus. Alter est, quem Scriptura vocat כרמל הימה *Karmel hajammah.* Vulgatus exponit *Karmel maris*, de quo hæc habes Iosue cap. decimo nono versic. vigesimo sexto. *Et peruenit (fors Aser) vsque ad Carmelum maris.* Phœnices promontorium facit Plinius lib. 5. cap. 19. nam & quandoque Tyrijs ea regio annumerata est. Meminit & oppidi in eo siti, quod esset quondam Ecbatana dictum. Ptolemaidi ad mare imminet. Iosephus lib. 3. de bello Iudaico capite secundo montem vocat quondam Galilæorum, nunc verò Tyriorum. Et Antiquit. lib. 5. cap. tertio ostendit tribus Hebræorum sortibus Issachar, Aser, & Zabulon pro termino fuisse. Hic ille est in quem vniuersus Israël Achab imperante conuenerat, cùm parata ab Elia victima cælesti igne deflagrauit. Et hactenus, si Beniamin credimus, ibidem eius prophetæ antrum visitur,

Charmel quatuor modis exponi potest

Mõs Charmel duplex.

Non potest hoc loco intelligi *Charmel maris*, seu *Elia*; quem describimus.

Plinius.

Iosephus.

3. Reg. c 18.

Beniamin in suo Itinerario.

NVNCIATVM EST SAMVELI, &c.

iuxta quod Christiani sacellum extruxerunt S. Eliæ dictum; & nonnulla eius altaris vestigia, quod tum ab eo excitatum est. Recentiori memoria Ioannes Bucherius Minorita hunc eundem montem contemplatus est, & in eius summo vertice, quo loco Eliam sedisse ferunt cùm Regis Okoziæ Quinquagenarios præceps ex aëre flamma consumeret, collapsæ ac semirutæ Ecclesiæ parietinas animaduertit. Montem verò ipsum mirificè idem autor commendat. Nam eundem prædicat quadrata figura, & præcelso iugo conspicuum, vbere solo ac vernanti cespite omnium oculis arridentem, quem mille pingunt flosculi, & selectissimæ quæque arbores, olea, palma, ficus, malus aurea, suis vndique comis coronant. Inde, veteris Synagogæ decus, Prophetarum examina, &, qui hactenus Ecclesiæ ornamento sunt, Carmelitarum choros duce Elia erupisse. Hæc ille. Ex quibus colligo plurimùm eos à scopo aberrare, qui scribunt Saulem eousque triumphi pompam auexisse. Non enim obseruant alterum ab eo montem eodem nomine insignem fuisse, longa locorum intercapedine seiunctum, qui loco pugnæ vicinior fuerit, & viæ qua Sauli redeundum fuit insederit. Quod verò aiunt, idcirco primùm in eum montem victorem exercitum deducere voluisse, vt altare quondam ab Elia instauratum sacris faciendis paratum haberet, nulla satis probabili ratione nititur. Neque enim his operam daturus erat in Carmel, sed Galgala elegerat. Deinde & Bethel medium iter occupabat: & alioquin penè nullo discrimine tum passim adolebant in Excelsis. Quare si fortè montem placet interpretari, quod magis conuenire arbitror: non ille Tyro conterminus, quem mare Mediterraneum alluit, intelligendus est, sed is potius quem spectat lacus Asphaltites è proximo, & permista Amalecitis Idumæa. De hoc sanctus Hieronymus in locis Hebraic. Carmelus, inquit, vbi quondam Nabal Carmelius fuit, & nunc villa est Carmelia nomine, decimo lapide oppidi Chebron, vergens ad Orientalem plagam: vbi & Romanum præsidium est positum. Hæc ille.

Bucherius lib. 3. Sacri sacri ca. 14. Edidit. an. 26.

Charmel Iuda designati videtur.

S. Hieron.

Cæterùm si dictionis vim exprimere voluerimus, non iam montem vllum interpretabimur, sed vallem potius, aut aliam quamlibet agri partem fertilissimam. Neque enim videtur aliter exponi posse Esaiæ 32. versicul. 15. *Et erit desertum* לְכַרְמֶל *Lakarmel, in Carmel,* וְהַכַּרְמֶל *Vehacarmel, & Carmel in saltum reputabitur.* Quid enim aliud propheta significat, quàm eam solitudinem, quæ hactenus vasta atque inculta mansit, cum fæcundo atque vbere solo fore commutandam; ac vicissim terram illam quæ opima sit ac fertilis, & quæ vbertate agrorum, & varietate fructuum, & magnitudine pastionis reliquis omnibus antecellat, propter sterilitatem glebæ, atque inopiam frugum nullos cultores habituram? Quod si probatur, erit horum verborum sententia: Saulem, vt primùm ex arenosis angustijs & squalidis montium anfractibus terræ Amalec emersisset in fertilissimos ac iucundissimos Iudææ campos, reducem monumentum victoriæ statuisse, móxque cum omni exercitu in Galgala profectum esse, vt solennibus hostijs Deo gratias referret. Monumenta porrò sua Hebræi potissimùm locabant in vallibus; excelsa loca Deo digna visa. Posset forsitan & alius quispiam suspicari aduenisse eum ad nouas fruges, & tempus oblationis primitiarum designari. *Karmel* enim spicam nouam ac recentem significat: ac propterea statim erecto trophæo in Galgala ad sacrificium descendisse, vt messis primitias prædæ quoque primitijs cumularet. Nam priusquam primitias consecrassent, vesci noua segete interdictum fuit. Leuit. cap. 23. versicul. 14. *Panem, & polentam,* וְכַרְמֶל *Vecarmel, & pultes ex segete,* ita Vulgatus: at Pagninus, *& spicam tritam*; Arias, *& spicam teneram non comedetis, vsque ad diem qua offeretis ex ea Deo vestro.* Significat autem & coccum siue vermiculum, aut etiam id genus coloris quod vulgò *carmesinum* dicitur; vti videre est 2. Paralip. cap. 3. vers. 14. Et Cantic. 7. legimus, *Caput tuum vt Carmel* (id verò coccum & vermiculum nonnulli interpretantur) *& coma capitis sicut purpura Regis vincta canalibus.* Ænigma est Christi capitis, ex multis vulneribus suo sanguine delibuti. Quod si purpuram potius quàm coccum innueret, dicturus eram Saulem tum primùm elatum animo purpuram assumpsisse, & diademate coronatum fuisse. Nam diademate vsum inuenies 2. Reg. cap. 1. nec tamen apparet à principio inunctionis suæ, siue etiam electionis illud vsurpasse. Dauid certè 2. Reg. cap. 12. postquam Rabbath expugnasset, tum primum narratur deuicti Regis diadema proprio capiti induisse. *Agnitionem* præterea *circumcisionis.* Venerab. Beda interpretatur. S. Gregorius *teneritudinem.* Vtrumque curiosiùs inuestigent, qui allegorias sectantur.

Altera expositio ab etymologia, quæ & ipsa probabilis est.

Explicatur 4. significatio vocis Charmel.

Et erexisset sibi fornicem triumphalem.] Nonnulli malunt constituisse locum, vbi milites consisterent; aut prætorium, vbi spolia diuiderentur. Atque hanc sententiam sequitur Chaldaicus interpres, & Rab. Chimhi. Vatablus edit. Salmant. trophæum legit. A quo nomine Vulgatus semper abhorruit: nec aliàs vsus est, quàm vbi semel atque iterum illud sacrilego Iasoni, atque impio Nicanori tribuit. Secundo Machabæorum capite quinto & vigesimoquinto. Alij putant fuisse altare sacris faciendis, & illud esse, quod in li. Reg. Elias dicitur euersum & collapsum restituisse in Carmelo. Sed nos eam opinionem suprà confutauimus. De trophæis egimus tomo superiore ca. 7. v. 12. Trophæa porrò erigere, aut locū designare militibus, opera media sunt & adiaphora. Interdum enim trophæa non alia ratione excitantur, quàm vt diuina munera ab obliuione vendicent. Et tum licitè fieri quis neget? Conuenit enim propter eos quibus deest librorum copia, aut etiam legendi facultas, vt certis quibusdam signis ac titulis Dei beneficia consignentur. Et idcirco symbolis externis ad iuuandam & renouandam memoriam prisci homines passim vtebantur.

Dei beneficia externis symbolis ac monumentis consignare nil vetat.

NVNCIATVM EST SAMVELI, &c.

bantur. Iacob erexit lapidem vbi Deum viderat. Moses duodecim columnas ibi collocauit, vbi fœdus inter populum & Deum iniit. Idémque denuo factum est autore Iosue, cùm populus Iordanem transmisisset: duodecim quippe lapides ex alueo fluminis collegerunt, qui posteris indicio essent, Deum aquas Iordanis, cùm illum transmitterent, magno prodigio exsiccasse. Operum quippe Dei ex innata ingratitudine facilè obliuiscimur. Autor est præterea Rab. Salomon ad finem lib. Iosue, Solis imaginem tumulo Iosue à filijs Israël affixam fuisse, vt monimentum miraculi per eum editi apud posteros extaret. Nam Solem & Lunam, quoad prælium conficeret, iussit cursum sistere. Vt itaque tam nobile opus nequaquam obliuioni traderetur, eius sepulcrum ijs insignibus ornatum fuisse docet ex eadem Scriptura. Quod si neutiquam temerè ab ijs factum est, quis Saulem incuset quòd studeat sanctorum patrum sapientiam æmulari? Potuit verò etiam hac ratione virorum fortium virtus acui, & ad labores pro pietate ac Republ. impigrè subeundos incitari, dum laudem affectant, & optant amplissimum gloriæ præmium consequi.

R. Salom.

Verùm, inquis, non vult Deus partem vllam ab hominibus de sua laude delibari. Nam *Deus zelotes*, inquit, *ego sum, & gloriam meam alteri non dabo.* Vt quid igitur toties pollicetur se sanctos suos, gloria & honore affecturum? Habet se dignos numen honores, quos cum nemine communicat. Inclytum verò nomen ac famam suis non inuidet, quin potius ijs tanquam stimulo ad virtutem vtitur. Quare si quis moderatè vsurpet, accusari non poterit. Sed quemadmodum concessis à Deo commodis plerique Sanctorum abstinent, sic quoque nominis claritatem auersantur. Intemperantes, vti vino, ita & gloria inebriantur. Moderati qui sunt, laudis fructum eódem referunt, vnde virtus ipsa manauit. Veruntamen, inquis, rebus prosperis elatus animus, si laudi pateat, citò adulatione corrumpitur. Inficiatur nemo, nisi qui Babylonis Regem Nabuchodonosor ignorat. Non defuerunt tamen olim qui sibi modum imponerent. Σῶθις quidem Ægyptius, cùm subacto orbe terrarum, ad Oceanum vsque imperium propagasset, & in ipso mari Thulen insulam suo nomine nuncupasset, rerum gestarum magnitudine præter modum insolescens, oraculum superbè compellauit: Dic nobis Ignipotens vera, Beate, qui cursum ætherium flectis, quis ante meum regnum potuit tanta? aut post me deinceps par futurus est? Verùm huius extemplò audaciam Serapis suo responso fregit ac contudit. Sic enim ait:

2. Reg. c. 8. vers. 13.
Inclytum nomen ac famã Deus suis non inuidet.

Suidas in verbo Σῶθις.
Thulis Ægypti Regis arrogantia

Πρῶτα θεός, μετέπειτα λόγος, καὶ πνεῦμα σὺν αὐτοῖς.

Primùm Deus, deinde verbum, & spiritus vnà cum ipsis.

Et hæc quidem, vt tum merebatur, audiuit. Subinde verò suorum insidijs in Africa oppressus est. Sed nec illam alterius item Ægypti Regis inscriptionem probo: *Rex Regum Simandius sum. Si quis qualis fuerim, & vbi iaceam, nosse velit, meorum aliquid operum exuperet.* Apud Diodor. Sicul. lib. 2. Quin & is quoque videtur arro-

Diodorus Sicul.

A gantior titulus columnarum, quas in deuictis à se locis Sesostris statuebat. *Hanc prouinciam armis subegit Rex Regum principantium Sesostris.* Verùm illi superbierint: accusari tamen fastus ac superbiæ non poterit Constantini Mag. inscriptio. Sic enim arcum eius triumphalem inscriptum ferunt: *Quod instinctu diuinitatis, mentis magnitudine, cum exercitu suo tam de Tyranno, quàm de omni eius factione, vno tempore iustis Rempublicam vltus est armis, arcum triumphis insignem dicauit, &c.* Tantum autem abest, vt arcus, trophæa, columnas, ac triumphos, prisci fomenta superbiæ crediderint, vt etiam conferre plurimùm ad virtutis studium, si modus seruaretur, iudicarint. Quamobrem etiam Cn. Fuluium Flaccum, quod triumphi honorem ob res præclarè gestas à Senatu decretum repudiasset, Romani exilio multarunt. Nec alia videtur fuisse

ET ERIGISSET SIBI, &c.

Val. Max.
Honoris cõtemptus vindicatus.

B decreti ratio: Honorum contemptum, quo plures ad virtutem accendi solent, ad perniciem Reipub. spectare rati sunt. Aliam tamen affert Valerius Maximus lib. 2. cap. 3. vnde petita historia est. Vt si quid, inquit, religionis insolentia commisisset, pœna expiaret.] Triumphum scilicet rem sacram ducebant, eámque pompam non tam virtutis esse ostentationem, quam diuinæ opis atque à Deo accepti beneficij singulare testimonium. Ex quo tandem sequitur, vt nisi aliunde fastus ipse se proderet, Saul vanitatis atq. insolentiæ absolui potuerit: sed iam obstat ac prohibet superiorum dierum contumacia, ne factum benignè interpretemur. Locum autem capere, vbi milites excubare possint, *& latè fines custode tueri*, potest vtile esse Reip. At si

C Rex milites in procinctu habere velit ad occupandã tyrannidẽ, id non potest non reprehendi.

Fornicem triumphalem.] Quem fornicem Cicero vocat Act. 2. in Verrem, Asconius arcum interpretatur. Solebãt autem nonnulli quondam, sicut hoc tempore, in publica lętitia arcus lignei excitari. Horum meminit Corippus Africanus lib. 4 num. 1. Inaugurationis Iustini Minoris.

Arcuũ duplex genus.

Roboribus, inquit, *flexis teretes curuauerat arcus*
Artificum prædocta manus, trabibúsque cauatis,
Affigens tabulas pendentes struxerat ædes.

Lignei mobiles ad põpam solemnium dictum.

Et iterum eodem lib. numer. 3.

Perque arcus vicósque omnes adstabat vtrâque
Parte fauens vulgus.

Corippus.

Sed hi expleta pompa mox solutis trabibus loco mouebantur. Triumphales vti perpetuum

D victoriæ monumentum, victuris apud posteros saxis aut marmoribus extruebãtur. Nec me mouet Hebræorum autoritas contrarium de suis asserentium. Sæpe enim nouimus id genus hominum nugis delectari. Quando, inquiunt, victoria potiebantur, faciebant arcum de myrtetis, & palmis, & oliuis, ob signum victoriæ. Quo teste fretus sim? sed vt factum credam, diuturnius tamen operis fundamentum statui oportuit, ni vellent argumenti memoriam statim cum ipsis frondibus marcescere. Quare aut lateritios fuisse opinor, vt Romuli: aut ex rudi lapide quadrato, vt Camilli: aut ex marmore, vt postea Cæsaris & sequentium. Erat autem arcuum forma primum semicircularis, vnde & nomen fornicis accepit: postea

Tradit Hebraic. arcus triũphales describuntur.

ARCVM TRIVMPHALEM. quadrata facta est, ita vt in medio ampla esset porta fornicata, & ex eius vtroque latere aliæ portæ minores additæ. Apud Romanos, vt scribit Georgius Fabricius in sua Roma cap. 15. intra mediæ portæ fornicem Victoriæ alatæ pependerunt, quæ demissæ, victori transeunti coronam imponerent. In conuexa parte sublimes aderant, qui victori laudes concinerent. His etiam trophæa sunt addita, & rerum summa gestarum insculpta. Decora ipsa atque ornamenta fornicum triumphalium ita describit Prudentius lib. 2. in Symmachum.

Georg. Fabricius.

Prudentius

Frustra igitur currus summo miramur in arcu
Quadriiuges, stantésque duces in curribus altis
Fabritios, Curios, hinc Drusos, inde Camillos,
Sub pedibúsque ducum captiuos poplite flexo
Sub iuga depressos, manibúsque in terga retortis.

Iuuenalis. Et Iuuenalis Satyr. 10.

Et summo tristis captiuus in arcu.

Claudianus Claudianus lib. 3. de laude Stilicon. indutos spolijs arcus vocat. Et item alibi,

spolijsque micantes
Innumeros arcus, acies stupet igne metalli,
Et circunfuso trepidans obtunditur auro.

Marlianus. Marlianus quoque lib. 3. Epitom. Antiq. Rom. cap. 25. refert in arcu Fabiano, cui Libo postea Prætoris tribunal quod puteal dictum est, adiunxit, scuta, & Victoriæ signa insculpta fuisse. Alium Vespasiani marmoreum, quem is deuictis Hierosolymis extruxit, describit ex Iosepho: in quo Victoriæ vnà cum arma fæderis ex parte vna, ex altera triumphi, spolia, aureum candelabrum, &c. sculptoris arte incisa erant. Arcus porrò ante diem triumpho à Senatu præstitutum extrui solebant: in quos sublimi curru victores inuecti, faustis omnium acclamationibus in Capitolium deducebantur. Hoc testatur Claudianus de 6. Honorij Consul. Romam his vocibus eundem interpellantem inducens:

Ast ego frenabam geminos, quibus altior ires
Electi candoris equos, & nominis arcum
Iam molita tui, per quem radiante decorus
Ingredere toga, &c.

Arcus etiã vita functis positi. Tacitus. Quanquam etiam non negarim iam vita functis arcus quandoque positos. Nam mortuo Germanico, inquit Tacitus Annal. lib. 2. cap. 12. præter alios honores arcus additi Romæ, & apud ripam Rheni, & in monte Syriæ Amano, cum inscriptione rerum gestarum, ac mortem ob Rempubl. obijsse. Quo verò cultu, quibúsue ornamentis Saulis arcus indutus fuerit, diuinare quidem nequeo: sed tamen arbitror omnia, præter profanarum portenta religionum, ad ostentationem & pompam efficta fuisse.

Cæterùm, tametsi priorem hanc de arcu sententiam probo atque amplector, quandoquidem tamen Chald. Paraphr. interpretationem nonnullis placuisse video, de prædæ quoque diribitione referre aliquid minimè grauabor. Legem habes Deuteron. cap. 20. vers. 14. *Omnem prædam exercitui diuides, & comedes de spolijs hostium tuorum, quæ Dominus Deus tuus dederit tibi.* Sed qui fieret ista diuisio, & qui, quámue partem singuli ferrent, non ita facilè explicuerim. Eius rei exemplum profert sanè luculentum

A Herodotus lib. 9. Pausanias, inquit, victo Mardonio edixit, ne quis prædam attingeret, sed per seruos iussit omnem comportari pecuniam. Illi per castra dispersi inueniunt tentoria auro & argento referta, lectósque auro & argento cõstratos: crateras etiam aureos, phialásque, & alia vasa potoria, necnon saccos super plaustra, interlucentibus intus inclusis ex auro & argento lebetibus. Quinetiam è cæsorum cadaueribus exuebant armillas, & torques, & acinaces aureos. Nam varij generis vestimenta nullius momenti erant. Collata autem pecunia decimã selegerunt, ex qua tum Deo qui Delphis est, tripes aureus ibi repositus est, insistens super tricipiti ex ære colubro, proximè aram: tum Deo qui est in Olympia, æreus decem cubitorum Iupiter: tum Deo qui est apud Isthmum,

ET EREXISSET SIBI, &c.

Prædę diuisio. Herodot.

B æreus septem cubitorum Neptunus. Hac parte selecta, cæteras inter se distribuerunt, pro suo quisque merito accipientes: itémque pallacas Persarum, & aurum & argentum & reliquam pecuniam cum iumentis. Quæ autem peculiariter data sint ijs qui optimam operam nauauerant ad Platæas, refertur à nemine. Data tamen fuisse arbitror: certè Pausaniæ sunt ex omnibus dena, & ea delecta, dono data, ex mulieribus, equis, talentis, camelis, & item ex cæteris rebus. Hactenus Herodotus. Ex quibus colliges prædam in tres partes diuisam fuisse. Prima Deo dicata fuit; secunda Principi adscripta; tertia concessa militibus. Sed quota pars quæque fuerit planè compertum non habeo. *Decimas* Abraham Genes. 14. Melchisedech

Prima pars Deo dicata quota fuerit.

C obtulit. At Numer. 31. parta de Madianitis victoria, iubetur Moyses prædæ primitias Deo seponere, & Sacerdotibus, ac Leuitis tradere. Primitias porrò tales esse voluit. Cùm præda bipertita esset, & mediam quidem partem ij, qui bellum confecerant, accepissent, & alij, qui in castris manserant, mediam item partem: Bellatores quidem *animam vnam de quingentis* dare iussi sunt; Castrenses verò *quinquagesimum quemque tam hominum, quàm boum, & asinorum, & ouium, cunctorúmque animantium.* Auri verò & argenti ac reliquæ suppellectilis nulla fit mentio, nisi quatenus sponte post factam diuisionem à voluntarijs donata sunt. Aliàs tamen nonnunquam metalla in thesauros Domini inferebantur, sicut scriptum est in lib. Iosue c. 6. Sed hæc videtur lex anathematum fuisse, &

D non belli ius commune & ordinarium. Nam Gedeon Iud. 8. Ismaëlitarum inaures aureas sibi dari postulauit, quò ephod conficeret. Dauid verò non pauca vltrò sanctificauit ex præda manubijsque deuictarum gentium collecta. 2. Reg. cap. 8. Vnde sequitur vt satis clarè ostendi non possit quotam prædæ partem Dei nomine Sacerdos sibi vendicaret. Nec id manifestius apparet apud Ethnicos. Nam vota excipio quæ vtraque gens & nuncupare olim consueuit & soluere. Decimam supra memorat Herodotus cùm Græci Persas profligassent. Sed an constans & perpetua fuerit ea lex autorem non habeo. Apud Xenophontem, Babylone in potestatem redacta, Cyrus primùm Magos vocat, & iubet, ex vrbe bello capta primitias dijs immortalibus

Xenophon li. 7. de Cyri pædia.

ET EREXISSET SIBI, &c.

mortalibus e [illegible] sani per vim abdicatis Tyrann[illegible]s quasque manubias Delphico Apollini consecrarunt. Autor Diodorus. Nihil ea religione frequentius, ne Phalaris quidem & immanes Tyranni ab ea abhorruerunt. Sed, cùm non esset voto definitum, quota pars prædæ seu lege, seu cõsuetudine, aut etiam iure gentium, Deorum haberetur, hactenus reperire non potui. De Romanis Seruius æquè incertum reliquit. Romanis, inquit, moris fuit, vt bella gesturi, de parte prædæ aliquid numinibus pollicerentur, adeò, vt Romæ fuerit vnum templum Iouis Prædatoris, non quòd prædæ præest, sed quod ei aliquid ex præda debeatur.

Seruius in 3. Æneid.

Principis portio è præda.

De Principis portione haud multò liquidiùs constat. Quippe, ercíscundæ prædæ penes eum semper potestas fuit. Nonnulla tamen ferè apud omnes eius propria sunt habita. Cùm verò dico principem, Regem, seu alium quemlibet, aut etiam plures, qui rerum summæ præsint, me dicere intelligo. Nam ductoris militum semper ea pars legitima visa est, quam Princeps aut Respublica statuisset. Primùm igitur quæcunque deuicti Principis fuisse comperta sunt, domus, familia, suppellex, census, ærarium, fiscus, ea omnia confecto bello sors principalis rapuit, & ab iisdem milites manus abstinere iussi. Hoc probat Cyrus apud Xenophon lib. 7. Cyropæd. Alexander apud Curtium non vno loco. Deinde immobilia omnia publicari placuit, non singulorum fieri: vel certè fisco addici. Quo iure hactenus vtimur. Manubiæ præterea Principi adscriptæ sunt. Asconius Pædianus Orat. 3. in Verrem, in fin. Spolia de viuo hoste quæsita nobili, per deditionem, manubias Veteres dixerũt, & fuit hæc præda Imperatorum, ex qua quod vellent facerent. Adhæc λύτρον seu redemptionis pretium Ducis aut Comitis, aut quodcumque aureos decies mille superat, solius nunc Principis esse censetur, vt scribit Petrus Gregorius Iuris Syntag. lib. 20. cap. 4. Dena omnia Pausaniæ tradita docet Herodotus lib. 9. Regem Lacedæmoniorum tertiam partem prædæ accepisse Polybius autor est, Histor. lib. 2. Rarò autem, nec nisi in summa rei nummariæ difficultate, præda omnis apud Romanos ad Quæstores redacta, ærario inlata est. Tametsi enim reuera milites, vt docet sanctus Ambrosius lib. de Patriarcha Abraham, non sibi sed Imperatori prædam rapiant, & qui stipendia merentur, iis contentos esse deceat: attamen, quandoquidem haud aliter quam canes venatici potiundæ spe feræ ad cursum incitantur, sic milites expectatione prædæ ac rapinarum in certamen ruunt, idcirco diripere spolia, & hostium exuuiis exsaturari sinuntur. Ærarij tamen semper præcipua ratio est habita, ne bellis exhaustum necessarius sumptibus deficeret: quæ res Reip. sæpe exitium ac perniciẽ attulit. Romani populi diligentiam in hac parte commendat Lucanus Poëta lib. 3. his verbis:

Xenophon Curtius.

[Manubiæ. Asconius Pæd.]

Petrus Gregor.

Polybius.

S. Ambr. Stipendiarij milites non sibi, sed Imperatori prædam rapiunt.

Lucanus.

Ærarium spoliis hostium instaurari debet.

——— tum conditus imo
Eruitur templo multis intactus ab annis
Romani census populi, quem Punica bella,
Quem dederat Perses, quem victi præda Philippi,
Quos tibi, Roma, fuga Pyrrhus trepidante reliquit,
Quo te Fabricius regi non vendidit auro,
Quicquid parcorum mores seruastis auorum,
Quod dites Asiæ populi misêre tributum,
Victoriaque dedit Minoia Creta Metello.

Hæc ille, paucis complexus, quibus modis apud antiquos ærarium cresceret. Cæterùm ex hac eadem parte principali munera militibus parabãtur, quibus præstantissimus quisque virtutis ergo donaretur. T. Liuius Decadis V. lib. 11. vt primùm meminit Romanos à Perseo equestri prælio fusos, mox Thessali, inquit, pro concione laudati, ducesque eorum etiam virtutis causa donati. Ad Regem spolia cæsorum hostium referebantur, dona ex his aliis arma insignia, aliis equos, quibusdam captiuos dono dabat. Et Decad. IV. lib. 8. Laudati quoque pro concione omnes sunt, donatique pro merito quisque: ante omnes Attalus summo cæterorum assensu. Nam singularis eius iuuenis cùm virtus & industria in omnibus laboribus periculisque, tum modestia etiam fuerat. Quæ verò essent dona militaria per quæ Duces suorum militum virtutem commendarent, refert A. Gellius lib. 2. cap. 11. Noct. Att. occasione L. cuiusdam Sicinij Dentati de quo hæc ait. L. Sicinius Dentatus pugnasse in hostem dicitur centum & viginti præliis, cicatricem auersam nullam, aduersas quinque & quadraginta tulisse. Coronis esse donatum aureis octo, obsidionali vna, muralibus tribus, ciuicis quãtuordecim: torquibus tribus & octoginta, armillis plus centum sexaginta, hastis duodeuiginti: Phaleris item donatus est quinquies, viciésque. Scribit etiam Liuius Papirium Consulem equites corniculis & armillis argenteis donasse.

T. Liuius.

Virtutis ergo donati milites ex parte Principis.

A. Gellius.

Sed veniamus tandem ad spolia manipularium, & quantum ipsis iuris in iis concessum sit, videamus. Apud Romanos præda rarò tota cõcessa est, aut quod quisque rapuisset sibi habere permissus. Attamen Histrico bello contigit, quòd ea gens inops ac superflui cultus expers haberetur, vt testatur Liuius lib. 1. Decadis V. Et ibidem lib. 4. Paulus Æmilius superato Perseo Rege Macedonum spolia iacentis hostium exercitus peditibus concessit: equitibus prędam circumiecti agri, dum ne amplius duabus noctibus à castris abessent. Illud insolentius. Hoc magis consuetum quod de Consule Manlio lib. 8. Decad. IV. Postero die (post partam victoriam) captiuos prædámque recensuit quæ tanta fuit, quantam auidissima rapiendi gens (de Gallis loquitur Asiam incolentibus) cùm cis montẽ Taurũ omnia armis permultos tenuisset annos coaceruare potuit. Cõsul armis hostium in vno cõcrematis cumulo, cæteram prædam conferre omnes iussit, & aut vendidit quod eius in publicum redigendum erat: aut cum cura, vt quàm æquissima esset, per milites diuisit.] Ius omne militum præda, aut manubiæ. Præda dicitur, vt Gellius autor est lib. 13. cap. 23. corpora ipsa rerum, quæ capta sunt: manubiæ verò appellatæ sunt pecunia à Quæst. ex venditione prædæ redacta. Præda ergo potiti sunt, cùm retinere vnumquemque licuit quod sors belli dederat: manubiis, cùm præda ita Quæstoribus tradita est, vt ea pretio distracta militibus pecunia dif-

Pars militũ manipularium.

T. Liuius.

A. Gellius. Ius omne militum præda aut manubiæ, & vtrumq; explicatũr.

ET EREXISSET SIBI, &c. pertiretur. Publius Scipio, inquit Polybius lib. 10. Histor. capta noua Carthagine in Hispania præcepit, vt singulæ cohortes omnem prædam in forum congererent. Tribuni suis Legionibus pro more militiæ Romanæ diuiserunt.] Etsi verò passim in ea diuisione, partium æquatio prædicetur, ea tamen secundum analogiam intelligenda est; ita vt quod simplex gregario militi, duplex Centurioni, triplex equiti tribueretur. Romanorum morem multis quidem describit Polybius lib. 10. Histor. Sed ego orationem contraham. Haud solent, inquit, Romani certatim omnes ad spolia diripienda concurrere: sed selectis ea cura mandatur; reliquis in præsidio ac statione manere iussis. Vniuersi porro cùm primùm in castra conueniunt, sociis fide data cauent, prædæ nihil vnquam auersuros. Hinc fit, vt rarò Romani prædandi libidine in fraudem inducantur: quæ res cæteris plerumque exitio fuit. Nam cùm nouerint virtuti sua præmia salua esse, communem verò prædam æquabili iure diuisum iri, nec absentes quidem ac vulneribus debilitatos sua sorte priuari posse, nullo rapiendi studio tenentur: sed siue pro vallo subsidio collocati sint, siue aliò missi rei gerédæ nuntiandæue gratia, securi rerum aliarum suum munus egregiè tuentur. Hæc ille pluribus. Quæ magna ex parte obseruasse Hebræos idcirco probabile iudico, quòd ex omni præda decimæ, aut certè primitiæ primùm Sacerdotibus delibarentur, & mox ęqua portio esset descendentis ad pręlium & remanentis ad sarcinas; vti posthac cap. 30. dicturi sumus; quo loco iterum de prędæ diuisione disserendum erit.

Polybius.

Et reuersus transisset, descendissétque in Galgala.] C Modum imponere secundis rebus, nec nimis credere serenitati præsentis fortunę, prudentis hominis, & merito felicis esse, scribit Liuius libr. 2. Decad. V. Philippus cùm in Chęronea fudisset Athenienses, statim instituit, ter audire se quotidie à puero, *Philippe homo es.* At cótempsit victor ille Pausanias audire à Simonide: quem tamen proditionis reus ac turpiter moriens, serò, quem medicum respuerat, stultitię suæ testem inclamauit. Paucos admodum inuenias qui glorię non indulgeant. Victoriam verò maximè iactantia atque insolens gloriatio comitatur. Alexander, inquit Curtius lib. 9. Superata India, ęmulatus patris Liberi non gloriam solùm, quam ex illis gentibus deportauerat, sed etiam famam, siue illud triumphus fuit ab eo primùm institutus, siue Bacchantium lusus, statuit imitari, animo super humanum fastigium elato, vicos, per quos iter erat, floribus coronisque sterni iubet. Liminibus ędium crateras vino repletos, & alia eximię magnitudinis vasa disponi. Vehicula deinde constrata, vt plures capere milites possent, in tabernaculorum modum ornari, alia candidis velis, alia veste pretiosa. Primi ibant amici & cohors regia, variis redimita floribus coronísque. Alibi tubicinum cantus, alibi lyræ sonus audiebatur. Item in vehiculis pro copia cuiusque adornatis comessabundus exercitus, armis quæ maximè decora erant circumpendentibus, ipsum conuiuásq, currus vehebat, crateribus aureis eiusdémque materię ingentibus poculis prægrauis. Hoc A modo per dies septem bacchabundum agmen incessit. para præda, si quid victis saltem aduersus comessantes animi fuisset, mille Hercule viri, modò & sobrij, septem dierum crapula graues in suo triumpho capere potuerunt. Hæc apud Curtium Macedo. Quin immò Romani quoque tametsi seueriore disciplina commendati, victoriam tamen triumphis celebrare studuerunt. Victori apud eos tubicines anteibant, quos statim auratis cornibus & vittis sertisque redimitæ hostię excipiebant. Succedebat ostentatio spoliorum, & permista nonnumquam manubiis animalia aut plantæ, quæ hactenus visa non essent. Prodibant deinde tituli deuictarum gentium, & vrbium depictę imagines, queis ducum captiua cohors vincta catenis adhæsit. Cur- B rum triumphantis à fronte ingens aurearum coronarum pompa vallabat, quas prouinciæ honoris ergo dedissent. Turrito ipse curru totus auro ac purpura fulgens, laurum fronte, laurum manu gestans, per diruta mœnia vrbem inuadebat: cui pone comes aderat laureatus exercitus lætissima voce triumphum ciens: & mox captiuis ad carcerem suppliciúm ue amandatis, ad Deorum sacrificia transibat. His itáque etiam Romani gloriæ atque ostentationis illecebris suos Imperatores ad bene merédum de Repub. pelliciebant. Sed illa sic adhibebant, vt tamen erumpenti atque efferuescenti insolentiæ opportunis remediis minimè deessent. Nam in illo sublimissimo curru, vt scribit Tertullianus Apolog. cap. 33. hominem se esse etiam triumphans admonetur. Suggeritur enim ei à tergo, C *Respice post te, hominem memento te.* Id quod etiam Plinius testatur Histor. Natur. lib. 28. cap. 4. tametsi paulò obscurius. Similis, inquit, medicina linguæ, vt sit exorata à tergo fortuna, glorię carnifex. Sed Plinium fusè Zonaras interpretatur li. 2. Scribens eodem curru vectum vna fuisse ministrum publicum, quem sanctus Isidorus lib. Etymol. 18. cap. 2. carnificem esse docet: qui triumphantem eorum, quæ à Tertulliano dicta sunt, sæpius admoneret. Addit & flagellum Zonaras, & quod damnati capitis gestare solebant tintinnabulum; quò scirent se è tanta gloria eò calamitatis ruere posse, quò solent qui legum repagula per impotentiam conuellunt.

Insolentia victoris haud facilè coërcetur. Liuius Ælian var. Hist. lib. 8 cap. 15. Idem lib. 9 cap. 41. Q. Curtius

ET REVERSVS TRANSISSET, &c. Triumphās fortunæ fragilis admonebatur. Tertullian. Plinius.

Sauli mox quidem affuit Samuelis correctio. Sed hoc interim spatio dum ille abest, & Saul pompam traducit, nemo monitoris officio ad- D uersus eum functus est, quò à cæca illa lætitia ad Numinis obedientiam reuocaretur. Ergóne triumphum isthic egisse Saulem arbitramur? Vtique. Nam hoc cum historiæ series, tum verba ipsa Scripturæ indicant. Scriptum legimus, ויסב ויעבר *vaiissof vaiaaauor.* Vulgatus habet, *& reuersus transisset.* at Græci Complut. edit. Καὶ ἀπέστρεψε τὸ ἅρμα αὐτοῦ *& vertit currum suum.* Quorsum vertit, & vnde? Nam cùm venisset in Carmel, non vtique currus conuertendus fuit, aut cursus reflectendus: sed rectà pergendum qua iter est in Galgala. Ex quo sequitur, vt conuersio illa non ad viam conficiendam, sed ad pompam ostentandam pertinuisse videri possit. Nam & סבב *Sabab*, tametsi reuerti ac retrocedere metaphoricè

ET SAVL OFFEREBAT HOLOCAVSTVM, &c.

phoricè significat, si tamen vocis etymon diligentiùs excutias, hoc esse comperies quod in orbem gyrúmue circumagere, circulúmque conficere. Psalm. 25. וַאֲסֹבְבָה *vaasobebah, & circumdabo*, siue *circuibo altare tuum Domine.* Quare etiam commodè ita hoc loco verti potuit: *Et gyro facto*, seu *postquam circunduxisset, transisset, descendissétque in Galgala.* De Galgala iam sæpius ac potissimùm cap. 7. vers. 16. ex sancto Hieronymo.

Venit ergo Samuel ad Saul, & Saul offerebat holocaustum, de initijs prædarũ quæ attulerat ex Amalec.] Iam suprà monuimus postrema hæc verba apud Hebræos hoc tempore non reperiri. habent tamen Græci Aldinæ Edit. habet & sanctus Gregorius, & interpretatur. *Venit*, inquit, *ad Saul*, vt superbum deponat, quem humilem ad regni culmen extulerat. Quem qualis erat, inuenit: non qualem se superbiæ signis ostenderat. Quid est ergo, quod *holocaustum Domino Amalech primitias* offert, nisi quia nonnulli & prauè viuunt, & placere se Deo per aliorum profectum arbitrantur? Et quia non parum placere credunt Deo, quod offerunt non sacrificium aut victimam, sed *holocaustum* offerre perhibentur. *Initia* verò *prædarum* dicuntur, vt in Samuele summi & electi Antistitis vigilans studium designetur, à quo malorum principia velociter comprimuntur. Quasi dicat: Valdè festinus occurrit, quo absente nec initium holocaustorum habere liberum potuit. Possunt *initia prædarum* intelligi electa quæque de prædis, &c. Nam pluribus S. Gregorius.

S. Gregor.

Tropologia.

B

Sacrificiũ & gratiarũ actio.

Appianus.

Cæterùm, is ferè mos apud omnes obtinuit, vt parta victoria Dijs victimæ, epulum populo præberetur. Sed illud in primis singulare ac magnificum, quod de Mithridate narrat Appianus libro de Bello Mithridatico. Inde, inquit, (Victo Muræna) more patrio Ioui Militari in sublimi montis vertice sacra fecit, ingentem quandam lignorum componens struem. Sic enim sacra instituunt. Primi quidem Reges ligna inferunt, & alteram in circo breuiorem construentes pyram, lac desuper ac mel respergunt, oleum præterea, ac vinum, & omnes odorum species infundunt. In plano verò triticum & pulpamẽtum in prandium astantibus præparant, quemadmodum in Persargardes sacrificij causa mos est Persarum Regibus: Deinde pyræ ignem inferunt. Hæc verò ob magnitudinem amplissimas emittens flammas per mille stadia à longè nauigantibus perspicua est, nec per multos dies, vt aiunt, æstuante aëre appropinquare illi licet. Sic ille sacrificium patrio more peregit, inquit Appianus. Apud Romanos victor cùm hostias cędebat, tum hac solenni prece Dijs supplicare consueuit. *Gratias tibi Iupiter Optume Maxume, tibique Iunoni Reginæ, & cæteris huius custodibus, habitatoribúsque arcis Dijs, Lubens letúsque ego, vt Romana in hanc diem & horam per manus quòd voluisti meas seruata, bene gestáque, eandem & seruate, vt facitis, fouete, protegite propitiati, supplex ero.* Datum posthæc epulum in ipso Capitolio sumptibus publicis. Hebræis, vt pariter fieret, lege cautum videtur. Nam Deuteron. cap. 20. ver. 14. mox vt prędam singulis diuidi

C

D

A

Deus instituit, imperat, *Et comedes de spolijs inimicorum tuorum.* Quod factum hoc loco Scriptura manifestè satis innuit. Nam si verbi סבב *Sabab*, quod paulò ante explicuimus, iterum significationem accuratiùs inuestigemus, inueniemus, id quod habet. Vulgatus, *& reuersus transisset*, & nos suprà vertimus, *& gyro facto* seu *circunducto* transisset, sic quoque non incommodè exponi posse, *& epulatus transisset.* Nam in eo sensu sequenti capite ver. 11. vsurpatum à Samuele legimus, cùm ait: *Mitte, & adduc eum:* (de Dauid loquitur pascente gregem.) כִּי־לֹא נָסֹב *Ki lo nasob, quia non discumbemus donec veniat.*

CVM VENISSET SAMVEL AD SAVL.

Iterum alia interpretatio verbi סבב *sabab.*

VERSVS XIII.

Et cùm venisset Samuel ad Saul, dixit ei Saul: Benedictus tu Domino, impleui verbum Domini.

CVm venisset Samuel ad Saul.] Sic quoque Moysen & Aaron exercitui obuiam venisse, redeunti à cæde Madian, refert lib. Num. cap. 31. ver. 13. Sic Abrahę Melchisedech, ad Hebręos cap. 7. ver. 1. cùm is Reges quatuor profligasset, & Loth nepotem suum iugo seruitutis liberasset, Genes. 14. Quod vt primùm resciuit Saul, is quoque obuiam Samueli iuxta morem prodiit, si Iosepho credimus. Verùm illud præter morem accidit, vt mihi quidem videtur, vt prior Saul Prophetam benedictione impertiret. Non enim Abrahamus Melchisedech, sed is cõtrà Abrahamo fausta à Deo precatus est, & cecinit. Sed lætitia scilicet tãtisper dum exuperat, modum tenere nescit, & præsentis victoriæ splendor mentis, vt ita dicam, perstringit oculos. Dum gaudio triumphat, dum voluptate nimia gestit, propriæ conditionis obliuiscitur, & Sacerdotis partes occupat. Hem, quãtum est exultatio malum! rebus secundis inuidet, & prospera confundit. En enim vt Saul, dum Prophetæ præ lætitia benedicendo præuertit, eiusdem benedictionem consequi non meruit. Nec verò solus in eum lapidem impegit: Sed alij quoque non pauci tantopere rerum successu elati sunt, vt nihil non sibi permissum ducerent. Ozias certè 2. Paral. 26. cùm euasisset Dei beneficio multarum gentium domitor, Sacerdotis munus vsurpauit, thúsque Deo summo sacrilegus adoleuit. quod facinus coorta mox toto corpore vitiligine luit. Sed fortè, quantum ad Saulem attinet, non tam hæc benedictio, quàm salutatio fuit. Nam hoc quoque genus salutationis fuisse nonnulli autumant, & sic eum blandè appellasse Samuelem. Alij potius gratulandi studio fecisse arbitrantur, ac si diceret: Verè tu benedictus à Domino, & diuini conscius ac particeps factus consilij, quem ita veracem probauimus, vt gentem omnium ferocissimam atque inimicissimam breuissimo tempore nullo negotio conficeremus. Gratulatur itaque Samueli Deum fauentem & propitium. Magnum est, in gratia esse apud Regem, sed multò maius apud Deum. Sanctus Gregorius assentari eum potius

Lętitia modum seruare nescit.

S. Gregor.

IMPLEVI VERBVM DOMINI. existimat. Quasi dicat, inquit: Hoc quidem ego egi, sed agere non meis viribus, sed tuis meritis, & intercessionibus potui. Sed perfecti viri audire laudes suas possunt, à rigore autem iustitiæ flecti nequeunt; vt docet S. Gregorius.

Impleui verbum Domini.] Statim iactat, se perfecisse mandatum Domini. Quid eum oportuit ista de se prædicare? Sancti veniam potius solét petere, quàm de suis virtutibus gloriari. Sed fortasse Saul, cùm malè sibi esset conscius, voluit Samueli anteuertere. Miser transgressionem legis appellat obedientiam. Ita prorsus sensum omnem peccati amiserat.

Quæritur, An Sancti Dei legem impleuerint?

QVÆSTIO VI.

Nemo, inquiunt hæretici, absoluit vnquam legem Dei. Quid igitur Iob sibi vult, cùm ait cap. 14. *Ecce ipse proximus sum iudicio meo, & scio quia iustus inueniar?* Et item illud 23. *Vias eius custodiui, & non declinaui à mandatis eius, neque discedam?* Sed & capite 29. testatur: *Iustitia indutus sum: & vestiui me, sicut vestimento & diademate, iudicio meo.* Denique 27. capite ait: *Non enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.* Hæc scire velim, Caluine, in quam partem accipias. Propter hæc, inquis, incidit in reprehésionem amicorum. Verùm illud quidem est propterea ab amicis accusatū fuisse: Sed fare obsecro quem tandem exitum altercatio habuerit. Deo iudice Iob absolutus est. *Iratus est*, inquit Dominus ad Eliphaz Themanitem, *furor meus in te, & in duos amicos tuos, quoniam non estis locuti coram me rectum, sicut seruus meus Iob.* Apud eundem cap. 41. vers. 7. Et initio libri capite 2. *Simplex* audit, *rectus, & innocens*, & qui debitam numini reuerentiam verbo neutiquam violauerit. Mirabor hæc tam clara testimonia si audeas confutare. Quæ tametsi ingenij tui contumaciam vincere poterant, si quidem vllam Scripturis fidem habeas: attamen aliud adiungam quo manifestius fiat, quàm procul à scopo aberret oratio tua. Nam S. Lucas Euang. sui cap. 1. de SS. Zacharia & Elizabeth, sermonem instituens: *Erant*, inquit, *iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini, sine querela.* An hos quoque negas absoluisse Legem Dei? Papistarum stultitia, inquit Caluinus, nullo negotio refellitur. Fidei iustitiæ opponunt hanc quæ Zachariæ tribuitur: quam vt certum est ab illa fluere: ita subiici, & illi subesse decet: vel vt vulgò dicunt, subordinari, vt inter se non cōfligant. Quod etiam in voce vna fucum faciunt, friuolum est. Iustificationes, inquiunt, vocantur Legis præcepta. Ergo nos iustificant. Quasi verò negemus veram iustitiam in Lege tradi, vel causemur doctrinæ culpam esse, quòd non iustificat: ac non potius, quòd in carne nostra infirma sit. Ergo vt centies fateamur vitam contineri in Legis præceptis, nihil tamen inde ad homines perueniet, qui natura prorsus auersi sunt à Lege: & iam Dei Spiritu regeniti, procul tamen adhuc ab integra eius obseruatione absunt. Hactenus insignis ille Nebulo cùm veris criminibus non posset, confictis mendaciis in nos inuectus est. Opponunt, inquit, fidei iustitiæ hanc quæ Zachariæ tribuitur. Nemo Catholicus tantum vnquam sceleris admisit, vt *iustitiam, quæ ex fide est*, quam Paulus prædicat, oppugnaret. Sed quid isto homine facias, qui non tam quid dicat animum attendit, quàm quo pacto noceat? Hanc ille semper summam voluptatem duxit, affatim mentiri ac fallere, & bonis obesse quamplurimis. Nos *fidei iustitiam*, quam Paulus docuit, iam olim amplectimur, & bonis operibus colimus; quoniam *ex operibus iustificatur homo*, vt Iacobus admonet capite 2. *& non ex fide tantùm.* Quin immò *fides sine operibus mortua est.* Addit: In voce vna fucum faciunt. *Iustificationes*, inquiunt, vocantur Legis præcepta. Ergo nos iustificant. Fallendi studio simul omnia permiscet. Quin potius autore Paulo negamus *sanguinem hircorum aut taurorum quemquam mundare potuisse. Et arbitramur iustificari hominem per fidem absque operibus legis.* ad Rom. cap. 3. vers. 28. Et cum eodem dicimus: *Quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.* ad Gal. cap. 5. vers. 2. Quasi verò negemus veram iustitiam in lege tradi. Hem Caluine, quid ais? veram iustitiam in Lege tradi asseris? Atqui Paulus disertis verbis non vno loco inficiatur. *Reprobatio siquidem*, inquit, *fit præcedentis mandati propter infirmitatem eius, & inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit Lex.* Et cap. 9. versu 1. *Habuit quidem & prius iustificationes cultura, & Sanctum sæculare*, &c. Sed illa, vt infrà ver. 9. concludit, *non possunt iuxta conscientiam perfectum facere seruientem, solummodo in cibis, & in potibus, & varijs baptismatibus, & iustitijs carnis vsque ad tempus correctionis impositis.* Denique etiam hæc habet cap. 10. *Vmbram enim habens Lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum; per singulos annos eisdem ipsis hostijs, quas offerunt indesinenter, nunquam potest accedentes perfectos facere: alioquin cessassent offerri: ideò quòd nullam haberent vltrà conscientiam peccati, cultores semel mundati.* In reliquis satis mirari non possum impudentiam tuam, qui neges, eius vitæ quam Lex contineat, quicquam ad homines peruenire posse. Apostolus namque 3. ad Gal. ver. 12. *Qui fecerit ea, viuet*, inquit, *in illis.* Fecisse verò Zachariam Lucas testis locupletissimus testatur. Atqui naturâ Legem homines auersantur. Sed naturam insita corruptione labantem gratia fulcit & confirmat. Denique quod non illud portentum esse dicemus quod ne Dei quidem Spiritu regenitis parcis? Ergò falsò gloriatur Apostolus, & diuinum numen contumelia afficit, cùm ait: *Bonum certamen certaui; cursum consummaui; fidem seruaui: in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.*

Sed videamus obsecro, & paulo attentiùs examinemus, eius ratio quantum momenti habeat. Naturâ, inquit, homines prorsus auersi sunt à Lege Dei.] Quæro igitur qua ratione auersi? Naturâ, inquit. Ergo ea mala est. Nam quî posset non

Iob se iustū prędicat, & Domini mandata seruasse.

Lucas testatur Zachariam & Elizabeth incessisse sine querela in omnibus mandatis Domini.

Caluini calumnia.

IMPLEVI VERBVM DOMINI.

Ad Hebręos cap 10 v. 4.

Refellitur mendaciū Caluini, & ostenditur quæ fuerit iustitia legis.

Ad Hebręos cap. 7. v. 18. 19.

Lege S. August. cōtra Cælestium de perfectione iustitię, tom. 7. part. poster.

IMPLEVI VERBUM DOMINI.

non esse mala, quæ bono aduersatur? Quod si mala, quem tandem eius authorem facis? Nam mali Deus haud erit artifex. Deinde etiam quæro cuius tandem culpa, hominis natura auersa sit, hominis, an cuiusquam alterius? Culpa vacat, si aliena factum dicas. Si propria, iterum atque iterum rogo, sitne illa à necessitate, an libera voluntate profecta? Nam si ea necessariò contigit, nec vitari potuit, cur me delicti insimulas? non enim qui patitur, sed qui necessitatem imponit damnandus est. Quod si propria voluntate natura auersa est, interrogo, ea labes, voluntatis natura sit, an accidens: res, an actus? Nam si res ipsa sit atque natura, nullo quidem remedio consanescet: Sed simul opus erit vt qui eam sententiam defendet, Deum quoque malitiæ Architectum asserat, séque blasphemum prædicet. Quod si magis esse placet accidens, nil oberit quo minus deleri atq; obliterari queat. Nam ea opinor accidentis ratio est, vt absque rei subiectæ pernicie adesse atq; abesse possit. Actus tamen, inquis, necessariò malus est, haud aliter quàm fracto pede necessaria claudicatio. Esto, talis censeatur quælibet actio animæ donec ea corrupta est, sed labe detersa, quid futurum speres ostende. Ne regenitos quidem Legem implere posse renuntiat. O singularem hominis impudentiam! Nam cùm negat eos, quos Spiritus gratia Ecclesiæ denuò peperit, diuinis iussionibus satisfacere posse, non tam infirmas naturæ vires accusat, quam Redemptoris gratiæ detrahit. Iam verò quo ductus argumento id facere ausus est? An quia peccati vulnus sanari non potest? Minimè. nam *liuore eius*, vt docet Isaias, *omnes sanati sumus*. An quia tametsi vulneri cicatrix obduci queat, vires tamen animæ non instaurantur? Imò maximè. Nam *donum pro dono, & gratiam pro gratia, ex eius plenitudine accepimus; & vbi abundauit delictum, superabundat & gratia*. An quia gratia quantumuis licet cumulati simus, attamen non est eius tanta vis atque potentia, vt eius ope ac presidio freti naturam vincere aut legem perficere valeamus? Ferri non potest. *Omnia* namque *possumus*, inquit Apostolus, *in eo qui nos confortat*. Quamobrem frustrà Sanctos calumniatur Caluinus, & Scripturas nimis callida ac malitiosa interpretatione adulterat: Mihi fidem non faciet, cùm ab ipsa luce veritatis manifestè arguatur. Quinetiam suo ipse testimonio reuincitur. Nam cùm hæc verba exponeret: *Erant iusti ambo coram Deo*: Præclarum illis testimonium reddit, inquit, non modò quòd sanctè & integrè versati sint inter homines, sed coram Deo etiam iusti. Porrò iustitiam hanc breuiter definit Lucas, quòd ambulauerint in Domini præceptis. Vtrumque diligenter notandum. nam etsi in hunc finem laudantur Zacharias & Elizabeth, vt sciamus lucernam, quæ præluxit filio Dei, non ex obscura domo, sed illustri quodam sacrario sumptam esse: sub eorum tamen exemplo nobis interim monstratur piè iustéque viuendi regula. Hoc ergo in vita rectè instituenda primum est, vt studeamus nos probare Deo. Scimus autem cor syncerum, & puram conscientiam ab eo maximè requiri. Itaque peruersus

Non natura sed voluntate homines à Deo auersi sunt.

Redemptoris gratiæ detrahit qui negat Regenitos Legem Dei implere posse.

Caluinus in Harm. Eu. proprio se ense iugulat.

A erit ordo, si quis posthabita cordis integritate, externam modò vitam in obsequium Legis cōponat. Tenendum enim memoria est, Deum ad quem respicere iubemur, non externam pompam operum, sed cor præcipuè intueri. Secundo deinde loco accedat obedientia, &c. Et mox infrà: Inter præcepta & iustificationes hoc interest, quòd posteriùs nomen propriè ad pietatis & diuini cultus exercitia refertur: prius autem magis generale est, tamquam ad Dei cultū, quàm ad charitatis officia pertinet. Nam חוקים quæ statuta, aut decreta significant Hebræis, Græcus interpres iustificationes vertit חוקים autem in Scriptura sacra ceremonias ferè significant, quibus se in Dei cultu & fidei confessione exercebat populus. Quamuis autem hypocritæ in parte ista valdè curiosi sint & anxij, nihil tamen cum Zacharia & Elizabeth simile habent.

B Nam synceri Dei cultores, quales erant hi duo, non arripiunt nudas ceremonias & inanes: sed in veritatem intenti, spiritualiter eas obseruant, &c. Mox verò, in summa, inquit, duobus istis verbis complexus est Lucas totam Legem. Nec hactenus fecisse contentus etiam aduersarios confutat. Qui simpliciter, ait, exponunt Zachariam & Elisabeth fide iustos fuisse, quia gratis Deo propter Mediatorem placuerint: in alienum sensum torquent Lucæ verba. Hucúsque Caluinus. Ex cuius verbis cætera eius stultitia nullo negotio refellitur.

IMPLEVI VERBUM DOMINI.

חקים *bhakim* plur. חק *bhok* à verbo חקק *bhakak*, statuit, decreuit.

Et si verò iam satis supérque hæreticorum temeritas repressa est, non committam tamen vt hoc S. Lucæ testimonium, quo terra hæresis conficitur, inexplicatum à me relinquam. *Erant*
C *iusti*, inquit.] Non dixit putabãtur, aut aliquam iustitiæ speciem præ se ferebant, sed *erant*. reapse opinor ac verè, nisi quis fortè Euangelistam falsi insimulet. Deinde addit *ante Deum*.] ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ, Hebraicè בעני יהוה *beeene Jehouah*. id est, *in oculis & conspectu Domini*. Est autem, inquit Beza in hunc locum, Hebraismus diligenter obseruandus, & planè dignus qui omnibus linguis vsurpetur. Ita enim optimè distinguitur vera illa & germana pietas à falsa & adulterina, vt eos demum sciamus bonos viros esse, qui non ex opinione aut longa consuetudine, sed ex verbo Dei vitam instituunt: Deinde qui quales videri volunt, tales reipsa existunt in intimo animi recessu, quousque penetrare vni Deo licet. Hactenus Beza quæ apud sanctum Ambrosium lege-
D rat, in suos commentarios deriuauit. Quo minus excusari meretur quòd se admiscuit Caluini erroribus, cùm illi in tantis tenebris hæresis atque inscitiæ tantus Doctor clarissimum lumen prætulerit. Addam præterea nec deesse hæreticorum quempiam, qui malit Hebraicè dictum לפני יהוה *liphne Jehoua*: nam hac quoque phrasi non rarò Scriptura vtitur. exponit autem *propter Deum*, quam emphasim propositio ל nonnullis locis obtinet. Quod si verum est, Sanctorum iustitiam mirum in modum amplificat. Sic namque Deum & iustitiam coluisse docet, vt spectarint præterea nihil, nec vllam habuerint priuati commodi rationem. *Lucerna* porrò *corporis tui est oculus tuus*. Quare *si oculus tuus lucidus fuerit, & totum corpus lucidum erit*. Præposterè

Explicatur Lucas fusiùs.

Beza quoque secum pugnat, & Christianæ iustitiæ fauet.

S. Ambros. in ca. 1. Lucæ, titulo de laude par.

IMPLEVI VERBUM DOMINI.

ergo finges terra caligine demersos, quos fatearis optimæ intentionis luce fulsisse. Sequitur nunc eius quam Lucas prædicat descriptio modusque iustitiæ. *Incedentes*, inquit.] Grecè πορευόμενοι. Iuuat me aduersariorum commentarijs vti tametsi illi è nostris hauserint, quò efficaciùs refellantur. Id est *viuentes* Beza ait. Sic enim accipitur hoc loco πορεύεσθαι, & in Epistol. Petri & Iudæ sæpe: quum reliqui potius vtantur verbo περιπατεῖν, pro quo dicunt Hebræi הלך *halac* Erasmus, *versantes*, id est, ἀναστρεφόμενοι. Nos hunc quoque Hebraismum seruauimus: ex quo scilicet perspicuè intelligitur mandata Dei quasi instar viæ esse probis & integris hominibus, intra quorum fines sese contineant: vt neque ad dextram, neque ad sinistram deflectant, donec perueniant ad metam.

Hæretici suis telis pereunt.

In omnibus.] ἐν πάσαις. Ruit ecce stultorum fundamentum, qui Legem idcirco obseruari posse negant, quòd nemo possit singulas eius partes absoluere. nam Lucas nihil excipit, quin potius vno verbo omnia complectitur. *Mandatis & iustificationibus Domini.*] ἐντολαῖς καὶ δικαιώμασι. Caluinus, *Præceptis & iustificationibus Domini.* Nihil immutat. At Beza religiosior, *In omnibus*, ait, *mandatis & constitutis Domini.* Iustificationes odit: idcirco vel ipsum nomen tanquam malum omen auersatur. Nam quid præterea causæ esse dices, cur eam dictionem induxeris. An quià fortè non quadrat? Imo maximè. Sed eam interpretationem, inquit, idcirco tantùm reieci, vt hanc quoque occasionem calumniandę iustificationis ex fide præciderem: quum alioquin τὸ δικαιοῦν iustificare, & τὴν δικαίωσιν iustificationem interpretari malim, quàm noua vocabula quęrere cum infirmorum offensione. Hoc sentis, opinor, fauere Scripturam calumniæ, si syncerè edatur. nec aliter vestram fidem defendi posse, quàm si adhibita interpretatione in alienum sensum detorqueatur. Mentiuntur itaque quicunq; asserunt doctrinam vestram Scripturæ authoritate niti; quin potius teipso iudice ac teste Papistarum fouet errores, vestra autem placita oppugnat. Sed vos, qua solertia estis, nostis eam verbis immutatis inflectere, vt subornata atque instructa vestris artibus, pro fide vestra testimonium dicat: nec te pudet, scelerum artifex, fraudes vestras publicè fateri. Quidni faceret, cùm dotes ipsæ sua significatione sacrilegum proderent? Sæpe ait in Sacris literis vbi agitur de Lege Dei, tria hæc vocabula coniunguntur מצות *mitsuoth*, חקים *hhukim*, משפטים *mispatim*: quæ Græci interpretes conuertunt ἐντολάς, δικαιώματα, κρίματα. Videtur autem mihi eorum opinio probabilis, qui, quoties ista coniunguntur, τὰς ἐντολάς exponunt eam Legis partem quam Moralem vocāt: in qua scilicet præcipitur quid Deo, quid proximo debeamus: δικαιώματα verò sacros ritus totámque adeò ceremonialem Legem: κρίματα denique eam partem quę ad forenses controuersias pertinet, quam Iudicialem appellant. Cęterum τὰ δικαιώματα propriè apud Græcos declarant quęcunque profert aliquis, vt ius suum tueatur. Demostenes περὶ στε. vocat τὰ δίκαια, & Terentius in Phormione Iusta interpretatur. Sed Gręci Bibliorum in-

Beza Euangelium, si syncerè edatur, suspectum habet.

Et quæ est hæc vox gregum?

A terpres hoc vocabulum postea ad totam Legem Dei, ac præsertim ad sacros ritus transtulerunt: ita nimirum maxime commendata Lege, quod certa sit omnis virtutis ac præsertim pietatis regula. Hæc Beza. Ex quibus Lector facilè colliges, quanta fuerit cum illius tum Caluini impudentia, qui cùm hæc probent, & Euangelistæ verbis, vt videri volunt, fidem habeant, negent tamen quemquam Dei Legem absoluere posse. Sed vrget denique quod postremò additur, *Sine querela.*] *Inculpatè* maluit Beza. Caluinus vertit *irreprehensibiles.* Valla *innoxios* siue *insontes* quod Erasmo non perinde probatur. Maior enim quædam laus videtur esse, ἄμεμπτον esse quàm innoxium. Græcis autem hîc vnica dictio est, ἄμεμπτοι, quod sonat quasi dicas eiusmodi, vt de his nemo queri possit. Quod si neque Deus, B neque hominum quisquam de ijs queri potuit, ergo Legem impleuerint necesse est: alioquin neque inculpati, neque irreprehensibiles dicerentur, sed haberet eorum iustitia nonnullam querelam. Quis enim neget qua parte Legi deciderent, in eo iustè reprehendi posse? Nam de minoribus peccatis, quæ veniales culpæ à Catholicis dicuntur, nec iustitiam prorsus labefactant, quæstio esse non potest, cùm nullum nisi letale delictum agnoscant: quo in genere si quid deliquerint, à iustitia prorsus exciderunt. *Quicunque enim totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus.* Iacob. cap. 2. ver. 10 Quo testimonio aut nullam omnino iustitiam admittere conuincuntur, sed imperitæ plebeculæ fucum facere, & Euangelio ad fraudes duntaxat & insidias vti: aut si vllam iustitiam admit- C tendam putant, & Scripturæ fidem habendam, Legem quoque impleri à iustis fateantur necesse est: quod de Baptistæ parentibus tam luculenter Euangelista testatur.

Nec tamen idcirco Saulis patrocinium temerè susceperim, quem mox propheta falsum dixisse redarguit. Sed quòd Sanctorum innocentiam desertam nollem, quam hæretici summis viribus oppugnant.

VERSUS XIIII.

D Dixitque Samuel: Et quæ est hæc vox gregum, quæ resonat in auribus meis, & armentorum, quam audio?

VERSUS XV.

Et ait Saul: De Amalec adduxerunt ea: pepercit enim populus melioribus ouibus & armentis, vt immolarentur Domino Deo tuo; reliqua verò occidimus.

Philosophi ponunt hoc discriminis inter incontinentem, & intemperantem. Incontinentem appellant eum, qui aut societate illectus, aut voluptate abductus peccat: interim tamen videt se peccare. Intemperantem autem eum,

Incontinentis atq; intemperantis discrimen.

Et quæ est hæc vox gregum?

eum, qui, cùm peccet, tamen peccatum non agnoſcat, ſed ita corrupto ſit iudicio, & cæca A ratione, vt ſe putet rectè facere. Qui ita peccat, vix quicquam in eo ſpei eſt ad ſalutem. Quare oportuit Samuelem ita cum Saule ſermonem inſtituere, vt ille intelligeret ſe peccaſſe. Nam alioqui, quicquid dixiſſet, nihil erat profuturus. Mandatum Domini erat, vt Saul omnia Amalechitarum pecora, & bona perderet. Hęc, inquit Saul, ego diligenter curaui. Quæ ergo, inquit Samuel, eſt hæc vox in auribus meis? Aliquid relinquere, & omnia perdere, ſunt contradictoria, & inter ſe pugnant. *Quæ eſt hæc vox Gregum?* Sanctus Gregorius Turon. de Miracul. libr. 2. cap. 3. Quæ ſit manſuetudo pecorum in hac baſilica votiuorum, qualiter vituli petulantes, calcitrantes equi, grunnientes ſues, vt limen ſanctum ingreſſi ſunt, conquieſcunt. Ita S. Gregor. Nimirum ſilentio pecorum, quæ aliàs B laſciuire ſolent, teſtabatur eo loco Dominus, quàm grata ſibi & accepta forent, quæ quiſque voti reus Sancto ſuo munera offerret, cùm ea non dubitaret ad honoris ſui amplitudinem pertinere: At verò hoc tempore, cùm interpretaretur iniuriam ſibi fieri, ſi animalia quæ anathemate damnaſſet, aris imponerentur: balatu oues, boues mugitu Sacrificantem interpellant.

S. Gregor.

De Amalec adduxerunt ea: pepercit enim populus.] Hic Saul victus, cùm nihil haberet, quod reſponderet, culpam deriuat in populum. Quid eſt, inquit ſanctus Gregorius, quod ait: *De Amalech adduxerunt ea*, & non dixit, adduximus? Sed quando reprobi arguuntur, culpas aliquando negando tegunt, aliquando in alios transferunt. Tegunt quidem negando, cùm latere poſſunt: ſed dum quaſi in aperto deprehenſi tenentur, quod negare nequeunt, alijs aſcribunt. Horum ſiquidem mores Saul inſinuans, ait: *De Amalech adduxerunt ea. Pepercit populus melioribus ouibus & armentis.* Quaſi dicat: Malum quod auditur, ex populi fragilitate penſandum eſt, non ex virtute paſtoris. Hactenus S. Gregorius.

S. Gregor. Reprobi alijs aſcribũt ſua ſcelera.

Melioribus ouibus, & armentis.] Conqueritur apud Malachiam Dominus cap. 1. *Intuliſtis de rapinis claudum, & languidum, & intuliſtis munus: nunquid ſuſcipiam illud de manu veſtra? Maledictus doloſus, qui habet in grege ſuo maſculum, & votum faciens immolat debile Domino: quia Rex magnus ego, dicit Dominus exercituum*, &c. Et iterum, *Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum eſt? & ſi offeratis claudum, & languidum, nonne malum eſt? Offer illud duci tuo, ſi placuerit ei, aut ſi ſuſceperit faciem tuam, dicit Dominus exercituum.* Quare videri poterant Iſraelitæ non ſibi malè conſulere, niſi Deus ſeruari quidquam ex ea præda vetuiſſet. Tales verò adductas victimas dici debuiſſe confirmat Pollux lib. 1. cap. 1. Sect. 26. τὰ δὲ προσαγόμενα θύματα ἱερεῖα, ἄρτια, ἄτμητα, ὁλόκληρα, ὑγιῆ, ἄπηρα, παμμελῆ, ἀρτιμελῆ. μὴ κολοβά, μὴ δὲ ἔμπηρα, μὴ δὲ κεροτετρασμένα, μὴ δὲ διάστροφα. Hoc eſt, Adductæ præterea victimæ, ſacræ (dicuntur) integræ, indiuiſæ, perfectæ, ſanæ, innocuæ, omnia & recta membra habentes, non mutilæ, nec imperfectę, nec nociuæ, neque cornibus carentes, neque contortæ. Addere debuerat nec furto doloue abactæ, aut contra ius ſeruatæ, ſiue etiam anathemate deuotæ. Nam his quoque Deo litari non poteſt, vti nunc Iudęis experientia compertum eſt.

Optima quæq; Deo offerenda ſunt.

Pollux, epitheta victimarum.

Vt immolarentur Domino.

Vt immolarentur Domino.] Confugit Saul ad Sophiſticen, & arguit Samuelem paralogiſmi: quaſi collegiſſet argumentum à ſecundum quid ad ſimpliciter. Habemus, inquit Regem: habemus etiam pecudes. Sed ea non ſimpliciter habemus, ſed ſecundum quid. Nam Regem ſeruauimus, vt, ſi videbitur, occidatur: pecudes autem, vt ſacrificentur. At iſtę artes Saulis facile reteguntur. Non tu, inquit, cogitaſti de ſacrificio, ſed oculum ad prædam adieciſti. Deinde, ſacrificandum quidem eſt Deo: ſed cùm ipſe velit, & de quibus rebus ipſe velit. Primum Saul vtitur ſtatu iudiciali abſoluto. Rectè, inquit, feci. Hinc excluſus labitur ad ſtatũ aſſumptiuum, & cauſam confert in populum. Populus, inquit, me coëgit. Poſtea refert ſe ad conſtitutionem legitimam, à dicto, & ſententia. Ac ſi diceret: Iuſſit quidem Deus, vt perderemus omnia: & tamen idem iuſſit, vt ſacrificaremus, & ageremus gratias. Quare illa pecora relinquenda erant ad ſacrificium. Sic ille ornat cauſam ſuam.

Domino Deo tuo.] R. Chimhi putat hæc eſſe verba Saulis blandientis Samueli. Ac ſi diceret, Non ſacrificabo iſta idolo, ſed Deo tuo. Sanctus Gregorius fraudulentæ atque intempeſtiuæ aſſentationi tribuit. Fallacium, inquit, per hoc conſuetudo oſtenditur, qui dum ſummis viris latere appetunt, adulantur. Quid enim eſt, quòd Deum ſuum ſingulariter aſſerit, niſi quia C eum familiarem Dei amicum oſtendit? *Domino*, inquit, *Deo tuo.* Non meo, ſed tuo: quia ego peccator, tu ſingulariter Sanctus es. Sed mirabili vſu fraudis fallaces ſic ſe tegunt, vt proferant: & iuſtificant, vt accuſent. Accuſationis quoque modum ſic temperant, vt accuſando iuſti appareant, ne excuſando innoteſcant. Dum enim ſuum Deum dicit, illum quidem extollit, ſe minuit. Sed dum adducta ab Amalech aſſerit quæ Domino immolentur: tacitè profert non vnde reprehendi debeat, ſed laudari. Hactenus S. Gregor.

S. Gregor.

Hypocritarum humilitas.

Versus XVI.

D Ait autem Samuel ad Saul: Sine me, & indicabo tibi quæ loquutus ſit Dominus ad me nocte. Dixitque ei, Loquere.

Sine me.] Quanquam Propheta ſit, inquit Procopius, tamen, Regẽ alloquuturus, liberè loquendi copiam petit.] Abhorret hoc à conſuetudine Prophetarum. Quare multò melius interpretatur ſanctus Gregorius. Quid eſt, inquit, quod ait: *Sine me, & indicabo tibi*: Niſi quia dum fallaces verboſitati inſiſtunt, examinantibus prælatis, loquendi locum non tribuunt? Quaſi dicat: Dum à verboſitate non deſinis, ea quæ audire debes, loqui me non permittis. Po-

Procopius.

S. Gregor.

VT IMMOLARENTVR DOMINO, &c. test etiam hoc verbo adulatoris intentio derideri: qui dum blandimento laudis placere se credit, eos quos laudat, se quasi tenere eisdem laudibus arbitratur. Tale est ergo ac si laudatorem suum electus præsul honesta grauitate derideat, dicens: Qui me laudas, loqui tibi dura non possum. *Sine* ergo, id est, permitte me loqui, & ea quæ sum loquuturus, intellige. Et quia (vt dixi) placere se laudando adulatores credunt, audire ab eis dura, quos laudant, nequaquam putant. Quasi ergo iam læta & prospera auditurus, subsequitur Saul dicens: *Loquere*. Hactenus S. Gregor.

Sanctorum ingenua dicendi libertas. Non cauet igitur sibi Samuel, aut meticulosus summissè postulat fieri dicendi copiam: Sed silentium imperat, & parat attentionem. Nam his verbis Sauli animus accenditur, vt audiat diligentiùs. Narrat Cromerus libro 23. de Rebus Polon. quomodo accepta clade apud Choiniciam, Sendiuoio Gnesnensi Canonico pio ac religioso Theologo à Deo reuelatum sit, id culpa Regis accidisset. Quem cùm ille, vt alter Samuel, adiisset, assurgere ac stare iussit, dum Dei mādata referret. Tum semotis arbitris, maxima Dei in illum beneficia, & cōtrà ingratum ipsius animum sceleráque exprobrat, &, ni citò mentem inducat vitam in melius commutare, grauioris procellæ periculum ostentat. Aod Iud. cap. 3. ver. 20. cùm Eglon Regem Moab de throno surgere vellet, quo certius eum conficeret, hoc dicere satis habuit: *Verbum Dei habeo ad te.* Mox enim tametsi à vera fide alienus, paruit, ac solio exiliit. Ne teterrimos quidem Principes, & à pietate ac religione abhorrentes, Prophetæ veriti sunt cùm à Deo ad eos allegarentur. Pharaonē Moyses non expauit, tametsi se Dominum scire negaret. Ionas Niniuitas gentem veri numinis expertem non extimuit etiam cùm supremæ calamitatis periculum denuntiaret. Elias Achab; vir Dei Ieroboam truculentissimos Reges abdicato pauore seuerum in modum corripuerunt, Samuel vero minime omnium ab officio deterritus est, qui ne verbis quidem asperioribus cùm in Regem inueheretur abstinuit. Quippe quod vni Ieremiæ dictum legimus, ad omnes pertinuit. *Ne formides*, dicit Dominus, *à facie eorum: nec enim timere te faciam vultum eorum. Ego quippe dedi te hodie in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum, super omnem terram, Regibus Juda, principibus eius, & Sacerdotibus, & populo terræ.* Tametsi non ratò, etiam apud laudatos Principes cùm ab æquitate deflexissent, periclitati sunt. Nam Hanani cùm Regem Asa asperiùs obiurgaret, & stultè egisse argueret, ab eodem indignè ferente in vincula coniectus est. Sed Numinis timor, cuius summa vis ac potentia est, humanum terrorem in Prophetis extinxit.

Martinus Crom.

Is erat Cazimirus tertius Rex Polon.

Ierem. v 17 & 18. cap. 1

2 Paral. cap. 16. ver. 10.

Quæ loquutus sit Dominus ad me de nocte.] Eliphaz Themanites apud Iob capite 4. versu 12. *Porro ad me dictum est verbum absconditum, & quasi furtiuè suscepit auris mea venas susurri eius. In horrore visionis nocturnæ, quando solet sopor occupare homines. Pauor tenuit me, & tremor, & omnia ossa mea perterrita sunt: Et cùm spiritus me præsente transiret, inhorruerunt pili carnis meæ. Stetit* A *quidam, cuius vultum non agnoscebam vultum, imago corā oculis meis, & vocē quasi auræ Lenis audiui.* Apud Suidā Verb. ἱερίας ὄναρ, Hieriæ somniū. Hieria quædam anus per noctem sibi videre visa est se in cœlos abduci, &, cùm in Iouis penetralia venisset, cōspexisse virū rufum catena ferrea vinctum sub Regis solio. Cùm autem quæsiuisset quisnam ille esset, audiuisse, Alastorem Siciliæ. (Significat autem ἀλάστωρ malum genium, pestem, perniciem Siciliæ.) Quæ aliquot post annis Dionysium conspicata tyrannidem occupasse, hunc fuisse retulit de quo hæc audiuisset. Sed ea res vetulæ exitio fuit.

QVÆ LOCVTVS SIT DOMINVS, &c.

Suidas.

Loquere] Attentionem pollicetur Fare, ait: & quæ Dominus indicauerit, nobiscum communica: nam ego quidem lingua faueo, & dicendis aurem accommodo. Quinetiam prospe- B ro successu confirmatus, animi alacritatem ostentat, si quod aliud bellum iam hac confecta prouincia Deus iubere velit. Spolia, prædas, trophæa, victorias mente animôque concipit, & læta omnia expectat, cùm solio miser exturbandus esset. O spes fallaces, & cæcas mentes mortalium!

VERSVS XVII.

Et ait Samuel: Nonne cùm paruulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israël factus es? vnxitque te Dominus in Regem super Israël.

C TOtam sententiam interrogatiuè legunt Pagninus, & Vatablus. & Vatablus in Scol. id est, quamuis esses sortis infimæ etiam tuo iudicio, quamuis videreris tibi paruus. ראש *rosc caput*: Græci *ducem* vertunt. Complutenses οὐχὶ μικρὸς σὺ ἐνώπιον αὐτοῦ εἰς ἡγούμενον σκήπτρου φυλῆς ἰσραήλ; *Nonne paruus tu coram te in Ducem sceptri tribuum Israel?* Aldus, οὐχὶ μικρὸς εἶ σὺ ἐνώπιον αὐτοῦ ἡγούμενος σκήπτρου φυλῆς ἰσραήλ; καὶ ἔχρισέ σε κύριος, &c. Rom. & Antuerp. Laurentij ita reddit: *Nonne paruus es tu coram teipso Dux sceptri tribus Israel? & vnxit te Dominus in Regem super Israel.* Apud sanctum Theodoretum quæst. 34. totus hic locus sic habet. οὐχὶ μικρὸς σὺ ἐνώπιον αὐτοῦ εἰς ἡγούμενον, ἐκ σκήπτρου Βενιαμίν, ἐλαχίστης φυλῆς τοῦ ἰσραήλ; *Nonne paruus tu coram te, vt esses in Ducem, ex sceptro* D *Benjamin, minore tribu Israel?* Putat autem exprobari Sauli à Samuele verba, quæ ipsemet olim dixerat. Paraphr. Chaldæus: *Nonne à principio tuo fuisti vilis & debilis in oculis animæ tuæ? verùm meritum tribus Benjamin patris tui ipsum occasionem dedit tibi vt sis Rex super Israel.* Simplicior videtur Vulgatæ expositio. eam exponamus.

Variæ Translat.

Duo quædam Deus Samueli proposuerat: alterum, *pœnitere iam se, quod Saulem fecisset Regem.* Hæc est pœna, quæ Sauli infligitur. Nam pœnitentia est mutatio instituti. Ac si Deus diceret, feci quidem Saulem Regem: sed eum rursus deijciam. Alterum continet causam: *Quoniam*, inquit, *defecit à me, & mandatum meum contempsit.* Hæc duo Samuel proponit, sed prudenter, mutato

NONNE CVM PARVVLVS, &c.

mutato ordine. Nam si prius de pœna cœpisset dicere, quàm de causa, eum dicentem Saul non tulisset. Atque hæc ferè est consuetudo legis. Primùm enim lex proponitur: deinde violatoribus intentantur minæ, quales sunt, *Visitabo peccata vestra in tertiam & quartam generationem:* Et, *Bello, peste, fame vos conficiam.*

S. Gregor. Beneficia Dei ad obtẽperandũ prouocant.

Nonne cùm paruulus esses, &c.] Incipit accusatio, cuius partes quatuor obseruat S. Gregorius: Quis fuerit, quantus factus sit, quid facere debuerit, quid fecerit. Nam cùm ex infima fece populi diuino beneficio regnum adeptus sit, ac propterea Dei mandata diligẽtiore cura perficere debuerit, contrà quàm de eo meritus esset, temerè violauit. Inobedientiæ peccatum natura sua graue est in quouis homine: sed ex circunstantia redditur grauius. Non esset ferendũ, si quis alius contempsisset imperium Dei. Quid ergo sentiendum est, cùm tu id feceris, tanta benignitate prouocatus? Ex infimo enim loco euexit te, & fecit Regem. Tu ipse optimus es testis cõditionis tuæ. Paruulus enim videbaris in oculis tuis, hoc est, indignus tibi ipsi visus es, qui ad tantam majestatem tollereris. Ita enim ipse de se responderat, Tribum suam minimam esse inter omnes tribus Israel. Eum, inquit S. Isidorus Pelus. haudquaquam laudo, qui in priuata quidem vita perquam submissum se præbet, in Imperio verò ac Magistratu maiora quàm pro humana cõditione, opinionis errore sibi fingat: siquidem ignaui profectò atq; ingenerosi ac plebei hoc esse existimo: sed eum potius, qui cùm in priuatorũ numero est, sublimem & excelsũ: cùm autem Præsul creatus est, facilem se ac modestum præstat, morbósque vtrique sorti insidiantes vitat, illi nimirum demissionem, huic autem superbiam. Hactenus S. Isidorus. Nec tamen caret laude præteriti temporis, si S. Gregorio credimus, quòd paruulus fuisse prædicatur in oculis suis. Tametsi namque pleriq; homines haud aliud quàm puluis & vmbra sumus, pauci tamen inutile pondus nostrum agnoscimus. Quippe studio laudis ac gloriæ in fraudem inducti vitijs nostris adulamur, & inter peccatorum sordes magnæ nobis virtutis conscij videmur. Hinc fit, vt nunquam non de eorum imperitia conqueramur, qui rerum habenas moderantur: quas non dubitamus, si nostro consilio ac nutu regerentur, multò melius habituras.

S. Isid. Pelus. lib. 3. epist. 48.

Priuatus humilis, in magistratu superbus & impotens.

Dictio Hebraica explicatur.

In oculis tuis.] Hebraicè בְּעֵינֶיךָ *beeenecha*, à verbo עִין, siue עַיִן, quod plura significat. Vnde, si puncta tollas, verti etiam poterit: *Nonne cùm paruulus esses in consideratione, spe, atque expectatione tua*, cùm tu nihil sublime ac regium cogitares, & ab omni spe regni longius abesses, Deus tamen extulit te? Eadem dictio fontem quoque ac scaturiginem denotat, quin etiam & habitaculum: quare etiam commodè exponi poterit, *Nonne cùm ignobilium parentum satu editus esses, & humili tugurio obscurus delitesceres, decore tamen regio ac splendore te Deus illustrauit?* Itaque cùm tanto munere affectus esses, quî tibi in mentem venit ab eo flagitiosè desciscere? Simplicior tamen est Vulgata translatio, quam interpretatur sanctus Gregorius, laudans Saulem, quòd à principio, cùm Rex à Deo designatus esset, &

Professa humilitas Saulis inobedientiam excusatione priuat.

NONNE CVM PARVVLVS, &c.

acutè perspexerit indignitatem suam, & ingenuè confessus fuerit. Sed hinc nocentior fit, & eò nunc minus veniam meretur, cùm ex ea conditione, quam probè nouerat sceptro indignam, factus sit Rex: nec tantùm Rex, sed etiam Rex populi Dei: nec id tantùm, sed etiam primus Rex eius populi. Horum siquidem tot beneficiorum oblitus, inquit Samuel, transgressus es legem Dei. Potest etiam hic esse horum verborum sensus: Populus, inquit Saul, coegit me vt ita facerem. At cùm esses paruulus in oculis tuis, Deus te constituit Regem: itaque debebas te opponere populo: Deo potiùs, qui te fecisset Regem, parcere te oportuit, quàm populo.

Reges capita populorum.

Caput in tribubus Israel factus es.] Reges idcirco capita populorum dicũtur, quòd sicut in humano corpore caput reliquis partibus extat, ita & in Republica Princeps inter reliquos ciues eminet. Item, quoniam vbi sensus omnes in capite resident, & inde aures atque oculi tanquam è speculis contemplantur: sic quoque Reges obseruare omnia & prospicere ciuibus debent. Denique, quoniam quemadmodum reliquo corpori caput moderatur, ita & Rempublicam Princeps regit ac gubernat. Sed negant hæretici, tametsi Principes capita populorum dici possint, ijs qui Ecclesiæ præsunt, & eandem administrant, id nominis tribui posse. Rationes eorum expendamus.

Quod summus Pontifex Ecclesiæ caput dici possit.

QVÆST. VII.

Hæreticorum sophistica ratiocinatio.

ARgumenta hæreticorum: Iactat Episcopus Romanus, se caput Ecclesiæ positum esse, quod homini haudquaquam potest conuenire. A capite quippe motus & sensus per neruos in membra defluunt, vt Paulus ad Ephes. & Colossenses pulcherrimè docet. At nullus homo id præstare potest, vt ex seipso, per compages & commissuras, Ecclesiæ membra diuino Spiritu viuificet. Vnius Christi est, suis mẽbris spirituales motus, & illustrationẽ mentis æternamque vitam distribuere. Possunt quidem Reges & Magistratus capita populorum dici, quia ciuilis ab eis gubernatio impenditur, & ab eis bonas leges & ciuiles impulsus expectare possumus: verùm in Ecclesia non de ciuili agitur vita, verùm de spirituali ac æterna, quam nisi à Deo expectare non possumus, nec vllus mortalium Ecclesiæ membra potest viuificare. Paulus ad Rom. & ad Corinth. vbi collationem membrorum Ecclesiæ facit, alis oculos, alia nares, aures, manus, & pedes esse ponit: nulla verò capitis dignitate ornat, qui tamen ad Ephes. 1. hoc de Christo ait, Deum illum dedisse caput corporis Ecclesiæ. Addit & quispiam: Ostendant Papistæ alicubi dictũ in sacris literis, aliud à Christo caput Ecclesiæ datum: & vicerint. Sed id (vt certò scio) monstrare non poterunt. Nam si daretur, Ecclesia monstrum esset biceps. At operæpretium est audire, quid Ioan. Roffensis

olim Episcopus defendendo Papam ad hoc responderit. Duo, inquit, capita Ecclesiæ dare non est absurdum: nam scribit Apost. *Vir est vxoris caput*, & nihilominus quælibet vxor citra suum caput, maritum quoque caput habet. Quare ita colligebat, nos posse de Ecclesia statuere, quòd videlicet & Christum, & Papam caput habeat. Sed labitur iste vir in æquiuocationis paralogismum. Cùm enim de capite μεταφορικῶς agatur, prout Ecclesiæ tribuitur, ad physicum transit. In matrimonio caput vxoris est vir, non quidem physicum, sed quoad œconomicam vitam. Caput autem naturale mulieris initium ei est physicæ vitæ. Et profectò si caput naturale spectemus in Ecclesia, non vnum erit, sed quot in ea sunt homines, totidé erunt capita: nullus enim acephalus est in ea. At cùm de capite loquimur Ecclesiæ, debemus in μεταφορᾷ nos continere: vtque absurdú & monstruosum esset, naturale caput geminum habere, ita portentosum iudicabitur, vt Ecclesia duo μεταφορικὰ, id est, spiritualia capita habeat. Semper oportet, cùm aliqua de re agitur, in eodem ordine ac genere persistere: quod si non obseruetur, æquiuocatione facilè decipiemur. Hactenus illi.

Nullū non animal suū caput studiosè tuetur.

Mirū quidem non est, si hostes infensissimi Ecclesiæ caput petant, quippe qui nouerint eo amputato reliquū corpus citò interiturū: sed illud planè mirū esset, si nos idem tueri ac defendere negligeremus, cùm ne serpentes quidem, dirum genus, suum caput periculis obijciendū putent. Nullum est animal, etiam ex his quæ ratione carent, quod non ante reliquorum membrorū iacturam faciat, quàm suum caput lædi sinat. Nec illud obscurum est, quo docente ita fieri debere existiment. Nam cū sit illud velut thesaurus, seu potius arx quædā vitæ, natura eos docuit, si fortè per incuriā illud expugnari permiserint, mox sibi pereundum esse. Itaque illud omni ope ac præsidio tuērur. Id nos quoq, sedulò imitari decet, nunc verò maxime, cùm tam non tēporalis, sed æterna: non priuati cuiuspiā, tametsi præstātissimi viri, sed omniū vita in discrimē vocetur. Veruntamen priusquam omnibus copijs cū hostili acie cōfligam, carpam nouissimum agmen, & sanctum Martyrem à persequutorum calumnia vindicabo.

Io. Roffens. de veritate corporis & sanguinis Christi.

Animaduertebat Io. Roffensis Episc. in Oecolampadiū, qui de veritate corporis Christi in Eucharistia multa nequiter ac peruerse scripserat, cum interim l. 1. c. 25. mentio incidit Rom. Pontificis, quem negabat Oecolampad. agnoscere caput Ecclesiæ: vrget tū Roffensis, & ait: Quantumuis occulta fuerit hypocrisis, erūpet tādem, & prodet sese. Hîc videre licet quantū frigescat in pectore tuo charitas, qui caput Ecclesię Pontificem contemnis. Sed tibi Christus, inquis, Ecclesiæ caput est. Et nobis idipsum itidem asserimus. At nihilominus & summus ipse Pontifex caput etiam Ecclesiæ est. At qui fieri potest, inquis, vt Ecclesia duo sortiatur capita? Dicā: Alterum eius caput est vir ipsius, quemadmodū & Paulus ait: *Vir caput est mulieris*. Verùm præter istud caput habet & suū propriū. Quando precor vnquam vidisti fœminam sine capite? Sic nimirum & Ecclesia, quę Christi sponsa est, virum

Pontifex Ecclesiæ caput asseritur.

suumChristū habet pro capite. Sed nihilominus & Pontificem habet, seu membrū sui corporis sub Christo præcipuū. Tu igitur qui tali mēbro sic conuiciaris, & Papistas eos probro vocas, qui ipsum reuerentur, vide ne superbiæ plurimùm, charitatis autē nihil in pectore tuo regnet. Hactenus Roffensis. Cuius clarissimam responsionem cùm hæreticus alter ratione dissoluere non posset, tentat saltē tenebris inuoluere, & audet nebulo ritè atq. ordine disputanti æquiuocationem & paralogismū impingere, quo tutiùs euadat. Oportet, inquit, si nolumus decipi, permanere in eadē metaphora. Roffensis mutat genus & ordinem, & à rebus spiritualib. ad physicas sermonem transfert. Ingenij tarditatē mirarer, ni satis explorata esset malæ mentis astutia. Veruntamen, inquis, de capite metaphorico loquimur. Istos dic vnde ducta translatio est? A similitudine, inquis, nuptiarum, nam cōtracto matrimonio vir vxoris caput est: hoc Paulus asserit. Quare, si Ecclesiæ vir Christus habēdus est, idem quoque caput censebitur. Obseruemus singula, ne qua versipellis iste Protheus elabatur. Quòd sit, opinor, fœmina, ad naturam pertinet: quòd sponsa nubat, moribus introductum est: quòd autem vir, in cuius illa manum conuenit, caput eius nuncupetur, tralatitia loquutio est. Quæ cùm ita sint, dic, oro, Ecclesiam quid esse velis? Respublica est, inquis, Spiritus sancti, non Scyllis Chimærisque opinor constans, sed veris hominibus. Ecclesiam igitur, si singulas partes spectes, rebus physicis ascribas necesse est: verùm vniuersim sumptæ, summa earum corpus metaphoricum efficit. Erit igitur & caput ipsum metaphoricum, sicut & manus, & pes, & oculi, & quæcunque membra metaphorici corporis annumerari poterunt: siquidem suum totum partes æmulantur. Nec id negari potest. Imponit ergo nobis Roffensis Episcopus, dum mutat genus, & à metaphora transit ad id quod naturæ est. Absit. quin tu potius, Sycophanta, rudibus ac imperitis insidias struis, & à rebus veris studes ad falsas traducere. Non dixit Roffensis habere Ecclesiam suum caput naturale, vti habet & fœmina: sed proprium. Proprium autem siue suum etiam rebus metaphoricis inest, & corpora tralatitia naturalium instar suis membris constant. Nam quæ secundùm aliarum rerum analogiam metaphoricè denominantur, ea, si in partes seces, & conferas inter se, non iam metaphoricæ, sed sibi inuicem propriæ erunt. Quòd si quid præterea aliunde assumatur, quod proportione quadam caput denominetur, nec spectet ad metaphorici corporis intrinsecam perfectionem, tum illud verè dicetur metaphoricum. Quale est illud, quòd Christus sit caput Ecclesiæ, quam sponsam duxerit. haud enim secus quàm maritus tum esse caput intelligēdus est. At si præterea fidem non facias, Christum acephalam duxisse Ecclesiam, tum opus erit illa quoq; suum propriū caput habeat. tametsi quā caput est, naturale non est, vbi nec reliquū corpus, sed analogicū; analogici tamen corporis propriū. Decepit te, vir acutissime, versutia tua, dum fallendi studio plura commisces

Etiam corpora metaphorica suo modo proprium suū caput habent.

Non

CAPVT IN TRIBVBVS, &c.

Christus non vno modo caput Ecclesiæ, & quomodo Pontifex.

Non vno modo Christus caput Ecclesiæ dicitur: nonnunquam vt sponsus: aliàs, vt idem corpus mysticum cum tota Ecclesia componés. Si posteriori modo consideres, vnicum caput habet Ecclesia, quod est Christus, vt Paulus asseuerat. Nam sicut naturale corpus vnicum caput habet, ita & metaphoricum vnicum proprium habeat, vt sit verecunda tralatio, & monstri speciem fugiat. At si, vt sponsus est, eundem cum Ecclesia compares, tùm sicut duo corpora sponsi & sponsæ admittas necesse est, & vtrumque suis numeris absolutum, itidem & capita totidem, sine quibus perfecta corpora intelligi nequeunt. Ex quo sequitur, vt Ecclesia, quà sponsa est, & corpus efficit à sponsi corpore distinctum, summum Pontificem proprium caput habeat, Christum verò metaphoricum. Tametsi, vt hoc interim moneam, nec illud planè verum sit quod imprudenter asseris, Ecclesiam fore monstrum biceps, si duo metaphorica capita asciscat. Non enim vnaquæque mulier monstrum est, licet teipso iudice vincere possim, habere eam secundum analogiam plura capita. Primùm enim vir eius caput est, quoad vitam, vt ais, œconomicam: deinde Magistratus, quoad ciuilem: Christus denique quoad spiritualem & æternam. Vides vt triplici capite quælibet vxor glorietur, nec tamen propterea portento similis vlli visa sit, ne si pluribus quidem abundet. Verumenimuerò translationes multiplicari numero quid vetat? Vt quæque res aduersus alteram capitis dignitatem, commodum, autoritatémue proportione quadam obtinere videbitur, ita & caput illius per comparationem dici poterit.

Hactenus inclyti Martyris à nobis causa perorata est, quam sic defendimus, vt simul reliquis perditorum hominum objectionibus satisfaceremus. Veruntamen, quò hæreticorum tabes, liuor & inuidia, quibus Christi Vicarium lacerant, manifestiùs appareant, perscrutabor sedulò quæ sit huius vocis ראש *rosc*, Lat. *caput*, vis, ac potestas, quæ notio, qui vsus, seu proprius, seu metaphoricus, primùm quidem apud Hebræos; deinde etiã Latinos: nam Græcos nihil moror, quãdoquidem non ipsi κεφαλὴ, aut κεφάλαιον, hoc est *caput*, sed ἡγούμενον *ducem* interpretati sunt. Deinde etiam varias huius principis membri functiones ac munia recensebimus, à quibus duci metaphora possit, & multiplex denominatio peti. Quibus à me quãtũ sit satis accuratè explicatis, deniq; disputationi coronidẽ imponã.

Vocis ראש Rosc, *quæ Lat.* Caput *significat, Hebraica notatio.*

QVÆST. VIII.

ראש Caput, venenũ, herbas nocentes & amaras, resque afflictas significat. Sed hic de capite quæritur.

DVplex dictionis huius significatio est. nam *Caput* significat à prima origine: deinde etiam venenum, quod nonnulli dictum volunt metonymicῶs, propterea quod aspidis capiti virus inest, & dira pestis hominẽ conficiens. Mox etiam metaphoricῶs quodcunq; gramen veneno tumet, aut tristi succo sensũ vellicat. Postremò, etiam res afflictas atq; prostratas eo nomine

A dictas legimus à Ierem. Thren. 3. v. 19. *Recordare, ait, Domine, paupertatis, & transgressionis meæ, absynthij,* וָרֹאשׁ *varosc, ac fellis.* In quo sensu tametsi Sauli iure ac meritò tribui possit: nam quod venenum eò nocẽtius, aut quæ pestis peræquè dira populum afflixit, vt Saulis iniquitas, quæ multa eorum millia in monte Gelboe vno die peremit? attamen non fert huius loci conditio, vt hoc modo interpretemur: siquidem mox sequitur; *vnxitq; te Dominus Regem super Israël.* Quamobrem omissa hac posteriore significatione, prioris duntaxat, non tamen etymologiam, quæ clara est, inuestigabimus, quàm varias eius translationes. Sic enim fiet, vt cuique palàm sit, iure an iniuria negarit Apostata, ex vsu Scripturæ summũ Pontificem Ecclesiæ caput dici posse.

Primum igitur ראש *Rosc* Hebræis totum illud est quod collo nititur, ac ceruici imminet. Gen. cap. 3. v. 15. *Ipsa conteret tibi* ראש *rosc, caput.* tametsi aliàs non semel pro coma duntaxat & cæsarie vsurpatum legimus. Sed tum scilicet nomen totius parti tribuitur: quem tropum quis ignorat? Deinde metaphoricè illud omne significat quod supremam partem cuiusque rei obtinet: iugum montis, turris fastigium, ædificij culmen, apicem, cacumen, verticem. Genes. cap. 28. v. 12. de scala Iacob scribitur וְרֹאשׁוֹ *verosco, & cacumen eius tangens cælum.* Et ibidem v. 18. de lapidis apice quem instar tituli erexerat, *Et fudit oleum desuper,* Hebraicè רֹאשָׁהּ *rosca, caput eius.* Lxx. τὸ ἄκρον αὐτῆς, *summitatem eius.* Portarum etiam superliminaria, siue ὑπέρθυρα, ianuarum capita Hebræi vocant, vt patet Psalm. 24. v. 9. Nam pro eo quod Septuaginta verterunt, ἄρατε πύλας οἱ ἄρχοντες ὑμῶν, *Attollite portas principes vestras:* Hebræi legunt, vt Pagninus exponit, *Leuate portæ* רָאשֵׁיכֶם *rascechem, capita vestra.* Tertiò etiam rerum primordia, earumdem capita dicuntur, & quæcunque loco, vel tempore, reliquis partibus antestant. Exodi 12. v. 1. *Mensis iste vobis erit primordium mensium, primus in mensibus anni.* Hebraicè ראש *rosc, caput mensium.* Vnde etiam Rabb. Calendas, siue Neomeniam, ראש החדש *rosc hachodesc*, caput mensis nominant. Quod ad loci ordinem attinet, Esaias cap. 51. ver. 20. *Filij tui, inquit, proiecti sunt, dormierunt* בְּרֹאשׁ *berosc, in capite omnium viarum.* Deut. c. 20. v. 9. Quo loco habemus, *Cùmque siluerint duces exercitus,* &c. *Vnusquisque suos ad bellandum cuneos præparabit,* eandẽ D sententiam alijs verbis explicat Pagninus, verbũ è verbo transferens: *Et erit, cùm Præfecti cõpleuerint, constituent principes exercituum* בְּרֹאשׁ *berosc, in capite populi.* Lxx. etiam apertius: *Et erit quando cessauerint Scribæ, &c.* καὶ καταστήσουσιν ἄρχοντας τῆς στρατιᾶς προηγουμένους τοῦ λαοῦ, *Et constituent principes exercitus præcedentes populum.* Zachar. c. 1. v. 7. *lapidem primarium,* אבן הראשה *eben haroscah, lapidem capitis* vocat, qui primus ordine collocatus erat. Præter hęc etiam comperi id vocari caput cuiusque speciei quod esset eius præstantissimũ. Nam Exodi capite trigesimo, versu vigesimo tertio iubet Dominus thymiama parari sibi ex optimis aromatibus, quæ Vulgatus *Aromata prima myrrhæ* interpretatus est. Græci, τὸ ἄνθος σμύρνης, *Florem myrrhæ,* reuera autem Hebraicè

CAPVT IN TRIBVS, &c.

1.

2. Quod sũmũ est, cuiusque rei *Caput* dicitur.

3. Prima loco, vel tẽpore, rerũmque primordia, *Capita* dicuntur.

4. Quod præstantissim' in vnaquaque specie caput dicitur.

Caput in tribubus, &c.

legimus, ראש מר דרור *rosc mor-deror, caput myrrhæ electæ, siue aromatum.* Et Cant. 4. vers. 14. *Cum omnibus* ראשי בשמים *rasce besamim, primis vnguentis*, vt vertit Interpres noster cum Græcis; Targum, *cum omnibus speciebus præstantiæ aromatum:* quæ non sunt alia iuxta phrasim Hebraic. quàm

5. *capita aromatum.* Arithmeticis verò apud Hebræos ראש *rosc*, numeri summa est, quæ subductis calculis conficitur, eamq; *caput* sæpius cùm in Exod. tum etiam in lib. Numer. appellatam inuenies: à Græcis συγκεφαλαίωσιν, siue *computationem.* Fœneratoribus denique non quæstus, sed pecunia dicitur, quæ fœnori datur: sicut & Latinis caput vsuris oppositum, sortem principalem significat. Horum omnium, dices, quid est quod in summum Pontificem quadrare possit? Respondeo, fare primùm cum quo Ecclesiam Dei compares, tum nihil negotij erit objecta dissoluere. Nam si dixeris Scalam Iacob priscis Ecclesiam repræsentasse, summum in ea locum occupat. Si malis cum eiusdem lapideo titulo conferre, huius quoque apex est oleo delibutus. Si cum Ianua illa Prophetæ, huius quoque superliminare est, quod attolli iubetur Christo ab inferis reduce, & cælo triumphum inferente: quòd minus esse videretur antiqui Sacerdotij ius ac dignitas, quàm deceret orbis domitorem. Iam vero quod attinet ad caput loci vel tẽporis, mirabor si neges Roman. Pontificem vtriusque conditionis prærogatiuam sortitum esse. Nam quis alius in terris locus est vnde primùm ad nos tanquã è fonte fides Christiana manarit? Roma est quæ nos docuit, & quæ dejectis idolis Crucis labarum templis animisque nostris inseruit. Sed nec vlla sedes opinor cum ea de antiquitate contenderit. nam quæ videntur tempore præcessisse, dudum in hæresis aut schismatis barathrum prolapsæ sunt. Sola Roma est quouis silice durior, cuius fidei constantiam, cuius florem dignitatis nullus inferorum conatus infregit. Et tamen negas summum Pontificem Ecclesiæ caput dici posse. Dic quid in ea noueris præstantius? nam hæc quoque ratio capitis confert denominationem. Tantum abest vt præstantius quidquã in terris vllo tempore visum sit, vt qui maximè Primatem Episcoporum eum agnoscere noluerũt, attamen primum omnium habendum censuerint. Sed cur his diutiùs immoramur, cùm impij styli mucronem reliquæ translationes palàm retundant?

Quàm multis titulis Ecclesiæ Caput Põtifex dicatur.

6. Sexto loco *caput* Hebręis autoritatem denominat. Nec id probatione indiget, quandoquidẽ aduersarius fatetur. Hoc solũ respondeat velim, an nulla eius habeatur autoritas, cui cęli claues permissæ sunt? qui quod in terris decreuerit ratũ fixumq́; maneat in cęlis? Veruntamen, inquis, non scribit leges ciuiles, quibus Ecclesia teneatur. At scribit Ecclesiasticas. Deinde etiã ciuiliũ iudiciorũ sacerdotibus semper potestas facta est. Haud tamen Remp. summo iure administrant. Quid tum? ne iudices quidẽ pedanei: qui tamen in Scripturis ob priuilegiũ ferendæ sententiæ, *capita populorũ* dicuntur. Deut. c. 1. v. 13. *Et ponam eos vobis principes:* Græci ἡγουμένους: Hebraicè scriptum est בראשיכם *berascechem, in capita vestra.* Quod si hi *capita*, de quibus scripsit Apostolus,

ab autoritate quoq; caput nuncupatur.

A *Contemptibiles qui sunt in Ecclesia, hos constituite vt iudicent:* quid Apostoli & eorum successores qui pręcipuo honore fulgent, de quibus scriptũ est, *Sedebitis super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel?* Verum quod dicere nefas est, nulla sit penes Christi Vicarium iurisdictio, nullam autoritatem obtineat, obtinet tamen non minimam dignitatem. Hoc porrò satis est ad capitis titulum consequendum. Negas? At confirmat Isaias, cuius lõgè potior autoritas & fides: *Longæuus*, inquit c. 9. v. 15. *& honorabilis, ipse est caput: & Propheta docens mendacium, ipse est cauda.* Sed tu scilicet à capite abhorres, qui dudum cauda factus es. Reuera in membris, nullis minùs conuenit quàm caudę & capiti. Atqui non leuis hęc maledictio si cauda fias. Lege lib. Deut. cap. 28. v. 44. At cõtrà Israël benedictio his verbis con-

B tinetur v. 13. *Dabit te Dominus* לראש *lerosch, in caput.* Hanc tu nolles Ecclesiæ concessam benedictionem, *cuius os maledictione plenum est, & amaritudine, & dolo.* Veruntamen firma stat diuini sententia decreti, nec vlla poterit perfugarum calũnia labefactari. Accedit ad hęc, quòd etiam principes familiarum capita dictos inuenio, cùm alibi sæpius, tum Num. cap. 1. Non erant hi principes familiarum, qui totam gentem genuissent: sed, vt verisimile est, filij primæ stirpis, seu primogenitorum, quorum apud Hebræos non leuis autoritas in gentiles suos extitit. Sed etsi autores generis haberi debuissent, vtique *per Euangelium ego vos genui,* inquit Apostolus. Cæterùm siue patres, seu patris omnium primogenitos filios Apostolos dici placeat, dic quis hodie primogeniti sortem potiori iure sibi

C vendicet, quàm Petri Paulique successor, hæres, & filius? nam reliquorum soboles dudum extincta est, cùm à fide deficerent: sola Petri sedes superstes manet, quæ procellis omnibus superior euasit. Ex quo colliges, optimo iure summum Pontificem *Ecclesiæ caput* vocari. Postremò etiam quondam Pontifices ab Hebræis, seu potius à Spiritu sancto in Scripturis *capita* dicti sunt: quod ni ostendero, victor abeas per me licet, & trophæa statuas. Optatus certè Mileuitanus libro secundo contra Parmenianum, docet Petrum à Christo *caput* denominatum, cùm illi *Cepha* nomen imposuit, Matthæi capite 16. v. 18. *Cepha* scilicet τὴν κεφαλὴν interpretatus est. Quę dictio, tametsi non Gręca sit, sed Syriaca, attamen tanti viri autoritate haud parũ

D cõmoueor, qui non tam vocis ac soni rationem habuit, quàm Christi sententię; pręsertim, cùm haud aliud Ecclesię fundamentũ intelligi queat, quàm quod sit idem caput Ecclesiæ. Quamobrẽ etiam Syri hactenus suum Patriarcham *Caput Patrum* nominant. Et Iacobus Vitriacus, sanctum Optatum imitatus, haud inuenustè eos, qui *Cepha* deserant, acephalos vocat, historia Orientalis cap. 75. Sed illud tamen antiquius, & ex ipsis Scripturę tabulis depromptum testimonium, quod nobis Ieremias c. 52. v. 24. suppeditat: *Tulit*, inquit, *Magister militiæ Saraiam Sacerdotem Primum.* Quem *Sacerdotem Primum*? quis ille fuit? Targum: *Sacerdotem Magnum* vertit. Vatablus: *Summũ Sacerdotem.* Erat igitur sũmus Põtifex ille Saraias, cuius Iere. meminit.

Caput in tribubus, &c.

7. A dignitate præcipua.

Ministri noui Euangelij caudę sunt, non capita.

8. Patresquoque & familiarum principes, capita habẽtur. Nec solus pater fidei abraham, Apostolus per Euang. nos genuit.

9. S. Optatus Mileuit. probatur ex Scripturis Pontificem Caput vocari.

Atqui

Caput in tribubus, &c.

Atqui si Hebræa consulas, appellatum inuenies כהן הראש *Cohen harosc*, hoc est, *Sacerdotem capitis*, phrasi Hebraica, quæ idem valet ac si diceres, *Sacerdotem caput*, seu, *qui caput est*. Nec solus Pontifex, quin etiam Roma *caput Ecclesiæ*, haud minus verè dici poterit, quàm dictæ sint ab Isaia Propheta c. 7. ראש *rosc, caput Syriæ Damascus*, וראש *verosc*, *& caput Ephraim Samaria*.

Defenditur vocis Cepha *Græca etymologia, & Petrum à sanctis Patribus* Caput Ecclesiæ *nuncupatum, eorumdem scriptis testimonijs asseritur.*

QVÆST. IX.

TAmetsi Græcos, vt iam dixi, omittere poterā, qui ad capitis significationē nihil hoc loco contulerūt: quandoquidē tamen non pauci veterum Syriacæ voci Græcam etymologiam accōmodantes, *Cepha* Κεφαλὴν interpretati sunt, & *Petrum* à Domino *Caput* dictum docuerunt: non patiar, vt tam luculentum Patrum testimonium à me neglectum esse videatur. Id quod eò libentius faciam, quòd recentiores hæretici, vt sunt in exponendis antiquorum sententijs tardo atque hebeti ingenio, cùm SS. Patrum mentem atque consilium non caperent, tanquam accepta occasione authores etymologiæ calumniati sint, ignorantiæ potiùs quàm religioni ascribentes; quorum à nobis impudentia refellenda est, & Sanctorum pietas & eruditio à stultorum calumnia vindicanda. Etsi verò hoc ante me Franciscus Turrianus cumulatè præstitit in secundo libro, quem scripsit pro defensione decretalium epist. summ. Pontif. cap. 3. quando tamen hic locus desiderare videtur, vt si quæ apud Græcos eodem collimant, vel leuiter perstringam, hunc florem Ecclesiastici capitis, cùm ex eius horto, tum ex alijs authoribus, atque adeò ipsius Scripturæ thesauris delibabo.

S. Dionys. Areopag. Petrus S. Dionysio à capite *Coriphæus* dictus.

Primus igitur S. Dionysius Areopagita Petri nomen & prærogatiuam ita interpretari visus est, cùm de diuin. nominib. 3. cap. ait: Aderant enim Iacobus, & Petrus ἡ κορυφαία ἢ πρεσβυτάτη τῶν θεολόγων ἀκρότης. Sequens enim, inquit Turrianus, ἐξελληνισμένον, id est, Gręcitatem verbi *Cephas*, vocauit Petrum ἀπὸ τῆς κορυφῆς, id est, à capite *Coriphæum*: κορυφὴ enim propriè significat summam partem capitis, quod ipsa etymologia declarat ἀπὸ τῆς κάρας ἢ ὄρους. Illud etiam verbum ἀκρότης, capiti congruit secundùm etymologiam verbi: dicitur enim ἄκρον τὸ, ἀφ' ἧς οὐ πρόσω ἐστὶν ἐπέκεινα, id est, summum, quod vltra non licet progredi, quod capiti cōuenit. Igitur quia à Domino concessum est, vt esset Petrus omniū Apostolorum, ac proinde totius Ecclesiæ Catholicæ, super fundamentum Apostolorum & Prophetarum ædificatæ, caput, sapienter ac valdè piè factum est, vt ad memoriam & honorem huius principatus, B. Petri nomen Syriacum, hoc est *Cephas*, mutaretur in Cephas factum ex Græco, ἀπὸ τῆς κεφαλῆς; vt iam non solùm *Cephas* Petrum Syriacè declararet, sed, quod clarius est, Græcè acceptum, caput significaret.] Hactenus Turianus.

Nec verò tum solus Areopagita *Cephas* Græcè κεφαλὴν, siue *caput* exposuit, sed etiam S. Anacletus, & ipse Græcus, qui post S. Clemētem Pontificatum inijt, epist. 3. *cephas* caput & principium interpretatus est. Postremò etiam S. Optatus Afer, cuius antea fecimus mentionem, l. 2. aduers. Parmenianum hæc habet: In vrbe Roma, Petro primò cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum *caput* Petrus, vnde *Cephas* appellatus est, in quo vno cathedræ vnitas ab omnibus seruaretur.]

S. Anaclet. S. Optat.

Cepha, vox Syriaca, & quod petrā significet.

Atqui dictionis origo non à Græcis manat, sed planè est Syriaca: quare qui Græcè *caput* interpretati sunt, ignorantia decepti videntur, dum apud alienos ex elementorum & vocis quadam similitudine, dictionis vim ac significationem vestigant. Certum est *cepha*, petram Syris significare: quod nunc ex recentiorum authoritate, Matthæi ca. 39. quod est Latinor. 16. *capha* legimus: quam vocem, quicunq; Matthęū Hebraicè restituisse videri voluit, pariter vsurpauit. Nec aliter scribūt, ac sentiunt, quicunq; Orientalium Matthæi Euangelium in suam linguam transtulerunt. nā pleriq; omnes *petram*, silicem, aut rupem exponunt. Arabes sanè Matthæi 16. quod numerant ipsi trigesimū, pro *Petros*, quod dicunt *Petrum*, habent: *Tu es, el Tsachranh, & super Tsachranh, &c.* Hoc porrò nomen apud Arabes, nomen est Alpium, fortè à *tsachar* Hebræo, quod canduit aut splenduit significat: siquidem Alpium iuga niue candent. Translatio Armenica item Matth. 16. *Tu is bhim, tu es rupes; è vera ais bhim in, & super rupem ipsam, Astadim*, quod est *constituam*, si penitius dictionis etymologiam inspicias, efficiet, *domificabo*, vel *domificare faciam Ecclesiam meam*; cùm tamen Armeni vsitato more loquēdi *Petrum, Betrum* vocent. Persæ quoq; Simonem Petrum *Saman Poutros* nuncupant. At in sua versione Matth. 16. *Tu es Sang*, vel *Sank munchchaon, cautes firma*, vel *magna*. *Sank* à *tsanach* abstinuit. inde dictus scopulus *brisant de mer*, quod ab eo sibi cauere necesse sit. *Munckum* à *marhak* Hebræo, quod est firmauit, aut fixit. *Tu es igitur cautes magna, & super illam cautem ædificabo Ecclesiam meam.* Hęc & plura inuenies apud Victorem Caiet. in Paradigm. linguæ Armenæ. Ex quibus constat, nullam orbis partem quandoq; ignorasse, *Cepha* Syris, quorum lingua plerumq; Christus Dominus vsus est, non *caput*, sed *petram*, siue rupem designare. Quod si verum est, apud quos tandem ea calumnia fidem inueniet, hoc solùm doctos viros latuisse, quod vniuersus orbis agnosceret? Hebræos sanè doctores SS. Dionysius, & Anacletus sortiti sunt: Dionysius quidem Paulum, Anacletus Petrum. Ante Optatum Origenes sua iam Heptapla vulgauerat. nonnulli etiam de nominibus Hebraicis scripserant. Sed demus reliqua præter contextum Euāgelij defuisse: ipsa tamen oratio Domini, è qua vocem illam hauserant, quā vim haberet per se satis expressit. Non enim solùm dixit, *Tu es Petrus*: sed, vt lucem dictis afferret, addidit: *& super hanc petram.* Neq; aliter ijdem Græci legerunt. Quippe iam hoc modo interpres verterat: σὺ εἶ πέτρος, *Tu es Petrus*, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν, *& su-*

Translatio Arabica.

Translat. Armenica.

Persica translat.

Victor Caietan.

Non ignorarunt PP. quid *Cepha* Syris significaret.

CAPVT IN TRIBVBVS, &c.

per hanc petram ædificabo meam Ecclesiam. Non poterit itaque quod nonnulli falsò mentiuntur, inuentio hæc Græcæ etymologiæ, quam sancti Patres Syræ voci tribuerunt, inde videri traxisse originem, quòd essent Syrorum idiomatis imperiti.

Quæ ratio Græcæ etymologiæ.

Vnde igitur, inquis, tanta hęc in aliena dictione, Græcorum Latinorumq; licentia, si norant aliunde è Syria manasse? Respondeo, non aliunde factum, quàm quòd ea quoq; in eundem Petrum mirificè quadraret. Quemadmodum enim si Ecclesiam cum domo compares, tum Petrus fundamentum haberi debuit, quo reliqua moles ædificij niteretur: ita, si eandem cum humano corpore conferas, quod est in eodem corpore fundaméntum Medicorum iudicio, Petrus *caput censebitur.* Id cùm per se verum est, & à SS. PP. non vno loco traditum, tum vulgi adhæc accessit ignorantia, & plebis vsus: quæ cùm Petrum caput Ecclesiæ dicere vellet, non alium quàm Christum Dominum testem laudabat, & quidem eo testimonio, quo tametsi non *caput,* sed fundamentum appellauit, idem tamen diuersa licet metaphora vsus est. Quamobrem, cùm nihil à fide diuersum, nihil alienum sentirent, doctis ac sanctis PP. visum est, simpliciorum religionem Græca verbi notatione iuuare, præsertim, cùm neq; casu, neq; fortuitò, sed diuino consilio euenisse crederét, vt quod nomen Petro Christus imponeret, Hebræis quidé fundamentum, Gręcis verò *caput* exprimeret: quoniam & huius quidem, vt capitis, imperio ac monitis Ecclesia regenda erat, nec vltrà Mosis legibus ac ceremonijs statura.

Accedebat postremò, quod Græca quoque τῆς κεφαλῆς etymologia, cum Syriaca *Cepha* interpretatione, hoc est petra, haud parum consentiret. Nam κεφαλὴ quoq; si pressiùs vrgeas, ad saxum & silicem referri posse comperies. Scribit enim Oppiani interpres, κεφαλὴν, id est caput, dici παρὰ τὸ καρφαίνεσθαι, quod arescere significat, quia inaruerit pars ea, vt quæ ossea plurimùm sit. Κάρφω idem quod *sicco*, arefacio. Iam verò lapis quid aliud est quàm terræ pars siccior, quæ solis æstu epoto humore obduruit? Non itaque vsqueadeo Græca κεφαλῆς etymologia, à *Cepha* Syro aliena est, vt tanquam in re absurda, erroris aut imperitiæ PP. argui possint.

In Hebræis vocibus par aliorum SS PP. licentia.

Neq; verò ratio vlla est cur hoc institutum calumnieris, tanquam id temerè & sine exemplo nonnulli Patres vsurparint, cùm autores haberent non modò plures ex antiquis, qui pari licentia Hebræas voces Græca etymologia donarũt, sed etiam Scripturas ipsas, quas autore Spiritu sancto exaratas non dubitamus. Dices primùm referente S. Gregorio Naz. orat. 2. in Pascha: quo loco Græcè eandem vocem, non ignorantiæ vitio, sed consuetudinis autoritate interpretatur.

S. Gregorius Naz.

Φάσκα, inquit, τοῖς Ἑβραίοις προσαγορεύεται κατὰ τὴν ἐκείνων φωνήν· δηλοῖ δὲ ἡ φωνὴ τὴν διάβασιν, &c. Phascha ab Hebræis iuxta eorum linguam nominatur: (quæ vox transitum sonat,) historica quidem ratione, propter Israëlitarum ex Ægypto in Chananæam regionem fugam & migrationem: sin autem spiritualem sensum spectemus, propter nostram ex his inferioribus ad superiora, atque ad promissionis terram progressionem & ascensum. Ἔστι δὲ πολλαχοῦ τῆς Γραφῆς συμβὰν εὑρεῖν, ἀπὸ τῶν ἀσαφεστέρων μεταποιηθέντα τινὰ τῶν ὀνομάτων ἐπὶ τὸ σαφέστερον, ἢ τῶν ἀγροικοτέρων ἐπὶ τὸ εὐσχημονέστερον, τοῦτο καὶ ταῦτα τεθεωρήκαμεν. Quod verò in permultis Scripturę locis accidisse comperimus, vt vocabula quędã ab obscuriori sensu ad apertiorem, atq; à duriori sono ad elegantiorem cómodioréḿq; immutata sint, idem hic quoq; contigisse animaduertimus.

Pascha quid Hebræis, & quid itẽ Græcis.

τὸ γὰρ σωτηρίου πάθους ὄνομα τοῦτο εἶναί τινες νομίσαντες, εἶτα ἐξελληνίζοντες τὴν φωνὴν, κατὰ τὴν τοῦ Φ πρὸς τὸ Π, καὶ τοῦ Κ πρὸς τὸ Χ μεταποίησιν, Πάσχα τὴν ἡμέραν προσηγορεύκασι. Quidam enim salutiferæ passionis nomen hoc esse arbitrari, ac deinde per literæ Φ. in Π. & Κ. in Χ. mutationem, hanc vocem ad linguam Gręcam accommodantes, hunc diem Pascha nominarunt. Παραλαβοῦσα δὲ ἡ συνήθεια τὴν φωνὴν, ἐκύρωσεν ἐπιεικῶς προσηχούσης τῆς τῶν πολλῶν ἀκοῆς, ὡς εὐσεβεστέρῳ τῷ ῥήματι. Atque hæc vox postea consuetudine atq; vsu cõfirmata est, multitudine videlicet hoc verbũ, vt magis piũ, calculo suo comprobante. Hactenus S. Gregorius Naz. quem imitatus S. Ambrosius in lib. de mysterio Paschæ, Quod sacrum nomen, inquit, (de Paschate autem loquitur) ab ipsius Domini passione descendit. Ergo etiam S. Ambrosius, cùm non ignoraret Hebræã esse originem, Græcè maluit ἀπὸ τοῦ πάσχειν, quod pati significat deducere. Sed & eò quoq; S. Thomas allusisse videtur, cùm in Prosa sanctiss. Sacramenti ait: Nouũ pascha nouæ legis, phase vetus terminat.

S. Ambros.

S. Thom.

Alterũ exemplum nominis Iesu. Adue. f. Nazaræos hæret. 29. vel 19. lib. 1. tom. 2.

Idem quoq; Turrianus accidisse putat augustissimo nomini *Iesu*, vt à S. Epiphanio medicus Græcè exponeretur. Verũtamen non Græcè, sed Hebraicè, sese exponere S. Epiphanius asserit. Ἰησοῦς γὰρ, inquit, κατὰ τὴν Ἑβραϊκὴν διάλεκτον θεραπευτὴς καλεῖται, ἤτοι ἰατρὸς καὶ σωτήρ. Iesus enim Hebraicè curatorem, hoc est, medicum ac seruatorem significat. Et eruditissimus Petauius in suis Animaduers. ad hæres. 29. satis ostendit, quo pacto S. Epiphanij sententiam tueri possis, nec opus sit τὸ Ἰησοῦ nomen, etiam cùm Medicum significat, ἀπὸ τοῦ ἰᾶσθαι, siue ἰήσασθαι Ionicè concepto, quod est θεραπεύειν deducere, cùm ab Hebraica voce eadem significatio peti possit. Etenim ישע, à quo יהושע, vel ישוע, idem est ac σώζειν, quod in corporis animique morbis idem est ac θεραπεύειν & ἰάσασθαι.

Dionys. Petau.

ישע iasçagh seu potius יהושיע hoschiagh in cõiug. Hiphil, idem est ac seruauit, à periculo eripuit. Inde יהושע, Iehoscuagh, siue ישוע Ieschouagh, saluator, & Iesus.

Tametsi ne hoc quoque exemplo careamus, alter aderit S. Cyrillus Catechesi. 6. qui non ab vtraque lingua Hebraicæ dictionis notionem petit, sed eandem vtriusque beneficio cumulatiùs explicat. Ἰησοῦς, inquit, ἐστὶν κατὰ μὲν Ἑβραίους σωτήρ, κατὰ δὲ τὴν Ἑλλάδα γλῶσσαν ὁ ἰώμενος: *Saluator* quidem Hebræis, Græcis verò *Medicus.* Móxq; rationem reddit: Quoniam ἰατρός ἐστι ψυχῶν, καὶ σωμάτων, καὶ θεραπευτὴς πνευμάτων, Medicus est animarũ pariter ac corporum, & curator spirituum.

S. Cyrillus Hierosol.

Tertiũ exẽplum in Christi nomine.

Nec secus lusit in Christi nomine Iustinus Martyr, qui Græcè scripsit: qui cùm ignorare non posset, quæ vis esset aut significatio Christiani nominis, cessit tamen Latinæ pronuntiationi, & Chrestianos interpretans, Quod ad nostram appellationem attinet, sumus, inquit, χρηστότατοι, id est, commodissimi: qui verò Christum non sequerentur, eadem licentia ἀχρήστους inutiles pronuntiauit.

S. Iustinus Martyr.

Accedat

CAPVT IN TRIBVBVS, &c.

Accedat adhæc poſtremò Scripturę autoritas, quæ à ſimili conſuetudine non abhorruit. Magnetes ſcriptor antiquiſſimus li. 2. & 5. quos aduerſus Theoſthenem Gentilem ſcripſit, obſeruat in hiſtoria Paſſionis Domini, quem alter Euangeliſta *calamum* dixit, alterum propter arbuſti ſimilitudinem, hyſſopum dixiſſe. Item vinum alter, alter *acetum* vocat, quod tum Domino propinatum eſt. Photius Patriarcha Conſtantinop. in quæſt. ad Amphilochium Archiepiſc. Cyzici, ait, Euangeliſtam dæmoniacum vocaſſe *Lunaticum*, cùm alioqui nihil mutatio Lunæ in dæmoniaco efficeret, vt vulgus falsò putabat: Quia fuit, inquit, propoſitum illi narrare miracula vocabulis conſuetis, & vulgò notis: non Atticè dicere, ſed perſpicuè. Hactenus illi. Quæ ſi non audis, at ſaltem Chriſtum audi de cruce clamantem, *Eli Eli lama ſabachthani, quod eſt interpretatum, Deus meus, Deus meus, quare dereliquiſti me?* Hebraicè, vt legimus apud Matthæum, quem Munſterus interpretatur, אלי אלי לָמָה שְׁבַקְתָּנִי *Eli Eli lamah ſcebakthani.* Verum illud Chaldaicũ eſt, nec ſatis Munſtero fidem habeo, qui putat Chriſtum vulgari lingua, hoc eſt Chaldæa, ſiue Syriaca, querelam hanc expreſſiſſe; cùm mox ſecus quã oportuit, à vulgo interpretatam legamus, & Eliam eum vocare crediderint. Longè probabilior S. Hieronymi ſententia, qui epiſt. 102. quæ eſt de optimo genere interpretãdi, ſic ait: Viceſimi primi Pſalmi iuxta Hebræos id ipſum exordium eſt, quod Dominus loquutus eſt in cruce, אלי אלי לָמָה עֲזַבְתָּנִי *Eli Eli lamma azabathani*: quod interpretatur, *Deus meus, Deus meus, quare dereliquiſti me?* Quî fit igitur vt non *azabathani*, ſicut Hebræi eodem loco habent, legamus, ſed potius *ſabachthani* dictum à Domino Euangeliſtæ Matthæus & Marcus conſentiant? Arbitrantur plerique neoterici Dominum Paraphr. Chaldaica vſum, quod Hebraicè loqui dudũ populus deſueuiſſet: Chaldæa ac Syriaca publicè vterentur. *Sebechthani* verò docent in Targ. reperiri à verbo שבק *Schebak*, quod Chald. ac Syr. *derelinquere* ſignificat. Verum obſtat huic ſententiæ, quod nõ intellecta feratur. Quamobrem probabilius exiſtimo non Chaldaicè à שְׁבַק *ſchebak* eſſe loquutum, ſed vſum Hebraïca radice סְבַךְ *ſabach*, quod non deſertum, ſed implicatum intricatúmue ſignificat. Ab eadem radice dicuntur *vepres* Geneſ. 22. verſ. 13. *arbor Sabec. Et ecce aries*, inquit, *retrò detinebatur, hærebat cornibus* בִּסְּבַךְ *baſebach, in perplexitate.* LXX. *ἐν φυτῷ σαβὲκ in planta ſabec.* Eò cum reſpiceret Chriſtus, vt vmbram cum veritate non re ſolùm, ſed etiam verbo coniungeret, eo verbo vſus eſt, qui ſe pariter cum ariete vepribus implicatum innueret, & à Deo derelictum, hoſtiumque libidini traditum deſignaret, quo tãquam piacularis victima pro communi omnium ſcelere immolaretur.

Magnetes. Matth. 27. Marci 15. Lucæ 23. Ioan 19. Photius. Plura exẽpla ex Scripturis.

Interpretatio illius querelæ Domini, Eli, Eli, lãmaſabacthani.

S. Hieron.

Sed iam ſatis ſuperque Græca *Cephæ* etymologia à nobis defenſa eſt. quam vt nonnullis probare nequeamus, negare tamen non poterunt, quod ſoli hæretici inficiantur, Petrum *Eccleſiæ caput* à Domino, Patrum teſtimonio deſignatum eſſe.

A

Eiuſdem Latinæ vocis ſiue capitis *obſeruatio.*

CAPVT IN TRIBVBVS, &c.

QVÆSTIO X.

NOnnulli *Caput* dictum volunt, vt notat Fungerus in Etymolog. Trilig. ἀπὸ τῆς κεφαλῆς, vel κάρα, à ראש *roſc* Hebr. eiuſdem ſignificationis vocabulo: ſed profectò non peræquè rem ipſam aſſequuti videntur, vt qui duce Varrone etymi rationem inde arceſſunt, quòd ab eo ſenſus & nerui initium capiant. *Caput* ſiquidem virtutis animalis domicilium eſt, rationis ſedes, corporis ſuprema pars atque potiſſima: quæ propterea non rarò ſynecdochicῶς pro toto homine poni ſolet. Quod ſpectat ad metaphoras, primùm quidem nullam earum reſpuit, B quas ſuprà commemorauimus, deinde etiam plures alias parit. Nam & caput quoque montis dicitur, & caput anni, caput etiam rei, caput prouinciæ, gentis, populi, religionis, vrbium, numeri, fœnoris. Sed præter hæc non pauca nominatim eo verbo notata reperio. Nam & caput aquæ legi apud Vitruuium lib. 8. cap. 1. quod ſic interpretatur Vlpian. *ff. de aqua quotid. & æſtiua. lib. 43. l. 1. §. caput*, vnde aqua naſcitur: in quo ſenſu frequenter vtitur Frontinus lib. 1. de aquæductibus. Capita contuberniorum decanos vocat Vegetius lib. 2. cap. 8. qui decem militibus præeſſent. Tribunos, ipſoſque præfectos itidem eo ita Scholarum nuncupat Ammian. Marcell. Caput Iuriſconſul. vita ſalúſque eſt. Hinc cauſam capitis dicunt, in qua vita ſalúſque hominis in periculum vocatur. Dicunt C etiam caput teſtamenti pro articulo, & caput legis, edicti, mandati, ſententiæ. Poſtremò caput etiam ius ſignificat libertatis, ciuitatis, familiæ. Hinc qui libertate priuatur, capite minui docent: & qui exilio damnatur, quoniam ius ciuitatis amittit. Denique qui arrogandum ſe dederit, aut emancipatus fuerit, etiam capite minuitur. Hoc eſt, eo iure priuatur quod in domo patris, aut gente & agnatione obtinebat; veluti legitimarum hæreditatum, tutelarũ, &c. Verùm hæc nihil aut parum conferunt ad rem quam quærimus. Argumento duntaxat eſſe poterunt vix vllo numero tranſlationes comprehendi poſſe, quæ à capite ad res varias traductæ ſunt. At verò caput ipſum quibus partibus conſtet, quæq; munia habeat, aut virtutibus inſtructũ ſit, operæpretiũ erit agnoſcere. D Hinc enim maximè ſecundum quandam analogiam eius denominatio rebus alijs tribuitur. quo in genere nemo quemquam meritò ac iure obiurget, qui ſe intra proportionis fines contineat.

Vnde caput Latinis. Fungerus.

Metaphoræ.

Vitruuius. Vlpianus.

Vegetius.

Caput quã variè à Iuriſcõt. vſurpatum.

Capitis præcipuæ partes & munera deſcribuntur.

QVÆST. XI.

HOminem, inquit Laurentius Medicus in eo lib. quem de humani corporis ſtructura ſcripſit, ob naturæ maieſtatem miraculum mi-

Laurentius Medicus.

CAPVT IN TRIBVBVS, &c.

raculorum, animal adorandum, & venerandum à sapientissimis Ægyptiorum sacerdoti busappellatum fuisse constat. Maiestatis porrò imaginem licet vbique habeat expressam; lucent tamen in capite plures diuinitatis illius, & principatus animæ radij. Quid sine capite est homo? iacet mehercule, iacet sine honore, sine nomine, quasi truncus iners, & ignobilis: sola Principum capita, auro, ære, marmore sculpta in pretio sunt, per caput iurabant veteres, capitis nutu pacta confirmabant, caput vbique plenissimum maiestatis. Hactenus Laurentius. Inde factum arbitror, vt cùm Veteres singulis corporis partibus singulos præficerent Deos, & frontem quidem Genio, dextram fidei, genua Misericordiæ, cinctum Marti, aures Memoriæ, supercilia Iunoni, oculos Cupidini, renes & inguina Veneri, digitos Mineruæ, pectus Neptuno, talos & plantas Thetidi, pedes Mercurio, dorsum Plutonis fidei commendarent, caput in Iouis Opt. Max. tutela ac præsidio esse vellent: qui, sicut caput neruorum sensuúmque principium est, ita credebatur autor esse vitæ, motúsque rerum omnium. Verùm alij principem membrorum suis laudibus ornent, nos enim desertor perfidia aliò vocat. Laurentius sanè eo loco quem diximus, cùm plura eius ornamenta eleganti penicillo depinxisset, tum hæc addit: Quid eius fabricæ concinnitatem loquar, quid solertem naturæ in eius structura solertiam? quid huius regiæ domus columnas, & concamerata inuolucra, quæ superbæ molitionis ingentem molem suffulciunt? quid atria? quid thalamos? quid sinus quatuor, quid speculum lucidum? quid arteriolarum inexplicabiles mæandros, & quasi labyrinteos flexus? miror profectò, & cum vetustissimo Zoroastre exclamare cogor; ô homo audacis naturæ miraculum! Ita Laurentius. Sed hoc magis ad scopum quod ait, cerebri gratia illud constructum esse. Hinc enim motus sensúsque velut è suo fonte ad reliquos artus manant. De quo etiam hæc habet:

Encomia capitis.

Lilius Gyraldus syn tag. 1. deor. Gentil.

Hadria. Iunius li. 4. Animaduersor. c. 12.

Cerebri descript.

Cerebrum viscerum est excellentissimum, proximúmque cælo, hanc habent sensus arcem munitissimam, hic culmen, hic vigor, hic mentis est regimen: est cerebrum non modò sensuum sedes, & motuũ προαιρετικῶν artifex, membrorum vastissimas moles, & musculorum prætumida corpora neruorum fibris, quasi funiculis, non sine admiratione trahens, sed & sapientiæ est domicilium, memoriæ, iudicij, cogitationum, quibus opifici Deo humanum genus redditur simillimum. Plato diuinissimum hoc appellat membrum, nec solum præcipuum, sed etiam totum in corpore. Homerus ἱερὸν nominat, quòd ad instar primi orbis eius vi, ac illustratione inferiora moueantur, ac sentiant: hic sacram Palladis arcem Poëtæ locant, dum eam è Iouis cerebro natã fingunt; propterea à cerebri esu, tanquam à re sacra abstinebant veteres, & sternutantibus bene precabantur. Quod denique in mundo est cælum, in homine est cerebrum: illud intelligentiarum, hoc rationis est domicilium. Hæc Laurentius. Quæ prius etiam cùm alij plures, & in primis S. Theodoretus

S. Theod. orat. 3. de prouid.

A qui reliquos omnes eloquentia facilè superarit, tum S. Ambrosius elaborato illo stylo suo descripsit Hexamer. lib. 6. cap. 9. Agnoscamus, inquit, humani corporis fabricam instar esse mundi. Siquidem vt cælum eminet aëri, terris maria, quæ velut quædam membra sunt mundi: ita etiam caput supra reliquos artus nostri corporis cernimus eminere, præstantissimúmque esse omnium, tanquam inter elementa cælum, tanquam arcem inter reliqua vrbis mœnia. In arce autem hac, regalem quandam habitare sapientiam secundùm Propheticum dictum. *Quia oculi sapientis in capite eius:* hanc esse cæteris tutiorem, & ex illa membris omnibus vigorem prouidentiámque deferri. Quid enim robur, & validitas lacertorum proficiat, quid velocitas pedum, nisi capitis velut Principis sui imperia- B lis quædam adminiculetur potestas? Ex hoc enim destituuntur vniuersa, aut omnia fulciuntur.] Mox idem deflectit ad officinas sensuum, quos suis officijs describit, & in capite collocat communem sententiam sequutus. Quippe etiam Medici, tametsi caput cranio potissimùm ac cerebro velut duabus partibus constare velint, quas subinde in partes vndecim Auicenna distribuit: attamen frontem ósque non audent à capite auellere. Itaque nos quoque reliqua sensuum organa præter tactum, qui toto corpore æqualiter fusus est, capiti ascribemus: nec tamen colligemus omnia, sed vno duntaxat exemplo oculorum contenti erimus. Quid enim agat fortitudo, inquit, nisi oculo duce vtatur in prælium? Quid fuga, si desit obtutus? Carcer est toC tum corpus, tenebroso inhorrens situ, nisi oculorum illuminetur aspectu. Quod ergo Sol, & Luna in cælo, hoc sunt oculi in homine. Sol, & Luna duo mundi lumina: oculi autem quædam in carne sidera fulgent desuper, & inferiora claro illustrant lumine, nec patiuntur noctis quibusdam nos tenebris implicari, speculatores quidam nostri die, ac nocte excubant. Nam & ex sopore membris cæteris citius excitantur, & vigilantes circunspectant omnia, &c. quæ pari studio ac splendore sermonis vir admirandus copiosè explicat. Tametsi enim longè plura sunt quæ oratione expoliri mereantur, nunc tamen haud libet diutius immorari, sed statim hæreticis respondendum est.

CAPVT IN TRIBVBVS, &c.

S. Ambros.

Oculos describit S. Ambrosius.

D *Respondetur reliquis Hæreticorum obiectionibus, & concluditur, Summum Pontificem Ecclesiæ caput aspectabile iurè ac meritò dici posse.*

QVÆST. XII.

A Capite, inquiunt, motus & sensus per neruos in membra defluunt: at nullus homo id præstare potest, vt ex seipso, per compages & commissuras, Ecclesiæ membra diuino spiritu viuificet. Verum quidem est, ô viri perduelles, præcipuum illud esse cerebri munus ac officium, vt in reliquos artus instillet, quo mouere sentiréque valeant: sed aliunde tamen à re-

nem

CAPVT IN TRIBVBVS, &c.

liquis capitis cùm partibus, tum circunstantijs, translationes duci possunt. Nam à situ quoque ab ordine, dignitate, figura, speculandi studio, plura secūdùm analogiam dicta esse capita probauimus. Quod cùm ita sit, retuso, vt aiunt, vomere terram sulcant, & frustrà nituntur. Tametsi enim hoc concedam, quod vrgent, neminem hominem efficere posse; ex alia tamen comparatione adhuc Pontifex Ecclesiæ caput dici poterit. Superiora non repetam: at possunt, vt ipsi quoque asseritis, Reges & Magistratus capita populorum dici. Quo argumento, quibus indicijs? Quia ciuilis ab eis gubernatio impenditur, & ab eis bonas leges, & ciuiles impulsus expectare possumus. Itane vobis præ Regno Ecclesia sordet, vt non sentiatis paribus de causis Pontificem caput Ecclesiæ asseri posse? Ab eo Prædicantes, Ecclesiastica gubernatio impenditur, ab eo bonas leges, & Ecclesiasticos impulsus expectare possumus. Verùm in Ecclesia aiūt, non de ciuili agitur vita. Quid tum? non enim ciuile caput Pontificem asserimus, sed Ecclesiasticum: agitur autem in Ecclesia de Ecclesiastica vita. Quinimò, ait impia turba, agitur de spirituali vita ac æterna, quam nisi à Deo expectare non possumus. O acumen ingenij! quam nisi à Deo expectare non possumus. Ergo ea nunc expectatur, vt docet Apostolus, & adhuc tota in spe est, & hoc interim spatio dum eam consequi liceat, cui nunc præstolamur, Ecclesiasticam vitam degimus, quam ille regit, qui eandem moderatur & gubernat. Sed tu scilicet, hæretice, cùm sis onagro similis, *te liberum natum putas*, nec claue, aut vinculis, quibus Ecclesiæ Præsules Christus instruxit, intra septa cohiberi potes. Nullus tamen mortaliū Ecclesiæ membra viuificare potest. Excæcat te malitia tua: resipisce miser, teq; ipsum dispice. Fides Ecclesiæ membra viuificare potest? Affirmas. Cedo iam vnde *fides? ex auditu*. Qua fronte igitur negas quemquam mortalium Ecclesiæ membra viuificare posse? Quæram iterum, Baptismus an viuificet? an peccatorum remissio? an Dominicæ carnis epulum? Scriptura apertè prædicat. Atqui hæc omnia Præsul Ecclesiæ membris administrat, exhibet, infundit, conficit. Veruntamen in his omnibus Deus est, inquis, & non homo, qui viuificat. Tam acutus homo es, vt penè mihi persuadeas te caput non habere. Solus enim Deus est, qui, vt vitam, sic quoq; sensum & motum impertiri potest. Hinc proximè sequitur, vt cerebro careas, in quo sedem animi Philosophi esse voluerunt. Quod si supremum membrum humani corporis caput dicitur, tametsi reuera ex seipso neque sensum, neq; motum conferre queat, sed solus Deus, qui eius generis instrumentum naturæ concessit ad humanæ vitæ præsidium; nec plus efficere possit quàm Deus dederit: cur tandem summus Pontifex, quo Ecclesiæ suæ membro nobilissimo ad alendam ac propagandam reliquorum membrorum vitam Deus vti decreuit, ob similitudinem, translata denominatione à corpore humano ad Ecclesiam, eiusdem caput dici non poterit? Fortè dices: Quoniam cerebrum suapte vi ac natura motum ac sensum corporeæ moli infundit,

Ipsissimis hæreticorum argumētis probatur Pontificem caput Ecclesiæ iurè vocari.

Soluitur obiectio.

quod Pontifici tribui non potest. Verumenim-
A uerò licet Pontifex, aut allegati ab eo concionatores, diuina mysteria populos doceant, non tamen ipse aut fidem confert, aut vitam efficit. non enim ea est humanæ vocis vis atq; potētia. Sed subsidio vocis tanquam è somno mortales excitantur: deinde vbi se Deus insinuarit, ac penitus in animam immerserit, tum eius gratia viui potest. Ex quo magis conficitur, vt cum Baptista vox dicendus sit, quàm vt capitis nomen ferat. Quinimò, acephale, hoc solùm efficies, ne cerebrum potius quàm totum caput videatur. Tametsi enim spiritum, quem loquentes ducimus, pulmones alterna vicissitudine reciprocent, ore tamen verba frangimus, & ratione elaboramus, quæ capitis caput & summa est. Quamobrem, siue suapte natura quid ha-
B beat, vt vitam dare tueriue possit: siue iam semel constituta natura diuino beneficio consequutum sit, vt non proprijs quidem viribus, sed diuina autoritate idem largiatur: caput appellabitur: sed prius quidem propriè, quia naturale est; posterius metaphoricè, quia prioris vim & efficacitatem in aliena specie imitatur. Nam quod humanum caput naturali officio, hoc Pontifex in Ecclesia accepta à Deo potestate effectum reddit: quæ satis apta proportio est, & digna, quæ capitis dignitatem Pontifici conciliet.

At iubes scriptum ostendi, alioquin minimè crediturus. Siquidem Paulus in Epistolis ad Rom. & Corinth. cùm Ecclesiæ membra dinumeret, capitis nusquam meminit, quod vlli hominum tribueret: sed illud duntaxat Christum
C esse docuit, ad Ephes. 1. cap. Mirus homo es: Scribi vis omnia, nec legere curas. Esto, Apostolus propositam quæstionem non attigerit, an propterea reliquis eiusdem operis autoribus fidem deroges? Dignus profectò cælestis sponsus, cui de sponsa referenti non modò aurem accommodes, sed etiam autoritatem adiungas. Is porrò Cantic. cap. 4. plures capitis eius partes, oculos, comam, labia, genas, admirabili stylo describit, quæ vtique diuersa sunt ab ijs, quæ de Sponsi capite eadem prædicat cap. 5. vers. 11. *Caput eius*, inquit Sponsa, *aurum optimum*: deinde reliquas eius partes eodem penicillo depingit. At Sponsæ caput cap. 7. cum Carmelo confertur: cuius *nasus sicut turris Libani*; duo lumina, *sicut piscina in Hesebon*; *coma*, *sicut purpura regis*
D *vincta canalibus*. Quæ omnia tametsi nihil repugnet secundùm quandam analogiam etiam Sponso ascribi, quandoquidem tamen hæc separatim de Sponsa Scriptura prędicat, & Sponsi alterum exemplar proponit, alienum facturi videmur à boni interpretis officio, si, quæ Sponsæ sunt, contra Scripturæ sententiam Sponso asciscamus. Accedit præterea, quòd cùm Salomon vsus esse credatur exemplo delitiarum suarum, ad pingenda spiritualia mella & amores: seu foret illa Pharaonis filia, quam plurimi fecit: seu quælibet altera quam mutuò deperiret, vtique sine capite esse non potuit; quin potius id habuit artis ac studij sui præcipuum argumentum, quod pigmentorum suorum flore colorarct. Denique, vt aurū Sponsi, sic Carmelus

CAPVT IN TRIBVBVS, &c.

Probatur habere Ecclesia vt sponsa est, caput distinctum à sponso, & describitur ex Script.

CAPVT IN TRIBVBVS, &c. Sponsæ capiti magis conuenit. Nam auri decor natiuus est, & perpetuus; mòtis, vt videtur, ascititius: quem imber educat, æstus torret, pruina decoquit. Sic Sponsus ipse quidem sibi splendoris autor est: at Sponsa quicquid habet decoris & ornamenti Sponsi fauore consequitur. Quapropter etiam comæ illius Regis purpura feruntur tingi. Nasus porrò illius, qui cum specula montis Libani confertur, Petri fides est, quæ hæreses odoratur diligentiùs, & inuestigat sagacissimè. At oculi piscinis similes præsentem rerum statum deplorant. Nam quî fieri possit, vt caput Ecclesiæ Pontifex non plurimùm lacrymis indulgeat, quem viscerum dolor, quem omnium membrorum periculum torquet & angit? quem totius Ecclesiæ cura solicitat? *Quis infirmatur*, inquit, *& ego non infirmor? quis scandalizatur & ego non vror?* Habes itaque etiam ex Scripturis, hæretice, Ecclesiam, cùm sponsa est, haud carere proprio capite, ne monstrum Christus adamasse videatur.

Eandem conclusionem SS. Patres suo calculo confirmant.

QVÆST. XIII.

Etsi verò Scripturæ id nominis nusquam vsurpassent, attamen Sanctis Patribus credere debueras, qui quod Christus Ecclesiæ Præsuli concessit, eo nomine commodè exprimi posse censuerunt. Nam Concilium Nicænum primum, in canonibus ex Arabico translatis, Canone 39. eum, qui Romæ sedem nactus esset, *caput* nominat, & principem omnium Patriarcharum. Nec aliter posterius quoque Nicænum post aliquot secula sensit, Romam *caput Ecclesiarum* pronuntians actione 2. id quod S. quoque Athanasius prædicat in epistola sua ad S. Marcum Papam. Et approbat Chalcedonensis Synodus, actione 1. Vos *caput* estis, inquiunt, Archimandritæ & Monachi secundæ Syriæ, S. Hormisdam Roman. Pontificem appellantes per epistolam circa ann. 514. Sed nihil eorum te mouet autoritas. Ne Optati quidem? Veruntamen hunc virum plurimi semper fecit S. Augustinus, quem etiam cum SS. Cypriano & Ambrosio conferre ausus est. S. Maximus Taurinensis hom. 2. in Natali S. Laurentij, S. Sixtum Pontificem *caput* vocat, cæteros membra Ecclesiæ; sicut & Lyrinensis Vincentius eiusdem æqualis cap. 41. contra hæreses. At S. Prosper Aquitanicus qui eosdem proximè sequitur, & floruit circa annum 460. De ingratis cap. 2. cecinit.

[Conc. Nic. vtrumque. S. Athanas. Chalced. Synod. S. Optatus. Maximus. Vinc. Lyri. Prosper.]

Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris
Facta caput mundo, quicquid non possidet armis
Religione tenet.

Rab. Maurus. Rabanus Maurus eo longè iunior Gregorium Quartum alloquens initio lib. de laude Crucis,

Tu caput Ecclesiæ es, inquit, primus Patriarcha
per orbem,
In terra positus claniger æthereus.

Alcuinus. Rabani præceptor Alcuinus idem prius scripserat soluta oratione lib. de diuinis Officijs cap. 19. Religionis cultum, inquit, sic Dominus instituit, vt in beatissimo Petro Apostolorum summo principaliter collocaret, atque ab ipso quasi quodam *capite* dona sua vellet in corpus omne manare. Nec dissentit Alcuini præceptor habitus Venerab. Beda Romam docens per summos Christi Apostolos *totius Ecclesiæ caput* eminere, Homil. in Natal. S. Benedicti. Id quod pluribus ante seculis S. Eugenius affirmauerat cum reliquis Africæ Episcopis; vt autor S. Victor Vticensis lib. 3. de persequutione Vandalica. Florebat Ennodius ætate quinta; nec eo multò iunior Possessor Episcopus ann. 520. attigit. Vterque Romanum Pontificem Ecclesiæ caput asserit: prior quidem lib. de Synodis sub S. Symmacho habitis: alter in Epistola ad S. Hormisdam Papam. Accedũt ad hos SS. Theodorus Studites in epist. ad Paschal. PP. & Bernardus epist. 125. & B. Damianus in vita S. Barbatiani. Sanctus item Bonauentura part. 6. Breuiloquij, cap. 12. Christus, ait Hugo Etherianus lib. 3. de Spiritus sancti processione, cap. 17. Petrum, eiúsque successorem Principem & caput, non modò Latinorum, Græcorum, Occidentis ac Septentrionis vniuersi: verùm Armeniorum, Arabum, Indorum, Madianitarum, Amalechitarum, & totius Orientis, & Meridiani climatis in perpetuum constituit. Hæc ille. Cuius doctrinam omnium quæ vbique sunt Ecclesiarum testimonia confirmant. Verùm nos singula referre non possumus: vnum duntaxat afferemus in medium, quod instar omnium esse poterit, vt huic tandem quæstioni finem imponamus. Palàm est, inquit Nicodemus Æthiops in epist. ad Eugenium Quartum missa, eos qui à Romana Ecclesia defecerunt, corruisse: & dum quisque suam fidem veriorem prædicat, relicta Apostolorum sententia, in vias sui sensus abijsse omnes: Æthiopicam tamen integram & liberam perdurasse, quia nequaquam perfidia, & & voluntaria defectione (vt aliæ Ecclesiæ) peccasset, ac propterea in seruitutem & exterminium non incidisse, sed locorum distantia, & itinerum periculis seiunctam fuisse, necnon Pontificum negligentia accidisse, vt nulla visitationis memoria, aut literarum ratio à quingentis annis apud eos extaret. Nihilominus Æthiopes tanta veneratione sedem Romanam colere, vt pedes eorum osculentur, qui Roma veniunt in Æthiopiam, &c. Et iterum ibidem, Pontificem autem (de Rege, atque adeò vniuersa Æthiopia loquitur) *omnium Ecclesiarum caput* fatetur, suóque splendore orbem illustrare, cui omnes Patriarchæ, Episcopi, Imperatores, & Reges inclinantur. Nec se Legatos disputandi gratia mittere, sed vt summi Pontificis sententiam de fidei rebus sequantur. Quis enim Soli lumen inferat? &c. quæ habet ibidem Nicodemus Æthiops.

[CAPVT IN TRIBVBVS, &c. Venerab. Beda. Eugenius. Ennodius. Possessor Episcop. Theodor. Studites. Bernard. Damianus. Bonauent. Hugo Eth. Nicodem. Æthiops.]

Ex quibus omnibus, cum Petro Blesensi hoc tandem concludo: Quod igitur stipiti rami, quod capiti membra, quod Soli radij, quod fonti riuuli, hoc Apostolicæ sedis eminentiæ debent omnes Ecclesiæ, quas vbique terrarum religio Christiana fundauit. Petrus Blesens. ep. 45.

VERS.

ET MISIT TE DOMINVS, &c.

A

VERSVS XVIII.

Et misit te Dominus in viam, & ait: Vade & interfice peccatores Amalec, & pugnabis contra eos vsque ad internecionem eorum.

Variæ trāslat.

ET *misit te Dominus in viam.*] Vatablus Salmant. *in expeditionem. Vade & interfice.*] Καὶ ἐξολόθρευσον τὸν ἀμαλὴκ, *destrue Amalec.* Hebraicè, והחרמתה *vehahkaramthah.* Pagninus, *& perde.* Arias, *& anathematizabis. Peccatores Amalec.* Vatablus distinguit *peccatores, nempe Amalec.* Complut. τὸν ἀμαλὴκ τοὺς ἡμαρτηκότας εἰς ἐμέ. *Amalec eos qui peccauerunt in me.* Aldus plura legit, ἐξολόθρευσον τὸν ἀμαλὴκ, καὶ ἀπολεῖς τοὺς ἁμαρτάνοντας εἰς ἐμέ. *Et destrue Amalec, & interimes siue auferes peccantes in me.* Quidam, *Et cùm mitteret te Iehoua in expeditionem hanc; dixit, Abi, vt internecioni deuoueas peccatores istos Amalekum, & oppugnes eum, vsque adeo vt tui isti consumant eos.* Alter, *extermina peccatores Amalec, & pugna contra eos, donec eos consumas.*

B

Hesiodus.

Vade, & interfice peccatores Amalec, &c.] Hesiodus oper. & diei lib. 1. ait:

Hoc enim statuit decretum Iuppiter ipse,
Pisces atque feras, & aues per inane volantes,
Mordere inter se, quia ius nescire videntur.

At nunc etiam homines iubet seipsos lacerare & dare prouerbio locum, quo *homo homini lupus* esse asseritur. Quis adeò immiti sententiæ non detrahat? quis tam atrox edictum putet à diuina illa clementia proficisci? Veruntamen, vt scribit Hierocles apud Stobæum Eclog. Physic. cap. 7. Ne illud quidem omittendum est, quamuis malorum non sint autores Dij, tamen ea quibusdam conciliare, & fortunæ corporisque incommodis meritos afficere, non vlla malignitate ductos, aut quòd cum ærumnis homines conflictari æquum censeant, sed vindictæ causa. Nam quemadmodum pestilentiæ, & siccitates, eluuiones, terræmotus, ac similia ferè quidem de naturæ causis existunt, nōnunquam etiam à Dijs emittuntur, cùm delicta multorum publicè puniri tempus postulat: ita singulis etiam dij interdum fortunæ corporisue conciliant incommoda, quibus ipsi quidem puniantur, admoneantur autem reliqui. Hactenus Hierocles.

Hierocles apud Stobæum in Eclogis.

Deus variis pœnis hominū scelera vindicat.

Quamobrem verò tam serò Deus puniat, docet Theodectes apud eundem.

Quare Deus serò puniat.

Quisquis deos mortalis increpat, quia
Nunquam statim, verùm diu pòst puniunt
Nefariorum scelera, causam intelligat.
Si namque confestim subiret vltio,
Multi metu, non moribus ducti pijs,
Colerent deos. at vltione nunc procul
Sita, sequuntur quisque naturam suam.
Sed cùm scelesti deprehensi patuerint,
Dant postero pœnas abundè tempore.

Suidas in eodem verbo.

Vltricem Dei iustitiam Veteres Adrastiam dixerunt, sicut & Nemesim, quam eo nomine frequentes olim coluerunt. Vitari non posse cùm Poëtæ tum Philosophi docuerunt. Inde ductum nomen ἀδραστείας: vel ab Adrasto Rege Argiuorum, quem sua pessundedit arrogantia: vel à verbo δρᾶ.. δρῶ, & α priuante, quo pacto significat ineuitabilem. Quapropter etiam alata fingitur à Poëtis, & rota pedibus supposita citissimè discurrere. Frænum tamen additur, & mensura cubiti, quo indicet absque fræno & mensura nihil agi oportere. Νεμεσάω. ῶ, Græcis succensere significat, indignari, & in quempiam iure animaduertere. Hinc dicta Nemesis vindex iustitia est. Nonnulli tamen nuncupatam malunt ἀπὸ τῆς ἑκάστῳ διανεμήσεως: id est, à distributione, quæ vnicuique fit. Nemesis porrò dea est, inquit Ammian. Marcel. vltrix facinorum impiorum, bonorúmque præmiatrix: arbitra rerum, regina causarum, quam Theologi veteres fingentes Iustitiæ filiam, ex abdita quadam æternitate tradebant omnia despectare terrena. Pomponius Lætus scribit plerosq; eam existimasse fortunæ vim; nonnullos etiam vim quandam inter cælestes discurrentem, quæ rebus humanis trutinam adhibeat. Euripides in Antiope, Iustitiam Temporis filiam prædicat.

SED VERSVS AD PRÆDAM ES.

Dei iustitia vitari non potest.

VERSVS XIX.

Quare ergo non audisti vocem Domini: sed versus ad prædam es, & fecisti malum in oculis Domini?

C

VAtablus: *Cur ergo non paruisti præcepto Domini? quin ad prædam versus, designasti quod malum est in oculis Domini. Ad prædam versus es.*] Chald. Paraphr. *respexisti super prædam.* Editio Rom. Septuag. Interpr. legit, *irruisti.* Theodoretus legisse videtur, *sed transgressus es irrumpens in spolia.* Edit. Aldina addit, κατὰ πάντα ὅσα ἐλάλησέ σοι: *Quare non audisti vocem Domini secundùm omnia quæ loquutus est tibi?* Alij, *Sed contendens ad prædam, fecisti, &c. Sed diuertisti ad prædam.* Quidam, *ad spolia.* Vna est omnium sententia, quam Vulgatus expressit.

Variæ trāslat.

Quare ergo non audisti vocem Domini?] Fortuna, & opes, & ingētis victoriæ lætitia animum hominis extulerant. Humanum iudicari poterat, si beneficij memor & correptus peccatum agnouisset. Blanda quippe & adulatrix felicitas mentem hominis transuersam rapit, & se allidit ad superbiæ scopulos. Vidit hoc Martialis cùm mores pristinos Prisco spondere veritus est, si fortunam mutaret.

D

Fortuna mutat mores.

Sæpe rogare soles, inquit, qualis sim Prisce futurus:
Si fiam locuples, simque repentè potens.
Quemquam posse putas, mores narrare futuros?
Dic mihi, si fias tu leo, qualis eris?

Martialis.

Et apud Macrobium li. 2. Saturnal. cap. 7. laberius Comicus,

Summum ad gradum cùm claritatis veneris,
Consistes ægrè: & citiùs quàm descendas, decidēs.

Sed versus ad prædam es.] Saul antea dixerat: *Pepercit populus melioribus ouibus & armentis vt immolet Domino Deo tuo.* Hanc excusationem Samuel refutat, cupiditatem exprobrat, &

Sed versus ad prædam es.

hypocrisim detegit. Fingis te pietatis studio fecisse prædam vt esset quod immolares, cùm potius auaritiæ studeas, & peculij magis quàm diuini cultus rationem habueris. at Deo fucum facere non potes: nouit enim quid cogites, & lynceis oculis ad intimos sensus tuos penetrat. quinetiam eo grauius succenset quod ausus sis religionis speciem sacrilegio prætexere. Hypocrisim Græci dictam volunt ab ὑπὸ quod est sub, & κρίσις iudicium. latet enim hypocritæ consilium. nam aliud palàm venditat, aliud clanculùm quærit. Hebræis תוך *thoch* hypocrisim significat, & dolum seu fraudem in corde reconditam. Dauid psal. 10. *Cuius maledictione os plenum est, & amaritudine,* ותך *vathok, & dolo.* De Saule dictum videri possit. Radix est תוך *thoch*, quæ medium significat. nam quod foras erumpit, fingitur; medio corde tegitur quod hypocrita captat. Quapropter etiam צבועים *tsebuim* alio nomine hypocritas dixerunt à verbo צבע *tsabaa*, quod est tinxit, colore infecit; quod peregrino fallant oculos colore. Hinc etiam viperæ nomen deducunt qua nihil nocentius: & pardalis appellationem Arabicam *seba*, qua nulla fera truculentior, toto corpore maculis aspersa; quibus notis hypocritam maximè repræsentat. Communior tamen dictio qua Scriptura vtitur in designandis hypocritis, ipsa est חנף *hhaniph*, quæ velatum nubilum obscurum denotat. Inde Græcis νέφος nubes, & νεφώδης nebulosus, νεφέλιον nebula: Latinis nebulo. talis est omnis hypocrita. Radix porrò est חנף *hhanef*, personã assumpsit, occultè peccauit, &c. Quàm verò grauiter Deus hypocritas oderit, apparet ex varia trãslatione interpretum, qui חנפים *hhanephim* modò superbos, pollutos, modo impios, gentiles, apostatas exponunt, ita vt Samuel non temerè videri possit mox Saulis peccatum cum idololatria conferre. Hieremiæ cap. 23. vers. 11. *Propheta namque, & sacerdos* חנפו *hhanephou*, Vulgat. *polluti sunt*; Septuag. ἐμολύνθησαν; Pagninus, *peccauerunt*; Targum, *suffurati sunt vias suas*; Arias propriè, *hypocritæ fuerunt*. Esaiæ ca. 33. vers. 14. legimus *Possedit tremor* חנפים *hhanephim*. Vulgat. *hypocritas*; Græci, τοὺς ἀσεβεῖς *impios*. Syriace Matthæi 18. vers. 7. *Sit tibi sicut* חנפא *hanpha*; Græcè, ὁ ἐθνικός; Latinè *sicut Ethnicus, Gentilis*. Iterum Matthæi 10. *In viam* חנפא *hanphe*, *Gentium ne abieritis*. Postremò 1. ad Corinth. cap. 12. vers. 2. *Scitis quoniam cùm Gentes essetis ad simulacra muta prout ducebamini euntes.* Syriacus Interpres *Gentes* vertit *Hanphe*. Apostolus Græcè scripserat ἔθνη.

Hypocrisis Græcis Hebræisq; vnde dicta sit, & quantũ malum.

Hypocrisis igitur haud leue peccatum est, quæ cum idololatria confertur. Illa porrò dignum fuit vt aiunt patella operculum. Nam quod Saul studuit occulere, auaritia fuit. Hanc verò, siue τὴν πλεονεξίαν, cùm Colossenses admoneret Apostolus vt fugerent, addidit: ἥτις ἐστὶν εἰδωλολατρεία, *quæ est idololatria*. Nam qui sectatur auaritiam, & opes sitit, vero Deo contempto diuitias vt numen colit. ὁ πλεονέκτης, inquit idem Apostolus ad Ephesios cap. 5. vers. 5. ὅς ἐστιν εἰδωλολάτρης, *auarus idolorum seruus est*. Verùm quidam hyperbolen esse existimant, si auarus est cultor idolorum. Sed non est hoc, inquit S. Chrysostomus orat. 18. in cap. 5. ad Ephes. verbum hyperboles, sed veritatis. Veruntamen, inquis, idolum non feci, neque aram statui, neque oues sacrificaui, neque vinum libaui. Quomodo ergo adoro idola? Quid enim est idololatra? An non ipse quoque sæpe adorat affectiones atque animi perturbationes? Non, inquis, sed Venerem, sed Martem. Et si dixerimus, Quænam est hæc Venus? qui sunt ex eis grauiores & honestiores dicunt, Voluptas. Et quis Mars? Ira etiam tu Mammonam. Si dixerimus, Quænam est Mammona? Auaritia. Et tu hanc adoras. Non adoro, inquis. Quare? quoniam non teipsum inflectis & incuruas? Multò magis adoras per facta & res ipsas. Hæc enim est maior adoratio: & vt discas, vide in Deo. Quinam eum magis adorant, iine qui solùm stant in precibus, an qui faciunt eius voluntatem? Ita etiam in Mammona, qui faciunt eius voluntatem, eam magis adorant. Atqui illi qui adorant affectiones, & animi perturbationes, sæpe ab illis absunt. Videris enim cultorem Martis, iram sæpe vincere ac reprimere. In te autem non ita habet, sed te in seruitutem redigis tuæ affectionis & animi perturbationis. Deinde agens de sacrificijs, ostendit, quomodo non oues quidem, aut capras, aut quodlibet vile pecus immolat, sed humanas hostias; à quibus etiam Gentiles abhorrent. Et, quod hoc quoque grauius, cum alijs pluribus seipsum quoque iugulat, qui Auaritiæ rem diuinam facit. Nam quòd plurimos quidem auarus fame enecet, aut vario mortis genere interimat, quotidianis exemplis manifestius est, quàm vt probari indigeat. At sibi ipsi vim affert ac vitam eripit, cùm à Deo deficiens, se in barathrum auaritiæ deijcit. Enimuerò *peccatum mors est animæ*. Et cætera, quæ mira eloquentia eo loco os illud aureum amplificat.

Ad Coloss. cap. 3. v. 5.

S. Ioann. Chrysost.

Sed versus ad prædam es.

Quod auarus non hyperbolicè, sed verè Idololatria sit.

Et fecisti malum in oculis Domini.] Regem vehementiùs obiurgat, nec hominis dignitati parcit, aut abstinet ab orationis acerbitate. Sunt verò qui similem in concionatoribus expostulandi cum regibus ac principibus viris libertatem laudent: sunt item qui accusent, nec modò inutilem, sed etiam periculosam cùm dicendi tum alijs pluribus afferant. Animi regum sæpè sunt irritabiles. Asperiore verbo lacessiti magis quàm repressi ad deteriora prolabuntur, &, tanquam reuulsis pudoris repagulis, impia multa facinora designant. Testis Asa 2. Paralip. cap. 16. Quid igitur, inquis, facto opus est? Quod das consilium? Disces ex S. Isidoro Pelus. lib. 3. ep. 397. Scio, inquit, persæpe mihi ipsi huiusmodi quoddam dedisse consilium: O Isidore, quoniam res magnæ magnis periculis confici solent, ea, qua decet, loquendi libertate vtere. Fortassis erubescent ij, qui in peccatis erubescere minimè norunt. Ac quidem fortasse aliquid efficies. Sin autem aliquid etiam iniucundi patiaris, cum Prophetis & Apostolis, atque alijs sanctis viris patieris, cum quibus tibi, qui vnus è vulgo es, optandum est, etiamsi non in virtutibus, at certè in perpessionibus numerari. Verùm ad hunc modum contra mihi ipse respondi: Alijs quidem in rebus præclarè loqueris, ac tibi

S. Isidor. Pelus.

Qua ratione vti in dicendo libertate deceat.

ET FECISTI MALVM, &c.

ac tibi morem gerere paratus sum. At quonam pacto liberè loquemur? Siccine, vt meram libertatem adhibeamus, an vt ipsam suauitate temperemus? Quosdam enim noui, qui acri ac vehementi obiurgationis genere sanati sunt: quosdam rursum qui eo obtriti sunt, atque ad grauiorem improbitatem eruditi: alios denique, qui moderatam admonitionem atque orationis libertatem ludibrio habuerunt, eámque pro nihilo putarunt. Quonam igitur modo quispiam tot morbis vnum remedium afferet? Quonam modo eos curabit, cùm causæ ex diuersis affectionibus oriantur? Ergo ad meipsum dixi, id quod etiam nunc ad te dico: Si tu solus futurus esses, qui operam luderes, cunctari, atque id munus defugere oporteret: cùm autem & Moses, & Elias, & Ioannes, pij ac Deo chari viri, neque consilio, neque libera reprehensione illos iuuerint, nec tamen propterea suis rebus deterius consuluerint, sermonis quidem libertati suauitatem admiscere oportet, diuinæ autem dextræ sanationem permittere. Mala enim propemodum ex seipsis omnes homines norunt: bona autem nec ab alijs quidem audientes, addiscere in animum inducunt. Hactenus Pelusiota. Exempla harum admonitionum cùm passim apud alios Scriptores, tum apud Cromerum nonnullo egregia, præsertim verò S. Stanislai Cracouiensis Episcopi, lib. 4. de Rebus Polonorum, in Boleslao 2. & item Sbignei eiusdem sedis Episcopi, lib. 20. & sequenti: sed illud tamen longè illustrius quod Gedeoni tribuit etiam Cracouiensi Episcopo lib. 6. in Miecislao Sene Rege Polon. apud quem cùm priuatim nihil proficeret, quin potius Rex ipse non sine Episcopi contumelia respondisset: Non ad cuiusquam præscriptum, sed suo arbitratu se gesturum esse principatum: Subornat, inquit, mulierem, quæ sordido & miserabili habitu assumpto, vbi in conspectum Principis venit, lamentabili voce. & eiulatu ementito opem eius implorat. Motus eius lacrymis & importuno clamore Miecislaus, accitam, quid queratur, quidue sibi velit, rogat. Ibi illa: Gregem se ouium numerosum habuisse, & filio commendasse, illum porrò mediastinis pascendum commisisse: eorum negligentia gregem à lupis dilaniatum, séque ad extremam inopiam inde redactam esse: rogare, vt cuius culpa damnum datum esset, ab eo præstaretur. Citati mediastini, qui pariter subornati venerant, negant sua negligentia damnum datum esse: verùm adolescentis, qui priuignus, non filius esset eius mulieris, culpa. Eum enim venationi deditum, feros canes alere: qui soluti, partim ipsi gregem laniarint, partim disiectum ac dissipatum lupis in prædam dederint. Eum igitur damnum præstare oportere: se neque canes abigere, neque dispersis ouibus succurrere potuisse. Aderat & adolescens, criménque in mediastinos conferebat: se præsidio gregi canes alere. Neque tamen satis illorum dicta refellebat. Cognita causa Miecislaus, cùm nonnihil cogitasset, condemnat matri siue nouercæ adolescentem damni infecti. Approbant, qui tum aderant senatores, principis iudicium. Ibi tum Gedeon. Iustè,

Cromerus.

Admirandi Episcopi in obiurgando ac monendo Principe libertas atque solertia.

A inquit, & sapienter iudicasti, princeps inclyte. Verùm tunc demum iusti & veri iudicis functus eris officio, si iudicatum ipse facias: & quæ in alios statuis, primus ipse in te præstes. In te ipse nunc iustam tulisti sententiam: te ipse condemnasti. Tu filius es huius amplissimæ dudum Reipub. Sed tu te priuignum eius haberi mauis. Tametsi non tam tua culpa hæc est, quàm aliorum. Te illa in lucem editum, ac tenerè educatum, ad hoc honoris fastigium extulit: tibi gregem suum, séque ipsam curandam atque tuendam cõmendauit. Tu porrò gregem eum nummarijs iudicibus & magistratibus tradis: tu feros canes, hoc est, acerbos & crudeles exactores & præfectos facultatibus & sanguine innocentium hominum saginas: quorum cæca cupiditate & asperitate fit, tenuiores vt à potentioribus, perinde quasi à lupis, impunè diripiantur & opprimantur. Hæc damna omnia ac incõmoda reipub. abs te præstanda sunt, quemadmodum ipse iudicasti, si non humano, at diuino quidem certè iudicio, quod nemo, quamuis magnus, quamuis potens, quamuis sapiens, recusare potest, aut effugere. Tandem post alia concludit: Ita autem existimato, per me tibi nunc vniuersam Rempub. ad genua tua accidentem supplicare. Quòd si preces eius repudias, illa quidem fortasse diuinitus salutem & præsidium nacta fuerit: at tu vltorem Deum experire, &c.

B

ET FECISTI MALVM, &c.

VERSVS XX.

C

Et ait Saul ad Samuelem: Immò audiui vocem Domini, & ambulaui in via per quam misit me Dominus, & adduxi Agag regem Amalec, & Amalec interfeci.

VERSVS XXI.

Tulit autem de præda populus oues & boues, & primitias eorum quæ cæsa sunt, vt immolet Domino Deo suo in Galgalis.

D

PAgninus: *Immò obtemperaui voci Domini, & ambulaui per viam per quam me misit Dominus; & adduxi, &c. & hamalec perdidi.* Verti etiam poterat *anathematizaui.* nam eadem voce vtitur, quam suprà versu 17. *Anathematizabis.* Arias interpretatus est, à verbo חרם *haram,* quod est *anathemate deuoueo.* Sed & mox versu sequenti eodem vtitur. *Tulis autem populus, &c. primitias eorum quæ cæsa sunt.*] Pagninus, *de optimis eorum quæ perdenda erant.* ראשית החרם *reschith hahherem, initium anathematis.* Varablus Laurentij, *præcipua* anathematis. Alter quidam, primitias anathematis. Complut. Vatabl. *Præcipua ipsius harem, vt sacrificet ea Domino Deo tuo in*

Variæ trãslat.

IMMO AVDIVI VOCEM DOMINI, &c.

Ghilgal. & in Ecphraſi hæc annotat. Hebraiſmus eſt, *primitias anathematis,* id eſt optima quęque, animalia præſtantiſſima quæ delenda erant & perdenda. Chaldęus Paraphr. *in principio anathematis*, id eſt, priuſquam inciperet interficere animalia. Complutenſes hæc legunt apud Paraphr. Chald. *Et ſeparauit populus ex præda oues & boues, antequam exciderentur, ad ſacrificandum ante Dominum Deum tuum in Gilgela.* Edit. Ald. Septuaginta Interpretum, τὰ πρῶτα τοῦ ἐξολοθρεύματος *prima exterminationis*. Complutenſis, τὰς ἀπαρχὰς τοῦ ἀναθέματος, *primitias anathematis*. Quidam denique, *præſtantiſſimum illius anathematis*. Quod autem ait, *Tulit autem populus*, idem valet, acſi diceret, Iniuriam facis, quòd me ad prædam dicis contendiſſe: non ego feci, ſed populus, à quo timui, infr. verſ. 24.

Pauſanias.

Immò audiui vocem Domini, &c.] Apud Pauſaniam in Atticis legimus fuiſſe quondam Athenis in Areopago, τοὺς δὲ ἀργυροῦς λίθους, bina ſaxa argentea, ἐφ' ὧν ἑστᾶσιν ὅσοι δίκας ὑπέχουσι, καὶ οἱ διώκοντες, quibus rei accuſatoréſque inſiderent; τὸν μὲν ὕβρεως, τὸν δὲ ἀναιδείας αὐτῶν ὀνομάζουσι, & alterum quidem contumeliæ. alterum impudentiæ vocarunt. Quæ verba explicans Hadrianus Iunius Animaduerſorum lib. 1. cap. 3. Equidem iniuriæ lapidem, ait, accuſatoribus dicatum fuiſſe autumo, certa ratione, quòd tametſi veras cauſas defendant, ad opprimendos tamen reos eas perſequuntur. Cur verò impudentiæ nomine alter donatus ſit, ignorare me fateor ingenuè: quid enim hîc commune habeat cum miſerorum, qui capite & fortunis oppugnantur, ſorte, impudentia? Itaque non ἀναιδείας impudentiæ, ſed ἀναιτίας innocentiæ legendum cenſet. Iunio fauet etiam Frid. Sylburgius in Notis ad Amaſæi verſionem, in hunc locum Pauſaniæ. Sed ego miror hominum ingenium, qui non viderint ſapientes illos iudices reos accuſatoréſque admonere voluiſſe: accuſatores quidem, vt à calumnia contumeliaque abſtinerent, néue ſtudio vincendi fictis criminibus reum opprimerent. reos verò, ne impudentiam patronam accerſerent, qua nituntur maximè quibus factum negaſſe opus eſt. Quòd ſi me ratio deficeret, attamen experientia tueretur. Nam quid Saule impudentius, qui factum neget, quod feciſſe balatus ouium mugituſque boum arguant? Ὕβρεως itaque mutari malim in ἀληθείας; quòd ea magis Samueli conueniat, qui verè, non per iniuriam Saul accuſat. Cæterum Diodorus Siculus lib. 3. Æthiopiam, inquit, poſtquam Semiramis ingreſſa eſt, multa in ea miranda conſpexit. Ferunt ſiquidem in ea ſtagnum eſſe quadratum, cuius circuitus pedes efficiat clx. color aquæ minio ſimilis, odor ſenile vinum ſpirat. Sed quod omnem fidem ſuperat, epota verum cogit fateri. Miranda vis: ſed quid ea nobis opus eſt cùm reus manifeſtis rebus teneatur?

Duo lapides argentei contumeliæ & impudentiæ, quibus accuſator & reus inſidebant. Hadrian. Iunius.

Frid. Sylburg.

Diodor Sicul.

Aqua verū extorquēs.

Negat tamen, & Samuelem odioſè interpellat, nec eum patitur nuncium pertexere, & ſe quantum poteſt defendit, ait ſe mandato Dei obedijſſe. Ex malo fit deterior, & in peccato pertinacior: & ſibi viam ad remiſſionem præcidit. Nam ſi quis ita abiecerit pudorem, vt velit defendere, & tueri peccatum ſuum, in eo nihil videtur ſupereſſe ſpei. Nihil Deo minus placet, quàm quæ ſuſcipitur contra eius voluntatem ἐθελοθρησκεία. Iuſſit quidem Deus offerri ſibi primitias, & ſuo nomini fieri ſacrificia. Sed idem poſtea iuſſit, vt omnia bona Amalechitarum prorſus internecione delerentur. Hîc ergo cùm duæ eſſent leges propoſitæ contrariæ, parendum erat poſteriori. Id Ethnici etiam viderunt, vt apparet *in Pandect. de ll. & Senatuſcon. l. Non eſt nouum:* Non eſt nouum vt leges priores trahantur ad poſteriores. Quo loco Gloſſa ſic ait, Quia leges priores ſupplentur, determinantur, corriguntur à poſterioribus. *Et in prox. tit. de Conſtit. princip. l. vltima*, extant verba Modeſtini Græcè, Αἱ μεταγενέστεραι διατάξεις ἰσχυρότεραι τῶν πρὸ αὐτῶν εἰσίν. Id eſt, Conſtitutiones tempore poſteriores, potiores ſunt his quæ ipſas præceſſerũt. Saulem ergo oportuit poſteriori mandato obtemperare. Ita Abraham cùm ſciret eſſe mandatum Domini, ne quis occidat, tamen iuſſus à Deo occidere filium ſuum, relicto priori illo mandato, paret ſecundo. Cúmque iam vibraret gladium, & eſſet tertiò iuſſus ne occideret, tertio illi mandato parere maluit, quàm aut ſecundo, aut primo. Deus iuſſit, non eſſe furandum. Tamen cùm populus exiturus eſſet ex Ægypto, & Deus iuberet quemque accipere mutuò vaſa argentea, & aurea à vicino ſuo, illi magis iuſſui obtemperandum erat, quàm primo. Tum enim & furtum eſſe deſijt & parricidium, cùm vitæ neciſque Dominus, & bonorum omnium ita fieri imperaret.

Si duæ ſint leges contrariæ, poſteriori parendum.

Pandectæ.

Tulit populus præda primitias vt immolet Domino.] Rationem facti reddit, & conſilium ſuum probare nititur, ſed fruſtrà. Menand. Com. ait,

Menander.

Si quis ſacrificet, Pamphile,
Taurorum aliquem numerum, aut hædorum, aut Hercle
Aliud quid tale, aut opificia quæ fecerit,
Aureas chlamides, vel purpureas,
Aut ex ebore, vel ſmaragdo animalcula,
Is errat, & vanam mentem habet.
Oportet enim vt vir frugi ſit & vtilis,
Virgines non corrumpat, & adulteret,
Furetur, trucidet, pecuniarum ergò.
Deus enim è propinquo præſens te reſpicit.

Virtus plus quàm victimæ Deū placant.

Saul, vt arbitror, ſtuprum virgini non intulerat: ſed quod peius haberi debuit, Deo primùm morem non geſſerat. Deinde ſe furto ac ſacrilegio polluerat, dum ſurripit anathemati quod perdere iuſſus erat. Intentionem tamen excuſat: ſed mox à Propheta refellitur. Videamus tamen ſi quid ea valeat, & quatenus eius cauſæ patrocinari potuerit.

De intentione diſputat S. Thomas 1.2. quæſt. duodecima, & quæſtione 19. articul. præſertim 7. & 8. quibus ex locis maiori ex parte excerpta ſunt quæ huc proferam. Igitur quoad ſignificationem vocis, Intentio ſignificat motum animi, quo per aliquod medium in finem tenditur, vt ſi quis per largitiones, vel per obſequia ſtudeat ad aliquos honores peruenire. Rerum quippe natura ita ſe habet, vt multa inter ſeſe ita ſint connexa, vt per vnum ad aliud fiat gradus. Pharmacis enim & potionibus itur ad ſanitatem:

S. Thomas.

Intentio quid eſſe intelligatur.

TVLIT POPVLVS, &c.

sanitatem: per studia, lectiones, & præceptores ad sapientiam. Quamobrem voluntatis actus est intentio: nam illius est mouere ac incitare animum. Cùm autem voluntas non prius percipiat quæ cupit, quàm ipsi notitia eius præluceat, non mouet, neque impellit animum ante notitiam, quæ in facultate intelligente viget. Ea & finem, & illa quæ eò conducunt, habet perspecta & voluntati subministrat. Proinde intentio ad finem incitat, velut ad terminum, per ea quæ in ipsum diriguntur. Sit eius definitio: Voluntas tendens in finem per aliqua media. Voluntas, quæ genus eius ponitur, actus est facultatis volentis. Differentia ex obiecto deducitur, nimirùm ex fine ac ijs quæ in eum ordinantur: vt nunc, quoad Saulem, si tamen illi credimus, intentio fuit, motus voluntatis eius ad gratias agendas pro victoria quam Deo fauente reportauerat. Voluntate igitur, & finem & medium vnà comprehendebat.

Voluntatis actus est Intentio.

Intentionis definitio.

Distinguitur verò Intentio tum in bonam tum in malam. Et ad bonam quidem Intentionem, id primùm exigitur, vt ipse finis res bona & iusta sit: qui tamen haud satis est. Nam si quis furaretur & eleemosynam daret, is proculdubio rem bonam sibi ob oculos proponeret; sed quia medium prauum est, idcirco intentio bona dici non potest. Si autem finis & illicitus & prauus fuerit, ipsa quoque intentio erit mala. Vt itaque bona sit, & finem & media oportet adhibere honesta & recta. Quædam tamen sua natura ita mala sunt, vt nunquam illis rectè possimus vti. Vt furtum, periurium, adulterium, sacrilegium, & cõsimilia. Quamobrem Apostoli regulam firmam esse oportet, vt nunquam mala faciamus, quò bona consequantur. Idcirco mala erit Intentio bifariàm: id est, vel finis, vel mediorum prauitate. Recta verò nunquam erit, nisi tam finis, quàm medium bona fuerint.

Quæ Intentio bona, quæ mala.

Philosophi iustitiam finis & mediorum ab humana ratione seu intelligentia naturali pendere arbitrantur, quasi ad iusta & iniusta internoscenda ea sufficiat: id verò nos inficiamur, & omnino fidem ac verbum Dei, & certas regulas exigimus, quod Augustinus in plerisque locis testatur, & præsertim in Psalm. 31. in Præfatione. Debemus, inquit nulla opera præponere fidei, id est, vt ante fidem quisquam dicatur bene operatus. Ea enim ipsa opera quæ dicuntur ante fidem, quamuis videantur hominibus laudabilia, inania sunt, & ita mihi videntur esse vt magnæ vires & cursus celerrimus præter viam. Nemo ergo computet bona opera sua ante fidem, vbi fides non erat, bonum opus non erat. Bonum enim opus intentio facit, intentionem fides dirigit. Non valdè attendas quid homo faciat, sed quid cùm facit aspiciat, quò lacertos optimè gubernationis dirigat. Fac enim hominem optimè gubernare nauim, & perdidisse quò tendit, quid valet quia antennam optimè tenet, optimè mouet, dat proram fluctibus, cauet ne latera infligantur, tantis est viribus vt detorqueat nauim quò velit, atque vnde velit, & dicatur ei, vsquequo is, & dicat nescio, aut non dicat nescio, sed dicat ad illum portum eo,

S. August.

Intentionē fides dirigere debet.

nec ducat in portum, sed in saxa festinet. Nonne iste quanto sibi videtur in naui gubernanda agilior & efficacior, tanto periculosius eam sic gubernat vt ad naufragium properando perducat? Talis est & qui optimè currit præter viam. Hactenus Augustinus. Cuius sententia Saul manifestè damnatur erroris, qui opus sua natura bonum effecit, dum Dei verbo non obtemperat, ne placere posset. Nam sacrificium quidem offerre Deo bonum est, nisi forte à scopo aberret intentio; eximere item hostias de spolijs hostium quos iustè bello contriueris, non abhorret à boni viri officio. Ex quo sequitur vt ex fine & medio bonum illud opus iudicetur, si solam rationem in concilium aduoces. Verùm hactenus bonum opus suisnumeris absolutum esse nequit. Nam *sine fide*, inquit Apostolus, *impossibile est placere Deo.* Quod si fidem consulas, & tanquam lapide lydio opus probes, tum manifestè deprauatio apparebit. Nam cùm seruari quicquam ex illo anathemate Deus prohibuisset, qui fieri poterat vt seruatis victimis honorem sibi haberi duceret potius, quàm lege contempta seipsum ludibrio haberi? An cuiquam persuadeas cum te velle summo honore colere, cuius mandata despicias? Agnoscat Saul se peccasse grauiter, nec deinceps intentionem suam excusationis loco prætexat.

Imo audiui vocem Domini, &c.] Cùm Saulis contumaciam, tum Samuelis constantiam miror, qui ne tum quidem cùm videat pertinacem reum peccatum nolle agnoscere, sed eam sententiam quam Deus tulerit, ipse pronuntiet, temerè atque impudenter refellere, monendi atque docendi officium omittat. At non item Lampetius Episcopus, quem S. Isidorus Pelus. lib. 2. epist. 79. eo nomine grauiter reprehendit, quòd desperata correctione ab arguendo Zosimo desisteret. Hippocrati, inquit, morem gerens, vt incurabili morbo laboranti manum non admoues. Quamuis autem in corporibus hoc esse verum quidam existiment, (etsi alioqui persæpe falsum hoc inuentum est) in animis tamen etiam magis falsum esse reperitur. Nonnullos enim nouimus, qui ex profundo vitij gurgite ad ipsam virtutis arcem conscenderint. τὰ μὲν γὰρ σώματα τῇ τῆς φύσεως ἀνάγκῃ δέδεται· αἱ δὲ ψυχαὶ τῇ τῆς προαιρέσεως ἐξουσίᾳ τετίμηνται. Ipsa enim corpora naturæ necessitate vinciuntur: animæ autem voluntatis atque arbitrij potestate ornatæ sunt. ὅσῳ τοίνυν εὐκολώτερον προαίρεσις φύσεως, τοσοῦτον δ' εὐχερέστερον, τὸ ἀνενεγκεῖν τὴν ψυχήν. Quamobrem quò facilior est voluntas quàm natura, eò quoque facilius ac procliuius est animum è morbo recreare.] Idem verò etiam seipsum alibi accusat, & ad perseuerantiam cohortatur, tametsi, vt apparebat, hominis dementia ingrauesceret potius quàm consanesceret. Lacrymans, inquit epist. 67. lib. 3. ad me hæc verba habui. O Isidore quid frustrà te fatigas, in petras semen iaciens? Quid ei prodesse studes qui iuuari non vult? Quid laboras & excubas, cùm is, propter quem excubiæ aguntur, ea, quæ scribantur, exequi recusando, inanes eas reddat? Quin tu vano labore teipsum cruciare, atque Æthiopem dealbare, & ignem verberare,

S. Isidor. Pelus.

Nunquam cessandum est à monendis peccatoribus. Neq; enim vllus animæ morbus est incurabilis.

IMO AVDIVI VOCEM DOMINI. ac literem coquere desinis. Postquam autem ad satietatem vsque me accusaui, bona spes rursum exorta est, quæ me inuitum etiam ac repugnantem ad has quoque rursum literas cudendas adigit.] Nec verò ludere operam quisquam putandus est, aut frustrà tempus terere, tametsi mancipium nequitiæ non possit è vestigio à flagitijs ad virtutem traducere. Primùm enim spes eum luculentæ mercedis frustrari non poterit. Deinde vix fieri poterit quin tandem aliquando ferreum pectus emolliatur. Ita docet S. Ioannes Chrysostomus Orat. in terræ motum, & Lazarum ac diuitem. Non cesso, inquit dicere, etsi non audiar: Medicus sum, medicamenta appono: præceptor sum, monere iussus sum. Et nemo se emendat? Quid hoc rei est? Sed ego nihilominus mercedem accipio, Et hoc incredibiliter dixi. Fieri enim non potest in tanta hominum multitudine vt nemo se emendet. Audio, inquis, in dies, & non facio: audi, etsi non facias: Exauditione enim factum oritur; etsi non facias, pudefies ob peccatum; etsi non facias, mutas sententiam; etsi non facias, condemnas teipsum, quòd non facias. Accusare enim se, principium est emendationis. Quando dicis, Hei mihi audiui, & non facio: illud, Hei mihi, initium est mutationis in melius. Hactenus S. Chrysost.

S. Ioann. Chrysost.

VERSVS XXII.

Et ait Samuel: Nunquid vult Dominus holocausta & victimas, & non potius vt obediatur voci Domini? Melior est enim obedientia quàm victimæ: & auscultare magis quàm offerre adipem arietum.

VERSVS XXIII.

Quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare: & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. Pro eo ergo quòd abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus ne sis rex.

Variæ trāslat.

PAgninus: *Nunquid voluntas Domini in holocaustis & victimis, vt in obtemperando voci Domini? Ecce parere quàm sacrificium melius: auscultare quàm adeps arietum.* Arias apud eundem, *in ascensionibus & victimis, sicut audire in voce Domini? Ecce audire præ sacrificio bonum: intendere præ adipe arietum.* Versus 23. Pagninus, *Quia peccatum diuinationis est rebellio, & idolum & theraphim transgredi: eò quòd contempsisti verbum Domini & abiecit te ne sis rex.* Arias pro *idolo mendacium* posuit; & *reprobasti* loco *contempsisti*; denique, *& reprobauit te à rege.* Vatablus Complutensis: *Num tam volupe est Domino in holocaustis & victimis, quàm cùm auditur vox Domini? Ecce obedire, præstat sacrificijs: & auscultare præstat arietum adipi. Quoniam contumacia peccatum est magiæ: & obfirmare animum peccatum est idololatriæ. Quandoquidem ergo tu abiecisti verbum Domini, abiecit & ipse te, ne sis rex.* Et in Schol. Hebraismus est, inquit: *Nunquid beneplacitum est Domini in holocaustis & victimis, sicut parere voci Domini?* quasi dicat, Perindéne grata sunt holocausta Deo, atque parere præcepto eius? *Ecce obedire præstat sacrificijs, &c.* id est, rectiùs facit qui paret præcepto Domini, quàm qui illi sacrificat & adolet adipem. *Peccatum diuinationis rebellio.* id est, rebellio est tam graue peccatum quàm diuinatio. vel vt alij, tam grauis punitio debetur rebellioni quàm diuinationi. *Iniquitas & theraphim est transgredi.* Subaudi voluntatem Dei: addere præcepto eius, tam graue est peccatum, quàm velle scire futura per simulachra. Vox Hebræa *Auen*, pro qua iniquitatem vertimus, significat iniquitatem & mendacium, fallentia homines. *Theraphim* vocat simulachra per quæ futura sciuntur. Qui transgreditur præceptum Dei, id est, addit aliquid, videtur negare Deum esse prudentissimum, & se Deo ipso facit prudentiorem. *Abiecit & ipse, ne sis rex.* id est, te dignitate regia priuat, quasi dicat, denuntio tibi iussu Dei quòd posthac non eris rex Israël. Hactenus Vatablus in Scholijs. Paraphr. Chald. *Num voluntas ante Dominum in holocaustis & oblatione sanctitatum, sicut in auscultatione dicti Domini? Ecce auscultatio dicti illius præ oblatione sanctitatum bona est; attendere loquelis prophetarum eius, præ pinguedine saginatorum. Nam vt culpa virorum qui petunt ab ariolo, sic culpa omnis viri qui rebellat super verba legis Domini; & sicut culpa populi qui errat post errores, sic culpa omnis hominis qui addit super loquelas Prophetarum: eò quòd spreuisti verbum Domini, & elongauit te Dominus ne sis rex.*

NVNQVID VVLT DOMINVS, &c.

Complutensis editio, & Reg. Septuaginta Interpr. εἰ θελητὸν τῷ κυρίῳ ὁλοκαυτώματα καὶ θυσίας ὡς τὸ ἀκοῦσαι τῆς φωνῆς αὐτοῦ; ἰδοὺ γὰρ ἀκοὴ ἀγαθὴ ὑπὲρ θυσίαν, καὶ ἀκρόασις ὑπὲρ στέαρ κριῶν. *Si voluntati est Domino holocausta & victimas, vt audire vocem eius? Ecce enim auscultatio bona magis quàm sacrificium, & obedientia magis quàm adeps arietum.* Aldina habet, ἰδοὺ ἀκοὴ ὑπὲρ θυσίαν ἀγαθή. *Ecce auditio super sacrificium bonum.* Sanctus Theodor. in quæst in lib. Reg. *Ecce non tam vult Dominus holocausta & sacrificia, quàm audiri vocem suam, &c.* In sequenti versu dissentiunt plerique interpretes. Editiones ipsæ Septuaginta Interpr. satis sibi non constant. Complutens. & Reg. ὅτι ἀνομία οἰώνισμα διὰ παραπικρασμοῖς, ἀδικία καὶ θεραφὶν ὀδύνην, καὶ πόνους ἐπάγουσιν. *Quoniam peccatum ariolatio est irritatio, iniustitia & theraphim dolorem & labores inducunt.* Aldina paulò aliter. ὅτι ἀνομία οἰώνισμά ἐστιν ὀδύνη, καὶ πόνους θεραφὶν ἐπάγουσιν. *Quoniam peccatum augurium est, dolor & labor theraphim inducunt.* Romana tamen Editio Latina, & Antuerpiensis Laurentij legunt, *Dolorem & labores theraphim inducunt.* Nobilius Flamin. in Notis in hæc verba, *peccatum augurium est*: Symmachus habet, inquit, ὅτι ἁμαρτία τῆς μαντείας τὸ προσερίζειν, ἡ δὲ ἀνομία τῶν εἰδώλων τὸ ἀπειθεῖν: Quia peccatum augurij est contentio, peccatum autem idololatriæ, inobedientia: quod Vulgata, *Quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare,*

Græca translat.

Nobil. Flamin.

NVNQVID VVLT DOMINVS &c.

repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere. Aquila, ἀνομία [illegible] παραπικρασμός, *peccatum diuinationis, exacerbatio. Theraphim.*] S. Theodoret. Illud autem, θεραφίν, Aquila est interpretatus, θεραπεία καὶ ἀποστασις, *cultus & subductio.* Explanat autem hanc Aquilæ sententiam ita, vt putet significari cultum, in quo quis se subducat à mandatorum obseruatione. Lucifer de reg. Apost. *Ecce dictio audientia melior est, quàm sacrificium, & obedientia quàm adipes arietum: quoniam peccatum abominatio est: dolores, & gemitus ad te adduxisti.* Hactenus Flaminius in Notis. In reliquis, summa omnium consensio est.

Gentianus Heruetus apud eundem Theodor. vertit cultum & auersationem.

Quidam ex recentioribus, quò faciliùs explicaret, particulas quasdam necessariò, vt quidem ipsi visum est, inseruit. *Quin sicut peccatum diuinationis* est *rebellio, & sicut superstitio & idola* est *repugnantia, &c.* Alter, *Quoniam veluti peccatum magix est rebellio. & iniquitas idololatriæ nolle parere.* Sensus est, inquit: Non minus est peccatum, quando quis rebellis est præcepto Domini, quàm cùm quis fiduciam suam magis ponit in augurium & ariolandi artem, quàm in verbum Domini: vel, vt crassius dicam, Deo nolle obedire, est idolorum cultura. Porrò verbum פָּצַר *phatsar*, sonat hic per vim & contra rationē velle adhærere vanitati. Hæc ille Schindlero פָּצַר *phatsar*, idem est, ac *coegit, vim fecit.* Quare hæc ita transfert, *& idololatria est* הַפְצַר *haphtsar cogere.* pro הַפְצֵר *haphtser* infinit. Aquino in Radic. Breu. etiam *transgredi* significat. Plures certè *præualere* interpretantur. Vnde sic exponi posset, *Pari scelere cum idololatra constringe, qui Deo præualere velit.* Hoc est, qui suam potius velit sententiam obtinere, quàm Dei.

Nunquid vult Deus holocausta & victimas? &c.] Lucianus, *de sacrificijs*, facetè ludit eorum hominum superstitionem, qui deos putant donis capi, aut victimarum nidorem sectari, & munerum illecebris delinitos concedere quicquid velis, iramque remittere. Ab illis, inquit, emere licet omnia. puta bonam valetudinem, bucula: diuitias, bobus quatuor: tum regnum bobus centum: præterea sospitem ab Troia in Pylum reditum tauris nouem: iam ex Aulide ad Ilium transmittendi facultatem, regia puella. Nam alius quidam, ne id temporis vrbs caperetur, à Minerua mercatus est bobus duodecim, ac peplo. Verisimile est autem esse præterea quædam, quæ vel gallo vel corolla, vel solo thure ab illis redimi queant. Hos porrò, inquit, qui talia de dijs sentiunt, expendat lector antequam ridere incipiat, vtrum pios appellari conueniat, an contrà dijs inimicos, atque infelices, ac genios malos, qui quidem numen ipsum rem vsqueadeo vilem atque abiectam esse existiment. Hęc Lucianus. Pausanias verò in Phocicis narrat Apollinem Medorum exuuias cùm Delphis à Themistocle offerrentur, templo inferri vetuisse: eámque tum hominum opinionem fuisse, si reliqui pariter oraculum consuluissent num ea grata haberet, cuncta spolia aspernaturum fuisse. Hæc illi cùm essent veræ lucis expertes, nec synceram pietatem colerent. At Philo in eo libro, cui titulum fecit, *Quòd dete-*

Lucianus. Ridet Lucianus Gentilium superstitionē, qui Deos suos crederent donis capi posse.

Pausanias.

A *rius potiori insidietur*, Si quis, inquit, abundans diuitijs extruit templum cultu magnifico, & indesinenter hecatombas immolat, ædemque à se dedicatam ornat pretiosis donarijs, non parcens auro argentóque, nec artibus has materias superantibus, ne is quidem piorum adscribitur numero. Aberrauit enim à via pietatis, in ceremonijs sanctitatem collocans, & dona dans ei qui his non capitur, nec vnquam talia accipit, & adulans ei cui palpari non potest: quia cultu vero delectatur, cùm anima solum & vnicum sacrificium offert, nempe veritatem: adulterinum autem auersatur, quales sunt ostentationes opum externarum. Hactenus Philo.

NVNQVID VVLT DOMINVS &c.

Philo Iud.

Hîc verò Samuel de victimis & obedientia duplici vtitur comparatione. Primùm enim ait, ea non esse inter se æquanda. Deinde omnibus
B victimis ait longè potiorem esse obedientiam. R. Ben Gerson hanc adfert eius rei causam: Quoniam sacrificia, inquit, inuenta sunt ad tollenda peccata. At obedientia efficit, ne omninò peccetur. Multò autem potius & melius est, quod efficit ne peccemus, quàm quod peccatum commissum expiat. Alia ratio est: Quoniam id necesse est minoris esse quod interdum à Deo repudiatur, quàm illud, quod semper expetitur. At sacrificia sæpe repudiata sunt à Deo, nunquam obedientia. Quare oportet eam esse potiorem. Nam Ieremias ait cap. 7. vers. 22. & 23. *Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel, Non sum loquutus cum patribus vestris, & non præcepi eis, in die qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocautomatū & victimarum. Sed hoc verbum præcepi eis, dicens: Audite vocem meam, & ero vobis*
C *Deus, & vos eritis mihi populus, &c.* Et Esaias, *Quò*, inquit, *mihi multitudo sacrificiorum vestrorum? plenus sum holocaustis & victimis.* Et Dauid psalm. 50. *Non accipiam de domo tua vitulos, nec de gregibus tuis hircos. Quoniam meæ sunt omnes feræ syluarum, iumenta in montibus & boues. Cognoui omnia volatilia cæli, & pulchritudo agri mecum est. Si esuriero, non dicam tibi.* Citare possem alia multa in hanc sententiam. Sed satis apparet ex his paucis, sacrificia aliquando fuisse repudiata. Nunquam autem Deus repudiauit obedientiam.

Ratio I. cur obedientia sacrificijs præstet.
R. Ben Gerson.
2.

Sed hîc obiter aliquid dicendum est de verbis illis Hieremiæ, quomodo Deus dicat, se non loquutum veteribus Iudæis de sacrificijs. S. Hieronymus refert id ad Decalogum, quòd
D in eo nulla facta sit mentio sacrificiorum. Postea verò, cùm conflassent sibi vitulum, Deum mandasse, vt, si omnino facere vellent sacrificia, sibi ea potius facerent, quàm idolis. Quanquam alia ratio non minus probabilis duci potest ab ipsa historia. Cùm enim populus eductus esset in desertum, cùm consecraretur tabernaculum, & designati iam essent sacerdotes, institutum est amplissimum sacrificium in Sinai. Post illud autem tempus quamdiu hæserunt in deserto per annos quadraginta, nec Circumcisionem habuerunt, nec sacrificia. Hoc Hieremias spectasse videtur magis, quàm ad Legem Leuiticam. Tertia expositio esse potest, Deum ista non requisisse, videlicet præcipuè, & maximè. Nam hæc loquutio familiaris est sacris literis,

Exponitur Ieremias cap. 7. v. 22. & 23.

NVNQVID VVLT DOMINVS &c.

vt quid præcipuè non fit, id ſimpliciter negetur fieri. Sic Paulus ait, *Non miſit me Dominus baptizare, ſed euangelizare:* cùm tamen omnibus Apoſtolis dixerit, *Ite, & baptizate.* Sed quoniam ea videbatur eſſe infima pars Apoſtolici muneris, quam alij quoque obire poſſent: idcirco Paulus negat omninò ad ſuum officium pertinere. Alioqui enim Caium, & Stephanam baptizauit. Qua in re, ſi nullo modo miſſus fuiſſet ad baptizandum, tranſgreſſus fuiſſet vocationem ſuam. Non ergo imperauit Deus Iudæis veteribus ſacrificia, hoc eſt, ea præcipuè & maximè non imperauit. Dicere etiam poſſumus, Deum non requiſiſſe ab illis ſacrificia, eo videlicet modo, quo fiebant ab eis: hoc eſt, cum ſimulatione, & hypocriſi, cùm cor haberent à Deo prorſus alienum. Sacrificia namque ſunt veluti pignora & teſtificationes pietatis ac fidei noſtræ. Quòd ſi fides & pietas abſit, quo mihi pignus? aut quæ tandem eſſe poſſit eius rei, quæ non ſit, confirmatio? Præterea non exegit Deus eiuſmodi ſacrificia, quæ natura ſua putarentur expiare peccata; aut quæ ex rapina, aut vexationibus pauperum collecta eſſent. In ſacrificijs placuit res ſignificata, hoc eſt, Chriſtus, ad quem ea hominum animos excitabant, & mortificatio affectuum. Itaque Paulus, ait, *Obſecro vos, fratres, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuam, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum.* Sine his ſacrificia nihil aliud erant, niſi cadauera ſine anima.

3. Tertia ratio, cur obedientia ſit anteponenda victimis, eſt, quòd victimæ communes eſſe poſſint Deo cum idolis. Obedientia autem eſt pro-
4. pria Dei. Adhæc in ſacrificijs indulgeri poteſt ventri, & gulæ. Obedientia autem refertur ad vnum Deum. Habere autem ſacrificia aliquam dignitatem, apparet ex his ipſis verbis Samuelis: *Melior,* inquit, *eſt obedientia, quàm victima:* ergo victimæ ſunt bonæ, modò rectè atque or-
5. dine fiant. Præterea, obedientia, cùm ſit virtus, per ſe bona eſt, & ſpecie ſua laudabilis: iugulare autem victimas, non item; quinimo, cùm per ſe placere hoſtiæ non poſſint, obedientia eſt, dum legibus paret, quæ Deo ſacrificium commendat. Quis itaque eam neget mactatis hoſtijs eſſe meliorem? Adde his, quòd obedien-
6. tia non tantùm virtus eſt, ſed reliquarum etiam chorum ducit, & omnes ſua laude ſuperat; vt autor eſt Ariſtoteles Ethic. 5. Obedientia namque totam legem complectitur, cuius ſtudio reliquis virtutibus imperat: ita prorſus, vt ne victimæ quidē, cùm rite atq; ordine offerrentur, & acceptæ eſſent, cū obedientia vllo pacto conferri poſſent, non magis quàm res quælibet cum eo toto, cuius pars haberetur. Poſtrema ratio
7. quare victimis obedientia præſtet, ea eſſe videtur, quòd victimæ quidem tanquam obedientiæ noſtræ obſides Deo tradantur, ipſa verò eſt obedientia cui cauetur hoc pignore. Ex quo ſequitur, vt hoſtiæ pro quibus oppignerantur, ijs ignobiliores habeantur. Enimuerò primum ac nobiliſſimum ſacrificium ad quod cætera ſpectant obedientia eſt, qua hominis voluntas Deo immolatur: idque *ſacrificium iuſtitiæ* Pſalmiſta vocat. Nec tamen ſi rem attendas, non cultum

Ariſtot.

A ſacrificiorum, obedientia noſtra vllo genere cum victima iugis ſacrificij conferenda eſt, ſed habetur hic ratio aut veterum hoſtiarum, aut miniſterij ac oblationis noſtræ, quæ ſi aliena fuerint ab obedientia ne hilum quidem proficient, cùm tamen obedientia in pleriſque rebus etiam abſque ſacrificio Deo grata & accepta ſit. Idque eatenus verum eſt: cæteroqui rectè aſſerimus, Eucharisticā hoſtiam obeditioni noſtræ longè præcellere, cuius oblatione, non noſtra obedientia, ſeruati ſumus.

NVNQVID VVLT DOMINVS &c.

Hoſtia Eucharistica potior eſt obedientia noſtra.

Quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, &c.] An quia æqualia ſunt omnia peccata? Nam Suidas in voce ἀμπλάκημα, Placet, inquit, Stoicis paria ducere peccata. Nam ſi nec verum vero, nec falſum falſo magis eſt quidquam, ſic etiam nec fraus fraude, nec peccatum peccato B maius eſt. Qui enim centum ſtadijs abeſt Canobo, & qui vno tātùm illinc abeſt, ambo ex æquo non ſunt Canobi. Sic etiam maius & minus peccatum æquè abſunt à recta faciendi ratione. Addo præterea ex Sacris literis, *Quicunque totam legem ſeruauerit, offendat autem in vno, factus eſt omnium reus.* Veruntamen alij, inter quos Tarſenſis Heraclides, docent peccata eſſe imparia. Quæ ſententia vera eſt. Chriſtus namque ait Ioan. 19. *Propterea qui tradidit me tibi, maius peccatum habet.* Neque verò Iacobus id aſſerit pari ſupplicio eſſe dignum ſeu quis vnum aliquod præceptum violauerit, ſeu omnia: ſed contemptus & inobedientiæ vel ex vno damnari poſſe, ita vt ſeruatæ legis præmium non aſſequatur. nam *qui edixit, Non occides, dixit, Non mœchaberis.* ex quo concludit, *Quod ſi non mœ-* C *chaberis, occides autem, factus es tranſgreſſor legis.* Veruntamen, inquis, peccatum mors animæ eſt. Mors verò, vt quidam ait, æquo pulſat pede pauperum tabernas, regumq; turres. Omnium rerum delectum ac diſcrimen tollit, tenues cum principibus æquat, nec quiſquam vno minùs vulnere concidit, quàm qui pluribus confectus eſt. Reuera priuatio gratiæ, quæ ſola animam cum Deo copulat, eiuſdem peſtis eſt ac interitus. Sed ipſa gratiæ priuatio peccatum non eſt. quin potius teterrima quædam eius ſoboles & partus infeliciſſimus. Actio verò ipſa, quæ à ratione in contrariam partem deflectit, turpis & inhoneſta peccatum eſt. Sed illa nonnunquam longius excurrit: nonnunquam non ita procul à ſcopo aberrat. Ex quo ſequitur, vt D is error par vbique cenſeri non poſſit.

Suidas.

Iacob 2. Peccata nō ſunt omnia æqualia.

Explicatur Iacobus.

Priuatio gratiæ non eſt peccatum, ſed actio quæ inæqualis eſt.

Stoicos verò duo quædam in errorem induxiſſe videntur. Primum eſt, quòd crederent peccatum meram eſſe priuationem. Alterum, quòd non aliàs putarent quidquam maius minúſue dici, quàm ſi cum eo compares, quod in eodem genere ſimplex & abſolutum ſit, quale malum fingi nullum poteſt. At ſanè neutra opinio ſatis firmo fundamento nititur. Nam quod ad primam attinet, ſi fax Solis extinguatur, tum quidem tenebræ lucis mera priuatio eſt, & mors item vitæ ſi cuius anima è corporis vinculis euolet. at ſi Sol obiectu Lunæ duntaxat deficit, aut corpus corrupto ſanguine bile pituitâue redundat, tum quidem vmbra, & caligo terram occupant & valetudo langueſcit, quæ

Duæ cauſæ erroris Stoicorum.

Prima confutatur.

QVONIAM QVASI, &c.

quæ noctem morbumq; generant, non tamen illa prorsus lumen vitámue eripiunt. Atqui peccatum est eius generis quod mortem quidem efficit, vt quilibet morbus si non curetur, mors tamen ipsa non est, siquidem non tarò consanescit. Veruntamen, inquiunt, illud est peccare, tanquam transilire lineas. Quod cùm feceris, culpa commissa est: quàm longè progrediare, cùm semel transieris, ad augendam transeundi culpam nihil pertinet. Fallacijs ludunt potius quàm ratione certent. Nam siquidem hoc solum ratio léxue præscribat ne quam lineam trãseas, tum illud argumentum probari poterit: iam verò non id solùm præcipit, sed ne longius quoque progrediare. ex quo sequitur, vt si non modo præscriptum limitem transilias, sed etiam procul abscedas, eò grauius pecces, quò ius & officium licentiùs violaris. Deinde etsi tum omninò deliquisse quispiam videri possit, cùm lineam transmiserit quæ lege vetita est, ita prorsus vt neque augeri culpa minuíue valeat: sunt tamen alia quæ tametsi nemo prohibeat, sine scelere admitti nequeant: in quibus cùm debacchatus fueris, impotentiùs tum culpam contrahes multò fœdiorem. Finge animo nulla lege cautum esse ne quemquam obtrunces, facinus tamen esse non negabis, si cui per iniuriam vitam eripias. Quòd si non tantùm tollas, sed etiam diris cruciatibus eneces, mirabor si putes eam immanitatem nihil ad flagitij magnitudinem attinere. Verùm hæc etiam antea à nobis refutata sunt priore tomo, cap. 14. ver. 43.

Posterior erroris causa refellitur.

Posterius fundamentum eiusdem sententiæ nullo negotio eruemus. Hoc solùm velim cogites, priuatarum rerum dimensiones non inde peti, quòd sit priuatio quædam forma, quam vt quæque res quæ priuatæ dicuntur, plus minúsue participant, tanto maiores minorésue habeantur: sed habetur potius ratio realis formę quam priuatio exuit, à qua quàm procul abscedunt, tam augeri ac crescere iure feruntur. Inde ergo priuationes suas, accretiones diminutionésque auspicantur, & maiores minorésue audiũt, cùm morbi, errorésque, maxime verò peccata, quæ semper eò grauiora dicta sunt, & pœnis grauioribus vindicata, quò visa sunt iuris æquitatem oppugnare vehementius. Ad hoc ergo, vt inquit sanctus Thomas quæst. 2. de peccatis, art. 4. ad 7. quòd aliquid sit maius vel minus malũ, non requiritur quòd sit aliquid simpliciter malum, sed quòd sit aliquid simpliciter bonum. Nam & Philosophus lib. 2. Metaph. c. 4. probat per hoc quòd sit aliquid magis vel minus falsum, quòd sit aliquid simpliciter verum. Ita S. Doctor sentit cum Aristotele. Vnde tandem efficitur, vt peccata esse inter se æqualia cuncta non possint. Non eò spectat itaque Samuel: sed

S. Tho. in quæstionibus disputatis.

Aristot.

Altera Samuelis collatio est, qua confert facta Saulis cum crassissimis peccatis, quæ nemo negare possit esse peccata. Quorum alterum est deficere à Deo: alterum, velle vim facere Deo, & illum cogere. Nam Saul videtur voluisse cogere Deũ, vt contentus esset illo sacrificio. Hæc duo peccata etsi sint grauia, tamen Sauli non ita videbantur. Itaque Samuel ea contulit cum diuinatione, & idololatria, quæ satis constat

A esse grauissima. Ista nõ minus grauia sunt, quàm illa. Adde minorem: sed illa sunt horrenda, & capitalia. Hîc facilè videre potes, quid debeat concludi. Argumentum sumitur à simili. In reprehensionibus autem magna est vis collationum & similium.

QVONIAM QVASI, &c.

Quia חטאת־קסם מרי *hhatath kesem meri, peccatum diuinationis rebellio.* קסם *Kesem* illud omne significat, quod ad futurarum rerum comparandam scientiam adhibetur. Vtrumq; genus diuinationis bonæ & malæ in Scripturis passim indicat. Nam hîc quidem, sicut & Numer. ca. 23. id genus diuinationis exprimit quod dæmonem autorem habet. At Prouerb. 16. קסם *Kesem in labys regis*, spiritum sapientiæ quod Spiritus sancti donum est, manifestè designat. Sunt qui veneficia quoq; & præstigias eo nomine notari velint. B Verbum ipsum est קסם *Kasam*, quod est, futura prædixit, vaticinatus est. Id porrò quantum sit scelus cùm à dæmone consequi studemus, hinc colliges: *Annuntiate*, inquit Isaias cap. 41. ver. 23. *quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia dij estis vos.* Nam qui dæmonem cõsulit, is sibi primùm in animum induxit eum scire quæ interroget: non enim optat sibi verba dari. At verò vnde is scire possit quæ numen statuerit, & in eius potestate sita sunt, & ab eius arbitrio pendent, nisi aut ipsum esse numen statuat, aut omninò nullum esse: sed dæmones, cùm sint antiquiores, ex diuturno rerum vsu certius de futuris coniecturam facere? Quòd si verò Deo quis fidem habeat, primùm nescire eos quæ ventura sint credet: deinde mentiri eos ac fallere studiosissimè: postremò id genus C superstitionis Deo vehementer displicere. Vnde sequitur vt nullo non supplicio digni habendi sint, qui eas artes sectantur, tametsi impijs & execratis nonnunquam aliter videatur, si modò illi, vt inquiunt, à maleficio abstineant. Obstupesco referens nonnullos à Deo institutos iudices cẽsere numinis iniuriarum rationem non esse habendam.

Dictio קסם *Kesem* exponitur.

Qui dæmonẽ consulit, eundẽ Deũ esse profitetur.

Atqui nonnulli eruditorum, vt est apud Cœlium, putant elementorum omnium spiritus, vt pote corporum perennium, præsentienti motu semper & vbique vigentes, diuinandi munus nobis impartiri, ex ijs quæ disciplinarum affectamus varietate. Quin & substantiales potestates ritu mollitas non vno, velut ex perpetuis fontium venis vaticina mortalibus verba suggeD rere, quibus præsit Themis: inde nuncupata, quòd fatali lege decreta in posterum ei prænosse sit fas, in cubili soliòque Iouis collocata. Auguria verò & auspicia non volucrum futura noscentium arbitrio dirigi, verùm diuina componi agitaríque prouidentia. Sol denique mundi (vt Physicis ferè placet) mens, nostras mentes ex sese velut scintillas funditans, vehementius accensas futuri compotes efficit, vnde mira Sybillarũ constent præsagia. Sed nec somniorum leuis esse debet autoritas, à quibus rerum signa ostenduntur, tametsi in ijs hominum coniectura non rarò peccet.] Hæc portenta superstitionum etiã hoc tempore non pauci suspiciunt, quæ eo consilio à dæmone posterius inuenta sunt, vt qui eum fugerent, ad alias saltem creaturas à Deo

Rhodigin. li. 7 ca. 19. antiq. lect.

Vanæ rationes diuinantium.

QVONIAM QVASI, &c.

Deteguntur fallacia & artes dæmonum.

deficerent: qua simulatione plures in fraudem inducti sunt. At verò priscis temporibus cùm apud Gentiles palam & apertè dæmones diuinos sibi honores vendicarent, qui his artibus operam dabant, publicè iactabant deorum auxilio fretos futura se inuestigare. Ast vbi primùm se suspectos esse senserunt, & ab hominibus euitari, tum eos occultius aggressi sunt, suadentes naturæ vi atque humana solertia id effici posse quod ante præstitissent. quæ vbi manifestè deficiunt, & iam furit vaticinandi studium, tum se dæmon rebus immiscet, & curiosis opem pollicetur. Cæterùm vis eius ac potestas penè nulla est. Tametsi enim remota atque abstrusa quæ nos fugiunt, incredibili cursus pernicitate atque substantiæ subtilitate deprehendere possit, ad futura tamen, quæ nusquam extant, penetrare nequit. Hoc solùm est quod prædicere possit, si quid iussus sit exequi. Sic qui sanctum Iob vexaturus erat, denunciatione periculi ante terrere potuit, siquidem collibuisset. Reliqua duntaxat conijcit, eò fortè perspicacius quo pluribus iam seculis eadem expertus est, & rerum signa naturalia liquidius nouit. Fingit præterea Porphyrius in lib. de oracul. obseruare deos cælestia vnde oracula fundant. Sed hinc non video quid aliud rescire valeant, quàm futura fulmina, & imbres, aut annuas temporum vicissitudines. Nam in hominem quidem cæli nullum obtinent imperium: non enim cæli, sed Angeli custodes ac rectores nobis additi sunt: cuncta verò Deus sua prouidentia regit & gubernat. Ex quibus colliges id vere Porphyrium pronuntiasse quod subijcit: Sciendum, inquit, Deos sæpè mentiri: nam explorata, certáq; futurorum perspicientia non hominibus tortuosa modò, sed & dijs ipsis incertissima, plurimísque ambagibus referta est. Ad hos igitur accedere, & eorum responsis habere fidem, perinde est ac Deo repugnare.

Porphyr.

Repugnare.] Hebraicè מרי meri. Est autem מרי mutatio, mutabilitas, defectio: à verbo מרה *marah*, quod est, mutauit dictum seu mandatum alterius, non paruit, rebellis fuit. Tertij Regũ, cap. 13. ver. 26. cùm leo virum Dei interfecisset, quòd cibum sumpsisset in Bethel, quo in loco pane & aqua eidem Deus interdixerat, Prophetes alter demortui cadauer colligens, *Vir Dei est*, inquit, *qui* מרה את פי *marah eth phi*. Vulgatus, *inobediens fuit ori Domini*. LXX. παρεπίκρανε *exacerbauit*: propriè, *mutauit os Domini*. hoc est, sinistra interpretatione in alienum sensum detorsit, nec quod iussus erat, syncerè exequutus est. Mox sequitur, ואון ותרפים הפצר *veauen outhraphim haphtsar*, *idolum & teraphim transgredi*. Theraphim erant simulacra, vel quæ colebantur, vel à quibus responsa petebantur. Laban queritur de Iacob, *Abstulisti deos meos*, hoc est, *theraphim*. Et Iosias dicitur purgasse templum, & sustulisse *theraphim*. Quicquid est, erat ea idolatria crassissima. Non iniuria, inquit Kimhi, inobediētia confertur cum diuinatione. Quemadmodum enim qui colit simulacrum, relinquit Deum: ita qui contemnit legem, deficit à Deo, ac si ille res humanas non curaret. Quamquam R. Salomon id intelligit de pœna: quòd eadem pœna debeatur illi qui contemnit legem Dei, quæ diuinatori, aut ariolo. *Transgredi* Hebraica vox est פצר *phatsar*, quæ in Scriptura sæpe significat verbis cogere. Ita enim scribitur de Iacob, cùm præmisisset munera ad Esau fratrem suum, & ille accipere recusaret, *Coegit eum accipere*. Et in lib. Iudic. de illo Leuita, qui reuocauit vxorem, & iam abire decreuerat, *Socer coegit eum manere*. Eadem vox vsurpatur de illis, qui volunt inflectere legem Dei, & efficere, vt illa sibi obtemperet. Cogunt enim eam suis rationibus, faciuntq; parere sibi.

Theraphim.

R. Kimhi.

R. Salomõ.

An igitur verum sit, eum, qui non obtemperet, & qui idolum colat, pari scelere obstringi: Et quid Samuel ea sibi oratione velit.

QVÆST. XIV.

Plerique, inquit Tertullianus de Idololatria cap. 2. idololatriam simpliciter existimant his solis modis interpretandam, si quis aut incendat, aut immolet, aut polluceat, aut sacris aliquibus, aut sacerdotijs obligetur: quemadmodum si quis existimet adulterium in osculis, & in amplexibus, & in ipsa carnis congressione censendum: aut homicidium in sola sanguinis profusione, & in animæ ereptione reputandũ. At enim Dominus quam extensius ista disponat certi sumus, cùm adulterium etiam in concupiscentia designat, si oculum quis impegerit libidinosè, & animam commouerit impudicè: cùm homicidium etiam in verbo maledicti vel conuicij iudicat, & in omni impetu iræ, & in negligentia charitatis in fratrem: sicut Ioannes docet homicidam esse, qui oderit fratrem. Alioquin in modico consisteret, & diaboli ingenium de malitia, & Dei Domini de disciplina, qua nos aduersus diaboli altitudines munit, si in his tantùm delictis iudicaremur, quæ etiam nationes decreuerunt vindicanda. Quomodo abundabit iustitia nostra super Scribas & Pharisæos, vt Dominus præscripsit, nisi abundantiam aduersariæ eius, id est, iniustitiæ perspexerimus? Quod si caput iniustitiæ idololatria est, prius est vti aduersus abundantiam idololatriæ præmuniamur, dum illam non solùm manifestis recognoscimus. Hactenus Tertullianus. Quod si vitium vllũ religionis caput petit, & syncerum numinis cultum violat, ipsa est inobedientia. Non enim religio hominũ inuentis perinde cõstituta est vt lege Dei: qua sublata eadem pereat necesse est. Inobedientia porrò legem abrogat, & tollit. vnde sequitur, vt numinis quoque cultum abdicet, & idololatriam statuat. Ex Aquilæ editione, inquit Theodoretus, licet intelligere, quod Deum colere, sit præcepta implere, non dona offerre. Quod si verum est, vt apparet manifestè, inficiari nemo poterit, eum, qui latis à Deo legibus non obtẽperet, idololatriæ reum esse. Tametsi enim hactenus nonnulli *verbis fatentur se nosse Deum*, tamen *factis negant*. Idcirco autem Samuel vniuersim hoc prædicat, quòd non

Tertul. Idololatria non solis sacrificijs interpretāda est, sicut nec sola carnis congressione adulteriū.

Matt. 5.

Ioan. 1. c. 3.

Inobedientia perinde vt idololatria religionem tollit.

ET QVASI SCELVS, &c.

Qui Dei imperio iubesse non vult, non minus nocens est, quàm qui idola colit.

non tum primùm, sed iam pridem Dei mandatum contempserat, ita vt velle videretur perpetuò obluctari, nec vsquã morem gerere. Quod si faciat, maturè admonet non esse leuius infanda superstitione flagitium. Nam quò tibi numen, si colere atque obseruare detrectes? Huius enim cultus sanctissimus obedientia est, sine qua haberi vllo loco credi non potest. Dei namque summum ius atque infinita potestas est. Cęterùm nullum numen venerari ac suspicere, aut etiam vérum contemnere, haud leuior iniuria est, quàm si falsum numen adores. Nam qui falsum colit, hic quidem graui in errore versatur, quiduis potius quàm ipsum numen obseruans: attamen quæ debuit illi exhibet, qui apud se Dei vim & numen obtinet. At qui verũ agnoscens ne ipsum quidem reueretur, sibi malæ fidei conscius est: quod vtique grauius est, quàm si erroris arguatur. Nam hoc quidem ignorantiæ est, tametsi veniam non mereatur cùm vinci possit. At verò illud quis nisi impietatem deputet? Æquat igitur impietati, inquit Procopius, si quis Deo non obediat.

Tostat. in hunc locũ, quæst. 15.

Veruntamen, inquit Abulensis Episcopus, idololatria vsqueadeo scelus omne superat, vt cum nullo conferri possit. Inobedientia passim & nullo discrimine circa quælibet vagatur, & errat. Et quidem in ijs præceptis, quæ posteriori tabulæ inscripta sunt, cùm ea despiciuntur, non leuem Deus iniuriam accipit: vt pote qui ea dederit, cuius autoritas contemnitur. Sed tamen circa hæc non vltra prorũpit improbitas, quàm vt de lege aliquid deroget: damni quidquid illatum erit, ad res creatas pertinet. At cùm peccatur in priorem tabulam, non tam lex pro nihilo duci, quàm legis autor ludibriò haberi videtur. Nec tamen statim pariter ab omnib. Nam qui Sabbathum violant, aut perjurio nomen eius polluunt, hi quidem ceremonias cultus eius imminuunt, & nonnullam imponunt contumeliam. veruntamen majestatem seruant, nec prorsus à Deo desciscunt. At qui sectantur idolatriam, horum alterum prę se ferre videntur: aut quòd non sit Deus qui legem condidit, aut quòd non solus imperet. Alterutrum si affirmaueris, Deum sustuleris. Quamobrem par facinus idololatriæ fingi nullum potest. Nec igitur Samuel inobedientiam parem facit, tametsi hęc profectò duplici genere continetur. vnde & nobis distinguenda est. Altera totam legem respuit: quare etiam idololatriam complectitur. Sed hanc Propheta non memorat. Altera circa particularia versatur. quale fuit quod Saul trãsgressus est. Et hæc longè minor est idololatria. tametsi enim labatur in aliquo, reliquis tamen inhæret, nec prorsus fidei nuntium remittit. Accedit tamen ad idololatriam, si, quod mandatum Deus per internuntium Angelum aut Prophetam ad nos priuatim dederit, illud contempserimus. tum enim multò ferocior apparet cõtumacia. Si tamen intra eum gradum sistat temeritas, nec Deum neget, idolorum cultum æquare non poterit. Nec verò aliter Samuel sentit, quin potius esse ait, *Quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere.* Porrò hanc Tostati sententiam Salianus quoque sequitur tom. 3. Annal.

Inobedientiæ scelus idololatriæ quidem simile, sed non ęquale dici aliorũ est sententia.

Distinguitur inobedientia.

Salianus.

A anno mundi 2968. Saulis Regis 7. Non sine causa, inquit, vtroque in membro additur particula, *quasi*, quæ in Hebræo & Græco subintelligitur, in Chaldæo autem Paraphraste, & editione Vulgata exprimitur, vt non æqualitas criminum, sed similitudo monstretur. Similis enim fit idololatriæ inobedientia, quæ dum diuinum præceptum studiosè diminuit, commutat, inuertit, Deum imprudentiæ, aut iniustitiæ tacitè arguit. Deo autem prudentiam tollere, vel iustitiam, nonne infidelitas ac blasphemia est?] Autor sententiæ sanctus Gregorius, qui hoc eodem loco, Quidnam est, inquit, quod ariolis, & idololatris repugnantes, & acquiescere nolentes à Propheta similantur, nisi quia arioli diuina cognoscere, atque absconsa diuinare nitebantur. Qui autem repugnant Prælatorum imB perijs, ideo vtique repugnant, quia diuinam voluntatem melius se scire existimant, &c. Nolle autem acquiescere idololatriæ sceleri simile dicitur, quia nimirum in suæ inobedientiæ obstinatione nemo persisteret, si propositi sui figmẽtum in corde quasi idolum non gestaret, &c. nam pluribus interpretatur sanctus Gregorius. Alludit autem ad illud *quasi*, Vulg. & Paraphr. Chald. vt ait Salianus, dum hæc similia inter se prædicat. Nec ego lector admodum contenderim, vt tanti viri repudiata sententia mecum potius sentias.

S. Gregor.

Quandoquidem tamen seuerior ab initio placuit, operæpretiũ visum est, si illud *quasi*, quam vim habeat admoneremus. Et quidem illud neque Hebræi, neque Græci agnoscunt: solus Chaldæus Paraphrastes כ *Ken* addidit, & Vulgat. *quasi*, quod habet eandem emphasim, nec C potest facilè explicari. Tametsi enim non rarò similitudinem sonat cum inæqualitate coniunctam, non est constans & perpetua ea significatio. Nam vt ab exemplis cæteris abstineam, quis audeat eo sensu interpretari apud Ioan. ca. 1. ver. 14. cùm ait: *Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre?* Non æqualitatem modò, sed, quod dicunt Philosophi, identitatem sæpe *quasi* significat. Schindlerus in Pentaglot. quod facilè colligi potuit ex pluribus Scripturæ sententijs, quas satis longa serie Complutense vocabularium recenset, non paucas regulas obseruat, quibus eius dictionis vis ac potestas vbilibet inuestigetur. Nam si accedat ad tempus, mensuram, aut numerum, tum reuera D coniecturam valet, & secundum aliquam analogiam exponendum est, vt sit idem quod propè, ferè, circiter: vt sæpius in Euangelijs, *hora quasi sexta: homines quasi quinque millia.* ac si dicas, circa horam sextam, & ferè quinque millia hominum. Sin ponatur extra numerum, nec quicquam cum altero conferat, tum vicem prępositionis obtinet, & iuxta, aut secundum significat. *Miserere mei Deus*, inquit Dauid Psal. quinquagesimo primo כחסדך *Kehhasdecha, secundum misericordiam tuam.* Alias perinde est ac sic, sicut, ita, tanquam. Quod si geminetur, inquit, tum denotat conditionis, aut dignitatis æqualitatem, & reciprocam vicissitudinem. Hîc porrò כן *Ken* apud Chaldæum quater repetitur, bis in vtroque membro comparationis:

ET QVASI SCELVS, &c.

vocis כן Ke siue *quasi*, multiplex, & varia significatio.

Illud *quasi*, fauet priori nostræ sententiæ.

ET QVASI SCELVS, &c.

Ex quo sequitur, vt, si literam spectes, nostra expositio syncerior appareat.

Tandem sic quoque non incommodè exponi poterit, ac penè ausim asserere non aliam Samuelis mẽtem hoc loco fuisse. Sicut enim prius victimis, hoc est, externis religionis signis præstare obedientiam affirmauerat: ita nunc quoq; quibuslibet externis superstitionis signis inobedientiam docet esse deteriorem. Atqui expressè confert cum ariolandi peccato. Et hoc passim Scriptura solet, peccandi illecebras, & instrumenta nequitiæ, peccata ipsa & iniquitatem vocans. *Et disperdentur*, inquit Osee cap. 10. ver. 8. *excelsa idoli, peccatum Israel: lappa & tribulus ascendet super aras eorum.*

Seneca.

Pro eo ergo quod abjecisti sermonem Domini, abjecit te Dominus, nisi sis Rex.] Seneca in Thyeste, act. 3. in Choro,

Rebus secundis fidẽdũ nõ esse.

Nulla sors longa est: dolor ac voluptas
Inuicem cedunt: breuior voluptas
Ima permutat breuis hora summis.

Et iterum:

Quem dies vidit veniens superbum,
Hunc dies vidit fugiens iacentem.
Nemo confidat nimium secundis,
Nemo desperet meliora lapsis.

Deinde:

Nemo tam diuos habuit fauentes,
Crastinum vt possit sibi polliceri.
Res Deus nostras celeri citatas
Turbine versat.

Sed illud aptissimè quadrat in Saulem:

Ille qui donat diadema fronti,
Quem genu nixæ tremuere gentes,
Cuius ad nutum posuere bella
Medus, &c.
Anxius sceptrum tenet & mouentes
Cuncta diuitias, metuitque casus
Mobiles rerum, dubiùmque tempus.

Hinc postremò Reges admonet:

Reges admonentur modesti vt fiant.

Vos quibus rector maris atque terræ
Ius dedit magnum necis atque vitæ,
Ponite inflatos tumidósque vultus:
Quicquid à vobis minor extimescit,
Maior hoc vobis dominus minatur.
Omne sub regno grauiore regnum est.

Sed Sauli quæro cur tanti fuerit clementem aduersus alterum extitisse, vt propterea regno priuaretur? Respondent SS. Cyrillus, & Theodoretus, prior quidem in fine Collectan. quæst. 7. Theodoretus quæst. 34. in hunc locum, & Procopius item eodem loco. qui omnes quandoquidem in vnam sententiam conueniunt, eandem verbis Theodoreti referam. Præuidit quidem Deus, inquit, eius futura scelera & iniquitates: insidias quidem in eos qui de eo benè erant meriti, Sacerdotum cædes, iurisiurandi transgressiones, profectionem ad vẽtriloquam. Sufficit autem vel sola transgressio præcepti, vt extremum de eo supplicium sumatur. Oportebat enim stultum intelligere, quod vna gutta diuinæ benignitatis & clementiæ vincit omnem hominum bonitatem. Sed infelix, cùm Deus iussisset punire, misertus est: & cùm Deus morte damnasset, ipse, vt existimauit, vitam tribuit. Et cùm Deus iussisset, vt ex præda

S. Theodoretus. Non ob dementiã, sed propter inobedientiã & auaritiã, &c. Saul damnatus est.

A nihil lucrifaceret, ipse referens plurima, eáque pulcherrima ex gregibus, & armentis, & alijs omnibus, reuersus est. Et ipse quidem cùm anathemate sanxisset, vt nemo sumeret potum, aut cibum, illum quidem, qui ex ignorantia decretum erat transgressus, voluit interimere: cùm Deus autem vniuersorum Amalech subjecisset anathemati, non propter illius in ipsum impietatem, sed propter illius in populum maleuolentiam, non pauca ac parua aliqua, sed plurima accepit ex anathemate. Sed neque exemplo Achan cautior factus est. Non fuit ergo paruum, sed maximum peccatum. Hactenus sanctus Theodoretus, qui mox addit: Tantum enim eum condemnauit ea qua præter legem vsus est misericordia, quantum auaritia, & plura habendi insatiabilitas & amor pecuniæ, cui seruiens, transgressus est mandatum.]

ABIICIT TE, &c.

B *Ne sis Rex.*] Βασιλεία, inquit Suidas in eodem verbo, ἀνυπεύθυνος ἀρχή. Regnum est principatus nullis rerum gestarum rationibus reddendis obnoxius. Quare omnes boni non solùm liberi, sed etiam reges: siquidem *iusto non est lex posita.* Mox etiam Suidas regnum docet possessionem esse reipublicæ: sed non est respublica, inquit, regni possessio.] Sed quæri vtique posset,

Suidas. Regnum quid sit.

Num Saul tum Rex esse desierit, & , vt primùm lata est hæc sententia, eidem abrogatum sit imperium?

QVÆST. XV.

C RESpondendum est, inquit Episcopus Abulensis quæstione 27. in hunc locum, quod quantum ad ius Saul immediatè regno priuatus est, de facto tamen non est priuatus. Tostatum sequitur Iacobus Salianus tom. 3. Annal. anno mundi 2968. & eius sententiam diligenter ornat & amplificat. Sed quia contrariam magis amplectimur, primùm eius rationes nobis expendendæ sunt quantum momenti habeant, deinde reliqua quæ solerter vterque contulit ad huius loci explicationem, quàm breuissimè fieri poterit exponemus.

Iure, non possessione; regni eum fuisse priuatum Tostat. censet.

Primùm igitur id significat, inquit Salianus, haud obscurè Chrysostomus, in homilia de Dauid & Goliath, qui Saulem opinione potius, & ad externam speciem regem fuisse ait, quàm re-

Salianus. Respondetur citato testimonio nomine S. Chrysost.

D ipsa, & legitimo iure. Regnat, ait, Dauid sanctissimus, sed latenter: Saul reprobus efficitur euidenter: hic iam rex est, ille putatur: hic iam obtinet, ille tantummodo dicitur: hic occultam possidet dignitatem, ille habet publicam regni imaginem.] Hactenus cum sancto Chrysostomo Salianus. Qui tamen hanc Chrysostomi sententiam non ad præsentis temporis rationem pertinere censet, sed ad proximè sequentis œconomiam, cùm Dauid sacro chrismate delibutus, imperij ius & potestatem diuino beneficio consequutus est. Cæterùm, vt quod sentio, ingenuè proloquar, primùm tota illa Chrysostomi oratio ad virtutem pietatémque referri debet quæ sola regnat, tametsi aureo sceptro ac diademate

Nullum regnum fide ac pietate præstãtius.

Ne sis rex, &c.

diademate careat. Neque enim tum aliter clam regnasse Dauid putandus est. Non enim latebras aliquas nactus est, & vmbratile imperium, & clandestinam prouinciam, nocturnósque exercitus quibus imperaret: sed singulari pietate ac fide reliquis omnibus superior erat. Hoc verò regnum longè præstantius est, quàm si omnibus gentibus ac nationibus terra marique imperes. Nam qui longè lateq; obtinet imperium, si non pietatem colat & virtute præstet, non tam is rex habendus est, quàm vitiorum mancipium regis speciem præ se ferens. Deinde, ea Homilia suspicionem habet affectati alieni nominis. nam crebra illa incisa & frequentia antitheta, quibus ferè tota distincta est, S. Chrysostomi stylum haud redolent. Obseruat Card. Bellarminus in lib. de Scriptoribus Ecclesiast. nonnullas Homilias insertas esse primo tomo sancti Chrysostomi, quæ non possint eius haberi legitimæ. Fronto Ducæus hanc prorsus ablegat, ne quidem referens in earum numerum, quarum spes sit exemplaria Græca posse reperiri. Postremò Chrysostomus longè aliter sentit Homil. 1. de Dauide & Saule eodem tomo 1. Quippe Saul exonerando ventri latebras captans speluncam subierat, quam statio militaris vnà cum Dauide occuparat. Quo loco cùm facilè opprimi posset, & opportuno tempore rem geri oportere duces sentirent, nec occasioni deesse: Dauid tamē magis parcere statuit, vnam hanc causam afferens, *quoniam Christus Domini est*. Quod cùm reliqui ægrè ferrent infensissimū hostem dimitti incolumen, & Nunquid non scelestus est dicerent, & necem ac calamitatem nobis machinatur? Veruntamen rex idem est, infit Dauid autore sancto Chryso. ἀλλὰ βασιλεύς, ἀλλὰ ἄρχων, ἀλλὰ τὴν προεδρίαν τὴν ὑπὲρ ἡμῶν ἐγχειρισθείς. Sed Rex est, sed Princeps, sed præsidentiam in nos suscepit. Sequitur postea: Neque tamen dixit, Rex est, sed *Christus Domini est*, non ab humano honore, sed à cælesti iudicio sumpto honorifico testimonio. Contemnis, inquit, conseruum tuum, reuerere Dominum. aspernaris electum, metue eum qui elegit. Etenim si vulgares istos principes ab Imperatore designatos, etiamsi sint improbi, si fures, si prædones, si iniusti, si denique quodcunque aliud fuerint, timemus cum horrore, non propter malitiam despicientes eos, sed propter dignitatem illius à quo electi sunt, reuerentes: multò amplius id facere conuenit in his quos elegit Deus. οὔπω παρέλυσεν αὐτόν, φησι, τῆς ἀρχῆς, οὐδὲ ἰδιώτην ἐποίησε. Nondum, inquit, Deus abdicauit illum principatu, nondum fecit eum ex Rege priuatum. Itaque ne inuertamus ordinem, neq; rebellemus Deo, Apostolicum illud dictum factis præstantes: Quoniam, *quisquis resistit potestati, Dei ordinationi resistit: quicunque autem resistunt, sibiipsis accipient damnationem*. Denique idem sanctus Chrysostomus: οὐχὶ χριστὸν δὲ αὐτόν, inquit, ἐκάλει μόνον, ἀλλὰ καὶ ἑαυτοῦ κύριον. Non solùm appellauit illū, Christum, hoc est, vnctum, & Regem, verumetiam suum Dominum vocat. Hactenus opinor S. Chrysost. de Saulis abdicatione quid senserit, disertis verbis explicuit.

Bellarmin.

Fronto Ducæus.

1. Reg. 24.

S. Chryso. negat iure regni Saulē priuatum fuisse.

Rom. 13. 2.

Atqui inunctio ius in regnum tradebat.] Respondeo non magis, quàm apud Iudæos quoque inunctio sacerdotum asserebat. Nam de solis Iudæis opinor loquimur. Quippe de Regibus Israel si vnum Iehu excipias, haud satis constat an ipsi quoque oleo inuncti fuerint. Porrò inunctio nulli ius sacerdotij vendicabat: sed quod quisque erat stirpis prærogatiua sortitus, eò vt legitimè fungi posset inunctionis gratia consequebatur. Inunctio siquidem sacerdotes sanctificabat, & suo dignos ministerio efficiebat: sors ipsa gentis, ac familiæ dignitas ex legis præscripto sacro muneri ascribebat. Regem quoque populi electio, aut diuina institutio faciebat: inunctio legitimum Regem diuina gratia cumulabat, vt oneris magnitudini par esse posset. Nec tamen inficior, quin fuerit ea ceremonia potestatis traditæ symbolum cùm publicè fieret: at si clam fieret, eo nomine frustrà fieret. Non enim prius multitudo morem gerere, & iussis obsequi astringi potuit, quàm Regem institutum nosset. Quare si qui prius occultè vt Saul & Dauid chrismate inuncti sunt, iidem denuò palàm ac publicè vnguento sacro sunt delibuti. Nam quæ suopte ingenio referuntur ad aliquid, vt rex, vt dominus, non nisi simul esse possunt. Quamobrem etiam Deum ipsum antè regem ac dominum fuisse negamus quàm res creatas edidisset, in quas exerceret imperium. Quî fieri igitur poterit vt ius habuisse regnandi Dauid opinemur, cui nemo erat qui parere debuisset?

Ne sis rex, &c.

Inunctio ad ius regni traderet.

Respond. alteri argumento.

Quorsum ergo inungitur? Paucis aperiam. Nulla quidem ceremonia est, nullus sacer ritus qui apud Iudæos viguerit, qui si cum Sacramentis nostris comparetur, non omni ex parte diuina quadam energia atque efficacitate superetur. Nam prisca illa præter legalem iustitiam quam conferebant, vix aliam vim obtinebant, quàm vt fidem in Christum excitarent. Atquæ tum illa spondebant, nostra nunc operantur. Sæpe tamen accidebat vt per ea priscorum fides impetraret, quę nunc Christi merito Sacramenta nobis impertiunt. Cæterùm, non magis apud eos quàm apud nos inunctio regalis Sacramentum fuit: sed apud vtrosque sanctificationem pollicetur, quæ designatum Principem dignis eo munere virtutibus instruat, non cuiusquam Sacramenti vi atque potentia, sed diuina primùm benedictione, deinde etiam Sacerdotum, ac totius populi suffragio, qui sua studia eo ritu se Deo probare sentiunt, quæ Deus aspernari non soleat, si modò is, in quem cœli terræque vota consentiunt, pari fide ac religione certet. Hæc igitur cùm palam inauguratio celebratur, concurrunt omnia: cùm occultè, tum spes certa regni ostenditur, quam Deus externo symbolo confirmat teste atque obsignatore Propheta; tum fidem in animo excitat, & sibi addictum iis virtutibus excolit, quibus tum maximè opus erit, cùm eidem populi moderandi potestatem quasi quasdam habenas tradet. Frustrà sanè toties inunctio repeteretur. nam Saul & Salomon bis inuncti sunt: ter etiam Dauid, si tanquam Sacramento quodam Ordinis, inunctione Regiæ potestatis character imprimeretur.

Inunctio quid conferret.

Veruntamen non possunt duo idem ius habe-

NESSIS REX, &c.

Respond. tertio argumento.

re in solidum.] Non habuit ergo Dauid, siquidem, vt sanctus Chrysostomus prius asseruit, Saulem necdum Deus principatu abdicauerat. Tametsi miror in qua tandem Republica hæc illi prædicent, cùm sæpe binos legant Romæ ac Constantinopoli imperium obtinuisse. Ad Aristocratiam volent geminum potestatis sydus pertinuisse. Ipsi viderint. Salomon certè vt primùm inunctus est, Adoniæ fratri delicti veniam fecit. quod argumentum est assumptæ Majestatis. nec tamen propterea viuens Dauid exautoratus est, aut priuatus obijt. quinimo eidem complura mox imperauit, idque si quid tamen video, non modò vt Propheta, aut pater quilibet, sed etiam vt Rex, qualis opinor ad vltimam vitæ periodum mansit.

Dauid ante mortem regno non excidit.

Respond. 4. argum.

Tam leges, quàm iudicum sententiæ, inquit Salianus, ex vi verborum, si clara sint, interpretandæ sunt: si dubia, pro reo in partē mitiorem, hoc enim insita naturæ charitas iubet. Atqui disertis verbis quæ ad tempus præsens pertinent, Sauli à Deo abrogatur imperiū. Quis igitur nisi temerè diutius proroget? Nam & propterea Septuaginta verbo præsenti vsi sunt βασιλεύειν. Ita Salianus. Editiones Sept. Interpr. complures legi, quæ futurum tempus abdicationi designarent, quæ præsens destinaret nullam hactenus comperi. Theodoretus verò etiam cum vulgatis editionibus consentit. Idem enim cum edit. Complutensi, Regia, Aldina, Romana Nobilij Flaminij sic habet: ὅτι ἐξουδένωσας τὸ ῥῆμα κυρίου, καὶ ἐξουδενώσει σε κύριος τοῦ μὴ. Complut. βασιλεύειν, reliquæ cum eadem infrà vers. 26. εἶναι βασιλέα ἐπὶ Ἰσραήλ. *Quia contempsisti seu nihil duxisti verbum Domini*, ἐξουδενώσει *contemnet*, (ergo apud omnes futurum tempus spectant) *pro nihilo ducet te*, iuxta Complutenses βασιλεύειν *regnare*, secundum alios, *ne sis Rex, vt ne regnes super Israel.* Deinde, vt mihi quidem videtur, non sunt ad eum canonem exigenda prophetarum oracula, qui passim nullo ferè discrimine quolibet tempore vtuntur. Nam, vt cætera taceam, infrà certè hoc eodem capite, quod ad hanc sententiam attinet, Samuel præteritum tempus in rem futuram vsurpat. *Scidit*, ait versu 28. *Dominus regnum Israel à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te.* Quod tamen factum negat Salianus ante mox sequentem Dauidis inunctionem. Veruntamen, inquit Salianus, hoc distat hæc sententia à superiore 1. Reg. 13. vers. 14. *Nequaquam regnum tuum vltrà consurget.*] Iudicet lector: nam integram sententiam retulisse mihi satis fuerit. Accipe solidum versicul. 14. cap. 13. *Sed nequaquam regnum tuum vltrà consurget. Quæsiuit Dominus sibi virum iuxta cor suum: & præcepit ei Dominus vt esset dux super populum suum, eò quòd non seruaueris quæ præcepit Dominus.* Quod si placet temporum momenta Scripturæ verbis expendere, cur præsens fidem potius inueniat quàm præteritum aut futurum, nam ea quoque decreto inserta sunt? Addam quod ne præsenti quidem tempori peræque fidendum sit vt futuro. Nam rebus futuris præsens pariter ac præteritum Scriptura frequenter adhibet, non quò eas iam factas esse, aut exitum sortitas asserat: sed quo doceat tam certa esse quæ Deus minitetur aut spondeat, vt ijs quæ dudum obtinent meritò annumerari queant. Non abutar exemplis reliquorum voluminum, prius tamen idem Dominus eodem Samuele internuntio cap. 3. vers. 11. vt præsens prædicat, quod nemo longo post tempore contigisse inficiari potest. *Ecce*, inquit, *ego facio verbum in Israel, quod quicunque audierit, tinnient ambæ aures eius.* Hebraicè, עֹשֶׂה דָבָר *ghoseh dauar, faciens verbum*, siue *rem*. His vero etiam Græci astipulantur: ἰδοὺ ἐγὼ ποιῶ τὰ ῥήματα, *Ecce ego facio verba in Israel.* Consentit ipse Salianus ad Ann. mund. 2913. Numer. 11. Nam verbum, inquit, istud erat, quod facturus erat Dominus, & quidem post non paucos adhuc annos, sed tam certò, ac si iam res præsens esset. Quis igitur vltra sic putet definito tempori adhærendum esse, vt adhæret polypus scopulo?

LXX futurū tempus abdicationi præstituūt.

Theodoretus. Complut. ἐξουδενώσει.

Prophetæ nullo ferè discrimine alijs verborum tēporibus pro futuro vtūtur.

Primaratio cur negem ante obitū Saulē regni iure excidisse.

At vero cur asseram non ante Saulem iure regni caruisse quàm mortem oppeteret, multæ me causæ permouent. Primùm enim hoc videtur valde asseueranter Scriptura loqui. Nam idem Samuel, qui Saulem hoc tempore periculi denuntiatione terret, subinde cap. 28. diuina vi euocatus ab inferis: *Faciet*, inquit, *tibi Dominus*, Saulem alloquens, *sicut loquutus est in manu mea, & scindet regnum tuum de manu tua, & dabit illud proximo tuo Dauid: quia non obedisti voci Domini, neque fecisti iram furoris eius in Amalec. idcirco quod pateris, fecit tibi Dominus hodie.* Deinde 1. 2.
Paralip. cap. 10. duobus postremis versiculis, quo loco causæ recensentur, ob quas eidem abrogatum est imperium: nonnulla his, quæ hactenus à Samuele obiecta sunt, scelera adduntur, quæ non antè commisit, quàm ad vitæ metas fermè perueniret. Sic enim legimus: *Sed insuper etiam pythonissam consuluerit, nec sperauerit in Domino: propter quod interfecit eum, & transtulit regnum eius ad Dauid filium Isai.* Adhæc, clan- 3.
destina illa iuris priuatio cui bono? aut quò tandem spectare potuit? Nam populum quidem latuit. Saul & Ionathas, vt idem Ionathas autor est, cap. 23. ver. 17. teste Saliano, haud aliter interpretati sunt quàm post mortem regnum ademptum iri. Sed nec ipse Dauid, vt idem docet, antè intellexit regni possessionem sibi adeundam esse, quàm Saul occumberet. Solus itaque restat Samuel, qui tametsi nosset neque Dauidem regnum iure capessere posse, neque Saulem regno iure deijci; quinimo Dauidem iure regno abstinere, Saulem contrà iure tueri: attamen clam secum miraretur & obstupesceret, eum quidem, penes quem ius & potestas esset, iure regnare non posse; at regnum iure obtinere qui Dei decreto regni iure depulsus esset. Quidni fieret siquidem Dauidi rudi atque imperito adolescenti Saul tutor datus est? Mirare, lector, diuinam sapientiam. Pupillo tutorem eligit, qui non modò clam eius vitæ insidias struat, sed etiam aperta vi perniciem moliatur. Leges quæ nobis iura præscribunt, tutorem furioso ascribi iubent. Deus, si credere fas est, furiosum & arreptitium sapientissimo ac fortissimo iuueni tutorem instituit.

Quod si iam non ad vnum, aut etiam paucos, vera edicti interpretatio perueniret, sed in vulgus sparsa publicè innotesceret, tum studia in contraria

NESIS REX, &c. 5. contraria populus scinderetur, & periculosa seditio Rempub. inuaderet. Neque enim plures A ab eo temerè desciscerent: siquidem frequentes eius victoriæ, & præclara in Rempub. merita summum ei ciuium amorem conciliarant. Veruntamen cùm res hactenus fortiter gestas, & egregia eius facinora, vt æquum fuit, diuinę virtuti ascriberent, & deinceps eiusdem præsidio destitutum in peius ruere ac retro ferri animaduerterent, tum facilè infelicis & abdicati imperium à plerisque ludibrio haberetur. Quæ calamitas cùm deinde latius in dies serperet, & ingrauesceret, nonnisi magno Reipub. damno cedere potuit. Sed fingamus Israelitas etiamtum in officio mansuros, & quæ ex Rege Procurator in publica peccaret commoda, fortiter & æquo animo laturos, nec tum quidem imperium detrectaturos, dum suo Principi necem machinatur, & Rempub. discrimini objicit. Quis tamen non videat quàm præceps & turbulenta atque exitiosa futura sit opinio, si populi eo exéplo in animum inducant, quod nonnulli postea hæretici persuadere conati sunt, imperium Regibus quolibet mortali peccato abrogari? Propterea igitur ne qua maleuolis præberetur ansa calumniæ, aut tyrannis ad opprimendos legitimos Principes pateret aditus, aut anarchia benè constitutas Respublicas euerteret, Dauid quidem quoad Saul viueret, regnum nullo iure sibi asseruit, veruntamen successor designatus est; ne se putent Reges nulli fore iudicio obnoxios, aut quidquid temerè deliquerint impunè laturos. Sic itaque diuina Prouidentia sapienter vtrisque consuluit, ne aut Principes formidine pœnæ vacui insolentiùs furerent, aut populi tanquam accepta licentia perpetua in seditione baccharentur.

Saul multis nominibus regnū amisisse dici potest.

Veruntamen tum Saul multis nominibus eo
decreto regnum amisisse dicendus est. Primùm
enim eius filij qui in eam spem alebantur, hære-
ditario regni iure orbati sunt; & regiæ dignita-
tis propagatio, quæ ab eo ad posteros manare
1. debuit, in eius funere extincta est. Deinde ipsi
2. quoque vita citius cum regno erepta est. Nam
cùm supplicio Deus statum diem destinasset,
nondum vitæ decurso stadio Philisthæis necan-
dus objicitur. Quo pacto regno simul ac vita
3. excidit. Adde quod nec satis regiè posthac im-
perasse videri possit. Nam qui prius hostes ar-
mis fregerat, mox eorundem exanimatur me-
4. tu, & inuidiæ atque iracundiæ paret. Subinde
etiam velut impotenti tyranno dæmoni vexan-
dus traditur, ita vt non regno deinceps, sed sup-
plicio potius superfuisse videatur. Denique, vt
5. patet libro primo Paralipomenon, capite duo-
decimo, non pauci reuera ex vniuersis tribubus
Israel Dauidis partes sequuti sunt, cùm per
summam iniuriam à Saule ad necem quærere-
tur: qui tametsi nullum Regi periculum aut ca-
lamitatem molirentur, attamen procul ab im-
perio aberant, & innocentis salutem & incolu-
mitatem tuebantur. Contrariam opinionem
Tostatus & Salianus luculenter explicant, quos
legere poteris: non enim vacat promissa præ-
stare, cùm longior fuerim quàm sperauetam.

SERMONEM DOMINI, &c.

VERSVS XXIV.

Dixitque Saul ad Samuelem: Peccaui, quia præuaricatus sum sermonem Domini, & verba tua, timens populum, & obediens voci eorum.

VERSVS XXV.

Sed nunc porta, quæso, peccatum meum, & reuertere mecum, vt adorem Dominum.

B SErmonem Domini.] Quidam, *præstitutum Ichoue.* Hebraicè, *os Domini.* *Verba tua.*] Chaldæus iterum, *verbum Domini* intelligit, habet enim *eius*, non *tua*. *Porta, quæso, peccatum meum.* Chaldæus Paraphr. *Sed nunc, remitte nunc culpæ meæ.* Vatabl. in Ecphrasi interpretatur, *dimitte.* Pagninus, *Et nunc parce, obsecro, peccato meo.* Arias, *Et nunc, tolle nunc peccatum meum.* Alius, *Nunc igitur tolle, quæso, peccatum meum.* Vatabl. Laurentij, *Nunc ergo, parce obsecro, peccato meo.* Complut. *Fer itaque, quæso, peccatum meum.* Septuaginta Interpret. Καὶ νῦν ἆρον δὴ τὸ ἁμάρτημά μου. Complut. & Reg. *Et nunc porta peccatum meum.* Rom. & Antuerp. Laur. *Tolle peccatum meum.* Hebraicè legimus וְעַתָּה שָׂא נָא אֶת חַטָּאתִי *veghatha sa na eth hhattathi.* *Et nunc sa nunc peccatum meum.* שָׂא *sa*, imperandi vox, à verbo נָשָׂא *nasa*, C quod est verbum in *Cal* actiuum, ex deficientibus *Pe Nun*, & quiescentibus *Lamed Aleph:* significat autem *leuauit*, tulit, extulit, vel tantùm attollendi gratia, vel etiam deferendi. Prout verò cum nominibus, & affixis, & varijs præpositionibus construitur, ita Hebraismos efficit penè infinitos elegantiarum plenos, & varia dicendi schemata: quæ omnia pendent à prima *leuandi* significatione, prout eadem ad res diuersi generis propriè, aut etiam metaphoricè transfertur. Nonnulli hæc diligentius perscrutati sunt, sed ad commentarij nostri institutum pleraque nihil attinent: hoc solùm quæram, verbum illud נָשָׂא *nasa*, quando cum peccato coniungitur, quam vim & significationem obtineat.

Variæ translationes.

D *Nasa* igitur, quoties cum scelere aut iniustitia copulatur, aut *dare pœnas* significat, aut certè *condonare*. *Luere pœnas* significat apud Ezech. ca. 18. v. 19. quo loco nos vulgo ita legimus. *Et dicitis: quare non portabit filius iniquitatem patris?* Hebraicè, *quare non* נָשָׂא *nasa, portabit filius pœnam patris?* ita Pagninus: sed Arias, *iniquitatem* propriè restituit. Paraphr. Chald. *Quare non* לָקֵי *lake punitur, percutitur filius in peccatis patris?* Exod. c. 28. v. 43. de Aaron & filijs eius loquitur: *Et non* יִשְׂאוּ *yssou, portabunt peccatum, & morientur*, id est, luent. Vulgata interpretatur, *ne iniquitatis rei moriantur.* Leuit. 5. v. 1. de teste loquitur, siue cóscio iurisiurandi, qui *nisi indicauerit*, וְנָשָׂא *venasa, portabit iniquitatem suam*, quod propriè, & verbum ex verbo redditum agnoscit Arias. Pagninus

Inuestigatio significationis verbi *Nasa*.

Sed nunc &c.

vertit, *portabit pœnam iniquitatis suæ*. Pluribus verò locis *remittere, condonare, parcere* significat. Genes. 4. v. 13. Cain diuinæ misericordiæ diffisus, ait: *Magnum est peccatum meum*, מנשא *minnes*, Pagninus, *quàm vt feram* Schindlerus, *præ tollendo*. Arias, *quàm parcere*. Paraph. Chald. מלמשבק *millemisch. k, præ remittendo*. hoc est, maius quàm vt remitti possit. Vulg. *Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear*. LXX. μείζων ἡ αἰτία μου τοῦ ἀφεθῆναί με. Item Genes. 50. v. 17. שא *tolle, quæso, transgressionem fratrum tuorum*. Iosephum fratrem filij Iacob alloquuntur. Chald. Paraph. שבק *scebuk, dimitte*. LXX. ἄφες αὐτοῖς τὴν ἀδικίαν, *dimitte illis hanc iniustitiam*. Vulgata eodem versu prius quidem interpretatur, *Obsecro, vt obliuiscaris sceleris fratrum tuorum*: deinde, *vt dimittas iniquitatem hanc*. Pagninus vbique, *parce*. Dauid Psal. 24. v. 18. ושא *vesa, & tolle, vel porta omnia peccata mea*. LXX. Καὶ ἄφες πάσας τὰς ἁμαρτίας μου. Vulg. *Et dimitte vniuersa delicta mea*. Paraphrasis Chaldaica, ושבוק *ouscebuk, & dimitte*. Pagninus, *parce omnibus peccatis*. Sexcentis exemplis idem probari posset. Quare non immeritò שא *sa* hoc loco, seu *porta*, seu *ignosce*, eodem sensu interpretari possumus. Supplicium & pœnam Saul deprecatur, non accersit.

Peccaui] Menander Comicus, Nemo dum peccat, sibi conscius est, quanta sit sceleris moles: at videt post.a. Nunc primùm Saul oculos post lapsum aperit, aut aperire se simulat, quod extorquet abdicationis metus: quam non dubitat letum, pœnam, atque ignominiam habituram comites: quas, vt fugere possit, multa, quæ extra periculi aleam negare paratus est, agnoscet. Apud Platonem libro 1. de Repub. Certò scias, ô Socrates, quod postquam eò quis deuenit, vt breui iam moriturum se opinetur, incidit in eum timor, & cura quædam eorum quæ in superiori vita neglexit. Fabulæ enim quæ de inferis dicuntur, quomodo eos qui iniustè egerūt, pœnas dare oporteat, irrisæ hactenus, mouent tunc animum, ne fortè veræ sint suspicantem: atque ipse solicitus & anxius redditur, atque reputat examinatque, si quem iniuria affecerit. Qui ergo inuenerit multas suæ vitæ iniquitates, ex ipso somno tanquam pueri, frequenter excitus extimescit, & pessima in spe viuit. Hæc Plato de his qui sunt veræ fidei expertes. Quod si verum est, quibus curis angi necesse est, quo metu terreri eos, qui non vt illi fabulas inferos putant, sed certa atque indubitata fide norunt, statim post mortem iudicium sequi, & manere reos supplicia sempiterna? Sit spes declinandi periculi, dum metus vrget, reus inconsulto iudicio, atque ablegata memoria, etiam multò plura quàm patrarit se fecisse fatebitur. Sed Deo grata esse non potest aut vtilis ista confessio, quam non sceleris conscientia, non flagitij detestatio, aut innocentiæ studium parit: sed pœnæ timor exprimit, securus quàm vera proferat, modò ne in calamitatem incidat. Quocirca non sine ratione Hierocles lib. de iustitia, negat eiusmodi timidos iustos esse posse. Est enim, inquit, timiditas, corruptio legitimi iudicij de rebus metuendis, aut non metuendis. Vel etiam ignorantia terribilium, non terribilium, &

Moriturus timor occupat. Plato.

Non quælibet peccati confessio Deo grata, & accepta est. Hierocles. Infelix metus.

A neutrorum. Quomodo igitur qui corruptis & illegitimis opinionibus in vita detinentur, iusti esse possent? Et Plato secundo de Republica, pœnæ formidinem confert cum præstigijs, quæ sensibus nostris illudunt. nam metus pariter mentis quasi luminibus officit, ne verum dispiciat. Non itaque quælibet confessio sceleris labem abstergit, sed ea tantùm quæ cum veritate spe atque animi dolore coniuncta est. Mendax & temeraria confessio hominem maiorem in modum polluit, & Dei clementiam grauiore lacessit iniuria. Mendax autem & temeraria confessio habenda est, non tantùm ea quæ falsò crimen comminiscitur, sed etiam quæ verum agnoscit, si non illud reus prius quæstione de se habita, ex animi sui sententia verum fateatur.

B *Quia præuaricatus sermonem Domini, & verba tua.*] S. Ioannes Chrysostomus homilia decima quarta in caput quartum Matthæi. Εἰ τοίνυν σὺ τὰ πλημμελήματα κατ' εἶδος; Solicitè igitur propria delicta considera. Ita vertit Georgius Trapezontius in editione Commeliniana. At in nostra Niuelliana ad verbum expressius, Dic igitur tua per species peccata. Nam κατ' εἶδος speciatim significat. Et in cap. 6. ad Hebreos, homil. 9. Sicut, inquit, qui hostium est ingressus, est intus: sic qui propria mala cogitat ac supputat, omninò veniet ad eorum curationem. ἂν δὲ λέγῃ, ἁμαρτωλός εἰμι, sin autem dicit, Sum peccator, μὴ ἀναλογίζηται δὲ αὐτὰ κατ' εἶδος, ea autē per species nō cogitat ac supputat, μὴ λέγῃ, ὅτι τόδε καὶ τόδε ἥμαρτον, & nō dicit, Hoc & illud peccatum admisi, οὐδέποτε παύσεται, ἀεὶ μὲν ἐξομολογῶν, φροντίζων δὲ οὐδέποτε τῆς διορθώσεως,

C nunquam cessabit, semper quidem confitens, curam autem nullam gerens correctionis. Præterea, sanctus Augustinus in libro de vera & falsa pœnitentia, capite decimo quarto, vniuscuiusque delicti peristases monet esse perscrutandas. Consideret, inquit, qualitatem criminis, in loco, in tempore, in perseuerantia, in varietate personæ, & quali hoc fecerit tentatione, & de ipsius vitij multiplici exequutione, &c. Hoc facit sedulò Saul, vt eius verba testantur, cui vtique venia neganda non esset, si fucus abesset.

Timens populum, & obediens voci eorum.] Sanctus Theodoretus, & Procopius. Adami excusatione ad Prophetam Saul vtitur. Simile enim est huic: *Mulier, quam dedisti mihi, ipsa dedit mihi, & comedi.*]

D Non est ista syncera, & vera confessio: sed simulata, & hypocritica. Causam confert in populum. Misera est ista excusatio præsertim in Rege. Cur non potius veram causam indicat? Cur non apertè & ingenuè dixit, Contempsi verbum Dei, insensus sum cupiditate, anteposui consilium meum consilio Dei? Multa sunt profectò, quæ Saulis confessionem hypocriticæ vanitatis arguant. Nam primò quidem cùm admissi sceleris sibi conscius esset, iactare ausus est se dicto audientem fuisse, & studiosè confecisse prouinciam. Deinde, vbi manifestis rebus culpa conuicta est, crimen in populum deriuat, factum negat ad se pertinere. Adhæc, non semel optimo factum consilio defendit. Postremò, cùm autore Deo cupiditatis

Sed nunc &c.

S. Chryso.

Quàm accurata esse debeat peccatorū confessio.

S. August.

S. Theodoretus

Hypocritica est, quæ in alium sceleris causam transfert.

QVIA PRÆVARICATVS, &c. cupiditatis accusaretur, nec Deum timuit, nec Prophetam reueritus est; quin etiam religionem sceleri prætexere ausus est. Nunc demùm terrore coactus fractúsque, reprehensioni succumbit: nedum tamen syncerè, sed populi contumaciam accusat, & adhuc criminis inuidiam tentat à se depellere: prædæ sitim nequaquam fatetur, sed fingit se metus perturbatione in hunc scopulum impegisse. Quæ sanè omnia obstinatum ac contumacem hominis animum potius ostendunt, quàm pœnitentiæ fidem faciant. Hoc solùm studet ac nititur, vt Prophetæ vocem compescat, à quo se dolet palàm ac publicè reprehendi. Quin & hoc quoque vereri videtur, ne si parum honorificè à Propheta sit habitus, contemni incipiat. Maximè verò eundem regni cura sollicitat, ne tanquam à Deo abdicatus, Prophetæ decreto de illo gradu deijciatur. His commotus, Samuelem placare sibi ac lenire delicti confessione contendit, tametsi mens eius à pœnitentia abhorreat. Tempori cedendum statuit. terret eum siquidem Prophetæ autoritas, populi præsentia, cuius insolentiam ex recenti victoria suspectam habet: propterea assentari sibi imperat, & Prophetam verbis ludere, ac delicti nonnullum præ se ferre dolorem, donec Prophetam mitiget, & comitia dissoluat.

Saulis trepidatio.

Quid si verè & ex animo culpam confessus, pœnam deprecaretur, num propterea regni spes posteris eius instauraretur? Non fit mihi verisimile. Iam enim Dauid adolescebat, qui regnum capesseret. hic siquidem ab æterno tempore Rex Israel designatus erat. Nullàne igitur Pœnitentiæ vtilitas? Imo maxima. Nam primò quidem nequitiæ labem inducit. deinde nos cum Deo reconciliat. postremò æterni supplicij periculum procul arcet. Sed non est necesse, vt quæ temporalia sunt & caduca, ea semper in integrum restituat. Non enim similibus beneficijs salus nostra continetur, & alioquin non rarò vtile fuerit ijsdem priuari, ne denuò nos in idem barathrum pertrahant, aut vitia foueant. *Videte*, ait Paulus ad Hebræos cap. 12. ver. 16. & 17. *ne quis fornicator, aut prophanus vt Esau: qui propter vnam escam vendidit primitiua sua. Scitote enim quoniam & postea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est: non enim inuenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam.* Id quod de iure duntaxat primogenituræ hoc loco intelligendum est. non enim pœnitenti suam gratiam Deus denegat, sed rerum temporalium abundantiam. *Sapientia*, vti legimus capite 10. *illum, qui primus formatus est à Deo pater orbis terrarum, eduxit à delicto suo:* nec tamen postea tanquam iure postliminij terrestrem paradisum recuperauit. Nec dubito, quin Moyses iniustam ad aquas contradictionis innocentię suæ maculam veris lacrymis eluerit, qui tamen, cùm Dominum rogaret vt visendæ terræ promissionis potestas fieret: *Nequaquam*, inquit, *vltrà loquaris de hac re ad me: nec enim transibis Iordanem istum.* Procul duntaxat è summo Phasgæ vertice spectare permissus est. Gratiæ itaque reconciliatio fieri potuit, & pœnitentia crimen obliterari, tametsi iacturæ damna nemo sarciret. Quo

Quid sit pœnitentię fructus.

Beneficia temporalia non semper instaurat.

Deuter c. 3. v. 26 27.

A pacto ad temperantiam modestiamq; erudiuntur multi, ne temere peccent.

REVERTERE MECVM, &c.

Sed nunc porta, quæso, peccatum meum, &c.] Tria Saul rogat: primùm est, vt Samuel portet eius peccatum. Secundum, vt cum eo redeat. Denique vt coram eo sibi Dominum adorare liceat. Itaque primùm studet cum Propheta in gratiam redire. deinde, vt reconciliatio populo manifesta fiat. Sentiebat enim inde sibi periculum imminere. Postremò, cùm sibi timeret à Domino, quem grauiter succensere audiebat, orat, vt ad sacrificium properanti comes adesse velit. Quid sibi velit Hebraica phrasis, *Porta peccatum meum*, suprà exposuimus. Nunc huius loci germanus sensus esse videtur. Sed nunc parce obsecro querelis istis, méque objurgando atque increpando conterere, tantisper dum mecum
B venias, & culpam à Deo deprecer. Ecce enim vt vndique circunfusus est populus, qui nos curiosè obseruat: & alioqui sacrificium paraui, quo, si quid culpæ inhæserit, mox expiabitur.

Reuertere mecum, vt adorem Dominum.] Ergóne Deum absente Samuele adorare non poterat, cùm paratos haberet Sacerdotes? Sed societatis quærebat suffragium, & tanti viri consortio Deum, quem grauiter offenderat, nec sine causa adire metuebat, placare studebat. De Sanctorum precibus sanctus Dionysius Areopagita Ecclesiasticæ Hierarchiæ capite duodecimo. Sed tamen iustorum bonorúmque etiam preces in hac vita, nedum post mortem, ijs tantùm prodesse, qui digni sunt sanctis precibus, ea quæ prodita sunt diuinarum litterarum monumentis nos docent. Num aliquid à Samuele
C Saul adjutus est? aut aliquid Prophetæ preces populo Hebræorum profuerunt? Vt enim si quis, cùm Sol lumen suum dat integris oculis, petat vt particeps fiat Solis luminis oculis suis effossis, nihil proficiet: sic ex inani spe, & quæ fieri non potest, pendet is qui Sanctorum preces exigit, sanctásque eorum actiones, quas natura fert, repudiat & abigit diuinorum munerum negligentia, clarissimorúmque, ac boni largitorum præceptorum despicientia. Hoc autem statuo cum scriptis diuinis, perutiles esse in hac vita Sanctorum preces, hoc modo: Si quis sacrorum munerum cupiditate ducitur, & ad ea percipienda bene animo constitutus est, tanquam paruitatis suæ conscius adeat ad aliquem
D sanctum hominem, petitum, vt se adjuuet, ac pro se roget, ei ille adjumentum omnium maximum afferet. Quæ enim petit assequetur diuina munera, probante eum & diuina benignitate, & sua religiosa conscientia, & Sanctorum reuerentia, laudabili eorum quæ petita sunt desiderio, & consentanea diuináque animi constitutione. Est enim hoc quoque diuinis iudicijs sancitum, vt diuina munera ijs, qui digni sint qui accipiant, ordine honestissimo dentur ab ijs qui digni sunt tradere. Hanc ergo si quis sanctam disciplinam improbauerit, elatúsque opinione dignum se diuino colloquio existimauerit, ac Sanctos contempserit: & tamen ea quæ indigna Deo sunt ac nefaria petierit, nec desiderium diuinarum rerum intentum habeat,

S. Dionys. Areop.

Probis & diligentib. Sanctorum orationes prosunt, nō indignis & negligétib.

Non reuertar, &c. sibique consentaneum, nunquam stultum optatum consequetur. Hæc sanctus Dionysius, Perionio interprete: quæ in hunc locum contulimus, vt essent vice commentarij.

Sanctorum constantia in castigandis reis Principib. *Non reuertar tecum.*] Sanctus Remundus de Pennaforti, Ordinis Prædicatorum, cùm Maioricam insulam, alteram Balearium, vnà cum Iacobo Rege Aragonum venisset, & is à sancto admonitus, carere nollet mulieris consuetudine, cuius clam inhonesto amore deperibat, Regem deseruit: à quo cùm edicto prohibitum esset, ne quis eundem naui transmitteret, absque rate maris sulcos & pericula superauit. Nec minor quorundam aliorum constantia enituit in arcendis ab Ecclesia reis Principibus, seu scelere dignitatem suam, siue superstitione maculassent. S. Chrysostomus S. Babylam Antiochenum Episcopum cum primis celebrat in ea oratione quam habuit de ipsius martyrio. Paucióribus historiam explicat Suidas in voce Βαβυλᾶς. Suidas. Marianum ille, siue Decium Imperatorem idolorum cultui deditum, cùm is in concionem tentaret irrumpere, nil veritus Prætoriam cohortem & armatos satellites, templi aditu prohibuit, se ferre non posse clamitans, vt lupus gregem inuaderet. idque tum obtinuit. Quod factum postea pari animo defendit, vitam pro ouibus vltrò profundens. Nec verò pluribus ea res exemplis indiget, cùm fuerit hæc communis omnium penè Sanctorum, ac familiarissima virtus: sed illud tamen præ ceteris eximium ac singulare seueritatis suæ S. VVilhelmus testimonium dedit, cùm Suenonem Daniæ Regem, nocturna cæde pollutum, Ecclesiæ fores subeuntem, impacto in pectus pastorali baculo, procul à sacris liminibus expulit: quem subinde tamen deposita purpura pœnitentis habitu redeuntem, coram populo increpitum admisit, & absoluit. Qua in re non satis perspicio quid potissimum mirer, Pontificis constantiam, an ferocis ac barbari principis modestiam, qui tanta, vt quidem satellitibus visum est, affectus contumelia, iræ ac ferro parcere potuit. Inuenies apud Alb. Krantzium lib. 4. Daniæ, cap. 33. Tantum mihi imperare non potui, tametsi iam satis exemplorum erat, vt Almifici Moguntiaci Præsulis episcopale robur, & animi singularem constantiam illaudatam præterirem. Nam cùm Otto eiusdem Pontificis pater, & Romani caput imperij, Adelaidem Reginam Italiæ, commatrem suam, duxisset vxorem (quæ nuptiæ legitimæ esse non poterant, cùm sacros canones & iura violent, nec videri possent matrimonij dignitate, sed sceleris societate coniunctæ) incestum patris stuprum Almificus condemnauit. Illum autem mox pater furore & ira percitus, vinclis & carcere macerat. Sed à correctione linguam, inquit Damianus, terroris vinculum non ligauit. Post annum libertati redditus, in patrem contumacem anathematis fulmen intorquet, & ait: Tu arbitraris me aduersum te insolenter agere, te verò præiudicium sustinere: scito prænoscens, quia die sancto Pentecostes vterque simul astabimus ante Deum, ibiq. ventilabitur inter nos, librata iustitiæ lance, litigiū. quod & contigit. O verè dignum, exclamat B.

S. VVilhelmus Roschildiensis Episcopus.

Albertus Krantz.

B. Petrus Damianus.

A Petrus Damianus, regio genere sacerdotem, qui in causa Dei non Imperiale fastigium, non paternum recognouit affectum, sed dum paternam ac regiam autoritatem in solo Deo constituit, hunc hominem eius legibus resistentem, à se prorsus extraneum deputauit. Autor B. Dam. lib. 2. epist. 15. qui tamen se audisse tantùm asserit. Baronius in Annal. eam historiam falsitatis suspectam habet. Probabilem saltem Damianus esse credidit, alioquin literis non mandaret.

Cæterùm, quærit hoc loco Tostatus quæstione trigesima prima, cùm hîc quidem Samuel iturum se neget, quod mox fecisse narratur versu trigesimo primo, an non mentitus esse videatur? Respondet, non nisi temerè hoc quemquam posse suspicari. Cur enim mendacium diceret? Nam cùm hoc dedecet sapientem, tum B maximè si sponte facias. Nulla porrò vis Samueli allata est. Saul precibus egit cum eo duntaxat, vt secum redire vellet. Nullam ergo rationem habuit cur falleret. At commodè Prophetæ mens exponi poterit, si consideremus non tam quid facturus sit eundem asserere, quàm quid Saul mereatur. Ac si diceret: Instas vt tecum redeam, nec te pudet id honoris à me exigere, quo minimè dignus es: non mereris, tuo merito non faciam: non tamen hoc dicere voluit, se prorsus non rediturum. Sic Christus, Lucæ vigesimo quarto, *Finxit se longius ire*, vt talis discipulorum oculis appareret, qualem mente ac fide complectebantur. Vel sanè sic intelligendus est, qualiter ipse Dominus exponi solet Ioan. capite septimo: *Non ascendam ad diem festum* C *istum*, hoc eodem tempore, siue tam maturè quàm vos ipsi ascenditis: *Tempus enim vestrum semper est paratum: at tempus meum nondum aduenit.* Tametsi enim Samuel extemplo se rediturum negauit, postquam tamen satis cum eo iniuriam hanc expostulauit, reuersus est. *Non reuertar:* donec scilicet te prius objurgem. Nisi fortè sic malis interpretari, non reuersurum Samuelem ad ea quæ Saul postulet, sed ad expectandam de Rege Amalec vltionem. Non enim vt Regi gratificaretur, aut reconciliatam pacem præ se ferret, ad reliquum exercitum accessit: sed vt truculentissimum tyrannum neci daret. Mihi sic videtur, primò statuisse non redire facinoris atrocitate commotum: postea tamen seditionem veritum, & vulgi ingenium nouarum semper rerum cupidum, vtilius fore D iudicasse, si post increpationem, ad continendos in officio milites, Regis sacrificio interesset. Vnde nihil finxit Samuel: sed quod iustè decreuerat, prius sine mendacio aperuit: mox tamen Saulis precibus, ac publicæ tranquillitatis studio, ad misericordiam flexus, vtiliora consilia sequutus est; haud aliter quàm soleant nonnunquam Principes, qui post latam sententiam delicti veniam faciunt, aut pœnam minuunt, quod abhorret à falsi suspicione. Sed & is ferè communis vsus sensusque verborum, vt ea nos facturos inter amicos negemus, quæ neque sponte, neque iure facturi videmur: non absolutè quidem, sed nisi vehementius vrgeamur. Quod si mendacium est, mentitur quisquis semel negata concedit.

Non reuertar, &c.

Qua ratione non sit mentitus Samuel, cùm id faceret, quod antè negarat.

Quia

QVIA PROIECISTI, &c.

Quia proiecisti sermonem Domini, proiecit te Dominus, &c.] Hinc potest elici, Deum suo auxilio illos destituere, à quibus ipse deseritur. Id autem facilè de primo patre Adamo potest demonstrari. Qui, vt est à Deo conditus, ante peccatum eam habuit virium & voluntatis facultatem, vt posset, si modò voluisset, originalis iustitiæ beneficio carnis, & dæmonis corruptelis resistere: sed à Deo cùm turpiter deficeret, ab eo quoque desertus est, non sanè penitus, sed tamen ita, vt permultis donis, magnoque fauore multatus fuerit. Nec enim Deus ab eo tot abstulisset bona, nisi prius ipse ab eo per peccatum se alienasset. Eodem modo iam renatis vsu venit, qui vt concupiscentiam, seu peccati fomitem nondum perfectè exuerint, tamen cùm sint donis cælestibus instaurati, & Deo iam cooperari queant, si gratiam quam in se habent, despexerint; & ea, quemadmodum par est, vti noluerint, Deus illos iure deserit, cùm ipsi prius ab eo defecerint: vt in Parabola Domini habetur, qua scribitur, Herum peregrè profectum, seruis distribuisse pecunias, vt ab eis adhibita industria & exercitio augerentur. Quod ex illis seruis quotquot fecerunt, & laudem plurimam ab hero reduce cõsequuti sunt, & muneribus magnificè ornati. Qui verò neglexit imperium Domini, reprehensus est grauiter, & credita sibi pecunia malè multatus.

A se deficientes Dominus deserit.

Cæterùm, si loquamur de prima generatione, qua *iræ filij nascimur*, omnesq; sumus ex ea massa, quæ sub maledicto iacet, vnde sua electione Deus quos voluerit, eripit: quos noluerit, pro suo arbitrio ac proposito, semper quidem iusto, nobis autem occulto, deserit: cùm id ex præuisis operibus non agatur, neque quod prius *quicquam boni aut mali egerimus* quàm nascamur, perspicuum est, nonnullos, reprobos inquam, prius deferi à Deo, quoad eius electionem, quàm ipsi eum propria voluntate deseruerint, cùm nullo vnquam tempore tantũ beneficium sortiti sint. At nos in præsentia nec ista de re loquimur, neque in hanc quæstionem nos demittimus. Id verò, quod iam affirmauimus, S. August. in Soliloquijs animæ ad Deum cap. 14. posuit. Tu me, inquit, Domine, non deseris, nisi prius ego te deseram. Et in lib. de natura & gratia contra Pelagianos cap. 27. & 28. eleganter explicat, quo pacto Deus ab hominibus deseratur, priusquam ille eos deserat. Inter cætera, inquit, vitia, superbia nobis innata est, omnium malorum caput. Ea verò tum sese consueuit exercere, cùm rectè agimus, & in medio cursu victoriarum sumus. Ibi vanũ cor hominis effertur, ita vt quisque putet se non esse quemadmodum cæteri homines. Hæc est plerunq; prima discessio à Deo, per quam ille vicissim se nobis subtrahit. Et quemadmodum nos ab eo non passibus, verùm corde atque affectu discedimus: ita ille à nobis disiungitur, non quidem loco (nam cùm sit infinitus, omnia occupat) sed fauorem, dona sua, gratiam & auxilium subtrahendo. Eius autem digressum certus desertorum lapsus & indubitata calamitas consequitur: quibus tamen ille, vt bonus est, erga suos electos, seu remedijs vtitur, quo in ipsa miseria discant, quod antea obliti

S. August.

A erant, vires à Deo suppeditari, eiusque merum fuisse donum, quòd antea boni quippiam egerint, vel aliqua prospera fuerint assequuti: vt ita moniti redeant in viam, & à se opem, auxilium, vires precibus quàm fidelissimis implorent, vt qui iam suo malo experti sint, ea omnia se inde, cùm starent, habuisse. Atque hoc pacto illud interpretatur quod habet Apost. ad Philipp. *Cum timore ac tremore operemini salutem vestram: Deus enim est qui operatur in vobis & velle, & perficere, pro suo beneplacito.* Timor porrò ac tremor perpetuò nobis debet incuti, ne rebus florentibus ac secundis insolescamus: dumque in nostra renouatione ac instauratione proficimus, tum sanè timentes ac trementes id attendamus oportet, Deum ipsum esse, *qui operetur in nobis & velle, & perficere.*

B Verùm fortè dixeris, Cùm Deus Sauli ab initio regnum mirificè largitus sit, & nunc abdicet an sententiam mutauit? Audi quid S. Augustinus de voluntate Dei, lib. 22. de ciuit. Dei, c. 2. scribat: Non commutatur, inquit, Dei voluntas, sed nos mutamur. Is autem quodammodo mutari videtur, cùm vbi fuerit nobis antea lenis, iratus apparet: ac è diuerso, cùm prius iratum se præbuerit, deinde se quodãmodo lenem offert. Quando itaque nos ipsi mutamur, eum in his quæ patimur, quodammodo immutatum inuenimus. Quemadmodum Sol videtur immutari, cùm ipsi lippi efficimur, aut aliquo morbo læsos oculos habemus. Nam qui antea blandus, hilaris, & suauis erat, molestus & noxius incipit esse, non sanè quoad naturam suam, quæ manet eadem, neque immutata est: sed nostro C morbo, seu vitio, in quod recens incidimus. Sed iam de hoc sæpius.

S. August.

Deus non mutatur, tametsi perinde vt meremur, diuersum sentiamus.

Ne sis Rex super Israel.] Præter omnium opinionem mirandum videtur, inquit Diodorus Siculus lib. 4. rer. antiq. quod fertur de Regum morte apud Æthiopes. Nam qui in Meroe sunt circa deorum sacra cultumq; dediti sacerdotes, & hi quidem maxima apud omnes pollent autoritate: cùm eis visum fuerit, Regi nuntiant vt mortem oppetat. Ita enim deorum iubere responsa, neque fas esse immortalium voluntatem à mortali homine contemni. aliasque addunt rationes, quibus ex vetere, obseruatáque consuetudine voluntariam Regi mortem suadeant. Et sanè superiores omnes Reges, sacerdotibus, non armis, neque vi coacti, sed ipsa victi superstitione D sponte paruerunt. At Ptolemæi 2. tempore Rex Æthiopum Ergamenes, cùm esset Græcis disciplinis eruditus, eum morem sustulit. Apud Iudæos neque autoritate publica, neque iussione diuina quemquam solio deturbatũ legimus, tametsi plures cùm infanda multa perpetrarunt, tum idololatriæ scelere se polluerũt. quod nonnullis in Samaria contigisse videtur. De Christianis Otto Phrisingensis hæc habet lib. 6. cap. 35. Lego, inquit, & relego Romanorũ Regum & Imperatorum gesta; & nusquam inuenio quemquam eorum ante hunc (Henricum quartum intellige, cui S. Gregorius 7. sacris interdixerat, Imperium etiam abrogans,) à Romano Pontifice excommunicatum, vel regno priuatum. Nisi fortè quis pro anathemate habendum

Diod. Sic. Vita Regũ pendens ex Sacerdotũ responsis.

Iudæorum Reges nulli abdicati.

Otto Phris.

QVIA PROIECISTI, &c.

Quod Reges olim sacris à Pontificibus interdicti, aut etiam abdicati.

ducat quod Philippus ad breue tempus à Rom. Episc. inter pœnitentes collocatus, & Theodosius à B. Ambrosio propter cruentam cædem, à liminibus Ecclesiæ sequestratus sit. Hæc Otto. Qui scilicet Arcadij eius filij non meminit, à S. Innocentio 1. abstenti, ob pulsum sua sede Chrysostomum, vt Glycas autor est Annal. par. 4. nec item Anastasij à sancto Symmacho, vt patet ex eiusdem responsione Apologetica: hinc enim colligere licet in Synodo Palmari quid gestum sit. Sed nec Lotharij quidem, quem idem Otto eiusdem libri capite tertio, ob insanos pellicis amores & remissum Thiebirgæ vxori nuncium, à Nicolao Papa docet communione esse priuatum. Sed & illud miror quid esse velit, quod narrat libro quinto cap. 18. Anno, inquit, ab Incarnatione Domini DCCXVIII. Leo natione Syrus regnauit. Hic ob imagines Dei Ecclesiam persequutus est. Germanum etiam Patriarcham sede sua pellens, Anastasium in locum eius substituit. Qua de causa Gregorius Papa commonito sæpe per literas Imperatore, ac incorrigibili inuento, Italiam ab eius imperio recedere persuasit.] Quod tamen scripsisse videtur Otto, sequutus Græcos autores Theophanem, Zonaram, & Cedrenum, in quorum credulitatem doctus & impiger Duchenius animaduertit in sancto Gregorio secundo. Non enim sanctus Pontifex Italiam studuit ab imperio alienare, qua tum calumnia Leo vsus est, vt eius vitæ insidias strueret: sed cùm per totam vitam Leonis iniurias & hæreticos furores patientissime tulisset, tandem anno vltimo antequam è vita migraret, coacta Synodo, palam ab Ecclesiæ communione remouit: vnde contigit, vt eiusdem autoritate statim Italia tributa negaret. Quid Leo tertius? *annon abdicatis Orientis Imperatoribus Carolum Imperatorem instituit, excitato Occidentis imperio? Cæterùm, Henricus ille quartus Imperator, quem miratur Otto à sancto Gregorio septimo amotum ab imperio, negat, præterquam si de hæresi conuictus esset, imperium sibi potuisse abrogari. Nam si hæresim excipias, docet, inquit in epist. ad S. Greg. 7. traditio Patrum me à solo Deo posse iudicari, nec cuiusquam præterea iudicio obnoxium esse. Veruntamen idem sanctus Pontifex, cùm Boleslaus secundus Rex Poloniæ, sanctum Stanislaum Episcopum Cracouiensem interemisset, Boleslaum, inquit Mart. Cromerus libro quarto de rebus Poloniæ, diris deuouit, regnumque ipsi solemni ritu abrogauit. nec ante Præmislum, qui post annos ducentos & quindecim Rex creatus est, quisquam postea Regis nomen aut dignitatem apud Polonos ausus est vsurpare, vt testatur idem Cromerus initio libri vndecimi. Hinc turbulentissima illa quæstio, facula seditionum, Iuberéne possit Pontifex, Reges vt se abdicent: quæ non ita pridem generalibus trium Ordinum comitiis, hæreticorum fraude, vt apparebat, excitata, calamitatem toti Galliæ minari visa est. Sed flamma citò religione Principis, Episcoporum constantia, bonorumque omnium studio ac votis repressa est. Atque in primis, ne latiùs serperet incendium, eleganti oratione docuit Cardinalis

Duchenius in hist. um. Pontificum.

*Zonar. to. 3. Annal in Iren. & Const. Theophan lib. 22. in hist. Miscel. Eginart. in eius vita.

Cromerus.

A Perronius, ætatis nostræ doctorum facile Princeps, si quidem hoc problema determinari placeat, vniuersalis Ecclesiæ iudicium expectandum esse.

ILLE AVTEM, &c.

VERSVS XXVII.

Et conuersus est Samuel vt abiret: ille autem apprehendit summitatem pallij eius, quæ & scissa est.

VERSVS XXVIII.

B Et ait ad eum Samuel: Scidit Dominus regnum Israel à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te.

PAgninus, *oram pallij* vertit. Arias, *alam: qua & scidit se*, vt vertit Pagninus. Septuaginta Interpr. Καὶ ἐκράτησεν Aldus, ἐπελάβετο · τοῦ πτερυγίου τῆς διπλοΐδος αὐτοῦ, καὶ διέρρηξεν αὐτό. *Et tenuit*, vel *apprehendit pinnulam* (editio Complutensis *pinnaculum* habet) *diploidis eius, & disrupit eam.* Chaldæa *alam* etiam nuncupauit. כנף *Kanaph*, propriè *alam auis* significat Hebræis, כנף *Kenaph* Chaldæis: metaphoricè, summas partes cuiusque rei, vestis oram, limbum, fimbriam, nauis velum, maris littus, fluminis ripam, ædificij pinnaculum, terræ plagas nouissimas, au-

Variæ translationes.

C roræ primam lucem. quę omnia pluribus exemplis demonstrari poterant, nisi breuitati studeremus. Vatablus in scholijs docet, vocem Hebræam significare alteram partium anteriorum vestis, alam scilicet. Scriptura tamen Deuteron. capite vigesimo secundo, versu duodecimo, quatuor alas notat in vestimentis Hebræorum. *Funiculos facies tibi*, (Vulgata, *funiculos in fimbrijs facies*) *per quatuor* כנפות *canphoth, angulos*, vt Vulgata, & Pagninus *alas*, vt Septuaginta Interpretes, & Arias, *operimenti tui.*

Versu vigesimo octauo, *Scidit Dominus regnum Israel à te hodie.*] Chaldæus Paraphrastes, *Transire fecit Dominus regnum Israel à te die hoc, & dedit socio tuo, quòd rectiora sint facta illius præ te.* Septuaginta Interpretes, Διέρρηξε κύριος τὴν βασιλείαν σου ἀπὸ Ἰσραὴλ ἐκ χειρός σου σήμερον. Rom. & An-

D tuerp. Laurent. *Dirupit Dominus regnum tuum ab Israel de manu tua hodie.* Nobilius in notis, sanctus Augustinus, inquit, lib. 17. de ciu. Dei, cap. 7. testatur ita se inuenisse in Græcis, *Regnum ab Israel de manu tua*, licet in plerisq; codicibus Latinis legeretur, *Regnum Israel de manu tua*, quod tamen propiùs accedit ad Hebræum. Vatablus in Ecphrasi: Vt pallij pars abrupta est, sic Dominus hodie abstulit à te regnum Israelis, priuauit te regno. Occasione præsentis facti, inquit Iunius, velut signi diuinitus oblati, Samuel iudicium Dei culpa Saulis superuenturum denunciat. Munsterus legit, Et cùm auertisset se Samuel vt abiret, tenebat ille oram pallij sui, & scissa est.

ILLE AVTEM APPREHENDIT, &c.

Quãobrē Samuel Saulem deserere voluerit.

Postquam animaduertit Samuel se nihil aut parum proficere, nec oratione sua inflecti posse A Regis animum ad synceram pœnitentiam; in contrariam partem vultu cõuerso domum cœpit repetere, vt procul absentem potius lugeat, quàm præsentem frustrà increpet, & delicti grauitatem augeat, quæ res Sauli maiori exitio foret. Nam prius quidem fortassis ignorátiam excusare potuit: tametsi non fuit ea excusatio venia digna, cùm palàm & aperte quod vellet fieri Deus imperasset: at si ne tum quidem cùm Dei nomine à Propheta sceleris arguitur, resipiscat, contumax qua tandem pœna, quo supplicio dignus censebitur? nam manifestè rebellat, & à Deo deficit. Deindè hoc quoque sperauit, desiderio præsentiæ suæ ad meliorem frugem reuocari posse. Diceret enim apud se, Abijt, abscessit, méque tandem iratus destituit, neque meis precibus flecti, vt mecum orare vellet, potuit, B tametsi me errasse confessus sim: qui sperem igitur Deo me litare posse? Num quia flagitij magnitudinem imminuere conatus sum? num quia parũ verè & ex animo dolere, nec satis ingenuè peccatum confiteri visus sum? Quare alia mihi via ineunda est, qua eum placem. Valeant itaque vanæ & inutiles excusationes meæ: Propheta imponi non potest, veris mihi lacrymis culpa deflenda est, & elapsi temporis contumacia promptiore obedientia compẽsanda. Quod si faceret, indulgentia mox illum diuina consequeretur.

Pallij etymologia.

Ille autem apprehendit summitatem pallij eius.] *Pallium*, palla dicta est, inquit Varro in fragmẽtis, ab irrigatione & mobilitate, quæ est circa finem huiusmodi vestium, ἀπὸ τοῦ πάλλειν. πάλλω idem C quod moueo, salio, irrigo. Alij malunt Pallium sic dictum, quòd sit palàm & foris, tegit enim tunicam. S. Isidorus dictionis etymon deducit à pellibus, quia prius super indumenta pellicea veteres induebantur, quasi pellea, siue à palla per deriuationem. Pallium promiscuum vocant Cornel. Tacitus & Vlpianus, quòd esset ea vestis vtriusque sexus communis. Illud autem laudat Tertullianus lib. de Pallio, cùm ex alijs pluribus, tum maximè ab antiquitate, simplicitate, forma commoda, & personarum merito ac dignitate, qui pallio vsi sunt. Hanc enim sibi vestem potissimum Philosophia delegit, quò seipsam ostentaret, & quicunque liberales artes professi sunt: hanc etiam, vt longè dignissimam, nonnulli deorum gentilium induerunt. Christianis sanè ea ab initio familiaris fuit; antiquos etiam Prophetas exornauit; Pseudoprophetæ pallium etiam vsurparunt, quo veros Prophetas habitu mentirentur, & populis imponerent; vt colligi potest ex Zachariæ cap. 13. vers. 4. Pallij formam Tertull. cap. 1. ita describit: In viris Pallij extrinsecus habitus & ipse quadrangulus, ab vtroque laterum regestus, & ceruicibus circunstructus, in fibulæ morsu humeris adquiescebat.] Eiusdem vsum commodissimum laudat cap. 5. Prius, inquit, ad simplicem specta telam eius, nullo tædio constat, adeò nec artifice necesse est, qui pridie rugas ab exordio formet, & inde deducat in tibias, totumque contracti vmbonis figmentũ custodibus forcipi assignet; &c. quæ ad togę figmentum operosius attinent. At enim, subijcit, Pallio nihil expeditius, etiam si duplex, quod Cratetis more nusquam vestiendo componitur. Quippe tota molitio eius operire est solutim, id est, vno circumiectu, licet equidem nusquam inhumano: ita omnia hominis simul contegit. Humerum velans exponit, vel includit, cætero qua in humerum adhæret nihil circumfulcit, nihil circumstringit, nihil de tabularum fide laborat; facilè sese regit, facilè reficit, etiam cùm reponitur, nulli cippo in crastinum demãdatur. Si quid interulæ superest, vocat zonæ tormentum: &c.] Antiquitatis argumenta profert ex Carthaginiensibus, & alijs quicunque Tyro & Sidone profecti Africam incoluerunt. Ex quo patet ante Orientalium quàm Græcorum Pallium fuisse proprium.

Tertullian. Pallij commendatio.

Pallij forma.

Suidas. Alæ palliorum.

Summitatem pallij.] Alij frequentiùs alam interpretantur. Apud Suidam scriptum inuenies, Θετταλικὰ πτέρυγες: hoc est, Thessalicæ alæ. Hoc ideo dictum, inquit Suidas, quod Thessalorum chlamydes alas quasdam habeant, quæ sunt anguli vtrinque prominentes, quia sunt alis similes. Hæc Suidas. Apud Pollucem lib. 7. c. 14. Partes vestium, πτέρυγες αἱ, καὶ πτέρυξ, τὸ μέσον τοῦ χιτωνίου. alæ, & ala, medium tunicæ.] Hebræi Pallium manicis caruisse volunt. Pallij eius.] Cuius? Id scilicet in Hebræo ambiguum est, vt scribit Tostatus. Quare nonnulli Doctores Hebræi Samuelem arbitrantur, iuxta veterum consuetudinem, propriam vestem discidisse, quo dolorem suum manifestiùs aperiret. Quam tamen opinionem duplici ratione refellit. Fecisset enim ab initio: nec limbum orámue, sed mediam vestem dilacerasset. Scriptum est Hebraicè מעילו *meylo*, sic vt מעיל *meyl* quod pallium est, coniunctum sit cum affixo generis mascul. personæ tertiæ, *eius*, quod *suum* etiam interpretantur. Alij Saulis diloricasse pallium contendunt, eo consilio, vt intelligeret eum sibi successorem designatum, qui partem olim eius chlamydis amputasset. Fecit hoc postea Dauid cap. 24. versu 5. Quare mox Saul exclamat: *Et nunc quia scio quod certissimè regnaturus sis, & habiturus in manu tua regnum Israel: iura mihi in Domino, &c.* ibidem vers. 21. & sequent. Veruntamen dudum hoc Saulem rescisse testatur Ionathas cap. 23. vers. 17. Quamobrem.

Cuius pallium diloricatum sit. Tostatus.

Verior sententia. Iosephus.

Verior apparet Iosephi interpretatio. Ille verò, inquit, nimirum Samuel, qui præuidebat D Deum nulla flectendum victima, abire incepit. Tum Saul retinere eum volens, iniecit manum in pallium; & quia Samuel properantiùs discedebat, scissura facta est in vestimento, vnde Propheta quasi omen futuræ in regno scissionis accepit. Hæc Iosephus. Non peccasse eo facto Saulem Salianus docet: non enim hîc aliam vim adhibuit, quàm quæ inter amicos & familiares solet. Non magis hoc ad iniuriam pertinuit, quàm cum discipuli Dominum coëgisse feruntur vt ad se diuerteret, *fingentem*, vt ait Lucas cap. 24. *se longius ire*. Attamen secus factum interpretatur S. Ioannes Damasc. & fieri potuit, vt, cùm magnopere Saul pertimesceret, ne quid subitus ac præceps Samuelis discessus insalutato exercitu, mali sibi pareret, amens & inops

An peccarit Saul Samuelis pallium discindens. Salianus.

APPREHENDIT SVMMITATEM, &c.

D. Ioann. Damascen. orat. 2. de Imagin.

1 Cor. 12.

consilij Prophetam cuperet omnino retinere. Quæ temeritas, si personæ dignitatem spectes, & quò pertrahere voluerit, nempe vt sacrificio secum interesset, vitio carere non poterit. Sed S. Damascenum audiamus quàm seuere in Saulem, & nefariam quorundam Principum audaciam animaduertat. Regum, inquit, partes non sunt, vt Ecclesiæ leges præscribant. Considera enim quid S. Apostolus dicat: *Et quos quidem in Ecclesia posuit, primùm Apostolos, deinde Prophetas, tum Pastores, & Doctores.* Ad Ecclesiæ constitutionem non adhibuit Reges. Et rursum: *Obedite*, inquit, *præpositis vestris, & subiacete eis. ipsi*

Hebræ. 13.

enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri. Idémque rursus, *Mementote*, inquit, *præpositorum vestrorum, qui vobis loquuti sunt*

Nō est credita Principum administrationi Dei Ecclesia.

verbum Dei, quorum intuentes exitum conuersationis, imitemini fidem. Verbum non loquuti sunt B vobis Reges, sed Apostoli, & Prophetæ, Pastoresque atque Doctores. Cùm præcepisset Deus Dauidi, vt ædificaret sibi domum, sic alloquutus est eum: *Non ædificabis mihi domum tu, quoniam vir sanguinum es. Reddite omnibus debita,*

Rom. 13.

Paulus clamabat Apostolus. *Cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem.* Regum est ciuilis administratio: Ecclesiastica verò constitutio, Pastorum, atque Doctorum. Impetus iste latronum est, fratres. Saul scidit pallium Samuelis, & quid ei contigit? Abscidit regnum eius Deus, & dedit ipsum Dauidi mansuetissimo. Eliam persequuta est Iezabel, & linxerunt sues & canes sanguinem eius, &c.

Scidit Dominus regnum Israel à te.] Ergo diuino C consilio contigit, vt apprehensa ala à reliqua veste diuelleretur. Durum ac pertinacem non voce modo, sed etiam signo terret. Ita ferè

Signa prognostica magnarum vicissitudinum.

solent magnæ rerum inclinationes, regnorúmque vicissitudines, insigni aliquo portento longè antè significari. Ahias Silonites eiusdem generis argumento vsus est, diuiso in duodecim partes pallio, quarum decem iussit habere sibi Ieroboam, in totidem tribus eidem imperium pollicens. lib. 3. Reg. cap. 11. *Templi* quoque *velum scissum est*, inquit S. Marcus cap. 15. *in duo, à summo vsque deorsum*, cùm sua morte Christus à Iudæis regnum sacerdotiumq; ad Gentes transferret. Habent autem plerunque signa prophetica quandam cum re significata analogiam. Incessit Isaias cap. 20. *Discalceatus & nudus*, quo similem calamitatem Ægyptijs Æthiopibúsque D portenderet. Ieremias cap. 27. Regibus Moab, Ammon, Tyri, & Sidonis *catenas & vincula* misit, quæ futuram captiuitatem præ se ferrent. Quid non Ezechiel? cap. 4. ciuitatem describit in latere, obsidet, aggerem munitionésque excitat, ariete quassat, sartagine media pro muro ferreo sua castra tuetur: quæ omnia filij Israël, quibus hoc, inquit, signú fuit, suo magno malo experti sunt. Nihil porrò sic Principis abdicationem apta similitudine refert, vt rerum artè connexarum violenta diuisio. Regis nam-

Regis cum populo arcta societas & mutua connexio.

que cum populo firmissimis vinculis societas coniuncta est. Primùm quidem autoritatis diuinæ, qua subesse Regi eumdémque suspicere ac venerari iubetur. Deinde incolumitatis publicæ, quam mox labefactari necesse sit, si plebs à Rege dissideat. Postremò, ex eo vinculo priuatim quoque vniuscuiusque necis ac vitæ ratio pendet. Sed nec, sic quicquam Princeps vt ius regni ambit, & coërcet, nihil æquè complectitur vt imperium, totus eidem cohæret: nihil denique sic cuiquam admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, aut compactum censet, vt regnum sibi, pro quo vitam antè posuerit quàm vt eò se abdicet. Ex quo sequitur, vt vestis laceratio, cuius partes simul contextæ vel sutæ sunt, imperij abrogationem conuenientissimè designet.

ET DABIT ILLVD PROXIMO TVO.

Et dabit illud proximo tuo.] Proximus est, cui nemo antecedit. Supremus est, quem nemo sequitur. *D. de verborum significat. l. 92.* Nempe qui ante aliquem, & ante quem nemo. qui post aliquem, & post quem nemo. Ibidem Gothofredus. Non est hæc ex Euangelio petita definitio. Sed ille est nobis proximus, vt admonet Christus Dominus in Parabola descendentis ab Ierusalem in Iericho, quicunque aut ope nostra indiget, aut beneuolētia nos prosequitur. Non enim aduersus hunc miserum ac seminecem Sacerdos, aut Leuites proximi officio functi sunt, sed Samaritanus, quem solum cepit misericordia, & opem tulit. Itaque præ cæteris eo nomine dignus habitus est. Quo nomine Dauid in posterum à Saule dici meruit, vt testatur Ionathas infrà cap. 19. vers. 4. *Nam opera*, inquit, *eius bona tibi sunt valdè*, cùm Saulem alloqueretur. Et Regis præsidio nemo non indiget, in quem Reipub. salus inclinata recumbit. Itaque nemo ciuis non Regi proximus, cùm salutem omnium ex officio tueri debeat. Dauid tamen singulari quadam ratione eum laudis titulum promeruit, qui Saulem de victoria desperantem, inito cum Gygante certamine, ad triumphi gloriam reuocauit. Nec tamen negauerim, quod Salianus annotat, ad locorum viciniam Prophetam spectare potuisse. Siquidem vtriusque tribus confinia, id est Iudæ & Beniamin, citimè coniuncta erant, nec vterque natalis locus longa intercapedine dissiti. Vix enim Bethlehem Iuda, vt Adrichomio placet in Tabella Beniamin, tantum abest à Gabaa Beniamin, quantum itineris senis horis conficias. Quid si, quod futurū erat, denotet? nam Dauid postea cùm Regis filiam vxorem ducturus esset, propinquitatis atque affinitatis iure cum eo copulandus erat, & proximus futurus, priusquam regnum capesseret. Quid si hoc quoque indicare velit, eum, quem habiturus esset domi militiáque proximum, domi quidem psaltem ad auerruncandum malum genium, in acie armigerum periculorúmque socium, eundem ipsius Imperium adepturum?

Quis proximus.

Gothofredus ad l. 92. ff De verb. sign.

Regum ciues omnes proximi sunt.

Salianus.

Verumenimuerò Hebraicè legimus, לְרֵעֲךָ *lereaaka*, cuius dictionis non vna radix traditur. Siue Arias, siue Pagninus, רָאָה *raah* ad marginem indicat. Et Pagninus quidem, *proximum*; Arias, *socium* vertit. At neutrum רָאָה *raah* significat, sed vt maximè *dignum*, *conuenientem*, à simili verbo, quod est *vidit*, spectauit; ita vt ex ea radice transferendum videatur, *Et tradidit illud digno tuo*: quod non satis aptè quadrat, cùm statim sequatur, הַטּוֹב מִמֶּךָּ *Hattob mimmeka*

Vocis Hebrææ, quæ proximum significat, accuratior inuestigatio.

ET DABIT ILLVD PROXIMO TVO.

meka, bono præ te, seu *meliori te*. At Complutensis editio aliam dictionis originem esse docuit, nempe רעה *raaa*, quod est *pauit*. vnde quoque רעה *roee* pastor est, siue opilio. ita vt si puncta demas, quomodo legisse feruntur antiqui, vertere possis, *& dedit illud opilioni tuo meliori te*. quod vtique Dauidi congruit. Si motionibus, vt vocát, additis רֵעָה vel רֵעֶה *raaa* vel *reee* legas, amicum, sodalem, familiarem, socium, conuictorem designabit. Leuitici cap.19. vers.18. *Diliges amicum tuum sicut teipsum*. Hebraicè, לְרֵעֲךָ *lereaka, amicum* Vulg. Interpr. *socium* Arias, Pagninus *proximum* interpretatus est. Ducta videtur metaphora ab ijs animalibus, quibus ob insitam mansuetudinem bene inter se conuenit, & gregatim pascuntur. Quare sic quoque exponi potuerat: *Et tradidit illud socio tuo.* talis est omnis armiger, qui ducis lateri adhæret, aut etiam præit in pugnam eunti: aut sanè, *conuictori tuo*. Nam, vt postea discemus, ad Regis mensam Dauid adhiberi consueuit. Rectorem denique populi רעה significat. Nec te mouere debet, quòd dissimilibus punctis distinguatur: nam hæc posteriora sunt, priores his caruerunt. Bene itaque etiam reddi potuit: *Et tradidit illud gubernatori meliori te*. Quid si hoc reuera admonere voluit, quòd is non esset, vt decuit, hactenus officio functus.

רעה *roee*.

Meliori te.] Frustrà sanè abdicatus videri posset, ni melior surrogetur. Porrò hæc successoris non inutilis laudatio est. Sic enim docemur apud Deum virtutis haberi rationem. Nam quos improbos atque officij nouit immemores, hos quidem valere iubet, & procul à rebus gerendis amouet; qui autem pietati iustitiæque student, his regnorú habenas permittit. Deinde eo pacto Saul admonetur, vt ad meliorem frugem se recipiat; quando hæc vnica calamitatis eius causa est, quòd suæ cupiditati indulgens, Dei legem non satis religiosè obseruarit. Denique summa Dei in bonos beneuolentia claret, qui in celebrandis eorum laudibus nullo non loco suam diligentiam approbat. Addamus his Cassiodori commentarium ex 8. lib. Variarum, epist. 20. Assertio meritorum est, inquit, potuisse eligi post improbitatem iudicis accusati: quando excessus præcedentium non corrigitur, nisi cùm successor optimus inuenitur. Contrarijs rebus plerunque medicina succedit. Nam dum calor vitalis adhibitus fuerit, frigus pestiferum tunc recedit. Nubila ipsa ventorum spiratione terguntur, & Aquilo faciem cæli tranquillam reddit, quam Australis aura turbauerit. Sic nos decessorem tuum summouimus amore generalitatis, vt tu saluberrimus aduenires. Et paulò pòst: Animare igitur dedecore præcedentis: quando post illum professæ malitiæ virum, vel à malis abstinuisse, laudabile est. Denique bonum, ait, insolitum plus amatur, & sequenti gaudio confert dulcedinem temporum præmissa tristitia. Ibidem apud Cassiodorum Athalaricus Rex Præfecto Prætor.

Deus bonos eligit.

Cassiodorus.

A

NEQVE ENIM HOMO, &c.

VERSVS XXIX.

Porrò Triumphator in Israël non parcet, & pœnitudine non flectetur: neque enim homo est vt agat pœnitentiam.

MVltiplex huius loci interpretatio est. Pagninus, *Et etiam fortitudo Israelis.* Sic habet & Vatablus Laurentij: *Et etiam victoria Israel*, vt Arias, *Non mentietur etiam, & non pœnitebit; quia non est vt homo vt pœniteat.* Arias, *ad pœnitendum.* Vatabl. Complut. *Neque fallet Victor Israelis, neque pœnitudine ducetur: quandoquidem nō est homo, vt pœnitudine ducatur.* Et in Schol.

Variæ translat. ex Hebræo.

B

Hebraismus est, inquit. *Et etiam victoria Israelis non mentietur.* id est, Deus, qui est autor victoriarum, quibus potitus est Israel, qui protexit ac defendit Israelem, triumphator ille maximus in Israele, Deus, non mentietur illi, cui dedit regnum tuum. Alij, *Et etiam virtutem Israelis non faciet irritam.* Subaudi, Dominus. Id est, neque tamen destituet Dominus Israelem pristina virtute. *Neque pœnitudine ducetur.* id est, neque mutabit sententiam. Hæc Vatabl. Paraphr. Chaldaica sic habet: *Et si dixeris: Reuertar à culpa mea, & dimittetur mihi, vt faciam regnum ego & filij mei super Israel in seculum: iam decretum est super te ab ante Dominum victoriarum Israel, ante quem non est vanitas, & non reuertitur ab eo quod dixit: quia non est vt filij hominis ille, qui dicunt & mentiuntur, decernunt & non firmant.* Hactenus Chaldæus.

C

Editio Complut. & Regia Septuaginta Interpr. Καὶ διαιρεθήσεται ἰσραὴλ εἰς δύο, καὶ οὐκ ἐπιστρέψει οὐδὲ μετανοήσει ὁ ἅγιος τοῦ ἰσραήλ, ὅτι οὐχ ὡς ἄνθρωπός ἐστι τοῦ μετανοῆσαι. *Et scindetur Israel in duo, & non reuertetur, neque pœnitentiam aget Sanctus Israel, quia non vt homo est vt agat pœnitentiam.* Aldina editio: Καὶ διαιρεθήσεται ἰσραὴλ εἰς δύο. καὶ οὐκ ἀποστρέψει οὐδὲ μετανοήσει. ὅτι οὐχ ὡς ἄνθρωπός ἐστι τοῦ μετανοῆσαι. αὐτὸς ἀπειλήσει καὶ οὐκ ἐμμενεῖ. Editio Rom. ita vertit: *Et diuidetur Israel in duo, & non auertet, neque pœnitebit eum: quoniam non est, sicut homo, vt pœniteat eum.* Reliqua quæ desunt Romanæ, & Antuerp. Laurent. ἀπειλήσει καὶ οὐκ ἐμμενεῖ, S. Augustinus l. 17. de Ciuit. cap. 7. ita legit: *Ipse minatur, & non permanet.* Refert autem non ad Deum, sed ad hominem. Flaminius in Notis huius loci: *Non auertet.*] οὐκ ἀποστρέψει, id est, *non mutabit se.* Complut. οὐκ ἐπιστρέψει, & S. Augustinus ibidem, *non conuertetur.* Scholiastes videtur legisse, οὐκ ἐνδείξει, id est, *non ostentabit tantùm*, sed faciet. Verba Scholiastis hæc sunt, *Docens indissolubilem esse Dei enuntiationem propheta subiunxit, οὐκ ἐνδείξει, οὐδὲ μετανοήσει ὁ ἅγιος τοῦ ἰσραήλ*, &c. Hinc etiam considerandum illud μεταμελήσομαι. *Pœnitebit eum.*] Ita etiam S. Augustinus apud Scholiastem, vt ex verbis proximè allatis constat. Iubet autem Flaminius Lectorem ea consulere, quæ notauit prius in 23. Numer. Ea porrò sunt huiusmodi. Quo loco Numer. cap. 23. vers. 19. nos legimus *Non est Deus quasi homo, vt mentiatur: nec vt filius hominis, vt mutetur.* Ipse legit ex translatione

D

Græca translat.

S. August.

Flaminius.

NEQVE ENIM HOMO, &c.

LXX. Interpr. *Non quasi homo, Deus suspenditur: neq, quasi filius hominis, minas patitur.* In quæ hæc annotat. Ita S. Cyprian. lib. 2. aduersus Iudæos. Scholiastes, ἀρτηθῆναι, hoc est *commoueri, & fluctuare.* Nam quæ suspenduntur, commouentur, & fluctuant. Hanc eandem lectionem habet Theodoretus quæst. 43. quamuis interpres suo modò transtulerit. Considerandum tamen est, an istud etiam significari possit, non esse Deum tanquam hominem, qui suspendatur, id est cohibeatur, ac retardetur, quominus consilia sua ad exitum perducat. In Complut. est διαψεύσεται. Philo lib. 1. de Vita Mosis, οὐχ ὡς ἄνθρωπος ... ψεύσασθαι δύναται ... ὡς υἱὸς ἀνθρώπου μετανοεῖ, *Non sicut homo mentiri aut falli potest; neque sicut filium hominis, eum pœnitet.* Int. Origen. hom. 16. *Non sicut homo Deus frustratur, neque, sicut filius hominis, terretur:* vel (sicut in alijs exemplaribus legimus) *neq;, sicut filius hominis terret.* Et vtrumque explanat Iudith 8. ὅτι οὐχ ὡς ἄνθρωπος ὁ Θεὸς ἀπειληθῆναι, οὐδ᾽ ὡς υἱὸς ἀνθρώπου, διαιτηθῆναι. *Quoniam, non sicut homo, Deus vt minis terreat* (aut, *terreatur*) *neque, sicut filius hominis, vt iudicetur.* Hactenus Nobilius.

Cæterùm verbum ipsum Hebraicum quo hic Samuel vsus est, & item Balaam Numer. cap. 23. vers. 19. idem est quod Deus ipse Genes. cap. 6. vers. 6. & 7. vsurpauit, de cuius significatione non vna est omnium sententia. Nam Genes. 6. vers. 6. quo loco nos habemus *Pœnituit eum, quod hominem fecisset in terra,* Hebraicè וינחם *vaijnakhem,* S. Augustinus lib. 15 de Ciuit. cap. 24. legit, *& cogitauit;* vt notat in eundem locum Flaminius. Græcè est, ἐνεθυμήθη. Procopius Gazæus: Illud ἐνεθυμήθη, dictum est, pro κατηνύγη, ἐπὶ τῷ ... ἐλυπήθη, *indoluit, tristem suscepit cogitationem.* Aquila, μετεμελήθη, *pœnituit.* Symmachus, ἀπηχθάνετο, *auersatus est.* Rursus idem Procopius ad idem verbum ἐνεθυμήθη. Hebraicum habet, inquit, διενοήθη *considerauit.* vel ἐπρόσεχε, *attendit.* hoc loco duntaxat. Alibi verò, sicubi habet μετεμελήθη *pœnituit;* significat ἀνεκαλέσατο, *reuocauit se.* Et iterum versu 7. eiusdem cap. quo loco legimus *Pœnituit enim me fecisse eos:* Hebraicè, נחמתי *nikhamthi,* ab eodem verbo נחם *nikham,* Græci legunt ἐνεθυμήθην. *Quia cogitaui,* id est, inquit Nobilius, magna me tangit cura. Theodor. interpretatur. id est, *Constitui disperdere hominum genus.* In vno codice vetusto, & in aliquot impressis est, μετεμελήθην. & interpres Origenis homil. 2. *Pœnitet me quòd feci hominem.* Alius codex vetustus habet, ἐθυμώθην, itemque Philo in lib. *quòd Deus sit immutabilis.* Et S. August. 15. de Ciuit. cap. 24. *Quia iratus sum.* Et S. Ambrosius, in lib. de Noë cap. 4. Ideo postea habes, *Quia iratus Dominus est.* Hactenus maiori ex parte collegit Flaminius.

Multiplex interpretatio vocis quæ Hebræis Pœnitere significat.

Kirkerus.

Kirkerus in Concordantijs Græcis, multiplicem vocis huius vsum apud Græcos, allatis in medium exemplis, notat. nam & *consolari, & quiescere, & misereri, dimittere, considerare, atque pœnitere,* varijs locis נחם *nakham* siue נחם *nikham* designat. Itaque verti etiam posset exemplo Græcorum, *Et non quiescet siue desistet à proposito. Non parcet, & non consolabitur,* vtraque significatione actiua & passiua, si puncta demas: hic

A namque scriptum est. ינחם in Niphal passiuè: at totidem literis in Piel legi poterat actiuè ינחם *ienakhem.* prius illud *ynakhem.* Item, *non parcet & non miserebitur, & pœnitudine non flectetur.* Pagninus in Thesauro interpretatur נחם *nakham, consolari & pœnitere.* Mercerus apud eundem: Sunt qui in vniuersum *Mutationem animi, aut affectus* hoc verbo indicari putent, quæ fit vel Pœnitudine: vel Commiseratione, & condolentia: vel cùm is, qui prius turbatus erat, Consolationem accipit, & admissa iam consolatione lætus fit, & pacato animo. Quæ tria perfacile fuerit suis locis discernere. Hæc tria in Nifhal inueniuntur: tertium tantùm in Pihel, consolari actiuè. ita Mercerus. Sed admonet Marinus Brixian. in Arca Noë, quasdam voces vtrique verbo esse communes. Ex-

B cussit autem diligentissimè omnem sacram supellectilem eius verbi, in Pihel, Niphal, Pohal, sed Hithpahel non meminit, quo tamen genere Scriptura vsa est Numer. cap. 23. vers. 19. *Non vir Deus, vt mentiatur, & filius hominis,* ויתנחם *veythnekham vt pœniteat.* Schindlerus in Pentaglot. נחם *nakham,* Chald. נחם *nekham, doluit,* vel suis vel alterius rebus. Et quia dolor est passio, ideo vsurpatur in Niphal נחם *nikham.* & Hithpael התנחם *hithnakham, doluit suo vel dicto vel facto, pœnituit piguit, sententiam mutauit.* Putat autem per antiphrasim, Niphal נחם *nikham* significare etiam *dedoluit, dolore se priuauit, dolere desijt. consolationem inuenit, admisit, accepit.* Emphasim huius dictionis, cùm pœnitere significat, Scriptura exprimere videtur Genes. 6. vers. 6. cùm ait: *& tactus dolore cordis intrinsecus.*

C id quod Hebraicè legimus ויתעצב אל לבו *vaijthgatsef el libeo.* Pagninus. *doluit in corde suo.* Arias, & *indoluit ad cor suum.* Tum enim verè nos pœnitet, cùm superioris vitæ intemperantiam acerbè dolemus, & mœrore atque tristitia tabescimus.

Quidam ex recentioribus, præsentem locum sic interpretatus est: *Quin etiam qui est æternitas Israelis non committet mendaciter, neque pœnitebit eum; non enim homo est vt pœniteat eum.* Qui est æternitas.] Periphrasis, inquit, Dei est ad sermonem suum accommodata: quasi dicat, Deus qui natura æternus est, æternum se populo suo vsquequaque exhibet: ac proinde in æternum te de regno deijcit, & Dauidem euehit. Alter, *Non fallet fortitudo Israelis, nec pœnitudine duce-*

D *tur, &c.* Et sensus est, inquit: Licet regnum tuum scissum sit à te & à semine tuo, eò quòd inobediens extiteris verbo Domini, tamen Deus, qui est fortitudo Israel, non deerit populo suo, nec permittet concidere regnum Israelis, sed delegit sibi virum alium secundum cor suum, quem in locum tuum substituet, &c. Est itaq; hic נצח *netsakh,* idem quod fortitudo, vel victoria. Hæc ille. Atqui duo verba sunt apud Hebræos, quæ maximam inter se coniunctionem habent: נצח *natsakh.* & נצה *natsah,* quæ sola distinctione harum litterarum ח. & ה. secernuntur: quod discrimen, si figuram spectes, admodum tenue est; ita vt plerunque non satis commodè notari possit, tametsi vocum significatio longè diuersa est. Quòd si igitur נצח ab ea radice ducas, quę per ח scribitur,

NEQVE ENIM HOMO, &c.

Pagninus.

Mercerus.

Marinus Brix.

Schindlerus.

Vox Hebræa quæ triumphatorē significat, examinatur.

TRIVMPHATOR IN ISRAEL &c.

ſcribitur, tum *robur, fortitudo, ſanguis, excellentia, victoria, æternitas* exponi poterit: at ſi ab altero verbo, quod per he ה. deſinit, vti feciſſe appa- ret S. Hieronymum Ieremiæ 8. tum altero horum modorum mens prophetæ explicabitur: *Non fallet, qui pullulat in Iſrael*: vel, *germinat Iſrael*. quaſi dicat, Non enim tametſi corruas, peribit Iſrael. Semper enim Deus nouos fœtus ex ſe fundit, & adultos ijs artibus inſtruit, quibus Iſrael ſeruari poſſit; ne ſperes deſiderio tui ſententiam quandoque mutaturum. Aut ſanè ſic: *Porrò, qui pugnat*, aut *contendit*, *patronus & vindex Iſraelis, non parcet tibi*. Quid ita? quoniam is ope tua non indiget: ipſe namque eſt qui pugnat, & vincit, & victoriam quibuſlibet largitur. Cæterùm, tametſi omnes hæ interpretationes vtrunq; defendi poſſint, attamen optima eſt Vulgati Interpr. tranſlatio, quam nulla nos cogit ratio deſerere.

Triumphator in Iſrael non parcet.] Veterum fabulæ, vt autor eſt Laërtius lib. 8. vitæ Philoſoph. ex Hermippo in 2. de Pythagora, cupreſſinum Ioui ſceptrum tribuerunt. Quæ cauſa fuit Pythagoreis, vt arcis ſepulcralibus è cupreſſo abſtinerent. Inſita amaritudine cariem vitat, & vermes fugat. Succiſa non repullulat. Dictam etiam volunt, ἀπὸ τὸ ἴσον κ. ὅμοιον παρίσους, κλάδους τε ϗ καρπούς, ab æqualitate fructuum pariter & ramorum, quos producat. Rogis quoque adhibita fuit, vt Varroni placet, propter grauem vſtrinæ nidorem. Alij cauſas alias comminiſcuntur. Sed hæc demum vera eſt, neque mortis, neque numinis, decreta reſcindi mutariue poſſe. Concinit Hierocles lib. de vſu deorum apud Stobæum in Eclogis Phyſicis lib. 1. cap. 7. Hoc quoque, ait, inter cætera de dijs exiſtimandum eſt, immutabiles eos eſſe, ac iudicijs inſiſtentes, ita vt ſententiam nunquam mutent. Cùm enim de virtutibus vna ſit firmitas & conſtantia, eam inter deos maximè cerni ſit veriſimile, qui ſententias ipſorũ immutabiles reddat. Ex quo patet, ne pœnas quidem, quas alicui numen ſtatuit infligere, poſſe deuitari. Etenim ſi mutarent ſua dij cõſilia, quemque punire ſtatuerant, impunitum dimitterent, nec rectè atq; iuſtè mundum gubernarent, nec pœnitentiæ defenſionem poſſent probabilem nanciſci. Hęc enim videtur temerè & inconſideratè dicere Poëtica,

Diog. Laertius.

Diuina decreta reſcindi non poſſe.

Hierocles.

Homerus.

Atque illos extis homines, votiſque ſuperbis,
Libóque & nidore ſimul placare precantes
Tentant, cùm recto quis vitæ tramite ceſſit.

Et illud:

Nam dij mutantur & ipſi:

Ac ſi quid horum ſimile protulit. Itaque, vt eſt apud Pauſaniam in Laconicis, ille Pauſanias, qui Platæenſe prælium commiſit, cùm incenſus cupiditate Byzantiæ virginis, (Cleonice dicta eſt) eandem intempeſta nocte ad ſe adductam, dum inſidias metuit, extincto temerè lumine, acinace tranſuerberaſſet, virginis cædem nullis expiationibus, nullis Abſolutori Ioui deprecationibus ſuſceptis, cùm in Arcadiam etiã ad Luſtratores eos qui Pſychagogi, id eſt animorum curatores, appellantur, Phigaleam veniſſet, luere potuit: ſed Deo, & Cleonicæ

Pauſanias.

A meritas pœnas dedit. Hæc illi cum eſſent à vera fide alieni.

Sed nunquid hoc verum eſt? Abſit. Nam Deus, inquit Tertullianus lib. de Pœnitentia, cap. 2. poſt tot ac tanta delicta humanæ temeritatis à principe generis Adam auſpicata, poſt condemnatum hominem cum ſeculi dote, poſt eiectum Paradiſo, mortiſque ſubiectum; cùm rurſus ad ſuam miſericordiam maturauiſſet: iam inde in ſemetipſo pœnitentiam dedicauit, reſciſſa ſententia irarum priſtinarum ignoſcere pactus operi & imagini ſuæ. Itaque & populum ſibi congregauit, & multis bonitatis ſuæ largitionibus fouit, & ingratiſſimum toties expertus, ad pœnitentiam ſemper hortatus, & prophetando vniuerſorum prophetarum emiſit ora: mox gratiam pollicitus, quam in extremitatibus temporum per Spiritum ſuum vni- B uerſo orbi illuminaturus eſſet, præire intinctionem pœnitentiæ iuſſit, vt quos per gratiam vocaret ad promiſſionem ſemini Abraham deſtinatam, per pœnitentiæ ſubſignationem antè componeret. Non tacet Ioannes, *Pœnitentiam initote*, dicens: *Iam enim ſalus nationibus appropinquabit*, Dominus ſcilicet afferens, ſecundum Dei promiſſum. Cui præminiſtrans, pœnitentiam deſtinabat purgandis mentibus præpoſitam: vti quicquid error vetus iniquinaſſet, quicquid in corde hominis ignorantia contaminaſſet, id pœnitentia verrens, & radens, & foras abijciens, mundam pectoris domum ſuperuenturo Spir. ſancto paret, quò ſe ille cum cæleſtibus bonis libens inferat. Horum bonorũ vnus eſt titulus, ſalus hominis, criminum priſtino- C rum abolitione præmiſſa. Hęc pœnitẽtiæ cauſa: hæc opera negotium diuinæ miſericordiæ curans: quod homini proficit, Deo ſeruit. Hactenus Tertull. Itaque quod ſpectat ad ſententiam Samuelis, reſpondere poſſumus, id dictum videri de temporali prærogatiua regiæ dignitatis. Terrena verò commoda non ſemper inſtaurat Deus, quibus delicti veniam indulget: ſiue vt reliqui diligentiùs caueant: ſiue vt eadem ad peccandum denuò non alliciant: ſiue ex præſcientia pronunciatum ſit, quod certò nouiſſet Deus non emendaturum, ac proinde certò à ſe condemnandum. Seu quia non erat pœnitentia, neque metus Dei, ſed hominum, in quorum odium atque offenſionem verebatur incurrere, ne fortè deſtitueretur; ac proinde nec D venia dignus erat. Nam vbi metus nullus (Domini,) inquit Tertullianus, emendatio proinde nulla; vbi emendatio nulla, pœnitentia neceſſariò vana; quia caret fructu ſuo, cui eam Deus ſeuit, id eſt, hominis ſaluti. Et iterum cap. 6. Si qui venditant, prius nummum quo paciſcuntur examinant, ne ſcalptus, neue raſus, ne adulter: etiam Dominum credimus, pœnitentiæ probationem prius inire; tantam nobis mercedem, perennis ſcilicet vitæ conceſſurum.] Quæret igitur aliquis:

TRIVMPHATOR IN ISRAEL &c.

Tertull.

Geneſ. 3.

Ibid 8 & 9.

Pœnitentiæ Deus indulget.

Matth. 3.

Tertull.

TRIVMPHATOR IN ISRAEL &c.

Quid si hominem verè & ex animo pœniteat, num Deus illum semper à culpa liberet, & suam animaduersionem ac supplicium, quo vsurus erat in eum, condonet ac remittat?

QVÆSTIO XVI.

Si vera sit pœnitētia, semper culpa condonatur.

DE culpa certum est. Ezechielis 18. & 33. *Nolo mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat.* Ieremiæ 3. *Frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere: ergo saltem amodo voca me, &c.* Et infrà. *Reuertere auersatrix Israel, dicit Dominus, & non auertam faciem meam à vobis, quia sanctus sum ego dicit Dominus: & non irascar in perpetuum.* Matthæi 11. *Venite ad me omnes.* Qui omnes? *Non veni, inquit, vocare iustos sed peccatores.* Sapientiæ 11. *Dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam.* Ad Rom. 2. *Ignoras quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit.* Et subijcit: *Tu autem secundum duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas, &c.* S. Cyprianus ad Demetrianũ. Quando isthinc excessum fuerit, iam non erit locus pœnitentiæ: hic vita aut amittitur, aut tenetur, neque quisquam aut peccatis retardatur, aut annis.]

Probatur ratione.

Ratione præterea idem confirmari potest. Nam quod hominem verè & ex animo pœnitere possit, inde manifestè patet, quòd neque scelerum numero, neque pondere arbitrij libertas opprimatur. Nam quæ à natura sunt, & sua origine ab ea pendent, nulla flagitiorum vi conuelli possunt. Arbitrij porrò non solùm ea potestas est, vt bona quæ velit eligat, aut etiam mala, si fortè boni speciem præseferant: sed etiam vt ea, quæ prius videbatur amplecti, subinde repudiet. Si quæ tamen naturæ vim superent, hæc vt assequatur suapte vi conari non poterit. Sed habet aliunde paratum auxilium, quo minimè destituatur. Nam cùm nascenti scopus ab initio constitutus sit ad quem collimaret, ad hunc quoque certa via aperta est, ne summus artifex operi suo defuisse videretur. Sola verò gratia est qua patet ad Numen aditus: frustrà tentes aliunde irrumpere. Deest verò nunquam, si quantum possis connitere; cùm nata sit, vt conatus nostros adiuuet. Sola tamen culpæ non medetur, quoniam peruersus ille conatus voluntatis, cui remedium quæritur, contrario conatu immutari debet, & corrigi: quem nisi voluntas pepererit, noster censeri non poterit. Nec sola tantum fundet ex se boni: sed cùm gratia fauet, tum salutem feliciter enititur. Vtriusque porrò tanta potentia est, vt, cùm inter se conuenerint, arbitrij libertas nihil non velle, gratia nihil non efficere valeat. Cæterùm pœnitentiæ fœdere arctissimè coniunguntur. Ex quo sequitur, vt nullum non scelus pœnitentia deleri possit.

Quamobrẽ dæmones non resipiscant.

Quî fit igitur, inquis, vt nullus vnquam dæmon errati veniam impetrarit: Sed nec plerique homines, qui tametsi suum dolorem voce & lacrymis testati sunt, ipsi nihilominus æterno exitio perierunt? Respondeo quia verè & ex animo eos non pœnituit. Nam quod ad dæmones attinet, si eum modum spectes quo ipsi intelligunt, ne fieri quidem posse putes vt aliquando resipiscant. Voluntas enim rationis ductum sequitur: quæ si fortè oscitans allucinata fuerit, tum voluntas quoque à scopo aberret necesse est. Sed sicut erroris pristini caliginem posterior cognitio discutit, ita & voluntatis impetum à scelere ad pœnitentiam traducit. Demon verò nulla ratione flecti potest. Quoniam in rerum natura noui nihil accidit, quod se nescisse deprehendat. Ex quo sequitur, vt nec noua quidem cogitatio vlla succedat, qua moueri possit. Sic enim ferè nos sententiam mutamus, ac resipiscimus, & admissi dolet, cùm id quod antè mentis aciem fugerat, in apertum prodit, & apparet rationibus nostris contrarium. Quippe dein fastidire incipit, quod malè voluntas optauerat: & suis delicijs torquetur stimulante pœnitentia, donec fidem spémque complexa, à diuina gratia culpa eximatur, & in Deo acquiescat. Vnde apparet turbulentos quidem humanæ voluntatis motus, sæuissimásque procellas componi posse; dæmonum iras esse implacabiles, scelera inexpiabilia.

Obiectio.

Verùm esto, inquies, vinci nequeat dæmonis pertinacia tantisper dum circa res naturæ versatur: harum enim perfectam scientiam à primo ortu consequutus est haud aliter quàm nos ipsi primorum principiorum: nec appareat, cùm ipsi primo aspectu non ratiocinatione aliqua verum explorent, quæ fingi possit posterior consultatio, quæ obfirmatum animum à sententia reuocet. At sunt quædam supra naturam præterea, quæ dæmonum captum exuperent, quæ haud secus quàm diuino beneficio percipiunt. Deus verò nequaquam se totum cum illis communicat, sed parcè atque exiliter infundit: reliqua posita sunt in coniectura, ita vt ex his quæ à Deo instillata sunt, plura ingenij acumine colligant. Vnde fieri potest, vt, cùm inuestigandi studio nonnulla obscura patefaciant atque illustrent, sicut tum noua luce mens eorum collucet, ita & voluntas à nequitia resipiscat.

Soluitur.

Respondeo, diuinarum rerum scientiam sic inseri dæmonum mentibus, vt naturæ suæ modo conuenienti eas intelligant. Quare ne ad has quidem excogitatione opus habent: sed simul intuentur oculis, & animo complectuntur. Inde fit, vt aut perpetuò illis adhæreant, si voluntas abnuerit, pertinaciter auersentur. Coniecturas autem non ante adhibent quàm à Deo defecerint. Nam si Dei legibus subesse velint, norunt diuina coniecturis attingi non posse. Quare cùm nec ipsi lucem diuinitus concessam augere possint, nec clariorem deinceps à Deo accipiant, in suscepto proposito perseuerant. Manent itaque expertes pœnitentiæ dæmones, tametsi non mediocriter ijs dolet, quod optata celsitudine priuentur. Mens tamen immota manet: quoniam nec cognitio mutatur, nec noua ratio succedit, cur beatius putent Dei gratia magis quàm naturæ præstantia felicitatem consequi.

Hominum diuersa ratio est. Mouentur quippe proprij periculi metu, qui tantisper dum vrget,

TRIVMPHATOR IN ISRAEL &c.

vrget, preces & lacrymas exprimit, & scelus admissum nolint, quod perniciem allaturum videtur. *Neque enim fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea anea est*, inquit Iob: sed voluntatis robur, & cupiditatis ardor, carnis incommodis mollitur, & infirmitate languescit. Sed hæc porrò nihil nisi hominem sapiunt: seipsum deplorat & malis quæ manifestè impendent miserè angitur: cæteroqui neque Deum cogitat; neque admissi dolet quòd Deum offenderit; neque futurorum cura tangitur, quæ dubia fide prospicit: sed hoc solum studet, quo pacto sese discrimini, quod horret, eripiat. Hæc verò neutiquam pœnitentiæ ratio est. Non enim huc spectat pœnitentia, vt qui sese polluit, pœnæ temporalis expers maneat, nec sceleris conscientia torqueatur: sed vt primùm culpam à se detestetur, & cum Deo in gratiam redeat, & sempiterno supplicio absoluatur; post quæ forsitan etiam liceat grauiores huius vitæ pœnas deprecari. Sed qui sibi tantum in præsenti cauet, & Dei gratiam non perinde curat, iram magis prouocat quàm mitiget. Nam seipsum tantum amare conuincitur; Numinis iniuriam sus deque ferre: quo modo veniam nunquam merebitur. Neque enim hanc quærit aut postulat, sed pœnæ duntaxat eximi. Quòd si non ementito culpæ dolore tabescat, & gratiæ quam perdidit desiderio vehementer æstuet, tum proculdubio clementem Deum atque placabilem experietur.

Hominum vnde prodeat pœnitentia, & quod vera culpam deleat.

Veruntamen, inquis, quisquis execratus fuerit Spiritum sanctum, is neque viuus, neque mortuus, misericordiam consequetur. Matth. 12. & Marci 3. vers. 29. Esto: sed idem Marcus explicat, in quos priuatim triste illud eloquium prolatum sit. Sententiâ namque in præsentes lata est, *Quoniam*, inquit, *dicebant: Spiritum immundum habet*. Et prophetia magis videri potest quàm iudiciale decretum. Nouerat siquidem oblatam gratiam perpetuò repudiaturos, quam augere plus quàm satis esset minimè decreuerat. Dixit itaque, non quod pœnitentibus aditum ad se intercluderet: sed quod nouerat pertinaci animo fidem oppugnaturos, donec suprema calamitas iam prorsus ærumnis oppressos æterno supplicio traderet. Iosephum consule: actam à se tragœdiam postea ipse conscripsit. Atqui Ioannes etiam 1. cap. 5. vers. decimo sexto, ait: *Est peccatum ad mortem: non pro illo dico vt roget quis*. Cur autem orare vetet, si spes sit posse remitti? Primùm negat S. Ambrosius Ioannem oratione cuiquam interdicere, sed non hortari duntaxat, aut etiam imperare, quo magis eius sceleris atrocitatem exaggeret. Quod si non placeat, Mihi sanè Ioannes Apostolica autoritate vsus videtur haud aliter, quàm Paulus ad Corinth. 1. cap. 5. vers. 11. quo loco in eos qui meretricis amoribus delectentur, aut rapacitati studeant, vinóue indulgeant, animaduertens, cum his, si fratres sint, nec cibum quidem sumere permittit. Est igitur genus quoddam teterrimi flagitij, quod qui fecerit, illum Dilectus Domini ad precum communionem non adhibet, nec probat Ecclesiæ suffragio iuuari. Illa porrò Epistola ne-

Quod etiã illi qui in Spiritum sanctũ peccarint, si eosdem verè & ex animo pœniteat, veniam consequi possint.

Exponitur Ioãnis sententia.

TRIVMPHATOR IN ISRAEL &c.

A mini priuatim inscripta est: ex quo decretum commune haberi debet, & ad Ecclesiæ disciplinam pertinens potius, quàm vt singulorum vota speciatim corrigat: si quid tamen præcipere magis quàm consulere videatur. Porrò, sicut postea Paulus Corinthio iuueni incestum stuprum condonauit, ita & Ioannes omnibus quos verè & ex animo pœniteret, nullo sceleris discrimine semper ignouit. Probat hoc exemplo illustrissimo Eusebius ex Clemente Alexand. histor. Ecclesiast. libro tertio capite vigesimo tertio.

Quæram ergo postremò, qui fiat, vt non paucos non verè pœniteat? Quia nolunt. Non enim quia peccatorum moles aliqua libertatem obruat; quinimo ait Dominus, *In ieiunijs vestris*, in ipso agone pœnitentiæ vestræ, *inuenitur voluntas vestra*. Et Ieremiæ capite quinto vers. tertio. *Renuerunt accipere disciplinam: indurauerunt facies suas supra petram, & noluerunt reuerti*. Et capite secundo versiculo vigesimo quinto. Dixisti: *Desperaui, nequaquam faciam: adamaui quippe alienos, & post eos ambulabo*. Christus vero Dominus, *Quoties*, inquit, *volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub ala, & noluisti?* Non quia sceleris vlla acerbitas vim gratiæ superet: par namque est potentiæ Numinis eiusdem clementiæ magnitudo: Et alioqui nemo videri possit repulsam passurus, postquam is Manassi pepercit. Nam quo flagitij genere non is contaminatus est? quæ iura non violauit, siue Deum spectes, siue homines, superstitione pariter atque immani feritate famosus? Sanè apud Ezechielem capite decimo octauo vers. vigesimo secundo, pœnitenti nullius non errati veniam Deus pollicetur. *Omnium*, inquit, *iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor*. Et à Ioanne Baptista Christus *Agnus Dei* prædicatur *qui tollat peccatum mundi*. At cuius mundi? nam Synecdochicõs forsan intelligit. imo ait *totius mundi*. 1. capite secundo versic. secundo, *Sanguis enim eius*, inquit, *emundat nos ab omni peccato*. Superiori capite versic. septimo. Idque mox probat ibidem versic. nono, *fidelis* namque *est, & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate*. Non item quia temporis vllas metas statuerit, aut certum delictorum numerum præscripserit, quæ si quis superet, non vltrà impunitatem consequatur. Nam qui se condonaturum omnia spopondit, non potuit certum tempus aut numerum modúmue designasse. *Duodecim*, inquit Christus, *sunt horæ diei*. & narrat idem quomodo qui serius ad horam vndecimam occurrerant, par ijs præmium tulerint, qui maturius ad opus accesserant, & diei pondus & æstum tolerauerant. Non denique quia petentibus gratiam deneget: quin potius etiam nolentibus offert, vt idem testatur. *Sto*, inquit, *ad ostium & pulso*. Et alibi, *Expandi tota die manus meas ad populum non credentem, & contradicentem*. Ex quibus omnibus sequitur, vt non alia formalis causa sit facinorosorum pertinaciæ, quàm obfirmatus eorundem animus, & aliena à Deo voluntas. Nam quod ad frugem bonam quandoque non

Quod non pauci non resipiscant, eorundem voluntas in causa est.

Ioann. 1. vers. 29.

TRIVMPHATOR IN ISRAEL &c.

recipiamus, illud quidem Deò acceptum referri debet, *qui velle dat & perficere.* At quòd peccandi illecebris deliniti maleficijs inextricabiliter adhærescamus, tota culpa nostra est, qui Dei gratiam aspernemur, cuius nos ope à vitijs fas sit resilire. Tametsi enim non peræque omnium voluntates inflectit, aut efficaciter mouet, semper tamen omnibus tantum auxilij præstat & exhibet, quantum satis sit, si studium adhibeas, ad auspicandam pœnitentiam, quam subinde gratiæ maior copia promoueat.

Æterna supplicia pœnitenti condonantur: de temporalibus pœnis nihil certi statui potest.

De pœnis æquè certum est, verè pœnitentibus æternas remitti. De temporalibus nihil certi statui potest: quis enim minas à iudicijs discernat? nam iisdem sæpe verbis nullo discrimine proponuntur. *Repentè*, ait Dominus Ieremiæ capite decimo octauo, *loquar aduersus gentem, vt eradicem, & destruam, & disperdam illam, si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, ego quoque pœnitentiam agam super malo, quod cogitaui, vt facerem ei.* Quamobrem cùm Ioel Propheta Iudæis belli ac vastitatis metum intulisset, & addidisset: *Magnus enim dies Domini, & terribilis valdè: & quis sustinebit eum?* mox subiecit: *Conuertimini ad Dominum, & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra, &c. Quis scit si conuertatur, & ignoscat, & relinquat post se benedictionem? Quia benignus & misericors est, patiens & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia.* Itaque flenti Ezechiæ post latam mortis sententiam, vitam in plures annos prorogauit. Esaiæ capite trigesimo octauo, & quarto Regum capite vigesimo. At contrà Mosis precibus flecti non potuit, vt eundem in terram promissionis ingredi permitteret; non Dauidis lacrymis, vt filio vitam concederet. Vnde patet diuinæ quidem iustitiæ decreta rescindi non posse, sed ea quo pacto quispiam à minis dijudicet, nemo hactenus deprehendit. Nam & nonnulli interpretes sic deinceps Samuelis luctum interpretantur, tanquam sperasset etiam in posterum Numinis iram placari posse, & abrogata sententia regnum Saulis posteris confirmari. Tametsi, quod hîc attinet, satis apertè Deus voluntatis suæ decretum explicarit.

Tostatus.

Quid sit Deum pœnitudine flecti.

Nec pœnitudine flectetur.] Duplici ratione flectimur, inquit Tostatus, pœnitudine, aut misericordia. pœnitudine, cùm iniustam sententiam reuocamus: misericordia, cùm iustam quidem, sed seueriorem aut mollimus clementia, aut prorsus dissoluimus. Neutrum sperare iubet Samuel. Non enim parcet, quod ad misericordiam spectat: nec pœnitudine flectetur. Intelligi certè non potest, Deum non posse flecti peccatoris pœnitentia, sed quod nequaquam Deum ipsum pœniteat. Pœnitudo ergo hæc, Dei ipsius, non cuiusquam alterius interpretanda est. Pœnitudo porrò cùm Deo tribuitur, longè diuersa est ab ea quam Tostatus explicat. Neque enim Deum aliquando pœnituit, quod sæpius contigisse Scriptura memorat, quòd præposterè quicquam designasset, sed quod homines egissent perperam: neque sententiam suam irritam fecit, aut mutauit: sed quod ab æterno decreuerat, obtinere voluit, vt res aliter se haberet quàm prius fuerat.
A Neque enim aliter Deum pœnitet. *Non parcet autem* Hebraicè scriptum est, לא ישקר *lo iescaker*, à verbo שקר *scakar*, quod est *fefellit*, frustratus, mentitus est. Hinc Deuteron. capite decimo nono versu decimo sexto & decimo octauo, עד שקר *ghed scecker*, *testis mendax*, aut *mentietur* exponunt. Nec adeò Vulgatus abhorret, si hæc quoque in gratiam proximi illius dicta accipias, cui regnum à Deo destinatum est, *Tradidit*, inquit, *regnum proximo tuo meliori te, nec parcet* vlli rei, quo minus promissa compleat. Stabit promissis: *non fallet, nec pœnitudine flectetur*, aut aliter esse volet quàm tua dignum est contumacia proximi pietate, & constantia sua. *Neque enim homo est vt agat pœ-*
B *nitentiam.* Nec enim indecens est, inquit Iuo Carnotensis epistol. 41. sicut Apostolicis docemur exemplis & scriptis, si aliquando sententiam mutet ipse Apostolicus in melius, cùm aliquid subreptum fuerit, vel falsis precibus à sede Apostolica fuerit impetratum.] Lege suprà versum 11. in 2. interp. Quomodo Deum hominemque pœniteat.

Iuo Carn.

VERSVS XXX.

At ille ait: Peccaui: Sed nunc honora me coram senioribus populi mei, &
C coram Israël, & reuertere mecum, vt adorem Dominum Deum tuum.

VERSVS XXXI.

Reuersus ergo Samuel sequutus est Saulem: & adorauit Saul Dominum.

PEccaui.] Samuelem Saul demulcet repetita confessione, quo sibi mollem ac placatum efficiat. Nam supra modum verebatur ne in sententia permaneret, quæ res eidem exitio foret. Nam qui prius agasonem regem fecerat, is quoque videbatur, si animum obfirmasset, regni solio deturbare posse. Itaque vel millies fateri paratus est potius quàm vt se regno abdi-
D cet. Non admittit tamen testem pœnitentiæ suæ populum, qui testis inobedientiæ esse poterat: sed contrà postulat tametsi reo atque conuicto sibi honorem haberi. Atqui dedecus & ignominia natura sua peccati labem comitantur: honos est præmium virtutis iudicio studióque bonorum delatus ad aliquem. quî fieri igitur possit scelestus cùm sit vt à Samuele honoretur? Veruntamen Regiæ dignitati sua debetur obseruantia, & dyscolos etiam Principes omni cultu prosequi debemus, ne dum Dei ministros ob improbitatem contemnimus, in Dominum redundet iniuria. Sed alia scilicet Prophetæ ratio fuit, alia priuatorum ciuium, tametsi tandem postulatis regijs assensus est.

Sed nunc honora me.] Non ait Pœnitentiam agam:

SED NVNC HONORA ME.

agam: quiduis impera, & patienter perferam: nullum ego laborem aut supplicium defugiam, A quo mihi Deum placabilem reddam. Terretur tantú ignominiæ metu. Satanas inquit S. Chrys. homil. 80. ad Popul. Antiochenum sciens quod peccatum quidem habet confusionem, quæ peccantem satis repellere possit: pœnitentia verò fiduciam, pœnitentem ad se attrahere satis idoneam, ordinem commutauit, & pœnitentiæ confusionem adiecit, fiduciam autem peccato, & peccato confundi non sinit hominem. Scit enim quòd si confunderetur, peccatum fugeret. In pœnitentia verò facit vt erubescat: nouit enim quod erubescens non agit pœnitentiam. Pœnitens enim malorum quæ gessit, licet peccatis condignam non exhibeat pœnitentiam, & huius tamen habebit retributionem. Hactenus Chrysost. Ergo diaboli fraude & artibus factum est, vt pœnitentiæ quidem nos B pudeat, peccati verò nullo pudore afficiamur. Atqui ea verecundia quæ nos à pœnitentia reuocat, quàm periculosa sit, & nullo fundamento nitatur, docet Tertullianus lib. de Pœnitentia, cap. 10. Plerosque, inquit, hoc opus (de pœnitentia loquitur) vt publicationem sui aut suffugere, aut de die in diem differre præsumo, pudoris magis memores quàm salutis: velut illi, qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione, conscientiam medentium vitant, & ita cum erubescentia sua pereunt. Intolerandum scilicet pudori, Domino offenso satisfacere, saluti prodactæ reformari. Næ tu verecundia bonus, ad delinquendum expandens frontem, ad deprecandum verò subducens. Ego rubori locum non facio, cùm plus de C detrimento eius acquiro, cùm ipse hominem quodammodo exhortatur: Ne me respexeris dicens, pro te mihi melius est perire. Certè periculum eius tunc si fortè onerosum est, cùm penes insultaturos in risiloquio consistit, vbi de alterius ruina alter attollitur, vbi prostrato superscenditur. Cæterùm inter fratres atque conseruos, vbi communis species, metus, gaudium, dolor, passio (quia communis Spiritus de communi Domino & patre) quid tuos aliud quàm te opinaris? quid consortes casuum tuorum, vt plausores fugis? Non potest corpus de vnius membri vexatione lætum agere: condoleat vniuersum, & ad remedium conlaboret, necesse est. In vno & altero Ecclesia est, Ecclesia verò Christus. Ergo cùm te ad fratrum genua protendis, Christum contrectas, Christum exoras. D Æquè illi cùm super te lacrymas agunt, Christus patitur. Christus patrem deprecatur. Facilè impetratur semper, quod filius postulat. Grande planè emolumentum verecundiæ, occultatio delicti pollicetur. Videlicet si quid humanę notitiæ subduxerimus, proinde & Deum cælabimus. Adeóne existimatio hominum & Dei conscientia comparantur? An melius est damnatum latere, quàm palàm absolui? Miserum est sic ad exomologesin peruenire. Hucusque Tertullian.

S. Chrys.

Diaboli fraude pœnitentiæ nos pudet, peccati nô pudet.

Tertullian.

Veruntamen plerique tales sunt qui præsentia solùm cogitant, qui si fortè sperent se nullam opum iacturam facturos, & dignitatem sartam tectam seruaturos, securè delicta contemnunt. Latent eos scilicet hactenus furiarum stimuli, quas deinceps inexorabiles Saul expertus est. Nam vt homines clàm fallere, aut etiã per vim ab expetenda vindicta deterrere possimus,

Quid pœna præsens, conscius noctis pauor,
Animúsque culpa plenus, & semet timens?
Scelus aliqua tutum, nulla securum tulit.

Et Iuuenalis Satyr. 13.

Cur tamen hos tu
Euasisse putes, quos diri conscia facti
Mens habet attonitos, & surdo verbere cædit,
Occultum quatiente animo tortore flagellum?

Nam se

Iudice nemo nocens absoluitur: improba quamuis
Gratia fallacis Prætoris vicerit vrnam.

Seneca verò ille senior Latinorum Philosophorum facile princeps epist. 98. Tuta, inquit, scelera esse, secura non possunt. Quare? Quia prima illa & maxima peccantium est pœna, peccasse. Nec vllum scelus (licet illud fortuna exornet muneribus suis, licet tueatur ac vindicet) impunitum est, quia sceleris in scelere supplicium est. Sed nihilominus & hæc & illa (secundæ pœna) premunt ac sequuntur, timere semper, & expauescere, & securitati diffidere. Illic dissentiamus cum Epicuro, vbi dicit, Nihil iustum esse natura, & crimina vitanda esse, quia metus vitari non possit. Hîc consentiamus, Mala facinora conscientia flagellari, & plurimùm illi tormentorum esse, eo quòd perpetuò illam solicitudo vrget ac verberat, quod sponsoribus securitatis suæ non potest credere. Hoc enim ipsum argumentum Epicuri est, natura nos à scelere abhorrere, quod illi etiam inter tuta timor est. Multos fortuna liberat pœna, metu neminem. Quare? quia infixa nobis eius rei auersatio est, quam natura damnauit.

Coram Senioribus populi mei.] De Senioribus siue Maioribus natu superiore tomo cap. 8. vers. 4. Apud Lacedæmonios, vt autor est Pausanias in Laconic. de Rege iudicium hoc ritu constitui solet. Consident qui Seniores appellantur duodetriginta numero: cum ijs Ephori, necnon alterius familiæ rex. is erat tunc Agis. (De Pausaniæ iudicio loquitur.) Ac XIIII. sanè Seniores, & Agis rex, Pausaniam condemnarunt: absoluerunt reliquæ eius consilij partes.] De legatis siue Nuncijs terrarum regni Polonici Cromerus lib. 27. de Rebus Polonor. Potestas, inquit, eorum ad instar Tribunitiæ apud Romanos, vel Ephororum apud Lacedæmonios esse cœpit. Nam tantum ij nostra tempestate arrogare sibi cœperunt, vt nullam rem maiorem iniussu suo decerni à Rege & Senatu, aut fieri vellent, & in Senatum, atque adeò in Regem ipsum censuram grandi supercilio sibi sumerent. Ad extremum crescente in dies ambitione, de religionis quoque Christianæ dogmatibus, ritibus ac ceremonijs disceptare, & non accipere, sed ferre leges aggressi, Sigismundi Augusti Regis, quo regnante hæc scribebamus, diuina & supra ætatem sese exerente Sapientia, & autoritate repressi tamen sunt aliquantisper. Origo eorum à cõuentu Visliciensi circa annum 1468. Horum infinitam licentiam Cromerus suspe-

SED NVNC HONORA ME.

Seneca in Hippolyto.

Multos fortuna sceleris pœna liberat, metu neminem.

Senec. Philosoph.

Pausanias. Reges Lacedæmone subibãt Seniorum iudicium.

Matt. Cromerus.

Nunciorũ terræ potestas apud Polonos.

ET REVERTERE MECVM.

ctam habet, nec minus exitialem Reipub. Polon. fore ominatur quàm fuerint olim Romanę Tribunitij furores, à quibus tandem euersa est. Cæterùm non ita credendum est rem habuisse apud Iudæos, aut Regem cuiusquam censuræ obnoxium fuisse: sed cùm vereretur ne repulsam passus à Propheta, cuius non alia autoritas esse censebatur quàm Dei, alienus fieret à regni negotijs, magnopere contendebat vt coram Senioribus, quorum maximè ductum reliquus populus sequebatur, Regiam Maiestatem reuereri ac suspicere videretur. Nam si Regem Samuel auersari persisteret, idque palàm fieret, probabile erat ne Seniores quidem Prophetæ exemplo commotos in officio permansuros. Putarent enim haud aliter quàm Dei iussu Prophetam ausurum: cui non obtemperare nefas ducerent, aut eum Regem habere, quem Deus repudiasset. Quare mox etiam de successore subrogando consulerent: cuius vim, desertus ab omnibus, sustinere, aut etiam effugere non posset. Itaque cùm esset redactus ad incitas, Prophetam obsecrat ne periclitanti deesse velit.

Religiosorum hominum quanta potestas sit ad labefaciandos stabiliendosue reges.

Et reuertere mecum.] Grauissima semper fuit apud religiosos populos eorum autoritas, qui pietatis & sanctioris vitæ speciem præseferent. Nec sanè immeritò. Siquidem illi & norunt leges diuinas perfectius, & obseruant diligentius, & Deum quoque colunt frequentius, ita vt consuetudo familiaritatem efficiat, & gratia apud Deum plurimùm possint. Apud Æthiopes Sacerdotes quantum omnium opinione valerent antea diximus, qui etiam regibus indicta causa voluntariam mortem imperabant. De Gallis testatur Cæsar Comment. lib. 6. quòd natio fuerit admodum dedita religionibus. Itaque Druides eorum sacerdotes quibus sacris interdixerint (quę pœna fuit apud eos grauissima) ij numero impiorum ac sceleratorum habentur. Ab ij omnes decedunt, aditum sermonemque defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant: neque ijs petentibus ius redditur, neque honos vllus communicatur.] Quòd si gens vlla eos homines mirata est & in pretio habuit, qui, quòd omnia quæ ad cultum numinis pertinerent, diligenter pertractarent & tanquam relegerent, sunt dicti religiosi ex relegendo, tum Iudæi maximè, primùm quidem Prophetas, deinde ijs extinctis Pharisæos, qui posteriores cùm essent Regibus infensi, non rarò ijsdem periculum crearunt. Quamobrem moriens Alexander Iudæorum Rex, qui Pharisæos nouerat totius in se populi odium struxisse, quòd eorum consilia ac traditiones neglexisset, Alexandræ vxori mariti interitum, suam solitudinem, filiorúmque periculum deploranti, traditis rerum habenis imperat, Pharisæis nonnihil licentiæ permittat: hos enim pro habito sibi honore laudaturos eam, & commendaturos apud populum: posse enim plurimùm apud Iudæos, siue exosum aliquem cupiant lædere, siue amicum iuuare. Valdè enim his fidem habere vulgus, etiamsi per inuidiam de quopiam malè loquantur: nec se ob aliam causam incurrisse totius

Iul. Cæsar.

Iosephus.

A gentis odium, quàm quia hoc genus offenderit. Ergo, inquit, vbi Hierosolyma perueneris accitis eorum primoribus corpus meum eorum potestati permitte, & pollicere nihil te nisi ex illorum sententia gesturam in administrando imperio. His verbis si vsa fueris, & mihi magnificentior quàm à te sepultura continget, contentis illis permissa potestate, & tu secura dominaberis. Ita Iosephus Antiquit. Iudaic. lib. 13. cap. 23. Quæ mox idem re atque exitu contigisse Alexandræ res gestas commemorans ostendit. Verùm isti non rarò ad Reipub. perniciem, bonorúmque interitum fucatæ sanctitatis fama abusi sunt. Nam his artibus etiam ipsi Domino insidias necémque moliti sunt. Prophetæ longè modestiores, quos nusquam leges populis aut principibus calamitatem machinatos. B Tametsi enim plerique reges & populos cùm à Deo iussi essent, acriter obiurgarint, nusquam tamen rerum nouarum cupidis defectionis autores se præbuerunt. Quod si facere instituissent, breui collecta exercitu, aut etiam solo nutu reges solio depulissent. Elias quidem Achab sceleribus offensus cælo vim attulit, & imbres vinclis coërcuit ne qua erumperent: à Rege tamen iniuriam abstinuit, nec cælesti passus est igne vorari. Quid posset Samuel non modò Saul electione sua probauerat, sed etiam suprà cap. 12. cælo tonante didicerat. Quare nunc pendens animi Deo hominibúsque diffidens, *Reuertere*, ait, *mecum*: nam si me deserueris, qua fronte ausim castra repetere? populi conspectum ferre non potero. mox C etiam, quæ mihi spes vnica salutis ostenditur, vt Deum sacrificio placem, si adesse recuses, ad eius aram adire verebor. Quamobrem te oro mecum vnà reuertere.

ET REVERTERE MECVM.

Vt adorem Dominum Deum tuum.] Prius quidem expetijt Prophetæ obsequio populo Senioribúsque commendari. Sed quia nouerat hominum voluntates pendere extrinsecus, & ad arbitrium Numinis inclinari, nunc ostendit quantum spei, opis, ac præsidij, ad reconciliandam cum Deo amicitiam, in eiusdem oratione collocaret. Tametsi enim peccaui grauiter, nec veniam mereor, haudquaquam tamen spem obijciam, si mihi aduocatus venire volueris, præsentiámque tuam misero mihi accommodes. Dabitur enim fauori ac gratiæ tuæ, quod meis meritis iustè negari posset. D Nec enim semel Moyses, cùm populus in deserto deliquisset, & iam excindendus videretur, iram Dei flexit, peritur úmque cum Deo reconciliauit. *Scio quippe quia Deus clemens est & misericors, patiens & multæ miserationis, & ignoscens super malitia. Et hoc pro certo habet omnis qui colit Deum, quòd vita eius, si in probatione, coronabitur: si autem in tribulatione fuerit, liberabitur: et si in correptione fuerit, ad misericordiam eius venire licebit. Non enim delectatur in perditionibus nostris, &c. Vt adorem Dominum.*] Quasi dicat: Cur venire detrectes? non enim te ad prædam fruendam allicio, aut in partem sceleris pertrahere cõtendo: sed ad cultum Dominicum inuito, quem aspernari vtiq; non debes. Nam quid aliud quæris, aut consequi studes tot iam exantlatis

Ionæ ca. 4. vers. 2.

Tobiæ 3. à vers. 21.

Vt adorem Dominum, &c.

latis laboribus, & hac tua cura ac solicitudine quotidiana, quàm vt Dei cultum promoueas? A- desdum itaq; mihi dum supplex Numen adoro. Antea quidem cùm leges eius violarem, & contemptor anathematis sacrilegio me polluerem, dignus erã quem terra mariq; fugeres: nũc verò postquam me facti pœnitet, & Deum, quem temerè contempsi, religiosiùs colere atque obseruare laboro, cur à societate nostra abhorreas? Vide itaque ne non satis expressè Domini tui mores referre videaris. Nam is tametsi peccantibus infensus est, attamen resipiscentes fauore ac gratia complectitur. Quòd si te mei ne nunc quidem miseret, Deum tamen reuerere, & præscriptas ab eo religiones honora. rem sacram facimus, indigni quidem, non tamen alteri quàm ipsi Deo tuo.

Reuersus ergo Samuel sequutus est Saulem.] Tametsi iam Samuel hominis leuitatem & inconstantiam spectatam satis & exploratam habebat, & hæc omnia abdicationis metu potius quàm quòd ita animo affectus esset dici nouerat, attamen ne malum latiùs serperet, & plures à pœnitentiæ proposito resilirent, nusquam patere rati ad misericordiam aditum ex quo Rex pœnitens exclusus est, Regijs precibus obsequitur: & quod veræ pœnitentiæ debuit, ad auerruncandum scandalum personatæ dedit, Regémque comitatur. Sic quoque deinceps 3. Reg. cap. 21. *Cùm audisset Achab sermones Eliæ, & scidisset vestimenta sua, & operuisset cilicio carnem suam, ieiunassétque, & dormiuisset in sacco, & ambulasset demisso capite*, Dominus supplicium & animaduersionem suam qua vsurus erat, tantisper dum viueret eidem remisit, ne difficilis ad placandum & inexorabilis haberetur. Nam si, cùm signa omnia quæ pœnitentem prodere poterant, & dolorem animi testificari, ipse præseferret, veniam consequutus non esset, reliqui suspicari possent locum vltrà clemẽtiæ non esse. Hinc satius visum est hypocritæ parcere, quàm eos quos verè pœniteret, iusta quidem, sed incomperta seueritate à pœnitentia deterrere. Nam hoc pacto plurimorum saluti consulitur, sed incomperta seueritate à pœnitentia deterrere. Nam hoc pacto plurimorum saluti consulitur, dum adhuc pœnitentiæ locus est: hypocritas æterna pœna manet.

Fucatę pœnitentię Deus nonnihil indulget, ne à vera deterreat.

Altera ratio esse potuit, ne si mordicus in sententia permaneret, & à Rege defecisse videretur, non pauci quoque deficerent, & eo absente seditio oriretur; cùm tamen penes eum stare imperium, & Reipub. clauum moderari ad vltimam vitæ periodum Deus instituisset. Cæterùm hinc manifestè patet quàm impudenter Saul prius culpam in populum contulerit. cur enim tantopere populi offensionem extimesceret, si idem per vim delicti autor extitisset. Properabat denique instigante Deo ad mactandum regem impium, vt in eo diuinę seueritatis exemplum ederet, & populum cum Rege ad obtemperandum erudiret.

Et adorauit Saul Dominum.] An verò coram Samuele, & eo pariter adorante, Scriptura quidem non loquitur, consequens tamen videtur vt eò Saulem sequutus fuerit ad quod eum vocauerat. *Adorare* autem iuxta phrasim Scripturæ non rarò *sacrificare* significat. in quo sensu hoc loco interpretandum est. Nam & prius vers. 12. Saul offerre holocaustum dictus est, & quidem id temporis cùm Samuel aduentaret: non quod ipse sacris operaretur, sed quod adductas victimas Sacerdotibus traderet. Sacrificij Pacificorum aut laudis siue gratiarum actionis non meminit. Prius enim holocausta adolere consueuerant. Subinde verò Pacificas hostias immolabant, quibus maiori ex parte vescebantur, & epulas celebrabant, quas inire tristes vetabantur. Ex quo conijcio, ab eo genere sacrificij, conuersa in luctum publica lætitia, Saulem abstinuisse: nec Samuelem ad epulum inuitasse, cùm esset mœrenti ac perturbato animo, & spem vtcunque vultu simulans, premeret altum corde dolorem. Hinc tantùm dicitur Saul adorasse Dominum.

Adduci te ad me Agag.

Versus XXXII.

Dixítq; Samuel: Adducite ad me Agag regem Amalec. Et oblatus est ei Agag pinguissimus, & tremens. Et dixit Agag: Siccine separat amara mors?

Versus XXXIII.

Et ait Samuel: Sicut fecit absque liberis mulieres gladius tuus, Sic absque liberis erit inter mulieres mater tua. Et in frusta concidit eum Samuel coram Domino in Galgalis.

Pagninus, *Facite accedere ad me Agag regem Hamalec. & iuit ad eum Agag delicatè* (Arias, *cum delicijs*); *dixitque Agag, Verè venis* (Arias, *recessit*) *amaritudo mortis*. Vatabl. Salmantic. *Venitque ad eum Agag delicatus. Et dixit Agag, Profectò recessit amaror mortis.* In Schol. *deliciarum*. Hebraismus. vel, *cum voluptatibus*, id est, gressu & incessu regio ac superbo. Alij *gaudens & hilaris.* quòd scilicet præferret mortem vitæ. Alij, (*cum*) *vinculis*, id est, vinctus. *Profectò recessit amaror mortis.*] Præ se ferre videtur hoc sermone contemptum mortis, quasi dicat, non moriar. Sic quidam Hebræorum. Alij rectiùs vertũt, *venit.* vel, *irruit in me*, quasi dicat, actum est de me, iamiam moriar. Ita Vatabl. in Scholijs. Paraphrastes Chald. *Et venit ad illum Agag delitiosus. & dixit Agag: Obsecro Domine mi, amaritudo mortis.* Septuaginta, Καὶ προσῆλθεν πρὸς αὐτὸν Ἀγὰγ τρέμων. Καὶ εἶπεν ὁ Ἀγάγ, εἰ οὕτω πικρὸς ὁ θάνατος. *Et accessit ad eum Agag tremens. Et dixit Agag: Si sic amara mors!*

Variæ trãslat.

Versus 33. Καθότι ἠτέκνωσεν γυναῖκας ἡ ῥομφαία σου, οὕτως ἀτεκνωθήσεται ἐκ γυναικῶν ἡ μήτηρ σου. Καὶ ἔσφαξε

Adducite ad me Agag.

σαμουὴλ πρὸς ἀγάγ ὃν τρόπον ἠτέκνωσε γυναῖκας ἡ ῥομφαία σου, οὕτως ἀτεκνωθήσεται ἐκ γυναικῶν ἡ μήτηρ σου. καὶ ἔσφαξε σαμουὴλ τὸν ἀγάγ ἐνώπιον κυρίου ἐν γαλγάλοις. *Sicut romphaea tua matres fecit sine liberis, orbauit filijs: sic & mater tua orbabitur. & trucidauit.* Complut. A *& iugulauit* Rom *Samuel Agag coram Domino in Galgalis.* Chald. *& discerpsit.* Pagninus, *& scindere fecit.* Vatabl. Salmant. *& dissecuit.* In Scholijs cum Vulgata consentit, *& in frusta concidit.*

Hoc totum sic quidam vertit: *Deinde dicente Samuele, Admouete ad me Agag regem Hamalek, iuit ad eum Agag delicatè cultus: dicebat enim Agag, Certè recessit amaritudo mortis.* i. periculum mortis euasi, quandoquidem ab armato rege ad senem prophetam abducor. *Sed dixit Samuel, quemadmodum orbauit mulieres gladius tuus, sic orbabitur inter mulieres mater tua: dilaniauitque Samuel Agagum coram Iehoua Gilgale.* Alter, *Venitque ad eum Agag delicatè, & ait Agag: Vtique accedit amara mors.* Et in Not. *Delicatè.*] Hoc est, accessit suauiter more regio: vel, accessit superbè, perinde quasi minimè mortem horreret. Alij per מערנות *maghadannoth*, intelligunt, compedes. & vincula ferrea, quibus constrictus fuerat. Et quod sequitur: *Vtique accedit amara mors*: Kimhi exponit, vt nos vertimus. Ben-Leui exponit in hunc modum: *Verè recedit amaritudo mortis*: sperans scilicet per Samuelem à morte liberari. Vulgata translatio optima est: non enim tum Agag agebat in delitijs, sed apparebat superiore vita ijs plurimùm indulsisse. Id vero qui melius exprimeres quàm si obeso corpore pinguissimum fuisse dicas? Non enim fert Latina phrasis Hebræorum dicendi morem, vt Agag cum delitijs accessisse dicamus, à quibus tum procul aberat: sed distentam adipe & bene curatam cutem notamus, quæ veteres delitias ac pristinum luxum testabatur. ערן *gnadan* porrò, à quo מערנות *magnadannoth*, idem est, ac si diceres, *in delicijs versatum esse*, voluptuosè vitam transegisse. Quoniam verò Septuag. Hebrææ linguæ peritissimi, ad tremorem, qui de sua salute desperantes occupare solet, idem verbum retulerunt, quod alibi cum Vulgato delicias interpretari solent, idcirco vtramque significationem Vulgatus in hunc locum asciuit, pinguissimum ac trementem nominans.

Vulgata defenditur, & eiusdem ratio ostenditur.

Adducite ad me Agag.] Iubet Samuel Agag Regem Amalec, quem Saul in suam perniciem seruauerat, sibi præsentem sisti, vt quem Rex armatus in acie non ceciderat, ad aram inter sacra Propheta trucidaret. Simile quiddam legimus 3. Reg. cap. 19. vers. 17 Nam cùm iussisset Dominus vt Elias Elisæum Prophetam inungeret, *Et erit*, inquit, *quicunque fugerit gladium Hazael, occidet eum Iehu: & quicunque fugerit gladium Iehu, interficiet eum Elisæus.* Credidit Samuel esse quoddam sacrificium iustitiæ cædem impij ac trucis tyranni, quod longè Deo gratius & acceptius esset quàm seruatæ contrà fas victimæ, quæ magis iram quàm misericordiam prouocaret. Nec aliter sensit S. Dunstanus Cantuariensis Episcopus, qui quondam ipso die Festo Pentecostes non ante ad aram sacrificaturus accedere voluit, quàm vincti quidam qui dolum malum in moneta fecisse conuicti erant,

Cædes impij, sacrificium iustitiæ est.

S. Dunstanus diem suum obijt ann. 988.

supplicium luerent. Nam quî fieri possit, aiebat, vt me sacris operante hostia litetur pulcherrimè, si pauperum lacrymas, quos Deus meæ fidei permisit, frustrà manare siuero, & eorum iniurias inultas reliquero. Attamen fletu & comploratione reos prosequutus est, & pœnis eorum vehementius ingemuit. Mox verò rem sacram auspicanti niuea columba super capite sidit, familiari symbolo numinis testata præsentiam. Autor Osbertus Monachus qui Sancti vitam ann. 1020. conscripsit. Ostendit porrò Samuel eo pacto se non fauere peccato Saulis, nec ideo se illi adiunxisse comitem, quòd mutasset sententiam, sed tantùm, vt quod eius contumacia, & malitia omissum fuerat, emendaret.

Apud Suriũ to. 3. Maij die 19.

Mirum tamen videri potest, iussisse eum Agag B ad se adduci, cùm non gereret magistratum. Erat enim iam priuatus, vti suprà docuimus. Sed scire debemus, exempla quædam clarorum virorum miranda potius nobis esse, quàm imitanda. Etsi enim instinctu diuino aliquid interdum fecerunt cõtra legem communem, tamen non possumus eos rectè fecisse dubitare: quoniam à spiritu Dei impellebantur. Cùm enim Deus iubet, inquit, S. Augustinus lib. 1. de Ciu. Dei, cap. 26. séque iubere sine vllis ambagibus intimat, quis obedientiam in crimen vocet? quis obsequium pietatis accuset?] Nobis tamen legibus communibus viuendum est. Rectè enim ait Demosthenes, Legibus viuimus, non exemplis. Ita Aod, cùm esset priuatus, Eglon interemit: & Samson contra legem Dei petiuit sibi dari vxorem Palæstinam: & Moses occidit C Ægyptium: quod factum à Stephano in Actor. commendatur. Possem alia multa huius generis commemorare. Sed ista priuilegia tantùm sunt, non statim trahenda in exemplum. In Pandect. in Tit. de Constit. Princip. lib. 1. Vlpianus ait, ea, quæ placent Principi vim habere Legum, & esse atque appellari constitutiones. Et addit, quasdam esse constitutiones personales, quæ trahendæ non sint in exemplum. Illæ enim, inquit, non egrediuntur personas quibus conceduntur. Nemini enim nostrum licet filium suum interficere, quod licuit Abraham: nemini nostrum mutuari quod reddere nolit, quod Iudæis proficiscentibus ex Ægypto licuit. Sed eos oportuit certos esse, se moueri instinctu Dei. Nam alioqui, si hæc fecissent reclamante conscientia, peccassent. Quicquid D enim non est ex fide, peccatum est. Quod ad Samuelem attinet, quidam putent eum sequutum fuisse peculiarem quandam rationem. Etsi enim non esset Iudex, tamen eum putant non prorsus abijsse magistratu. Verùm id mihi non probatur. Ita enim Iudæi hoc tempore non habuissent regnum, si duo fuissent capita in vna republica. Ex quo apparet, magis hæc illum vt prophetam fecisse, quàm quòd vlla potestate ordinaria frueretur. Porrò Dei spiritum cohibere quis poterit? nullis ille legibus astrictus est: prophetas suos quò vult impellit.

Singularia facta Sanctorum nõ sunt in exemplum trahenda.

Lege S. Augustin li. 1. de Ciuit. Dei ca. 26. Vlpianus in Pand.

Et oblatus est ei Agag.] Habuit Samuel satis obsequentem populum. Omnes enim sciebant eum esse sanctissimum virum, & Prophetam.

Deinde

AGAG PINGVISSIMVS, &c.

Deinde aderat Rex: qui cùm non impediret, videbatur factum probare. Ita Propheta Dei non tantùm verbo armatur, sed etiam gladio. Eodem spiritu & impetu ductus Elias, occidit Prophetas Baal.

Agag pinguissimus, ac tremens.] Reliqui ferè præter Vulgat. & Septuag. *gaudentem*, ac *bilarem*; vel *cum delitijs* exponunt, & contemptum mortis interpretantur. Venit Agag delicatè regio fastu, videri volens forti & excelso animo mortem contemnere. Sunt quædam virtutes, quæ relucent interdum in hominibus infidelibus: quale est liberalem esse in alios: mortem, aut periculum subire pro patria. Istæ virtutes in bonis quidem hominibus bonæ sunt: in malis autem speciem tantùm gerunt virtutum, re autem vera merito carent, quia destituuntur debito fine, nec referuntur ad gloriam Dei: ad quam nullo modo referri possunt sine fide. Mali ergo in istis virtutibus nihil aliud spectant, quàm aut commodum, aut laudem suam. Itaque sanctus Augustinus in primo libro de ciuitate Dei, capite 23. huiusmodi contemptionem mortis in malis, & infidelibus, imbecillitatem ait esse, non fortitudinem. Cùm enim aduersarum rerum acerbitatem non ferant, aut ipsi sibi mortem consciscunt, aut eam libenter ferunt, si offeratur. Agit autem eo loco de Catone Vticensi, Eum negat fecisse fortiter, cùm sibijpsi manus afferret. Idque probat primùm ab autoritate illorum qui vnà adfuerunt. Habuit enim Cato apud se Apollonium Stoicum, Democritum Peripateticum, & Cleanthem Medicum. Isti eum vehementer ab eo facinore dehortati sunt. Negabant enim esse fortitudinem. Et Augustinus addit, non fuisse fortitudinem, quæ præcaueret turpitudinem: sed imbecillitatem, & desperationem, quæ ferre non posset res aduersas. Deinde moriens, monuit filium vt omnia sibi polliceretur de clementia Cæsaris. Si tibi, inquit Sanctus, honestum erat mori, cur filio non erat? Idem disputat de Circumcellionibus, qui videbantur contemnere, vel potius furiosè expetere mortem. Epistola 21. ad Dulcitium, Non potest, inquit, mortem habere Martyrum, qui vitam non habuit Christianorum. Non enim pœna facit Martyrem, sed causa.]

Simulacra virtutum in Ethnicis merito caruerunt.

Contẽptus mortis apud infideles non virtus, sed infirmitas fuit.

S. August.

Sed longè probabilius est timuisse Agag mortem, vt Vulgat. sentit, & Septuag. interpretantur: quo pacto nihil alienum fecit ab impijs. Nam qui nihil sperant in futurum, meritò timent, cùm videant omnia esse relinquenda. Aut si opinionem fortè aliquam habeant de alia vita, sua ipsorum flagellãtur conscientia. Quem æstum animi, quam curam ac solicitudinem graphicè Plato describit libro primo de Republica: Certò scias, inquit, ô Socrates, quod postquam eò quis deuenit, vt breui iam moriturum se opinetur, incidit in eum timor, & cura quædam eorum, quæ in superiori vita neglexit. Fabulæ enim quæ de inferis dicuntur, quomodo eos qui iniustè egerunt, pœnas dare oporteat, irrisæ hactenus, mouent tunc animum, ne fortè veræ sint suspicantem: atque ipse siue propter senectutis debilitatem, siue quod alteri vitæ propinquior illa acutius inspicit, solicitus & anxius redditur, atq; reputat examinatq; si quem iniuria affecerit. Qui ergo inuenerit multas suæ vitæ iniquitates, ex ipso somno, tanquam pueri, frequenter excitus extimescit, & pessima in spe viuit, &c. Nam de bonorum quoque pace ac securitate subinde nonnulla attexuit, quæ referre necessarium non duximus, siquidem de sæuissimi tyranni trepidatione sermonem instituimus. Qui siue timuerit, siue contempserit mortem, nullo modo ea potest appellari virtus. Potest etiam fieri, vt quamuis vultu fuerit constanti & intrepido, tamen id non verè, sed fictè, ac simulatè fecerit.

Plato.

Improbi morituri, rerum quas olim contempsére, formidine terrentur.

Agag pinguissimus.] Pollux lib. tertio, ca. 22. εἷς ὢν τῶν εὐδαιμόνων, τῶν ὀλβίων, ἢ ὡς Ἡρόδοτος, τῶν παχέων. Vnus existens felicium, vel beatorum, vel, vt Herodotus, pinguium. Xenophon libro 5. Expedit. Cyri Minoris, Apud Mosynœcos ostentabant illi, inquit, diuitum ac beatorum parentum liberos optimè curatos, non alio tamen cibo, quàm elixis nucibus enutritos, corpore mollissimo & candidissimo, propemodum æquè crassos atque longos, quorum & terga & pectora Anthemij flore picta, crebrísque notis distincta erant.] Hæc Xenophon. Talem Dionysium Heracleæ tyrannum Ælianus & Athenæus celebrant: prior quidem Var. histor. lib. 9. cap. 13. hic verò Dipnosoph. lib. 12. capite 26. Turritam molem reliquo corpori solebat opponere, cùm esset quispiam alloquendus, & solo capite extans apparebat monstro similis, acubus altè defixis medicorum cõsilio somno excitabatur. Magam Cyrenes regem adeps immodicus oppressit, vt autor est Agatharchides Rer. Europicarum libro decimo sexto. Sed hi nequaquam nucibus pasti, vt Mosynœcorum filij tales euaserunt, sed crapula, atque ignauia, delitijsque corrupti. Nec dissimilis Eglon, cuius inter pingues & obesos Scriptura meminit Iudic. 3. Physconem & Sardanapalum tacendum est, ait Tertullianus de Pallio, cap. quarto, qui nisi insignes libidinum, aliàs reges nemo nosset. Tacendum autem, ne quid & illi de Cæsaribus quibusdam vestris obmussitent, &c. Fuit autem Physcon Ptolemæus 8. Rex Ægypti, qui cùm Cyrenæ imperaret, fratri Euergetæ defuncto successit, qui supra belluinam libidinem, & crudelitatem (quæ facinora Iustinus commemorat libro trigesimo octauo) sagina ventris, & corporis vultúsque deformitate, belluæ quàm homini similior erat. Quæ fœditas in eo pellucidæ vestis subtilitate, quasi de industria, siue potius ex intemperantia augebatur. Infame Physconis nomen è re tulit quasi ventricosi, & aquarioli, propter abdominis studium. φύσκων enim ὁ γαστρὸς ὁ παχὺς ἀπὸ τῆς φύσεως, quod est intestinum crassum. Cui &, Persius ait,

Pinguis aqualiculus propenso sexquipede exstat.

Et Antiphanes Comicus:

Propter vinolentiam, & corporis crassitudinem,
Vtrem appellant omnes indigenæ.

Alium Menander suem vocat, epitheto sanè conuenienti. Hi sunt de quibus scripsit Apostolus: *Quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.* Ad Philippenses cap. 3. ver. 19. Quod testatur non nemo ex

Pollux.

Pinguedine infames.

Xenoph.

Athenæus.

Tertull.

Iustinus histor.

Antiphanes

AGAG PINGVISSIMVS, &c. Philostr.

eorum grege apud Philostratum libro quinto Vitæ Apollon. cap. 8. Quippe Rhodium diuitem cupediarum sectatorem interpellans Apollonius aiebat: Prolixè equidem ventri tuo gratificaris, & eundem donis quamplurimis cumulas. Quinimo, ait, ipsi sacrifico, & hostias plurimas macto: ille namque mihi Deus est. Verumenimuero, respondit Apollonius, quò spectat tantus iste labor, aut quid inde emolumenti percipies? Hoc saltem, ait, consequar, vt me plures spectent, & mirentur. An ignoras non minus placuisse Herculem epulis incumbentem, quàm monstra & feras expugnantem?

Cæterùm sagina, & abdomen apud maiores

Abdomen vitio datũ Strabo.

nostros probro, & crimini esse consueuerant. Quamobrem laboriosis exercitationibus sese atterebant, quóne obesi, ac ventre prominulo forent. Si quis enim iuuenis modum zonæ præscriptum excederet, mulctabatur, vt scribit Strabo. Nec mollior aduersus corporis luxuriem censura Lacedæmoniorum. Apud quos lege cautum fuit, vt decimo quoque die ephebi ad

Ælian Var. hist lib. 14. c 7.

vnum omnes publicè nudos Ephoris sese exhiberent. Quod si in vllo horum succrescens ex otio pinguedo notaretur, tum is verberibus cæsus est. Quin & Nauclidem filium Polybiadis, quod is ingrauescente corpore propter delitias & otium, Spartæ labem aspergere videretur, deductum è concione denuntiatione exilij terruerunt, nisi se breui ab Ionico illo viuendi genere ad Laconicam frugalitatem reciperet. Agesilaus certè nimia sagina grauem equo priuauit.

Aul. Gellius Noct. Atti l. 7. c. 22.

Apud Romanos quoque nimis pingui homini, & corpulento Censores equum adimebant, vt autor est Cato in Orationibus, scilicet minus idoneum rati cum tanti corporis pondere, ad faciẽdum equitis munus: quæ res tametsi quandoque apud Gellium dubitatum sit in quam partem accipi debeat, certissime ad ignominiam pertinuit. Nam & propterea Cato criminosius obijcit, & præpinguem militem vehementius lacessit, velut Reipublicæ incommodum, cuius inter guttur & inguen, cuncta sub ventris dominio forent. Neque enim omninò inculpatus & indeses videri potuit, cuius corpus in tam immodicum modum luxuriasset, exuberassétque. Nec aliò spectasse arbitror sanguinis emissionem, seu venæ sectionem, cuius inter militares animaduersiones idem meminit libro 10. cap. 8. Ægyptij verò expedita omninò agiliáq; corpora circumponere animæ student, ne præualente quod morti obnoxium est, diuinum comprimatur, & molesto atque inutili pondere conteratur. Græcorum est illud: παχεῖα γαστὴρ λεπτὸν οὐ τίκτει νόον. Pinguis venter non gignit mentem tenuem: id est, solers & acutum ingenium. πολυσαρκίαν autem & nimium adipem ne in Apide quidem suo tolerandam censuerunt Ægyptij. Quamobrem etiam Nili aqua eidem interdixerunt, quòd ea pinguefacere crederetur, nimiam pinguedinem cùm à virtute alienam, tum

Ælianus.

numine indignam iudicantes. Quinimo genus morbi ducit vrsa præpinguem corporis habitum, & aut formicis natura docente sibi medetur, aut quadraginta dierum ieiunio, quo tempore latebras captans, motu corporis supino in

A σολκτὸν reptat, dorsi tractu vestigia confundens, vt scribit Ælianus histor. Animal. libro sexto, cap. 3.

AGAG PINGVISSIMVS, &c.

Adeps porrò exanguis est, tametsi illum pars sanguinis pinguior & aërea pariat. Crasso oleo primùm similis, sed frigore atque desidia concrescit. Quamobrem etiam ignauæ vitæ, & frigidioris temperamenti argumentum est. Cerebro humidiorem Galenus facit in lib. de temperamentis: siquidem calore soluitur, cùm tamen cerebrum minimè liquescat. Cuti ad internam eius membranam adnascitur. Reliquas etiam partes quas emuncto humore vehementior exercitatio rigidiores facit, molli complexu fouet ac rigat. A corde abstinet, arterijs, venis, iecore, & quæcunque viscera æstuant: caloris enim est impatientissimus, quo feruente coire

Adeps quid sit.

Galenus.

B non potest. Labori etiam atque inediæ tandem succumbit. Diuturnioris vitæ nonnullis causa creditur, quoniam sit genuina humectatio, quæ non facilè arescat exteraturque ab intimo calore. Deinde quod humectum hoc non pingue solùm, sed etiam compari calore præditum sit: quo pacto neque noceat, & difficilè, cùm sit aëreum, extinguatur.

Hinc patet non minus naturæ beneficio, quàm pigritiæ vitio pinguitudinem creari. Haud temerè tamen inuenias eos, qui gnauiter ad virtutis studium incumbant, adipe distendi. Illum siquidem vigiliæ liquefaciunt, labor & abstinentia sorbent. Tametsi nonnulli quoq; Sancti, quos religiosa palæstra sedulò exercuit, & in quos nulla cadit otiosæ atque inertis vitæ suspicio, nonnullo adipe notari potuerint. Nam

Non sẽper probrosa pinguedo.

C quis nisi demens Angelicum doctorem desidiæ insimulet, cuius nõ industriam modò, sed etiam diligentiam, vigilias, & die noctéque continuatos labores ingenij monumenta prædicant? Adde his quotidiana fermè ieiunia, ciborum delectum vilissimorum, & mensam carnis expertem. Attamen prominulo ventre fuisse dicitur. Qualis etiam nobis sanctus Abbo Floriacensis Abbas, doctrina & martyrio insignis, ab Adreualdo fuisse describitur in eius vita. Fauit illis scilicet ratio ipsa temperamenti, neglectus cibus, & vitæ genus abhorrens à gymnicis exercitationibus, quo factum est, vt hoc interim spatio dum ipsi summa animi contentione cælestia captant, corpora incuriosè habita superfluum humorem colligerent. Sed non debent

Habes in Biblioth. Floriac. quam collegit Ioan. Boscus.

D hæc rarissima Sanctorum incommoda pigris & negligentibus, & otium delitiásque sectantibus patrocinari: alioquin enim Scriptura pinguitudinem & abdomen filijs huius seculi vitio vertit. *Incrassatus*, inquit Moyses in Cantico, *impinguatus, dilatatus, dilectus recalcitrauit*. Et Dauid Psal. 72. quo loco pessimos quosque suis coloribus ad viuum depingit: *Prodijt*, inquit, *quasi ex adipe iniquitas eorum*. Et Psal. 16. ver. 10. de truculentis innocentium hostibus, *Adipem suum concluserunt*. Siue, vt Pagninus vertit, *Adipe suo clauserunt corpus suum*. Et 21. ver. 13. Christus conqueritur: *Tauri pingues obsederunt me*. Amos verò cap. 4. ver. 1. *Vaccas pingues* vocat perditissimos ciues vrbis Sion. Denique Leuitici cap. 3. ver. 16. Filijs Israel adipe vesci prorsus interdicitur.

Et tremens, &c.

interdicitur. *Omnis* quippe *adeps Domini erit iure perpetuo in generationibus vestris: nec sanguinem, nec adipem omninò comedetis.* Quamobrem? Quoniam libidinis atque intemperantiæ pinguedo fomentum est, virtutis exitium.

Suidas. Delicatorũ incessus.

Et tremens.] Græci σαλάκωνας vocabant, vt autor est Suidas in verbo διασαλακωνίσαι, διαθρυπτομένους, id est, eos qui delitijs diffluebant. Quod nomen deductum est à verbo σαλεύω, quod est delicatè incedere, & quodammodo quati, siue quassari, quod à nomine σάλος. ου. ὁ. deriuatum est, quod maris agitationem significat. σείειν enim quatere & agitare est. ἅλς. ἁλός. ἡ. mare. Fractum & mollem incessum notat, corrupti & effœminati animi indicium. De Esther Regina legimus capite decimo quinto, quòd cùm ad Regem Assuerum intraret, *duas famulas assumpserit, & super altera illarum inniteretur, quasi præ delitijs & nimia teneritudine corpus suum ferre non sustinens.* Meminit & Naaman Princeps militiæ Regis Syriæ, eiusdem innitentis super manum suam. 4. Reg. cap. 5. ver. 18. Denique etiam

Athenæus.

Euergetę filius Alexander Ægypti Rex, qui matrem vnà imperantem interemit, cùm regnum adeptus crassissimus euasisset, delitijs perditus ne incedere quidem poterat, nisi duobus fultus, vt scribit Possidonius lib. 57. histor. & ab Athenæo refertur Dipnosophist. lib. 12. cap. 27. Fieri ergo potuit vt Agag pariter, dum sese voluptatibus immergit, & crapulæ vinóque indulger, molem corporis ægrè sustineret, & non nisi tremulo gressu iter ingredi posset.

Terrorem tremor cõsequitur. Tremor quid & vnde.

Veruntamen probabilius est trepidationi esse ascribendum. Non potuit enim non terreri præsenti periculo. Terrorem verò pallor, & tremor, & dentium crepitus consequitur. Ideò autem timentes tremunt, quia virtus animæ introrsum fugiens, neruos relinquit, quibus tenebatur fortitudo membrorum, & inde saltu timoris agitantur. Ita docet Disarius apud Macrobium Saturnal. lib. 7. cap. 11. Gorrhæus accuratiùs in suis definitionibus medicis in voce

Macrob. Gorrhæus.

τρόμος. Quo loco docet motum esse deprauatum facultatis animalis, partim à voluntate, partim ab onere partis editum. Nec simplicem, sed geminum esse motum, quippe sursum deorsúmq; fertur. Nam sursum quidem rapit voluntas siue natura: at pondus ipsum deorsum deprimit. Symptomatis causa duplex. Prima est obstructio neruorum: quo fit, vt in eam facultas mouens se, minus exerat, seu magna ex parte præcludatur. Altera facultatis vis remissior, quam plures causæ labefactant, atque in primis timor insita frigiditate. Ex quo sequitur, vt qui vehementiùs timent, extemplo totis artubus contremiscant. Ατρεμία, seu status huic contrarius, Græcis Ηρέμα, Ηρεμία, siue Ηρεμία est, dicta quasi ἀτρεμία, hoc est, intrepida conditio. Non tremens status. Quòd quies sit quædam immobilitas. Compositum nomen est ἀτρεμία, ex particula α, priuationem significante, & verbo τρέμειν, id est, tremere, trepidare.

Suidas.

Tertull.

Cæterùm, ex hac trepidatione, seu mortis formidine concludit Tertullianus libro *de testimonio animæ aduersus Gentes*, cap. 4. insitam esse nobis à natura quandam immortalitatis præ-

A sensionem, siue præsagitionem. Nam si nihil passionis est, inquit, tibi post mortem, (loquitur autem animæ rudi & impolitæ, non autem Philosophicis rationibus excultæ, aut elaboratæ fidei) si nulla sensus perseuerantia, si denique nihil ea ipsa vbi corpus reliquisti: cur mentiris in te, quasi aliquid vltrà pati possis? Imò cur in totum times mortem, si nihil est tibi timendum post mortem, quâ nec experiendum post mortem? Nam etsi dicere potes, ideò mortem timeri, non vt aliquid minantem, sed vt commodum vitæ amputantem: atquin cùm & incommoda longè plura vitæ pariter excedas, & lucratione grauioris partis metum diluis, nec iam timenda est amissio bonorum, quæ altero bono, id est, incommodorum pace, pensatur. Non est timendum quod nos liberat ab omni

Et tremens, &c.

Tremor iudicij post mortem, quædam præsagitio est.

B timendo. Si times vita decedere, quia optimam nosti: certè mortem timere non debes, quam malam nescis. At cùm times, scis malam. Non scires autem malam, quia nec timeres, si non scires aliquid esse post mortem, quod eam malam faciat, vt timeas. Porrò sicut à timore argumentum sumit ad conuincendos Gentiles, sic & à cupidine laudis & famæ post mortem. Ex altera parte, inquit, congredior lætioris spei post mortem. Nam omnibus ferè ingenita est famæ post mortem cupido. Longum est retexere Curtios, Regulos, vel Græcos viros, quorum innumera elogia sunt contemptæ mortis propter posthumam famam. Quis non hodie memoriæ post mortem frequentandę ita studet, vt vel literaturæ operibus, vel simplici laude morum, vel ipsorum sepulchrorum ambitione

C nomen suum seruet? Vnde anima hodie affectaret aliquid quod velit post mortem, & tantopere præpararet quòd sit vsura post obitum, si nihil de postero sciret? Hactenus Tertullianus.

Et dixit Agag: Siccine separat amara mors?] Atqui apud veteres fel vitæ, mortis mel symbolum fuit. Vnde mellis libamina terrestribus infundebantur: sed dijs sacrum habitum, vt habet Rhodiginus antiq. lect. libro vigesimo octauo, cap. 27. Attamen sanctus Isidorus ita mortem dictam putat, quòd amara sit. Qui Græcam malunt etymologiam, deducunt ἀπὸ τῆς μοίρας fato, proptereà quod eam nemo vitare possit. Græci tamen feliciùs θάνατον mortem dixerunt, quasi ἄνω εἰς θεὸν θεῖναι, vt θάνατος nihil sit aliud, quàm ἄνω θεῖν, quòd sursum mors ad Deum

Fel vitæ, mortis mel, symbolum. Mortis plures etymologiæ.

D ferat. Hebræi מות maueth appellant à silentio, si Fungero credimus: hoc enim videtur mortuorum proprium, vt sileant. Transpositis literis, quod Hebræorum Grammaticis familiare est, מתום methom integritas, seu perfectio est, à verbo תם tham, quod est perfecit, absoluit: mors enim plerisque naturæ vitijs absolutos, perfectos cælo inserit. Sed huius tamen *quàm amara memoria est*, inquit Ecclesiasticus, *homini pacem habenti in substantijs suis: viro quieto, & cuius viæ directæ sunt in omnibus, & adhuc valenti accipere cibum?* Multa sunt quæ eandem felle & absynthio amariorem reddant: iucundæ lucis amissio; & si quæ nobis olim voluptates blanditæ sunt, harum priuatio: dolor plurimus corpus lancinans, stimulus conscientiæ, futuri metus,

Sicvt fecit, &c.

cùm hæc, tum pleraque alia mortem hominibus, ac præsertim impijs, acerbissimam efficiunt. Sed quid sibi vult quod ait *separat?* Hoc nimirum, quoniam etsi nonnulli Veterum nullum crederent fieri discessum à corpore, sed vnà animum & corpus occidere, animúmque cum corpore extingui: plures tamen mortem censebant non interitum esse omnia tollentem, atque delentem, sed quandam quasi migrationem dissolutionémque naturæ. Reuera enim, si Deum vnum excipias, qui suapte natura vnus est, reliqua non aliter quàm partium copulatione constant. Nam corpora quidem elementorum, vt ait Hermes, homines coniunctione corporis & animæ componuntur. Itaque Nicolaus de Cusa scripsit, Omnem subsistentiam vnionem esse; mortem siue interitum diuisionem. Et sanctus Dionysius libro de Ecclesiastica Hierarchia: Mors, inquit, non est in nobis essentiæ interitus, vt quibusdam visum est, sed coniunctarum partium separatio.] Quæ separatio credi vix poterit absque dolore fieri, cùm naturæ vincula antè rumpenda sint, quàm liber animus emittatur. Deinde, is qui morti vicinus est, angitur periculo partium. Nam animus quidem inuisus euolat, quo magis torquet sui desiderio: at miseros artus putredo est, & vermes deuorant, quod horret animus, & cogitatione ipsa auersatur. Animaduertit etiam fortassis Agag genus supplicij, quo membratim concidendus erat.

Mors corporis & animæ separatio est.

Nicol. de Cusa.

S. Dionys.

Et ait Samuel: Sicut fecit absque liberis mulieres gladius tuus, sic absque liberis erit inter mulieres mater tua.] Filiorum eius non meminit, quòd nullos fortè suscepisset. Enimuerò præpingues hominum, corpulentiorésq; plurimùm sunt ἄγονοι, hoc est, filijs progignendis inhabiles, ineptique. Alimentum enim vniuersum in corpus abit, nec seminaria subsistit vlla superfluitas. Primùm autem ex iure disceptat cum Agag. Tu, inquit, multos occidisti: itaque par est, vt tu quoque similia patiaris. Hæc est lex Talionis, non solùm descripta in lege Mosaica, sed etiam in lege Naturæ. Id enim intellexit Adonibesech in historia Iudicum, cap. 1. Nam cùm videret sibi amputari manus & pedes: Ego quoque, inquit, alios principes tractaui eodem modo. Hinc colligimus Talionis legem naturæ lumine iustam & rectam vel ipsis impijs hominibus videri, à quibus velint nolint, iudicia Dei tandem agnoscantur: habent enim recti & honesti quasdam rationes in pectore inscriptas, quamuis eas factis non exprimant. Sed quemadmodum scripsit Paulus ad Romanos: *Veritatem Dei quodammodo captiuam in iniustitia detinent, & cùm iustitiam Dei cognouerint, nec eos lateat, quòd qui talia faciant, digni sunt morte, nihilominus ea non tantùm faciunt, sed etiam facientibus consentiunt.* Alioquin enim legem Talionis etiam duodecim tabulæ apud Romanos sanxerunt.

Pingues plerumque ἄγονοι

Lex talionis. Exod. 21. Deut. 19 Leuit. 24.

Sicvt fecit, &c.

Num Talio ad scelerum vindictam iustè adhiberi possit.

QVÆST. XVII.

Fatetur Philosophus libro quinto Ethicorum ad Nicomach. hanc fuisse Pythagoreorum sententiam, quam tamen in quibusdam reprehendit. Videtur, inquit, quibusdam τὸ ἀντιπεπονθὸς ἁπλῶς δίκαιον, talio seu reciproca perpessio, ius esse simpliciter & absolutè, quemadmodum Pythagorei dixerũt. Definiebant enim ius absolutè, id quod quis à se factum, vicissim ab altero pateretur. Qui etiam τὸ Ῥαδαμάνθυος δίκαιον, ius Radamanthi hoc fuisse videntur significare,

Arist. lib 5. Ethic. c 8. Negat Talionē simpliciter & absolutè iustam.

Εἴκε πάθοι τά κ' ἔρεξε, δίκη κ' ἰθεῖα γένοιτο.

Si quis quod fecit, patiatur, ius erit aequum.

Ius Talionis porrò, siue ἀντιπεπονθός, neque ad id ius, quod in distributione bonorum versatur, neque ad id quod ad emendationem factorum valet, accommodari potest. Multis enim locis à iure dissidet ac discrepat: veluti si quis magistratum gerens, aliquem pulsauerit, non est referiendus; & si quis eum qui magistratum gerat, pulsauerit, non modò verberandus, sed etiam castigandus. Præterea, permultùm interest inter id, quod sponte nostra, & id quod præter intentionem facimus. Sed in communitatibus rerum contrahendarum ac permutandarum, sanè tale ius, quod reciprocam perpessionem seu talionem nominant, κατ' ἀναλογίαν, κ̀ μὴ κατ' ἰσότητα, proportione, non æqualitate ciuilem societatem continet. Id quod pluribus toto eo capite demonstrat Aristoteles. Sed alia quidem nihil nunc ad rem quam molimur faciunt, hoc solùm spectamus, quod negarit Talionem ad scelerum quicquam animaduersionem conferre. Quod iterum confirmatur à consuetudine multarum gentium, quæ Gratijs solebant medijs in vrbibus delubra & aras consecrare, significantes omnia ad iustitiam cum gratia, ad æqualitatem cum fauore referri debere. Etenim fauor non dentem pro dente, nec oculum pro oculo, sed talionem pœnæ ac præmij secundum rationis proportionem tribuit. Vrget denique apud Aulum Gellium lib. 10. cap. 1. Phauorinus Philosophus, quòd nec procedere quoque executio iusta Talionis possit. Nam cui membrum ab alio ruptum est, si ipsi itidem rumpere per talionem velit: quæro an efficere possit, rumpendi pariter membri æquilibrium. In qua re primùm ea difficultas est inexplicabilis. Quod si quid plus erit, alterue commissum, res fiet ridiculæ atrocitatis, vt contraria actio mutuæ talionis oriatur, & adolescat infinita quædam reciprocatio talionum. Hæc ferè sunt argumenta, ob quæ nonnullis Talionis lex, seu par vindicta abroganda visa sit: quæ quoniam non iure Ciuili duntaxat, & Canonico in nonnullis, sed etiam autoritate diuina firmata videbatur, idcirco nonnulli responderunt:

Gellius.

Primò, non esse legem à Deo latam, aut talionem

SICVT FECIT, &c.

Excusatur à nonnullis Talionis lex.

nem à Deo imperatam, sed concessam cordis duritiei, vt Dominus de libello repudij loquitur, gentis Iudæorum, ne natio vindictæ appetens, vltrà prorumperet. Secundò, non ad præscribendum genus vllum vindictæ, quo vsus sit aliquando populus, sed tantùm ad terrorem quo nocendi licentiam comprimeret, & vnumquemque absterreret ab inferenda iniuria. Tertiò, quòd nisi vbi vita erepta diceretur, quod crimen capite luebatur: in reliquis Talio non oculi effossione, aut manus amputatione censeretur, sed nummaria æstimatione, seu iudex illam seu læsus contra reum liceret. Quomodo Sext. Cæcilius apud Gellium, caput illud XII. tabularum: *Si membrum rupit, è pacto talio esto*, interpretatur. Nolo, inquit, hoc ignores, hanc quoque ipsam talionem ad æstimationem iudicis redigi necessariò solitam. Nam si reus, qui depaisci noluerat, iudici talionem imperanti non parebat æstimata lite, iudex hominem pecuniæ damnabat: atque ita si reo & pactio grauis, & acerba talio visa fuerat, seueritas legis ad pecuniæ multam redibat. Quartò, reuocatam, correctam, siue abrogatam fuisse à Domino, Matthæi capite quinto, ver. 38. cùm ait: *Audistis quia dictum est: Oculum pro oculo, & dentem pro dente. Ego autem dico vobis: Non resistere malo: sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram.* Postremò, nunc eò ferè iura declinant, vt paucis admodum exceptis, peristases criminum, rerum, personarum, pœnas vel augeant, vel minuant, vt habet Petrus Gregor. Iur. Syntag. lib. 31. cap. 10. Reliqua minoris momenti sunt, quàm vt ijs referendis aut confutandis immoremur. His quæ à nobis ex diuersis autoribus allata sunt, paucis satisfaciam.

Gellius.

P. Grego.

Asseritur Talionis æquitas.

Deuteronomij cap. 19. manifestè patet decretum iudiciale fuisse, quare Talionem iustam esse oportuit: *Non misereberis*, inquit, *testis mendacis, sed animam pro anima, oculum pro oculo, &c. exiges.* Nec reuocauit Christus vt iniquum, sed suasit quod perfectius est, vt mox satis indicat cùm addit: *Tollenti tunicam, dimitte & pallium.* Qui si rescidisset, iudiciale tamen statutum, non morale præceptum fuisse diceremus. Quod genus mutationi est obnoxium. Quod ad tertium attinet, leges certè Vvisigothorum lib. 6. tit. 4. lege tertia ita exponunt, vt vel nummis, vel plagis talio pendatur. Nec aliter sentit Iustinianus §. *Pœna autem iniuriarum. De iniur.* Veruntamen nulla talis expositio reperitur in Scripturis, nec rei quam fingunt iniquitate, cogimur à præscriptis verbis recedere. Principibus autem semper licuit leges scribere, quas populis crederent fore vtiliores, & eas quomodo vellent interpretari. quibus satis fuit nihil quod iniustum esset decernere: nam pœnas æqua iustitiæ lance perpendere, nec vllum clementiæ locum relinquere, nullo iure tenentur. Aristotelem negat P. Gregorius Pythagoreorum mentem assequutum esse. Non enim illi, vt Aristoteles interpretatur, repassionem intelligunt, siue pœnam æqualem secundum proportionem arithmeticam, sed secundum geometricam. Sic enim supplicia dicuntur æqualia peccatis, si le-

Leges Vvisigoth.

A gitimam habent delicti & personarum considerationem. Et id innuere Moses videtur Deuter. cap. 25. *Pro mensura delicti erit & plagarum modus.* Sic in iure Pontificio, commensuranda pœna delicto, vt & in iure Ciuili. Et Horat. lib. 1. Serm. Satyra 3.

Adsit
Regula peccatis, quæ pœnas irroget æquas,
Nec scutica dignum horribili sectere flagello.

Probatur iustè à Deo constituta Talio.

Verùm, quicquid sit de Pythagoreis, Aristoteles tamen Talionem oppugnat, quam Scriptura sancit his verbis, *Oculum pro oculo, dentem pro dente.* Quare aut ille nobis confutandus est, aut diuina lex explicanda. Negat Aristoteles τὸ ἀντιπεπονθός, seu reciprocam perpessionem iustam esse simpliciter. Esto, Talio tamen iusta negari non poterit, quandoquidem lege præcepta est.
B Sed quia lex æquitate niti debuit, eòdem recidimus, & affirmamus simpliciter esse iustam, maximè si Deum legis autorem spectemus. Nam is profectò nouit quantum pro vnoquoq; delicto supplicij sit satis. Nec dubitamus quodcunque peccatum grauius, quod ab effectu mortale dicimus, pœnis haud alijs quàm sempiternis posse lui.. Hæc namque sola animæ mors est, cùm ipsa extingui non possit. Quæcunque itaque animaduersio æterno cruciatu minor est, hæc quoque iustè exigi poterit: siquidem nec magnitudine sua æterni supplicij atrocitatem superet, qualem opinor fingere nullam possumus. Ex quo sequitur, vt si fortè simpliciter & absolutè iustum sit crimina plecti, Talio quoque simpliciter & absolutè iusta habeatur. Neque verò iniustum est, si quis mi-
C nus exigat quàm debeatur: quinimo, manifestè iustum est, quia nihil quod non iure debitum sit, extorqueatur. Quis enim iniustè agere eum censeat, qui cùm auri vim maximam repetere possit, paucis nummis contentus abeat? Quod itaque Deus parem iniuriæ vindictam imperet, iure suo facit. At quod in suarum legum contemptum non grauius animaduertat eiusdem clementiæ acceptum referendum est. Ergóne si quem Magistratus iniuria verberauerit, erit is quoque pugnis conscindendus. Respondeo, non magis quàm pater: siquidem Magistratus aduersus Rempub. vice patris fungitur, & eandem prærogatiuam obtinet. Deinde animaduersio ipsa quæ Talionis dicitur, non priuatim cuique permissa est: sed Magistratus ipse ciuium
D quieti prospicere iussus est: quam tum facilè sartam tectam seruauerit, si quantum mali perditi ciues alijs intulerint, tantundem cogat pati. Sibi verò manus afferre nemo cogitur. Adhæc, vel vt Magistratus perperam sua potestate abutitur, vel vt quilibet priuatus, cùm habeat iudicem superiorem. Si cuius ergo iurisdictioni obnoxius erit, huius expectanda sententia est: qui sic in eum animaduerterit, vt publicæ saluti potius quàm cuiusquam priuato incommodo consulat. Quod si penes eum sit summa potestas, diuini quidem iudicij laqueos declinare non poterit; nobis verò, *dominis non tantùm modestis*, vt inquit Apostolus, sed etiam dyscolis obtemperandum est, & iugum quod Deo volente subiuimus, æquo animo tolerandum. Tandem, vt

SICVT FECIT &c.

SICVT FECIT, &c. par esse vindicta intelligatur quam Talio exercet, inter æquales siue ciues decerni debet, vt Scriptura meminit Leuitici vigesimo quarto, non inter eos, qui æquabilitatem iuris communis præstantia dignitatis aut fortunæ suæ transeunt. Nam tametsi principes ipsi præuaricatæ legis rei sint, si quempiam per insolentiam pulsauerint, interest tamen Reipublicæ cuius tranquillitati legibus illis iudicialibus prospicitur, ne tales habeantur. Postremò, & aliæ leges à Deo promulgatæ sunt, quæ his pœnis eos eximant: quæ cùm bonum commune spectent, alijs præferendæ sunt, quæque medentur priuatis ciuium incommodis. Lege cautum est, vt qui damnum dederit, *pedem pro pede, oculum pro oculo* restituat. Rex igitur cuidam pedem fregit, & oculum extudit. Quæris quid facto opus sit? *Nolite*, ait, *tangere Christos meos. &c.*

Objectio. Sequitur aliud argumentum: Quid si membrum, inquit Phauorinus, alter imprudens ruperit? Quod enim per imprudentiam factum est, retaliari per imprudentiam debet. Ictus quippe fortuitus, & consultus, non cadunt sub eiusdem talionis similitudinem. Quonam igitur modo imprudentem poterit imitari, qui in exequenda talione non licentiæ ius habet, sed imprudentiæ? Sed & si prudens ruperit, (quæ est altera eiusdem Phauorini ratio, qua Talionis ius euertere nititur,) nequaquam patietur, aut altius se lædi, aut latius: quod cuiusmodi libra atque mensura caueri possit, non reperio. Vtrique objectioni Cæcilius Iurisconsultus ita respondet. Decemuiri, inquit, neque eius qui membrum alteri rupisset, & pacisci tamen de talione redimenda nollet, tantam esse habendam rationem arbitrati sunt, vt an prudens imprudénsue rupisset, spectandum putarent, aut talionem in eo vel ad amussim æquipararent, vel in librili perpenderent: sed potius eundem animum, eundemque impetum in eadem parte corporis rumpendi, non eundem quoq; casum exigi voluerunt: quoniam modus voluntatis præstari posset, casus ictus non posset. Quod si ita est, vt dico, & vt ipse æquitatis habitus demonstrat, taliones illæ tuæ reciprocæ, argutiores profectò quàm veriores fuerunt. Hactenus apud Gellium Cæcilius. Hæc ego breuiùs objecta dissoluam. Nam si quæ fortè calamitas absq; dolo & culpa, casu & fortuitò contigerit, huius rei diuina iustitia rationem non habet, quin etiam ijs qui hominem imprudenter occidissent, quondam asyla constituerat, in quibus se tanquam in portum procul à periculo vindictæ reciperent. Talionis autem æqualitas siue mensura moraliter intelligenda est eo modo, quo æquius fieri à ministro iustitiæ potuit. Talionis postremò æquitatem Cæcilius hoc pacto declarat: Sed quoniam acerbum quoque esse hoc genus pœnæ putas, quæ (obsecro) ista acerbitas est, si idem faciat in te, quod tute in alio feceris.

Refellitur eadem objectio.

Sic erit absque liberis mater tua.] Mirabitur quispiam, cùm solus is seruatus esset, reliqui internecione deleti, quid Prophetæ in mentem venerit matris Agag meminisse, quæ dudum aut cladem matura morte prçuerterat, aut communem gentis stragem sua nece cumularat,

A quam nunc Propheta prædicat mox sine prole futuram. Sed nihil habet ea phrasis insolens, aut inusitatum. Nam dudum vita functorum sobolem in posteris aut propagari, aut etiam intercidere dicimus. Quare non immeritò quæ suum diem prius obierat, statim eo pereunte dicitur liberis caritura. Videtur autem hoc loco non Prophetam agere, sed carnificem: verùm carnificem Dei, quod illi non potuit non esse honorificum. Hoc autem studio suo magis etiam reprehendit factum Saulis, quàm antea verbis: ac si diceret, Hoc te oportebat facere, nisi maluisses contemnere iussa Domini. Fuit Samuel non tantùm Propheta, sed etiam Leuita: & tamen occidit. Ita Moses cùm esset Leuita, tamen occidit: ita Elias ex eodem genere occidit Prophetas Baal. Phinees, qui summum

SIC ERIT ABSQVE &c.

Veteris legis Sacerdotes gladio feriebant.

B Pontificatum gessit, scortatores impurissimos pugione transfodit. Petrus Apostolus solo verbo occidit Ananiam & Saphiram: Paulus excæcauit Elymam Magum. Non habuit quidem Samuel gladium ordinarium. Sed Deus obstrictus est nullis legibus, qui gladium suum dare potest cui velit. Imò ex tribu Leui dedit Iudices, vt Eli, & Samuel. Ex istis tamen exemplis non sequitur nouæ legis Sacerdotes gladio animaduertere debere. Isti enim Deo iubente gladium exercebant: nobis Ecclesia cæde interdixit.

Et in frusta concidit eum Samuel.] At nonne id mandari potuisset carnifici? Cur Samuel per seipsum voluit hoc munus obire: cur manus impuro sanguine polluere? Ad hoc duplex responsum se offert. Primùm sontes occidere, antiquitus non fuisse dedecorosum. Præterea non videri Hebræos veteres habuisse carnifices. Et sanè munus hoc apud Hebræos nullum fuisse, id testatur quod in lege scribitur, blasphemum deprehensum ita fuisse lapidandum, vt manus testium prima contra eum insurgeret: nec cædes peculiari cuipiam carnifici mandabatur. Neque ignominiosum fuisse occidere sontes, multa exempla demonstrant. Gedeon cùm Reges Madian Zebee & Zalmanah perire vellet, iussit Iether primogenito suo eos occideret. Iud. capite octauo. Saul cùm Sacerdotes perimi vellet, carnifices non accersebat, sed ad proceres qui secum erant, conuersus, illos iubebat Sacerdotes inuadere, qui ministerium eorum ac dignita-

C

Sôtes olim occidisse nemini dedecori fuit.

Hebræi nô videntur habuisse carnifices.

D tem reuereri, parere non audebant. Solus Doeg Idumæus tantum facinus ausus est exequi, qui apud Regem infimo loco non fuit. Ioab quoq; cùm altaris cornu apprehendisset, à Banaia summo exercitus duce interfectus est. Non itaque vetus illa Hebræorum ætas carnifices habuisse videtur.

Quantum verò ex Ethnicorum historijs constat, sub Romulo Romæ cœperunt Lictores, qui (vt Plutarchus in eius vita scribit) vel à ligando sunt dicti, vel quod Græci eos λιτοὺς appellent, aut λειτουργούς, quòd publico munere funguntur. Fasces gestandos Romulus eis dedit, quibus erat securis adiuncta. Habuerunt etiam loca, quibus ciues vincirent, & vinctos aut virgis cæderent, aut securi ferirent. Vetustissimi attamen

Lictores Romanorû Plutar.

IN FRVSTA CONCIDIT, &c

attamen hoc munere carebant: quisque illud obibat, vt ei à Magistratu iubebatur, absque vllo dedecore. Et re quidem vera ipsum puniendi maleficos opus, nihil in se vel inhonesti, vel indecori habet. Nam si honestum est, iudicem seu principem in facinorosos capitalem sententiam ferre: cur etiam iustum non erit atque honestum eandem sententiam exequi? quin & ipse Deus in pœnis inferendis, non tantùm malis, imò etiam bonis spiritibus vtitur. At, inquies, cur lictores atque carnifices vulgò tam malè audiunt? Primùm, quia vulgus malè sibi ab eis metuit, nec quisquam vellet suorum scelerum pœnas dare, hinc fit vt aspectus carnificis horrorem incutiat. Sic verò populum esse affectum, Romanæ Reipublicæ more ostenditur, vbi cùm populo blandirentur ambitiosi plus æquo, ex foro, cælo, ac domicilio Romano carnificem ablegarunt, vt vel ipsa oratio Ciceronis pro Rabirio testatur. Romani ciues neque virgis cædebantur, neque capite multabantur. Extremum supplicium erat exilium, deportabantur in insulas, & denique ad metalla damnabantur. Leges tamen Romanæ posteriores, quæ in Pandectis habentur, exemptionem huiusmodi expunxerunt: nam reuera iniusta fuit. Crimen enim capitale, vt ciuis Romanus eius autor fuerit, dissimulari non debuit. Leges autem quibus dorso & capiti ciuium cauebatur, duæ præcipuæ fuerunt, Porcia inquam & Sempronia, quarum nihilominus vi & patrocinio Paulus (vt in Actis habetur) vsus est, atque ita virgas & vincula euasit. Hæc vna causa est, cur lictores & carnifices adeò sint exosi. Altera causa est, quòd permulti eorum impurè ac turpiter viuunt, & olim facinorosi fuerint. Munus attamen illos non contaminat: sed illi potius vitio suo præclarum munus polluunt. Dicit quidem Aristoteles sexto Politicorum, capite vltimo, probos viros hoc genus functionis auersari, nimirum hominum puniendorum, quod ἀπέχθειαν habet. Incurrunt enim frequenter in hominum odia. At meo iudicio, vir pius & bonus hoc nomine suam administrationem horrere non debet. Venit in mentem responsum Chrysippi, qui rogatus, cur magistratum non gereret? Si non rectè, inquit, gessero, Deo displicebo: sin rectè, hominibus: at neutrum volo. Visus est nonnullis prudenter admodum respondisse, mihi verò haud satis consultè. Nam per ἀντιστρέφοντα potius respondendum erat, Rempublicam gerendam, & quidem rectè, vt Deo placeamus, & probis hominibus: improborum vero à sapienti & bono viro ratio non est habenda. Ex ijs autem apertè iam ostensum est, Samuelem interficiendo Regem Amalec per seipsum nihil se indignum commisisse, neque rem turpem perpetrasse.

Quamobrē carnifices tam malè vulgò audiant.

Aristot.

In frusta concidit.] Tria mortis genera contra maleficos lege sancita erant: suspendium, lapidatio, combustio. His nonnulli Hebræi quartum addunt, nempe gladij animaduersionem: sed quia eius, quod sciam, in lege non habetur vsquam mentio, idcirco illud præterij. Legimus quidem Adoniam, Ioab, & hunc Agag Regem Amalec, atque nonnullos alios gladio

Tria legis supplicia gladio lex non animaduertit.

A fuisse confossos. At id nulla lege seu præcepto constitutum habemus, vt vita sontibus gladio auferretur. Cùm ita inquam se res habeat, Samuelem modò cernimus in castris extraordinario quodam supplicij genere vsum aduersus Regem Amalec. Sed nunquid non hoc atrox, sæuum, crudele videri potest hominem sic membratim discerpere? Crudelitas sanè à cruore dicta est, quo sæui homines instar ferarum delectantur, vel à crudis carnibus, quibus immanes & barbari quandoque vescuntur. Definiri posset: habitus vitiosus, quo ad aspera & dura citra rationem inclinamur. Et sæpè interdum fit vt ipsa crudelitas pro voluptate habeatur, quo prauo affectu seu habitu, vt laborent nonnunquam tyranni, multis constat exemplis. Sed nihil abfuit à Samuele longius crudelitate, quo
B nemo clemétiam religiosiùs coluit. Fecisse eum crediderim diuino instinctu: voluit quippe Deus exquisita pœna crudelitatem huius tyranni persequi. Deinde ea talio fuit. Dicit enim Samuel: *Sicut fecit gladius tuus, sic, &c.* quibus verbis hoc innuere videtur eodem supplicij genere plecti, quo multos antè perdiderat. Sic ferè se habent diuina iudicia. Nam plerosque legimus eodem leti genere perijsse, quo alios tollere studuerant. Pharao qui Hebræorum masculos fluuio mergi iusserat, idem postea aquis suffocatus est. Aman in cruce pependit, quam Mardochæo parauerat. Goliath & Holophernes suis ensibus iugulati. Antiochus peregrè perijt, qui Iudæorum reliquias exilio damnauerat. Herodes Innocentium interfector, suam ipsius sobolem insidijs magna ex parte oppressam vidit.
C Et vt aliunde quoque nonnulla accersam, ex quibus appareat ne alienis quidem à fide hoc incompertum fuisse, Sciron, inquit Pausanias in Atticis, qui de saxo Moluride quoscunque hospites nactus esset, in mare præcipitare solebat, idem postea à Theseo dejectus in mare, simili morte scelus luit. Sinis quoque latro, vt habet in Corinth. ab ijsdem arborum ramis disceptus est, quos ipse inflectere solebat ad aliorum perniciem, vt soluti, ac recurrentes alligatos miserum in modum lacerarent. Illud quoque ibidem obseruatione dignum animaduertit, quòd postquam Philippus Macedo Aratum, & duos oratores Athenienses Euryclidem & Miconem veneno sustulisset, idem quoque altero filiorum veneno sublato, tabe atque
D animi ægritudine consumptus sit. Quod obiter exposui, inquit, ad sententiam illam diuinitus ab Hesiodo prolatam, animum referens, ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη. Malum consilium in ipsummet primum autorem vertere.

IN FRVSTA CONCIDIT, &c

Diuino iudicio plerique eodem genere leti perêût, quo plures sustulerunt.

Pausanias.

Quid de illis frustis factum sit, nescimus. Hîc videmus consilium Saulis Agag malè cecidisse. Potuisset statim interfici in acie. Asseruatur autem, vt maiore cum ignominia moreretur. Primùm enim habitus est in vinculis: deinde exprobratus coram vniuerso populo. Postremò occisus est, & dissectus in partes. Hîc iam comprobari videtur vaticinium, quod habetur in libro Numeri. Balaam enim ita vaticinatur de populo Israelitico: *Habebunt*, inquit, *Re-*

IN FRVSTA CONCIDIT, &c. *gem: & exaltabitur super Agag.* Hæc nominatim de Agago prædicta sunt quadringentos annos antequam euenirent. Ita Cyrus, ita Iosias nominatim prædicti sunt multò antequam nascerentur. Quamquam, quod ad Agag attinet, memini Mosen Gerundensem dicere, Agag esse nomen commune Regum Amalecitarum, vt Cæsar est Imperatorum Romanorum. Atque ita ista prædicta putat, tantùm de euersione regni Amalec, nihil autem de isto Agag separatim. Verùm, quantum isti Mosi tribuendum sit, nescio. Spectanda est hic ingeniorum varietas. Saul in omni vita fuerat crudelissimus, vt apparet ex indigna cæde Sacerdotum: tamen parcit Agag: Samuel autem semper fuerat clementissimus: tamen Agag interficit, sed eum interficit ex verbo Domini. Saul parcit, non ex mansuetudine, sed ex superbia, vt consuleret gloriæ suæ. Samuel occidit, non ex crudelitate, sed de sententia & præscripto Dei.

Coram Domino. *Coram Domino in Galgalis.*] Occidit Agag coram Domino, vel quod ibi esset altare. Nam ab initio fuerat tabernaculum in Galgalis: vel quod eum occiderit in conspectu populi. Vbi autem populus Dei est, ibi est etiam Deus. Meminerimus ergo, quanta cum reuerentia versari debeamus in cœtu sacro: in quo cùm sumus, sumus coram Domino: vel, quod eum occiderit in honorem Dei. Instar enim est sacrificij, cùm impij occiduntur iussu Domini. Itaque legimus in Propheta, *Victima Domini in Bosra:* quibus verbis describitur cædes impiorum. Et cùm Saul occidisset Gabaonitas, Deus immisit grauem plagam in populum. Ea non prius desijt, quàm posteri Saulis suspenderentur: quasi Deus illa cæde, tanquam victima placaretur. Quamobrem libro secundo Regum, capite vigesimo primo, *Crucifixi* dicuntur *in monte coram Domino,* versu nono, cùm priùs versu sexto eos sibi dedi postulent, vt *crucifigant eos Domino in Gabaa.*

VERSVS XXXIV.

Abijt autem Samuel in Ramatha: Saul verò ascendit in domum suam in Gabaa.

VERSVS XXXV.

Et non vidit Samuel vltrà Saul vsque ad diem mortis suæ: Veruntamen lugebat Samuel Saulem, quoniam Dominum pœnitebat, quòd constituisset eum Regem super Israel.

Variæ translationes. PAgninus, *Et abijt Samuel in Ramah: & Saul ascendit in domum suam in Ghibhah Saul.* Similiter legit & Vatablus, & in Schol. Sic dicitur, inquit, quòd illic erat eius regia. *Ramatha* seruat Paraphrasis Chaldaica. Græci, καὶ ἀπῆλθε σαμουὴλ, Complutenses, εἰς ἀρμαθὴμ, Aldus, εἰς ἀρμαθαΐμ. καὶ σαοὺλ ἀνέβη εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ. Aldus, εἰς γαβαά. Complutensis, εἰς τὸν βουνόν. *Et abijt Saul,* Roma. *in Armathem,* Aldus, *in Armathaïm: & Saul ascendit in domum suam.* Roman. *in Gabaa.* Complutensis, *in collem.* Versus trigesimus quintus. Pagninus, *Et non addidit Semuel vt videret Saul vsque ad diem quo mortuus est; quia luxit Semuel super* (Arias, *ad*) *Saul: & Dominum pœnituit, quod regnare fecisset Saul super Israel.* Vatabl. Salmant. *Neque posthac vidit Samuel Saulem vsque ad diem mortis suæ, quoniam lugendo se conficiebat Samuel propter Saulem, quòd Dominum pœnituisset quod constituisset Saulem Regem super Israelem.* In Ecphrasi, Nec inuisit, nec alloquutus est.

ABIIT SAMVEL, &c.

Lugebat.] Hebraismus, erat in continuo luctu propter depositionem Saulis. Paraphrasis Chaldaica, *Quia lamentatus est Samuel super Saulem, & Dominus reuersus est in dicto suo, quod regnare fecisset Saulem super Israel.* Græci cum Vulgata consentiunt. Quidam vertit, *Postea non perrexit Samuel inuisere Saulem vsque ad diem mortis suæ.* hoc est, Nunquam, vt antea solitus erat, Regis instruendi causa. Sic accipitur idem verbum, secundo Regum, capite octauo, versu vltimo, *Quùm luxisset Samuel de Saule, quia Jehouam pœnitebat, &c. Quùm luxisset.*] hoc est, Quùm pro facto, quod sibi displicebat, apud Deum intercessisset supra 15. 11. Nam fieri non potest, vt audita Dei irreuocabili sententia, & ea ipsius nomine Sauli pronuntiata supra 15. 29. precibus contenderit amplius vt rescinderetur.

Abijt Samuel in Ramatha: Saul verò ascendit in domum suam.] O infelix separatio! Regnum relinquitur sine Propheta, & sine verbo Dei. Sine autem istis duobus, quid est in Repub. quo vir bonus magnopere delectetur? Multa certè sunt tristia & lugubria. Nam quemadmodum post videbimus ex hac historia, cùm Deus abijsset, diabolus inuasit Regem. Ita Paulus homines excommunicatos tradidit Satanæ. Relicti enim à Deo, fiunt mancipia diaboli. Saul cùm accedit ad Deum, incipit prophetare: cùm ab eo discedit, occupatur à spiritu malo. Elias cùm discederet ab Achab, reliquit illi cælum clausum, & famem. Cùm Apostoli discederent Hierosolymis, quid aliud reliquerunt nisi excæcationem, iram Dei, & excidium? Id quotidie videmus in sole fieri; qui cùm discedit è conspectu, relinquit nobis tenebras: cùm sese longissimè abducit ad meridiem, omnia rigent glacie & niuibus. Discedit autem Samuel à Saule, ne videretur eius instituto fauere. Ita Christus etiam monuit, *Sint tibi,* inquiēs, *tanquam Ethnici, & publicani.* Nam si familiariter versaremur cum hominibus improbis, existimari posset religionem nostram probare eiusmodi vitia: at si ab illis discedamus, omnes statim intelligent, vitia ea non religionis esse nostræ, sed hominum. Deinde relinquendi sunt mali, vt erubescant & lugeant peccata sua. Ita enim Theodosius Im-

Quàm periculosũ sit à Deo separari.

Quam ob causam decet probos à malis nõnunquã secedere.

VERUNTAMEN, &c.

sius Imperator excommunicatus ab Ambrosio, O me miserum! inquit, Ecclesia alijs omnibus patet, mihi Imperatori non patet. Samuel ergo cùm hoc pacto discederet, voluit consultum & Synagogæ vniuersæ, & Sauli, qui peccauerat.

Et non vidit Samuel vltrà Saul vsque ad diem mortis suæ.] Atqui, inquies, in decimo nono capite, cùm Saul audisset Dauidem esse in Naioth, iussit satellites eum apprehendere. Quod cùm illi non fecissent, venit ipse, & vidit ibi Samuelem, & prophetauit. Vidit ergo, inquies, postea Samuelem. Vidit quidem: sed non conuersatus est cum eo familiariter, vt antea. Ita loca ista non pugnant. Alij ista verba, *vsque ad diem mortis suæ*, referunt ad illud spectrum quod oblatum est Sauli à Pythonissa. Si tamen à Pythonissa potius quàm à Deo Samuel excitatus est, quod postea videbimus. Sed illud nihil est. Neq; enim vox illa, *vsque*, suapte vi significat Samuelem visum fuisse à Saule postquam esset mortuus, non magis quàm illa vox, *donec*, probat Iosephum postea *cognouisse Mariam vxorem suam.* Aut quod Dauid scribit de Christo, *Sede à dextris meis, donec ponam, &c.* probat eum profligatis hostibus mox sedere desijsse.

Lugebat enim Samuel Saulem.] At sunt qui cadentes cælo stellas sequantur, & ruina se pariter inuoluant. Solent quidem, inquit Tertull. isti miriones de quibusdam personis ab hæresi captis, ædificari in ruinam. Quare vel illa, vel ille fidelissimi, prudentissimi, & vsitatissimi in Ecclesia, in illam partem transierunt? Quis hoc dicens non ipse sibi respondet, neq; prudentes, neque fideles, neque vsitatos æstimandos, quos hæreses potuerint demutare? Et hoc mirum, opinor, vt probatus aliquis retrò postea excidat? Saul bonus præ cæteris, liuore postea euertitur. Dauid vir bonus secundum cor Domini, postea cædis & stupri reus est. Salomon omni gratia & sapientia donatus à Domino, ad idololatriam à mulieribus inducitur. Soli enim Dei filio seruabatur sine delicto permanere. Quid ergo si Episcopus, si diaconus, si vidua, si virgo, si doctor, si etiam martyr lapsus à regula fuerit, ideò hæreses veritatem videbuntur obtinere? Ex personis probamus fidem, an ex fide personas?] Lugendi sunt, non imitandi, qui à veritate & virtute ad errores corruptelásque deflectunt.

Tertull. de præscript. aduers. hæres. cap. 3.

Lugendi, non imitandi qui labuntur.

Cæterùm, disiunctus quidem loco est Samuel à Saule, at non spiritu, & charitate. Ardenter enim orat Dominum pro eo, & vehementer luget eius casum. Ita nos gerere debemus erga homines, quos propter sua scelera indignos nostra societate iudicamus, *vt spiritus saluus fiat in die Domini.* Paulus ad Thessal. *Separate,* inquit, *vos ab hominibus inordinatè ambulantibus: eosque non objurgate vt hostes, sed admonete vt fratres.* Orare verò priuatim pro hominib. alienatis à Deo, non est absurdum, imò maximè Christianum. Paulus ad Romanos, cupit *anathema fieri pro fratribus suis secundùm carnem:* additq; se assiduè orare Deum pro Israele. Sed dices, preces oportet proficisci ex fide. Qua autem fide orare potuit Samuel pro Saule, cùm sciret eum esse repudiatum, & abjectum à Deo? Respondeo vt

A alias. Comminationes Dei duûm esse generum. Aliæ enim sunt constantes, & firmæ, quæ reuocari non possunt, quantumuis interueniat pœnitentia. Moses egit pœnitentiam, non tamen ingredi potuit in terram promissam. Dauid etiam egit pœnitentiam, & audiuit à Propheta, *Dominus transtulit peccatum tuum:* tamen effugere non potuit id quod Dominus fuerat minitatus. Absalon enim congressus est cum concubinis eius spectante omni populo: Amnon interfectus est ab Absalon fratre suo: postremò ipse exutus est regno à filio suo. Aliæ autem comminationes eius generis sunt, vt reuocari possint: vt apparet de Niniue ciuitate, & Ezechia Rege. Samuel nesciuit, sicut nec Ionas & Esaias, quodnam hoc genus comminationis esset. Quare non orabat sine fide. Imò, inquies,

VERUNTAMEN, &c.

Comminationes Dei duûm sunt generum.

B satis sciebat hãc cõminationem non posse reuocari. Dixit enim suprà, *Triumphator non Israel est is, qui mutari possit.* Verùm id intelligi potest cum hac conditione, nisi Saul resipuisset. Orauit ergo Samuel Deum, vt flecteret eius cor, vt posset resipiscere. Vel fortasse certò sciebat eum amissurum esse regnum gentis Iudæorum: orat ergo nunc Dominum, ne amittat regnum cælorum. Nam etsi Saul non fuisset restitutus in regnum, tamen potuisset assequi æternam salutem. Quamquam prior interpretatio mihi magis placet, maximè quia hîc nulla mentio fit de cælo. Hoc tantùm dicitur, Saulem abjectum esse, ne regnet super Israel. Hîc animaduersione dignum est, quantum discrimen sit inter Samuelem & Saulem. Samuel nihil transgressus

C est, & tamen luget: Saul transgressus est mandatum Domini, & tamen nihil commouetur. Non enim scribitur se afflixisse, aut egisse pœnitentiam.

Quid si Samuel certò nosset Saulem à Deo reprobatum esse, nec posse eiusmodi sententiam reuocari, an tum quoque licitè Samuel perditi ac profligati hominis casum deplorare posset? Negat Episc. Abulensis quæst. 41. Nam si liceret, Deus neutiquam prohibuisset. qui tamen initio sequentis capitis, *Quousque*, inquit, *tu luges Saul, cùm ego projecerim eum?* Luctum scilicet inutilem, & ab officio Prophetæ alienum reprehendens, cùm non esset ipse parciturus. Itaque non aliter Samuelem excusat, quàm quòd hactenus illum diuini iudicij determinatio lateret, quæ vt primùm innotuit, cohibere lacrymas,

Abulensis.

D doloremq; comprimere debuit. Veruntamen, hæc verba quæ protulit, nullam mihi videntur præcepti speciem præferre: sed hoc tantùm monere nunquam suo luctu mœroréq; consequuturum, vt decretum illud abdicationis rescindatur. Non enim vitiò vertit Samueli lacrymas, sed docet sententiam manere immutabilem. Quod si qua fortè reprehensio ea oratione contineri videtur, ad præteriti temporis luctum spectat, quem tamen venia dignum censet Tostat. Arguit enim quod factum est, & in præsentem tristitiam animaduertit. Deinde aliud imperat, quod Propheta statim exequitur, cuius luctui nullas leges præscribit. Parcebat iam ætate prouecto, quem nolebat mœrore confici: cuius tametsi charitatem non probare non poterat, no-

VERVNTAMEN LVGEBAT &c.

lebat tamen tanquam testes reliquæ spei lacrymas cuiquam imponere, cùm potius id deploraret, quod nulla iam spes instaurandi regni superesset. Addit Lyranus, nec quemquam prohiberi commoueri animo, lamentisq; indulgere, tametsi nollet quemquam suorum iam pœnis æternis addictum, è quibus nullo pacto eximi possit. Fleuit Iesus Hierusalem intuens, quam nouerat aliquot post annos euertendam. Paulus vehementi tristitia, continuóq; dolore affectus est, & *optauit anathema esse pro fratribus suis*, quos tamen prædicat alienos fuisse à promissione Dei. Dauid quibus lamentis, quo dolore, quo gemitu parricidæ filij necē defleuerit 2. Reg. c. 8. didicimus. Non excurrā longius, vtar eiusdem luctus exemplo, quo Saulem planxit interemptum, nec tantùm suum mœrorem exaggerans, sed etiam in eundem luctum cæteros vocans. *Planxit*, inquit Scriptura 2. Reg. cap. 1. *Dauid planctum huiuscemodi super Saul, & super Jonatham filium eius. Et dixit ad docendum filios Juda*, vt legit Nobilius in translat. LXX. *sicut scriptum est in libro iustorum*. Et iterum ver. 24. *Filiæ Israel super Saul flete*. Quod si Dauid innocens & expers culpæ est, quis non Samuelē è reis eximat, etiamsi posthac Saulis desiderio afficeretur? Neque enim tum Dauid ignorare potuit Dei nutu ac voluntate abrogatum Sauli imperium, vt ipse sufficeretur. Tantum verò abest vt Saulem luxisse Dauid nefas duceret, vt cum palàm scissa veste plangeret ac fleret, & cum toto exercitu super Saul ad vesperam vsque ieiunaret. Quod si mortuo licuit, cur non viuente?

Perditorū ruinas lugere licet Lyranus.

Ibid. v. 12.

Cæterùm, cùm toto eo tempore quo luxit Samuel, incompertum haberet minæ forēt an decreta sententia quod prædixisset, non solum, inquit Serarius, ex compassione ingemuit, vt vult Lyran. sed etiam pro ipso Deum orauit, vt satis patet cap. 15. ver. 11. de quo S. Chrysost. hom. 5. de pœnitentia, &c. Quod item docet Salianus

Serarius.

Salianus.

A tom. 3. Annal. ad ann. Saulis tertium. Nec ante diuinam clementiam interpellare destitit, quàm intellexit hoc fixum, & in perpetuum ratum futurum. Neque tamen propterea statim luctum renunciauit. Sed quemadmodū Moyses ingressu Palæstinæ prohibitus, adhuc tamen iniuriam hanc cum populo expostulauit, & de sua calamitate conquestus est, ita & Samuel amici casū miseratus ex animo, nullo tempore vim doloris extinxit. Neque hunc luctum, inquit Salianus, prohibuit Dominus, sed orationes quæ contra immobile decretum de mutando rege nitebantur. Potuit autem etiam deinceps orare vehementius, vt Deus illi sensum veri ac legitimi doloris de peccatis suis largiretur, vt ne in æternum periret, vt vult Lyranus: neque enim sciebat quo tandem in statu ille moriturus esset.

B *Quoniam Dominum pœnitebat, quod constituisset eum regem.*] De hac re, quemadmodum pœnitentia cadat in Deum, dictum est antea. Ad illa addam hæc pauca è secundo libro Tertulliani contra Marcionem. Marcion oppugnauerat verum Deum hoc maximè nomine, quòd in veteri testamēto diceretur pœnitere, & mutare consilium. Est enim, inquit, leuitatis & inconstantiæ reprobare quod probaueris antea, aut quod antea reprobaueris, approbare. Et assumit, pœnitentiam semper habere adiunctum aut errorem, aut crimen. Sed frustrà, inquit Tertull. ista garrit. Quomodo enim potest error cadere in Deum, cùm sit summa sapientia? aut crimen, cùm sit summa bonitas? Adhæc, inquit, quòd Deus dicit pœnitere se, quod fecisset Saulem Regem, non profitetur errorem suum, aut crimen, sed tantùm exaggerat eius factum. Ac si diceret: Tanta sunt eius scelera, vt si possem me C pœnitere, ille me adigeret ad pœnitentiam: non quod reuera pœnitentia cadere possit in Deum. Nam pœnitentia, inquit, est sentētiam priorem conuertere, sine vlla reprehensione mutantis.

QVONIAM DOMINVM, &c.

Tertull.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

DIXITQVE Dominus ad Samuelem: Vsquequo tu luges Saul, cùm ego projecerim eum ne regnet super Israel? Imple cornu tuum oleo, & veni, vt mittam te ad Isai Bethlehemitem: prouidi enim in filijs eius mihi regem. 2. Et ait Samuel: Quo modo vadam? audiet enim Saul, & interficiet me. Et ait Dominus: Vitulum de armento tolles in manu tua, & dices: Ad immolandum Domino veni. 3. Et vocabis Isai ad victimam, & ego ostendam tibi quid facias, & vnges quemcumque monstrauero tibi, 4. Fecit ergo Samuel sicut locutus est ei Dominus. Venitque in Bethlehem, & admirati sunt seniores ciuitatis, occurrentes ei, dixeruntque: Pacificusne est ingressus tuus? 5. Et ait: Pacificus: ad immolandum Domino veni, sanctificamini, & venite mecum vt immolem Sanctificauit ergo Isai & filios eius, & vocauit eos ad sacrificium. 6. Cumq; ingressi essent, vidit Eliab, & ait, num coram Domino est christus eius? 7. Et dixit Dominus ad Samuelem: Ne respicias vultū eius, neq; altitudinem staturæ eius: quoniam abjeci eum, nec iuxta intuitum hominis ego iudico: homo enim videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor. 8. Et vocauit Isai Abinadab, & adduxit eum coram Samuele. Qui dixit: Nec hunc elegit Dominus.

9. Adduxit

9. Adduxit autem Isai Samma, de quo ait: Etiam hũc non elegit Dominus. 10. Ad-
duxit itaque Isai septem filios suos coram Samuele, & ait Samuel ad Isai: Non elegit
Dominus ex istis. 11. Dixitq; Samuel ad Isai: Numquid iam completi sunt filij? Qui
respõdit: Adhuc reliquus est paruulus, & pascit oues. Et ait Samuel ad Isai: Mitte, &
adduc eum: nec enim discumbemus priùs quàm huc ille veniat. 12. Misit ergo, & ad-
duxit eum. Erat autem rufus, & pulcher aspectu, decoráq; facie, & ait Dominus: Sur-
ge, vnge eum, ipse est enim. 13. Tulit ergo Samuel cornu olei, & vnxit eum in medio
fratrum eius: & directus est Spiritus Domini à die illa in Dauid, & deinceps: surgẽsq;
Samuel abiit in Ramatha. 14. Spiritus autem Domini recessit à Saul, & exagitabat
eum spiritus nequam, à Domino. 15. Dixeruntq; serui Saul ad eum: Ecce spiritus
Dei malus exagitat te. 16. Iubeat dominus noster, & serui tui qui coram te sunt, quæ-
rent hominem scientem psallere cithara, vt quando arripuerit te spiritus Domini ma-
lus, psallat manu sua, & leuiùs feras. 17. Et ait Saul ad seruos suos: Prouidete ergo
mihi aliquem bene psallentem, & adducite eum ad me. 18. Et respondens vnus de
pueris, ait: Ecce vidi filium Isai Bethlehemitem scientem psallere, & fortissimum ro-
bore, & virum bellicosum, & prudentem in verbis, & virum pulchrum: & Dominus
est cum eo. 19. Misit ergo Saul nuncios ad Isai, dicens: Mitte ad me Dauid filium
tuum, qui est in pascuis. 20. Tulit itaque Isai asinum plenum panibus, & lagenam vi-
ni, & hædum de capris vnum, & misit per manum Dauid filii sui Sauli. 21. Et venit
Dauid ad Saul, & stetit coram eo: at ille dilexit eum nimis, & factus est eius armiger.
22. Misitq; Saul ad Isai dicens: Stet Dauid in conspectu meo: inuenit enim gratiam
in oculis meis. 23. Igitur quandocumq; spiritus Domini malus arripiebat Saul, Da-
uid tollebat citharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul, & leuiùs habe-
bat. recedebat enim ab eo spiritus malus.

PARTITIO CAPITIS.

HOC caput diuiditur in quatuor membra. In primo Saul mittitur ad Isai. In altero vngit Dauidem Regem. In tertio describitur diuersitas inter Dauidem & Saulem. Dauid enim augebatur in dies spiritu Dei: Saul furebat, & impediebatur spiritu malo. Postremò Dauid accersitur ad aulam, vt musica sua Saulem furentem compescat.

Partitio capitis.

Saul abijcitur à Deo: & alius iam Rex quæritur, qui præsit populo. Sed hîc quæri potest, debueritne populus interea parere Sauli, cùm eum sciret esse abjectum, quantum ex Prophetæ verbis conijci poterat? Debebant. Etsi enim Deus illum abjecisset sententia sua, non tamen eum remouerat ab administratione regni. Nec Dauid inire voluit regnum, antequam Saulem videret esse mortuum, quamuis alioqui non dubitaret se iamdudum à Deo Regem esse designatum. Parendum ergo illi fuit, ne Respublica esset acephala. Ita nos quoque oportet parere impijs Regibus, & tyrannis, donec à Deo remoueantur. Sed cur non expectat Deus mortem Saulis, antequam Dauidem inauguraret? Hoc factum est, ne minus Dauidi datum videretur quàm Sauli. Nam Saul bis vnctus est Rex, primùm clàm, deinde publicè. Adhæc interea Dauidi conciliatur magna autoritas. Itaque eum non tantùm publicè, sed etiam priuatim vngi voluit. Adhæc Deus docere voluit, se per omnes aduersos casus posse deducere, quos velit, ad fines suos. Etsi enim decreuisset Dauidem fore Regem, tamen eum interea infinitis periculis voluit exerceri. Ita nos quoque per afflictiones, & cruces, & aduersos, plenosque desperationis casus deducit in cælum. Postremò oportuit Dauidem adumbrare in se typum, & exemplar Christi. Christus autem, quamuis esset Rex, & filius Dei, tamen egit vitam priuatam, & abjectam. Promissio ista facta Dauidi constans est, & firma: itaque confirmatur iureiurando, regnum in familia Dauid mansurum in æternum. Peccabant quidem eius posteri & sæpè, & grauiter: itaque afflicti sunt à Deo, & abducti in captiuitatem. Reducti tamen sunt postea, & vsque ad Christum regnum aliquo modo obtinuerunt. Atque hoc pacto promissio facta Abraham, quæ antea non satis erat distincta, nunc contrahitur ad Dauidem, in cuius posteritate regnum futurum esset in æternum. Nam ex ea familia Christus natus est, cuius regnum est in populum Dei sempiternum.

Num Israelitæ deinceps Sauli vt Regem obseruare debuerint.

Quare Dauid viuente Saule inunctus est.

VSQVE-QVO TV, &c.

VERSVS I.

Dixitque Dominus ad Samuelem: Vſquequo tu luges Saul, cùm ego projecerim eum ne regnet ſuper Iſrael? Imple cornu tuum oleo, & veni, vt mittam te ad Iſai Bethlehemitem: prouidi enim in filijs eius mihi Regem.

Luctus etymol. plures.

VSquequo tu מתאבל *mithabel* πενθεῖς *luges Saul?* A verbo אָבַל *abal*, quod eſt cõſternari animo, & mortuorum vicem dolere, dolorémque ſuũ cum lugubri veſte, tum alijs mœroris ſignis teſtari. Contriſtatus eſt, luxit, fleuit. Cognationem habet cum הָבַל *habal*, viluit, aut etiam ſtultus factus eſt: vix enim qui lugent vehementius, præ dolore ſui compotes habentur: & אֹפֶל *aphel*, caliginoſus, quoniam pulla veſte, & obnupto capite lugentes apud Hebræos triſtitiam præ ſe ferebant. Hinc per metatheſin Græcis λυπῶ contriſtor, & λύπη triſtitia. Dicitur & aliàs luctus מִסְפֵּד *miſpad*, à ספד *ſaphad* planxit, pectus tutudit, luxit, animo mœſtus fuit. Hinc σφαδάζω malè habeo, diſcrucior, σφαδασμός, cruciatus. Item קִין *kin*, & קִינָה *kina* lamentatio, à verbo קוֹן *kon*, lamentatus eſt, conqueſtus eſt. Vnde κινέω, moueo, turbo, & κινύρομαι, lamentor, κινυρός, querulus κινυρίζομαι, ploro cum ſingultu; κλαίω, κνίζω, triſtor, afficior mœrore. Hæc idcircò pluribus, vt intelligas non vna ſpecie luctũ cõtineri. Nam primò quidem vultu ad mœſtitiam compoſito, deinde neglecto cultu, & atra veſte, mox etiam querula voce & ejulatu, denique ieiunio & inedia Iudæi iuſta ſuorum funeribus ſoluebant. *Lugere*, ait Ioab, *te ſimula, & induere veſte lugubri, & ne vngaris oleo, vt ſis quaſi mulier iam plurimo tempore lugens mortuum.* 2. Reg. 14. ver. 2. *Et ego*, inquit Daniel cap. 10. *lugebam trium hebdomadarum diebus (lugebam, ſiue fui lugens* מתאבל *mithabel) panem deſiderabilem, ſiue ſuauem non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meum, ſed neque vnguento vnctus ſum, &c.* His adde ſacrificia & preces ex capite duodecimo lib. 2. Machab. & libris ritualibus Hebræorum, & intelliges quid ſibi velit Dominus, cùm ait: *Vſquequo tu luges Saul?*

Luctus ceremoniæ.

An igitur reprehendit Deus Samuelem quod lugeret? Certè non fuiſſet Propheta, niſi pro Saule orare voluiſſet. Proprium enim munus eſt Prophetæ, orare pro lapſis. Ita Aaron objecit ſe igni vaſtanti populum. Dominus ait Moyſi, *Sine me vt occidam eos, & faciam te ducem ſuper alium populum multò maiorem.* Hic Moſes opponit, & orat vt ſe potius *deleat de libro vitæ.* Samuel luget caſum Saulis: ſuum autem caſum, cùm deijceretur de magiſtratu, non luxit. [illegible] ibi doluit hoc tantùm, quòd populus abjeciſſet Dominum. Hic autem deflet miſeriam Saulis, & perturbationem Reipublicæ. Nihil autem alienum fecit Samuel, cùm defleret Saulem. Nam in cap. 9. Ezech. cùm Hieroſolyma eſſet diſſipanda, multi viri boni & pij eius ciuitatis ruinam deflebant. Eos, ne perirent cum alijs,

Proprium munus Prophetæ orare pro lapſis.

A Deus iuſſit ſignari in fronte. Apparet ergo huiuſmodi luctum approbari à Deo. Cyprianus de lapſis, luget eos qui Chriſtum negauerunt in perſequutione. Iaculis, inquit, quibus illi feriuntur, me percutiunt: gladij ſæuiẽtium tranſeunt per viſcera mea: cum proſtratis ego quoq; proſternor. Iſta ſi ſpectauit Samuel, non peccauit. Sed in omnibus rebus ſunt certi limites, & fines, extra quos qui egreditur, neceſſe eſt vt peccet. Ita Paulus monet Theſſal. ne lugeant mortem ſuorum tanquam Gentes, quæ ſpem non habent. Non prorſus damnat omnes lacrymas, ſed eas tantùm quæ coniunctæ non ſint cum ſpe futuræ vitæ. Ita qui luget alterius ruinam tantiſper, donec oraculo Dei iubeatur deſiſtere, nihil facit à pietate alienum. At ſi admonitus à Deo, tamen poſtea velit pergere, grauiter peccat. Sunt qui putent, Samuel ſtorge tantùm quadam ductum luxiſſe Saulem, nihil autem adhibuiſſe precum. Imò apertè ſcribitur, eum oraſſe coram Domino. Et Hieremias in Threnis cùm defleuiſſet caſus ciuitatis ſuæ, addit ad extremum: *Conuerte nos Domine, & conuertemur.* Alij, aiunt, Deum ſignificaſſe Samueli, id fruſtrà fieri, quòd Saul ab obduratione ſua non diſcederet. At certum eſt, neminem poſſe conſequi ſalutem, niſi reſipiſcat. Fateor. Et idcirco Samuel orat vt Saul poſſet reſipiſcere. Ita cùm ſancta Monica ardenter fleret, & oraret pro Auguſtino, cùm adhuc eſſet Manichæus, quidam reſpondit, fieri non poſſe vt filius tantarum lacrymarum periret. Et ſanctus Auguſtinus ait, Stephanum precibus ſuis impetraſſe Paulum Eccleſiæ. Precamur ergo alijs reſipiſcentiam: quia eſt donum Dei. Oramus pro Iudæis, & Turcis, vt conuertantur: quia fidem ſcimus eſſe donum Dei. Et pœnitentiam quidem eſſe ex Deo Paulus declarat ad Timotheũ: *Si fortè*, inquit, *Deus det illis pœnitentiam.* Ex quibus verbis colligimus, Deum aliquibus dare pœnitentiam, aliquibus non dare. Quibus autem non dat, iuſto iudicio non dat. Conſtat enim illi factorum ſuorum ratio, etſi nos eam non videamus. Sed quæcunque ea cauſa ſit, qua Deus mouetur, non eſt certè dignitas operum præuiſorum. Id enim ex diametro pugnat cum ſacris litteris, & præſertim cum epiſtola Pauli ad Romanos.

VSQVE-QVO TV, &c.

S. Cyprian. lapſos luget.

Cùm ego proiecerim eum.] *Conſidera*, inquit Eccleſiaſticus capite ſeptimo, verſu decimoquarto, *opera Dei, quòd nemo poſſit corrigere quem Deus deſpexerit. Non eſt volentis*, inquit Apoſtolus, *neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Non modò, inquit ſanctus Auguſtinus, quia niſi eius adjutorio non poſſumus adipiſci quod volumus, ſed ideò potius, quia niſi eius vocatione non volumus.] Neque conuerti poteſt propoſitio, vt viciſſim quoque aſſeramus fruſtrà Deum niti, niſi homo conſenſum accommodet: quoniam non poteſt, vt idem ait, effectus miſericordiæ eſſe in hominis poteſtate, vt fruſtrà ille miſereatur, ſi homo nolit: quia ſi vellet etiam ipſorum miſereri, poſſet ita vocare, quomodo illis aptum eſſet vt & mouerentur, & intelligerent, & ſequerentur.] Neque tamen propterea perditio noſtra aſcribẽda eſt Deo, qui ſuas omnes creaturas ſummopere

S. Auguſt. tom. 4. qu. ad Simplic. 1. lib. 1.

Deus quidẽ quorũ vult miſeretur, ſed nemini tribuit quo deterior euadat.

VSQVE-QVO TV LVGES, &c.

summopere diligit, & id solùm in ijs execratur & odit, quod aliunde ascitum est, nimirum peccatum. Non enim dixit Apostolus, vt idem annotat, *Non est volentis neque currentis, sed obdurantis est Dei.* Vnde datur intelligi, quod infrà vtrumque posuit, *Ergo cuius vult miseretur, & quem vult obdurat*, ita sententiæ superiori posse congruere, vt obduratio Dei sit nolle misereri: vt non ab illo irrogetur aliquid quo sit homo deterior, sed tantùm quo sit melior non erogetur. Quod si fit nulla distinctione meritorum, quis non erumpat in eam vocem quam sibi ipse obiecit Apostolus? *Dicis itaque mihi, quid adhuc conqueritur? Nam voluntati eius quis resistit?* At conqueritur, inquit S. Augustinus, iustè de peccatoribus, tanquam de his quos peccare non cogit. Sed si hoc mouet, quod voluntati eius nullus resistit, quia cui vult, subuenit, & quem vult deserit: cùm & ille cui subuenit, & ille quem deserit ex eadem massa sint peccatorum, & quamuis debeat vterque supplicium, ab vno tamen exigatur, alteri donetur: si hoc ergo mouet, *Homo tu quis es qui respondeas Deo?* Hoc sic interpretatur S. Augustinus: *Homo es*, & humana iustitia summæ æquitatis expressa seu potius adumbrata quædam imago est. Quomodo ergo non vides iniquitatis argui neminem posse, qui quod sibi debetur, exegerit: nec eum certè, qui quod ei debetur, donare voluerit? Hoc autem non est in eorum qui debitores sunt, sed in eius, cui debetur, arbitrio. Hactenus ex S. August.

S. Ambros.

Nec aliter sentit S. Ambrosius in cap. 9. epist. ad Rom. Rectè dicit, inquit, quia non in voluntate petentis, sed in arbitrio dantis debet esse quod poscitur. An enim dandum sit, dantis debet iudicio pensari. Nàm Saul peccans cùm petisset veniam, non accepit: at contrà Dauid peccans, & ignosci sibi veniam postulans, consequutus. Subinde verò propter eos qui Dei bonitatem temerè calumniantur, ex vtriusque rebus gestis diuini iudicij æquitatem demonstrat. Nam cùm vterque postea in periculum incidisset amittendi imperij, alterum quidem delicti pœnituit, donec Dei iustitiam confessione, fletu, lacrymis, ad misericordiam inflecteret Saul verò desperatis rebus dæmonis opem ac præsidium implorauit. Ex quibus manifestè apparet, quàm iustè prius alteri quidem veniam petenti dederit, alteri denegarit. Inspector enim cordis, inquit, scit petentem, an hac mente poscat, vt mereatur accipere. Et quamuis periculosum sit iudicium Dei discernere, tamen propter diffidentes, vt mens eorum medelam cōsequi possit, ne putent iudicium Dei iniustum, dicentes: Vnum vocat, & alterum negligit: sic arbitrantes excusari posse damnandos, rebus istud potius probemus quàm verbis. Vbi enim rerum gestarum exempla sunt, nemo audet queri, nec aliquam excusationem obtendere. Hactenus S. Ambros. Quæ demonstratio quam vim habeat

S. Thom.

apertiùs explicat S. Thomas in idem ca. 9. epist. ad Rom. lect. 1. Conueniunt quidem inter se Prædestinatio & Reprobatio quòd vtraq; æterna est, sed in hoc quoque differunt, quòd Prædestinatio, inquit, importat præparationem meritorum, quibus peruenitur ad gloriam; sed Reprobatio importat præparationem peccatorum, quibus peruenitur ad pœnam. Et ideo præscientia meritorum non potest esse aliqua ratio Prædestinationis, quia merita præscita cadunt sub Prædestinatione: sed præscientia peccatorum potest esse aliqua ratio Reprobationis ex parte pœnæ, quæ præparatur reprobatis: in quantum scilicet, Deus proponit se puniturum malos propter peccata, quæ à seipsis habent, non à Deo. Iustos autem proponit se præmiaturum propter merita, quæ à seipsis non habēt. Oseæ 13. *Perditio tua ex te Israel, tantum in me auxilium tuum.*] Quod si homines ipsi sibi autores sunt malitiæ, quid habet amplius abdicatio cur Saulem lugere prohibeamur? Cur enim eundem resipiscere posse desperemus, cùm plures alij è barathro vitiorum emerserint? Respondeo, quoniam abdicatio animū indurat ne molliri queat ad pœnitentiam, non quod Deus, vt inquit, immittat malitiam, sed quod non apponat gratiam. Alij permissiuè intelligunt, tanquam solùm non impediat, aut etiam tribuat liberam peccandi potestatem. Sed aliquid amplius, inquit S. Thomas, videtur mihi in hoc esse intelligendum: (ibidem lect. 3.) quia videlicet instinctu quodam interiori mouentur homines à Deo ad bonum, & ad malum: Vnde S. August. dicit in lib. de gratia & libero arbitrio cap. 20. Quòd Deus operatur in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates, quocunque voluerit, siue ad bona pro sua misericordia, siue ad mala pro meritis eorum. Aliter tamen ad bona, aliter ad mala. Nam ad bona inclinat hominum voluntates directè, & per se, tanquam actor bonorum: ad mala autem dicitur inclinare, vel suscitare homines occasionaliter, in quātum scilicet Deus homini aliquid proponit vel interius, vel exterius: quod quantū est de se, est inductiuū ad bonum: sed homo propter suam malitiam peruersè vtitur ad malum. Et hoc patet Esaiæ 10. vbi dicitur de Assur, *Ad gentem fallacem mittam eum, contra populum furoris mei mandabo illi, vt auferat spolia, &c.* Et post: *Ipse autem non sic arbitrabitur, & cor eius non ita æstimabit, sed ad conterendum erit cor eius.* Facti ratio si fortè quæratur, generatim responderi potest, velle Deum suam gloriam omnibus manifestam fieri, quæ cùm maximè misericordiæ iustitiæque laude floreat, quibus visum est è grege peccantium ad vtramlibet abutitur: nominatim nulla ratio reddi potest, cur in Saul potius quàm in Dauid seueritatis suæ exemplum edere voluerit. Hæc omnia S. Thomas: qui nodum hunc Gordium & Cimmerias tenebras, vt se dignum erat, angelica perspicuitate discussit.

CVM EGO ABIECERIM EVM.

Prædestinationis reprobationisque breuis explicatio.

S. August.

Quod si iam non tam conferas vtrumque simul, aut quæras, quare Dauid potius quàm Saul resipiscendi gratia concessa sit, quàm causas ipsas ob quas Saul quidem iuste abiectus est, Dauid ad pœnitentiam misericorditer reuocatus, B. Petrus Damian. lib. 6. epist. 26. sitim hanc abundè explere poterit. Ecce, inquit, Dauid adulterium homicidiúmque commisit; Saul verò Samueli inobediens extitit. Sed quid, quod

Petrus Damian.

Cum ego abiecerim eum.

Quare Dauidis admissa pœnitentia est, Saulis repudiata.

ille, nullo interueniente, vel in puncto veniam meruit: alterum verò nec propria confessio, nec prophetæ tam lugubris, & amara, atque prolixa supplicatio reconciliauit? Planè si Scripturæ series vtrobique discutiatur, copiosior Saul quàm Dauid, in verbis pœnitentiæ reperitur. Iste siquidem duntaxat id, quod præmissum est, *Peccaui Domino*; ille autem, *Peccaui*, inquit, *quia præuaricatus sum sermones Domini, & verba tua, timens populum, & obediens voci eorum*, atque idipsum postmodum repetens, ait: *Peccaui.* Accessit autem & longanimis valdè Samuelis oratio, de quo videlicet dicitur: *Contristatúsque est Samuel, & clamauit ad Dominum tota nocte illa*; sed diuina voce responsum est: *Vsquequo*, ait, *tu luges Saul, cùm ego proiecerim eum, ne regnet super Israel?* Quid est ergo, quod alterius pœnitentia piè suscepta; alterius autem sub districtæ seueritatis est examine reprobata, nisi quod ille scelus inobedientiæ, spiritu superbiæ, paruipendens, nequaquam pleno corde pœnituit: hic autem pauca quidem protulit, sed eius viscera diuini timoris gladio transfixa, veri luctus amaritudo repleuit. Sunt, inquit, qui cum Saul ore pœnitent, corde tument.

Tertullian.

Frustra Iudæi Messiã expectant.

Imple cornu tuum oleo.] Non temerè quodlibet, sed tuum. Tertullianus lib. aduersus Iudæos cap. 12. probat eosdem frustrà Christum venturum expectare, cùm sacra & regalis vnctio apud eos fieri defierit. Micheæ 5. Christus nasci debet in Bethlehem. Quomodo igitur nascetur Dux, inquit, de Iudæa, & quatenus procedet de Bethlehem, sicuti diuina prophetarum volumina nunciant, cùm nullus omnino sit illic in hodiernum derelictus ex Israel, cuius ex stirpe possit nasci Christus? Secundum Iudæos adhuc non venit: Cùm venire cœperit, vnde vngetur? Lex enim præcepit, in captiuitate non licere vnctionem Chrismatis regalis confici. Si autem iam nec vnctio est illis, vt Daniel prophetauit: dicit enim: *Exterminabitur vnctio*: ergo iam non est illic vnctio, quia nec templum, vbi erat cornu de quo reges vngebantur. Si ergo non est vnctio, vnde vngetur Dux qui nascetur in Bethlehem? aut quomodo procedet de Bethlehem, cùm de germine Israel nullus omnino sit in Bethlehem?

Daniel. 9.

3. Reg 1.

Vt mittam te ad Isai Bethlehemitem.] Hîc videmus præstari, quod Iacob tanto antè prædixerat, sceptrum fore in familia Iudæ. Id prædictum fuerat quingentos annos antequam eueniret. Quare Deus videri posset nimis tardus in persoluendis promissis. Sed nos non oportet nimium præcipitare, ne videamur Deo præcurrere. Promisit Christum quatuor millia annorum, antè quàm eum daret. Ne desperemus: Deus dabit bona fide, quicquid pollicetur. Eius enim promissiones nõ tempore metiendæ sunt, sed constantia. Nos oportet fide nostra Deum imitari. Minatur quidem Deus peccantibus: sed non statim sumit supplicium. Locum in Deo habet illud Græcorum prouerbium, ἀπὸ δὲ βραδέως. Nam si Dei momenta spectemus, festinat: si nostram importunitatem, cunctatur.

Variæ trãslat.

Prouidi enim in filijs eius mihi regem.] Vatablus in Ecphrasi, id est, Decreui mihi regem ex filijs

A eius vnum. Hebraicè, ראיתי raithi, vidi. Græcè apud Septuaginta, ἑώρακα vidi. Chaldæus habet, *quia notus ante me in filijs eius rectus, vt ante me sit rex. Nam prospexi inter filios eius mihi de rege. Mihi*, inquit, hoc est, qui voluntatem meam faciat non suam. Nam Saul contrà populo potius & suæ libidini obsequi maluit, quàm mandato Domini.

Vt mittam te, &c.

Deus neminem nunc eligit: sed electio eius æterna est.

An autem putamus, Deum nunc primùm delegisse sibi Dauidem regem? Non. Eum enim prædestinauerat ab æterno, neque quicquam illi potest accidere nouum. Ita enim loquitur Hieremiæ, *Priusquam formareris in vtero noui te.* Et Paulus ait, *Qui elegit me ab vtero matris meæ.* Magna nobis ista debet esse consolatio; Deum voluisse nos complecti, & habere pro suis, antequam nasceremur. Magnum est, rationem haberi absentis: multò autem maius est rationem haberi eorum, qui nati non sunt. Hoc totum pendet à misericordia Dei. Nam alioqui vniuersa massa Adami corrupta est. Ex ea alios eligit: alios relinquit. At hæc est exceptio personarum, inquies: Minimè. Ille enim nobis imponit personas, non inuenit in nobis. Num enim mansuetudo Dauidis causa erat, cur eligeretur à Deo? Non erat. Nam eam ipsam habuit à Deo.

B

Regna Deus ipse cõfert quibus ea ab æterno destinauit.

Videtur Deus delectari locis humilibus. Elegit enim Iosephum à carcere: Saulem ab asinis: Dauidem à grege. Omnino vult hoc pacto declarari regna & imperia non nisi diuino beneficio contingere. Ecclesiasticus ait, *Sæpe aliquis è carcere educitur ad regnum.* Et Daniel ait, Deum dare atque immutare regna. Et Titus Imperator Ethnicus, cùm audisset duos Romanos Senatores in eum conspirasse, venit in theatrum, & inter eos duos medios consedit. Cúmque petijsset sibi dari gladios Myrmillonum, vt exploraret esséntne acuti, vnum vni istorum reddidit, alterum alteri. Cúmque illi iam expauescerent, *Ecce*, inquit, *videtis, regna diuinitus dari.* Quare nemo ea per scelus nec occupare debet, nec retinere. Sed Deus ait in Osea: *Illi regnauerunt, & non ex me.* Quomodo ergo distribuit Deus regna? Quidam ista referunt ad fœdera, quæ Iudæi percusserant cum vicinis regibus. Sed Kimhi & Aben-Esra intelligunt ea de Hieroboam. Nam de eo eligendo nullum extabat expressum verbum Dei, nec populus de eo consuluit Dominum. Nam alioqui Deus recondita voluntate voluit esse regem, & misit Ahiam prophetam, qui id illi significaret. Verùm id populus sequutus non est, sed libidinem suam. Addúntque id verum esse, non tantùm de Hieroboam, verũ etiam de omnibus regibus Israel, vno excepto Iehu. Magna ergo fuit vtilitas huius electionis. Primum enim necesse est, eam rem Dauidi magnæ fuisse consolationi, cùm se videret Deo fuisse curæ antequam natus esset. Deinde id nonnihil valuit ad modestiam, & minuendam arrogantiam, ne putaret, se suis virtutibus, aut meritis assequutum esse regnum. Tertiò ne in aduersis casibus, cùm odio Saulis exagitaretur, desperaret. Postremò, ne, cùm iam adeptus regnum ab Absalone filio exturbaretur, putaret promissiones Dei posse excidere.

C

D

Hæc

Qvo modo vadam.

Hæc enim promissio tam certa est, vt auferri non possit, nec à Saule, nec ab Absalone, nec à Palæstinis, nec ab omnibus nationibus. Quia per illam familiam perueniendum erat aliquando ad Christum.

Versvs II.

Et ait Samuel: Quo modo vadam? audiet enim Saul, & interficiet me. Et ait Dominus: Vitulum de armento tolles in manu tua, & dices: Ad immolandum Domino veni.

S. Theod.

Prophetæ pericula extimuerunt.

Q*Vomodo vadam?*] Hebræis אֵיךְ *ech*, quomodo, qualiter. Admirantis est, aut rei B modum inquirentis. Quærit autem S. Theodoretus in hunc locum, quem plurimùm imitatur Procopius, cur Propheta iussus Dauidem vngere extimuerit? Respondet: Quoniam non solùm erat propheta, sed etiam homo. Si enim Prophetæ Dominus, Dominus noster Iesus, salutarem suscipiens passionem, timore humanam ostendit naturam, quis est adeò liber à passionibus, vt reprehendat Prophetam, qui timuerit?] An igitur si esset periculum capitis, idcirco debuit Samuel deserere officium suum? Non certè. Quicquid enim futurum erat, parendum erat voluntati Domini. Itaque modum quærit, non detrectat imperium. Sed videmus tamē hæsisse in Samuele infirmitatem aliquam humanam. Ita queritur etiam de se Elias, *Ego relictus sum solus, & quærunt animam meam.* Itaque petijt animæ suæ vt Deo volente moreretur potius quàm in manus impotentis fœminæ incideret. Deus ita res temperat, vt interdum velit apparere in hominibus imbecillitatem humanam, interdum elucere vim & robur spiritus. Sed an timebat Samuel mortem tam senex? Certè Solon, cùm se opponeret Pisistrato Tyranno rogatus, qua re fretus ea auderet? Senectute, inquit. Verùm Deus voluit intelligi, illud robur esse donum suum, non dotem naturæ. Atque idcirco sinit interdum suos labi, & aliquid humanum pati. Nam *iustificati quidem sumus per Christum, quotquot Christum induimus:* non tamen nobis prorsus ablata est omnis corruptela affectionum. *Deus conclusit omnia in incredulitate, vt omnium misereatur.* Neque inuiti D debemus ista legere in diuinis literis. Magnam enim nobis adferunt consolationem: vt si quando labimur in peccatum, ne idcirco desperemus. Nam Sancti etiam nonnunquam lapsi sunt, & resipuerunt. Legimus libenter miracula Sanctorum hominum. Sed ista quoque non minore cum voluptate legenda sunt. Luculenter enim proponunt nobis misericordiam Dei, qui homines fractos statim non reijcit, sed potius confirmat, & corroborat. Alij putant Samuelem nihil perterritum fuisse metu: sed tantùm doceri voluisse à Deo quid agendum esset, & quomodo. Sed non debemus nimium esse soliciti, vt patres ab omni imbecillitate animi vindicemus. Nam quamuis reuera Samuel hoc

Ad Rom. cap. 11. v. 32

A loco, & postea etiam Elias metum professi, nihil peccarint, at alij tamen, & multi, & sæpe peccauerunt. Erant enim homines.

Vitvlvm tolles, &c.

Vitulum de armento tolles in manu tua, & dices: Ad immolandum Domino veni.] Non possum Iunij probare sententiam, qui solus hîc sacrificium imperari negat, conuiuiū duntaxat agnoscit. Ita legit: *Vitulam armenti accipito in manu tua, & dices: Ad celebrandum conuiuium Iehouæ veni.* Et ad *conuiuium* annotat, Sic eadem vox pro conuiuio accipitur suprà 9. 12. & 13. & infrà hoc capite. Quod autem additur Iehouæ, ad sacrificia referendum non esse vel inde apparet, quòd intra domesticos Iesse parietes celebrabatur; cùm nulla publica aut priuata sacrificia ex Lege alibi quàm in loco designato, & coram arca fœderis ac tabernaculo, aut temporibus B corruptis, alibi quàm in excelsis offerri possent: sed ideo additur Iehouę, vt intelligatur ex mandato Iehouæ ad rem aliquam diuinam esse institutum. Hæc Iunius. qui procul à scopo aberrat, mea quidem sententia. Augeret enim suspicionem potius Samuel quàm minueret, si rationem aduentus sui eius sciscitantibus Senioribus Bethlehem respondisset, huc idcirco me contuli agens præ me vitulum, vt apud vos epularer. Neque enim temerè factum crederent, vt senex, & propheta, peregrè alterius tribus hominibus epulum daret, contemptis propinquis & necessarijs amicis. Deinde, si per illud quod ait *Domino* conuiuium aliò spectare intelligerent, & clàm diuinum quidpiam peragi, fieri omnino non posset vt non illud studiosè inuestigarent, & ad Regem fama manaret; quo C pacto Samuel non leue periculum subiret. Quid si foret sacrificium, an non tum quoque ad explorandum ansas daret, qua mente, quo consilio, præter legem & consuetudinem, alienum locum ad immolandum expeteret? Minimè. neque enim tum ea lex post arcam captam obtinebat, & suprà didicimus sæpius eum diuersis locis sacrificium obtulisse. Gauderent potius, & crederent Prophetam diuino instinctu Bethlehemitis benedictionem impertiri velle. Vnde & quidam hunc locum ita interpretatur: Sacrificium facito vt soles. Credibile est, Samuelem sæpe solitum sacrificare pro statu, & salute Reipub. atque ea causa obijsse diuersas ciuitates. Quod si verum est, sacrificij nomine commodissimè potuit tegere ac velare D legationem suam. Atqui eadem vox pro *conuiuio* accipitur, inquit Iunius. Quid tum, si non rarò etiam *sacrificium* significet? Hebraicè scriptum est: לִזְבֹּחַ *Lizboach* בָּאתִי לַיהוָה *labouah bathi.* Græci interpretantur, θῦσαι τῷ κυρίῳ ἥκω, *ad immolandum Domino venio* Radix est זָבַח *Zabach*, mactauit, iugulauit, occidit pecudem seu conuiuij, seu sacrificij gratia. Infrà ca. 28. v. 24. *Habebat mulier illa pythonissa vitulum pascualem in domo, & festinauit,* וַתִּזְבָּחֵהוּ *vathizbachehu, & occidit, & posuit ante Saul & seruos eius.* Idem verbum Elisæo tribuitur 3. Reg cap. 19. vers 21. cùm mactauit par boum, & populo epulum dedit. hæc exempla ad conuiuium pertinent, sequentia ad sacrificium. Huius libri cap. 1. v. 3. *Ascendebat Elcana statutis diebus vt oraret, sine*

Defenditur Vulgata contra Iunium, & sacrificium hoc loco intelligendum probatur.

Accurata explicatio vocis זבח Zebach.

VITVLVM TOLLES, &c.

adorandum, וְלִזְבֹּחַ *velizboach*, *& ad sacrificandum*. Et vers. sequenti, וַיִּזְבַּח *vayzbach*, *& immolauit Elcana*. Itaque vtroque modo exponi potuit: sed eius frequentior vsus est vt pro sacrificio sumatur. Rarissimè Græci priore modo vsurpant, vt Kircherus ostendit in Concord. Hebr. Græc. &c. Semel 2. Paral. cap. 28. 23. interpretantur ἐκζητεῖν, quæro. Quare verti etiam posset, *Ad quærẽdum Domino veni*. Reuera enim virum quærebat quem regem inungeret. Itaq; prima origine זָבַח *Zabach* idem valet quod טָבַח *tabach*, *occidit*, mactauit, collum præcidit. Et זֶבַח *zebach*, cædem, mactationem. Sed mox eæ dictiones ad epulas & sacrificia translatæ sunt, quod vix aliter satis magnificè parari posse videantur. Hoc verò loco vtrumque significat, quoniam κατ' ἐξοχὴν eam speciem sacrificij denotat, quæ זֶבַח שְׁלָמִים *zebach scelamim*, *sacrificium retributionum* vocatur, quo solis mundis vesci licebat, & holocaustum simul & communiorem sacrificij rationem continet, cui ferè apud omnes adiuncta fuit epulandi licentia. Nam pars victimæ flammis adolebatur, vt adeps & exta: pars sacerdotibus offerebatur: reliqua sacrificantibus cedebant in epulum, vt cum quibus vellent hilarem in modum diem festum transigerent. Sed iam satis supérque Iunio.

Deus mendacij expers, & veritatis pater.

Et dices, Ad immolandum Domino veni.] Ergóne Deus prophetam mendacium docet? Absit vt fidelis quisquam hoc suspicetur, cùm etiam Ethnici id genus blasphemiæ exhorruerint. Narrat Suidas in voce ἑρμαῖ, Hermas seu Mercurij statuas lapideas Athenis fuisse in vestibulis & templis. Cuius rei hanc rationem affert: ἐπειδὴ φασὶ τὸν ἑρμῆν λόγου, καὶ ἀληθείας ἔφορον. Quoniam dicunt Mercurium esse sermonis, & veritatis inspectorem & præsidem. Quapropter etiam τὰς εἰκόνας αὐτοῦ τετραγώνους, καὶ κυβοειδεῖς κατεσκεύαζον, ipsius effigies quadratas & cubi speciem habentes conficiebant, obscurè significantes in quamcunque partem caderet, figuram stabilem ac rectam esse. ὅτι καὶ ὁ λόγος, καὶ ἡ ἀλήθεια ὁμοία δεῖ πανταχόθεν αὐτὴ ἑαυτῇ. Sic etiam oratio & veritas est ipsa sibi ipsi vndique similis. τὸ δὲ ψεῦδος, πολύγονον, καὶ πολυειδές, καὶ ἑαυτῷ μάλιστα ἀσύμφωνον. Mendacium verò, varium, & multiplex, & secum minimè consentiens. Hactenus Suidas. Deus itaque neque mentiri potest, neque mendacij cuiquam autor esse. Quid igitur hoc sibi vult, aut quo pacto orationem hanc interpretabimur? Non enim si præcipuam rationem spectes, Samuel ad sacrificandum iter suum contulit, cùm potius ad vngendum Dauidem pergeret, quinimo eo fine sacrificium facere instituit, vt clàm esset quod facere instituerat. Respondeo, docet illum Deus ciuilem prudentiam. Ea autem est, vt interdum, si sit opus, aliud taceas, aliud dicas. Ita S. Augustinus excusat Abraham. Nam Sara illa fuit & soror, & vxor. Sororem fassus est: vxorem tacuit. Ita Samuel duo secum in anima destinarat, sacrificium facere, & regem vngere. Alterum horum dicit, alterum tacet. Hoc non est mentiri. Verè enim, inquit S. Theodoretus, perficit sacrificium. Ei ergo dictum est, vt opus quidem celaret, diceret autem id quod erat præter opus.

Suidas.

ET DICES, &c.

A Docet ergo Dominus Samuelem, quo pacto responsionis amphibologia iniqui Regis sæuitiem effugiat: quod & fecit. Fas est igitur etiam alios, quoties innocentia in periculum vocatur, sermonis ambiguitate curiosos ludificari, si tamen absque mendacio commodè veritatem tegere possint. Non imperauit Dominus, cùm Propheta discriminis admoneret, Securus esto: rem aperi: fac palàm, & morere; aut etiam, Non est quod timeas, te protegam, & ni furere desierit fulmine deijciam: Sed vitulum, ait, de armento tolles, & dices: Ad *immolandum veni*; vt & signis, & verbis, & factis, quæ alioquin à vero non abhorreant, id quod querebatur occuleret, & aliud quiduis potius crederetur geri quàm quod reipsa fieret. Sic Tyranni B deludendi sunt, inquit S. Gregorius in hunc locum, vt caueatur culpa mendacij; quod tunc bene perficitur, cùm illud fit quod asseritur; sed quod fit sic dicitur, vt celetur; quia ex parte dicitur, & ex parte reticetur. Prophetæ namque Samueli præcipitur, vt ad vngendum regem vadat, & se immolaturum Domino non regem vncturum asserat, vt immolans verum dicat, & vnctionem celans, Tyrannum vera dicens deludat. Et hoc piam fraudem S. Gregorius nominat.

Mẽtiri nũquam licet, amphibologia ad declinandam iniustam vim vti licet.

S. Gregor.

Ex his colligere possis, licere primùm optare vt tyranni falsum credant & decipiantur, cùm iniustè student perdere innocentes. Secundò his quoque signis externis illudere quo in fraudem inducantur, nec quod geritur explorent. Tertiò verborum etiam ambagibus eos circumuenire licet, si modò cum aliqua veritate C consentiant. Quartò simul & coniunctim aliquid agere, quo id quod quæritur, cæles & occultes. Postremò cùm aliquid aggressurus sis quod optes Tyrannum latere, destinare aliquid posse in animo quod ideo facere velis, vt confidenter asseras te alteri rei operam dare ab illa, quam præcipuè suscipias. Neq; enim cuiquam id, quod licitè facias, aperire cogeris in tuam perniciem. Officio satisfacies, si aliquid, quod verum sit, affirmes, & à mendacio caueas. Neq; enim spectare debes quid discere velit, qui innocentiæ tuæ molitur insidias: sed sufficit, si res ita se habeat, & iures conceptis verbis ex animi tui sententia. Contraria nonnullorum sententia qui Catholicorum falsò nomen vsur-D pant, & doctrinam hanc quam dicunt Æquiuocationum infamare conantur, cùm ferox & inhumana est, & rea cædis innocentium, tum sacras Scripturas manifestè oppugnat, quæ nullo non loco illam prædicat.

Quanta liceat agere vt veritatẽ, quæ infidiosè quæritur, occultes.

VERSVS III.

Et vocabis Isai ad victimam, & ego ostendam tibi quid facias, & vnges quemcunque monstrauero tibi.

ET *vocabis*. Pagninus, *inuitabis Isai* בַּזָּבַח *bazabach*, *ad victimam*. Iam antea diximus vers.

Et vocabis Isai, &c.

verf. præced. זבח *zebach*, & sacrificium innuere, & visceratione sive sacrum epulum. *Vocabis*, inquit, *ad victimam*, tanquam nihil aliud agens aut cogitans, cùm tamen aliud agitaret animo, quod sacrificij tanquam inuolucro tegeretur. Illud porrò mendacium redolere videtur. Nam quid aliud esse mendacium dicimus, quàm si hoc lingua proferat quo celes animum potius quàm patefacias? Nam & inde mendacium nomen inuenit, quòd dictum sit contra mentem: & mentiri, vt quidam volunt, contra mentem ire est. Ea porro inuitatio eò tota spectare videtur, ne consilium prophetæ deprehendi posset. Græci mendacia ψυδράκια καὶ ἴονθους dixerunt. Sunt autem ψυδράκια, vt Pollux habet lib. 4. cap. 25. sect. 3. postulæ, papulæ subigneæ, & sponte crescentes, exulceratæ in superficie. Has, cùm naso adnascerentur, vocarunt Græci mendacia ἴονθοι, αἱ ἐξανθήματα ψυδρακίοις περὶ τὸ πρόσωπον, σημεῖον ἀκμῆς. Ionthi, flores cum papulis circa faciem, vigoris signum. Latini varos nuncupant. Vocari autem sic arbitrantur, vel quod ætatis flore protuberent: aut quia instar ὄνθου, i. fimi, faciem maculis fœdent, quod ὀνθυλεύειν dicitur. ψεύστας, seu vanos mendacésque ionthos Siculi quondam nominarunt. Putarunt enim psydracia & ionthos, signa esse naturalia mendacium. Sed fallit prorsus ea opinio, nec vllo fundamento coniectura nititur. Neque enim naturæ vitio, sed morum corruptela mentiendi libido comparata est. Sed si quid præter id quod animo intendimus, aut nouimus, & studemus assequi, verbis aut factis prætulerimus, quo rudes & imperiti laqueo capiantur, tum illud tanquam fallax & peregrinum verè mendacium est. Absit autem vt Samuel cuiquam imponere voluerit, quinimo cùm regem inuncturus esset, à sacrificio rem tantam auspicari placuit, quo noui principis primitias Deo consecraret, & abdicati furor & indignatio sopiretur, dum ignorat sibi successorem dari. Quo pacto fallit quidem Propheta neminem, omnium verò paci ac tranquillitati sapientissimè consulit. Haudquaquam profectò Deo autore mendacium dicere potuit. Siquidem ἀλήθεια veritas, vt Græcum eius etymon indicat, circa deos, vt scribit Iamblichus, & incorruptam eorũ actionem versatur. Et Pythagoras interrogatus, quid Deo simile facerent homines, cùm veritatem, respondit, exercent. Magi quondam maximum deorum, quem Oromagden vocabant, corpore quidem asserebant luci similem, anima verò veritati. Si corpus detrahas, nobis quoque *Deus veritas est*: cuius filios docet Ioannes Apostolus *in veritate ambulare*. Nam qui mendacium sectatur, aut dolis studet, hic patrem diabolum sortitus est. Quocirca non imperitè Homerus Iliados 9.

Quid sit mentiri. — *Pollux.* — *Epist. 2. & 3.*

Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς ἀΐδαο πύλῃσιν
Ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθῃ ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ εἴπῃ,
Ille mihi tam exosus est, quàm inferni portæ,
Qui aliud animo occultat, aliud ore profert.

Homerus.

At veniam non meretur impius Lucianus in Philopseude, qui non tãtùm venia, sed etiam laude dignos eos prædicat, qui mendacio, vt quopiam pharmaco, ad salutem vtantur. Nec eo longè sapientior Plato, qui in Dialog. de Iusto, æquum censet hostibus verba dare, eosque mendacijs opprimere. Adhuc tamen Eusebij clementia superat apud Stobæum Serm. 11. Mens, inquit, (Sic olim Deum Platonici nuncupabant) veritatẽ amplectitur, & semper cum ipsa versatur. Sed quamuis in rebus suis alienissima sit à mendacio, (Græce vnico verbo ἀψευδέστατος) interdum tamen commiscens bono mendacium, ad hominum hoc indigentium vtilitatem profert, qui quidem suæ ipsorum commoditatis causa decipiẽdi sunt ab eo. Tunc enim solum, nec vnquam aliàs, quo nouit opportunum esse tempore mens, abhorrens interim ab omnibus alijs mendacijs, tale quoddam mendacium introducit, in diuersam & vtilissimam speciem immutatum, arte sapientiaq; mentis rem malam commodè vsurpantis. Hactenus Eusebius Philosophus, is fortè cuius meminit Eunapius in Ædesio. Cæterum nihil vsquam legi imperitius. Neque enim Deus mendacio indiget ad salutem hominum, tanquam veritas ipsa non sufficiat: aut eo delectari potest, cùm sit eadem veritas. Omnia cùm possit & solus præstare valeat, nec quemquam reuereatur, cur mendacijs potius quàm recta ratione ad boni commendationem abutatur? Mendacij prǽsidio nihil est in rerum natura debilius, nihil veritate potentius, quæ non modò rebus humanis superiores nos efficit, sed etiam diuina nobis præmia suppeditat.

Lucianus, Plato, Eusebius, mẽdaciorum patroni. — *Stobæus.*

Hebræi porrò mendacium כזב *casab* appellant. à verbo כזב *casab*, quod est mentitus est, defraudauit. Cognationem autem habet cum כשף *cascaph*, seu potius כשף *kisceph* in Piel, quod est oculos fascinauit, præstigijs vsus est. tales enim ferè sunt mendaces qui credulis illudunt. Hinc per metathesin radicalium ψεύδω Græcis, quod est mentior. Dicitur etiam כחש *kachasc* à simili verbo, quod negare, mentiri, simulatè cultum exhibere significat: cui respondet שכח *scakach* oblitus est, & חשך *kaschac*, obtenebratus est. Mendaces enim sunt immemores, & tanquam tenebris obruti cæcutiunt. Inde Græcis κακός, malus, improbus: quis enim mendace peior aut iniquior? שקר *scheker* etiam appellatur, à שקר *schakar*, dolosè egit, perfidè se gessit: cui affine est שרק *scharak*, sibilauit, sarcasticè derisit. Quæ omnia sicut mendacij naturam graphicè depingunt, ita nihil magis diuersum aut etiam alienum à Samuelis moribus fingi potest, cuius candor & niuea simplicitas ab omni fuco & fallacia longissimè semper abfuit.

Mendacij Hebræa etymologia.

Et ego ostendam tibi quid facias, & vnges quemcunque monstrauero tibi.] Sed quare, inquit S. Theodoretus, electum nesciuit Propheta? Respondet: Quoniam non erat Deus, sed homo. Non enim omnia scire est prophetæ. Porrò hæc ignorãtia quàm vtilis fuerit, duobus argumentis ostendit. Nam si mox vt domum patris ingressus est, in qua plures filios reperit, contemptis cæteris Dauidem postulasset, Propheta videri posset præstantis formæ adolescenti fauere potius, quàm diuinitus electum sortiri: quæ res non leues turbas atque rixas concitare potuiss

S. Theod. — *Quam ob rem Samuel vngendum ignorauerit.*

VOCABIS ISAI AD VICTIMAM.

nec Dauidis animum rei nouitate attonitum satis confirmasset. At postquam singillatim omnes explorasset & quidem absente Dauide, tum periclitatione facta manifestè apparuit, numinis nutu ac voluntate Dauidem esse designatum; sicque impendio magis in spem erectus est. Optauit præterea hoc antidoto fratrum inuidiæ mederi. Nisi enim Deus manifestis indicijs electionem suam proderet, quis non ferret grauiter fratrum minimum natu maioribus præferri? Ne sic quidem æstus ille animi, & liuoris impetus satis cohiberi potuit. Nam cùm aliquandiu postea ad fratres allegatus à patre in castra venisset, & indignans ac stomachans Goliath Gethæi insolentiam retundere statuisset, frater eius Eliab iuuenis alacritatem accepit cum offensione, & cõuitijs insectatus est. Quid non facturus si humano potius arbitrio quàm diuino electum suspicaretur? Itaque res tanta miraculo digna visa est, nec aliter fratres posse quiescere. Quamobrem primùm singuli vt quisque ætatis prærogatiua superabat, distinctè & ordinatim oblati sunt, nec quisquam eorum repulsam passus est priusquam oraculum non placere respondit. Quorum vbi neminem diuino suffragio regem declarari sensit, admiratus, ita vt facilè appareret nulli præterea gratiam hanc reseruasse, Isai percunctatur: Adhúcne quisquam è grege filiorum superesset? Sicq; is demum vocatus est, qui neque primùm à Propheta postulatus erat, nec oblatus à patre: sed qui hoc interim spatio dum reliqui fratres periclitarentur, à patre simul & Propheta præteritus, ruri pascebat procul à suspicione regni. Hinc ergo sequi videbatur, vt si quid fratres numen reuererentur, ipsi quoque Dauidis electionem suo calculo comprobarent. Moyses diuino iussu fratrem suum Aaron autorem & magistrum publicæ religionis instituerat, Exod. 28. & 28. Sed cùm alij quoque, vt nihil intactum sinit hominum ambitio, sacris præfici cuperent, populo persuadent, Moysen in ea institutione respectum ad sanguinis communionem potius quàm ad religionis cultum habuisse. Itaque non pauci seditionem mouent, & ducibus Core, Dathan, & Abiron à Moyse deficiunt; Num. cap. 16. tametsi superioris eius vitæ innocentia, & inita cum Deo familiaritas, nullo negotio eos ab errore reuocare potuit. Sed grauius supplicium scilicet, schismaticus furor merebat, nec moderatè compesci debuit sacrilega ambitio. Quare cùm pertinaciter in sententia persisterent, & saniora consilia respuerent, alij quidem de cælo tacti, igni arserunt: alij terræ hiatu absorpti sunt. Mox tamen iterum perditæ multitudinis desiderio, populique querelis coniuratio redintegrata est: nec ante prorsus extingui potuit, tametsi schismaticorum quatuordecim millia & quod excurrit incendium illud hauserat, donec virga Aaron præter naturæ ordinem germinasse deprehensa est, & turgentibus gemmis flores qui eruperant, passis folijs in amygdalas esse deformatos. Num. cap. 17. vers. 8. Libertatis amor nobis à natura insitus est: & accessit præterea fraude dæmonum imperandi libido vehementer in-

Miraculo Aaronis electionem confirmari potuit.

A censa, hinc dominari alijs, inde nulli parere supra modum cupimus. Quare nisi quid supra hominem emineat, vix æquè collum submittimus. At minoribus obsequi, & eorum sponte suspicere imperium, quibus te natura, ius, & consuetudo superiorem asserat, longe difficilius est quàm vt absque miraculo suaderi queat. Itaque vt Aaron arescentis rami flore sacrorum antistes renunciatus est, sic quoque Dauid insolito quodam prophetiæ flore, suffragijque miraculo, Rex diuinitus declaratus est.

AD IMMOLANDUM, &c.

VERSUS IV.

Fecit ergo Samuel, sicut loquutus est ei Dominus. Venítque in Bethlehem, B & admirati sunt seniores ciuitatis, occurrentes ei. dixerúntque: Pacificúsne est ingressus tuus?

VERSUS V.

Et ait: Pacificus: ad immolandum Domino veni, sanctificamini, & venite mecum vt immolem. Sanctificauit ergo Isai & filios eius, & vocauit eos ad sacrificium.

PAgninus, *Et mouerunt se*, Arias, *& contremuerunt*; Vatablus Laurentij, *& commoti sunt seniores ciuitatis in occursum eius, & dixerunt:* Arias, C *& dixit:* Pagninus, & Vatabl. Laurentij, *Pacificúsne est ingressus tuus?* Arias, *Pax ingressus tuus?* שָׁלֹם בּוֹאֶךָ *scalom boecha*. Et iterum versu sequenti ijdem pariter obseruarunt. *Sanctificate vos, & venite mecum ad victimam.* Ita Pagnin. & Vatabl. Laurent. Arias, *in victima.* Chaldæus Paraphrastes, *Et congregati sunt senes vrbis ad occursum eius: & dixerunt; Pax aduentus tuus?* שְׁלָם מֵיתָךְ *scelam methak. Et dixit: Pax. ad sacrificandum ante Dominum veni: præparamini & intrabitis mecum in conuiuium. & inuitauit Isai & filios suos, & vocauit eos ad oblationem sanctitatum.* Vatablus Salmant. *Quúmque venisset Bethlehem, obstupuerunt seniores vrbis obuiam ei facti, & ait [quispiam ex eis,] Saluúsne aduenis? Respondit, Saluus, venio sacrificatum Domino, sanctificamini igitur, & venite mecum ad victimam.* D *Sanctificansque Isai & filios eius, vocauit eos ad sacrificium,* Et in Schol. *Obstupuerunt.*] *trepidauerunt*, id est, trepidantes occurrerunt ei. timebant enim ne Samuel huc aduentasset, vt grauissimè animaduerteret in quempiam. Quidam Hebræorum vertunt, *admirantes occurrerunt ei.* Chaldæus Paraphr. *congregati sunt in occursum eius,* id est, confertim ei obuiam processerunt honoris causa. *Sanctificamini.*] id est, præparate vos vt veniatis. *Ad victimam.* id est, ad conuiuium de victima. *Sanctificansque.*] id est, præparatos esse iussit Isai & filios eius, & inuitauit eos ad conuiuium quod facturus erat de carnibus victimæ. Septuaginta ita legunt: ϗ ἐποίησε σαμουὴλ πάντα ὅσα ἐλάλησεν (Aldus habet αὐτῷ) κύριος.

Variæ translat.

ADIMMOLANDVM, &c.

Καὶ ἦλθεν εἰς Βηθλεέμ, καὶ Complut. ἐξέστησαν. Aldus, ἐξέστησαν οἱ πρεσβύτεροι τῆς πόλεως τῇ ἀπαντήσει αὐτοῦ. Καὶ εἶπον, εἰρήνη ἡ εἴσοδός σου; Aldus habet εἶπαν, & addit; ὁ βλέπων. *Et fecit Samuel omnia, quæ loquutus Dominus,* Rom. & Antuerp. Laur. *ei. & venit in Bethlehem*, Complut. & Reg. *& admirati sunt seniores ciuitatis occursu eius, & dixerunt: Pax ingressus tuus?* Roman. & Antuerp. Laurent. *Et expauerunt seniores ciuitatis occursui eius, & dixerunt: Si pax introitus tuus ô videns?*

Versus 5. *Et dixit: Pax. ad immolandum Domino venio:* Complut. & Reg. ἁγιάσθητε καὶ εὐφράνθητε μετ' ἐμοῦ σήμερον εἰς τὴν θυσίαν. Aldus, ἁγιάσθητε καὶ διεσχίσθητε μετ' ἐμοῦ σήμερον. Roman. & Antuerp. Laurent. *Sanctificamini & lætamini mecum hodie:* Complut. & Reg. *Sanctificamini, & discumbite mecum hodie in sacrificium.* Reliqua cum Vulgata consentiunt. Græci *Isai, Jesse* vocant. Quidam hæc ita interpretatus est: *Quum itaque Samuel faciens quod edixerat Iehoua adueniret Bethlehem; trepidi accurrerunt seniores ciuitatis obuiam ei, & dicebat* quisque, *Prosperène aduenis?* Hebræi. *Pax aduenire tuum? Qui dixit, Prosperè, ad celebrandum conuiuium Iehouæ veni, comparate vos vt veniatis mecum ad illud conuiuium: similiter iussit comparare se Iesse & filios eius, & inuitauit illos ad illud conuiuium.* Declarando ei consilium Dei de eligendo rege ex filijs eius: quod ostendit finis versus 9. 10. & 11. Quòd maluit Iunius conuiuium dicere quàm sacrificium iam antea confutauimus, & ostendimus optimam esse Vulgat. interpretationem, quæ sacrificium transtulit: quod cùm esset de genere Pacificorum, non absque epulo celebratum est.

Fecit ergo Samuel, sicut loquutus est ei Dominus.] Paululùm cunctatus Samuel dum idoneis consilijs instrueretur, ad hoc negotium venit Bethleem, & quod erat iussus sedulò ac religiosè exequutus est. Ita Moses primùm detrectauit munus: & cùm Pharaonem extimesceret, orauit Deum, vt alium sibi legatum deligeret: mox tamen impigrè in Ægyptum profectus est. Et Hieremias, *Puer*, inquit, *ego sum: non possum loqui.* Loquutus est tamen & Iudæos acriter & seuerè obiurgauit. Ita Samuel, fecit omnia quæ Deus iusserat, & impositum munus cumulatè præstitit. Non ergo Deus offenditur, si quando vires nostras infirmas causemur, & propriæ virtuti diffisi præcipitis ruinæ metu celsa atque ardua dignitatum culmina auersemur: sed illud demum fert grauiter, si obstinato animo eiusdem voluntati reluctemur. Non enim in posterum humilitati adscribi poterit sed diffidentiæ. Cur enim vltra iugum subire recusemus, nisi quod bonitati eius diffidimus aut potentiæ, ne fortè aut laboranti opitulari nolit aut possit. Cæterùm Sanctorum timor atque cunctatio multorum damnat imprudentiam, qui remis velisque sequuntur & expetunt, quæ Sanctos cane peius & angue vitasse Scriptura commemorat. Sed nos scilicet gloriæ cupidi, dignitates captamus; illi de Dei gloria erant soliciti, & cum suæ tum aliorum saluti consulebant, quam nouerant de solo numinis arbitrio pendere.

Non offenditur Deus si quando infirmas vires nostras causemur, vult tamen sibi morem geri.

A *Et admirati sunt seniores ciuitatis occurrentes ei.*] Hoc honore eum venerantur, vel quòd aliquando fuisset dux populi, vel quod esset propheta: occurrunt tamen illi aliquo cum horrore; quòd putarent Samuelem non sine graui causa ad se venisse. Ille enim, cùm esset propheta, & iam etiam senex, non temerè solebat huc atque illuc discurrere. Putabant aliquid flagitij commissum esse in ciuitate, quod ab illo esset expiandum. Rab. Leui illis in mentem venisse putat vitulam rufam, quæ deceruicanda erat, cùm patratum esset homicidium, & autor non extaret: alioquin enim & vitulam præ se agebat, vt plures interpretantur: sed quomodo id quadret, videat ipse. Fortasse etiam timuerunt nonnihil quod audissent, eum acriter obiurgasse Saulem, ne fugeret eius sæuitiem, & ipsi pariter

B tanquam receptatores maiestatis rei fierent. Itaque quærunt, Estne tranquillus aduentus tuus? Respondet Samuel, Est pacificus, & tranquillus: venio enim vt sacrificē Domino. Nam antequam extructum esset templum à Salomone, licebat in alijs locis sacrificare. Imò etiam exædificato iam templo, tamen Prophetæ interdum sacrificabant alibi: quemadmodum legimus de Elia. Sed facta Prophetarum sunt quodammodo priuilegia. Nihil enim innouabant nisi suasu, & impulsu Spiritus sancti.

Sanctificamini.] Ista non in vniuersum ad omnes ciues pertinent, sed tantùm ad eos, qui inuitabantur ad epulum. Iubebantur autem se abluere, & sanctificari, ne immundi venirent ad sacra. Id Deus in Lege multis in locis edixerat. Si quid cuiquam accidisset, vnde esset im-

C mundus, oportuit eum lauare vestes, & manere extra castra vsque ad vesperam. Hæc erant externa quædam signa veræ sanctificationis, quam nos Sacramētorum beneficio ac fide in Christo consequimur. *Fide enim Deus purificat corda nostra.* Nos quidem habemus externa symbola pauciora, quàm Iudæi. Illi enim habebant frequentia, & penè quotidiana baptismata. Nos vnum tantum habemus baptismum, & secundum hunc alteram post naufragium tabulam, cuius ope sæpius è profundo vitiorum gurgite emergimus. Ad hanc sanctificationem pertinet, quod Paulus monet, ne panem Domini comedamus indignè. *Nam qui indignè communicat, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini.* Quî fit igitur vt qui autore

D Caluino ab Ecclesia desciuerunt, nullam aliam præter fidem præparationem ad suam cœnam adhibeant? Nam Bethlehemitæ, vt arbitror, veræ fidei expertes non erant, nec ab ea nuper exciderant, sed cùm eam à principio complexi essent, hactenus illibatam seruabant: quos tamen Samuel admonet non vt fidei, sed vt sanctificandis corporibus dent operam, quæ veræ sanctificationis typus & vmbra fuit. Atqui *fide*, vt Petrus ait Actor. 15. vers. 9. *Deus corda nostra purificat.* Verum illud quidem est, si tamen Petri mentem vt decet interpretemur. Quemadmodum enim iustitia non suum cuique tantùm tribuit, quæ sunt partes eius propriæ, sed cum licentius vsurpatur reliquas etiam virtutes comprehendit, & viri boni officiū omnibus

ADIMMOLANDVM, &c.

Sanctificatio vtriusque legis.

Non sola fides iustificat: nec ad Eucharistiam sola satis per se idonea præparatio est.

Sanctificamini, &c. numeris absoluit: ita & fides præterquam quod assensum illum significat, quem mysterijs cælestibus accommodamus, non rarò in Scripturis noui Testamenti gratiam designat: quæ quidem non tam vna est virtus, quàm fons & origo omnium, quas ex se fundit, & suo complexu fouet. Hæc itaque si ad sacram sinaxim adhibeatur, instar omnium erit, & sola sufficiet, cùm omnes contineat. At cùm illa fuerit scelerum labefactata conscientia & conuulsa penitus, tum is assensus qui rebus creditis inhæret, haud satis idoneus habendus est qui nos cælesti dape dignos efficiat: sed pœnitentię primùm fomentis & diuinæ gratiæ subsidio extinctum lumen restitui debet, & reliquarum virtutum chorus reuocandus, vt ad Dei mensam pro dignitate videamur accedere. Ex quo sequitur, vt peccatorum confessio & pœnitentia, si ad sacram Eucharistiam dignè ac meretur te conferre velis, præcedere debeat: quam si se fidei nomine vnà cum charitate & reliquis virtutibus dicere intelligunt, miror cur tantopere à proprio nomine abhorreant, remque ipsam factis execrētur. Sed nos iam toties quibus modis antè excoli animos, & ad communionem participãdam imbui ac præparari deceat, ostendimus, præsertim verò to. priore, c.1.v.4. in fin.

Et venite mecum vt immolem.] Adhæc sacrificia solúsne Isai cum filijs, an plures etiam ex ciuibus aduocati fuerint, non satis apparet ex historia Rab. Kimhi ait, accessisse alios Senatores, & Dauidem vnctum fuisse antequam discumberent: eoque Samuelem dixisse se non discubiturum, antequam Dauid aduenisset. Iosephus nullos commemorat alios præter Isai & filios. Sed ista ait fuisse facta alijs fratribus Dauidis inscijs, quid ageretur. Itaque ait, cùm Dauid aduenisset, Samuelem clàm Isai patri in aurem insusurrasse, Hic ille est. Cúmque vnxisset Dauidem, seorsim monuisse eum de regno. Plures ita distinguendum putant, vt omnes Seniores qui obuiam venerant, sacrificio interesse iussi sint: solus Isai cum filijs ad epulum vocati sint, ante quod Dauid corã patre & filijs inunctus sit.

Sacrificio Romani Principes inaugurabantur. Herodian. *Vt immolem.*] Romani, inquit Forcatius lib. 6. de Imper. & Philosoph. Gallorum, licet vnctionem Principum minimè vsurparent in primordijs, tamen rem diuinam fecisse eos patefit ex Herodiano scribente lib. 2. histor. post Pertinacem à militibus immeritò interfectum, ab eisdem Imperium Rom. auctioni impositum empturientibus, & licitanti Iuliano addictum, viro Consulari, vitijs & opibus abundanti, quarum spe erecti milites, ei Commodi nomen imposuerunt. Nam eius sublatis signis, & imaginibus suffectis, sacrificio in castris de more peracto; Exijt, inquit, maiore militum comitatu quàm reliqui consueuerant: siquidem per vim & dedecus, contráque populi voluntatem Imperium mercatus, impetum multitudinis metuebat.] An eò spectarit hæc immolatio me præterit. In secunda certè & tertia Dauidis inunctione, & prima Salomonis, imò & Ioas Regis qui in ipso templo inunctus & Rex declaratus est, Scriptura sacrificij non meminit: sed potuit hoc vt pleráque alia omisisse. Nam cùm Salomon iterum sacro oleo inunctus est, Et venite, &c.
A 1. Paral. cap. 29. vers. 21. & 22. ter mille hostiæ cæsæ feruntur.

Vt immolem.] Hebraicè בזבח *bazabach*, in victimam. Hebræam dictionem suprà explicuimus. Latinis Græcisque si Dionys. Halicar. lib. 7. credimus, idem sacrificiorum ritus fuit. Horum sex partes præcipuas notauimus. Prima est precatio, quam conceptis verbis Sacerdos aram manu tenens fundebat, reliquis lingua fauere iussis. Huic succedebat immolatio, cùm mola salsa victimæ capiti imponebatur. Libatio illam excipiebat, quæ duplex fuit: sed nunc de prima loquimur cùm inter media cornua hostiæ vinum fundebatur: tametsi nonnulli velint præcedentia ad apparatum potius sacrificiorum aut victimæ probationem quàm ad sacrificij rationem pertinuisse. Ita enim censet. Dionys. Halic. Sacrificiorũ sex partes præcipuæ.
B Gutherius lib. 4. de Vet. Iur. Pontific. cap. 2. breuiter sacrificium definiens, dijs rite factam super aris aut focis oblationem. Sed nos huiusmodi sententiam non sequimur, nec satis tutam credimus ad mysteriorum nostrorum explicationem: alioquin enim & mersas flumine victimas, aut absumptas præcipitio, nõnunquam etiam humo defossas legimus. Apud Iudæos verò tametsi pars quædam victimæ flammis adolebatur, sæpe etiam tota, non rarò tamē, quæ lex Pacificorum fuit, pars maxima epulis seruabatur. Totum enim animal verè sacrificabatur, seu res sacra fiebat summi cultus argumentum, siue externum supremæ adorationis symbolum, sed non vno genere interitus peribat. Intestina cum adipe flamma vorabat, reliquias conuiuan- Gutherius.
C tium cœtus absumebat. Quæ ceremonia diuino instituto ad sacrificij rationem pertinuit, nec apud Iudæos modò sed etiam apud Ethnicos. Quod ni ita esset, nimium seuerè Paulus videretur idolothytis interdicere. Moyses verò quã acerbè exprobrat, *De quorum victimis comedebãt adipes, & bibebant vinum libaminum.* Quare sacrificium vir religiosissimus exactè definisse videri non potest, sed obseruasse præcipuam eius ceremoniam, quæ in oblatione consistit.

Libatione facta sequebatur pecudis mactatio, quam victimarij siue agones & popę iugulabãt. Prius tamen Sacerdos summas hostiæ setas, medijs è cornibus euulsas, igni velut quædam sacrificij libamēta tradebat. Cęsę hostiæ Flamen siue Aruspex viscera cultro rimabatur, si quid fortè
D portenderent. Victimarij singulorum intestinorum ἀπαρχὰς siue primitias, vt est apud Dionys. Carmen. Saliare incisia vocat, Arnob. lib. 7. prosicias: quas vbi reddidissent, tum farris semine incerni solebant, & thus vinumque adtegrabat Sacerdos, siue denuo libamina infundebat, & porriciebat siue aræ imponebat: illæ verò statim incendio haustæ in fumos euanescebant. Litatio, si pars potius quàm sacrificij finis habenda est, tum esse dicebatur. Vbi litasse compererant, dextræ manus osculo hymnisque deos venerati, ad epulas conuertebantur: quæ primùm quidem frugales fuerant, vt & Seleucus indicat apud Athenæum lib. 2. at corruptis postea moribus, id quod sacrificij frugalitatem redolebat, sumptu luxúque diffluere cœpit, Athen. li. 2. cap. 1.
& ex

ET VENITE MECVM VT IMMOLEM

Sacrũ epulum citò in profanas compotationes degenerauit.

& ex sacro epulo compotatio nata est, ex qua lasciuia, inquit Epicharmus; ex ea furiæ, ex his leges, per quas cõpedes, siderationes, & ærumnæ. siue, vt alius vertit, ex potatione comus, id est iuuenilis procacitas, ex como Συαρία quod est ludus, ex Συαρία iudicium, ex iudicio condemnatio, ex condemnatione compedes, spacelus, & mulctatio; Sic enim apud Athen. disserit Epicharmus. De qua re videri etiam potest Tertull. in Apolog. Sed hactenus de profanis Ethnicorum sacris, quæ idcirco strictim attingere volui, vt ex ijs quæ notiora nobis sunt vsu ac lectione librorum Gentilium, quibus plurimum adolescentior ætas atteritur, institutæ à Deo ceremoniæ facilius intelligerentur. Neque enim aliunde quàm ex antiquissimo veri Dei cultu superstitio ad posteros manauit. Hunc siquidem dæmon summe æmulari studuit dum diuinos affectat honores, & alioquin, vt hominum ingenium est à virtute procliue ad libidinem, citò fraude dæmonum, corruptelarúmq; illecebris, sacrorum religio violata est. Quod si ea missa facias, quæ aut hominum lasciuia libidinosè inuexit, aut etiam diabolus instituit ad alendam fouendámque superstitionem, non pauca pristinæ pietatis vestigia poterunt obseruari.

Profanorũ sacrificiorum cum sacris collatio.

Et primùm quidem quod ad orationem attinet, minimè dubium est, quin ab eadem Hebræi sacrificium auspicarentur, & per eandem sacrificio coronidem imponerent. Immolatio quoque seu mola salsa, seu farre tosto, aut simila oleo conspersa, panibúsue azymis parabatur, sed ea destinatæ victimæ capiti non imponebantur, sed manus duntaxat offerentium: simul tamen cum victima tradebantur ab ijs qui ad sacrificium hostiam præberent, ita vt pars seruaretur epulis, altera flammis arderet. Nec defuit præterea libatio æquata mensura: vinum tamen neque Sacerdos, neque populus ante libabant, neque viuæ hostiæ infundebatur, sed libationis atque immolationis par & idem ritus fuit. Mactatio subinde sequuta est, & delectus habitus viscerum, quæ Deo cremari fas esset, & ea lota: sed expectare ab illis futurorum scientiam, aut numinis sententiam in ijs, rimari, pijs nusquam licuit: solis Gentibus arte dæmonum persuasum est, vt exta consulerent, non modò diuinorum consiliorum minimè conscia dum viuerent, sed etiam rationis expertia. Sed nec litatio quidem certis experimentis probari potuit. Verùm quod omnibus argumentis longè firmius est, Deus pollicitus erat, quæ sacrificia à mundis ritè atque ordine fierent, grata acceptáque habiturum.

Superiora probantur ex Scripturis.

Quæ hactenus à nobis commemorata sunt manifestè patent. Exodi cap. 29. *Hoc est*, ait Dominus, *quod facies in altari: Agnos anniculos duos per singulos dies iugiter, vnum agnum manè, & alterum vesperè, decimam partem similæ conspersæ oleo tuso, quod habeat mensuram quartam partem hin, & vinum ad libandum eiusdem mensuræ in agno vno.* Quæ lex tametsi de iugi sacrificio lata est, seruari tamen in alijs quoque sacrificijs debuit. Nam & Num. cap. 6. vers. 17. legimus de Pacificis: *Arietem immolabit hostiam pacificam*

ET VENITE MECVM VT IMMOLEM.

A *Domino, offerens simul canistrum azymorum, & libamenta quæ ex more debentur.* Et Leuitic. c. 7. vers. 29. *Qui offert victimam Pacificorum Domino, offerat simul & sacrificium, id est, libamenta eius.* Et ibidem suprà à vers. 11. *Hæc est*, inquit, *lex hostiæ Pacificorum quæ offertur Domino, &c. offerent panes absque fermento conspersos oleo, & lagana azyma vncta oleo, coctamque similam, & collyridas olei admistione conspersas: panes quoque fermentatos, cum hostia gratiarum, quæ immolatur pro Pacificis.* De conuiuio etiam, quo, cùm reliqua hostia, tum libamenta absumi ius erat, pluribus quidem locis disserit, sed vnicum exemplum attulisse iuuat, ne his diutius immoremur. Exod. cap. 29. vers. 31. & nonnullis sequent. *Arietem autem* (postquam scilicet eius primitiæ, adeps, armus, cauda, intestina quæ B prius enumerat, cum libaminibus suis sacro igne consumpta essent) *consecrationis tolles, & coques carnes eius in loco sancto: quibus vescetur Aaron & filij eius.* Is scilicet tum victimam ad illud sacrificium præbebat, quod à Moyse peractum est. *Panes quoque qui sunt in canistro, in vestibulo tabernaculi testimonij comedent, vt sit placabile sacrificium, & sanctificentur offerentium manus.* Immolare porrò non hîc partem aliquam sacræ actionis speciatim designat, sed synecdochicῶς ponitur pro eo quod *sacrificare* est, quod immolare, libare, mactare, adolere, epularique significat.

Sanctificauit ergo Isai & filios eius, & vocauit eos ad sacrificium.] Filij Isai numerantur nominatim in lib. Paralip. cap. 2. vers. 13. *Eliab, Abinadab, Simaa, Nathanael, Raddai, Asom, septimus* C *Dauid.* Fuit etiam alius quidam octauus: sed eius nomen, quod meminerim, nusquam extat. *Sanctificauit:* immundis enim sacrificio vesci non licuit. Leuitic. cap. 7. vers. 20. *Anima polluta quæ ederit de carnibus hostiæ pacificorum, quæ oblata est Domino, peribit de populis suis.* Subinde etiam nonnullas legales immunditias enumerat. *Et quæ tetigerit immunditiam hominis, vel iumenti, siue omnis rei quæ polluere potest, & comederit de huiuscemodi carnibus, interibit de populis suis.*

Legales immunditiæ non vnius generis. Tostatus.

Plures passim occurrunt, quarum, quod spectat ad præsens, triplex genus constitui posse videtur. Prima est ægritudinum corporis, quæ facilè curari non possunt: vt lepræ, vt fluxus seminis, de quibus multa Leuitic. cap. 13. 14. & 15. Quæ labes cùm non antè purgatæ censerentur, D quàm morbus ipse consanesceret, de his præsens locus intelligi non poterit. Sed nec de illis quidem quæ cadaueris tactu contrahuntur, quarum purgatio in diem septimum differtur Numer. cap. 19. Reliquæ leuiores, quas vitare non mediocris diligentiæ fuit, sub vesperam lustralibus aquis, aut etiam flumine viuo abstergebantur. Itaque probabile est Samuelem non eodem die quo venerat, sed postera sacris operatum, præsertim cùm à mulieribus abstinere debuerint, qui futuri erant sacrificij participes, vt notat Abulensis in hunc locum quæst. 19. & colligi posse videtur ex 19. cap. Exodi, & 1. Reg. cap. 21.

Et vocauit eos ad victimam.] Non tantùm vt oblationi & reliquis sacrificij partibus præ-

Nvm coram Domino, &c.

sentes interesset, sed etiam vt ad sacram mensam vnà accumberent, & victimæ reliquijs, quæ ex legis præscripto cedebant in epulum, secum pariter vescerentur.

Versvs VI.

Cúmque ingressi essent, vidit Eliab, & ait: Num coram Domino est Christus eius?

Versvs VII.

Et dixit Dominus ad Samuelem: Ne respicias vultum eius, neque altitudinem staturæ eius: quoniam abieci eum, nec iuxta intuitum hominis ego iudico: homo enim videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor.

Variæ trãslat.

PAgninus, *Certè coram Domino est Christus eius.* משיחו *mescihho.* Arias, *vnctus eius.* verbum autem *est* non admittit. Vatablus Laurent. *Certè coram Iehouah est Christus eius.* Chaldæus Paraphr. Editionis Regiæ, nam aliud exemplar eiusdem nancisci non potui: *Verùm stat ante Dominum vnctus eius?* Septuaginta. Complut. & Reg. edit. ἀλλὰ ἢ ἐνώπιον κυρίου ὁ χριστὸς αὐτοῦ; *Vtique coram Domino Christus eius?* Aldus legit, ἰδοὺ ἐνώπιον, &c. nec vllum seruat interrogationis characterem. Romana, *At enim coram Domino Christus eius.* Vatablus Salmantic. *Factum est autem, quum illi venissent, vt ipse videret Eliab, dicerétque, Certè coram Domino est Christus eius.* In Scholijs verò in hæc verba, *Certè coram Domino, &c.* quasi dicat, ait, Dominus quam maximè fauet Christo suo. Aut, Dominus erit cum Christo suo. Vel, Coram Domino sit Christus eius, id est, custodiat Dominus Christum suum. Chald. Paraphr. *Pulchrè prouidit Deus de Messia.* Hæc Vatablus.

Versu 7. Pagninus, *Ne respicias ad aspectum eius.* Vatablus, *Ad formam eius.* Chaldæus Paraphrastes, *Ne contempleris in aspectu eius.* Septuaginta edit. Complut. & Regiæ, μὴ ἐπιβλέψῃς εἰς τὴν ὄψιν αὐτοῦ μηδὲ εἰς τὴν ἕξιν τοῦ μεγέθους αὐτοῦ, ὅτι ἐξουδένωκα αὐτόν, *Ne attendas in vultum eius, neque in habitum magnitudinis eius, quoniam contempsi, spreui, repudiaui, propriè, pro nullo duxi eum.* Aldus legit, μὴ ἐπιβλέψῃς ἐπὶ τὴν ὄψιν, &c. Rom. *Ne respexeris in aspectum eius.* Antuerp. Laurent. *In aspectu eius.* propriè, ne conuertas te ad aspectum, ne sistas in aspectu illius. Hoc est, ne ex robore corporis, animi quoque virtutem iudices. Pagninus, *Quia non quod videt homo: homo enim videt quæ sunt præ oculis, & Dominus videt quæ sunt in corde.* Arias interpretatur verbum ex verbo: *Quia non quod videbit homo: nam homo videbit ad oculos, & Dominus videbit ad cor.* Vatabl. Salmant. *Homo enim videt quod oculis obuersatur,* (in Ecphrasi, *subiectum est.*) *Sed Dominus intuetur ipsum cor.* Paraphr. Chaldæus: *Quia non video vt vident filij hominis; quia filij hominis vident in oculis suis, & ante Dominum manifestæ sunt cogitationes cordis.* Septuaginta, ὅτι ὡς ἐμβλέψεται Aldus, at Complut. & Reg. ὡς ἴδῃ, & addunt ὄψεται] ὄψεται ὁ θεός. ὅτι ὁ ἄνθρωπος ὄψεται εἰς πρόσωπον, ὁ θεὸς δὲ εἰς καρδίαν. *Quoniam non sicut inspiciet homo, aspiciet Deus:* ita Rom. at Complut. & Reg. *Quoniam non sicut viderit homo, sic videbit Deus:* in reliquis consentiunt: *Quoniam homo videbit,* siue *aspiciet in faciem, Deus autem in cor,* siue *ad cor.* Iunius, *Fuit autem ingredientibus illis, quum videret Eliab,* (qui & *Elihu*, 1. Paralipomenon 17. & 18.) *vt diceret, Vtique coram Iehoua est vnctus eius.* i. probatus est Iehouæ in regem, vt Iud. 18. 6. Imprudenter dictum, quod sequentia corrigunt: quale est Nathanis 2. Samuel, 7. 3. Versu 7. *Ne respicito ad speciem eius, aut ad altitudinem staturæ eius, nam respui eum: non enim* specto *quod spectare solet homo, nam homo spectat* quod est *ob oculos, sed Iehoua spectat* quod est *in animo.* Putabat Samuel, inquit alter, quod Dominus illum sibi delegisset in regem, quem ipse vngeret: præsertim cùm esset primogenitus, & pulchræ formæ, proceræque staturæ. Optima Vulgati Interpretis translatio, quæ cum Septuaginta, Complut. edit. & Regia Chald. Paraphrast. interrogatiuè legit, nec nisi falsò Iunius Samuelem imprudentiæ insimulat, nisi fortè qualibet interrogatio imprudentiæ ascribenda sit. Sed etsi Samuel, cùm primùm Eliab in conspectum venit, cuius vtique species digna videbatur imperio: illum esse suspicaretur quem Deus delegisset, nihil tamen fecit temerè, sed vnctionem eousque distulit donec de Dei sententia certior fieret.

Nvm coram Domino, &c.

Iunij temeritas.

Cùmque ingressi essent.] Non ergo priuatim quemq; explorabat reliquis absentibus, ne conscij essent, quod nonnulli senserunt: sed cùm essent vnà omnes adunati, tum singillatim vnum quemque intuens Dominum consulebat, quid fieri vellet. Arias tamen legit apud Pagninum, *Et fuit* בבואם *bebòam, in veniendo ipsos, & vidit, &c. Num coram Domino est Christus eius?*] Kimhi exponit *esse coram Domino*, esse placere Domino. Nam ita in libri Iudic. capite decimo octauo, legitur, *Via vestra est coram Domino*, hoc est, Dominus fauet viæ vestræ. Alij sic exponunt, Estne rex coram Domino? Ac si diceretur, Quamuis nondum existat coram hominibus, estne tamen coram Domino? Alij id referunt ad sacrificia: quia in pacificis sacrificijs solebant epulari coram Domino. Paraphrastes Chaldæus exponit, Præparatum est coram Domino. Nam sic quoque relatum ab alijs inuenio, tametsi diuersum ante produxi. Samuel ex specie ac dignitate primogeniti filij suspicatus est eum fore regem. Rabbi Salomon ait, istum Eliab fuisse hominem iracundum, & importunum: quod apparet ex eo quod infrà grauibus verbis reprehendit Dauidem fratrem suum. R. Ben Gerson ait, Samuelem spectasse in iuuene robur militare

NVM CORAM DOMINO, &c.

militare & proceritatem, quòd regem oporteret esse virum bellicosum. Audierat etiam & meminerat ista multùm commendata fuisse in Saule. Itaque mox vt Eliab intuitus est, *Num coram Domino*, ait, *est Christus eius?* Nam huic interrogationi, quam dictio Hebraica non exprimit, mollior quædam assertio æqualiter respondet, quæ plausum potius aut congratulationem, siue lætitiæ testificationem indicat, quàm quicquam affirmet. Neque enim quod nonnulli temerè coniiciunt, Samuel verbo præire, aut Deo quicquam præscribere voluit: sed Vulgatus accuratè Prophetæ sensum enucleauit, phrasim magis quàm verba exprimens.

Et dixit Dominus ad Samuel.] Quid dixerit, postea videbimus, at quomodo dixerit prius nobis inuestigandum est. Fortassis etiam quispiam audire cupiat quo pacto Samuel interrogarit.

Quomodo Samuel interrogarit, & Dominus ipse respõderit.

Arbitror cùm iam oblatione facta, & reliquis rite atque ordine peractis, cõuiuij tempus appeteret, tum propius singulum quemque è choro fratrum admonuisse, & viritim orando Dominum interpellasse, vt quemcunque elegisset, nunc demum patefacere atque ostendere vellet. Id quod clara voce factum esse iudico, quò præteriti æquiore animo repulsam ferrent. Modus ipse quo Dominus suæ voluntatis significationem dedit, obscurior est, & difficiliores explicatus habet. Qui volunt clam fratribus Dominum interrogatum esse, & nec patrem quidem mysterij conscium admittunt, sola mente Samuelem percunctatum asserunt, sola mente responsum accepisse. Quod vt faciant, his potissimum argumentis mouentur: quod neque Samuel regem Dauidem salutarit, neque osculo dignatus sit, neque solenni carmine compellarit, neque periculo adolescens obijciendus fuerit quem fratrum inuidia perdidisset. Nam quid Ioseph olim contigerit postquam regni ab eo mentio facta est, narrat Genesis historia. Itaque mox Dauid ad pascẽdas oues rediit, nec quæsita est futuro principe digna educatio. Vnde sequitur, vt quidlibet potius agi familia crediderit, quàm regem inungi. Verùm his obstat, quod nemo hactenus præter Sacerdotẽ, aut Principem, sacro oleo delibutus fuerat, & aberat à suspicione Sacerdotij, cùm esset alterius gentis nec pertineret ad stirpem Aaron. Prophetam, aiunt, consecrari rati sunt. Atqui præter vnum Elisæum, quem postea ætas tulit, solenni ritu vnctum prophetam nullum meminimus. Nec verò ijs temporibus pastoritia cura vsque adeo vilis & illiberalis est habita, vt regni candidato indigna videretur: alioquin verò & Saul postquam publicè inauguratus est, ad agrum colendum rediit sequens boues. Præterquam quod Rege superstite nihil nouandum videbatur, ne suspicione coorta affectati regni damnaretur. Quare tutior visus est futurus opilio quàm si bellicas artes addisceret. Nam quod neque rex appellatus dicitur, neque osculo acceptus, aut solennibus verbis inauguratus, ne id quidem quemquam mouere debet, cùm nec posterius cùm bis iterum inunctus est, id obseruatum fuisse legamus.

2.Reg.c 2. & cap. 5.

Quid si mandare literis superfluum visum est ijs locis, cùm alijs pluribus ea ceremonia copiosè describatur? Tametsi cùm Samuel Christum diceret, videri possit regem declarasse. Quod ni ita interpretaretur Isai, cùm toties audisset *nec hunc elegit Dominus*, vtique sciscitaretur, quorsum hæc spectaret electio quam inunctio velut sigillo confirmaret? Veruntamen fera pessima caueri debuit, quæ Ioseph deuorasse credita est. Quinimo vtriusque sors & conditio longè diuersa fuit. Primum enim Dauidis fratribus regi parendum fuit: Iosephi fratres, cùm ad eum diem libertate vsi essent, ab insolito iugo abhorrebant. Deinde prolixior parentis indulgentia dudum illi fratrum odium conflauerat. Accedebat quod is quoque fratrum delator habitus est. Nam cùm aliquando in peccantes incurrisset, apud patrem accusauit. Horum porrò nihil Dauidi obijci potuit. Adhæc si priuatim apud se Dauidi perniciem molirentur, re comperta maiestatis rei citarentur: si palàm Regi proderent, manifestè suo parenti ac toti familiæ exitium crearent. Neque enim, vt apparet, Saul generi parceret, qui propter eundem alienam vrbem euertit. Postremò Ioseph suum ipse regnum prædicabat, quod per se inuidiosum fuit; ita vt etiam pater ægrè ferret, & verbis compescere niteretur. Dauid innocens accitus è pascuis, cùm esset omnium ignarus, productus à patre, in medio fratrum à Propheta inunctus est, confestim ad pascua rediturus, nec vllam regalis animi ostensionem daturus. Qui cùm eum modum spei suæ habiturus esset, minimè verendum fuit, ne fratres in odium acerbum erumperent. Itaque

ET DIXIT DOMINVS AD SAMVEL.

Clara voce datum responsũ Abulensis & Salianus opinantur.

Contrarium sentiunt Abulensis & Salianus, palàm & clara voce quæsitum responsum, clara datum; ita vt pater cum filijs exaudirent. Accessisse enim angelum, qui tametsi corporis speciem non induisset, attamen voce humana Dei nomine suffragium ferret. Nituntur Scripturæ testimonio quæ hoc disertis verbis asserere videtur. Ratio etiam confirmat: quoniam nisi diuinæ vocis oraculo fratres percellerentur, Prophetæ autoritatem contemnerent, & electio calumniæ obnoxia foret. Legendus Salianus tom. 3. Annal. & ann. mundi 2969. & Saulis Regis 8. qui totum hunc locum luculenter explicat.

Non videri clara voce datum oraculum.

Saliani sententiam de fratribus conscijs vehementer amplector. neque enim cælari poterant quæ singulos experiri oportebat; & alioquin in medio fratrum inunctus dicitur: sed non peræquè placet quod subdidit, sermone qui aures feriret responsum esse datũ. Primùm enim moris non fuisse video, vt siue Sacerdos, siue Propheta Dominũ consuleret, vlla vox externa audiretur, sed intus in animo expressa imago veritatis quæstionem dissoluebat: rarissimè בת קול *bath kol* seu filia vocis insonuit, ac ferè sponte & ante omnem interrogationem. Sic Samuelem olim nocte interpellauit; sic Iobum procul è nube affata est; sic fortè lex promulgata. Præter Moysen, cum quo *facie ad faciem*, vt Scriptura loquitur, sermonem miscuit Dominus, cum reliquis ferè solius ministerio intellectus sua mysteria communicauit: aut si quã

Et dixit Dominus ad Samuel.

re externa vsus est, rerum potius imaginibus aut symbolis quæ in oculos incurrerent, quàm verbis quæ in aures inuolarent. Deinde id quoque me obseruasse memini, cùm Deus oracula
2. sciscitantibus ederet, interpretem quidem siue Prophetam siue Sacerdotem adhibuisse, nec vsquam nisi per eosdem internuntios cum sup-
3. plicibus sermonem contulisse. Accedit quod cùm primùm illi cum solo Samuele oratio fuerit, vt Scriptura testatur, nusquam postea cum
4. reliquis verba fecisse commemoret. Addam præterea quod cùm tanta fuerit sententiæ atrocitas quam in Eliab tulit, vt nemo eam intelligere potuerit qui non toto corpore contremisceret, aliena habenda sit à conuiuio Pacificorum, quod læti atque hilares inire debebant. *Ne respicias*, inquit, *vultum eius, neque altitudinem staturæ eius.* Quid ita? *Quoniam abieci eum.* Haud aliter quàm suprà Saulem ob contumaciam. nam & eodem verbo vtitur huius cap. v. 1. & præced. vers. 23. Huius porrò, quem ita Deus proiecerit, non modò non illum miseret, sed etiam lugere vetat. Hebraicè כי מאסתיהו *ki measthihou*, quod Pagninus reddidit, *Quoniam reprobaui eum.* Verti etiam poterat, *Quoniam odi eum*, à verbo מאס *maas* quod odisse, proijcere, reprobare significat. Quæ si tum minæ Eliab auribus intonuissent, procul dubio examinaretur metu, & desperatione animi conuiuij lætitiam in luctum converteret, mœroréque atq; tristitia, quod idem verbum in Niphal exprimit, totus liquesceret. Sed fac eum marmoreo pectore, & intestinis prorsus ex chalybe, aut certè talem qualem nobis vxorem Loth Scriptura refert post metamorphosim sensus atque animæ expertem, quid ipse parens cùm primogenitum suum, familiæ principem, sua viscera, se presente atque audiente damnari intelligeret, quo animo, quo cultu, qua lætitia sacrum epulum celebraret? An non illum sequens ratio perculisset illicò, & vocem illam horrescentem à sacris auocasset. *Non enim Deus in vultus contemplatione sistit, sed conscientiæ arcana rimatur.* Post incensos filios victimam quoque incendio tradidit Aaron, & esse quod lex imperat recusauit. *Quomodo* enim, inquit, *potuit comedere eam, aut placere Domino in ceremonijs mente lugubri?* Leuitic. 10. vers. 19. Tametsi verò pœnæ cùm adsunt minis appareant longè terribiliores, attamen vox ipsa emissa diuinitus, præsertim apud harum rerum insolentes, longè maximum terrorem incuteret, maximè cùm nec satis commodè ex serie sententiarum intelligi posset, an regno duntaxat non satis idoneus habendus esset, an de scelere occulto & nefanda hypocrisi condemnatus. His rationibus in eam sententiam adducor, vt non modò talem vocem factam fuisse negem, sed etiam responsionis acerbitatem cum patre aut filijs eo tempore communicatam. Neque enim hoc fecisse Samuelem Scriptura memorat, sed patri dunta-
5. xat dixisse, *Non hunc elegit Dominus.* Vnde quinto loco colligo, neque patrem, neque filios Angelum Domini loquentem audisse, sed solum Samuelem animo consequi potuisse quid Deus vellet, sicque demum ad patrem conscijs liberis
A retulisse. Hinc toties repetit, *Nec hunc elegit Dominus.* Subinde etiam obseruo, quòd si vox vlla palàm oraculum funderet, postquam iam numerus fratrum exhaustus est qui præsentes offerri possent, respondentem potius percontaretur quàm patrem, an reliquus quisquam præterea superesset. Sed nimirum, vbi primùm facem cælestis luminis non vltra collustrare sensit, necesse habuit de rebus incognitis hominem consulere. Denique voce illa inconsulta absentem iubet accersi, quo magis appareat instinctu afflatúque diuino potius intus moueri, quàm foris voce doceri.

Ne respicias, &c. 6.

Contrarijs argumentis pauca satisfacient. Non tantùm voce Deum, sed etiam figuris rerum ob oculos positis, aut mentis concitatione
B supplicibus respondere. Fratres Dauidis facilè persuaderi potuisse, vt quod sibi vtilissimum fore crederent, regnum fratri oblatum æquo animo ferrent. Nouerant enim primùm ad se nihil pertinere. Deinde eius animi moderationem & morum suauitatem perspectam habebant. Postremò non humano fauore, sed diuino iudicio designari intelligebant. Itaque non parum Numinis maiestate inuidia, si quæ eruptura fuit, repressa est. Nec verò Sanctissimi Prophetæ, & non ita pridem gentis suæ principis, modicè apud eos autoritas valuit: cuius orationis summa capita recenset Salianus eodem loco. Fraterna charitas, senis parentis periculum, totius familiæ discrimen, auctioris fortunæ spes, posteritatis expectatio, ipsa tandem oraculi præsentia, quod Hebræis consueto more Samuel elicuit, non poterant non plu-
C rimùm eos commouere.

Respondetur contrarijs argumentis.

Ne respicias vultum eius, neque altitudinem staturæ eius.] Suidas in verbo Ἀριστοκράτης. Aristocrates, inquit, aspectu quidem, & externa specie, maiestatis plenus, ἀξιωματικὸς καὶ καταπληκτικός, venerandus & terribilis erat. Quamobrem ob hæc omnia Rhodij ducem omnino principatu dignum, & belli præfectum, ac fortem propugnatorem se habere existimarunt: sed sua spe frustrati sunt. ἐλθὼν γὰρ εἰς τὰς πράξεις ὥσπερ εἰς πῦρ. Cùm enim ad res gerendas tanquam ad ignem venisset, καθάπερ τὰ κίβδηλα τῶν νομισμάτων ἀλλοῖος ἐφάνη. instar adulterinorum numismatum longè alius apparuit, & opinionem de se conceptam fefellit. Videtur hæc in Physiognomones & Metoposcopos dici, quibus non rarò ars sua
D illudit. Neque enim certi quicquam ex incertis colligi potest, cùm nihil sit æquè mutationi obnoxium vt auris habitus, & totius corporis species figuráque membrorum, quibus maximè eorum solertia innititur. Mutantur enim per singulos ætatum gradus: quæ si immutata manerent, eo minus eorum indicio fides habenda esset: nouimus enim singulas ætates varijs omnino, sæpe etiam contrarijs studijs duci. Educatio deinde, familiaris, & quotidiana consuetudo eorum qui secus affecti sunt, vim naturæ afferunt, vt experientia didicimus. Postremò quis credat corporis lineamentis tanquam magico nexu rationalem volũtaté alligari? Quamobrem non mediocriter errarunt Cathæi, Indi, Brachmanes, Spartiatæ, Pythagorei, qui ex indole

Suidas.

Physionomia non rarò fallit.

QVONIAM ABIECI, &c.

indole habituq; membrorum, de futuris adolescentium moribus studijsque iudicium ferebant. Nec his sapientiores habendi sunt Genethliaci, Chiromantici, & quicunq; ex specie corporis hominum mores variosq; casus se deprehendere posse prædicant, cùm voluntas & ratio magna ex parte naturam imperio regant, & ab insitis affectibus ad rerum præsentium cultum amorémq; traducant.

Quoniam abieci eum, nec iuxta intuitum hominis ego iudico, &c. Quod spectat ad Eliab, de regno, vt ego quidem sentio, tantùm sermo est: & לבב *lebab* Hebræis non solùm cor, sed etiam animi constantiam, robur, ac promptitudinem, cæterásque virtutes principe dignas significat. Vnde colligo fieri posse, vt nihil sit eorum quæ Rabb. fingunt: nec ob scelera occulta, & animi impotentiam, à Deo prorsus reprobatum fuisse, sed tantùm regno indignum habitum, quod regia indole cæterisque virtutibus careret: quæ tametsi priuatim quisque sine scelere non habeat, in principe tamen necessariò requiruntur. Posterior sententia generalior est, & vniuersim accipienda videtur. Neque enim aliter homo mores cuiusquam explorat, quàm ex totius figura corporis, ac præcipuè vultus orisque analogia. Hinc mentis speculum faciem interpretantur, quam rursum penicillo linguæ putant in oratione depingi. Itaque etiam qui homines captant, eorum verbis insidiantur. Facta verò graphicè præ cæteris mortalium sensus intimos exprimunt. Sed non tamen absque periculo hæc omnia, quoniam facilè possunt hypocrisi deprauari, vnde necesse est hominum iudicia vacillare. At Deus cùm lynceis oculis ad cordis obscuros recessus penetret, & insuperabiles tacitarum cogitationum meandros flexionésque assequatur, decipi nulla arte poterit, nec cuiusquam simulatione in fraudem induci. Cùm itaque vniuersim verum sit nec Deum falli, nec hominem certò de futuris contingentibus pronuntiare posse, nil oberit quo pluribus interpretatio prosit, cum alijs generatim exponere.

Facies cordis speculum.

Martial. li. 9 Epigr. Tertull.

Homo enim videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor.] Assentator quidam Poeta dixit id, quod nos seriò dicere possumus.

Corda Dei simatur.

Non poteram gratus Domino sine moribus esse,
Interius mentes suscipit ille Deus.

Tu, inquit Tertullianus lib. de præscript. ca. 3. vt homo extrinsecus, extrinsecus vnumquemq; nosti: putas quod vides. Vides autem quousq; oculos habes: sed oculi, inquit, Domini alti. Homo in faciem, Deus in præcordia contemplatur. Et ideò cognoscit Dominus qui sunt eius: plantam quam non plantauit pater, eradicat, & de primis nouissimos ostendit, & palam in manu portat ad purgandam aream suam. Hactenus Tertullianus. Itaque idem Dominus hoc loco ait: Ego intimos animorum sensus, & cogitationes video: homines autem tantùm vident, quantum oculis possunt consequi. Sed dices, Si ita est, cur non etiam vidit cor Saulis, antequam vngeretur? Satis enim apparet, eum fuisse hominem improbum, & hypocritam. Tamen Deus non dixit vnquam se vidisse eius cor. Etsi Deus exploret corda, quid ibi videre

HOMO VIDET, &c.

potest nisi malum? Omnes enim profecti sumus
A ex corrupta massa Adami: & abditam, si per nos spectemur, in animo gerimus lernam malorum. Deinde si electio pendeat ex bonitate, & misericordia Dei, quid oportet eum spectare corda? An ibi constituemus causam electionis? Verùm Samuel hoc loco monetur, ne rationis humanæ ductum sequatur, sed iudicium Dei; quod Deus plura, & profundius, penitiúsque videat, quàm homo possit. Hoc argumento nos etiam debemus admoneri, vt quicquid Deus patefacit in Scripturis, id iudicemus verum, & rectum esse, quantumuis ratio, & prudentia nostra reluctetur. Adhæc Deus videt, non tantum effecta rerum, sed etiam causas: nec præsentia tantùm, sed etiam absentia. Ego corda, inquit, intima video; neque quicquam est,
B quod meos oculos possit fallere. Præterea homines in eligendis principibus ducuntur maximè externo aspectu, & corporis dignitate. Sunt quidem ista præclara Dei dona, & in principibus viris in primis spectanda. Imò etiam in apum examinibus rex vniuersam turbam & robore corporis, & majestate, & pulchritudine superat. Sed ista argumenta non rarò fallunt. Itaque animus potius spectandus est: principem enim oportet non tantùm bella gerere, sed etiam pacem colere. Multa enim sunt, quibus homines inter se communicant, vt moderatè, & iustè, & cum virtute viuatur. Quare principem multis artibus oportet instructum esse, non tantùm corporis robore excellere. Robur quidem valet, si confligendum sit cum hoste; & proceritas, si quid ex alto tollendum
C sit. Veræ autem animi virtuti vbique locus est. Quare illi, quibus ius est eligendi principes, non debent tantùm in externa corporis habitudine consistere. Vera autem virtus & pietas non potest, nisi ex signis deprehendi. Signa autem ea propter hominum hypocrisim, & simulationem, sunt sæpe fallacia. Multi enim sæpè dant specimen magnum virtutis, quam tamen nullam habent. Nero primis temporibus ita moderatè imperauit, vt postea prouerbij loco iactatum sit, neminem posteriorum principum peruenire potuisse ad Neronis quinquennium. Tiberius quoque optimè auspicatus est imperium. Postea tamen euasit in crudelissimum tyrannum. Saul non caruit robore, & proceritate, & specie, ac dignitate corporis. Ciuilibus etiam virtutibus satis erat instructus. De pieta-
D te eius, & fide nihil possumus certò statuere. Potuit enim eas virtutes simulare, cùm eas reuera non haberet. Aut si eas habuit, tamen in illo erant tantùm πρόσκαιροι. Postquam enim cecidisset, nusquam legimus eum fuisse excitatum. Imò ciuiles etiam virtutes amisit, vt apparet ex cæde Sacerdotum in Nobe, ex odio quo prosequebatur Dauid, & ex eo quod mulierem magam & pythonissam consuluit. Erant ergo istæ virtutes in eo temporariæ: quod genus Christus describit in parabola de semine. *Nam quod cecidit in arenam, & inter spinas, ad tempus quidem videtur florere, & crescere: at non ita diù post suffocatur, & extinguitur.*

Virtus in Principe corporis robori ac dignitati præstat.

Sed vt ad rem redeam, homines videre non

HOMO VIDET, &c.

possunt, nec vtrum veræ sint virtutes, nec quales illæ, nec quàm diu mansuræ. Nobis tamen illæ in eligendo negligendæ non sunt. Tantum oportet spectare, quantum possumus. Ad imum autem cor præter Deum nemo potest penetrare. Itaque sanctus Chrysostomus in illa verba Matthæi, *Videns autem Jesus cogitationes eorum*, ait, proprium esse Dei, posse ad intimas cogitationes peruenire. Dederat Deus Sauli proceritatem, & robur corporis. Nunc pollicetur se daturum regem alium eo meliorem. Cùm autem contemplatur cor, videt & mala, & bona: sed ea videt non eadem ratione. Bona videt, vt dona sua, ipse enim est distributor, & dator omnium bonorum. Mala autem videt, vt profecta à nobis ipsis. Bona autem ista quæ videt in latebris, & recessibus humani cordis, non sunt causæ cur Deus quemquam eligat ad magistratum. Imò contrà, quia Deus prædestinat aliquem ad regnum, idcirco illi suppeditat virtutes, quibus regnum administretur. Faciunt ergo virtutes hominem idoneum ad regnum administrãdum, non tamen sunt causæ electionis: proficiscuntur enim à bonitate & misericordia Dei. Videt quidem Deus in Dauidis animo bona, sed à se data. Videt in Eliab mala: ea enim non remouit, nec addidit alia charismata. In Dauide quæ erant mala, deleuit misericordia sua, deinde addidit magnas virtutes Spiritus sancti. Hæc ergo in hac re potest esse analysis. Dauid electus est Rex à Deo: ergo habuit virtutes: habuit virtutes: ergo illas Deus dedit.

Virtutes non sunt causa electionis, sed electio causa virtutũ.

Cur non intuebatur Deus cor Saulis? Intuebatur sanè: in eo bona videbat, quæ ipse dederat: sed in Dauide multò meliora. Sed cùm videret Saulem fore malum, cur non eligit primùm bonum regem? id enim futurum erat longè commodius. Quia voluit homines intelligere, ista esse discrimina in regibus: alios esse malos: alios bonos, sed ad tempus: alios absolutè bonos, quantum quidem inter homines esse possunt. Sed in corde Dauidis nihil videre potuit, nisi malum. Verum est, si naturam ipsam spectes humani cordis, vt primùm labe infecta est. Sed Deus quos eligit ad gerendam Rempublicam, eos ornat præclaris donis, vt pares sint subeundo muneri. Atque inde est discrimen: *Quis te discernit*, inquit Apostolus, *quid habes quod non accepisti? quod si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* At si ea causa elegit Dauidem, quod vidisset eius cor, electio videtur pendere à meritis hominum. At ea pendet à sola Dei misericordia. Verùm ea causa dicitur spectasse eius cor, quod ea ipsa dona, quæ in eius corde latebant, profecta essent à Dei misericordia. In iudicio faciendo de istis iuuenibus, si tamen illud iudicium fuit potius quàm consultatio: deceptus est non tantùm Propheta, sed etiam pater. Dauidem enim relegarat in agros, quasi parum idoneum non solùm moderando clauo Reipublicæ, sed etiam familiæ regendæ. At quæ abiecta videntur in oculis hominum, præclara sæpè sunt in oculis Dei. *Non omnes qui sunt ex Israel, sunt Israelitæ: sed qui filij sunt promissionis, reputantur in semine.* Est ergo electio Dei gratuita. Gratuitum autem est, quod nec ex nobilitate, nec ex ordine generationis, nec ex operibus, aut meritis pendet. Dauid est ex omnibus vltimus. Nam de alijs omnibus redditum est oraculum, *Non placet*: ne si Samuel primo statim tempore venisset ad Dauidem, humana præsumptione eum elegisse, & alijs fratribus prætulisse videretur. Ita Deus voluntatem suam sæpè suspendit ad extremum. Pollicetur Abrahamo prolem: sed promissum non facit, nisi iam centenario, & penè decrepito.

ET ADDVXIT ISAI, &c.

VERSVS VIII.

Et vocauit Isai Abinadab, & adduxit eum coram Samuele. Qui dixit: Nec hunc elegit Dominus.

VERSVS IX.

Adduxit autem Isai Samma, de quo ait: Etiam hunc non elegit Dominus.

VERSVS X.

Adduxit itaque Isai septem filios suos coram Samuele. Et ait Samuel ad Isai: Non elegit Dominus ex istis.

ET *adduxit*. Hebraicè ויעבר *vaiagnabed*: quod Pagninus vtrobique constanter vertit, *Et transire fecit. Abinadab.*] Hic secundo loco offertur cæteris natu maior post Eliab. Mox etiã Samma, subinde verò reliqui, vt quisque ætate præcessit: nam ordinem seruare studuit Isai, quem natura fratribus præscripserat. Quid mirum cùm mater hirundo ipsa quoque eundem in pascendis pullis teneat? Iustitiam, inquit Ælianus lib. 3. de animalibus, cap. 25. mater hirundo filios suos docet in distributione cibariorum suam cuique tribuens dignitatem. non enim vnica tantùm vectione omnes pascit: neque enim posset, cùm ea quæ affert, pusilla, & pauxilla sint. Primum in lucem editum primò pascit, deinde ab illo secundum: tertium, tertio loco partum alit: sicque deinceps vsq; ad quintum progreditur. Neque enim plures quinque ferre in vtero, atque parere solet. Hactenus Ælianus. Primogenituræ ius antiquissimum: quod tametsi legi duodecim tabularum incognitum sit, & Iustiniano quoque insolitum, ob infinitum ius patrium quo Romani quondam vsi sunt, attamen ab ipsis penè nascentis mundi incunabulis introductum est, & communi populorum vsu receptum. Primogenitum paucis describit Iacob Genes. cap. 49. *Prior*, inquit, *in donis, maior in imperio.* Succedente tempore primogenitorum prærogatiuam lex Mosaica sanxit Deuteron. cap. 21. Atque hoc ius ita proprium euasit primogenitorum, vt pater illud nec dare, nec adimere possit, vt ibidem docetur. At hoc etiam miror magis quod Esau illud vendere potuerit inconsulto patre. Est autem primogenitura

Ordo naturæ in offerendis filijs seruatus.

Ælianus.

Primogenituræ ius antiquissimum, Romanis ignotum.

Et adduxit, &c. primogenitura, vt nunc illam definiunt Iurisconſ. *C. qui prior. de reg. iur. 6.* ius prioris ætatis honorificum & vtile, competens filio qui primus eſt in ordine naſcendi. Quærit præterea Molinæus *Comment. in Conſuetud. Pariſ. Tit. 1. des fiefs. §. 13. gloſ. 3. num. 2.* vtrum primogenitura ſit dignitas, & oſtendit quando talis habenda ſit, & quod ſit beneficium legis, non patris, ibidem *num. 7.* Quæ tametſi omnia vni duntaxat aſcribantur qui prior natus eſt, debetur tamen etiam alijs nonnullus honor & reuerentia, vt quiſque ſenior in honoribus capeſſendis iunioribus præferatur ſecundum cuiuſque ætatis analogiam. Itaque non ſolùm Eliab iure primogenituræ primus experiri iuſſus eſt, ſed etiam reliqui ſuo ordine ac ſerie admoti.

Molinæus.

Adduxit Iſai ſeptem filios ſuos coram Samuele.] Quî fieri poteſt vt Iſai ſeptem hactenus filios produxerit, cùm ſeptimus abeſſet Dauid, ſine quo numerus impleri non potuit? Nimirum humano more Propheta loqui intelligendus eſt, ſeu potius ex ſententia patris, qui cùm ſeptem haberet filios, & eos omnes adduxiſſet in medium, quorum ratio habenda videbatur, ſeptem prodijſſe pronuntiauit. Nec id fecit Iſai fallendi mentiendiue libidine, ſed quod poſtremum hunc paſcendis ouibus à ſe deſtinatum nequaquam ſuſpicaretur ad gloriam & imperium peti. Rapuit ergo Propheta verbum ex ore eius, & quo magnificentius in eo opere diuinam miſericordiam & ſapientiam commendaret, iiſdem verbis hiſtoriam ſuam intexuit: quo vehementius admiraremur eum potiſſimùm ad regni faſtigium euectum, qui nec numero tenus cum alijs cenſeretur. Atqui nos ſaltem numeri ſumus, vt quidam ait: & vnuſquiſque noſtrûm ſicut eſt, ita & vnus eſt, & cum cæteris comparatus numerum procul dubio efficit. Porrò ſeptem filios ſuſcepiſſe Iſai docet li. 1. Paralip. cap. 2. quorum ſeptimus numeratur Dauid, ſine quo paris numeri quantitas conſtare non potuit. Numerorum enim ſpecies indiuiſibiles conſiſtunt, ſic prorſus vt dempta vnitate aceruus corruat, & altera numeri ſpecies oriatur. Hæc ſatis probabiliter dici poterant, niſi eadem Scriptura octo filios habuiſſe ſequenti capite ver. 12. diſertis verbis aſſereret, quorum minimus Dauid prædicatur. Non enim fide dignos Hebræos arbitror, qui ne videantur collectori τῶν Παραλειπομένων, μνημονικὸν ἁμάρτημα impingere, fingunt apud ſanctũ Hieronymum in Tradit. Hebraica. Nathan Prophetam, filium Samma fratris Dauid, nepotem Iſai, qui aliàs etiam Ionathan dicitur, inter ſeptem priores oblatum fuiſſe, cùm Dauid præſens ſiſti non poſſet. Fabulæ. Non enim Iſai in re tam ſeria Prophetam ludere auſus eſſet, & alioquin Nathan Propheta, ſi ſancto Epiphanio credimus, Galilæus erat oriundus ex vrbe Gabath; præterquam quod abhorret ab ingenio tanti Prophetæ, vt cuiquam inceſti ſtupri autor eſſet, quod feciſſe Ionathan ſiue Ionadab filium Samma fratris Dauid prodit 2. Reg. cap. 13. Autor verò lib. Paralip. non negat genuiſſe plures, ſed fortaſſis idcirco anonymum illum præterijt, quòd nulla prole auctus, immatura morte præreptus

Quomodo abſente Dauid ſeptem filij oblati ſunt.

S. Epiphan. in lib. de vit. & inter. Prophet.

A eſſet. Legatur Iacobus Salianus, qui difficultatem hanc accuratius diſſoluit ad ann. 8. Saulis, à numero 31. ad 36. quo loco etiam ſchema familiæ Obed, ſiue Iſai ſuis Annalibus inſeruit.

Numquid iam, &c.

Versvs XI.

Dixitque Samuel ad Iſai: Numquid iam completi ſunt filij? Qui reſpondit: Adhuc reliquus eſt paruulus, & paſcit oues. Et ait Samuel ad Iſai: Mitte, & adduc eum: nec enim diſcumbemus priùs quàm huc ille veniat.

B Pagninus, *Súntne finiti pueri?* Arias, *conſummati?* Chaldæus, *completi pueri?* LXX. Ald. edit. ἐκλελοίπασι τὰ παιδάρια, Rom. & Antuerp. Laur. *defecerunt filij?* Complut. & Reg. μὴ ἐκλελοίπασι τὰ παιδάριά σου: *Numquid defuerunt filij tui?* Vatablus Salmant. *Adſúntne omnes pueri?* Et in Ecphraſi, Nullum præter iſtos habes filium? *Adhuc relictus eſt paruulus.*] Vatablus Salmant. *Eſt adhuc reliquus minimus natu, qui certè paſcit oues.* Ætatem intellexiſſe videtur Vatablus, cùm tamen corporeæ molis & quantitatis potius ratio habeatur. nam & Eliabi proceritas prius iactata eſt, præ cuius magnitudine Dauid קָטָן *katan* à patre dictus eſt. Satis verò aliunde conſtat Dauidem fuiſſe fratrum natu minimum. קָטָן *katan* tamen LXX quotieſcunque ad ætatem referunt, non natu minimum, ſed τὸν νεώτερον *iuniorem* exponunt. C *Minorem* Pagninus, Arias, Vatablus Laurent. transferunt. *Paruum* Chaldæus. LXX. edit. Aldinæ, ἔτι ὁ μικρὸς ἰδοὺ ποιμαίνει ἐν τῷ ποιμνίῳ. *Adhuc paruus ecce paſcit in grege.* Ita Rom. & Antuerp. Laurent. At Complut. & Reg. ἔτι ἔστιν ὁ μικρότερος. καὶ ἰδοὺ ποιμαίνει ἐν τῷ ποιμνίῳ. *Adhuc eſt minor, & ecce paſcit oues in ouili.* *Nec enim diſcumbemus.*] ὅτι οὐ μὴ κατακλιθῶμεν, ἕως, &c. *Quoniam non diſcumbemus, donec, &c.* Omnes *diſcumbemus* legunt, præter vnum Ariam, qui apud Pagninum maluit *circumſedebimus.* Pſal. 127. legimus, *Filij tui ſicut nouellæ oliuarum in circuitu menſæ tuæ.* Hoc loco Hebraicè ſcriptum eſt נָסֹב *naſof*, à verbo סָבַב *ſafaf*, quod *circumdare, & in circulo ſedere* ſignificat; metaphoricè *diſcumbere.* D Iſtis enim temporibus habebant menſas rotundas, inquit Schindlerus in Pentaglot. in quarum circuitu in lectis iacebant ſiniſtræ innixi, cibum capientes. Sarraceni ſuper terra in corijs iacentes, ſine mappis manducant. Hæc Schindlerus: quæ vera eſſe non poſſunt vniuerſim. Sedebant enim tum Hebræi in cathedris, non in lectis iacebant, vt manifeſtè patet cùm aliàs, tum huius lib. cap. 20. ver. 25. Quidam minus benè vertit: *An abſoluerunt tranſire pueri, &c.* *Mitte, & aſſume eum, non enim deflectemus donec venerit huc.* ad conuiuium: eodem ſenſu accipitur idem verbum Geneſ. 43. 24. *diſcumbemus,* hoc dicitur, quòd poſt ſacrificia pacificorum edebantur conſecrata.

Variæ tranſlationes.

Numquid iam completi ſunt filij?] Cùm Samuel vidiſſet neminem ex illis filijs placere Deo, cæ-

Et pascit oves, &c.

pit mirari, & percontari, an ibi essent omnes? *Adhuc reliquus est paruulus, & pascit oues.*] Isai respódet, esse quidem alium quendam, sed puerum admodum, qui ruri oues pasceret. Parentes non semper rectè iudicant de filijs suis. Isaac intimè amauit Esau: Ioseph voluit potiores partes in benedictione dari Manasse, quod esset primogenitus. Non tamen in eo peccant: oportebat enim Dei ipsius iussu præferri primogenitos. Ita enim decreuit in Deuteron. vt si quis haberet duas vxores, alteram amatam, alteram exosam, ne liceret filium primogenitum, quem ex exosa susceperat, submouere, & alterius vxoris filium in eius locum surrogare. A cùm Deus contrà iubet, illi in primis conuenit obtemperare. Alioqui patres oportet sequi commune iudicium. Atque hoc eatenus prodest, vt filij natu minimi non debeant desperare, cùm videant electionem Dei pendere nec à statura, nec ab ætate, nec ab ingenio suo: maiores autem non debeant superbire, cùm videant Dei iudicium arcanum esse, ac reconditum.

Varro.

Et pascit oues.] Varro de re rustica lib. 2. cap. 1. homines & pecua cùm semper fuisse sit necesse, natura (siue enim aliquod fuit principium generandi animalium, vt putauit Thales Milesius, & Zeno Citticus, siue contrà, principium horum exti it nullum, vt credidit Pythagoras Samius, & Aristoteles Stagerites) necesse est humanæ vitæ à summa memoria gradatim descendisse ad hanc ætatem, vt scribit Dicæarchus, & summum gradum fuisse naturalem, cùm viuerent homines ex ijs rebus, quæ inuiolata vltro ferret terra, ex hac vita in secundam descendisse pastoritiam è feris, atque agrestibus, vt ex arboribus, ac virgultis decerpendo glandem arbutum, mora pomáque colligerēt ad vsum, sic ex animalibus, cùm propter eandem vtilitatem quæ possent syluestria deprehenderent, ac concluderent, & mansuescerent. In queis primùm non sine causa putant oues assumptas, & propter vtilitatem, & propter placiditatem, maximè enim hæ natura quietæ, & aptissimæ ad vitam hominum. Ad cibum enim lacte, & caseum adhibitum, ad corpus vestitum, & pelles attulerunt. Hæc Varro de vita pastoritia, quam putat secundo loco repertam ab hominibus, cùm ab initio glande vescerentur, & ijs fructibus, qui sponte nascerentur, eamque naturæ cum primis conuenientem existimat. Nam illa quoque naturæ beneficium visa est, nisi quatenus imbellem hanc speciem animalium arte atque industria cicurare oportuit. Nam oues quoque olim feras extitisse hinc probat, quod etiam nunc, vt ait, in locis multis genera pecudum ferarum sunt aliquot, vt in Phrygia ex ouibus, vbi greges videntur complures, vt in Samothrace caprarum, quas Latinè rotas appellant: sunt enim in Italia circum Fiscellum, & Tetricam montes multæ. De suibus nemini ignotum, nisi qui apros non putat sues vocari. Boues perferi etiam nunc sunt multi in Dardania, & Media, & Thracia. Asini feri in Phrygia, & Lycaonia. Equi feri in Hispaniæ citerioris regionibus aliquot. Addere potuit etiam nunc canes in Insula Cuba, postquā

Humanæ vitæ gradus numerantur.

Secundus gradus vitæ pastoritia cœpit.

Oues primùm feræ, si Varroni credimus.

A eò delati & neglecti syluas occuparunt. Latebant Varronem scilicet primordia rerum, & quæ prius animantes mansueræ & dicto obtemperantes erant, hominis culpa in feras euasisse.

Et pascit oves, &c.

Et pascit oues.] Vt minus aptus rei gerendæ pascendis ouibus præficitur. tum quia ea cura, sicut ab vrbana societate, ità & à delitijs procul exulat, à quibus maiores fratres iniquius ferrent se auocari. Prouiderat autem Deus contemptum illum natalium, minorisque ætatis, in commodum eius cessurum. Nam hoc interim spatio dum solitudine fruitur, & vrbis strepitu abstinet, liberiore cura ad superiora rapitur, & Dei laudes cithara resonante concinit. Altissimum eius domicilium ex omni parte patens & apertum, summa cum voluptate speculatur; B carula illa laquearia, & aureum lumen, micantésque siderum choros, cum tota cælesti machina stupens demiratur, & nouos carminum modos modulatur ad concentum astrorum, & reconditæ quietis thesaurum immensis regum opibus anteponit. Ibi candida illa anima, & illibatus flos innocentis conscientiæ, nullas sordes contrahit. Ibi cum cassia, & amomo, myrrha, thuréque inter inhospita saxa, & asperam sentibus & dumis solitudinem, suauem pietatis spirat odorem, totúsque in amore delicijsque versatur. Nec mihi quisquam iure succenseat, si cum Abel, Iacob, & Moyse præstantissimis illis pastoribus eundem contulerim. Nam etsi pluribus seculis posterior, par tamen meritis fuit: & hunc etiam magis commendant anni iuniores. Istic à teneris vnguiculis delicatulus C opilio ceruos per dumeta & inaccessas rupes æmulo cursu consequens, cum damis & hinnulis de pernicitate contendit, vt iure merito de se iactare potuerit: *Qui posuit pedes meos tanquam ceruorum.* Istic lactea membra, & niuei lacerti, æris instar & calybis durati sunt, vt deinceps non sine causa gloriaretur: *Posuisti vt arcum æreum brachia mea.* Istic cum feris & leonibus adolescens decertauit, nec complexum vrsæ, nec rictum leonis exhorruit: inermis congressus est: victis confectisque prædam excussit: in his militiæ rudimenta ponens, quæ nemo veteranus tentare audeat. At pecus innocens pauit summa cum indulgentia, & ouium mite ingenium animi mansuetudine facilè superauit; vt hinc manifestè appareat, ad capessen- D dam Rempublicam, quibus cum summus artifex virtutibus instruxerit: doctum scilicet, quod ille ait:

Parcere subiectis, & debellare superbos.

Philo libro de Ioseph Patriarcha, de eodem verba faciens, cœpit, inquit, in hoc genere versari annos natus circiter septemdecim, præfectus curandis gregibus: quæ disciplina cum ciuili conuenit. Et hoc est, opinor, cur Poëtæ reges vocant *pastores populorum*. Nam qui summus est in arte pecuaria, facilè bonus rex euadet, pulcherrimo gregi hominum præpositus, approbata industria in minore negotio. Siquidem quemadmodum futuro Imperatori necessaria sunt exercitia venatoria: sic admouendis ad curam reipublicæ propriè pastoralis ars congruit, velut

Ex cōtemptu & solitudine quātum emolumēti Dauid percepent.

Philo.

Ars pastoritia fu....s regibus vtilis.

ET PASCIT OVES &c.

velut præludium quoddam magistratuum.] Hæc Philo. Tametsi, vt egregiè docet Xenophon initio libri primi Cyropæd. cura hominum longè difficilior est quàm reliquorum animalium. Nam & pergunt armenta, inquit, quacunque à pastoribus dirigantur, & in ijs regionibus pascuntur quò acta ab illis fuerint, & ab ijs abstinent, à quibus arceantur; & quos fructus produxerint, sinunt his vti pastores pro voluntate. At ne vllum quidem armentum vnquam accepimus, quòd in pastores insurgeret, quò aut minus ei obtemperaret, aut fructuum vsum prohiberet. Quin difficiliora in alienigenas armenta se præstant, quàm in hos quos & præsides habent, & fructibus suis pascunt. Homines contrà ijs maximè infensi sunt, qui in eos imperium obtinent, ijs inuident, famæ detrahunt, insidias moliuntur, & rarò æquo animo suos fructus cum illis communicant. Ex quib. sequitur, vt artis quidem pastoritiæ rudimentis designati principes, ad gerendā Remp. nonnihil institui possint, sed deinceps solertior prudentia alicunde accersenda est, vt scopulos procellásque factionum vitare possint; quæ non videtur aliunde quàm è cælo manare posse.

Xenophon

Hominum cura longè difficilior, quàm pecudum.

Duabus autem potissimùm de causis Isai minorem eius ætatem indicare voluit. Prima est, ne contumeliosè factum duceret, quòd eam in familia prouinciam nactus esset, quę ignobilior haberetur. reliqui enim ætatis priuilegio potiora sortiri debuerant. Altera, quò factum excuset, quòd eum prius sistere neglexerit, quoniam puerilis ætas minus apta regno videbatur. Hoc enim viri munus est, seu potius Dei. Cromerus initio libri 21. de rebus Polonorum: Cùm regnum, inquit, Vvladislao tertio adhuc puero decretum esset, & is iam solenni ritu inaugurandus esset, inictus est à factiosis scrupulus, quod dicerēt, nouum & inusitatum esse impuberi diadema imponi: in discrimen autem adduci libertatem & prærogatiuas equestris ordinis, magno labore & sanguine maiorum suorum partas, illa impuberis Regis coronatione: neq; enim rectè ab impubere iusiurandum dari posse. Quod si id in aliud tempus differatur, difficulter exactum iri ab eo qui iam rerum potitus sit. Verùm hic quoque scrupulus à maioribus natu exemptus est, producto à Sbigneo Episcopo codice è Basilica Cracouiensi, in quo effigies Cazimiri magni regis impubes depicta erat. De iureiurando autem Regis, rejecta res ad pubertatem eius: interim autem placuit, vt Sophia mater, & primores sacri pariter & profani ordinis pro eo fideiuberent: nec eum prius ad gubernacula regni admitterent, quàm iusiurandum ritè præstitisset. Quod fecisse narrat vbi primùm annum decimumquintum attigisset: qui apud nos, inquit, finiendæ tutelæ legitimus est. Hactenus Cromeri verba. Ioiadas Sacerdos 4 Reg. cap. 11. ver. 12. non dubitauit septennem puerulum regem creare, & vncto diadema imponere, והעדות *vehagnedouth*, quod Pagninus & *ornamentum* vertit, nonnulli *vestes regias*, Græci *τὸ μαρτύριον*, Vulgatus *testimonium*, quod nonnulli Decalogum, ego legem regni interpretor, quod vice iusiurandi fuit. à verbo עוד *gnauad*, vt Com-

Cromerus.

Minor ætas matura regno.

Septennem puerum Ioiadas regē cōsecrauit.

A plur. annotant, seu, vt alij עד *gnod*, quod est, testificatus est, aut etiam compromisit, ita vt עדות *gnedouth*, non solùm testimonium quod dicitur in aliquem, sed etiam compromissum, seu mutuam testificationem, & vtrinque parem obligationem significet. *Fœdus* Scriptura vocat 2. Reg. c. 5. v. 3. quod nunc solenne Regum iuramentum dicimus. Hoc ergo Regi puero Sacerdos manu tenendū tradidit. Tametsi enim necdum per ætatem intelligere posset, olim tamen meminisse debuit vtrumq; simul accepisse, imperij potestatem cum Reip. procuratione coniunctam. Veruntamen nulla talis difficultas Dauidi objici potuit. Primùm enim etsi adolescentis ætatem certò definire non possumus, probabile tamen est, ac penè necesse, 15. annis illum fuisse maiorem. Neq; enim verisimile est tot annos

MITTE ET ADDVC, &c.

B post primam eius vnctionem, Saulem superstitem in eo persequendo perseuerasse. Dauid porrò anno 30. iterum inūctus est. Salianus scribit annum 20. attigisse. Altera ratio est, quod etsi tum, cùm adolescentior esset, princeps designaretur, tamen rerum habenas non antè reciperet, quàm Saule è viuis exempto, ad maturam ætatem peruenisset.

Mitte, & adduc eum.] Iam enim exploratū habebat, & certò nouerat illum esse quem diuina misericordia regem elegerat. Non enim frustrà perire poterat verbū Dei: *Dixit* (inquit aliàs) *& non faciet?* Cùm itaq; iam reliquorum periculum fecisset, non dubitauit eum qui ruri esset, regno destinatum esse. *Nec enim prius discūbemus quàm huc ille veniat.*] Tametsi iam senex, & effœto cor-

Sanctorum epulæ, ipsa Dei voluntas.

C pore, defectisq; viribus, statuit non ante cibum sumere, quàm ea quæ iussus erat, impleret. *Meus cibus est*, ait postea Dominus Ioan. 4. *vt faciam voluntatem eius qui me misit.* Sed iam Domini sui spiritu religiosus minister agebatur, & eodem nunc studio feruet, & tanquam obsonio pascitur suauissimo, cùm mandatis illius obtemperat: reuera enim *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Manna* illud est, & *habet*, vt Scriptura docet, *omne delectamentū suauitatis.* Plus credidit inesse viriū verbo Dei ad alendam vitam hominis, cùm illud studiosè amplectimur, quàm omnibus epulis, quæ hominum infirmas vires sæpè magis opprimunt quàm reficiunt, & quæ, si quid habeant energiæ præterea, non aliunde quàm ex verbo Dei participatam habent. Alioquin verò & sa-

D crum illud epulū haud alio spectabat, quàm per eius occasionē designatus Rex tutò inūgeretur.

Sed quomodo, inquies, potuit Dauid accedere ad sacrum epulum, cùm non esset sanctificatus? Nam alios omnes Samuel dicitur sanctificasse, quòd eos suo ministerio iussisset sanctificari. Ita Paulus dicit, se Galatos genuisse Christo. Quidam respondent eum fortasse adfuisse, & sanctificatum fuisse cum alijs, & cùm victimæ cæderentur, astitisse: postea verò iuisse rus, ne grex relinqueretur sine pastore. Alij dicunt, etsi non adfuerit, tamen Deum per Spiritum sanctum idem efficere potuisse, quod effecit in alijs admonitu Samuelis: & addunt, Deum, cùm autor esset legis, potuisse decretum suum relaxare: aut Dauidem ita fuisse pium, & mun-

Erat autem, &c.

dum, vt huiusmodi ritu non eguerit. Hîc videmus non omnia statim Samueli reuelari. Primùm audit regnum eripiendum esse Sauli: deinde illud futurum in familia Isai: nescit tamen quis ex eius filijs esset regnaturus. Postremò coràm, & quasi digito Dauid indicatur. Itaque Deus nos quoque pedetentim, & quasi per gradus adducit ad veri cognitionem. Neque enim omnia cuiquam primo quoque tempore patefacit.

Versus XII.

Misit ergo, & adduxit eum. Erat autem rufus, & pulcher aspectu, decoráque facie. Et ait Dominus: Surge, vnge eum, ipse est enim.

Variæ trãslationes.

Pagninus, *Misitque, & venire fecit eum: ipse autem erat rubeus, & pulcher oculis, & decorus visu, &c.* Arias, *Et ipse rubens*, Hebraicè אַדְמוֹנִי admoni, *simul pulcher oculis, & bonus* וְטוֹב vetob, *visu.* Vatabl. Laurent. *Misit ergo, & introduxit eum: eratque ille rufus, cum nitore oculorum erat, & decorus visu. Et ait Iehouah, Surge, vnge eum, quia iste est.* Idem edit. Salmant. *Misit ergo, & adduxit eum: erátque ille rufus, pulchra forma, & læta facie.* In Schol. pulcher oculis, & eleganti specie. Paraphr Chald. *Et is rufus erat, & oculi eius decentes, & pulcher in aspectu suo.* Complut. & Reg. Καὶ αὐτὸς ἦν πυῤῥάκης μετὰ κάλλους ὀφθαλμῶν, καὶ ἀγαθὸς τῇ ὁράσει. *Et ipse erat rufus cum pulchritudine oculorum, & bonus aspectu.* Aldus, Καὶ αὐτὸς πυῤῥάκης μετὰ κάλλους ὀφθαλμῶν, καὶ ἀγαθὸς ὁράσει κυρίῳ. *Et ipse rufus cum pulchritudine oculorum, & bonus aspectu Domino.* Sequitur apud Aldum, nam Complutenses cum Vulgata consentiunt, *Et dixit Dominus Samueli: ἀνάστα, καὶ χρῖσον τὸν Δαυίδ, ὅτι οὗτος ἀγαθός. Surge, & vnge Dauid, quoniam hic est bonus.*

Misit ergo, & adduxit eum.] Viatorum meminisse iuuat, qui quondam apud Romanos, designatos Dictatores & Consules ab aratris & pascuis accersebant. Olim siquidem, vt Claudianus habet de 4. Honorij Consulatu,

Quondam ab aratro vocati Cõsules.

Claudian.

Sordida Serranus flexit Dictator aratra.
Pascebatque suas ipse Senator oues.

Ouid. lib. 1. Fastor.

Quibus summa felicitas visa est, campum stiua, vt ait S. Sidon. Apollinaris, lib. 1. epist. 6. tremente proscindere. De Serrano & Camillo testatur S. Sidonius lib. 8. epist. 8. ab aratro ad Reipub. clauum per Viatorem vocatos esse. de Cincinnato & Curio post alios meminit Claudianus in lib. de bello Gildonico. Coruncani item & Fabritij plures ex antiquis: qui non tantum madidum sudore puluerem, vt inquit Saluianus Massiliensis, imperialibus togis abstergerunt, sed etiam, vt scribit Seneca in lib. de breuitate vitæ cap. 17. Dictaturam properarunt euadere ab ipso aratro reuocati. Ergo, vt quondam Claudianus cecinit in paneg. de Consulatu Manlij,

Sidonius Apollin.

Saluian. l. 1. de prouid. Dei.

Virtutem inuitam blandè vestigat, & vltrò
Ambit honor, docuit toties à rupe profectus
Lictor, & in medijs consul quæsitus aratris.

Sed nunquid cùm ad pascua Viator mitteretur, fieri potuit, vt Dauid diuini consilij ignarus esset? Quid enim vetat cur non idem quod de Samuele prius autore Deo diximus, de Dauide nunc quoque asseramus, *Porrò Dauid necdum sciebat Dominum?*

Erat autem rufus.] Commodum Marci filium Imperat. eleganti penicillo describit Herodianus lib. 1. Quandoquidem verò is se tantis naturæ ornamentis indignum præstitit, quæ in illum ab eo autore collata sunt, Dauidi adscribemus, si prius admonuerimus pauca quædam Herodianum narrationi inseruisse, quæ sui temporis superstitionem redoleant. Hoc, inquit, editus genere Commodus est, cui præter ætatis florem, etiam formæ dignitas suffragabatur, congruens corporis modus, pulchra virilisque facies, tranquillæ faces oculis atque micantes, flaua & crispa cæsaries, & in sole ambulanti velut igne quodam rutil ret, sic vt euntem quidam scobe aurea putarent conspergi, quidam etiam pro argumento diuinitatis acciperent, ac radios esse illos circa verticem genitiuos opinarentur. ad hæc lanugo malis proserpebat, easq; quasi floribus conuestiebat. Hactenus Herodianus. *Erat* itaque *rufus Dauid.* Hunc esse Solis colorem volunt, vti apparet, cùm sese in Iride tanquam in speculo miratur. Quem rubeum etiam Firmicus vocat: qui si fortè in Iride albido permixtus erit, fertilitatis prognosticon rustici interpretantur. Cuius rei ratio hæc afferri potest, quòd cùm eo pacto rarior appareat materia, spes sit à Sole dissipatum iri, vt inde pluuiæ iuges, aut largæ consequi nequeant, quæ plurimùm vbertati seminum officiunt. Hinc etiam Solares habere comas dicti sunt, qui eo colore rutilarent. Sic Philostratus, ξανθὴν κόμην οἶδε χαρακτὴρ καὶ πυῤῥὰν, καὶ ἡλιώσαν, id est, flauam comam agnoscit pictura, & rutilam, & solarem. Et alibi Oeneo Ætolo Meleagri parenti ἡλιῶσαν κόμην tribuit, & Memnonem Auroræ maritum κόμην ἐν ἡλιώσῃ αὐγῇ, id est, comam Solare iubar mentientem habere prodidit. Orpheus etiam Circen describens, crines habuisse radijs solaribus similes prædicat. Inuenio & auream Cæsariem in plerisque commendari. Nam & Apollo χρυσοκόμης audit apud Cornutum; & Iris, & Cupido, & Fauonius apud alios. Meminit autem Plutarchus in ἐρωτικῷ vim miram vnguinis cuiusdam, quo χρυσοειδῆ καὶ πυῤῥὰν, id est, auream flauámque comam Romanæ matronæ redderent; vt noueris, qui hic πυῤῥάκης dicitur, siue rufus, eundem velut aureo quodam colore, seu Solis splendore fulsisse. Neque enim duntaxat is color, quemadmodum Interpretes Latini verterunt, aut rufus, aut ruber dicitur, sed pluribus alijs nominibus, quæ Mar. Fronto studiosè enumerat apud Gellium libro secundo, capite 26. Nam cùm à Phauorino Philosopho Græcè ξανθὸς, καὶ πυῤῥὸς, καὶ ἐρυθρὸς, καὶ φοινικὸς dici ostensus esset, qui Romanam accusaret inopiam, tum Fronto excepit: Non enim hæc sunt sola vocabula rufum colorem demonstrantia, quæ tu modò

Herodian.

Elegãs formæ descriptio.

Rufus color in Dauide plurimùm laudatur.

Gellius.

Rufi coloris plures appellationes.

ERAT AVTEM RVFVS.

Rufi coloris plures appellationes.

modò dixisti, Rufus, & Ruber: sed alia quoque habemus plura, quàm quæ dicta abs te Græca sunt. Fuluus enim, & Flauus, & Rubidus, & Phœniceus, & Rutilus, & Luteus, & Spadix, appellationes sunt Rufi coloris: aut acuentes eum, quasi incendentes: aut cum colore viridi miscentes, aut nigro infuscantes, aut virenti sensim albo illuminantes. Nam Phœniceus, quem tu Græcè φοίνικα dixisti, noster est: & Rutilus, & Spadix Phœnicei συνώνυμα, qui factus Græcè, noster est, exuberantiam, splendorémque significat ruboris: quales fructus palmæ arboris, non admodum sole incocti: vnde Spadicis & Phœnicei nomen est. Spadica enim Dorici vocant auulsum è palma termitem cum fructu. Fuluus autem videtur de rufo atque viridi mistus: in alijs plus viridis, in alijs plus rufi habere. Sic poëta verborum diligentissimus, fuluam aquilam dicit & iaspidem, fuluos galeros, & fuluum aurum, & arenam fuluam, & fuluum leonem. Sicque Ennius in Annalibus Fuluo ære dixit. Flauus contrà videtur ex viridi, & rufo, & albo concretus. Sic flauentes comæ. Flauus etiam puluis, & aqua flaua Pacuuio. Rubidus autem est rufus atrore & nigrore multo mistus. Luteus contrà rufus color est dilucidior: vnde eius quoque nomen factum esse videtur. Non ergo, inquit, mi Phauorine, species Rufi coloris plures apud Græcos, quàm apud nos nominantur. Hæc omnia Fronto.

Hebraica dictio rufum denotans expenditur.

Sed nos, quam potissimum speciem ex his eligamus non est facilè statuere. Deinde & illud animo occurrit in dubium vocari posse, an is color capillum tingeret, an verò cutem. Neque enim necesse est eodem vtrumque tingi. Hebraicè legimus אדמוני *admoni* à verbo אדם *adam* quod est rubuit. Inde אדמה *adama* terra: quæ intacta cùm primùm vomere sulcatur, nec adhuc imbre lota est, rubere solet. Inde quoque אדם *Adam*, qui propterea dicitur ab Apostolo *è terra terrenus*. Nonnullo loco is color ignitus exponitur. Nam cap. 2. versus 3. Nahum Prophetæ legimus, *Clypeus fortium eius* מאדם *meodam rubefactus* ob magnificentiam scilicet & terrorem, eodem sensu quo Virgilius *Loricam sanguineam* dixit. Alioquin enim & Damascena regio, quæ materiam formando homini suppeditasse fertur, humum habet rubeam, quæ arte subacta ceræ instar tractabilem se exhibet, & nomen ipsum דמשק *damescek* sanguinem sonat, vt docet S. Hieronymus in 28. Ezechielis. siue à coloris similitudine, siue, vt Hebræi tradunt, à sanguine Abel qui in eodem loco à parricida cæsus est. דם *dam* certè Hebræis sanguis est. Veruntamen Vulgatus quo eiusdem coloris scintillantes radios magis exprimeret, reddidit: *Et clypeus fortium eius ignitus*. Nec abhorret Græca phrasis. Nam hi quoque πυῤῥαὶ siue rufam cæsariem αἴθην vocant, igneam siue ardentem. Habent siquidem Xanthi capilli, vt nonnullus obseruat, solare quiddam, Pyrrhi verò flammeum. Hinc enim virgo formosissima, & Menalippi amore nobilis, apud Pausaniam Comætho Κομαιθὼ ab aurea coma ignis in modum micante denominata

A est. Sylla quoque comam habuisse auream, ignique concolorem proditur. Critiam ex triginta tyrannis vnum πυῤῥότριχα, ab igneo capillitij colore, scripsit Solon in Elegijs. Talem fortassis veteres dixerunt comam purpuream, quam Pterelao & Niso fuisse poëtæ comminiscuntur. Rufum capillitium describit Ouidius lib. 1. amor. eleg. 14. his verbis.

Ouidius.

Nec tamen ater erat, nec erat color aureus illis,
Sed quamuis neuter, mistus vterque color.

Auicenna rufum colorem cõmendat.

Cæterum quæcunque ea species Rufi coloris extiterit, sunt qui putent ad personæ commendationem pertinere. Quippe, inquit Cœlius Antiq. lib. 13. cap. 27. sicuti scienter primo Canonis docuit Auicenna, capilli nigrorem caliditati acceptum referimus: ex adustis enim humoribus nigricans consurgit vapor, eandem in B pilis exprimens qualitatem. Subalbidus color, frigiditatis indicium est: in eum enim colorem frigoris opera vergit humor, & qui contolluntur inde vapores, albicant. At citrinitas & rubedo qualitatem præferre videntur in primis, id est temperatam constitutionem inter adurentem calorem & frigus.] Ex quibus hoc quoque sequi videtur, vt qui eiusmodi sunt, formosi habeantur, & præter cæteros ad virtutem nati. Budini gens Scythica, si Herodoto credimus lib. 4. omnis cæsijs oculis & rufa, reique pecuariæ dedita.

Vituperatio rufi capillitij.

Negari tamen non potest Ægyptios quondam rufos vehementer exosos habuisse. Nec item ignoro quid Seruius scripserit in 4. Æneidos, explicans illud Virgilij, *Necdum illi flauum Proserpina crinem*, Flauos Didoni crines adpingi C tanquam mœchæ siue amicæ, non autem matronæ. Nec me denique latet Grammaticorum sententia, qui Xantham siue flauam in Achille comam, coloris & iracundiæ argumentum habent; quoniam eiusmodi ferè sint Xanthocholi, id est quibus flaua bilis dominatur. Vt enim his primùm respondeam, Flauus etiam ab Homero pingitur Menelaus, quem tamẽ haudquaquam acrocholum intelligũt, sed mitem suauémque, ac proinde mollem bellatorem. Dauid sanè de seipso prædicat, *Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius*. Quod Seruius asserit flauam comam quondam meritoriam habitam, confirmat illud Euripidis, Amor inquit, ἐνόπτρων κάτοψιν, κόμας ξανθώματα, amat specula, & crinium ruffationes. Hinc idem Clytemnestræ, D quæ mariti thorum violaret, flauos cincinnos tribuit. Pyrrhæ nobili scorto Horatius. Apud Iuuenalem Satyr. 6. Augusta illa meretrix Messalina fornicem adit,

Nigrum flauo crinem abscondente galero.

Flaua cæsaries defenditur.

Verùm sic intelligendæ sunt flaui capillitij vituperationes, si arte quæratur, aut fuco pigmentisque tingatur, alioquin enim si naturæ beneficio contingat, neq; flauus capillus mœcharum est proprius, neque vspiã malè audit. Nam apud Romanos inclytæ genti Flauiæ nomen creauit flaua Cæsaries, & Ænobarbos barba æris instar fulua nobilitauit. Rufum crinem Germanis Seneca attribuit. Mamertinus Francos crine rutilantes prædicat; Flauicomos Danaos Pindarus. Batauos auricomos Sillius; Britannos item fla-

ERAT AVTEM RVFVS.

uos Lucanus. Calidonios Britanniæ populos, quòd haberent comas rutilas, Germanorũ esse coloniam probat Tacitus in Agricolæ vita. Antonium Seueri filium flaua coma capiti imposita Germanos sibi cõciliasse. Herodian. autor est li. 4. Igitur cùm natiuus is color esset, vitio verti nusquam consueuit. Sed neque cùm primùm adhuc integra fama matronarum, nec subsessoribus oculis (vt ait Valer. Maximus) alienis matrimonijs inhiantibus, mulieres nostræ, (inquit Cato in Originibus) capillum cinere vngitabãt, vt rutilus esset. Ast vbi reuulsis pudoris repagulis, libido flauum comæ decorem fraude captauit, exinde is color famosus haberi cœpit. Ouid. porrò lib. 15. Metamorph. docet Crathim & Sybarim Italiæ fluuios, flauum crinem conciliare. Ægyptij reuera rufos odio maximo prosequuntur, vt testatur Diod. Sicul. li. 2. & eos quondam mactabant ad Osiridis sepulchrum, non naturæ vitio offensi, sed Typhonis scelere, quem fama ferebat Osiridem frugum repertorem olim iugulasse. Is enim rufus fuisse dicebatur. Quæ res Ægyptiorum stultitiam accusat potius quàm oneret immeritos.

Oris color ac species.

Quod si magis placeat illud אַדְמוֹנִי *admoni*, non tam priuatim capilli tinctum quàm totius oris speciem indicare, tum verè spectabit ad formæ commendationem. Sic enim intelligemus Dauidem forma præditum fuisse, non fracta, aut effæminata, aut molli, sed virili, & ad bellicos labores triumphique gloriam non sine gratia comparata. Oculis ipsis martialem quandam ferociam spirare videbatur. Talem ex parte Dilectum suum describit Sponsa in Cant. cap. 5. vers. 10. דּוֹדִי *dodi*, *Dilectus meus* צַח *tsach*, Græci λευκὸς *candidus*. Chaldæus Paraphr. refert ad *stolam eius instar niuis albam*. Reuera autem צחח *tsachach* idem est ac mundus, purus, nitidus, clarus, politus fuit. Inde verò deductum est nomen צח *tsac*, quod alij parum, alij candidum, nonnulli serenum volunt. Manifestè etiam Vulgatus צחות *tsachoth* in fœminino genere, orationis elegantiam interpretatur Isaiæ ca. 32. v. 4. duobus his verbis, *velociter & planè*. Sic enim habet: *lingua balborum velociter loquetur & planè*. Quod Pagninus exposuit, loquetur *nitida*, Arias *candida*, hoc est, diserta erit & eloquens. Posset etiam verti, vt Matthæi 12. sanus, firmus, integer: sed volunt Arabes potius quàm Hebræos in ea significatione vsurpare. Ergo sic hactenus legere possis, *Dilectus meus valido corpore ac serena facie*. Sequitur וְאָדֹם *veadom*, & *adom*. *Adom* autem, & *admoni* eandem radicem habent, quæ est אדם *adam*, rufus fuit, rubuit. Septuag. ϗ πυῤῥὸς & *fuluus*, vt habent Complut. aut potius *rufus*. Paraphr. Chaldæus *instar ignis rutilans*. Vulgatus *rubicundus*. Is enim color est qui præ cæteris viget, ac veluti flos quidam valetudinis ac formæ, omnium oculis gratissimus arridet. Dauid igitur cùm esset Sponsi amicus, nihil mirum si tanquam eius decoris particeps, iisdem fermè coloribus depingitur. Scribit Cedr. fol. 254. Valent. Imper. creditum Dauidi similem: quòd ruber esset, rufo crine, oculis pulchris, & aliquantum cæsijs.

Et pulcher aspectu.] Pagninus ad verbum, *Et*

ET PVLCHER ASPECTV.

A *pulcher oculis*. Mineruæ eos sacros tradit Fulgentius; Cupidini Veneris filio Philostratus, in quibus, ceu specula quadam excubet. Cæterùm cuicunq; Deo siue deç oculos prisca superstitio dicarit, dubium esse non potest, quin ad formæ pulchritudinem ornamenti plurimùm conferant. Ex his verò potissimum Physiognomones de occultis moribus coniecturã capiunt. Docet hoc Nicostr. in lib. de Nuptijs, apud Stobæum serm. 68. Benigni enim, inquit, oculi summam animi pulchritudinem comitantur: & fieri solet vt qui non excandescit, nec facile irascitur, aut bile mouetur, faciem splendidam serenámque habeat. Qui verò malignus & dolosus fuerit, is statim & oculis transuersè implacidéq; intuetur: qui stolidus ac simplex est, pupillas & oculos patentes gerit, vt asini & oues. Cui supercilia

Physiognomia oculorum.

Nicostratus.

B lia coniunguntur, improbus est: cuius superficies in vultu non rubet, sed obscura caliginosáque est, huius anima nunquam vllo modo exhilaratur. Cæterùm eiusmodi notæ, inquit, non modò virginibus & mulieribus, sed etiam viris insunt. Hactenus Nicostratus. Huius rei rationem reddit Suidas planè luculentam in verbo διάθεσις. Non enim, inquit, ἄσχετός ἐστιν ὁ δεσμὸς τῆς ψυχῆς πρὸς τὸ σῶμα, ἀλλὰ συμπαθής. independens siue libera est animæ cum corpore coniunctio, sed nexa mutua quadam sympathia. διαβαίνει γοῦν ἐκ τῶν τῆς ψυχῆς κινημάτων ἴχνη πρὸς τὸ σῶμα, καὶ ἐκ τοῦ σώματος πρὸς τὴν ψυχήν. Vestigia profectò quædam ex animæ motionibus ad corpus trãseunt, & ex corpore ad animam. ὅθεν καὶ οἱ φυσιογνώμονες ἐκ τῆς τοῦ σώματος ἰδέας, τεκμαίρονται τὰς τῆς ψυχῆς διαθέσεις.

Suidas

C Vnde & Physiognomones ex corporis forma ipsas animæ affectiones conijciunt. Quod autẽ ex corporis affectionibus aliquid etiam ad animam transeat, perspicuum est. Nam cum dolente dolet, & eo bene affecto simul lætatur. Quòd etiam corpus aliter, atque aliter affectum, ipsam animam impediat nullus ignorat. Quod profectò non accideret, vt ipsa ab ipso impediretur, nisi ab affectione, & habitudine, erga ipsum aliquis consentiens affectus ad animam transiret, adeò vt, si posterior cerebri ventriculus fuerit læsus, ipsa memoriæ vis lædatur. Et iterum post alia nonnulla: Quinetiam diuersæ animarum proprietates, & ad hos vel ad illos affectus propensiones, ex ipsa animarum habitudine erga corpus, & ex proportione quam cum eo habent, oriun-

D tur. Vnde etiam postremò quidam existimarunt, ταῖς τοῦ σώματος κράσεσιν ἕπεσθαι τὰς τῆς ψυχῆς δυνάμεις, animæ vires siue facultates corporis temperamentum sequi. Hæc Suidas. Cuius oratio si habet locum, maximè in oculis, in quibus Nonnulli veteres habitare animum censuerunt. Idem certè quemadmodum animo affecti simus, manifestè loquuntur. Nam ardere, incendi, arridere, conniuere, aut etiam menti collachymare videntur. Propterea igitur à quibusdam animi indices & naturæ speculum dicti sunt. Galenus oculos vocat lucidum organum, & solarem hominis particulam: aliàs etiam diuinum membrum dicere ausus est, ob miram & inexplicabilem eius subtilitatem. Stoici etiam visum Deum appellare

Oculi animorum indices, naturæ speculum.

ET PVLCHER ASPECTV.

appellare non sunt veriti. Sed hi profectò oculos amplius æquo mirantur. Negari verò non potest habere illos maximam cum animo coniunctionem & sympathiam. Theophrastus formam eos dixit, quoniam ijs orbata facies, vt Chalcidius inquit, informis euadit. An quia lucis vsura vitam à morte secernunt? Vel denique, quia sicut vnaquæque res ex sua forma cognoscitur, sic nos quoque ex oculis. Nec id adeo mirum. Sunt enim plerique, qui in videndi ratione neque Peripateticorum simulacra probent, quæ docent oculos foris inuadere: neque Platonicorum oculares radios, qui res obiectas natiua luce collustrent: sed mentem ipsam velint per se eo munere fungi, perque oculorum membranas humoresque, perinde ac per vitrum aut specularem lapidem, visibilia contueri. Vnde etiam consequi putant, vt mens sæpe atque voluntas, ex oculorum motionibus affectionibúsq; deprehendatur. Oculorum sanè splendor ingenij præfert solertissimum acumen: quod ipsum ex veterum sententia pupillarum glaucus color indicat. Quo argumento dea sapientiæ Pallas Glaucopis creditur denominata.

Affectus denominati ex oculis.

Hinc factum opinor, vt nulli non motus oculorum diligentissimè obseruarentur, ex quibus communis vsus vitia virtutésque designaret. Nam & suspicere, & despicere, ac circumspicere dicimus: quorum alterum cum veneratione admirari, alterum contemnere, tertium seriò attendere, quod sagacis prudentiæ est, significat. Κατιλλώπτειν Græcis, nam his quoque ἴλλος oculus est, præsertim apud poëtas, despicere est, ἐπὶ χλευασμῷ, vt Pollux habet lib. 2. cap. 4. sect. 7. id est cum subsannatione. Pausanias ἰλλώπτειν item accipit pro eo quod est oculis subsannare, irridere. Pollux iterum ἰλλώπτειν interpretatur in Comœdia παραβλέπειν seu conniuere. Ælius Dionysius ἰλλώπτειν exponit humectis fractisque oculis inspectare. quod eódem recidit. oculi siquidem libidinis vitio, humore distenduntur & tument. Ὑποπτεύειν Polluci aliquid videndo suspicari est. Σιλλαίνειν verò est subsannando oculos vibrare. Ἀποβλεπεσθαι pro admirari Æschines Socraticus dixit. ὀφρυᾶσθαι superbire est. ὄψις enim etiam oculum significat. Prouidere item & prospicere dicimus quæ significationes sunt notæ. ἐποφθαλμιᾶν, τὸ ἐνοφθαλμίζειν, id est, oculum adijcere, est aliquam rem desiderare. Περιωπὴν verò Thucydidi ἀποκάθαρσις: considerationem Cicero vertit. Περίβλεπτος verò siue conspicuus apud Isocratem, ὁ θαυμαστὸς, καὶ ἔνδοξος pro admirando & gloria digno ponitur. Sed hæc singillatim perscrutari nequaquam instituti nostri est. Satis autem ex his manifestè patet, quantum semper oculis humana gens tribuerit: quorum testimonio de arcanis hominum seu vitijs, seu virtutibus, se posse ferre iudicium existimarit. His quoque, vt vides, non parum fidei Samuel habuit, qui eos priusquam Dauidem inungeret, tantopere commendarit. Erat enim, vt est apud Pollucem ibidem sect. 10. Dauidis βλέμμα ἔντονον, καὶ ἑνωπὸς, καὶ σῶφρον, ἱλαρὸν, σεμνὸν, αἰδῶδες, ἀδρὸν, ἀρρενωπὸν, ἀπειλητικόν. Hoc est, visus intentus, con-

Dauidis aspectus.

stans, modestus, sanus, castus, virilis, fortis, masculus, & minax.

Cæterùm, quæ fuerit pulchra illa species habitus, seu decor oculorum, quiue color potissimùm me fugit. Turgidi tamen oculi malè audiunt, & ἐποφθαλμιῶν inuidus habetur. Horus etiam scribit: oculos sanguine suffusos haberi impudentiæ signum. Apostrophos oculos apud Sophoclem intelligunt retro versos, sicut diastrophos in furentibus peruersos. Hos nemo laudarit vti neque Strabones, quos Græci στραβοὺς nominant, quibus obliqua sit oculorum acies, abiunctáque à naturali venustate. Vocatur & quidem βλαπτόμενοι distortis oculis, veluti ab dæmone percussus. Sic nuncupari olim Socraticos, Pausanias autor est. Soli autem homini deprauari oculos eruditi tradunt. Quibus autem vt petis leuiter inclinantur, his non perit gratia. Tolerabile vitium est. Hinc ait Horatius.

Quales oculi non probantur.

Strabonem appellat petum pater.

At ludebat Socrates, & iocabatur profectò apud Xenophontem, cùm de pulchritudine oculorum cum præstanti forma adolescentulo in Conuiuio contenderet. Vtrum enim, inquit, in homine solùm putas esse pulchritudinem, an etiam in alio quopiam? Equidem, respondit Critobulus, & in equo, & in boue, & in rebus inanimatis multis esse arbitror: scio enim & scutum aliquod pulchrum esse, & gladium, & item hastam. Quî, inquit, fieri potest, vt hæc, quæ inter se nullam habent similitudinem, omnia pulchra sint? Si nimirum, inquit, in eos vsus quorum causa quæque comparamus, probè fuerint confecta vel nata. His postquam assensus esset Critobulus, Nostine, inquit Socrates, cuius gratia oculis indigemus? Profectò, inquit, aspiciendi causa. Ita igitur mei oculi tuis erunt pulchriores. Quo tandem modo? Quia tui tantummodò rectà aspiciunt, at mei etiam in transuersum, quia sunt emissitij & extantes. Tu dicis, inquit, cancrum omnium animalium optimis præditum esse oculis? Prorsus, inquit: nam & ad robur oculos optimè à natura constitutos habet. Hactenus Socrates. Sed dic age, cur non etiam reliquas partes tam bellæ pulchritudinis prosequamur, & languescentis styli insulsitatem his tanquam innocuis salibus modicè aspergamus? Pergit ergo Socrates & de naso pariter atque ore dicere. Vter autem nasus, inquit, meusne an tuus formosior est. Equidem, inquit, meum arbitror, si modò odorandi causa ij nobis fabricati sunt: tuus enim in terram intuetur, meus autem erectus est, vt vndique odores captet. At simus nasus quî potest esse recto pulchrior? Quia, inquit, non obturat, sed statim finit vt oculi, quæ sub ipsos cadunt aspiciant. At editus & prominens nasus tanquam vim adferens, oculos quasi muro cingit. Iam quod ad os attinet, inquit Critobulus, tibi cedo: si enim mordendi causa factus est, multò tu melius quàm ego mordeas. Labra autem quia crassa sunt, an non putas me suauiùs osculari quàm te? Videor, inquit, tua ratione, vel

Xenophon in Sympos.

Oculi.

Nasus.

Os.

Labra.

ET PVLCHER ASPECTV, &c.

asinis ipsis turpius os habere. Sed an non putas satis magnum esse illud argumentum, me esse te formosiorem, quòd Naiades deæ cùm sint, Silenos mihi similiores, quàm tibi pariunt? Et Critobulus, Non possum, inquit, amplius contra ista dicere. Nec mirum. Quis enim tacitus ad tantam pulchritudinem non obstupescat, aut etiam tanquam visa Gorgone lapis fiat? Socratis porrò iocularem absque riuali philautiam defendit Galenus. De vtilitate partium 1. cùm asserit pulchritudinem optima corporis constitutione constare, quam haud aliter quàm ex actu deprehendas. Nolo tamen in eam classem Dauidem nostrum referas, aut proximè ad Silenos accessisse putes, sed qualem potius Alexandrum Orbis domitorem describit Ælianus lib. duodecimo var. histor. capite decimoquarto, flauis capillis, neglectâque forma decorum, & permistum gratijs terrorem vultu oculisque præferentem.

Forma Dauidis.

Ælianus.

Tametsi verò muliebrem pulchritudinem, cùm libidini obsequitur, meritò insectatur S. Ioannes Chrysost. Oratione sua. De pulchritudine, cùm sit enim hæc fragilis, fuco tamen suo plerosque incautos decipit: attamen suapte natura oris dignitas, ac formæ decor nequaquam vituperatione digna: quinetiam cùm sint illa Dei dona, plurimùm eius industriam commendant. Neque enim aliud esse videtur pulchritudo quàm grata colorum linearumque concinnitas, & absoluta partium symmetria: quæ si contingant, proculdubio ad opificis laudem pertinent. Plutarchus etiam pro pulchritudine hæc ait: Pulchritudo corporis, opus est animæ gratificantis ei decus formæ. Ἡ χάρις τοῦ σώματος εὐμορφία, ψυχῆς ἐστιν ἔργον σώματι χαριζομένης δόξαν εὐμορφίας. Nam si corpus emigrante anima moriatur, nihil restat: vigor, color, oculus, & vox pereunt. Denique nihil amabile residuum est destituto corpore antiquis colonis. Concludit, formam igitur culpans, in animam quoque, vt humanæ pulchritudinis causam, imprudens contumeliosus est. Hæc Plutarchus. Phauorinus verò in Melancomio, docet Pulchritudinem Deo suauissimam, hominibus gratissimam esse, possidenti minimè molestam, inter humana bona maximè conspicuam. Cætera enim bona in homine sita, vt fortitudo, prudentia, latere possunt, nisi opere aliquo demonstrentur: pulchritudo autem latere nullo modo potest: statim enim in possidente apparet, aut etiam à principio celerem sui sensum exhibet. Ad hæc bonis quidem plurimi inuident, & inimici redduntur: pulchritudo autem eos qui ipsam sentiunt, amicos reddit, & neminem inimicum sibi fieri permittit. Itaque dixit Aristoteles, pulchritudine homines quauis epistola magis commendari. Cylon formæ gratia Athenis statuam æneam meruit, tametsi esset de ciuitate malè meritus, vt pote qui tyrannidem affectasset, vt scribit Pausanias. Philippus etiam Butacides, vt est apud Herodotum lib. 5. sepulchrum Heroicum, & hostias post mortem ab Ægestanis hostibus admiratione pulchritudinis consequutus est. Darius

Pulchritudinis commendatio.

Plutarch.

Herodot.

A item cùm esset potentissimus, ad immortalem sui nominis gloriam, postquam ad Tearum amnem peruenisset, se pulcherrimum cunctorum hominum inscripsit. Idem Herodot. lib. 4. Habet hoc præterea pulchritudo, quòd si quis ea præditus in calamitatem inciderit, reliquos ad misericordiam prouocet. Testis S. Gregorius apud Venerab. Bedam lib. 2. histor. Anglor. cap. 1. Cùm enim egregia forma venales pueros Romæ in foro conspexisset, & audisset eam gentem hactenùs dæmonum superstitione teneri, Intimo ex corde, inquit, longa trahens suspiria: Heu, prò dolor, ait, quod tam lucidi vultus homines tenebrarum autor possidet, tantâque gratia frontis conspicui mentem ab interna gratia vacuam gestant. Itaque tum ad eos se conferre voluit, vt mentes eorum disciplinis cælestibus imbueret) quod B cùm eo tempore facere prohibitus esset, per alios postea cumulatè præstitit. Ast vbi etiam mox didicit Anglos vocari, Bene, inquit: Nam & Angeli eam habent faciem, & tales Angelorum in cœlis decet esse cohæredes. Igitur etiam pulchritudo videri similes Angelis facit. Contra verò Porphyrius dæmones, quorum animi iniqui sunt, corpora item habere deformia pronuntiat. Versabatur scilicet in eo errore Porphyrius, vt crederet, dæmones etiam corpore constare: sed satis est, si ea sibi foris asciscere intelligantur.

ET PVLCHER ASPECTV, &c.

Vener. Beda.

Denique Socrates docuit, vt est apud Xenophontem in Sympos. Formam natura esse quiddam regale, præsertim si cum pudore & temperantia coniunctam, quemadmodum Autolycus, dic tu potius Dauid, eam quis adeptus esset. C Primùm enim, sicut cùm lux aliquò noctu affulserit, in oculos omnium incurrit: sic tum Autolycus forma pulchritudinéque omnium in se oculos conuertit: nemóque fuit eorum, qui spectarent, qui non aliquantum animo commoueretur, vel secum tacitus, vel etiam gestu aliquo immutatus. Ac omnes quidem alicuius deorum numine afflati, spectatu digni esse videntur: qui tamen aliorum numine aguntur, tum truculentiores visu, tum terribiliores, ac in loquendo vehementiores esse dicuntur. At qui casto amore diuinóque instinctu afflati nihil nisi diuinum spirant, hi & oculos amabiliores habent, & vocem mittunt suauiorem, & gestus agunt D concinniores. Hactenus Socrates. quæ non video cur de Dauide dicta videri non possint, nisi quod edocti ab Apostolo, plura quidem charismata agnoscimus, sed non nisi vnum Deum.

Formam quidam regale esse Socrates asserit. Xenoph.

Decoráque facie.] Euripides in Oedipo:

Νοῦν χρὴ θεάσασθαι. οὐδὲν ἡ τῆς εὐμορφίας
Ὄφελος, ὅταν τις μὴ φρένας ἔχῃ.
Animus spectandus est. Nihil pulchritudo
Iuuat, cùm quis mentem non bonam habet.

Et idem in Chrysippo,

Δύσμορφος εἴην μᾶλλον, ἢ καλὸς κακός.
Deformis sim potius, quàm pulcher & malus.

Absoluta pulchritudo est, virtus & integritas cum corporis concinna linearum, colorũ, membrorúmq;

Decora quæ facie.

brorumq; proportione. Hebraic. וטוב ראי *vetob roi* Pagninus, *& decorus.* Arias, *bonus visu.* Prius dixerat עינים *gneuayim. oculis*; nunc ראי *roi*, *visu pulchrum* vocat. qui decenter & honestè intueretur. Sic enim actiuè exponitur Genes. cap. 16. vers. 13. *Tu Deus qui vidisti me.* Hebraicè scriptum est אל ראי *el roi. Deus visionis.* Siue autem ראי, siue ראי idem nomen est, nec vllum habet in significando discrimen. Quare hoc indicare vult, primo aspectu mox omnium oculis placuisse, & hominum in se studium prouocare potuisse. Passiuè etiam accipi potest, ita vt intelligatur miraculo sui spectatores oblectasse. Sunt qui eò spectare putent gratissimum pupillæ colorem. Sed is varius est, neque de eo pariter omnes sentiunt.

Pollux.

Dicitur inquit Pollux li. 2. cap. 4. sect. 10. oculus ὀφθαλμὸς γλαυκὸς ὁ γλαυκίων, glaucus, cæsius, χαροπός, gratiosum vertit Interpres; Theodorus in Aristotele fuluos oculos, rauos alij. Porphyrius rauum vult esse fuluum. quidam etiam subnigros. alijs ij sunt, quos varios dicimus. Plutarchus in Mario, charopos Germanorum oculos appellat. Tacitus verò Germanis omnibus truces ac cæruleos oculos esse scribit. Legimus etiam ægopos caprinos, quos subglaucos intelligunt. Cæsares à cæsijs oculis dictos obseruat Spartianus in Ælio Vero. Μελανόφθαλμος, seu niger oculis, antiquioribus Græcis Romanisque probatur. Lucretius lib. 4. inter deformes puellas numerat cæsiam, & Terentius in Heautont. Act. 5. Scen. vlt. Hac nostra ætate cærulei, si probè tincti sint, non displicent. Cæsios plus ignis habere opinatur Empedocles, plus aquæ nigricantes. Non enim humoris copia transpici facile potest quæ penetrari potest, ea cæsia mare visentibus apparet. At quæ præaltis opaca gurgitibus sunt, cærulea sentiuntur, aut nigra.

Oculorum varij colores.

וטוב ראי *Vetob roi.* De dictione טוב *tob* nos antea copiosè cap. 9. vers. 9. Septuaginta, hoc loco vertunt, καὶ ἀγαθὸς ὁράσει. Aldus etiam addit κυρίῳ, *& bonus aspectu Domino.* Huic enim potissimùm placere studuerat, dum peregrè procul ab hominibus cum insontibus agnis conuersatur. *Tob* vtrumq; significat, & pulchrum, & bonum. Quinetiam idem esse bonum quod pulchrum S. Thomas asserit, vt nos alibi retulimus. Esse quoque naturaliter intus bona statuit Plotinus, quæcunque sint extrinsecus verè pulchra: quippe ex interioris formæ perfectione, atque seminariæ rationis victoria super materiam, oritur externa formositas. Episcopus Abulensis in Paradoxis docet eos qui forma præstent esse quoque meliores. Nam quo aptius erit corporis organum, eo quoque animus eodem commodius abutetur, & in exercenda virtute minus perturbabitur. Hoc verò cùm floridus color pollicetur, tum perfecta membrorum armonia. Pluribus suam sententiam confirmat, quæ si commodum erit apud eundem legere poteris.

Bona quæ pulcra.

Tostatus.

Surge, vnge eum, ipse est enim.] Septuaginta, ἀνάστα, καὶ χρῖσον, &c. Fortassis Deum consulens procubuerat, seque supplicem in oratione prostrauerat tantisper dum Dauid adueniret. קום *Koum* etiam interpretari possumus, *Nunc denique alium quærere desine*: hunc oleo perfunde: quippe hic est, quem regno dudum destinaui. Aut certè ea vox nihil aliud sibi vult quàm quod his verbis exprimitur, eia, age, igitur. Fungitur verbum illud Imperandi, vice Interiectionis adhortantis. Rumpe moras, ad opus aggredere. Mira res; Iam nullus supererat qui venturus expectaretur, & adhuc tamen diuinæ iussioni præstolatur, ne quid temerè faciat. Ea est Sanctorum modestia atque longanimitas.

A

Versus XIII.

Tulit ergo Samuel cornu olei, & vnxit eum in medio fratrum eius: & directus est spiritus Domini à die illa in Dauid, & deinceps: Surgénsque Samuel abijt in Ramatha.

B

Versus XIV.

Spiritus autem Domini recessit à Saul, & exagitabat eum spiritus nequam, à Domino.

Cornu olei.

Cornu olei.] Paraphr. Chald. *cornu vnctionis.* quod etiam Vatablus subaudit in Scholijs. *In medio fratrum suorum.* Arias, *In interiori fratrum suorum.* Chald. *inter fratres eius.* *Et directus est spiritus, &c*] Pagninus, *Et mansit spiritus Domini super Dauid à die illa, & suprà: surrexitq; Samuel, & abijt in Ramah.* Septuag. *in Armathem.* Vatablus Laurent. *Et mansit spiritus Jehouæ super Dauidem à die illa, & deinceps.* Vatablus Salmant. *Ab illo die & deinceps spiritus Domini agitare cepit Dauidem.* Et in Scholijs, spiritum fortitudinis, prophetiæ, & prudentiæ intelligit. *In medio* autem *fratrum* exponit, vnum ex omnibus fratribus. Chaldæus Paraphr. *Et mansit spiritus fortitudinis ab ante Dominum super Dauid à die illo & suprà.* Septuaginta, Καὶ ἐφήλατο πνεῦμα κυρίου ἐπὶ Δαυὶδ ἀπὸ τῆς ἡμέρας ἐκείνης καὶ ἐπάνω. *Et insiluit spiritus Domini super Dauid à die illa & deinceps.* Aldus, καὶ ἐπάνω *& suprà*; sicut etiam Hebræus וָמָעְלָה *vamaghelah*, *& suprà.* ותצלח *vathitslahh* autem רוח יהוה *rouahh Jehouah*, quod Pagninus vertit, *Et mansit spiritus Domini*; Alter, *& inuasit*, Arias interpretatus est, *Et prosperauit.*

Variæ trãslat.

C

D

Versus 14. Pagninus, *Spiritus autem Domini recessit à Saul, & terruit eum Spiritus malus à Domino.* Hebraicè רוח רעה מאת יהוה *rouahh raghah meeth Iehouah.* Vatablus Salmant. *Porrò à Saule recessit spiritus Domini.* (Subaudi, *bonus*, inquit in Schol.) *turbauitque eum spiritus malus à Domino.* In Schol. territauítque, vel, exagitauit. aut, exagitare cæpit. *A Domino.*] id est, ita permittente Deo, aut immittente. Mox dicit, *Spiritus Domini malus* pro eodem, id est, qui facit voluntatem Dei, aut creatus à Deo. Ita Vatabl. Chaldæus Paraphrastes,

TVLIT AVTEM, &c. *Et spiritus fortitudinis ab-ante Dominum qui fuit cum Saul, transiuit ab illo, & terruit eum spiritus malus ab-ante Dominum.* Septuaginta, Καὶ ἔπνιγεν αὐτὸν πνεῦμα πονηρὸν παρὰ κυρίου. *Et suffocabat eum spiritus nequam malignus à Domino.* Radix Hebraici verbi est בעת *bagbath*, & non בעה *baghab*, vt hîc non fuerit à quodam vertendum, *instanit eum.*

Ælianus. Scala Pittaci. Pittacus vt autor est Ælianus Var. histor. lib. 2. cap. 29. in Mitylenes templis scalam fecit, ad nullum alium vsum, quàm vt esset ἀνάθημα siue dedicatum donum, adumbrans fortunæ repentinos ascensus atque descensus: ascendentibus quodammodo his, quibus fortuna aspirat, descendentibus verò, qui miserijs premuntur.

Tulit Samuel cornu olei.] Hebraicè קרן השמן *keren hasxemen*. Est autem propriè קרן *keren*, animalis cornu, quod fronte gestat. Eodem verò nomine etiam illa dicuntur quæ ex eo confecta sunt, vt pastoralis buccina, quæ tam Hebræis quàm Latinis cornu dicitur, vasa etiam quæcunque ex eodem materia elaborata sunt, vt hæc pixis cornea cornu olei vocatur, nisi forte potius à forma nũcupatam velint, quòd esset tornatu oblonga, inflexa, atque recurua. Dicuntur & radij cornua ex vsu Scripturæ, quod ea videantur imitari. neque enim alijs cornibus Mosis frontem fulsisse credendum est, cùm à Deo rediret. Arma quoque passim eodem nomine designantur, quoniam ijs maximè animalia se tuentur, & aduersarios conficiunt. Denique potestatem, vim, & imperium, cornua mysticè significant. Hoc loco quo pacto interpretandum sit, dubitare non possumus. Neque tamen frustrà reliquas eius vocis notationes obseruauimus, vt intelligeremus ea inunctione robur animi, virtutis splendorem, vires, imperiúmque conferri. Potuit & regni eius firmitas inde non obscurè præsignificari, quod ex vase corneo non fictili, quod fragile est, oleo delibutus sit.

Cornu plura Hebræis significat.

Et vnxit eum.] Henricus Auceps qui primus è Gente Saxonum regnauit in Germania, cùm ei ab Herigero Magontiaco Archiepiscopo offerretur vnctio cum diademate, non spreuit, inquit Vvitichindus lib. 1. Annal. nec tamen suscepit, &c. Penes, inquit, meliores nobis vnctio & diadema sit: tanto honore nos indignos arbitramur. Ditmarus lib. 1. Episcopalis vnctionem benedictionis ab Herigero Archiepiscopo exhibitam antecessorum more priorum, non desiderauit, nec suscipere voluit: sed prorsus ad hoc indignum se affirmauit.] Idcirco Imperatoris nomen non vsurpauit, tametsi regali potestate Imperium administrauit. Nam Imperatores è Gente Francorum (ijs tum Saxones autore Conrado subrogati erant) dicti sunt ij duntaxat, qui à Romano Pontifice ad hoc oleo sancto perfusi sunt, vt testatur Ludouicus 2. Imperat. in sua epistol. Apologet. ad Basilium Orient. Imperat. Quo loco Basilij insolentiam, qui nomine Imperatorio Francis interdicebat, castigat, & Pontificis factum Samuelis exemplo defendit. Porrò si calumniaris Romanum Pontificem, quod gesserit: calumniari poteris & Samuelem, quod spreto

Vvitichindus.

Vncti Imperatores è gente Francorum.

Ludouic. 2. Imp Francor. Imper. vnctionem Samuelis exemplo defendit.

A Saule, quem ipse vnxerat, Dauid in Regem vngere non renuerit. Verùm super hoc si est qui Summo Pontifici saltem vnum faciat muttum: (Gallicè, *qui ose dire vn seul mot*) congruo profectò illius non carebit responso. Sed interim si paginas reuoluas Græcorum Annalium, vtique discriminatos ab alienis, per quos nequaquam defensi: etsi quæ à vestratibus Pontifices Romani pertulerunt, perscruteris: profectò inuenies vnde illos iustè non valeas redarguere. Verùm hæc illi, quæ extrinsecus agebantur facilè paruipenderunt, nisi & intrinsecus quæ per diuersas hæreses perimere conantium molimina deprehenderunt. Vnde meritò apostatis desertis (Quæ enim communicatio Christi cum Belial?) adhæserunt genti adhærenti Deo, & ipsius Regni fructus facienti: quoniam *non est*
B *personarum acceptor Deus*, sed (vt eximius Apostolorum innuit) *in omni gente qui timet Deum, acceptus est illi.* Hæc & longè plura Ludouicus Imper. quæ inuenies apud Cardin. Baronium Annal. tom. 10. ad ann. Christi 871. Quæ idcirco referre volui, quod se Romanúmque Pontificem hoc exemplo prophetæ tueatur.

ET VNXIT EVM, &c.

1. Corint. 6.

Actor. 10.

Baronius.

Et vnxit eum.] S. Gregorius in hunc locum: Oleo vngitur caput Regis, quia lucere super candelabrum debet per flammam verbi. Cornu oleum recipit, vt increpando purget: & miserando per blandimenta trahat. Cornu etiam recipit in sublimitate ordinis, oleum ad fomenta virtutis. & iterum: Cornu ergo & oleum simul ostenditur, vt disciplina semper cum misericordia teneatur. Cornu autem oleo plenum dicitur, (initio capitis, *imple cornu tuum oleo.*) vt vbi-
C cunque cornu acumen exhibet, exhibeat refusæ gratiæ vnctionem. Et post quædam alia: Quid est ergo quod foris est cornu, intus oleũ: nisi quia plerunque subditorum duritia meretur, vt pastoris increpationem sentiat, sed misericordiæ eius aliquid non attendat? Rector ergo cornu exhibet, in quo oleum latet: quia cùm quis acriter ex charitate corrigitur, pœna sentitur, charitas non videtur. Sæuus enim rector aspicitur, qui sic increpat, quasi qui non amat, quasi qui vehementer odit, sic oburgat. Quid tunc à compunctis cernitur, nisi cornu acumen, quo acrius feriantur? Sed quia valdè intus pius pastor diligit, quem foris arguendo ferit: quid aliud, quàm cornu increpando monstrat, oleum diligendo cælat? Postremò & illud
D addit: Acutus ad feriendum esse debet, mollis ad miserendum. Perfectè feriat, vt omnem vim morbi perfectè confodiat: perfectè per misericordiam vngat, vt plagas quas pungit, ad sanitatem reducat. Si enim minus violenter quàm debet ferit, plus quod latet non eijcit. Et si violenter ferit, & abundè non vngit, percussum per austeritatem interficit, & saluti non reddit. Sit ergo integrũ cornu, integra olei plenitudo, vt austerè per cornu feriantur vulnera, & per oleum foueantur. Hæc S. Gregor. in hunc locum.

S. Gregor.

Tropolog.

Et vnxit eum in medio fratrum eius.] Idem denuo S. Gregorius: Sed quid est quod in medio fratrum vngitur: nisi quia virtutis exempla circunquaque spargere iubetur? In medio fratrum

S. Gregor.

Tropolog.

Et vnxit eum, &c. trum vngitur, vt tantæ vnctionis fieri participes omnes possint. Qui enim in medio ponitur, ab omni parte videtur. Oleo quippe in medio aliorum vngitur: quia qui in aliorum exemplum positus est, nullam sui partem habere obscuram debet, vt hunc omnes aspiciant, & ab ipso lucis exemplum sumant. Vnde & Sancta animalia in circuitu oculos habere describuntur, &c. (Ezech. 1.) Vel in medio fratrum vngitur, vt vnctum & medium se esse semper arbitretur. Agnoscat ergo dignitatem suam, & vim dignitatis exerceat: quia vnctus est. Videat se medium, & communis conditionis hominem, vt pares sibi esse eos, quibus eminet, recognoscat. In medio item vngitur, vt se priuato amore non diligat, sed ex omni quod præeminet lucra aliorum quærat. Hactenus S. Gregorius. Illud addi etiam potuit, idcirco factum, vt se omnibus præberet æquabilem, ne dum priuatim aliquos singulari amore complectitur, ijs quidem plus æquo indulgeat; reliquos, quod sæpe fit, angarijs oneret, tributisque opprimat. Mihi probabilior ea ratio videtur, ne fratres latere posset, aut deinceps cùm à Rege peteretur, insidijs ignorantiam prætexere, quo eum Regi proderent, aut etiam necem machinari. An verò fratres alij negotium intellexerint, iam dixi, vt arbitror, quid Iosephus sentiat. Fortasse, cùm ex eius tum aliorum quorundam opinione, cùm postea Dauidem audirent canere, & prophetare, putabant eum illa vnctione factum esse prophetam. Nam eum aliquando fore regem, non potuerunt suspicari. Postea enim Eliab in castris eum grauissimis verbis reprehendit: Ego, inquiens, noui petulantiam tuam. Quod si aliquid subodoratus fuisset de regno, non eum ita acerbè accepisset: nisi fortè id contempsisset, & habuisset pro ludibrio. Et certè capitale fuisset viuente adhuc Saule, alium inungi regem. Alij putant, Samuelem nihil indicasse de regno: sed tantum hoc dixisse, Deum elegisse aliquem ex filijs Isai ad magnam aliquam rem administrandam: & ne ipsum quidem Dauidem intellexisse se futurum esse regem. Sed id non est verisimile, & nos iam suprà contrarium docuimus.

Ratio cur vnctus sit in medio fratrum.

S. Gregor. S. Gregorius Sacramentum hoc vocat vnctionis, quod analogicè & suo modo intelligendum est. Sacramenta porrò certi aliquid obsignant. Quid autem obsignaret Samuel, si Dauid nesciret quid symbola promitterent. Imò in omnibus Sacramentis primùm significatur quid detur: deinde succedit signaculum. Abraham accepit promissionem, *In semine tuo benedicentur omnes gentes. Semen* autem illud *erat Christus.* Ita enim Christus ait, *Abraham voluit videre diem meum: vidit, & gauisus est.* Hanc promissionem postea obsignauit Circumcisio. Ita Dauidem nosse oportuit quid oblata signa indicarent. Oportet, inquit, S. Gregorius, Propheta cornu foris ostentet, intus oleo repleat: foris textum insinuet, intus sacramenta declaret. Sciat ergo Propheta quid tribuat: sciat Rex vnctus exhibita recipiendo quid agat. Ita S. Gregor. hoc loco.

Et directus est spiritus Domini à die illa in Dauid.] R. Leui exponit *Spiritum felicitatis*, quòd

A postea illi omnia feliciter successerint. Chald. Paraphrastes exponit, *Habitauit, & perpetuò mansit in Dauide.* Effecta sequuntur in Saule & in Dauide contraria. Nam Saul agitatur spiritu malo: Dauid autem afflatur spiritu Dei sancto. Quos enim Deus destinat administrando regno, eos ornat virtutibus, quibus munus illud obire possint. Itaque suppeditauit Dauidi *spiritum prophetiæ*, quo futura præuideret: & *fortitudinis*, ac roboris, quo vicit vrsum, leonem, Palæstinum: & *virtutum ciuilium*, quibus par esset administrandæ Reipublicæ. Sed habuerat spiritum Dei etiam antequam vngeretur. Deus enim dixit se *vidisse cor eius.* Fateor: Sed postea ille spiritus vires suas vehementiùs exeruit, & auctioribus eum donis cumulauit. Ita qui accedunt ad nostra Sacramenta, nisi præditi sint
B spiritu Dei, accedunt indignè, *& iudicium sibi manducant & bibunt.* Oportet ergo nos antè habere spiritum, quàm communicemus: sed eum postea oportet in dies incrementa maiora sumere. Deinde, *vnus quidem & idem est Spiritus,* vt inquit Apostolus, si gratiæ autorem spectes, *vna fides, vnum baptisma, vnus Deus & pater:* at si dona ipsa speciatim consideres, plures ab Isai spiritus numerantur. *Spiritus*, inquit, *sapientiæ, & pietatis, spiritus timoris Domini.* Et Apostolus ad Timotheum ait: *Accepimus non Spiritum timoris* (nimirum qui seruos deceat) *sed fortitudinis, & temperantiæ.* Dicitur verò & Spiritus ea gratia, quæ designatis à Deo tribuitur, quò suo quisque munere prosperè fungatur. *Ne contemnas*, inquit Paulus Timotheum admonens, *gratiam, quæ est in te per impositionem*
C *manuum presbyterij*: Huiusmodi gratia, quam *spiritum principalem* Dauid vocat, secundum quandam analogiam data est & Dauidi, & Sauli. Et certè necesse fuit, vt ita fieret. Vterque enim fuit admodum obscuro loco oriundus, à grege videlicet, & ab armento. Itaque nisi afflati fuissent à Deo, quomodo administrare potuissent Rempublicam? Quod ergo deerat vsui, & experientiæ, Deus suppleuit spiritu suo. Non desunt hodie quoque solennes ceremoniæ cùm inaugurantur Cæsares & Principes. Veniunt in sacro cultu Episcopi, fausta precantur, benedictionem impertiunt, vngunt, admonent, gladium stringunt, tradunt in manum sceptrum, caput diademate coronant. Vim autem & spiritum quo vtantur gladio, & gubernent orbem,
D Deus ipse suppeditat. De quibus nos antea fusè cap. 10. vers. 1.

Et directus est, &c.

Quis spiritus in Dauid directus dicatur.

His porrò etiam ad amussim respondet verbi emphasis, seu multiplex significatio. Non enim צלח *tsalach*, *insilire* tantùm, vt Septuaginta, aut *inuadere*, vt Vulgatus sequenti cap. 18. vers. 10. aut *agitare*, quomodo Vatablus; vel *dirigere* sicut Vulgatus; *manere* atque *prosperare*, quemadmodum Chaldæus, Santes, Ariasque verterunt: Sed etiam *crescere* significat. Ierem. cap. 22. v. 30. *Scribe virum istum sterilem, &c.* Septuaginta, ὅτι οὐ μὴ αὐξηθῇ ἐκ τοῦ σπέρματος αὐτοῦ ἀνήρ. *Quia non crescet de semine eius vir, qui sedeat super thronum Dauid, imperans vltrà in Iuda.* Hebraicè, לא יצלח *lo iytslach*, quod bis ponitur: & priore quidem loco Vulgatus trãsfert *non prosperabitur*, secundò

Hebraica dictio excutitur.

SVRGENS QVE SAMVEL &c.

non erit: LXX. semel legunt, *non crescet*. Quid si vertamus iterum, *Et arsit spiritus Domini in Dauid*, an non cum gratia & amplificatione fiet? Atqui in eam significationem alibi Septuaginta, Vulgatus, Chaldæúsque consentiunt. Amos cap 5. ver. 6. scriptum est, פֶּן יִצְלַח *phen yislach, sicut ignis domus Ioseph.* quod Pagninus exponit, *ne findat vt ignis*, quo nihil absurdius. Vulgatus, *ne fortè comburatur vt ignis domus Ioseph.* LXX. ὅπως μὴ ἀναλάμψῃ ὡς πῦρ ὁ οἶκος, *ne succendatur, siue ardeat vt ignis domus, &c.* quibus etiam astipulatur Chaldæus. Poterit etiam is *Spiritus* non modò *Principalis spiritus* intelligi, de quo hactenus: sed etiam *Princeps Angelus*, de quo Danielis cap. 10. ver. 13. & 21.

Surgensque Samuel abijt in Ramatha.] Non continuò vt vnxit: nam mox epulæ sequutæ sunt, quæ hactenus dilatæ fuerant, vt, quomodo ait sanctus Gregorius, in obseruatione ieiunij vnctionis Sacramentum celebraretur. Sed statim vt expleta est fames epulis, mensæque remotæ, tum maturè domum repetij. Quo argumento nosse poteris quatenus cibo poculisque indulserit, qui ea ætate alieno obsequio non indiguit, quo ad suos repedaret. At non is pariter quem in suo Timone describit Lucianus, promissa barba, subductisque superciliis, profusa cæsarie, & Titanicum obtuens em, Thrasicles Philosophus, alter quidam Boreas, aut Triton, quales eos Zeuxis depinxit. Nam hic quidem habitu frugalis, incessu grauis, amictu modestus, manè mirum quàm multa de virtute disserebat, damnans eos qui voluptate caperentur, frugalitatem laudans: at vbi lautus ad cœnam venerat, puerque ingentem illi calicem porrexerat (meraciore autem potissimùm gaudebat) perinde vt Lethes aquam ebibens, à diluculariis illis disputationibus diuersissima quæ sunt exhibebat, milui instar obsonia præripiens, & canum more sese ingurgitans, mentum quoque condimentis immergens, catinis prono corpore incumbebat haud aliter quàm si in patinis virtutem se inuenturum speraret, donec temulentus, vinóque bacchatus, non ad cantum modò, saltationémque, sed ad conuitium vsque & iracundiam prorumperet. Nec tamen interim à frugalitatis laudibus cessabat, quam tum maximè inter pocula prædicabat ridiculè balbutiens. Subinde verò accedebat vomitus. Postremò sublatum de conuiuio efferebant aliqui, ambabus manibus tibicinæ inhærentem. His laudibus ornat suum Philosophum Lucianus, quæ à Prophetæ moribus toto cælo dissident.

Lucianus. Thrasiclis Philosophi cũ Samuele collatio.

Nihil porrò Samuel Dauidi externarum virium confert ad obtinendum regnum. Tantùm facit quod erat iussus: rei euentum permittit Deo. Dauid ad oues redit, expectatque vt Deus aliquando perficiat, quod inceperat.

Quis spiritus Saulem deseruerit.

Spiritus autem Domini recessit à Saul.] Antea quidem habuerat spiritum Dei, vt manifestè patet supra cap. 10. & 11. sed cùm Dei iussa iam sæpius contempsisset, nec eundem admissi sceleris seriò pœniteret, is ab eo discessit. Habuit etiam dona complura Spiritus sancti, qualia pijs largiri solet, vt spiritum consilij, sapientiæ, intelligentiæ, fortitudinis: sed hæc quoque illi

SPIRITVS AVTEM, &c.

ablata sunt. Sic eum iusto Dei iudicio *Spiritus Principalis* deseruit, quo se confirmari post peccatum Dauid precatus est, & obtinuit, cùm flagitij maculam lacrymis eluisset. Sed Saul scilicet terrore potius victus delictum confessus est, quàm quod verè, & ex animo resipisceret. Tum etiam ab eo Angelus, rector prouinciæ, & principis tutor, alienatus est, Dei iussu ab eo ad Dauidem deficiens. Postremò etiam dubitare non possumus quin diuina gratia eum destituerit, & diuini numinis præsidio orbatus sit. Ex quibus sequitur, vt, si quid sentiam, liberè eloquar, tum verè quoque mortuum asseram. Neque enim sine causa scriptum esse credendum est supra cap. 13. quòd duobus tantùm annis regnauerit, cùm plures regnasse ostendi possit, nec ante vigesimum, & quod excurrit regni sui, in monte Gelboe occubuerit: sed tum regnabat scilicet vitam magis externa specie præferens quàm verè possidens. Nam qui fieri posset vt is viueret, qui nec Dei gratia fruebatur, nec peccati vulnus curauerat? Tametsi nonnullis viuens videri potuerit, certum est tamen vitam cum morte commutasse. At verò, inquit sanctus Isidorus Pelusiota epist. 212. lib. 3. supra modum miror, & vehementiùs obstupesco, qui fiat, vt ij quos peccata delectant, cùm semper moriantur, nunquam tamen mortuos se esse existiment. Vnde etiam quendam odum scripsisti, in quæstionem illud venire potest, quod ad primò fictos homines dictum est, *In quacunque die de ligno comederitis, morte moriemini.* Facinorosus enim & sicarius tum denùm verè moritur, cùm leges violat ac scelus admittit, quantumlibet alioqui vitæ vsura frui videatur. Nam & si nondum re ipsa, at si sententiam & ius spectes, mortuus est, etiamsi nondum in legum laqueos incidisse appareat. Quòd si quis etiam immortalis animæ mortem Spiritus sancti abscessionem esse definit, (neque enim in corpore peccatis obnoxio domicilium habebit) sic quoque hunc locum intelligere licet. Vt enim corpus præsente anima viuit: sic etiam diuino spiritu præsente. Et quemadmodum recedente anima corpus mortuum manet: sic etiam recedente Spiritu sancto anima beatam vitam amittet; non quidem illa in nihilum dilabens, verùm morte quauis acerbiorem vitam ducens. *Sine*, inquit Christus, *mortuos sepelire mortuos suos.* Ac rursum: *Filius meus hic mortuus erat, & reuixit. &c.* Hæc sanctus Isidorus, quæ nobis esse poterunt pro commentario.

Peccantes moriuntur.

Isidorus Pelus.

Et exagitabat eum spiritus nequam, à Domino.] Apocal. cap. 6. ver. 8. *Mortem infernus sequitur.* Macrobius verò lib. 1. in somnium Scipionis: Antequam, inquit, studium Philosophiæ circa naturæ inquisitionem ad tantum vigoris adolesceret, qui per diuersas gentes, autores in constituendis sacris cerimoniarum fuerunt, aliud esse inferos negauerunt, quàm ipsa corpora, quibus inclusæ animæ, carcerem fœdum tenebris, horridum sordibus, & cruore patiuntur. At nos per fidem nouimus hinc abscedentes reos, alios inferos, & alia manere supplicia. Quandoquidem tamen hîc quoque sontes ante migrationem inferorum nonnullos cruciatus experiri

Macrob.

EXAGITABAT EVM, &c.

Corpus animæ pro inferis est.

experiri didicimus, operæpretium duximus eosdem ex Macrobio, qui eos diligentissimè persequutus est, exscribere. Corpus hoc, inquit, animæ sepulchrum, hoc ditis concaua, hoc inferos vocauerunt. Et omnia quæ illic esse credidit fabulosa persuasio, in nobismetipsis, & in ipsis humanis corporib. assignare conati sunt. Obliuionis fluuium, aliud non esse asserentes, quàm errorem animæ obliuiscentis maiestatem vitæ prioris, qua antequam in corpus truderetur posita est, solámque esse in corpore vitam putantis. Dic tu potius obliuiscentis majestatem felicitatémque vitæ futuræ & immortalis, quam Deus de se benemerentibus repromisit. Pari interpretatione Phlegethontem, ardores irarum & cupiditatum putarunt. Acherontem, quicquid fecisse, dixisséue, vsque ad tristitiam, humanæ varietatis more nos pœnitet. Cocytum, quicquid homines in luctum, lacrymásq; compellit. Stygem, quicquid inter se humanos animos in gurgite mergit odiorum. Ipsam quoque pœnarum descriptionem, de ipso vsu conuersationis humanæ sumptam crediderunt. Vulturem iecur immortale tondentem, nihil aliud esse intelligi volentes, quàm tormenta conscientiæ, obnoxia flagitio viscera interiora rimantis, & ipsa vitalia indefessa admissi sceleris admonitione laniantis, semper curas, si requiescere fortè tentauerint, excitantis, tanquam fibris renascentibus inhærendo, nec vlla sibi miseratione parcentis, lege hac, qua se iudice nemo nocens absoluitur, nec de se suam potest vitare sententiam. Illos autem epulis ante ora positis excruciari fame, & inedia tabescere, quos magis magisque acquirendi desiderium cogit præsentem copiam non videre, & in affluentia inopes, egestatis mala in vbertate patiuntur; nescientes parta respicere, dum egent habendis. Illos radijs rotarum pendere districtos, qui nihil consilio præuidentes, nihil ratione moderantes, nihil virtutibus explicantes, seque & actus suos omnes fortunæ permittentes, casibus & fortuitis semper rotantur. Saxum ingens voluere, inefficacibus laboriosisq; conatibus vitam terentes. Atram silicem lapsuram semper, & cadenti similem, illorum capitibus imminere, qui arduas potestates, & infaustam ambiunt tyrannidem, nunquam sine timore victuri: & cogentes subjectum vulgus odisse, dum metuat: semper sibi videntur exitium, quod merentur, excipere. Nec frustrà hoc Theologi suspicati sunt. Nam Dionysius aulæ Siculæ inclementissimus incubator, familiari quondam suo solam beatam existimanti vitam tyranni, volens quàm perpetuo metu misera, quàm impendentium semper periculorum plena esset ostendere, gladium vagina raptum, & à capulo de filo tenui pendentem, mucrone demisso, iussit familiaris illius capiti inter epulas imminere. Cumque ille & Siculas, & tyrannicas copias præsentis mortis periculo aspernaretur: Talis est, inquit Dionysius, vita quam beatam putabas: sic nobis semper mortem imminentem vidimus. Existima ergo quando felix esse poterit, qui timere non desinit. Videtur Macrobius Saulis vitam infelicissimam, ex quo

Inferorum supplicia.

A primùm spiritus eum malus arripuit, his tanquam fabularum inuolucris adumbrasse.

Exagitabat eum spiritus nequam.] Non antè profectò quàm bonus loco cessisset. Nam prius quidem Saul à Deo desciuit, mox eum tutor Angelus destituit, postea malus inuasit. Sic enim existimo, inquit sanctus Isidorus Pelus. epist. 85. lib. 2. dæmonem ne probo quidem ac sancto viro reluctari posse. Idque tum ex eo constat, quòd Apostoli dæmones in fugam agebant, tum ex eo quod Paulus Pythonem Gentilium cultum sursum deorsúmque miscentem, sermone profligauit, ac depulit. Quin in Martyrum quoque templis gratia ea, quæ sanctorum virorum corporibus insidet, eos excruciat. Si igitur hæc ita se habent (quemadmodum ipsamet rerum experientia ostendit) quonam B pacto dæmon Angelo reluctari potuisset? Subinde respondet ijs quæ obijci poterant ex Daniele decimo capite, ver. 13. quo loco testatur Gabriel Angelus Persarum Principem properanti sibi moram & impedimentum attulisse, quo minus ante vigesimum diem ad eum Dei mandata perferret. Qui non alius videri potest quàm malus Angelus. neque enim in officio permanens bono Angelo obsisteret. Quinimò, ait, opinor (neque enim affirmo, verùm sententiam duntaxat meam profero) id hinc contigisse, vt autor est Moses, quòd cuique nationi Angelus attributus est. (*Quando enim diuidebat gentes Altissimus*, inquit ille, *quando separabat filios Adam: constituit terminos populorum iuxta numerum Angelorum Dei.*) Quod si dixeris, Quonam igitur modo alteri non cedebat? Sic C respondeam: Maximè quidem alterum alteri concessisse: cæterùm vtrumque diuinæ legis præsidio munitum atque obseptum fuisse. Alter enim diuinum iussum obtendebat, quòd, vt Iudæi, etiam nolentes, miniméque resipiscentes, captiuitate liberarentur, sanciebat. Alter autem Iudæorum flagitijs nitens, iustum esse contendebat, eos adhuc in exilio manere. Nam cùm Deus ipsis, si pietatem coluissent, atque ex virtute vixissent, reditum in patriam promisisset, valere illud dictum oportere negabat, propterea quòd à pœnitentia abhorrerent, ac ne ad supplices quidem preces Deo offerendas conuertissent. Pluribus ostendit quomodo alter quidem æquitate iustitiæ, alter diuinæ prolixitate misericordiæ suam sententiam tueretur, D vterque benè: Deus enim, inquit, vtramque virtutem laudat: vicit tamen ad extremum gratia, bonitate videlicet iustitiam submouente.] At contrà nunc iustitia obtinet, & vincit seuerior sententia: & Angelo Principe abdicatum Regem suo præsidio destituente. Alter eiusdem ordinis (nam ex eodem corruisse apostatas Apostolus indicare videtur cap. 8. ad Rom. ver. 38.) torquendum cruciandúmque recipit.

Spiritus nequam à Domino.] Sanctus Augustinus libro secundo ad Simplic. quæst. 1. tom. 4. Arbitror, inquit, malignum spiritum à quo ipse vexabatur Saul, ideò dictum *spiritum Domini*, quòd occulto Domini iudicio Saulem vexabat. Vtitur enim Deus ministris etiam spiritibus malis ad vindictam malorum, vel ad bonorum pro-

EXAGITABAT EVM, &c.

Non potest dæmon pijs viris reluctari. Luc. 10. Act. 5 & 19. Act 16.

Quis Angelus apud Danielem Gabrieli restitit.

Deuter. 32.

S. August. Spirit' malus idcirco à Domino, quia ab eo inferendi mali accipit potestatem.

SPIRITVS NEQVAM, &c. bationem, alio modo ad illam rem, alio ad istam. Quamuis enim inde sit quisque malignus A spiritus Domini, quia mala voluntate nocere appetit, tamen nocendi potestatem non accipit nisi ab illo sub quo sunt omnia, certis & iustis meritorum gradibus ordinata: quia sicut non
Rom. 13. est mala voluntas à Deo, sic *non est potestas nisi à Deo.* Quamquam enim sit in cuiusque potestate quid velit, non est tamen in cuiusque potestate quid possit vel facere cuiquam, vel à quoquam pati. Nam & ipse filius vnicus Dei passurus ad tempus humiliter, homini superbè loquenti & dicenti quòd potestatem haberet occidendi
Ioan.19.11. eum, vel dimittendi: *Non haberes*, inquit, *in me potestatem, nisi data tibi esset desuper.* Diabolus etiam volens nocere iusto viro Iob, nocendi quidem voluntas diabolo erat, sed tamen à Domino Deo potestatem petebat, dicens: *Mitte* B
Iob 1. 5. *manum tuam, & tange carnem eius:* quamuis hoc esset, si permitteretur, ipse facturus, ipsam etiam permissionem petebat hoc modo, & manum Domini appellabat permissam à Domino manum suam, id est, ipsam potestatem quam volebat accipere. Cui congruit illud in Euangelio, quod Dominus discipulis suis ait, *Hac nocte po-*
Luc.22 31. *stulauit Satanas vexare vos sicut triticum.* Dictus est ergo *spiritus Dei malus*, hoc est, minister Dei ad faciendum malum in Saul, quod eum pati iudex omnipotentissimus iudicabat: quoniam spiritus ille voluntate qua malus erat, non erat Dei: creatura verò qua conditus erat, & potestas quam non sua, sed Domini omnium æquitate acceperat, Dei erat. Hæc & multo plura ibi sanctus Augustinus. In quibus ne quid fortè offendat, addam quod idem explicationis gratia C addidit lib. 1. Retract. c. 1. Dixi, inquit, quamuis sit in cuiusquam potestate quid velit, non est tamen in cuiusquã potestate quid possit. Quod ideo dictum est, quia non dicimus esse in potestate nostra, nisi quod cùm volumus fit, vbi prius & maximè est ipsum velle. Sine vllo quippe interuallo temporis præstò est voluntas ipsa cùm volumus, sed hanc quoque ad benè viuendum desuper accipimus potestatem, cùm præparatur voluntas à Domino.]

Exagitabat.] Septuaginta, *suffocabat.* Alij *terruit*, aut etiam *turbauit.* Vsque eò scilicet à dæmone minis spectrisque horrendis exanimatus est, vt vecors & mente captus, ac tragico illo Oreste aut Athamante dementior, furere atq; bacchari videretur.

Seneca in Oedipo, act. 5

Furentis descriptio.

Qualis per arua Libycus insanit leo,
Fuluam minaci fronte concutiens iubam:
Vultus furore toruus, atque oculi truces,
Gemitus, & altum murmur, & gelidus fluit
Sudor per artus, spumat, & voluit minas,
Ac mersus altè magnus exundat dolor.
Secum ipse sæuus grande nescio quid parat,
Suisque fatis simile.

His ille notis furorem vultu gestúque prætulerit. At conscientiæ stimulos & furiarum tædas, quibus ægra mens miserè vapulabat, in Hercule furenti actu 4. tragicè describit.

Seneca in Hercule furenti.

Quid hoc? medium diem
Cinxere tenebræ: Phœbus obscuro meat
Sine nube vultu. quis diem retro fugas,
Agitque in ortus? vnde nox atrum caput
Ignota profert? vnde tot stellæ polum
Implent diurnæ? primus en noster labor
Cœli refulget parte non minima leo,
Iráque totus feruet, & morsus parat:
Iam rapiet aliquod sidus: ingens minax
Stat ore, & ignes efflat, & rutila iubam
Ceruice iactat.
Quid hoc? gigantes arma pestiferi mouent,
Profugit vmbras Tityus, ac lacerum gerens
Et inane pectus, quàm propè à cœlo stetit?
Labat Cythæron, alta Pallene tremit,
Marcentque Tempe: rapuit hic Pindi iuga:
Hic rapuit Oeten: sæuit horrendum Mimas:
Flammifera Erynnis verbere excusso sonat,
Rogisque adustas propius ac propius sudes
In ora tendit: sæua Tisiphone caput
Serpentibus vallata, post raptum canem,
Portam vacantem clausit opposita face.

Sed hi nimirum terrores à Poëtis finguntur. Imò minimè dubium est similia quædam à dæmonibus excitari, quibus rei agitati haud aliter quàm qui valetudinis vitio furunt, & melancholici vocantur, nusquam consistere possint. Sapientiæ cap. 17. *Personæ tristes illis apparentes pauorem illis præstabant.* Et rursum: *Apparebat illis subitaneus ignis, timore plenus: & timore perculsi illius, quæ non videbatur, faciei, æstimabant deteriora esse quæ videbantur: & magicæ artis appositi erant derisus, &c.* Nam toto illo capite monstra plura enumerat, & portenta vocum, quibus pauidis & mente consternatis vehementior metus incuteretur. Meminit & alibi passim Scriptura cùm strepitus armorum, tum fremitus equorum, quibus ex inopinato à dæmone, aut etiam Angelis excitatis, hostiles exercitus in fugam versi sint.

His igitur etiam, aut similibus, Saul à dæmone exagitatus est. Cùm dicitur autem *spiritus Dei malus*, tam intelligitur substantia spiritus, quàm effectum. Illud autem erat impulsus aliquis vehemens concitatus à spiritu malo. Solent autem sacræ literæ appellare spiritum, non tantùm Deum ipsum, & Angelos, atque dæmones, & charismata Spiritus sancti: sed etiam motus animorum, vel à bono spiritu excitatos, vel à cacodæmone. Sic enim Isaias ait cap. 29. Dominum immissurum esse *spiritum stuporis & vertiginis.* Et Lucas nominat *spiritum infirmitatis.* Ita fortasse Paulus nonnullo loco dixit *spiritum* D *timoris*, quo animus vehementiùs concutitur. Deus enim quos vult perdere, sinit sæpè huiusmodi horrore perterrefieri. Spiritus σωφροσύνη. Aristoteles ait, σωφροσύνην, seu moderationem dici, quasi σώζουσαν τὴν φρόνησιν, seruatricem prudentiæ: & Plato, ὥσπερ σωτηρίαν τῆς φρονήσεως vti præsidium quoddam seruandæ mentis ac iudicij. Contrarium est μανῆναι, hoc est, mente motum esse, ac furere. Ita spiritus quo Saul vexabatur, opponitur σωφροσύνῃ. Medici aiunt esse morbum quendam melancholicum, quem appellant δαιμόνιον. Incidit autem Saul fortasse in hanc melancholiam, & tristitiam, quòd audisset sibi ereptum iri regnum. Huiusmodi humores vel nunc primùm Sauli immittuntur, vel si antea in eo fuerint, hactenus à bono spiritu reprimebantur.

SPIRITVS NEQVAM, &c.

Spiritus nõ ipsum tantũ dæmonem, sed perturbationes ab eo excitatas significat.

SPIRITVS DEI MALVS, &c.

bantur. Immittuntur autem, aut concitantur, vel à Deo ipso, vel à diabolo. Diabolus enim est spiritus Dei, siue eius creationem spectes, siue ministerium. Est enim Dei carnifex. Huiusmodi spiritu impellebatur Nabuchodonosor, cùm fureret, & se putaret esse bestiam. Hîc impleri vid. mus id, quod Dominus comminatus est in Deuteron. *Si discesseris à Deo, percutiet te furore, cæcitate, amentia, vt palpare cogaris in meridie viam tuam.* Sed vtrum dæmon extrinsecus tantùm obsederit, an prorsus hominem occuparit, ita vt energumenis annumerari posset, commodiùs versu sequenti annotabimus.

Variæ trãslationes.

Exagitat te.] Vatabl. Salmant. *turbat te.* Et in Schol. discruciat. Arias, *turbans te.* Pagninus, Vatabl. Laurent. & Paraphr. Chald. *terret te*, siue *terrens te.* Septuag. πνίγει, *suffocat te.* Philostratus in Iconibus Herculem furentem horrendum in modum describit cinctum catena pauentium famulorum. Nam vti quandoque accidit, vt concurrentes subulci taurum ferocem conentur à cæde gregis auertere, sic illi Herculem. Et vnus quidem illum insidijs captat, alter in collum insidit, tertius medium à tergo con plectitur, quartus quoque pendet ab humeris, alius brachijs & pedibus vincula nectit, & laqueo capere nititur, casúmque moliri: tela etiam surripere conantur, & insanis clamoribus vrgent, studentq; à furore reuocare. Sed nihil horum illi curæ est, quin obuios quosque proterit, & ardentibus oculis, truci vultu, inflato collo, tumidisque ceruicibus, rugitum leonis imitatur, & stragem qua via patet edit, donec se tandem morbi vis remittat, & defectis viribus in somnum soluatur.

Philostrat.

Circum Herculem furentem turba famulorum.

Tertull.

Spiritus Dei malus exagitat te.] Tertullianus Apologet. capite vigesimo secundo, postquam dæmones apostatas angelos esse docuit, Operatio eorum, inquit, est hominis euersio, sic malitia spiritualis à primordio auspicata est in hominis exitium. Itaque corporibus quidem & valetudines infligunt, & aliquos casus acerbos, animæ verò repentinos & extraordinarios per vim excessus. Suppetit illis ad vtramque substantiam hominis adeundam subtilitas & tenuitas sua, multùm spiritualibus viribus licet, vt inuisibiles, & insensibiles in effectu potius quàm in actu suo appareant: si poma, si fruges, nescio quod auræ latens vitium in flore præcipitat, in germine examinat, in pubertate conuulnerat, ac si cæca ratione tentatus aër pestilentes haustus suos effundit. Eadem igitur obscuritate contagionis adspiratio dæmonum & angelorum mentis quoque corruptelas agit furoribus & amentijs fœdis, aut sæuis libidinib. cum erroribus varijs: quorum iste potissimus, quod eos ipsos captis & circumscriptis hominum mentibus comedat, vt & sibi pabula propria nidoris & sanguinis procuret simulachris imaginibus oblata, & quæ illi accuratior pascua est, hominem à cogitatu veræ diuinitatis auertat præstigijs falsis, quas & ipsas quomodo operetur expediam, &c. quæ pluribus idem explicat, maximè quæ Gentibus ad idololatriam viam munierunt. Sed nos iam cœptum carpamus iter, nec aliò nos patiamur abduci.

Operatio dæmonum hominis euersio est.

SPIRITVS DEI MALVS, &c.

Dupliciratione dæmon hominẽ cruciat.

A Dæmon igitur duplici ratione hominem torquet, & angit: nam aut per seipsum motu locali lancinat, aut ea adhibet, quæ naturali contagione dolores cient. Eo motu qui secundum locum fit, multa in perniciem nostram molitur. Nam eas partes in quibus maximè sensus resident, aut supra modum comprimit, aut distendit. Corpus ipsum præter consuetudinem tremore vibrat & concutit, aut etiam tentat præcipitio collidere. Nam quid eum qui suæ potestati permissus est, huc illucque transferre queat, aut etiam præruptis montium iugis imponere, vel ipse Dominus argumento esse poterit, qui se in varias partes ab eo passus est abripi. Oris denique speciem, membrorúmque decentem symmetriam, & notos vultus, lineamentáque confundit, sic vt horrenda facies, & à seipsa dissidens, reliquorumque
B artuum harmonia, monstro similis appareat. Quid si etiam impressa rerum simulacra siue phantasmata, quæ necesse est intelligentem speculari, vt docet Aristoteles 3. de anima, cap. 7. verset, ac moueat, de quibus accuratè Mersennus noster in Genes. & per hæc ad ea quæ velit, cùm sensum, tum etiam intellectum appellat, quas non ille tragœdias excitabit? Nam tum sinuosis cerebri recessibus, quas esse sensuum officinas Schola putat, haud aliter quàm theatro ad furiales impetus abutetur. Horum porrò omnium sacra historia non pauca exempla suppeditat. Altera ratio est, cùm per media naturalia grassatur. Hæc verò duplici capite nocere possunt: aut occulta vi, vt venena quæ clam conficiunt: aut sua mole, cùm aut pondere opprimunt, aut mucrone pungunt, & lacerant.
C Nam multa dæmon subtili ratione visceribus inserit, quæ cùm angustiori loco recepta sunt, necessariò molesta euadunt, vti calculus impactus in renibus. His armis instructus, si vti liceat, dic oro, quid non efficiat? Nam cùm nocentes herbas, & toxicorum vires apprimè calleat, ijs quibus maximè cruciari possint, singulas partes inficiet. Augebit itaque melancholiam ea adhibens, quibus is humor crescere possit. Incendet & bilem fomenta exaggerans, quibus eius furor prouocetur. Opplebit sensuum meatus fuligine, & acri succo viscerum fibras mordebit vt coluber, nec vlla pars corporis à tormento vacabit. Illudet etiam sensibus externis aërem diris pingens imaginibus, & horrificos strepitus excitans, fingensque spectra, &
D voces, quibus hominem consilij inopem, & auxilium præsidio destitutum, doloris impatientia eò adigat, vt spem omnem salutis abijciat. Quæ omnia, aut eorum partem maximam, cùm in Saule serui sui non obscuris indicijs animaduerterent, *Ecce*, inquiunt, *spiritus Domini malus exagitat te.* Turbabatur enim illi & corpus, & anima, & conscientia.

Altera ratio.

Sunt qui putent seruos illos medicos regios fuisse, & mirantur parrhesiam eorum quòd ausi fuerint Regem in os accusare. At si quidem medici fuerint, non tam accusationem fuisse puto, quàm phrasin vsitatam in populo Dei: vt non consisterent in secundis causis, sed morbi originem referrent in Deum. Nostri medici di-

Nullũ malũ in ciuitate, quod non fecerit Dominus.

SPIRITVS DEI MALVS, &c.

cùm initia morborum esse, aut ab intemperie humorum, aut ab obstructione, aut ab inflammatione, aut à distillatione, ac si Deus ista non curaret. Sunt quidem istæ morborum causæ: sed reguntur & temperantur à Deo. Itaq; morbus piè appellatur in Scripturis, *Manus Domini:* & in Euangelio, *Spiritus infirmitatis:* & de ægroto dicitur, *Percussus à Domino.* Est ergo ista phrasis potius vsitata, quàm accusatio. Alioqui enim nec accusant Saulem singularis alicuius criminis, nec adhibent remedia, quæ accusationi respondeant. Nam si eum grauis peccati aut sceleris accusassent, iussissent eum resipiscere, & accersere Prophetam, aut Sacerdotem. Illi autem rationem sequuntur artis suæ: & cùm melancholiam viderent in Saule excitatam esse à diabolo, illam immoderatam tristitiam iudicarunt aliqua iucunditate esse reprimendam. Itaque indicant genus morbi, & iubent aduocari citharædum. Sed dices Dauidem tantùm cecinisse diuinas & pias cantiones. Fateor. Sed id medici non quærebant. Illi enim iusserunt tantùm adhiberi musicum aliquem, qui arte sua Regem oblectaret.

Hanc sententiam probant Hebræi teste Genebrardo, & Caietanus his verbis explicat. (*Caietan.*) Ibi interueniebat, inquit, duplex passio immissa à Deo, altera corporis, in motu spiritus melancholici mali, id est, nociui: altera animi, quoniam ex motu spiritus melancholici formabantur in internis sensibus apparitiones exterrentes Saulem, & vtraque passio est ægritudinis naturalis: sed Deo attribuitur, tum quia opus naturæ est opus Dei, tum quia subtrahente Deo gratuitum donum interni impulsus diuini, compescentis huiusmodi passionem in Saule, inualuit spiritus melancholicus terrens, & impellens ad malas actiones, verbi gratia, ad occidendum Dauidem. (*Quis morbus, & quæ perturbatio illa fuerit.*) Hactenus Caietanus. Cuius ego sententiam sic amplector, vt tamen ab aliorum opinione non abhorream. quam tamen sic intelligo, vt Saulem per atram bilem dæmon vexasse dicatur, quod sensisse Delrium apparet lib. 3. p. 1. q. 4. 5. 6. Iosephus sibi parum constare videtur, nec satis declarasse quid vellet. (*Iosephus.*) Nam primò *spiritum malum* sic explicat, vt perturbatio & morbus fuerit à dæmone illatus, qui suffocationes, & strangulationes misero illi afferrent. Mox verò decimo tertio capite dicit è Saule Dauidem dæmonia ejecisse. Obseruat etiam Salianus eundem Iosephum lib. 6. cap. 9. (*Salianus.*) Saulis calamitatem non solùm morbum, sed morbum dæmoniacum appellasse, πάθη δεινὰ, καὶ δαιμόνια, & mox, τὴν τῶν δαιμονίων ταραχὴν. ex quibus colligi posse putat, arreptitium eum existimasse. Subinde etiam Salianus plura veterum testimonia laudat, quibus Saulem energumenum fuisse probare nititur, & dignus est labor qui à lectore requiratur, nobis exscribere non vacat. Serarius etiam eandem opinionem tribus argumentis confirmat. (*Serarius.*) Primò, quia cùm aliud nihil impedit, propriè textus accipiendus est. At iste hoc significat locis citatis. Secundò, quia alioqui eodem modo dici posset, *spiritum malum* fuisse in Iob, sancto Paulo, alijsque ab illo extrinsecus vexatis. Tertiò, ita docet Theodor. quæst. 38. 39. 45. Gregor. Lyran. Abulensis, Leuinus Lemnius lib. 2. de occultis naturæ, c. 1. Vallesius cap. 30. lib. de sacra Philosophia, cuius hîc disputationem laudat Posseuinus lib. 14. Biblioth. cap. 7. Pluribus abundat Salianus. Quibus ego paucis respódeo, non quod eorum interpretationem improbem, sed vt diuersam quoque tuear, quam probabiliorem iudico.

Primùm igitur quod spectat ad phrasin Scripturæ, sic quoque propriè exponi posse assero, vt vexatus à dæmone, non arreptitius intelligatur. (*Soluuntur argumenta quæ arreptitiũ Saulem asserũt.*) Quod satis iam ante à nobis probatum est, cùm vsum huius vocis in Scriptura doceremus. Alioquin verò multa dæmoni tribuenda essent, & plures in numerum arreptitiorum referendi, quos autore quidem diabolo atque impulsore multa patrasse non dubitamus, non tamen eodem Physicè membra mouente atque agitante. Ad secundum respondeo, non lego *spiritum malum* fuisse in Saul, sed eundem exagitasse, aut in eum insiluisse, vel etiam inuasisse. At illud de Iob habet maiorem emphasim, quòd data sit ei potestas in carnem eius. Apostolus verò sibi datum *carnis stimulum angelum Satanæ* prædicat, à quo cæderetur, nec precibus impetrare potuisse vt ab eo recederet. Postremò, quod mirabilius est, etiam Christum Dominum diabolus assumpsisse dicitur, quem minimè veremur, ne quis in eam calamitatem incidisse dubitet. Patres deniq; respondemus non esse loquutos disertiùs quàm Scriptura faciat, vt manifestè patet ex eorundem testimonijs, quæ R. P. Salianus studiosè collegit. Recentiores per me licet suam sententiam obtineant.

At sunt præterea nonnullæ rationes, quibus in contrariam sententiam rapior. (*Rationibus probatur non fuisse Saulẽ possessum à dæmone.*) Prima est, quòd qui scrutantur verborum scaturigines, terrere magis quàm exagitare interpretantur, vt ante docuimus, nec vlla vis Hebraicæ dictionis, siue hoc loco, siue alijs quibus eadem tragœdia recitatur, nos cogat energumenum fateri. 1.
Altera, quòd postquam Saul eo morbo conflictari cœpit, neque vinculis constrictus sit, 2.
neque custodiæ mancipatus, quod tamen fieri debuit, si furere dæmonem potius, quàm regem morbo vexari intelligerent, sicque regis & populi incolumitati caueri. Tertia ratio est, 3.
quòd cùm liber & solutus ira præceps ferretur, neque sibi, neque alteri vnquam nocuisse narretur. Accedit ad hæc, quòd arreptitium Reip. 4.
habenas moderari minimè passuri videantur, qui leprosum Oziam, 2. Paralip. 26. procul à regni negotijs amouerunt. Nam lepræ contagio dæmonum arte minus noxia est. Præterea, 5.
Dauidem sæpius hasta confodere nisus est, quòd dæmoni, cuius is impetus censeri debet, si fortè ab eo ageretur, minimè licuit, vt cuiquam bono vitam eriperet. Deinde, solum Dauidem telo petijt, quem affectati regni suspectum habebat: nemini præterea vim attulit, præter Sacerdotes Domini, quos propter eundem neci dedit. 6.
Hinc verò non temerè colligas non prorsus caruisse iudicio, aut à dæmone possessum fuisse, cùm is generatim atque vniuersè omnium vitæ inuideat. Post hæc etiam consilium inijt de nece Dauidis, rationibus flectitur, & 7.
mutat

Ecce spiritus, &c.

mutat consilium, donec iterum callidè struat insidias; quæ omnia morbum quidem animi produnt, & odium penitùs insitum, sed vis dæmonica præterea consilium respuit, & à ratione ab-
8. horret. Dauid etiam nusquam insessum à dæmone meminit, siue iniuriam hanc cum Ionatha, siue cum eodem expostulet: sed iniusti duntaxat odij insimulat, siue illud ira Domini conciter, seu falsę delationes sceleratorũ hominum.
9. Sed & illud me mouet, quòd si Dauid correptũ cum à dæmone certò comperisset, reconciliatæ gratiæ minimè confidisset, nec ad armatum, so-
10. lutúmque accessisset. Addam his, quòd omnis ea vis qua Dauidem iaculo configere conatus est, si dæmonem physicum autorem habeat, cõmiserationem potius quàm accusationem me-
11. reatur. Denique frustrà medici citharœdum accerserent. Nam etsi demus musicam fluctus animorum componere posse, qui ab ijs rebus excitentur quas dæmon admoueat, illud tamen intelligi nequit, quo pacto sonus vllus corporeus spiritalis intelligentiæ impetum, qui secundum locum est, cohibere possit. Atqui motus huius in energumenis potissimùm ratio habenda est, cùm venena citra possessionem inferri possint, & eo absente vim suam exerere.

Veruntamen, inquis, infrà cap. 18. ver. 10. prophetasse dicitur, quod vtique nisi correptus à dæmone facere non potuit. Respondeo, cùm ad ea peruenerimus, tum ibidem quo pacto prophetasse accipiendus sit, explicabimus. At hoc interim spatio noueris non esse necesse, vt futura, aut etiam occulta quædam reuelasse arbitremur. At verò quibus indicijs dæmonis possessio certò deprehendi possit, cùm ipse fallere studeat, non perinde facilè est explicare. Prodijt non ita pridem libellus Gallico idiomate conscriptus, autore P. Fr. Claudio Pythœo Minimo, cui titulum fecit, *Denudatio eorum qui se falsò energumenos simulant.* In eo libello vir eruditus multa collegit, quibus nefanda ars arte atque industria deludi posset. Sed in his pleraque sunt, quæ ad nostros tantùm pertinent: quoniam ijs remedijs vtitur, quibus vetus Synagoga caruit. Inde tamen pauca delibabo quæ huc transferam, quoniam in hunc locum quadrare visa sunt.

Claud. Pythœus.

Primùm igitur notat art. 2. & 3. quod Delrius docuit in 2. lib. Disquis. magic. sex quædam argumenta, quibus freti nonnulli possessionem dæmoni adiudicant, nulla satis firma ratione niti. Nam quod nonnulli serena fronte cùm sint, ac vultu modesto, mox insuspicabilib. acti procellis prorumpant in impudentiam, aut etiam crebris quatiantur motibus, faciesq; turgeat, non vsque adeò certa argumenta sunt, vt arte fingi, aut natura fieri non possint. Probant hoc, qui tragicomœdias agunt. nam hi sæpè leui momento vtramque personam induunt. In quibusdam etiam flaua bilis abundat, quæ statim incendio corripitur. Veruntamen subesse ratio aliqua debet, qua concitetur. Esto: memoria, suspicio, diabolus abundè suppeditabunt. Incompositos etiam motus dæmon foris iuuare potest. Nonnullus etiam vsus & Latinæ linguæ tum Gallica affinitas hoc præstare valet, vt qui

Dæmonis possessionẽ non quibuslibet argumentis certò deprehẽdi posse.

A Latinè interrogantur, tametsi vocum peregrinarum rudes, Gallicè bellè respondeant. Sed nec diaboli possessione opus est, vt quæ summissè procul proferantur, ea quisquam exaudiat. Nam cùm vocis sonus nonnulla aëris regione receptus sit, cur nequeat seu medij, seu alia qualibet dispositione aliquãto longius proferri? cur non similis in aure creari? Occulta verò quæ sunt, cum alijs rationibus clàm possunt inuestigari, tum ea dæmon pingit in aëre, & palàm cùm vult, & finitur, oculis subijcit. Sed nec famæ tutò creditur, nam sæpè ea fallit, & vt vera sit, non rarò mores degenerant, & posterior ætas à superiori discrepat.

Art. 8.

Probabiliora hæc videntur, si languore marcescat qui energumenus dicitur, si quietis impatiens nullo loco consistere valeat, si panicos ter-
B rores patitur, si familiares amicos & necessitudine coniunctos conuitiis proscindat; si quos obseruare debuit, & consueuit, probris laceret? si sibi alijsque gratis succenseat; si à sacris & religionibus præter consuetudinem abhorreat; si eundem horror & tremor occupet, cùm sibi apponuntur Ecclesiastica benedictione clàm præparati. Si Sacramenta, si Sanctos, atque in primis Beatam Virginem execretur; si spectris & horrendis imaginibus perturbetur; si plagas à dæmone inflictas corporis liuor testetur. Hæc tametsi nonnullam coniecturam faciunt, haud tamen penitùs suspicione carent, cùm possint hæc omnia vel arte fingi, vel morbo aliquo, seu dæmonis extrinseca violentia patrari.

Diabolicæ possessionis probab lia argumẽta.

At cùm peregrinis linguis expeditè loquitur, & scientiarum longè difficiliũ arcana penetrat,
C quæ nunquam didicit, & artes omnes retegit, quibus humana astutia capi poterat: si nouit ignotos, si secreta aperit, quæ humani ingenij vim superant: si clandestina sacra manifestè probat, fictis non mouetur: si membra contorqueat, si corpus inflectat, quomodo nemo funambulus aut circulator possit: si circulant oculorum orbes, nec humanum tuentur, nam per hos maximè, siue anima viuens, siue dęmon incubans proditur: si supra modum ceruix extuberet, aut lingua exeratur, aut cõpages artuum solui videatur, si color alienus ab humano flore, tum profectò cùm hæc concurrunt, si dolus absit, tum haud imprudenter energumenus aliquis credi poterit. Docet præterea pluribus, præsertim art. 3. qua via fraus in his perscru-
D tandis caueri possit. Sed nos institutum opus magis vrgere decet, & positam ob oculos historiam interpretari.

Argumẽta certiora.

Versus XVI.

Iubeat Dominus noster, & serui tui qui coram te sunt, quęrent hominem scientem psallere cithara, vt quando arripuerit te spiritus Domini malus, psallat manu sua, & leuiùs feras.

IVbeat Dominus noster.] Hebraicè legimus, יאמר־נא אדנינו iomar-na adenenu. Itaque om-

Variæ translat.

M

ET SERVI TVI, &c.

nes præter Septuaginta legunt, *dicat nunc, siue, quaso, Dominus noster.* Septuaginta, εἰπάτωσαν δὴ (κύριε addit Complut.) οἱ δοῦλοί σου ἐνώπιόν σου. *Dicant iam, Domine, serui tui coram te.* Vatabl. Salmant. habet, *Dicat quaso Dominus noster seruis tuis qui coram te sunt.* & addit in Ecphrasi: hoc modo si transferas, Lamed Hebraicum subintelligitur. Doctioribus magis probatur, vt hæc per parenthesin legantur, (nàm) *(serui tui ante te)* id est, præsto adsunt ad imperata facienda. Hæc Vatablus. *Vt quando arripuerit te spiritus Domini malus.*] Vatablus, *Vt quum fuerit super te spiritus Dei malus.* Pagninus, *Et erit, cùm fuerit super te.* Arias, *Et erit, in existendo super te.* Chaldæus, *Et erit, quando manebit super te.* Græci, Καὶ ἔσται ἐν τῷ εἶναι ἐπὶ σοὶ πνεῦμα πονηρὸν παρὰ θεοῦ. *Et erit cùm sit*, vel, *in existendo in te spiritum malignum à Deo.* Et leuiùs feras, וְטוֹב לָךְ *vetob lak. Et bene erit*, vel, *sit tibi.* Septuaginta, καὶ ἀγαθόν σοι ἔσται. *Et bonum erit tibi.* Aldus habet præterea, καὶ ἀναπαύσει σε. quod Rom. & Antuerp. Laurent. vertunt, *Et requiescere te faciet.*

Suetonius.

August. Cæsar se dominum vetuit appellari.

Iubeat Dominus noster.] Suetonius in Oct. Augusto c. 53. Domini, inquit, appellationem, vt maledictum & opprobrium semper exhorruit. Cùm spectante eo ludos, pronuntiatum esset in mimo, O Dominum æquum & bonum! & vniuersi quasi de ipso dictum exultâtes comprobassent, & statim manu vultúq; indecoras adulationes repressit, & in sequenti die grauissimo corripuit edicto, dominúmq; se posthac appellari, ne à liberis quidem, aut nepotibus suis, vel seriò, vel ioco passus est, atque huiusinodi blanditias etiam inter ipsos prohibuit. Hactenus Suet. Veritus est scilicet liberi populi clandestinas coniurationes, cui cùm libertatem ipse surriperet, notari metuit, & se proprio nomine vetuit appellari. Verùm Domini nomen, cùm apud Hebræos, tum plerasq; alias gentes haud tyranni proprium est, sed amicorũ eorúmq; omniũ, quibus honoris aliquid impertiri volumus. Ita vt quenquã dominũ cõpellare non tam sit honore prosequi, quàm si non facias, iniuria afficere.

Suidas.

Et serui tui qui coram te sunt, quærent, &c.] Suidas in voce ἀρχοντὸς apud Æmil. Portum, vel ἄρχοντος apud Vvolfium, Hegias, inquit, æquum censebat, vt non magistratus populi tantùm rationem haberet, sed vicissim ipsius etiam à populo ratio haberetur. Isidorus autem ait, se magistratum, si sui etiam rationem habeat, ita parere, vt vni de ijs qui pareant, & ipsi quoq; curationem desiderent. Magistratum enim, si veritas subtiliùs limetur, nulla re egere. Quatenus autem homo sit artifex, egere: vt medicina medicum, si ægrotauerit. Hoc sentit, opinor, Isid. Philos. (quandoquidem ipsius oratio nonnihil obscuritatis in se continet apud Suidam) Principem duplicem sustinere personam, priuatam, & publicam. nam & ciuis est & item Princeps. Principem parere debere nemini, quoniam ipse sit qui regat, & nemine opus habeat, sed vniuersæ Reipublicæ prospiciat. At quoniam idem non Deus, sed homo sit, qui priuatim pluribus indigeat, idcirco eandem cum cæteris sortiri conditionem, vt ijs obtemperare necesse sit, quorum ope iuuari, consilijsque regi debeat.

Principis cura, si quare fortè indigeat, ad populũ pertinet.

A Quem quemadmodum in his morem gerere decet, ita & certatim ciues Principem omni officio prosequi; vt qui publicè omnium saluti consulit, huius vicissim salus & incolumitas priuatim ab omnibus defendatur. Nam si ratio dissere ndi spectetur (vt Suidas mox colligit) sic erit argumentandum. Relatiua non tantùm dici de se inuicem, sed esse quoque inter se affecta. Magistratus ergo cum populo, & populus cum magistratu est coniunctus, non verbo tantùm, sed etiam reipsa. Itaque si quid populo prodest magistratus administratio, ei etiam proderit, à quo is administratur.

QVÆRENT HOMINEM, &c.

Pausanias.

Quærent hominem scientem psallere.] Pausanias in Atticis, Euripidem memorat in Macedoniam ad Archelaum Regem profectum esse. Ac cum Regibus, inquit, etiam Poëtæ vixerunt. B Ante Euripidem enim, cum Polycrate Sami tyranno vixit Anacreon: & ad Hieronem Syracusas Æschylus & Simonides se contulere Dionysio posteriori Philoxenus, Antigono Macedonum Regi Antagoras Rhodius, & Aratus Solensis familiares fuêre. Nam Hesiodus & Homerus, Regum familiaritates aut fortunæ inuidia nacti non sunt, aut consultò spreuerunt: ille, quòd agrestem vitam amplexus, ab erroribus abhorruerit: hic, quòd in vltimas terras peregrinatione suscepta, potentium hominum opes, gloriæ, quam sibi apud omnes gentes maximam comparauit, posthabuerit: cùm alioqui & Demodocum Alcinoo familiarem inducat, & Agamemnonem, Poëtam nescio quem, apud vxorem reliquisse commemoret. Hactenus Pausanias. C Virgilius & Horatius quantum gratia & autoritate apud Augustum valuerint, eorundem historiæ loquuntur. Ronsardum, Poëtarum nostrorum Principem, Carolus nonus quanti fecerit eiusdem carmina testantur. Erant verò Poëtæ primùm etiam musici, & suos ipsi hymnos, aut fidibus, aut assa voce canebant, omnes certe suis versibus musicos modos præscribebant, de quibus Ephestion in suo libro de multiplici genere veterum carminum, quem Latinum fecit Seguinus noster. Talis enim fuisse traditur Orpheus, talis Musæus Orphei sectator, talis & Thebanus Amphion, de quibus multa posteriores Poëtæ fabulantur. De Homero dubitatur, quòd his captus esset oculis, an fidibus sciret: at Hesiodus in certamine Poëtarum, quod sua carmina ad D lyram canere non didicisset, repulsam tulit, vt testatur Pausanias in Phocicis. Et de Pindaro Athenæus, Cleonis cantoris Thebis videri statuam, Pindari nullam.

Poëtæ quondam etiam musici regibúsq; familiares.

Pausanias.

At mirabitur forsitan, cui bono regibus cum poëtis familiaritas? Apollonius Tyanæus, vt autor est Philostratus eius vitæ libro quinto, capite septimo, cùm Rhodum venisset, Caunum in ea insula canendi peritissimum, & quem parem habere neminem fama ferebat, accersi iubet, & rogat, sua illa modulatione suauissima qui tandem auditores consequerentur? Num diuites euaderent? Negauit. Num pulchriores? Ne id quidem. Quid igitur tandem efficit, quamobrem tantopere celebretur? Sedare ait dolorem ijs qui se male haberent, mœstis demere

Philostrat.

Musica quid præstet.

ET SERVI TVI, &c. mere tristitiam, lætis & hilaribus augere lætitiam, amantibus stimulos addere. Etiam hoc præstare ait, vt qui deuota & religiosa mente præditi sunt, tanquam afflati numine, & diuinitus incitati, maiore studio Dei cultum prosequantur. Feliciter, inquit Apollonius: Verùm dic age Caune, ista instrumenta quibus hæc efficis, an ex materia ex qua compacta sunt, auro nimirum, & aurichalco, aut ceruorum, asinorúmue cruribus, hanc energiam sortiuntur, an alia quapiam materia, quæ eas vires habeat? Longè alia res est, inquit Caunus, quæ tantos fructus parit. Musica namque modulatio, & harmoniarum commistio, earundémque permutatio, diuersis moribus accommodata, auditores mouet, & eorum animos variè deducens, tales reddit, quales tibicen eos voluit.

Inde ergo manauit ea consuetudo apud Indos, vt ipsi cantibus, & suaui fistularum concentu suos reges, cùm opus esset, ad somnum inuitarent, quo gratiora illis somnia euenirent, & experrecti clementiores efficerentur. Masurius, omninò bonus & sapiens apud Athenęum libro decimoquarto, capite decimo, de musica prædicat, quòd ea mores instituat, iracundiam mitiget, minúsque rectis mentibus moderetur. (Athenæus.) Idcirco Clinias Pythagoricus, vt testatur Chamæleon Ponticus, & Ælianus recitat Var. hist. libro decimoquarto, capite vigesimotertio, si quando in iram delapsus esset, atque ad iracundiam se præcipitem ferri sensisset, confestim prius quàm prorsus inuaderetur ab ira, & elucesceret in ipso mentis affectus, chordis adaptatis, citharam pulsauit. (Ælianus.) Interrogantibus autem ob quam causam id faceret: Quoniam, inquit, mitigor animo. Quo loco idem quoque de Achille ex Homero prædicat. Timotheus verò, cuius citharam suspendisse feruntur Lacedæmonij, cùm ei mulctam eo nomine irrogassent, quòd septem veterum neruis, quatuor ipse fides addidisset: in Alexandrum Macedonem suis modulis pro arbitrio trãsfundebat affectus, vt aliàs torpentem incitaret, aliàs incitatum, atque adeò furentem mitigaret. (Pausanias in Laconicis.) Autor Dion Prusæus orat. 1. de regn. Empedocles Agrigentinus, furibundum adolescentem, stricto gladio hospitem impetentem, mellitis cantionibus reuocauit. Theodosium Imp. Antiochenis ob disiectas tractásque imagines iure succensentem, & extrema quæque minitantem, Flauianus vrbis Antistes musicis cantionibus ad misericordiam flexit, populóq; reconciliauit. (Sozomen.) Quidni musica humanos impetus furorésq; demulceat, cùm feras cibi auidas à præda auertat? Nam de vrsis Noruegicis hoc testatur Olaus Magnus in hist. populor. Aquilonar. Quare non immeritò apud Arcades, vt docet Athen. l. 14. c. 11. à tenera ætate pueri ex legum præscripto hymnos & pęanas canere assuescunt, quibus ex instituto patrio singuli deos heroésq; celebrare discunt, vt his tanquam stimulis incitati, & pietatem vehementiùs colant, & virtutem humanitatémq; studiosiùs amplectantur. (Athenæus.) Itaque apud illos reliquas quidem disciplinas ignorasse nulli probro ducitur: at musicæ artis imperitum videri, non vulgaris infamiæ nota est. Plura non addam, iam

A enim suprà cap. 10. ver. 5. non pauca de musicis instrumentis tradidimus, & rursum post hæc sæpius occasio recurret. (CITHARA, &c.) Est & alia ratio: Mersennus enim noster tom. 1. in Genes. cap. 4. ver. 21. quæcunque desiderari posse videbantur, accuratissimè pertractauit. Quare his nonnullas duntaxat artis musicæ laudes adijciam, quibus eam ornat Cassiodorus libro secundo variarum epist. 40. ad Boëtium. (Cassiodor.) Narrat primùm Theodericus citharœdum à Rege Francorum postulatum, quem se missurum pollicitus esset: mox artem pluribus commendat, inter quæ hæc quoque leguntur. (Musicæ laudes.) Hæc, inquit, cùm de secreto naturæ, tanquam sensuum Regina, tropis suis ornata processerit, reliquæ cogitationes exiliunt: omniáque facit eijci, vt ipsam solummodo delectet audiri. Tristitiam noxiam iucun-

B dat: tumidos furores attenuat; cruentam sæuitiam efficit blandam; excitat ignauiam, soporantémque languorem; vigilantibus reddit saluberrimam quietem; vitiatam turpi amore ad honestum studium reuocat castitatem; sanat mentis tædium, bonis cogitationibus semper aduersum; perniciosa odia conuertit ad auxiliatricem gratiam; & quod beatissimum curationis genus est, per dulcissimas voluptates expellit animi passiones. Incorpoream animam corporaliter mulcet, & solo auditu, ad quod vult deducit; quam tenere nemo præualet, verbo tacito manibus clamat, siue ore loquitur, & per insensibilium obsequium præualet sensuum exercere dominatum. Hactenus Cassiodorus.

Cithara.] Pars quædam musicæ est, quam organicã nuncupant. ad hanc instrumenta spectãt, (Musicorũ instrumentorũ plura genera.)

C quæ varietatis summæ pro ingeniorũ captu artifex peritia excogitauit. Hęc verò aut intentione perficiuntur, vt neruorum cõtemperato tractu, aut spiritu, vt in tibijs, vel his quæ aquæ constant ratione: aut percussione quadam, vt in his quæ virga ærea feriuntur. Quæ neruis intẽduntur, κινούμενα vocant, aut ἔγχορδα, vel etiam ἔντατα, & τρίγωνα. Quæ spiritu inflantur, pneumatica dici solent: vel vt Plutarchus & Pollux ἐμπνευστά, ἐμπνεόμενα. Sicut quæ propellit aqua hydraulica. Sunt etiam πληττόμενα, quæ percussa resonant, vt cimbala, sistra, & tympana. Cithara crusmenis annumeratur: dicta est ἀπὸ τοῦ κινεῖν mouendo, quod audientes ad amorem commoueat. (Cithara.) Cicero de natura deorum, dictam eam scribit à forma, credo ab ea pectoris, quæ est carinata, & ab

D Hippocrate propterea cithara nominata. Huius sonum θρεττανελό dici comperi apud Suidam in eadem voce. (Suidas.) Ea vsus est Philoxenus dithyrambopœus, vel tragicus, cùm Cyclopis amores describens, citharæ sonum imitaretur. Ἡ γὰρ κιθάρα, inquit Suidas, κρουομένη, τοιοῦτο μέλος ποιεῖ, θρεττανελὸ θρεττανελό. Nam cithara, cùm pulsatur, huiusmodi suauem sonum edit, threttaneló, threttaneló. Sed & Plato est, inquit Pollux lib. 4. ca. 9. sect. 3. cui quemadmodum & Critiæ, cantilenas, quæ ad citharam canuntur, placet κιθαρῳδίας nominare. Citharis autem, & cithara diuersa sunt, vt scribit Aristoxenus in commentatione, περὶ ὀργάνων: nam citharis lyra est, qua vtentes vocantur citharistæ, quos & λυρῳδούς dicunt. At cithara est, vnde citharœdi nominantur. Distinctio-

Et leuius feras, &c.

nem hanc contra Timarchum agnoscit Æschines, & ab Ammonio repetitam scio: hinc citharæ cantus, citharœdia vocatur: sicuti tibiæ, aulodia: lyræ, lyrodia, vt meminit Cœlius lib. 9. cap. 6. lect. antiq. Plura Vigenerus in Amphionem Philostrati, nec certi quicquam statuit, sed credit illud discrimen passim apud antiquos confundi.

Vt quādo arripuerit te spiritus Domini malus, psallat manu sua, & leniùs feras.] Psallat manu sua.] Tres sunt, vt docet Hermes, musicorum ordines: ἢ ᾀδόντων, ἢ ψαλμῳδῶν, ἢ αὐλῳδῶν. voce, digitis, aut spiritu canentium. *Et leniùs feras.*] Hîc nobis proponitur laus non vulgaris artis musicæ. Est autem musica ars tractādi sonos, quatenus sunt in sonis. Dico in sonis, quia alioqui sunt etiam modi, & numeri in corporis motibus. Sonus autem ille excitatur vel voce, vel flatu, vel manu.

Musicæ definitio, & variæ species.

QVÆST. XVIII.

Vtrum musica dæmones fugare possit.

Quæri potest, vtrum diabolus capiatur huiusmodi externis sonis. Certè si haberet corpus, & elementis constaret, ac moueretur humanis sensibus, aut affectibus, sicut Platonici garriunt, & nostro quoque sæculo Caietanus censuit in cap. 2. ad Ephes. Eugubinus lib. 8. de perenni Philosophia, cap. 26. Niphus lib. 3. de dæmonibus, cap. 4. 5. 6. faciliùs explicari posset, quemadmodum id genus naturalibus antidotis expelli posset. At cùm dæmones meros spiritus esse communior sententia decreuerit, non apparet his posse capi, aut moueri concentu musico. Dominus ait in Euangelio, *hoc genus dæmoniorum non eyci nisi in ieiunio, & oratione.* Opus est, non musica, sed precibus: illæ autem, vt vehementiùs moueantur, adiuuantur ieiunio. Nā quemadmodum Augustinus ait in quæstione ad Simplicianum lib. 2. quæst. 1. diabolus non potest excitare humores in corporibus nostris, nisi accepta facultate à Deo. Imò ne in porcos quidem ingredi potuit, nec Iobum vexare, nec eius greges & armenta perdere, nisi Deus illi fecisset facultatem. Quare cùm aliquem videmus agitari malo spiritu, confugere debemus ad Deum, cuius ille arbitrio, & voluntate cruciatur. Duplex est in Saule morbi causa. Proxima in humoribus: altera, quod iam esset alienatus à Deo, & factus mancipium diaboli. Quod ad ordinariam medicinam attinet, duo adhibenda erant remedia. Primùm, vt humores illi melancholici demerentur: alterum, vt illa tristitia aliqua suauitate sedaretur. De priori, etsi nihil scribatur, tamen credibile est aliquid huiusmodi fuisse factum. Id autem ascribitur, quod faciat ad leniendum animi dolorem. Et satis erat occasionem attingere, qua Dauid accersitus sit in aulam. De altero autem genere medicinæ, quod positum erat in pœnitentia, nihil scribitur: fortasse quod tum misera esset aulæ ratio,

Ieiunio & oratione, non citharæ cōcentu dæmon expellitur.

Qua ratione musica Sauli prodesse potuerit.

A postquam exulare cœpisset verbum Dei. Habet musica vim magnam ad mitigandum animi dolorem, & cruciatum corporis. Magna enim est sympathia inter corpus & animum. Nam quemadmodum melancholia affecto corpore, dolor ex eo aliquis redundat in animum: ita vicissim cùm animus reficitur aliqua lætitia, fructus ex eo aliquis redit ad corpus. Est autem musicæ artis vis varia, & multiplex. Alia enim vehemens est, & bellicosa: qualis illa fuit, qua Timotheus Alexandrum incitabat ad arma: alia lenis, & moderata, qualis ea fuit, qua eundem furentem à contentione reuocabat. Elisæus, cùm objurgasset impium Regem, & esset forte iam paulò commotior, vt sedaret illum impetum, iussit adhiberi psaltem. Quare gratiæ agendæ sunt Deo, qui ista nobis remedia comparauit. Videndum

B tamen est in primis, ne illis ad luxum & libidinem abutamur. Non itaque solùm phalangiorum morsibus citharæ sonus medetur, vt docet Alexander ab Alexandro libro secundo genialium dierum, aut etiam viperarum, vt Paracelsus, qui addit præterea ischiaticorum dolores lenibus Phrygiæ tibiæ modulis sedari: sed eas etiam pertubationes componit, quæ animis cum corporibus communes habentur. Nam Xenocrates lymphatos carminum concentu ac melodia à dementia liberauit. Asclepiades etiam medicus, si Celso credimus capite duodecimo, morbos animi, quos appellant πάθη, musica lenire, ac compescere consueuit. Aduersus iram quantum possit docet Pythagoras apud Senecam libro tertio de ira, capite nono. Quamobrem olim Græcorum ciuitates, Mar-

C tiano Capella teste, sanxerunt, vt animorum corporúmque morbi ad lyræ modulos curarentur. Vnde factum est, inquit Macrobius, vt qui ægris remedia præberent, quondam præcinere dicerentur. Quæ tametsi mira sunt, nec, vt apparet, in plerisque incredibilia, ridiculum tamen esset si his artibus aut mulcere dæmonum ferociam, aut etiam vim expugnare nos posse putemus. Tametsi enim haud dubitem quin dæmon audiat quo pacto etiam videt, & de sonis possit ferre sententiam, non arbitror tamen ex ijs vlla sensus voluptate titillari.

Noui in tres classes musicos distribui: in Canonicos, Harmonicos, & Medios. Canonici dicuntur, qui rationis persequuntur examen in cantu. Tales ferè creduntur fuisse Pythagorici.

D Harmonici, qui auribus tribuunt plus autoritatis, quàm rationi. Tales fuerunt sectatores Aristoxenis. Tertij sunt Medij, id est, partim Canonici, partim Harmonici, vt Ptolemæus: hic mediam quandam rationem inire maluit. Tantum enim sensorio attribuit, quantum Aristoxenij, rursúmque tantum rationi, quantum Pythagorei. Etenim tum demùm enasci iudicium putat syncerum veráxque, vbi sensus & ratio pariter consonant. Quid si igitur dæmon perinde vt Pythagorici rationali harmonia afficiatur? Quî fieri possit? Nam vim quidē nullam afferet musica; voluptate, ad quam ea nata est, delectari non potest. Quinimò, inquis, fugiet præ animi impatientia, cùm omnem concentum cane peius & angue oderit. Absit. alioquin orb

Et leuius feras, &c.

Tres classes musicorum.

roto

PSALLAT MANV SVA, &c.

toto eundem fugere necesse sit, cùm rationalis illa musica, vt Pythagorici testantur, in naturæ concentu, & rerum quæ vbique sunt ordine atque symmetria eluceat. Quid si hoc placuit Deo, vt quemadmodum fumo iecoris, Tob. 6. sic quoque musica dæmon pelleretur? Hoc sentire videtur Procopius, cuius hæc verba sunt:

Procopius.

ἡ διὰ τῶν μουσικῶν ὀργάνων λατρεία παρὰ θεοῦ μὲν οὐ δέδοται, ἐπινενόηται δὲ τῷ Δαβὶδ εὐσεβῶς. Cultus Dei, qui per instrumenta musica exercetur, non quidem à Deo traditus, sed à Dauide admodum religiosè excogitatus est. Et sequitur: Diuino enim ardore inflammatus, ea, quæ homines ad libidinem, & lasciuiam accendunt, ad pietatem traduxit; cantum articulatæ vocis hymnis diuinis temperans: vt melos sensum, intellectus vera vna eadémq; opera diuinum ardorem exsuscitaret. τὸ θεῖον τοίνυν πνεύματος ὁ Δαβὶδ τὴν ἐνέργειαν ὑποδέδεκτο, καὶ ἐνεργοῦντος αὐτοῦ, τὸ πονηρὸν ἡσύχαζε πνεῦμα. Dauid itaque diuini spiritus vim, atque efficaciam acceperat; quo operante, spiritus malignus quiescebat. Hactenus Procopius. Cuius hæc videtur fuisse sententia, Dauidem, neq; ex instituto legis, neque humana vi dæmonem citharæ cantu abegisse, sed numinis singulari beneficio, qui prolixam eius erga se voluntatem ac studium sic compensare instituit, vt citharæ melodia quam ad suum cultum transtulerat, dęmones fugaret. Quod si ita est, vt neq; vllo Dei instituto, neque suapte vi cithara dæmones cohibeat, neque hactenus Dauid miraculorũ fama innotuerit, miror quî fieri potuisse dicamus, vt sperarent serui Saulis, quod natura negat, consuetudo abnuit, Deus ipse nusquam pollicetur à citharœdo dæmonem abactum iri. Itaque nisi fortè homines insanisse putemus, omninò necesse est consentaneum aliquid & aptum suis rationibus petierint, & ad ea canentem fidibus accersi iusserint, quibus nouerant musicam mederi.

Dei beneficio, non vi citharæ dęmonē à Dauide pulsũ esse.

VERSVS XVII.

Et ait Saul ad seruos suos: Prouidete ergo mihi aliquem bene psallentem, & adducite eum ad me.

HIc Saul obtemperat hominibus, qui antea Deo obtẽperare noluit. Non damno equidem eos qui parent medicis: sunt enim audiendi, si rectè monent. Sed illos damno, qui homini facilius parent, quàm Deo. Ad pœnitentiam verò nemo hortatur, cùm tamen hæc sola medicina esset, quæ malo remedium afferret. Sed quisque veretur ne Princeps grauiter accipiat. Nam morbos animi, quòd habeant cum periculo coniunctam ignominiam, studiosè occultamus. Itaq; nemo audet suadere pœnitentiã, ne Principem accusare videatur; cùm tamen verisimile sit, plerosque causam ægritudinis non incompertam habuisse. Forsitan etiam obfirmatũ eius animum nouerant, nec posse apud eũ quicquam proficere. Aut certè plerunque tales sunt qui in aulis principum versantur, corpori impensiùs student, iacturã animæ suiq; deq; ferũt.

Ad pœnitẽtiã hortari Principem audet nemo.

PROVIDETE ERGO MIHI, &c.

A *Prouidete ergo mihi aliquem bene psallentem.*] Otto Phrisingensis cap. 32. lib. 6. Chron. de Henrico 3. Imperatore hæc habet. Cùm his, inquit, acciperet nobilissimi Galliarum Principis, Pictauiæ atque Aquitaniæ Ducis Guilhelmi sororem Agnetem in vxorem, & ex more regio nuptias Inglnheim celebraret, omne balatronum & histrionum collegium, quod, vt assolet, eò confluxerat, vacuum abire permisit, pauperibúsq, ea quæ membris diaboli subtraxerat, largè distribuit.] Factum bene. Neque tamen culpandi sunt, qui citharœdos ad mitigandas animi ægritudines, curásq; leuandas modestè adhibent. Non enim omnes membra diaboli fuerũt, sed plerique continentes, qualis Dauid, & complures filij Prophetarum. Inter Ethnicos etiam narratur Amœbeas citharœdus maxima conti-

Otto Phrisingens.

Egregium Principis factum.

B nentia præditus fuisse, qui etiam ab vxore sua formosissima fœmina castitatis studio abstinuerit. Ælianus autor Var. hist. lib. 3. cap. 30.

Ælianus.

Et adducite eum ad me.] Nimirum, vt quod erant polliciti, consequeretur. Quod ne incredibile videatur, inquit Iodocus Clichtoueus, operis trifidi lib. 2. cap. 3. circa hunc locum id affert Glossa ordinaria. Refert Boëtius, Philosophum quendam tactu citharæ, dæmonium ab obsesso corpore pepulisse. Sed quoniam in illum Boëtij locum, vbi hoc refert, licet diutius inquisitum, incidere non potui: nonnulla alia ex eo nunc adducam annotatu digna, quę & magnam musicæ vim atque efficaciam esse testentur, potissimùm in mouendis hominum animis; & quæ hîc dicuntur in narratione historica, reddunt credibiliora. Is itaque præclarus autor, &

Iod Clicht.

C Philosophiæ peritissimus, in proœmio quinque librorum musicæ à se compositorum, hæc sequentia continua oratione edisserit. Tanta fuit apud Lacedæmonios musicæ diligentia, vt eam animos quoque obtinere arbitrarentur. Vulgatum quippe est, quàm sæpè iracundias cantilena represserit: quàm multa vel in corporum, vel in animorum affectionibus miranda perfecerit. Cui enim est illud ignotum, quod Pythagoras ebrium adolescentem sub Phrygij modo sono incitatum, spondæo succinente reddiderit mitiorem, & sui componentem? Nam cùm scortum in riualis domo esset clausum, atque ille furens vellet eam amburere: cúmque Pythagoras stellarum cursus (vt ei mos nocturnus) inspiceret, vbi intellexit sono Phrygij modi in-

Boëtius.

Musicæ quædã miracula.

D citatum, multis amicorum admonitionibus à facinore noluisse desistere: mutari modum præcepit, atque ita furentis animum ad statũ mentis pacatissimæ temperauit. Quod scilicet Marcus Tullius commemorat in eo libro, quem de suis consilijs composuit. Et iterum: Cùm vinolenti, inquit, adolescentes, tiburum cantu (vt fit) instincti, mulieris pudicæ fores frangerent, admonuisse tibicinam vt spondæum caneret, Pythagoras dicitur. Quod cùm illa fecisset, tarditate modorum, & grauitate canendi illorum furentem petulantiam consedasse. Sed vt similia exempla breuiter conquiram, Terpander atque Arion Methimnæus, Lesbios, atque Iones grauissimis morbis, cantus eripuere præsidio. Hisinenias verò Thebanus, Bœotiorum pluri-

PROVIDETE MIHI, &c.

bus, quos schiatici doloris tormenta vexabant, modis cunctas fertur abstersisse molestias. Meminit præterea Empedoclis, quem suprà retulimus, meminit & Pythagoreorum, qui vesperè curas, manè soporem alijs atque alijs citharæ modis excuterent: Id nimirum scientes, inquit, quòd tota animæ nostræ corporisq; compago musica coniuncta sit. Nam vt sese corporis affectus habet, ita etiam pulsus cordis motibus incitantur. Quod scilicet Democritus Hippocrati medico tradidisse fertur, cùm eum quasi insanum (cunctis Democriti ciuibus id opinantibus) in custodia, medendi causa videret. Hæc & plura ex Boetio Clichtoueus, quæ nostram sententiam plurimùm confirmant; energumenum musica curari posse non loquuntur.

Sed si placet, nec lectori molestum est, ab eo sensu qui secundum literam est, quem nos potissimùm sectamur, ad allegoriam parumper deflectamus. Prius tamen lyra nobis rudi stylo describenda est, qualis ab initio fuisse perhibetur, cùm primùm inuenta est. Nam perfectam, & suis numeris absolutam, si voles, tibi Mersennus noster exhibebit cap. 4. Genes. ver. 21. Inter priscas verò scita illa cum primis & venusta, suoque digna Polyphemo, quam Doris depingit apud Lucianum, in Doride & Galatea. Nam lyræ corpus, inquit, simillimum erat ceruino capiti ossibus renudato: tum cornua perinde quasi cubiti prominebant: ijs iunctis inductisque fidibus, quas ne collope quidem, seu verticillis circumtorquebat, agreste quiddam & absonum resonabat, quum aliud interim ipse voce caneret, seu potius ruderet, aliud lyra succineret. Talis erat Polyphemi cithara, si Doridi credimus: cuius forma rursum melius intelligi poterit ex Philostrati Iconibus in Amphione. Primam, inquit Philostratus, lyram despice, an pro dignitate picta sit. Cornu namque capræ esse petulcæ Poetæ aiunt: ipso autem cornu musicus quidem ad lyram, sagittarius verò ad sua vtitur commoda. Atra, ac secta serris cornua, & ad pulsum ac sonitum idonea. Ligna quibus lyra indiget, ex buxo omnia valida, ac leuia. Ebur in nulla est lyræ parte, hominibus elephantem adhuc, & ad quod eius cornibus vterentur, ignorantibus. Et chelys siue testudo nigra quidem, sed affabrè, & vt rei natura exigit, perfecta est. Orbes flauis inter se vmbilicis adnexos circundata. Nerui autem partim quidem magadi appositi sunt, vmbilicisque occurrunt, partim verò sub iugo caui videntur. Hic vtique ipsorum habitus aptissimus, cùm directi in lyra reclinentur. Amphion autem quid ait? Quidnam aliud quàm canit? Tantùm aperit dentium, quantum canenti satis est. In edito sedet, pede terram concinnè pulsans, dextera verò neruos plectens: altera manus in rectum promissos habet digitos, quòd solam plasticen ausuram crederem. Hactenus Philostratus. Ad allegoriam veniamus.

Lucianus.

Lyræ descriptio.

Philostrat.

Vigenerus in Amphionem Philostr.

Blasij primùm Vigeneri recordabor, tametsi quod in eam sententiam protulit, Philosophiam meram redoleat. Lyra igitur siue cithara Blasio totius orbis quædam imago est. Testudinis pars ima, quæ plana est, & in cithara resupina iacet,

A terram refert, quæ talis apparet incolentibus, tametsi reuera sphærica est. At conchæ fornix, qui tergo imminet, cæli figura est, non illud quidem flauis distinctum vmbilicis, sed aureis, atque micantibus stellis. Lento gradu testudo procedit, natura nusquam præcipitat. Tota in concauum testæ collecta, vnitatem in numeris, punctum in figuris, formam in compositione physica repræsentat. Bina cornua, quæ velut ansæ, siue brachia lyram fulciunt, siue materiam, siue binarium numerum, aut etiam obliquam & curuam lineam interpreteris licet: nam à iugo ad magadin recta est linea quæ ducitur. Cornuum pars infima obtusa est, superior cuspis acuitur. Quid hoc, quid aliud præ se fert, quàm quod Hermes supremum vocat & infimum? Moyses cælum & terram, Philosophi

B agens & patiens, Physici marem & fœminam? Alij etiam vapores celsum aëra subeuntes, & syderum radios ima petentes arbitrantur. Lasciui cornua animalis incumbentem generationi naturam significant. Quod si coeant à fronte cornua, vnà cum magade Græcum delta Δ efficient, qua forma citharam olim innotuisse testatur Græcus Hieronymus. Trianguli porrò mysteria quis enumeret? Nam quot angulis ea figura porrigitur, totidem personis diuinum numen subsistit. Hinc quoque mundus vniuersus, vt archetypo respondeat, triplex censetur: Intelligibilis, cælestis, & qui elementis constat. Nec dissimilem elementaris ipse partitionem sortitur. nam aut vegetat, aut sentit, aut ad metallicam rationem pertinet. Testudinis saxea concha ad metalla accedit; buxus vegetat;

C cornua sunt animalis; ita vt mundi nulla portio citharæ desit. Adde quod ternarius, primus numerus cubicus habetur, latitudinem, longitudinem, atque altitudinem continens. Summa porrò dimensionum hæc est. Quid tempus? nonne tribus his includitur præterito, præsenti, & futuro? Quid vnaquæque res, an non tria hæc complectitur, initium, medium, & finem? Denique Deus omnia tribus maximè rebus absoluit, pondere, numero, & mensura. Adhæc, quarto loco corium bubulum testæ agglutinatum est, ne qua sonus efflueret, vt conueniens elementis numerus lyræ adderetur. Tot enim corporum elementa, tot anni tempora numerantur. Sunt & chordæ præterea, quæ sedem quintam occupant. Quintus verò etiam habe-

D tur æther, entelechia, quinta essentia, lumen. Et perfectum animal parem sensuum numerum obtinet. Neruos quidem Hieronymus ille Græcus quatuor & viginti recenset. Sed hoc posterius contigisse oportuit: prius enim cithara septem duntaxat fidibus Terpandri ætate insonuit: octauam Simonides, nonam Timotheus addiderunt, vt scribit Plinius lib. 7. cap. 56. Septenarius porrò numerus ex tribus & quatuor compactus est. Ex quatuor elementis coalescit corpus; tres animæ vires à Philosophis celebrantur, ira, ratio, & quæ ambabus it comes concupiscentia. Sic ille numerus totum hominem in se cohibet. Septem chordas media sex interualla dirimunt. totidem musicos tonos citharœdi numerant, & septem concentus harmonicos,

PROVIDETE MIHI, &c.

Citharæ allegoria.

PROVIDETE MIHI, &c.

monicos, quos ille pluribus explicat, nos paucis septem planetas intelligimus, quorũ mirabili cõcentu ex tam diuersis orbis reliqui partibus mundi concors harmonia cõsurgit. Hæc breuiter ex Blasio. Nã viri eloquentiã, qui cum paucis patriæ linguæ palmã tulit, referre velle, frustrà esse duximus. Deinde, etsi ea, quæ lyræ mysteria vocat, non indigna meditatione nostra esse censeamus: attamen incensum Dei amore animum minus afficiunt: illum enim auocant potius quàm ad Dei contemplationem transferant, quantumuis licet Plato atque Pythagoras, & qui eos supra modum mirantur, de suis studijs magnificè sentiant. Quocirca non naturam, vt Amphion: aut falsorum deorum ridicula mysteria, vt Orpheus: Sed Deum ipsum cum Dauide vtroque longè doctiore canamus.

Altera spiritualior allegoria.

Citharæ delta Δ, quod tribus angulis siue lineis æquilateribus vndique nexis construitur, diuinæ naturæ non obscura delineatio est: quæ cùm vna sit, in tribus tamen æqualibus personis subsistit. Lyræ fundamentum testudo est vniuersam hanc mundi molem solo Deo niti seruarique demonstrans. Sed quid hoc quod corio tegitur? Quid enim aliud esse possit quàm quod Propheta loquitur, *Verè tu es Deus absconditus: Posuit tenebras latibulum suum*, & quod denique Ioannes asserit *Deum nemo vidit vnquã*? At duo illa cornua, quæ videntur tanquam è testudine erumpere, & iugum fulciunt, radij sunt bonitatis illius: idcirco gemini, quoniam animis corporibusque vitam impertit. Buxo, si quo loco opus sit, lyra compacta est: quoniam illa nullo non tempore viret, & inuicto robore præstat, cariei minimè obnoxia. *Dat*, inquit Iacobus, *omnibus affluenter, & non improperat*. Et alibi: *dona Dei sunt absque pœnitentia*. Postremò, quicquid statuat, nemo labefactare potest. Iam verò geminum cornu iugum illud copulat, cui fides insertæ sunt: nec aliter diuina prouidentia eiusdem beneficia regit. Quapropter etiam pluribus verticillis iugum neruos contorquet, quoniam multiplex & varia est eiusdem prouidentiæ ratio, qua res singulas ad destinatum finem perducit. Septenarius porrò numerus omnem numerum Hebræis designat. Septem neruis cithara tenditur. Quorsum hoc? nisi vt patere omnibus sua beneficia indicet? Nemo diuini muneris expers viuit. Præcipua tamen sua beneficia septenario numero comprehendit. Nam totidem Spiritus sancti dona esse accepimus; totidem Ecclesiæ tradita Sacramenta, quibus vita salúsque nostra continentur. Quid deinde magadin, quid flauos vmbilicos commemorem, & lyræ mirabilem concentum? A magadi sonus incipit, vt docent Musicorum filij: & idem quoque soni finis est. Quis neget Deum rerum omnium finem atque principium? Mare est: inde primùm scaturigines erumpunt: postremò etiam eiusdem sinu conduntur; quod pluribus locis Scriptura testatur. At flaui orbes à quibus nerui pendent, manus eius sunt: de quibus Sponsa in Canticis, *Manus eius tornatiles aureæ*: siue, vt quidam legunt, *orbes aurei*: vis illa scilicet tantorum operum artifex, quæ mũdum hunc mirificè architectata est. So-

PROVIDETE MIHI, &c.

A nus ipse numen loquitur, & autoris sui laudibus numerosè organon personat. Sed enim *Propter semetipsum omnia operatus est Dominus*. Hæc Dauid canebat ad citharam, vberrimam nactus segetem, & dignam sua facultate materiam.

Lyra Christum allegoricè repræsentās.

Sed nec alia rursum allegoria tacitè prætereunda est, cùm is Christum caneret, quem sua cithara referebat. Trianguli figuram reliquis prætulit, vt obscurè Christum adumbraret, quem nouerat tribus his maximè insignem fore, corpore, spiritu, ac numine: quæ tria citra confusionem in vnam personam coalescerent. Testudo Physicis tardigrada dicta est. Talis olim Patribus Saluator visus est, ita vt inde scelesti calumniandi ansam arriperent, ac prophetis illuderent. *Manda* dicebant, *remanda; expecta, reexpecta; modicum ibi, modicum ibi*. B Tecta corio testudo est, tectum pellibus tabernaculum, & ipsum quoque Sanctuarium velo obnuptum. Quid ita? Num quia Iob ait, *In pelle mea videbo Deum Saluatorem meum*? An quia partus eius, vt S. Martyr Ignatius scribit, latere diabolum debuit? vel, vt quidam propheta ait, quia *Deus esse debuit absconditus*? Hinc sua miracula non rarò taceri imperat: & cùm semel maiestatis suæ radios explicare vellet, paucis testibus ad spectaculum adhibitis, montium latebras ipse captauit. An quia postremò, vt idem autor est, *Oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam*? Cornua eius, dum vixit, seu potius geminum sydus, doctrina & miracula habita sunt; quibus diaboli potentiam fregit; C ita vt tandem iure gloriari posset: *Ego vici mundum: Princeps huius mundi iam eijcietur foras. Sublimabit*, inquit Anna huius lib. cap. 2. *cornu Christi sui*. Buxus affixa citharæ, crucis typus est. Iugum, eiusdem pars superior, quæ ceruici imminet: verè iugum, quo suam obedientiam ad mortem vsque probauit. Verticilla claui fuerunt, quibus appensus est. Magadin fulcrum vocat Froschinus Musicus; soni retinaculum Franchinus. Sic quoque, sic crucis ima portio Saluatoris fulcit pedes, vt Verbum Patris defixis pedibus solo figat, nobisque retineat. Septem fidibus cithara tenditur. Dic quot habet corporis machina neruos? nam cunctis Christus extensus est. Nam & Septenarius apud Hebræos omnia complectitur. Soni quæ tandem harmonia sequuta est? Miro concentu numinis D iram demulcens, cælo terram reconciliauit: & septem discrimina vocum, septem morientis nouissima verba feliciùs ediderunt.

VERSUS XVIII.

Et respondens vnus de pueris, ait: Ecce vidi filium Isai Bethlehemitem scientem psallere, & fortissimum robore, & virum bellicosum, & prudentem in verbis, & virum pulchrum: & Dominus est cum eo.

Hinc apparet non fuisse factum communi consilio vt Dauid accerseretur, cùm ne

Scien-tem psal-lere.

prius quidem de eo cogitarint, vt spem in eius pietate posuisse videri possint, aut ab eo supra naturæ vires miraculum expectasse. Quemlibet citharœdum adhiberi suadent, modò is esset artis suæ peritissimus. Respondet autem quidam ex illis, qui astabant, se scire hominem ad eam rem perappositum. Et laudat Dauidem à bonis & animi & corporis. In corpore quidem laudat robur, artem musicam, & formam: in animo autem scientiam militarem, consilium, quódque Deus esset cum eo. Hac ille oratione effecit, vt Dauid aduocaretur in aulam. Porrò sex notat dotes optimas adolescentis ingenui. Sic Seraphim dicuntur senas alas habuisse, & totidem describit in animalibus à se visis Ioannes Apocalyp. cap. 4. At contra procerus ille Gethæus ex origine Arapha, cuius fit mentio 2. Reg. cap. 21. Senos etiam habuisse digitos fertur. Quid tum? digiti erant non alæ, quibus cælum conscenditur. Primùm igitur Dauid arte psallendi insignis fuit. Deinde corporis eximio robore pollebat. Postea etiam bellica virtute præstabat. Adhæc linguam moderari prudenter nouerat. Accedebat præterea virilis quidam decor, & gratia, ita vt virtutem corporis specie atque habitu præ se ferre videretur. Postremò, quæ summa felicitas viro mortali contingere potuit, præsenti numinis ope atque præsidio manifestè fruebatur. Itaque Orpheum quidem fidibus vicit; corporis verò robore Herculem; armis Achillem; prudentia Nestorem; pulchritudine Paridem; numinis præsentia Socratem. Quod si vacat, etiam harum virtutum seriem atque ordinem inspice: nam his ferè gradibus ad perfectionis apicem conscenditur. Oratio prima est, quæ fidibus exprimitur, vt accuratè fieri doceatur. Decet enim ab inuocatione numinis cœpta auspicari, sine cuius ope nihil præstare possumus. Secundo loco labor & constantia requiritur. Nec enim virtus obuia cuique prostat, aut absque aliqua molestia comparatur. Tertiò militaris industria commendatur. Primùm enim nobis colluctatio est aduersus carnem & sanguinem, deinde *aduersus potestates tenebrarum harum, contra spiritales nequitias in cælestibus.* Additur quarto loco prudentia quæ linguam regat, & à iactantia mendacióque coërceat, ne quo vitio laborum fructus depereat. Nam qui linguæ frænos non adhibet, *Huius*, inquit Iacobus, *vana est religio.* Sequitur oris dignitas, & vultus non ingrata species, ne nimium austera virtus & acerba videatur, quales esse fructus immaturi solent: Demum tanquam vice coronidis, virtuti comes Deus ascribitur: quo præsente, atque iuuante quid non efficere possit?

Sex Dauidis egregię dotes numerantur.

Hoc porrò nosse Saulis plurimùm interfuit. Nam Musica, vt docet Athenæus Dipnosoph. lib. 14. cap. 10. autoris ingenium redolet, & ferè eiusdem mores æmulatur. Nam tres omnino harmonias esse Heraclides Ponticus scribit li. 3. de Musica, Doricam, Æolicam, & Ionicam. Phrygiam autem atque Lydiam, quas plerique recensent, ab eo numero ablegat. Dorica porrò nescio quid triste ac vehemens, & magnificum sonat: quoniam Dores, atque in his præsertim

Athenæus.

Musica autoris ferè ingenium redolet, & mores æmulatur.

Scien-tem psal-lere.

Lacedæmonij, his moribus fuisse feruntur. Æolicæ modus penè contumax ac superbus, solutior tamē, quoniam hi maximè alendis equis vacant, & hospitibus accipiendis operam impendunt. De Ionibus hæc habet Athenæus: Iones, inquit, in corporibus bene habentibus, superbia iracundiáque sunt pleni, duris atque asperis moribus nihil humanum aut suauè spirantes, contentiosi, quos nec distractos in pristinam cōcordiam facilè reducas. Quamobrem nec Ionicum harmoniæ genus floridum quidquam aut iucundum habet, sed austerum ac durum nescio quem fastum non ignobilem resonans, quod fit vt tragœdiæ similius habeatur. Quod de priscis Ionibus intelligendum est. posteriores enim luxu delicijsque Asiaticis corrupti, musicos modos inflexerunt, & molles tenerósque reddiderunt. Quales igitur forent Dauidis mores, tale musicum melos ab eo expectandum fuit. Quocirca, cùm ad eum morbum curandum quem numinis ira & dæmonis sæuitia conflauerant, casta grauis & seuera incentio desideraretur, scire vtique oportuit, Dauidne ijs virtutibus ornatus esset, quæ Regis animum sceleris conscientiæ consternatum, à furore atque melancholia ad tranquillitatem spémq; diuinæ misericordiæ reuocare possent.

Scientem psallere, Septuaginta, ἐπιστάμενον ψάλλειν. Vno verbo exprimi potuit vt est apud Suidam in Lexico, κιθαρῳδικώτατον, id est, ad citharam canendi peritissimum. Non enim tantùm manu, seu voce organica, vt Varro vocat, psallere credendus, quod hîc solùm Scriptura disertè loquitur: sed etiam assa voce suos psalmos ad citharæ pulsum decantasse. נגן *nagan* profectò non solùm fidibus, sed etiam voce modulari, seu musicè canere significat. Vnde & נגינה *neginah*, musica, canticum, modulatio. Nunc mihi liceat ijsdem verbis Isai affari, quibus Automenem affatur Aristophanes in Vespis. O beate Isai quàm te beatum ducimus, liberos quod plantaris & procrearis χειροτεχνικωτάτους, manibus-artifices-peritissimos. Primùm quidem omnibus amicum, virúmque sapientissimum, τὸν κιθαρῳδικώτατον illum ad citharam canendi peritissimum, ᾧ χάρις ἐφέσπετο, quem gratia comitabatur.] Præclara hæc institutio semper est habita, si pueri, maximè qui ad gloriam & imperium nati essent, à teneris vnguiculis fidibus erudirentur. Sic docuit Linus Herculem. Sic alter quoque Alexandrum Philippi filium, vt est apud Ælianum Var. histor. lib. 3. cap. 32. Epaminundas quoque Græcorum facilè princeps, fidibus præstantissimè cecinit; Themistocles verò cùm aliquot annis antè in epulis lyram recusasset, est habitus indoctior. Nec soli Arcades, vt supià retulimus, sed etiam Cretenses publicè iuuentutem musicis artibus imbui decreuerunt. Primùm quidem vt leges cum voluptate discerent, & faciliùs eas memoria complecterentur. Deinde etiam hymnos in honorem deorum factos. Postremò denique fortium virorum encomia. Ælianus Var. hist. lib. 2. cap.. 39.

Aristophanes pag. 557

Musica pueris digna ingenuis.

Ælianus.

Et fortissimum robore.]

Μορφὰ θηλυτέρῃσι πέλει καλόν, ἀνδράσι δ᾽ ἀλκά

Forma

SCIENTEM PSALLERE.

Forma mulieribus est res decora: viris autem fortitudo.

Robur pulchritudine præstātius.

Robur corporis, eiusdem pulchritudine longè præstantius est. Pulchritudo enim, vt Scribit Suidas in voce κάλλος, est συμμετρία seu conuenientia dissimilarium in nobis partium, faciei, colli, manuum, cæterarum partium, quæ primis facultatibus posteriores sunt. Qua ratione, inquit, facilè demonstrari potest, robur optabilius esse ipsa pulchritudine. Similares enim partes, in quibus est robur, in nobis sunt priores dissimilaribus, in quibus est pulchritudo. Nam vnaquæque dissimilaris pars, siue ἕκαστον τῶν ἀνομοιομερῶν, ἐκ τῶν ὁμοιομερῶν σύγκειται ex similaribus constat. Veluti facies ex ossibus, & neruis, & carnibus. Quamobrem etiam illis quidem sublatis, simul & ipsa tollitur. Ipsa verò sublata, non simul secum illas tollit. Hactenus Suidas.

Suidas.

B

Et virum bellicosum.] Qui fieri ergo potest vt sequenti capite puer habeatur? Legis Longobardorum *lib.2. Tit.19.l.1.* ita statuitur: *In anno nonodecimo ætas legitima Longobardo homini. Lege 6.* vocatur infans qui annum 18. emensus non fuerit: inde vir haberi incipit. *Infans,* inquit, *ante 10. & 8. annos, quos nos instituimus, vt sit legitima ætas.* Iure Saxonico communiter anni 21. requiruntur. *Spec. Sax. lib. 1. artic. 42.* Sed Imperator Constantinus, & post eum Leo constituerunt, vt si quis eximia honestate morum præditus sit, plenam rerum suarum administrationem habeat, cùm vigesimi anni metas impleuerit; masculus putà, fœmina autem si decimi octaui. *lib. 2. Cod. De his qui veniam.* Leo *Nouell.* 27. Id verò ius ad omnes pene Liutprandi Regis ordinatione translatum est, constitutumque, vt 18 annum quisquis excesserit, legitimæ ætatis homo reputetur: quod etiam Imp. Fridericus postea voluit, *Leg. Sicul. lib. 2. Tit. 39.* & Carolus 4. Imp. aurea sua bulla in legitima Principum Electorum ætate confirmauit. Apud Hebræos qua demum ætate maiores haberentur, compertum non habeo. Apostolus videtur in arbitrio patris posuisse, quoto anno vellet liberos suo iure vti. *Quanto tempore,* inquit, *hæres paruulus est, sub tutoribus & actoribus est vsque ad præfinitum tempus à patre.* Sed nihil hoc ad eius nominis prærogatiuam attinet. Nam etiam apud Romanos pluribus annis ante togam virilem sumebant, quàm per ætatem sui iuris compotes fierent. Tametsi enim Caligula, autore Suetonio, non ante 19. annum puram togam acceperit, nec Cumis, vt narrat Halicarnas. lib. 7. ante annum vigesimum viros se profiterentur, aut virilem togam induerent, plures tamen maturiùs eum honorem adepti sunt. De Nerone Tacitus 12. Annal. Quo capessendæ Reipub. habilis videretur, vix pubescens, maturatam togam virilem induit. Suetonius in Aug. cap. 8. Quadrimus patrem amisit, duodecimū annum agens auiam Iuliam defunctam pro concione laudauit, quadriennio post virili toga sumpta, militaribus donis triumpho Cæsaris Africano donatus est. M. Aurelius, Capitolino teste, anno 15. virilem cultum induit. Ciceronis filius

Leg. Long. ætatis quæ olim ratio habita.

Lex Saxon.

Cod. De his qui veniam.

C

Leg. Sicul.

Qua ætate viri quondam dici cœperint.

D

Sueton.

Dionys. halic.

Tacitus.

Capitolin.

A

in exitu anni decimiquinti, adhuc stante Republica. Iurisconsulti verò ætatem virilem ab anno tantùm decimoseptimo sumunt, quo primùm tempore liberam togam seu virilem sumendam contendunt. Verùm esto: potuit igitur etiam Dauid in eo ætatis flexu vir appellari.

ET PRVDENTEM, &c.

Bellicosum.] Ex his, inquit Iunius, quorum nomine hîc commendatur Dauid, colligitur, eum iam antè Pelischthæum interfecisse, vnde apparuit eum esse bellicosum, & Deum adesse ei. At hoc Iunij commento nihil absurdius videri poterit, si duo sequentia capita attentè legamus. Dicitur autem bellicosus vir, non quia iam in album militum relatus esset, aut cum hoste congressus rebus gestis innotuisset: sed quia corporis & animi robore pollebat, & ijs artibus videbatur instructus, quibus miles perfici solet. Dignus erat & aptus, qui militiæ ascriberetur. Militare ingenium, Martium furorem spirabat, æqualibus semper in lucta superior, & alijs congressibus & ludicris certaminibus, quibus nonnunquam ruri adolescentes exercentur. Quid si illud etiam fama percrebuerat, non rarò eum cum vrsis & leonibus pro grege decertasse? Nam quod iam tyrocinij specimen edidisset in cæde Goliath, nullomodo fieri potuit. Nam ante id prælium scribitur ad pascendas oues regressus, nec vltra post victoriam ad caulas redijsse.

Iunij absurdum cōmentum.

Et prudentem in verbis. Ῥώμη δὲ μετὰ μὲν φρονήσεως, ὠφέλησεν, ἄνευ δὲ ταύτης, πλείω τοὺς ἔχοντας ἔβλαψε. Robur prudentiæ iunctum conducit, inquit Isocrates ad Demonicum; sine ipsa verò plus lædit possidentes. Itaque etiam Plutarchus in lib. contra vires corporis, immensis animalium viribus longè præfert humani ingenij solertiam. Quænam enim, inquit, tanta tibi animalium felicitas videtur, vt eius gratia naturam existimes, hominibus nouercam, brutis verò parentem esse? An propter magnitudinem, velocitatem, visúsque aciem ita censes? At hominum propria vis in animi ratione consistit, qua & elephantos per syluas pedicis capit, frenat equos, subiugat boues aratris, volucria deijcit arundinibus, & in profundo submersa retibus extrahit. Hæc eius vis est, quæ multò vberiùs se profert, cùm ambitus terræ, cæli magnitudines, & stellarum circulos persequendo non fatigatur. Hæc erant Hercule digna. Quis enim non Vlysses, quàm Cyclops esse malit? Itaque non malè prudentia à Platone definitur ἐπιστήμη ποιητικὴ εὐδαιμονίας, scientia felicitatis effectrix. Docet enim primùm quid bonum, quidue malum sit. Deinde etiam quid agendum, quidue respuendum. postremò qua via quidque effici possit. Et primùm quidem prudentia, quod bonum est, suo studio adipiscitur, deinde illud constanter tuetur; mox adauget; illo denique vt decet vtitur. Nam sunt hæ quatuor partes prudentiæ, si Plutarcho credimus. Porrò non potuit hæc tanta Dauidis prudentia non esse diuinitus insita. Vnde enim adolescenti cum brutis animantibus in eremo conuersanti virtus hæc comparari potuit? Nam quæ prudentiæ habitum gignunt, duo quædam sunt, vt docet

Isocrates.

Prudentia corporis viribus præstat

Plutarch.

Quatuor partes prudentiæ.

Et prudentem in verbis.

Apud Stobæũ Serm. 3. de Prudentia.

Quibus rationibus prudentia comparetur.

Archytas Pythagoræus, à quibus Dauid procul abfuit. Alterum est, vt mens disciplinis & cognitione sit munita: Alterum spectacula,& negotia multa, quæ partim ipsummet vnumquemque spectasse oportet, partim alio modo percepisse. Nam neque is, qui mox ab incunabulis rationibus, disciplinis, ac exquisitis contemplationibus animum exercitauit, ad prudentiam sat idoneus est: neque ille, qui iam dictorum quidem nihil consequutus, sed in multis aliàs historijs & rebus experiundo versatus est. Prior enim ad singularia perpendenda cæcum habet animum. Alter in vniuersalium contemplatione nihil videt. Quemadmodum enim aliquis computando partibus coniunctis, totum ex ipsis resultans colligere potest: ita in rebus quoque ratio quidem speculationem vniuersalem delineat, experientia verò singularia iudicat. Hactenus Archytas in lib. de viro bono & felice. Hìc mihi prudentiæ rationem mirificè complexus videtur: sed illam tamen ignorabat quæ cælo labitur, mentésque Sanctorum rigat, & regno dignos efficit. Admonet autem Scriptura etiam verbo tenus prudentem fuisse. Nam hæc pars prudentiæ cùm rara, tum etiam longè difficilis habetur. Quippe temerè sæpe oratio erumpit cùm sit velocissima, nec vllo freno cohibeatur. Opus verò plerumque vt absolui queat, diuturno tempore indiget: & multæ sæpe difficultates occurrunt, quæ largam præstent deliberandi copiam. Vnde profectò maior est virtus si à temerè dictis abstineas. Maius aliquid audet Iacobus Apostolus, Nam *Si quis*, inquit, *non offendit in verbo, hic perfectus est vir*. Quæ perfectio ijs maximè necessaria est, qui in aulis Principum versantur, & ducis populi lateri adhærent. *Etenim sacramentum regis*, vt inquit Raphael Angelus, *abscondere bonum est: opera autem Dei reuelare & confiteri honorificum est*.

Tobiæ 12 vers. 7.

Et virum pulchrum.] Cassiodorus Variar. lib. 8. epist. 4. Tales enim, inquit, decet esse aulicos viros, vt naturæ bona indicio frontis aperiant, & possint agnosci de moribus, cùm videntur. Tacens enim plerunque despicabilis est, si eum tantùm lingua nobilitat: semper autem in honore manet, si cuius est tranquillus animus, eum quoque serenissimus commendet aspectus.] Pulchritudinis verò duo genera sunt, vt docet Tullius, quorum in altero venustas est, in altero dignitas: venustatem muliebrem dicere debemus, dignitatem virilem. Et sunt qui in magno corpore duntaxat pulchritudinem intelligant, quoniam dignitas expetitur, quæ pusillis vix adesse potest. Quare bellos antiqui dixerunt magis quàm pulchros. A Græcis ἀστεῖοι καὶ σύμμετροι. Aristot. in 4. Ethicor. οἱ μικροὶ δ' ἀστεῖοι καὶ σύμμετροι, καλοὶ δ' οὔ. Qui breui statura sunt, hi sciti & elegantes,& concinni dicuntur, non pulchri: quoniam etsi eorum membra venustè responsum habeant, & secundum debitam partium competentiam, quam Græci dicunt συμμετρίαν, modificati sint, pusilli sunt tamen, & à iusta magnitudine deficiunt; ac proinde nec pulchri merentur audire. Significat hoc Martialis in Epigram.

Cassiodor.

Pulchritudinis duo genera.

Aristotel. Pusilli belli nõ pulchri.

Martialis.

Et virum pulchrum.

Bellus homo & magnus, vis idem Cotta videri:
Sed qui bellus homo est, Cotta pusillus homo est.

Humani corporis commensum, & membrorum inter se conuenientissimum responsum, quæ pulchritudinem creduntur efficere, describit Vitruuius lib. 3. de Architectura, cap. 1. Sed is locus, vt inquit Philander in annotationibus in eundem, adeò in labem contractus conuulsúsque est, vt pugnantia contineat. Albertus Durerus pictor insignis, lib. de Symmetria corporis humani, eandem copiosiùs explicat. Breuiter & summatim Pomponius Gauricus lib. de Sculptura, hominis iustam ait altitudinem esse nouem capitum, id est nouies quantum sit à mento imo ad imum capillum: idque in adultis duntaxat: puerorum enim infantium longitudinem non nisi quatuor faciebus constare. Non defuerunt tamen, vt inquit Philander, qui in nouem partes & vnius tertiam hominis corpus partientes (cuius rei laudant autorem Varronem) constituant partem vnam à mento ad radices imas capillorum, duas à summo pectore ad vmbilicum, ab hoc ad genitalia vnam, ab istis per femora ad genu duas, infra genu per tibias ad malleolos duas. Rursus vnius tertiam à radicibus capillorum ad verticem statuunt, tantundem à mento ad summum pectus, epigonatidi siue mylæ, quæ iuncturam femoris & tibiæ operit, tantundem tribuunt, à malleolis ad plantam pedis tantundem, vt sit à mento ad verticem septima totius corporis, à summo pectore ad imas radices capillorum tantundem, ad summum verticem paulum supra sextam. Quod verò ad latitudinem corporis attinet, ita ferè statui video, vt sit pectus sextæ, brachiorum vnumquodq. tantundem, cubiti duo duarum septimarum & eo amplius pusillum, ambæ manus duarum decimarum, si quidem corporis sit decima pars à mento ad summam frontem. Animaduersum enim in nobilissimis statuis Laocoontis, Apollinis, Veneris, & Cleopatræ, quæ in Vaticano Pontificum Maximorum horto adseruantur, atque adeò in omnibus quas pulcherrimas in vrbe vidimus, longiores fuisse manus à metacarpio ad extremum longissimum digitum, quàm sit à mento ad summam frontem. Sed quomodocunque factum sit, curandum est, vt expassæ manus ipsam corporis longitudinem æquent. Hactenus Philander in Vitruuium.

Albertus Durerus.

Pomponius Gaur. Humani corporis symmetria.

Philander in Vitruuium.

Oris seu faciei commensum, & partium eius inter se competentiam, quarum maximè ratio in pulchris habetur, quòd ea pars corporis omnium oculis subiecta sit, describit Cardanus in fine lib. 11. de Subtilitate. Faciem igitur seu totam vultus regionem, quæ à mento ad summam frontem porrigitur, si cum reliqui corporis longitudine conferatur, vult habere responsum decimæ partis, & æqualem facit frontis aream, vt esse perfecta commensuratio queat. Faciem deinde distribuit in tres æquas portiones. Primam ducit à radice capillorum ad superciliorum discrimen infimum, & nasi principium. alteram naso metitur. tertiam mento & labris: qua ratione nasus totius corporis trigesimam partem occupat. Oris & auris par circulus esse debet.

Faciei cõmensus & symmetria; Cardanus.

Et virum pulchrum.

debet. Oris hiatus qualis oculorum. rictus, aurium peripheriam obtinet. Aurium ambitus ad decimamquintam partem longitudinis accedit: oculi, qua patent, sua longitudine quadragesimæ totius corporis respondent. Pectus sextam; pes nonam; manus decimam sibi vendicat. Hæc ferè Cardanus eo loco, si bene memini: nam iuuenis legi: nunc librum non habeo præ manibus. Erit autem absoluta suis numeris pulchritudo, si ad hanc membrorum competentiam suauis quoque color, & grata linearum concinnitas accedat. De coloribus non est idem omnium iudicium. Plato in Timæo homines rubicundos dixit animosos: nigriores, viriles: albos, Deo deuotos: mellei coloris & decoloris vultus, nimium amatores. Aristoteles autem, si fortè is autor esse creditur libelli de Physiognomia, iracundissimos esse flauos, rubentésque asserit. De lineis tametsi Physiognomes iudicant, magis tamen oculorum sequar quàm artis cuiusquam sententiam. Alexander Magnus à Solino cap. 15. describitur, forma supra hominem augustiore, ceruice celsa, lætis oculis, & illustribus, malis ad gratiam rubescentibus, reliquis corporis lineamentis non sine maiestate quadam decorus. Talem hic Dauidem, aut etiam eo formosiorem designari cogita. Neque tamen vsque adeò forma spectanda est, vt si quis ea careat, & virtute præstet, non multis formosulis anteponendus sit.

Colores quoque in pulcris observantur. Plato.

Xenoph. Virtus antepositur pulcritudini.

Apud Xenophontem Cyropæd. li. 2. Cùm Sambaulas Centurio deformem quemdam in conuiuio sibi proximum accumbere iussisset, & indignans quispiam, O Sambaula, diceret, quo tandem opere vir iste te perdidit? Per deos, inquit, viri amici dicam vobis. Quoties enim eum vocaui aut noctu, aut interdiu, nunquam mihi neque negotij excusatione vsus est, neque pedetentim vnquam paruit, sed semper cursim. Et quoties ei agendum aliquid imperaui, nihil vnquam eum vidi facere sine sudore. Effecit præterea tales omnes decuriales, non verbo, sed re demonstrans, qualem oportet esse.] Altera hæc pulchritudo est animi, quæ summa quoque in Dauide fuit.

Et Dominus est cum eo.] Iam sæpius explicuimus. Nõ enim otio vacabat, & obscœnis amoribus, aut sub rupe concaua vel frondosa myrto Cupidinis artes & amatoria carmina meditabatur: sed accepta occasione ex innumeris Dei beneficijs, quæ vndique in oculos mortalium incurrunt, de quibus intus edocebatur, Dei laudes plectro sonante concinebat. At reliquorum corruptelas qui id genus sectantur, Bion aperit Bucolic. Eidyll. 3.

Pastorum corruptelæ. Bion.

Magna mihi Venus, inquit, adbuc dormienti astitit
Infantem amorem pulchra manu ducens,
In terram nutantem, atque his me verbis affata est:
En tibi Chare Bubulce Cupidinem, vt eum canere doceas.
Sic loquuta abijt: Ego autem mea pastoralia carmina
Stultus, tanquam discere volentem Cupidinem docebam:
A *Quomodo fistulam obliquam Pan inuenerit, Minerua tibiam,*
Testudinem Mercurius, & citharam dulcis Apollo.
Hæc ipsum edocebam, nihil curantem mea carmina.
At ipse canebat amatoria, méque docebat
Mortalium & Immortalium amores, & genitricis suæ opera.
Tum ego oblitus illorum quæ Cupidinē docueram,
Quæcunque me docuit Cupido amatoria cuncta didici.

Et Dominus est cum eo.

Versus XIX.

B Misit ergo Saul nuncios ad Isai, dicens: Mitte ad me Dauid filium tuum, qui est in pascuis.

Addit eum esse in agris apud gregem. Ex quibus verbis colligimus, artem pastoritiam non esse ita dedecorosam vt multi putant. Varro lib. 2. cap. 1. de re rustica, pastoralis vitæ dignitatem commendans: De antiquis, inquit, illustrissimus quisque pastor erat, vt ostendit Græca & Latina lingua, & veteres poëtæ, qui alios vocant πολύαρνας, alios πολυμήλους, alios πολυβούτας, qui ipsas pecudes propter caritatem aureas habuisse pelles tradiderũt, vt Argis Atreus, quam sibi Thyesten subduxe quæritur, vt in Colchide Æeta, ad cuius arietis pellem profecti regio genere dicuntur Argonautæ, vt in Ly-
C bia ad Hesperidas, vnde aurea mala, id est secundum antiquam consuetudinem capras, & oues, quas Hercules ex Africa in Græciam exportauit. Ea enim sua voce Græci appellarunt μῆλα. Nec multò secus nostri ab eadem voce, sed ab alia litera. Vox earum non me, sed bee sonare videtur. Oues beelare vocem efferentes, à quo belare dicunt, extrita vna litera, vt in multis. Quod si apud antiquos non magnæ dignitatis pecus esset, in cælo describendo Astrologi non appellassent eorum vocabulis signa, quæ non modò non dubitarunt ponere, sed etiam ab his principibus XII. signa multi numerant, vt ab ariete & tauro, cùm ea præponerent Apollini & Herculi. Ij enim dij ea sequuntur, sed appellantur Gemini. Nec satis puta-
D runt de XII. signis sextam partem obtinere pecudum nomina, nisi adiecissent, vt quartam tenerent capricornum. Præterea à pecuarijs addiderunt capram, hœdos, canes. An non etiam item in mari, terráque ab his regionum notæ? A pecore in mari, quod nominauerunt à capris Ægeum pelagus, ad Syriam montem Taurum, in Sabinis Canterium montem. Bosphorum vnum Thracium, alterum Cimerium. Nonne in terris multa, vt oppidum in Græcia Ἵππιον ἄργος? Denique Italia à vitulis, vt scribit Piso. Romanorum verò populum à pastoribus esse ortum quis non dicit? quis Faustulum nescit pastorem fuisse nutritium, qui Romulum & Remum educauit? Non ipsos quoque fuisse pastores obtinebit, quod Parilibus potissimum

Varro.

Artis pastoritiæ commendatio.

QVI EST IN PASCVIS.

A condidere vrbem? Non idem, quod multa etiam nunc ex vetere instituto bubus, & ouibus dicitur, & quod æs antiquissimum, quod est flatum pecore, pecore est notatum. Et quod vrbs cùm condita est, tauro & vacca, quid essent muri, & portæ definitum. Et quòd populus Romanus cùm lustratur, Suouitaurilibus circumaguntur verres, aries, taurus. Et quòd nomina multa habemus à pecore, à maiore & à minore. A minore Porcius, Ouinius, Caprilius: sic à maiore Equilius, taurus, dicuntur & Annij Capræ, Statilij tauri, Pomponii Vituli, &c. Quæ omnia non dubium est pertinere ad laudem vitæ pastoritiæ, ne quis iniuriæ ducat, quòd huic à patre Dauid addictus sit.

Futurus vates procul à turbis educatur.

Illud præterea considerandum est, futurum poëtam & præconem diuinarum laudum præstantissimum, procul à popularibus turbis otio B abundare debuisse. Qua de re ὁ παραβάτης, inquit Suidas, (Iulianum intelligit qui à fide defecit) in Epistola quadam ad hunc modum disserit. Est tibi & abundans otium, & bono ingenio vales, & Philosophiam diligis, si quis alius eorum qui vnquam vixerunt. τρία δὲ ἅμα ταῦτα ξυνελθόντα ἐποίησεν ἀποφῆναι τὸν ἀμφίονα, τῆς παλαιᾶς μουσικῆς εὑρετήν. χρόνος. θεοῦ πνεῦμα. ἔρως ὑμνῳδίας.

Suidas in Ἀμφίων.

Hæc autem tria simul coniuncta Amphionem antiquæ Musicæ inuentorem efficere facilè potuerunt, tempus, Dei spiritus, amor canendorum hymnorum. Haud enim ipsa musicorum instrumentorum penuria his obsistere potest. Hæc enim trium istorum compos facilè potest inuenire. Annon enim hunc ipsum fama accepimus, non solùm harmonias: sed ipsam C quoque prætereà lyram excogitasse, siue diuina vi ingenij vsum, siue quodam diuino dono, propter aliquod inexplicabile diuini numinis auxilium. Hæc de Amphione Iulianus Augustus quæ de Dauide potius dicenda erant.

Cæterùm hinc manifestè patet, Dauidem, postquam à Samuele vnctus esset Rex Israel, tamen redijsse ad gregem. Nam quod attinebat ad regnum, id omne committebat Deo. Vix enim videbatur sperari posse, vt ex illo loco per se aspiraret ad regnum, præsertim rege adhuc viuente. Hîc Deus offert occasionem, qua Dauidi gradus aliquis sternatur ad regnum. Neq; enim ille seruus ex seipso ista loquebatur. Sed Deus potius eum ad loquendum incitabat. Non enim desunt Deo occasiones, cùm promouere vult decretum suum. Vult Iosephum D exulem præficere Ægypto. Seruus pocillator conijcitur in carcerem, somniat, educitur, assistit Regi, indicat de Iosepho. Huiusmodi iam artibus Dauidem adducit ad aulam. Speciosum quidem videtur esse, versari in aula Principis. Sed certè, si rem diligenter excutias, erat Dauidi multis nominibus periculosum. Saul enim cùm fureret, voluit proximum quemque pulsare, atque occidere: vt nemo iam libenter cum eo versaretur. Dauidem autem ter conatus est hasta configere. Nam ea est natura furoris, vt mentem quidem alienet, habitus tamen vitæ pristinos retineat, & ex illis reliquijs multa faciat. Docti per furorem multa effutiunt de doctrina, vt ex eo tempore videantur esse doctissimi. Nautæ furentes nihil aliud clamant, quàm remiges, ancoras, vela, carbasa. Dauid ergo erat in periculo apud Saulem, ne ab eo occideretur. Deus tamen illi adfuit, eúmque custodiuit.

Consilium diuinæ prouidentiæ.

VERSVS XX.

TVLIT ASINVM.

Tulit itaque Isai asinum plenum panibus, & lagenam vini, & hœdum de capris vnum & misit per manum Dauid filij sui Sauli.

ARias verbum ex verbo transferens, *Cepit Isai asinum panis, & vtris vini, & hædum caprarum vnum, &c.* Pagninus, *Tulitque Isai asinum ferentem panem, & vtrem vini, &c.* Chald. *Et tulit Isai oneratum asinum pane, & vtrem vini, & hædum filium capre vnum.* Vatablus Salmant. *Accipiens ergo Isai asinum, panem, & lagenam vini, hædúmque vnum ex capris, &c.* Et in Schol. Hebraismum notat, *asinum panis,* id est, asinum onustum pane. Septuaginta edit. Aldinæ, καὶ ἔλαβεν ἰεσσαὶ γόμορ ἄρτων. καὶ ἀσκὸν οἴνου, &c. Romana, *Et sumpsit Jesse gomor panum, & vtrem vini, &c.* Complut. & Reg. καὶ ἔλαβεν ἰεσσαὶ ὄνον, καὶ ἐπέθηκεν αὐτῷ γομορ ἄρτων, καὶ ἀσκὸν οἴνου, καὶ ἔριφον αἰγῶν ἕνα. *Et tulit Iesse asinum, & imposuit ei gomer panum, & vtrem vini, & hædum caprarum vnum.*

Variæ trãslationes.

Est autem עֹמֶר *ghomer* in Scripturis, genus mensuræ, continens decimam partem *Epha.* hoc est, cabum vnum (frumenti quædam mensura est) & ; & ; . cibus diurnus hominis. Cabus capiebat 4. logos; logus sex communia oua gallinacea. Exodi 16. *Gomer decima pars ephi est.* Targum, *decima pars trium satorum.* Aliàs mergitem seu manipulum spicarum significat. Porrò illud additum est à Septuaginta, nam in Hebræis exemplaribus non habetur. נאד *nod* verò, quod etiam נד scribitur, lagenam vertit Interpres noster, vter siue pellis est, qua vinum aut oleum deferri solet; quòd de loco in locum moueatur. נד *nod* enim propriè fugam, exilium, vagationem designat. à verbo נוד *nod*, siue נָד *nad*, quod migrauit, profugit, motus fuit, & similia emphaticoterῶs exprimit. *Hædum è capris, lactentem* alter explicat.

Tulit asinum.] Nos, inquit Tertullianus ca. 4. de Patientia, non de hominibus modo seruitute subnixis, vel quolibet alio iure debitoribus obsequij, verum etiam de pecudibus, etiam de bestijs obedientiam exprimimus, intelligentes vsibus nostris eas à Domino prouisas traditásque. Meliora ergo nobis erunt in obsequij disciplina, quæ nobis Deus subdit? Agnoscunt denique quæ obediunt. Nos cui soli subditi sumus, Domino scilicet, auscultare dubitamus? At quàm iniustum est, quàm etiam ingratum, quod per alterius indulgentiam de alijs consequaris, idem illi per quem consequeris, de temetipso non rependere?

Tertullian. Iumẽta nobis obediũt cùm ipsi Deo non pareamus.

Plenum panibus.] Plenitudo, inquit Macrobius lib. 1. in Somnium Scipionis cap. 5 propriè nisi diuinis rebus, supernisque non conuenit: neque

Macrob. De plenitudine.

ASINVM PLENVM PANIBVS.

neq; enim corpus propriè plenum dixeris, quod cùm sui sit impatiens effluendo, alieni appetens est hauriẽdo. Quæ si metallicis corporibus, non vsu veniunt, non tamen plena illa, sed vasta dicenda sunt. Verùm hæc κατ' ἔλλειψιν ἢ ὑπεροχήν dicuntur à Platonicis. Alijs verò nonnullis, quod spectat ad res diuinas, exuberantia magis placet quàm plenitudo. Hinc prima mens (creata,) inquit Iacob. Mazon. etiamsi non habeat omnis bonitatis exuberantiam, quæ in vno (Deo) reperitur: habet tamen omnem bonitatis plenitudinem, quæ ipsi est consentaneat proindéque longè à malo seiuncta est.] Imò proxima, nisi eam Deus sua gratia fulciat, quod manifestè probat Luciferi lapsus atque ruina. Probabiliùs dici posset, cùm sint species rerum sicut numeri, supremam reliquas omnes eminenter continere, sicque plenam vocari. Plenum oratorem Cicero vocat, qui de omnibus rebus potest variè & copiosè dicere. Plenam argumentationem Logici opponunt enthymematicæ, quòd ea altera propositionum careat. Arabum menses Lunares sunt, quos vocamus Synodicos, quorum sex continent dies tricenos, reliqui sex vndetricenos. Hos vocabant menses cauos, illos autem plenos; vt habet Paulus Eberus in Calendar. Sed quid hæc ad asinum? Nisi fortè rem nobis cum illo esse putemus, quem ferunt fuisse Ammonij disciplinarumque studiosissimum. Grammatici docent plenum defectiuo esse contrarium: Physici vacuo, siue inani opponunt. Michael Toxites plenum à referto & vbere ita distinguit, vt plenum sit, in quo sit aliquod interuallum: refertum verò quod ita coactum est, vt nullum in eo spatium reliquum sit. Vber copiosum est. Asini sceuophori à Græcis dicũtur, & videntur trásferendis oneribus nati. quare hic nihil aliud significatur quàm Isai panibus asinum onerasse.

Et lagenam vini] LXX. *Καὶ ἀσκὸν οἴνου, & vtrem vini.* Atqui Sapiens hoc prohibet Prouerb. 31. *Noli regibus, ó Lamuel, noli regibus dare vinum: quia nullum secretum est vbi regnat ebrietas. Et ne fortè bibant, & obliuiscantur iudiciorum, & mutent causam filiorum pauperis.* Verum illud quidẽ est: sed mox tamen sequitur: *Date siceram mœrentibus, & vinum his qui amaro sunt animo: bibant, & obliuiscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius.* Nec Medici prorsus ab ebrietate abhorrent, tametsi, vbi ea frequentior est, morborum copiosam segetem parere doceant. Quamobrem Rasis Almansoris 4. duplicem in mense probat ebrietatem. Huic etiam adstipulatur Auicenna in Canticis, quãquam simplex Auicennæ arrideat magis. Inde verò sentiri insigne emolumentum docet; quod somni profundioris ratione, facultates animales non parum recreentur; quies item concilietur, & proliciatur sudor, ac quæ superfluunt resoluantur. Plato etiã 1. de Legibus liberaliorem vini vsum aliquando laudasse videtur. Philo item Iudæus, vti superiore tomo scripsimus. Ebrietatem tamen, ne quid dissimulem, valdè improbat Auicennæ interpres Auerroes in eundem locum. Nam etsi Galeni adstipulatu, innato calori insigniter vinũ congruit, cuius ratione in eo gradu

Medicorũ iudicio nõnunquam vtilis ebrietas.

Auerroes ebrietatem improbat.

A statuitur, quem cum igne oleum habet, ac lumine: tamen vtriusque redundantia superfluens vtrumque obruit ac restinguit. Itaque Auicennam sic alter eius interpres exponit, vt leuem modicamque vinolentiam ferri posse dicat, vt quæ corporibus haud quaquam sit inutilis, neque ingentibus poculis ingenium omne ingurgitet. Seneca quoque Stoico supercilio mirè grauis, Nonnunquã, inquit, & vsque ad ebrietatem veniendum, non vt mergat nos, sed vt deprimat curas. Mnesitheus quoque Atheniensis non ignobilis Medicus, tametsi ebrietatem abdicandam censet, laxat tamen ipse quoque habenas nonnihil, & statis temporibus hilariùs inuitat: idque de vasis nomenclatura cothonismum appellat; vt scribit Athenæus. Censet enim vinum, cùm sit calidum & humidum, ad B purganda copora & relaxandos animos posse conferre. Quanquam, vt verum fatear, illud Mnesithei κωθωνίζεσθαι, quale Athenæus describit lib. 11. cap. 10. non satis dignum Christiano homine videatur. Cęterùm dubitari non potest, meracius vinum moderatè haustum frontem exporrigere, ac lætos reddere, quia inde sanguis profluit optimus. Sanguis verò copiosus si clarus, si lucidus, si defœcatus erit, risui materiam subministrat. Est enim is humor egregiè ad humanam naturam accommodatus. Tum ex sanguine ita affecto consurgit spirituum multitudo, & claritas animam exhilarantium. Ex quibus sequitur non intempestiuè Isai, cùm Saul atra bile fureret, & mœrore ac tristitia tabesceret, eidem vinum obtulisse.

ET HOEDVM, &c.

κωθωνισμός.

Athenæus.

Et hœdum de capris vnum.] Ouid. l. 1. Fastorum, C ad verbum è Græco quodam Epigrammate, quod habet Suidas in voce *Αἲξ κνηφαγοῦσα,*

Rode caper vitem, tamen hinc, cum stabis ad aram,
In tua quod spargi cornua possit, erit.

Oui

Id genus malè audit, quòd vites & oliueta rodat, & saliua surculos quos attigerit inficiat. Itaque propterea, vt scribit Varro lib. 1. de re rustica, cap. 2. institutum diuersa de causa, vt ex caprino genere ad alij Dei aram hostia adduceretur, ad alij nõ sacrificaretur, cùm ab eodem odio alter videre nollet, alter etiam videre pereuntem vellet. Sic factum, & Libero patri repertori vitis, hirci immolarentur, proinde vt capite darent pœnas. Contrà vt Mineruæ caprini generis nihil immolarent, propter oleam, quod D eam, quam læserit, dicunt fieri sterilem. Eius enim saliuam esse fructuis venenum. Hoc nomine etiam Athenis in arcem non inigi, præterquam semel ad necessarium sacrificium, ne arbor olea, quæ primùm dicitur ibi nata, à capra tangi possit. Colonicis legibus, vt idem autor est, interdictum erat, In agro surculario ne capra natum pascat. Quod ad hœdum attinet, Capra, inquit, quę concepit post quartum mensem reddit tempore verno. In nutricatu hœdi trimestres cùm sint facti, tum submittuntur, & in grege incipiunt esse.

Varro.

Caprĩ saliua nocens oleis.

Mensarum porrò deliciæ hœdi è Melo, vt idem testatur. Laudat hos in conuiuio Athenæus lib. 9. cap. 24. & sæpius circunferri asserit, nec vulgarem præbere voluptatem: nam capræ caro, inquit, quàm maximè nutrit. Ex quo

Athenæus.

ET HOEDVM, &c. Hœdina caro plurimũ nutrit.

ibidem Clitomachus docet, Athletam quendam Thebanum omnes ætatis suæ viros superasse, quòd caprinis carnibus vesceretur: intensi sunt enim ac tenaces illi succi, multúmq; tempus in tumoribus consistere possunt. At cauillabantur hunc Athletam ob sudoris fœtorem. Suillæ agnorúmque carnes faciliùs corrumpuntur, nec vsque adeo suum odorem retinét. Quod si id genus animalis instinctu quodam diuino idcirco oblatum est, vt esset symboli loco. Nam caprinum genus non tantum audire auribus, sed etiam spirare non ignobiles scriptores testantur, quorum vnus est Ælianus histor. Animal. lib. 1. cap. 53. Auditu præterea reliquis animantibus, quæ bifida vngula præditæ sunt, antecellere. Quo sensu Saul tum acerrimo indiguit. Non enim aliam ob causam in diaboli laqueos se induerat, quàm quod Dei verbum surda aure excepisset. Sed & illud quoque non parum vtilitatis eidem afferre potuit, si aduerteret quomodo id animal, vt primùm oculos sibi caligine obduci sentit, accedens ad rubum spinæ cuspide suffusioni medetur, & egesto phlegmate pristini fulgoris radios denuò accendit. Quem enim superbia cæcauerat, lacrymæ curare potuerunt. Hoc verò idem Ælianus obseruat histor. Animal. lib. 7. cap. 14. Sed nec illud silentio prætereundum est, capras & hœdos cùm exortum caniculæ, tum famem, pestem, imbres, tempestatésque præscire, ita vt ab eo munere admoneri visus sit futurorum habendam esse rationem, nec admodum præsentibus inhærendum. Postremò etiam scribit eiusdem histor. lib. 7. cap. 8. hœdos, cùm saltant & lasciuiunt, serenos dies polliceri. Quod vtique eidem deesse non potuit, si in animum induceret verè & ex animo pœnitere.

Caprinum genus acerrimè audit. Ælianus.

Et misit per manum Dauid filij sui Sauli.] Hui tam exigua munera?

Martial l. 5. Epigram.

Fortasse, inquit Martialis, *auarus videar, aut inhumanus.*

Pauperum munera hami sunt.

Absit: Sed Odi dolosas munerum & malas artes.

Imitantur hamos dona. namque quis nescit
Auidum vorata decipi scarum musca?
Quoties amico diuiti nihil donat,
O Quintiane, liberalis est pauper.

Aristot.

Itaque pater Isai mittit ad regem munera, non quidem opulenta, aut magnifica, sed tenuia & exigua pro sorte sua: nec peregrina, sed domi nata. Munera autem qualiacunque sint, signa sunt animi bene affecti erga eum cui dantur. Aristoteles in Rhetoricis ait, Munera placent, & ambitiosis & auaris. Nam auarus quærit lucrum: ambitiosus gloriam. Itaque auaro paruum munus non potest esse satis. Ambitiosus autem non spectat magnitudinem muneris. Satis esse putat, se visum esse dignum, qui munere aliquo afficeretur. Ita Iacob cùm mitteret filios suos in Ægyptum, misit vnà munera ad Ioseph, qui præerat terræ. Nunc apud Indos plerisque locis in Oriente nemo sine munere regem visit. Quæ fuerit lex Persarum de muneribus regi offerendis docet Ælianus Var. histor. lib. 1. cap. 31. Sed illud profectò sordidi atque illiberalis ingenij argumétum fuit, quod

Munera Principibus offerri solita.

Ælianus.

narrat Cromerus lib. 6. de rebus Polonor. Auara mulier & importuna, inquit, (Vuladislai Secundi vxorem intelligit) cùm alia quædam auarè & crudeliter instituerat, tum verò illud excogitauit, vt homines oppidani & rusticani satis & solennibus ferijs honoraria quædam munera, nempe pullos, & gallinaceos, anseres, oua, mel, auenam, porcos, triticum in cellam Principis inferrent. Quod cùm semel atque iterum ac tertiùm in gratiam Principis non inuiti fecissent, lege viri, vt id perpetuum deinceps esset, sancit. Deus verò quod vetat, ne vacuus quisquam se in conspectum eius det, ad vtilitatem pertinet offerentium. Non enim augeri curat nostris muneribus, qui omnia possidet: sed ad noua beneficia gratijs referendis studet prouocari.

DILEXIT EVM NIMIS. Cromerus. Illiberale mulieris ingenium in exigendis muneribus.

VERSVS XXI.

Et venit Dauid ad Saul, & stetit coram eo: at ille dilexit eum nimis, & factus est eius armiger.

VERSVS XXII.

Misitque Saul ad Isai dicens: Stet Dauid in conspectu meo: inuenit enim gratiam in oculis meis.

HIc nobis spectanda est patris & filij obedientia. Nam Isai nihil cunctatus misit filium: & quo magis libenti prolixóque animo se facere testaretur, etiam muneribus cumulat. Dauid autem cùm videret se valere musica, non detrectabat facere quod Regi vsui esse posset. *Et stetit coram eo.*] Iunius, id est, ministrabat ei; vt explicatur Deuter. cap. decimo versu octauo. Simpliciùs hoc loco potest intelligi, *Ad primum conspectum*, vt primùm coram Saule apparuit.

Dilexit eum nimis.] *Dauid* ab amore nomen accepit, & *dilectus* dicitur, licet Septuag. Scholiastes in Psalm. 26. hoc nomen interpretetur *contemptionem*. S. Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 87. & in Psalm. 34. *manu fortem*, siue *desiderabilem*. Annotauit Serarius hoc capite. דוד *dod* sanè, ex quo דָּוִד *Dauid* ducitur, *amicum*, *dilectum*, significat aut etiam *amores*. Prouerb. 7. vers. 18. *Veni, inebriemur vberibus.* דַּדִּים *dadim* legisse videtur S. Hieronymus, quod est *vbera*, priusquam Masoretæ puncta inuenissent. At Septuaginta transtulerant ἀπολαύσωμεν φιλίας *fruamur amicitia*; quomodo nunc legimus דודים *dodim*, id est *amores*, interpretantes. Hinc sequitur vt *Dauid* quoque, si etymologiam spectemus, *amicum*, *dilectum*, aut etiam *amabilem* indicet. Pulchritudo scilicet amorem mox conciliat. Hinc pulchrum καλὸν Græci dixerunt ὅτι τὸ καλεῖν, quia prouocet amorem, aut certè ὅτι τὸ κηλεῖν, quia permulcet intuentes.

Dauidis etymon.

Quærebat

DILEXIT EVM NIMIS.

Quærebat verò nonnunquam aliquis ab Aristotele, cur quæ pulchra sunt amarentur: τυφλοῦ ἐστιν ἡ ἐρώτησις, Cæci, inquit, hæc interrogatio est. Alij respondent pulchritudinem diuinitatis quendam veluti radium esse: ex quo fit, vt pulchritudinis plerique omnes studiosi simus, quod de reliquis, quæ mortales votis suis expetunt, pariter affirmari nequit. Complures enim trophæa & triumphales coronas non ambiunt, opibus non inhiant, magistratus etiam auersantur: at qui oris dignitatem aspernetur, aut deformis esse velit, haud temerè inuenias. Quamobrem etiam nec vt reliqua, per quæ homines cæteris præstare videntur, inuidiæ obnoxia est. Nam ducum bellica virtute, aut diuitum potentia, aut etiam quorundam inuicto robore, tanquam ab ijs quæ nocere possunt, virésque nostras superant, sæpenumero terremur: à pulchritudine nemo abhorret, illa siquidem beneficæ naturæ argumentum est. Itaque nemo non pulchritudini studet, illamque miratur. Reges illa commendat; Sanctos ornat; coniuges amore deuincit; natos parentibus conciliat: illam etiam miles in armis colit. Dic quibus in rebus pulchritudinem non captes? In auibus, in equis, in floribus eam aucupamur. Menelaus apud Homerum pulchram domum instruit; Vlysses naues. Pictor illam venatur vndique: artium denique finis & scopus est. Audet his etiam maiora Dius Pythagoricus. Nam qui alij, inquit, beati iudicandi, quàm per Iouem qui corporis pulchritudine præditi sunt, naturæ dono: Illos enim plurimi ceu deos aut deorum statuas maximi faciunt, & colunt inseruientes eis, non tamen vt debebant. Et reuera mihi videtur pulchritudo nescio quid reuerendum & admiratione dignum continere. A cæteris enim hominibus, qui eos beneficio affecerunt, gratiam reposcunt: formosis verò, contra ipsi agunt, quod accipere ab eis sustinuerint. Subinde inuehitur in illicitos puerorum amores. Postea ad liberalis formæ contemplationem denuò reuersus, Pulchritudo certè, inquit, desiderium sui non sine voluptate accedentibus immittit, seipsam veluti statuam, aut picturam, aut aliud huiusmodi arte confectum opus eis proponens. Postremò concludit: Quamobrem malim ego habere formosum, quàm ipse talis esse: & vinum suaue ac generosum bibere, quàm esse vinea, & suauem proferre succum: & vestem indui pulchram, quàm ipse vestis esse. Non enim censet pulchritudinem beatum & felicem possessorem suum efficere posse: sed præbere alienis oculis iucundum & admirabile spectaculum.

Pulchritudinis encomium.

Apud Stobæum ser. 63.

Dilexit eum nimis.] Si pulchritudinem spectes, mirum videri non poterit. Pulchritudo enim eorum est quæ oculis auribusque sectamur, obiectorum decus & ornamentū est præstantissimum. Vnde fieri nequit, vt splendore formæ non admodū capiatur anima. Sunt enim hi sensus omnium nobilissimi, cum quibus anima plurimam societatem coit. Ad reliquos sensus corporis decor siue species parum aut nihil attinet. Nam neque tactu probari potest, neque olfactu, gustúue sentiri. Solis auribus canoræ

DILEXIT EVM NIMIS.

A vocis concentum, solis oculis colorum lumina, & formę lineamenta discernimus. Quare ne voluptas quidem, si quæ ex formæ præstantia sperari potest, præter hos sensus vlla titillabit. Quo fit vt eo minus excusatione digni sint, qui tam præclaro naturæ beneficio ad præposteram libidinem abutuntur. Qui nisi traditi essent *in reprobum sensum*, vt ait Apostolus, nequaquam porcorum instar formosi vultus flore conculcato, volutarentur in stercore. Quæ tametsi non aliunde quàm fama perrarò fieri accepimus, vel hos tamen si qui sunt, qui tantùm in se flagitij admittant, admonendos censuimus; ne fortè cùm audiunt Saulem egregium forma adolescentem deperisse, suspicentur teterrimæ labis aliquid Regis moribus inhæsisse. Neq; enim eximia & præclara species sic cum scelere coniuncta

Regis amor quo Dauidem complexus est, nequaquā cum obscœna libidine coniunctus fuit.

B est, vt absq; turpitudine diligi non possit. Sed pulchritudo quidem corporis apta compositione membrorum mouet oculos, & delectat hoc ipso, quòd inter se omnes partes cum quodam lepore cōsentiunt. Deinde cùm ad hæc accessit morum suauitas, ingenuus pudor, fides atque solertia, tum si quis humani sensus expers non est, pulchritudinis studio quā indoles optima commendat, plurimùm incenditur. Quod mirum in deteriorem partem à nōnullis accipi, cùm iam olim apud Ethnicos nō vnus aut alter, sed tota gens ijs legibus florem iuuentutis amauerit. Docet hoc Xenoph. in lib. de Rep. Laced. Sed iam mihi, inquit, de puerorum amoribus dicendum est: nam & hoc ad disciplinam pertinet. Alij quidem Græci, vel sicuti Boëotij vir atque puer commixti coëunt; vel sicuti Elien-

Xenoph.

C ses gratiarum interuentu formę specie vtuntur: Alij verò sunt, qui vel cum pueris colloqui amatores prohibent. Lycurgus autem ab his omnibus dissentiēs, si quidem aliquis admiratus ipse, vt decet, pueri animum, enitatur irreprehensibilem reddere, & vnà esse permisit, & honestissimam hanc disciplinam esse duxit. Quod si quis pueri corpus appetere videretur, id turpissimum decernens, statuit apud Lacedæmonios nihilo vtique minus amatores à puerorum congressu abstinere, quàm vel parentes à filijs, vel à fratribus fratres venereis in rebus abstinent: Quæ quidem à quibusdam non credi haud miror. In multis enim vrbibus leges minimè aduersantur masculæ libidini. Hactenus ibi Xenophon.

D *Dilexit eum nimis.*] Sic maximè Princeps sibi amicos parat, & cùm gloriæ tum saluti optimè prospiciat. Habes amicos, inquit Plinius in Panegyrico Traiano dicto, quia amicus ipse es. Neque enim vt alia subiectis, ita amor imperatur: neque est vllus affectus tam erectus, & liber, & dominationis impatiens, nec qui magis vices exigat. Potest fortasse Princeps iniquè, potest tamen odio esse nonnullis, etiamsi ipse non oderit: amari, nisi ipse amet, non potest. Diligis ergo quum diligaris, & in eo quod vtrique honestissimum est, tota gloria tua est, qui superior factus descendis in omnia familiaritatis officia, & in amicum ex Imperatore submitteris: immò tunc maximè Imperator, cùm amicum ex Imperatore agis. Etenim cùm

Plinius. Princeps amādo, subditorum sibi amorem conciliat.

ET FACTVS EST EIVS, &c.

Nihil humile Principi nisi odisse.

plurimis amicitijs fortuna Principum indigeat, præcipuum est Principis opus, amicos parare. Placeat tibi semper hæc secta, & cùm alias virtutes tuas, tum hanc constantissimè teneas, nec vnquam persuadeatur humile esse Principi, nisi odisse. Hæc Plinius.

Ælianus. Phrynicus belli dux eligitur, quod Pyrrhicā bene saltasset.

Et factus est eius armiger.] Apud Ælianum lib. 3. cap. 8. Phrynichum Athenienses belli ducem creauerunt, neque gratia aut fauore, neque propter generis claritudinem, neque verò quod diues locuplésque esset. Sæpe enim propter hæc multos mirati sunt Athenienses, alijsque prætulerunt. Sed cum pyrrhichistis in quadam tragœdia conuenientes & bellicos modulos fecisset, adeò tenuit vniuersum theatrum, & præsentium animos cepit, vt confestim eum ducem eligerent, arbitrantes eum bellicis rebus cum vtilitate præfuturum esse, qui à viris armatis non abhorrentia carmina poematáque in dramate confecisset. Hactenus Ælianus. Quid mirum igitur si citharœdus noster armiger instituitur? quomodo enim non aptus ad arma vtilisque esse censeretur, qui solo lyræ concentu hostium ferocissimos dæmones fugaret? Voluit itaque Saul Dauidem sibi esse armigerum. Non enim eum musicum tantum videbat esse, sed etiam bellicosum. Quidam putant illud munus idem fuisse, quod Galli appellant, *Le Grand Escuyer.* De Magni Scutarij siue Archippocomi autoritate atque officio Vincentius Lupanus in suo Commentario de Magistratibus & Præfecturis Francorum hæc tradit. Archippocomus primariæ autoritatis est apud Regem, cuius sunt partes Regi equum ascensuro, vel ex eo descensuro auxiliatricem manum præbere, eique ensem, & baltheum liliatos præferre, vt olim scutum, quod nominis nomenclatura ostendit, idque in magnifico apparatu fieri solitum; atque ad eum cura pertinet collocandorum per stathmos, & mansiones cursorum Veredariorum: Postas vocant, quorum primum inuentorem Cyrum faciunt, qui multis post Dauidem seculis Persarum imperium obtinuit. Hippocomis etiam apud nos, quam vocem Iustinianus vsurpat, Scutarius præest, & inde Magni nomen sortitur: qui veluti fiduciariam ab eo curam habent Regij equitij; cùm tamen eius fidei in primis & equi, & arma commissa sint. Superarmamentarium positum vocat Curtius: Hippocomos verò Spartianus Stratores, Græci ἀναβολεῖς. Hæc fer Lupanus. Plura de Armigeris Pignorius in Comment. de Seruis pag. 125. Armiger, inquit, ex Virgilio & alijs satis notus,

Galli nunc Regis Armigerū vocant, *Monsieur le Grand.*

Virgil li. 9. Æneid.

Forma tum vertitur oris
Antiquum in Buten, hic Dardanio Anchisæ
Armiger ante fuit.

Plinius. Plura de Armigeris.

Isque pretiosus, si Plinio credimus de luscinijs loquenti lib. 10. cap. 29. Ergo seruorum, inquit, illis pretia sunt, & quidem ampliora, quàm quibus olim Armigeri parabantur.] Et hos Heroibus poëtæ attribuunt, quos Reges & olim & hodie, in hac saltem parte æmulati sunt. testis est antiqua scalptura pretiosæ illius sapphiri, cuius typum Marg. Freherus vir eruditissimus edidit & illustrauit. In ea Constant. Imp. aprum venabulo excipit; Armiger autem telum gestans, feræ impetum formidans, dat se in pedes. Prudent. in Apoth. de Armigero Cęsariano;

ET FACTVS EST EIVS, &c.

Prudentius.

Armiger è cuneo puerorum flauicomantum,
Purpurei custos lateris, deprenditur vnus.
Nec negat, & gemino gemmata hostilia ferro
Proijcit, ac signum Christi se ferre fatetur.

Martialis.

Martialis lib. 9. tametsi lasciuiæ pro more indulgens, Armigeri officium describere videtur.

Splendophorus Lybicas domini petit Armiger vrbes:
Quæ puero dones tela Cupido para;
Illa quibus iuuenes figis, mollésque puellas:
Sit tamen in tenera leuis & hasta manu.
Loricam, clypeumque tibi, galeamq; remitto, &c.

S. Sidonius

Notauit porro Sidon. lib. 1. epist. 21. Theod. regem, arcum lateri innectere citra grauitatem regiam iudicasse, & tradidisse gestādum puero. Hinc Armiger in aula Constantinopolitana, qualis describitur à Corrippo Narses lib. 4. Hinc apud Curopalatam Scutarius in eadem aula. Et hinc demum, vt Menauinus autor lib. 3. cap. 10. in Turcica puer ephebus, qui Sultano gerit arcum & sagittas. A qua eadem ratione notat Lampridius, Commodo imperante, tres Præfectos Prætorio fuisse, inter quos Libertinum, qui *A pugione* appellatus est. Fuit autem apud Cæsares minister Palatinus qui arma custodiret. Huiusmodi A. quidam Vibius. Hermes Imp. Neroni *à custodia armorum* in veteri monumento legitur. Duces & ipsi, regibus satis impares, Armigeris non caruerunt. S. Ferrandus in Parænetico; Tunc autem dux, inquit, optimus neminem lædet, si in omni Prætorio illius, non audeat aliquis amicus, cliens, medicus, Armiger, aut propter officij publici deuotionem lateri ducis semper adiunctus, concessa beneficia vendere.] Hæc sunt quæ ex omni antiquitate eruere possumus: ex quibus vtcunque intelligere valeas, quod munus, quæue partes Armigeri fuerint. Sed quicquid sit, Dauid erat honorifico loco apud Saulem.

S. Ferrandus.

Stet Dauid in conspectu meo.] יַעֲמָד נָא דוד *iaamad na Dauid.* Stet na Dauid. Hæc verò particula aut tempus præsens designat, aut Interiectio obsecrantis est, & valet *Amabo te*, quæso, obsecro. Græci itaque, Παρεστάτω δὴ Δαβὶδ ἐνώπιόν μου, *Adsit iam Dauid in conspectu meo.* Pagninus, *Stet quæso Dauid, coram me.* Mox autem rationem reddit: *Quoniam inuenit gratiam in oculis*, quoniam is mihi placet. Vocat Saul Dauidem, ad se & suæ familiæ adscribit: vti vult eius ministerio, hancque legitimam causam habet, ob quam eundem à paternis laribus abstrahat. Hoc illud est ius Regium, quod suprà descriptum est à Samuele. *Tollet filios vestros, & imponet in currum suum.* Constantinus, cùm necdum Christianæ fidei lumine collustratus esset, medicorum consilio infantium sanguine sibi balneum parari iusserat. Quàm ferox & immitis potentia! Sed per noctem ab immani cæde deterritus Apostolorum monitu, in Baptismo lepram exuit. Dubitari tamen non potest quin vrgente necessitate, quæ tum maxima eum premebat, Dauidis operam & industriam exigere potuerit. Nam quodlibet membrum ferre suppetias capiti æquum est.

Ius Regiū.

Inuenit

Et factus est, &c. Fauori Principum confidere nemo debet.

Inuenit gratiam in oculis meis.] Dauid in lucem prodire videtur, & venire ad splendidum locum: sed venit reipsa ad crucem. Nam crux si vspiam alibi, maximè defixa est in aulis Principum. Itaque nemo debet ex illo splendore nimium sibi confidere, aut se alienare à Deo, sed semper apud se cogitare, se eo loco esse, vt possit facilè ruere. Et si quis fortè cadat, non debet turbari, quasi noui quippiam acciderit. Socrates dicere solebat, duo contraria nunquam posse simul consistere: ea tamen, tanquam funes, duobus capitibus inter se copulari, vt voluptas dolorem sequatur, & dolor voluptatem. Hìc videmus instabilitatem rerum humanarum. Nam Dauid, qui primùm habebatur in summo honore, & pretio, postea laborare cœpit odio Saulis capitali. Itaque qui versantur in aulis, semper timere debent, ne ruant. Aman tanti fiebat quondam ab Assuero, vt ipso Rege prædicante in parentis loco haberetur. Ad extremum tamen calamitosissimè perijt. Saul porrò primùm visus est Dauidis arte refocillari: postea propter eundem Dauidem deterius habuit. Fausta quidem erant initia: sed postea longè secus ceciderunt. Quare vti debemus præsentibus: sed nullo modo putare, ea nobis fore perpetua. *Si diuitiæ*, inquit, Dauid, *affluxerint, nolite cor affigere.* Cicero ad Pœtum habet auream sententiam. Optanda quidem esse optima, expectanda deterrima, ferenda quæcunque erunt.

Versus XXIII.

Igitur quandocunque Spiritus Domini malus arripiebat Saul, Dauid tollebat citharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul, & leuius habebat. recedebat enim ab eo Spiritus malus.

Hac primum ratione, & artis suæ peritia videtur Dominus Dauidem voluisse longè latéque innotescere, & passim inclarescere. Mox enim futurum nouerat, vt fama vbique spargeret, inuentum esse citharœdum, qui modulandi solertia à Rege dæmonem compesceret. Hermonides tibicen apud Lucianum, cùm Timotheum illum Thebanum magistrũ suum de paranda gloria & immortalitate consuluisset, monitus ab eo fuit, vt artem quam à se didicisset, non omnibus Græcis (nam id impossibile fore) sed optimatibus & præstantissimis ostentaret: sic enim fore, vt cùm illi ipsi illustres habeantur, vbicunque ipsum laudarent, veram ex eo gloriam ac laudem consequeretur. Quippe in ipsis quoque certaminibus multi spectatores athletis nonnunquam clarè solent applaudere, non rarò etiam sibilis illudere: penes tamen septem, aut quinque, aut quotcunque tandem fuerint, iudicandi potestas est. Popularis verò multitudo ferè semper quæ optima sunt, ignorat, cùm maior illius pars operæ sint & artifices. Cæterùm quemcunque illi laudibus illustrauerint, qui reliquos vitæ splen-

Luciani Hermonides. Quo pacto quis pulsandi peritia clarescat.

A dore & dignitate superant, eundem nequaquam temerè laudari persuasum habent. Sic ferè Dauid, cùm prius obscuro loco illaudatus delitesceret, tametsi fidibus Apollinem Orpheáque vincebat, diuino consilio nonnullis primùm Regis stipatoribus innotuit: deinde cùm ab eo accitus, artis suæ specimen coram edidisset supra modum placuit: sic prorsus, vt Saul patri de filio gratulans palàm mandaret, *Inuenit gratiam in oculis meis.* Quod profectò clam populo esse non potuit. Plures siquidem ad eum cum publica tum priuata de causa quotidie adibant. Hoc verò postquam iam satis vulgatum est valere eum cithara ad fugandos dæmones, tum illum quoque cum Goliath Gethæo commisit, quo illum insigni facinore, & admirabili victoria, populo commendaret. Denique his sublatum gradibus ad regni fastigium

Dauid tollebat, &c.

B euexit.

Dauid tollebat citharam.] Quum Magnus Alexander quandoque Ilium venisset, & omnia studiosiùs oculis collustraret Tros quidam Paridis lyram obtulit. At ille longe pluris se facturum respondit si Achillis monstrasset. Hæc enim Heroum res bene gestas illa quid nisi adulteria cecinisse potuit. Quid si Dauidis citharæ rumor aliquis aut fama ad eum peruenisset quo visendæ studio teneretur?

Ælianus lib. 9. Var hist. cap. 38.

Et percutiebat manu sua.] Arias, *modulabatur.* Cerne iam, inquit Philostratus in Orpheo, vt Orpheus in vmbra moduletur: ipse quidem sedet, erumpens lanuginem genis, molliter inserpentem: tiaram auro fulgentem in capite

Philostratus in Iconibus. Orpheus citharam pulsans describitur.

C rectam gestat, & oculus ipsi mollitie simul, atque ignea solertia temperatus, deóque plenus apparet, mente ad considerationem de natura deorum semper intenta: fortè etiamnum aliquid canit, ac supercilium, quasi designaret carminum sensum, repentè cum ipso mutatur ad motionum conuersiones. At pedum quidem læuus terræ nixus citharam sustinet incumbentem femori, dexter verò orditur modulos, pulsans solea pauimentum: manuum autem dextra plectrum firmiter tenens, extenditur supra fides incumbente cubito, & palma introrsum nutante, ac reflexa: sinistra rectis ferit digitis fides. Est & illa non inepta canentis Citharœdi descriptio apud Apuleium lib. 2. Floridor. Adolescens est visenda pulchritudine, crinibus, fronte parili, separata, per malas reuulsus:

Apuleius.

D ponè autem, coma prolixior, interlucentem ceruicem scapularum finibus obumbrat: Ceruix succi plena, malæ vberes, genæ teretes, ac modico mento iaculantur, eique prorsus citharœdicus status, deam conspiciens, canenti similis, tunicam picturis variegatam deorsus ad pedes deiectus, ipsos Græcanico cingulo, chlamyde velat vtrumque brachium, adusque articulos palmarum. Cætera decoris instrumentis dependent, cithara baltheo cælata apta strictim sustinetur: manus eius tenera procerulè, læua distantibus digitis neruos molitur; dextra psallente gestu, pulsabulum citharæ admouet, seu parata percutere, cùm nox in cantico interquieuit: interim canticum videtur ore tereti, & semihiátibus in conatu labellis eliquare.

ET PERCVTIEBAT MANV.

Hactenus Apuleius. Ex cuius & Philostrati picturis & floribus, non modò voluptatem percipies, sed etiam quid ferè cithara, quis psallendi modus apud veteres fuerit intelliges.

Cæterùm, nequaquam Dauid furtiuos amores, virginum raptus, aut violatam genialis thori fidem canebat: his enim potius dæmones tanquam magicis artibus tracti aduolarēt quàm fugerent. Nam sicut cadauera vultures, sic illi lasciui sectantur. Sed Dei laudes, & maxima ab eo collata in homines beneficia resonare citharam docebat. Neque verò alia fuisse censetur antiquissimorum poëtarum consuetudo, cùm primùm aureis descripta carminibus diuina mysteria & leges humano generi traderent. Testis Moyses quo nemo poeticam, quantum ex eius cantico discimus, feliciùs exercuit. Testis etiam Orpheus, Hesiodus, Phocilides, Pythagoras, Solon: qui tametsi veræ fidei expertes fuisse credantur, nequaquam tamen diuinum hoc munus libidinum maculis polluerunt. At Musæ, cùm hactenus virginitatis laude floruissent, à posterioribus poetis in gratiam Veneris prostitutæ sunt; tanta frontis impudentia, vt accusare earum ingenia, & carminum suorum spurcitiam earum moribus acceptam ferre ausi sint; cùm satis constet sacras ab initio cantiones tantùm cecinisse.

Musæ pristinùm pudicæ, & religione maximè studiosæ.

Bion Eidyllio 4.

Musæ, inquit lasciuus & mendax poeta,
amorem non metuunt crudelem,
Quin amant ex animo, & vestigia sequuntur eius.
Quod si quis ingenio præditus inamabili cantet,
Illum refugiunt, & docere nolunt.
At si amore captū gerens animū suauiter cōcinat,
Ad ipsum simul omnes festina confluunt.
Quod autē hic sermo planè verus sit, ego testis sū.
Nam si hominem quempiam alium, aut immortalem carmine celebro,
Cessat mea lingua, nec, vt antè solebat, canit.
Rursum cùm in amorem, vel in Lycidam aliquid modulor,
Tunc mihi lætum omne carmen profluit.

Hæc impurus ille Veneris Sacerdos. *Qui si* fortè *dixerit*, vt est apud Ieremiam cap. 13. ver. 22. *in corde suo: Quare venerunt mihi hæc? Propter multitudinem iniquitatis tuæ reuelata sunt verecundiora tua, polluta sunt plantæ tuæ. Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas: & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum. Nam ex abundantia cordis*, vt alio loco dictum est, *os loquitur.* Non enim illud poëtices vitium est: sed perditorum ac sceleratorum hominum, quibus haud aliter quàm plagis ac retibus ad capiendas animas diabolus vtitur.

Quid Dauid citharam pulsando Sauli contulerit.

Et refocillabatur Saul, & leuiùs habebat.] Καὶ ἀνέψυχε σαούλ. idem significat Hebraicè וְרָוַח *veravach.* Pagninus, *& refrigerium erat Saul.* רוח *reuach* etiam *morbi remissio*, siue *relaxatio est.* Arias exponit *respirationem*. Posset etiam quis interpretari *dilatationem*: estque in ea voce magna emphasis. Cor enim mœrore contrahitur: lætitia autem dilatatur, & diffunditur. Dilatauit autem Dauid cor Saulis, non quòd Spiritus malus prorsus ab eo discederet: Erat enim iam traditus in eius potestatem: sed quod per interualla melius haberet. Dauidis opera lucida interualla nactus est, & quietem. Nam רוח *reuach interstitium* quoque, & *pausam* denotat. Galenus in lib. 3. de locis affectis cap. 4. ait, Melancholicos nunquam carere timore. Ait enim fuisse quosdam, qui se putarent esse vitreos, & timerent ne collliderentur: alios quosdā timuisse semper ne cælum rueret. Verisimile est, Saul eiusmodi aliquo metu laborasse. Samuel enim prędixerat, illi ereptum iri regnum. Verùm is citharæ blanditijs delinitus, & hilarem in modum recreatus, hoc interim spatio dum Dauid psalleret ab ea cogitatione animū auertit, & mentis tranquillitatem consequutus est. Quid enim non efficiat harmoniæ vis atque potentia, si peritè adhibeatur? Tonis illa quinque resonat, vt ait Cassiodorus Variarum lib. 2. epist. 40. Quorum qui Dorius dicitur, pudicitiæ largitor, & castitatis effector est. Phrygius pugnas excitat, & votum furoris inflammat. Æolius animi tempestates tranquillat, somnúmque iam placatis attribuit. Iastius intellectum obtusis acuit, & terreno desiderio grauatis cœlestium appetentiam bonorum operator indulget. Lydius contra nimias curas, animæque tædia repertus, remissione reparat, & oblectatione corroborat. Et paulò post addit: his etiam rebus aliquid maius adijciens humana solertia, terris quandam harmoniam doctissima inquisitione collegit, quæ Diapason nominatur, ex omnibus scilicet congregata: vt virtutes, quas vniuersum melos habere potuisset, hæc adunatio mirabilis contineret. Hinc Orpheus mutis animalibus efficaciter imperauit, vagósque greges contemptis pascuis ad audiendi epulas potius inuitauit. Illo cantante amauerunt siccas Tritones terras: Galatæa lusit in solidis: deseruerunt vrsi amabiles syluas: leones domestica tandem canneta reliquerūt: iuxta prædonem suum pręda gaudebat. In vnum conuentum contraria vota collecta sunt, & fidem dicente lyra omnia sibi aduersa crediderunt. Amphion quoque Dirceus, canendo chordis, Thebanos muros dicitur condidisse: vt cùm homines labore marcidos ad studium perfectionis erigeret, saxa ipsa crederentur relictis rupibus aduenisse. Hæc Cassiodorus. Quæ omnia tametsi de solis hominibus apud poetas intelligenda sunt, qui pro moribus olim saxa & feræ dicti sunt: attamen verum est pleraque animalia musicæ concentu terra marique capi. De ceruis pleriq; testantur fistulæ cantu mulceri. Musico photingio paguri capiuntur. Sic quoque marina pastinaca in fraudem inducitur. Thrissæ Ægyptiæ paribus illecebris ad Mareotim lacum delinitæ, in potestatem piscatorum veniunt. Delphines teste Arione musicæ studio hominibus obsequuntur. Fortassis etiam quisquam Arabibus fidem adhibeat, greges eorum musica magis quàm pabulo pinguescere. Illud fide dignius, nec minus admiratione dignum, non alia ratione magis quàm lenocinio cantus aut tibiæ feras equas Lybiæ, apros item Tyrrhenos & vrsos, ferum genus, necnon adultos elephantes mitescere. Cuius rei cùm plerique periculum fecerint, & certo experimento didicerint, dubitari non poterit, id quod ferinum in nobis est & acerbum, simi-

ET REFOCILLABATVR, &c.

Galenus.

Cassiodorus.

Musica quid præstet?

Pleraque animalia; musica capiuntur.

Ælianus lib. 6. 7. 12. 17. histor. Animal. cap. lib. 6. c. 1. 32. lib. 7. cap 27. lib. 11. cap. 44. 46. lib. 17. cap. 18.

RECEDEBAT ENIM &c.

libus harmoniæ condimentis mitigari posse. Ex quo sequitur, vt si non aliud dæmon ad cruciatum nostrum adhibeat, tum vis morbi remittat. Quamobrem Scriptura mox adijcit.

Recedebat enim ab eo spiritus malus.] Torquere desinebat: Lymphationibus, inquit Iunius, quæ ab illo spiritu malo proficiscebantur, tunc temporis cessantibus. Metonymia. Diuersę sententiæ fauet Cassiodorus loco citato. En, inquit, quod sæculum miretur, & credat: repulit Dauidica lyra diabolum, sonus spiritibus imperauit; & canente cithara in libertatem redijt, quem internus inimicus turpiter possidebat. Quamquam fieri potest, vt non aliam diaboli possessionem Cassiodorus intellexerit, præter eam licentiam, qua intrinsecos humores perturbare, & sensibus internis illudere permissus est, non autem quod sensuum organis idem abuteretur, aut per se vim motricem exereret, copiosúmue aerem pulmonibus euomens, linguæ plectro vocem exprimeret; quæ verè possi-

Cassiodor.

A dentis, non impellentis, aut torquentis sunt propria. Neque enim hæc nisi miraculo citharæ cantu prohiberi potuissent. Siquidem dæmon nulla corporis temperatione impediri potest, ne sæuiat. quinimò verisimile est, si quid possit apud eum musica, tygridis instar ea magis accendi, & furore concitari. Ad componendos verò humores vtilis fingi nequit. si quidem, cùm dæmon possidet, aures plerunque occupat. Quare, id quod abijt in prouerbium, surdis caneretur, & frustrà fieret.

RECEDEBAT ENIM &c.

Sed quid ista ad nos? inquies. Permultum certè si sapimus. Etsi enim non videmus excitari

B in nobis huiusmodi humores melancholicos, videmus tamen in nobis accendi libidines, & incitari cupiditates, & alia non minus grauia, quàm erant illa Saulis. Nam cùm discedimus à Deo, efficimur mancipia diaboli. Ita enim Deus tradit nos *in reprobum sensum, & in passiones ignominiosas.* Opus ergo est, vt detur nobis aliquis Dauid, & redeamus ad Deum, & sanemur.

CAPVT DECIMVM-SEPTIMVM.

CONGREGANTES autem Philisthiim agmina sua in prælium,
conuenerunt in Socho Iudæ: & castrametati sunt inter Socho &
Azeca, in finibus Dommim. 2. Porrò Saul & filij Israel con-
gregati venerunt in Vallem terebinthi, & direxerunt aciem ad
pugnandum contra Philisthiim. 3. Et Philisthiim stabant su-
per montem ex parte hac, & Israel stabat supra montem ex altera
parte: vallisque erat inter eos. 4. Et egressus est vir spurius de
castris Philisthinorum, nomine Goliath, de Geth, altitudinis sex cubitorum & pal-
mi: 5. & cassis ærea super caput eius, & lorica squamata induebatur. porrò pondus
loricæ eius, quinque millia siclorum æris erat: 6. & ocreas æreas habebat in cruri-
bus: & clypeus æreus tegebat humeros eius. 7. hastile autem hastæ eius, erat quasi
liciatorium texentium. ipsum autem ferrum hastæ eius, sexcentos siclos habebat fer-
ri: & armiger eius antecedebat eum. 8. Stansque clamabat aduersum phalangas
Israël, & dicebat eis: Quare venistis parati ad prælium? Numquid ego non sum Phili-
sthæus, & vos serui Saul? Eligite ex vobis virum, & descendat ad singulare certamen.
9. Si quiuerit pugnare mecum, & percusserit me, erimus vobis serui: si autem ego
præualuero, & percussero eum, vos serui eritis, & seruietis nobis. 10. Et aiebat
Philisthæus: Ego exprobraui agminibus Israël hodie: Date mihi virum & ineat me-
cum singulare certamen. 11. Audiens autem Saul, & omnes Israëlitæ, sermones
Philisthæi huiuscemodi, stupebant, & metuebant nimis. 12. Dauid autem erat fi-
lius viri Ephrathæi, de quo suprà dictum est, de Bethlehem Iuda, cui nomen erat Isai,
qui habebat octo filios, & erat vir in diebus Saul senex, & grandæuus inter viros.
13. Abierunt autem tres filij eius maiores post Saul in prælium: & nomina trium fi-
liorum eius, qui perrexerunt ad bellum, Eliab primogenitus, & secundus Abinadad,
tertiúsque Samma. 14. Dauid autem erat minimus. Tribus ergo maioribus secu-
tis Saulem, 15. abijt Dauid, & reuersus est à Saul, vt pasceret gregem patris sui in
Bethlehem. 16. Procedebat verò Philisthæus manè & vesperè, & stabat quadra-
ginta diebus. 17. Dixit autem Isai ad Dauid filium suum: Accipe fratribus tuis
ephi polentæ, & decem panes istos, & curre in castra ad fratres tuos, 18. & decem
formellas casei has deferes ad tribunũ: & fratres tuos visitabis, si rectè agant: & cum
quibus ordinati sunt, disce: 19. Saul autem, & illi, & omnes filij Israël in Valle te-
rebinthi pugnabant aduersum Philisthiim. 20. Surrexit itaque Dauid manè, &
commendauit gregem custodi: & onustus abijt, sicut præceperat ei Isai. Et venit ad

locum Magala, & ad exercitum, qui egressus ad pugnam vociferatus erat in certami-
ne. 21. Direxerat enim aciem Israël, sed & Philisthiim ex aduerso fuerant præpa-
rati. 22. Derelinquens ergo Dauid vasa quæ attulerat, sub manu custodis ad sarci-
nas, cucurrit ad locum certaminis, & interrogabat si omnia rectè agerentur erga fra-
tres suos. 23. Cúmque adhuc ille loqueretur eis, apparuit vir ille spurius ascendēs,
Goliath nomine, Philisthæus, de Geth, de castris Philisthinorum: & loquente eo hęc
eadem verba audiuit Dauid. 24. Omnes autem Israëlitæ, cùm vidissent virum, fu-
gerunt à facie eius, timentes eum valdè. 25. Et dixit vnus quispiam de Israël: Num
vidistis virum hunc qui ascendit? ad exprobrandum enim Israëli ascendit. Virum er-
go qui percusserit eum, ditabit rex diuitijs magnis, & filiam suam dabit ei, & domum
patris eius faciet absque tributo in Israël. 26. Et ait Dauid ad viros qui stabant se-
cum, dicens: Quid dabitur viro, qui percusserit Philisthæum hunc, & tulerit oppro-
brium de Israël? quis enim est hic Philisthęus incircumcisus, qui exprobrauit acies Dei
viuentis? 27. Referebat autem ei populus eundem sermonem, dicens: Hæc da-
buntur viro, qui percusserit eum. 28. Quod cùm audisset Eliab frater eius maior,
loquente eo cum alijs, iratus est contra Dauid, & ait: Quare venisti, & quare dereli-
quisti pauculas oues illas in deserto? ego noui superbiam tuam, & nequitiam cordis
tui: quia vt videres prælium, descendisti. 29. Et dixit Dauid: Quid feci? nūquid
non verbum est? 30. Et declinauit paululùm ab eo ad alium: dixítque eundem ser-
monem. Et respondit ei populus verbum sicut priùs. 31. Audita sunt autem verba,
quæ loquutus est Dauid, & annunciata in conspectu Saul. 32. Ad quem cùm fuis-
set adductus, locutus est ei: Non concidat cor cuiusquam in eo: ego seruus tuus va-
dam, & pugnabo aduersus Philisthæum. 33. Et ait Saul ad Dauid: Non vales resi-
stere Philisthæo isti, nec pugnare aduersus eum: quia puer es, hic autem vir bellator
est ab adolescentia sua. 34. Dixítque Dauid ad Saul: Pascebat seruus tuus patris
sui gregem, & veniebat leo, vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis: 35. &
persequebar eos, & percutiebam, eruebámque de ore eorum: & illi consurgebant ad-
uersum me, & apprehendebam mentum eorum, & suffocabam, interficiebámque eos.
36. Nam & leonem & vrsum interfeci ego seruus tuus: erit igitur & Philisthæus hic
incircumcisus, quasi vnus ex eis. Nunc vadam, & auferam opprobrium populi: quo-
niam quis est iste Philisthæus incircumcisus, qui ausus est maledicere exercitui Dei vi-
uentis? 37. Et ait Dauid: Dominus qui eripuit me de manu leonis, & de manu vr-
si, ipse me liberabit de manu Philisthæi huius. Dixit autem Saul ad Dauid: Vade, &
Dominus tecum sit. 38. Et induit Saul Dauid vestimentis suis, & imposuit galeam
æream super caput eius, & vestiuit eum lorica. 39. Accinctus ergo Dauid gladio
eius super vestem suam, cœpit tentare si armatus posset incedere: non enim habebat
consuetudinem. Dixítque Dauid ad Saul: Non possum sic incedere, quia non vsum
habeo. Et deposuit ea, 40. & tulit baculum suum, quem semper habebat in mani-
bus: & elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente, & misit eos in peram pa-
storalem, quam habebat secum, & fundam manu tulit: & processit aduersum Phili-
sthæum. 41. Ibat autem Philisthæus incedens, & appropinquans aduersum Dauid,
& armiger eius ante eum. 42. Cúmque inspexisset Philisthæus, & vidisset Dauid,
despexit eum. Erat enim adolescens: rufus, & pulcher aspectu. 43. Et dixit Phili-
sthæus ad Dauid: Numquid ego canis sum, quòd tu venis ad me cum baculo? Et
maledixit Philisthæus Dauid in dijs suis: 44. dixítque ad Dauid: Veni ad me, &
dabo carnes tuas volatilibus cæli, & bestijs terræ. 45. Dixit autem Dauid ad Phili-
sthæum: Tu venis ad me cum gladio, & hasta, & clypeo: ego autem venio ad te in
nomine Domini exercituum, Dei agminum Israël, quibus exprobrasti 46. hodie,
& dabit te Dominus in manu mea, & percutiam te, & auferam caput tuum à te: & da-
bo cadauera castrorū Philisthiim hodie volatilibus cæli, & bestijs terræ: vt sciat om-
nis terra, quia est Deus in Israël. 47. Et nouerit vniuersa ecclesia hæc, quia non in
gladio, nec in hasta saluat Dominus: ipsius enim est bellum, & tradet vos in manus
nostras. 48. Cùm ergo surrexisset Philisthæus, & veniret, & appropinquaret con-
tra Dauid, festinauit Dauid, & cucurrit ad pugnam ex aduerso Philisthæi. 49. Et
misit manum suam in peram, tulítque vnum lapidem, & funda iecit, & circumducens
percussit Philisthæum in fronte: & infixus est lapis in fronte eius, & cecidit in faciem
suam

suam super terram. 50. Præualuítque Dauid aduersum Philisthæum in funda & lapide, percussúmque Philisthæum interfecit. Cúmque gladium non haberet in manu Dauid, 51. cucurrit, & stetit super Philisthæum, & tulit gladium eius, & eduxit eum de vagina sua: & interfecit eum, præcidítque caput eius. Videntes autem Philisthiim, quòd mortuus esset fortissimus eorum, fugerunt. 52. Et consurgentes viri Israël & Iuda vociferati sunt, & persecuti sunt Philisthæos vsque dum venirent in vallem, & vsque ad portas Accaron, ceciderúntq; vulnerati de Philisthiim in via Saraim, & vsque ad Geth, & vsque ad Accaron. 53. Et reuertentes filij Israël, postquam persecuti fuerant Philisthæos, inuaserunt castra eorum. 54. Assumens autem Dauid caput Philisthæi, attulit illud in Ierusalem: arma verò eius posuit in tabernaculo suo. 55. Eo autem tempore, quo viderat Saul Dauid egredientem contra Philisthæum, ait ad Abner principem militiæ: De qua stirpe descendit hic adolescens, Abner? Dixítque Abner: Viuit anima mea, rex, si noui. 56. Et ait rex: Interroga tu, cuius filius sit iste puer. 57. Cúmque regressus esset Dauid, percusso Philisthæo, tulit eum Abner, & introduxit coram Saule, caput Philisthæi habentem in manu 58. Et ait ad eum Saul: De qua progenie es, ô adolescens? Dixítque Dauid: Filius serui tui Isai Bethlehemitæ ego sum.

SVMMA CAPITIS PARTITIO.

HOC caput vniuersum ad quatuor præcipua potest reuocari. Quorum in primo describitur bellum ortum inter Israëlitas & Palæstinos: In secundo accessus Dauidis ad castra: In tertio potestas illi facta pugnandi: In quarto victoria.

Deus cùm Dauidem clàm vnxisset Regem, voluit eum postremò illustrare, vt virtus eius non diutiùs intra parietes occultaretur, sed publicè ab omnibus cognosceretur. Hac via puniendus erat Saul. Deus aduersus eum excitat æmulum: ita in eo accenditur inuidia: & res omnes labuntur in deterius.

In omni Scriptorum genere hoc in primis quærendum est, vt iucunda cum vtilibus coniungantur. Itaque Horatius,

Omne tulit punctum, *inquit,* qui miscuit vtile dulci.

Nos ex hac varia & multiplici descriptione summam capere possumus voluptatem: sed offertur etiam summa ex hac lectione vtilitas. Videbimus enim ex altera parte hominem audacissimum & Dei hominúmque contemptorem: Ex altera parte Dauidem hominem humilem, modestum, pium, & Deo solo confidentem. Itaque ille vincitur, hic vincit. Vtilissima est ista consideratio. Hæc enim nobis quotidiè vsuueniunt.

VERSVS I.

Congregantes autem Philisthiim agmina sua in prælium, conuenerunt in Socho Iudæ: & castrametati sunt inter Socho & Azeca, in finibus Dommim.

VERSVS II.

Porrò Saul & filij Israël congregati, venerunt in Vallem terebinthi, & direxerunt aciem ad pugnandum contra Philisthiim.

VERSVS III.

Et Philisthiim stabant super montem ex parte hac, & Israël stabat supra montem ex altera parte: vallísque erat inter eos.

Varię trãslationes.

VErsu primo, *Agmina sua*] Vatablus, *copias suas.* Chaldæus, *exercitũ suum.* Pagni-

A nus, *castra sua.* Græci, *τὰς παρεμβολὰς αὐτῶν. castra sua.* Hebræus, מַחֲנֵיהֶם *mahhanehem*, à verbo חָנָה *hhanah*, quod est castrametari. *In Socho Iudæ.*] אֲשֶׁר לִיהוּדָה *ascer lihudah. quæ erat in Iuda.* Chaldæus, *in Zzocho, quæ est tribui Iudæ.* Græci, *εἰς σοχὼ τῆς ἰουδαίας.* Aldus legit, *σοκχώθ. Socho Iudæ* posuit, quoniam est altera eius nominis trans Iordanem, Gedeonis vltione nobilitata, Iudic. cap. 8. Azeca Iosue victoria insignis. Iosue cap. 10. *In finibus Dommim*] Arias, *in fine Damnim.* Pagninus & Vatabl. *in termino Dammim.* Chaldæus consentit cum Hebræo, cuius interpres vtramque vocem retinuit, *in Ephesdummim.* Hebraicè & Chaldaicè legimus, בְּאֶפֶס דַּמִּים *beephes*

B *dammim.* Septuag. Complut. & Reg. edit, *ἐν ἀφεσδομμίν.* Interpres, *in Aphesdomim.* Aldus legit pariter. At Roman. edit. & Antuerp. Laurent. *in* abdicat, & post *Azeca*, scribit *Ephermen.* quam ob causam non inuenio. Versu secundo, *Porrò Saul & filij Israel congregati, venerunt in Vallem terebinthi.*] *Et filij Israel.* Hebraicè, וְאִישׁ *veisc Israel, & vir Israel. In Vallem tere-*

Et castrametati, &c.

binthi.] בְּעֵמֶק הָאֵלָה *beghemek haelah.* Pagninus, & Vatablus, quibus astipulatur Arias, *in valle Elah.* Vatablus Salmant. *in valle quercus.* Aliàs, *ad conuallem querceti.* Chaldæus, *in planitie glandis.* Romana, & Antuerp. Laurent. Septuag. Interpretum, *in valle ipsi.* Complutensis & Reg. ἐν τῇ κοιλάδι τῆς δρυὸς αὐτοὶ καὶ αὐτοί. *in valle quercus isti & isti.* Aldus cum Vulgata legit, ἐν τῇ κοιλάδι τερεβίνθου. *in valle terebinthi. isti & isti,* sicut & Complut. Castra quidem, vt apparet, primùm in valle locauerant: deinde aciem instruxerunt in montibus; vt de superiori locó maiore impetu in hostem incurrerent, cùm is necessariò in subjectam vallem descendisset.

Descriptio locorum, si quem fortè iuuat, peti poterit è cap. 15. Iosue, ver. 35. Oppida ista ascribuntur tribui Iuda in campestribus, qua vergit eius sors ad Occidentem, seu mare magnum, quod mediterraneũ dicimus: quare Philisthæis vicina fuisse patet, Gazæ, Azoto, & Accaron. Sed nec longa locorum intercapedine à tribu Beniamin dissita esse poterant. Castra igitur ab vtrisque in territorio Iudæ locata sunt. De Socho Adrichomius in Iuda, 226. distat ab Azecha & Maceda tribus leucis contra Orientem non longè à Nobe. Hanc cùm Roboam muniuisset ædificijs, tandem cœperunt Philisthiim. Ait S. Hieronymus etiam hodie ostendi viculos duos pergentibus Æliam de Eleutheropoli, in nono milliario viæ publicæ, vnus in monte, alter in campo situs, qui *Socoth* appellantur. Et quidem viculum hunc qui Socho dicitur, Samaritani, qui de Babylone profecti sunt, dicuntur condidisse. Ita sanctus Hieronymus de locis Hebraicis. De *Azeca* idem Adrichomius in Iuda 47. *Azeca* vrbs fortissima. Hic Deus de cælo lapides pluens, Amorrhæos diuinæ iustitiæ vindicta absumpsit; atque huc vsque persecutus est quinque Philistinorum reges Iosue, quam & cepit, cùm liberasset Gabaonitas. 2. Paral. 11. instaurata fertur à Roboam Rege Iuda Salomonis filio; tandem à Nabuchodonosor Rege Babylonis debellata, & expugnata.

Adrichom.

Topographia.

S. Hieron.

Azeca.

Ierem 34. 2. Esdræ 11.

Bucherius. Vallis Terebinthi.

Vallem terebinthi amœnissimam scribit Bucherius Minorita in Commentario peregrinationis suæ, latam miliare vnum, cuius longitudo dupla & sesquialtera. Hanc ab Hierusalem sesquileuca tantùm dirimit, quam cingunt ab Oriente quidem Iudeæ montes, in quibus Israëlitæ consederant; ab Occidente montes Modin, quos Palæstini suis castris occupauerant.

Et castrametati sunt.] Apparet vtrinque adhibitam fuisse diligentiam, & industriam castrensem. Vtraque enim pars castrametatur in colle, vt hostis, si castra oppugnare voluisset, pugnaret ex inferiore loco. Quæras fortè: Quomodo castra habuerunt in collibus, cùm magna pars exercitus fuerit in valle? Respondet Dauid Kimhi, castra quidem fuisse in monte, sed acies omnia compleuisse vsque ad vallem. Causæ belli non scribuntur: eas tamen coniectura possumus assequi. Cæsa pridem statio, mox sequuta strages, cùm seditione mota in castris, in mutua vulnera ruerent. Deinde arces pleræque ereptæ, negatum pluribus locis tributum. Hęc scilicet Philisthæos suis sedibus exciuerant, vt col-

A latis signis cum Iudæis de imperio decernerent. Videbant præterea Palæstini Israëlitas occupasse, & colere partem eius agri, quem iure belli suum fecisse credebant. Accedebat quod eos sæpè profligasse meminerant. Postremò, si quid olim præsidij in Saule Hebræi habuisse videbantur, eo nunc destitutum iri opinati sunt, quòd furere diceretur: quod latere hostes diutiùs haud potuit, cùm ipsi sedulò regis consilia & vires explorarent, nec secretum esse queat quod in aula Principis veluti publico Reipublicæ theatro & clarissima luce versatur. His illi vsi rationibus, & occasionibus bellum indicũt, & castrametantur *in finibus Dommim.* דַמִּים *dammim* locus esse potuit eo nomine insignis: sed quia nullum eius vestigium reperi, malui nominis significationem sequi. Sic igitur interpretor, B *in finibus subiectorũ.* דמם *damam* enim idem quod *siluit, & subactus,* siue subiectus fuit. Hactenus scilicet nonnulli Hebræorum Palæstinis finitimi, quos olim sub iugum miserant, manebant in officio, nec ab eis metu deterriti defecerant. Horum in finibus castra locauerant, in extrema parte agri sibi subiectorum, & qui hactenus, reliquis Hebræis arma mouentibus, conticuerant. *Finibus Dommim.* Hos nimirum ferro, pręsidijs, & armato milite tuebantur: in his agrarias & prætenturas exercebant. At contra Ægyptij agrorum suorum fines, quos Nilus turbauerat, decempeda recipiebant. Docet hoc Magnum Etymologicum in voce ἄσχημα col. 43. & 44. Nilus, inquit, Ægyptiorum fluuius, exundans, & ascendens æstiuo tempore, fines agri Ægyptiaci humore soluens, & miscens, perde- C bat. Postea verò Ægyptij sumpta virga suos agros metiebantur, ante fluuij ascensum, & signis notabant. Iterùm verò post fluuij discessum, eadem virga terram metiebantur, & metientes, vnusquisque suum agrum recipiebat, sine prælio, & sine cæde. Hæc igitur virga, qua terram metiebãtur, ἄσχημα vocata est, quòd ipsos impediret ne se mutuò cæderent, & interficerent. Nam τὸ α iam significat priuationem, κτείνειν verò, κτείνειν, & σφάζειν, interficere, occidere. Inuentũ tribuit cuidam Thessalo in Ægypto commoranti. Eandem virgam Cicero decempedam vocat, qua terram metiebantur metatores, qui à decempeda, decempedatores sunt appellati. Sed hæc ad iustitiam pertinent: legitimè quæsitos, aut à parentibus hæreditaria lege relictos, D æqua mensura recuperabant. At nunc iure sublato aliena possessio armis appetitur, & iuxta veteris poëtæ dictum, vi geritur res.

Saul & Israel congregati, venerunt in vallem terebinthi.] *Elah,* siue *terebinthum,* Interpretes variè reddiderunt. *Quercum, quercetum* plures, nonnulli etiam cum Vulgat. *terebinthum* exponunt. Nomen illud diuersè sanctus Hieronymus diuersis locis transfert. Quercus, inquit Suidas, prima planta fuisse videtur. Vnde δρυμοὺς, querceta vocabant loca densa, quibuscunque tandem plantis illa constita essent. Γεραίδρυον esse oportuit, seu vetustam arborem, à qua vallis nomen acciperet. Dictum autem γεραίδρυον, inquit Suidas, à nomine γέρων, senex, & δρῦς, id est, quercus. Et sanctus Hieronymus in voce *Drys, de locis*

Et castrametati, &c.

Dommim quid significet?

Ægyptij abeũte Nilo quo pacto suos agros recuperabant.

Suidas in voce Γεραίδρυον.

S. Hieron.

PHILISTHIIM STABANT, &c.

Terebynthus.

de locis Hebraicis, Drys, inquit, id est, quercus Mambre, iuxta Chebron, in qua vsque ad ætatem infantiæ meæ, & Constantij regis imperium, terebinthus monstrabatur peruetus, & annos magnitudine indicans, sub qua habitauit Abraham. Miro autem cultu ab Ethnicis habita est, & velut quodam insigni nomine consecrata.

Hæc sanctus Hieronymus. Familiaris hæc superstitio Gentibus fuit, vt frondosas & annosas arbores haud secus quàm numina quædam venerarentur. Quod ne temerè ab ijs fieri videretur, truncis Nymphæ additæ sunt, quæ Dryades & Hamadryades dicerentur, vt religioni locus esse posset. Porrò, cùm suapte natura diutius viuunt pleræque arbores, tum nonnullæ hominum studio seruatæ sunt. Olympicam oleam, quæ καλλιστέφανος dicta est, autore Hercule satam in Olympia, vt coronas victoribus suppeditaret, muro cinctam fuisse docet Aristoteles, & graui edicto ab hominum iniuria prohibitam.

Aristot. in opere de mirabilib. audit. pag. 548.

Philisthiim stabant super montem ex parte hac, &c.] Bonum ducem, inquit Vegetius, conuenit nosse magnam partem victoriæ, ipsum locum in quo dimicandum est, possidere. Elabora ergo, vt conserturus manum, primum auxilium captes ex loco, qui tantò vtilior iudicatur, quantò superior fuerit occupatus. In subjectos enim vehementius tela descendunt, & maiore impetu obnitentes, pars altior pellit. Qui aduerso nititur cliuo, duplex subit & cum loco & cum hoste certamen. Sed illa distantia est, quod si de pedibus tuis victoriam speras contra equites hostium, loca aspera, inæqualia, montuosa debes eligere. Si verò de equitibus tuis contra aduersarij pedites victoriam quæris, sequi debes paulò quidem editiora loca: sed plana atque patentia, neque siluis, neque paludibus impedita.] Hactenus Vegetius. Verùm hæc ad pugnam spectant, cùm iam manus conserendæ sunt: at cùm hostis certamen detrectat, tum si castra in proximo locanda sunt, ea primùm munienda sunt: deinde pro portis stationes atque in vallo custodiæ disponendæ. Tum enim maximè insidiæ cauendæ, & doli, & artes, crebrique superuentus, qui sæpiùs incautos opprimere solent. Non ad statiua, inquit Vegetius, vel mansionem ciuitas murata semper occurrit, & incautum est, plenúmque discriminis, exercitum passim sine aliqua munitione considere: cùm militibus ad capiendum cibum occupatis, ad facienda munera dispersis, facilè nectantur insidiæ. Et rursum: In metandis castris non sufficit locum bonum legere, nisi talis sit, vt alter eo non possit melior inueniri: ne vtilior prætermissus à nobis, & ab aduersarijs occupatus, apportet incommodum.] Quo genere quoque modo castra munienda sint cùm hostis imminet, docet idem Vegetius libro primo capite vigesimo quarto & vigesimo quinto. At Hirtius lib. de bello Africano, partem aciei, dum opera fierent, sub hoste instructam stetisse narrat. Prima, inquit, & secunda acies in armis, vt ab initio constituta erat, permanebat: post hos opus in occulto acies tertia faciebat. Sic omne

Veget li. 3. cap. 13.

Superior locus victoriæ opportunus.

Hoste vicino castra munienda sunt.

Idem lib. 3. cap. 8.

A prius est perfectum, quàm intelligeretur ab Afranio castra muniri.] Crates præterea, vela, resque alias nonnunquam objectas memorant, quibus milites, dum opus vrgent, tegerentur, & hostem laterent.

VALLIS QUE ERAT, &c.

Narrat Herodotus libro sexto, Argiuos, cùm non magna relicta inter aduersas acies intercapedine è regione Lacedæmoniorum consedissent, nec vim metuerent, sed dolos & artes reformidarent, statuisse hostium præcone vti; vt quidquid ille suis nuntiaret, ipsi quoque facerent, sicque pares hostibus inuenirentur. Verùm eo consilio, quo se aduersariorum stratagemata eludere posse rati sunt, protinus perierunt. Nam Cleomenes, vt primùm rem comperit, præconem quidem eadem nuntiare imperat: at milites iubet cùm prandium imperaretur, arma corriperent; quo pacto Argiuos B vacantes epulis iugulauit.

Rationes, ob quas tutiùs videatur intra proprios fines Martis aleam experiri.

Vallisque erat inter eos.] Neutra acies, vt apparet, in hostilem agrum erupit: sed vtraque cùm in suis finibus consedisset, tantisper expectabat dum certamine commisso, & ferro patefacto aditu, vicinam regionem inuaderet. Tametsi enim ea loca, in quibus Palæstinorum delectus est habitus, & castra quoque locata sunt, tribui Iudæ ascribantur, ea tamen dudum ab eis subacta, imperata faciebant. Sunt qui prudenter factum existiment. quippe minore periculo in proprijs sedibus quàm in hostili solo Martis aleam experiri posse. Primùm enim amica vicinitas suis abundè commeatum suppeditat, qui apud hostes sæpè deficit, aut necessarijs frugibus in arces comportatis, aut incendio corru- C ptis. Deinde tutus ab insidijs locus est; hostibus contra suspectus: cui ciuis à fronte ac tergo imminet, infensa omnium studia, nec satis explorata regio. Accedit quod tutus & facilis receptus est, qui si fortè negatur, plerique despondent animum. Non enim omnium est præsentem mortem contemnere: plures si detur perfugio locus fortiter periculum subeunt. Accedit etiam, quòd si quid præter sententiam acciderit, hostes auxilia prohibere non possint; & alioquin studiosè omnes è proximo haud aliter quàm suis suppetias ferunt. Adde quod oculis vsurpata strages, agrorúmque vastitas ac populatio animos acuit, & iram incendit. nam multò vehementius rerum nostrarum iactura quàm alienarum cupiditate afficimur. Sed hoc præterea D non mediocriter commouere solet, quod nulla iam domus fractos victosque excipiat, sicut qui peregrinam militiam sectantur: sed solùm exilio vertendum sit, quo nulla sors tristior, ijs maximè, qui nudi ac spoliati è belli naufragio euadunt. Itaque pro aris & focis summis viribus vbique certatur. Quid cùm postremò charissimorum pignorum seruitus, stupra virginum, vis illata coniugibus, sanctorum denique parentum cædes iam penè in oculos incurrent, quis tum non optet & statuat ferro potius occumbere, quàm vt tantę cladi superstes maneat? quis vitæ parcat? quis tela exhorreat? Apparet quo animo ciues hæc defensuri sint, cùm meticulosissima animalia perire malint, quàm pullos non defendere. Itaque plures apud se com-

Vallisq; erat, &c.

modius alienam vim frangi, hostiúmque ferociam vinci, si possent allici studuerunt, quàm foris, & in alieno solo eorundem arma experiri. Nam fractos deinde velut paratam prædam nihil erit negotij inuadere.

Contraria sententia magis probatur.

Veruntamen, ne quid dissimulem, contrariæ sententiæ magis assentior, quæ iubet exemplo Scipionis totum belli pondus à proprijs laribus ad hostes transferre. Nam illud in primis vtile iudico, & ad pacis conditiones impetrandas promptissimum, si hostes peregrinę militię molestijs atterantur. Vt primùm enim hostilis exercitus alienos fines irrupit, tum si quæ fruges per agros, aut in horreis pabula relicta sunt, dominis quidem suis pereunt, dum interim miles noster ab originum incommodis pascitur, & alieno sumptu pinguescit. Accedit quod ipse tumultus agricolarum in vrbes commeantium, populatio, incendia, cædes, ad incutiendum timorem non parum momenti habeant, quibus vt insuper futuræ spem segetis amputari vident, tum maturè ciues famem perosi, de deditione cogitant. Vt autem demus nullam timeri inopiam, plures tamen diuturnior vrbis commoratio, quæ carceris tædia repræsentat, desiderio pacis cruciat, atque illud in primis triste spectaculum, dum procul spectant ruris delitias arbores excindi, vineta subrui, villas igne cremari, quæ non nisi multo tempore ac sumptu instaurari poterunt. Nemo non libenter suo labori parcit. Si quæ sudor & industria contulit, ea non sine dolore amittimus. Quid clamor vulgi de summa rerum temerè desperantis priusquam belli periculis defungi liceat? Quid rusticæ plebis consternatio, ejulatus infantium, comploratio mulierum, senum suspiciosa timiditas? quid barritus hostilis exercitus, fulgor armorum, strepitus classicorum, quantum valere putas ad labefactandam indigenarum constantiam? At qui procul à patria in alienos signis fertur infestis, ab his vacat affectibus. Non illum castæ coniugis blandi complexus tenent; non canæ parentis reuerendæ lacrymæ; non prolis amor à studio pugnandi reuocat: sed crudo pectore ruit in confertos hostes, vincere certus, aut mori. Sed nihil sic animos oppidanorum deijcit vt propinquorum sanguis fusus ante oculos. non si adamantes ipsi sint, quibus nihil duriùs natura nouit: nam hos quoque ferunt hirci callido cruore mollescere. Illud porrò necesse est non rarò contingere, vt semilaceros artus, & confecta vulneribus corpora, sanie taböque manantia spectent: quæ ad suos relata cùm priuatim omnia luctu complent, & publicè ciuibus miserabile spectaculum exhibent, tum omnium mentes miseratione commotas, à belli periculis ad pacis studia conuertunt. His addo postremò, quòd vbi tandem procella hæc, siue æquis, siue iniquis conditionibus fœdus inire coëgerit, peregrini milites suas domos sartas tectas recipiunt; at perit incolis præter propugnacula & arces quicquid vbique est, reliquis præter rudera & parietinas igne ferróque consumptis. Itaque tum demùm his accidit quod saucijs vsuuenire solet, vt, cùm vulnus accipiunt, tum quidem minus sentiant: ast vbi certaminis ardor refrixerit, sæuissimũ dolorem experiantur. nam hi quoque exercitibus valere iussis, fame atque inopia conflictantur. At suspectas habes apud hostes insidias. Exploratores adhibe. Cæterùm illæ periculosiores esse solent, vbi minus timentur. Desperatio autem fugæ sæpè victoriam peperit. Nec commeatus deesse poterit, si ab iniuria miles arceatur. Cætera quæ videbantur obijci, deijciunt animos potius quàm erigant. Nam quæ solicitè seruare studemus, ea nolumus in discrimen vocari cùm sit incertus bellorum exitus, nec talorum magis quàm armorum dubia & anceps alea. Quare his rationibus eò adducor, vt vehementer improbem, si quis, cùm in alieno possit, in proprio malit castra locare, & domi bellum alere, quod hosti prosit.

Dæmon certè, quoad eius fieri potest, nostro periculo ac sumptu nobiscum bellum gerit. Luxum fouet opum iactura; crapulam valetudinis periculo, ambitum ægritudine animi ac quietis perturbatione; obscœnas libidines corporis tabe atque infamia. Quod si nonnullum quandoque sumptum facere videtur, & milites suos stipendio afficere: nam Magos, & sagas, & maleficos, & quicunque in eius verba iurarunt, ea spe lactat, ac decipit. primùm insidijs ac periculis infesta sunt omnia: deinde satis apparet cæcos præstigijs ludere, nihil autem conferre; siquidem illi plerunque miseram atque inopem vitam degunt.

Versus IV.

Et egressus est vir spurius de castris Philisthinorum nomine Goliath, de Geth, altitudinis sex cubitorum & palmi.

Variæ translat.

Dissentiunt Interpretes. Pagninus, *Et egressus est vir stans inter duas acies de castris Pelistim.* Vatablus Salmant. *Et egressus est vir inter duas acies ex castris Palesthinorum.* Et in Schol. Hebraismum esse obseruat pro *intermedio*, quasi dicat, *qui stare solebat inter duo castra.* Itaq; Laurentius tribuit illi hanc translationem in sua editione: *Et egressus est vir intermedius de castris Pelisthim.* Arias similiter vertit. Chaldæus, *Et exijt vir de-inter illos ex castris Pelisthæorum.* Septuaginta, καὶ ἐξῆλθεν ἀνὴρ δυνατὸς ἐκ τῆς παρατάξεως τῶν ἀλλοφύλων. *Et egressus est vir potens de acie Philisthiim, siue alienigenarum.* Castalio, *immanem:* Iunius, *duellatorem* reddidit. Et addit Iunius in notis, Hebr. *vir qui inter duos:* supple singularem pugnam decerni postulabat. Munsterus, *vir inter vtrosque.* Sunt etiam qui putant, inquit, illum sic dictum, quòd plures patres habuerit: sed hoc friuolum iudicamus, cùm mulier à multis viris simul imprægnari non possit. Hæc ille. quæ nos friuola iudicamus, sicut & priora quæ Iunius & Castalio commenti sunt. Hebraicè, vt quidem nonnullis visum est, verbum ex verbo reddi posset, *Et egressus est* איש הבינים. *ischabenaiim, vir medietatis.* Nam בינים *medietatem* significare vult Schindlerus in Pentaglot. Marinus Brixian.

Brixianus in Arca Noe, vult esse dualem numerum nominis בֵּין *bein*, quod *locum medium* exprimit apud Hebræos: tametsi plerunque vsurpetur pro præpositione *inter*, *intra*, & similibus. Hoc duali semel duntaxat Scriptura vsa est hoc loco, quem sic exponit Brixianus: *vir duorum mediorum*, id est, inquit, stans inter duo castra, vt omnes asserunt. Sed locus accuratiùs expendendus est aliàs à nobis.] An fecerit, me latet. Cæterùm mihi magis probatur iudicium Vulgati Interpretis, vt *spurium*, & de promiscua venere natum, notari tam singulari dictione intelligamus. nam & בֵּינוֹנִי *benoni* ab eadem, vt volunt, radice, non solùm *medium*, sed etiam *vulgatum & communem* indicat. *Altitudo eius* שֵׁשׁ אַמּוֹת וָזָרֶת *scesc ammoth vazareth*, *sex cubitorum & palmi*. Itaque constanter omnes *sex cubitos* legunt: Pagninus, Vatablus, (qui tamen in Ecphrasi, quod ad palmum attinet, annotat, vel palmorum trium: dicam in commentario vnde obseruarit.) Chaldæus, Septuaginta editionis Aldinæ, ὕψος αὐτοῦ ἓξ πήχεων καὶ σπιθαμῆς, *altitudo eius sex cubitorum, & palmi*. Complutensis tamen & Regia habent, ὕψος αὐτοῦ τεσσάρων πηχῶν, &c. *Altitudo ei quatuor cubitorum*. Romanam & Antuerpiensem Laurentij Complutenses sequuntur, nisi quòd *altitudo eius* legunt, & non *ei*. Quidam, *cuius altitudo* erat *sex cubitorum cum spithama*.

Postquam Hebræorum acies tuta loci præsidio, statuit hostis impetum excipere potius, quàm ciere, & Palæstini desperarunt, si prodire nollent, se posse vincere præcipitis cliui difficultates, Gigantem eligunt vasta mole corporis, quem iubent Hebræos ad singulare certamen prouocare. Nam si non placeat totis copijs confligere, at duello saltem experiantur. Describitur autem iste Gigas primùm à genere, deinde à statura corporis. mox etiam ab armis. Postremò insolens eius oratio, atque iactantia refertur: quem Dauid fide, atque animi magnitudine insignis, funda & lapide compescuit.

Et egressus est vir spurius.] Ad generis infamiam pertinet. Nam cum Vulgato spurium placet interpretari. Reliqui Hebræam vocem frustrà contorquent, siquidem non aliàs, vt Marinus asserit, Scriptura vsa est. Spurios Seneca vocat furtiuum genus in Agamemnone. Et nullum nefas, inquit, per nefas nati putant. Salaces & libidinosi audiunt, & ad quodlibet scelus promptissimi. Iure Ciuili infames, & vilis conditionis habentur. imò etiam exhæredes, & quidem ab intestato; tametsi legitimi hæredes non appareant. Ecclesia eosdem procul à sacris Ordinibus ablegat. Eius generis nec decimum quemquam Deus quondam in Ecclesiam populi sui admittebat, vt patet Deuteromi capite vigesimo tertio. Quamquam mox Iure Ciuili non transeat in filios paterna macula; sed ipsi patrum suorum hæreditates adeant. De his quid senserit sanctus Bonifacius Martyr, apertè prædicat apud Gratianum *distinctione quinquagesima sexta, capite, Si gens Anglorum*. Si gens Anglorum, vt ab ipsis paganis, inquit, nobis etiam improperatur, spretis le-

Seneca in Agamemn. act. 3. in choro.

Spurij infames.

S. Bonifac.

A galibus connubijs, adulterando & luxuriando ad instar Sodomiticæ gentis, fœdam vitam duxerit, de tali commixtione meretricum existimandum est, degeneres populos, & ignobiles, & furentes libidine fore procreandos: & ad extremum vniuersam plebem ad deteriora, & ignobiliora vergentem, & nouissimè nec bello sæculari fortem, nec in fide stabilem, nec honorabilem hominibus, nec Deo amabilem esse venturam. Sicut alijs gentibus Hispaniæ, & Prouinciæ, & Burgundionum populis contigit, quæ sic à Deo recedentes, fornicatæ sunt: donec iudex talium criminum vltrices pœnas, per ignorantes leges Dei, etiam per Sarracenos, venire, & sæuire permisit. Hactenus ille Sanctus, proprius eorum Propheta, vt inquit Apostolus. nam is è Britannia fertur oriundus.

B Quod vaticinium, quod ad fidei eclypsim attinet, si quid Ecclesiæ iudicio credimus, dudum re atque exitu comprobant. Nec vero illa mitior in spurios Sapientis sententia, quam Sapientiæ capite tertio legimus: *Adulterorum*, inquit, *filij in consummatione erunt, & ab iniquo thoro semen exterminabitur: & si longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur, & sine honore erit nouissima senectus illorum: & si celerius defuncti fuerint, non habebunt spem, neque in die cognitionis allocutionem. Nationes enim iniquæ diræ sunt consummationis.* Quæ tamen eatenus locum habere intelligenda sunt, si sceleratorum parentum filij vestigijs inhæreant. Alioquin enim non naturam, sed flagitium Deus execratur. Quamobrem Menander scribere ausus est:

C *Nullum generis nostri discrimen esse puto:*
Sed si rectè perpenderis, legitimus est,
Qui bonus est; qui malus, spurius.

Menander.

Et Euripides dixit in Antigone, nothorum genus nomen habere culpabile, natura verò æquales esse legitimis. Neque enim natura genitum respuit, sed lege tantùm paterna libido coërcenda fuit. Et in Andromache indicat nonnunquam spurios legitimis euadere meliores; quoniam, vt idem alibi, nomen quidem dispar, at natura ex æquo est.

Latini nominis etymologiam Plutarchus explicat in Problematis, Problemate centesimo tertio, Romanos ait habuisse prænomina, vt alij Cnei, alij Caij dicerentur, eáque ferè duabus tantùm literis, vel tribus notabant. Proin-
D de quærit, cur spurius scribatur duabus hisce literis Sp. Quoniam prior litera, inquit S. significat sine, P. patre, quod natus esset sine patre, seu potius incerto patre. Quamuis id transferri etiam possit ad posthumos: in ijs tamen contumeliosum non erat dici spurium. Fuerunt enim clarissimi ciues Spurius Melius, Spurius Cassius, & alij eo nomine. Spurius Græcis ἀπάτωρ dictus est eadem significatione. Sunt tamen qui velint potius id nominis ab impuritate petitum esse. Nam veteres nullo discrimine spurcum, spurium dixerunt. Quid si à muliebri natura, quæ priscis spurium dicta est, infamis hæc appellatio ducta est? Vel certè ἀπὸ τῆς σπορᾶς, id est, semine, vt inter alia notat sanctus Isidorus? An quasi σπείρειν spurium, siue spar-

Plutarchus.

Spurij nominis ratio.

ET EGRESSVS EST VIR, &c.

sim conceptum dicemus? §. *Si aduersus*, *Instit. de Nupt. L. vigesima quinta*, *ff. de ritu nuptiarum*. Video quamplurimos eò inclinare, etsi *in Instit.* quædam exemplaria habeant ἀπὸ τῆς σπορᾶς, id est, à satione. Apud Hebræos & Aramæos spurium dictum volunt מַמְזֵר *mamzer*, cuius lex meminit Deuteronomi capite vigesimo tertio. Quod nomen Constantinopolitana Synodus, & alij, tanquam ciuitate donarunt, *manserem* transferentes, quem de scorto natum Hostiensis intelligit. Vnde Abbas:

Manser.

Manseribus *scortũ, sed mœcha nothis dedit ortum.*

Alienum denotat: nam volunt Hebræi idem esse quod זָר *zar*, & vtrumque מ. *mem* esse heemanthi. זרה *zarah* verbum idem valet ac sparsim abjecit: qua significatione cum spurio mirificè quadrat, vt præcedens etymologia demonstrat.

De spurijs, & illegitimè natis.

QVÆST. XIX.

Tametsi iam satis accuratè videmur vocis etymologiam inuestigasse, quandoquidem tamen plures alienos à legibus natales sortiuntur, prius illi nobis in suas classes referendi sunt, vt quo quisque nomine vocetur, & iure polleat, faciliùs intelligatur. Sed & illa quæstio digna labore nostro ac studio visa est, cur, cùm spurij eandem nobiscum naturæ ac vitæ rationem nacti sint, ab ijs tantoperè abhorreamus.

Filiorũ cõplura discrimina.

De spurijs igitur, & quibuslibet alijs præter æquum & morem genitis, cùm alibi, tum præcipuè *Nouell.* 89. tractat Iustinianus *cap.* 1. *&* 15. quo loco eadem fusiùs explicat Gothofredus in Notis suis. Vt autem res dilucidior fiat, ita distinguendi videntur filij, vt aliqui legitimi sint, & non naturales, vt arrogati & adoptiui. Alij naturales quidem, & non legitimi, vt qui è concubinis suscipiebantur. (loquor autem de concubinis hîc Romano more. nam quoad Hebræos, ex eis nati erant legitimi.) Alij verò sunt & legitimi, & naturales, vt qui ex iustis nuptijs nascuntur. Alij denique, nec legitimi, nec naturales, quales sunt vulgò quæsiti. Vulgò autem quæsitus est, qui non potest patrem ostendere, aut qui ostendere quidem potest, sed eum, quem non liceat patrẽ habere, vt *inff. de statu personarum* scribitur. *L. Vulgò concepti.* Magnum est discrimen inter conditiones liberorum: nos verò, quod attinet ad hanc tractationem, nec de Adoptiuis aut arrogatis filijs agemus, nec de Legitimis naturalibus, sed tantùm de Naturalibus & vulgò conceptis, qui cæteris videntur obscuriores esse.

Naturaliũ & vulgò quæsitorũ filiorũ plures differẽtiæ notantur.

Naturales non legitimi, possunt fieri legitimi, *vt in C. traditur de Naturalibus filijs.* Lege Anastasij. Et modi quibus fiant, ibidem *in L. si quis,* describuntur. Vulgò autem concepti non possunt fieri legitimi. Quod si loqui velimus de concubinarum filijs more Iudaïco, erant legitimi: quemadmodum & concubinæ non scorta erant, sed vxores legitimæ; ita vt pari sorte cum fratribus hæreditatem diuiderent, vt Iacob filij; aut si secus patri visum esset, donis ac muneribus suo genere dignis affatim ditarentur; vt quos Abraham vetuit cum Isaac filio suo sortiri. Nam patris ante legem in familiam summa potestas fuit. Lege verò soli primogenito cautum est, ne prærogatiua ætatis fraudari posset: erciscundæ familiæ ius & actio penes patrem mansit. Romani verò concubinarum filios non habuerunt pro legitimis, tantùm id constituerunt, vt possent legitimari. Adhæc vulgò concepti, non sunt in potestate patris, nec esse possunt: at naturales possunt, si legitimentur. Hæc dico, vt intelligamus in quanta calamitate sint spurij. Hæ autem leges ferebantur, vt homines vel filiorum ignominia retraherentur à scortatione. Dum enim spurios gignunt, illos absque spe recuperationis lædunt. Vnde sanctus Chrysostomus in epistola ad Romanos, dum ea verba interpretatur, *Hora est iam nos de somno surgere*, vehementer in scortatores inuehit. Quid seminas, inquit, quod non licet metere? aut si colligas, fit ignominiosum? Infame enim erit, & illi qui nascetur, & tibi. Ille enim quoad vixerit, ignominiosus erit, & tibi cum viuo, tum etiam mortuo extabit semper turpis nota libidinis, &c. Ideóque legibus constitutum est, ne spurij adeant patris hæreditatem.

Ius Ciuile de spurijs quid statuat?

Naturalibus liberis pater moriens aliquid potest dare, imò succedunt ab intestato, quando non sunt alij liberi. Nec tamen in totum succedunt, sed in duas tantùm vncias, *in C. de natural. liberis, in L. Licet patri.* At spurius tãtùm abfuit, vt posset patri succedere, vt ne alimenta quidem ab eo petere potuerit, *in C. de incestis nuptijs, L. ex complexu.* Canones tamen Ecclesiastici paulò clementiùs agunt: permittunt enim vt spurio detur aliquid alimenti nomine, vt habetur *Extra de eo qui duxit in matrimonium eam, quam antè polluerat adulterio, C. cùm haberet.* Atque ita diuinæ leges atque humanæ consentiũt. Nec verò odio seu crudelitate contra spurios istæ leges scribebantur, sed vt saltem hac ratione libidines hominum coërcerentur.

Spurij matri succedere poterãt.

Id tamen non præteribo, spurium legibus Romanis potuisse matri succedere, *vt in Digestis habetur, ad Senatusconsultum Tertull. libro primo.* Potest etiam conqueri de matre, si se in testamento prætererit. Nam *Digestis de Inofficioso, L. vigesima septima, paragrapho primo*, spurijs datur querela aduersus inofficiosum matris testamentum. quod est intelligendum, nisi mater illustris fuerit.

Lex Mosaica de spurijs.
S. August.

Cur autem spurij non habeãtur loco filiorum, & priuentur hæreditate patris, præter eas rationes quas prius attuli, sanctus Augustinus affert aliam ex diuinis literis. Leuit. 20. scribitur, versu vigesimo: *Qui accesserit ad vxorem patrui, orbus morietur.* At, inquit, multi nascuntur etiam ex incestu, quorum parentes non sunt orbi. Respondet, Dominum idcirco in Lege sic loqui, quòd tales non habeantur pro filijs. Itaque patres eorum iure dicuntur orbi, quamuis filios habeant: quòd perinde sit, ac si nullos haberent. Et quia eiusmodi filij à patre contemnuntur, nec rectè educantur, nec castigantur, sæpè deteriores cæteris euadunt.

Quamobrem spurij filiorũ loco non habeãtur.

Sanctus

ET EGRESSVS EST VIR, &c.

S.Chrysost.

S. Chrysostomus in epist. ad Hebræos, cap. 12. homil. 29. populū adhortatur, vt putent Deum paternè agere, quando nos castigat: nam patres nothos & spurios negligunt. Ergo Deus quando castigat, agit verum & legitimum patrem. Exhæredes quoque fuisse manifestè patet Iud. cap. 11. ver. 2. Nam cùm Iephte reliqui filij Galaad paternis laribus exturbarent, *Non enim poteris*, inquiebāt, *hæres esse in domo patris nostri, quia de altera matre natus es.* Hoc est, vt præcedenti versu explicat, de scorto seu meretrice susceptus: quia spurius & vulgò quæsitus es, quia mamzer siue extraneus, nec ad paternam familiam pertines. Postremò etiam, quod antè notauimus, Deut. 23. ver. 2. *Non ingredietur Mamzer, sine de scorto natus, in Ecclesiam Domini, vsq; ad decimam generationem.* Quod non aliud erat, vt docent Hebræi, quàm in concionem populi non posse ingredi, & ad fungendum officio, vel ciuili, vel sacro, inhabilem reddi: quamuis alioqui patrem habuisset, vel sacerdotem, vel principem. Proinde spurijs Lege Mosaïca non licuit vel tribunatum, vel præturam, vel præfecturam, vel sacerdotium gerere. Habemus Legem Dei, necnon Ius Ciuile: restat vt videamus canones.

Spurios admittit Ecclesia ad sacros ordines, qui in Monasterio educati fuerint.

In Decretis *distinctione quinquagesima sexta, cap. Presbyterorum*, non patiuntur spurios admitti ad sacros Ordines, nisi prius educati fuerint in Monasterijs, vt hoc pacto queant corrigi. Verùm Canones, qui deinde sequuntur, aliquanto sunt mitiores. Sanctus Chrysostomus in Matthæum homilia quarta, vt recitatur ibidem, *cap. Nunquam*, docet huiusmodi natales fraudi esse non debere liberis. Nam si quis vel fur, vel adulter, vel homicida fuerit, & egerit pœnitentiam, prior vita non erit illi fraudi: multò minus patris peccatum fraudi esse debet filio, imò si rectè se gerat filius, erit tanto illustrior, & dignus maiori laude, quòd patrem non sequutus fuerit.

S.Chrysost.

S. Hieron.

Sanctus Hieronymus in epistola contra Ioannem Hierosolymitanum, ad Pammachium, vt ibidem habetur, *in cap. Nascitur.* spurios ait non esse contemnendos: habuerunt enim manum Dei opificis, nec Deus dedignatus est illos fingere, & animam dare, &c. Gregorius item in eodem loco, *in capite Satis peruersum.* Indignum ait esse filium ita mulctari propter patris voluptatem, vt non possit ad sacrum ministerium promoueri. Ibidem rursum sanctus Hieronymus, *in capite Dominus.* Si Christus dignatus est spurios in sua genealogia recenseri, cur nos eos non admittemus ad ministerium? &c.

S. Gregor.

Post hos Canones, qui sunt in spurios mitiores, ex illis adducitur vehemens argumentum in contrarium. Scortatores, inquiunt, videntur quandam vim transfundere in semen, quæ etiam transeat in filios, vnde malæ sequuntur inclinationes, atque hinc iudicantur esse cæteris deteriores, præsertim quòd puerili ætate non corrigantur. Quare si promoueantur ad sacrum ministerium, Ecclesia detrimentum capiet. Ad extremum tamen additur, *in cap. Cenomanensis.* Si qui eximij fuerint, ad sacros Ordines admitti possunt: non tamen vt regula sit in omnes, sed tantùm priuilegium. Atque hæc in Decretis.

ET EGRESSVS EST VIR, &c.

Decretales de spurijs quid statuant?

In Decretalibus autem *de filijs Presbyterorum* habetur, Spurij si fiant Monachi, possunt ad Ordines accedere, sed ita, ne etiam ad dignitates promoueantur, & vel Abbates, vel Priores fiant. Sed si extra Monasterium viuant Episcopo licet eos ordinare, atque illis minora beneficia conferre, sed interponendo autoritatem suam, &, vt iura loquuntur, dispensando. Dignitates autem Ecclesiasticæ illis non dabuntur, nisi à Papa: id enim potestatis sibi soli retinuit. Duo in his maximè Ecclesia spectat: suam necessitatem, & eius quem promouere studet, excellentiam, & probitatem. Nam si opus omninò sit Ecclesiæ, & virtutibus præstet, natales obesse non debent. *In Decretalibus verò scribitur in titulo de Electionibus*, legitimos eligi posse, spurios autem oportere postulari, ne quid scilicet temerè fiat, & spurij intelligant non se iuris beneficio cum legitimis exæquari: sed virtutis priuilegio, & sanctæ Sedis dispensatione extra ordinem ad Ecclesiasticas dignitates allegi, ac promoueri. Hæc certè regula cum charitate consentit, & ad publicam confert vtilitatem: cui ferè similem ex Iure Ciuili possumus elicere, vbi de Decurionibus agitur: ij autem erant iudices municipales. Decernitur itaque, spurios decuriones posse fieri, si necessitas id postularit. *In Digestis, de decurionibus, L. generaliter. paragrapho, debet enim.* Vult itaque lex illum ordinem, scilicet decurionum, esse plenum. Attamen si alius legitimè natus competitor fuerit, is erit spurio præferendus. Ita ego in Ecclesia faciundum censeo, vt si quispiam æquè bonus, & æquè aptus fuerit ad beneficium, legitimè natus, ratio spurij non habeatur, quem oportet eo casu legitimo cedere. Additur in Lege, Si honesti erunt ac probi, nihil impedit vitium natalium. *In eodem Titulo, L. spurios. & in L. sequenti.* Hæc idcirco memoraui, vt intelligeremus quo iure spurij quandoque vsi sint, & vt videretur consensus legum Ciuilium & Ecclesiasticarum cum lege Dei. Veruntamen, inquies, in veteri lege spurij prorsus excludebantur à sacerdotio Dei. Fateor: sed ea lege nunc minimè astringimur, & ea lata est tanquam ad scortationis detestationem. Nunc verò si Ecclesiæ possint vehementer prodesse, non est illorum electio prohibenda. Paulus enim ad Timotheum & ad Titum, cùm de Episcoporum & Presbyterorum electione diligenter perscriberet, de hoc hominum genere nihil cauit. Quare harum rerum iudicium Ecclesiæ rectoribus permissum videtur.

De decurionibus.

Quamobrē spurij abdicati.

Nunc superest, vt quibus tandem rationibus vtroque iure, diuino & humano, hæreditate, principatu, atque sacerdotio spurijs interdictum sit, inquiramus. Prima ea videtur, vt à præpostera libidine ad vsum thori legitimi parentes reuocarentur, dum id scelus intelligunt à Deo hominibúsque censura notari. Deinde, vt suscipiendæ prolis ignominia, futurisque incommodis, quibus vt proprijs non poterant non commoueri, à meretricijs amoribus absterrerentur. Tertia ratio est, quam Physicis

ET EGRESSVS EST VIR, &c.

discutiendam relinquimus, quod vis quædam semini à parentibus indita videatur, qua proles natiua quadam voluntatis inclinatione ad morum similitudinem propendeat. Accedit
4. quod in geniturijs, non leuis habeatur matris studiorum, pro vt quæque affecta est, potestas, atque efficacia. Nam vt ipsæ rem affectant, nisi citò potiantur, ita manifestis indicijs corpora maculari videmus. Quid si pariter in animos
5. sua studia imprimant? Subinde etiam lasciuæ matris educatio, & disciplina solutior, quàm primæ ætati necesse sit, teneris animis plurimùm officit: quos vt cera molles ad omnem turpitudinem, corruptelarum illecebris effingit. Itaque non raro cæteris longè deteriores euadunt. Sed & illud sedulò animaduertendum
6. est, tametsi reliquis nihilo peiores essent, attamen parentum scelera temporali filiorum supplicio lui posse, vti nos suprà capite decimo quinto probauimus. Addo præterea sobolis vti-
7. litati eo pacto consuli, ne parentum exempla æmulentur, suo periculo edocti quàm pessimè
8. sibi suisque illi prospexerint. Interest etiam publicè omnium, blandum hoc flagitium paulò diuturniori pœna vindicari, vt tandem aliquando homines intelligant, quod vix in animum inducere possumus, Deum scortationem sum-
9. mopere detestari. Postremò, cùm vix vnum aliquod vitium seriò quemquam occupet, quin simul vno agmine cætera, vt quidam ait, qua data porta ruant, non sine causa vereri legum scriptores potuerunt, ne si qua eis potestas fieret, familias, Rempublicam, atque adeò Ecclesiam pessundarent. His ergo veteres persuasi rationibus, spurios malè audire, & procul à sacris profanisque præfecturis agere voluerunt.

Nomine Goliath de Geth.] Goliath sanctus Hieronymus in nominibus Hebraicis, *reuelatum*, vel *transmigrantem* interpretatur. à גָּלָה *galah* scilicet, quod vtrumque significat. De Prouincijs Palæstinorum iam suprà diximus, & sæpius occurret vt dicere debeamus. Quamobrem nunc ad alia propero. De matre Goliath, si nosse studeas quid Rabbini commenti sint, lege Serarium quæstione decima in Ruth, primo capite. Nugis tempus terere, cuius olim reddenda ratio est, haud facilè in animum induxerim.

Vegetius. Romanorũ militũ quãta proceritas ex lege.

Altitudo eius sex cubitorum & palmi.] Vegetius scribit proceritatem tironum ab vrbe condita fuisse semper exactam, ita vt senos, vel certè quinos pedes & denas vncias habere probarentur. Eandem ferè exigunt proceritatem Imperatores Valentinianus & Valens *in L. 3. Cod. Theodos. de tiron.* qui delectum haberi iubent in quinque pedibus & septem vncijs vsualibus. quò pertinet illud ænigma Symposij de milite podagrico.

Bellipotens olim sæuis metuendus in armis
Quinque pedes habui quos nũquam nemo negauit:
Nunc mihi vix duo sunt, inopem me copia fecit.

Et id quoque quod ita legimus scriptum inter sententias Adriani Imperatoris, cùm quidam legitimæ staturæ vir inter prætorianos milites legi optaret, percontatur illum Adrianus: Πόσον μῆκος ἔχεις. Πέντε πόδας καὶ ἥμισυ, &c. Qualem mensuram habes? pedes quinque & semis. Refert Cuiacius Obseruat. lib. 21. cap. 5.

ALTITVDO EIVS, &c. Cuiacius.

Altitudo eius sex cubitorum & palmi.] En pusio describitur: & dicitur fuisse sex cubitos altus & palmum. Cubitus est mensura sesquipedalis. Pes est sexta pars longitudinis humani corporis, & continet digitos sexdecim. Palmus duplex est, maior & minor. Maior duodecim digitis constat, minor quatuor. Digitus continet tria grana hordeacea. Ex his apparet, quanta fuerit Goliæ proceritas. Longissimi enim quique alij homines habent in longitudinem quatuor cubitos: iste habuit senos, & palmum. Fuit ergo tertia parte, ac eò ampliùs, quouis alio milite procerior. Iosephus ait, Gigantes natos fuisse ex incubis; eamque sententiam sanctus Augustinus libro decimo quinto, capite vigesimo tertio, ita recitat, vt fronte carere iudicet qui fidem non adhibeat; cùm eius rei testes quamplurimi laudari possint. Sed qua tandem ratione dæmones id efficere possint, in medio relinquit. Certum tamen est, haud aliter quàm humano semine nasci hominem, neque ab alio quàm homine elaborari posse: sed num ab homine exceptum dæmonis opera in thesaurum muliebris vteri queat inferri, non perinde negandum videtur. Neque tamen necesse est, vt quicunque Gigas modum humanæ staturæ mole corporis exuperat, diabolica ope genitus credatur. Sed hoc quoque, vt pleraque alia quæ in vnaquaque specie præter consuetudinem accidunt, naturæ occulto, siue vitio, siue beneficio contingere potest. Semper autem ferè fuerunt contemptores Dei. Itaque ab Ethnicis dicti sunt ἄθεοι, & θεομάχοι. Græcis Gigantes dicti, quasi γηγενεῖς. Ouidius id explicat Fastorum 5.

Mensurarũ plures species.

S. August.

Num dæmones dæmonis opera nascãtur.

Terra feros partus, immania monstra, Gigantes
Edidit, ausuros in Iouis ire domum.

Fingunt Poëtæ dijs bellum quondam intulisse, & cælum inuadere statuisse, in quo conatu fulminibus icti corruerint. Eosdem pingunt anguinis pedibus, cruribúsq; distortis: quòd quamuis sæpè incepta habeant pulchra, & auspicata, exitus tam sortiantur perplexos & impeditos.

Iste Goliath, 1. Paralip. ca. 20. scribitur matre Rapha genitus, quæ plures filios susceperit: quos omnes tandem cùm ipse Dauid, tum sui milites confecerint. Dicuntur filij Rapha, & de genere Raphaim. Ea vox sonat virum fortem: quod idem significat apud Græcos Gigas. Venerab. Beda, Goliath interpretatur in lib. de nom. Hebr. *Robustum eorum.* Non immeritò autem vocatur Getthæus. Iosue enim omnes Gigantes occidione occiderat in finibus Israëlitarum, vt apparet cap. 11. Itaque supererant tantũ in Geth, in Gaza, & Azoto. Designantur ab Hebræis varijs nominibus: modò *Raphaim*, modò *Nephilim*, modò *Enackim*, modò etiam *Emim*. Quarum vocum variæ sunt apud eos etymologiæ. *Raphaim* dicebantur à morte, quòd qui in illos intuebantur, videbantur sibi præ metu esse mortui. *Nephilim* à cadendo, quòd homines coram illis supplices prociderent. *Enackim*, siue *Anachim*, à torquibus, quòd magnificè vestiti atque ornati essent. *Emim* à terrore, quem spectantibus incutiebant.

Nominum quę Gigantibus tribuũtur, plures etymologiæ.

Antiquus

ALTITVDO EIVS, &c.

Gigantum prisca viuendi ratio.

Antiquus quidam Poëta de priscis Gigantibus, quos etiam Titanas vocat, ita cecinit:

Titanibus vda ferarum
Terga dabant vestes; cruor haustus; pocula trunci;
Antra lares; dumeta thoros; cœnacula rupes;
Præda cibos; raptus venerem; spectacula cædes;
Imperium vires; animos furor; impetus arma;
Mortē pugna; sepulchra rubus, monstrisq; gemebat
Tellus, &c.

Mox tamen ipsi quoque postquam rerum potiti sunt, luxuria delicijsque diffluere cœperunt. Quandoquidem verò nonnullos video propter ea, quæ supra modum & fidem de Gigantibus narrantur, in ea sententia esse, vt tales fuisse aliquando qui vasta mole corporis humani modum excederent, minimè credant: tametsi fabulosorū hominum patrocinium nequaquam susceperim, sedulò tamen conabor, eum errorem, qui Scripturas oppugnat, Christianorum mentibus euellere. Et primùm quidem ijs, quæ contra obijci possunt, satisfaciam. Deinde illud etiam studiosè perscrutabor, quam ob causam Deus illos nasci voluerit, & mundo ostenderit, & si qua sperari potuit ex eo spectaculo vtilitas.

Fuerúntne aliquando Gigantes; & si quam possumus ex ea consideratione vtilitatem consequi.

QVÆST. XX.

Diodorus. Maiora veris pleraq; studio gloriæ ab antiquis conficta esse.

PRimùm illud obijci potest, conficta esse ab antiquis plurima, & maiora veris, dum gloriam captant, & student posteris admirationi esse. Hoc enim testatur Diodorus Siculus libro decimoseptimo Biblioth. Alexandrum, cùm ex India deducere exercitum pararet, aras magnitudine quinquaginta cubitorum excitasse, castrorum ambitum duplo maiorem latissima fossa cinxisse, lectos in tabernaculis quinque cubitorum fieri iussisse. Quod à Rege curatum est, inquit, vt castra insignia & planè heroica, opus suum, apparerent. Simul vt indicia, & veluti vestigia virorum prægrandium, documento eius loci incolis forent, præstantissimam Macedonum fortitudinem fuisse. Hæc de Alexandro Diodorus. Nec aliter Curtius libro nono. Quid si reliquis pariter dum famæ student, aut lectoris palato seruiunt, fingere multa placuit, quæ nunquam extiterunt? Non vtique video cur factum quandoque negemus. Verumenimuerò etsi quid nonnunquam fictum sit, quod à vero alienum esset, figmentorum tamen licentia rebus veris non officit. Neque enim propterea quod fucus colorem, aut adulterinum numisma syncerum æmulatur, idcirco veris detrahimus: sed fucatum duntaxat à puro, & à falso inustum

Prima objectio soluitur.

notis veritatis secernimus. Esto igitur plures de Gigantibus fabulas cùm Poëtæ, tum etiam nonnulli historici conscripserint; nihil tamen vetat quo minus alij plures, quos veritatis studiosos esse nouimus, vera scripsisse credantur. Quod si testimonijs agere liceat, nube testium

A opprimemus. Illud porrò mea sententia ad persuadendum magnam vim habere debet, quòd vbi commentitium aliquid Principes conati voluerunt, ne simplicitati nostræ imponerent, memoriæ proditum est. Credamus itaque Diodoro Philippi filium fictitijs portentis apud posteros famam magnitudinis aucupari voluisse; sed cur alijs, quorum in reliquis autoritatem sequimur, similia, quæ aut oculis ipsi vsurparunt, aut à fide dignis acceperunt, referentibus autoritatem & fidem derogemus? An solus hic Siculus dignus habebitur, quem historiæ principem, seu potius vnicum autorem omnis ætas habeat?

Gellius. Sūmus modus adolescendi humani corporis septē pedes.

Sequitur altera objectio ex Varrone in libro primo de hebdomadibus, quem refert Gellius Noct. Atticar. libro tertio, capite decimo. Nam B modum, inquit Gellius, esse dicit summum adolescendi humani corporis septem pedes: quod esse magis verum arbitramur, quàm quod Herodotus homo fabulator in 1. Historiarum, inuentum esse sub terra scripsit Orestis corpus, cubita longitudinis habens septem, quę faciunt pedes duodecim & quadrantem: nisi si (vt Homerus opinatus est) vastiora prolixioráque fuerint corpora hominum antiquorum; & nunc quasi iam mundo senescente, rerum atque hominum decrementa sint. Hactenus Gellius cum Varrone. Qui, si quid rationis habuerunt, quo eorum sententia niteretur, proferre debuerant: sed, vt video, ex sola experientia coniecturam capiunt, quæ perpetua esse non potuit, cùm plures contrarium se comperisse asserant. Itaque verum est, quod aiunt, si naturæ consuetu- C dinem spectes. At nos, cùm Gigantes loquimur, insusitata quædam corpora, & quæ vix singula singulis ætatibus appareant, nos dicere intelligimus. Alioquin enim neque septenarius numerus suopte ingenio tantùm potest, vt vetet vltra hominem crescere: neque, si quid fortè valeret, pedis potius quàm palmi, quàm cubiti, ratio habenda esset. Neque denique argumenti quicquam ex ipso corpore possunt elicere, quo probent supra eum mensuræ canonem non posse extendi.

Soluitur altera objectio.

At sunt præterea qui de mensuris dubitent, fuerintne illæ quibus prisca ætas vsa est, nostris similes, an verò breuiores: nam de annis constat, quibus vitæ spatia metimur, nonnullos olim populos trimestres habuisse. De annis Hebræorum, quorum frequens sermo est apud eos D qui Scripturarum monumenta condiderunt, superiore tomo diximus: & falsò hanc importari sacris Biblijs suspicionem ostendimus. De mensuris quibus interualla rerum Scripturæ describunt, paucis disceptabo. Hoc loco legimus, *Altitudo eius*, שׁשׁ אַמּוֹת וָזָרֶת *scesc ammoth vazareth, sex cubitorum & palmi.* אַמָּה porrò siue אַמָּא *amma*, cubitus est, siue vlna Hebr. Chald. & Syris, longitudo quanta est à brachij flexu, seu prominētia exteriori, ad medij digiti summitatem. Cōtinet autē אַמָּא *amma*, siue cubitus, sex טְפָחִים *tephachim* palmos; palmus quatuor digitos. Atque hic est cubitus Mosaïcus, quod commensus fuit Moses tabernaculum. Dicitur etiam *cubitus legis, & cubitus ædificij*, quòd lex eius in ædificio-

Respondetur tertiæ objectioni.

ALTITVDO EIVS, &c.

rum & structurarum descriptione mentionem faciat. Fuit & alter eo minor, & communior, quem Hebræi אמת הכלים *ammath hakelim*, *vasorum cubitum* vocant, quo vasa & omnem supellectilem metiebantur: hic palmos tantùm quinque continebat. Et prior quidem maior, hic verò minor dictus est. Inuenio præterea & palmum duplicem, minorem item, & maiorem. טפח siue טפח *tephach* minor est, mensura quatuor digitorum iunctorum. Hinc etiam metaphoricè quod breue est, & præcisum temporis spatio, designat. Ecce, inquit Psalmista, psalmo trigesimonono, versu sexto, טפחות *tephachoth*, *posuisti dies meos*. Septuaginta, παλαιστάς, *mensuras*, siue *mensurabiles*. Targum, קלילין *kallilin*, *pauci*. Hebraicè ad verbum, *Ecce palmos dedisti dies meos*, mensuras quatuor digitorum, hoc est, *breuissimos*. Cæterùm ea dictione hoc loco Scriptura non vtitur, sed habet זרת & *Zareth*. & *palmi*. זרת *Zereth* autem palmus maior est, dodrans pedis. Mensura, quæ digitis expansis notatur, ab extremo pollicis vsque ad minimi extremum; constans, vt notat Vatablus in Ecphrasi, & tradit Schindlerus in Pentagl. tribus טפחים *tephachim* palmis, aut duodecim digitis, aut nouem pollicibus. Ea fere humani pectoris amplitudo est, cui æquale Summi Pontificis λόγιον, seu pectorale Deus iussit fieri, Exodi capite vigesimo octauo, versu decimo septimo. Dictio manum sparsam significat, à verbo זרה *Zara*, quod est sparsit.

Palmus duplex.

Quis maior palmus.

Sed iam satis de vtraque mensura: nunc qua ratione cum Græcis Latinisque conueniant, inuestigemus. Nihil erit negotij statuere. Nam Georgius Agricola dudum nos eo labore absoluit. Eius libros de Ponderibus & Mensuris contraxit Philander in Epitomen, ac tandem eo loco, quo mensurarum, quibus interualla metimur, tabulas exhibet, ostendit quo pacto Hebræi cum reliquis in Geometricis consentiant. Cubitus, quem ἀγκῶνα Græci vocant, siue Latini iuris dictio est, vt docet sanctus Isidorus, ab eo quod cibum sumentes olim eidem incumbebant: seu potius illam Græci sibi iure vendicant: nam Hippocrates Galeno teste in explicatione difficilium verborum Hippocratis, quem reliqui ἀγκῶνα, ipse κύβιτον dixit: cubitus, inquã, par est omnibus digitorum 24. siue pedis vnius & dimidij, interuallum scilicet interiectum inter flexum brachij, & summam partem digiti medij. Vlnam etiam Latini vocant, Hebræi *ammath*, vt suprà diximus. De geometrico non loquimur, quem sex habere cubitos scribit Origenes in Genesin, & sanctus Augustinus libro primo quæst. in eundem librum. Huius, vt volunt, meminit Ezechiel capite quadragesimo & quadragesimo tertio, quem *amahtopah* nominat, palmorum septem. De *Zereth*, seu maiori palmo pariter sentiendum est, quam Septuaginta σπιθαμὴν interpretantur. Plinius libro septimo, capite secundo, dodrantem transfert, quod pede quadrante vno minor sit. Sanctus Hieronymus palmam dicere videtur. Nam in Ezechielis capite vndecimo scribit σπιθαμὴν dici palmam, παλαιστὴν verò palmum: qui etiam aliàs δοχμὴν & δακτυλοδόχμην, quod est cohærentes quatuor digiti, autore Polluce ὀνομαστικῶν libro secundo. Siue igitur palmam, siue palmum maiorem vocare libeat, siue dodrantem aut spithamen, Zereth certè Hebræis idem quod pedis dodrans, minorem palmum ter continens, digitos duodecim. Pes enim Græcis Latinisque digitos sexdecim continet, palmos minores quatuor. Ex quibus sequitur, vt frustrà nobis negotium facessant, qui de mensuris diuersum aliquid suspicantur, ne temerè videantur sacris profanisque historicis fidem derogare. Nam præcipuæ mensuræ ferè apud omnes gentes pares sunt, & in eo totus orbis consentit. Quod testatur libro secundo Herodotus de cubito Ægyptio. Apud Persas verò & Babylonios Regij cubiti meminit libro primo, quem vult etiam Græco tribus digitis esse maiorem. ita vt deinceps non nisi data opera & sponte vereri possimus, ne mensurarum diuersitas pluribus olim imposuerit.

Georgius Agricola. Philander.

Cubitus Geometricus.

A

B

Sed nec illud quidem postea nos mouere debet, quod nonnulli sanctorum Patrum testimonio probare contendunt, gigantis nomen in Scripturis, ad ferociam animi potius & morum immanitatem, aut etiam lacertorum robur, & vitam diuturniorem, quàm ad corporis molem esse referendum. Nam etsi hæc nonnunquam illis tribuunt, nihil quidem asserunt, quod non in eos verè quadraret: sed non negant quod Scriptura prædicat, præter corporis immane robur, & ferinos mores, statura quoque proceriore fuisse. Chaldaica Paraphrasis, inquiunt, גבריא *Gilbora* trãstulit, Symmachus, quod idem est, *robustos ac fortes*. Sanctus Ioannes Damascenus, γίγαντας ὀνομάζει τοὺς ἰσχυροὺς τὸ σῶμα ὄντας καὶ ὑπερφυῶς χαλεπούς. Corporis viribus præstantes agnoscit. ἰσχυρὸς enim, vt Erasmus annotat, ad vires, non ad magnitudinem corporis pertinet. Hinc etiam Dauid ait: *Et gigas non saluabitur*, non inquit in magnitudine corporis sui, sed *in multitudine virtutis suæ*. Sanctus Chrysostomus etiam apertiùs: γίγαντας καλεῖ ὁ χαταοῦ ξύλου πάλιν, τοὺς ἐξ ὑπερφυῶς, ἀνάπτεσθαι τῆς τόλμης, τῆς ἰσχύος. Non peregrinum genus Gigantes, aut diuersa ab hominibus ratione formatos Scriptura indicat, sed heroës armis viribúsque potentes. Vitam quoque eorum diuturniorem, & impia studia Theodoretus obseruat. τοὺς ἐν τῷ ... ασεβεῖς ... asserens, & ... , Deo inuisum genus, seu potius numinis osores, & contrarijs studijs cum eo pugnantes. Hactenus illi, quibus nos haud grauatè fidem accommodamus, nam eadem Scriptura prædicat, quorum nihil peruulgatæ opinioni officit. Et tamen ne qua in re Patres errori fauere viderentur, cùm seipsum, tum alios quoque sanctus Theodoretus interpretatur. Ego verò, inquit, quæst. 48. in Genesim, cùm audio Scripturam diuinam dicentem de Enac, quòd *à Gigantibus oriundus erat*: & de Og, quòd *cubile ipsius ferreum erat, habens longitudinem nouem cubitorum, & latitudinem quatuor cubitorum*. & quòd iste *existimatus est esse de familia Raphaim*. Item cùm audio exploratores narrantes, quòd *eramus in conspectu eorum tanquam locusta*: & Deum confirmantem hos sermones, & dicentem: *Tradiderunt Amorrhæum, cuius altitudo erat tanquam cedri, & robustus*

ALTITVDO EIVS, &c.

Quarta obiectio.

C

D

S. Theodoretus.

Num. c. 13. v. 29.

Deuter c. 3. v. 11.

Amos c. 2.

Altitudo eius, &c.

stus ut quercus: & de Goliath, quòd *longitudinem habebat sex cubitorum & palmi:* ὑψοῦται δὲ ἑξῶ πηχῶν καὶ παλαιστὴν ὁ ἀλλόφυλος. Ego arbitror fuisse quosdam prægrandes homines, & vasta mole corporis insignes. Hactenus S. Theodoretus. Qui cum huic quoque obiectioni abundè satisfecerit, nunc denique si qua restat diligenter excutienda est.

Obijcitur ergo postremò quod non putarint plerique fieri posse, vt ex hominibus vsitatæ magnitudinis ac staturæ, vasti Gigantes nascerentur. Quamobrem nonnulli eorum quum manifestis Scripturæ testimonijs refragari non possent, eò processerunt, vt primum hominem Gigantem fuisse affirmarint, Noë quoque ac eius liberos: quia non crediderunt potuisse genus illud hominum, vel ante vel post diluuium esse, nisi tales habuerint progenitores, si modò ex hominibus credantur fuisse orti. Cæterùm id S. Augustinus vt falsum refellit, dicitque paulò ante Gothicam euersionem, mulierem giganteæ molis Romæ fuisse, ad quam visendam ex diuersis partibus Orbis complures confluxerint. Quæ tamen parentes habuit, qui communem vsitatámque cęterorum hominum staturam non excesserunt. Causam verò Gigantum vastæ molis, si naturam consuluerimus, non aliam afferre possumus, quàm vigentem calorem, necnon humorem qui copiosè atque largiter suppeditet: illum quippe calor non ad proceritatem tantum extendit, sed etiam cùm ad latitudinem, tum ad crassitiem diffundit ac dilatat.

Quinta obiectio refellitur.

De mole ac statura Gigantum.

QVÆSTIO XXI.

DE mole ac statura Gigantum, partim conijcere possumus, partim eam expressè habemus descriptam. Coniecturæ sunt, quòd Goliath loricam habuerit quinque millium siclorum ponderis, lanceam verò instar iugi textorij, & in hasta ferrum seu cuspidem sexcentorum siclorum. Conijcimus etiam Og Regis Basan ingentem molem ex eius lecto, qui cùm ferreus esset, nouem cubitos longitudinis habuit. Atque Israëlitæ collati cum Enachim, locustæ videbantur. Scythæ etiam, vt autor est Herodotus lib. 4. Herculis vestigium ostendunt, petræ impressum, virili vestigio simile, bicubitali magnitudine, iuxta fluuium Tyrem. Ista nobis indicio esse possent, quantæ magnitudinis hi homines fuerint. Propriè autem ac distinctè Goliath magnitudo hic à Samuele describitur. Nam sex cubitorum cum palmo fuisse dicitur. Sex cubiti nouem pedes efficiunt, palmus digitos duodecim; vt ante docui Philandrum sequutus in Epitome Georgij Agricolæ de Mensur. & Ponder. Nonnulli tamen scribunt cubitum, si Græcorum rationem sequamur, duos pedes complecti: sin verò Latinorũ sesquipedem. Cuius discriminis hanc causam esse volunt, quòd à cubito possit extendi mensura vsque ad manum, interdum clausam, nonnunquam verò apertam seu extensam. Sed quæ prius tradidi probabiliora ratus sum. Et hoc est quantum è diuinis litteris de Gigantum natura potui colligere. At Iosephus 18. Antiquit. Iudaic. cap. 6. hominis Iudæi meminit cubitorum quinque. Nec multo post, inquit, Artabanus Parthorum Rex misit Tyberio filium Darium obsidem cum multis muneribus, inter quæ etiam virum statura cubitorum quinque, genere Iudæum, Eleazarum nomine: qui propter vastitatem Gigas cognominatus est. Fuit etiam alter sequutis temporibus immensi, vt ait S. Gregor. Turon. lib. 7. histor. Franc. cap. 41. corporis, de Mummoli familiaribus, faber lignarius, qui duos aut tres pedes supra longissimos homines putaretur excedere: qui ad Regem Guntchramnum post Gundobaldi & Mummoli interfectionem deductus sit. Martinus Delrio in Oedipum Senecæ act. 1. hæc habet: Hodie quoque in America Australi homines monstrosæ magnitudinis inueniuntur, quos Patagonas, à pedum magnitudine, victores Hispani nominauerunt. Vide Abrahamum Ortelium Theatri Orbis terrarum tabula 2. Item Christophor. Stellam Caluetum lib. 1. & 2. Peruræ. Quinetiam, quòd vulgò notissimum est, anno ∞. IƆ. LXXII. erat Rothomagi Pedemontanus quidam, quem ipse vidi, & mecum complures alij, nouem pedes altitudine longè excedens.

Goliathi proceritas.

Iosephus.

S. Gregor. Turon.

Martinus Delrius.

Hic par Goliatho videri possit.

Cæterùm apud Ethnicos longè magis miranda, & quæ fidem quorundam opinione vincant, legimus. Philostratus in suis Heroicis habet, visum Gigantis cuiusdam cadauer triginta cubitorum, & alterum 22. Sed hæc ad fabulas proximè accedunt. Illud verò similius quod narrat Herodotus lib. 1. Quidam, inquit, Tegeates aiebat: Cùm puteum fodere vellem, incidi in sepulchrum septem cubitorum. Et quia incredulus eram omnino fuisse maiores quàm nunc sunt homines, aperui vndique mortuum, æquali cum sepulchro longitudine: quam vbi mensus sum, obrui iterum. Orestis ossa fuisse asserit. Eo etiam procerior Ganges, quem Regem Æthiopum fuisse docet Suidas, in verbo Γάγγης. Huius, inquit, statura decem cubitorum fuit, ea formæ præstantia qua nemo mortalium vnquam fuit. Illum Alexander interemit. Vtroque maior Orons de quo Pausanias in Arcadicis. Orontem, inquit, Syriæ fluuium, ad mare non per campos vbique, sed per valde decliuia & prærupta citato cursu descendentem, Romanorum Imperator Antiochiam contendens, classi peruium reddere conatus est. Magno itaque labore & impensa fossa deducta, in eam flumen auertit. Vetere verò alueo exiccato, vrna fictilis reperta est cubitorum vndecim, & in ea cadauer nihilo breuius, humana specie ex omni parte corporis. Hunc Orontem fuisse, ex Indorum gente, Clarij Apollinis oraculo Syris consulentibus responsum fuit. Et addit Pausanias quo explicet, quo pacto res adeò insolens, fide digna videatur. Quòd si vda initio terra, & humore grauida, sole concalefacta,

Vasta moles quorũdam gygãtum.

Philostrat.

Herodot.

Suidas.

Pausanias.

ALTITVDO EIVS, &c.

primos edidit homines, ecquænam mundi pars, terra India humidior? Vel quæ omnino maiores gignere homines debuit, quàm quæ his etiam temporibus vastissimas, & miranda forma belluas alit? Probat itaque Pausanias rationes quas suprà attigimus, copioso humore atque calore corpus extendi: quod non vsque adeo incredibile videri debet, cùm in alijs animalibus pro cæli solique varietate idem fieri conspiciamus.

At hominum temporum nostrorum statura communis, paulò vltra quinque pedes extenditur. Atque pedis mensura cum Græcis tum Latinis eo conuenit, vt in quemque pedem quatuor palmi dentur; palmus verò quisque latitudinem quatuor digitorum continet. i. minimi digiti longitudinem. Sin verò extremi digiti, pollex inquam & minimus, dilatentur, quisque pes duos palmos tantùm comprehendit. Illa etiam transferre huc lubet, quæ S. Augustinus de Ciuit. Dei lib. 15. cap. 9. habet, vbi eos coarguit, qui homines adeò prodigiosæ staturæ nunquam fuisse obstinatè contendunt, ac se vidisse in littore Vticensi testatur, molarem dentem adeò magnum, vt dissectus, ad formam, & magnitudinem vsitatorum nostra ætate dentium, centuplo maior iudicari facilè potuerit. Ibi etiam talia fuisse antiquitus permulta hominum corpora ex Virgilij carminibus demonstrat, quæ 12. Æneid. posuit, vbi Turnum induxit è terra saxum adeò ingens sustulisse, ac in Æneam vibrasse, vt

Vix illud lecti bis sex ceruice subirent,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus.

S. August.

Quem locum ex Homeri 6. Iliad. expressit. Adducit præterea Plinium Secundum, qui li. 7. affirmat, naturam quotidie minora producere corpora, quo suo cursu longius processerit. Idemque memorat Homerum suo carmine interdum conquestum, cui ego possem S. Cypriani testimonium addere aduersus Demetrianum. Nam eo loco S. Martyr multis ostendit naturam paulatim labescere, & mundum senio confectum in peius ruere. Verùm si rogaret quis, an existimem corpora humana, quæ postea fuerunt, ab ijs imminuta esse, quæ ante diluuium prodibant, fortassis annuerem: Sed quod à diluuio vsque ad hanc nostram ætatem perpetuò decrescant, id non facilè concederem, verbis præsertim annotatis, quæ Aulus Gellius lib. 3. scripsit, vbi ait modum adolescendi humani corporis esse septem pedum: quæ mensura hodie quoq; videtur esse staturæ procerioris, & sine miraculo cernitur. In Apocryphis tamen Esdræ legimus li. 4. ad finem quinti cap. ne quid dissimulem, & nunc minora esse nostra corpora, ac in dies imminuenda, quod natura semper magis effœta reddatur. Idemque, vt paulò ante dixi S. Cyprianus videtur statuere. Sed quare non tam facilè assentiar, causam attuli: quia de mensura, quam Gellius definiuit, hodie nihil propemodum videam immutatum.

An perpetuò corpora decrescant, & imminuantur.

A

ALTITVDO EIVS, &c.

Cui bono Deus Gigantes nasci voluerit?

QVÆST. XXII.

VT cognoscant homines, inquit S. Theodoretus quæst. 48. in Genes. Deum tanquam omnipotentem creatorem tantam hominibus distribuisse mensuram. Perfacile enim erat ei etiam maiores homines creare: sed vt superbiam amputaret, & arrogantiam cohiberet, non dedit hominibus maxima corpora. Nam si exiguis corporibus præditi non contra se modò, sed contra Deum creatorem attolluntur, quid non commisissent, si maxima corpora sortiti essent? Ita respondet Theodor. Ex eo arbitratur Augustinus, libro iam adducto, cap. 23. id esse factum, vt nobis testatum relinqueretur, tam pulchritudinem corporum, quàm etiam staturæ magnitudinem, viresque carnis non esse in bonis præcipuis ponenda, cùm ea non minus impijs quàm pijs interdũ sint communia. Qui sanè studiosi pietatis fuerint, ij longè anteponenda iudicabunt spiritualia bona, partim quòd nos ad salutem iuuent, partim quòd nos alijs verè præstantiores efficiant. At Gigantes non fuisse adiutos immani statura quicquam ad salutem, ex eo confirmat, quod Baruch propheta cap. 3. scribit: *Ibi sunt Gigantes à sæculo, viri famosi, bellorum periti: non hos elegit Dominus, neque illis viam scientiæ dedit, sed interierunt, quia non habuerunt sapientiam.* Quin si quis diuinas historias euoluerit, nusquam ferè deprehendet, eos bonam piámque suscepisse causam, quam tuerentur, & pro qua pugnarent: imò eos agnoscet sua peruersitate atque superbia perpetuò fuisse Deo aduersatos. Ita se habuit Og Rex Basan, ita Goliath & eius fratres: omnes ij populo erant infensissimi, quem Deus complectebatur, & à cæteris, vt sibi peculiaris esset, secreuerat.

S. Theod. ratio cur Deus gigantes esse voluerit.

B

S. August. Altera ratio.

C

Aliud præterea est, quod nostram fidem potest non leuiter confirmare. Nam semper diuinæ historiæ memorant prodigiosos huiusce modi Gigantes in prælijs fuisse turpiter victos, idque ab infirmis hominibus, & rei militaris admodum imperitis: à Dauide nimirum adhuc opilione, atque à populo Israëlitico, cùm adhuc in re bellica tyrones ac rudes essent. Vnde nos spiritus Dei commonefacit, vt constanti & erecto simus animo, quando pietatis ergò cum huiusmodi potentis est depugnandum. Ibi de nostris viribus non est quod laboremus, cùm sacra oracula passim repetant, Deum esse, qui belluas huiusmodi tradat in manus eorũ, quos tuetur. Quæ cùm sic habeant, id proculdubio efficitur, vt à Tyrannis, qui Deo fermè semper aduersantur, suáque ingenti nituntur potentia, nullo pacto formidemus, quando impias tuentur partes, & in ouile Christi languidum & infirmum se posse cõfidunt pro sua libidine grassari: siquidem aduersus eos diuini sermonis vis & potentia spiritus, nos quamuis humiles & imbecilles natura, sua gratia excelsos & inuictos reddet. Porrò, si rationem humanam sequamur,

Tertia ratio.

D

ET CASSIS ÆREA. sequamur, cum eis comparati, aut vermes aut locustæ facilè videri possumus: verùm potentia Dei septi atque muniti, non tantùm superabimus, sed etiam, vt cum Paulo ad Romanos loquar, superuincemus. Aderit enim Christus, qui fortem illum armatum vinciat, & opulentissima, quæ congesserit spolia, detrahat. Feliciter ille cum diabolo & membris eius certauit: & non soli sibi, sed nobis etiam vicit. quare nos quoque per illum secunda faciemus prælia, victoriámque longè illustriorem adipiscemur, quàm suos deos poëtæ finxerint reportasse de Cyclopibus, Titanibus, & alijs Gigantibus, qui ad Phlægram, vt illi fabulantur, Iouis fulminibus extincti sunt. Satis argumenti est, quamobrem olim Gigantes, & nunc etiam Orientis potentissimi Principes, vna cum huius mundi sapientibus, Deo resistant: Sanè quod nimium suis viribus nitantur, & confidant, quibus plus æquo freti, non est scelus quod non audeant. Deus verò quæ decreuit ad salutem humani generis conferre, per tales homines non dignatur efficere: sed potius, vt suauis & fortis eius potentia longè multúmque patefiat, quæ facere statuit, per Dauides, & abiectos, & omnium rerum egenos atque inermes Religiosos, cùm semper aliàs, tum hoc tempore, testibus terris omnibus & longè latéque fuso Oceano, manifestè complet.

VERSVS V.

Et cassis ærea super caput eius, & lorica squamata induebatur. porrò pondus loricæ eius, quinque millia siclorum æris erat.

VERSVS VI.

Et ocreas æreas habebat in cruribus: & clypeus æreus tegebat humeros eius.

VERSVS VII.

Hastile autem hastæ eius erat quasi liciatorium texentium. ipsum autem ferrum hastæ eius sexcentos siclos habebat ferri: & armiger eius antecedebat eum.

ET *cassis ærea.*] Pagninus, & Vatablus Laurent. *Et galea ærea.* Chaldæus legit similiter. Variæ trãslat. Græci Complut. Καὶ περικεφαλαία χαλκῆ, *Et cassis ærea.* Vatablus Salmant. *Et galea chalybea*, Aldus, Καὶ περικεφαλαία ἐπὶ τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ. Romana editio Latina Septuag. Interp. *Et cassis super caput eius. Et lorica squamata.* Septuag. Καὶ θώρακα ἁλυσιδωτὸν αὐτὸς ἐνδεδυκώς. *Et thoracem hamatum ipse induebat.* reliqui *squamatum* scribunt. hoc est, squamis æreis opertum, inquit Vatablus in Schol. Καὶ ὁ σταθμὸς τοῦ θώρακος αὐτοῦ, πέντε χιλιάδων σίκλων χαλκοῦ καὶ σιδήρου. *Et pondus thoracis eius, quinque millia siclorum æris, & ferri.* Ita legunt Com-

A plut. & Aldus, & Rom. edit. Septuag. Interpr. Vatablus Salmant. simpliciter habet, *quinque millia siclorum chalybis*, vel vt alter quidam, *quinquies mille siclorum, è chalybe.* ALTITVDO EIVS, &c.

Versu 6. *Et ocreas æreas habebat in cruribus.* Pagninus, *Et lamina ærea in pedibus.* Vatabl. Laurentij, *Præterea lamina ærea erat super pedes eius.* Arias apud Pagninum, *Et frontale æris super pedibus eius.* Chaldæus, *Et ocreæ æreæ super pedes eius.* Vatablus Salmant. *Ocreas chalybeas habuit in pedibus suis.* Et in Schol. Hebraismus, inquit: *Et ocreæ ferreæ erant super pedes eius*, id est, crura eius muniebantur ocreis, quæ etiam tegebant pedes eius. *Misehath* Hebræis dictæ, quod haberent similitudinem frontalium. Alij, *& lamina lata.* Septuag. Καὶ κνημῖδες χαλκαῖ ἐπὶ τῶν σκελῶν αὐτοῦ. *Et ocreæ aneæ super crura eius. Et clypeus æreus* Heb מצחת

B *tegebat humeros eius.* Septuag. Καὶ ἀσπὶς χαλκῆ ἀνὰ μέσον τῶν ὤμων αὐτοῦ, *Et clypeus aneus inter humeros aut scapulas eius. in medio humerorum eius.* Ita omnes constanter. Vatablus Salmant. *Clypeus chalybeus erat inter scapulas eius.* Et in Schol. vel *æreus.* id est humeri eius tegebãtur clypeo æreo. Cassis enim siue galea illa habebat appendicem quandam, quæ demittebatur vsque ad humeros. vel, hoc erat ei vice clypei. Vox enim Hebræa significat partem illam quæ tuetur dorsum, quasi dicat, erat à tergo optimè armatus. Alter quidam, *Et tibialia chalybea erant super pedes eius; & humerale chalybeum inter humeros eius.* Hebraicè וְכִידוֹן *vechidon, Et clypeus.* Sunt, inquit alius, qui dicant *cuspidem*, vel *hastam.* Alij malũt esse *collariũ* quo colli nuditas protegitur.

C Versu 7. *Hastile autem hastæ eius.*] *Lancea* Pagninus, & Vatablus. *Hastile, contum* vertit Vatablus Salmantic. Græci, Καὶ ὁ κοντὸς τοῦ δόρατος. *Et hastile hastæ eius.* Chaldæus, *Et lignum hastæ eius. Quasi liciatorium texentium.*] Circa quod textores telam panni voluunt. Chaldæus, *vt iugum texentium.* ita quoque Vatabl. Salmant. Alter Laurentij, *Tanquam iugum liciatorium.* Et in Ecphrasi, id est, æquabat crassitie iugum liciatorium. Septuag. edit. Ald. & Complut. ὡσεὶ μεσάντιον ὑφαινόντων. Complutenses pluraliter legunt ὑφαινόντων. Alij μέσακλον, aut μέσακλα, aut μέσακλοι. vt notat Flaminius, eodem sensu. *Sicut liciatorium texentis*, vel *texentium. Ipsum autem ferrum hastæ eius.*] Græci, Καὶ ἡ λόγχη αὐτοῦ, ἑξακοσίων σίκλων σιδήρου, *Et lancea eius sexcentorum siclorum ferri.* Ita Aldus. Complutens. Καὶ λόγχη ἡ ἐπ'

D αὐτῷ, *Et lancea quæ super eum, &c.* Chaldæus, *Et acies hastæ eius.* Quidam, *& mucro ferreus hastæ eius.* Arias, *& flamma lanceæ eius.* Vatablus Salmant. *& lamina lanceæ eius.* Pagninus, & Vatabl. Laurent. cum Vulgata legunt, *& ferrum lanceæ eius* Idem sensus omnium: ferrum enim intelligunt, quo hasta munita fuit. In reliquis idem omnes loquuntur.

Lucianus in eo libro quem Philoni inscripsit, Quomodo scribenda sit historia, ridet ineptum Historicum, qui cùm summo studio ducum clypeos, & braccas, & similia describeret, cùm ad res bene gestas & fortia facta ventum esset, caspias niues & Gallicam glaciem sua frigiditate superabat. Clypeus Imperatoris, inquit, vix toto libro ab illo describebatur, & Gorgon Lucianus.

IPSVM AVTEM, &c.

in vmbone, & oculi eius ex nigro & albo & cæruleo conflati: præterea & baltheus arcum cælestem imitans, & dracones inter se implicati, & capillorum more dependentes. Nam Vologesi bracca aut frenum equi, ô Hercules, quot millia versuum vnumquodque horum absoluebat! Deinde, qualis fuerit coma Osroæ natantis per Tigrim, & in quale antrum effugerit, tectum videlicet ex hedera, & myrto, & lauro, quæ eodem loco creuerant, &c. Nam pluribus Lucianus ille oppidò grauis, & Stoico supercilio, malè feriati scriptoris ludit absurdam diligentiam. Non est, Lector, cur vereare ne quid simile peccet Samuel in historia: Sed hæc armorum descriptio necessaria fuit, & æris quoque ac ferri ponderis habenda ratio, vt intelligeres, quod monstrum, & quibus armis instructum, cùm inermi adolescente committeret.

Ex armis Samuel intelligi voluit gigantis robur & magnitudinem.

Et cassis ærea super caput eius.] Soli Persæ, vt arbitror, ex ijs qui corpus armis munire solebant, nudo capite prælium inierunt. Testis Xenophon lib. 1. Exped. Cyri Minoris. Cassis Græcis [illegible], [illegible], [illegible]. Tribus his nominibus dicitur Polluci lib. 1. cap. 10. Onomast. sect. 6. Et quæ partes eius supra frontem sunt, idem cum parte, quam muniunt, nomen habent. quæ verò fronti subiacet, supercilia ὀφρύες, quòd in hac prominet, [illegible], grunda. Quod autem in ipso est capite, [illegible]. Quod super hanc est, [illegible], conus, & crista, &c. quæ ibid. Pollux enumerat. Primi Cares, vt putat Herodotus lib. 1. galeis cristas imponendas ostenderunt. Sic & signa loráque clypeis feruntur adiunxisse. Cæterum lib. 7. quo loco vniuersas Xerxis copias lustrat, galearum multiplices formas materiásque fuisse ostendit. Nam Persæ quidem pilea gestabant (quas vocant tiaras) impenetrabilia, vti & Lycij, qui eadem pennis coronabant. Materiam non indicat, nisi quod Persicos equites ære ferróque capita muniuisse commemorat. Medi pro pileis, mitris vsi sunt. At verò Assyrij ferreis galeis vsi sunt, barbarico quodam modo contextis, quæ penetrari facilè non possent. Thyni, qui Thraces olim, postea Asiam incoluerunt, æreis: sed his præterea aures, & bouis cornua ex ære conflata, cristásque imponebant. Palæstini forcipiculatas cassides habuerunt. Scythæ, qui Sacæ Persis dicti sunt, cristatas, acutas, atque compactiles. Moschi, Tibareni, Macrones, Mosynœci, Colchi, Mares, Alarodij, Saspites, ligneis cassidibus sua capita tutati sunt. Complures, vt Milyæ, pelles induerunt. Et Thraces quidem vulpium, Æthiopes verò Asiatici detractis equorum frontibus, ita vt aures ipsæ hirtæ rigerent, & iubæ cristarum instar horrescerent.

Xenoph.

Pollux.

Partes cassidis.

Herodot.

Galearum diuersa genera.

S. Isidorus.

Cæterùm, non me fugit S. Isidorum galeam à c. side secernere. Sic enim ait: Cassis de lamina est, galea de corio. Et Suidas: [illegible] (sic enim Lipsius) [illegible], Vulpina ipsa galea. Propertius quoque Eleg. 1. lib. 4.

Et galea hirsuta compta Lupina iuba.

Vnde & nonnulli dictam volunt [illegible] γαλῆς, à felle, vel mustella. Sed nullam idcirco habui eius discriminis rationem, quòd videam Li-

Non agnoscimus cassidis & galeæ differentiam.

A uium, & Dionysiú æneas quoque galeas agnoscere, & Scriptores vtrasque passim confundere. Docet hoc Eustathius Iliad. γ. Ex qualibet, inquit, materia factum capitis munimentum, ob veterem vsum vocatur [illegible], iuxta quem pariter cusa ex ferro arma dicimus, ænea. Hebræis כבע siue קבע *Kobagh*, galea, cassis, galerus, nullo discrimine. Addo his vtrumque simul pellem, & æs, seu cassidem, seu galeam habuisse. Docet hoc Polybius ex castrametatione. Adornatur inquit, præterea miles & simplici casside, cui lupi pellem imponunt, aut eiusmodi aliquid; quod integumentum pariter insignéque sit, ne in prælio suos quisque præfectos strenuè aut ignauiter se gerentes, latere possint. Testatur idem Vegetius de Re milit. lib. 2. c. 16. galeas ad terrorem hostium hirsutis pellibus tectas. Qui-

ET LORICA, &c.

Eustathius.

Polybius.

Vegetius.

B busaddūt ali, hiantium animalium formas. Talibus instructas fuisse Cimbrorū galeas scribit Plutarchus in Mario. Quo modo etiam Virgilius intelligendus est, Turnum describens,

Plutarch.

Ipse inter primos præstanti corpore Turnus
Vertitur arma tenens, & toto vertice supra est:
Cui triplici crinita iuba galea alta Chimæram
Sustinet, Ætnæos efflantem faucibus ignes.
Tam magis illa fremens, & tristibus effera flammis,
Quàm magis effuso crudescunt sanguine pugnæ.

Virgilius.

Et lorica squamata induebatur.] Lorica Varroni à loris, quod de corio crudo pectoralia faciebant. Postea succuderunt Galli, inquit, è ferro sub id vocabulum, ex annulis ferream tunicam. Hebraicè legimus, ושריון קשקשים *vescireon kaskasim*, & lorica squamarum. שריון *scireon* porC rò ductum volunt à verbo שרה *scara*, quod est, soluit, dissoluit: quod nec longius à loris aberrat. קשקשת *Kaskeseth* autem squama est. [illegible], inquit Pollux Onomast. lib. 1. cap. 10. sect. 6. [illegible] Thoraces verò siue loricæ rotundæ, squamatæ, aliæ verò ex annulis. Est etiam [illegible], stola quædam thoracis loco. Dubito an thoracomachum Pollux indicet: vestis erat ferendæ loricæ aut clibano inuenta, ne suo pondere, aut asperitate corpus læderent: an mage loricas lineas. De thoracomacho Notitia vtriusque Imperij, & ex ea Godescalcus in lib. 1. Vegetij cap. 19. Lorica porrò munimentum est corporis, quale videmus in antiquis Imperatorum statuis. Multiplices agnouit antiquitas.

Loricæ etymologia.

Varro.

Pollux.

Loricarum forma multiplex.

D Nam lineas, coriaceas, ligneas, æneas, ferreas denique olim vsitatas fuisse comperi. Lorica linea Alexandrum Magnum indui solitum, scribit in vita eius Plutarchus. Græcorum Heroes similibus vsos docet Homerus Iliad. β. Idem de Hispanis & Samnitibus testatur Liuius lib. 9. & 31. Lineam item pro ænea dedit Atheniensibus Iphicrates, teste Diodoro lib. 13. Caracalla etiam apud Dionem, lino suos Alexandrinos armauit. Phœnices item, & Assyrij lineis loricis vsi sunt apud Herodotum lib. 7. vti & Chalybes apud Xenophontem lib. 4. Expedit. Cyri Minor. At verò Indi amictu ligneo corpus munierunt, vt habet ibidem Herodotus. Sarmatarum loricas ex vngulis equorum contextas fuisse refert Pausanias in Atticis.

Lybies

ET LORICA, &c.

Loricæ squamatæ, aut etiam hamatæ.

Lybies corio iaculisq; præustis armati pugnam capessunt; Æthiopes pardorum leonúmq; pellibus, si Herodoto credimus. Sed hoc magis ad rem facit quod idem narrat lib. 7. Persas tunicas induisse squamis ferreis consertas in similitudinem piscium. Masistius eius gentis dux equitum, loricam squamuis aureis insignem gestasse memoratur. lib. 9. Habemus etiã apud Dionem Cassium, θώρακας τοὺς λεπιδωτοὺς, loricas squameas. Ἁλυσιδωτὸν θώρακα Septuaginta vertere maluerunt. Eorum Interpres *thoracem hamatum* transtulit. Apud Polybium nonnullo loco legimus θώρακας ἁλυσιδωτοὺς, cathenatas aut hamatas loricas intelligunt. Ἁλυσιδωτὸς, siue, vt scribit Hesychius, ἁλυσίδιος, catenatum siue hamis consertum significat. Forte eò collimat Statius lib. 12. his verbis.

Multiplicem tenues iterant thoraca cathenæ.

Pausanias.

Pausanias in Bœoticis hanc habet de lorica hamata historiam. Thespiæ, inquit, quæ vrbs sub Heliconem sita fuit, cùm ephebi sorte ducti, oraculi iussu fero Draconi exponerentur, cæteri quidem interierunt: ast eorum vni Cleostrato amatorem Menestratum loricam æneam faciundam curasse, resupinatis extrorsum hamis consertam: eam loricam puer indutus, cùm vltro draconi occurrisset, mortem quidem oppetijt, sed ipsam etiam feram examinauit.

Heroum temporibus pleraq; arma ærea fuêre.

Porrò pondus loricæ eius, quinque millia siclorum æris erat.] Frustrà quispiam admonet: Quamuis dicatur ænea, tamen intelligi chalybeam. Loricæ enim non fiunt ex ære, sed ex chalybe. Frustrà, inquam, admonet: Tametsi enim iam suprà ex Eustathio docuerimus, quæ facta sunt ferrea, tamen ænea dici ob priorem consuetudinem, certum est tamen priscis temporibus pleraque arma ex ære, non ex chalybe facta esse, & plerisque locis quæ scribuntur ænea propriè accipienda esse. Ex ære, inquit Pausanias in Laconicis, Heroum temporibus omnia pariter arma fuisse, Homerus testatur, cùm securim Pisandri, & Merionæ sagittam describit. Argumento etiam est Achillis hasta, Phaselide in Mineruæ templo posita: & apud Nicomedenses in Æsculapij, Memnonis ensis totus ex ære, cùm hastæ illius ima tantum & summa cuspis ærea sit. Hæc ita esse pro comperto habemus. Hactenus Pausanias.

Pausanias.

Herodot.

De Massagetis Herodotus lib. 1. Vtuntur, inquit, ære in omnibus, quæ ad hastas, ad pharetras, ad sagares siue pugiones pertinent: equorũ itidem pectoribus æreos thoraces circundant. Et lib. 4. meminit Ariantis Scytharum Regis, qui cùm numerare populum vellet, singulos iussit sagittæ aculeum conferre. Cùm multi congesti essent, ex his ahenum Exampæo fonti dedicasse, sesquipalmi crassitudine, qui caperet amphoras sexcentas. Apud eundem etiam Ægyptij lib. 2. Cùm primum Cares quosdam & Iones armis æreis instructos vidissent, æreos homines nuncuparunt. Ex quibus patet, non absurdè à nobis æs in propria significatione exponi. Nunc pondus ipsum nobis expendendum est.

Prima ea difficultas occurrit, cùm duplicem fuisse siclum constet inæquali pondere, sacrum

A

videlicet & prophanum, qui nobis hoc loco potissimùm intelligendus sit. Respõdet Schindlerus in Pentaglot. quòd in historia sacra vniuersa est vnus & idem siclus. Fuisse tamen siclum in vsu communi populi Iudaici, quem Rabbinorum vocant, sacro duplo minorem, sed qui ad sacras historias accommodari non possit, apparet ex libro Aruch, in quo ita habetur: Siclus legis est סֶלַע *selagh*, & sic Chaldaicè redditur, continétque quatuor דִּינָרִין *dinarin* denarios; & דִּינָר *dinar* זוז *veZouZ*, denarius & drachma, idem sunt. Siclus דרבנן *derabanam* Rabbinorum nostrorum est dimidium סֶלַע *selagh*, & continet duos דִּינָרִין *denarios*. Hactenus liber Aruch, qui manifestè docet סֶלַע *selagh* Chaldæorum, siue δίδραχμον, nihil ad sacras Scripturas pertinere, sed semper τετράδραχμον intelligendum esse; nisi fortè dimidium siclum intelligamus. Nam sacræ literæ siclum partiuntur in partes maiores tres, semissem, trientem, & quadrantem. Semis seu dimidium sicli vocatur בֶּקַע *bekagh* fragmen. Exod. cap. 38. versu 26. Hebr. ita legimus, בֶּקַע capitis מַחֲצִית הַשֶּׁקֶל. Pagninus, *Semissis*; Arias Hebraicum dictionem retinere maluit: *begagh capitis*, *mahhatsith hasceekel*. vterque vertit, *dimidium sicli*. Hic, quia simili imagine, ijsdem literarum characteribus inustus erat, quibus שֶׁקֶל *sceekel*, & vulgò communior erat propter minoris pretij æstimationem, *vulgaris siclus* & prophanus dictus est: sed Scriptura eo non vtitur, nisi cum *begagh*, aut *dimidium siclum* vocat δίδραχμος iste est, quoniam duabus drachmis par fuit. Triens Nehemiæ cap. 10. vers. 32. שְׁלִישִׁית הַשֶּׁקֶל *scelisçith hasceekel*, tertiam partem sicli Vulgatus interpretatur. Valet drachmam cum triente. Quadrans רֶבַע *rebagh* dicitur. Suprà cap. 9. Iuuenta est רֶבַע שֶׁקֶל כָּסֶף *rebagh sceekel keseph*, *quarta pars stateris*, siue *sicli argenti in manu mea*.

B

C

Quis siclus in Scripturis intelligendus.

Liber Aruch.

Sicli partes.

PONDVS LORICÆ, &c.

Siclus à ponderando dictus.

Siclus porrò siue שֶׁקֶל. ita dicitur à verbo שָׁקַל *sceakal*, quod est appendit, ponderauit; Sicut & Græcis σταθμὸς, ab ἱστάναι item ponderare. Huic prę- ter impressas imagines, alteram quidem vrnæ, quæ manna continebat: alteram virgæ Aaronicæ, quæ floruerat, & alteram inscriptionem *Sicli Israelis*, hanc quoque insculptam habuit antiquissimis characteribus, quos soli Samaritani post tempora captiuitatis Babylonicæ seruauerunt, שֶׁקֶל שְׁקָלִים *Sceekel scekalim*, *Pondus ponderum*: Siquidem is pondus & regula omnium ponderum fuit. Pandebat autem viginti ὀβολοὺς

Siclus regula ponderum.

D

seu geras, vel hordei grana trecenta octoginta quatuor, hoc est, quatuor drachmas, id est semunciam seu dimidiam vnciam, τετράδραχμον, staterem. Docet hoc Iosephus Antiq. Iudaic. lib. 3. cap. 10. ὁ δὲ σίκλος νόμισμα ἑβραίων, ὢν ἀττικὰς δέχεται δραχμὰς τέσσαρας. Siclus Hebræorum nummus est, qui Atticas drachmas quatuor capit. Eadem est S. Hieron. sentent. in 1. Comment. in Ezechielem. Neque ab his dissident Hebræor. Magistri. Quibus ita constitutis, nunc denique ad calculos Scripturam hanc reuocemus.

Iosephus.

Siclus quatuor drachmas capit. Octo drachmæ vnciam vnam efficiunt: libram vnciæ duodecim, vt latè probat Georgius Agricola in opere de Ponderibus & Mensuris. Fungerus

Georgius Agricola.

PONDVS LORICÆ, &c.

Pondus loricæ Goliath. Fungerus.

itaque in Etymol. Triling. in verbo *Sicel*: Pondus loricæ squamatæ Goliath dicitur fuisse. V. M. Siclorum. Sequitur totidem siclos æreos pendisse ad rationem æris. Hi constituunt mille ducentas quinquagenas vncias, hoc est centum quatuor libras Romanas & duas vncias; numularias verò centum quinquaginta sex & duas vncias, pondere communi siclis ad drachmas reductis. Hæc Fungerus. Ego computandi diuersam rationem ineo. Siclus drachmas quatuor obtinet, drachmæ octo vnciam constituunt. ex quo sequitur, vt binos siclos cum vncia exæquare debeamus. Centū ergo sicli quinquagenas vncias efficient. Libra porrò vncijs constat duodecim. Quinquagenarius numerus duodenarium quater complet, semel binarium. Vnde patet quinquaginta vncias, exhibere libras quatuor, &c, quæ præterea superant, binas vncias. Itaque centum sicli, libras 4. & vncias duas efficient. Quod si ita est, ergo mille sicli libras quadraginta & vnam, & vncias octo reddent: quinque millia ducentas & octo libras, vncias quatuor. Cùm igitur necesse sit sacrum siclum, siue πηχ ἀδράχμοι hic accipiamus, Lorica Goliath plusquam æris pondo ducenta pendebat, præter ocreas, clypeum, galeam, & hastam, quam habebat instar iugi textorij: cuiusque ferrum pendebat sexcentos siclos. Hoc tempore (nam Fabricenses curiose consului) ferrei thoraces grauissimi, quibus miles Mousquetorum fulmen retundit: & quæ vix pedes diutius ferat, rarò libras 55. superant. libra porrò nostra vncias sexdecim continet.

Ex hac descriptione armorum intelligimus, quibus viribus iste Goliath fuerit, qui his armis onustus, tamen sese expedire & pugnare potuerit. Tamen hæc omnia contra Deum, non chalybea, aut ferrea erant, sed vitrea. Cadit enim Goliath cum isto ornatu antequam veniretur ad manus. Quantò autem maior erat, & vastior Goliath, tantò maior erat Dauid, qui illum superauit. Magnum quidem est vicisse parem: Superiorem autem, idque tanto superiorem vicisse, planè diuinum erat. Nec mirum. Deus enim in Dauide belligerabat. Palæstini in hoc vnico Gigante posuerunt fortunam belli. Cúmque neminem viderent contrà venire, læti faustis, & secundis clamoribus omnia complebāt. Iudæi autem contrà ringebantur: & Saul in primis, quòd in toto exercitu nullus esset, qui illi se auderet opponere. Saul autem ipse cum illo congredi non audebat: quòd iam destitutus esset spiritu Dei.

Pollux.

Et ocreas æreas habebat in cruribus.] Pollux, κνημῖδας siue ocreas, ποδῶν pedum munimenta vocat. Ocreis donatos milites qui insignem nauassent operam, ab Alexandro Seuero inuenio, apud Vopiscum in Aureliano. Notitia vtriusque Imperij Romanum militem pedestrem pugnam subiturum, soccis, hoc est calciamentis, & ferratis ocreis armat. Liuius lib. 31. de Hispanis notat, sinistrum crus ocrea tectum habuisse. Lycios etiam ocreis vsos docet Herodotus li. 7. Tibialia arbitror à Paulo vocari *ff. de Re militari lib. 14. §. 1.* quæ alienasse militi nefas fuit. Nam si tibiale inquit, vel humerale (Miles) alienauit,

Vopiscus.

Ocreæ militibus familiares. Notitia vtriusq; Imperij.

Digestum.

A castigari verberibus debet. Si verò loricam, scutum, galeam, gladium; desertori similis est. Tyroni faciliùs parcetur. Custodi armorū plerumque ea culpa imputatur, si arma militi commisit non suo tempore.] Hactenus Paulus. Humerale verò sunt qui fuisse putent, quem mox clypeum interpretabimur. Satis bellè mea quidem sententia Gigas instructus erat, vt cum inermi puero dimicans, victoriam non temerè speraret. Non immeritò potuit inter Sacrouiri Crupellarios referri. Ollis, inquit Tacitus Annal. lib. 3. cap. 7. continuum ferri tegimen erat ita vt essent inferendis ictibus inhabiles, accipiendis impenetrabiles. Vis nosse quem exitum ferrata cohors sortita sit. Paulum moræ, inquit, attulere ferrati, testantibus laminis aduersum pila & gladios. (*restantibus* legit Ludouicus Aurelius, & corrigit *resistentibus*: nihil mutandum B censeo. *contestari litem* Latinè dicimus, & Gallicè *contester l'auantage du combat*. Familiare Tacito simplici pro composito vti.) Sed miles correptis securibus & dolabris, vt si murum perrumperet, cædere tegmina & corpora. quidam trudibus aut furcis inertem molem prosternere, iacentésque nullo ad resistendum nisu, quasi exanimes linquebantur. Sed non item Goliath, qui mox cursu hostem petiuit. Deerat tamen adhuc illi persona ferrea, quæ frontem tegeret.

PONDVS LORICÆ, &c.

Tacitus.

In nouis cogitationibus in Tacitum.

Et clypeus æreus tegebat humeros.] Liuius lib. 31. Forma erat scuti: summum latus, qua pectus atque humeri teguntur, fastigio æquali, ad imum cuneatior, mobilitatis causa. Hæc Liuius. Neque tamen clypei forma vna erat: sed hæc magis explicat qui tegeret humeros. Nam, vt Pollux Onon ast. lib. 1. cap. 10. recenset, scutum inuenies longum, quadratum, rotundum, circulare, cauum, prælongum. Pelta Amazonica autem, vt Xenophon inquit, hederæ folio similis est. Et rursum Pollux: Ἀσπὶς, ἡ τὰ μέρη τῆς ἀσπίδος, Scutum, & scuti partes, ὀμφαλὸς, ἡ μεσόμφαλιον, &c. vmbilicus, medium seu centrum vmbilici, locus super vmbilicum, lorum clypei, circunferentia, circulus, circulus scuti exterior. Postea etiam multiplicis materiæ meminit ex quibus confici soleat. Vocat igitur scutum vimineum, scutum ligneum, scutum coriacium, scutum ex cruda pelle bubula factum, scutum æneum. Apud Homerum etiam aureum, argenteum, & stanneum. Arabes struthionum pellibus, vt D idem ait, pro scutis vsi sunt; Æthiopes Asiatici gruum spolijs, si Herodoto credimus. Idem Phœnicum scuta vmbone caruisse autor est. Palæstinorum contrà conuexa scuta magnis vmbonibus prædita fuisse. Sunt qui discrimen hoc scutum inter & clypeum statuant, vt hic quidem rotundus sit, illud longius habeatur. Sic enim Virgilius:

Clypei forma.

Liuius.

C Pollux.

Partes.

Materia.

Scuta protecti corpora longis.

Sed nos tam accurata distinctione opus non habemus. Scutum porrò inde appellatum docet S. Isidor. quòd à se excutiat telorum ictum: Vt enim telis resistatur, clypeus antefertur. A secando Varro deriuat quasi secatum diceres. Sed quid fabulamur? inquit Fungerus. An non rectiùs ἀπὸ τοῦ σκύτους id est pelle vel corio? Quis

Scuti etymolog.

enim

PONDVS LORICÆ, &c. enim nescit scuta olim pellibus obducta? Quis ignorat Aiacis apud Homerum?

Homerus Iliad. η.

Αἴας δ' ἐγγύθεν ἦλθε φέρων σάκος, ἠΰτε πύργον,
Aiax autem cominus accessit ferens scutum, instar turris,
Χάλκεον, ἑπταβόειον, ὅ οἱ Τυχίος κάμε τεύχων
Σκυτοτόμων ὄχ' ἄριστος, Ὕλῃ ἔνι οἰκία ναίων
Æreum, septem boum, quod ipsi Tychius elaborarat fabricans,
Coriariorum præstātissimus, Hyle domos habitās:
Ὅς οἱ ἐποίησεν σάκος αἰόλον, ἑπταβόειον
Ταύρων ζατρεφέων, ἐπὶ δ' ὄγδοον ἤλασε χαλκόν
Qui fecit ei scutum varium, septem boum coriis munitum
Taurorum bene nutritorum: in octauum autem induxit æs.

Idcirco plura describere volui, quòd is mihi Aiax, Homero instar turris, nostrum Goliath cum suo clypeo inducere videretur; nisi fortè hic noster ære solidus haberi debeat. B

Clypeus olim militi longè commēdatissimus. Itaque Epaminondas moriens, vt testatur Val. Maximus, vitæ securus, de clypeo quærere cœpit, Saluúsne esset? quo audito, lætus mortem oppetijt. Lacedæmoniæ matres filijs in procinctu solenne illud carmen inculcare solebant: ἢ σὺν τούτῳ, ἢ ἐπὶ τούτῳ, Vel cum eo, vel super eo redeas. Non enim priusquam mortuis scutum deserere permittebant. Lycurgi legibus idem cauebatur. Imò & Germanicis, si Tacito credimus: ab vtrisque infames habiti, qui scutum amisissent, Spartanis Rhipaspides dicti. Quærenti causam cur non par mulcta & ignominia ijs inferretur, quibus aut gladius, aut galea excidisset, Respondit Lacon: Quoniam hæc sua gratia ferrent, scutum totam phalangem protegeret. Itaque etiam sinistra olim annulo decorata est, quod hæc clypeum ferret. Obseruat denique Sansouinus in descriptione Venetiarum, S. Georgij imaginem, quæ prostat in area S. Marci columnæ imposita, scutum dextra gēstare. Quod cùm præter consuetudinem factum sit, hanc putat artificis fuisse rationē, vt defendi potius quàm inferri iniuriā satius esse innueret. C

Val. Max. lib 5. cap. 2.

Clypeus olim commendatissimus.

Sāsouinus.

De clypeis æreis narrat Xenophon lib. 5. Cyri Min. Expedit. hostes ijs nonnunquam ita territos fuisse, vt cum hoste congredi non auderent. Horum fulgorem egregiè Scriptura depingit lib 1. Machabæor. cap. 6. vers. 39. *Et vt refulsit Sol in clypeos aureos, & æreos, resplenduerunt montes ab eis, & resplenduerunt sicut lampades ignis.* Iam suprà diximus nonnullos Interpretes chalybea arma intelligere malle quàm ærea; tametsi duas dictiones hoc loco diuersas habemus, quarum æs altera, altera ferrum significat. Nam נחשה *nehhoscheth* quidem æs, cuprum denotat, à verbo נחש *nahhasc*, quod est auguratus, ominatus fuit; quoniam æris plurimus vsus fuit in captandis augurijs, & malis genijs auertuncandis. ברזל *barzel* verò ferrum est: quod non aliunde ductum videtur, quàm à verbo ברז *baraz*, quod est transfixit, perforauit. Nonnulli tamen etiam chalybem נחשה *nehhoscheth* interpretātur. Nam & χαλκὸν, quo nomine Græcè æs dicimus, ferri primum nomen fuisse, cum illud Chalybes, Scythiæ populi, inuenissent. Quare etiam apud D

Ærei clypei fulgor hostem terret.

Æris & ferri Hebraic. etymol.

A Homerum, vt testatur Eustathius, χάλκεον ἔγχος, non æneum, sed ferreum telum intelligunt. Hæc illi: quæ probare mihi nullo pacto videntur. Quamobrem à sententia non recedam. Constat enim antiquorum testimonijs, arma prius ærea conflata esse quàm ferrea.

ET CLYPEVS, &c.

Χαλκῷ δ' εἰργάζοντο, μέλας δ' οὐκ ἔσκε σίδηρος;
inquit Hesiodus.
Ære laborabant, nigrum needam erat ferrum.

Necarma modò ærea, sed & vomere æreo in designandis condendarum vrbium pomœrijs Thuscos vsos esse docet Carmin. lib. 2. de Italia, quod manifestè antiquitatem redolet.

Quod si quæras quamobrem veteres ære potius quàm ferro in bello vsi sunt, non ita facilè quæstionem dissoluerim. Num enim quia æs ferro antiquius? hoc sentit Hesiodus: sed nihil est negotij ex Scripturis refellere. Nam Genes. cap. 4. vers. 22. idem æris & ferri primus artifex prædicatur Tubalcain. An quia æris æquore repercussi Solis radij velut incendi videntur; & tanquam corusco fulgure hostem territant? Testatur hoc de suis hostibus Xenophon, æreorum scutorum splendore perculsos impetū cohibuisse. Quid si clementior antiquitas sauciorum saluti consulere voluit, quo faciliùs vulnera curari possent? Nam Aristoteles autor est, vulnera quæ gladio, aut cuspide ærea, quam ἐπιδορατίδα vocant, inflicta fuerint, primùm quidem minori dolore afficere, mox etiam faciliùs persanari, διὰ τὸ φάρμακον ἔχειν τὸν χαλκὸν ἐν ἑαυτῷ, quòd medicam vim quandam æs obtineat, quam in vulnere statim relinquit. Quid si eò gens superstitioni dedita spectauit, vt magicis artibus obsisteret, quibus solis se vinci posse confidebat? Nam Dei vim maximam Palæstini, cùm essent veræ fidei expertes, minimè reueriti sunt. Consentit Hebraici nominis etymologia, vt suprà diximus. Et alioquin Theocriti Interpres in poëtæ Pharmaceutria, docet Ethnicos in ea sententia fuisse vt crederent, ad dissipādas artes magicas, & propulsandam vim dæmonum, æs plurimùm posse conferre. Quid si vires suas ostentare voluerunt? Sunt enim qui χαλκὸν, siue æs, non aliunde Græcis dictum velint quàm à fortitudine, quam ἀλκὴν vocant. Scriptura sanè ærea vocat, quæ inuicto robore cōstant. Sic Esaias c. 48. 4. Murū æreum scribit. Ierem. 1. 18. Ianuam æreā. Psal. 107. 16. Montes æreos legimus; Zach. 6. 1. vngulas æreas. Quid si minas iactare, & metum cædis eo pacto inijcere voluerunt? Nec enim desunt, qui æs χαλκὸν putent dici παρὰ τὸ χέειν τὴν ἀλκήν, quòd fundat dissipétque interemptorum vires. Æris frontem, id genus impudentiæ Ierem. vocat c. 6. 28. Sed planè æs illud, vt inquit Dominus Iob c. 41. vers. 18. statim vt putridum lignum apparuit.

Quamobrē æreis olim armis vsi sint.
1. Ratio.
2.
3.
4.
5.
6.

Hastile autem hastæ eius quasi liciatorium texentium.] Septuaginta legunt: Καὶ ὁ κοντὸς τοῦ δόρατος. Pollux, δόρυ, κοντός. Hastile, contus. at suprà λόγχη, ξυστὸν, κάμαξ, αἰγανέη. Lancea, hasta, pertica, iaculum. ἀκόντισμα, καὶ τὸ ὅπλον, καὶ τὸ ἔργον. id est, ἀκόντισμα vocatur & telum & vsus ipsius. Partes verò hastæ, extremum quidem, σαυρωτὴρ, iaculi manubrium. medium verò, ἀγκύλη. ipsum verò opus, ἀγκυλίζεσθαι, id est, iaculari. Prominens

Pollux.

Partes hastæ.

Et clypevs aerevs, &c.

verò pars cuspis, & acies, & styrax. Hasta siue lancea donari solitos Plutarchus autor est cum alijs pluribus, qui in bellis acriter strenuéque pugnantes laudem meruissent. Hoc ideo institutum Sextus Pompeius refert, quia hasta summa armorum & imperij erat: quamobrem & captiuos sub ea solitos venire, quos Græci *δορυαλώτους ἢ δορυκτήτους* vocant.

Hasta summa armorum & imperij.

Deorum simulacris olim addi consueuit, quòd in ea vis quædam tacita imperij veluti delitesceret: Bellonæ verò in primis, vnde hastata Statio dicitur lib. 2. Thebaidos. Quinimmò ipsa quoque, cùm posteris temporibus ob magnitudinem imperij in deas Roma relata esset, hastata pingebatur: vt colligere licet cùm ex Claud. li. de bello Gildonico, tum ex Sidonio Apollinari carmine 2. in eiusdem deæ descriptione: micat hasta minax. Addo & hoc aliquando vsu receptum, vt per hastam iurarent; vti notarunt Apollonij Interpretes.

Hasta quondam adorata.

Nec intra hunc gradum stetit amens superstitio: sed hastas quoque cultas, & per seipsas adoratas, Eustathius docet in 1. Homer. Iliad. Hæc porrò belli, hæc pugnæ initium fuit. Nam bellum apud Romanos Feciales indicturi, hastam solenni ritu in hostium fines intorquebant. Testis Liuius iam inde à regni primordio 1. Decad. lib. 1. Nec verò solum Romanos, sed & Græcos, ac plerosque Barbaros, idem fecisse historiæ memorant.

Hasta bellum indicebat. Diodorus.

Nam Alexander in Persidem profecturus, à naui in littus hastam eiaculatus est, terrámque primus egressus nauigio, quasi captiuam cepit. Diodorus Sicul. lib. 7. cap. 2. Id quod commune quoque Romanis cum Carthaginiensibus indicat Gellius lib. 10. cap. 27. Ammianus lib. 10. Vbi Grambates hastam infectam sanguine, ritu patrio, nostrique coniecerat more Fecialis, armis exercitus concrepans, inuolat in muros. Et Statius Thebaid. lib. 12.

Ammianus. Statius.

Ite alacres, tantaque precor, confidite causa.
Dixit, & emissa praeceps iter inchoat hasta.

Virgilius.

Et Turnus apud Virgilium lib. 9. Æneid.

Sic ait, & iaculum emittens intorsit in auras,
Principium pugnæ.

Persas quoque, cùm bellum indicerent, hasta sanguinea vsos scribit Amm. Marcellinus historiar. lib. 19. Hastatos verò pugnæ initium fecisse docet Varro lib. 4. de lingua Lat.

Varro. Hasta prælium inchoabat.

Erant autem hastæ missiles & amentatæ quo validiùs intorquerentur: quibus initio pugnæ tanquam signo dato eminus iactatis, mox cominus gladijs rem gerebant. Nec id modò cùm acies concurrerent, sed etiam cùm singuli prælium inirent. Docet hoc Virgilius de Turno & Ænea Æneid. lib. 12.

Virgilius.

Atque illi, vt vacuo patuerunt æquore campi,
Procursu rapido coniectis eminus hastis,
Inuadunt Martem clypeis atque ære sonoro.

Volantes toto aëre hastas Homerus, Virgiliúsque describunt: quare eius molis ac ponderis esse oportuit, quas vna manu complecti commodè, & iaculari validè milites possent. Huius porrò Goliath hastile, seu hastæ lignum, teres & oblongum, par erat iugo texentium; ita vt malus quidem nauis potius quàm hasta videretur. Quid non perrumperet graui contorta

Hasta Goliath.

A nisu? Turni pauorem describit Virgil. cum certaret Æneas infixam trunco hastam conuellere, vt telo sequeretur, quem prendere cursu non poterat.

Hastile hastæ, &c.

Virgilius.

Tum verò amens, inquit, formidine Turnus,
Faune, precor, miserere: túque optima ferrum
Terra tene: colui vestros si semper honores.

Ipsum autem ferrum hastæ eius.] Lybies & Mysi præustis iaculis vsi sunt. Æthiopes sagittas habebant pro ferro præfixas eo lapide, quo sigilla sculpunt: Hastas capreæ cornu in modum spiculi acuminatas. Romani quoque hastas puras habuere. Scribit Plinius Sicinium Dentatum fuisse donatum hastis puris duodeuiginti. Hastam puram Grammatici intelligunt sine ferro. Id fuisse præmium apud maiores eius, qui tunc primùm vicisset in prælio, docet liber qui De B gente populi Romani inscriptus est. Vnde poëta nobilis,

Ille vides pura iuuenis qui nititur hasta.

Præpilatas inuenimus hastas dici, quæ ferreas habent cuspides, quasi præferratas.

Sexcentos siclos habebat ferri.] Frustrà, mea quidem sententia, & gratis quispiam comminiscitur, diuersa fuisse æris & ferri pondera: non mutat pondus, sed ponderis materiam distinguit. Idem enim siclus modum statuit & æri & ferro: sed illa inter se diuersa metalla sunt, & natura dissident. Quod ad mensuram eius ponderis attinet, Fungerus eo loco quem antea citauimus, Idem, inquit, iudicium est de sexcentis siclis ferri, quos pendit hastile lanceæ eiusdem Gigantis: vt nimirum intelligatur fuisse C 150. vnciarum, hoc est librarum duodecim Romanarum cum dimidia, numulariarum verò 18. cum sex vncijs.

Pondus ferri cuspidis.

Hæc porrò si quis studeat allegoricè interpretari, Apostolum imitetur ad Ephes. cap. 6. *Accipite*, inquit, *armaturam Dei, induti loricam iustitiæ, & calceati pedes in præparationem Euangelij pacis: in omnibus sumentes scutum fidei: & galeam salutis assumite; & gladium spiritus, quod est verbum Dei.* Exemplo Apostoli hæc quoq; nobis spiritualiter intelligenda sunt: *Quoniam*, vt ait eodem loco, *non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes, & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ, in cælestibus.* Erit itaq; lorica Goliath exponenda iniustitia; ocreæ ferreæ impedimenta & retia, quibus dæmon pœ- D nitentiæ studium moratur. Scutum animæ fide carentis pertinacia; galea salutis abiecta spes; gladius impostura, dolus, atque mendacium. Tela denique inimici ignea vocat: quid nisi vorax libidinis flamma? Æris deinde duritiem, & reliquas dotes, ac ponderis magnitudinem, si ita visum erit studiosus lector ad allegoriam & mores nullo negotio traducere poterit.

Allegoria.

Et armiger eius ante eum.] De armigero iam sæpius, maximè cap. 14. Hic arma ferebat quæ ad hostem conficiendum comparata sunt, donec bellator pugnam capesseret. Nonnunquam etiam galeam, quam in ipso certaminis procinctu indueret. Ad dignitatem illustrium virorum pertinuit. Deinde eatenus, onere leuati, alacriores prælium inibant. Præire autem

Quis vsus Armigerorum fuerit.

HASTILE HASTÆ, &c. tem armigeri iussi sunt, vt semper athleta arma haberet præ oculis. Deinde vt eo tegeretur, donec instructus in hostem incurreret. Nam eo pacto insidias, aut repentinos impetus, si hostis dolum strueret, commodiùs vitare licuit. Indulget hoc Philippus Pulcher in Edicto suo anni 1306. quo singulare certamen nonnullis casibus fieri permittit: vt qui pugnaturi sunt, apertâ Galeâ, scutum & gladium per quos velint campo inferri iubeant, cùm prius omnibus armis instructi prodirent. Hardoinus in lib. de Campo certaminis plura deinceps licuisse notat. nam cassidis etiam meminit, & maioris brachialis: reliqua induisse debent, cùm in arenam descendunt.

Hardoinus

VERSVS VIII.

Stansque clamabat aduersum phalangas Israël, & dicebat eis: Quare venistis parati ad prælium? Nunquid ego non sum Philisthæus; vt vos serui Saul? Eligite ex vobis virum, & descendat ad singulare certamen.

Variæ trāslat.

CLamabat.] Chald. *intonuit. Phalangas, ordines belli* Chald. & Arias; reliqui *acies* reddunt. *Nunquid non ego sum Philisthæus.* Vatabl. Salmant. addit *ille.* & in Schol. supple Clarissimus? Chaldæus *Goliath* addit. *Et vos serui Saul.* LXX. Καὶ ὑμεῖς Ἑβραῖοι τοῦ Σαούλ. *Et vos Hebræi Saul.* Iam bis explicuimus cap. 13. vers. 3. & c. 14. v. 21. idem nomen *seruum* & *Hebræum* significare posse. *Et descendat ad singulare certamen.*] Tam Hebræi quàm Græci simpliciter legunt, *Et descendat ad me.* Explicationis igitur gratia additū est, *ad singulare certamen*, vt ex consequent. patet. Quidā sic legit: *Quare prodiretis instruendo aciem? an non ego sum Pelischthæus vnus? vos ergo serui Saulis seligite vobis virum, qui descendat ad me.* Ad marg. ad singulare certamen.

Stansq; clamabat.] De Iunone irata Homerus, cùm illa Martem accendere vellet, & Græcos ad certamen prouocare.

Homerus Iliad. 5.

Tunc stans clamauit dea albas vlnas habens Iuno
Στέντορι εἰσαμένη μεγαλήτορι, χαλκεοφώνῳ
Ὃς τόσον αὐδήσασχ', ὅσον ἄλλοι πεντήκοντα.
Stentori similis magnanimo, æream vocem habenti,
Qui tantum vociferabatur, quantum alij quinquaginta.

Herodot.

Meminit etiam vocalissimi cuiusdam Ægyptij Herod. lib. 4. quo Darius, Scythas fugiens, ad Istri ripam vsus est, quo Histiæum Milesium in vlteriore ripa opperientem, sui reditus admoneret. Tubam quidem adhibebat Megarensis Herodorus, nec tamen miraculo caruit vocis eius immensa vis atque potentia. Referam ex Polluce, lib. 4. cap. 11 Megarensi, inquit, Herodoro tubam inflanti, difficile erat appropinquare, ob vocis horrendæ stuporem. Magnitudine erat quatuor cubitorum, & vrsinam substernebat pellem, & leonina induebatur. Sex autem panis chœnices comedebat, octóque carnium minas, vini vero bibebat aliquot mensuras. Sono

Vocis vis ac potentia. Pollux.

A autem suo etiam maxima implebat castra, licet à longinquo caneret. Commendat autem hunc his maximè, vrbium expugnator Demetrius. Hic etenim aliquando muro applicuerat quandam machinam, quæ & contumax, & molesta erat. Tunc sanè Herodorus duobus arreptis telis, fortissimè sua inflauit organa, tantóq; milites animi robore repleuit, vt impetu forti & cursu ad machinam hanc ferrentur. Hactenus Pollux. Verisimile est Goliath, cùm tanto corpore esset, non mediocri voce intonare potuisse, qua & hostium castra terreret, & suis robur & animum adderet.

QVARE VENISTIS, &c.

Et dicebat eis: Quare venistis parati ad prælium?] Nūc describitur Goliath ab oratione. Ea autem contumeliosa fuit & in homines, & in Deū, nec à populo Dei ferri debuit. Et Deū quidem con-
B uitiatus est, quasi non posset defendere populum suum, aut nollet stare promissis suis. Itaque necesse erat eos, qui studio aliquo gloriæ Dei tāgebantur, cùm ista audirēt, & ingemiscere apud se, & ea indignissimè ferre. Israëlitæ verò imitantur patres suos. Illi enim cùm à Mose missi fuissent exploratum terram Chanaan, redierunt desperabundi, nuntiantes terram eam à Gigantibus habitari, nec vllis posse viribus obtineri. Ita isti statim ad conspectum istius Cyclopis concutiuntur terrore, & desperant. Nam cùm plerique fide destituti essent, tantū ea, quæ ante pedes erant, considerabant, oculos autem non referebant ad Deum. Goliath hortatur Iudæos ad singulare certamen, idq. pluribus rationibus. Primum à fine. Cur, inquit, egressi estis ad pugnam? Cur pugnandi potestatem non facitis? Si
C totis viribus non vultis confligere, saltem date aliquē, qui mecum decernat, vt minori cæde res trāsigatur: vtriq, ab vtra parte statura sit victoria, ab ea etiam postea stet dominiū. Id etiam suadet à facili. Non procul, inquit, vobis quærendus est hostis: me spectate: ego Palæstinus sum, iuratus hostis vester: ego me dabo in certamen.

Rationes Goliath, quibus ad singulare certamen hortatur.

Nunquid non ego Philisthæus, & vos serui Saul?] Docet Alciatus lib. de Singulari certamine, etsi iustā causam quis sibi fouere videatur, si tamen sua non intersit, à prouocatione repellendum. Videmus enim, ait, passim Iure Ciuili pecuniariæ causæ actorem, & capitalis criminis accusatorem à limine iudiciario repelli, si sua non interesse reus præscripserit. Quapropter in singulari certamine hoc à maioribus obseruatū fuit, vt pro sui defensione, cæterorúmq; agnatorum,
D familiariúmq; suorum certare liceret. Pro amicis tamen, & comitibus viæ, clientibus, deditisque, non est dubium certare nos posse, cùm nisi eos in tutelam nostram receperimus, ex Romanorum, imò gentium omnium instituto, vehemens ignauiæ suspicio in nos oriatur, & existimatio nostra apud graues viros minuatur. Pro extraneo quoque arma capessere tùm demum fas erit, cùm is propter imbecillitatem Longobarda lege optionem, quem Campionem vulgò dicunt, substituere potest: vt si furiosus, infans ue sit, vel sacris initiatus, vel mulier adulterij reā, aut quam aduersarius strigem seu lamiam, maleficāmue dixerit. Hæc Alciatus: Quæ idcirco vera non sunt, quoniam falsum est quem-

Alciatus.

Debet illius interesse qui prouocet.

Refellitur Alciatus.

QVARE VENISTIS, &c.

quam qui sit alterius obnoxius imperio, in priuatâ causâ eum, à quo sit lacessitus iniuria, vt duello potius quàm iudicio suum ius experiri velit, licere prouocare. Prouocatum verò tueri quemque licet, & eum qui de vita periclitetur, suo suffragio, ferro, patrocinio, præsenti periculo eripere. At singulare certamen inire, nemo volens, nisi qui officij immemor sit, & diuinæ legis contemptor, debet. Quod si tamen ea conditio quæritur, vt intersit eius qui prouocet, quo legitima prouocatio filijs perditionis videri possit: Palæstini Gigantis audacia defensionis locum inueniet. *Nunquid*, ait, *non ego sum Philisthaeus, & vos serui Saul?*

Eligite ex vobis virum.] Ne Hercules quidem, aiunt, cōtra duos. Memoriæ prodidit Iulius Capitolinus, Maximinum Alexandri Seueri interfectorem & successorem, virium fiducia imperium arripuisse. Is tanto robore, & corporis proceritate præditus fuit, vt octo pedes digito videretur egressus: pollice ita vasto, vt vxoris dextrocherio vteretur pro annulo. Item vt hamaxas manibus attraheret: equo si pugnum dedisset, dentes solueret: si calcem, crura frangeret: lapides tophicios friaret, arbores teneriores scinderet. Vnde ab alijs Milo Crotoniates, ab alijs Hercules; Antæus à nonnullis vocatus est. His porrò cùm ad sæuitiem immanitatémq; abuteretur, & tanquam occidi non posset in ciuium cæde baccharetur, audijt se præsente in theatro Græcè hos versus recitari:

Robur corporis insolitum. Iulius Capitolinus.

Et qui ab vno nō potest occidi, à multis occiditur:
Elephas grandis est, & occiditur:
Leo fortis est, & occiditur:
Tygris fortis est, & occiditur:
Caue multos, si singulos non times.

Quod sanè ei non ita multò post accidit. Nā ad Aquileiā, cùm ferocior in dies euaderet, à militibus vna cum filio confossus est. Itaq; prudēter Goliath, tametsi corporis viribus fretus, nō vult cū pluribus congredi: sed satis esse putat si faciat eligēdi potestatē, & cū delecto manū conserat.

Nunquid non sum Philisthaeus?] Esto: Sed quid si præterea spurius? nam spurium Scriptura non semel eum nominat. Respondet Alciatus ca. 19. lib. de Singul. Certam. Spurium à Singulari certamine iustè posse repelli, cùm hoc hominū genus de facto notetur, lexq; Pontificum eos fidei fluxæ, & militiæ non idoneos existimet, vulgóq; videamus gentilitia insignia nulla illis, nisi cùm transuersæ lineæ nota concedi. Nam & filij appellatione non cōprehenduntur, quoniam lex non certo parente natos, sed sine patre, & ambiguis natalibus interpretatur, ab honoribúsque tanquam viles & dedecore operti repelluntur. Sed tamen hac in re deferendum consuetudini est, quæ, cùm spurij non proprio delicto, sed aliena laborent culpa, nimirum parentum fœditate, in militiam nomen dare eis permisit. Vnde nec à pugna singulari æquum est eos reijci, si tamen cætera probi viri, bene educati, ingenio manúq; prompti sint, iniuriámque suam prosequutum eant. Legimus, inquit in historiis, Arnulfum, qui primus & ante Othonem ex Gallia in Germaniam Imperij titulum transtulit, ex Caroli Magni pronepotibus spurium fuisse.

Spurij à singulari olim certamine repulsi. Alciatus.

A Fuerunt & in Cypro Reges, fuerunt vbique etiam ad probatissimi duces non absimilibus orti natalibus, vt verissimum sit illud Platonis oraculum, Seruos à regibus, reges à seruis oriri. Hactenus Alciatus.

NVNQVID NON SVM, &c.

VERSVS IX.

Si quiuerit pugnare mecum, & percusserit me, erimus vobis serui: si autem ego præualuero, & percussero eum, vos serui eritis, & seruietis nobis.

ADdit non iniquam conditionem, si bellum ipsum iustè susceptū esset. Si quis vestrūm, inquit, me vicerit, nos vobis seruitutem seruiemus: sin autem ego vicero, vos seruietis nobis. B Atq; hāc legem proponit publicè, quasi ex consensu, & autoritate Palęstinorū omnium. Quare postea oportuit Palæstinos stare conditionibus suis. Hoc idcirco moneo, quod Goliath prostrato & victo, oportuit Palæstinos, non tantùm diuino iure, sed etiam humano, cedere Dauidi.

Vos serui eritis, & seruietis nobis.] Quum Themistocles, inquit Ælianus Var. hist. lib. 2. cap. 28. ciuicum exercitum aduersus barbaros educeret, gallos gallinaceos vidit pugnantes: neque ille oscitanter eos vidit: sed totum exercitum aduertens, inquit ad ipsos: At hi neque pro patria, neque pro dijs familiaribus, neque verò pro auitis monumentis periculum subeunt, neque pro gloria, neque pro libertate, neq; pro liberis: sed tantùm ne alter ab altero superetur, aut alter C alteri cedat. Quibus verbis Atheniensium animos confirmauit. Quod ergo tunc eis incitamentum ad virtutem extitit, voluit ad similium rerum & factorum memoriam sempiternam consecrare: & post deuictos Persas lege constitutum est, vt quotannis in theatro galli gallinacei certamen inirent.] Hæc illi, cùm solam naturam ducem sequerentur, ad excitandum tuendæ libertatis studium sapienter commenti sunt. Paulus verò noster edoctus diuinitus seruos admonet, si iuste fieri possit, studeant in libertatem asseri. Quanto magis liberi pedibus manibúsque obnixè conari debent, ne per vim & iniuriam serui fiant. Grauissimum namq; est iugum seruitutis: quæ cùm in plerisque bonis impedimentum præstat, tum humano statui atque naturæ mirum in modum aduersatur. Om- D nes quippe homines natura liberi nascūtur. Seruitus quippe, vt etiam ipsi Iurisperiti fatentur, ex Iure gentium est introducta. Sed veriùs dici potest, propter peccatum. Hostes in bello victi quandoque seruabantur, & victoribus cogebantur seruire: at nulla possunt iusta bella, nisi ob aliquod scelus vindicandum suscipi. Rectè itaq; diximus, ex peccato seruitutem esse deriuatam: & pœnā ideo graue, quòd cum humana natura pugnet. Fateor quidem id esse naturale, vt filij parentibus auscultent, subiecti Magistratibus pareant, minus docti & eruditi sapientioribus obtēperent, & infirmi sese ad potentiores accommodēt. Cæterùm obsequium & obedientia huius generis, nimirum erga beneuolos &

Ælianus.

Seruitus summo studio fugienda.

Seruitus ex peccato.

Vos SERVIERITIS, &c. & nostræ vtilitati consulentes, voluntaria sunt. Quocirca plurimùm a seruitute distant, de qua modò agimus. Illa potuerunt in integro statu hominum locum habere: at ista per peccatum inducta, ibi esse non potuit. Et mancipia seruire coguntur, non vtique beneuolis, verùm extraneis atque hostibus, necnon in rebus sibi inutilibus, imò sæpe damnosis ac minus honestis. Redditur etiam seruitus tum longè grauior, cùm subijciuntur populi hostibus ijs, qui aliàs à se victi fuerint, & quibus olim imperauerint. Non ita pridem Palæstini ab Israëlitis superati malè multati fuerant. Quare cùm seruitus ipsa per se horrenda est, & remis velisque fugienda, tum illud in primis Israëlitæ vereri debebant, ne infensissimis hostibus addicerentur, & in eorum potestatem venirent, quos sæpius ante læserant.

De seruitute iam sæpius dixisse me memini. Noë instituti huius autor scribitur, cùm ab ingrato filio & impio, ludibrio habitus esset. Prius sanè liberi omnes ex liberis parentibus oriebantur. Nam liberos à principio natura nos genuit, & humani generis opifex imperare nos iussit. *Replete*, ait, *terram, & subijcite eam, & dominamini piscibus maris, &c.* Hominum libertas ducta ab origine ne poetas quidem latuit, tametsi non erant illi conscij diuinorum mysteriorum Pindarus ode 6. Nem.

Homo ad imperandum natus.

Pindarus.

Ἓν ἀνδρῶν, ἓν θεῶν γένος, ἐκ
Μιᾶς δὲ πνέομεν
Ματρὸς ἀμφότεροι:
Vnum hominum, vnum deorum genus, ex
Vna quoque spiramus
Matre vtrique:
Διείργει δὲ πᾶσα κεκριμένα
Δύναμις: ὡς τὸ μὲν, οὐδέν.
Sed discriminat omnia separata,
Potentia: quia hoc quidem nihil.

Alcimus Auitus.

At seruitutis fontem aperit Alcimus Auitus l. 4. cùm scelus Cham memorat, & patris diras.

Primùm, inquit, *inde repertum*
Seruitij nomen: cuncti nam semine ab vno
Prodijmus, patrémque omnis sibi vendicat vnum
Posteritas: deque ingenuo mala crimina seruum
Efficiunt.

Qui primus homines seruire coegerit. Ioan. Saresberiens.

Neque tamen statim seruire cœpit humanum genus, sed primus Nemrod Genes. 10. cùm polleret corporis viribus, *cœpit esse potens in terra*, & quos armis terruisset seruitutis iugo oppressit. Traditur hic, inquit Ioann. Saresberiensis lib. 1. Policrat. cap. 4. in tantam elationis erupisse vecordiam, vt non vereretur iura temerare naturæ, cùm consortes conditionis & generis, quos ingenuos illa creauerat, hic addiceret seruituti.] Alij Ninum eius calamitatis repertorem faciunt, qui primus bella finitimis intulit, & docuit ab alieno pendere arbitrio.

Pignorius. Serui priuatim & publicè.

Verùm alij priuatim serui, domesticis ministerijs, aut etiam operi rustico addicti sunt: alij publicè, cùm non singuli singulis, sed tota gens aliqua alterius imperio seruiret. De prioribus librum fecit Laurentius Pignorius, in quo cùm vrbanæ, tum etiam rusticæ familiæ ministeria & ordines ex omni antiquitate descripsit. De posterioribus multa passim occurrunt, ex quibus intelligere liceat non omnium parem conditionem fuisse. Publicæ seruitutis imaginem quandam in antiqua plebe Gallica Cæsar repræsentat lib. 6. de bello Gall. Plebs, inquit, penè seruorum habetur loco, quæ per se nihil audet, & nulli adhibetur consilio.] Et hæc quidem pars aliqua publicæ seruitutis fuit, cùm tanquam in aliena versentur Republ. qui alienı à rebus facti haud secus ac famuli necessariò obtemperant. Veruntamen longè grauior illa est seruitutis molestia, alieni iuris fieri, rerúmque omnium possessione priuari. Hanc miserrimam seruitutis sortem Ægyptijs Ioseph explicat Genes. 47. cùm eosdem Pharaoni pretio addiceret. *En, vt cernitis, & vos & terram vestram Pharao possidet.* Mox legem arbitrio suo obnoxijs statuit: *Accipite semina, & serite agros, vt fruges habere possitis. Quintam partem Regi dabitis: quatuor reliquas permitto vobis in sementem, & in cibum familijs & liberis vestris.* Clementior hæc seruitus; nonnullis durior obtigit. Attamen hi ferè serui glebæ habendi sunt, nisi quòd nemo præfectus opus exigeret: & quicquid alendæ familiæ agrisque serendis superfuisset, peculio cederet. Clodoueus noster, vt Beatus Rhenanus autor est lib. 2. Rer. German. cùm Alemannos ad Tolbiacum vicisset, ne iugum excuterent, res & corpora fisco attribuit, seruósque fiscalinos constituit. Argiui, cùm vrbe Mycena potiti essent, ciues seruitute damnarunt, decimámque idolis suis dicarunt. Salaci rebellantes contra Octauianum Cæsarem, cùm à Terentio Varrone domiti essent, eorundem filij ea lege sub corona venierunt, ne ante vigesimum annum manumitterentur. Claudius Cæsar Lycios ad cædem vsque Romanorum tumultuando progressos, in seruitutem redegit, & Pamphyliæ adiecit. Plura si lubet inuenies apud Petrum Gregor. Syntagm. lib. 14. cap. 4. Hebræos Ægyptij, Ilotas Lacedæmonij, quàm sæuè & crudeliter afflixerint, Scriptura docet, & Lycurgi vitæ scriptor Plutarchus. Hispani nonnullis locis Indos etiam labore atque molestia prorsus extinxisse feruntur. Sed vincit omnia Turcarum immanitas, quæ filios à lacte depulsos parentibus eripit, & nefandis sacris initiatos superstitioni seruire cogit. Sæpè etiam subacti solum vertere coacti sunt, quod Israëlitis postea contigit. Nonnunquam suas sedes incolere arcibus impositis, ne deficerent, permissi. Quid si hoc loco id genus publicæ seruitutis proponi intelligamus, quo cum Thessalis olim Boetijs conuenit, vt scribit Athenæus libro 6. cap. 7. Ij, inquit, ex Boetijs, qui Arneam coluerunt, qui non recesserunt in Boëtiam propter amorem regionis, seipsos Thessalis in seruitutem dederunt ex stipulatione, ex qua neque se extra regionem recipient, neque occident, ipsique regionem illis colentes tributa persoluunt.] Iam antea tamen ferrarijs officinis Palæstini Hebræis interdixerant. Quid facturi deinceps cæsis præsidijs, tantóque exercitu deleto? Non poterant videri tributis placari posse, aut Rege dedito ab incendijs cædibúsque temperare.

Athenæus.

Vos eritis servi &c.

VERSVS X.

Et aiebat Philisthæus: Ego exprobraui Agminibus Israël hodie: Date mihi virum, & ineat mecum singulare certamen.

Chaldæus. Quid exprobrauerit Goliath filijs Israël.

EGo exprobraui agminibus Israel hodie.] Paraphrasis Chald. addit, istum Goliath exprobrasse Iudæis calamitates, quas illis Palæstini inflixerant: se filios duos Summi Pontificis occidisse: se arcam Domini captiuam habuisse: se Iudæos debilitatos & fractos in seruitutem abduxisse. Postremò, *Ego*, inquit, *hodie exprobraui castris Israel*. Et quis tandem erit finis. Cur mihi non datur aduersarius? Ita posseris vos aliquo saltem modo explicare, atque à conuitiorum & probrorum turpitudine vendicare. Hęc conclusio est orationis blasphemæ & contumeliosæ in Deum. Ita iste insultator rerum euentus metitur humanis viribus: nihil autem cogitat, quid Deus possit: sed, vt Hieremias ait, *Ponit carnem brachium suum*. Cæterùm thrasonica insolentia iactat se agminibus insultasse, cùm tantus Gigas non nisi vnum ad certamen vocaret: quod timidi atque ignaui animi manifestum argumentum est. *Date mihi virum*.] Erant, inquit Herodotus, in Xerxis exercitu homines penè innumeri; at viri pauci. Sed etsi vir quispiam inueniretur, num temerè cum Gigante committi debuit. Docet Bartolus, vt refert Ioannes Villerius in suo libro de pignore singul. Certam. se audisse ex Imperatore sui temporis, quinque rationibus certamen vnumquemque absq; ignominia detrectare posse, quarum hæc numero tertia est, si viribus impar, & supra modum inæquali corpore prouocatus appareat. Quis verò cum Gigante de corporis magnitudine certet? Non est fortitudini locus vbi moles immensa virtutem obruat. Quare is potius ignauiæ macula seipsum turpificat qui imparem prouocat, quàm qui sapienter impendentem suo capiti ruinam declinat. Quid igitur sibi vult hic elephas iactitans è grege agnorum non ausum esse quemquam secum congredi? Gloriatur aquila se fugasse columbas. Quis animi celsitudinem non miretur? Gloriosum planè militem!

Herod. l. 7.

Ioann. Villerius.

Absq; ignominia qui est supra modũ inæquali corpore, duellum recusare potest.

Alciatus.

Et ineat mecum singulare certamen.] Singulare certamen, inquit Alciatus, veteres Græci monomachiam dixere, nostrates Iuriscõsulti duellum: ita dictum existimãtes, quasi duorum bellum sit. Cùm apud antiquos duellum transmutatione literarum simpliciter diceretur, quod nunc bellum est. Vnde & perduellionis crimen in lege 12. Tabul. appellatur, cùm quicquam hostile aduersus Rempub. eiusue securitatem gestum sit. Duelli vsum à Mantineis in Græcia repertum, eruditorum quorundam consensu ferè receptum est, eo potissimum argumento, quod bellicum sagum, veteresque armaturas mantineas appellant, quo nomine & ephestridem, quam vulgò supraueстem vocamus, & conos, & pennas, & emblemata, huiusmodique

Duelli primi autores in Græcia Mantinei feruntur.

Et ineat mecum, &c.

A pugnantium ornamenta dici in præsentia posse. Ego Stygij tyranni bella mundo inuehere meditantis rudimentum, & iccirco vetustissimũ huiusce digladiationis vsum fuisse, satis, & super scio: cùm & Homerus non vno in loco eius meminerit, nunc Menelaum cum Paride pro Helena singulari certamine coram vtroque exercitu certãtem inducat, nunc Æneam cum Diomede, Hectorem cum Aiace: Virgiliúsq; maximus poëtarum, Æneida suam Turni nece concluserit, qui pro vxore Lauinia cum Ænea Phrygio manũ conseruerat. Hact. Alciatus. Horum sanè nullo posterior Dauid haberi poterit, si quis sedulò veterum monumenta reuoluat.

VERSVS XI.

B Audiens autem Saul, & omnes Israëlitę, sermones Philisthæi huiuscemodi, stupebant, & metuebant nimis.

RIdet Lucianus in eo libro quem scripsit, Quomodo scribenda sit historia, nugatorem historicum, qui asserit inclamante solùm Romani duce exercitus Prisco, septem & octo aduersariorum repentè corruisse At seriò Philostratus in Apollonij vita li. 5. c. 3 Tragicus quidã, inquit, Neronis tempore Hispalam veniens, terribilis primo aspectu visus est, donec in scena tacitus perstitit. Videntes enim ipsum tam altè gradientem, & tam vastè hiantem, peplis superstantem, vestibúsq; tam monstrosis indutum, non sine timore eiusmodi habitũ admi- C rabãtur. Vbi autẽ vocem attollens altiùs clamare cœpit, plurimi tanquã dęmonis alicuius voce perculsi, diffugerunt: tales erant, inquit, támq; simplices barbarorum mores.] Atqui ludebat histrio, nec armis instructus erat, aut cuiquam perniciem moliebatur. Quid si igitur Goliath arma & vim intentans, stentorea voce eorum auribus intonuisset, quo tandem fugam capessérent? Atqui non fugiunt Israelitæ: sed quod plerisque animalibus rugiente leone accidere solet, horrendæ fragore vocis attoniti, ac metu perculsi stupent. Neq; id, si vulgus spectes, præter consuetudinem euenisse mirabere. At Ionathan quis non miretur, vnius hominis audacia, tametsi reliquis vasta mole membrorum ac corporis robore præstare videretur, terreri potuisse? Is enim antea, cùm solus esset, tamen in D Palæstinos feliciter pugnauerat. Sed hîc videmus, Sanctos viros nõ semper eosdem esse, nec eodem spiritu & impetu duci. Etsi enim sunt sancti, tamen ad res gerendas non semper Deus parem gratiam suppeditat. Deinde, ista victoria vni Dauid debebatur. His enim initijs Deus illum voluit innotescere.

Lucianus.

Philostrat.

Vox quantum terrorem incutiat.

Non tamen ea causa excusari debet diffidentia Israelitarum, qui ita torpebant ignauia, vt Dei promissionibus minimè confiderent. Is enim in Deuteron. quamuis videant hostes suos & plures esse, & fortiores, & instructiores ad pugnam, monet tamen ne timeant. *Ego*, inquit, *sum in medio tui*. Atque huius rei specimen egregium paulò antè dederat. Vnus enim Ionathas

Nõ est excusatione d gna Iudęorũ pusillanimitas.

ET INEAT MECVM, &c.

nathas profligauerat totum exercitum Palæstinorum. Nunc vniuersus exercitus Iudæorum non audet se vni Goliath opponere. Hæc signa sunt Dei vel irati & infensi, vel fauentis & propitij. Si credimus Deo, vnus nostrûm profligabit mille hostes: si non credimus, mille nostrûm non erunt satis vni. Exciderant Iudæis res superiorum temporum à Deo gestæ, prodigia edita à Mose, liberatio ex Ægypto, victoriæ tot datæ sub Iudicibus. Imò ne id quidem meminerant, Saulem paulò ante & Palæstinos, & Ammonitas profligasse. Ita qui oculos auertunt à verbo Dei, eos tantùm fixos habent in rebus naturalibus. Ista nos perpetuò monere debent, & consolari. Nos enim Dauidis personam gerimus: semper opprimimur, & vrgemur à Goliathis, hoc est, à carne, mundo, diabolo, & hæreticis. Nec mirum. Ita enim Christus ipse pronocabatur ad duellum, cùm iam penderet in cruce. Sic enim illi insultabant: *Si filius Dei est, descendat de cruce, & credemus ei.* Ita Goliath, *Veniat*, inquit, *aliquis vestrûm, & percutiat me, & seruiemus vobis.* Atque hoc pacto contumelias, & conuitia iacit in Deum. Sanctus Augustinus, vt iam suprà dixi in 15. de ciuit. Dei, cap. 13. quærit, cur Deus creare voluerit gigantes, cùm essent homines blasphemi, & contumeliosi, cùm in homines, tum etiam in Deum? Respondet, idcirco factum, vt pij intelligerent, nec molem corporis, nec formam, nec vires pertinere ad ea bona, quæ homines beatos faciunt: esse autem alia longè præstantiora, quibus beari debeamus. Sanctus Chrysostomus autem aliud respondet: vt consideremus salutaria dona Dei non adscribenda esse viribus corporis. Et idcirco fingit Dauidem ita loqui. Video quidem molem insignem corporis, sed non adesse mentem: video nauem prægrandem, sed non esse gubernatorem: scribit ista in psalmum quinquagesimum.

S. August.

S. Chrysost.

VERSVS XII.

Dauid autem erat filius viri Ephrathæi, de quo suprà dictum est, de Bethlehem Iuda, cui nomen erat Isai, qui habebat octo filios, & erat vir in diebus Saul senex, & grandæuus inter viros.

Varię trāslat.

DE *quo suprà dictum est.*] Hebræus non habet. Sed habet, *filius Ephrathei* הזה *haze, huius*, quod videtur eò referri. Illud pronomen agnoscit eo loco, & casu Arias, & Interpres Chaldaicæ Paraphr. Vatablus Salmant. legit idem alieno loco. *Dauid autem erat filius cuiusdam Ephrathei de Bethlehem Iuda.* In edit. Antuerp. Laurent. *Filius viri Ephrathei iste, de Bethlehem Iehudah.* Septuaginta editionis Aldinæ: Καὶ ἦν Δαβὶδ υἱὸς ἀνθρώπου ἐφραθαίου. *Et erat Dauid filius hominis Ephrathai.* Complut. Καὶ Δαυὶδ υἱὸς ἀνδρὸς ἐφραθαίου, *Et Dauid filius viri Ephrathei.* Vtraque editio, οὗτος ἐκ Βηθλεὲμ Ἰούδα. *Iste de Bethlehem Iuda.* Flaminius in Notis editionis Rom. ex antiquis Patribus Chrysostomo & Augusti-

A no, *hic ex Bethlehem Iuda. Et erat vir in diebus Saul senex, & grandæuus inter viros.*] Pagninus, *veniens inter homines.* Idem. Vatablus Laurent. Flaminius in Notis edit. Rom. *Et vir in diebus Saul senior, veniens inter homines.* Vatablus Salmant. *Eratque hic vir in diebus Saulis senex, & veniebat inter homines.* Et in Schol. *Hic vir*, nempe Isai, *veniebat inter homines.*] id est, grandæuus erat inter homines, quasi dicat, annumerabatur senibus, eratque de numero senum ac debilium. Chaldæus Paraphrastes, *Annumeratus inter electos*, id est, inter fortes atque inclytos. Hæc Vatablus. Nos apud Complutēses in Chaldaïca Paraphrasi ita legimus, *Et vir in diebus Saul senex numeratus in iuuenibus.* Sed eadem dictio Hebræis & Chaldæis, *electum*, & *iuuenem* significat. Septuaginta Complut. edit. Καὶ ὁ ἀνὴρ πρεσβύτερος ἐν ἡμέραις Σαοὺλ ἐληλυθὼς ἐν ἔτεσιν. *Et vir senex*
B *in diebus Saul, qui venit in annis.* Aldus, ἐν ἀνδράσιν. *in hominibus*, siue *viris.*

DAVID FILIVS, &c.

Cæterùm hunc versum duodecimum, & ponè sequentes vsque ad trigesimum secundum Romana editio Latinæ translationis Septuaginta Interpr. non agnoscit, sed post hæc verba versus vndecimi, *Stupebant & metuebant nimis*; vel, vt Pagninus, *& territi sunt*; vt Arias, *& consternati sunt*, vt Vatablus Salmant. *& pauore perculsi sunt*; Chaldæus, *& fracti sunt, & timuerunt valdè*; Græci, καὶ ἐξέστησαν καὶ ἐφοβήθησαν σφόδρα. *& obstupuerunt* Complutenses, nam & stupor genus quoddam ingentis timoris est; Rom. *& expauerunt, & timuerunt valdè*: post hæc, inquam, verba, mox sequitur, *Et dixit Saul ad Dauid: Non concidat nunc cor Domini mei super eum: seruus tuus*
C *ibit, & pugnabit, &c.* quæ nos demùm versu trigesimo secundo legimus in reliquis, tam Græcis, quàm Latinis, & Hebraïcis exemplaribus. Itaque tantam hanc iacturam ibidem meritò restituit Flaminius in Notis. Nam & sanctus Chrysostomus homilia prima de Dauid & Saul, & sanctus Augustinus sermone centesimo nonagesimo septimo, & in lib. quinquaginta homiliarum, homilia trigesima prima, eadem nobiscum se legisse testantur. Iunij translatio sic se habet: *Dauid autem, ille filius viri Ephrathei, è Bethlehem Iudæ: huic nomen Isai, erantque ei octo filij: & vir ille temporibus Saulis senuerat, prouectus inter homines senes.* Reliqua verò vsque ad decimum quintum in eandem parenthesim includit, vt fidem illi hyperbato faciat. Cæterùm,
D quod ad præsens attinet, Isai filij, inquit, propriè septem tantùm erant, qui nominantur 1. Paralip. 2. 13. 14. 15. hîc autem octo ponuntur; quia nepos vnus ex aliquo filiorum iam tum ei natus erat: fortassis Ionadab Sammæ filius, de quo 2. Samuel. 13. 3. nepotes autem in Scripturis passim filij dicuntur. Sed nos iam octo fuisse diximus, nec Iunio temerè fidem adhibendam.

Nobilius Flam.

Hæretici semper temerarij, in quibus nō postremus Iunius.

Dauid filius viri Ephrathei, de quo suprà.] Dauidis genealogia repetitur, ne alius fuisse putetur ab eo, qui præcedenti capite à Samuele inunctus fertur, & pulsandi gratia, cùm citharæ peritus esset, ad Saulem accessisse. Tametsi enim mox è grege accitus, & à patre ad fratres allegatus in castra venisse legatur, prius tamen iam antea ad Saulem adierat, & commeatum appe-

Qvi habebat, &c. tente bello imperauerat, vt maioribus filijs Regis castra sequutis, ipse gregem tueretur. Itaque altera hæc profectio iam reduci imperata est.

Cui nomen erat Iſai.] ישי *Iiſchai* ſi legamus quomodo noue legunt, qui ab antiqua traditione aberrant. Primi Paralip. 2. ſcribitur אישי *quaſi* איש *iſc, vir ſtrenuus. Ieſſe* nunc ſæpius efferri ſolet. Quod ſi *exiſtentem*, vt docet ſanctus Hieronymus, ſignificat, à יש *ieſc* deductum ſit necesse eſt, quod eſt *ens*, res, aliquid; Græcis ὄντα: quo etiam vice ſubſtantiui verbi Hebræi vtuntur in vtroque numero. Quod ſi magis a beneficentia deriuare placeat, tum referendum erit ad vocem שי *ſcai*, qua Dauid vtitur pſalmo ſexageſimo octauo, verſu trigeſimo, *Tibi adducent Reges* שי *munera.* שי *ſcai*, munus, & beneficij compenſationem ſignificat. Atque ita *Ieſſe*, ſiue *Iſai* idem erit Hebræis, qui nobis *Bonifacius*.

Qui habebat octo filios.] Euripides in Danae:

Γύναι, φίλον μὲν φέγγος ἡλίου τόδε,
Καλὸν δὲ πόντου χεῦμ' ἰδεῖν εὐήνεμον,
Γῆ τ' ἠρινὸν, θάλλουσα, πλούσιον θ' ὕδωρ
Πολλῶν τ' ἐπαίνων ἐστί μοι λέξαι καλῶν·
Ἀλλ' οὐδὲν οὕτω λαμπρὸν, οὐδ' ἰδεῖν καλὸν,
Ὡς τοῖς ἄπαισι, καὶ πόθῳ δεδηγμένοις,
Παίδων νεογνῶν ἐν δόμοις ἰδεῖν φάος.

Mulier: Gratum eſt hoc ſolis iubar,
Et amœna viſu tranquilla ſunt æquora,
Terráque vernans, & affatim aqua fluens.
Denique multarum rerum laudes recitare poſſim:
Verùm adeò egregium viſúque pulchrum nihil eſt,
Quàm cùm carentes prole, cuius deſiderio æſtuant,
Filiorum recens natorum domi lumen aſpiciunt.

Euripides. Filiorũ gratiſſima poſſeſſio.

Quanta igitur fuit illa Ieſſe felicitas, præſertim in gente prolis cupidiſſima, tot ſoles domeſticos intueri? Singuli quidem orientes parentem ſingulari voluptate ac lætitia perfuderunt: ſed ipſa demùm ſobolis numeroſa caterua beatum illum effecit, qui octauo numero ſalutis parentem adeptus eſt. Apud Perſas, inquit Herodotus libro primo, ſecundum bellicam fortitudinem, potior ducitur numeroſæ prolis procreatio: & illi, qui quamplurimos liberos ediderit, huic Rex, tanquam ſtrenuum quippiam præſtiterit, ſingulis annis munera mittit. Hæc de Perſis Herodotus, tametſi nemo eorum Dauidem vnquam genuit.

Herodot.

Verumenimuerò, vt Dauidis nulla ratio habeatur, ipſa tamen per ſe numeroſa ſoboles, niſi ſi fortè deprauatæ voluntatis vitio à maiorum virtute degeneret, iucundiſſima atque honeſtiſſima eſt. Quinimò & ipſa prolis multitudo ad vtilitatem plurimùm confert, & domum paternam firmiſſimo præſidio vallat ac tuetur. Nam primùm quidem liberorum certa fides, quæ apud propinquos ſæpenumerò vacillat, nec tutò ſatis vllo beneficio ſiſti poteſt.

Numeroſæ prolis multiplex vtilitas.

Quàm nihil eſt homini fidum, inquit Euripides,
præter ſuam prolem!
Sed lucri cauſa vel conſanguinei mali fiunt.

Ὡς οὐδὲν ἀνδρὶ πιστὸν ἄλλο πλὴν τέκνα.
Κέρδους δ' ἕκατι, καὶ τὸ συγγενὲς νοσεῖ.

Euripid. in Oeneo.

Firmatur igitur hoc pacto, vt inquit Hierocles, vita inter gentiles ac neceſſarios, ſimiliter vt naues quæ pluribus anchoris in mari ſtabiliuntur. Deinde etiam qui prole abundant, æqualibus

A ſuis potentiores euadunt. Nam vt docet Muſonius Philoſophus, vti potentia maior eſt illius qui vallo munitur amicorum, quàm qui nullos ſibi amicos deuinxit: ita & qui filiorum caterua ſeptus eſt, orbis longè potentior habetur, niſi fortè natorum beneuolentiam ac fidem amicorum ſtudio credimus ſuperari poſſe. Mox etiam illud cogitandum eſt, nullum certius infirmæ ætati ſubſidium poſſe comparari. Nam poſtquam defectis viribus amicis inutiles eſſe cœpimus, & ſenſum eorundem languescit ſtudium, inimicorum autem ignauiſſimus quiſque tanquam mortuo leoni inſultant: tum liberi parentum curam ſuſcipiunt, & immunes præſtant ab iniuria. Nec verò intra eum gradum ſiſtit præclaræ huius ſegetis vtilitas, ſed ea quoque in publicum commodum redũdat. Auget enim

Qvi habebat, &c.

B ciuium numerum: quo pacto Reſpublica domi militiæq; floret. Filiorum ſiquidem alij bellicis artibus inſtructi, militares animos explent, & hoſtem procul à finibus arcent: alij pacis munia exercent, & patriam quæſitis opibus amplificant. Adde his, quòd qui plures liberos educat, tanquam ex ſeipſo ſurculos ferens, & mandans natali ſolo, æternitatis ſpem ſuis ciuibus oſtentat, & fouet. Haud enim aliter quàm generis propagatione cœtus vllus diutius conſeruari queat. Subinde etiam honeſtiſſima ea ratio videtur, ſi quis plures liberos ſuſcipiat. nam primùm quidem nuptiarum is ſcopus eſt. deinde etiam naturæ perfectio, cuius vim maximè in generatione miramur: in qua non modò ſe totam explicat & effundit, ſed etiam ſeipſam ſuperãs opificis ſui artes æmulatur. Inde factum

Eſt etiam honeſtiſſima ratio ſuſcipiendi liberos, & ad Dei gloriam pertinet.

C opinor, vt in vnaquaque ſpecie animalium quæ noſtris vſibus ancillantur, quæ fœcundiſſima ſunt, ea nobis maximè probentur. Sed & arbores, perinde vt quæque fructibus præſtant, ita nobis charæ ſunt. Arua verò ſi ſtudioſè culta meſſem contumaciùs negent, vaſta atque inculta linquuntur. Quod ſi fœcunditas, vt apparet, res omnes commendat, ſterilitas contrà deijcit, quid dubitet ad hominis laudem ſpectare, ſi illum natorum turba coronet? Floribus certè nec violis quibus prata micant, humani vultus & oculorum lumina cedunt. Quomodo igitur non abſurdum fuerit roſarum quidem parentes ſpinas ſtudioſè colere, & vehementer amplecti ob nonnullam floris gratiam, quæ citò marceſcit, virorum autem genitores, qui non dicam pratorum

D gemmis, ſed ipſis quoque ſyderibus longè præſtantiores ſunt, nec vllo vnquam tempore labefactari poſſunt, ſuſque deque ferre. Accedit quod ea res, vt videtur, autoris naturæ magnificentiam plurimùm exagerat. Non enim ſic illius gloriam ſtellarum ſplendor, vel ſi infinito numero augeantur: non ingens Oceani terræque moles, vel ſi in immenſum creſcant, ornare atque illuſtrare poterunt, vt hominum propagatio, qui ſoli norunt quibus illa laudibus affici ac prædicari debeat. Poſtremò, inquit Euripides,

Non poteſt vlla maior eſſe patri voluptas quàm hec,
Prudentem atque temperantem videre, aliquem de ſe prognatum.

Quid ſi

ERAT VIR SENEX, &c.

Quid si plures eiusmodi filios Isai nactus est, & quendam præterea, qui fuerit instar *decem millium?*

Et erat vir in diebus Saul senex, & grandævus inter viros.] Pertinet hoc ad dignitatem Isai. Iam emeritus, ac rude donatus domi quiescebat, & in numerum seniorum relatus, iudicia in porta ciuitatis suæ exercebat. Apud Persas, inquit Xenophon libro primo Cyropæd. qui pueritiam adolescentiámque ijs artibus exercuerint, quibus iuuari Respublica possit: ac deinceps quinque & viginti annos emensi, totidem stipendia fecerint: tum denique in album seniorum referuntur, qui militiæ quidem vacationem habent, sed manentes domi causas iudicant, tum publicas, tum priuatas. Hi quoque capitalia iudicia exercent, & necessarios magistratus legunt, & in sontes animaduertunt: quos autem ipsi damnauerint, reliquam vitam degunt turpitudine iniusti atque infamia. Cæterùm in eum chorum nemo recipitur, nisi qui à teneris vnguiculis legitimè institutus sit, & virtutis specimen dederit, moréisque suos, integritatem, ac prudentiam Reipublicæ probauerit. In hunc igitur ordinem ætatis ac virtutis priuilegio Isai apud suos allectus erat, & vacabat à bellicis muneribus, quæ non possunt sine viribus sustineri. Nam si quæ res manu gerenda sit, si hostis cursu opprimendus, si vallum saltu superandum, tantis rebus ingrauescens ætas, nequaquam par esse poterit. Sola rerum gestarum memoria defectis viribus superstes manet: frustrà verò languentes artus querelis fatigant, pristinæque virtutis desiderio cruciantur.

Xenophō. Seniorū dignitas, & exercitia.

O mihi præteritos referat si Iupiter annos,
Qualis eram cùm primā aciem Præneste sub ipsa
Strani.

Et rursus:

Si mihi quæ quondam fuerat, quaque improbus iste
Exultat fidens, si nunc foret illa iuuenta. &c.

Quæ frustrà iactantur, cùm intempestiuis votis nemo respondeat. Veruntamen consilio valere creduntur. Quamobrem Homerus senes à castris minimè censet amouendos, cùm cæteros oratione incitare queant, consilióque iuuare. Testis apud eundem Nestor Pylius, quem præ cæteris heroibus Agamemnon belli dux coluit, noctu atque interdiu de rebus consulens. Non enim tam, vt Iuncus apud Stobæum ait, Serm. 116. in iuuene illo & inuulnerabili Aiace, neque in Diomede diuino igne in armis eius relucente spectabili, imò ne Menelao quidem fratre, quàm in Nestore illo tres hominum ætates excedente, omnia gerendi belli auxilia ei sita esse videbantur. De senibus autem apud Troianos audi quid prædicet.

Senes cōsilio valere creduntur.

Stobæus.

Vcalegon, inquit, Sceas simul Antenórq; sedebāt
Ad portas, consulti ambo, populisque verendi.
Ob senium belli immunes, sed vterque disertus
Eloquio, quales arguta æstate cicadæ
Per nemus insessa dant dulcia carmina quercu.

Nam quod delirare senes nonnullis videntur, tanquam prouectæ ætatis vitio ipsa quoq; mens senescat, ac propterea ad consilium adhiberi minimè debeant, refutat hoc studiosè Suidas in verbo λῆρος. Non enim mens ὁ νοῦς εἰς ἑαυτὸν τὸ πάθος ἀναδέξεται, ἵνα καὶ φθαρτὸς, καὶ θνητὸς νομισθῇ. Non enim mens vnquam tali morbo afficitur, vt corruptioni obnoxia, & mortalis habeatur. Hoc est, nam mortalem esse necesse est, quæ senio corrumpitur: ea porrò immortalitate donata est. Τοῦ δὲ ὀργάνου ἀλλοιωθέντος καὶ τὴν ἀπὸ τοῦ νοῦ ἐνέργειαν διὰ τὴν ἀνεπιτηδειότητα μὴ δυναμένου δέξασθαι, τὸ πάθος τοῦ ὀργάνου, πάθος ἐδόξεν εἶναι καὶ τοῦ κινοῦντος αὐτό. Non igitur delirium mentis aliqua affectio est: sed cùm instrumentum immutatum sit, & quod iam minus commodè se habeat mentis radium, siue energiam participare non possit, idcirco instrumenti perturbatio, quæ motus causa est, menti tribuitur. Sententiā suam confirmat similitudine oculorum, qui ipsi quidem multis de causis corrumpuntur: sed vis ipsa videndi illæsa manet, nec paribus incommodis afficitur. Non itaque senum mens animúsue cæcutit: sed, si qua phrenesis, aut alius quilibet morbus cerebrum occuparit, vt in matura ætate, sic quoque in senecta non ratio, sed organum à ratione delirat. Hoc præterea docet, quod mentis vehemens læsio, amentia, siue παραφροσύνη dicatur, Mediocris λῆρος, siue delirium; Remissa verò παράληρος vecordia, simplicitas. Λῆρος verò ὁ ἀναιδὴς impudens, παρὰ τὸ λίαν ὁρᾶν, quòd supra modum intueatur. Sed nihil horum in senem nostrum quadrat: qui cùm maiores natu filios ad Regem allegasset, ipse domesticam familiam regebat, & inter conciues pacem quoque tuebatur. Nec id vni contigit, vt longæuus incolumi iudicio frueretur. plures enim cùm à iuuentute vitam moderari instituissent, simili beneficio potiti sunt. Librum scripsit Lucianus de Macrobijs, in quo longissimam seriem contexuit Principum, Ducum, Sacerdotum, doctorúmq; hominum, qui cùm ad summam senectutem peruenissent, etiamtum in acie vel studijs versantes occubuerint. Quinimò etiam nationes non paucas diutissimè vitam prorogare commemorat. Cuius rei causam nonnulli, inquit, temperato aëri nonnulli genio loci, alij viuendi rationi assignant. Siquidem aiunt omnes illas nationes abstemias esse. Compertum est etiam Athoras centum & triginta annos viuere, & Chaldæos vltra centum annos egredi fama est, & eosdem hordeaceo pane vti, tanquam perspicacitatis pharmaco. Quibus perhibent ob hanc ipsam victus rationem, alios quoque sensus quàm cæteris hominibus esse validiores. Sed hæc, inquit, de nationibus longæuis, & gentibus, quas plurimùm ætatis aiunt viuere: nonnulli propter situm terræ: nonnulli propter aëris temperiem: nonnulli propter rationem victus: nonnulli autem propter vtrumque. Cæterùm ego iure optimo longè meliorem spem tibi ostendam, si planum fecero, homines vbique terrarum & gentium, & sub quouis aëre degentes, ad summam senectutem peruenire, qui commodis exercitationibus, & conuenientem sanitati viuendi rationem sectantur. Hactenus Lucianus. Propterea igitur tametsi Romanis Siculisque legibus veterani militare non rogantur, Gallicis tamen non erant olim à ducandis exercitibus immunes. Testem eius rei

Suidas.

Mens non senescit.

Lucianus.

Senes complures integris sensib⁹ & mentib.

Senes olim Gallicis legibus à ducādis exercitibus non erant immunes.

Erat vir senex, &c.

laudabo Hircium, apud quem Vertiscus Remorum princeps, præfectus autem equitum, cùm propter ætatem vix equo posset ingredi, tamen consuetudine Gallorum in suscipienda præfectura neque ætatis excusatione vsus fuit, neque dimicari absque se tulit. Tradit item Caius Cæsar Camulogenum Aulercum, quamuis confectæ esset ætatis, nihil causatum, pro terræ Galliæ libertate aduersus Romanos exercitum duxisse. Sed his opus non fuit, cùm haberet Saul præstantissimos duces, quos tamen Regis iniquitas ab insita fortitudine in eo bello plurimùm absterruit. De senectutis autem præstantia, muneribus, atque officijs idcirco pluribus disserui, quòd *grandæuum inter viros* senatus vrbis principem nonnulli intelligant, & qui tuendæ vrbi tanquam gubernator relictus sit.

Versus XIII.

Abierunt autem tres filij eius maiores post Saul in prælium: & nomina trium filiorum eius, qui perrexerunt ad bellum, Eliab primogenitus, & secundus Abinadab, tertiúsque Samma.

FVngitur Isai officio ciuis optimi erga patriam. quos habuit filios militię idoneos hos iubet castra sequi, & patriæ fidelem nauare operam. Decet verò vnumquemque qui suæ incolumitati studeat, primùm armis patriam tueri: quæ si neglecta ruat, ciues necesse est ruina opprimi. Itaque apud omnes, vt, cùm necessitas ingruit, & periculum vrget, maturè ciues tanquam ad commune restinguendum incendium concurrant, seueris legibus cautum est. Verùm de his iam antea nos copiosè disputauimus: pauca tantùm, quæ præterijsse me memini, hîc adnotasse sufficiet. Arrius Menander *D. de re militari, l. 4.* Qui filium suum subtrahit militiæ belli tempore, exilio, & bonorum parte multandus est. Si in pace, fustibus cædi iubetur; & requisitus iuuenis, vel à patre postea exhibitus, in deteriorem militiam dandus est. Qui enim se sollicitauit ab alio, veniam non meretur. Item, eum qui filium debilitauit dilectu per bellum indicto, vt inhabilis militiæ sit: præceptum Diui Traiani deportauit. Quo loco Gothofredus, eos qui se spontè resectis digitis bello inutiles fecissent, Constantinus Curijs ciuitatum addixit. *L. 1. C. Theodos. de filijs militum:* & alij Principes *L. 4. C. Theodos. de tyronibus*, vetuerunt, ne quis se deformatione manus, ab alijs Reipublicæ muneribus eximeret. Quin lex decima huius tituli, eos oneribus militiæ addicit; Clericatu tamen priuantur, *cap. qui partem, distinct. 15.* Huiusmodi belli refugas, Murcos appellat Innocentius in epistola ad Felicem Nucerianum. Et Ammianus libro decimo quinto circa finem, Nec Gallorum quisquam, vt in Italia, munus Martium pertimescens, pollicem sibi præcidit, quos localiter Murcos appellant. Vide Cuiacium libro vigesimo quinto Obseruationum vlt.

Ius Ciuile.

Leges in eos qui filios delectus tëpore subtraxerint, aut debilitauerint

Ammianus Marc.

A *Abierunt tres filij maiores post Saul in prælium.*] Ælianus Var. Histor. libro sexto, capite sexto, An verò non hæc etiam Laconicam olent disciplinam? Lex est Spartanis, vt qui tres filios suppeditaret Reipublicæ, is ab excubijs liber esset: qui verò quinque, ab omnibus publicis officijs, & sumptibus immunitatem haberet.

David autem minimus, &c.

Versus XIV.

Dauid autem erat minimus. Tribus ergo maioribus sequutis Saulem,

Versus XV.

B Abijt Dauid, & reuersus est à Saul, vt pasceret gregem patris sui in Bethlehem.

D*Auid autem erat minimus.*] Atque adeò huius rei gratia, hominum iudicio ineptus habitus est, qui in album militum referretur. Atqui ab eo solo Goliath, vniuersi terror exercitus, & quidem inermi conficiendus erat. Non enim vi, sed humilitate hostis nobis expugnandus est: cui cùm robur & potentiam Deus à natura tribuerit, viribus nostris longe superiora, huius tamen arma ea ratione temperauit, vt humilitatis telis facilè perrumperentur. Quippe summissi animi contentio, cuspide chalybea longè durior est, nec vlla potest arte refelli. C Hanc verò gratiam Deus, &, si dicere liceat, hæc Vulcania arma, quæ nullus mucro penetret, nulla lorica retundat: is potissimum conferre solet quos nemo suspicit, sed habentur reliquis viliores. At enim *quæ putamus*, inquit Apostolus prima ad Corinthios, capite duodecimo, versu vigesimo tertio, *ignobiliora membra esse corporis, his honorem abundantiorem circundamus; & quæ inhonesta sunt nostra, abundantiorem honestatem habent.* Quare nobis humiliora semper affectanda sunt, non fictè ac simulatè, sed verè, & ex animo. Sic enim facilè gratiam à Deo ineas, & tibi præsidium pares.

Humilitati cedũt omnia.

Minimus.] Ecqua tandem ætate? Nam Romanos Seruij Tullij disciplina militaris, à decimo septimo anno vsque ad quadragesimum sextum armis exerceri iussit; mox verò seu emeritos sacramento solui. D De Probo verò Imperatore narrat Fla. Vopiscus in eius vita, quod in Isauria veteranis omnia illa, quæ angustè adeuntur loca priuata donarit, addens vt eorum filij ab anno octauo decimo mares duntaxat ad militiam mitterentur, ne antè latrocinari quàm militare discerent. An igitur censemus Dauidem his longè fuisse minorem? An fortè Musici artis priuilegio à prælijs abesse permissi sunt? Nam hos pugnandi necessitate absoluit Dionysius Indorum domitor, vt Diodorus autor est Biblioth. libro quinto, capite primo: Omnes, inquit, qui in exercitu musicis exercerentur, fecit immunes: quod & posteri instar Dionysij seruarunt. Omnes enim musicę operam dantes, immunitate

Ætas militaris.

Fl. Vopisc.

Musici à prælijs immunes.

Diodorus.

DAVID AVTEM MINIMVS, &c.

immunitate potiri sunt. Non arbitror eam legẽ apud Hebr. obtinuisse. An igitur patris ratio habita est, ne simul pluribus filijs orbaretur? Hoc magis crediderim. neque enim Saul hactenus ab humanitate abhorruit; & alioqui Iesse satis suum in illum studium probasse videbatur, cùm prius quidem ægroto citharœdum filium misit, mox etiam bellum gerenti tres alios natu maiores, qui eundem in acie obiectu corporum suorum periculo eximerent. Nam Darij quidem facinus, cuius meminit Herodotus libro quarto, quis non atrox & inhumanum, & fera bellua magis quàm homine dignum iudicet? Scythis, inquit, bellum illaturus, iam copias vrbe Susis eduxerat. Ibi tum Oebazus quidam Persa, cui tres filij erant omnes in militiam euntes, obsecrabat vt alterum sibi ex illis subsidio relinqueret. Cui Darius tanquam amico, & modesta roganti respondit, se omnes eius liberos relicturum. Hoc igitur responso Oebazus supra modum gaudebat, sperans liberos à Rege missum iri. At ille præpositos filijs Oebazi iussit omnes interimerent. Sic illi vnà obtruncati, ad funus patri relicti sunt. Nec clementior Xerxes in Pythium Lydum, quem pro vno rogantem, cùm quatuor reliquos regi offerret, quo tempore infestis signis inferebatur in Græciam, immerentem dirum in modum vltus est; vti iam nos aliàs diximus, & idem Herodotus refert Histor. lib. 7. Verùm hæc sæuitiæ portenta procul ab Hebræorum castris exulabant. & Saul æquum censuit tribus natu maioribus allectis in ordines, reliquos senis parentis curam gerere, & domesticis curis præesse. Deinde quid lyræ cum iaculo, quid cum cithara gladio? Nunc acies ferrum & chalybem, nunc fortem bello dexteram postulat, non carmina & fides quæ sectantur otium, & ad voluptatem comparata sunt. Assueta plectro manus, minus apta capulo visa est. Belli cura molles à se delitias abdicat. Propterea igitur citharœdus valere iussus.

Qua ratione Dauid excusationem promeruit. Herodot.

Darij & Xerxis immania facinora.

Sed quid furiosus ille dæmon, cuius vis ac violentia omni humano conatu longè superior, Regem dirè vexabat, num ille iam impetum remiserat? num à puero victus abscesserat? num Dauid prædam excusserat? Apparet: aut enim morbus ipse consanuisse visus est, aut pactis cum hoste, seu potius imperatis ad tempus inducijs, vexandi studium intermisit. Neq; enim aliter necessarium medicum à se dimitteret, cuius opera tantopere in tuenda corporis & animi valetudine indigeret, qui si fortè morbo sæuienti deesset, Rex ipse bello foret inutilis. Neque enim alios regeret, qui sibi non constaret: aut acies instrueret, qui iudicij compos non esset. Quomodo autem inimicorum insidias vitaret, qui furiata mente in seipsum baccharetur? Vtique, nisi vim morbi depulsam crederent, qui prius eidem suaserant vt citharœdum accerseret, vt etiam in posterum adesse iuberet, eidem autores fierent.

Dauid reuersus est, vt pasceret gregem patris.] Dauid igitur abeundi facta potestate, & ab aula dimissus, tanquam iure postliminij ad caulas & mapalia denuò reuertitur. Mollioris vitæ delicijs abdicatis, iterum eremi incommodis & asperitatibus duratur, ac pristinas exercitationes repetit, vt cum vrsis ac leonibus pro grege dimicans, non minimis rebus militiæ rudimenta ponat: sed ab ijs prostratis, futuri temporis victorias auspicetur. Sic ille suos tyrones exercet, qui postea moriens, de mundi principe trophea statuit. Certare primùm docet, vt vincere discant; & cum hoste committit, vt subinde victoribus triumphum decernat. Non enim ignauus quisquam, aut pugnam detrectans, ab eo palmam feret. Solam virtutem, cuius idem autor est, Deus ipse coronat. Quocirca non immeritò Tertullianus admonet in libro de cultu fœminarum, capite decimo tertio, discutiendas esse sæculi delitias, quarum mollitia & fluxu fidei virtus effœminari potest. Cæterùm, inquit, nescio an manus spathalio (armillę genus est nigro corallio confectæ.) circundari solita, in duritia catenæ stupescere sustineat. Nescio an crus de periscelio in neruum se patiatur artari. Timeo ceruicem, ne margaritarum & smaragdorum laqueis occupata, locum spathæ non det. Quare, Benedictæ, meditemur duriora. Tempora Christianorum semper, & nunc vel maximè, non auro, sed ferro transfiguntur: stolæ martyriorum præparantur, Angelis bajulis sustinentur, & cætera.

Virtus & victoria labore parantur.

VT PASCERET GREGEM, &c.

Tertull.

Vt pasceret gregem patris sui.] Philo Iudæus in libro de agricultura, Tanta certè, inquit, curæ pastoralis honestas creditur & vtilitas, vt poëtarum gens reges soleat vocare pastores populorum: sicut Legislator sapientes dignatur hoc nomine, qui soli veri reges sunt. Introducit enim eos præfectos tanquam gregis hominum, qui affectu bruto rapiũtur: & ideo Iacob etiam ille meditatione perfectionem assequutus, pastor est in eius literis. Pascit enim hic Laban pecora, scilicet insipientis animæ, quæ nihil bonum arbitratur præter ea quæ videt sentitque, coloribus vmbrisque fallacibus seruiliter dedita. Laban enim interpretatur *dealbatio*. Moses quoque sapientissimus hominum, censetur in pastorum numero. Hic enim pastor intelligitur mentis præferentis fastum veritati, quæ bona videri quàm esse mauult. Iethro enim *superfluus* exponitur. Superfluus autem fastus, ad inducendum in rectam vitam errorem ascitus, qui est in causa cur aliud atque aliud apud diuersas ius habeatur, non idem apud omnes, id quod iustum est. Quippe qui naturale perpetuúmque ius ne in somnis quidem vnquam vidit. Dicitur enim, Mosen pastorem fuisse pecorum Iethro sacerdotis Madian. Idem precatur, ne cuiuis grex (sic vocat totum vulgus animarum) committatur: sed vt bonum pastorem habeat, cauentem ipsi ab omnibus insipientiæ, iniustitięq; cæterorúmq; vitiorum laqueis; inducentem verò in eruditionis, virtutúmq; reliquarum dogmata. *Dispiciat*, inquit, *Dominus Deus spirituum, & omnis carnis hominem huic cœtui.* Deinde post pauca: *Et non erit cœtus Domini tanquam oues, quibus pastor deest.* Sanctum profectò votũ, &c. Quibus postremò addit: Pastoris officium res est tam præclara, vt non Regibus duntaxat, & sapientibus viris, & animis perfectè purificatis, sed & Deo rectori omnium iustè tribuatur. Id

Philo.

Qui sint allegoricè pastores.

VT PASCERET GREGEM, &c.

quod non aliquis è vulgo confirmabit, sed Propheta cui nos decet credere, qui sacros hymnos A conscripsit. Sic enim loquitur: *Dominus pascit me, & nihil mihi deerit.* Idem pro se quisque dicat. Hactenus ibi Philo.

Philo pecuarium à pastore distinguit.

At idem rursum cùm pastoris officium describeret, pecuarium à pastore distinguit. cuius oratio, quoniam visa est ad componendos mores plurimùm conferre posse, ea quoque hoc loco referetur. Legislator, inquit, tum pecuariæ, tum pastoritiæ artis meminit: quas appellationes lector p rum curiosus fortasse putaret æquiuocas, significantes idem studium. Atqui res ipsæ multùm differunt, si spectentur singularum officia. Quamuis enim pecorum magistris consuetudo vulgaris vtramque vocem applicet, at non & intellectui curatori animæ vtraque conuenit. Malus enim si sit, pecuarius gregis præfectus vocabitur: contrà si bonus, & virtutis amans, pastor nominabitur. Id iam clariùs faciam. Natura vnicuique nostrûm cognatas addidit pecudes, ex vna radice animæ duabus velut stirpibus pullulantibus: quarum altera integra indiuisáque, intellectus appellatur: altera ab imo in septem ramos diuiditur, in quinque sensus, & duo instrumenta vocis, genituræque: quæ multitudo tota bruta comparatur pecori; & quia numerosa est, iuxta animæ legem operam ductoris necessariam postulat.

Sensuũ petulantia.

Quoties igitur imperitus regendi, sed diues, seipsum præficit, plurimorum malorum c ula fit pecori. Nam ipse necessaria copiose suggerit: at illud in tanta copia ciborum nimia saturitate petulans redditur: saturitatis enim germana proles est petulantia. Per eam petulantiam saltitant, & contempto rectore vagantur, soluúntque stipatum antea gregis ordinem. Atque ita ductor desertus, ex præfecto priuatus fit, discursans, satagénsque si forte possit denuò in vnum compellere. Et cùm videt se operam perdere, gemit ac flet, damnans suam facilitatem, & culpam in seipsum referens.

Pecuarij mos & cõsuetudo.

Ad eundem modum pecus sensuum, quando intellectus supinè se gerit & ignauiter, auidè satur tum copia rerum sensibilium, ceruicem iactat, & subsultat, impingens in omnia visui patentia, vel quæ videre nefas est. Auribus quoque voces hauriens insatiabiliter, sitiendo semper ob curiositatem, interdum oblectans se obtrectationibus parum liberalibus. Quid enim aliud credimus quotidie per totum orbem tot millia spectatorum in theatra contrahere? Homines enim victi spectaculorum & fabularum cùpidine, infrenes tum oculis, tum auribus, consectantur citharistas & citharœdos, præterea saltatoribus, cæterisque mimis inhiant, propter gestus motúsq; ac status effœminatos: atque ita factiones theatricas instaurant, securi cæterarum rerum priuatarum publicarúmque, totam vitam in huiusmodi spectaculis conterentes miseri. Alij autem his etiam infeliciores sunt, qui gustum tanquam è vinculis exoluerunt. Qui mox in omnes cibos potúsque facto impetu, ex iam apparatis carpit quodlibet, immanem famem habens absentium; vt etiam cùm ventris sentinam expleuerit, concupiscentia tamen auida & inanis etiã tum circunspiciat, ne quid reliquum oculos fugerit, vt hoc quoque instar omnia consumentis incendij abliguriat. Hanc ventris ingluuiem pedissequa à natura addita comitatur libido coïtus, furore ac œstro pertinaci concita, & molestissimam rabiem afferens. Cùm enim è multis condimentis potúque meraciore contracta crapula grauantur homines, non sunt amplius sui compotes: sed properantes ad amatorios concubitus, comessabundi oberrant ianuis, donec deferuentę despumatóque affectu possint quiescere. Cui rei prospiciens natura, videtur ventri subiecisse instrumenta coïtus, qui saturitatem solet sequi, & tum demùm agere suum negotium. Hos igitur qui tali pecori affatim præbent quicquid desiderat, Pecuarios vocabimus.

Pastoris officium.

B E diuerso Pastores dicemus illos, qui delectu rerum necessariarum habito, quæ commodissimæ sunt, has ei præbent, recisa & amputata inutili superfluáque copia, quæ non minus nocet, quàm inopia: quique modis omnibus prospiciunt, ne grex neglectus in morbos incidat, imò vota etiam faciunt, ne qua externa calamitas ingruat. In primis autem curam adhibent, ne grex palabundus dispergatur, metum intentando castigat rem non obtemperantibus rationi, & animaduersione vtendo continua, mediocri quidem in errata sanabilia, seuera autem si his accedat contumacia. Quamuis enim abominandæ videantur pœnæ, plurimùm tamen prosunt insipientibus, haud aliter quàm medicina amarior corporeo morbo laborantibus. Hæc sunt Pastorum studia, qui voluptati noxiæ suauiorem vtilitatem præferunt. C Hactenus Philo, quantum ex eius interprete nosse potui. nam Græcum exemplar penes me non habui.

VERSVS XVI.

Procedebat verò Philisthæus manè & vesperè, & stabat quadraginta diebus.

Cunctatio sæpè victoriam parit.

APparet certo cõsilio Saulẽ statuisse negare hostib. pugnandi copiã, ne patriã ciuésq; suos discrimini obijceret. Tutius visum est montium iugis insidere, ibi munire castra, hostium D impetum valli præsidio retundere, præruptos aditus, quib. ij in interiorem regionem euadere possent, præcludere, ac demum diuturna cunctatione ac patientia fractos ab incœpto reuocare.

Plutarch. in Pompeio & Cæsare.

Hoc olim Pompeius cum suis rationibus vtilissimum fore iudicasset, tantò militibus suis imperare non potuit, vt vallo contineri vellent. Itaque temerè prælium lacessentes à Cæsare oppressi sunt, quem citra teli iactum dedititium accepturi erant, si certaminis aleam tentare noluissent.

Idem in Bruto.

Nec alia re magis Cassij quoque exercitus profligatus est, quàm quòd sibi temperare non potuit vimque cohibere. At Marius, vt Plutarchus autor est in eius vita, cùm eo præsente Theutones procurrerent, & eundem probris lacesserent, agrósque popularentur, castris

ad ostia

PROCEDEBAT, &c.

ad ostia Rhodani positis intra vallum suos coegit, audaces comprimens, & erumpere volentes instantius prohibens. Itaque cunctationem eius victoria sequuta est. Nam dum miles barbaros spectando & audiendo sæpius, eorundem truces vultus & inconditos clamores ferre consuescit, si quem animo pauorem conceperat, protinus abstersit. Quo factum est, vt cùm postea collatis signis manus consererent, eorundem stragem maximam ederent, ac penè internecione delerent. Carolus Cæsar, idémque Hispaniarum Rex, cùm regnante Francisco I. regnum hoc Christianissimum euertere statuisset, duobus maximis exercitibus extremos eius fines irrupit. Et alter quidem Picardiæ, imminens, & belli ac vastitatis periculum ostentans, frustrà Peronam obsedit: Alter, quem Cæsar ipse ductabat, Prouinciam ingressus qua montibus Alpinis illa subiecta est, caput belli Regem petebat. At iam ille opportuno loco ad Auenionem castra locauerat, furentis impetum repressurus. Aliquantum spatij progressus Cæsar, cùm se frustrà conari intelligeret, pertæsus temeritatis suæ Regem studet ad pugnam elicere. Verùm is, cùm aduersarium se in laqueum induisse cognosceret, & desperatione meliorum ferro decernere velle, negauit se cuiusquam imperio bellum administraturum: sed vbi ita fieri placuisset, tùm suo arbitrio pugnæ diem præscripturum. Quam sententiã cùm aliquandiu constanter tueretur, ipse quidem Cæsar breui pedem referre coactus est: copiæ verò eius peste, fame, atq; inedia penè cõsumptæ. Ex his facilè colligas, quam prudenter Saul hostem aditu prohibens, à prælio abstinere decreuisset.

Procedebat verò Philisthæus.] An non mira hæc patientia tam diu tolerasse exprobrantem? Cur, si nemo solus cum eo vellet experiri, non eum plures obtruncabant? Nam cùm tanto tempore statis horis exercitui illuderet, per vim aut insidias nullo negotio interimi potuit. Quamobrem autem Hebræi facere noluerint, causam non inuenio. An fortè quia pendente prouocatione moliri perniciem aduersario non licet? Postquam enim miles, inquit Alciatus, inimicitias perduelli suo denuntiauerit, chartulámque ad illum miserit, in confesso est interim alteri non licere, alterum quoquomodo insequi, donec in stadio constituto tempore concurrerint. Denunciatio enim duelli, more militari, securitatis publica fide concessæ vim habet: quæ consuetudo duplici ratione videtur approbari. Nam iure gentium absque indictione denuntiationéque nullum licitum est bellum. At qui aliquo se loco certaturum professus est, extra illum locum absque noua denuntiatione pugnare non potest. Sed & qui duellum denuntiat, in id ex natura actus fidem suam obligare videtur, vt in eo loco decernat, in quo conuenerit. Nam & Iure Ciuili pendente lite nihil innouandum est, sed legitimus finis expectandus. Solétque vulgo dici, Via quam elegisti ea tibi pateat. Si quis igitur in perduellem suum interim impetum fecerit, is & proditionis & violatæ fidei reus meritò habebitur, & quanti omnino intererit iudicis officio damnabitur. Ita docet Alciatus cap. 14. de Singul. Certam. Sed quid si prouocatus latitet, aut etiam respondere nolit? Idem cap. 15. In prouocatorijs, inquit, controuersijs iccirco expectandus annus non est, quoniam post denuntiationis acceptationem non nisi semestris instantia more militari constituta sit. Verùm toto eo libro de priuatis controuersijs & certaminibus loquitur Alciatus, quæ Iure Ciuili certis legibus præscribuntur: quæ vtique seruari ab ijs omnino non possunt, qui belli tempore diuersas partes sequuntur, præsertim verò, cùm iam acies in procinctu sunt, & rei gerendæ occasionem captant. Neque enim tum, si quisquam alteri qui stet in contrario exercitu, singulare certamen indixerit, nec ille respondeat, sex menses expectandi erunt priusquam vim afferat, & si fors tulerit prouocatum conficiat. Nam vbi palàm ducis licentia denũtiatio facta est, & ea manifestè innotuit, si prouocatus dissimulet, nectere dolos videtur, certaménque repudiasse: nec prouocator vltra suis legibus tenetur, aut extra pugnæ stadium securum antagonistam præstare. Neque enim is penitus coram communi iudice conueniri potest, neq; vi cogi vt mentẽ aperiat: neque temporis conditio fert, vt cõperendinari possit, cùm prouocato vires ad nocẽdum integræ maneant, nec à prouocante conditio oblata monomachiæ sibi suisue fraudi esse debeat. Verũtamen dubium esse non potest quin quandiu is prouocet, eundem ab iniuria temperare necesse sit; cùm iure gentiũ securitatem polliceri censeatur. Vnde postremò colligo, toto eo tempore quo Philisthæus toties repetita prouocatione ad singulare certamen Hebræos elicere studuit, eorum neminem iure gentium violare potuisse. Nam & tutum accessum se præbere profitetur qui duello experturum se prædicat: & nullum non militem ea lege cõprehendit, qui quemlibet ad pugnam elicit, neminem priuato nomine designat. Denique vniuersos probris conuitijsque lacerat.

Ergone prouocantem insidijs opprimere non licuit?

Alciatus.

L. ex hoc iur. de Iust. & iur. C. pro humani de hom l. 6.

An verò is pariter sacer & inuiolabilis haberi debuit? Non videtur. Primùm, quia contra ius gentium Palæstini Hebræos bello vexabant, cùm ab ijs minimè læsi essent. Hinc enim sequitur, vt ijsdem legibus nequaquam astringerentur quibus legitima bella administrari solent. Deinde oblata conditio accepta non erat, vt eiusdem securitati caueri debuerit. At hoc significatum oportuit nolle Hebręos duello congredi. Quinimò satis compertum habuit quantum eius conuitia testantur. Sed & hoc illum considerare oportuit, à se nihil æquum offerri, cùm parem nosset habere se neminem. Neque enim Gigantes aderant in castris Hebræorum, qui cum eo mole corporis conferri possent. Ex quo illudere magis quàm certare velle videri potuit. Adde quod temporis diuturnitate hominis prouocatio satis superque refutata erat. Adhæc spurius palàm audiebat: quo nomine castigãdus erat magis temeritatis suæ quàm ad certamen admittendus. Præterea etiam incircuncisus erat, & ex eo genere hominum, quorum Deus scelera Hebræos armis vlcisci, non æquo marte cum eis contendere iusserat. Sed &

Licuit exprobranti insidias struere, & eundem interficere.

Procedebat, &c. illud in primis animaduersione dignum fuit, quod cùm Hebræos ad certamen prouocaret, Regi voluntatem suam significari non postulauit, ita vt exprobrare potius Saulis ignauiam, & ad defectionem militum animos sollicitare credi posset, quàm pugnā affectare: quod neutiquā tolerandum fuit. Postremò, quis maledicū tamdiu ferat? quis tanto tempore conuitijs lacessentem cohibendum non censeat; An licere volumus specie quasi certaminis offerendi, hostilem exercitum quoties quantùmque libuerit, probris omnibus maledictisque vexare, nec, cùm genus hoc pugnæ non placeat, os impudens vlla ratione posse cōpescere? Ego sic arbitror, aliquandiu dissimulato dolore, mox importunū hominē Regis imperio iure cædi potuisse.

Vesperè & manè Dæmon insidiatur. *Manè, & vesperè.*] Dæmonis præfert diligentiam, satelles ducis. Is si possit operæ ac diei primordia occupat, nec minus improbè diei ad occasum vergēti, rebúsq; iam penè perfectis insidiatur. Nam si quid malè cœptum sit, felicem exitū vix sortietur: quæ vero felicibus auspicijs primùm processerant, non rarò præpostero fine corrumpuntur. Si deuiū iter à principio ingressus fueris, ad scopū non pertinges. Nam crescit error eundo, nō minuitur. At plereq; naues quæ maris scopulos procellásque vicerant, in portu naufragium faciunt. Scorpionis nulla pars à veneno vacat: seu caudæ stimulo, seu linguæ iaculo feriat, fucum intermit. Quare nobis excubiæ sedulo agendæ sunt, & vtrumq; tempus obseruandum, ne nos primùm à pietatis studio ad vitiorum prærupta deflectat; deinde vbi nonnullos progressus in virtutum stadio fecerimus, ne veteratoris insidijs ad metas corruamus. Nam si iustus corruptelarum victus illecebris libidinem gurgite se immerserit, *iustitiæ eius*, ait Dominus, *vltrà non recordabor.*

Quadraginta diebus.] Frequēs in Scripturis numerus, & misericordiæ mysterijs consecratus. Quadragenario ieiunio Moses legis tabulas impetrauit; Elias etiam Deum videre meruit. Christus Dominus de tentatore victoriam reportauit. Quid Hebræi? Quadraginta quoque dierum mœrore atque pauore insignem triumphum adepti sunt. Non tulit Dominus verè clemens & misericors auxilium vltra differre.

Versus XVII.

Dixit autem Isai ad Dauid filium suum: Accipe fratribus tuis ephi polentæ, & decem panes istos, & curre in castra ad fratres tuos.

Versus XVIII.

Et decem formellas casei has deferes ad tribunum: & fratres tuos visitabis, si rectè agant: & cum quibus ordinati sunt, disce.

Variæ trāslat. VErsu 17. Pagninus, *Tolle nunc fratribus tuis modium polentæ huius.* Arias, *Cape nunc fratribus tuis ephah tosti huius.* Nobilius in Notis edit. Rom. translat. Septuag. Interpr. *Sume nunc fratribus tuis Oephi farinæ.* Vatablus Laurentij, A *Ephi polentæ huius.* Vatablus Salmant. *Epha tosti huius frumenti.* Alius, *Epham hanc aristarum tostarum, &c. & fac currere ad fratres tuos. Celeriter deportato.* Chald. Paraphr. *Ferto nunc fratribus tuis mensuram tosti huius, & decem tortas panis has, & deferto ad exercitum ad fratres tuos.* Septuag. edit. Aldinæ, Λάβε δὴ τοῖς ἀδελφοῖς σου οἰφὶ τοῦ ἀλφίτου καὶ δέκα ἄρτους τούτους, καὶ δράμε εἰς τὴν παρεμβολὴν καὶ δὸς τοῖς ἀδελφοῖς σου. *Cape nunc fratribus tuis oephi farinæ, & decem panes istos, & percurre ad castra, & da fratribus tuis.* Complutenses, τὸ οἰφὶ τοῦ ἀλφίτου τούτου. &c. Καὶ δράμε εἰς τὴν παρεμβολὴν πρὸς τοὺς ἀδελφούς σου. *Ephi farinæ huius, &c. Et curre ad castra ad fratres tuos.* Cum quibus ordinati, &c.

Versu 18. *Et decem formellas casei.*] *Et decem caseos lacteos hos, &c.* Arias, *Et decem formellas lactis istas.* Chaldæus, *Et decem caseos lactis istos.* B Septuag. Καὶ τὰς δέκα τρυφαλίδας τοῦ γάλακτος ταύτας. *Et decem formellas lactis has*, εἰσοίσεις τῷ χιλιάρχῳ. *deferes tribuno.* Chaldæus, *ad magistrum mille.* Arias, *principem mille.* Nobilius in Notis, *Chiliarchum. Et fratres tuos visitabis, si rectè agant: & cum quibus ordinati sunt, disce.*] Pagninus, *Et fratres tuos visitabis cum salutatione.* (Arias, & Vatablus Laurentij *in pace*) *& pignus eorum tolles.* Arias, *capies.* Chaldæus, & fratres tuos visitabis ad pacem, & bonitatem eorum afferes. Septuag. edit. Complut. Καὶ τοὺς ἀδελφούς σου ἐπισκέψῃ εἰς εἰρήνην, καὶ ὅσα ἂν χρῄζωσι γνώσῃ. *Et fratres tuos visitabis in pacem, & quibuscunque indigeant, cognosces.* Habet Aldus præterea, Καὶ τὸ σάββατον ποιήσεις μετ' ἐμοῦ. *Et sabbathum facies mecum.* Vatablus Salmant. *Inuiseque fratres tuos, num rectè valeant, accipe denique diuersi generis quadam qua* C *illis [adferas.*] Et in Schol. Hebraismus, inquit, *in pace, & pignus eorum tolle.* id est, vt scias qua sint valetudine: etsi defuerit eis pecunia, acceperintq; mutuò dato pignore, redimes pignus, Alij vertunt, *& commistionem eorum capies*, id est, scies sub quo militent. Non est tamen verisimile patrem eorum nescisse sub quo militarent. Chaldæus Paraphrastes vertit, *negotia eorum.* Hactenus Vatablus. Quàm diuersè ab eo quod in Complut. edit. legimus, *& bonitatem eorum afferes.* Lego etiam apud alium, *& arram ab eis accipito.* i. symbolum aliquod ab eis, quod me de prosperitate eorum certiorem reddat, tecum deportato.

Iam verò illud quod apud Aldum legimus, *Et sabbathum mecum facies*, tempus denotare po- D tuit, quod abeunti præscriberet, vt intra sabbathum reduci, & lætum nuncium afferenti applauderet. Poterit etiam sic intelligi, vt, siquidem Dauid bene & grauiter patris mandata exequutus esset, Isai spondeat, se cum eo festo die animum remissurum. Aut denique hoc dicere Isai interpretandus est: Matura, fili, tantisper enim dum redeas, discrucior metu, & animi ægritudine conficior: at vbi de fratrum salute certiorem me feceris, tum perturbato curis animo quietē. (hoc enim *Sabbathum* significat) ac tranquillitatem restitues. Sed redeo ad illud, *Cum quibus ordinati sint, disce.* Modo enim cùm reuoluerem, quas antè spreueram, Mūsteri Annotationes, animaduerti, Vulgatum Interpret. mordere clanculùm, dum ait: Non est, vt hic referam,

Cum qui-bus, &c.

Temerè Munsterus Vulgat. interpr. sugillat.

feram, quàm hallucinati sint in hoc loco interpretes nostri. Hoc loco scilicet eius interpretatio à Vulgata discrepat, quinimò etiam à Chald. Paraphr. & LXX. Græcis Interpr. Latinus Interpres vertit: *Et cum quibus ordinati sint, disce.* Sed Munstero non probatur, quin potius ait, *Pignus eorum tolle.* Id verò sic explicat: Accipe pecuniam tecum, vt si fratres tui rem aliquam loco pignoris exposuerint, tu impignorationem illam pecunia dissoluas. Accepit hoc scilicet ex figmentis Hebraic. Tradit. quæ S. Hieron. tribuuntur: quo loco genus illud pignoris longè aliter exponitur, quam fingit Munsterus. Pignora, inquit, (quisquis tandem sua commenta S. viro adscripserit) in hoc loco Hebræi libellos repudij intelligunt. Siquidem vsum illius gentis fuisse ferunt, vt, quando ibatur ab eis in pugnam, libellos repudij vxoribus suis darent: vt, si contigisset virum in prælio capi, & in captiuitatem duci, mulier eius, expectatis tribus annis, si vir eius non redijsset, alium duceret virum. Sic Hebræi fingunt: quàm accuratè, Lectoris esto iudicium. Hebraicè עֲרֻבָּתָם *gharubatham.* Illud verò LXX. sic interpretati sunt, vt intelligerent, ὅσα ἂν χρήζων *quibus indigeant.* Ioseph. idem cum Chald. sentit, qui illud explicat, טִיבִיהוֹן *tibehon*, *famam eorum.* Aliud verò est *fama eorum*, seu certa narratio eorum quæ gerant: aliud, res quælibet necessaria, seu qua indigeant: aliud deniq; pignus: in quo tamen explicando, qui eam significationem probant, nullomodo inter se consentiunt. Nam Munsterus quidem rem pignori datam esse vult; Traditiones illæ libellos repudij esse loquuntur; Schindlerus in Pentagl. sic explicat: Iubet pater Dauidem reddere fratribus pignus, quod ad ipsum miserant, fidem faciendi causa, cùm per nuncium peterent ad viuendum necessaria, aut si quid oppignerauerint pro alimentis. Et LXX. inquit, legerunt צָרְכָתָם *tsarechatham*, vt verterent, ὅσα ἂν χρήζων, *quibus indigeant:* à צרך *tsarak*, scilicet, vnde צֹרֶךְ *tsorek*, *necessitas.* Vulgatus Interpres ערוכתם *gharouchatham.* à ערך *gharak*, *ordinauit*, *disposuit.* Hosiander deniq; apud eundem correxit: *& mandata eorum.*

Quàm nullo fundamento niza sit Nouatorum temeritas.

Verùm his ego opus esse non censeo: satis enim recentiorum interpretum à priscis dissensio manifestè arguit, nescire eos ea dictio quam vim apud antiquos habuerit. Debuerant saltem, si fidem facere vellent, cum Græcis, aut Iosepho, Chaldæóue conuenire. Atqui Dictionaria Hebraica ita loquuntur. Sed illa quæro vnde haurire potuerint. Sunt enim illorum authores Interprete nostro posteriores: nec dudum vlla sub cœlo regio est, quæ Hebraico idiomate vtatur: nec vlli præterea libri, qui cum Interpretibus nostris pari fide & antiquitate certent, è quibus certa atque indubitata vocis Hebrææ significatio queat ostendi. Sed nec per antiquos quidem refelli poterit Vulgaris interpretatio. Nam si Græcos Interpr. obijcias, ijsdem Iosephum opponam, & Ionathan, autorem Paraphr. Chaldaicæ, qui ne ipsi quidem Hebraicæ linguæ expertes habendi sunt; tametsi in ea tempora inciderint, quibus post captiuitatem Babylonicam linguæ sanctæ puritas Syro Chaldæóq; sermone fœdata est: quæ calamitas etiam ad Septuaginta illos pertinet, sint licet his paulò antiquiores. Inueni denique qui עֲרֻבָּה *gharubah*, *castrensem tesseram* interpretatur; ita vt non incommodè exponi possit, *disce, cum quibus fratres tui copulati sint: quos habeant commilitones:* cum quibus ordinati sint: quod intelligi debuit ex castrensi tessera, qua singuli ordines, seu numeri militares, aut etiam legiones discernerentur.

Cum qui-bus, &c.

Accipe fratribus tuis ephi polentæ.] Paterna hæc indulgentia est, qua senex charissimos sibi filios prosequitur: neque tamen studet delicijs mollescere, sed necessaria studiosè suppeditat.

Quid sit Ephi.

Accipe ephi polentæ.] *Ephi* continet decem gomor. *Gomer* autem est dimensum vnius diei. Id apparet ex hist. Exodi. Quisque enim accipiebat gomer mannæ: idque erat satis cuique in diem. *Polenta.*] Vox Hebraica קָלִיא *kali* significat polentam, à verbo קָלָה *kalah*, quod est frixit: primùm enim torrebant grana, deinde frigebant, postea frangebant, postremò coquebant pultem. Hanc enim Plinius lib. 18. cap. 7. tradit rationem faciendi polentam. *Et decem panes.*] Hebraicè לֶחֶם *lechem*, à לָחַם *lacham*, quod est comedit, & consumpsit. A pascendo Latinis panis dictus est, autore Varrone. Sunt qui dictum velint quasi πᾶν, quod Græcis omne significat. nam omnibus obsonijs adhibetur, & illum omnes appetunt. πανίαν Messapij, vt aliàs ex Athenæo notauimus, satietatem repletionémque vocarunt. Vini non meminit. Testatur autem Aristoteles 1. Oeconomicῶν, plerasque gentes atque in primis Carthaginienses olim vino in bellis vsos non fuisse. Tum scilicet visa est periculosa ebrietas, quæ inuictos sæpe exercitus perdidit. At meminit Plinius panariæ cuiusdam ebrietatis, quæ Græcis ἀρτοκρεμία dicta est: verum ea magis ad mores pertinet. Nonnunquam enim mens rebus secundis elata, nimia morum licentia & dicacitate insolescit. Hoc verò vbi contigit, tum ea affectio panaria ebrietas nuncupatur. In pane conficiendo veterum studium Varro commendat his verbis: Si quantum operæ sumpsisti, vt vnus pistor bonum faceret panem, eius duodecimam Philosophiæ dedisses, ipse bonus iampridem esses factus. Nunc illum qui norunt, volunt emere millibus centum. Te qui norit, nemo centussi. *Et curre ad castra.*] Non addit: & redi ocius. Non enim tam res nouas discendi studio tenebatur, quàm eum filiorum cura sollicitabat. Ex his autem apparet, Hactenus Saulis milites, nisi fortè qui prætenturis quolibet tempore exercebantur, nulla stipendia meruisse, nec è publico annonam accepisse: sed vnumquemque priuatim bellicos sumptus tolerasse, & domesticis copijs sibi consuluisse: quod olim cùm apud maiores nostros, tum etiam Romanos priscis temporibus factitatum legimus.

Polenta. Plinius.

Panis etymolog.

Vino nonnullæ gentes in bellis abstinuerunt. Aristotel.

Panaria ebrietas.

Varro Sat. ...

Et decem formellas casei has deferes ad tribunum.] De caseo Cassiodorus hæc habet lib. Variar. 12. epist. 12. Cùm apud rerum Dominum solenni more pranderemus, & diuersæ prouinciæ de suis delitijs laudarentur, ad vina Brutiorum, & Silani casei suauitatem, currente vt assolet ser-

Cassiodor. Laudatur caseus.

ACCIPE FRATRIBVS, &c.

mone, peruentum est: quod herbarum beneficio tanta ibi naturæ iucunditate conficitur, vt non credas deesse mellis gustum, quem nulla conspicis qualitate permistum. Manat illic leuiter prouocatum lac vberibus fistulosis, & quasi in alios ventres naturæ vbertate collectum, non guttis impluit, sed quibusdam repentinis torrentibus influescit. Redolet varius & suauis odor herbarum, naribus agnoscitur pecorum pastus, qui flagrans virtute diuersa, thuris sentitur inspirare similia. Huic tanta pinguedo sociatur, vt arbitreris simul decurrere Palladium liquorem, nisi quod ab illa prasina viriditate niueo candore discernitur. Tunc cadis latè patentibus copia illa mirabilis læto nimirum pastore suscepta, cum admixtione coaguli in callosam cœperit teneritudinem condurari, ad pulcherrimũ orbem forma perducitur: quæ subterraneis aliquantulum congregata, diuturnam casei facit esse substantiam. Hoc quantocius superimpositum nauigijs destinabis, vt desiderijs Regalibus paruo munere satisfecisse videamur. Hactenus Cassiodorus.

Caseus rege munus dignum habitum.

Quod si caseus rege atque imperatore dignum munus habetur, cur tribunus non accipiat? Bubulo Augustum delectatum scribit Suetonius: caprinus tamen reliquis præstat, vt Varro docet lib. 2. de re rustica cap. 11. Nonnullas caseorum species & nomina recenset Athen. Dipnos. lib. 14 cap. 30. ξυστὸν vocat, quem rasilem dicere possis. Eidem χλωρός, viridis ac recens est, & præmollis, cuiusmodi in fiscellis circunfertur. ξηρός, caseus aridus est, coptos autem prædurus.

Athenæus

Quæritur an Quadragesimæ tempore caseo vesci liceat?

QVÆST. XXIII.

De Coagulo. Varro.

QVod spectat ad coaguli materiam, quo lac premitur, hæc Varro tradit 2. de re rustica. cap. 11. In lactis duos congios addunt coagulum magnitudine oleæ, vt coeat: quod melius leporinum, & hœdinum, quàm agninum. Alij pro coagulo addunt de fici ramo lac, & acetum. Aspergunt item alijs aliquot rebus, quod Græci appellant alij ὀπὸν, alij δάκρυον Ideo putat ad diuæ Rumæ sacellum à pastoribus satam ficum. Rumæ olim mammæ dictæ sunt. Morini nostri neque lacte ficus, neque coagulo vtuntur, sed norunt herbas quibus idem commodè fiat. Cæterùm, vt ad Varronem reuertar, In lactis, inquit, congios duos addunt tantum coaguli quanta est magnitudo oleæ. Congius porrò sextarios sex continet, heminas duodecim, quartarios 24. acetabula 48. cyathos 72. ligulas siue cochlearia 288. vt tradit Georgius Agricola, & Philander in eius epitome de ponderibus & mensuris.

Hoc cùm ita sit, mirari nonnunquam libet, quo consilio nonnulli tempore Quadragesimæ à caseis quidem abstineant qui coagulo pressi sint, reliquis, qui lacte fici aut herbarum vi coa-

A

luerint, liberè vescantur. Ratione, inquiunt, coaguli. Atqui ne lacte quidem tum vesci licet, aut etiam butyro, si Sanctæ matris Ecclesiæ autoritate duceris, præterquam ex priuilegio; tametsi hæc nullo corrumpi coagulo probè nouerimus. Lacticinijs eo tempore interdixit Ecclesia. Lactaria obiter intellige, ait Cœlius lib. 28. lect. antiq. cap. 8. quæ nunc semidoctum vulgus lacticinia vocat. Pareat pædotribæ, qui ferulam timet: nam ab heri & nudiustertius Grammaticas scholas frequentare desiuimus. Lacticinia igitur intelligimus lac ipsum, butyrum, caseum, & quæcunque ex ijsdem conficiuntur. Nam nos, qui voti rei Quadragesimalem vitam perpetuo colimus, his finibus circumscriptam legimus Regulæ cap. 6. *Carnes igitur, & pinguedo, oua, butyrum, caseus, & quæuis lacticinia, ex eisdem congesta, & producta quæcunque, intus, ac extra, sint omnino, & irrefragabiliter interdicta.* Post hæc statuit medici parendum consilio, quoties morbus ingrauescens pinguioris vitæ subsidio egere videbitur. Hæc itaque Quadragesimæ obseruatio est: his legibus ab initio consecrata, quas nos repudiatis gentis nostræ priuilegijs religiosè complectimur.

ET DECEM FORMELLAS, &c.

Lacticinijs in Quadrages. Ecclesia interdicit. Cœlius. Quæ lactaria siue lacticinia.

Regula Minimorum.

B

Priuatim sanè casei vsum prohibitum fuisse Bertoldus autor est, cùm sensim vulgi licentia erumperet, causata legis difficultatem, & nonnullis locis caseum temerè vsurparet. Nam in Appendice ad ann. M. LXXXV. In Concilio generali, inquit, Quendelburgensi sub Gregorio VII. decretum est, ne quis caseum & oua comedat in Quadragesima. Ea lex tum Germanis innouata est. Apud Græcos verò, quantum ex ijs qui S. Basilij Regulam in Oriente profitentur, & non rarò huc commeant quærendæ eleemosynæ causa, discere potuimus, nunc quoque caseo seuerè eodem tempore abstinent. Neustetaa tamen in Nomocanone, Clericorum proprium id facere videtur. Sic enim ait: Pro communione participes existant sanctificationis illuminationum, & sic ieiunium soluunt, alij quidem caseo, & ouis, mundani verò carne. Ex quo tamen non sequitur, Laicos tum caseo vesci: sed carnis esu testari solutam ieiunij religionem, quod Monachis nullo tempore licet. Nec me fugit iuniores Græcos nonnullis locis Hebdomadis cuiusdam τῆς τυροφάγου meminisse, quod verbum indicat caseo tum vti licuisse: sed vereor ne recentior ritus eius hebdomadis diuersus fuerit à vera Quadragesima; tametsi ea quoque ad ἀποκρέω, carnispriuium siue Quadragesimã pertinuisse videtur. Docet enim Triodium, τῆς τυροφάγου nuperum inuentum fuisse autore Heraclio, cùm [illegible]tas id temporis carnes ederet: sed is scilicèt tale votum nuncuparat, cùm peregrinæ militiæ pertæsus, Persas iam sexennium Romano Imperio graues, & Chosroen victorijs insolentem, manifesto numinis auxilio fregit ac deuicit. Accipe eiusdem Triodij testimonium. Περὶ μὲν τοι τῆς τυροφάγου φασί τινες τὸν βασιλέα Ηράκλειον ὀντάξαι, κρεωφάγον οὖσαν τὸ πρότερον. Κατὰ Χοσρόου γὰρ καὶ [illegible] ἔτι [illegible] εἶναι [illegible] πόνους, εὔξατο τῷ θεῷ, εἰ κατ' ἐκείνου [illegible], ταύτην μεταμεῖψαι, καὶ μεταξὺ τυρίας καὶ βρώσεως κατα[illegible].

Bertoldus. Caseus quando priuatim prohibitus.

C

Græci quoque caseo abstinent.

Meursius in Gloss. Græco barbaro, in ἀποκρέως & τυροφάγος.

D

Septimana τῆς τυροφάγου apud Græcos ad Quadrages. non pertinuit

Itaque

ET DECEM FORMEL-LAS, &c.

Nicon.

Itaque plures, vt nouum illud, & ab Imperatore institutum, repudiarunt. De Armenijs testatur Nicon de Relig. Armen. Septimana quoque, ait, τῇ τυροφάγῳ carne vescuntur, ieiunantes septimana quæ est ante ἀπόκρεω intensis ieiunijs, præter panem & aquam nihil aliud gustantes. Tetraditæ contra, κατὰ τὴν ἑβδομάδα τῆς τυροφάγου πεινῶσιν οἱ τετραδῖται οἱ αἱρετικοὶ νηστείας μεγάλας.

Balsamon.

Balsamon in Resp. ad Marc Patriarch. Alexandrinum, Tetraditæ, inquit, hæretici per hebdomadam τῆς τυροφάγου magno ieiunio se macerant. Ex quibus sequitur, vt tota ea septimana, quæ ab esu casei nomen accepit, & ab Heraclio primùm instituta est, neque Græci seuerè admodum ieiunarent, quod Tetraditæ faciunt: neque mensas carnibus extruerent instar Armeniorum: sed moderato victu sibi consulerent, abdicatis quidem lautioribus cibis, caseo autem lactarijsque concessis. Cæterùm Græcos vtrunque de ea re senserint, nihil moramur: suum illi morem obtineant. Neque enim absurdum quicquam aut à religione alienum putamus, si in quibusdam quæ Ecclesiastico iure statuta sunt, diuersi diuersa sequuti sint. Nobis certè qui à Romanis primùm fidei præceptis imbuti sumus, à Romana consuetudine nec latum vnguem discedere licuit, quam ab initio Apostolica traditio induxerat, & plures deinde Synodi atque Summi Pontifices autoritate sua confirmarunt. Quorum omnium decretis, non caseo magis quàm butyro aut etiam lacte interdictum est. Vnde fit, vt videre omnino nequeam, illa coaguli exceptio qua nónulli suum errorem tuentur, ad eam rem quantum momenti habeat.

Friuola ratio quæ petitur ex permistione coaguli, cùm minima quantitate permisceatur.

Nam quod nulla ratio inde peti possit, cur aliàs quidem vtantur caseo, aliàs abstineant, manifestè ostendi potest ex ijs, quæ paulò antea ex Varrone retulimus. Docet enim coagulum minima quantitate commisceri, ita vt eius ratio si homines sumus nulla haberi debeat. Neque enim Ecclesiasticæ leges diuinis seueriores sunt. Materiæ leuitas, si doctoribus fidem habemus, à peccato excusat. Veruntamen inquis, *modicum fermenti* Apostolo teste *totam massam corrumpit*. Adde his, & in eam speciem immutat, quæ lege vetita est: quod caseo non contigit. Neque enim est vlla lex, quæ concretum coagulo caseum prohibeat. Sed caseus ipse, quia lac concretum est, quia manat à carne, & à carneo animali ducit originem, ab vsu Quadragesimæ reiectus est. Religio cùm syncera esse debeat, à superstitione secernenda est. Eo morbo mihi laborare videntur nonnulli simpliciores fratres nostri, quos vidi cùm peregrè profecti apud laicos diuersarentur, obstinato animo cibos auersari, quos vel per imprudentiam cochlear fortè raro adipe inunctum attigisset, vel aspersisset guttula iuris alieni. Si data opera, studium probarem: aliàs sanè & laicis scandalum pariunt tanquam Iudæos æmulemur, & socijs fratribus vehementer incommodant, cùm labore & inedia fractis, & quod oppidò lassis vsu venire solet, fatiscente appetitu, aridi panis crustulum arrodendum sit: nec raro ad multam noctem soluendæ amicorum quæstiones, & familia docenda. Sed emergamus ex his scopulis, etsi ita videtur.

ET DECEM FORMEL-LAS, &c.

Quid sit coagulum.

Quantitatis coaguli nulla ratio habeatur: Quæro tandem quid esse possit ipsum coagulum, quamobrem vbi lac coëgerit, iam illo vti per Quadragesimam non liceat? Hoc vnum suspicor, propterea quod ex animali eductum sit, aut carnem, aut adipem, aut nescio quid aliud ad carnem attinens videri. Sed qui hæc asserunt, docti licet appareant, plurimùm opinione falluntur. Nam lac ipsum quoque animalis vberibus elicitur, & quidem naturæ longè maiori studio elaboratum quàm coagulum. nam de coagulo loquimur, non vt idem lactis copia est, sed vt in ventriculo lactentis vituli chyli formam induit. Si tamen chyli: nam qui coagulum seruare cupiunt, mox vt vitulum lacte potauerint, ferè post horæ quadrantem eundem iugulant, ita vt hactenus aut nihil aliud quàm lac, aut eo minus quippiam videri queat. Medici profectò ita definiunt, quibus à πυτία & τάμισος Græcè dicitur. Aristoteles lib. 3. de histor. animal. πυτίαν appellat, & lactis substantiam esse asserit in lactentis ventriculo concretam. Mox enim vt ventriculi sinibus lac haustum receptum est, eius pars caseosa, sic illam vocant, loculi natiuo calore coit. Inde ignem acrimoniámque concipit, quibus cùm reliquo lacti admixtum est, serum à reliquis partibus separat, & vnà cogit. At verò lac ipsum primùm sanguis est: sanguinis verò materia chylus à ventriculo concoctus, & à venis mesaraicis præparatus, subinde etiam ab hepate elaboratus, donec simili colore tinctus sanguis euadat. Postea in venas distributus, & per omnes partes fusus, superfluus & inutilis nec alia re quàm copia molestus, apud mammas deponitur, vbi glandularum beneficio colore immutatur, & lactis naturam noménque recipit. Ex quibus manifestè colligitur, si carnis contagia vites, à lacte matris potius quàm vituli coagulo abstinere oportere. Quod si coagulum doctorum iudicio species quædam carnis habenda esset, attamen illud in mentem venire debuerat, non quasi cibum, sed pharmacum, ad lactis efficiendam concretionem assumi.

Aristoteles.

Coaguli substantia.

Quid lac, quid sanguis.

Vt pharmacum adhibetur.

Priuilegiũ Galliarum.

Addam postremò eo priuilegio, quo in Gallia præter Ecclesiæ Romanæ consuetudinem lacte & butyro in Quadragesima vesci licet, nullam coaguli exceptionem esse factam: sed lacticiniorum nomine caseum quoque contineri, quomodo in Gallia fingi vsu communi solet. Quæsita est ea indulgentia tenuibus præsertim ac rusticis, quæ verè frustrà est, si iubes miseri Hollandicos caseos comparent: quin butyrum proprium pretio distrahunt. At caseis recentibus, quos molles dicunt, tanquam vilioribus familiam alunt, cùm interim totos dies, Domini mei, repando dorso circa vites vestras fodiant, & sulcos arent. Non rarò tota Quadragesima sæuit hiems; olera cœli inclementiam verita emergere non audent; fructus etiam arborum in annum conditi gelu corrumpuntur; & nescio quo loci genio rapacibus bellis perpetuò conflictamur; ita vt falsò quisquam somniet copiosos agricolas: &

ET DECEM FORMELLAS, &c.

tamen iubes exoticas delicias consectari. Veteres Episcopos mouerat populi inopia, vt suis gregibus à summis Pontificibus lacticiniorum vsum impetrarent. Hac potestate nonnulli ita vsi sunt, vt lac quidem & butyrum licere omnes intelligerent, casei tum potestatem fieri, cùm ob aliarum rerum penuriam Episcopus ediceret. An singulæ diœceses id priuatim concedi sibi obtinuerint; an plures aliarum exemplo eandem licentiam vsurparint, affirmare non audeo. Rothomagi cùm in alma æde conciones haberem Quadragesimales, & quod imperatum erat non fecissem in capite ieiunij, vt caseo plebi interdicerem, rogaui, vt inspiciendæ bullæ mihi potestas fieret. Veruntamen in Chartophilacium admissus non sum: sed ab ijs qui eandem consulere iussi sunt, renuntiatum est, lacticinijs concessis caseum exceptum non videri. Eadem formula conceptisque verbis alteri Episcopatui indultum legi. Nec tamen in dubium reuoco, possintne Episcopi frenos addere licentiæ. Nam quod populo concessum est, Pastoris prudentiæ permissum intelligitur; vt eo grex religiosè vti, non abuti possit.

Ita sequenda loci cõsuetudo, vel expectãda Episcopi autoritas

Et cum quibus ordinati sunt, disce.] De tribunis priore tomo diximus, capite octauo, De dispositione ordinum Xenophon lib. 2. Cyropæd. Tabernacula, inquit, parauit militibus Cyrus, tum multitudine pro numero centurionum ordinum, tum magnitudine, vt in singulis ordinibus satis essent. Erat autem ordo quilibet centum viri. Ita igitur pro ordinibus erant in tabernaculis. Videbantur hi citò hanc vtilitatem consequi ad futurum certamen, quod inuicem se aspicerent similiter ali: neque ea inesset excusatio, quod propterea alius alio sit aduersus hostes timidior, quoniam minus bene tractetur. Videbantur etiam iuuari, quòd simul habitantes se inuicem cognoscerent: at in mutua notitia innascitur nobis omnibus verecundia. Qui autem ignorantur, videntur procliuiores quodammodo ad desidiam, tanquam versentur in tenebris. Videbantur etiam Cyro maximam consequi vtilitatem ad ordines diligenter exquirendos propter contubernium. Habebant enim & ordinum centuriones sub sese ordines ornatos, quando singillatim ordo proficisceretur, & primipili manipulos eodem modo, & decuriones decurias, & quincuriones quincurias. Constituere autem ordines diligenter, visum est ei plurimùm conducere, & ad non turbandum, & vt celeriùs restituerentur, si turbati essent, veluti & lapides & ligna si copulari oporteat, ea vtcunque prostrata fuerint, facillimè coaptantur, si manifestas habeant notas, ex quo sit loco ipsorum quodque. Quod simul alerentur, videbantur ei etiam vtiliter agere, vt minus inuicem se desererent, quod intueretur bestias quoque simul enutritas incredibili duci sociarum desiderio, si quis eas ab inuicem distraheret.

Xenoph.

Quomodo à Cyro in castris ordinati milites.

Ratio contuberniorum.

Romanorum contubernia denis tantum militibus constabant, quibus decanus præerat, vt docet Vegetius lib. 2. de re militari, cap. 8.

A Qui eiusdem contubernij censebantur milites, contubernales dicti sunt. Commanipulares, & commanipulones Spartianus & alij vocant, Ammianus non semel concorporales.

DERELINQVENS ERGO, &c.

VERSVS XIX.

Saul autem, & illi, & omnes filij Israël, in Valle Terebinthi pugnabant aduersum Philisthijm.

VERSVS XX.

B Surrexit itaque Dauid manè, & commendauit gregem custodi: & onustus abijt, sicut præceperat ei Isai. Et venit ad locum Magala, & ad exercitum, qui egressus ad pugnam vociferatus erat in certamine.

VERSVS XXI.

Direxerat enim aciem Israël, sed & Philisthijm ex aduerso fuerant præparati.

VERSVS XXII.

C Derelinquens ergo Dauid vasa, quæ attulerat, sub manu custodis ad sarcinas, cucurrit ad locum certaminis, & interrogabat si omnia rectè agerentur circa fratres suos.

VErsu 19. Singuli, vt prius, suam interpretationem tuentur. Vulgatus, *in Valle terebinthi* Pagninus, & Vatabl. Laurent. *in valle Elah.* Græci, ἐν τῇ κοιλάδι τῆς δρυός. Complutens. Rom. & Vatabl Salmant. *in valle quercus.* Chaldæus, *in planitie glandis.* Vers. 20. *Manè.*] Vatablus Laurent *summo manè.* Pagninus, *manè in diluculo.* Chaldæus, *& anticipauit Dauid in mane.* Καὶ ὤρθρισε Δαυὶδ τὸ πρωΐ. *Et diluculo surrexit Dauid manè. Et commendauit gregem custodi.*] Arias, *Et reliquit pecus super custodientem* Alias, *penes custodem.* Vatablus in Ecphrasi, *iuxta custodem*, id est, commendauit gregem custodi. Chaldæus, *Et reliquit pecus super custodiam.* Græci, Καὶ ἀφῆκε τὰ πρόβατα ἐπὶ φύλακι. *Et dimisit oues in custodia. Et onustus abijt.*] Pagninus & Vatab. Laurent. *Et onerauit sese, & abijt.* Chaldæus, *Et tulit, & abijt, sicut iussit illum Isai.* Arias, *Et portauit, & abijt, quemadmodum præceperat ei. Isai.* Græci, Καὶ ἔλαβε καὶ ἀπῆλθε. *Et sumpsit, & abijt.* Vatablus Salmant. *Et accepit [hæc] abijt quemadmodum, &c. Et venit ad locum Magala.*] Pagninus

Variæ trãslat.

D

Svrrexit itaque, &c.

nus, *Et venit ad vallum*. Vatablus Salmant. addit, *castrorum*. & in ecphrasi, id est, ad locum in quo tentoria fixerant Israëlitæ. Alter, *ad plaustrorum ambitum*. i. ad locum impedimentorum, quibus castra circumuallata erant, vt infrà 26. 5. synecdoche: plaustra pro omni impedimentorum genere. Chaldæus, *Et venit ad castra*. Septuaginta: καὶ ἦλθεν εἰς τὴν στρογγύλωσιν. *Et venit in rotunditatem*, eodem sensu. *Vociferatus erat in certamine.*] Chaldæus, *Et clanxerunt in prælio*. Septuaginta, καὶ ἠλάλαξαν ἐπὶ τῷ πολέμῳ. Ea vociferatio *barritus vocatur*. Vatabl. Salmant. *Classicúmque canebant ad pugnam.*

Versu vigesimo primo, Chaldæus, *Et ordinauerunt Israel & Pelistæi ordinem ad occursum ordinis.* Versu vigesimo secundo, Septuaginta, ἀπέθηκε δὲ Δαυὶδ τὰ σκεύη αὐτοῦ ἀφ' ἑαυτοῦ ἐπὶ χεῖρα τοῦ φύλακος. *Deponens autem Dauid vasa sua à se super manum custodis.* Ita legit Aldus. Complutenses, καὶ ἀφῆκεν Δαυὶδ τὰ σκεύη αὐτοῦ ἀφ' ἑαυτοῦ ἐπὶ χεῖρα τοῦ σκευοφύλακος. *Et dereliquit Dauid vasa sua à seipso in manu custodis ad sarcinas, & c.* Deinceps vtraque editio, ἔδραμεν εἰς τὴν παράταξιν, καὶ ἦλθε, καὶ ἠρώτησε τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ εἰς εἰρήνην. *Cucurrit ad aciem, & venit, & interrogauit fratres suos in pace.* Complutenses, τὰ εἰς εἰρήνην *quæ ad pacem*. Chaldæus, *Et reliquit Dauid vasa quæ super se super manum custodis vasorum, & cucurrit ad ordinem; & venit, & rogauit fratribus suis ad pacem.* שׁוֹמֵר הַכֵּלִים *somer, hachelim. custodis supellectilium*; Pagninus; *vasorum*, Arias; *impedimentorum*, Vatablus Laurentij. *Et interrogabat si omnia rectè agerentur circa fratres suos.*] Pagninus, & Vatablus Laurentij, *Et salutauit fratres suos pacificè.* Arias, *Et optauit fratribus suis ad pacem.* Vatablus Salmant. ita legit, *Dauid ergo abiectis armis à se in manum cuiusdam custodientis arma, cucurrit in aciem: veniénsque interrogat de fratribus suis, num salui essent.* Et in Schol. *Dereliquit sarcinam (depositam) de super se in manu custodis vasorum, & cucurrit, &c.* id est, deposuit sarcinam suam apud eum, qui præerat impedimentis custodiendis. ita Vatablus. Alius: ea quæ ad fratres, & ducem militarem attulerat. *Et adueniens interrogauit fratres suos de prosperitate.*

Illud porrò quod pugnasse feruntur versu decimo nono, non ita intelligendum est, tanquam instructæ acies vniuersis copijs confligerent, sed leuioribus fortè prælijs milites exercebantur. Septuaginta vertunt πολεμοῦντες, *bellum gerentes*, quod etiam tum verè dicitur, cùm exercitus à pugna abstinent. Dictio Hebraïca לָחַם *lahham* idem est, ac *bellum gessit*, aduersatus est, pugnauit; quod etiam aliàs *comedit* significat, vnde & לֶחֶם *lehhem*, cibus, panis, epulæ: & ratio etymologiæ ea esse videtur, quam indicat Dauid libro secundo Regum, capite vndecimo, versu vigesimo quinto; quod *nunc hunc, nunc illum edat*, siue *consumat gladius*. Syriaca forsan eiusdem verbi notatio huic loco magis conueniat: Syris quippe לְחַם *lahhem*, insidiari, minariq; significat.

Belli Hebr. & Syriac. etymolog

Diuinæ prouidentiæ mira œconomia.

Surrexit itaque Dauid manè, &c.] Hîc videre possumus, Deum, postquam aliquem ad aliquem finem prædestinauit, sæpè quædam interponere, quæ planè videri possint contraria. Decreuerat Dauidem fore Regem, qui tamen post vnctionem ad oues rediјt, postea effecit, vt accerseretur in aulam. Ibi iam aliqua spes offertur, fore aliquando, quod Deus promiserat. Sed non ita multò post ab aula remittitur ad pecudes. Hic rursus omnis illa prior spes euertitur. Posteà in castra mittitur ad fratres: non quidem vt pugnet, sed tantùm vt fratribus inseruiat. Ita Deus sæpè res administrat. Nos tamen, etsi omnia aduersa cadere videantur, tamen non debemus animo succumbere. Res permittenda est Deo: quicquid erit, ille eò perducet, quo decreuit.

Vociferatus erat, &c.

Suidas in ἐνυάλιος.

Vociferatus erat in certamine.] Arrhianus apud Suidam: οἱ δὲ τῷ ἐνυαλίῳ ἀλαλάξαντες ἐνέπιπτον [illegible]. Illi verò, cùm in Enyalij honorem clamorem bellicum sustulissent, in hostes aduersi ferebantur. Et rursus: Phalange ex seipsis facta, hostes cursu inuaserunt, ἀλαλάξαντες τῷ ἐνυαλίῳ, militariter exclamantes in honorem Enyalij. Sophocles porrò in Aiace distinguit Martem ab Enyalio, vt alterum Deum maioris Dei ministrum. Is quoque fuit πολεμιστής, Deus bellicus. Hunc olim Ethnici prælium commissuri, insanis, vt aiebant, clamoribus venerabantur. At non item Israëlitæ, qui solum Deum, tum maximè cùm in discrimen venerant, colebant. Ipsi tamen etiam barritum (barditum alij malunt) pugnaturi frequentabant. Sunt verò qui putent, hoc esse meticulosi animi indicium. Siquidem teste Solino Polyhist. timor vocis est incitamentum: quam non solùm acuit, sed etiam, si nunquam fuerit, extorquet. Inde prouerbium: timidiusculos canes latrare magis quàm mordere. Israëlitas certè fuisse terrore perculsos, non semel hoc capite Scriptura testatur. Attamen etiam fortibus barritum probari intelligo. Nam Iulius Cæsar in Comment. Est, inquit, quædam animi incitatio, atque alacritas naturalis innata omnibus, quæ pugnæ studio incenditur, hanc non reprimere, sed augere Imperatores debent. Neque frustrà antiquitus institutum est, vt signa vndique concinerent, clamorémque vniuersi tollerent, quibus & hostes terreri, & suos incitari existimauerunt. Cato senior cùm doceret iuuenes intrepidè pugnare, dicere solebat, Verba plus quàm gladium, & voces plus quàm manum hostes in fugam vertere, attonitósque reddere. Coriolanum describit Plutarchus in eius vita, non tantùm manu promptum, ictúq; timendum: sed & vocis sono, & aspectu hosti terribilem. Fusos equitatus, auersos falcatos currus, auésque ex aëre deiectas, ingenti multitudinis clamore accepimus. Nec mirum vehementiori sono turbari posse, quæ auribus prædita sunt, cùm aëre impacto auditus constet: sed illud planè admiratione dignum, eodem clamore terreri quidem alios, alios verò incitari.

Barrit9 pugnā capessentium.

Barritus Cæsari magnisq; ducibus probatur.

VERSUS XXIII.

Cúmque adhuc ille loqueretur eis, apparuit vir ille spurius ascendens, Goliath nomine Philisthæus, de Geth, de castris Philisthinorum: & loquente eo, hæc eadem verba audiuit Dauid.

Variæ trãslat.

APparuit vir ille spurius.] Dissentiunt à Vulgat. reliqui Interpretes, vt prius. Pagninus, *Ecce vir stans inter duas acies.* Arias, *Et ecce vir inter vtrosque.* Vatablus, *Vir ille intermedius.* Chaldæus, *Vir de-inter eos.* Alter quidam, *Et ecce vir ille duellator.* Septuaginta edit. Complut. καὶ ἰδοὺ ἀνὴρ ὁ μεσαῖος. *Et ecce vir medius.* Aldus, ἰδοὺ ὁ ἀνὴρ ὁ ἀμεσσαῖος. Nobilius in Notis edit. Romanæ translat. Latin. septuaginta Interpr. *Ecce vir Amessæus.* Fortassis α. illud initio epitheti temerè additum est, & concurrunt duæ istæ editiones. Nulla *spurium* vocat cum Vulgata. Idem nomen Hebraïcum בנים *benaym*, cuius significationem suprà versu quarto, quantum fieri à nobis potuit, inuestigauimus. Quod si cui fortè necdum satisfactum est, nec probat nothum ac spurium, Hebraïcè *virum* dici potuisse *de medio*, iudicet, an potius à בן *ben*, ea vox deduci possit, cuius duale בנים *benaym*, plurale בנים *banim*. Fortè enim, cùm ex vulgi opinione, scorti filius plures habere patres dicendus esset, ipse contrà per antiphrasin *filij* duali numero dictus est.

Ascendens de castris Philistinorum.] Chaldæus, *Ascendit ex ordinibus Pelisthæorum.* Vatabl. Salmant. pariter interpretatur, & in Schol. *de copijs.* At Vatabl. Laurent. cum Pagnino *de aciebus.* Septuaginta edit. Ald. ἀνέβαινεν ἐκ τῶν παρατάξεων τῶν ἀλλοφύλων. Nobilius in Notis, *Ascendebat ex aciebus alienigenarum.* Complutenses singulari numero ἐκ τῆς παρατάξεως. *de acie.* Solus Arias apud Pagninũ, *de graminetis.* ממערות *mimmagharoth*, nòn autem ממערכות *mimmagharchoth*; qua posteriori voce, vtroque numero Scriptura sæpius vtitur hoc eodem capite, cùm acies dicere voluit. Hebręis, in plurali numero, מערכות *magharachoth*, *ordines*, *acies* significat, à verbo ערך *gharach*, quod est *ordinauit, instruxit, ordine disposuit.* ערות *gharoth* verò, cui כ deest, quod in priori dictione reperitur, originem ducit à verbo התערה *hithghareh*, hithpael verbi ערה *gharah*, quod in illa coniugatione *viruit, graminauit, humectatus fuit*, significat, ac proinde ערות *gharoth* etiam *loca humida, & gramineta* denotat. Quare, cùm in valle Palæstini castra posuissent, vt suprà legimus, qui locus vt plurimùm aquis abundat, & gramine, & is locus septuaginta Interpretibus notus esset, vt pote qui eandem regionem incolerent, nil mirum, si locum ipsum castrorum, quo maiorem lucem historiæ afferent, *castra* dicere maluerunt. Tametsi hoc etiam animaduerto, Complutenses Hebraïcè legere ממערכות *mimmagharkoth*, inserto *Caph*, quod desiderare ipsum *schema* videtur, quod sub litera *res* Arias ipse reliquit. Ac proinde optima nostra translatio, quæ etiam cum antiquioribus consentit.

Optima vulgata translatio.

APPARUIT VIR ILLE, &c.

Meretricis olim vestis prodebat.

Apparuit vir ille spurius.] Vulgari meretrice natus. nam tales olim fuisse apud omnes gentes historiæ memorant, quæ vel solo habitu noscerentur. Geneseos capite trigesimo octauo: *Depositis Tamar viduitatis vestibus, theristrum induit, seditque in biuio itineris. Quam cùm vidisset, suspicatus est esse meretricem.* Et sanè Isidorus libro decimonono Etymol. meretricis signum fuisse, ait pallium lineum, quo matronę in adulterio deprehensæ induerentur. Tertullianus etiam in Pallio, vbi de Hercule in sinu Omphales lasciuiente, theristrum ei dat quasi meretrici. Ea vestis æstiualis fuit. Scorta diuersarum gentium plusibus locis Prophetæ describunt quæ nunc consectari necesse non est: de Babylonicis hæc tantùm delibasse sufficiat, quæ refert Baruch capite sexto, versu 42. & 43. *Mulieres autem circumdatæ funibus in vijs sedent, succendentes ossa oliuarum. Cùm autem aliqua ex ipsis attracta ab aliquo transeunte dormierit cum illo, proximæ suæ exprobrat, quod ea non sit digna habita, sicut ipsa, neque funis eius diruptus sit.* Apud Romanos, prô pudor! etiam palàm ac publicè solennibus formulis conceptisque verbis eam infamiam profitebantur. Quare etiam professas vocat in Fastis Ouidius:

Tertull.

Professæ meretrices olim fuerunt.

Ouid.

Numina Vulgares Veneris celebrate puellæ:
Multa professarum quæstibus apta Venus.

Et item Heliogabalus, si fortè eius oratio est, quæ eiusdem nomini adscribitur. Vos, inquit, quæ hanc religionem professæ, nomina vestra in matriculis scribenda publicè tradidistis, &c. Nec voce tenus impudicitiam professæ, nomen præterea, vt docet Seneca libro secundo, Controuer. 2. pependit in fronte, cellisque titulus inscriptus est. Tam proiectę libidinis atque turpitudinis exemplum habet Tacitus libro secundo Annalium, capite duodecimo. Vistilia, inquit, prætoria familia genita, licentiam stupri apud Ædiles vulgauerat, more inter veteres recepto, qui satis pœnarum aduersus impudicas in ipsa professione flagitij credebant. Hæc ibi Tacitus. Quo loco Ludouicus Aurelius in suis Nouis Cogitat. turpes & obscœnos ritus, quibus hæ lupæ popularium libidinum, vt eas Tertullianus appellat, Veneri atque impudicitiæ initiarentur, vti multarum rerum callentem ac doctum virum decuit, accuratissimè describit. Quibus etiam hæc addit: Ita ergo amictæ ad maiorem pudorem, turpi & obscœno iureiurando profitebantur impudicitiam, æternùm repudiato pudore, & verecundia & eierata pudicitia: &, vt maior esset suffusio, coram Ædilibus & populo coram, quod in actis publicis scriptum æternam eis ignominiam inurebat. Hæc ille pluribus, & quoad res tulit, eleganti penicillo depinxit: Nos illud magis quærimus, num professis meretricibus licuerit aliquando abuti.

Seneca.

Tacitus.

Lud Aurel.

An

An fornicatio peccatum sit, & diuina lege prohibita?

Refellantur argumenta, quæ negantem partem tueri videntur.

QVÆST. XXIV.

Prima obiectio confutatur.

QVi negant, pluribus argumentis nituntur. Primum enim dicunt, Scortatio in Actis Apostolorum, capite decimo quinto, illis rebus accensetur, quæ sua natura non sunt malæ, vt sanguine, suffocato, & idolothytis, à quibus pariter temperare iubentur, qui tum ex Ethnicis ad Ecclesiam accedebant. Nulla enim creatura Dei mala est, vt docet Apostolus ad Timotheum quæ cum gratiarum actione percipitur. Quare scortatio non erit peccatum, cùm ijs rebus annumeretur. Sed ratio hæc infirma est: non enim hæc ab Apostolis recensentur, quod in omnibus sit par ratio culpæ, sed quod ea omnia vsurpata facerent eo tempore ad Ecclesiam perturbandam. Iudæi ex consuetudine suæ legis abstinebant à sanguine, & suffocato: Ethnici verò nihili faciebant scortationem. Quare vt inter omnes pax coalesceret, decreuerunt, vt ab hisce rebus abstinerent. Ex quo non consequitur hæc omnia esse paris culpæ, sed potius id licet inferre, omnia hæc fecisse ad labefactandam Ecclesiæ concordiam.

Oseæ c. 1. Argumentũ 2. refellitur.

Deinde verò obijciunt, Deum non iubere peccata: sed Osee Prophetæ mandauit, vt consuetudinem haberet cum scorto. Respondeo, Omne peccatum eo ipso peccatum est, quo verbo Dei aduersatur. At si Deus iubeat aliquid priuatim fieri, quod alioquin à verbo scripto dissideat, id profectò non est peccatum, quia non pugnat in vniuersum cum verbo Dei, quoniam etsi dissidet à scripto, non discrepat à reuelato. Peccatum est rem alienam auferre. Deus Hebræis egressuris ex Ægypto imperauit, vt supellectilem & argentea vasa mutuò sumerent ab Ægyptijs, & secum auferrent: quod illi citra peccatum fecerunt. Homicidium quoque peccatum esse nemo ambigit. Et tamen Abraham, si filium suum Dei mandato sacrificasset, quod facere paratus erat, minimè peccasset. Idem concludimus de Osee Propheta: Si Dei iussu scortatus est, scortationem eius non fuisse peccatum. Scio fuisse qui putarint, Osee non esse iussum scortari, sed scortum vxorem ducere: sed id non conuenit: nam sequitur, *Et fac tibi filios fornicationum.* Filij eo modo suscepti, nimirum ex legitima vxore, non fuissent *filij fornicationum.* Melius ista sanctus Hieronymus interpretatur ἀλληγορικῶς, atque ait, hac imagine expressam nequitiam Iudæorum, qui Deum communem maritum deseruissent, & cum idolis Gentium scortati essent, & filios procreassent nothos & spurios, quod ad cultum & religionem Dei attinet.

S. Hieron.

Tertiũ argum. contrarium.

Tertiò sic quoque colligunt carere culpa fornicationem. Omne peccatum aduersatur charitati, quam debemus vel Deo, vel proximo. At in scortatione aduersus Deum nihil videtur committi: eius enim cultus & religio non læditur. Nec etiam contra proximum: vis enim eius vxori non affertur: neque violenta intercedit oppressio. Hæc illi. At nos de Deo postea videbimus, cùm veram sententiam asseremus. Quod spectat ad proximum, manifestè hæc tota ratiocinatio falsa est: aduersatur enim hoc scelus matrimonio. Nam qui vagas libidines & scorta sectantur, à matrimonio contrahendo sunt alieni. Inde Comicus ait: Qui amant, ægrè sibi ferunt vxorem dari. Et Clemens ait: Scortatio abducit ab vno matrimonio ad multa, hoc est, ab vna legitima coniunctione, ad multas illegitimas & nefarias. Epistola ad Hebræos, scortatores cum adulteris coniungit, & Deum testatur eos iudicaturum. Atque adeò coniunguntur ea duo vitia, vt sub eodem præcepto comprehendantur, quod dictum est: *Non mœchaberis.* Aduersatur item hæc pestis & charitati, & Reipublicæ. Charitati sanè, quod iniuriam scortatores faciant suis liberis, qui cùm legitimè non procreentur, vix vnquam ingenuè ac liberaliter educantur. Rempublicam verò lædũt, quòd eam fraudent bonis ciuibus. *Manzer* enim, spurius inquam, & ex scorto natus, in Ecclesiam recipi prohibetur, non quòd à communione sacra, vel à mysterijs salutis arceatur: sed quòd illi non liceat Rempublicam gerere, ac cęteris annumerari ciuibus. Cùm itaque scelus hoc & matrimonio, & charitati, & Reipublicæ aduersetur, grauissimum peccatum esse non potest negari.

Confutatio

Quartũ argum. malè petitur ex S. August.

Quartò etiam hoc docet Augustinus in libro de bono coniugali, Quod cibus est corpori, concubitus est ad procreationem: sed pluscu-lum comedere aut bibere, non est graue peccatum: ergo nec scortatio. Similitudo ex omni parte non conuenit, sed tantùm ex parte valet ad quam subijcitur. Et sanè qui paulò plusquàm oportet comedit & bibit, non statim valetudinem corporis amittit: sed qui aberrat in concubitu, & scortatur, non rarò filium è vestigio procreat, quem afficit iniuria, quòd eius culpa nothus edatur in lucem. Deinde praua educatio succedit, & ita charitas læditur. Possem etiam dicere: Vt malus & vitiosus cibus perdit corpus (nam Adamus esu prohibiti fructus posteritatem suam vitiauit) ita scortatio animam perimit.

Quintũ argumẽtum.

Quintò, ea quæ Deus vt peccata prohibuit, tam clara sunt, & perspicua, vt lumine naturæ quilibet intelligere possit ea esse peccata: sed fornicatio humano iudicio non ita iudicatur, & multi arbitrantur eam non esse peccatum. Mitio apud Terentium in Comœdia sic ait: Non est flagitium, mihi crede, adolescentulum scortari. Et in Ecclesia Corinthiaca non defuerunt, qui sic opinarentur. Sed hoc iterum nihil est. Nam Dei præcepta iusta esse à natura cognosci possunt, sed incorrupta & integra; cùm vitiosa non rarò peccata pro virtutibus probet. Etenim apud Lacedæmonios furtum laudabatur, & vt Thucydides autor est, apud Græcos veteres Pi-

Cõfutatio.

APPARVIT VIR ILLE, &c. ratica virtus putabatur. Præcepta ergo Dei iusta & honesta possunt à natura cognosci, sed instructa & formata verbo ac spiritu Dei: alioquin, vt testatur Paulus, *Homo animalis non agnoscit quæ Dei sunt.* Vel etiam aliter accipe. Lumen naturale omnium consensu illud est, *Alteri ne feceris quod tibi fieri non vis.* Hinc furtum nouimus iustè prohiberi: quoniam rei alienæ fraudulenta tractatio est, quam nemo ferat æquanimiter in propria. Quid fornicatio, an non hæc quoque irrogassit iniuriam? An quisquam spurius audire velit, laborare infamia, hæreditate priuari? Quod si eum naturæ statum spectes, in quo nemo proprium quicquam habuit, tum profectò intelligere non poteris, cur quisquam vetet in rem propriam aliena conuertere. Finge animo priora quædam tempora, quibus temporibus neque matrimonium institutum fuerit, neque legitimi concubitus vlla ratio habita, tum frustrà videbitur fornicatio vetari. Nunc verò postquam diuinas leges, & connubiorum iura perspeximus, si naturæ lege interdictum nouimus ne quem violemus iniuria, simul etiam nouimus scortationem non esse sectandam.

Probatur ex Veteri Testamento fornicationem esse peccatum.

QVÆST. XXV.

Sextum argum. & Catholicæ sententiæ confirmatio.

SEd in lege, inquiunt, nihil aduersus eam sancitum est. Quando ex lege volunt agere, inde quoque proferam testimonia, ex quibus intelligi possit, scortationem esse prohibitam. In lib. Leuit. Num. Deuteron. Iudæi prohibentur *adiungere sibi mulieres alienigenas.* Rursus in Deuteronom. capite vigesimo tertio præcipitur, *ne sit vlla meretrix aut prostituta in Israel.* Hæc loca inter se coniungantur. Non licebat habere meretrices, nec alienigenas, neque Israëliticas: igitur omnes interdicebantur. Sed hunc locum Deuteronomij capite vigesimo tertio, versu decimo septimo, nonnulli conantur nobis è manibus extorquere, dum aiunt, Hebraica vocabula קדש & קדשה *kadesc* & *kedescah*, non esse scorta, seu meretrices; imo sacerdotes Priapi, rebus turpissimis deuotos, & consecratos. Veruntamen præter Vulgatum, Santes Pagninus קדשה *kedescah*, *meretricem* vertit, Arias apud eundem *prostitutam.* Chaldæo nescio quid in mentem venerit, certè aduersarijs fauere non potest. transtulit enim diuersissimè, *Non erit mulier de filiabus Israel vxor viro seruo, neque accipiet vir de filijs Israel vxorem ancillam.* Hæc ille. At Septuaginta nobiscum consentiunt οὐκ ἔσται πόρνη. & item postea קדש *kadesc*, πορνεύων, quod Arias *cynædum*, Pagninus *scortum masculum* vertit. Quæ verò his in edit. Aldina & Romana Nobilij adduntur, ex alijs quibusdam translationibus inserta esse oportet. οὐκ ἔσται τελεσφόρος ἀπὸ θυγατέρων Ἰσραήλ. καὶ οὐκ ἔσται τελισκόμενος ἀπὸ υἱῶν Ἰσραήλ. *Non erit ferens teletas de filiabus Israel, & non erit initiatus de filijs Israel.* Itaque hæc Complutenses non agnoscunt. De cynædis

Defenditur Vulgata editio, & vox Hebr. expeditur.

A & meritorijs pueris non disputamus. Certum est ne hos quidem Deum voluisse in populo suo tolerari. Quod autem obijciunt de sacris Priapi, nihil agunt. Satis enim antè cautum fuerat de idololatria, quid oportuit nunc id repetere? Sed vt apertiùs intelligatur קדשה *kedescah* esse meretricem, historia de Iuda & Thamar, in libro Genes. legatur, & ibi videbimus זונה *Zonah*, & קדשה *kedescah* pro eadem accipi. Qua de causa notandum est, quasdam esse voces, quæ in bonam & in malam partem possunt accipi; quo genere apud Hebræos est קדשה, quod sanctam, & meretricem significat, quemadmodum apud Latinos sacrum: vnde Virgilius,

Auri sacra fames.

Verbum Hebraicum קדש *kadasc*, quod est, *separatus ad cultum diuinum*, purus, continens fuit, in Piel קדש *kidesc*, parauit significat. Vnde B vox illa deriuatur, quæ meretricem significat, quòd tales mulieres paratæ sint & expositæ omnibus, vel quòd ornatæ ac fucatæ soleant incedere: Idcirco ait Clemens, Lacedæmonios meretricibus permisisse vestes floridas, mundum muliebrem, & aurum, quibus rebus matronis vti non licuit.

Obiectio.

Verumenimuerò opponunt eiusdem capitis versum sequentem, quo loco Scriptura meretricem זונה *Zonah* vocat, & edicit: *Et merces*, siue *donum*, aut etiam *oblatio non inferetur in sanctuarium.* Nam si lex nolebat ferri meretrices, quid cauere oportuit de illarum oblationibus? Quid opus fuit hac lege? Qui hoc dicunt, videntur quidem acutè dicere, satis tamen non dicunt. Nam ad ornamenta & vsus templi, etiam exteC ræ nationes dona mittebant. Eunuchus Reginæ Æthiopum venit Hierosolymam, vt offerret in templo. Macedones, & Romani dabant victimas, & sacrificia templis annuatim. Cauet itaque lex, vt si quid è meretricio quæstu ab alienigenis offerretur, ne illud admitterent in sanctuarium. Adhæc edixerat Deus quidem, ne meretrices essent in Israël, sed sciebat eos legem illam non esse obseruaturos. Nam cùm Palæstinis Macedones & Romani dominarentur, meretrices habuerunt. Quin & Christus meretricum, & publicanorum simul fecit mentionem. Rectè itaque Deus primùm cauit, ne meretrices inter Hebræos essent. Deinde, vt si aliquo casu haberentur, quæstus earum in sanctuarium non inferretur. Quod proculdubio D mandauit propter quæstus fœditatem & turpitudinem. In eodem loco adiecit: *Ne pretium quoque canis admitteretur in sanctuarium*, quòd illud animal immundum & fœdum sit. Nolo nunc plura ex veteri Testamento: Ad nouum accedamus.

Solutio.

Idem probatur ex Epistolis Apostoli.

Pluribus noui Testamenti testimonijs probatur scortationē esse prohibitā.

IN Epistola ad Hebræos scribitur: *Adulteros & scortatores Dominus iudicabit:* Dominus autem non dicitur iudicare & vindicare, nisi peccata. Et ad Ephesios, non tantùm auari & idololatræ, sed etiam scortatores excluduntur à regno Dei. Ad Corinthios item, vbi Paulus de excommu-

APPARVIT VIR ILLE, &c. communicatione scribit, *Non de quibusuis*, inquit, *scortatoribus loquor: sed si quis frater nominatur scortator, cum eiusmodi ne quidem cibum sumere.*
Epist. 1. ad Corinth. Sed multò luculentiùs in eadem epistola cap. 6. de tota ista re agit; & quidem ex professo: quia multi de hoc genere sceleris, vt dictum est, malè persuasi erant. *Primum*, inquit, *esca ventri, & venter escæ: verùm & hunc & hanc destruet Dominus. Corpus autem non fornicationi, sed Domino.*

1. Ratio Apostoli. Porrò quæuis esca natura sua pura est: sed propter offensionem proximi est nonnunquam abstinendum. At posset quispiam dicere, Esca necessaria est ad vitam degendam. Est, inquit Paulus, in hac vita: sed in beata resurrectione Deus & escam & ventrem destruet. Quare non est ea tanti, vt eius causa fratrem offendas. Non præcipitur vt vniuersim ab omni esca temperes, sed ab ea tantùm, qua frater infirmus offenditur. B At de scortatione, inquit, quam vos contemnitis, longè alia ratio est. *Corpus vestrum non est datum scortationi, sed Domino.*

Altera ratio. Nec prætereas, Paulum magna prudentia non dixisse, non procreationi, sed non scortationi. Nam corpus etiam procreationis causa datum est. Sæpè homines consueuerunt sua vitia excusare, & in naturam ea reijcere. Natura, inquit, corporis est, vt datum sit Domino. Quare inde regula vitæ petenda est, non à malis exemplis.

Apostolus fusiùs exponitur. Hæc vis est relatiuorum, nec tantùm eorum, quæ hoc ipsum quod sunt, aliorum sunt, verùm & eorum quæ aliquo modo referuntur ad aliud, vt caput ad corpus, & corpus vicissim ad caput. Nam cùm videmus caput, statim corpus requirimus: & rursum caput, cùm videmus corpus.

Tertia. C Talia relatiua sunt, vt inquiunt Dialectici, secundum dici. Dominus est caput corporis Ecclesiæ, & ea corpus est eius capitis. Quocirca Paulus & prudenter & acutè disputat, dum inquit, Corpus non est factum ad hoc, vt sese libidinibus polluat, sed vt capiti respondeat, & ad ipsum conformetur. Et addit: *Deus qui excitauit Christum, excitabit & nos per potentiam suam.* Primum argumentum sumebatur à relatiuis:

Quarta. Proximum ducitur à Deo ipso. Nam si nostra corpora est excitaturus, vt excitauit Christum, cur ea nos afficiamus ignominia? Pergit deinde, atque ait, *An nescitis quod corpora vestra membra sint Christi? Tollam ergo membrum Christi, vt faciam membrum meretricis?* Graue profectò argumentum, quod concluditur, *Tollamne*, inquit,

Quinta. D *membrum Christi?* Ac si diceret, Non sanè, quia hoc esset Christi corpus dilacerare. Crudelissimum verò est, membra viuo corpori detrahere, & ea corpori putri ac mortuo adiungere. Vis autem rationis in eo sita est, Christus scortari non potest: quare si tu scortari velis, prius oportet vt à Christo diuellaris. Ostenditur hic, fornicationem non tantùm esse peccatum, sed etiam letiferum, atque grauissimum peccatum, quòd auellat à Christo.

Sexta. Subijcit postea: *Qui adhæret scorto, vnum corpus efficitur. Erunt enim duo in carnem vnam.* Et, *Qui adhæret Deo, vnus spiritus est.* Hic locus plenissimus est consolationis: siquidem indicat, nos Christo esse quàm coniunctissimos, à quo necesse sit vt prius auellamur, quàm efficiamur

A membra meretricis: *Qui adhæret scorto, vnum corpus efficitur. Erunt enim duo in carnem vnam.* Videtur Apostolus prima fronte verbis Genes. abuti. Nam ea transfert ad scortationem, quæ dicta sunt de matrimonio. Hæc siquidem primùm de Adamo & Eua prolata sunt: quòd caro Euæ in carne antea fuerit Adami, cui Deus costam detraxit, & ex ea mulierem fecit, quam rursus Adamo coniunxit, vt cum eo esset vna caro. At reuera non abutitur Apostolus hac sententia, quandoquidem fornicatio corruptela quædam est matrimonij: nam vna res vtrique communis est, nimirum carnis coniunctio. Tam enim hìc quàm ibi communicantur corpora. Paulus ergo id respexit, quod est vtrinque commune: cùm tamen hoc interponatur discrimen, quòd in scortatione coniunctio est aduersus legem Dei, & idcirco scortantes à se inuicem sunt auellendi, alioqui spes salutis eis non relinquitur. In matrimonio verò, coniunctio est à Deo conciliata, & idcirco reddita nodus indissolubilis. Cùm igitur coniunctio vtrinque sit eadem, rectè Paulus accommodauit eam sententiã ad scortationẽ. *Qui adhæret Deo, vnus spiritus est.* Faciunt hæc verba multùm ad rem præsentem. Nam si cum Deo sumus vnus spiritus, ea summo studio fugere debemus, quæ ille prohibuit. Proinde appositè subjecit Apostolus: *Fugite fornicationem.*

Dicit prætereà: *Omne peccatum quod homo committit, extra corpus est: qui autem scortatur, in corpus suum peccat.* Septima. Si priora quæ adduxi argumenta vos non mouent, habete saltem rationem corporis vestri, quod fornicando videmini odisse, atque contemnere.

Sed quæri potest, quomodo alia peccata sint extra corpus, scortatione vero in proprium corpus peccetur? Non enim dubitamus, eum qui vehementer irascitur, bilem alere, atque augere, qua corpus non parum læditur. Ægritudo etiam corpus magnopere debilitat: Vnde Salomon ait, *Spiritus tristis exsiccat ossa.* Ebrietas item & crapula valetudinem labefactant, & corpus ipsum propemodum funditus perdunt. Quin & inuidi peccare videntur in proprium corpus. Videas enim eos aridos, luridos, & macie quodammodo enectos. Quomodo ergo constabit, alia peccata extra corpus esse? Quidam aiunt, in corpus suum peccare scortatores, quòd sæpius ex consuetudine, quam habent cum meretricibus, scabie seu lepra inficiantur. Cæterùm dicant alij quicquid velint, & in suo sensu quisque abundet, ego sanè crediderim, Apostolum ad ea respexisse, quæ præcesserant. Explicatur Apostolus. Dixerat enim, scortatorem fieri cum meretrice vnum corpus: grauiter autem videtur peccare in sui corporis dignitatem, qui illud facit vnum cum fœdissimo & spurcissimo scorti corpore. Porro si Rex aliquis aut Princeps ducat vxorem tenuis & obscuræ sortis, dicetur suum genus contaminasse. Scio esse alios, qui verba illa ὑπερβολικῶς dicta putant, quòd alia quoque peccata reperiantur, quæ corpus lædant, sed hoc grauissimè & maximè.

Argumentatur adhuc idem Paulus: *An ignoratis, quòd corpora vestra templũ sũt Spiritus sancti?* Ratio octaua.

APPARVIT VIR ILLE, &c.

Et sanè qui destruet templum Dei, destruet illum Deus. Ac si diceret: Non habetis à vobis ipsis corpora vestra, sed à Deo. Deus ea fecit templum suum, & Spiritus sanctus in illis habitat. Non estis vestri: quapropter iustitiam non mediocriter violatis, contaminando rem alienam. *Empti estis pretio magno: quocirca glorificate Deum in corpore vestro.*

Laborat Apostolus multis argumentis, vt probet fornicationem esse peccatum. Nec mirum: quia tum scribebat ad Corinthios, qui ea ætate præ cæteris abundabant scortis. Vnde prouerbium natum est: Non quiuis Corinthum. Et in vniuersum omnes Ethnici malè de hoc vitio sentiebant. Quam ob causam, nascente adhuc Ecclesia, vt Eusebius autor est lib. 3. suæ histor. cap. 29. Nicolaitæ palàm & apertè scortabantur, & sui flagitij consuetudinem in Nicolaum Diaconum referebant: quanquam Clemens Alexand. in Stromat. Nicolaum excusat. Ait enim illum nihil tale aut sensisse, aut docuisse. Verùm, cùm haberet vxorem pulcherrimam, & zelotypia laborare crederetur, illam adduxisse in medium, & addidisse, hæc est vxor mea: & vt sciatis quàm non sim zelotypus, licebit per me cuiuis illam in vxorem habere. Quod etiam intelligebat, quantùm per legem Dei concederetur. Qui autem postea dicti sunt Nicolaitæ, verba eius perperam intelligentes, eum sensisse putarunt, vxores inter Christianos communes esse oportere. De hac secta in Apocal. scribitur: *Sed hoc habes, quod odisti facta Nicolaitarum, quæ ego odi.* Quamobrem non est mirum, si Paulus tantam operam sumpserit, vt doceret scortationem esse peccatum. Et de fornicatione hactenus in gratiam spurij illius.

VERSVS XXIV.

Omnes autem Israëlitæ, cùm vidissent virum, fugerunt à facie eius, timentes eum valdè.

Deponendus exercitatione timor, prius quàm pugnā incas. Suidas.

NArrat Suidas in verbo Λύκειον, Lyceum gymnasium Athenis fuisse, in quo milites ante bellum exercerentur. Nam antequam expeditiones fierent, quædam armorum lustrationes in Lyceo fiebant. Καὶ ἀπεδείξεις τῆ μάλα πολεμικώτατοι, id est, bellicosissimi quique explorabantur. Persæ qua ratione equis suis pauorem detergerent, docet Ælianus libro 16. histor. Animal. capite vigesimo quinto, Elephantorum pullos vnà cum suibus alunt, qui his vti in bellis student, ne terror aliquis ab obscœno pecore, quod horret elephas, incuti possit. Docet ibidem Ælianus capite trigesimo sexto, plures etiam in Oriente equos simul cum camelis pascunt, ne cùm in eos inciderint, quod non rarò contigit, attoniti in fugam vertantur. Iam videri poterant Israëlitæ cum hoc monstro educati, vt quadraginta dierum consuetudine metum dediscerent. Sed quid facias timidis? Vbi metus arcem pectoris occuparit, tum idem animo corporique dominatur: & manus quidem vincit, pedes autem ad cursum ciet, postremò consilij potestatem abrogat. Narrat Cromerus libro quinto de Rebus Polonorum, cùm aliquando terror irruisset in exercitum, ausas mulieres, imbelle genus, militibus insultare; ita vt duæ vni cuidam vincula iniicerent, captumque adducerent.

Ælianus.

FVGERVNT A FACIE EIVS, &c. Cromerus.

Quadraginta iam dies continuos prouocator iste castris Hebræorum exprobrauerat. Magna fuit illa indignitas. Et mirum planè est, Saulem, & eius aulicos ferre id potuisse tam diu. Erant enim omnes viri lectissimi, & præsertim Saul ipse, grandi, & robusto corpore. Sed qui olim visi sunt, cùm numen adesset, leonibus ferociores, nunc eius præsidio destituti, ceruis euadunt timidiores. Iam de Ionatha diximus. Ab antiquis etiam peterent fortitudinis exemplum. Nam similes huius cùm plures olim eandem regionem occupassent, à maioribus eorum deleti sunt. Quid Samgar commemorem? Hic Iud. 3. ver. 3. cum sexcentis Philistæis congressus, eosdem solus vomere interfecit. Sed & plures è posterioribus, in conficiendis reliquis Gigantibus egregium virtutis specimen ediderunt. Nonnulli etiam certam atque indubitatam mortem, contempta morte ferociores, pro sua Republica oppetierunt. Testis Eleazarus, qui elephantum subiens, dum studet suis parare victoriam, belluæ ruina oppressus, suo triumpho sepultus est.

Destituti numinis præsidio, cerui timidiores euadunt.

Eò nunc maior gentis ignominia videtur, quod ne Ethnici quidem, qui de futura vita nihil certi compererant, dubitarint Reipublicæ suæ incolumitatem & pacem propria morte pacisci. Apud Romanos vterque Decius, certus mori, hostium phalanges penetrauit. Curtius etiam Inferos, & quicquid horrendum natura condit, ausus est inuadere. Apud Lacedæmonios, vt scribit Herodotus libro septimo, cùm in ingenti periculo Magistratus edictum proposuissent: Si quis Lacedæmoniorum vellet pro Sparta occumbere: mox Sperthies & Bulis genere, opibusq. insignes, ad supplicium se obtulerunt. Quid si ad certamen prouocati essent? Vltrò omnes ad pugnam conuolassent. Nonnulli eorum etiam cum genijs, sic illi heroes quos semideos esse putauerunt, armis experiri adorti sunt. Horum cuiusdam illa est oratio apud Suidam, in voce ἀπονενοημένος. Video illos, qui vitam plurimi faciunt, in bello mori, & illos viuere, qui vitam desperarant. Quamobrem & ego vt moriturus pugnabo, & scio me superstitem euasurum. Lacon enim sum à primo ortu. Noui etiam Magistratuum epistolam ad Leonidem. Μαχέσθων ὡς τεθνηξόμενοι, καὶ οὐ τεθνήξονται. Pugnent vt mox morituri, & non morientur. At hi nunc terrore exanimati, vno prouocante, fugam capessunt. Exercitus totus nihil audet: donec tandem mittitur Dauid, qui nihil posse videbatur, vt infamiæ notam deleat, resque restituat. Ita Deus ea, quæ in mundo abiecta videntur, eligit, vt confundat fortia: cúmque res videtur prorsus conclamata, tum demùm sæpè fert suppetias.

Etiam Ethnici pro patria mortē fortiter obierunt.

Herodot.

Suidas.

Sed dices: Quid ergo, an iuuit incredulos?

Non

VIRVM ERGO, &c.

Non dubium est multos tum fuisse viros religiosos & pios, vt Samuel, vt pater Dauidis, & alij, qui numinis iram assiduè deprecarentur, & orarent pro statu Reip. Sed facito, omnes despondisse animos, & fuisse incredulos: Deus tamen tueri voluit nomen suum. *Quid enim*, inquit Paulus ad Rom. 9. *si quidam ex illis non crediderunt? Num incredulitas illorum fidem Dei euacuauit? Absit. Est enim Deus verax.* Sæpè adfert auxilium, sæpè etiam indignis. Isai pater mittit filium ad castra: sed interim Deus aliud quiddam secretius operatur. Pater studet rei œconomicæ, vt prospiciat filijs: sed qui inseruit œconomiæ, inseruit etiam interim Reip. etsi de ea re sæpè ipse non cogitet. Mittit munuscula ad Tribunum: ne nimiùm grauet filios suos, néue eos exponat periculis. Ita Iacob munera misit primùm ad Esau, mox etiam ad Iosephum, vt eorum iram deliniret, & æquiores sibi suisque experiretur. Non venit Dauid in castra vt pugnet, sed tantùm vt inseruiat fratribus: idque cùm iam esset consecratus Rex. Sed is interim dum obsequitur patri, præclaris honoribus ornatur à Deo. Cæterùm, cùm hîc omnes fugisse scribuntur, non ita accipiendum est, tanquam integra acies se in fugam dederit: sed qui aut extra vallum prodierant, aut ante ordines procursabant, palantes & incautos oppressuri: hi vt gigantem prospexere, statim ad suos se receperunt.

VERSVS XXV.

Et dixit vnus quispiam de Israël: Num vidistis virum hûc qui ascendit? Ad exprobrandum enim Israëli ascendit. Virum ergo qui percusserit eum, ditabit Rex diuitijs magnis, filiam suam dabit ei, & domum patris eius faciet absque tributo in Israël.

Virum ergo qui percusserit eũ, ditabit Rex, &c.] Hîc ob oculos statuere debemus, Saulem ne simulachrum quidem retinuisse aut auitæ, aut suę pristinę pietatis. Nam cùm esset iam animo deiecto & consternato, nec inuocauit Dominum, nec fecit sacrificium, nec iussit accersiri, aut consuli Prophetã. Hîc nihil videmus esse nisi ciuiles & politicas rationes. Proponit quidem præmia. Sed ea fuit tantùm humana prudentia. Longè aliter se gessit Ezechias, vt apparet ex 18. & 19. cap. 4. Reg. Nam is cùm audisset blasphemias, & cõuitia Sennacherib, & Rabsacis, scidit vestes suas, induit se sacco, misit ad Esaiã, venit in templum, explicuit epistolam Sennacherib coram Domino. Hęc magna erant argumenta pietatis. Saul autem, ac si iam conclamatum esset de auxilio Dei, prorsus conuertit se ad humana præsidia. Nec meliore mente videtur fuisse populus. Vt enim apparet ex istis dialogismis, omnes se mutuò ad desperationem cohortantur. Vidistis, inquiunt, hunc gigantem, tam immani corpore, tam stupendo robore? Quis illi potest resistere? Cùm autẽ animos patiun col-

Saul in discrimine officij obliuiscitur.

Ezechiæ laudabile studium.

A legissent, proponebant sibi regia illa præmia, affinitatem Saulis, diuitias, nobilitatem, immunitatem familiæ. Dei verò neq; Rex, neq; populus meminit. Præmia quidem militibus proponere, bonum erat & laudabile, si prius Dei fauorem sibi conciliare studuissent. nam si Deus adsit, his rationibus militum virtus vehementer excitatur. Præmia autem ista, quantum ex hoc loco discere possumus, sunt trium generum, affinitas Regis, diuitiæ, & nobilitas, atq; immunitas familiæ. Credibile est, Saulem fuisse in magnis difficultatibus, cùm ista proponeret. Fortasse Caleb imitari voluit. Is enim cùm obsideret Hebron, pollicitus est filiam suam vxorem illi, qui primus in eius ciuitatis mœnia inuasisset. Id cùm Othoniel fecisset, Axam eius filiam accepit in matrimonium. Hæc voluntas, & promissio Saulis fortasse iam publicata erat per præcones. Sed
B qui non mouentur promissionibus Dei, quid illi promissionibus hominis, maximè verò leuis, & inconstantis, moueri possunt? Saul promittit quidem ampla, & magnifica: sed in reddendo postea callidè & fraudulenter agit. *Quis*, inquit Dauid, *est iste incircumcisus, qui exprobrat acies Dei viuentis?* Hoc illum multò magis mouit, quàm ratio præmiorum. Nunc de propositis præmijs, quibus militum animi solent accendi, paulò diligentiùs inquiramus.

VIRVM ERGO, &c.

Vtrum homines præmijs ad officium allici debeant: tum quid de ijs sentiendum sit, qui virtutem mercedis ergo sectantur.

C

QVÆST. XXVI.

Per quidem, inquit Ælianus lib. 6. histor. animal. cap. 1. pugnaturus, ad lapides leues & politos dentes exacuit: quod Homerus non ignorauit. Leo, ne quid ignauè faciat, flagellans semetipsum cauda excitat, Homero itidem teste. Elephanti autem ad certamen vt incendantur, promuscide sese verberant; neque ad hoc ipsum cuiusquam præceptis indigent, non eo qui accinat: non iam sedere, non licet trahere moram: neque Tyrtæi versibus, vt animentur, opus habent. Taurus gregis dux, quum ab altero fuerit duce superatus, se in quendam locum ab alijs segregat: & semetipsum non
D alieno impulsu, sed sua sponte exercet, atque omni contentione cornibus, calcibus, vnguibus certat: cornua quidem in arbores infligit, pedibus puluerem spargit, cæterisque exercitationibus sese accommodat: à vaccis se continet. Sicque à venere abstinet, & libidini suæ moderatur: quemadmodum Iccus palæstrita Tarentinus, quem Plato toto certaminum tempore omnis coitus expertem permansisse affirmat. Sed Iccum scilicet pinus Isthmica, laurus Pythica, & oleaster Olympicus, & illustris famæ cupido accendebant. At tauro suum aduersarium vincenti, quæ præconia, ô Plato, laborum deferuntur? aut quæ deferuntur præmia? An non manifestè virtus à natura seipsa contenta est, nec alienis stimulis indiget?

Ælianus.

Animalia nullo præmio ad pugnam excitantur.

VIRVM ERGO, &c.

Quis obsecro inuitandus est præmio ad bibendum cùm sitit, vel ad comedendum cùm esurit? Certè nemo. Quocirca nec homines ad virtuté, iustitiámq; mercede inuitandi sunt, cùm hanc à natura plus cibo potúq; desiderent; cùm sit illa cibus animę, cuius sitis corporis appetentiâ longè vehementius ardet. Mater quoque ad suum lactandum, pascendum, & curandum infantem ne pereat, nullis præmijs induci solet. Atqui animi partus virtus est, & quidem aureus, cœlóque dignus.

Virtuti iniuriam facit, qui eã mercedis gratia sequitur.

An non virtutem afficit iniuria, qui rebus alijs seruire iubet, cùm nata sit cui ancillarentur omnia. Nam hæc quidem Dei optimi filia est, præstantibus ingenijs comes addita, qui rerum cælestium desiderio tenentur. Huic è cælo lapsæ iubet pater inferiora omnia ministrent: illam nulli rei addixit, cœli tantùm mortalibus iter aperit, eóq; suæ formæ præstantia allicit. Hanc igitur colere diuitiæ, hanc honos & potestas quælibet obseruare debet. Virtus præterquam vni Deo, nulli obsequitur. Quomodo igitur fieri poterit, vt non is plurimùm peccet, qui eo animo virtutem ambiat, non vt eius pulchritudine perfruatur, sed vt tanquam arte mechanica diuitias laudémue sibi comparet. Certè quæ ad aliud consequendum adhibentur, ea minus præclara haberi debent. De virtute, cùm præmium appetis, tuum est videre quid statuas.

Quod sit virtutis præmium.

Virtutis præmium Deus est. Hic ille scopus est ad quem collimare debet, à quo si fortè decrret, suum finem non assequitur: sed in vitium degenerat. Virtutis apex Dei charitas est. Itaq. omnem eum amorem suspectum habet S. Bernardus, quo aliquid præter Deum diligimus. Et Doctor Angelicus cùm à Deo audisset, Benè scripsisti de me, Thoma, quam mercedem recipies? respondit, Non aliam, Domine, nisi teipsum. Docet S. Bernardus in libello de diligendo Deo, charitatem per seipsam vacuam esse non posse, licet nullum prẽmium intueatur. Ijs porrò verbis duo innuit: & charitatis opera in seipsis tantum iucunditatis, delectationis, & fructus habere, quantum rectè viuentibus satis esse possit, quamuis inde nihil aliud eis à Deo reddendum esset. Et vt nos diligendo Deo nihil præter id præmij expectaremus, eum pro sua bonitate non esse commissurum, vt quæ reddenda sunt, bona fide non reddat: ideóque non oportere, vt quispiam desiderio mercedis impellatur. Et adijcit, Se amorem vxoris erga virum, charitati atque obseruantiæ, qua liberi patrem prosequuntur, longè præferre. Quandoquidem filij sic patrem amant, vt se ab eo hæreditate ditatum iri sperent: vnde charitas eorum minus pura efficitur. Vxor verò, si ea fuerit quæ esse debet, suo viro eius causa & nomine benè cupit, vt ab eo nihil boni speret, aut expectet se consequuturam. Hæc duobus verbis Scholastici suo more loquuntur, Deum non amore concupiscentiæ, sed amicitiæ à nobis diligendum esse. Nam hic quidem posterior ijs impenditur qui digni sunt, quibus virtutis gratia benè volumus. Prior illa concupiscens dilectio seipsam finem statuit, & propriam vtilitatem sectatur.

S. Bernard.

Amor vxoris & filiorũ diuersus.

A Hinc sequi videtur, vt præmia proponi non debeant, quibus homines ad virtutem incitentur.

VIRVM ERGO, &c.

Qui præmia proposuerint.

Veruntamen non hoc solus fecit Saul, ne quis temere, vt pleraque alia, ab eo factum arbitretur: nam Dauid quoque deinceps arcem Sion obsidens, 1. Paral. cap. vndecimo, versu sexto: *Omnis*, inquit, *qui percusserit Iebusæum in primis, erit princeps & dux. Ascendit igitur primus Ioab filius Saruiæ, & factus est princeps.* Prius etiam, Iudic. capite decimo, versu decimo octauo: *Dixerunt principes Galaad singuli ad proximos suos: Qui primus ex nobis contra filios Ammon cœperit dimicare, erit dux populi Galaad.* Vtrisque antiquior Caleb 1. Iudic. cùm oppugnaret Dabir, pollicitus est qui primus in ciuitatem inuaderet, eum filiam suam vxorem B præmij loco adepturum. Deus ipse cùm legem Israëlitis ferret, obtemperantibus vberem præmiorum segetem ostendit. Quis igitur neget mercedis illecebris hominum animos ad officium sollicitari posse?

Non dubium est, Lector, quin actiones bonæ & honestæ satis per seipsas expetédæ sint, quandoquidem in mundo nihil dulcius potest contingere, quàm Deo parere, ac illi viuendo rectè, iuxta eius mandata, bona conscientia iungi. Quare, vt aliud non essemus consequuturi, satis mercedis & præmij redditum esset, si pacatam & tranquillam per Christum haberemus conscientiam, & spirituali gaudio interius perfunderemur. At Deus, quæ illius bonitas est, voluit præterea mercedes & præmia nobis proponere. Etenim ingenium naturámque homi- C num ad omnia quæ recta, salutaria, & honesta sunt, languidam & tardam vidit: ideóque voluit eam propositis multiplicibus & varijs præmijs incitare: quo sanè remedij genere opus non fuisset, si perfecti & absoluti, quemadmodum fuimus conditi, permansissemus. Sunt itaque promissiones Dei propterea hominibus necessariæ, quod ab affectu & impulsu vehementi erga pia & sancta opera propter peccatum refriguerint. Torpemus planè omnes, & ad officia pietatis & iustitiæ sumus ignaui: quamobrem calcaria promissionum Deus pro sua clementia voluit adhibere: quod in lege clarissimè apparet, vbi ad mandata propemodum singula, cùm minæ tum promissiones adduntur. Addo, quòd cùm è gurgite peccati plures difficultates D emerserint, & innumera mala tanquam è Pandoræ pixide in homines inuolarint, nec illi præter virtutem præclari quicquam habeant quo Deum demereantur: qui solus pluribus eorum incommodis potest succurrere: hanc quoque præter cætera, eorum, quæ homines appeterent, velut promam condam esse voluit, & hæc quoque ab ea proponi, ne in diuersam partem deflecterent. Quare cùm, vt dictum est, sancti viri hoc sæpiùs faciant, necnon lex Dei sic fecerit, & in nouo Testamento idem reperiatur, concludemus absque dubio licitum esse. Tum enim quod agimus probandum est, quando ad ipsius Dei exemplum, ac normam Scripturarum, vel ad sanctorum virorum egregia facta conformatur.

Quam ob causã præmia necessariò proponantur.

Nec

VIRUM ERGO, &c.

Nec mihi dixeris, ad rudiores, neq; dum absolutos atq, perfectos præmiorum propositionem tantùm attinere: quoniam statim ex te quæram, an Abraham, Moses, Dauid, Prophetæ, Apostoli minùs absoluti fuerint, quàm vel hominum natura in hac vita ferat, vel à nobis requiratur? Si eos dixeris imperfectos, nescio quã præstantiam, seu perfectionem hominum tibi fingas. Paulus certè seipsum vt perfectum, quatenus in hac vita licet, alijs proponebat, cùm se nullius sibi conscium esse assereret, seq; cæteros imitari iuberet. Perfectis Christus centuplum repromisit. Taceo Scripturam, imò Deum ipsum prædicare Mosem tanquam mitissimum; Dauidem quoque commendare, quòd ad suam voluntatem & cor factus esset. Hos igitur viros, si præstantes, egregios, & absolutos, vt in hoc seculo esse possunt homines, fatearis, nec valeas promissiones, atque mercedes illis oblatas à Deo inficiari, id proculdubio consequitur, hominibus præstantioris notæ licere præmia & mercedem ad acuendos animos, & agendum fortiter offerre.

Perfectis centuplum De⁹ repromisit.

Soluitur pars altera quæstionis.

QVÆST. XXVII.

AT nunc videndum est, an is qui bona opera facit, idq; præstat ad quod lege Dei faciundum obstringitur, debeat spe præmij commoueri, an ipsi potius spectanda tantummodò sit rectitudo, iustitia, & Dei placitũ. Vt ad propositam quæstionem respondeam, id mihi primùm sumendum censeo, hominem non tantùm ad certum aliquem finem destinatum, cùm Deus nihil temerè vel casu faciat, sed etiam plures eius fines esse posse, quæ tamen inter sese ita coniunctæ sint, vt ordine quodam sibi mutuò seruiant, & inuicem iuuent. Primùm itaque ad illustrandam gloriam Dei conditi sumus: deinde, vt Dei conspectu, & absoluta notitia felices euadamus; vt dum hîc viuimus, grata Deo societate vnà inter nos ipsos degamus. Milites ideò arma tractant, & bella gerunt, vt honestas, iustasq; causas tueantur, ea sanè ratione qua suis legibus Deus illas iussit defendi: qui præterea sic animati esse debent ad hoc præstandum, vt licet aliud præmium, aliáue merces ad eos non rediret, id tamen vellent obire. Pugnare præterea solent, vt patriæ, vxoribus, liberis, cognatis, amicis patrocinentur. Quòd si præterea stipendia iusta, quo & se & suos honestè alant, expectauerint, id eis nemo vitio verterit. Dixit enim Apostolus ad Corinth. priori, *Quis militat suis stipendijs?* Vt verò magis ad singula descendamus, cùm quispiam ab aliquo graui scelere temperat, id primùm facere potest, vt Dei mandatis, quemadmodum par est, obsequatur. Deinceps quo vel æternas, vel ciuiles pœnas effugiat. Adhæc, vt ne fratrum animos offendat, eósq; suo prauo exemplo à sancta conuersatione puráq; vita reuocet. Et denique, vt suo scelere iram Dei, vel contra se, vel familiam, vel populum non concitet. Igitur constat nostrarum

Homo actionum suarũ plures sibi fines propositos habet.

actionum finem simplicem non esse, imò va- A rium ac multiplicem.

Hoc autem ita perfecto atq; concluso, id cumprimis curandum est, vt inter fines, quando se permulti offerunt, illũ cæteris præferamus, qui reliquis optimo iure præstat. Nam si ageretur secus, & quę posteriora sunt minorisq; momenti melioribus anteponerentur, iure perturbati ordinis rerũ damnaremur. Idcircò non est committendum, vt Deum ipsum eiusue cultum, vel ad nostra cõmoda, vel ad alios fines dirigamus. Profectò id nobis tum accideret, quod S. Augustinus vehementer detestatur, vt ijs frueremur, quibus vti deberemus: & ijs vicissim vteremur, quibus fruendum esset: quã sanè peruersitate in actionibus humanis deterius nihil potest excogitari. Proinde cùm quæritur, an benè agendo B præmia seu mercedẽ respicere liceat: non possumus iure inficiari quin liceat, quandoquidem ipse Deus piè viuentibus mercedem proposuit: neq; id alia causa fecit, quàm vt homines ad iusta, recta, pia, sanctáq; opera suis donis & inuitationibus inflammaret. Verùm etsi non iniustè agimus intuendo mercedem à Deo nobis oblatam, dum in bonis operibus laboramus: id attentiùs vidẽdum est, ne solùm causa oblati præmij commoueamur. Neq; hoc satis est: vt enim quis dixerit, se velle rectè agendo, & præmium consequi propositũ, & Dẽo eadem opera parere, videat oportet, ne mercedi seu prętnio primas partes dederit; quia semper, quemadmodũ iam sumpsimus, inter fines, vt earũ quæq; natura suã præstantior est, ita priori loco habenda est. Quæ si diligenter pij viri animaduerterint, & Deum C præcipuo amore cõplectantur, tum benè agẽdo atq; viuẽdo ad mercedẽ licebit oculos attollere.

S. Augustinus totã hanc rem pulchrè enucleauit, cùm in suis Confess. dixit: Minus tę diligit (loquebatur enim Deo) qui præter te aliquid diligit, quod propter te non diligit. Ex ijs colligitur, nos præmia & mercedes posse Dei causa diligere: nam licet medios fines propter extremũ & summum bonum amplecti. Nec interdicitur quin cibum, potum, vestes, & quæ ad hanc vitam pertinent, interdũ optemus: quin Christus vt ea poscamus, disertis verbis mandauit, atque illa regnum Dei quærentibus promisit: dixit enim, *Primùm quærite regnum Dei, & hæc omnia adycientur vobis.* Proinde verum est, hæc ita spectari, expectari, & accipi à Deo posse, vt pręmia D & mercedes, non vtiq, summas. Nam & ea in vlteriorẽ finem sunt referenda, iuxta Pauli admonitionem saluberrimam, qui scripsit: *Siue edimus, siue bibimus, siue quippiam aliud agimus, ad gloriam Dei faciamus.* Et deniq, ipse Deus, gloria eius, beneuolẽtia, fauor, cùm sint radix fundamentúmq; aliarum promissionum, & cuiusuis mercedis, quoties alia hæc intuemur, cùm in illis prioribus comprehendantur, nũquam committendum est, vt à se inuicem ea diuellamus, sed in posterioribus illa priora perpetuò spectabimus: vnde quemadmodum sanctus Augustinus consuluit, nihil præter Deum amabimus, quod propter ipsum non diligamus.

Et filiam dabit ei.] Superest, vt hoc quoque quæramus,

VIRUM ERGO, &c.

Quo pacto benè agendo mercedem spectare liceat.

S. August.

VIRVM ERGO, &c.

An cuiusquam filia ab eo præmium proponi possit?

QVÆST. XXVIII.

Rationes quæ negare videntur filiam præmij loco proponi posse.

FEcit Saul: fecit idem multis antè sæculis Caleb, Iudicum capite primo. Nam promisit ei, qui Debirensem ciuitatem expugnasset, filiam suam vxorem. Verùm non paucæ difficultates occurrunt, ob quas temerè fecisse videantur. Quid enim si facinorosus quispiam id præstitisset, quod edixerant, oportuitne illum vi promissionis alterutrius generum fieri? Certè non videtur. Quid enim hoc aliud fuisset quàm filiam prodere? Itaque videbuntur imprudenter polliciti. Nam debet vir prudens ea prouidere, quæ possunt euenire. Veruntamen probabile est, reos grauissimorum criminum, legis præscripto capite fuisse multatos, aut certè latuisse. Nam Caleb quidem viuente, legis studium apud Hebræos viguit. Saule verò ad incitas redacto, vel si iam diutius sopitum fuisset, excitari debuit. Quare non erat periculum, ne talis quispiam tantùm auderet, cui Ducis aut Regis filia ob id coniunx deberetur. Sin verò leuia quædam & communia vitia hæsissent in eo qui vicisset, illa poterant cum reliquis virtutibus compensari. Nemo quippe adeò absolutus est & perfectus est, quin interdum labatur. Deinde fuisset aliqua spes emendandæ vitæ.

Quid si adeò sanguine coniunctus, vt cum ea matrimonij fœdere copulari non posset? Videtur saltem ex hac parte promissio fuisse temeraria. Attamen illam non existimo nomine temeritatis accusandam: siquidem omnes promissiones apud pios tantisper valere debent, quoad verbo Dei consentiant. Quòd si Iepte diligenter perpendisset, nunquam se adduci passus esset, vt erga filiam indigna fortè committeret. Hæc sanè conditio omnium conuentionum ac promissionum habenda est constantissima regula. Sed quid si fœtida atque olenti anima? nam talis forti animo & manu promptus esse potest. Quid si leprosus, vt ille Syrus Naaman? num hunc, quem nulla pastoris filia osculo impertiri velit, regia virgo cogetur amplecti? Quid si confosso vulneribus corpore atq; mutilo, num illa viuo cadaueri nubet? Quid si horum quidem nihil objici potest, sed cùm is sit rudibus atque imperitis moribus, vt plerique viri militares esse solent, & durus ac grauis futurus timetur: puella autem nuptias auersatur animo, nec induci potest vt pactis consentiat? Respondeo primùm, ijs quæ paulò antea objecta sunt, sponsum pactúmque matrimonium ijs conditionibus intelligi, quæ fert consuetudo, & leges iuraque præscribunt. Quamobrem si matrimonio victor valetudinis vitio, aut vulnerum magnitudine minùs idoneus habebitur, pater facta sponsione teneri non poterit: cùm ea ex iuris formulis interpretanda sit: sed poterit alterius beneficij compensatione fidem liberare. Quòd si per virginem stat quo minus pater stet promissis, tum cogi posse non arbitror, cùm

Solutio quæstionis.

absque consensu nullum legitimum matrimonium coalescere possit. Benè tamen Catullus nubere volentem admonet, vt parentum consilijs pareat, & eorundem voluntati obsequatur.

ET DOMVM PATRIS, &c.

Catullus in carmine nuptiali.

At tu ne pugna, inquit, cum tali coniuge virgo.
Non æquum est pugnare pater cui tradidit ipse,
Ipse pater cum matre, quibus parere necesse est.
Virginitas non tota tua est: ex parte parentũ est:
Tertia pars patri data, pars data tertia matri,
Tertia sola tua est: noli pugnare duobus,
Qui genero sua iura simul cum dote dederunt.

Verùm hoc consilium est, quod ad ea quæ magis consentanea videntur, & pleranque magis conducunt, hortetur, non lex, aut præceptum, quod cuiusquam voluntati vim afferat. Quamobrem hoc solùm patri restat, vt persuadere conetur: nec amplius quicquam pollicitus intelligi potest, quàm præstare valeat: vim autem afferre nullo pacto licet. Sed nos hæc iam pluribus Tomo primo, in quæstione *de patria potestate*, in ver. 11. cap. 1.

Variæ trãslationes.

Et domum patris eius faciet absque tributo.] Pagninus & Vatablus Laurent. *Et domum patris eius faciet liberam in Israel.* Vatablus Salmant. *donabit libertate.* Et in Ecphrasi, id est, immunem à tributo. Chaldæus Paraphrastes, *claram, & nobilem.* Ita Chaldæus apud Vatablum. In Complutensi editione sic habet, *Et domum patris sui faciet magnates in Israel.* Græci, καὶ τὸν οἶκον τοῦ πατρὸς αὐτοῦ ποιήσει ἐλεύθερον ἐν Ἰσραήλ. *Et domum patris eius faciet liberam in Israel.* Quidam interpretatur, Ea illi concedet, quæ hodiè appellantur nobilitatis præmia & priuilegia.

Absque tributo.] Magna hæc immunitas prædicatur. Nam quid tandem tributorum artifex, Principum auaritia non excogitauit? Bulengerus in eo libro quem de tributis & vectigalibus populi Romani scripsit, eorundem species quinquaginta, aut etiam plures enumerat. Sanctus Chrysostomus in illud, *Veruntamen frustrà conturbatur omnis homo*, inuehens in philargyriam Principum ait: Διὰ τὰ χρήματα ἐλεύθερα στοιχεῖα πεπράκαμεν· ὁδοὶ τελωνοῦνται, ὁ ἀὴρ αὐταῖς ὑπόβαλλεται, δεκατηλόγοι, φορολόγοι, τελῶναι τὰς πόλεις συνέχουσι. Vt pecunias, inquit, congeramus, elementa libera vendidimus. Viæ vectigales sunt, aër venalis est; decumani, portitores, vrbes obtinent. Sed de tributo aëris, & vmbræ, iam antea diximus superiore Tomo. Fumum etiam vectigalem fecit Nicephorus Imperator apud Zonaram: Nicephorus, inquit, indixit tributum è fumo. καὶ καπνικοῦ ἐπέθετο ἐπήρειαν τέλεσιν. Et impositio capnica siue fumaria pessimo exemplo reperta est. Quippe indicta omnibus accolis, & parœcis Ecclesiarum, & earum domuum, vbi senes, & pauperes, & Monachi alerentur, licet neque agros haberent, neque vectigal soluere solerent. Lotium etiam & foricas (liquidiora stercora vocat Nonius) Vespasianus indignante Tito filio vectigal pendere iussit. Antiquorum fuit illud prouerbium, ἀπὸ νεκροῦ φορολογεῖν, à mortuo vectigal exigere. Quis non hyperbolicè dictum putet? Atqui reuera ex cadaueribus vectigal exactum est. Si quis peregrè diem suum obiens, cùm in patriam referretur, vrbium portas, portúsue

Bulenger.

S.Chrysost.

Auaritia Principum in vectigalibus exigendis.

Zonaras.

Et domum patris, &c.

portúsue iniret. *Cod. de relig. & sumpt. funer. L. vlt.* Commodus etiam sepulturas vendidit, autore Lampridio. Apud Xiphilinum Boundica Britannica queritur: Scitis quantum pendamus pro mortuis. Romanis solis etiam mortui viuunt, vt aliquid ex ijs accipiant. Neque enim mori licet apud eos sine tributo & mulcta. Quid ἀλληλέγγυον commemorem, quo ditiores non tantùm suo nomine, sed etiam inopum, & quicunque soluendo non essent, tributa, vectigalia, annonas, arma, pensiones soluere cogebantur? Explicat illud Meursius ex pluribus scriptoribus in Glossar. Græcobarbaro, in voce ἀλληλέγγυον, & Bulengerus cap. 18. de Allelengyo. Meminit tamen præterea Suidas ἐπιβολῆς, quam vocat improuisam perniciem. Adiectio quædam erat Iustiniani temporibus ad reliqua tributa, quæ cùm prædia repentè inuasisset, victus spem radicitus prædiorum dominis colonisque euellebat. Itaque plures paternum agrum deserebant, & ex copiosis pauperrimi statim euadebant. Crudele prorsus inuentum, & ab Imperij rationibus alienum. Illud tolerabilius quod habet in dictione Βλάκα. Alexandriæ, inquit, tributum fuit, quod vocabatur βλακεννόμιον, id est, stultorum tributum, quod Astrologi pendunt, quòd ad ipsos accedant stulti. Quid si suo quoque nomine pendent? Ferendum videtur, si futurorum iactent scientiam. At multa sunt inuenta tributa, quæ iusta censeri non possunt, à quibus Principes manus abstinere debent. Docent hoc Reges nostri de nonnullis apud Ansegisum lib. 3. Capitul. Caroli Magni, capite duodecimo: De tholoneis placet nobis, vt antiqua & iusta tholonea à negotiatoribus exigantur, tam de pontibus, quàm de nauigijs, seu mercatis. Noua verò, seu iniusta, vbi vel funes tenduntur, vel cum nauibus sub pontibus transitur, seu his similia, in quibus nullum adiutorium itinerantibus præstatur, vt non exigantur. Similiter etiam nec de his, qui sine negotiandi causa substantiam suam de vna domo sua ad aliam, aut ad palatium, aut ad exercitum ducunt, tholoneum nullatenus exigatur, &c. Plura deinceps notari poterant, maximè postquam distracto Reipublicæ patrimonio, harpyiarum studio Principes priuatorum facultatibus inhiant. Nonnulla commemorat Bulengerus capite quinquagesimo octauo. Hoc solùm addam quod scribit Suidas in Βασιλεία. Ὅτι ἡ βασιλεία κτῆμα τῶν κοινῶν. ἀλλ' οὐ τὰ δημόσια τῆς βασιλείας κτήματα. Regnum est Reipublicæ possessio: sed Respublica non est Regni possessio. Quamobrem violentas, & contumeliosas exactiones, vt tyrannicam intemperantiam odio prosequi oportet. Tributorum verò postulationes, quę cum ratione & humanitate fiunt, vt curationem & tutelam quandam honorare. Hæc Suidas.

Meursius.

Capitularia Caroli Magni.

Noua vectigalia prohibentur.

Suidas.

Cæterùm tributi nomine, stipendium, annonam, vectigal, decimas frugum, angarias, & quæcunque Principi à priuatis pendi solent, intelligo. Neque enim hactenus satis obseruare potui, quæ tributa à principio regni instituta fuissent: vel certè ea omnia quæ cap. 8. à Samuele recensentur. Ab his immunitatem pollicetur. Licuit hoc semper summis Principibus, vt qui

A de Repub. benè meriti essent, hos publicis muneribus, oneribúsq; eximerent. Nituntur hæc priuilegia naturali æquitate: neque leges priuãt, vt putat Accursius, aut easdem euertunt, sed potius statuunt: dum nonnullos excipiunt, quos iniquum esset cùm maiora præstent communibus astringi. Quod si nonnunquam Principes ea potestate abutantur ad suam libidinem, non magis illa priuilegia dicenda sunt, quàm tyrannis legitimum imperium. Res priuatas licet in quoslibet vsus conuertere: Publicam autoritatem nefas est ad priuatam magis quàm publicam vtilitatem conferre. Huius ratio habenda est in concedendis priuilegijs, non quia sine ratione placet aut lubet. tametsi enim in Principem nemo animaduertat, is tamen nonnunquã diuino iudicio reus sistendus est. Quocirca maturè circũspicere debet ne quid in publica commoda peccet: neq; enim leue crimen censeri debet quod pluribus officit. At iure merito Resp. primùm Clericos, deinde Nobiles immunes à tributis præstat. Clericos quidem ob numinis reuerentiam, & muneris præstantiam, tum quod religionis præsidio magis, excubijsq; Sacerdotum, Resp. defenditur, quàm stationibus militum. His succedunt Nobiles, quos Reipub. defensio nobilitauit: quiq; hactenus eandem cùm opus est, tuentur, & suo periculo incolumem præstant. Nobilitatis porrò fons & origo prima virtus est, quæ deinceps ad posteros vsq; manat: qui partis etiam priuilegijs gaudent, nisi fortè cùm degeneres euaserint, ordine moueantur.

B

Et domum patris, &c.

Primùm Clerici, deinde Nobiles à tributis eximuntur.

Priuilegiũ hoc nobilitatis, quo immunis à tributis asseritur, ex parte explicat Carolus sextus, Constitutione sua anni 1408. Statuit enim, ne subsidia aliqua, taliæ, focagia, impositiones, auxilia à Nobilibus, & eorum successoribus soluantur, vel exigantur, ratione bellorũ, aut quouis modo pro personis, bonisq, eorum quæsitis, vel acquirendis quoquo modo, vel titulo, nec pro fructibus, aut redditibus ex eorum patrimonio prouenientibus. Solennis olim publicorum comitiorum formula hæc fuit: Si nobiliter viuerent. Nam si mercaturam exerceant, legibus nostris priuilegio exuuntur, & plebei euadunt. Nobiles etiam Gabellæ obnoxij sunt, & quartæ vini. Consule Petr. Gregor. Iur. Syntag. l. 3. c. 8.

C

Stylus Parlamẽti par. vlt. inter Ordinationes Reg. Tit. de talijs, & exactionib.

Versus XXVI.

D Et ait Dauid ad viros, qui stabant secum: dicens: Quid dabitur viro, qui percusserit Philisthæum hunc, & tulerit opprobrium de Israël? quis enim est hic Philisthæus incircumcisus, qui exprobrauit acies Dei viuentis?

Versus XXVII.

Referebat autem ei populus eundem sermonem, dicens: Hæc dabuntur viro qui percusserit eum.

In circumcisus.] Chaldæus, *præputiatus iste?* Græci, ὁ ἀπερίτμητος οὗτος, *incircumcisus iste?* Hebraïcè הֶעָרֵל *beghareł.* Arias, *præputiatus* הַזֶּה *hazeh, hic?* *Tulerit opprobrium.*] Vatablus Sal-

Variæ trãslat.

QVIDDABITVR VIRO, &c.

mant. *probriúmque abstulerit ab Israele.* Chaldæus, *auferet ignominiam. Qui exprobrauit.*] Vatablus Laurent. *quòd probris afficiat.* Salmanticensis, *qui contumelijs afficit. Acies Dei viuentis.*] Chaldæus, *quia exprobrat ordinibus Dei manētis.* Græci, Θεοῦ ζῶντος. *Dei viuētis.* אֱלֹהִים חַיִּים *Elohim hhayim.* Pagninus, *Dei viuentis.* Montanus audaculè, *diuorum viuentium?* De אֱלֹהִים *Elohim*, & an *Dij* plurali numero pro vero Deo vsurpari possint, nos dudum copiosè capite quarto, versu octauo.

Quidam porrò in hunc locum: quasi dicat, Quid tantis præmijs opus est ad fortem Israëlitam incitandum? etiam sine præmio ineundum est certamen duabus de causis: prior est à persona hostis iniurij & alieni à Deo ac fœdere eius: posterior à dignitate eorum qui afficiuntur iniuria, quorum probra in se recipit Deus. Versu vigesimo septimo, *Referebat autem populus, &c.* quasi dicat, vt etiam sine præmio certandum sit, nihilominus tamen certum est præmium propositum.

En Dauid reliquis omnibus perterritis, infractus manet, & intrepidus: omninò vult congredi cum illo monstro. Non potest ferre, nomen Dei ita vexari contumelijs. Quæ alijs incutiunt timorem, ea illi augent animos, & accendunt indignationem. Quid dicitis? inquit, Quid præmij dabit Saul, si quis istum gigantem occiderit? Non ista quærebat, quòd ipse præmiorum cupiditate duceretur, sed quòd videret vulgus illis plurimùm commoueri. Non vincebatur Dauid his pollicitationibus, inquit sanctus Chrysostomus in homilia vigesimanona ad Romanos. Quo in loco multis agit de charitate, quam Principes debent suis subditis. Moses, inquit, cùm præficiendus esset populo Dei, quāti eos postea facturus esset, specimē præclarum dedit in Ægyptio. Dauid etiam quo animo futurus esset erga suos, satis in Goliath ostendit. Non dubitauit enim animam suam ponere pro populo Dei. Non enim illum Regis præmium commouit, sed honos Dei, & probrum populi. Nam cùm accersitus fuisset ad Saulem, nihil prorsus interrogauit de præmijs. Tantùm hoc quæritur, illum incircuncisum Palæstinum ita impunè potuisse conuitium facere Deo viuenti. Non tamen hæc dico, quòd præmia non probem, aut ea interdum non putem esse necessaria. Deus enim ipse in legibus proponit præmia, non frustrà, sed vt hominum animi magis ad virtutem, & ad rectè agendum excitentur. Nos tamen non oportet in illis consistere, sed longius spectare ad gloriam Dei: vt, quamuis nulla præmia proponerentur, tamen velimus rectè facere. Dauid multa huiusmodi verba iactauit inter milites, non aliam ob causam, nisi vt cum Goliath committeretur. Offert vltrò operam periclitanti iam, & labanti Reipublicæ. Idque si quis in Ecclesia faciat, cùm vsus postulet, eius studium non tantùm reprehendi non debet, sed etiam magnopere laudari. Ego, inquit Dauid, me profiteor huic monstro inimicum, & aduersarium. Me viuo, & incolumi, non deerit, quem cum illo committatis. Hæc ille.

S. Chrysostomus. Non præmij spe, sed diuini honoris, populique studio, Dauid in arenam descendit.

A Suidas non paucis circa καθ' αὑτὸ, καὶ δι' αὑτὸ philosophatur, ex quibus non incommodè intelligi possit, quo loco præmia habenda sint. καὶ ἡ μὲν προτέρα ἀντίθεσις, inquit, λαμβάνεται αὐτοῖς, ἐκ τῶν ποιητικῶν αἰτίων· ἡ δὲ δευτέρα, ἐκ τῶν τελικῶν. Ac prima quidem oppositio (ipsa est καθ' αὑτὸ, per se) sumitur ab ipso (Aristotele), à causis efficientibus. Secunda verò à finalibus. Vt, visum quidem καθ' αὑτὸ per se habemus. Diuitias verò, non καθ' αὑτὸ per se, sed δι' ἄλλο propter aliud. Sic in altera oppositione, quæ petitur scilicet à causis finalibus. Virtuti enim studemus propter ipsam, δι' αὑτὸ, non autem alterius rei gratia. Quamuis enim nulla sit eius remuneratio, tamen ipsa propter ipsam est sectanda, & exercenda. Vires verò, non propter ipsas habemus, sed alterius rei gratia. Si quid igitur habemus δι' αὑτὸ propter ipsum, hoc etiam omninò καθ' ἑαυτὸ per se habe-
B mus. Veluti, δι' αὑτὸ propter se virtus inest animæ, itaque & καθ' αὑτὸ per se. Nam causa virtutis effectrix inest in ipsa anima. Neque enim anima requirit aliquid externum ad virtutis felicem actionem. At visus per se quidem inest animæ, non tamen propter se, sed ad tuendam valetudinem, aut colendam virtutem. Eodem etiam referuntur diuitiæ: nec tamen per se sunt, sed aliunde asciscūtur. Quod verò per se est, potest & illud δι' ἄλλο εἶναι, propter aliud esse: sed hoc κατὰ συμβεβηκός, i. per accidens. Sic sanitas per se quidem inest corpori, à quo secūdum naturam manat. Potest tamen & per accidens medico tribui, quoniam is ea quæ valetudinem labefactāt, arte sua procul amolitus est. Quinimò si finem
C spectes, & propter aliud nonnunquam videbitur esse, vt quippiam agas quod sine valetudine efficere non possis. De virtute nunc pariter philosophandum est: Per se quidem inest numinis beneficio. veruntamen hîc quoque præmijs tribui potest per accidens, quoniam vbi ea proposita sunt, hæc Dauid tanquam ansam arripiens, accepta conditione viam sibi parauit ad pugnam. Qui postquam aditum patere sibi intellexit, ne horum quidem meminit, vt obseruat sanctus Chrysostomus, aut conditionis coram Rege fecit vllam mentionem. Si finem spectes, tametsi propter se verè est, aliò tamen referri poterit, vt ad laudem & gloriam comparandam: sed illud per accidens: quoniam horum quoque virtus est opifex: & alioquin illa videntur humanis mentibus expetenda. Siue igi-
D tur efficientis causæ, siue finis momenta expendere volueris, virtuti nihil oberit, siue præmijs excitata, siue aliena ope adiuta, per accidens esse dicatur.

QVIDDABITVR VIRO, &c. Suidas. Discrimen inter hæc, *Per se*, & *Propter aliud.*

Quid enim est hic Philisthæus incircumcisus?] Sic quoque prius contemptim Ionathas cap. 14. vers. 6. quo loco nos copiosè satis de Circumcisione disseruimus. Quod si tanti vitrum, inquit Tertullianus lib. de Baptismo, cap. 1. quanti margaritum? Felix Sacramentum aquæ, nostræ quia ablutis delictis pristinæ cæcitatis, in vitam æternam liberamur.] At verò S. Epiph. hær. 30. contra Ebionitas: Quid verò iactat Ebion Circumcisionem? quando etiam idololatræ & scelerati Ægyptij Circumcisionem habent, & Samaritæ, ac Iudæi, & Idumæi, & Homeritæ? Plerique

Tertullian. S. Epiph.

QVID DABITVR VIRO, &c.

rique verò ex his, non propter legem hoc faciunt, sed temeraria quadam consuetudine. Apostolus quoque Iudæos arguit qui in carne sua gloriarentur. Verùm hi scilicet cùm carne circumcisi essent, manebant tamen, vt S. Stephanus loquitur, *incircumcisi cordibus, & auribus*: at non item Dauid: qui cum Infideli collatus, iure merito potuit de Circumcisione gloriari. Primùm enim si qua virtus est, omnis illa ex Deo pendet, & ab eo deriuatur, qui rerum omnium fons est atque principium. Hanc porrò ille cùm opus sit, Circumcisioni negare non potest. Nam cùm fœdus iniret, elegit hoc signo pactum confirmari. An fortè veremur ne non instituti meminerit? Accedit quod conceptis verbis, solenni formula fore pollicitus est, vt si legem obseruarent, vnus quilibet mille fugaret. Cur igitur cuiusquam audaciam expauesceret, tametsi is impotens animi, vastóque corpore præditus videretur? Sed & illud animum Dauidi addere debuit, quod cùm cælestis militiæ solemni, vt Ammianus loquitur, tessera armatus esset, plures nancisceretur in agone adiutores. Quemadmodum enim cùm pugna committitur, & iam permistis ordinibus Mars totus in cæde est, vnusquisque miles concolorem sibi militem iuuat, quem suarum partium nota symbola, siue πλανίον Polybij, siue ξυλλέσιν Turnebi prodiderint: ita & Angeli, qui nusquam non manus conserunt cum Dei hostibus, semper periclitantibus adsunt, quos socios ex sacramentis nouerint, eósque periculis eripiunt. Quod cùm Dauid dudum ex fide comperisset, non est arbitratus virium suarum habendam rationem, aliunde certius præsidium sibi pollicens. Hoc etiam à Deo eruditus adolescens cogitabat, non tam neruis, aut musculis, lacertisque hominum vires constare, quàm robore animi. Siquidem eo absente marcescunt hæc omnia, præsente vigent. ex quo manifestè patet, nihil ea per se præstare posse; moueri autem ab animo. Animi porrò neruos pietate atque innocentia firmari didicerat, peccato dissolui. Circumcisio verò peccatum quidem delebat, ad pietatem autem aditum parabat. Quare cùm ipse quidem circumcisus esset, Goliath verò tanto beneficio indignus habitus, non temerè se quidem maximo pollere robore, illum autem viribus destitui existimauit. Præterea infirmas hominum vires semper esse duxit: sed malos dæmonum subsidio niti, qui nequitiæ fauent. Quòd si vlla ratione auerruncari fugarique possent, improborum conatus plerunque irritos fore. Illud porrò supra modum fide dignum videri, si quis pietatem colat ex animo, superiorem illo dæmonem nec esse posse, nec vultum eius ferre. Postremò illud etiam arbitratus est, legis studium, sacrificia, & oblationes, perpetuósque ritus sacrorum, quæ sunt circumcisorum propria: si cum vitæ innocentia coniuncta sint, securum & à periculo tutum reddere posse. Quæ cùm omnia in animũ suum induxisset, statuit, non temerè, sed prudenter, si per Regem liceat, se in campum proditurum, & cum Gygante congressurum.

Iure Dauid de Circumcisione gloriatur.

Turnebus lib. Aduers. ca. 26.

FRATER EIVS MAIOR.

VERSVS XXVIII.

Quod cùm audisset Eliab frater eius maior, loquente eo cum alijs, iratus est contra Dauid, & ait: Quare venisti, & quare dereliquisti pauculas oues illas in deserto? Ego noui superbiam tuam, & nequitiam cordis tui: quia vt videres prælium, descendisti.

VERSVS XXIX.

Et dixit Dauid: Quid feci? nunquid non verbum est?

F*Rater eius maior.*] הַגָּדוֹל *hagadol.* Magnus. Græci, ὁ μείζων *maior.* Vatablus, *maior natu.* Itaque verti etiam poterat, *frater eius primogenitus. Et iratus est furor Eliab contra David*, ita Pagninus Chaldæus, *Et inualuit indignatio ipsius Eliab contra David.* Græci, Καὶ ὠργίσθη θυμῷ ἐλιὰβ ἐν τῷ Δαυίδ, *Et iratus est furore*, Complutenses; *indignatione*, Roman. *in Dauid.* Vatablus Salmant. *Succensuit ira Eliab in Dauidem.* וַיִּחַר־אַף אֱלִיאָב בְּדָוִד *vayhhar aph Eliab bedauid. Et iratus est nasus eliab in Dauid. Pauculas oues.* Flaminius in Notis, *pusillas.* Græcè τὰ μικρὰ πρόβατα. Complut. *paruas oues.* Arias, *parum pecudis illarum.* Seu numerum spectes, seu statum & miseram gregis conditionem. *Ego noui superbiam tuam.*] Vatablus Salmant. *arrogantiam tuam.* Chaldæus, *præsumptionem tuam.* Græci, τὴν ὑπερηφανίαν σου, *superbiam tuam.* Versu 29. Pagninus, *Quid feci nunc? An non verbum est?* Vatab. Salmant. *Quid igitur feci? An non is sermo est?* Et in Schol. Subaudi, quod dixi? quasi dicat, Merus sermo est quem dixi: de hac re verbum tantùm feci, nihil gessi: sermo est sine facto. Hæc Vatabl. Chaldæus, *Nonne verbum fuit quod dixi?* Quidam vertit: *Quid feci nunc?* Subaudi, cuius nomine nunc arrogantiæ me damnas. *Nonne negotium fuit?* Cuius conficiendi causa huc me misit pater. דָּבָר *dauar* vtrumque significare potest, *verbum*, & *negotium*, & vtraque significatio bellè satis loco congruit.

Variæ translat.

Quamprimùm Dauid cogitare cœpisset de salute populi, statim acerbissimis conuitijs excipitur à fratre suo. Ita Satan semper se opponit bonis incœptis. Idque apertissimè habemus expressum in Christo seruatore nostro: qui cùm fundamenta iacere cœpisset salutis nostræ, statim incurrit in reprehensionem & conuitia, non tantùm Scribarum & Pharisæorum, sed etiam cognatorum, & fratrum suorum. *Noui*, inquit iste Eliabus, *superbiam atque audaciam animi tui.* Ita Dauid à fratre suo non satis fraternè tractatur. Sunt enim ista verba & contumeliosa & minacia. Quidam putant, Eliabum inuidia ductum fuisse, vt ista diceret. Nam cùm esset primogenitus, putabat summum honorem sibi deberi. Viderat autem Dauidem aduocatum fuisse ad aulam, atque ibi industriam

Quæ bene cœperis, Satan oppugnare nititur.

FRATER EIVS, &c.

suam & Regi, & aulicis omnibus approbasse, omniáque illi feliciter successisse. Vtcunque tamen respirauit, cùm illum videret remissum fuisse ad curam pastoritiam. Cùm autem illum intueretur ad castra rediisse, & iam etiam aliquid de pugna loqui, & huic prouocatori Gyganti minitari, iterum inuidia mouebatur. Mirum autem hoc, inquit Socrates, (loquitur autem de fraterna inuidia, quæ nascitur ex cupiditate possessionum) si quis germanos quidem propterea sibi damno esse putabit, quoniam partem illorum non possidet: ciues verò damno sibi esse non putabit, eò quòd bonis eorum priuetur. Sed hic quidem potest iudicare, quòd melius sit cum multis securè habitare, necessariáque possidere, quàm bona omnia ciuium habere solum cum periculo viuentem, in fratribus verò hoc idem ignorat. At seruos qui possunt, emunt vt cooperantes habeant, & amicos acquirunt, tanquam opus eis adiutorio sit: fratres verò despiciunt, quasi à ciuibus quidem possint effici amici, à fratribus verò minimè. Atqui nimis ad amicitiam conducit, ex eisdem parentibus natos esse: nimis etiam, simul nutriri. Quapropter & feræ suos socios cupiunt, & adhæc alij quoque homines magis illos honorant qui germanos habent, minúsque molesti eis efficiuntur. Nunc verò hi, qui sibi inuident, sic se habent, ac si manus, quas Deus vt vna alteram iuuet, creauit, neglecto mutuo auxilio, conarentur impedimento inuicem fore. Aut si pedes, diuina prouidentia ad coadiuuandum inuicem facti, relicto hoc, vnus alterum impediat: nonne hoc magna ruditas esset, & infelicitas eorum, quæ sibi inuicem vsui sunt, siue hoc de manibus pedibúsue, aut oculis, aut alijs rebus, quæ hominibus geminæ sunt, intelligas? Nam manus, siquidem oportuerit eas, quæ plus vlna distant coniungere, non possent. Pedes verò, ne spacium quidem vnius passus simul irent. Oculi verò quorum visiua potentia maximè apparet in longum extendi, nunquam videre possent, eorum, qui propinqui sunt, anteriora simul & posteriora. Fratres verò dum amici sint, quamuis multum vnus ab altero distet, agunt tamen ea, quæ profutura inuicem sunt. Hæc Socrates: quæ facilè ad rem præsentem & gloriæ imperijq; æmulationem traduces. Num enim læua dextræ inuidet, quòd ea solertior honoratiorque habeatur? Num oculorum alter alteri inuidet, quòd eius acies acrior habeatur? Num digitus digito; tametsi horum quispiam annulis gemmisque præ cæteris ornetur? Et tamen cùm id fit, ex priuato vnius ornatu in reliquos emolumenti nihil redundat. At verò frater cùm opibus ac dignitate auctior euadit, reliqui splendoris eius radijs collustrantur.

Xenoph li. 2. de dictis & factis Socratis.

Q àm sine ratione fratri frater inuideat.

Cæterùm potest fieri, idque probabiliùs duco, vt Eliab fraterna tantùm charitate iuuenilem fratris audaciam cum pari imprudentia coniunctam, vt quidem rebatur, compescere voluerit. Ac si diceret: Noui te quàm sis audax & temerarius, & periculorum contemptor: Hactenus cum æqualibus congressus, victor euasisti: nec tantum iudicio vales atque prudentia, vt alia esse ludicra pastorum certamina,

Mollior & benigna interpretatio verborum Eliab.

FRATER EIVS, &c.

alia cruenta militum prælia dijudices. Itaque, A si liceat, ausurus es vel cum isto Gygante manus conserere. Apage puerilem hanc insolentiam, ad caulas opilio. Quid tibi cum castris, qui propter infantiam ineptus habitus es qui miles scribereris: Castiganda est hæc curiositas, qui cùm pastor sis, oues deseris, & prælia curas. Bellum porrò dulce inexpertis. Quòd si temerè cum Philisthæo confliges, quod cupere te non obscurè significas: pœnas lues temeritatis tuæ, neque euadere poteris. Hæc mihi Eliab dicere visus est, iuniorem fratrem increpitans dum eiusdem incolumitati studet: & veretur, ne iuuenili ardore eò se det præcipitem, vnde pedem referre commodè nequeat. Atque ita, quod summis laudibus ferendum erat, id hîc Dauidi datur crimini. Ille enim patris sui imperata fecit, vt fratribus suis subueniret: tamen ob illud B ipsum reprehenditur. Accusat eum frater, quasi proprium munus reliquerit, & vocationem suam, & sequi voluerit occasionem aliquam captandæ gloriæ. Ita Christus Dominus, cùm venisset à patre suo, vt seruaret humanum genus, accusatus est à Scribis & Pharisæis arrogantiæ, & superbiæ: quasi se præponeret Patriarchis atque Prophetis, & regnum inter suos vellet obtinere. Itaque coactus est sæpe apologias facere, & se purgare: *Se gloriam suam non quærere: regnum suum non esse ex hoc mundo: se non venisse vt sibi ministraretur*, sed vt ipse alijs ministraret.

Eliab videri vult καρδιογνώστης quispiam. *Scio*, inquit, *malitiam cordis tui*. Ita Pagninus. Cicero 4. Tuscul: Virtuti contraria est vitiositas. Sic enim malo, quàm malitiam appellare, quam C Græci κακίαν vocant. nam malitia certi cuiusdam vitij nomen est, vt vitiositas omnium.] Sed ne sic quidem ego hunc locum intelligo. Græci, τὴν κακίαν τῆς καρδίας, *& nequitiam*. Complutenses, Romana editio Nobilij *improbitatem cordis tui*. Nequitia porrò & improbitas Latinis non solùm certum quoddam vitium designat, aut etiam vitiositatem, sed cuiuslibet rei constans & assiduum studium. Sic, labor improbus omnia vincit. Hebraicè legimus, רֹעַ *roagh*. Complutensis editio רֹעַ *roagh* notat ad marginem. Alij vtramque dictionem distingui volunt. Ego sic posse verti crediderim, *Noui ego animi tui impotentiam, & improbum studium cordis tui*. Pronum aliàs vertit Interpres noster, Exod. capite 32. versu 22. Septuaginta eodem loco, τὸ ὅρμημα *impetum*. *Tu scis*, inquit Aaron, σὺ οἶδας D τὸ ὅρμημα τοῦ λαοῦ τούτου, *impetum populi huius*. Nec verò aliter sequentia patiuntur exponi, *Vt videres prælium descendisti*. Importunum itaque studium adolescentis, & temerarium impetum carpit: absit autem vt fratrem, cuius egregiam indolem perspectam habuit, deprauatæ voluntatis insimulet: nihil necesse est fratres inter se committere, vt alterius quidem linguæ petulantiam arguas, alterius etiam innocentiæ conuitium facias. Neque aliter fratris verba intellexisse videtur Dauid, cùm ait: *Quid feci? nunquid non verbum est?* Quasi diceret, Nonne omnes ita loquuntur? quid ego hîc commisi præ alijs? Certè hactenus tentaui nihil. Alij verbum accipiunt pro causa: quasi ita dixerit, Nonne iusta

Malitia hoc loco improbū studium significat.

SCIO NEQUITIAM, &c.

iusta causa fuit cur huc venirem? Vel perinde est, ac si diceret, Non sunt ista verba tantùm: ego reipsa præstabo, quod dico. Atque hoc dicto, paulum discedit à fratre, ne eum vreret vehementiùs: partim etiam, ne pateretur consilium suum impediri.

Dauid autem tametsi per summam iniuriam lacessitus, non regerit conuitia, non carpit fratrem: sed tantùm se modestè excusat. Fratrem enim primogenitum habere debuit loco patris. Cuius, vt mihi quidem videtur, effigiem habitúmque graphicè describit Tertullianus, cùm in lib. de Patientia, cap. 15. patientiam suis coloribus ad viuum depingit. Vultus, inquit, illi tranquillus & placidus, frons pura, nulla mœroris aut iræ rugositate contracta: remissa æquè in lætum modum supercilia, oculis humilitate, non infelicitate deiectis. Os taciturnitatis honore signatum. Color qualis securis & innoxijs. Motus frequens capitis in diabolum, & minax visus. Cæterùm amictus circum pectora candidus, & corpori impressus, vt qui nec inflatur, nec inquietatur. Sedet enim in throno spiritus eius mitissimi & mansuetissimi, qui non turbine glomeratur, non nubilo liuet, sed est teneræ serenitatis, apertus & simplex, quem tertiò vidit Helias. Nam vbi Deus, ibidem & alumna eius, patientia scilicet. Cùm ergo spiritus Dei descendit, indiuidua patientia comitatur eum. Si nos cum spiritu admiserimus, in nobis morabitur semper: imò nescio an diutius perseueret sine sua comite ac ministra. Hactenus Tertull.

Tertullian.

Describitur patientis habitus.

VERSVS XXX.

Et declinauit paululùm ab eo ad alium, dixitque eundem sermonem. Et respondit ei populus verbum sicut prius.

PAgninus, *Et vertit se ab illo ad alium*. Vatablus Laurent. *Et diuertit ab illo versus alium*. Arias apud Pagninum, *Et vertit se ex apud ipsum ad contra alterum*. Hæc scilicet est phrasis Hebrææ linguæ, quæ Latinorum palato non sapit. Chaldæus haud multò elegantiùs, si verbum ex verbo transferas: *Et reuersus est ab illo ad è regione aliarum*. Vatablus in edit. Salmant. *Versus igitur ab illo, obuiam fit alij*. In Schol. id est, Eo relicto accessit ad alium. Septuaginta Ald. edit. Καὶ ἀπέστρεψε παρ' αὐτοῦ εἰς ἐναντίον ἑτέρου. Nobilius in Notis, *Et auertit se ab eo ad contra alterum*. Complutenses, ἀπ' αὐτοῦ εἰς μέρος ἕτερον. *Et reuersus est ab eo in partem alteram*. Quidam etiam vertut, *Et diuertit ab illo versus alium. Dixitq; eundem sermonem*. Vatablus in Scholijs: Hebraismus, Secundum verba ista, id est, eadem interrogauit.

Variæ trãslat.

Fecit tum Dauid, quod Apostolus postea docuit: *Non vos defendentes, charissimi, sed date locum iræ*. Sic olim Iacob cessit iræ fratris sui Esau: & abscedens paternis laribus, in Mesopotamiam profectus est. Sic Abraham, cùm rixa

Date locũ iræ, inquit Apostolus.

A orta esset inter pastores suos & opiliones Loth fratris sui, ne latius incendium serperet, *Ecce*, inquit, *vniuersa terra coram te est: recede à me obsecro: si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo: si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam. Ne quæso sit iurgium inter me & te: fratres enim sumus*. Genes. 13. Nihil eo excogitari potuit prudentius, quàm vt furentis & ira perciti impetum declinaremus potius quàm refutaremus. Ira namque furor breuis est: cui nisi rixæ fomenta suppedites, suopte ingenio mox concidit. At dum furit æstus, & bilis procella feruet, si fortè in scopulos impingat, momento cuncta obruit. Tolle obiectos obices, statim languescet impetus, & absque fragore soluetur. Iracundia fulmen æmulatur: vis eius mollibus indulget, rupes & saxa comminuit. Quamobrem non

ET DECLINAVIT, &c.

B ineptè Euripides:

Δυοῖν λεγόντοιν, θατέρου θυμουμένου,
Ὁ μὴ ἀντιτείνων τοῖς λόγοις σοφώτερος.
Colloquentium duorum, irato altero,
Iste qui verbis non refragatur, prudentior est.

Euripides.

Porrò qui irato sui copiam negat, séque & illum maiore beneficio afficit. Nam qui præsens est, etsi tacet ac linguæ moderatur, nec lacessentem verbo violat: eundem tamen prouocat sua præsentia, ac velut pro scopo est in quem petulantiæ suæ iacula contorqueat. Quinimo conuitiandi libido ac procacitas silentio magis incenditur, dum se contemni putat, & indignum haberi, cui lacessitus respondeat. Nam puerorum conuitia, & eorum qui mente capti sunt, aut phrenesis morbo, publicáue infamia
C laborant, scortorum etiam procacitatem, & eorum qui à malis dæmonibus incitantur, quos energumenos dicimus; nemo petulantiam verbis castigat, aut responsione dignatur: sed aspernatur, & audire dissimulat. in quorum numerum cùm is, qui ira excanduit, & linguæ frenos laxauit, referri se intelligit, tum vehementiùs vritur. Quod si te subduxeris, tum se timeri, quod optat, suspicans, & iræ suæ concedi, maturiùs resipiscit & impetum cohibet. Teipsum etiam non minima vexatione liberas: nam quæ in absentem tela vibrantur, ea leuiùs feriunt. tum hoc quoque obtines, quod ego in maximi lucri loco repono, ne probris contumelijsque victus pariter insanias.

Lacessiti silentiũ conuitiantes vrit: receptus ad cõcordiam reuocat.

Neque tamen propterea, quod nonnulli faciunt, perpetua in posterum secessione simultas
D alenda est: sed compositis irarum fluctibus, statim debet fieri gratiæ reconciliatio. Excusabat quidem apud Xenophontem Chærecrates difficiles fratris mores, & alienum à se animum, ne cum eò in gratiam rediret: sed hanc quoque arcem hominis pertinaciæ facilè disiecit Socrates: & ostendit quàm nullo fundamento niteretur, cùm diceret: Verum, ô Chærecrates, nulli omnino Chærephon (is frater eius fuit, cum quo tum inimicitias exercebat) placere potest, sicut nec tibi, an reuera nonnullis alijs placet? Cùm alijs quibusdam placere respondisset. An igitur, inquit Socrates, quemadmodum equus equitandi peritos plurimùm iuuat, artis verò expertes vexat, & à se excutit: Sic quoque frater tuus nonnullam tibi molestiam

Xenoph. li. 2. de dict. & fact. Socratis.

ET DECLINAVIT, &c.

Quo pacto fratris duritia vinci possit.

exhibet, quòd eo vti commodè nescias. Quinimò, ait Chærecrates, noui de me benemeritos beneficijs prosequi, & eos qui me laudent vicissim ornare præconijs: at si quis me lædere studeat vexetque contumelijs, hunc ego vt habeam in delicijs, aut beneuolentia complectar persuaderi non potero. Quid si, inquit Socrates, generosus ille canis, & ouium tuarum custos acerrimus, opilioni quidem tuo cauda blandiatur, te verò latratibus fatiget, & minax ringatur, iubebis continuò villa exulet, an non potius offa obiecta & ciborum reliquijs, eundem tibi conciliare conabere? Ergóne frater cane vilior habetur, quem nullo studeas officio inflectere? Docet illum deinceps artem qua capi possit, quam ostendit nostrûm latere neminem. Nam si velis, inquit, vt quis te in Asiam profectum Ephesi hospitio excipiat, quid facies? illum scilicet primùm Athenis inuentum domum deduces, vt is victu cæterisq; rebus apud te quàm liberalissimè commodissiméque habeatur. Quid si cum absens eris, velis quemquam amicorum res tuas curare, an non prius in absentis familiam diligentiam cõferes? Quid si epularum studio tenebere, an non etiam prior ad conuiuium inuitabis, vt fias alienorum particeps? Ergo his illecebris capiuntur homines, vt ea velint quæ cupimus: nec secus accidet si fratrem officio prouocaueris. Pudet tamen alterum alteri præuerteri. Atqui bonarum rerum primi autores maximè laudantur: nec quisquam est qui non magnopere commendet, si quis obsequio amicum, vulnere hostem prior afficiat. Nec te ab officio deterreat quod nonnulli clamitant, ne fortè casso labore, quod aiunt, oleum & operam perdas. Nam mali qui sunt, cùm superbia tumeant, gloriæ cupiditate facilè vincuntur; ita vt si tecum ijs obsequio & animi summissione certes, deliniti eorum se potestati permittant, quos ante despexerint: boni verò amicitiam vltrò fouét, vt quæ habeat cum virtute maximam coniunctionem. Quod si ne tum quidem quicquam promoueas, hoc saltem consequeris, vt tu quidem officio functus Deo hominibúsque videaris: solus ille violatæ legis culpam sustineat.

VERSUS XXXI.

Audita sunt autem verba, quæ loquutus est Dauid, & annunciata in conspectu Saul.

VERSUS XXXII.

Ad quem cùm fuisset adductus, locutus est ei: Non concidat cor cuiusquam in eo: ego seruus tuus vadam, & pugnabo aduersus Philisthæum.

VERSUS XXXIII.

Et ait Saul ad Dauid: Non vales resistere Philisthæo isti, nec pugnare aduersus eum: quia puer es, hic autem vir bellator est ab adolescentia sua.

QUIA PUER ES, &c.

Variæ translat.

IN conspectu.] Pagninus, *Coram.* Græci, ἐνώπιον Σαούλ. *Coram Saul.* Chaldæus, *Ante Saul.* Hebraicè לִפְנֵי *Liphnei Saul.* Arias, *ad facies Saul.* Deinde sequitur in Hebræo, וַיִּקָּחֵהוּ *vaykahhehou.* Pagninus, *& tulit eum.* Arias, *& cepit eum.* Vatablus Laurentij, *& assumpsit eum.* Salmantic. *& accersiuit eum.* Chaldæus, *& duxerunt eum.* Complutenses cum Vulgata conueniunt. Aldus plura addidit, Καὶ παρέλαβον αὐτὸν, καὶ εἰσήγαγον αὐτὸν πρὸς Σαούλ. *Et assumpserunt eum, & introduxerunt eum ad Saul.* Versu 32. Pagninus, *Ne concidat cor hominis propter eum.* Arias, *super eum.* Vatabl. Laurent. *in ipso.* Chaldæus, *ab eo.* Sic enim scribit, *Non frangetur cor hominis ab eo.* Vatablus Salmant. *Ne concidat vllius hominis cor in sese* Et in Schol. id est, *Nemo sit animo remisso.* Græci Aldinæ edit. πρὸς αὐτόν. *eius gratia, propter ipsum.* Complut. ἐπ' αὐτόν. *super eum.* De Saule autem loquentem Dauidem inducunt, μὴ δὴ συμπεσέτω ἡ καρδία τοῦ κυρίου μου ἐπ' sive πρὸς αὐτόν. *Non concidat cor Domini mei super* seu *propter eum.* Chaldæus, *Seruus tuus ibit, & inibit prælium cum Philisthæo isto.* Vatablus in Schol. id est, paratus est inire singulare certamen.

Versu 33. Septuag. οὐ μὴ δυνήσῃ πορευθῆναι πρὸς τὸν ἀλλόφυλον τοῦτον τοῦ πολεμεῖν πρὸς αὐτόν. *Non poteris ire contra Philisthæum istum, vt pugnes aduersus eum:* ὅτι σὺ παιδάριον εἶ, αὐτὸς δὲ ἀνὴρ πολεμιστὴς ἐκ νεότητος αὐτοῦ. *Quia tu puer es, ipse autem vir est bellator ab adolescentia sua.* Chaldæus, *Quia puer tu, & ipse vir faciens prælia à pueritia sua.* Pagninus, *Non poteris ire ad Pelisthæum istum, vt pugnes cum eo: quia puer es, ipse autem vir bellator ab adolescentia sua.* Eadem habet Vatablus Laurent. At Salmanticensis edit. *Non poteris ire ad Palesthinum illum, vt cum illo congrediaris, quoniam adolescens es tu, ipse autem vir est bellandi gnarus, idque ab adolescentia.* Sed quomodo *vir ab adolescentia?* nempe ea dictio coniuncta cum qualibet arte vel munere, professionem hominis, non ætatem denotat. Nam & nos dicimus, *Il estoit homme d'armes dés sa ieunesse:* quasi diceres, *Il a suiuy la guerre, ou fait profession des armes dés sa ieunesse.* Adolescentem autem Dauidem, non puerum, Vatablus vocat. Atqui παιδάριον Græci dixêre, & Hebraicè legimus כִּי נַעַר אַתָּה *ki nabhar athah. quia puer tu.* Designat autem ea dictio teneram ætatem, aut certè quemlibet rerum imperitum. Vtroque modo Dauid נַעַר *naghar* à Saule intelligi potuit. Et quod ne tum quidem ex ephebis excessisset, & rerum hactenus foret expers bellicarum. Samuel 1. Regum cap. 1. vers. 24. vt primũ depulsus à lacte est, נַעַר *naghar* נַעַר *naghar* vocatur. hoc est, *puer puer. puerum infantulum* vertit Interpres noster. Natus erat, vt volunt Hebræi menses viginti quatuor, paruus, & tener, & modò ablactatus. 3. Reg. 3. Salomon, cùm duodecimum annum emensus esset, se נַעַר *naghar* puerum vocat. Genes. 37. de Iosepho dicitur, cùm septemdecim esset annorum, & gregem vnà cum fratribus pasceret, *& ipse erat* נַעַר *naghar.* Hoc est, vt Vulgatus Interpres

vertit,

QVIA PVER ES, &c.

vertit, *adhuc puer.* At Ieremias Prophetiæ suæ cap. 1. non de annis, sed de sensu atque prudentia loqui intelligendus est, cùm ait vers. quinto, אֲהָהּ אֲדֹנָי יְהוִה הִנֵּה לֹא יָדַעְתִּי דַּבֵּר כִּי נַעַר אָנֹכִי *ahah Adonai Iehoui hinneh lo-iadaghthi dabber, chi naghar anochi. Ahah Domine Deus, ecce non noui loqui, quia puer ego. Hic autem vir bellator est ab adolescentia sua.* Hebraicè, אִישׁ מִלְחָמָה מִנְּעֻרָיו *isc milhhamah minneghuran.* Arias, *vir belli à pueritijs suis.* Hoc est, ab ineunte ætate professione miles.

Illa diligentissima inquisitio de regio edicto, nihil aliud sibi voluit, nisi vt aliquo modo adduceretur ad Regem. Id Deus effecit, ne Dauid iniussu magistratus pugnaret in hostem. Ita Cato scripsit ad filium suum, ne, cùm esset exauthoratus ab Imperatore, manũ cum hoste consereret. Id enim si fecisset, accusari eum posse cædis. Deus vult, non tantùm bona fieri, sed etiam ea bene atque ordine fieri. Hic quoque Dauidem cum Christo conferamus. Dauidem frater acerbissimè reprehendit: populus tamen eum prædicat, & deducit ad Regem. Ita Scribæ & Pharisæi omnibus contumelijs insectati sunt Christum Dominum. Populus tamen, & turba maledicta, & publicani, & meretrices, & Samaritani summa veneratione prosequebantur.

Non vales resistere Philisthæo isti.] Non potes, inquit Saul, cum isto Gygante pugnare. Concurres enim imparibus viribus: tu enim puer es: ille autem miles veteranus. Creabis periculum tibi ipsi: populo dedecus: & exitium reipublicæ. Iste enim obtulit conditiones, vt vter vestrum superabitur in pugna, ea pars alteri perpetuam seruitutem seruiat. Dauid ita & reprehensus à fratre, & deterritus à Rege, tamen à sententia non discedit. Deus voluit, vt ipse secum intus prius dimicaret, & ipse sese vinceret, quàm victoriam reportaret ab hoste. Sed Dauid, Noli, inquit, ô Rex, hanc curam suscipere mea causa. Ego vni Deo confido: idque mihi erit satis. Nihil hic aut de ætate, aut de peritia armorum loquitur. tantùm nititur auxilio Dei.

Tribus rationibus probat Dauid se posse gygantem conficere.

Dauid vtitur tribus rationibus, vt doceat se vincere posse Goliathum. Prima sumitur ab exemplo: Sæpe, inquit, ego vici feras bestias, leones, vrsos: cur ergo istam bestiam non vincam? Altera est à fœdere: Ille incircumcisus est, & alienus à Deo: nos autem circumcisi sumus, & fœdere cum Deo coniuncti. Tertia ab efficiente causa. Est causa, cur Deus illum velit perdere. Peccauit enim in Deum, & in eum iecit horrenda conuitia: *Stipendium autem peccati est mors.* Sim iuuenis, sim imperitus rei castrensis, sim inermis: tamen Deus me non destituet. Ille quidem est veteranus: at incircumcisus: est instructus armis: at blasphemus in Deum.

Quia puer es, hic autem vir bellator ab adolescentia sua.] Suidas in verbo ἔφηβος, Oportebat, inquit, ephebum ἐν τῇ χλαμύδι τὴν δεξιὰν ἔχειν ἀνειλημμένην, in veste dextram inuolutam habere. δεῖ τὸ ἀρχὴν εἶναι εἰς ἔργα, καὶ λόγους, εἰς ἐνιαυτὸν, καὶ μὴ προϊέναι τὴν χεῖρα, quod oporteret in factis, & verbis per annum, ipsum esse otiosum, nec exercere manum. Pellenenses, vt Pausanias autor est in

Suidas.

Ephehorũ est discere.

Pausanias.

Achaicis, neminem nisi qui epheborum exercitia didicisset, & in his versatus esset, ad Rempubl. admittebant: siue, vt alij vertunt, ἐς τὴν πολιτείαν ἐγγραφῆναι in album ciuium adscribi sinebant. Idem in Eliacis testatur, in curia Iouis Olympici signum fuisse specie perfidiosis hominibus admodum formidanda. Horcius ei cognomen, hoc est iurisiurandi vindex, vtraque manu fulmen tenens. Solenne porrò Athletis fuit, ibidem super execti suis testibus verbis conceptis iurare, se decem perpetuos menses accuratè meditatos quæ ad certamen requiruntur. Quod infra denuò de Hellanodicis affirmare videtur. Si tanto tempore ludicri pugiles instituendi visi sunt, qui tandem rudis & inexercitatus opilio cum Gygante committi potuit, eo certamine quo Reipub. salus atque libertas in discrimen vocaretur? Ars certè bellandi, inquit Cassiodorus lib. 1. Variar. epist. 40. Si non præluditur, cùm necessaria fuerit non habetur. Discat miles in otio, quod proficere possit in bello. Animos subitò ad arma non erigunt, nisi qui se ad ipsa idoneos, præmissa exercitatione, confidunt. Gestiunt vituli certamina, quæ impleant ætate robusta. Catelli in nouellis venationibus ludunt. Focos ipsos comprehendere virgultis teneris inchoamus: cæterùm si robora primis scintillis adhibeas, igniculum opprimis, quem fouere contendis. Sic animi hominum, nisi prius leuiter fuerint imbuti, ad hoc quod tendis, idonei nequeunt reperiri. Primordia cuncta pauida sunt: & aliter timiditas non tollitur, nisi cùm rebus necessarijs nouitas abrogatur. Hactenus Cassiodor. Quæ idcirco pluribus commemoraui, quòd ex antithesi verborum intelligi possit, non tam immaturam ætatem, quæ & ipsa Regem terrebat, quàm rerum bellicarum imperitiam Dauidi ab eo fuisse obiectam. Exercitatio porrò quantum ad victoriam cõferat, duobus exemplis manifestum faciam. Alterum habet Pausanias in Eliacis, Hysmonis Elei, cui cùm vires natura negasset, exercitatio largita est; ita vt ex Olympicis Nemeisque palmam ferret. Nam hic, inquit Pausanias, cùm puer adhuc neruorum imbecillitate tentaretur, ad quinquertium animum adiecit; è qua exercitatione cùm morbum depulit, tum multas & insignes ex eo certamine coronas accepit. Alterum exemplum affert Ælianus lib. 10. Var. histor. cap. 22. quo docet Dioxippum inermem, arrepta claua, armatum Macedonem coram Alexandro sternere potuisse, eundémque proprio ense erepto iugulasse. Tantum pugil exercitatione profecerat, vt etiam armis arte illuderet.

Cassiodor. Ars bellica longa exercitatione indiget.

Pausanias.

Ælianus.

Neque tamen tantum exercitationi, atque ætati, aut etiam corporis moli tribuendum est, vt minor ætas, quæ necessariò cum imperitia disciplinæ militaris coniuncta est, aut breuior statura ludibrio habeatur. Salmonem hirudo, tametsi longè impar corpore, araneus Xiphiam; Crocodilum ichneumon; culex Leonem conficit. Mus sanè, si fortè non deuorat, at certissimè terret Elephantem. Quis ignorat in ape minima plus esse prudentiæ quàm in maximo boue, in formica plus quàm in struthiocamelo; in

Non rarò parua magnis præstant.

QVIA PVER ES, &c.

exiguo adamante plus gratiæ quàm in ingenti saxo? Claudianus de Bello Getico Alanos describens,

Claudian.

Queis natura breues, inquit, *animis ingentibus artus*
Finxerat, immanique oculos infecerat ira.

Et M. Varro M. Maximum & M. Tullium Equites Romanos, binûm cubitorum fuisse scribit, corpore item vesco, sed eximijs viribus. Narrat Paulus Diaconus lib. 4. de gestis Longobard. cap. 12. Grimoaldum puerulum, militem, à quo is captiuus trahebatur, virili audacia interemisse, seque periculo exemisse. Meminit & Cromerus lib. 5. de rebus Polonor. Boleslai Criuousti, qui nonum adhuc annum agens blanditijs à patre Rege impetrat, vt ad exercitum mittatur. Quò cùm ventum esset, tum puer, inquit, singula quæ fiebant curiosiùs obseruare, versari inter ordines, omnibus arridere, æstum imbrémque pati, vigilare, humi cubare, vigilias cum duce obequitare, aliáq; multa præter ætatem facere, ferréque: ita vt indoles illa, studiúmque pueri, futuram eius magnitudinem non obscurè portenderet. Mox verò in Pomeranos nequicquam retinente patre ac proceribus incurrens, pari felicitate atque audacia victoriam reportauit. Quamobrem pater in publico conuentu procerum, eundem annos tantum quatuordecim natum, baltheo militari donauit. Hactenus Cromerus.

Cromerus. Virtus ætatis impedimentum nescit.

Ouidius.

Parcite natales timidi numerare deorum,
Cæsaribus virtus contigit ante diem.
Ingenium cæleste suis velocius annis
Surgit, & ignauæ fert malè damna moræ.
Paruus erat, manibúsque duos Tirynthius angues
Pressit, & in cunis iam Ioue dignus erat.
Nunc quoque qui puer es, quantus tunc Bacche fuisti,
Cùm timuit thyrsos India victa tuos?
Vlter adest, primisque ducem profitetur in annis,
Bellàque non puerò tractat agenda puer.

Hæc ille adulatoriè in Cæsaris filium, quæ multò verius in Dauidem quadrant. Cæterùm talem opinor Dauidem puerum designari, qualem Boleslaum Cromerus prædicat: aut etiam eo maiorem, (is βούπαις est Eupolidi, seu puer grandior:) non qualem Esaias describit cap. 7. quem meritò figuratè loquutum Tertullianus asserit; cap. 9. aduersus Iudæos. Prophetia ita habet: *Priusquam nouerit puer vocare patrem aut matrem, accipiet virtutem Damasci, & spolia Samariæ aduersus Regem Assyriorum.* Tertullianus ita interpretatur: Antè est enim, inquit, inspicias ætatis demonstrationem, an virum iam Christum exhibere ista ætas possit, nedum Imperatorem? Scilicet vagitu ad arma esse conuocaturus infans, & signum belli non tuba, sed crepitacillo daturus: nec ex equo vel de mulo, sed de genitricis & gerulæ suæ dorso siue collo hostem designaturus; atque ita Damascum & Samariam pro mammis subacturus. Aliud est, si penes vos infantes in prælium erumpunt, credo ad Solem vncti prius; dehinc pannis armati, & butyro stipendiati, qui antè norint lanceare, quàm lancinare. Enimuerò si nusquam hoc natura concedit, antè militare quàm virum facere, antè virtutem Damasci sumere quàm patrem nosse, Sequitur vt figuratè pronuntiatum videatur.] Virtutem autem Damasci refert Tertullianus ad Regum munera, qui vagientem in cunis venerati sunt. Possent etiam spolia fortis illius armati intelligi, de quo idem Christus Dominus agit in Euangelio. Haud dubium est, quin iam inde à primo ortu conceptionis suæ, ac deinceps qualibet actione sua, Natiuitate, Circumcisione, fuga in Ægyptum, diabolum vicerit, & spolia opima patri ex duce hostium detracta vouerit; tametsi victoriæ triumphus haud ita tum manifeste actus est. Sed nos ad allegoriam deflectere nequaquam opus est, vt Dauidis celeberrimam victoriam prædicemus. Non enim infans in arenam descendit, sed iam adulto flore ætatis, postquam cum leonibus & vrsis pro grege dimicans, virium suarum periculum fecisset. tametsi nemo ambigat, quin huius quoque primæua pubes laboribus exercita, triumphisque nobilitata, Saluatoris adolescentiam præsetulerit.

Tertullian.

Exponitur Esaias.

QVIA PVER ES, &c.

Hic autem vir.] Nunc quidem, siue hoc tempore, cæterùm iam olim à teneris vnguiculis Bellonæ lacte enutritus. Ἀνὴρ Polluci lib. 2. Onomast. cap. 2. sect. 6. ὁ τὴν μάχιμον ἡλικίαν ἔχων, τὴν ἐν καταλόγῳ, Vir est, qui militarem ætatem assequutus est, ætatem censui obnoxiam habēs. ἀκμάζων, σφριγῶν, τὴν στρατεύσιμον ἡλικίαν ἔχων, vegetus, feruens, bellicosæ ætatis existens. ἐκ τῆς ἀπομάχου ἡλικίας, ἐκ τῆς ἀμάχου, ἐκ τῆς ἀπολέμου, ἐκ τῆς ἀστρατεύτου, imbellem ætatem transgressus, imbellicosam, bellis non aptam, militiæ imperitam ætatem egressus. Hebr. legimus, איש מלחמה מנעריו *isc milhhamah minneghurau. Vir bellator ab adolescentia sua.* מלחמה *milhhamah* porrò est à verbo לחם *lahham*, quod comedit, consumpsit, epulatus est significat. Huius scilicet ab ineunte ætate, prælia & cædes epulæ fuerunt: homines vt panem vorare solet. quid isthic facias? Inde bellum dictum, quod, vt Dauid loquitur, *Modo hunc modò illum deuoret gladius.* vnde & crebra satis illa phrasis ad Scripturas manauit, vt os machæræ tribuatur. *Os gladij*, μαχαίρας στόμα Genes. 34. vers. 26. & alibi frequentiùs. 2. Samuelis, siue Reg. cap. 11. vers. 27. ποτὲ μὲν οὕτως καὶ ποτὲ οὕτως φάγεται ἡ μάχαιρα, *Hunc sicut illum edendo consumit gladius.* Nec ignota Homero loquendi formula. Nam & ipse Iliados κ. siue lib. 10. vers. 8. πολέμοιο στόμα dixit *os belli*: nimirum, quia vt obseruat Schol. πόλεμος πάντων δαπανητικός, bellum prodigum est, & consumit omnia. His vocibus ab illius studio Deus non absterreri voluit, quibus nunc Saul vtitur: sed inanem strepitum Dauid excipit impauidus, quoniam non suo sed Dei nomine feræ belluæ insolentiam repressurus est. Minas ridet, & hominis iactantiam vanitatis arguit: vires autem, & corporis molem, artésque adeo bellicas pro nihilo ducit: ferrum etiam thoracémque chalybeum ludibrio habet. Hoc vnum dolet moræ impatiens, quod non citius ad certamen admittatur, egregium virtutis ac fidei, autore Deo, specimen editurus. Cùm aliquando Damis, vt est apud Philostratum lib. 5. vitæ Apollonij, cap. 7. Apollonij sectator, Rhodi colossum stupens intueretur,

Quis vir Polluci.

Bellum à comedendo dictum.

Homerus.

Ridet hominum inanes qui Deo confidit.

Philostrat. Pius Rhodio Colosso maior.

QVIA PVER ES, &c. tetur, à magistro quæsiuit, an alibi maiorem esse arbitraretur? Vtique ait, eum qui perfectè Philosophiam consequutus esset, & ex ipsius præscripto vitam institueret, colosso fore maiorem. Quid igitur Dauid qui cœlestis disciplinæ mysterijs imbutus erat, & pietatem religionémque colebat religiosissimè, an non is quoque meritò Gygante maior haberi debet?

VERSVS XXXIV.

Dixítque Dauid ad Saul: Pascebat seruus tuus patris sui gregem, & veniebat leo, & vrsus, & tollebat arietem de medio gregis:

VERSVS XXXV.

Et persequebar eos, & percutiebã, eruebámque de ore eorum: & illi consurgebant aduersum me, & apprehendebam mentum eorum, & suffocabam, interficiebámque eos.

VERSVS XXXVI.

Nam & leonem & vrsum interfeci ego seruus tuus: erit igitur Philisthæus hic incircumcisus, quasi vnus ex eis. Nunc vadam, & auferam opprobrium populi: quoniam quis est iste Philisthæus incircumcisus, qui ausus est maledicere exercitui Dei viuentis?

רֹעֶה הָיָה *Rogheb haiah.* Pagninus, *Pastor erat seruus tuus patri suo in pecoribus.* Arias, *in pecore.* Chald. similiter. Vata. Salm. *Seruus tuus pascebat oues patris sui, irruit autem leo & vrsus, abripuitq; pecudẽ de grege.* Græci, ποιμαίνων ἦν ὁ δοῦλός σου Compl. ἐν τῷ ποιμνίῳ τῷ πατρὶ αὐτοῦ. *Pascens erat seruus tuus in grege patri suo.* Aldus, τῷ πατρὶ αὐτοῦ, ἐν τῷ ποιμνίῳ *patri suo in grege.* Καὶ ὅταν ἤρχετο ὁ λέων καὶ ἡ ἄρκος, *Et quãdo veniebat leo vel vrsus.* Chal. *Et tulit agnũ de grege.* Idem Pagn. Græci, ἐλάμβανε ἐκ τῆς ἀγέλης *ouem de grege.* Vulgatus *arietem* maluit. *Et illi insurgebant.* Vatabl. Salm. *Cúmq; insurgeret.* Nam hæc omnia numero singulari leguntur. Græci. Καὶ εἰ ἐπανίστατο ἐπ' ἐμέ. *Et si insurgebat aduersum me,* ἐκράτουν τοῦ φάρυγγος αὐτοῦ. *Et apprehendebam guttur eius.* Chald. *Et stetit super me, & apprehendi in maxilla eius.* Pagninus, *Et apprehendebam barbam eius.* Vatabl. Salmant. *Apprehendi eum fortiter barba cum mandibula. Et suffocabam.*] Omnes, *Et percutiebã, & neci dabam.* Καὶ ἐπάταξα αὐτὸν, καὶ ἐθανάτωσα αὐτόν.

Vers. 36. *Incircumcisus.*] Chald. & Arias, *præputiatus. Nunc vadam, & auferam opprobrium populi: quoniam quis est iste Philisthæus incircumcisus?* Hæc in Hebræo non habentur, nec Chald. aut Septuag. apud Complut. agnoscũt. Aldus tamen legit, οὐχὶ πορεύσομαι, καὶ πατάξω αὐτὸν, καὶ ἀφελῶ σήμερον ὄνειδος ἐξ Ἰσραήλ; *Nonne ibo, & percutiam eum, & auferam hodie opprobrium ex Israel?* Legit etiam Theodor. qu. 40. Subinde sequitur, *Quoniã quis est iste Philisthæus incircumcisus, qui ausus est maledicere exercitui Dei viuentis?* Aldus, διότι τίς ὁ ἀπερίτμητος οὗτος, ὃς ὠνείδισε παράταξιν Θεοῦ ζῶντος. *Quo-*

[illegible] *plus* [illegible] *Quia* [illegible] *mant.* [illegible] *uentis Dei* [illegible] *puli Domini* [illegible] *ordines Dicorum* [illegible] *bhaym.* Iam antea [illegible]

Pascebat seruus tuus patris [illegible] cudes ferũtur abi[illegible] cibus pascunt oues, [illegible] tor Philost. li. 1. vitæ Apol[illegible] sæpius de pastoritia vita [illegible] tionibus, vtilitate, laude, atque [illegible] seruimus, quibus ea omnia Dauid [illegible] sit, quæ suis artibus Græci tenta[illegible] quàm adepti sunt. Solon apud Lu[cianum] [illegible]

Gymnasijs, Detractis, inquit, vestibus corpora primùm aërem ferre assuefacimus, omnibus e[illegible] dem temporibus accommodantes, vt neq; feruentem Solis æstum grauiter ferant, neq; rursum algoris sint impatiẽtia. Deinde ea ipsa oleo perungimus atque emollimus, vt habiliora firmioráq; reddãtur. Mox varijs excogitatis exercitijs, ac singulorum magistris constitutis, hunc quidem pugilatu, alterum verò pãcratio decertare docemus, vt laboribus tolerãdis assuefiant, pariterque ictuum declinandorum periti euadant, neque metu auersentur vulnera. Cęterùm hæc exercitatio duas maximas vtilitates apportat iuuenibus: nam & animosos eos reddit ad subeunda pericula, corporibus non parcentes: præterea vt prospera vtantur valetudine, sintq; per omnia robusti, ac laborum patientes. Hæc verò omnia, inquit, ô Anacharsi ad verum illud certamen, quod in armis peragitur, referre solemus: planéq; in eam opinionem descendimus, vt certò putemus, longè melioribus nos vsuros ita exercitatis, posteaquam primùm illorũ nuda corpora emollita, atque exercitata & robustiora reddidimus, neq; minus leuia & habilia, eadéq; aduersarijs grauia effecerimus. Intelligis enim, ni fallor, cuiusmodi illi armati futuri sint, qui nudo corpore hostibus terrorem incutiunt, neque immodicam ostendentes corpulentiam, & segnem & candidam, aut nimiam quoque corporum macritudinem pallore deformatã, qualia sunt ferè mulierũ corpora. Et iterum: Quod enim ij qui ventilando purgant triticum, faciũt, illud nobis præstant gymnasia in corporibus, paleas & spicas inanes, siue superfluam carnium molem, & exundantẽ humorẽ, calore, sudore & flatu absumẽtia. Pluribus deinde saltus cõmoda, cursus, iaculationis, disci, luctæ puluerisque laudes prædicat, quibus durari corpora, valetudinem confirmari, industriã acui, animósq; roborari asserit. Xenoph. de Persis etiam generosiora prædicat, l. 1. exped. Cyri. Minor. Nã de Laconibus, lippis & tonsoribus notum. De Ægyptijs hæc habet Diodor. Siculus lib. 2. Biblioth. Post ortum Sesostris, (qui patris regnum maximis auxit incrementis) pater decorum ac regium opus aggressus est. Nam ex tota Ægypto, qui eadem die qua filius, nati erant, infantibus congregatis, nutriri, educari, ac singulos eadem disciplina exercitióque erudiri fecit, &c.

Diodor. Sicul. Rer. antiq. lib. 2. cap. 1.

PASCEBAT SERVVS, &c.

Mox addit: Hos continuo vsu ad malorum patientiã exercebat. Non enim licebat alicui cibũ prius quàm cursu centum octoginta stadia confecisset, capere: quo exercitio omnes viri euaserant, & robusto corpore, & animo præstantes.] Turnus suos apud Virgil. prædicans Æneid. 9.

Non hic, inquit, Atridæ, nec fandi fictor Vlysses:
Durum à stirpe genus: natos ad flumina primum
Deferimus, sæuóque gelu duramus & vndis.
Venatu inuigilant pueri, syluásque fatigant:
Flectere ludus equos, & spicula tendere cornu.
At patiens operum, paruóque assueta iuuentus
Aut rastris terrã domat, aut quatit oppida bello.
Omne æuum ferro teritur, versáque iuuencûm
Terga fatigamus hasta. nec tarda senectus
Debilitat vires animi, mutátque vigorem:
Caniciem galea premimus: sempérque recentes
Conuectare iuuat prædas, & viuere rapto.

Hæc ille. Verùm *corporalis exercitatio*, vt docet Apostolus, *ad modicũ vtilis est*, tametsi quicquid ex ea egregium, laudabile, & cum virtute coniunctũ sperari potuit, his omnibus longè cumulatius Dauid consequutus sit. At fuit alia præterea ratio durioris vitæ, qua Deus futuri regis adolescentiam excoluit: quæ virtutum omnium segetem longè vberiorẽ suppeditauit. Nam fuit hoc Prophetis eremus, quod carcer postea Martyribus: in quibus ad promerẽdas coronas, sicut hi supplicijs, ita & Prophetæ incommodis erudirentur, & susceptis cum feris certaminibus, grauioribus cum tyrannis dimicationibus præluderent. Autor Tert. in l. ad Mart. c. 2. Hoc præstat, inquit, carcer Christiano, quod eremus Prophetis. Sit nunc, Benedicti, carcer etiã Christianis molestus. Vocati sumus ad militiã Dei viui, iam tunc cùm in Sacramẽti verba respondimus. Nemo miles ad bellum cum delicijs venit, nec de cubiculo ad aciem procedit, sed de papilionibus expeditis & substrictis: vbi omnis duritia, & imbonitas, & insuauitas constitit. etiam in pace, labore & incommodis bellum pati iam ediscunt: in armis deambulando, campum decurrendo, fossam moliendo, testudinẽ desiccando. Sudore omnia constant, ne corpora atque animi expauescant: de vmbra ad solem, & sole ad cœlum, de tunica ad loricam, de silentio ad clamorem, de quiete ad tumultum. Proinde vos, Benedictæ, (nam & ad mulieres, quæ ipsę stadium ingressæ decertabant, loquitur) quodcunque hoc durum est, ad exercitationem virtutémq, animi deputate. Bonum agonem subituræ estis, in quo agonothetes Deus viuus est: Xystarches Spiritus sanctus: corona æternitatis, brabium, Angelicæ substantiæ politiæ in cœlis, gloria in sæcula sæculorum. Itaque epistates vester Christus Iesus, qui vos spiritu vnxit, & ad hoc scamma produxit, voluit vos ante diem agonis ad duriorem tractationem à liberiore conditione seponere, vt vires corroborarentur in vobis. Hæc & multò plura ibidem Tertull. quæ non incommodè huc applicari possent.

Altera ratio ob quã Dauid durè satis educatus est.

Tertull.

Hoc carcer Martyrib', quod eremus Prophetis.

Veniebat leo, & vrsus, & tollebat arietẽ vel agnum de grege.] Negat Ioan. Leonius Mauritanos Leones quemquam lædere, nisi fuerint iniuria prouocati: etsi copia detur, fugam malle capessere quàm vlcisci. In Guaiana Americæ regione aurifera, quæ sub ipsa linea æquinoctiali inter Brasiliã & Peru sita est, Leones incolis quidem innoxij, & sæuiũt in exteros, nisi quispiam adsit indigena. Lopez Peruanos canibus nostris comparat: reliqui sanè ferociores. Indos leonina carne vesci Philostratus autor est, cùm alijs locis, tum maximè li. 2. vitæ Apollonij, c. 3. Diodorus de Nabatæis agẽs li. 4. Propter loci, inquit, vbertatem, non solùm infinitus ibi pecorum alitur numerus, sed etiam syluestres cameli, cerui, damæque complures ibidem pascuntur. Magno præterea numero accedũt eò cibi gratia leones è locis desertis, ac lupi, pardalésque: quibus cum feris pro armentorũ tutela pastores die noctúq; certare coguntur. Ita soli illius bonitas incolis discriminis causam præbet. Natura enim bonis vt plurimùm quę largitur hominibus, etiã mala permiscet. Hæc Diodorus. Herod. li. 7. meminit leones in Thracia, inter Nestum amnem & Acheloum, nihil Xerxis potentiam reueritos, in camelos commeatum portãtes irruisse, cùm ille Græciæ arma inferret. Vrsi quantum facessant negotij Noruegis pastoribus, describit Olaus Magnus in hist. regionum Aquilon. Inuenio etiam apud Appianum lib. de bello Mithridat. ab obsessis Themisyris in hostem emissos, opera turbasse. Complexus horum paulò arctior est, quàm modestum deceat amatorem: nemo tam stricte foueri velit. Nulla tamẽ pastoribus æquè fera timenda est, vt syluestris taurus carniuorus, cui vt Diodor. scribit li. 4. à natura indita est leonis virtus, equi celeritas, robur tauri, quodque maximum est, haud inferior natura ferri. Negãt enim pellem eius vulnere temerari posse. Pili præter consuetudinem ad caput surriguntur, cornua vt aures mouet, quæ figit duntaxat in certamine. Sed quo nobis Taurus? nunquid leonis & vrsi obliuio nos cepit: *Veniebat*, inquit, *leo & vrsus.*] Quidam hæc legunt coniunctim, ac si leo & vrsus simul venerint: verùm id non est necessarium. Sæpe enim quæ coniunctim leguntur, intelligunt disiunctim. Atque ita sensus erit: modo venit leo, modò vrsus: atq; ego non tantùm liberaui prædam, sed etiã leonem ipsum & vrsum occidi. Varro li. 2. de re rustica, c. 9. docet oues potissimum, deinde capras, custode ac defensore cane indigere. Has enim, inquit, lupus captare solet. In suillo pecore sunt, quæ se vendicent sues, verres, maiales, scrofæ. prope enim hæc apris, qui in syluis sæpè dentibus canes occiderunt. Quid dicam de pecore maiore? cùm sciam mulorum gregem cùm pascerentur, eòque venisset lupus, vltrò mulos circunfluxisse, & vngulis cædendo eum occidisse? Et tauros solere diuersos assistere clunibus continuatos, & cornibus facilè propulsare lupos? Ita Var.

De leonibus.

Diodorus.

Herodot.

Appianus.

Diodorus.

Syluestris taurus.

Varro.

Quę pecudes custode indigeant.

Et persequebar eos, eruebámque de ore eorum.] Varro lib. 2. de re rustica, ca. 10. describens pastores optimos. Formæ, inquit, hominum legendæ, vt sint firmæ ac veloces, mobiles, expediti membris, qui nõ solùm pecus sequi possint, sed etiam à bestijs, ac prædonibus defendere, qui onera extollere in iumenta possint, qui excurrere, qui iaculari. Non omnis apta natio ad pecuariam, quod neque Basculus, neque Turdulus idonei, Galli appositissimi, maximè ad iumenta.

Varro.

Et

Et apprehendam, &c. Pausanias. Pugnandi ars mira.

Et apprehendebam mentum eorum, suffocabam, interficiebámque.] Meminit Pausan. in Eliacis, Sostrati Sicyonij Pancratiastæ nobilissimi. Is dictus fuit ἀκροχερσίτης. ... &c. quod aduersariorum summas manus tam fortiter apprehendebat, vt non prius eos dimitteret, quàm elisis digitis despondisse animos intelligeret. Eo nomine plures coronas tulit. Quem in palęstra Leótiscus Siculus imitatus, luctantes eadem arte vincens qua prior vsus est in pancratio. Non enim toto corpore complexus sternebat, sed victoriā summis digitis elidēdis extorquebat. Esto: nemo tamen eorū cum Dauide nostro conferendus erit. Non enim horum quisquam leonis mentum eo pacto comprehendit, sed hominum inermes digitos, aut summas manus. Amplius aliquid Dauid reipsa præstitit, quàm mendax poësis fingere ansa sit. Describit Theocritus Herculem ex insidijs Leonem Nemæum sagittis appetentem, quæ vbi cutis duritiem violare minimè potuerunt, tum fera in Herculem irruente seipsum tueri, ac congredi necessitate coactus est. Feræ impetum eleganti penicillo depingit: quare huic loco esse poterit pro tabula.

Theocritus Eidyllio 26.

At ille, inquit Hercul. *me vidit circūspectās oculis,*
Bellua insatiabilis, longámq; circū poplites voluebat
Caudam, ac statim pugnam meditabatur. totum autem collum
Ira impletum est, & rufa horruerunt coma
Irascenti, ac spina dorsi curua facta est sicut arcus.
Cùm vndiq; curuaretur ipsi circa latera & lumbos,
Quemadmodum quando carpentarius, multorum gnarus operum,
Ramos inflectit caprifici sectilis,
Calefaciens in igne prius, vt rota sint currui, qui ad axem voluitur,
Illius è manu caprificus densa cortice elabitur
Cùm flectitur, & procul vno exilit impetu:
Sic in me leo sæuus è longinquo, toto impetu prosilijt,
Gestiens corpore lædere.

Herculis cū Nemæo leone congressus.

Quo pacto autem deinceps victor euaserit, idem docet: nō vtiq; nuda manu ac syncera leonis inferius labrum corripiens, (nam facinus audax ne cogitare quidem in animum induxit: sed robusta claua feriens, sopitum interemit.
Ego autem, inquit, *altera sagittas*
Manu prætēdebā, & ab humeris duplex vestimētū:
Altera verò clauā aridā supra tēpora illius attollēs,
Impingebā in caput. in duas verò partes asperā fregi
Ibidem in hirsuto capite syluestrem oleam,
Belluæ indomitæ. Concidit verò ille antequam superuenirem,
Ex alto in terram, & tremulis pedibus constitit,
Nutans capite. Nam caligo illi oculos ambos
Inuasit, cùm cerebrum in ossibus vi concussum esset.
Nunc demum qua ratione stratum solo sopitumque confecerit, sequenti orationē explicat.
Hunc igitur ego dolore exanimatum graui
Obseruans, prius quàm iterū ad se rediens respiraret,
Ad inuicti colli tendinem percussi præuertens,
Abiecto in terram arcu, & futili pharetra:
Stringebam firmiter manibus robustis comprimens
A tergo, ne quid de carne mihi laniaret vnguibus.
Inque terram calcaneis pedes fortiter premebam
Posteriores, cōscendens: & lateribus femora muniebā,

A *Donec illi extendi armos, erectum eleuans*
Sine respiratione: animam autem ingentem accepit Infernus.

Et apprehendam, &c.

Hactenus ille difficilē planè atque operosam victoriam prædicauit, nec magis viribus quàm arte atque industria partam. At Dauid neque sagittis eminus, neq; claua cominus belluam strauit: non laqueo, non à tergo, non rictū, non vngues veritus: sed cum fera haud aliter quā cum æquali colluctatus, mentum apprehendit suffocauitq;. Itaq; *Cum leonibus*, inquit Eccl. c. 47. v. 3. *lusit quasi cum agnis: & in vrsis similiter fecit sicut in agnis ouium, in iuuentute sua.* Neq; sic eos vicisse intelligēdus est, quo modo solent nōnulli Africæ populi, qui iniecta veste leonúmque obnuptis oculis, quibus eorū ferocia maximè incenditur, non repugnantes vinciunt, & iugulāt; vt B testatur Plin. l. 8. c. 16. Sed neque quod toruo aspectu eos terruerit, vt de se prædicat Iul. Camil. in Idea theatri. Nam cum is Lutetiæ, vt scribit, à Leone correptus esset, eundē toruè atque audacter intuens ita fregit, vt instar blandiētis ad pedes procumberet. Tribuit ille naturæ Solari quā se pręstitisse vult credi: haud tamē ipse mihi persuaserit. Nōnullos certè legi, qui cum intrepidè ad leones accessissent, impunè tulerint. An fortè Dauid talis erat, quales nobis cuiusdā insulæ accolas versus meridiem Diod. describit? Sunt, inquit, eius insulæ homines corpore ac moribus haud nostris similes, eadem tamen omnes corporis forma, sed quæ magnitudine quatuor cubitos excedat. Horum ossa, veluti nerui, quò velis flectuntur reflectuntúrque. Si quid manibus ceperint, digitis extorqueri non potest. An qua- G lem rusticellū Herculem Varro memorat, Magni Pompei militem, qui rectos & transuersos cancellatim toto corpore neruos habuerit? Is hostem prouocatum inermi dextera vno digito superauit, & arreptum ad castra detulit. An tandem manus habuit Glauco illi similes, cuius meminit Pausanias in Eliacis? qui fortè refixum vomerem, dextera pro malleo vsus, in pristinum aratri locum restituit, nec secus in stadio athletas contudit. Nihil horum: sed diuina prouidentia factum est, vt Dauid à puero exerceretur ad hanc pugnam, & vinceret, ne postea Gygantem expauesceret. Noluit autem aut vastos artus, aut immodicum robur eidem conferre, vt nosset numinis præsidio se vincere, & eius nomini victorias acceptas referre.

Dauid Herculi in eo genere pugnæ longè præstātior.

Plinius.

Iulius Camillus.

Diodor. l. 3. cap. 13.

Varro.

Pausanias.

D *Nam & leonem & vrsum interfeci ego seruus tuus.*] Fuerat quidem iam antea à Samuele designatus rex, atque inunctus, veruntamen, quia hactenus imperium erat penes Saulem, dominum suum illum compellat, séque profitetur seruum eius. *Leonem interfeci.*] Sunt qui putent idcirco leonem ferarum regem censeri, nō quia robore aut etiam agilitate reliquis omnibus præstet, sed propter excelsam animi vim ac magnitudinem, à qua Hebræis fortis dicitur. Quia nec insidiatur cuiquam, nec quicquam timet. Hoc enim Scriptura prædicat, *quod ad nullius occursum paueat.* Calore scilicet abundat, & supra modum seruet: hinc audacia, furor, & iracundia nascitur, si Lucretio credimus.
Sed calidi plus est illis quibus acria corda.

Leonis excelsus animus.

Lucretius.

ET APPREHENDAM, &c.

Leo iracundus

Iracundáque mens facie efferuescit in ira.
Quo genere in primis vis est violenta leonum,
Pectora qui fremitu rumpunt plerumq; gementes,
Nec capere irarum fluctus in pectore possunt.

Leonis Hebraica etymolog. a ab iniuria petitur.

Ita Hebræis leo adultus ארי *ari* dictus est ab inferenda iniuria, quemadmodum & Latinis, quibus leo à lædendo dicitur. Leo quidem apud Hebræos per singulos ætatum gradus sortitur diuersa nomina, quorum octo sedulò collegit, & explicuit Mersennus noster vers. 9. cap. 49. Genes. in Veneti Problem. Sed hîc ea voce Scriptura vsa est, quæ trahitur ab ארה *arah*, quod abstulit, auulsit, discerpsit significat; & ab ראה *raah*, quod est vidit contractis per crasin literis, non sine gratia: quoniam is prædæ appetens intentis oculis eò semper spectare videtur. Ab ארה *arah*, vt Fungerus do.et in etymol. Triling. fit Græcis αἱρέω, aufero, destruo, interficio: item αἴρω, tollo: præterea etiam Ἄρης, Mars, bellum, homines cædibus conficiens, & de medio tollens. Leonem certè præter ipsum robur corporis; multa sunt quæ supra modum terribilem efficiunt. Primùm rugitus ipse, de quo Amos, *leo rugiet, quis non timebit.* Leoni, inquit S. Ambrosius, tantus naturaliter inest terror, vt multa animantia, quæ per celeritatem possent eius impetum euadere, rugientis eius sonitu, velut quadam vi attonita atque icta deficiant. Rictus ipse quouis præcipitio formidabilior, minæ dentium, caudæ flagellum, quam alcæam dicunt ὑπὸ τῆς δ' αὐτῆς εἰς ἀλκὴν προτρέπεσθαι, quod eius incitamento ad fortitudinem exsuscitetur: vnguium cuspides acutissimæ. Sunt etiam qui per vim impulsi aëris motum fragorem, ad incutiendum timorem valere plurimùm obseruent. Sed nihil sic aduersarium prędámq; deijcit, vt flammæ oculis erumpentes, quæ feræ sæuitiem ostentant. Nam cum valet oculis, tum vbi ira excandescit, scintillas emittere atq; igni collucere videntur, Porphyrius Leones dictos tradit παρὰ τὸ λεύσσειν, à præstantia visiuæ facultatis, siue παρὰ τὸ λάω, τὸ θεωρῶ quod sit fera visus acutissimi. Homerus nonnusquam dixit σμερδαλέον δὲ λέων. Smerdaleon autem, quod est terribile atque horrendum, formatum est à μέρδην videre, quod μαίρειν indicat, id est splendere, accedente ζα particula, intẽdendi vim habente. Itaq; non rarò vel solo illius aspectu præda concidit, igneã oculorũ aciem ferre non sustinens. Quãta igitur audacia, seu potius fide opus fuit, vt Dauid Leonis faucibus prædam tentaret eripere.

Quæ leonem terribilem faciant.

S. Ambros.

Porphyr.

Homerus.

Ita Cœlius lection. antiquit. li. 13. cap. 8

Plures qui leonibus superiores euaserunt.

Pausanias.

Neque tamen id vsqueadeo mirum & incredibile videri debet, vt propterea Scripturæ fidem derogemus, cùm alij etiã plures leonibus in pugna superiores extitisse ferãtur. Polydamas certè, si Pausaniæ credimus in Eliacis, cùm in Olympo monte inermis versaretur, Herculis æmulatione, ingentẽ & præferocẽ leonem interfecit. Lysimachi quoq; vulgata historia est, à quo leo quoq; mirante Alexandro, confectus est, cùm eius iussu in eadem cũ illo cauea inclusus esset. Narrat idem Pausanias in Atticis, Romanus, is qui primùm quidem πτωχός. i. pauper, mox vero ab omnibus χρήσιμος. i. vtilis est habitus, à leone furenti appetitus, nihil pauitans palliũ obiecit: quod dum ille lacerat, à tergo eundem totis vi-

A ribus inter clunium iuncturas ense percussit, & interemit. Subinde classi pręfectus, postea etiam mortuo Leone Imper. Imperiũ adeptus est. Autor Luitprandius Rerum per Europam gest. l.3. c.6 Quid Thesea commemorem, quem reliquis aufugientibus Septennem arrepta securi in leonem inuadere voluisse Trœzenni ferunt, vt habet Pausanias in Atticis? Nec te postremò Constantine Magne silebo: quem Sarmatarũ victorem cùm perdere Gal. Maxim. studeret, adhuc iuuẽculum cum leone in theatro commisit. Sed auxit inuidia duntaxat adolescẽtis gloriam, post ferocissimas gentes etiam leone superato. Quippe maturè insidias declinans ad patrem se recepit. At Peredeo cùm fugere nõ posset, post confectum miræ magnitudinis leonem, ambo oculi Imperatoris iussu eruti sunt; quòd tanta virtus B atque audacia parum opportuna Imperio videretur. Sic enim Scribit Paulus Diaconus lib.2. de gestis Longob. cap. 16. *Et vrsum interfeci.*] Vrsum quoq; Skioldus inermis apud Krantzium interemit, l.1. Daniæ, c.5. Huiusmodi cõplura exempla suppeditare poterit Olaus Magnus, qui de vrsis copiosè tractat in hist. sua Septentrionali. Sed nulla illustrior historia quàm Cyri Minoris, quam refert Xenoph. eiusdẽ expedit. li.1. Puber, inquit, factus ad venationem studiosissimè animum adiecit: in qua pericula vnus omniũ fortissimè adibat, atq; adeò vt vrsum aliquando in se ruẽtem nihil extimuerit: sed cum eo congressus, ab equo quidem fuerit abstractus, & vulnera acceperit, quorum etiam cerni cicatrices poterant: feram tamẽ peremerit. Vrsus porro Hebræis דב *dob*, à verbo דבב *dabab*, quod est mur- C murauit. Famelicus enim murmurat, & pedes fugit, sicut etiam iratus: aut certè à דבב *debab*, quod odit, aut aduersatus est significat. At enim quis grauior aduersarius, quàm qui sanguinem nostrum sorbet, & carnes deuorat?

NAM ET LEONEM, &c.

Luitprandus.

Pomponi. Lætus in eius vita.

Paulus Diaconus.

Olaus Magnus.

Xenoph.

Vrsi Hebr. etymologia.

Leonem igitur & vrsum interfecit Dauid. Hęc ferè cõmunis fuit Sanctorum victoria, vt si non manu, at precibus feritatis monstra subigerent aut tollerent. Habuit S. Ierasimus, vt Moschus refert in Prato Spirituali, cicurẽ ac domesticum leonem, cui asini clitellarij custodiam mãdauerat. Hic cùm aliquando ad ripas Iordanis diuertisset, & prætereuntes Ismaelitæ negotiatores asinum abegissent, eundem verbis increpitum iussit baiuli munere fungi, & aquam Monasterio comportare, donec in reduces offendens illato D terrore asinum recepit. Beatus etiam Corbinianus, vt scribit Otto Phrising. l.5. rer. gestarũ, cap. 24. Phrisingẽsis Episc. Pipini I. Regis tempore, Romam pergens, cùm vrsus sagmarium suum occidisset, vir Dei vrso sagmam (fortè sarcinam) imposuit, & vt ferret præcepit: nec is impositum onus detrectare ausus est. Sed in fugandis tollendisq; præcipuè serpẽtibus, & alijs portentis è genere reptilium, Sanctorum virtus enituit: quoniam hæc lues cum grauius nocet, tum antiqui draconis speciẽ accuratius repræsentat. Inde adeò factum arbitror, vt sublimes in sacris processionibus tanquam monumenta eorum victoriæ nonnullis locis ferantur. Miror autem quid Lohierio in mentem venerit, li.2. de Spectris mortuorũ, c.3. quamobrem tam acerba

Leones sãctis inseruientes.

Pratũ Spirituale.

Otto Phrising.

Lohierius.

oratione

NAM ET LEONEM, &c.

De draconibus qui sublimes in supplicationibus feruntur.

oratione ac penè Satyrica in eam ceremoniam inueheret. Abusus ego, & popularis petulantiæ nûquam patrocinium susceperim: nec si ea tollantur, postquam multos instituti ratio prætererit, & plerisque in hac temporum licentia ludibrio habentur, ægrè tulerim: sed aliud est mea quidem sententia abrogare quæ noceant, cùm sint illa vetustate in deteriorem conditionem prolapsa: aliud calumniari publicam religionem, & mentem maiorum nostrorum perperàm interpretari. Manasse ait à superstitione Gentilium. nam olim pariter Æsculapium ab ijs anguis specie, cuius victus baiuli occultis neruis diducerent, & concrepantes dentes committerent, linguámque bisulcam exererent, circungestatum legimus. Mox verò nec sibi satis constans, ad militaria signa, dracones, conuolat: & auriflammulæ S. Dionysij, quam frequentes historici nostri celebrant, institutum repetit à vexillis & flammulis Romanorum. Laudat Indos instituti authores, referente Suida in voce *ἰνδοί*. Narrat quidem Suidas Indos draconibus visos pro vexillis argenteo capite, dentibus exertis, rictúque minaci, reliquo corpore serum velleribus contexto, coloréque veros serpentes referētē. Hi porrò cùm sublimes longæ hastæ impositi aërem copiosum vacuis visceribus imbiberent, draconum spiras flexúsque imitantes, haud leuem hostibus metum incutiebant. Et hæc quidem eo loco narrat Suidas. Sed neque Indos primùm eius rei inuentores facit neque ad religionem refert, neque tempus vllum designat quo primùm illi cœperint, neque verò potuit certi quidquam illo tempore antiquiùs obseruare, quo Dei iussu serpens in deserto à Moyse erectus est. Cur igitur, cùm de Ecclesiasticis ceremonijs sermo esset, Gentilium maluit quàm Iudæorum meminisse, è quorum fontibus religionis nostræ mysteria hausimus? Sed neque si ex vetustissimis Gentilium fanis dracones nostri prodijssent, (Trebellius Pollio in duobus Gallienis, dracones templorum signis annumerat) adeo prophana censura notari merebamur, quandoquidem non vt illi eosdem veneratione vlla aut cultu dignamur, sed vt idē Lohierius testis est, ludibrio habeātur. Victum enim triumphatúmque dæmonem repræsentant. An igitur quereris, derisos à popularibus serpentes, seu potius dæmones? An crucis triumphi refricari memoriam? Hoc etiam notare debueras, bellu rum formidine minoris ætatis petulantiam coërceri.

Suidas.

Quo tempore cœperit ea consuetudo in Ecclesia.

Veruntamen alia mihi huius consuetudinis ratio fuisse videtur, neque à primo religionis ortu cœpisse, sed ferè post tempora Martyrum, cum energumenis & arreptitijs pluribus locis immanes angues prodeuntes è syluis & paludibus, in hominum perniciem eruperunt. Non dico quod Pausanias in Atticis, fuisse priscis temporibus belluas multo immaniores, atque hominibus formidolosiores. Cui rei testimonio sunt, inquit, Nemæus & Parnasius leones, dracones in pluribus Græciæ locis; apri etiam Calydonius atque Erymanthius, & in Corinthiorum finibus Crommyonius. Et has feras partim terram protulisse, partim dijs fuisse sacras:

Pausanias.

A nonnullas etiam ad homines plectendos extitisse ferunt; quas Heroës deorum stirpe sati tandem confecerint. Sed hoc dico quod plerique notarunt, diuina prouidētia factum, vt initio nascentis Ecclesiæ cùm autoritas Euangelio quæreretur, plures à dæmonibus vexarentur; vt vel inuiti, quantum opis ac præsidij in Christiana religione situm esset, cogerentur experiri. Inde celebrari cœpit Exorcizantium nomen, Vlpiano & I. C. haud ignotum. Paulatim verò superstitionis ardor deferbuit, & persequutionis flamma restincta est: nec tamen, licet tormentorum vi sopita, plerisque locis idololatriæ caligo discussa est. Quo iam tutius eo iam promptius & curiosius, singulas prouincias Sancti Confessores Euangelij face collustrarunt. Rebelles adhuc populos penè vbique anguium B draconúmque prodigijs terreri cruciarique diuina clementia siuit; vt dum his liberari Sanctorum beneficio poscunt, vnà quoque serpentem antiquum his longè nocentiorem effugerent. Possem ego hanc nostram sententiam sexcentis, vt aiunt, exemplis confirmare: sed quia passim legentibus occurrunt, pauca ad notasse sufficiet. Duxerat, inquit S. Hieronymus, Sanctus vir Hesychius S. Hilarionem terra marique sui nominis celebritatem fugientem, ad Epidaurum, Dalmatiæ oppidum: vbi paucis diebus in agello mansitans, non potuit abscondi. Siquidem draco miræ magnitudinis, quos gentili sermone boas vocant, ab eo, quod tam grandes sint, vt boues glutire soleant, omnem latè vastabat prouinciam; & non solùm armenta, & pecudes, sed agricolas quoque, & pastores, C tractos ad se vi spiritus, absorbebat. cui cùm pyram parari iussisset, & oratione ad Deum missa, euocato præcepisset struem lignorum scandere, ignem supposuit. Tum itaque, cuncta spectante plebe, immanem bestiam concremauit. Hactenus S. Hieron. Quid Arnulphus noster (nam huius corpus Crespeij asseruatur in basilica eius nomine consecrata) in Hispania fecerit, docet autor eius vitæ cap. 6. in Biblioth. Floriac. Fuit is Francus, & Clodoueo Regi affinitate coniunctus, S. autem Remigij spiritualis filius, per vim Turon. Episcopus factus, sed mox idem Episcopatum deseruit, vt Hispanias virtutis suæ radijs illustraret. Marcellum Parisijs, Romanum Rothomagi, Panacium Cœnomani; & innumeros alios diuersis locis horrendos an- D gues aut fugasse, aut etiam interemisse, Sanctorum monumenta testantur. Sed vnum duntaxat commemorabo, quem paulo studiosius descriptum inueni ab autore vitæ S. Pauli Leonensis Episcopi, quam Ioãnes Boscus cum Biblioth. Floriacensi coniunxit. Childeberto Clodouci filio Rege Francorum, Minorem Britanniam Comes VVithurus regebat. Is igitur cum S. Paulo, qui non ita pridem eò aduenerat, sermonem conferens, de quodam dracone conquestus est, qui Orientalem Britanniæ plagam vexabat: cuius esse tantam ingluuiem assereret, vt binis hominum totidémque boum cadaueribus expleri non posset. Ad hunc, inquit, expugnandum, sæpe ego Comes puerique mei cum armis processimus, & non solum eum in aliquo lædere non

NAM ET LEONEM, &c.

S. Hieron.

Biblioth. Floriac.

Serpentis descriptio.

Nam et leonem, &c. potuimus, sed multis necatis vix pauci euasimus. Talis namque est natura illius, vt cùm pedibus careat, squamis, quæ eius adhærent aluo, procedat quasi vnguibus. Costis verò, velut cruribus innitatur. Neque tanquam cæteri serpentes gradatim, nunc contrahendo nūc porrigendo partibus corporis motum, explicatur: sed alternis conatibus hinc inde circunfert, vt per spinæ curuaturam, costarum aciem tendere videatur. Et ita costis sursum erectis, squamas vt vngues terræ infigat. quod celeriter agendo, non solùm plana perlabitur, sed etiam conuexa conscendit: tot vestigijs viam signans, quot costis. Et ideo à tergo illius, vt à silice resiliunt iacula omnia, inaniter resultant tela. Tunc ita feruente, morsu comminuere, impetu proterere, & halitu pestifero quæque obuia perdere assolet. Longitudinem etiam corporis eius metiens, A capite, inquit, vsque ad extrema caudæ, centum viginti aut eo amplius pedes habere fertur. Post hæc narrat is autor, quomodo ea oratione incensus S. Paulus, & plebis periculo vehementer commotus, tametsi multum dissuadente comite belluam aggressus, & iniecto in collum orario ad maris littus pertraxerit: quo loco palàm increpitum, & seuere prohibitum ne cui hominum vltra noceret, iussit Oceani gurgitibus mergi: cui extemplo paruit. Quam porrò illustrior hæc quàm Reguli Consulis victoria: qui eius generis serpentem vix totius Imperij Rom. viribus incumbens, adhibitisque machinis atque arietibus, in Africano littore opprimere potuit. Quis igitur neget Sanctorum res gestas tropheis dignas, aut maiores suos superstitionis accuset, quòd studuerint miraculorum memoriam deuictarum belluarum simulacris posteritati commēdare? Absit à docto viro tam indigna de patrum suorum pietate suspicio: corruptelæ si quæ sunt, posteriorum temporum licentia, non ita pridem bene ac sapienter institutis adhæserunt.

Erit igitur iste Philistheus quasi vnus ex illis.] Oportet exemplum cum re ipsa conuenire. Itaque Dauid Goliath hominem barbarum, & immanem confert cum bestia. Imò etiam multò erat quauis bestia deterior. Deus dedit mihi victoriam, inquit Dauid, de leone: & quomodo non dabit de isto perditissimo monstro, ore impuro blasphemias iaciēte in Deum? Dedit Dauid pulchrum specimen pastoris boni, cùm pro ouibus suis vitam suam mitteret in periculum. Et quemadmodum se feliciter gessit in illa vocatione, ad quam mittebatur à patre; ita etiam se gerit in ista, quæ imposita est à Samuele. Vt tunc subijt graue periculum vitæ suæ pro ouibus: ita nunc subit pro populo Dei. Quare Dauid non se temerè præcipitat, sed à Deo mittitur in discrimē. Vocabatur ad regnū, & iam erat à Samuele consecratus. Officiū ergo fecit, cùm periculum susciperet pro populo. Cùm essem pastor, inquit, & periculum subiret, ne à leone lacerarer, Deus me non destituit: Multo minus nunc destituet, cùm asserenda sit ipsius gloria. Leo non tulit impune, cùm [illegible] ouiculam inuasisset. Et iste in[illegible], qui contumelijs insectatus est nomen Dei: Deus in re minore opem

David opē diuinam sibi repromittit

attulit: multò magis afferet in maiore. Non est mirum si Dauid ad hanc pugnam confirmet se cæde leonis. Ita enim Samson confirmatus ad vindicandum populum Dei, quod leonem solus occidisset. Sed dices: Dauid semel liberatus est, atque iterum à Deo: debétne ergo ea causa se rursus in periculum conijcere? Respondeo: De regno accepit à Samuele verbum Dei. Nunc etiam ad hæc audenda Deo intus in animo suadente impellitur. Hæc nos mirari debemus: non semper imitari, nisi fortè ducamur eodem impulsu. Habuit Dauid verbum Dei. Vbi autem est verbum, ibi potest esse fides. Sine autem verbo nulla potest esse fides. Quoniam autem fides nostra sæpe infirma est, confirmari eam oportet partim verbo Dei, partim memoria rerū à Deo gestarum. Nam alioqui fides nostra sæpe conglaciat. Potuissent etiam alij Hebræi idem audere. Deus enim disertissimis verbis promiserat, se illos velle ex omni periculo liberare: Tulerat etiam sæpe auxilium in rebus asperis, & desperatis. Verùm deerat illis fides, qua aut beneficia, aut promissiones Dei considerarent. Dauid autem non se solùm confirmat, sed etiam alios. Nolite, inquit, timere: ego ibo: Ita quisquis præditus est vera fide, & consistit ipse, & animos addit alijs.

Erit igitur iste, &c.

Quoniam quis est iste Philistheus incircumcisus?] Aspernantur Græci cæteros, & barbaros vocant Ægyptij, quicunq; eorum lingua non loquuntur. Persæ omnium se optimos iudicant: reliquos omnes, quo remotiores, eo deteriores. Autor Herod. lib. 1. & 2. Iudæi quondam non sine ratione spreuerunt incircumcisos. Porro ex antithesi significat Iudæos fuisse circumcisos. Hîc signum pro re accipitur. Alioqui enim multi erant circumcisi, qui ad fœdus nihil pertinebāt. In circumcisione ergo non signum spectandum erat, sed fœdus, quod ea nota obsignabatur. Nos, inquit, fœdere cum Deo coniuncti sumus: iste autem alienus. Deus non deseret nos: stabit haud dubiè pactis suis.

Herodot.

Qui ausus est maledicere exercitui Dei viuentis.] Tertium argumentum. Non feret inultum, inquit: qui conuitium graue fecit Deo viuenti, dum eius acies probris affecit. Ille erit vindex nominis sui. Hæc Dauid commemorat, vt tollat timorem & Sauli, & omni populo. Summa autem harum rationum pēdet à misericordia Dei. Ea enim Deus antea Dauidem defenderat: ea cum populo fœdus icerat: ea pollicitus erat, se nomen, se cultum suum defensurum. Saul contrà neglecto Deo tantùm pendet ab humanis rationibus. Tu, inquit, es puer, ille robustus miles: tu imperitus militiæ, ille veteranus. Hæc signa sunt relictæ pietatis. Præsidium enim Dei ducit pro nihilo. E diuerso Dauid prædicat opera Dei: non Thrasonice ille quidem, sed tātùm ad confirmandos animos populi. Nec solùm hîc, sed etiam in Psalmis sæpe hortatur, ne excidant nobis opera Dei. Multū autem nobis prodest huiusmodi memoria. Nam in rebus prosperis excitat nos ad agendas gratias: in aduersis autem facit, vt cum fide petamus, & speremus Deum idem auxilium laturum nobis, quod tulit alijs.

Versvs XXXVII.

Et ait Dauid: Dominus qui eripuit me de manu leonis, & de manu vrsi, ipse me liberabit de manu Philisthæi huius. Dixit autem Saul ad Dauid: Vade, & Dominus tecum sit.

Versvs XXXVIII.

Et induit Saul Dauid vestimentis suis, & imposuit galeam æream super caput eius, & vestiuit eum lorica.

Versvs XXXIX.

Accinctus ergo Dauid gladio eius super vestem suam, cœpit tentare si armatus posset incedere: non enim habebat consuetudinem. Dixitque Dauid ad Saul: Non possum sic incedere, quia non vsum habeo. Et deposuit ea.

Variæ trāslat. VErsu 37. Plures cum Vulgata consentiunt. Complutenses tamen Græcè ita legunt: Κύριος ὁ Θεὸς ἐξείλετό με ἐκ σόματος τοῦ λέοντος καὶ ἐκ χειρὸς τῆς ἄρκτου, αὐτὸς ἐξελεῖταί με ἐκ χειρὸς τοῦ ἀλλοφύλου τοῦ ἀπεριτμήτου τούτου. καὶ εἶπε Σαοὺλ πρὸς Δαυίδ, πορεύου καὶ ἔσται ὁ κύριος μετὰ σοῦ. *Dominus Deus eripuit me de ore leonis, & de manu vrsi, ipse liberabit me de manu Philisthæi incircumcisi huius: & dixit Saul ad Dauid, Vade, & erit Dominus tecum.* Postrema hæc pariter legit Aldus: priora ex Hebræo æmulatus est. Κύριος ὃς ἐξείλετό με ἐκ χειρὸς τοῦ λέοντος, καὶ &c. *Dominus qui eripuit me de manu leonis, &c.* Os leonis, manus vrsi vulgò iactantur: sed manus Hebræis metaphoricè vim, robur, potestatem significat. Quare Vatablus Salmant. exposuit: *Dominus qui liberauit me de violentia leonis, & de ferocia vrsi, is eripiet quoque me è manu Palæsthini istius. Vade, & Dominus tecum sit.*] Chaldæus, *Vade, & dictum Domini erit in auxilio tuo.* Versu 38. Sola Rom. Lat. translat. septuaginta Interpret. *thoracis*, seu *loricæ* non meminit. Complutenses tamen habent, καὶ ἐνέδυσεν αὐτὸν θώρακα, *& vestiuit eum lorica.* Aldus, καὶ ἔζωσε τὸν Δαυὶδ θώρακα, *& cinxit Dauid thorace. vestimentum* autem, τὸν μανδύαν Complut. Aldus, μανδύαν, *mandille, casaque.* Quidam *arma* exposuit.

Vers. 39. Pagninus, *Et accinxit Dauid gladium suum super vestes suas, & voluit ire: non enim periculū fecerat:* (Arias, *non enim expertus erat:*) *dixitq; Dauid ad Saul: Non possum ire cum istis: quia non periculū feci. Et remouit ea Dauid à se.* Chald. *Et cinxit Dauid gladium eius desuper vestimenta sua, & non potuit ad eundum, quia non doctus: & dixit Dauid ad Saul: Non ego valens ad eundum in istis, quia non doctus fui; & transire fecit illa Dauid a se.* Septuaginta Complut. edit. καὶ ἔζωσεν Δαυὶδ τὴν μάχαιραν αὐτοῦ ἐπάνω τοῦ θώρακος αὐτοῦ. καὶ ἐκοπίασε περιπατήσας Δαυὶδ ἐν τῷ βαδίζειν ἐν αὐτοῖς, ὅτι ἄπειρος ἦν. καὶ εἶπε Δαυὶδ πρὸς Σαούλ, οὐ μὴ δύναμαι πορευθῆναι ἐν τούτοις, ὅτι οὐ πεπείραμαι. καὶ περιεῖλεν αὐτὰ ἀπ' αὐτοῦ. *Et accinctus est Dauid gladio eius super thoracem suum, & laborauit circumambulans Dauid, cùm ambularet in eis, quoniam inexpertus erat: & dixit Dauid ad Saul: Non possum incedere in istis, quoniam non expertus sum, & deposuit*, propriè, *& circumabstulit ea à seipso.* Aldus legit, καὶ διέζωσαν Δαυὶδ τὴν ῥομφαίαν αὐτοῦ, ἐπάνω τοῦ μανδύου αὐτοῦ. καὶ ἐκοπίασε περιπατήσας ἅπαξ, καὶ δίς. ὅτι ἄπειρος ἦν. καὶ εἶπε Δαυὶδ πρὸς Σαούλ. οὐ μὴ δύνωμαι πορευθῆναι ἐν τούτοις, ὅτι οὐ πεπείραμαι. καὶ ἀφαιροῦσιν αὐτὰ ἀπ' αὐτοῦ. Rom. edit. Lat. septuaginta Interpret. *Et cinxit Dauid gladio suo super vestimentum suum, & laborauit, cùm ambulasset semel, & bis.* Gallicè, *Ayant fait en cét equipage vn tour ou deux. Et dixit Dauid ad Saul: Non potero ire in his, quia vsum non habeo: & auferunt ea ab eo.* Et accinctus gladio, &c.

Dominus qui eripuit me de manu leonis, &c.] Afri, inquit Ælianus Varro histor. libro duodecimo, capite 15. Afri eos qui ab elephantis, vel in prælijs interfecti sunt, honorificis sepulturis prosequuntur, hymnosque in honorem eorum canunt. Est autem hoc argumentum hymnorum, vt dicant eos se fortes viros præbuisse, qui tantæ bestiæ reluctari veriti non sint. Dicunt enim gloriosè vitam cum morte commutasse, id demùm monumentum esse laudatissimum ei, qui terræ mandatur. Perdicas Macedo cùm apud eundem leænæ latibulum ingredi ausus esset, & catulos rapere, tametsi tum in leænam non incidit, audacis ac fortis animi gloriam à Græcis consequutus est. Quid si cum ea congressus, aut cum elephante, victor euasisset, qua tandem laude Græci, qua Lybies eundem ornassent? Atqui non minus miranda fuit Dauidis cum gigante dimicatio. Laudandus erat, etiamsi occubuisset. quam igitur victor laudem non merebitur? maximè cùm non aliqua gloriæ cupiditate ductus, sed pro communi salute certamen inierit?

Ælianus.

Certamen cum feris laudi ab antiquis ducitur.

Idem c. 39.

Vade, & Dominus tecum sit.] Videtur Saul exponere Rempublicam magno periculo, præsertim cùm sciret Dauidem esse puerum, & imperitum rei militaris. Sed duæ erant rationes. Primùm enim Deus voluit eam victoriam cedere Dauidi: deinde Saul vidit, neminem esse alium qui auderet se Goliath opponere, & exercitum non audere totis copijs confligere: sed res planè esse desperatas. Et fortasse aliqua tum in eo excitata est fides, sed temporaria: quæ etiam solet in impios cadere. *Dominus tecum sit.*] Ita affatus est Dauidem, ex more fortasse magis, quàm ex animo. Et fortasse Deus illi mouit linguam, quod eū fecisse scimus asinæ Balaam, Caïphæ. Si spectemus hoc factum sine verbo Dei, & impetu spiritus, videri possit temerarium. Nullum autem est verbum Dei, quo duellum probari possit. Nec ratio vlla erat, vt Dauid puer imparibus viribus cum milite veterano congrederetur. Nam in iusto duello cùm alia multa spectari solent, tum in primis par ratio virium. Saul ergo nec diuini verbi autoritatem sequutus est, nec impulsum spiritus, nec humanam prudentiam. Quare pessimè videtur consulere Reipublicæ. Committit salutem populi impe-

Et imposuit, &c.

rito iuueni; cuius viribus ipse non fidebat. Et populus ita cæcus & obstupefactus erat, vt ex eo omni numero ne vnus quidem reclamarit. Verùm hoc Dei solius opus erat, vt Dauidi aditus pateret ad regnum. Quamquam Deus ita hoc effecit, vt dubitari non sine aliqua probabilitate possit, an excusari debeant à peccato. Itaque absoluto capitis commentario quæremus; An vllo iure singulare certamen à quoquam permitti queat?

Induit Saul Dauid vestimentis suis.] Quemodo suis, cùm Saul quidem procero esset corpore, Dauid tum vix mediocrem staturam adeptus esset? Quomodo penè gigantis arma puero conuenire potuissent? Non videtur hoc quibusdam verisimile. Quare sic intelligunt, arma dicta esse Saulis, quod prolata fuerint ex eius armario. Quod si eius propria forent, siue quibus vteretur, non sine aliqua significatione factum videretur, vt arma traderet imperij æmulo & futuro regi. arma siquidem maximè iuris regum sunt: quorum præsidio suam majestatem sartam tectam tuentur. Nec verò arma priorum temporum tam erant apta cuiusque corpori, vt pluribus conuenire non possent. & alioqui initio sequentis capitis dicitur Ionathas, qui vtique vir erat, tametsi patre iunior, Dauidem tunica & armis proprijs instruxisse. Cæterùm, arma quidem respuenda non sunt, si pugnandum sit in hostem: ita tamen, vt fiduciam nostram non in illis collocemus, sed in Deo. Et Dauid ipse vti voluisset armis, si ea eius corpori conuenissent. Ita de pharmacis, & alijs vitæ præsidijs sentiendum est: vt, si istarum rerum copia non sit, ne tamen desperemus de Deo. Vis quidem omnis armorum pendet à Deo: potestas tamen Dei non alligata est armis, vt sine illis seruare non possit. Factum autem est Dei prouidentia, vt arma illa Dauidi non conuenirent. Voluit enim Deus auxilij sui luculentissimum testimonium dare. Id autem multò magis conspicuum erat in Dauide nudo, & inermi, quàm si fuisset armatus.

Quare Saulis arma tradita Dauidi, nec tamen ijs vti potuit.

Et imposuit galeam aeream, &c.] Queritur Vegetius libro primo de re militari, capite vigesimo, antiquæ consuetudini derogatum, quæ ab vrbe condita ad tempora Gratiani, peditatum galea, & exili saltem lorica armatum retinuerat. Post, inquit, licet exemplo Gothorum, Alanorum, Hunnorúmque equitum arma profecerint, pedites tamen constat esse nudatos, & sæpè deletos multitudine sagittarum. D

Vegetius.

Arma peditum.

Et vestiuit eum lorica.] Græci, καὶ ἐνέδυσεν αὐτὸν θώρακα. θώραξ, inquit Suidas, παρὰ τὸ θεῖον ὤρειν, ab eo quod est custodire mentem, quæ diuinum quiddam in nobis est. Equitis Parthi thorax sic ab eo describitur. Loricæ quidem siue thoracis pars anterior, pectus, & femora, & summas manus, & crura tegit: posterior verò dorsum, & ceruicem, & totum caput. Lateribus verò fibulæ sunt additæ, quibus vtraque pars constricta, facit vt eques totus ferreus esse videatur. Illud autem ferrum non impedit, vel ipsas membrorum extensiones, vel contractiones; adeò accuratè ad membrorum naturam arma sunt facta. Hæc ille. Fuit præterea Romanis

Suidas.

Lorica, siue thorax.

A καρδιοφύλαξ, seu cordis custos, χάλκωμα σπιθαμιαῖον πάντῃ πάντως, ὃ προσετίθεσαν περὶ τῷ στήθει. Æreum munimentum, vnius palmi magnitudinem habens omninò vndique: quod ante pectora ponebant. Alij hamatis, siue catenatis tunicis, ἁλυσιδωτοὺς χιτῶνας vocat, circùm thoraces vsi sunt.

Et imposuit, &c.

καρδιοφύλαξ

Non possum sic incedere, quia vsum non habeo.] Adrianus Imperator, vt scribit Spartianus in eius vita, vicena millia pedibus armatus incedebat. Apud Xenophontem Cyropæd. libro secundo, Centurio quidam affirmat exercitatis arma non oneri, sed alis esse. Itaque Tertullianus inter cæteras militum exercitationes pacis tempore annotat, In armis deambulationem. Vegetius libro primo, capite penultimo: Præterea, inquit, consuetudo permansit, & diui Augusti atque Adriani Constitutionibus præca- B uetur, vt in mense tam equites quàm pedites educantur Ambulatum. Hoc enim verbo hoc exercitij genus nominant, & decem millia passuum armati, instructique omnibus telis pedites, militari gradu ire ac redire iubebantur in castra, itaut aliquam itineris partem cursu alacriore conficerent. Rursum libro secundo, Iuniores quidem, inquit, & noui milites, manè ac post meridiem ad omne genus exercebantur armorum. Veteres autem & eruditi, sine intermissione semel in die exercebantur in armis. Armatos, inquit, cum sarcinis suis currere frequentissimè conuenit, vt quotidiani vsus laboris in pace, difficilis non videatur in bello. Ad hæc Pausanias docet in Eliacis, Olympiade 5. supra sexagesimam grauis armaturæ cursum in Græcia institutum fuisse, cuius primùm Demaratus Heræensis palmam tulerit. Statua eidem C posita est clypeum militarem præ se ferens: galea caput, crura ocreis armata erant. Dauid arma molestè tulit, nec se poterat in ijs commodè explicare: non enim in ijs militiæ suæ rudimenta posuerat: sed vrsos, leonesque sternere consuetus, didicerat absque armis ope diuina victoriam sperare. Nudus sanè Christus, cuius ille typum gessit, cum hoste pugnaturus erat, & inermis Satanam pessundaturus.

Spartianus.

Xenophon exercitatis arma nō oneri, sed alis esse.

Veget. de re milit. li. 1. & 2.

Romanorū militū ambulatio in armis.

Pausanias.

Et deposuit ea.] Veruntamen, vt Ius Ciuile docet *ff. de verb. & rer. signif. l.* 41. armorum appellatio non vtique tantùm scuta, & gladios, & galeas significat: sed & fustes, & lapides.

Versus XL.

Et tulit baculum suum, quem semper habebat in manibus: & elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente, & misit eos in peram pastoralem, quam habebat secum, & fundam manu tulit: & processit aduersum Philisthæum.

Pagninus, *Tulitque* (Arias, *cepitq;*) *baculum suum in manu sua, & elegit sibi quinque leues lapides* (Arias, *lubricitates lapidum*) *de torrente, & posuit eos in vase pastorali* (Arias, *pastorum*) *quod*

erat

TVLIT AVTEM, &c. *erat sibi,* (Arias tollit *erat*) *& in pera, & funda sua in manu sua, & accessit ad Pelisthæum.* Vatablus, *quinque leues lapides de torrente, & posuit eos in instrumento pastorali quod habebat, id est, in pera, & fundam suam manu gestabat: appropinquauitque ad Pelisthæum.* Ita Vatablus in edit. Laurent. Chaldæus, *& elegit sibi quinque leuitates lapidum ex fluuio, & posuit illas in vase pastoris, quod ei, & in pera sua: & funda sua in manu sua, & appropinquauit Pelisthæo.* Græci edit. Complut. καὶ ἔλαβε Δαυὶδ τὴν ῥάβδον αὐτοῦ ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ. *Et accepit Dauid baculum suum in manu sua.* Aldinæ, καὶ ἔλαβε τὴν βακτηρίαν αὐτοῦ ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ, eodem sensu. In reliquis vtraque editio consentit. καὶ ἐξελέξατο ἑαυτῷ πέντε λίθους λείους ἐκ τοῦ χειμάρρου. καὶ ἔθηκεν αὐτοὺς ἐν τῷ καδίῳ τῷ ποιμενικῷ τῷ ὄντι αὐτῷ εἰς συλλογήν. καὶ ὁ σφενδόνη, &c. *Et elegit sibi quinq; lapides limpidos, siue leues, & posuit eos in pera pastorali, quæ erat ei ad collectionem, & funda sua, &c.* Sanctus August. vt notat Flaminius libro quinquagesimo homiliarum, homilia tertia, legit, *in vase pastoris, quo lac mulgeri solet.* Apud Chaldæum, & alios ex Hebræo fit mentio, & *vasis pastorum, & peræ.* Vatablus Salmant. *Et accepto baculo suo in manum suam, elegit sibi quinque leues lapides è torrente, posuitque eos in instrumentum pastorale quod habuit, inque peram.* Et in Schol. *leues,* vel, non asperos, politos. *Et in pera.*] *Et,* pro *id est* positum. nam *instrumentum pastorale* interpretatur *peram.* Sunt tamen qui dicunt eum gestasse sacculum præter peram. Pro *torrente, vallem* scripsit alter: fatetur tamen etiam *torrentem* Hebraïcè posse intelligi.

Exponitur quis dicatur, baculus manus. *Et tulit baculum suum, quem semper habebat in manibus.*] Hebraïcè, מקלו בידו *maklo beiado, baculum suum manu sua.* מקל *makal* Hebræis scipio est, siue virga floribus folijsque vidua. Hoc nomine dicuntur virgæ illæ populeæ, quas Iacob, Genes. 30. cortice nudauit. Dicitur & מקל *makel* eadem significatione. Huiusmodi tamen inter arma Ezechiel enumerat capite trigesimo nono, versu nono: *Et egredientur, inquit, habitatores de ciuitatibus Israel, & succendet, & comburent arma, clypeum, & hastas, arcum, sagittas, & baculos manuum, & contos: & succendent ea igni septem annis. Baculos manuũ* ובמקל יד *onsmakel iad.* Chaldæus, *hastilia lancearum,* siue ligna vocat, aut certè hastæ scapum qui manu tenetur. Quidam, *iacula* intelligit, quæ non arcu emittuntur, sed manu. *Clauas* malim & nodosos stipites: sudibus etiam præustis rustici decertare solent. Suidas. Suidæ καλαῦροψ pastoralis virga est, siue pedum, βουκολικὴ ῥάβδος. βαρυτέρα οὖσα τῇ κεφαλῇ ἀπὸ τοῦ κάτω ῥέπειν. Sic dicta, quod capite sit grauior, & ideò vergat deorsum. Fustibus olim apud nos, cùm non liqueret, suum ius experiri licuit. Capitularia Car. Mag. Capitul. Carol. Mag. libro quarto, capite vigesimo nono: Si liber de furto accusatus fuerit, &c. liceat ei contra vnum ex accusatoribus cum scuto & fuste in campo contendere. Fustuaria certamina. Eius generis singulare certamen quoddam ligneum describit studiosè Aymoinus Floriacensis libro 4. Aymoinus Flor. de miracul. sancti Benedicti, cap. 11. Describam, vt palàm innotescat qualia fuerint maiorum nostrorum duella: tametsi hæc fustuaria plebeiorum duntaxat propria fuisse velint. Erat lis, inquit, de quodam mancipio, quem Abbas

A Floriacensis suum esse, Isembardus quoq; suum asserebant. cùm non satis liqueret, adiudicatum est rem monomachia terminari debere. Data die in condictum conueniunt locum, videlicet qui repetebatur Rotbertus nomine: & Airicus quidam, quem Isembardus suo obtulerat loco, fortis robore, miles officio. Erat autem idem statura procerus, Rotbertus verò pusillus. Qui quamuis secum confligentis corpulentiam metueret, habebat tamen, vti postea retulit, fiduciam in Patre Benedicto, suo iure domino, & sibi infesto viro hunc inculcabat sermonem. Non ego tecum decerto, sed dominus meus, cuius me seruum profiteor, Benedictus. Ergo qui illum impetebat Airicus, vt moris est, primos ictus intorsit in eum: quos ille gratia Dei protectus, constanter sustinens, permansit illæsus: & alternum verber suo hosti tentans incutere, B virtute patris, cuius nomen retinebat mente, manum ipsius ductante, buculam clypei, quo suus tegebatur aduersarius, fortiter perculit: quæ clauiculis, quibus affixa tenebatur, anulsis, longiùs resiliuit, moxque manus nuda aduersarij apparuit. Quippe foramen in clypeo fuerat, quod bucula protegebat, deintus semipedali affixa ligno: quo manu retento, grauem ille Rotberti aduersarius faciliùs verteret clypeum. Rotbertus cernens manum secum dimicantis nudam, ictu repetito toto conamine eam percussit. At ille doloris impatiens, clypeum remisit; & quoniam manu debilitata, qua tegumen regebat, qua arte se tegeret non habebat, assiduo Rotberti verbere fatigatus, victum se proclamat. Dehinc exarmatus à victore, cum C Isembardo, pro quo ignominiosum certamen inierat, confusus redijt ad propria. Hactenus ligneæ pugnæ haud prorsus ferruginea descriptio. At longè elegantior Dioxippi cum Horrata Macedone autore Curtio, cuius stylum nemo non miratur eloquentiæ studiosus.

Descriptio pulchra singularis certaminis.

Intererat, inquit, epulis (Alexandri) Dioxippus Atheniensis pugil nobilis, & ob eximiam virtutem virium Regi pernotus & gratus. Inuidi magnique increpabant per seria & ludum, saginati corporis sequi inutilem belluam. Cùm ipsi prælium inirent, oleo madentem præparare ventrem epulis. Eodem igitur in conuiuio Horratas Macedo iam temulentus exprobrare ei cœpit, & postulare, vt, si vir esset, postero die secum ferro decerneret: Regem tandem vel de D sua temeritate, vel de eius ignauia iudicaturum. Et à Dioxippo contemptim militarem eludente ferociam, accepta conditio est. Ac postero die Rex, cùm etiam acrius certamen exposcerent, quia deterrere non poterat, destinata exequi passus est. Ingens hic militum, inter quos erant Græci, qui Dioxippo studebant, conuenerat multitudo. Macedo iusta arma sumpserat, æreũ clypeum, hastam, quam sarissam vocant, læua tenens, dextra lanceam, gladióque cinctus, velut cum pluribus simul dimicaturus. Dioxippus oleo nitens & coronatus, læua puniceum amiculum, dextra validum nodosúmque stipitem præferebat. Ea ipsa res omnium animos expectatione suspenderat: quippe armato congredi nudum, dementia, non temeritas videbatur.

Curtius l. 9.

Nudi cum armato pugna singularis.

Et elegit sibi, &c.

Igitur Macedo haud dubius eminus interfici posse, lanceam emisit: quam Dioxippus cùm exigua corporis declinatione vitasset, antequam ille hastam transferret in dextram, assiluit, & stipite mediam eam fregit. Amisso itaque telo, Macedo gladium cœperat stringere: quem occupatum complexu, pedibus repente subductis, Dioxippus arietauit in terram: ereptóque gladio, pedem super ceruicem iacentis imposuit, stipitem intentans, elisurúsque eo victum, ni prohibitus esset à Rege. Hactenus Curtius. Cæterùm, tametsi hæc Dioxippi victoria stupenda præter expectationem contigerit, nonnulla tamen sunt, quæ si attentè consideres, Dauidis victoria longè inferiorem fuisse demonstrent. Neque enim Dioxippus tum puer extitit, aut cum gigante eidem res fuit, aut palæstræ rudis habebatur, in qua dudum magna cum laude versatus fuerat. vnde minus mirum videri debet, si, cùm esset nodoso stipite armatus, incautum militem arte oppresserit. At Dauid puer, & stratagematum expers, ausus cum gigante veterano confligere, eundem prostrauit.

Et elegit sibi quinque limpidissimos lapides.] Hi ferè sunt reliquis duriores, & ad inferendum vulnus potentiores. Meminit Caspij lapidis Suidas in κασπίῳ λίθῳ. Hoc Caspij hastarum cuspides muniebant, quoniam & acerrimè vulnerare, & quoddam letale venenum vulneri inserere tradunt. Sed cur quinque lapides potissimùm elegit? An quia manus totidem digitos habet, seu potiùs homo sensus? An quia totidem erant reguli Philistinorum, quod antea capite septimo didicimus ex quinque anis aureis & totidem muribus, quos mulctæ nomine Arcæ appenderunt? An quia totidem partibus didicerat portionem Benjamin reliquas superasse? An quia perfectis à Domino talenta quinque conferuntur? An fortè rationem habuit Christi Domini vulnerum, quæ pari numero præcipuis eius corporis partibus inflicta sunt? An fortè Arithmeticis fidem accommodauit, qui perfectissimum hunc esse numerum arbitrantur: quòd circularis sit, & sphæricus, & quantumuis licet multiplicatus in seipsum reuoluatur? An potiùs, quòd nonnullis alijs, hîc quoque numerus Dauidi δίκη, siue iustitia visa est, quia denarium ex æquilibrio secet? An quinta, quod aiunt, credidit natas Erynnas, quæ scelera castigant? Qui peierassent luna quinta, totidem diebus emori scripsit Melampodes ex obseruatione sua. Quintas quoque fugiendas præcipit Hesiodus. Sed illum docent Interpretes allegoricè de nuptijs esse loquutum: quoniam quinarius γάμος dicatur. ex binario namque pari, & impari ternario, tanquam ex mare fœmináque consurgit. Ego crediderim, nisi fortè quis aliter senserit, Hebræos, quemadmodum cùm immensam multitudinem designare volunt, septenarium adhibent: ita cùm mediocrem numerum, quinario vti. Hoc planè dicere videtur Apostolus 1. ad Corinthios capite decimo quarto, versu decimo nono, cùm se ait velle *in Ecclesia suo sensu quinque verba loqui potius, quàm decem millia verborum in lingua.* Neque tamen propterea dubito, quin certo ac definito numero quinque lapides in pera condiderit, quibus gigantem conficeret.

Suidas.

Lapis Caspius.

Quamobrẽ lapides 5. elegerit.

A

B

C

D

Et elegit sibi, &c.

Cæterùm, cùm lapides quinque in peram misisset, vno duntaxat gigantem perculit: reliqui pars in manu læua, pars in bulga latuere. Quis igitur ille lapis tantùm potuit, aut quo nomine residuos dignos censebimus? An igitur qui funda missus est, fuit *lapis* ille *fœderis*, quem Iacob iunxit cùm pactum in Bethel iniret, & in Domini verba iuraret? Minimè. Hunc enim dicitur somnum captans capiti suo supposuisse. & alioqui inita cum Deo fœdera nos tuetur magis quàm vllum lædant. Ita in titulum Iacob erexisse dicitur, non funda iecisse. An potius alter ille *Testimonij* dictus, quem Iosue coram populo statuit, ne deinceps cum Deo pacta, conuenta, stipulationes negare posset? Nequaquam. Imò potiùs sub quercum Sanctuarij defodisse scribitur. Reuera autem tabulæ fœderum in archiuis condi solent, & hactenus iste lapis in pera manet. Ergóne qui *lapis adiutorij* à Samuele vocatus est, primo Regum, capite septimo? Absit. hic namque immotus esse debet, & suo nos præsidio perpetuò tueri. Hinc dicitur Samuel illum intra recuperatam prouinciam statuisse, dicens: *Hucusq; nobis auxiliatus est Dominus.* Nec alium esse crediderim ab eo, cui Moses labore fractus insedit, Exodi capite decimo septimo, versu 12. dum Iosue lacessentem Amalec penè internecione deleret. Huic igitur incumbimus & innitimur, non funda iaculamur. Erit fortassis quem describit Zacharias *septem distinctum oculis*? Quinimò *huius* vt ait, *cælat sculpturam Deus.* Hic coram Iesu datus est, qui summus Sacerdos fuit, & intra Ecclesiam asseruari debet: funda non emittitur. Fidelibus lucet. Rebelles luminis diuinæ gratiæ expertes iacent. Quis erit igitur victor ille lapis, qui funda contortus gigantem conficiet? nam ecce iam quatuor pera recondit. Meminit vtique Daniel capite secundo, *excisi* cuiusdam *lapidis ex monte absque manibus*, qui Nabuchodonosor statuam auro, argento, ære, ferro, testáque conflatam comminuit, & mox vniuersum orbem sua mole compleuit. Lego præterea hæc apud Zachariam capite quarto, versu sexto & septimo: *Hoc verbum Domini ad Zorobabel, dicens: Non in exercitu, nec in robore, sed in spiritu meo, dicit Dominus exercituum. Quis tu mons magne coram Zorobabel? in planum: & educet lapidem primarium, & exæquabit gratiam gratiæ.* Nec rara mentio *lapidis Angularis* apud Psalmistam, qui *petra scandali, & lapis offensionis* aliàs à Christo Domino dicitur. An igitur hic Satanæ vires concussit? an simulachra comminuit, monarchiam labefactauit? Quis neget, cùm veritas asserat, *Iam Princeps huius mundi eycietur foras? Prædicamus*, inquit Apostolus, *Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus verò stultitiam.* Itaque lapidem quidem fœderis, testimonij, doctrinæ, ac cælestis auxilij, cum dæmone certaturus in thesauris Ecclesiæ recondit: at sua morte & crudelissima passione, tanquam funda contorto silice, hostis contumaciam cōtudit ac perdidit. Sunt qui putent miraculorum eius vim maximam cum lapide

Quis ille lapis allegoricè intelligẽdꝰ sit.

Genes. 28.

Iosue 24. ver. 27.

Zacha. 3.

1. ad Cor. 1.

ET FVNDAM MANV TVLIT, &c. pide conferri posse. Verùm ea Iudæorum pertinaciam minimè superauit. Alij quoque existimant limpidissimam eius doctrinam non absurdè cum adamante mundissimo æquè ac durissimo comparari posse. Verùm ne hoc quidem validissimo ariete Pharisæorum errores expugnauit. Quid de vitæ innocentia dicam? quid de prolixa eiusdem charitate, qua semper studuit conferendis beneficijs eorundem sibi beneuolentiam cõciliare? Verùm ne his quidem emolliri ad pietatem potuerunt. Accessit igitur quinto loco obedientia, quæ ad mortem vsque grassata est: *Factus est*, inquit Apostolus, *obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis*: quam vbi pertulit, & quod aiebat *exaltatus est*, deuicto triumphatóque mundo, *omnia traxit ad seipsum*.

Et fundam manu tulit.] Varro, Qui funda vterentur quidam vocabant Ferentarios, qui depugnabant pugnis & lapidibus, his armis, quę ferrentur, non quæ tenerentur. (De funda & funditoribus.) Festus habet fundis non pugnis, tametsi reuera pugna primùm à pugnis dicta est, si Cassiodoro credimus. Nonius Marcellus docet ita dictos milites leuis armaturæ, à ferendo auxilio excursu leui. Ferentarios bonos iaculatores vocat Vegetius. A funda idem Vegetius libro tertio, capite decimo quarto, funditores, fundibularios, fundibulatores. (Vegetius.) Isidoro funda ab eo quòd fundat lapides. Mercurialis libro secundo de arte gymnastica, eam describit. (Mercurial.) Funda funiculus est, qui duobus capitibus manu capitur, altero cum ansula, ne exeat; altero fine, vt dimitti possit: atque in medio latior est, vt ibi lapis contineatur. hunc, circumacto validè funiculo, & ab vno capite dimisso, vehementer proijciebant funditores. C
Apud Statium Papinium gloriatur Achilles didicisse se sub Chirone, (Statius.)

Quo Mageta sua gesa citent, quo turbine cæstũ
Sauromates, falcémq Getes, arcúmq; Gelonus
Tenderet, & flexa Balearicus actor habena,
Quo suspensa trahens libraret vulnera tortu.

Et Virgilius:

Stuppea torquentem balearis verbera fundæ.

Ouidius etiam:

Balearica plumbum
Funda iacit.

Autores ferè Balearibus fundas tribuunt. De his Diodorus Siculus libro sexto, (Diodorus.) Arma eis sunt fundæ tres: vna caput cingunt, altera ventrem, tertia in manibus gestatur. In prælio lapides multò maiores, quàm reliqui iactant robustè, vt aliquo tormento lapis missus videatur. In vrbium expugnatione, lapidũ iactu eos, qui desuper ex propugnaculis tuentur mœnia, vulnerant. In pugna verò scuta, galeas, omneque armorum genus confringunt. Ita autem rectè lapides propellunt, vt raro effugiat ictum appetitus locus. Quod eis continuò à pueritia vsus præbet, à matribus ad id certamen coactis. Imponunt enim supra erectum lignum panem, signum quod iactu petant, neque ante cibum capiunt, quàm panem lapide deiectum pro cibo sumant, permissu matris. (Fundæ inuentio quibus tribuatur.) Vegetius libro primo de re militari, cap. decimo sexto, præter vsum, etiam inuentionem fundæ Balearibus tribuit. Strabo Ætolos autores facit: cui consentire videtur Pollux libro primo σφενδόνην Ἀκαρνάνων, A fundam Acarnaniam commendans. Sunt autem Acarnanes Ætolis contigui. At Plinius libro septimo, Phœnicas inuenisse cum balista fundam commemorat. Secundo Paralipomen. capite vigesimo sexto, versu decimo quarto, inter arma quæ parat exercitui Rex Ozia, fundas quoque recenseri comperies. Non cedebant Balearibus Beniamitæ iaculandi peritia. Accipe quid de his Scriptura referat Iudicum vigesimo, capite decimo sexto: *Septingenti viri fortissimi in Gabaa, sinistra vt dextra præliantes, & sic fundis lapides ad certum iacientes, vt capillum quoque possent percutere, & nequaquam in alteram partem ictus lapidis deferatur.*

Cæterùm, ista arma videntur esse nihili, si cum gigante conferas grauiter armato. Sed *Deus elegit abiecta & contempta mundi, vt fortia confundat.* (Infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia.) B
Ita Christus Dominus infirmissimis armis, opprobrijs, cruce; morte vicit diabolum. Debilia quidem ista sunt: sed tincta chalybe verbi Dei fiunt robustissima. Instar enim fortissimæ turris est verbum Dei, & eius nomen. Deus sæpè ad edendas res stupendas, adhibuit multa humana ratione inepta. Dedit Mosi virgam: sed perrupit petram, aperuit mare, & aquam conuertit in sanguinem. Elisæus sale medicatus est aquas: Christus luto aperuit oculos: Petrus vmbra depulit morbos. Et quid his rebus inanius? his tamen Deus vti voluit, vt eius virtus illustrior emineret.

VERSVS XLI.

Ibat autem Philisthæus incedens, & appropinquans aduersum Dauid, & armiger eius ante eum.

VERSVS XLII.

Cúmque inspexisset Philisthæus, & vidisset Dauid, despexit eum. Erat enim adolescens: rufus, & pulcher aspectu.

VERSVS XLIII.

D Et dixit Philisthæus ad Dauid: Numquid ego canis sum, quòd tu venis ad me cum baculo? Et maledixit Philisthæus Dauid in dijs suis,

VERSVS XLIV.

Dixítque ad Dauid: Veni ad me, & dabo carnes tuas volatilibus cæli, & bestijs terræ.

DEest Romanæ editioni Latinæ septuaginta Interpretum totus hic versus quadragesimus primus. in qua immediatè post versum 40. (Variæ translat.)

ET DESPEXIT EVM, &c. sequitur, *Et vidit Goliath David.* Et ita emendatissimi quique libri, vt vult Nobilius. Alij autem, *Et perrexit alienigena pergens, & appropinquans aduersus David: & vir portans scutum ante eum. Et inspexit Goliath alienigena, & vidit David.* Vicissim autem absunt à Complutensi, quæ hîc paulò post sequuntur. *Et dixit David, Nequaquam, sed peior cane.* Ita Nobilius in Notis. Aldus tamen, & Complutenses hoc loco legũt. καὶ ἐπορεύετο ὁ ἀλλόφυλος πορευόμενος καὶ ἐγγίζων πρὸς Δαυίδ. καὶ ὁ ἀνὴρ ὁ αἴρων τὸν θυρεὸν ἔμπροσθεν αὐτοῦ. Explicuit suprà Nobilius: *Et iuit Philisthæus incedens, & appropinquans, &c.* Eadem habet Chaldæus, Pagninus, Vatablus Salmanticus: *Virque ferens hastam præcedebat eum.* in Schol. *clypeum.* Arias, *Et vir ferens scutum ad facies eius.* Versu 42. παιδάριον Græci: reliqui interpretes *puerum* vertunt. & Græcis quidem πυῤῥάκης *rufus*, cæteri *rubicundum* vocant. Vatablus, *cum forma elegantia.*

Versus 43. Pagninus, *cum baculis, & maledixit David per deos suos.* Idem Vatablus Laur. At Salmantic. *deuouitque Palestinus Dauidem dys suis.* Et in Schol. vel, maledixitque (siue malè precatus est) Dauidi per deos suos. tanquam dixerit, Dagon, aut alius deus meus te perdat. Chaldæus, *Num canis despectus ego, quòd tu venis super me in baculis? & maledixit Pelisthæus David in errore suo.* Septuaginta edit. Compl. μὴ κύων ἐγώ εἰμι ὅτι ἐξῆλθες ἐν ῥάβδῳ καὶ λίθοις ἐπ' ἐμέ; καὶ κατηράσατο ὁ ἀλλόφυλος τὸν Δαυὶδ ἐν τοῖς θεοῖς αὐτοῦ. *Nunquid canis ego sum, quòd egressus es in baculo & lapidibus contra me? & maledixit Philisthæus David in dys suis.* Aldus plura legit. ὡσεὶ κύων ἐγώ εἰμι, ὅτι σὺ ἔρχῃ ἐπ' ἐμὲ ἐν ῥάβδῳ καὶ λίθοις; καὶ εἶπε Δαυίδ, οὐχί· ἀλλ' ἢ χείρων κυνός. καὶ κατηράσατο ὁ ἀλλόφυλος τὸν Δαυὶδ ἐν τοῖς θεοῖς αὐτοῦ. *Tanquam canis ego sum, quia tu venis super me in virga, & lapidibus? Et dixit David: Nequaquam, sed peior cane: & diris deuouit alienigena Dauidem in dys suis.* Romana tamen editio Lat. septuaginta Interpret. Et quæ eandem sequitur Antuerp. Laurent. constanter legunt: *Et maledixit alienigenam David in dys suis.*

Versu 44. Arias, *Volatili cælorum, & animali agri.* Tria argumenta ad contemptum Pelischthæus adhibebat, ætatem, colorem, & speciem. Ætas enim imbecillitatem, color præcipitem iracundiam & temeritatem, species mollitiem hominis, & imperitiam rei militaris monstrare videbantur. Addi posset quarta ratio, quòd ferro munitum pectus eius non cerneret, sed patere vndique vulneri locum; nec alio telo armatum, quo ferreum hostem peteret, quàm baculo. Argumentum erat, Dauidem non esse militem. Nam si versatus fuisset in Sole & puluere, non potuissent suauitatem coloris diu retinere. Contempsit itaque illum Goliath, vel quòd puer esset, vel quòd formosus, vel quòd inermis. Putat deinde se ab eo contemptum, & haberi pro cane. Nec sanè multùm errat. Re enim vera David eum habuit, vt erat, pro bestia. Irascitur, quòd se ab illo videat contemni. Ira verò grauissimos habet stimulos. Habiturus ergo erat David hostem & fortissimum, & iracundia inflammatum.

Quibus de caussis Goliath Dauidem contemneret.

Et despexit eum.] An non tibi videtur superbissimus gigas dicere voluisse, quod de lepore Mar-

A tialis cum leone comparato, libro primo Epigrammatum:

Intres ampla licet torui lepus ora leonis,
Esse tamen vacuo se leo dente putat.
Quod ruet in tergum, vel quos procũbet in armos?
Alta iuuencorum vulnera figet vbi?
Quid frustrà nemorũ dominum, regẽmq; fatigas?
Non nisi delecta pascitur ille fera.

ERAT ENIM ADOLESCENS, &c. Martialis.

Non tamen Goliath ait, quod leonis nomine Martialis:

Desperanda tibi est ingentis gloria fati,
Non potes hoc tenuis præda sub hoste mori.

Ioas Rex Israël, Amasiam Regem Iuda se lacessentem contemnens, illum quidem carduo, se verò cedro Libani similem prædicat. Apud Curtium libro sexto, Interrito vultu Alexandrum Thalestris Amazon, quæ ad eum prolis gratia B adierat, intuebatur; habitum eius haudquaquam rerum famæ parem oculis perlustrans: quippe omnibus Barbaris in corporum maiestate veneratio est, magnorúmque operum non alios capaces putant, quàm quos eximia specie donare natura dignata est.

Curtius.

Erat enim adolescens.] Quinque gradus ætatis, inquit Censorinus libro de die natali, æqualiter puto esse diuisos: vnumquemque scilicet præter extremum, in annos quindecim. Itaque primo gradu vsque ad annum decimum quintum pueros dictos, quòd sint puri, id est, impubes. Secundò, ad trigesimum annum adolescentes ab adolescendo sic nominatos: In tertio gradu qui erant vsque ad quinque & quadraginta annos, iuuenes appellatos, eò quòd Rempublicam in re militari possent iuuare: In quarto C. vsque ad sexagesimum annum seniores vocitatos, quòd tunc primùm senescere corpus incipiat: Inde vsque ad finem vitæ vniuscuiusque quintum gradum factum, in quo qui esset, senex appellatur, quod ea ætate corpus senio laboret.] Cæterùm, ea ætas non vsque adeò victoriarum expers habenda, vt despici à gigante tantoperè debuerit. Octauodecimo ætatis anno, vt est apud Tacitum Annalium libro decimotertio capite secundo, Gn. Pompeius, nonodecimo Cæsar Octauius, bella sustinuerunt. Ennodius in Panegyr. Theodericum Regem compellans, Adhuc, inquit, in cano flore degebas adolescentiæ, nec virtutum messem lacteus ante experimentum culmus attulerat: Adhuc blanda erat imago pubescentis, nec fingens fa- D ciem lanugo vestiebat, quando æui purpura & flosculus superuenientis Imperij promittebat solicitis de gratiæ commutatione terrorem: cùm ad probationem roboris & clementiæ tuæ ruptis vinculis furor emicuit, & euisceratos diuturna quiete mentis, occasionis pabulo subiugauit. Hæc ille. Verùm vt docet Tacitus libro decimotertio Annalium, capite secundo, in summa fortuna pleraque auspicijs & consilijs, quàm telis & manibus geruntur. Hîc vbi manus conserenda fuit, videbatur opus robore fore.

Censorinus

Ætatis hominis æqua distributio.

Dauidis ætas non vsquequaque victor. expers.

Tacitus.

Ennodius.

Rufus.] In Cn. Domitium Ænobarbum, cùm is rerum successu insolentior euasisset, Licinius Crassus orator dixisse fertur, Non esse mirandum quòd æneam barbam haberet, cui esset os ferreum.

ET PVLCHER ASPECTV. ferreum, cor plumbeum. Sed nihil horum in Dauidem quadrabat, qui cum aurea lanugine, & capillitio Solis cuiusdam instar omnium oculis appareret, si vim armorum spectes, intus adamantino corde præditus erat.

Oculorum elogia. Damascius Biblioth. Photij autor 242. *Et pulcher aspectu.*] Oculi quædam sunt in carne sidera, vt ait sanctus Ambrosius, & ἀγάλματα ψυχῆς ἀκριβῆ, secundum Damascium in vita Isidori apud Photium, accurata mentis simulachra. non solùm, ἀλλὰ καὶ τῆς ἐνοικούσης αὐτῷ θείας ἀπορροῆς, sed & inhabitantis in ea diuinæ influentiæ. Cicero de natura deorum, sensus interpretes, ac rerum nuncios vocat. Laurentius Medicus. Laurentio Medico, Naturæ speculum est oculus, microcosmi lumen, pars ætherea, Solis ianua, fenestra animi, magnæ mentis imago. Et idem iterum, Quid de oculorum effectis dicam? vident, mirantur, adamant, concupiscunt, amoris, iræ, furoris, misericordiæ, vltionis indices sunt: in audacia prosiliunt, in reuerentia subsident, in amore blandiuntur, in odio efferantur, gaudente animo hilares subrident, eodem mœrente languescunt, in ira exasperantur, in cogitatione ac cura quiescunt, cum mente semper intenti: Vnde tot vsus, tot nomina, torui, truces, flagrantes, graues, transuersi, limi, submissi, blandi, ad summum ad animi motus ita sunt compositi, vt alter animus esse videatur. Hæc ille. De Augusto narrat Suetonius capite septuagesimo nono, oculos habuisse claros ac nitidos: Suetonius. quibus etiam existimari vellet inesse quiddam diuini vigoris: gaudebatque, inquit, si quis sibi acriùs contuenti, quasi ad fulgorem Solis, vultum submitteret. Itaque fortassis adulatoriè quidam miles apud Victorem in Epitome, cùm interrogaretur cur ab eo oculos auerteret, responderit, Quia fulmen oculorum tuorum ferre nequeo. Illud insolitum magis & miraculo proximum; quod de Olone Daniæ Rege Albertus Albertus Krantzius. Krantzius memorat Daniæ libro secundo, capite duodecimo, tam acri oculorum acie fuisse, vt solo intuitu haud secus quàm fulgure plerosque fugarit. Mirus oculorum fulgor. Sponsa certè, VVermorum Regis filia, non passa fulgorem, repentè concidit. Quinimò, Starcaterus ipse, alter Aquilonarium Hercules, Saxoni Grammatico, Olaóque tantopere celebratus, Tyrannorum pestis & exitium, cùm inermem in balneo adoriri statuisset, oculorum miranda illa vi repercussus, pedem referre coactus est, donec represso luminum fulmine, honoris ergo reuocatus, nudum interemit. An fortè credimus simili oculorum acie Dauidem valuisse, vt gigantem terrere perturbareque posset? Quinimò, gratis ac nitentibus oculis omnium in se amorem beneuolentiámq; prouocabat.

Pulcher aspectu.] Vatablus vertit, *cum formæ elegantia.* Philostratus in Iconibus Iasonem describens in Medea, Iasoni, inquit, facies lenis, benignaq; est; at non absq; robore ac firmitate: atq; oculus ipsi seuerus, supercilij, fastuosi, & omne contrarium eleuantis ingenio subiectus est. Is lanugine iam surrepente scatet, & fulua cæsaries fronti insultat. Vultus indoles talis est, vt neq; superbiat, sed enim verecundus est; neq; se dimittat, quippe spe certaminis fiduciam ad

A certamen colligit. Meleagrum subinde etiam eleganti penicillo describit. Callosus est, inquit, ac rigidus adolescens, & corpore toto vegetus, suræ benè compactæ, rectæ, non minus in stadijs ad currendum aptæ, quàm ad luctæ certamen cominus sustinendum firmæ: femur iunctum toris, genu inferiori tibiæ respondet, & talis coxendix, vt polliceri audeat, adolescentem apri impetu minimè subuersum iri: tum latera plena, & venter minimè obesus, & pectora moderatè extuberantia; & brachium articulis nexum, & humeri ad ceruicem validam cohærentes, basim ipsi exhibent: coma verò Soli concolor, & nunc præ impetu, & alacritate erecta, & toruum intuens, cæsius oculus, & supercilium haudquaquam remissum, sed in animi æstu totum, vt & ipsa vultus constitutio, quę
B non concedit de forma, propter commotionem adolescentis quicquam dicere, &c. quæ vertit Nicol. Caussinus Parall. Eloquent. lib. 11. descriptione vigesima.

At verò Samuel, non solùm hoc loco Dauidis oculorum gratiam ac veneres commendare voluit, sed ipsam quoque oris speciem, quæ mira suauitate omnium oculis arridebat. Quæ quidem quanti facienda sit, & ad conciliandos animos quantum momenti habeat, docet Xenophon in Conuiuio. Xenophō. Ait siquidem φύσει βασιλικόν τι τὸ καλὸν εἶναι. Natura regale quiddam esse pulchritudinem. Formam quoque regiam Plautus vocat. Et apud Euripidem optat pater filijs speciem imperio dignam:

Πρῶτον μὲν εἶδος ἄξιος τυραννίδος.
Πλείστη γὰρ ἀρετὴ τοῦθ' ὑπάρχειν ἐν βίῳ, Euripides.
C Τὴν ἀξίωσιν τῶν καλῶν τὸ σῶμ' ἔχειν.

Primùm quidem, inquit, *quod ad speciem attinet, imperio dignos.*
Magna enim prastãtia est, cùm hoc adest in vita,
Vt corpus dignitatem pulchrorum habeat.

Aristoteles 1. Polit. affirmat, si qui reperirentur ea corporis pulchritudine, quam in deorum Aristot. statuis cernimus, neminem dubitaturum, quin eos alijs omnibus imperare oporteret. Idemq; lib. 4. & lib. 7. ait, Æthiopas & Indos in mandandis imperijs, proceritatis ac pulchritudinis habere rationem. Alius itaque Dauidis liberali facie, & vultu adeò venusto moueri potuisset, & ad beneuolentiam comitatemque inflecti: at contra hæc bellua, perinde vt sus consueuit, sic florem illum iuuentutis contempsit: & instar
D tygridis, quæ in hominis imaginem incurrit, statim in rabiem acta est.

Et maledixit Philisthæus Dauid in dijs suis.] Fortassis in Dagon & Astaroth. Ac si diceret, Dagon & Astaroth, Philisthæorum numina, quos ego colo & veneror, te perdant infelicissime, qui præ stultitia in campum prodire ausus es, & inuictæ dexteræ fulmen experiri. Quis te malus genius huc adegit ad certam perniciem? non enim dabitur pœnitentiæ locus: effugere non poteris. De Romanorum imprecationibus, quibus hostium vrbes, exercitusque deuouerent, iam antea diximus. Erat hoc quoque solenne Atheniensibus. Vndè est illud cuiusdam eorum antistitæ, cùm instarent sui ciues vt damnatum publico iudicio Alcibiadem diris deuoueret, ❧

VENI AD ME, &c. ad deorum cultum benè non malè precandi gratia accessisse. His olim plurimùm Gentiles tribuerunt: maximè, si qua voti religione firmatæ essent. nam sponsionibus ac promissis sollicitari deos posse, & ad malè agendum nocendúmque allici crediderunt. Verùm has maledictiones Dauid fortiter contempsit, cùm sciret dæmonũ quidem esse maximum nocendi studium, at potestatem nullam.

Veni ad me, & dabo carnes tuas, &c.] Habet iam pro victo, & sæuitiam meditatur non pugnam. Cęterùm mihi legere videor apud Pausaniam in Corinthiacis, Herculem Cyathum puerũ Oenei pocillatorem, haud satis commodè propinantẽ, talitro, si credere fas est, vno interficientem. (Pausanias.) *Et dabo carnes tuas volatilibus cæli.*] *Tradiderunt*, inquit Dauid, *morticina seruorum escas volatilibus cæli, carnes sanctorum tuorum bestijs terræ. Effuderunt sanguinem eorum tanquam aquam in circuitu Ierusalem, & non erat qui sepeliret.* Quod denuò repetitur in lib. Machab. cùm impius Alcimus plures ex optimatibus Iudæorum contra fidem datam nefariè trucidatos, sepultura prohiberet. Ad hunc ferè modum Tyrãni quondam in sanctos Martyres sæuierunt: quos non solùm viuos quæsitissimis supplicijs torquebant, sed etiã interemptis sepulchro interdicebant. Hoc scilicet illos malè habebat, quos ipsi vita indignos iudicassent, horum reliquias post mortem à Christianis coli. Antiquorum Tyrannorum immanitatem huius temporis hæreticorum feritas vicit. Hyænarum instar iamdudum condita cadauera eruerunt, itaut ne Regijs quidem sepulchris parcerent, quæ sacrilegè violarunt. *Dabo carnes tuas.*] Non sunt istæ humanæ voces, sed mũgitus boum, & ruditus asinorũ. *Bestijs terræ.*] Vox Hebraïca significat *iumentum*. Iumenta autem non comedunt carnes, pręsertim humanas. Sed vocem eam Chimhi putat genus esse ad omnes bestias. (Kimhi.) Idque colligit ex cap. 14. Deut. 18. Esa. & 7. Hierem. In Deut. ita scribitur: *Hoc est pecus quod comedetis:* tamen postea subijciuntur rhinocerotes, cerui, & aliæ feræ bestiæ, quæ iumenta certè non sunt. Itaque Vulgatus prudenter vertit, *hoc est animal, &c.* R. Salomon putat Dauidem voluisse corrigere orationem Goliath, quòd ille parum propriè fuisset loquutus. Meminit Cromerus lib. 5. de reb. Pol. *campi canini*, qui id nominis ex eo sortitus est, quòd cùm Boleslaus Rex Polon. commisso prælio cum Henrico Cæsare stragem maximam Germanorum edidisset, canum tanta copia ad insepulta cadauera accessit, vt is locus aliquanto tempore viatoribus infestus redderetur.

(Tyrannorũ & hæreticorũ propriũ est Sanctos sepultura priuare.) (Cromerus.) (Campus caninus.)

VERSVS XLV.

Dixit autem Dauid ad Philisthęum: Tu venis ad me cum gladio, & hasta, & clypeo: ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israël, quibus exprobrasti.

VERSVS XLVI.

Hodie, & dabit te Dominus in manu mea, & percutiam te, & auferam caput tuum A à te: & dabo cadauera castrorum Philisthijm hodie volatilibus cæli, & bestijs terrę: vt sciat omnis terra quia est Deus in Israël. (TV VENIS AD ME, &c.)

VERSVS XLVII.

Et nouerit vniuersa Ecclesia hæc, quia non in gladio, nec in hasta soluat Dominus: ipsius enim est bellum, & tradet vos in manus nostras.

QVàm sapientior Dauid Christiano illo homine, in quẽ iure merito Tertul. animaduertit, de idololat. ca. 21. (Tertull.) Scio quemdã, inquit, cui Dominus ignoscat, quum illi in publico per litem dictũ esset, Iupiter tibi sit iratus, respõdisse, Imò tibi. Quid aliter fecisset Ethnicus, qui B Iouem deum credidit? Etiamsi non per eundem retorsisset maledictũ, nec per vllũ Iouis similẽ, confirmauerat Iouem deũ, per quem se maledictũ indignè tulisse demonstrauerat remaledicẽs. Ad quid enim indigneris per eũ quem scis nihil esse? Nam si insanis, iam esse confirmas, & erit idololatriæ, professio timoris tui: quãto magis cùm per ipsum remaledicis, eodẽ Iouis honore facis, quo & ille qui te prouocauit? Fidelis autẽ in eiusmodi ridere debet, non insanire. Imò secundũ præceptũ, ne per Deũ quidem remaledicere, sed planè benedicere per Deũ, vt & idola destruas, & Deũ prædices, & adimpleas disciplinã. Æquè benedici per deos nationũ Christo initiatus non sustinebit, vt semper reijciat immũdã benedictionẽ, & eam sibi in Deum conuertens emundet. C Benedici per deos nationũ, maledici est per Deũ. Hactenus Tertul. Christianum non sine causa increpans, qui cùm veræ fidei lumine collustratus esset, & deorũ Gentiliũ superstitionẽ fidei professione abdixisset, haud aliter quàm si hactenus Iouis numen reuereretur, profano maledicto visus sit cõmoueri, & in æmulũ malæ precationis telũ retorquere. At verò Dauid, sacrilegam hominis deuotionẽ ne refutare quidẽ verbis aggressus, deorũ illius vel verbo ten' meminit: sed Deũ vnũ esse docuit, penes quẽ sit omnis victoriæ potestas. Sed intueamur paulò diligẽti' quid illi blasphemę orationi Dauid regerat.

(Quàm turpiter labatur, qui Infideliũ maledictionẽ retorquẽdo falsorum deorũ nominibus abutitur.)

Tu venis ad me cum gladio, & hasta.] Est omninò ista Dauidis oratio prudens, religiosa, pia. Quot enim habet verba, tot continet sententias, vel potiùs oracula. Ex his enim paucis D verbis, & tota elucet natura & pietas Dauidis, & in rebus aduersis magna capitur consolatio. Hæc oratio ita partiri potest, vt primo loco sit confutatio eorum, quæ Goliath contumeliosè euomuerat. Deinde causa efficiens, cur Dauid speret victoriam. Postea effecta eius victoriæ. Postremò finis, in quo posita est arx totius causæ. (Dauidis responsio per partes expeditur.) Non est mirum, in hoc duello otium fuisse huiusmodi dialogismis. Nam qui Homerum & Virgilium legerunt, satis sciunt, heroïcos viros, antequam monomachia congrederentur, huiusmodi multa inter se solitos fuisse colloqui: alios quidem mitiùs, alios ferociùs, prout erant hominum ingenia.

Confutatio in hoc sita est: *Tu venis ad me cum gladio, & hasta, & clypeo.*] Hoc est, instructus armis:

TV VENIS AD ME, &c.

Dauid in vno Deo victoriæ spē collocat.

armis: his enim tribus vocibus complexus est omnia armorum genera. Clypeus enim ad corpus tuendum valet: gladius, si cominus velis agere, hasta si eminus. Ego, inquit, non tot armis instructus sum. Pro istis omnibus vnum ego tantùm telum habeo, sed maximi ponderis. *Ego verò venio ad te in nomine Domini.*] Hæc est causa efficiens victoriæ. Sed latissimè patet nomen Domini. Est enim eius natura infinita, vt vna notione non possit comprehendi. Ex effectis tamen, & operibus colliguntur singulares eius proprietates, vnde possimus omnem naturam & vim diuinam intelligere: vt quoniam totum complecti non possumus, saltem ex partibus in eius cognitionem veniamus. Si quis ita rudis & agrestis esset, vt nesciret quanti esset numisma nostrum, quod scutum Franciæ vocamus, diceremus illud esse, quòd habeat B francos, siue libras, scuti quadrantes, testones, obolos sexaginta tres, postremò etiam denarios plurimos. Ex his minutijs & partibus, ille tandem, nisi admodum esset obtusus, intelligeret quanti sit aureum nostrum numisma. Ita homines naturam & substantiam Dei infinitam, quoquo modo intelligunt ex his partibus & notionibus. Non quòd partes vllæ sint in Deo, sed quòd nos eius vim, & infinitam magnitudinem tantùm ex huiusmodi effectis & partibus colligamus. Variæ autem & multiplices sunt huiusmodi Dei notiones. Dicitur enim Clemens, Misericors, Constans, Iustus, Bonus. Hæc nomina, inquit Dauid, vt refert Iosephus, mihi erunt pro armatura. Dicit autem nomen Dei, quòd fides nostra non comprehendat Deum, nisi per istas proprietates. Venio ergo, C inquit, fretus Deo meo: Hoc enim est venire in nomine Dei, eius solius auxilio atque ope niti.

Dei nomine primùm potentia.

Non explicat Dauid nomen Dei per partes: sed illud tantum digerit in duo capita, Potentiam, & Voluntatem. Potentia Dei ex eo colligitur, quod dicitur *Deus Sabaoth.* Illud quidam referunt ad Angelos, quibus Deus præest, vt Imperator militibus: Alij ad cælum & astra, quasi illi sint exercitus Dei. De hoc nos anteà copiosè initio capitis decimi quinti. Latiùs certè intelligendum est, omnes res creatas esse in exercitu Dei, illique militare. Id Aristoteles etiam vidisse videtur in Metaphysicis. Ait enim omnes creaturas, si cum Deo conferantur, esse tanquam milites, qui expectent nutum ducis. D Atque hæc quidem de Potentia Dei.

Deinde etiā volūtas indicatur.

Voluntas autem eius ex eo intelligi potuit, quòd is esset Deus castrorum Israël, seseq; pollicitus esset illis nunquam defuturum. *Exibo,* inquit, *ante vos, & ero in medio vestri.* Deinde, Israëlitæ Deo militabant, & omnis gloria victoriæ redibat ad eum. Nam cùm Seon, cùm Og, cùm alij Reges fuissent profligati, Deus illas victorias vocari volebat suas. Adhæc, Deus in illis castris edidit sæpè res stupendas, & admirabiles, & promiserat se in illis singulariter adfuturum. *Sint munda,* inquit, *castra vestra: ego enim versabor in medio vestri.* Deinde Deus ibi tantùm voluit inuocari, & coli, & nomini suo sacrificia fieri. Postremò, Deus illis castris se A firmissimo fœdere obstrinxerat. His tot de causis iure optimo appellari poterant, *Castra Dei.* Sed quî scire poterat Dauid Deum sibi in hac pugna affuturum contra Goliath? Non enim priuatim quibusdam, sed vniuersæ Genti opem spoponderat: quamobrem publicis tantùm auspicijs victoria sperari debuit. Respondeo, quoniam neque publicè, neque priuatim hactenus insultantis audacia repressa erat, non dubitauit Deum athletæ suo fauiturum. Comprimi enim debuit, si Deo rem gratam facere vellent, & officio fungi. Quid enim vrgebat? *Probris,* inquit, *lacerasti Deum viuum.* Iniuria enim, quam fecit nobis, redundat in Deum viuum. *Qui vos spernit,* inquit Christus, *me spernit.* Et Deus apud Zachariam: *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.* Quare Deus non tantùm potest nos defendere, sed etiam vult. Alioqui verò etiam hoc loco Pagninus, & Vatablus Laurentij verterunt: *Venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei acierum Israel, quem probris affecisti.* Ergo

DABIT TE DOMINVS, &c.

Deo ascribendæ sunt victoriæ.

Is, quem probris affecisti, quem impunè hactenus vexasti contumelijs, *dabit te hodie in manu mea.*] Hæc sunt effecta. Hebraïcè scriptum est, יְסַגֶּרְךָ יְהֹוָה בְּיָדִי *Iesagerecha Iehouah beiadi.* Pagninus & Vatablus vertunt, *Tradet te Dominus in manu mea.* Ergo antiquum suum morem Scriptura obtinet, vt eum qui prælio vincendus est, à Deo traditum iri significet. Et sanè Dauid ita loquitur, vt nos commonefaciat, victoriam non esse opus nostrarum virium, sed diuinæ bonitatis atque consilij. Quocirca milites & Imperatores cùm prælia vicerint, debent à gloriatione atque iactantia sibi temperare. Id quod etiam Hieremias fideliter consulit. Dixit enim: *Nec potens viribus suis glorietur.* Hoc Nabuchodonosor Babyloniorum Rex, cùm stultè neglexisset, amentia ita est perturbatus, & immutatus, vt in bestiam mutam propemodum abierit. Quare administratione regni ab eo sublata, diù infeliciter vixit; qui proculdubio in tantum infortunium nequaquam incurrisset, si, quemadmodum par erat, fuisset confessus numinis prouidentia & consilio sibi datum, quicquid acquisierat. At quemadmodum memorat Daniel, amplitudine ac dignitate rerum gestarum tumidus, illas fastuosè ac superbè iactauit: Dixit enim: *Nonne hæc est Babylon magna, quam ædificaui in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* Danielis cap. 4.

Ethnici victuti aut fortunæ res prosperè gestas tribuebant.

In libris Ethnicorum, loquutionem huiuscemodi vel rarò, vel fortasse nusquam reperies: quoniam homines destituti fide, minimè in Deum ea bona referunt, quæ cum aliquo labore atque industria sibi comparasse arbitrantur. Imò euenta bellorum non fauori Dei, sed fortitudini, atque prudentiæ accepta referunt, & nonnunquam fortunæ. Vnde Cicero de diuinatione, Deciorum victoriam, quam se deuouendo populo Romano peperisse prædicantur, præclarum & subtile stratagema fuisse affirmat. Tantum abest, vt deorum prouidentiæ id attribuat. Illam sciebant, inquit, populi Romani esse constantiam & fortitudinem, vt si vidissent suos duces, vel in extremis versari peri-

Cicero.

VT SCIAT OMNIS TERRA, &c.

riculis, vel interfici, vel capi ab hostibus, eam ignominiam nullo modo essent laturi, & ita posse fugam sisti secum arbitrantes, coniecerunt se in hostes confertissimos, objecta specie voti & religionis, vt vel sic militum animi propemodum fracti, reuocarentur ad manus acriùs cum hostibus conserendas, &c. Verùm nos diuinis edocti scripturis, cùm victores & cadentes in prælijs aut videmus, aut audimus, totum id quod fit, aut iam gestum est, ad Deum è vestigio referamus, qui phrasi vsitatissima sacrorum voluminum, tradere dicitur victos in manus hostium suorum. Porrò סגר *sagar*, sic quoque Chaldæus Paraphrastes cum Vulgato nostro, pro eo quod est *tradidit*, interpretati sunt. Quinimò etiam Septuaginta, Deuteronomij secundo capite, versu decimo quinto, *ne tradas*, μὴ παραδώσεις exponunt. Hoc tamen loco.

Legunt paulò secus Septuaginta, tametsi eòdem recidit expositio. Καὶ συγκλείσει σε κύριος σήμερον εἰς τὰς χεῖράς μου. *Et claudet te Dominus hodie in manus meas.* Græcos apud Pagninum Arias imitatus est. Quinimò Vulgatus noster sic quoque vertit infrà, capite vigesimo sexto, versu octauo: *Conclusit Dominus inimicum tuum in manus tuas.* Verti etiam poterat, *Et coercebit te Dominus per manum meam.* Nam verbum סגר *sagar* clausit, tradidit, coërcuit passim in Scripturis significat. Sed quia haud comperi quemquam ita hoc loco transtulisse, malo paucis septuaginta Interpretum translationem exponere. Vox ista *concludere*, magnam habet emphasim. Concludere enim solemus feras bestias, & homines furiosos, & maleficos. Omnia quidem Deus quæcunque sunt, intra fines suos coërcet. Propriè tamen eos dicitur concludere, qui omni conatu & impetu nituntur perrumpere fines à Deo positos. Huiusmodi monstra Deus sæpè concludit in manu infirmiorum.

Alterum effectum est: Non tantùm Deus te concludet, sed etiam ego *auferam caput tuum à te.* Hîc Dauid non tantum miles est, sed etiam Propheta. Spiritus enim Dei iam à Saule transierat ad eum. Nam alioqui quî scire potuisset, se illi caput ablaturum, præsertim cùm ense careret? Sed firma illa fides Dauidis nihil dubitabat, cùm Deus vellet, quiduis sibi futurum pro gladio. Deus enim potest etiam ex lapidibus excitare filios Abrahæ. Tertium effectum est, quod ait, non solùm se illum interfecturum, sed etiam profligaturum vniuersum exercitum Palæstinorum. Tu minatus es, te daturum esse me prædam volucribus. At id ego de te re ipsa præstabo. Hæc sæpè sors est hominum impiorum, vt capiantur laqueo, quem alijs tetenderint, vtque incidant in foueam, quam fecerint.

Finis & scopus speratæ victoriæ.

Sed quorsum faciet ista Deus? Hic finis est, & scopus, *vt omnes terræ intelligant Deum esse in Israel.* At quomodo in Israël? Annon enim Deus est vbique? Est. Sed ibi tamen peculiariter esse dicitur, vbi facit officium suum. Officium autem Dei est defendere, seruare, beare. Hæc, inquit Dauid, cùm Deus nobis præstet, omnes gentes videbunt, & intelligent eum inter nos

A

versari. *Vt omnis terra*, inquit, *intelligat.* Certè viuente adhuc Dauide, hæc erant nota, & vulgata in Syria. Nunc autem in luce Euangelij, per omnem terrarum orbem propagata sunt. Et omnes hodiè sciunt Deum esse in Israël, hoc est, in Ecclesia, qui tueatur & defendat suos. Porrò cùm hæc persuasio Dei gloria est, ad quam promouendam ab eo conditi sumus. nam *propter semetipsum fecit omnia:* tum inde maxima ad homines vtilitas redundat. Sic enim fit, vt neque tam facilè rebus aduersis deijciantur, & si fortè lenior aura aspirauerit, diligentiùs in officio contineantur. Nec multa congeram. Sed Λυκάων Lycaon Pelasgi filius, vt habet Suidas, Arcadum Rex, patris institutum seruans iustitiæ studio, cùm vellet subjectos imperio suo populos absterrere ab iniustitia, dicebat, Iouem ad se frequenter accedere, hominúmque actus siue bonos siue malos speculari. Sed & ipse quandoque victimas cecidit, Deum, vt aiebat, excep urus officio. Quod cùm filij temerè explorare vellent, persuasi deos nihil posse latere, humanas carnes sacro epulo admiscuerunt. Sed hoc illis pessimè atque infeliciter cessit. Nam procellis ac tempestatibus obruti, miserè perierunt. Superstites noua religio incessit, ne numinis præsentiæ deinceps detrahere, aut non subesse vellent.

Suidas.

Commentum Regis Ethnici de Dei præsentia.

B

Et nouerit vniuersa Ecclesia hæc, quia non in gladio, &c.] Pulcherrimum est istud genus Philosophiæ, vt fiduciam nostram abducamus à causis secundis, & omnem spem nostram constituamus in vno Deo: non quod prorsus contemnenda sint præsidia istarum rerum, sed quod illis vis Dei non sit alligata. Hac oratione Dauid non tantùm refutat aduersarium, sed etiam grauissimè concionatur omnibus pijs. Quod ait, *Dei esse bellum*, bifariam potest intelligi: vel generatim, quòd Deus in omnibus bellis, quocunque voluerit, inclinet victoriam: vel peculiariter de hoc bello, in quo Dauid non dubitat Deum adfuturum suis. Hoc secum cogitant sancti Martyres, cùm vitam suam pro Christo profundunt: bellum illud quod gerunt, non hominis esse, sed Dei; ideóque quicquid futurum sit, omnia feliciter casura.

C

Cæterùm Ἄρης, vt docet Suidas, non ferrum modò, & Martem Græcis significat, sed etiam bellum. Dictum autem est bellum ἄρης à verbo ῥῶ, id est, dico, loquor. Futurum habet ἐρῶ, dicam, loquar. Hinc nomen verbale ῥῆς, & addita particula priuatiua α, formatum ἄρης, ac si dicas, non loquens. ἐν τῷ ποιεῖν γὰρ οὐ λόγων, ἀλλ' ἔργων χρεία. In bello enim non verbis, & factis est opus. Et Homerus, ἐν γὰρ χερσὶ τέλος πολέμου, ἐπέων δ' ἐνὶ βουλῇ. In manibus enim situs est finis belli. verbis verò opus est in consilio. Itaque breui oratione vtrinque habita, statim à verbis ad verbera proceditur, & in prælium ruunt.

D

Bellũ Græcis ἄρης à non loquendo dictum. Suidas.

VERSVS

Versvs XLVIII.

Cùm ergo ſurrexiſſet Philiſthæus, & veniret, & appropinquaret cõtra Dauid, feſtinauit Dauid, & cucurrit ad pugnam ex aduerſo Philiſthæi.

Versvs XLIX.

Et miſit manum ſuam in peram, tulitq; vnum lapidem, & funda iecit, & circumducens percuſſit Philiſthæum in fronte: & infixus eſt lapis in fronte eius, & cecidit in faciem ſuam ſuper terram.

Variæ trãſlat.

Pagninus, *Et cucurrit in aciem in occurſum Peliſtæo.* Arias, *in ordinem in occurſum.* Chaldæus ſimiliter. Vatablus Salmant. *Factumque eſt cùm conſurrexiſſet Paleſthinus vt proficiſceretur, congrederetúrque cum Dauide, feſtinauit & Dauid, & cucurrit in conflictum obuiam Paleſthino.* Et in Schol. *congrederetúrque.*] Hebraïſmus, *& accederet in occurſum Dauidis*, id eſt, accederet contra Dauidem. *Cucurrit in conflictum.*] id eſt, prodijt in medium certaturus cum ipſo. Romana editio Latina ſeptuaginta Interpretum, *Et ſurrexit alienigena, & iuit in occurſum Dauid.* In aliquot libris, inquit Nobilius, ſequitur, Καὶ ἐπῆλθον Δαυὶδ· καὶ ἐτάχυνε (Complutenſis, καὶ ἐξῆλθε καὶ αὐτὸς) εἰς τὴν παράταξιν εἰς συνάντησιν τοῦ ἀλλοφύλου, *Et feſtinauit Dauid, & cucurrit* (Complut. *& exijt etiam ipſe*) *in aciem in occurſum alienigenæ.* Ita Nobilius, qui *congreſſum* potiùs legere debuit. Aldus verò legit, εἰς ἀπάντησιν, *in occurſum.*

Verſu 49. *Et circumducens percuſſit Philiſthæum in fronte.*] Pagninus, & Vatablus Laurent. non agnoſcunt illud *circumducens*, ſed abſolutè legunt, *& percuſſit Philiſthæum*, ſicut & Græci. Attamen Vatablus Salmant. ad Vulgat. accedit. *Fundamque*, inquit, *contorſit, ferijtque Paleſthinum in fronte eius.* Chaldæus quoque, *Et tulit inde lapidem, & conuoluit, & percuſſit Peliſthæum ſuper domum oculorum eius.* Reliqui *frontem* exponunt. *Peram*, vt ſuprà, nonnulli *peram*, alij *vas*, aut *inſtrumentum paſtorale* vocant. *Et infixus eſt lapis in fronte eius.*] Ita Pagninus, & Vatablus Laur. Chaldæus, *Et infixus eſt lapis in domo oculorum eius, & cecidit ſuper naſum ſuum ſuper terram.* Alius quidam, *& immerſus eſt lapis in fronte eius*, id eſt, altiùs infixus, ea facilitate qua fuiſſet in aquas immerſus. Græci, Καὶ διέδυ ὁ λίθος ἐπὶ τὸ μέτωπον αὐτοῦ, καὶ ἔπεσεν ἐπὶ πρόσωπον αὐτοῦ ἐπὶ τὴν γῆν. Ita Complut. *& infixus eſt lapis* (Aldus addit, διὰ τῆς περικεφαλαίας, *per caſſidem*) *in fronte eius, & cecidit, &c.* Vatablus in Schol. *In fronte.*] id eſt, in parte inermi. eretexerat enim partem illam galeæ quæ tegit frontem. Vel, in parte armata, id eſt, cuius arma non potuerũt reſiſtere ictui lapidis.] Deus, inquit Varro, oculorũ orbes concauis foraminibus concluſit, à quo foratu frons nominata eſt.

Tom. II.

A *Cùm ergo ſurrexiſſet Philiſthæus, veniret, & appropinquaret.*] Hoc loco Theonis penicillo opus eſſet. Militem in hoſtem impetum dantem pinxerat, quem his coloribus Ælianus deſcribit libro ſecundo Var. hiſtor. capite quadrageſimo quarto, Equidem diceres eum inſanire, quaſi ex Marte furore correptum. Toruum vident oculi: armis ſumptis videtur, quantum pedibus conniti poteſt, in hoſtes impetum facere. Inde ſcutum protendit, & ſtrictum vibrat gladium, cædem cupienti ſimilis, oculis ad occidendum ſpectantibus, & minabundus toto habitu ſe nemini parſurum. Neque ante Theon hanc imaginem in theatrum dedit, quàm tuba claſſicum infremeret: quo pacto attectis animis, totus bellum ſpirare viſus eſt. Cvm ergo, &c. Ælianus Icon militis in prælium euntis.

B Nec ſegnior Dauid. nam is quoque toto conatu ad pugnam cucurrit. *Feſtinauit Dauid.*] Aliud eſt *properare*, aliud *feſtinare*. Qui vnum quid maturè tranſigit, is *properat*: qui multa ſimul incipit, nec perficit, is *feſtinat*. Gellius ex Catone libro vigeſimo primo, capite decimoquarto. Diſcriminis huius rationem non habuit Interpres noſter. Hoc ſolùm notauit, concito gradu, ac pernici curſu in hoſtem irruiſſe. Gellius.

Tulitque vnum lapidem.] At verò Antiphanes Comicus, vt Suidas autor eſt, pomo percuſſus interijt. Funditores Rhodij, vt tradit Xenophon libro tertio expedit. Cyri Minoris, plumbeis glandibus vtebantur. Dauid lapidem intorſit, nec qualem olim Minerua apud Pauſaniam in Bœoticis, quo ictus Hercules in ſomnum ſolutus eſt. Lapidem hunc σωφρονιστῆρα vocat, quaſi reſipiſcendi autorem: ſed hîc Goliath purpurea C mors obtigit, non pœnitentiæ locus datus eſt. Meminit Solinus cap. 4. Alectorij lapidis, cryſtallina ſpecie, in modum fabæ, qui in gallinaceorum ventriculis reperitur. Fertur hîc pugnantibus conciliare victoriam. Sed hoc Dauid non indiguit, cùm ſit vis numinis longè potentior, qua Dauid ictum librabat in gigantem. Xenophon. Pauſanias Lapis reſipiſcentiæ. Solinus. Lapis alectorius.

Et circumducens percuſſit Philiſthæum.] Semper adſueſcendum eſt, inquit Vegetius, vt ſemel tantùm funda circa caput rotetur, cùm ex ea emittitur ſaxum. Atqui ter contorquet Mezentius apud Virgilium libro nono Æneidos. Vegetius.

Stridentem fundam poſitis Mezentius armis,
Ipſe ter adducta circum caput egit habena:
Et media aduerſi liquefacto tempora plumbo.
Diffidit, ac multa porrectum extendit arena. Virgilius.

D *In fronte.*] Narrat Herodotus libro nono, Maſiſtium, ducem equitum Perſicorum, cùm lorica ſeptus vndique alia corporis parte violari non poſſet, confoſſo oculo interijſſe. Non igitur ſimili vulnere vt Achilles occubuit, talo ſaucius à Paride. Mox illum purpurea mors occupat. Quam ſic vocant Poëtarum principes, non tam quòd cruore illa tincta ſit, quàm quòd vno vulnere interimit. Inde ducta metaphora, quòd qui purpuras in mari piſcantur, vno ictu eas conficere ſtudent, vt inde præſtantius βάμμα profluat. Herodotus. Mors purpurea.

Et cecidit in faciem ſuam.] Confeſtim corruit. Septuaginta, καὶ ἔπεσεν ἐπὶ πρόσωπον. Suidas in κεφαλῆς, ὁ δὲ Δαυὶδ βάλλει ἐπὶ τὸν Γολιὰθ εἰς τὸ μέτωπον, καὶ διῆλθεν ἕως τοῦ ἐγκεφάλου. ὡς δ' αὐτὸς κατηνέχθη, πεσὼν ἐπὶ Suidas.

TVLITQ; LAPIDEM, &c. τὴν ὄψιν. Dauid autem lapidem iecit in Goliathi frontem, & ad cerebrum vſque penetrauit lapis, adeò vt confeſtim capite grauatus, in faciem prociderit. Ita Suidas. Latè per terram proſtratus, & quaſi per tubos ſanguinem fundens, inquit Philoſtratus in Pyrrho, ſiue Miſis:
Philoſtrat. μόνον ὑποδείσας τὴν πληγὴν τῷ πτώματι, διὰ τὸ εὔκαιρον τοῦ τραύματος, cùm tantùm non lapſu plagam anteuertiſſet, propter opportunam vulneris impreſſionem.

Et cecidit in faciem ſuam ſuper terram.] Virgil. Æneidos nono:

collapſa ruunt immania membra.
Virgilius. *Dat tellus gemitũ, & clypeũ ſuper intonat ingens:*
Qualis in Euboico Baiarum littore quondam
Saxea pila cadit, magnis quam molibus, &c.

Corruentis deſcriptio. Sed hæc profectò pictura illuſtrior quàm blaſphemus mereatur. Altera magis conueniet, quam habet Claudianus lib. 2. in Eutropium.

Sternitur, & pingui ſuſpirat corpore moles
More ſuis, dapibus quæ iam deuota futuris
Turpe gemit, quoties Hoſtus mucrone corruſco
Armatur, cingitque ſinus, ſecũmque volutat,
Quas figat verubus partes, quæ fruſta calenti
Mandet aquæ, quantòque cutem diſtendat echino:
Flagrat opus, crebro pulſatus perſtrepit ictu.

Tria in hoc certamine obſeruãda. Porrò in congreſſu Dauidis cum Philiſthæo tria obſeruanda ſunt. Primùm, qua ratione cum eo conflixerit. Deinde, quomodo ad eum occidendum vſus ſit ipſius armis. Poſtremò, tam inſignem Dei bonitatem non eſſe tradendam obliuioni. Quod ad primum attinet, Goliath ita prouocauerat Dauidem: *Veni ad me, & ego dabo carnes tuas volatilibus cæli.* Poſtea tamen incenſus Dauidis oratione, mutauit conſilium, atque vltrò in eum irruit. Id Dauid cùm animaduertiſſet, non putauit expectandum eſſe, dum veniretur ad manus; nam alioqui nulli vſui futura erat funda. Itaque expedit lapillum, & vno ictu illum ſternit. Illud opus tribus de cauſis videri poteſt admirabile. Primùm enim, qui funda vtuntur, videntur magni artifices, ſi poſſint ſcopum etiã fixum & ſtantem attingere. Dauid autem ſcopum vagum, & mobilem non tantùm attingit, ſed etiam euertit. Deinde mirum erat, potuiſſe eum vno ictu ferire frontem. At ſi galeam perfregit, quæ ſententia eſſe videtur ſeptuaginta Interpretum, magis etiam mirum erat. Sin ille fronte aperta fuerit, magnum tamen fuit, eam primo ſtatim iactu ita certò potuiſſe attingere. Poſtremò, mirum etiam fuit, tantam molem vno lapillo potuiſſe conſopiri. Sed Deus ipſe librauit ictum. Is enim non eſt otioſus in caſtris. imò tela quæ iaciuntur, niſi Deo deſtinante nihil poſſunt. In lib. Iudicum, muliercula ex arce lapide percutit, & interficit Abimelec. Fuit illud Dei conſilium, vt impius, & ſanguinarius tyrannus illo pacto tolleretur. Achab mutauit habitũ, ne agnoſceretur. Tamen Deus telum emiſſum in incertum ita rexit, vt Micheę prophetia exitum ſortiretur. Sed dices, mirum eſſe, hominem tam grandem vno lapillo potuiſſe interfici. Erat quidem res mira. Fateor. Sed cogitare debes, Samgar ſtimulo bouis, inſtrumento haud ita commodo ad cædem, occidiſſe trecentos viros; & Samſon maxilla aſinæ interfeciſſe mille Palæſtinos. Quiduis enim eſſe poteſt pro telo, ſi Deus velit. Lapis quidem non erat tanti ponderis, quanti ille Turni, quem Virgilius deſcribit, vix ab octo viris ſtrenuis potuiſſe tolli. Sed ea erat fabula: hæc autem res geſta. Leuis quidem erat lapis ipſe: ſed pondus addebatur à Deo. Ita Euangelium videtur res leuis, & parui momenti, quod Dominus ipſe cum minuto ſemine comparat. Tamen Paulus illud appellat potentiam Dei. Contrà, res quæ videntur potentiſſimæ, ſi Deus illis ſemel detraxerit vim ſuam, momento corruunt. Quid leone ferocius? Tamen aſſidente Daniele nihil mitius. Quid igne potentius? Tamen in tres pueros nihil potuit. Verbum Dei videtur res vilis & contemnenda: tamen cùm iacitur funda Spiritus ſancti, tantùm habet virium, vt ſubigere poſſit orbem terrarum.

TVLITQ; LAPIDEM, &c.

Allegoria.

Inſtructus quidem erat Goliath optimis armis. Vti tamẽ illis non potuit. Antè ſtratus eſt quàm inciperet pugnare. Itaque S. Auguſtinus in 4. Sermone de Verbis Apoſtoli, Qui de ſeipſo præſumit, inquit, antè proſternitur quàm pugnet. Eſt ea aurea planè ſententia, nec tantùm in ſpirituali bello, ſed etiam in ciuili certamine plerunque vera. Nam qui contemnit hoſtem, ſæpè vincitur ante pugnã. Iulianus Apoſtata cùm incredibili odiò ferretur in Chriſtianos, minatus eſt ſe parta victoria de Perſis, prorſus deleturum vniuerſam illam ſectam Galilæorum. Sed ille occidit in acie; & iſtæ minæ abierunt in nihilum. Achab minatus eſt ſe ablaturum eſſe caput Micheæ Prophetæ, ſi rediſſet ex acie incolumis. Sed occubuit in pugna, & nihil potuit. Quid blaſphemus Nicanor, quid Antiochus ſuperba iactantia conſequuti fuerint, refert hiſtoria Machab. Quare ſi videamus nos eſſe in anguſtijs, non debemus cadere animis, ſed potiùs ita cogitare: Potentes quidem ſunt hoſtes: ſed Deus multò eſt potentior. Magnæ ſunt noſtræ anguſtiæ: ſed maior eſt latitudo diuini auxilij. Succurrat etiam, Deum deijcere ſuperbos: & humiles ac deiectos attollere.

S. Auguſt. Iactantia & hoſtis contẽptus plerũq; victoriã eripit.

Cur autem Deus ita faciat, multæ ſunt cauſæ: vna ab œconomia. Nam ſi magna pergerẽt perpetuò creſcere, poſtremò omnia occuparent, & teneri non poſſent. Et ſi parua & humilia perpetuò attererentur, poſtremò abirent in nihilum. Deus autem vult in rebus æqualitatem aliquam retineri. Altera cauſa eſt hæc: Id iuuatur ab aliquo, quod ad illud proximè accedit: vt id ab igne maximè calefit, quod proximè accedit ad ignẽ. Coniungimur autem cum Deo, non loco, aut phyſico contactu: ſed fide, & pietate. Diuites verò ſæpè fidunt diuitijs ſuis, & multa habent, quibus auferri poſſint à Deo. Fiducia autem tantò minus collocatur in Deo, quantò magis collocatur in diuitijs. Tertia cauſa eſt, quòd Deus hoc pacto maximè oſtendit ſapientiam, & potentiam ſuam. Attollere enim potentem quiuis poteſt. Eum autem euertere ſolius eſt Dei. Hominem deiectum opprimere, non eſt ita magnum. Sed eum attollere, & in ſublimi collocare, diuinæ cuiuſdam potentiæ eſt. Non ergo debemus exterreri magnitudine, & potentia hoſtium.

Quamobrẽ Deus elatos deprimat, attollat humiles.

Cvmqve gladivm &c.

Versvs L.

Præualuitque Dauid aduersum Philisthæum in funda & lapide, percussúmque Philisthæū interfecit. Cúmq; gladium non haberet in manu Dauid;

Versvs LI.

Cucurrit, & stetit super Philisthæum, & tulit gladium eius, & eduxit eum de vagina sua, & interfecit eum, præcidítque caput eius. Videntes autem Philisthijm, quòd mortuus esset fortissimus eorum, fugerunt.

Variæ trāſlat.

Totus hic versus quinquagesimus abest à Roman. edit. Lat. Septuag. Interpr. Complutenses tamen, & Aldus legunt, Complutenses, Καὶ ἐκραταιώθη; Alius, Καὶ ἐκραταίωσε Δαυὶδ ὑπὲρ τὸν ἀλλόφυλον ἐν τῇ σφενδόνῃ καὶ τῷ λίθῳ ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ. Καὶ ἐπάταξεν τὸν ἀλλόφυλον, καὶ ἐθανάτωσεν αὐτόν, καὶ ῥομφαία οὐκ ἦν ἐν τῇ χειρὶ Δαυίδ. *Et inualuit Dauid super alienigenam funda & lapide in die illa, & percussit alienigenam, & neci eum tradidit, & gladius non erat in manu eius.* Vatablus Salmant. *Superiórque euasit Dauid Palesthino funda & lapide, ferijtque Palesthinum, interfecitque eum, quum non esset gladius in manu Danidis.* Et in Schol. *Lapide.*] quem scilicet primùm eduxerat è pera.

Versu 51. *Et stetit super Philist.* Græci, Καὶ ἔστη ἐπ' αὐτόν. Complut. *Et stetit super eum.* Roman. edit. *Et ascendit super eum. Quòd mortuus esset fortissimus eorum, fugerunt.*] Chaldæus, *Quòd mortuus est robustus eorum, & verterunt.* Græci, ὅτι τέθνηκεν ὁ δυνατὸς αὐτῶν, καὶ ἔφυγον. Complut. *Quòd mortuus est fortis,* Roman. *Potens eorum, & fugerunt.* Vatablus Salmant. *Quòd mortuus esset gigas eorum, fugerunt.* Hebraicè, seu *fortis*, seu *potens*, κατ' ἐξοχὴν intelligitur. Vnde non immeritò *fortissimum* Vulgat. exposuit. Hebraicè גבורם *giboram.* Porrò גבור *ghibbor* Hebræis, *fortis, potens, heros, gigas, bellica virtute & autoritate præditus.* Genes. cap. 6. versu 4. quo loco nos habemus, *Isti sunt potentes à seculo, viri famosi:* Græci legunt, οἱ γίγαντες. Vtitur autem Scriptura hoc loco eodem nomine.

Cúmque gladium non haberet Dauid, tulit gladium eius.] Hoc etiam postea à Sacerdote recepto in bellis vsus est. Sic quoque Iudas Apollonij, 1. Machab. cap. 3. Sic Iudith Holofernis caput ense proprio execuit. Narrat Herodotus libro quarto, Scythas, cùm ligno careant, victimarum ossibus earum carnes excoquere. *Et interfecit eum.*] Quomodo eum nunc occidit, quem occiderat antea? Eum antea euerterat ictu, & penè occiderat, seu letali vulnere prostrauerat. Itaque Iosephus ait, Goliath ex illo vulnere tantùm fuisse consopitum. Credet qui volet: nam Scriptura asserit, lapidem fronti infixum fuisse. Interim Dauid nunc gladio perficit facinus, eumque prorsus dedit neci. Non patitur Dauid hostem deiectū viuere. Id enim

Herodot.

Videntes qvod, &c.

fuisset exitiosum, si illi pepercisset, quem Deus
A volebat extinctum. Nam propheta respondit Regi Israël, cùm dimisisset è manibus Benadab Regem Syriæ, *Anima tua erit pro anima illius.* Et Deus in Exodo ait, Si Iudæi reliquissent Palæstinos superstites in terra Chanaan, illos fore tanquam spinas, & tribulos in oculis eorum. Atque ita euenit. Cùm enim illos maluissent esse tributarios, ex eo consequuta sunt infinita mala.

S. Gregor. Turon.

Videntes quòd mortuus esset fortissimus eorum, fugerunt.] Francis olim contrà accidit, vt autor est S. Gregorius Turon. lib. 3. Nam Rege Clodomiro cæso dum incautus in agmen infestū incurrit, Franci viso obtruncati capite tanta ira exarserunt, vt hostilem Burgundionum exercitum cum Rege Godomaro profligarent. Pæo-
B nes item, vt scribit Herodotus initio lib. 5. cùm à Perinthijs ex prouocatione ternis singularibus prælijs victi essent, viri scilicet cum viro, equi cum equo, canis cum cane, irritati, atque in pæana canentes infestis signis delati, eos penè internecione deleuerunt. At nostri Palæstini, cùm Goliath occubuisset, statim se conijciunt in fugam. Hoc est ingenium impiorum: statim vbi aliquid præter opinionem accidit, desperant de Deo, & animos abijciunt. Isti omnem suam spem locarant in brachio carneo. Nos autem nostram fiduciam debemus in nulla re creata constituere. Palæstini fugiunt. Hìc apparet illorum perfidia. Nam Goliath antea illorum nomine tulerat conditiones, vt si ipse victus esset, Palæstini seruirent Israëlitis. Nunc autem non dedunt, aut subijciunt se, sed fu-
C giunt in præsidia. Si videamus florere impios, non debemus animo succumbere, aut ea causa deflectere ad impietatem. Quæcunque enim erunt exordia fabulæ, catastrophe erit bona. Aliæ enim sunt res piorum, aliæ impiorū, siue principia spectes, siue fines. Nam pij sæpe initia habent dura, sed exitus lætos, & optabiles. Impij verò initia habent felicia: sed exitus semper calamitosos. Palæstini canunt *Hymnum* non tātùm ante victoriam, sed etiam ante pugnam. Sed statim victi, & disiecti profligantur. Iudæi ex summa desperatione repentè fiunt victores. Vnde est in rebus humanis tanta conuersio? Philosophi aiunt, eam esse naturam contrariorum, vt alterum post alterum consequatur. Sit ita. Sed quis ita instituit, vt ea se mutuò exci-
D perent, aut vt hac occasione, hoc tempore, hoc loco magis, quàm alio euenirent? Ita velint, nolint, coguntur postremò rerum habenas Deo permittere.

Diuersi fines piorū atque impiorū hominum.

Versvs LII.

Et consurgentes viri Israël & Iuda vociferati sunt, & persequuti sunt Philisthæos vsque dum venirent in vallem, & vsque ad portas Accaron, ceciderúntque vulnerati de Philisthijm in via Saraim, & vsque ad Geth, & vsque ad Accaron.

Versvs LIII.

Et reuertentes filij Iſraël poſtquam perſequuti fuerant Philiſthæos, inuaſerunt caſtra eorum.

Versvs LIV.

Aſſumens autem Dauid caput Philiſthęi, attulit illud in Ieruſalem: arma verò eius poſuit in tabernaculo ſuo.

Varię trãſlat. VErſu 52. Vatablus Salmant. *Surgentes itaque viri Jſrael & Iuda, clamore illico inſequuti ſunt Paleſthinos, donec venias in vallem, & vſque ad portas Accaron, ceciderúntque vulnerati ex Paleſthinis in via Saarim, vſque ad Gath & Accaron.* Et in Schol. *in vallem.* id eſt, vſque ad introitum vallis in qua ſita erat Accaron. *Vociferati ſunt.*] Chaldæus, *& iubilauerunt.* Septuaginta. Καὶ ἠλάλαξαν. Complut. & Rom. *& vociferati ſunt.* ἀλαλάζω, Græcis idem quod *iubilo, exulto.* ἀλάλαγμα, ſtrepitus ſiue clamor ille, qui editur in concurſu acierum. Vegetius barritum vocat. Hebraicè ſcriptum eſt, וַיָּרִעוּ *vaiarighou*, à verbo רוע *roagh*, quod eſt, magnam vocem edidit, ore, tubis, aut etiam alijs inſtrumentis: vel præ gaudio, vt vincentes: vel præ dolore ſeu luctu, & victi in bello: vel denique in terrorem hoſtium, ad terrendum ſeu turbandum hoſtem. Horum exempla theſauri plures linguæ ſanctæ abundè ſuppeditabunt. *Vſq; dum venirent in vallem.*] Chaldæus, *vſque ad introitum Gia.* Græci, ἕως τῆς εἰσόδου Γέθ, *Vſque ad ingreſſum Geth.* Deinde Complutenſes, Καὶ ἕως τῆς πύλης Ἀκκαρὼν, *Et vſque ad portam Accaron.* Aldus, Καὶ ἕως τῆς πύλης Ἀσκάλωνος, *Et vſque ad portam Aſcalonis.* In via Saraim, &c. Chaldæus, *in via Segharim, & vſque Gath, & vſque Ghekron.* ſiue *Accaron.* Arias, *in via duarum portarum, & vſq; Geth, & vſque ad Hecron,* ſiue Accaron. Poſterius hoc *Geth*, Hebraicè גת *Ghath*, ſiue *Geth* ſcribitur, éſtque nomen primariæ vrbis Paleſthinorum: at ſuperiore loco, quo *Geth* quoque Septuaginta interpretati ſunt, Vulgata *vallem* cum pleriſque alijs interpretibus, non גת *Gath*, ſed גיא *gai*, legimus exaratum. גיא *gai* porrò, ſiue גיא *Gaie*, & א. abiecto גי *gai* & גי *gei*, *vallem* D ſignificat: vnde & *gehenna* nomen deductum, quòd eſſet is locus teterrimus, *vallis hinnom*, Hieroſolymæ vicina. Quidam aliter exponit quàm precedentes: *vſque quà is per vallem.* i. per iter totius vallis, cuius meminit ſup. verſ. 3. Eſt autem *Saraim*, oppidum in finibus Iudæ, de quo Ioſue 15. 36.

Verſu 53. Pagninus, *Et reuerſi ſunt filij Iſrael à perſequendo* (Arias, *ab ardendo poſt*) *Peliſtim, & diripuerunt caſtra eorum.* Græci, Καὶ ἀνέστρεψαν ἄνδρες Ἰσραὴλ ἐκκλίνοντες ὀπίσω τῶν ἀλλοφύλων, *Et reuerſi ſunt viri Jſrael declinantes poſt Philiſthijm:* mox Complutenſ. Καὶ κατεπάτησαν τὰς παρεμβολὰς αὐτῶν. *Et prædati ſunt caſtra eorum.* Aldus, Καὶ κατεπάτουν τὰς παρεμβολὰς αὐτῶν. Rom. tranſlat. *& conculcarunt caſtra eorum.* Verſu 54. *Arma verò eius.*] Arias, *vaſa.* Græci, τὰ σκεύη αὐτοῦ *vaſa eius.* trita phraſis. *Poſuit in tabernaculo ſuo.* Chald. *in tentorio ſuo.* Græci, ἐν τῷ σκηνώματι αὐτοῦ, *papilione ſuo.* Vatablus quidem cum Vulgata habet, *tabernaculo ſuo*, ſed in Schol. id eſt, inquit, *in domo ſua*, quæ erat in Beth-lehem. Iunius ad illud, *Accipiens Dauid caput Philiſthæi, detulit illud in Jeruſalem.* Non videtur, inquit, hoc ſtatim à victoria factum: ſed diu poſtea: tum fortaſſis quum arca Dei, ipſo iam rege conſtituto Ieruſalem tranſlata eſt, & ibi tentorium erectum, 2. Samuel, 6. 17. prolepſis eſt, vt Exodi 16. 33. *Arma verò eius depoſuit in tentorio ſuo*, id eſt, quod arcæ Dei tetenderat, ibidem, & 1. Paral. 15. 1. & ſequenti verſ. Vtrumque Iunij commentum mendacij facilè redargui poteſt. recipit enim gygantis gladium à Sacerdote, quo tempore profugus Saulem fugiebat: & veriſimile eſt dudum caput illud tabe confectũ fuiſſe, cùm Dauid arcæ apud ſe tentorium ſtatueret.

Et viri Iſrael, &c.

Hæretici mendacia.

Et viri Iſrael vociferati ſunt.] Deſcribit Appianus quibus inſtrumentis Parthi, prœliũ inituri, tonitru, & procellarum fragorem ſtudeant æmulari, optimè conſiderantes, inquit, quoniam ex omnibus ſenſibus auditus permaximè conturbat animam, & circa eam paſſiones excitat, & in primis omnium terret intellectum. Græcè hîc legimus, ἠλάλαξαν. Ἀλαλαγμὸς, ἐπινίκιος ὕμνος, Hymnus ob partam victoriam, vt docet Suidas: vel ſanè vox, quæ à confidentibus aduerſus timidos editur. Item ἀλάλαγμος vocis ſublatio. Dicitur & aliter ἐπιδουπῆσαι, interſtrepere, ſtrepitum edere. Sic Abari, inquit Suidas, horrendo atque inconditо ſonitu Romanos terrere ſtatuerant. Verùm illi admoniti, ſcutorum colliſione eoſdem imitati ſunt, ita vt potius ad pugnam incenderentur, quàm expaueſcerent. *Et perſequuti ſunt Philiſthæos.*] Hoc facere Lacedæmones lege patria vetabantur, ne hoſtes ſalutis ſpe abiecta, prælium ferocius inſtaurarent. Sed hoc ſcilicet Iudæis minimè verendum fuit, cùm Deus ipſe terrorem incuſſiſſet, qui à nullo abſtergi potuit. Sequitur direptio caſtrorum, & præda conceſſa militi.

Appianus. Barritus ad pugnã alacriores efficit.

Suidas.

Herod l. 9.

Aſſumens autem Dauid caput Philiſthæi, tulit in Ieruſalem.] Quod ad tertium attinet & poſtremum eorum, quæ antea obſeruanda diximus in Dauidis victoria: Dauid dicitur collocaſſe caput Goliath Hieroſolymis: arma autem eius in tabernaculo ſuo, hoc eſt, domi ſuæ. Ita enim Kimhi, & alij quidam Rabini exponunt: Dauidem arma illa habuiſſe apud ſe in Bethlehem. Nam in caſtris non habuit tabernaculum. Caput autem non ſtatim à victoria fixit Hieroſolymis. Primùm enim aduocatus eſt ad ad Saulem: Deinde illum circuntulit per pagos, & ciuitates, vt ſenes, pueri, & mulieres, & alij qui pugnæ non interfuerant, viderent monumentum rei geſtæ, & Deo gratias agerent. Poſtea caput illud collocauit Hieroſolymis, vt res ea eſſet omnibus, etiam poſteris conſpicua. Erat enim vrbs illa non obſcura. Hoc etiam fortaſſe Dauid ſequutus eſt, vt animi Iebuſæorum, qui adhuc arcem Hieroſolymitanam tenebant, conſpecto,

Kimhi & aliorũ Rabbin. interpretatio.

Et viri Israel, Quo loco arma à Dauide collocata fuerint Iudæorum quorundã opinio.

conspecto, & sub oculis posito tanto Dei erga Iudæos beneficio, consternarentur. Neq; verò credendum est, Dauidem his trophæis & titulis venditasse gloriam suam. Spectabat tantùm gloriam Dei, cámque extare, atque eminere, ab omnibusque conspici cupiebat. Non enim sua quærebat, sed Dei. A

Difficile verò est plenè intelligere id, quod de armis traditur. Post enim 21. cap. legimus, gladium Goliath fuisse in Nobe, & Sacerdotem illum Dauidi tradidisse, cùm fugeret Saulem. Quare non est verisimile eundem gladium fuisse in tabernaculo Dauidis. Ioseph Kimhi pater Dauidis, putat eandem esse ciuitatem *Hierusalem, & Nobe*: & vocem illam, *Nobe*, magis cognomen esse vrbis, quàm notam discriminis. Id Kimhi cùm narraret, fortasse patri suo aliquantulum deferre voluit. Id enim alioqui non potest vllo modo constare. Nam & in vndecimo cap. Nehemiæ, & 10. Esaiæ, *Nobe* disertis verbis seorsim numeratur à Hierusalem. Kimhi, vt dissoluat hũc nodum, distinguit gladium ab armis. Itaque putat arma Goliath fuisse in tabernaculo Dauidis, gladium autem in Nobe in tabernaculo Dei: idque vt homines, cùm vndique venirent sacrificaturum, conspecto gladio, agnoscerent Dei beneficium, & illi gratias agerent: deinde etiam animos suos confirmarent, Deum sibi in simili casu non defuturum. Sed objicies, gladium illum obuolutum fuisse pannis, neque à populo conspici potuisse. Responderi potest, illum aliquo tempore anni propositum fuisse, vt videretur: cætero fuisse tectum. B Verùm, quicquid est, hoc illis relinquamus. Sed hic apparet harum rerum pulcherrima distinctio. Versari enim solent homines aut in Republica, aut in templo, aut domi. In istis singulis locis Dauid aliquid esse voluit, quod à populo spectaretur: arma domi suæ, caput in ciuitate, gladium in templo. Neque nouum erat hoc factum Dauidis. Dominus enim in lege iussit partem aliquam mannæ conseruari, & virgam Aaron, & laminas quæ conflatæ fuerant è thuribulis. Nam eas iussit affigi ad altare, vt omnes intelligerent Deum esse vltorem violati Sacerdotij. Certè fides nostra ignaua sæpe est, & languet, & huiusmodi admonitionibus excitanda est. Hoc pacto Deus voluit virtutem Dauidis notam esse omni populo, & electionem, quam Samuel antè occultè celebrarat, omnibus patefieri, vt via aliqua sterneretur ad id, quod Deus destinarat.

Tropologia.

Versus LV.

Eo autem tempore, quo viderat Saul Dauid egredientem contra Philisthæum, ait ad Abner principem militiæ: De qua stirpe descendit hic adolescens, Abner? dixitque Abner: Viuit anima tua, Rex, si noui.

Versus LVI.

Et ait Rex: Interroga tu, cuius filius sit iste puer.

Versus LVII.

Cúmque regressus esset Dauid, percusso Philisthæo, tulit eum Abner, & introduxit coram Saule, caput Philisthæi habentem in manu sua.

Versus LVIII.

B Et ait ad eum Saul: De qua progenie es ô adolescens? Dixitque Dauid: Filius serui tui Isai Bethlehemitæ ego sum.

Saul cùm videret, Dauidem ita animosè & intrepide in hostem pergere, virtutem admiratus, Abner aduocat, & *Quis*, inquit, *est iste adolescens, vel quo satu editus?* Sed quomodo, inquit, potuit Saul nescire Dauidem, quem antea habuerat domi, cuius beneficio, & arte adiutus fuerat, quem creauerat armigerum, quémque petierat à patre? Quidam Rabbini respondent, Saulem nosse quidem Dauidem, sed iam tantùm interrogare de eius patre. Sed hoc non videtur conuenire cum historia. Saul enim miserat nuntios ad Isai: & ille vicissim munuscula ad eum remiserat. Quidam putant, cùm nuntij mitterentur, mentionem factam fuisse tantùm generatim de patre. Nihil autem Saulem intellexisse, nec quis ille esset, nec vbi habitaret. Ioseph Kimhi ait, Saulem, cùm videret tantam virtutem in Dauide, interrogasse, quo patre esset, hoc est, haberetne patrem bellicosum, vt, si ita esset, eius industriæ magis fideret. Cogitauerat enim illum præficere aliquot cohortibus. Alij aiunt: eum nosse quidem Dauidem: sed iam tantùm de eius tribu, aut familia percontari. Erant enim in vna tribu multæ familiæ. Scire ergo voluit ex qua stirpe, aut familia esset, quod eum iam habiturus esset generum. Alij putant Saulem sciuisse aliquando, & quis Dauid esset, & qua prosapia, quo patre esset, sed propter grauia negotia, & curas regni hæc omnia fuisse oblitum. Alij id tribuunt moribus aulicis. Ibi enim tam diu quisque agnoscitur, quàm diu gratiosus est apud principem. At si dimittatur ex aula, vt Dauid remittebatur ad pecudes, statim abit in obliuionem. S. Theodoretus, cuius denuò sententiam repetit, Procopius in hunc locum: Alterum duorum esse necesse est, ἢ ὅτι μεμηνὼς οὐκ ᾐσθάνετο τῇ κιθάρᾳ χρωμένου, vel quia furore percitus citharam pulsantem non sentiebat (Quinimò & sensit, & probauit, & armigerum suum illum constituit cap. præced.) Vel quia ὁ φθόνος αὐτὸν παρεκίνησεν ἀκριβῶς μαθεῖν ὅστις ἦν, inuidia stimulante, diligenter & accuratè cognoscere voluit, cuias & quisnam

Quo pacto Saul Dauidis stirpem inquirat, cùm dudũ illum nosset.

C

Ioseph Kimhi.

D

S. Theod

VIVIT ANIMA TVA, &c.

Heruetus.

esset. Theodoreti Græcum exemplar non habebam: sed credidi restitui posse ex Procopio: A Heruetus autem interpres Theodoreti in contrariam sententiam Saulis inuidiam hoc loco interpretatus est: Vel quia inuidia mouit eum ne exactè eum cognosceret. Quid si Rex contentus obsequio, non necesse habuit psaltæ genus agnoscere? Nunc verò postquam animi celsitudinem perspexit, & affinitatem pactus est, ortum & prosapiā cupidè inquirit. Nam quod nonnulli aiunt, agitatum malo spiritu, & melancholia laborasse, ac valdè turbatum esse, atque adeò mirum non esse, si in illa caligine Dauidem ignorarit: multi enim per furorem non dignoscunt ne parentes quidem suos: idcirco non fit mihi verisimile, quòd nonnunquam morbi vis remitteret, & placuerit Dauid in oculis eius, & ab eodem armiger delectus sit. B Sed nec Dauidem prius à Rege commeatū impetrasse arbitror, quàm ipse conualuisset. Quomodo enim tam necessarium medicum à se ablegasset, præsertim occasione belli, morbi causis ingrauescentibus? Inuidia etiam posteriùs Saulis pectus occupauit. Liberum tamen per me cuique erit, quam expositionem ex his omnibus malit sequi. Abner autem ignorasse Dauidem, non est mirum. Nam cùm perpetuò versaretur in castris, non potuit scire, quid ageretur in palatio principis.

Ritus solēnis iurandi per nomen & salutem Principis.

Viuit anima tua, Rex, si noui.] Scythæ, vt inquit Herodotus lib. 4. per solium regium iurant. Nabuchodonosor cap. 1. lib. Iudith, iurat per thronum & regnum suum. Apud Romanos olim obtinuit, vt iurarent per nomen principis. Horatius epist. 1. lib. 2. Augusto Cæsari C scribit:

Iurandásque tuum per nomen ponimus aras.

Posterioribus seculis non aras tantùm, quas dubium esse non potest ad idololatriam pertinuisse, sed iuramenta quoque ipsa prohibita legimus. Apud Ansegisum lib. 3. Capitular. cap. 42. Nullus præsumat per vitam Regis, & filiorum eius iurare. Maiores nostri quid ab initio nascentis Ecclesiæ sequuti fuerint, docet Tertullianus Apologet. cap. 32. Sed & iuramus, inquit, sicut non per genios Cæsarum, ita per salutem eorum, quæ est augustior omnibus genijs. Nescitis genios dæmonas dici, & inde diminutiua voce dæmonia? Nos iudicium Dei suspicimus in Imperatoribus, qui gentibus illos præficit. Id in eis scimus esse, quod Deus D voluit: ideóque & saluum volumus esse quod Deus voluit, & pro magno id iuramento habemus. Hæc Tertull. In eadem Pamelius: Quemadmodum initio Christianæ religionis fuit interdictum per genios Imperatorum deierare, ita permissum iuramentum per salutem eorum; quod tamen ipsum à Regibus Francorum Christianis prohibitum legibus, adnotauit Rhenanus, tum hoc loco, tum libro ad Scapulam. Certè inter leges Francorum antiquas Clodouei, Childeberti & Chlotarij (quas ms penes me habeo) cap. 6. Sic legitur, &c. eadem repetit quæ nos ex Capitul. Caroli Mag. protulimus. Quod ideo factum nonnulli interpretantur, ne per creaturas iuremus, quod à Christo vetitum

Ansegisus.

Tertull.

Pamelius.

nouimus Matthæi cap. 5.

VIVIT ANIMA TVA, &c.

Sunt qui negent hāc loquendi formulam ad iuramētum pertinere.

Atqui ne Iudæis quidem per creaturas iurare licuit, quibus omni superstitione haud secus quàm nobis interdictum fuit. *Iurabis*, inquit, *Viuit Dominus, in iudicio, & iustitia, & veritate.* Quid igitur sibi vult quod hic quidem Abner, post etiam cap. 25. Abigail; Daniel etiam, & alij plures, per salutem & vitam regum suorum iurasse videntur? Negant nonnulli hanc esse habendam iurisiurandi formulam, sed phrasim Hebraicam in iuramentis vsitatam. Habet autem formam bene precandi. Ita in iurando adhibere solemus interdum formas imprecationum: vt cùm dicimus, dispeream, si ita sit. *Viuit anima tua*, ergo nihil aliud est, quàm, Ita sis incolumis, ô Rex, & viuas. Notum est Græcorum πολυχρόνιον, imprecatio vitæ diuturnæ, quæ fiebat Imperatori Constantinopolitano. Pluribus id explicat Codinus, quæ retulit Meursius in Glossar. Græcobarb. Dicitur & ab eo πολυχρόνισμα, & actio ipsa πολυχρονίζειν. Erat autem acclamatio, siue potius imprecatio huiusmodi: πολυχρόνιον ποιήσῃ ὁ Θεὸς τὴν ἁγίαν βασιλείαν σου εἰς πολλὰ ἔτη. Plura etiam nonnunquam addebant Imperat. elogia. Sed hæc in liturgia duntaxat, & salutatione aliqua solenni obtinebant; at in processibus & acclamationibus, simpliciter dicebant, πολλὰ ἔτη. Nec Imperatoribus duntaxat, sed etiam Patriarchis hæc acclamabant, vt scribit Euagrius lib. 2. cap. 47. Nunc etiam illud satis frequens apud nos, vt reduci Principi, aut ciuitates ex interuallo visenti, populus in eas voces erumpat, Viuat Rex. Vsurparunt profectò etiam ipsi Iudæi, cùm primum Reges sacro oleo imbuerentur. His ego tametsi refragari nolim, & sic quoque potuisse fieri autumem, absit tamen vt vel hos, quorum suprà meminimus, vel etiam Iosephum violatæ religionis insimulem, tametsi is manifestè satis per salutem Pharaonis iurarit; nisi fortè non seriò tum esse loquutum suspicemur, cùm fratres exploratores assereret. Genes. cap. 42. Verùm seriò an ioco Ioseph fecerit & finxerit, vt nonnulli saltem timore sæuitiam fratrum suorum castigaret.

πολυχρόνιον Græcor.

Gloss. Græcobarb.

Euagrius.

S. Thom.

Iuramētorū duplex genus explicatur.

Docet S. Thomas 2. 2. quæst. 89. art. 6. duplex iuramentum posse constitui. Nonnunquam enim quæ asserimus, simplici numinis contestatione confirmamus: aliàs etiam, quo magis fidem faciamus, nos nostráque nonnulla execratione deuincimus. Posteriorem hanc iurandi formulam Apostolus disertis verbis exprimit 2. ad Corinth. 1. cùm ait: *Ego testem Deum inuoco in animam meam.* Ex quo manifestè patet, nisi aliunde superstitio adhæreat, nos iuramentum per eas res concipere posse, in quibus, si fidem fallimus, Dei iudicio multari punirique cupimus: tum enim propriè non earum rerum fidem obtestamur, qua studeamus orationi nostræ roboris aliquid addi: sed magis earum periculo, quas diuinæ vltioni addicimus, perfidiæ ac mendacij suspicionem abstergimus. Sic igitur qui per caput suum iurat, aut vitam, aut hæreditariam portionem felicitatis æternę, non is quidem superstitiosus habendus est, aut aliud quàm verum numen obtestari: sed ea lege atque omine cauere proximo, vt, si fidem fallat, his à Deo

 Deo priuetur. Sed oportet, vt ego quidem sentio, res in eius potestate sita sit, qui obnoxiam eam faciat. Nam proprijs fraudibus alieno cauere periculo, iniustum & inutile fuerit. Quo pacto igitur priuatus quisquam Regis vitam oppigneret? Respondeo Regem omnium esse, & incolumitatem eius ad vtilitatem communem spectare, & publica salute salutem priuatorum contineri. Quare cùm ad singulos Regis salus & incolumitas pertineat, & eo pereunte priuatorum commoda in summum discrimen adducantur, qui per Regis salutem aut vitam iurant, hæc mihi dicere videntur: Si non verè & ex animo quæ à me prolata sunt asseuerem, caream præsidio regalis prouidentiæ: & ijs difficultatibus implicer, quibus non rarò ciues occumbente Principe conflictantur.

Altera species iuramenti declaratur. Quod si iuramentum simplex numinis contestatio fuerit, tum illud diuinæ veritatis testimonio nititur. Deus porrò ipsa est veritas, vt sapienter admonet Imperator apud Ansegisum lib. 1. Capit. cap. 63. Capitular. Car. Mag. Sunt, inquit, aliqui qui per charitatem & veritatem iurant, & cauent sibi à iuramento nominis Dei, & nesciunt quod idem est Deus, quod est charitas & veritas, dicente Ioanne Apostolo, *Quia Deus charitas est*. Item ipse Dominus in Euangelio, *Ego sum via & veritas*. Ideo qui in veritate & charitate iurat, in Deo iurat.] Cæterùm eadem veritas non in ipso solùm, qui talis est, sed eiusdem quoque beneficio in nonnullis creaturis clariùs elucet. Quo pacto liceat per salutẽ principis iurare. Hanc igitur qui sic obtestatur, vt non rei creatæ, quæ vanitati subiecta est: sed autoris potius beneficij rationem habeat, nihil alienum facit ab officio: sed Deum ipsum in suis muneribus veneratur & colit. Quare non temere per sancta Euangelia iuramus: quoniam verbum illius est: aut etiam per Sanctos, quos dicere possimus viua Dei Euangelia; aut etiam maiestatem Principum, per quos ipse inferiorem hunc mundum regit & gubernat. Si quis tamen in illis sistat, quomodo fecisse Romanos haud ambigo: & eum honorem non Deo, sed creaturæ habere se intelligat, tum is verè idolorum cultor & prophanus habendus est. Quæ omnia ita constare velim, vt tamen minimè inficier, plerisque Scripturæ locis eam phrasim ad consuetum salutandi morem referri posse.

Allegoria. Postremò scire debemus, Dauidem adumbrasse in se typum seruatoris nostri Christi. Itaque in omni hac historia oculi referendi sunt ad archetypum. Dauid missus est ad castra: ita Christus missus est ad humanum genus. Dauid venit ad iuuandos fratres suos: Christus ad liberandos homines, qui iam perierant. Dauid vsus est funda, & armis leuissimis, & in speciem contemnendis: Christus vsus est cruce, ignominia, morte. Dauid impediebatur à fratribus: ita Christus à suis. Dauid vicit, non sibi, sed populo: ita Christus non sibi, sed humano generi. Post hanc victoriam Dauid factus est rex: Christus post victoriam suam ascendit in cælum, & regnat ad dextram patris.

De singulari certamine.

QVÆST. XXIX.

DE singulari certamine plures scripserunt. Inter recentiores Alciatus Iurisconsultus de eo librum edidit. Alciatus. Nonulli præterea quorum antea fecimus mentionem. Sed hi ferè initio librorum suorum rem damnatam esse præfantur: quoniam tamen toleratur inter principes, idcirco se dare consilia, quemadmodum ea sit vtendum. Vt si disceptaretur de arte meretricia, omnes statim faterentur, rem eam esse flagitiosam, & damnatam. Sed quoniam in multis rebuspublicis toleratur, se velle monere, qua moderatione ea sit vtendum. Sic igitur hi quoque leges duello præscribunt, partim petitas ex consuetudine, partim ex antiquis Principum constitutionibus, qui aut Iuris ignorantia monomachiam edictis suis statuerunt, aut necessitate coacti, vt ipsi loquuntur, vt declinandi maioris periculi gratia permiserunt: sceleris licentiam quibus possent æquitatis terminis circunscribentes, ne passim fureret, & nullo discrimine baccharetur in cædibus. Antonius Mirandulanus accuratè rem totam à principio complexus est, & rationum momenta diligenter expendit, Antonius Mirandulanus. quantùm ex eius defensione intelligere potui: sed inde mihi quicquam in hos commentarios deriuare non licuit, quod librum minimè nactus sim. Nuperrimè Sauaro idem argumentum Gallica eloquentia illustrauit: Sauaro. cuius hæc ferè tela sunt, quibus *singularem hunc ferum* (nam eo nomine monomachiam nobilitat ex Psalm. 79. vers. 14.) conficere atque expugnare studuit.

Quod nullo iure duellum probari possit.

Non planè naturali.] Nam à natura ad alendam mutuis officijs societatem instituti sumus, quam singulare certamen lacerat, dum singulis perniciem molitur. Naturæ iure duellum prohibetur. Quare qui ad certamẽ prouocat, naturæ hostis habendus est. Nec si prouocatus quidem fueris, innocens tibi videbere. Nam si à culpa alienus es, cur innoxium obijcias periculo: si reus & nocens, cur illi qui culpa vacat tentes vitam eripere? Iniussu Imperatoris nefas est de statione decedere. Quid si tu quidem stationem serues, alium autem de sua deijcias, an scelus admisisse negabis? Statio quædam vita nostra est, in qua Dei autoritate collocati sumus. Hanc deserit, quisquis moritur. Siue igitur perduellem interimas, siue tu ipse mortem opperas, statio deseritur: nec probare potes diuina autoritate factum. Quis igitur te à scelere vendicet? Nec verò leue crimen ea temeritas habenda est. Nam vitæ necisque potestas ad caput, vt aiunt, maiestatis attinet. Deum porrò, si naturam spectes, non negabis opinor in res creatas summum imperium obtinere. Vnde, Si quis priuata autoritate hominem è medio tollat, læsæ maiestatis diuinæ accusari posse videtur. Argumenti vis in eo sita est, quod qui aliàs hominem obtruncat, cædis reus est, &

De singulari certamine.

violatæ legis arcessitur: Sicarius porrò de iure non contendit, sed se contra leges & officium facere autumat. At qui duello experiri statuit, nouum sibi ius arrogat: & tanquam tribunali posito se litis iudicem, atque iniuriæ legitimum vindicem constituit. Hoc porrò affectati regni manifesta significatio est. Quo pacto non immeritò poterit duellator imminutæ maiestatis damnari. Quid si hoc quoque spectes quod ex Scripturis didicimus, hominem esse numinis imaginem, Deum verò hominis prototypum? Verùm hoc postremum monomachia habet commune cum reliquis cædibus.

Diuino iure singulari certamine interdicitur.

Non etiam diuino. Nam *Non occides, ait.* Duelli porrò finis est cædes. Disertis autem verbis singulare certamen prohibetur Exodi cap. 21. vers. 22. Quo loco tametsi *rixari* Vulgatus interpretetur, satis tamen apparet de monomachia legem scribi, quando cædis damnatur qui interfecerit: qui vulnus inflixerit, datum damnum sarcire iubetur. Quinimo *rixa* cùm inter duos coorta est, duellum parit: non enim illa à manibus temperat.

Rixa quæ dicatur.

Si rixa est, (inquit Iuuenalis) *vbi tu pulsas, ego vapulo tantùm?*

Quinimò *rixa* propriè monomachia est. Hebraicè נצה *natsah* pugnare, inuolare in aliquem significat. Septuag. verterunt, ἐὰν δὲ μάχωνται δύο ἄνδρες, *Si pugnauerint duo viri.* Quid hoc esse nisi duellum possit? Idem iterum repetit Deuter. cap. 25. vers. 11. Quare dubium esse non potest quin id quoque lege diuina sit vetitum.

Non Euangelico. Non enim *soluere legem Christus venerat, sed adimplere.* Itaque proximum iubet vnumquemq; diligere sicut seipsum. quinetiam inimicos præcipit amore complecti, & eos beneficijs prosequi, qui nobis perniciem moliantur: odisse autem quemquam vetat, non occidere, non verbo tenus violare permittit. Imperat denique, si quo salutis nostræ studio teneamur, ijs, qui nos læserunt, iniuriam ex animo condonemus. Iam verò qui iræ non indulget, quomodo à duello non abhorreat?

Ecclesia quoq; Monomachiā damnat.

An fortè Ecclesiastico? Absit. Nam decretis quoque Conciliorum, Summorúmque Pontificum Constitutionibus, Monomachia seuerè interdicta est. Meminit Concil. Turon. Valentini, Lateranensis & Tridentini: Constitut. autem Pontifical. Nicolai I. Iulij II. Leonis X. Clementis VII. Pij IV. Gregorij XIII. & Clementis VIII. Obijci poterat, quod Alciatus refert, & laudat cap. 3. lib. de singul. certamine Carolum Andegauensem, & Petrum Tarraconensem, cùm de regno Siciliæ inter se contenderent, Martini quarti consensu pepigisse, vt armis ipsi concurrerent, & vter eorum victus esset, Insula decederet. Id quod habet etiam Hotomanus de Feudis cap. 45. Vinierus in sua Bibliotheca 1285. Postremò etiam Duchenius tom. 2. de vitis Pontif. in Martino 4. Nec hactenus Scriptores finxisse contenti, etiam hoc addunt: idcirco Petro Tarrac. à Pontifice sacris interdictum, quod pactis conditionibus minimè stetisset, nec certaminis aleam subire voluisset. Verùm his contraria docet Bzouius tomo 13. Annal. Ecclesiast. Pontificem temera-

Historicorum lapsus in Martino IV.

Bzouius ad Ann 1282. Numer. 1.

ria Principum pacta rescidisse, & singulare certamen prorsus inhibuisse; quo genere pugnæ dudum ab antecessoribus suis Christianis hominibus interdictum esset. Quamobrem non iniuria Sauaro historicorum fidem implorat, & obtestatur, ne sancto Pontifici, miraculisque insigni, hanc iniuriam fecisse velint, cùm fuerit ab ea opinione alienissimus. Anathematis autem hanc fuisse causam scribit, quod Carolum sacro bello implicatum Petrus armis lacessere ausus esset, & absentem Siciliæ possessione deturbare. Probat hoc Sauaro autoritate Magnorum Chronic. quæ testantur, Pontificem Caroli consilium de ineundo singulari certamine vehementer improbasse. *Le Pape le blasma moult fermement de celle besoigne qu'il auoit entreprise, & les Cardinaux luy monstrerent bien qu'il pouuoit bien la chose laisser.* Addit his Nangius etiam anathematis periculum denũtiasse, quo eum à proposito deterreret. Tantum abest igitur, vt illustris hic Pontifex monomachiæ aliquando fauerit, aut contrarium maioribus suis aliquid senserit, vt ne Regibus quidem parcendum duxerit, si tentarent manus conserere.

Sauaro.

Texte des grandes Chroniques.

Nangius.

An non saltem iure Ciuili singulare certamen tueri possumus? Negat Alciatus cap. 3. de sing. certamine. Nam gladiatorium munus Constantinum Magnum sustulisse docet Sauaro ex Theodoret. Quem subinde etiam Honorius imitatus est, cùm Martyr Telemachus à gladiatoribus confossus esset, quos obiecto corpore à mutuis cædibus prohibebat. Apud nos verò S. Ludouicus Francis duello prorsus interdixit. Philippus item Pulcher, Carolus V. Carolus VI. Henrici II. III. IV. Quod si quondam Salica Lex licere voluit, vti & Burgundica autore Gondobaldo, quam Franci suo arridentem ingenio cupidè complexi sunt: his tamen cùm vniuersi Galliarum Præsules communi consilio Valentiæ ann. 855. refragati sunt, tum priuatim S. Auitus Viennensis Archiepiscopus, & S. Agobardus item Lugdunens. Archiep. in Gondobaldi Legem acriter & seuerè animaduerterunt. Ex quibus manifestè liquet, si quid prius ignorantia Principum, aut etiam facilitate, quod monomachiæ faueret decretum sit, non tam ius illud quàm iuris corruptelam appellandam esse. Itaque, ne consuetudine duellum defendi poterit, quam semper optimus quisq; reprobauit. Censet tamen Alciatus nonnullis casibus iure Gentium probari posse. Sed nos allatum ab eo exemplum postea refellemus; sicut & aliud quiddam, quod sequenti capite scripsit, mea quidem sententia, inconsultissimè.

Alciatus. Ciuili etiā iure dānata pugna singularis.

S. Agobardi testimonia, quę hic inserere nolui, separatim descripta inuenies in fine quæstionis.

An igitur Duello prorsus interdictum est, ita vt nulla ratione excusari possit?

QVÆSTIO XXX.

Causa iam perorata videri poterat, & soluta quæstio, nisi quorundam exempla atq; in primis Dauidis, quem sceleris arguere non possumus,

De singulari certamine.

possumus, nobis hactenus negotium facessèrent. Deinde, quæ à nobis cùm ex iure diuino tum humano antea allata sunt, ea tantùm duella oppugnant, quæ cum iniustitia coniuncta sunt. Nam leges quidem humanæ ex eorum arbitrio pendent, qui eas condunt: & cùm deprauatos seculi mores coerceant, qui non rarò commutantur, vicissitudini obnoxiæ manent.

Quæ rationes fauere monomachiæ videãtur.

Hæc porrò specialiter in monomachia videntur vlcisci, contemptum magistratus, & lacessiti ciuis iniuriam. Nec alia videtur ratio diuini iuris, quàm ne instituta à Deo potestas cuiquam ludibrio sit, aut iniuste negotium fratri exhibeatur. Quare, si neque campio (nam ita vocant priscæ nostræ leges) inimici conatus perditos iniustè vindicet, & eò accedat Magistratus autoritas, poterit iure fecisse videri. Siquidem neutra potestas legitimis actionibus interdicit. Sed quibus signis æquitas cum singulari certamine conueniat, haud ita facile deprehendes.

Serarius.

Serarius hoc loco singularis certaminis causam distinguendam putauit. Nam ea priuata est, aut publica. Si priuata, negat iustam esse posse: ita vt neque ad certamen prouocare, neq; prouocatus cõditionem accipere priuatim quisquam valeat: neque Principi imperare fas sit, aut etiam concedere. Sententiam suam confir-

In priuata causa duello experiri non licet.

mat Serarius Primùm autoritate Summ. Pontif. Nicolai 1. *in ca. monomachiam 2. qu.* S. Cælestini 3. *cap. cura suscepti extra, de vulgari purgatione.* Innocentij 3. *cap. significantibus.* & ibidem Pij 4. & Gregorij 13. &c. Deinde etiam rationibus vrget. Nam aut finis malus est, vt si ostentationis gratia fiat: aut etiam bonus, vt si quorum interest, latentia inuestigare cupiát: verùm ad ea perscrutanda, si monomachiam spectes, adiumenti nihil conferet. Ex quibus sequitur, vt non nisi sceleratè adhiberi queat; cùm aut Deum per eam manifestè tentes, aut facinus atrox inanis gloriæ causa moliaris. Illud præterea obijcit, quod antè dicebamus: neque criminis expertem vltrò se dare morti, aut infamiæ prodere, neque reum innocentis ruina suæ famæ ac saluti consulere posse. Principes verò, si liqueat, aut damnare nocẽtem, aut innoxium debent absoluere: Si non liqueat, aut ampliandum est, aut desperata probatione delatus è reis eximendus. Quis igitur relictus est duello locus? At in causa pu-

In causa publica duellum probat Serarius.

blica, qui iustè bellum gerunt, & prouocare, & prouocati singulare certamen inire possunt, si ducis ferat autoritas. Nam tum monomachia iusti belli pars quædam minima est, nec inutilis, cùm cæsis hostium promptissimis, reliquos terror occupet: vel sanè paucorum periculo vniuersis salus & incolumitas quæratur, qui vltrò statuunt multis vitam proprio labore aut etiam morte pacisci. Quo in genere Dauidem recen-

Æneas Sylvius.

set, & S. item Vvencesslaum, cuius prouocationem memorat Syluius cap. 15. suæ Bohemiæ. Itaque Serarius priuatam monomachiam damnat, publicam probat. Sunt etiam alij qui ab vtraque abhorreant.

Certum igitur atque indubitatum esse videtur, Principem nulla ratione ciues duello committere posse, aut etiam sponte in arma ruen-

A tes assensione voluntatis suæ cõfirmare. Sontes supplicio plectat, à scelere alienos in libertatem vindicet, quæ latent, si erui humana industria non possunt, ea diuino iudicio permittat. Fas est mortalem pleraque ignorare, quæ Deus cognitioni suæ voluit reseruari. Veruntamen si princeps officij immemor, iubeat reos duello experiri, nec expediendæ salutis vlla ratio appareat, imperio coactum conditioni parere posse. Si quis innocens, inquit Caietanus, premat calumnia superioris, & Magistratus corruptus ferat in eum capitalem sententiam, & alter non possit resistere, hîc licet, inquit, recipere duellum, si offeratur à Magistratu. Nam si contra latronem liceat teipsum defendere, cur aduersus potentem calumniatorem non liceat? Quid enim interest, vtrum ille stringat in te

Caietanus.

Quando liceat in priuata causa duello contendere.

B gladium, an Magistratus eius iussu? Nam ita Dauid dicitur occidisse Vriam gladio Ammonitarum. Certè nemo negabit vim vi repellendam esse. Quod si causa iusta est, vt vrget periculi præsentia, Magistratus etiam hortatur, & satis armat autoritate publica, cur tamen detrectes & vitæ desis? Quid si reus nocens est? Non est publicè nocens, donec accusatorem legitimæ probationes deficiunt. Quare si nulla ratione periculum declinare queat, & cupit, dimicet. Non censebitur innocens, qui reum studuit malis artibus opprimere. Atqui non leue discrimen est, inquis, inter duellum, & defensionem contra latronem. Quod tandem? Hic enim ex condicto pugnatur: ibi casu. Ille id agit, vt se defendat: hic vt occidat alterum. Quinimo hic quoque vt se defendat: nec ex

C condicto, aut etiam casu, sed, quod longè intolerabilius est, vi & horrore præsentis supplicij, atque adeo etiam superstitis ignominiæ metu; cùm eos qui in grassatores incurrunt, neque certa mors, neque dedecus vllum, neque infamia maneat. Quandoquidem tamen Magistratus, cùm reum iubet cum accusatore confligere, hoc ferè spectat, quod nefas est, vt victoria rebus ambiguis fidem faciat, nec par est periclitantem eius superstitioni fauere: idcirco reus in ipso pugnæ procinctu Deum hominésque palàm ac publicè testari debet, non spe manifestandæ innocentiæ, sed tuendæ salutis gratia, quod cunctis mortalibus licet, statuisse vim vi repellere. Quod vbi fecerit, non video, cur à Magistratu proditus, & tan-

D quam in media sylua calumniatoris libidini permissus, iugulum præbeat potius quàm arma expediat.

Nunc quod ad publicam causam attinet, haud arbitror tam sine vllo discrimine atque vniuersim monomachiam concedi posse. Cùm enim huiusmodi pugna sit actio humana, id in ea obseruari debet, quod obseruatur in alijs actionibus; hoc est, in quem ea finem suscipiatur. Finis autem actionis cuiusque rationem habet, aut iustitiæ aut iniustitiæ, aut bonitatis, aut malitiæ. Expendamus ergo fines ipsos paulo accuratius, ob quos homines singulare certamen appetunt; siquidem his perspectis atque exploratis, nihil erit negotij de certaminis æquitate statuere. Qui fines quandoquidem communes sunt cùm

In publica causa duelli finis spectãdus est.

DE SINGVLARI CERTAMINE.

publicæ tum priuatæ monomachiæ, nec videntur in alterutro genere maiores difficultates pati, idcirco eos tractatione coniungemus: si quid fortè diuersum occurrerit, sedulò ac studiosè obseruaturi.

Causæ finales, propter quas quidam putant duellum esse permittendum, variæ sunt, & multiplices, apud authores multorum generum, & Iurisperitos, & Canonistas, & Scholasticos sparsim propositę. Primùm id licere aiunt, quod sit loco probationis rei occultæ: vt liquere possit, aliquem habere ius, aut esse innocentem. Nam cùm non extent nec testes, nec tabulæ, extremum est, vt disceptetur armis. Et à Iurisperitis hoc genus probationis vulgare appellatur. *Vt in Decretalibus, de purgatione vulgari. & ibidem de clericis duello certantibus, & in Decretis 2. quæst. 5. cap. Consuluistis: & cap. Monomachia.* Dicitur autem vulgare, quod sit tantum vulgarium hominum: vim autem non habeat aut à iure, aut à legibus. Itaque fallax & incerta est eiusmodi probatio. Non licet abuti creaturis Dei. At isti abutuntur: id enim arripiunt ad testimonium, quod institutum non fuit in illum vsum. Idque exitus sæpè declarat. Iustior enim pars non rarò vincitur. Is enim videtur esse ordo naturæ, vt vincat non innocentior, sed fortior est peritior. Et in Decretalibus *De purgatione vulgari, capite significantibus,* describitur casus, Duos, quorum vnus alterum accusabat furti, inter se probationis causa pugnasse duello, & iustiorem cecidisse: Nam furtum inuentum fuisse apud alium. Quod autem ius cuiusque sit, probari potest, si consulere velis sacras literas, vel à testibus, vt cùm dicitur: *In ore duorum aut trium testium stabit omne verbum:* vel ex tabulis, vt Hieremiæ capite vigesimo primo, cùm affinis vellet redimere agros, conscriptæ sunt, & obsignatæ tabulæ: vel publica confessione; itaque Iosue iussit hominem sacrilegum, confiteri scelus suum publicè, & dare gloriam Deo: vel iureiurando; sic enim in Exodo, Si quis alteri mutuò dedisset vestem, & ea postea fuisset sublata, oportuit, cui fuerat commendata, iureiurando confirmare, se eam non sustulisse. Et in 6. cap. ad Hebræos scribitur, *Omnis controuersiæ finem esse iusiurandum.* Denique multorum annorum præscriptio ius asserit, & possessionem tuetur, vt docet Iephte capite vndecimo lib. Iudic. vers. vigesimo sexto. Duello autem dirimendas esse lites, aut ius inuestigari posse, nusquam legitur in omnibus sacris literis. Sed nec ab Apostolis traditum accepimus, aut vlla hactenus Ecclesiæ lege sancitum. Quare qui ita pugnant, non agunt ex fide: *Quod autem non est ex fide peccatum est.*

Reprobatur finis vulgaris probationis.

Nec dubitari potest hanc esse vtriusque voluntatem, vt alterum velit interficere. At alterutrum necesse est innocentem esse. Volunt ergo qui ista defendunt, hominem innocentem interfici. Sed hæc ratio non obtinet nisi in priuatis certaminibus, cùm vter pugil eiusdem Magistratus autoritate nititur: at in publicis suæ quisque parti fauet, hosti duntaxat aduersatur. Quare innocentem occidi neuter vult,

A sed fert quo modo potest impositam ab hoste necessitatem. Vtrobiq; tamen, seu priuatim seu publicè fiat, conuenit tentare Deum. Nam si res nullis vestigijs possit deprehendi, & Deus eam sibi soli reseruarit, intolerabilem oportet esse importunitatem eam velle inuestigare. Quod si omnibus tentatis iustis rationibus magistratus nihil possit de facto intelligere, debet absoluere reum, non eum fortuitæ dimicationi committere. Præterea Magistratus, qui ista fieri permittit, videtur quærere miraculum, quod olim in ferro candenti, & in aqua feruenti solebat fieri. Nam in Decretalibus *De probatione vulgari*, cap. vltimo scribitur, morem fuisse in Liuonia, vt si crimen iustis argumentis probari non posset, & reus clamaret se esse innocentem, probationis ergo aut ferrum candens, pedibus calcaret, aut in aquam feruentem manum immergeret. B Imò in hunc ipsum vsum, vel potius in hunc abusum soliti sunt aliquando adhibere Eucharistiam, cum hac formula verborum: *Corpus Domini nostri Iesu Christi sit tibi ad probationem.* Consule Glossar. Friderici in Codic. Legum antiquarum. Pithœus in suo Glossar. ad Capitularia Caroli Magni, & aliorum Regum Missam quandam refert in hunc vsum institutam. Videtur quædam cacozelia fuisse aquæ Zelotypiæ, quæ describitur in quinto ca. Num. Verùm de hac profanatione & abusu Eucharistiæ, nullum illi habuerunt verbum Dei. Neque enim in hunc finem instituta sunt Sacramenta, vt ad dirimendas lites forenses, aut etiam iurgia publica, occultarum rerum manifestatione proficerent. C Ecclesia verò tanquam machinamentum inuidiæ, vt habet Iuo epist. 91. & superstitiosum inuentum, nam his vocibus vtitur Siluester II. ad Lambertum Magontinum Episcopum, semper execrata est, & Summi Pontifices Apostolica autoritate damnarunt. Habenda sunt Sacramenta pignora cælestis doctrinæ, & Euangelij, & obsignationes, atque sigilla promissionum diuinarum, vasa denique thesaurique gratiarum. Quare non debent ita temerè prostitui ad controuersarum rerum explorandam veritatem. Postremò, vtcunque caueatur, vt paria sint arma vtrinque, & vt ne quis succurrat alterutri, tamen caueri non potest, quin alter altero sit imbecillior. Iniquum autem est, vt imbecillior cum fortiore committatur. Itaque quidam ex patribus appellabant D hoc inuentum diaboli. Apparet manifestè ex historia quam referam. Iam diutius obsidebatur Florentia, cùm Ludouicus Martellius, inquit Iouius histor. lib. 18. inter ciues nobilitate insignis, ac corporis & animi vigore florentissimus, Ioannem Bandium, pari virium ac ingenij robore præstantem, quod in castris apud hostes esset, ex prouocatorio libello hostem communis patriæ compellauit, propterea que eum ad singulare certamen deuocauit in arenam, vt ibi Marte iudice vter ipsorum honestiorem causam tueretur, innotesceret. Accepta conditione Martellius Dantem Castellioneum, Bandius Albertinum Aldobrandum in partē discriminis socios asciuerunt. Annuerunt Duces; spectauit conflictū exercitus, & gemino funere

Frider Lindenbrogus Pithœus.

Paulus Iouius.

De singulari certamine.

funere hostis humani generis lætatus est: nec tamen ex cruento exitu certi quicquam vel temerè conijci potuit, cùm vtriusque partis alteruter vicerit, alteruter occiderit.

Nec tamen intra eum gradum, vt idem Iouius autor est, stetit malitia diaboli: sed cùm eos lusisset vana spe æquitatis indagandæ, haud leuiori fraude postea circumuenit, efficiens, vt spectatores, inquit, præclarum totius belli omen acciperent, quod victis pariter atque victoribus non omnino lętum finem futurum arbitrarentur. Altera causa est Monomachia, vt omen captent. Narrat Plutarchus in Alexandri vita, eundem ex ludicro duello & certamine rixarum, felix omen victoriæ contra Darium sumpsisse. Ministros, inquit, in duas partes se diuisisse, vtrique ducem fuisse, quorum alterum Darium, alterum Alexandrum nominarint: incœpisse primùm glebas contra sese iaculari inuicem, mox ad pugnos, inde accensa contentione ad saxa & fustes peruentum. Hæc vt audiuit Alexander, iussit ipsos duces singulari pręlio decernere, Alexandrúmque ipsum Alexander. Philotas Darium armauit: duellum exercitus spectauit, in omen futuri eam rem trahés. Dimicatum est acriter, Alexanderq; ille victor duodecim pagos, & amictum Persicum præmij loco accepit. Similes coniecturæ factæ sunt à Narsete, vt Procopius refert. Et Cornelius Tacitus in lib. de moribus Germanorum scribit, eos habere eiusmodi obseruationem auspiciorum, quâ grauium bellorum euentus explorāt. Eius gentis, inquit, cum qua bellum est, captiuum quoquo modo interceptum, cum electo popularium suorum patrijs quemque armis committunt, victoria huius vel illius pro præiudicio accipitur. Hæc ille. At verò quàm fallax sit id genus augurij, testatur apud Herodotum lib. 5. Perinthiorum calamitas, qui cùm duobus iam prælijs ex prouocatione victores pæana canerent, à Pæonibus totis copijs concurrentibus penè deleti sunt. Manifesta porrò iniustitia est, ciuis periculo de futuris inquirere. Quamobrem? An non licet ciues cum hoste committere? Licet cùm opus sit, & legitimè fiat. An non igitur fieri legitimè censebimus, cùm ducis imperio fiat? Respondeo, ducem necessarijs quidem periculis ciuem obijcere posse, haud tamē aliter, quàm si eiusdem saluti quoad fieri potest prospiciat. Atqui singularis certaminis ea lex est atque conditio, ne quis opem periclitanti ferat. Quod cùm manifestè pugnat & aduersatur Christianæ charitati, tum ciuem debito Reipubl. subsidio destituis. At volenti, inquis, non fit iniuria: Sic cum eo conuenit. Falsum est quemquam nolle in summo discrimine iuuari, nisi sit amés & phreneticus. Phreneticum autem si non iuues, etiam cùm nolit, iniuriam facis. tum enim maximè opis indiget, postquam voluntas ægra est, nec sibi valet vltrà consulere. Peccat in Rempublicam Magistratus, non modò si per seipsum noceat, sed etiam cùm possit, si nocentem sibi ciuem non prohibeat. Cur enim in eos qui sibi manus attulerint, etiam post mortem animaduertat, nisi quia vetandi penes eum potestas fuit quam illi

Damnatur alter finis, cùm duellum capiādi ominis gratiâ suscipitur.

Plutarch.

Tacitus.

Herodot.

A

violarint. Magistratui ciuium salus & incolumitas permissa est: hanc eius fidei Deus credidit. Innocens igitur haberi non poterit, si quem prudens & sciens perire sinat. Reges verè populorum pastores sunt. Quis te oro pastorem ferat dicentem, Lupo permisi ouem vt deuoret, nec eripere studui, quoniam ea vltrò ad eum accessit. Ouis tibi culpa præstanda est, in eam periculo eximas. Animaduertendi, non deserendi peccantem licentia concessa est. Quare cùm res ipsa per se mala sit, adhiberi ad captandum augurium non poterit. Sed nec finis ipse probandus est, cùm ea quæ naturæ Deus abdidit, téres aliunde perscrutari. De omine nos antea copiosè tomo primo in capite decimoquarto vers. 8. 9. 10. eò si placet Lectorem allegabo.

B

Tertia causa, cur homines velint ita dimicare, est ostentatio virium. Quidam enim Thrasones, si quando vident se contemni, statim prouocant ad certamen. Sed illa insania nullo modo ferri debet. Imò Panormitanus, *De torneamentis can. felicis*, ait, Omnes Ludos in quibus periclitatur aut vita hominis, aut salus animorum, omninò tollendos esse, quod pugnent cum verbo Dei. Neque verò ille solus ita sensit, sed etiam leges ciuiles. *In Cod. De gladiatoribus*, est lex Constantini: In otio ciuili, & pace domestica, cruenta spectacula non placent. Duellum autem, de quo loquimur, est quodammodo gladiatura, & verè cruentum spectaculum. Et Leo, & Anthenius in *Tit. De ferijs, leg. Dies festos*, sanciunt, vt lacrymosa spectacula ferarum tollantur. Ea au-

C

tem erant vt homines cum vrsis, & leonibus committerentur. *D. ad legem Aquiliam, L. non ludus*, ita scribitur, Ludus noxius est in culpa. Et *in Proemio Digest. §. Illud verò*: Quis dixerit ludos, vnde oriuntur crimina? Est abusus vocis. Quiduis enim potius appellari debent, quàm ludi. *Et in Authent. in Titulo, Vt omnes pareant iudicibus prouinciarum*, Primò Iustinianus ait, fortitudinem citra iustitiam non esse laudabilem. Et addit, se patria lingua dicere fortitudinem: nam Romani fortitudinem dicebant eam, quæ cum virtute coniuncta esset. Contrà autem in *Cod. de Athletis*, est lex Alexandri Mammææ, Eos qui ter vicerint in certaminibus sacris, & legitimè coronati fuerint, habituros postea immunitatem.

D

Et *ad legem Aquiliam, L. Qua actione, §. si quis*. decernitur, vt si Pancratiastes aduersarium suum interfecisset, Aquilia cessaret. Extat etiam rescriptum Friderici secundi, qui videtur ad hanc rem conniuere. Quod ad primum illud de Athletis, & luctatoribus attinet, non damnamus omnia exercitia, quibus aut valetudo, aut vires possint exerceri. Quod si quis fortè in illis occidatur, id & casu fit, & rarò, & præter voluntatem eius, qui occidit. De Aquilia autem illa lege ratio redditur: quòd damnum datum non sit iniuriæ causa. At in duello animo destinato venitur ad cædem, & rarissimè accidit, vt non alteruter occidatur. Friderici rescriptum corrigi oportuit. Autor sanè cùm multis nominibus, tum

De singulari certamine.

Tertius quoque finis refellitur, qui petitur ab ostentatione virium.

Obiectiones ex iure ciuili dissoluuntur.

DE SINGVLARI CERTAMINE.

Nangius.

ob eam causam autoritate Lugdunensis Concilij, Innocentio quarto præside, à societate fidelium remotus est, quòd etiam Clericos duello vellet experiri. Autor Nangius anno Christi 1246.

Soluitur alia obiectio.

Verùm dices ea ratione posse terrorem hostibus incuti, qui si in animum inducant credere, præstare aduersarios corporis & animi viribus, despondebunt animos, & citra teli iactum se dedent. Quid acciderit Philisthæis vides. Esto. Philisthæi diuinitus attoniti corruerint: reliquos tamen dubius & anceps manet monomachiæ exitus. Quare ne illud quidem certum est, inimicorum audaciam duello fractum iri. Quis enim nouit in quam partem victoria inclinet? Sed nec illa vbique terret, quin potius hostiles animos ira quandoque acriùs incendit. Deinde legitimis artibus, non scelere atque flagitio timorem hostibus injjcere licet. Ptolemæus, inquit Iosephus Antiq. Iudaicarum lib. 13. cap. 21. cùm in vicos Iudæorum incidisset pueris mulieribúsque refertos, mandauit militi vt promiscuè iugulatos & in frusta concisos, in lebetes feruentes membratim conijcerent; vt reliqui hostem humanis carnibus vesci opinantes exanimarentur metu. An igitur hoc quoque nobis imitandum censes, vt contra pugnantibus horribiles & formidolosi videamur?

Iosephus.

Quartus quoque finis refellitur ignominiæ vitandę causa.

Quarta causa est, vt vitetur ignominia. Prouocor, inquit quispiam: quòd si fugio, habebor pro ignauo: & ea nota toti familiæ meæ inuretur. Sed ista non est satis iusta causa. Nam quorum iudicio infamia hæc inûretur? Sapientum, an stultorum? Ecclesia sanè contrarium sentit, & quicunque sapientiam profitentur, quorum iudicio maximè hominum existimatio nititur. Accedunt præterea edicta præstantissimorum Principum, quibus monomachia vilis & execrata habetur; ita vt sibi laudi ducere potius debeat qui certamẽ detrectat, quàm vereri ignominiam. Nec hactenus intelligere potui, quo tandem iure gentium Alciatus sceleri faueat, cùm ait: Non tamen ambigo, si quisquam armis strenuus vt ferro decertet prouocetur, honoris sui tuendi causa, impunè eum in sequestrem agrum fide publica prodire, armisque rem gerere posse: is enim iure gentium quodammodo se defendit. Hoc ego, inquam, quî bene interpreter haud inuenio. Nam si talis monomachia iure gentium defensa est, non peccat qui eam exercet: non modò in leges ciuiles, sed ne leges quidem diuinas violat. Hoc docere videtur Alciatus. Intra verò Principis sui territorium, inquit, iure non licet, cùm alia decus suum tueri ratione possit, & in agro populi Romani inconsulto Principe ferro decerni lex vetet. Ergo hæc summa rationum eius esse videtur. Si dedecus elui legibus non possit, ferro decernendum esse. Quod tum accidere necesse est, cùm & prouocator alieni iuris est, nec eiusdem Principis imperio paret, & ille Princeps exoticus monomachiam probat. Tum enim, cùm nulla alia ratio sit abstergendæ labis quàm si dimices, in sequestrem agrum commeandum erit, quo lacessentis improbitatem

Alciatus li. de singul. certam. ca. 3.

A coërceas. Arbitratur itaque Alciatus nefariorum hominum probris & conuitijs veræ virtuti maculam aspergi posse, quam si nemo alius vltum eat, tum possis iure gentium monomachiæ beneficio à te repellere: quod etsi facere vetaris intra Imperij limites, nil vetat publica accepta fide aliò ad confligendum te conferre. Quid si Alciate nullis legibus interdictum sit, ne in agro Romano, an tum quoque ibidem licebit? Non: quia diem aduersario dicere potest, & querelas suas apud Principem deponere. Non ergo sequestris loci ratio facit pugnandi copiam, sed quòd obtrectatorem suum apud iudicem conuenire non potest: non enim eiusdem Principis potestati subiacet. Cum alienis, si molesti esse pergant, cùm iure non possis, ferro decertandum est. Ergone fallimur Alciate, an

Refellitr Alciatus

B de industria cæteros in fraudem inducimus? Quis enim nescit belli pacisque rationes ex vno Principe pendere? Is cùm ciues se defensurum receperit, domi quidem & intra Reipubl. cancellos legibus importunos cohibet, armis exteros ab inferenda iniuria: priuata autoritate nemo domi forisue suas cõtumelias vlciscitur, sed necesse est Principem vindictæ modum statuere. Accidit verò nonnunquam vt hostis contumax damnum sarcire, & ablata restituere nolit: quo casu Princeps læsis permittit recuperatorio iure in alieno agro prædari, idque vt audio Represalias dicere soletis. Idem non dubito iure facturum, quæcunque iniuria illata fuerit, ita vt si obtrectatoris culpa digna sit supplicio, & alienus Princeps neque plectere, neq; dedere velit, iubere possit vbi commodè fieri possit vt

C occidatur, & eam licentiam læso concedere. At ciuem, & quidem affectum iniuria, duello cum aduersario committere, alienum est à boni Principis officio. Nõ enim illud seruare est, aut tueri, sed potius in discrimen adducere. Sicut in humano corpore caput ægroto membro consulere solet, & ad eius curam reliquos artus adhibere: sic debet & Princeps, ne ciues detrimentum accipiant, totis Imperij viribus incumbere. Sin parum tutum hoc videtur, aut etiam Reip. exitiabile, autoritatem suam irato tanquam frenos furoris injiciat, ne præceps & temerarius in exitium ruat. Cæterùm quamcunque rationem duello prætexas, excusari non poterit. In quam enim classem illud referes? Bellum vocabis? at iustum esse non potest, quod non est autoritate

D publica susceptũ. An numerabis inter legitimas actiones? Quinimò legum religione contempta Mars furit, & vi geritur res. Reliquum est, vt asseras vim vi repelli. Sed vereor vt persuadere possis, cùm id ex interuallo, & condictione fiat.

Deinde rebus vti debemus, prout cuiusque rei dignitas postulabit. Si honor tuus videatur venturus in discrimen, non idcirco exponenda est vita: ea enim pluris tibi esse debet, quàm quiuis honor. Id potius videndum est, ne quod dedecus inuras professioni tuæ. Professio autem omnium Christianorum communis est, Bene facere, & malè pati. Quare Principes grauiter peccant, qui faciunt huiusmodi certaminum potestatem. Atqui hæc causa fuisse videtur, cur Dauid prodiret in campum, quòd ille

De singulari certamine.

Gygas exprobrasset agminibus Israel, *Date mihi virum, & ineat mecum singulare certamen*: quibus verbis ignauiam & timiditatem filijs Israël objiciebat. Quid spectarit Dauid in eo certamine, & ad quem scopum collimarit, satis iam ex eius cum Goliath colloquio didicimus, & mox iterum ad lancem expendemus, vt quæ mens eius ac propositum fuerit clariùs elucescat; ne quisquam deinceps ad excusandam temeritatem suam eius exemplo abutatur.

Quinta causa est, odia, lites, inimicitias alio pacto sæpè non posse finiri. Itaque duello experiundum esse, vt aliquis aliquando esse possit malorum finis. Sed ne ista quidem causa est satis iusta. Aliæ enim sunt rationes finiendarum litium. Illæ enim finiuntur aut per consensum partium, aut per sententiam iudicis. Quòd si adhuc pergant, magistratus habet gladium: eo vti debet, non rem duello, & casui permittere. Habet arma: debet iustum bellum gerere, & tueri innocentem. Sed tueri eum debet iustitia, non incerto exitu, & certaminis alea. Adhæc, cognita iam causa, nouit Magistratus alterum esse innocentem. Quare eum non debet exponere præsenti neci. Non est illi commissa potestas gladii, vt eam postea duorum hominum temeritati, & furori permitteret, imò idcirco locatus est in tanta authoritate, vt faciat, quantum possit: quod certè non facit, si controuersias permittat decerni duello.

Quinta causa est, vt lites dirimantur: sed nec hæc quidem probatur.

Sexta causa est, si maius periculum ea ratione vitari possit. Exempli gratia, ne strages edatur, & in exercitu periclitentur omnes copiæ, præstat rem omnē in duorū periculo constitui. Sic olim Albanis Romanisq; de imperio paciscentibus, tergemini fratres vtrinque armis concurrerūt. Sic quoque nunc Goliath optasse videtur: sed illam conditionem Dauid non accepit. Neque enim ad singulare certamen hoc satis fore visum est. Non enim faciendum est malum, vt veniat bonum. Quod si tua causa iusta est, cur eam pateris in vnius capite periclitari? Primùm videre debes, ne bellum iniustum suscipias: deinde facere: quantum potes, & omnibus copijs dimicare. Neque enim iustitia habenda est ludibrio, & in duorum fortuna collocanda. Quid igitur, inquit Caietanus, si duo sint exercitus, & alter æquitate causæ superior, viribus autem multis partibus inferior, ita vt si veniatur ad manus, omnes videantur necessariò perituri, an non potius est vnius vitam in dubium venire, quàm totum exercitum ire in certum exitium? Verùm ne hæc quidem causa potest esse satis. Proficiscitur enim ex timore & desperatione: Deus enim, vt dixit Dauid, non defendit in gladio & clypeo, nec minus in paucis, vt inquit Ionathas, vincere potest, quàm in multis. Sed peribimus, inquies. Qui scis? Anima tua anima Dei est: & causa tua, si sit iusta, causa est Dei. Cæterùm etsi perire necesse sit, non enim iustis victoriam Deus vbique est pollicitus: non arbitror cladem scelere auerti oportere. Scelus est, si cum hoste Magistratus pacit, ciuem immerentem & suæ fidei à Deo commendatum, sua cura ac præsidio periclitantem destitui. Solemus tamen; inquis, quo reliquum corpus seruetur incolume, non rarò membrum vnum securi permittere. Non sanum ac vegetum. Quare ne tu quidem labis purum ciuem interimas.

Sexta causa reprobatur, quæ est, maioris periculi vitandi gratia.

Septima causa esse potest, si Princeps populo parcens, tanquam *bonus pastor animam suam det pro ouibus suis*. Non enim hoc abhorret à boni Principis officio. Deinde etiam cùm sui iuris sit, nec alterius potestati obnoxius, de se videtur posse statuere: maximè, si de principatu agatur, nec publicè intersit vter imperet. Contrarium tamen sentio. Nam si manifeste liqueat cui principatus debeatur, huic fauere, hunc amplecti, & quibus potest modis populus iuuare debet: sin ius ipsum dubia lance pendet, populus quidem neutram in partem deflectat, donec spes erit iudicio litem dirimi posse: ipsos verò æmulos & riuales siue competitores eiusdem imperij, non instar ferarum concurrere decet, sed expectare Reipublicæ iudicium. Sic quondam Philippus Valesius communi procerum sententia Galliarum regnum obtinuit, cùm illud Eduardus Anglus matris hæreditario iure repeteret, ignorans fœminis interdictum Lege Salica ne Francis imperent. At verò legitimum Principem, tutorem populi, patriæque parentem, sic deserere versantem in summo discrimine vti monomachiæ lex iubet, mea quidem sententia ad parricidij scelus accedit. Quid si iubeat? Si sis officij memor, non obtemperabis. *Deo* namque *oportet obedire magis quàm hominibus*. Quid si fidem dedit ita futurum? Fides haberi non debet, quæ diuina autoritate non nititur. Quid si propterea apud hostes ignauus & imbellis audiat? Stultorum vecors & amens maledicendi studium contemnendum est, vt synceram ac solidam gloriam Princeps assequatur. Abijcitur tamen contrarium à S. Vvencesłao Bohemiæ Duce tentatum esse. Nam cùm Duci Curmensi, vt scribit Æneas Syluius, histor. Bohemicæ cap. 15. nulla iniuria lacessito, cum exercitu in Bohemiam ingresso, atque agros vastare conanti, armatus cum copijs occurrisset, vocato ad colloquium, singulare certamen obtulit. Verum illud quidem est, populi seruandi studio Sanctum Principem hosti duellum denuntiasse, nec vnquam verebor piæ mentis propositum in bonam partem interpretari: veruntamen accipe quod sequitur. Accepta ab aduersario conditione vbi manus conseri debuit, Angelos visos qui Vvenceslaum protegentes arma ministrarent: territum ea nouitate Curmensem, ex equo prolapsum veniam petiuisse: Bohemum libenter humiliato pepercisse, monuisséque ne deinceps aliena cuperet. Hæc Syluius. Fieri itaque potuit, vt idcirco Angeli terribili specie Curmensi apparerent, ne rem infandam Princeps optimus iuris ignorantia suæ gentis consuetudinem sequutus, admitteret, & Aquilonarium de duello perniciosam opinionem exemplo suo confirmaret.

Causa septima reijcitur.

Æneas Syluius.

Octaua ratio, eáque iustissima quæ Dauidem impulit, ea est, si Dei causa agatur, & conuitia blasphemi hominis haud aliter commodè re-

Octauus finis probatur.

De singulari certamine.

felli possint. Vt enim diuini nominis splendor ac maiestas à perditorum hominum calumnijs vindicetur, nulli periculo parcendum est: si tamen vllum periculum videri potest, qualiscunque hominis furorem, Dei causa contemnere. Ne quis tamen temerè in arenam descendat, duo quædam obseruanda sunt. Primum, ne citra necessitatem consentiat hominis insolentiam duello compescere. Alterum, ne priuato consilio: decet enim Principem necessitatis causas expendere, & doctorum hominum iudicium sequi: quo fretus si fortè confligendum censuerit, non iam is videri poterit tentare Dominum, sed pro eius gloria, quemadmodum fas est & decet, cum impio conuitiatore contendere. Nonnullos etiam eò vrget diuinus quidam instinctus, & manifesta numinis præsentia, quæ vires animúmque tribuit, pauorem absterget. Hos ego minimè reprehenderim. Hoc solùm animaduerto, cùm Dauid noster simili quodam afflatu raperetur, non prius tamen in blasphemum irruisse quàm à Rege potestas facta est, & concessa pugnandi licentia. Quod verò nonnulli Saulem temeritatis arguunt, qui imperito adolescenti, de cuius robore atque industria parum confideret, ita assensus est, vt ex eius victoria communis libertatis spes apta penderet; hoc idcirco facere videntur, quòd putent oblatas à Gygante conditiones à Saule acceptas fuisse: Sed hoc minimè necessarium est. Non enim Dauid Philisthæos minatur se sub iugum missurum, sed interemptorum cadauera feris auibúsque prædam obiecturum. Quibus verbis non obscurè significat se, suis legibus victoriam administraturum.

Duo obseruanda.

Reliquum est, Lector, postquam iam satis supérque de singulari certamine disseruimus, vt proponam tibi duellum aliud necessarium, quod nobis omnibus semper gerendum est. Deus enim duos aduersarios commisit inter se, veterem videlicet hominem, & nouum: carnem, & spiritum. Nam vt Paulus ait ad Galatas, *Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem.* Et ad Roman. *Prudentia carnis inimicitia est aduersus Deum. Scio, quod non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum. Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Infelix ego homo quis me liberabit?* Hìc certamus, ne peccatum regnet in nostro mortali corpore, vtque vetus noster homo crucifigatur. Neque verò sunt ista leuia aut ludicra spectacula. *Castigo*, inquit Paulus, *corpus meum, & in seruitutem redigo. Nec coronabitur, nisi qui legitimè certauerit. Et qui certant in agone, ab omnibus se abstinent.* Et, *Nemo militans Deo, implicat se carnalibus desiderijs.* Et ad Hebræos cap. 12. vers. 2. *Respiciamus autorem fidei nostræ, & consummatorem Jesum, qui sustinuit crucem, confusione contempta.* Hoc duellum non est vnius horæ, aut mensis, aut anni, sed totius vitæ. Magnificum autem habemus theatrum: *Facti enim sumus spectaculum Deo, Angelis, & hominibus.* Gladium habemus verbi Dei, scutum fidei, loricam iustitiæ: aduersarium diabolum. *Non enim est nobis lucta aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus spiri-*

Tropologia.

A *tuales nequitias in cælestibus.* Vires habemus à Christo. *Omnia possum in eo, qui me confortat:* victoriam ad extremum certam. *Scio* enim *cui credidi, quod potens sit depositum meum seruare. Bonum certamen certaui, fidem seruaui, cursum consummaui: reposita est mihi corona iustitiæ.* Et, *Deus subijciet satanam sub pedibus nostris.*

S. Agobardi Lugdunensis Archiepiscopi testimonia, quibus legem Gundebadam, la loy Gombette, *quæ olim duello fauebat, impietatis & iniustitiæ condemnat.*

Sanctus Agobardus duo scripsit opuscula, in quibus Gundebadæ legis fecit mentionem.
B Primum est, *De duello ad Ludouicum Imperatorem.* Alterum, *De diuinis sententijs*, quod incipit à pagina 287: Hinc verò pauca, quòd alteri lo[illegible] seruare st[illegible]rim; plura è priore huc transferam; quo [illegible] eius tantùm sententia, sed ipsæ quoque ra[illegible], quibus fretus impiam legem rescindere [illegible]duerit, intelligantur.

Negat is eam legem Salicam fuisse, sed Gundebadam. Pag. 108. Cur enim, inquit, cùm sint vnius [illegible]orporis membra secundum Apostolum, d[illegible]uo repelluntur testimonio? quæ vtilitas est? nisi propter legem, quam dicunt *Gundebadam? &c.* Si autem placeret Domino nostro sapientissimo Imperatori, vt eos transferret ad legem Francorum, & ipsi nobiliores efficerentur, & hæc regio ab squaloribus miseriarum quantulumcunque subleuaretur.] Audiant hoc
C Franci Nobiles: non enim ea lex à maioribus nostris manauit, & alioqui ad ignobiles pertinet.

2. De autore hæc habet. Cuius autor extitit homo hæreticus, & Fidei Catholicæ vehementer inimicus. Et rursum pag. 292. Sicut quidam superbus, ac stultus hæreticus Gondebadus Burgundionum Rex tentabat expetere à beato Auito, egregio & Orthodoxo Prædicatore, qui eius vesaniam sapientissimè laudabiliterque repressit, atque redarguit. Denique eundem in sua perfidia perijsse testatur pa. 115. Hunc vos Fráci, cùm sitis Catholici, legislatorem sequimini?

3. Probat eam legem cum Fide, & Christiana charitate pugnare. Pag. 109. Quibus feralibus certaminibus contingunt homicidia iniusta, &
D crudeles ac peruersi euentus iudiciorum, non sine amissione fidei, & charitatis ac pietatis, dum putant Deum illi adesse, qui potuerit fratrem suum superare, & in profundum miseriarum deijcere: Hic est pessimus error, & ordo confusus; vt pro talibus peruersitatibus, & Scriptura veritatis contemnatur, & concordia Christiana dispereat, & de Deo qui natura bonus, tam indigna sentiantur; vt faueat rapacibus, & aduersetur miseris. Doctrina Christi docet, *Qui vult tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, remitte ei & pallium.* Et iterum, *Iam quidem omnino delictum est, quod iudicia habetis, quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini?* Isti è contrario dicunt, Pugna securus, quia illum qui tua repetit, aut contendit,

Matth c 5.

De singulari certamine.

tendit, absque dubio superabis: & diuinum eis A promittunt adiutorium, qui tam contrarij existunt Euangelicæ pietatis.

4. Docet diuini iudicij sententiam, quam inuestigare nullo pacto possumus, singulari certamine temerè explorari. Non enim est, inquit, pag. 111. in præsenti meritorum retributio, sed in futuro: non oportet mẽtem fidelem suspicari, quòd Omnipotens Deus occulta hominum in præsenti vita per aquam calidam, aut ferrum reuelari velit, quanto minus per crudelia certamina? Propter quod Apostolus præcipit *de occultis rebus non iudicare [illegible], quoad vsque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita, & manifestabit consilia [illegible].* Concedit tamen iudicare inter Fratres, [illegible] contentiones sopiantur: sed vtilitas [illegible] consistit in discussione causarum, & subtilitate inuestigationum, sicuti & Salomon fecisse legitur in contentione duarum meretricum, & [illegible] & Danielis exemplum, qui Susannam periculo eripuit.

1 ad Cor. cap. 4.

5. Pluribus exemplis docet non raró insontes perimi. Quando erat, inquit, publica contentio de veritate Religionis, cùm alij putarent colendam pro Deo creaturam quamlibet, alij docerent solum Creatorem colendum; illi fuerunt victores qui occisi sunt, non qui occiderunt, veritas moriendo declarata est non occidendo: testes veritatis moriendo creuerunt; assertores autem iniquitatis occidendo perierunt. Nam si in hac vita semper innocentes essent victores, & noxij vincerentur, non Pharao occidisset Iosiam; sed Iosias Pharaonem, non Ioannem Herodes; sed Herodem Ioannes. Plura subinde confert in eandem sententiam, & ad Ecclesi. nos allegat, cap. 8. 9. 11. Iubet etiam nos Israëlitarum meminisse, qui Iud. 20. cùm immane flagitium Beniamitarum vlcisci pararent, attamen semel atque iterum ab ijsdem fusi fugatiq; sunt. Quin etiam qui monomachia suum ius experiri statuunt, nonnunquam mutuis vtrinque vulneribus concidunt.

6. Toto illo opere identidem ostendit, ea lege, qui imbecilliores sunt, nec quę possident satis constanter tueri posse, nec ablata repetere; cùm ij, qui viribus præstant, post direptas opes, B vitam quoque eripere parati sint.

7. Gallicanos canones obijcit, per quos ea lex abrogata est: quorum, inquit, melius sit autoritatem sequi, quàm proprium sensum. Nec porrò sine aliquo dolore transiri potest, cùm definitiones multorum, & Sanctorum, atque Catholicorum prætermittantur, & vnius Gundebadi Regis hæretici lex attentè, quasi à Deo data tenetur.

Demùm ita concludit: Verè hoc non est lex, sed nex, quæ maximè propterea contemnenda est, quia ab illis excogitata est, qui non solum non orabant, sed etiam blasphemabant sapientiam Dei. Hæc, & multò plura S. Agobardus.

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

ET factum est cùm complesset loqui ad Saul: anima Ionathæ conglutinata est animæ Dauid, & dilexit eum Ionathas quasi animam suam.
2. Tulitque eum Saul in die illa, & non concessit ei vt reuerteretur in domum patris sui.
3. Inierunt autem Dauid & Ionathas fœdus: diligebat enim eum quasi animam suam.
4. Nam expoliauit se Ionathas tunica, qua erat indutus, & dedit eam Dauid, & reliqua vestimenta sua, vsque ad gladium & arcum suum, & vsque ad balteum.
5. Egrediebatur quoque Dauid ad omnia quæcunque misisset eum Saul, & prudenter se agebat: posuitque eum Saul super viros belli, & acceptus erat in oculis vniuersi populi, maximéque in conspectu famulorum Saul.
6. Porro cùm reuerteretur percusso Philisthæo Dauid, egressæ sunt mulieres de vniuersis vrbibus Israël, cantantes, chorosq; ducentes in occursum Saul regis, in tympanis lætitiæ, & in sistris.
7. Et præcinebant mulieres ludentes, atq; dicentes: Percussit Saul mille, & Dauid decem millia.
8. Iratus est autem Saul nimis, & displicuit in oculis eius sermo iste: dixitque: Dederunt Dauid decem millia, & mihi mille dederunt: quid ei superest, nisi solum regnum?
9. Non rectis ergo oculis Saul aspiciebat Dauid à die illa, & deinceps.
10. Post diem autem alteram, inuasit spiritus Dei malus Saul, & prophetabat in medio domus suæ: Dauid autem psallebat manu sua, sicut per singulos dies. tenebatque Saul lanceam,
11. & misit eam, putans quòd configere posset Dauid cum pariete: & declinauit Dauid à facie eius secundo.
12. Et timuit Saul Dauid, eò quòd Dominus esset cum eo, & à se recessisset.
13. Amouit ergo eum Saul à se, & fecit eum tribunum super mille viros: & egrediebatur, & intrabat in conspectu populi.
14. In omnibus quoque vijs suis Dauid prudenter agebat, & Dominus erat cum eo.
15. Vidit itaque Saul quòd prudens esset nimis, & cœpit cauere eum.
16. Omnis autem Israël & Iuda diligebat Dauid: ipse enim ingrediebatur & egrediebatur ante eos.
17. Dixitque Saul ad Dauid: Ecce filia mea maior Merob, ipsam dabo tibi vxorem: tantummodo esto vir fortis, &

præliare bella Domini. Saul autem reputabat, dicens: Non sit manus mea in eum, sed
sit super eum manus Philisthinorum. 18. Ait autem Dauid ad Saul: Quis ego sum,
aut quæ est vita mea, aut cognatio patris mei in Israël, vt fiam gener regis? 19. Fa-
ctum est autem tempus, cùm deberet dari Merob filia Saul Dauid, data est Hadrieli
Molathitæ vxor: 20. Dilexit autem Dauid Michol filia Saul altera. Et nunciatum
est Saul, & placuit ei. 21. Dixitque Saul: Dabo eam illi, vt fiat ei in scandalum, & sit
super eum manus Philisthinorum. Dixitque Saul ad Dauid: In duabus rebus gener
meus eris hodie. 22. Et mandauit Saul seruis suis: Loquimini ad Dauid clam me,
dicentes: Ecce places regi, & omnes serui eius diligunt te. Nunc ergò esto gener re-
gis. 23. Et loquuti sunt serui Saul in auribus Dauid omnia verba hæc. Et ait Dauid:
Num parum videtur vobis, generum esse regis? Ego autem sum vir pauper & tenuis.
24. Et renunciauerunt serui Saul, dicentes: Huiuscemodi verba locutus est Dauid.
25. Dixit autem Saul: Sic loquimini ad Dauid: Non habet rex sponsalia necesse,
nisi tantùm centum præputia Philisthinorum, vt fiat vltio de inimicis regis. Porrò Saul
cogitabat tradere Dauid in manus Philisthinorum. 26. Cumque renunciassent ser-
ui eius Dauid, verba quæ dixerat Saul, placuit sermo in oculis Dauid, vt fieret gener
regis. 27. Et post paucos dies surgens Dauid, abijt cum viris qui sub eo erant. Et
percussit ex Philisthijm ducentos viros, & attulit eorum præputia, & annumerauit ea
regi, vt esset gener eius. Dedit itaque Saul ei Michol filiam suam vxorem. 28. Et vi-
dit Saul, & intellexit quod Dominus esset cum Dauid. Michol autem filia Saul dilige-
bat eum. 29. Et Saul magis cœpit timere Dauid: factusque est Saul inimicus Dauid
cunctis diebus. 30. Et egressi sunt principes Philisthinorum. à principio autem
egressionis eorum, prudentiùs se gerebat Dauid, quàm omnes serui Saul, & celebre
factum est nomen eius nimis.

ARGVMENTVM.

IN hoc capite, primo loco agitur de fœdere percusso inter Ionatham, & Dauidem: Deinde publica lætitia describitur, & quædam velut triumphi pompa, vulgi acclamationes. Mox referuntur causæ, ob quas Dauid innocens in Saulis offensionem incurrerit. Quarto loco eius odij proponuntur effecta: quæ subinde sparguntur in totum hunc priorem librum. Hoc autem in capite numerantur tantùm duo: Primùm, quòd Dauidem configere voluerit ad parietem: Deinde, quòd illi filiam dederit in matrimonium, sed mala fide, vt eum perderet, & Palæstinus sponsaliorum nomine obiectus ab ijs interficeretur.

VERSVS I.

Et factum est cùm complesset loqui ad Saul: anima Ionathæ conglutinata est animæ Dauid, & dilexit eum Ionathas quasi animam suam.

Variæ translat. CHaldæus, *Et anima Jehonathan adiuncta fuit in anima Dauid, & amauit illum Jehonathan sicut animam suam.* Pagninus, *Anima Ionathan ligata est cum* (Arias, *in*) *anima Dauid: & dilexit eum Ionathan sicut animam suam.* Vatablus Salmant. *Animus Ionathan conglutinatus est animo Dauidis, vt diligeret eum Jonathan vt animam propriam.* Et in Schol. Hebraïsmus, *anima* pro toto homine. *Anima Ionathæ*, id est, ipse Ionathan. *Dilexit eum vt animam suam*, id est vt seipsum. Septuaginta apud Aldum, & Complut. Καὶ ἡ ψυχὴ Ιωναθὰν συνεδέθη τῇ ψυχῇ Δαυὶδ, καὶ ἠγάπησεν αὐτὸν Ἰωναθὰν κατὰ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ. *Et anima Ionathan conglutinata est animæ Dauid. Et dilexit eum Ionathan secundum animam suam.* B

A Quidam, *vt anima Ionathæ deuinciretur cum anima Dauid.* Attamen Theodoretus quæstione quadragesima quarta in primo Regum, notat, quòd Septuaginta dixerint, Ionathan dilexisse Dauid ψυχὴν ἀγαπῶντος αὐτόν, *animo amantis seipsum.* Aquilam scripsisse, κατὰ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ, *iuxta animam suam:* quod tamen hoc loco est apud Septuaginta in omnibus collatis codicibus. Hebraïcè vtrobique scriptum legimus נֶפֶשׁ *nephesc.* Hebræis autem tres sunt נְפָשׁוֹת *nephascot*, seu animæ: vegetatiua, sensitiua, & rationalis: siue plantæ, bruti, & hominis. Pro his omnibus dictionem illam נֶפֶשׁ vsurpatam in Scripturis inuenimus. Nonnunquam verò etiam corpus ipsum significat, vitam sæpissimè. Pro *anima rationali* videtur legi Genesis secundo, *Et factus est homo* לְנֶפֶשׁ חַיָּה *lenephesc hhaiah, in animam viuam.* Chaldæus, *in spiritum loquentem*, id est, rationalem. Hebræis enim מְדַבֵּר *medabber*, loquens, est λογικὸς rationale. *Pro seipso*, Esaiæ capite quadragesimo sexto, versu secundo, *Et anima ipsorum in captiuitatem abijt.* נַפְשָׁם *nafscam.*

Septua-

ANIMA IONATHÆ, &c.

Septuaginta αὐτοὶ *ipsi in captiuitatem abducti sunt:* ipsimet. Matthæi quarto, quo loco nos habemus, *Mitte te deorsum*, Syrus legit, *Mitte* נפשך *naphscach, animam tuam deorsum.* Græcè σεαυτὸν, *teipsum.* Quare summus ille amor intelligi potest, quo Dauidem Ionathas complexus est, qualis esse solet philautiæ.

Anima Ionathæ conglutinata est animæ Dauid.] Summam animorum coniunctionem indicat. Vnionem factam dicere voluit. ἕνωσις Græcis dicta est, διεστώτων πραγμάτων κοινωνικὴ συνδρομὴ, disiunctarum partium sociabilis concursus. Decem autem modis in Scripturis dici obseruat Suidas in voce ἕνωσις. Primò, κατ' οὐσίαν secundum essentiam, vt in animo & corpore. 2. κατὰ σχέσιν affectione, vt in sententijs, quando vna est voluntas. 3. κατὰ παράθεσιν appositione, vt in tabulis. 4. κατὰ ἁρμονίαν harmonia siue coagmentatione, vt in saxis. 5. κατὰ κρᾶσιν, temperamento, vt in humidis vino & aqua. 6. κατὰ φύρσιν, mixtione & subactione, vt in siccis & liquidis, vt farina & aqua. 7. κατὰ σύγχυσιν, confusione, vt in ijs quæ liquescunt, vt cera & pice. 8. κατὰ σωρείαν, coaceruatione, vt in siccis, frumento & hordeo. 9. κατὰ συναλοιφὴν, illitu, siue collinitione, vt quę auro argentóue sunt oblita. 10. κατὰ συνάφειαν, coïtione, vt cùm fax erepta rogo postea restituitur, flammæ coeunt. Haud dubium quin Ionathæ cum Dauid vnitio ad secundam speciem referri debeat. Sed quia hæc ipsa gradus habet, & nonnunquam arctior est, aliquando verò arctissima: idcirco eo genere coniunctionis eum amorem exprimere voluit, qui reliquos omnes superaret.

Suidas. Vnio in Scriptura decem modis fieri prædicatur

Iam verò quis amor sapientem deceat, explicat idem Suidas in dictione ἔρως. Τὸ, inquit, ἐρωτικὸν φασὶν ἐπιβολὴν εἶναι φιλοποιΐας, Esse aiunt amorem benefaciendi propositum, διὰ κάλλος ἐμφαινόμενον illustris boni splendore excitatum: καὶ μὴ εἶναι συνουσίας, ἀλλὰ φιλίας, nec esse venerei congressus, sed amicitiæ. Masculorum amores primùm insectatur Lucianus, disertissimus nebulo, in eo dialogo qui Amores inscribitur. mox à libidine traducens ad virtutis studium, eosdem Philosopho dignos prædicat. Nefandæ libidinis autorem nonnulli Thamyrin Thracem faciunt, qui ante Homerum octauus poëmata scripsisse fertur. Alij Odrysium malunt. quidam verò Tallonem Cretensem, qui primus Rhadamanthum puerum adamarit. Alij verò tradunt, Laium ante omnes deperisse Chrysippum, Pelopis filium. Sunt etiam qui Italos turpissimi flagitij asserant fuisse repertores ob peregrinam militiam. Sed reuera, inquit Suidas, Iupiter primus Ganymedem adamauit. Quicunque fuerit primus eius sceleris artifex, antiquissimum fuisse oportuit: siquidem eius incendio iamdudum Sodomitæ conflagrarunt. Cæterùm tametsi Ethnicorum ardor in masculos plerunque malè audijt, quòd indulgere obscœnis voluptatibus crederentur: nonnulli tamen masculeos amores ita coluerunt, vt procul ab infamia abessent. Nam si historicis credimus, cùm esset celebre amasiorum nomen, nemo tamen Spartæ eam rem ad turpitudinem retulit: sed intellexit amoris stimulis studium virtutis accendi. Ea res sacram

Quis amor sapientem deceat. Suidas.

A Thebanorum cohortem, qui fuit quidam chorus amantium, primùm inuictam præstitit, deinde etiam fama apud posteros immortalitati consecrauit. Nam quod Charicles exclamat, Haud ita amant se mutuò leones, neque vrsi, aut sues: sed illorum ea concupiscentia solùm dominatur, qua erga fœminas afficiuntur, illud minimè mirum est. non enim ad amandum ratione ducuntur. Non amant sese leones: neque enim philosophantur. Non amant vrsi: non enim honestum ac pulchrum illud quod amicitia est, norunt. Non amant sues: non enim luto cœnoque obliti, virtutis admiratione capiuntur. Sed cur his immorer, cùm amatores nostros ne leuissima quidem sceleris perstringat suspicio; & alioquin omnium iudicio nihil à Deo humano generi honesti amoris numine B sacratius meliúsue tributum censeatur. Vim potiùs eius muneris in his Scripturæ verbis, quoad eius fieri poterit, tanquam in speculo contemplemur.

ANIMA IONATHÆ,&c. Apud Lucianum in Amorce.

Et anima Ionathæ, inquit Chaldæus, *adiuncta est in anima Dauid.*] Amoris magnitudinem significare voluit. Non enim vt plerique solent, qui regio fastu tument, satis esse duxit, si virtuti non inuideret, aut etiam nonnullo fauore prosequeretur: sed cùm celsitudinem animi cum pari pietate ac prudentia coniunctam cerneret, se totum in eius amorem effudit. *Et conglutinata est anima Ionathæ.* hoc est, arctissimè tum cohæsit. Nam plerique sic glutino copulantur, vt vix vllum discrimen in illis agnoscas. Quid potuit fingi coniunctius? Ipsa tamen Hebraïca dictio adhuc maiorem emphasim habere C videtur. נקשרה *niksceràh* enim radicem habet קשר *kascar*, quod est ligauit, colligauit. Vnde Pagninus vertit, *Et anima Ionathæ ligata est cum anima Dauid:* quod tantam cum illo connexionem indicat, vt auelli omnino non posset. Explicationem hanc tradunt Interpretes Genesis capite quadragesimo quarto, versu trigesimo. Nam eo loco similia his quæ exponimus scripta sunt. ונפשו קשורה בנפשו *venaf co kescourah venafsco.* Pagninus transtulit, *& anima eius ligata cum anima ipsius.* Septuaginta, ἡ δὲ ψυχὴ αὐτοῦ ἐκκρέμαται ἐκ τῆς ψυχῆς τούτου, *Et anima illius pendet ex anima huius.* Porrò ea phrasis quid innuat, ex proximè sequentibus intelligitur. Describam quo res manifestior fiat. *Igitur*, inquit Iudas, *si intrauero ad seruum tuum patrem nostrum, & puer defuerit* D *(cùm anima illius ex huius anima pendeat) morietur, & deducent famuli tui canos eius cum dolore ad inferos.* Hæc ille. Nec alius huius loci sensus est. נפש *nephesc* verò non rarò Hebræis pro vita est. Quod si *nephesc* non vitam, sed animam designat: tametsi tum ea metonymicῶς pro amore accipienda sit: beneuolentiæ tamen magnitudinem plurimùm exaggerat, postquam non solùm voluntatis suæ studium in eum contulit, sed etiam seipsum quodammodo largitus est. His etiam amicitiæ constantia promitti manifestè videtur. Nam animus cùm sit liber, suos affectus non rarò immutat: idem enim qui amat, odisse etiam potest. at si seipsum in laqueos induat, & transeat in ius amati, quî se tandem expediet? Nec otiosè Spiritui sancto visum est hûc

Phrasis Hebraica, & dictionis emphasis expéditur.

ET DILEXIT EVM, &c. animorum concentum conferre cum vinculo. Siquidem quæ nexa sunt, immota manent. Sed & hoc vide, quas partes nexus ille copulet. non quas titillat libido, sed quas palæstra virtutis exercet. Non enim decebat pietatis cultores, stultorum instar obscœna sectari: cælestia spirant, animis coniunguntur. Vinculi porrò nodus & copula arctior est quàm glutini, quod medium interiectum est. nam vbi lorum stringit, ibi partes sine medio copulantur. Quare arctissimum animorum congressum, & intimis sensibus initam societatem, per hanc Scripturæ phrasim intelligere debemus.

Virtuti amor à natura consecratus est. *Et dilexit eum Ionathas quasi animam suam.*] Difficile quidem est consecratum à natura amorem virtuti denegare. Hanc etiam in illis diligimus, quos odio prosequimur; & reluctante licet voluntate, non pauca beneuolentiæ signa extorquet. Hostes certè non rarò præclara hostium facinora mirantur, & laudant. Laudat verò nemo, nisi quod probet. Proximè verò est, vt qui probat, etiam amet. Sed non omnes pariter virtutem intuentur. Qui valent mentis acie, hi maiorem in modum eius pulchritudine capiuntur. Quare mirum non est, si egregiæ indolis adolescens, virtutisque studiosus Ionathas, mox vt tantum decus splendorémque conspexit, deperire hominem cœpit. *Dilexit eum*, inquit Scriptura, *quasi animam suam.* id est, haud secus ac vitam suam. Vitam porrò suam quanti quisque faciat, experti nouimus. Erat verò antiquis longè charior & pretiosior. Non enim tum patebat ad cælum aditus; & adhuc summi beneficij loco promittebatur vitæ diuturnitas. Nunc viluit apud posteros, postquam, vt inquit Apostolus, *propalata est Sanctorum via*; itaut exclamet: *Quis me liberabit de corpore mortis huius? Cupio dissolui, & esse cum Christo.* At huic beneficio Ionathas ipse præuertit. Nec sanè Euangelij coryphæis hac in parte inferior, Dauidem sic complexus est *vt animam suam.* Itaque alij exponunt, *sicut seipsum.* Quod tametsi vulgare præceptum est, haud vulgariter tamen ipse perfecit. Non enim duntaxat non obesse contentus est, aut extrema roganti opem tulit: sed eum sic coluit, saluti studuit, amplitudini fauit, vt haud obscurè eundem sibi seipso chariorem præ se ferret. Si mores nostros spectes, quis non crederet immensum illum amorem imperij æmulatione debuisse vanescere? Vt Dauid regnaret, optauit Ionathas sceptro priuari. Quis non adamantino nexu alligatum eum amorem existimet, qui non potuit regni cupiditate dissolui?

Haud leuibus de causis Ionathas honesto Dauidis amore captus est. Nec verò leuibus de causis Dauidem tantopere Ionathas adamauit. Primùm enim facinus illud egregium mirabatur, quo tam facilè gigantis insolentiam perculerat. Hunc enim cùm fortissimus quisque vt dama timidus exhorresceret, solus Dauid inuentus est qui monstrum illud contemneret, & singulari certamine prosterneret. Itaque nemini dubium esse poterat,
1. Ratio. quin præstätissimis exercitus ducibus esset præferendus. Accedebat quod penè puer belluam
2. confecerat: quod si viro contigisset, miris tamen laudibus efferretur. Ætas itaque cùm admirationem augebat, tum maiorem apud Ionathan gratiam conciliabat. Tertiò is fauor ex insperato obuenerat. Non enim Dauid in vllum militiæ ordinem allectus fuerat, vt putaret ad se discrimen pertinere: sed tanquam diuinitus oblatus qui iacentem exercitus gloriam erigeret, omnium animos stupore amoréque impleuerat. Nam quæ præter spem & expectationem bona eueniunt, ea maiori voluptate atque lætitia nos afficiunt. Adde his modum certaminis. 4.
nam inermis in campum prodijt, funda tantùm armatus & baculo, quibus illud portentum ferro graue deijceret. Quòd cùm ope numinis feliciter perfecisset, parem visus est habere neminem. Quæ verò reliquis præstare videntur, ea impensiùs diligimus. Quid aurea illa verba commemorem, quibus hostis minas correxit, & temeritatis suspicionem à se depulit, docens Dei beneficio constare victoriam? Vt faculæ arentem materiem, sic illa oratio Ionathæ pectus amore inflammauit. Quum enim quælibet virtus amoris quædam illecebra est, tum religio & pietas palmam obtinent. Quis enim eum non studeat præcipuo amore prosequi, quem Deus ipse diligat? Diligit autem omnes qui verè & ex animo pietatem amplectuntur. Adhæc, non minima calamitas eo pacto depulsa est. Erant enim in procinctu acies, & vnius hominis audacia consternatis omnium animis, iam penè de victoria spem abiecerant. Itaque iam strages, iam gemitus, & plurima mortis imago versabatur ante oculos: nec tanquam in mari periclitantibus propitij ignes, sic vllum pauentibus salutis præsagium apparebat, donec ad extremum Dauidis inuicto robore omnis ea trepidatio sublata est, & victoria insultantium manibus erepta. Septimò quoque ignominiæ macula deterfa est. Videri enim poterant timore perculsi, certamen detrectasse. Timiditatis porrò dedecus cane peius & angue milites auersantur. Nam si quæ laus eorum est propria, ea maximè in fortis animi atque intrepidi opinione consistit. Hanc penè amissam gloriam Dauid illis suo periculo restituit. Quomodo illum Regis filius, & ducum maximus, non magnopere diligeret? Quod si gloriæ studio non moueretur, attamen vtilitas incitaret. Nam spolijs hostium exercitus diues effectus est, & pacis otia propagata. Ornabat etiam nono loco hanc virtutis præstantiam aureus quidam decor, & grata venustas, quam ἄνθος ἀρετῆς, seu virtutis florem Græci dixerunt: quæ ad amorem conciliandum quantum momenti habeat, docet Xenophon in Symposio his verbis. Nunc enim, inquit, Cliniam libentius, quàm omnes alias res humanas specto, malimque cæterarum omnium rerum, quàm illius vnius aspectu carere; atque noctem & somnum accuso, quòd illum non videam; luci autem & Soli gratiam habeo maximam, quòd mihi Cliniam ostendant. Et addit præterea, quòd eò libentius refero, quòd putem honestis datum amoribus: Illud certè magnum est, ob quod gloriari possint formosi, quòd robustum necesse sit laborare, si bona quærere velit; fortem periculis se obijcere, sapientem oratione vti: at formosus vel in summo otio omnia conficit.

[Right margin: ET DILEXIT EVM, &c. — 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. Xenophō.]

ET DILEXIT EVM, &c.

ficit. Nam tametsi intelligo pecuniam rem esse iucundissimam, meam tamen libentius darem Cliniæ, quàm ab alijs acciperem. Libentiúsque seruirem, quàm liber essem, si mihi Clinias imperare vellet: etenim laborem illi facilius, quàm quiescam: & pericula libentius adeam illius causa, quàm procul à periculis vitam degam. Atqui Dauid erat formosissimus, vt iam sæpius Scriptura testata est; ita vt iure merito de eodem prædicari possint, quæ de Hippolyto Seneca cecinit eiusdem tragœd. act. 2. in choro.

Seneca in Hippolyto.

Conferat tecum decus omne priscum
Fama miratrix senioris æui:
Pulcrior tanto tua forma lucet,
Clarior quanto micat orbe pleno,
Cùm suos ignes coeunte cornu
Iunxit, & curru properante pernox
Exerit vultus rubicunda Phœbe;
Nec tenent stellæ faciem minores:
Qualis est primas referens tenebras
Nuncius noctis, modo lotus vndis
Hesperus, pulsis iterum tenebris
Lucifer idem.

Postremò etiam oris dignitati tantùm tribuit Xenophon, vt asserat eius reuerentia vitiorum quidem faces extingui, virtutis autem lucem accendi. Ego verò tametsi Xenophonti non vsquequaque fidem habeo, nec tantùm vultus speciei arrogo, arbitror tamen hæc omnia à Ionathan, non tam formæ quàm virtutis studioso, in gratiam Dauidis verè & ex animo dici potuisse. Denique victoris facundus sermo cum pari modestia coniunctus, cùm nullam animi elationem testaretur, addictum pietati iuuenem summa charitate deuinxit.

VERSVS II.

Tulitque eum Saul in die illa, & non concessit ei vt reuerteretur in domum patris sui.

Regis ius ac potestas in personas ciuium.

IVs Regis, cap. 8. *Filios vestros tollet, & constituet sibi tribunos & centuriones.* Dauidi tamen vt apparet, non fiebat iniuria, cùm è pascuis in aulam regiam transferretur, & loco pecorum ductandos ordines acciperet. Sed illud quæri potest, Num filium inuito ac reclamante patre retinere apud se Regi licuerit? Nam si vineam Naboth, ne quidem oblato pretio, fas fuit eripere, quomodo non iniquum foret natis orbari parentem, qui nullo pretio æstimari possunt? Veruntamen alia ratio habenda est hominum, alia possessionum. Nam vnaquæque possessio Regi tributum pendit, quantum necesse visum est ad publicos sumptus tolerandos: reliqui fructus domesticis curis intacti seruari debent, ne Regis officium oneri potius esse Reipublicæ, quàm præsidio ciuibus videatur. Homines consilio, manu, seu corporis animique viribus Regem iuuare debent, quæ sæpè nisi præsentes præstare non possunt. Quare nisi aliter Regi cum ciuibus conuenerit, vt ipsi quidem stipen-

TVLITQ; SAVL, &c.

A dia conferrent, Rex belli pacisque curam solus sustineret: dubium esse non potest, quin iure, quos velit, in partem solicitudinis vocare queat. Quinimò, quacunq; tandem conditione transegerit, si delectu habito non satis idonei militiæ nomina dederint, ciues signa sequi cogere poterit; & quos eius rei peritos nouerit, turmis præficere. Oportet tamen id accidat penuria hominum magis, quàm auaritia Principis: alioquin enim primum huic malo remedium afferre decet, quàm molestus sit ciuibus, stipendia simul operásque exigens. Ast vbi Reipublicæ necessitas postulare videbitur, non cuiusquam labori parcet, non possessionibus: priuatorum incommodis, si fortè opus sit, publica salus paranda est. Si quæ vrbs obsidione cincta sit, & priuata domus mœnibus immineat, aut vicini-
B tate sua præsidiarijs militibus officiat, vel certè opportuna est excitando aggeri, tum sine dubio à Rege excindi occuparíue poterit. Decet enim priuatas opes publicis necessitatibus inseruire. Quare cùm Saulem vndique bella premerent, nec satis hactenus benè constituta Republica, stipendiario milite fines tueri posset; & alioquin tantum illud periculum quo statim defuncti erant, Dauidis constantiam Reipublicæ necessariam ostenderet, iure ac merito potuit eundem compellere, vt Rempublicam capesseret.

VERSVS III.

C **Inierunt autem Dauid & Ionathas fœdus: diligebat enim eum quasi animam suam.**

VERSVS IV.

Nam expoliauit se Ionathas tunica, qua erat indutus, & dedit eam Dauid, & reliqua vestimenta sua, vsque ad gladium & arcum suum, & vsque ad balteum.

Variæ trāslat.

VErsu tertio Pagninus, *Et percussit Ionathan cum Dauid fœdus, eò quòd diligeret eum se-*
D *cundum animam suam.* Arias, *Et excidit Ionathan & Dauid fœdus, in diligendo eum, &c.* Vatablus Salmant. *vt propriam animam.* Chaldæus, *Et pepigit Iehonathan & Dauid fœdus in eo, quòd amauit illum vt animam suam.* Septuaginta, καὶ διέθετο Ἰωναθὰν καὶ Δαυὶδ διαθήκην, ὅτι ἠγάπησεν αὐτὸν κατὰ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ. *Et inijt Ionathan & Dauid fœdus, quoniam dilexit eum secundum animam suam.* Sic legunt Complut. Aldus, ἐν τῷ ἀγαπᾶν αὐτόν, &c. Nobilius in Notis, (nam sex primi versus huius capitis & quatuor postremi præcedentis desiderantur in edit. Lat. Rom. Sept. Interpr.) *Et disposuit Ionathan, & Dauid testamentum in diligendo eum iuxta animam suam.* Versu 4. idem legit hoc modo, *Et exuit Ionathan pallium, quod super se, & dedit illud Dauid, & mantellum suum,*

INIERVNT AVTEM, &c.

& vsque ad gladium suum, & vsq; ad arcum suum, & vsque ad balteum suum. Complut. legunt pariter, nisi quòd τὸ μανδύαν *vestimentum* simpliciter, & non genus aliquod mantelli exponunt. Græca sic habent: καὶ ἐξεδύσατο Ιωναθὰν τὸ ἐπενδύτην τὸ ἐπ' αὐτῷ, καὶ ἔδωκεν αὐτὸ τῷ Δαυίδ, καὶ τὸν μανδύαν αὐτοῦ, καὶ ἕως τῆς ῥομφαίας αὐτοῦ, καὶ τὸ τόξον καὶ τὴν ζώνην αὐτοῦ. Chald. autem vertit: *Et misit Iehonathan pallium quod super ipsum, & dedit illud David, & vestimenta sua, & vsque ad gladium suum, & vsque ad arcũ suum, & vsque ad arma sua.* Vatablus Salmant. *Exuit autem Ionathan tunicam qua erat indutus, & dedit eam Dauidi, sed & interiorem vestem suam, deinde & gladium suum, & arcum suum cum baltheo suo.* Arias apud Pagninum, *cinctorium* maluit, quàm *balthenm*. Alius *Zonam* transtulit. Hebraïsmum autem Vatablus obseruat in his verbis, *vsque ad ensem*. Hoc verò fœdus, quo tempore ictum sit, sic explicat Iunius secũdum priorem illam suam sententiam. Postquam Dauidem Saul assumpsisset in aulam, amorẽ (quo inde à cæso Philisthæo eum prosequebatur) fœdere confirmauit.] Tanquam ex longo interuallo. quo nihil absurdius.

Fœdus vnde dictum Hebræis.

Inierunt autem David & Ionathas fœdus.] בְּרִית *berith* est fœdus, à cædendo, aut percutiendo: quia in fœderibus sanciendis solebant olim cædere victimam. Ita Abraham cùm fœdus iniret cum Deo, *mactauit victimam, & Dominus transiuit inter partes.* Et Hieremias queritur cap. 34. *Transierant per partes iuuenca, & tamen Deo fefellerunt fidem.* Alij vocem eam ducunt à בָּרָה *barah*, quod est eligere, aut purum esse. Nam in feriendis fœderibus deliguntur certa quædam capita, quæ sanctè ac syncerè coli debeant: aut quod ea ingenuè & candidè proponi oporteat, sine fuco, aut fallacia. Non apparet ex textu, quæ fuerint conditiones huius fœderis: credibile tamen est, vt Reipublicæ communi consilio prouiderent, vt Dei gloriam & religionem procurarent, vtque ea amicitia stabilis, & sancta esset apud eorum posteros. Quid si eas quoque sibi leges dixerunt quas præscribit Amicitia apud Cyrum Prodomum exulans? Sic enim illa fœdus inire volentem interrogat:

Cyrus Theodor' περὶ ἀποδήμου τῆς φιλίας.

Καίρων ἐπ' ἄλλων ἀγαθοῖς ἔξεστί σοι, &c.
Erisne lætus alterius causa boni?
H. Ero. A. Malisque dolebis exteris?
H. Fiet. A. Animumq; non habebis duplicem.
Sed vt loqueris, ex animo sic senties?
H. Et maximè quidem. A. Sed alia quærito:

Leges amicitiæ.

Rebusne amici posthabebis proprias?
H. Sanè. A. Pro amicis sustinebis quoq; mori?
H. Faciam. A. Nec inuidebis inuidenti tibi?
H. Non. A. Inuidentem diligesque?
H. Diligam, &c.

Quæ Christianam perfectionem magis quàm vulgarem amicitiam redolent. nam pro inimicissimis quot olim Martyres hodiéque crudelissimo mortis genere intereunt? At Toxaris apud

Lucianus.

Lucianum, cùm ortus esset ex intima frigidissimáque Barbaria, Volo, inquit, commemorare

Scythæ quibus legibus societatem coeant.

quo ritu nos Scythæ amicos faciamus, non ex poculis, neque si quis æqualis sit, aut vicinus: verùm vbi strenuum quempiam virum conspexerimus, quique præclara facinora patrare possit, in hunc omnes studio incumbimus: & quod vos in ambiendis coniugijs, id nos in amicis non grauamur, diu quasi procos agentes, nihilque non facientes, ne videlicet frustremur amicitia, néue reiecti esse videamur. At vbi iam in amicitias cæteris valere iussis delectus est quispiam, protinus fœdus initur, ac iusiurandum, quod sit maximum, nimirum & victuros eos pariter, & mortem oppetiturum, si sit opus, alterum pro altero. Mox, vt addit, mutuum sanguinem bibunt pariter, nec plures tribus in eam societatem admittunt; à quibus nos postremò abhorremus. nam priora quis non mirificè laudet, & æmuletur?

Amoris triplex genus explicatur.

Diligebat eum quasi animam suam.] Quis non Sanctorum hoc idem cumulatè præstitit? Amoris triplex genus. Concupiscentia sua commoda sectatur; amicitia virtuti fauet: quæ si fortè spes frustrentur ambientium, tum vtraque eclypsim patitur. Philautia neutro fundamento nititur. Rebus ipsis inhæret, sint licet inutiles, & nullo virtutis splendore decoræ. Sic nos ipsos perditè diligimus, nullo neque scelere, neque calamitate ab eo amore deterriti. Ad hunc proximè charitas accedit, quæ imperat, sicut nos ipsos sic quoque proximum amplectamur. Inde consuetudo illa manauit, vt sceleratissimos homines plerique Sancti non modò non neglexerint, sed etiam studiosissimè coluerint. Non enim hominem, sed hominis archetypum numen in illis obseruabant. Haud dubium tamen est, quin vbi ea imago virtutis studio tersa atque polita vehementiùs emicat, admiratione sui maiores flammas excitet. Itaque amicitiæ vim, quæ sanctos inter se copulat, nulla oratio explicabit. At, nisi fortè lectori molestum est, ciuilis amicitiæ nonnulla exempla proferam, quæ diuinæ charitatis inexpertis suadere valeant, non esse illud hyperbolicè dictum, *dilexisse Ionathan David quasi animam suam*. Nam Agathocles

Lucianus in Toxare.

quidam Samius, cùm eius quidam amicus Dinias ciuis Ephesius, in calamitatem incidisset, distracto patrimonio quoad eius fieri potuit periclitanti affuit: mox etiam postquam cædis

Singularis amicitiæ exempla præclara, nisi fortè conficta sint.

damnatus in Gyarum insulam vnam è Cycladibus relegatus est, exilio comitem se addidit. Ibi cùm rerum omnium inopia premerentur, baiulandis oneribus ægro ac iacenti necessaria suppeditabat, donec is suum diem obijt. Postremò etiam iam siti tumulum superstes coluit, nec ab eo se auelli passus est. Hunc amabo quis non credat amicum ex æquo secum dilexisse? Scytha 1.
quidam cùm à Sauromatis captiuus duceretur, amicum inclamat nomine Dandamin. Ille mox in confertos hostes irruit, non pugnaturus, quod foret inutile: sed sua captiuitate amico pacturus abeundi licentiam. Verùm Sauromata λύτρα μεγάλα postulat, siue ingens redemptionis pretium. Cui Dandamis: Quæ possidebam, inquit, ea omnia à vobis direpta sunt: quod si quid est quod nudus præstare queam, hoc ego polliceor. Oculos prędo postulat: exhibet eruendos: sicque chariorem sibi suis oculis Amizocam ad suos reduxit, an potius sequutus est? Ve- 3.
natum vnà Belittas Basthesque prodierant. At Basthen leo corripit. Quid facturus Belittas si non amicum seipso chariorem habeat? fuga sibi consulet.

DILIGEBAT EVM, &c.

consulet. Non tulit amicum deserere. in leonem inuadit, horrendos rictus tentat diducere, & amicum eripere, donec viribus inferior oppressus cessit, & amici casum pari sorte cumulauit. Feruebat mare procellis sonantibus, cùm interim Euthydicus & Damon ex Italia soluentes Athen. s tentabant appellere. Iam nauis haud procul Zacyntho aberat, cùm nox laborantes oppressit. Somno vincitur Euthydicus. At Damon malè affectus stomacho, in tanta iactatione nauseabat & vomebat, donec incautior, dum prono incumbit capite, à pelago absorptus est. Miseri gemitum exaudijt Euthydicus, dum luctatur cum fluctibus, & facem luna præferente, in summo gurgite periclitãtem conspicit. Quid faciat? nam negat nauclerus succurri posse. Vicit tamen periculi magnitudinem amicitiæ vis ac potentia. Nam profundi voraginem nihil veritus se dat præcipitem, & amicũ medijs in fluctibus vestigat & rimatur: defectum viribus vtcunque sustentat, & mergi prohibet, certus naufragij, ni præses amicitiæ numen in summo discrimine versantibus salutarem dextram porrigat. Affuit tandem dexter & propitius Deus. Nam pereuntium vicem nautæ dolentes complura subera, postremò etiam scansoria tabulata in mare proiecerant; in quæ cùm sub auroram ipsi incidissent, ijs conscẽsis prosperè ad Zacynthum applicuerunt. His si quisquam fidem adhibeat, dubitare opinor non poterit, cõplures olim amicos æquè ac seipsos charos habuisse. Et tamẽ supradictos omnes vincit vnius Demetrij beneuolentia. qui cùm absentem Antiphilum, sacrilegij falsò suspectum, in vincula coniectum comperisset, accedens quoad licuit mœrore pedoréq; confectum, consilio auxilioq; recreauit. Mox vbi eundem visere prohibitus est, suum ipsius nomen de eodem crimine detulit; & sic impetrat, vt cum amico teterrimo carcere inclusus, infamiæ ac supplicij societate insontis dolorem leniret. Itaque diutius ibidem squalentis loci molestias pertulit, hoc vno corporis & animi ægritudinem leuans, quòd amico proximus, & in eadem trabe reuinctus, eius præsentes ærumnas, & futuri supplicij metum sua præsentia minueret. Vterque tandem ex insperata occasione sceleris absoluti, muneribúsque donati, pristinæ libertati restituti sunt.

Nõ debuit tamen Demetrius falsò nomẽ suum deferre.

Expoliauit se Jonathas tunica, &c.] In sanciendis fœderibus adhibebantur symbola, vti diximus. Ea quoniam hîc non fiunt, Ionathas adhibere voluit alia, quæ essent argumenta coniunctissimæ necessitudinis. Declarat autem hoc symbolo, omnia sua cum Dauide fore communia, quemadmodum esse oportet amicorum. Christus verò cùm nobiscum sanciret amicitiam, longè adhuc arctius, & illustriùs adhibuit charitatis erga nos suæ symbolum. Dedit enim nobis nõn chlamidem, aut baltheum, sed corpus & sanguinem suum, idque nobis semper in Eucharistiæ Sacramento communicat, cuius idcirco participatio Communio vocatur.

Fœderis huius symbolum.

Porrò beneuolum ab amico distinguit Suidas in voce εὔνους, & amici obsequium præfert alterius beneuolentiæ. Et amici, inquit, officium, munus, siue opus optabilius est, quàm beneuoli, & amicitia optabilior quàm beneuolentia.

Suidas.

Quod sit amici munus & officium.

A Græcè habet: Καὶ τὸ τοῦ φίλου ἔργον αἱρετώτερον ἢ τὸ τοῦ εὔνου, καὶ φιλία εὐνοίας. Quod sic explicat: Ἔστι δὲ τοῦ μὲν φίλου ἔργον, ἡ μετὰ βουλήσεως πρᾶξις τῶν ἀγαθῶν εἰς τὸν φίλον. τοῦ δὲ εὔνου, ἡ βούλησις μόνον. Nam amici quidem munus est, cum bona voluntate ipsa quoque bonorum in amicum collatio; beneuolus bona duntaxat voluntate afficitur. Beneuolum igitur Ionathan prius quidem Scriptura asseruit: nunc verò etiã manifestis indicijs amicum præstat. Vtrumque autem docere lectorẽ oportuit. Alioquin enim amicitia, quæ beneficio vacat, suspicione non vacat; & donis artes doliq; teguntur, si beneuolentia desit.

Eutrapelus, inquit Horat. *cuicũq; nocere volebat*
Vestimenta dabat pretiosa, beatus enim iam
Cum pulcris tunicis sumet noua consilia, & spes:
B *Dormiet in lucem. scorto postponet honestum*
Officium: nummos alienos pascet: ad imum
Thrax erit, aut olitoris aget mercede caballum.

Horatius lib. 1. epist. 18.

Dauidi nõ Eutrapelus, sed amicus Ionathas pulchram tunicam contulit, ensemq; & decorum baltheum: egebat siquidem, nec videbatur cum illa veste pastoritia satis decorè cum ducibus in aula posse versari. Valerius Augustus apud Vopiscum in Aurel. leuandam docet eorum paupertatem, qui cùm Reip. viuant, inopia conflictantur. Quare cùm Aurelianũ Consulem idem crearet, Ælio Xifidio Præfecto ærarij scripsit: Aureliano, cui Consulatum detulimus, ob paupertatem, qua ille magnus est, cæteris maior, dabis tunicas multicias viriles decem, lineas Ægyptias viginti, mantelia Cypria paria duo, tapetia Afra decem, stragula Maura decem, porcos C centum, oues centum, &c.

Vopiscus.

Vsque ad gladium, & arcum suum, & baltheum.] Legis Longobardorum lib. 1. tit. 9. l. 33. Accipiter & Spatha in compositione VVidrigilt non veniunt. Est autem VVidrigilt mulcta pecuniaria; seu pretium lege statutum, quo reus vitam suam redimebat. Vel hinc, ait Lindenbrogus, maiorum nostrorum victus partim æstimari potest, qui arma sua quibus libertatem tuebantur, & accipitres quibus animum honesto oblectamento reficiebant, pretio nullo taxari voluerũt. &quidem arma sua cordatiori cuiq; percara esse solent, quod & de Auijs & Sardolybibus legimus; apud quos omnia cõmunia erant: præter enses & pocula. Eustath. in Homer. ... pag. 881. Stobæus Serm. 165. Ionathas igitur cùm ar-D ma sua magni duceret, quo prolixum suum animum ac beneuolentiam proderet, eadem Dauidi conferre voluit. Sed & illud ad fœderis religionem pertinuisse videri posset, si Iudæorum mores ex aliarũ gentium ritibus colligi possent. M. Adamus Bremen. cap. 30. Cæsari, inquit, miserunt gladium videlicet capulo tenus aureũ, & alia multa, pacem firmam ritu gentis per arma iurauerũt. Per arma autem iurasse antiquiores non modò Scythas, sed plerosq; populos affatim leges testantur, quæ *Cod. LL. antiquarum* continentur. Hinc illæ phrases identidem occurrunt: *Coniurare cum dextera armata*. Ripuar. tit. 33. §. 1. *Armata manu iurare*. Saxon. tit. 1. §. 8. *In arma sua sacramenta iurare*. Alm. 89. *Ad arma sacrata iurare*. Longobard. lib. 2. tit. 55. l. 5. 10.

POSVIT EVM SAVL, &c.

Formula 119. *Adprehensis armis, sicut mos est apud omnes*, dextratus dixit, &c. Aimoin. lib. 4. ca. 26. hoc pactum sacramento quidem *super arma (vt eis mos erat iurantibus)* firmatum. Annales veteres editore P. Pithœo. Ann. DCCCLXXIII. iurabant iuxta ritum gentis suæ per arma sua, quod nullus deinceps, &c. *In vestimento quoq; sacramentum facere.* Frisiones iubentur legis eorundem *Tit.* 3. §. 4. Tradidisse verò arma cùm fœdera iurarent, colligi posse videtur ex ijs, quæ ex Adamo Bremen. anteà retulimus.

VERSVS V.

Egrediebatur quoq; Dauid ad omnia quę misisset eũ Saul, & prudenter se agebat: posuitq; eũ Saul super viros belli, & acceptus erat in oculis vniuersi populi, maximéq; in conspectu famulorum Saul.

Variæ trãslat.

PAgninus, *Et egressus est Dauid, in omnibus ad quæ mittebat eum Saul, prudenter se gerebat.* (Arias, *intelligens agebat.*) *posuitq. eum Saul super viros bellatores*, (Arias, *belli*,) *placuitq.* (Arias, *& fuit bonus*) *in oculis totius populi, & etiam in oculis seruorum Saul.* Chaldęus, *Et exiuit Dauid in omni loco, quo misit eum Saul, prosperans; & præfecit illum Saul super viros facientes bellum, & pulchruit in oculis omnis populi, & etiam in oculis seruorũ Saul.* Vatablus Salmant. *prudentem (rem) gessit.* Et in Schol. Prosperè rem gerebat. vel, magna felicitate negotia conficiebat. Iunius, *Cúmq; prodiens Dauid ad quæcunq; mittebat eum Saul*, secundaretur, præfecit eum viris militaribus, bonusq; videbatur in oculis, &c. Græci, Καὶ ἐξεπορεύετο Δαυὶδ συνιῶν ἐν πᾶσιν οἷς ἂν ἀπέστειλεν αὐτὸν Σαούλ. *Et egrediebatur Dauid intelligens in cunctis, quibus, seu ad quæ misisset eum Saul.* Aldus non habet συνιῶν *intelligens*, sed post *Saul*, legit συνῆκεν *intellexit*. In reliquis cum Vulgat. consentiunt.

Nunc dicendum est de dilectione Saulis. Fuit ea aliqua quidem, sed à carne profecta, & ab humana prudentia; quòd videret Dauidem esse adolescentem fortem, & industrium, aptúmq; ad defendendam Remp. Et statim à principio, si quos vidisset eiusmodi viros, eos solebat ad se adiungere. Dilexit ergo Dauidem sua ipsius causa, non propter Deum. Nam cùm illum vidisset postea esse in magno honore apud populum, & iam nonnihil timeret regno suo, cœpit eum odio prosequi Vatiniano.

Posuit eum Saul super viros belli: prudenter se agebat: & acceptus erat, &c.] Dauid ex opinione, fit dux militaris. Et in eo munere non tantùm prudenter se gessit, sed etiam feliciter. Prudentia est recta ratio rerum gerendarum. Res autem aliæ sunt domesticæ, aliæ publicæ, aliæ militares, quibus addere etiam possumus Ecclesiasticas. Hîc agitur de prudentia militari. Sed vnde eam nactus est Dauid? Haud dubiè à Deo. Non enim duxerat ordines, aut versatus vnquam fuerat in armis. Sed Spiritus Dei, qui dicitur *Spiritus consilij, Spiritus sapientiæ, Spiritus scientiæ*, est etiam Spiritus militaris prudentiæ. Quos enim Deus vocat ad aliquam functionem, illis vires,

Militaris prudentia cum incredibili morũ suauitate coniuncta.

atque animos suppeditat, quò munus suum obire possint. Verùm non satis est prudentia, aut felicitas: accedere etiam oportet autoritatem. Itaque additur, Dauidem fuisse in gratia apud populum, & apud aulicos. Mirum autem id est, præsertim apud aulicos. Illi enim inuidere solent, si quis ex obscuro loco emergat in aliquam florentem fortunam. Nactus est Dauid hanc autoritatem non adulando, non donatiuis, aut congiarijs, aut visceratiónibus, sed rebus gestis, & manifestis argumentis prudentiæ. Nam opinio prudentiæ, cùm vbique, tum in bellis maximè, in quibus vita discrimini obijcitur, autoritatis plurimùm conciliat. Vt enim ægroti eos potissimùm medicos accersunt, & decretis parent, quos norunt artis suæ peritissimos, & singulari prudentia remedium afferre posse; & qui mare nauigant horum cupidissimè iussis obtemperant, quos gubernatores optimos opinantur, qui procellarum vim ac maris æstum superare consueuerint: ita & in prælijs horum auidè milites signa sequuntur, qui soleant hostes quidem vincere, suis autem facilem parare victoriam. Ad quæ si morum quoq; suauitas accedat, dici non poterit quantos ea virtus amores excitet. Alioquin enim sola necessitas ducem commendat. Testis ille Clearchus, cuius meminit Xenophon in lib. 2. Cyri Min. expedit. qui cùm reliquis partibus imperatorijs excelleret, ob morum tamen acerbitatem militum beneuolentiam consequi non potuit. In periculosis, inquit, temporibus eum libentissimè omnes auscultabant, Imperatorem votis expetebant, orisque tristitiam, hilaritatem, imperandi seueriorem modum, in hostes impetum interpretabantur, sibique hominis truculentiam salutarem potius quàm molestã ducebant. Ast vbi pericula euaserant, poterántque impunè ad alios duces transire, multi eum deserebant, quippe qui morum suauitatem, quæ longissimè ab eo aberat, sectarentur, duritiem & difficultatem refugerent: Itaque non aliter in illum milites affecti erant, quàm pueri in magistros. Quocirca nunquam illum aut studijs, aut beneuolentia deuincti milites sequebantur: eos tantùm dicto audientes habebat, qui aut ex ciuitatis delectu ei attributi essent, aut qui, cùm eius opera indigerent, ipsa necessitate adducti, in officio permanerent.] At præter lucem prudentiæ, etiam Dauidis mansuetudinem Scriptura prædicat.

Xenophõ.

VERSVS VI.

Porrò cùm reuerteretur percusso Philisthæo Dauid, egressæ sunt mulieres de vniuersis vrbibus Israël, cantantes, chorosq; ducentes in occursum Saul Regis, in tympano lætitiæ, & in sistris.

Variæ trãslat.

PAgninus, *Et factum est dum venirent ipsi, dum reuerteretur Dauid* (Arias, *in veniendo eos, in redeundo Dauid*) *à percutiendo Pelistæum, &c. cantando, & chori in occursum Saul Regis, cum tympanis, cum lætitia, & canticis.* Arias pro *canticis*, habet *in trifidis instrumentis.* Chaldæus, *Et fuit in intrare eos quando redyt Dauid ab occidendo Pelisthæum,*

Pelisthæum, & exierunt mulieres ex omnibus vrbibus Israel, ad laudandum in canticis in occursum Saul Regis, in tympanis, in lætitia, & in cymbalis. Vatablus Laurent. *Et chori mulierum ibant in occursum Saul Regis cum tympanis, cum instrumentis lætitiæ, & canticis.* Iunius, *Sed fuit redeuntibus illis, quum reuerteretur Dauid à cæde Pelischthæorum.* Duo notat in his verbis Iunius, quæ nihil conferunt ad historiæ explicationem. Primùm est, tum Saulem, seruosque eius, & omnem populum ab aliqua alia pugna contra Palesthinos redijsse. Quare enim non potius ab ista? aut quæ ratio fingendi alteram? Alterum est, enallagen numeri obseruandam hîc esse, & *à cæde Philisthæorum* legendum esse, tametsi Hebraïcè *Philisthæum* singulari numero legas. quod iterum minimè necessarium est. Goliath enim hîc intelligitur: cuius cædes, vt præclari facinoris gloria, priuatim Dauidi tribuitur. Quare etiam reliqui omnes Interpretes *Philisthæum* constanter legunt. *Vt prodirent fœminæ ex omnibus ciuitatibus Israelis ad cantandum, & earum chorea obuiam Schauli Regi, cum tympanis præ lætitia, & cum panduris.* ita Iunius. Vatablus Salmant. *Factum est autem cùm ipsi venirent,* (in Schol. subaudi, ex bello) *rediretque Dauid à cæde Palesthini, egressæ sunt mulieres ex cunctis ciuitatibus Israel cum canticis & tibijs,* (in Schol. Hebraïsmus, *ad canendum & fistulæ*, subaudi, in manibus eorum, id est, tenentes fistulas, quasi dicat, canentes ore & fistulis carmina in laudem victoriæ Dauidis.) *obuiam Sauli Regi, cum tympanis, cum lætitia, & fidibus.* In Schol. *cum lætitia*, subaudi, organis, id est, musicis, quibus excitari solet lætitia. *Fidibus.*] Sistris, vel cymbalis. Vox Hebræa significat instrumenta quæ constant tribus fidibus. Alij aiunt esse carmina eximia. Hæc Vatablus. Græci Complut. Καὶ ἐγένετο (Aldus ἐγενήθη) ἐν τῷ εἰσπορεύεσθαι αὐτούς, Complut. ὅτε ἐπέστρεψε Δαυὶδ πατάξας τὸν ἀλλόφυλον. (Aldus, ἐν τῷ ἐπιστρέφειν Δαυὶδ ἀπὸ τοῦ πατάξαι τὸν ἀλλόφυλον) Καὶ ἐξῆλθον αἱ χορεύουσαι, καὶ ᾄδουσαι εἰς ἀπάντησιν (Aldus hîc ᾄδουσαι non habet, & habet συναντήσει Δαυίδ) Σαοὺλ τοῦ βασιλέως ἐκ πασῶν τῶν πόλεων Ἰσραὴλ ἐν τυμπάνοις, καὶ ἐν χαρμοσύνῃ, καὶ ἐν κυμβάλοις. Post Ἰσραὴλ, Aldus iterum repetit, ᾄδουσαι καὶ χορεύουσαι cum reliquis quæ sequuntur apud Complutenses, quæ apparet ex varijs translationibus in vnam esse congesta. *Et factum est cùm ingrederentur ipsi, quum reuersus est Dauid vt percussit Philisthæum,* (Flaminius in Notis, *à percutiendo alienigenam.*) *& egressæ sunt choros ducentes & cantantes in occursum Regis Saul,* (Aldus hoc loco non habet *cantantes*, & habet, *in occursum Dauid*; sed iterum eadem repetit cum Complutensibus.) *de vniuersis vrbibus Israel in tympanis, & in lætitia, & in cymbalis.*

Refellitur Iunij commentum.

Populi Romani lætitiam, quo tempore Maximini & filij eius capita in vrbem allata sunt, describit Herodianus libro octauo his verbis: Qui (equites) postquam peruenêre in vrbem, atque infixa contis hostilia capita, omnibus conspicienda prætulerunt, nemo vtique verbis vllis consequi posset festum lętitiámque eius diei. Nulla quippe fuit ætas, quæ non ad aras & templa festinaret, nemo qui domi se contineret: sed ibant ceu lymphati gratantes inuicem, A atque in circum veluti futura concione frequentes concurrebant. ipseque Balbinus hecatombas immolabat, nullique non magistratus, nulli non è Senatorio ordine lætabundi supra quàm dici posset, agitabant, quasi securim ceruicibus imminentem excussissent, &c.

Herodian.

Et egressæ mulieres cantantes, chorosque ducentes.] Quis est, inquit Cyrus, qui habet hanc vitam beatam? Respondet Crœsus: Mea vxor, ô Cyre. Illa enim & bonarum, & mollium, & lætarum omnium rerum æquè atque ego erat particeps: curarum verò vt hæc forent, & belli & pugnæ particeps non erat. Hæc ille. Viri scilicet postquam pugnauerint, fœminæ choros ducunt. Mulierum hoc studium est, illæ partes, triumphos Principum ordinare tripudijs, & canticis, vt apparet in Exodo, cùm Pharao B submersus esset in Erythræo mari: & in historia Iudicum de filia Iephthe, quæ cum chorea puellarum patri processit obuiam. *Cantantes, chorosque ducentes.*] Triumphi descriptio est. Est autem θρίαμβος, ἐπίδειξις νίκης, πομπή, καὶ τὸ σεμνύνεσθαι. Triumphus est ostentatio victorię, pompa, & gloriatio. A cantu & saltatione dictum putant: his enim maximè ingentem lætitiam præ nobis ferimus. Λέγουσι γὰρ, inquit Suidas, θρίασιν τὴν τῶν ποιητῶν μανίαν. Thriasum enim dicunt Poëtarum furorem. Θορεῖν verò saltare est. Et erat Bacchus saltandi peritus, qui primus deuicta India triumphum fertur agitasse. Cantando porrò saltandoque his ferè mulieres excellere solent, ob innatam lasciuiam. Corinna Pindarum vicit: Sappho nulli Poëtarum secunda, si Æliano credimus. *Cantantes, chorosque ducen-* C *tes.*] Ergo olim, quod Lucianus obseruat, περὶ ὀρχήσεως, seu De saltatione, qui saltabant, ijdem vnà canebant. Postea verò cùm violento motu grauari anhelitum, vixque animam ducere cernerentur qui choros ducerent, & ludum interpellari, saltantibus affuerunt qui odas & modos concinerent. Hoc tempore vtroque modo choreas celebrari passim videmus. Quarum quandoquidem non infrequens mentio in Scripturis, vsus verò publicè priuatimque apud omnes frequentissimus, operæpretium nos facturos credidimus, si de his, quæ passim collegimus, hoc loco cum lectore communicemus.

EGRESSÆ MVLIERES, &c.

Xenophon Cyropæd. lib 7.

Postquam viri pugnauerint, choros ducunt fœminæ.

Suidas. Vnde triũphi nomen.

Lucianus.

D

De Choreis.

QVÆST. XXXI.

Chorearum varium genus ac multiplex. Nominum earum copiosam syluam, secretasque species enumerat Pollux Onomast. libro quarto, capite decimo quarto. Sed nihil hæc faciunt ad propositum: alia nobis ineunda via est. Definiri saltatio posse videtur, Incessus paulò commotior, & ad numeros musicos compositus. Genus incessus est. ambulatio enim est, & quidem vehementior, decens tamen, & gestu præ se ferens harmoniam. Tota ad voluptatem comparata videtur. Sed quoniam eadem

Saltationis definitio.

Saltationũ plures species.

CANTANTES, &c. voluptas hominum instituto non in vnum finem relata est, idcirco varias quoque species sortita est, quarum quod spectat ad mores, hæc summa fertur. Aut enim religio est, & ceremonia quædam cultus diuini, aut militaris exercitatio ad comparandas vires vtilis, aut gesticulatio histrionica, res gestas hominumque mores exprimens: quarto loco ludus est, & quædam lætitiæ hilaritatisq; testificatio. Postremò æstus quidam est lasciuiæ, libidinem gestu motúque ciens. De sacris obscœnisque choreis nihil dicemus. de sacris, quoniam erit alius disserendi locus: de obscœnis, quoniam hæ omnium iudicio damnatæ sunt, nec quisquam disputat, liceátne turpibus modis exerceri. Restat ergo vt de tribus duntaxat quæstio esse possit, Pyrrhica, gesticulatoria, & ea quæ publicæ, priuatæque lætitiæ consecrata iucunditatem sectatur.

De saltatione Pyrrhica. Cæterùm, cùm dico πυῤῥίχην, non modò ἐνόπλιον me dicere intelligo, sed etiam γυμνικὴν, & quæcunque saltatio in eum finem instituta est, vt rebus bellicis milites instructiores paret. Nam apud Lacedæmones Ephebi primùm, vt Aristoxenus autor est, gymnopedicam nudi saltabant, mox ad Pyrrhicam transiêre. Nam pueros etiam in Panathenæis armatos saltare solitos proditum est. A quinto ætatis anno πυῤῥίχιζειν discebant, quibus Pyrrhica iam inde à teneris vnguiculis belli progymnasma fuit. Neque tamen armati semper choros ducebant, quoties belli munia docerentur: sed etiam nudi militarem impetum gestu præferebant, & vario flexu corpus contorquebant, haud aliter quàm cùm tela solent in acie iaci, vel declinari. Sunt qui Pyrrhum velint, Achillis filium, eius saltationis autorem extitisse: sed profectò non potuit, siquidem Aristoteli credendum est, prius ad Patrocli pyram Achillem ea vsum fuisse. Hoc etiam saltandi artificio Rheam prius oblectatam aiunt, inquit Lucianus, in Phrygia quidem Corybanthas, in Creta autẽ Curetas saltare iussisse. Gladios, inquit, ad scuta collidebant, & bellicum quid atque entheon saltabant, ἔνθεόν τι, ἢ πολεμικόν. Inde Cretes saltandi studio capti, vt quisque nobilitate, ita & huius artis peritia reliquis voluit antecellere. Thessalis etiam præcipua huius rei cura fuit. idque sibi laudi duxerunt populi præsides, si προορχηστῆρες, siue præsaltatores dicerentur. Saltationis armatæ plures modos reperies apud Xenophontem initio libri sexti Cyri Minoris, quo loco etiam mima Pyrrhicam

Enoplia. saltasse fertur. Enopliæ, siue armatæ saltationis etiam leges Romanæ meminerunt. *D. de pœnis, L. Ad damnum.* quandoque iuuenes cùm deliquissent, non statim capite plectebantur, sed

Pyrrhicarij. vel ad venationem in theatro damnabantur, vel vt saltarent in armis. Et ij appellabantur

Budæus. Pyrrhicarij. Budæus plura notat *ad L. Athletas, ff. de ijs, qui notantur infamia.* Vix alium vsum Pyrrhicæ apud Romanos inuenio, nisi fortè in funeribus & anniuersarijs celebrandis, si quis

Decursio armata. Dio. tamen censeat exercitus circa tumulum decursionem ad Pyrrhicam pertinuisse. Huius decursionis armatæ exemplum habes apud Dionem

Suetonius. libro quinquagesimo sexto. Meminit & Suetonius in Claudio, capite primo. Virgilius Æneidos vndecimo, eundem cæsis Troianis exhibitum honorem describit.

Virgilius.

Ter circum accensos, cincti fulgentibus armis,
Decurrere rogos, ter mæstum funeris ignem
Lustrauère in equis, vlulatúsque ore dedère.
Spargitur & tellus lacrymis, spargũtur & arma.
In cælo clamorq; virûm, clangorq; tubarum.

Lucianus. Sed hæc opinor extra Pyrrhi chorum. Pyrrhicam inermem laconum puerorum ad hunc modum describit Lucianus De saltatione. In medio Epheborum, inquit, tibicen locatus est, tibiam incinens, ac pedibus instrepens. Cæterùm illi per ordinem alter alterum sequentes, omnigenas figuras corporis agilitate exprimunt ad rhythmũ ingredientes, alias quidem bellicas, &c. Mox etiam de Hormo loquens, Hormus, inquit, saltationis genus est adolescentibus virginibúsque commune, alternatim ad choream dispositis, vt planè hormum, hoc est, segmentum referant. Solet autem adolescens chorum ducere, more iuuenili saltans, quo postea in adoriendis hostibus vsurus sit. Sequebatur hunc puella modestia quadam conspicua, quæ fœmineum saltum decenter admodum peragebat: vt hormum ex temperantia & fortitudine compositus videri posset. Amanda procul à gymnasio has puellas, & Pyrrhicam, si ita videtur, ephebi milites que exerceant. Quis enim vetat corporis robur exercitatione firmari, & pugnandi solertiam arte comparari? Scopus ipse honestus est, motus etiam virilis.

Inermis Pyrrhica.

Hormus.

Pyrrhica honesta & vtilis.

Plutarchus. Saltationis gesticulatoriæ tres partes describuntur. Gesticulatoriæ saltationis tres partes facit Plutarchus in quæst. conuiual. φορὰν, σχῆμα, ἢ τὴν δεῖξιν, lationem, schema, siue figuram, argumenti significationem. φορὰ, motus ipse est, quo animi perturbatio virtúsue cuiuslibet exprimitur. σχῆμα, habitus personæ conueniens, ex quo nosci possit. δεῖξις, historiæ, siue argumenti indicatio est. Hoc genus saltationis, gestibus corporis animi sensa exprimit. Artificis summa laus est, id quod de Pericle Thucydides memoriæ prodidit: nosse quid deceat, & commodè explicare posse. Tantam porrò in ea explicatione perspicuitatem requirit Lucianus, vt quod de Apolline quondam oraculum asseruit, spectator mutum saltatorem intelligat. Ex quo postea concludit, saltationem hanc corporis animiq. opus esse, cùm sit imitationis, demonstrationisque scientia, & partis vtriusque perspicuam imaginem expressuram se gestibus polliceatur. χειρόσοφους eiusmodi saltatores Lesbonax vocauit, hoc est, manu sapientes. Cur non verò etiam pedibus? Pãtomimum melius Itali, quòd vnus omnia exequeretur. Profectò, inquit, si vera sunt quæ de anima Platonem disseruisse constat, tres eius partes pulcherrimè saltator ostendit: vim irascendi, quoties iram exprimit: desiderandi, quoties amantem repræsentat: ratiocinandi, quando singulos affectus quasi frenis quibusdam coërcitos explicat. Inuentam primùm ferunt Hierone Syracusis tyrannidem exercente: qui cùm mutuis colloquijs ciuibus interdixisset, oculorum nutibus, pedumque ac manuum gestibus, dare voluntatis suæ significationem coacti sunt. Quo in genere tandem eò profectum est, vt Demetrius Cynicus, qui prius mimicam

Pantomimorum ars mirifica.

mimicam saltationem irriserat, ac velut inutilem vanamque contempserat, postmodum Romæ in theatrum veniens, plurimùm commendaret. Rogauit enim illum non ignobilis saltator, vt quam ignotam spreuerat, eius præsens periculum faceret: tum si ita videretur exploderet, & lata sententia damnaret. Paruit, in scenam venit, spectator factus est: Saltator mimicus cœpit gestibus referre vulgatam fabulam de Marte deprehenso in adulterio cum Venere. Qua in re ita expressit Solem indicantem, Vulcanum retia nectentem, Venerem suffusam pudore, Martem supplicem, vt Demetrius attonitus exclamarit: Ἀκούω ἄνθρωπε ἃ ποιεῖς, οὐχ ὁρῶ μόνον, ἀλλά μοι δοκεῖς ταῖς χερσὶν αὐταῖς λαλεῖν. Audio, ô homo, cuiusmodi facias: neque enim tantùm video, sed mihi videre ipsis loqui manibus. Eodem fortè tempore Romam venerat quidam Ponti Regulus, qui cùm vidisset hunc saltatorem gestum in theatro agere, iussus postea petere à Nerone, qua maximè re à se donari vellet, Mimum illum petijt. Miratus est Nero, cùm alia potuisset poscere multò maioris pretij, causam postulationis eius percontatus est. Ille respondit: Quoniam varias gentes habeo mihi vicinas, quas citra interpretem nequeo intelligere, & sæpè fit, vt interpretes non satis fideliter mea dicta illis referant, nec illorum rationem vicissim mihi reddant. Hic verò suis gestibus exprimet omnia quàm fidelissimè.

Etiam ad mores conferre potest si in re honesta versetur.

Nec verò hæc tota est saltationis huius vtilitas: sed, quod Crœsi diuitias superat, id homo per eam consequitur, vt seipsum noscat. Est enim veluti nitidissimum quoddam speculum, in quod intuens, suos quisque mores ac studia contemplatur, ac velut animæ simulacrum suæ; itaut haud mediocriter eo spectaculo commoueatur ad superioris vitæ sordes abluendas. Vsque adeò mouet ea saltatio, inquit Lucianus, vt quidam miserè & perditè puellam quandam deperiens, in theatrum ingressus, conspectis, quorum causa esset amor, malis, mentis sanitatem receperit: ac nuncupatis votis theatro egreditur, fronte iam serenata hilarior, quasi pharmacum quoddam, priorum malorum obliuionem inducens, & iuxta Poëtam, dolorem & acerbitatem omnem abstergens, hausisset. Hæc si fortè vera sunt quæ de mimica saltatione ex varijs autoribus collegimus, nullam rationem video cur ab ea magnopere abhorreamus. Cęterùm, cùm plura eius argumenta apud Lucianum perlego, aliena fuisse non videtur ab antiqua tragœdia atque comœdia, nisi quod mutis gestibus exprimeret, quæ compta oratione theatra resonarent. Quare non sine causa, vt arbitror, sicut in cæteras veteris scenæ corruptelas, sic in has quoque saltationes vt procaces & lasciuas Patres inuecti sunt. Non enim minus Philenidis, vt inquit Clemens Alexand. quàm Herculis gestus referebant. Harum nunc alium vsum non nouimus, præterquam in ænigmaticis quibusdam illis choreis, quas vulgò *balais* dicimus. Vopiscus in Aureliano *balistea* vocat: in quibus saltatores cantu, ordine, gestu, vestibus, rem aliquam aut historiam repræsentant. Qui cùm vt plurimùm in turpi materia versentur, rem alioqui suapte natura minimè malam, sua culpa detestabile scelus efficiunt.

De hilari saltatione. Macrob.

Reliqua est vna species, quę lætitiæ causa exercetur. Quatenus liceat, inquirimus. Probarunt communi suffragio Græci: Romani seueriores auersati sunt. Docet hoc apud Macrob. li. 3. Saturnal. cap. 14. Scipio Africanus de Nobilium filijs quæritans: Docentur, inquit, præstigias inhonestas: cum cinædulis, & sambuca, psalterioq; eunt in ludum histrionum: discunt cantare: quæ maiores nostri ingenuis probro ducier voluerunt. Eunt, inquam, in ludum saltatorium inter cinædos, virgines, puerìq; ingenui. Inter quos vidisse se ait puerum bullatum, petitoris, siue candidati filium, non minorem annis duodecim: Quo me Reip. inquit, maximè miserrum est.

A ludicris saltationib. abhorruerunt Romani veteres.

Salustius.

Salustius in Catilinam scripsit, Semproniam quandam mulierem lasciuam & impudicam, canere & saltare fuisse doctam elegantius, quàm necesse est probæ. Atque ibi duo hæc instrumēta luxuriæ appellat. Domitianus in Censura, ciuem Roman. Senatu mouit, quòd plus æquo choreis indulgeret.

Cicero.

Cic. in 3. de officijs habet, virum honestum & probum nolle in foro saltare, etiamsi eo modo possit ad maximū patrimonium peruenire. Et in oratione quam habuit post reditum in Senatum, Aulum Gabiniū inimicum suum vocat saltatorem calamistratum contumeliæ causa. Lucio Murenę criminis loco à Catone obiectum est, quòd in Asia saltasset. Regi quoque Deiotaro idem obiectum est. Cic. pro Murena respondet: Nemo saltat sobrius, nisi fortè insaniat, neq; in solitudine, neque in conuiuio moderato atque honesto. In Philipp. idem Cic. exprobrat Antonio inter cætera vitia saltationem. Constat ergo Romanos à saltatione abhorruisse. Græci contrà, Athenæo atque Luciano testibus, etiam nonnullis locis pręmijs propositis saltandi studiū excitare conati sunt.

Gręci saltationē probarūt, quibus argumentis.

Rationes Græcorū hæ fuisse vidētur. Primùm, instituti veneranda antiquitas. Nam saltationis origo ab ipso mundi exordio petitur, & nata simul cum Amore à Poëtis credita est. Deinde cęlestium rerum conformatio quædam, & imago, & figura est: vt siderum cursum, quem intuēdo complecti vix possumus, varijs expressum choreis admiremur. Cùm enim hominū sapientissimi, qui non minus ingenij quàm oculorū acie valerent, sphærarū cælestiū ordinatissimos motus, stellarumq; atque planetarum perpetuas vicissitudines, obtutus varios, mirabilem denique concentū inspicerent, spectaculi maiestate commoti, eandem terris harmoniam chorearū nonnulla similitudine repræsentare studuerunt. Accedebat adhæc optimorum Poëtarum ac Philosophorū autoritas.

Lucianus autor grauis & tetricus, chorearum patronus.

Siquidem Homerus, vt Lucianus refert, (nam dignum autorem habui, qui chorearum patrociniū susciperet) cùm res mortalium longè iucundissimas iuxta ac elegantissimas vno quasi fasce coniunctim efferret, nempè somnum, amorem, cantum, atq; saltationem: hanc tamen solā præclaro nobilitauit encomio, quippe μόνην ταύτην ἀμύμονα ὠνόμασε, inculpatam solam nominauit. Hesiodus in carminis sui initio, Musas choros agitātes se vidisse testatus est. Quid Socrates? Etiam is hominum sapientissi-

CANTANTES, &c.

mus habitus, iam senex saltandi studio incensus est. Hanc prætereà mortalibus gratæ iucũditatis spes in tanta rerũ perturbatione ærumnisq; plurimùm cõmendauit. Quid quod elegantiæ quidam splendor, & decori studiũ saltationem comitatur? Pulchritudinem tertium hominis bonum Aristoteles esse censuit: ea nos omnes facilè capimur; quo æquiores esse debemus, si qui venustatis illecebris deliniti, choreas sectantur. Postremò, id quoq; choreis magnopere fauet, quod cùm per se innocentes sint (nam turpes & obscœnas dudum explosimus) tum ad valetudinis curam maximè conferunt. His enim potissimum corporis robur exercetur, fames excitatur, & superfluus humor, si quis fortè redundat, aut egeritur, aut calore absumitur.

SS. PP. in choreas inuecti sunt. S. August.

Veruntamen hanc disertissimi nebulonis sententiam non inuenio SS. Patrum iudicio fuisse comprobatã. Nec verò plures referre statui, aut nube testiũ lectorem opprimere, sed duos duntaxat testes laudabo omni, quod aiunt, exceptione maiore. S. August. contra Petilianũ, c. 6. Nugaces, inquit, & lasciuas saltationes Episcopi semper solebant coercere. Idem concione 1. in Psal. 32. dum hæc verba exponit, *In psalterio decem chordarũ psallite illi:* decẽ illas chordas interpretatur mãdata Dei; & cùm de singulis aliquid dixisset, postremò venit ad Sabbathum, de quo scribitur, *Memento vt diem Sabbathi sanctifices:* Obserua, inquit, diem Sabbathi, non carnaliter, non Iudaicis delitijs, qui otio abutuntur ad nequitiam. Melius enim vtiq; tota die foderent, quàm tota die saltarent. Spurcas, inquis, & obscœnas saltationes SS. Patres repudiarunt. Respondeo, communes & vsitatas censura notasse: siue quibus tum theatra perstreperent, siue quibus nuptiæ & conuiuia celebrarentur. Audi S.

S. Chrysost.

Chrysost. homil. 48. in Genes. de nuptijs Isaac differentem. Εἶτα ταῦτα σκόπει μοι, ἀγαπητέ, πῶς οὐδαμοῦ τὰ περιττὰ ταῦτα καὶ ἀνόητα. Hic considera, dilecte, quomodo nusquã superflua illa & inutilia, οὐδαμοῦ πομπὴ διαβολική, οὐδαμοῦ κύμβαλα, καὶ αὐλοί, καὶ χορεῖαι, καὶ τὰ σατανικὰ ἐκεῖνα συμπόσια, καὶ αἱ λοιδορίαι αἱ πάσης ἀσχημοσύνης γέμουσαι, nusquam diabolica pompa, nusquam cymbala & tibiæ, & choreæ, & Satanica illa conuiuia, & scommata omni obscœnitate plena. Et iterum homil. 56. Iacobi nuptias describens, Audite, inquit, qui Satanicas pompas admiramini, & statim ab initio nuptiarũ honestatem dedecore afficitis, μήτι αὐλοί; μήτι κύμβαλα; μήτι χορεῖαι σατανικαί: Num tunc tibiæ? num tunc cymbala? num tunc choreæ diabolicæ? Docet autem pluribus ibidem choreis agitandis sponsum sponsamq; corrumpi, familiam fœdari, & ad disturbandas nuptias, & castitatem expugnandam aditum diabolo parari. Admonet prætereà hanc fuisse Laban soceri philosophiam, tametsi is, cùm idola coleret, à vera fide alienus videri debeat. Ergo hanc pestem fugere vel sola natura docet. Qui fieri igitur poterit vt cuiquam nos venia digni videamur, qui cùm simus disciplinis cælestib. instituti, his tamen oblectemur? Sed & aliunde nos vrget exprobrãs sanctitatem matrimonij, quod cùm apud nos cæleste sacramentum sit, & imago quædam dilectionis Domini, sacrilegis tamen saltationibus polluere

A

non veremur. Refellit denique eorum impudentiam qui maiorum consuetudinem audent excusationis loco prætexere, cùm nemo fur, nemo adulter, hactenus simili defensione vsus sit: nec si faceret, flecteret iram magis quam accenderet. nam quò diutius probaret se in aliquo tali scelere versatum, eò minus veniam consequeretur. Hæc ibi pluribus S. Chrysostomus, qui rursum in Matth. cap. 14. homil. 49. in easdem morum corruptelas vehementiùs inuehitur. quo loco etiam hæc habet: Ἔνθα γὰρ ὄρχησις, ἐκεῖ ὁ διάβολος, vbi saltatio, ibi diabolus: οὐ δὴ γὰρ εἰς τοῦτο ἔδωκεν ἡμῖν πόδας ὁ Θεός, ἀλλ' ἵνα εὐτάκτως βαδίζωμεν: Non enim ad tripudia pedes nobis Deus præbuit, sed vt modeste incedamus: non vt impudenter camelórum more saliamus: nec enim solùm fæminæ, sed etiam cameli turpiter saliũt:

B

sed vt in Angelorum choris consistamus. Quod si corpus deforme fit impudenter saliendo, quanto magis animam fœdari credendum est? Et iterum: Τοιαῦτα ὀρχοῦνται οἱ δαίμονες. Τοιαῦτα ἐξαπατῶσιν οἱ τῶν δαιμόνων διάκονοι: His tripudijs dæmones saltant, his à dæmonum ministris homines decipiuntur. Saltatores vocat dæmonũ diaconos, haud aliter quàm si chorea velut quoddã sacrificium sit, quo supremæ calamitati animas immolant. Addam postremò, quod is quoq; adiungit, peccare grauiùs qui nunc saltant, quàm peccarit olim Herodiadis filia, cùm Ioannis caput saltationis præmium postularet. Οὐ γὰρ κεφαλὴν αἰτοῦσιν ἐπὶ πίνακι αἱ νῦν ὀρχούμεναι, ἀλλὰ τὰς ψυχὰς τῶν συνανακειμένων: Non enim caput petunt in disco, sed animas recumbentium. Hactenus S. Chrysostomus.

C

Accedat nunc testis tertius: qui tametsi cum prioribus haudquaquam pari autoritate certet, non tamen incassum aut frustrà eandem sententiam physica demonstratione cõprobabit. Choreis & saltationibus, inquit Bonifacius de Ceua, primùm corpora, deinde mentes incalescũt, aperiunturq; per lætitiam venæ, quibus ebulliẽtibus calefacto sanguine fugit verecundia omnis atq; modestia, quæ nonnisi sedatis dominatur animis. Inflammantur posthæc mixti societati gratissimæ sensus omnes: oculi visis corporibus optimè ad opera dispositis (nempe in saltationibus nudari vestibus expedit membra) subitò flammam accipiunt; & mutuis aspectibus, quasi sagittarum ictibus corda penetrantur, placidissimis sese vulneribus inficientes. Musicalium verò sonoritate vocum, seu instrumentorum aures quasi lenocinio quodam implentur:

Bonifac. de Ceua inuiaticis excursionibus de luxuria.

Quàm periculosa saltatio.

D

quibus extra seipsum (veluti sopitus dulcedine quadam) animus euanescit. Manus alterutris complexibus, & suauissimis tactibus incẽdium parant. Inter hæc effusa dissolutionis verba pudorem omninò foras expellunt, quo excluso in tactus, amplexus, & oscula, atque luctationes deuenitur, donec omnia fiant. Nec verecundia iam depulsa remedio esse potest: quoniam quasi per risum & iocum impudici tractata membra curialitatis pallio sese tegi arbitrantur, gaudentq; fœminæ quasi violenta se luctatione submitti, & veluti resistere non posse fingentes impleri mysteria omnia, quibus multo amplius quàm ipsi actores oblectantur: sic læta dum gaudent

CANTANTES CHOROSQVE DVCENTES.

gaudent pectora subita arte blanda Venus. Hactenus Bonifacius. Ex quibus & alijs SS. Patrum dictis manifestè sequitur, choreas è cœtu fidelium ablegandas esse, & ijs qui castitatem colant, remis velisque fugiendas.

Obiectio. Obijcitur contrà, genus hoc saltationis natura sua vitiosum non esse, nec inter flagitia censeri posse, quoniam agilitas corporis est donum Dei; & si accedat aliquid artis, nimirum, vt corpus ordine, aptè numero, & cum decoro moueatur, non debet propterea reprehendi, modò in tempore, moderatè, ac citra offensionem fiat. Quemadmodum enim canere licet: & ad gratias Deo agendas & laudes eius celebrandas possumus vti cantu: ita etiam moderata saltatione gaudium & lætitiam animi testari possumus. Dauid porrò coram arca Domini publicè saltauit: & hic puellæ victoriam eius de Goliath choreis & cantibus celebrauerunt. Maria item soror Mosis, strato atque interfecto Pharaone, cum alijs mulieribus choreas duxit, & ἐπινίκιον cecinit. Quare cùm sancti viri, & castæ mulieres choreas frequentarint, non possumus eas natura sua vitiosas ducere. Esto. Sed quod

Soluitur. hodiè fit, vt viri vnà cum mulieribus permisti saltent, ferri passim non debet; quoniam hæc fomenta sunt & incitaméta luxuriæ ac libidinum. Maria soror Mosis non saltauit cum iuuenibus, verùm seorsim inter mulieres. Neque Dauid cum mulieribus choreas duxit: & puellæ quæ victoriam eius celebrabant, inter sese, non cum viris saltabant. Quod verò aiunt choreas non esse natura sua flagitiosas & malas, non vicissim dicimus, res non esse perpetuò ex natura sua æstimandas, sed ex ingenio & abusu consuetudinis humanæ. Vinum sua natura negare non possumus esse bonum, quod tamen febricitanti non datur, non quod malum sit, sed quod corpori sic affecto non conueniat.

Peccatorũ illecebræ fugiendæ sunt. Iam verò qui toto animo atque omnibus viribus Deum amant, non solùm debent mandata eius obseruare, sed etiam omnes vias præcidere, quibus illorum obseruatio impediatur. Nostræ autem choreæ euidentissimæ sunt occasiones transgressionum diuinæ legis. Laquei sunt & scandala, non tantùm saltatoribus, sed etiam spectatoribus: irritant quippe atque inflammant cor hominum satis alioqui prauum ab ipsa origine: quódque magno studio & industria reprimendum est, id chorearum illecebris excitatur. Si quis profectò aut seipsum velit consulere, aut experientiam, aut rationem, inueniet huiusmodi cupiditates non parum accendi & inflammari: & animaduertet viros ab illis minus bonos, & mulieres minus castas domum redire. Quod docet magnificè S. Chrysostomus hom. 56. in Genes. & altera in Matth. 49. quarum etiam prius fecimus mentionem. Pericula cauenda sunt, non alenda. Nam, vt Salomon ait, *Qui periculum amat, in illud incidet.*

Altera obiectio refellitur. Rursum objicitur: Quod adeò obsint choreæ moribus, & libidinem accendant, id temerè ac per accidens fieri: iudicium verò de vnaquaque re faciundum esse, non ex his quæ per accidens accesserint: sed ex ijs quæ per se insunt. Nonnullos reperiri, qui hæc spectacula casti atque

A integri spectent & exhibeant. Sit ita: non debet tamen paucorum virtus & modestia reliquis fraudi esse. Abstinere nos iubet Apostolus à scandalo paruulorum. Accidentium porrò nonnulla rarò contingunt: quædam verò sunt quæ ἐπὶ τὸ πολὺ, hoc est sæpe frequentérque solent euenire. Horum in omni re diligentissima ratio habenda est: nec attendendum est, quid possit, sed quid solitò fiat. Aristippus in purpura saltauit, & reprehensus excusauit, se illa saltatione nihilo factum fuisse deteriorem: sed potuisse in illa mollitie animum philosophicum retinere. Sed tales voces non sunt audiendæ: quia, vt Demosthenes ait, & à Iurisperitis citatur, non est considerandum, quid interdum quispiam faciat, sed quid ἐπὶ τὸ πολὺ fieri consueuerit. Facito aliquem adeò castum, vt huiusmodi ille-

B cebris nihil moueatur, quomodo interim consulitur populo & multitudini? An sinemus alios omnes propter vnius aut alterius integritatem periclitari? Sed ita, inquiet aliquis, aufer etiam conciones, & Sacramenta: multi enim audiunt quandoque verbum Dei in suam perniciem; & multi ad iudicium suum edunt & bibunt sacra mysteria. Ergo scire oportet quædam ad salutem hominum conducere, & à Deo præcepta esse, quæ nullo modo auferri debeant. Quædam verò esse ἀδιάφορα, quæ si videamus habere tristes exitus, & pluribus exitio fieri, rescindenda sunt, & scandali occasio amputanda. Legem Dei habemus de concionibus audiendis, & Sacramentis percipiendis: de choreis verò ducendis nihil præcipitur. Quamobrem hęc non sunt inter se conferenda.

C Accedit ad hæc postremò censura Ecclesiæ, quæ à choreis semper abhorrere visa est, nec semel inhibuit, tametsi contumax populus non hilares tantùm, sed obscœnas etiam hactenus exerceat. In Concilio Laodiceno scribitur: Non conuenit hominibus Christianis saltare in suis nuptijs. Prandeant & cœnent grauiter & moderatè, gratias Deo agentes de nuptiarum beneficio. In eodem Concilio etiam habetur: Clerici non accedant ad spectacula, vel in theatro, vel in nuptijs. Possunt quidem nuptijs interesse: at postquam accesserint θυμελικοὶ, hoc est, cantatores & citharœdi, qui saltationibus inseruiant, surgant & abeant, ne sua præsentia videantur eam lasciuiam probare. In Ilerdensi Concilio, quod habitum est sub SS. Symmacho, &

Choreas deniq; Ecclesiæ censura notauit.

D Hormisda Pontificibus, Rege Theodorico, idem statuitur, ne Christiani saltent in nuptijs. In Altisiodorensi verò Concilio, quod fuit sub Papa Deusdedit, Clericis saltem choreis interdicitur. Ibi enim cauetur, ne Clerici in conuiuio vel cantent, vel saltent, quasi cæteris aliquo modo id liceat. Idem facit Concilium Tridentinum sess. 22. de reformat. cap. 1. & sess. 24. de reformat. cap. 12. Ex his videtur sequi, populi quidem licentiam in agitandis choreis Ecclesiam nō probare: sed cùm interdictis nihil proficeret, Clericos saltem, quos habere debuit obsequentiores, ab eo studio reuocare statuisse. Tametsi quod ad festos dies attinet, tum etiam laicos à choreis abstinere debere plerique omnes Casuitæ autumant. Caietanus ta-

CANTANTES CHOROSQVE DVCENTES.

men verbo *Choreæ*, ad tempus diuini officij contrahit. Sunt qui putent hanc suam sententiam qua saltationes prohibent diebus festis, mutuatos esse ex Legibus Ciuilibus. *In Cod. quippe titulo De ferijs, l. dies festos.* scriptũ est: Relaxamus quidem otium diebus festis, sed nolumus homines detineri voluptatibus. Proinde enim saltationibus siue libidinosæ fuerint, siue comparatæ ad voluptatem, non licebit vti diebus festis.

His ita expositis, iam nihil erit negotij statuere, quid de choreis sentias. Constat enim sua natura vitiosas non esse, ac proinde nec prohibitas: sed aut ratione scandali, aut periculi metu, aut horrore comitãtis lasciuiæ, aut denique Principum legibus, & Ecclesiæ decretis, qui hoc fecisse videntur religionis gratia, vel vt honestati publicè consulerent. Quandoquidem B verò nunc passim vtroq; iure tolerantur, Theologi nonnullas conditiones præscribunt, quas si quis studiosè obseruarit, alienus fore videtur à peccati periculo. Volunt enim primùm haberi temporis rationem. Neque enim absque sacrilegij scelere tempus religioni dicatum voluptati tribuas. Secundo loco idem de loco sentiunt. Nam loco sacro profanis saltationibus

Quibus legibus choreæ tolerari posse videantur.

1. iniuriam irrogari autumant. Iubent deinde spe-
2. ctare vnumquemque ordinis sui dignitatem, ne
3. citra decorũ lasciuiat. Quo nomine nemo Clericus, minus etiã Monachus aut Religiosus impunè saltarit. Neque verò si mihi aurem accommodes, ad latebras confugies, vt clandestinã furtim captes voluptatem: non enim solùm choreis sacri Canones interdixerunt, ne cuiquã sceleris occasio fias: sed etiam quia sacræ personæ de-
4. decet grauitatem. Quartò eum modum saltationi adhibere necesse est, qui modestiam redoleat: ne gestus mollior, aut cantus lasciuior, lyræue sonus intemperantior, libidini fomenta
5. ministret. Obseruabamus etiam antea vt seorsum viri, seorsum quoque mulieres choreas ducerent. Necessarium arbitror quibus maximè locis libido furit, & in quibus rarior est virorum cum mulieribus conuersatio: maior est apud nos licentia: & si quid contrà sentiamus, videtur populi contumacia consilium fore inutile: & qui procul degunt ab aula Principis, ab his ferè abest suspicio. Frequentes tamen illos amplexus & perquàm familiaria oscula, sine quibus choreæ non ducuntur, vereor ne ad lasciuiam omnino pertineant, quocunque honoris titulo puellis à feruidis iuuenibus infigantur. Quare hic quoque modus adhibendus erit, vt credam nostras saltationes non esse peccato obnoxias. Quod si fortè viri seorsim saltent, priuatim etiam mulieres, non tamen idcirco licere sibi omnia, & bacchari impunè posse cogitent: sed sic quoque modestiam seruare studeant, alioquin enim in choros virorum S. Chrysostomus homil. 47. in S. Iulianum acriter inuehitur. Saltabant autem puellæ nostræ, etsi non cum hominibus, spectantibus tamen hominibus, vti prius etiam Maria soror Moysi: neque tamen hactenus inuentus est, qui in eas animad-
6. uerteret. Sextò igitur iubent perpendere apud te, quo animo, qua mente ad saltandum acce-

A das. nam si reliqua cum virtute consentiant, id tamen conere vt cuiusquam pudicitiam expugnes, criminis expers haberi non poteris. Septi- 7.
mò, discrimen omne fugiendum est, quod probabiliter immineat. Postremò etiam chorea- 8.
rum frequentior vsus ab officio boni viri alienus habendus est.

VERSVS VII.

Et præcinebant mulieres ludentes atque dicentes: Percussit Saul mille, & Dauid decem millia.

VERSVS VIII.

Iratus est autem Saul nimis, & displicuit in oculis eius sermo iste: dixitque: Dederunt Dauid decem millia, & mihi mille dederunt: quid ei superest, nisi solum regnum?

VERSVS IX.

Non rectis ergo oculis Saul aspiciebat Dauid à die illa, & deinceps.

Variæ trãslat.

PAgninus, *Et cantabant mulieres* (Alias, *respondebant*) *ludentes, & dicebant: Percussit Saul mille suos, & Dauid decem millia sua.* Arias, C *in millibus suis, & Dauid in denis millibus suis.* Chaldæus, *Et responderunt mulieres quæ laudantes, & dixerunt; Occidit Saul in millibus, & Dauid in decem millibus.* Septuag. Καὶ ἐξήρχοντο αἱ γυναῖκες αἱ παίζουσαι καὶ ἔλεγον, ἐπάταξε Σαοὺλ ἐν χιλιάσιν αὐτοῦ, καὶ Δαυὶδ ἐν μυριάσιν αὐτοῦ. *Et egrediebantur mulieres ludentes, & dicebant: Percussit Saul in millibus suis, & Dauid in decem millibus suis.* Romana editio non agnoscit *Ludentes.* Vatablus, *Alternis autem canebant mulieres illæ ludentes, & dicebant: Percussit Saul suos mille, & Dauid suos decem mille.* Et in Schol. quasi dicant, Multos quidem percussit Saul, & Dauid multò plures. Quidam vertunt, *Dauid percussit in myriadibus*, quasi dicant, Tot homines percussit quasi fuisset adiutus hominum myriadibus. Vel, vt quidam, D Tam solus potuit in debellandis Palæsthinis, quàm decem millia potuissent. Alius. *Respondebant autem fœminæ*, hunc amœbœum versum, nempe, *Percussit, &c.* quod est, Laude dignus est Saul: sed decuplo maiore Dau id.

Versu 8. Pagninus, *Et iratus est Saul valdè, & displicuit* (Arias, *Et malum fuit*) *in oculis suis verbum istud: & dixit: Dederunt Dauid decem millia, & mihi dederunt mille. Et vltrà ei quid dare possunt nisi regnum?* Arias, *Et vltrà ei certè regnum.* Chaldæus, *Et duruit Sauli nimis, & malum fuit in oculis eius verbum hoc; & dixit: Dederunt Dauid decem millena, & mihi dederunt millena; & ex nunc non restat ei adhuc nisi regnum.* Græci, Καὶ ὠργίσθη Σαοὺλ, ita Complut. sed Aldus, & Rom. editio non agnoscunt. Καὶ ἐφάνη πονηρὸν τὸ ῥῆμα

NON RECTIS, &c. ὄψιμα σφόδρα ἐνώπιον: Aldus ἐν ὀφθαλμοῖς Σαοὺλ περὶ τῶ λόγου τούτε. Καὶ εἶπεν, ἔδωκαν, &c. Καὶ τί αὐτῷ πλὴν ἡ βασιλεία; Ita Aldus & Complut. ad Rom. edit. postrema hæc omisit. *Et iratus est Saul*, (Deest hoc in edit. Ald. & Rom.) *Et apparuit verbum prauum nimis in conspectu Saul*, (Aldus, & Rom. edit. *in oculis Saul*) *de verbo isto: & dixit, Dederunt, &c. Et quid ei præter regnum?* Aliter ex Hebræo, *Quapropter accensa est ira Schauli valdè, mala enim videbatur in oculis eius hæc res, ac dicebat, tribuerunt Dauidi myriadas, mihi verò tribuerunt millia; & amplius ei regnum tantummodo ipsum accesserit.* Vatablus Salmant. *Hoc Sauli vehementer iram commouit, displicuitque hoc verbum in oculis eius, ita vt diceret, Dederunt Dauidi, &c. Et porrò profectò illi regnum.* Scilicet habendum duntaxat superest. Quidam ita legit: *Et adhuc, (dabunt) ei etiam regnum.*

Versu 9. Pagninus, *Et aspiciebat Saul toruè* (Arias, *Et fuit Saul aspiciens malignè*) *Dauid à die illa & vltrà.* Vatablus, *Malignè intuebatur, toruo oculo.* Græci, Καὶ ἦν Σαοὺλ ὑποβλεπόμενος τὸν Δαυὶδ, *Et erat Saul intuens Dauid à die illa, & deinceps.* Flaminius in Notis, nam hic versus cum duobus sequentibus abest ab editione Rom. *Et fuit Saul inuidens Dauid, &c.* Iunius, Quidam ex Hebr. *Et confugiebat oculos Saul in Dauidem, &c.* Hoc est, limis intuebatur, & obseruabat vt noceret. Chaldæus, *Et fuit Saul insidians Dauidi à die illo & vlterius.* Hebraicè propriè, *Et erat Saul* עין *ghoien, obseruans, considerans, intuens Dauid, &c.* Græcè, ὑποβλεπόμενος, *turbatè intuens.* Targum, כמן *kamen, insidians.* Alius item, *Et insidiabatur.* Explorabat, occasionem captabat, qua Dauidem tolleret.

Humanæ felicitatis inconstantia. Hoc loco proponitur ob oculos hominum fortuna, quàm varia, & inconstans esse soleat. Quod etiam alibi passim fit in literis sacris. Iobi primùm describitur insignis felicitas, & diuitiarum magnitudo, & numerosa soboles. Postea verò his rebus omnibus sublatis sequuta est multitudo infinita miseriarum. Christo ingredienti in vrbem Hierusalem acclamatum est faustis vocibus Hosanna. Statim tamen postea consilia inita sunt de illo tollendo. Ita nunc Dauid laudatur ab omnibus, habetur in pretio, fertur in oculis. At statim contra eius vitam, & fortunas insidiæ calidissimæ comparantur. Ita nulla felicitas est perpetua. Nec mirum. Nam si ea cum impietate coniuncta sit, suo ipsius vitio euanescit: at si cum pietate, adest satan odio inflammatus, vt eam extinguat. Deinde Deus hoc pacto vult probari suos, vt intelligant & infirmitatem suam, & gratiam Dei, vtque illorum virtus apud alios innotescat. Ob eam causam semper post felicitatem sequuntur cruces. Venit Dauid in odium apud Saulem, quòd nimis magnæ laudes viderentur illi tributæ esse à populo. Itaque Dauid ipse queritur in Psalmis: *Pro eo, vt me diligerent, oderunt me.* Non enim pro aliquo maleficio flagrauit hæc inuidia, sed pro re optima gesta, & conseruata Republica.

Percussit Saul mille, & Dauid decem millia.] Hæ mulieres laudant Dauidem, & eum Sauli tantum præferunt, quantum mille hominibus præferuntur millia decem. Huiusmodi colla-

A tiones in omni vita semper sunt odiosæ. Cæterùm quod ad illud carmen attinet, Habes aliud ferè simile in Aurelianum apud Vopiscum in eius vita. Priuati huius, inquit, multa extant egregia facinora. Nam erumpentes Sarmatas in Illyrico cum trecentis præsidiarijs solus attriuit. Refert Theoclius Cæsareorum temporum scriptor, Aurelianum manu sua bello Sarmatico vna die quadraginta & octo interfecisse. Plurimis autem & diuersis diebus vltra nongentos quinquaginta: adeo vt etiam balistea pueri & saltatiunculas in Aurelianũ tales componerent, quibus diebus festis militariter saltitarent, mille, mille, mille, mille, mille, mille decollauimus: Vnus homo mille, mille, mille, mille decollauimus. Mille, mille, mille viuat, qui mille, mille occidit. Tantum vini habet nemo, quantum fudit sanguinis, &c. (Flau. Vopiscus.)

B *Et Dauid decem millia.*] Deuicta pacatáque Britannia cum vulgo Agricolę fama supra Principem celebraretur, id sibi Domitianus, vt scribit Tacitus in Agricolæ vita, maximè formidolosum ratus est, priuati hominis nomen supra Principis attolli. Frustrà studia fori, & ciuilium artium decus in silentium acta, si militarem gloriam alius occuparet: & cætera vtcunque faciliùs dissimulari, ducis boni imperatoriam virtutem esse. Itaque gloria viri, & pessimum inimicorum genus laudantes illustri viro exitium pepererunt: nam veneno sublatum fama tulit. De Alexandro ait Curtius lib. 8. Nec sanè quicquam ingenium eius solidius aut constantius habuit, quàm admirationem verę laudis & gloriæ. Simplicius tamen famam æstimabat in hoste, quàm in ciue: quippe à suis credebat magnitudinem suam destrui posse: eandem clariorem fore, quò maiores fuissent, quos vicisset. Itaque apud Romanos quibus triumphi licentia propter victoriæ magnitudinem concessa erat, vt autor est Macrobius Saturnal. lib. 1. cap. 6. hi bullam auream in triumpho præ se gerebant, inclusis intra eam remedijs, quæ crederent aduersus inuidiam valẽtissima. Hĩc verò nisi maturè Dei gratia Dauidi præsidio foret, plausus eum laudésque inuidiâ oppressissent. Seneca in Octauia act. 5. (Tacitus. Inuidet Princeps bellicis suorum laudibus, quas suspectas habet. — Curtius. — C — Macrobius — Plebis fauor plerũque exitialis.)

> *O funestus multis populi*
> *Dirúsque fauor, qui cùm flatu*
> *Vela secundo ratis impleuit,*
> *Vexitque procul, languidus idem*
> *Deserit alto sæuóque mari.*

(Seneca.)

D Draco legislator Atheniensium, vt est apud Suidam in verbo Δράκων, cùm Æginæ in theatro propter leges latas lætis acclamationibus celebraretur, pluribus petasis, & tunicis, & pallijs in eius caput iniectis suffocatus est, & in ipso theatro sepultus. Rusticos admodum esse oportuit, qui tam atrociter viro de se bene merito applauderent. Modestiùs nostræ mulieres cecinisse tantùm, non etiam pallia, vt postea Christo, strauisse feruntur: nec tamen Dauidem minori periculo obiecerant, ni Deus custos affuisset. (Suidas.)

Iratus est autem Saul nimis.] Impatientiam accusat Tertullianus lib. de Patientia, cap. 5. tanquam sit omnium Lerna Hydra malorum. (Tertull.)

IRATVS EST AVTEM, &c.

Impatiẽtia primũ diabolum perdidit.

Natales, inquit, impatientiæ in ipso diabolo deprehendo, iam tunc cùm Dominum Deum vniuersa opera quæ fecisset, imagini suæ, idest, homini subiecisse impatienter tulit. Nec enim doluisset, si sustinuisset: nec inuidisset homini, si non doluisset. Adeò decepit eum, quia inuiderat. Inuiderat autem, quia doluerat. Doluerat, quia patienter vtique non tulerat. Quid primùm fuerit ille Angelus perditionis, malus an impatiens, contemno quærere: palàm cùm sit, impatientiam cum malitia, aut malitiam ab impatientia auspicatam; deinde inter se conspirasse, & indiuiduas in vno patris sinu adoleuisse. At enim quam primus senserat, per quam delinquere intrauerat, de suo experimento quid ad peccandum adiutaret structus, eandem impingendo in crimen homini aduocauit. Hactenus Tertullianus. Nemo dubitabit opinor hanc fuisse primam Saulis labem, quod Dauidis laudes molestè tulit. Etenim mali Principes non libenter audiũt efferri aliquem ex suis. Omnem laudem suam volunt esse propriam. Quicquid autem honoris datur alijs, id sibi detractum putant. Saul iusto Dei iudicio datur affligendus grauissimis affectibus, inuidiæ, timori, iracundiæ. Nam ex tristitia nascuntur & affectus illi, quos modo dixi, & nemesis, atque æmulatio. Iracundia est tristitia, quæ ex eo nascitur, quod aliquis putat se contemni. Irascebatur Saul, quòd videret se à populo non satis magni fieri. Huc accessit timor de regno. Putauit enim, si Dauidis fama & potentia ita cresceret, statum suum non posse diu esse incolumem. Laborauit etiam inuidia, quòd videret à Dauide gloriam suam obscurari. Ex his affectibus ortum est postremò incredibile odium: quo affectu nihil est deterius, aut impotentius. Odio enim ita efferantur homines, vt malè velint alicui propter donum illi collatum à Deo. Quod quid aliud est, quàm odisse Deum? Quare Saul Dauidem modis omnibus cupiebat extinctum, ac perditum. Odium enim est, inquit Aristoteles, quo extremum malum, & exitium alicui imprecamur. Ille enim affectus nihil habet mediocre.

Quibus animi perturbationibus Saul exagitatus sit.

Suidas.

Displicuit sermo in oculis eius.] Suidas in voce λύπη. Λύπη, inquit, συστολὴ ἄλογος ψυχῆς, animi sine ratione contractio. Species eius sunt φθόνος inuidia, ζῆλος æmulatio, ζηλοτυπία, ἔχθος odium, ἐνόχλησις perturbatio, ἄνοια amentia, ὀδύνη dolor, σύγχυσις confusio. Hæc Suidas. Λύπη, inquit, est συστολὴ ἄλογος. Reuera enim per affectus qui notitiam consequuntur, vt illorum natura est, cor vel συστολῇ vel διαστολῇ motum suum commutat, pro vt bonum malúmue apprehensum notitia fuerit, idque aut præsens aut imminens. Nam cùm bonum sentimus adesse, illicò cor iucundè fruitur, ac suauiter afficitur: isque affectus lætitia vocatur. Malum autẽ cùm cernimus adesse, refugit cor tristi motu: contrahitur enim, horret & discruciatur: isque affectus cum dolor, tum ægritudo solet appellari. Græcè est λύπη, sic dicta, vt Stoici opinantur, quasi λύσις: nam quemadmodum corpus ægrotantis morbo soluitur, sic animi tristitia videntur quodammodo confici. Porrò quàm ἀλόγως & sine ratione Saulem torserit, declarat S. Chrysostomus in hom.

Λύπη siue ægritudo animi, & eius species.

S. Chrysost.

A de Saule & Dauide. Mulieres, inquit, illæ nihil Saulem læserant: ille enim tenera nihil fuerat meritus. Nam cùm Goliath per dies quadraginta, idque bis in singulos dies blasphemaret Deum Israël, ille præ timore & desperatione in castris se continuit. Laus ergo ea propria Dauidis fuit. Tamen mulieres in aliquam eius honoris partem Saulem asciscunt. Nihil ergo causæ fuit, cur id Saul ita indignè ferret. Etsi enim maior pars gloriæ tributa sit Dauidi, non tamen propterea illi fit iniuria. Neque enim hoc proprium est Regum, vt in illorum regno nemo sit illis robustior. Dauid potius molestè ferre debuit, aliquam laudis partem sibi decidi, & communicari cum Saule. Mulieribus illis potius irasci debuit. Dauid enim illud carmen nec composuit, nec cecinit. Sed vt canes percussi ab
B aliquo, in lapidem, quò sunt percussi, mordicus inuadunt, eum autem qui misit lapidem non attingunt: ita Saul mulieribus, quæ eum læserant, non irascitur, in Dauidem autem innocentem omnem iram suam effundit. Timuit enim regno suo, quòd sibi esset malè conscius. Nam audierat iam antea à Samuele, se abiectum esse à Deo, & regnum datum iri alteri, proximo suo, se meliori. Videt iam Dauidem fore sibi proximum: eum enim ex pacto habiturus erat generum. Cogitabat ergo secum, illum esse, quem Deus sibi destinarat successorem. Itaque eum omnibus periculis obijcit, & grauissimè affligit.

Saul sibi malè conscius timet.

Dederunt ei decem millia, & mihi mille dederũt.] Si iure, cur inuides? Phocylides Poëta, qui Ieremiæ & Pythagoræ æqualis fuisse fertur, in eo
C Poëmate quod inscripsit Mysteria Iustitiæ,

Ne inuideas, inquit, *bona socijs, ne reprehensionem incurras.*
Sine inuidia etiam Dij inter se viuunt.
Non inuidet Luna longè præstantioribus Solis radijs:
Nec terra altitudini cælesti, licet ipsa sit infima:
Non flumina mari: sed concordiam agunt perpetuam.
Nam si discordia inter deos esset, non consisteret cælum.

Phocylides

Quàm aliena sit ab officio boni viri inuidia.

Ob eam causam scilicet Lucifer inde pulsus est. Nam Angelos intelligit, aut sanè orbis præstantiora corpora, quæ sequutus errorem Gentilium deos vocat. Inuidia porrò tametsi paribus duntaxat insidiari credatur, attamen in om-
D nibus illis rebus viget quibus excellere cupimus. Itaque apud Ælianum lib. 12. Var. histor. cap. 16. Perdiccam oderat Alexander, quod esset bellicosus: Lysimachum, quod imperatoriæ artis peritus: Seleucum, quod forti animo esset. Antigoni verò liberalitas eum offendebat, & Attali imperatoria dignitas, & Ptolemæi prosperitas. De Adriani Imperatoris inuidia, indigna prorsus quæ Imperatorem vreret, Diõ Cassius agit lib. 69. in eius vita. Fingere, inquit, & pingere studuit, nihilque fuit quod discere nollet: & cùm in omnibus artifices superare vellet, ea res præstantioribus exitio fuit. Tacebo reliquos, vnum Apollodorum proferam, quem cùm architecturæ scientia vincere non posset, iussit interfici. Ne mortuis quidem pepercit.

Ælianus.

Inuidi principes.

Dion Cass.

nam

DISPLICVIT SERMO, &c. nam Homerum, cui inuidebat, cùm tollere non posset famam eius, apud posteros obscurare nisus est. Sed non obtinuit. At Caligula, vt idem autor est lib. 59. in eiusdem vita, liuori sacrificauerat, ne inuidia premeretur.

Quid ei superest nisi solum regnum? Hoc pacto Darius Persarum Imperium adeptus est. Fertur enim Artaxerxe bellum cum Cadusijs gerente, fortissimum eorum ad singulare certamen prouocantem, cùm nemo alius prodire ausus esset, singulari audacia interfecisse. Qua ex re cùm ingentia munera à Rege, tum à Persis omnibus eam existimationem consequutus est, vt principatu dignus haberetur. quo etiam postea potitus est. Ita refert Diodorus Sicul. Rer. Antiq. lib. 17. Diodor.

Non rectis ergo oculis Saul aspiciebat Dauid.] Saul non potuit odium suum dissimulare. Cœpit intueri Dauidem toruis oculis. Affectus autem hominum maximè relucet in oculis? Heu, inquit ille, quàm difficile est, crimen non prodere vultu? Itaque cùm Cain cœpisset odisse fratrem Abel, & illi malum machinari, ita eum affatus est Deus: *Cur concidit vultus tuus? Nonne si bene egeris, feres vultum alacrem, & erectum. Sin autem malè, peccatum cubat ad fores*, hoc est, in vultu & in oculis tuis? Cæterùm

Inuidiam vultus ipse prodit.

Inuidia Siculi non inuenêre Tyranni
Maius tormentum.

Menander. Quamobrem non ineptè Menander,

Adolescens non mihi videris intelligere,
A suo quæque vitio putrefieri,
Intrinsecúsque omnia labefactari:
Verbi causa, rubigine, si consideres, ferrum;
Tineis vestem, teredine lignum.
At pessimum malorum omnium, Inuidia,
Tabificum, fecit, faciet, facitque
Animi mali impetus impios.

Inuidia tabes animi.

Virgilius. Virgilius in Epigram. de Liuore, inuidi cruciatus & tormenta describens

Sudas, inquit, *frigidus, intuens quod odit.*
Non lux, non cibus est suauis illi:
Nec potus iuuat, aut sapor Lyæi:
Pallor terribilis genas colorat.
Infelix macies renudat ossa.

VERSVS X.

Post diem autem alteram, inuasit spiritus Dei malus Saul, & prophetabat in medio domus suæ: Dauid autem psallebat manu sua, sicut per singulos dies. tenebátque Saul lanceam,

VERSVS XI.

Et misit eam, putans quod configere posset Dauid cum pariete: & declinauit Dauid à facie eius secundò.

ET *factum est postridie, postero die, à crastino.* Græci, ἀπὸ τῆς ἐπαύριον. Chaldæus, *Et fuit à die*
Varię trãslat. *qui post illum.* Pagninus, *Spiritus Dei malus requieuit* וַתִּצְלַח *vattitselahh*, Arias, *prosperauit in Saul.* Græci, Καὶ ἔπεσε πνεῦμα (Complut. addunt πονηρὸν) Θεοῦ πονηρὸν ἐπὶ Σαούλ. *Et cecidit spiritus Dei,*
A *vel, à Deo malus super Saul.* Chaldæus, *Et mansit spiritus malus ab-ante Dominum super Saul. Et prophetabat in medio domus suæ.* Sic interpretantur Pagninus & Vatablus Laurent. nisi quòd *suæ* non habent. Græci, Καὶ προεφήτευσεν ἐν μέσῳ τοῦ οἴκου αὐτοῦ. *Et prophetabat in medio domus suæ.* Chaldæus, *Et insaniuit intra domum.* Vatablus Salmant. *Postero die contigit vt spiritus Dei malus Saulem inuaderet, vtque prophetaret intra domum.* Et in Schol. *Prophetare* dicuntur stulti, quia non intelligunt ea quæ dicunt; quales sunt vaticinationes prophetarum, quæ absurdæ & ridiculæ videntur ijs, qui spiritu Dei carent. Chaldæus Paraphrastes, *desipiebat*, id est, more desipientium aliena atque absurda loquebatur. quòd prophetæ videantur etiam absurda dicere, quæ scilicet à nobis haud facilè intelliguntur. Hæc Vatablus. Itaque alius ita hæc reddidit: *Fuit enim postridie, quum irruente spiritu Dei malo in Schaulem prophetico more ageret domi suæ.* Id est, extra se esset, & spiritu malo actus, ita sermones & actus suos componeret, vt boni prophetæ solent acti spiritu bono. Hebraicè וַיִּתְנַבֵּא *vaythnabe.* & prophetabat. Verbum נָבָא *naba*, prophetare, prænuntiare, vaticinari significat. Admonet Schindlerus in Pentaglot. hoc verbum in *Niphal* significare acceptionem prophetiæ à Deo, & mandatum loquendi ad alios. Nonnulla obseruationis suæ exempla profert. In *Hithpael* autem vsurpatur ferè de falsa prophetia. non puto tamen esse perpetuum. Hoc loco certè, vt legenti manifestè patet, Scriptura posteriore hac Coniugatione vsa
C est. Itaque Hebræi, vt quidam annotat, *prophetare*, hoc loco exponunt pro *delirare*, & *insanire.*

INVASIT SPIRITVS, &c.

B

Versu 11. Pagninus, *Et iaculatus est* (Arias, *Et sustulit*) *Saul lanceam, & dixit: Percutiam Dauid & parietem.* Arias addit *in* vtrobique. *Et auertit se Dauid à facie eius duabus vicibus.* Græci, Καὶ ἦρε Σαοὺλ τὸ δόρυ καὶ εἶπε, παίσω ἐν Δαυὶδ καὶ ἐν τῷ τοίχῳ· καὶ ἐξέκλινε Δαυὶδ ἀπὸ προσώπου αὐτοῦ δίς. *Et sustulit Saul lanceam:* (Rom. edit. *Et eleuauit Saul hastam:*) *& dixit, Percutiam in Dauid & in parietem: & declinauit Dauid à facie eius bis.* Alius ex Hebræor. *Percutiam Dauidem vsque ad parietem: sed deflexit Dauid metu illius bis.* Vatablus Salmant. *Tollens igitur Saul lanceam, cogitauit, Traiecto Dauide infigam lanceam parieti.*
D *Declinauit autem Dauid à facie eius bis.* Et in Schol. Hebraismus est, inquit, *Percutiam in Dauidem & in parietem*, id est, Vno ictu confosso Dauide lanceam parieti infigam. Chaldæus paulò aliter. *Et sustulit Saul lanceam, & dixit, Quatiam eam in Dauid, & infixit eam in pariete: & retrocessit Dauid ab ante illum duabus vicibus.*

Inuasit spiritus Dei malus Saul.] Non alius vtique quàm liuor & inuidia, quæ vehementiùs in dies ingrauescebat, & Saulem vexabat, ita vt in posterum dissimulare non posset. De liuore cecinit Virgil. in Epigr. Virgilius.

Liuor tabificum malis venenum
Intactis vorat ossibus medullas,
Et totum bibit artubus cruorem.
Quòd quisquis furit, inuidisque fertil.

Liuoris & inuidi descriptio.

INVASIT SPIRITVS, &c.

Vt debet, sibi pœna semper ipse est.
Testatur gemitu graues dolores:
Suspirat, fremit, incutitque dentes:
Non somnum capit, aut quiescit vnquam.
Torquet viscera carnifex cruentus.
Vesanos tacitè mouet furores,
Intentans animo faces Erinnys.
Lethalis Tityique vultur intus,
Qui semper lacerat, comestque mentem.
Viuit pectore sub dolente vulnus:
Quod Chironia nec manus leuarit,
Nec Phœbus, sobolésue clara Phœbi.

A

Tolle pauca hæc fabulosa nomina, reliqua vice commentarij esse poterunt. Sed quia liuor quædam veluti manens affectio est, & vitiosus mentis habitus, cuius vehementiores fluctus & erumpentes procellas iracundiæ tribuimus, idcirco Petrus Damianus præsentem locum de ira siue excandescentia accipere maluit.

B

Petr. Dam. Ira nos dæmonum addicit potestati.

Inuasit spiritus Dei malus Saul.] B. Petrus Damian. lib. 4. epist. 17. Ira, inquit, sicut scriptum est, dæmonium habet. Illud experimento didicimus. Profert igitur præsentem historiam. Vtitur & alterius exempli testimonio quod ante decennium obtigerat. Presbyter iracundus cùm lanceam arripuisset, & ad inimicum conficiendum pergeret, didicit in itinere à diabolo se eiusdem potestati esse permissum. An quia *ira viri Dei iustitiam non operatur?* Hoc enim testatur Iacobus cap. 1. vers. 20. An quia fidem extinguit, *sine qua impossibile est placere Deo?* Non enim vera fides habenda est, nisi quæ per dilectionem operatur, ad Galat. 5. vers. 6. An quia Spiritui S. fores occludit, dæmonibus autem patefacit? An quia veritatis lumen extinguit? An quia iracundus pro excommunicato habendus est? Nam huius societate atque contubernio non semel nobis Scriptura interdicit; Prouerb. 22. & 21. An quia sapientiam perdit, & amentes stultósq; suos possessores efficit? Nam hoc manifestè docet Iob cap. 5. vers. 2. Sap. 1. vers. 18. Eccles. 7. vers. 10. *Et prophetabat in medio domus suæ.*] Saul primùm cogitare cœperat assiduè de tollendo Dauide: mox furore corripitur, & prophetat, hoc est, loquitur verba à communi sensu aliena. Sæpe enim, vt Auicenna etiam notauit, homines furiosi, & maniaci loquuntur alienis linguis, quas nunquam didicerunt. Hoc est iudicium hominum, vt insanos putent prophetare: & rursus veros prophetas insanire. *David autem psallebat manu sua.*] Sauli furenti Dauid opitulatur. Morbum quidem eius curat, sed malitiam non adimit: quanquam eam quoque curasset, si curari ea potuisset. Odium enim nulla re alia melius emollitur, quàm beneficentia. Dauid tamen in ea re nihil proficit. Non ergo semper ope meritorum vincitur hominis improbitas.

C

D

Dæmonum temeritas & contumacia.

Et misit lanceam, putans quod configere posset Dauid.] Tantúmne conari ausus est impurus dæmon in Dauidem innoxium? Quid mirum igitur si quandoque Exorcistæ parum proficiunt, maximè vbi possessi peruersitas cum possessoris furore consentit? Nam licet, inquit Tertullianus Apologet. cap. 27. subiecta sit nobis tota vis dæmonum, & eiusmodi spirituum, vt nequam tamen serui metui nonnunquam contumaciam miscent, & lædere gestiunt, quos aliàs verentur. Odium enim etiam timor spirat: præterquàm & desperata conditio eorum ex prædamnatione solatium reputat, fruendæ interim malignitatis de pœnæ mora. Et tamen apprehensi subiguntur, & conditioni suæ succidunt: & quos de longinquo oppugnant, de proximo obsecrant. Hæc Tertull. Qui hæc non norunt & præsentes ærumnas intuentur, vehementiùs quàm par sit hominum infelicitatem deplorãt. Tales sunt illæ Menandri poëtæ querelæ, quæ reuera Ethnico homine futurarum rerum ignaro dignæ sunt.

Tertullian.

INVASIT SPIRITVS, &c.

Menander.

Si quis accedens deorum potens mihi dicat,
Vbi mortuus eris, iterum de integro eris:
Eris verò quicquid voles, canis, ouis, hircus,
Homo, equus: te enim reuiuiscere oportet: quoduis elige.
Omnia statim potius, me dicturum arbitror,
Fac me, quàm hominem. Iniustè prospera
Et aduersa vtitur fortuna hoc animal vnum.
Præstantissimus equus studiosius quàm
Alius curatur: bonus si sis canis,
Longè in maiori eris honore & pretio quàm malus.
Gallus generosus alio cibo
Nutritur: degener etiam formidat constantiorem.
Homo si sit bonus, nobilis, valdè
Generosus, nihil emolumenti (habet) hoc tempore.
At assentator optima omnium fortuna vtitur: post
Calumniator. veterator tertias sibi partes vendicat.

Votum hominis Ethnici, & de futura beatitudine nihil cogitãtis.

Ignorabat miser quàm *leue hoc momentum tribulationis æternum gloriæ pondus operetur.*

Putans quod configere posset.] Non ergo prorsus victa, & obstupefacta erat in Saule facultas rationis. Turbatum quidem habuit caput, & furere visus est: sed ita tamen vt cogitare aliquid secum posset. Alij putant, vt dormientes sæpe somniant, quæ antea vigilantes cogitarant: ita furentibus etiam versari ante oculos superiorum cogitationum reliquias. Hic videmus, prauos affectus homines deducere postremò ad cædes. Suscitantur enim à diabolo, qui, vt Ioannes ait, *ab initio fuit homicida*, quique nihil magis cupit, quàm cædem bonorum hominum. Hîc etiam videmus vim spiritus Dei. Antea enim direxerat lapidem Dauidis in Goliath, ne aberraret.

Hîc autem spiculum Saulis auertit, ne Dauidem possit attingere. Sed dices, hoc factum fuisse industria Dauidis, non ope aliqua diuina. Illum enim non ita attentum fuisse suæ musicæ, quin sibi cauere vellet ab homine furioso. Fateor. Sed illa industria vnde fuit? Certè à Deo. Et quis illi cautioni, & diligentiæ successum dedit, nisi Deus? Multi enim alioqui sibi diligenter cauent, & nihil proficiunt. Sed *Qui habitat in adiutorio altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur.* Deus eripiet illum *à sagitta volante in tenebris, & à dæmonio meridiano.* Hîc habemus expressam imaginem Christi. Is enim cùm lyra illa sua cœlestis doctrinæ mederi vellet furentibus Scribis & Pharisæis, venit in maximum periculum, & sæpe coactus est auferre se ex medio. Nihil queritur Dauid, aut expostulat de his iniurijs:

ET TIMVIT SAVL &c.

iniurijs? sed hoc, quicquid est, ascribit eius insaniæ.

VERSVS XII.

Et timuit Saul Dauid, eò quòd Dominus esset cum eo, & à se recessisset.

Variæ trāslat.

ROmana Edit. Septuag. Interpr. hoc solum legit, *Et timuit Saul à facie David.* Aldus tamen, & Complut. legunt præterea, ὅτι ἦν κύριος μετ' αὐτοῦ, καὶ ἀπὸ Σαοὺλ ἀπέστη. *Quoniam erat Dominus cum eo, & à Saul recessit.* Vatab. *Et timuit sibi Saul à Dauide.* Alter, *Et metuit sibi Saul propter Dauidem.* Pagnin. *à facie Dauid.* Chald. Paraph. *Et timuit Saul ab-ante Dauid, quia fuit verbum Domini in auxilio eius, & Saulem elongauit.*

B

Signum illud, quod post fraternam cædem Dominus Cainū distinxit, ne quis eidem, quod verebatur, manus afferret: Si Græcis credimus, non aliud fuit quàm dirus pauor quo vultus eius pallesceret, & perpetuus tremor qui membra eius concuteret. An tremor aliquis Saulis artus occuparit, Scriptura non notauit: at pauore cōstei natum hoc loco commemorat. tametsi enim cædes ab eo needum patrata fuerat, tentata tamen iam reum constituerat. En quò tandem alienæ laudis impatiens animus Regem præcipitat. Nam inde primùm inuidia exorta est. mox illa curas & anxias solicitudines suspicionésque cœcas pepetit: illæ nocendi studium: quod vbi minus procedere visum est, metus tyrannidem occupat. Quanta malorum seges ex nullo penè semine erupit! Sic quandoque scintilla minima nemus immensum comburit. Eleganter & doctè Tertull. hoc ipsum demonstrat cap. 5. lib. de Patientia. Quod crimen, inquit, ante istud impatientiæ admissum homini imputatur? Innocens erat, & Deo de proximo amicus, & paradisi colonus. At vbi semel succidit impatientiæ, desinit Deo sapere, desinit cælestia sustinere posse. Exinde homo terræ datus, & ab oculis Dei eiectus, facilè vsurpari ab impatientia cœpit in omne quod Deum offenderet. Nam statim illa semine diaboli concepta, malitiæ fœcunditate iram filium procreauit: editum suis artibus erudijt. quod enim ipsum Adā & Euam morti immerserat, docuit & filiū ab homicidio incipere. Frustrà istud impatientiæ adscripserim, si Cain ille primus homicida, & primus fratricida, oblationes suas à Domino recusatas æquanimiter nec impatienter tulit: si iratus fratri suo non est: si neminem denique interemit. Cùm ergo nec occidere potuerit nisi iratus, nec irasci nisi impatiens, demonstrat quod per iram gessit, ad eam referendum, à qua ira suggesta est, per hæc impatientiæ tunc infantis quodammodo incunabula. Hactenus ibi Tertull. quæ licet Sauli applices. Leui Ben-Gerson ait, timuisse Saulem, quòd videret Dominum esse cum Dauide: id autem vidisse ex eo, quòd occidisset Goliath, & bis iam declinasset ictum. Qua autem ratione excutere sibi volebat timorem, illa eum auget maximè. Ita si velimus nos esse hostibus nostris formidabiles, nihil opus est cristis, aut hastis, aut armis excantatis: curemus potius vt

Impatientia laudis alienæ quātas calamitates pariat.

Tertull.

Leui Ben-Gerson.

C

A

Deum nobis conciliemus, & propitius nobis adsit, & tum facilè hostibus incutiemus metum. Hoc enim Dei solius est, hostium animos perterrefacere. Nam in Exodo pollicetur, se iturum ante populum suum, & timore exanimaturum hostes illorum.

ET FECIT EVM, &c.

Admonere poteram quàm pessimè Saul suis rebus consuleret, cùm Dauidem imperium, vt falsò credebat, affectantem à se abdicaret, militibúsque præficeret, nisi prius insanire iam, & proditionem falso suspicari docuissem. Sed & illud vereor præterea ne gentis nostræ prudentiam & præsentia tempora obseruasse videar, quod foret calumniæ proximum. Alioqui verò non humana sapientia, sed diuina prouidentia, quæ in tenebris præcipuè elucet, Francorum Monarchia conseruatur.

VERSVS XIII.

Amouit ergo eum Saul à se, & fecit eum tribunū super mille viros: & ingrediebatur, & intrabat in conspectu populi.

VERSVS XIV.

In omnibus quoque vijs suis Dauid prudenter agebat, & Dominus erat cū eo.

VERSVS XV.

Vidit itaque Saul quòd prudens esset nimis, & cœpit cauere eum.

VERSVS XVI.

Omnis autem Israël & Iuda diligebat Dauid: ipse enim ingrediebatur & egrediebatur ante eos.

VErsu 13. Pagninus, *Et recedere fecit eum Saul à se, & posuit eum sibi tribunum.* Arias, *principem mille.* שׂר אלף *Sar aleph.* Vatab. Salmant. *Amandauit igitur Saul eum à se, constituitque eum tribunum militum, vt egrederetur & ingrederetur coram populo* Et in Schol. Hebraismus, inquit, *Et egrediebatur & ingrediebatur ante populum*, id est, educebat populum ad bellum, & reducebat, vt imperatores solent facere. Alter, *Constituitq; eum sibi Chiliarchum, vt procederet & veniret ante populum.* Non vt eum eueheret; sed vt hostibus interficiendum obijceret. Græci, Κατέστησεν αὐτὸν χιλίαρχον ἑαυτῷ. *Constituit eum ducem mille militū sibi.* In reliquis consentiunt. Chald. similiter legit præter hæc, *Et exijt & intrauit in capite populi.* Versu 14. Καὶ ἦν Δαυὶδ συνιῶν ἐν πάσαις ταῖς ὁδοῖς αὐτοῦ, καὶ κύριος μετ' αὐτοῦ. *Et erat Dauid intelligens, in omnibus vijs eius, & Dominus cum eo.* Pariter interpretatur Arias ex Hebræo. Vatabl. in Schol. Id est, in negotijs quæ gerebat, erat mirè felix. Quidam, *Dauid in omnibus vijs suis secundabatur.* Chald. *Et fuit Dauid in omnibus vijs suis prosperans, & verbum Domini in auxilio eius.* Versu 15. *Quòd prudens esset nimis.* ὡς αὐτὸς συνιεῖ σφόδρα. *quòd ipse intelligit nimis.* Chaldæus, *quòd ille prosperans valdè.* Alter, *Cúmque videret eum Schaul secundari valdè.* Vatabl. in Schol. quòd prosperè

Variæ trāslat.

D

Et fecit eum, &c. admodum res gereret, quòd magna felicitate negotia conficeret. Versu 16. Quidam, *Quia ipse procedebat & veniebat ante eos.* Vatablus in Schol. Id est, quòd copias eorum felicissimè ac magno successu educeret ad bellum, & inde reduceret.

Amouit ergo eum Saul à se.] Diutina, inquit Diodor. Sicul. li. 3. c. 6. militia, tum milites robustiores, tum duces prudentiores solet efficere: quæ res sæpius magnas facultates ad desciscendum à Principibus præbuit. Idcirco Ninus (ille filius Semiramidis) singulis annis exercitum nouum imperabat, & remittebat, vt & subditis metus incuteretur, quibus tantæ copiæ imminerēt, & breui tēporis consuetudine nulla inter eos amicitia contraheretur, aut duces contra eum conspirarent. Hæc Ninus. Tiberius verò apud Tacitum li. 2. Annal. c. 4. cùm in eum Libo Drusus corruptus Catti Senatoris improbis consilijs, sequutus Chaldæorum promissa, & Magorum sacra, & somniorum interpretes, eundem tamen quanquam insidiarū seu potius temeritatis conscius Prætura ornat, conuictibus adhibet, non vultu alienatus, non verbis commotior (adeo iram condiderat) cunctáque eius dicta factáque cùm prohibere posset scire malebat. Donec Iunius quidam tētatus vt infernas vmbras carminibus eliceret, ad Fulciniū Trionem indiciū detulit. qui statim reū corripiens, senatus cognitionem poposcit & accusauit. Ergóne habendus erit Tiberius Saule moderatior? Cocceij Neruæ exemplum longè illustrius. Quum enim Calpurnius Crassus & alij nōnulli contra eum coniurassent; eos, quum nondum rescirent patefactam coniurationem, in spectaculo iuxta se collocauit, ijsq; gladios tradidit in manus, vt, ficuti dicebat, an satis acuti essent inspicerent; quemadmodum fieri solet: reuera autem præ se ferens contemptum mortis. Sunt qui putent fiducia conscientiæ fecisse. Vereor, quocunque animo fecerit, ne temeritatis meritò argui possit. Neq; enim manifesto periculo vitam objicere licuit, maximè cùm interire sine publica pernicie non posset. Sapienter S. Ludouicus, qui sic deprehensis in scelere pepercit, vt tamen accuratius securitati suæ prospiceret.

Saulis imprudentia. Diodorus. Tacitus. Dion. Cassius lib. 68.

Et fecit eum Tribunum.] Ablegat Saul Dauidem in militiam, & specie honoris tribunum creat, vt persequeretur Palæstinos, atque ita eorum insidijs occumberet. Voluit Saul vna, quod dici solet, fidelia tres parietes dealbare: primùm vt liberaret se periculo: fortasse enim cogitabat ita secum, Dauidem iam bis telo conficere nisus sum, nec iam cælari odium potest quod palàm prodidi. Itaque deinceps ille mihi cauendus est, ne me prior opprimat. Necesse est eūdem amoliar quo procul absim à periculo. Deinde videri voluit stare promissis, & eundem quod populus optabat rei bellicæ præficere. Postremò magnopere studebat, vt Dauid è medio tolleretur. Istæ sunt artes hypocritarū: aliud simulāt, aliud agūt.

Tribunum.] *ff. De re militari, li. 12.* Officiū tribunorum est, vel eorum qui exercitui præsunt, milites in castris continere, ad exercitationem producere, claues portarum suscipere, vigilias interdum circumire, frumētationibus commilitonum interesse, frumentum probare, mensorum fraudem coërcere, & delicta secundum autoritatis suæ modum castigare, principijs frequenter interesse, querelas commilitonum audire, valetudinarios inspicere. Aurelianus apud Vopiscū in propria vita, has leges tribuno scribit: Si vis tribunus esse, imò si vis viuere, manus militum contine. Nemo pullum alienū rapiat, ouem nemo contingat. Vuam nullus auferat, segetem nemo deterat: oleum, sal, lignum nemo exigat, annona sua contentus sit. De præda hostis, non de lacrymis prouincialium habeat: &c. quæ nemo nostrum absq; ingenti pudore legere potest, ita procul ab ea virtute recessimus qui Christianā fidem profitemur: iam enim fere milites, negligentia Principum, ministrorum fraude, per famem atq; inopiam in rabiem acti, rusticis hominibus formidolosiores sunt quàm agnis lupi, quàm ceruis leones. Apud Trebellium Pollionem inuenies in Diuo Claudio, creato Tribuno quantum pecuniæ auri atque argēti è publico annuatim conferretur, annonæ item, vestium, supellectilis, iumentorum ministrorumque, quantum denique armorum tribueretur: & quæ refundere, quæ sibi habere perpetuò liceret: quæ omnia Pollio ex epistola Valer. Imperat. sigillatim explicat. Referenda non duximus, quod pleraque horum cum salarijs Hebræorum conuenire non possint. Quadrare magis in Dauidem videtur quod de Probo tribuno Vopiscus memorat, in eiusdem Probi Imperat. vita. Nam cùm Valer. Imper. eundem tribunū fecisset, imberbem, & inopem, ætatem quidem suo patrocinio defendit, inopiæ verò salario constituto prospexit. Miraris, inquit Valer. quod ego imberbem tribunū fecerim contra constitutum Diui Adriani. Sed non multum miraberis, si Probum cogitas adolescētem verè probum: nunquam enim aliud mihi cùm eum cogito, nomen occurrit. Quod nisi nomen haberet, potuit habere cognomē. Hæc de Dauide olim dicta puta. Sequitur: Huic igitur dari iubebis, quoniam mediocris fortunæ est, vt eius dignitas incrementis iuuetur, tunicas russulas duas, pallia Gallica duo fibulata, interulas paragaudias duas, patinam argenteam librarum decem spectatam, aureos Antonianos centū, argenteos Aurelianos mille, æreos Philippeos decem millia: Item in salario diurno bubulæ pondo, porcinæ pondo sex, caprinæ pondo decem, gallinaceum per biduum, olei per biduum sextarium vnum, vini veteris diurnos sextarios decem, cum larido, bubalino, salis, olerum, lignorum quātum satis est. Hospitia præterea eidem, vt tribunis legionum præberi iubebis. Meminit Valer. Hadriani, qui apud Spartianum Tribunos non nisi barbatos admitti voluit. At contra Augustus Hadriano nulla parte inferior, apud Sueton. ca. 38. liberis senatorum militiam auspicantibus, non tribunatum modò legionum, sed & præfecturas alarum dedit: eosdem protinus virilem togam, latū clauum induere, & curiæ interesse permisit, quò celerius Reip. assuescerēt.

Tribunorū munus & officium. Vegetius. Vopiscus. Trebellius Pollio. Tribunis constituta salaria. Hadrianus imberbes tribunos noluit, Augustus probauit. Suetonius.

In omnibus vijs suis Dauid prudenter agebat.] Menander, Commune quoddam bonum est, cùm vir bonus prospera vtitur fortuna. *Vidit itaque Saul quòd prudens esset nimis, & cœpit cauere eum.*]

In omnibus viis suis, &c.

Formidolosa Principibus ducū fauor & industria. Tacit. lib. 1. ann. cap. 13.

re eum.] Non tantùm virorum industria, & popularis fauor malis Principibus odiosa & suspecta fuit, sed etiam quod mirere magis, mulierum. Docet hoc Tacitus exemplo Agrippinæ vxoris Germanici, quæ, cùm fama deleti exercitus cunctos terruisset, & inuasuros citò Gallias Germanos loqueretur, pontem, qui Rhenum iungebat, spem vnicam reditus, abrumpere volentes prohibuit. Fœmina, inquit Tacitus, ingens animi, munia ducis per eos dies induit, militibúsq; vt quis inops, aut saucius, vestem & fomenta dilargita est. Tradit, inquit, C. Plinius Germanicorum bellorum Scriptor, stetisse apud principium pōtis, laudes & grates reuersis legionibus habentē. Id Tyberij animū altiùs penetrauit. Nō enim simplices eas curas: nec aduersus externum militem quæri: nihil relictum Imperatoribus, vbi fœmina manipulos interuisat, signa adeat, largitionibus tentet, &c. quæ si formidolosa duxit in muliere, quo pacto viri fortis solertiam non expauesceret?

Omnis Israel & Iuda diligebat Dauid.] Ob hoc maximè Saul rumpebatur inuidia. *Ipse enim ingrediebatur & egrediebatur ante eos.*] Cyrū priusquam Imperium nactus esset, Medus quidam apud Xenophontem compellat his verbis: At ego Rex, inquit: rex enim nihilominus videris natura esse, quàm qui in aluearī apum examina regit: illi enim apes parent vltrò, & vbicunque maneat, nulla illinc abscedit. Quòd si quò exeat, nulla eum relinquit. Amor vsque adeo vehemens in his inest, vt eius patiantur imperium. Itidem quodammodo homines mihi videntur erga te habere. Etenim in Persas cùm à nobis abijsti, quis Medus aut iuuenis aut senex relictus est, qui minus te sequeretur, donec Astyages nos auertit? Cùm verò ex Persis auxilio venisti nobis, videmus item amicos tuos ferè omnes vltrò te sequentes. Vbi rursus optasti ducere hunc exercitum, sponte Medi omnes te sunt sequuti. Nunc etiam sic habemus, vt vnà tecum in terra hostili cùm sumus, confidamus, & timeamus sine te abire etiam domum. Et ibi quidem hactenus. Verùm aliàs cùm Cyaxares Cyri patruus, qui patri Astyagi in regno successerat, prolixam hanc Medorum erga Cyrū voluntatem manifestis indicijs deprehendisset, ea res iurgium peperit: cuius causas ex Cyaxare operæpretium erit agnoscere. Gestiebat Cyrus Babylonios bello lacessere. negabat Cyaxares periculi fieri particeps. exoratus tandem permisit è Medis qui vellent Cyrum priuatim sequi. At illi tanquam vno agmine facto ad Cyrum conuolant, tāti Principem comitantur. Ille rei nouitate perculsus excanduit, & ad exercitum properat à quo se proditum conqueritur. Cyri osculum repudiat, donec blanda eiusdem oratione delinitus iram remisit. Mox quærēti qua gratia sibi tantopere succensuisset, respondit, vt est apud eundem Xenoph. lib. 5. Quid enim Cyre, si quis canes, quas ipse alis custodiæ gratia, ita tractet vt eas sibi familiariores reddat quàm tibi, num tibi hoc cultu is lętitiam afferat? quod si hoc tibi leuioris momenti esse videtur, illud animo perpende. Si quis eos qui tibi inseruiunt, quos tu & præsidij & expeditionis causa

Xenoph. li. 5. Cyrop. Popularium amor regē quodā modo facit.

Princeps quamobrē prolixam ... orum in quemquam beneuolentiam ægrè ferat.

A comparasti, ita sibi conciliet vt illius esse malint quàm tui, num ei gratiā habeas pro hoc beneficio? Quid autem (quod homines maximè & amplectuntur, & curant vt maximè proprium) si quis vxori tuæ ita morem gereret, vt eam faceret sibi magis amicam quàm tibi, num tibi is gratificari velle videretur? Longè vt opinor secus esset: quinimò qui hoc faceret, ille tibi infensior haberetur, quàm si horū quos dixi quempiam, aut raperet, aut interficeret. Quid verò si quis amicorum tuorum, vbi diceres tu benignè vt capiat quæcunque libuerit, dein ille his auditis abeat captis omnibus quæ potuerit, atque is rebus tuis ditetur, tu verò earum vsu priuatus indigeas, possisne probum hunc amicum existimare? Atqui nunc ego, Cyre, si minus hæc, at his similia abs te pati videor. Nam quod ais B permisisse me vt duceres qui vellent, verum quidem est: Sed tu accepta licentia omnes copias adiunxisti tibi, me verò solum destituisti abducto exercitu. Deinde quicquid viribus meis fretus consequeris, id facis meo cum pudore. Nam tu quidem solus vir haberis & autor omnium bonorum, ego minus quàm fœmina, nec iam satis dignus Imperio. Hæcne tibi beneficia videntur esse Cyre? nec enim te præterit, si qua te mei cura tetigisset, illud in primis cauere debuisse, ne quo pacto meam existimationem autoritatémque imminueres. Quid enim mihi prodest si amplificetur regio, cùm ipse inglorius efficiar? Nec enim idcirco Medis imperabam, quòd ipse omnibus essem melior: sed eo potius, quod iidem ipsi nos ducerent C omnibus in rebus sese esse meliores. Hæc idcirco pluribus referre studui, quòd mihi visa sint Cyaxari cum Saule communia.

In omnibus viis suis, &c.

Versus XVII.

Dixitque Saul ad Dauid: Ecce filia mea maior Merob, ipsam dabo tibi vxorem: tantummodo esto vir fortis, & præliare bella Domini. Saul autem reputabat, dicens: Non sit manus mea in eum, sed sit super eum, manus Philisthinorum.

Versus XVIII.

Ait autē Dauid ad Saul: Quis ego sum, D aut quæ est vita mea, aut cognatio patris mei in Israël, vt fiam gener regis?

Pagninus, *Tantummodo esto mihi filius fortis.* Arias, *in filium virtutis.* Septuag. καὶ γίνε μοι εἰς υἱὸν δυνάμεως. *Cæterùm fias mihi in filium fortitudinis.* Vatabl. Salmant. *Modo sis mihi vir fortis.* Et in Ecphrasi, id est, ea lege vt sis dux & imperator mei exercitus. Chaldæus, *Verùm esto mihi viro facienti bella.* Alius ex Hebr. *in filium roboris.* Idem tamen vertit, *Tantùm esto mihi strenuus.* Et addit, Quum permanente odio necem Dauidis quæreret, populi verò amore in Dauidem ipse deterreretur à perpetranda cæde: fraudulētum hoc consilium suscepit. Quidam, *ita tamen vt sis apud me militia deditus.* Sic enim futurum sperā-

Varię trāslat.

Ecce filia mea, &c.

bat, vt ocius periret. Rom. edit. Sept. Interpr. versum hunc cũ aliquot sequẽtibus non agnoscit. *Saul autem reputabat, dicens: Non sit manus mea, &c.* Pagn. *Et Saul dicebat: Ne sit manus mea in eum, sed sit in eo manus Pelesthinorum.* Vatab. Salmant. *Saul tamen cogitabat, Non erit manus mea contra eum, sed erit contra eum manus Palesthinorum.* Et in Schol. quasi dicat, Non occidam eum, sed interficietur à Palesthinis. Chald. *Et Saul dixit, Non erit manus mea in eo, & tradetur in manu Pelisthaeorum.* Septuag. Καὶ Σαοὺλ εἶπε, μὴ ἔστω ἡ χείρ μου ἐπ' αὐτῷ, ἀλλ' ἔστω ἐν αὐτῷ (Theodor. qu. 46. ἀλλ' ἔσται;) Edit. Aldina, Καὶ ἔσται ἐπ' αὐτῷ ἡ χεὶρ τῶν ἀλλοφύλων. Et Saul dixit, *Non sit manus mea in eo,* siue *super eum, & erit,* vel *sed erit* Complut. *Sed sit super eum* (Complut. *in eo*) *manus alienigenarum.*

Vers. 18. *Quis ego sum, aut quae est vita mea, &c.* Pagnin. Quis ego sum, (Arias delet *sum*) *& quae vita mea, & quae* (delet Arias *& quae*) *familia patris mei in Israel, vt sim* (Arias, *quia ero*) *gener regi?* Chald. *Et prosapia patris mei in Israel?* Vatab. cum Pagn. consentit. Sept. Interpr. τίς εἰμι ἐγώ, καὶ τίς ἡ ζωὴ τῆς συγγενείας τοῦ πατρός μου ἐν Ἰσραὴλ ὅτι ἔσομαι γαμβρὸς τῷ βασιλέως; Quis sum ego, aut quae vita cognationis patris mei in Israël, quia ero gener regis? Quidam ex Hebr. *Quis sum ego? aut quis* autor *vitae meae? aut familia patris mei in Israele, quòd futurus sim gener regi?* à persona sua, patris, & familiae, inaequalitatem suam ostendit.

Ecce filia mea maior Merob, ipsam tibi dabo in vxorem.] Hactenus Saul promissa non cõpleuerat: nũc fingit fidem liberare velle. Illud quidem satis animaduertebat Dauid, Saulem non stare cõuentis, neque tamen vllo tẽpore conquestus est. Neque enim vt se discrimini obijceret, quod alij plures fecisse memorãtur, spe potiundae nobilis puellę, aut ambitione aliqua induxerat: sed vlciscendae cupiditate iniuriae, & studio depellendae ignominiae cùm diuinae tum publicae. Saul verò quo minus pacta dissolueret, metu absterrebatur. Verùm, quod non rarò accidit, mox vtrinq; perturbato animo timoris species obiecta est. Veretur enim ne si diutius pergat conuenta morari, in totius populi offensionem incurrat. Itaque nunc beneuolentiam simulat, filiam spondet, ad virtutẽ hortatur: & quo magis suum munus ornet, & iram condat, non sua sed Domini bella commendat, filiam verò suam maiorem vocat, vt intelligat Dauid regalis coniugij primitias extra sortẽ offerri. *Filia mea maior Merob.*] Aequabat sors foeminas apud Hebraeos vt arbitror, & Imperij pariter expertes manebãt: Masculorum est illud elogium, vt qui primo loco in lucem erupit, *prior in donis, maior in imperio* habeatur. Apud Liuium Decad. 4. l. 10. Perseus apud Philippum patrem Demetrio fratri obijcit, Regnare vtique vis. Huic spei tuę obstat aetas mea, obstat gẽtium ius, obstat vetustus Macedoniae mos, obstat verò etiam patris iudicium. S. Fulbertus primùm Monachus, Deinde etiam Carnotensis Episc. quantum laborarit, vt apud Francos primogeniti regnum capesserent, alibi dicturi sumus. Hinc primogeniti Regum apud nos appellationis singulari praerogatiua designantur. Et nunc quidem celebre est Delphinorum nomen, & nota ratio: antea verò Do-

Praerogatiua primogenitorum.

Gen ca. 49. vers. 3.

Liuius.

Primogeniti Francorũ olim Domnicilli vocati.

A mnicilli vocati sunt; vt docet Marculphus Monachus in Solennibus Formulis ca. 90. cuius hic est titulus, Epistola ingenuitatis. Formula est, qua nonnulli serui fiscales pro natiuitate, vt ait, Domnicilli nostri manumittebãtur, siue, vt formula loquitur, ab omni vinculo seruitutis absoluebantur. Inuenies in Codice Legum antiq. Domnicillum porrò veteres *Damoyzel*, dicebãt: quod notare debuisse Steph. Pasquerium admonet eruditissimus Scriptor, qui in nonnullas eiusdem obseruationes Gall. non ita pridem animaduertit. Principem Vvaliae Angli vocant; Hispania dicere solet Infantem; Graeci τὸν Δεσπότην; Romani iuuentutis Principem apud Tacitum; vel sanè Augustum iuuenem, nam hac quoque appellatione Ammianus vtitur. Har-
B doinus proprię gentis atque ętatis vsus idiomate in describenda historia Constantin. Alexim, Isaaci Imperatoris filium, singulari titulo designat *Le Varlet de Constantinople.* Quod nomen quandoquidem is autor non explicuit, alienum à proposito fore non videtur, si nonnullam eius etymologiam tradamus. Porrò siue *Varlet* legas, siue *valet*, aut etiam *valed*, quomodo nunc frequentiùs politior aetas loquitur, vna est emphasis, & eadem vocis apud nos significatio. Sunt igitur qui *Valed*, si primam vocis spectes originem, non aliud nobis significare dictitent, quàm quod וָלָד *veled*, aut etiam וָלָד *valad*, Hebraeis; ולוד *valoud* Syris; Arabibus autem וָלָד *valad*, hoc est gnatum siue filiũ. Radix ipsa est יָלַד *ialad* Hebraeis; Chaldaeis יְלַד *ielad*, Syris יְלַד *iylad*; Arabibus וָלַד *valad*, quod idem est atque
C genuit siue procreauit. Quod si inde *Valed* nostrum manauit, vti nonnullis visum est, & Fungerus refert in etymolog. haud aliter Patres nostri Regis primogenitum filium nominarunt quàm nunc quoque Hispani faciunt, Hispaniarum Infantem Catholici Regis filium nuncupantes: non quia hi soli quandoq; nati sunt, sed quia reliquis omnibus pręstantiores habiti. Regum filias tametsi Domnulas an antiquis dictas, nullo tamẽ aetatis priuilegio distinctas legimus: non apud nos, non apud Romanos, non deniq; apud Hebraeos, qui nõ magis quàm Franci foemineum imperium ferre potuerunt. quare frustrà videtur Saul verbis exagerare beneuolentiam suam, cùm non maior aetas, sed minor potius puellas commendet. Nisi fortè iunior hactenus immatura viro, hęc sola nubilis habeba-
D tur. An potius credidit puellas floribus esse similes, quorum qui primus incunte vere nascitur cupidius legitur? An foetibus arborum, quarum praecoces fructus tametsi minus vtiles, ob nouitatem cariùs veneunt? An stellarũ choris, quarum quae prima oritur nocti praecurrens, pulcherrima mortaliũ oculis apparet? Egregiũ aliquid esse duxit primaeuum Regiae sobolis pudorem delibare. Caeterùm *Merob, litigantẽ*, aut etiam *loquacem & verbosam* (quae vitia satis bellè exprimunt nonnullarum ingenia foeminarum) significare volũt, à verbo רִיב *rob* quod est litigauit, pluribus verbis egit & contendit. Quare hanc Dei prouidẽtia Dauid vxorem nactus non est. *Melius* namq; *est*, vt docet Sapiens, *sedere in angulo domatis quàm cum muliere litigiosa.*

Ecce filia mea, &c.

Marculph'

Hardoin.

Imperatoris Graeci primogenitus dictus *le Varlet de Constãtinople*, & vocis etymologia.

Filiarum nullum discrimen habitum.

Tantummodo

Ecce filia mea, &c.

Herodian.

Tantummodo esto vir fortis.] De Mar. Aurelio Imperatore Herodianus lib. 1. hæc habet. Filias cùm adoleuissent, optimis ex ordine senatorio viris collocauit. Neque enim qui longam generis seriem præferrent, aut qui opes nimias ostentarent, sed qui morum probitate atque modestia, vitæque innocentia præcellerent, eos sibi generos deligendos putabat. Hæc enim sola animi bona certa esse stabiliáq; ducebat. Apud veteres, inquit S. Isidor. li. 2. Offic. Eccles. ca. 19. in deligendis maritis quatuor ista spectabátur, virtus, genus, pulchritudo, oratio: in fœminis tria, si generosa, si bene morata esset, si pulcra. Nunc autem non genus & mores, sed magis diuitiæ in vxoribus placent: nec quæritur quàm sit fœmina pudica, sed potius quàm sit formosa, quæ & concupiscẽdi libidinem nutriat, & multorum post se suspiria trahat. Pulchra enim, (vt ait quidam sapiens) citò adamatur: & difficilè custoditur quod plures amant. Hæc S. Isidor.

S. Isid. hisp.

In maritis & vxoribus deligendis quæ spectarentur ab antiquis.

Saul autem reputabat dicens, Non sit manus mea, &c.] Hesiodus, Oper. & dier lib. 1.

Hesiodus. Virorũ malitia describitur.

Iustitia vero in manibus & pudor
Non erit. Lædet autem malus meliorem virum,
Verbis obliquis alloquens, periurium verò iurabit.
Liuor autem homines miseros omnes,
Raucus malis gaudens, comitabitur inuisus.
Túmque demum ad cælum à terra spaciosa,
Candidis vestibus tectæ corpus pulchrum,
Deorum ad familiam abierũt relictis hominibus,
Pudor & Nemesis. relinquentur autem dolores graues
Mortalibus hominibus; mali verò non erit remedium.

Lucianus.

Itaque apud Lucianum in Hermotimo, cùm Neptunus, Minerua & Vulcanus de artificij præstantia contenderẽt, & Neptunus taurum, Minerua domum, Vulcanus hominem protulisset, Momus autem iudex delectus esset: is cùm in reliquis operibus multa damnauit, tum hoc in Vulcani homine non probauit; quod fenestellæ in pectore additæ non essent, vt videri posset, quid cogitaret, verum an falsum diceret. Vitruuius Pollio initio lib. 3. de Architectura, Socratẽ (quem Delphicus Apollo omnium sapientissimum Pythiæ responsis est professus) olim dixisse memorat, Oportuisse hominum pectora fenestrata & aperta esse, vti non occultos haberẽt sensus, sed patentes ad considerandum. Cæci non nouerant consilium Dei. Quod optat Socrates, postremò fiet. Τοὺς γὰρ πάντας ἡμᾶς φανερωθῆναι δεῖ ἔμπροσθεν τοῦ βήματος τοῦ Χριστοῦ. *Nam omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi,* vt quisque digna factis aut supplicia ferat; aut præmia referat. Sed hoc interim spatio cordis arcana tegi voluit, ne homines necessitate magis, quàm propriæ voluntatis studio virtutem amplecti, aut vitium fugere viderentur. Noluit omnes perditorum hominum insidias & occultum virus explorari posse; nedum ab iis caueant boni, animi sui constantiam minus probent: aut certè, si vitari posse desperent, animum despondeãt. Cæterùm cum hypocrisis omnis summè detestanda est, tum ea maximè quæ his quæ Deus ad humani generis salutem contulit, abutitur ad hominum perniciem. Deus matrimo-

Vitruuius.

2. ad Cor. cap. 5. v. 10.

Quare Deus noluit patere hominũ pectora.

Quæ nequissima hypocrisis.

A nij fœdus instituit, eóque valere iussit, vt humanum genus seruaretur incolume, & vxor viri necessitatibus inseruiret. Hac spe nunc Saul Dauidem captat, & specie conciliandæ affinitatis Palæstinis obijcit, studens inde viro necem moliri, vnde immortalitatis expectatio confirmari debuit. Sed nulla est res ita sacrosancta, cui homines abiecti à Deo velint parcere. Aduocat ad se Dauidem. Iam, inquit, faciam promissa: hoc tamen vnum ex te requiro, vt sis fortis, & geras bella Domini. Quid his verbis dulcius? Videtur loqui mel: re tamen vera venenum, cædem, mortem loquitur. Præbe, inquit, te virum, non mea quidem causa, sed Domini: eius enim hoc bello propagabis gloriam, & propugnabis populum Dei. Quis adeo suspicax se in huiusmodi laqueos non indueret? Inde Regia virgo sponsa promittitur, hinc augendæ diuinæ gloriæ spes ostenditur, pro qua nemo bonus vitam pacisci nolit. Hac esca visus est ad hamos & retia allici posse. Interim sic secum cogitat:

Ecce filia mea, &c.

B

Ne sit manus mea super eum, sed Philisth.] Nam si illum manifestè occidisset, verebatur seditionem populi. R. Salomon putat, Saulem vsum fuisse his insidijs, ne postea ageretur reus homicidij. Oblitus est dicere coram quo iudice. *Timidæ sunt* scilicet *cogitationes hominum, & sæua semper cogitat perturbata conscientia.* Saulem Scribæ & Pontifices postea imitati sunt. *Non licet nobis,* aiebant, *quemquam interficere,* cùm interim Christum adducerent ad prætorium, & eum carnificibus traderent. Qui tyrannicè volunt imperare, inquit Plato de Repub. speciem quidem gerere debent æquissimi principis, caudam tamen trahere lupi & vulpis. Alioqui enim non succedet. Domitianus nulli magis creabat periculum, quàm quo cum suauissimè & blandissimè loquebatur. Et Herodes, *Renunciate,* inquit, *mihi, vt ego quoque veniam, & adorem:* cùm tamen nihil sic ardenter expeteret, vt cædem Christi.

C

Quis ego sum, aut quæ est vita mea, &c.] Deridendi mihi videntur esse, inquit Ælianus li. 14. Var. histor. cap. 26. qui propter maiorum facta cristas tollunt: siquidem Marij patrem ignoramus, quem tamen ipsum ob rerum gestarum magnitudinem suspicimus: item Catonem, Seruilium, Hostilium, & Romulum. Et lib. 12. cap. 43. complures nobilissimos Reges & præstantissimos duces recenset, qui obscurissimis natalibus orti, orbem terrarum rerum gestarum gloria illustrarunt. Meminit & Piasti Cromerus lib. 2. de reb. Polonor. qui cùm agello modico colendo & mellificio vitam sustentaret, tantum beneficentia & liberalitate erga hospites; virtutisque opinione apud Polonos obtinuit, vt ab eis Princeps gentis renunciaretur. Huius posteri pluribus seculis Poloniæ imperarunt. Quare vbi virtutis splendor elucet, generis claritas minimè requirenda est.

Præstantissimi viri complures obscuris parentibus orti. Ælianus.

D

Cromerus.

Vt fiam gener Regis.] Contempsit Alexander Darij filiam cùm ab eo offerretur. Dat mihi, inquit, filiam suam, nempe quam scit alicui seruorum suorum nupturam. Multum verò mihi præstat, si me Mazæo generum præponit. Narrat Curtius lib. 4. At non pariter Dauid. Sanctos

Curtius.

Non sit manus, &c.

enim fastus dedecet, modestiæ præcipuum decus & ornamentum est. *Vt fiam gener Regis.*] Non ita Dauid oblitus erat sui, vt non meminerit se à Samuele vnctum fuisse regem. Quomodo ergo sibi nunc videtur indignus filia Regis? Adhæc cùm occidisset Goliath, affinitas Regis illi debebatur ex pacto. Respondeo: Sancti homines, cùm vocantur ad aliquem honorem, primùm infirmitatem suam considerant, deinde dignitatis magnitudinem. Ita Dauid sibi videbatur indignus. Non enim de pacto cogitabat, aut de inauguratione facta per Samuelem, sed de sublimitate & fastigio honoris regij. Ita Abraham appellat se *puluerem & cinerem*: & Paulus ait se indignum esse, qui vocetur Apostolus, quod persequutus esset Ecclesiam Dei: & Saul, cum adhuc esset melior, eadem respondit de regno, quæ Dauid hoc loco de affinitate regis. Nec simulauit ista Dauid: sed hunc animum erga Saulem perpetuò retinuit. Nam cùm esset iam vnctus rex, & ab illo omnibus modis oppugnaretur, tamen illum semper habuit pro Domino suo. Et quamuis hoc loco Dauid ita summissè de se loquatur, & sentiat, tamen non repudiat, aut recusat Regis affinitatem. Saul autem adduci debuit hac tãta Dauidis modestia, vt crederet, nihil sibi ab illo fore periculi. Nam qui hoc animo sunt, non solent petere vitam Principum, aut se in illorum locum intrudere.

Humilitas propria Sãctorum.

Versus XIX.

Factum est autem tempus, cùm deberet dari Merob filia Saul Dauid, data est Hadrieli Molathitæ vxor.

Variæ trãslat.

Pagninus, *In tempore quo danda erat.* Arias, *in tempore dandi.* Flaminius in Notis pariter legit, *In tempore dandi.* Complut. *In tempore cùm daretur.* Græcè, ἐν τῷ καιρῷ τοῦ δοθῆναι τὴν Μερόβ. Chaldæus, *Et fuit in tempore quo pertinuit dari Merab filiam Saul Dauidi.* Alius quidam, *Fuit autem, quo tempore daturus erat Merabam filiam Schaulis Dauidi; vt ipsa daretur Hadrieli* (filio Batzillai Ephraijmitæ, 2. Schem. 21.8.) *Mecholathæo in vxorem.* Vide, ait, Iud. 7.21. Complut. & Rom. editio in Notis Flaminij legunt *Edriel*; Aldina, *Esdriel, Molathita.* Chaldæus, *Hadriel, qui ex Mehholath.* Hebraicè scriptũ est לְעַדְרִיאֵל הַמְּחֹלָתִי *Leghadriel Hammehholathi.* Complut. τῷ ἰσριὴλ τῷ μαχλαθίτῃ. Aldina. τῷ ἐσδριὴλ τῷ μολαθίτῃ.

Factum est autem tempus, cùm deberet dari Merob.] Quod tempus? Illud forsan quo virgines catullire solent. Nam κναμίζειν τὰς ἀκμαζούσας, siue floridæ ætatis puellas catullire dixit Aristophanes. Aliæ, inquit, illarum κναμίζουσιν catulliunt: siue πρὸς ἄνδρας εἰσὶν ἐκπτήσιμοι σχεδὸν, ad viros iam promptiores sunt. Apud Pollucem lib. 2. cap. 2. sect. 10. Tempus illud designari videtur, de quo Ezechiel cap. 16. vers. 8. *Tempus tuum, tempus amantium.* Siue iuxta Septuaginta, vt scribit in eundem locum S. Hieronymus, *Tempus diuertentium*; & iuxta secundam Aquilæ editionem, *Tempus* συναλλαγῆς, *synallages, sponsalium* videlicet, & *nuptiarum.* iuxta primam verò eiusdem, ac Theodotionis, μαστῶν, quod interpretatur *vberum*: pro quo Symmachus vertit ἀγάπης, *agapes*, quod *dilectionem* sonat. Vox autem Hebræa דּוֹדִים *dodim*, hæc omnia significata complectitur. Pagninus vertit עֵת דּוֹדִים *gheth dodim, tempus amorum.* Tempus pubertatis S. Hieronymus intelligit, quo possunt iam maturæ virgines virorum amplexibus copulari. Paucis ita describit idem propheta superiore versu: *Grandis effecta, peruenisti ad mundum muliebrem: vbera tua intumuerunt, & pilus tuus germinauit.* Venit itaque nuptijs constitutus dies.

Tẽpus nubendi.

Pollux.

S. Hieron.

Data est Hadrieli, &c.

Data est Hadrieli Molathita vxor.] Puella datur Hadrieli cuidam, de cuius rebus gestis, & virtute nihil extat scriptum in sacris literis. Hîc Saul apertè fallit fidem. Sed Deus ita voluit fieri: Dauidi enim destinata fuerat altera filia. Nec tamen ea causa Saulis perfidia potest excusari. Id enim non eo consilio fecit, vt diuinæ prouidentiæ obsequeretur: sed vt interim dum moras nuptijs nectit, occasionem aliquam opprimendi Dauidis inueniat. Illud autem matrimonium Hadrielis infelicissimè cessit. Filij enim, quos ille ex ea vxore susceperat, postea crucibus suspensi sunt à Gabaonitis, 2. Reg. cap. 21.

Apud Xenophontem Cyrus docet, nihil æquè valere ad incitandos militum animos, vt si quis auidis, egregij alicuius boni spem injiciat. Verùm, Cambyses inquit, ô fili, hoc huiusmodi est, quale si quis in venatione canes hortetur semper eadem appellatione, qua solet vbi feram aspicit. Nam primùm alacriter parent. Quòd si eas fefellerit sæpius, ad postremum neque quando feram verè intuens vocarit, ei obtemperant. Ita etiam, inquit, de spe accidit. Si quis frequenter bonorum expectationem ostentans fefellerit, is ne tum quidem persuadere poterit, cùm verè & ex animo pollicebitur. Feruntur Leopardi cicures (his maximè damas ceruósque venatur Tartarorum Imperator, vt scribit Paulus Venetus lib. 3.) ni tertio saltu prædam consequantur, ira efferatos recedere, & à venatione abstinere. Quare necesse est eos quibus similes feræ cordi sunt, semper habere paratam visceràtionem qua iratos explerant, vt ad officium redire velint. Homines verò non raro ne tertiam quidem repulsam ferunt: sed semel duntaxat opinione decepti, in posterum ab ijs abstinent, à quibus sibi verba dari compererint. Dauidis tamen virtus nulla contumelia frangi potuit. Quî tandem? Quoniam is non sua commoda, sed Dei gloriam cum publica vtilitate coniunctam sectari instituit.

Xenoph. lib. 1. Cyropæd.

Qui promissa fallit, sibi fidem derogat.

Paulus Venetus.

Versus XX.

Dilexit autem Dauid Michol filia Saul altera. Et nuntiatum est Saul, & placuit ei.

Versus XXI.

Dixitque Saul: Dabo eam illi, vt fiat ei in

in scandalum, & sit super eum manus Philisthinorum. Dixitque Saul ad Dauid: In duabus rebus gener meus eris hodie.

VERSVS XXII.

Et mandauit Saul seruis suis: Loquimini ad Dauid clam me, dicentes: Ecce places regi, & omnes serui eius diligunt te. Nunc ergo esto gener regis.

Variæ trãslat.

PAgninus, *Et dilexit Michal filia Saul ipsum Dauid, & placuit verbum in oculis eius.* Hebraïcè, מיכל בת שאול את דוד *Michal bath Schaoul eth Dauid. Michal filia Saul Dauidem.* Græci, τὸν Δαυίδ. Chaldæus, *Et pulchruit verbum in oculis eius.* Vatablus Salmant. *Amauit autem Dauidem Michal filia Saulis, indicaruntque id Sauli: quæ res placuit Sauli.* Editio Romana septuaginta Interpretum, *Et dilexit Melchol filia Saul Dauid. Et annuntiatum est Sauli: & rectum fuit in oculis eius.* Versu vigesimo primo. Pagninus, *Dabo eam ei; vt (Arias, &) sit ipsi in laqueum, & sit in eo manus Pelistinorum. Dixitque Saul ad Dauid: In duabus contrahes affinitatem mecum hodie.* Arias, *Gener eris in me hodie.* Chaldæus, *Et erit ei in offendiculum, & tradetur, &c. In vna de duabus gener fies mihi hodie.* Complutenses, καὶ ἔσται αὐτῷ εἰς σκάνδαλον. *& erit ei in scandalum,* καὶ ἔσται ἐπ' αὐτῷ χεὶρ ἀλλοφύλων. *& erit super eum manus Philistinorum: & dixit Saul ad Dauid,* ἐν ταῖς δυσὶν γαμβρεύσεις μοι σήμερον. *In duabus eris mihi gener hodie.* Habent quoque Aldina editio & Romana, *Et erit illi in scandalum:* sed non conueniunt in reliquis. legunt enim, *Et fuit super Saul manus alienigenarum.* Καὶ ἦν ἐπὶ Σαοὺλ χεὶρ ἀλλοφύλων. Cætera Romana editio non agnoscit. Aldus tamen addit, *Et dixit Saul ad Dauid,* ἐν ταῖς δυνάμεσιν ἐπιγαμβρεύσεις μοι σήμερον. *In fortitudinibus, aut rebus fortiter gestis gener mihi futurus es hodie.* Vatablus Salmant. legit, *Dabo eam illi, vt sit ei in laqueum.* In Scholijs, vel *offendiculum, ruinam,* id est, propter eam corruet, occasio erit ruinæ & exitij. Hoc dicit propter Palesthinos, quos erat interfecturus ante nuptias. *vtque sit contra eum manus Palesthinorum.* In Schol. quasi dicat, ita veniet in potestatem Palesthinorum, sicque occidetur. *Dixitque Saul ad Dauidem, In alterutra eris mihi gener hodie.* In Schol. vel, *per* D *alteram.* subaudi, *filiarum, &c.* id est, contrahes mecum affinitatem in altera duarum filiarum mearum. Alius quidam, *Dem eam illi, vt sit ei in tendiculam;* vt explicatur infrà versu vigesimo quarto, *Per alteram te affinitate coniunge mecum ista die.* Hebr. *per duas,* id est, *secundam;* numerale cardinale, pro ordinali: sic secundo Regum, decimo quinto, trigesimo secundo, & alibi. *Ista die,* id est, intra certum & præfinitum tempus, vt apparet versu vigesimo quinto, *In altera (filia) gener meus eris hodie.*

Versu vigesimo secundo, *Loquimini vos clanculùm ipsi Dauid.* Id est, tanquam ex vobis, ne intelligat consilium ex me profectum esse. Vatablus Salmant. *En fauet tibi Rex.* Alter, *Ecce*

A *delectatur te Rex.* Græci, ἰδοὺ ὁ βασιλεὺς θέλει ἐν σοί. *Ecce Rex vult in te.* Chaldæus, *Ecce complacuit in te Regi.* Pagninus, *Ecce complacuit in te Rex, &c. & nunc affinitatem contrahe cum Rege.*

DILEXIT MICHOL, &c.

Dilexit autem Dauid Michol filia Saul.] Tametsi verè Dauid de se prædicare potuit, quod falsò forsan de se iactitat apud Suidam Ælianus in voce θρέμματα, Haud enim huc veni, vt in mensam incumbam, ὡ θρέμματος ἀλόγου δίκην παχυνθῶ, & brutæ pecudis instar saginer, & à magistratibus, & honoribus pendeam, & aulas, & mensas, & satrapas admirer. οὐδὲ μοι κάλλος σώματος γυναικὸς δέλεαρ ἐστιν, οὐδὲ χρηματίζομαι: nec humanæ pulchritudinis illecebris velut esca capior, aut rei amplificandæ studeo. Tametsi, inquam, Dauid, qui sic affectus esset, iure ac meritò gloriari potuerit, nec regiæ virginis sollicitaret amorem:

Suidas.

B vitare tamen non potuit, quin eadem virtutis modestiæq; suæ laqueis caperetur. Diuina prouidentia factum arbitror, vt Dauidi nec opinanti, & aliud agenti pararetur præsidium. Sic enim destinatur illi altera Saulis filia, quod Deus nosset illi cum priore non conuenturum. Caput autem nuptiarum est amor mutuus. Itaque *in Digest. De ritu nuptiar. leg.* 1. matrimonium ita definitur. Est coniunctio maris & fœminæ, consortium omnis vitæ, & rerum diuinarum atque humanarum communicatio. Hîc prætermittitur causa efficiens, nimirum Deus, & finalis causa, hoc est, soboles, & vitatio scortationis, & vsus vitæ. Prætermittitur & Sacramenti ratio, quæ Ecclesiæ cum Christo perpetuam coniunctionem repræsentat: quoniam hîc Gentilia, aut etiam Iudaïca matrimonia de-

Mattimonij definitio.

Digest.

C scribuntur. Magister in 4. addit, inter legitimas personas. Vt enim genus manat à natura, sic per legem contrahitur affinitas. Iam verò quæ potest esse in nuptijs coniunctio, & communicatio sine amore mutuo? Non ergo frustrà adijcitur, Michol Dauidis amore flagrasse. Alioqui verò frustrà sponderet pater, si non ad parentis votum puellæ voluntas accederet. Ita docet Iuo Carnotensis Episcopus epist. 69. De pacto, inquit, coniugali quod factum est inter duos nobiles, itaut qui filiam habebat, iurauerit se eandem traditurum vni de filijs alterius nobilis cui vellet, cùm ad nubiles annos virgo peruenisset; hoc paternitati vestræ respondeo, quod & natura disposuit, & lex tam Ecclesiastica quàm mundana firmauit: Quia quorum per coniuga-

Lombard[9].

Amor nuptiarũ legitimus conciliator est.

Iuo Carnotensis.

D lem copulam vnum debet fieri corpus, eorundem pariter animorum debet esse consensus. Quicquid ergo pater nesciente virgine iurat, cùm ad annos rationales perducta est, nisi ipsa virgo consentiat, etiam viuente patre secundum leges irritum erit. Vnde Papa Nicolaus Hincmaro scribit Episcopo: Sufficiat per leges solus eorum consensus, de quorum coniunctionibus agitur. Qui consensus solus in nuptijs si fortè defuerit, cætera omnia etiam cum ipso coïtu frustrantur, Ioanne Chrysostomo magno doctore attestante, qui ait: Matrimonium non facit coïtus, sed voluntas. Inde etiam in Legibus Romanorum, Iustiniani Imperatoris ita habetur: Sponsalia sicut nuptiæ, consensu fiunt contrahentium. Et ideò sicut nuptijs, ita sponsali-

D. de sponsal. L. 11. & L. 14.

DILEXIT MICHOL, &c. bus filias-familias consentire oportet. Et alibi. A primordio ætatis effici sponsalia possunt, si modò ab vtraque persona id fieri intelligatur, id est, si non minores sint quàm duodecim annis. Hactenus Iuo.

Fauebat virginis amori primùm ipsa ætas, quę vbi primùm pubertatis florem attigit, insolito quodam ardore succenditur, qui non solet fontium gelidis laticibus extingui. Docet hoc Bion Bucolicorum scriptor Eidyllio 2.

Bion.

Adolescens, inquit, *olim anceps in nemore arboribus denso,*
Dum venatur aues, fugitiuum vidit Amorem
Buxi ramo insidentem. Vt igitur animaduertit,
Gaudens (quoniam auis ei permagna videbatur)
Calamos simul omnes inter se coniungens,
Huc illuc transilientem obseruabat Amorem.
Tandem verò puer indignatus, quia nihil proficiebat,
Abiectis arundinibus senem adijt aratorem,
A quo hanc artem didicerat, eiq. rem narrauit,
Et sedentem ostendit Amorem. Porro senex
Subridens mouit caput, & respondit puero:
Abstine à venatione, nec istam auem insequitor.
Fuge procul: mala est hæc bestia: tu q. beatus
Dum non ceperis ipsam: sed cùm in virum euaseris,
Ille qui nunc fugit & resilit, ipse sua sponte
Accedens subitò, capiti tuo insidebit.

Accedebat virginis ipsius procax ingenium. Nam videndi supra modum fuisse auidam prodit secundi Regum caput sextum, versu decimo sexto. Iam verò, vt scribit Philemon, primùm vident omnes, dein admirantur, subinde etiam spes venit, sic fit ex his amor. At longè diuersos mores Syrithæ cuiusdam regiæ puellæ describit Krantzius libro secundo Daniæ, capite quinto. Si VValdo Rege Daniæ nata fuit, quæ cùm ingenij ac formæ dotibus reliquis suæ ætatis virginibus longè præcelleret, inexpugnabili castitatis præsidio seipsam vallauit, ne qua viri species orisue decor casti consilij propositum labefactaret. Illa hanc legem suis oculis tulit, ne qua ratione virum intuerentur. Id cùm multi, virtutis ac formæ gratia capti, tentassent, experti sunt. Otaro procorum nobilissimo pater ea conditione spopondit, si illum virgo vel vnico nictu oculi dignaretur. Facilis conditio visa est, & multa occurrere fingique posse ob quæ in eundem oculos inflecteret. Frustrà tamen mille artes adhibuit. Itaque eandem cùm non leui periculo exemisset, & iam satis superque vehementissimum suum amorem declarasse se crederet, ingrati animi vitium puellæ obiecit: nec sic tamen à sua constantia deterrita est. Non tamen tulit generosum pectus hanc sibi turpitudinis notam inuri: sed dissimulato habitu se illi in seruitutem tradidit, quam mox ancillam suæ matri adscripsit. Et hoc interim spatio dum se nosse dissimulat, fictas parat nuptias, ratus virginis ferreum pectus ea arte emolliri posse. Sed nec sic quidem obtinet. Imperat tanquam ancillæ cereum funalem præferat: qui vbi consumptus est, flamma manum corripit: quam tametsi dissimulato dolore aliquantisper sustinuit, ad extremum tamen doloris magnitudine respicere coacta est. Sicque illæ castissimæ sponsæ optatis amplexibus potitus est.

Krantzius.

Syritha virgo virorū conspectū fugit.

Michol Saulis filiam inhonestæ libidinis Scriptura nusquam insimulat: sed cùm liberi facie præditum adolescentem curiosiùs inspiceret, prior exarsit: quod neutiquam puellæ modestiam commendat. Addi præterea potest perpetua quædam eius rectè factorum apud familiam Principis commemoratio: vitæ genus otio delicijsque refertum, quibus fomentis amoris flamma statim excitatur. Postremò, tanto etiam iustius sibi visa est ardorem suum profiteri posse, quòd cum iam videat sorore sua maiore frustratum fuisse, & tamen patrem suum publicè pollicitum esse, illum sibi fore generum. Hinc enim necessariò concludebat, eundem sponsum deberi sibi. Huius porrò amoris, quicunque tandem fons & origo fuerit, postea præclara effecta extiterunt. Demisit enim Dauidem de fenestra, & eum seruauit, cùm à Saule quæreretur ad necem. Ita Deus præsidia Dauidi in ipsa Saulis familia comparat: antea Ionathan, nunc etiam Michol alteram Saulis filiam.

Et nuntiatum est Sauli, & placuit ei.] Lætatur quidem Saul, sed non rectè: verùm vt solent, qui inflammantur odio. Nunquam animo quiescit, quicquid occurrit, arripit, vt Dauidem perdat. *Dabo eam illi.*] Calliæ Atheniensis nomen cùm ob præclara alia facinora magnificè celebrat Herodotus libro sexto: tum ob id, inquit, quod talem se in filias tres exhibuit. Nam postquam nubiles extiterunt, hoc eis magnificentissimum munus est gratificatus, vt quem sibi vnaquæque vellet ex omnibus Atheniensibus, eum deligeret: atque ita eam illi nuptum dedit. *Dabo eam illi.*] Et eius gratia iram remittam. Hoc sane debuerat addidisse. Multis sæpè periclitantibus simile puellarum studium subsidio fuit. Narrat Papo 24. Arrestor. 10. art. 14. reum capitalis sententiæ deprecanti virgini Senatusconsulto Parisiensi maritum concessum, atque ita damnatum mortis pœnam euasisse. Id in Hispania vsu receptum addit, exq; Iure Canonico manare potuisse, *Extra. De sponsalibus, cap. Inter opera charitatis. 20.* At iam perpende Saulis consilium. *Vt fiat ei in scandalum.*] Quod reo ad salutem prodesse debuit, ex eo de se benè merito atque innocenti machinatur malum. An igitur Michol Lamia euasura erat, qualis illa apud Philostratum vitę Apollonij libro quarto, capite octauo, quæ Menippum sponsum captabat ad deuorandum, nisi maturè Apollonius insidias patefaceret? An velut vna de numero Danaïdum prima nocte virum iugulatura? An quod mulierum amorem adeò nocentem, & perniciosum esse duxit, quàm fingit Moschus Eidyllio 21. Nam Venus, inquit, cùm aliquando fugitiuum quæreret amorem, omnes admonuit quibus indicijs agnosci deprehendiq; posset. Hæc autem loquuta est:

Herodot.

Papo.

Quid non inuidia! cæcet parentes?

Moschus eidyllio 21. inter eidyllia Theocriti.

Plurima signa insunt puero, si videris inter
Fortè quater quinos alios, cognoscere promptum est.
Non est alba cutis, color inficit igneus, acres
Flammantesq. oculi, mens improba, mellea lingua
Gratia, quod loquitur non sentit. atrocibus ira
Si quando stimulis agitur mens aspera sæuit.

Obsceni amoris descriptio.

Fraude

DABO EAM ILLI, &c.

Fraude dolisque puer fallax, mendacia miscens,
Crudeles ludos agit, aurea vernat in ipso
Vertice cæsaries, fronti non est pudor vllus,
Parua manus, verùm longè iaculatur.
Paruulus est illi quem contrahit omnibus arcus.
Impositum neruo telum breue, quo tamen ipse
Sydera summa ferit, tergo tenus aurea pendet
Plena venenatis calamis, & parua pharetra.
Omnia sæua isthæc, sed multò sæuior illa
Parua manu fax est, qua Solem sæpè perurit.
More auium quatit excutiẽs per brachia pẽnas.
Nunc hos, nunc alios petit, atq; in viscera serpit.
Nudum corpus habet, mentem fallacia velat.

Deinde eadem admonet:

Quod si ceperis hunc, strictũ preme, ne qua videto
Te capiat flentis miseratio. riserit autem,
Fortius ipse liga; consurget in oscula, noli
Consentire, mala hæc sunt oscula, labra veneno
Tota tumẽt, atque ipsa malũ sunt labra venenũ.
Dixerit; hospes habe, nostra hæc tibi tradimus arma.
Et simul obtulerit, nihil accipe, talibus armis
Fallit, & ignitum deriuat in ossa venenum:
Omnia namq; ferunt certum dona illius ignem.

An igitur hæc ita se habere sibi Saul persuaserat? Nequaquam. Sed hæc secum voluebat animo: Amat Michol Dauidẽ: eam illi despõdebo; non tam vt habeat qua fruatur, quàm quo se conijciat in perniciem. Is enim, vt possit fieri meus gener, nõ dubitabit se obijcere omnibus periculis. Ita fiet, vt ad extremum aliquo pacto occidatur. Hæc ille secum. Diabolus olim muliere, quam Deus à principio creauerat ad auxilium viri, abusus est ad eius perniciem. Idem C nunc Saul facit. Zosimus quoque histor. lib. 2. Constantij Imperatoris vafritiem notat, qui Gallo specie quidem Persis resistẽdi, reapse autem vt eum facilius è medio tolleret, & sororem coniugem spopondit, & Cæsaris dignitatem contulit. Constantius, inquit, in Magnentium copias ducens, Gallum patrui filium, germanum eius Iuliani fratrem, qui secundum hęc imperauit, Cæsarem appellat, & sororem ei Constantiam despondet: siue vt Persis resisteret, siue, quod verum erat, vt occasionem eius interficiendi reperiret. Idem de Iuliano Ammianus libro decimo sexto, Rumore tenus vbique iactabatur, quod Iulianus nõ leuaturus incommoda galliarum electus est, sed vt possit per bella deleri sæuissima. Eunapius Sardic. in Maximo: Πεμφθεὶς δὲ Καῖσαρ (Iulianus) ἐπὶ Γαλατίας, οὐχ ἵνα βασιλεύῃ τῶν ἐκεῖ μόνον, ἀλλ' ἵνα ἐν τῇ βασιλείᾳ διαφθαρῇ. Cæsar, inquit, in Galliam ablegatus est. non tã vt imperium illic agitaret, quàm vt in imperio caderet morte absumptus.] Sic Ruffinus galli Cæsaris auunculus ad sedandos ob annonæ caritatem tumultuãtes milites missus fuit, vt hoc insidiarum genere periret. Ammianus libro decimo quarto. Et Vrsicinus contra Syluanum mittebatur, vt ita interimeretur, ne superesset scrupulus impendiò formidandus. Ammianus libro decimo quinto. Ptolemæus libro primo Machabæorum, capite vndecimo, cùm non esset Ægypti contentus imperio, Asiæ regnum aucupans, Reges captabat nuptiarum illecebris, filiam Alexandro pri-

Zosimus.

Connubiis & honorib. captãt Principes quos perdere statuerint.

Ammian.

Eunapius.

Sozomen. lib. 5 cap. 2.

Macha. l. 1.

A mùm, deinde, eo abdicato, Demetrio in matrimonium collocans. *Dabo eam illi, vt fiat ei in scandalum.*] Mirare paternam charitatem. Non dubitat illudere pudorem filiæ, quo alteri noceat. Erant ergo nuptiæ, inquit sanctus Theodoretus, insidiarum, non beneficentiæ. Sed hoc tamen consilium Sauli non successit. Michol enim postea Dauidi non exitio fuit, sed saluti.

IN DUABUS REBUS, &c.

In duabus rebus gener meus eris hodie.] *Hodie*, hac vice. Duæ res istæ sunt, prima, caput goliath, quod victo detraxit, & ad Regem attulit: altera, centum præputia Philisthinorum, quæ sibi sponsaliorum nomine antè vult exhiberi, quàm filiam cum eo copulet. Iniquè autem facere videtur, tametsi nullæ laterent insidiæ, qui pactam partámque coniugem noua rursum cogat B auctione liceri. R. Chimhi cum pluribus exponit, *In duabus*, hoc est, in vna è duabus. Vt in libro Iudicum, Iair dicitur sepultus *in vrbibus Galaaditarum*, hoc est, in vna aliqua vrbe Galaaditarum. R. Ben Gerson, *In duabus*, inquit, hoc est, in vna, acsi ita Saul dixisset: Fefelli tibi fidem in priori filia, nunc itaque dabo aliam, vt possis dici gener meus ex duabus filiabus. Et certè verisimile est, Saulem se Dauidi excusasse. Sic ergo fortasse egit cum eo. Quod priori matrimonio excideris, non factum est perfidia mea: Vidi illam non amare te, nec tuis moribus conuenire, quare volui tibi consulere, vt haberes eam, quæ ex æquo te amaret. Hîc Dauid nihil respondit: fortasse, quod putaret se satis respondisse antea de maiori sorore; vel quod putaret Saulem simulare, & nihil ex animo loqui. Saul autem, quicquid erat, putabat illum nihil respondisse, quod suspicaretur sibi dari verba.

Saulis iniustitia.

Mandauit seruis suis, loquimini clam me ad Dauid.] Itaque subornat famulos, qui seorsim agant cum Dauide, & moneãt, illum in summa esse gratia apud Regem. R. Kimhi putat esse credibile, Dauidem iam remisisse studium persequendi Palæstinos, quod videret operã suam Regi parum esse gratam. Itaque Saulem submisisse seruos, qui ista dicerent. Ego sic arbitror, id suspicione ac metu fecisse potius, ne in populi offensionem incurreret, aut ne Dauid ipse pro necessitate vltimum cõsilium caperet, quàm quod vilam remissi ac negligentis animi significationem daret. Hîc videmus prudenter D versandum esse in aulis Principum. Struentur enim tibi insidię per amicos tuos, quos tu putes ex animo loqui. Volunt enim Principes scrutari omnium suorum corda, in eóque vtuntur linguis atque auribus aliorum. Saul coniecturam de se facit. Ego, inquit, ipse nunquam postea cuiquam crederem, qui me semel fefellisset. Quare, cùm ego Dauidem fefellerim, credibile est, illum mihi iam non habere fidem. Vtitur ergo opera suorum aulicorum, qui suadeant Dauidi, rem seriò agi, nihilque simulari. Metitur autem studium Dauidis ex ingenio aulicorum. Illi enim nihil non perferunt, vt possint gratiosi esse apud Principem. Sed vt *charitas non operatur malum*, ita ex odio nihil potest proficisci boni.

Principum doli & astutia.

Ecce Regi places &c.

Ecce Regi places, & omnes serui eius diligunt te.] Haud temerè id contingit. Nam quibus ferè Principes fauent, his ministri inuident: quos verò Princeps professo odio insequitur, plerúque horum misericordia reliqua familia tangitur. Sic ferè contrarijs inter se votis pugnant. Hic verò maximè. Neque enim illud verè dictum est, Dauidem Regi seruisque ęquè placuisse. Quinimò, quem Rex cane peius & angue oderat, hunc famuli pręcipuo amore complectuntur. Itaque non magis hostium vires bellica virtute dejecit, quàm ciuium animos modestia sibi atque affabilitate cōciliauit. Quare Philippus Macedo, si Diodoro credimus extremis ferè lineis lib. 16. non minus gloriari solebat, quàm rerum fortiter gestarum gloria militarique successu. Quoniam, vt aiebat, victoriarum laus sibi cum multis, qui manus cum hoste conseruissent, communis esset: sed eorũ, quæ orationis comitate rectè transegisset, titulum sibi vni vendicaret. Absit vt pariter sentiat Dauid noster, aut cum stultis, quos ipse reprehendit, insolenter dicat: *Linguam nostram magnificabimus, labia nostra à nobis sunt*: nihil non ipse Deo acceptum refert. cuius singulari beneficio duo hęc pręstantissima munera consequutus est, vt ciuium inuidiam pariter atque hostium ferociam feliciter domaret.

Diodorus.

Rara felicitas.

Versvs XXIII.

Et loquuti sunt serui Saul in auribus Dauid omnia verba hæc. Et ait Dauid: Num parum videtur vobis, generum esse Regis? Ego autem sum vir pauper & tenuis.

Versvs XXIV.

Et renuntiauerunt serui Saul, dicentes: Huiuscemodi verba loquutus est Dauid.

Versvs XXV.

Dixit autem Saul: Sic loquimini ad Dauid: Non habet Rex sponsalia necesse, nisi tantùm centum præputia Philisthinorum, vt fiat vltio de inimicis Regis. Porrò Saul cogitabat tradere Dauid in manus Philisthinorum.

Versvs XXVI.

Cúmque renuntiassent serui eius Dauid, verba quæ dixerat Saul, placuit sermo in oculis Dauid, vt fieret gener Regis.

Variæ trãslat.

VErsu vigesimo tertio, *Num parum videtur &c.* Pagninus, *Nunquid leue est in oculis vestris affinitatem contrahere cum Rege?* Hebraice, A הֲנִקַלָּה *hankallah*. In Niph. à radice קָלַל *kalal*, quæ leue ac nullius ponderis esse significat, ac per metaphoram ignobile, contemptum, vile, momenti nullius. Itaque *Num leue* Pagninus vertit. Chaldæus, *Anne exiguum?* Septuaginta, ἢ κοῦφόν ἐστιν, *Num*, vel *si leue est*? Reliqui item *leue* scribunt. *Ego autem sum vir pauper & tenuis*, איש רָשׁ וְנִקְלֶה *isc rasc venikleh*. Pagnin. *vir pauper & despectus*. נִקְלָה *niklah* in Niphal, Leuifactum, vilem habitum, honore indignum significat, à קָלָה *kalah*, quod est *leue fuit*. Videtur autem elegãter alludere ad id quod prius dixerat, *Num vile vobis videtur affinitate cum Rege cõiungi, cùm sim ipse vilis*: Nam & ipsæ dictiones Hebraicè significatione atq; characteribus plurimùm inter se conueniunt. Romana editio Se- B ptuaginta Interpretum, *Et ego vir humilis, & non honoratus*. Aldus etiam legit, κἀγὼ ἀνὴρ ταπεινὸς καὶ οὐχὶ ἔνδοξος. Complutens. ἐγὼ δὲ ἀνὴρ ταπεινός, καὶ οὐκ ἔντιμος. *Ego autem vir humilis, & non honorabilis*. Chaldæus, *Et ego vir pauper, & idiota*. Vatablus Salmanticus, *Pauper & obscurus*. Et in Schol. despectus, despicabilis. Alius, *pauper & vilis*. Ac si diceret, Non esset penes me eam dotem tribuere quæ conuenit filiæ Regis: non enim accipiebant, sed dabant viri dotem, vt Genesis 34. 12. Exodi 22. 16. & 17.

Versu vigesimo quinto, *Non habet Rex sponsalia necesse, nisi tantùm centũ præputia Philisthinorum*. Pagninus, *Non voluntas Regi in dote, sed* (Arias, *quia*) *in centum præputijs Pelistim*. Chaldæus, *Non vult Rex in dotibus, sed in centum præputijs, &c.* Sept. edit. Complut. οὐ βούλεται ὁ βασι- C λεὺς ἐν δόματι, ἀλλ' ἢ ἑκατὸν ἀκροβυστίας ἀλλοφύλων. *Non vult Rex sponsalia, sed centum præputia, &c.* Aldus legit, ἐν δόματι ἀλλ' ἢ ἐν ἑκατὸν ἀκροβυστίαις. Editio Rom. Lxx. *Non vult Rex in dono, sed in centum præputiis, &c.* Hebraice, בְּמֹהַר *bemohar*, in *dote*. מָהַר *mahar*, idem quod *festinauit, promptus fuit*: metaphoricè, quoniam bis dat, vt aiunt, qui citò dat, *dedit, liberalis fuit*; quod maximè quadrat in procos, qui nuptias olim muneribus ambiebant. Inde ergo Hebræis מֹהַר *mohar, dos*, siue *munera*, quæ nymphæ sponsus mittit ante nuptias. Genes. cap. 34. vers. 12. Exod. 22. vers. 16. & 17. eadem præstare virgini etiam non nupturæ iubetur, quisquis eius florem pudoris delibasset. *Si seduxerit quis virginem nec dum desponsatã, dormieritq; cum ea*: מָהוֹר יִמְהָרֶנָּה *ma-* D *hor ijmharenah, dotando dotabit eam, & habebit eam vxorem*. Addam & versum sequentem, quo faciliùs intelligatur, quid dotis nomine designetur. *Si pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam iuxta modum dotis, quam virgines accipere consueuerunt*. Itaque Vatablus Salmanticus hoc loco vertit, *Rex non delectatur donatione propter nuptias, nisi centum præputiis Palesthinorum*. Et in Schol. Rex non quærit aliam dotem, quàm cẽtum pręputia, &c. Alius, *Non delectatur Rex dote, nisi ex centum præputiis, &c.* Loco dotis, quæ pro conditione personarum solebat æstimari. *Cogitabat tradere Dauid in manus Philisthinorũ*. Romana editio Septuag. Interpretum, *Inijcere in manus alienigenarum*. Sic quoque Complut. & Aldus Græcè, ἐλογίσατο ἐμβαλεῖν εἰς τὰς χεῖρας τῶν ἀλλο-

NVM PARVVM, &c. ἀλλοφύλων. Hebraïcè, להפיל *lehapil*, à verbo נפל *naphal*, quod *ruit, cecidit* significat. At in *Hiphil*, quomodo Scriptura hoc loco vtitur, *cadere coegit, iniecit, occidit* denotat. Itaque Pagninus, *Cogitabat vt mori faceret David per manum Philistinorum.* Arias apud eundem, *Cogitabat deijcere David in manu, &c.* Alius, *Cogitabat efficere vt David caderet manu Pelischthaeorum.* Vatabl. Salmanticus, *Cogitabat hoc effectum vt David per manum Palesthinorum prosterneretur.*

Versu vigesimo sexto, *Placuit sermo in oculis David.* Quidam, *Recta visa est res in oculis David.* Arias apud Pagninum, *Rectum fuit verbum in oculis David.* Chaldæus similiter, & Græci. Vulgatæ nostræ, sicut & Rom. edit. Lxx. Interpret. deest id, quod in alijs tum Græcis, tum Hebræis codicib. legitur. Καὶ οὐκ ἐπληρώθησαν αἱ ἡμέραι. *Et non sunt completi dies.* ולא מלאו הימים *velo maleon haiamim.* Pagninus, *Et non completi erant dies.* Biblia Complut. ex Hebræo, *Et post paucos dies.* Chaldæus, *Et non completi sunt dies.* Alius, *Necdum impleti erant dies illi.* Id est, Nondum præfinitum à Rege tempus elapsum erat, de quo suprà vigesimo versu. Vatablus Salmant. *Necdum exacti erant dies.* Et in Schol. Id est, Nondum autem impletum erat tempus præstitutum dandi præputia. Ita Vatablus. Itaque suspensa est & imperfecta hæc oratio, quæ ad sequentem periodum pertinet.

Num parum videtur vobis esse generum Regis?] Pausaniæ Ducis Lacedæmoniorum insolentiam describit Thucydides libro primo, postquam is offerri sibi nuptias filiæ Regis Persarum intellexit: quo fastu deinceps cum socijs cumq; Spartiatis ipsis egerit, quo mensæ apparatu, quo satellitum comitatu, quàm denique morosus ac difficilis in congressibus, ita vt diutius ferri non potuerit. At verò David quàm prudenter & modestè, quàm alienus ab omni arrogantia. Sic ferè Sancti indignos se honoribus prædicarunt, ad quos vocarentur à Deo. Quantis excusationibus vsus est Moyses, ne legatus ad Pharaonem mitteretur, Duxq; gentis Hebræorum fieret? Cùm diceret populus Gedeoni, *Dominare tu nostri: Absit*, inquit, *quin potius vestri dominetur Dominus. Recede à me Domine*, Petrus ait, *quia homo peccator sum. Non sum*, inquit Paulus, *dignus vocari Apostolus.* Et sanctissima Virgo, Dei designata mater, respondit, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Num parum videtur?* Quid enim habet Rex, quod cuiquam conferre possit filiabus suis pretiosius? Nam opes quidem & diuitiæ, præfecturæque externa bona sunt, & forinsecus asciscuntur: filia, delibatio quædã paternæ substantiæ est. Et genus quidem natura confert, vnde fluxit consanguineorum nomen: affines legitima voluntas constituit. Inter affines porrò gener primas partes occupat. hic proximo loco Regem contingit. Quare, qui fieri possit, vt non maximi ducam fieri generum Regis?

(Thucyd. Improborũ fastus, Sanctorũ modestia.)

Ego autem sum vir pauper & tenuis.] Non recusat David oblatum matrimonium, sed duo respondet: primùm, se hominem esse pauperem, deinde etiam ignobilem: amplificat etiam, quantum sit, fieri generum Regis. Nihil interim queritur de perfidia Saulis, nec iactat merita sua: videbat enim se versari inter scorpios. Alioqui potuisset dicere: Si pauper sum, id factum est vitio Saulis: ille enim mihi pollicitus est diuitias. Sum ignobilis: at ille se pollicitus est nobilitaturum familiam meam. *Tenuis*] lib. 4. *Cod. Theodos. de desertoribus, Mediocris loci ingenuus* vocatur. Ingenuorum enim alij diuites, & nobiles, aut etiam primi: alij *mediocres, minores, minimi* passim leguntur. Tertullianus ad vxorem libro secundo capite octauo, *de ignobilibus, & mediocribus.* Ioann. Monachus de vita Gaufredi, libro primo, pagina vigesima, diues, *mediocris, vel pauper*, Paulus VVarnefr. Histor. Longobar. lib. 6. ca. quadragesimo, nobilium & *mediocrium* ad se concurrentium pater effectus. *Medios* etiam lex Alamannorum vocat Tit. 68. §. 4. *Mediocres* sæpè Visigothorum lex, & Regum nostrorum Capitular. *Minores* Longobard. l. 1. Tit. 14. L. 7. *Minimos* ibid. Tit. 9. l. 21. Nithardus Histor. Francor. lib. 4. pag. 478. Gens (Saxonum) omnis in tribus ordinibus diuisa consistit. Sunt enim inter illos, qui Edhlingi, sunt qui Frilingi, sunt qui Lazzi illorum lingua dicuntur: Latina verò lingua hoc sunt, *nobiles, ingenui, atque seruiles.*] Non *ingenuum*, sed *nobilem* negat David. Sed quorsum se esse dicit pauperem? Vt significaret se nihil habere, quod dotis nomine daret vxori. *Pauper & tenuis.* Paupertas à parua pecunia dicta est, cuius magnum testimonium est, inquit Varro. Valerianus Imperator cùm Aurelianum, qui eidem post Claudium in Imperio successit, Consulem designaret, ob paupertatem ab Vlpio Crinito adoptatus est, vt docet Vopiscus in Aureliano. Plerique tamen etiam cum dignitate paupertatem seriò coluerunt. Tales apud Romanos Curius ille, qui imperare aurum habentibus voluit, non aurum possidere. Talis Coruncanus, & Fabritius, alijque plures, quos sæpè Tullius memorat. Apud Græcos in summa egestate, inquit Ælianus libro secundo Var. Histor. capite quadragesimo tertio, vitam traduxerunt Aristides Nicomacho satus, & Phocion Phoci filius; Epaminondas Polymatide natus; Pelopidas Thebanus, Lamachus Atheniensis summi duces, Socrates item Sophronisci filius, Philosophorum facilè princeps. Neque priuata inopia summos viros dedecet, cùm ad alendos exercitus Respublica ipsa locuples, aut eius nomine Princeps necessarios sumptus suppeditat. Publica duntaxat egestas, quoad licitè fieri potest, remis velisque fugienda est: tametsi nec opes quidem sine diuino præsidio quicquam iuuare possint. Verùm quod ad rem præsentem attinet, & ineundum fœdus matrimonij, ostendit Philostratus in epistolis, quàm non sint requirendæ opes quibus plerique supra modum delectantur. Si pecunijs indiges, inquit, pauper sum: εἰ δὲ φιλίας καὶ χρηστοῦ τρόπου, πλουτῶ, si amicitia & candidis moribus, diues sum. Mihi verò non tam grauis est egestas, quàm tibi amor pretio conductus. Meretricis enim munus est admittere eos qui habent, vt è vestigio numerari possint. Vxoris verò ingenuæ semper ad optimum intentum animum habere, & probum amore ac beneuolentia prosequi.

(Ego autem, &c. — Quis tenuis. — Nithardus. — Pauper. — Vopiscus. — Pauperes nobiles. — Philostrat. in epist. Tiwani. — Pauperis amor, diuitis fastidio præferendus est.)

NON HABET REX, &c.

Impera, vt libitum est tibi, dicto audiens sum. Nauigare iube, conscendo: plagas accipere, patior: animam profundere, non recuso: per ignem cursu ferri, non abijcio. Quis hæc diues facit? Et rursum, Quoniam pauper sum, idcirco tibi contemptior, & abiectior videor. Atqui etiam ipse Amor nudus est, & Gratiæ, & astra. Video ego etiam Herculem in picturis, pelle leonis indutum, & plerunque somnum humi capere. Apollinem verò etiam tenui amictu, vel currentem, vel iaculantem. At Persarum Reges luxum amplectuntur, & in sublimi sedent, auri copia sibi grauitatem asciscentes. Itaque magnas clades ab egenis Græcis victi acceperunt. Pauper erat Socrates: attamen ab Alcibiade pecunioso colebatur. πενία γὰρ οὐκ ἔστιν ἔγκλημα, Paupertas enim non est in crimine ponenda, neque cuiusquam sordes eluit fortuna communicandis diuitijs. Respice ad theatrum: populus ex pauperibus constat. Respice ad curias: pauperes sedent iudices. Respice ad prælia: splendidi & armis vtentes aureis aciem deserunt: nos verò strenuos ipsos præbemus. In ipsis etiam quæ ad vos formosæ pertinent, euentum considera. Pecuniosus iniuriam infert persuasæ, & tanquam empta sic contumeliosè abutitur. Pauper gratiam habet, vt qui beneficium se consequutum existimat. Pluribus deinde opulentorum fastidium moresque difficiles describit.

Epistola præced.

Non habet Rex sponsalia necesse.] Danaus, inquit Pausanias in Laconicis, cùm nancisci non posset qui eius filias duceret parricidio pollutas, dimisit qui nuntiaret, ἕδνα αἰτῆσαι οὐδένα, nullum se à viris sponsalium nomine munus poscere. neque tamen sic ille multos procos pellexit, sceleris memoria complures deterrente. At testatur Homerus in Iliade, Iphidamantem Antenoris filium τὰ πρῶτα τῶν ἑδνῶν, ἑκατὸν βοῦς τῷ πενθερῷ, boues centum sponsalitium munus socero suo dedisse. Si quæ his porrò indonata virgo nuberet, hanc ἀνάεδνον Homerus vocat. Cæterùm, cùm nuptiarum tempore inter contrahentes affinesque complura munera vltro citroque commearent, ea priuatim sponsalia dicta videntur, quæ à sponso prodirent. ἐπαύλια nuncupat Suidas, quæ à sponsæ patre, seu socero conferrentur. Horum pompam ita describit in eadem voce. Post sequentem nuptiarum diem, puer, inquit, præcedit, candida veste decorus, & facem accensam præferens. Pone hunc sequitur canistrifera mulier, quam plures mox à tergo comitantur longo ordine vasa aurea ferentes, patellas, smegmata siue medicamenta ad tergendum comparata, lecticas, pectines, lectos, alabastros, sandalia, thecas, vnguentarias pixides. interdum etiam καὶ τὴν προῖκα dotem sponso simul afferunt. Erat & γαμήλια quoddam munus, cuius idem autor facit mentionem, quod Curialibus, qui testes erant adhibiti, dabatur. Ἀπαυλιστήρια vestis erat, quæ sponso à noua sponsa dono mittitur. προῖκα denique καὶ φερνὴν, τὴν παρὰ τῆς γυναικὸς δόσιν, dotem & pherna vocabis hoc, quod cum sponsa datur, inquit Pollux Onomast. lib. 3. cap. 3. sect. 4. At verò quæ sponsæ à proco dona mittebantur, varia sortita sunt nomina.

Pausanias.

Homerus.

Sponsalia quæ.

Suidas.

Nuptialiũ donorum plura genera.

Pollux.

A Suidas ἐπαύλια quod in aula offerrentur, καὶ ἀνακαλυπτήρια quod tum primum retecto flammeo se videndam sponsa præberet, sic dicta putat. Pollux eadem τὰ ἕδνα, sponsalia vertit interpres, καὶ ὀπτήρια, καὶ ἀνακαλυπτήρια vocat, τὰ παρὰ τοῦ ἀνδρὸς διδόμενα δῶρα, munera quæ sponsus ipse largitur. Mox etiam προσφθεγκτήρια nuncupat. Harmenopulus libro quarto Promptuar. iur. capite septimo, θεώρετρα. Agias Comicus apud Pollucem loco citato, διακορήτηρια quædam δῶρα commemorat, quæ pro amissa virginitate dantur. Sunt arrhæ præterea Iurisconsultis, sunt ἀντίφερνα, & ὑπόβολον, siue ὑπόβολον, & sponsalitia quædam largitas, quæ omnia cùm nuptiarum gratia conferantur, sponsalia munera dici poterunt. Sed quid horum præ cæteris hoc loco Saul intelligat, non perinde facile est explicare. Quare, B quàm breuissimè potero agam de his omnibus, vt si minus lectori nostra sententia placuerit, habeat aliunde quod sequatur.

De Sponsalibus.

QVÆST. XXXII.

Sponsalia sic definiunt Iurisconsulti: Mentio est, inquiunt, & repromissio futurarum nuptiarum. Solennes ritus veterum Romanorum describit Gellius libro quarto, capite quarto Noct. Atticar. Sponsalium vim explicat Alexius Comnenus Imperator Constitut. tertia. Omnia hæc diligentissimè complexus est Barn. Brissonius in eo libro, quem de ritu nuptiarum C scripsit, & Petrus Gregor. Syntagmat. iuris, libro octauo, capite secundo, & nonnullis sequentibus. Quæ ego nihil moror. De muneribus mihi sermo est, aut quæcunque sponsalium nomine proci conferrent: quæ negat Rex sibi curæ esse, ne Dauid inopiam deinceps excusationi prætexat.

Quæstionis scopus.

Primùm igitur mulieres à viris emptas nonnullis locis historici confirmant. Scribit Herodotus lib. 1. olim apud Babylonios nubiles virgines à præcone publico exponi solitas, & speciosas quidem emptoribus pretio addixisse, quo reliquis minus venusta forma præditis dotem conficeret. Debuerat Iacob hac lege Liam gratis accepisse, cùm Rachel tanto sibi labore vendicasset. Annis bis septem pro vtraq; pauit gre-D ges soceri sui. Vocant hoc pretium ambæ sorores, & aiunt: *Nunquid habemus residui quidquam in facultatibus & hereditate domus patris nostri? Nonne quasi alienas reputauit nos, & vendidit, comeditq; pretium nostrum?* Moses etiam Sephoram filiam Iethro, locandis operis, ac diuturno labore redemisse videtur. Manifesta hæc venditio est ex innominato contractu, facio vt des, do vt facias: ea tamen lege, vt vxores haberentur. Genes. 31. vti etiam datis fideiussoribus cauisse Babylonios idem Herodotus memorat. De Armenijs idem annotat Gothofredus ad Nouell. 21. De Armenijs, & de Germanis ex Tacito. De Thracibus Solinus cap. 16. Nupturæ non parentum arbitratu transeunt ad maritos, sed quæ præ cæteris specie valent, subhastari volunt, & licentia

Herodot.

Emptas olim mulieres pluribus probatur.

Solinus.

NON HABET REX, &c.

licentia taxationis admissa, non moribus nubunt, sed præmijs. Quas formæ premit dedecus, dotibus emunt, quibus coniungantur. De Romanis Boëtius lib. 2. Comment. ad Topica Ciceronis ex Vlpiani Institutionibus. Et Seruius in lib. 4. Æneid. occasione sumpta ex illo Virgilij,

Seruius.

Repulit, & dominum Æneam in regna recepit.

Et ad illum versum 1. Georgicor.

Teq. sibi generum Thethys emat omnibus vndis.

Quod ait *emat*, inquit ille, ad antiquum nuptiarum pertinet ritum: quo se maritus & vxor inuicem emebant, sicut habemus in iure. Quod etiam Virgilium respexisse Non. Marcellus in lib. de proprietate Sermon. antiquor. existimat: & huic interpretationi sanctus Isidorus quoque lib. 5. Etymolog. accedit. Coemptionem veteres vocabant. Coemptionem porrò, inquit Brissonius, imaginarijs venditionibus peractam, vt & adoptionem credibile est, in eáque facienda nummos aliquot dicis causa interuenisse: id enim in alijs quoque legitimis actibus obseruabatur, in quibus specie tenus mancipationum solemnia repræsentanda erant. Cuius moris vestigia à nobis in nostris nuptijs vsurpari quidam opinantur, tredecim nummorum numeratione. Verùm ego ex Barbararum coloniarũ, quæ in Gallias ex Germania migrarunt, ferróque & armis sedes occuparunt, moribus id in vsu mansisse potius crediderim. Tam enim Burgundiones quàm Saxones & Salij nostri vxores suas à parentibus vel tutoribus earum emisse obseruaui, idque ex capitibus seu titulis 14. 34. & 36. earum legum, quas Gundobaldus rex Burgundionibus scripsit. Capite duodecimo pretium nuptiale vocatur. Idem testatur Titulus 6. legũ Saxonicarum, quo loco legimus, Vxorem ducturus ccc. solid. det parentibus eius. Et Tit. 17. Lito Regis liceat vxorem emere vbicunque voluerit. Lex Salica *Reippus* nominat: & si viduam quis ambiat, iubet tres solidos æquè pensantes, & denarium vnum, parentibus exoluere, & quod mirere magis, ius illud accipiendi *reippus* extendit vsque ad sextum genuculum (sextum gradum generis intelligo) quod si deficiat, tum *reippus* fisco adscribit. Superiora Brissonius notauerat. Legem Salicam addidimus, & numeros titulorum correximus, in quibus Typographi non raro delinquunt.

Brissonius.

Lex Salica tit. 46.

Reippus.

Adijciamus præterea exemplum non ignobile. Fredegarius Scholasticus, Legatos, inquit, (Clodoueus) ad Gundebaldum dirigit, petens vt Chrotildem neptem suam ei in coniugium sociandam traderet. Quod ille denegare metuens, & sperans amicitiam cum Chlodoueo inire, eam daturum spopondit. Legati offerentes solidum & denarium, vt mos erat Francorum eam partibus Chlodouei sponsant, placitum ad præsens petentes, vt ipsam ad coniugium traderet Chlodoueo. Et apud Canisium antiq. lect. tomo 2. pag. 681. collectio chron. ex Thoromacho. Offerens solidum & denarium, vt mos erat Francorum, eam partibus Chlodouei desponsaui. Similia tradit Marculphus in formulis, à formula 75. ad 81. Huc quoque pertinere arbitror *Morgengab* illud, quod minores dare in faciendis sponsalibus Liutprandus Rex permittit, Legum Longobard. Tit. 29. L. 6. nisi fortè quis malit referre ad arrhas. Lindenbrogus in Glossar. *Morgengab* ex ratione etymol. German. interpretatur Donationem factam manè quando eam ducit. S. Gregorius Turon. lib. 9. cap. 20. *morgengab* à dote manifestè distinguit. Tam in dote, inquit, quàm in morganagiba. Ad Brissonium reuertamur. Emptæ sic, inquit, matresfamilias dicebantur, & capite diminutæ, salua tamen libertate & ciuitate. Statum amittebant, & in mariti familiam transibant, & hæredes erant ex æquo cum filijs, & sub tutoris potestate esse desinebant, habentes virum pro tutore. Apud antiquos enim etiam ætate prouectæ mulieres semper sub tutoribus erant. Hactenus Brissonius in lib. de ritu nuptiarum.

Fredegar.

Henricus Canisius.

Consule Marculph.

Morgengab.

A

S. Gregor. Turon.

B Quàm verò miserabilis illa conditio, inquit sanctus Ambrosius libro primo de Virginibus, quòd tanquam mancipij forma venalis nuptura licitatur: & qui pretio vicerit, emat. Tolerabilius tamen mancipia veneunt, quæ sæpè sibi dominos legunt. Virgo si eligat, crimen est: si non eligat, contumelia. Quæ quamuis pulcra sit & decora, & timet videri, & cupit: Cupit, vt se cariùs vendat: timet, ne hoc ipsum dedeceat quod videtur. Quanta autem votorum ludibria, & ad procorum euentus suspecti metus, ne pauper illudat, ne diues fastidiat, ne pulcher irrideat, ne nobilis spernat, &c. Quæ fortassis communem parentum auaritiam taxant magis, quàm spectent ad coemptionem. Cęterùm quocunque alludat sanctus Ambrosius, non arbitror ritum vllum emptionis apud Hebræos post C legem obtinuisse. Quare ne de hac re quidem Saul videtur intelligendus.

S. Ambros.

Tolerabilius mancipia, quàm sponsæ veneunt.

Emptio nõ videtur cũ obtinuisse apud Hebr.

Huc verò etiam munera referri possunt, quæ sponsæ parentibus à procis offerebantur. Genesis vigesimo quarto, Eliezer procurator domus Abraham, prolatis vasis aureis & argenteis ac vestibus dedit ea Rebeccæ pro munere. Hæc scilicet ad sponsalitiam largitatem pertinent. At mox sequitur: *Fratribus quoque eius, & matri dona obtulit.* Sichem, Genesis trigesimo quarto, cùm Dinæ filiæ Iacob vitium obtulisset, & eandem afflictim deperiret, Iacob ipsum filiosque simul alloquens, *Inueniam*, inquit, *gratiam coram vobis: & quæcunque statueritis, dabo. Augete dotem, & munera postulate, & libenter tribuam quod petieritis: tantùm date mihi puellam hanc vxo-* D *rem.* De his loquutum Saul arbitror. Non enim filiæ meminit, sed suijpsius: nec illi deinceps præputia postulat, sed sibi. Itaque in ea sum sententia, hactenus eam consuetudinem valuisse, vt parentes donis procus sibi conciliaret, à quibus post legem latam, vt manifestè ex eadem colligitur, non indotata virgo prodiret. Quæ quia Rege digna præstare posse Dauid desperabat, iubet eum quod ad hoc attinet, agere securum: opibus illius Regem minimè indigere. Sic videri voluit inopis generi pudori ac verecundiæ benignè consulere. Quandoquidem tamen nonnullos à nobis diuersa sentire animaduerto, reliqua deinceps prosequar.

Dona quoque matri & fratribus dari solita.

Non habet Rex, &c.

De Arrhis.

ACcedit igitur arrha sponsalibus, quæ in symbolum futuri matrimonij, & in argumentum datæ fidei sponsæ à sponso dabatur; quemadmodum ex Paulo libro secundo sententiarum, & ex Gratiani, ac Valentiniani, atque Alexij Comneni Constitutionibus intelligitur. *L. Si quis officium. D. De ritu nuptiarum. L. Arrhis, &c.* Comnenus *Constitutione tertia.* Arrhæ certâ nonnunquam pecuniâ, annulo sæpius constitutæ sunt, quem pronubum Tertullianus in libro de cultu fœminarum vocat. Aurum, inquit, nulla norat præter vno digito, quem sponsus oppignerasset pronubo annulo. *Annulo sponsam subarrare* dixit Longobard. lib. 2. Tit. 27. l. 1. *Annulum sponsalitium* nuncupat VVisigoth. tertio Titulo lege tertia. Frequens in hanc rem annulorum apud omnes ferè nationes vsus. Mentio eorum apud Heliodorum Æthiop. libro quarto & octauo, pag. 393. Plinium libro trigesimo tertio, capite primo. Clement. Alexandrinum Pædag. libro tertio, capite vndecimo: sanctum Isidorum Etymol. libro penultimo, capite secundo, & plerosque alios. Prisco Galliæ ritu vsitatum erat, vt *annulus* porrigeretur sponsæ, vnáque osculum & calciamentum. Sanctus Gregorius Turonensis in vita B. Leobardi, & vita B. Venantij. Et hæc quidem nota satis. Cæterum sponsas quoque sponsis suis annulos pronubos misisse, id præterquàm apud vnum Priscum non legimus. Illius in Excerptis Legation. hæc verba sunt pag. 27. Attilas rursus legatos in Italiam misit, qui Honoriam dari sibi poscerent. Etenim secum matrimonium pepigisse; cuius rei vt fidem faceret, *annulum ab ea sibi missum* per legatos, quibus tradiderat, exhiberi mandauit.]

D. de ritu nuptiar. — De annulo pronubo. Tertull. — S. Gregor. Turon. — Etiam sponsæ procis annulos largitæ sunt. Priscus.

S. Isidorus. Annuli verò mysteria S. Isidorus explicat li. 2. de diuinis officijs, cap. 15. Quod in primis, ait, nuptijs, annulus à sponso sponsæ datur, fit nimirum, vel propter mutuæ dilectionis signum, vel propter id magis, vt eodem pignore eorum corda iungantur. Vnde & quarto digito annulus inseritur; ideò quia in eo vena quædam, vt fertur, sanguinis ad cor vsque perueniat. Quam eandem rationem Gellius lib. 10. cap. 10. & Macrobius libro septimo, capite decimo tertio, ex Appione, & Atteio Capitone reddunt, cur apud Romanos communi assensu receptum esset, annulum in digito, qui minimo vicinus est, quem & medicinalem vocant, atque adeò manu præcipuè sinistra gestare. Disarius tamen apud Macrob. non venam, sed neruum docet è corde nascentem illi digito inseri, eodemq; finiri. Alij idcirco annulum sponsæ datum autumant, quòd annulo apud veteres sponsiones signarentur. Sed signatorius alius planè fuit à sponsalitio. nam hic, vt testatur Plinius natur. histor. lib. 33. purus & absque gemma fuit. Annulum ab Hebræis virginibus pro arrhabone datum nusquam lego, præterquam Genes. cap. 38. quo loco Thamar obsequutura Iudæ, ab eodem annulum & armillam cum scipione postulat pro pignore, donec ille pactam mercedem

Tropologia. — Macrob. — Plinius.

A restituat. Sed vereor vt quisquam putet hæc adscribi posse sponsalibus. Aliæ idcirco arrhæ non rarò exigebantur, vt si fortè pars altera promissis stare recusaret, ipsa quidem eam iacturam nonnunquam etiam duplicem faceret, pars altera tantundem lucraretur; vt habes *L. 3. & fin. de sponsal. & arrhis.* An igitur de arrhis Saul loquitur? Non fit mihi verisimile. Neque enim necessariæ videri poterant, cùm nullum periculum subesset, ne fortè Regia puella Dauidi fastidio foret. Deinde, si Rabinis credimus, in מצות עשה *mitsoth gasseh*, cùm vxor ducenda erat, subarrhatio fieri poterat dimidio siclo.

Non habet Rex, &c. — Non videtur de arrhis loquutus Saul.

B

Sponsalitia largitas.

QVÆST. XXXIII.

SPonsalitia largitas, si propriè sumas, duplex est, vt docet Petrus Gregorius 8. Syntagm. capite septimo, numero decimo quarto & decimo quinto. Aliquando namque, vt inquit, accipitur pro donatione inita inter sponsos, vel ab altero illorum alteri, de qua loquitur Constantinus Cæsar *Cod. de donatione ante nuptias. L. Si à sponso.* 15. Aliàs sponsalitiæ largitatis nomine ea munera dicuntur, de quibus nos antea ex Iul. Polluce & Suida, cùm textum interpretaremur. Quæ cùm libera essent, & ex præscripto cuiusque voluntatis conferrentur, & quidem sponsæ non patri illius, quis putet Regem horum
C facere voluisse mentionem? De his muneribus hæc habes *Codice de Donationibus ante nuptias, L. 16.* Si à sponso rebus sponsæ donatis interueniente osculo, ante nuptias hunc vel illam mori contigerit, dimidiam partem rerum donatarum ad superstitem pertinere præcipimus, dimidiam ad defuncti vel defunctæ hæredes, cuiuslibet gradus sint, & quocunque iure successerint: vt donatio stare pro parte dimidia, & resolui pro parte dimidia videatur. Osculo verò non interueniente, siue sponsus siue sponsa obierit, totam infirmari donationem, & donatori sponso vel heredibus restitui.] Apud Gallos, inquit Gothofredus in hunc locum, osculo pudicitia non delibatur, ne quidem in sponsa: adeò vt sponsa Senatusconsulto Tholosano
D anno millesimo quingentesimo septuagesimo quinto, Iulij die duodecimo, sponsalitia munera restituere iussa sit. Quod tamen, inquit, in sponsalibus per verba de præsenti contractis locum habere non puto.

Sponsalitia largitas duplex explicatur. — Non loquitur de sponsalitia largitate Saul. — Cod. de donat. ante nupt. — Gothofr.

Ἀντιφέρνη, siue doarium. Ἀποτίμημα, siue pignus.

OCcurrit alia difficultas. Nam qui dotem mulieri nubenti dabant, inquit Suidas, à viro petebant ὑπὲρ τῆς προικὸς ἐνέχυρον, pro dote pignus, οἰκίαν ἢ χωρίον ταύτης ἄξιον, domum, vel agrum hac dignum, id est, eiusdem valoris ac pretij. Qui autem pignus dabat, dicebatur ἀποτιμητὴς actiuè ἀποτιμᾶν, id est, æstimare. Qui verò

Suidas in Ἀποτιμηταῖς.

NON HABET REX, &c.

verò accipiebat, ὑποβαλέσθαι, quod pignus æstimatum ipsi daretur. Pignus ipsum ὑποβολιμαῖα. Ne huc quidem spectasse Saulem arbitror, neque vllum huius rei vestigium apud antiquos Hebræos notare potui.

Ἀντίφερνα, siue ὑπόβολον doarium.

QVÆST. XXXIV.

IAm superest vt de Hypobolo disseramus. *Dotalitium* Sigisbertus vocat in Chronico circa ann. 1178. Albertus Krantz. *Vitalitium* lib. 7. Daniæ cap. 35. Constitutiones Neapolitanæ tit. 13.15.16. *Dotarium*; Tholosani *augmentum*. Latinis est *Donatio ante* vel *propter nuptias*. Græcis ἀντίφερνα, vel ὑπόβολον, Gallis *Douaire*, Longobardis *Morgangheba*, vt Gothofredo placet, quod tamen antea non probauimus. Quod ad Hebræos attinet, Exodi 22. scribitur, *Si quis puellæ stuprũ obtulerit, & pater postea eam nolit illi vxorem dare, dotabit eam dote virginum.* Caleb ca. 1. Iudic. præter arentem terram, dedisse fertur filiæ *irriguum superius, & irriguum inferius.* 3. Reg. c. 9. *Pharao dat Salomoni Gazer ciuitatem dotalem pro filia.* Et Deus respōdit de filiabus Salphaad, fore eas heredes, sed hac lege, ne enuberent extra tribum suam, ne hæreditates confunderentur. Raguel Tob. c. 8. *Dimidiam partem bonorum suorum* dat genero, scriptóq; confirmat. Ex his apparet non sine dote Hebræas virgines parētes in matrimonio locasse. Dos autem definitur, *Est ius viendi rebus*, quæ dantur marito ab vxore, aut ab alijs eius nomine, ad sustinenda onera matrimonij. Datur autem, vt si maritus moriatur, habeat vxor vnde seipsam alat; & si vterq. moriatur, vt sit vnde alantur liberi. Si quæ vxor supra dotem adderet, hæc παράφερνα dicuntur. Quid ad virum hæc omnia? Dicam paucis. Gothofredus *ad tit. De donationibus ante nuptias, Cod. lib. 5.* Donationes, inquit, ante nuptias, vel propter nuptias idem. Fit enim propter nuptias: plerunq; ante nuptias: interdum post nuptias, *§. vlt. Institut. De donat.* Quod ita donatur à marito vxori in vicem dotis ἀντίφερνα: Nam φερνὴ dos est: quasi compensatio dotis, seu contraria dos ex parte mariti. Eiusdem autem iuris est hæc donatio, cuius & dos, eadem pacta recipit, eādem quantitatem *Nouell. 97.* Quod tamen, quoad quantitatem, non vbiq; constanter obseruandum docet *Cod. lib. 5. tit. 3. ad ipsum titul.* quo loco varias gentium consuetudines refert. Et apud Gallos, inquit, doariū aliud est consuetudinarium, aliud conuentionale, siue præfixum. Hoc legem accipit à contrahentibus, illud à lege, vel regionis consuetudine. Vtrumque plerunq; coniungitur, daturq; alterutrius vxori electio. Non debetur autem priusquam cū marito sponsa conuenerit: vnde illud est quod dicitur, *Au coucher gaigne la femme son douaire:* nec ante mariti mortem soluitur. at contractus ipse ante nuptias fieri solet: quare visum est nonnullis inter sponsalia referri debere. Quam sententiam si sequamur, ita nobis locus iste exponendus erit.

Dos iam olim concessa filiæ.

Dos quid.

Dotis tanquam cōpensatio doarium.

A Sum pauper, inquit Dauid: non possum dare vxori meæ ἀντίφερνα pro compensatione dotis. At Rex, inquiunt illi, nihil solicitus est de dote. Satis est diues, potest & te dotare, & filiam. Veruntamen, vt hoc quoque obiter moneam, *dos illa*, cuius passim veteres meminerunt; diuersum quippiam à *doario* fuisse videtur, & ad *sponsalitiam largitatem*, seu *donationem ante nuptias* pertinuisse. Huius meminit Sichem, Genesis trigesimo quarto, *Augete dotem*, quam in futuram scilicet vxorem conferret. Apud Claudianum de raptu Proserpinæ, libro primo, à Dite Proserpina Chaos in dotem accepisse fingitur.

NON HABET REX, &c.

Dauid respondet.

Dos olim, quam sponsus tribuerit, diuersa fuit à doario.

--- Quo dicta ferox Proserpina curru
Possedit dotale Chaos.

Claudian.

B Homerus in Martis & Veneris adulterio, in Odyss.

Πάντα πατὴρ ἀποδώσει ἔεδνα, &c.

Ad quem ritum etiam respexit Achilles Tatius libro octauo, Virginem puellam hactenus seruaui, belli præsertim tempore, quo nemo sibi oblatas perfruendarum voluptatum occasiones abire pati vult: nunc eam Tyrum ad patrem ducere, & ab eo sicuti leges iubent, in vxorem accipere omnino constitui. Quod si impetrauero, benè est: sin autem difficilis ille atque morosus spondere negauerit, virginem etiam filiam suam sibi habeat, quam tamen, sitie ἐγὼ γὰρ φερνὴν ἐπιδιδοὺς οὐκ ἂν καταφρονήσαιμι, ἀγαπητῶς ἂν λαβὼν αὐτὴν γάμον, ego enim non contemnenda dote confecta in vxorem lubens duxerim. Hactenus ille. Nonnullis locis *ea dos* lege præscri-

Achilles Tatius.

C pta erat, alijs soluta, quam tamen ante nuptias paciscebantur. Gothorum iure *decima pars* bonorum mariti doti addicta erat. *VVisigoth. 3. tit. lib. 5. Non amplius* vnusquisque in puellæ vel mulieris nomine dotis titulo conferat, vel conscribat, quàm quod *decimam partem* rerum suarum esse constiterit.] Langobard *quarta*, L. 1. Tit. 4. Siculorum *tertia*, leg. Neapolit. lib. 3. Tit. 13. 15. 16. vti & Romanorum, vt habetur Feudor. libro secundo, titulo nono. Nostri pactionem facere solebant, vt patet apud Marculphum in Formulis. in quibus miror nullam reperiri, qua mulier viro dotem conscriberet. Habet autem plures, quibus sponsi puellis dotem constituunt, in quibus duo hæc obseruare poteris. 1. Quę dotis nomine tribuerentur, mu-

Dotis illius diuersa ratio apud gentes.

Marculph.

Duo notāda in ea dote, diuersā à doario.

D lierem vsucapere prima die nuptiarum. 2. Plus quàm vsumfructum consequi videri, cùm disertis verbis ius & potestas fiat de ijsdem agendi quod velit. Form. 75. *Complacuit nobis*, atque conuenit, vt de rebus proprietatis meæ tibi aliquid *in dotis titulum* condonare deberem. Idcirco per hanc *chartulam libelli dotis*, siue per festucam, &c. dono tibi, & donatum in perpetuo esse volo, &c. In ea verò ratione, vt hæc omnia superiùs nominata, quandoquidem dies nuptiarum euenerit, & nos Deus coniunxerit, Tu dulcissima sponsa mea, *ab ipso die* hoc habeas, teneas, atque possideas, *vel quicquid exinde facere volueris*, liberam, ac firmissimam in omnibus habeas potestatem, &c. Et quod notandum est, *præsens hac* epistola tam à me,

PRÆPVTIA PHILISTHINORVM.

quàm ab hæredibus meis defensata, omni tempore firma, & stabilis permaneat, stipulatione interposita. Idem porrò & sequentibus 76. 77. 78. 79. & 80. quæ est Traditio ad sponsam, continetur. Vna tantùm, quæ est septuagesima octaua, filijs cauetur, ne mulier dotalem fundum, & auream supellectilem, &c. distrahat. *Hac omnia*, inquit, per hunc titulum libelli dotis, cùm dies nuptiarum aduenerit, tibi sum impleturus, vel traditurus: *ita vt dum aduixeris*, secundum legis ordinem teneas, atque possideas, *nostrisque, qui ex nobis procreati fuerint, filijs derelinquas*. Hæc formula. Quæ nescio an disertis verbis exprimi debuerint, vel alioqui satis ex consuetudine intelligerentur. Leo Marsicanus Histor. Cassin. libro tertio, capite quinquagesimo septimo, cùm Cetrarias in Calabria, quem locum à Duce Roberto vxor in dotem acceperat, sancto Benedicto offerret, meminit cõsensus filij eiusdem Rogerij Ducis. Verùm vt vt se res olim apud nos habuerit, hoc sibi voluit Dauid, nihil habere se dignum Regia puella, aut etiam Rege, quod largiretur.

Leo Marsicanus.

Nisi centum præputia Philisthinorum.] Aliud autem est longè præclarius genus dotis, quo Regem arctius tibi possis deuincire. Palæstini sunt perpetui, & capitales hostes populi Dei: si dederis centum eorum præputia, erit id munus Regi longè gratissimum. Id indicio esse posset Dauidem centum Palæstinos occidisse. Nam si Samson, Iudicum decimo quarto capite, vt vestes detraheret, complures eorum occidit, quî tandem Dauid cui eorum pelle opus erat, eorundem vitæ parceret? Non vult autem Saul fidem habere verbis. Vult certus esse, & rem factam oculis intueri. Hoc autem erat animos Philisthinorum in Dauidem irritare. Illi enim nihil magis horrebant, quàm Circuncisionem. Dauid autem videri posset, eos vel mortuos circuncidisse, si viui nollent. Illud porrò Palæstini interpretarentur sęuire in mortuum. Itaque sequuturum sciebat Saul eorum odium in Dauidem inexpiabile; ex quo fieret, vt nullum non lapidem mouerent, quo eum perderent.

Præputia Philisthinorum.] Iosephus libro decimo tertio Antiquitatum Iudaïcarum, capite decimo septimo, Hyrcanus, inquit, subiugatis Idumæis, edixit, vt circunciderentur, nisi mallent à proprijs pelli sedibus: at illi amore patriæ admiserunt & circuncisionem, & reliquam iuxta Iudaïcos ritus viuendi formulam: atque ex eo primùm tempore inter Iudæos censeri cœpti sunt. Idem fecit Ituræis Aristobulus, qui primus è gente Iudæorum post captiuitatem Babylonicam diadema suo capiti imposuit, vt testatur idem Iosephus, qui Strabonem etiam testem laudat eiusdem libri, capite decimo nono. Præputia porrò idcirco imperasse Saulem sanctus Theodoretus notat, ne capita Iudæorum afferret, non satis eius virtuti confidens, aut fide fretus.

Iosephus.

S. Theodoretus.

Centenarij numeri cõmendatio.

Centum.] Centenarij numeri dignitatem petunt ex duplici capite. Primùm enim ex denario in seipsum circunducto conficitur, qui est summa & perfectio simplicium numerorum.

A Deinde maximorum quoque numerorum vertex & cumulus. datis enim centum millibus, iam alia numeri ratio ineunda est, cuius species iterum eodem numero centenario concluditur. Itaque frequens eius vsus est in Scripturis, maximè in admirabili illa Tabernaculi Templique delineatione, Exodi capite vigesimo septimo, secundo Paralipomenon tertio capite, Ezechielis capite quadragesimo, & alijs pluribus locis, quibus eius ædificij, quod cælum terris repræsentauit, altitudo longitudóque centum cubitis circunscribitur. Dicitur & Iacob, Genesis capite trigesimo tertio, versu decimo nono, & Iosue capite vigesimo quarto, versu trigesimo secundo, centum agnis partem agri in Palæstina redemisse, in quo tentoria figeret. Itaque hoc loco mihi videtur ille numerus perfectam victoriam designasse. B De hoc eodem numero, si fortè vacat, nonnulla ex Poëtarum fontibus Iulianus fidei desertor protulit, quibus eundem apud Ethnicos summo loco fuisse contendit. Homerus, inquit, mihi videtur non leuiter, neque sine causa in poëmate suo, clypeum è centum lauris Ioui tribuisse: verùm magna & abdita ratione istud dicendo inuoluit; quoniam videlicet perfectissimo Deo perfectissimum numerum accommodabat, eumque numerum, quo maximè exornari posset: aut quia mundum vniuersum, quem clypei forma propter rotunditatem comprehendit, non alius numerus describit, quàm centenarius, circuli centenario accommodat intelligentiam eius, qui in vniuerso intelligitur. Eadem ratione C Centimanus Briareus iuxta ipsum Iouem collocatur, & cum patre certat, quasi perfectum eius robur, perfecto numero exprimatur. Quin & Pindarus Thebanus cum Typhoëi cædem in illo triumphali carmine celebrat, & maximi huius gigantis robur maximo deorum Regi attribuit, non alio nomine eum magnificè adeò commendat, quàm quod gigantem centeno capite horrendum vno ictu afflixerit, atque prostrauerit: tanquam nullus alius gigas manum cum Ioue conferere potuerit, nisi quem solùm mater centum capitibus armarat: neque vllus Deus præter Iouem tanta victoria dignus esset. Simonides Poëta Lyricus magnæ laudis loco Apollinem ἑκατὸν appellat, & quasi hac vna sacra nota eius cognomen exornat, quòd Pythonem serpentem centum sagittis, vt ait, confe- D cerit: imò magis ac sæpius se ἑκατὸν, quàm Pythyum appellari gaudet; quòd illo cognomine tanquam hæreditatis alicuius titulo exornetur. Iam illa ipsa Iouis nutrix Creta, quasi Iouis educati & suscepti mercede, centum vrbium numero ornata est. Thebas etiam ἑκατομπύλους nominat Homerus, propterea quod centum portis maxima esset dignitas ac pulchritudo. Taceo deorum hecatombas, templa hecatompeda, aras centena basi, centenarios andronas, centi-iugera arua, & cætera diuina aut humana, quæ huius numeri appellatione continentur. Iste ipse numerus & belli & pacis ordines decorat, centurias militares exhilarat, iudicum subsellia, quæ pari numero complentur, nobilitat, &c. Gemmas è stercore lege.

PRÆPVTIA PHILISTHINORVM.

Iulianus Apostata in epistol. ad Sarapionē.

Placeti

PLACVIT SERMO, &c.

Placuit ſermo in oculis Dauid, vt fieret gener Regis.] Menander Comicus: A

Cum ab amante audaciam abſtuleris, actum eſt:
Amorq; is tum inter nænias ſcribatur.

At laudat Martialis illud puerorum dictum, Tu tibi ſume parem. Epigramma illius eſt lib. 8. ad Priſcum:

Vxorem quare locupletem ducere nolim
Quæritis? vxori nubere nolo meæ.
Inferior matrona ſuo ſit Priſce marito:
Non aliter fiunt fœmina virq; pares.

VERSVS XXVII.

Et poſt paucos dies ſurgens Dauid, abijt cum viris qui ſub eo erant. Et percuſſit B ex Philiſthum ducentos viros, & attulit eorum præputia, & annumerauit ea Regi, vt eſſet gener eius. Dedit itaque Saul ei Michol filiam ſuam vxorem.

Variæ trãſlationes.

ET *poſt paucos dies.*] Prudenter Vulgatus poſtrema hæc verba, quæ reliqui præcedenti verſui tribuunt, contulit in hunc locum. Nos ea ſuperiore verſu explicuimus. *Ducentos viros.*] Hebraïcè, מָאתַיִם אִישׁ *mathaym iſc.* Pagninus, *ducentos viros.* Chaldæus, מָאתָן גֻבְרָא *mathan gibra, ducentos viros.* Lxx. Complut. edit. διακοσίους ἄνδρας, *ducentos viros.* Vatablus item *ducentos.* Aldus tamen *centum* legit, ἑκατὸν ἄνδρας. quem ſequitur editio Rom. ſept. Interpretum. *Et annumerauit ea Regi.*] Editio Rom. ſept. Interp. hæc C verba non agnoſcit. Aldus tamen & Complut. ea habent. καὶ ἐπλήρωσαν αὐτὰς τῷ βασιλεῖ, *& impleuit ea Regi.* Pagninus, *& ea omnia obtulerunt Regi.* Arias apud eundẽ, *& impleuerunt ea Regi.* Alius, *plenéque exhibuerunt ea Regi.* Vatablus, *& impleuerunt ea Regi.* In Schol. id eſt, numero perfecto & completo tradiderunt ea.

Et poſt paucos dies ſurgens Dauid, abijt, &c.] Dauid accipit oblatam conditionem de matrimonio: partim quod cuperet Michol, credibile enim eſt, illum eam redamaſſe: partim etiam, quod optaret Palæſtinos perditos. Vtrumque Deus illi fortunauit, effecitque vt nomen eius in dies eſſet illuſtrius. *Et percuſſit ex Philiſtym ducentos viros.*] Ælianus lib. 3. Var. Hiſtor. cap. 9. Quis, inquit, cum amatore, qui ipſe non amet, D quum pugna committenda, ferroq; de rebus decernendum eſt, manus conſerat? Nam expers amoris fugit, & declinat ſemper amatorem, tanquam profanus, nec initiatus numini: tantumque audet, quantum & animo valet, & corporis robore pollet. Extimeſcit autem illum alterum, quaſi diuino furore correptum, & non ſolùm à Marte, quod quidem commune eſt, ſed etiam ab amore concitatum, &c. quibus ille amoris vim cum bellico furore coniunctam mirificè exprimit. Neque enim id curamus, an is etiam numina crediderit. Nec verò Dauid temerè congreditur cum Palæſtinis: ſed mandato & iuſſu legitimi magiſtratus. Sciebat etiam bellum illud iuſtũ eſſe. Palæſtini enim iurati erant

Ælianus. Amoris vis deſcriptio.

hoſtes populi Dei, & partim occupabant, partim vaſtabant agros, qui Iudæis debebantur. Dauid in hac re adminiſtranda nihil cunctatus eſt, tum quia nihil metuebat labores bellicos, tum quia videbat Regis voluntatem eſſe lubricam & mutabilem. Itaq; intra tempus præſcriptum repræſentauit non centum, vt iubebatur, ſed ducenta Palæſtinorum præputia. Hic Saul videre potuiſſet candorem Dauidis, qui eius cauſa ſe in tanta pericula conieciſſet. Poteſt hoc fortaſſe alicui leue videri, nec magni faciendũ. Tamen qui rectè rem expendet, ducenta hoſtiũ capita retuliſſe, iudicabit fuiſſe maximum. Meminit Pauſanias in Meſſenicis τῆς θυσίας ſacri cuiuſdam, ἣν ἑκατομφόνια ὀνομάζουσι, quam vocant Hecatomphonia, quaſi centicidium dicas. Id ſacrum peragebant veteri Meſſeniorum inſtituto, qui hoſtes centum in bello cecidiſſent. Ter ea lege Hecatomphonia fecit Meſſenius Ariſtomenes, qui quondam Heros eſt habitus.

ET ATTVLIT EORVM PRÆPVTIA, &c.

Et attulit eorũ præputia, & annumerauit ea Regi.] Apud Scythas, vt ſcribit Herodot. lib. 4. non antè quiſquam prædæ fiebat particeps, quàm caput hoſtis Regi attuliſſet. Apud Sauromatas, ne virgo quidem nubit priuſquam hoſtem confecerit. Ibid. Herodot. *Dedit itaque Saul Michol eidem vxorem.*] Tantùm abeſt vt Saul gratia aliqua erga Dauidem moueatur, vt indies reddatur durior & obſtinatior. Non potuit tamen amplius tergiuerſari de filia: nihil enim erat, quod cauſari poſſet. Promiſerat enim, vt loquuntur, de plano, ſe eam illi daturum, ſi ad ſe centum Philiſthinorum præputia retuliſſet. Imò iam ſatis obſtrictus erat antea, cùm Dauid Goliath occidiſſet, & ei rei populus vniuerſus erat teſtis. Quod ſi nunc etiam ludificatus fuiſſet Dauidem, nemo illi poſtea habuiſſet fidem. Dat ergo Dauidi filiam ſuam Michol. Sed quomodo? An fortè vtrumque compellans, perinde vt olim Gallienus Imperator? Quippe is, cùm fratrum ſuorum filios coniungeret, & ſponſorum manus ipſe teneret, referente Pollione Trebellio,

Trebellius in duobus Gallienis.

Ite, ait, ô pueri, pariter ſudate medullis
Omnibus inter vos, non murmura veſtra columbæ,
Brachia non hederæ, non vincant oſcula conchæ.

Abſit. non enim conuenit, niſi Veneris mancipio, tam procax laſciuia. Sed quod veriſimile eſt, deſpondit ſolenni ritu. nam precibus quoq; & benedictionibus, feſtiuiſque epulis, nuptias apud veteres Hebræos celebratas fuiſſe Scripturæ paſſim memorant, & palàm innuit Tobię hiſtoria c. 5. 7. & 8. Illud etiam conſtat, apud Ethnicos ſacraméta ignis & aquæ nuptijs interpoſita. *L. penult. in fine, De donationibus inter virum.* Et Verrius Flaccus, vt apud Sext. Pomp. legimus, ſponſorum & ſponſarũ nomina inde tracta exiſtimat, quod σπονδὰς interpoſitis rebus diuinis facerent. Σπονδὰς autem interpretantur libationes, quæ ſanciendis fœderibus adhibentur. In eo ſenſu hanc vocem Homerus Iliad. 2. Thucydides lib. 5. Vide Pollucem Onomaſt. li. 6. ca. 6.

Nuptiales ritus.

Sponſ. nomina vnde ducta videri poſſint.

Pollux.

Quod ad nos attinet, Deus nuptiarum conciliator habetur. Marc. 10. Neq; tamen vnquam duci vxor ſine aliqua celebritate debere viſa eſt. Quid ſciuerit Leo Imp. habes in Conſtit. 89. *Sacra,* inquit, *benedictionis* teſtimonio matrimonia

Leo Imp.

DEDIT EI SAVL, &c.

confirmari iubemus; adeò, vt si qui citra hanc matrimonium ineant, id ne ab initio quidem ita dici, neq; illos in vita illa consuetudine matrimonij iure potiri velimus. Nihil enim inter cœlibatum & matrimonium, quod reprehendi non debeat, medium inuenias. Coniugalis vitæ desiderio teneris? coniugij leges serues necesse est. Displicent matrimonij molestiæ? cœlebs viuas, neque matrimonium adulteres, neq; falsò cœlibatus nomine culpam prætexas. Hæc ille. cuius non admodum autoritate moueor in constituendis Ecclesiæ sacramentis: sed habet alia præterea Gothofredus in eandem Constit. Euaristus, inquit, vt refertur 30. quæst. 5. cap. 1. Non aliter legitimum docet esse coniugium, quàm si suo tempore sacerdotaliter, vt mos est, cum precibus & oblationibus à Sacerdote factis benedicatur. Et Tertullianus 2. ad vxorem: Vnde sufficiam, inquit, ad enarrandam tantam felicitatem matrimonij, quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obsignatum Angeli renuntiant? Concilio Carthaginiensi 4. cap. 13. constitutum, vt sponsus & sponsa in templum deducerentur ad benedictionem Sacerdotis recipiendam. Epist. 70. Ipsum, inquit, coniugium velamine sacerdotali, & benedictione sanctificari debet. Scholiastes Harmenop. 4. tit. 4. negat nudo consensu matrimonium contrahi: ita ut nisi sacrum Dei verbum fuerit recitatum, neque nuptiæ consistant, neque prohibeantur contrahentes à se mutuò separari. Idem probatur ab Innocentio 3. cap. 4. *de sponsalibus*. Illud notandum est, proclamationes (quas banna Longob. vocabulo appellat cap. 27. *Extra de sponsalibus, cap. vlt. De clandestinis desponsationibus, cap. vlt. Qui matrimonium accusare.*) in Ecclesijs fieri solitas. Pompam quidem non requirit in nuptijs lex 22. *Cod. De nuptijs*: sed tamen eodem tit. L. 24. dicitur non aliter conditio nuptiarum euenisse, quàm si nuptiarum accesserit festiuitas. Trid. Synodus Sess. penult. requirit præsentiam Parochi, & duorum vel trium testium. Hæc omnia Gothofredus.

Gothofredus. S. Euarist. Tertull. Conc Carthag. Banna. Tridentina Synodus.

Quæ idcirco referre volui, quòd nonnulli causidici, dum iuris interpretes legunt, à Catholica fide alienos, in quibus fertur esse Gothofredus, in errores impingunt longè crassissimos. Inde enim non vnus & alter ex eorũ classe, dum causas orant, nulla vnquam fuisse clãdestina matrimonia asseruerunt, idque sacrum Concil. Trid. non statuisse, sed declarasse suo decreto. Vt igitur ab eo errore resipiscat, quisquis ignorantia, non malitia lapsus est, nec hæreticam contumaciam Catholico nomine dissimulat, pauca eius Concilij verba describam. *Tametsi*, Patres inquiunt, *dubitandum non est, clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata, & vera esse matrimonia, quandiu Ecclesia ea irrita non fecit: & proinde iure damnandi sint illi, vt eos sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negant, quique falsò affirmant, matrimonia à filijsfamilias, sine consensu parentum contracta, irrita esse, & parentes ea rata vel irrita facere posse: nihilominus sancta Dei Ecclesia, ex iustissimis causis, illa semper detestata est, atque prohibuit. Verùm cum sancta Synodus animaduertat, prohibitiones illas,*

De clandestinis matrimonijs Concilij Triden. decretum.

A *propter hominum inobedientiam, iam non prodesse, &c qui aliter, quàm præsente Parocho, vel alio Sacerdote: de ipsius Parochi. seu Ordinarij licentia, & duobus vel tribus, matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omninò inhabiles reddit; & huiusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit; prout eos præsenti decreto irritos facit, & annullat, &c.*

ET VIDIT SAVL, &c.

VERSVS XXVIII.

Et vidit Saul, & intellexit quòd Dominus esset cum Dauid. Michol autem filia Saul diligebat eum.

VERSVS XXIX.

B Et Saul magis cœpit timere Dauid: factusq; est Saul inimicus Dauid cunctis diebus.

SVidas, τοῖς ἰκτεριῶσι πᾶς χυμὸς δοκεῖ πικρὸς εἶναι, Aurugine, siue regio morbo laborantibus, omnis humor videtur esse amarus, quòd humor circa linguam hunc saporem habeat, quo primùm gustato, non percipit reliqua quæ admouentur. Porrò ἴκτερος, νόσος ἐκ χολῆς συνισταμένη, morbus est qui nascitur ex bile, ab iracundia manat. Consanescunt autem, qui eo morbo conflictantur, intuentes χαραδριὸν, auem Charadrium. At contrà Saul, ne intuitu quidem, aut numinis reuerentia sanatur: quin etiam ira atque inuidia pallescit magis, & morbus ingrauescit. C Quærit autem Suidas, quî fiat, vt adhibito melle, cuius blandissimus sapor est, eò acriùs amarus humor ictericum torqueat? Quoniam, inquit, vbi subsidit humor diutius, tanquam sopitus & quiescens, haud pungit: postquam verò excitatur ab externo hospite, tum sæuit, & cruciat. Manifestis argumentis probamus in Saule. Vidit ille Deum esse cum Dauide; & tamen eum odit. Quid hoc aliud erat, quàm Deũ ipsum odisse in Dauide? Grauissimum scelus est odisse eos, in quibus intelligas & sentias esse Deum. Ea causa Caïn odio habuit Abel, quòd videret eius sacrificia placere Deo. Pharao vidit Deum fauere Hebræis, & ea causa illos omnibus modis persequebatur. Videt iam Saul non tantùm Ionathan, sed etiam Michol filiam intimè amare Dauidem. Quærit omnes rationes, quibus D illum tollat: & nihil succedit. Itaque omnia eius consilia plena sunt desperationis. Forsasse etiam verebatur nonnihil, ne, si pergeret vitam Dauidis expetere, insidiæ illæ aliquando per Ionathan, aut per Michol patefierent: atque ita periculum in ipsius caput redundaret. Tolli enim Dauid non potuisset sine grauissimo dolore vtriusque. Ita Saul vndique cogitur in angustias. Optimum tamen esse ducit, se quocunque modo, vel per scelus hoc periculo liberare. An non tibi videtur hîc apud se Saul iactare, quod Iuno apud Senecam, cùm perdere Herculem cogitaret? Nam furore atque ira percita, anceps & inops consilij, & æstu quodam animi vehementiùs incitata, hęc secum fingitur meditari.

Suidas in voce Ἰκτεριᾶν.

Saulis cum icterico cõparatio.

Maximum scelus est, eum odisse, cui Deus fauent.

Non

ET EGRESSI SVNT, &c.

Senec act. 1. in Herc. furente.

Non sic abibunt odia: viuaces aget
Violentus iras animus, & saeuus dolor
Aeterna bella pace sublata geret.
Quae bella? Quicquid horridum tellus creat
Inimica, quicquid pontus, & aer tulit
Terribile, dirum, pestilens, atrox, ferum,
Fractum atque domitum est, superat & crescit malis,
Iráque nostra fruitur, in laudes suas
Mea vertit odia, dum nimis saeua impero.

Tandem tamen,

Perge ira, inquit, *perge, & magna meditantem opprime.*
Congredere; manibus ipsa iam lacera tuis.
Quid tanta mandas odia?
Educam, & imo Ditis è regno extraham
Quicquid relictum est. Veniat inuisum Scelus,
Suumque lambens sanguinem Impietas ferox,
Errorque, & in se semper armatus Furor.

Bellè hæc quadrant in Saulem.

VERSVS XXX.

Et egressi sunt principes Philisthinorum. à principio autem egressionis eorum, prudentius se gerebat Dauid, quàm omnes serui Saul, & celebre factum est nomen eius nimis.

PAlæstini faciunt nouas incursiones in Iudæos, vt Rabbini suspicantur, quòd putarent Dauidem, ducta iam vxore, eo anno non pugnaturum. Audierant enim ius esse apud Iudæos, ne quis eo anno, quo duxisset vxorem, dare nomen militiæ cogeretur. Hæc Rabbini. Sed ea causa non ascribitur in sacris literis: nec certum est, ista primo illo anno cōtigisse. Adde, quod vacationem concedebat illa lex, fauebátque nouis nuptijs: militare quemquam non prohibebat, neque eos qui sponte se offerrent à castris arcebat. Postremò non videtur ea lex habuisse locum in ducibus. Quid enim si Rex ipse nuper matrimonium iniuisset, an propterea periclitanti Reipub. suam operam denegare potuisset?

A *Prudentius se gerebat Dauid.*] Hoc angebat Regem. Nollet Saul tam prudentem generum: minus cautum optaret, contrarijs votis charitatis humanæ. Nam quid optare debeat non modò socer genero, sed quilibet amico suo, docet Martialis lib. 6. Epigram. his verbis.

Saulis iniquitas.

Martialis.

Casta sit vt virtus: ne te temerarius ardor
In medio enses, saeuaque tela ferat.
Bella velint, Martémque ferum rationis egentes.
Tu potes & patriæ miles, & esse decus.

At Saul extinctum cupiebat. Hic considera antithesin inter Dauidem, & Saulem. Saul timori suo studet mederi per flagitium. Dauid etiam timebat sibi nonnihil à Saule: sed eo timore se expedire studet rectè agendo, & beneficentia. Itaq; mandata facit, pugnat in hostes, B exponit se periculis, denique nihil non facit, quo Sauli fidem, & studium suum probet. Hac via declinandum est odium. Sic omnia Dauidi successerunt ex sententia, eiúsque nomen vbique cœpit esse celebre.

Et celebre factum est nomen eius nimis.] Cassiodor. lib. 8. Variar. epist. 22. Certantes in stadio numerosior corona glorificat: Olympicos cursus frequens palma nobilitat: sic vel in leuibus rebus gloriosior efficitur, cui frequenter præmia referuntur. De primo denique prouectu potest esse cunctatio, dum multi fallunt Principis animum, quando facilè est illudere, cui semper votum est præstitisse. Sed talem mentis exhibuit constantiam; tantum bonorum ha- C buit propositum, vt semper in se prouocauerit regium munus. Hæc est certa gloria, hæc indubitata sententia, frequenter potuisse mereri, per quod homines constat ornari. Hos etiam intrare in curiam nostram decet, qui ad primos honores non expendunt meritum suum, sed cum magna susceperint, iterum maiora promerentur. Ornant quoque tales & nostra iudicia: quoniam bene prius electus creditur, qui sępius approbatur. Natura ipsa bonis adhibita perseuerantia pretiatur: quia minus est laudanda incipere, quàm bonorum propositum custodire. Hæc Cassiodorus. quæ de Dauide dicta videri poterant, si Saul virtuti potius fauere, quàm inuidere statuisset.

Cassiodor.

CAPVT DECIMVMNONVM.

LOCVTVS est autem Saul ad Ionathan filium suum, & ad omnes seruos suos, vt occiderent Dauid. Porrò Ionathas filius Saul diligebat Dauid valde. 2. Et indicauit Ionathas Dauid, dicens: Quærit Saul pater meus occidere te: quapropter obserua te, quæso, manè, & manebis clàm, & absconderis. 3. Ego autem egrediens stabo iuxta patrem meum, in agro vbicumque fueris: & ego loquar de te ad patrem meum: & quodcumque videro, nunciabo tibi. 4. Locutus est ergo Ionathas de Dauid bona ad Saul patrem suum: dixitque ad eum: Ne pecces rex in seruum tuum Dauid, quia non peccauit tibi, & opera eius bona sunt tibi valde. 5. Et posuit animam suam in manu sua, & percussit Philisthæum, & fecit Dominus salutem magnam vniuerso Israëli: vidisti, & lætatus est. Quare ergo peccas

in sanguine innoxio, interficiens Dauid, qui est absque culpa? 6. Quod cùm audisset Saul, placatus voce Ionathæ, iurauit: Viuit Dominus, quia non occidetur. 7. Vocauit itaque Ionathas Dauid, & indicauit ei omnia verba hæc: & introduxit Ionathas Dauid ad Saul, & fuit ante eum, sicut fuerat heri & nudiustertius. 8. Motum est autem rursum bellum: & egressus Dauid, pugnauit aduersum Philisthijm: percussitque eos plaga magna, & fugerunt à facie eius. 9. Et factus est spiritus Domini malus in Saul. sedebat autem in domo sua, & tenebat lanceam: porrò Dauid psallebat manu sua. 10. Nisúsque est Saul configere Dauid lancea in pariete, & declinauit Dauid à facie Saul: lancea autem casso vulnere perlata est in parietem, & Dauid fugit, & saluatus est nocte illa. 11. Misit ergo Saul satellites suos in domum Dauid, vt custodirent eum, & interficeretur manè. Quod cùm annunciasset Dauid Michol vxor sua, dicens: Nisi saluaueris te nocte hac, cras morieris. 12. Deposuit eum per fenestram. porrò ille abijt & aufugit, atque saluatus est. 13. Tulit autem Michol statuam, & posuit eam super lectum, & pellem pilosam caprarum posuit ad caput eius, & operuit eam vestimentis. 14. Misit autem Saul apparitores, qui raperent Dauid: & responsum est quòd ægrotaret. 15. Rursúmque misit Saul nuncios vt viderent Dauid, dicens: Afferte eum ad me in lecto, vt occidatur. 16. Cúmque venissent nuncij, inuentum est simulacrum super lectum, & pellis caprarum ad caput eius. 17. Dixitque Saul ad Michol: Quare sic illusisti mihi, & dimisisti inimicum meum vt fugeret? Et respondit Michol ad Saul: Quia ipse locutus est mihi: Dimitte me, alioquin interficiam te. 18. Dauid autem fugiens, saluatus est, & venit ad Samuel in Ramatha, & nunciauit ei omnia quæ fecerat sibi Saul: & abierunt ipse & Samuel, & morati sunt in Naioth. 19. Nunciatum est autem Sauli à dicentibus: Ecce Dauid in Naioth in Ramatha. 20. Misit ergo Saul lictores, vt raperent Dauid: qui cùm vidissent cuneum prophetarum vaticinantium, & Samuelem stantem super eos, factus est etiam Spiritus Domini in illis, & prophetare cœperunt etiam ipsi. 21. Quod cùm nunciatum esset Sauli, misit & alios nuncios: prophetauerunt autem & illi. Et rursum misit Saul tertios nuncios: qui & ipsi prophetauerunt. Et iratus iracundia Saul. 22. Abijt etiam ipse in Ramatha, & venit vsque ad cisternam magnam, quæ est in Socho, & interrogauit, & dixit: In quo loco sunt Samuel & Dauid? Dictúmque est ei: Ecce in Naioth sunt in Ramatha. 23. Et abijt in Naioth in Ramatha, & factus est etiam super eum Spiritus Domini, & ambulabat ingrediens, & prophetabat vsquedum veniret in Naioth in Ramatha. 24. Et expoliauit etiam ipse se vestimentis suis, & prophetauit cum ceteris coram Samuele, & cecidit nudus tota die illa & nocte. Vnde & exiuit prouerbium: Num & Saul inter prophetas?

ARGVMENTVM CAPITIS.

CVM iam iracundiæ vim Saul vltrà non caperet, & liuoris immensa moles in dies excresceret, ad extremum dissimulatum hactenus odium professus est, & in cædem manifestam violentus erupit. Hoc igitur primùm aggreditur, conscio Ionatha: cuius mox oratione flectitur, & à scelere reuocatur. Subinde noua belli occasio emergit. irruunt Palæstini. Sed mox accepta clade, à Dauide profligantur: qua victoria quo clarius generi nomen enitet, eo magis socer inuidia contabescit. Itaque per seipsum eundem lancea confodere nititur: & cùm teli impetum corporis declinatione vitasset, elapsum domi obsidet. At Michol denuò virum periculo eripit. Solutus ac liber ad Samuelem confugit. Eò quoque Saul aduolat, cædem spirans. Sed mox vt in prophetantium choros incidit, afflatu diuino corripitur, donec se Dauid in tutum locum recipiat. Itaque Deus, quod hinc manifestè colligitur, ijs, qui verè & ex animo iustitiam colant, periclitantibus nusquam non præsto adest.

VERSVS I.

Loquutus est autem Saul ad Ionathan filium suum, & ad omnes seruos suos, vt occiderent Dauid. Porrò Ionathas filius Saul diligebat Dauid valdè.

COgitabat primùm Saul astutè agendum esse. Itaque consilia sua callidè tegere voluit, quo Dauid aliena manu perimeretur, ne ipse

LOQVVTVS EST SAVL &c.

ipse capiti videretur fecisse insidias. Verùm vbi clandestinis consilijs nihil se promouere videt, & Dauidem periculis omnibus euadere superiorem, postremò conuocat consiliarios, & apertè, ac palàm iurat, se velle Dauidem occidere: causam tamen nullam affert, cur ita velit. Alienum est hoc à boni principis officio, & tyrannorum proprium, *Sic volo*, sic iubeo: sit pro ratione voluntas. *Si contempsi*, inquit Iob, ca. 31. vers. 13. *Subire iudicium cum seruo meo, & ancilla mea, cùm disceptarent aduersum me. Quid enim faciam, cùm surrexerit ad iudicandum Deus? & cùm quæsierit, quid respondebo? Nunquid non in vtero fecit me, qui & illum operatus est: & formauit me in vulua vnus?* Aurelianus etiam Imperator, tametsi veri numinis ac pietatis expers, attamen apud Flau. Vopiscum, multos seruos è familia propria, qui peccauerant, legibus audiendos iudicijs publicis dedit. quo minus Saul veniam meretur, qui in generum suum non innocentem modò, sed etiam de se bene meritum, nulla iuris seruata formula sæuit. Neque verò alia tantæ crudelitatis ratio esse potuit, quàm quæ fortassis à Sorade comico indicatur. Bonus, inquit, bene natus, & iustus quisquis fuerit, inuidiæ capiat partem necesse est, in reprehensionem cadat oportet.

Tyrannorum illud est, Sic volo, sic iubeo.

Flau. Vopisc.

Sed nihil suspiciosos principes perinde torquet & angit, vt ducum militaris industria, & bello parta felicitas. Dauid iam sæpius ex hostibus victoriam reportarat, & inuictæ fama virtutis ac modestiæ laude populo commendatus, eius in se studia concitarat. Hoc nimirum Saulem terret, & cruciat: quam tamen ille causam callide dissimulat. Sic tyranni, cùm gratiosum hominem aut locupletem tolli volunt, causas ipsi reticent: tantum indicant eas graues & periculosas esse, expedire autem multis silentio premi. Ita Iudæi, cùm Christum proderent, & veris criminibus reum agere Pilatus admoneret, *Si non esset*, inquiebant, *hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.* Reuera autem plerisque apud malos principes sola suspicio exitium peperit. Noui, inquit Clearchus apud Xenophontem lib. 2. Cyri Minor. ex huiusmodi plerunque suspicionibus, & criminationibus effici solere, vt dum homines, ne patiantur quid grauius, metuunt, longè atrocissimas iniurias ijs plerunque facere occupent, qui nihil ipsi vnquam tale quicquam commissuri fuerant. Hæc ille. Miseram planè hominum conditionem, si, tametsi regnum non affectes, attamen crimen sit, quod videare posse.

Militaris ducum virtus suspiciosos principes impendio torquet.

Suspicio plerunque facinus occupat.

Xenoph.

Vespasianum Imperat. si Philostrato credimus, hæc quondam docebat Apollonius: Eminentiores spicas, quæcunque supra cæteras se attollunt, ne amputato. Iniusta enim est in hoc Aristotelis ratio. Ipsa verba Græca adscribam. Μὴ τίμα τῶν ἀσταχύων τοὺς ὑψηλούς τι, κ. ἐπαιρομένους. ἄδικος γὰρ ὁ τοῦ Ἀριστοτέλους λόγος. Et sequitur, ἀλλὰ τὸ δύσνουν ἐξαίρει μᾶλλον, ὥσπερ τὰς ἀκάνθας τῶν λείων. Καὶ φοβερὸς δοκεῖ, &c. Sed perniciosos homines molestósque potius tanquam spinas è segetibus aufer, & res nouas molientibus terribilem te ostende, minitãdo tamen magis, quàm puniendo. Ne tibi liceat, quodcunque volueris, caue. νόμος, ὦ βασιλεῦ, καί σου ἀρχέτω, Lex verò tibi etiam

Philostrat. vitæ Apollonij lib. 5. cap. 13.

A Rex, dominetur. Hactenus ille. Quibus nouum Principem admonet, ne det facilè suspicioni locum: aut quicunque opibus gratiáue præstent, eos sibi formidolosos iudicet, aut insidias struat.

Loquutus est ad Ionathan, & ad seruos suos, vt occiderent Dauid.] Apud Herodianum li. 3. Plautianus Imperium affectans, cùm Saturnino Tribuno Seueri Imperatoris filijq; necem demandasset, & ille haudquaquam ausus esset detrectare, ne scilicet continuò daret pœnas: libellum petebat demandatæ cædis. Quippe mos Tyrannis, cùm aliquem indemnatum occidi iubent, per literas potissimùm iniungere, ne dein cædis imperatæ nullum relinquatur argumentum. Hîc Plautianus cæcutiens nimia cupiditate, dat libellum Tribuno: quo ille mox vsus

Herodian.

Libellus imperatæ cædis.

B est ad eiusdem perniciem. Non meminit Scriptura libelli: quoniam etsi clanculùm Dauidi vim afferri volebat, pluribus tamen id præcipiebat. *Ad Ionathan.*] Ne Ionathan quidem nefandi consilij expertem esse passus est. Atqui nouerat eundem esse Dauidi fœderatum. Verum quidem est. Sed illum suis moribus æstimans, credebat maiorem vtilitatis quàm fidei rationem habiturum. Ionathan enim ætatis prærogatiua sibi regnum post patris mortẽ vendicabat, quod tamen Dauide superstite nunquam consequuturus videbatur. *Et ad seruos suos.*] Cum quibus ipse deliberat, non fásne sit, aut etiam expediat, Dauidem neci dare, sed quibus insidijs commodissimè opprimi possit, & absque minima offensione populi. *Vt occiderent*

C *Dauid.*] Aliæ, inquit Simonides apud Xenophontem in Hierone, functiones sunt quæ odium, aliæ quæ gratiam pariunt. Censeo itaque viro principi sic agendum, vt si quis supplicio indiget, per alios pœnam irroget, præmijs ipse benemerentes afficiat. Sic fiet, vt princeps quidem gratiam apud omnes ineat; alij odio atque inuidia flagrent. Quod tametsi ea mente ac consilio factum probare nequeam, attamen haud mediocre humanitatis argumentum præsefert, si princeps à supplicijs abhorreat, & iudicium arbitrio sontes puniẽdos permittat. ea porrò virtute ad comparandam publicam beneuolentiam nulla potentior habetur. Iam verò Saulis consiliarij probarintne Regis studium, necne, incertum est. nemo certè, tametsi spectatam satis Dauidis innocentiam

Xenoph.

Reges præmia, alij pœnas largiuntur.

D haberent, iniquæ sententiæ refragatus est. Hinc colligere possis, quàm nullum sit in aulicorum fauore præsidium. Antea enim egerant cum Dauide, vt bono esset animo. Rex, aiebant, te habet in oculis: omnes aulici tibi fauent, & cupiunt. Cur ergo hic se nemo illorum interponit? Plures sanè ex illis virtuti inuident: reliqui timent offensionem Regis.

Porrò Jonathas diligebat Dauid.] Ionathas vnus est ex ea turba, & familia, consilióq; Principis, qui recto pede graditur ad iustitiam. Vidit Dauidem regnaturum; se patri suo non successurum: sed pluris esse putauit excidere de regno cœli, quàm de regno Iudæorum. Æquitatem Imperij expectationi prætulit, nec credidit

LOQVVTVS EST SAVL &c.

LOQVVTVS EST SAVL&c. regnandi causa ius violandum esse. Itaque non obsequitur patri, sed iuuat Dauidem, quantum potest. Quanquam qui patrem reuocat à scelere, illi fidelissimè obsequitur. Non tamen reclamat palàm, ne aulicos contumaciam doceat, cùm speret aliunde occurri posse: deinde, ne ipse sibi præcideret facultatem postea agendi cum patre de Dauide. Hinc apparet Ionathan, non modò iustum ac tenacem propositi virum extitisse: sed etiam eximia prudentiæ laude floruisse. Cùm enim nosset patris iram præcipiti contentione accendi potius quàm mitigari posse, dolorem suum silentio premit, & captat ad patrem molliores aditus, quò eum à sententia deducat. Mira Dei prouidentia. Ionathas delectus est à Deo, qui pro Dauide intercederet, persona illustris, & is qui apud patrem valeret gratia, cuique debebatur successio: vt quicquid diceret, non posset non videri loqui ex animo. Scribit S. Gregorius lib. 4. histor. Franc. cap. 9. tempore Theodoualdi vuas è sambuco natas. (S. Gregor. Turon.) Hircus, cùm sit fœtidissimum animal, attamen suaueolens ladanum eius barbæ innascitur, veluti quidam ligni mucor, vt autor est Herodotus lib. 3. (Herodot.) Ergo colligit Deus de spinis vuas, & de tribulis ficus.

(Oedipus apud Senecâ in Thebaide act. I.)

Vnde in nefanda specimen egregium domo?
Vnde ista generi virgo dissimilis suo?
Fortuna, credis? aliquis ex me est pius?
Non esset vnquam (fata bene noui mea)
Nisi vt noceret.

Attamen Sauli diuino beneficio contigerat, si vti vellet.

VERSVS II.

Et indicauit Ionathas Dauid, dicens: Quærit Saul pater meus occidere te: quapropter obserua te, quæso, manè, & manebis clàm, & absconderis.

VERSVS III.

Ego autem egrediens stabo iuxta patrem meum, in agro vbicunque fueris: & ego loquar de te ad patrem meum: & quodcunque videro, nunciabo tibi.

ET *indicauit Ionathas Dauid.*] Prodit Ionathas patris consilia, & Dauidem admonet, abeat ex oculis, & tantisper abdat se aliquò, donec tentet animum eius inflectere, se nullo loco eidem defuturum. An non igitur patris proditor, & officij fideique desertor habendus fuit. Quæri solitum est, inquit Gellius Noct. Atticar. lib. 2. cap. 7. (Gellius.) in Philosophorum disceptationibus, an semper, inque omnibus iussis, patri parendum sit. (An patri semper obtemperandum sit.) Super ea re Græci, nostriq; qui de officijs scripserunt, tres sententias esse, quæ spectandæ considerandæque sint, tradiderunt, eásque subtilissimè dijudicauerunt. Earum vna est: Omnibus, quæ pater imperat, parendum. Altera est: In quibusdam parendum, quibusdam non obsequendum. Tertia est: Nihil necessum esse patri obsequi, & parere. (ET INDICAVIT, &c.) A Vltimam hanc sententiam, quoniam primore aspectu nimis infamis est, his ferè rationibus confirmare student. Aut rectè, inquiunt, imperat pater, aut perperam. Si rectè imperat, non quia imperat parendum, sed quoniam id fieri ius est, faciundum est: Si perperam, nequaquam scilicet faciundum, quod fieri non oportet. Itaque ex his concludunt, nunquam est igitur patri parendum, quia imperat.

Verùm, vt idem ait, argutiola hæc friuola & inanis est. Neque enim quicquid est, suo genere turpe, aut honestum est. Sed sunt quædam præterea, quæ, cùm suapte natura ἀδιάφορα siue μέσα existant, hoc est indifferentia, siue media, perinde vt ijs vtimur, ita cum virtute vitióque B copulantur. Exempli gratia, rus colere, causas agere, honores capessere, siue etiam militiam profiteri, si liber sis, nec alieno iuri obnoxius, quod ad virtutem spectat, nihil refert vtramlibet artem exerceas. In his igitur imperium patris obtinet, sicut & in plerisque quæ ad rei familiaris curam pertinent, in quibus, nisi officio deesse velis, mos gerendus est patri. Quamobrem absurda est postrema hæc sententia. Prior etiam non minus à veritate abhorret, quæ iubet in omnibus, & sine discrimine patri obtemperes. Quid enim si proditionem patriæ, si matris necem, si alia quædam imperarit turpia ac impia? an tum quoque parendum erit? Media igitur sententia optima atque tutissima visa est; (Vera sententia.) quædam esse parendum, quædam non obsequendum. Sed ea tamen quæ obsequi non oportet, C leniter & verecundè ac sine detestatione nimia, sinéque opprobratione acerba reprehensionis declinanda sensim & relinquenda magis esse dicunt, quàm respuenda.

Atverò, inquis, quibus indicijs nosse potero, refragari debeam, an magis obsequi patris voluntati? Respondeo quæcunque suopte ingenio bona sunt, aut saltem cum nulla turpitudine coniuncta, ea tibi sedulo præstanda sunt: si quæ verò cum diuina lege, aut naturali æquitate pugnant, in his caue operam tuam colloces, aut vllo tempore paternæ libidini consensum accommodes. Nam patris potestas omnis manat à Deo, cuius autoritate primùm stabilita atque fundata est. Quod si diuina lege patres nituntur, non poterunt aduersus eam contra- D rium quicquam conari. Hinc sequitur, Ionathan, cùm in perpetrando impio facinore patri minus audiens esset, egregiè suo munere functum esse, & sapienter apud se statuisse, Deo potius quàm patri obtemperandum esse. Porrò, si Ionathæ licuit, vt priuatum hominem seruaret, Regis secretum prodere, quanto magis licebit, vt Regem serues, cuius sæpenumero incolumitate publica salus continetur, nefarium parricidæ consilium detegere? Nulla oppigneratæ fidei religione impediri potes, quo minus principem periculo eximas, imò fidem tuam liberes, quæ, Deo autore, Principi ac patriæ obligata est.

Egrediens stabo iuxta patrem in agro.] Pollicetur se patris voluntatem exploraturum. Vertit Pagninus,

EGRESSVS STABO, &c. Pagninus, *Stabo ad manum patris mei.* Hæc verba variè exponuntur. R. Chimhi ita interpretatur, *Obseruabo locum, quò pater meus egressurus est.* Septuag. *Adhærebo patri meo, siue adiungam me ad latus patris mei.* Alij putant *manum* positam esse propriè. Reges enim, cùm incederent, niti solebāt alterius humero. Testatur hoc Naaman Syrus cap. 5. lib. 4. Reg. vers. 18. *Innitente,* inquit, (Rege) *super manum meam.* Et iterum cap. 7. v. 2. *Vnus de ducibus super cuius manum Rex incumbebat.* Sermo est de Ioram Rege Israël. *In agro.*] Ruri natus & educatus, rura sæpe causa delectationis inuisebat, & rusticatione gaudebat. Cùm innocens & honesta exercitatio est, tum ea valetudini plurimùm conducit. Purior aër agris insidet, qui vrbium contagione inficitur. Horatius lib. 1. epist. ad Fuscum.

Ruris commendatio.

Horatius.

Nouistine locum potiorem rure beato?
Est vbi plus tepeant hiemes, vbi gratior aura
Leniat & rabiem canis, & momenta leonis?
— Ego laudo ruris amœni
Riuos, & musco circumlita saxa, nemúsque.

Deinde ibi complura in oculos aurésque incurrunt, quæ animum à curis auocent. Ipsa quoque inambulatio superfluos humores excutit, virésque confirmat. Fortassis etiam nonnihil ruris secessu ac silentio reficiebatur. Lacedæmonij tamen, vt autor est Ælianus lib. 2. Var. histor. cap. 5. pomeridianis deambulationibus suis interdixerunt. Nam Ephoros Spartiatis, qui nuper Deceliam occupauerant, scripsisse docet: Μὴ περιπατεῖν. Ne deambuletis: tanquam voluptatem sectarentur illi potius quàm corpus exercerent. Oportere Lacedæmonios, οὐ διὰ τοῦ περιπάτου, ἀλλὰ διὰ τῶν γυμνασίων τὴν ὑγίειαν πορίζεσθαι, non deambulationibus, sed gymnicis exercitationibus parare bonam valetudinem ac tueri. Hæc seria vocabant, cùm temporis parcè habendam rationem existimarent, & solas artes bellicas profiterentur. Palæstra tamen, & cursus, minus etiam saltatio, viros graues decet, quibus hæc ludicra non seria videntur. at moderata deambulatio, maximè quæ rerum honestarum tractatione conditur, corpus & animum leuat. Itaque non rarò Christus Dominus, vt Ioannes obseruat, discipulos suos in hortum deduxit, cum ijs de rebus se dignis, vt erat captus eorum, disserens. Isaac verò Genes. vigesimo quarto vers. 63. ad meditandū in agrum egressus fertur.

Ælianus.

Deambulatio.

Versus IV.

Locutus est ergo Ionathas de Dauid bona ad Saul patrem suum: dixitque ad eum: Ne pecces Rex in seruum tuum Dauid, quia non peccauit tibi, & opera eius bona sunt tibi valdè.

Versus V.

Et posuit animam suam in manu suâ, & percussit Philisthæum, & fecit Dominus salutem magnam vniuerso Israëli: Vidisti, & lætatus es. Quare ergo peccas in sanguine innoxio, interficiens Dauid, qui est absque culpa?

NE PECCES, &c.

Suscipit Ionathas Dauidis patrocinium, & causam eius apud patrem orat, non absque aliqua, vt reor, formidine: nouerat enim eius animi impotentiam, & quàm difficilè flecteretur ad misericordiam idem proprio periculo expertus erat, capitali post insignem victoriam plectendus supplicio, ni populus communi studio patris sæuitiæ intercessisset.

Dificile quàm sit (inquit Medea apud Senecam) *animum ab ira flectere*
Iam concitatum; quámquam regale hoc putet,
Sceptris superbas quisquis admouit manus,
Qua cœpit ire; regia didici mea.

Seneca in Medea act. 2. Regum voluntas flecti difficilis.

Idem dicere potuit Ionathas: sed nullum tamen discrimen detrectare statuit æquitatis primùm, deinde etiam amicitiæ gratia. Quàm diuersis à patre moribus? Quis non miretur tam suaues fructus ex tam amara radice prodire potuisse? Meminit Pausanias in Arcadicis, lacus cuiusdam Argolici, cui nomen Dine, ad vicum Genethlium, qui è salso mari dulcis erumpit. Et addit, Dulcis verò aquæ venas è mari effundi, non in Argolicis tantùm finibus, sed in Thesprotide etiam prope eum locum, quod vocant Chimerium, satis constat. Mirabiliùs tamen quod in Mæandro partim è saxo quod amnis circunfluit, partim etiam è fluuiali limo feruens aqua profluit. Sicuti & circa Dicæarchiam Tyrrhenorum oppidum (Puteolos dixêre minores) calidæ in mari efferuescunt aquæ: vbi iactis molibus de industria extructa est insula cum balneis aquarum calidarum, ne planè naturalis eius muneris vsus incassum periret. Hactenus Pausanias. Verùm nos, vt hæc naturæ miracula taceamus, quid Saule immanius? quid Ionatha benignius dici fingiue potest? Verum apparet Samsonis problema, *Mel ex ore Leonis.*

Aquæ dulces è mari. Pausanias.

Ne pecces Rex in seruum tuum.] En vt Ionathas non minus vehemens orator, quàm bellator extitit: nec minus amicis eius lingua præsidio, quàm hostibus sagitta terrori fuit. Illud autem admiratione dignum, quàm breui compendio ita copiosè Dauidis causam perorarit, vt immitem patris animum, & cædem auidè spirantem, ad lenitatem & molliora consilia traduceret. *Ne pecces, Rex.* Beneuolentiam captat primùm ab ipsius persona, regem compellans; vt intelligeret non auctoritate aliqua, non vi, sed prece atque consilio apud eum Ionathan agere velle. Rex enim cùm sis, ô pater, nemo tecum iure contenderit. Tu namque summa potestate Reipub. præsides; ipse verò Dauid seruus tuus est. Quare non tu hostem insequeris, aut alieno cuipiam moliris perniciem, quinimo huic tu paras insidias, qui ad tuam curam pertinet. Rex enim cùm sis, te ciues tueri, non perdere æquum est. Vrget etiam à persona Dauidis. Seruus enim tuus est: cui si tu vim afferas, teipsum afficis iniuria. Hominis ferociam demulcet, seruum illum suum profitens. Hoc enim nouerat ad

Ionathæ oratio.

Ne pecces, &c. cohibendum impetum valere plurimum. Nam facilè omnes proprijs indulgemus. Postremò, etiam magna necessitudo est inter seruum & herum. Seruus enim, quoad facit officium, ab hero foueri debet, & si fide præstet, auctore Scriptura, charissimi fratris loco habendus est. Itaque ex eo primùm sibi fauorem conciliat, quod de propriis, & ad eum spectantibus loquuturus sit. Subinde verò aliud non minus ingenij atque eloquentiæ suæ specimen edit, quod non rogat ne puniat, nec si quid perperam deliquerit, veniam deprecatur, sed hoc solùm orat, ne peccet. Quis enim talia dicere incipientem non æquis auribus excipiat? Ait igitur, *Ne pecces, Rex.*] Et Seneca in Octauia,

Id facere laus est quod decet, non quod licet.

Claudianus etiam in Panegyrico de 4. Consulatu Honorij,

Claudianus. *Nec tibi quid liceat, sed quid fecisse decebit, Occurrat, mentemque domet respectus honesti.*

Omnia mihi licent, aiebat Apostolus, *sed non omnia expediunt.* Admonet patrem Ionathas, non tam quid efficere possit attendat, quàm quid ipsum deceat. Non enim iuris & æqui conditores sunt Reges, sed præstites & administri: quos peccare grauiter haud dubium est, si accepta potestate ad ciuium perniciem abutantur. Idem Cicero diuersis verbis explicat in Oratione pro Cornel. Balbo. Quid ait accusator fecisse Pompeium, quod ei facere non licuerit; quod grauius est, quàm si diceret hoc ab eo factum, quod non oportuisset. Est enim aliquid quod non oporteat, etiamsi licet: quicquid verò non licet, certè non oportet. Quicquid enim non licet, honestum non est, ideóque non oportet. At non quicquid licet, hoc etiam honestum est, imò verò plerumque non oportet.

Reges non sunt iuris autores, sed præstites.

Tullius.

Quia non peccauit tibi.] Exinde causam aggreditur, & summo artificio Dauidis defensionem insinuat; non quia difficile fuerit hominis innocentiam asserere, sed ne criminis depulsio Regem offenderet, qui non iudicio magis quàm morbo animi cædem innocentis affectabat: cuius non tam rationibus expugnanda sententia fuit, quàm blandæ orationis illecebris deliniendus affectus. *Non peccauit tibi, ô Rex.*] Quo pacto igitur in offensionem tuam incurrit? Validissimum argumentum est: quod si cuiquam persuaseris, ira simul exarmaueris. Origo siquidem iræ atque furoris de acceptæ opinione iniuriæ descendit. Quod si nullam fuisse docueris, tum, velut excusso fundamento, indignationis moles corruet. Tum illud quoque videtur sequi, vt non absque scelere possis eidem machinari malum. Etsi enim vitæ necisque potestatem in Hebræos nactus es, & iure gladij à Deo donatus sis, illud tamen animaduertere debes, *ad vindictam malorum, laudem verò bonorum* collatum esse. *Vindex à Deo* institutus es *in omnes, qui operantur malum.* Quare sontes quidem, & noxios plectere æquum est: sceleris puros tollere, nullo iure concessum est.

Iniuriæ suspicionem procul amouet.

Suadet ab vtili.

Accedit aliud argumentum ab vtili. *Et opera eius bona sunt tibi valdè.*] Parum est quod ab eo violatus non sis, etiam plurima beneficia contulit. Quis verò nisi demens fontem obstruat, è quo sitim restinguit? Quis volens proprias merces in mare demergit? Quis suas messes incendio corrumpit? Quod si itaque nulla iuris æquitate moueris, moueri tamen debes vtilitate, præsertim tua. Nam eius operâ imperii tui dignitas defensa est, & hostium compressa ferocitas. Huiusmodi autem virtus alenda & condecoranda, non extinguenda est. Iam verò, quod auget magnopere beneficij magnitudinem, *Et posuit*, inquit, *animam suam in manu sua.*] Capitis ipse discrimen adijt, quo te tuósque periculo atque infamia liberaret. Quî itaque fieri possit, vt eius erga te prolixam beneuolentiam ac fidem in dubium reuoces? An certior vlla ratio quæritur, qua is studium in te suum probet, quàm si se depellendæ à te ignominiæ gratia morti obijciat? Id tametsi irrito conatu tentasset efficere, attamen vel sola voluntas digna esset, quæ per te laudibus ornaretur; nunc verò cessit feliciter, & auctore Deo salutem magnam peperit. *Et fecit Dominus salutem magnam in Israel.*] Nunc vrget vehementius respectu numinis: ac si diceret, noui, pater, quo cultu ac reuerentia numen prosequare: huic tu iniuriam fieri nolles: hominis verò gratiam facilè contemnis. Hoc igitur, te oro, paulò attentiùs considera, cum homine, an cum Deo pugnare videaris. Scio enim, quoniam Dauidis victoriam ne tu quidem humanis viribus ascripseris. Quod si Dei opus esse censueris, desine post hac, pater, cum Deo contendere. *Vidisti.*] Hoc est; Nec ad hæc probanda testibus indigeo: sed qui te iudicem nactus sum, eundem testem imploro. *Et lætatus es.*] Emphasin habet ista loquutio. Tu ipse, pater, factum probasti; & virtutes eius prædicasti; eumque præfecisti militibus: mox etiam generum asciuisti. Quæ ista est repentina mutatio? Per tuos ego te sensus obtestor &c. Tandem breui epilogo apologiam concludit, acriori quadam interrogatione iudicis assensum in rei fauorem eliciens. *Quare ergo peccas in sanguine innoxio, interficiens Dauid qui est absque culpa?* Immanem planè sæuitiam! Nam Tiberius Cæsar (quem nulla clementiæ fama nobilitauit) cùm se Libo Drusus, reus maiestatis, periculo & formidini voluntaria morte eripuisset, iurauit in Senatu, petiturum se vitam, quamuis nocenti, nisi voluntariam mortem properauisset. Autor Tacitus Annal. lib. 2. cap. 4.

Et opera, &c.

Dauidis erga Regem beneuolentiam & fidem exaggerat.

Tentat à Dauidis cæde etiam religione absterrere.

Epilogus.

Tacitus.

Ingrati animi vitium Ionathas patri obijcere veritus est, ne incendio fomitem adiiceret. Siquidem eius sordis tanta turpitudo est, vt qui ea maximè laborant, accusari potius alterius criminis, quàm ingratitudinis argui ferant. Optant, quod malè fecerint, iracundiæ potius, libidini, aut etiam iniustæ suspicioni tribui, quàm vt ingrati videantur. Plures videas, qui se furoris vim cohibere potuisse negent; non pauci amores obscænos prædicant; regni cupiditatem plerique fatentur; inertiam, metum, crapulam nonnulli suam accusant: nemo ingratus patienter audit. Itaque qui officio deesse statuunt, causas offensionum simulant: &, cùm ingrati esse velint, tamen ipsum nomen cane peius & angue auersantur. An quia reuera ingrati

Labem ingratianimi omnes auersantur.

ET OPERA, &c.

ingrati animi vitium maximum peccatum est, diuini humaniq; iuris extinctio, ac publica quædã calamitas? Omnino cõmune est opprobriũ, inquit Demosthenes epist. 3. & vniuersæ ciuitatis calamitas, ô Athenienses, inuidiam plus videri valere apud vos, quàm beneficiorum gratias, cùm præsertim illa sit morbus, hæ verò in deorum numerum relatæ sint. De Persis verò testatur Xenophon lib. 1. Cyropæd. quod si quem non referre gratiam cùm possit perspexerint, in hunc animaduertant seuerissimè: quippe qui arbitrentur eos qui sint ingrati, & Deos maiorem in modum negligere, necnon patriam, parentes, & amicos. Ingratitudinem denique potissimùm impudentiam sequi, quæ ad omnem turpitudinem maxima dux est. Hæc Xenophon. Ingratitudo vtique beneficiorum commercium tollit: quo sublato, hominum genus intereat necesse est.

Demosthenes.

Xenophon

Ingratitudo, publica generis humani calamitas.

Oratio ista apud iudicem fuisset iuridicialis. Nunc quoniam apud patrem agitur, conuertitur in deprecationem. Ita sacræ literæ monent agendum esse cum patribus. Paulus ait, *Seniorem ne increpaueris, sed admoneto vt patrem.* Vera quidem dicit Ionathas, sed modeste, & magna cum reuerentia. Cauendum enim est, ne si quem acerbius admoneamus, ex malo faciamus deteriorem. Ionathas captat tempus, & seorsim agit cum patre. Nam, vt S. Augustinus rectè monet, si quem velis palàm corripere, ille se defendet: si perges, res postremò erũpet in odiũ. Non tamen hæc dico, quin, si qui etiam reges aut Ecclesiæ præsules apertè peccent, & seducant populum, eos non liceat apertè ac publicè reprehendere. Paulus certè in faciem restitit Petro, cùm non recto pede ambularet ad veritatem Euangelij: hoc est, non satis audacter Christianos excusso Iudaicæ legis iugo in libertatem Euangelicam assereret. & alibi docet, *publicè peccantes coram omnibus* arguendos esse.

VERSVS VI.

Quod cùm audisset Saul, placatus voce Ionathæ, iurauit. Viuit Dominus, quia non occidetur.

VERSVS VII.

Vocauit itaque Ionathas Dauid, & indicauit ei omnia verba hæc: & introduxit Ionathas Dauid ad Saul, & fuit ante eũ, sicut fuerat heri & nudiustertius.

Ælianus. Commendatur pueri benignitas.

GAletes puer, egregia forma præditus, quẽ Ptolemæus præcipuo amore deperibat: cùm aliquando cum Rege equitans, sontes ad supplicium rapi procul videret, Sed ô Rex, inquit, quandoquidem prospera sontium istorum fortuna in equis nunc sumus, age, si tibi gratum est, calcaribus admotis & velociùs persequentes, appareamus miseris quasi Dioscuri saluatores, Διόσκουροι σωτῆρες καὶ ἀγαθοὶ παραστάται, & opiferi, salutem ferentes. Hæc ille. Rex verò adolescentis propensum ad misericordiam animum amplexus, cùm nocentes illos seruauit, tum Galetem miris laudibus extulit: Ὦ ἀγαθὴ κεφαλή, dicere solebat, κακοῦ μὲν οὐδενὸς πώποτε οὐδενὶ γέγονας αἴτιος, πολλοῖς δὲ καὶ πολλὰ ἀγαθὰ προυξένησας. O benignum caput! Nulli tu vnquam vllius auctor incommodi fuisti, sed contrà multis multa bona procurasti. Hæc de Galete Ælianus lib 1. Var. histor. cap. 30. Veruntamen illa pueri benignitas vitio caruisse non potuit, quæ reis veniam nulla æquitatis habita ratione impetrauit. Ionathas verò, quibus non tandem laudibus dignus habendus est, qui innocentis patrocinium apud iratum patrem, contra propriam vtilitatem suscepit?

IVRAVIT &c.

Placatus, inquit, *voce Ionathæ*. Saul flectitur, & si fortassis non gratia Ionathæ, tamen vi & põdere argumentorum. Spiritus enim Dei præmolliuerat eius animum, sine quo efficacissimæ rationes nihil efficere potuissent. Ex hac oratione Ionathas duplicem fructum retulit. Primùm enim functus est officio boni viri erga amicum: deinde patrem in scelus ruentem ab eo deterruit. Magna quidem facta est in Saule mutatio, sed tantum πρόσκαιρος: postea enim redit ad ingenium. Interim tamen vehementer commouetur: & interponit iusiurandum, quò magis Ionathas fidem habeat: quod facere homines sæpe solent, cùm aliquid volunt vehementer affirmare. Sed quantum fidei iusiurando impiorum tribuendum sit, posteriores Saulis insidiæ demonstrabunt. Quare non imperitè Menãder,

Anceps & dubia malorum fides.

Virorum, inquit, *prauorum iusiurandum in aqua scribe.*

Veruntamen, donec perfidiam experimento comprobaris, Numinis ipsius nomini quo perfidus abutitur, honos aliquis hãbẽdus est. Alioquin enim, vt docet Antiphanes Comicus,

Cùm quis iurantem contemnit,
Quem antea peierantem non intellexit,
Is deorum contemptor esse mihi videtur;
Atque prius cùm iurauerit, ipse peierasse.

Iurauit itaque, *Viuit Dominus.* Meursius in Glossar. in voce κανσόθυνον, obseruat olim Principes literas, & codicillos mandatorum suorum, iuramento crucibúsue tribus in fronte positis confirmasse. Per has enim inquit, tacitè iurabant, rata se ea velle quæ scriberent Phranzes eius consuetudinis nonnulla exempla suppeditat, idq; in primis Chronic. lib. 3. cap. 4. Imperator, inquit, manu sua eo vidente tres cruces cinnabari in fronte bullæ ad confirmationẽ pro consuetudine exprimit, bullámque auream Legato in manu tradit. Aliud item habes lib. 2. cap. 10. Ego, ait, cum literis bulla argentea insignitis, & iureiurando firmatis, & multo milite missus sum, vt Athenas & Thebas in potestatem reciperem. Henricus Quartus Rex noster inuictissimus, cùm non ita pridem singulari certamine Francis interdiceret, edicti sanctitatem sacramenti religione firmauit.

Edicta Principum & mandata olim cruce & iuramẽto firmata. Phranzes.

Quia non occidetur.] Dicere solebat Alcibiades se Dioscurorum vitam viuere: etenim ferè alternis diebus se mori, & reuiuiscere. Nam dum populi gratiam obtineret, dijs parem videri; quum illam amisisset, nullo penè à mortuis abesse discrimine. Autor Ælianus lib. 13. Var. Histor. cap. 38.

Et introduxit Ionathas Dauid ad Saul.] Pausanias & Agathõ mutuo inter se amore flagrabãt,

Et introduxit, &c.

vterque verò ad Archelaum regem se contulit. apud quem cùm crebris ipsi iurgijs conflictarentur, causam Archelaus interrogat. Respondit Agathon, Si quam ego, Rex, morum peritiam consequutus sum, cùm ex alijs, tum ex arte poëtica, iucundissimum amantibus esse reperio, si ex contentione & litibus frequentiùs in gratiam redeant. Et sanè mihi videtur nihil illis delectabilius accidere posse. Huius ergo voluptatis persæpe eum participem facio; frequēter cum eo contendens. Gaudium enim capit, si contentionem cum eo subinde dissoluam & reconciliem. Si verò æqualiter & consueto more cum eo semper agerem, priuaretur tam grata vicissitudine. Laudauit hanc, vt ferunt, poëtæ sententiam Archelaus. & Terentius quoque ait, Amantium iræ amoris redintegratio est. Nequaquam tamen hæc Saulis inconstantia Dauidi magnam voluptatem attulit, cùm semper in peius rueret, & statim recrudescente odio seipso deterior euaderet.

Ælianus Var. histor. lib. 2. cap. 21.

Amantium irę, amoris redintegratio est.

Exemplum perfectæ reconciliationis.

Et fuit ante eum, sicut fuerat heri & nudiustertius.] Exemplum hoc imitari nos decet, si quando post offensionem cum ijs, à quibus iniuria affecti sumus, in gratiam redeamus. Debent enim præteritorum obliterata memoria, tanquam iure postliminij, mutua officia in integrum restitui. Hac lege Deo nobiscum conuenit, vt condonata veteri culpa, & instaurata amicitia, cum eo societatem denuò coëamus. Testis adolescens ille dyscolus, qui dilapidato cum scortis & nepotibus patrimonio, patris iram meruerat, mox tamen rediens annulum, stolam primam, & reliqua pristinæ felicitatis ornamenta recepit. Nos verò, si tantùm nocendi studium remiserimus, arbitramur præcepto cumulatè satisfecisse. Interea tamen ne vestigium quidem vllum antiquæ necessitudinis apparet: non gratiæ reconciliatio fit: non familiaritas instauratur: non denique acceptæ offensionis cicatrix obducitur. Sed nec ista quidem, quæ negare non possumus, infirmitati animi potius quàm prudentiæ adscribimus. Veremur enim veteris iniuriæ refricare memoriam, si fortè, qui nos læserunt, nobiscum familiariter versentur. Ingenium etiam & mores quorundam ferre non possumus. Ad hæc plerisque nolumus nostri præbere copiam, quo iurgiorum semina penitus amputemus. Non rarò denique metuimus, ne fortè sub imagine renouatæ amicitiæ captent insidijs locum. Haud aliter enim quàm temerè quisquam se illi permiserit, cuius antè perfidia damnum accepit. Hæc ferè sunt argumenta, quæ proferre solemus, ne sine ratione insanire videamur. Quomodo enim fieri potest, vt cum quibus olim gratissima consuetudine, coniuncti sumus, horum nobis ingenium morésque displiceant? Vnde hæc, obsecro, animorum antipathia, si nullus in te post innouata fœdera iniuriæ sensus residet? Nam si ea studiorum repugnantia à natura insita esset, prius etiam ab ijs abhorruisses. Quod autem times, ne si reus quondam tuus in oculos incurrat, illa, quæ consanuisse videbantur, recrudescant, humanæ quidem pusillanimitatis vitium est, sed non perpetuæ, si tamen verè & ex ani-

A mo culpam condonaueris: siquidem sensim is sensus euanescit, & succedit Dei munere perpetua & constans amicitia. Ad reliqua respondeo, à scandalo paruulorum sedulò cauendum esse, & sic prudentiæ studendum, vt tamen odio latenti atque intra viscera condito non indulgeamus.

Et introduxit, &c.

Versus VIII.

Motum est autem rursum bellum: & egressus Dauid, pugnauit aduersum Philisthijm: percussitque eos plaga magna, & fugerunt à facie eius.

B Reconciliatus Dauid Sauli, cùm ad eum redisset, versabatur in priori functione. Mox verò rursus Palæstini res nouas moliri nunciantur, & in fines Iudææ infestis signis incurrisse. Gaudebat Tyberius, vt quidam obseruant, procul noua bella seri, quo longiùs à se Germanicum allegaret, periculisque obijceret. Haud aliter Saul generi incolumitati inuidebat, & gestiebat animo eundem ad discrimina vocari. Vexabat hostis prouinciam, agros & vineta populatione incendijsque vastabat, in ipsos etiam ciues sæuiebat: & tamen optabat vel sic publica clade genero creari perniciem. Verùm ille diuino beneficio reportat victoriam. Inde socer impendiò nunc magis vritur inuidia. Diceret alius, Quid ego toties me conijcio C in pericula? Rex enim potius victorijs meis irritatur quàm vllam ab eo gratiam ineam? Meo iumento mihi accersò malum. Non ita Dauid. Imò hoc secum potius cogitauit, omnino defendendum esse populum Dei. Rex irascetur, & peius oderit: at Deus ipse qui foris victorias concedit, domi quoque præsidio erit. Quare nulla ratione debemus stationem deserere, aut ab officio reuocari.

Versus IX.

Et factus est spiritus Domini malus in Saul, sedebat autem in domo sua, & tenebat lanceam: porrò Dauid psallebat manu sua.

D

Versus X.

Nisúsque est Saul configere Dauid lancea in pariete, & declinauit Dauid à facie Saul: lancea autem casso vulnere perlata est in parietem, & Dauid fugit, & saluatus est nocte illa.

Sapientis filij consilio delinitus, iram remisisse videbatur, nunc denuò incensus furit. Quare non immeritò dicere potuit, quod illa apud Senecam:

Seneca in Hippolyto act. 1.

Quæ memoras scio
Vera esse, fili: sed furor cogit sequi

Peiora;

SEDEBAT AVTEM, &c.

Peiora: vadit animus in præceps sciens,
Remediique, frustrà sana consilia appetens.
Sic cùm grauatam nauita aduersa ratem
Propellit vnda, cedit in vanum labor,
Et victa prono puppis aufertur vado.
Quod ratio poscit, vincit & regnat furor.

Liuor recrudescit.

Redit ad ingenium Saul, & inuidiam planè aperit, cuius vulnus recrudescit ex recenti victoria. Nunc illum acriùs viri gloria torquet & inuicta felicitas, quanquam quod prosperè gessit, in illius cedat emolumentum, & ad regni eius defensionem pertineat. Philisthijm insultant; periclitatur imperium; bella ingruunt; pacis tranquillitas labefactatur; nec idem ipse, qui sæuit, alienus est à discrimine; Dauid cæde & ferro bacchantibus occurrit; ruit in medias acies, & hostium phalangi quasi pro muro se obijcit, frangit impetum, & conserta manu agmina in fugam vertit: & ecce qui gratias referre debuerat, publicæ salutis propugnatori insidias struit, ac necem machinatur. Ergo ferum & immitem illum animum beneficia lacessunt potius quàm mitigent: & ingrauescente odio, meritorum accessio mucronem inuidiæ exacuit magis quàm retundat.

Liuor Spiritus Domini malus.

Et factus est spiritus Domini malus in Saul.] Quis ille nequam spiritus? Nimirum inuidiæ stimulus, liuoris œstrum, & Zelotypus quidam furor atque insania, quæ sic sceleratorum hominum mentes concutiunt, vt non immeritò ab aliquo dæmone agitari videantur. Labori diurno quies nocturna succedit. somniculosæ pendent in ramis volucres; conduntur stellæ; sol quoque lucem ad occasum vocat, & diem vrgere desinit: solis inuidis nullum tempus vacat. non intempesta nox, non tenebræ requiem præstant vllam, quin etiam maiores turbas ciere videntur, & vehementiores tumultus concitare: siue id adeò fiat, quia omnis procella obducta caligine grauior incumbit: siue quia, vt hostes solent, sic fera hæc per tenebras quærit insidiis locum. Quis itaque nequissimum eum spiritum non iudicet, cuius talem tantámque improbitatem esse didicerit? Verùm illud contrà occurrit: Si nequissimus, quomodo Domini? Paucis accipe. Sicut olim apud antiquos, Iudices maiorum criminum reos & perduelles feris obijciebant, ita & his nonnunquam pessimis animi perturbationibus superbos ac rebelles Deus permittit discruciandos. Quæ Domini esse dicuntur, non quia liuoris & inuidiæ idem illis autor sit: sed quia hæ pestes, & diræ vltrices, numinis contemptum vlciscuntur. Quod si quando contumacibus ad aliorum terrorem immittere morbos animi prædicatur, obiectiuè, vt loquuntur Philosophi, accipiendum est. Sic enim hanc Scripturæ phrasim exponit antea vir Dei cap. 2. vers. 32. *Et videbis æmulum tuum* (cui tu inuideas) *in templo in omnibus prosperis Israel, vt deficiant oculi tui, & anima tua tabescat.*

Quo pacto Domini?

Nec verò otiosè, vt arbitror, Scriptura hominis habitum designat, quo tempore illum spiritus malus arripuit. *Sedebat*, inquit, *in domo sua, & tenebat lanceam: porrò Dauid psallebat manu. Sedebat in domo sua.*] Prius *mundatam* legimus, cùm persuasus oratione Ionathæ resipuit. Haud dubium quin fuerit *ornata* quoque gratiæ reconciliatione, cùm eundem ex animo complexus est. At postea rediens perfuga ille spiritus, *vacantem*, vt est in Euangelio, inuenit. *Sedebat.* non est habitus ille pugnantium, non eorum qui bonis operibus inuigilent: sed otium præse fert & negligentiam. At *leo* nihilominus *circuit quærens quem deuoret.* Inuidia laborantibus, otio nihil peius esse potest, nihil melius labore ac defatigatione. Tametsi enim labor ægritudinis molestiam qualitatis contrarietate non superet, pellit tamen alijs rebus locum occupans: sensim verò illa abit in desuetudinem & obliuione deletur. Quod si desidiæ vaces, nihilo plus agis, quàm si irruentibus hostibus fugæ nolis præsidio vti: illic furi, hîc morbo præda futurus. Neque verò, tametsi quæram diligentissimè, remedium aliud inuenio quo huic morbo mederi possis. Nam si quid boni eò adhibeas, bilem moues, & inuidiæ flammam excitas, non extinguis. Agnosce, ait, in eo homine, cui inuides, quātum boni insit, & ab eo furore quiesce. Nihil proficis, magis etiam torques. At meretur dices: Est enim singulari innocentia & humanitate præditus, quæ omnium illi amorem fauoremque conciliant. Eo magis angitur & excruciatur. Tentabo, si fortè vel incommodis illi monstro satisfieri queat. Cernisne, inquam, vt pristinum felicitatis florem pruina decoxit? Vndique nunc miser impetitur. inde paupertas irruit, inde immitis calumnia tanquam ariete pulsat, nec habet perfugij locum, aut quo portu securè quiescat. Cedò iam, cui tu inuidiam compares? Nam si igni, oleum & fomitem infudisti: si fortè plantæ aut stirpi, rorem aspersisti, vt tanquam Iouis, quod aiunt, imbre rigata, amplioribus incrementis adolescat. Cùm igitur neque boni quicquam, neque mali consideratio huic veneno succurrere possit, vnum est, mea quidem sententia, inuido antidotum, labor improbus est assidua exercitatio.

Otium inuido nocet, labor & exercitatio prosunt.

Et tenebat lanceam.] Non solùm desidia torpebat, sed etiam, cùm mergeretur otio, lanceam manu tenebat, quæ dementia sceleris atrocitatem plurimum exagerat. Nam qui se furore aliquando corripi senserit, mentemque eripi, is profectò si à peccato immunem se præstare voluerit, ab ijs omnibus abstinere debet, à quibus in perpetrando maleficio dū furit, iuuari queat. Et si namque furori atque insaniæ, quæ citra voluntatem fiunt, condonari meritò debeant, negligentiæ tamen circa amotionem earum rerum, quæ furori ad flagitium arma ministrent, indulgendum non est: sed eo seueriùs animaduertendum, quanto se maiori periculo obiecerint. Nam qui illi passioni subiacet, & solet crebrò mente moueri, dum adhuc sui compos est, si fortè facem arripiat & apothecam frumenti ingrediatur, ac deinde gliscente rabie conditis frugibus ignem immittat, quis furoris posthæc rationem habendam putet? Quis non iudicet sponte incendere voluisse? Similiter & qui telum manu gestat illi perturbationi obnoxius, si vim morbi non ferens cædem faciat, tam verè homicida est, quàm ille prior incendiarius.

Furiosi, si cædis innocentes haberi velint, dum adhuc ratio viget, occasiones fugere debent.

SEDEBAT AVTEM, &c.

Vterque enim, etsi factum postea noluit, vterq; tamen cùm adhuc iudicio valeret & arbitrio vteretur, in discrimen consensit.

Hasta sceptri loco fuisse videtur.

Et tenebat lanceā.] Sceptri quidē illius nusquā Scriptura meminit, hastæ sæpissimè. Suprà cap. 18. & hic iterum, cùm procul à castris in domo sederet. mox etiam 20. cap. vers. 33. cùm ad mensam accumberet. rursum cap. 22. ver. 6. in nemore suos alloquens. Postremò cap. 26. ver. 6. ad caput iacentis fixa describitur. Videri possit pro sceptro habuisse. Sceptra verò gestasse vulgò Babylonios omnes Herodotus autor est lib. 1. Frācos Monachus S. Galli apud Pithœum in Glossar. ad Capit. Car. Magni. Suidas in Ἀπὸ ξύλων, de Cleomene refert, quod cùm esset dux Atheniensium, præter alia mala, quæ faciebat, insaniam etiam simulabat, quia sciebat ciuibus se esse odiosum. Quamobrem etiam βακτηρίαν ἔχων baculum gestans obambulabat, quo propulsabat eos qui ipsum inuadebant.]

Herodotus

Suidas.

Porrò Dauid psallebat manu sua.] Non vt miseri infelicitati illuderet, sed vt citharæ suaui concentu ac modulatione motos animi fluctus componeret. Quod & antea sæpius fecit, nec deerat labori fructus. Nam auerruncato, quod aiunt, dæmone, idem leuius habebat. Sed inuidia plus alieno malo gaudet, quàm proprio bono delectetur. Itaque non nouit sibi parcere, dum alteri noceat. Saul Dauidem perijsse cupit tantopere, vt ne quidem illud cogitet, se illius ope potissimùm teterrimæ pestis molestia liberari, curarique posse. Caret iudicio qui inuidet: & tanquam letali pharmaco de rationis sede deiectus, quid vtile, quid reprobum, quid profuturum nociturúmue sit, haud dijudicat. *Psallebat.*] Ergo hinc colliges, quod quidam ait:

Improbitas nullo flectitur obsequio.

Dauid Saulem domi militiæque, hîc quidem ab hostibus, illic à dæmone tuebatur. Quid his optare potuit amplius? En tamen, vt propugnatorem suum, & autorem salutis confodere nititur. An aliquid in eo offendit, quod offenderet? Minimè. quinetiam quicquid ad amicitiam cōciliandam facit, id omne in eo cumulatè reperit. Nam aut delectat nos bellica virtus, spolia item & trophæa victoriæ, pulsus denique procul à finibus hostium exercitus. Nam præter non minimam voluptatem qua nos afficit hostium calamitas, etiam hæc securitatem præstant. Vnde & charissimos illos habemus, & omni fauore atque honore dignos, qui in eo genere cæteris antestant. Atqui horum Dauid semper primas partes tulit. Aut certè nos pacis otia iuuant. His porrò etiam Dauid erat instructissimus. Nam neque viro eloquentia deerat, neque morum suauitas, non oris decor, non formæ dignitas, non impiger animus, & ad obeunda negotia felix quædam solertia, comitas autem tanta quæ omnium beneuolentiam demereretur: Amphionem præterea, Orphea & Apollinem, & si qui sunt alij qui fidibus excelluerint, citharam pulsandi peritia vincebat, qua non saxa, feras, &c, quod poëtæ fingunt, robora mouebat, sed quod horum mentiendi libidinem superat, infestos etiam dæmonas abigebat. Quo nomine præsertim cùm Sauli cha-

Præstantissima quæque ad amorem cōciliandum Dauidi inerant.

A rissimus esse debuisset, in eius contra odium incurrit: totque naturæ ornamenta, tot virtutum præsidia, & diuinæ gratiæ clarissima lumina, quæ Regis animum illius amore incendere debuerant, inuidiæ potius facibus inflammarunt. Nihil sic vrit suspiciosos principes, vt ducum ciuile ingenium, & popularis gratia cum pari armorum felicitate coniuncta: apud quos non minus periculum ex magna fama quàm ex mala. Sed hunc præterea conscientia sceleris, prophetæ comminatio, abrogati magistratus suspicio, suffecti metus, quem sibi in Dauide non obscuris indicijs deprehendere videbatur, eò agebant præcipitem. Accedebat ad hęc ægritudo animi, tot curis contracta, & mistum atra bile inuidiæ virus, & adolescentis ætas, fortis dextera, inuictus animus, fauor, gratia, perpetuò ob oculos versa- B bantur: quæ putabat, nec immeritò, si humani ingenij indolem consideres, non minima temeritate atque ambitione flagrare. Tot igitur confectus curis, tot exanimatus suspicionibus, tot denique furijs exagitatus, statuit successoris formidine se liberare potius, quàm sospitatis suæ autorem diutius conseruare. Ferunt olim inuido cuidam optandi potestatem factam, ea lege, vt quicquid ipsi placuisset, duplicatum æmulo conferretur. Petijt ille, quod nemo nisi vi passurum suspicaretur, alterum sibi oculum extundi, quo riualem suum vtroque orbaret. Ea est inuidorum hominum insania, is furor, vt suis æmulis vel proprio periculo nocere studeant.

PORRÒ DAVID, &c.

Quæ Sauli fouerent inuidiam.

Nisúsque est Saul configere Dauid lancea.] Op- C portunus iniuriæ locus, instauratio veteris amicitiæ, præsertim verò apud eos qui Dei timore non reguntur: non solùm quia non rarò reconciliatam gratiam simulant: sunt enim qui se verbis duntaxat ad pristinam concordiam innouant, ne fortè, vt ait Tragicus,

Professa perdant odia vindictæ locum:

Sed etiam quia mens, ex quo liuore atque odio ebria præceps ad vindictam ruit, haud facilè sistit, licet ad tempus impetum cohibeat; quinimo, vti oppressus cinere igniculus si ad paleam applices, leui momento fomenta corripit, & vicina latè incendio populatur: ira & simultates, quas olim sponte, vel lacessiti iniuria, suscepimus, tametsi nonnunquam D deposuisse videamur, leuissima sæpe occasio redintegrat.

Et declinauit Dauid à facie Saul.] Frustrà tentes illum opprimere, quem Deus suo velut clypeo tegit. Quid enim ignoret, cui perspecta sunt omnia? Tutissima hæc mea quidem sententia custodia est, si Deum pro foribus excubantem habeas: neque enim aut somno vincitur aliquando, aut caligine obuoluitur, vt hostium consilia penetrare nequeat. Argus ille, serpens, leo, qui conniuere oculis nusquam creditur, Gallus ecclesiarum apicem vigilantię prærogatiua obtinens, horum vtique nihil est cum diuina tutela comparandum. Quare tametsi nonnunquam suos in summum discrimen Deus venire sinat, sic vt iam nullus ad

Optima Numinis custodia.

Et declinavit, &c. ad euadendum aditus pateat, haud tamen illos, nisi fortè eorundem gloriæ & vtilitati cedat, permittit obrui: sed admiranda ratione, ac præter omnium expectationem hostium faucibus eripit. Quod cùm sanè pluribus locis Scriptura prædicat, tum hoc loco luculento testimonio confirmat. Quis enim crederet, si quis fortè regem quempiam inimicum infensum haberet, coram quo lyram manu tenens fidibus inermis caneret, atque pulsandi studio ab omni alia cura auocaretur, Rex verò telo armatus tempus & locum obseruaret, quo eum feriret, is porrò etiam obiecto pariete inclusus esset, iaculum mortemque vitare posse? Atqui hæc omnia cùm certam Dauidi necem intentarent, Dei tamen præsidio illæsus & incolumis ex hoc labyrintho emersit.

Noctis etymon. *Et Saluatus est nocte illa.*] Helladius apud Photium eiusdem Biblioth. autor 279. νὺξ siue nox, inquit, à νύσσω est, quod est stimulo, factum per apocopen. Stimulamur enim in tenebris offendentes, & non videntes: vnde vulnera & læsura. Hæc ille. Verùm, vt Dauid ipse canit, *Qui habitat in adiutorio altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur. Non timebit à timore nocturno: à sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris.* (Psal. 90.) Vel, vt Pagninus vertit, *à morte quæ in caligine ambulabit.* Et iterum psal. 138. *Et dixi forsitan tenebræ conculcabunt me: & nox illuminatio mea in delicijs meis:* vel, vt pressiùs ex Hebræo Arias apud Pagninum, *Et nox lux circa me. Quia tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur: sicut tenebræ eius, ita & lumen eius.*

Versus XI.

Misit ergo Saul Satellites suos in domum Dauid, vt custodirent eum, & interficeretur manè. Quod cùm annunciasset Dauid Michol vxor sua, dicens: Nisi saluaueris te nocte hac, cras morieris:

Versus XII.

Deposuit eum per fenestram. porrò ille abijt & aufugit, atque saluatus est.

DAuidis fugâ Regis ira maiorem in modum accenditur. & cùm eundem se domum recepisse non dubitaret, armato milite iubet obsideri, ac manè interfici. Cur non continuò eadem nocte? An fortè nocturnam seditionem veritus est? An ne iterum elaberetur noctis beneficio? An potius timuit ne plures perirent, dum cæca caligo amicos inimicósque confunderet? Vel postremò ne Dauidis familiares ac necessarij confisi tenebris, seque latere posse arbitrantes opem ferrent? Tropologia. Quod ad mores attinet, diabolicæ fraudis typum vides. Parcit in nocte, & donec tenebræ te possident, indulget, obseruat interim ne fortè elabaris, vt manè demum interimat. Nox, seculum: peccata, satellites: imò & vincula: mane illud vltimum, quod, vt canit Ecclesia, præstolamur cernui, vitæ sequentis exordium est. Saul, diabolus: Dauid, quilibet fidelis: nex, ipsa damnatio, quæ pone mortem sequitur, si fortè hactenus à peccatis obsessus tenearis. Michol periclitantem admonens, ipsa est conscientia. *Nisi, ait, saluaueris te nocte hac, cras morieris:* Sera quippe est post mortem pœnitentia. Sed neque facilè inducias impetraueris ni properes. Maturato opus est, etiamsi per fenestram fuga tibi expedienda sit. Ardua, opinor, & difficilis via designatur. nam facilior per portam egressus: sed faciliora hostes occupant. (Misit Saul, &c.)

Xenophon. *Satellites suos.*] Hieron Tyrannus apud Xenophontem sermonem conferens cum Simonide, An dices, inquit, principi qui parauit ciuium beneuolentiam, nihil iam opus fore Satellitio? At Herclè, respondit Simonides, opus tamen fuerit. (Satellites Regibus necessarij.) Nosti siquidem, quod in equis accidere solet, idem vsuuenire in quibusdam hominibus, vt quo copiosius ipsis suppetunt necessaria, hoc euadant ferociores. Tales igitur magis reddit sobrios metus, quem adferunt satellites. Honestis verò ac bonis, nulla ex re mihi videris tantum vtilitatum præstare, quantum præstas ex satellitio. Ostendit deinceps quomodo satellites non solùm principem custodiant, sed etiam ciues ab iniuria tueantur. Nam perditorum quidem ciuium audaciam retundunt: hostibus verò, vbi opus est, cùm semper in armis sint, maturè occurrunt, & primi eorum impetum excipiunt, quem morantur aut cohibent. Ex quibus concludit, si quidem princeps vt debet satellitio vtatur, & ciues perspexerint neminem satellites opprimere calumnia, quin etiam ijs, qui iniuriam patiantur, sedulò opitulari, & pacem domi forisque fouere, fieri non posse, vt charissimos eos non habeant, & abundè stipendia suppeditent. Verùm vbi vitio principum tyrannidis ministri asciscuntur, & opulentos quosque per calumniam, vel indicta causa ferro demetunt, & in cædibus fortunisque ciuium bacchantur, tum verò eos ciues diris deuouent, atque, vt cum principe malè pereant, execrantur.

Tacitus. *Vt custodirent eum.*] Apud Tacitum Annal. lib. 2. cap. 4. cùm Libo Drusus, reus maiestatis, posterum diem petisset, domúmque digressus esset, Cingebatur, inquit, interim milite domus, strepebántque etiam in vestibulo, vt audiri, vt aspici possent. Itaque cùm fugere periculum non posset, sibi vim attulit.

Dionys. Halic. *Quod cùm annunciasset Dauid Michol vxor sua.*] Licet principis consilium prodere, si innocenti perniciem moliatur: aliàs fides seruanda est, & regni mysteria silentio premenda. *Vxor sua.*] Halicarnassæus vxorem facit κοινωνὸν ἁπάντων χρημάτων τε καὶ ἱερῶν, participem omnium rerum, & etiam sacrorum. & nuptias definit, ἐπὶ πάσῃ συνελθεῖν τύχῃ, conuenire in omnem fortunam. *Nisi saluaueris te nocte hac.*] Hortatur ad fugam, quem defendere ipsa non poterat. Theodebertus, cùm iussus esset à patre Theodorico, Gyualdum, quem de sacro fonte susceperat, & in sua potestate habebat, neci dare, fugam suasit, prohibens, ne ad se postea adiret, donec ipse patre defuncto regnum capesseret.

Misit Savl, &c.

S. Gregor. Turon.

Dionys. Halicar lib. 4. Antiq. Rom.

Non paucæ mulieres regnandi studio incensæ, ne patribus quidem pepercerunt

Krantzius

Auctor Sanctus Gregor. Turon. lib. 5. Histor. Francor. cap. 23. Mirum, quod non suaserit Michol occuparet facinus, & patri præuerteret. Tullia quę Superbo nupserat, cùm ne verbo quidem à patre violata esset, sola regnandi libidine, postquam eundem studuisset interfici, per medium eius cadauer carpentum egit. Tulliæ immane studium & mores, cùm aliæ plures æmulatæ sunt, tum præter cæteras Vluilda quędam Haddingi Danorum Regis filia, quæ cùm Regina dici haberique vellet, patri machinata necem ab eodem oppressa est. Narrat factum Krantzius lib. 1. Daniæ, cap. 9. Altera, Frotonis Regis soror, cùm viro persuadere non posset vt par facinus susciperet, eundem per noctē obtruncare statuit, irrito conatu: quoniam is detectis insidijs, armatus decubuit. Cuius audacia & cupiditas eo detestabilior visa est, quod iam olim paris delicti veniam impetrauerat. Ibidem cap. 11. Muliebris ambitio difficilè cohiberi potest, quæ reuulsis repagulis, disiectisque obicibus præceps in exitium fertur. Michol tamen, cùm viri innocentiam nosset, patrem verò iniustè grassari, nihil tamen quod patrem læderet aut fecit, aut dixit, satis esse rata, si insontis incolumitati prospiceret. Vnumquemque sibi consulere æquum esse duxit: resistere principi etiam iniustè sæuienti, cùm fugere possis, alienum censuit à boni viri officio. *Nisi saluaueris te nocte hac, cras morieris.*] Vrget præsentia periculi, nec patris indignationem timet, aut furentis vecordiam extimescit: optat viro paci magis quàm sibi. Talem describit Horatius lib. 3. ode 11. Hypermnestram vnam Danaidum, qui patris iussa contemnens, Lynceum maritum seruauit incolumem.

Horatius.

Exemplum fortis fœminæ, quę maritum inuito patre seruauit.

Vna de multis face nuptiali
Digna, periurum fuit in parentem
Splendidè mendax, & in omne virgo
Nobilis æuum:
Surge, quæ dixit iuueni marito,
Surge: ne longus tibi somnus, vnde
Non times, detur: socerum, & scelestas
Falle sorores.
Me pater sæuis oneret catenis,
Quod viro clemens misero peperci:
Me vel extremos Numidarum in agros
Classe releget.
I, pedes quo te rapiant, & aura
Dum fauet nox, & Venus: i secundo
Omine, & nostri memorem sepulcro
Scalpe querelam.

Herodot. lib. 4.

Minyiarum vxores, qui Spartæ, maiestatis damnati, carceribus inclusi supplicio seruabantur, cùm ad euadendum viris viam patefacere non possent, ad perituros impetrato aditu, eosdem commutatis vestibus periculo eripuerunt. Plures, cùm seruare nequirent, vnà perire statuerunt. Sic fecisse ferunt Bruti quidem Porciam, Pœti verò Arriam Cecinnam, & tertiam quoque Senecæ Philosophi, quæ sectis venis viro comes funeris esse maluerat quàm Neronis beneficio seruari. Dicerem præterea quo animi robore, seu potius furore atque amentia, non ita pridem, nec ita procul à nostra patria, concubina quædam cædis reo adhæserit, quæ lucem

Nisi salvaveris, &c.

A vitámque perosa, tantisper cum eo turrim defendit quam ille occupauerat, donec lictores aditu prohibere potuerunt: mox vbi irruentium impetum se ferre posse desperarunt, in mutuos amplexus ruentes, seipsos mutuis vulneribus peremerunt. Verùm impudicos amores odi atque execror: nec diabolicæ pertinaciæ exemplis, coniugalis amoris constantiam arbitror posse illustrari. At verò superioribus recentiorem attexam historiam, cuius olim audita narratione, si Bodino credimus, Laurentius Medices è morbo conualuit. Narrat enim Ioannes Nauclerus vol. 2. Conradum Tertium Imperat. cùm Guelphum Bauariæ ducem, in oppido Vvinsperga obsessum armis & fame ad deditionem compulisset, matronis petentibus concessisse vt inuiolatæ abirent, ea duntaxat ex oppi-

Nauclerus.

Nobile ac generosum matronarum factum.

B do asportantes, quæ suis ipsæ humeris baiulare possent. At illæ, maiore dicam fiducia an pietate? contemptis reliquis, maritos & liberos humeris impositos, & de sinu pendentes asportarunt. Qua pietate & fide coniugum, & si vafrè Imperatoris concessio eludi videbatur, tamen tantopere delectatus est Conradus, vt vitam & pœnam Guelpho hosti acerrimo condonarit, & inita cum eo amicitia fœdus percusserit.

Deposuit eum per fenestram.] Idem de se testatur Apostolus 2. ad Corinth. cap. 11. *Damasci,* inquit, *præpositus Gentis Aretæ regis, custodiebat ciuitatem Damascenorum, vt me comprehenderet: & per fenestram in sporta demissus sum per murum, & sic effugi manus eius.* Memini & illud me legisse apud Suidam in ἡ φαιν θύρα. Demon ait, inquit Suidas, Phanum fuisse fœneratorem: aliàs tamen

Suidas.

Phaniana.

C cæcum. Ianuam porro cellæ eius penuariæ sine strepitu aperiri non potuisse. Quosdam verò dicere eo pacto vxoris adulterium explorare voluisse. Quæ cùm per tectum adulterum admitteret, vicinos ridendo dicere solitos, *Phaniana.* Hinc prouerbialis sermo manauit ad eos, qui custodiendo nihil proficiunt.

Porrò ille abijt, aufugit, atque saluatus est.] Climax siue gradatio quædam videtur: *Abijt, aufugit, saluatus est.* Abeuntibus instat diabolus, quare maturare fugam necesse est, si salutem studeas adipisci. Multa quidem vbique vincti, præsertim verò qui se pœnas daturos intelligerent, commenti sunt, quibus euaderent: sed nullus hactenus, quem legerim, hoc pari animo facere aggressus est, vt Hegesistratus, cuius

D meminit Herodotus lib. 9. qui à Lacedæmonijs coniectus in vincula, dimidium sibi pedem præcidit, quo se ferreis soleis exolueret, & per suffosum carceris parietem, altero pede medio relicto, liber aufugit.

Herodotus

Versvs XIII.

Tulit autem Michol statuam, & posuit eam super lectum, & pellem pilosam caprarum posuit ad caput eius, & operuit eam vestimentis.

Statuam. Pagninus, *simulacrum.* Arias apud eúdem, *imagines.* Hebr. הַתְּרָפִים *Hateraphim.*

Variæ translat.

Est

Est autem תרף *theraph*, idolum, simulacrum, imago effecta ad similitudinem corporis humani, ad rerum futurarum inuestigationem. Quare Targum ית צלמניא *iathasilemanaia*, *simulacra* interpretatus est. vel, vt alij volunt, *imagines*. Septuaginta, τὰ κενοτάφια. quæ Complutenses vertunt *simulacra vana*. Romana editio Latina septuaginta Interpretum, *cenotaphia* retinet. Aquila apud Theodoretum quæstione quadragesima octaua, μορφώματα, *formas & effigies* interpretatus est. In Scholio inserto quæstionibus Theodoreti, vt etiam Flaminius notauit, scriptum est, *cenotaphia* significare vestes imitantes hominem decumbentem. Quidam habet *imaginem quandam*. Vatablus Salmanticus, *imagines*. Et in Schol. id est, vnam ex imaginibus, hoc est, *imaginem vnam*. Vox Hebræa hîc pro quauis effigie referente speciem hominis accipitur, siue sit lignea, siue argentea, siue lapidea. Alibi in malam partem accipitur. Hæc Vatablus. *Super lectum*.] Arias, *ad protensionem*.

Et pellem pilosam caprarum, &c.] Vatablus Salmanticus, *Et vitam ex pellibus caprinis ad capita ipsarum, operuitque veste*. Et in Schol. *Paruum puluinar caprinum posuit ceruical eius*, id est, puluinar ex pilis caprinis factum, vel ex pelle adhuc villosa, supposuit vice ceruicalis ipsi imagini, siue statuæ. Chaldæus Paraphrastes vertit pro puluinari, *vtrem*: quòd puluinar referat vtrem. Hoc faciebat, vt interim Dauid consuleret saluti suæ in loco tuto. *Operuitque veste*. Ne scilicet quum ingressi essent milites, deprehenderent esse statuam. Ita Vatablus. Apud Complutenses Paraphrasis Chaldaïca Latinè sic habet: *Et pellem caprarum posuit ceruical illius, & operuit in veste*. Sed alij: *Et vtrem caprinum posuit ad caput eius* legunt cum Vatablo, vt Schindlerus in Pentaglot. qui etiam hoc addit, puluinar fuisse caprarum, siue ex caprarum pilis contextum, vt viderentur esse capilli. Pagninus vertit, *Et puluinar è pilis caprarum posuit sub capite eius*. Arias tamen ibidem *pellem caprarum* restituit. Alius, *Et puluinar caprinum in po uit ceruicali eius (imaginis:) quam texit veste stragula*. In notis, Vt capillamenti humani specie deciperentur à Saule missi. Græci non admodum consentiunt. Aquila apud sanctum Theodoretum interpretatur ἱματίων πλῆθος, καὶ στρογγύλωμα τριχῶν. *vestium multitudinem, & stragulum capillorum*. Romana editio Septuaginta cum Aldina, *Et iecur caprarum posuit ad caput eius*, καὶ ἧπαρ τῶν αἰγῶν ἔθηκε πρὸς D κεφαλῆς αὐτοῦ. Complutenses, καὶ στρογγύλωμα τριχῶν αἰγῶν ἔθηκε πρὸς κεφαλῆς αὐτοῦ, *& stragulum pilorum caprarum posuit ad caput eius*. καὶ ἐκάλυψεν αὐτὰ ἱματίῳ, *& operuit ea vestimento*. Quidam versum integrum ita vertit: *Et tollens Michol imagines, posuit super lectum, & ceruical caprinum posuit loco capitis eius, operuitque veste*. Et in Annot. *Imagines*.] Non capitur hic תרפים *theraphim*, pro *idolis*, sicut Genesis quadragesimo secundo, sed pro *imaginibus*, secundum formam humani corporis factis. Porrò per כביר *kebir*, intelligitur capillitium quoddam ex pilis caprinis, in modum capitis criniti factum. Ionathan tamen vertit *vtrem*, ex pelle scilicet caprina & pilosa factum.

Kebir exponitur.

A *Tulit Michol statuam*.] Vt hoc fuco falleret satellites: nihil horum prædixerat Dauid. Verisimile enim est, ipsam ista, cùm Dauid iam elapsus esset, de suo ipsius consilio adornasse.

TVLIT MICHOL STATVAM &c.

Ingeniosa sunt, ait Menander, *dolis excogitandis fœmina*.

Statuam Hebraïcè *theraphim* legimus. Quidam putant illa theraphim fuisse *idola*, qualia fuerunt quæ Rachel surripuit patri suo. At id non est verisimile, præsertim in ædibus Dauidis. Alij putant fuisse *astrolabium*, quo stellarum altitudines, & declinationes, & spatia deprehenderentur. At ne id quidem est verisimile: astrolabia enim non fiunt humana figura. Alij putant fuisse *imaginem magicam*, vnde oracula peterentur. Serarius paucis in hunc locum: Non est, inquit, *astrolabium*, vel quæ cælestes influxus B exciperet *statua*, vt est apud Abenez. non impium *idolum*; vel, vt ait Abulensis quæstione decima quarta, *lignum informe*, rotundum, sed *hominis statua*, vti fatentur hîc Caluinistarum Biblia Gallica, & Vatablus. Imò apud Theodoretum quæst. 48. & Procopium, docent quidam fuisse Dauidis ipsius statuam. Hactenus Serarius. Qui Caluinistas idcirco theraphim imagines interpretari non animaduertit, vt idola pariter cum imaginibus confundant. Theodoreti Græca exemplaria quæstiones in lib. Reg. non habent: sed, quod hoc loco citat, restitui potest ex Procopio, qui eundem legerat, vt apparet ex eius perpetua imitatione. Τινὲς δὲ μορφώματα τὴν εἰκόνα φασὶ τοῦ Δαβίδ, ἣν τοῖς ἱματίοις ἐκάλυψε, πλὴν ὀλίγων τοῦ προσώπου μορίων. Hæc sunt quæ apud Theodoretum quæst. 48. interprete Gentiano C ita legimus: Nonnulli autem intellexerunt effigies, *imaginem Dauidis*, & eam dixerunt fuisse coopertam vestibus, præter aliquas partes vultus. Vel, vt fortè commodiùs vertere possumus. Quidam verò dicunt fuisse figurationem, seu delineationem similitudinis Dauid, quam operuerat pallijs, præter aliquam faciei particulam. Hæc ex aliorum sententia Theodoretus, quæ non probat, aut sanè quisquis ille sit, qui sua scholia eiusdem quæstionibus inseruit. Hæc quam ob rem Ioannes Meursius apud Procopium vertere noluerit, sed intacta Græcè reliquerit, me fugit: idolum sanè superioribus attexuit, quod Græcè non habet Procopius. Φυγαδευούσης δὲ τὸν Δαυίδ, τὴν κλίνην εἰς ἀρρωστοῦντος ἐσχημάτισε τύπον, ἱματίων μὲν πλῆθος ἐπιβαλοῦσα, στρογγύλωμα δὲ D τριχῶν ὑποθεῖσα τοῖς ἱματίοις, ὥστε μιμεῖσθαι τὴν κεφαλήν. Meursius, Dimisso verò Dauide, lectum composuit, tanquam ægrotantis, multa imponens vestimenta, conuersionem etiam pilorum ponendo sub vestes, idolum, præter quasdam faciei partes, contexit. Verùm de his statim accuratius.

De statua complures, & diuersæ sententiæ.

Serarius.

Fraus, & dolus Caluinistarum.

S. Theodoretus.

Procopius.

Gentianus.

Vacillat Meursij fides apud Procopiũ.

Statuam.] Philander ad caput octauum libri secundi Vitruuij de Architectura, Annotatum est, inquit, à Pomponio Gaurico lib. de Sculptura, quadruplicem esse statuarum differentiam, *signorum, parilium, magnarum, & maximarum*, statuasque eas, quæ intra humani habitus staturam fierent, vocari *signa*, & sigilla, cubitales scilicet, palmaresue, & si quæ essent harum quotæ partes. Dici autem *pariles*, cùm eius qui

Philander.

Statuarum quadruplex differentia.

Tvlit avtem, &c.

exprimitur staturam vndique præsentabimus, darsque benemeritis ac sapientibus viris. *Magnas* verò esse, cùm infra sesquialteram staturæ continebantur, dicarique Regibus, & Imperatoribus, sicut *maiores*, id est, quæ ad alteram excreuerint, solis Heroibus. *Maximas* autem, hoc est, quando ter humani corporis statura cōtinebitur, itemque rursus ac rursus, quamuis eas sibi Romani, & Barbari Reges vendicauerint, proprias tamen esse deorum, esseque colossos nominatas, vel ab autore ipso, vel ab noxia radiorum effusione, quæ fieri solet eiusmodi moles intuendo, vel à specubus, vastaque intus inanitate, id enim esse κόλον ἔσω. Alij verò ἀπὸ τοῦ κολάζειν, quod est modum in re aliqua excedere, dictos volunt. Sed quid prohibet, ne non omnia communi demus vtilitati, & illud adiungere, statuas quæ dijs fiunt, vocari εἴδωλα, quæ Heroïbus ξόανα, quæ Regibus ἀνδριάντας, quæ sapientibus εἰκόνας, quæ benemeritis viris βρέτεα. Quandoquidem verò hoc loco תְּרָפִים *theraphim* Septuaginta κενοτάφια, Aquila μορφώματα, Vulgatus *statuam*, nonnulli etiam *imagines* transtulerunt, operæpretium facturi videmur, si paulò diligentius ea voce quid intelligendum sit, inquiramus.

Colossus.

Quæ sit vis huius vocis תְּרָפִים *theraphim, & quid ea ex vsu Scripturæ significet.*

QVÆST. XXXV.

Vocis Teraphim etymologia.

Theraphim solo numero plurali dici obseruant Complutenses in suo Glossular. Eius dictionis etymologiam, qui tradat, præter Kirkerum, inueni neminem. Manasse putat à רפה *raphah*, quod est, *dimisit, reliquit*, quod theraphim, quo loco posita sint, ibidem remaneant, nec identidem aliò transferantur; nisi tamen, inquit, nomen peregrinum ac gentilitium esse malis. רָפָה *raphah* porrò Græcis idem quoq; valet, ac σχολαστής εἰμι, *otiosus sum*. desidere enim statuæ videntur, & pigros, atque inertes, *statuas* vocamus. Nec procul hinc abest רָפָא *rapha* longo literarum interuallo, quod *mederi*, curare, liberare significat. Artem medendi plerisque locis Gentium oracula mentita sunt. Guido Boderianus in Dictionar. Syro Chald. complures eiusdem ferè characteris dictiones notat, quæ sua significatione, si vsum Scripturæ spectes, nihil aut parum ab idolis abhorreant. תרף *theraph* enim *exprobrauit*, probris affecit, derisit significat, & תורפא *thourpha*, *turpitudinem*, aliàs etiam in Thisbe speciatim *turpitudinem*, seu verenda mulieris. Secundò etiam תרף idem est ac *putruit*, computruit. Nihil porrò tam obscœnum est, aut miserum, quod idolis Hebræi non tribuerent. Scriptum est in Capitulis Rab. Eliezer cap. 36. Quare vocantur נתרפים *nithraphim*? Quoniam sunt opus probrosum, opus immundum.] Pauci tamen asserunt hanc esse vocis huius originem: quare ex vsu potius quàm ab etymologia, vis ac potestas dictionis inuestiganda erit.

Guido Boderian.

Quid igitur Rabbini de Theraphim sentiunt, aut quæ illa vocant? Non vna & eadem omnium sententia est: ferè tamen apud eos omnes constat, quod docet Rab. Dauid Kimhi in Radicibus. Theraphim *imagines* fuisse (vtar *imaginis* nomine, quod placuisse video plerisque Interpretibus, tametsi mihi non probetur) per quas futura cognoscerent. Aben Ezra humana forma fuisse præditas asserit: sed qua arte fierēt, aut qua ratione eam vim consequerentur, non peræque consentiunt. In Tanhuma in Capitulis Rab. Eliezer cap. 36. traditur, vt refert Guido Boderianus in Dictionar. Syro-Chald. mactato primogenito, caput sale aromatibusque condiri, & excantatam laminam auream, atque inscriptam diabolico nomine, cadaueris linguæ summitti, ipsum autem accensa lucerna diuinisque honoribus cultum, oracula exili voce fundere, quod Scriptura testatur, cùm ait: *Quoniam Theraphim loquuta sunt vanitatem.* Hæc ille. At Rab. Abraham apud Pagninum in Thesauro linguæ sanctæ, probabilius putat fuisse *imagines*, quas Astrologi sub certis constellationibus ea arte atque industria conflant, vt loqui possint. Instar hominum factas Aben Ezra quoque opinatur, vt cælestis influxus capaces essent, & futura edicere. Id genus fuisse volunt Michol *Theraphim*, quæ stragula veste operuerit, quo patris satellites falleret, tantisper dum vir fugam molitur. Quod si verum sit, eandem idololatriæ superstitionisque ream absoluere non poterunt.

Tvlit avtem, &c.

De Teraphim Hebræorum sententia.

Hebræos sequuti plerique Interpretes, *theraphim* exponūt *imagines*, Pagninus, Arias, Schindlerus, Kirkerus, atque in primis Fagius in Paraphr. Onkeli Genes. cap. 31. ver. 19. cùm in textu, tum in Comment. constanter vertit *imagines*, tametsi idola fuisse fateatur. Porrò ea vox pro idolis vsurpata, si nihil addas, quo idola te dicere indices: postquam de sacris imaginibus cum profanis hominibus altercatio est, ni fallor, Catholicas aures plurimùm offendit. Non quia dictionum vlla religione teneat, quod nonnullis olim hæreticis probro datum est: aut sim nescius imaginum nomine idola quoque ab Ethnicis appellata fuisse: sed quod vbi de his rebus contentio cœpit, ne nos allucinari contingat, nominibus proprijs vnaquæque res designanda sit. Iulius Pollux Onomast. lib. 1. cap. 1. sect. 3. cui titulum fecit, τὰ θρησκευόμενα, Quæ coluntur. Αὐτὰ δὲ ἃ θρησκεύομεν, Quæ colimus, inquit, ἀγάλματα simulachra, ξόανα statuæ, ἕδη θεῶν sedes deorum, εἰκάσματα θεῶν similitudines deorum, εἰκόνες imagines, μιμητὰ τυπώματα imitatrices figuræ, εἴδη, ἰδέαι species seu formæ vocantur. βρέτας, & δείκηλον pro ijsdem minus probat. Ex his patet, simulachra Gentium, imagines quoque deorum ab ijs dictas, cùm extare deos eadem forma arbitrarentur. At nos, quibus dęmonum fallacia innotuit, cùm Gentium numina nulla fuisse discamus, idola vocamus, quoniam, vt docet Apostolus, *Idolum nihil est.*

Iulius Pollux.

Eorum quæ à Gentilib. coluntur, complura nomina.

Idolum quid sit, & quantū discrepet ab effigie quæ rei cuiusquam similitudinem referat, docet Suidas in voce εἴδωλον. Καὶ ἡ γραφὴ, inquit, λέγει, Et Scriptura quidem dicit, Οὐ ποιήσεις σεαυτῷ εἴδωλον, *idi*

Suidas.

TVLIT AVTEM, &c.

εἴδωλον οὐδὲ ὁμοίωμα. *Non facies tibi idolum, nec vllam similitudinem*; ὡς διαφορᾶς οὔσης μεταξὺ εἰδώλου, καὶ ὁμοιώματος, quòd inter εἴδωλον, & ὁμοίωμα sit discrimen: quod statim interpretatur. εἴδωλα μὲν γὰρ, τὰ τῶν οὐχ ὑφεστώτων μιμήματα, οἷον τρίτωνες, καὶ σφίγγες, καὶ κένταυροι. *Idola* quippe sunt simulachra, siue rerum non existentium imitationes, vel effigies, vt Tritones, Sphinges, Centauri. Ὁμοιώματα verò τὰ τῶν ὑφεστώτων εἰκάσματα, οἷον θηρίων, ἢ ἀνθρώπων, *Similitudines*, sunt rerum subsistentium imagines, vt ferarum, aut hominum. Hactenus Suidas idoli similitudinisque vim ac naturam explicuit.

Idolum quid sit.

Similitudines, siue imagines.

Iam verò *Theraphim* ad idola pertinuisse, nullo negotio ostendemus. Ea voce ter & decies Scriptura vsa est, quibus omnibus locis, de alijs quàm de idolis exponi non potest, tametsi forsitan hoc vno loco diuersa ratione. Primùm enim Genes. 31. ver. 19. 35. 36. quæ *Theraphim* Scriptura vocat, ter ibidem Septuaginta εἴδωλα, Vulgatus *idola* interpretati sunt. Quod ne temerè factum autumes, eadem prius Laban *deos suos* vocat. Nec verò alio nomine Michas sua quoque *theraphim* indigitat, Iudic. cap. 18. ver. 24. *Deos meos, quos mihi feci, tulistis, &c.* quæ *Theraphim* prius Scriptura ter vocat cap. 17. ver. 5. cap. 18. ver. 14. & 17. His quidem locis Græci Interpretes non sunt interpretati, sed θεραφὶν retinuerunt: Vulgatus tamen, cuius non leuis autoritas, cùm *Theraphim* quoque scripsisset, addidit, hoc est, *idola*. Suprà verò 1. Reg. cap. 15. ver. 23. quod Hebræi *Theraphim*, Septuaginta θεραφὶν, Vulgatus *scelus idololatriæ* transfert: *Et quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere.* Et 4. Reg. cap. 23. ver. 24. quo loco etiam Septuaginta seruarunt θεραφὶν, Vulgatus habet *figuras idolorum.* Apud Ezechielem cap. 21. ver. 21. *Theraphim*, Septuaginta γλυπτὰ, siue sculptilia vertunt, Vulgatus iterum *idola.* Apud Zachar. cap. 10. ver. 2. *Theraphim* à Græcis ἀποφθεγγόμενοι dicuntur, hoc est, loquentes: *Simulacra* magis Vulgato dicere placuit, vtrisque eodem referentibus. Osee cap. 3. ver. 4. Vulgatus intactum transcripsit Theraphim. *Et absque ephod & theraphim.* quem Pagninus quoque cum Montano imitatus est. At Schindlerus, qui cum Nouatoribus sacris imaginibus inuidiam parare studet, reddit, *sine ephod, & sine imaginibus.* Targum verò, *absque annunciantibus.* Septuaginta, οὐδὲ δήλων, *absque manifestantibus:* quæ de alijs quàm de *idolis* accipere non possumus, cùm toto eo versu Propheta vaticinetur, quod reipsa atque exitu Iudæi dudum comprobant, nimirum ijs, quæ ad externum numinis cultum, idolorúmue superstitionem spectant, eosdem longo tempore carituros. Ergone id genus fuisse illa *theraphim* existimabimus, quę Michol in Dauidis locum supposuit? Idcirco iure ac meritò negaturus mihi videor, quod illam nusquam superstitionis Scriptura insimulet. Tametsi enim Dauidem coram arca religiosè saltantem, iniquiùs quàm religiosam fœminam deceat, tulerit, nemo tamen peregrini cultus aut idololatriæ accusat. Neque sanè credibile est Saulem, qui pythones & ariolos internecione deleuerat, domestica idola tolerare potuisse. Quod si faceret, ab his tamen Dauid abhorreret.

Theraphim in Scripturis quid significent.

A Itaque non idola, sed hominis statuam Serarius intelligit, vt suprà retulimus. Verùm, vt hoc quoque negem, pluribus rursum argumentis moueor. Primum est, quod *Theraphim, idola*, non vulgares hominum *statuas*, aut mortalium quaslibet effigies significent. Alterum, quod Septuaginta Interpretes non *statuas*, sed κενοτάφια reddiderint. Tertium, quod Ioseph quoque libro sexto Antiquit. Iud. capite decimo quarto, *statuæ* non meminit. Quartum, quod etiamsi Vulgatus *statuam* verterit, non dixit tamen hominis, vt concludit Serarius: sed statuam simpliciter, quomodo possis etiam *idola* intelligere. Tametsi enim nulla simplex hominis statua idolum sit, omne tamen idolum, aut statua, aut picta effigie continetur. Accedit quintò, quod Theodoretus, seu quilibet Scholiastes, vt Nobilio

Michol theraphim negamus fuisse Dauidis imaginem.

B videtur, eam narrationem Theodoreti quæstionibus inseruit; & si hanc quorundam opinionem commemorat, non tamen fauet, aut suo calculo comprobat. Postremò, pluribus locis docet Iosephus, Iudæos hominum statuas atque imagines, haud secus quàm idola fuisse detestatos. Antiquit. libro decimo octauo, capite quarto, cùm Pilatus, Iudææ præses, à Cæsarea Hierosolyma traducto in Hyberna milite, signa cum effigie Cæsaris in vrbem intulisset, ad legis diuinæ contumeliam, qua cautum est, inquit Iosephus, ne habeamus huiusmodi effigies, populus, ne mortis quidem periculo ab interpellando præside absterreri potuit, donec eas amoueri iuberet. Nec verò segniore studio libro decimo quinto, capite vndecimo, Herodis trophæa, cùm primùm Hierosolymis visa

Iosephus.

Iudæi quãtũ ab imagine abhorruerint.

C sunt, eáque tectas armis imagines interpretarentur, Iudæi oppugnarunt. Quæ tametsi mox, detracto ornatu appositio, nudos esse stipites ostendit, & multitudinis bilem ac stomachum in risum vertit, tumultúmque compescuit, non defuerunt tamen, qui, veriti ne hæc mutatio magnum aliquod Reipublicæ malum portenderet, officij sui esse ducerent, labanti disciplinæ publicæ vel capitis periculo succurrere. Itaque non minus decem ex his in Regis necem coniurarunt, atque in his cæcus, non tam paratus ad agendum aliquid, quàm ad patiendum, si quid triste patrij moris vindicibus accideret. Hi porrò deprehensi, nihil inficiati, interrito vultu sicas protulerunt, profitentes se rectè ac piè conspirasse, non ob priuatos affectus, aut clan-

D destina odia, vtilitatisue vllius gratia, sed pro disciplina publica, quam nemo bonus violare, ne morte quidem sibi intentata, sustineat. Hæc Iosephus. Ex quibus facilè colligas, quàm alieni fuerint Iudæi à studio habendarum imaginum, quibus pleræque nationes supra modum capiuntur.

Quod autem ait Iosephus, imaginum vsu suæ genti prorsus interdictum fuisse, idque diuina lege, quomodo accipiendum sit, suprà docuimus ad ver. 3. cap. 5. quo loco fusè de *idolis & imaginibus* disputauimus. Neque enim illi Cherubim, bouesque, & anguem æneos se quandoque habuisse negare possunt. Sed primùm ea numinis loco colere vetiti sunt, deinde eadem esse arbitrari, quorum formas oculis subijce-

TVLIT AVTEM,

rent. Vtrumque scilicet Ethnici superstitione decepti vsurpabant. Nam fana sua subeuntes, vt testatur Lucianus alienus à Christiana Religione, non iam ebur Indicum, vel aurum Thracium, sed deos intueri se ac contemplari credebant. Lege & ipsius Philopseuden: nam eo loco rursum de statuis & idolis quid Gentes senserint, copiosiùs explicat. De sacris Christianorum imaginibus, præter eos qui de rebus controuersis disputant, multa Pamelius ad cap. 12. Apolog. Tertul. num. 184. & ad cap. 16. num. 238. Colligit & Ioannes Meursius in suo Glossar. Græco-barbaro præclara quædam de festo restitutionis sanctarum imaginum, in voce Ὀρθοδοξία.

Lucianus dialog. de sacrificijs.

Quid igitur fuisse dices hanc statuam, quam Michol ad decipiendos patris satellites adhibuit? Septuaginta Interpretes κενοτάφια interpretati sunt: hoc est, *sepulchra inania*. Prorsus contrario modo Chonomor apud sanctum Gregorium Turonensem libro quarto Hist. Francorum, capite quarto, Comitis Britannorum satellitibus illusit. Nam cùm Chanao sicarios ad interficiendum Maclianum fratrem misisset, Chonomor composito tumulo eundem loculo inclusit, tenui diducta rima, atque ad ducendam animam spiraculo relicto, &, En, inquit, vt hoc loco Maclianus sepultus iacet. Id cùm Chanaonis emissarij audissent, non mediocri voluptate affecti, super eodem tumulo largioribus poculis se mutuò prouocarunt: Chanao verò fratris hæreditatem adiens, aliquandiu eius regno potitus est. Hîc verò non viui hominis sepulchrales latebræ intelligendæ sunt, aut tumba quædam, loculúsue inanis, sed per similitudinem κενοτάφια accipienda sunt, quod quemadmodum, vt inquit Theodoretus eadem quæstione 48. in lib. Reg. inane sepulchrum videtur quidem habere mortuum, sed non habet: ita etiam quod per vestes erat compositum, videbatur quidem esse Dauid agens animam, at non erat. Itaque nihil aliud *theraphim* hoc loco fuisse crediderim, quàm quod idẽ refert ex Aquila, nimirum, τὸ ἱματίων πλῆθος, *vestium multitudinem*, humani corporis speciem aliquam, seu molem præ se ferentem. Hoc enim etiam *idolum & theraphim* dici potuit. *Idolum* siquidem non solas rerum non extantium formas dicimus, sed etiam horum quæ sunt, exiles atque vmbratiles figuras, quales nonnunquam in somnis sese offerunt, aut quales è corporibus animæ emergere finguntur, aut etiam qualiscunque imaginis indigesta moles, & rudis, atque inelaborata confusio. Autorem dabo Suidam in voce εἴδωλον, quo loco plures ex antiquis in eandem citat sententiam. Idolum, inquit, σκιώδης ὁμοίωμα vmbratilis similitudo est, ἡ φαντασία σώματος, vel corporis spectrum, σκιάτης αἰθεροειδής, vmbra quædamætheri similis. Hinc Bacchylides dixit, μελαμβαφὲς εἴδωλον ἀνδρὸς Ἰθακησίου, viri Ithacensis idolum nigro colore tinctum. Et Pythia dixit εἴδωλον γυναικός, mulieris idolum. Quare de idolis, inquit, δεῖ ἡ νοεῖν ὡς φαντασίαν σωμάτων παρέχειν τοῖς ὁρῶσιν ἠ μὴν ἢ ὑπόστασιν ἀληθῆ, oportet intelligere corporum imaginem intuentibus præbere, non etiam rerum ipsarum substantiam. Ita manda-

Gregorius Turon.

theraphim quid hoc loco significent.

S. Theod.

Idolum quid?

Suidas.

A runt typis Geneuenses, Æmilio Porto interprete. Cæterùm, qua fide Portus φαντασίαν, *imaginem* verterit, nemo non videt. Quod si nonnunquam leguntur autores *idolum* pro *imagine*, aut elaborata rerum extantium similitudine vsurpasse, id quomodo accipiendum sit, declarat ibidem Suidas, nimirum ἀντὶ τοῦ ὁμοιώματος. tum idola alterius vice dictionis poni, quæ similitudinem sonat.

ET POSVIT EAM, &c.

Porti suspecta fides apud Suid.

Et posuit eam super lectum.] Tum fictè id factum est, vt ægro corpore iacere videretur. An verò etiam illud fictè, quod est apud Sophoclem in Aiace Flagellifero?

Ὁρῶ γὰρ ἡμᾶς οὐδὲν ὄντας ἄλλο, πλὴν
Εἴδωλα, ὅσοιπερ ζῶμεν ἢ κούφην σκιάν.

Sophocles.

Hoc est,

Video enim nos nihil esse aliud, nisi
B *Simulacra, quotquot viuimus, aut leuẽ vmbram:*
Τοιαῦτα τοίνυν εἰσορῶν, ὑπέρκοπον
Μηδέν ποτ᾽ εἴπῃς αὐτὸς εἰς θεοὺς ἔπος, &c.
Talia igitur intuens, superbum
Nullum vnquam dixeris tu in deos verbum.
Nec elationem suscipias vllam, si quo plus
Aut manu vales, aut magna opulẽtia profũditate.
Nam dies inclinat, & reducit iterum
Omnia humana. Bonos autem
Dy amant, & oderunt malos.

Homo, idolum, & vmbra.

Et pellem pilosam caprarum posuit ad caput eius.] Varro capras glabras villosasq; distinguit. Callisthenes Olynthius, vt est apud Ælianum libro decimo sexto Histor. Animal. cap. 30. capras scribit in Lycia densissimo & prolixissimo hirsutas esse pilo, vt muliebres crines implexi ab C eis dependere videantur; & passim tanquam oues tonderi, ex eisdémque nauium fabros rudentes contexere. Idem mox capite trigesimo quarto, Sardiniam capras procreare, quarum pellibus pro vestimentis indigenæ vtantur, támque mirifica vi esse, vt hyberno tempore calefaciant, æstiuo refrigerent: simúlque in ijs ipsis pellibus cubiti magnitudine pilos innasci. atq; ei qui ijs indutus fuerit, si commodum videatur, quum est frigida tempestas, pilos ad corpus conuertit, vt ab ijs calescat: quum autem est æstas, inuertit ne calore vexetur.

Ælianus.

Lyga capr na.

Quod verò apud Septuaginta, Iosephum, & Theodoretum, non pellis caprarum, sed ἧπαρ τῶν αἰγῶν, *iecur caprarum* legitur, improbat sanctus Hieronymus, vt notat Salianus in Annal. ad ann. 2973. num. 25. & *puluillum* iecoris loco sub-D stituit. Diuersæ interpretationi occasionem dedit Hebræorum vocabulorum similitudo, nam כבד *Caued*, iecur significat, כביר *Cenir* autem pánum crassum è pilis caprarum contextum, vt exponit Chimhi, Pagninus vertit, *puluinar è pilis*, sanctus Hieronymus modò pellem, modò puluillum è pelle. Ea similitudo Kirkerum in fraudem induxit, qui putauit Septuaginta *ceuir* vertisse *hepar*, cùm illi *caued* legerint, & vertẽrint *hepar*. At neque textus Hebræus hoc loco, neque Chaldæa Paraphrasis, neque LXX. Complut. aut Regia vllam *hepatis* mentionem faciunt, sed habent τριχώματα τῶν αἰγῶν. id est, *pilos caprarum in orbem rotundatos*; quibus scilicet caput statuæ Michol obnuberet, vt fert editio Vulgata. vel capillum viri mentiretur, aut velut ægri

Kaued & Keuir differunt inter se.

APPARITORES, &c. ægri caput confoueret, vt scribit Serarius in hunc locum.]

Et operuit eam vestimentis.] Postremò farctum illud vestium, & villorum globum, siue idolum palliatum, hirsutúmque villis, stragula veste contexit, ne ars deprehendi posset, & procul intuentibus Dauid iacere videretur.

VERSVS XIV.

Misit Saul apparitores, qui raperent Dauid: & responsum est quòd ægrotaret.

Apparitores. A*Pparitores.*] Hebraïcè מלאכים *malachim*, quos priùs *satellites*, subinde etiam *nuncios* vocat. Haud dubium auté quin hîc *Apparitores* indicentur. Est autem apparere Budæo in Forensib. officij, & obsequij exequendi gratia præsto esse. Docet hoc Seruius ad hæc Virgilij libro duodecimo Æneïdos:

Virgilius. *Hæ Iouis ad solium, sæuique in limine Regis,*
Apparent, acuúntque metum mortalibus ægris.

Dicitur verò Latinè etiam *apparitio*, & *apparitura*, actus apparendi, ipsum ministerium, & officium. Apparitores itaq; sunt magistratuum ministri, qui eorum iussa exequuntur, vt Scribæ, Viatores, Accensi, Præcones, Lictores, & reliqua cohors Prætoriana, Principum etiam Stipatores, Protectores, & Admissionales Speculatores. Nam hi quoque Regibus astant, cùm ipsis præsidio futuri, tum si fortè iusserint, aut vincturi homines, aut silentiũ indicturi. Quamobrem passim *Administros* ab autoribus Legum vocari cóperies, *Exequutores* etiam ab exequendo, *Cæsarianos & Catholicanos*, maximè qui essent in causa Cæsaris, præfecto Orientis per totum Orientem administri: id enim catholicum vniuersale generaléq; significat. *Cohortales* item & *Cohortalini*, de quibus vide Petrum Gregor. Syntag. lib. 47. cap. 40. De his plures sunt tituli *lib. Cod.* 12. *Titulus* 53. *De apparitoribus Præf. Prætor.* quos & cornicularios & milites vocat, & cingulum ijsdem tribuit. *Titulus* 54. *de Apparitoribus Præfecti Vrbis. Titulus* 55. *de Apparitoribus Magistrorum militum*; qui & numerarios duntaxat priuilegijs gaudere vult, non eos qui supra statutum numerum inserti sunt. *Titul.* 56. *de Apparitoribus Proconsulis & Legati*, quibus quadringentos deputat. *Titul.* 57. *de Apparitoribus Comitis Orientis*, quos vetat numerum sexcentorum superare. *Titul.* 58. diuersi eorum gradus numerantur; Stationarij, Cornicularij, Cohortales, Speculatores, Ordinarij iudicum, Primipilares, &c. Speculatoribus porrò Cohortalibus Lictoribusque præter cætera, etiam sontium carnificina mandata est. Saul impatiens moræ, scelus ante diem occupare statuit.

Pandectæ. *Et responsum est quòd ægrotaret.*] *D. Si quis cautionibus. L.* 2. §. 3. Si quis in iudicio se sisti promiserit: & valetudine, vel tempestate, vel vi fluminis prohibitus se sistere non possit: exceptione adiuuatur, nec immeritò: cùm enim in

Qui morbus excusent.

ET RESPONSVM EST, &c. tali promissione præsentia opus sit, quemadmodum potuit se sistere, qui aduersa valetudine impeditus est? Et ideò etiam lex 12. tabularum, si iudex, vel alteruter ex litigatoribus morbo sontico impediatur, iubet diem iudicij esse diffisam.] Morbus autem sonticus est, qui cuique rei nocet. Iauolenus ex Cassio. *L.* 113. *ff. de verbor. signif.* Νόσος ἀῤῥωστία. Græci, κακοηθίας, id est, vitiositatem dicunt; πάθος, id est, perturbationem; νόσον, id est, morbum, ἀρρωστίαν, id est, ægrotationem: horum quicquid acciderit, ex quo quis minus aptus vsui sit, diffindit diem. Cicero: Morbum appellant, inquit, totius corporis corruptionem: ægrotationem, morbum cum imbecillitate: vitium, cùm partes corporis inter se dissident: ex quo prauitas membrorum, distortio, deformitas. Itaq; illa duo, morbus & ægrotatio, ex totius valetudinis conquassatione & perturbatione gignuntur; vitium autem integra valetudine ex se cernitur: sed in animo tantummodo cogitatione possumus morbum ab ægritudine disiungere. Vitiositas autem est habitus, aut affectio in tota vita inconstans, & à seipsa dissentiens. 4. Tuscul. Adde κακοηθίαν, peruersissimam humorum qualitatem; κακοχυμίας, peruersam quantitatem & qualitatem humorum, quæ & διαφθορὰ, seu corruptela dicitur: postremò etiam καχεξίας, passionem quæ ex intemperantia ægrotantis, aut curatione medicaminis venit. Galenus 1. Methodi, Morborum nomina, inquit, fuerunt indita partim à læsa particula, vt Pleuritis, Ischias, Podagra, Ophthalmia; partim ab ipso symptomate, vt Ileos, Spasmus, Paralysis, Apepsia, siue cruditas; sæpè ab ambobus, vt Cephalalgia, Otalgia, Cardialgia. Non raró etiam à caussa, vt Melancholia. denique non pauca à similitudine earum rerum quæ foris sunt, vt Elephas, Cancer, Polypus, Anthrax, Alopecia. Post quæ rursum Galenus eorum morborum, qui neque locum affectum, neque caussam nomine repræsentant, vt sunt Phlegmone, Gangræna, Vlcus, Erysipelas, Empyema, satis longam seriem texit: sed hæc omnia sontici morbi vim ac naturam haud satis explicant. Nam quod Venuleius ait *L. vlt. ff. de ædilitio edict.* quoties morbus sonticus nominatur, eum intelligi qui noceat, vt etiam suprà Iauolenus ex Cassio retulit: sontes enim nocentes dici, parùm ad rem facit, cùm nullus non morbus noceat. Semper enim aut perturbat organa, aut partium symmetriam elegantiámque confundit. Denique Galenus in libro de Humoribus, Morbus, inquit, est, cùm in corpore quędam affectio est, quæ non ex accidenti, sed primùm, & per se lædit operationem. Hippocrates definit, quicquid homini molestiam infert. Neque tamen plerique morbi absentiæ excusationem habent, quo minus ad condictum diem adesse debeamus: vni sontico deserere vadimonium licet. Plinius igitur libro trigesimo sexto, capite decimo nono, agens de Gagate lapide, sonticum morbũ nominat, quem scripsit Dioscorides ἐπιληπτικῶν, hoc est, Epilepsiam. Haud dubium. nam is quoq; Comitialis dictus est, quod comitia dirimeret. Sed num sola Epilepsia sonticus morbus habendus est? Alcæus dixit νόσημα

Copiosa nominum supel.ex ad morbos attinens.

Tullius.

Galenus.

Quis morbus sonticus.

Morbi definitio.

AFFERTE EVM AD ME, &c.

παλαιτάτιον, quasi magni momenti. Venuleius perpetuum intelligit. Perpetuus autem exponitur, quando nulla spes sanitatis subest. Non igitur idem est morbus perpetuus, & sonticus. Is enim verè sonticus morbus dicitur, qui is est, vt impediat rem de qua agitur expedire, & ne quis suis rebus superesse possit. *D. De verbor. signif. L. Morbus.*

VERSVS XV.

Rursumque misit Saul nuncios, vt viderent Dauid, dicens: Afferte eum ad me in lecto, vt occidatur.

Diodorus Siculus libro tertio, capite decimo tertio, cuiusdam insulæ meminit in Oceano ad Meridiem repertæ, cuius, inquit, incolæ febricitantes & ægrotos statim mori compellunt.

B

Rursumque misit Saul nuncios.] Exceptionem non probat morbi ingruentis, continuò rapi ad se iubet. Cur morituro parcat? cur diem proferat? nec enim ad mortem obeundam integra admodum valetudine opus est. *Afferte eum ad me in lecto vt occidatur.*] Ergo præcipitis sæuitiæ indicium est, non humanitatis argumentum. Non enim hoc cauebat, ne infirmum corpus vectatione læderetur, sed vt animi sui sitim cædis illius auidam expleret, moras omnes amputari iubet, prædamque exhiberi. Forsitan etiam satellitum fidem suspectam habuit, nec satis eorum relationi credebat, quod nosset propensum omnium in Dauidem studium.

C

Gellius.

Afferte eum ad me in lecto.] Fauorinus Philosophus apud Gellium libro vigesimo, capite primo, cùm alia quædam in legibus 12 tabularum, tum hoc quoque non humaniter scriptum improbauit: Quod si homo in ius vocatus, morbo aut ætate æger ad ingrediendum inualidus est, arcera non sternitur, sed ipse aufertur, & iumento imponitur, atque ex domo sua ad Prætorem in comitium noua funeris facie effertur. Quam enim ob causam morbo affectus, & ad respondendum pro sese non idoneus, iumento adhærens in ius aduersario deportatur? Verùm Fauorino Cæcilius, cùm staret à Rom. legibus in hanc sententiam respondit. Cur tibi visa est inhumana, omnium, mea quidem sententia, humanissima, quæ iumentum dari iubet ægro, aut seni in ius vocato? Verba sunt hæc de lege, Si in ius vocato, morbus æuitasue vitium escit: qui in ius vocassit, iumentum dato: si volet arceram, ne sternito. An tu fortè morbum appellari hîc putas ægrotationem grauem cum febri rapida, & quercera? iumentumque dici pecus aliquod vnicum tergo vehens? ac propterea minus fuisse humanum existimas ægrotum domi suæ cubantem, iumento impositum in ius rapi? Hoc, mi Fauorine, nequaquam ita est. Nam morbus in lege ista non febriculosus, neque nimium grauis, sed vitium aliquod imbecillitatis, atque inualentiæ demonstratur, non periculum vitæ ostenditur. Cæteroqui morbum vehemen-

Iumentum quid fuerit antiquis.

A

tiorem vim grauiter nocendi habentem Legum istarum scriptores alio in loco non per se morbum, sed morbum sonticum appellant. Iumentum quoque non id solùm significat, quod nunc dicitur, sed vectabulum etiam, quod adiunctis pecoribus trahebatur. Veteres enim nostri iumentum à iungendo dixerunt. Arcera autem vocabatur plostrum tectum vndique & munitum, quasi arca quædam magna vestimentis instrata, qua nimis ægri, aut senes portari cubantes solebant. Quænam igitur ibi acerbitas visa est, quod in ius vocato pauperrimo homini, vel inopi, qui aut pedibus fortè ægris esset, aut quo alio casu ingredi non quiret, plostrum esse dandum censuerunt? Neque insterni tamen delicatè arceram iusserunt, quoniam satis esset inualido huiusmodi vectabulum? Atque id fecerunt, ne causatio ista ægri corporis perpetuam vacationem daret fidem detrectantibus, iurisque actiones declinantibus.

AFFERTE EVM AD ME, &c.

Morbus sonticus.

Arcera.

Tacitus.

Lectica delati ægri in iudicium.

Apud Tacitum Annalium libro secundo, Libo Drusus reus maiestatis, die Senatus metu & ægritudine fessus, siue vt tradidêre quidam, simulato morbo, lectica delatus est ad fores curiæ. Ad hæc annotat Ludouic. Aurelius, Libo non ita deductus, nisi quia æger: & quia æger, & ægris molliores lecticæ dabantur; ideò muliebrem fuisse lecticam asserit Dio. Sic æger Tiberius in Senatum deducebatur, ait Suetonius capite trigesimo. Dio libro quinquagesimo septimo, vbi de Archelao loquitur, innuit; ægrotis duntaxat concessum, vt lecticâ in Senatum veherentur. Piso cùm sanus lecticâ vsus esset, arrogans & superbus visus est. *In lecto.*] Lecticam cubile vocat Seneca 3. de Benefic. & à seruis baiulis, quos dicunt lecticarios, gestari solitam docet. Quò tandem, inquit, ab istis gerulis raperis, cubile illud tuum circunferentibus? Cicero 7. in Verrem: Nam vt mos fuit Bithyniæ Regibus, lectica octophoro ferebatur, in qua puluinus erat pellucidus, Melitensi rosa fartus. Sanctus Hieronymus in caput sexagesimum sextum Esaiæ, lecticarum etiam dormitoriarum meminit his vrbis: Lecticarum genera quædam σκιπαστὰ dicebantur, quæ opertæ pellibus erant: aliæ φορεῖα, quæ varij generis vehicula dicuntur: aliæ verò cum vmbraculis, quas nos dormitorias interpretari possumus, vel basternas, &c.

Suetonius.

Seneca lecticam cubile vocat.

Tullius.

S. Hieron.

Lecticæ dormitoriæ.

D

VERSVS XVI.

Cumque venissent nuncij, inuentum est simulachrum super lectum, & pellis caprarum ad caput eius.

VERSVS XVII.

Dixitque Saul ad Michol: Quare sic illusisti mihi, & dimisisti inimicũ meum vt fugeret? Et respondit Michol ad Saul: Quia ipse loquutus est mihi: Dimitte me, alioquin interficiam te.

Aiunt

INVENTVM EST, &c. Lupus hiauit. Suidas.

Λύκος ἔχανεν. Lupus hiauit. Prouerbium apud Suidam in voce λύκος, quo notantur ij qui spe frustrantur. Lupum enim dicunt, cùm aliquid rapere vult, hiantem ad id accedere. Cùm autem non adeptus est id quod voluit, ipsum frustrà hiasse dicunt. Quare vbi quis prædæ spe excidit, idem de illo prædicant.

Inuentum est simulachrum super lectum. Quare sic illusisti mihi?]

Ergone fingere licet, & dolis vti?

Beatus vir, inquit Dauid, *cui non imputauit Dominus peccatum, nec est in spiritu eius dolus.* Et de Nathanaële Christus, *Ecce verus Israelita, in quo dolus non est.* Et in Psalmo, *Qui non egit dolum in lingua sua,* in Dei tabernaculo commoraturus prædicitur. At contrà, *Virum dolosum,* inquit, *abominabitur Dominus.* Quî fieri itaque possit, vt Michol artes dolosque probemus?

Complures dolos Scriptura commendat.

At contrà Iacob, cùm glaber esset, Esau toto corpore hispidus, hœdinis pellibus primogeniti habitum mentitus est, fratrem se voce professus. Quinimò, ne viros potiùs quàm fœminas in mulieris causa commemorem, fraudis artifex Rebecca habetur, in quam nemo hactenus animaduertit. Rachel muliebre impedimentum finxit, ne idola proderet. Thamar scortum mentita, cum socero permista est. Verùm illas dices nusquam eo nomine Scriptura prædicat. At prædicat obstetrices fœminas, quæ negarunt Hebræas ad pariendum aliena opera indigere, atque adeò complures masculos seruarunt incolumes. Mater ipsa Moysi, matrem non ausa, non sine laude nutricem professa est. Iosue 2. Rahab meretrix exploratores Hebræos lini stipula texit, Regemque illusit, mercedem pacta familiæ incolumitatem. Iahel Iudicum 14. cùm videretur Sisaræ securitatem pollicita, iacentis tempora clauo perforauit. Alia quoque mulier, secundo Regum, capite decimo septimo, oppanso velo velut siccans ptisanas, vtramque putei marginem operuit, & delitescentes Achimaas & Ionathan periculo eripuit. Quid illa sapiens ex Thecue, quæ 2. Reg. cap. 4. luctum simulans, Absaloni veniam impetrauit, annon tibi laudem promeruisse visa est? Quid Iudith? quid Esther? quarum altera genus, altera consilium suum mira arte contexit, quo certius suæ gentis hostes conficeret? In vtramque quadrat quod de posteriore Ioacim summus Pontifex asseruit: *Eris benedicta in æternum.* Nec verò his postremò Machabęorum mater inferior habenda est, quæ vrgente tyranno se persuasuram filio recepit, quo eum liberiùs potestate accepta ad martyrij studium accenderet. Quî fieri itaque possit, vt Michol stratagemata dolosque non magnoperè probemus?

De dolo, & an eo quandoque vti liceat.

QVÆSTIO XXXVI.

Dolus primùm quid sit, inuestigandum est: deinde erit adhibenda distinctio: postremò, quid in vtroq; genere liceat obseruandum.

Quod spectat ad nominis etymologiam, siue

INVENTVM EST, &c. Doli etymologia.

A δόλον Græcè, siue Latinè dolum dicas, sunt qui illud ortum velint à prisco themate δέλειν, id est, δελεάζειν, quod est fallere, ac inescare. Aliter tamen Donatus in Eunuch. act. 3. scen. 3. nam à lędendo, id est, minuendo deflectit, cùm etiã δόλος Græcis læsionem significet. Hebræi dolum dicunt רמיה *remiyah,* à verbo רמה *ramah,* quod est *deorsum iecit,* deiecit, aut etiam sagittis petijt, iaculatus est. Vtraque significatio ad dolum pertinet. Quapropter in Piel רמה *rimah,* illudere, fallere, decipere, fraudare, dolosè agere significat. Inde igitur מרמה *mirmah,* & רמיה *remyia,* quod dolum & fallaciam indicat, ignauiam præterea, quoniam plerunque qui dolos nectunt, inertis atque ignaui animi sunt.

Dolus definitur.

Complures doli definitionẽ tradiderunt. Aquilius apud Cic. l. 3. de Off. Ad hanc nonnihil addidit Seruius Sulpit. *ff. de dolo malo, l.* 1. Illam sibi B correxisse visus est Antistius Labeo, quẽ probat Vlpianus *eod. tit.* nos magis Seruium sequimur. Ræuard. *l. contractus quidam, ff. de regul. iur.* de doli varijs definitionibus, earumq; autoribus seriò disputat. Nos eam quæ placuit, paucis exponemus. Machinatio quædam est alterius fallendi causa, cùm aliud agitur, & aliud simulatur. Porrò dolus alius bonus est, veluti quo à medẽtibus falli ægros, non tamen decipi Lucretius Poëta testatur: alius malus, qui decipiendi tantùm causa paratus est. Festus autor est, antiquos sic dolum bonum, vt dolum malum vulgò dixisse. Pro solertia autem accipiebant, maximè si aduersus hostem latronemue quis machinetur. Agamus primùm de dolo malo.

De dolo malo, qui cum iustitia coniunctus est. Species.

C Dolus malus est, qui nocet, & officit: sed is nonnunquam cum iustitia coniunctus est: nam quandoque malis nocere fas est: aliàs iniustitiæ proximus. Posterioris huius generis species plures in iure censentur, Calumnia, Præuaricatio, Tergiuersatio, Cauillatio. Calumniari est falsa crimina intendere. Præuaricari, vera abscondere. Tergiuersari, in vniuersum ab accusatione desistere. Cauillari, est falsis disputationibus imponere. σόφισμα, seu σοφιστείαν Gręci appellant. Dolus etiam malus & nocens, aut homicidium parit, aut furtum, aut adulterium; & extant tituli de criminib. nominatis: aut innominatum scelus, & maleficium; vt qui statu liberum dissimulata conditione vendit, aut numeratam à debitore pecuniam denuo repetit; & tum Stellionatus dicitur, ducta similitudine à stellione versutissimo animalculo, maculisq; distincto. Vel de-D nique dolus affert læsionem, nullo tamen facto, quod criminaliter accusari possit, sicut in commercijs hominum, alijsque modis fieri solet, & tunc retinet doli appellationem, vt *in titul. de dolo malo, &c.* An tale quicquam liceat, non videtur quæri posse. Nam præterquam quod Scriptura, cùm dolum passim execratur, id genus detestari intelligenda est, tum leges ciuiles multiplici dolum animaduersione coërcent. Nam doli mali conuictus famosus est. *L.* 1. *ff. de his qui notant. infam.* 2. Contractus bonæ fidei, per dolum præcedentem ipso iure vitiatur, *L. & eleganter, in princ. ff. de dolo malo. L. bona fides, ff. deposit.* Stricti verò iuris per exceptionem rescinditur, *L. penult. Cod. de inutil. stipul.* 3. Do-

Effectus.

Et inventum est, &c.

lus malus facit cessare quodcunq; priuilegium. *L. 2. §. verba itaque. ff. ad Senatusc. Velleian.* Fraus enim nemini debet patrocinari, imò puniendæ est. Postremò, nullum mali genus est, quod maiorem humanæ societati pestem inferat, quàm dolus malus. Cicero libro Officiorum primo, Cùm, inquit, duobus modis, id est, aut vi, aut fraude fiat iniuria: fraus quasi vulpeculæ, vis leonis videtur. Vtrumq; alienissimum ab homine, sed fraus odio digna maiore. Totius iniustitiæ nulla capitalior est, quàm eorum qui tum, cùm maximè fallunt, id agunt, vt viri boni esse videantur.

Dolus malus qui cum iustitia cõiunctus sit, an licitè adhibeatur.

At nunc de altero scilicet ambigitur, qui tametsi noceat, ac proinde malus nuncupetur, attamen iustè grassatur. Vt si quis fortè cùm sit viribus impar, & potentioris impetum extimescat, eundem autem valeat astu morari, doloue circumuenire, aut etiam acceptam iniuriam vlcisci, an tum iure liceat? Respondeo, seu priuatim, seu publicè damnum acceptum sit, non nisi autoritate publica fas esse dolis hostem opprimere. Si tamen vis præsens afferatur, nec aliter quàm dolis pateat ad salutem via, tum hac quoque euadere licebit. Huc pertinet, quod Chusai Arachites amicus Dauid in decipiendo Absalon fecit. Ad hoc item genus spectat, quod Simeon & Leui perpetrarunt aduersus Hemor & Sichimitas. Et id præterea quod Hebræi, cùm Ægyptum egrederentur, vt pretiosas vestes, aurea & argentea vasa, cùm ab amicis, tum à vicinis mutuò peterent, quę tamen, vt restituerent, haud in animum induxerant. Iehu quoque, vt docet sanctus Hieronymus, & habetur in Decretis 22. *quæst. 2. cap. Vtilem*, probè simulauit cum sacerdotibus Baal, quia non potuisset omnes interficere, si ab aliquibus eorum cædem fuisset auspicatus. Quare vt eos omnes simul haberet, se finxit velle colere Baal multò studiosiùs quàm Achab; atque ita omnes ad vnum interemit. Aod verò post allata dona, cùm secretò cum Rege colloqui postulasset, eundem interfecit, & excussit iugum quo dudũ Hebræum populum oppresserat. Laudatur Salomon, qui per dolum allato in iudicium gladio, cùm viuum infantem secturum se fingeret, adulterinæ matris dolum deprehendit. Claudius Imperator, apud Suetonium, qui fœminam non agnoscentem filium suum, dubia vtrinque argumentorum fide, ad confessionem compulit, indicto matrimonio iuuenis. Andreas etiam de Isernia summus Feudista, Caroli Magni factum in eodem genere plurimùm commendat. Pater quispiam cum filio de homicidio delatus erat; constabat alterutrum cædem fecisse; neuter tamen ne quæstione quidem habita, admotisque tormentis, aut de seipso fatebatur, aut reum prodebat. Quid igitur Imperator in hac tanta iudicij caligine? Vtrumque laqueo interire iubet. Eo dolo nocens deprehensus est, nec insontem filium perire pater tulit. Paulus noster cùm Hierosolymis in concilio periclitaretur, *De resurrectione*, ait, *mortuorum ego iudicor:* sicq; Pharisæos Sadducæosq; inter se commisit. Docent igitur Scripturæ hoc doli genus iustũ esse. Quare censeo dolo malo cum amicis non esse agendũ: sed

Suetonius in Claudio. c. 15.

Andreas de Isernia in ca. 1 § publici latrones, in fine, de pace tenenda, & eius violatoribus. Andreas item Sicul. & Iason alibi.

Dolo licet iniustũ hostem circũuenire.

A contra hostes non prohiberi, quod instar armorum sit. Vnde si aduersus eos licet armis iustis bella agere, doli quoque admittentur, iuxta illud Poëtæ: *Dolus an virtus quis in hoste requirat?*

Adhæc non dubito, quin cùm liceat vim vi repellere, quando alia via euadendi non conceditur, fas quoque sit dolis contra dolos abuti. Nam qui vim repellit, vt leges concedunt, non est habendus priuatus, cùm à Magistratu armetur. Vnde non contra legem, sed ex lege agere conuincitur. Ita illi qui repentè opprimitur, dolo malo euadere si possit, conceditur. Sanctus Ambrosius 14. quęst. 4. dolum seu fraudem vsurariam aduersus hostes concedit, & locum Deuteronomij, quo Deus Iudæis largitur, vt exteris fœnerarentur, hoc modo interpretatur, quòd vbi ius belli datur, ibidem vsura quoq; locum possit habere. B Bona quippe hostium nostra sunt, & ab eis possunt legitimè auferri. Id autem seu vi, seu fraude fiat, nihil refert. Nec iura ciuilia secus tradunt. *In Codice De commercijs & mercatoribus. L. Non solùm.* Imperator non modò vt aurum ad Barbaros Reipublicæ hostes non perferatur, sed vt subtili dolo, siue ingenio, si quod habeant, iubet ab eis auferatur. *Et in ff. De captiuis & postliminio reuersis. L. Nihil interest.* decernitur, vt captiui quocunque modo in patriam redeant, & sua bona, & statum pristinum recuperent, seu missi fiant, seu vi, seu per fallaciam euaserint. Quamuis postea *in L. Postliminij. §. Captiuus.* id contrahitur, si redierint animo permanendi. Nam si promisissent, aut iurassent hostibus reditum, non fruuntur C iure postliminij. Quare Attilius Regulus non eo beneficio est affectus, quia missus Romam fuerat, vt Senatui permutationem captiuorum suaderet. Quamobrem, cùm promiserit, & in animo habuerit vt reuerteretur, dolo malo ei iuxta leges vti non licuit.

S. Ambros. Vsura, & dolo hostẽ vexare licet.

Hinc apparet, quod religiosè obseruandum est, non licere dolo malo aduersus hostem vti, si fuerit iuramento sancita fides. Quod vt apertiùs intelligatur, distinguendum est iusiurandum, quemadmodum etiam Iurisperiti faciunt, vt aliud statuatur asserens, aliud promittens: vel, vt ipsi loquuntur, aliud assertiuum, & aliud promissorium. Nam cùm iuramus, aut quippiam esse vel fuisse affirmamus aut negamus; quod interposito iuramento nunquam dolo facere debemus, ita vt falsum asseramus. Aut pro- D mittimus quippiam nos præstituros; & cùm fides hosti quoque seruanda sit, ea dolo malo non est violanda. Quapropter si ea quæ iurauimus hosti seruanda, bona temporaria sint, vt pecuniæ, honores, seruitus, propter illa Dei nomen haudquaquam est prophanandum. Propterea Dauid psalmo decimo quinto, versu quinto, cecinit iuxta Hebraïcam veritatem, & Pagnini interpretationem: *Iurauit* לְהָרַע *lebaragh* à radice רעע *roagh, affligere se,* וְלֹא יָמִר *velo iamir, & non mutauit.* Arias. Quem locum, etsi Kimhi de ijs exposuerit, qui dura & aspera quædam ad carnis macerationem facientia Deo vouerint, nec id commutant, aut irritum habent quod promiserint, mihi tamen simplicior sententia videtur, si latiùs pateat, nimirùm de iureiurando nobis

Quid sit fuisse iuramẽto sancita fides?

Distinguitur duplex iuramentũ.

Et inventum est, &c. do nobis damnoso, quod vir pius minimè abrogat, aut immutat. Sentit hoc sanctus Hieronymus in caput decimum septimum Ezechielis Prophetæ. Nam ibi Dominus contra Sedechiam vehementer se iratum affirmat, quod iusiurandum Nabuchodonosor Regi Babyloniæ præstitutum violarit. Quamuis enim eum Iudęi hostis loco haberent, attamen sicut S. Hieronymus docet, iam vt amicus erat, cùm iureiurando interposito fidem Sedechiæ habuisset. Hoc enim est amicorum sibi mutuò fidere. Quamobrem non debuit illic dolo malo patere locus. Et S. Augustinus 32. *quæst.* 1. *cap. Noli existimare.* scribens ad Bonifacium, illum admonet hosti quoque seruandam fidem. Et S. Ambrosius 22. *quæst.* 4. *cap. Innocens.* idem monet, eamque sententiam habet in suo libro de officijs, vbi exemplum Iosue in Gabaonitas affert: qui affert: qui licet iuramentum præstitum irritare potuisset, attamen Dei consensu voluit id conseruari, ac ratum esse. Neque passus est Gabaonitas interfici, quos tamen ob fraudem adhibitam vtcunque multauit. Saul, cùm idem fœdus rescindere postea conatus esset, scelus prolis interitu luit. Si tamen iuramentum de re iniusta vel impia datum esset, prorsus irritum habendum est, quia iusiurandum vinculum iniquitatis esse non oportet.

S. Hieron.

S. Ambros.

Iurata pacta, & promissiones dolum mali non admittunt.

Interposito itaque iureiurando, dolo non est vtendum. Nisi fortassis altera pars, cui iuratum est, à conditionibus & pactis prior discesserit: siquidem tunc sententia vulgò iactata locum habet,

Frangenti fidem, fides frangatur eidem.

Verùm de hoc & in diuinis literis luculentiùs testimonium habemus. Nam Paulus 1. ad Cor. cap. 7. scribit de fide in coniugio data, *Si discedat infidelis, discedat. Non est seruituti subiectus frater aut soror in huiusmodi, sed in pace vocauit nos Deus.* Quæque allata sunt de iureiurando, intelligo identidem valere de promissionibus atque pactis. In quibus affirmo piorum ac iustorum hominum esse, cùm vt planis atque simplicibus verbis vtantur, tum etiam vt bona fide agant. Quocirca Thraces iure ac meritò damnantur, qui post inducias triginta dierum pactas, noctu prædabantur: factum excusantes, quod non de nocte, verùm de die pepigerint. Nec Legatus Romanorum candidè, imò sophisticè se gessit cum Antiocho, qui cùm nauium dimidium Romanis & Regi constituisset dandum, eas omnes teipsa diuidi ac secari iussit. Id autem fecit, vt Rex nauali pręsidio funditùs destitueretur. Proinde quæcunq; pius vir promissurus est, debet antea secum grauiter expendere, vt postea dictis & promissis stare valeat. Vnde S. Hieronymus ad Celantiam scripsit: Quæ dixeris, putes iurata. Quod si dolo malo, siue qui noceat, non tamen scelere, periurio, aut mendacio hostem circumuenire licet, quis neget quemquam innocenti dolo atque innoxio vitam tueri posse? Sic Samuel etiam antea vitulum agens, & sacrificium professus, Saulem latuit, cùm Dauid vngeret. Sic deinceps etiam Dauid apud Athis, vecordiam simulans, imminens suo capiti discrimen euasit. Neque enim tum id asseris te seriò

A

B

C

D

moliri; & alioqui celare multa licet, eos verò maximè, quos suspectos habeas. Quis enim sua prodere consilia cogitur? Qui autem, cùm agit quippiam, instituti sui rationem solerter tegit, ita vt secus interpretentur qui rem minùs accuratè considerant, à plerisque fingere dicitur, & inani specie deceptos dolo ludificari. Id tamen si fraudi est nemini autorem verò ars sua iuuat cur prudentiam cuiquam vitio vertas? Ipse sanè Christus Dominus, cùm primùm redux ab Inferis Magdalenæ Discipulisq; Emaunta petentib. apparuit, olitoris ac peregrini speciem pręse tulit, *Finxitq; se*, quod ait Euangelista, *longiùs ire.* Raphaël Tobiæ dux comesq; futurus, Angelum dissimulans, mercenarij habitum induit. Nathan, autore Deo, cum Dauide expostulaturus iniuriam quam Vriæ Hethæo irrogauerat, vim allatam pauperi finxit, pro qua eum interpellaret. Alter quoque Propheta, cùm ex nomine Domini Regem Achab obiurgaturus esset, 3. Reg. cap. 20. ver. 38. aspersione pulueris os oculosq; suos immutasse dicitur, & tanquam alienam causam agens, sceleris magnitudinem exprobrasse, donec absterso puluere Prophetam Achab agnoscens, animaduertit intempestiuam illam suam clementiam, qua impium Benadab incolumem abire permiserat, ab eo reprehendi. Ioseph denique suspicionem simulãs, non leui formidine fratrum animos torsit, cùm eos vlcisci nollet, à quibus per summam iniuriam peregrinis mercatoribus venundatus fuerat. Genes. 43. 44.

Respondit Michol, &c.

Quæ verò in contrariam sententiam ab initio allata sunt, ea de dolo intelligenda sunt, cùm est is cum iniuria atque iniquitate coniunctus.

Respondit Michol, Quia ipse loquutus est mihi, &c.] Patre expostulante cum filia quòd Dauidem dimisisset, illa metuens, sibi fingit causas, Dauidem minitatum fuisse mortem, nisi ita faceret: atque ita infamia aliqua aspergit virum suum. Sed non tantùm erat animi in muliercula, quantùm in eius fratre Ionathan. Ille enim non dubitauit accusare patrem suum. Dionysius Tyrannus dederat sororem suam in matrimonium cuidam Polyxeno: ille postea accusatus maiestatis, fugit in Italiam. Tum Dionysius expostulare cœpit cum sorore, quòd fugam viri sibi non indicasset. At illa, An ita me degenerem, aut ignauam putas, vt si scissem virum fuisse fugiturum, non fuerim vna fugitura? Nec porrò in eam grauiùs quicquam decreuit. Quinimò, fides seruata miseris, quibuscum aliqua necessitudo intercederet, etiam apud hostes olim præmia consequuta est. Suetonius agens de initio principatus Caligulæ, quod multis laudibus ornat, honoris ab eo fidei habiti mentionem facit his verbis: Quoque magis nullius non boni exempli fautor videretur, mulieri libertinæ octoginta donauit, quod excruciata grauissimis tormẽtis de scelere patroni reticuisset; in eius vita ca. 16. Octauius verò apud eundem cap. 27. T. Iunium Philopœmenem, quod patronum suum proscriptum celasse olim diceretur, equestri dignitate decorauit. Contrà verò, vt est apud Curtium lib. 8. cùm Spitamenis vxor, qui in Alexandrum rebellauerat, virum

Fides seruata miseris, non rarò hostib honori fuit.

Suetonius.

Curtius.

Respondit, &c.

obtruncasset, & exangue caput castris intulisset, etsi primùm variæ cogitationes inuicem eius animum diuersa agitantem commouerant: & meritum ingens in semet esse credebat, quod tra sfuga & proditor, quique tantis rebus, si vixisset, iniecturus moram fuisset, interfectus esset, tandem tamen facinus auersatus est, & vicit gratiam meriti sceleris atrocitas, denuntiarique iussit, vt excederet castris, neu licentiæ barbaræ exemplar in Græcorum mores, & mitia ingenia transferret. Itaque hoc loco nonnulla sunt, quæ piè fortiterque gessit Michol: nonnulla, in quibus vt fœmina, animi imbecillitate deliquit. Dilexit seruauitque virum à periculo; patrem etiam à patranda cæde inhibuit. Hæc pias mulieres imitari decet. Quod autem falsum terrorem commentus est, & virum nonnulla onerauit infamia, illud nos par est auersari. Declinare patris iram voluit: sed vsa non satis iustis rationibus: quare in eo non est imitanda.

An verò non liceat quandoque mentiri, dum propriæ alteriúsue saluti, qui contra ius petitur, prospicias?

QVÆST. XXXVII.

Mentiri non licet.

CONstat, quia nunquam mentiri licet: mendacij siquidem diabolus est artifex: nos autem veritatis filij sumus: quamobrem nos oportet, vt loquitur sæpius in epistolis Dilectus Domini, in veritate ambulare. Iam verò quid est veritas? de illa nunc mihi sermo est, quæ circa verba versatur. Ea est, vt Tullius inquit de Inuentione, per quam immutata quæ sunt, quæ fuerunt, & futura sunt, dicuntur. Non enim veritas tantùm circa vnam temporis differentiam, sed circa tres attenditur. Res porrò verè dicuntur, cùm immutata, hoc est ea synceritate proferuntur, vt neque detrahas quicquam, neque adijcias. Idem compendiosiùs docet S. Augustinus, de vera Religione cap. 36. Veritas est, inquit, qua id, quod est, significatur. Genus in ea definitione si quæras, æqualitas est: cui adiungitur loco differentiæ, vocum, nempe ad res quæ significantur. Virtus porrò cùm sit, ad medium collimat: extrema vitia occupant. Nam siue, id quod est, minuas, siue verbis amplifices, mendacij reus es, & in Veritatem peccas. Neque tamen virtus medio solo contenta est: nam & circunstantias adhibeamus oportet, quæ solent eam perpetuò comitari. Quamobrem non cuiuis, non quouis tempore, non de re qualibet, verum semper dicendum est. Nusquam quidem mentiri debemus: at sapientiæ interdum est ea celare, quæ profutura non nouimus. Exigit itaque Veritas, vt de nostro sensu ac voluntate, cùm opus est, quæ intus habemus, id quod est, à nobis prudenter significetur. Cum simplicitate maxima Veritas coniuncta est, duplicitati plurimùm aduersatur. Ijs adde, illam partem esse iustitiæ. Nam rebus suas voces reddit, & proximo verum quod ei debet, sine quo

Tullius. Quid Veritas.

S. Augustinus.

Mentiri nunquam licet: sed verum non dicere, quandoque licet.

A societas humana consistere non potest. Nam si quis perpetuò se ab aliquo decipiendum suspicetur, nunquam ei quicquam credet. Vnde inter homines peribit commerciorum societas.

Respondit, &c.

Mendacium autem veritatis adulteratio est. Quamobrem Sanctus Augustinus de eo ad Cōsentium scribens, Mendacium testatur esse falsam vocis significationem. Et sanè de hoc vitio ea omnia per ἀντίθεσιν dicere possumus, quæ prius de Veritate fuerunt exposita. Erit ergo Mendacium, per quod mutata quæ sunt, quæ fuerunt, quæ futura sunt, dicuntur. Siue quo id, quod non est, significatur. Genus Veritatis erat æqualitas: vitij erit inæqualitas. Vtque illa cum simplicitate admodum coniuncta est: ita mendacium ad duplicitatem pertinet. Veritas B pars est iustitiæ: Mendacium verò iniustitiæ. Illâ conseruatur humana societas, hoc verò læditur ac euertitur. Sed ad S. Augustinum redeo, qui scribit eum dici mentiri, qui voluntate fallendi quod falsum est protulerit, nec aliud esse mentiri, quàm aduersus mentem ire: mentientes quippe aliud quàm in mente habeant, eloquuntur. Cupiditas autem fallendi, iustitiæ dilectioni atque amicitiæ, quam nobis mutuò debemus, omnino aduersatur. Tria itaque Mendacio insunt: primùm, dicere falsum: ad hæc, eius dicendi voluntas: tertiò verò, fallendi cupiditas. Primum sanè ad materiam spectat: alia verò duo ad formam pertinent.

S. Augustinus.

Mendacium definitur.

Mendacium autem, si Aristotelis vestigijs inhæreas, qui in virtute medium præsertim attendit: vel εἰρωνία est, si defeceris: vel si excesseris, C iactantia. Alij magis finem effectáque spectant. Mendacia porrò vel prosunt, vel delectant, vel nocent. Tametsi mea quidem sententia nocent omnia, quod prauam hominum mentibus opinionem inserant. At sunt quæ præterea aliud nocumentum afferant, cùm in vitæ aut famæ periculum conijciunt, opúmue iacturam moliuntur. Inde sequitur, vt sit Mendacium Mendacio leuius; vt tamen vllum bonum sit, nunquam his rationibus conficies. *Perdes*, inquit Dauid, *omnes qui loquuntur mendacium*. Prauum autem esse ac detestandum mendacium, compluribus argumentis probari potest. Primum est, in mendacio signorum esse abusum. Cùm autem donis Dei abuti non liceat, Mendacium quoque prohibitum intelligitur. Deinde, quéD admodum iam dictum est, Mendacium humanæ societati aduersatur: non enim animi sensa, sed mendacia fratribus mentiendo communicantur. Ideo cùm homo natura factus sit ad societatem & communicationem, dum falsa loquitur, cum sua ipsius natura pugnat. Vtque S. Augustinus ait, Fides in eo læditur: nam qui audit, ijs, quæ dicuntur, credit. Quare fides ea quam alienis dictis adhibet, frustratur. Nec citra culpam tanta res lædi potest. Et denique mentiendo quisque sibi ipsi autoritatem abrogat: nam deprehensus in mendacio, semper eius habebitur suspectus. Quare nec etiam si voluerit, monitione aut correctione licebit proximis auxiliari. Vitium proinde quod est in mendacio non tantùm ad iniuriam proximi

Mendacij triplex genus.

Multis nominibus detestandum mendacium.

Respondit Michol, &c.

proximi, seu læsionem spectat: verùm in eo ex ipso genere inest, vt ex iam dictis liquidò patet. Neque tamen his asserimus, quæcunque iocando nonnunquam comminiscimur, aut etiam officij gratia, si neminem lædant, autori mortem consciscere: neque hoc disputamus, ne pleraque eorum aliunde ex circunstantijs, ne pro mendacijs quidem habeantur: Sed hoc solùm disputo, ne mentiri cuiquam liceat, quod fecisse Michol Scriptura confirmat.

S. August.

Quid si verum dicendo hominem peremptu-rus sis, quem mentiendo seruare possis, an ne tum quidem mendacio indulgebis? Respondet sanctus Augustinus, Quid si te depereat impudica mulier, sibi manus allatura, nisi obsequaris, an tum eius libidini consenties? Vt cuiusquam vitæ parcas, non debes animam tuam occidere. *Os autem quod mentitur, occidit animam.* Item Apostolus negat, *mala facienda esse, vt bona eueniant.* Cæterùm mendacijs quanta fenestra patefiet, si aliter faciundum statuimus? Certè quod vnus pro vita licere putauerit, alter pro pecunia, alius pro existimatione, aut agris & prædijs tuendis sibi permittet. Atque ita fiet, vt mendaciorum nullus modus, aut terminus sit futurus. Atqui officioso mendacio neminem falli contingit. Imò mente atque opinione fallitur. Spectat tamen ad proximi commodum. Quid tum si non ea ratione promouet, qua Deus instituit? Negant præterea signorum abusum notari posse, siquidem ad proximi vtilitatem referuntur. Sed contrà, naturam deprauant, dum falsa pro veris ostentant. Non soluit ea res humanam societatem, quin potiùs indemnes seruat, atque incolumes. Contrà Dei prouidentiam negat, quæ hominum societatem absque scelere & vitio sartam tectam tuetur. Postremò, negant Scripturæ testimonia, quæ mendacibus mortis periculum denuntiant, de iocis, aut etiam officiosis mendacijs intelligenda esse. Respondemus, semper nos à Stoïcorum sententia abhorruisse, qui peccata omnia æqualia esse censuerunt. nos enim quædam leuiora, & quæ veniam mereantur, nec prorsus charitatem extinguant admittemus.

Responde-tur aduersar. rationibus.

Versus XVIII.

Dauid autem fugiens, saluatus est, & venit ad Samuel in Ramatha, & nuntiauit ei omnia quæ fecerat sibi Saul; & abierunt ipse & Samuel, & morati sunt in Naioth.

Variæ trāslationes.

IN *Ramatha.*] Lxx. edit. Complut. *εἰς Ἀρμαθαίμ.* Rom. edit. *in Armathem. Et morati sunt in Naioth.*] בנויות *benauoth.* Arias apud Pagn. *Et manserunt in habitaculis, vel domo doctrinæ.* Pagninus Vulgatam sequitur. Lxx. *καὶ ἐκάθισαν ἐν Ναβαθ ἐν Ῥαμᾶ.* *Et sederunt in Nabath in Rama.* Chaldæus, *Et sederunt in domo doctrinæ in Ramatha.* Vatabl. Salm. *Et habitauerūt in Naioth.* Et in Schol. *Naioth* locum esse situm in agro Ramah. aiunt quidam Hebræorum. alij locum vicinū Ramah.

A significat autem *locū studiosorū.* Quidam, *Et abijt ipse cū Schemuele, vt considerent Naiothis.* In Notis autem hæc habet: vt in Prophetarum collegio & Schemuelis consortio Dauidis animus &c. confirmaretur, & mirificam Dei administrationem, cui ipse fidebat, experiretur, qua ipse ereptus, inimici auersi sunt: fortassis etiam vt in collegio illo velut in asylo tutus à Schaule esset; quod apud omnes gentes etiam receptum fuisse historiæ prophanæ docent, & exemplum confirmat, suprà 10. 10. vbi ne Pelischthæi quidem hostes Israëlitarum, cœtum Prophetarum agentem Gibhæ, stationis eorum loco, infestarunt.

Dauid autem fugiens.

Dauid autem fugiens.] Ista fuga Dauidi vitio verti non debet. Non enim deserit munus, & vocationem suam. Nam quamuis esset designatus Rex, non tamen erat publicè renunciatus, B aut hactenus principatum inierat. *Et venit ad Samuel in Ramatha.*] Ælianus variarum historiarum libro duodecimo, capite vigesimo quinto, Adiutores, inquit, habuerunt, Vlysses Alcinoum, Achilles Chironem, Patroclus Achillem, Agamemnon Nestorem, Telemachus Menelaum, & Hector Polydamantem. Hieron quoq; Dinomenis filius vsus est Simonide Ceo, Polycrates Anacreonte, Xenophonte Proxenus, Antigonus Zenone. Lucullo verò profuit Antiochus Ascalonita, Mæcenati Arius, Ciceroni Apollonius, Augusto ipsi Athenodorus. Quod si Socratem Athenienses audiuissent, omni ex parte beati fuissent. Denique Plato, qui me multùm sapientia vincit, Iouem etiam habuisse aliquem à consilijs dicit: quem verò, C & quomodo, ab ipso discimus. Hactenus Ælianus. De Deo Christianus diceret: *Quis consiliarius eius fuit?* At secundum Deum Moyses, qui leges humano generi tulit, soceri sui consilijs in constituenda Republica non parum adiutus est. Reliqui fere Iudices, Sacerdotes coadiutores habuerunt, & nonnulli quoque à Prophetis de rebus gerendis fuerunt admoniti. Samuelis consilio tantisper dum viueret, Dauid vsus est: mox eo defuncto, Gad & Nathan Prophetas consuluit. Salomon, cùm sapientiæ laude floreret, non paucos sibi consiliarios asciuit: quorum sententiam cùm Roboam filius eius temere contempsisset, maiori parte regni excidit.

Ælianus. Magnorū virorū adiutores.

Venit ad Samuel in Ramatha.] Fugit Dauid ad Samuelem, & ab eo receptus est. Non tamen D existimare debemus, aut Michol, aut Ionathan, aut Samuelem perduelles esse, & reos læsæ majestatis. Nam vt habetur *in Digestis, ad Legem Iuliam maiestatis, lege vltima,* perduellionis reus est, qui animo malo aut in patriam, aut in Principem animatus est. Dauid autem non erat malè animatus erga patriam: nam eam auxit, & honestauit: nec erga Principem; nam illum semper obseruauit, & dimisit incolumem, cùm haberet in manibus. Quare non potuit videri perduellis. At declaratus fuit perduellis, & hostis à Saule iudicatus. Fateor. Sed illud tamen spectandum est, iurene, an iniuria. Certè si satis perspicuum sit, & constet de alicuius innocentia, deserendus à nobis non est, sed quoad fas est, & licet periclitanti suppe-

Iniustè dānatū à Principe, quatenus iuuare liceat.

VENIT AD, &c.

tias ferre debemus. Non tamen ideo publicæ pacis otia turbanda sunt, aut tentanda bello prouincia, armisue Princeps lacessendus: sed fugam molienti parare latebras, inopemque suis copijs fouere licet. Ita docet Paulus scribens ad Corinth. epist. 1. cap. 16. ver. 10. & 11. *Si venerit Timotheus videte, vt sine timore sit apud vos: opus enim Domini operatur, sicut & ego. Ne quis ergo illum spernat: deducite autem illum in pace, vt veniat ad me: expecto enim illum cum fratribus.*

Et nuntiauit ei omnia, quæ fecerat sibi Saul.] Venit ad Samuelem potius quam ad alium quemlibet, quòd ille videri posset autor omnium illarum calamitatum. Is enim vnxerat Dauidem, & designarat regem, & animosiorem fecerat in Palæstinos. Atque inde natum erat odium Saulis. Expostulat ergo Dauid quodammodo cum eo, & ab illo aliquid consolationis, & consilij expetit. Destituitur enim iam omni prorsus humana ope exul, & vagus eiectus domo, profugus à patre, à fratribus, à coniuge. Venit ergo ad prophetam, vt aliquid saltem solatij capiat è verbo Dei. Agebat tum Samuel in Ramah in patria sua, satis tutus à furore Saulis, propter memoriam rerum gestarum. Is cùm abdicasset magistratum, munus tamen prophetandi retinuit. Non enim sibi soli viuere voluit, vt Sylla posita Dictatura: aut delicijs atque otio vacauit, vt Diocletianus, cùm resignasset imperium. Instituit spiritualem scholam, & aluit apud se filios prophetarum. Isocratem laudat Pausanias in Atticis, quòd cùm octo & nonaginta annis vixisset, nunquam discipulos habere desierit. Verùm is in vmbra & otio educatus, nec fori procellis iactatus, Reipub. clauum vnquam moderatus fuerat, aut infestis signis in hostes delatus, quibus denique curis confectus animus laboribúsque fractus, vacationem impensiùs efflagitare solet. Sed Samuel scilicet ad vltimam vitæ periodum, inuicto mentis robore, vtilitatem publicam priuatis commodis antetulit.

Samuelis vltima senectus Reipub. vtilis.

Et abijt ipse & Samuel, & morati sunt in Naioth.] Hebr. בְּנָיֹת *benaioth.* dicitur & נָוִית *nauath* aliàs. Erat ibi schola sacra, & cœtus Prophetarum. Nam in Ramah excelsum fuit: vt suprà docuimus. *Naioth* exponunt *scholam*, aut collegium, à simul habitando. Nam נָוָה *nauah* sonat *habitare*, aut etiam *secedere*. Vox autem ipsa propriè significat pascua, aut loca sola, & deserta, speciosa etiam vertit sanctus Hieronymus: quę ferè sunt studijs aptissima. Locus igitur fuit vrbi Ramah vicinus, in quem plures ad Samuelem conuenerunt, exponendæ Scripturæ studio se dicantes, quibus ille præfuit; atque ex eis aliquot Deus excitauit, qui Prophetæ officium exercerent. Ibant isti Prophetæ, vt anteà legimus, quandoque turmatim ad excelsa, cum tympanis, & cantu, & instrumentis musicis. Ad quos cùm Saul adhuc agaso accessisset, correptus spiritus Domini cœpit prophetare. Huc Samuel adducit Dauidem, vt ex verbo Domini concipiat spem aliquam, aliquando melius fore. Credibile est Prophetas illos maiori ex parte fuisse ex tribu Leui: nam ad eam propriè perti-

Naioth scholæ Prophetarum.

A nebat omnis administratio, & cura sacrorum. Itaque ex illa tribu delecti huc adducebantur, vt vbi fuissent rectè, & piè instituti, postea sacra facerent, & docerent populum. Docebantur autem statim à pueris, vt pietas maturè imbibita, diutiùs, & pertinaciùs inhæreret. Illi ad nullum aliud vitæ officium exercebantur, quàm vt docerent Legem, vt sacra facerent, & orarent pro populo. Sed dices: Ista sunt dona Dei: quid ergo opus est ea discere à magistro? Sunt quidem Dei dona: fateor. Nihil tamen obstat, quin iuuenes excolere se possint bonis artibus, quibus postea Spiritus sanctus vti possit. Deinde non semper sua dona per se confert absque medio, sed sæpè hominum ministerium adhibet, ne quisquam torpeat rem sibi confectam putans, aut negligat, quomodo solemus quæ in B promptu sunt, & maiori inter se beneficiorum vinculo homines deuinciantur.

VENIT AD, &c.

Dicebantur filij Prophetarum, quòd maiores Prophetas, à quibus docebantur, haberent, & colerent loco patrum. Et discipuli atque auditores in sacris literis sæpè appellantur filij. Paulus ad Galatas: *Filioli*, inquit, *mei, quos ego iam iterum parturio.* Et ad Corinthios: *Filij non reponunt parentibus; sed parentes filijs.* Christus etiam apud Ioannem, discipulos sæpè vocat filios. Et Ioannes in epist. *Filioli*, inquit, *cauete ab idolis.* Esaias in cap. 8. *Obsignatio*, inquit, *in discipulis:* & statim addit, *Ego & pueri, quos dedit mihi Dominus.* Ad istos filios Prophetarum sæpè adiungebant se Nazaræi ex alijs tribubus. Illi prorsus disiuncti erant à vulgo, & speciem C aliquam gerebant nostrorum Monachorum. Sed quæ fuit Noui Testamenti gratia, vt Veteris dignitatem longo interuallo superaret, ita & Monachi, quorum studium referente sancto Hieronymo æmulati sunt, horum viuendi instituto descriptis ex Euangelio legibus longè præstiterunt. Plerique sanè eorum huius sæculi immemores, cùm tantùm immemores animo complexi essent, vitam in terris Angelicam potiùs quàm humanam vixerunt. Legendi SS. Basilius, Chrysostomus, Gregorius Nazianzenus, Hieronymus, Theodoretus, Cassianus, Palladius, Gregorius Magnus, Ioannes Euiratus, denique sanctus Athanasius, & plerique alij sancti Doctores, qui aut ipsi Monachi extiterunt, aut si qui prius ad Ecclesiæ gubernacula rapti sunt, quàm Monachismum profiterentur, D illum tamen in Episcopatu, & studiosè, quoad licuit, coluerunt, & in eius laudibus exornandis plurimùm versati sunt; vt sanctissimos Episcopos Athanasium & Ambrosium, duo clarissima Ecclesiæ lumina atque propugnacula, fecisse eorundem acta testantur. Nec ad hos postremò degeneres Monachorum filij, Religiosi, Deo autore adiuncti sunt, quorum præcipui duces Franciscus & Dominicus, solitudinem quidem pari studio sectati non sunt, at paribus votis armati, cùm diabolo & mundo bellum indixissent, terra marique expugnarunt, vltra columnas Herculis, & immensos Oceani fines, vniuersum orbem victorijs emensi. Verùm horum quidem trophæa iam prior ætas, & quæ deinceps nobis occidentibus emerget, iterum mira-

Filij Prophetarum vnde dicti.

Horum studium Monachi æmulantes Euāgelica perfectione illustrarunt.

ABIIT IPSE, &c.

mirabitur, neque tamen soli habendi sunt, qui Apostolicis laboribus defuncti, Ecclesiæ coronas pepererunt. Horum nos quoque mox vestigia pressimus, & in idem stadium altero Francisco duce, quem vidisse orientem Paula gloriata est, ingressi sumus.

Sed nos propria silentio dissimulare iuuat, nec aliena ducere, quæ charissimi fratres, & bonorum omnium studio atque amore digni, diuina virtute supra humanam fidem peregerunt. Vestram constantiam Oceanus exhorruit, ô Benedicti, quam non hæreticorum furor, non barbararum gentium immanitas perculit, non Pauli pericula, non falsorum fratrum insidiæ labefactarunt. Vestros agones rota, ignes, patibula loquuntur, vestri animi celsitudinem in vestram perniciem coniuratus orbis agnouit: cessit vterque polus, vestrásque laudes velut echo alternante Oriens pariter & Occidens prædicat. O beatos & felices, quorum nomine, quibus Iesus ignotus est, inuoluit! quorum sanguine tinctus Barbaris apparuit, quorum doctrina & prædicatione multo nunc mundus illustriùs quàm solis luce collucet! quibus potissimùm illud à Christo Domino dictum non dubito, *Qui vos audit, me audit.* Vestrum planè nomen Orbi nouo salutis omen fuit, neque sciens illud quisquam auersatur, nisi quem suæ redemptionis pœnitet. Quare age, ô digna Iesu Societas, nulla tuum nomen pars Orbis ignoret: semper noua dies maius afferat incrementum. Sic enim maximè benedicti Iesu nomen amplifices, vt *in eo omne genu flectatur*, Europæorum, Asianorum, Africanorum, Indorumque omnium, *& omnis lingua confiteatur, quia Dominus noster Iesus Christus in gloria est Dei patris.* Hoc tu nomen doctrina, hoc probatis moribus exornas, eximio flore castitatis, quem hactenus ne maleuolorum quidem calumnia delibauit; temperatissima sobrietate, quam nemo qui nouit, non miratur; &c, quod pace omnium dixerim, seuerissima paupertate, perfectissima autem obedientia, ac digna Iesu socijs charitate, quam nullo non genere pietatis exerces. Inuideant mali per me licet, suspectam etiam habeant boni, qui te perspectam non habent: ego te semper cum illis, *qui non sua quærunt, sed quæ Iesu Christi, præcipuo* honore atque amore prosequar.

Societatis Iesu vera laus, & commendatio.

Et morati sunt in Naioth.] Samuel fuit præses huius collegij. Ante eius ætatem eiusmodi cœtus prophetarum non commemorantur in sacris literis. Samuel autem iam factus Iudex, quod esset ex tribu Leui, putauit eam curam ad se pertinere. Huc se recepit Dauid, cùm fugisset Saulem. Et certè, quid potest homini exuli, & profugo esse iucundius, quàm ibi esse, vbi possit audire verbum Dei, & eius laudes prædicare? Quare qui exulant, aut in qualibet calamitate versantur, in primis adiungere se debent ad sacros cœtus, & sese verbo Dei, & prædicatione diuini nominis, assiduisque precibus consolari.

ECCE DAVID, &c.

VERSUS XIX.

Nuntiatum est autem Sauli à dicentibus: Ecce Dauid in Naioth in Ramatha.

VERSUS XX.

Misit ergo Saul lictores, vt raperent Dauid: qui cùm vidissent cuneum prophetarum vaticinantium, & Samuelem stantem super eos, factus est etiam spiritus Domini in illis, & prophetare cœperunt etiam ipsi.

Variæ trãslat.

Ecce Dauid in Naioth in Ramatha. Hebraicè בְּנוֹת בְּרָמָה *benauoth baramah.* Apud Pagninum tamen ad marginem pingitur בניות *benaioth.* Pagninus vertit, *in Naioth, quæ est in Ramah.* Arias, *in habitaculis in Ramah.* Chaldæus, *Ecce Dauid in domo doctrinæ in Ramatha.* Vatablus in Scholijs, id est, in agro in Ramah. Versu 20. *Lictores* מַלְאָכִים *Malachim.* Pagninus, *nuntios*, sicut & Interpres Paraphr. Chald. Septuag. ἀγγέλους item *nuntios.* Alius, *legatos.* Vatablus *nuntios*, quos *Lictores* interpretatur in Schol. *Qui cùm vidissent.*] Pagninus, *& viderunt.* Arias, *& vidit.* Septuag. καὶ ἐλθόντες εἶδον, *Et venientes viderunt.* Vatablus Salm. *& vidit.* In Schol. subaudi, maximus lictorum, vel singuli viderunt. Quidam, *Et vidit* quisque *congregationem prophetarum prophetantium, & Schemuelem stantem, qui præerat illis.* Græci, τὴν ἐκκλησίαν τῶν προφητῶν τῶν προφητευόντων, καὶ σαμουὴλ εἱστήκει καθεστηκὼς ἐπ' αὐτῶν, *cœtum, siue ecclesiam prophetarum vaticinantium,* (Aldin. & Rom. Edit. non habet vaticinantium) *& Samuel stetit stans super eos.* Roma edit. *& Samuel stabat assistens super eos.* Pagninus, *& Samuelem stantem, docentem eos.* Arias, *stantem, constitutum super eos.* Chaldæus, *& vidit turmam scribarum laudantium, & Samuelem stantem, docentem super eos.* Vatabl. Salmant. *Et Samuelem stãtem, antistitem super eos.* In Ecphrasi, Samuel præfectus illis stans docebat eos. *Et factus est etiam spiritus Domini, &c.* Pagninus, *Et fuit super nuntijs Saul spiritus Dei, & prophetabant etiam ipsi.* Chaldæus, *& mansit super nuntios Saul spiritus prophetiæ ab ante Dominum, & laudauerunt etiam illi.* Vatablus in Schol. *Et prophetarunt etiam ipsi*, idest, celebrarunt, & laudauerunt Deum. Non nemo, *tunc inuasit legatos Schaulis spiritus Dei, vt more prophetico agerent ipsi quoque.* Et in Not. vide sup. 18. ver. 9. Sic deinceps. Apparet autem eos deposuisse habitum illum militarem, quo capturi Dauidem venerant, ex vltimo versu huius capitis, vt habitu & gestu prophetas agerent.

Ecce Dauid in Naioth. In habitaculis. Ibi scilicet prophetarum filij commorabantur priuatim quisque, tanquam in separatis Carthusianorum cellis. Pauca rursum de Religiosis & Monachis, quoniam his maximè hæretici infesti sunt, & qui Catholicorum nomine falsò

Ecce David, &c.

Tertull. Apolog. cap. 38. Quod pij cœtus prohiberi non debeant.

gloriantur. Horum vitam & institutum ex antiquis Christianorum moribus describit Tertullianus Apolog. cap. 38. & 39. Ac primùm quidem quod pij cœtus prohiberi non debeant, ostendit his verbis. Inter licitas factiones sectam istam deputari oportebat, à qua nihil tale committitur, quale de illicitis factionibus timeri solet. Nisi fallor enim, prohibendarum factionum causa de prouidentia constat ac modestia publica, ne ciuitas in partes scinderetur, quæ res facilè comitia, concilia, curias, conciones, spectacula etiam æmulis studiorum compulsationibus inquietaret, cùm iam & in quæstu habere cœpissent venalem & mercenariam homines violentiæ suæ operam. At enim nobis ab omni gloriæ & dignitatis ardore frigentibus, nulla est necessitas cœtus, nec vlla magis res aliena quàm publica. Vnam omnium Rempub. agnoscimus mundum, &c. Subinde verò etiam Religiosorum studia depingit.

Idem ca. 39.

Studia Monachorum, veteris atque Apostolicæ Ecclesiæ mores.

Edam, inquit, iam nunc ego ipse negotia Christianæ factionis, vt qui mala refutauerim, bona ostendam. Corpus sumus de conscientia religionis, & disciplinæ vnitate, & spei fœdere. Coimus in cœtum & congregationem, vt ad Deum, quasi manu facta, precationibus ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata est. Oramus etiam pro Imperatoribus, pro ministris eorum & potestatibus, pro statu seculi, pro rerum quiete, pro mora finis. Cogimur ad diuinarum literarum commemorationem, si quid præsentium temporum qualitas præmonere cogit, aut recognoscere. Certè fidem sanctis vocibus pascimus, spem erigimus, fiduciam figimus, disciplinam præceptorum nihilominus inculcationibus densamus. Ibidem etiam exhortationes, castigationes, & censura diuina. Nam & iudicatur magno cum pondere, vt apud certos de Dei conspectu: summúmque futuri iudicij præiudicium est, si quis ita deliquerit, vt à communicatione orationis, & conuentus, & omnis sancti commercij relegetur. Præsident probati quique seniores, honorem istum non pretio, sed testimonio adepti. Neque enim pretio vlla res Dei constat. Hactenus Tertull.

S. Isidorus Pelusiota.

Monachorum mores copiosè S. Basilius explicat in Regulis fusiùs explicatis, quæ paucis compendiosè S. Isidorus Pelusiota complexus est, lib. 1. epist. 278. Monastica vita, inquit, ô amice, omnium Dei mandatorum imitatio est, ac receptaculum. Etenim ab ira, improbitate, fastu, pecuniarum studio, sui ipsius amore, remota est: obedientiam colit, omnibus inseruit, à corpore omnino aliena est, ac spiritus duntaxat propria: linguam ad gratiarum actionem procliuem, atque orationem vtilem habet, ad maledictum immota est: persuasione & obsequio cuncta facit, atque ad moderatoris nutum & arbitrium, quem & tempus & labor, & diuinus calculus ad antistij gubernacula collocauit, vt qui ventorum impetus & cognitos habeat, & videt. Hæc S. Isidorus. Hanc igitur vitam, hos mores, hæc instituta, cùm Monachorum principes admirabili sanctitate atque Angelica prorsus viuendi ratione consecrassent, posteriores etiam solenni voto firmarunt. Cu-

A ius rei hanc causam affert Iuo Carnotens. epist. 25. Quod verò postea, inquit, multiplicatis Monachorum congregationibus professiones ab eis exactæ sunt, & benedictiones super eos datæ, quadam cautela factum est: vt Monasticus Ordo quantò firmius in conspectu Dei & hominum & solemniùs ligaretur, tantò robustius & deuotius ab ipsis seruaretur. Et si qui vellent ab hoc proposito recedere, testimonijs pluribus conuincerentur, & tanquam iurati in Christi sacraméta tyrones, ad propositum suum reuerti cogerentur. Quibus liquet traditiones huiusmodi, nihil esse aliud, quàm quædam religionis vincula, humanæ instabilitati prouisa, quoniam omnis traditio religionis, nouitate & raritate viget & floret, antiquitate verò & numerositate, nisi districtè ligetur & seruetur, frigescit & vilescit.]

Ecce David, &c.

Iuo Carnotensis. Professio Monachorum voto firmata.

B *Misit ergo lictores Saul, vt raperent David.*] Mittit Saul satellites, qui Dauidem vel ex ipso sinu & gremio Samuelis extorqueant. Nihil enim veretur, nec cœtum sacrum, nec vultum prophetarum, nec ipsum denique Samuelem. Non hoc dico, quod sentiam, asyla præsidio esse debere hominibus sceleratis. Dominus enim in Exodo cap. 21. iubet, impium rapi ab altaribus. Et Ioab iussu Salomonis in ipsa ara occisus est. Sed ea causa dico, vt illustrius fiat flagitium Saulis. Nam si graue scelus est, fundere sanguinem innocentem, quantò grauius est, id in loco sacro, & coram prophetis, & Samuele facere? Si Samuel & prophetæ resistere voluissent, interfecisset eos Saul, vt postea interfecit Nobenses. Sed nihil promouet Deus enim

C qui Dauidem antea liberauerat per Ionathan & Michol, idem eum nunc liberat per Spiritum S. atque ista liberatio multò clarior est, & vehementior, quàm superiores duæ. Nunc enim & Saul ipse, & satellites victi capiuntur, & immutantur, & fiunt alij, captiui quodammodo Spiritus Sancti.

Iustinian. Aditu Monasteriorum iam olim lictoribus interdictum fuit.

Porrò lictoribus olim seu quibuslibet iudicum ministris, Monachorum religiosas domos intrare non licuit, Imperialibus edictis vetantibus, vt patet Iustinian. Nouell. Constit. 79. Quod si fortè contra tentatum esset, operæ pretium erit audire quid pœnæ statuerit. Si quidem Iudex sit, inquit, qui talem proferre sententiam præsumpserit, ab administratione repelletur, tanquam Diuinitati contumeliam faciens, &

D pœna 10. librarum auri cum officio suo multabitur, sacratissimo nostro dáda ærario. Exequutores autem præsumentes offerre omnino admonitionem, ab ipsis Deo amabilibus Episcopis prohibeantur, & retradantur in locis, quæ Decaneta nuncupátur, pœnas competentes passuri, exactionem nullam de cætero agere permittendi. Græcè legimus, ἐν τοῖς καλουμένοις δεκανικοῖς. Et Iulianus Antecessor Constitut. 73. de litium item executore, in Decanicis Ecclesiarum recludatur competentes pœnas luiturus. Ecclesiasticum carcerem vocat Meursius in voce Δεκανικά. Gothofredus ad Nouell. Constitut. 79. Decanicis, inquit, non absimilia ea esse loca existimo quæ Galli vocant *Chapitres*. Vnde possis colligere, Monasterijs fuisse hoc casu ius prehendendi,

Decanica Ecclesiarum.

MISIT ERGO, &c.

prehendendi, recludendi, adde & coërcendi. Basilius Diaconus in libello ad Theodos. & Valentin. Καισάρην πεπτώκαμεν ἀπηγάγομεν ἐν τῷ δεκανικῷ & inde plagis affecti ad supplicium rapti sumus in Decanico. Καὶ ἡμᾶς γυμνοὺς ἡμᾶς, ὡς δημίους καὶ ὑπευθύνους, quo loco nos nudos haud aliter quàm nexos & rationibus obnoxios, τιμωρίᾳ ἐνέδυσαν, animaduersione seu stola adornarunt.

Basilius Diacon.

Qui cùm vidissent cuneum prophetarum vaticinantium.] θίασον Græci vocant. θιασώτης autem est eiusdem chori particeps. θίασος siquidem, vt docet Suidas in eadem voce, τὸ ἀθροιζόμενον πλῆθος ἐπὶ τελετῇ, καὶ τιμῇ θεῶν, est multitudo congregata ad sacra, & Dei honorem celebrandum. In ea significatione Demosthenes & Xenophon vsurparunt. Ἀπὸ τοῦ θεῖν, ὅ ἐστι θύειν, quod furere, insanire, currere significat, vt exponit interpres Suidæ. Alijs θύειν sacrificare est. θεῖν, idem quod τρέχειν currere. Vel certè θίασος dictus est ab ἐνθουσιᾷν, id est, diuino numine afflatum esse. *Vaticinantium.*] Sacerdotium Philosophiamque, neque ab ijsdem oriri principijs, neque circa eadem versari, docet idem Suidas in voce ἱερατική. Et Philosophiæ quidem ascribit rerum inuestigationem, at Sacerdotium Deum colit & veneratur. Differit præterea de animarum immortalitate, & de infinitis apud inferos rebus, de locis omnis generis, quæ cuique pro virtute, & vitio sunt attributa philosophatur, &c.

Suidas. Quid θίασος siue chorus?

Sacerdotij & Philosophiæ non idem finis.

Factus est spiritus Domini in illis, & prophetare cœperunt.] Non venerant Satellites ea causa, vt audirent prophetas. Audiunt tamen, & vincuntur. Quare in primis celebrandi sunt cœtus sacri. Multi enim, etsi non alia ratione veniant, quàm vt habeant quod rideant, tamen sæpe imprudentes capiuntur. Ita aspides, quamuis ea causa prorepant è latebris, vt inficiant aliquem veneno suo, tamen interdum, antequam possint regredi, excantatur. Ea vis est verbi Dei, vt mutare valeat hominum consilia, quantumuis obfirmata. Non enim expectat Deus dum hominum animi præparentur. Quod si præparati non sunt, ipse præparat. Plato in Ione de furore poëtico ait, vim illam proficisci à Deo, & poëtas primùm afficere: ab illis autem affici alios, & ab illis item alios. Vt magnes vi sua attrahit annulum ferreum, & ille alterum, & ille vicissim eadem vi attrahit tertium: Ita verbo Dei & prophetæ ipsi loquentes afficiuntur, & afficiunt alios, & illi item alios. Verisimile autem est istos prophetas cecinisse aliquid ad rem præsentem, & ad illud tempus accommodatum, quale sit, innocentiam Deo curæ esse, nec iusto iniuriam irrogari debere. Samuel stabat in medio, tanquam Lamnazeah, & præfectus.

Diuini verbi vis.

Plato.

Melius multò agitur cum istis satellitibus, quàm cum illis quinquagenarijs, in quos Elias ignem deuocauit de cœlo. Isti capti prophetarum hymnis, & perciti canunt iam laudes Deo, prorsus obliti mandati regij. Ita ministri qui mittebantur à Pharisæis ad capiendum Christum, cùm redijssent infecta re, testati sunt, se neminem vnquam audisse, qui ita loqueretur. Erant rudes, & imperiti literarum: tamen Deus etiam rudissimos quosque excitare potest ad prophetandum. Quid enim Saul fuit nisi agaso?

A Quid Dauid nisi opilio? Quid Apostoli nisi piscatores? Spiritus Sanctus instrumento parato non indiget: nouit ipse qua ratione paretur, & quam non habet vim suapte natura, ipse sua gratia confert & tribuit.

QVOD CVM, &c.

VERSVS XXI.

Quod cùm nuntiatum esset Sauli, misit & alios nuncios: prophetauerunt autem & illi. Et rursum misit Saul tertios nuncios: qui & ipsi prophetauerunt: Et iratus iracundia Saul.

B

VERSVS XXII.

Abijt etiam ipse in Ramatha, & venit vsque ad cisternam magnam, quæ est in Socho, & interrogauit, & dixit: In quo loco sunt Samuel & Dauid? Dictúmque est ei: Ecce in Naioth sunt in Ramatha.

DVm ministri morantur, dum Saul ipse morarum impatiens domi furit, interim res ad eum defertur, afflatos diuino spiritu satellites ad chorum prophetarum accessisse, atque vnà cum illis vaticinari. Verùm, nihil ea re mouetur, nec iram cohibet numinis reuerentia, cuius antea vim in seipso expertus erat: Sed alios C iterum eò allegat, qui priorum ignauiam corrigant. Iam profectò illud est, aut nusquam, quod aiunt, Gygantum more cum Deo pugnare. An verò credidit numero militum Spir. Sanctum terreri posse? An potius persuasus est, priorum imprudentia factum esse, vt à Numine corriperentur? An fortè secundos diligenter admonuit, vt sese obseruarent, nec vllam diuinæ inspirationis rationem haberent? An temerè opinatus est, etiam Prophetarum spiritum sibi subiectum esse debere. An denique hominem Deo resistere posse? An certè nihil horum in causa fuisse dicendum est, quin potius cæcus & amens inuidia quò raperetur non intelligebat? Itaque nec altera vice destinasse contentus, tertiò etiam satellites eò contendere iubet, nec tamen obtinet, quod iniustè sperarat: D nam tertij quoque pariter instinctu numinis agitantur, & ad superiores sese adiungunt. Pertinax, cùm apud Herodianum, quorundam militum furorem oratione atque Imperatoriæ maiestatis reuerentia à sua cæde prohibuisset, ab alijs cæsus est. Antonius quoque orator apud Plutarchum, cùm sicarios ad se missos eloquentia flexisset, ita vt re infecta redirent, ab alio qui audire contempserat, obtruncatus est. Verum istic non humanæ facultas eloquentiæ, sed diuina quædam potentia non vnos modò atque alteros ab inferenda vi cohibuit, sed tertios quoque prophetas effecit. Vacabant illi diuinis laudibus, Saulis præceptorum immemores, & quem ad supplicium rapere statuerant, inter

Hominis temeritas atque amentia.

QVOD EVM, &c.

prophetas psallentem cithara Dauidem venerabantur. Itaque ex illis omnibus nullus ad Regem rediјt. Cùm Iehu 4. Reg. cap. 9. cum exercitu venire nuntiaretur, misit Ioram Rex Israel nuncios, qui quærerent; an esset pax? At ille, quid tibi, inquit, & paci? transi post me. Tantus autem illis iniectus est timor, vt vltro sequerentur. Ita isti lictores immutati, & quodammodo effecti alij, restiterunt apud Samuelem.

Faciliùs plures decipere quàm vnum. *Abijt etiam ipse in Ramatha.*] Faciliùs, inquit Herodotus lib. 5. visum est Aristagoræ Mileti tyranno, multos decipere quàm vnum: qui cùm Cleomenem Lacedæmoniorum Regem fallere non potuisset, id tamen in triginta millibus Atheniensium effecit. Quare postremò Saul eò ipse proficiscitur, quasi nesciret, corda regum esse in manu Dei. Proficiscitur autem non bono animo, sed admodum iratus. Nam in Græco textu legitur, *excandescebat.* Sic enim cogitabat, habent illi & tuentur meum hostem ac perduellem. Vlciscar hanc iniuriam: non ferent inultum. Sic Paulus proficiscens Damascum cum literis, è lupo repente agnus euasit. Quærit, vbi sit Dauid: nec Dauid solùm, sed etiam Samuel, ex quo apparet ne prophetæ quidem sanctissimo parcere statuisse. Interrogati locum indicant. Statim ingreditur in Saulem Spiritus Domini, & prophetat. Erat iste *spiritus Dei bonus.* Cessetat enim ad tempus spiritus satanæ. Nunc non loquitur aliena, vt antea, sed accommodat se ad alios prophetas. Id autem factum est ad puteum, antequam peruenisset ad cœtum. Satellites verò non ante cœperunt prophetare, quàm inter ipsos prophetas constitissent. Ita sæpe fit, vt qui sibi videntur fortiores, spiritu Domini efficiantur imbecilliores. Decreuerat Esau perdere Iacob fratrem suum, illum tamen reducem amicè complexus est. Dei potentia in flectendis mortalium animis. Laban cùm in generum fugientem furibundus irrueret, diuina admonitione placatus est. Dauid ipse vxoris Nabal facundo sermone fractus, eiusdem familiæ pepercit. Pharao cùm ad se adduci iussisset vxorem Abraham, statim ad vocem Domini mutauit animum. Alexãder post Tyrum euersam malè animatus erga Iudæos, tamen statim aspectu Sacerdotis delinitus est. Assuerus denique cùm decreuisset Iudæos perdere, mutata sententia, voluntatis suæ significationem irritam esse iussit. Nec mirum. Deus enim, cùm alterna vicissitudine elementa commutet, & cœlum immensum torqueat, & cuncta quæ cæli ambitu continentur ad arbitrium suum impellat, & regat, multò faciliùs flectere poterit animos hominum, & ad ea quæ velit, eorundem studia traducere.

VERSVS XXIII.

Et abijt in Naioth in Ramatha, & factus est etiam super eum Spiritus Domini, & ambulabat ingrediens, & prophetabat vsquedum veniret in Naioth in Ramatha.

VERSVS XXIV.

Et expoliauit etiam ipse se vestimentis suis, & prophetauit cum ceteris coram Samuele, & cecidit nudus tota die illa & nocte. Vnde & exiuit prouerbium: Num & Saul inter prophetas?

Variæ trãslat. IN *Naioth.*] Quidam est locus quidam in ciuitate Rama. Ionathan vertit, *domum doctrinæ. Et factus est etiam super eum spiritus Domini.*] Hebraicè הוא רוח אלהים *hou rouahh elohim. Ille spiritus Dei.* Chaldæus, *spiritus prophetiæ ab-ante Dominum. Et ambulabat ingrediens & prophetabat.*] Pagninus, *& iuit eundo & prophetauit.* Chaldæus, *& iuit iens & laudans.* Rom. Edit. Septuaginta Interp. *Et ibat prophetans.* Alij, vt notat Flaminius, καὶ ἐπορεύετο πορευόμενος προφητεύων. ita Aldus. *Et ambulabat ambulans, prophetans.* Complut. καὶ ἐπροφήτευσεν. *& prophetauit.* Vatabl. *Et eundo ibat, & prophetabat.* In Schol. id est, inter eundem prophetabat. Alius, *ita vt indesinenter pergens prophetico more ageret.*

Versu 24. *Coram Samuele.* Hebraicè לפני *Liphne, ad facies siue coram* שמואל *Scemouel.* Chaldæus, *ante Samuel*, Complut. ἐνώπιον Σαμουήλ. *Coram Samuele.* Aldus tamen legit cum Edit. Rom. ἐνώπιον αὐτῶν *coram eis.* Chaldæus, *& misit etiam ipse vestimenta sua, & laudauit etiam ipse ante Samuel; & cecidit nudus, &c.* Vatablus Salmant. *Ipse quoque exutis vestibus suis prophetauit.* In Schol. Quidam Hebræorum intelligunt hoc de ornatu regio. Alij aiunt abjecisse omnia vestimenta, & rectè. Alius, *Vbi exuens etiam ipse vestes suas prophetico more agebat.* In Not. id est, deponens militarem habitum, sicut fecerant prius ab ipso missi, vt se in speciem prophetæ componeret. *Coram Samuele.*] Vatablus ad hæc annotat, Samuelem tamen non inuisisse illum, neque ad eum adijsse, aut dignatum aliquando fuisse eundem alloqui, iuxta id quod suprà dictum fuit, Samuelem vltrà eum non inuisisse ante mortem suam. *Et cecidit nudus tota illa die, &c.*] Vatablus, *& procidit nudus.* In Schol. subaudi, in terram. Humi iacuit, vt & alij qui correpti erant ac possessi spiritu illo diuino. non enim fungebantur sensus exteriores officijs suis. Hæc Vatabl. Quidam, *excidit nudatus toto die illo. &c.* In Notis, id est, extra se raptus est: vide Num. 24. 4 *Nudatus*, supple militari habitu quo se exuerat: simile est Isaiæ 20. 2.

Prouerbij explicatio. *Vnde & exiuit prouerbium.*] Hebræi ad verbum, *Idcirco & dicere solent: an etiam Saul inter prophetas*, vel, *in prophetis?* De hoc prouerbio quidam in Notis, Prouerbium est, de eo qui præter expectationem diuinitus cohibetur à præstando conatu suo: quod confirmat exemplum Balaam Numer. 23. & 24. & Pauli Actor. 9. Est autem hoc prouerbium anceps, de ijs qui aut spiritu Dei impelluntur ad aliquid agendum, vt suprà 10. 11. aut de ijs qui à præstando auertuntur impulsi aliò mirifica Dei administratione. Vatablus de eodem in Schol. Hoc prouerbium

Et factus, &c. prouerbium pertinet ad summam laudem potentiæ Dei, quum volumus ostendere ipsum multa facere præter hominum opinionem. De re quæ prima fronte videbatur absurda, dicebatur hoc prouerbium. Sensus est, Nonne Saul prophetauit, & spiritu Dei arreptus est, quum prophetas vellet perdere? quasi dicat, prophetauit. Vel, Num Saul propheta erat, quum coram Samuele in Rama prophetauit? Non nemo totam hanc sententiam ita vertit: *Et exuens vestimenta, prophetauit & ipse coram Samuel, & cecidit nudus tota die illa & tota nocte: & hinc est quod dicunt: Nunquid & Saul inter prophetas?* Et in Annot. Quando, inquit, prophetæ tangebantur spiritu Dei, amittebant sæpenumero vsum sensuum exteriorum, nescientes, quid foris fieret. Vnde abiecerunt vestes suas & corruerunt in terram, ob internam Dei locutionem non potentes subsistere in pedibus suis. Quidā erant dormientibus similes, alij mortuis, alij loquebantur ex spiritu Dei, &c. Irruit itaque spiritus Dei propheticus in Saul, quo tutiùs Dauid effugeret manus illius. Hæc ille.

Et factus est etiam super eum spiritus Domini.] Ne à contumaci quidem abhorruit. Æschylum, non ignobilem tragicum, cùm puer in vineis excubaret vuas custodiens, à Baccho in somnis tragœdiam scribere iussum, repentè poëtam euasisse memorat Pausanias in Atticis. *Et ambulabat ingrediens & prophetabat.*] At contrà, in Helicone monte cuiusdam serpentis virus salubrium herbarum pastu euadit nocentius, vt docet Pausanias in Bœoticis. Idem affirmat quidam è Phœnice oriundus, in montana parte Phœnices optimarum radicum pastu viperas efferari. Veruntamen, quod magis ad rem præsentem attinet, de viperis ijs, quæ in Arabia inter balsami arbores versantur, diuersum quiddam accepi, inquit Pausanias. Sunt balsami arbores ea, qua myrti stirpes, magnitudine: folia illis qualia herbæ amaraco. Habent sua circa eas plantas cubilia viperę, quibus balsami liquor cibus est longè suauissimus: ipsa etiam fruticis vmbra maximè delectantur. Carere aiunt Arabes letali veneno. Quod si quem morsu appetierint, plaga est quasi è ferri vulnere, sed veneni omnino expers, quod scilicet balsami pastu veneni acerbitas ipsa mitescat.

Pausanias.

Veneni vis balsami pastu extinguitur.

Et ambulabat ingrediens, & prophetabat vsque dum veniret in Naioth.] Hebraicè legimus וַיֵּלֶךְ הָלוֹךְ וַיִּתְנַבֵּא עַד־בֹּאוֹ בְּנָיֹת *vaielech haloch vaythnabe gad boo benaioth.* quæ Pagninus verbum è verbo transtulit, *Et iuit eundo, & prophetauit vsquequo veniret,* Arias, *vsque ingredi ipsum in Naioth.* Non semel hoc capite Scripturę נביאים *Nebijm* meminit, sicut & suprà cap. 10. Prophetas nomen illud significat. Sunt qui manasse velint à verbo בא *ba.* quod est *venire,* à נבא *niba* coniugatione passiua Niphal, & nuntium propriè atque interpretem significare. Sunt namque prophetæ diuini nuntij atque interpretes. Hic porrò *Ambulabat,* inquit, *ingrediens & prophetabat vsque dum veniret,* &c. Græcè dicitur προφήτης à πρόφημι, quod est prædico. aut, vt alij malunt, à προφαίνω, quod valet ostendere: vnde apud Latinos templa dicuntur phana: &, vt Festus Pompeius putat, antistites fanorum appellabantur prophetæ. Ὑποφῆται dicebantur, qui maioribus prophetis inseruiebant. Talis fuisse videtur Elisæus donec Elias viueret; talis Aaron, qui etiam Mosis propheta dicitur apud Pharaonem; tales, vt arbitror, plerique filij prophetarum, qui in efferendis explicandisque præstantiorum prophetarum oraculis suam ipsi operam locabant. Propheria certè, si propriè accipias, nihil aliud esse videtur quàm donum seu lumen intellectus, à spiritu Dei collatum certis quibusdam hominibus, citra institutionem, qua diuina, sublimia, & arcana quædam certò cognoscuntur, & ad Ecclesiæ ædificationem alijs exponuntur.

Nabim, Prophetæ, vnde dicti.

Quid Prophetiā.

Prophetiam diuinum munus esse ne, Ethnici quidem ignorarunt. Inde enim nonnullis ἐνθουσιασταί, dicti sunt, à θεάζειν, quod est *incitare,* & impellere. Prophetæ enim patiuntur instinctū quendam, & tanquam extra se numinis vi ac potentia rapiuntur. Sed hanc inflammationem animi & numinis afflatum, non perinde vt decuit admirati sunt. Nam cùm dæmon veri Dei æmulus, nonnunquam hominum mentes furore concitet, & multa cogat non intellecta profari, hanc quoque furiosam dementiam ad prophetiam pertinere censuerunt. Itaque ab eis etiam μάντεις nuncupati sunt, ἀπὸ τοῦ μαίνεσθαι, sicut & apud Latinos Fanatici. Verùm hæc, quantùm diabolicorum vatum sunt propria, tantùm abhorrent à veris Dei prophetis. δαίμονος μὲν γὰρ, inquit S. Chrysost. Homil. 29. in 12. cap. 1. ad Corinth. ἴδιον, τὸ θόρυβον καὶ μανίαν ποιεῖν, καὶ πολὺ τὸ ζόφος. Θεοῦ δὲ τὸ φωτίζειν, καὶ μετὰ συνέσεως διδάσκειν τὰ δέοντα. Est enim dæmonis proprium, tumultum, & furorem, & multam procreare caliginem: Dei autem est illuminare, & quæ oportet docere cum intelligentia. προφήτης δὲ, οὐ διάφορον αὐτὸ μάντεως, ὁ προφήτης. Atque hæc prima quidem est vatis seu diuinatoris & prophetæ differentia. Hanc verò pluribus ibidem confirmat Chrysostomus, ac primùm quidem ipsius autoritate Apostoli, qui hoc asserit eiusdem cap. ver. 2. eodem interprete Chrysostomo: Deinde Corinthiorum testimonio, quos idem Apostolus eorum, quæ diceret, testes laudauit. Adhæc etiam Platonis, qui præclara quidem vates proferre ait, sed seipsos non intelligere. Id quod Plato docet, vt Iustinus Martyr autor est, in eo dialogo quem Menonem inscripsit. Narrat verò deinceps quomodo & apud veterem poëtam, postquam quispiam τελετῆς τινος καὶ μαγγανείας, profanis sacris & præstigijs siue imposturis κατέδησε δαίμονα εἰς ἄνθρωπον homini dæmonem illigauit, καὶ ἐμαντεύετο ἐκεῖνος, & iam ille vaticinabatur & discerpebatur exitio proximus, nec vim dæmonis vltrà ferre sustinens, τοῖς μαγγανεῦσιν præstigiarum autoribus dictum sit,

Prophetarum bonorum malorumque discrimen.

S. Chrysostomus.

S. Iustinus in Serm. contra Gētes in fine.

Λύσατε, λοιπὸν ἄνακτα βροτὸς θεὸν οὐκέτι χωρεῖ,
Soluite: namque Deum regem non amplius ipsum
Mortalis capit, &c.

Quibus nos illud item addere possumus ex Virgilio:

Virgilius.

Bacchaturque furens, magnum si pectore possit
Excussisse Deum: tanto magis ille fatigat
Os rabidum, fera corda domans, fingitq; premēdo.

Et factus,&c.

Satanicorum vatum furor.

Ad extremum etiam Pythiæ meminit, quæ in Apollinis tripode sedens diuaricatis cruribus, per eas partes, quæ honestè nominari non possunt, subeuntem immundum spiritum excipiebar, moxq́; passis capillis, ore spumanti, haud aliter quàm ebrij seu potius arreptitij solent, inhonestis motibus quatiebatur. Ex quibus omnibus quid aliud possis colligere, quàm eos, à quibus hæc miseri mortales patiantur, spiritus esse nequissimos? Non sunt igitur Dei prophetæ qui furunt, nec si quos ipse, afflauerit, vsquam bacchantur. Τοῦτο γὰρ μάντεως ἴδιον, τὸ ἐξεστηκέναι, τὸ ἀνάγκην ὑπομένειν, τὸ ὠθεῖσθαι, τὸ ἕλκεσθαι, τὸ σύρεσθαι ὥσπερ μαινόμενον. Hoc est .n. proprium vatis seu diabolici prophetæ, emotæ mentis esse, vim ac necessitatem pati, pelli, trahi, raptari tanquam furentem. Ὁ δὲ προφήτης οὐχ οὕτως, ἀλλὰ μετὰ διανοίας νηφούσης, καὶ σωφρονούσης καταστάσεως, καὶ εἰδὼς ἃ φθέγγεται φησὶν ἅπαντα. Propheta autem non sic, sed cum mente sobria, & cum modesta ac temperante constitutione, & sciens quæ loquitur, dicit omnia. Hæc & multò plura Chrysostomus.

Hebræi verò, etsi nonnullo discrimine נבואה *nebouah* quam dicunt prophetiam, & Spiritum Sanctum, qui dicitur illis רוח הקדש *ruahh hakodesc*, distinguant, nusquam tamen, qui sapiunt, inter dona S. Spiritus furoris & amentiæ meminerunt. Prophetiam somnium seu visum interpretantur, aut, si qua fortè vigilanti inciderit, mentem tamen volunt à sensibus ad rerum arcanarum contemplationem auocari Spiritu verò sanctitatis, seu רוח הקדש *rouach hakodesc* ita mentem prophetæ collustrari volunt, vt tamen nulla vis afferatur sensibus, sed suas ipsi functiones obtineant. Quod genus afflatus hoc tempore Saulem corripuerit, difficilè statuas. nam à spiritu Domini concitatus scribitur, & item prophetasse: sed quacunque tandem ratione afflatus sit, nũquam in animum inducam, Bacchantium more insanijsse. Neque verò נביא *nabi*, quod nonnulli volunt, à verbo בוא *bo* ducit originem, & furiata mente excurrisse prophetæ videri possint, quin potius ab eo verbo petẽda est eius etymologia, quo hoc loco Scriptura vtitur. Sic autem habet, ויתנבא *vaythnabe*, *& prophetauit*, à verbo נבא *naba*, quod est *futurum dixit*, prophetauit, vaticinatus est. Dicet aliquis, esto: non alium eius dictionis fontem agnoscamus, eadem tamen cùm in Hithpael vsurpatur, pro ratione coniugationis, ferè cõmentitiam ac falsam prophetiam denotat. 3. Reg. cap. 18. ver. 29. de prophetis Baal dicitur: ויתנבאו *& prophetauerunt*. quod non nisi superstitiosè facere potuerunt. Quamobrem etiam Chaldæus non ineptè vertit, *& insaniebant*. Quod etiam suprà pariter obseruat cap. 18. nam quo loco Saul domi prophetare fertur, *insanire* idem interpretatus est. Respondeo nequaquam illud constans & perpetuum esse. Nam præter exempla quæ Vetus Pagina suppeditat, noui Testamenti interpretes Syrus & Arabs, eodem ipso verbo seriò vtuntur. Matthæi cap. 7. vers. 22. *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus?* Arabs habet, תנבאנא *thanabbana*; Syrus, אתנבין *ethnabbin*. Et rursum Syrus Actor. 2.

Quid de Saule sentiendum.

Etymologia.

quo loco de adulterina prophetia intelligi non potest, ונתנבין *venethnabbin*, *& prophetabunt filij vestri & filia vestra*, &c. Denique his omnibus in eam sententiam adducor, vt & Saulem verè prophetasse credam, & cùm hic tum etiam sequenti versu, quo vestes abiecisse dicitur, nihil admisisse quod indignum Spiritus Sancti maiestate iure censeri posset: tantum abest, vt indecenti vllo gestu, aut indecora turpique nuditate, religiosum illum chorum fatear violasse.

Et expoliauit etiam ipse se vestimentis suis.] Varias huius loci translationes prius attulimus. nec dubium quin Saul cùm prophetaret, vestes abiecerit: sed eas R. Chimhi, & Ben Gerson regias duntaxat exponunt. Non enim eum putant prorsus omnes vestes posuisse, & nudum prophetasse. Accepit autem fortasse alias vestes, vt esset similis aliorum prophetarum. Nam credibile est prophetas vsos fuisse alia veste singulari, vt puta *ephod*. Eius autem vestis tria erant genera: vnum Pontificium, quo solus Pontifex vtebatur: alterum Leuiticum, quo Leuitæ ornabantur in ministerio: tertium vulgare. Itaque Dauid, cùm saltaret ante arcam, ephod induerat. Quod autem scribitur in contextu, Saulem fuisse nudum, nihil est. Ita enim Michol quoque loquitur de Dauide, cùm posita veste regia ante arcam saltaret, *Denudauit se, quasi vnus ex scurris*. Ita Saul, cùm abiecisset ornatum regium videbatur quodammodo esse nudus. Nam alioqui nudum sedere & bacchari, arreptitij potius videtur esse, quàm prophetæ Domini. Ambulauit quidem Esaias discalceatus & nudus, sed vt foret portentum futuræ cladis, ac tum quidem verisimile est etiam pudori consuluisse. Notum est quàm dira animaduersione Dauid Ammonitas vltus sit, quod legatorum suorum medias vestes præcidissent. Quî fieri igitur potuit, vt prophetas suos Deus ad ludibrium impudentiæ nudos exponeret? Negat Pausanias in Bœoticis, Gratias apud priscos nudas fuisse sculptas aut pictas, sed hoc temerè postea à recentioribus tentatum fuisse. Etenim apud Smyrnæos, inquit, cùm in Nemesium fano præter cætera signa, ipsæ etiam Gratiæ aureæ dedicatæ sunt, quas Bupalus fecit: tum verò in cantorum statione (oleum ipsi vocant) Gratiæ imago Apellis opus est. Pergameni etiam in Attali thalamo, & in eo templo quod Pythium nuncupant, suas habent & ipsi Gratias, quas pinxit Pythagoras Parius. Socrates ad hæc Sophronisci filius, ante arcis vestibulum Gratiarum Atheniensibus è marmore signa fecit. Ea sanè omnia sunt veste velata. Qua verò ratione posteriores nudas eas prostituerint, compertum, inquit, non habeo. Hæc ille.

Ego verò Rab. Abenezra, quem Vatablus sequitur, sententiam probare non possum, spiritu diuino correptos ignorare quid agant, & verecundia ac pudore priuari, quo liberiùs laudes diuinas prædicent; itaque ita non rarò vestes exuere, & instar Adamitarum nudos bacchari. Solus Noe, cùm primum vino madidus esset, in tabernaculo nudatus est: qui tametsi multis de causis veniam merebatur, attamen filijs ludibrio fuit. Habuisse rationem decori cum primis

Et factus,&c.

Quas vestes Saul abiecerit.

Pausanias. Gratiæ haud unde primùm pictæ.

arbitror.

Et cecidit, &c.

arbitror. Portendisse autem Saul docet S. Theodoretus, hac sua nudatione proprij regni abdicationem, quod vt fieret, nequaquam opus fuit omni prorsus veste nudari. *Scidit*, inquit Euangelista. *vestimenta sua* Pontifex, vbi se Christus Dei filium confessus est. Constans verò omnium sententia est, eo pacto veteris Sacerdotij abrogationem significasse. Num igitur nudum tu nobis tanquam in scena depinges? Posita purpura & detracto diademate plerique olim Imperio se abdicarunt. Quid igitur necesse fuit, quæ pudor celat, palàm ostentare? Nam alienatę quidem mentis argumentum illud esse potuit, priuatim tamen nihil attinet ad regni priuationis prognosticon. Veruntamen, inquis, cùm esset indignus gratia, secus quàm cæteros Saulem prophetare decuit. Sic tamen arbitror vt decorum seruaret, ne quid eo spiritu indignum patraret à quo moueretur. neque enim ab alio præter cæteros spiritu afflatum dices. Hi porrò omnes diuino numine correpti erant. Deinde quis putet meritorum rationem hoc loco fuisse habitam? Ne vita quidem dignus censeri debuit, si superioris ætatis facta excutias. Sed prophetia etiam indignis confertur. Neque enim verisimile est Saulem impio Balaam, fuisse nequiorem, quem tamen, cùm oracula funderet, nudati corporis accusat nemo. Porrò quod eodem spiritu cum cæteris Saul agitatus sit, nec dissimili ratione vaticinatus, disertis verbis Scriptura testatur. Sic enim habet primùm versu 23. *Et fuit super eum* גַּם הוּא רוּחַ אֱלֹהִים *gam hou rouakh elohim, etiam ille spiritus Dei.* Hoc verò loco ostendit, haud aliter vestes posuisse quàm cæteros. Hebraicè, וַיִּפְשַׁט גַּם הוּא בְּגָדָיו *Vayffcat gam hou begadau, & expoliauit se etiam ipse vestimentis.* Postquæ mox sequitur: *Et prophetauit*, ac si diceret, idem quoque positis instar priorum vestibus, atque eodem numine afflatus est. His ergo in eam sententiam adducor, vt arma duntaxat, & cultus regios, aut etiam pallium exuisse asseram, quod plerisque ante me interpretibus placuisse video.

Saulis nuditas quid portenderit.

Quæ nuditas intelligenda.

Prima interpretatio vocis נָפַל naphal. Et cecidit.

Et cecidit nudus tota die illa & nocte.] נָפַל *Naphal* quod etiam נִפְלַל *niphlal* dicitur, Hebræis *cadere* est: nec illud insolitum prophetis, vti de seipso testatur Balaam Numer. 24. ver. 4. *Vir qui cadit*, inquit, *& sic aperiuntur oculi eius.* Daniel item cap. 10. *Jacebam*, inquit, *consternatus super faciem meam, & vultus meus herebat terræ.* Ezechiel præterea 1. cap. *Cecidi super faciem meam*; quo loco Scriptura hac eadem voce vtitur. Veruntamen quandoquidem totum illum diem ac noctem perseuerasse eo habitu dicitur, quo habitu nemo eum prophetasse existimabit aut diuinas laudes cecinisse, tametsi plures eo pacto diuini consilij participes effecti sunt, quos ante erigi contigit quàm accepta palàm efferrent: idcirco alias eius vocis significationes inuestigare cogimur, si fortè aliqua in hunc locum aptè congruentérque quadret. *Manere* equidem נָפַל *naphal* nonnunquam in Scripturis significat. Lustrare autem vniuersam Scriptur. regionem non vacat, sed ne conducit quidem, cùm vno atque altero testimonio nostram sententiam probare possimus, & ; si quis plura desideret, in promptu habeat apud Mari. quidem Brixianum in Arca Noe, apud Kirkerum verò in Concordant. Græcor. atque Hebraic. Certè ea dictio Genes. cap. 25. ver. 18. Habitasse Ismaëlem significat, ab Heuilah vsque Sur è regione omnium fratrum suorum, si tamen Chaldæo credimus, qui נָפַל *naphal* שְׁרָא *Scera* siue habitauit interpretatus est, sicut & Septuag. κατῴκησε: Vulgatus tamen *obijt* exponit, Pagninus *& mortuus est*, Arias, *cecidit.* Septuag. verò, cùm initio vers. וַיִּשְׁכְּנוּ *vayisckenou* legatur, quod habitauit siue habitauerunt cum Vulgato omnes interpretantur, in fine נָפַל etiam *naphal*, ac proinde vtrúmque verbum, κατῴκησε transferunt: nec quisquam dubitat, quin שָׁכַן *scachan* morari, habitare, manerέque significet. Nec secus vtrobique Chaldæus verbo שְׁרָא *scera* vsus est quod Syris Chaldæisque idem est, ac *mansit.* Ex quo sequitur, vt mansisse apud prophetas Saulem diem noctemque intelligere possimus, nec sit necesse toto illo tempore eundem humi iacuisse, minus verò obijsse, mortuúmue fuisse, quomodo ex illo Genes. transferri potuit, nisi fortè secundum tropologiam accipias, quod de seipso non rarò Apostolus prædicat, cùm se mundo mortuum crucifixúmque asserit. שְׁרָא *Scera* porrò, quam vocem Chaldæus vsurpat, effundere etiam ac parcere, condonaréq; nonnullis locis indicat, quæ studiosè obseruauit Guido Fabricius in suo lexico Syro-Chald. ita vt non incommodè etiam hoc loco Chald. Paraphr. verti potuerit. *Et effudit Saul* [*animam suam*] *totam illam diem ac noctem.* Vel sanè, *& pepercit Saul, non sæuijt in Dauidem totam illam diem ac noctem.* Verùm nos Hebraicam veritatem, non Chaldæorum commenta inquirimus: quare si cui prior interpretatio minus arrideat, iam accipiat alteram.

Altera.

Et mansit.

Et cecidit, &c.

Tropologia.

Guido Fabricius.

Si quid igitur irrito conatu cadat, spemque 3.
frustretur, aut damnata prioris consilij senten-
tia decretum abrogetur, tum id commodè eo
verbo declarari poterit, vt pluribus exemplis
ostendunt Kircherus in Concord. Schindlerus
in Pentaglot. Quo pacto facilè quid Propheta
velit, intelliges: nimirum, irrito conatu atque
adeo reprobata priore sæuitia, Saulem interdiu
noctúque cum prophetis versatum esse. *Expa-* 4.
uisse præterea, metúq; consternatum fuisse idem
verbum significat. *Non concidat*, inquit Dauid
suprà cap. 17. Scriptum est autem יִפֹּל *ypol*, *cor*
cuiusquam super incircunciso isto. De Goliath lo-
quitur, quem vetat quemquam timere. Expauit
igitur etiam Saul, extimuit animo, fractus est,
impeditus metu, ne totum illum diem ac no-
ctem Dauidi vim afferret. Quid si quinto loco 5.
dedere se, atque ad alienas partes transire quo-
modo perfugæ ac victi solent, interpreter? Nam
is quoque vsus eius vocis non infrequens, si for-
te vacet Scripturas perscrutari. Reuera Saul
tum positis armis, atque adeo regni insignibus,
à seipso defecisse visus est, & manus dedisse pro-
phetis, dum ab iniuria abstinet. At Genesis cap. 6.
4. ipse Dominus, cum Cain de cæde fratris ex-
postulans, *Quare*, inquit, *concidit vultus tuus*?
Occultum facinus scilicet ipse oris habitu pro-

ET CECIDIT, &c. debat. Nonnulli pudore suffusum interpretantur: alij exanimatum metu, sceleri sque conscientia vultu animóque consternatum. Apostolus eius dictionis emphasim pluribus explicat 1. ad Corinth. cap. 14. ver. 24. & 25. *Si autem omnes prophetent*, inquit, *intret autem quis infidelis, vel idiota; conuincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus: occulta cordis eius manifesta fiunt, & ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuntians quòd verè Deus in vobis sit.* Hæc mihi germana
7. videtur huius loci interpretatio. Alioquin verò & idem verbum in Hithpael adorare, precarique significat. Deuteron. cap. 9. ver. 25. bis idem verbum legitur. ואתנפל *vaethnapal*, inquit Moïses, *& prostraui me coram Domino*: vt vertit Pagninus. Septuag. ἐδεήθην *precatus sum*. Vulgatus hîc quidem habet, *& iacui coram Domino*: at mox cùm eodem versu denuo repetitur, התנפלתי *hithnapalthi* exponit, *suppliciter deprecatus sum*,
8. quod factum à Saule non dubitem. Esther cap. 6. versu 13. idem verbum ter ponitur, quod *cadere* transferunt interpretes: sed non potest in eodem sensu vtrobique constanter accipi. Priùs enim id tantum Zares vxor, & sapientes quos Aman in concilium adhibet, videntur innuere, quod eidem contigerat, nimirum vt loco inferiore Mardochæi gloriam prædicaret, & præ illo, quem perditum vellet, nonnihil deijceretur: at posteriùs certum illi exitium ac perniciem vaticinantur. Vnde sequitur, vt non tantùm ruina deijci, sed etiam humilitate summitti significet, quod ταπεινῶ Græcis est, qua voce non modò apud Esther, sed etiam apud Esaiam cap. 3. ver. 25. Septuag. verbum illud Hebræum interpretati sunt. Quid igitur vetat, quo minus id, quod de Achab à Domino dictum est, 3. Reg. cap. 21. ver. 29. *Nonne vidisti humiliatum Achab coram me?* Huc ego transferam? Nam reuera hoc loco in plures Elias Saul inciderat. Non addam quod sequitur: *Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius, sed in diebus filij sui inferam malum domui eius.* Tametsi enim Achab non satis ex animo neque constanter pœnituisse videri queat, attamen Prophetæ vultum reueritus est, & minis conterritus vestem discidit, saccum induit, carnem inedia ac ieiunitate macerauit; Saul verò tantisper quidem dum exstasim passus est, à patrando scelere abstinuit, non autem certa ratione ac iudicio à sceleris proposito absterritus est, aut vllam resipiscentiæ postea significationem de-
9. dit. Quare non immeritò tum imposuisse dici potuit, si quis propterea in animum induceret eundem mutasse sententiam: nam inde potius deterior euasit. נפל *naphal* porrò etiam *imponere* denotat. Nam quo loco Genes. 43. vers. 18. legit Vulgatus noster, *vt deuoluat in nos calumniam*, & Pagninus vertit, *vt iactet se super nos*, Arias *ad deijciendum se super nos*, Græci Hebræam dictionem, ולהתנפל *oulhithnapel* vertcrunt, ἐπιθέσθαι ἡμῖν *vt imponat nobis*: qua labe nulla nocentior eius mentem occupauit. Nam cùm mutatus propter numinis afflatum esse deberet, religionis fuco ad innocentis perniciem statim abusus est.
10. Postremò, verbum illud נפל *naphal*, etiam remeare domúmque repedare ac reuerti significat. Non vtar pluribus exemplis. Inde est illud יפול *ypol* quod habes 1. Paralip. cap. 12. ver. 19. Ibi aiunt Palæstini de Dauid, cuius ipsi fidē suspectā habebant, Heb. בראשינו יפול אל אדניו שאול *Berascenou ypol el-adonau Scaoul.* Quæ Pagninus vertit ad hunc modum: *Cum capitibus nostris transfugiet ad dominum suum Saul.* Arias maluit, *in capitibus nostris cadet ad dominum suum*, quo sensu diuinare nequeo. At vero Septuag. ἐν κεφαλαῖς ... κυρίου αὐτοῦ. cum quibus pariter sentit Vulgatus, exponens, *periculo capitis nostri reuertetur ad dominum suum Saul.* Ex quo colligo, sic quoque hunc locum explicari posse vt intelligas, postquam coram Samuele cum cæteris diuinas laudes Saul cecinisset, tum demum diem noctémque incedentem propriam domum repetiuisse. Decernendi potestatem lectori facimus, quæ sit harum omnium interpretationum melior: nobis sexta & septima magis placent. NVM ET SAVL, &c.

Num & Saul inter prophetas?] Adagium hoc iam bis suprà exposuimus, cùm mirarentur homines Saulem rustico patre natum, repentè cum prophetis in choro versari. Nunc aliud celebrant, non minus admiratione dignum, Tyrannum prophetam agere: & eum, qui non ita pridem Sanctorum vitæ insidiaretur, ad diuinas laudes prædicandas cum iisdem societate coniungi. Hoc exemplo B. Petrus Damianus vtitur lib. 8. epistol. 11. ad ciues Florentinos, quo probet etiam ab ijs qui columbas vendant, & Simoniacè se gerant, non humano merito, sed institutione diuina, Spiritus Sancti charismata retineri conferrique posse. Petrus Damian.

Cæterùm Dominus varias ac multiplices habet, vt S. Theodoretus inquit, venandi rationes. Nam alios quidem hominum ministerio captat: alios autem erudit cæcitate; vti quondam Syros fecit dum conantur Elisæum comprehendere: nunc verò etiam Saulem gratia prophetica cepit, ne qua Dauidem violaret iniuria.] Nec verò istud adeo mirū videri potest, si cum reliquis eius beneficijs conferas, quibus semper studuit hominum salutem promouere. Nam cui rei parcat, postquam, vt idem ait, ne *proprio quidem filio pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum?* Solem, cùm opus esset, ipse stitit; nubes in manna coëgit, maris vndas aut cedere iussit traijcientibus, aut solido marmore sterni. Sed cur ego hæc commemorem, aut cuiusquam rei quæ videtur rationem habendam putem, cùm nouerim, vt Paulum à furore atque amentia ad veræ pietatis cultum traduceret, etiam cæli adyta reserasse? Est equidem exemplum illud ignobilius, cuius meminit S. Epiphanius in hæres. 30. Ebionæorum sed tamen eiusmodi, vt si singula spectes, satis laudare nequeas diuinam erga homines beneuolentiam. Nam cùm Tiberiade degeret Iudas Patriarcha Iudæorum, inter eos quos dicunt Apostolos, qui secundum Patriarcham Synagogæ coryphæi habentur, habuit & Iosephum quemdam qui deinceps Christianam fidem professus, Comitis dignitatem à Constantino seniore consequutus est. Sed qua ratione tandem errore repudiato

S. Theodoretus. Varias habet Deus venandi rationes. S. Epiphanius. Diuinæ vocationis admirabile exemplum.

NVM ET SAVL, &c.

repudiato Christo nomen dederit, id verò operæpretium erit ex illo audire. Primum igitur, cùm adhuc Ellel viueret, cui Iudas filius successit: & ad ægrotum vrbis Episcopus, præ se medici speciem ferens, vocatus esset, diligentiùs obseruans, comperit, Patriarcham sacro baptismate tingi. Mox eo defuncto gazophilacium clàm reserat, & dum thesauros rimatur, in Euangelia incidit, à quibus haud mediocriter mente animoque perculsus est. Post quæ statim contigit tertio velut ariete quassari. Adolescens enim Patriarchæ filius, cùm Christianam mulierem deperiret, nec donis eius pudicitiam posset expugnare, magicas artes adhibet, quas experimento Iosephus didicit virtute crucis superari. Neque tamen hactenus Christo manus dedit, aut se vinci passus est. Quamobrem subinde eidem Christus in somnis apparet, eundem ad se pellicens. Verùm hoc quoque frustrà, cùm eiusdem monitis obfirmato animo resisteret. Tentari deinceps eius valetudo cœpit, morbóque ingrauescere, donec periclitanti Christus afforet, remedium pollicens, si eam quæ in ipsum est fidem complecti vellet. Cùm placuisset conditio, extemplò conualuit: nec tamen promissis stetit, sed fidem fefellit. Itaque morbus qui antè consanuerat, subinde periculosiùs recruduit. Morti vicinus futuri iudicij admonetur, nec tamen cessit. Quis vltrà ferat? quis dignum non iudicet, qui à Deo deseratur? Non tamen deserit, aut sua cura destituit, quinetiam denuò Christus se præsentem exhibet, ac periculo eripit. Iubet autem in posterum sibi fidem habeat, nec tamen obtinet. Per quietem rursum iam sano Christus visus est, potestatem faciens quocunque velit argumento fidem probare. Experrectus cùm in quendam mente captum Tiberiade incurrisset, statuit ex eo fidei periculum facere. Quare mox aqua, quam crucis signo lustrauerat, dementem aspergit, actutum ille rationis capax, iudicijque compos factus est. Miratur quidem Ioseph vim crucis, nequaquam tamen resipuit. Mira Dei patientia, seu potius *μακροθυμία* atque longanimitas, quandoquidem Deum patientem dici non fert Chrysostomus, vt aliàs explicuimus. Cùm itaque consuetudo diuturna fallendi callum iam obduxisset eius pertinaciæ, in Ciliciam à Iuda Patriarcha missus est, vt quas lex imperat decimas atque primitias à Iudæis exigeret. Reduci ob egregiè nauatam operam Apostolatus dignitas confertur. Inde sensim se in Episcopi familiaritatem insinuat ac penitus immergit. Euangeliorum codicem ab eo impetrat, quæ furtim legit & clanculum: quibus etsi necdum fidem accommodet, decernit tamen ex ijs deprauatos Synagogæ mores

A corrigere. Dum hæc molitur, suo sibi studio multorum conflauit inuidiam. Paucis absoluo, eò tandem odia prorupere, vt inimicorum vi atque insidijs oppressus, cùm alijs multaretur incommodis, tum etiam flagris cæderetur. Quapropter ad extremum fuga sibi consulere statuit. verùm in itinere deprehensus, in Cydnum flumen deijcitur: cuius in vndis cum perijsse crederetur, à Christo Domino incolumis seruatus est, ac tum denique tot victus malis Christianam religionem complexus, quam syncerè in posterum coluit, eiusdem factus aduersus Arianos propugnator acerrimus. Hæc pluribus ibi S. Epiphanius, quæ ab eodem Iosepho acceperat.

Quanta verò in Saulem beneficia Deus contulerit, quantisque modis eundem ad se pelle-
B xerit, diuini consilij participem cum prophetis efficiens, diademate præterea coronans, victorijsque amplificans, illa quidem dudum exposuimus: sed quod humanam fidem superat, hoc nobis postea explicandum erit, non potuisse tot gratiarum illecebris ad saniorem mentem reuocari. Neque enim, vt ait S. Theodoretus, ad bonam, quod aiunt, frugem vnquam se recepit. Causam quæris? Accipe dignam tua quæstione à S. Isidoro Pelusiota responsionem. Mirari, inquit, videris, qui factum sit, vt Christus proditorem minimè adduxerit, vt virtutem rem bonam esse existimaret: idque cùm de virtute persæpe, imò nunquam non de ea in ipsius colloquijs audiisset. Ego contrà miror, *πῶς τὸν ὅρον τῆς αὐτεξουσιότητος ἐπιστάμενος, περὶ τούτου θαυμάζεις*, quonam pacto cùm liberi arbitrij legem per-
C spectam habeas, huius rei admiratione tenearis. *Οὐ γὰρ βίᾳ καὶ τυραννίδι, ἀλλὰ πειθοῖ καὶ προσηνείᾳ ἡ τῶν ἀνθρώπων σωτηρία κατασκευάζεται*, neque enim vi & coactione, sed persuasione ac lenitate, hominum salus comparatur. *διὸ καὶ τὸ κῦρος ἔχει ἕκαστος τῆς οἰκείας σωτηρίας*, &c. Vnde & suæ quisque salutis arbitrium habet: vt & qui corona donantur, & qui supplicijs afficiuntur, iustè, quod elegerint, percipiant. Hæc ibi S. Isidorus. Eadem ferè S. Irenæus lib. 4. aduersus hæreses cap. 71. Illud, inquit, *Quotiens volui congregare filios tuos, & noluisti*, veterem legem libertatis hominis manifestauit, quia liberum eum Deus fecit ab initio, habentem suam potestatem, sicut & suam animam, ad vtendum sententia Dei voluntariè, & non coactum à Deo. Vis enim à
D Deo non fit, sed bona sententia adest illi semper. Et propter hoc consilium quidem bonum dat omnibus: posuit autem in homine potestatem electionis, quemadmodum & in Angelis. Hæc Sanctus Irenæus quæ pluribus ibidem confirmat.

NVM, ET SAVL, &c.

S. Isidor. Pelus. lib. 2 Epist. 129.

Arbitrij libertas causa est, quamobrem multi non resipiscant.

S. Irenæus.

CAPVT VIGESIMVM.

FVgit autem Dauid de Naioth, quæ est in Ramatha, veniénsque locutus est coram Ionatha: Quid feci? quæ est iniquitas mea, & quod peccatum meum in patrem tuum, quia quærit animam meam? 2. Qui dixit ei: Absit, non morieris: neque enim faciet pater meus quidquam grande vel paruum, nisi priùs indicauerit mihi: hunc ergo celauit me pater meus sermonem tantummodo? nequaquam erit istud. 3. Et iurauit rursum Dauidi. Et ille ait: Scit profectò pater tuus quia inueni gratiam in oculis tuis, & dicet: Nesciat hoc Ionathas, ne fortè tristetur. Quinimmò viuit Dominus, & viuit anima tua, quia vno tantùm (vt ita dicam) gradu, ego morsque diuidimur. 4. Et ait Ionathas ad Dauid: Quodcumq; dixerit mihi anima tua, faciam tibi. 5. Dixit autem Dauid ad Ionathã: Ecce calendæ sunt crastino, & ego ex more sedere soleo iuxta regem ad vescendum: dimitte ergo me vt abscondar in agro vsq; ad vesperam diei tertiæ. 6. Si respiciens requisierit me pater tuus, respondebis ei: Rogauit me Dauid, vt iret celeriter in Bethlehem ciuitatem suam: quia victimæ sollemnes ibi sunt vniuersis contribulibus suis. 7. Si dixerit, Bene: pax erit seruo tuo. si autem fuerit iratus, scito quia completa est malitia eius. 8. Fac ergo misericordiam in seruum tuum: quia fœdus Domini me famulum tuum tecum inire fecisti. si autem est iniquitas aliqua in me, tu me interfice, & ad patrem tuum ne introducas me. 9. Et ait Ionathas: Absit hoc à te: neque enim fieri potest, vt si certè cognouero completam esse patris mei malitiam contra te, non annunciem tibi. 10. Respondítque Dauid ad Ionathan: Quis renunciabit mihi, si quid fortè responderit tibi pater tuus durè de me? 11. Et ait Ionathas ad Dauid: Veni, & egrediamur foras in agrum. Cúmq; exissent ambo in agrũ. 12. Ait Ionathas ad Dauid: Domine Deus Israel, si inuestigauero sententiam patris mei crastino vel perẽdie: & aliquid boni fuerit super Dauid, & non statim misero ad te, & notum tibi fecero. 13. Hæc faciat Dominus Ionathæ, & hæc addat. Si autem perseuerauerit patris mei malitia aduersum te, reuelabo aurem tuam, & dimittam te, vt vadas in pace, & sit Dominus tecum, sicut fuit cum patre meo. 14. Et si vixero, facies mihi misericordiã Domini: si verò mortuus fuero. 15. Non auferes misericordiam tuam à domo mea vsq; in sempiternum, quando eradicauerit Dominus inimicos Dauid, vnumquemque de terra: auferat Ionathan de domo sua, & requirat Dominus de manu inimicorum Dauid. 16. Pepigit ergo Ionathas fœdus cum domo Dauid: & requisiuit Dominus de manu inimicorum Dauid. 17. Et addidit Ionathas deierare Dauid, eò quòd diligeret illum: sicut enim animam suam, ita diligebat eum. 18. Dixítque ad eum Ionathas: Cras calendæ sunt, & requirêris. 19. Requiretur enim sessio tua vsque perendie. Descendes ergo festinus, & venies in locum vbi celandus es in die qua operari licet, & sedebis iuxta lapidem, cui nomen est Ezel. 20. Et ego tres sagittas mittam iuxta eum, & iaciam quasi exercens me ad signum. 21. Mittam quoque & puerum, dicens ei: Vade, & affer mihi sagittas. 22. Si dixero puero: Ecce sagittæ intra te sunt, tolle eas: tu veni ad me, quia pax tibi est, & nihil est mali, viuit Dominus. Si autem sic locutus fuero puero: Ecce sagittæ vltra te sunt: vade in pace, quia dimisit te Dominus. 23. De verbo autem quod locuti sumus ego & tu, sit Dominus inter me & te vsque in sempiternum. 24. Absconditus est ergo Dauid in agro, & venerunt calendæ, & sedit rex ad comedendum panem. 25. Cúmque sedisset rex super cathedram suam (secundũ consuetudinem) quæ erat iuxta parietem, surrexit Ionathas, & sedit Abner ex latere Saul, vacuúsque apparuit locus Dauid. 26. Et non est locutus Saul quidquam in die illa: cogitabat enim quòd fortè euenisset ei, vt non esset mundus, nec purificatus. 27. Cúmque illuxisset dies secunda post calendas, rursus apparuit vacuus locus Dauid. Dixítque Saul ad Ionathan filium suum: Cur non venit filius Isai nec heri, nec hodie, ad vescendum? 28. Respondítque Ionathas Sauli: Rogauit me obnixè, vt iret in Bethlehem. 29. Et ait: Dimitte me, quoniam sacrificium sollemne est in ciuitate, vnus de fratribus meis accersiuit me: nunc ergo si inueni gratiam in oculis tuis, vadam citò,

citò, & videbo fratres meos. Ob hanc causam non venit ad mensam regis. 30. Iratus autem Saul aduersum Ionathan, dixit ei: Fili mulieris virum vltrò rapientis, numquid ignoro quia diligis filium Isai, in confusionem tuam, & in confusionem ignominiosæ matris tuæ? 31. Omnibus enim diebus, quibus filius Isai vixerit super terram, non stabilieris tu, neque regnum tuum. Itaque iam nunc mitte, & adduc eum ad me: quia filius mortis est. 32. Respondens autem Ionathas Sauli patri suo, ait: Quare morietur? quid fecit? 33. Et arripuit Saul lanceam vt percuteret eum. Et intellexit Ionathas quòd definitum esset à patre suo, vt interficeret Dauid. 34. Surrexit ergo Ionathas à mensa in ira furoris, & non comedit in die calendarum secunda panem. Contristatus est enim super Dauid, eò quòd confudisset eum pater suus. 35. Cúmque illuxisset manè, venit Ionathas in agrum iuxta placitum Dauid, & puer paruulus cum eo. 36. Et ait ad puerum suum: Vade, & affer mihi sagittas, quas ego iacio. Cúmque puer cucurrisset, iecit aliam sagittam trans puerum. 37. Venit itaque puer ad locum iaculi, quod miserat Ionathas: & clamauit Ionathas post tergum pueri, & ait: Ecce ibi est sagitta porrò vltra te. 38. Clamauítque iterum Ionathas post tergum pueri, dicens: Festina velociter, ne steteris. Collegit autem puer Ionathæ sagittas, & attulit ad dominum suum. 39. Et quid ageretur, penitùs ignorabat: tantummodo enim Ionathas & Dauid rem nouerant. 40. Dedit ergo Ionathas arma sua puero, & dixit ei: Vade, & defer in ciuitatem. 41. Cúmque abiisset puer, surrexit Dauid de loco, qui vergebat ad Austrum, & cadens pronus in terram, adorauit tertiò: & osculántes se alterutrum, fleuerunt pariter, Dauid autem amplius. 41. Dixit ergo Ionathas ad Dauid: Vade in pace: quæcumque iurauimus ambo in nomine Domini, dicentes: Dominus sit inter me & te, & inter semen meum & semen tuum vsque in sempiternum. 43. Et surrexit Dauid, & abijt: sed & Ionathas ingressus est ciuitatem.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Primum hoc capite Dauid suas querelas apud Ionathan deponit, & cum eo de patris iniurijs expostulat, orat demum vt qui innocentiæ suæ conscius sit, idem patronus & assertor esse velit. Hoc Ionathas icto fœdere confirmat, & patris voluntatem exploraturum se recipit. Subinde Saul mentem suam in conuiuio aperit, & pertinax nocendi studium manifestat, vt de eo ambigi vltrà non possit. Id qua ratione Ionathas Dauidi prodiderit huius capitis nouissima pars explicat: quo loco tandem postquam se illi mutuò complexi essent, Dauid fugam capessit.

VERSVS I.

Fugit autem Dauid de Naioth, quæ est in Ramatha, veniénsque loquutus est coram Ionatha: Quid feci? quæ est iniquitas mea, & quod peccatum meum in patrem tuum, quia quærit animam meam?

Variæ trãslat. Pagninus, *de Naioth quæ est in Ramah.* Vatablus Salmant. *Fugiens autem Dauid de Naioth in Ramah, venit, & dixit, &c.* Edit. Rom. Septuag. Interpr. *Et fugit Dauid de Naioth in Rhama.* Quo loco Nobilius in Notis, ita etiam Hebræus: Nam est subintelligendum, *quæ est in Rhama:* & ita Vulgata, nisi quod habet *Ramatha,* vt Chaldæus. Complut. longius ab Hebræo ἐν ῥαμᾷ, *de Rhama. Quidam fugit Dauid Naiothis in Rama.* Et in notis, dum Schaul diuinitus correptus diem & noctem Naiothis hærebat. Arias, Naioth *de habitaculis* interpretatur, vt antea sæpius. Chaldæus legit, *Et fugit Dauid ex domo doctrinæ quæ in Ramatha. Quia quærit animam meam.*] Quidam, *quia quærit vitam meam.* Vatablus in Schol. *quia quærit perdere me.* Chaldæus, *quòd quærens ad occidendum me.*

A *Veniénsque loquutus est coram Ionatha.*] Dauid, cùm diutius procella sæuiret, ad amicum confugit. Is solet esse rebus afflictis portus tutissimus, si tamen illi, qui eo nomine gloriantur, verè & ex animo amicitiã colant. Menander Comicus,

Dercippe & Mnesippe, cùm maledictis Amici, portus tutissimus.
A quopiam, aut factis vexamur,
Ad probos amicos omnibus refugium patet.
Etenim collugentem sine ludibrio,
Et vna indignè ferentẽ, quum familiariter cernit
Nostrûm vnusquisque, cessat
Hoc maximè tempore dolor.

Quàm rectè autem Dauid hoc faciat, ex eo B intelligi potest, quod antea dimissus ab vxore, statim sese contulit ad Samuelem, vt consolationem aliquam caperet ex verbo Dei, & tanquam anodino pharmaco ægritudinis molestiã leniret: postea retulit se ad humana subsidia, & consulit amicum suum Ionathan, vt per illum animum Saulis exploret. Sed dices, satis videbat animum Saulis sibi inimicum, & infestum esse: Quid ergo opus erat istis artibus? Videbat ille quidem: sed hoc etiam videbat, illum agitari malo spiritu, & ea causa sibi putabat infestiorem. Quod si ille rediret ad se, & lucidum aliquod interponeretur interuallum, sperauit eum

QVID FECI, &c.

odium facilè positurum: aut si pergeret odisse, tamen hac pœna contentum fore, vt se subduceret ex aula, & priuatus ageret apud patrem, aut in angulum aliquem sese compingeret: non autem necesse fore, vt fugeret patriam, & abesset à sacris; & ceremonijs populi Dei. Hæc Dauid exquiri voluit per Ionathan. Non enim armat filium in patrem. id enim perniciosum fuisset Reipublicæ. Hoc etiam pacto Deus curauit, vt causa Dauidis apud omnes iusta videretur. Non enim voluit Dauidem omnia turbare, & statim ad inimicissima iura descendere. Sed homines pij, vt non quærunt vltionem, ita non temerè sese mittunt in periculum. Cùm Dauid Goliath, & tantas hostium copias profligasset, non est verisimile eum extimuisse Saulem. Sed longè aliam videbat rationem in Goliath fuisse, aliam esse in Saule. Goliath enim publicus hostis erat, & proscriptus à Deo; Saul autem Rex erat, ab ipso Deo in Regio solio cōstitutus. Non autem tantùm bonum faciendum est, sed etiam bene Paulus monet *in bono vincendum esse malum.* Sed scire oportet, quodnam, & cuiusmodi sit malum. Itaque Dauid explorat animum Saulis, vt sciret, quid sibi agendū esset.

Quamobrem Dauid ille generosus Saulem fugeret.

Gothofred. ad Titul De priuatis delictis.

Quid feci? quæ est iniquitas mea? aut quod peccatum? Gothofredus *ad titul. 1. De priuatis delictis. D. lib.* 47. Priuatis, inquit, delictis opponuntur publica. Est & alia diuisio. Alia sunt merè ecclesiastica, alia secularia, alia mixta. Item alia nominata, alia innominata. Adhæc alia leuia, alia atrocissima; de quibus vide Clarum §. 1. quæst. 1. Pòrrò aut nobis, aut alteri nocemus. Nobis, quoties nos ipsos interficimus, & generaliter quoties delinquimus. Alteri, dupliciter. Mente, hinc concupiscentia, & inuidia: aut nostro corpore, vel alieno nocemus. Nostro, vel vniuersim, vel speciatim. Speciatim, lingua, vel manu, &c. Alieno, per seruos, & familiam, institores, *Titul. 6. inf. eodem.* Per ministros nauis, cauponæ, stabuli, *Titul. 3. infr. eod.* balnei, *Tit.* 17. Per ædes, *vid. sup. De operis nou. nūc. De damno. & aqua pluuia.* Per turbam, *Titul. 8.* Corpus, & collegium, *Titul.* 22. Cui adiunge, Titul. *De vi publica & priuata, lib. 48. Titulos Sextum & septimum.* Per quadrupedes, *Suprà si quadrupes.*

Criminum multiplex differentia.

Item alteri nocemus ἀμέσως vel μέσως. Α᾽μέσως, quū eius animū corrumpimus, corpus lædimus (hinc homicidia, veneficia, incantationes, maleficia *lib.* 48. *Titul.* 8. parricidia, *ibid. Tit.* 9. adulteria, stupra, raptus, *Tit.* 5. priuati carceres, 9. *Cod.* 5. iniuria facto constan. *Titul. De noxalibus* &c.) Μέσως, cùm alterius famam lædimus: (hinc iniuriæ verbales, famosi libelli, *Tit.* 10 *infr. eod.* calūnia, pręuaricatio, ibid. falsa accusatio, falsa testimonia, *eod. lib.* 48. *D. Tit.* 16.) *Liberos,* (hinc plagia, *ibid. Tit.* 15.) Seruos, (hinc tituli, *De seruo corrupto, De fugitiuis, De receptatoribus*) Animalia, (hinc abigeatus, *ibid. Tit.* 14.) Res inanimatas, idq; generaliter, vel specialiter. *Generaliter,* (hinc concussiones, *Tit.* 13. receptatores, *ibid.* effractores, expilatores, *Tit.* 18. stellionatus, *Tit.* 20. falsi crimen, *Tit.* 9. *Specialiter,* puta terminos, *Tit.* 21. sepulcra, *ibid. Tit.* 12. Arbores, *Tit.* 7. ædificia, parietes, *Tit.* 3. res hæreditarias, *tit.* 4. & 19. res naufragij, *Tit.* 9. balnei, *Tit.* 17. Huc refer crimen repetundarum, *eiusdem l.* 48. *Tit.* 11. annonæ, *Tit.* 12. peculatus, sacrilegij, de residuis ambitus, *Tit.* 14.

Aut quod peccatū meū in patrem tuū?] An fortè maiestatis imminutæ aut etiā læsæ reus insimulor? Maiestatis crimen non aliud Sigismundus Rex Polonorū agnoscit, quā si quis vitæ Principis, aut Imperio insidias struat. Testis Chopinus in summa domanij Polon. cap. De regalib. post 3. l. De domanio. Apud Romanos tamen varium & multiplex habetur. Nec verò par omniū temporū sententia fuit. Tacit. l. 1. Annal. Tiberius inquit, legem maiestatis reduxerat, cui nomen apud veteres idē, sed alia in iudicium veniebāt: si quis proditione exercitum, aut plebem seditionibus, deniq; malè gesta Repub. maiestatem populi Romani minuisset: facta arguebantur, dicta impunè erant. Primus Augustus de famosis libellis, specie legis eius tractauit, &c. Itaque lex illa, vt obseruat Aurelius in eundem Tacitum, adulationibus & accusationibus creuit in immensum, læsæq; maiestatis ingens Oceanus, multa nobilissima ingenia absorbuit Romæ, & extra Romam sub malis Principibus. Plinius 2. in Gratiarum actione, vnicum & singulare crimen eorum esse dixit, qui crimine vacarent. Petrus Gregor. lib. 25. Iur. Syntag. cap. 1. maiestatis crimen in quatuor capita distribuit. Scelerum caput est, si quis aut regnum affectet, aut vitæ Principis insidietur. Secundum locum proditio occupat, Tertium seditio. In quarto gradu complura locat, quę sæuitiâ Principum magis quàm quòd maiestatem soluant à nonnullis maiestatis crimina censentur. Hæc ille toto illo libro capitibus nouem latè persequitur. Reliqui ferè iuris interpretes eius criminis species viginti duas enumerant. *D. De iudicijs publicis, ll. sex prioribus* Atrocissima perduellio est, cùm armis Princeps aut Respub. petitur. Hanc recentiores à crimine maiestatis secernunt, vt speciem à genere. In gratiam eorū qui Theologiæ studijs dediti, humani iuris monumenta negligunt, quàm breuissimè fieri poterit ea referemus, quæ nonnullam eius criminis cognitionem legum imperitis dare possint.

Chopinus. Crimen lęsę Maiestatis Tacitus.

Plinius. Petrus Gregor.

Criminis læsæ maiestatis species viginti duæ.

Vlpianus igitur *lib. 48. Pandect. Titul. 4. qui est ad legem Iuliam maiestatis,* id genus criminis paucis ita declarat: Maiestatis crimen est illud quod aduersus populum Romanum, [aut quēlibet alium] vel aduersus securitatem eius committitur. In quem locū animaduertens Budæus *in Annot. in Pand.* ridet Accursium interpretē, & reliquum Iurisperitorum chorū qui docturæ appellatione cēlentur, qui *securitatis* nomine id quod saluum conductum dicimus intellexerint, tanquā id esse maiestatis crimen Vlpianus hoc loco docuerit, quod contra fidē publicā cōmissum esset. In huiuscemodi loca, inquit, ignorantiæ noxa longè latéq; grassatur. Tametsi .n. reuera Democriti euthymiā, quā Cicero securitatē vocat tanquā animi tranquillitatē, istîc nō liceat intelligere, si tamen eā vocem latinè interpretari velis, non aliud esse reperies, quād quod Græci ἄδειαν & ἀμεριμνίαν vocāt, aut etiā ἀσφάλειαν: cùm .s. status Reip. ita cōpositus est, vt nulla ex parte

Vlpianus. Crimen lęsæ maiestatis definitur. Budæus.

QVIA QVÆRIT, &c.

Paulus.

parte periculum imminere videatur, non belli externi metus, aut etiam intestini. Quare lege Iulia maiestatis, inquit Paulus *sentent. receptar. lib. 5. tit. 29.* tenetur is, cuius ope consilio aduersus Imperatorem, vel Rempublicam, arma mota sunt, exercitusue eius in insidias deductus est: quiq; iniussu Imperatoris bellum gesserit, delectúmue habuerit, exercitum comparauerit, sollicitauerit, deseruerit Imperatorem. Et

Marcianus.

Marcianus *ff. ad leg. Iul. maiest. l. 3.* illum etiam ea lege reum constitui, Qui in bellis cesserit, seu potiùs, vt Budæus restituit, Qui imbellis cesserit, hostemue arcere renuerit, aut castra concesserit. Apud Suidam certè legimus capitalem fuisse noxam imbelliæ, & stationis desertæ:

Imbelliæ crimen.

Nisi fortè malumus ἐθελοκακίας interpretari, cùm milites Imperatori infensi vincere nolunt. Est enim Pausaniæ & Herodoto ἐθελοκακεῖν consulta & meditata ignauia hosti cedere. Item cuius ope, consilio, dolo malo, prouincia, aut ciuitas hosti prodita sit; Magistratúsue occisus; obsides elapsi; seditio concitata; hostis excitatus, commeatu telis pecuniáue adiutus, aut signo dato ad Reipublicæ perniciem acceitus; sociorum animi à Rep. alienati & offensi; armorum copia iniussu Principis comparata; arces occupatæ; aut etiam publicæ tabulæ corruptæ: Qui priuatus pro magistratu se gesserit; qui de prouincia, cùm ei successum esset, non decesserit, qui ad hostes transfugerit; qui confessum in iudicio reum [maiestatis.] & propter hoc in vincula coniectum, emiserit; qui consecratas Cæsaris imagines aut statuas conflauerit, aut quouis pacto ludibrio habuerit; hi omnes ibidem Iurisconsultorum sententijs lege Iulia maiestatis tenentur. Nec hi modò, sed etiam aliunde ex alijs quicunque Principis maiestatem maledicto aut periurio polluisset, aut concessam ab eo Saluamguardiam, siue saluum conductum, Latini fidem publicam vocant, violasset, aut per Chaldæos in domum Principis quæsisset, monetam falsam aut priuatim suo nomine cudisset, murosue ciuitatis aliunde quàm per portam irrupisset, eidem culpæ affines nonnunquam visi sunt. An igitur horum quicquam fecisse accusor? inquit Dauid.

Pœna criminis læsæ maiestatis.

Quia quærit animam meam.] Huius criminis pœnam Iustinianus ponit duplicem: vnam mortem naturalem; alteram damnationem memoriæ etiam post mortem. Ea pœna non est ex lege Iulia, sed ex posteriorum Imperatorum constitutionibus, *L. quisquis, Cod. eodem.* Lex 12. tabularum pœnam capitis sanciuerat, *L. 3. ff. hoc tit.* At verò tempore Cæsaris vigebat adhuc Lex Portia, item Sempronia, quæ omnibus ciuibus capitali noxa damnatis, exilium decernebat: tametsi crimen perduellionis tempore Ciceronis pœna crucis punitum, videatur probari ex oratione Ciceronis pro C. Rabirio, & Valer. Maximo libro sexto, capite quinto, ideóque & ipse Cæsar pœnam huic crimini addiderat, aquę & ignis interdictionem. Itemque vt condemnato, ad populum prouocare non liceret, &c. Maiestatis rei apud diuersas gentes variè plexi sunt. Exempla multa pœnarum habet Petrus Gregor. Syntag. Iur. libro trigesimo quinto,

QVOD PECCATVM, &c.

A capite primo. In his etiam libris Regum passim occurrunt, quæ deinceps studiosè notabimus.

Honestissima porrò Dauidis expostulatio est. Neque enim innocentia supplicio; aut odio digna est, sed iniquitati pœna iure decreta. De crimine verò nemo sontem condemnare potest, priusquam obiecta refellendi potestas facta sit. Nam si maleuolo accusasse sufficiat, quis iudiciorum laqueos effugiet? Nemo enim vnquam tam syncera felicitate natus est, vt nulli pateret obnoxius inuidiæ. Vt vmbra corpus, ita virtutem liuor & obtrectatio sequitur: quæ tametsi de omnibus benemereri studeat, clàm tamen Theonino dente circumroditur, non rarò etiam palàm & aperto marte oppugnatur. Quare etiam leges vel apud Ethnicos inauditum & indefensum morti addici vetuerunt. Quo illud

B impendiò nunc magis miror hæreticæ feritatis portentum, quod apud Anglos, autore Cromuelo, non ita pridem fertur editum. Nam cùm hæretici, qui Regis obscœna libidine abutebantur ad Religionis perniciem, suspectam, vt aiunt, haberent Catholicorum innocentiam, quæ suo splendore calumniarum tenebras facilè discuteret, illo malorum incentore statuerunt, vt delati maiestatis absentes & inauditi damnarentur. Quę res, vt par erat, non ita multò post ipsi Cromuelo exitio fuit. nam capite luit Regis inconstantiam respondendi facultate negata.

Florimõd. Remondus lib 6 du progrez & decadence de l heresie, ch. 4. nomb. 5.

Quod peccatum meum in patrem tuum?] Quondam eo nomine innocentes Christiani, vt Tertullianus cum pluribus testatur, fraude dæmonis apud Ethnicos malè audiebant, tanquam

C ipsis Imperatoribus, alijsque Imperij rectoribus malè studerent. Ethnicorum calumniandi libidinem non modò statim hæretici æmulati sunt, sed etiam nocendi studio longè superarunt. De his scilicet conqueritur sanctus Ambrosius cùm ait: Semperne de Cæsare seruulis Dei commouebitur inuidia, & hoc ad calũniam accerset impietas, vt Imperiale nomen obtendat? Quid si nunc audiat apud Britannos, Catholicos omnes in reos maiestatis referri, an pios illos pronuntiabit? Passim verò à perfidis illud Ecclesiæ Dei imponitur, insidiari eam regum coronis, moliri Rerumpublicarum perniciem, populis ac nationibus in cratere aureo toxicum propinare. Quod si quis eius innocentiam tuendam suscipiat, & maiorum nostrorum fidei patroci-

Hæreticorum familiaris & perpetua calumnia.

D netur, imminutæ maiestatis suspectus habetur; quasi cuiusquam magis intersit reges maiestatem suam retinere, quàm eorum, qui piè sanctéque vitam ex legum præscripto instituant. Sed ea est hæreticorum vafrities atque calliditas, quo præcones veritatis periculorum formidine à fidei defensione absterreant. Illos autem supra modum miror dubij, aut epicœni generis, qui Catholicum nomen falsò mentiuntur, quorum sacra fames neque clanculis hæreticorum largitionibus, neque manifestis Ecclesiarum deprædationibus expleri potest: sed cùm vtrobique velut amphibia animalia pascantur, adhuc tamen nostrum sanguinem sitiunt, & visceribus inhiant. Parcite tandem, ô miseri: neque enim vos vlla re aliquando læsimus, vt me-

liùs nostis: & iam plerisque locis præda deficit. Quod si etiam nunc postquam viles & inglorij sumus, profanisque tribunalibus addicti, vel hoc nomine graues videmur quod viuimus, at saltem per vos liceat innocentibus mori: nec verò vos id aliquando nobis eripietis, sed velle tandem aliquando desinite.

Versus II.

Qui dixit: Absit, non morieris: neque enim faciet pater meus quidquam grande vel paruum, nisi prius indicauerit mihi: hunc ergo celauit me pater meus sermonem tantummodò? nequaquam erit istud.

Versus III.

Et iurauit rursum Dauidi. Et ille ait: Scit profectò pater tuus quia inueni gratiam in oculis tuis, & dicet: Nesciat hoc Ionathas, ne fortè tristetur. Quin imò viuit Dominus, & viuit anima tua, quia vno tantùm (vt ita dicam) gradu, ego morsque diuidimur.

Variæ trāslationes.

PAgninus, *Dixitque ei: Absit, non morieris. Ecce non* (Arias loco *non*, habet *sibi*) *pater meus rem grandem vel paruam* (Arias, *verbū grande, vel verbum paruum*) *quam* (Arias, *&*) *non reuelet auri meæ. Et quare absconderit pater meus à me rem hanc* (Arias, *verbum hoc?*) *non hoc.* Chaldæus, *Et dixit, Tace, non morieris: Ecce non faciet pater meus, &c. & non indicabit mihi: & quid hoc, occultabit pater meus à me verbum hoc? Non est hoc constans.* Alius, *Ecce non solet pater meus facere quicquam magnum, aut quicquam paruum, quin reuelet mihi in aurem: cur ergo, &c. non est hoc.* Vatablus Salmanticus. *Absit, nequaquam morieris: en pater meus nihil facit siue magnum sit, siue paruum, quod auri meæ non reuelet, quomodo ergo clàm haberet me pater meus hanc rem? nequaquam hoc.* In Ecphrasi, quasi dicat, Pater meus non decreuit te interficere: alioqui enim indicasset mihi. quòd si te voluit interficere, tum erat correptus malo spiritu. Septuaginta, *μηδαμῶς σοι. Nequaquam tibi.* Ita Complut. & Rom. editio. Aldus verò, *μηδαμῶς, σὺ οὐ μὴ ἀποθάνῃς. Nequaquam, tu non morieris. Nisi prius indicauerit mihi.*] Rom. editio Septuaginta, *Et non reuelabit auriculam meam.* Nobilius ibidem in Not. Respondet Hebræo. Complut. planiùs, *ὃ οὐκ ἀποκαλύψῃ, quod non reuelet.* Symmachus, *καὶ μὴ δηλώσῃς εἰς ἀκοήν μου. Nisi indicarit in auditu meo.* In reliquis consentiunt.

Versu 3. Pagninus, *Et iurauit adhuc Dauid, & dixit: Sciendo, &c.* Hebr. וַיִּשָּׁבַע עוֹד דָּוִד *vayscabagh ghod Dauid.* Vnde apparet *Dauid* non in dandi, sed in nominandi casu esse. Itaq; Chaldæus, *Et iurauit adhuc Dauid, & dixit.* Dauid

A scilicet iurauit, non Ionathan. Septuaginta, *καὶ ἀπεκρίθη Δαυὶδ τῷ Ἰωνάθαν, καὶ εἶπε. Et respondit Dauid ipsi Ionathan, & dixit.* Quidam, *Deinde verò iurauit Dauid, dicens.* Vatablus, *Et rursum Dauid iurauit, dicens.* id est, eadem iuramento firmauit. *Quia inueni gratiam in oculis tuis.* Chald. *Quia inueni charitates in oculis tuis.* Vatablus Salmant. *Scit planè pater tuus quòd gratus sum in oculis tuis.* In Schol. Perspectam habet amicitiam nostram. *Nesciat hoc Ionathas, ne fortè tristetur.*] Pagninus, *ne fortè dolore afficiatur.* Arias, *ne fortè doleat.* Chald. *Nesciat hoc Ionathan; fortè turbaretur.* Septuaginta Complut. edit. *μὴ γνώτω τοῦτο Ἰωνάθαν, ὅπως μὴ ἀναγγείλῃ τῷ Δαυίδ. Non sciat hæc Ionathan, vt non nuntiet Dauid.* Aldus legit, *μὴ γνῶ τοῦτο Ἰωνάθαν· μὴ οὐ μὴ βούληται.* Romana editio, *μὴ γνώτω. Non cognoscat hoc Ionathan, ne minimè*

B *velit.* Quo loco Flaminius in Not. Visum est hoc loco idem valere, *μὴ γνώτω*, quod in alijs est, *μὴ γνῷ*, aut *μὴ γνώτω*, vt Complut. *Ne minimè velit.*] Propiùs ad Vulgatam, quæ habet, *ne tristetur*, quàm quod est in Complutensi, *ὅπως μὴ ἀναγγείλῃ τῷ Δαυίδ, vt non annuntiet ipsi Dauid.* Vatablus, *Ne resciscat hoc Ionathan, ne fortè dolore afficiatur. Quinimò viuit Dominus, & viuit anima tua, quia vno tantùm gradu, &c.*] Pagninus, *Et verùm viuit* (Arias, *viuens*) *Dominus, & viuit anima tua, quia tanquam passus vnus est inter me & inter mortem.* Arias transfert ad marginem, *vnus est.* Chald. *At verò permanens Dominus, & viuens anima tua, &c.* Alius quispiam, *quasi passus inter me & mortem est*, hoc est, præsentissimum est periculum in quo versor. Vatablus Salmant. *Vix passus inter me & mortem intercessit.* Et in Schol. He-

C braïsmus, quòd quasi passus vnus est inter me & inter mortem. Hoc est, *vno tantùm passu ego morsque diuidimur:* paruo interuallo seiungitur à me mors, quasi dicat, parum abest quin interficiar. Septuaginta, *Viuit Dominus, & viuit anima tua, ὅτι καθὼς εἶπον.* Aldus & Rom. edit. *ἐμπέπλησται*, Complut. *πεπλήρωται ἀναμέσον ἐμοῦ, καὶ ἀναμέσον τοῦ πατρός σου, ἕως θανάτου. quia, sicut dixi, impletum est inter me & inter patrem tuum vsque ad mortem.* Romana tamen editio simpliciter legit, *quia, sicut dixi, impletum est inter me, & mortem.* Aquila & Symmachus, *ὅτι βῆμα ἀναμεταξύ ἐμοῦ καὶ θανάτου, quantum gradus (aut passus) inter me, & mortem.* Hebraicè legitur, כִּי כְפֶשַׂע *ki kephesagh.* פֶּשַׂע porrò *passum pedum* significat: metaphoricè *rem modicam.* Alij scribunt פֶּשַׁע *pesagh.* transgres-

D sio est aut passus.

Absit, non morieris.] Non ista dicit Ionathas, quòd oblitus sit quid pater fecerit: sed quòd eum putaret ea fecisse per furorem. Nihil, inquit, est tam paruum, aut tam magnum, quin illud mihi pater communicet. hac autem de re nihil hactenus indicauit. Quod si indicet, vti iam antea, sic nunc quoque de sententia deducam.

Neque enim grande quicquam aut paruum, quin indicet, &c.] Iuuenalis Satyra tertia:

Ergo occulta teges, vt curia Martis Athenis.

Ridet diuitem, qui cælare quenquam sua consilia posse confidat.

O Corydon, Corydon, secretum diuitis vllum
Esse putas? serui vt taceant, iumenta loquentur,

Et

Absit, &c.

Potentes haud facilè sua consilia tegunt. Iuuenal.

VNO, VT ITA DICAM, &c.

Et canis, & postes, & marmora. Claude fenestras,
Vela tegant rimas, iunge ostia, tollito lumen
E medio, clament omnes, propè nemo recumbat:
Quod tamen ad cantum galli facit ille secundi,
Proximus ante diem caupo sciet, &c.
Prodere malunt
Arcanum, quàm subrepti potare falerni
Pro populo faciens quantum Laufella bibebat.

Faciens, sacrificans bonæ deæ.

Et iurauit rursum Dauid.] Ita habet etiam Vulgata apud Complurenses. Dauid, vt fidem faciat, interponit iusiurandum: idque vtiliter fit, si faciat aut ad confirmandum animum proximi in re seria, aut ad gloriam Dei. Videbatur autem Dauid versari in ipso articulo mortis, & cùm ab vxore demitteretur de fenestra, & cùm à Saule lancea peteretur. Alteram etiam partem orationis Ionathan refutat his verbis: *Scit profectò pater tuus, quia inueni gratiam in oculis tuis.*] Scit te amare me, & ea de causa te celat.

De passu, & reliquis mensurarũ speciebus.

Vno, vt ita dicam, gradu ego morsq; diuidimur.] *Passum* maluit Pagninus cum plerisque alijs. Passus autem apud Mathematicos sunt in triplici differentia. Passus simplex primæ differentiæ pedes habet duos, vel palmos octo. Geometricus autem, qui est duplex, secundæ differentiæ habet pedes quinque, vel palmos 20. De simplici opinor dictum, vt se morti proximum significaret. Pes continet palmos quatuor, vel digitos 16. Palmus verò digitos continet 4. vel grana 16. Digitus grana habet secundùm latitudinem disposita 4. Granum autem hordei mensurarum omnium minimum atque principium. Sicut autem mensurarum quæ in longitudinem porriguntur, minima atque breuissima granum est, ita & progressionum passus. Qui, si de Geometrico sermo sit, pedes habet quinque. Huic vlna agrestis succedit, quæ sex constat pedibus, palmis 24. Vlnæ pertica, quæ pedes decem continet, palmos 40. Stadium deinde passus habet Geometricos 125. vel pedes 625. Milliarium continet stadia octo, vel passus Geometricos 1000. Leuca Gallica breuissima passus Geometricos 1500. Germanica 4000. Sueuica omnium maxima 5000. Omnibus his mensuris passus breuior est. Quamobrem huius comparatione Dauid vtitur, quo se breuissimo à morte interuallo abesse demonstraret.

Gradum habet Vulgata nostra & benè vetus translatio, non vtique ducta à theatris metaphora, quæ tota gradibus distinguebantur, in quibus sedebant spectatores, & vicini quique vno gradu separabantur: nam eo tempore theatrorum vsum nullum fuisse apud Hebræos libri Machabæorũ testantur. Sed erant scalæ, quibus in superiora tabulata conscenditur, non vnius generis. nonnullæ enim gradibus constabant, quædam accliui. Et prioris quidem generis aliæ sunt cochlides, per quas tortili atque anfractuoso circum scapum ambitu ab imo ad summum euaditur: per alias verò gradibus recta itione conscenditur, qui si plures esse debent, interiectis refractionibus & areolis ad normam conuertuntur. Philandrum consule in cap. 2. lib. 9. Vitruuij de Architect. Harum frequentissimum vsum fuisse in Palæstina non dubium est, vt pote

Philander.

A quo loco non perinde vt apud nos ædes tectis assurgunt, sed planis domatibus finiuntur. Ab his igitur Dauid potuit exemplum sumpsisse suæ similitudinis, vel certè ab ijs gradibus, à quibus sua graduum cantica denominauit, quæ numero quindecim Psalmis inseruntur. Hi erãt Excelsorum gradus, in quibus eo tempore post viduatum fœderis arca tabernaculum, & ante iacta tẽpli fundamenta, immolandi consuetudo inoleuerat. Nisi fortè vaticinatus creditur, & de templi mox futuri gradibus propheticè loquutus, qui mysticè virtutum gradus designarent, per quos ad perfectionis apicem promouemur. Verùm vnde erit petita translatio, certè vicinitas maxima designatur. Semper enim vicini gradus non aliqua media intercapedine, sed seipsis coniunguntur. Itaque cùm seipsum in vno gra- B du, mortem in proximo constituat, sibi mortem indicat imminere præsentissimam.

Gradus temporis.

Est verò etiam *gradus* temporis pars breuissima. Nam quæ vulgaris sermo non vsurpat, vt sunt Mathematicorum minuta secunda & tertia, eorundem Historicus rationem nullam habet. Vt autem noueris quàm sit gradus exigui temporis meta, diei pars est trecentesima & sexagesima. Horæ verò vnius portio quinta & decima. Diem enim horis 24. quatuor definimus integro Solis circuitu. Quemadmodum enim Zodiacus trecentis sexaginta gradibus diuiditur, ita & circulus æquinoctialis: cuius æquinoctialis circuli gradus, propterea quod constanti ac perpetua lege tempora diurna, nocturnáque designent, eadémque in horas æquales distribuant, idcirco Græci χρόνους, Latini tempo- C ra denominarunt, quò à Zodiaci gradibus distinguerentur. Legendus Clauius in capite secundo Sphæræ, De officijs æquinoct. circuli, in tabulis. Quare hoc sentit Dauid opinor, Citò occidendus sum, confestim, è vestigio interficiendus sum. εὐθὺς, τὸ παραχρῆμα, in incontinenti, vt Iurisperiti loquuntur, perimendus sum, mox pereo: Sic vrgeor, vt neque nouerim quid consilij capiam, neque quo pacto fugam adornem. Apostolus primæ ad Corinthios, capite decimo quinto, *In momento*, inquit, *in ictu oculi, in nouissima tuba.* Et Iob, *Ducunt*, ait, *in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Vna est emphasis horum omnium, eandem vim cum gradu obtinent, & tempus breuissimum denotant. Animaduerte autem quàm breui temporis in- D teruallo & angusta mora tardet interitum. Horam perinde vt aliud quodlibet totum, assem Latini nuncupant, & in partes æquales duodecim secant. Vndecim horæ partes si cum asse conferas, deuncem vocant; decem, dextantem; nouem, dodrantem; octo, bessem, septem, septuncem; sex, siue partem horæ mediam, semissem; quinque, quincuncem; quatuor, trientem; tres, quadrantem; duas, sextantem; vnam denique, vnciam. Tot igitur horæ partes cùm sint, ne vna quidem conceditur, non semis, non quadrans, ne vncia quidem, vix etiam gradus, qui singulis horæ partibus longè angustior est.

Clauius.

Plures Scripturę phrases explicãtur, quæ breuissimũ tempus designant.

Gradus.

In momento.] inquit Apostolus. Benedictus Arias hunc locum ita legit. Πάντες μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα, *Omnes quidem non dormiemus:* Πάντες δὲ ἀλλα-

VNO, VT ITA DICAM, &c. γνῶμεν, *Omnes autem immutabimur.* Sic ille Græcum contextum descripsit, & interlineari versione exposuit. Ad marginem autem annotat loco illius οὐ, οὐ ab aliis legi, & ante posterius illud πάντες, ἀλλ' οὐ prætermitti, & à sancto Hieronymo vtrumque agnosci. Vulgatus proculdubio legit, Πάντες μὲν ἀναστησόμεθα, οὐ πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα. Sequitur autem, ἐν ἀτόμῳ, ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ.

Momentũ. *In momento* autem, *in puncto* Erasmus interpretatus est. Vener. Beda in comment. Atomus in tempore, momentum est breue, quod iam non habet, vbi diuidatur. Temporis etiam punctum agnoscit sanctus Ioannes Damascenus in Physic. Hora porrò eodem Beda autore, constat punctis quatuor, minutis decem, momentis

Punctum. quadraginta. Hic ergo punctum non ex Mathematicorum sententia à momento distinguit, nam apud eos *momentum, instans, & punctum temporis* idem valent. Momentum est, inquit, minimum atque angustissimum tempus, à motu sydérum dictum. Est enim extremitas ho-

Atomus. ræ in breuibus interuallis, cùm aliquid sibi cedit atque succedit. Punctum igitur est quarta pars horæ, momentum decima pars puncti. vnciæ illius pars quadragesima octaua atomus dicitur. Hîc porrò siue punctum, siue momentum interpreteris, ex Græco textu atomum intelligas necesse est. *In ictu oculi.* Alij, *in iactu oculi.*

Ictus oculi. ῥιπῇ etiam legit sanctus Hieronymus ad Minerium scribens, *in momento*, quòd à motu & inclinatione lancis siue libræ acceptum est: ῥιπὴ autem à teli aut fulminis iactu. Valla emendare voluit *in nictu oculi.* At nos etiam Græcè *in ictu oculi* legimus. id est, Quantus est ictus oculi, non quo conniuemus, aut annuimus: sed quo procul etiam posita statim aspicimus. Nam certè mox vt cernere libuerit, celsissima cælorum templa oculorum acie penetramus. Docet au-

Ven. Beda tem Venerabilis Beda capite tertio, De rerum natura, his dicendi formulis nullo discrimine cum sacros tum etiam profanos scriptores vti: & siue momentum dicere placuerit, siue punctum, aut atomum, vel etiam ictum oculi, his passim omnibus nullo delectu breuissimum temporis spatium designari.

VERSVS IV.

Et ait Ionathas ad Dauid: Quodcumq; dixerit mihi anima tua, faciam tibi.

VERSVS V.

Dixit autem Dauid ad Ionathan: Ecce calendæ sunt crastino, & ego ex more sedere soleo iuxta Regem ad vescendum: dimitte ergo me vt abscondar in agro vsque ad vesperam diei tertiæ.

VERSVS VI.

Si respiciens requisierit me pater tuus, respondebis ei: Rogauit me Dauid, vt

A iret celeriter in Bethlehem ciuitatem suam: quia victimæ solennes ibi sunt vniuersis contribulibus suis.

Variæ trãslat. CHaldæus, *Quid vult anima tua, & fiet tibi?* Septuaginta, τί ἐπιθυμεῖ ἡ ψυχή σου, καὶ (Aldus & Rom. addit τί) ποιήσω σοι. *Quid concupiscit anima tua, & (quid) faciam tibi?* Vatablus, *Quicquid pro voto desideras, faciam tibi.* Alius, *Eloquere quod sit desiderium tuum, & efficiam tibi.*

Versu quinto, *Ecce calendæ sunt crastino, & ex more sedere soleo, &c.* Pagninus, *Ecce calendæ* (Arias *mensis*. Hebraïcè חדש *khodesc.*) *sunt cras, & ego sedendo sedere soleo apud Regem ad vescendum.* (Arias, *sedendo sedebo cum Rege ad vescendum.*) Arias Chaldæum expressit. Septuaginta, ἰδοὺ δὴ νεομηνία αὔριον. Ita Complut. Aldus, ἰδοὺ δὴ νε-

B ομηνία, *Ecce iam calendæ*, siue, vt Latina Rom. Sept. Interpr. *Ecce nunc Neomenia.* καὶ ἐγὼ καθίσας καθήσομαι μετὰ τοῦ βασιλέως φαγεῖν, *Et ego sedens sedebo manducare cum Rege.* Ald. & Rom. καὶ ἐγὼ καθίσας οὐ καθήσομαι, *Et ego sedens non sedebo manducare.* Aldus tamen habet etiam, μετὰ τοῦ βασιλέως, *cum Rege*, quod Rom. edit. non agnoscit. Quidam, *Ecce Nouilunium est cras*, atque ideò solennis epuli, *quo ego omnino sedere soleo cum Rege ad comedendum.* Vatabl. Salmant. *Ecce cras Neomenia erunt, quum omninò deberem cum Rege ad mensam discumbere* *Vsque ad vesperam diei tertiæ*, Chald. *vsque ad tempus vesperæ in die tertia.* Pagninus consentit cum Vulgata: sed Arias tollit *diei*, & legit duntaxat *vsque ad vesperam tertiæ.* Septuaginta simpliciter ἕως δείλης, *vsque ad vesperam.* Alius, *Dum erit vespera tertiana.* Et in Notis, id est, Nocte il-

C la, à qua incipit tertius dies mensis, me abscondam, & expectabo dum abs te certior fiam de patris tui erga me animo.

Versu sexto Pagninus, *Si recordando recordatus mei fuerit pater tuus* (Arias, *Si visitando visitauerit me pater tuus*) *& dices.* Chaldæus, *Si quærendo quæret me pater tuus, & dices.* Vatablus Salmant. *Si pater tuus accuratè de me perquisierit, dicas.* Septuaginta, *Si requirens requisierit me pater tuus.* vel, vt Rom. editio vertit, *Si recensens recensuerit me, &c.* Quidam, *Si recensendo desiderauerit me pater tuus, tum dices. Rogauit me Dauid, &c. quia victimæ solennes ibi sunt, &c*] Pagninus, *quia sacrificium annuale est ibi* (Arias, *sacrificium dierum*) *toti familiæ.* Chaldæus, *quia appositum oblationis sanctitatis hodie ibi omni prosapiæ.* Vata-

D blus Salmant. *quoniam sacrificium gentilitium est ibi solenne toti familiæ.* Septuaginta, ὅτι θυσία τῶν ἡμερῶν ἐκεῖ ὅλῃ τῇ φυλῇ. *quoniam sacrificium dierum ibi vniuersæ tribui.* Non nemo, *Nam conuiuium ibi esse anniuersarium toti eius familiæ.* Et in Notis, Hæc autem excusatio quin vera sit, nihil impedimento est. Alius denique, *quoniam sacrificium dierum (solennium) est ibi pro tota cognatione.*

Quodcunque dixerit mihi anima tua, faciam tibi.] Nequaquã Dauid repulsam patitur, aut Ionathas amicum spernit: sed vltrò causam illius suscipit, idque duplici suo cum periculo. Primùm enim cùm Dauidis causam ageret inuito patre, ab eo penè occisus est. Deinde, quod eidem Saul exprobrat, si Dauid incolumis euaderet, ipse nunquam regnum consequeretur. Ionathas iacentem amicum nequaquam spernit.

Itaque

Ecce calendae sunt, &c.

Itaque Ionathas amici gratia sciens & prudens in periculum venit, & de capite, & de Imperio. Quo minùs excusatione digni sunt, qui aiunt: Si ius violandum sit, regnandi causa violandum esse, atque adeò nullum scelus refugiunt prae dominandi libidine.

Calendae.

Ecce calendae sunt crastina.] Calendae Hebraïcè חדש *hhodesc.* Manat à verbo חדש *hhadasc,* quod est *nouum fecit,* innouauit. Inde חדש *hhadasc*, *nouus* Septuaginta nonnunquam νέος, alter, mutatus ab illo חדש *hhodesc* autem primum diem mensis significat, quo Luna innouatur. Non rarò etiam Synecdochicôs totum mensem, quem auspicantur Hebraei à primo Lunae ortu. Sunt qui duobus diebus censeri apud Hebreos calendas velint, quos Latinè dicimus, Pridie calendas, & Calendis. Primus sanè cuiusque mensis dies, etsi sacer fuit, vacationem tamen operum obtinuisse negant, praeterquam initio mensis Tisri in solenni tubarum die. De partibus mensis legendus Pollux libro primo Onomast. cap. 7. sect. 5. & Suidas in ἕνῃ καὶ νέᾳ. Plura etiam antea retulimus initio cap. 6. Tradunt Hebraei tum mensis initium incipere, quando primùm Luna vespere se conspiciendam exhibet, post coniunctionem duas circiter horas durantem. Mensem iamdudum definiuimus, lunaris luminis circuitum ac redintegrationem à prima Lunae innouatione, donec eadem rursum instauretur. Lunares enim menses obseruarunt Iudaei, sicut & annos. A metiendo menses dictos putat Cicero. Hebraeis tamen & Graecis à Luna nuncupantur. Lunam ipsam eleganti penicillo Plinius depingit, & varias eius ac multiplices eius vtilitates vicissitudinesque describit Natur. Histor. lib. 2. cap. 9.

Ratio mensium apud Romanos.

Nomen ipsum calendarum inde ortum habuisse ferunt. Romulus cùm ingenio acri quidem, sed agresti, statum proprij ordinaret Imperij, initium cuiusque mensis ex illo sumebat die, quo nouam Lunam contigisset videri. Quia verò aliquando tardiùs apparere contigit, contigit vt praecedenti mensi plures dies annumerarentur: & primus casus perpetuam legem mensibus addixit. Sic factum, vt alij triginta & vnum, alij vndetriginta sortirentur dies. Omnibus tamen mensibus ex die nonarum idus nono die repraesentari placuit, & inter idus ac sequentes calendas constitutum est sexdecim dies esse numerandos. Ideo mensis vberior, duos illos, quibus augebatur, dies, inter calendas suas & nonas habebat. Hinc alijs quintus à calendis dies, alijs septimus nonas facit. Priscis ergo temporibus antequam fasti à Cn. Flauio Scriba inuitis patribus, in omnium notitiam proderentur, Pontifici Minori haec prouincia delegabatur, vt nouae Lunae primum obseruaret, visumque Regi Sacrificuio nuntiaret. Itaque sacrificio à Rege, & Minore Pontifice celebrato, idem Pontifex, calata, id est, vocata in Capitolium plebe, iuxta curiam Calabram, quae casae Romuli proxima est: quot numero dies à calendis ad nonas superessent, pronuntiabat. Et quintanas quidem quinquies dicto verbo καλῶ, septimanas repetito septies praedicabat. Verbum autem καλῶ Graecum est, id est, voco.

A Et hunc diem, qui ex his diebus qui calarentur, primus esset, placuit calendas vocari. Hinc & ipsi curiae, ad quam vocabantur, Calabrae nomen datum est; & classi, quòd omnis in eam populus vocaretur. Ideò autem Minor Pontifex numerum dierum, qui ad nonas superessent, calando prodebat, quòd post nouam Lunam oportebat nonarum die populares, qui in agris essent, confluere in vrbem: accepturos causas feriarum à Rege sacrorum, scituros que quid esset eo mense faciendum. Consule Macrob. Saturnal. lib. 1.

Et ego ex more, &c.

Athenaeus. Sedebant olim in coenis Heroes, non accubebant.

Et ego ex more sedere soleo iuxta Regem.] Athenaeus libro primo Deipnosoph. Sedebant, inquit, in coenis Heroes, non accumbebant. Qui mos, vt inquit Duris, etiam interdum seruabatur apud Alexandrum Regem. Is enim aliquando
B quadringentos duces in sellis aureis & argenteis, veste purpurea stratis, sedentes ac reclinatos conuiuio excepit. Apud Curtium libro octauo, cohors puerorum Regiorum in summo honore habebatur, quòd illis sedentibus vesci cum Rege licebat. Apud Homerum manifestè sedentes epulantur. cuius haec verba sunt non vno loco:

Inde thronos sedere super, sedesque paratas.

Est autem θρόνος thronus καθέδρα σὺν ὑποποδίῳ sella cum subsellio, in qua tantùm sedent liberi ingenuique homines, quam & nonnulli θρῆνυν vocant, nomine sumpto à verbo θρήσασθαι, vt Athenaeus autor est libro quinto, capite tertio, quod pro sedere vsurpant, quia sedendi causa afferatur. Philetas:

θρήσασθαι, id est, *sedere, humi, sub platano.*

C Sella verò, quam κλισμοὶ vocant, ad corporis inclinationem curiosiùs ornatur. Vilissimum in hoc genere sedile fuit δίφρος, id est, scamnum. Quamobrem Vlyssi, quòd mendicus esse videretur, cum exigua mensa scamnum vile apposuerunt. Quo loco rursum de Aegyptijs loquens Athenaeus infit: Temperatum sanè conuiuiorum genus apud Aegyptios antiquitùs fuisse declaratur, veluti Apollonius ait, qui de his rebus scripsit. Nam comedebant sedentes, &c. Priscos etiam Romanos sedentes capere cibum solitos, Seruius tradit apud Virgilium Aeneidos septimo, & multis rationibus ostendit Philander apud Vitruuium capite quinto libri sexti. Posteriores voluptatum magis quàm virtutis studiosi, lectos sternere, & mensis accumbere
D coeperunt. Itaque Catonem Vticensem nunquam iacuisse nisi dormiturum, sed sedisse post coepta ciuilia bella, & auditam Pharsalicam cladem, scribit Plutarchus in eius vita. Mulieres ne posteris quidem cubasse temporibus ferunt, sed cum viris cubantibus coenasse sedentes, quòd turpis videretur in muliere accubitus. Autor est sanctus Isidorus libro vigesimo Etymol. ex Varrone de vita populi Rom. Quare etiam cùm is accumbendi mos ad deos translatus esset, & Ioui epulum praeberetur in Capitolio, ipse quidem Iupiter accumbebat in lectulo, at Iuno & Minerua in sellis ipsi assidebant. Frugalior & modestior sessio semper est habita. Testis Columella, qui libro decimo, capite primo, de re rustica, haec habet: Villicus sit frugalitatis exem-

Seruius.

Plutarch. Mulieres in coenis sedebant.

S. Isidor.

Columella.

VNO, VT ITA DICAM, &c. *πνεύματι*, *Omnes autem immutabimur.* Sic ille Græcum contextum descripsit, & interlineari versione exposuit. Ad marginem autem annotat loco illius ἐν, ὠμῷ ab aliis legi, & ante posterius illud πάντες, ἀλλ' οὐ prætermitti, & à sancto Hieronymo vtrumque agnosci. Vulgatus proculdubio legit, Πάντες μὲν ἀναστησόμεθα, οὐ πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα. Sequitur autem, ἐν ἀτόμῳ, ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ.

Momentũ. *In momento* autem, *in puncto* Erasmus interpretatus est. Vener. Beda in comment. Atomus in tempore, momentum est breue, quod iam non habet, vbi diuidatur. Temporis etiam punctum agnoscit sanctus Ioannes Damascenus in Physic. Hora porrò eodem Beda autore, constat punctis quatuor, minutis decem, momentis quadraginta. Hîc ergo punctum non ex Mathematicorum sententia à momento distinguit, nam apud eos *momentum, instans, & punctum temporis* idem valent. Momentum est, inquit, minimum atque angustissimum tempus, à motu syderum dictum. Est enim extremitas horæ in breuibus interuallis, cùm aliquid sibi cedit atque succedit. Punctum igitur est quarta pars horæ, momentum decima pars puncti. vnciæ illius pars quadragesima octaua atomus dicitur. Hîc porrò siue punctum, siue momentum interpreteris, ex Græco textu atomum intelligas necesse est. *In ictu oculi.* Alij, *in iactu oculi.* ἐν ῥοπῇ etiam legit sanctus Hieronymus ad Minerium scribens, *in momento*, quòd à motu & inclinatione lancis siue libræ acceptum est: ῥιπὴ autem à teli aut fulminis iactu. Valla emendare voluit *in nictu oculi.* At nos etiam Græcè *in ictu oculi* legimus. id est, Quantus est ictus oculi, non quo conniuemus, aut annuimus: sed quo procul etiam posita statim aspicimus. Nam certè mox vt cernere libuerit, celsissima cælorum templa oculorum acie penetramus. Docet autem Venerabilis Beda capite tertio, De rerum natura, his dicendi formulis nullo discrimine cum sacros tum etiam profanos scriptores vti: & siue momentum dicere placuerit, siue punctum, aut atomum, vel etiam ictum oculi, his passim omnibus nullo delectu breuissimum temporis spatium designari.

Punctum.

Atomus.

Ictus oculi.

Ven. Beda

VERSVS IV.

Et ait Ionathas ad Dauid: Quodcumq; dixerit mihi anima tua, faciam tibi.

VERSVS V.

Dixit autem Dauid ad Ionathan: Ecce calendæ sunt crastino, & ego ex more sedere soleo iuxta Regem ad vescendum: dimitte ergo me vt abscondar in agro vsque ad vesperam diei tertiæ.

VERSVS VI.

Si respiciens requisierit me pater tuus, respondebis ei: Rogauit me Dauid, vt iret celeriter in Bethlehem ciuitatem suam: quia victimæ solennes ibi sunt vniuersis contribulibus suis.

A

CHaldæus, *Quid vult anima tua, & fiet tibi?* Septuaginta, τί ἐπιθυμεῖ ἡ ψυχή σου, καὶ (Aldus & Rom. addit τί) ποιήσω σοι. *Quid concupiscit anima tua, & (quid) faciam tibi?* Vatablus, *Quicquid pro voto desideras, faciam tibi.* Alius, *Eloquere quod sit desiderium tuum, & efficiam tibi.* Variæ trãslat.

Versu quinto, *Ecce calendæ sunt crastino, & ex more sedere soleo, &c.* Pagninus, *Ecce calendæ* (Arias *mensis.* Hebraicè חדש *hhodesc.*) *sunt cras, & ego sedendo sedere soleo apud Regem ad vescendum.* (Arias, *sedendo sedebo cum Rege ad vescendum.*) Arias Chaldæum expressit. Septuaginta, ἰδοὺ δὴ νεομηνία αὔριον. Ita Complut. Aldus, ἰδοὺ δὴ νεομηνία, *Ecce iam calendæ*, siue, vt Latina Rom. Sept. Interpr. *Ecce nunc Neomenia.* καὶ ἐγὼ καθίσας καθήσομαι μετὰ τοῦ βασιλέως φαγεῖν, *Et ego sedens sedebo manducare cum Rege.* Ald. & Rom. καὶ ἐγὼ καθίσας οὐ καθήσομαι, *Et ego sedens non sedebo manducare.* Aldus tamen habet etiam, μετὰ τοῦ βασιλέως, *cum Rege*, quod Rom. edit. non agnoscit. Quidam, *Ecce Nouilunium est cras*, atque ideò solennis epuli, *quo ego omnino sedere soleo cum Rege ad comedendum.* Vatabl. Salmant. *Ecce cras Neomeniæ erunt, quum omninò deberem cum Rege ad mensam discumbere.* *Vsque ad vesperam diei tertiæ*, Chald. *vsque ad tempus vesperæ in die tertia.* Pagninus consentit cum Vulgata: sed Arias tollit *diei*, & legit duntaxat *vsque ad vesperam tertiã.* Septuaginta simpliciter ἕως δείλης, *vsque ad vesperam.* Alius, *Dum erit vespera tertiana.* Et in Notis, id est, Nocte illa, à qua incipit tertius dies mensis, me abscondam, & expectabo dum abs te certior fiam de patris tui erga me animo.

B

C

Versu sexto Pagninus, *Si recordando recordatus mei fuerit pater tuus* (Arias, *Si visitando visitauerit me pater tuus*) *& dices.* Chaldæus, *Si quærendo quæret me pater tuus, & dices.* Vatablus Salmant. *Si pater tuus accuratè de me perquisierit, dicas.* Septuaginta, *Si requirens requisierit me pater tuus.* vel, vt Rom. editio vertit, *Si recensens recensuerit me, &c.* Quidam, *Si recensendo desiderauerit me pater tuus, tum dices. Rogauit me Dauid, &c. quia victimæ solennes ibi sunt, &c*] Pagninus, *quia sacrificium annuale est ibi* (Arias, *sacrificium dierum*) *toti familiæ.* Chaldæus, *quia appositum oblationis sanctitatis hodie ibi omni prosapiæ.* Vatablus Salmant. *quoniam sacrificium gentilitium est ibi solenne toti familiæ.* Septuaginta, ὅτι θυσία τῶν ἡμερῶν ἐκεῖ ὅλῃ τῇ φυλῇ, *quoniam sacrificium dierum ibi vniuersæ tribui.* Non nemo, *Nam conuiuium ibi esse anniuersarium toti eius familiæ.* Et in Notis, Hæc autem excusatio quin vera sit, nihil impedimento est. Alius denique, *quoniam sacrificium dierum (solennium) est ibi pro tota cognatione.*

D

Quodcunque dixerit mihi anima tua, faciam tibi.] Nequaquã Dauid repulsam patitur, aut Ionathas amicum spernit: sed vltrò causam illius suscipit, idque duplici suo cum periculo. Primùm enim cùm Dauidis causam ageret inuito patre, ab eo penè occisus est. Deinde, quod eidem Saul exprobrat, si Dauid incolumis euaderet, ipse nunquam regnum consequeretur. Itaque

Ionathas iacentem amicum nequaquam spernit.

ECCE CALENDÆ SVNT, &c.

Itaque Ionathas amici gratia sciens & prudens in periculum venit, & de capite, & de Imperio. Quo minùs excusatione digni sunt, qui aiunt: Si ius violandum sit, regnandi causa violandum esse, atque adeò nullum scelus refugiunt præ dominandi libidine.

Calendæ.

Ecce calendæ sunt crastina.] Calendæ Hebraïcè חֹדֶשׁ *hhodesc.* Manat à verbo חָדַשׁ *hhadasc*, quod est *nouum fecit*, innouauit. Inde חָדַשׁ *hhadasc*, *nouus* Septuaginta nonnunquam ἕτερος, alter, mutatus ab illo חדש *hhodesc* autem primum diem mensis significat, quo Luna innouatur. Non rarò etiam Synecdochicῶs totum mensem, quem auspicantur Hebræi à primo Lunæ ortu. Sunt qui duobus diebus censeri apud Hebręos calendas velint, quos Latinè dicimus, Pridie calendas, & Calendis. Primus sanè cuiusque mensis dies, etsi sacer fuit, vacationem tamen operum obtinuisse negant, præterquam initio mensis Tisri in solenni tubarum die. De partibus mensis legendus Pollux libro primo Onomast. cap. 7. sect. 5. & Suidas in ἔνη νέα. Plura etiam antea retulimus initio cap. 6. Tradunt Hebræi tum mensis initium incipere, quando primùm Luna vespere se conspiciendam exhibet, post coniunctionem duas circiter horas durantem. Mensem iamdudum definiuimus, lunaris luminis circuitum ac redintegrationem à prima Lunæ innouatione, donec eadem rursum instauretur. Lunares enim menses obseruarunt Iudæi, sicut & annos. A metiendo menses dictos putat Cicero. Hebræis tamen & Græcis à Luna nuncupantur. Lunam ipsam eleganti penicillo Plinius depingit, & varias eius ac multiplices eius vtilitates vicissitudinesque describit Natur. Histor. lib. 2. cap. 9.

Ratio mensium apud Romanos.

Nomen ipsum calendarum inde ortum habuisse ferunt. Romulus cùm ingenio acri quidem, sed agresti, statum proprij ordinaret Imperij, initium cuiusque mensis ex illo sumebat die, quo nouam Lunam contigisset videri. Quia verò aliquando tardiùs apparere contigit, contigit vt præcedenti mensi plures dies annumerarentur: & primus casus perpetuam legem mensibus addixit. Sic factum, vt alij triginta & vnum, alij vndetriginta sortirentur dies. Omnibus tamen mensibus ex die nonarum idus nono die repræsentari placuit, & inter idus ac sequentes calendas constitutum est sexdecim dies esse numerandos. Ideo mensis vberior, duos illos, quibus augebatur, dies, inter calendas suas & nonas habebat. Hinc alijs quintus à calendis dies, alijs septimus nonas facit. Priscis ergo temporibus antequam fasti à Cn. Flauio Scriba inuitis patribus, in omnium notitiam proderentur, Pontifici Minori hæc prouincia delegabatur, vt nouæ Lunæ primum obseruaret, visumque Regi Sacrificulo nuntiaret. Itaque sacrificio à Rege, & Minore Pontifice celebrato, idem Pontifex, calata, id est, vocata in Capitolium plebe, iuxta curiam Calabram, quæ casæ Romuli proxima est: quot numero dies à calendis ad nonas superessent, pronuntiabat. Et quintanas quidem quinquies dicto verbo καλῶ, septimanas repetito septies prædicabat. Verbum autem καλῶ Græcum est, id est, voco.

ET EGO EX MORE, &c.

A Et hunc diem, qui ex his diebus qui calarentur, primus esset, placuit calendas vocari. Hinc & ipsi curiæ, ad quam vocabantur, Calabræ nomen datum est; & classi, quòd omnis in eam populus vocaretur. Ideò autem Minor Pontifex numerum dierum, qui ad nonas superessent, calando prodebat, quòd post nouam Lunam oportebat nonarum die populares, qui in agris essent, confluere in vrbem: accepturos causas feriarum à Rege sacrorum, scituros que quid esset eo mense faciendum. Consule Macrob. Saturnal. lib. 1.

Athenæus. Sedebant olim in cœnis Heroes, non accubebant.

Et ego ex more sedere soleo iuxta Regem.] Athenæus libro primo Deipnosoph. Sedebant, inquit, in cœnis Heroes, non accumbebant. Qui mos, vt inquit Duris, etiam interdum seruabatur apud Alexandrum Regem. Is enim aliquando B quadringentos duces in sellis aureis & argenteis, veste purpurea stratis, sedentes ac reclinatos conuiuio excepit. Apud Curtium libro octauo, cohors puerorum Regiorum in summo honore habebatur, quòd illis sedentibus vesci cum Rege licebat. Apud Homerum manifestè sedentes epulantur. cuius hæc verba sunt non vno loco:

Inde thronos sedere super, sedesque paratas.

Est autem θρόνος thronus καθέδρα σὺν ὑποποδίῳ sella cum subsellio, in qua tantùm sedent liberi ingenuique homines, quam & nonnulli θρᾶνυν vocant, nomine sumpto à verbo θρανεύειν, vt Athenæus autor est libro quinto, capite tertio, quod pro sedere vsurpant, quia sedendi causa afferatur. Philetas:

C Θρανεύειν, id est, *sedere, humi, sub platano.*

Sella verò, quam κλισμὸν vocant, ad corporis inclinationem curiosiùs ornatur. Vilissimum in hoc genere sedile fuit δίφρος, id est, scamnum. Quamobrem Vlyssi, quòd mendicus esse videretur, cum exigua mensa scamnum vile apposuerunt. Quo loco rursum de Ægyptijs loquens Athenæus infit: Temperatum sanè conuiuiorum genus apud Ægyptios antiquitùs fuisse declaratur, veluti Apollonius ait, qui de his rebus scripsit. Nam comedebant sedentes, &c. Priscos etiam Romanos sedentes capere cibum solitos, Seruius tradit apud Virgilium Æneidos septimo, & multis rationibus ostendit Philander apud Vitruuium capite quinto libri sexti. Posteriores voluptatum magis quàm virtutis studiosi, lectos sternere, & mensis accumbere D cœperunt. Itaque Catonem Vticensem nunquam iacuisse nisi dormiturum, sed sedisse post cœpta ciuilia bella, & auditam Pharsalicam cladem, scribit Plutarchus in eius vita. Mulieres ne posteris quidem cubasse temporibus ferunt, sed cum viris cubantibus cœnasse sedentes, quòd turpis videretur in muliere accubitus. Autor est sanctus Isidorus libro vigesimo Etymol. ex Varrone de vita populi Rom. Quare etiam cùm is accumbendi mos ad deos translatus esset, & Ioui epulum præberetur in Capitolio, ipse quidem Iupiter accumbebat in lectulo, at Iuno & Minerua in sellis ipsi assidebant. Frugalior & modestior sessio semper est habita. Testis Columella, qui libro decimo, capite primo, de re rustica, hæc habet: Villicus sit frugalitatis exem-

Seruius.

Plutarch. Mulieres in cœnis sedebant.

S. Isidor.

Columella.

IVXTA REGEM, &c.

plum, nec nisi ferijs accubans cœnet. Itaque postquam delatum est ad Christianos Imperium, luxuriosior illa consuetudo sensim exoleuit. Animaduerto tamen illum accumbendi vsum diutiùs apud posteros nonnullis diebus festis retentum fuisse. Notat siquidem Luitprandus libro sexto capite tertio, Imperatorem Constantinopolitanum die natali Domini cum conuiuijs, non vt alijs diebus sedendo ad mensam, sed cubando epulatum, & eo die aureis duntaxat non argenteis vasis ministrari.

Luitprand.

Iuxta Regem ad vescendum.] Ad loricam Domitiani Imperatoris Martialis libro septimo, Epigrammate primo:

Felix, inquit, sorte tua, sacrũ cui tangere pectus
Fas erit, & nostri mente calere Dei.

Feliciores vtique censuisset, quos vnà vesci licuisset. Apud Suetonium Caligula, vitæ suæ capite trigesimo nono, honorem suæ mensæ vendidit. Compererat, inquit, prouincialem locupletem ducenta sestertia numerasse vocatoribus, vt per fallaciam conuiuio interponeretur, nec tulerat molestè tam magno æstimari honorem cœnæ suæ. Huic postero die sedenti in auctione misit, qui nescio quid friuoli ducentis millibus traderet, diceretq; cœnaturum apud Cæsarem, vocatu ipsius.] Quo fastu Persarum Reges amicos conuiuio exciperent docet Heraclides Cumanus apud Athenæum libro quarto, capite sexto, Rex in thoro aureos pedes habenti accumbit, reliqui conuiuæ humi sedent. Apud Parthos quoque, quos Rex inuitarit, humi sedent, & ijs cibis velut canes vescuntur, quos Rex projecerit, solus ipse sublimi solio residet. Apud eundem Athenæum libro quarto, capite decimo quarto, quo loco plura eius generis exempla suppeditat. Nunc plerique Reges homines esse se meminerunt, aut ex gentis consuetudine simulant.

Caligula honorem mensæ suæ vendidit Suetonius

Athenæus.

Dimitte me, vt abscondar in agro.] Dauid in tanto discrimine positus, timuit sibi. Nec mirum. Neque enim à sanctis viris exigitur ἀπάθεια illa Stoicorum. Iacob metuit sibi ab Esau: Elias item sibi à Iezabel metuit, & de iniurijs, quibus ab illa affectus fuerat, grauiter expostulauit cum Deo. Iste tamen timor Sanctorum non coniungitur cum vlla de Deo diffidentia. Timebant illi quidem, non tamen discedebant à fide. Deinde in illo timore, nihil in se admiserunt, quod pugnaret cum lege Dei. Postremò, nihil infectum reliquerunt, quod scirent ad officium suum pertinere. Impij contrà despondent animos, quòd non satis Deo confidant. Deinde quacunque tandem ratione, etiam scelere atque maleficio, periculo se eripere certant. Postremò, timore ac desperatione debilitati, omnia consilia rei benè gerendæ abijciunt. Quidam in rebus aduersis ita perturbantur animo, vt exponere nequeant quo pacto se iuuari velint. Dauid autem non ita erat mente consternatus, quin sapienter modum rationémque inuestigaret, queis, si Ionathas adesse vellet, vim Regis atque insidias vitare posset.

Timét etiã Sancti.

Vsque ad vesperam diei tertiæ.] Ista enim agebantur pridiè calendas. In ipsis calendis nihil poterat rescire de voluntate patris. Itaque expe-

A ctandum erat in tertium diem. Ad eum diem, inquit, delitescam. Ἐπίβδαι dicuntur Suidæ, αἱ μετέορτοι ἡμέραι, διὰ τὸ πρὸς ἐπίδειξιν ταῖς προτέραις ἡμέραις προστίθεσθαι, ἀπὸ τοῦ ἐπιβαίνειν. Dies qui post festum sequuntur, quod ad ostentationem prioribus diebus adderentur, alijs scilicet ad priores accedentibus. Talis futurus erat tertius ille dies amicis ex composito. Non enim calendæ plures in mense dies continebant, vt tradit Balsamon ad Concilij Sexti siue Constantinop. can. lxij. Nam cùm eo loco Concilium diebus festis calendarum, quæ ad eum diem Gentium ritu celebrabantur, interdiceret, Balsamon, quid essent calendæ, & vnde primùm originem duxissent, exponens. Καλάνδαι, inquit, λέγονται αἱ πρῶται δέκα ἡμέραι τοῦ μηνός, νῶναι αἱ δεύτεραι, καὶ εἰδοί. αἱ τρίται ἐκλήθησαν δὲ οὕτως ἀπὸ τριῶν τελωνῶν ῥωμαίων μεγιστάνων οἱ δρῶντες ἐν

B καιρῷ λιμοῦ τὸ καθεὶ τὴν ῥώμην ἀπεσώσαντο. Calendæ dicuntur primi decem dies cuiusque mensis, secundi nonnæ, tertij idus. Quas appellationes à tribus prudentissimis viris Romanis sortiuntur, qui Romam famis tempore à periculo eripuerunt. Eandem historiam non veriùs, sed copiosiùs recitat Ioan. Tzetzes Chil. III. Vnde calendæ dictæ sint, nos suprà ex Macrobio documus.

Balsamon.

Si respiciens requisierit me pater tuus.] In calendis mensium Hebræi offerebant victimas pacificas: deinde extructis mensis conuiuia inter se agitabant. Oportuit autem homines mundos esse, vt cibis sacris fruerentur. Ex hac occasione Dauid ita instituit consilia. Pater, inquit, tuus in conuiuio requiret me: tu autem dices, te mihi fecisse potestatem proficiscendi ad fratres

C meos. Nam illi calendarum tempore solennes victimas immolant. Tum videbis, quomodo se gerat pater tuus. Nam si odium ille suum erga me adhuc retineat, & me doleat euasisse, quasi iam occidi non possim, omninò fugiendum est, & aliquo pacto vitæ consulendum. At si animo mitigato profectioni meæ benè precetur, argumentum erit, quicquid ille hactenus in me fecerit, id factum esse per furorem; & spem esse, me illi posse aliquando reconciliari.

SI RESPICIENS, &c.

Quia victimæ solennes ibi sunt.] Tempora sacra sunt, inquit Pollux Onomast. cap. 1. lib. 1. sect. 30. πανηγύρεις, ἑορταί, ἱερομηνίαι, θεοφάνεια, θεοξένια, μετέορτοι ἡμέραι κατ' Ἀντιφῶντα. Panegyri, feriæ, calendæ, theophania, theoxenia, & dies post festum proximè sequentes. Ethnicorum hæ so-

D lennitates fuerunt. Ergo hi quoque calendas sacras esse duxerunt. Iunoni, inquit Macrobius libro primo Saturnal. calendæ dicatæ erãt: porca vel agna faciebãt; Iunoni autem potissimùm, quòd illa Luna esse crederetur; vel quia Luna per aërem meat, vnde & Græci Lunam ἄρτεμιν nuncupauerunt, quasi ἀεροτόμιν, quia aëra secat, Iuno autem aëris arbitra est. Veruntamen nuptijs copulandis calendas, nonas, & idus religiosas, id est, deuitandas censuerunt. Hi enim dies, præter nonas, feriati sunt: ferijs autem vim cuiquam fieri piaculare est. Ideò tunc vitantur nuptiæ, in quibus fieri vis virginibus videtur. Atqui in ipsis calendis, si adesset, Dauidem Saul interimere statuerat. Quàm erant Ethnici impio Rege religiosiores! *Victimæ solennes.*] Seleucus

Pollux.

Macrob.

In ferijs vim cuiquã fieri religiosũ fuit.

VICTIMÆ SOLENNES &c. Athenæus.

leucus apud Athenæum lib. 2. cap. 1. non fuisse antiquorum morem testatur, aut multũ vinum bibere, aut aliud suaue sumere, nisi id deorum gratia fieret, vnde Thœnas, Thalias, & Methas nominarunt. Has quia propter deos se ebrios oportere esse ducebant; illas, quia deorum gratia conueniebant: hoc est enim conuiuium lautum. At μεθύειν, μετὰ τὸ θύειν, est, vt inquit Aristoteles, peractis sacris bibere. Sacrilegam hanc ebrietatem dudum condemnauimus, tametsi illam Plato & Philo probasse videantur. Lautiores epulas in sacris diebus cum animi lætitia atque hilaritate coniunctas, sua lege Deus ipse sacrauit.

θοίνη, θαλία, μέθη.

Vniuersis contribulibus suis.] Ergóne tibi Regis mensa vilior præ omnibus illis? Iouem, si lubet, apud Martialem cum Saule confer, paternam Dauidis mensam cum Cæsaris mensa, & tum ab eo responderi puta:

Martialis Epigr. l. 9.

Ad cœnam si me diuersa vocaret in astra
Hinc inuitator Cæsaris, inde Iouis:
Astra licet propius, palatia longius essent:
Responsa ad superos hæc referenda darem,
Quærite, qui malit fieri conuiua Tonantis:
Me meus in terris Iupiter ipse tenet.

VERSVS VII.

Si dixerit, Benè: pax erit seruo tuo. Si autem fuerit iratus, scito quia completa est malitia eius.

VERSVS VIII.

Fac ergo misericordiam in seruum tuum: quia fœdus Domini me famulũ tuum tecum inire fecisti. Si autem est iniquitas aliqua in me, tu me interfice, & ad patrem tuum ne introducas me.

VERSVS IX.

Et ait Ionathas: Absit hoc à te: neque enim fieri potest, vt si certè cognouero completam esse patris mei malitiam contra te, non annunciem tibi?

VERSVS X.

Responditq; Dauid ad Ionathan: Quis renunciabit mihi, si quid fortè responderit tibi pater tuus durè de me?

Variæ trãslat.

ROm. edit. Lxx. *Si hac dixerit, Bene: pax seruo tuo.* Flaminius in Notis, Ita ferè Hebræus. Complut. autem, Καὶ ἐὰν εἴπῃ ὁ πατήρ σου. *& si dixerit pater tuus.*] Aldus idem breuius, ἐὰν δὲ εἴπῃ ἀγαθῶς, εἰρήνη τῷ δούλῳ σου. *Si dixerit, Bene; pax seruo tuo.* אם כה יאמר *im ko iomar.* Pagninus, *si sic dixerit,* טוב *tob, Bene: pax, &c.* Chald. *si sic dicet, Bonum: &c.* Vatabl. Salmant. *si sic dixerit,*

A *Bene est: rectè habent res serui tui. Si autem fuerit iratus, Scito*] *&c.* Pagninus, *& si irascendo ira fuerit ei, scito quòd completa* (Arias, *consummata*) *est malitia* (Arias addit, *à*) *cum eo.* Chaldæus, *Et si indurescendo indurescit ei, scito quòd absoluta malitia ab eo.* Vatablus Salmant. *Quòd si ira fuerit concitatus, planè noueris apud ipsum consummatam esse malitiam.* Et in Schol. Id est, Scito illum omninò decreuisse me perdere. Quidam, *Sin autem planè accendetur ei ira,* [Hebraïcè, *accendendo accendetur.*] *scito, definitum esse malum hoc ab eo.* In Notis, Hebraïcè, *absolutum.* Sic nono versu, & versu 33. Alius, *quòd consummata sit malitia eius.* Hebr. כלתה *chaletbah. Kalab* כלה autem significat, obstinatum esse in malitia, & mentem à malo nolle auocare. Lxx. Καὶ ἐὰν σκληρῶς, ita Romana editio, & Aldus, *Et si durè.* Complut. ἐὰν
B δὲ σκληρῶς, *si verò dura* [illegible] σοι, responderit tibi: γνῶθι ὅτι συντετέλεσται ἡ κακία παρ' αὐτοῦ. *Scito quia completa est* (Rom. *consummata est*) *malitia ab eo.*

Versu octauo Pagninus, *Et facies misericordiam* חסד *hhesed. cum* (Arias, *super*) *seruo tuo, quia in fœdus Domini adduxisti seruum tuum tecum.* Vatabl. Salmant. *Hoc ergo beneficium præsta seruo tuo, quoniam in fœdere Domini adduxisti seruum tuum ad te.* Hoc est, in Schol. quia mecum, qui sum seruus tuus, percussisti fœdus coram Domino. Chaldæus, *Et facies bonum,* (Chaldaïcè, טיבו *tibon.* טוב *tob* Hebræis *bonum.*) cum seruo tuo, quia in iuramento Domini intrare fecisti seruum tuum tecum. Lxx. ὅτι εἰς διαθήκην κυρίου εἰσήγαγες, *quia in fœdus Domini induxisti seruum, &c.* Quidam, *Hanc exercebis benignitatem erga seruum tuum, quandoquidem in fœdus Iehoua induxisti*
C *seruum tuum tecum.* In Notis, Suprà, inquit, 18. 2. *Et ad patrem tuum vt quid introduces me?*] Sic ferè omnes legunt per interrogationem.

Versu nono Pagninus, *Absit tibi, vt* (Arias, *quia*) *si cognoscẽdo cognouero, quòd completa* (Arias, *consummata*) *sit malitia* (Arias interserit *à*) *cum patre meo, vt veniat contra te,* (Arias, *ad veniendum super te*) *& non illud annunciem tibi.* Ita ferè Chaldæus, & Lxx. Complut. edit. Vatabl. Salmant. *Absit à te* (quod scilicet suspicaris) *quoniam si cognouero consummatam esse malitiam patris mei, vt super te veniat, an non* [*putas*] *quod tibi sim indicaturus?* Quidam, *Absit tibi; nam si planè nouero definitum esse hoc malum à patre meo vt obueniat tibi, annon illud indicarem tibi?* Aldina & Romana editio septuaginta Interpretum, Καὶ
D ἐὰν μὴ ᾖ, εἰς τὰς πόλεις σου ἐγὼ ἀπαγγελῶ σοι, *& si non fuerit in ciuitatibus tuis, ego annuntiabo tibi.* Quo sensu dictum sit, *in ciuitatibus tuis,* ignoro, nisi fortè hoc velit, Etsi non fuerit quisquam ciuium tuorum, qui te periculi admoneat, ego certè admonebo. Commodiùs autem legi posse videtur, si, nonnihil mutata translatione Romana, ita legamus, *Et si non fuerit,* qui tibi renuntiet, ego sanè mittam in quamcunque ciuitatem te receperis, qui te meo nomine imminentis periculi commonefaciat.

Versum decimum Vatabl. ita distinguit: *Quis mihi indicabit?* si fortè fuerit pater tuus bono animo in me; *aut si durè responderit tibi pater tuus?* Alius, *Quis indicabit mihi, aut si responderit pater tuus durè?* Et in Annot. *Quis indicabit mihi?*] Sci-

QVIA FOEDVS DOMINI, &c.

licet, si bonum receperis responsum à patre tuo: & tunc quod sequitur, cohærebit: *aut si responderit tibi pater tuus durè?*

Si dixerit, Bene: pax erit seruo tuo. Si iratus, &c.] An fortè Dauid captat omen, vti priùs fecisset Ionathan cap. 13. legimus. Quis enim dubitet Saulem suscepti consilij atrocitatem vultu tegere potuisse? Id sanè iam Dauid suprà asseruerat, clàm sibi Saulem parare malum, quòd nollet Ionathan afficere molestia. Vereri itaq; debuit, ne fortè Ionathæ, quem suspectũ habebat, mentem nollet aperire, sed fallacijs in fraudem induceret. Responderi posse videtur, illud odium quo Saul flagrabat, vnà cum furore atq; amentia fuisse coniunctum, nec facilè dissimulari potuisse, si quis diligentiùs obseruaret. Quare cùm prudentissimus esset Ionathas, & gnarus moris paterni, non dubitauit Dauid illũ patris animum certò explorare posse. An certè sperauit, cùm iam in summo discrimine versaretur, nequaquam diuinum numen sibi defuturum, sed eo pacto quid agere ac sequi deberet, ostensurum?

Quam ob causam fœdus Dei dicatur.

Quia fœdus Domini me tecum inire fecisti.] Dauid amico reuocat in memoriam fœdus inter ipsos ictum, ad quod eum Ionathas prior vltrò vocauerat. Illud appellat *fœdus Dei*, vel quòd sancitum esset per nomen Dei: vel quòd faceret ad gloriam diuini nominis, & ad liberandum Rempublicam; vel quòd fœderati inter se numinis instar habere debeant, ad sese mutuò iuuandos: vel quòd Deus vltor sit fœderis violati. Sunt enim dij quidam, etiam apud Ethnicos, quos appellant ὁρκίους. Et raró benè cedit violatoribus fœderum.

Amicorum paria.

Apud Græcos duo præcipuè amicorum paria celebrantur, Orestes, & Pylades: Damon, & Pithias. Romani etiam habuerunt suum Scipionem, & Lælium: ad quos quidam adiungunt Ciceronem, & Atticum. Christiani prædicant innumeros. Lex enim nostra charitatem, vt Deum commendat. Inter omnes autem amicos eminent isti duo, Dauid, & Ionathas. Summa erat in vtroq; similitudo ætatis, religionis, pietatis, & studij erga Rempublicam. Vterq; enim vitam suam misit in periculum, vt Rempublicam à Palæstinis liberaret. Hæc similitudo arctissimam inter eos contraxerat amicitiam. Magis autem & propiùs eos coniunxit occultus Dei spiritus. Nam cùm Deus videret odium Saulis in Dauidem, comparare illi voluit aliquid præsidij apud Ionathan. Fuit ista amicitia constans, & firma: pro fundamento enim habuit charitatem erga patriam, & pietatem erga Deum. Amicitia ab amore dicta est, vt ait sanctus Augustinus contra epistolam Parmeniani, libro 1. cap. 1. Ea autem in solo Christo fidelis esse potest, & in illo solo fidelis, & sempiterna. Nexum amicitiæ oportet constantem esse, & durabilem. Conciliator autem amicorum oportet, vt ijsdem viam muniat ad felicitatem, eamque æternam, & veram. Nam aliæ felicitates incertæ sunt, & caducæ. Hæc autem nemo præstare potest, nisi Christus.

Amicitiæ fundamentum, pietas in Deum.

Amare quid sit.

Iam videndum est, quid propriè sit amare. Aristoteles ait, Amare esse bene velle, etsi possis, bene facere alicui, ipsius gratia, non tua. Hæc definitio, etsi videri possit probabilis, tamẽ corrigenda est. Nemini enim debemus ipsius causa bene velle, sed propter Deum. Sed Philosophi in secundis causis consistebant: vt si quem viderent pium, & bonum, eum amandum esse dicerent propter seipsum. Nos autem altiùs oportet ascendere, & in Deo causas rerum constituere. Cicero definit amicitiam esse diuinarum, & humanarum rerum cum beneuolentia & charitate consensionem. Sed Aristoteles in Ethicis loquitur paulò distinctiùs. Ait enim amicitiam esse beneuolentiam. Sed fit sæpe, vt aliquis amet ingratum, nec redametur. Addit ergo mutuam. Sed quidam amant sese mutuò, qui tamen sese mutuò redamari nesciant. Oportet ergo vtrunque beneuolentiam suam alteri patefacere. Deinde beneuolentiam istam oportet commoueri propter certùm aliquod bonum. Non enim diligimus, nisi certa de causa. Bona autem referuntur vel ad vtilitatem, vel ad voluptatem, vel ad honestatem. Sed qui aut voluptate, aut vtilitate inducuntur ad amandum, temerè amant, & per accidens. Nam si voluptatis, aut lucri causa desineret, amicitia confestim solueretur. Amicitia autem, quam virtus copulauit, constans est, nec vnquam soluitur. Virtus enim est habitus longa assuetudine comparatus, qui remoueri non potest. Fuit ergo inter Dauidem & Ionathan constans amicitia. Seneca Epistol. 9. ad Lucilium, reprehendit Epicurum, quod dixisset amicum quærendum esse, vt si opus sit, habeas, qui te iuuet: si ægrotes, habeas, qui assideat. Nam longè suauior est amicitia, inquit Seneca, quæ prodest alteri, quàm quæ iuuatur ab alio. Quærendus ergo, inquit, amicus est, vt habeas, cui tu prodesse possis, vt habeas, cui tu, si ægrotet, possis assidere. Nam Apelles, inquit, & Praxiteles maiorem voluptatem capiebant ex operibus suis, cùm ea iam fingerent, & haberent in manibus, quàm cùm ea haberent postea facta, & perpolita in cubiculo. Ita verus amicus magis delectatur, si quid ipse alteri benefaciat, quàm si beneficium recipiat ab alio. Ionathas autem Dauidis causa nullum erat periculum, quod non subierit. Saul etiam amauit Dauidem: sed longè alio modo, quàm Ionathas. Neque verò Ionathas amauit Dauidem tantùm ex generali illo præcepto, *Diliges proximum tuum sicut teipsum*: sed propter insigne studium, quod in eo deprehendit, Reipub. & pietatis. Deinde videbat, regnum eripiendum esse Sauli, & dandum esse alteri illo meliori. Et illum alterum postea suspicatus est fore Dauidem, vti mox videbimus. Ita tamen illum ardenter amauit, vt hac causa nihil illi inuideret. Accedebat enim ad reliquas rationes amoris, quibus Dauidem deperibat, fœderis non violanda religio. Nam vterque Deo autore ac vindice amicitiam iurauerant, & ad vtriusque sortis communionem æterno fœdere copulauerant.

Amicitiæ definitio. *Cicero.* *Aristoteles.*

Seneca.

Sin autem est in me iniquitas, tu me interfice.] Alcibiades apud Ælianum variarum historiarum libro decimo tertio, cap. 38. cùm ad causam pro capite dicendam è Sicilia vocaretur ab Atheniensibus,

Ælianus.

Sin avtem est in me, &c.

Nihil securius innocentia.

niensibus, obtemperare noluit: Stultum est, inquiens, iudicio accusatum, quum fugere possit, locum vnde effugere non possit, adire. Et quum quidam diceret, An non credis tuam causam patriæ? respondit, Imò ne matri quidem. Timerem enim ne fortè per imprudentiam, aut errorem veritatis, nigrũ calculum pro candido submitteret. Hæc ille. At contrà Dauid: *Si est*, inquit, *in me iniquitas, tu me interfice.* Magna parrhesia Dauid ista dicit: ita confidebat de bonitate suæ causæ. Non erit opus, inquit, vt me pertrahas ad patrem tuum: tu me hîc potiùs occidito. *Et ad patrem tuum ne introducas me.*] An quia grauiùs morte duceret coram illo sisti, qui eum gratis odisset? An præterea verebatur ne sæuiret, aut illuderet? An hoc solùm dicere voluit? si ad patrem illum duceret, æquè certò ad mortem rapi, ac si tum ibi eum occideret. Eò siquidem spectare videbantur verba Ionathæ, vt ipsi metum demeret, & vnà ad patrem pergerent. Nam quod priùs vim afferre tentasset, hoc furori tribuendum esse. Vt primùm sese ex illa perturbatione animi collegisset, nequaquam cædem eius appetere, sed desiderio atque amore complecti. His cùm Dauid deinceps fidem non haberet, vt pote qui toties eius odij ac liuoris periculum fecisset, optat mori potiùs quàm vt ad eum producatur. Plerique olim hoc in votis habuêre, & summi beneficij loco esse duxerunt, si priùs mortem oppeterẽt quàm inimicis dederentur. Magna est emphasis in his verbis, & præsertim in eo quod appellat se seruum Ionathan. Meminerat enim, se illo longè esse inferiorem. Fœdera enim non mutant hominum conditionem.

Neq; enim fieri potest, vt si sciuero patris mei malitiam.] Neq; enim fieri potest, cùm sim tibi fœdere deuinctus, & cum tota quoq; Rep. quam tuo periculo in libertatẽ asseruisti, non mediocri beneficio astrictus, affinitate præterea tecum coniunctus, teq; ipsum à scelere alienum nouerim, patrem autem meũ furore atq; amentia correptum, vt te, quibus potero modis, non adiuuem. Itaque quod iubes, facturum me recipio, & voluntati tuæ sedulus obsequar; & si quid patrem clam moliri compereto, quo tibi noceat, eius tibi consilia prodam. Sed Dauid, vt erat prudens, *At quis*, inquit, *indicabit mihi*, si pater tuus animum illum suum erga me infestum obtinebit? tu enim non poteris mecum sine periculo tuo colloqui. Tum Ionathas, *Age, egrediamur in agrum.*

Versvs XI.

Et ait Ionathas ad Dauid: Veni, & egrediamur foras in agrum. Cumq; exissent ambo in agrum,

Versvs XII.

Ait Ionathas ad Dauid: Domine Deus Israel, si inuestigauero sententiam patris mei crastino vel perendie; & aliquid boni fuerit super Dauid, & non statim misero ad te, & notum tibi fecero,

Versvs XIII.

Hæc faciat Dominus Ionathæ, & hæc addat. Si autem perseuerauerit patris mei malitia aduersum te, reuelabo aurem tuam, & dimittam te, vt vadas in pace, & sit Dominus tecum, sicut fuit cum patre meo.

Variæ trãslat.

VAtablus, *Age, & egrediamur in agrum.* In Schol. vt scilicet tutiùs loquamur. Lxx. edit Complut. πορεύου καὶ ἐξέλθωμεν εἰς ἀγρόν. *Vade, & exeamus in agrum.* Versus 12. & 13. Ald. & Rom. πορεύου, καὶ μένε εἰς ἀγρόν. *Vade, & maneto in cãpo.* Lxx. edit. Ald. atq; Rom. Κύριος ὁ Θεὸς Ἰσραὴλ οἶδεν, ὅτι ἀνακρινῶ τὸν πατέρα μου, ὡς ἂν ὁ καιρὸς τρισσῶς. καὶ ἰδοὺ ἀγαθὸν ᾖ περὶ Δαυίδ. καὶ οὐ μὴ ἀποστείλω πρὸς σὲ εἰς ἀγρόν. τάδε ποιήσαι ὁ Θεὸς τῷ Ἰωνάθαν, καὶ τάδε προσθείη. ὅτι ἀνοίσω τὰ κακὰ ἐπὶ σέ. καὶ ἀποκαλύψω τὸ ὠτίον σου. καὶ ἀποστελῶ σε καὶ πορεύσῃ εἰς εἰρήνην. καὶ ἔσται κύριος μετὰ σοῦ, καθὼς ἦν μετὰ τοῦ πατρός μου. *Dominus Deus Israel nouit, quia interrogauero patrem meum, prout tempus, ter. & ecce bonum fuerit de Dauid, & non misero ad te in campum; Hæc faciat Deus ipsi Ionathan, & hæc adijciat: quoniam deferam mala super te; & reuelabo auriculam tuam, & dimittam te, & abibis in pace: & erit Dominus tecum, sicut fuit cum patre meo.* His addam Notas Flaminij. *Quia.*] ὅτι ἀνακρινῶ Videtur Hebraïsmus, vt *quia* sit dictũ pro *si*, & concludit per interrogationem, *& non mittam ad te in campum?* Sed in Hebræo additur, *& reuelauero aurem tuam*, & periodus concluditur in verbis sequentibus, *Hæc faciat Deus ipsi Ionathan, & hæc adijciat. Quoniam deferam mala super te.*] In Complut. quoniam proximè allata verba, *hæc faciat Deus ipsi Ionathan, & hæc adijciat*, sunt initium periodi, idcircò nunc legitur, ἐὰν μὴ ἀνοίσω τὰ κακὰ ἐπὶ σέ, *si non detulero mala super te.* Sed rursus in nostra potest illud, *quoniam*, accipi pro *si*, vt ita dicamus. Si detulero, id est, resciero mala super te, reuelabo, &c. Et non est dissimilis sententia ab ea quam habet Vulgata. Nobilius hactenus.

Græcæ interpretationes.

Translationes ex Hebræo.

Pagninus, & Arias.

Pagninus ex Hebræo ita vertit: *Domine Deus Israel, si* (Arias, *quòd*) *inuestigauero patrem meum iuxta tempus cras, aut die tertia*, (Arias transfert ad marginem, *aut die*) *Et ecce bonum fuerit super Dauid*, (Arias tollit, *fuerit super*, & legit tantùm, *& ecce bonum ad Dauid*,) *& non tunc misero ad te, & aperuero* (Arias, *reuelauero*) *aurem tuam. Sic faciat Dominus Ionathan, & sic addat, Si placuerit patri meo vt adducat* (Arias, *quia bonum erit ad patrem meum*) *malum super te, & aperiam* (Arias, *reuelabo*) *aurem tuam, & dimittam te, & ibis in pace: & sit Dominus tecum quemadmodum fuit cum patre meo.* Chaldæus, *Dominus Deus Israel, quòd inquiram patrem meum in tempore hoc, cras, aut in die tertia, & ecce verba composita dicta super Dauid, & non ex-tunc mittam ad te, & indicabo tibi. Sic faciet Dominus Jehonathan, & sic addet quod*

DOMINE DEVS, &c. *perfecta à patre meo ad veniendum malitia super te, & indicabo tibi, & dimittam te, & ibis in pace, & erit dictum Domini in auxilio tuo, sicut fuit in auxilio patris mei.* Vatablus Salmant. *Dominus Deus Israel.* In Schol. subaudi, *viuit.* Vel, *sic faciat mihi, &c.* Versus iste cum sequenti, obscuri admodum apud Hebræos. Pergit deinde, *Si explorauero patrem meum cras iuxta hoc tempus, aut perendie, isque beneuolum se erga Dauidem [ostenderit,] si non tum misero ad te, reuelaróque tibi. Dominus, inquam, faciat sic Ionathan, sicque addat.* In Schol. *Et hoc addat*, id est, aliquid addat grauius, quasi dicat, disperean, imò aliquid grauius mihi accidat. Sequitur postremò, *quòd si visum fuerit patri meo, vt te malis [afficiat,] id quoque tibi reuelabo, dimittamque te vt in pace abeas,* discedes hinc saluus & incolumis; *sitque Dominus tecum*, in bellis, cùm eris rex, *sicut fuit cum patre meo.* Addam & Iunium, si quid fortè lucis afferre possit. *ô Iehoua Deus Israelis, cùm peruestigauero à patre meo secundum hoc tempus cras*, aut *postridie, si ecce bonus fuerit erga Dauidem; an non tunc mitterem ad te, & reuelarem tibi in aurem?* Et in Notis, Exclamantis cum admiratione, q. d. Deus bone! fierine posset, vt ego qui adeò te amo, officium istud non præstarem? Mihi probari non potest hæc Iunij admiratio. Optima translatio est Vulgati interpretis, quam non incommodè Vatablus interpretatur. Ionathas enim sibi malè precatur, seque diris deuouet, ni maturè Dauidem de patris voluntate certiorem faciat, seu benè, seu malè eidem studeat. Itaque tota illa oratio quæ media inserta est, inter illud, *Domine Deus Israel*, & quod initio sequentis versus ponitur, *Hac faciat Deus Ionathan, &c.* illa, inquam, oratio ea complectitur, quæ Deo teste se facturum Ionathas recipit: extrema verò illa coniunctim legenda sunt, vt manifestò intelligas Ionathan his verbis Deum vindicem appellare, si fidem fallat.

Vatablus.

Iunij translatio minùs placet.

Vulgata translatio optima.

Versum denique decimum tertium non nemo ita vertit: *Ita faciat Iehoua Jehonathæ, & ita pergat, si bonum videbitur patri meo hoc malum inferre tibi, vt reuelaturus sum tibi in aurem, & dimissurus sum te vt abeas cum pace.* Aposiopesis, inquit, contrarij per euphemismum: q. d. ita benedicat vt reuelabo, aut maledicat vt non reuelabo. *quò sit Jehoua tecum, sicut fuit cum patre meo.* vt diuinæ voluntati inseruiam, quæ tibi regnum priùs patri meo collatum, adiudicauit. Postremò, alterius quoque translatio sic habet: *Dominus Deus Israel (aspiciat.)* Et in Annotationibus, Modus iurandi est, inquit: cùm inuestigauero patrem meũ cras hoc tempore, aut perendie, & ille benè voluerit Dauid, si tunc non misero ad te, & reuelauero auribus tuis. Sic faciat Dominus Ionathan, & sic addat: sin maluerit pater meus tibi malum inferre, reuelabo quoque id auri tuæ, & dimittam te, &c.

Veni, & egrediamur in agrum.] Fortasse locus ille, vbi tum erant, parum opportunus videbatur, & arbitros formidabant. In agro liberiora futura erant colloquia, si quid illorum sermonibus insidiaretur. Itaque secretum captant. Vt primùm autem in abditum locum se contulerunt, initum fœdus repetit Ionathas, & si fortè

Fœdera mala precatione sanciebantur.

A illud violet, solenni formula malè sibi precatur. Olim Romani cùm fœdus ferirent, Fœcialis lapidem silicem manu tenens, autore Liuio libro trigesimo, hæc verba solennia fari solebat. Si sciens fallo, me Diespiter, salua vrbe, arcéque bonis eijciat, vt ego hunc lapidem. Rursum: Si rectè, ac sine dolo malo hoc fœdus, atq; hoc iusiurandum facio, dij mihi cuncta felicia præstent: sin aliter aut ago, aut cogito, cæteris omnibus saluis in proprijs patrijs, in proprijs legibus, in proprijs laribus, in proprijs templis, in proprijs sepulcris, solus ego peream, vt hic lapis è manibus meis decidet. Nec plura loquutus, manu lapidem deijcit. Inde orta loquendi formula, per lapidem iurare. Priuatim etiam fieri solitum disces ex Plauto in Aulularia. Strophilus Lyconidi adolescenti iusiurandum ad
B hunc modum defert, Iura per Iouem. Respondet Lyconides, Sed me citò expedi sis. Excipit Strophilus, Hem silicem tibi. Tunc accepto silice iurat: Si te ego sciens fallo, ita me eijciat Diespiter bonis, salua vrbe & arce, vt ego hunc lapidem. Fidem verò fallere haud impunè cuiquam contigit. Itaque Agamemnon apud Homerum,

HÆC FACIAT DOMINVS, &c.

Liuius.

Et si periuros violato fœdere Troas,
Iuppiter è cælis præsenti haud puniat ira,
At quandoque graues magno cum fœnore pœnas,
Hi cum coniugibus, & tota stirpe rependent.

Homerus. Deus vltor violati fœderis esse solet.

Hanno Carthaginiensis apud Liuium libro vigesimo primo, Saguntum, inquit Carthagine in Senatu, nostri circumsident exercitus, vnde arcentur fœdere, mox Carthaginem circumsedebunt Romanæ legiones, ducibus ijsdem dijs,
C per quos priore bello rupta fœdera sunt vlti. Idem confirmat & Asdrubalis responsio. Nam cùm postea petentibus pacem Carthaginiensibus, Romanus Senator Legatos percontatus esset, Per quos deos fœdus icturi essent, cùm eos, per quos ante ictum esset, fefellissent, princeps legationis Asdrubal respondit, Per eosdem, qui tam infesti essent fœdera violantibus.

Hæc mihi faciat Dominus, & hæc addat.] His plerunque votis Deus respondet, si fidem fallas. Testis Carolus Borbonius, qui cùm à Rege Francisco I. defecisset, & ad Carolum V. Imperatorem transfugisset, & Mediolanenses opibus exhaustos, ad noua stipendia conferenda data fide compulisset, ac subinde promissa violaret, id quod sibi malè precatus fuerat, Romam ir-
D rumpens repentè plumbea pila ictus corruit. Plura exempla, cùm passim vbique occurrant, in hunc locum non conferam. Non pauca Camerarius congessit in cap. 86. Centur. 1. Medit. Histor. Vnum illud duntaxat commemorabo, quod habet Eusebius Histor. Eccles. lib. 6. ca. 8. Cùm perditi quidam nebulones, multorum sibi scelerum conscij, & conscientiæ stimulis agitati, Narcissi Hierosolymorum Episcopi sanctitatem suspectam haberent, & æquitatis studium vererentur, hac ratione securitati suæ se consulere posse arbitrati sunt, si innocentem Pontificem calumnijs opprimerent. Accusationem itaque communicato inter se concilio instituunt, &, cùm tres essent, quo fidem audientibus facerent, calumnias suas diris etiam interpositis sacramentis

Eusebius.

Mendaces, quæ sibi malè precati fuerint, ea plerunque sortiuntur.

HÆC FACIAT DOMINVS, &c. cramento confirmant. Primus iurat: Si mentior, igne peream. Alter, Ni verum sit, sæuo morbo corpus meũ intereat. Tertius, Si falsum testimoniũ dico, lugeam cassus lumen oculorũ. Neque tamen propterea vlli fidelium persuaserunt, cùm viri castitatem & sanctissimos mores satis compertos haberent. Ipse tamen vltrò cælestem Philosophiam complexus, desertis locis plures annos delituit. At scelerati testes, quæ seminauerant, illa messuerunt. Primus enim cum tota familia igni absumptus est. Secundus, morbo contabuit. Tertius, cùm sociorum calamitate perterritus, delictum fassus esset, verè & ex animo pœnitens, attamen lacrymarum vi, oculorum aciem perdidit.

Si perseuerauerit patris mei malitia.] Quicquid enim in calore iracundiæ vel fit, vel dicitur, non priùs ratum est, quàm si perseuerantiâ apparuit iudicium animi fuisse. Paulus, *De regulis iuris, ff. l. 48.* ex perseuerantia enim animi deliberatio præsumitur. Idcirco etiam, & si qua spes melioris fortunæ affulserit, se renuntiaturum pollicetur; ne temerè eius absentia, cùm opus non esset, Rex offenderetur.

Et sit Dominus tecum, sicut fuit cum patre meo.] Significat Ionathas his verbis se satis scire, Dauidem fore Regem. Vnde autem scire hoc potuit Ionathas? Fuit vir fidelis, timebat Deum, & obseruans diuini verbi. Audierat ex Samuele, Regnum non staturum in stirpe Saulis: videbat Dauid in dies crescere, & promoueri. Quare non dubitat illum fore Regem. Ex hoc loco videmus, licere pijs viris fœdera inter se coniũgere de rebus ciuilibus. Non minùs enim licet fœdera iungere, quàm amicitias.

VERSVS XIV.

Et si vixero, facies mihi misericordiam Domini: si verò mortuus fuero,

VERSVS XV.

Non auferes misericordiam tuam à domo mea vsque in sempiternum, quando eradicauerit Dominus inimicos Dauid, vnumquemque de terra: auferat Ionathan de domo sua, & requirat Dominus de manu inimicorum Dauid.

VERSVS XVI.

Pepigit ergo Ionathas fœdus cum domo Dauid: & requisiuit Dominus de manu inimicorum Dauid.

Variæ trãslationes. PAgninus, *Et non tantùm adhuc me viuente facies mecum misericordiam Domini, & non moriar. sed etiam & non abscindes misericordiam tuam à domo mea vsque in seculum; nec cùm absciderit Dominus inimicos Dauid vnũquemq; è superficie terra.* Arias verbum è verbo apud Pagninum ita legit: *Et non si adhuc me viuente & non facies mecum misericordiam, &c.* in quibus nonnulla immutat, quæ penè nullius momenti esse videntur. Chaldæus, *Et non quoad ego manens, & non facies mecum*

A *bonum ab-ante Dominum, & non moriar. Et non finies bonitatem tuam ab homine domus mea, vsque in seculum; nec quando perdiderit Dominus osores David, virum de-super facies terra.* Reliqui ferè paraphrasticós, nec tamen omnes eundem sensum exprimunt. Soli planè scopum attingunt, qui Vulgati Interpretis autoritatem sequuntur. Quidam, qui Rab. Hebræor. studet æmulari, ita hunc locum exponit. *Nec (timeo) quandiu viuo, quod non facias mecum misericordiam Domini, nec cùm mortuus fuero. Sed nec succides pietatem tuam à domo mea vsque in seculum, etiam cùm Dominus extirpauerit inimicos Dauid, vnumquemque de superficie terra.* Alius & ipse ex Hebræo transferens, *Et non ne*, inquit, *tantisper dum vixero?* Et addit in Notis, Restipulatio, qua idem officiũ in se,

B & in posteros suos à Dauide postulat. *non ne*, inquam, *tu vicissim exerciturus es erga me benignitatẽ Iehouæ hanc, quòd non moriturus sim.* Id est, non afficiar morte, cuius pater meus totam familiam suam ream peregit. *Neque præcisurus es benignitatem tuam à familia mea vsque in seculum? ne tunc quidem cùm exscindes Iehoua inimicos Dauidis quẽque à superficie terra?* Vatablus Salmant. à seipso dissentit. Sic enim primùm explicat: *Si id non præstitero, nec mihi viuo, nec mortuo beneficium Domini præstiteris. Et si non [fecero] hoc, succidas beneficentiam tuam à domo mea perpetuò: si inquam non (fecero) hoc, quum Dominus exciderit hostes Dauidis è terra, excindat & Dauid Ionathan vnà cũ domo [sua,] requiratq; [id] Dominus de manu hostium Dauidis.* At deinde in Schol. Vide, inquit, diligenter hunc versum cum duobus sequentibus,

C qui sic ex Hebræo legi debent: *Et non* (subaudi *petam à te*) *si fuero adhuc viuens: non enim (vereor quin) facturus sis mecum misericordiam Domini* (id est, qualem facere solet Dominus,) *nec moriar. Sed (petam vt) ne rescindas misericordiam tuam à familia mea vsque in seculum, ne tum quidem quum exterminabit Dominus inimicos Dauidis vsque ad vnum, de superficie terra.*

Iam verò quod sequitur ex versu 16. *Pepigit ergo Ionathas fœdus*, quod suo more Vatablus in textu exposuit, sic interpretatur in Scholijs; *Itaque pepigit fœdus Ionathan cum Domo Dauid, (dicens) requirat Dominus, &c.* id est, pollicitus est se seruaturum quandiu viueret, totam familiam Dauidis, dicendo, requirat Dominus de manu inimicorũ Dauidis .i. de manu mea, si mea cul-

D pa acciderit aliquod malum vlli ex familia Dauidis. Non nemo, *Sic pepigit Iehonathan cum familia Dauidis fœdus, vt requireret Iehoua de manu inimicorum Dauidis*, si qui hoc fœdus cum ipso initum frangerent. Alius, *Fecit itaque Ionathan fœdus cum domo Dauid, (dicens) requirat Dominus per manus inimicorũ Dauid (si violatum fuerit.)* quod se adiecisse admonet gratia explicandæ literæ. Hebræos namq; sic interpretari: *Si dissolueris fœdus, Dominus requirat.* Chaldæus simpliciùs, *Et pepigit Iehonathan fœdus cum domo Dauid, & vindicabit se Dominus de manu odientium Dauid.* Pagninus, *Et pepigit Ionathan fœdus cum domo Dauid dicens, requirat Dominus, &c.* Arias vno verbo, *Et abscidit Ionathan. dicens* quoq; non agnoscit, sed habet *Et requirat.*

ET SI VIXERO, &c.

Explicatur vis verbi כָּרַת karath

Hebraïcè וַיִּכְרֹת vaijchroth, à verbo כָּרַת karath, quod *scindere, incidere, & amputare* significat. Coniunctum cum nomine בְּרִית berith fœdus, est *icere, percutere, ferire fœdus, pacisci.* Fœdus enim facientes primò iurabant, postea transibant inter medias partes pecudis, quasi diceret: discindatur, diuidantur eius membra, fiat sicut pecus istud, qui iuramentum violauerit. Sic enim habetur Ierem. 34. ver. 18. *Et dabo viros istos transgredientes* בְּרִיתִי *berithi, fœdus meum, qui non stabiliuerunt verba* הַבְּרִית *haberith, fœderis, quod* כָּרְתוּ *karithou, ferierunt coram me: vitulum quem* כָּרְתוּ *karethou,* Targum פְּסַקוּ *pesakou, sciderunt in duo, & transierunt inter partes eius.* Sic fœderis faciendi morem describit Liuius 1. Decad. lib. 100. Sacerdos feriebat porcum silice; dicens: *Sic à Ioue feriatur is,* qui sanctum hoc fregerit fœdus, vt ego hunc porcum ferio. Itaq. verbum כָּרַת si ad illud nomen בְּרִית accedat, dubitari non potest, quin pactum inire significet. Sed hîc non exprimitur בְּרִית *berith,* vti nec alijs pluribus Scripturæ locis, in quibus tamen pacti mentio habetur. Quare non immeritò Chaldæus in sua Paraphrasi, *fœderis* hoc loco meminit, וּגְזַר קְיָם *ougezar keiam, & feriit fœdus Ionathan.* Itaque vno verbo ex Hebræo interpretari possumus, *Et pactus est Ionathas:* quod verbis duntaxat fecisse intelligēdus est, non solenni pecudis mactatione.

Solennes ritus fœderis.

Liuius.

Sanctio porrò fœderis ea est, quæ postremis verbis exprimitur, *& requirat Dominus, &c.* LXX. non incommodè exposuerunt: *Et si quidem me viuente, facies mecum misericordiam Domini;* (Edit. Ald. & Rom. non habent κυρίου *Domini,* sed Complut.) *& si morte mortuus fuero, non auferes misericordiam tuam à domo mea vsque in seculum.* καὶ μὴ, Ald. & Rom. καὶ εἰ μὴ, *& non:* vel, *& si non,* supple stetero promissis istis, sin fidem fefellero: ἐν τῷ ἐξαίρειν κύριον τοὺς ἐχθροὺς Δαυὶδ ἕκαστον ἀπὸ προσώπου τῆς γῆς. *in euertendo Dominū inimicos Dauid vnumquemq; à facie terræ,* ἐξαρθήσεται τῷ Ἰωνάθαν Complut. *Auferetur ipsi Ionathan,* Supplendū ait Nobilius ex superiorib. *misericordia,* Ald. & Rom. εὑρεθῆναι τὸ ὄνομα τοῦ Ἰωνάθαν, *inueniatur nomen Ionathan,* ἀπὸ τοῦ οἴκου Δαυίδ, *à domo Dauid.* Hoc est, latere non possit Ionathan, nec supplicium fugere: sed læsæ memor fidei, & acceptæ vindex iniuriæ, Dauid, & quisquis eiusdem familiæ censebitur, in eum posterosque eius animaduertat. καὶ ἐκζητήσαι κύριος ἐκ χειρῶν ἐχθρῶν Δαυίδ, *& requirat Dominus de manibus inimicorum Dauid.* Ald. & Rom. κύριος ἐχθροὺς τοῦ Δαυίδ. *& requirat Dominus inimicos Dauid;* vt in his scilicet exemplum edat proditionis & perfidiæ.

Et si vixero, facies mihi misericordiam Domini.] Pergit Ionathas: & postquam Dauidi iam satis sibi consuluisse visus est, tum demùm cauet & sibi. Geminum autem tempus obseruat, primum vitæ propriæ, deinde & posteros sua cura complexus, horum quoque incolumitati prospicit. Itaque siquidem, inquit, paternæ calamitati superstes mansero, nequaquam paterni sceleris pœnas à me exiges, sed omni fauore atque beneuolentia dignum existimabis. Sin pari cum eo clade oppressus simul occubuero, paterni beneficij memor magis quàm auitæ iniuriæ, meis pignoribus parces, & collapsæ domus ruinam

Leges fœderis.

A tua clementia fulcies. *Et si quidem vixero, facies mihi misericordiam Domini:* & quamcunque sortem Deus tibi dederit, illam mecum communicabis: fiam bonorum tuorū particeps, & erunt omnia inter nos communia. Sin antè è viuis excessero quàm desponsum iam & destinatum regnum consequaris, natos tibi meos familiamq; commendo, quibus hoc fœdere consultum esse decreui, ne tibi eos tollere liceat: sed potiùs ex pacto foueas, & fauore ac beneuolentia prosequaris. *Vsque in sempiternum.*] Ergóne Dauidis regnum perpetuum futurum existimauit? An potiùs mentis oculis æternum Christi regnum spectauit, cuius typum & vmbram Dauid gessit? nam huius potissimùm misericordia posteris eius necessaria erat, cuius vnius clementia salutem adipisci poterant. Hoc magis crediderim,

ET SI VIXERO, &c.

B non aliud eum hac dicendi formula significare velle, quàm fœdus illud inuiolabili religione constans ac perpetuum futurum. Solebant enim quandoque veteres, si subinde pacta displicuissent, fœderis religionem dissoluere, & quæ per numen iurassent, resecrare. Exclamauit, inquit Ammianus Marcellinus libro vigesimo quarto, indignatus acriter Iulianus, Iouemque testatus est, nulla Marti iam sacra facturum: nec resecrauit celeri morte præreptus. Apud Romanos, cùm reus populum comitijs orauerat per deos, vt eo periculo liberaretur, iubebat Magistratus eum resecrare, id est, populum religione absoluere: scilicet, vt ita demùm populus religione teneretur, si is qui per deos orauerat, insons, innocensq; esset. Ita Festum sensisse Farnesiani libri vestigia indicant. Nisi ita resecrasset reus, &

Resecrandi mos.

Ammianus

C si ex iusta causa à populo damnatus esset, populus ipse religione obstrictus mansisset. Plautus etiam in Aulularia,

Plautus.

Resecróque mater quod dudum obsecraueram.

Obtestatus erat priùs matrem Lyconides ne secretū proderet, mox eam rogat vt cum auunculo cōmunicet: quod ne facere religiosum ducat, quia antè obsecrauerat, subinde resecrat, siue obtestationis religione absoluit. Rursum in Persa Comœdia, Toxillus per amicitiam obtestatus erat Sagaristionem, vt mutuos DC. nūmos daret. Dixerat Sagaristio nummos præsentes non habere. Ita obsecrationis religione tenebatur. Resecrat Toxillus, & ea absoluit Sagaristionem, obsecratque vt saltem operam commodet, quo aliunde possit mutuos sumere. Plautus vt hæc

D exprimeret, versum fecit eiusmodi:

Obsecro te, resecro, operam da hanc mihi fidelem.

At verò Ionathas, cùm non esset resecraturus, *in sempiternū* addidit: quod genus Scriptura non rarò vocat *pactum salis. Quando eradicauerit Dominus inimicos Dauid.*] id est, Cùm tu superior euaseris, & diuino fretus præsidio profligatisq; hostibus regnum obtinebis, tum tu meos caue ne hostium loco duxeris: sed amici natos clementer amplectere ac tuere.

Pactū salis.

Quod suprà dixerat, *Hæc faciat Dominus Ionathan, & hæc addat,* nunc apertiùs explicat: *Auferat Ionathan de domo sua.* hoc est, Ni promissis stetero, dispeream ego miserè, spesque vnà mecum posteritatis meæ funditùs intereat. Idem verò denuò inculcat, & eo fine pactū concludit:

siue

REQVISIVIT, &c. siue quod nouissima verba tenaciùs inhæreant: siue quod identidem repetita, pauorem faciliùs abstergant: siue quod eo pacto Ionathas affectibus suis impensiùs indulgeat: nec hactenus fecisse contentus, Deum orat, vt quicunq; Dauidi malè studuerit, aut insidias struxerit, in hunc seueritatis ac iustitiæ suæ exemplum statuat. *Et requirat*, inquit, *Dominus de manu inimicorum David*. hoc est, vlciscatur Dominus inimicos Dauid, & de hostibus eius vindictam expetat. בקש *bikesch* enim in Piel non tantum inuestigare, aut quærere, sed vlcisci, vindicare, atq; animaduertere significat.

Deus suorum vindex. *Et requisiuit Dominus de manu inimicorum Saul.*] lege cap. 9. & cap. 21. lib. 2. Regum. Statuerat Dauid pro insita sibi mansuetudine, posteris Saul condonare iniuriam, nec paternæ iniquitatis meminisse. Itaque & Miphiboseth filium Ionathæ suæ mensæ adhibuerat; & cædem Isboseth filij Saul vltus fuerat, & Michol quondam vxorem suam iterum connubiali thoro sibi copulauerat: denique reliquos eius stirpis illæsos intactosque seruauerat. Sed cùm is mansueti ac dementis animi iam satis superque fidem fecisset, *requisiuit Dominus*, reque & exitu comprobauit, si quis eos qui sibi seruiunt oppugnet, & aliqua molestia afficiat, horum se vicem per sese vlcisci, ac malè meritis statuto tempore referre quod debeat. Attamen cùm cęteri tollerentur in cruces 2. Reg. cap. 21. Dauid lege fœderis, quod cum Ionatha pepigerat, eius filium Miphiboseth supplicio exemit.

Xenoph. Xenophon, tametsi veri Numinis expers, docet tamen lib. 2. Cyri Min. Expedit. maxima cura ac

Violatam fidem Deus vlciscitur. studio pactis fidem seruandam esse. Primùm omnium, inquit, ipsa nos omnino iusiurandi religio continere debet, ne nobis vicissim infensi simus: atque eum quidem, qui se violatæ religionis conscientia obligarit, neutiquam ego inter beatos numerarim. Deorum enim immortalium bellum, neque quâ quis celeritate, neque in quas latebras effugiat, video: nec postremò in quod se propugnaculum recipiat, quò neglecti numinis ira non penetret, cùm sint omnia dijs obnoxia; neque sit quicquam vspiam, quod in deûm potestate non sit. Hactenus Xenophon. Ex veterum monumentis constat illud Ethnicos olim in animum induxisse, esse deos violatorum fœderum ac ruptæ fidei

Pausanias. vindices. Erat apud Haliartios, vt refert Pausanias in Bœoticis, sub diuo dearum ædes, quas dicebant Πραξιδίκας, hoc est *vindices*. Ad earum aram iusiurandum concipiebant, quod irritum neutiquam habebant. Meminit & Portum in Corinthiacis, quem eo nomine Corinthij celebrant, quod periuros vlciscatur. Apud Vergilium 9. Æneid prædicatur quoque.

Implacabilis ara Palici.

Historiam explicat Macrobius lib. 5. Saturnal. cap. 19. Addam his etiam nonnulla, quæ sensus ac rationis expertia sunt, in eos sæuire, qui fidem fefellerint. Quis dubitet agente numine hoc fieri? Plinius Histor. natur. lib. 31. cap.

Plinius. 2. Amnis, inquit, Olachias in Bithynia Briazum alluit, hoc est & templo & Deo nomen, cuius gurgite periuri notantur pati velut flam-

A mam vrentem. Est etiam præterea, si Philostrato credimus in Apollonij vita, iuxta Tyana aquâ, quam aiunt Ioui sacratam, quam indigenæ inextinguibilem vocant, fons eius frigidus sanè scatet, inquit, ebullit tamen haud secus, atque igne calefactus lebes; hunc pueris, & fidem seruantibus viris, aspectu placidum gustúque dulcem perhibent; periuris verò & infidis palàm aduersatur, epota namque aqua oculos pedésque, ac manus peierantis inuadit, aquâ intercute, ac tabe totum corpus inquinans, nec illinc discedendi facultas datur, sed eo loco permanentes, coram aqua ipsa suam deplorant miseriam, palàm quod peierarint profitentes. ET ADDIDIT, &c. Philostrat.

B

VERSVS XVII.

Et addidit Ionathas deierare Dauid, eò quòd diligeret illum: sicut enim animam suam, ita diligebat eum.

VERSVS XVIII.

Dixitque ad eum Ionathas: Cras calendæ sunt, & requirêris.

VERSVS XIX.

Requiretur enim sessio tua vsque perendie. Descendes ergo festinus, & C venies in locum vbi celandus es in die qua operari licet, & sedebis iuxta lapidem, cui nomen est Ezel.

PAgninus, *Et addidit Ionathas vt iuraret ipsi Dauid propterea quòd diligeret eum, quia* [*secundum*] *dilectionem animæ suæ diligebat eum.* Alter, *Et adiecit Jonathan adiurare Dauid per dilectionem suam, qua illum diligebat: nam diligebat eum quasi animam suam.* Tertius quidam, *Similiter de integro adiurauit Jehonathan Dauidem pro amore suo erga eum: nam amore sui ipsius amabat eum.* Vatablus Salmant. *Adhuc iurauit Ionathan Dauidi, per dilectionem nempe qua illum diligebat diligebat autem eum vt propriam animam.* Variæ trāslat.

Chaldæus, *Et addidit Jonathan ad iurandum* D *Dauidi in quo amans eum, quia amore animæ suæ amauit eum.* Septuag. καὶ προσέθετο Ιωναθαν ὀμόσαι τῷ Δαυίδ, Ald. & Rom. interserunt ἔτι *adhuc. Et addidit Ionathan*, Complut. *deierare*, Rom. *iurare ipsi Dauid.* Complutenses, διὰ τὸ ἀγαπᾶν αὐτὸν, *eò quod diligeret eum:* Ald & Rom. Hoc non habet. ὅτι ἠγάπησε ψυχὴν ἀγαπῶντος αὐτὸν, *quoniam amauit animam amantis eum.* Ita Complut. & Ald. At Rom. *quoniam amauit animo amantis se.* Aquila, κατὰ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ. *Iuxta animam suam.* De hoc iam dictum est ad caput 17.

Versu 18. Chaldæus, *Ad crastinum mensis & quæreris, quia erit vacua domus accubitus tui.* Pagninus, *Cras erunt calendæ & memoraberis, quia deficiet sessio tua.* Arias apud Pagninum; *Cras mensis, & visitaberis, quia visitabitur sessio tua.*

DESCENDES, &c. Quidam, *Cras est nouilunium, & requireris, vacabis enim locus sessionis tua.* Et in Annot. Significat verbum פקד *pacad* hîc idem quod חסר *hhasar*, deficere & minui. Nos sequuti sumus, inquit, Chaldæum Interpretem, qui exponit *erit vacuus locus tui discubitus.* Aliter exponi potuit, *Cras est nouilunium; & desideraberis, quum vacabit sedes tua.* Vatablus Salmant. *Cras sunt Neomeniæ, túque desideraberis, vacabit enim locus in quo tu accumbere soles.* Quum futurus sit inanis locus, in quo sedere soles. Sept. αὔριον νουμηνία, siue, vt Aldus, & Rom. edit. νεομηνία. *Cras calendæ,* siue *Neomenia*, καὶ, vt est apud Complut. ἐπισκεπῇ ἐπισκεφθήσεται ἡ καθέδρα σου. *Et visitatione visitabitur siue requiretur,* vt ijdem scribunt, *sessio tua*, Aldus, & Rom. καὶ ἐπισκεπήσῃ, ὅτι ἐπισκεπήσεται ἡ καθέδρα σου. *Et visitaberis; quia visitabitur sedes tua.* Nobilius in Notis, *Visitabitur.*] Sic Hebræus, Symmachus, ζητηθήσεται, *requiretur.* Hoc enim significatur, fore, vt in recensendo eos, qui sedent, appareat deesse Dauid.

Versu 19. *Et tribus diebus manebis*, vertit Pagninus: seu, *tertiabis*, vt Arias apud eumdem: *descendes valdè, & venies ad locum in quo te abscondes in die operis, & manebis apud lapidem viatorium.* Quidam, *Per triduum igitur in demissum locum descendes, ibísque ad locum illum, vbi absconditus eo die fuisti, quando opus fiebat*, alius quispiam ad marginem (nomen me latet) *vbi absconditus lateas, quo die negotium hoc efficiatur, & sedebis iuxta lapidem Azel.* Et in Annotat. *In demissum locum descendes:* In Hebræo est, *descendes valdè:* ne scilicet videri possit. *Quando opus fiebat.*] Hoc est: Latitabis in eo loco vbi prius latuisti, quando prius negotium tuum egi apud patrem meum, & ipse mihi iurauit, quod te non occideret, &c. Capitur igitur hîc *dies operis* pro die negotij. Hæc ms. Alia translatio habet: *Quémque ad triduum abfueris,* (In marg. *tertiaueris*) *descendito diligenter, vt venias ad locum illum vbi absconderas te, quo die illud negotium* gestum est, *& considebis iuxta speculam hanc lapideam.* Apud marginem, Hebraicè, *in die istius facti*, liberationis tuæ scilicet à manu patris me intercedente, sup. 19. 2. & seq. *Lapidem Ezel*, quem in textu vocat *lapideam speculam*, in Not. Hebraicè notat significare *lapidem aditionis.* Vatablus Salmant. *Tertio autem die descendes continuò, veniésque ad locum vbi latitaueras die profesto, sedebísque pone lapidem Azel.* In Schol. Hebraismus, inquit, *Tertiabis igitur, & descendes valdè*, id est, Tribus diebus abdes te in loco humili & demisso valdè. *Die profesto.*] Hebraismus, *die operis*, id est, iusiurandi, siue promissionis, qua iureiurando adhibito pollicitus est pater meus te non interfecturum. *Sedebis pone lapidem Azel.*] vel, *moraberis iuxta lapidem via*, id est indicem itineris. Lapidem Mercurialem intelligit. Chaldæus, *Et in tertia die quæreris nimis, & ibis ad locum quo absconditus es ibi in die profesto, & sedebis in latere petræ Atha.*

Græcorum translat. Græcos etiam referamus. καὶ τρισσεύσεις, καὶ Complut. ἐπισκέψῃ, Ald. & Rom. ἐπισκέπτου καὶ ἥξεις εἰς τὸν τόπον οὗ ἐκρύβης ἐκεῖ τῇ ἡμέρᾳ, Complut. τῆς ἐργασίας, Aldus, & Rom. Edit. τῇ ἐργασίμῃ. Et sequitur apud eosdem, καὶ καθίσεις παρὰ τὸ ἐργὰβ ἐκεῖνο. At

A Complutenses habent, καὶ καθίσῃ παρὰ τῷ λίθῳ ἐκείνῳ. *Et tres dies manebis*, Rom. *Et tertiabis, & speculaberis*, Complutenses, *& requireris, & venies in locum vbi absconditus es ibi die quando operari licebat: (in die operationis:) & sedebis iuxta lapidem illum.* Rom. Editio ita legit, *& venies ad locum tuum, vbi abscondes te in die operaria: & sedebis apud Ergab illud.* Ad hæc Nobilius annotat, *Tertiabis.*] Theodoretus quæst. 49. Illud autem τρισσεύσεις, pro τρεῖς ἡμέρας ἀναμενεῖς, *tres dies expectabis. Ergab.*] Schol. Illud ἐργάβ, Aquila interpretatus est ἐχόμενα τοῦ νότου, *iuxta Australem plagam:* cæteri autem ediderunt λίθον, *Lapidem:* quod habet Complut. & Vulgata, sed hæc addit, *cui nomen est Ezel.* Theodoretus pro ἐργάβ habet, ἐργάς. Et postquam ipse etiam attulit interpretationem Aquilæ, adiungit putare se
B fuisse locum aliquem concauum eo nomine appellatum, & propterea paulò post historiam dicere, Dauid surrexisse ἀπὸ τοῦ ἐργὰβ, quasi idem sit hîc, atque ille locus. Et interpres quidem Theodoreti vtrobique habet *Agas.*

Cæterùm, quoniam illud *in die qua operari licet*, nonnulli videntur in alium sensum à Vulgata detorquere, noueris scriptum esse, *in die* המעשה *hammaghaseh, operis*, à verbo עשה *ghasah*, quod est *fecit*, *operatus est.* Vnde & Chaldæus חולא *dehhola*, siue *profano* vertit: quo fiunt opera. R. D. Videtur fuisse moris, vt nihil operis facerent initio mensis ob sacrificium, sicut nunc mos est mulierum. Vulgatam interpretationem tueri videtur locus ille Ezechielis 46. *Eris clausa sex diebus* המעשה *hammaghaseh operis, & in die Sabbathi aperietur.* Hic enim vsus
C est propheta eadem dictione.

ET ADDIDIT, &c. *Et adiecit Jonathas deierare Dauid.*] Item cur toties: Quoniam, inquit Scriptura, *diligebat eum vt animam suam.* Amanti nihil satis est: neque sermo gratior vllus est, quàm qui eius amoris vehementiam exprimit. Id etiam diuino consilio eò spectauit, vt palàm faceret nulli se culpæ affinem esse. Saul enim Ionathæ potissimùm nomine Dauidi infensus erat. Nam sibi quidem vim afferri, aut regnum eripi, fingebat potius quàm metueret. At Ionathæ, posterisque suis non absque manifesta ratione timebat, ne regni spe exciderent. Propterea igitur Dauidem studebat perdere. Et ne, cui bono Dauidis cædes fore videbatur, cædis reus haberetur, idcirco toties Ionathas iurat in contrariam sententiam. Absit ergo à me, inquit Ionathas, vt tanto
D sceleri consentiam, aut meo nomine cædem innocentis patrari permittam, quin potius nunc vltrò regni solio decedo, & te quoad fieri à me poterit, consilio & ope iuuabo.

Pithœus. *Deierare.*] Complura huius verbi composita Pithœus explicat lib. 2. Aduersorum cap. 8. hæc autem sunt: Eiurare, periurare, deierare, adiurare, obiurare, præiurare. *Eiurat*, vt inquit Sext. Pompeius, qui, quod desideratur, iurat à se præstari non posse. Sanctus Hieronymus in lib. De monogamia ad Gerontiam, Hierophanta, inquit, apud Athenas eiurat virum, & æterna debilitate fit castus. Accedit ea vox apud Ciceronem ad detestandi significationem. At *periurare.* Tertullianus interpretatur Diabolo iurare, Eiurare. Periurare.

Et addidit, &c.

iurare, non Deo. Sic enim habet in exhortatione ad castitatem. Cùm autem Deus summus tantùm, Satanas ad perficiendum prouocatio est nostra, immò subfusio pigrissimorum ad continentiam Deo exhibendam, qua diabolo qui antistant, nunc viduitate periurant. *Deierare* in Apolog. idem simpliciter accipit, pro eo quod iurare est. Dæmonas, id est, Genios, inquit, adiurare consueuimus, vt illos de hominibus exigamus; non deierare, vt illis honorem diuinitatis conferamus. *Adiurare* ergo est exorcizare, vt & exorcistas Latinè adiurantes verti S. Isidorus scripsit. *Obiurare* verò Sext. Pompeio, est iureiurando obstringere. *Præiurare* est præire verbis conceptis iurantibus. Itaque præiurationes facere dicuntur ij, qui ante alios conceptis verbis iurant, post quos in eadem verba iurantes tantummodo dicunt, *Idem in me.* Hic ergo iurauit & deierauit Ionathas, eiurauit quoque cùm patris scelus auersaretur, & Dauidem quoque obiurauit, cui tot verbis præiurauit: Nec dubium quin ipse Dauid præiuranti responderit, *Idem in me.*

(Margin: Deierare. Adiurare. Obiurare. Præiurare.)

(Margin: Typus sepulturæ ac resurrectionis Domini à Serarius.)

Cras calendæ sunt.] Chaldæus ait, fuisse mensem secundum, id est, Aprilem, & embolismi diem. Pulcher, inquit Serarius in hunc locum, sepulturæ & resurrectionis Domini typus. *Et requireris.*] Neomeniæ festæ erant, & conuiuijs agitabantur. Vnde & apud Gentiles erant festa ἱερομηνία, de quibus Turnebus aduersar. lib. 3. c. 4. lib. 15. cap 19. vbi notat, Iudaicas calendas ab Horatio tricesima sabbata vocari. Postridiè verò etiam celebrabat Saul, vel maioris religionis ergo, vel vt reliquiæ consumerentur iuxta Leuit. 7. Consule lib. 1. antiq. Conui. fol. 115. Hactenus Serarius.

(Margin: Herodian.)

In die qua operari licet.] Herodianus de Seuero loquens, qui Albinum Imperij consortem asciuerat, Postquam is, inquit, bellum confecisset quod aduersus Nigrum susceperat, Albinum insidijs frustrà appetitum palàm perdere nitebatur. Itaque iter, inquit, faciebat sine intermissione, neque festos dies, neque labores vllos magnopere curans, algoris atque æstus iuxtà patiens, &c. At contrà plures ex Iudæis in lib. Machab. mortem oppetere maluerunt, quàm vt festo die dare operam defensioni suæ viderentur. Postea tamen hoc didicerunt, quod docet Iosephus Antiquit. Iudaic. lib. 14. cap. 8. Prohibere, inquit, vim inferentes lex permittit: Sed opus facientem hostem impedire nos non sinit. Tametsi hoc quoque falsum arbitror, cùm hostis aggerem excitat, aut arietem muris admouet: nam etsi non quatiat, vim tamen afferre videtur. Imperatores verò Christiani theatricis, forensibus, ac rusticis actionibus, sacris diebus populo interdixerunt. *Cod. De ferijs L. 11. Leo & Anthemius Impp.* Dies festos maiestati altissimæ dedicatos, nullis volumus voluptatibus occupari, nec vllis exactionum vexationibus profanari. §. 1. Dominicum itaq; diem ita semper honorabilem decernimus & venerandum, vt à cunctis exequutionibus excusetur: nulla quemquam vrgeat admonitio, nulla fideiussionis flagitetur exactio, taceat apparitio, aduocatio delitescat: Sit ille dies à co-

(Margin: Quæ festis diebus fieri prohibeantur. Iosephus. Cod. De fer. 1. 11.)

Et addidit, &c.

A gnitionibus alienus, præconis horrida vox silescat, respirent à controuersijs litigantes, & habeant fœderis interuallum, ad sese simul veniant aduersarij non timentes, subeat animos vicaria pœnitudo, pacta conferant, transactiones loquantur. Nec huius tamen religiosi diei otia relaxantes, obscœnis quemquam patimur voluptatibus detineri. Nihil eodem die sibi vindicet scena theatralis, aut circēse certamen, aut ferarum lacrymosa spectacula. Et, si in nostrum ortum aut natalem celebranda solemnitas inciderit, differatur. Amissionem militiæ, proscriptionémque patrimonij sustinebit, si quis vnquam hoc die festo spectaculis intersse, vel cuiuscunque Iudicis apparitor, prætextu negotij publici seu priuati, hæc, quæ hac lege statuta sunt, crediderit temeranda. Hactenus B illi.

(Margin: Capitular. Car. & Lud. Pij.)

Nec verò minus piè Pius ille noster Ludouicus *Addit. Capitul. 2. cap. 9.* Inter cætera, inquit, admonitionis nostræ officia satis illud necessarium visum est, vt populis fidelibus terribiliter denuntietur, vt diem Dominicam, in qua autor vitæ resurexit à mortuis, honorabiliter & venerabiliter colant. Nam si Pagani ob memoriam & reuerentiam deorum suorum dies colere, & Iudæi more carnali sabbatum carnaliter obseruare satagunt; quanto magis Christianæ religionis deuotio ob memoriam Dominicæ resurectionis eundem diem venerabiliter atque honorabiliter colere debet? Commemorat deinde cùm visu tum auditu se didicisse, quosdam in hoc die operi rustico incumbentes, fulmine interemptos fuisse, quosdam C artuum contractione multatos, quosdam etiam visibili igne absumptos, subitò in cinerem resolutos pœnaliter occubuisse. Ac demum concludit, Proinde necesse est, vt primùm Sacerdotes, Reges & Principes, cunctique Fideles huic diei debitam obseruationem atque reuerentiam deuotissimè exhibeant. Vt verò noueris quàm religiosè olim maiores nostri diem Dominicū coluerint, Childebertus ad *Leg. Salic. Decreti sui §. 14.* nulli præterea operi indulget, quàm si quod opus sit ad coquendos parandósque cibos. Qui secus faxit, si fortè ingenuus, pecunia multatur: sin seruus, nisi herus redimat, dorsum suum, ait, componat. Sed illud longè illustrius pietatis maiorum nostrorum testimonium, quod Baiuuariorum Lex suppeditat. D nam & ipsa quoque Francorum Regum monumentum est. Ibi namque *Titulo 6. l. 2.* quolibet opere seruili interdicitur. Quod si quis boues Dominica die iunxerit, & cum carro ambulauerit, altero boue multatur. Si sepem clauserit, fœnum siccauerit, messem secuerit aut collegerit, semel atque iterum correptus si non emendauerit, Rumpatur, inquit, dorsus eius l. percussionibus. Si denuò sacrum diem polluerit, amittit tertiam partem bonorum. Postremò etiam libertatem, si tertiò lapsus fuerit. Seruus primò vapulat. mox eidem dextra amputatur, ni manum ab opere abstineat. Cuius animaduersionis hæc ibidem causa redditur: Quia talis causa vetanda est, quæ Dominum ad iracundiam prouocat, & exinde flagellamur in

(Margin: Childeberti decretū. Lex Baiuuar.)

IN DIE, &c.

frugibus, & penuriam patimur. Nec parcit iter agentibus: sed siue carro, siue naue vehantur, Dominico die stare iubet: alioqui pœnas luituri.

Constantinus agricolis indulget & operi rustico.

Constantinus etsi aliquando idem probauerat, iusserátque ab vrbana plebe seruari, agricolas tamen ab opere necessario auocari prohibuit. *Cod. De ferijs l.* 3. Omnes iudices, vrbanæque plebes, & cunctarum artium officia, venerabili die Solis quiescant. Ruri tamen positi, agrorum culturæ liberè licentérque inseruiant: quoniam frequenter accidit, vt non aptiùs alio die frumenta sulcis, aut vineæ scrobibus mandentur; ne occasione momenti pereat commoditas cœlesti prouisione concessa. Hæc Constantinus. Cuius infirmas rationes, & debilia fundamenta Leo Philosophus conuellit, *Constitut.* 57. ac demum legem ipsam abrogat.

Leo Constantini legem abrogat.

Quãquam enim, inquit, fructuum conseruatio prætendi posse videatur, nullius tamen illa momenti est, sed planè futilis habenda: quum non agriculturæ diligentia, sed Solis virtus, quando frugum largitori visum sit, fructuum abundantiam suppeditet. Quamobrem, quod Spiritui Sancto, ab ipsóque institutis Apostolis placuit, hoc statuimus, vt omnes in die sacro, quoque nostra integritas instaurata est, à labore vacent: neque agricolæ, neque quiquam alij in illo illicitum opus aggrediantur. Si enim qui vmbram quandam atque figuram obseruabant, tantopere Sabbati diem venerabantur, vt ab omni prorsus opere abstinerent: quomodo qui gratiæ lucem, ipsamque veritatem colunt, hos eum diem qui à Domino honore ditatus est, nósque ab exitij dedecore liberauit, non venerari par est? Aut quomodo, quum ex septem diebus vnus in Domini honorem consecratus sit, nos aliorum ad opera vsu contentos non esse, neque illum Domino eximium & inuiolatum conseruare, nostrísque laboribus obnoxium ducere, religionis prorsus dissolutæ non fuerit? Hactenus Leo Imperat.

Ethnicorum religio circa festos dies. Macrob.

Postremò attexam his quoque nonnulla de Romanis, quo tempore falsorum adhuc numinum religione tenebantur. Scæuola consultus, inquit Macrobius 1. Saturnal. cap. 16. quid ferijs agi liceret: Respondit, quod prætermissum noceret. Qua propter si bos in specum decidisset, eúmque paterfamilias adhibitis operis liberasset, non est visus ferias polluisse: nec ille qui trabem tecti fractam fulciendo, ab imminenti vindicauit ruina. Vnde & Maro Georg. 1. sciens lauari ouem, aut lanæ purgandæ gratia, pronuntiauit tunc ouem per ferias licere mersari, si hoc remedij causa fieret.

Balantúmque gregem fluuio mersare salubri.

Adijciendo enim salubri, ostendit auertendi morbi gratia tantummodo, non etiam ob lucrum purgandæ lanæ causa fieri concessum.

Varro.

Scripsit item Varro in Augurum libris hæc verba: Viros vocare ferijs non oportet: si vocauit piaculum esto. Sciendum est tamen, eligendi ad pugnandum diem Romanis tunc fuisse licentiam, si ipsi inferrent bellum. At cùm exciperent, nullum obstitisse diem, quo minus vel salutem suam, vel publicam defenderent dignitatem. Quis enim obseruationi locus, cùm A eligendi facultas non supersit. Marc. Port. Cato mulis, equis, asinis, nullas esse ferias dixit. Idémque boues permittit coniungere lignorum, & frumentorum aduehendorum causa.

Columella.

At nos, inquit Columella lib. 2. De re rustica. cap. 22. apud Pontifices legimus ferijs tantùm denicalibus (*quibus ob elatum cadauer familia purgabatur*) mulos iungere licere, cæteris non licere. Plura in Georg. commemorat Vergilius,

Virgilius.

quæ festis exercere diebus
Fas & iura sinunt. Riuos deducere nulla
Religio vetuit, segeti prætendere sepem,
Insidias auibus moliri, incendere vepres,
Balantúmque gregem, &c.

Quanquam Pontifices negent segetem ferijs sepiri debere. B At Columella multa præterea annotat, quæ festis olim diebus salua religione fieri potuerunt. Nam ritus maiorum, inquit, ferijs etiam illa permittit, far pinsere, faces incidere, candelas sebare, vineam conductam colere, piscinas, lacus, fossas veteres tergere & purgare, prata silicire, (*est ea secare quæ fœniseca prætermiserint*) stercora æquare, fœnum in tabulata componere, fructus olineti conductos cogere, mala, pyra, ficos pandere, caseum facere, arbores serendi causa collo, vel mulo clitellario afferre, sed iuncto aduehere non permittitur, nec apportata serere, neque terram aperire, ne arborem collucare (*hoc est, ramos arboris officientes lumini decidere.*) Sed sementem administrare, aut fœnum secare, vincire, veheréque, aut vindemiam cogi, denique oues C tondere per religiones Pontificum ferijs nequaquam licet. In horto tamen quicquid olerum causa facias, omne licet. Hæc & plura Columella. Quis non rideat diabolica sabbata: cùm ferias indulget, & quietem pollicetur, labore impendiò tum magis enecat. In paucis tamen pariter cum antiquis sentimus, quod non videantur ad opus seruile posse referri.

Sed quare Ionathas diem statuit in qua operari liceat? An fortè in eo errore versatus est, quem deinceps Christus in Pharisæis reprehendit? Nam cùm is hydropicum die Sabbati curasset, Pharisæi ægrè ferentes causati sunt sacri diei religionem violari. At contrà Dominus *etiam Sabbato bene agere licere* docuit, & ijs qui periclitarentur opem ferre. Non igitur ambigebat Ionathas, fásne esset Sabbato innocen- D tem periculo eximere: sed cùm latere vellet præsentes, & amicum iaciendis sagittis discriminis admonere, eundem præstolari diei tertiæ oportuit, ne sagittas festo die contra legis præscriptũ iaculari videretur. Alioquin verò nec certi quicquam ante rescire potuit, quod Dauidem ancipiti cura pendentem suspicione liberaret.

Vocis אֶזֶל Ezel explicatio

Cui nomen est אֶזֶל *ezel.*] Chaldæus lapidem אָתָא *atha*, hoc est *signi*, vocat. Fortè quod index viæ esset. אָזַל *azal* Hebræis idem quod *ambulauit*, abijt, recessit, profectus est. אֶזֶל *ezel profectio*, iter. Per metalepsim Hebræis אָזַל *azal* cessauit, defecit, desijt, euanuit, perijt. Psal. 9. *Perijt memoria eorum cum sonitu.* Inde nomen ipsum quoque Matthæi 5. vers. 13. *Nihilum* [illegible]gnificat.

ET EGO TRES,&c. gnificat. Apud Arabes hæc propria est verbi significatio. Apud quos etiam cõtra אזל *izul* continuum æternumque denotat. אזלי *azli* dicitur, quod fine & principio caret. Kirkero אזל *azal* sic abripi, & raptim auferri significat, vt rei nihil amplius supersit. Rupes illa scilicet quicquid pertransisset, ita repentè sua mole tegebat, vt momento abripi, atque ex oculis auferri videretur.

VERSVS XX.

Et ego tres sagittas mittam iuxta eum, & iaciam quasi exercens me ad signum.

VERSVS XXI.

Mittam quoque & puerum, dicens ei: Vade, & affer mihi sagittas.

VERSVS XXII.

Si dixero puero: Ecce sagittæ intra te sunt. tolle eas: tu veni ad me, quia pax tibi est, & nihil est mali, viuit Dominus. Si autem sic locutus fuero puero: Ecce sagittæ vltra te sunt: vade in pace, quia dimisit te Dominus.

VERSVS XXIII.

De verbo autem quod loquuti sumus ego & tu, sit Dominus inter me & te vsque in sempiternum.

Variæ translat. PAgninus, *Et ego tres sagittas ad latus iaciam, mittendo ad signum.* Arias apud eundem, *mittendo mihi ad scopum.* Versu 21. *Affer mihi sagittas.* Pagninus, *Inueni sagittas.* Chaldæus, *Et ego tria iacula in arcu sagittario ad quatiendum mihi ad scopum.* Versu 21. *Ito, venire fac iacula.* Anonymus, *Et ego iaciam tres sagittas ad latus (lapidis:) perinde quasi mitterem eas ad scopum.* Versu 21. *Vade, quære sagittas.* Vatablus, *Iaciámque tres sagittas ad latus, iaciendo scilicet mihi ad scopum.* Et in Schol. subaudi, lapidis. Vacat autem *mihi.* Pleonasmus. Edit. Complut. Sept. Interpr. accedit proximè ad Vulgatam. Sic enim Latinè legit: *Et ego ter sagittabo in sagittis iaculans, & mittens in scopum.* At Romana longè secus: & ego tertiabo sagittis iaculans, emittés in Amattari. Græcè tamen pariter legunt: Καὶ ἐγὼ τρισσεύσω τ̃ χίζαις ἀκοντίζων ἐκ πέμπων εἰς τὴν ἀματταρί. Ad quæ

Nobilius. Nobilius in Not. *Tertiabo sagittis.*] Theodoretus, Illud autem τρισσεύσω, pro *tres emittam sagittas.* χίζας autem Aquila interpretatus est βέλη, *iacula. Amattari.*] Complut. Amattarà. Theodoretus ἀματθάραν. atque addit inuenisse se in Hebraicorum nominum interpretatione, idem valere, ac τάφρον apud Græcos, *Fossatum* apud

A Romanos, apud Syros autem *Scopum*, ad quem qui se exercent, iacula emittere consueuerunt, Scholiastes hoc, quod Theodoretus attribuit Syris, videtur attribuere Symmacho, & fortasse etiam Aquilæ. Ita enim scribit. Aquila autem εἰς τὴν σκοπὸν, vel φυλακὴν, *custodiam* (duplex enim Scriptura.) Symmachus εἰς τὸ τεταγμένον σημεῖον, ad constitutum signum, ad quod, qui se exercent, iacula mittere consueuerunt. Hactenus Nobilius. SI DIXERO PVERO, &c.

Versu 22. *Intra te sunt.*] Pagninus, *à te, & infrà. Vltra te sunt.*] Pagninus *à te, & vltrà. Et nihil est mali.*] Pagnin. *& non quicquam mali.* Arias tantùm apud eundem, *& non verbum. Quia dimisit te Dominus.*] Chaldæus. *quia seruauit te Dominus.* Roma edit. Septuag. Interpr. *Et non est verbum.* Quo loco Flaminius in Not. Sic Hebræus, &

B subintelligitur illud quod exprimitur in Complut. πονηρὸς, *verbum malum.* ita etiam cap. 22. Complut. igitur, Καὶ οὐκ ἔστι λόγος πονηρός. *Et non est sermo malus.* Gallicè, *Point de mauuaises nouuelles.* Aldus paulò aliter, Καὶ οὐκ ἔστι σοι δόλος, *& non est tibi dolus,* nec dolus subest vllus in tuam perniciem. Quidam legit simpliciter, *& nihil*, mali autem addit explicandi gratia. Hebraicè ואין דבר *veen dauar* דבר *dauar* autem *verbum* & *rem* significat, quasi dicat: *Et verbum* siue etiam *res quam vereberis*, & de qua inter nos loquebamur, minimè accidit, seu ita esse reperta est. *Tolle eas.*] Alij, *cape eam:* quod nemo est qui non ad sagittas referat. Iunius tamen, & Vatablus ad puerum referunt, quem tamen manifestum est, cùm ex ratione periculi, tum ex sequentibus

C versu 41. antè Ionathan agro voluisse excedere, quàm Dauid è latebra prodiret. Sic vertit Iunius, *Si planè dixero puero, ecce sagitta sunt præter te citerius, assume eum vt venias, nam pax tibi erit, & non erit quicquam,* subaudi periculi à quo tantopere videris metuere. Sed si ita dixero adolescenti, *Ecce sagitta sunt præter te vlterius; abi, quia dimiserit te Iehoua:* id est, hoc signo à me dato te abire iusserit. Sic docet qua ratione sit præstiturus, quod sup. vers. 13. iurauit. Vatablus, *Si dixero ad puerum, En sagitta à te* [*iacent*] *huc versus:* id est, citra te. *cape eum,* subaudi puerum, (vterque temerè) *& veni: res enim tuæ saluæ sunt, & nihil est negotij, viuit Dominus. Quod si sic dixero adolescenti, En sagitta à te, & vltrà* [*promissa iacent:*] *vade, quoniam amandauit te Dominus.* In Schol. quasi dicat, Iuro per Deum quòd ne-

D quaquam te fallam. Versu 23. *Sit Dominus inter me & te vsque in sempiternum.* Hoc est, *index*, & vindex; si ego, aut tu pactum violaueris. Sept. ἰδοὺ κύριος μάρτυς, *Ecce Dominus testis.* Chaldæus quoque Vatablus, & alij *testem* interpretantur.

Tu latebis igitur in vepreto, aut decliui aliquo loco pone eum lapidem: ego iaculabor ad scopum. Deinde imperabo puero, vt sagittas colligat. Quod si illi dixero, Adfer, citra te sunt, egredere fidenter, ne quid timeas periculi: reconciliatus enim tibi est pater meus. At si dixero, Vltra te sunt, Fugito: id enim argumento erit, illum adhuc pergere odisse te, necemque machinari. Hoc ideo monuit, quod putaret, si quis fortè alius in eo loco adesset arbiter, non fore opportunum nec tutum, vt cum illo pri- Paraphrasis huius loci.

Si dixero pvero, &c.

uatim colloqueretur. Contrà autem accidit, vt nullus adesset. Sed quoniam Dauid mentionem fecerat fœderis, & rursum Ionathas iurauerat, Dauidem monet, se omnino velle fœdus illud esse saluum. Etsi igitur aliquanto tempore nonnullo locorum interuallo dissiti simus, ego tamen quoad potero cauebo tibi, & posteris tuis: tu vicissim vbi requiem nactus eris, cauere debes mihi & meis. Nam fœdus quod iniuimus Deo teste ac vindice, & vtrinque data & accepta fides, nullo vnquam tempore labefactari debet.

Si dixero puero, Sagitta intra te sunt: pax tibi est.] *Digest. libri quinquagesimi titulus 16. & Cod. libri 6. titulus* 38. ita concepti sunt, De verborũ & rerum significatione. Ibi Gothofredus, Num rectè? Vt tandem eo redeat quæstio, An res aliquid significent, necne? Sic sentio, vocabula rerum notas esse, res ipsas vocabulis significari, res per se non significare, sed vel Dei iudicio tantum, vel hominum instituto. Dei, vnde rerum futurarum, cœlestium, ac inuisibilium veritas certis rebus aspectabilibus adumbratur. Hominum, quoties inter se rebus citra verborum connexionem quasi loquuntur. Hinc arrę, & annuli, nuptias, venditionem: claues & instrumenta tradita, traditionem possessionis: alapæ, & circunductiones, manumissionem significant. Et apud Ægyptios Hieroglyphicæ literæ; & in re militari tria sunt genera signorum: Vocalia, vt puta, Deus nobiscum, triumphus: Semiuocalia, quæ per tubam, aut cornu, aut buccinam dantur: Muta, vt sunt aquilæ, dracones, vexilla, flammulæ rufæ: Sunt & alia in equis, & indumentis, & armis, & manuum motione. Vide lib. 3. Vegetij cap. 5. Hoc loco plura simul copulantur. Nam & sagittæ ex composito muta signa fiunt: & modus ipse iaculandi: vox denique, quæ cùm ad sagittas duntaxat & puerum spectare videretur, delitescenti amico quod quærebat aperiret. Nec citra analogiam hæc signa potissimùm Ionathas instituisse videri potest. Nam si patris ira quiesceret, nec vltra mali quicquam insonti moliretur, statuit citra puerum sagittas dirigere: sin pertinaci studio cædem eius expeteret, tanquam transuerberato puero vltra eundem sagittas proijceret. Nam quæ citra nos iacula subsidunt, ea lędere nequaquam possunt. Talis est furor, qui ante vulnus inflictum, impetum cohibet. At qui bacchatur in cæde, is telo similior est, quod transfixo pectore loca vlteriora petit.

Gothofr.

Res & verba ex instituto significant.

Vegetius. Signorum hoc loco analogia.

Versvs XXIV.

Absconditus est ergo Dauid in agro, & venerunt calendæ, & sedit rex ad comedendum panem.

Versvs XXV.

Cúmque sedisset rex super cathedram suam (secundum consuetudinem) quæ A erat iuxta parietem, surrexit Ionathas, & sedit Abner ex latere Saul, vacuúsque apparuit locus Dauid.

Versvs XXVI.

Et non est locutus Saul quidquam in die illa: cogitabat enim quòd fortè euenisset ei, vt non esset mundus, nec purificatus.

C*Alendas,*] *mensem, Neomeniam, nouilunium,* Interpretes vocant. Versu 25. *Et surrexit Ionathas, &c. Et carebat sedente locus David.* Ita Pagninus, apud quem Arias, *& visitatus est locus David.* Quidam, *Sedebat autem rex in solio suo vt*
B *prioribus vicibus, in solio iuxta parietem, & surrexit Ionathan, &c.* Alius, *Vt assurgeret Iehonathan.* Ad marg. qui patris vices gesserat eo absente, iam reuerso cederet. Vatablus, *& surrexit Jonathan.* In Schol. *assurrexit.* subaudi, venieti Abner. Chaldæus, *Et accubuit rex super situm suum, sicut in tempore in tempore; super situm qui paratus illi, in latere parietis; & stetit Jonathan, &c.* Septuag. *Et sedit rex super cathedram suam.* Complut. καθὼς εἰώθει *sicut consueuerat*, Ald. & Rom. ὡς ἅπαξ καὶ ἅπαξ ἐπὶ τῆς καθέδρας παρὰ τὸν τοῖχον, *sicut semel, & semel, super cathedram apud parietem. Et preuenit ipsum Ionathan: & sedit Abenner à latere Saul;* Καὶ ἐπεσκέπη ὁ τόπος Δαυίδ. Rom. *Et visitatus est locus David.* Complutenses, *Et considerabatur locus David.* Flaminius in Not. *Et preuenit ipsum Jonathan.*] Καὶ προέφθασεν τὸν Ἰωνάθαν, vt intelliga-
C tur post Saul sequutum esse Ionathan. In Complut. est, Καὶ προέφθασεν αὐτὸν Ἰωνάθαν, *Et preuenit eum Ionathan.*

Versu 26. *Cogitabat enim quod fortè euenisset ei, vt non esset mundus, &c.* Septuaginta, σύμπτωμα φαίνεται μὴ καθαρὸς εἶναι, Aldus, ὅτι οὐ κεκαθάρισται, Complut. διότι οὐ κεκάθαρται. *Quoniam dixit: Accidens videtur, vt non sit purus, quoniam mundatus non est. purificatus non est.* In Notis Flaminij, *Accidens.*] Schol. συνάντησις. Symmach. συγκύρημα, *incursus & euentus.* Pagninus, dixit, *Accidens est, præterquàm quòd sit*; vel etiam *quia non est purus ipse, non mundus.* Chaldæus, *Et non loquutus est Saul quicquam in die illa, quia dixit, Fortasse euentus fuit ei & non mundus ipse, aut fortassis ad viam iuit, & nos non inuitauimus eum.* Alius, *Accidit ei*
D *aliquid, vt sit impurus, & non mundus.* Kimhi eodem referente sic exponit: *Accidit ei aliquid aliud, quàm vt sit immundus, aut fortasse non est mundus, atque ideo non venit.* Quidam præterea, *casus est, non est mundus.* Accidit scilicet illi aliquis ex casibus, quibus homines sordidantur: vide Leuit. 11. & sequent. *quia non est mundus* [*non venerit.*] Ad marg. Subaudi, ad epulum Eucharisticum, quod in nouilunio celebrabatur, Numer. 10. 10. ex quo immundis comedere nefas erat, Leuit. 7. 9. Vatabl. *Fortè accidit ei quidpiam, vt non sit mundus.* Et in Schol. Hebraismus, inquit, *Accidens est, preterquam quod est purus,* (*aut*) *quòd non est purus*; id est, Accidit Dauidem non venisse propter occupationes, præterquã quòd est purus, quasi dicat: Est quidem purus,

[illegible] lat.

Et sedit Rex, &c.

purus, sed accidit eum esse occupatum ac impeditum negotijs: aut certe impurus est, pollutione nocturna scilicet.

Ælianus.

Et sedit Rex ad comedendum panem.] Ælianus Var. hist. lib. 2. c. 17. Quum Artaxerxe patre, inquit, vita defuncto regnum Persarũ Ochus capesseret, Magi cuidam ex Eunuchis præceperũt, vt posita mensa animũ aduerteret, quibus rebus ex obiectis Rex primum manum inijceret. Qui cùm oculos ad hoc intentos haberet, Ochus vtraq; manu protensa, dextra vnum ex adiacentibus cultris arripuit, altera maximum panem accepit, quem carnibus impositũ scidit, & alacriter comedit. Quibus auditis, Magi hæc duo vaticinati sunt, anni tempestiuam fertilitatem, atque annonæ copiam illo regnante, & cædium frequentiam: neque falsi sunt. Quid primũ Saul tangeret, aut comederet, susq. deque tulit Ionathas: at illud obseruabat sedulò, de Dauide quid sentiret, & omnem illius nutum sermonémque explorabat, ex quibus de animi illius sententia coniecturam caperet. Iuno porrò cùm insidiaretur Herculi, arte Vulcani, qui filius eius fuisse fertur, ita sellæ cui insederat vinculis alligata est, vt inde se mouere non posset: sed ab insectando Hercule abstinere cogeretur. Extitit Dauid ipso Hercule lõgè generosior, nec Saul in illum minus acerbè inuectus est: sed deerat Ionathæ ars illa Vulcania: vel sanè alienum duxit ab officio boni viri, Regi & patri vim adhibere.

Diuinatio petita ex rege prandente.

Suidas in verbo ἕρα.

Cùmq; sedisset Rex super cathedram suam.] Narrat Heraclides in lib. De politijs, olim Cretenses thronis seu sellis insidentes cibum sumpsisse. Haud dubium quin Iudæi quoq; pariter. Quòd si deinceps in lectis accubuisse ferantur, sciendum est, hoc postremis Synagogæ temporibus postquam in Romanorũ potestatem venissent, ex eorum imitatione fecisse. Alioquin enim, vt Diod. testatur apud Photiũ in excerptis è libro 40. cùm primũ Iudæi diuersis moribus, & alieno genere viuẽdi à reliquis nationibus secernerentur, propter accessiones, inquit, quæ postea è multis victorijs acciderunt, monarchia quarta scilicet Persarum, & deinde Macedonum, multa patrijs eorundem institutis decesserũt.] Illud postremò notare placuit, quod de Saturnino scribit Trebell. Pollio in lib. De triginta Tyrannis. Saturn. in odium Gallieni, qui pernoctabat in publico, vigesimus primus occuparat Imperium, Huius ergo, inquit, insigne est, quod conuiuio discumbere milites, ne inferiora nudarentur, cum sagis iussit, hyeme grauibus, æstate perlucidis. *Super cathedram suam.*] Post immensum toleratum frigus, fortè, inquit Curtius li. 8. Macedo gregarius miles, séque ad arma sustentans, tandem in castra peruenerat. quo viso Rex, quanquam ipse tunc maximè admoto igne refouebat artus, ex sella sua exiliuit, torpentémq; militem, & vix compotem mẽtis, demptis armis in sua sede iussit considere. Ille diu, nec vbi requiesceret, nec à quo esset exceptus, agnouit. Tandem recepto calore vitali, vt Regiam sedem, Regémque vidit, territus surgit. Quem intuens Alexãder: Ecquid intelligis miles, inqui, quanto meliore sorte, quàm Persæ, sub Rege viuatis: Illis enim in sella regis consedisse capitale foret; tibi saluti fuit.

Heraclid.

Iudæi primùm ad mensam sedebant.

Diodorus apud Photium autor. 244.

Trebellius Poll.

Curtius.

In sella Regis consedisse, Persis capitale fuit.

A *Et surrexit Ionathas.*] Scilicet vt secundum Regem primũ locũ occuparet. Hebr. וַיָּקָם *vaiakom.* à verbo קוּם *kom* quod plura significat: atque ex eo in primis verti potest, *Et ingressus est Ionathas:* Vel sanè, *cõgregauit, adiunxit se Ionathas ad patrẽ, proximus accessit.* Sic enim Sept. legũt diuersis locis, εἰσέρχομαι, συνάγω, ἐφίστημι. Stare etiam cõtrà vel antè nõ rarò Græcis significat. Καθίστημι Sept. hoc loco interpr. Hoc verbo Thucydides vtitur pro eo quod est antè stare. Hic verò cum primis cõgruit ea interpretatio. mox enim dicitur Abner *ad latus sedisse,* vt intelligeres filiũ aduersam patri sedem tenuisse; qui postea seq. ver. 34. à mensa surrexisse scribitur. Quid alij senserint dixi antea in varijs interpretationibus. Exponi verò etiam postremò poterat: *Et inquisiuit Ionathas,* siue explorauit, obseruauit patrem, vt scilicet
B promissis stetisse narretur. Sed superior expositio nostra mihi magis probatur. Fauet nouissimæ quod legimus li. Iob, c. 31. v. 14. *Quid faciam* כִּי יָקוּם אֵל *ki iakom el.* Pagn. & Vatabl. *cùm surrexerit Deus?* Doctiùs Vulgatus: *Cùm surrexerit ad iudicãdum Deus?* id enim maximè vereri debuit Iob, si seruos & ancillas affecisset cõtumelia. Sedentem porrò non stantem iudicem Scripturæ nobis repræsentant: & *surgere* plerunq; apud sacros Scriptores, non ad corporis statum celsum & erectũ pertinet, aut mutare sessum designat, sed oriri quemquam, incipere, aut quippiã noui operis aggredi. Græci interpr. pro eo quod *anquirere* Iurisc. dicunt, accipere maluerunt. *Quid enim faciam,* ἐὰν ἔτασιν μου ποιῆται ὁ κύριος, *si inquisitionem faciat mei Dominus?* Cæterùm de Augusto testatur Tranquil. c. 64. nepotes, quos per assem
C & libram emptos à patre Agrippa adoptauerat, haud aliter suæ mensæ adhibuisse, nisi vt in imo lecto assiderent. Apud Krantz. lib. 3. Daniæ, ca. 3. non antè Regum filij paternæ mensæ assidebãt, quàm opima ex hoste spolia retulissent. Quare cùm Albuinus Rusimundum Gepidarum Regis filium sua manu in acie occidisset, ac proprio marte penè solus victoriam cõfecisset, quod tamẽ eius arma auferre nequiuisset, interesse Regis patris cõuiuio prohibitus est, donec ea rebus iam vtcunque compositis singulari prorsus audacia ab ipso Gepidarum Rege impetrauit.

Et sedit Rex, &c.

Vox Hebrça exponitur.

Suetonius.

Krantzius.

Et sedit Abner ex latere Saul.] וַיֵּשֶׁב *vaiescef* אַבְנֵר *Abner.* Sic suprà v. 24. & 25. וַיֵּשֶׁב הַמֶּלֶךְ *vaiescef hammelech, & sedit Rex.* Persarum consuetudinem habes Esther 1. cap. quo loco septẽ du-
D ces Persarum atq; Medorum primi post Regem residere soliti feruntur. Apud nos vix ferè quisquam Regiæ mensæ adhibetur præter eos qui sunt è stirpe Regia, nisi fortè cùm epulum ipse præbet, aut ab aliquo cõuiuio excipitur: ac tum ferè medio loco sedet amicis vtrinq; assidẽtibus. Apud Crom. lib. 3. De rebus Polonor. Boleslaus Chobry, qui primus regnauit in Polonia: cùm longè latéq; propagato imperio, constituendæ Reipub. tandem aliquando otium nactus esset, delectos ex vniuersa Polonia duodecim viros mensæ & consilio adhibuit. Tales olim fuisse duodecim Pares in Francia arbitror, quorũ hactenus nomina manent, & nonnullis locis vestigia quædam pristinæ dignitatis obtinẽt. Erat autem Abner, cùm Regis consanguineus, tum eius princeps militiæ siue ductor exercitus.

Qui Regiæ mensæ adhibiti.

Cromerus.

VT NON ESSET, &c.

Cyrus quid cogitaret de absentibus.

Cogitabat enim quod fortè euenisset ei &c.] Cyrus quotquot ali commodè milites possent, hos sibi volebat ad ianuam præsto esse. Qui autem non adessent, hos arbitrabatur, vel ob incontinentiá abesse, vel ob iniustitiam, vel ob negligentiam, ac propterea Regis & optimatum conspectum fugere. Cùm verò quemquã nollet ad officium per vim cogere, præsentibus, quæ facillima & vtilia essent imperabant: si qua esset rei gerendę difficult s, absentibus illa mandabatur. Præsentes deinde nõ raró, absentes nunquam vllo munere afficiebat. Quod si ne sic quidẽ vt adessent persuaderẽtur, vt præsentes in absentium bona inuaderent, clàm satagebat: qui cùm sibi viderentur præter rationem iniuria lacessiti, & apud eum suas querelas deponerent, primũ ægrè satis aditũ impertiabant. Deinde causatus occupationum magnitudinem, diem sæpius ampliabat, & iudiciũ in longum tempus differebat; donec ipsi intelligerent è re sua fore, si incuriæ atq; infrequẽtiæ labẽ eluerẽt. Autor Xeno. Cyri pæd. l 8.

Xenoph.

Vt non esset mundus, nec purificatus.] In ipsis Calẽdis Saul Dauidem nõ requirit. Non enim erat imperitus legis. Sciebat scriptum esse in Leuitico, vt si quis esset immundus, à sacris epulis abstineret, alioquin excinderetur è populo Dei. Cogitauit itaq;, Dauidem se aut fluxu seminis, aut cõtactu immundę rei, aut aliqua re alia contaminasse: & ea causa ad cõuiuium non venisse: eam autem immunditiem tantùm durare vnum diem: itaque eum postridie adfuturum. Ipsum autem Saulem credibile est, omnibus se modis purificasse, vt mundus, & purgatus ad epulas accederet. Sed erat ea munditia simulata, & hypocritica. Interim enim in animo alebat cædem. Lancis, vt Pharisæi, exteriora mundabat; interiores sordes augebat potius quàm minueret. Ita Iudæi, cùm Christum persequerentur ad necem, & animis essent impurissimis, tamen magna religione abstinebant ab ingressu Prætorij, ne se fortè contaminarent.

Gutherius

Corporis puritas necessaria sacris habita

Deos castè adeunto.] Iam olim ea lex etiã apud profanos obtinuit. Accedebant, inquit Gutherius lib. 4. De vet. iur. Pontificio cap. 1. ad aras sacra facturi, aqua viua purificati, qui Venere abstinuisse debebant, qua polluti sacris arcebantur. Persium testem laudat Satyr 2. Tibullum li. 2. eleg. 1. Macrob. li. 3. Sat. cap. 1. Lampridius sanè nobis autor est in Alexandro, eundem sacra facere solitum, nisi cum vxore cubuisset. Iosephus vicarium celebri die Matthiæ Pontifici datum asserit, quòd per quietem sibi visus esset rem habere cum vxore. Herodotus lib. 1. hæc habet: Quoties cum vxore misce ur vir Babylonius, adhibito thymiamati assidet, & ex altera parte mulier idem facit. Quinetiam sub diluculum abluuntur ambo, nullum vas priusquam se abluerint tacturi. Eadem & hæc Arabes faciunt. Ita Herodotus. Nec verò sola hæc macula sacrificaturos ab altaribus absterruit: sed habebantur præterea complura profana, quorum tactu vel vsu inquinari homines credebantur. Quamobrem, ne qua labes sacra pollueret, priusquam res sacra fieri cœpisset lustrari ritu aliquo solebant. Sulphure, Asphalto, & aqua marina Magi frequentius vsi. Eò spectare videtur illud Satyrici Poëtæ.

Iosephus.

Herodot.

Cuperent lustrari, si qua darentur
Sulphura cum tædis, & si foret humida laurus.

Vtebantur & carduo quem cneb son vocant, ad subitam numinis appari ionem: lauro numen velut vinciri retinerique falsò rati sunt. Plerique aqua duntaxat mersi sunt. Hinc apud Virgilium lib. 2. Æneid.

Virgilius.

Tu genitor, inquit Æneas, *cape sacra manu, patriósque penates:*
Me bello è tanto digressum, & cæde recenti,
Attrectare nefas: donec me flumine viuo
Abluero.

At illud obseruatione dignũ apud Pausaniam in Bœoticis, quod cùm Thraciæ mulieres Orpheum trucidassent, amnis Helicon, qui quondam cædis locum alluebat, terram subierit fugiens, ne pollutis eo scelere fœminis ad expiandum facinus aquas præberet. Nec secus olim fons quidam in Tænaro, cùm miraculo aquarum suarum plures ad se spectatores pelliceret, indignatus mulieris impudentiam, quæ vestem suam in eo abluerat, ab exhibendo deinceps spectaculo abstinuit. Idem autor in Laconicis.

Pausanias.

An si quem fortè secundum quietem Venereus humor polluerit, arceri à sacris altaribus debeat: & quamobrem is olim immundus est habitus?

QVÆSTIO XXXVIII.

PRiapismum, & Satyriasin Medici distinguunt, & explicant: sed non videntur posse huc pertinere. Γονοῤῥοια lactis quidem Venerei excretio est: sed præterquam quòd non sponte fluit, absque vllo sensu libidinis & colis tentigine manat. Eo tamen fluxu maculari quondam lex vetus hominem sanxit, & templo arcuit. Græcis ... dicti s est. Nũc discussa vmbrarum caligine, prętęr peccati maculam nihil sordis apparet. Quare ne id quidem quærendum duximus, an cõscientiam pollueret ea affectio, & sacris interdiceret: interdicti veteris causas aliquas postea referemus. Albertus prętęrea docet tres esse colis meatus: primũ aquæ ductum, quo vrina egeritur, alterum, quo sperma seu elaboratum semen erumpit: è tertio, si quis fortè puellam lasciuiùs complexus fuerit, aqueus quidam sudor effunditur, qui Veneris lacrymam tenuitate vincit. Verùm huius discriminis rationem habendam non censeo. siquidem Venereum hunc imbrem non alio quam Venus ipsa prolectat. Alioqui verò nec alium humorem à semine præter vesicæ stillicidium Scriptura distinguit. Quare si lubet hęc missa faciamus: & hoc solùm inuestigemus, An qui semen fundit naturali modo atque impetu præter animi sententiá, seu vigilet ille siue alsùm dormiat, potissimùm tamẽ secundũ quietẽ, ea gratia pollutus & expers sacræ cõmunionis habendus sit?

Colis meatus tres, ac totidẽ humores.

Qui margaritas in æquore venantur, à Venere abstinent: qui albentes serici comas, vt Cassiod. autor est Var. l. 1. c. 2. purpura tingunt, à geniali thoro exulant: Athletæ certaturi victoriã à cœlibatu auspicantur. Ioann. Cass. li. 6. c 7. explicás illud Apost. 1. ad Cor. *Omnis qui in agone contendit ab omnibus se abstinet*, Pugiles, inquit, in tantum se mũdos ab omni coitus pollutione custodiũt, vt cùm se præparãt ad agonũ certamina, ne qua forsitan per somnum nocturna delusi fallacia,

Cassiodor.

Cassianus.

Quibus modis olim quęsita corporis mundities.

vires

VT NON ESSET, &c.

vires minuant multò tempore cóquisitas, laminis plumbeis renum cótegant loca; quo scilicet metalli rigore genitalibus membris applicito, obscœnos humores valeát inhibere, intelligentes se proculdubio esse vincendos, nec iam posse propositum certamen demptis viribus adimplere, si prouisam pudicitiæ soliditatem fallax noxiæ voluptatis imago corruperit. Hæc Cassianus. Galenus verò Medicus Cassiano antiquior, id se oculis perspexisse testatur, Gymnastarum quempiam Athletæ renibus plumbi laminá imponentem, quo nocturnis imaginibus careret. Quod si illi vt marcentem lauream cósequerentur, tanto studio erumpentes libidinis scatebras cohibere nisi sunt, qua tandem audacia ea labe atque eluuie aspersi, vincétium *calculum candidum, & manna absconditum* vsurpemus? Accedit ad hæc quod prisca lex, vt respondet S. Gregor. S. Augustino Anglor. Episc. pollutum eum pronuntiat: & nisi lotum aqua ad vesperam vsq; Ecclesiam intrare non sinit. Pythagoras etiam in Symbolis, nudis pedibus adorádum sacrificandúmq; docet: & plerisq; locis nudipedalia sacra instituta sunt. Testatur hoc de Spartiatis Euseb. in lib. Temporú. Testatur & de Iudæis Ioseph. lib. 2. Belli Iudaici ca. 15. Mos est, inquit, his qui morbo aliquo aut necessitate cóflictantur, orare per triginta dies antequam hostias immolent, abstinere quoque vino, & capillos radere. Quem morem, inquit, Bernice Regina exercens his diebus, γυμνοῖς τε πρὸ τοῦ βήματος ἱκέτευεν τὸν φλῶρον, nudipes etiam ante tribunal stetit Floro supplicans. Nec incomperta Tertull. Nudipedalia. Quorum etiam S. Hi r. meminit ad Paulam. Hæc Iudæi colebant nudis pedibus, sacco incubantes, & in cinere volutati, ex traditione Pharisæorú, qui deinceps Prophetarum instituta sua superstitione corruperút. Ceremoniæ ratio hæc esse potuit, quòd haud temerè placere Deo posse quenquam crederent, qui obscœno humore maderet. Pedum verò nuditas, quam ἀνυποδησίαν Aristot. & Plato vocant, ξηραίνει καὶ ψύχει siccat & refrigerat. idcirco hanc sacro ritu veteres illi cóplexi sunt, quo pollutionis periculum vitarent. At contrà humido calidóque torrens ille alitur ac redundat. Hinc facilè ijs qui cuticulam studiosè curant & fouent, οἱ ἐξονειρωγμοὶ γίνονται. id est, seminis in quiete fluxus fiunt: quod vigilantibus non citra laborem ferè contingit. Ex quibus videri possint non prorsus culpa vacare, qui in somnis inquinantur.

Apud Vener. Bedam lib. 1 hist. Anglor. ca. 27. Resp. 11.

Iosephus.

Nudipedalia

Argumēta quæ omnē pollutionē videntur sceleris arguere.

Addam his ex alijs quoq; ream citari posse cóscientiam. Nam qui motus hos maximè fluctus cient, è cordis arce prodeunt. Quippe vasa seminaria, partim quidem ex vena concaua, partim etiam ex cordis arteria petútur. Itaq; iecur quidem spumanti libidini materiam subministrat: cor verò fomitem præbet & incendit. Obseruat auté Gal. in li. De motibus liquidis, nullis membris maiores arterias esse insertas quàm coli & linguæ. Quamobrem etiá lingua cordis speculum aut interpres nominatur: nec quisquá eius temeritaté carere vitio putat, vel nauticam excusat spermologiam. *Otiosi verbi* rationem esse reddendam Christus prædicat. Cur non pariter de cole iudicamus? *Ex corde*, ait Christus, *pro-*

Galenus.

Tom. II.

A *deunt cogitationes malæ, fornicationes, adulteria, &c.* Sanè negari non potest, id quod effluit, esse superfluum. At quod mediocritatem superat, vitio proximum est. Vrget verò illud etiam supra modum, quòd medicorum principes Hippocrates, Auicenna, Galenus, manare semen è cerebri thesauro ad hominis conceptum autumát. Qui toto corpore colligi volunt, non negant tamen inde fermentum ad reliquam massam deriuari. Hanc porrò sententiam pluribus argumentis confirmant. Nãrrat Galenus salacissimo cuidam statim ab obitu capite dissecto, cerebri diminutionem manifestò esse deprehensam. Pars scilicet eius substantiæ frequentiori Veneris vsu deperierat. Quod si venæ illæ, quę pone aures subeunt, præcidantur, steriles euadere Hippocrates existimauit. Sed & illud obseruant, spadones & B pueros qui rei Venereæ expertes sunt, minimè caluescere, quòd cerebrum illis non atteratur. Boues certè ectomiæ siue exectæ mole cornuú præstant. Libidinosis deniq; non raro defectis oculis caligo incidit: cuius rei causa nó alia esse videtur, quàm quòd lasciuia cerebrú exhauriatur. Hæc porrò est intimorú sensuú sedes, quorum maxima est cum mente cóiunctio; ita vt his peccantibus mox sceleris cóscia habeatur. Nam si phantasiæ turpis & obscœna species arrideat, tametsi ratio obloquatur, nequaquam tamen extinctus omnis peccati sensus videri poterit. Nam puritatis, inquit Cassian. li. 6. c. 10. euidens indicium ac plena probatio hæc est, si vel nulla imago decipiens quiescentibus nobis, & in soporem laxatis occurrat, vt certè interpellans nullos concupiscentiæ motus valeat excitare.

VT NON ESSET, &c.

Cassianus.

C Hæc ferè sunt quæ obijci quandoq; meminimus, atq; adeo hæc summa est, idcirco seminis illam respersioné turpitudinis immunem nó videri, quòd superflua corporis cura excitetur, vel certè non satis aspersa videndi ratione cohibeatur, quomodo fecisse Athletas quódam memorant plumbo lumbos vincientes, vel Pythagoræos nudis pedibus frigus aduersum Veneri captantes. Accusant cordis æstum præterea, quod postquá Cupidinis facibus incensum est, meram eructat libidiné, & impurú hunc liquorem euomit. Postremò cú è cerebri cella spurcus humor erumpat, non arbitrantur absq; aliqua turpi cogitatione fundi, corpúsq; alluere. Quod si hanc impuri laticis eluuioné crapula pariat, feruórue libidinis, aut quælibet obiectæ speciei illecebra, quis alienam à flagitio defendat? Tribus D his causis iam olim PP. quartam addiderunt: videlicet, elati animi superbiam: cuius vitio fit, vt hæ sordes potissimùm cumulentur. De crapula, quæ priore loco obiecta est, quid sentiendum sit primùm videamus.

Quærit apud Vener. Bedá hist. Angl. li. 1. c. 27. qu. 11. S. Aug. Angl. Episc. Si post illusioné, quæ per somnium solet accidere, vel corpus Domini quilibet accipere valeat, vel, si Sacerdos sit, sacra mysteria celebrare? Respondet S. Gregorius, Cùm extra modum appetitus gulæ in sumendis cibis rapitur, atq; idcirco humorum receptacula grauantur, habet exinde animus aliquem reatum, non tamen vsque ad prohibitionem percipiendi sancti mysterij, vel Missa-

S. Gregor. Pollutionis quæ ratio habēda sit, quæ à crapula nascitur.

Vt non esset, &c.

rum solemnia celebrandi, cùm fortasse aut festus dies exigit, aut exhiberi mysterium (pro eo quod Sacerdos alius in loco deest) ipsa necessitas compellit. Nam si adsunt alij, qui implere mysterium valeant, illusio per crapulam facta à perceptione sacri mysterij prohibere non debet: sed ab immolatione sacri mysterij abstinere (vt arbitror) humiliter debet, si tamen dormientis mentem turpi imaginatione non concusserit. Nam sunt quibus ita plerunque illusio nascitur, vt eorum animus etiam in somno corporis positus, turpibus imaginationibus non fœdetur. Qua in re, vnum ibi ostenditur ipsa mens rea, non tamen vel suo iudicio libera, cùm se, etsi dormienti corpore nihil meminit vidisse, tamen in vigilijs corporis meminit in ingluuiem cecidisse. Hactenus S. Gregorius. Cuius hæc sententia est: Si satietas despumet incompertam libidinem, arceri quidem à communione debere neminem: Sacerdotem tamen à procurandis sacris crapulæ conscientia decet absterreri, si fortè sit qui necessarium munus obeat. Neque tamen S. Gregorium de his intellexerim, qui cùm hesterna palàm ebrietate palleant, non absque offensione populi illotis penè manibus ad sacra se applicant: quod non sine stomacho & bile fieri nonnunquam spectauimus. Crapulam eiusmodi se dicere sentit, quæ non intellecta sensim obrepit, aut sanè cupediarum illecebris inediáue prouocata, appetitui illudit. Nam quos contigit.

Nocturno certare mero, putere diurno:

Nec porrò clam sed publicè letalis delicti rei habentur, hos profectò necesse est, si scandalum vitare studeant, manum à sacris altaribus abstinere. Quod autem de nimio cibo docet S. Gregorius, idem in omni vitæ actione accipiendum est, si quid fortè per imprudentiam admissum sit, quo citius ea labes expueretur. Nam sunt quos ignis; quos vestis stragula fouendo corpori per hyemem adhibita, quos motus & labor, quos verbere quæsitus ardor, quos ieiunij repetita ex interuallo inedia, quos sudum ver, quos pluuia noctis tempestas eo purè commaculant: quæ cauere, & in quibus modum seruare, sæpe nulla ratione possumus.

Quod attinet ad alteram partem accusationis, cùm scilicet obiecto quodam simulachro falsæ voluptatis interior sensus decipitur, respondet idem S. Gregorius: Si verò ex turpi cogitatione vigilantis, oritur illusio dormientis, patet animo suus reatus. Vidit enim à qua radice inquinatio illa processerit, quia quod cogitauit sciens, hoc protulit nesciens. Sed pensandum est, ipsa cogitatio vtrum suggestione, an delectatione, vel, quod maius est, peccati consensu acciderit. Tribus etenim modis impletur omne peccatum, videlicet suggestione, delectatione, consensu. Suggestio quippe fit per diabolum, delectatio per carnem, consensus per spiritum. quia & primam culpam serpens suggessit. Eua velut caro delectata est, Adam verò velut spiritus consensit. Et necessaria est magna discretio, vt inter suggestionem & delectationem, inter delectationem & consensum, iudex sui animus præsideat. Cùm enim malignus

S. Gregor.

Cogitatio quantū in hac parte momenti habeat.

A spiritus peccatum suggerit in mēte, si nulla peccati delectatio sequatur, peccatum omnimodo perpetratum non est. Cùm verò delectari caro cœperit, tunc peccatū incipit nasci. Si autem ex deliberatione cōsentit, tunc peccatum cognoscitur perfici. In suggestione igitur peccati initiū est, in delectatione fit nutrimentum, in consensu perfectio. Et sępe contingit, vt hoc quod malignus spiritus seminat in cogitatione, caro in delectationem trahat, nec tamen anima eidem delectari consentiat. Et cùm caro delectari sine anima nequeat, ipse tamen animus carnis voluptatibus reluctans, in delectatione carnali aliquomodo ligatur inuitus; vt ei ex ratione contradicat, nec consentiat, & tamen delectatione ligatus sit, sed ligatum se vehementer ingemiscat. Vnde & ille cœlestis exercitus præcipuus

B miles gemebat, dicens: *Video aliā legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis.* Si autem captiuus erat, minimè pugnabat; sed etsi pugnabat, quare captiuus erat? Repugnabat igitur legi mentis, cui lex, quæ in membris est, repugnabat. Si autem pugnabat, captiuus non erat. Ecce itaque, homo est (vt ita dixerim) captiuus & liber. liber ex iustitia quam diligit: captiuus ex delectatione, quam portat inuitus. Hactenus S. Gregorius. Ex præcedētibus colliges, non censere eum qui consenserit, & flagitium mēte ac voluntate complexus fuerit, si subinde dormiēs corpore polluatur, postridie sacri muneris participem esse debere. Quod tamen ita intelligendum arbitror, si ante nocturnam inquinationē eundem obscœnæ cogitationis ne-

Ea labes quæ cōsensum sequitur, à sacris altaribus abstinere debet.

C quaquam pœniteat. Ita SS. PP. olim decreuerūt: quorum sententiam duxisse pro nihilo, nemini vnquā feliciter cessit. Tametsi enim peccati macula si quem verè & ex animo pœniteat, quæ est Dei bonitas, momento elui possit, hunc tamen honorē angustissimo illi mysterio haberi voluerūt. Si quid tamē aliunde vrgeat, & scelus latet, vtilitati atq; existimationi publicę cōsulēdū est.

Quid si fastus & superbiæ gratia ea fœditas inuecta sit? Nam cùm frater aliquis, vt autor est Cassian. Collat. 22. c. 6. qui castitatis & abstinēnię laude floreret, quoties ad sacram cōmunionem se præparasset immundo fluxu dormiens fœdaretur, Seniores ad quos eam quæstionem detulit, ad secūdam, inquit, eius valetudinis causam illico transtulerunt inquisitionis indaginē, dis-

D cutientes ne animæ forsitan culpa, caro exhausta ieiunio, impuris illusionibus vrgeretur, quibus etiam districtissimi viri, cùm paululum elati de sui corporis fuerint puritate, per superbię vitium polluuntur; quod scilicet donum præcipuum Dei, id est corporis castitatem, humanis se viribus obtinuisse crediderint.] Verùm is tum quidem innocēs apparuit. Sed quid si quispiā sua culpa accidisse suspicetur? Hoc primùm arbitror liquidò satis constare non posse. Vix enim quisquā est qui Eucharistiā vllo cultu aut honore dignā arbitretur, qui si animū aduertat, non statim ex Deo omnes vitæ suæ rationes aptas pēdere fateatur. Non tamē perinde etiam eius cōtinuò meminit. quinimò tanquam aliud agens, nonnunquam solertiæ assentatur suę.

Quæ

Vt non esset, &c.

Quæ res non mediocriter multorum, qui castitate præstiterant, statum perculit. Quippe labi idcirco permissi sunt, vt cuius ope ac præsidio hactenus steterant, intelligerent. Quod tamen ita plerisque vsuuenire solet, vt excitari potius ad humilitatis studium se sentiant, quàm sentiant id quod prius virtutis consequuti sunt, vllo sibi tempore arrogasse. Quòd si is fortè dubitet qui polluitur, an erit quisquam præterea qui audeat asseuerare?

Ob superbiam si fortè Venereus humor corpus maculauerit, quid sentiendum?

Verùm esto: superbiæ atq; arrogātiæ seipsum condemnet: quis hanc asserat superbis pœnam à Deo decretam? Pharaonem contumacem legimus, non tamen obscœna libidine flagrasse. Nabuchodonosor cùm insolentia atque impotentia animi rebus humanis altiora saperet, solio deiectus est. Antiochus denique cùm summis cruciatus doloribus miserè periret, exclamauit: *Æquum non esse mortalem paria Deo sentire.* Horum supercilij atque iactantiæ cùm Scriptura meminerit, & supplicia quoque commemoret, nusquam tamen libidinis fecit mentionem. Postremò quantumuislicet hoc nonnullis, PP. testimonio, contigerit, vt ob elationem animi Cupidinis facibus inflammarentur, si tamen præter animi sententiam arserint, non erit voluntaria pollutio. Tum enim iure voluntas flagitij rea citatur, cùm aut ipsa sceleri consensum accommodat, aut quippiam molitur vnde naturæ lege oriatur. Nam vbi ea series rerum est, & physica connexio, vt alteram altera parere nata sit, tum si quis causam probauerit, illinc quod sequitur velit necesse est. Sicubi verò talis rerum euentorúmque consequentia desit, rem sæpe affectes, cùm tamen quod sequitur, ab eo vehementer abhorreas. Ne cui forsan obscurus videar, quod dixi hactenus exemplis illustrabo. Tu quidem olim liberali forma virginem efflictim deperibas, nec tamen à te vim vllam passa est. At verò amicus quidam tuus statim vt resciuit, quo tibi rem gratam faceret, eam rapuit. Nunc eo crimine in summum capitis discrimen arcesseris. Negas placere tibi vim allatam puellæ, raptúmque toto animo te auersari prædicas. Si fidem feceris, proculdubio innocens habebere. At si cùm alieno thoro insidias strueres, vnà cum sceleris conscij armatus in virum irruisti, & is ab illorum quopiam cæsus est, cædis absolui non poteris. Hic porrò simile quidquam neutiquam occurrit. Nam etsi integritas fortè mea me nimis extulit, & mihi nescio quos spiritus attulit, cane tamen & angue peius odi libidinem: quæ si naturā spectes, aliunde prorsus habet quàm è superbia vnde manare soleat. Quod si luxuriæ superbia quandoque mater est, ex præscripto legis hoc posse intelligenda est, vt moralis, quod aiunt, non physica causa sit. Alioqui sanè superbia mentem à carnis sordibus auocat, & ad gloriæ cultum, magnarúmq; rerum studium traducit. At vbi quid lege sancitum est, seu potius interdictum, si hoc vsurpes, naturalis causæ vicem obtinet. Scalas inter ciues si fortè pretio distraxeris, queri nemo potest: nec si quidem illis ad muros admotis perduellium fraude ciuitas capiatur. Ad solos proditores captæ vrbis infa-

Qui causā voluit, quo pacto iudicetur effectum quoque voluisse.

A mia pertinet. Sed si scalas hostibus vendideris, quod lex vetat: publicæ calamitatis autor damnabere. Siquidem in re dubia atq; ancipiti hoc voluisse videris, quod, ne fieret, lex interdicto cauebat. Nam quod natura sua contingens esse natum est, postquam ad naturam accessit legis autoritas, moribus necessarium euadit. Quare age si qua lege fretus es, palàm aperi quibus illa verbis concepta sit, quáue parte alterutrius tabulæ deliteat: & pollutum me sponte fatebor quòd superbiuerim. *In superbia* quidem, vt Tobias ait, *initium sumpsit omnis perditio*, scelerum fons, & omnium lerna malorum est: pœnas tamen à flagitijs secernere decet. Quippe pœnas nolentibus imponit necessitas: flagitia voluntas conciliat. Quamobrem tantisper dum abest voluntas, pollutio pœna est, non flagitium.

Vt non esset, &c.

Tob cap 4. vers 14.

B Nunc postquam cuncta expolui in quibus hærere scrupulus aliquis videri potuit, quæ faciliora sunt deinceps paucis absoluam. Non enim turpi duntaxat obiecta specie, aut crapula, aut insolescentis animi temeritate, pollutio cietur: sed etiam nonnunquam scelere dæmonum, aut naturæ vitio secundum quietem non intellecta obrepit. Cùm igitur, vt inquit S. Gregorius quem suprà laudauimus, ex naturæ superfluitate vel infirmitate euenerit, omnino hæc illusio non est timenda: quia cùm hanc animus nesciat, pertulisse magis dolendum est, quàm fecisse. Et Cassianus lib. 6. Instit. Monast. cap. 20. Hic est, inquit, integritatis finis ac perfecta probatio, si quiescentibus nobis titillatio voluptatis nulla subrepserit, ac pro necessitate naturæ nobis inconscijs concretiones egeran-
C tur obscœnæ. Quas sicut abscindere per omnia, & in perpetuum amputare super naturam est, ita reuocare ad ineuitabilem rarissimámque naturæ necessitatem summæ virtutis: quæ pulsare Monachum duobus interpositis mensibus solet. Quod tamen dictum sit secundum nostram experientiam, non secundum sententiam seniorum, à quibus etiam hæ memorati temporis induciæ, admodum iudicabantur angustæ; ne si hoc modo quo ab ipsis percepimus, voluerimus exponere, his fortè qui pro negligentia sua, vel remissiore studio, puritatem hanc minus experti sunt, incredibilia vel impossibilia descripsisse credamur. Hæc Cassianus. Ex quibus mihi videre videor, cùm Seuerus ille Aquitanicus πολυφαγίας facetè nos insi-
D mulet, Gallum non omnino malè edacitatis nostræ patrociniū suscepisse. Verumenimuerò tametsi cum Orientis Monachis nequaquam inedia & cibi parcitate certemus, ea labe tamen non vsque adeo frequenter inficimur. Ea harum quidem eruptionum stata tempora definire difficile arbitror: nos tamen helluones illi & gurgites, vix post tertium, quartum, aut quintum mensem, & quod excurrit, eo onere leuamur. Quo ego vehementiùs miror, Orientalibus, qui tam parcè ac duriter vitam agerent, tātas vires potuisse suppetere: nisi fortè his cæli benignioris clementia impensiùs fauet. Quod autem spectat ad fraudes dæmonum, cùm PP. inquit Cassianus cap. 6. Collat. 22. nec animæ culpam esse, nec carnis deprehēdissent, fratrem

Pollutio quā naturæ superfluitas parit, aut etiā infirmitas, timenda non est.

S. Gregor.

Cassianus.

S. Seuerus Sulpitius in dialog. Gallus.

VT NON ESSET, &c. illum, cuius iam antea fecit mentionem, sacrosanctis epulis debere misceri confidentissime censuerūt, ne scilicet si in hac obstinatione durasset, versutis maligni hostis laqueis obligatus, sanctificationis & corporis Christi particeps esse non posset, & per hanc fraudem medicina remedij salutaris in perpetuum fraudaretur. Mox verò fraus inimici retecta euanuit.

Postremò etiam ratio reddenda est, quamobrem nocturna atque inuoluntaria sorde pollutis, templo Deus olim interdixerit. Lex, inquit S. Isidorus Pelus. hac de causa naturales etiam, (S. Isid. Pelus. lib. 3 ep. 14.) miniméque in nostra voluntate sitas excretiones expiari voluit, vt voluntarias ac naturæ repugnantes multò magis fugiamus. Nam quæ ijs, (Tropolog.) qui ea perpetiuntur, quæ speciem quidem peccati habent, nec tamen reuera peccata sunt, aditum ad templum, quoadusque purgati fuerint, B interclusit: eadem quoque ijs qui sponte atque consultò peccant, maiorem metū incutit, acerbioremque pœnā minitatur. Nam cūm id, quod minimè sponte factum est, veniam haud simpliciter impetrarit, id proculdubio, quod voluntariè admittitur, veniam haudquaquam obtinebit, nisi vera & syncera pœnitentia curetur. (Allegoria.) Ita S. Isidorus. Si allegoriam spectes, cùm hæc nonnullam peccati speciem præ se ferant, arbitror, ea lege inculcare voluisse necdum peccati maculam esse deletam, quæ primorum parentum scelere nobis inusta est: sed tandem aliquādo fore vt Christi sanguine elueretur, quam aspersa corpori aqua adumbraret. Conradus in Notis ad eam Pelusiotæ epistol. Confer huc de pollutione nocturna Deuteron. 23. vers. 10. & in Decreto Distinct. 6. necnon Ius Orientale ab Enimundo Bonefidio editum.

VERSVS XXVII.

Cúmque illuxisset dies secunda post calendas, rursus apparuit vacuus locus Dauid. Dixítque Saul ad Ionathan filium suum: Cur non venit filius Isai nec heri, nec hodie, ad vescendum?

VERSVS XXVIII.

Respondítque Ionathas Sauli: Rogauit me obnixè, vt iret in Bethlehem.

VERSVS XXIX.

Et ait: Dimitte me, quoniam sacrificium solenne est in ciuitate, vnus de fratribus meis accersiuit me: nunc ergo si inueni gratiam in oculis tuis, vadam citò, & videbo fratres meos. Ob hanc causam non venit ad mensam regis.

RVrsus apparuit vacuus locus Dauid. Eadem verba suprà explicuimus vers. 25. *Ad vescendum?* Septuag. ἐπὶ τὸ φαγεῖν, *ad mensam?* (Varia translat.) אֶל הַלָּחֶם *el hallahhem.* Pagninus, *ad panē?* Alius, *ad cibum?* Vatabl. *ad panem?* In Schol. ad pran- A dium, ad mensam regiam? Item *diem secundam post calendas*, vocat *alterum diem post nouilunium.* (RVRSVS APPARVIT, &c.) Chaldæus sic habet: *Et fuit à die qui post illum qui fuit Embolismus mensis secundi, & fuit locus Dauidis vacuus:* quadrant ad amussim cætera. *Embolismus*, Chaldaicè עִיבּוּר *ghibour, conceptio.* Hîc, vt mihi quidem videtur, paraphrasticōs secundam diem mensis, vocat Lunæ conceptum alterum; erant siquidem Lunares Hebræorum menses. Rabbinis tamen עִבּוּר *ghibour*, embolismus est, siue intercalatio, cùm fiunt menses tredecim, & אֲדָר *adar* mensis 12. geminatur, & tum. וַאֲדָר *vaadar* mensis decimus nominatur. qua de re nos plura superiore tomo cap. 6. ver. 1. quæ certè non video, quid ad rem præsentem faciant. Potuit itaque commodiùs latinus Interpres Chaldæum interpretari.

Versu 28. *Vt iret in Bethlehem* siue curreret, explicationis gratia additum est. Hoc enim indicat phrasis Scripturæ. מֵעִמָּדִי עַד־בֵּית לָחֶם *meghimmadi ghod beth lakhem. Ex apud me vsq; ad Bethlehē.* quid enim hoc aliud sibi vult, quàm vt hinc à nobis, accepto commeatu, Bethlehem proficisceretur? Vers. 29. *Quoniam sacrificium solenne est in ciuitate; vnus de fratribus meis accersiuit me.*] Pagn. *Quia victima est familiæ nostra in ciuitate, & ipse mandauit ad me frater meus.* Chald. *Quia posuerunt oblationem sanctitatum omni prosapia nobis in vrbe; & ipsum quod præcepit mihi frater meus.* Septuag. ὅτι θυσία τῆς φυλῆς ἡμῶν ἐν τῇ πόλει, καὶ ἐνετείλαντο πρός με οἱ ἀδελφοί μου. *Quia sacrificiū ipsius tribus nobis in ciuitate, & mandauerunt ad me fratres mei.* Alius, *Quoniam sacrificium habet in ciuitate cognatio nostra: & hoc ipsum demandauit mihi* C *frater meus: atque ideo si inueni gratiam in oculis tuis*, (Chaldæus, *charitates*,) *elabar quæso, & inuisam fratres meos. Elabar.*] (Arias, *euadam*.) Hebraicè, אִמָּלְטָה *immaleta* in passiua voce: id est, *saluer*, scilicet à ministerio regis. Quidam, *Quia conuiuium familiæ nobis* est *in ea ciuitate, & ipse frater meus* (ex mandato patris) *præcepit mihi, &c. frater meos*, cognationem meam, vt alibi passim. Vatablus, *Habet enim sacrificium familia nostra in ciuitate, & (hoc ipsum) mandauit mihi frater meus*, Et in Schol. Vel, *præcepit.* Minores fratres parebant maioribus natu.

Cúmque illuxisset dies secunda post calendas.] In nouilunio dies secundus lege Dei non iubetur esse festus. Cur autem id factum sit, duæ mihi videntur esse causæ. In Leuitico cap. 7. de sacri- D ficijs pacificis ita præcipitur, si quid ex illis superesset in posterum diem, ex eo instituendum esse aliud conuiuium. Verisimile autem est, Regem splendidè sacrificasse, cúmque omnes illæ epulæ consumi non potuerint priori die, conuiuatum fuisse de illis postridie. Altera causa erat, vt religiosiores, & sacrorum obseruantiores esse viderentur, quàm lex ipsa postulabat. Saul ergo, quamuis priori die Dauid adfuisset, quod illum arbitraretur esse immundum, tamen postero die nō dubitauit eum adfuturum. Nam si quis aut immundus fuisset, aut in itinere, cùm oporteret pascha celebrare, is iubebatur mense secūdo seorsim habere pascha suum. Postridie itaque Saul, cùm videret Dauidem non adesse, non existimauit vltra tacendum.

Cur

CVMQVE ILLVXISSET, &c.

Cur non venit ad mensam Regis?] Hîc offert se non leuis quæstio, Cùm Saul sciret Dauidem demissum ab vxore de fenestra abijsse, & se contulisse ad Samuelem, eóque & misisset satellites, & ipse etiam accessisset, & vnà cum alijs prophetasset, quomodo hîc requirit eum in cõuiuio? aut quomodo Dauid ipse putat sese requirendum? Quidam respondent, esse ὕστερον πρότερον, & ea hîc narrari, quæ antea gesta fuerant. Mihi verò historia non videtur temerè perturbanda, nisi id necessitas postulet: præsertim verò cùm in ipso textu scribatur, Dauidem fugisse ad Samuelem, & venisse ad Ionathan: cumque Iosephus etiam scribat, ista accidisse postquam Saul prophetasset coram Samuele. Alij hoc tribuunt obliuioni, quòd Saul hæc omnia fecisset per furorem, & nunc reuersus ad se nesciret quid esset actum. Certè Tranquillus autor est, (Sueton. in Claudio.) B Claudium Cæsarem ita fuisse obliuiosum, & hebetem, vt sæpè miraretur, eos non venire ad conuiuium, quos ipse paulò ante iussisset occidi. Verùm hoc responderi non potest de Saule. Dauid enim ipse, qui nec furebat, nec harum rerum oblitus esse poterat, monet Ionathan, sese esse in conuiuio requirendum. Alij putant Dauidem reconciliatum Sauli redijsse in aulam: sed cùm animaduerteret, Saulem perpetuo ardere odio, & vitæ suæ ab illo fieri insidias, hanc rationem seorsim iniuisse cum Ionathan. Atq; hoc quidem potest fieri: multa enim in historijs sæpè reticentur. Potest tamen etiam id accidisse, vt Dauid, cùm hæc consilia caperet cum Ionathan, conspectus fuerit, & se visum & agnitum intellexerit: Saulem autem cùm id audisset, putasse Dauidem superiores iniurias tribuisse furori, & idcirco haud dubiè venturum ad conuiuium.

C *Ad mensam Regis!*] His à Comœdo Timocle mensa describitur,

Vitæ nutrix, famis hostis, custos
Amicitiæ, medicus eneruatæ esuritionis.

(P. Damian. Tropologia.) *Cur non venit filius Isai, nec heri, nec hodie, ad vescendum?*] Respondet B. Petrus Damianus libro quarto, epist. 16. Festiuitas Neomeniæ, id est, nouæ Lunæ. Tunc autem innouari Luna dicitur, cùm Soli coniungitur, & ab eo ad concipiendum splendorem velut amissi luminis reparatur. Sol iustitiæ Christus. Luna autem primò sancta vniuersalis Ecclesia, deinde quæque fidelis est anima eius; qui splendor est gloriæ, & figura substantiæ, de radijs illustrata. Cùm ergo D sancta quælibet anima Redemptori suo veraciter in amore coniungitur, cùm ei denique velut in sponsali thalamo per oblectationis intimæ glutinum copulatur, tunc proculdubio solemnitatem Neomeniæ celebrat, dum reformatam se à superno lumine fratrum suorum aspectibus repræsentat, sicut dicit Apostolus: (1 ad Cor. 6. ver. 17.) *Qui adhæret Domino, vnus spiritus est.* Nam si in his omnibus solùm exterior ille solennitatum ritus accipitur, non iam ex his vtilitatis aliquid nobis videtur posse conferri; sed superstitiosa potiùs exigi, ac friuola iudicari. Hinc est quod Apostolus ait: (Coloss. 2. ver. 16.) *Nemo dijudicet vos in cibo, aut potu, aut in parte diei festi, aut Neomenia, aut in sabbato, quæ sunt vmbra futurorum.* Quod ergo tunc erat *vmbra futurorum* Iudæo, nunc est exhibitio præsentium Christiano; & quod illis datum est sub exterioribus cerimonijs, nobis factum est instrumentum intelligentiæ spiritualis. Tunc enim Neomeniam, hoc est, nouæ Lunæ colimus ortum, cùm veterem deponimus hominem, & sanctæ conuersationis induimus nouitatem.

AD MENSAM REGIS, &c.

(Inuehitur Tertull. in luxum dierum festorum.) *Sacrificium solemne est in ciuitate.*] Iuris nidorem Iudaïcè sectantur, qui solemnitates epulis æstimant. Dudum non paucis Christianorum, qui dies festos luxui magis quàm diuino cultui consecrant, & quidem nonnullis locis publicè, obijci potuit, quod olim à Tertulliano Ethnicis in natalitijs Imperatorum suorum, Apologetici capite trigesimo quinto. (Tertullian. Apologet. cap 35.) Grande videlicet officium focos & thoros in publicum educere, vicatim epulari, ciuitatem tabernæ habitu abolefacere, vino lutum cogere, cateruatim cursitare ad iniurias, ad impudentias, ad libidinis illecebras. Siccine exprimitur publicum gaudium per publicum dedecus? Hæccine solemnes dies Principum decent, quæ alios dies non decent? Qui obseruant disciplinam de Cæsaris respectu, ij eam propter Cæsarem deserunt, & malorum morum licentia pietas erit? Occasio luxuriæ religio deputabitur? O nos meritò damnandos! Cur enim vota & gaudia Cæsarum casti, & sobrij, & probi expungimus? Cur die læto non laureis postes obumbramus? nec lucernis diem infringimus? Honesta res est solemnitate publica exigente induere domui tuæ habitum alicuius noui lupanaris. Hactenus Tertullianus.

Ob hanc causam non venit ad mensam Regis.] Sitne mentitus Ionathas, necne, me quidem fugit: sed si mentitus est, oportet Dauidem huic culpæ affinem fuisse, qui Ionathan eò perpulit, & ita fieri consuluit. Cæterùm huc magis inclino & propendeo, vt neutrum credam temporis causa falsi aliquid finxisse, sed hæc omnia tum contigisse potuerunt; vt & Dauidis contribules solemne sacrificium facerent, & ipse ad sacrum epulum inuitatus esset, & cum Ionatha paulò ante egisset, vt cum bona eius venia fratrum suorum voto satisfaceret. Sed cùm subinde Regem clàm sibi machinari malum deprehendisset, seque vereretur per satellites absentem oppressum iri, statuit viciniore loco in arcano opperiri, dum, quid de se Rex statueret, certò cognosceret. (Integra oratio spectanda est, priusquam de mẽdacio statuas.) Hoc verò etsi quispiam neget, quòd manifestè satis ex Scriptura non possit ostendi, non tamen idcirco fictis rebus illudere voluisse fatebor: sed cùm vterque explorandi studio teneretur, absque mentitionis periculo ea simulare posse crediderunt, quæ mox, qualia essent, declaraturi erant, si Regis ira conquiesset. Nam si mentiri fallere, & verbis fucum facere, is profectò à mendacio alienus est, qui sic cum aliquo sermonem instituit, vt eum integra oratione sua verum doceat. Neque enim vnius aut alterius periodi ratio habenda est: sed finis ipse dictionis spectandus est, vt vera aut falsa iudicari possit. Quod si præter intentionem Ionathæ accidit, vt periculi præsentia à reliquis dicendis absterreretur, non tamen idcirco auersæ veritatis argui potest; cùm id maximè studuerit, vt pater verum resciret, si statuisset furo-

rem compescere: mox enim Dauidem euocasset è latebris.

Versvs XXX.

Iratus autem Saul aduersum Ionathan, dixit ei: Fili mulieris virum vltrò rapientis, numquid ignoro quia diligis filium Isai, in confusionem tuam, & in confusionem ignominiosæ matris tuæ?

Versvs XXXI.

Omnibus enim diebus, quibus filius Isai vixerit super terram, non stabilieris tu, neque regnum tuum. Itaque iam nunc mitte, & adduc eum ad me: quia filius mortis est.

Variæ trãslat.

Pagninus, *Et iratus est furor* (אָף *aph*, Arias, *nasus*) *Saul in Ionathan, & dixit ei: Fili matris* (Arias delet *matris*) *peruersæ rebellionis, an non noui, quod eligis tu filium Isai in confusionem tuam, & in confusionem ignominiæ* (Arias, *nuditatis*) *matris tuæ?* Chaldæus, *Et inualuit indignatio Saulis in Ionathan, & dixit ei: Fili contumacis cuius rebellio dura, nonne noui quòd volens tu in filio Isai ad opprobrium tuum, & ad opprobrium ignominiæ matris tuæ?* Septuaginta, Υἱὲ κορασίων αὐτομολούντων. οὐ γὰρ οἶδα ὅτι σὺ μέτοχος εἶ τῷ υἱῷ Ιεσσαὶ εἰς αἰσχύνην σου, καὶ εἰς αἰσχύνην ἀποκαλύψεως μητρός σου. *Fili puellarum spontè venientium, nunquid non scio quòd particeps es filio Iesse in confusionem tuam, & in confusionem reuelationis matris tuæ?* Quidam, *Fili iniquæ rebellionis*. Kimhi sic legit, *Filius es reprobatæ mulieris ob rebellionem*: Hoc est, imitaris matrem tuam, quę ob id, quòd mihi rebellis fuit, reproba & peruersa meritò est iudicanda. *quòd eligis filium Isai in tui confusionem, atque in confusionem & ignominiam matris tuæ?* Alius, *Fili peruersissime*. Vt impurissimus loquitur impurissimè, in filiũ, adeóque in illius matrem, suam vxorem, conuicia ingerens turpissima. *contumacissimè*. Hebraïcè, *Fili ipsius contumaciæ; nonne noui te seligere filium Isai ad pudorem tuum, & ad pudorem nuditatis matris tuæ*. Vatablus Salmant. *Incaluit autem nasus Saulis contra Ionathan, dixitque ad eum, Fili mulieris rebellis*. In Schol. Vel, *peruersæ*. quasi dicat, Imitaris mores matris tuæ, quæ non parebat mihi. *annon id intelligo, te filium Isai elegisse, vt & te & matrem tuam ignominiosè pudefacias?* quasi dicat, non videris filius meus, sed potiùs adulteræ, quòd non pareas mihi. Ita Vatablus. Denique non nemo ita legit: *O improbæ contumacisque matris progenies!* Vt hominis filium vocant Hebræi hominem: ita Saul improbæ filium vocat improbum: sed à ne se ipse damnet. Hebraïcè legimus, בֶּן נַעֲוַת הַמַּרְדּוּת *ben naghauath hammardouth*. Schindlerus in Pentagl. *Filiũ* significare dicit *peruersum defectione*. עָוָה *ghauath*. Niphal נַעֲוָה *curuatus, prauus, peruersus fuit*.

A Significat autem & *paratum*, vt docet Philippus Aquinus in Primigenijs vocibus, seu radicibus linguæ sanctæ. מַרְדּוּת *mardouth, rebellio, defectio, apostasia*. מָרוּד *marond*, Rabb. *apostata, dæmon*. &c. Gallicè nebulo, *maraud*. Ezechielis secundo capite, versu tertio, *Fili hominis, mitto ego te ad filios Israel*, אֶל־גּוֹיִם הַמּוֹרְדִים *el goim hammoredim*. Pagninus, *ad gentes rebelles*. Vulgatus, *ad gentes apostatrices*. Iam verò quæ est mulier apostatrix, nisi adultera, quæ à viro discedit, & thori fidem violat? Ad id verò quæ vltrò parata est, ea pessima censenda est. Pleræque enim blanditijs delinitæ, in fraudem inducuntur. Erat igitur probrum illud maximum, cuius Saul filium matremque insimulauit, quo proditur latentis inuidiæ magnitudo: nec quisquam alius huius loci sententiam expressit, elegantiùs quàm Vulgatus noster, & septuaginta Græci Interpretes.

Iratvs avtem Savl,

B Versu trigesimo primo, *Non parabitur regnum tuum*. Ita Romana editio, & Ald. οὐχ ἑτοιμασθήσεται ἡ βασιλεία σου. Complutenses, οὐχ ἑτοιμασθήσῃ σὺ, οὐδὲ ἡ βασιλεία σου *Non eris paratus tu, neque regnum tuum. Filius mortis*. Alij, *reum mortis, obnoxium morti*. Chaldæus, *debitorem occisionis* vertit.

Iratus autem Saul aduersum Ionathan.] Hîc Saul non ampliùs sese continet. Indignè enim ferebat, ereptum sibi esse Dauidem è faucibus. illius autem fugæ autorem & consuasorem subolfacit fuisse Ionathan. Itaque impotens sui excandescit, & omnia consilia sua prodit. Nam alioqui si dissimulare potuisset, habuisset Dauidem in manibus. Sed homines furentes sæpè præcipitant, & corrumpunt consilia sua. *Fili mulieris*.] Haud aliter quàm si indignum ducat

C quem suum agnosceret. Sic corui feruntur albicantes pullos non agnoscere. Crocodili apud Ælianum histor. animal. lib. 9. cap. 3. alacritate prædandi suos catulos approbant: qui nisi mox vt exclusi sunt, alicunde muscam, aut lumbricum, aliamve bestiolam, aut lacertulam rapuerint, tanquam degeneres & spurios lacerant. Ælianus.

Fili mulieris virum vltrò rapientis.] Sbigneus Cracouiensis Episcopus apud Cromerum libro vigesimo secundo, Cazimirum tertium Poloniæ Regem ob-urgans, Non esse regium ait, asperioribus dictis aut factis quemquam lædere: inter apes quoque regem aculeo carere, &c. *Virum vltrò rapientis*.] Apud eundem Cromerum libro decimo nono, Cùm Vuladislaus Iagello adulterij delatam coniugem inauditam relegare

Cromerus. Regiũ non est cõuitijs quemquam lacessere.

D statuisset, filiorum periculo à temerario cœpto deterritus est. Regem enim cùm Ioannes Tarnouius percontatus esset, quid pueris ex ea natis facturus esset, & ipse secum eos fore respondisset, & in spem regni educatum iri: Apage, inquit Tarnouius, Tune Reges nobis relinquere vis, quos ipse, dum matrem eorum probro afficis, pro tuis liberis non agnoscis? Regina itaque se purgare permissa est. *Mulieris virum rapientis*.] Non tulisset ab alio tale fieri vxori conuitium. Probat hoc apud Cromerum libro sexto, Horrenda Petri Dani calamitas. Cui cùm Rex cum quo vnà venatum ierat, & simul stratis humi penulis cubiturus erat, per ludum & iocum dixisset, Molliùs nunc Petre vxor tua cum Abbate Scrinnensi siue Suleouiensi cubat, quàm nos,

Vuladislaus 2. Pol Rex. Iocus thori fidem violans, capitale crimen est.

FILI MVLIERIS, &c. nos, & ille ioculari licentia respondisset, Fortassis & tua cum Dobesso: tum quidem Rex iocis finem imposuit. At postea cùm Reginæ dolo captus esset, indicta causa eidem lingua præcisa est, & oculi effossi. Iocus thori fidem perstringens crimen est. *Fili mulieris virum vltrò rapientis*] Apparet, inquit, te non esse filiũ meum. Spurius es, & nothus, nec vlla in re refers patrem: nam quem ego odi, cum eo tu societatem contrahis. Matrem habes adulteram: vt tu te adiunxisti ad hostem meum, ita illa se ad alium virum. Putant vim quandam talem esse in paterno sanguine, vt similes affectus propagentur etiam in filios. Ita Chremes in Heautontimorumeno inquit vxori suæ de filio, Facilè vbiuis conuiceris esse tuum, quòd sit consimilis moribus.

Matremfamilias non nuptiæ, sed boni mores faciunt. B *Mulieris virum vltrò rapientis.*] Grauis hæc in matremfamilias contumelia, quæ potissimùm castis moribus censetur. Matremfamilias, inquit Vlpian. *ff. de verbor. signif. l. 46.* accipere debemus eam, quæ non inhonestè vixit. Matrem enim familias à cæteris fœminis mores discernunt, atque separant. Neque nuptiæ, inquit, neque natales faciunt matremfamilias: sed boni mores. *Vltrò rapientis.*] Meretricis illud officium est. Inde Κασαλβάδες Græcis dictæ, ab eo, inquit Suidas, quod faciunt. Καλοῦσι γὰρ οὐκ ἔχουσαι τοὺς ἐραστάς, vocant enim amatores, cùm nullos habent. Præsentes etiam abigunt, vt alios admittant. Dictæ igitur ἀπὸ τοῦ καλεῖν, quod est vocare, καὶ τὸ σοβεῖν, id est *eijcere*, abigere. Itaque beneuolentiorem vxore pellicem Amphis Comicus prædicat: (Suidas in Κασαλβάς.)

C
Nonne verò muliere beneuolentior est
Vxore meretrix? Multò sanè, ac valdè meritò.
Illa enim præ consuetudine negligẽs, intus manet:
Hæc nouit aut morem gerendo captandum
Hominem esse, aut ad alium abeundum.

Curtius. Exempla impudicarũ mulierũ quæ vltrò rapere studuerunt. *Virum vltrò rapientis.*] Huius turpitudinis Historici exempla multa suppeditant. Apud Curtium libro sexto, cùm Thalestris Amazonum Regina Alexandrum in Hyrcaniam inuisisset, interrogata num aliquid petere vellet, haud dubitauit fateri, ad communicandos cum Rege liberos se venisse, dignam ex qua ipse regni generaret hæredes. Acrior, inquit, ad Venerem fœminæ cupido, quàm Regis, vt paucos dies subsisteret, perpulit. Quibus artibus Phædra Hippolyti nouerca, studuerit eiusdem expugnare pudicitiam, poëtæ passim memorant. Altera D item apud Ammianum, cùm inflectere iuuenis castum propositum ad suam libidinem non potuisset, priuigno pariter necem machinata est. Tenuem quoque nouercæ insidijs appetitum, quòd ab eo repulsam passa esset, scribit Pausanias in Phocicis. Sed cùm arcæ inclusus, à patre in mare proiectus esset, incolumis euadens, insulæ ad quam appulerat nomen dedit, & ab eo postea Tenedos appellata est. Iosepho quid acciderit, habes Genesis capite trigesimo nono. (Iosephus.) Cleopatra quoq; Ægypti Regina, Herodis concubitum fertur appetijsse, quod non impetrauit, vt narrat Iosephus Antiquitatum Iudaïcarum libro decimo quinto, capite quinto. Faustina Imperatrix, vt Iulius autor est in M. Antonini vita, tanto gladiatoris amore exarsit, vt cùm (Capitolin.) A is propterea interemptus esset, Propinate mihi diceret saltem paululum sanguinis eius. Muretus variarum lectionum libro primo, cap. duodecimo, Exempla octo, inquit, memini legere, earum mulierum, quæ viros à se impudicè appetitos, cùm eos ad restinguendum libidinis suę ardorem flectere nequiuissent, calumniatæ sunt postea, tanquam ab ipsis tentatæ forent: eisque partim crearũt ingens periculum, partim etiam exitium attulerunt. deinde vbi nonnulla ex his commemorauit, adiungit: Eodem modo propè perditus est Bellorophon ab Antæa Proëti vxore, & Peleus ab Hippolyte vxore Acasti. de quibus apud Horatium sunt illa libro tertio Carminum, Ode septima: (FILI MVLIERIS, &c. Muretus.)

Horatius.
Vt Proëtum mulier perfida credulum
Falsis impulerit criminibus, nimis
Casto Bellorophonti
Maturare necem, refert.
Narrat penè datum Pelea tartaro,
Magnessam Hippolytem dum fugit abstinens.

Denique (vt omittam cætera) Fausta, inquit, Maximiani filia, Constantini Magni vxor, eodem modo vt Phædra, Crispum priuignũ suum accusauit. Itaque Imperator optimus, sed hac quidem in re non satis consideratus, immerentem filium morte multauit. idemque postea re cognita, etiam de vxore supplicium sumpsit. Hactenus Muretus. Nos verò de mulierum incontinentia hæc apud Propertium legimus.

Propertius.
Obijcitur toties à te mihi nostra libido.
Crede mihi, vobis imperat illa magis.
Vos vbi contempti rupistis frena pudoris,
Nescitis captæ mentis habere modum.
Flamma per incensas citiùs sedetur aristas,
Fluminaq; ad fontis sint reditura caput,
Et placidum Syrtes portum & bona littora nautis
Præbeat hospitio sæua Malea suo;
Quàm possit vestros quisquam reprehẽdere cursus,
Et rapidæ stimulos frangere nequitiæ.
Testis, Cretei fastus quæ passa iuuenci
Induit abiegna cornua falsa bouis. &c.

Sed magis ad scopum, quod habet Ouidius De arte amandi, lib. 1. Sic enim ait:

Ouidius.
Conueniat maribus, ne quam nos antè rogemus,
Fœmina iam partes victa rogantis agat.
Mollibus in pratis admugit fœmina thoro:
Fœmina cornipedi semper adhinnit equo. &c.

Deinde, vbi non pauca muliebris intemperantiæ portenta stylo deformasset, ad extremum concludit:

Omnia fœminea sunt ista libidine mota:
Acrior est nostrâ, plusque furoris habet.

Tiraquellus *in L. connubialem.* refert fœminam quandam, nomine Quartiliam, impudenter gloriari solitam, quòd nunquam se virginem fuisse meminisset, adeò præmaturam sustinuerat virginitatis iacturam. Pontanus lib. 2. Tumulorum, refert hoc epitaphium in sepulcro fœminæ insculptum fuisse: (Tiraquell. Pontanus.)

Ausa dare, & cunctis ausa rogare prior.

Quod genus impudentiæ Deus execrans apud Ezechielem 6. *Omnibus meretricibus, ait, dantur mercedes: tu autem dedisti mercedes cunctis amatoribus tuis, & donabas eis, vt intrarent ad te.* Apud

FILI MVLIERIS, &c. Diodorum libro secundo, cùm Sesostris Ægypti Rex alterius Sesostris filius oculis captus esset, decimo post anno oraculum accipit, vt placato Deo, qui in Heliopoli coleretur, faciem mulieris inspiceret, quæ nullum nisi proprium nosset virum. Cùm multas experta esset, solam Hortulani vxorem castam probauit visu recepto: quam propriâ cum reliquis combustâ vxorem asciuit. Mira mulierum intemperantia. Sed hæ non alium Deum quàm impuros dæmones nouerant: quare nec mirum si libidinis æstu ad omnem lasciuiam raperentur. Sed nulla sic eum æstum confessa est, vt Thoringia mulier, quæ Childericum secuta reducem, eidem postea nupsit, & generoso partu innotuit, enixa Clodoueum. Hæc cùm à Rege rogaretur, qua de causa ad eum venisset, respondit, vt habet sanctus Gregorius Turonensis libro secundo Historiæ Francorum, capite duodecimo, Noui vtilitatem tuam, quòd sis valdè strenuus; ideoque veni vt habitem tecum: nam noueris si in transmarinis partibus aliquem cognouissem vtiliorem te, expetissem vtique cohabitationem eius. Ita refert sanctus Gregorius. Nec tamen propterea Clodoueus inter nothos referendus erat, vt fecit Stephanus Pasquierus libro sexto cap. 44. *de ses Recherches*, cùm tale esset matrimonium, quale optimum inter Ethnicos consensu partium coalescere potuit. Hoc magis miror gentium quarundam instituto quondam obtinuisse, ne ea res mulieri probro esset. Nam Lydorum quondam filiæ dotem colligebant stupri publica licentia, vt docet Herodotus libro primo. Impudentiam Babylonicarum mulierum circa Veneris fanum idem describit libro primo. Scribit præterea Regis Ægypti filiam quæstum corpore fecisse ad sumptum pyramidum. De Nasamonibus autem hæc habet libro quarto, Mos est, inquit, apud eos, quum quis primùm ducit vxorem, prima nocte vt sponsa singulos conuiuas obeat concubitus gratia, & vt quisque cum ea concubuit, donum det illi quod secum habet domo allatum. Quidni foret illud fœminis honorificum, cùm Luna Endymionem, Aurora Cephalum rapuerit egregia forma iuuenem, quòd eius amore capta esset? idque Poëtis testibus, quorum semper in concinnandis fabulis autoritas maxima est habita.

Diodorus.

S. Gregor. Turon.

Herodot.

Porrò tantùm abest, vt maiores nostri mulierum hanc libidinosam petulantiam ferendam censuerint, vt etiam cùm raptæ essent, si fortè consensisse dicerentur, in eas seuerissimè animaduerterent. Et quidem legibus Romanis decretum est, vt si fortè raptor & rapta consenserint, vitæ periculum incurrant. *Cod. De raptu virgin. L. vnic.* Idque Marculphus repetit Solemnium Formul. cap. 81. Lex Salica consentientem mulierem libertate mulctat. *Titul.* 14. §. 7. Reliquæ ferè leges capite plectunt. Atque in primis VVisigothorum Ius *lib.* 3. *Titul.* 3 *L.* 2. & Theoderici Regis Edictum §. 17. Childeberti etiam Decretio §. 4. Si tamen illi in asylum Ecclesiæ confugerint, pacti vitam iubentur educi: & VVisigothorum quidem lege seruitute, Childeberti decreto exilio damnantur. Burgundionum lex eadem ferè sancit *Titul.* 12.

Coercita mulierũ petulantia.

A & 44. Nam si rapta aut corrupta virgo consenserit, facinoris, inquit, sui dehonestata flagitio, amici pudoris sustinebit infamiam. *Item*, Iustum est, vt actuum suorum vilitate confusa, nec matrimonio sit digna, nec præmio. Parentibus quidem nonnihil solui iubet: at puellæ præter ereptam spem dotis, & pudicitiæ pretium, intentat præterea exhæredationis periculum. Lege diuina si qua puella ruri vim passa esset, caruit pœnæ formidine: cui verò stuprum in vrbe oblatum esset, capite luit.

Cæterùm, non eæ solùm mulieres rapere viros creduntur, quæ vim afferunt, quod omninò paucis vsuuenit: sed quæcunque supra modum cultui corporis & formæ student. Non enim minùs auceps visco volucres, aut venator feras laqueo capere creditur, quàm qui miles iniecta B manu captiuum rapit, vnde dicitur mancipium. Quare non de integra conscientia venit, inquit Tertullianus capite secundo, De cultu fœminarum, studium placendi per decorem, quem naturaliter inuitatorem libidinis scimus. Quid igitur in te excitas malum istud? quid inuitas, cuius te profiteris extraneam? tum quod tentationibus viam aperire non debemus, quæ nonnunquam (quod Deus à suis abigat) instando perficiunt, certè vel spiritu scandalum permouent. Et rursum, Quid autem alteri periculo sumus? quid illis alteri concupiscentiam importamus? quam si Dominus ampliando legem à facto stupri non discernit in pœna, nescio an impune abeat qui alicui fuerit causa perditionis. Perit enim ille simul in tua forma si concupierit, & admisit iam in animo quod concu- C piuit, & facta es tu gladius illi. Vt à culpa vaces, ab inuidia non liberaberis. Vt cùm in alicuius agro latrocinium gestum est, crimen quidem dominum non constringit: dum res tamen eius ignominia notatur, ipse quoque infamia aspergitur. Mox etiam capite tertio, Vbi pudicitia, inquit, ibi vacua pulchritudo; quia propriè vsus & fructus pulchritudinis corporis, luxuria, nisi si quis aliàs esse decorem arbitratur. Illę sibi formositatem & datam extendant, & non datam conquirant, quæ, quod ab illa flagitatur, sibi quoque præstare se putant, quum alteri præstant. Vos solis maritis vestris (Christianas mulieres alloquitur capite quarto) placere debetis. In tantum autem placebitis eis, in quantum alteris placere non curaueritis. Securæ estote Benedictæ. Vxor nulla deformis est marito suo. D Satis placuit cùm electa est, seu moribus, seu forma commendata. Ne quæ vestrûm putent, si temperauerint à compositione sui, odium, & auersionem maritorum prosequuturas. Omnis maritus castitatis exactor est. Formam verò fidelis non expectat, quia non iisdem bonis, quæ Gentiles putãt, capimur. Infidelis contrà etiam suspectam habet, vel propter illam sceleratam in nos opinionem Gentilium. Cui ergo pulchritudinem tuam nutrias, si Fidelis non exigit, si Gentilis non credit? Quid gestias aut suspecto, aut non desideranti placere?] Non aliud formæ studium Tertullianus agnoscit, quàm quod à libidine aut superbia proficiscatur. At quia nonnunquam ea excusatione vtebantur Christianæ mulieres,

FILI MVLIERIS, &c.

Quæ corporis cultui nimiopere student, hæ quoq; viros vltrò rapiunt.

Tertull.

Filii mvlieris, &c.

mulieres, ne scilicet blasphemandi Gentilibus ansam porrigerent, si de solito cultu detraherent, respondet cap. 11. Quantò blasphemabile est, si quæ sacerdotes pudicitiæ dicimini, impudicarum ritu procedatis cultæ, aut expictæ? Aut quid minùs habent infelicissimæ illæ publicarum libidinum victimæ? quas si quæ leges à matronis, & matronalibus decoramentis coërcebant, iam certè seculi improbitas quotidiè insurgens honestissimis quibusque fœminis, vsq; ad errorem dinoscendi coæquauit: quamquam lenocinia formæ nunquam non prostituto corpori coniuncta, & debita, etiam Scripturæ suggerunt. Illa ciuitas valida, quæ super septem montes, & plurimas aquas præsidet, quum prostitutæ à Domino appellationem meruisset, quali habitu appellationi suæ comparata est?

Apoc. 17.

Sedet certè in purpura cum coccino & auro, & lapide pretioso, quæ maledicta sunt, sine quibus non potuit maledicta & prostituta describi.

Genes. 38.

Thamar illa, quia se expinxerat & ornauerat, idcirco Iudæ suspicioni visa est quæstui sedere, adeò, quia sub velamento latebat, habitus qualitate quæstuariam mentiente, & fecit vt quæstuariam, & voluit, & compellauit, & pactus est. Hactenus Tertullianus. Qui denique, ne qua fortè mulier falsò sibi plaudat de conscientiæ puritate, addit cap. 13.

Christianæ pudicitiæ non satis est esse, verùm & videri.

Pudicitiæ Christianæ satis non est esse, verùm & videri. Tanta enim debet esse plenitudo eius, vt emanet ab animo in habitum, & eructet à conscientia in superficiem, vt & foris inspiciat quasi supellectilem suam, & conueniat fidei continendæ in perpetuum. Hæc paulò copiosiùs ex Tertulliano, duplici ratione: prima, quòd vitium commune sit, in quod decet concionatores inuehi: altera, quòd plerosque videam non aliunde Patrum sententias legere, quàm è commentarijs. His porrò omnibus commodè explicatur, quæ tandem mulieres dicendæ sint *vltrò viros rapere*.

Versvs XXXII.

Respondens autem Ionathas Sauli patri suo, ait: Quare morietur? quid fecit?

Sotades.

Qvare morietur? quid fecit? Sotades Comicus:

Regium fastum atque animi impotentiam retundit.

Et rex factus es, vt mortalis audito.
Si longũ excreas, pituita id fit qua nimia teneris:
Si bene vestitus es, hac ame te gestauit ouicula:
Si geris aurum, is naturæ fastus est:
Si diues es, id temporis iniqua vi factum est:
Si superbis, id amentiæ fremitus est:
At si temperans es, id munus deorum est.
Temperantia præsens adest, si tibi modereris ipse.

Herodian.

Apud Herodianum lib. secundo, Seuerus, cùm post Pertinacis cædem Imperij gubernacula susciperet, in curia hanc orationem habuisse fertur, Daturum se operam vt status optimatium fundamenta se principe iacerentur. Nullum nisi iudicio damnatum, capite, bonisve mulratũ iri: non passurum delatores: æmulum se Marci futurum gerendo Imperio: neque solùm Pertinacis cognomen, sed mentem quoque habiturum.

Qvare morietvr? &c.

At contrà Herodes apud Iosephum post editam stragem ciuium, & non paucas cædes nobilium, id verè Regium esse duxit, si nemini cogeretur reddere rationem.

Iosephus.

Creo Rex Corinthi apud Senecam in Medea, act. 2.

Æquum atque iniquum regis imperium feras.

Hesiodus autem Oper. & diei lib. 1.

Hesiodi ad Reges apologus.

Sed nunc fabulam regibus dicam, tametsi ipsi sapiant.
Sic accipiter affatus est lusciniam canoram,
Altè in nubibus ferens, vnguibus correptam:
Illa verò miserè, curuis confixa vnguibus,
Lugebat: eam autem imperiosè ille sermone alloquutus est.
Infelix quid strepis? habet certè multò fortior:
Hac vadis, qua te duco, etiam cantatricem existentem.
Cœnam verò si quidem libet faciã, vel dimittam.
Imprudens verò, quicunque velit cum potentioribus contendere,
Victoriáque priuatur, & præter conuitia dolores patitur.
Sic ait velox accipiter, latis alis prædita auis,
O Persa, tu verò audi iustitiam, neque iniuriam foue.

Herodot. lib. 5.

Tyrannica vox.

Thrasybulus Mileti tyrannus Periandro Corinthi tyranno quærenti qua ratione res suas in tuto collocaret, inspectante legato eminentiores spicas, è segete vellebat, vt longè postea Tarquinius summa papauera decussit: vtroque, quo iure, quaque iniuria ijs qui regnare vellent, præstantissimum quemque opprimendum esse significante. Nec minùs illa tyranno digna vox, cum Cyro roganti cur Rex Armenius honestum ac bonum virum & Tigrani filio charissimum interfecisset, Non quod, inquit, filium corrumperet: sed inuidisse se illi ob eam causam, quòd à filio impensiùs amaretur. Autor Xenophon libro tertio Cyropæd.

Xenophõ.

Idem opinor Saul respõdere pótuit. Duo quædam illius animum grauiter offenderant: Dauidicæ virtutis splendor, & filij prolixa erga eam beneuolentia. Tum illud Euripidis, quod semper Cæsarem in ore habuisse, refert Cicero libro tertio de Officijs, altè illi insederat.

Εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρὴ, τυραννίδος πέρι
Κάλλιστον ἀδικεῖν, τ' ἄλλα δ' εὐσεβεῖν χρεών,
Nam si violandum est ius, imperij gratia
Violandum est: alijs rebus pietatem colas.

Ionathæ longè diuersa mens fuit: qui regno excidere mallet, quàm suo nomine iniuriam fieri pateretur. Meminit Lesci Albi Cromerus libro septimo de rebus Polonorum in Vuladislao Lasconogo.

Cromerus.

Faciliùs regno quàm amico caruit.

Cui cùm Polon. principatus ea lege delatus esset, vt Gorouicium virum innoxium relegaret, principatu carere maluit, quàm vt immerentem exilio damnaret. Et cùm Gorouicius ipse vltrò hortaretur, ne suâ causâ tanta commoda negligeret, se mox sponte cessurum, & legati Polon. vehementiùs instarent: negauit tanti se facere principatum, vt eius adipiscendi gratia tam fidum consiliarium proderet, immerentemq; magistratu simul & patria eijce-

Et arripuit, &c.

ret. Principatum quidem duplici nomine ad se pertinere, quod & hæres Cazimiri esset, & à conuentu pridem electus & expetitus, nunquam se eo abdicasset. Verùm tyrannicam illam vocem, si ius violandum sit, regnandi causa violandum esse, non placere sibi, qui iusto & legitimo imperio suos regere, à patre, & à maioribus suis didicisset. Proinde alium sibi Cracouienses proceres istis legibus quærerent. Quod & contigit. Postea tamen mortuo Nicolao Palatino, eo abdicato quem suffecerant, ad regnum Leicus deleto impio decreto reuocatus est.

Versvs XXXIII.

Et arripuit Saul lanceam vt percuteret eum. Et intellexit Ionathas, quòd definitum esset à patre suo, vt interficeret Dauid.

Variæ trãslat.

Et arripuit Saul lanceam.] Pagninus, *& iaculatus est* (Arias, *protelauit*) *Saul lanceam contra* (Arias, *super*) *eum, vt percuteret eum: & cognouit Ionathan, quòd decreuerat pater suus interficere David.* Septuaginta, Καὶ ἐπῆρε Σαοὺλ τὸ δόρυ ἐπὶ Ἰωνάθαν τοῦ θανατῶσαι αὐτόν. καὶ ἔγνω Ἰωνάθαν ὅτι συντετέλεσται ἡ κακία αὕτη παρὰ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ τοῦ θανατῶσαι τὸν Δαυίδ. *Et sustulit, siue leuauit Saul lanceam contra Ionathan, vt occideret eum, & nouit Ionathan quòd diffinita esset malitia hac à patre suo, vt interficeret David.* Vatablus, *Iecit ergo Saul contra eum lanceam, vt eum interficeret.*

Et arripuit Saul lanceam.] Atqui, vt Menander autor est,

Πρὸς υἱὸν ὀργὴν οὐκ ἔχει χρηστὸς πατήρ.

Aduersus filium non excandescit bonus pater.

Et item,

Nunquam veraces patris in filium
Minæ solent esse, neque amantis in amantem.

Althæam tamen Meleagri matrem acri ira concitatam, filio parasse necem ferunt. Testatur Phrynichus Poeta his versibus:

Atra neque ille mortis laqueos
Effugit: vorax peredit virum
Inextincti flammula stipitis
Insidiosa matris heu dolo.

Diodorus. Pœna filios interimentium.

Et apud Ægyptios latam legem legimus in eos, qui filios peremissent. Patribus, inquit Diodorus Sicul. lib. 2. qui filios occiderent, non erat pœna mortis indicta, sed tribus diebus noctibúsque continuis edictum, vt circa defuncti corpus assisterent, publica etiam custodia astante. Non enim iustum putabant, eum priuari vita, qui vitæ filijs autor fuisset: sed potius continuo dolore, factique pœnitentia affligi, quo cæteri à simili facto auerterentur. Apud Christianos capitale crimen est: scelestos tamen iudicio persequi, & eorum mortem expetere semper licuit. Leontius Tripoleos Lydiæ Episcopus, quem olim κανόνα ἐκκλησίας, siue Ecclesiæ regulam dixerunt: adolescenti vnico filio à Deo mortem impetrauit, quòd vitia magis quàm virtutem sectari videretur. Apud Ælianum Var.

Suidas in voce Λεόντιος. Ælianus.

hist. lib. 1. cap. 34. cùm Mardus Carromem filium ob scelera apud Artaxerxem capitis postularet, miranti Regi respondit: Quemadmodum in horto quum nascentium lactucarum surculos amaros defringo & amputo, tantum abest vt dolorem ex eo mater ipsorum lactuca sentiat, vt etiam magis efflorescat & augeatur: ad eundem quoque modum ego rex pessimo hoc obtruncato lætitia efferar, & crescenti familiæ meæ gratulabor.

Vt eum percuteret.] Antea tamen similis oratio Ionathæ patrem placauerat. Nunc verò excandescit, nec iam iræ moderari potest. Vbi namque rancor & inuidia aluntur, crescunt quoque, & sensim adolescunt. Etenim, vt ait S. Chrysostomus Homil. 80. ad popul. Antioch. tam bona quàm mala, si diutius insederint, augentur viribus & inualescunt. Et planta quidem nuper humi consita facilè reuellitur: at postquam diuturno tempore altas radices egerit, non itidem. Ædificium item nuper extructum nullo negotio euertitur. quod si quis multis iam annis confirmatum tentet diruere, multam ei exhibet molestiam. Et fera item quibus locis diutius consueuerit difficilè extruditur. Et sicut febris cùm primùm grassatur, non magna siti laborantes exurit: postquam autem inualuerit, & flammam extulerit, iam sitim inducit immedicabilem: etiamsi quis eis concesserit, vt potibus impleantur, non extinguit, sed accendit fornacem: sic & vitioso accidit affectui. Nisi cùm primùm se in animam insinuat & immergit, illum studiosè prohibuerimus, admissus hospitem morbo conficit insanabili.

S. Chrysostomus. Vitia neglecta crescunt.

Vt percuteret eum.] Hinc facilè conijcias odij magnitudinem, cùm ne filio quidem armorum gloria florentissimo, & in spem regni alito parcat. Nihil sic iniquè ferunt principes vt officij admoneri. Id prophetæ suo periculo non rarò experti sunt. Apud Pausaniam in Corinthiacis, Philippus Aratum Athæorum facilè principem veneno sustulit, quod vera exprobrantem ferre nequiret. Cunradus princeps Christinum palatinum, quòd ab eo ius & æquum seruare doceretur, diris modis enecat apud Cromerum lib. 7. de rebus Polonor. Illud mirãdum magis quod habet Tranquillus in Caligula cap. 29. Monenti, inquit, Antoniæ auiæ, tanquam parum esset non obedire: Memento, ait, omnia mihi in omnes licere. Antoninus qui Seuero patri in Imperio successit, nutritios suos omnes interfecit, quòd de reconciliando eo cum fratre egissent, quem perdere gestiebat. Medicos patris supplicio affecit, quòd eum à scelere reuocare studuissent, nec satis promptè sibi obtemperassent, iubenti patris senis maturare necem. Autor Herodianus lib. 3. Principum ferè lentior ad bonum impetus: mali si quid appetunt, tum insanire ac furere videntur.

Ægerrimè ferũt Principes officij admoneri. Pausanias. Cromerus. Suetonius. Herodian.

Versvs

SVRREXIT ERGO, &c.

VERSVS XXXIV.

Surrexit ergo Ionathas à mensa in ira furoris, & non comedit in die calendarum secunda panem. Contristatus est enim super Dauid, eò quòd confudisset eum pater suus.

Variæ trãslat.

SEptuaginta, Καὶ ἀνεπήδησεν Ἰωνάθαν ἀπὸ τῆς τραπέζης, ἐν ὀργῇ θυμοῦ, &c. *Et resilijt Ionathan à mensa in indignatione ira, &c.* ὅτι ἐθραύσθη ἐπὶ τὸν Δαυίδ. ὅτι συνετέλεσεν ἐπ' αὐτὸν ὁ πατὴρ αὐτοῦ. *quoniam* Complut. *contristatus est.* Rom. *sauciatus est super Dauid.* Aquila, ἐπόνεσε. Symmachus, ὠδυνήθη. Theodotio, ἐλυπήθη, *doluit, contristatus est, ægrè tulit.* Romana editio, *quoniam consummauerat super eum pater suus.* Complutensis, ὅτι ἐβουλεύσατο ὁ πατὴρ αὐτοῦ συντελέσαι αὐτόν. *quoniã deliberauerat pater ipsius consummare eum. In ira furoris.*] Arias, *in ira nasi. Quia* נֶעְצַב *neghetsab. doluit propter Dauid, quia,* Pagninus, *ignominia affecit eum.* Arias, *quia calumniauerat eum pater suus.* Chaldæus, *quia turbatus est super Dauid, quia ignominia affecit illum pater suus.* Alius, *& quòd pater suus diffamasset eum.* Vatablus, *& quod pater suus pudefecisset illum.*

Paul. Diac.

Surrexit ergo Ionathas à mensa.] Sequitur, vt patri assederit, vel accubuerit, vt suprà docebamus. Paulus Diaconus lib. primo de gestis Langobardorum, cap. 23. scribit Langobardis in vsu non fuisse filios Regis mensæ adhiberi, antequam arma deuicto hosti erepta retulissent. Eadem suprà de Danorum consuetudine ex Krantzio descripsimus.

Ira non sẽper vindictã appetit. Suidas.

In ira furoris.] Non ergo semper ira vindictam appetit. Nam pluribus quandoque irascimur, quos tamen nolimus vlcisci. Mihi certè non fit verisimile, Ionathan patris conuitia & conatus perditos vindicare voluisse. *In ira furoris.*] Græci, ἐν ὀργῇ θυμοῦ. Suidas in θυμὸς ὀργῆς, vtramque dictionem paucis explicat. Ὁ μὲν γὰρ θυμὸς, ὀξὺς, ἢ ὀλιγοχρόνιος. Nam ira, inquit, cita est, & citò euanescit. ἡ δὲ ὀργὴ, βραδυτέρα μὲν, μονιμωτέρα δὲ. *Iracundia* verò (*furorem* Vulgatus exposuit, Hebræi metonymicῶs *nasum* dicunt, *iram* hîc habet Latinus interpres. Septuaginta Interpretes sicut suprà *indignationem*) tardior quidem est, sed diuturnior. Hoc dicere videtur, indignè ferens contumeliam: & qui non immeritò illud ex Cæcilio vsurparet, nunc enim mihi animus ardet, & meum cor cumulatur ira. Nec verò illud quemquam offendere debet, si contingat virum sapientem irasci:

Sophocles in Oedipo de Colono

Θυμοῦ γὰρ οὐδὲν γῆράς ἐστιν ἄλλο πλὴν
Θανεῖν. θανόντων δ' οὐδὲν ἄλγος ἅπτεται.
Iræ enim nulla senectus est alia, nisi
Mors. Mortuos enim nullus dolor attingit.

Hoc sibi vult, Fieri non posse vt qui grauiter læditur, quoad viuit, non accendatur ira. Docet autem Suidas iram definiens, quomodo non necessariò semper cum appetitu vindictæ coniuncta sit. Ὁ δὲ θεολογικῶς ὁ θυμός, &c. Nam qui iram definit, cupiditatem vicissim lædendi, non physicè sed dialecticè definit. Neq; enim ipsam iræ naturam declarat: sed id resecans, quod in ipsa iræ essentia suum esse habet, iram definit: ex quo definiendi modo ne illa quidem, quæ iram consequuntur, definire possemus. Quemadmodum ne ille quidem iram rectè definit, qui dicit iram esse feruorem sanguinis cor circumdantis, propter cupiditatem vicissim lædendi. Sic enim illa quæ consequuntur, nota facit. Nam quædam cordis palpitatio sequitur iratos, & calor circa partes illas existit, & rubescunt qui irascuntur, idque propter sanguinis commotionem. Animæ verò affectiones, quæ sunt vtriusque partis, ne cogitatione quidem separari possunt. ἐπεὶ δὲ ὁ θυμὸς ἐστιν ἐν τῷ λόγῳ, καὶ ἐν τῷ πνεύματι, καὶ ἐν τῷ ἐζωωμένῳ σώματι, &c. Quoniam autem ira est in ratione, & in spiritu, & in viuo corpore, ipsa quidem ratio quodammodo spiritui permittit appetitionẽ, ipse verò spiritus appetitione mouet animalis sanguinem, qui circũdat cor, haud multò secus quàm se res habet in Rege, & Duce, & exercitu. Rex enim Duci permittit, vt aliquos vlciscatur, Dux verò milites mouet, hi verò quos iussi sunt vlciscuntur. Ira igitur, quæ quidem est in ratione, non est inseparabilis ab animali. Hæc enim à toto corpore separabilis. Illa verò ira quæ est in spiritu, si non à toto corpore separari potest, ab illa saltem terrestri corporis parte separari poterit. Illa verò tertia ira, hoc est, ille feruor, siue ebullitio sanguinis cor circundantis, inseparabilis est ab hoc viuo corpore. Hactenus Suidas in voce θυμός.

Ira definitur.

Contristatus est enim super Dauid.] Saul cùm rationem reddere non posset facti sui, ad tyrannidem se conuerterat, & arreptam hastam in filium contorserat: Ionathas verò statim exiluit, atque euasit de medio, iratus duabus maximè de causis. Primùm de Dauide, idque priori loco ponitur: deinde priuatim suo nomine, qui tam indignis modis à patre habitus esset. Et sibi quidem Dauidem anteponit, quòd videret se, cùm filius esset Regis, non difficulter posse reconciliari patri suo. Tribus autem iniurijs, ijsque grauissimis, videbat se affectum à patre: & quod ab eo fuisset appellatus spurius, & quod prouocatus fuisset ad societatem tanti sceleris, & quod petitus fuisset hasta. Ex hac imagine videmus, quàm horrendo loco sint homines relicti à Deo. Quò enim tandem euadit huius miseri nequitia? Dauidem innocentem quærit ad necem: vxorem appellat adulteram: filium suum vult configere: Sacerdotes postea occidit. Atque ita redditus est ἄστοργος, vt nec filium suum, nec vxorem agnosceret. Pugnat etiam ipse secum. Vult enim filium suum regnare, idque contra voluntatem Dei, & tamen eundem vult occidere.

Cumque illuxisset mane &c.

Versus XXXV.

Cumque illuxisset manè, venit Ionathas in agrum iuxta placitum Dauid, & puer paruulus cum eo.

Versus XXXVI.

Et ait ad puerum suum: Vade, & affer mihi sagittas, quas ego iacio. Cumque puer cucurrisset, iecit aliam sagittam trans puerum.

Versus XXXVII.

Venit itaque puer ad locum iaculi, quod miserat Ionathas: & clamauit Ionathas post tergum pueri, & ait: Ecce est ibi sagitta porrò vltra te.

Cumque illuxisset manè.] φῶς ἀγαθὸν dicebant olim veteres cùm lumen inferretur. Et *manè* inde appellari Varro docet, quod *manum* veteres vocarent bonum. Alij à manibus deductum volunt, quòd ab his, id est, inferioribus locis exordium lucis emergat. Nonius scribit, *manum* idem esse quod clarum. Hebraïcè, *Et fuit* בבקר *baboker.* בקר *Bocher* etiam diem crastinum significat. Sæpiùs *manè*, seu lucis exortum. Iunctum cum præpositione ב, id est, *in*, aduerbiascit. Petitur à verbo בקר *biker* in Piel, quod *quærere*, scrutari, animaduertere, discernere significat. Leuitici capite vigesimo septimo, versu trigesimo tertio, *Non* יבקר *iebaker* Vulgatus *eligetur nec bonum nec malum, nec alio commutabitur, &c.* Alij, *Non quæret inter bonum & malum: non discernet.* Scilicet ad noscendum lux necessaria est: res illa quales sint aperit, & ignorantiæ tenebras eliminat. Ea tum incipit, cùm Solis aureum iubar nobis orditur diem. Sol Græcis ἠλέκτωρ dictus est, ὅτι ἄλυπος ἐστι, ἢ ἀκάματος. quia neque desinit vnquam, neque fatigatur. Ἀλλ' ἡ ἐτυμότης ὅλη σφαιρικὴ, inquit Suidas, sed etymologia est tota sphærica. Orbem enim sic perpetuo suo lumine collustrat, vt semper terræ pars altera caligine obruatur. Quidam ab electri splendore ita dictum volunt: vel, quod verisimiliùs duco, ὅτι ἐγείρει ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ ὕπνου, ἀπὸ τοῦ ἀλέκτορος, à similitudine galli gallinacei, quia nos Sol quoque à somno excitat. ἐκ τῶν λέκτρων ἡμᾶς ἐγείρει, ex lectis nos excitat. ἥλιον καὶ τὴν ἐλευθερίαν καλοῦσι, Solem quoque libertatem vocant, inquit idem Suidas. Nox enim veluti quidam carcer est: huius nos ille vinculis eripit.

Manè quid significet.

Solis Græca etymologia. Suidas.

Et venit Ionathas iuxta placitum Dauid.] Ἥλιος siue Sol dicitur apud Suidam, ἀπὸ τοῦ ἀολλίζεσθαι ἐν ταῖς ἡμέραις, quòd in diebus congregari & adunari homines soleant. Vnde & Athenis ἡλιαστήριον prætorium ἡλιαία, ἀπὸ τῆς συναγωγῆς τῶν ἀνθρώπων, vocatur ab hominum congregatione, quòd eò

A homines conueniant. Et hæc quidem etiam etymologia in hunc locum quadrat. At non item illa quæ mox apud eundem sequitur. ὁ δὲ ἥλιος ἀπὸ τοῦ ἀλεαίνειν. ὅ ἐστι θερμαίνειν, καὶ ἀγάλλειν. Illud autem calore diffundere significat, lætitiáque perfundere. Nam his profectò tristis & funestus illuxit, vtrumque lacrymarum imbre & nube tristitiæ penè opprimens.

Cumque illuxisset mane &c.

Hîc se prodit amoris magnitudo. Nam cùm rem suam agi Ionathas ex patre audisset, seque regno pelli si Dauid euaderet, ne tum quidem amici patrocinium deseruit. Accessit & patris furor impotens, & grauis in eum iacta contumelia. Sed & vitæ periculum adijt, dum alterius incolumitati studet, inter sacras epulas, in conuentu procerum, in ipso conuiuio Regis, penè lancea confossus. Incœnatus ita-

Amoris Ionathæ magnitudo.

B que, sui immemor, & amici vicem dolens, vigil excubat, tantisper dum ad condictum tempus & locum ad amicum properet, molestias suas & ærumnas cum eo communicaturus. Anceps & dubia regni spes Ionathæ fidem non labefactauit, non inflexit patris indignatio, non terruit ignominia, non denique capitis discrimen ab officio reuocauit. Alter diceret: Proximus sum egomet mihi. Sed & illud vulgare prouerbium est, Benè ordinata char tas incipit à seipso. Et diligere proximum sicut nosipsos præcipimur. quare huius rei exemplum à nobis petendum est: non amat autem seipsum, qui suo periculo alteri securitatem præstat. Veruntamen, ni fallor, Veritas dixit, *maiorem hac charitate nullam esse, quàm si quis pro amicis vitam ponat.* Charitatis, vt reor, is scopus est, vt

C ad Deum peruenias. Itaque ea vis esse debet eius ordinis, Si rectum in amando ordinem teneas, vt te quàm breuissimo itinere ad virtutis culmen euehat. Nam illi demùm Deus insidet. Quæ moram interponit, ordinis perturbatio est. Quomodo igitur ea charitas ordinata censeri poterit, quæ donec se profuturam speret, metu periculi ab innocentis defensione abstineat, cùm si vel occumbat, eò citiùs cœlos rapiat, & Deo inseratur. Abraham sanè, quo captum Loth seruituti eximeret, cum Regibus conflixit. Moyses fratrem vlturus, Ægyptium mactauit, & abijt in exilium. Priùs etiam Ionathas vno stipatus comite, in stationem Palæstinorum irruit, quo populum metu liberaret. Dauid vt Ceilam tueretur, in ea vrbe periclita-

D tus est. Abias Regis Achab præpositus, suo periculo Prophetas incolumes seruauit. Quid Iudith? quid Esther commemorem? quantis se illæ periculis pro aliorum salute objecerunt? Machabæi fratres, vt Simon ipse testatur, nullos vnquam labores, nullas vitæ dimicationes pro fratribus sibi defugiendas putarunt. Hi omnes, vt alijs præsidio essent, propriæ saluti parcere noluerunt: qui tamen omnes, cùm Deum summa charitate complexi essent, optimum in amando ordinem tenuerunt. *Iuxta placitum Dauid.* Septuaginta, εἰς τὸ μαρτύριον, *ad testimonium*, seu potiùs *martyrium.* Nam verè innocentis afflictio martyrium censeri debet, sicut & illius qui pro eiusdem defensione patitur.

Et puer

PVER AVTEM, &c.

Et puer paruulus cum eo.] Paruulus Hebraïcè קטן *katon*. Paruum & mediocrem significat, non mole duntaxat corporis, sed etiam vitæ conditione & ingenio. Rudis & innocens ætas eligitur, & expers doli, ne fortè solertior ex nonnullis coniecturis in latebrarum suspicionem veniret. Huiusmodi consilia non temerè credenda sunt nisi delectis, qui summa fide aut ingenij tarditate præstent, ne detecta ad eos emanent, ad quos nolis.

Vade, & affer mihi sagittas.] Itaque Ionathas solus cum puero abit iaculatum in agros, & emissa sagitta ad scopum, missoque puero, qui eam reperiret, clamat, eam esse vltra scopum, vt ex illa tessera, quemadmodum priùs inter eos conuenerat, Dauid intelligeret nullam esse spem reconciliationis: & si quidem casu aliquo prohiberetur cum eo conferre sermonem, priuatim suæ saluti prospiceret.

VERSVS XXXVIII.

Clamauitque iterum Ionathas post tergum pueri, dicens: Festina velociter, ne steteris. Collegit autem puer Ionathæ sagittas, & attulit ad Dominum suum.

VERSVS XXXIX.

Et quid ageretur penitùs ignorabat: tantummodo enim Ionathas & Dauid rem nouerant.

VERSVS XL.

Dedit ergo Ionathas arma sua puero, & dixit ei: Vade, & defer in ciuitatem.

CVm animaduerteret Ionathas tota ea regione apparere neminem, statuit cum Dauide colloqui, & puerum maturiùs in vrbem à se ablegat. *Et quid ageretur penitùs ignorabat: tantummodo Ionathas & Dauid rem nouerant.*] De Astrologia & Dactilologia scripsit Venerabilis Beda, & passim Historici docent, quib. cùm olim, tum nuper, quæ absentes clàm significare vellent, stratagemaribus indicarunt. Nihil enim est quod apud conscios ei rei non seruiat. Quod priuatim ad scripturam attinet, Et quis, inquit, Trithemius in sua Polygraphia, veterum occultè scribēdi modos exprimeret omnes? Alij enim familiares in ministerio artis propositæ bubones habebant Philophoros, alij Mysophoros, alij vtrosq; in practica vocarunt ex arte. Rursus alij cognitas transposuere literas Alphabeti communis, alij barbarorum sub schemate proprios characteres sibi confixerunt. Rursus item alij ministerio literarum vtebantur visibilium, scribentes cum minio vel encausto communi, alij verò characteres arbitrio suo inuisibiles ad nutum formauerunt. Modi verò characterum visibilium pro scriptura occulta nimis sunt

Trithem.

Philophotos, id est, lucis amator. Fit ex Alphabeto non trāsposito. *Mysophotos*, lucis osor. Fit ex Alphabeto transposito & occulto.

A multi, ac penitùs innumerabiles, quorum mentionem facere omnium, nec voluntatis est nostræ, nec virtutis. Inuisibilium autem tria sunt genera inter mortales hodie magis vsitata.

PVER AVTEM, &c.

Primum nuncupatur Dermaticum, quo fit in dorso nunciorum scriptura quædam artificialis per loturam cuiusdam humoris duntaxat visibilis, quam penetrare nemo sufficit, qui artis nescierit arcanum. Secundum verò Hyphasmaticum dicitur, quo rebus certis in panno scribitur, quod exsiccatum videri potest minimè, donec madefactum in aqua frigida cernatur. Tertium genus vocatur Alcoticum, quod est multiplex & varium, tam in forma quàm in materia, habetque modos penè innumerabiles occultè scribendi. Eius autem scriptura fit in charta, vel sine charta, cum nemilua (conuerte alumine) & cala, cum raphocam [camphora] la-
B polce, alijsque rebus diuersis. Scribuntur item literæ, ac varijs modis absconduntur & locis, & sub race [cera] tabulata, sub rosi rilacubior [orbiculari] in leopi [pileo] in necoflas [flascone] in ceocalis [calceolis] locubar [baculo] & similibus penè infinitis. Hactenus Trithemius. Superiora hæc scribendi genera exemplis illustrat Adolphus à Glauburg, patritius Francofordiensis in libro Polygraphico.

Polygraphiæ plura genera.

Sed his longè maiora Trithemius pollicetur de sua Steganographia. Quatuor illa libris conscripta est. Primus, inquit, continet plusquam centum modos occultè scribendi, quicquid velis, sine omni suspicione, sine literarum transpositione, sine omni timore, ita vt non sit ho-
C mo in mundo, qui naturali industria scire, vel suspicari possit, quid literæ contineant. Secundus liber his etiam multò mirabiliora. Per ignem videlicet in hac arte possum mentis meæ conceptum notum facere artem meam scienti ad quamcunque distantiam, ad centum miliaria, vel plura securè sine verbis, sine scriptis, sine signis, per quemcunque nuncium, qui si comprehensus in via fuerit, & tortus, cùm nihil sciat, nihil prodere poterit. Eadem arte se quoque defossos sub terra nexos iuuare posse, & de rebus necessarijs certiores facere gloriatur. Tertius liber expertem Latini sermonis post duas horas peritè scribentem, intelligentemque nobis exhibet. At quartus liber horum omnium admirationem longo interuallo superat. Nam complura, inquit, stupenda ex-
D perimenta continet. Mentem videlicet meam indicare possum scienti artem meam inter edendum, vel sedendum cum alijs, sine verbis, sine nutibus, quàm latissimè voluero, etiam inter loquendum, prædicandum, ludendum in organo, vel cantandum, sine impedimento actionis alterius cuiuscunque, ità vt prædicando bona & sancta, indicem, non verbis, non signis, non nutibus, cuicunque scienti latissimè quicquid voluero, etiam clausis oculis: & alia multa quartus, inquit, liber continebit arcana, quæ non sunt in publicum proferenda. Hæc & plura Trithem. quæ tamen omnia, inquit, sunt purè naturalia sine deceptione aliqua, sine superstitione, sine magica arte, sine inuocatione, seu ministerio quoruncunq; spirituum.

Trithem. in epist. ad Bostium Carmelitam, quam repetit in Præfat. suæ Polygraphiæ.

PVER AVTEM, &c.

Fidem non fecit omnibus, atque in primis Carolo Bouillo, qui mox scripta palàm relatione quam legi, Trithemij Steganographiam infamauit, & autoris existimationem publicè læsit, quod nec Trithemium latuit. Sed negauit Bouillum capere potuisse sua mysteria, cùm non habuisset clauem intelligentiæ. Pluribus verò locis confirmat se Christianum, & à malis artibus toto, quod aiunt, cælo abhorrentem. Bouillum quoque temeritatis arguit Ioan. Duraclusius in Vita & Lucubrat. Trithemij. Trithemium quoque non ita pridem Sigismundus Bauarus scripta Apologia tueri conatus est, & à calumnia vendicare. Hæc summa est, vt mihi quidem videtur, defensionis illius, Trithemium superstitiosis dæmonum nominibus & inuocationibus mundo fucum facere voluisse, non esse tanta hæc, quanta prædicat: sed si pompam illam phalerasque verborum abijcias, quæ passim legerit de occultis significandi modis, ea arte tractasse: nonnulla etiam, quod erat facile, inuentis addidisse. Quæ si vera sunt, ipse viderit, vtrum excusatione dignus habendus sit, qui, quæ nefandæ artis sunt propria, & Magiam redolent, ad res physicas docendas adhibuerit: an potiùs Bouillus temeritatis arguendus, qui manifestis signis magum se tenere professus est. Sed & si Steganographia nihil habet offensionis, cur clauem non addidit? Nam illa cùm eius mentem aperiret, & si vanitatis damnaret, superstitionis tamen absolueret. Scandalum se vereri prædicat. Ergóne latet anguis in herba? Offendebat piorum animos planè Magica methodus, & profana dæmonum inuocatio. Verùm hæc verbo tenus ab eo vsurpata sunt. Esto. Scãdalum tamen pariebant. Cur igitur si minimè necessaria illa fuerunt, non abdicauit? Cur non aliarum potiùs artium characteribus vsus est? Nam his quoque tanquam inuolucris sua mysteria celare poterat. Augent suspicionem nefandi Agrippæ ad eum datæ literæ, ex quibus apparet sua quandoque studia mutuò communicasse. Nam crebræ quidem illæ fidei professiones, quibus omnem superstitionis infamiam amoliri nititur, etiam Magum inter Christianos conuersantem decet. Quare nec si quidem curiosa sectatus esset, ab ijs abstineret. Scripsit verò etiam librum *De septem Intelligentijs mouentib. orbes.* Omitto dicere quanta sit eius operis vanitas; quo tandem autore ista didicit? Sed sunt qui mirantur omnia modò ea noua putent, quæ plerunque sunt nugæ veterum. Non ita pridem in hac vrbe quidam se diabolum incarnatum ostensurum pollicitus est: nec defuerunt qui videndi causa pecuniam conferrent. Erat autem ingens vespertilio ex veteris castri parietinis erutus. Trithemiũ ego defendere malim quàm accusare, ob pleraq; egregia eius ingenij monumenta: librum tamen illum De septem Intelligentijs probare nullo modo possum. Nec pluribus cõfutabo quàm instituti mei ratio postulat, solùm hoc addam ex Epist. contra Adebertũ & Clementem in Synod. Ro. sub Zacharia Pontif. quæ refertur in vita S. Bonifacij. Cúmq; per ordinem legeretur, peruenit ad locũ vbi ait: *Precor vos, & coniuro vos, & supplico me ad vos Angele*

De Trithemij Steganographia.

Præter Michaelem, Gabrielẽ & Raphaelem nullos Angelos Ecclesia nouit ex nomine.

A *Vriel, Angele Raguel, Angele Tubuel, Angele Michael, Angele Adimis, Angele Tubuas, Angele Sabaoth, Angele Simihel.* Dum verò hæc oratio sacrilega vsq; ad finem perlecta fuisset, &c. Quid aliud agendum est, nisi vt omnia quæ coram nobis lecta sunt, igne concrementur? Octo enim nomina Angelorum, quæ in sua oratione Adebertus inuocauit, non Angelorum præter Michaëlis, sed magis dæmonum nomina sunt, &c. Nos autem, vt à vestro sancto Apostolatu edocemur, & diuina tradit autoritas, non plus quã trium Angelorum nomina agnoscimus, id est, Michael, Gabriel, Raphael. Hactenus illa epist. Itaque Capitul. Car. Mag. lib. 1. cap. 6. Ex Concilio præcipitur, Vt ignota Angelorum nomina nec fingantur, nec nominentur, nisi illorum, quos habemus autoritate: Hi sunt Michael, B Gabriel, & Raphael. Agrippa mirus horum artifex, nec plura finxisse contentus, etiam artem qua noua cuderentur tradidit.

PVER AVTEM &c.

VERSVS XLI.

Cumq; abijsset puer, surrexit Dauid de loco, qui vergebat ad Austrum, & cadens pronus in terram adorauit tertiò: & osculantes se alterutrum, fleuerunt pariter, Dauid autem ampliùs.

PAgninus, *Puer ingressus est, & David surrexit de loco qui vergebat ad Austrum,* (Arias, *de apud Meridiem,*) *& cecidit in faciem suam* (Arias, C *in facies suas*) *in terram, & incuruauit se tribus vicibus, & osculati sunt vnusquisq; alter alterum* (Arias, *vir socium suum,*) *& fleuerunt vnusquisq; alter cum altero* (Arias, *vir socium suum*) *sed Dauid magis fleuit.* Arias, *adeò vt Dauid adaugeret.* Alius, *Et ingresso puero* [*ciuitatẽ*] *surrexit Dauid à latere latere* [*lapidis*] *meridiano, & cadens in faciem suam super terram, adorauit tribus vicibus, & osculantes se alterutrum, fleuerunt mutuò, quousq; Dauid excederet in fletu.* Vatabl. *Et cùm abijsset puer, surrexit Dauid à parte meridionali.* In Schol. Subaudi, *lapidis viatorij.* Ionathan miserat sagittas ad latus Septẽtrionale, ne puer incurreret in Dauidem. *Cadensq; pronus in terram, ter inclinat: & mutuò osculantes, fleuerunt quisq; coram altero, quousq; Dauid* D *plus fleret.* In Schol. Hebraïsmus, *ita vt Dauid magnificauerit.* Subaudi fletum, id est, abundè fleuerit. Quidam hæc postrema verba sic transfert, *donec Dauidem erexisset,* id est, consternatum animo confirmasset, vt seq. ver. ostendit: prout etiam postea fecit cap. 23. 17. Chaldæus, *Adolescens venit, & Dauid surrexit de latere petræ Atha, quæ è regione Austri; & cecidit super facies suas, &c. & fleuerunt vir socium suum, vsquequo Dauid multiplicauit.* Lxx. edit. Complut. καὶ εἰσῆλθε τὸ παιδάριον εἰς τὴν πόλιν, *& ingressus est puer in ciuitatem,* καὶ Δαυὶδ ἀνέστη ἀπὸ τοῦ νότου, *& Dauid surrexit ab Austro,* καὶ ἔπεσεν ἐπὶ πρόσωπον αὐτοῦ ἐπὶ τὴν γῆν, καὶ προσεκύνησεν αὐτῷ τρίς, *& cecidit super faciem suam super terram, & adorauit eum ter,* καὶ κατεφίλησαν ἕκαστος τὸν πλησίον αὐτοῦ, *& deosculatus est vnusquisque proxi-*

Variæ nãs. lat.

CVMQVE ABIISSET, &c.

mum suum, καὶ ἔκλαυσαν ἕκαστος ἐπὶ τὸν πλησίον αὐτοῦ, ἕως συντελείας μεγάλης Δαυὶδ ὑπερέβαλεν, & fleuit vnusquisque super proximum suum, vsque ad consummationem magnam, Dauid superauit. Consentiunt Aldina, & Romana, nisi quod loco *Negeb,* habent *Argab:* de qua voce nos suprà, versu decimo nono. Dictio *Negeb* legitur etiam in Hebræo, & significat *Austrum, & Meridiem.* Deest etiam Ald. atque Rom. Δαυὶδ ὑπερέβαλεν, *Dauid superauit.* Hebræus habet, vt antea vidimus, *Adeò vt Dauid adaugeret:* quod de fletu intelligendum est, vt optimè Vulgatus animaduertit.

Cumque abiisset puer.] Facessere puer iussus est, quòd infirma ætas parum secreti tenax sit. *Surrexit autem Dauid,* nimirùm vt fugam iniret. Ionathas se ad illum confert, vt vnà colloquatur: atque ita plus præstat, quàm promiserat. Non B fuerat autem opus iaculandis sagittis, si sperasset eò loci neminem affuturum. Nunc postquam vacare locum arbitro atque exploratore vident, vbertim flentes, in mutuos amplexus ruunt. *Et cadens pronus in terram, adorauit tertiò.* Dauid terræ afflictus non calamitate magis quàm demissione animi, quod præsens rerum status admonet, summissè atque humiliter erga Ionathan se gerit. Significatur autem hîc ille cultus, non qui debetur Deo, sed qui exhibetur homini nobili, & principi. Gratias agit Dauid Ionathæ de molestia quam suâ causâ susceperat, de conuitijs quæ tulerat, deque hoc colloquio, ad quod vltrò venerat. *Adorauit pronus in terra.*] An prorsus in faciem prociderit, ita vt vultus eius, quod alibi Scriptura ait, hæreret terræ, ex alijs Scripturæ locis colligi posse videtur. Vt C plurimùm tamen adorantes caput submisisse contenti sunt. Adorationis non modò apud Romanos, sed alias plerasque gentes vetus hic ritus fuit, vt dextera manu labris admota, & ad osculum relata, capite submisso, corpus dextrorsum circumagerent: quod in læuum fecisse Galli religiosiùs credunt, vt scribit Plinius libro vigesimo octauo, capite secundo. Quod cùm aliquando à dijs ad Imperatorum cultum translatum esset, quos inter numina assentatores referebant: Alexander Seuerus fieri sibi vetuit, adorari se prohibens, vt autor est Lampridius in eius vita. Itaque vt idem scribit, Salutabatur nomine hoc, Haue Alexander. Si quis caput flexisset, aut blandiùs aliquid dixisset, vel abijciebatur, si loci eius qualitas pateretur, vel D ridebatur ingenti cachinno, si eius dignitas grauiori non posset subjacere iniuriæ. Hæc Lampridius. Apud Hebręos tamen in more positum fuit, vt nonnunquam etiam cùm Deo, tum hominibus toto corpore procumberent. Ioannes Meursius in Glossar. Græcobar. in voce Μετάνοιαι, quas inclinationes, & reuerentias interpretatur, harum duplex genus constituit. Apud Græcos aliæ, inquit, μεγάλαι dicebantur, aliæ μικραί. Horologium. Λέγει δὲ τοῦτον ἐκ τρίτου, ποιῶν μετανοίας μεγάλας μὲν τρεῖς, faciens inclinationes magnas quidem tres, μικρὰς δὲ δώδεκα, paruas autem duodecim, &c. Magnæ erant, cùm quis toto corpore, sine genuum tamen inflectione, ad terram ferè vsque se inclinaret: μικραί, siue partuæ, cùm tantùm ceruicem, & caput, aliquò vsque. Videnda Turcogræcia Crusij. Hæc & plura Meursius. Ordinis mei ceremoniæ pro ratione temporum, officiorumque varias inclinationes præscribunt: alias quidem mediocres, alias etiam profundas. Profundas ita definiunt, vt summisso capite, pectore, humerisq; inflexis, genubus manus ipsæ iungantur. Mediocres modicè caput & ceruicem inflectunt. Quandoque etiam de geniculis adoramus. rarò toto corpore solemni ritu prosternimur: qui mos apud Patres Chartusianos frequentissimus obtinet.

Adorandi ritus.

Lamprid.

Meursius.

Reuerentiarum duplex genus.

ET CADENS, &c.

Adorauit. Hebraïcè וישתחו *vayisthahhou,* à verbo שחה *scahhah,* quod est curuatus, humiliatus procubuit. In Hithpael השתחוה *histhachauah,* incuruauit se, procubuit, procidit, reuerentiæ, aut honoris causa Deo, Angelis, aut hominibus. Externos adorantium gestus hos esse volunt: prostrationem totius corporis in terram, manuum & pedum extensionem, capitis, humerorum, & pectoris inclinationem, genuum flexionem & incuruationem in terram. Annotat sanctus Theodoretus in Simeone Stylite, tam exili eum ac macilento corpore fuisse, vt adorans fronte pedum extrema contingeret. Sanctus Antoninus duodecim modos adorandi in beato Patre Dominico obseruauit. Sed nos singula consectari minimè necessarium duximus. Populi Oriẽtales, vt refert ex alijs Schindlerus in Pentagl. demittunt se pronos in terram, quam vbi ore contigerint, rursus se erigunt, & semel iterumque venerabundi salutantesque corpus inflectunt. Varijs etiam dictionibus vtuntur Hebræi, prout variè corpus aut genua adorantes contorquent: quæ apud eundem reperies in verbo שחה. Lycinus apud Lucianum in Dial. Nauigium seu Vota: Gratiam, inquit, tibi habeo, ô Rex, ac Persico more procumbens adoro te, circumactis post tergum manibus venerando tiaram rectam istam, atque ipsum diadema. Apud Suetonium Lucius Vitellius è Syria rediens, primus Caium Cæsarem adorari vt Deum instituit, non aliter adire ausus quàm capite velato, circumuertensque se, deinde procumbens.

Adorantiũ varijgestus.

S. Theodoretus.

Lucianus.

Sueton. in Vitell. c. 2.

Et osculantes se alterutrum.] Non dubium est olim osculum ad quendam adorationis ritum pertinuisse. Probat hoc Pithœus lib. 1. Aduersorum cap. 7. Quo loco præter nonnulla Gentium testimonia, etiam illud affert ex S. Hieronymo Apolog. 1. in Ruffinum, in illud Psal. 2. *Apprehendite disciplinam; Nascu,* inquit, (נשקו) vt verbum de verbo interpreter, καταφιλήσατε, id est, *deosculamini,* dicitur. Quod ego nolens transferre puridè, sensum magis sequutus sum, vt dicerem, *Adorate.* Quia enim qui adorant, solent deosculari manum, & capita submittere (quod se B. Iob elementis fecisse negat, dicens: *Si vidi Solem cùm fulgeret, & Lunam incedentem clarè, & lætatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam ore meo, quæ iniquitas maxima est, & negatio contra Deum altissimum.*) Et Hebræi iuxta linguæ suæ proprietatem, deosculationem pro veneratione ponunt, id transtuli quod ipsi intelligunt, quorum verbum est. Hactenus sanctus Hieronymus. Transtulit igi-

Pithœus.

Osculũ ad venerationem pertinuit.

ET OSCVLANTES SE, &c. tur sanctus Hieronymus, *Adorate filium* Quod alij nunc postquam id verbum minùs malè olet, *Osculamini filium* interpretantur eodem sensu, quando id genus osculum referunt ad cultum & obedientiam. Lxx. ob maximam litterarum similitudinem, δράξασθε παιδείας verterant, id est, *Apprehendite disciplinam*. Targum, *Accipite doctrinam*. At 3. Reg. cap. 19. longè manifestiùs eò retulit Sic enim reddidit: *Quorum genua non sunt incuruata ante Baal. & omne os quod non adorauit eum osculans manum.* Sed non vna hæc ratio & vsus osculi fuit, vt Dauidem hactenus adorasse Ionathan credamus. Mutui amoris, vt arbitror, apud eos argumentum fuit, & supremæ salutationis officium, cùm statim in diuersas partes abituri essent. Solebant enim veteres non solùm cùm redirent, sed etiam cùm discederent, & valere iuberent, amicos osculo impertiri. Testis Suetonius in Tiberio & Nerone. Apud Xenophontem Cyrus cùm ab Astyage ad Persas rediret, dicitur cognatos per oris osculum à se dimisisse, lege Persarum. Quam Medo interroganti ita interpretatus est, vbi post curriculum temporis se mutuò inuiserent, aut separarentur, Persas inuicem solitos osculari. Hebræorum celeberrima ea consuetudo fuit. Quarecùm Elias 3. Reg. cap. 19. ver. 20. Elisæo pallium suum imposuisset, *Osculer oro te*, inquit, *patrem meum & matrem meã, & sic sequar te.* hoc est, valedicam. Meminit verò Apostolus etiam *osculi sancti*.

Osculum discessuri & reduces impertiri solebant.

Xenophõ

Donatus in Eunuchum Terent. sic oscula distinguit à basijs, & suauijs, vt hæc quidem esse dicat officiorum, altera pudicorum affectuum, postrema libidinum & amorũ. Seruius Æneid. 1. tribuit oscula religioni, suauia voluptati. Talia erant Megarensis illius Charmolei, ὧ τὸ φίλημα διτάλαντον ἦν, inquit Lucianus in Dialog. Mortuorum. Talia item quæ apud eundem Pseudomantis ille Alexander libabat, qui legem tulerat: Ne quis maior annis octodecim sese admoto ore complecteretur, neue cum basio salutaret. Sed solos ætate ac gratia florentes osculo dignatus est, reliquis manum osculari iussis. Vnde & pueri forma præstantes, οἱ ἐντὸς τοῦ φιλήματος, intra osculum constituti dicti sunt. Nihil hoc loco tale suspicari licet, cùm neuter flagraret libidine, sed mutua vicissim eademque honestissima amicitia deperirent. Sequuti sunt autem gentis consuetudinem, vt cùm sejungendi essent, quo poterant modo amicos inuicem vultus imprimerent. Tametsi enim osculum aliud est ab amore, ad fouendum tamen syncerũ amorem plurimùm valet. Philo Iudæus in eo libro quem inscripsit, *Quis rerum diuinarum sit heres*. Φίλημα, inquit, διαφέρει τοῦ φιλεῖν, Osculum differt ab amore. Nam ille est animarum coniunctarum per mutuam beneuolentiam: hoc autem nudam salutationem habet superficie tenus in occursu fortuito. Sicut enim in αἰκάλλειν non est κάλλειν, in καταπίνειν πίνειν, in μαστιγίᾳ ἵππος: sic nec in καταφιλεῖν φιλεῖν, id est, amor in osculo. Nam multi etiam inimicis coacti aliqua necessitate, hanc officij speciem exhibent. Adde Philoni, quod Ioab & Iudas proditoriè osculo vsi sunt ad innocentium perniciem. Multis tamen amo-

Donatus. Oscula, basia, & suauia distinguuntur.

Philo.

A ris legitimi fomes & indicium extitit. Hoc sanè loco Hebraïcè scriptum est וישקו *vaiysckou*, à verbo נשק *nascak*: in quo si litteram ש sinistro in cornu apice hoc modo שׂ designes, idem erit ac si dicas, *& mutuò accensi sunt*: tum enim vehementiùs tanquam pariter respondentis amoris facibus inflammati sunt: id quod nec à verisimili abhorret, cùm soleat vento conflictatus ignis maiorem in modum accendi. Verùm hîc non שׂ, sed שׁ legimus: & נשק *nascak* propriè idẽ est quod *osculatus fuit*, non os modò à quo nomen illud Latinis ortum videtur, sed etiam oculos, genas, ceruicem, humeros, manus, pedes, amoris gratia, vel reuerentiæ, obedientiæ præterea, salutationis, & valedictionis. Occurrere denique idem verbum in Scripturis metaphoricũs significat; ita vt etiam, quod ex præcedenti-
B bus sequitur, exponi potuerit: *Et sibi inuicem occurrerunt*. Quàm variè hoc verbum diuersi sacrorum librorum interpretes acceperint, vnico exemplo demonstrabo. Genesis capite quadragesimo primo. versu quadragesimo, Pharao Ioseph Patriarcham Ægypto præficiens, hæc ait: Pagninus, *Tu eris super domum meam, & ad sermonem tuum* ישק *yscak, armabitur omnis populus meus*. Arias restituit, *Et super os tuum osculabitur omnis populus meus*. Targum, *Et iuxta verbum tuum armabitur*, cum Pagnino. Alcoran, *nutrietur*. Onkelus, interprete Fagio, *cibabitur*. Vatablus Laurentij, *gubernabitur*. Septuaginta, ὑπακούσεται, *obediet*. Vulgata, *Et ad tui oris imperium cunctus populus obediet*. Quam interpretationem idem Phar..o sequenti versu 44. suo calculo confirmat.

ET OSCVLANTES SE, &c.

Hebraica dictio excutitur.

Osculum multiplex visu.

C *Fleuerunt pariter, Dauid autem amplius.*] Hebraïcè ויבכו *vaiyskou*, à verbo בכה *bachah*, quod est *fleuit*, ingemuit, lacrymas fudit, vocem edidit præ dolore. Vtriusque affectionis causas physicas explicat sanctus Gregorius Nyssenus in libro De opificio hominis, capite duodecimo: Tradunt, inquit, huiusmodi quiddam, quibus accuratè morborum rationes perspectæ sunt, quod cùm à natura sic comparatum est, vt in mœstitia meatuum toto corpore contractio quædam & compressio fiat: quicquid exire impedita respiratione nequeat, ad imam corporis capacitatem detrudatur. Inde vsuuenire, vt quum ad respirationem facta viscera ab ijs, à quibus vndique continentur, in angustum arctantur: plerunque violentior spiritus attra-
D ctio naturæ vi fiat, quæ quod est arctatum dilatare nititur, vt ea quæ compressa sunt, vicissim diducantur. Τὸ δὲ τοιοῦτον πάθημα σύμπτωμα λύπης ποιούμεθα, στεναγμὸν αὐτὸ καὶ ἀναστεναγμὸν ὀνομάζοντες. id est, Atque huiusmodi in respirando difficultatem mœstitiæ indicium quoddam esse statuimus, quod & suspirium & gemitum appellamus. Subinde etiam post alia nonnulla lacrymarum vim exprimit. In dolore, inquit, propter tristitiam subtiles meatuum transpirationes, quæ propter exiguitatem deprehendi vix possunt, compressæ viscera interiora constringunt, & ad caput ac cerebri membranas vdum illum halitum agunt, vt multus intra cerebri cauitates collectus, per meatus qui ad imam sunt eiusdem partem, in oculos deijciatur, superciliorum compactione

S. Gregor. Nyssen.

Gemitus & lacrymarũ physica ratio.

Et fleverunt, &c.

Seneca.

contractione guttatim humorem exprimente, quæ deinde guttæ lacrymæ appellantur. Hactenus S. ille Nyssenus. Addam & Senecam epist. 99. Lacrymas, inquit, naturalis necessitas exprimit, & spiritus ictu impulsus, quemadmodum totum corpus quatit, ita oculos, quibus adiacentem humorem premit & expellit. Hæ lacrymæ per elisionem cadunt nolentibus nobis. Aliæ sunt quibus exitum damus, quum memoria eorum, quos amisimus, tractatur, & inest quiddam dulce tristitiæ, quum occurrunt sermones eorum iucundi, conuersatio hilaris, officiosa pietas, tunc oculi veluti in gaudio relaxantur. His indulgemus, illis vincimur. Ad hunc modum Seneca. Iam nos alibi plura de lacrymis.

Et fleuerunt pariter, Dauid autem amplius.] Lacrymabant inter se vbertim: sed Dauid vberiùs. Distrahendus enim erat iam non tantùm ab amico, sed etiam ab vxore, à victorijs, quas pepererat, à Repub. & à sacris, ac ceremonijs populi Dei. Nec videbat, quò se reciperet. Si ad amicos Saulis, erant eum prodituri: si ad suos, horum foret debile præsidium: si ad inimicos, meminerat eos à se magnis affectos iniurijs. Deus Dauidem abijcere voluit in has miserias: non vt eum prorsus desereret, sed vt ille se sciret esse hominem, & ardentiùs accenderetur ad preces, & particeps fieret crucis Christi. Forti quidem erat ille animo: neq; enim extimuit magnitudinem, & robur Gygantis: eum tamen Deus voluit ita consternari, vt intelligeret, qualis esset natura sua. Hic Dauid ita secum cogitare potuisset: Vbi sunt illæ præclaræ promissiones Dei? An hoc regnare est, patriam suam fugere, & ne palmum quidem terræ vspiam obtinere? Sed tamen istis tot calamitatibus à fiducia sua erga Deum non deducitur.

Lacrymæ virum fortem & Christianum decent.

Ethnicus Philosophus dixisset istas lacrymas signa esse animi mollis & degeneris. At Deus eas magni facit, & habet in vtre suo repositas, & in libro suo consignatas. Non enim hoc à nobis Deus postulat, ne dolore molestiâque affecti, lacrymas quas natura elicit profundamus: sed ne lacrymarum vi ac tristitiæ mole obruti, officium deseramus. Sagarum est, vt aiunt, proprium flere non posse: siue torpor aliquis, siue obfirmati animi cõtumacia, seu potius dæmon, vt Grillando, & Sprengero visum est, lacrymas cohibeat. At verò Sanctos omnes lacrymis affatim indulsisse Scripturæ memorant. Idem ipse Sanctorum Dominus quoties fletu mersisse genas sinumq; in Euangelio refertur? Ad Lazari sepulcrum astante corona ploratum edidit. Hierosolymæ excidium cùm prædiceret, idem luctu gemituque prosequutus est. Passionis suæ stadium ingressurus, dum proditori præstolatur, penè lacrymis exhaustus contabuit. Sicut, inquit sanctus Basilius, confecto cibo Christus esurijt; sicut musculis neruísque supra modum labore contentis, non fracta labore diuinitate, sed attrita humanitate fatigatus est: Sic quoque lacrymis ille manauit, cùm oculi riuos superflui humoris ex tristitiæ nube collectos foras euergerent. Neque enim speciem incarnationis, ait S. Ambrosius, suscepit, sed veritatem. Debuit

Basilius.

S. Ambros.

A ergo dolorem suscipere, vt vinceret tristitiam, non excluderet. Neque enim habent fortitudinis laudem, qui stuporem magis vulnerum tulerint, quàm dolorem. Hæc illi.

Illud mirandum magis, quòd ne Angeli quidem lacrymarum expertes habētur. Nam Esaiæ cap. 33. vers. 7. legimus, *Angeli pacis amarè flebunt.* Quod ne quis de hominibus accipiat, quoniam *Melachim* nuntios quosque significat, vti Pagninus vertit: addam aliud ex Osee propheta testimonium cap. 12. vers. 4. Istic sua Deus beneficia commemorans, ingrati animi vitium Israëlitis exprobrat. Narrat autem quomodo iam inde ab vtero pater eorum Iacob fratre superior euaserit, ac subinde etiam cum Angelo congressus ope numinis victoriam reportauerit. *Inualuit*, inquit, *ad Angelum & confortatus est: fleuit & rogauit.* בכה *bachah fleuit.* Quis fleuit? idem profectò qui rogauit. Quis autem rogauit? disces Genes. 32. vers. 26. *Dimitte me*, ait Angelus, *iam enim ascendit aurora.* Itaque Vatabl. Salmant. in Schol. cùm hîc fleuisse dicitur, Angelum subintelligit: quod tametsi metaphoricῶς accipiendum sit, inde tamen sequitur, non esse indignum constanti ac generoso homine fletum, quando is metaphoricè Angelis etiam tribuitur. Id enim significat, si natura eorum ferret, & paribus incommodis vexarentur, nihil facturos alienum à sua virtute si lacrymis indulgerent.

Etiam Angeli fleuisse metaphor. dicuntur.

B

Ne brutis quidem lacrymas natura negauit, quo magis Stoicos pudeat à lacrymis abhorrere. Nec verò hoc de crocodili lacrymis me dicere sentio, quas non dolor aut luctus, sed prædandi libido parit: vti nec hactenus aut præficarum lacrymas, quas quæstus euocat: aut μεγαρίων δάκρυα, quæ allij succus extorquet, me commendasse intelligo: quin potius de illis mihi sermo est, quas ex animantium oculis sensus doloris exprimit. Virgil. cùm Pallantis funus Æneidos 9. descr beret, tandem etiam eius equi his versibus meminit: Post bellator equus, positis insignibus: Æthon

C

Etiam brutal lacrymas fundere natura docuit.

Et lacrymans, guttisque humectat grandibus ora.

Verùm hoc fortassis quispiam poëtarum figmentum esse dicet, apud quos Tmolus habet aures, flumina nauesque loquuntur, & saltant quercus. Esto. Quinqueranus tamen Senecensis Episcopus ea suspicione caret. Is igitur in lib. De laudibus Prouinciæ, de Bistarda aue hæc habet: se quandoque volantem plus septem millibus passuum pernici equo sequutum esse, donec fatigata passis alis in eminenti frutice *vbertim flens* se capiendam præberet. Iam verò, inquit, huius volucris lacrymas cui causæ acceptas referam? Num ab intento ex grauiori motu calore potuit accidere, quum eiusmodi res non ferè è caliditate, quæ hinc inde euaporat, sed è compressu, qui ferè ex frigido fit contingant? Coniectura sit hæc, ait, eandem quæ hominibus causam, nimirùm mali sensum, aliti lacrymas extrudisse.

Quinqueranus.

D

Accedit etiam ad lacrymarum laudem, quòd testes esse videantur res aduersas constantem virum humanè ac mediocriter ferre. nam mœror ingens eas cohibet: etsi quis fortè repenti-

Lacrymas dolor ingẽs cohibet.

Et fleverunt, &c.

na perculsus ruina est, tum plerunque stupore nimio fletus sistitur. Itaque Emanuel Sosa apud Maphæum lib. 11. cùm fracta naue circa Bonæ-spei promontorium, nudus in littus eiectus esset, & adhæc vnà cum coniuge natisque impuberibus ab Æthiopibus loci incolis reliquis vestibus spoliatus esset, charissimam coniugem dulcésque natos lenta morte pereuntes, siccis oculis, tot ipse funeribus superstes condidit. Postremò nec eo nomine viriles lacrymas mediocriter prædicauerim, quod erumpentes refrixisse vindicandi studiũ prædicent. Nec aliam ob causam Dauidem perfusum lacrymis crediderim, quàm quòd vlcisci infestum sibi Regem nefas duceret. Coriolanus, vt Dionys. autor est, Antiquit. lib. 8. cùm in exilium solus abiret, matrem, coniugem, liberos, haud aliter quàm si pumiceos oculos habuisset, flentes ipse sine fletu reliquit. Atqui mox vt matrem coniugemq; pro patria salute deprecantes in castris audiuit, & ab vlciscendi libidine ad molliora cõsilia traductus est, lacrymarum imbre redundauit. lacrymas scilicet quas vindictæ cupiditas represserat, eâ extinctâ permistus pietati dolor elicuit.

Erumpentes lacrymę refrixisse vindicandi studium loquuntur.

A

B

Dauid autem amplius.] Apollonij dictum fuit, οὐδὲν θᾶττον ξηραίνεται δακρύου, lacryma nihil citius arescere. Idcirco Tullius in lib. De inuentione, præcipit, Ne Orator, posteaquam iudicis animum ad misericordiam commouit, diutius commoretur in quæstione: quòd vehement affectus facilè vertatur in odium.

Versvs XLII.

Dixit ergo Ionathas ad Dauid: Vade in pace: quæcumque iurauimus ambo in nomine Domini, dicentes. Dominus sit inter me & te, & inter semen meum & semen tuum vsque in sempiternum.

Versvs XLIII.

Et surrexit Dauid, & abijt: sed & Ionathas ingressus est ciuitatem.

Timocles.

Vade in pace.] Timocles Comicus amicum mœrentem atque animo consternatum his versibus affatur.

Amice audi, quippiamne tibi dicturus sim.
Homo animal est laboriosum natura,
Ac multas molestias in se vita circumfert.
Itaque solationes curarum reperit
Hac: mens enim suorum malorum oblita,
Ex alienisque nacta solamen,
Cum voluptate erudita simul abit.
Tragicos enim primum, si lubet considera,
Vt omnibus prosunt. Qui enim pauper est
Cùm se pauperiorem Telephum intellexit
Fuisse, tum pauperiem faciliùs fert:
Qui verò laborat insania, Alcmæonẽ speculatur.
Lippit quis, cæcum Oedipum intuetur:
Cuiquam filius moritur, Niobe leuat:
Claudus est aliquis, Philoctetem intuetur:
Senex quis infortunatus est, Oeneum cogitat.
Omnia enim maiora quàm patitur
Infortunia cùm quis alijs accidisse reputat,
Suas ipse calamitates faciliùs tolerat.

Vade in pace.

Quibus rationibus iacentes & afflicti à mœrore reuocentur.

His ille amicum ab ægritudine reuocare studuit, cùm melioribus exemplis destitueretur. Ionathas autem cùm iuberet Dauidem forti ac constanti animo esse, primùm quidem Isaac exemplo vsus est: qui cùm iam reuinctis post tergum manibus ac super strue lignorum compositus, victima futurus micantis gladij ictum opperiretur, diuina tamen clementia seruatus est. Iacob præterea, inquit, cùm iam vt sibi quidem videbatur irruẽte Esau cum omnibus suis perimendus esset, eundem contra sibi propitium ac clementem expertus est. Quid Ioseph commemorem? Hunc fratrum liuor atque inuidia à patris auulsum sinu peregrinis mercatoribus vendiderat: Hunc lasciuiæ mulieris calumnia iterum penè oppresserat; cùm repente Deo id agente toti Ægypto cum amplissima potestate præfectus est. Nec verò Moyses, cuius nos in verba iurauimus, & cuius hactenus institutis stat nostra Respublica: memoria tua excidisse potest qui primùm exul & profugus, subinde rediens eos terruit, quos antè fugerat, & gentis nostræ principatum sortitus est. Iephte denique his omnibus longè inuior, cùm primùm à fratribus paterna domo exturbatus esset, & ad vitæ subsidium prædas agere coactus, postea ab ijsdem multis precibus ad imperij sortem reuocatus est. Et te igitur, charissime, postquam in easdem angustias coniectus es, pręsentem rerum statum ferre decet æquo animo, spémque alere his tandem malis ereptum iri. Neq; enim præ illis grauioribus ad hunc diem procellis agitatus es: neque minus certo diuinæ promissionis testimonio fretus. Discedunt postremò, cùm vix possent præ mœrore inter se colloqui. Fœdus autem illud, quod inter se icerant, omnino volunt esse saluum: non tantùm sibi, sed etiam posteris suis. Ita nos oportet in calamitatibus meminisse fœderis quod habemus cum Deo, nec hominibus amicitiam aut fidem sola vtilitate probare.

C

D

CAPVT

CAPVT VIGESIMVMPRIMVM.

VEnit autem Dauid in Nobe ad Achimelech sacerdotem: & obstu-
puit Achimelech, eò quòd venisset Dauid. Et dixit ei: Quare tu
solus, & nullus est tecum? 2. Et ait Dauid ad Achimelech sacer-
dotem: Rex præcepit mihi sermonem, & dixit: Nemo sciat rem,
propter quam missus es à me, & cuiusmodi præcepta tibi dederim:
nam & pueris condixi in illum & illũ locum. 3. Nunc ergo siquid
habes ad manũ, vel quinq; panes, da mihi, aut quidquid inueneris.
4. Et respondens sacerdos ad Dauid, ait illi: Non habeo laïcos panes ad manum, sed
tantùm panem sanctum: si mundi sunt pueri, maximè à mulieribus? 5. Et respondit
Dauid sacerdoti, & dixit ei: Equidem, si de mulieribus agitur: continuimus nos ab
heri & nudiustertius, quando egrediebamur, & fuerunt vasa puerorum sancta. porrò
via hæc polluta est, sed & ipsa hodie sanctificabitur in vasis. 6. Dedit ergo ei sacer-
dos sanctificatum panem. neque enim erat ibi panis, nisi tantùm panes propositionis,
qui sublati fuerant à facie Domini, vt ponerentur panes calidi. 7. Erat autem ibi vir
quidam de seruis Saul, in die illa, intus in tabernaculo Domini: & nomen eius Doeg
Idumæus, potentissimus pastorum Saul. 8. Dixit autem Dauid ad Achimelech: Si
habes hic ad manum hastam, aut gladium? quia gladium meum, & arma mea non tuli
mecum. sermo enim regis vrgebat. 9. Et dixit sacerdos: Ecce hic gladius Goliath
Philisthæi, quem percussisti in Valle terebinthi, est inuolutus pallio post ephod: si
istum vis tollere, tolle. neque enim hic est alius absque eo. Et ait Dauid: Non est huic
alter similis, da mihi eum. 10. Surrexit itaque Dauid, & fugit in die illa a facie Saul:
& venit ad Achis regem Geth. 11. dixerúntque serui Achis ad eum, cùm vidissent
Dauid: Numquid non iste est Dauid rex terræ? nónne huic cantabant per choros,
dicentes: Percussit Saul mille, & Dauid decem millia? 12. Posuit autem Dauid ser-
mones istos in corde suo, & extimuit valde à facie Achis regis Geth. 13. Et immu-
tauit os suum coram eis, & collabebatur inter manus eorum, & impingebat in ostia
portæ, defluebántque saliuæ eius in barbam. 14. Et ait Achis ad seruos suos: Vidi-
stis hominem insanum: quare adduxistis eum ad me? 15. An desunt nobis furiosi,
quòd introduxistis istum, vt fureret me præsente? hiccine ingredietur domum meam?

ARGVMENTVM CAPITIS.

DAuid, postquam desperauit se posse cum Saule redire in gratiam, fuga sibi consulit. Primùm igitur venit in Nobe, & ad Dei tabernaculum confugit, consilium & auxilium à Sacerdote expetens. Consuluit ille Dominum: & cùm Dauidem nudum & rebus necessarijs egentem conspiceret, nec aliunde posset armis commeatúque iuuare, non dubitauit sacris rebus ad subleuandam hominis inopiam vti. Rursum, inde abscedens fugit in Geth: quo loco ingenti terrore perculsus est. Historia hæc capitis postrema partes occupat.

VERSVS I.

Venit autem Dauid in Nobe ad Achimelech sacerdotem: & obstupuit Achimelech, eò quod venisset Dauid. Et dixit ei: Quare tu solus, & nullus est tecum?

VERSVS II.

Et ait Dauid ad Achimelech sacerdotem: A Rex præcepit mihi sermonem, & dixit: Nemo sciat rem, propter quam missus es à me, & cuiusmodi præcepta tibi dederim: nam & pueris condixi in illum & illum locum.

SEptuag. εἰς νομβᾶ πρὸς ἀβιμέλεχ, *in Nomba ad Abimelech. Et obstupuit eò quòd venisset David.*] καὶ ἐξέστη τῇ ἀπαντήσει αὐτοῦ, *& obstupuit occursu illius.* Complutenses tamen legunt, νοβὰ, & Variæ lect. lat.

VENIT AVTEM, &c.

& ἀχιμέλεχ. Chaldæus, *Et admiratus est Abhimelech ad occursum David: & dixit ei, Quid hoc tu in singularitate tua*, & vir non est tecum? נֹבֶה אֶל אֲחִימֶלֶךְ, *Nobe el Abhimelech*. Pagninus, *& timuit, & venit in occursum David*. Arias, *& contremuit in occursum David. In Nobe.*] Vocatur locus ille *Nob*, sic enim vocat Ionathan, in Paraphr. Chald. לְנוֹב *lenob*: & he superadditum in fine, est he locale: id quod Kimhi quoque hic monet. Et quod sequitur: *Obstupuitque*: quidam Hebræorum interpretantur נער *naghar*, (Niphal potius נִנְעַר vt passiuè accipiatur) *moti sunt in occursum David*. In Nobe.] Vbi tum tabernaculum Dei erat, atque adeò multi sacerdotes ministrandi causa ibidem residebant: erátque in tribu Biniamin prope hanathot, vbi assignata erat habitatio & ager familiæ isti, Nehem. 11. 32. & 2. Reg. 2. 26. *trepidus accurrit Achimelech obuiam Dauidi*. Vatablus, *occurrens Dauidi obstupuit*. In Schol. trepidans venit illi obuiam.

A

B

Versu 2. *Nam & pueris condixi in illum & illum locum*.] Pagninus, *& pueros scire feci locum cuiusquam, & locum ignoti talis*. Arias, *obscuri ignoti*. Chaldæus, *& adolescentes misi ad locum absconditum & custoditum*. Quidam, *ipsis autem pueris condixi locum cuiusdam n*. Ad Marg. *Peloni almoni*: vide annotata Ruth. 4. 1. Ruth igitur capite 4. versu 1. hæc verba tribuuntur Booz Bethlehemitæ: *Declina paulisper, & sede hic*: פְּלֹנִי אַלְמֹנִי *Peloni almoni*. quorum verborum sententiam Vulgatus sic exposuit: *vocans eum nomine suo*. At qui ex Hebræo verbum ex verbo reddunt, sic interpretantur: Pagninus, *Tu talis & talis*. Arias, apud eundem, *ô quidam singularis*. Alius, *Heus tu N*. Heb. *Peloni almoni*, hoc est, (si Græcè reddas) ὦ δεῖνα. Sic loquuntur Hebræi quum certum hominem significare volunt, neque tamen nominare. Sic etiam 2. Reg. 6. 8. hæc ille, quæ ante illum Vatablus notauerat. Nam is quoque voces esse dicit, quæ nihil significant apud Hebræos: tantùm vice alicuius proprii nominis poni quod tacetur, quasi dicas corrupto sermone, tu talis sede. Quare idem hic transtulit: *Adhæc pueris indicaui locum quendam certum*. Et hic iterum in Schol. *Peloni-almoni*, duas voces, idem significare Hebrais, nempe quod Græcis δεῖνα, quemdam, aliquem, talem. His nominibus vtuntur Hebræi cùm proprijs nominibus parcere volunt, vt quidam ait. Porrò sensus huius loci est, Constitui pueris meis locum talem & talem, vbi meum expectent aduentum. Est autem פְּלֹנִי *peloni*, idem quod מְכוּסֶה *mekonseh*, à כָּסָה *kasah*, operire, opertum, & אַלְמֹנִי *almoni*, idem quod נִסְתָּר *nisthar*, absconditum, à סתר *sathar*, latere, abscondere se, &c. Vocátque Hebraismus his nominibus, ea quorum nomina in particulari non exprimuntur. Septuag. edit. Ald. ἐν πίς παιδαρίοις διαμεμαρτύρημαι ἐν τῷ τόπῳ λεγομένῳ ἐμμανίν. Complutens. loco ἐμμανίν, habet φελανὶ ἀλμωνί. *Et pueris testatus sum in loco dicto Phelanni almoni*, Aldus, *dicto Emmonin*. Editio Romana, *& pueris condixi in loco dicto, Dei fides, Phelani, Maemoni*. Nota quòd iniustè vexatus, & regis iram fugiens, suis condixit in locum, cui nomen *Dei fides*.

Peloni almoni Hebræis quid significet.

C

Venit autem David in Nobe.] Fugit David Nobe in domum Domini. Quamuis ibi non esset arca fœderis, erat tamen tabernaculum, ad quod conciperentur preces, & fierent sacrificia: erat etiam mensa, & panes propositionis. David in tanta calamitate non tantùm priuatim orat Deum, sed etiam confert se ad tabernaculum, & in loco sacro Deum ardentiùs orat, vt fortunet fugam suam. Relictus enim ab omnibus, quò se reciperet, nisi ad Deum? *Inuoca me*, inquit Deus, *in die tribulationis*. Et Salomon. *Arx*, inquit, *fortissima nomen Domini*. Preces quidem haberi possunt satis piè priuatim, nec quocunque loco fundantur ex animo Deus eas respuit: attamen certum locum designari voluit, quò populus omnis conueniret, & studio maiori ad preces accenderetur. Sæpe verò qui suo nomine repulsam passurus erat, vbi plures deprecatores adhibuerit, impetrat quod quærebat.

De *Nobe* satis accuratè Salianus tom. 3. Annal. ad ann. Mundi 2973. Post explicatum aliorum sententiam, Rectius, inquit, nihilominus arbitror cum Adrichomio geminam constituere *Nobem*, alteram trans Iordanem aduentu Gedeonis nobilitatam, quam Abulensis in tribu Manasse, sicut & Torniellus, Adrichomius autem in tribu Gad collocauit, ea in Hebræo dicitur *Nobach*, quæ antea vocabatur Chanath, vt scribit Moses in libro Numer. Septuaginta ibidem tum *Naboth*, tum *Naban* appellant. Altera cis Iordanem sita est, cuius meminit Esaias cap. 10. eique vicinas facit Gabaa Saulis, & Anathoth Ieremiæ, & Rama, quæ sunt in tribu Beniamin, idque perspicuè traditur à Nehemia. Et vtrobique in Hebræo textu dicitur *Nob*, sicut & in hoc Regum loco, à Septuag. verò dicitur *Nomba*; & hanc certum est ex cap. 22. lib. huius fuisse sacerdotalem, & à Saule euersam, non autem illam, cui non conuenit vicinam esse Hierosolymis, & ex propinquo videri, quod affirmat in illum Esaiæ locum Hieronymus. In hanc ergo vrbem translatum fuit è Silo tabernaculum, apud quod in ea Pontifex habitauit Achimelech, eadémque mox Saulis furore deleta est, quòd in ea David à Sacerdote hospitio acceptus esset. Non fugit statim longiùs, siue quod fame premebatur, siue quod inermis erat, & faciliùs est modicam conficientem viam ignorari ac latere, quod maximè cupiebat David, quam longinquam. Distabat hæc *Nobe* citerior à Gabaa Saulis, quinque circiter horarum itinere, iuxta topographiam Adrichomij. Hactenus Salianus.

Salianus.

Numer. cap. 32. vers. 42.

2 Esdræ 11. 32.

D

Ad Achimelech Sacerdotem.] Nonnulla est de hoc Pontifice controuersia. Victor Antiochenus, qui à principio Comment. suorum in Marcum, quæ passim Ecclesiæ doctores annotarant in vnum corpus se redigere velle profitetur, hæc habet in cap. 2. Marci: Cùm Regum, inquit, historia, quod de Dauide hîc exponitur, sub Achimelechi sacerdotio accidisse commemoret, cur Dominus ad Abiathar sacerdotum principem factum hoc transfert? Sunt qui Achimelech binominem extitisse existimant, adeóque hunc eundem esse omninò cum illo. Alij

Victor Antioch.

Quis fuerit hic Pontifex ad quẽ David se recepeit.

VENIT AVTEM, &c. Alij Regum libros Achimelech tanquam simplicis sacerdotis meminisse respondent; Abiathar autem, cuius hoc loco Saluator mentionem facit, per idem tempus Pontificem, hoc est, Summum Sacerdotem fuisse. Et huic sententiæ satis fauet Scripturæ contextus. Neque enim Achimelech Pontificem, sed Achimelech Sacerdotem, pluresque alios Dei sacerdotes, Saulis iussu, trucidatos asserit. Hactenus Victor. Qui posteriorem sententiam magis videtur amplecti: quam ego idcirco minus probabilem sentio, quod arbitrer Abiathar Achimelecho patre natum esse: quod si verum est, patre viuo atque superstite Abiathar Pontificatum consequi non potuit, cùm ipse prior Sacerdotio indui debuerit vt ad filium transmitteret. Sed præter hæc magna est varietas in nomine Sacerdotis. Alibi enim appellatur Achias, alibi Achimelech, alibi à Septuaginta Abimelech, à Christo apud Marcum Abiathar. Fuit autem ex nepotibus Heli Sacerdotis: is enim filium habuit Phinees: ille Achitob: Achitob Achiã. Significat autem vox illa Achias fratrem, aut amicum Dei. Et, quia Deus propriè erat rex eius populi, idcirco parua inflexione dictus Achimelech, id est, frater Regis: aut fortasse ambitiosè asciuit sibi illud nomen, quod in magna esset gratia apud Saulem. In voce autem Abimelech aperta est deprauatio literæ. Achimelech iste filium habuit Abiathar, qui, cùm cladi superstes fuisset, & se Dauidi comitem adiunxisset in fuga, mox defuncto patre Pontificatum iniit. Neminem autem mouere debet, quod Christus in Marco ait, hęc accidisse sub Principe Sacerdotum Abiatharo. Potest enim fieri, & est etiam verisimile, eum ibi fuisse cum Principe Sacerdotum Abiatharo. Potest enim fieri, & est etiam verisimile, eum ibi fuisse cum patre, & patris cùm opus esset plerumque vices gessisse, ac Dauidem cum eo primùm sermones habuisse.

S. August. *Et obstupuit Achimelech, eò quòd venisset Dauid.*] S. Augustinus in Psal. 138. ea verba exponens: *Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam?* Homines, inquit, qui suscipiunt fugitiuos quærunt ab eis à quo fugerint, & quem seruum inuenerint alicuius domini minus potentis, tanquam sine vllo timore suscipiunt, dicentes in corde suo, non habet iste talem dominum, à quo possit inuestigari. Cùm autem audierint dominum potentem, aut non suscipiunt, aut cum magno timore suscipiunt. Et quia homo potès falli potest. Vbi non est Deus? Quis fallit Deum? Quem non videt Deus? A quo fugitiuum suum non repetit Deus? Quò ibit fugitiuus à facie Dei? &c. Inopinatus Dauidis aduentus Sacerdotem aut timore perculit, aut stupore defixit. Deinde hoc supra modum miratus est, quòd gener Regis, idémque dux exercitus incomitatus accederet. Neque enim qui amplissimos dignitatum gradus consequuti sunt, absque præcursore nuntio quoquã solent aduenire, quò honorificentiùs, excipiantur. Et si verò nonnunquam latere velint, fama tamen prænuntiat prodente viri dignitatem satellitum caterua. Sed & ipse Pontifex cùm iam matura ætate prouectus esset, & multa rerum polleret experientia, tametsi de fuga nihil antè præsenserat, nescio quid tamen prudens & suspicax olfecit mali. *Quare tu solus, & nullus est tecum?*] Hæc, vt opinor, Pontifex secum animo volutabat: Ad consulendum Dominum venit, quod nunquam hactenus fecit nisi pro re graui ac necessaria. An igitur noui quicquam accidit, ob quod os Domini interroget? An grauis casus aliquis aut publicum periculum imminet? Palæstini forsan irrumpunt; & magno agmine hostes ingruunt; aut alia quæpiam vrget noua calamitas. Dux à Rege delectus, & quasi pro muro irruentibus oppositus est. Et tu, Heros inuicte, cuius constantiam nulla hostium fregit audacia, insultantibus vltrò occurris. Verùm vbi arma tua, vbi comes exercitus? Sed neque ad hunc diem expeditionis tuæ præceps ad nos fama manauit. Pro monstro est, quod tam ex inopinato atque insolenter accidit.

QVARE TV, &c.

Cæterùm videre potes, quò tandem recurrat iactata persequutionum fluctibus humana imbecillitas. Rex furit, Satelles instat, mors obsidet, muri cingunt, tempora insidiantur: & tamen duce fœmina facti per fenestram Dauid elabitur. Sed mox fugientem fames lacessit, & rerum necessariarum inopia ad quærendum panem reuocat. At quò tandem opem imploraturus confugit? quem portum capessit? Ad Sacerdotem adit scilicet, & afflictis rebus consilium & auxilium expetit. Ad eum portum videmus quotidie naufragos appellere: nec quemquam despicit diuina clementia. Scriptum est enim, *Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet.* Quinetiam consolatur humiles, & spe deiectos erigit, fouet præsidio, benedictionibus alit, & rerum mundanarum contemptum edocet.

Duo sunt igitur, ob quæ Pontifex viso Dauide obstupuit. Ducis solitudo, & aduentus eius insolentia. Quid ita? An quia fortè Numinis cultor erat parcus & infrequens? Absit. Sed quia eo tempore præter commune illud sacrificium, quod sola prece conficitur, etiam vbique victimis, aut sanè in celebrioribus excelsis facere licuit. Quo fiebat vt præterquam oraculi gratia, eò rarius Israelitæ commearent. Propterea igitur Achimelech vehementiùs expauit, haud temerè suspicans, ne quid iste præter morem accessus apportet mali. Sed & illud eundem quoque nimiopere angebat, quòd nulla stipatus militum caterua solus prodiret. Nam si adducta in periculum Repub. de ancipiti pugnæ exitu oraculum peteret, alienum videbatur ab eius prudentia, si solus difficili tempore periculosum iter iniret. Ita sedulò percontatur: *Quare tu solus, & nullus est tecum?* Sed quomodo videri potest fuisse solus, cùm Christus apertè dicat, *Et qui cum illo erant?* Quidam hoc ita intelligunt, quòd non haberet secum milites. Verum id nodum non dissoluit. Nam Dauid respondit, se pueris suis designasse locum, ad quem sibi præstò essent. Petit ergo panes pro seruis, non quos tum haberet secum, sed ad quos esset venturus. Iosephus ait, eum nullum

QVARE TV, &c.

habuisse in comitatu, nec amicum; nec militem. Ita Dauid prorsus gerebat typum Christi. Is enim in cruce ita destitutus est à suis omnibus. Sed hic ponamus ante oculos ἀντίθεσιν huius status, & superioris. Antea Dauid amabatur ab omnibus, colebatur, habebatur in pretio, puellarum choreis, & canticis Sauli ipsi præferebatur. Vbi nunc ista sunt? proscriptus à Rege statim ab omnibus deseritur. Ita vulgus est inconstans & mobile. Sed quod ad quæstionem attinet, Christi Domini oratio in eum sensum interpretanda videtur vt intelligat, non qui ibidem apud Pontificem cum Dauide præsentes erant, sed qui cum eo panes erant comesturi. Posset etiam exponi hoc modo, vt nullam neque præsentiæ neque absentiæ rationem habuerit: sed tantum eo exemplo vsus sit, vt Scripturarum autoritate conuinceret, olim sacerdotis permissu cum Dauidi tum reliquis, qui cum eo esse dicerentur, sacratis panibus vesci licuisse.

Rex præcepit mihi sermonem, & dixit: Nemo sciat rem.] Sunt qui hoc loco Dauidem mentitum velint: sed cùm id fecerit officij tantùm gratia, ab eo peccatum non esse. Sibi enim tantùm prospicere voluit, non alium lædere. Ex S. Augustini sententia, si impulsu diuino mentitus sit, nihil peccauit: sin instinctu humano, & ex diffidentia, excusari non potest. Quod cibum & commeatum petiuit à sacerdote, non peccauit: hæc enim omnibus miseris suppeditanda sunt. Mentitum tamen non oportuit. Ait quidem nonnullo loco Menander Comicus, Satius est mendacium sequi, quàm verum perniciosum: at idem paulò antè sapientiùs dixerat,

Nihil vnquam præstabilius est, quàm vera dicere
Quacunque occasione. In eo ego spondeo
Præsidij vitæ maximam partem esse.

Vindicatur Dauidis innocentia à mendacij suspicione.

Quare ego Dauidem mentitum non asseram, quem toties, ne quid in Deum peccaret, capitis discrimen adijsse memini. Terret me loci ipsius sanctitas, Pontificis dignitas, ipsa denique oraculi maiestas, quod tum consulebat. Miror autem interpretes cur ita sentire in animum induxerint, cùm ipsa Dauidis oratio palàm à mendacio abhorreat. Quid enim ait? *Rex*, inquit, *mihi præcepit: Nemo sciat rem, propter quam missus es, & cuiusmodi præcepta tibi dederim.* An non hoc verum est, aut forsan inauditum vt fingi videri queat? Ephestioni Alexander annulum ad os applicuit, vt meminisset sibi indictum silentium. Et Raphael Angelus Tob. 12. *Sacramentum Regis*, inquit, *abscondere bonum est*. Cùm igitur suscepti itineris rationem Sacerdos exposceret excusatione vsus est generalis interdicti, de quo tum primùm admonitus est, cùm è pascuis in aulam ascisceretur: eos nimirùm, qui Regis mysteriorum fierent participes, summa fide silentium seruare oportere. Quare cùm eiusmodi videretur esse Pontificis interrogatio, Miror quid causæ esse potuerit, cur te solum Rex mitteret: an fortè latent vspiam insidiæ? & tu exploratum venis? An Palæstinorum insidijs clade miseranda obruti milites tui iacent, & tu solus incolumis famæ præuertens euasisti? An aliud quidquam est maioris momenti quod solus obires? Nam si superuentu hostis opprimendus est, si qua fortè erumpens coercendus, quid solus efficies? Dauid respondet, cùm Rex illi mandata daret, prohibuisse sedulò ne cuiquam arcanum proderet. Ita sacerdotis noscendi studium repressit, quod faciens, nescio cur mentitus arguatur: aut qua gratia innocentem animam, & veritatis studiosissimam mendacij labe aspergamus?

REX PRÆCIPIT, &c.

Veruntamen, inquis, non quid olim præcepisset Rex, aut etiam interminatus fuisset, percontabatur Pôtifex, sed cur hoc præsenti tempore solus adueniret: quod non sine causa grauissima Rex imperaturus videbatur. Quare cùm veritas sit pars quædam iustitiæ, quæ id quod est proximum doceat, & temporis quoque filia habeatur: non poterit non mentitus videri, qui de re præsenti interrogatus, tâquam subornato præterito tempore, illudit sciscitanti. Respondeo, sanè veritatem ab Ethnicis temporis filiam habitam. Sed quod dictum est de tempore, multi ad Saturnum transtulerunt, modica inflexione inter χ. & κ. propter simplicitatem, & candorem illorum temporum. Alij ita interpretandum censuerût, quod successu temporis abdita proferantur in lucem. Mihi sanè temporis mater dicenda potius videtur quàm filia: quippe æterna ipsa cùm sit, temporis omnes partes suo sinu complectitur. nec minus verax est qui res præteritas affirmat, quàm qui præsentia fatetur. Cæterùm in vero dicendo consideranda sunt diligenter περιστάσεις, apud quos, cur, quo loco, quo têpore. Veritas enim nec vbique, nec apud omnes prodenda est. Nunquam quidem illa neganda est, seu potius dicendum mendacium: non tamen passim omnibus effutienda. Nam res à se pulchrè gestas, & si quis verè narrare possit, tamen si vbiq. crepare velit, ineptus sit. Et si quis flagitium aliquod suum velit vbique prodere, videbitur peccatum suum prædicare vt Sodoma, quod Scriptura reprehêdit. Christus rogatus à Pilato, quid esset Veritas, tacuit, quod videret id illi loco, & tempori non conuenire. Quod idem fecit cùm sisteretur coram Herode. Imò etiam monuit discipulos suos, *ne margaritas obijcerent porcis, ne sanctum canibus*. Et Paulus ad Corinthios, *Non potui*, inquit, *vobis loqui tanquam spiritualibus, sed tanquam carnalibus: nondum enim poteratis*. Sed & illud animaduertendum est, sponte facias, an coactus imperio: an præter ius & æquum adductus in discrimen, vnde euadere non possis, si quod quæritur quispiam extorqueat. Nam tum eo pacto expedire te his laqueis possis, si falsi quidem nihil asseras, non tamen id respondeas quod te interroget, cuius interrogandi nulla potestas est: aut si qua est, per summam iniuriam eadem abutitur. Hoc fecisse Dauid apud Pontificem manifestum est. Nam cùm esset criminis expers & alienus à scelere, ad necem tamen quærebatur: ipse verò Regis elapsus ex insidijs ad Pontificem confugit. At mox idem rei insolentia territus aduentus eius causam flagitare cœpit. Quod cùm animaduerteret Dauid, & vereretur si fugam fassus esset, ne aut Regi vinctus proderetur, aut saltem necessario vitæ subsidio

Veritas quo pacto temporis filia habeatur.

Non mentitur qui et certa ratione tegit veritatem.

VEL QVINQVE, &c.

subsidio carere: mentiri quidem in animum haudquaquam induxit: sed statuit concessa à Deo libertate vti, & arbitrio suo veritatem dicere. Neque enim cùm ea res ad Pontificis munus nihil attineret, & alioqui de sua salute periclitaretur, interroganti morem gerere tenebatur; quin potius eidem liberum fuit quod vellet respondere, tantùm vt à mendacio abstineret. Non indicat itaque rem ipsam quam quærebat Pontifex, ne non ab eo armis, cibo, commeatu iuuaretur: sed aliud quippiam docet quod verum erat, & sibi data à Rege mandata, & imperatum silentium. Quod verò his Pontifex elusus suæ quæstioni satisfactum crediderit, idque Dauid summopere studuerit, nihil spectat ad mendacium. Non enim hoc contendit Dauid vt falsum crederet: vera siquidem eloquutus est: sed ne aliquid præterea inuestigaret, quod prodere nulla ratio cogebat, & fraudi sibi futurum non dubitabat.

VERSVS III.

Nunc ergo si quid habes ad manum, vel quinque panes, da mihi, aut quicquid inueneris.

Variæ trãslat.

PAgninus, *Et nunc quid est sub manu tua? quinque panes da in manu mea, vel quod inuenitur.* Arias, *vel inuentum.* Idem Chaldæus. Latinus eius interpres vertit *tortas panis.* Quidam, *Nunc igitur quid est penes te? quinque panes tradito in manum meam; aut quod prestò est.* Græci consentiunt.

Sanctorum tyrocinia.

Mucronem & aciem vixdum euaserat, cùm in profugum fames inuasit. Lectoris esto iudicium, quid tolerabilius existimet gladio an fame perire? Dauid in his autore Deo tyrocinij sui rudimenta posuit, quæ summorum Philosophorum constantiam labefactare possent. Quis non miretur diuinam sapientiam? Dauidem quem regijs opibus cumulare parabat, prius ad quærendam stipem compellit. Quis mortalium deinceps à paupertate abhorreat, quam ad imperij culmen munire viam Dauidis exemplo didicerit? Nec verò illa temporale duntaxat consequitur, sed etiam æternum, si tamen Christo credimus asserenti *beatos pauperes, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Alias etiam Petro sciscitanti respondit: *Vos qui reliquistis omnia, & sequuti estis me sedebitis super sedes duodecim, &c.*

Vel quinque panes.] Animaduerte autem quid postulet: non exquisitas dapes, aut delicias, sed panem. Non enim delicias eum sectari decet, qui paupertati studeat. Sed panis nomen, inquies, Hebræis designat omne genus cibi. Fateor. Sed id hoc loco non habet locum. Nam Sacerdos respondet de panibus propositionis. Illi autem conficiebantur ex pura similagine, & hebdomadatim ponebantur duodecim, seni, & seni in mensa coram Domino: vt habetur capite vigesimo quarto Leuitici. Sabbato tollebantur de mensa, & alij apponebantur calidi. Ita vt videri possit non epulas, non cœnæ regiæ lautitiam, sed necessarium panem quærere. Tametsi reuera non paucis, qui à molliori vitæ consuetudine ad Euangelicæ paupertatis studium se contulerunt, id fecisse non sine molestia contigit. Nam Sancti Chrysostomus, Fulgentius, Bernardus, Thomas Cantuariensis, dum à consuetis cibis abstinent, & cibario pane vescuntur, aut etiam Diogenis oleribus, seu potius Danielis leguminibus, non minimam valetudinis suæ iacturam fecerunt: quam tamen diuina gratia, insitâ supra vires humanas constantiâ, atque incredibili animi robore sarciuit.

Budæus. Qui olim Episcopi in Iure Ciuili.

Vel quinque panes.] *In Pandect. Titul. De muneribus & honoribus. L. Vltim.* Item Episcopi qui præsunt pani & cæteris venalibus rebus, quæ populis ciuitatum quotidianum victum suggerunt, personalibus muneribus funguntur.] Hîc, inquit Budæus in annot. in Pandect. episcopos significare eos inspectores puto, qui de panificijs & cæteris venalibus pro potestate cognoscunt. quales sunt apud nos quos magistros opificiorum vocant, quibus opifices opificia sua vt approbent necesse est instituto municipali, aut in mulctam incidant, nisi, (quod plerunque fit) prolato ære se tueantur, vt prisco verbo vtar.] Itaque Dauid non sine causa panem ab Achimelech petit, si Pontificem eundem Episcopum esse censemus. Pontificem sanè charitatis studio panem semper habere paratum decet, quem miseris exhibeat. Alia tamen vocis origo ostendi potest, quæ non minus quadret in Episcopum. Ἐπισκοπεῖν Græcis inspicere est. Episcopi autem, inquit Budæus, & Ephori sunt, quibus non solùm oculis lustrandi potestas, sed etiam prouidentia & cognitio mandata est: à qua significatione Episcopi Antistites dicuntur. Quod vocabulum si latinè transferre quis velit, non verius speculatorem, vt censeo, quam inspectorem vocarit. Est enim id verbum ei rei accommodatum. Cicero nos enim Augures obnuntiationem solùm habemus: Consules & reliqui Magistratus etiam inspectionem, ἐπισκοπήν. Inspicere etiam est rem penitus considerare. Vnde inspicere hominem Plinio in epist. est penitus nosse. Item inspector, quasi δοκιμαστήν, nomen est artificij, vt sunt quibus res inspiciendæ mandantur, & æstimandæ antequam emantur. Herodotus li. 5. dixit ἐπίσκοπα τοξεύειν, quod est sagitta vmbilicum ferire, scopum assequi. Quæ sequuntur igitur eò magis collineant. Homerus Episcopum Hectorem prædicat quod is potissimùm Troiæ prospiceret. In Scholiographis Græcis, inquit Cœlius, ita lego: Quos ad sibi subditas obnoxiásque ciuitates mitterent Athenienses spectatum, quid in quaque fieret, episcopos fuisse vocatos ac phylacas. Hoc verò, inquit, eò apposui libentiùs, vt nodus explicaretur M. Tullij ex septima epistol. ad Atticum: Vult, ait, me Pompeius esse, quem tota Campania & maritima ora habeat episcopum, ad quem delectus & negotij summa referatur. Scipionem item Africanum à Senatu missum esse episcopum gentium, regumque, Plutarchus

Episcopi munus & etymologia.

Homerus Iliad. x. Rhodig. li. 18. cap. 3.

VEL QVINQVE, &c.

scribit. Certè apud Pindarum in Nemeis, dici Acastum obseruauimus Magnetum σκόπον, id est episcopum ac regem, accedente interpretum calculo. Ἐπισκόπους virginum Plutarchus agnoscit in Numa. Deos etiam suos ab Ethnicis episcopos nominatos nonnullis exemplis probat, atque in primis Mercurium & Dianam. Inde nomen Episcoporum nostrorum ductum videri possit potiùs quàm à panis præfectura. Episcopos dici velut ἐπισκοποῦντας, id est super intendentes, aduigilantesque, vt necessaria non desint, autor est S. Hieronymus: id quod significantius indicat Græcis ἐπισκοπεῖν, quàm Latinis inspicere. Quid si ea dictione exprimi conijciam quod iubet Apostolus, *vt sint ipsi forma gregis?* sunt enim Episcopi velut scopi quidam in exemplum propositi, quorum virtutes populus miretur & cõsequi studeat. Vt enim Eustathius Homeri interpres Iliad. κ. docet, μὴ δὲ ἐ σκοπὸς ὁ αὐτός, præpositione haud secus quàm in ἐπισκόπος redundante. Cæterùm vndecunque petita etymologia videatur, illud meminisse debent, pauperũ curam priuatim ad se pertinere. Non enim solùm regere imperio populos instituti sunt, sed etiam velut patres, quibus opus sit, & quantum ipsi præstare possint, ad incitas redactis necessarium panem suppeditare.

S.Hieron.

Quod autem addit, *Aut quicquid inueneris*, eò pertinet, vt si fortè panis eum deficeret, quacunque tandem ratione famem expleret. Nam dactylis, & ficubus, vuisq; passis ea regio abundat: quibus etiam postea ab vxore Nabal in deserto donatus est. An fortè si quid etiam obsonij paratũ haberet id sibi dari postulauit? Optimum, vt aiunt, condimentum fames. Esuries pasci facilis. Narrat Diodor. Sicul. lib. 1. Antiq. Guefactum Ægypti Regem, Vechoridis Sapientis patrem, in Arabiam cum exercitu profectum, commeatu in locis desertis deficiente, coactum esse cibum vilem ab idiotis, qui fortè occurrerant, sumere: quo lætatum, cùm præter modum suauis visus esset, despexisse aiunt atq; abominatum esse, qui primus Regum sumptuosiori cibo esset vsus. Et Sanctus Iob, *Anima*, inquit, *esurienti etiam quæ amara sunt dulcia videntur.* De Persis Xenophon Cyrop. lib. 1. Donec, inquit, venantur, non prandent. Sed si quid opus fuerit, aut feræ ipsius gratia præstolari, aut aliter velint tempus terere in venando, hoc prandio pro cœna vsi postridie venãtur ad cœnam vsque: & duos hos dies pro vno supputãt, quod vnius diei cibum consumunt. Hoc autem faciunt consuescendi gratia, quò, si quid etiam in bello oportuerit, id eis sit factu facile. Quod si quis eos existimat aut vesci iniucundè, quum aliud nihil præter nasturtium addant ad cibum, aut potu minus suaui vti, cùm aquam bibant, reminiscatur, quanta cum voluptate massa panéque vescuntur in fame, quamque suaue est bibere aquam in siti. Hæc ille de Persis. Nos verò, quod experiri contigit, idem de Religiosis asserere possumus. Nam quibus locis præscriptus ieiuniorum canon legitimè seruatur, vix ad consuetam reficiendi horam cibi appetentia deficit: nec admodum fercula consideramus, aut missus, si fortè plures raro Sæcularium stu-

Diodorus Optimum condimentum fames

Xenoph.

A dio ac liberalitate inferantur, admodum nouimus inter se componere: imponit enim nobis diuturnior inedia, & stomachi hiantis improbitas. Multa sanè, vt Patriarchæ verbis vtar, quæ *prius tangere nolebat anima mea, nunc præ angustia cibi mei sunt:* & quadragesimales cibos, à quibus antea abhorrebam, postquam id vitæ genus suscepi, fame atque inedia magistris delitias esse didici.

VEL QVINQVE, &c.

Sed quid illi venit in mentem cur quinq; panes potius quàm sex aut quatuor peteret? An quia fortassis par erat stipatorum numerus, quos destinato loco seipsum iusserat opperiri? An quia pari numero silices olim è torrente legerat, quibus Goliath conficeret? An quia iam quinta vice Saulem fugiebat, vt par esset necessitati subsidium? Nam primò quidem bis fugisse narratur cap. 18. vers. 11. Tertiò à principio B capitis 19. mox quartò eodem capite cùm demisso fune per fenestram euasit, & ad Samuelem confugit. Postrema est & quinta numero quæ hoc loco fuga narratur, cuius deinceps varios errores ac multiplices ærumnas reliqua pars huius libri describit. An fortè cùm Saulem fugeret nunquam postea rediturus, & Christum Synagogam deserturum haud obscurè adumbraret, primùm quinque libros Moysi, seu quæ Iudæis Apostolo teste credita fuerant eloquia Dei, ab Aaronico sacerdote repetenda censuit, quibus fugæ comites sectatorésque suos aleret? An potius reuera cùm peteretur inimicorum insidijs, & iam in summo discrimine versaretur, ad Christi quinque vulnera C oculos retulit, quibus tanquam nepenthes succo, seu potius manna in deserto, languentem ac deficientem animam recrearet? At sunt quorum anima nauseat, vt aiunt, super cibo isto leuissimo: quos dirus manet interitus, & apud sepulchra concupiscentiæ æterna nominis infamia. Crœsus cum ius illud nigrum, Laconum delicias, fastidiret, è solio in rogum incidit. Ophni & Phinees dum sacras dapes aspernantur, & profanis inhiant, horrenda clade oppressi sunt.

Quãobrem panes quinque petierit.

Da mibi.] Balsamon ad can. 59. Apostolorum. Ὁ ἐπίσκοπος ὀφείλει μετὰ τὴν ἀναγκαίαν αὐτοῦ δαπάνην, καὶ τὴν τῆς ἐκκλησίας καὶ τῶν κληρικῶν συνήθη διοίκησιν, τὰ περιττεύοντα ἐκ τῶν εἰσόδων τῆς ἐκκλησίας ἐξοδιάζειν πρὸς πτωχούς. πτωχικὰ γὰρ καλοῦνται. id est, Episcopus debet post necessariam suam impen- D sam, & Ecclesiæ clericorumque solitam dispensationem, quæ supersunt ex ecclesiæ reditibus, in pauperes erogare. Reliqua enim redituum Episcopalium, siue, vt Cicero loquitur, quæ de Ecclesiæ vectigali redundant, ob eam causam quod mendicis distribui soleant, Græcis πτωχικὰ dicta sunt. Id quod Zonaras ibidem confirmat. Τὰ τῶν ἐκκλησιῶν, inquit, πράγματα πτωχικὰ ὀνομάζει, ὡς διὰ ταῦτα ἐξοδιάζεσθαι τοῖς πτωχοῖς. Hoc est, idcirco res ecclesiarum πτωχικὰ vocari, quòd πτωχοῖς siue pauperibus conferantur. Huius rei testimonium sanè luculentum habes à sancto Ioanne Chrysostomo homilia 67. in caput vigesimumprimum Matthæi. Ἑνὸς τῶν ἐσχάτων πλουσίων καὶ τῶν μὴ σφόδρα πλουτούντων πρόσοδον ἡ ἐκκλησία ἔχουσα, Vnius diuitis, nec

Balsamon.

Quę de Ecclesiæ vectigali redundant, ea pauperibus cedant.

Quæ dicta sint πτωχικά. Suidas.

S.Chrysost.

VEL QVINQVE, &c. nec valdè locupletis hæc ecclesia fructus colligens, ἀνέχουσα ὅσαις ἐπαρκεῖ καθ' ἑκάστην ἡμέραν χήραις, ὅσαις παρθένοις, cogita tecum quot viduis, quot virginibus quotidie succurrat. καὶ γὰρ εἰς τὸν τῶν τρισχιλίων ἀριθμὸν ὁ κατάλογος αὐτῶν ἔφθασε. &c. Iam enim numerus eorum in catalago ascriptus ad tria millia peruenit: & præterea multis qui carceres habitant, auxiliatur, multis in hospitali laborantibus, multis aduenis, multis leprosis, omnibus qui altari assistunt, cibaria & indumenta præbet, multis etiam qui quotidie ad petendum accedunt, nec tamen ecclesiæ opes hactenus diminutæ sunt. Hactenus S. Chrysostomus.

Chartusianorum in pauperes prolixa liberalitas. Quousque tandem processerit Occidentalium Monachorum pia liberalitas, ex vnis Chartusianis intelligi potest: qui tametsi inter Monachos principem locum pietate ac religione obtinent, haudquaquam tamen opes suas cum pluribus eorum adæquarunt. Scribit Belforestius in sua Cosmographia tom. 1. in descriptione præcipuarum Luteriæ Ecclesiarum, coactos quandoque Ædiles Vrbanos vim nimiam eleemosynarum edicto prohibere, quòd viderentur ijs qui agros colerent, si nullo discrimine petentibus dare pergerent, ad metendas fruges operæ defuturæ. Illi verò hactenus cùm reliquarum virtutum laude Religiosis omnibus prælucent, tum in fouendis egenis singularis eorum liberalitas, & in suscipiendis peregrinis hospitalitas, nullo non loco commendantur. Neque verò hi soli benignitatem erga pauperes complexi sunt: sed cum adhuc opes integræ essent, & necdum in scorta & canes à Commendatarijs erogarentur, certatim ampla quondam Monasteria de studio atque largitate aduersum inopes contendebant. Nec plura referre statui: sed quando Floriacensis Monasterij Bibliothecam habeo præ manibus, illud vnum specimen edam prolixæ Monachorum liberalitatis. Igitur præter quotidianas eleemosynas quas accipiebant, qui occurrebant ad Monasterij ianuam, & necessarios sumptus gratis patentis hospitij, & quæ partim indotatis virginibus partim egentibus scholasticis largiebantur, quo eorundem ingenio aut pudori prospicerent præter statuta ieiuniorum *mandata*, quibus non modò pauperum pedes lauabant, sed etiam pane & vino eosdem pascebant, hæc quoque perpetua lege sicut ex eorum Consuetudinibus patet, obseruare consueuerant. Feria Quinta, quam dicunt in Cœna Domini, centum pauperes pedes ab Eleemosynario abluti, bina fercula accipiebant fabarum & milij: panem & vinum non illi centum duntaxat, sed quotquot eo die petissent. Neque tamen his exhausta aut contenta fuit eorum liberalitas. Ipse Abbas semel atque iterum eodem die *mandatum* duodecim pauperibus faciebat, quibus sua manu lotis panem & vinum offerrebat cum duobus arencijs (alleces ita vocant) & viritim denarijs duodecim. Simile *mandatũ* Abbas rursum duobus sequẽtibus diebus exequitur. Præter quod illud quoque in more positum fuit, vt die sancto Parasceues in refectorio secundum consuetudinem vinum in iustitijs poneretur, & fabæ

Belforest.

Bibliotheca Floriac.

A apponerentur, nec tamen Monachi quicquam præter aquam herbasque crudas & panem degustarent: sed vinum & fabæ in commodum pauperum cederent. In Pentecoste verò centenis rursum pauperibus panis & vinum præbebantur: quibus etiam priuatim cuique aut caro distribuebatur, quam visceratione Latini dixerunt: aut tres minutæ appendebantur. Postremò etiam in die Commemorationis fideliũ defunctorum, Eleemosynarius Monasterij bladi siue tritici binos modios in panes conficiendos impendebat, quos eo die mendicis impertiebat. Modium autem intelligo non Romanũ, qui medimni sexta pars est: sed qui nostro more plerisque Galliæ locis medimnos capit quatuor & viginti, quem nos vulgò *muid* vocamus. Qui secus fecissent, & quæ de ecclesiæ vectigali

Sacrilegi quondam habiti, qui Eccles. bona ad se deriuarent.

B redundarent in priuata sua commoda deriuassent, aut in res vanas impendissent, eos pro sacrilegis furibus sancti patres habuerunt. Testatur hoc S. Isidorus Pelusiota lib. 1. Epist. 425. Etenim hanc iniuriam vehementiùs expostulat cum Eusebio Episcopo, quem acceperat præterea sæuum & immitem Archidiaconum & Oeconomum ecclesiæ suæ bonis præfecisse. Herculeum iugum, inquit, vt ad me allatum est, truculento apro copulasti, atque audaci ac truculento leoni pauperum curam commisisti. Καὶ εἰ μὲν χρήμασι προέδωκας τῇ δυάδι ξυνωρίδι τὰ πράγματα, τοῦτο καὶ Ἰούδας ἐποίησε, τὸν κύριον πωλήσας τῶν χρημάτων. εἰ δὲ καὶ λήμματος καθαρὸν τὸ ἁμάρτημα, αἰσχυνθήτωσαν οἱ ἀνομοῦντες διακενῆς. Hoc est, vt vertit Billius, Ac siquidem pretio adductus eximiæ huic bigæ res prodidisti, hoc Iudas quoq; fecit, cum

S. Isidor. Pelus.

C Dominum pecunia addixit. Sin autem quæstu peccatum hoc vacat, *Confundantur iniqui agentes superuacuè.*

Diodorus. In sacris rebus vsurpandis periculosa temeritas. *Da mihi.*] Pericles apud Diodor. Sicul. lib. 12. docet Athenienses rebus sacris, tantisper dum aliqua belli necessitas vrget, fas esse à Deo acceptis tanquam subsidio quodam, ad rerum summam sustentandam vti, dum parta pace, ciuibusque compositis, res ipsæ diuturna quiete coalescentes, & ad felicitatem prouectæ, pecuniam veluti mutuò à dijs acceptam, cumulatè restituere valeant. Cæterùm hoc fecisse, pessimè cessit. Athenienses finitimos bello adorti, cùm quiescere possent. Maiores nostri quid senserint, dixi priore tomo ad ver. 11. cap. 4. At diuinæ seueritatis in eos qui res ec-

D clesiasticas diripere, aut quocunque titulo sibi vendicare conati sunt, autores Bibliothecę Floriacensis complura exempla suppeditant. In primis autem Aymoinus Floriacensis Monachus lib. 3. de Miracul. S. Benedicti cap. 5. Anonymus item Miracul. S. Bened. lib. 4. cap. 15. & 23. & 36. Et rursum ibidem in vita Sancti Machutis Aletæ Episc. cap. 13. & 15. quibus locis narratur, quomodo cùm laïci, quæ est nota cantio & bene vetus sæcularium infidelium, de magnitudine ecclesiasticarum possessionum quererentur, & terram posteris suis defuturam desperarent, nec mediocriter propterea pastori suo molesti essent, ab eodem anathemate icti sunt: quos etiam mox vbi contumaces esse sensit, diris deuouens, ac terræ

Biblioth. Floriac.

VEL QVINQVE, &c.

eorum sterilitatem imprecans, deseruit. Quæ omnia cùm ipsi contemnerent, & rebus Ecclesiasticis abuterentur, numinis iram, quam S. Machutes interminatus fuerat, statim experti sunt. Nam alios quidem tetra lues consumpsit; alios lepra corripuit; nonnulli oculis capti sunt; quidam celeri tabe perierunt; complures diuturnus languor occupauit. At verò segetes aut in herba pruina decoxit; aut pubescentes dira tempestas populata est: pluribus etiam terra sementem sorbens fœtum ipsi negauit: donec tandem fracta malis pertinacia eius opem implorare coacti sunt, quem prius iniuriosè expulerant. Non sunt iræ tenaces qui pietati student, nec placari difficiles. Quare mox vt scelerum pœnitentia duci eos animaduertit, mali quicquid ipsi sibi consciuerant, benedictione sua procul auerruncauit. Vt tamen rediret persuaderi non potuit. Vide & B. Petrum Dam. lib. 1. Epist. 9. ad Nicolaum 2. & lib. 2. Epist. 15. De Carolo Martello dira quædam narrat Adreualdus Floriacensis lib. 1. de miracul. S. Benedicti cap. 14. Historiam acceptam refert SS. Eucherio Aurelianensi Episcop. & Bonifacio Martyri, quàm repetit Iuo in Chronico: sed eam constare non posse docet Baron. in Annal. ad ann Domini 741. Leo Pictauensis, Chrami Clotharij Regis filij consiliarius, cùm temerè aliquando dixisset, Martinum & Martialem confessores Domini nihil fisci rationibus contulisse, surdus & mutus amensque mortuus est. Autor S. Gregorius lib. 4. cap. 16. Apud quem hæc quoque de Clothario habentur, lib. 4. cap. 2. Indixerat, inquit, Rex Chlotharius, vt omnes Ecclesiæ regni sui tertiam partem fructuum fisco dissoluerent. Quod licet inuiti cùm omnes Episcopi consensissent atque subscripsissent, viriliter hoc B. Iniuriosus respuens subscribere dedignatus est, dicens: *Si volueris res Dei tollere, Dominus regnum tuum velociter auferet; quia iniquum est vt pauperes quos tuo debes alere horreo, ab eorum stipe tua horrea repleantur.* Et iratus contra Regem, nec vale dicens abscessit. Tunc commotus Rex, timens etiam virtutem B. Martini, misit post eum cum muneribus, veniam precans, & hoc quod fecerat damnans, simúlque rogans, vt pro se virtutem B. Martini Antistitis exoraret. Hæc S. Gregorius Turon.

Martellus S. Eucherio ann ... aut ... perstes mansit.

S. Gregor. Turon.

De Commendis, & Commendatarijs quid sentiendum sit.

QVÆSTIO XXXIX.

IAm dudum toties de Commendis à pluribus sententiam rogatus, pro virili mea, quàm potero breuissimè, satisfaciam. Respondeo primùm Commendas triplici genere contineri. Quasdam enim Vicarias dicimus, quæ præsule mortuo tantisper obtinent donec legitimus antistes eidem Ecclesiæ præficiatur: quæ plerunque solent semestri tempore definiri. Aliæ sunt Commendæ, quas etiam Præceptorias dicunt, militarium Religionum: quas ex communi præscripto Ordinis professi Equites, aut etiam emeriti consequuntur, neque quisquam dubitat eas sibi vtendas iure vendicare. Denique tertia quædam species Commendarum est, quæ id nominis inde sortitæ sunt, quòd cùm Monasteria legitimis præfectis careant, siue Priores illos, siue Abbates dicere placeat: alienis ita commendantur, vt æquato iure cum legitimis rerum gerendarum perpetuam procurationem habeant, & qui superant fructus proprios sibi ascribant. De hoc tertio genere nobis sermo est: reliquas, quod ad præsens tempus attinet, valere iubemus. Multi siquidem, quos Dei timor, & gehennæ metus de sua salute solicitos habet, cùm sceleris conscientia torqueantur, non rarò nobis molestiam exhibent, quærentes, si fortè queant vtilitati suæ nostro periculo consulere; cùm nec vulgatæ opinioni, nec quorundam responsis satis fidem adhibeant, quos vident similium rerum cupiditate cæcari. Complures scilicet tanquam in manifesto scelere deprehensos lux arguit; cùm ne fingere quidem possint quo iure aliena vsurpent, & quæ ad se nihil attinent. His ego difficultatibus, quibus eos expediam, cùm non inuenerim, si quid est quod diuturna meditatione inuestigare potui, in medium afferam, neutram in partem dissimulans; vt cùm diuersarum momenta rationum expenderint, tum maturè statuant, possintne olim apud supremum iudicem suum illud factum tueri. Ostendam autem primùm quibus argumentis Commendarum institutio, qua lege nunc apud nos seruatur, oppugnari queat. Deinde, si quid est, quo defendi & iusta asseri possit, hoc quoque sedulò persecutabor.

Commendarum triplex genus.

Quod genus Commendarum in disceptationem vocetur.

In primis igitur sic arbitror, tametsi Monachi priuatim nihil possideant, quæcumque tamen aut suo ipsi labore atque industria pepererint, aut fidelium liberalitate consequuti fuerint, ea publicè communitérque possidere. Neque enim communes contractus votorum religio rescindit: sed si quid singuli clanculùm separatímue sibi asciscant, hoc paupertas Euangelica damnat. Vnde sequitur, vt si quis ea ab illis auertat, aut inuitis per vim eripiat, nihilo secius fur & prædo habendus sit, quàm si sua cuilibet auferat legitimè possidenti.

Monachi communiter possident.

Arbitror secundò, facultates Monasteriorum non prorsus æquali sorte cum reliquis Ecclesiasticis bonis, sed potiori iure à Monachis possideri: cùm professi statum induant, qui nulla lege labefactari potest. Nam summus Pontifex pro sua potestate, vt non pauci scribunt, indicta causa iubere potest Episcopus abdicet. Potest etiam inutili, rerúmque ac literarum imperito, ne quid in gregem peccet, dignitatem abrogare. At nihil horum, potest in Monachum: sed vbi primùm rite atque ordine professus familiæ adscriptus est, in posterum non nisi per iniuriam communium bonorum possessione poterit deijci: non ægrotus, non inutilis, non idiota, non dyscolus, non perpetuo morbo laborans sed ignauus & æger Monasterij patrimonio alendus

Bona Ecclesiastica videntur quidem Clericorum stipendia, Monachorum autem patrimonia.

VEL QVINQVE, &c.

alendus est, quoniam cohæres & compossessor sit; in officij immemorem ex Regula animaduertendum. Exturbari autem non magis potest, quàm filius è paterna domo. nisi fortè tali aliquo scelere se obstrinxerit, ob quod patri dicere liceat: Filius meus exhæres esto. Quod apud nos maximè fateri necesse est, apud quos Monastica professio bonis abdicat paternis, & adeundæ hæreditatis iure prohibet.

Monachis quod redundat, pauperum vectigal est proprium.

Illud quoque tertiò falsum arbitror, quod nonnulli temerè asserũt, superesse copiosis Monachis quod ex eorum vectigali redundet. Nam quæ superant Regula pauperibus ascribit: & ea lege communiter possident. Ita sanxit Monachorum pater S. Benedictus. Fundatorũ etiam semper hoc tacitè, plerunque etiam conceptis verbis stipulatio continet. Volumus etiam, inquit Vuillelmus Aruernorum Comes & Dux Aquitaniæ, cùm sua traderet Cluniacensi Monasterio, vt nostris successorúmque nostrorum temporibus, pro vt opportunitas atque possibilitas eiusdem loci se dederit quotidie opera misericordiæ pauperibus, indigentibus, aduenis, peregrinantibus, summa intentione exhibeantur.] Quod si quis putet id consuli magis quàm præcipi, & tantisper manere Monachorum propria, donec ipsi arbitratu suo distribuant: quod cùm facient, charitatis studio facient, non debito iustitiæ; ita vt si seruare in animum induxerint, ad restituendum cogi non possint: Respondeo, vtcunque ea res habeat, postquam earum rerum administratio ad alienum peruenerit, voluntatis Monachorum interpretationem aliunde peti non posse quàm ex eorũdẽ institutis. Quare certissimũ habeo, quæ superfluunt, ea deberi pauperibus: nec ab vllo mortalium cuiquam donari posse; nisi qui ius gentium violet in abroganda fide publica, & legitimis contractibus rescindendis. Quippe solemnis votorum nuncupatio legitimi contractus speciem obtinet. Nam quod voueo præscriptis ac solemnibus formulis, Ecclesia ratum habet: idque summa fide debet tueri. His porrò formulis, peculij quicquid hactenus esse potuit, spémque insuper omnem in posterum à me abdicans, ab Ecclesia mittor in possessionem bonorum communium.

Testamentum Vuillelmi Pij initio Biblioth. Cluniac.

Bona Monasteriorum legitimis artibus & contractibus comparata.

Vtique Monasteriorum bona partem maximam Monachorum parta labore sunt: quæ olim donata sunt, iam dudum videntur perpetuo labore quæsita. Alienos porrò labores nemo præterquàm iniquè largitur. De sudoribus antiquorum Monachorum plures olim scripserunt. Laborandi studio S. Bernardus, cùm imbecillior haberetur, metendi gratiam precibus impetrauit. Nunc quibus artibus Conuentus excitemus, perspicio: qui nescio an ad similem quandoque opulentiam emersuri sint. Nos sanè texendis sportulis vt Monachos exerceri non contigit: serere ac metere neréue non magis quàm cœli volucres, aut Euangelica lilia didicimus: sed noctu atque interdiu aut libris incumbimus, aut orationi instamus: his ferè atteritur ætas nostra, nisi cùm nos aliò proximi charitas auocat. Tum foris aut priuatim disserimus, aut publicè concionamur: pœnitentium confessiones audimus, aut ægros denique & de salute periclitantes, ad rerum præsentium tolerantiam, & futurarum studium adhortamur. Ex his nonnihil quandoque temporalis emolumenti ad nos redundat, quod summa fide Superiores nostri dispensantes, id maximè student, iuxta Apostolum, ne cuiquam graues sint: sed absque cuiusquam molestia familiam alant. Quibus verò locis aut corrupti mores incubant, aut hæresis insidiatur, eò si possint coloniam deducunt. Aream, si non inuenerint qui gratis largiantur, pretio comparant, séque ære alieno obstringunt: quod sensim ita dissoluunt, studiosè in eam rem collatis, quæ per stata tempora Aduentus & Quadragesimæ concionatoribus offeruntur. Deinde nos iubent palantes per agros Apostolicos more, concionando, docendo, confessiones audiendo, ægros visendo, famem, sitim algorémque ferendo, victum quærere. Experientia probari, quibus necessaria suppetant, impetum remittere: inediæ stimulo prædicationis studium accendi, labores tædiúmque extingui, eóque nos Mendicantes esse institutos, quo tot miseri, qui plerisque locis donis cœlestibus orbati spiritali fame intereunt, nostra cura ac sollicitudine ad vitam reuocentur. Deum militibus suis stipendia non denegaturum. Æquum esse, vt qui populum Dei prouidentiam doceant, dictis fidem exemplo suo concilient. His ferè thesauris freti, tantas operum moles excitamus: quibus ij potissimum offenduntur, qui ad hæc conferunt ne hilum quidem. Stipes minutas passim colligimus: rari conuentus suo sumptu ædificant, cæmẽta nostro sudore macerantur. Quare, si quis olim hæc ad alienos trãsferat, norit se nobis inuitis, contra ius fasque pauperum sudores alienis propinaturum, nec Deum vindicem defuturum.

Quæ olim Monachis donata sunt ea iure ab ijsdem possideri.

Veruntamen, inquis, amplissimis illis Monasterijs pleraque olim attributa sunt, quæ quæsiuisse Monachi videri non possunt. Quinimo plures, & quidem singuli, minori labore, certè minus diuturno, longè maiora consequuti sunt: quæ si quis tentet transferre ad alios, omnes iniustum clamitent. Verùm esto: quæ pridem fidelium liberalitate concessa sunt, hactenus dona habeantur: an censes vllum esse posse possessionis titulum eo iustiorem? Negauit olim Franciscus I. Castellano & Budæo præsentibus, Regum imperia pari iure posse defendi. Quare, quæ donata sunt, Monachi iure possident. Quæ autem iure possidentur, iure auferri non possunt: scelus ergo est, Monachorum facultates alienis concedere. Verùm, vt iuris & æqui ex æquo contemptor sis, & nostras rationes susque déque feras, attamen maiorum nostrorum execrationibus moueri debueras: non enim sua duntaxat Ecclesijs contulerunt: sed fures prætere a detestantur, & eorum capita omni execratione deuouent. Francorum solemnes formulas ad versum vndecimum capitis quarti descripsimus, cum alijs plerisque quæ huc attinent: è quibus ritum illum tantùm repetam, quo Franci in generali populi supplica-

Capitul. Caroli & Ludouici lib 6. cap. 285.

Vel quinque, &c.

tione res suas se offerre profitentur. Sunt autem hæc, quæ ad altare verbis conceptis effari solebant. *Offero Deo, atque dedico omnes res, quæ hac in charta tenentur insertæ, pro remissione peccatorum meorum, ac parentum, & filiorum, (aut pro quocunque illas Deo deliberare voluerit) ad seruiendum ex his Deo in sacrificijs, Missarúmque solemnijs, orationibus, luminarijs, pauperum ac Clericorum alimonijs, & cæteris diuinis cultibus, atque illius Ecclesiæ vtilitatibus. Si quis autem inde, quod fieri nullatenus credo, abstulerit, sub pœna sacrilegij ex hoc Domino Deo, cui eas offero atque dedico, districtissimas reddat rationes. Ponit etiam in ea alias coniurationes, quas enumerare longum est.* Hæc ibi: quibus alium se pauca lubet attexere. Nam Marculphus certè eadem tradit in lib. De solemnibus formulis. In quinta formula, quæ est extructionis Monasterij, hæc habet. *Si quis huic voluntati meæ per quaslibet adinuentiones seu propositiones (sicut mundus quotidie artibus & ingenijs expolitur) obuius vel repetitor, conuulsor etiam aut tergiuersator extiterit, anathema sit. Et sicut Dathan & Abiron hiatu terræ absorpti sunt viuentes, in infernum descendat. Et cum Giezi fraudis mercatore, & in præsenti & in futuro seculo partem damnationis excipiat: & tum veniam consequatur, quando consequuturus est diabolus, qui sese fallendo æthereæ sede deiectus, &c.* Et in formula donationis quæ est 13. *Si quis verò, &c. Vel iudicum sæua cupiditas, vel qualibet persona, obuius repetitor extiterit, à conuentu omnium Christianorum vel liminibus Ecclesiarum extraneus habeatur, & Iudæ traditoris Domini nostri Iesu Christi perfruatur consortio, &c.* Et sequenti 15. *Si quis verò, si ego ipse, &c. iram trinæ maiestatis incurrat, & cum supra scripto Sancto* (patrono basilicæ siue Monasterij) *ante tribunal Christi deducat rationes.* Anathematis & Christi tribunalis rursum meminit Form. 16. & 18. Adde his legem Alamann. cap. 1. §. 2. & legem Baiuuariorum cap. item 1. & 2. §.

Solennes formulæ donationum

Marculphus.

Quis non horrescat?

His porrò formulis Ecclesiarum Monasteriorúmque fundatores vsos, cùm priuatim singulorum locorum chartæ testantur, tum nonnullas habes in extrema parte Biblioth. Floriac. in Antiquit. Viennens. Rudolphi, Hugonis, Lotharij, & Caroli Calui Regum, quæ ijsdem verbis perscriptæ sunt: Complures verò in Bibliotheca Cluniacensi, quarum vna, quæ in S. Hugone pag. 543. Gaufrido Mauritaniæ Comiti ascribitur, hæc habet: *De quibus omnibus bonis si quis sacrilegus aut insanus Zabuli instinctu aliquid subtrahere, vel minuere tentauerit, nisi resipuerit, & ad satisfactionem confugerit, autoritate Dei omnipotentis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & Sanctorum Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, atque omnium Sanctorum, fit excommunicatus & Anathematizatus, & à liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ segregatus, vt non habeat partem cum Deo, neque cum Angelis, neque cum Sanctis eius, sed sit pars eius cum diabolo, & angelis eius, si in sua malitia perseuerare voluerit, atque in inferno pœnis debitis crucietur cum diabolo, tunc veniam habiturus, quando diabolus, & angeli eius sunt habituri.* Sed nihil illustrius in hoc genere

Antiquit. Viennens.

legi potest, quàm est testamentum illud Vuillel-
A mi Comitis Aruernorum & Ducis Aquitaniæ, quod exhibet Andreas Quercetanus initio Biblioth. Cluniac. Sic enim scriptum est: *Si quis fortè, &c. primùm quidem iram omnipotentis Dei incurrat, auferátque Deus partem illius de terra viuentium, & deleat nomen eius de libro vitæ: fiátque pars illius cum his qui dixerunt Domino Deo, Recede à nobis; & cum Dathan & Abiron, quos terra aperto ore deglutiuit, & viuos infernus absorbuit, perennem incurrat damnationem. Socius quoque Iudæ Domini proditoris effectus æternis cruciatibus retrusus teneatur: & ne ei in præsenti seculo humanis oculis impunè transire videatur, in corpore quidem proprio futuræ damnationis tormenta experiatur, sortitus duplicem direptionem cum Heliodoro & Antiocho, quorum alter acris verberibus coercitus vix*
B *semiuiuus euasit; alter vero nutu superno percussus, putrescentibus membris, & scatentibus vermibus miserrimè interijt: cæterísque sacrilegis qui ærarium domus Domini temerare præsumpserunt, particeps existat, habeátque, nisi resipuerit, Archilaum totius Monarchiæ Ecclesiarum, iuncto sibi Paulo obstitorem, & amœni paradisi aditus contradictorem, &c.* Prius etiam hanc ille legem suo testamento dixerat, studiosè ac singillatim cuncta nominans, quibus caueri vellet, nec vlli parcens personæ. *Neque aliquis Principum secularium, non Comes quisquam, nec Episcopus quilibet, non Pontifex supradictæ sedis Romanæ, per Deum, & in Deum omnésque Sanctos eius, & tremendi iudicij diem contestor, deprecor, ne inuadat res ipsorum Dei seruorum. Non distrahat, non minuat, non procamiet, non beneficiet alicui personæ, non aliquem Prælatum super*
C *eos contra eorum voluntatem constituat, &c.* Hactenus Vuillelmi testamentum.

Vel quinque, &c.

Biblioth. Cluniac.

Illud singulariter obseruandum est, quod ait: *Non Pontifex Romanæ sedis cuiquam beneficiet, non aliquem Prælatum super eos contra eorum voluntatem constituat.* Eò nimirùm spectabant fundatores Monasteriorum cùm legitimos hæredes abdicarent, & alienos asciscerent, vt ab ijsdem Monasticæ Regulæ statuta seruarentur: idque solemni stipulatione pacti sunt. Apostolicæ autem sedi, vt testatur Ludouicus Francorum Rex Simplicis filius, Vuillelmus Cluniacense Cœnobium, *ad tuendum, non ad dominandum subiugauit.* Idcirco S. Bernardus, Tyronij subinde Monasterij conditor, cùm primùm Pictauensi Abbatiæ Sancti Cypriani præesset, & illa de-
D creto Paschalis 2. Cluniacensibus addicta esset, ijsque tantisper Abbatis officio prohibitus, donec acquiesceret: loco cedere maluit, eremúmque petere, quàm vt præter fundationis leges cuiquam subijceretur. Illud auté postea decretum reuocatum est. Sed cùm denuo innouatum esset, Romam profectus, nec auditus, Summum omnium iudicem Deum appellauit: quo primũ irritatus Pontifex, mox communicato cum Cardinalibus consilio territus, non modò æquum censuit virum pristinæ libertati restituere, sed & augere Cardinalatus dignitate statuit: quam tamen is constanter repudiauit. Autor Duchesnius in Paschali 2. ex Gaufredo in vita sancti Bernardi Tyronensis. Nec prorsus iniuria. Quippe cùm primùm sui iuris essent, qui

Ad tuendum, inquit, non ad dominandum Cluniac Monast. Pontifex accepit.

Ibidem pag 6 in quodam Precepto Ludou. Regis.

Duchesnius in Vitis Pontific.

Monasticam

VELQVIN QVE PANES, &c. Monasticam vitam profitentur, sponte iugum subierunt: & cùm rerum aliarum, tum ipsius pretiosissimæ libertatis iactura, optatum sui Ordinis portum tenuerunt, quibus haudquaquam fraudi esse debet quòd sancti Patres quòd Ecclesiæ, quòd publicæ fidei fidem habuerunt: qui nec videntur supra modum obligari potuisse, quàm ex præscripta Regula intelligere potuerunt. Sed iam vnde digressi sumus, eò pedem referamus.

Atqui Pontifex, inquiunt, ita statuit, & redundantes fructus Commendatarijs ascribit. Calumnia est: caue lector aurem accommodes: neque enim Pontifex aliena largitur, quod Tyranni solent. Aliena porrò ducere debet, seu mentem Fundatorum spectet, seu præsentem possessionem. Nam Monachi quidem possident: quibus vtique fieret iniuria, si in cuiusquam gratiam propria eriperet. Fundatorum autem ea mens & voluntas fuit, ne cuiquam præter Monachos concessis opibus daretur abuti. Explicat hanc legem Fundatorum Valterus in sua Fundatione de Bertrées, quam habes in Bibliotheca Cluniacensi: *Bona verò*, inquit, *quæ ad ipsam Ecclesiam sunt collata, &c. ad vsus Fratrum ibi seruientium proficiant, nec vnquam ad aliorum vsus conferantur, vel in potestatem redigantur*. Idq; non rarò disertis verbis ipsi Pontifices confirmarunt. *Omnia*, inquit Vrbanus 2. in Confirmatione sancti Dionysij de Nogento, *omnia integra conseruentur, pro quorum sustentatione ac gubernatione donata sunt*. Suis verò literis, quibus passim summi Pontifices diuersis Monasteria commendant, nequaquam iniustitiæ patrocinantur. Nam his ferè verbis, quid iuris tribuãt Commendatarijs exprimunt. *Talem N. Abbatiam, vel Prioratum, vel Ecclesiam cum omnibus iuribus, & pertinentijs suis tibi autoritate Apostolica commendamus: per te quàm diu vixeris, & dictam N. Abbatiam, vel Prioratum, vel Ecclesiam obtinebis, tenendam, & gubernandam, ita quod durante Commenda huiusmodi, de fructibus, redditibus, & prouentibus, ipsius Abbatiæ, vel Prioratus, vel Ecclesiæ N. disponere, & ordinare valeas, sicut veri Priores, & Abbates, vel Beneficiarij ipsius Abbatiæ, vel Prioratus, vel Beneficij, qui fuerunt pro tempore, ordinare, & disponere potuerunt, debuerunt, &c.* Quibus verbis, vt arbitror, etsi Pontifex œconomum instituat, nullam tamen eidem possessionem asserit: nec verò maiorem illi disponendi, seu dispensandi res Monasterij potestatem largitur, quàm priùs veri ac legitimi Superiores habuerunt. Hi porrò nunquam tantùm iuris sunt consequuti, vt quæ superessent, in priuata sua commoda suorumve deriuare possent: sed pauperibus ex præscripto Regulæ erogare debuerunt. Quamobrem, ni fallor, perniciosè ac turpiter perditorum hominum cupiditatibus assentamur, cùm scribimus, Commẽdatarios superfluos fructus facere suos.

Redondantes fructus in vsu pauperum, aut maximè emolumentum Monaster. conferendi sunt.

Ibid.

Consuetudo tamen, inquis, excusat, quæ dudum apud omnes inoleuit. Respondeo, Perinde vt Arabes. An non saltem ignorantia? Non dubito: siquidem non est illa lex relata in tabulas, quæ furtum vetat.

Per vim igitur, inquis, & per summam iniuriam Pontifex Commendatarios Monachorum ceruicibus imposuit. Ah, ne sæui tantoperè. Sanè quidem quàm vtiliter, quamque è re nostra hoc fecit, probat funesta hæc Monasteriorum solitudo, & semper in peius collapsi mores. Sed quandoquidem non vtilitatis nobis ratio ineunda est, sed de iure respondendum: id potuisse iustis de causis negari non potest, præsertim cùm sacrilegam rapiendi libidinem suis terminis circunscripserit. Nam cùm vniuersam Ecclesiam suæ fidei à Christo commendatam habeat, eamque summo iure tueatur, eundem decuit ad Monachorum choros, quorum maximè secundum Martyres doctrina & sanctitate Orbis in se oculos Ecclesia conuertit, partem aliquam deriuare curæ ac solicitudinis suæ. Hi porrò cùm pluribus locis crapulæ atque otio dediti, à maiorum suorum institutis desciuissent, instaurandæ cælestis vitæ promptissima ea ratio visa est, si à terrenarum rerum procuratione semoti, quibus animorum acies obtundebatur, & hebescebat, intermissa diuinæ contemplationis studia cogerentur repetere. Fuit ista, quantum conijcio, præcipua causa, cur Commendatarij necessarij sint habiti. Quis verò neget summum Pontificem, cuius autoritas omnem Ecclesiam tanquam suo sinu complectitur, quibus remedijs opus sit, singulas partes posse instruere?

Ratio instituendarum Commend.

Cæterùm ætate minores legibus tutores accipiunt. Dantur etiam mulieribus diruptæ profusæque libidinis. Furiosis denique ac mente captis: neque propterea causam vllam habẽt querelarum. quin etiam si sapiant, gratiam legibus habeant, quæ per imprudentiam sua sponte præcipites ære dirui vetant, & bonis euerti. Horum nonnullis euasisse quandoque similes Monachi feruntur. quo minus nunc ęgrè remedium tolerent, si prodesse magis quàm nocere probetur. Verùm longè secus res accidit. Nam Commendatariorum vnum hoc studium esse apparet, vt pietatem extinguant: & Monachos, si quo possint scelere palam obstringant; quo iure videantur ijs expulsis suum quæstum facere. Cæterùm, raros omninò Commendatarios inuenies, cum quibus pessimus quisq; Monachus comparatus, præ illis innocens & iustus non habeatur. Nam augustissimis illis Sanctorum sedibus, è quibus olim ad iudicium proditurì sunt, & tribunalia inscensuri: hæretici pręsident, & meretriculæ, spurij, lenones, quorum sæpè nulla pars corporis à flagitio vacat. Qui tamen hæreticos sortiti sunt, longè clementiores experiuntur durissima nonnullorum Prælatorum seruitus: quorum immensa autoritate iugum ipsum ingrauescit. Non ita pridem, vt didici, in celeberrimo quodam huius Regni Cœnobio, cui Commendatarius Episcopus incubabat: λιθιάσεις Monachum tentare cœpit, atque vrinæ suppressionibus, & vesicæ imique ventris distentionibus, vrinæ ardoribus, tandemque summis doloribus vrgere; quos vbi iam ferre non sustinet, admonet Prior Abbatem Chirurgum necessariò accersendum esse, & nonnullos sumptus faciendos. Negat clemens illa anima præter annuum canonem se Monacho quicquam debere: efferri iubet, si

VEL QVINQVE PANES, &c. curari velit, in Xenodochium. Rogat illum Prior parcat existimationi suæ. etenim fore neminem qui non hoc factum grauiter accipiat. Itaque demùm ære minuto redemptus imperitus artifex, miserò atque eiulanti per summos cruciatus vitam eripuit, tantisper dum Monasterij opibus immitis prædo ad luxum & pompam abutitur. Nec verò hanc solam, sed alteram quoque Abbatiam commendationis iure deuorabat. Sed satis hactenus: nam mihi dolor vocem eripit. Olim aderit, apud quem nostras querelas deponamus: nec Sancti nobis deerunt patroni ac vindices.

Sed & vnum interim volens exemplum commemorabo, quod aliquando legisse me memini in Sermone quodam de sancto Medardo cuiusdam Anonymi, quem habes in Biblioth. Floriac. Monaster. quò vel sic terreantur aliorum exitio, qui proprio periculo moueri non possunt. Ausberto, inquit, Abbati Suession. sancti Medardi successit Guarimbertus, qui Drausione Suession. Episcopo defuncto, apud Regem pecuniæ magnitudine, & amicorum obtinuit intercessione, vt & Pontificatus dignitatem administraret, nec tamen aliquo modo pristini officium Prioratus amitteret. Erat enim in curia frequens, & plurimùm inter Regis domesticos valens: vnde tametsi difficulter, tamen suæ cupiditatis effectum obtinuit efficaciter. Vtrisque ergo pralatus gregibus, asturam vapido seruabat sub pectore vulpem, illos districtiùs æquitatis agens ratione, quibus in ouina priùs subdolè præfuerat veste. Hæc ille. Narrat autem subinde quo pacto ea quæ Monachorum erant, ipse sibi vendicaret, & iuberet in propriam domum inferri: quæ cùm aliquando Monachi, eodem absente, in cœnobium auertissent, vt primùm rescijt, irâ excanduit exitium omnibus minitans; ita vt illi ad preces, inquit, & triduanum ieiunium conuersi, constitutis horis tacerent tamen, nec psallerent præ tristitia. Adueniens aperientem fores æditu um, tam dirè percuit in ipso sacro limine, vt statim eius facies ex vulnere cruentaretur. Inde ferox & amens tam egregio patrato facinore intrò se proripit, & ad Sancta Sanctorum accedens, ausus est nebulo Dominum, cuius seruos diriperet, genibus flexis adorare dicam, an illudere? Sed non tulit vltrà prædonis insolentiam diuina iustitia: actutùm enim labentibus intestinis coram suo iudice carnifex expirauit. Discant igitur, qui rapacibus votis Sanctorum patrimonijs inhiant, ijsdem olim iudicibus sempiternum eos manere exitium.

Verùm, demus nonnullos Commendatarios egregiè fungi officio suo, nullun ne hi stipendium merebuntur? Quinimò benemerentibus decerni placet, non minùs quàm olim Vicedominis, Defensoribus, & Aduocatis Ecclesiarum: sed certum illud ac definitum. nam immensa illa licentia, qua superfluos fructus sibi vendicant, nullo iure probari potest. Primùm, quoniam ea ratione merces laborem supra modum vincit, ac superat, quod neutiquam decet in administratione bonorum pupillarium. Secundò, quòd eo pacto œconomi potior conditio est, quàm Domini. nam qua nunc lege viuitur, Monachi quidem cùm sint domini, ex asse trientem accipiunt; Commendatarij bessem. Tertiò, quia manifesta hæc iniuria est, perire domino emolumenta rei suæ, soli villico rem crescere. Quartò, quòd propterea semper studeant Monachorum numerũ imminuere, quo plura redundent. Postremò, quòd lucelli odore delectati, plurima superfluis annumerant, quorum inopia Monachi premuntur; qui vt externa subsidia sibi comparent, captare atque aucupari Laïcorum beneuolentiam coguntur. His ego rationibus, & alijs, quas antè protuli, in eam sententiam adducor, vt negem Commendatarios superfluos fructus suos facere, & asseram perinde vt tutores, mediocri stipendio contentos esse debere.

Duæ sunt præterea rationes, ob quas summus Pontifex partem aliquam possit Monachorum delibare substantiæ. nimirum Ecclesiæ necessitas vrgens, & cùm apparet longè maior emersura vtilitas. Tum enim neque Monachis irrogatur iniuria, neque fides publica testamentorum donationumve violatur. Sed de his aliàs. Quæ autem hactenus disputaui, tametsi vera esse in animum induco meum, Ecclesiæ tamen iudicio permitto.

VERSVS IV.

Et respondens Sacerdos ad Dauid, ait illi: Non habeo laïcos panes ad manum, sed tantùm panem sanctum: si mundi sunt pueri, maximè à mulieribus?

VERSVS V.

Et respondit Dauid Sacerdoti, & dixit ei: Equidem, si de mulieribus agitur: continuimus nos ab heri, & nudiustertius, quando egrediebamur, & fuerunt vasa puerorum sancta. Porrò hæc via polluta est, sed & ipsa hodie sanctificabitur in vasis.

VErsu quarto, Pagninus, *Non est panis profanus sub manu mea, sed panis sãctus*, (Arias, *sanctitatis*) *est. Num seruarunt se pueri vel saltem à mulieribus?* Chaldæus, *Si custoditi pueri singulariter ab immundiria mulieris.* Septuaginta, *οὐκ εἰσὶν ὑπὸ τὴν χεῖρά μου βέβηλοι ἄρτοι*, *Non sunt panes profani sub manum meam.* Aquila verò, vt scribit sanctus Theodoretus q. 52. non dixit *βέβηλον*, sed *λαϊκόν*, *laicum:* quomodo etiam Vulgata. Procopius, *βέβηλοι* non pro *ἀκαθάρτου*, sed pro *μὴ ἁγίου* posuerunt. *Si custodierunt se pueri à muliere, & comedent.* Quidam, *Non est panis plebeius sub manu mea, sed sanctus adest: si cauerunt sibi pueri (ab immundis) saltem à mulieribus.* Vatablus in Schol. Dicunt eum confestim obtulisse illi panes propositionis, quòd sciret eũ magna fame pressum. Variæ trãslat.

Si

Si mundi sunt pueri.] Honoris causa tantùm mentionem facit famulorum Dauidis Achimelech. Nam per seruos Dauidem intelligit. *A mulieribus.*] Id est, à pollutione quæ contrahitur cum muliere. Alius, *Non habeo laicos panes*, interpretatur communes, profani vsus. *Si cauerint sibi ipsi, vtique à mulieribus.*] Id est, sui sanctificationi studuerint, adeò vt ne ad vxores suas quidem accesserint. Quæstio est, quam sumit Sacerdos ex analogia mandati, de quo Exod. 19.15. & ex oraculo Dei, de quo infrà versu decimo, & capite sequenti, versu decimo, quasi dicat, qui rebus sanctis sanctorum (quales sunt hi panes) vsuri sunt, hac puritate præditi esse debent, quã Deus à populo ad se accessuro exegerat, & nunc quoque mandato exigit.

Variæ trãslationes — Versu quinto, Pagninus, *Verè* (Arias, *Quinimo*) *mulier prohibita est à nobis sicut heri & nudiustertius, cum egressus sum & fuerunt vasa puerorum* [illegible] *kodesc. sanctitas. & ipsa via profanationis, & etiam quia hodie sanctificabitur in vase.* Ita verbum è verbo Pagninus transtulit. Chaldæus, non minorem patitur difficultatem, dum interpres singula verba magis quàm phrasim curat exprimere. *In veritate mulier remota nobis vt ab heri & ab ante ipsum in exitu meo; & fuerunt vasa ipsorum adolescentium puro ad sanctum & ipse non in via profana fuit ambulans. & die hoc fuit comestus, & non profanatus in vase.* Septuaginta clariùs, Ἀλλὰ ἀπὸ γυναικὸς ἀπεσχήμεθα ἐχθὲς καὶ τρίτην ἡμέραν, ἐν τῷ ἐξελθεῖν με εἰς ὁδὸν γέγονε πάντα τὰ παιδάρια ἡγνισμένα, καὶ αὐτὴ ἡ ὁδὸς βέβηλος, διὸ ἁγιασθήσεται σήμερον διὰ τὰ σκεύη μου. *Sed & à muliere abstinuimus heri, & nudiustertius. In exeundo me in viam, omnes pueri fuerunt purificati: & hæc via propter [illegible] sanctificabitur hodie per vasa mea.* Nobilius hoc loco in Notis. Ita ferè Hebræus. Theodoretus, εἰ δὲ αὕτη ἡ ὁδὸς βέβηλος, σήμερον ἁγιασθήσεται, *Si profana via hæc, hodie sanctificabitur.* Quidam, *Mulier quidem seclusa fuit à nobis, tam heri, quàm nudiustertius cùm exirem, fueruntque vasa* (non nemo ad marginem, *corpora*) *puerorum sancta, etiamsi via* (ad marg. *profectio*) *profana fuerit: & quanto magis hodie sanctitas erit in vasis?* Quidam ad marg. exacto iam triduo quod tempus expiationis lex præstituit? At Isidor. clariùs in Annot. *Vasa puerorum.*] Id est, *indumenta.* Et quod sequitur: *etiamsi via profana fuerit:* hunc habet sensum. Licet profanum arripuerimus iter, non quidem cogitantes, quod opus habemus panibus sanctis, nihil tamen accidit immundum in itinere, quod nos coercere posset ab esu sanctorum panum: & quanto magis hodie, cùm egerimus rebus sanctis, abstinuisse nos putas à qualibet immunditia, quæ & corpora & indumenta nostra polluere potuisset? Vatablus Salmant. *Fueruntque vasa puerorum sancta.* In Schol. Id est, *vestes*, quasi dicat, Curauimus, more eorum qui volunt itineri se committere, vestes seruorum nostrorum sanctificari. *Et hic publicus mos est, quanto verò magis hodie sanctificatur* [*panis*] *in vase?* In Schol. sanctificabitur. quasi dicat, Licet hanc viam profani negotij causa susciperemus, tamen curauimus vt vestes nostræ purificarentur: quanto magis ergo hodie seruabitur in puritate ac sanctimonia sua panis ille in vase ipso in quo reponetur? hoc est, maiore diligentia seruabimus in puritate sua vasa nostra. Vel, curabimus vt panes sancti, quos accipiemus à te, purissimè asseruentur. Alij, quanto magis hodie sanctificabitur via nostra in vasis ipsis? Alius, *Imò verò mulier intercepta est nobis, vt heri nudiustertius, cùm egrederer, iam erant instrumenta ipsa puerorum sancta.* Tanta est celeritas huius itineris nostri, vt cum vxoribus esse non licuerit nobis à discessu nostro: à quo hic tertius dies agitur. *Instrumenta.*] Id est, quibuscunque ad iter hoc conficiendum instructi sunt. In reliquis dissentit ab alijs, quorum nos potiùs sententiam sequimur, vt pote quæ magis ad Vulgatam & Septuaginta accedat. *Est autem ratione communis penes Sacerdotes, præsertim cum eo die sanctificatur alius in vase suo.* Seipsum verò hac ratione in Notis explicare conatur. Id est, Æquè atque alio pane Sacerdotes comesci possunt: Hæc verba sunt Autoris ex Leuit. 24. 9. *Ratione communis*, Hebr. *via profani. Præsertim cùm eo die, &c.* Id est, inde ab ipso die Sabbathi ineunte, quo reponendi sunt in suis scutellis recentes, ibidem versu octauo, & infrà versu sequente. Hæc interpretatio mihi non placet.

Non habeo laicos panes, &c. — Non nemo denique ita vertit: *Panem quidem profanum non habeo, sed sacrum habeo, si modo famuli à mulieribus abstinuerunt. Cui David: Cum mulieribus nihil nobis rei fuit nunc iam tertium diem, inquit, ex quo profectus sum: suntque corpora famulorum casta. Quod si profectio ipsa profana fuit, at hodie quidem lustrabitur in corporibus.* Hoc est, Si forte mei famuli tum, cum profecti sunt, fuerant cum vxoribus: at hodie quidem puri erunt: quoniam hic dies tertius est: quod temporis spatium lustrandis corporibus est destinatum. Exod. 19. Vulgatus omnium optimè vtriusque mentem percepit. *Vasa* autem idcirco interpretari maluit, vt præter corpora, etiam instrumentum omne, sarcinasque suas vacare macula indicaret.

Qui sint panes ciuiles. — *Non habeo laicos panes.*] An fortè hîc intelligenda est quæ Græcis dicitur πολιτικὴ σίτησις, *Annona ciuilis*, cuius frequens mentio in Iure Ciuili? Quæ annona dari iubetur *in pane cocto L. 1. Cod. De frumento vrb. CP.* qui & aliàs *panis popularis, & panis fiscalis* dicitur, id est, de populi annona. Quinimò & *panis gradilis nonnullis rubr. Cod. Theodos.* vocatur. Rationem etymologiæ docet Prudentius aduersus Symmachum:

Et quem panis alit gradibus dispensus ab altis,

Cuiacius. — Quod scilicet è gradibus, qui in vnaquaque regione vrbis erant ad pistrina, vt constat ex descriptione antiqua Vrbis, præbeatur. Dantur frumenta pistoribus ex publicis horreis, tum deinde populo panes, Cuiac. *ad L. 1. Cod. de conditis in publicis horreis. lib. 10. Palatinos* denique à Suida vocari arbitror in voce Παλατῖνοι. Εἶδος, Suidas. inquit, ἄρτων. ὡς ὁ φιλότιμος Κωνσταντῖνος ὁ μέγας, καθ᾽ ὃν ἦρχε χρόνον, οὕτως ὀνομάσας αὐτοὺς, διὰ ἐκ τοῦ παλατίου χορηγουμένους. *Palatini.* Genus panũ, quos Constantinus Magnus populo largitus est, quo tempore Consulatum gerebat, quos ita vocauit, quòd ex Palatio suppeditarentur.] Cæterùm, quocunque tandem nomine censerentur, certum est, quondam Ecclesias, Monasteria,

Ecclesiæ & Monasteria attributum sibi vectigal panũ simili alæ nare vetantur.

NON HABEO LAICOS PANES, &c.

Xenodochia, *panes ciuiles* attributos habuisse, quos creditoribus specialis hypothecæ titulo Carolus Magnus obligari vetat *Lib. 2. Capitul. Tit. 29.* Et repetit Lud. Pius *Addit. 3. Tit. 30.* Nulli, inquit, sub Romana ditione constitutæ Ecclesiæ, vel Xenodochij, vel Monasterij, rectori earum rem immobilem liceat alienare; id est, agrum, domum, mancipium, panes ciuiles, neque creditori obligare.] An hos igitur se negat habere præsentes Pontifex? Ex decimis & primitijs frugum, non ex horreis publicis tum panes Sacerdotibus subministrabantur. Itaque hoc solùm dicere voluit, *panes profanos & communes* nullos sibi esse ad manum, quos citò esurienti traderet.

Capitular. Car. Magn.

Non habeo laicos panes, &c.] *Sacrum*, est, vt docet Trebatius libro primo De religionibus, quicquid est quod Deorum habetur. *Profanum* omnes ferè consentiunt id esse, quod extra fanaticam causam sit: quasi porrò à fano & religione secretum. Trebatius *profanum* id propriè dici ait, quod ex religioso vel sacro in hominū vsum proprietatemque conuersum est. *Profanum* est, quod ex sacro promiscuū humanis actibus accommodatum est. *Sanctum* est, vt idem Trebatius libro decimo Religionum refert, interdum idem quod sacrum, idemque quod religiosum: interdum aliud, hoc est, nec sacrum, nec religiosum est. *Religiosum* Seruius inde dictū tradidit, quod propter sanctitatem aliquam remotum ac sepositum à nobis sit. *Religio* enim quasi à relinquendo dicta est, vt à carendo *cerimonia*. Lege Macrobium 3. Saturnal. *Non habeo laicos panes.*] Profanos intelligit, qui nec sacri, nec religiosi essent. Quatuor panum genera Hebræi nouerunt. Primus erat cōmunis & laicus: Alter, quo laici vtebantur inter se in sacris epulis: Tertius, quem Leuitæ cum mulieribus & filijs vsurpabant: Quarto genere omnium sanctissimo soli Sacerdotes cum maribus filijs intra tabernaculum vescebantur. Appellabantur hi panes nouissimi, *Panes* פָּנִים לֶחֶם *lechem panim*, quod essent in conspectu, & in oculis Domini. Græci appellabant *panes* ἐνωπίους, & προσώπου, & προθέσεως, interdum etiam προκειμένους, quasi *appositities.*

Sacri ac profani notiones.

Macrob.

Apud Hebræos panis genus quadruplex.

Sed tantùm panem sanctum.] Sancti panis tres species fuisse apud Hebræos iam diximus. Pari numero apud nos obseruari certum est. Primus est *Panis Eucharisticus*, seu diuinus ille qui de cælo descendit: quem semel atque iterum Christus asserit suum corpus & suam carnem esse. Huius ne minimas quidem reliquias Ecclesia perire sinit, quòd diuinas eas habeat, & Christum illis contineri sentiat. *Margaritas* Græci eas dixerunt. De quibus sanctus Chrysostomus in Liturgia. Μετὰ δὲ τὴν ἀπόλυσιν, εἰ οὐκ ἔστι διάκονος, εἰσέρχεται ὁ ἱερεὺς εἰς τὴν πρόθεσιν, καὶ μεταλαμβάνει τὸ ὑπολειφθὲν ἐν τῷ ἁγίῳ ποτηρίῳ προσοχῆς καὶ εὐλαβῶς, καὶ ἀποπλύνει τὸ ἅγιον ποτήριον τρίς, καὶ ὁ ἐξ αὐτοῦ μένων τὸ λεγόμενον μαργαρίτης. Hoc est, Post absolutionem ni Diaconus adfuerit, confert se Sacerdos ad Prothesin (Prothesis Græcis mensa illa est, quæ nobis ad dextram altaris partem iacet, in qua mysteria præparantur. *Credentiam* vulgus vocat. Græcis vox illa præpositionem significat; quibus sinistra erat: nam apud illos ἁγία τράπεζα, seu maius altare, dextrū latus occupat) quo loco id quod in sancto calice relictum est, prorsus sumit summa cum attentione ac reuerentia: ter quoque sacrum calicem eluit, & speculatur sedulò, ne quod *margaritum* remaneat. Panis altera species ἀντίδωρον nominatur, diuino illo longè inferior, Ecclesiastica tantùm benedictione sacer, qui Græcis populo secundum Missam distribuitur, nobis aliquanto maturius: de quo sanctus Basilius in Liturgia. Μετὰ τὴν εὐχὴν ἐξέρχεται ὁ ἱερεύς, καὶ δίδωσι τὸ ἀντίδωρον. Compensationem ea dictio innuit: quoniam augustioris Sacramenti vice dabatur ijs, quos non contigisset fieri mysteriorum participes. Ad hoc ferè apud Græcos is panis assumitur, è quo sanctificandum crustulum excinditur. Apud nos, quibus in sacrificio azymis opus est, panis benedictus diuersa mole constat, & cum fermento subigitur: tametsi hostijs quoque azymis confici posset. *Sanctum munus* vocat Paulus Diaconus in Leone. Iudęi, inquit, baptizati contra propositum suum diluebant baptismum, & comedentes *sancto muneri* participabantur, & contaminabant fidem. Communiores videntur fuisse εὐλογίαι, quæ & ipsæ benedictiones dictæ sunt. Plerunque panes solidi delati domum, & ad absentes missi, vt fidem facerent Catholicæ Communionis. Socrates libro septimo, capite duodecimo, Ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας οὐδὲν ἐδέξατο, Nihil, inquit, sumpsit ab Ecclesijs, πλὴν κατὰ κυριακὴν δύο ἄρτους τῶν εὐλογιῶν ἐλάμβανεν, tantùm per diem Dominicum duos panes accepit Eulogiarum. Apud Ioan. Moscum Limonarij cap. 85. Acciperent, inquit, medium tritici sextarium, benedictiones tredecim, & sextarium vini. In Capitul. Caroli Mag. Addit. 1. cap. 68. Eulogiæ fratribus à Presbyteris in refectorio dentur. Dabantur & pauperibus. In vita S. Frontonij, eas denique eulogias indigentibus distribuit, quas acceperat. Plura de Eulogijs Lindenbrogus in Glossar. & Meursius item in suo. Extat, inquit, Lindenbrog. in MS. Cod. Marculphi Biblioth. Reg. Gall. Formula de Eulogijs dandis: sed quæ propter libri vetustatem legi non potest. In Liturgia sancti Chrysostomi, Eulogijs Sacerdos stellam imponit. Cabasilas in Exposit. Liturg. cap. 5. Crucem quoque Eulogijs impressam meminit. Nostris plerunq; Dei agnus incubat.

Panis sacer triplex.

Miræ salutaris hostiæ Græcis Margarita dictæ.

S. Chrysostomus.

Panis Benedictus.

S. Basilius.

Paul. Diac.

Eulogiæ.

Socrates.

Ioannes Moschus.

Si mundi sunt pueri.] Sanctus Chrysostomus Homilia vndecima in caput sextum Epistolæ ad Hebræos: Quiescamus, inquit, ab hac absurda curiositate, & diabolica, & perniciosa. Si enim in Clero se electum esse dicat, si Sacerdotem se nominet, scrutare: non enim sine periculo in talibus indiscussa communicatio est. Circa maiora periculum vertitur: non enim das, sed accipis. Si verò pro nutrimento postulat, nihil examines. Inquire quomodo Abraham hospitalitatem circa omnes transeuntes ostendebat: si scrutator fuisset circa refugientes ad se, nunquā Angelos hospitio recepisset. Fortassis enim, non putans eos Angelos esse, cùm reliquis repulisset: sed quoniam omnes recipiebat, suscepit & Angelos. Non enim ex vita eorum quos accipis, mercedem tibi retributurus est Dominus:

sed

SI MVNDI SVNT PVERI, &c.

sed ex voluntate tua, & liberalitate multa, ex misericordia, & bonitate. Hactenus sanctus Chrysostomus.

A Gellius.

Si mundi sunt pueri.] Præclaræ sunt leges valdè, inquit Menander: at si quis spectet leges accuratiùs, calumniator euadit. Et Nigidius Figulus apud Gellium Noct. Attic. libro quarto, capite nono, refert hunc versum ex antiquo carmine, Religentem esse oportet; Religiosum nefas. Quod, inquit, interpretans ait: Semper hoc inclinamentum verborum, vt vinosus, mulierosus, religiosus, nummosus, signat copiam quandam immodicam rei, super qua dicitur. Quocirca religiosus is appellabatur, qui nimia & superstitiosa religione se alligauerat, eaque res vitio assignabatur. Veruntamen vt ait Gellius alio quopiam diuerticulo significationis religiosus pro casto atque obseruanti cohibentiq; sese certis legibus finibusque dici cœptus. Quid horum magis in Sacerdotem nostrum quadret, ex eo intelliges, quòd vbi primùm mundos intellexit, non dubitauit famelicis sanctificatum panem apponere. Non enim habendam censuit rationem ceremoniarum. Sed cùm vrgeret necessitas, hoc solùm studuit, ne impuri rem tantam vsurparét, quæ indignis perniciem magis quàm vtilitatem afferret. Neque enim tanta esse debet religio sacrorum rituum, vt illorum causa velimus deserere salutem fratris: nisi velimus cum Pharisæis offerre mentam & cyminum, & deglutire camelum. Non enim ea causa datæ sunt ceremoniæ, vt fratres moriantur fame. Seruari quidem debent ceremoniæ, nisi maior aliqua necessitas impediat. Semper verò charitas externis illis religionis officijs, cùm id necessariò postulat, anteponenda est. Quin etiam in ipso Decalogo, cùm videmus duo inter se præcepta confligere, & alteri ab altero impedimentum præstari, illud, quod Legislatoris ipsius sententia videbitur esse maius, præferri debet. Ita Deus ait apud Oseam, *Misericordiam volo, & non sacrificium.* Quam sententiam denuò Christus interpolauit in Euangelio. Itaque innocentes licet cæsi sint, qui in Machabæorum libris armis se tueri noluerunt in Sabbatis; reliqui tamen prudentiùs Legislatoris mentem interpretati, eam sententiam reprobarunt. Antiquiùs enim est periclitantibus opem ferre, quàm Sabbato vacare. Paulus monet, ne Episcopus creetur *neophytus*: attamen sanctus Ambrosius, cùm esset tantùm catechumenus, designatus est Episcopus. Præceptum quidem Apostoli sanctum erat, & pium: tamen cùm aliud præceptum grauius occurreret, oportuit illud, non quidem violari, sed cedere. Ecclesia tum affligebatur ab Arrianis: nec apparebat quisquam, qui eorumdem impetum frangere posset, præter Ambrosium. Ita cùm duæ sint tabulæ in Decalogo, posteriorem regi oportet à priori, vt corpus ab anima. Iubet quidem Deus, *ne occidamus, ne furemur:* tamen cùm Deus priuatim iuberet Hebræos conuasare bona Ægyptiorum, & Abrahamum occidere filium suum, oportuit illa duo præcepta tantisper de alijs interpretari.

Quis religiosus

Necessitati cedunt ceremoniæ.

Decalogum certè nemo ambigit quin sit is ceremonijs iudicijsque anteponendus. Ista enim

A duo sunt Decalogi tanquam appendices. Nam ceremoniæ ad primam tabulam referuntur, iudicia ad secundam: ista enim ad hominum societatem pertinent: illæ ad cultum Dei. Quare si ista ita concurrant cum Decalogo, vt simul vtraque seruari non possint, Decalogi potiùs ratio habenda est, quàm illorum. Itaque Christus ait, *Sabbatum propter hominem factum esse, non hominem propter Sabbatum.* Obseruandæ quidem sunt ceremoniæ: sed itaut neue animo, neue corpori supra modum officiant. Tum enim meminisse debemus, *Filium hominis dominum esse etiam Sabbati.* Sed dices, id de Christo intelligendum esse: illum enim habuisse in manu sua, vt aut tolleret legem, aut conseruaret. Imò etiam quicunque inserti sunt in Christũ, fruuntur eadem libertate: sunt enim participes donorum Christi. B Hæc ratio tenenda est, quoties ceremoniæ ita incurrunt in Decalogum, vt si eas serues, eidem necessariò vim afferas. Ego planè sic sentio Decalogi leges decem, totius iuris & æqui fundamenta esse, & tanquam summa capita iustitiæ ac pietatis. Sed cùm edicta hæc generalia proponantur, & humanarum actionum peristases certo numero commodè comprehendi non possint, idcirco placuit communiores exempli gratia specialibus regulis circumscribere: quas mutari quandoque minimè mirum est, cùm sit rerum actionumque perpetua quædam vicissitudo. Vbi verò horum quippiam contigerit à recto tramite deflectere, ita vt iniustum fore appareat si præscriptas regulas sequatur, tum ijs contemptis hoc vnum spectandum est, vt primariæ legis sanctitas integra atq; C inuiolata seruetur. Voluntas enim eius spectanda est, qui legem tulit. Nam si nimis superstitiosè vrgebimus τὸ ῥητὸν, necesse est vt in multa sæpè absurda incidamus. Non hoc dico, quòd velim homines constituere ἀγραφίας aliquam in verbo Dei: sed ne dubitent eam æquitaté sequi, quam Deus ille præscripsit, & docuit. Sacræ enim literæ non aliter intelligendæ sunt, quàm Spiritus sanctus eas intelligi, ac tractari voluit. Si qui sunt qui ista nesciant, id suæ socordiæ atque ignauiæ debent adscribere, quòd in Scripturis diligentiùs & attentiùs non versentur. Iudæi hodie perire malunt, quàm comedere suillam. Verùm id & stultè faciunt, & stupidè. Nam Dauid esuriens, non dubitauit comedere panes propositionis: qui certè non minùs erant vetiti D laicis, quàm suilla toti populo. At si id exigeretur à Iudæo, vt comederet carnem suillam, pro testimonio defectionis suæ à Deo, certè moriendum esset potiùs. Bene ergo fecerunt Iudæi, cùm non parerent Antiocho. Is enim iussit eos comedere suillam, non quod necessitas aliqua id postularet: sed vt eo facto testificarentur se negare Deum. Ita sentiendum est de idolothytis: nam ea quoque, si vrgeat necessitas, possunt comedi. At si alius quispiam indicet, carnes eas esse immolaticias, mori potiùs debes quàm eas comedere. Id enim esset negare Deum. Quod ad Dauidem attinet, res non patiebatur moram. Erat enim iam enectus fame, & lassitudine. Et si expectare voluisset, dum alij panes coquerentur, periculum erat, ne interceptus re-

Decalogus Religionis ceremonijs anteponédus est.

Ceremoniæ quo tépore obtinere debent.

Si mundi sunt pueri, &c. Procop. traheretur ad Saulem. Annotandum est, inquit Procopius, ὡς εἰ ἐπιτιμῶντος τῷ ... ἐρρίπτει ... τὸ σωματικῶν τὸν νόμον παραγγέλματα, peritos veteris populi minùs curauisse corporalia legis mandata. Quod sic intelligendum est, quemadmodum priùs exposuimus.

Si mundi sunt pueri maximè à mulieribus.] Hoc sciscitans ostendit, inquit Procopius, ὅτι ἡ καθαρότης, ἡ ἁγνεία, ἰσοτίμους τοῖς ἱερεῦσι ποιεῖ, quòd puritas & castimonia, eodem nos cum Pontificibus honore dignos efficit.] An verò hæc sola immunditia lege præscripta erat, quæ sacris interdiceret? Imò lepræ macula, fluxus seminis, cadaueris contactus, & aliæ quædam diutiùs à Sanctorum participatione arcebant. Sed mulieris complexus, si præter legem fiat, non corpus modò, vt pleraque, sed animam quoque contaminat: sin legis intra cancellos cohibeatur, manet tamen cum aliqua libidinis fœditate coniunctus. Aut fortassis hoc quærit, quoniam ea immunditia ritu breuiore elui potuit, & est viris familiarior, ijs maximè qui castra sequuntur, vel iter conficiunt, aut in aulis Principum versantur. Parcit autem Dauidi, dum de pueris interrogat, ne videretur obscœni quicquam de illo suspicari: aut certè docere voluit, quando is panes accepturus erat, ne immundis permitteret. Sanctus Clemens *De consecratione, distinct. 2. cap. Tribus gradibus*, religiosè prohibet, ne fragmenta Eucharistiæ apponantur ad mensam Clericis peregrinis. Quid enim, inquit, scis, an mundi sint à mulieribus? Et citat exemplum huius Achimelech. Sed nunquid in hac specie sola ea labes obseruanda est, quę contrahitur cum mulieribus? Quinimò longè ea turpior, quam describit Martialis libro nono Epigrammatum, his versibus:

Corporis castitas nos aliquatenus cũ Sacerdotibus æquat.

Voluntaria pollutio.

Martialis.

Pontice quod nunquam facis hoc, sed pellice laua
Vteris, & Veneri seruit amica manus:
Hoc nihil esse putas. Scelus est mihi crede, sed ingẽs:
Quantum vix animo concipis ipse tuo.
Nempe semel fecit, generaret Horatius vt tres:
Mars semel, vt geminos Ilia casta daret.
Omnia perdiderat, si masturbatus vterque
Mandasset manibus gaudia fœda suis.
Ipsam crede mihi naturam dicere rerum,
Istud, quod digitis Pontice perdis, homo est.

Admonent Hebræi præterea duplicem esse seminis fluxum; internum, & externum: internumque illum ita definiunt; vt fit cùm semen quidem ipsum è vasis seminarijs emersit, foras tamen non erumpit. Porrò vtrumque maculare docent, tametsi vix intelligo qua ratione interior & latens deprehendi possit. Vtroque tamen nunc sordescere non dubito, si quis sponte consensetit. Quippe arguitur obscœnæ cogitationis rea conscientia. Diuersam autem arbitror intrinsecam hanc emanationem ab altera specie טפח tippah, quam per modum עב ghab, seu crassiori via fluere tradunt. Nam duplex obscœni humoris stillicidium describit liber Leuitici, capite decimo quinto. Alterum קרי kari, quod manat in somnis: alterũ תפופה thippouahh, quod stillat & madefacit præter naturam; aliàs quidem semen saliuæ instar, siue ריר rir euergens; aliàs vt עב ghab, seu densiori visco, ita vt os mé-

Plures eius species.

A tulæ obstruatur: quæ ad Iudæos, & corporis morbos pertinere magis duxi, quàm vt ad Euãgelij statum, moresque nostros faciant. Quandoquidem verò plures locum hunc de legitimis vxoribus interpretati sunt, & is scrupulus multos malè habet, quæramus paucis.

An legitimus cum vxore concubitus à sacra communione abarceat?

QVÆSTIO XL.

Citatur præfatus Leuitici locus cap. 15. quo iubetur, *Si mulier dormierit cum viro fluxu seminis, lauare vtrumque vestes suas, & immundos*

Explicatur Leuitici locus cap. 15.

B *esse vsque ad vesperam.* Sed ista intelligenda videntur, non de vsu vxoris, sed de semine, vt vocant, somniali, Id si fortè accidat, vterque lauabit vestes suas. Quo verò planiùs Scripturæ mẽs percipi possit, textum ipsum describam: *Vir de quo egreditur semen coitus, lauabit aqua omne corpus suum: & immundus erit vsque ad vesperum. Mulier, cum qua coierit, lauabitur aqua, & immunda erit vsque ad vesperum.* Et hîc quidem sic habet Vulgatus noster. Magis etiam perspicuè sequenti versu 32. *Ista est lex eius, qui patitur fluxum seminis, & qui polluitur coitu, &c.* Plerique tamen interpretes dissentiunt, seu potiùs quid sit *semen* illud *coitus*, secus quàm vulgus opinetur, exponunt. Κοίτην σπέρματος, id est, *cubationem concubitum seminis* Græci constanter interpretantur: quorum hæc est 32. ver. translatio. Οὗτος ὁ νόμος γονορρυοῦς. *Ista lex seminiflui* (quæ priores

Septuag.

C eiusdem capitis partes occupat:) deinde de altera specie differens, quæ nihil ad coitum: ἢ ἐάν τινι ἐξέλθῃ ἐξ αὐτοῦ κοίτη σπέρματος, ὥστε μιανθῆναι ἐν αὐτῇ. *& si alicui exiuerit ex ipso cubatio seminis, vt polluatur in ipso.* Chaldaïca Paraphrasis Complutensium ipsa quidem nihil mutat à Vulgata, sed tantùm seq. ver. 17. manifestiùs aperit de quodam seminis fluxu intelligendam esse Scripturam, cùm vestes quoque notet pollui, quæ ea sanie aspersæ fuerint. Onkeli Paraphrasis interprete Fagio versu decimo octauo, quo loco nos habemus, *Mulier cum quo coierit, lauabitur aqua*, reddit ad hunc modum: *Mulier cum qua iacuerit vir, qui effuderit huiusmodi semen, lauabitur, &c.* Et in Comment. Ad literam est, inquit Fagius,

Fagius.

D *strati semen.* Per hoc autem intelligitur effusio seminis, quæ in somnis accidere solet. Vnde Hebræi talem casum קרי kari, id est *euentum*, vocãt, quod præter dormientis voluntatem occurrat. Loquitur ergo Scriptura hîc de eo qui non patitur fluxum frequentem seminis, sed cui id accidit aliquando. Vatablus Salmant. *Seminis proiectionem & effusionem* transfert. Versum autem decimum octauum, qui est de muliere, ita explicat in Ecphrasi: Si vir imprudens, veluti noctu dormiens, passus est fluxum seminis, & sub auroram, eius rei non recordatus, congrediatur cum vxore sua, tunc per imprudentiam polluitur vnà cum vxore. Isidorus Clarius, *somniale semen* transtulit: de quo hæc habet in Scholijs. Interpres verterat, *semen coitus*, quia Hebraïsmus habet,

Vatabl.

Isidorus Clar.

SI MVNDI SVNT PVERI, &c.

habet, *strati semen*. Hîc ergo Scriptura loquitur de fœditate, quæ in somno euenire solet, quam Hebræi *euentum* vocant, quod præter dormientis voluntatem occurrat: sin sollicitatione procuretur, Hebræi pro crimine homicidij iudicant. Hebraïcè שכבת זרע *scichbath Zaragh* Pagnino est *effusio*, Montano *cubatio seminis*. Mihi sanè videtur, quando verbum ipsum שכב *scachab*, non dormire tantùm iaceréque significat, sed etiam fundere, optima Pagnini translatio. Verti tamen etiam poterat non incommodè, *Vir cui exciderit somnus seminis*: qui non est alius, si Hebræorum phrasim spectes, quàm somnus semen fundens: quo respectius iubetur ad vesperam vsque immundus haberi. non ipse modò, sed quæcunque præterea vestis eodem pure infecta est. Quo argumento facilè probes, legitimi congressus nequaquam hoc loco fieri mentionem. *Semen* autem *coitus* idcirco dixit Interpres noster, vt elaboratum illum liquorem intelligeremus: & ab ijs, quos morbus egerit, distingueremus, quos manare saliuæ instar priùs docuit, aut velut densiore glutino naturales meatus obstruere. Nequaquam igitur, quod initio dicebam, hoc loco Scriptura immunditiæ damnat, aut à Sanctis arcet, si quis legitimi thori honestis amplexibus potiatur. Quod etsi ita esset, nobis qui Mosaïca lege soluti viuimus, spiritualiter intelligendum videretur; Quia mulieri, inquit sanctus Gregorius, vir miscetur, quando illicitæ concupiscentiæ animus in cogitatione per delectationem coniungitur. Quia nisi priùs ignis concupiscentiæ à mente deferueat, dignum se congregationi fratrum æstimare non debet, qui se grauari per nequitiam prauæ voluntatis videt.

Voluntaria pollutio habita Hebræis homicidium

Idcirco tamen sanctus Ambrosius noui Testamenti Sacerdotes cœlibes asserere videtur, ne, cùm pauci essent, rei vxoriæ consuetudine ab offerendo baptizandoque auocarentur. Nam in veteri Testamento fuisse viginti quatuor classes Sacerdotum, vt alijs alij vicissim succederent in ministerio, & vicissim operam darent curis domesticis: in sua autem ciuitate septem tantùm esse Diaconos, & duos Presbyteros in singulis Ecclesijs: qui si, vt inquit Apostolus, diuisi sint, & placere studeant vxoribus, quo pacto ad offerendum quotidie purificati occurrent? Objiciunt contrà: Quid igitur, antequam Dauid viginti quatuor classes Sacerdotum descripsisset, quid agebatur antea? Quid fecit Aaron, cùm duos tantùm haberet filios, & oporteret quotidie ministrare in Templo? An illi violabant legem Dei? Respondeo, Putasne omni prorsus immunditia eosdem perpetuò caruisse? Quod si censeas propter alias labes, quas penè necesse fuit aliquando contingere, cùm opus esset, alternis ministrare potuisse, idem hic quoque factum puta: sin est aliud quod magis arrideat, hanc à me accipe satisfactionem. Negari certè non potest, cùm Moyses populum ad accipiendam legem in diem tertium paratum esse iuberet, imperasse iam lotis, Exodi decimo nono capite, versu decimo quinto, vt à coniugibus abstinerent. Verùm de his iam olim plura tomo primo, capite quarto, versu decimo

S. Ambros. in cap. 3. 1. ad Timot.

D Defenditur S. Ambrosius.

A nono. Quod si illic, inquit sanctus Gregorius, vbi Dominus per creaturam subditam hominibus loquebatur, tanta prouisione est munditia requisita, vt qui verba Dei perciperent, mulieribus mixti non essent: quanto magis mulieres, quæ corpus Domini omnipotentis accipiunt, custodire in se munditiam carnis debent, ne ipsa inæstimabilis mysterij magnitudine grauentur. Hinc etenim ad Dauid de pueris suis per Sacerdotem dicitur, vt si à mulieribus mundi essent, panes propositionis acciperent: quos omninò non acciperent, nisi priùs mundos eos Dauid à mulieribus fateretur. Sed iam paucis ex eodem sancto Gregorio quæstionis propositæ nodum dissoluamus.

SI MVNDI SVNT PVERI, &c.

Quamuis, inquit, de hac re diuersæ hominum nationes diuersa sentiant, atque alia custodire B videantur: Romanorum tamen semper ab antiquioribus vsus fuit, post admixtionem propriæ coniugis, & lauacri purificationem quærere, & ab ingressu Ecclesiæ paululùm reuerenter abstinere. Nec hæc dicentes culpam deputamus esse coniugium: sed quia ipsa licita admixtio coniugis sine voluptate carnis fieri non potest, à sacri loci ingressu abstinendum est: quia voluptas ipsa esse sine culpa nullatenus potest. Non enim de adulterio, vel fornicatione, sed de legitimo coniugio natus fuerat, qui dicebat: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea*. Qui enim in iniquitatibus conceptum se nouerat, in delicto se natum gemebat; quia portat arbor in ramo humorem vitij, quem traxit ex radice. In quibus tamen verbis non admixtionem coniugum iniquitatem nominat, sed ipsam videlicet C voluptatem admixtionis. Sunt etenim multa quæ licita esse probantur ac legitima, & tamen in eorum actu aliquatenus fœdamur, &c. Si quis verò sua coniuge, non cupidine voluptatis raptus, sed solummodò creandorum liberorum gratia vtitur, iste profectò siue de ingressu Ecclesiæ, siue de sumendo Dominici corporis sanguinisque mysterio, suo est relinquendus iudicio; quia à nobis prohiberi non debet accipere, qui in igne positus nescit ardere. Cùm verò non amor procreandæ sobolis, sed voluptas dominatur in opere commixtionis, habent coniuges etiam de sua commixtione quod defleant. Hoc enim concedit sancta prædicatio, & tamen de ipsa concessione metu animum concutit. *Indulget* Apostolus: non autem indulgetur quod licet, quia iustum est. Hæc pluribus ibidem sanctus Gregorius.

S. Gregor. apud Ven. Bedam lib. 1 hist. Anglor. c. 27. Respons. 10 ad quæst. S. August.

Solutio quæst.

1 ad Cor. 7.

Si de mulieribus agitur, continuimus nos.] Ἐγκράτεια, siue Continentia Suidæ, διάθεσις ἀνυπέρβατος τῶν κατ' ὀρθὸν λόγον, καὶ ἕξις ἀνίκητος ἡδονῶν. id est, Affectio, quæ rectam rationem non transcendit, & habitus à voluptatibus inuictus. Et iterum, Continentia differt à temperantia. Ἡ μὲν γὰρ σωφροσύνη, ἠρεμαίας ἔχει τὰς ἐπιθυμίας, Temperantia enim habet remissas cupiditates: Ἐγκράτεια σφοδράς, Continentia vehementes. Continens autem dicitur, οὐ κατὰ ἀπάθειαν, non propter affectionum vacuitatem, ἀλλὰ διὰ τὸ πάσχειν μὲν, μὴ ἄγεσθαι δὲ ὑπὸ τῶν παθῶν. Sed quia affectibus quidem afficitur, non tamen ducitur. *Abheri, &*

Suidas. Quid Continentia.

Venit autem, &c.

& ἀ...μήνη. Chaldæus, *Et admiratus est Abhimelech ad occursum David: & dixit ei, Quid hoc tu in singularitate tua, & vir non est tecum?* נֹבֶה אֶל אֲחִימֶלֶךְ. *Nobe el Abhimelech.* Pagninus, *& timuit, & venit in occursum David.* Arias, *& contremuit in occursum David. In Nobe.*] Vocatur locus ille *Nob*, sic enim vocat Ionathan, in Paraphr. Chald. לנוב *lenob*: & he superadditum in fine, est he locale: id quod Kimhi quoque hic monet. Et quod sequitur: *Obstupuitque*: quidam Hebræorum interpretantur נער *naghar*, (Niphal potius ננער vt passiuè accipiatur) *moti sunt in occursum David.* In Nobe.] Vbi tum tabernaculum Dei erat, atque adeo multi sacerdotes ministrandi causa ibidem residebant: eratque in tribu Biniamin prope hanathot, vbi assignata erat habitatio & ager familiæ isti, Nehem. 11. 32. & 2. Reg. 2. 26. *trepidus accurrit Achimelech obuiam Dauidi.* Vatablus, *occurrens Dauidi obstupuit.* In Schol. trepidans venit illi obuiam.

Versu 2. *Nam & pueris condixi in illum & illum locum.*] Pagninus, *& pueros scire feci locum cuiusquam, & locum ignoti talis.* Arias, *obscuri ignoti.* Chaldæus, *& adolescentes misi ad locum absconditum & custoditum.* Quidam, *ipsis autem pueris condixi locum cuiusdam n.* Ad Marg. *Peloni almoni*: vide annotata Ruth. 4. 1. Ruth igitur capite 4. versu 1. hæc verba tribuuntur Booz Bethlehemitæ: *Declina paulisper, & sede hic:* פלני אלמני *Peloni almoni*. quorum verborum sententiam Vulgatus sic exposuit: *vocans eum nomine suo.* At qui ex Hebræo verbum ex verbo reddunt, sic interpretantur: Pagninus, *Tu talis & talis.* Arias, apud eundem, *ô quidam singularis.* Alius, *Heus tu N.* Heb. *Peloni almoni*, hoc est, (si Græcè reddas) ὦ δεῖνα. Sic loquuntur Hebræi quum certum hominem significare volunt, neque tamen nominare. Sic etiam 2. Reg. 6. 8. hæc ille, quæ ante illum Vatablus notauerat. Nam is quoque voces esse dicit, quæ nihil significant apud Hebræos: tantùm vice alicuius proprii nominis poni quod tacetur, quasi dicas corrupto sermone, tu talis sede. Quare idem hic transtulit: *Adhuc pueris indicaui locum quendam certum.* Et hîc iterum in Schol. *Peloni-almoni*, duas voces, idem significare Hebræis, nempe quod Græcis δεῖνα, quendam, aliquem, talem. His nominibus vtuntur Hebræi cùm proprijs nominibus parcere volunt, vt quidam ait. Porrò sensus huius loci est, Constitui pueris meis locum talem & talem, vbi meum expectent aduentum. Est autem פלוני *peloni*, idem quod מכוסה *mekonseh*, à כסה *kasah*, operire, opertum, & אלמוני *almoni*, idem quod נסתר *nisthar*, absconditum, à סתר *sathar*, latere, abscondere se, &c. Vocátque Hebraismus his nominibus, ea quorum nomina in particulari non exprimuntur. Septuag. edit. Ald. ἐν τῷ τόπῳ τῷ λεγομένῳ ... Complutens. loco ..., habet ... *Et pueris testatus sum in loco dicto Phelanni almoni*, Aldus, *dicto Emmonin.* Editio Romana, *& pueris condixi in loco dicto, Dei fides, Phelani, Maemoni.* Nota quòd iniustè vexatus, & regis iram fugiens, suis condixit in locum, cui nomen *Dei fides.*

Peloni almoni Hebræis quid significet.

Venit autem David in Nobe.] Fugit David Nobe in domum Domini. Quamuis ibi non esset arca fœderis, erat tamen tabernaculum, ad quod conciperentur preces, & fierent sacrificia: erat etiam mensa, & panes propositionis. David in tanta calamitate non tantùm priuatim orat Deum, sed etiam confert se ad tabernaculum, & in loco sacro Deum ardentiùs orat, vt fortunet fugam suam. Relictus enim ab omnibus, quò se reciperet, nisi ad Deum? *Inuoca me*, inquit Deus, *in die tribulationis.* Et Salomon. *Arx*, inquit, *fortissima nomen Domini.* Preces quidem haberi possunt satis piè priuatim, nec quocunque loco fundantur ex animo Deus eas respuit: attamen certum locum designari voluit, quò populus omnis conueniret, & studio maiori ad preces accenderetur. Sæpe verò qui suo nomine repulsam passurus erat, vbi plures deprecatores adhibuerit, impetrat quod quærebat.

De *Nobe* satis accuratè Salianus tom. 3. Annal. ad ann. Mundi 2973. Post explicatum aliorum sententiam, Rectius, inquit, nihilominus arbitror cum Adrichomio geminam constituere *Nobem*, alteram trans Iordanem aduentu Gedeonis nobilitatam, quam Abulensis in tribu Manasse, sicut & Torniellus, Adrichomius autem in tribu Gad collocauit, ea in Hebræo dicitur *Nobach*, quæ antea vocabatur Chanath, vt scribit Moses in libro Numer. Septuaginta ibidem tum *Naboth*, tum *Naban* appellant. Altera cis Iordanem sita est, cuius meminit Esaias cap. 10. eique vicinas facit Gabaa Saulis, & Anathoth Ieremiæ, & Rama, quæ sunt in tribu Beniamin, idque perspicuè traditur à Nehemia. Et vtrobique in Hebræo textu dicitur *Nob*, sicut & in hoc Regum loco, à Septuag. verò dicitur *Nomba*; & hanc certum est ex cap. 22. lib. huius fuisse sacerdotalem, & à Saule euersam, non autem illam, cui non conuenit vicinam esse Hierosolymis, & ex propinquo videri, quod affirmat in illum Esaiæ locum Hieronymus. In hanc ergo vrbem translatum fuit è Silo tabernaculum, apud quod in ea Pontifex habitauit Achimelech, eadémque mox Saulis furore deleta est, quòd in ea David à Sacerdote hospitio acceptus esset. Non fugit statim longiùs, siue quod fame premebatur, siue quod inermis erat, & facilius est modicam conficientem viam ignorari ac latere, quod maximè cupiebat David, quàm longinquam. Distabat hæc Nobe citerior à Gabaa Saulis, quinque circiter horarum itinere, iuxta topographiam Adrichomij. Hactenus Salianus.

Salianus.

Numer. ca. 32. ver. 42.

2 Esdræ 11. 32.

Ad Achimelech Sacerdotem.] Nonnulla est de hoc Pontifice controuersia. Victor Antiochenus, qui à principio Comment. suorum in Marcum, quæ passim Ecclesiæ doctores annotarint in vnum corpus se redigere velle profitetur, hæc habet in cap. 2 Marci: Cùm Regum, inquit, historia, quod de Dauide hîc exponitur, sub Achimelechi sacerdotio accidisse commemoret, cur Dominus ad Abiathar sacerdotum principem factum hoc transfert? Sunt qui Achimelech binominem extitisse existiment, adeóque hunc eundem esse omninò cum illo. Alij

Victor Antioch.

Quis fuerit hic Pontifex ad quem David se receperit.

VENIT AUTEM, &c.

Alij Regum libros Achimelech tanquam simplicis sacerdotis meminisse respondent; Abiathar autem, cuius hoc loco Saluator mentionem facit, per idem tempus Pontificem, hoc est, Summum Sacerdotem fuisse. Et huic sententiæ satis fauet Scripturæ contextus. Neque enim Achimelech Pontificem, sed Achimelech Sacerdotem, pluresque alios Dei sacerdotes, Saulis iussu, trucidatos asserit. Hactenus Victor. Qui posteriorem sententiam magis videtur amplecti: quam ego idcirco minus probabilem sentio, quod arbitrer Abiathar Achimelecho patre natum esse: quod si verum est, patre viuo atque superstite Abiathar Pontificatum consequi non potuit, cùm ipse prior Sacerdotio indui debuerit vt ad filium transmitteret. Sed præter hæc magna est varietas in nomine Sacerdotis. Alibi enim appellatur Achias, alibi Achimelech, alibi à Septuaginta Abimelech, à Christo apud Marcum Abiathar. Fuit autem ex nepotibus Heli Sacerdotis: is enim filium habuit Phinees: ille Achitob: Achitob Achiã. Significat autem vox illa Achias fratrem, aut amicum Dei. Et, quia Deus propriè erat rex eius populi, idcirco parua inflexione dictus Achimelech, id est, frater Regis: aut fortasse ambitiosè asciuit sibi illud nomen, quod in magna esset gratia apud Saulem. In voce autem Abimelech aperta est deprauatio literæ. Achimelech iste filium habuit Abiathar, qui, cùm cladi superstes fuisset, & se Dauidi comitem adiunxisset in fuga, mox defuncto patre Pontificatum inijt. Neminem autem mouere debet, quod Christus in Marco ait, hęc accidisse sub Principe Sacerdotum Abiatharo. Potest enim fieri, & est etiam verisimile, eum ibi fuisse cum Principe Sacerdotum Abiatharo. Potest enim fieri, & est etiam verisimile, eum ibi fuisse cum patre, & patris cùm opus esset plerumque vices gessisse, ac Dauidem cum eo primùm sermones habuisse.

S. August. *Et obstupuit Achimelech, eò quòd venisset Dauid.*] S. Augustinus in Psal. 138. ea verba exponens: *Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam?* Homines, inquit, qui suscipiunt fugitiuos quærunt ab eis à quo fugerint, & quem seruum inuenerint alicuius domini minus potentis, tanquam sine vllo timore suscipiunt, dicentes in corde suo, non habet iste talem dominum, à quo possit inuestigari. Cùm autem audierint dominum potentem, aut non suscipiunt, aut cum magno timore suscipiunt. Et quia homo potes falli potest. Vbi non est Deus? Quis fallit Deum? Quem non videt Deus? A quo fugitiuum suum non repetit Deus? Quò ibit fugitiuus à facie Dei? &c. Inopinatus Dauidis aduentus Sacerdotem aut timore perculit, aut stupore defixit. Deinde hoc supra modum miratus est, quòd gener Regis, idémque dux exercitus incomitatus accederet. Neque enim qui amplissimos dignitatum gradus consequuti sunt, absque præcursore nuntio quoquã solent aduenire, quò honorificentiùs, excipiantur. Et si verò nonnunquam latere velint, fama tamen prænuntiat prodente viri dignitatem satellitum caterua. Sed & ipse Pontifex

QVARE TV, &c.

A cùm iam matura ætate prouectus esset, & multa rerum polleret experientia, tametsi de fuga nihil antè præsenserat, nescio quid tamen prudens & suspicax olfecit mali. *Quare tu solus, & nullus est tecum?*] Hæc, vt opinor, Pontifex secum animo volutabat: Ad consulendum Dominum venit, quod nunquam hactenus fecit nisi pro re graui ac necessaria. An igitur noui quicquam accidit, ob quod os Domini interroget? An grauis casus aliquis aut publicum periculum imminet? Palæstini forsan irrumpunt; & magno agmine hostes ingruunt; aut alia quæpiam vrget noua calamitas. Dux à Rege delectus, & quasi pro muro irruentibus oppositus est. Et tu, Heros inuicte, cuius constantiam nulla hostium fregit audacia, insultantibus vltrò occurris. Verùm vbi arma tua, vbi B comes exercitus? Sed neque ad hunc diem expeditionis tuæ præceps ad nos fama manauit. Pro monstro est, quod tam ex inopinato atque insolenter accidit.

Cæterùm videre potes, quò tandem recurrat iactata persequutionum fluctibus humana imbecillitas. Rex furit, Satelles instat, mors obsidet, muri cingunt, tempora insidiantur: & tamen duce fœmina facti per fenestram Dauid elabitur. Sed mox fugientem fames lacessit, & rerum necessariarum inopia ad quærendum panem reuocat. At quò tandem opem imploraturus confugit? quem portum capessit? Ad Sacerdotem adit scilicet, & afflictis rebus consilium & auxilium expetit. Ad eum portum videmus quotidie naufragos appellere: nec quemquam despicit diuina clementia. Scriptum est enim, C *Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet.* Quinetiam consolatur humiles, & spe deiectos erigit, fouet præsidio, benedictionibus alit, & rerum mundanarum contemptum edocet.

Duo sunt igitur, ob quæ Pontifex viso Dauide obstupuit. Ducis solitudo, & aduentus eius insolentia. Quid ita? An quia fortè Numinis cultor erat parcus & infrequens? Absit. Sed quia eo tempore præter commune illud sacrificium, quod sola prece conficitur, etiam vbique victimis, aut certè in celebrioribus excelsis facere licuit. Quo fiebat vt præterquam oraculi gratia, eò rarius Israelitæ commearent. Propterea igitur Achimelech vehementiùs expauit, haud temerè suspicans, ne quid iste præ- D ter morem accessus apportet mali. Sed & illud eundem quoque nimiopere angebat, quòd nulla stipatus militum caterua solus prodiret. Nam si adducta in periculum Repub. de ancipiti pugnæ exitu oraculum peteret, alienum videbatur ab eius prudentia, si solus difficili tempore periculosum iter iniret. Ita sedulò percontatur: *Quare tu solus, & nullus est tecum?* Sed quomodo videri potest fuisse solus, cùm Christus apertè dicat, *Et qui cum illo erant?* Quidam hoc ita intelligunt, quòd non haberet secum milites. Verum id nodum non dissoluit. Nam Dauid respondit, se pueris suis designasse locum, ad quem sibi præstò essent. Petit ergo panes pro seruis, non quos tum haberet secum, sed ad quos esset venturus. Iosephus ait, eum nullum

QVARE TV, &c. habuisse in comitatu, nec amicum, nec militem. Ita Dauid prorsus gerebat typum Christi. A Is enim in cruce ita destitutus est à suis omnibus. Sed hîc ponamus ante oculos ἀντίθεσιν huius status, & superioris. Antea Dauid amabatur ab omnibus, colebatur, habebatur in pretio, puellarum choreis, & canticis Sauli ipsi præferebatur. Vbi nunc ista sunt? proscriptus à Rege statim ab omnibus deseritur. Ita vulgus est inconstans & mobile. Sed quod ad quæstionem attinet, Christi Domini oratio in eum sensum interpretanda videtur vt intelligat, non qui ibidem apud Pontificem cum Dauide præsentes erant, sed qui cum eo panes erant comesturi. Posset etiam exponi hoc modo, vt nullam neque præsentiæ neque absentiæ rationem habuerit: sed tantum eo exemplo vsus sit, vt Scripturarum autoritate conuinceret, olim sacerdotis permissu cum Dauidi tum reliquis, qui cum eo esse dicerentur, sacratis panibus vesci licuisse. B

Rex precepit mihi sermonem, & dixit: Nemo sciat rem.] Sunt qui hoc loco Dauidem mentitum velint: sed cùm id fecerit officij tantùm gratia, ab eo peccatum non esse. Sibi enim tantùm prospicere voluit, non alium lædere. Ex S. Augustini sententia, si impulsu diuino mentitus sit, nihil peccauit: sin instinctu humano, & ex diffidentia, excusari non potest. Quod cibum & commeatum petiuit à sacerdote, non peccauit: hæc enim omnibus miseris suppeditanda sunt. Mentitum tamen non oportuit. Ait quidem nonnullo loco Menander Comicus, Satius est mendacium sequi, quàm verum perniciosum: at idem paulò antè sapientiùs dixerat, C

Nihil vnquam præstabilius est, quàm vera dicere
Quacunque occasione. In eo ego spondeo
Præsidij vitæ maximam partem esse.

Vindicatur Dauidis innocentia à mendacij suspicione. Quare ego Dauidem mentitum non asseram, quem toties, ne quid in Deum peccaret, capitis discrimen adijsse memini. Terret me loci ipsius sanctitas, Pontificis dignitas, ipsa denique oraculi maiestas, quod tum consulebat. Miror autem interpretes cur ita sentire in animum induxerint, cùm ipsa Dauidis oratio palàm à mendacio abhorreat. Quid enim ait? *Rex*, inquit, *mihi precepit: Nemo sciat rem, propter quam missus es, & cuiusmodi precepta tibi dederim.* An non hoc verum est, aut forsan inauditum vt fingi videri queat? Ephestioni Alexander annulum ad os applicuit, vt meminisset sibi indictum silentium. Et Raphael Angelus Tob. 12. *Sacramentum Regis*, inquit, *abscondere bonum est.* Cùm igitur suscepti itineris rationem Sacerdos exposceret excusatione vsus est generalis interdicti, de quo tum primùm admonitus est, cùm è pascuis in aulam ascisceretur: eos nimirùm, qui Regis mysteriorum fierent participes, summa fide silentium seruare oportere. Quare cùm eiusmodi videretur esse Pontificis interrogatio, Miror quid causæ esse potuerit, cur te solum Rex mitteret: an fortè latent vspiam insidiæ? & tu exploratum venis? An Palæstinorum insidijs clade miseranda obruti milites tui iacent, & tu solus incolumis famæ præuertens euasisti? An aliud quidquam est maioris momenti quod solus obires? Nam si superuentu hostis opprimendus est, si qua fortè erumpens coercendus, quid solus efficies? Dauid respondet, cùm Rex illi mandata daret, prohibuisse sedulò ne cuiquam arcanum proderet. Ita sacerdotis noscendi studium repressit, quod faciens, nescio cur mentitus arguatur: aut qua gratia innocentem animam, & veritatis studiosissimam mendacij labe aspergamus? REX PRÆCIPIT, &c.

Veruntamen, inquis, non quid olim præcepisset Rex, aut etiam interminatus fuisset, percontabatur Pôtifex, sed cur hoc præsenti tempore solus adueniret: quod non sine causa grauissima Rex imperaturus videbatur. Quare cùm veritas sit pars quædam iustitiæ, quæ id quod est proximum doceat, & temporis quoque filia habeatur: non poterit non mentitus videri, qui de re præsenti interrogatus, tâquam subornato præterito tempore, illudit sciscitanti. Respondeo, sanè veritatem ab Ethnicis temporis filiam habitam. Sed quod dictum est de tempore, multi ad Saturnum transtulerunt, modica inflexione inter χ. & κ. propter simplicitatem, & candorem illorum temporum. Alij ita interpretandum censuerût, quod successu temporis abdita proferantur in lucem. Mihi sanè temporis mater dicenda potius videtur quàm filia: quippe æterna ipsa cùm sit, temporis omnes partes suo sinu complectitur. nec minus verax est qui res præteritas affirmat, quàm qui præsentia fatetur. Cæterùm in vero dicendo considerandæ sunt diligenter περιστάσεις, apud quos, cur, quo loco, quo têpore. Veritas enim nec vbique, nec apud omnes prodenda est. Veritas quo pacto temporis filia habeatur.

C Nunquam quidem illa neganda est, seu potius dicendum mendacium: non tamen passim omnibus effutienda. Nam res à se pulchrè gestas, & si quis verè narrare possit, tamen si vbiq; crepare velit, ineptus sit. Et si quis flagitium aliquod suum velit vbique prodere, videbitur peccatum suum prædicare vt Sodoma, quod Scriptura reprehêdit. Christus rogatus à Pilato, quid esset Veritas, tacuit, quod videret id illi loco, & tempori non conuenire. Quod idem fecit cùm sisteretur coram Herode. Imò etiam monuit discipulos suos, *ne margaritas obijcerent porcis, ne sanctum canibus.* Et Paulus ad Corinthios. *Non potui*, inquit, *vobis loqui tanquam spiritualibus, sed tanquam carnalibus: nondum enim poteratis.* Sed & illud animaduertendum est, sponte facias, an coactus imperio: an præter ius & æquum adductus in discrimen, vnde euadere non possis, si quod quæritur quispiam extorqueat. Nam tum eo pacto expedire te his laqueis possis, si falsi quidem nihil asseras, non tamen id respondeas quod te interroget, cuius interrogandi nulla potestas est: aut si qua est, per summam iniuriam eadem abutitur. Hoc fecisse Dauid apud Pontificem manifestum est. Nam cùm esset criminis expers & alienus à scelere, ad necem tamen quærebatur: ipse verò Regis elapsus ex insidijs ad Pontificem confugit. At mox idem rei insolentia territus aduentus eius causam flagitare cœpit. Quod cùm animaduerteret Dauid, & vereretur si fugam fassus esset, ne aut Regi vinctus proderetur, aut saltem necessario vitæ subsidio Non mentitur qui ex certa ratione tegit veritatem. D

VEL QVINQVE, &c.

subsidio carere: mentiri quidem in animum haudquaquam induxit: sed statuit concessa à Deo libertate vti, & arbitrio suo veritatem dicere. Neque enim cùm ea res ad Pontificis munus nihil attineret, & alioqui de sua salute periclitaretur, interroganti morem gerere tenebatur; quin potius eidem liberum fuit quod vellet respondere, tantùm vt à mendacio abstineret. Non indicat itaque rem ipsam quam quærebat Pontifex, ne non ab eo armis, cibo, commeatu iuuaretur: sed aliud quippiam docet quod verum erat, & sibi data à Rege mandata, & imperatum silentium. Quod verò his Pontifex elusus suæ quæstioni satisfactum crediderit, idque Dauid summopere studuerit, nihil spectat ad mendacium. Non enim hoc contendit Dauid vt falsum crederet: vera siquidem eloquutus est: sed ne aliquid præterea inuestigaret, quod prodere nulla ratio cogebat, & fraudi sibi futurum non dubitabat.

VERSVS III.

Nunc ergo si quid habes ad manum, vel quinque panes, da mihi, aut quicquid inueneris.

Variæ trãslat.

PAgninus, *Et nunc quid est sub manu tua? quinque panes da in manu mea, vel quod inuenitur.* Arias, *vel inuentum.* Idem Chaldæus. Latinus eius interpres vertit *tortas panis.* Quidam, *Nunc igitur quid est penes te? quinque panes tradito in manum meam; aut quod præstò est.* Græci consentiunt.

Sanctorum tyrocinia.

Mucronem & aciem vixdum euaserat, cùm in profugum fames inuasit. Lectoris esto iudicium, quid tolerabilius existimet gladio an fame perire? Dauid in his autore Deo tyrocinij sui rudimenta posuit, quæ summorum Philosophorum constantiam labefactare possent. Quis non miretur diuinam sapientiam? Dauidem quem regijs opibus cumulare parabat, prius ad quærendam stipem compellit. Quis mortalium deinceps à paupertate abhorreat, quam ad imperij culmen munire viam Dauidis exemplo didicerit? Nec verò illa temporale duntaxat consequitur, sed etiam æternum, si tamen Christo credimus asserenti *beatos pauperes, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Alias etiam Petro sciscitanti respondit: *Vos qui reliquistis omnia, & sequuti estis me sedebitis super sedes duodecim, &c.*

Vel quinque panes.] Animaduerte autem quid postulet: non exquisitas dapes, aut delicias, sed panem. Non enim delicias eum sectari decet, qui paupertati studeat. Sed panis nomen, inquies, Hebræis designat omne genus cibi. Fateor. Sed id hoc loco non habet locum. Nam Sacerdos respondet de panibus propositionis. Illi autem conficiebantur ex pura similagine, & hebdomadatim ponebantur duodecim, seni, & seni in mensa coram Domino: vt habetur capite vigesimo quarto Leuitici. Sabbato tollebantur de mensa, & alij apponebantur calidi. Ita vt videri possit non epulas, non cœnæ regiæ lautitiam, sed necessarium panem quærere. Tametsi reuera non paucis, qui à molliori vitæ consuetudine ad Euangelicæ paupertatis studium se contulerunt, id fecisse non sine molestia contigit. Nam Sancti Chrysostomus, Fulgentius, Bernardus, Thomas Cantuariensis, dum à consuetis cibis abstinent, & cibario pane vescuntur, aut etiam Diogenis oleribus, seu potius Danielis leguminibus, non minimam valetudinis suæ iacturam fecerunt: quam tamen diuina gratia, insitâ supra vires humanas constantiâ, atque incredibili animi robore sarciuit.

VEL QVINQVE, &c.

Budæus. Qui olim Episcopi in Iure Ciuili.

Vel quinque panes.] *In Pandect. Titul. De muneribus & honoribus. L. Vltim.* Item Episcopi qui præsunt pani & cæteris venalibus rebus, quæ populis ciuitatum quotidianum victum suggerunt, personalibus muneribus funguntur.] Hic, inquit Budæus in annot. in Pandect. episcopos significare eos inspectores puto, qui de panificijs & cæteris venalibus pro potestate cognoscunt. quales sunt apud nos quos magistros opificiorum vocant, quibus opifices opificia sua vt approbent necesse est instituto municipali, aut in mulctam incidant, nisi, (quod plerunque fit) prolato ære se tueantur, vt prisco verbo vtar.] Itaque Dauid non sine causa panem ab Achimelech petit, si Pontificem eundem Episcopum esse censemus. Pontificem sanè charitatis studio panem semper habere paratum decet, quem miseris exhibeat. Alia tamen vocis origo ostendi potest, quæ non minus quadret in Episcopum. ἐπισκοπεῖν Græcis inspicere est. Episcopi autem, inquit Budæus, & Ephori sunt, quibus non solùm oculis lustrandi potestas, sed etiam prouidentia & cognitio mandata est: à qua significatione Episcopi Antistites dicuntur. Quod vocabulum si latinè transferre quis velit, non verius speculatorem, vt censeo, quam inspectorem vocarit. Est enim id verbum ei rei accommodatum. Cicero nos enim Augures obnuntiationem solùm habemus: Consules & reliqui Magistratus etiam inspectionem, ἐπισκοπήν. Inspicere etiam est rem penitus considerare. Vnde inspicere hominem Plinio in epist. est penitus nosse. Item inspector, quasi δοκιμαστής, nomen est artificij, vt sunt quibus res inspiciendæ mandantur, & æstimandæ antequam emantur. Herodotus li. 4. dixit ἐπίσκοπα τοξεύειν, quod est sagitta vmbilicum ferire, scopum assequi. Quæ sequuntur igitur eò magis collineant. Homerus Episcopum Hectorem prædicat quod is potissimùm Troiæ prospiceret. In Scholiographis Græcis, inquit Cœlius, ita lego: Quos ad sibi subditas obnoxiásque ciuitates mitterent Athenienses spectatum, quid in quaque fieret, episcopos fuisse vocatos ac phylacas. Hoc verò, inquit, eò apposui libentiùs, vt nodus explicaretur M. Tullij ex septima epistol. ad Atticum: Vult, ait, me Pompeius esse, quem tota Campania & maritima ora habeat episcopum, ad quem delectus & negotij summa referatur. Scipionem item Africanum à Senatu missum esse episcopum gentium, regumque, Plutarchus

Episcopi munus & etymologia.

Homerus Iliad. x.

Rhodig. li. 18. cap. 3.

VEL QVINQVE, &c.

scribit. Certè apud Pindarum in Nemeis, dici Acastum obseruauimus Magnetum ἐπίσκοπον, id est episcopum ac regem, accedente interpretum calculo. Ἐπισκόπους virginum Plutarchus agnoscit in Numa. Deos etiam suos ab Ethnicis episcopos nominatos nonnullis exemplis probat, atque in primis Mercurium & Dianam. Inde nomen Episcoporum nostrorum ductum videri possit potiùs quàm à panis præfectura. Episcopos dici velut ἐπισκοποῦντας, id est super intendentes, aduigilantesque, vt necessaria non desint, autor est S. Hieronymus: id quod significantius indicat Græcis ἐπισκοπεῖν, quàm Latinis inspicere. Quid si ea dictione exprimi conijciam quod iubet Apostolus, *vt sint ipsi forma gregis?* sunt enim Episcopi velut scopi quidam in exemplum propositi, quorum virtutes populus miretur & cõsequi studeat. Vt enim Eustathius Homeri interpres Iliad. κ. docet, νῦν δ' ἐπὶ σκοπιῆς ὁ αὐτὸς, præpositione haud secus quàm in ἐπισκόπους redundante. Cæterùm vndecunque petita etymologia videatur, illud meminisse debent, pauperũ curam priuatim ad se pertinere. Non enim solùm regere imperio populos instituti sunt, sed etiam velut patres, quibus opus sit, & quantum ipsi præstare possint, ad incitas redactis necessarium panem suppeditare.

S. Hieron.

Quod autem addit, *Aut quicquid inueneris*, eò pertinet, vt si fortè panis eum deficeret, quacunque tandem ratione famem expleret. Nam dactylis, & ficubus, vuisq; passis ea regio abundat: quibus etiam postea ab vxore Nabal in deserto donatus est. An fortè si quid etiam obsonij paratũ haberet id sibi dari postulauit? Optimum, vt aiunt, condimentum fames. Esuries pasci facilis. Narrat Diodor. Sicul. lib 1. Antiq. Guefactum Ægypti Regem, Vechoridis Sapientis patrem, in Arabiam cum exercitu profectum, commeatu in locis desertis deficiente, coactum esse cibum vilem ab idiotis, qui fortè occurrerant, sumere: quo lætatum, cùm præter modum suauis visus esset, despexisse aiunt atq; abominatum esse, qui primus Regum sumptuosiori cibo esset vsus. Et Sanctus Iob, *Animæ*, inquit, *esurienti etiam quæ amara sunt dulcia videntur.* De Persis Xenophon Cyrop. lib. 1. Donec, inquit, venantur, non prandent. Sed si quid opus fuerit, aut feræ ipsius gratia præstolari, aut aliter velint tempus terere in venando, hoc prandio pro cœna vsi postridie venãtur ad cœnam vsque: & duos hos dies pro vno supputãt, quod vnius diei cibum consumunt. Hoc autem faciunt consuescendi gratia, quò, si quid etiam in bello oportuerit, id eis sit factu facile. Quod si quis eos existimat aut vesci iniucundè, quum aliud nihil præter nasturtium addant ad cibum, aut potu minus suaui vti, cùm aquam bibant, reminiscatur, quanta cum voluptate massa panéque vescuntur in fame, quamque suaue est bibere aquam in siti. Hæc ille de Persis. Nos verò, quod experiri contigit, idem de Religiosis asserere possumus. Nam quibus locis præscriptus ieiuniorum canon legitimè seruatur, vix ad consuetam reficiendi horam cibi appetentia deficit: nec admodum fercula consideramus, aut missus, si fortè plures raro Sæcularium studio ac liberalitate inferantur, admodum nouimus inter se componere: imponit enim nobis diuturnior inedia, & stomachi hiantis improbitas. Multa sanè, vt Patriarchæ verbis vtar, quæ *prius tangere nolebat anima mea, nunc præ angustia cibi mei sunt:* & quadragesimales cibos, à quibus antea abhorrebam, postquam id vitæ genus suscepi, fame atque inedia magistris delitias esse didici.

Diodorus Optimum condimentum fames.

Xenoph.

Sed quid illi venit in mentem cur quinq; panes potius quàm sex aut quatuor peteret? An quia fortassis par erat stipatorum numerus, quos destinato loco seipsum iusserat opperiri? An quia pari numero silices olim è torrente legerat, quibus Goliath conficeret? An quia iam quinta vice Saulem fugiebat, vt par esset necessitati subsidium? Nam primò quidem bis fugisse narratur cap. 18. vers. 11. Tertiò à principio capitis 19. mox quartò eodem capite cùm demisso fune per fenestram euasit, & ad Samuelem confugit. Postrema est & quinta numero quæ hoc loco fuga narratur, cuius deinceps varios errores ac multiplices ærumnas reliqua pars huius libri describit. An fortè cùm Saulem fugeret nunquam postea rediturus, & Christum Synagogam deserturum haud obscurè adumbraret, primùm quinque libros Moysi, seu quæ Iudæis Apostolo teste credita fuerant eloquia Dei, ab Aaronico sacerdote repetenda censuit, quibus fugæ comites sectatorésque suos aleret? An potius reuera cùm peteretur inimicorum insidijs, & iam in summo discrimine versaretur, ad Christi quinque vulnera oculos retulit, quibus tanquam nepenthes succo, seu potius manna in deserto, languentem ac deficientem animam recrearet? At sunt quorum anima nauseat, vt aiunt, super cibo isto leuissimo: quos dirus manet interitus, & apud sepulchra concupiscentiæ æterna nominis infamia. Crœsus cum ius illud nigrum, Laconum delicias, fastidiret, è solio in rogum incidit. Ophni & Phinees dum sacras dapes aspernantur, & profanis inhiant, horrenda clade oppressi sunt.

Quãobrem panes quinque petiuerit.

Da mihi.] Balsamon ad can. 59. Apostolorum. Ὁ ἐπίσκοπος ὀφείλει μετὰ τὴν ἀναγκαίαν αὐτοῦ δαπάνην, καὶ τὴν τῆς ἐκκλησίας καὶ τῶν κληρικῶν συνήθη οἰκονομίαν, τὰ περισσεύοντα ἐκ τῶν εἰσόδων τῆς ἐκκλησίας ἐπιδιδόναι τοῖς πένησι. πτωχικὰ γὰρ καλοῦνται. id est, Episcopus debet post necessariam suam impensam, & Ecclesiæ clericorumque solitam dispensationem, quæ supersunt ex ecclesiæ reditibus, in pauperes erogare. Reliqua enim redituum Episcopalium, siue, vt Cicero loquitur, quæ de Ecclesiæ vectigali redundant, ob eam causam quod mendicis distribui soleant, Græcis πτωχικὰ dicta sunt. Id quod Zonaras ibidem confirmat. Τὰ τῶν ἐκκλησιῶν, inquit, πράγματα ὁ κανὼν πτωχικὰ ὀνομάζει, ὡς διὰ τὸ δεῖν ἐξ αὐτῶν ἐπιδίδοσθαι τοῖς πτωχοῖς. Hoc est, idcirco res ecclesiarum vocari πτωχικὰ, quòd πτωχοῖς siue pauperibus conferantur. Huius rei testimonium sanè luculentum habes à sancto Ioanne Chrysostomo homilia 67. in caput vigesimumprimum Matthæi. Ἑνὸς τῶν ἐχόντων εὐπόρων καὶ τῶν μὴ σφόδρα πλουτούντων προσόδους ἡ ἐκκλησία ἔχουσα, Vnius diuitis, nec

Balsamon.

Quæ de Ecclesiæ vectigali redundant, ea pauperibus cedunt.

Quæ dicta sint πτωχικὰ. Suidas.

S. Chrysost.

nec valdè locupletis hæc ecclesia fructus colligens, ἐννόησον ὅσαις ἐπαρκεῖ καθ' ἑκάστην ἡμέραν χήραις, ὅσαις παρθένοις, cogita tecum quot viduis, quot virginibus quotidie succurrat. καὶ γὰρ εἰς τὸν τῶν τρισχιλίων ἀριθμὸν ὁ κατάλογος αὐτῶν ἔφθασε. &c. Iam enim numerus eorum in catalago ascriptus ad tria millia peruenit: & præterea multis qui carceres habitant, auxiliatur, multis in hospitali laborantibus, multis aduenis, multis leprosis, omnibus qui altari assistunt, cibaria & indumenta præbet, multis etiam qui quotidie ad petendum accedunt, nec tamen ecclesiæ opes hactenus diminutæ sunt. Hactenus S. Chrysostomus.

Chartusianorum in pauperes prolixa liberalitas.

Quousque tandem processerit Occidentalium Monachorum pia liberalitas, ex vnis Chartusianis intelligi potest: qui tametsi inter Monachos principem locum pietate ac religione obtinent, haudquaquam tamen opes suas cum pluribus eorum adæquarunt. Scribit Belforestius in sua Cosmographia tom. 1. in descriptione præcipuarum Lutetiæ Ecclesiarum, coactos quandoque Ædiles Vrbanos vim nimiam eleemosynarum edicto prohibere, quòd viderentur ijs qui agros colerent, si nullo discrimine petentibus dare pergerent, ad metendas fruges operæ defuturæ. Illi verò hactenus cùm reliquarum virtutum laude Religiosis omnibus prælucent, tum in fouendis egenis singularis eorum liberalitas, & in suscipiendis peregrinis hospitalitas, nullo non loco commendantur. Neque verò hi soli benignitatem erga pauperes complexi sunt: sed cum adhuc opes integræ essent, & necdum in scorta & canes à Commendatarijs erogarentur, certatim ampla quondam Monasteria de studio atque largitate aduersum inopes contendebant. Nec plura referre statui: sed quando Floriacensis Monasterij Bibliothecam habeo præ manibus, illud vnum specimen edam prolixæ Monachorum liberalitatis. Igitur præter quotidianas eleemosynas quas accipiebant, qui occurrebant ad Monasterij ianuam, & necessarios sumptus gratis patentis hospitij, & quæ partim indotatis virginibus partim egentibus scholasticis largiebantur, quo eorundem ingenio aut pudori prospicerent præter statuta ieiuniorum *mandata*, quibus non modò pauperum pedes lauabant, sed etiam pane & vino eosdem pascebant, hæc quoque perpetua lege sicut ex eorum Consuetudinibus patet, obseruare consueuerant. Feria Quinta, quam dicunt in Cœna Domini, centum pauperes pedes ab Eleemosynario abluti, bina fercula accipiebant fabarum & milij: panem & vinum non illi centum duntaxat, sed quotquot eo die petissent. Neque tamen his exhausta aut contenta fuit eorum liberalitas. Ipse Abbas semel atque iterum eodem die *mandatum* duodecim pauperibus faciebat, quibus sua manu lotis panem & vinum offerrebat cum duobus arencijs (aleces ita vocant) & viritim denarijs duodecim. Simile *mandatū* Abbas rursum duobus sequētibus diebus exequitur. Præter quod illud quoque in more positum fuit, vt die sancto Parasceues in refectorio secundum consuetudinem vinum in iustitijs poneretur, & fabæ

Belforest.

Bibliotheca Floriac.

A apponerentur, nec tamen Monachi quicquam præter aquam herbasque crudas & panem degustarent: sed vinum & fabæ in commodum pauperum cederent. In Pentecoste verò centenis rursum pauperibus panis & vinum præbebantur: quibus etiam priuatim cuique aut caro distribuebatur, quam visceratìonem Latini dixerunt: aut tres minutæ appendebantur. Postremò etiam in die Commemorationis fideliū defunctorum, Eleemosynarius Monasterij bladi siue tritici binos modios in panes conficiendos impendebat, quos eo die mendicis impertiebat. Modium autem intelligo non Romanū, qui medimni sexta pars est: sed qui nostro more plerisque Galliæ locis medimnos capit quatuor & viginti, quem nos vulgò *muid* vocamus. B Qui secus fecissent, & quæ de ecclesiæ vectigali redundarent in priuata sua commoda deriuassent, aut in res vanas impendissent, eos pro sacrilegis furibus sancti patres habuerunt. Testatur hoc S. Isidorus Pelusiota lib. 1. Epist. 425. Etenim hanc iniuriam vehementiùs expostulat cum Eusebio Episcopo, quem acceperat pretetea sæuum & immitem Archidiaconum & Oeconomum ecclesiæ suæ bonis præfecisse. Herculeum iugum, inquit, vt ad me allatum est, truculento apro copulasti, atque audaci ac truculento leoni pauperum curam commisisti. Καὶ εἰ μὲν χρήμασι προσέδωκας τῇ θαυμαστῇ ξυνωρίδι τὰ πράγματα, τοῦτο καὶ Ἰούδας ἐποίησε, τὸν κύριον παραδοὺς τῶν πραγμάτων. εἰ δὲ καὶ λήμματος καθαρὸν τὸ ἁμάρτημα, αἰσχυνθήτωσαν οἱ ἀνομοῦντες διακενῆς. Hoc est, vt vertit Billius, Ac siquidem pretio adductus eximiæ huic bigæ res prodidisti, hoc Iudas quoq; fecit, cum C Dominum pecunia addixit. Sin autem quæstu peccatum hoc vacat, *Confundantur iniqui agentes superuacuè.*

Sacrilegi quondam habiti, qui Eccles. bona ad se deriuarent. S. Isidor. Pelus.

Da mihi.] Pericles apud Diodor. Sicul. lib. 12. docet Athenienses rebus sacris, tantisper dum aliqua belli necessitas vrget, fas esse à Deo acceptis tanquam subsidio quodam, ad rerum summam sustentandam vti, dum parta pace, ciuibusque compositis, res ipsæ diuturna quiete coalescentes, & ad felicitatem productæ, pecuniam veluti mutuò à dijs acceptam, cumulatè restituere valeant. Cæterùm hoc fecisse, pessimè cessit. Athenienses finitimos bello adorti, cùm quiescere possent. Maiores nostri quid senserint, dixi priore tomo ad ver. 11. cap. 4. At diuinæ seueritatis in eos qui res ec- D clesiasticas diripere, aut quocunque titulo sibi vendicare conati sunt, autores Bibliothecę Floriacensis complura exempla suppeditant. In primis autem Aymoinus Floriacensis Monachus lib. 3. de Miracul. S. Benedicti cap. 5. Anonymus item Miracul. S. Bened. lib. 4. cap. 11. & 22. & 36. Et rursum ibidem in vita Sancti Machutis Aletæ Episc. cap. 13. & 15. quibus locis narratur, quomodo cùm laïci, quæ est nota cantio & bene vetus sæcularium infidelium, de magnitudine ecclesiasticarum possessionum quererentur, & terram posteris suis defuturam desperarent, nec mediocriter propterea pastori suo molesti essent, ab eodem anathemate icti sunt: quos etiam mox vbi contumaces esse sensit, diris deuouens, ac terræ

Diodorus. In sacris rebus vsurpandis periculosa temeritas.

Biblioth. Floriac.

Vel quinque, &c.

eorum sterilitatem imprecans, deseruit. Quæ omnia cùm ipsi contemnerent, & rebus Ecclesiasticis abuterentur, numinis iram, quam S. Machutes interminatus fuerat, statim experti sunt. Nam alios quidem tetra lues consumpsit; alios lepra corripuit; nonnulli oculis capti sunt; quidam celeri tabe perierunt; complures diuturnus languor occupauit. At verò segetes aut in herba pruina decoxit; aut pubescentes dira tempestas populata est: pluribus etiam terra sementem sorbens fœtum ipsi negauit: donec tandem fracta malis pertinacia eius opem implorare coacti sunt, quem prius iniuriosè expulerant. Non sunt iræ tenaces qui pietati student, nec placari difficiles. Quare mox vt scelerum pœnitentia duci eos animaduertit, mali quicquid ipsi sibi consciuerant, benedictione sua procul auerruncauit. Vt tamen rediret persuaderi non potuit. Vide & B. Petrum Dam. lib. 1. Epist. 9. ad Nicolaum 2. & lib. 2. Epist. 15. De Carolo Marrello dira quædam narrat Adreualdus Floriacensis lib. 1. de miracul. S. Benedicti cap. 14. Historiam acceptam refert SS. Eucherio Aurelianensi Episcop. & Bonifacio Martyri, quàm repetit Iuo in Chronico: sed eam constare non posse docet Baron. in Annal. ad ann Domini 741. Leo Pictauensis, Chrami Clotharij Regis filij consiliarius, cùm temere aliquando dixisset, Martinum & Martialem confessores Domini nihil fisci rationibus contulisse, surdus & mutus amensque mortuus est. Autor S. Gregorius lib. 4. cap. 16. Apud quem hæc quoque de Clothario habentur, lib. 4. cap. 2. Indixerat, inquit, Rex Chlotharius, vt omnes Ecclesiæ regni sui tertiam partem fructuum fisco dissoluerent. Quod licet inuiti cùm omnes Episcopi consensissent atque subscripsissent, viriliter hoc B. Iniuriosus respuens subscribere dedignatus est, dicens: *Si volueris res Dei tollere, Dominus regnum tuum velociter auferet; quia iniquum est vt pauperes quos tuo debes alere horreo, ab eorum stipe tua horrea repleantur.* Et iratus contra Regem, nec vale dicens abscessit. Tunc commotus Rex, timens etiam virtutem B. Martini, misit post eum cum muneribus, veniam precans, & hoc quod fecerat damnans, simúlque rogans, vt pro se virtutem B. Martini Antistitis exoraret. Hæc S. Gregorius Turon.

Martellus S. Eucherio ann[illegible] aut [illegible]perstes mansit.

S. Gregor. Turon.

De Commendis, & Commendatarijs quid sentiendum sit.

QVÆSTIO XXXIX.

IAm dudum toties de Commendis à pluribus sententiam rogatus, pro virili mea, quàm potero breuissimè, satisfaciam. Respondeo primùm Commendas triplici genere contineri. Quasdam enim Vicarias dicimus, quæ præsule mortuo tantisper obtinent donec legitimus antistes eidem Ecclesiæ præficiatur: quæ plerunque solent semestri tempore definiri. Aliæ sunt Commendæ, quas etiam Præceptorias dicunt, militarium Religionum: quas ex communi præscripto Ordinis professi Equites, aut etiam emeriti consequuntur, neque quisquam dubitat eas sibi vtendas iure vendicare. Denique tertia quædam species Commendarum est, quæ id nominis inde sortitæ sunt, quòd cùm Monasteria legitimis præfectis careant, siue Priores illos, siue Abbates dicere placeat: alienis ita commendantur, vt æquato iure cum legitimis rerum gerendarum perpetuam procurationem habeant, & qui superant fructus proprios sibi ascribunt. De hoc tertio genere nobis sermo est: reliquas, quod ad præsens tempus attinet, valere iubemus. Multi siquidem, quos Dei timor, & gehennæ metus de sua salute solicitos habet, cùm sceleris conscientia torqueantur, non rarò nobis molestiam exhibent, quærentes, si fortè queant vtilitati suæ nostro periculo consulere; cùm nec vulgatæ opinioni, nec quorundam responsis satis fidem adhibeant, quos vident similium rerum cupiditate teneri. Complures scilicet tanquam in manifesto scelere deprehensos lux arguit; cùm ne fingere quidem possint quo iure aliena vsurpent, & quæ ad se nihil attinent. His ego difficultatibus, quibus eos expediam, cùm non inuenerim, si quid est quod diuturna meditatione inuestigare potui, in medium afferam, neutram in partem dissimulans; vt cùm diuersarum momenta rationum expenderint, tum maturè statuant, possintne olim apud supremum iudicem suum illud factum tueri. Ostendam autem primùm quibus argumentis Commendarum institutio, qua lege nunc apud nos seruatur, oppugnari queat. Deinde, si quid est, quo defendi & iusta asseri possit, hoc quoque sedulò perscrutabor.

Commendarum triplex genus.

Quod genus Commendarum in disceptationem vocetur.

In primis igitur sic arbitror, tametsi Monachi priuatim nihil possideant, quæcumque tamen aut suo ipsi labore atque industria pepererint, aut fidelium liberalitate consequuti fuerint, ea publicè communitérque possidere. Neque enim communes contractus votorum religio rescindit: sed si quid singuli clanculùm separatímue sibi asciscant, hoc paupertas Euangelica damnat. Vnde sequitur, vt si quis ea ab illis auertat, aut inuitis per vim eripiat, nihilo secius fur & prædo habendus sit, quàm si sua cuilibet auferat legitimè possidenti.

Monachi communiter possident.

Arbitror secundò, facultates Monasteriorum non prorsus æquali sorte cum reliquis Ecclesiasticis bonis, sed potiori iure à Monachis possideri: cùm professi statum induant, qui nulla lege labefactari potest. Nam summus Pontifex pro sua potestate, vt non pauci scribunt, indicta causa iubere potest Episcopus abdicet. Potest etiam inutili, rerúmque ac literarum imperito, ne quid in gregem peccet, dignitatem abrogare. At nihil horum, potest in Monachum: sed vbi primùm rite atque ordine professus familiæ adscriptus est, in posterum non nisi per iniuriam communium bonorum possessione poterit deijci: non ægrotus, non inutilis, non idiota, non dyscolus, non perpetuo morbo laborans sed ignauus & æger Monasterij patrimonio alendus

Bona Ecclesiastica videntur quidem Clericorum stipendia, Monachorum autem patrimonia.

VEL QVINQVE, &c.

alendus est, quoniam cohæres & compossessor sit; in officij immemorem ex Regula animaduertendum. Exturbari autem non magis potest, quàm filius è paterna domo. nisi fortè tali aliquo scelere se obstrinxerit, ob quod patri dicere liceat: Filius meus exhæres esto. Quod apud nos maximè fateri necesse est, apud quos Monastica professio bonis abdicat paternis, & adeundæ hæreditatis iure prohibet.

Monachis quod redundat, pauperum vectigal est proprium.

Illud quoque tertiò falsum arbitror, quod nonnulli temerè assetũt, superesse copiosis Monachis quod ex eorum vectigali redundet. Nam quæ superant Regula pauperibus ascribit: & ea lege communiter possident. Ita sanxit Monachorum pater S. Benedictus. Fundatorũ etiam semper hoc tacitè, plerunque etiam conceptis verbis stipulatio continet. Volumus etiam, inquit Vuillelmus Aruernorum Comes & Dux Aquitaniæ, cùm sua traderet Cluniacensi Monasterio, vt nostris successorúmque nostrorum temporibus, pro vt opportunitas atque possibilitas eiusdem loci se dederit quotidiè opera misericordiæ pauperibus, indigentibus, aduenis, peregrinantibus, summa intentione exhibeantur.] Quod si quis putet id consuli magis quàm præcipi, & tantisper manere Monachorum propria, donec ipsi arbitratu suo distribuant: quod cùm facient, charitatis studio facient, non debito iustitiæ; ita vt si seruare in animum induxerint, ad restituendum cogi non possint: Respondeo, vtcunque ea res habeat, postquam earum rerum administratio ad alienum peruenerit, voluntatis Monachorum interpretationem aliunde peti non posse quàm ex eorũdẽ institutis. Quare certissimũ habeo, quæ superfluunt, ea deberi pauperibus: nec ab vllo mortalium cuiquam donari posse; nisi qui ius gentium violet in abroganda fide publica, & legitimis contractibus rescindendis. Quippe solemnis votorum nuncupatio legitimi contractus speciem obtinet. Nam quod voueo præscriptis ac solemnibus formulis, Ecclesia ratum habet: idque summa fide debet tueri. His porrò formulis, peculij quicquid hactenus esse potuit, spémque insuper omnem in posterum à me abdicans, ab Ecclesia mittor in possessionem bonorum communium.

Testamentum Vuillelmi Pij initio Biblioth Cluniac.

Bona Monasteriorum legitimis artibus & contractibus comparata.

Vtique Monasteriorum bona partem maximam Monachorum parta labore sunt: quæ olim donata sunt, iam dudum videntur perpetuo labore quæsita. Alienos porrò labores nemo præterquàm iniquè largitur. De sudoribus antiquorum Monachorum plures olim scripserunt. Laborandi studio S. Bernardus, cùm imbecillior haberetur, metendi gratiam precibus impetrauit. Nunc quibus artibus Conuentus excitemus, perspicio: qui nescio an ad similem quandoque opulentiam emersuri sint. Nos sanè texendis sportulis vt Monachos exerceri non contigit: serere ac metere neréue non magis quàm cœli volucres, aut Euangelica lilia didicimus: sed noctu atque interdiu aut libris incumbimus, aut orationi instamus: his ferè atteritur ætas nostra, nisi cùm nos aliò proximi charitas auocat. Tum foris aut priuatim disserimus, aut publicè concionamur: pœnitentium confessiones audimus, aut ægros denique & de salute periclitantes, ad rerum præsentium tolerantiam, & futurarum studium adhortamur. Ex his nonnihil quandoque temporalis emolumenti ad nos redundat, quod summa fide Superiores nostri dispensantes, id maximè student, iuxta Apostolum, ne cuiquam graues sint? sed absque cuiusquam molestia familiam alant. Quibus verò locis aut corrupti mores incubant, aut hæresis insidiatur, eò si possint coloniam deducunt. Aream, si non inuenerint qui gratis largiantur, pretio comparant, séque ære alieno obstringunt: quod sensim ita dissoluunt, studiosè in eam rem collatis, quæ per stata tempora Aduentus & Quadragesimæ concionatoribus offeruntur. Deinde nos iubent palantes per agros Apostolicos more, concionando, docendo, confessiones audiendo, ægros visendo, famem, sitim algorésque ferendo, victum quærere. Experientia probari, quibus necessaria suppetant, impetum remittere: inediæ stimulo prædicationis studium accendi, labores tædiúmque extingui, eóque nos Mendicantes esse institutos, quo tot miseri, qui plerisque locis donis cœlestibus orbati spiritali fame intereunt, nostra cura ac sollicitudine ad vitam reuocentur. Deum militibus suis stipendia non denegaturum. Æquum esse, vt qui populum Dei prouidentiam doceant, dictis fidem exemplo suo concilient. His ferè thesauris freti, tantas operum moles excitamus: quibus ij potissimum offenduntur, qui ad hæc conferunt ne hilum quidem. Stipes minutas passim colligimus: rari conuentus suo sumptu ædificant, cæmẽta nostro sudore macerantur. Quare, si quis olim hæc ad alienos trãsferat, norit se nobis inuitis, contra ius fasque pauperum sudores alienis propinaturum, nec Deum vindicem defuturum.

Quæ olim Monachis donata sunt ea iure ab ijsdem possideri.

Veruntamen, inquis, amplissimis illis Monasteriis pleraque olim attributa sunt, quæ quęsiuisse Monachi videri non possunt. Quinimo plures, & quidem singuli, minori labore, certè minus diuturno, longè maiora consequuti sunt: quæ si quis tentet transferre ad alios, omnes iniustum clamitent. Verùm esto: quæ pridem fidelium liberalitate concessa sunt, hactenus dona habeantur: an censes vllum esse posse possessionis titulum eo iustiorem? Negauit olim Franciscus I. Castellano & Budæo præsentibus, Regum imperia pari iure posse defendi. Quare, quæ donata sunt, Monachi iure possident. Quæ autem iure possidentur, iure auferri non possunt: scelus ergo est, Monachorum facultates alienis concedere. Verùm, vt iuris & æqui ex æquo contemptor sis, & nostras rationes susque déque feras, attamen maiorum nostrorum execrationibus moueri debueras: non enim sua duntaxat Ecclesijs contulerunt: sed fures prætereà detestantur, & eorum capita omni execratione deuouent. Francorum solemnes formulas ad versum vndecimum capitis quarti descripsimus, cum alijs plerisque quæ huc attinent: è quibus ritum illum tantùm repetam, quo Franci in generali populi supplica-

Capitul. Caroli & Ludouici lib 6. cap. 285.

VEL QVINQVE, &c. tione res suas se offerre profitentur. Sunt autem hæc, quæ ad altare verbis conceptis effari solebant. *Offero Deo, atque dedico omnes res, quæ hac in charta tenentur insertæ, pro remissione peccatorum meorum, ac parentum, & filiorum, (aut pro quocunque illas Deo deliberare voluerit) ad seruiendum ex his Deo in sacrificijs, Missarúmque solemnijs, orationibus, luminarijs, pauperum ac Clericorum alimonijs, & cæteris diuinis cultibus, atque illius Ecclesiæ vtilitatibus. Si quis autem inde, quod fieri nullatenus credo, abstulerit, sub pœna sacrilegij ex hoc Domino Deo, cui eas offero atque dedico, districtissimas reddat rationes.* Ponit etiam in ea alias coniurationes, quas enumerare longum est. Hæc ibi: quibus aliunde pauca lubet attexere. Nam Marculphus certè eadem tradit in lib. De solemnibus formulis. In quinta formula, quæ est extructionis Monasterij, hæc habet. *Si quis huic voluntati meæ per quaslibet adinuentiones seu propositiones (sicut mundus quotidie artibus & ingenijs expolitur) obuius vel repetitor, conuulsor etiam aut tergiuersator extiterit, anathema sit. Et sicut Dathan & Abiron hiatu terræ absorpti sunt viuentes, in infernum descendat. Et cum Giezi fraudis mercatore, & in præsenti & in futuro seculo partem damnationis excipiat: & tum veniam consequatur, quando consequuturus est diabolus, qui sese fallendo atherea sede deiectus,* &c. Et in formula donationis quæ est 13. *Si quis verò,* &c. *Vel iudicum sæua cupiditas, vel qualibet persona, obuius repetitor extiterit, à conuentu omnium Christianorum vel liminibus Ecclesiarum extraneus habeatur, & Iudæ traditoris Domini nostri Iesu Christi perfruatur consortio,* &c. Et sequenti 15. *Si quis verò, si ego ipse,* &c. *iram trinæ maiestatis incurrat, & cum supra scripto Sancto* (patrono basilicæ siue Monasterij) *ante tribunal Christi deducat rationes.* Anathematis & Christi tribunalis rursum meminit Form. 16. & 18. Adde his legem Alamann. cap. 1. §. 2. & legem Baiuuariorum cap. item 1. & 2. §.

Solennes formulæ donationum.

Marculphus.

Quis non horrescat?

His porrò formulis Ecclesiarum Monasteriorúmque fundatores vsos, cùm priuatim singulorum locorum chartæ testantur, tum nonnullas habes in extrema parte Biblioth. Floriac. in Antiquit. Viennens. Rudolphi, Hugonis, Lotharij, & Caroli Calui Regum, quæ iisdem verbis perscriptæ sunt: Complures verò in Bibliotheca Cluniacensi, quarum vna, quæ in S. Hugone pag. 543. Gaufrido Mauritaniæ Comiti ascribitur, hæc habet: *De quibus omnibus bonis si quis sacrilegus aut insanus Zabuli instinctu aliquid subtrahere, vel minuere tentauerit, nisi resipuerit, & ad satisfactionem confugerit, autoritate Dei omnipotentis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & Sanctorum Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, atque omnium Sanctorum, sit excommunicatus & Anathematizatus, & à liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ segregatus, vt non habeat partem cum Deo, neque cum Angelis, neque cum Sanctis eius, sed sit pars eius cum diabolo, & angelis eius, si in sua malitia perseuerare voluerit, atque in inferno pœnis debitis crucietur cum diabolo, tunc veniam habiturus, quando diabolus, & angeli eius sunt habituri.* Sed nihil illustrius in hoc genere

Antiquit. Viennens.

A legi potest, quàm est testamentum illud Vuillelmi Comitis Aruernorum & Ducis Aquitaniæ, quod exhibet Andreas Quercetanus initio Biblioth. Cluniac. Sic enim scriptum est: *Si quis fortè,* &c. *primùm quidem iram omnipotentis Dei incurrat, auferátque Deus partem illius de terra viuentium, & deleat nomen eius de libro vitæ: fiátque pars illius cum his qui dixerunt Domino Deo, Recede à nobis; & cum Dathan & Abiron, quos terra aperto ore deglutiuit, & viuos infernus absorbuit, perennem incurrat damnationem. Socius quoque Iudæ Domini proditoris effectus æternis cruciatibus retrusus teneatur: & ne ei in præsenti seculo humanis oculis impunè transire videatur, in corpore quidem proprio futuræ damnationis tormenta experiatur, sortitus duplicem direptionem cum Heliodoro & Antiocho, quorum alter acris verberibus coercitus vix* B *semiuiuus euasit; alter verò nutu superno percussus, putrescentibus membris, & scatentibus vermibus miserrimè interijt: cæterisque sacrilegis qui ærarium domus Domini temerare præsumpserunt, particeps existat, habeátque, nisi resipuerit, Archilaum totius Monarchiæ Ecclesiarum, iuncto sibi Paulo obstitorem, & amœni paradisi aditus contradictorem,* &c. Prius etiam hanc ille legem suo testamento dixerat, studiosè ac singillatim cuncta nominans, quibus caueri vellet, nec vlli parcens personæ. *Neque aliquis Principum secularium, non Comes quisquam, nec Episcopus quilibet, non Pontifex supradictæ sedis Romanæ, per Deum, & in Deum omnésque Sanctos eius, & tremendi iudicij diem contestor, deprecor, ne inuadat res ipsorum Dei seruorum. Non distrahat, non minuat, non procamiet, non beneficiet alicui personæ, non aliquem Prælatum super eos contra eorum voluntatem constituat,* &c. Ha- C ctenus Vuillelmi testamentum.

VEL QVINQVE, &c.

Biblioth. Cluniac.

Illud singulariter obseruandum est, quod ait: *Non Pontifex Romanæ sedis cuiquam beneficiet: non aliquem Prælatum super eos contra eorum voluntatem constituat.* Eò nimirùm spectabant fundatores Monasteriorum cùm legitimos hæredes abdicarent, & alienos asciscerent, vt ab iisdem Monasticæ Regulæ statuta seruarentur: idque solemni stipulatione pacti sunt. Apostolicæ autem sedi, vt testatur Ludouicus Francorum Rex Simplicis filius, Vuillelmus Cluniacense Cœnobium, *ad tuendum, non ad dominandum subiugauit.* Idcirco S. Bernardus, Tyronij subinde Monasterij conditor, cùm primùm Pictauensi Abbatiæ Sancti Cypriani præesset, & illa de- D creto Paschalis 2. Cluniacensibus addicta esset, isque tantisper Abbatis officio prohibitus, donec acquiesceret: loco cedere maluit, eremúmque petere, quàm vt præter fundationis leges cuiquam subijceretur. Illud autē postea decretum reuocatum est. Sed cùm denuo innouatum esset, Romam profectus, nec auditus, Summum omnium iudicem Deum appellauit: quo primū irritatus Pontifex, mox communicato cum Cardinalibus consilio territus, non modò æquum censuit virum pristinæ libertati restituere, sed & augere Cardinalatus dignitate statuit: quam tamen is constanter repudiauit. Autor Duchenius in Paschali 2. ex Gaufredo in vita sancti Bernardi Tyronensis. Nec prorsus iniuria. Quippe cùm primùm sui iuris essent, qui Monasticam

Ad tuendum, inquit, non ad dominandum Cluniac Monast. Pontifex accepit.

Ibidem pag. 6. in quodam Precepto Ludou. Regis.

Duchenius in Vitis Pontific.

VELQVINQVE PANES, &c.

Monasticam vitam profitentur, sponte iugum subierunt: & cùm rerum aliarum, tum ipsius pretiosissimæ libertatis iactura, optatum sui Ordinis portum tenuerunt; quibus haudquaquam fraudi esse debet quòd sancti Patres quòd Ecclesiæ, quòd publicæ fidei fidem habuerunt: qui nec videntur supra modum obligari potuisse, quàm ex præscripta Regula intelligere potuerunt. Sed iam vnde digressi sumus, eò pedem referamus.

Atqui Pontifex, inquiunt, ita statuit, & redundantes fructus Commendatarijs ascribit. Calumnia est: caue lector aurem accommodes: neque enim Pontifex aliena largitur, quod Tyranni solent. Aliena porrò ducere debet, seu mentem Fundatorum spectet, seu præsentem possessionem. Nam Monachi quidem possident: quibus vtique fieret iniuria, si in cuiusquam gratiam propria eriperet. Fundatorum autem ea mens & voluntas fuit, ne cuiquam præter Monachos concessis opibus daretur abuti. Explicat hanc legem Fundatorum Valterus in sua Fundatione de Bertrées, quam habes in Bibliotheca Cluniacensi: *Bona verò*, inquit, *quæ ad ipsam Ecclesiam sunt collata*, &c. *ad vsus Fratrum ibi seruientium proficiant, nec vnquam ad aliorum vsus conferantur, vel in potestatem redigantur.* Idq; non rarò disertis verbis ipsi Pontifices confirmarunt. *Omnia*, inquit Vrbanus 2. in Confirmatione sancti Dionysij de Nogento, *omnia integra conseruentur, pro quorum sustentatione ac gubernatione donata sunt.* Suis verò literis, quibus passim summi Pontifices diuersis Monasteria commendant, nequaquam iniustitiæ patrocinantur. Nam his ferè verbis, quid iuris tribuát Commendatarijs exprimunt. *Talem N. Abbatiam, vel Prioratum, vel Ecclesiam cum omnibus iuribus, & pertinentijs suis tibi autoritate Apostolica commendamus: per te quàm diu vixeris, & dictam N. Abbatiam, vel Prioratum, vel Ecclesiam obtinebis, tenendam, & gubernandam, ita quod durante Commenda huiusmodi, de fructibus, redditibus, & prouentibus, ipsius Abbatiæ, vel Prioratus, vel Ecclesiæ N. disponere, & ordinare valeas, sicut veri Priores, & Abbates, vel Beneficiarij ipsius Abbatiæ, vel Prioratus, vel Beneficij, qui fuerunt pro tempore, ordinare, & disponere potuerunt, debuerunt*, &c. Quibus verbis, vt arbitror, etsi Pontifex œconomum instituat, nullam tamen eidem possessionem asserit: nec verò maiorem illi disponendi, seu dispensandi res Monasterij potestatem largitur, quàm priùs veri ac legitimi Superiores habuerunt. Hi porrò nunquam tantùm iuris sunt consequuti, vt quæ superessent, in priuata sua commoda suorumve deriuare possent: sed pauperibus ex præscripto Regulæ erogare debuerunt. Quamobrem, ni fallor, perniciosè ac turpiter perditorum hominum cupiditatibus assentamur, cùm scribimus, Commédatarios superfluos fructus facere suos. Consuetudo tamen, inquis, excusat, quæ dudum apud omnes inoleuit. Respondeo, Perinde vt Arabes. An non saltem ignorantia? Non dubito: siquidem non est illa lex relata in tabulas, quæ furtum vetat.

Redundantes fructus in vsũ pauperum, aut maiusemolumentum Monaster conferendi sunt.

Ibid.

Per vim igitur, inquis, & per summam iniu-

A riam Pontifex Commendatarios Monachorum ceruicibus imposuit. Ah, ne sæui tantoperè. Sanè quidem quàm vtiliter, quamque è re nostra hoc fecit, probat funesta hæc Monasteriorum solitudo, & semper in peius collapsi mores. Sed quandoquidem non vtilitatis nobis ratio ineunda est, sed de iure respondendum: id potuisse iustis de causis negari non potest; præsertim cùm sacrilegam rapiendi libidinem suis terminis circunscripserit. Nam cùm vniuersam Ecclesiam suæ fidei à Christo commendatam habeat, eamque summo iure tueatur, eundem decuit ad Monachorum choros, quorum maximè secundum Martyres doctrina & sanctitate Orbis in se oculos Ecclesia conuertit, partem aliquam deriuare curæ ac solicitudinis suæ. Hi porrò cùm pluribus locis crapulæ atque otio deditι, à maio-
B rum suorum institutis defecissent, instaurandæ cælestis vitæ promptissima ea ratio visa est, si à terrenarum rerum procuratione semoti, quibus animorum acies obtundebatur, & hebescebat, intermissa diuinæ contemplationis studia cogerentur repetere. Fuit ista, quantum conijcio, præcipua causa, cur Commendatarij necessarij sint habiti. Quis verò neget summum Pontificem, cuius autoritas omnem Ecclesiam tanquam suo sinu complectitur, quibus remedijs opus sit, singulas partes posse instruere?

Ratio instituendarum Commend.

Cæterùm ætate minores legibus tutores accipiunt. Dantur etiam mulieribus diruptæ profusæque libidinis. Furiosis denique ac mente captis: neque proprerea causam vllam habét querelarum. quin etiam si sapiant, gratiam legibus habeant, quæ per imprudentiam sua sponte
C præcipites ære dirui vetant, & bonis euerti. Horum nonnullis euasisse quandoque similes Monachi feruntur. quo minus nunc egrè remedium tolerent, si prodesse magis quàm nocere probetur. Verùm longè secus res accidit. Nam Commendatariorum vnum hoc studium esse apparet, vt pietatem extinguant: & Monachos, si quo possint scelere palam obstringant; quo iure videantur ijs expulsis suum quæstum facere. Cæterùm, raros omninò Commendatarios inuenies, cum quibus pessimus quisq; Monachus comparatus, præ illis innocens & iustus non habeatur. Nam augustissimis illis Sanctorum sedibus, è quibus olim ad iudicium proditurι sunt, & tribunalia inscensuri: hæretici præ-
D sident, & meretriculæ, spurij, lenones, quorum sæpè nulla pars corporis à flagitio vacat. Qui tamen hæreticos sortiti sunt, longè clementiores experiuntur durissima nonnullorum Prælatorum seruitus: quorum immensa autoritate iugum ipsum ingrauescit. Non ita pridem, vt didici, in celeberrimo quodam huius Regni Cœnobio, cui Commendatarius Episcopus incubabat: ἰσχυρίαν Monachum tentare cœpit, atque vrinæ suppressionibus, & vesicæ imique ventris distentionibus, vrinæ ardoribus, tandemque summis doloribus vrgere; quos vbi iam ferre non sustinet, admonet Prior Abbatem Chirurgum necessariò accersendum esse, & nonnullos sumptus faciendos. Negat clemens illa anima præter annuum canonem se Monacho quicquam debere: efferri iubet, si

Vel quinque panes, &c.

curari velit, in Xenodochium. Rogat illum Prior parcat existimationi suæ. etenim fore neminem qui non hoc factum grauiter accipiat. Itaque demùm ære minuto redemptus imperitus artifex, miserò atque eiulanti per summos cruciatus vitam eripuit, tantisper dum Monasterij opibus immitis prædo ad luxum & pompam abutitur. Nec verò hanc solam, sed alteram quoque Abbatiam commendationis iure deuorabat. Sed satis hactenus. nam mihi dolor vocem eripit. Olim aderit, apud quem nostras querelas deponamus: nec Sancti nobis deerunt patroni ac vindices.

Sed & vnum interim volens exemplum commemorabo, quod aliquando legisse me memini in Sermone quodam de sancto Medardo cuiusdam Anonymi, quem habes in Biblioth. Floriac. Monaster. quò vel sic terreantur aliorum exitio, qui proprio periculo moueri non possunt. Ausberto, inquit, Abbati Suession. sancti Medardi successit Guarimbertus, qui Draulione Suession. Episcopo defuncto, apud Regem pecuniæ magnitudine, & amicorum obtinuit intercessione, vt & Pontificatus dignitatem administraret, nec tamen aliquo modo pristini officium Prioratus amitteret. Erat enim in curia frequens, & plurimùm inter Regis domesticos valens: vnde tametsi difficulter, tamen suæ cupiditatis effectum obtinuit efficaciter. Vtrisque ergo pralatus gregibus, astutam vapido seruabat sub pectore vulpem, illos districtiùs æquitatis agens ratione, quibus in ouina priùs subdolè præfuerat veste. Hæc ille. Narrat autem subinde quo pacto ea quæ Monachorum erant, ipse sibi vendicaret, & iuberet in propriam domum inferri: quæ cùm aliquando Monachi, eodem absente, in cœnobium auertissent, vt primùm rescijt, irâ excanduit exitium omnibus minitans; ita vt illi ad preces, inquit, & triduanum ieiunium conuersi, constitutis horis tacerent tamen, nec psallerent præ tristitia. Aduenients aperientem fores æditum, tam dirè percutit in ipso sacro limine, vt statim eius facies ex vulnere cruentaretur. Inde ferox & amens tam egregio patrato facinore intrò se proripit, & ad Sancta Sanctorum accedens, ausus est nebulo Dominum, cuius seruos diriperet, genibus flexis adorare dicam, an illudere? Sed non tulit vltrà prædonis insolentiam diuina iustitia: actutùm enim labentibus intestinis coram suo iudice carnifex expirauit. Discant igitur, qui rapacibus votis Sanctorum patrimonijs inhiant, ijsdem olim iudicibus sempiternum eos manere exitium.

Verùm, demus nonnullos Commendatarios egregiè fungi officio suo, nullun ne hi stipendium merebuntur? Quinimò benemerentibus decerni placet, non minùs quàm olim Vicedominis, Defensoribus, & Aduocatis Ecclesiarum: sed certum illud ac definitum. nam immensa illa licentia, qua superfluos fructus sibi vendicant, nullo iure probari potest. Primùm, quoniam ea ratione merces laborem supra modum vincit, ac superat, quod neutiquam decet in administratione bonorum pupillarium. Secundò, quòd eo pacto œconomi potior condi- A tio est, quàm Domini. nam qua nunc lege viuitur, Monachi quidem cùm sint domini, ex asse trientem accipiunt; Commendatarij bessem. Tertiò, quia manifesta hæc iniuria est, perire domino emolumenta rei suæ, soli villico rem crescere. Quartò, quòd propterea semper studeant Monachorum numerū imminuere, quo plura redundent. Postremò, quòd lucelli odore delectati, plurima superfluis annumerant, quorum inopia Monachi premuntur; qui vt externa subsidia sibi comparent, captare atque aucupari Laïcorum beneuolentiam coguntur. His ego rationibus, & alijs, quas antè protuli, in eam sententiam adducor, vt negem Commendatarios superfluos fructus suos facere, & asseram perinde vt tutores, mediocri stipendiò contentos esse debere.

B Duæ sunt præterea rationes, ob quas summus Pontifex partem aliquam possit Monachorum delibare substantiæ. nimirum Ecclesiæ necessitas vrgens, & cùm apparet longè maior emersura vtilitas. Tum enim neque Monachis irrogatur iniuria, neque fides publica testamentorum donationumve violatur. Sed de his aliàs. Quæ autem hactenus disputaui, tametsi vera esse in animum induco meum, Ecclesiæ tamen iudicio permitto.

Versus IV.

C Et respondens Sacerdos ad Dauid, ait illi: Non habeo laïcos panes ad manum, sed tantùm panem sanctum: si mundi sunt pueri, maximè à mulieribus?

Versus V.

Et respondit Dauid Sacerdoti, & dixit ei: Equidem, si de mulieribus agitur: continuimus nos ab heri, & nudiustertius, quando egrediebamur, & fuerunt vasa puerorum sancta. Porrò hæc via polluta est, sed & ipsa hodie sanctificabitur in vasis.

D Versu quarto, Pagninus, *Non est panis profanus sub manu mea, sed panis sāctus*, (Arias, *sanctitatis*) *est. Num seruarunt se pueri vel saltem à mulieribus?* Chaldæus, *Si custoditi pueri singulariter ab immunditia mulieris.* Septuaginta, οὐκ εἰσὶν ὑπὸ τὴν χεῖρά μου βέβηλοι ἄρτοι, *Non sunt panes profani sub manum meam.* Aquila verò, vt scribit sanctus Theodoretus q. 52. non dixit βέβηλον sed λαϊκόν, *laicum*: quomodo etiam Vulgata. Procopius, βέβηλοι non pro ἀκαθάρτου, sed pro μὴ ἦν polluerunt. *Si custodierunt se pueri à muliere, & comedent.* Quidam, *Non est panis plebeius sub manu mea, sed sanctus adest: si cauerunt sibi pueri* (*ab immundis*) *saltem à mulieribus.* Vatablus in Schol. Dicunt eum confestim obtulisse illi panes propositionis, quòd sciret eū magna fame pressum. Variæ tralat.

Si

Si mundi sunt pueri.] Honoris causa tantùm mentionem facit famulorum Dauidis Achimelech. nam per seruos Dauidem intelligit. *A mulieribus.*] Id est à pollutione quæ contrahitur cum muliere. Alius, *Non habeo laicos panes*, interpretatur communes, profani vsus. *Si cauerint sibi ipsi, vtique à mulieribus.*] Id est, sui sanctificationi studuerint adeò vt ne ad vxores suas quidem accesserint. Quæstio est, quam sumit Sacerdos ex analogia mandati, de quo Exod. 19.15. & ex oraculo Dei, de quo infrà versu decimo, & capite sequenti, versu decimo, quasi dicat, qui rebus sanctis sanctorum (quales sunt hi panes) vsuri sunt, hac puritate præditi esse debent, quã Deus à populo ad se accessuro exegerat, & nunc quoque mandato exigit.

Variæ trãslationes

Versu quinto, Pagninus, *Verè* (Arias, *Quinimò*) *mulier prohibita est à nobis sicut heri & nudiustertius, cùm egressus sum & fuerunt vasa puerorum [illegible] hodie sanctitas, & ipsa via profanationis, & etiam quia hodie sanctificabitur in vase.* Ita verbum è verbo Pagninus transtulit. Chaldæus, non minorem patitur difficultatem, dum interpres singula verba magis quàm phrasim curat exprimere. *In veritate mulier remota nobis vt ab heri & ab ante ipsum in exitu meo; & fuerunt vasa ipsorum adolescentium pura ad sanctum, & ipse non in via profana fuit ambulans, & die hoc fuit comestum, & non profanatus in vase.* Septuaginta clariùs, Ἀλλὰ ἀπὸ γυναικὸς ἀπεσχήμεθα ἐχθὲς καὶ τρίτην ἡμέραν. ἐν τῷ ἐξελθεῖν με εἰς ὁδὸν γέγονε πάντα τὰ παιδάρια ἡγνισμένα, καὶ αὐτὴ ἡ ὁδὸς βέβηλος, διότι ἁγιασθήσεται σήμερον διὰ τὰ σκεύη μου. *Sed & à muliere abstinuimus heri, & nudiustertius. In exeundo me in viam, omnes pueri fuerunt purificati: & hæc via profana: quoniam sanctificabitur hodie per vasa mea.* Nobilius hoc loco in Notis. Ita ferè Hebræus. Theodoretus, εἰ βέβηλος ὁδὸς αὕτη, σήμερον ἁγιασθήσεται, *Si profana via hæc, hodie sanctificabitur.* Quidam, *Mulier quidem seclusa fuit à nobis, tam heri, quàm nudiustertius cùm exirem, fueruntque vasa* (non nemo ad marginem, *corpora*) *puerorum sancta, etiamsi via* (ad marg. *profectio*) *profana fuerit: & quanto magis hodie sanctitas erit in vasis?* Quidam ad marg. exacto iam triduo quod tempus expiationis lex præstituit? At Isidor. clariùs in Annot. *Vasa puerorum.*] Id est, *indumenta*. Et quod sequitur: *etiamsi via profana fuerit:* hunc habet sensum. Licet profanum arripuerimus iter, non quidem cogitantes, quod opus habemus panibus sanctis, nihil tamen accidit immundum in itinere, quod nos coercere posset ab esu sanctorum panum: & quanto magis hodie, cùm egerimus rebus sanctis, abstinuisse nos putas à qualibet immunditia, quæ & corpora & indumenta nostra polluere potuisset? Vatablus Salmant. *Fueruntque vasa puerorum sancta.* In Schol. Id est, *vestes*, quasi dicat, Curauimus, more eorum qui volunt itineri se committere, vestes seruorum nostrorum sanctificari. *Et hic publicus mos est, quanto verò magis hodie sanctificatur* [*panis*] *in vase?* In Schol. sanctificabitur. quasi dicat, Licet hanc viam profani negotij causa susciperemus, tamen curauimus vt vestes nostræ purificarentur: quanto magis ergo hodie seruabitur in puritate ac sanctimonia sua panis ille in vase ipso in quo reponetur? hoc est, maiore diligentia seruabimus in puritate sua vasa nostra. Vel, curabimus vt panes sancti, quos accipiemus à te, purissimè asseruentur. Alij, quanto magis hodie sanctificabitur via nostra in vasis ipsis: Alius, *Imò verò mulier intercepta est nobis, vt heri nudiustertius, cùm egrederer, iam erant instrumenta ipsa puerorum sancta.* Tanta est celeritas huius itineris nostri, vt cum vxoribus esse non licuerit nobis à discessu nostro: à quo hîc tertius dies agitur. *Instrumenta.*] Id est, quibuscunque ad iter hoc conficiendum instructi sunt. In reliquis dissentit ab alijs, quorum nos potiùs sententiam sequimur, vt pote quæ magis ad Vulgatam & Septuaginta accedat. *Est autem ratione communis* penes Sacerdotes, *præsertim cum eo die sanctificatur* alius *in vase suo.* Seipsum verò hac ratione in Notis explicare conatur. Id est, Æquè atque alio pane Sacerdotes eo vesci possunt: Hæc verba sunt Autoris ex Leuit. 24. 9. *Ratione communis.* Hebr. *viâ profani. Præsertim cùm eo die, &c.* Id est, inde ab ipso die Sabbathi ineunte, quo reponendi sunt in suis scutellis recentes, ibidem versu octauo, & infrà versu sequente. Hæc interpretatio mihi non placet.

Non habeo laicos panes, &c.

Non nemo denique ita vertit: *Panem quidem profanum non habeo, sed sacrum habeo, si modo famuli à mulieribus abstinuerunt. Cui David: Cum mulieribus nihil nobis rei fuit nunc iam tertium diem, inquit, ex quo profectus sum: suntque corpora famulorum casta. Quod si profectio ipsa profana fuit, at hodie quidem lustrabitur in corporibus.* Hoc est, Si fortè mei famuli tum, cum profecti sunt, fuerant cum vxoribus: at hodie quidem puri erunt: quoniam hic dies tertius est: quod temporis spatium lustrandis corporibus est destinatum. Exodi 9. Vulgatus omnium optimè vtriusque mentem percepit. *Vasa* autem idcirco interpretari maluit, vt præter corpora, etiam instrumentum omne, sarcinasque suas vacare macula indicaret.

Non habeo laicos panes.] An fortè hîc intelligenda est quæ Græcis dicitur πολιτικὸς σῖτος, *Annona ciuilis*, cuius frequens mentio in Iure Ciuili? Quæ annona dari iubetur *in pane cocto L. 1. Cod. De frumento vrb. CP.* qui & aliàs *panis popularis, & panis fiscalis* dicitur, id est, de populi annona. Quinimò & *panis gradilis nonnullis rubr. Cod. Theodos.* vocatur. Rationem etymologiæ docet Prudentius aduersus Symmachum: — Qui sint panes ciuiles.

Et quem panis alit gradibus dispensus ab altis,

Quod scilicet è gradibus, qui in vnaquaque regione vrbis erant ad pistrina, vt constat ex descriptione antiqua Vrbis, præbeatur. Dantur frumenta pistoribus ex publicis horreis, tum deinde populo panes, Cuiac. *ad L. 1. Cod. de conditis in publicis horreis. lib. 10. Palatinos* denique à Suida vocari arbitror in voce Παλατῖνοι. Εἶδος, inquit, ἄρτων, οὓς ἐφιλοτιμήσατο τῷ δήμῳ Κωνσταντῖνος ὁ μέγας, καθ' ὃν ὑπάτευε χρόνον, οὕτως ὀνομάσας αὐτούς, ὡς ἐκ τοῦ παλατίου χορηγουμένους. *Palatini.* Genus panũ, quos Constantinus Magnus populo largitus est, quo tempore Consulatum gerebat, quos ita vocauit, quòd ex Palatio suppeditarentur.] Cæterùm, quocunque tandem nomine censerentur, certum est, quondam Ecclesias, Monasteria,

Cuiacius.

Suidas.

Ecclesiæ & Monasteria attributum sibi vectigal panũ ciuiliũ alienare vetantur.

NON HABEO LAICOS PANES, &c.

Xenodochia, *panes ciuiles* attributos habuisse, quos creditoribus specialis hypothecæ titulo Carolus Magnus obligari vetat *Lib. 2. Capitul. Tit. 29.* Et repetit Lud. Pius *Addit. 3. Tit. 30.* Nulli, inquit, sub Romana ditione constitutæ Ecclesiæ, vel Xenodochij, vel Monasterij, rectori earum rem immobilem liceat alienare; id est, agrum, domum, mancipium, panes ciuiles, neque creditori obligare.] An hos igitur se negat habere præsentes Pontifex? Ex decimis & primitijs frugum, non ex horreis publicis tum panes Sacerdotibus subministrabantur. Itaque hoc solùm dicere voluit, *panes profanos & communes* nullos sibi esse ad manum, quos citò esurienti traderet.

Capitular. Car. Magn.

Non habeo laicos panes, &c.] *Sacrum*, est, vt docet Trebatius libro primo De religionibus, quicquid est quod Deorum habetur. *Profanum* omnes ferè consentiunt id esse, quod extra fanaticam causam sit: quasi porrò à fano & religione secretum. Trebatius *profanum* id propriè dicit ait, quod ex religioso vel sacro in hominū vsum proprietatemque conuersum est. *Profanum* est, quod ex sacro promiscuū humanis actibus accommodatum est. *Sanctum* est, vt idem Trebatius libro decimo Religionum refert, interdum idem quod sacrum, idemque quod religiosum: interdum aliud, hoc est, nec sacrum, nec religiosum est. *Religiosum* Seruius inde dictū tradidit, quod propter sanctitatem aliquam remotum ac sepositum à nobis sit. *Religio* enim quasi à relinquendo dicta est, vt à carendo *cerimonia*. Lege Macrobium 3. Saturnal. *Non habeo laicos panes.*] Profanos intelligit, qui nec sacri, nec religiosi essent. Quatuor panum genera Hebræi nouerunt. Primus erat cōmunis & laicus: Alter, quo laici vtebantur inter se in sacris epulis: Tertius, quem Leuitæ cum mulieribus & filijs vsurpabant: Quarto genere omnium sanctissimo soli Sacerdotes cum maribus filijs intra tabernaculum vescebantur. Appellabantur hi panes nouissimi, *Panes* לֶחֶם פָּנִים *lechem panim*, quod essent in conspectu, & in oculis Domini. Græci appellabant *panes* ἐνωπίους, & προσώπου, & προθέσεως, interdum etiam προκειμένους, quasi *appositities*.

Sacri ac profani notiones.

Macrob.

Apud Hebræos panis genus quadruplex.

Sed tantùm panem sanctum.] Sancti panis tres species fuisse apud Hebræos iam diximus. Pari numero apud nos obseruari certum est. Primus est *Panis Eucharisticus*, seu diuinus ille qui de cælo descendit: quem semel atque iterum Christus asserit suum corpus & suam carnem esse. Huius ne minimas quidem reliquias Ecclesia perire sinit, quòd diuinas eas habeat, & Christum illis contineri sentiat. *Margaritas* Græci eas dixerunt. De quibus sanctus Chrysostomus in Liturgia. Μετὰ δὲ τὴν ἀπόλυσιν, εἰ οὐκ ἔστι διάκονος, εἰσέρχεται ὁ ἱερεὺς εἰς τὴν πρόθεσιν, καὶ μεταλαμβάνει τὰ ἐναπολειφθέντα ἐν τῷ ἁγίῳ ποτηρίῳ μετὰ προσοχῆς καὶ εὐλαβείας, καὶ ἀποπλύνει τὸ ἅγιον ποτήριον τρίς, καὶ ὁρᾷ μὴ μείνῃ τὸ λεγόμενον μαργαρίτης. Hoc est, Post absolutionem ni Diaconus adfuerit, confert se Sacerdos ad Prothesin (Prothesis Græcis mensa illa est, quæ nobis ad dextram altaris partem iacet, in qua mysteria præparantur. *Credentiam* vulgus vocat. Græcis vox illa præpositionem significat; quibus sinistra erat: nam apud illos ἁγία τράπεζα, seu maius

Panis sacer triplex.

Miræ salutaris hostiæ Græcis *Margarita* dictæ.

S. Chrysostomus.

A altare, dextrū latus occupat) quo loco id quod in sancto calice relictum est, prorsus sumit summa cum attentione ac reuerentia: ter quoque sacrum calicem eluit, & speculatur sedulò, ne quod *margaritum* remaneat. Panis altera species ἀντίδωρον nominatur, diuino illo longè inferior, Ecclesiastica tantùm benedictione sacer, qui Græcis populo secundum Missam distribuitur, nobis aliquanto maturius: de quo sanctus Basilius in Liturgia. Μετὰ τὴν εὐχὴν ἐξέρχεται ὁ ἱερεύς, καὶ δίδωσι τὸ ἀντίδωρον. Compensationem ea dictio innuit: quoniam augustioris Sacramenti vice dabatur ijs, quos non contigisset fieri mysteriorum participes. Ad hoc ferè apud Græcos is panis assumitur, è quo sanctificandum crustulum excinditur. Apud nos, quibus in sacrificio azymis

Panis Benedictus.

S. Basilius.

B opus est, panis benedictus diuersa mole constat, & cum fermento subigitur: tametsi hostijs quoque azymis confici posset. *Sanctum munus* vocat Paulus Diaconus in Leone. Iudęi, inquit, baptizati contra propositum suum diluebant baptismum, & comedentes *sancto muneri* participabantur, & contaminabant fidem. Communiores videntur fuisse εὐλογίαι, quæ & ipsæ benedictiones dictæ sunt. Plerunque panes solidi delati domum, & ad absentes missi, vt fidem facerent Catholicæ Communionis. Socrates libro septimo, capite duodecimo, Ἀπὸ τῶν ἐκκλησιῶν οὐδὲν ἐδέξατο, Nihil, inquit, sumpsit ab Ecclesijs, πλὴν κατὰ κυριακὴν δύο ἄρτους τῶν εὐλογιῶν ἐλάμβανεν, tantùm per diem Dominicum duos panes accepit Eulogiarum. Apud Ioan. Moscum Limonarij cap. 85. Acciperent, inquit, medium tritici

Paul. Diac.

Eulogiæ.

Socrates.

Ioannes Moschus.

C sextarium, benedictiones tredecim, & sextarium vini. In Capitul. Caroli Mag. Addit. 1. cap. 68. Eulogiæ fratribus à Presbyteris in refectorio dentur. Dabantur & pauperibus. In vita S. Frontonij, eas denique eulogias indigentibus distribuit, quas acceperat. Plura de Eulogijs Lindenbrogus in Glossar. & Meursius item in suo. Extat, inquit, Lindenbrog. in MS. Cod. Marculphi Biblioth. Reg. Gall. Formula de Eulogijs dandis: sed quæ propter libri vetustatem legi non potest. In Liturgia sancti Chrysostomi, Eulogijs Sacerdos stellam imponit. Cabasilas in Exposit. Liturg. cap. 5. Crucem quoque Eulogijs impressam meminit. Nostris plerunq; Dei agnus incubat.

Si mundi sunt pueri.] Sanctus Chrysostomus

D Homilia vndecima in caput sextum Epistolæ ad Hebræos: Quiescamus, inquit, ab hac absurda curiositate, & diabolica, & perniciosa. Si enim in Clero se electum esse dicat, si Sacerdotem se nominet, scrutare: non enim sine periculo in talibus indiscussa communicatio est. Circa maiora periculum vertitur: non enim das, sed accipis. Si verò pro nutrimento postulat, nihil examines. Inquire, quomodo Abraham hospitalitatem circa omnes transeuntes ostendebat: si scrutator fuisset circa refugientes ad se, nunquā Angelos hospitio recepisset. Fortassis enim, non putans eos Angelos esse, cùm reliquis repulisset: sed quoniam omnes recipiebat, suscepit & Angelos. Non enim ex vita eorum quos accipis, mercedem tibi retributurus est Dominus:

sed

Si mundi sunt pueri, &c.

sed ex voluntate tua, & liberalitate multa, ex misericordia, & bonitate. Hactenus sanctus Chrysostomus.

Si mundi sunt pueri.] Præclaræ sunt leges valdè, inquit Menander: at si quis spectet leges accuratiùs, calumniator euadit. Et Nigidius Figulus apud Gellium Noct. Attic. libro quarto, capite nono, refert hunc versum ex antiquo carmine, Religentem esse oportet, Religiosum nefas. Quod, inquit, interpretans ait: Semper hoc inclinamentum verborum, vt vinosus, mulierosus, religiosus, nummosus, signat copiam quandam immodicam rei, super qua dicitur. Quocirca religiosus is appellabatur, qui nimia & superstitiosa religione se alligauerat, eaque res vitio assignabatur. Veruntamen vt ait Gellius alio quopiam diuerticulo significationis religiosus pro casto atque obseruanti cohibentiq; sese certis legibus finibusque dici cœptus. Quid horum magis in Sacerdotem nostrum quadret, ex eo intelliges, quòd vbi primùm mundos intellexit, non dubitauit famelicis sanctificatum panem apponere. Non enim habendam censuit rationem ceremoniarum. Sed cùm vrgeret necessitas, hoc solùm studuit, ne impuri rem tantam vsurparet, quæ indignis perniciem magis quàm vtilitatem afferret. Neque enim tanta esse debet religio sacrorum rituum, vt illorum causa velimus deserere salutem fratris: nisi velimus cum Pharisæis offerre mentam & cyminum, & deglutire camelum. Non enim ea causa datæ sunt ceremoniæ, vt fratres moriantur fame. Seruari quidem debent ceremoniæ, nisi maior aliqua necessitas impediat. Semper verò charitas externis illis religionis officijs, cùm id necessariò postulat, anteponenda est. Quin etiam in ipso Decalogo, cùm videmus duo inter se præcepta confligere, & alteri ab altero impedimentum præstari, illud, quod Legislatoris ipsius sententia videbitur esse maius, præferri debet. Ita Deus ait apud Oseam, *Misericordiam volo, & non sacrificium.* Quam sententiam denuò Christus interpolauit in Euangelio. Itaque innocentes licet cæsi sint, qui in Machabæorum libris armis se tueri noluerunt in Sabbatis; reliqui tamen prudentiùs Legislatoris mentem interpretati, eam sententiam reprobarunt. Antiquiùs enim est periclitantibus opem ferre, quàm Sabbato vacare. Paulus monet, ne Episcopus creetur *neophytus*: attamen sanctus Ambrosius, cùm esset tantùm catechumenus, designatus est Episcopus. Præceptum quidem Apostoli sanctum erat, & pium: tamen cùm aliud præceptum grauius occurreret, oportuit illud, non quidem violari, sed cedere. Ecclesia tum affligebatur ab Arrianis: nec apparebat quisquam, qui eorumdem impetum frangere posset, præter Ambrosium. Ita cùm duæ sint tabulæ in Decalogo, posteriorem regi oportet à priori, vt corpus ab anima. Iubet quidem Deus, *ne occidamus, ne furemur*: tamen cùm Deus priuatim iuberet Hebræos conuasare bona Ægyptiorum, & Abrahamum occidere filium suum, oportuit illa duo præcepta tantisper de alijs interpretari.

A Gellius.

Quis religiosus.

Necessitati cedunt ceremoniæ.

Decalogum certè nemo ambigit quin sit is ceremonijs iudicijsque anteponendus. Ista enim

A duo sunt Decalogi tanquam appendices. Nam ceremoniæ ad primam tabulam referuntur, iudicia ad secundam: ista enim ad hominum societatem pertinent: illæ ad cultum Dei. Quare si ista ita concurrant cum Decalogo, vt simul vtraque seruari non possint, Decalogi potiùs ratio habenda est, quàm illorum. Itaque Christus ait, *Sabbatum propter hominem factum esse, non hominem propter Sabbatum.* Obseruandæ quidem sunt ceremoniæ: sed itaut neue animo, neue corpori supra modum officiant. Tum enim meminisse debemus, *Filium hominis dominum esse etiam Sabbati.* Sed dices, id de Christo intelligendum esse: illum enim habuisse in manu sua, vt aut tolleret legem, aut conseruaret. Imò etiam quicunque inserti sunt in Christũ, fruuntur eadem libertate: sunt enim participes donorum Christi. B Hæc ratio tenenda est, quoties ceremoniæ ita incurrunt in Decalogum, vt si eas serues, eidem necessariò vim afferas. Ego planè sic sentio Decalogi leges decem, totius iuris & æqui fundamenta esse, & tanquam summa capita iustitiæ ac pietatis. Sed cùm edicta hæc generalia proponantur, & humanarum actionum peristases certo numero commodè comprehendi non possint, idcirco placuit communiores exempli gratia specialibus regulis circumscribere: quas mutari quandoque minimè mirum est, cùm sit rerum actionumque perpetua quædam vicissitudo. Vbi verò horum quippiam contigerit à recto tramite deflectere, ita vt iniustum fore appareat si præscriptas regulas sequatur, tum ijs contemptis hoc vnum spectandum est, vt primariæ legis sanctitas integra atq; C inuiolata seruetur. Voluntas enim eius spectanda est, qui legem tulit. Nam si nimis superstitiosè vrgebimus τὸ ῥητὸν, necesse est vt in multa sæpè absurda incidamus. Non hoc dico, quòd velim homines constituere ἐπιείκειαν aliquam in verbo Dei: sed ne dubitent eam æquitatẽ sequi, quam Deus ille præscripsit, & docuit. Sacræ enim literæ non aliter intelligendæ sunt, quàm Spiritus sanctus eas intelligi, ac tractari voluit. Si qui sunt qui ista nesciant, id suæ socordiæ atque ignauiæ debent adscribere, quòd in Scripturis diligentiùs & attentiùs non versentur. Iudæi hodie perire malunt, quàm comedere suillam. Verùm id & stultè faciunt, & stupidè. Nam Dauid esuriens, non dubitauit comedere panes propositionis: qui certè non minùs erant veriti D laicis, quàm suilla toti populo. At si id exigeretur à Iudæo, vt comederet carnem suillam; pro testimonio defectionis suæ à Deo, certè moriendum esset potiùs. Bene ergo fecerunt Iudæi, cùm non parerent Antiocho. Is enim iussit eos comedere suillam, non quod necessitas aliqua id postularet: sed vt eo facto testificarentur se negare Deum. Ita sentiendum est de idolothytis: nam ea quoque, si vrgeat necessitas, possunt comedi. At si alius quispiam indicet, carnes eas esse immolaticias, mori potiùs debes quàm eas comedere. Id enim esset negare Deum. Quod ad Dauidem attinet, res non patiebatur moram. Erat enim iam enectus fame, & lassitudine. Et si expectare voluisset, dum alij panes coquerentur, periculum erat, ne interceptus re-

Si mundi sunt pueri, &c.

Decalogus Religionis ceremonijs anteponẽdus est.

Ceremoniæ quo tẽpore obtinere debent.

SI MVNDI SVNT PVERI, &c.

habet, *strati semen*. Hic ergo Scriptura loquitur de fœditate, quæ in somno euenire solet, quam Hebræi *euentum* vocant, quod præter dormientis voluntatem occurrat: sin sollicitatione procuretur, Hebræi pro crimine homicidij iudicant. Hebraïcè שכבת זרע *scichbath Zaragh* Pagnino est *effusio*, Montano *cubatio seminis*. Mihi sanè videtur, quando verbum ipsum שכב *scachab*, non dormire tantùm iacereque significat, sed etiam fundere, optima Pagnini translatio. Verti tamen etiam poterat non incommodè, *Vir cui exciderit somnus seminis:* qui non est alius, si Hebræorum phrasim spectes, quàm somnus semen fundens: quo respersus iubetur ad vesperam vsque immundus haberi, non ipse modò, sed quæcunque præterea vestis eodem pure infecta est. Quo argumento facilè probes, legitimi congressus nequaquam hoc loco fieri mentionem. *Semen* autem *coitus* idcirco dixit Interpres noster, vt elaboratum illum liquorem intelligeremus: & ab ijs, quos morbus egerit, distingueremus, quos manare saliuæ instar priùs docuit, aut velut densiore glutino naturales meatus obstruere. Nequaquam igitur, quod initio dicebam, hoc loco Scriptura immunditiæ damnat, aut à Sanctis arcet, si quis legitimi thori honestis amplexibus potiatur. Quod etsi ita esset, nobis qui Mosaïca lege soluti viuimus, spiritualiter intelligendum videretur; Quia mulieri, inquit sanctus Gregorius, vir miscetur, quando illicitæ concupiscentiæ animus in cogitatione per delectationem coniungitur. Quia nisi priùs ignis concupiscentiæ à mente deferueat, dignum se congregationi fratrum æstimare non debet, qui se grauari per nequitiam prauæ voluntatis videt.

Voluntaria pollutio habita Hebræis homicidium

Idcirco tamen sanctus Ambrosius noui Testamenti Sacerdotes cœlibes asserere videtur, ne, cùm pauci essent, rei vxoriæ consuetudine ab offerendo baptizandoque auocarentur. Nam in veteri Testamento fuisse viginti quatuor classes Sacerdotum, vt alijs alij vicissim succederent in ministerio, & vicissim operam darent curis domesticis: in sua autem ciuitate septem tantùm esse Diaconos, & duos Presbyteros in singulis Ecclesijs: qui si, vt inquit Apostolus, diuisi sint, & placere studeant vxoribus, quo pacto ad offerendum quotidie purificati occurrent? Obijciunt contrà: Quid igitur, antequam Dauid viginti quatuor classes Sacerdotum descripsisset, quid agebatur antea? Quid fecit Aaron, cùm duos tantùm haberet filios, & oporteret quotidie ministrare in Templo? An illi violabant legem Dei? Respondeo, Putasne omni prorsus immunditia eosdem perpetuò caruisse? Quod si censeas propter alias labes, quas penè necesse fuit aliquando contingere, cùm opus esset, alternis ministrare potuisse, idem hic quoque factum puta: sin est aliud quod magis arrideat, hanc à me accipe satisfactionem. Negari certè non potest, cùm Moyses populum ad accipiendam legem in diem tertium paratum esse iuberet, imperasse iam lotis, Exodi decimo nono capite, versu decimo quinto, vt à coniugibus abstinerent. Verùm de his iam olim plura tomo primo, capite quarto, versu decimo nono. Quod si illic, inquit sanctus Gregorius, vbi Dominus per creaturam subditam hominibus loquebatur, tanta prouisione est munditia requisita, vt qui verba Dei perciperent, mulieribus mixti non essent: quanto magis mulieres, quæ corpus Domini omnipotentis accipiunt, custodire in se munditiam carnis debent, ne ipsa inæstimabilis mysterij magnitudine grauentur. Hinc etenim ad Dauid de pueris suis per Sacerdotem dicitur, vt si à mulieribus mundi essent, panes propositionis acciperent: quos omninò non acciperent, nisi priùs mundos eos Dauid à mulieribus fateretur. Sed iam paucis ex eodem sancto Gregorio quæstionis propositæ nodum dissoluamus.

S. Ambros. in cap 3. 1. ad Timot.

Defenditur S. Ambrosius.

Quamuis, inquit, de hac re diuersæ hominum nationes diuersa sentiant, atque alia custodire videantur: Romanorum tamen semper ab antiquioribus vsus fuit, post admixtionem propriæ coniugis, & lauacri purificationem quærere, & ab ingressu Ecclesiæ paululùm reuerenter abstinere. Nec hæc dicentes culpam deputamus esse coniugium: sed quia ipsa licita admixtio coniugis sine voluptate carnis fieri non potest, à sacri loci ingressu abstinendum est: quia voluptas ipsa esse sine culpa nullatenus potest. Non enim de adulterio, vel fornicatione, sed de legitimo coniugio natus fuerat, qui dicebat: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea.* Qui enim in iniquitatibus conceptum se nouerat, in delicto se natum gemebat; quia portat arbor in ramo humorem vitij, quem traxit ex radice. In quibus tamen verbis non admixtionem coniugum iniquitatem nominat, sed ipsam videlicet voluptatem admixtionis. Sunt etenim multa quæ licita esse probantur ac legitima, & tamen in eorum actu aliquatenus fœdamur, &c. Si quis verò sua coniuge, non cupidine voluptatis raptus, sed solummodò creandorum liberorum gratia vtitur, iste profectò siue de ingressu Ecclesiæ, siue de sumendo Dominici corporis sanguinisque mysterio, suo est relinquendus iudicio, quia à nobis prohiberi non debet accipere, qui in igne positus nescit ardere. Cùm verò non amor procreandæ sobolis, sed voluptas dominatur in opere commixtionis, habent coniuges etiam de sua commixtione quod defleant. Hoc enim concedit sancta prædicatio, & tamen de ipsa concessione metu animum concutit. *Indulget* Apostolus: non autem indulgetur quod licet, quia iustum est. Hæc pluribus ibidem sanctus Gregorius.

S. Gregor. apud Ven. Bedam lib. 1 hist. Anglor. c. 27. Respons. 10 ad quæst. S. August.

Solutio quæst.

1 ad Cor. 7.

Si de mulieribus agitur, continuimus nos.] Ἐγκράτεια, siue Continentia Suidæ, διάθεσις ψυχῆς, μὴ ὑπερβαίνουσα τὸν κατ' ὀρθὸν λόγον, ἢ ἕξις ἀήττητος ἡδονῶν. id est, Affectio, quæ rectam rationem non transcendit, & habitus à voluptatibus inuictus. Et iterum, Continentia differt à temperantia. Ἡ μὲν γὰρ σωφροσύνη, ἠρεμαίας ἔχει τὰς ἐπιθυμίας, Temperantia enim habet remissas cupiditates: Ἐγκράτεια σφοδράς, Continentia vehementes. Continens autem dicitur, ὁ κατὰ ἀπάθειαν, non propter affectionum vacuitatem, ἀλλὰ διὰ τὸ πάσχειν μὲν, μὴ ἄγεσθαι δὲ ὑπὸ τῶν παθῶν. Sed quia affectibus quidem afficitur, non tamen ducitur. *Liberi, &*

Suidas. Quid Continentia.

PORRO HÆC VIA, &c.

nudiusstertius.] Ergo verum non est, Scriptura teste, quod docuit Lutherus, rebus Venereis non magis abstineri posse, quàm cibo: nam cùm totum triduum abstinuissent, panem quidem efflagitant, mulieres autem auersantur: nisi forte fingimus post epulas Pontificem lenonis vice scorta nec postulantibus immisisse, ne Venere magis quàm pane abstinerent.

Et fuerunt vasa puerorum sancta.] Alij vestes exponunt, alij corpora. Et certè corpora nostra organa sunt animi, & spiritus Dei. *Hæc*, inquit Paulus ad Thessalonicenses, *est voluntas Dei sanctificatio nostra, vt vnusquisque seruet vas suum in sanctitate.* Et Petrus iubet maritum cohabitare cum vxore sua cum scientia, & mulieri tanquam *infirmiori vasi exhibere honorem.* Et Paulus dictus est *Vas electionis*, qui Euangelium Christi per orbem terrarum circumferret. Quare cùm corpora nostra sint vasa spiritus Dei, cauendum est, ne ea aliqua graui labe contaminemus. Nam si vasa illa aurea & argentea, in quibus prisca lex Christi sanguinis vmbram aliquam propinauit, ad priuatos vsus transtulisse nefas est habitum, & id sceleris Balthazar morte luit, quo non supplicio digni censebimur, si corpora nostra, quæ *Christi membra sunt, & templa Spiritus sancti*, ad vsus profanos & flagitiosos accommodemus?

Porrò hæc via polluta est.] Locus ad interpretandum difficilis, & obscurus, & variè exponitur. Alij sic interpretantur: *Via quam ingressus sum prophana est.* Non enim eo consilio proficiscebar domo, vt accederem ad tabernaculum: tamen quoniam obiter incidi in hunc locum, iam sanctificabor. Alij sic: *Panis propositionis in hac mea necessitate prophanus erit.* Hoc est, erit mihi instar panis communis. Sanctificabitur tamen: quoniam eo ritè, & sanctè vtemur. Vatablus legi vellet, Non via hæc, sed hic panis pollutus est, seu more profani se habet, cùm è conspectu Domini remotus est. Alij, *Hæc via*, id est, *hic edendi modus per se quidem pollutus est, ob necessitatem tamen concessus.* Rabbini: *Etiamsi hodie panis in vase, quod est super Domini mensam, sanctificatus esset, eò tamen ob necessitatem vesci liceret.* Rursum alij: *Via polluta est, alijs quibusdam immunditijs, sed propter munditiam à mulieribus excusabitur.* Denique, *Licet via hæc polluta, & laica sit*, id est, laici negotij causa suscepta; *propter tamen vestium corporumque sanctitatem sanctificabitur*, id est, in necessitate ista instar sanctæ habebitur, panis iste quasi à mundis comedetur. Sanctus Hieronymus in Traditionibus Hebraïcis, In Hebræo legitur, *Porrò hæc via laica est*; sic est intelligendum: Via hæc laica est: ac si diceret: In lege præceptum est, vt extraneus non comedat ex eis: & tu interrogas, vtrum mundi sint pueri; qui etiam si mundi essent, nequaquam eis vesci deberent. idcirco via hæc est laica, quia tu laicaliter interrogas. Quod verò sequitur: *Sed & ipsa hodie sanctificabitur in vasis meis*: ipsa vtique in vasis, id est, in mente tua sanctificari dicitur: quia, nisi necessitate corporis & periculo vitæ vrgente, nequaquam vesceretur eis: non tamen apertè legitur Dauid panes comedisse. Tradunt Hebræi

A nequaquam Dauid eos comedisse panes: sed aliter tamen Dominus in Euangelio. Hactenus Trad. Hebr.

PORRO HÆC VIA, &c.

Marc. 2

Ergo hinc arbitror ab eo viam suam dici pollutam, quòd nimirùm ad cædes & rapinas properaret. Nam cùm profugo atque exuli aliunde iam facultates non supperterent, ex rapto sibi viuendum constituerat. Neque tamen eius expeditionem vlla pollutione fœdatam intelligas, quæ scelere animum inficeret: sed legali duntaxat, quæ sanguine tinctis sacris interdixit, etiam iure & cum ratione fuso. Neque enim nisi iure cædere quemquam decreuerat: aut aliunde prædas agere, quàm ex hoste legitimo. Vndique autem infestis gentibus Iudæa cingebatur, in quas cæde ac ferro grassari impunè licebat; vt pote qui populi commodis ac

Probabilior interpretatio.

B vitæ perpetuò insidiarentur: & tamen propterea pollutam viam suam nominat, siue conatus, cœptusque suos quòd ad eam rem pergeret: quid si iam tale aliquid designasset? quid si dextram iam noxio sanguine violasset? Nouimus quid de eodem Deus postea sanxerit. Cùm enim omnipotenti Deo magnificam ædem ponere destinaret, oraculo prohibitus est non aliam ob causam, quàm quòd multum sanguinem fudisset. Quid si vim itaque cuiquam attulisset præter ius & æquum, quanto magis ausus non esset sanctificatum panem attingere? Et tamen alia præparatione præter fidem opus esse negatis, ô Caluinistæ, si quis velit mensæ Domini fieri particeps. Vobis vtique non aliam esse necessariam facilè concesserim, qui panem duntaxat communem & laicum vsurpatis. At non perinde

C Dauid sensit cum Pontifice: qui cùm panem sanctum esse credidissent, sanctificatione opus esse, si quis eò vesci statuisset, autumarunt. *Sed & ipsa sanctificabitur in vasis.*] Eruditè prorsus, atque vt virum Prophetam decuit. Nam cùm duplici sordis macula inureretur antiqui, legis altera, altera moris, docet nos eam quæ legibus constituta esset non ante patratam opus labem inficere, cùm tamen altera, quæ sceleris est, ante admissum scelus vnico voluntatis proposito inquinet. Nam qui hominem occidisset quacunque tandem ex causa, immundus erat, seu iure cecidisset, siue etiam iniuria. At qui duntaxat in animum induxisset cædem facere, si quidem id nefariè decreuisset exequi, haud dubium quin Dei iudicio, quem nihil eo-

D rum fugit, quæ clanculùm machinamur, immundus appareret: si verò iure statuisset interimere, neutra ratione pollutus haberi potuit. Quare tametsi *hæc via polluta est*, inquit Dauid, siue eò tendimus, quo nos pollutum iri non dubitamus: attamen nullam hactenus labem contraximus: non sceleris, quoniam non in alios quàm Dei hostes inuehimur: non legis ceremoniarum, quoniam necdum *vasa nostra*, siue tela in hostium cruorem immersimus.

VERSVS

DEDIT EI SACERDOS &c.

VERSVS VI.

Dedit ergo ei Sacerdos sanctificatum panem. Neque enim erat ibi panis, nisi tantùm panes propositionis, qui sublati fuerant à facie Domini, vt ponerentur panes calidi.

Variæ trãslationes.

PAgninus, *Et dedit ei Sacerdos panem sanctum,* (Arias, *sanctitatem,*) *non erant enim ibi panes,* (Arias, *panis*. Hebr. לֶחֶם *lebhem*) *nisi panes facierum* (Arias, *panis facierum* לחם הפנים *lebhem haphanim*) *qui erant remoti,* (seruat hîc Arias numerum pluralem, *remoti*, המוסרים *hammousarim*) *à facie Domini ad ponendum panes calidos* Arias, *panem calidum*) *in die, qua sublati sunt.* Arias, *in die ipsum capi.* Chaldæus, *Et dedit illi Sacerdos sanctum, quia non fuit ibi panis laicorum, sed panis facierum, quem remouebant ab ante Dominum ad ponendum ipsum panem calidum in die quo accipiebatur.* Septuaginta, *Et dedit ei Achimelech Sacerdos* ἄρτους προθέσεως, *panes propositionis, quia non erat ibi panis alius, nisi ei* ἄρτοι τῆς προσώπου, *panes faciei sublevati à facie Domini, vt ponerentur panes calidi in die qua accepit eos.* Isidorus Clarius in Annot. in hunc locum. *Panes calidi.*] (Vatablus *recentes* vertit.) Iubentur Sacerdotes in lege Mosaïca, singulis Sabbathis duodecim recentes panes ponere super mensam propositionis, & inueteratos auferre, atque comedere; nec liciti erant panes illi nisi Sacerdotibus: tamen propter periculum animarum, poterant etiam profani homines illis vesci: sicut & Christus Matthæi duodecimo docet. Sed quomodo scribitur hîc, panes illos Sabbatho calidos fuisse, cùm Sabbatho operari prohibitum fuerit? Respondent Hebræi, panes illos in fornace calida seruatos fuisse vsque in horam propositionis, &c. Hactenus ille.

Dedit ergo ei Sacerdos sanctificatum panem.] Apud Menandrum,

Menander.

Nam tria sunt, here,
Quorum opera fiunt omnia: aut ex legibus,
Aut vrgente necessitate, aut etiam tertiò, consuetudine
Quadam.

Panem sanctificatum. Alij, *panem sanctitatis*, siue *sanctum*. Arias ad verbum, *Et dedit ei Sacerdos sanctitatem:* non enim *panis* nomen hoc loco reperitur. Vox Hebraïca est קדש *kodesc*, quæ significat *paratum*. Est ergo sanctum, quod destinatum est sacris vsibus. Græca vox est ἅγιος, quæ significat rem ab omni fece terrena repurgatam. Dicuntur autem ista sancta, non vt homines appellantur sancti: sunt enim res stupidæ, & nec peccare possunt, nec rectè facere: sed quia parata sunt ad vsum sacrum: vt panis ad eulogias, & aqua ad lustrationem. In homine autem ea dicuntur sancta, quæ afflata sunt à spiritu Dei: vt spes, fides, charitas. Cor item, & mens, animus, conscientia. Res etiam profanæ distinguuntur iisdem gradibus. Res ergo

Discrimen inter ea, quę sancta dicuntur, statuitur.

externæ aliæ sanctæ sunt, aliæ non sanctæ. Tempus autem erit, cùm hæc discrimina tollentur, & omnia erunt sancta. Deus enim quandoque *sibi subyciet omnia, & erit omnia in omnibus.*

Panem sanctificatum.] Hunc quoque morem superstitio Gentium æmulata est. Meminit Suidas in voce Ἀνάστατοι. Ita dicebantur Athenis quę in Mineruæ sacris Arrhephoris placentæ fiebant. Ferebantur & aliæ placentæ ἀμφιφῶντες dictæ, mense Ianuario, aut Martio, in templum Munychiæ Mineruæ. Nominis originem inde ductum volunt, quòd tum fierent, quum Sol & Luna manè supra terram apparent. Apollodorus quòd facuslis circum ipsas fixis deferrentur. Φθοῖς etiam placentæ erant, quas dijs suis cum victimarum visceribus in sacrificijs offerebant. Αἱ δὲ σελῆναι, πέμματά ἐστι πλατέα κυκλοτερῆ, Lunæ verò, sunt placentæ planæ, rotundæ. Post sex verò Lunas bouem septimum pinsebant Lunæ nascentis cornua referentem, & immolabant. Sunt quoque πελανοί, τὰ εἰς θεοὺς πέμματα, Placentæ dijs consecratæ: sicut & πόπανα. Nonnulli Lunas cum Pelanis confundunt. Καὶ ὀβελοὶ νεμηνιοι, inquit Lucianus in Lexiphane, Neomeniarum panes. Habebant & suos apud Athenas ἡμιοφόρια. In festo Gratiarum, χαρίσια vocant, qui diutissimè peruigilassent, præmium placentam accipiebant. Erat & celebre διάκονιον, quum Athenienses Apollini facerent εἰρεσιώνην Eresionem. Tum enim, vt Menecles autor est in Glossocomo, πλάττοντες λύραν, καὶ κοτύλην, καὶ κλῆμα, καὶ ἄλλα τὰ κυκλοτερῆ πέμματα, ταῦτα καλοῦσι διακόνιον. Fingentes & lyram, & cotylam, & clima, & alias rotundas placentas, has vocant diaconium, id est, ministerium. Ieremias denique annon Hebræis *placentas* exprobrat, *quas facerent Reginæ cæli?* Quicquid ad Dei cultum institutum esset, hoc semper studuit dæmon vsurpare. Tantùm porrò tribuebant Iudæi propositionis panibus, vt scribit sanctus Hieronymus in Malachiæ caput primum, vt eos oportuerit, & seri, & meti, & moli, & coqui, & pinsi, non nisi à Sacerdotibus. Sed hæc erat mera traditio. Nam Deus iussit, vt Sacerdotes acciperent similam à populo.

Suidas.

Gentilium panes suo more sacri habiti.

Neque enim erat ibi panis, nisi tantùm panes propositionis.] An tanta erat penuria panis in illa ciuitate, vt panis communis non potuerit alicunde inueniri? Ceremoniæ non ita leuiter violandæ sunt. Sed Dauid non potuit expectare, ne crearet sibi periculum. Ideoque dixit, se vrgeri mandato Regis. Quod vbi fit, ceremonias oportet cedere, ne malorum insidijs, aut vi pessundemur. Habuit autem Sacerdos istos panes, quod iam tum alios calidos apposuisset. Hîc attingitur Historia. In Sabbatho enim oportuit tolli veteres panes, & apponi nouos. Erant autem calidi, non quod pinserentur in Sabbatho. Nam pinsebantur in parasceue, sed quod relinquebantur in furno vsque in Sabbathum. Sed iam toties de *panibus propositionis;* agam nunc pluribus.

Apponebantur itaque *panes propositionis* duodecim, seni, & seni ad vtrumque latus mensæ. Addebantur vtrinque duæ phialæ thuris: quod,

De panibus propositionis.

Panes propositionis, &c.

cùm panes tollerentur, incendebatur. Hæc, vt paucis attingam allegoriam, nam qui plura volet, ad Philonem adeat, significabant, vtramque vitam nostram sustentari à Deo. Nam quoniam habemus ea quæ ad corporis vitam attinent, à Deo, non quidem, vt loquuntur, immediatè, sed per Solem, Lunam, & stellas errantes, idcirco propositum est tentorium, in quo ista repræsentarentur. Et quoniam ab illis stellis producuntur fructus, idcirco in mensa ponebantur panes. Et quod ad spiritualem vitam attinet, candelabrum significabat lumen Spiritus sancti, ex quo lumine est verbum Dei, verus animæ cibus, & panis noster, quo in æternam vitam alimur. Altera panum series veteribus Eucharistica dona repræsentabat. Huic verò pani thus additur, vt *dijudices corpus Domini*. Tametsi enim patribus in vmbra non decebat verum corpus exhiberi, attamen thus additum (quod diuini cultus, aut etiam numinis est symbolum) diuini participationem mysterij, quo nunc fruimur, pollicebatur. Potest & illud item obscurè designasse, quod postea disertis verbis Apostolus expressit. *Probet autem seipsum homo*. Nam thus quoque ad lustrationes adhiberi solet. Optabat propterea Dauid, *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo* Nec dubito thuris symbolo orationis quoque suffitum tanto Sacramento necessarium indicari. Numerus duodenarius ad Apostolos pertinet, à quibus cælestem hanc doctrinam hausimus, & expressimus. Porrò iste panis, qui de cœlo venit, & Sacerdotum operâ paratus est, tametsi vnus est, perinde vt corpus Christi: attamen, instar panis vmbratici, perpetua apud nos commemoratione innouatur. Semper namque idem manet, corrumpi nescius, aut in chylum digeri: sed elementa Sacerdotes interpolant, & sacramento sistunt. Soli tum Sacerdotes, quos Angelos Scriptura vocat, & custodire scientiam asserit: cùm essent diuinorum mysteriorum conscij, spiritualem hanc escam manducare poterunt: ac subinde postquam Christum suum corpus esse palàm prædicauit, quisquis æternæ vitæ studio tenetur, auidè eam degustat.

Allegoria.

Dedit ei.] Beatus Robertus Ordinis Cælestinorum, cùm aliquando hominem conspicatus esset in boue & asino arantem, quod lex prohibet Deuteronomij vigesimo secundo capite, eundem verbis corripuit, quòd asino faceret iniuriam, quem viribus imparem idem cum boue iugum trahere compelleret. At ille excusatione vtitur egestatis suæ. instat Beatus ille, & pretium necessarium percontatur, quo alterum sibi bouem compare t. Edisserit arator. Mox iubet Robertus dictum canonem comes suus illi numeret. Paret quidem frater: sed loculos exhauriens, interim clandestino murmure piam illam animam flagellat: quod illum Deo reuelante non latuit. Bono itaque animo fratrem esse iubet: & Deum, cùm sit diues, quod pauperi suo nomine commodauerant, breui cum fœnore restituturum. quod non ita multò post cumulatè accidit. Dicebat autem vir ille Beatus, quæ Religiosis à Fidelibus offerrentur, non illorum gratia duntaxat, sed reliquorum etiam

Episcopos & Monachos, inopes prolixa liberalitate fouere decet.

A pauperum ratione conferri. Cui sententiæ Monachi si fidem habere debent, quanto magis Ecclesiarum Sacerdotes & Episcopi? Δεῖ τὸν ἐπίσκοπον φιλόξενον εἶναι. Est autem ξένος, aduena, & peregrinus. Quod si ille peregrinos omni officio prosequi debet, quanto æquius est eundem domesticos fidei sua cura ac sollicitudine complecti? Nam si vidua ab Ecclesia recipi prohibetur, quæ pauperes hospitio non recepit, quæ pedes Sanctorum non lauit, quæ omne opus bonum non est exequuta, quis auarum & inhospitalem ferat Episcopum? quo pacto credentium pater habebitur, si abhorrens ab Abrahami vestigiis, pauperes, quos ille collegit, hospitio exigit? Semper diuina quædam res eleemosyna est habita, & digna quam viri principes omni studio colerent. Sed postquam præstare sacrificijs misericordia

B renunciata est, & cœli fores reserare posse: tum ex hac præcipuè commendari cœpti, qui reliquorum duces esse vellent. Quare qui secùs hoc tempore faciunt, officij haud meminisse videntur. Optimi quique neque priuatim genio indulgent, neque thesauros cumulant, neque supra modum ornandæ Ecclesiæ curiosi sunt, tantisper dum laborare inopia plerosque vident. Verumenimuerò, vt nonnullo loco ait sanctus Chrysostomus, quo mihi pretiosa vestis, argentea mensa atque aurea supellex, si inter hæc cibo indigens fame pereo? An putas his Christum oblectari posse, dum eius membra siti atque inedia tabescunt? Itaque optimi quique Sacerdotes, inquit sanctus Isidorus Pelusiota, id potiùs student, vt pauperum inopiæ succurratur, quàm vt templi parietes atque

C adeò ara ipsa marmoreis crustis, auro argentoque vestiantur. Nam si quis dicat, ἀναθεῖναι θέλω, καθιερῶσαι, consecrare, atque appendere aliquid volo, id eum pauperibus dare iubent. Οὐδὲ γὰρ διὰ τοῦτο ἐπεδήμησεν ὁ Χριστὸς, ἵνα χρυσῷ ἢ ἀργύρῳ τὰς ἐκκλησίας ἐμπλήσῃ. Non enim propterea Christus venit, vt Ecclesias auro & argento impleat. Quamobrem etiam Magdalenæ factum ita laudauit, postquam illa fracto alabastro vnguentum effudisset, vt si priùs illa, quid melius foret, Dominum consuleret, iussurus fuerit accepto pretio pauperibus erogari. Cùm verò eius patrocinio suscepto, eandem aduersus Iudæ calumnias tueretur, non dixit: Bonum opus factum est: sed, *Ipsa bonum opus fecit.* Οὐ γὰρ, inquit, αὐτὸ καθ' ἑαυτὸ τὸ πρᾶγμα ἐξετάζει, ἀλλὰ μετὰ τῆς προσώπου τῆς γυναικός, &c. Neque enim

D ipsum facinus priuatim expendit, verùm vnà cum mulieris persona: perinde ac si diceret, Quandoquidem semel hoc fecit, laude atque commendatione digna est. Perfectam ab ea virtutem ne requiramus, sed promptum eius animum, quà licet corona donemus.] Negat autem sanctæ Peccatricis factum voluisse in exemplum trahi. quinimò eam Domini defensionem, συγκατάβασιν, indulgentem quandam demissionem interpretatur, quòd nollet eius fidem obterere, quæ studiosè fecerat, tametsi in pauperes vtiliùs impendisse potuit. Etsi enim qui pauperum egestati consulunt, eo nomine laudem maiorem merentur: non tamen illi vituperandi, qui sua malunt ad ornatum Ecclesiarum

Panis propositionis, &c.

S. Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 81.

Matth. 26.

S. Peccatricis decerptio explicatur.

L

siarum

Dedit ergo ei, &c.

siarum conferre. Quòd si eos qui Ecclesias externo splendore amplificare student, adhortari potiùs debent Sacerdotes ad miserorum inopiam subleuandam: quanto magis ipsi, si quid fortè superest de suo vectigali, egenis prospicere tenentur? Verùm si ita videtur, eam sententiam paulò fusiùs explicemus.

Quaeritur, quantum peccet Episcopus, siue alius quilibet è Clero, qui id quod alendae familiae superest, in alios sumptus deriuat potiùs quàm vt pauperum necessitati atque inopiae subueniat.

QVÆST. XLI.

NOn videtur hæc quæstiò commodè vno verbo dissolui posse, cùm non eodem genere contineantur bona omnia quæ possident. Quædam enim propria illorum sunt: siue illa hæreditario iure nacti sunt; siue labore atque industria pepererunt; siue etiam amicorum testamentis indepti; aut aliàs donationibus inter viuos sunt consequuti. Quædam Ecclesiarum patrimonia sunt, & stipendia ministrantium: quorum ipsi tantisper vsum & fructum sibi vendicant, donec ijsdem muneribus, quibus adscripta sunt, cum autoritate legitima præfecti sunt.

S. Thomas 2.2. qu. 185. art. 7. Quod igitur ad ea spectat, quæ priuato iure possident, in ijs administrandis ita versari debent, vt meminerint eorum aliquando reddendam esse rationem. Non enim ad luxum, & pompam, & superuacuas delitias opes Deus contulit: sed vt nos ipsi primùm, quæ opus essent, ad tuendam vitam parata haberemus. Deinde & alijs quibus illa deessent, pro virili parte nostra suppeditaremus. Quo in genere si Christianam charitatem neglexerint, nec cùm possent misero suppetias tulerint, peccant ipsi quidem grauissimè: repetundarum tamen lege non tenentur; quoniam cùm essent suorum bonorum domini, ijsdem arbitratu suo vsi sunt.

Bonorũ Ecclesiasticorum plures differẽtiæ. Ecclesiasticorum bonorum discrimen varium ac multiplex. Si Regulares excipias (de quibus idcirco nihil dicendum videtur, quòd satis ex præscripto eorum Regulæ, quos in vsus cùm necessaria, tum superuacanea conferri debeant, caueatur) Episcoporum ac Clericorum vectigalia triplici videntur sorte distingui. Nam aut illa ad ea Beneficia pertinent, quorum ipsi munera sustinent, & ad animarum curam secundum cuiusque officij analogiam referuntur: aut certè ex alienis ipsa percipiunt; vt putà ex Monasterijs, quorum ipsi temporalem administrationem impetrarunt, & vulgato nomine Commendatarij vocantur. Sed iam de his posterioribus nos aliàs. Priora verò, quæ sunt illorum maximè propria, rursum gemina ratione constant. Nam vel sunt ita per partes distributa, vt

A vnusquisque certum canonem accipiat honoris nomine: Sic enim vocat Apostolus eorum stipendia, qui sacris ministerijs ancillantur: & Episcopus quidem suam quantitatem, Clerici quoque separatim suas sportulas sortiantur, pauperibus quoque separatim de reliquatione prospiciatur: Vel sanè Episcopus promiscuè simul omnia in suam fidem recepit, vt eadem in singulos, siue Clericos, siue pauperes, pro cuiusque egestate ac merito fideliter impendat. In vtramque speciem quæritur, quantum iuris Episcopo permissum sit.

Respondet sanctus Thomas Secunda Secundæ, quæstione centesima octogesima quinta, Si distincta sint bona, quæ debent in vsum Episcopi cedere, ab ijs quæ sunt pauperibus, & ministris, & cultui Ecclesiæ eroganda, & aliquid B sibi retinuerit Episcopus de ijs quæ sunt pauperibus eroganda, vel etiam in vsum ministrorum, aut in cultum diuinum expendenda, non est dubium quod contra fidem dispensationis agit, & mortaliter peccat, & ad restitutionem tenetur. De ijs autem, quæ sunt specialiter suo vsui deputata, videtur esse eadem ratio quæ est de proprijs bonis, vt scilicet propter immoderatum affectum & vsum peccet quidem, si immoderata sibi retineat, & alijs non subueniat, sicut requirit debitum charitatis. Si verò non sunt prædicta bona distincta, eorum distributio fidei eius committitur. Et si quidem in modico deficiat, vel superabundet, potest hoc fieri absque bonæ fidei detrimento, quia non potest homo in talibus punctualiter accipere illud C quod fieri oportet. Si verò sit multus excessus, non potest latere. Vnde videtur bonæ fidei repugnare, & ideò non est absque peccato mortali. Dicitur enim Matthæi vigesimo quarto capite: *Quòd si dixerit malus seruus in corde suo, Moram facit dominus meus venire*, quod pertinet ad diuini iudicij contemptum, *& cœperit percutere conseruos suos*, quod pertinet ad superbiam: *manducet autem & bibat cum ebriosis*, quod pertinet ad luxuriam, *veniet dominus serui illius in die qua non sperat, & diuidet eum*, scilicet à societate bonorum, *& partem eius ponet cum hypocritis*, scilicet in inferno. Hactenus sanctus Thomas. S. Thomæ responsio.

Caietanus. Quando Episcopus repetundarum reus censeri debeat. Soluta videri poterat tota difficultas, ni Caietanus annotasset, sanctum Doctorem de restitutione non esse loquutum, si fortè bonis indistinctis Episcopus perperam abusus esset. Indi- D stinctionem porrò bonorum Ecclesiasticorum tandiu valere intelligo, quandiu, licet viritim Clericis Præbendæ separatæ sint, nulla pauperibus pars erit seposita. Ergone Episcopus, inquies, qui Ecclesiæ emolumentis fruitur, in qua separatim pauperibus de nulla re cautum est, si non superuacua egenis impertiuerit restitutioni obnoxius censebitur? Respondet Caietanus, census Episcopalis rationem habendam esse, mediocrem, & qui non magnopere necessarios sumptus exuperet, legitimi stipendij loco habendum esse, & Episcopi propria: quo pacto in charitatem peccet, non peculatus crimen incurrat, si turpiter erogasset. At si copiæ tantæ sint, vt expensis omnibus longè maiores habeantur quas Episcopalis prouincia requirit:

DEDIT ERGO EI, &c.

tum illud nequaquam Episcopi peculium existimandum est, sed thesaurus potiùs eius fidei permissus, quo miseris atque egentibus opem ferret. Nec verò illud in dubium reuocari posse crediderim, si quidem non modicis facultatibus Episcopatus abundet. Vnde enim opulentia tanta, nisi quia quod pauperibus erogandum erat, in vnum Episcopi patrimonium conflatum est? Quòd si malè conijcio, ede ex ærario Ecclesiæ calamitosorum portionem. Nam quo pacto communes suas opes Ecclesia cum singulis partiri voluerit, notius est, quàm vt probatione indigeat. Nam consuetudo hæc iam inde ab Ecclesiæ incunabulis inoleuit, vt oblationum partem præcipuam Episcopus sibi vendicaret; secundam Clerus; tertia in sarta tecta sacrarum ædium conferretur; quartam denique pauperes obtinerent. Quæ consuetudo postea lege sancita in album Decretorum relata est, 12. quæst. 2.

Dicet aliquis, eam consuetudinem non apud omnes Ecclesias, & eas maximè quæ posterioribus seculis principum virorum studio ac liberalitate excitatæ sunt, vsu receptam fuisse: legem verò pridem desuetudine abrogatam, conscio, nec reclamante summo Pontifice. Respondeo, quid spectarint Ecclesiarum fundatores, iam me satis superque ex solennibus donationum formulis suprà ostendisse. Quod verò id Pontifex susque deque ferat, verum non esse: tametsi hanc temporum nostrorum corruptelam, nec alios sexcètos abusus rescindere queat. Illud item falsum esse, desuetudine atque insolentia decretum obsoleuisse, nec ercíscundæ Ecclesiasticæ substantiæ Episcopos vltra lege teneri. Nam hactenus optimus quisque hoc studiosissimè facit. Verum esto: legem Ecclesiasticam contrarius vsus antiquarit: num etiam diuini iuris æterna autoritas obliuione sic deleri potuit, vt parendi necessitas tolleretur? An verò quis dubitat Episcopos, & alios qui gregi præsunt, non modò custodes, sed etiam pastores, & altores ac medicos diuina lege atque consilio miseris datos & institutos? Vt prætermittam infinita penè testimonia, vnicum hoc proferam quòd multis par esse possit. Concilium Tridentinum Sessione vigesima tertia, capite primo, Decreti De reformatione, *Cùm præcepto diuino*, inquit, mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oues suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique diuini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cætera munia pastoralia incumbere; quæ omnia nequaquam ab ijs præstari, & impleri possint, qui gregi suo non inuigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt, &c. Hinc patet, opinor, siquidem Concilio fidem habendam censemus, Episcopis & Pastoribus eam prouinciam Deo autore impositam, vt pro virili sua inopes fouerent. Quis eos potuit ea sollicitudine liberare? quis permittere, vt quæ sibi redundarent, in res alienas impenderent? Num summus Pontifex quia videat, nec arguat? Et

Concilium Trident.

A quid vltrà opus est eiusdem seuera objurgatione, cùm necdum vox contenta sanctæ Synodi conticuerit? An longo abusu recepta contraria consuetudo? Ea quidem si in medium adducatur, malorum nostrorum fontem aperit, & scelerum bene longum texit indicem, non excusationem parat. Neque enim diuturni temporis circunstantia peccati qualitatem minuit, sed potiùs exaggerat quantitatem.

At te inopia, inquis, excusat. Diuitem alloquimur, & cui ad eam rem facultas suppetat. Cùm igitur ad eam curam ac sollicitudinem officij lege vocatus sis, nec ea possis antè absolui, quàm te Episcopatu abdicet, copiæ autem tantæ sint, quæ huic muneri sufficiant; nec illæ patrimoniales, sed Ecclesiasticæ: si pauperibus desis, repetundarum reus es, nec defendi à restitutione poteris. B Verumenimuerò conscientiam tuam per te mihi liceat, oro, paucis conuenire. Stipendia illa tanta, tamque opulenta, quo iure tua sunt, quo titulo vendicas? Officij, inquis, iure ac merito, siue Episcopatum illum, siue Parœciam nuncupes. Quoniam igitur siue Episcopatum, siue Parœciam adijsti, & administrationem suscepisti, idcirco ea quoque quæ subsidij loco muneri adiuncta sunt, vsurpas. Et bene quidem, si officium facias. At si nihil eorum cures, quæ ad eam prouinciam attinent, putasne in quos velis vsus eas opes posse conuertere? Quid si partem aliquam muneris obeas, alias verò negligas, & eas præsertim ob quas opes vt potè necessariæ cumulatæ sunt, num tibi iure quæsitas arbitrabere? Quippe Ecclesiasticæ administrationis varia, & multiplex functio est. C Nam plebi primùm tanquam celestis quidem cibus verbi prædicatio debetur: deinde Sacramentorum exhibitio. Mox etiam, qui præest, toti populo debet virtute prælucere, & bonorum operum exemplo ad pietatis studium cohortari. Ea verò sine graui admodum sumptu præstari possunt. Censesne igitur propter illa quæ sumptum non requirunt, tantas opes esse congestas, vt Pastorum mentes ad in[illegible]am delicijs emollirentur potiùs, quàm plebs erudiretur? Facessat procul hinc aliena à veritate opinio. Sed sunt inter tuas maximas curas, quæ loculos, & quidem bene confertos desiderant: procuratio pauperum, & pupillorum ac viduarum tutela atque defensio. Ad hæc scilicet tibi diuitiæ paratæ sunt: & bona prouisæ frugis in D annum copia; vt qui totus misericordia scaturire debes, copioso rerum omnium fonte manares. An quemquam putas eo animo vnquam fuisse, qui cùm hæc Ecclesijs conferret, suos hæredes & posteros quæsitis opibus priuauerit, quo in ijs luxuriarentur alieni. Si itaque in alios vsus deriues quàm res collata sit, non dubitem, autore Caietano, te in integrum restituere debere.

DEDIT ERGO EI, &c.

VERSVS

VERSUS VII.

Erat autem ibi vir quidam de seruis Saul, in die illa, intus in tabernaculo Domini: & nomen eius Doeg Idumæus, potentissimus pastorum Saul.

Variæ translat. IN *die illa, intus in tabernaculo Domini.*] Pagninus, *in die illa demorabatur coram Domino.* Arias, *in die illa detentus.* Hebr. נֶעְצָר לִפְנֵי יְהוָה *neghtsar liphnai Iehouah.* עָצַר *ghatsar, coercuit, conclusit, coegit,* Niphal. נֶעְצָר *neghtsar, coercitus, coactus, conclusus, ad facies Domini.* Alius quoq; *detentum* habet, sed quispiam annotauit ad marginem, *occupatus.* Idem verò sensus est, inquit B Isidor. Clarius, continebat se in loco illo, & moram traxit, vt offerret sacrificia, & audiret legem Dei. Chaldæus, *congregatus ante Dominum. Idumæus magister pastorum Saul.* Septuag. edit. Complut. Καὶ ἦν τις ἐκεῖ τῶν δούλων Σαοὺλ ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ, συνεχόμενος ἐνώπιον κυρίου, ὄνομα αὐτῷ Δωὴκ ὁ Ἰδουμαῖος νέμων τὰς ἡμιόνους Σαούλ. *Et erat quidam ibi seruorum Saul in die illa retentus coram Domino, nomen ei Doec Idumæus pascens mulas Saul.* Ald. edit. habet, ἓν τῶν παιδαρίων τοῦ Σαούλ. *Vnus puerorum Saul*: vti habet & Rom. συνεχόμενος νεεσσαρὰν ἐνώπιον κυρίου, *detentus Nees Saran corã Domino.* Δωὴκ ὁ Σύρος, *Doec Syrus pascens, &c.*

Nobil. Flamin. Ad quæ Nobilius in Not. Complut. habet tantùm συνεχόμενος, *detentus.* Theodoretus quæst. 53. συνεχόμενος νεεσσάρ: Hæc autem dictio Hebræa significat idem, ac συνεχόμενος. Theodoretus ta- C men inquit inuenisse se in dictionum Hebraicarum interpretatione, valere *coarctationem, & pressuram tentationis & minarum.* Quare putat Doec fuisse ab aliquo dæmone vexatum, aut aliquo correptum morbo, idcircóque assedisse diuino tabernaculo. Quidam, *Detentus* aut religione sabbathi, aut voto. *Ædomæus.*] Vatablus, habitatione, non genere. qui habitauerat vel habitabat in Ædomæa: illic domum habebat. Alius, Vel, ex Adamo oppido Naphthalitarum, de quo Iosue 3. 16. & 19. 36. vel potius ex Ædomæa oriundus, sed Israëlitarum religionem profitens, vt Chitthæus infrà 26. 6. *Amplissimum pastorum* Iunius, *præfectum* Vatablus interpretatur.

Erat autem ibi vir quidam.] Doeg mentio in- D terponitur, vt intelligamus quomodo deinceps ille potuerit Sacerdotem deferre ad Saulem. Nam in sequentibus Doeg Achimelech, quòd Dauidem fugientem iuuisset commeatu, accusat apud Saulem maiestatis. Dauid satis prudenter instituerat rationes suas. Tamen non satis tutus esse potuit à delatoribus. Credibile est eum seorsim egisse cum Achimelech. Nihil tamen est ita occultum, quod istum fugiat. Hoc est ingenium hypocritarum. Volunt assidui esse in templis, & videri sancti: re autem vera nihil aliud cogitant, quàm perniciem aliorum. Serui autem Dei hoc habent quodammodo proprium, vt quocunque se conferant, semper incidãt in Doegos. Hæc eos crux semper perse-

A quitur, & præsertim qui religioni amplificandæ student. *Idumæus.*] Ambiguum est, fueritne Doeg natione Idumæus, an potius hoc vsus cognomine. Fuisse natione Idumæum, non est verisimile. Erat enim in summa gratia apud Saulem. Sæpe autem Iudæis nomina imponebantur à regionibus, vbi fuerant fortè peregrinati. Ita Vrias dictus est Hethæus, & Obededom Gethæus: non quod essent ex illis nationibus oriundi. Nomen ipsum viri דואג *Doeg*, timidum aut solicitum significat, & de futuro dolentem. A verbo דָּאַג *daag*, quod solicitum esse, metuere, de futuro dolere Hebræis valet.

Erat intus in templo Domini.] Tradit. Hebraicæ quæ S. Hieronymo tribuuntur, in Hebræo dicitur: *Obligatus in conspectu Domini.* Obligatus erat Doeg voto, quo se obligauerat aliquot diebus in tabernaculo Domini immoraturum, & orationi vacaturum. Quid de eo senserit S. Theodoretus prius diximus. Cæterùm non erat in intimo adito, quod dicebatur Sancta Sanctorum: nec in medio, vbi soli Sacerdotes versabantur: sed in atrio, vbi populo locus fuit. Hinc autem Doeg istum mala mente ac malo animo fuisse, quod non tantùm detulerit Sacerdotes, sed etiam occiderit: quod alij facere recusarunt. Multi ex patribus aiunt, istum Doeg adumbrasse in se typum Iudæ proditoris. Vt enim ille prodidit Christum Dominum, & magistrum suum, cuius suauissima consuetudine tam diu vsus fuerat, ita iste prodit Sacerdotem Dei, apud quem fuerat in tabernaculo, quem consuluerat de lege, quemque, vt credibile est, rogauerat, vt pro se oraret Deum. Nos hîc spectare debemus arcanum consilium Dei: is enim cùm vellet exinguere familiam Heli, hunc habere voluit, cuius opera id efficeret.

Potentissimus pastorum Saul.] Non erant olim pecora atque armenta minima Regum posses- Rei pecuariæ Reges quondam studiosi. sio, tum cum rei familiari studerent, & priuatis opibus amplificandis, vt publicis parcerent. Nunc verò postquam in vectigalibus exigendis omnem suam industriam collocant, minores sunt priuatorum opes, & exhausta plebs vitæ subsidijs, vix sponte sed sola vi seruat fidem. Augeæ verò Epeorum Principis seu Regis Elidis pecuarias facultates mirificè commendat, & describit Theocritus in Eidyllio 32. siue Herculè Leonicida.

Theocritus.

Flexerat, inquit, *igniuomos prono temone iugales*
Phœbus, Atlantiaci subituros æquoris vndas,
Tempora deciduæ ducens extrema diei:
Protinus herbosi linquentes gramina campi,
Innumeri venêre greges stabula illa petentes,
Lanigerarum ouium, & magnorum plena iuuencûm
Corpora, quæ numero nequeas comprendere, postquam
Post alios alij subiêre, nec agminis vllus
Finis erat, densúsque oculis apparuit ordo.
Non secus ac nubes grauidæ cælestibus vndis,
Sæpe alias aliæ pellunt, primísque sequentes
Succedunt, quas siue Nothi, siue impetus vrget
Threicij Boreæ, quarum numerumue modúmue
Haudquaquã expedias, tã nubila plurima venti

POTENTISSIMVS, &c.

Conuoluunt, aliisque alia impedientibus arcent.
Talis agens armenta fuit prepinguia pastor
Innumerósque greges, quibus omnis campus, & omnis
Implebatur ager, nec erant loca nuda viarum
Præ turba veniente boum: mugitibus arua
Lata resultabant, spaciosas grandia caulas
Impleruntarmenta, suis in ouilibus agna
Stabant incluse.

Hæc ille de numero. Mox verò præfectorum multitudinem & diuersa munia recenset.

Sederat labor improbus intus,
Nec quisquam cessabat, opus qui posset agendo
Exercere aliquod: funes & vincula vacca
Iniiciens alius pedibus mulgebat adhærens;
Matribus ille suis lactentes subiicit agnas,
Aut vitulos auidè dulci de lacte bibentes.
Hic mulctram calido fumantem lacte tenebat,
Ille noui pressit coitura coagula lactis.

Nec taurorum deinceps oblitus, vt facturæ meminisset.

Per amœna trecenti
Errabant saliceta boues, prægrandibus omnes
Cruribus & nigri quidam, iuxtáque ducenti
Phœniceo picti villos & membra colore.
Omnes hi poterant teneras inscendere vaccas.

Nec verò Rex ipse à caulis & stabulis regio fastu abhorrebat: sed tanquam gratissimo sibi spectaculo fruebatur identidem inuisens: Histrionum verò præstigias, & reliquam theatricam pompam prorsus ignorabat.

Augeas bubilia tota
Circumiens opulentum admirabatur honorem
innumerabile vulgus
Cornuti populi; nec enim quis dixeris vni
Esse viro tot opes, nec tantas possedisse
Vel bis quinque alios, quicunque ex regibus vnquam
Forsan abundarint gregibus: nam maximus olim
Sol dedit hoc nato, quo non præstantius vllum
Munus, honore viris vt ditior omnibus esset
Quadrupedum, &c.

Nec porrò solus Augeas alendis pecoribus delectatus est: sed nonnulli quoque Romani quo tempore opum immensa vis iam priscos illorum mores corruperat, & ad luxum & intemperiem deflexerant, diuitias tamen suas pascendis gregibus & armentis amplificare studuerūt. Vt reliquos præteream, eius rei testem laudabo sanè locupletem Cæcilium, eum qui apud Plinium lib. 33. cap. 10. testamento suo edixit, relinquere se iuga boum tria millia sexcenta, reliqui pecoris ducenta quinquaginta millia. Iam verò quot hominum capita tot bobus, tot pecoribus præposita fuisse arbitrabimur? Diligenti sanè ratiocinatori, illa quatuor millia seruorum, quæ ipse expressit, vix huic summæ videantur sufficere. Valerianus Imperator apud Vopiscum, aluit in villa priuata vaccarum duo millia, ouium decem millia, caprarum quindecim millia, equas mille: ad quas sanè copias quingenti serui rustici, quos notat Vopiscus, pauci & infrequentes omninò sunt. His omnibus, vt arbitror, à Saule Doeg præfectus erat. Seruorum autem apud Romanos vtramque familiam rusticam, & vrbanam egregio Commentario Pignorius recensuit. Eorum etiam qui Codicis antiqui legibus continentur, breuem seriem Lindenbrogus contexuit in suo Glossario, in illa verba *Seruus arator.*

Plinius. Vopiscus. Pignorius in Comment. de Seruis.

Quamobrem verò Deus ouiū atque armentorum possessores cū primis reges esse voluit? Nū fortè vt simili cura ac benignitate subiectorum incolumitati consulerent? Genes. cap. 46. hoc dedit consilium Ioseph fratribus suis, cùm nuper Ægyptum ingressi ad Pharaonem venturi essent. *Respondebitis: Viri pastores sumus serui tui, ab infantia nostra vsque in præsens, & nos & patres nostri. Hæc autem dicetis, vt habitare possitis in terra Gessen: quia detestantur Ægyptij omnes pastores ouium.*

VERSVS VIII.

Dixit autem Dauid ad Achimelech: Si habes hic ad manum hastam, aut gladium? quia gladium meum, & arma mea non tuli mecum: sermo enim Regis vrgebat.

VERSVS IX.

Et dixit Sacerdos: Ecce hîc gladius Goliath Philisthæi, quem percussisti in Valle terebinthi, est inuolutus pallio post ephod: Si istum vis tollere, tolle: neque enim hîc est alius absque eo. Et ait Dauid: Non est huic alter similis, da mihi eum.

CONsentiunt plerique interpretes Septuag. Καὶ αὐτὴ ἐνειλημένη ἐν ἱματίῳ ἐπωμίδι se dicere intelligunt, *& ipsa inuoluta pallio, vestimento.* Hæc tantùm Ald. & Rom. editio. At Complut. addit ὀπίσω τῆς ἐπωμίδος, *post superhumerale,* quod Vulgat. *post ephod.* Alij *panno,* vt Pagninus; *velo,* vt Vatablus; *veste,* vt Arias; &c. Chaldæus illud *post ephod* aliter interpretatur. *Gladius Goliath Pelisthæi, quem occidisti in planitie glandis opertus pallio, postquam quæsiuit illi in ephod. Si eum accipias tibi, accipe; quia non alius, &c.* Quidam ita exponit: *Cui dixit Sacerdos postquam applicuisset amiculum, gladius Goliathi Pelischthæi, quem percussisti in conualle querceti, ecce is est inuolutus panno; si illum accepturus es tibi, &c.* Et in Notis, *Postquam applicuisset amiculum,* quasi dicat, de his postulatis Dauidis indutus amiculo Deum consuluisset: ita accipienda esse hæc verba docent historia sequentis cap. vers. 10. 12. & 15. Ionathan Chaldæus Paraphrastes, & Ieschahia Hebræus interpres: similem loquutionem vide Deuter. 24. 20. & 21. Supr. 17. 2. ad hunc modum ille. Tandem Septuag. addunt: Καὶ ἔδωκεν αὐτὴν αὐτῷ, *& dedit eum vel eam illi.*

Variæ ussilat.

Si habes hic ad manum hastam, aut gladium.] Non tantùm famelicus, sed & inermis huc Dauid euaserat. Quare non cibo modo, sed & armis indigebat, quibus duos hostes potentissimos famem & inuidiam effugeret. Postquam igitur

Ecce hic gladius, &c.

igitur iam pane vtcunq; onustus erat, instat & arma petere, vtrumque à Sacerdote postulans. *Da mihi eum.*] Legimus apud Ansegisum in Capitul. Carol. lib. 3. cap. 75. *Constitutum est*, vt neque Episcopus, neque Abbas aut Abbatissa, vel quilibet rector ecclesiæ, bruniam vel gladium sine nostro permissu cuilibet homini extraneo aut dare aut vendere præsumat, nisi tantùm vassallis suis. Et si euenerit, vt in qualibet ecclesia, vel sancto loco plures brunias habeant, quam ad homines rectoris eiusdem ecclesiæ sufficiant, tunc Principem idem rector ecclesiæ interroget, quid de his facere præcipiat.] Est autem *brunia* thorax, militare munimentum, lorica: Gallis olim *hauber*, nunc *cuirasse*. Verùm Sacerdoti Dauid non poterat videri extraneus, cùm esset Regis gener, & exercitum ductaret. Sed quæret fortassis quispiam, B quamobrem Deus voluerit Dauidem, cùm in id incitas redactus esset, ista è tabernaculo sumere? Ego sic arbitror, primùm studuisse Dauid in tantis rerum difficultatibus oraculum consulere. Deinde noluisse eum cuiquam periculum creare, quod certò futurum sciebat, si ad alium quàm ad Sacerdotem diuerteret, quem sperabat Sacerdotij dignitate satis tutum fore. Postremò, quòd nec satis tutò se posse credebat cuiuslibet fidei permittere. Apud Pontificem, quòd solicitus esset oraculum consulere, se facilè fidem inuenturum. Et hæc quidem Dauid animo agitare potuit. Verùm alia videtur fuisse ratio diuini consilij, vt scilicet intelligeremus humano præsidio destitutos, cœlesti demum ope iuuari. Attende autem quid petat, gladium. C Nec illud mirum. Siquidem Christus ipse sponte passurus, Apostolos tamen iussit sibi gladios comparare. Nec imperasse legimus Petrum abijcere gladium: sed cùm is iniussus in seruum Pontificis inuasisset, admonuit, ne priuatus cùm esset, quemquam feriret. Verùm quidem est, primam curam esse oportere de interna animi panoplia, quam Paulus describit ad Ephesios: postea tamen ne ista quidem contemnenda: sunt enim opera & instrumenta Dei. Non accepit Dauid gladium à Samuele: quod nondum decreuisset fugere. Ionathas autem illi non potuit satis tutò dare arma sua, ne veniret ipse in periculum.

Capitular. Car. Mag. & Lud.

Bruniam aut gladiũ præterquã vasallo suo Episc. &c. ne præbeat.

Quãobrem ad Sacerd. Dauid confugerit.

Ecce hic gladius Goliath Philisthei.] Οὐ γὰρ ἐξῆν ἐν τῇ σκηνῇ τοῦ Θεοῦ ἀποτίθεσθαι ὅπλα πολεμικά, inquit Procopius. Non erat fas in tabernaculo Dei arma reponere. Αὕτη γὰρ αἰτίαν χαριστήριον τῆς νίκης τῷ τὴν νίκην δωρησαμένῳ. i. Hic autem gladius munus erat repositum in memoriam victoriæ Deo, qui victoriam gratis contulerat.

Procopius.

Inuolutus pallio.] Consentit Chaldæus cum reliquis. Inuolucro tectus fuit vaginæ loco, ne facilè rubiginem contraheret. *Post ephod.*] Illud locum designare videtur. Chaldæus ad oraculum retulit, tanquam mox vt Dominum consuluisset Sacerdos, responsione confirmatus, non dubitarit appensum anathema eidem concedere. Certum est, vt eidem deinceps Saul exprobrat, eum [illegible] Dominum nomine Dauidis interrogasse. Vtrumque fieri potuit, vt Sa- A cerdos *ephod* applicito euentum rei percontaretur, & is gladius eo loco, qui pone esset ipsum λόγιον, inuolutus seruaretur. *Ephod* autem nomen Hebraicum est, inquit Suidas, quod, si quis interpretetur δήλωσιν ἢ λύτρωσιν .i. declarationem, vel redemptionem significat. Ipsius verò forma erat vnius spithamæ siue palmi, instar pectoralis, ex aurei fili arte varia contextum. Καὶ ἐν μέσῳ μὲν εἶχεν ὥσπερ ἀστέρα ὁλόχρυσον. Ac in medio quidem habuit veluti stellam totam auream. Vtrinque verò duos smaragdos, quorum vterque sex de 12. tribubus Israëliticis habebat insculptas. Inter verò duos smaragdos, lapidem adamantem. Quin autem Sacerdos aliqua de re Deum erat interrogaturus, ipsum *ephod* colligabat in epomide, in medio pectoris, & inferne suas manus ei supponebat, & in ipsis B palmis vt buxea tabula reperiebatur explicatũ, & Sacerdos in ipsum *ephod* intuens interrogatione Deum interrogabat. Si autem interrogatio Deo placuisset, οὕτως ἤστραπτεν ὁ ἀδάμας λίθος, καὶ ἐξηκόντιζεν ἀκτῖνας ἀστραπῶν, confestim adamas fulgurabat, & radios emittens, splendorem eiaculabatur. Si non placuisset, ἔμενεν ἐν τῇ ἰδίᾳ τάξει, lapis in suo ordine manebat. Si verò Deus populum gladio traditurus erat, ἐγίνετο αἱματώδης, fiebat sanguineus. Si peste populum sublaturus, aut morte mulctaturus, ἐγίνετο μέλας, niger euadebat. Hactenus Suidas in ἐφούδ.

Ita scribendum docet S. Isidor. Pelus. lib. 1. epist. 10.

Suidas Ephod explicat.

Si istum vis tollere, tolle.] Atqui sacra tollere haud cuiquam impunè cessit. Quod etiam apud Ethnicos Deus valere iussit, ne debitam numini reuerentiam in falso licet simulacro violarent. Fertur Aureliani Imperatoris mater, cùm C esset Sacerdos Solis, ex palliolo purpureo quod Soli sui temporis imperator obtulerat, crepundia filio fecisse. At is postea ferox & immanis euasit, & à suis violenta morte sublatus est. Autor Fl. Vopiscus in eodem. Sed & hoc interim spatio dum Romæ Gallienus popinatur, & balneis ac lenonibus deputat vitam, cùm Celsus in Africa Imperium occupasset, & peplo deæ Cælestis ornatus esset, post septimum diem à fœmina interemptus, & à canibus deuoratus est. Narrat hoc Pollio in Triginta Tyrann. 27. Saturninus etiam non alioqui indignus Imperio, & qui sæpè vtilem Reipub. operam nauauerat, cùm deposita purpura ex simulacro Veneris amictus esset, non ita multò post iugulatus est; vt testatur Vopiscus in eodem. Probus denique D audacissimus princeps, cùm purpura quoque è templi statua detracta Imperio inauguratus esset, tametsi aliquot annis Imperium modestè ac feliciter administrarit, nulla manifesta ratione à suis militibus obtruncatus est. Vopisc. in eodem. Apud Pausaniam in Phocicis, cùm in summa rei nummariæ difficultate ob mulctam ab Amphictyonibus impositam, Philomelus Phocensibus autor fuisset vt Delphicum Apollinis templum diriperent, ipse primùm Dux ab ijs delectus ex arduo & prærupto loco se præcipitem dedit: mox Onomarchus in eius locum suffectus, ob acceptam cladem à suis iaculis confixus est. Phayllus eius frater, oblata per somnium tristi specie, macie contabuit. Cuius filius Phalæcus patris imperium excipiens, mox exul

Sacra abstulisse, haud impunè cuiquam cessit.

Vopiscus.

Pollio.

Pausanias.

NON EST ALTER, &c. & profugus dum aliena tentat inuadere, cæsus est. Ipsi denique Phocenses amisso exercitu, & vrbibus solo æquatis, diuturnas sacrilegij pœnas dederunt. A

Non est huic alter similis.] Durandali ensis Rolandi fama ad nos vsque peruenit, sicut & Caleburni Arturi Magnæ Britanniæ Regis, de quibus multa fabulatur antiquitas. Scandebergi siue Georgij Castriotæ Albanorum Principis machæra recentior, sed non minus illustris, qua fertur ipsas galeas cum capitibus excidisse. Plura de gladio Alis, quem Sulficarem vocant, Turcæ commemorant autore Leunclauio lib. 1. Histor. Musulman. sed pleraque eorum fabulis similia. In acie haud aliter quàm messor segetes Christianos ille prosternebat, scopulos etiam mõtésque dissecabat. His illi cõmẽtis plurimùm confidunt, & oblectantur. Optimus sanè gladius, vt scribit Seneca Epist. 76. non cui deauratus est baltheus, nec cui vagina gemmis distinguitur, sed cui ad secandum subtilis acies, & mucro munimentum omne rupturus. Talis opinor fuit ille Martis gladius, quo reperto Attila orbis terrarum Imperium polliceri sibi ausus est. Historiam narrat Iornandes de rebus Goticis cap. 35. Addebat Attilæ confidentiam gladius Martis inuentus, apud Scytharum Reges semper habitus, quo ille casu reperto (nam bucula pascens in eum offenderat, & locum suo cruore notauerat) vt erat magnanimus, arbitratur se totius mundi principem constitutum, & per Martis gladium potestatem sibi concessam esse bellorum. Iactat & Forcatulus lib. 7. Imper. & Philos. Gallor. puellæ (sic dicunt) Aurelianensis ensem, quo Anglos Gallia exegit: quem neglectum, & iam rubigine obductum, insculptis duntaxat lilijs insignem, in quadam ecclesia S. Catharinæ ad tantum opus delegisse fertur. Apollonij gladium, quem in acie peremerat, Iudas Machabæus deinceps vsurpauit. I. Machab. 3.

Nonnulli gladij, quos fama nobilitauit.

Leunclauius.

Seneca. B

Iornandes.

Forcatulus. C

Da mihi eum.] Habiturus enim erat illum pro pignore, quo in mentem reuocaret beneficium Dei, & spem suam confirmaret. Attamen propter istum gladium factum est, vt & collegium illud Sacerdotum, & ciuitas penè tota interiret. Cúmque Dauid versaretur inter Palæstinos, si quis fortè gladium illum agnouisset, ille se coniecisset haud dubiè in grauissimum periculum. Ita sancti quoque viri interdum falli possunt, & sibi ipsis, atque alijs malè consulere. Gladius quidem ille iam consecratus erat Domino, neque ad vsus profanos conuerti debuit. Verùm, vt diximus, omnes huiusmodi ceremoniæ cedere debent necessitati. Sæpe cùm Reges Syriæ, & Babyloniæ inuasuri essent in Iudæam, Reges Iudæorum coacti sunt dare illis omnia vasa, atque ornamenta templi, aurea argenteáque, & ab illis pacem redimere: neque illi ea causa vnquam à prophetis reprehensi sunt sacrilegij. Nec Dauid hîc sumit sibi gladium: sed eum petit à Sacerdote. Et credibile est, eum postea, cùm esset Rex, eundem restituisse. Longè autem aliter se gerebant Pharisæi, & Scribæ. Nam si quis fortè aurum suum consecrasset Deo, & eius postea pater in eam egestatem incidisset, vt sine eo non posset viuere, illi nefas esse clamabant, id velle repetere, quod esset semel dedicatum Deo. Est *Corban*, inquibant: *& illud ipsum proderit patri tuo.* Deus in vltimo Leuitici cauit, nefas fore si quis rem Deo consecratam traduceret ad alios vsus: sed non semper hærendum est ἐν τῷ ῥητῷ. D

ET VENIT, &c.

VERSVS X.

Surrexit itaque Dauid, & fugit in die illa à facie Saul: & venit ad Achis Regem Geth.

POstquam animaduertit Dauid nullo se posse loco tutò consistere: nec in tanto discrimine satis fore firmam amicorum fidem, periculi præsentia perterritus ad Palæstinos confugit, quos multis sæpe cladibus attriuerat: non sine probabili quadam ratione conijciẽs, quando ab ijs, quos tantis beneficijs affecerat, quæreretur ad necem, se ab hostibus seruatum iri. Neque verò sua spes eum fefellit, tametsi primùm præ suo timore periclitari sibi visus est. Sic olim Themistocles, cùm inimicorum insidijs clàm sibi parari malum ab Athieniensibus intelligeret, primùm, vt Thucydides lib. 1. autor est, Admetum Regem adire ausus est, qui non ita pridem suas ab eo afflictas opes, & vires imminutas meminerat. deinde & ad Persas ipse se contulit, quorum nauales copias præcipuus autor ad Salaminam profligauerat: apud quos eam salutem nactus est, quam ab eo seruata ciuitas negabat. Idem fecit & Alcibiades, clandestina suffragia & iudiciorum aleam subire veritus; & Romanorum sui temporis bellicosissimus Coriolanus: qui statim à Latinis exercitui præfectus, Rempublicam in summum discrimen adduxit, quod non aliter quàm vxoris lacrymis, & matris potuit autoritate propulsari. Sic alij plures, cùm essent à suis scelere vel ingratijs pulsi, aduersarijs additi, negotij non parum exhibuerunt. Saulis odio nihil iniquius esse potuit. Dauidi imposita est ab eo fugiendi necessitas, ni miserè perire vellet. Accessit itaque ad hostes non vlciscendi studio, sed tuendæ vitæ gratia: qui tamen quandoquidem à veri numinis cultu abhorrebant, nec erant religioni minus quàm imperio Iudæorum infensi, quæri posse videtur.

Hostes seruant, quos ingrati ciues tollere conantur.

Thucydides.

QVÆSTIO XLII.

An si cuius vita clàm aut aperta vi à Rege petatur, cùm sit innocens, nec alia salutis expediendæ ratio appareat, ad hostes fidei se recipere possit?

NOn videtur. Primùm, quoniam vt corpus serues, non licet animam periculo obijcere. Atqui manifestè apud eos qui impietatem profitetur, syncera religio & fides in discrimen vocatur.

Negandi rationes.

ET VENIT, &c.

vocatur Primùm, quoniam vim allaturi videntur, vt quæ numinis loco habent, eorum exemplo colas. Deinde, vt vim feras, aut certè ipsi dissimulent, diuturnæ tamen consuetudinis illecebris capieris, & sensim tua constantia labefiet. Apostolus certè admonuit: *Sermo eorum vt cancer serpit.* Difficile est ijs, quorum beneficio vitam acceptam feras, nolle gratificari. Nihil sic animum frangit, vt opportuna misero liberalitas. Sæpe quos hostis terror non vicerat, beneficentia superauit. Secundò, *Væ*, ait Scriptura, *qui ponit carnem brachium suum.* quod ego sic interpretor, qui humano potius quàm diuino præsidio nititur. Hoc tum verè accidit, cùm Deo diffisi, remedia amplectimur, quæ sunt cum animę periculo coniuncta. Alioquin enim implorare opem hominis Scriptura non vetat. Sed iubet potius quàm pietatem ac fidem periclitemur, præstolari Deo, qui, cùm opus erit, manenti in officio succurret. Tertiò, hoc sæpe in Regibus Iuda Deus ipse reprehendit, quod ab hostibus lacessiti, cùm retundere eorum impetum se posse desperarent, Ægyptiorum, Syrorum auxiliares copias asciuissent. Sic interpretans, non leuem eo pacto sibi irrogari iniuriam, tanquam infirmior esset, quàm vt suis viribus inimicorum audaciam posset coercere. Accedit postremò hoc tempore, quod qui à fide desciuerunt, & alienam ab Ecclesia Catholica opinionem sectantur, his non sacris modò, sed etiam aqua & igni interdictum sit. *Talibus*, inquit Apostolus, *ne commisceamini.* & Ioannes, *Nec aue dixeritis*, ne fortè participes & conscij defectionis habeantur. Quamobrem, cùm nullum sit vllius nobis officij cum illis commercium, nullum ius societatis, qua tandem conscientia illorum opera ad salutem nostram abutemur? *Quomodo*, inquit illa, *tu à me bibere poscis, quæ sum mulier Samaritana? non enim coutuntur Iudæi Samaritanis.* Hæc ferè sunt quæ Dauidis ad Palæstinos receptum accusant? quæ si nullius momenti esse ostendero, quid causæ sit quamobrem eum à calumnia non vindicemus?

Probabile periculum cedit manifestæ necessitati

Respondeo itaque quod ad 1. attinet, probabile periculum manifestæ necessitati debere concedere, præsertim verò cùm id quod dubium est, non maius periculum appareat, quàm quod certò vites. Quod si vtrobique vita ponenda erit, nusquam non erit necessaria constantia; sed ea longè erectior, & pluribus fulta subsidijs, si pro fide in aciem ac dimicationem venias. Vt enim verum sit non laturos æquo animo aduersarios superstitionem suam haberi ludibrio, nihil amplius extorquere poterunt, quàm vt mortem, quam apud tuos innocens obiturus eras, apud eosdem martyr occumbas. Martyrij porrò sicut præ innocentiæ multò illustrior corona est, ita & eius agonem impensiore cura & studio Deus adiuuat. Reuera autem, vt Apostolus admonet, perditorum hominum *sermo vt cancer serpit*, quare nemo volens cum illis societatem coire debet. Si quos tamen tanquam in breuia & syrtes iactati maris æstus eò impulerit, non continuò sequitur vt fidei iacturam faciat. Ex consortio Sodomitarum,

A quibus nihil tulit superior ætas inquinatius, nulla tamen iusti Loth innocentiæ labes aspersa est. Per mediam hyemem ignium vis acuitur. In extremū capitis discrimen adducto illud vnum peccandi periculum necessariò vitandum est, in quod necessaria causarum serie incurrat. Iacob certè fratris iram veritus, nō dubitauit auunculi domum petere: apud quem cùm esset idolorum cultor, annos tamen viginti demoratus est. Vrias item propheta Domini minis exanimatus Regis Ioakim, fugam capessuit, & in Ægyptum delatus est. Quos imitari, cùm par necessitas vrgeat, alienum non arbitror ab officio boni viri.

ET VENIT, &c.

Ieremiæ cap. 26.

Respondeo secundò, quòd despondisse animum, aut necessarijs rebus desperasse, teterrimum scelus habeatur. Perinde est enim ac si diuinæ fidei, aut certè potentiæ diffidas: quorum B quid est, quod non sit cum summa impietate coniunctum? Cæterùm vbi nulla supra modum necessitas vrget, sed alicunde iis opibus, quas Deus hominum vtilitati concessit, occurri potest, *Non tentabis*, ait Scriptura, *Dominum Deum tuum.* Ob eam causam Abraham, cùm illatam agris vastitatem cerneret, & Palæstinam sterilitate damnatam, ad Ægyptios transijt, gentem ea tempestate falsorum numinum superstitione corruptissimā. Aui quoque exemplum Iacob sequutus est, cùm simili inopia rei frumentariæ premeretur. At hoc, inquis, vterque necdum constituta republica, cùm hactenus Chananæi non dissimili idololatriæ studio flagrarent. Atqui Elimelech, quem Dauid secundum legē abauum sortitus est, iam deletis Chan C anæis & fixa fundatáque Republica, cùm aspera fames in Iudæa grassaretur, ipse quoque ad Moabitas se contulit. Quid si fecerit priuato consilio? Audi igitur Elisæum viduæ consulentem 4. Reg. cap. 8. *Surge*, inquit, *vade tu & domus tua, & peregrinare vbicunque reperreris: vocauit enim Dominus famem, & veniet super terram septem annis.* Illa verò tot annos in terra Philisthijm peregrinata est. Quod si licuit afflictis inopia, cur non liceat oppressis calumnia?

Dauidis ad Palæstinos receptus exemplis confirmatur.

Tertia ratio idcirco habetur infirmior, quod in vtramque partem non pauca exempla suppetant, & eorum maximè, qui violatæ religionis suspicione carent. Nam fœdera à Machabæis cum Romanis icta legimus, quorū auctoritate excutere à se Græcorū iugum studuerūt. Abra D ham quoque Genes. 14. cùm illi cum Mambre, Aner, & Escol data & accepta fide conuenisset, eorundem opera in liberando Loth vsus est. Legimus & celebres Salomonis ac Tyrij Regis amicitias, & Sidoniorum artificum solertiam ad excitandum templum plurimum contulisse. Si dignos habuit qui necessariam templo materiem cederent ac pararent, indignos haberet quorum præsidio in summo discrimine vitam tueretur. Nolo præterea quid cuique Regi aut ciui priuatim acciderit perscrutari. Certum est, cum in vtramque partem exempla pugnent, & vicissim vtrique faueant, non tam actionis ipsius quàm consilij rationem habendam esse. Vt quisque igitur externis auxilijs vsus fuerit, ita reus aut insons iudicabitur. Nam si idcirco

ET VENIT, &c. alienam opem implorauit quod Deo diffideret, non poterit à culpa immunis haberi: sin idcirco humana remedia experiri statuit, ne Deum citra necessitatem tentaret; laudem magis quàm vituperationem merebitur.

Quarta obiectio suapte sponte ruit. Nam cùm Dominus arderet siti, non dubitauit Samaritanam aquam poscere. Apostolus verò 1. ad Corinth. cap. 5. *Ne commisceamini*, inquit, *fornicarijs. Non vtique fornicarijs huius mundi, aut auaris, aut rapacibus, aut idolis seruientibus: alioquin debueratis de hoc mundo exisse. Nunc autem scripsi vobis non commisceri; si is qui frater nominatur est fornicator*, &c. quibus verbis satis manifestè indicat, ijs demum locis sententiam suam obtinere velle, quibus peccantes nonnulli fratrum notari possunt. Ast vbi totus ipse mundus eiusdem criminis reus arcessitur, negat eam legē vllo pacto seruari posse. *Alioqui* enim, inquit, *debueratis de mundo exisse*: mundus ipse deserendus esset, & præsens vita renuncianda. Cum huiusmodi igitur licet duplici ratione cibum sumere. 1. si fratres non sint. *Quid enim mihi*, inquit, *de his, qui foris sunt iudicare?* Altera, si tota prouincia aut natio eodem scelere obstringitur. Neque enim propterea mihi fame pereundum erit, quod illi mereantur à sacris abstineri. Maleficiorum suorum per me licet ipsi pœnas pendant; me verò, qui haudquaquam culpæ affinis inuenior, supplicij dedecet participem fieri. Sceleratorum hominum contumaciam Ecclesia plerunque anathemate plectit: hoc illi fulmine perculsi, indigni habeantur qui vllum à nobis beneficium impetrent. Quod si hoc interim spatio dum illi velut ab Ecclesia exulant, ad tuendam vitam illorum opera indiguero, illorum iniquitas mihi fraudi esse non debet: fruar eorundem obsequio, méq; periculo eximam. Neque his contrarium quidquam statuit dilectus Domini discipulus in Epist. 2. *Qui dicit*, inquit, *illi Aue, communicat operibus eius malignis*. Cuius tandem? Satis apertè explicat ver. præced. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis*. Hæreticum hominem accipere hospitio vetat, aut adeunti bene precari, officióue vllo apud se fouere. Quippe hæc faciens perditos hominis conatus adiuuares, & nefaria cœpta promoueres. At si fortè accidat, quod accidisse meminimus, vt, dum tu nostra littora legis, ventis repentè mutatis in Britanniam abripiaris: non vetat opinor blandè appellare homines, salutémue impertiri, si fortè vel sic in animum inducant humanitatis atque officij meminisse. Quid si non procellæ vi, sed potentiorum inuidia vexatus, cùm aliud tibi patere asylum non noueris, eo nauim appellas, an non licebit tibi horum qui in insula habitent, comitate atque obsequio beneuolentiam captare? Venia necessitati datur, nec grauatè his Ecclesia indulget, quæ non contemptus, sed tuendæ vitæ ratio extorquet: seu potius in his naturæ iuri locum esse debere interpretatur.

Apostolus explicatur

Ioannes explicatur.

Quæstionis solutio.

Quibus ita explicatis iam nihil erit negotij propositæ quæstionis nodum dissoluere. Quippe hinc manifestè sequitur, si aliter vitam tueri non possis, ad hostes fidei posse confugere, atque ibidem incolumitati tuæ prospicere: sic tamen, vt ne patriæ tuæ perniciem moliare, nefarios eorum conatus adiuuans, aut sacrilegi quicquam in te admittens, quo à fide defecisse videare. Hanc rationem Dauid cùm fugeret sibi propositam habuit: & sic vitam apud Palæstinos instituit, vt nulli culpæ affinis esset, non quemquam ciuium, non patrias Dei leges violaret, sed concessa tantùm securitate frueretur. Cæterùm, quandoquidem hoc quoque neminem fugit, cum quibus sis cunq; vnà his oportere te dedere, atque eorum obsequi studijs, & non pauca gratificari, operæ pretium facturus videor, si his quoque quos necessitas compulit ad declinādam calamitatem hæreticorum præsidio vti, quantum apud eos liceat, quid concedere, quantúmue ad illorum conditionem descendere possint, paulò diligentiùs inuestigem.

ET VENIT, &c.

QVÆSTIO XLIII.

Quid sit, quod in his quæ ad religionem pertinent, hæreticis, ad quos fortè confugeris, absque sceleris conscientia gratificari possis?

NOn par est omnium conditio, pauciora notis, complura latentibus permitti posse videntur. Nam qui latent, cùm solum Deum sui consilij testem atque arbitrum nacti sint, datam ab illis occasionem qua simpliciores in fraudem inducerentur, criminari nemo poterit. At qui vulgò clarent, non rarò etiam cùm licita vsurpant, in offensionem incurrunt. Sæpe enim quæ non intelligit, his ad peccandū ignorantium grex eruditur. Religio porrò his duobus maximè fundamentis nititur fide & sacramentis: quæ donec illibata manent, religio quoque sancta habetur: si paulum ab instituto deflexerint, sacrilegio atque hæresi polluitur. De fide primum videamus.

Fidem palàm iactare qui latebras quærunt, docereúe alios nequaquam possunt: oportet tamen eamdem sartam tectam seruent, & contrariæ sententiæ neutiquam adhæreant. Quod cùm facient, vt mente atque animo ab omni falsa opinione vehementer abhorreāt, necdum tamen officio se satisfecisse putent, ni summam quoque diligentiam adhibeant, ne quo verbo aut signo, quod ad id priuatim institutum sit, aut prodidisse fidem, aut errorem comprobasse videantur. Nam respondere de hæreticorum Catechismo non licet, quibus ipsi parrtibus venenum fundunt: tametsi enim dictis fidem non habeas, falsa tamen prædicas, & coram hominibus Christum negas: Non psalmos, non hymnos, quibus superstitio aut hæresis aspersa sit, vnà cùm illis concinere; quod eodem spectent, vt si non mente, saltem verbo tenus Catholicam fidem abneges. *Corde porrò creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.*

Quatenus liceat in his quæ ad fidem pertineant.

ET VENIT, &c.

lutem. Quod si quæ fortè apud eos Christianam pietatem redolent, vt pote qui non pauca ab Ecclesia mutuati sunt, nec abesse à choro profano sine periculo licet, memor sis Danielis & Ionæ, quorum alter, cùm esset in ventre ceti: alter demersus in lacum inter medios leones, nequaquam à decantandis Dei laudibus temperauit. Si declinare laqueos alia ratione nequeas, eorundem concionibus & cantilenis interesse poteris: sic tamen vt lingua faueas, aut ea duntaxat vsurpes, quæ cum veritate consentiunt. At verò solemnem Sacramenti formulam, qua nonnullis locis Principi fides oppignerаtur: si quod fortè conceptis verbis hæreticum dogma contineat, quantumuis licet Catholicæ fidei se cauere prædicet, cane peius & angue vitabis. Hæreticum virus aliena specie studet infundere: eo duces perniciosius. Signa denique præter hæc quæ diuinâ autoritate atque Apostolica traditione accepimus, nonnulla sunt, quæ vnamquamque religionem siue falsam illam siue veram discriminant. Hæc verò non natura sua, sed hominum instituto ac voluntate significant. Certo numero comprehendi non possunt, cùm semper posterior ætas cum nouis vetera commutet. Nonnunquam hæc symbola Ecclesia præscribit, quo oues secernantur ab hœdis: nonnunquam aduersarij statuunt, vt qui his vsi fuerint, suum errorem profiteri videantur. Quæ Ecclesia instituit, locum in occultis & summo discrimine versantibus habere non videntur. Noti si non obseruent, scandalum pariunt. Aduersariorum maior ratio habenda est. Quippe etsi Christum publicè omni tempore confiteri nemo iubet, negare tamen omni tempore prohiberis. Atqui signa quædam aduersariorum hoc præstant, vt abdicasse à te Christum, & idololatriam hæresimúe complexus esse videare, quo pacto apud homines proculdubio Christum negas. Feruntur Iaponij in eum finem profanæ legis codicem capiti imponere. Meminit etiam S. Ioannes in Apocalyp. cuiusdam characteris bestiæ. hæc potius quàm feras, mortem ferre non dubites.

De Sacramẽtis quid sentiendũ seu potius obseruandum sit.

Circa Sacramenta potissimum difficultatis cardo vertitur. Nam his maximè religionem exerceri manifestarique compertũ est. Negant verò complures hæreticorum Sacramentorum nos fieri posse participes. Atqui nonnullus eorũ delectus habendus est. Ferè enim perfugarum sectæ cum Ecclesia Catholica in Baptismo communicant: cui si nihil impium admisceant, nec ab Euangelica forma discedant, valere etiam apud eos Ecclesia prædicat. At eundem Anabaptistæ iteratò repetunt, quod nefas est. Frontem præterea Æthiopes inurunt; Laicum panem in sua cœna Sacramentarij vsurpant; & Iudæi, ac Mahumetani circuncisione hactenus abutuntur, ad quæ sine scelere descendere nemo potest. Quid ita? An quia fortè hos omnes præter aquam, panem, & ignem conferre aliud censes? An quia lege vlla prohibear quoties velim corpus aqua tingere? aut candenti ferro notare, panemúe libare? An quia vereris, ne fortè mentem ad eorum superstitionem accommodem? Quid si toto cælo dissentiam?

ET VENIT, &c.

Sed de Circuncisione primùm, & illo frontis stigmate quo Æthiopes gloriari solent, respondeamus.

Apostolus, inquis, ad Galatas cap. 5. ver. 2. ait, *Ecce ego Paulus dico vobis: quoniam si circuncidamini, Christus vobis nihil proderit. Sed neque Titus,* inquit ibidem cap. 2. *qui mecum erat, cùm esset Gentilis, compulsus est circuncidi. Et* contradicentibus *neque ad horam cessimus subiectione, vt veritas Euangelij permaneat apud vos.* Soluta quæstio videtur. nam quis respondere ad hæc, aut omninò hiscere audeat? Nemo sanè, nemo. sed quos ipse petat, & in quos tela hæc intorqueat, cùm ex eadem Epist. tum ex Act. Apost. cap. 15. discere poteris. *Quidam,* inquit Lucas, *descendentes de Iudæa, docebant fratres: Quia nisi circuncidamini secundum morem Moysi, non potestis saluari. Facta ergo seditione non minima Paulo & Barnabæ aduersus illos, statuerunt vt ascenderent Paulus & Barnabas, assumpto & Tito,* vt habet Apostolus 2. ad Galat. quo tempore non dubium est dissentientibus Pharisæis Titum à Circumcisione defendisse. Non enim, vt pluribus affirmat, ex Circumcisione salus, sed ex fide: neque legis beneficio speranda est, sed gratia Christi. Vnde sequitur, vt qui circumcisionem ad salutem consequendam necessariam asserit, Christum neget. Quod si quis non eo animo cuticulam secet, vt putet eam ceremoniam ad religionem posse pertinere: sed hoc solùm spectans ne inter recutitos periclitetur, dic Paule quid statuendum censes? Quid verbis opus est? exemplo docet Act. cap. 16. Cùm enim secundum eius sententiam Apostoli decretum fecissent, ipse diuulgasset, Timotheum tamen *patre Gentili natum* Lystris circuncidit. Siccine sententiam mutasse licuit? Absit non enim religionis gratia hoc fecit: *sed propter Iudæos, qui erant in illis locis.* Quid si in Turcas incidisset? Attamen Ecclesia deinceps fieri vetuit. Ecclesiæ parendum censeo qua lege ipsa velit. Comprehensos ergo vitam fas est Circumcisione redimere. Si faciant, alieni à Deo iudicabuntur. nam hæc saltem sacrilegæ superstitionis externa professio est. Timotheum Paulus Iudæorum seditionibus anteuertẽs circuncidit, ne caruncula negotium facesseret: idem in Tito negauit, cùm legis necessitatem causarentur; ne cedere religioni potius, quàm dare hoc eorundem improbitati videretur. *Circumcisio,* inquit idem Apostolus, *nihil est: &, præputium nihil est:* sed perinde vt ijs vsus fueris, laudem aut probrum inuenies. Finis itaque primùm spectandus est: deinde & scandalum remis velísque fugiendum. Nunc illud quærendum restat.

De Circũcisione.

QVÆSTIO XLIV.

An quisquam possit vllo in tempore Cœnæ Sacramentariorum fieri particeps?

NOn alia opinor hæc quæstio est, quàm quæ olim à Corinthijs Apostolo est posi-

1. ad Corinth. cap. 8. & 10.

Et venit, &c.

Apostolus explicatur, quid senterit de Idolothytis.

ta: Fasne esset Fidelibus idolothyto vesci? Ille porrò cùm postulatis abunde satisfacit, tum si quæ ab ijs, qui secus sentirent, obijci potuerint, eorundem argumenta mira solertia confutat. *De escis* igitur, inquit, *quæ idolis immolantur, scimus quia nihil est idolum in mundo, & quod nullus est Deus, nisi vnus,* &c. *Sed non in omnibus est scientia.* Itaque primùm de ignorantibus agens, *Quidam autem*, inquit, *cum conscientia vsque nunc idoli, quasi idolothytum manducant*, τῇ συνειδήσει τοῦ εἰδώλου. Ita vocat tacitum eorum iudicium, qui quæ idolis oblata essent immunda esse putabant, ac proinde bona conscientia illis vesci non poterant. Deinde addit quod sequitur: *Et conscientia ipsorum cùm sit infirma, polluitur.* Hoc est, rea fit criminis, quod se credidit admittere. B Conscientia siquidem, vt Theologis placere video, erronea ligat. Hæc vis est conscientiæ, vt opus natura sua medium, si bona fuerit, bonum reddat: sin mala, malum. Quid si harùm rerum callentes simus, & apprimè eruditi, ad Iouis epulas aut Herculis nos conferre licebit? *Videte*, ait, ne fortè hæc *licentia vestra offendiculum fiat infirmis. Si enim quis viderit eum, qui habet scientiam, in idolio recumbentem: nonne conscientia eius, cùm sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta? Et peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est?* Qua ratione periturus sit antea diximus. Nunc quid intelligat *in idolio recumbentem* paucis explicemus.

Idolium. Ἐν εἰδωλείῳ κατακείμενον, *accumbentem in epulo simulacrorum* Erasmus interpretatur. C *Idoleum* autem esse docet penultima producta: & aut simulacrorum locum esse, aut mensam in qua carnes ijsdem sacræ proponebantur. Vertit alter, *in idolorum templo.* Syrus interpres, *accumbentem inter idola.* Sanctus Thomas exponit *in præsentia idoli.* S. Ambrosius. Sanctus Ambrosius, Si quis viderit, inquit, peritum fratrem *in idolio* nouitatum recumbentem, edere carnes sacrificiorum, putat illic esse aliquid gratiæ, & incipit & ipse edere carnes sacrificiorum, non illa conscientia, qua ille peritiæ causa, sciens *nihil esse idolum*, sed esse putat illic numen &c. Ex quibus sequitur, non aliud hoc loco intelligere Apostolum quàm templum idolorum, in quo fit ea quæ mox ab eo dicitur *mensa dæmoniorum.* Maluisse autem cùm ex contemptu, tum etiam consuetudine D fidelium, εἰδωλεῖον dicere quàm ναὸν aut ἱερὸν, vt εἴδωλα potius quàm ἀγάλματα vel ξόανα, & εἰδωλόθυτα potius quàm θεόθυτα, quæ vocabula profanis idolorum cultoribus erant familiaria. *Iacob. Gutherius lib. 4. de vet. iur. Pontif. cap. 23.* Peracto enim sacrificio, cœna inquit Gutherius amicus noster, semper parabatur, & ad extra familiares aut conuiuas sibi quærebant. Hos Idolis immolatos cibos execrati Christiani, profanam cœnam appellarunt, & cœnasse in Idolio arguebant eos, qui his epulis interfuissent.] *Profanum epulum* reuera vocat Martyrologium Romanum quarto Septembris vt idem notat. Idolij autem voce nequaquam vsa est Ancyrana Synodus quarto & sexto canone, quos Gutherius designat: sed ex ijs quæ recitat & statuit, A facilè conijci potuit de ea re esse loquutam. Sic autem habet canone quarto. De ijs quæ sacrificarunt, ἔτι δὲ ποιοῖς καὶ τῶν δειπνησάντων εἰς τὰ εἴδωλα. Quorum verborum cùm per se facilis explicatio, tum plures latinas interpretationes habemus. quarum quæ vetustissima est, *& insuper cœnauerunt in Idolio* transtulit. Altera *in templis idolorum.* nouissimè post alios omnes Heruetus, *& præterea ad idola pransi sunt* exposuit eodem sensu. Zonaras. Zonaras in Comment. Quicunque coacti immolauerunt, ἢ καὶ ἐν τοῖς εἰδωλείοις ἰδιωτικῶς μετασχόντες τῶν εἰδωλοθύτων. Canon autem septimus diuersis iterum verbis *Idolium* describit. De ijs qui in festo Ethnico ἐν τόπῳ ἀφωρισμένῳ τοῖς ἐθνικοῖς *in loco Gentilibus deputato*: quod priores *in remotis eorum locis* B ediderant, Zonaras exponit ἐν εἰδωλείῳ τυχὸν, ἢ ἄλλῳ τόπῳ εἰς τὰς ἑορτὰς αὐτοῖς πανδήμους ἀνειμένῳ, *in Idolio fortè, aut alio loco in hos celebritatum vsus addicto.* Ex his colligo apud Apostolum *Idolij* nomine, aut templum ipsum idolorum, aut sanè locum publicum destinari, qui profano ritu agitandis sacrilegis illis conuiuijs consecratus esset. In quem locum obseruari iubet Sancta Synodus, si per vim abducti, aut sponte visi sint se contulisse: si lætiore corporis cultu, si vultu hilari & ad lætitiam composito, aut sanè perfusi lacrymis odiosas dapes delibarint: si immolatis, an proprijs cibis quos domo attulerint vesci deprehensi fuerint. Non enim vna pariter omnes pœna plectendos censet: sed statuit datæ offensionis habendam esse rationem. C *Vitanda offensio paruulorum etiam ex conditione loci.* Non enim Apostolus *in idolio* vescentem dixit, sed *accumbentem*: quoniam hoc etiam pacto simpliciores ad sacrilegium erudiri potuerunt. Neque enim censuit Apostolus carnes ipsas quemquam polluere, sed posse rudes & imperitos doctorum exemplo decipi, dum æmulantur facta eorum quæ vident, & mentem ac consilium eorum quæ non vident, non assequuntur. Etsi verò quisquam ibidem non immolatis, sed alijs cibis quos domo attulerit, vescatur, cùm lateat, & loci conditio contrarium polliceri videatur, non leuiorem infirmis offensionem afferet. Paucis ita explicat *S. Chrysostomus.* sanctus Ioannes Chrysostomus homilia vigesima in caput octauum primæ ad Corinthios. Quum dixisset, inquit, Videte ne licentia D vestra sit offendiculum, dicit qua ratione, & quomodo hoc fiat: Καὶ πανταχοῦ τὴν ἀσθένειαν τίθησιν, ἵνα μὴ δόξῃ τῆς τοῦ πράγματος φύσεως εἶναι ἡ βλάβη, καὶ φοβεροὶ φανῶσιν οἱ δαίμονες. & vbique ponit infirmitatem: ne damnum videatur esse rei naturæ, & terribiles videantur esse dæmones.] Itaque tandem Apostolus non priuatim idolothytis, sed quolibet cibo interdicit, qui lapsus & ruinæ fratri occasio fiat. *Quapropter*, inquit, *si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum.* Quid si etiam panis fratrem meum scandalizat? Quid si aliud prætereà quicquam non habeo, an idcirco mihi fame atque inedia pereundum erit, quòd his frater offendatur? Respondet Sanctus Thomas lect. 2. in eundem locum, non idem esse de superuacaneis

ET VENIT, &c.

peruacaneis & necessarijs iudicium. Vel Apostolum loqui de scandalo actiuo non passiuo. Vel denique perfectionis hoc esse, non necessitatis. Cùm itaque vt ex præcedentibus manifestè patet, tota hæc ratiocinatio Apostoli eo potissimum fundamento nitatur, ne quis imperitis fratribus peccandi occasionem præstet: si neque doctus habear, neque qui sim penitus agnoscar, apud exteros vbi forsan etiam nemo frater est, nihil causæ erit cur in idolio non accumbam, & cum Sacramentarijs cœnam eorum comedam. Negat hoc iterum Apostolus. Quare autem hoc non liceat, & quid aliud præterea liceat, copiosè explicat cap. 10. eiusdem Epist.

Quam ob causam ne doctus quidē & ignotus in Idolio recumbere possit.

Videte, inquit, *Israel secundum carnem: Nonne qui edunt hostias*, καὶ ...; *participes sunt altaris?* Ac si diceret, inquit sanctus Chrysostomus. Καὶ ἀπὸ τῶν παχυτέρων παιδεύθητι, ὅτι οἱ ἐσθίοντες τῆς θυσίας, κοινωνοὶ τοῦ θυσιαστηρίου εἰσίν. Vel ex crassioribus erudimini, quod qui hostias comedunt, participes sunt altaris. Id est, eiusdem cultus ac sacrificij sunt conscij, siue in eodem sacrificio consortes ac socij, ac eius quasi vinculo in eadem religione copulati. Altaris nomine cultum ipsum intelligit, qui in altari exhibetur, seu finem & scopum sacrificij, qui non alius fuit quàm vt is pro Deo agnosceretur, cuius honori victima cæsa fuit. Perinde igitur vt apud Iudæos quicunque ad sacrum epulum adhibentur, censentur esse sacrificij participes: ita & apud Græcos, ô Corinthij. Quare si ad victimam participandam accesseritis, vos quoque idolis diuinos honores tribuetis. Quid ais Apostole, *quod idolis immolatum sit aliquid? aut quod idolum sit aliquid? Absit.* Neque enim victima naturam mutat, aut numine augentur dæmones: sed *quæ immolant Gentes, dæmonijs immolant, & non Deo.* Hoc dicere videtur: Primùm sacrificij ratio ab instituto manat. Deinde victimæ offerentium sunt propriæ. Postremò illas solemni ritu dæmonibus addixerunt. Etsi verò cùm hoc facerent, diuinis beneficijs perperam abusi sunt, illorum tamen fuerunt propria, quæ dæmonibus obtulerunt: quare in his spectanda eorum mens & volūtas fuit, quò immolata referrent. Nam valere eam in omnibus statuunt, qui de victima partem aliquam delibauerint. Propterea mox addit: *Nolo autem vos fieri socios dæmoniorum.* Sacrificij enim commercio Deo cum hominibus conuenit. Victimarum sanguine Deus & homo sua fœdera sanciunt, & mutuam inter se societatem coeūt. Vel sanè Apostolus ad eam corporis & animi coniunctionem respexit, quæ nobis incruenti sacrificij beneficio cum Christo maxima est. Prius enim dixerat: *Et panis quem frangimus*, οὐχὶ κοινωνία τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ ἐστι; *Nonne communicatio corporis Christi est?* Nunc verò ait, *Nolo vos* κοινωνοὺς τῶν δαιμονίων γίνεσθαι, *fieri participes dæmoniorum.* quod sequi debuit ex participatione victimæ. quoniam, etsi natura talis hostia dæmonis corpus haberi non potuit, id tamen consequi videbatur ex intentione ac liberalitate offerentium, vt suum esse moraliter crederetur. Hinc statim apud eundem sequitur:

A *Non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum: Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum.* Lege sancit quod dixerat, & terret excommunicationis metu: vt si minus ratio persuaderet, anathematis certè periculo ab idolothytis reuocaret. Sin noua ratio esse creditur, hoc sibi vult, non tantùm ob eam causam ab immolatis abhorrere debere, quòd per ea cum dæmonibus immolantium studio ac voluntate copularentur: sed etiam quod eo pacto alieni à Christo efficerentur, nec possent cum eo eiusdem corporis Sacramento, gratia & charitate sociari. *& calicem dæmoniorum.*] Vinum libabant Ethnici cùm dijs suis tum sibi. Primùm quidem statim post immolatam victimam, seu mola salsa aspersam. Nam
B tum vinum ad aras fundebatur, & sacrificulus item vinum circunferebat, vt populus pariter libaret, hoc est, summis labris degustaret, & sibi inuicem poculum præberet. Deinde iterum cùm proficiæ, seu prosecta exta, & reddita, in aram imposita adolebantur, quod vinum adtegrare Festus vocat. Tum verò paulò liberius vino indulgebant, vt testatur Arnobius lib. 7. Post solitos victus liborum, & pultium, hostiarúmque cæsarum, quò putrefiat faciliùs & percoquatur cibus, frequentissimo irrigant, accipiúntque se vino. Lege Gutherium lib. 4. cap. 2. de iur. Pontif. Euander apud Virgilium lib. Æneid. 8.

Arnobius.

Postquam exempta fames, & amor compressus edendi, &c.
Non hac solennia nobis,
Has ex more dapes, hanc tanti numinis aram
C *Vana superstitio, veterúmue ignara deorum*
Imposuit.

Hactenus epuli meminit: mox verò poculum commemorat.

Quare agite ò iuuenes, tantarum in munere laudum
Cingite fronde comas, & pocula porgite dextris
Communémque vocate deum, & date vina libantes.

Mensæ dæmoniorum.] Ad hanc quoque explicandam ista sufficiant. Sin plura voles de hac mensa, habes apud me superiore tomo, cap. 1. vers. 4. Et quidem hactenus de publico vsu carnium immolatarum, quem seuerè omninò Apostolus prohibet, nec vult vllo pacto licere. Nunc de priuato videamus.

D Immolatis carnibus siue idolothytis duobus modis vesci contigit: emptis è macello siue κρεοπωλίῳ, aut priuatim ab amicis in conuiuio appositis. Neque enim Gutherio nostro assentior, tametsi Romanarum ceremoniarum diligentissimo scriptori. Scribit ille lib. 4. de vet. iur. Pontific. cap. 23. hos versus Plauti Rudentis referens,

De priuato vsu idolothytorum.

Spectatores vos quoque ad cœnam vocem
Ni daturus nihil sum, neque sit quicquam pollucti domi.

Malle se interpretari illum impropriè loquutum, & ex vsu theatri, Nam polluctum omne in fano consumebatur. Ad hanc inquam sententiam idcirco non accedo, quod plures nationes

ET VENIT, &c.

legam partes hostiæ quasdam, aut etiam peracto conuiuio reliquas, aut asportasse domum, aut venales habitas pretio distraxisse. De Persis Strabo hæc habet ferè ad calcem lib. 15. Cùm verò Magus, qui sacrificio præest, membratim carnes in quemque diuiserit, abeunt, nulla parte dijs relicta. Dicunt enim Deum nihil velle, præter hostiæ animam. De Ægyptijs Herodotus lib. 2. Pecude, inquit, quæ obsignata est, ad aram, vbi immolatur, adducta, pyram incendunt: deinde supra pecudem libato contra templum vino, ac Deo inuocato eam mactant: mactatæ caput asportant in forum: si nundinæ sint, & eis Græci negotiatores adfuerint, illis vendunt: qui si non adfuerint, in flumen abijciunt. Græcos præterea Aristophanis interpres exponens hunc versiculum, τῶν δὲ τὸ κρεάδιον οὐδεὶς τις εἰσηνεγκάτω λαβών, solitos fuisse dicit à sacrificijs redeuntes, ex ipsa victima portiunculam domesticis afferre, atque etiam si quid superfuisset asportare. Non enim aliorum, inquies, quàm Romanorum religiosos ritus inuestigat Gutherius. Nec ego de hac re cum illo supra modum contenderim: arbitror tamen idem de Romanis testari S. Augustinum in Epistol. ad Roman. cùm ait, *Antiquitus consueuisse* prostare venales carnes sacrificatas, eas scilicet quæ supererant: quarum pecunia ad sacerdotes redibat. De his igitur agens Apostolus, *Omne*, inquit, *quod in macello venit, manducate.* Etiamne quod immolatum fuerit dæmonibus, & eorundem cultui consecratum? Quidni? Nam *idolis immolatum* quidem *nihil est*: ipsa verò res, postquam pretio emeris, alieni iuris esse desinit. Cur igitur venalem non liberè compares, aut empta non ex animi sententia perfruaris? Itaque, inquit, percontari desinite, sitne idolothyton an secus quod ematis: neque animo anxio ac sollicito ad macellum accedite *propter conscientiam*, tanquam admissi sceleris conscij futuri sitis, si fortè in sacrificatis carnibus pecuniam collocaueritis. *Domini enim est terra, & plenitudo eius.* Quamobrem nihil immundum debetis ducere quod iusto pretio consequamini. Aliter tamen S. Chysost. illud διὰ τὴν συνείδησιν, siue *propter conscientiam* interpretatur. ἐὰν γὰρ ἀγνοῶν, φησι, φάγῃς, καὶ μὴ εἰδώς, οὐχ ὑπεύθυνος τῇ τιμωρίᾳ. Nam si ignorans, inquit, comedas, & nesciens, non es obnoxius supplicio: τὸ γὰρ ἀγνοίας λοιπὸν τὸ πρᾶγμα, οὐχὶ τῆς λαιμαργίας, ea enim res iam est ignorationis non ingluuiei. Sequitur: *Sed & si quis vos vocat Infidelium, & vultis ire; omne quod vobis apponitur manducate, nihil interrogantes, propter conscientiam. Si quis autem dixerit: Hoc immolatum est idolis: nolite manducare, propter illum qui indicauit, & propter conscientiam: conscientiam autem dico non tuam, sed alterius.* Cur alterius? Quoniam si libertate temerè vtaris, fiet vt infirmus frater malè de tuo facto iudicet, atque hoc modo libertatis beneficiũ ipsi cedat in ruinam, cuius tu sis conscius, vt qui nullam habueris infirmitatis eius rationem. Itaque ne lædatur eius conscientia, abstinere debes ab idolothyto. Sed iam de hoc satis superque antea. Ad illum accedamus è choro Infidelium, qui carnes immolatas esse palam prædicauit.

Strabo.

Herodotus.

Aristoph. Interpres

Si ignores immolatũ esse, percontari vetat Apostolus.

S. Chysost homil. 25. in cap 10. 1. ad Corinth.

A *Si quis autẽ vobis dixerit, hoc immolatũ est idolis, nolite manducare propter illum qui indicauit.* οὐδὲ γὰρ ὡς ἰσχύντων ἰσχύν, ἀλλ' ὡς βδελυκτῶν ἀπέχεσθαι κελεύει. Neque enim, inquit, S. Chrysostomus, tãquam à vim habentibus, sed tanquam ab ijs quæ detestanda sint, iubet abstinere. Neque ergo vt quæ possint lædere fugite: nullam enim vim habent: neque quoniam nullam vim habent, sitis indiscriminatim eorum participes: ἐχθρῶν γὰρ ἐστι καὶ ἠτιμωμένων, est enim mensa hostium, & eorum qui notati sunt infamia. An quia fortè times ne tanquam sordibus ea esca polluamur? Minimè gentium. Vt enim Sol, inquit, obiectis sordibus non inquinatur, ita ne nos quidem si nolle in animum induxerimus. Sed hic non natura inficit si comederis, sed inobedientia: ἡ παρακοὴ τὸν μολυσμὸν ἐργάζεται. Sordes & inquinamentum liberi arbitrij electio facit. At quæ tandem esse B potest interdicti ratio? Græci, inquit S. Chrysost. nescientes. Christianam Philosophiam, si nos idolothytis vesci conspexerint, aliter quam par sit, & sanctissima religione dignũ, de nobis suspicantur. Dicunt autem apud se: Μῦθοι τὰ χριστιανῶν, ὑποκριταί τινες εἰσι, Res Christianorum fabulæ sunt, ipsi planè hypocritæ, vt qui vituperent quidem & auersentur dæmones, currant autem ad eorum mensas. Quo quid esse possit stultius & magis expers sensus? οὐκ ἄρα ἀληθείας ἕνεκεν, ἀλλὰ φιλοτιμίας, καὶ φιλαρχίας ἐπὶ τὸ δόγμα τοῦτο ἐληλύθασι. Non ergo veritatis studio, sed honoris & principatus cupiditate doctrinam hanc complexi sunt. Dicam Græco, inquis, ὅτι καὶ τρώγω, καὶ οὐδὲν βλάπτομαι, καὶ ὅτι οὐχ ὡς φιλῶν τοὺς δαίμονας τοῦτο ποιῶ, C quia rodo, & nihil lædor: & non hoc facio tanquam amans dæmones. Non potes persuadere, etsi dicas millies: est enim imbecillus & hostis. Nam si fratri nondum persuasisti, multo minus inimico & Ethnico. Si ille ob consciẽtiam eius quod est idolo immolatũ retinetur, multò magis infidelis. Iubet itaq; nos Apostolus omnem ansam amputare blasphemiæ, & cauere ab idolothytis maledicti gratia. Non permittit tamen ἀνακρίνειν, i. examinare, & curiosè inquirere: sed tantisper dum admonearis, præsentibus nullo discrimine vesci. Non enim hæc τῇ φύσει μιαρά, ἀλλ' ἀπὸ τῆς ἐξουσίας τῶν αὐτὰ ἀκαθαρτῶν, natura mala, sed vt mente ac cogitatione concepta fuerint, ita labe inficiũt. Qui autem explorat, ὡς δεδοικὼς τοῦτο ποιεῖ, tanquam aliquid vereatur, hoc facit. Qui non percontatur, videtur omnia Dei bene-D ficia credere. Qui vbi immolatum esse acceperit abstinet, ὡς καταφρονῶν, καὶ μισῶν, καὶ ἀποστρεφόμενος, ἀπέχεται, tanquam despiciens, & odio habens, & auersans abstinet. Si comedat, tametsi idololatriam contemnens, quæ nihil est, inquit S. Ambrosius, de sacrificio manducare possit, peccat tamen: quoniam is qui idolis seruit, & admonuit, de edente gloriabitur, tanquã ipse quoque idola veneretur. Hactenus SS. Ambros. & Chrysost. in cap. 8. & 10. epist. 1. ad Corinth.

Ex his facilè colligas, nullo vnquam tempore licere Caluinicæ cœnæ Catholicum fieri participem. quoniam etsi reuera nugas eorum contemnens, interpretari possis te nihil aliud quàm panem apud eos comedere: ex eorum tamen instituto, & communi sensu, ac publica opinione,

ET VENIT, &c. Quamobrem, si Ethnicus immolatũ esse renunciauerit, vesci prohibeat.

S. Ambrosius.

Quæstionis solutio.

NVNQVID NON, &c. opinione, superstitionis eorum manifesta professio est. Reliquum panem, si quis fortè cœnæ superercit, nihil causæ est cur pauperes si acceperint, non comedant: laicum enim ipsi habent & communem. Quinetiam, non ita pridem bona mulier subirata Parocho suo, ad Synagogam Caluinicam se conferens, in cœnam incidit, quo tempore etiam collectæ fiunt. quamobrem admonita symbolum conferret aurei nummi quartam partem, siue solidos sedecim, hominum improbitati succensens, crustulum quod seruarat regerere maluit, quàm vt tantam pecuniam dissolueret; queritans in Ecclesia singulis Dominicis tantum panis benedicti se accipere, nec quicquam exigi: statimque vtilius rata cum Parocho suo redire in gratiam, ad Ecclesiam rediit. Quòd si illa placentæ illud cœnale frustulum domum asportasset, ego sic arbitror, vbi primùm profanam hæresim esset execrata, absque scrupulo cœnulam illam suam cœnitare potuisse.

VERSVS XI.

Dixerúntque serui Achis ad eum cùm vidissent Dauidem: Nunquid non iste est Dauid rex terræ? nonne huic cantabant per choros, dicentes: Percussit Saul mille, & Dauid decem millia.

VERSVS XII.

Posuit autem Dauid sermones istos in corde suo, & extimuit valdè à facie Achis regis Geth.

Laudis veneno nullum nocentius. NVnquid non iste est Dauid.] Laudis venenum quantum noceat, Dauid suo periculo comprobat: nusquam illum quiescere sinit, non foris, non domi. Iam toties antea soceri penè oppressus insidijs, nunc denuò apud hostes in vitæ discrimen incidit. Cæterùm vtrobique eadem ratio calamitatis, laudum fama celebris, quæ ad hostes vsque penetrarat. *Rex terræ.*] Non est verisimile istos audisse, Dauidem vnctum fuisse regem à Samuële. Alludunt ergo ad illud, quod audissent, eum, interfecto Goliath, regio triumpho & applausu exceptum fuisse à suis, ac si fuisset *rex terræ*, & mulieres psaltrias cecinisse, *Vicit Saul in millibus suis, & Dauid in decem millibus suis.* Volebant ergo illum occidere pristinæ cladis memores, & quod statuerent in illo esse maximum robur Iudæorum. Ita humana illa laus, & prædicatio coniecit Dauidem in fraudem capitalem, ac penè pessundedit. Atqui non pauci admiratione virtutis capti, olim infensissimos hostes seruare studuerunt. Sed Palæstini securitati magis quàm gloriæ consulebant.

Et Dauid extimuit valdè à facie regis Achis.] Timoris impetum, quo tota quatiebatur, graphicè illa describit apud Senecam in Hercule Oetæo act. 3.

A *Vagus per artus errat excussus tremor,*
Erectus horret crinis, impulsis adhuc
Stat terror animis, & cor attonitum salit,
Pauidumque trepidis palpitat venis iecur,
Vt fractus Austro pontus.

ET DAVID, &c. Icon timoris.

Scaliger. Plures timoris species siue gradus explicat Scaliger exercit. 312. in Cardanum. Nobis visum est nonnulla referre, quando hic mediocri concussus metu Dauid narratur, & stupendos pauoris effectus in tam forti sanctoque viro miramur. Primùm igitur *metus* demissio est animi propter expectationem futuri mali, παρὰ τὸ μεθιέναι quod est, abijcere siue deponere. Amittitur enim constantia & animum videtur abijcere, siue abiecto esse animo qui metuit. *Timor* est expectatio eorum censuræ, qui in dignitate sunt constituti; παρὰ τὸ τιμᾶν quod est mulB ctare siue in aliquem animaduertere. Species siue notio, qua permouemur in eo affectu dicitur *obiurgatio*. *Verecundia* est magna opinio reprehensionis; cum væ, id est valde remur, hoc est putamus ipsam rem. Αἰσχύνης tamen siue verecundiæ negat esse genus φόβον in 4. Topicor. Philosophus; quia illa sit ἐν τῷ λογιστικῷ: metus autem ἐν τῷ θυμοειδεῖ siue parte animæ irascenti. *Pudor* ine aphorica vox est: sicut auertitur sensus à putidis. Idem quod Verecundia: sed latiùs funditur. Quippe etiam cùm meremur ipsorum inferiorum reprehensionem. *Pauor* est idem, quod *perculsio*: Græca origo παίειν, vnde pauere. Sic percellere quoque percutere est. Græca item vox vetus κίναν: cùm animus quasi verberatur imminentis mali opinione. C Huius summum fastigium esset *Consternatio*, quoties ex perculsione concidimus, & spe, & consilijs abiectis, nisi atrocior esset *Exanimatio*. Hoc enim est quod è prisco poëta recitat Tullius. Mihi omnem sapientiam ex animo expectorat, id est, vim animi adimit. *Tremor*, & *Horror* corporis affectus sunt, ex affectibus animi pendentes. *Tremor* est motus ex motibus contrarijs, ex Galeno. Græca tota vox & factitia. Sic *horror* est asperitas corporis, quam descripsit maximus poëtarum, illo versu: *Obstupui, steteruntque comæ.* Id propterea fit, quod introrsum refugiunt spiritus, cutèmque destituunt. Ergo quæ subsidere potest pars, ea subsidet. Vbi pili radices agunt, constat propter materiæ densitatem, ac tanquam fulcrum. Idcirco fit inæqualitas. Est item posita in motu corporis *Trepida*D *tio*, cùm tremor non ita nos occupat, vt etiam consistere nequeamus. Habet & *Fremitum* timor deducta à mari metaphora. nam illud agitatum σεισμοῖς fremitum edit. Sic enim solet qui metuit, cùm iam velut circundante malo obsidetur, fremere, iam penè confuso cum desperatione metu, & eiulatum ciente. *Agoniæ* vocabulo veteres vsos non temerè inuenias: sed hoc fuit, inquit Scaliger, pedare & repedare apud antiquos. Aristoteles in 2. sectione οἱ ἀγωνιῶντες σκαίρουσι τοῖς ποσί. Qui in agone siue agonia sunt, pedibus saliunt, siue tripudiant. *Formido* verò, à formis, hoc est, à spectris. *Pauor* haud longe à *stupore*. *Stupor* autem etiã ad admirationem pertinet: sed qui timoris est comes, censetur esse spirituum congelatio. Frigidus Arcadibus ait

Metus. Timor. Verecundia. Pudor. Pauor. Consternatio. Exanimatio. Tremor. Horror. Trepidatio. Fremitus. Agonia. Formido. Stupor.

Et David, &c.

in præcordia sanguis.

Hæc est *stuporis* apud poëtam descriptio. Idem affectus cum *trepidatione*, sed contrarijs appendicibus. Namque in *trepidatione* fit impulsio, & inordinatus spirituum motus. In *stupore* quies siue marcor: omnino, vt signatiùs dicam, immobilitas. Nam quies naturalis res est. Impotentia mouendi extra naturæ leges. *Stupor* autem si validiùs incumbat, & diuturniùs insideat, *Ecstasis* dicitur à Græcis, à nostratibus *excessus*. Est autem priuatio officiorum animæ sentientis, mouentis, & intelligentis. Immoti manent, ac potius rigent: transfixi non sentiunt. Absistit enim anima suis à functionibus perculsis spiritibus, ac receptis in intimos cordis sinus; adeo vt apertis oculis nil videant, nil audiant. At verò *terror* affectus est actiuus. Verbum enim ipsum transmittit in alium actionem. At superiorum affectuum verba neutiquam talia sunt, sed neutropassiua. Græca origo, τέρας. terrent enim monstra. Hæc ferè Scaliger paucis exceptis, de quibus eodem loco copiosiùs disserit.

Ecstasis.

Terror.

Et extimuit valdè.] Nec temerè profectò: nam si Apollodoro Comico poëtæ credimus,

Quæ celsa sunt, his ruina imminet.

Magna fortuna dona metum habent:
Et quod valde splendidū est à periculo non abest.
Nec tutum est, quicquid est erectum in mortali genere,
Quod euerterit aut aliquod tempus, aut inuidia,
Postquā ad culmen prosperitatis quis ascenderit.
At mediocritas omnibus in rebus tutissima,
Quod neque tota omnino humili animi
Parte nitatur, nec rursus excelsa.
Etenim si quis cadat ex minori statu,
Facilius suum circumtegit infortunium.
At molis magnæ ruina fit magna.
Nam ad id quod est splendidum, impetum inuidia facit:
Ac decipit illos, quos erexit fortuna.

Ipse sanè Dauid de seipso testatur, *Eleuans allisisti me.*] Depressa atque humilia loca plerunque merguntur aquis; altiora fulmina deijciunt: media tutissima regio est.

Thomas Morus.

Et extimuit valdè.] Thomas Morus, cùm statim pro fide Catholica mortem subiturus esset, hoc interim spatio dum in arce Londinensi ad supplicium seruatur, Commentarios in historiam Euangelicam Passionis Domini scribere instituit, cui ne supremam manum imponeret, ipsa quidem mors impedimento fuit. Cæterùm in ijs quæ de Domini pauore ac mœstitia disputauit, ita commodè Dauidis causam egit, vt alio mihi commentario ad eam rem opus esse non videam. Itaque illum suadeo consulat, quisquis eius libri copiam nactus erit, nos interim, ne lectori fastidio simus, pauca de multis delibabimus.

Ante congressum, inquit, non est improbandus timor, modò timori non desinat reluctari ratio, ea pugna non crimen est aut culpa, sed ingens merendi materia. Nam, tu sanctissimos illos martyres, quia sanguinem pro fide fuderunt, nunquámne mortem putas & supplicia timuisse? Non immorabor huic parti recensendo catalogum, vnus mihi Paulus instar millium fuerit. Imò *si Dauid pro decem millibus* erat aduersus Philistæos, & *Paulus haud dubiè pro decem millibus* haberi potest in pugna pro fide contra persequutores infidos. Hic igitur fortissimus athletarum Paulus, quem eò vsque spes & amor Christi prouexerāt, & de cœlesti præmio non dubitarit, qui dixit, &c. hic tamen idem Paulus & arte procurauit, vt per Tribunum eriperetur ab insidijs Iudæorum, & de carcere se, Romanum ciuem se profitendo, liberauit, &c. Quod si quis eum contendat fidei sua opera seminandam postea frugem spectasse, & nullo inter ista mortis metu fuisse perterritum: ego certè vt alterum libens fateor, ita alterum non ausim dicere. Nam fortissimum illud Apostoli pectus admisisse timorem manifestat ipse, quum ita scribit Corinthijs: *Omnem tribulationem passi sumus, foris pugna, intus timores.* Et 1. ad Corinth. 2. *Ego in infirmitate, & timore, & tremore multo fui apud vos,* &c. Metus igitur mortis & tormentorum culpæ nihil habet, sed pœnæ: quam Christus vt ferret venit, non vt fugeret.

Confert Paulum cum Dauide, & vtriusque timores.

2. Cor 7. Metus culpa nihil habet; sed pœnæ plurimum.

Vt *hilarem datorem*, inquit, *diligit Deus*, ita Thobiam dilexisse non dubito, nec item B. Iob: quorum vt vterque fortiter ac patienter calamitatem tulit: ita (quod sciam) neuter adplausit admodum aut exultauit alacriter. Offerre se pro Christo morti, quum res apertè postulat, aut quum occultè stimulat Deus, egregiæ virtutis opus esse non nego. Alioqui verò nec satis tutum reor, & præcipua ex his columina, qui spōte pro Christo sunt passi, timuisse multum, fuisse vehementer anxios, nec semel antè se subduxisse morti reperimus: quam postea tamen fortiter adierunt. At nec Deum posse inficior, & facere aliquādo confiteor (nunc pijs id tribuens anteactæ vitæ laboribus, nunc mera benignitate gratificans) vt animum martyris totum sic impleat gaudio: vt non modò molestas illas anxietates opprimat, sed & eas quoq;, quas Stoici propassiones appellant, & quibus factiosos sapientes suos omnino fatentur obnoxios, sic eminus arceat, vt non permittat accedere. Etenim cùm sæpe videamus accidere, vt in pugna quidam vulnera sua non sentiant, donec animus, quem vehemens abduxerat affectio quæpiam, reuersus aduertat damnum: non est quod dubitem, tanta propinquātis gloriæ spe gestientem animum posse sic efferri supra se, vt neque mortem metuat, neque supplicia sentiat. Et tamen si cui donum hoc dederit Deus, ego certè vel gratuitam felicitatem potius, vel præteritæ virtutis præmium vocauerim, quàm futuræ mercedis materiam. Nam mercedem crediderim toleratæ pœnæ respondere, nisi quod eam Dei liberalitas mensura tam bona, tam conferta, tam supereffluente retribuit: vt *non sint vllo pacto condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in illis*, qui tam impensè dilexerunt Deum; vt eius gloriæ tanta mentis angustia, tanto cruciatu corporis sanguinem & vitam impenderint. Quid quod interdum pro sua bonitate Deus quibusdam adimit metum, non quod magis eorum approbet, ac remuneret audaciam: sed quod talem eorum nouit imbecillitatem, vt timori suo ferendo pares non essent futuri? Etenim nonnulli succubuerunt metu,

Impauidū pectus virtutis præmium potius quàm materia.

metu, qui postea tamen inflicta tormenta vicerunt.

Iam quod attinet ad animandos alios eorum exemplo, qui mortem ferunt alacriter: non abnuerim, id multis esse perutile. Sed rursus quoniam plerique omnes sumus ad ingruentem mortem timidi, quis nosse potest, quàm multis prosint: & hi, quos cùm anxios ad mortem videmus & pauidos, cernimus tamen per objectos, & obstantes illos tædij, pauoris, angustiæ plusquam adamantinos obices fortiter penetrare, & effractis istis ferreis repagulis, triumphata morte cælum violenter irrumpere? An non hi pusillis & timidulis homuncionibus ipsorum videlicet similibus vehementer addunt animum, ne incumbente persequutione succumbant, quamquam sibi magnam sentiant tristitiam, timorem, tædium, & diræ mortis horrorem suboriri?

Prouida Dei sapientia, quæ penetrat omnia fortiter, & disponit cuncta suauiter, præsenti contemplans intuitu, quo modo, quibus in locis affectæ sint mentes hominum, huius aut illius fortis exempla, pro vt maximè conductura videt, temporibus, & locis accommodat. Sic pro sua prouidentia Martyrum suorum affectus temperat, vt alius alacer ad mortem prouolet, alius cunctanter & timidè prorepat, nec tamen minùs fortiter mortem perferat. Nisi quis ideò fortè minùs fortis haberi debet, quod præter debellatos inimicos reliquos, suum etiam ipsius tædium, tristitiam, timorem, fortissimos affectus, & potentissimos hostes expugnat. Hactenus Thomas Morus, quem idcirco volui copiosiùs referre, quod hæc in stadio positus, & pugnæ procinctu dissuerit, his & similibus animum acuens ad studium martyrij, quo non ita multò post egregiè defunctus est, & immortalem gloriam laudemque consequutus.

Versvs XIII.

Et immutauit os suum coram eis, & collabebatur inter manus eorum, & impingebat in ostia portæ, defluebantque saliuæ eius in barbam.

Versvs XIV.

Et ait Achis ad seruos suos: Vidistis hominem insanum: quare adduxistis eum ad me?

Versvs XV.

An desunt nobis furiosi, quòd introduxistis istum, vt fureret me præsente? Hiccine ingredietur domum meam?

Variæ trãslationes.

Pagninus, *Et mutauit ipsum sermonem* (Arias, *sensum*) *suum in oculis eorum, & insaniuit se*

A *ostendebat* (Arias, *& finxit se furere*) *in manibus eorum, & designabat in ostijs* (Arias *super fores*) *portæ, & descendere faciebat saliuam suam in barbam suam.* Chaldæus, *Et mutauit cognitionem suam in oculis eorum, & stupidus factus est in manu eorum, & lineans super valuas portæ, & descendere faciens, &c.* Alius, *Et immutauit eloquium suum in oculis eorum, & stultum se simulabat inter manus eorum, scribebatque super ostia portæ, & fluere fecit saliuam suam in barbam suam.* Et in Annotationibus suis, *Eloquium suum*] Capitur hîc טעם *tagham* pro דבר *dauar*, *sermone*, & pro דעת *daghath*, *mente*, *ratione*. Et התהלל *hithhalel*, pro סכל *sachal*, id est, *stulta opera agere*, vt est, scribere ad ostium domus, seu stultorum more pingere in parietibus. Interpretes nostri hîc verterunt תוה *thauah*, pro *impingere*, cùm tamen idem significet quod כתב

B *kathaf*, *pingere*, *& scribere*: quamquam primi interpretis culpa hoc non sit factum: sed posteri ex *pingere* fecerunt *impingere*. Vatablus, *Et immutauit habitum suum in oculis eorum, simulauitq; se furere inter manus eorum, exarauitque* [*vnguibus*] *in valuis portarum, defluens saliuam suam in barbam suam.* Quidam præterea, *Quapropter mutauit sibi speciem suam in oculis eorum.*] Id est, gestus, verba, & quidquid cadere potest in hominum sensum: translatum nomen à sensu gustus ad visum & auditum, & si qui sunt alij quibus homo hominem explorare potest. *Et agebat insanum in manu eorum.*] Dum erat in eorum potestate, & captus ad Regem adducebatur. Vide initium Psalmi trigesimi quarti, & quinquagesimi sexti. *Et signabat valuas portæ, demittebatque saliuam, &c.*

C Septuaginta Complut. edit. Καὶ ἠλλοίωσε τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἐνώπιον αὐτῶν. *Et mutauit os suum coram eis.* os, vultum, faciem. Sic quoque Ald. & Rom. nisi quod habent αὐτοῦ, singulari numero, *coram eo.* Καὶ παρεφέρετο ἐν ταῖς χερσὶν αὐτοῦ, *Et collabebatur in manibus suis.* Sanctus Augustinus in Psalmum trigesimum tertium, καὶ ἐφέρετο, *ferebatur*; & accommodat sanctissimæ Eucharistiæ, in qua Dominus seipsum suis manibus tulit. Καὶ ἔπιπτεν ἐπὶ ταῖς θύραις τῆς πόλεως, *& cadebat ad portas ciuitatis:* siue vt Complut. τῆς πύλης, *in ianuis portæ.* Καὶ τὰ σίαλα αὐτοῦ κατέῤῥει ἐπὶ τὸν πώγωνα αὐτοῦ, *& saliuæ eius defluebant in barbam eius.* Apud Ald. & Rom. plures videntur admistæ interpretationes: nam præter hæc, nonnulla quoque interserunt, quæ describam. καὶ προσεποιήσατο ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ. καὶ ἐτυμ-

D πάνιζεν ἐπὶ ταῖς θύραις τῆς πόλεως. Romana editio sic vertit, *& affectabat in die illa, & tympanizabat ad ostia ciuitatis.* In reliquis editiones inter se consentiunt. Versu decimo quarto, *Hominem insanum.*] Septuaginta, ἄνδρα ἐπίληπτον. Complutenses vertunt, *virum insanum.* Alij, *amentem*, *furentem.* Romana editio, *virum arreptitium correptum.*

Et immutauit os suum coram eis.]

Οἴμοι, τὸ γὰρ ἄφνω δυστυχεῖν, μανίας ποιεῖ.
Hei mihi: etenim repentè infelicem esse, generat furorem.

Iugurtham in triumphum à Mario ductum, desipere, ac delirare cœpisse Plutarchus autor est. Num igitur quicquam putas, inquit Tigranes, magis homines sibi subijcere, quàm vehemen-

ET IMMVTAVIT OS SVVM, &c.

tem metum? Num es nescius eos, qui ferro percutiuntur, quod supplicij genus putatur validissimum, rursus etiam velle aduersus eosdem pugnare? quos autem vehementer homines metuerint, ad hos, ne si consolentur se quidem, possunt etiam oculos conuertere. Dicis tu, inquit Cyrus, metum maiori supplicio esse hominibus, quàm si reipsa malè afficiantur? Ac tu quidem nosti, inquit Tigranes, me vera dicere. Scis enim eos, qui metuunt exilium patriæ, quique pugnaturi timent ne vincantur, degere in animi acerbitate. Et eodem modo eos qui nauigant, ne patiantur naufragium; & qui seruitutem & tributum metuunt, hosce neque cibum posse, neque potum capere propter metum. Qui iam verò exules sunt, & qui victi, & qui serui, possunt interdum magis etiam quàm felices ipsi, & comedere, & dormire. Estq; manifestius etiam in hisce quātum metus sit onus: aliqui enim metuentes, ne si capti fuerint, mortem dent, priùs ob metum moriuntur: alij iacientes præcipites seipsos, alij laqueo suspendentes, alij iugulantes, vsque adeò metus rerum omnium horribilium maximè animos perterret. Ita Xenophon Cyropæd. lib. 3. Hic Dauid cùm videret se esse in discrimine, & nihil iam loci esse fortitudini, quòd esset & solus, & inermis, ad artes se conuertit, & finxit insaniam. Nam insani & mente moti misericordia potiùs digni videntur esse, quàm supplicio. Fecit etiam hoc, ne illi putarent se Dauidem esse, de cuius virtute & prudentia tam multa audissent prædicari. *Immutauit os suum.* Mutauit habitum, sermonem, gustum. Est autem gustus Hebraïcè, quo homines dant specimen aliquod sui, vt possit intelligi quales sint: quemadmodum ex sapore & gustu discernere solemus cibos.

Metus torquet ipsa calamitate acerbius.

Xenophō

Et collabebatur inter manus eorum.] Hoc alterum insaniæ ac furoris argumentum dedit. Itaque non pauci ex Hebræo interpretantur *& insanum se faciebat.* Priùs vultu, nunc etiam gestu mentis alienationem præ se tulit. Παρεφέρετο Græci legunt, à παραφέρεσθαι, delirare, & mentis impotem esse, vt Serarius notat. Παραφορὰ certè mentis error est, & deliratio, apud sanctum Gregorium Nyssenum, in lib. de homine, Galenum, Euthymium, Suidam, qui παράφορον etiam dæmoniacum vocat. Vulgatus vtcunque modum exprimere voluit, quo dementiam fingeret. Eorum instar qui vino obruti sunt, vacillabat, nutabat, & titubabat. Sanctus Augustinus legit in titul. Psal. 33. *Et ferebatur in manibus suis.* Lapsum putat Serarius. Sed eam interpretationem Salianus in Annalibus suis egregiè defendit, ad cuius ego quoque sententiam accedo. An fortè collapsus manibus reptabat, quo magis insanus haberetur? Quomodo verò Christus seipsum proprijs manibus tulerit, docet S. Augustinus secunda concione in titulum Psalmi trigesimi tertij in fine. Quomodo, inquit, *ferebatur in manibus suis?* Quia cùm commendaret ipsum corpus suum, & sanguinem suum, accepit in manus suas, quod norunt fideles, & ipse se portabat quodammodo cùm diceret, *Hoc est corpus meum.* Et præcedenti concione, Hoc verò, fratres, quomodo posset fieri in homine, quis intelligat? Quis enim portatur in manibus suis? Manibus aliorum potest portari homo, manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipso Dauid secundum literam non inuenimus, in Christo autem inuenimus. *Ferebatur enim Christus in manibus suis,* quando commendans ipsum corpus suum, ait, *Hoc est corpus meum.* Ferebat enim illud corpus in manibus suis, ipsa est humilitas Domini, &c. Hæc sanctus Augustinus. Negat autem Dauidem eo modo manibus proprijs ferri potuisse, quo Christus à seipso portatus est: neque enim necesse fuit vt vmbra corpori ex æquo responderet. Quis enim ante Christum Virginem Matrem sortitus est, cùm plures tamen ortu suo Christi natiuitatem adumbrarint? Sed non negat vllo pacto hominem suis manibus ferri posse. certum est enim, cùm hoc loco res gesta narretur, historiæ nihil falsum, aut commentitium insertum esse. Hominem certè portari pedibus suis nemo negauerit. atqui infantes manibus æquè ac pedibus incedūt. Vnde est illud Sphingis ænigma: Quod esset in rerum natura animal primùm quadrupes, mox bipes, postremò tripes: quod esse hominem Oedipus interpretatus est. Videmus etiam non rarò mendicos quibus crura abscissa sint, manibus per vrbem ferri. Quid si quis appensum de trabe funem manibus apprehendat, seque aliquandiu sustentet, an non ille manibus suis feretur? Quid ipse Dauid cùm priùs ab vxore de fenestra demitteretur, an non seipsum tantisper de fune pendens, suis se manibus tulit? Quot ipsi ludios circulatoresque spectauimus, sublimibus pedibus in scena manibus ambulantes? Quid si hos Dauid æmulari studuit, quo tunc fatuus & mente captus impendiò magis appareret?

Salianus.

S. August. Allegoria. Matt. 26.

ET IMPINGEBAT &c.

Et impingebat in ostia portæ.] Serarius, sic Græci: sed Hebræus & Chaldæus *lineabat,* quod interpretantur aliqui, *describebat,* seu *pingebat ad ostia,* vel, *quasi recta linea in ostia ruens ferebatur.* Addiderunt Septuaginta, ἐτυμπάνιζε, vel quia tam sæpè, & tam durè impingebat, vt tympanum pulsare videretur; vel etiam tympana, aliaque id genus ludibria pingebat. Hæc Serarius. Ego præter illa quæ descripsi in varijs translationibus, apud Procopium hæc reperi. Καὶ προσεποιεῖτο ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ, καὶ ἐτυμπάνιζεν. hoc est, *Et simulabat in die illa, & verberabat.* Aquila, inquit, habet, τὸ μένειν καὶ προσέκρουεν. id est, *aderat, & reprimebat,* vel, *percutiebat.* Ipsum verbum Hebraïcum תָּוָה *thauah* videtur hæc omnia sua significatione complecti. *Signare* quidem notáque inurere primò significat. sed deinde etiā *finire* rem, ac terminare: postremò etiam *crucifigere.* Hinc est quod Psalm. 78. versu 41. quo loco Propheta hoc verbo in coniugat. Hiphil vsus est, nonnulli vertant: *Et sanctum Israel determinauerunt* obfirmato animo eiusdem voluntati obluctantes: Alij, *Et sanctum Israel crucifixerunt.* quod propheticè de Christo dictum non dubitamus. Septuaginta habent, καὶ τὸν ἅγιον τοῦ Ἰσραὴλ παρώξυναν, *& sanctum Israel exacuerunt:* siue, vt est in Vulgata translatione, *exacerbauerunt.* ת *thau* sanè, seu verbum illud peperit, siue ab eo natum est: *signum,* symbolum, vestigium, notam

Hebrææ dictionis explicatio.

DEFLVEBANTQVE, &c.

notam significat. Deinde etiam *terminum*: quoniam cùm sit literarum nouissima, Alphabetum claudit & terminat. Adhæc etiam *crucem*; quoniam eius imaginem in antiquissimo Alphabeto sua figura referebat. Postremò *dolorem*, cruciatumque, aut quicquid molestiam exhibet: qualia sunt quæ duritie præstant, cùm in ea incidimus. Ex his colligere poteris, cùm illud verbum & terminare, & exacerbare, notasque imponere significet, non ineptè Vulgatum & Græcos interpretes, cùm cuperent ex ipsa emphasi dictionis nonnullam fictæ dementiæ similitudinem exprimere, impegisse Dauidem, ac more stultorum fores, tympanorum instar, pulsasse tradidisse.

Vulgata defenditur.

Defluebantque saliuæ eius in barbam.] *Saliuæ eius* ריר *riro*. ריר *rir*, saliua est Hebræis, *sputum*, mucus narium, spuma, & per metaphoram, *albumen oui*, quod saliuæ forma & lentore simile est. Verbum ipsum רר *rar*, vel רור *ror*, spumam, aut saliuam deijcere est. התרר *ithrarar*, idem quod *stultus*, saliuam fundens. *Spumasse* Dauidem Iosephus ait, & *epilepsiam* finxisse. Sanctus Theodoretus; vt si fortè, quod nonnulli solent Principes, deliri hominis ineptijs ad iocularem licentiam abuti vellet, morbi horrore ab eo auerteretur. Est quidem Medicis πτυαλισμός, symptoma quoddam cùm saliua plus æquo in os affluit. Id quod contingit tum vitio capitis humidioris, multamque saliuam in glandulas ad radicem linguæ sitas effundentis, tum stomachi multa pituita redundantis, quæ ex eo secundum gulam in os prorepit: sed humor qui manat ab epilepticis, non tam saliua quam spuma est. Saliua enim mera pituita est, vti color eius, & gustus, humida item & frigida qualitas significant: quæ à glandulis ad radicem linguæ sitis profecta, os totum humectat, faucibus alioquin, lingua, palatoque, vocem, respirationem, & cibi traiectionem negaturis. At verò spumam non glandulæ illæ generant, sed aut illa à cerebro fluit, aut pulmonis spongia, quam concitat motus flatusue vehementior, aut incensa bilis. Sic enim videmus agitatum procellis mare, & feruentem ignium vi lebetem spuma candescere: quæ tametsi ipsa quoque aquea substantia constet, plurimo tamen aëre distenditur. Quamobrem etiam ea magis epilepticis quàm saliua conuenit. Quippe ἐπιληψία affectio est cerebri, quàm rei molestæ sensus inuehit: siue illa quantitate, siue qualitate noceat. Nam vbi id genus quippiam in cerebro præter naturam fuerit, ipsum mouendi sentiendique principium in sese recurrit, & contrahitur, atque ita dum crebra & inæquali cerebri totiusq; corporis concussione idipsum amoliri contendit, spumam instar oui albuminis creat, & elicit. Hanc studuit copiosa egesta saliua Dauid imitari; vt creditus epilepticus amandaretur à Rege: & ipsi morbo, quem veteres νόσον μεγάλην, & ἡρακλείαν, & ἱεράν, morbum magnum, Herculeum, & sacrum à magnitudine vocarunt, cruciandus relinqueretur.

Saliuæ & spumæ discrimen.

Vidistis hominem insanum, & adduxistis ad me.] Siccine tantum virum decuit? Quàm diuersum ab hoc Themistoclem, cùm ipse quoque ad hostium Principem confugisset, describit Philostratus in Iconibus? Postquam Medos, ipsumq; adeò Regem in solio aureo maculis vt pauo distinctum graphicè depinxit, & ipsum Themistoclem Attica veste indutum produxit in medium, de Græco, inquit, hastiferi ac satellites inuicem disserunt, obstupescentes, ipsumq; ob res ab eo gestas admirantes. At verò Themistoclem rerum Medicarum nulla percellit: verùm vt in lapide stans confidit. Et vox haudquaquam nostràs, Persarum more loquitur: id enim illic elaborauit. Quod si minimè credis, aspice vt audientes facilem oculis significent intelligentiam: aspice & Themistoclem oris quidem habitu dicentibus similem: oculorum verò cogitatione errabundum, quod aliena nuperque percepta loquatur lingua. Hæc est apud Philostratum Themistoclis ad Regem accedentis descriptio. Tradit verò etiam Herodotus libro primo, coram Rege Medorum nec spuere, nec ridere olim licuisse. Quomodo ergo Dauidem ferre potuisset? Cæterùm quod ad Themistoclem attinet, nihil mirum si Regis præsentia nequicquam illum terreat, quum proditionis opinione niteretur, & se Regem seruasse iactaret, nec quemquam præter cæteros sua manu interfecisset, cuius propinqui ac necessarij amici pœnas ab eo reposcerent. At verò Dauidi contraria omnia terrorem incutiebant. Nam & Goliath ipse interemerat: cuius hactenus consanguinei, vt apparet ex sequentibus, autoritate ac robore apud Palæstinos plurimùm poterant, & acceptæ cladis præcipuus autor habebatur, nec Regis gratiam clandestino vllo fauore promeruerat. Neque tamen, cùm tot vndique periculis quasi sepimento se vallatum intelligeret, quicquam admisit, quod non plerique fecerint, quos virtutis ergo prisca ætas venerata est. Solonem profectò sapientiæ nomine omnis Græcia suspexit, & admirata est; Athenæ etiam prope numinis loco habuerunt: Idem tamen, si Plutarcho credimus, insaniam simulauit. Brutus etiam Romanæ vindex libertatis, gessit se pro fatuo, cùm interim de liberanda patria consilium solus iniret. Vlysses denique videri voluit insanus, ne Martis pontique minas decennium ferre cogeretur. Itaque subacto solo salem seminauit. Verùm eius simulationem, posito ante aratrum infante filio, Palamedes prodidit. Sed Dauid præterea gerebat typum Christi Domini. Nam de illo in 10. cap. Ioan. ita loquuntur Pharisæi: *Quid hunc auditis, hominem insanum, & dæmoniacum?* Tanta porrò est Dei potentia, vt possit seruare suos per sapientiam, per insaniam, per robur, per infirmitatem, per morbos, per sanitatem. Faber secare non potest quauis dolabra: nec pictor quouis penicillo pingere: Dei autem facultas non pendet ab instrumentis. Si velit filium procreari, potest id non minùs ex vetula efficere, quàm ex puella: nec minùs ex virgine, quàm ex vxore. Plerosq; sapientiæ beneficio seruauit incolumes. Hîc voluit Dauidem per stultitiam periculo eripi. Si tamen hæc stultitia habenda est, & non potiùs, vt ait Ausonius, stultitiam simulare loco prudentia summa est.

VIDISTIS HOMINEM &c.

Philostrat.

Herodot.

An desunt nobis, &c.

An desunt nobis furiosi, &c.] Apparet verè insanum habitum. Sed nunquid simulare licet? Ad virtutem veritatis pertinet, inquit sanctus Thomas, vt quis talem se exhibeat exterius per signa exteriora, qualis est. Signa autem exteriora non solùm sunt verba, sed etiam facta. Sicut ergo veritati opponitur, quod aliquis per verba exteriora aliud significet, quàm habet apud se, quod ad mendacium pertinet: ita etiam opponitur veritati, quod aliquis per aliqua signa factorum, vel rerum, aliquid significet contrarium eius quod in eo est: quod propriè simulatio dicitur. Vnde simulatio proprie est mendacium quoddam in exteriorum signis factorum consistens. Non refert autem vtrum aliquis mentiatur verbo, vel quocunque alio facto. Vnde cùm omne mendacium sit peccatum, consequens est etiam quòd omnis simulatio est peccatum. Igitur Dauid eo facto peccauit? Absit: non enim simulatio hæc, sed fictio fuit. Fingere autem absque peccato licet, cùm Dominus ipse, Lucæ vltimo capite, *finxerit se longius ire.* Non enim omne quod fingimus, mendacium est: sed quando id fingimus, quod nihil significat, tunc est mendacium. Cùm autem fictio nostra refertur ad aliquam significationem, non est mendacium, sed aliqua figura veritatis. Exemplum pete ex sancti Augustini libro secundo de quæstionibus Euangelicis, capite quinquagesimo primo, tomo quarto de figuratiuis locutionibus, in quibus fingitur quædam res, non vt asseratur ita esse, sed eam proponimus, vt figuram alterius, quod asserere volumus. Cuius autem rei figura fuerit ficta illa Dauidis insania, explicat sanctus Augustinus duabus concionibus in titulum Psalmi trigesimi tertij.

S. Thomas 2. 2. qu. 3. art. 1.

Simulatio.

Fingere licet, simulare non licet.

Sed num ille hoc cognoscebat, vt ea mente fingeret quæ à mendacio posset excusare? Expauisse narrat Scriptura, & metu perterritum fingere statuisse, vt tanquam ab insano & epileptico manus abstinerent. Hoc mihi respondendum videtur, sanctissimos olim viros cùm se diuino agi spiritu intelligerent, se totos Deo commisisse: & cùm plerasque suas res gestas exempla rerum futurarum propositas esse non ignorarent, si quid præter morem agendum patiendumve occurreret, tanquam à Deo profectum, ad quem referrent omnia, fortiter, constanterque tulisse. Dictum sanè Sauli à Samuele meminimus, *Fac quodcunque inueneris manus tua, quia Dominus tecum est:* quis neget paribus verbis Dauidem ab eo admonitum? Nathan certè, cùm illum Dauid consuleret, respondit: *Omne quod est in corde tuo, vade, fac: quia Dominus tecum est.* De Samsone autem, cùm illicita postulare videretur, dictum est lib. Iudicum, capite decimo quarto: *Parentes autem eius nesciebant quòd res à Domino fieret, & quæreret occasionem contra Philisthym.*

An desunt nobis, &c.

CAPVT VIGESIMVMSECVNDVM.

ABIIT ergo Dauid inde, & fugit in speluncam Odollam. Quod
cùm audissent fratres eius, & omnis domus patris eius, descende-
runt ad eum illuc. 2. Et conuenerunt ad eum omnes, qui erant
in angustia constituti, & oppressi ære alieno, & amaro animo: &
factus est eorum princeps, fueruntque cum eo quasi quadringenti
viri. 3. Et profectus est Dauid inde in Masphа, quæ est Moab:
& dixit ad Regem Moab: Maneat, oro, pater meus & mater mea
vobiscum, donec sciam quid faciat mihi Deus. 4. Et reliquit eos ante faciem Re-
gis Moab: manseruntque apud eum cunctis diebus, quibus Dauid fuit in præsidio.
5. Dixitque Gad Propheta ad Dauid: Noli manere in præsidio, proficiscere, & va-
de in terram Iuda. Et profectus est Dauid, & venit in saltum Haret. 6. Et audiuit
Saul quòd apparuisset Dauid, & viri qui erant cum eo. Saul autem cùm maneret in
Gabaa, & esset in nemore, quod est in Rama, hastam manu tenens, cunctique serui
eius circumstarent eum, 7. ait ad seruos suos qui assistebant ei: Audite nunc filij
Iemini: numquid omnibus vobis dabit filius Isai agros & vineas, & vniuersos vos fa-
ciet tribunos, & centuriones: 8. quoniam coniurastis omnes aduersum me, & non
est qui mihi renunciet, maximè cùm & filius meus fœdus inierit cum filio Isai? Non
est qui vicem meam doleat ex vobis, nec qui annunciet mihi: eò quòd suscitauerit fi-
lius meus seruum meum aduersum me, insidiantem mihi vsque hodie. 9. Re-
spondens autem Doeg Idumæus, qui assistebat, & erat primus inter seruos Saul: Vidi,
inquit, filium Isai in Nobe, apud Achimelech filium Achitob sacerdotem. 10. Qui
consuluit pro eo Dominum, & cibaria dedit ei: sed & gladium Goliath Philisthæi de-
dit illi. 11. Misit ergo Rex ad accersendum Achimelech Sacerdotem filium Achi-
tob, & omnem domum patris eius, Sacerdotum, qui erant in Nobe, qui vniuersi ve-
nerunt ad Regem. 12. Et ait Saul ad Achimelech: Audi fili Achitob. Qui respon-
dit:

dit: Præsto sum Domine. 13. Dixitque ad eum Saul: Quare coniurastis aduersum
me, tu & filius Isai, & dedisti ei panes & gladium, & consuluisti pro eo Deum, vt con-
surgeret aduersum me, insidiator vsque hodie permanens? 14. Respondensque
Achimelech Regi, ait: Et quis in omnibus seruis tuis, sicut Dauid fidelis, & gener
Regis, & pergens ad imperium tuum, & gloriosus in domo tua? 15. Num hodie cœ-
pi pro eo consulere Deum? Absit hoc à me: ne suspicetur Rex aduersus seruum suum
rem huiuscemodi, in vniuersa domo patris mei: non enim sciuit seruus tuus quid-
quam super hoc negotio, vel modicum, vel grande. 16. Dixitque Rex: Morte mo-
rieris Achimelech, tu, & omnis domus patris tui. 17. Et ait Rex emissarijs, qui cir-
cumstabant eum: Conuertimini, & interficite Sacerdotes Domini: nam manus eo-
rum cum Dauid est: scientes quòd fugisset, & non indicauerunt mihi. Noluerunt au-
tem serui Regis extendere manus suas in Sacerdotes Domini. 18. Et ait Rex ad
Doeg: Conuertere tu, & irrue in Sacerdotes. Conuersusque Doeg Idumæus, irruit
in Sacerdotes, & trucidauit in die illa octoginta quinque viros vestitos ephod lineo.
19. Nobe autem ciuitatem Sacerdotum percussit in ore gladij, viros, & mulieres, &
paruulos, & lactentes, bouemque & asinum, & ouem in ore gladij. 20. Euadens
autem vnus filius Achimelech, filij Achitob, cuius nomen erat Abiathar, fugit ad Da-
uid, 21. & annunciauit ei quòd occidisset Saul Sacerdotes Domini. 22. Et ait Da-
uid ad Abiathar: Sciebam in die illa, quòd cùm ibi esset Doeg Idumæus, proculdu-
bio annunciaret Sauli: ego sum reus omnium animarum patris tui. 23. Mane me-
cum, ne timeas: si quis quæsierit animam meam, quæret & animam tuam, mecumq;
seruaberis.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Svmma historiæ ad quatuor capita reuocari potest. Primo loco describitur quibus locis Dauid Saulem Palæstinosque fugiens se continuerit, quosque sibi comites & adiutores asciuerit, qua cura ac sollicitudine parentum saluti consuluerit. Secundo loco ponitur querela Saulis, & Sacerdotis accusatio. Hanc tertiò excipit Sacerdotum cædes, & vrbis Nobe vastatio. Postremò, Abiathar stragem fugiens, ad Dauidem se contulit, quem iubet apud se securè agere.

Versvs I.

Abijt ergo Dauid inde, & fugit in speluncam Odollam. Quod cùm audissent fratres eius, & omnis domus patris eius, descenderunt ad eum illuc.

Versvs II.

Et conuenerunt ad eum omnes qui erant in angustia constituti, & oppressi ære alieno, & amaro animo: & factus est eorum princeps, fueruntque cum eo quasi quadringenti viri.

Variæ trãslationes.

Pagninus, *Et abijt Dauid inde, & seruauit se* (Arias, *& euasit*) *in spelũca Hadullam.* Chaldæus, *& liberatus est ad speluncam Ghadulam.* Septuaginta pluribus, καὶ διεσώθη, καὶ ἔρχεται εἰς τὸ σπήλαιον τὸ ὀδολλάμ. *& saluatus est, & venit in speluncam Odollam.* Vatablus, *effugit in speluncam Adullam.* Alius, *Proripuit se ad speluncam Hadullami.* Oppidum est in tribu Iuda, de quo Iosue 15.35. Huius autem speluncæ meminit etiam 2. Samuel. 23. 13. & 1. Chron. 11. 5. Versu 2. Pagninus, *Et congregati sunt ad eum omnis vir angustijs affectus,* (Arias, *angustiatus,*) *& omnis vir cui erat creditor, & omnis vir amarus animo, fuitque super eis in principem, &c.* Quidam, *Congregauerunt quoque se ad eum quilibet pressus angustia; & cuicunque erat exactor, & quisquis amaro erat animo, vt esset ipsis præfectus, &c.* Hebræi, מַר־נֶפֶשׁ *mar-nephesc, amarus animo.* שַׂר *sar, princeps.* Vatablus Salmant. *Confluxeruntque ad eum omnes viri afflicti* (vt scilicet solamen aliquod inuenirent) *& quicunq; obærati erant alieno ære.* In Schol. Hebraïsmus, *Omnis vir cui erat creditor.* Chald. *Et congregati sunt ad eum omnis vir afflictus spiritu, & omnis vir cui Dominus fœnoris, &c.* Alius, *Et omnes viri fœnore obligati.* Scribitur hîc נֹשֵׁא *nosce,* pro נֹשֶׁה *nosceh,* hoc est, aleph pro he: & est sensus: *Omnes qui ob debita duros habuerunt exactores,* possessionibusque suis cedere coacti sunt, hi ad Dauid tribulatorum patronum confugerunt. Septuaginta, Καὶ συνήγοντο πρὸς αὐτὸν πᾶς ἐν ἀνάγκῃ ὤν, καὶ πᾶς ὑπόχρεως, καὶ πᾶς κατώδυνος ψυχῇ, καὶ ἦν ἐπ᾽ αὐτῶν ἡγούμενος, καὶ ἦσαν μετ᾽ αὐτοῦ ὡσεὶ τετρακόσιοι ἄνδρες. *Et conuenerunt ad eum quicunque in necessitate existens, & omnis debitor, & omnis amaro animo, & erat super eos dux; & erant cum eo quasi quadringenti viri.*

ABIIT DAVID, &c. *Abijt ergo Dauid inde, & fugit in speluncam.*] Quis tantos labores iusti non misereretur? quis perpetuas ærumnas non defleat? Quam denique latebram prospiciet? *Foris pugnæ, intus timores.* Fugere compellitur, quod sicarijs & scelestis hominibus ferè semper apud hostes licuit: at hic ne quidem vt transfuga recipitur. Reliquum est, vt quod olim Scytharum Rex Persarum Regi per enigma denuntiauit, missis aue, rana, mure, & spiculo, aut in cælum euolet, aut demergatur aquis, aut terram subiens lateat, alioqui telum, quod mortem inferat, minimè vitaturus. En igitur vt in speluncam mergitur, & ante elatum funus, sepulcrum subit: viuus sepelitur, si tamen viuus dicendus est, cui neque domi, neque foris viuere liceat. Nero, cùm ad supplicium quæreretur, hortante Phaonte vt in specum egestæ harenæ concederet, negauit se viuum sub terram iturum, & sibi manum offerre maluit. Suetonius capite quadragesimo octauo in eius vita.

(Margin: Herodot. — Suetonius.)

In speluncam.] Hebraïcè, מְעָרַת *megharath*. Antra distinguit Scriptura à speluncis. Iudic. cap. 6. ver. 2. Et fecerunt sibi filij Israel אֶת הַמִּנְהָרוֹת *eth-hamminnaroth, antra*, & הַמְּעָרוֹת *hammegharoth, & speluncas*. Quid sit inter hæc discriminis, quantum ex Hebræis colligi potuit, referam. *Speluncæ*, siue מְעָרוֹת *megharoth*, in rupibus montium erant, & sic dictæ sunt, quòd à superioribus partibus rimas & foramina quædam habuerint, quæ instar fenestrarum erant, vnde intrò lumen, quantum satis esset, recipiebatur. Erantque loca illa humanæ habitationi vtcunque idonea. R. Leui adijcit, per illa foramina, seu rimas, quæ instar fenestrarum erant, consueuisse speculatores aduentum hostium accensis ignibus, vel alia ratione significare; quo supellectilia, fruges, & pecora possent in antra cogere, atque à prædonibus subducere. Fuerunt autem *antra*, non in montibus, sed in campo subterraneo loca obscura, & absque lumine, vbi non homines degebant, sed res ac bona vtcunque abscondi poterant. *Specus* autem Latinè dicti sunt, à speciendo, quod est, aspicio, & intueor; quòd inde, seu è locis eminentibus, qui fuerint ibi, consueuerint despicere. Iosephus libro duodecimo Antiquitatum Iudaïcarum, capite quinto, Hyrcani meminit, qui trans Iordanem in finibus Arabiæ & Iudææ montis prominentem petram perforans, speluncas in ea fecit multorum stadiorum longitudine, σπήλαια πολλῶν σταδίων. *Speluncarum* verò ora non ampliùs aperuit, quàm vt vnum caperent: idque de industria factum est securitatis ac tutelæ gratia, si quando fortè oppugnaretur à fratribus. Galilææ *speluncas* famosas latrocinijs describit idem Iosephus Belli Iudaïci libro primo, capite duodecimo; & Antiquitatum libro decimo quarto, capite vigesimo septimo: Erant, inquit, hæ *speluncæ* sitæ in præruptis montibus, angustis & obliquis tramitibus duntaxat accessibiles, acutis cinctæ rupibus, in quibus prædones cum totis familijs habitabant. Qua arte Herodes easdem expugnauerit, ibidem commemorat. Antra verò complura describit Pausanias in Phocicis. Nam in his quoque quæsita salus, & furor hostium vitatus. Cùm Gallorum, inquit, exercitus Ioniam, & finitimas Ioniæ oras, cuncta ferens & agens vexaret, Herculem, Apollinem, & Mercurium Themisonenses narrant ad ferendum auxilium præstò fuisse: eorum numinum monitu, per somnium iussos qui summæ Reipublicæ præerant, popularibus suis imperare, vt in antrum quod ijdem ostenderant, & ipsi descenderent, & in eo vxores & liberos occultarent. Abesse aiunt ab oppido stadia triginta. Intra illud sunt perennis aquæ fontes. Ad id neque semita vlla viam indicat, neque Solis lumen longè peruadit, & fornicis vtique pars maior non valde se supra solum attollit.

(Margin: Speluncas ab antris Scriptura distinguit. — Iosephus. — Pausanias.)

Fugit in speluncam.] Sic quoque Loth Sodomorum incendium fugiens, cùm timuisset ad vrbem Segor diuertere, montem vicinum subiens in spelunca delituit. Sic etiam Samson in spelunca silicis Etam moratus est, cùm infestos pateretur exercitus Philisthijm. Sic alij plures, *quibus*, vt inquit Apostolus, *dignus non erat mundus*, in speluncas & cauernas terræ sese receperunt. *In speluncam Odollam.*] Est ille locus in tribu Iuda, vt apparet ex decimo quinto capite Iosue, versu trigesimo quinto, dicitur ibi ver. 33. *Schefala* locus depressus, & humilis inter duos montes, abundans antris, & saxis præruptis. Et quamuis locus esset desertus, tamen non carebat multis pascuis. Ibi enim habitauit Hiram Odollamites, amicus Iudæ, vti scribitur Genesis capite trigesimo octauo. Visus est hic locus Dauidi maximè opportunus, quòd tribules suos speraret à se non fore alienos.

(Margin: Genes. 19. ver. 30. — Iudic. c. 15.)

Fratres, & omnis domus patris eius descenderunt ad eum illic.] Herodis fugam, cùm Parthos ille fugeret, graphicè describit Iosephus Antiquitatum Iudaïcarum libro decimo quarto, capite vigesimo quinto. Interim, inquit, dum Parthi quid faciendum sit consultant, quod non placeret apertè tantum virum aggredi, & rem in sequentem diem differunt, Herodes animaduersa eorum trepidatione, & magis etiam permotus nuncio de intercepto à Parthis fratre, vtcunque negarent alij, appetente vespera decreuit ad fugam vti hac opportunitate temporis, neque diutiùs inter hostes cunctari in rebus tam dubijs. Assumpto igitur armatorum quos circa se habebat subsidio, & impositis in iumenta mulieribus, matre, & sorore, & sponsa sua Alexandri filia nepte Aristobuli, matreque sponsæ Hyrcani filia, & fratre natu minimo, famulitioque ac reliqua turba comitum, properabat versus Idumæam inscijs hostibus: ex quibus nemo erat tam ferreus, qui non tali rerum facie commotus fuisset ad misericordiam, fœminis infantulos suos trahentibus, & cum lacrymis ac ejulatu relinquentibus patriam, & vinctos amicos, nec de se meliora sperantibus. Verùm Herodes obdurato contra sæuientem fortunam pectore, & ipse præsenti erat animo, & comites inter eundum singillatim accedens, hortabatur ne mœrori succumberent. Hunc enim fugæ officere, in qua sola salutis spes sit reposita: quibus verbis accensi conabantur calamitati resistere. Interim minimum abfuit, quin ipse sibi manus inferret, euerso vehiculo, & matre adducta

(Margin: Iosephus. — Herodis fugæ descriptio.)

FRATRES ET OMNIS DOMVS, &c.

ducta in mortis periculum: adeò & casus hic eum terruit, & metus ne inter has moras superueniret hostis insequens. Iamque gladium strinxerat volens se percutere, cùm interuentu proximorum est prohibitus, obtestantium ne suos inimicorum iniurijs relinqueret. neque enim esse viri fortis, se vno in libertatem asserto amicos contemnere. Partim igitur vi, partim pudore coactus desistere ab incœpto facinore, refota matre, & pro tempore adhibitis remedijs, pergebat institutum cursum, petens castellum Massadam quàm maximis compendijs. In quo itinere non semel impugnatus à Parthis persequutoribus, semper victor discessit. Imò ne Iudæi quidem eo fugiente quieuerunt. Sed sexagesimo ab vrbe stadio illum aggressi, in pugnam pertraxerunt. Quibus victis & profligatis, quasi non ex necessitate, sed multò antè præparatus conflixisset: in eo loco vbi Iudæos vicit, postquam regno potitus est, regiam condidit cum primis memorabilem, adiuncto etiam oppido, quod Herodium vocari voluit. Hæc & plura ibi Iosephus. At verò Dauidis fuga quantis difficultatibus obsessa fuerit, quantoque labore ac periculis discrimini suos exemerit, ipsa quidem Scriptura non memorat, nec longas ambages anfractusque viarum: sed facilè inde colligi potest, quod & Regem iam palàm sibi infestum fugeret, nec alium receptum haberet, pręterquàm in disertis & abditis terræ locis.

Dauidis studiũ erga parentes.

Fratres, & omnis domus patris eius descenderunt ad eum illuc.] Si Iosepho credimus, summisit Dauid nuntium ad parentes, & fratres, qui indicaret, vbi ipse esset. Tantum erat in Dauide studium erga legem Dei, vt, quamuis esset in tanta calamitate, tamen curam parentum ex animo non dimitteret. Ita Christus moriens in cruce, matrem suam dilecto discipulo commendauit. Ethnici laudant Æneam suum, quòd patrem Anchisen in humeris suis extulerit ex incendio. Veniunt parentes, alijque ad Dauidem, quòd eos Saul persequeretur, & haberet pro hostibus. Tyranni enim non eos tantùm accusant majestatis, qui apertè defecerunt, sed illos etiam qui eos aliqua cognatione, aut affinitate attingunt. Ita Pharisæi, non tantùm Christo perniciem moliebantur, sed etiam omnes, quicunque se ad illum adiungerent, fecerunt ἀποσυναγώγους. Idque Christus prædixit euenturum pijs omnibus: *Si essetis*, inquit, *de hoc mundo, mundus quod suum est diligeret: quoniam autem elegi vos de mundo, idcirco mundus vos odio habet.* In lege quidem cautum est, ne quis alterius causa plectatur. Sed Tyrannus legem istam, aliasque omnes contempsit. Et parentes quidem amicique Dauidis, quid sibi esset expectandum, poterant ex Ionatha filio Regis intelligere. Is enim, cùm verbum vnum & alterum fecisset pro Dauide, parum abfuit, quin à patre occideretur. Prudenter saluti suæ maturata fuga consuluerunt. Quis enim parciturum eum æmuli sui parentibus arbitretur, qui sacris hominibus ob solam suspicionem non pepercit? Nam de fratribus & patre Dauid ambigi non potuit, quin illi carnibus, vt aiunt, & ossi-

FRATRES ET OMNIS DOMVS, &c.

A bus suis fauerent. A Sacerdotibus verò nulla ratio fuit, cur sibi Saul caueret, nisi quòd crederet consecratos Deo homines semper in eam partem propensuros, quæ æquitate niti videretur. Alia tantæ stragis occasio nulla fuit. Num itaque ab eius familia quem perditum vellet, manus abstineret, qui Sacerdotalem vrbem internecione deleuit, quam pietas & innocentia, & ipse denique numinis cultus tueri debuerant? Agitatos à dæmone nulla sacrilegia, nedum homicidia terrent.

Verùm, vt nihil grauius in fugitiui necessarios animaduerteret, certè struendis insidijs futuri erant opportuni, si velut obsides eius fidei mandarentur custodiæ, & eorum incommodis ad destinatos laqueos periturus reuocaretur. Herodianus libro tertio. Mos fuerat Commodo, B inquit, retinere apud se liberos eorum, qui ad regendas prouincias cum imperio proficiscerentur, quasi obsides quosdam beneuolentiæ illorum fideique. Igitur Seuerus cùm primùm est Imperator appellatus, superstite adhuc Iuliano, misit furtim qui suos liberos ex vrbe subducerent, ne in alterius essent potestate. Cæterùm ipse cùm primùm Romam ingressus est, comprehensos omnes ducum liberos, cæterorumque item quicunque munus publicum in Oriente Asiaq; tota obirent, atq; in custodiam datos secum retinebat, quo per ea quasi pignora Nigri Ducibus persuaderetur, vt illum desiderio salutis liberorum proderent, aut certè si in fide permansissent, liberum sibi relinquerent, cæde liberorum, quos vellet vlcisci. Hæc de filijs. At sacrilegus ille & parricida Ptolemæus, C Pontificis ac soceri sui Simonis interemptor, cùm ab Hyrcano Pontificis filio in arce Dagon obsideretur, comprehensis cum matre reliquis filijs tum meritas pœnas euasit. Nam cùm esset Hyrcanus, inquit Iosephus Antiquitatum Iudaïcarum libro decimo tertio, capite decimo quinto, oppugnando locum cætera quidem superior, vincebatur tamen pietate erga matrem, & erga germanos misericordia: hos enim Ptolemæus productos in mœnia flagris cedebat in loco omnibus conspicuo, minitans se præcipitaturum eos, nisi frater ab oppugnando desisteret. At ille putans quantum de oppugnatione remitteret, tantum se gratificari suis charissimis, statim in primo conatu elanguescebat. Et licet mater manus ad eum tendens verbis in- D cenderet, gratissimum sibi fore dictitans, in tormentis emori modò parricida nefarius supplicium lueret, eandem tamen verberari ac lacerari conspiciens, fractus misericordia ab oppugnatione refriguit, donec ille impius per sabbathum necata priùs matre ac fratrib. elapsus est.

Herodian.

Hostes non tarò in absentiũ propinquos sæuiunt.

Iosephus.

Et conuenerunt ad eum omnes, qui erant in angustia constituti.] Nunc primùm scinditur studia in contraria vulgus: alij Saulis auspicia sequuntur, alij Dauidis: vt olim in dissentione ciuili alij se adiunxerunt ad Cæsarem, alij ad partes Pompei transierunt. Sed potentissimus quisque ibat ad Saulem: ad Dauidem autem se conferebant tantùm homines afflicti, obærati, egentes, miseri. Isti tamen miseri Dauidis comites non mediocri postea robore aucti sunt, vt appa-

Et convenerunt, &c.

tet ex 11. & 12. cap. Paralip. Venerunt autem ad Dauidem, non vt seditionem concitarent, sed vt se tuerentur à tyrannide: non vt aliorum fortunas prædarentur, sed vt eas ab iniuria defenderent, vt satis apparet de Nabale infrà cap. 25. non vt conspirarent cum hostibus nominis Iudaici: sed vt facto agmine quocunq; loco opus esset, eorum vim propulsarent; vti mox Ceïlenses experti sunt, cùm à Palæstinis eorum areæ diriperentur. Interim tamen inquis defecerunt à Domino suo.

Num igitur cuiquam licet detrectare Principis imperium, aut alienas partes fouere, propterea quod priuatus quisquam iniuria ab eo affectus videatur.

QVÆST. XLV.

PArtiamur subditos: non enim æqua est omnium conditio, aut pari iure certant: sunt alij merè priuati, alij verò sic inferiores, vt superior potestas ab illis vtcunq, pendeat: quemadmodum apud Lacedæmonios ἔφοροι, apud Polonos Commissi terræ, & Romæ Tribuni plebis erant. Isti igitur posteriores, qui in Rep. quidem loco & dignitate Principibus minores sunt, at reipsa potestatem superiorem eligunt, certisque legibus Reip. præficiunt, vt hodie ab Electorib. Imperij fieri videmus, & fortè in alijs quibusdā regnis agitur: Ijs profectò licet, si Princeps pactis & promissis non steterit, eum in ordinē cogere, ac vi adigere, vt conditiones & pacta quæ fuerat pollicitus, compleat. Idq; vel armis, cùm aliter fieri non possit. Hoc pacto Romani Consulem interdum, quem ipsi crearant, abdicare se coëgerunt. Poloni nonnūquam suos Reges deiecerunt, & in eorum locum alios subrogarunt. Polydor. Vergilius tradit Anglos aliquando suos Reges compulisse ad rationem reddendam pecuniç malè administratç. Obseruare decet Principem eas leges, quas ab initio recepit, neq; maiora conari quàm lege regia cautum sit, quç vim pacti obtinet.

Ephori quibus locis instituti sunt, possūt Reges armis ad officium cogere.

Polydorus.

At qui tantùm subijciuntur, & priuati omninò censentur, aduersus principes atque dominos suos non debent incitari, vt eos è dignitate, seu gradu suo deturbent. Duo Apost. Petrus & Paulus idem mandarunt, nimirum vt serui dominis obedirent, vtut morosi ac difficiles essent. *Gladius* præterea, vt in epist. ad Rom. habetur, potestatibus duntaxat est datus. *Potestati autem qui resistunt, ordinationi Dei resistere* dicūtur. Volebat Deus, vt Iudęi Nabuchodonosor obtēperarent: & Sedeciæ Regi succensuit, quòd ab eo defecerit. Quin & Ieremias iussu Dei monebat, & hortabatur, vt populus pro salute Regis Babyloniæ oraret. Dauid quoq; manum suam in Christum Domini extendere noluit: cùm id nullo negotio, & magno suo commodo facere potuerit. Iuliani Apostatæ pij milites pugnando & castrametando ei parebant: nec vnquam (cùm tamen armati essent) in crudelissimum tyrannū ferrum strinxerunt. Nec tamen ignoramus Tarquinium Superbum, ob nimiam crudelitatem atq; arrogantiam fuisse à Romanis exactum. Taceo Brutum & Cassiū, qui Cæsarem occiderunt iustène an secus, grauissimorum hominum sententiæ variant. Phocas Mauritij sordibus offensus cum reliquo exercitu, eodem necato arripuit Imperium. Verùm hîc manifestè sceleris arguitur. Bruti verò & Cassij facinus, cùm illorum consilium ad regulam Scripturarum examino, id non probo. Romanā illi tyrannidem siue imperium Cæsari non contulerant: sed ipse vi atque potentia vsurparat. Deus autem, vt Daniel testatur, imperia & regna transfert. Et quamuis fas est tyrannis inuadentibus principatum resistere, cùm tamen obtinuerit, atque iam imperant, priuatorum esse non videtur eos amoliri. Quapropter cùm regnum Iudęorum eiusmodi esset, vt omnes ibi à Rege penderent (non enim à proceribus eligebantur: sed primus sorte à Deo datus erat, mox alter extra sortem delectus, deinde ex successione posteri eius familiæ imperabant, quam Deus præscripserat) ideò in legibus Deuteron. & suprà in hoc primo libro Regum, in quibus ius Regium sancitur, nullis facultas conceditur, vt illos deturbent. Imò aliquando contigit, vt nonnulli eorum perimerentur. Deus autem nusquam legitur cædem eorum approbasse: quin etiam supplicium de sicarijs sumebatur. Quòd si Deus quandoque voluit Reges Iuda exturbare, per Babylonios, Assyrios, & Ægyptios id fecit, non autem per Iudæos. Vnum tantùm Iehu contra dominum suum armauit: quod vt peculiare fuit, ita non est in exemplum trahendum. Saulem porrò non per Dauidem, sed Palæstinorum manu perdidit. Probauit etiam Deus defectionem decem tribuum duce Ieroboam, cùm nollet Roboam oppressum exactionibus populum tributo leuare. Verùm hæc se autore fieri palàm per Prophetas testatus est, nec abnuimus Deo parendum esse: Sed vnde id constare possit hoc tempore? Propositis ab eo legibus viuendum censeo: & donec aliud significet, perduellionem crimen nefarium duco. Et quamuis probè nouerim ab Ethnicis præmia olim constituta τυραννοκτονίας, attamen id respondi, quod pietas & sacræ literæ suadent. Certè si populo sit fas regno deijcere iniustè imperantes, nulli principes aut Reges vsquam tuti erunt. Quamuis enim probè ac sanctè regnent, non tamen populo satisfaciunt.

Priuati in Reges animaduertēdi nulla potestas.

Peccauit ergo Dauid, qui à Rege deficientes collegit, & sub signis habuit: & illi quoque peccarunt, & desertæ fidei rei habendi sunt. Absit: quin etiam laudem mihi mereri videntur. Sunt enim qui idcirco complures ad Dauidem conuolasse putent, quòd iam populus subodoratus esset vnctum eum fuisse, & renunciatum Regem à Samuele. Sed ea sententia nobis dudum repudiata est. designatum enim successorem, non creatum Regem censuimus. Deinde nulla priuato digna satis causa visa est, ob quam suum principem bello lacesseret. Quamobrem finem potius quem spectarint, nos considerare decet, quàm in inuestigandis rationibus operam abuti, ob quas censeantur ad bellum iustè prouocati. Primùm itaque sic arbitror,

Non potest Dauid defectionis accusari, licet sub signis milites habuerit.

ET CONVENERVNT, &c.

tror, non aliam Dauidis mentem fuisse, quàm vt collecta manu tutus esset ab eorum insidijs, qui vt rem gratam Sauli facerent, & inirent ab eo gratiam, operam daturi erant, vt eum comprehenderent. Mox etiam cùm exul & profugus desertis locis habitaturus esset, prædones sibi cauendos statuit, quibus præda foret, ni se præsidio tueretur. Illud præterea Dauidi in mentem venit, cùm vastas solitudines incoleret, fame sibi pereundum esse, nisi alicunde prædas agere instituisset: quod vt faceret absque periculo expeditis militibus opus habuit. Postremò, hoc quoque in animum induxit, ostensurum se rebus ipsis, si exercitum adunasset, cùm populi tranquillitatem, tum Regis ipsius dignitatem sibi curæ esse. Nam quibuscunque locis adesse permitteretur, incolis securitatem suo labore ac periculo præstaturum.

Atqui dices, causam bonam videtur facere malam. Nam si causæ suæ confidit, cur recipit ad se homines obæratos, & perditos? Hoc enim videtur esse asylum aperire latronibus, & parricidis, quod olim Romulus fecit ad amplificandam dignitatem suam. Respondeo, cùm Dauid esset non solùm dux bello fortis, sed etiam Propheta egregius, non ignorasse se in exemplum rerum futurarum esse propositum. Verus autem Dauid futurus erat Christus seruator noster: ad quem postea venerunt homines obærati & miseri: ille cum publicanis & peccatoribus cibum sumpsit; ille Matthæum publicanum ad se vocauit, ad Zachæum diuertit; ille latronem in cruce complexus; ille mulierem meretricem nõ abjecit; ille omnibus dedit asylum tutissimum, quò se reciperent. *Venite*, inquit, *ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Et Paulus: *Videte*, inquit, *fratres, vocationem vestram: non multi sapientes, non multi potentes, non multi nobiles: stulta mundi elegit Deus, vt confundat sapientia: infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia.* Talis erat cœtus eorum, qui se ad Christum contulerant: qui eò etiam afflictiones sibi videbantur, quod graui pondere peccatorum premerentur. Videbant se suis viribus, aut rectè factis, non posse seruari: omninò sibi opus esse Christo.

Defenditur mens & cõsilium Dauidis militum.

Adhæc, nihil moliebantur iniquum, aut quod à iustitia abhorreret. Tametsi enim Regem infestis signis petere non licuit, non cogebantur tamen iniquis eius desiderijs obsequi; quinimò semper innocenti, cùm pateretur iniuriam, opem ferre ius fuit: eoque res maiore gloria digna visa est, quo esset cum grauiore periculo coniuncta. Accedebat postremò etiam singulis tuendæ salutis quædam priuata necessitas. Nam qui furorem Regis non probasset, aut iuuisset, is erat calumniæ proximus, & apud eum proditor audiebat. Potest etiam fieri, vt isti Dauidis milites propter iniquitatem Regis non potuerint ab aduersarijs ius suum obtinere, atque ita ære diruti sint. Quamobrem cùm castra sequi ob inopiam, & mereri stipendia instituissent, hoc melius fore rati sunt, si ad eum ducem accederent, qui legis eiusdem, sacrorumque esset particeps, quàm si ad alienos,

A apud quos venirent in periculum affectandæ superstitionis, se conferrent. Sperabant autem eius ductu atque auspicijs, cuius dudum bellicam virtutem ac felicitatem perspectam habebant, ea se posse consequi, quibus & ipsum æs alienum dissoluerent, & absque cuiusquam iniuria necessarij sumptus familiæ suppeterent. Quorum ego non video quid iustè in reprehensionem cadere possit.

Quod si qui fortè ex hoc omni numero, eo animo ad Dauidem conuenerint, vt per eum rapina ac scelere ditarentur, aut priuatim eos cum quibus simultates exercebant, Saulemve ipsum vlciscerentur, id Dauidi vitio verti non debet. Ille enim animos eorum non potuit habere exploratos. Et quem tandem cœtum hominum inuenire possumus absque vitio? Nam

B Christus in societate sua habuit Iudam: Noe in arca sua habuit Cham. Non possumus iudicium facere de causa ex animo illorum, à quibus ea suscipitur. Paulus queritur, Omnes sua quærere, non quæ sint Iesu Christi: & multos esse, quorum Deus sit venter; & esse alios, qui Christum doceant non syncerè, tantùm vt afflictionem adderent eius vinculis. Gaudeo tamen, inquit, & gaudebo, quocunque tandem modo Christus prædicetur. Multi profecti sunt ex Ægypto, qui postea murmurarunt contra Mosem. Et illi quidem offensionem tum multis concitare potuerunt, quo nomine pœnas meritas luerunt, causam tamen deteriorem non fecerunt, nec propterea Christus Dominus, aut seruus eius Moyses, illorum nequitiæ conscij haberi potuerunt.

C Verùm, dices: An debuit Dauid ære alieno obstrictos recipere in fraudem creditorum? Respondeo, Si habebant fundos aut agros, eos oportuit cedere creditoribus: si nihil habebant, tenuitas ipsa satis eos excusabat. At seruire debuerant. Nam debitorem qui creditam pecuniam repræsentare non potest creditori, lex seruum addidit. Respondeo, decreto iudicis hoc primùm firmari oportere. Deinde non videri eum prorsus ære dirutum, qui mercede conductus quæstum faciat, quo se nexu eximat. Solere tempus & spatium egenis ad restituendum concedi: non esse seruitutem vltrò appetendam.

D Dauid itaque cùm haberet istos quadringẽtos milites, non potuit accusari, quòd seditionem concitaret contra Saulem. Credibile enim est, illum pro sua prudentia & pietate monuisse eos diligenter de officio suo, ne aut Deum, aut proximum læderent. Nam in Psalmo trigesimo tertio, quem eodem tempore scripsit, cùm fugeret Achim Regem Palæstinorum, ita cecinit: *Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos. Prohibe linguam tuam à malo: Discede à malo, & fac bonum*; & alia multa in eandem sententiam. Quare verisimile est, eum continuisse suos, quantum potuit, in officio, ne per vim & iniuriam aliorum bona prædarentur. Longè aliter sese gessit Abimelech, vt apparet ex nono capite Iudicum. Is enim pecuniâ illâ, quam surripuerat è fano Baalberith, conduxit viros sicarios, & pessimos, ad cædem fratrum suorum; &

Et oppressi, &c. contra verbum Domini, Rempublicam, quæ antea Aristocratia regebatur, conatus est mutare in Regnum. Non ita se gerit Dauid: is enim à Deo vocatus fuerat ad regiam dignitatem. Neque milites ad se seditiosè euocauit: sed vltrò accedentes, & fugientes impotentem Saulis dominatum, ad se recepit. Nec vicinis regionibus iniurias vllas intulit: sed potiùs ab illis hostilem impetum propulsauit. Erat iam à Deo designatus Rex. Quare si habere voluit satellites, qui se defenderent, præsertim Saule furente, id illi non erat vitio vertendum. Deus noluit consilium suum longiùs tegere, nec expectare mortem Saulis, cùm ille iam dignus esset, qui primo quoque tempore abijceretur. Excitauit itaque Dauidem, vt viuus adhuc agnosceret æmulum suum, & maiori dolore afficeretur. Postremò, hîc videmus quàm vana sint humana consilia. Cùm enim dejecti sumus, statim putamus prorsus omnia esse conclamata: at iste sæpè proximus est gradus ad summum dignitatis fastigium. Ita Romulus, Cyrus, Moses à leuibus initijs euaserunt ad imperia. Iulius Cæsar proscriptus erat à Senatu, & declaratus hostis Reipublicæ: at ille eum gradum sibi fecit ad summam potentiam.

Et oppressi ære alieno.] Optimi debitoris speciem præ se fert illud Martialis Epigramma lib. nono ad calcem.

Martialis.

Quadringentorum reddis mihi Phœbe tabellas:
Centum da potiùs mutua Phœbe mihi.
Quære alium, cui te tam vano munere iactes:
Quod tibi non possum soluere Phœbe, meum est.

Debita autem potissimùm contrahit inertia: quæ vbi grauiora esse incipiunt quàm vt ijs se liberare possint, tum leges veriti, qui neque artem didicerunt vllam, neq; paupertatem æquo animo tolerant, ad res nouandas se conferunt. Hunc illi portum ducunt afflictis rebus suis vnicum, ac tranquillissimum. Si quis turbas in Republica ciet, ad hunc quantocius aduolant. Quamobrem sapienter, mea quidem sententia, Amasis legem hanc apud Ægyptios condidit, vt singulis annis apud prouinciarum præsides Ægyptij omnes demonstrarent vnde viuerent: & qui aut hoc non faceret, aut non probaret se legitimè viuere, is morte afficeretur. Quam legem postea Solon ab Ægyptijs mutuatus, Atheniensibus tulit, quam illi, inquit Herodotus, quod sit castissima, assiduè vsurpát. Ea lex quàm necessaria Reipublicæ foret, idem ipse Amasis experimento didicerat. Adhuc enim priuatus cùm esset iocandi potandique cum dicacitate studiosior, rerum autem agendarum negligens, vbi illum potantem seque oblectantem necessaria defecissent, res alienas furari ac clepere solebat, vt idem autor est. Nec imperitè quidam apud Philemonem Comicum:

Herodotus lib. 2. Ægyptiorũ prędicanda lex.

Artes discẽdæ, ne nos contingat aliena viuere quadra.

Desine, inquit, *nugari: si discere te pigeat,*
Ope destitutam vitam tuam imprudens reddes.
Nisi enim naufragus gradiendo terram apprehendat,
Nunquam se saluum & incolumem videat: neque qui pauper est,
Nisi didicerit artem, tutò vitam suam tueri possit.
Verùm nobis sunt pecunia. At quæ citissimè perduntur.
Possessiones, domus. At fortunæ mutationes non ignoras:
Siquidem ex diuite pauperem in crastinum facit:
Si procellis agitatus quispiã in scopulos impingat,
Ad senectutem inopia non habet leuamen.
At sodales & amici & familiares per Iouem tibi sunt:
Gratiam conferent. Precare quæso, ne periculum facias amicorum:
Alioquin te nihil aliud quàm vmbram esse intelliges.

Sed iam ad debitores nostros reuertamur. Debere apud Persas turpissimum est habitũ, vt Herodot. habet l. 1. Aug. Cæsar, vt est apud Macrob. l. 2. Saturn. relata ad se magnitudine æris alieni, quam quidam eques Rom. dum vixit excedentem ducenties LLS celauerat, culcitram emi cubicularem in eius auctione sibi iussit. & præceptum mirantibus, hanc rationem reddidit: habenda est ad somnum culcitra, in qua ille, cùm tantùm deberet, dormire potuit. Sæuè planè atque immaniter primùm apud Romanos lex duodecim tabularum in debitores animaduertit. Nam confessi æris, ac debiti iudicati, nisi intra certum tempus dissoluerent, aliquanto tempore in vinculis habiti, capite luebant, aut peregrè vænum ibant. Quod si plures forent, quibus reus adiudicatus esset, secare si vellent atque partiri corpus addicti sibi hominis Decemuiri permiserunt: quo nihil immitius, nihil immanius fingi aliquando potuit. Hanc legis atrocitatem Cæcilius apud Aulum Gellium libro 21. cap. primo Noctium Atticarum, defendere veritus, negauit id genus exemplum editum aliquando fuisse, sed edictum duntaxat ad incutiendum terrorem propositum. Vult etiam fidei in ea parte potissimùm rationem habitam: quam si fallere liceat, peribit hominum inter se commercium, quod fide contractuum præcipuè nititur. Sed is profectò violatæ fidei reus censeri non potest, qui tametsi promissa non compleat, dat tamen operam ne per se stetisse quo minùs pacta dissolueret, videri possit. Nam vt quis velit & conetur repræsentare quod debet, ad fidem pertinet: vt possit, non perinde in eius voluntate situm est. Durauit ea lex ad V. C. annum CDXXVII. C. Petilio, & L. Papyrio Coss. primùm abrogata. Quam tamen rursum Valentinianus, si Marcellino credimus libro vigesimo septimo, innouauit, debitorem qui nihil reddere posset, interfici debere pronuncians. Verùm, vt immanem illam carnificinam missam faciamus, vincula tamen & compedes experti sunt, & tetri carceris molestias: addo & cruciatus ex Euangelio Matthæi capite decimo octauo, versu trigesimo quarto, *Tradidit eum tortoribus, quoadvsque redderet vniuersum debitum.* Tametsi non ignorem debitorem villicum, vt furem plecti, certè priùs ille debitorem conseruum in vincula coniecerat. Sed quid ego cruciatus accuso, cùm debitoribus libertas erepta sit, & seruitutis iugum impositum? Nam apud antiquos seruitus flagellorum quædam palæstra, & inexhaustus plagarum thesaurus fuit.

Sæuè olim atque adeo immaniter in debitores animaduersum.

Gellius.

Refert

Et oppressi, &c.

Refert Ledinbrogus in Gloss. Codic. LL. Antiquar. in voce *Rachinburgij*, quibus olim conditionibus debitores apud maiores nostros creditoribus addicerentur. Sic autẽ habet in quadam *Formula cautionis de infracturis.* Sed dum ipsos solidos minimè habui, vnde transsoluere debeã, sic mihi aptificauit, vt brachium in collum posui, & per comam capitis mei coram præsentibus hominibus tradere feci, in ea ratione, vt interim quoad ipsos solidos reddere potuero, & seruitium vestrum & opera, qualiacunque vos vel iuniores vestri iniunxeritis, facere & adimplere debeam, & si exinde negligẽs vel iactiuus apparuero, spondeo me contra vos, vt talem disciplinam supra dorsum meum facere iubeatis, quàm super reliquos seruos vestros. Hactenus illa traditionis formula. Nec vt arbitror apud plerosque Hebræos debitorum clemẽtior seruitus fuit. Nam etsi lex seruos Hebræos mercenariorum loco haberi præcipiebat: attamen domini cùm supra modum iracundiæ indulgerent, plagisque miseros conficerent, haud aliter rei cædis agebantur, quàm si enecti verberibus statim occumberent. quòd si vel vnum diem letali supplicio superessent, carnifices domini pœnæ immunes habebantur. Exodi cap. 21. ver. 21.

De debito agitur ex facto contracto: nescio an cęteri pari sorte seruitent.

Serui nullo non genere contumeliæ à dominis affecti sunt. Tentatus etiam pudor & expugnata tormentis pudicitia. Testes laudabo Liuium & Suidam: illum quidem lib. 8. hunc in voce Γάϊος. Publius Tribuni cuiusdam Publij filius, cùm exire ære alieno non posset, adhuc integra ætate & formoso vultu in seruitutem à creditore abductus est. Hic ergo domino cętera quidem officia, quæ seruos dominis præstare mos erat, patienter seruiens præstabat. Τὴν δὲ τῆ σώματος ὥραν χαρίσασθαι κελευόμενος, sed corporis formam gratificari, suiq; copiam ipsi facere iussus, indignabatur summaque vi repugnabat. Hac igitur de causa multas plagas accepit, flagrisque sæpè cæsus est. At tandem in forum euadens, nudato corpore fœneratoris intemperantiam accusans, leges Romanas pudore affecit, & verberum vibices ostentans, eò populum impulit, vt legem ferret ne corpora deinceps debitis forent obnoxia. Quid non calamitatis & ignominiæ debitores miseri pertulerunt? Nam nec sine dedecore miseris esse licet. Hactenus ære diruti, fortunisque omnibus euersi, quibus legis tanquam beneficio cedunt, apud plerosque infamia notantur. Ne mortuis quidem concessa requies. nam apud Ægyptios, vt Diodorus autor est libro secundo capite quinto, sepultura quondam prohibiti. Quinimò S. Ambrosius in Tobia cap. 10. Quotiens, inquit, vidi à fœneratoribus teneri defunctos pro pignore, & negari tumulũ, dum fœnus exposcitur? Quæ cùm ita sint,

Ne pudori quidẽ olim creditor pepercit.

Quis miretur ab ijs qui ære alieno oppressi essent res nouas esse tentatas, tumultusq; concitatos? His planè palam bello ciuile opus esse dicebat Cæsar Iulius apud Suetonium. Tribunis plebis creandis ea primùm occasio fuit. Sperabat plebs transacto bello hinc Volscorum, illinc Æquorum atque Sabinorum, de liberandis à nexibus fœneratorum debitoribus legem latum iri: quam cùm nimia lusione protrahi videret à

Sueton in Iulio c. 27.

Seditiosa gens debitorum, & publicæ quietis impatiens.

A Patribus, ab ijs in Sacrum montem secessit, nec antè reduci potuit, quàm Tribunos impetraret, à quibus miserum in modum Patrum autoritas afflicta est, & Reipublicæ quies, & tranquillitas labefactata. Vide Fenestellam cap. 10. libro de Magistratibus Romanis, Maiora plebs Corinthiaca ausa est, cùm ipsa quoque simili inopia laboraret. Historiam narrat Ælianus lib. 14. variar. histor. cap. 24. Nam cùm Theocles, & Thrasonides Corinthi, Praxis etiam Mitylenæ autores creditoribus fuissent, vt debita egenis ciuibus condonarent, ipsi quidem primi sua remiserunt. Qui autem obtemperare noluerunt, facto ab inopum grege in eos impetu, armis, quæ suppeditabat ira ferox, & paupertas inexpugnabilis, & incumbentium rerum necessitas, mortem illis intulerunt. Itaq; qui res suas olim B stabilire, pacemq; Reipublicæ conciliare studuerunt, mobilis vulgi furores non alijs certiùs delinimẽtis quàm debitorum indulgentia compesci posse statuerunt. Inde factum credimus, vt apud Lacedæmonios Reges, itemque apud Persas, cùm primùm inaugurati Magistratum inirent, publicè edicerent autore Herodoto lib. sexto, quæ iure repetere possent ea se gratis debitoribus condonare. De Adriano Romanorum Imperatore Dion Cassius lib. 69. in eodem: Vt primùm Romam venit, quicquid fisco ærarioq; debebatur, remisit, definito tempore annorum sedecim, ex quo id beneficium collatum esse voluit. Aurelianus apud Vopiscum etiam tabulas publicas ad priuatorum securitatem exuri in foro Traiani semel iussit. Græci denique cùm C de tuenda patria aduersus Xerxis impetum deliberarent, hoc ante omnia necessarium esse duxerunt, vt debitas sibi pecunias quisque missas faceret. Ita scriptum reliquit Herodotus lib. 7. Ergo hos etiam Dauid cùm Regis vim solus ferre non posset, hos, inquam, qui essent ære alieno obstricti, sua cura ac sollicitudine complexus est. Neque tamen credibile est, Dauidem aliena debita voluisse largiri: sed obæratos iuuare potiùs quo possent ex hostium spolijs, quæ mutuùm accepissent, creditoribus suis restituere. Neque sic popularium suorum beneuolentiam aucupari, vt per eos regno insidias strueret: sed quod sibi ciuibusque suis vtile ac necessarium ratus est, id studuit absque cuiusquam iniuria exequi.

Et oppressi, &c.

Ælianus.

Persarum Reges, & Lacedæm. incuntes magistratũ, debita remittebant.

Dio Cass.

At verò tum illud omni probro ac vituperatione D dignum est, si & aliena largiaris, & perditorum hominum audacia abutaris ad aliorum perniciem. Nam videtur hoc pacto Perseus instaurata cum Romanis amicitia, per id genus homines opportuno tempore eosdem lacessere voluisse, suisque rebus parare præsidium. Confestim, inquit Polybius, εὐθέως ἑλληνοκοπεῖν ἐπιβάλετο, Græcorum gratiam captare cœpit, in Macedoniam accersens, καὶ τοὺς τὰ χρέα φεύγοντας, & illos, qui propter debita exulabant, & illos qui propter mulctas sibi in iudicio irrogatas, nec persolutas, ex aliqua vrbe exciderant, & eos qui propter læsæ majestatis crimina aliò concesserant: & horum proscriptiones & in Delo, & in Delphis proposuit, dans non solùm fidem publicam, qua delictorum impunitatem pro-

Perseus debitores sollicitat.

Polybius.

ET OPPRESSI, &c.

mittebat illis, qui in Macedoniã descendebant: sed etiam liberam potestatem recuperandi omnia, ex quibus quisque, vel pœnarum metu, vel decreto iudicum excesserat, & suæ saluti consulens, aliò concesserat. Nequaquam ea mens Dauidis aut consilium fuit. Age verò quandoquidem de debitoribus agimus, & hi ferè nunc postquam dependere non possunt, carceribus macerari solent, quæramus, quod ad mores instituendos proficiat.

An si fortè quisquam debitor ad incitas redactus sit, à creditore in carcerem condi iure queat?

QVÆST. XLVI.

Pars affirmans probatur.

ITa videtur. Nam Matthæi capite decimo octauo Dominus ipse ait, ἀπελθὼν ἔβαλεν αὐτὸν εἰς φυλακὴν, ἕως οὗ ἀποδῷ τὸ ὀφειλόμενον. Id est, *Abiens misit ipsum debitorem in carcerem, seu custodiam, donec reddidisset debitum.* Secundò, Si quis ita pepigerit, vt carceris inclusione compelli posset ad debiti solutionem, volenti non fit iniuria, & alioquin pacta seruanda sunt. Tertiò, Quia iure gentium receptum est, vt suæ ipsius fidei obsidem tradere se quisque possit: quod cùm debitor fecerit, eundem includi & asseruari quis vetet? Quartò, publicè interest dolos & fraudem plecti. Sic enim plerique ciues euertuntur bonis dum sua credunt fidei publicæ, & autoritate contractuum à furibus spoliantur. Eo detestabilior prædandi licentia quo per iuris legitima grassatur, à quibus cauere non possis. Neq, hîc paupertas excusationi prætexi potest magis, quàm furto. Itaque Accursius *gloss. in l. 3. §. tutores. ff. De suspect. tutor.* docet carcere debitorem ob inopiam detineri posse, si non habeat vnde soluat, verùm seruandum priùs ordinem executionis, & discussionis bonorum, mobilium, se mouentium, immobilium, nominum & his deficientibus permitti carceres, & prehensionem. Postremò, cùm legibus ita cautum est, tum sententijs iudicum quotidie decerni solet, ea tamen lege, vt quibus ad sustentandam vitam sumptus deficiunt, à creditoribus alantur.

Negantem magis amplectimur.

Accedo tamen magis ad eos qui diuersa sentiunt. Nam quod ad Dominum attinet, similitudine vsus est consuetudinis suorum temporum, cùm statuisset parabolam proponere, non tamen eam autoritate sua probauit. Nec verò pauperis causa agebatur, qui soluendo non esset: sed cùm debitor sibi ad conficiendam pecuniam iustos dies concedi postularet, à conseruo per summam iniuriam in carcerem coniectus est: quam subinde atrocitatem Dominus vinclis & carcere iure vindicauit. Respondeo secundò, eo pacto sycophantiæ caueri, aut etiam negligentiæ, non autem inopiæ, quam nemo volens subit vt alterius commodis officiat. Respondeo tertiò, iure gentium fidei dari obsides, ne mutata voluntas placitas conditiones rescindat. Quod si non aliena mens sed inexplicabilis necessitas pacta dissoluat, peccare qui putet etiam tum cùm voluntatis nulla potestas est, obsides lege teneri. Quarti argumenti breuis & expedita solutio est: nolle nos malæ fidei patrocinari, censere in scelera & fraudes seuerè esse animaduertendum. Quod spectat ad Accursium, allucinari plurimùm ac decipi arbitramur, si doceat inopiam, quæ fraude careat, carcere dignam. neque hoc sanciunt leges, quod ab æquitate abhorret, aut iudices ipsi decernunt: sed cùm subesse dolos suspicentur, neque perspectas hominum mentes habeant, neque credibile sit, ni spes afforet recuperandæ pecuniæ, creditorem debitori molestiam cum sua impensa exhibiturum; idcirco leges iudicesque eorum petitioni obtemperant, qui se damnum passos queruntur, reosque tandiu custodiri iubent donec resarciant.

Diodorus. Nostra sententia autoritate confirmatur.

Hanc immanitatem pleræque etiam gentes suo calculo damnarunt. Diodorus certè de legibus Ægyptiorum agens lib. 2. Solutio, inquit, ex bonis debitoris solùm fiebat: corpus non poterat addici creditori. Putabant enim, oportere bona tantùm subdita esse debitis: corpora, quorum opera & bello & pace vterentur, ciuitatib. addicta esse. Non enim æquum videbatur, milites qui pro patriæ salute pericula subirent, pro vsuris in carcerem duci, aut ob vnius auaritiam in periculum agi patriæ salutem. Hanc quoque legem videtur Solon ad Athenienses transtulisse, quam Sisachthiam appellant, decernens ne ob vsuras ciuium corpora necterentur. Hactenus apud Diod. Quinimò etiam posterior ætas sæuitiam priorum temporum apud Rom. pari clementia temperauit. Constantinus *l. Nemo. Cod. De exactor. tribut. lib. 10. tit. 19.* palàm edixit, Vt nemo carceres, plumbatarumque pondera, aut verbera, aliaque supplicia in debitorum solutionibus, vel ab iratis, vel à peruersis iudicibus expauescat. Neque enim res vlla est ex ijs quæ ad tolerandam vitam mutuò dari atque deberi solent, quæ sit cum corporis humani dignitate comparanda; vt videri possit non immeritò caducis opibus cedere, & creditori propterea addici. Quicquid vbique rerum est, quod cœli ambitu continetur, corporis humani gratia à Deo creatum est: ipsum non nisi animæ diuinisq; legibus seruire natum est. Si pretij rationem ineas, cunctis rebus creatis longè præstat, & anteit. Quis igitur, nisi iniustè pecuniarum æstimatione illud liceatur, aut rebus externis adjudicet?

Cod. De exact. trib.

Fertur Prometheus addere principi
Limo coactus particulam vndique
Desectam. inquit Horatius Ode 16. l. 1. Car. & à Protagora apud Platonem, homo omnium mensura dicitur. ab Arist. l. 6. de hist. animal. c. 15. mundi epitome, & ad vniuersi habitum institutus: nos verò etiam, quod hæc omnia longè superat, ad imaginem Dei effictum didicimus. Ex quibus colliges, plus eum petere qui debitoris corpus sibi dedi postulet, quàm mutui ratio vlla pati possit.

Plato in Cratylo.

Carcer liberati præiudicat.

Non dedi inquis tibi postulas, vt qui eius corpore pro tua libidine abusurus sis, sed vt loco publico coërceatur. Videtur tamen quod petis fieri

ET OPPRESSI ÆRE, &c.

fieri non posse absque libertatis iactura. Nam loco concludi, & quibus nolis terminis circunscribi ac detineri, duræ seruitutis speciem præ se fert. Sed & hoc pacto cùm à publicis tum magna ex parte etiam à domesticis negotijs alienus habetur, quæ profectò seruitutem redolent. Quid si ita placuit, & his illi conditionibus mecum conuenit? Negat Panormitanus per *c. 2. De pignor.* quemquam se ob debitum, vel æs alienum posse nexui carcerum obstringere: quia nemo dominus membrorum suorum. Et Diocletian. & Maximian. *lib 4. Cod. tit. 10. l. ob æs alienum.* Ob æs alienum seruire liberos creditoribus compelli, iura, inquiunt, non patiuntur: nec obligari filios pignori, si famis periculum excipias. Imò & Iustiniani lege *in Authent. collat. 9. tit. 9. §. quia verò.* creditor repetendi debiti iure priuatur, & tantundem nexo vel parentibus eius conferre cogitur, pœnásque insuper iudicis arbitrio luit. Quid igitur illa sibi vult 4. Reg. cap. 4. *Ecce creditor venit, vt tollat duos filios meos ad seruiendum sibi?* ergóne prophetæ ausa est imponere? an Dei lex, quæ hominum institutis longe potior habenda est, æquum censuit, vt seruirent qui mutuam pecuniam repræsentare non possent? Quinetiam venditionem probauit, si quis ad participandum pretium egestate compulsus libertatem venalem habuisset. Huic obiectioni dudum occurrimus, cùm doceremus seruos Hebræos ex legis præscripto pro mercenarijs apud eam gentem fuisse habitos. Deinde breui annorum curriculo seruitutem fuisse circunscriptam, & per Pontificis obitum, aut iubilei beneficio seruili iugo fuisse solutos; ita vt manifeste diuinæ legis æquitas per seipsam demonstrari possit, quæ nihil habeat cum prisca illa atrocitate commune. Nam qui alienos labores absumpsit, illum quidem æquũ est quanti creditoris intersit opera ac labore sarcire. Breuis autem illa seruitus & certo tempore definita, eò spectat, vt qui prius damnum acceperat, iacturam suæ pecuniæ laboris eius emolumento compenset. At qui sibi iure perpetuo hominem vendicat, plus ascribere sibi videtur quàm vllo pretio comparare potuerit. Atqui, inquis, eodem argumento pariter conficies, seruos habere nunquam licuisse. Imò iure gentium semper licuisse arbitror, vt in quos gladio animaduertere posses, eosdem in propriam, aut etiam pacto pretio in alienam seruitutem mancipares. Liberum hominem captare mutuę pecunię illecebris, aut inducere inviurarũ laqueos, vt irretito sui iuris potestatem eripias, hoc ego nefas semper esse duxi. At negant iterum, debitorem sub signo & claustris positum, serui speciem præbere, aut cuiusquam mancipij velut in ergastulo, sed obsidis potius, qui adhibita custodia diligẽter asseruetur. Non enim cùm de mutuo agitur, de his carceribus sermo est qui ad pœnam comparati sunt, aut de mala mansione quæ tormentum habet, sed qui ad custodiam duntaxat & citra noxam sunt instituti. Esto, quando ita volunt, nos interim quæstionem paucis absoluemus.

Panormitanus.

LL. Romanæ.

Obiectio soluitur.

Carceralis illa captiuitas quocunque tandem nomine censeatur, vel eò spectat vt vindicet,

A vel vt loci incommodis debiti dissolutionem extorqueat. Sunt enim nonnulli qui cùm multum æs alienum contraxerint, nec desint copiæ quibus se liberent, auaritiæ tamen studio satisfacere nolint. Hos igitur postquam nulla ratio ab insana cupiditate ad officium reuocat, visum est carceralis custodiæ angustijs posse macerari; vt quod sponte facere debuerant, vel affecti molestijs inducant in animum exequi. Hoc ego si publica autoritate fiat, non solùm non vitupero, sed cum primis vtile ac necessarium duco. Non enim Magistratus in eam duntaxat curam incumbit, vt flagitia digna animaduersione castiget: sed vnumquemque prætereà quoad eius fieri potest ad colendum officium debet impellere. Tametsi iam omnino peccatum est, si quis turpis lucri gratia fidem fallat, nec mutuum re-

B stituat. Quàm sit etiam publice illud vtile hinc liquidò constare potest, quod si fides promissionum vacillet, mutuæ pecuniæ gratia mox interitura sit, quò maximè subsidio nititur humana societas. Priuatim autem cùm alterius qui mutuum dedit vtilitati prospicitur, tum alterius qui sumpsit æternæ saluti consulitur. Sed nos hactenus non de copiosis debitoribus, quorum voluntas in culpa est, disseruimus: sed de egenis ab initio sermonem instituimus, quibus nec si maximè cupiant, ad restituendum facultas suppetit.

ET OPPRESSI ÆRE, &c. Copiosiùs debitor vinciri potest.

Si itaque debitorem non æqua voluntas sed facultas destituit, cur illum in carcerem conijcias? Non vt debitum velut à contumaci extorqueas, quò spectas igitur, vt iam satis per se miserum crucies? Minimè verò sed refert om-

C nium ne fraudẽ impunè ferat. Complures enim possent vnius exemplo ad concinnãdas fraudes allici. Quos enim dolos, quamúe machinam molitus dicitur? Hanc vtique, quòd cùm sciret se pacto satisfacere non posse, simulatione vsus est legitimi contractus, & abusus publica fide ad surripiendam pecuniam. Si doli mali conuinci possit, pœnæ non eximam. Sed

Inopia quæ culpa caret, pœnæ subijci non debet.

Si is qui ab alio mutuatus est, aut alio quouis modo in æs alienum incidit, cùm sperasset se posse dissoluere, legitimè contractum inijt, subinde verò morbo conflictatus, aut rebus bello incendióue absumptis, citra suam culpam in calamitatem deuenerit, cur ad grauissimas eius ærumnas carceris molestias adijcias? Ridebat vtique Martialis, cùm diceret:

D *Sexte nihil debes, nil debes Sexte: fatemur*

Debet enim, si quis soluere, Sexte, potest.

At nos seriò contendimus. Non enim quod ad hunc attinet, fallaciam vlcisceris, non debitum tentas exprimere: quid igitur immani illa duritia te consequuturum speras, nisi vt iram Dei in te concites, & dignus habearis æterno supplicio? Nam qui frustrà alienis gaudet malis, & vindictæ est præter æquum & rationem appetens, quî possit Numinis gratiam promereri, à quo plerique homines in filiorum numerum relati sunt? Sed & illud apud te sedulò considerare debes, ne dum ardens auaritia ferris infestus in pauperem, cum Deo pugnare videaris. Nam ipse primùm calamitatis autor est quam incusas, & vexas omnibus modis. Deinde, quod

ET PROFECTVS EST, &c.

te non prӕterit, inopes ſuis membris annumerat. Poſtremò ea lege atque omine ſe remiſſurum tua peccata pollicetur, ſi prior ipſe egenis debitoribus indulgeas.

VERSVS III.

Et profectus eſt Dauid inde in Maſpha, quӕ eſt Moab: & dixit ad Regem Moab: Maneat, oro, pater meus & mater mea vobiſcum, donec ſciam quid faciat mihi Deus.

VERSVS IV.

Et reliquit eos ante faciem regis Moab: manſerúntque apud eum cunctis diebus, quibus Dauid fuit in prӕſidio.

Variæ trāſlat.

PAgninus, *in Miſpeh Moab.* Arias interpretatur *in ſpeculam Moab. Egrediatur quæſo pater meus & mater mea; (& maneant) vobiſcum, donec* &c. Alius, *Egrediatur quæſo pater meus & mater mea ad vos,* &c. In Annot. ſubaudiendum, de ſpelunca, in qua cum Dauid delituerunt. Vatablus item, *egrediatur* &c. *ad vos*, id eſt, vt apud vos maneant. Chaldæus, *exeat nunc pater meus & mater mea vobiſcum.* & cæt. Lxx. γενέσθωσαν δὴ ὁ πατήρ μου, καὶ ἡ μήτηρ μου παρὰ σοί, *ſint iam pater meus & mater mea apud te. Miſpeia Moab* Chaldæus vocat, Lxx. μασσηφὰ *Maſſepha Moab.* Hebraicè, מצפה מואב *Mitſpeh Moab.* Quidam ita vertit, *poſtea abiens Dauid in Mitzpam Moabitarum.* Ad marg. Id eſt, *ſpeculam*, φρουρὰν, clauſuram, vel cluſuram, vt Iuriſconſulti vocant. Hæc autem ſpecula etiam appellatur *Malle*, quaſi munitionem dixeris, 1. Machab. 5. 26. Ibi enim ſic legit idem autor: *Et multos ex eis comprehenſos eſſe Botzra, & Betzeri, Malle*, &c. quæ nomina quoniam non ſatis conueniunt cum Vulgata edit. idcirco ait: ſic legimus ex Ioſepho. Eſt autem *Malle* propriè *munitio*, eadémque vocatur *Mitzpa Moabitarum* 1. Samuel. 22. 3. vt confirmatur infrà, id eſt, verſ. 35. lib. 1. Machab. cap. 5. Hæc ille. Deſcendit autem *Maſpha* à verbo צפה *tſaphah, ſpeculatus eſt, proſpexit, conſiderauit.* Inde מצפה *mitſpeh* maſcul. & מצפה *mitſpah* fœmin. *ſpecula, locus editus.* Porrò, cùm plures eius nominis fuerint, non eſt illa Maſpha quæ ad Iudæ tribum pertinet, Ioſue 15. 38. neque Beniamin, Ioſ. 18. 26. Sed nec ea quæ iuncta eſt terræ Galaad, de qua Geneſ. 31. 49. & Iud. 10. 17. Sed hæc eſt alia quæ dicitur fuiſſe *Moabitarum.*

Verſu 4. Chaldæus, *Et manere fecit illos ante regem Moab, & ſederunt cum illo omnibus diebus quibus fuit Dauid abſconditus in Meſzadia.* Lxx. Καὶ παρεκάλεσε τὸ πρόσωπον τοῦ βασιλέως μωὰβ, καὶ κατῴκουν μετ' αὐτοῦ πάσας τὰς ἡμέρας, ὄντος τοῦ δαυὶδ ἐν τῇ περιοχῇ. *Et orauit faciem regis Moab, & habitauerunt cum eo omnibus diebus, exiſtente Dauid in præſidio.* Pagninus, *Et duxit eos ante regem Moab, & manſerunt cum eo omnibus diebus quibus fuit Dauid in arce.* Arias, *in munitione.* Alius, *omnibus diebus quibus Dauid fuit in eo propugnaculo.* Vatablus, *in arce.* Hebraicè בַּמְּצוּדָה *bammetſoudah*, à מְצוּדָה *metſoudah*, quod *rete, funem*, ſignificat; *arcem* item, *receptum*, locum natura & arte munitum, in quem ſe feræ hominéſque recipiunt. vide in verbo צוד *tſod*, quod eſt, *intentus, inſidiatus fuit.* Cæterùm rex Moab hoſtis erat Saul, vt patet ſuprà cap. 14. 48. quo nomine veriſimile eſt regem Dauidi & copijs eius, quas perſequebatur Saul, locum apud ſe dediſſe, vt fecerunt Philiſthæi infrà 27. cap.

Et profectus eſt inde Dauid in Maſpha. Tyrtæus poëta in ſuo carmine de Virtute, pluribus ad hunc modum exulis calamitates ærumnáſque proſequutus eſt.

Exilii moleſtiæ & incommoda.

Præclarum eſt, in prima acie ſi occidat
Vir bonus, pro patria ſua pugnans.
At ſi quis vrbe ſua pinguibúſue aruis relictis
Mendicare cogitur, hoc omnium eſt miſerrimū:
Cum chara matre vagans, & ſene parente,
Cúmque paruulis filijs, & adoleſcentula vxore.
Inuiſus namque erit ad quoſcunque peruenerit,
Indigentia victus & odioſa paupertate.
Genus ſuum infamat, & formam decoram turpat:
Omnis generis anxietas, & mala eū ſequuntur.
Tandem ſic errantem hominem nulla decori cura
Afficit, nec pudor vllus in poſterum eſt ei.

Nequaquam verò Dauidi contigit vt decori virtutíſque obliuiſceretur. Sed accurata tamen illa fugæ deſcriptio ſatis indicat, quanta is mala pertulerit, quantíſque Numinis præſidio fretus ſuperior euaſerit.

Maneat, oro, pater meus, & mater mea vobiſcum.] Hæc illius maxima cura fuit, ne quam iniuriam parentes acciperent. Autor eſt Ælianus lib. 3. Var. Hiſt. cap. 22. quum captū eſſet Ilium, Achiuos, pro vt decebat Græcos homines, captiuorum ſortem miſeratos, hoc per præconem denuntiaſſe, vt ſinguli ex liberis ciuibus, quod vellent, vnum aliquod ſecum auferrent. Æneas igitur cæteris neglectis, deos penates exportabat. Græci pietati viri delectati, permiſerunt inſuper vnum ex ſuis poſſeſſionibus accipere. Ille patrem annis & ſenio grauem ſublatum in humeros portabat. Obſtupeſcentes etiam hoc facto non mediocriter, à reliquis eius facultatibus manus abſtinuerunt: confitentes, erga eos qui pietatem in Deos exercent, quique parentes reuerenter colunt, etiam natura inimicos non poſſe non æquos & placatos ſe præbere. Quidni homines parcerent cùm etiam elementa ſenſus ac rationis expertia pijs filijs pepercisse ferantur. Olympiade, inquit, octogeſima prima Ætnam igne fluxiſſe aiunt, quo tempore Philonomus & Callias Catanæi, patres ſuos apprehenſos per mediam flammam extulerunt, ſpretis opibus reliquis: quamobrem auxilium diuinitus ipſis collatum eſt. Ignis etenim currentibus ipſis ea parte diuulſus eſt, qua ingrediebantur. Hos propterea docet Pauſanias in Phocicis Pios fuiſſe dictos, & ſolennes à Catanæis ad ſuam vſque ætatem honores habitos. Porrò is ſenſus pietatis agere natura ad bruta vſque manauit. Inde eſt illud ἀντιπελαργεῖν quo veteres vice prouerbij

Ælianus.

Laudatur pietas filiorum in parentes.

Pauſanias.

MANEAT, ORO, &c.

prouerbij vsi sunt, quod est Ciconiarum more vicem rependere, seu gratiam referre. Nam Ciconiæ autore Aristotele effœtas parentes alunt, & earundem curam gerunt. Addit & æropodas aues quæ idem quod ciconiæ faciunt. Inde sceptris ciconia imposita; equus fluuiatilis, quem vocant ἱπποπόταμον, suppositus, quo significetur violentiam esse iustitiæ subiectam. Est enim animal illud ἀδικώτατον iniustissimum. Vide Suidam in verbo ἀντιπελαργεῖν. Addit his Alexander Myndius apud Ælianum histor. Animal. lib. 3. cap. 24. Ciconias exacta ætate decursáque ad Oceanitidas insulas aduolare; quo loco hoc pietatis præmium consequuntur, vt facta metamorphosi in homines euadant. Non abhorret Ælianus à fabula, dignũ Deo ducens qui hoc exemplo pietatem in animis hominum accenderet. Nos verò etsi commentitium credimus, non dubitamus tamen pios filios feliciori transmutatione in Angelos Dei referri. At verò Merops auis etiam hoc nomine ciconijs iustior est, quod parentes non senectute demum confectos alit: sed vt primùm maiores alarum pennæ ei natæ fuerint, id facit. Denique etiam catulos leonum, ferum genus, senes parentes præda ferunt pascere.

Suidas.

Ælianus lib 11. cap. 30. histor. animal.

QVÆSTIO XLVII.

De honorandis parentibus.

IAm verò Philo postquam ille suo more, hoc est disertissimè, ciconiarum pietatem in lib. De decalogo commendauit, mox subijcit: Et postea non obuoluent faciem præ pudore homines parentum contemptores, damnabúntq; suam incuriam in re, quæ vel sola curanda erat, vel ante alias, præsertim cùm non tam conferatur quàm referatur beneficium? Παίδων γὰρ ἴδιον οὐδὲν, ὃ μὴ γονέων ἐστὶν, ἢ οἴκοθεν ἐπιδιδόντων, ἢ παρ' αἰτίας τῆς κτήσεως ἐπιλαμβανόμενων. i. Filiorum enim nihil est proprium, quod non parentibus debeant, à quibus vel acceperunt, vel in acquirendo adiuti sunt. Id quod Hierocles Pythagoricus in eo lib. quem scripsit, Quomodo erga parentes agendum sit, pluribus exagerat. Quinetiam, inquit, propemodum actiones nostræ omnes illorum videri possunt, vt qui nos etiam hæc agẽtes produxerint. Quemadmodum enim Phidiæ aut aliorum artificum opera, si & ipsa rursus alia quæpiam facerent, ea quoque non dubitaremus opera nominare artificum: eodem modo actiones etiam nostræ parentum nostrorum opera esse dicentur, per quos & nos nati sumus. Quocirca, inquit Philo eodem lib. qui parentum nominis amplitudinem paulò liberiùs amplificant, non dubitarunt ἐμφανεῖς θεοὺς *deos illos conspicuos* appellare, illius ingeniti imitatores in fingendis animantibus: atque adeò hoc vno differre, quod Deus sit mundi genitor, hi verò filiorum tantummodo. nec fieri posse, vt pius sit erga illum inuisibilem, qui erga hos ἐμφανεῖς καὶ ἐγγὺς ὄντας conspicuos & (quod interpres oblitus est) in proximo collocatos est impius. Hæc Philo. Sanè apud Stobæum serm. 77. Perictione Pythagorica. Honestissima, inquit, res est, imò diuina parentum facies. Et aspectus cultúsque eorum tanti fieri debet, quanti nec Solis fit, neque omnium siderum, quæ gratissimas cœli choreas constituunt: aut si qua alia res istis maior à quoquam existimatur. At verò Pempelus Philosophus item Pythagoricus in lib. de Parentibus, duplex genus constituit earum imaginum quæ deos mortalibus repræsentant. Nam quædam eorum sensu pariter ac vita carent: quas dum ipsi colimus, tametsi inanimes, deos ipsos viuentes, inquit Plato lib. 2. de Legibus, (nam inde Pempelus mutuatus esse videtur) existimamus ob id maximè nobis beneuolos ac propitios fore. Alia sunt simulacra viuentia, non alia vtique quàm parentes, qui statuis insensibilibus longè præstantiores sunt; cùm suos ipsi cultores commendare dijs nouerint, & conciliare pijs numinum gratiam. Quocirca etiam eos conducit magis omni officio ac veneratione prosequi, quàm deorum simulacra auro atque ebore fulgentia, idque gratum magis aduersus deos esse verisimile est. Et hæc quidem illi.

Philo in lib. de Decalogo.

Filij parentum sunt, nihil suum possident. Hierocles.

Parentes tanquam dij quidam aspectabiles.

A

MANEAT, ORO, &c. Stobæus.

B

Pisidæ verò reipsa parentes deos habuerunt, & conuiuantes, vt Nicolaus autor est in scriptis De moribus gentium, ijsdem primitias, ὡς ἐμφανέσι τοῖς θεοῖς ἀπαρχόμενοι, tanquam dijs libauerunt. Sed nemo melius è classe Pythagoræorum parentum dignitatem ornauit quàm Hierocles in eo libro, cuius antea fecimus mentionem. Nam paucis asserit, ὡς οἱ γονεῖς θεῶν ἡμῖν εἰκόνες, καὶ τὸ Δία ἐφέστιοι, καὶ εὐεργέται, καὶ συγγενεῖς, δανεισταί τε, καὶ κύριοι, καὶ φίλοι βέβαιοι. i. Quod parentes deorum nobis imagines sint, & per Iouem dij lares, seu domestici beneficiorum autores, cognati, creditores, domini, & amici constantissimi. Referam copiosiùs, quod eius clausulæ interpretatio pietatem erga parentes multis nominibus commendet. Sunt enim inquit, parentes deorum imagines certissimæ, & similitudinem eorum nobis referunt melius, quàm vllius artis facultas exprimere possit: cùm tanquam dij domus patroni, & nobis familiares sint. Beneficiorum item maximorum nobis autores sunt, & maxima quæque præstant, non quidem ea solùm quę habemus, sed quicquid nobis exhibere & optare voluerint. Ad hæc proximè cognati, & autores cognationis ad alios. Præterea creditores rerum pretiosissimarum, ex quibus ea solùm repetunt, quorum ipsa redditio alterum nobis beneficium est. Quod enim esset tantum filio lucrum, quantum pietas & gratitudo in parentes? Domini verò iure optimo sunt: nam cuius possessioni potius cederemus, quàm illorum per quos sumus? Denique amici & auxiliarij perpetui voluntarijque sunt, quouis tempore & casu ferentes opem. Sed quoniam inter omnia hactenus enumerata præstantissimum est parentis nomen, cuius gratia ipsos appellamus deos, adijciemus quod ad hanc sententiam sequitur: nempe filios existimare debere, se in domo patria, veluti in fano quodam æditųos & sacerdotes ab ipsa natura creatos & consecratos esse, vt parentum cultui operam darent. Hacte-

Erant hi dij velut Mercurius, bonus dæmõ, & alij quibus conuiuantes libare solebant.

C

D

MANEAT, ORO, &c.

nus Hierocles: qui deinceps eius muneris singulas partes exactè persequitur, quæ apud eundem commodiùs legi poterunt. Scribit autem vt Ethnicus, & quod à vera fide abhorret, non rarò multorum deorum meminit: verùm hæc nullo negotio corrigi poterunt, & mediocri adhibita cautione emendari.

Sincerior Sacrarum Scripturarum doctrina est, & diuinæ legis potior autoritas, quæ parentes iubet cum primis honorare. Quinimò solum illud præceptum est in tabulis Decalogi, quod singulariter ostenso præmio ac mercede pietatis cultores alliciat. Hoc ipsum obseruat Apostolus ad Ephesios scribens cap. 6. *Fily*, inquit, *obedite parentibus vestris in Domino: Hoc enim iustum est. Honora patrem tuum, & matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione: vt bene sit tibi, & sis longæuus super terram.* Primum, inquit, ἐν ἐπαγγελίᾳ *in promissione*. Cur non solum potius? quod enim est aliud in decem præceptis singillatim quicquam pollicens? Sed nec ἐπαγγελία tantùm promissionem significat: nonnulli accusationis genus quoddam videtur. Apud Pollucem Onomast. lib. 3. cap. 30. sect. 2. scriptum est, Καὶ σπονδῶν ἐπαγγελίαι. id est, & fœderum annunciationes, quod propius ad dictionis etymologiam accedit. Quinimò ne Græci quidem interpretes, si eorum translationem cum hebræo exemplari conferas, videntur satis constanter eo nomine promissionem intelligere potuisse. Nam Amos quidem 9. cap. versu 3. אֲגֻדָּה *agudah*, quem interpres noster *fasciculum*, & ipsi quoque Exodi 12. ver. 22. Pagninus cum Vatablo *peculium* hoc loco vertit: ipsi τὴν ἐπαγγελίαν interpretati sunt. Psal. autem 55. vers. 9. סֵפֶר *sepher*, quod nomen *librum*, scripturam, syngrapham, & alia variè designat, etiam ἐπαγγελίαν exposuerunt. Denique, nam pluribus vrgere non vacat, פָּרָשַׁת *Pharascath*, quam dictionem Esther cap. 4. vers. 6. ἐπαγγελίαν transferunt, statim cap. 10. eiusdem libri ver. 2. πλοῦτον siue *diuitias* reddiderunt. Verùm quicquid sit quod de ea voce statuas, illam S. Augustinus non agnoscit in lib. de decem chordis cap. 6. sed absolutè legit illud esse primum mandatum. Quod cùm intelligi secundum seriem non possit, non enim primum illud sed quartum quintúmue locum occupat: hanc esse sermonis illius rationem autumat, quod ab eo primum soleat seruandæ legis initium homo auspicari. Nam, vt ait, primùm ad parentes suos homo aperit oculos, & hæc vita ab eorum amicitia sumit exordium. &c. Hoc ergo idcirco primum habetur, quoniam ad reliqua viam munit & aditum parat. Primùm enim à teneris vnguiculis puer parentes, quos sui curam gerere videt, nosse incipit, & amore complecti, revereri etiam, & quoad eius fieri potest eorum iussis obsequi. Mox ab eis de Deo docetur, & ex his quæ didicit ijs, à quibus in lucem editus est, & hactenus educatur, præstare, colligit quo cultu, qua reuerentia, quo amore Deum prosequi debeat, quamque sedulò ac religiosè quæcunque præceperit exequi. Quamobrem non immeritò hoc veluti quoddam legis vestibulum dici potest, siue etiam ianua, per quam ad religionis præcepta ingredimur. Ex quo deinde sequitur, vt nemo Deum piè sanctéque colat, qui parentes negligat: at qui eosdem perofficiosè & peramanter obseruare instituit, is profectò ad sacra religionis studia magnam sibi ianuam aditúmque reserauit.

Examinatur præceptum de honorandis parentibus.

Pollux.

S. Augustinus.

Quare primum mandatum.

At præter hæc etiam aliud quippiam non minimi momenti Philo obseruat in eo libro, cui titulum fecit de Decalogo. Sequitur, inquit, quintum præceptum de honorandis parentibus situm in duarum tabularum confinio. Græcè Philo cui præcepto, τάξιν αὐτῷ δοὺς τὴν μεθόριον τῶν δυεῖν πεντάδων, id est duorum quinariorum. Sed parum refert, quemadmodum nec in sequentibus, quod τὰ πρῶτα non exprimit: satis enim sensum eius interpres assequitur. Cùm enim, inquit, in prima sit vltimum, coniungit ambas, priori secundam applicans complexam ius quod nobis intercedit cum hominibus; quod ideo factum arbitror, quia τῶν γονέων ἡ φύσις ἀθανάτου καὶ θνητῆς οὐσίας ἔοικεν εἶναι μεθόριος, parentum natura videtur mortalis & immortalis substantiæ confinium: Mortalis, propter cognationem cum hominibus, & cæteris animantibus, & propter corpus corruptibile: ἀθανάτου δὲ immortalis verò, διὰ τὴν τοῦ γεννᾶν πρὸς θεὸν τὸν γεννητὴν τῶν ὅλων ὁμοίωσιν, quia gignendo refert Deum genitorem omnium. Hæc Philo.

Præceptum istud Philo vocat duarum tabularum μεθόριον.

Dauid igitur prospiciendum censuit parentibus suis iam senibus, & ætate confectis *Donec sciam quid faciat mihi Deus.*] Hîc operæpretium est videre modestiam Dauidis. Non enim ait, Quid ego meis viribus, aut consilijs facturus sim: sed quid facturus sit Dominus. Et certè quod tam cupidè expectauit, accepit. Dominus enim statim ad eum misit Gad prophetam. Habuit ergo mox Dauid, non tantùm militem, sed etiam prophetam: illud erat porrò magnum indicium fauoris diuini. Quæ enim in rebus afflictis esse potest maior consolatio, quàm notitiam habere diuinæ voluntatis?

Et manserunt ibi.] Memento Ruth Moabitidis quæ nupsit Booz, & Obed genuit auum Dauidis. Idcirco ad hanc gentem potius quàm ad aliam confugisse videri potuit. Quid si erat ille Naas idem Rex Ammonitarum qui cum Saule conflixit ad Iabes? Apparet. Nam sequenti lib. cap. 10. Dauid hoc beneficium agnoscere videtur, mittitque qui consolentur Annonem de obitu patris. Scribit R. Salomon Regem illum Moabitarum, postquam Dauid in Iudæam se recepisset, parentes eius & cognatos occidisse præter paucos qui ad Nahas incolumes euaserunt, quos ipse suo præsidio tuitus est. Sed hoc commentum est, & Iudaica fabula. Arcis verò præsidijque Scriptura meminit: vnde patet Dauidem stipendio à Rege adiutum, & arci præfectum fuisse.

Et manserunt apud eum.] In antiquis Burgundionum legibus me legisse memini Tit. 38. §. 1. & 2. Quicunque hospiti venienti tectum aut focum negauerit, trium solidorum inlatione mulctetur. Si conuiua Regis est, vi. solidos mulctæ nomine soluat. Et rursum §. 7. Si quis in in agro regio vel colonica voluerit adplicare, & non permissus fuerit, colonus fustigetur.] Cæterùm

DIXITQVE GAD, &c.

terùm insignis olim Germanorum hospitalitas, qua mortalium quemquam tecto arcere nefas habebant. Cæsar. lib. 6. Tacitus de moribus Germanor. De Slauis memorabile item illud est, quod Helmoldus narrat Chron. lib. 1. cap. 83. *Si quis verò quodrarissimum est*, peregrinum hospitio remouisse deprehensus fuerit, huius domum vel facultates incendio consumere licitum est, atque in id omnium vota pariter conspirant; illum inglorium, illum vilem, & ab omnibus exsibilandum ducentes, qui hospiti panem negare non timuisset. Hactenus ille. Lucanis lege sancitum nouimus, ne quis Sole occaso diuertentem hominem exigeret: quod si fecisset, κακοξενίας agebatur reus, atque eo nomine mulctam subire, prorsus necessum erat. At contra hospitum expulsionem Plato Legum 8. probauit. Lycurgi placita æmulatum ferunt, qui vt autor est Thucydides idcirco vetuit hospites præterquàm statutis diebus admittere, ne vel Laconum politiam imitari studerent vel eorundem moribus rubiginis aliquid affricarent. Siquidem corpora peregrina, peregrina consectatur oratio: noua autem oratio κρίσεις καινὰς ἐπιφέρει vnde peregrinas quoque affectiones oriri non rarò contingit. Cæterùm, vt Theopompus scribit à pluribus Laconum ξενηλασία seu hospitum expulsio incessitur: quæ labes nomini Romano nonnusquam etiam ab Ammiano inuritur. Postremò, inquit, ad id ventum indignitatis est, quum peregrini ob formidatam haud ita dudum alimentorum inopiam pellerentur ab vrbe præcipites, & auctoribus liberalium disciplinarum impendio paucis sine respiratione vlla extrusis, tenerentur mimarum asseclæ veri, quique id simularant ad tempus. Et tria millia saltatricum ne interpellata quidem cum choris, totidemque remanerent magistris. &c. Hospites & quidem Leuitæ atque adeò Angeli à Gabaonitis & Sodomitis quam malè fuerint habiti Scriptura docet; sed nec statim supplicia quoque horrenda tacet quibus diuina iustitia in perditissimos nebulones animaduertit.

Versvs V.

Dixitque Gad propheta ad Dauid: Noli manere in præsidio, proficiscere, & vade in terram Iuda. Et profectus est Dauid, & venit in saltum Haret.

Variæ trãslat.

Pagninus, *Ne maneas in arce*. Arias, *munitione*. Pagn. *vade, & ingredere terram Iuda*. Arias, *& ingredieris tibi terram Iuda*. Pagninus, *& venit in saltum* [*caduum*.] (Arias, *siluam*) *Chareth*. Isidor. Clarius in Annotat. Monetur hîc Dauid per prophetam Domini, vt sese recipiat in terram Iuda, & habitet in tribu atque cognatione sua: illi enim non facilè permisissent Saul tyrannicè agere cum Dauid, contra ius & æquitatem.] Mihi non probatur hæc ratio. Tametsi enim insidijs apud suos minus foret obnoxius, nusquam tamen legimus tentasse Iudæos Saulis impios conatus armis frangere, cùm reduci perniciem quæreret: sed primùm quidem religioni suorum periculum imminebat ex consuetudine Moabitarum, qui idola colerent: deinde, hoc discere debuit, *Deo magis fidendum esse quàm hominibus*. Alius, *E dixit autem propheta Gad* &c. Cuius fit mentio 2. Samuel. 23, & 1. Paralip. 21. & 2. Paral. 29. habet is quoque *siluam Cheretha*. Vatablus, *Noli desidere in arce ista*, &c. *venit in syluam Hareth*. Hebraicè יַעַר חֶרֶת *Jagbar Hbareth. Iaghar*, siue *iaaar*, vt alij malunt, *syluam, saltum*, quemcunque locum syluestribus arboribus consitum significat, & per Synecdochen etiam *fauum mellis*; vt sup. 14. 24. quod ibidem apud Palæstinos magna copia reperiantur. Chaldæus, *Non sedebis in Meszadia: veni & ito tibi ad terram domus Iuda*. &c. *Syluam Hbareth*. Lxx. μὴ κάθου ἐν τῇ περιοχῇ. *Non maneas in præsidio*. Ald. Καὶ ἐκάθισεν ἐν πόλει σαρὶχ. Rom. *& sedit in ciuitate Saric*. Complutensis, Καὶ κατ' και ἐν πόλει χαρὶθ. *& habitabat in ciuitate Chareth*. Potuit esse ciuitas vicina nemori.

Dixitque Gad propheta ad Dauid.] Gad mittitur ad Dauidem sine genealogia: satis est eum scire fuisse prophetam. Fuit alter Gad Zelphæ filius princeps tribus Gaditarum, quo nato Lia vxor Iacob exclamauit, *Feliciter*. Quis nouit an non idem fecerit Dauid? sanè prophetæ aduentus ad eius felicitatem pertinuit. Propheta apud Hebræos dictus est qui cum Deo familiariter conuersaretur, & cum eo colloquia misceret, sicut Abraham Genes. 20. Aliàs propheta est habitus qui futura prospiceret, & de Messia potissimùm vaticinaretur. Non rarò etiam prophetarum interpretes prophetas vocari inuenimus, vt Exodi 7. Aaron dum Mosis oracula explicat sua eloquentia, prophetæ nomen sortitus est. Hebraicam etymologiam alibi explicuimus. Græcè videtur dici. πρὸ τὸ φαίνεσθαι, quod rerum futurarum species manifestè ei obijciantur; Vel πρὸ τὸ φωνεῖν, quod oracula obscuriora, eloquendo exponat; Vel simpliciter à προείπειν, quod futura prædicat, Vel denique πρὸ τὸ φαίνειν, id est, ostendendo & declarando, quod rerum euentus populo denuntiet. Apud prophanos autores passim indigitantur eo nomine idolorum mystæ ac sacerdotes, quales in Creta prophetæ Iouis. Talis apud Euripidem in Ione Φοίβου προφῆτις, Phœbi prophetissa. Apostolus ad Titum vtitur ea voce pro poëta, cùm Epimenidem Cretensem testem laudat nequitiæ Cretensium. Hebræi prophetas alio nomine *Videntes* nuncuparunt. quare etiam Gad iste qui hoc loco propheta dicitur, alibi Dauidis Videns appellatus est. Eo Dauid peculiariter vsus est in consulendo Domino. Hic ille est, qui reprehendit Dauidem de censu populi, illique trium malorum optionem proposuit. Et verisimile est, eum scripsisse partem aliquam rerum gestarum à Dauide.

Propheta quis, & Græca etymol.

Etsi igitur Dauid paruas admodum copias habeat, tamen habet apud se copiam verbi Dei. Cõtrà legimus Saulem & numerosum habuisse

DIXITQVE GAD, &c.

exercitum, & potentes atque instructos satellites. Nihil tamen auditur de verbo Dei. Imò Samuel iam abierat, nec amplius in eius conspectum venire voluit. Quid ergo boni de eo sperari potuit, postquam illi negata est prophetiæ gratia, & ereptum verbum Dei, quod eius pedibus pro lucerna esse debuit? Lege lib. 2. Paral. cap. 9. à versu 13. & deinceps. Ex his intelligimus quanti Scriptura sacra nobis facienda sit, & orthodoxi doctores, ex quibus perpetuò petenda sit voluntas Dei: ne queri possimus, nos non habere prophetas. Israëlitis quidem necessarij erant prophetæ: quia Respublica ea conseruanda erat vsque ad Messiam: quod sine diuinis consilijs & oraculis prophetarum fieri non potuisset. Nunc autem patefacto Euangelio, postquam regnum cælorum vim passum violentis reseratum est, non ita anxiè certis locis definitam Ecclesiam habemus: sed tam latè patet quàm patet orbis terrarum, nullo non loco tentorium figit: séque ipsam locat. Soli eius gratiæ expertes manent, qui eandem contumacius oppugnant: desiderantibus vbique sui copiam facit. Deinde populus Israeliticus, & imperitus erat rei militaris, & vndique cinctus hostibus: itaque opus erat præsenti consilio Dei. Ad hæc Iudæi natura cupidissimi erant rerum futurarum. Quare nisi habuissent prophetas, contulissent se ad ariolos. Præterea opus illis erat miraculis, vt in illa sancta societate cótinerentur, vt coalescerent: neque tum Scripturæ ita passim innotuerant. Habebãt quidem illi legem, & patrum suorum aliquot monumenta, quibus ad pietatem erudirentur: sed non tanta copia vt haberet illa quisque præ manibus: penes Sacerdotes fere asseruabantur, reliquos pleraque latebant. At iam præter illa quæ palàm in Ecclesia euulgata sunt, accesserunt etiam Prophetæ, Euangelia, Epistolæ. Satis ergo nunc est oraculorum, vt nihil opus sit prophetis. Nam quod ad regnum cælorum attinet, satis qua ratione nobis comparari possit didicimus: terreni autem regni splendorem ac felicitatem Iudæis ille non nobis promisit. Quare in rebus aduersis oportet nos bono esse animo: & ita cum animis nostris cogitare, Deum velle nos, si fortè nostræ saluti conducat, ex illis malis eripere: sin secus, per ea quasi media ad æternam gloriam promouere.

Prophetis olim Iudeis opus fuit, cùm figurarum tantùm essent participes.

Noli manere in præsidio, sed vade in terram Iuda.] Gad iubet Dauidem, vt sese recipiat in Iudæam. Erat hoc mirabile consilium Dei. Ex eo enim duo grauissima quædam sequuta sunt: alterum, vt Saul vehementius irritaretur dum credit sollicitari Iudæorum animos, nec sine spe nouandi eò rediisse: alterum, dum studiosè explorat omnia, vt Sacerdotes Nobenses in suspicionem venirent, & occiderentur. Et, quod ad Saulem quidem attinet, Deus voluit eius malitiam manifestam fieri: vt omnes perspicerent illum dignum esse, qui à Deo abijceretur. Vult enim Deus consilia sua etiam in hominum oculis, & eorundem calculis iustificari. Nullius quidem sceleris Sauli Deus autor extitit: sed materiam suppeditauit in quam malitiæ suæ virus occultum euomeret. Qua ratione Deus

NOLI MANERE, &c.

A prodere consilium suum statuit, & Dauidi autoritatem conciliare. Sacerdotes quoque digni erant iam olim vt tollerentur. Quod dudum Heli Propheta minatus fuerat quandoq; euenturum: siue hi parentum vestigijs inhærentes eorundem sacrilegia æmulati sunt: siue, quod verisimilius est, auitam in docendo populo socordiam duntaxat sectati sunt, nec paternæ labis memoriã impensiore Legis studio delere conati sunt. Ita viri pij sæpè, quamuis aliud agẽtes, instrumenta sunt iræ Dei. Non ergo debemus nec factum Dauidis accusare, nec consilium Dei. Deinde hæc res bono fuit Israelitis. Isti enim milites Dauidis hostes repulerunt à finibus, & plerósque suo præsidio tutati sunt, qui prædæ futuri erant grassatoribus, si Dauid hæsisset apud exteros.

B Præcipua tandem ratio fuit, cuius antea in translat. fecimus mentionem; ne superstitionis contagio serperet, & idololatriæ pestis ad Dauidis copias ex diuturna consuetudine manaret. Nam eorum cum quibus versamur vnà, sensim sine sensu mores imbibimus. Rarum omnino exemplum est quod narrat Pausanias in Messenicis. Messenij, inquit, trecentos fermè annos à Lacedæmonijs pulsi, extorres è Peloponneso errarunt: quo temporis curriculo, & patrios ritus constantissimè retinere, & Doricam linguam nihil prorsus immutarunt, quæ nostra etiam ætate ab ijsdem, & propè solis Messenijs maximè integra & planè vernacula conseruatur. Hæc de Messenijs Pausanias. Reliqui facilè inficiũtur, & labem ex societate contrahunt, cum ad malorum contubernium accesserint. Tales sunt ferè scelesti homines, qualem κατωβλέπωνα describit Ælianus histor. animal. lib. 7. cap. 5. Fera est lybica, tauro ferè similis, sed eo longè truculentior: tetro spiritu sic aërem inficit, vt etiam obducatur. Hoc cælum quodcunque animal hauserit, cùm vocem amittit, tum letales conuulsiones patitur. Quamobrem Catoblepontem cætera animalia cane peius & angue vitant. Atqui solùm is corpus perimit. Improbi familiaris vsus & consuetudo etiam animum enecat.

Pausanias.

C

Malorum mala societas.

VERSVS VI.

D Et audiuit Saul quod apparuisset Dauid, & viri qui erant cum eo. Saul autem cùm maneret in Gabaa, & esset in nemore, quod est in Rama, hastam manu tenens, cunctique serui eius circunstarent eum,

VERSVS VII.

Ait ad seruos suos qui assistebant ei: Audite nunc filij Iemini: Numquid omnibus vobis dabit filius Isai agros & vineas, & vniuersos vos faciet tribunos, & centuriones:

VERSVS

QVONIAM CONIVRASTIS, &c.

Versvs VIII.

Quoniam coniurastis omnes aduersum me, & non est qui mihi renunciet, maximè cùm & filius meus fœdus inierit cum filio Isai? Non est qui vicem meam doleat ex vobis, nec qui annunciet mihi: eò quòd suscitauerit filius meus seruum meum aduersum me, insidiantem mihi vsque hodie.

Variæ translat. PAgninus, *Et audiuit Saul quod sciretur Dauid,&c.& Saul manebat in Ghibbah sub arbore in Ramah.*&c. Alter, *Et audiuit Saul quòd notus factus fuisset Dauid*, &c. Quidam ad marg. *quod visus esset.* Capitur hîc נודע *nodagh* pro נודע publicatus *fuisset*, vel in publicum venisset. *Sedebàtque Saul in Gibea subter arborem in Rama.* Vatablus, *Audiuit autem Saul prodyisse Danidem.* In Schol. Audiuit famam esse, aliquot homines adiunxisse se Dauidi. *Sedebat in Gibea subter arborem in Rama.* In Schol. Vel, habitabat in loco edito illius vrbis, qui dicebatur Rama. Alius interpretatur, *recognitum esse Danidem*, &c. *considens Gibha sub nemore in excelso.* Chaldæus, *Et audiuit Saul quod notus fuit Dauid*, &c. *Et Saul sedens in Gibgetha sub arbore in Ramatha.* Lxx. Καὶ ἤκουσε Σαοὺλ ὅτι ἔγνωσται Δαυὶδ. *Et audiuit Saul quòd cognitus est Dauid.* Καὶ Σαοὺλ ἐκάθητο ἐν τῷ βουνῷ ὑπὸ τὴν ἄρουραν τὴν ἐν Ῥαμᾷ. *Et Saul manebat in colle sub aruo qui in Rhama.* Ita Complut. At Rom. *Et Saul sedebat in colle sub arboreto, quod in Rhama.* Quo loco Nobilius in Not. ὑπὸ τὴν ἄρουραν: dictio illa ὑπὸ satis indicat dictione ἄρουραν, locum arboribus consitum significari. Hebræus, & Chaldæus, *sub arbore*: Vulgata, *in nemore.*

Versu 7. *Filij Iemini.* Lxx. υἱοὶ Βενιαμίν. *filij Beniamin.* Chaldæus, *Filij tribus Beniamin. Tribunos*, Lxx. χιλιάρχους: Chaldæus, *magistros millium.* Quidam, *Audite iam Biniaminitæ.* Clarius in Annot. sensus est, inquit, Vos qui estis de tribu & cognatione mea, & quos volui tanquam fideles ministros, lateri meo semper esse affixos, deberetis mihi magis fauere quàm Dauid, homini externo à tribu nostra, qui regium sceptrum nititur transferre à tribu vestra, &c. Vatablus in Schol. *Numquid omnibus vobis dabit.*] Hebraismus, *Etiam daturus est.* Ironia est, quasi dicat, Non est mirum quod cum Dauide aduersum me coniurastis: Nam creditis vos plura beneficia accepturos ab eo, quàm me.

Versu 8. *Quoniam coniurastis*: Ita Pagn. Arias verò, *ligati estis omnes super me.* Pagn. *aduersum me.* Alius, *Conspirastis vos omnes aduersum me.* Ita etiam Vatablus. Chaldæus, *Quia rebellastis omnes vos super me.* Lxx. ὅτι σύγκεισθε πάντες ὑμεῖς ἐπ' ἐμέ. *Quoniam coniurati estis omnes vos aduersum me. Insidi autem mihi vsque hodie.* Chaldæus, *ad insidias sicut die hac.* Lxx. εἰς ἐχθρὸν ὡς ἡ ἡμέρα αὕτη. Pagninus, *insidiatorem secundum hanc diem.* Audiens Saul Dauidem cum copijs reuersum esse in regnum, & videns Ionathan abesse ex quo in eum hastam vibrauerat, sup. 20. 33. suspicatur coniurationem factam, & sibi insidias parari. Vatablus, *Vt struat insidias, sicut hodie* [*videre est.*] vt hodie se res habet. Qui doleat vicem meam. Arias, *& non ægrotans ex vobis super me.* Quidam in Annot. hæc verba tribuit Sauli: Sed & hoc pessimè me habet, vt filius meus, cui iure meum debetur regnum, desciuerit à me, & plus fauerit Dauid quàm sibiipsi & mihi: & vos non id aduertitis: aut si aduertitis, mihi non condoletis, vt hominem è mundo elimineris, qui vitæ meæ insidiatur.

Et audiuit Saul quòd apparuisset Dauid.] Cùm ista fama de Dauide vbique increbuisset, Saul conuocauit concilium. Principes enim qui sua potestate abutuntur ad aliorum perniciem, semper sunt in metu. Ad omnem nuntium expauescunt, & instare periculum suspicantur: malè sibi conscios nullum præsidium securos præstat. Veretur Saul ne qua coniuratio ineatur domi: Nam alioqui Dauidem cum tam parua manu non ausurum se credere patriæ, in qua hostis eius regnaret infensissimus. Confert igitur cum ducibus sua consilia, & quærit, quibus modis cùm illi tum eius socijs interitum paret. Habet apud suos orationem querulam cum graui accusatione & Dauidis, & seruorum suorum. Accusat autem seruos suos primùm negligentiæ; deinde ingratitudinis; postremò perfidiæ. Facit id quod erat boni rhetoris, vt Dauidem adducat in inuidiam. At bonum principem non decuit, ducis de se bene meriti calumnijs oppugnare innocentiam.

Hastam manu tenens.] Decebat is cultus ferocem illius animum ex infimo pectore cædes & crudelitatem anhelantem. Indicturi olim bellum, hastam in fines hostium intorquebant: vnde vetus illud ex Pausaniæ monumentis adagium, hastam & caduceum mittere: quod est bellum pacémque hostium arbitrio permittere. Id quod non minus apud Barbaros, quàm apud Romanos & Græcos vsu receptum fuit. De Romanis Ouidius lib. 6. Fastorum. **Ouidius.**

Prospicit à tergo summum breuis area circum,
Est vbi non parua parua columna nota.
Hinc solet hasta manu belli prænuntia mitti,
In regem, & gentes, cum placet arma capi.

Hasta quondam indicendi belli signum.

Festus Pompeius lib. 2. Ouidium explicat. Bellona dicebatur, inquit, dea bellorum, ante cuius templum erat columella, quæ bellica vocabatur, quam hastam iaciebant, quum bellum indicebatur. Sanguineam eam fuisse cum duces in hostem pergerent notat Turnebus lib. 25. cap. 18. ex Dione in Marc. Anton. De Græcis hoc habet Diodorus Siculus lib. 7. cap. 2. **Diodorus.** Alexander in Persidem profecturus, à naui in littus hastam eiaculatus est, terramque, primus egressus nauigio quasi captiuam cepit. Statius item in Thebaide lib. 12. **Statius.**

Ite alacres, tantaque, precor, confidite causa.
Dixit, & emissa præceps iter inchoat hasta.

Sic quoque Carthaginienses missa hasta Romanis bellum indixerunt. Marcellinus lib. 19. in ipso limine: Vbi Grambates hastam infectam sanguine, ritu patrio, nostrique coniecerat more Fecialis, armis exercitus concrepans, inuolat in muros.

Sceptra quondam hastæ. Alij volunt tum sceptra regum hastas fuisse. Trogus de tempore belli Troiani. Per ea adhuc

HASTAM MANU TENENS. Turnebus.

tempora, inquit, reges hastas pro diademate habebant, quas Græci sceptra dixere. Itaque apud Euripidem in Hecuba, κατ' ἄδωνα δορί, non in aliam sententiam accipit Turnebus, quàm vt hastæ nomine sceptrum intelligatur. Itaque plures hastam illam quæ deæ Romæ apud veteres Ethnicos addebatur, Imperij symbolum fuisse interpretantur. quinetiam reliquis deorum Gentilium statuis adhiberi solitas scribunt, quibus eorundem in mortales imperium designaretur. Iustinus lib. 43. Ab origine, inquit, rerum pro dijs immortalibus veteres hastas coluere. Cælius lect. Antiq. lib. 21. cap. 16. Cheroneos legimus, inquit, ex dijs omnibus colere præsertim sceptrum, quod Vulcanum affabre fecisse, Homerus scribit, datúmque Ioui, à quo diu post ad Agamemnonem peruenerit. Appellant autem δόρυ, id est hastam. Templum quidem publicè nullum ei dicatum visebatur: nihilominus quot diebus res illi diuina fiebat, apponebatur & mensa omnifariam carnibus ac bellarijs onusta. At profectò Saul meminisse debuerat, quod obseruat Eustathius Iliad. α. σκῆπτρον οὐ μόνον βασιλείας, ἀλλὰ καὶ δίκης εἶναι σύμβολον. hoc est, Non regiæ potestatis duntaxat, sed etiam iustitiæ, quod habebat præ manibus, notam esse ac symbolum.

Hastæ pro dijs cultæ.

Eustathius.

Hastæ porrò Hebraica etymologia hoc loco cum ea, quam apud Græcos sortitur sceptrum consentit. Σκῆπτρον enim, βασιλικὴ ῥάβδος, vt habet Etymologicum magnum. i. virga, baculus, scipio regius, manat ἀπὸ τοῦ σκήπτεσθαι, quod nimirum ei inniterentur. Hinc σκηπτοῦχοι βασιλῆες Homero Odyss. θ. Et Ouidius 1. Metamorph.

Etymol. sceptri.

Ergo vbi marmoreo superi sedere recessu,
Celsior ipse loco, sceptróque innixus eburno,
Terrificam capitis concussit terq; quaterq;
Cæsariem, cum qua terram, mare sidera mouit.

At verò Hebraicè scriptum est, וחניתו *vahhanitho*. חנית *hhanith* porrò à verbo est חנה *hhanah*, quod *quiescere*, & ad tempus residere significat, quod plerumque innitendo fit seu hastæ, seu scipioni. Sed & ipsum שבט *scebet*, quo Hebræi frequentiùs pro sceptro vtuntur, nonnunquam etiam hastam significat; ita vt sceptri hastæq; communis quondam significatio fuisse videatur, quòd primùm hastas siue lanceas (nam has nullo discrimine Scriptura confundit) pro sceptris vsurparint. *Accepit Ioab*, inquit 2. Reg. cap. 18. vers. 14. *tres* שבטים *scebatim, & infixit illos in cor Absalon*. Vulgatus cum Chaldæo *lanceas* vertit. LXX. Τρία βέλη, *tria iacula*. Ipsum porrò nomen est, quod pluribus passim Scripturæ locis *sceptrum* designat, atque in primis Genes. cap. 49. cùm Iacob ait: *Non auferetur sceptrum de Iuda*. &c. nam ibi שבט *scebet* inuenies. Reuera autem sceptrum regium, cùm illud pio Principi diuino beneficio obtigerit, scipio est & baculus, quo potissimùm nititur plebis infirmitas: sin ferum & immitem nactum erit, scelerúmque artificem, hasta est & lancea, qua optimum quemque ciuem calumnijs vsque opprimens interimat.

Et ait ad seruos qui assistebant ei.] Seneca in Thyeste act. 3.

A

Ille qui donat diadema fronti,
Quem genu nixæ tremuere gentes,
Cuius ad nutum posuere bella
Medus & Phœbi propioris Indus,
Et Daca Parthis equitem minati;
Anxius sceptrum tenet, & mouentes
Cuncta diuitias; metuitque casus
Mobiles rerum, dubiumque tempus.

Cur verò mouentes cuncta diuitias dixit? An quia nihil tam sanctum, quod non violari; nihil tam munitum, quod non expugnari pecunia possit? Itaque apud Curtium libro 4. cùm interceptæ essent à Dario literæ, quibus Græci milites sollicitabantur, vt immensis propositis præmijs, Regem interficerent, aut proderent: dubitauit Alexander an eas pro concione recitaret, satis confisus Græcorum erga se beneuolentiæ ac fidei. Sed Parmenio deterruit, non esse talibus promissis imbuendas aures militum: affirmans patere vel vnius insidijs Regem: nihil nefas esse auaritiæ.

Curtius.

B

Audite nunc filij Iemini.] Filij Beniamin. Isæus, inquit Suidas, γεννήτας simpliciter vocat τοὺς ἐξ αἵματος συγγενεῖς consanguineos. Sed quia si generis parentem spectes, erant omnes Israelitæ consanguinei: idcirco hunc communem sibi cum illis tribum notat. Athenienses, inquit Suidas, suos ciues in partes quasdam distribuerunt. partes autem maximas τὰς φυλὰς siue tribus dixerunt, quas esse quatuor ad instar anni temporum voluerunt. Φυλὴ verò siue tribus vnaquæque in tres partes rursus erat diuisa, quarum vnaquæque pars τριττὺς & φρατρία, siue curia vocabatur. Rursus singulæ Curiæ diuisæ erant εἰς γένη τριάκοντα siue genera, siue gentes, aut etiam familias. Γεννῆται autem dicebantur siue gentiles, qui eiusdem generis communione sunt coniuncti. Genus autem viros triginta habet. Erat ergo hæc populi apud Athenienses distributio: Quatuor erant tribus, quot anni tempora; Curiæ duodecim menses imitabantur. Gentes siue genera triginta totidem mensis dies referebant: Singulæ ergo curiæ tot hominum capita continebant, quot sunt in anno dies, scilicet ccclxv. Non perinde apud Hebræos, sed populus distributus erat in duodecim שבטים *scebatim* tribus: & שבט *scebet* siue *tribus* in משפחות *miscpaoth*, *prosapias*: משפחה *miscpahhah* prosapia autem in בתים *bathim* siue *domos* seu familias. *Numquid non filius Iemini ego sum*, ait Saul suprà capite nono versu vigesimo primo. *de minima tribu Israel, & cognatio mea nouissima inter omnes familias de tribu Beniamin?* Numerorum capite vigesimo sexto, quo loco totius populi census habetur cuilibet tribui complures משפחות *miscpahhoth* accensentur: quo tempore cùm tribus Beniamin ad capita quadraginta millia & sexcenta accessisset, septem familiæ seu cognationes præcipuæ referuntur, quæ subinde numero auctæ sunt: nonnullæ etiam postea fortassis extinctæ.

AVDITE NVNC FILII, &c. Reges plerique meticulosi. Seneca.

C

Suidas. Atheniensium distributio in tribus. curias, & gentes.

D

Hebræi populi distributio.

Habet igitur emphasim ista compellatio, & generis argumento vtitur ad conflandam Dauidi inuidiam. ac si diceret: Vos cognati & affines mei,

NVNQVID DABIT, &c.

mei, quorum maximè intereſt meam ſalutem ac dignitatem tueri, tamen tacetis, & diſſimulatione veſtra atque ſilentio Dauidis audaciam fouetis. Homines, vbi vident ſe contemni, iraſci ſolent: maximè verò ſi putent ſe contemni ab illis, apud quos debebant in pretio eſſe.

Dauidis ex contemptu proprio nomine abſtinet.

Nunquid omnibus vobis dabit filius Iſai] Contemnit Saul Dauidem, nec eum appellat ſuo nomine, quamuis ab eo maximis affectus fuiſſet beneficijs. Ille enim, eundem, cùm fureret, muſica ſua ad ſanitatem reuocauerat: ille interfecto Goliath maximo periculo populum liberauerat: ille ducenta Palæſtinorum præputia reportauerat, & alias expeditiones ſæpe multas feliciſſimè ſuſceperat. Sed horum omnium memoriam vna affectati regni ſuſpicio prorſus obliterauerat. Alludit verò præterea ad nomen ipſum Iſai, Filius *viri mei*: quare mox etiam ſeruum ſuum vocat. Pellenenſes, vt autor eſt

Pauſanias.

Pauſanias in Achaicis, cùm ipſi Promachum poſt mortem multis honoribus cumularent, ab eius tamen nomine abſtinebant. Ratio autem fuit planè non improbanda. Is enim, vt aiebant, aliquando ſublata republ. tyrannidem occupauerat. Sed nihil tale aliquando Dauid tentauerat; tametſi hoc Saul ira atque odio percitus, & præcipuè ſtimulatus inuidia, verbo tenus aſſereret. Bina omnino vocabula ſunt, quæ Hebræi non proferunt: Alterum ſcilicet auguſtius illud Dei nomen, quod Deus ipſe Moyſen docuit, ob reuerentiam: Alterum ſuis, vt ſcribit Elias in ſuo *Tiſbit*, quòd ab ea abhorreant. Dic tu quo in numero generum reponis?

Nunquid dabit omnibus vobis agros & vineas.] Ego iſta vobis hactenus dedi, & dare poſſum: ille autem eſt exul, vagus, inops, egens. Apud

Tacitus.

Tacitum cap. 7. lib. 1. Annal. cùm Pannonicas legiones poſt Auguſti obitum, Tiberio nuper imperante ſeditio inuaſiſſet, autore potiſſimum Percennio gregario milite, Centurio Clemens milites ſic affatus eſſe dicitur. Percennione, & Vibuleno ſacramentum dicturi ſumus? Percennius & Vibulenus ſtipendia militibus, agros emeritis largientur? At verò inter ſeditioſa verba Percennij capite quinto irriſio eſt quædam agrorum, quæ emeritis diſtribuerentur. Trahi diuerſas in terras, vbi per nomen agrorum, vligines paludum, vel inculta montium

Xenophon

accipiant. In eandem fere ſententiam Xenophon de Cyro Minore libro primo eiuſdem Expedit. Cyro, inquit, Minori aduerſus fratrem pugnaturo, & Græcis militibus ampliſſima ſtipendia pollicenti, Gaulites qui Samo exulabat, vir Cyro fidus, Atqui, inquit, Cyre, Sunt qui dicant te nunc multa polliceri, dum anceps & dubius adhuc periculorum exitus: vbi verò rem feliciter geſſeris, tibi omnia ex animo elapſura. Alij neque ſi memineris, & maximè velis, eas te opes habiturum, vt ſingulis quæ promiſeris præſtare poſſis. Quæ cùm Cyrus accepiſſet, At enim, inquit, paternum nobis, viri fortiſſimi, Imperium eſt. Ad Auſtros, ad ea vſque loca, in quibus propter æſtus nulli homines habitant. Ad Septentriones, in quibus propter frigora.

NVNQVID DABIT, &c.

A Quicquid inter hos fines medium eſt, totum in eorum poteſtate eſt, quos frater de amicorum ſuorum numero illis regionibus præeſſe voluit. Quòd ſi nos vicerimus, amicos ego meos pro illis, eorum locorum compotes, vti æquum eſt, faciam. Quamobrem tantum abeſt, vt defuturum ſit quod dem, vt magis verear, ne quibus dem, deſit. Inſuper vobis Græcis auream coronam dabo. & cæt. Quibus mirum in modum incenſi ſunt Græci vt eiuſdem auſpicia ſequerentur, & conatus iuuarent. An fortè, paribus nugis, ô filij Beniamin, imponit vobis filius Iſai, & ſtudia veſtra in ſe concitat. An fortè ea vos ſpe lactat, ſi rerum potiatur, regnum à vobis direptum iri? Vehementiùs cum ijs ſuum dolorem expoſtulat: & quod hactenus Dauid eorum ſocordia, aut etiam clandeſtino B fauore ſuperſtes maneat, acerbiùs exprobrat. Porrò hæc ſententia eius verborum eſſe videtur. Egentium hominum eſt, & miſerorum captare nouas tabulas, & perturbationem Reipublicæ, non diuitum, potentium, nobilium. Stulti eſtis: an ille faciliùs vos ditare poteſt, quàm ego. Si ſine interrogatione legatur, erit ironia. Nam Dauid iſte, quem tanti facitis, ſeruus meus eſt: quodque indigniſſimum eſt, contra me etiam arma mouet. Certè, vt eum fore Regem ſperetis, voſque omnes ſingulari fauore ac ſtudio proſequuturum: quæcunque tamen ab eo vobis expectanda ſunt, ea iam ex me habetis: neque cogitando poſſum conſequi, quid cauſæ ſit, cur ſpem dubiam atque incertam præſentibus ac certis beneficijs anteponatis.

Cteſias. Mola aurea Perſarum donum maximum.

C *Agros & vineas.*] Autor eſt Cteſias in Perſicis, Xerxem recepta Babylone, quæ non ita pridem defecerat, opera Megabyzi, qui eius filiam Amytin vxorem duxerat, cùm alia multa genero, tum molam auream ſex talenta pendentem donaſſe: quod apud Perſas, inquit, omnium regiorum munerum eſt pretioſiſſimum. Exercitu item donari apud Perſas in primis honorificum habetur; vt ſcribit Herodotus lib. 9.

Varro.

Varro 1. de lingua latina. Alij dant primatum bonis pratis, vt ego quoque à quo antiqui prata, parata appellant. Apud eundem tamen Cato hos bonitatis agrorum gradus facit, vineam, hortum irriguum, ſalictum, oliuetum, pratum, campum frumentarium, cæduam ſyluam, arbuſtum, glandariam ſyluam. Cæterùm mili-

Digeſtum.

D tes iure Romanorum *D. de re militari*, agrum comparare prohibentur in ea prouincia, in qua opera bellica peragunt; ſcilicet ne ſtudio culturæ militiâ ſuâ auocentur. Et ideo domum comparare non prohibentur, ſed & agros in alia prouincia. Cæterùm in ea prouincia, in quam propter prælij cauſam venerant, ne ſub alieno quidem nomine eis agrum comparare licet. alioquin fiſco vindicabitur. Ita Macer eo loco. Veteranis tamen & emeritis dati. *D. de rei vindicatione l. 15. & l. in agris, D. de acquirendo rerum dominio.* Lucanus item libro 1.

Quibus olim legibus agri militibus dati.

Conferet exſanguis quò ſe poſt bella ſenectus?
Quæ ſedes erit emeritis? quæ rura dabuntur,
Quæ noſter veteranus aret?

Adde conceſſos militibus limitaneis agros im-

NVNQVID DABIT, &c.

munes fuisse ab omni collationis ac tributi onere; *L. agros. Codice de fundis limitrophis.* Illud obseruatione dignum, quod Imperator Seuerus militibus limitaneis agros, ab hostibus captos, concessit ea lege, vt ne ad hæredem posterósque eorum vnquam peruenirent, nisi eos, qui militarent. Autor Lampridius in Alex. Eam legem postea abrogauit Constantinus, vt scribit Pomponius in eius vita. Illud constat, inquit, in initio sanxisse, vt agri, villæ, oppida, quæ ad victum emeritorum contributa erant, ad hæredes transirent. vnde milites sibi magis obnoxios, ac deditos reddidit. Prius ex vetere consuetudine, tribunis, præfectis, comitibus & ducibus, qui pro augendo imperio consenuerant, dabantur agri villæque, vt necessaria suppeterent quoad viuerent, *parochias* vocabant. Hæc Lætus. De his multa Stephanus Pasquierus lib. 2. cap. 9. Obseruationum suarum: sed cùm non haberem librum præ manibus nihil ex eo notare potui. Corrigendus esset nonnullis locis is autor, qui apud pios ac religiosos viros nonnihil malè audit.

Lampridius.

Pompon. Lætus.

Reliquas nationes à quibus ea primùm consuetudo ad Romanos manauit, paucis perstringam. Ægyptijs pugnatoribus agros olim destinatos immunes à tributo scribit Herodotus lib. 2. Apud eundem lib. 8. Phylacus, qui in pugna nauali egregiam Persis operam nauauerat, cùm inter de Rege benemeritos adscriptus esset (lingua Persica Orosangæ vocantur) multo tractu soli donatus est. Alexander Macedo, cùm in Palæstinam venisset, Sanaballetis militibus in Thebaide Ægypriaca agros distribuit, iussis regioni præsidio esse. Autor Iosephus in calce lib. 11. Antiquit. Iudaic. Habent quoque Turcæ agros nonnullis regionibus alendis militibus ascriptos. Heraclides Cumanus apud Athenæum lib. 4. de Regis Persarum stipatoribus agens, Vt in Græcia, inquit, stipendiarij æs merent, sic victum à Rege isti accipiunt, qui in stipendium cedit ac imputatur. Nonnullis is quoque mos placuit. Apud Indos certè cibus regius milites sequitur. lege Diodorum lib. 3. cap. 10. circa finem. Sed ad nostra reuertamur.

Herodotus.

Iosephus.

Intellexit igitur Saul liberalitate Principum, militum beneuolentiam conciliari fouerique; Alioqui sanè nõ paucis auaritia exilio fuit. Hæc maximè autore Perseo, vt notat Liuius, dum ille thesauris parcit, Macedonum Imperium euertit, quod liberalitate ac magnificentia Alexander excitarat, qui è Macedonia soluens sibi nihil reliqui fecisse dicitur. Eadem Mauritio perniciem attulit, & Alexandrum Seuerum sustulit, dum eius mater Mammea cumulandę pecuniæ impensius studet. Neque tamen propterea laudanda est quorundam Principum effusio, quæ fundum non habet, nec suas, sed Reipub. opes temerè largiuntur: quibus aut militis crescit ferocia, ita vt in posterum contumacior euadat: aut luxu delitijsque robur atteritur, languescitque laborum impatiens. Romani Imperatores donatiuis ac largitionibus suis quid tandem consequuti sint, posterior ætas eorundem Principum crebris cædibus experta est. Didicit A miles Imperium vendere: & quo vberiorem quæstum faceret, emptorem mox cædere, venale iterum habiturus, & nouam auctionem constituturus. Optima custos Imperij pietas, cũ iustitia, & mediocri liberalitate, affabilitatéque coniuncta. Immensæ largitiones, cùm Reipub. opes exhauriũt, tum quibus ipsum caput regni petant, ambitiosis hominibus tela subministrãt. Quamobrem non immeritò summus Pontifex, vt aliquando apud Cromerum legisse me memini, (nunc is liber penes me non est) Regis Polonorum liberalitates inhibuit, & donationes ab Episcopo inspici, & si ita videretur rescindi iussit. Tametsi ego sic arbitror, tale aliquod prædium donare, quale describit Martialis lib. 11. nullo iure reges prohiberi posse. Nam manifestè ea donatione nullum damnum accipit Res- B publica, nec sua dissipari prodigè queri potest. Ne quid dubites in rem præsentem veniamus.

Auaritia perinde ac largitionibus Principum, cùm ipsos tum Rempub. non rarò euerti.

NVNQVID DABIT, &c.

Donasti, Lupe, rus sub vrbe nobis,
Sed rus est mihi maius in fenestra.
Rus hoc dicere, rus potes vocare?
In quo ruta facit nemus Dianæ,
Arguta tegit quod ala cicadæ,
Quod formica die comedit vno,
Clausæ cui folium rosæ corona est:
In quo nec cucumis iacere rectus,
Nec serpens habitare tota possit.
Erucam male pascit hortus vnam.
Consumpto moritur culex salicto.
Et talpa est mihi fossor, atque arator.
Non boletus hiare, non mariscæ
Ridere, aut viola patere possunt.
Fines mus populatur, & colono
Tanquam sus Calydonius timetur:
Et sublata volantis vngue Prognes
Inuido seges est hirundinino.
Vix implet cocleam peracta messis,
Et mustum nuce condimus picata. &c.

Martialis.

Amplissimi ruris magnifica descriptio.

Aut vniuersos vos faciet tribunos & centuriones.] Id enim fieri non potuit, cùm non essent tantæ regni copiæ, vt paris numeri legionibus ac centurijs præfici possent. Nundinationis harũ præfecturarum non meminit: quas cùm vendere instituisset Anastasius Imperator, πᾶσαν ὁμοῦ τὴν βασιλείαν εἰς ἀριστοκρατίαν μετέστησε, vniuersum Imperium in Aristocratiam mutauit; inquit Suidas in voce Ἀναστάσιος. Hos gradus idcirco milites vehementiùs ambiunt, quòd imperandi cu- D piditas magis quàm obtemperandi omnibus innata sit; quòd citra periculum duces quoque leuiori labore perfungantur; quòd virtutis quoque militaris pręfectura veluti publicum quoddam testimonium habeatur; quod hos denique cùm stipendiorum, tum prædæ quoque ac manubiarum potior pars maneat, vti nos antea docuimus. Nam olim quoque inter remiges, cùm in plures ordines distributi essent: ea lex seruata est, vt infimi minus stipendium acciperent. Erant inquit Suidas summus ordo θρανῖται; medius ζυγῖται; infimus θαλαμῖται. ὅτι μαλλον εἰσι ἐγγὺς τοῦ ὕδατος, quoniam hi aquam verrebant breuiore remo. Minoris isti merebant. reliquorum secundum analogiam sui ordinis ratio est habita.

Suidas. Qui præfecturas vendunt, Regnum cum Aristocratia commutant.

Præfectur. cupiditas.

Suidas in voce θαλαμιτ.

Quoniam

QVONIAM CONIVRASTIS, &c.

Quoniam coniurastis omnes aduersum me.] Menander Comicus,

Putabam ego diuites, Phania,
Qui non sunt obnoxij vsuris, non lugere
Noctu, neque sursum deorsum versatos
Hei mihi dicere, sed iucundum & modestum quemdam
Somnum dormire: at è pauperibus quemlibet.
Nunc verò etiam vos, qui beati appellamini,
Video in eadem qua nos esse conditione.

Lucianus in Dialog. somnium siue Gallus.

Quinimò longè deteriore, vt quidem ille Gallus qui se olim Pythagoram fuisse apud Lucianum iactitat, séque regnasse etiam commemorat, in dialogo asserit.

QVÆSTIO XLVIII.

Quàm sit misera Tyrannorum conditio.

Regni seu potius tyrannidis infelicitas describitur.

EQuidem ille Gallus, imperabam regioni neutiquam exiguæ aut sterili, sed cùm incolarum frequentia, tum vrbium pulchritudine cum primis admirandæ: prætereà fluminibus nauigabilibus, ac mari portuoso commodæ. Ad hæc exercitus ingens, equitatus spectatissimus atque excellens, satellitium haud exiguum, triremes, pecuniarum vis maior quàm vt posset numerari, vasorum argenteorum plurima copia, reliquáque omnis illa principatus tragœdia, strepitúsq; & apparatus suprà quã credi queat, extructus atque accumulatus. Itaque cùm prodirem, plerique adorabant, Deum quempiam intueri sese ratiali sque trudentes alios concurrebant, quò me conspicerent: nonnulli conscensis tectis, magni æstimabant se plenè contemplari licuisset quadrigam, stragulam, tum anteambulones, & eos qui à tergo comitabantur. Ego inter hæc mihi conscius quantæ me res discruciarent, versarentque: illos quidem propter inscitiam venia dignos iudicabam; at meipsius miserescebat, qui prægrandibus illis Colossis viderer persimilis, quales vel Phidias, vel Myron, vel Praxiteles fabricatus est. Etenim illorum quisque, quoad ea quæ foris apparent, Neptunus ipse est, aut Iupiter, mirificè decorus, auro eboréque compactus: & aut fulmen, aut fulgur, aut tridentem fuscinam dextra sustinet: cæterùm si immisso capite quæ sunt intus inspicias, videbis vectes quosdam, paxillos, & clauos introrsum prominentes, neque non vimina, cuneósque, & picem sublitam, & aliam item id genus deformitatem intrinsecus inhabitantem. Omitto recensere muscarum mustelarúmque vim, quæ nonnunquam in eis mansitant. Huiusmodi quædam res nimirum regnum quoque videtur. Deinde hęc pluribus explicans idem ille Gallus gallinaceus, Quid, inquit, primo loco tibi referam Mycille? vtrum metus, curas mordaces, suspiciones, odium, quo regem persequuntur ij qui cum illo viuunt, insidias, atque eas ob res somnum rarum, & hunc ipsum pertenuem, ac plena tumultus insignia, cogitationes perplexas, spes semper improbas: an otij penuriam, & occupationes, iudicia, expeditiones, edicta, fœdera, consultatio-

A nes? quibus rebus fit, vt ne per somnium quidem aliqua re suaui frui liceat; verùm vt omnibus de rebus solus dispiciat necesse est, milléque negotia sustineat:

Quippe nec Atridē Agamemnona dulcis habebat
Somnus, multigenas versantem pectore curas.

Idque cùm reliqui omnes Achiui stertèrent. Adde quod Lydum illum discruciat filius mutus: Persam verò Clearchus ad Cyrum desciscens: atque alium quempiam Dion cum Syracusanis nonnullis ad aurem communicans. Rursum alium quendam vrit Parmenion laudatus. Item Perdiccam Ptolemæus, Ptolemæum Seleucus. Quin illa quoque molestiam afferunt, si qui defectionem parare dicantur, aut duo quatuórue satellites inter sese consusurrantes. Porrò (quod est omnium grauissimum) amicissimi quique vel maximè formidandi, sempérque metuendum ne quid magni
B mali ab illis exoriatur. Nam alius à filio veneno necatus est: alius item ab amasio. Alium simile quoddam fortassis mortis genus eripuit. Postremò etiam reges confert cum histrionibus, qui tantisper dum sunt Cecropes, & Sisyphi, aut Telephi, diademata gestant, argenteísque capulis gladios, comamque ventilantem, & auro intertextam chlamydem: at si quis fortè eos in media scena det præcipites, & ipsi corruant, tum risum moueant spectatoribus, persona quidem cum diademate contrita, apparentibus autem vilibus pannis, quibus, vt fert eorum conditio, sub ementito ornatu miserè amicti sunt. Nam talis ferè est peregrinus
C ille decor diadematis & aurea regum felicitas, vt multò plures ærumnas occulat, quibus miserum pectus exeditur.

Phalaris tyrannus negat vllã certam hominum esse fidem.

Phalaris ad amicum Polium rescribens, sæuissimos animi sui cruciatus & clãdestina furiarum verbera non dissimulat. Cognoui, inquit, ex ijs literis, quas ad me dedisti, mirari te mirum in modum, quod à pristinis vitæ moribus omnino desciuerim, & nunc vix parentibus, amicísq; sanctioribus, conspiciendum ipse me præbeam, atque adeò conspectum hominũ quoquo modo refugiam. Sed mirari desine. Etenim nullam fidei sinceritatem, non modò in ignotis, sed etiam in ijs, quibus ipse me arctioris amicitiæ vinculo deuinxeram, vsquam deprehendi. Singula igitur magna cum diligentia & solertia expertus, in Africæ Numidiæque syluis ac
D solitudinibus, inter medias feras, quàm inter homines vitam degere, longè tutius esse, apud me statuo. Securius enim certè leonibus, serpentibúsque obsessus, quàm hominibus circunseptus, quieti me traderem. Hæc ille verbis, quæ melius in suo Iugurtha Sallustius factis ipsis expressit. Vagus, inquit, incertúsque agitabatur, neque illi res vlla, neque consilium, aut quisquam hominum satis placecebat: itinera præfectósque in dies mutare, modò aduersum hostes, interdum in solitudines pergere, sæpe in fuga, ac paulò pòst in armis spem habere, dubitare virtuti, an fidei popularium minus crederet. Neque loco, neque mortali cuiquam aut tempori satis fidere: ciues hostésque iuxtà metuere,

Sallustius.

ET NON EST QVI, &c.

circumspectare omnia, & omni strepitu pauescere, alio atque alio loco, sæpe contra decus regium, noctu requiescere: interdum somno excitus, arreptis armis, tumultum facere: ita formidine, quasi vecordia exagitari. Hactenus Salustius. Quæ omnia Scripturæ sacræ confirmat autoritas apud Iob. caput 15. Nam ibidem de tyranno agens Eliphaz Themanites, *Sonitus*, ait, *terroris semper in auribus illius: & cùm pax sit, ille semper insidias suspicatur. Non credit quod reuerti possit de tenebris ad lucem, circumspectans vndique gladium. Cùm se mouerit ad quærendum panem, nouit quod paratus sit in manu eius tenebrarum dies. Terrebit eum tribulatio, & angustia vallabit eum, sicut regem qui præparatur ad prælium.* Verùm esto, de tyrannis ista dici possint, ne legitimi tamen principes ab ea peste immunes sunt. Legendus Comminæus in vita Ludouici XI. & item lib. 5. belli Neapolitani. Nam eousque tandem suspicionibus indulsit, vt moliri sibi insidias omnes crederet, nullum non suspectum haberet. Eius item pater, cùm ægrotus decumberet, venenum parari sibi existimans à cibo abstinuit. Carolus VI. is quoque tandem, cùm ijs quæ deferrentur impensius crederet, furere cœpit, ac mente captus est. Deniq; vt idem Comminæus obseruat, vix pauci reges à Carolo Magno annum sexagesimum superarunt, collecta sæpe ægritudine ex suspicionibus, & ex ijs quæ clanculùm ac falsò essent delata.

Comminæus.

Ne legitimi quidem Principes à suspicionibus vacant.

Ctesias.

Et non est qui mihi renuntiet.] Meminit Ctesias apud Photium, fontis cuiusdam in India, cuius aquam, simulátque hausta fuerit, in morem casei coagulari dicit: cuius coagulatę si quis tres obolos cum aqua biberit, quæcunque admiserit, patefacit. Quippe eo die mente alienatur. Eo autem rex delatos explorare solet, an abiectis criminibus affines sint, & supplicio digni. Nam si quis id, de quo quæritur, effutiuerit, mortem sibi cogitur consciscere: sin indicio suo nullius criminis conuincatur, absoluitur. Sed ne sic quidem apud Saulem Dauid euasisset. Non enim tam ipse crimen vrgebat, quàm à furijs exagitabatur. Narrat & aliud quippiam simile Diodorus lib. 3. cap. 5. Ferunt, inquit, in Æthiopia stagnum esse quadratum, cuius circuitus clx efficiat pedes: aquæ eius colorem similem minio, odore suauem, neque veteri vino dissimilem, virtute verò mirabili; vt quæ pota in insaniam vertens, cogat occulta errata palàm fateri. Sed ne si hoc quoque stagnum totum ebibissent illi filij Iemini, coniurationis scelus vllum prodidissent.

Diodorus.

QVÆSTIO XLIX.

De delatoribus.

Delator.

NOn eris, inquit Scriptura Leuitic. 19. ver. 16. *criminator, nec susurro in populo. Ne incedas* רָכִיל *rachil in populo tuo.* Græcè μηνυτὴς, & μηνυτὴρ dicitur. Hinc μήνυμα & μήνυσις *indicium*, delatio. *Detractorem* vertit Arias; *criminatorem* & *susurronem*. Vulgatus, qui non alius quàm *delator est*. Alio nomine אִישׁ לָשׁוֹן *isch laschon*, *virum linguæ* delatorem Hebræi nuncupant. à verbo לָשַׁן *laschan obloquutus est*, obtrectauit; detulit aliquem linguâ sua, detraxit, falsa accusatione. Hinc fortasse Græcis λεσχηνευτὴς *obtrectator*, λεσχηνεία *detractio*, delatio contumeliosa, λέσχη *lingua*. Delatores igitur lex prohibet. At his impensius tyranni, & sibi malè conscij principes, plerunque fauerunt, præmijs eorum studium accendentes.

ET NON EST QVI, &c.

De quibus Plutarchus in eo lib. quem inscripsit *de curiositate*, Sanè tyrannos, quibus omnia cognoscere est necesse, inuisissimos reddit hoc genus hominum, qui *auscultatores* & delatores appellantur. ὠτακουσταὶ, προσαγωγεῖς. ὠτακουστὰς μὲν οὖν πρῶτος ἔσχεν ὁ νέος Δαρεῖος &c. Primus Darius minor auscultatores vsurpauit, sibi ipsi non credens, omnésque habens suspectos atque metuens. Delatores, quos ipsi prosagogidas nominabant, Dionysij inter Syracusanos sparserunt. Hæc Plutarchus.

Qui primi delatoribus vsi Plutarchus.

Nec aliunde, vt nonnullis videtur, Μίδας ὄνου ὦτα, Midas asini aures sortitus est. Sycophantas quoque suos Atheniensium Respub. passa est. Tarquinius Superbus delatores primùm Romam inuexit, vt Dionys. Halicarnass. autor est lib. 4. Deinde lex Papia plebeis ob delationem congiarium quadringentorum nummûm viritim dedit. At Nero apud Tacitum lib. 4. Annal. præmia delatorum Papiæ legis ad quartas redegit. inde *quadruplatores* quoque dicti Asconio teste 1. act. in Verrem. Tiberius etiam his plura indulserat. Suetonius cap. 61. Decreta, inquit, accusatoribus præcipua præmia, nonnunquam & testibus, nemini delatorum fides abrogata. Tacitus lib. 4. Annal. etiam ijs, qui senatorij essent ordinis, commemorat præturas esse datas. Eo potissimùm Imperatore ea pestis grassata: quæ subinde etiam Neronis, & Domitiani, aliorúmque tempora corripuit. De Tiberio Seneca lib. 3. de Beneficijs cap. 26. Sub Tiberio Cæsare fuit accusandi frequens, & pene publica rabies, quæ omni ciuili bello grauius togatam ciuitatem confecit: Excipiebatur ebriorum sermo, simplicitas iocantium, nihil erat tutum, omnis sæuiendi placebat occasio: nec iam reorum expectabatur euentus, cùm esset vnus. Eorundem temporum infelicitatem describens Tacitus lib. 1. Historiarum. Non alias magis, inquit, anxia & pauens ciuitas, etiam aduersum proximos. Congressus, colloquia, notæ, ignotæque aures vitari: etiam muta & inanima, tectum & parietes, circumspectabantur: plena omnia suspicionum, & vix secreta domuum sine formidine. Sed vicit superiorum amentiam, si Marcellino credimus initio libro 14. Galli Cæsaris amentia, dum nocendi studio fouet, vt ait, clandestinos versatósque rumigerulos, & nullum non mouet lapidem quo secretissimos hominum sensus exploret. Excogitatum est, inquit, super his, vt homines quidam ignoti, vilitate ipsa parum cauendi, ad colligendos rumores per Antiochiæ latera cuncta destinarentur, relaturi quæ audirent. Hi peragranter & dissimulanter honoratorum circulis assistendo, peruadendoque diuites

Tacitus.

Delatorum præmia.

Suetonius.

Seneca.

Delatorum sæuitia & improbitas.

Marcellinus.

Et non est qui, &c.

diuites domos egentium habitu, si quidquam noscere poterant, vel audire, latenter intromissi per posticas in regiam nuntiabant: id obseruantes conspiratione concordi, vt fingerent quædam, & cognita duplicarent in peius: laudes verò supprimerent Cæsaris, quas inuitis cõpluribus, formido malorum impendentium exprimebat. Etiam parietes, ait, soli arcanorum conscij timebantur. Et post aliqua rursum, Nouo denique perniciosoq; exemplo idem Gallus ausus est inire flagitium graue, quod Romę cum vltimo dedecore tentasse aliquando dicitur Gallienus. Et adhibitis paucis clàm ferro succinctis, vesperi per tabernas palabatur & compita, quęritando Græco sermone, cuius erat impendio gnarus, quid de Cæsare sentirent, &c. Addam his quæ de Herode Iosephus Antiquitatum Iudaïcarum libro decimo quinto, capite decimo tertio: Ab eo, inquit, dispositi erant speculatores, tam in vrbe, quàm per itinera, qui obseruarent conuenientes cuiusque rei gratia. Adeò enim hanc curam non negligebat, vt sæpè ipse plebeio cultu noctu misceret se vulgo, & experiretur quid de se sentiret populus: & quotcunque pertinaciter improbarent eius studia, in omnes inclementer animaduertebat.

Iosephus.

Delatores coërciti.

Delatores itaq; pessimi quique Principes semper in pretio habuerunt; optimus quisque vehementer execratus est. Est enim genus, vt ait Tacitus, hominum publico exitio repertum. Synesius epistola centesima vigesima prima: Συκοφάνται κοινοὶ ἀλάστορες τῆς χώρας, communis patriæ mali genij sunt. Valentinian. & Valens Augg. *l. 2. Cod Theodos. de delatoribus*, humani generis inimicos vocant. Et iterum, violant, inquiunt, pacem, turbant securitatem. Martialis Epigram. 4. lib. 1.

Tacit. Annal. 4.

Synesius.

Turba grauis paci, placideq; inimica quieti,
Quæ semper miseras sollicitabat opes.

Martialis.

Deinde, quid de peste hac ciuium Domitianus initio principatus sui statuerit, priusquam in tyrannum degeneraret, commemorat.

Traducta est Gyaris, excepit arena nocentes:
Et delator habet, quod dabat exilium.

Quinimò ipse Tiberius, qui primùm illos præmijs & honoribus inuitarat, ac veluti legum custodes habebat, iisdem postea infensus, sectæ coryphæos vna die occidi iussit. Dion Cassius in eodem: Aurelianus etiam, tametsi supra modum ferox ingenio, delatores tamen ingenti seueritate prosequutus est, vt habet Flauius Vopiscus in eodem. Pertinax vrbe exegit; Herodianus libro secundo, Gordianus exilio multauit, libro septimo apud eundem. Macrinus vndique conquisitos pœnis afficiebat; Iul. Capitolin.

Dion Cass.

Anton. Pius infames esse iussit. Ita Capitolinus in eodem. Calumnijs quadruplatorum intercessit, inquit, apposita falsis delatoribus nota. Fuit illa K. elementum, quod ex lege Rhemnia frontibus candenti ferro imprimebatur; quo faciliùs omnes sibi ab eorum insidijs cauere possent. De hac Tullius in oratione pro Roscio. Inde Plinius in Panegyrico ait, delatores habere frontem ferream, punctis & notis vulneratam. Inde Callistratus *D. de testibus. l. 3.*

Litera K. ferro candenti delatorũ frontib. inusta

A notatum, & reprehensibilem vocat, & calumniæ damnatum, quem opponit disertè alteri, qui sit integræ frontis. Titus apud Suetonium, capite octauo, flagellatos delatores egit per amphitheatrum, & aut subiecit in seruos, aut in asperrima insularum auexit. Traianus nauigio inermi impositos ad certum naufragium mari commisit. Piaculares publicæ sollicitudinis victimas eos vocans Plinius in Panegyrico, dediti sunt, inquit, tempestatibus: ac si quem fluctus & procellæ scopulis reseruassent, hic nuda saxa, & inhospitale littus incoleret, &c. Constantinus iudices aduersus eosdem gladio armauit, *Cod. de delatoribus l. penult. lib. 10. tit. 11.* Honorius & Theod. AA. *l. 17. Cod. de accusationibus.* Calumniantes, inquiunt, ad vindictam poscit *similitudo supplicij*. Talio illa est, quam vocant B *pœnam reciproci*. Leges nonnunquam *parem vindictam*; Verrius *iniuriæ vltionem*; Quintilianus *similitudinem supplicij*. *Vicem* interpretatur Priscianus. Apud Isidorum *antipelargosin* Græci dicunt talionem; Glossarium Philoxeni ἀντιπέπονθός. Ἀμοιβαῖον quasi *mutuum* dicas Sept. Interpret. in Scripturis vertunt. *Pœnam legitimam* vocat Cassiodorus lib. 1. Variar. Epistol. 9. delatores impugnatores. Suetonius in Augusto capite trigesimo secundo, *par pœnæ periculum*. Alijs *Rhadamanthæum ius*. S. Isidoro Pelusiota libro quarto, epistola ducentesima nona, τὸ ὁμοίων μίμησις, *imitatio similium*. Sed magis ad rem de qua agimus, quod sanxit Antoninus Imperator olim innocentiæ Christianorum cauens, delatoresq; eorum compescens: Quòd si quis persistit huiuscemodi hominibus absque vllo crimine mo- C uere negotia, ille quidem qui delatus pro hoc nomine fuerit, absoluatur, etiamsi prohibetur id quod ei obijcitur, Christianus. Is autem qui crimen obtendit, reus pœnæ ipsius, quam objecit, existat. Inuenies in supplemento Eutropij à Paulo Diacono libro decimo. Hoc pacto delatores potiùs coërcere Saul debuit, quàm importunis illis querelis instigare, quo innocentem posset tanquam accepta ansa opprimere.

Et non est qui, &c.

Simili pœnæ, quam talionē vocant, addicti.

Cæterùm, cùm delatores execramur, tum eos nos dicere intelligimus, qui aut falsa deferunt, aut vera quæ sunt, ipsi sinistra interpretatione calumniantur: aut ea certè, tametsi ab officio viri boni non abhorreant, nec ipsi deprauent, norunt tamen eorum vitio ad quos ipsa deferunt, suis autoribus nocitura. Vel denique qui D ea, quæ tutò latent, nec obesse cuiquam posse videntur, in lucem efferunt: & ijs, quos dudum fortassis admissi pœnitet, delatoria curiositate periculum creant. Tales excitare studuit Saul, qui testarentur cum quibus Dauid sermonem miscuisset, à quibus hospitio exceptus, aut vllo subsidio adiutus esset; vt tantisper dum in absentem & profugum sæuire non posset, in eius amicorum qui culpa vacarent, cæde bacchare- tur. Indorum autem Ephoros cur accusem non inuenio, quos sexto loco eorum politiæ Diodorus collocat libro tertio capite decimo, quorum hoc fuisse officium refert, vt inspectis, quæ in toto regno gererentur, ad Regem referrent. Εἰρηνάρχας item Stationariosque milites Romani Imperij, qui publicæ paci ac quieti præfecti

Delatorum duo genera.

Diodorus.

ET NON EST QVI, &c.

erant: quorum frequens apud Iurisconsultos mentio: qui criminibus inuestigandis, iudicibusque deferendis, iter agentibus securitatem præstabant, & quicunque apud eosdem Officiorum nomine censentur, aut Primates Officiorum dicti sunt. Hos ego, si suum munus legitimè obeant, laudandos potiùs quàm vituperandos duxerim: nec curiositatem in his, si ab inferenda iniuria abstineant, sed priuatim in delatoribus damnamus.

Quid igitur si priuatus quisquam paratam Principi perniciem suo studio prodiderit, an erit ille delatores inter referendus? Nequaquam profectò. Sed quod ipse euulgauerit, idoneis testibus atque indicijs probare debet, ne cui videatur importare calumniam. Crem Bulgarorum Legislator, vt est apud Suidam in verbo Bulgari, delatorum artes veritus, lege statuit, vt si quis cuiusquam nomen detulisset, non antè accusandi licentiam acciperet, quàm ipse vinctus esset, aut etiam de eo quæstio habita. Durum hoc videri posset, & à studio publicæ vtilitatis deterrere posse quamplurimos. Apud Normannos, qui Rollonem inclamarit, (quæ vox continuò reum sistit immobilem, donec mancipetur custodiæ) idem quoque, nisi si fortè præs vasve acceptus fuerit, in eundem carcerem compingitur; temeritatis suæ pœnas, si perperam turbas concitarit, de more luiturus. Docet Cōminæus prudenter facturos Principes, cùm aliquid occulti ad eos defertur, si delatorem sistant, & fidem sibi fieri iubeant. Hac enim ratione longè tranquilliorem vitam nacturos; cùm nemo sit eò progressurus amentiæ, vt quod probare non possit, periturus alteri obijciat. Ego sic arbitror omni ratione tuendam Principum salutem, qui sæpè ruere non possunt, quin vnà cum illis Respublica corruat, aut certè non mediocriter eius tranquillitas labefactetur: sed ita illi consulendum existimo, dum ne cui iniuria irrogetur. Non enim sceleri, sed diuinæ prouidentiæ Regum incolumitas accepta ferenda est, quæ potissimùm innocentia delectatur. Quamobrem cùm eorum, qui in crimen vocantur, delectum habendum censeo, tum etiam delatorum; ne vel his fraudi sit quod Reipublicæ student, aut cuiquam insonti negotium exhibeatur: si vel temerè delatores fidem inueniant, vel opinione communis perfidiæ obstinatiùs reijciantur. Oportet igitur primùm securitati Principis consulere, quod sine cuiusquam iniuria fieri potest: deinde, quàm fieri poterit diligentissimè, veritas è latebris eruenda est: & vbi iam reum coniecturæ vrgent, tum iudicij aleam subire cogendus est, concessa semper sui purgandi licentia. Sin delator ipse leuitate ingenij, aut etiam nocendi libidine eò deductus videatur, digna animaduersione plectendus erit. Quemadmodum autem qui Majestatis insimulatos vehementiùs vrgent, quàm coniecturæ sinunt, cùm Deum offendunt, tum de Principe malè merentur: ita & qui delatores pertinaciùs insectantur, & formidolosis quæstionibus ante patefactam calumniam examinant, cùm reliquos ab officio auertunt, tum Principem discrimini obijciunt.

Suidas

Qua ratione explore tur delatorum fides.

Cōminæus.

A *Maximè cùm & filius meus fœdus inierit, &c.*] Casus hic misericordiam habet, sed eo perperam abutitur. Mentitur enim filium cum Dauide conspirasse, cùm neuter ei machinaretur malum: sed communi cùm eius, tum Reipublicæ incolumitati studeret. *Non est qui vicem meam doleat ex vobis, nec qui annunciet mihi.*] Quidam apud Philemonem Comicum:

Philemon.

Per Jouem maximum arbitrabar, Sosia,
Equidem priùs viuere pauperes duntaxat
In mœrore, diuitum autem vitam
Hilarem esse, & lætitiam ferre:
Nunc vero virorum differre quotidianis
Sumptibus vitam solùm video:
Ac maioribus doloribus premi maiores.

Æstum animi fatetur. *Nec qui annunciet mihi.*] Cùm tamen ipsi videatis insidias contra me parari. B Quare aut hosti meo fauetis, aut dignitatem meam contemnitis. Certè subditorum est Regum salutem tueri, cuius ipsi præsidio defenduntur. Hæc oratio est eiusmodi, vt quiuis eam facilè subodorari possit profectam ab hypocrita. Accusat suos negligentiæ: & fortassis nimiùm negligentes erant, cùm erga Saulem, tum maximè erga Dauidem: quòd hunc quidem exulem parum studiosè fouerent; illum, cùm fureret, ab inferenda iniuria non prohiberent. Oziam leprosum Azarias Pontifex templo expulit; filius eius nomine regnum administrauit; ipse in separatam domum relegatus à rebus gerendis deinceps abstinuit, 2. Paralip. c. 26. Cur in Saulem, cùm vsque eò à dæmone concitaretur, vt insanire omnibus ac furere videretur, non ijs modis regni proceres animaduerterent, C quibus innocentium saluti prospicerent: majestatem, quoad liceret, non minuerent? Quod autem videtur præterea accusare eos ingrati animi, suaque illis beneficia exprobrare, non pauca fortassis ijsdem Saul contulerat, vt solent qui affectant tyrannidem donatiuis & congiarijs militum animos delinire: sed aliena largitus est, & quæ iuris publici essent, non sua. Cæsar profligato Pompeio, cùm rem suam constituisset, tantùm effudit in milites, vt, cùm opes aliæ non sufficerent, coactus fuerit exhaurire publicum ærarium. Hoc Samuel futurum multò ante prædixerat, vt Reges hominum priuatorum vineas, & bona eriperent, eaque suis militibus atque emissarijs condonarent, illisque sæpè nequissimis, qui omnia loquerentur ad gratiam, D nec spectarent quid verum esset, sed quid maximè placeret Regi.

Eo quòd suscitauerit filius meus.] Dicit quidem hoc Saul, sed non probat. *Seruum meum.*] At contrà Antigonus apud Ælianum libro secundo variarum historiarum, capite vigesimo, cùm suum ipse filium efferre sese insolentiùs cerneret, dixit: An nescis, fili, τὴν βασιλείαν ἡμῶν ἔνδοξον οὖσαν δουλείαν, nostrum regnum nobilem esse seruiturem? Apud Diodorum Sesostris, cùm defunctus belli laboribus ad templorum structuras & molitiones animum traduxisset, excitatis molibus inscripsit, Non Ægyptiorum, sed seruorum opera se vsum fuisse: ciues scilicet à seruis distinguens. Idem facit & Salomon libro 3. Regum, capite nono, versu vigesimo secundo.

Ælianus.

Diodorus lib. 2.

Scriptura Reges ciuiú fratres vocat.

Lex

ET NON TST QVI, &c. Lex ipsa Dei, Deuteronomij capite decimo septimo, *Non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non sit frater tuus.* Et iterum versu vigesimo, *Non eleuetur cor eius in superbiam super fratres suos.* At hic Saul videtur augere contemptum velle ex personæ indignitate. Fortassis ita appellat seruum, quòd priuatim eidem seruisset, vt solent mercede conducti. Sed ad conferendum beneficium, non ad merendam stipem vocatus ad eum venerat: neque aut illum pater cuiquam addixerat, aut ipse se illi pretio emancipauerat. *Seruum meum.*] Nonnullus ex eorum grege, qui seruitutis iugo pressi seruiunt illiberaliter, liberè tamen ac fortiter respondet apud Philemonem Comicum,

Meus enim est dominus vnus vir:
Tua, aliorumq. innumerorum domina lex est.
Aliorum tyrannus: tyrannorum metus.
Sunt Regum serui, Rex Dei,
Deus necessitatis. Atque omnia prorsus, si perpendas,
Aliorum ex nutu pendent, & maiorum minores:
Illis semper hac seruiant necesse est.

Ne Deum quidem censuit esse liberum, arbitratus eidem necessitatem imperare. Sed vnde illa necessitas quam Deus non peperit? an habes aliam præterea rerum scaturiginem? vnde manare necessitas possit? Quod si necessitatis Deus autor est, ergo huic quoque arbitratu suo moderatur. Sed quid mirum, si, cùm versaretur in tenebris Gentilis Poëta, impingat, & cespitet?

Artes tyrānice regnā tium. *Insidiantem mihi vsque hodie.*] Obijcit Dauidi insidias, cùm ipse potiùs illi strueret insidias. Nam Saul libere ac latè imperabat. Dauid autem ne angulum quidem habuit vllum, quò se reciperet: idque euentus etiam docuit. Postea enim bis dimisit Saulem, cùm illum iam haberet in manibus. Non magis erat Dauid insidiator, quàm Christus seductor & impostor: qui tamen ita vocatus est ab impijs. Sed *non erant vt conuenientia* dicta in vtrumque *testimonia.* Vulgare prouerbium est: Qui suum canem cupit ire perditum, priùs illum iactitat rabie esse correptum. 3 Reg c. 21. *Prædicate,* ait Iezabel, *ieiunium, & sedere facite Naboth inter primos populi, & submittite duos viros filios Belial contra eum, & falsum testimonium dicant: Benedixit Deum & Regem: & educite eum, & lapidate, & sic moriatur.* Hæ sunt artes regnantium, postquam eos Dei timor destituerit.

Ælian. *Insidiantem mihi vsque hodie.*] Nihil improbo Principe meticulosius, nusquam secura est mala conscientia. Phrygium est hoc dictum, inquit Ælianus libro decimo capite quinto variarum historiarum. Est enim Phrygis Æsopi: Tyranni cū sue lepida cōparatio suem, si quis eam comprehendat, vociferari, idque non temerè. Etenim cùm neque lanam portet, neque quicquam aliud eius generis, statim mortem somniat, non ignorans seipsam vsui esse vrentibus. Similis autem mihi videri solent sui Æsopicæ tyranni, qui semper in suspicionibus & metu versantur: quum sciant sicut sues, suam animam omnibus deberi. Hæc Ælianus. Eosdem habitus induunt etiam legitimi Principes, postquam ab officio deflexerint, A animumque ad tyrannidem transtulerint; non sine causa veriti, ne exemplo suo ciues ius violare discant, & quod nocet, non iam factum, sed vulgare ac profanum ducere.

VERSVS IX.

Respondens autem Doeg Idumæus, qui assistebat, & erat primus inter seruos Saul: Vidi, inquit, filium Isai in Nobe, apud Achimelech filium Achitob Sacerdotem.

VERSVS X.

B

Qui consuluit pro eo Dominum, & cibaria dedit ei: sed & gladium Goliath Philisthæi dedit ei.

QVi *assistebat, & erat primus inter seruos Saul.* Hebraicè simpliciter, *& ipse constitutus super seruos Saul.* Ita Pagninus. Quidam tamen habet, *qui & ipse stabat iuxta seruos Saul.* Alius, *qui adstabat cum seruis Saul.* Vatablus, *qui & ipse stabat inter seruos Saul.* Chaldæus, *& ipse præpositus super seruos Saul.* Septuaginta, Δωὴκ ὁ Ἰδουμαῖος, ὁ καθεστηκὼς ἐπὶ τὰς ἡμιόνους Σαοὺλ. *qui assistebat,* Romana editio, *qui præsidebat super mulas Saul. Syrum,* non *Idumæum* Romana editio vocat. Ἀχιτὼβ τὸν ἱερέα, *filium Achitob Sacerdotem.* Hebræus non C habet *Sacerdotem.* Versu decimo, Chaldæus, *Et quæsiuit illi in dicto Domini.* καὶ ἐπηρώτα αὐτῷ διὰ τοῦ Θεοῦ. *Et consulebat ei per Deum.* Alius, *qui consuluit pro eo Iehouam;* vt cognosceret, an sacros panes tantùm Sacerdotibus concessos, & gladium semel Deo sacratum, ad alios vsus transferre fas esset: sed hoc impius Doeg reticet, vt ex coniectura statuatur Achimelecum esse reum initæ cum Dauide conspirationis, quod docent sequentia, & non obscurè ostendit Dauid Psalmo quinquagesimo secundo. Commentum istud non placet. *Et cibaria dedit ei.*] Quidam, *viaticum;* Vatablus, *commeatum;* Pagninus, *escam.*

Variæ trāslationes.

Respondens autem Doeg Idumæus.] Persarum, inquit Ælianus variarum historiarum libro duodecimo, capite sexagesimo secundo, Persarum consuetudo fuit, vt si quis de rebus obscuris ambiguisque consilium Regi dare vellet, ἐπὶ πλίνθου χρυσῆς, super aureo latere staret: atque si bona salubriaque in medium consuluisse videretur, latere in consilij præmium accepto discederet: μαστιγοῦται δὲ ὅμως ὅτι ἀντεῖπε βασιλεῖ, nihilominus tamen flagris cæditur, quòd Regi contradixit. At homini libero non est meo iudicio digna merces, quæ cum iniuria tanta comparetur. Hæc Ælianus. D

Qua mercede olim Persarum Regi bene consulere licuerit. Ælianus.

Qui assistebat, & erat primus inter seruos Saul.] Non adest Ionathas in hoc concilio. Nec mirum: illum enim pater dixerat vnà cum Dauide conspirasse. Sed nec Abner quidem Scriptura meminit, cùm esset ipse ductor exercitus: sed hîc Doegum reliquis seruis Saul præficit. Do-

ET ERAT PRIMVS, &c.

cent autem Septuaginta, eundem mularum gregibus fuisse præpositum. An fortè is fuit, quem nunc *stabuli comitem* dicimus? Videtur Saul etiã post adeptum regnum mularum studiosior fuisse: siue quòd is antea non parum oblectabatur: siue quod dum errantium vestigia sequitur, nactus sit imperium: siue quòd angaris vteretur, & ad onera portanda in montana potissimùm regione duceret vtiles. Negat Ælianus libro duodecimo, capite decimo sexto histor. animal. εἶναι φύσεως ποίημα τὸν ἡμίονον, mulum esse naturæ opus, sed humanæ machinationis audaciæque, vt ita dicam, adulterinum inuentum & furtum. Feros in India reperiri docet libro decimo sexto, capite nono, ab immanibus & carniuoris nihil differentes. Sunt autem rubri illi, nec bimis maiores vlla arte cicures euadunt. Fertur & Ana quidam ex posteris Esau, Genesis capite trigesimo sexto, versu vigesimo quarto, inuenisse mulos *in solitudine, cùm pasceret asinos Sebeon patris sui.* Nam quo loco Vulgatus habet *aquas calidas*, hoc est, thermas, Hebræi ferè פְּרָדִים *peradim*, siue *mulos* intelligunt. Hebraïcè יֵמִים *iemim* scriptum est: quæ dictio neq, vspiam alibi apud Hebræos, neque apud vicinas gentes occurrit: ex quo sequitur, vt eius quoque significatio incerta feratur, & appareat quàm temerè Isidorus Clarius in Scholijs hallucinatum esse nostrum interpretem pronuntiet. Sed Hebræi, quoniam eodem loco asinorum Scriptura meminit, quos Ana ille pasceret in desertis locis, *mulos* designari conijciunt. Vulgatus מַיִם *maÿm* interpretari maluit, id est, *aquas*. Septuaginta difficultate deterriti, ἰαμείν retinuerunt. Et Aquila quidem & Symmachus, τοὺς ἰαμείμ, quæ interpretatio pluralem numerum significat. Septuaginta verò & Theodotion, τὸν ἰαμείμ, quod numerum singularem indicat. Itaq; apud Græcos quidem & nostros, vt inquit sanctus Hieronymus Tradit. in Genes. super hoc silentium est: at Hebræi multa & varia disputant. Alij enim putant, *iamim*, *maria* appellata. ijsdem enim literis scribuntur *maria*, quibus & nunc hic sermo descriptus est. Et volunt illum, dum pascit asinos patris sui in deserto, *aquarum congregationes* reperisse, quæ iuxta idioma linguæ Hebraïcæ *maria* nũcupantur; quòd scilicet stagnum repererit: cuius rei inuentio in eremo difficilis est. Nonnulli putant, *aquas calidas* iuxta Punicæ linguæ viciniam, quæ Hebrææ contermina est, hoc vocabulo signari. (Adde his quod Targum *gigantes* interpretatur.) Sunt qui arbitrentur, onagros ad hoc admissos esse ad asinas, & ipsum istiusmodi reperisse concubitum, vt velocissimi ex his asini nascerentur, qui vocantur *iamim*. Plerique putant, quòd equarum greges ab asinis in deserto, ipse fecerit primus ascendi; vt mulorum inde noua contra naturam animalia nascerentur. Hactenus sanctus Hieronymus. Quem idcirco pluribus referre volui, vt Hebræorum simiæ suas nugas à sancto Hieronymo non ignoratas, sed contemptas intelligant: nec Vulgatum Interpretem, quem ille collustrauit sua diligentia, nisi temerè posse calumniari. Commentum verò Hebræorũ, quòd idem ille Ana manser, siue spurius ex nefando concubitu fuerit, & filius fratris sui Sebeon, latè explicat Fagius in eundem locum Paraphr. Onkeli, & quo pacto equas cum asinis miscuerit: verùm, vt admonet Schindlerus in Pentagl. non equas, sed asinos pausse scribitur. Deinde, verbum מָצָא *matsa*, *inuenit*, non rem quæ antè non fuerit, excogitare denotat, sex existentem reperire, & in eam incidere. Quare, & si fortè primus inuenit, non tamen excogitauit.

Sed siue Ana primus vt muli nascerentur operam dedit, diuersasque species sollicitauit ad coïtum: siue feros, vt Ælianus habet, in eremo nactus, deduxit ad homines: statim vtiq; pluris fieri cœpti sunt. Mulæ Dauid insedit, postquam regni potitus est; & mulæ Salomon regnaturus imponitur: sed & mulum Absalon sibi vsurpasse fertur, cùm regnum exacto patre inuasisset. Sunt sanè equis muli diuturnitate vitæ præstantiores. Excellunt item robore: quapropter videtur Targum dixisse eos *gigantes*, non quod Ana cum gigantibus, vt nonnullus exponit, pro armentis in solitudine conflixerit: vnde אֵימִים *emim* legisse putat pro יֵמִים *iemim*: sed quòd fortes designare studuerit, vti vertit Fagius apud Onkelum, & fusiùs explanat in Commentar. Testantur præterea qui de eorum natura scripserunt, perinde vt canes odoratu valere, & semitam olfactu rimari. Adhæc, vt est in veteri prouerbio, mutuùm muli scabunt, seque beneuolentia complectuntur. Pollere autem ingenio quis neget? Accidit, inquit Ælianus libro septimo de Animalibus, capite quadragesimo secundo, cùm aliquando mulus sale onustus fluuium transmitteret, vt caderet, & sarcina euerteretur, sal autem aqua perfusus liquefieret. Is ex eo quod iam ab onere solutus, & liber factus esset, magnam lætitiam voluptatemque cepit; & simul vt quantum inter laborem & otium interesset, cognouisset, in reliquum tempus fortunam sibi magistram statuens, quam primò labem & casum inuitus fecisset, deinde summa cum voluptate prudens & sciens admittebat. Solus autem Thales Milesius, vt pote summus Philosophus, muli solertiam arte vincere potuit, spongijs lanaque ingeniosum mulum onerans: qui mox vt fraudem sensit, prudenter deinceps à lapsu abstinuit. At sunt qui callidum eius consilium non probent, tametsi reuera cur quisquam reprehendat quòd sibi consuleret? Alium tamen ex eodem proferam, quem publico decreto Atheniensium ciuitas virtutis ac pietatis ergo decorauit. Atheniensis mulus, inquit, iam vetulus, quamuis immunitate vecturarum iam donatus esset, non laborum tamen, qui per affectam ætatem obiri queunt, studio exolutus esse voluit. Nam cùm Mineruæ templum Athenienses ædificarent, is nulla re onustus, nullius imperio, sed sua sponte cum adolescentibus mulis, tanquam ad iter faciendum socius & hortator ibat. Et quemadmodum quispiam senex artifex, per exactam ætatem iam ab opere dimissus, veruntamen experientia, & senili doctrina iuuenes ad laborem exacuens, sic is vltrò citróque commeans, ad opus iumenta incitabat. Quod quidem ipsum vt Atheniensis populus intellexit, per præconem

ET ERAT PRIMVS, &c.

Ælianus

Vulgatus defensus. Gen. c. 36.

S. Hieron.

Mulorum laus & commendatio.

Robur.

Odora vis.

Ælianus.

Mutua beneuolentia.

Prudentia.

Religio.

Et erat primus, &c.

nem declarari iussit, vt ne à frumento, aut hordeo prohiberetur: sed expleri & satiari permitteretur, & pretium ex ærario peteretur: tanquam in Prytaneo sportula illi decreta, sicut athletæ iam ætate confecto. Hactenus Ælianus.

Præsagitio

Porrò etiam hoc pacto muli futurorum conscij & vates haberi possent. Nam cùm, vt Ctesias autor est apud Photium, Artoxerxis Regis Persarum corpus non ita pridem defuncti, in Persidem deportandum esset, regnante filio eius Xerxe, mulæ, quæ currum trahebant, tanquam filij cadauer expectantes, i er pergere nolebant: sed posteaquam idem mox Secundiani insidijs sublatus, ad patris funus accessit, tum sponte maturare fugam ipsæ cœperunt.

Artemidorus.

Laborandi studium.

Sed & illud ad eorum laudem commendationemq; pertinet quod habet Artemidorus Oneirocrit. libro secundo, capite duodecimo: Muli, inquit, πρός τι ἐπιτήδειοι, ad omnia commodi sunt, propterea quod ad operas commonefaciunt, & maxime ad agriculturam.

Pausanias in Eliac.

Namq. hac parte bobus mulūm sunt anteferendi. citat ex vetere Poëta. Eleis tamen, si Pausaniæ credimus, olim inter portenta muli fuerunt, vsqueadeo, vt animal id intra fines ali religio esset.

Muli, malū portendūt in somni.

Sed & illud Doeg obseruare vererique debuit, ne dum alteri machinatur malum, ipsæ sibi mulæ, quibus pascendis Regis gratiam demeruisse videbatur, exitium portenderent.

Achmes.

Achmetis certe celebre effatum est, quod annotauit cap. 231. Oneirocriticorum ex Persarum Ægyptiorumque disciplina. Αἱ γὰρ ἡμίονοι πᾶσαι ἄρρεν καὶ θῆλυ εἰς ἀνατροπὴν παντὸς πράγματος ἐπὶ ἀνθρώπου κρίνονται. Omnes enim muli & mulæ, omnium rerum subuersionem homini portendunt, propterea quod steriles sint, & procreare neuter sexus possit.

Cæterùm, inter tot seruos Saulis, hic solus mulis præfectus Doeg inuentus est, qui aut spe maioris commodi pellectus, aut liuore incitatus, id quod viderat per summum scelus proderet. Erat autem ille in summa gratia apud Saulem: quod etiam ipsum ad Regis infamiam spectat, quod aures suas præberet delatoribus. Iusti quidem accusatores probandi sunt in Republica: obstringunt enim se ad probandum, quicquid dicunt. delatores autem susurris, & leuissimis suspicionibus sæpè omnia perturbant.

Vidi filium Isai in Nobe, apud Achimelech.] Viderat quidem ista geri Doeg: sed conspirationem iniri non viderat. Nihil enim horum est, quod non potuerit benefieri: sed ea ratio est adulatorum, vt si Principem incaluisse perspiciant, eundem studeant incendere, & ex stulto prorsus insanum facere. Doeg, quicquid viderat, deprauat. Mala enim mens, & malus animus semper omnia rapit in deteriorem partem. In istum scriptus est à Dauide nominatim Psalmus quinquagesimus secundus: *Dilexisti*, inquit, *malitiam super benignitatem, iniquitatem loqui magis quàm loqui æquitatem.* Neque dissimulauit eius exitium: *Euellet te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuentium.*

Filium Isai.] Ne iste quidem Dauidem vult appellare suo nomine, quo magis videatur imitari Principem: fortasse vt aliquid prædæ ab illo extorqueat. Ideoq. Dauid in eo Psalmo, quem dixi, ita in eum scribit: *Qui non posuit Deum adiutorem suum, sed sperauit in multitudine diuitiarum suarum.* Qui ita sunt comparati, illis nihil magis studio est, quàm assentari Principi. Adfert Doeg non solida argumenta, sed tantùm signa quædam, eaque leuissima. Ea tamen credulo tyranno, & sua sponte furenti facilè persuadent.

Ergone Doeg Sacerdotem deferens non poterit excusari à scelere?

QVÆSTIO L.

Quæ rationes Doeg factū tueri videantur.

Sed ne fortè videar hominem clamore conuicioque vrgere potiùs, quàm falsitatis & flagitij conuincere: & quod imperiti faciunt, in scelera & mores vehementiùs inuehi, personam non attingere: singulas partes eius accusationis diligentiùs excutiam. Nam sunt quibus primùm videri possit non esse mentitus. nam quæ ipse commemorat, eadem verè contigisse paulò antè Scriptura narrauit. Secundò, officij eius fuisse videtur, vt suo Regi morem gereret, & si quid eorū nosset quæ circa Dauidem gererentur, afferret in medium. Tertiò, mentem eius consiliumque expendere non debuit. Non enim qui viuunt alterius obnoxij imperio, quò spectent Principes hoc scire tenentur, vt iudicent: sed satis erit si norint quid imperent, vt obsequantur. Quartò, cùm nihil ipse fingeret, aut mentiretur, in animum inducere debuit, hoc decreturum apud se Principem, quod æquū atque vtile videretur. Quid si etiam quintò idem ipse humanùm sapiens, alienam à Dauide suspicionem non credidit, sed regnandi cupiditate teneri, præsertim asserente Principe, qui eundem priùs singulari beneuolentia complexus generum asciuerat. Itaque prudenter non expectandum ratus dum ille corroborata factione Regem opprimeret, deferre maluit. Sed & illud quoque animaduertendum est, cùm à legitimo Principe interrogaretur, neque silentio tegere, neque sermonis amphibologia, illa, quorū esset conscius, dissimulare potuisse. Quid si denique extimuit, ne suo periculo quispiam ad Regem deferret, & celasse conuictus quæ Rex in suam tentari perniciem interpretaretur, silentium capite lueret. Hæc ferè sunt, quibus Doeg suum factum tueri possit. Nunc ea quantum ad eius defensionem conferre valeant, breuiter examinemus.

Refellūtur argumēta, & Doeg reus cōuincitur.

Primùm itaque, quod ad mendacium attinet, absit vt ego eum excusandum censeam, quin potiùs teterrimè mentitum fuisse manifestis rationibus probabo. Quantum enim ex Saulis expostulatione querelisque potest intelligi, Dauidem moliri insidias conquestus est, idque clàm se fieri exprobrauit, cùm serui sui dare operam maturè debuissent, vt resciret. Quare, cùm de proditione quæstio instituta esset, respondit Doeg se Dauid in Nobe conspexisse. Quid igitur hoc spectat, inquis, ad perduellionis cri-

VIDI FILIVM ISAI, &c.

Simpliciter & candidè rem ipſam narra- A
[illegible] imò cùm de proditione rogaretur ſi quid
[illegible]ſer, dixit hoc teſtimonium. Quis dubitet de
[p]roditione eſſe loquutum? Percunctanti vt arbitror ſtuduit ſatisfacere. Hoc porrò non aliter potuit conſequi, quàm ſi hæc ad defectionem referret, aut referre velle videretur. vtrumque porrò quis neget cum ſcelere eſſe coniunctum? Quid ſi mente tamen à calumnia abhorruit? Videri non poteſt. Neque enim cùm ſciſcitanti hæc ipſa nuntiaret, excuſatione vſus eſt, aut aſſeruit nihil coniurationem attingere. Quinetiã ea verborum emphaſi vſus eſt, quæ rem perſpicuè aſſeueret. Nam qui verbum ex verbo curioſiùs transferunt, ita hunc locum interpretantur: *Vidi filium Iſai venientem in Nobe ad Achimelech*. Cur autem in Nobe? cur ad Achimelech? verba ſunt quæ ſuſpicionem pariant, quæ conſpirationem loqui videantur: nec aliter Saul accepit. Tabernaculi autem quare non meminit? quoniam is locus ſuſpicione careret. Atqui eò properabat Dauid, vt oraculum conſuleret? An non igitur manifeſti mendacij tenetur, & proditæ veritatis reus eſt?

Regibus autem parere æquum eſt: ſic tamen, vt Deo primùm obtemperes. *Obedire*, inquiunt Apoſtoli, *Deo oportet magis, quàm hominibus*. Deinde haudquaquam is mihi morem gerere videtur, qui proditorem poſtulatus, prodit innocentem. Tertia ratio eò ſpectat, vt Regibus, quoad poſſis, tentes obſequi: nec antè imperium detrectes, quàm manifeſtum ſcelus appareat. Latere autem Saulis inuidia furorq; Doeg non potuit. Eodem cuneo quarta illa cauillatio C truditur. Quinti quoque argumenti vis nulla eſt. Non enim ſic cauere licet, vt alteri noceas: aut de corruptis improborum moribus coniecturam capere, vt innocentem, quem nulla certa ratio premit, morti adjudices. Ad ſextum reſpondeo. Non ſatis liquet ex ipſo contextu orationis quid aliud Saul efflagitauerit, quam Dauidis inſidias & clandeſtina conſilia renunciari ſibi. Horum ergo Doeg quum nihil deprehendiſſet, non videbatur Regis præcepto cogi, vt aliunde inſonti negotium faceſſeret. Quæ neſcias, ne Deus quidem vt reueles, imperabit. Sed & Regum opinor nonnulla interrogatio æquitate nititur, nonnulla quandoque cum iniuſtitia iuncta eſt. An verò cenſes etiam manifeſtè iniuſtis omninò eſſe parendum? Proprio denique periculo ab officio deterreri non debuit: D nec ſatis quiſquam ſeipſum in iudicio defendet, ſi declinandi periculi gratia inſontem quempiam ſe dicat occidiſſe. Ea eſt diuinarum legum ſanctitas, vt metus excuſationem non admittant, ſed poſtulent etiam in ſummo diſcrimine ſeruari.

Reliquæ rationes cõfutantur.

Qui conſuluit pro eo Dominum.] Miror qua conſcientia Sacerdoti objiciendum putet, quod rogatus à Dauide, *conſuluerit Dominum*. An genus hoc criminis eſſe ducat ſi quiſquam vel peſſimus Dei conſilium expetat? Vereri opinor non debuit, ne Deus Sacerdotis miniſterio Dauidi conciliatus, ſceleri conſentiret. Et quidem ſi, cùm eſſet immundus, vel eorum iudicio, penes quos ea poteſtas fuit, iuxta phraſim Euangelicam, *extra Synagogam factus*, ſacri epuli particeps fieret, videri poſſet Pontifex in legem ceremoniaſque peccare: ſed in re dubia atque ancipiti Dei reſponſum petere nemo prohibetur. Tametſi enim oraculi non mediocris fauor eſt, quo Deus hominibus voluntatis ſuæ ſignificationem dat: illud tamen magis ad docendum pertinet, quod errantibus alieniſque cum primis neceſſarium eſt, quàm ſpectet ad vllum religionis emolumentum, quo alieni priuari debeant. Porrò nemo autore ſapiente fit deterior. quanto minùs Deo?

Dicet aliquis, cùm is ſua vota ac deſideria Sacerdoti committeret, ea Dauidem indicaſſe ex quibus eius fugam cœptuſque colligeret. Non eſt neceſſe. Nam eo modo quæ vellent ſciſcitantes exponebant, vt rei, quam ſuſciperent, B euentum percontarentur: ſed illa, cuius generis eſſet, priuatim non aperiebant. Quinetiam quandoque nonnulli, qui ab alijs ad Prophetas allegati eſſent, aut perſonam mentiti, aut celaſſe reperiuntur. Certè nulla ratio fuit, cur ſingillatim quiſque ſuos conatus aut ſtudia exprimeret, cùm vno atque altero verbo, iubendo, aut vetando, quæſtioni ſatisfieret.

VERSVS XI.

Miſit ergo Rex ad accerſendum Achimelech filium Achitob, & omnem domum patris eius, Sacerdotum, qui erant in Nobe, qui vniuerſi venerunt ad Regem.

De ſancto Leontio Tripoleos Lydiæ Epiſcopo multa narrat Suidas in voce Λεόντιος. inter quæ etiam hoc habet, quòd cùm ab Euſebia Conſtantij Imperatoris vxore, vt ſe inuiſeret ac ſalutaret pollicitationibus inuitaretur, reſponderit: Si volueris me venire ad te, conſeruata reuerentia Epiſcopis debita, vt ego quidem ingrediar, tu verò ſtatim de ſublimi ſolio deſcendens, cum reuerentia mihi procedas obuiam, & caput meis manibus ſupponas, benedictionem acceptura, deinde vero, ego ſedeam, tu verò ſtes verecundè, cùm iuſſero, ſigno dato, ſeſſura, ſi ſic facere volueris, ad te veniam. Sin alio modo in animum induxeris te gerere, non tam multa dabis, nec adeò magna præſtare poteris, vt nos remittentes de honore Epiſcopis debito, ſacerdotij diuinam legem per contemptionem videmus. Narrat deinde quemadmodum illa, cùm muliebri impotentia fureret, ab Imperatore in Gynæceum ablegata eſt. Quid Valentiniano Imperatori acciderit, refert ſanctus Seuerus Sulpit. cùm enim adeunti ad ſe ſancto Martino ſtatuiſſet non aſſurgere, flamma thronum corripuit. Sanctus Ambroſius Maximi Imperatoris etiam oſculum aſpernatus eſt, offenſus quòd in Prætorium vocatus eſſet. Reliqui ferè Imperatores & Reges, quicunque à fide ac pietate Catholica non deſciuiſſent, religioſo cultu ac reuerentia Pontifices & Epiſcopos

Suidas.

Qua reuerentia, quo cultu Epiſcopi excipiendi ſũt.

Præsto svm, &c.

pos prosequuti sunt. Sed redeo ad eundem illum Leontium. Constātio, inquit Suidas, nonnunquam inter Episcopos prçsidente, & Ecclesijs imperare volente, plerique quidem quicquid ille dixisset, cum plausu & admiratione excipiebant, optimè dictum affirmantes: hic verò tacebat. Cùm autem Imperator ipsum interrogasset, Quid tu solus omnium taces? Miror, inquit, quomodo rebus alijs administrandis præfectus, alias aggrediaris. Nam rebus quidem bellicis, & ciuilibus es præfectus, Episcopis verò ea præscribis, quæ ad solos Episcopos pertinent. Imperatorem autem verecundia motum, in posterum ab eiusmodi edictis abstinuisse.

Versvs XII.

Et ait Saul ad Achimelech: Audi, fili Achitob. Qui respondit: Præstò sum Domine.

PRæstò sum Domine.] Ita sancti Episcopi, & summi Pontifices, cùm Reges & Imperatores filios vocant, tum etiam dominos dicere non dedignantur. Frequens ea appellatio est, & benè solemnis apud S. Gregorium in Epistolis. Quàm bellè hæc in eumdem quadrent, docet S. Thomas Cantuariensis in Epist. ad Henricum 2. Angliæ Regem, quam descripsi priore Tomo cap. 4. ver. 18 in 2. Parte tract. de potestate Ecclesiast. cap. 4. *Eò quòd*, inquit, *dominus*, debeo vobis & offero consilium meum, & obsequium, quodcumque debet Episcopus secundum honorem Dei, & sanctæ Ecclesiæ, domino. *Eò quòd filius*, officij ratione ad castigationem teneor & coërtionem. Corripit enim pater filium, nunc blandis, nunc asperis; vt vel sic prouocet eum ad benefaciendum, &c. Carolus Magnus, inquit Anonymus Monachus Annal. gestorum à Carol. cap. 80: cum die sanctissimo Natalis Domini ad Missarum solemnia basilicam B. Petri Apostoli fuisset ingressus, & coram altari, vbi ad orationem se inclinauerat, assisteret, Leo Papa coronam capiti eius imposuit, cuncto Romanorum populo acclamante: Carolo Augusto, à Deo coronato, magno & pacifico Imperatori Romanorum, vita & victoria. Post quas laudes à Pontifice more antiquorum Principum adoratus est. Hæc ille. Vnde colliges, cùm dicunt Pontifices Reges aut Imperatores suos dominos, ex animi sententia loqui, & quoad fas est & decet, regnātium maiestatem omni studio ac cultu prosequi, & non in speciem dumtaxat, aut verbo tenus, sicut hæretici calumniantur. Ridebat Martialis cùm diceret:

Cum voco te dominum, nolo tibi Cinna placere:
Sæpe etiam seruum sic resaluto meum.

At non ridemus: sed verè, & ex animo, vt inquit Tertull. ad Scapulam, cap. 2. colimus Imperatorem sic, quomodo & nobis licet, & ipsi expedit, vt hominem à Deo secūdum, & quicquid est, à Deo consequutum, & solo Deo minorem. Hoc & ipse volet. Sic enim omnibus maior est, dum solo vero Deo minor est.

S Thomas. Episcopi Regum patres, Reges Episcopi dominí.

Annales Anonymi.

Tertull.

Præsto svm, &c.

A Atqui Augustus, inquit idem Tertull. Apolog. cap. 34. Imperij formator, ne dominum quidem dici se volebat. Et hoc enim Dei est cognomen. Domini, vt scribit Suetonius, appellationem, vt maledictum & opprobrium, semper exhorruit. Cùm spectante eo ludos, pronuntiatum esset à mimo: O dominum æquum, & bonum! & vniuersi quasi de ipso dictū exultantes comprobassent; statim manu vultúq; indecoras adulationes repressit, & in sequenti die, grauissimo corripuit edicto, dominúmque se posthac appellari ne à liberis quidem, aut nepotibus suis vel seriò vel ioco passus est. Hęc Suetonius. Ad quæ alludere videtur Orosius lib. 6. Hist. ca. 22. Cùm eodem tempore, inquit, hic ad quem rerum omnium summa concesserat, dominum se hominū appellari passus non B est, immò non ausus, quo verus dominus totius generis humani inter homines natus est. Quin etiam mox Tiberius domini appellationem cùm deferretur, abnuit. Acerbè, inquit Tacitus Annal. 2. cap. 12. increpuit eos, qui diuinas occupationes, ipsúmque dominum dixerant. Vnde angusta & lubrica oratio, sub Principe, qui libertatem metuebat, adulationem oderat.] Plures olim profectò sic ab ea voce abhorruerunt, tanquam ea appellatio extremæ cuiusdam professio seruitutis esset. Atqui ea quoque ciuili imperio congruit, & Christiani libenter olim amplexi sunt, Tertulliano interprete Apolog. cap. 34. Dicam planè, inquit, Imperatorem dominum, sed more communi, sed quando non cogor vt dominum Dei vice dicam. Cęterùm liber sum illi: Dominus enim C meus vnus est, omnipotens Deus æternus, idem qui & ipsius. Qui pater patriæ est, quomodo dominus est? Sed & gratius est nomen pietatis, quàm potestatis; etiam familiæ magis patres, quam domini vocantur.

Sueton. in Octauio, cap 53. Dominos se non pauci Imperatores appellari vetuerunt.

Orosius.

Tacitus.

Tertull.

Versvs. XIII.

Dixitque ad eum Saul: Quare coniurastis aduersum me, tu & filius Isai, & dedisti ei panes & gladium, & consuluisti pro eo Deum, vt consurgeret aduersum me, insidiator vsque hodie permanens?

D SAul contra iùs & fas ipse & accusator esse vult, & iudex. Non oportuit quidem ita fieri: sed importunitas & impotentia non audit leges. Status accusationis est, Achimelech esse proditorem. Signa quæ ad probandum afferuntur à Saule, εἰκότα tantùm sunt, non τεκμήρια. Conspirasti, inquit. Achimelech negat. Quæstio est, in qua hæret omnis controuersia, An conspirauerit. Sed dices, Si erat innocens, quomodo succubuit? Respondeo, alias fuisse causas, cur Deus illum punitum vellet. Non rarò autem improbi plectuntur ob alia scelera, quàm de quibus accusantur: Multa enim, quæ latent oculos hominum, fallere Deum non possunt. Nec tamen Pontificem necesse

Non necessarijs, sed verisimilibus argumentis Saul nititur.

MANEAT, ORO, &c. nus Hierocles: qui deinceps eius muneris singulas partes exactè persequitur, quæ apud eundem commodiùs legi poterunt. Scribit autem vt Ethnicus, & quod à vera fide abhorret, non rarò multorum deorum meminit: verùm hæc nullo negotio corrigi poterunt, & mediocri adhibita cautione emendari.

Sincerior Sacrarum Scripturarum doctrina est, & diuinæ legis potior autoritas, quæ parentes iubet cum primis honorare. Quinimò solum illud præceptum est in tabulis Decalogi, quod singulariter ostenso præmio ac mercede pietatis cultores alliciat. Hoc ipsum obseruat Apostolus ad Ephesios scribens cap. 6. *Filij*, inquit, *obedite parentibus vestris in Domino: Hoc enim iustum est. Honora patrem tuum, & matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione: vt bene sit tibi, & sis longæuus super terram. Primum*, inquit, ἐν ἐπαγγελίᾳ *in promissione*. Cur non solum potius? quod enim est aliud in decem præceptis singillatim quicquam pollicens? Sed nec ἐπαγγελία tantùm promissionem significat: nonnulli accusationis genus quoddam videtur. Apud Pollucem Onomast. lib. 3. cap. 30. sect. 2. scriptum est, Καὶ σπονδῶν ἐπαγγελίαι. id est, & fœderum annunciationes, quod propius ad dictionis etymologiam accedit. Quinimò ne Græci quidem interpretes, si eorum translationem cum hebræo exemplari conferas, videntur satis constanter eo nomine promissionem intelligere potuisse. Nam Amos quidem 9. cap. versu 3. אגדה *agudah*, quem interpres noster *fasciculum*, & ipsi quoque Exodi 12. ver. 22. Pagninus cum Vatablo *peculium* hoc loco vertit: ipsi τὴν ἐπαγγελίαν interpretati sunt. Psal. autem 55. vers. 9. ספר *sepher*, quod nomen *librum*, scripturam, syngrapham, & alia variè designat, etiam ἐπαγγελίαν exposuerunt. Denique, nam pluribus vrgere non vacat, פרשת *Pharascath*, quam dictionem Esther cap. 4. vers. 6. ἐπαγγελίαν transferunt, statim cap. 10. eiusdem libri ver. 2. πλοῦτον siue *diuitias* reddiderunt. Verùm quicquid sit quod de ea voce statuas, illam S. Augustinus non agnoscit in lib. de decem chordis cap. 6. sed absolutè legit illud esse primum mandatum. Quod cùm intelligi secundum seriem non possit, non enim primum illud sed quartum quintúmue locum occupat: hanc esse sermonis illius rationem autumat, quod ab eo primum soleat seruandæ legis initium homo auspicari. Nam, vt ait, primùm ad parentes suos homo aperit oculos, & hæc vita ab eorum amicitia sumit exordium. &c. Hoc ergo idcirco primum habetur, quoniam ad reliqua viam munit & aditum parat. Primùm enim à teneris vnguiculis puer parentes, quos sui curam gerere videt, nosse incipit, & amore complecti, revereri etiam, & quoad eius fieri potest eorum iussis obsequi. Mox ab eis de Deo docetur, & ex his quæ didicit ijs, à quibus in lucem editus est, & hactenus educatur, præstare, colligit quo cultu, qua reuerentia, quo amore Deum prosequi debeat, quamque sedulò ac religiosè quæcunque præceperit exequi. Quamobrem non immeritò hoc veluti quoddam legis vestibulum dici potest, siue etiam ianua, per quam ad reli-

Examinatur præceptum de honorandis parentibus.

Pollux.

S. Augustinus. Quare primum mandatum.

A qua præcepta ingredimur. Ex quo deinde sequitur, vt nemo Deum pie sanctéque colat, qui parentes negligat: at qui eosdem perofficiosè & peramanter obseruare instituit, is profectò ad sinceræ religionis studia magnam sibi ianuam aditúmque reserauit. MANEAT, ORO, &c.

At præter hæc etiam aliud quippiam non minimi momenti Philo obseruat in eo libro, cui titulum fecit de Decalogo. Sequitur, inquit, quintum præceptum de honorandis parentibus situm in duarum tabularum confinio. Græcè Philo cui præcepto, πέμπτον αὐτοῖς δοὺς τῶν μεθορίων τῶν δυοῖν πεντάδων, id est duorum quinariorum. Sed parum refert, quemadmodum nec in sequentibus, quod τὰ ἱερώτατα non exprimit: satis enim sensum eius interpres assequitur. B Cùm enim, inquit, in prima sit vltimum, coniungit ambas, priori secundam applicans complexam ius quod nobis intercedit cum hominibus; quod ideo factum arbitror, quia τῶν γονέων ἡ φύσις ἀθανάτου καὶ θνητῆς οὐσίας ἔοικεν εἶναι μεθόριον, parentum natura videtur mortalis & immortalis substantiæ confinium: Mortalis, propter cognationem cum hominibus, & cæteris animantibus, & propter corpus corruptibile: ἀθάνατον δὲ immortalis verò, διὰ τὴν τοῦ γεννᾶν πρὸς θεὸν τὸν γεννητὴν τῶν ὅλων ἐξομοίωσιν, quia gignendo refert Deum genitorem omnium. Hæc Philo.

Præceptum illud Philo vocat duarum tabularum μεθόριον.

Dauid igitur prospiciendum censuit parentibus suis iam senibus, & ætate confectis *Donec sciam quid faciat mihi Deus*.] Hîc operæpretium est videre modestiam Dauidis. Non enim ait, Quid ego meis viribus, aut consilijs facturus sim: sed quid facturus sit Dominus. Et certè C quod tam cupidè expectauit, accepit. Dominus enim statim ad eum misit Gad prophetam. Habuit ergo mox Dauid, non tantùm militem, sed etiam prophetam: illud erat porrò magnum indicium fauoris diuini. Quæ enim in rebus afflictis esse potest maior consolatio, quàm notitiam habere diuinæ voluntatis?

Et manserunt ibi.] Memento Ruth Moabitidis quæ nupsit Booz, & Obed genuit auum Dauidis. Idcirco ad hanc gentem potius quàm ad aliam confugisse videri potuit. Quid si erat ille Naas idem Rex Ammonitarum qui cum Saule conflixit ad Iabes? Apparet. Nam sequenti lib. cap. 10. Dauid hoc beneficium agnoscere videtur, mittitque qui consolentur Annonem de obitu patris. Scribit R. Salomon Regem il- D lum Moabitarum, postquam Dauid in Iudæam se recepisset, parentes eius & cognatos occidisse præter paucos qui ad Nahas incolumes euaserunt, quos ipse suo præsidio tuitus est. Sed hoc commentum est, & Iudaica fabula. Arcis verò præsidijque Scriptura meminit: vnde patet Dauidem stipendio à Rege adiutum, & arci præfectum fuisse.

Et manserunt apud eum.] In antiquis Burgundionum legibus me legisse memini Tit. 38. §. 1. & 2. Quicunque hospiti venienti tectum aut focum negauerit, trium solidorum inlatione mulctetur. Si conuiua Regis est, vi. solidos mulctæ nomine soluat. Et rursum §. 7. Si quis in in agro regio vel colonica voluerit adplicare, & non permissus fuerit, colonus fustigetur.] Cæterùm

DIXITQVE GAD, &c. terùm insignis olim Germanorum hospitalitas, qua mortalium quemquam tecto arcere nefas habebant. Cæsar. lib. 6. Tacitus de moribus Germanor. De Slauis memorabile item illud est, quod Helmoldus narrat Chron. lib. 1. cap. 83. *Si quis verò quod rarissimum est*, peregrinum hospitio remouisse deprehensus fuerit, huius domum vel facultates incendio consumere licitum est, atque in id omnium vota pariter conspirant; illum inglorium, illum vilem, & ab omnibus exsibilandum ducentes, qui hospiti panem negare non timuisset. Hactenus ille. Lucanis lege sancitum nouimus, ne quis Sole occaso diuertentem hominem exigeret: quod si fecisset, κακοξενίας agebatur reus, atque eo nomine mulctam subire, prorsus necessum erat. At contra hospitum expulsionem Plato Legum 8. probauit. Lycurgi placita æmulatum ferunt, qui vt autor est Thucydides idcirco vetuit hospites præterquàm statutis diebus admittere, ne vel Laconum politiam imitari studerent vel eorundem moribus rubiginis aliquid affricarent. Siquidem corpora peregrina, peregrina consectatur oratio: noua autem oratio κρίσεις καινὰς ἐπιφέρει vnde peregrinas quoque affectiones oriri non rarò contingit. Cæterùm, vt Theopompus scribit à pluribus Laconum ξενηλασία seu hospitum expulsio incessitur: quæ labes nomini Romano nonnusquam etiam ab Ammiano inuritur. Postremò, inquit, ad id ventum indignitatis est, quum peregrini ob formidatam haud ita dudum alimentorum inopiam pellerentur ab vrbe præcipites, & auctoribus liberalium disciplinarum impendio paucis sine respiratione vlla extrusis, tenerentur mimarum asseclæ veri, quique id simularant ad tempus. Et tria millia saltatricum ne interpellata quidem cum choris, totidemque remanerent magistris. &c. Hospites & quidem Leuitæ atque adeò Angeli à Gabaonitis & Sodomitis quam malè fuerint habiti Scriptura docet; sed nec statim supplicia quoque horrenda tacet quibus diuina iustitia in perditissimos nebulones animaduertit.

VERSVS V.

Dixitque Gad propheta ad Dauid: Noli manere in præsidio, proficiscere, & vade in terram Iuda. Et profectus est Dauid, & venit in saltum Haret.

Variæ trāslat. PAgninus, *Ne maneas in arce.* Arias, *munitione.* Pagn. *vade, & ingredere terram Iuda.* Arias, *& ingredieris tibi terram Iuda.* Pagninus, *& venit in saltum* [*caeduum.*] (Arias, *siluam*) *Chareth.* Isidor. Clarius in Annotat. Monetur hîc Dauid per prophetam Domini, vt sese recipiat in terram Iuda, & habitet in tribu atque cognatione sua: illi enim non facilè permisissent Saul tyrannicè agere cum Dauid, contra ius & æquitatem.] Mihi non probatur hæc ratio. A Tametsi enim insidijs apud suos minus foret obnoxius, nusquam tamen legimus tentasse Iudæos Saulis impios conatus armis frangere, cùm reduci perniciem quæreret: sed primùm quidem religioni suorum periculum imminebat ex consuetudine Moabitarum, qui idola colerent: deinde, hoc dis. ere debuit, *Deo magis fidendum esse quàm hominibus.* Alius, *Edixit autem propheta Gad* &c. Cuius fit mentio 2. Samuel. 23, & 1. Paralip. 21. & 2. Paral. 29. habet is quoque *siluam Cheretha.* Vatablus, *Noli desidere in arce ista, &c. venit in sylvam Hareth.* Hebraice יער חרת *Jaghar Hhareth. Iaghar,* siue *iaaar,* vt alij malunt, *syluam, saltum,* quemcunque locum syluestribus arboribus consitum significat, & per Synecdochen etiam *fauum mellis*; vt sup. 14. 24. quod ibidem apud Palæstinos magna copia reperiantur. Chaldæus, B *Non sedebis in Meszadia: veni & ito tibi ad terram domus Iuda.* &c. *Syluam Hhareth.* LXX. μὴ κάθου ἐν τῇ περιοχῇ. *Non maneas in præsidio.* Ald. Καὶ ἐκάθισεν ἐν πόλει σαρὶχ. Rom. *& sedit in ciuitate Saric.* Complutensis, Καὶ κατῴκει ἐν πόλει χαρὶθ. *& habitabat in ciuitate Chareth.* Potuit esse ciuitas vicina nemori.

Dixitque Gad propheta ad Dauid.] Gad mittitur ad Dauidem sine genealogia: satis est eum scire fuisse prophetam. Fuit alter Gad Zelphæ filius princeps tribus Gaditarum, quo nato Lia vxor Iacob exclamauit, *Feliciter.* Quis nouit an non idem fecerit Dauid? sanè prophetæ aduentus ad eius felicitatem pertinuit. Propheta apud Hebræos dictus est qui cum Deo familiariter conuersaretur, & cum eo colloquia misceret, sicut Abraham Genes. 20. Aliàs propheta est habitus qui futura prospiceret, & de Messia potissimùm vaticinaretur. Non rarò etiam prophetarum interpretes prophetas vocari inuenimus, vt Exodi 7. Aaron dum Mosis oracula explicat sua eloquentia, prophetæ nomen sortitus est. Hebraicam etymologiam alibi explicuimus. Græcè videtur dici. παρὰ τὸ φαίνεσθαι, quod rerum futurarum species manifestè ei obijciantur; Vel παρὰ τὸ φωνεῖν, quod oracula obscuriora, eloquendo exponat; Vel simpliciter à προφημι, quod futura prædicat; Vel denique παρὰ τὸ φαίνειν, id est, ostendendo & declarando, quod rerum euentus populo denuntiet. Apud prophanos autores passim indigitantur eo nomine idolorum mystæ ac sacerdotes, quales in Creta prophetæ Iouis. Talis apud Euripidem in Ioue Φοίβου προφῆτις, Phœbi prophetissa. Apostolus ad Titum vtitur ea voce pro poëta, cùm Epimenidem Cretensem testem laudat nequitiæ Cretensium. Hebræi prophetas alio nomine *Videntes* nuncuparunt. quare etiam Gad iste qui hoc loco propheta dicitur, alibi Dauidis Videns appellatus est. Eo Dauid peculiariter vsus est in consulendo Domino. Hic ille est, qui reprehendit Dauidem de censu populi, illique trium malorum optionem proposuit. Et verisimile est, eum scripsisse partem aliquam rerum gestarum à Dauide.

Propheta quis, & Græca etymol.

C

D

Etsi igitur Dauid paruas admodum copias habeat, tamen habet apud se copiam verbi Dei. Cōtrà legimus Saulem & numerosum habuisse

DIXITQVE GAD, &c.

A exercitum, & potentes atque instructos satellites. Nihil tamen auditur de verbo Dei. Imò Samuel iam abierat, nec amplius in eius conspectum venire voluit. Quid ergo boni de eo sperari potuit, postquam illi negata est prophetiæ gratia, & ereptum verbum Dei, quod eius pedibus pro lucerna esse debuit? Lege lib. 2. Paral. cap. 9. à versu 13. & deinceps. Ex his intelligimus quanti Scriptura sacra nobis facienda sit, & orthodoxi doctores, ex quibus perpetuò petenda sit voluntas Dei, ne queri possimus, nos non habere prophetas. Israëlitis quidem necessarij erant prophetæ: quia Respublica eà conseruanda erat vsque ad Messiam: quod sine diuinis consilijs & oraculis prophetarum fieri non potuisset. Nunc autem patefacto Euangelio, postquam regnum cælorum vim passum violentis reseratum est, non ita anxiè certis locis definitam Ecclesiam habemus: sed tam latè patet quàm patet orbis terrarum, nullo non loco tentorium figit: séque ipsam locat. Soli eius gratiæ expertes manent, qui eandem contumacius oppugnant: desiderantibus vbique sui copiam facit. Deinde populus Israeliticus, & imperitus erat rei militaris, & vndique cinctus hostibus: itaque opus erat præsenti consilio Dei. Ad hæc Iudæi natura cupidissimi erant rerum futurarum. Quare nisi habuissent prophetas, contulissent se ad ariolos. Præterea opus illis erat miraculis, vt in illa sancta societate cõtinerentur, vt coalescerent: neque tum Scripturæ ita passim innotuerant. Habebãt quidem illi legem, & patrum suorum aliquot monumenta, quibus ad pietatem erudirentur: sed non tanta copia vt haberet illa quisque præ manibus: penes Sacerdotes fere asseruabantur, reliquos pleraque latebant. At iam præter illa quæ palàm in Ecclesia euulgata sunt, accesserunt etiam Prophetæ, Euangelia, Epistolæ. Satis ergo nunc est oraculorum, vt nihil opus sit prophetis. Nam quod ad regnum cælorum attinet, satis qua ratione nobis comparari possit didicimus: terreni autem regni splendorem ac felicitatem Iudæis ille non nobis promisit. Quare in rebus aduersis oportet nos bono esse animo: & ita cum animis nostris cogitare, Deum velle nos, si fortè nostræ saluti conducat, ex illis malis eripere: sin secus, per ea quasi media ad æternam gloriam promouere.

Prophetis olim Iudæis opus fuit, cùm figurarum tantùm essent participes.

Noli manere in præsidio, sed vade in terram Iudæ.] Gad iubet Dauidem, vt sese recipiat in Iudæam. Erat hoc mirabile consilium Dei. Ex eo enim duo grauissima quædam sequuta sunt: alterum, vt Saul vehementius irritaretur dum credit sollicitari Iudæorum animos, nec sine spe nouandi eò redijsse: alterum, dum studiosè explorat omnia, vt Sacerdotes Nobenses in suspicionem venirent, & occiderentur. Et, quod ad Saulem quidem attinet, Deus voluit eius malitiam manifestam fieri: vt omnes perspicerent illum dignum esse, qui à Deo abijceretur. Vult enim Deus consilia sua etiam in hominum oculis, & eorundem calculis iustificari. Nullius quidem sceleris Sauli Deus autor extitit: sed materiam suppeditauit in quam malitiæ suæ virus occultum euomeret. Qua ratione Deus prodere consilium suum statuit, & Dauidi autoritatem conciliare. Sacerdotes quoque digni erant iam olim vt tollerentur. Quod dudum Heli Propheta minatus fuerat quandoq; euenturum: siue hi parentum vestigijs inhærentes eorundem sacrilegia æmulati sunt: siue, quod verisimilius est, auitam in docendo populo socordiam duntaxat sectati sunt, nec paternæ labis memoriã impensiore Legis studio delere conati sunt. Ita viri pij sæpè, quamuis aliud agẽtes, instrumenta sunt iræ Dei. Non ergo debemus nec factum Dauidis accusare, nec consilium Dei. Deinde hæc res bono fuit Israelitis. Isti enim milites Dauidis hostes repulerunt à finibus, & plerósque suo præsidio tutati sunt, qui prædæ futuri erant grassatoribus, si Dauid hæsisset apud exteros.

NOLI MANERE, &c.

B Præcipua tandem ratio fuit, cuius antea in translat. fecimus mentionem; ne superstitionis contagio serperet, & idololatriæ pestis ad Dauidis copias ex diuturna consuetudine manaret. Nam eorum cum quibus versamur vnà, sensim sine sensu mores imbibimus. Rarum omnino exemplum est quod narrat Pausanias in Messenicis. Messenij, inquit, trecentos fermè annos à Lacedæmonijs pulsi, extorres è Peloponneso errarunt: quo temporis curriculo, & patrios ritus constantissimè retinere, & Doricam linguam nihil prorsus immutarunt, quæ nostra etiam ætate ab ijsdem, & propè solis Messenijs maximè integra & planè vernacula conseruatur. Hæc de Messenijs Pausanias. Reliqui facilè inficiũtur, & labem ex societate contrahunt, cum ad malorum contubernium
C accesserint. Tales sunt ferè scelesti homines, qualem κατωβλέποντα describit Ælianus histor. animal. lib. 7. cap. 5. Fera est lybica, tauro ferè similis, sed eo longè truculentior: tetro spiritu sic aërem inficit, vt etiam obducatur. Hoc cælum quodcunque animal hauserit, cùm vocem amittit, tum letales conuulsiones patitur. Quamobrem Catoblepontem cætera animalia cane peius & angue vitant. Atqui solùm is corpus perimit. Improbi familiaris vsus & consuetudo etiam animum enecat.

Pausanias.

Malorum mala societas.

VERSVS VI.

D Et audiuit Saul quod apparuisset Dauid, & viri qui erant cum eo. Saul autem cùm maneret in Gabaa, & esset in nemore, quod est in Rama, hastam manu tenens, cunctíque serui eius circunstarent eum,

VERSVS VII.

Ait ad seruos suos qui assistebant ei: Audite nunc filij Iemini: Numquid omnibus vobis dabit filius Isai agros & vineas, & vniuersos vos faciet tribunos, & centuriones:

VERSVS

QVONIAM CONIVRASTIS, &c.

Versvs VIII.

A Quoniam coniurastis omnes aduersum me, & non est qui mihi renunciet, maximè cùm & filius meus fœdus inierit cum filio Isai? Non est qui vicem meam doleat ex vobis, nec qui annunciet mihi: eò quòd suscitauerit filius meus seruum meum aduersum me, insidiantem mihi vsque hodie.

Variæ versiones.

Pagninus, *Et audiuit Saul quod sciretur Dauid,&c.& Saul manebat in Ghibhah sub arbore in Ramah.&c.* Alter, *Et audiuit Saul quòd notus factus fuisset Dauid*, &c. Quidam ad marg. *quòd visus esset.* Capitur hîc נודע nodagh pro נתפרסם *publicatus fuisset*, vel in publicum venisset. *Sedebatque Saul in Gibea subter arborem in Rama.* Vatablus, *Audiuit autem Saul prodysse Dauidem.* In Schol. Audiuit famam esse, aliquot
B homines adiunxisse se Dauidi. *Sedebat in Gibea subter arborem in Rama.* In Schol. Vel, habitabat in loco edito illius vrbis, qui dicebatur Rama. Alius interpretatur, *recognitum esse Danidem*, &c. *considens Gibbe sub nemore in excelso.* Chaldæus, *Et audiuit Saul quòd notus fuit Dauid*, &c. *Et Saul sedens in Gibgetha sub arbore in Ramatha.* LXX. Καὶ ἤκουσε Σαοὺλ ὅτι ἔγνωσται Δαυίδ. *Et audiuit Saul quòd cognitus est Dauid.* Καὶ Σαοὺλ ἐκάθητο ἐν τῷ βουνῷ ὑπὸ τὴν ἄρουραν τὴν ἐν Ῥαμᾶ. *Et Saul manebat in colle sub aruo qui in Rhama.* Ità Complut. At Rom. *Et Saul sedebat in colle sub arboreto, quod in Rhama.* Quo loco Nobilius in Not. ὑπὸ τὴν ἄρουραν: dictio illa vt satis indicat dictione ἀρουραν, locum arboribus consitum si-
C gnificari. Hebræus, & Chaldæus, *sub arbore*: Vulgata, *in nemore.*

Versu 7. *Fily Iemini.* LXX. υἱοὶ Βενιαμίν. *fily Beniamin.* Chaldæus, *Fily tribus Beniamin. Tribunos.* LXX. χιλιάρχους: Chaldæus, *magistros millium.* Quidam, *Audite iam Biniaminitæ.* Clarius in Annot. sensus est, inquit, Vos qui estis de tribu & cognatione mea, & quos volui tanquam fideles ministros, lateri meo semper esse affixos, deberetis mihi magis fauere quàm Dauid, homini externo à tribu nostra, qui regium sceptrum nititur transferre à tribu vestra, &c. Vatablus in Schol. *Numquid omnibus vobis dabit.*] Hebraismus, *Etiam daturus est.* Ironia est, quasi dicat, Non est mirum quod cum Dauide aduersum me coniurastis: Nam creditis vos plura beneficia accepturos ab eo, quàm me.

Versu 8. *Quoniam coniurastis*: Ita Pagn. Arias verò, *ligati estis omnes super me.* Pagn. *aduersum me.* Alius, *Conspirastis vos omnes aduersum me.* Ita etiam Vatablus. Chaldæus, *Quia rebellastis omnes vos super me.* LXX. ὅτι σύγκεισθε πάντες ὑμεῖς ἐπ' ἐμέ. *Quoniam coniurati omnes vos aduersum me Insidi autem mihi vsque hodie.* Chaldæus, *ad insidias sicut die hac.* LXX. εἰς ἐχθρὸν ὡς ἡ ἡμέρα αὕτη. Pagninus, *insidiatorem secundum hanc diem.* Audiens Saul Dauidem cum copijs reuersum esse in regnum, & videns Ionathan abesse ex quo in eum hastam vibrauerat, sup. 20. 33. suspicatur coniurationem factam, & sibi insidias parari. Vatablus, *Vt struat insidias, sicut hodie* [*videre est.*] vt

hodie se res habet. Qui doleat vicem meam. Arias, *& non ægrotans ex vobis super me.* Quidam in Annot. hæc verba tribuit Sauli: Sed & hoc pessimè me habet, vt filius meus, cui iure meum debetur regnum, desciuerit à me, & plus fauerit Dauid quàm sibiipsi & mihi: & vos non id aduertitis: aut si aduertitis, mihi non condoletis, vt hominem è mundo eliminetis, qui vitæ meæ insidiatur. QVONIAM CONIVRASTIS, &c.

Et audiuit Saul quòd apparuisset Dauid.] Cùm ista fama de Dauide vbique increbuisset, Saul conuocauit concilium. Principes enim qui sua potestate abutuntur ad aliorum perniciem, semper sunt in metu. Ad omnem nuntium expauescunt, & instare periculum suspicantur: malè sibi conscios nullum præsidium securos præstat. Veretur Saul ne qua coniuratio ineatur domi: Nam alioqui Dauidem cum tam parua manu non ausurum se credere patriæ, in qua hostis eius regnaret infensissimus. Confert igitur cum ducibus sua consilia, & quærit, quibus modis cùm illi tum eius socijs interitum paret. Habet apud suos orationem querulam cum graui accusatione & Dauidis, & seruorum suorum. Accusat autem seruos suos primùm negligentiæ; deinde ingratitudinis; postremò perfidiæ. Facit id quod erat boni rhetoris, vt Dauidem adducat in inuidiam. At bonum principem non decuit, ducis de se bene meriti calumnijs oppugnare innocentiam.

Hastam manu tenens.] Decebat is cultus ferocem illius animum ex intimo pectore cædes & crudelitatem anhelantem. Indicturi olim bellum, hastam in fines hostium intorquebant: vnde vetus illud ex Pausaniæ monumentis adagium, hastam & caduceum mittere: quod est bellum pacémque hostium arbitrio permittere. Id quod non minus apud Barbaros, quàm apud Romanos & Græcos vsu receptum fuit. De Romanis Ouidius lib. 6. Fastorum.

Prospicit à tergo summum breuis area circum, Ouidius.
Est vbi non parua parua columna notæ.
Hinc solet hasta manu belli prænuntia mitti, Hasta quondam indicendi belli signum.
In regem, & gentes, cum placet arma capi.

Festus Pompeius lib. 2. Ouidium explicat. Bellona dicebatur, inquit, dea bellorum, ante cuius templum erat columella, quæ bellica vocabatur, quam hastam iaciebant, quum bellum indicebatur. Sanguineam eam fuisse cum duces in hostem pergerent notat Turnebus lib.
D 25. cap. 18. ex Dione in Marc. Anton. De Græcis hoc habet Diodorus Siculus lib. 7. cap. 2. Diodorus.
Alexander in Persidem profecturus, à naui in littus hastam eiaculatus est, terramque, primus egressus nauigio quasi captiuam cepit. Statius item in Thebaide lib. 12.

Ite alacres, tantaque, precor, confidite causa. Statius.
Dixit, & emissa praeceps iter inchoat hasta.

Sic quoque Carthaginienses missa hasta Romanis bellum indixerunt. Marcellinus lib. 19. in ipso limine: Vbi Grambates hastam infectam sanguine, ritu patrio, nostrique coniecerat more Fecialis, armis exercitus concrepans, inuolat in muros.

Alij volunt tum sceptra regum hastas fuisse. Sceptra quondam hastæ.
Trogus de tempore belli Troiani. Per ea adhuc

HASTAM MANV TENENS. Turnebus.

tempora, inquit, reges hastas pro diademate habebant, quas Græci sceptra dixere. Itaque apud Euripidem in Hecuba, καὶ δίδωσι δορί, non in aliam sententiam accipit Turnebus, quàm vt hastæ nomine sceptrum intelligatur. Itaque plures hastam illam quæ deæ Romæ apud veteres Ethnicos addebatur, Imperij symbolum fuisse interpretantur. quinetiam reliquis deorum Gentilium statuis adhiberi solitas scribunt, quibus eorundem in mortales imperium designaretur. Iustinus lib. 43. Ab origine, inquit, rerum pro dijs immortalibus veteres hastas coluere. Cælius lect. Antiq. lib. 21. cap. 16. Cheroneos legimus, inquit, ex dijs omnibus colere præsertim sceptrum, quod Vulcanum affabre fecisse, Homerus scribit, datúmque Ioui, à quo diu post ad Agamemnonem peruenerit. Appellant autem δόρυ, id est hastam. Templum quidem publicè nullum ei dicatum visebatur: nihilominus quot diebus res illi diuina fiebat, apponebatur & mensa omnifariam carnibus ac bellarijs onusta. At profectò Saul meminisse debuerat, quod obseruat Eustathius Iliad. α. σκῆπτρον οὐ μόνον βασιλείας, ἀλλὰ καὶ ἡμῖν δίκης εἶναι σύμβολον. hoc est, Non regiæ potestatis duntaxat, sed etiam iustitiæ, quod habebat præ manibus, notam esse ac symbolum.

Hastæ pro dijs cultæ.

Eustathius.

Hastæ porrò Hebraica etymologia hoc loco cum ea, quam apud Græcos sortitur sceptrum consentit. Σκῆπτρον enim, βασιλικὴ ῥάβδος, vt habet Etymologicum magnum. i. virga, baculus, scipio regius, manat ἀπὸ τοῦ σκήπτεσθαι, quod nimirum ei inniterentur. Hinc σκηπτοῦχοι βασιλῆες Homero Odyss. β. Et Ouidius 1. Metamorph.

Etymol. sceptri.

Ergo vbi marmoreo superi sedere recessu,
Celsior ipse loco, sceptróque innixus eburno,
Terrificam capitis concussit terq; quaterq;
Cæsariem, cum qua terram, mare sidera mouit.

At verò Hebraicè scriptum est, וַחֲנִית *vahbhanitho*. חֲנִית *bhanith* porrò à verbo est חָנָה *bhanah*, quod *quiescere*, & ad tempus residere significat, quod plerumque innitendo fit seu hastæ, seu scipioni. Sed & ipsum שֵׁבֶט *scebet*, quo Hebræi frequentiùs pro sceptro vtuntur, nonnunquam etiam hastam significat; ita vt sceptri hastæq; communis quondam significatio fuisse videatur, quòd primùm hastas siue lanceas (nam has nullo discrimine Scriptura confundit) pro sceptris vsurparint. *Accepit Ioab*, inquit 2. Reg. cap. 18. vers. 14. *tres* שְׁבָטִים *scebatim, & infixit illos in cor Absalon.* Vulgatus cum Chaldæo *lanceas* vertit. Lxx. τρία βέλη, *tria iacula.* Ipsum porrò nomen est, quod pluribus passim Scripturæ locis *sceptrum* designat, atque in primis Genes. cap. 49. cùm Iacob ait: *Non auferetur sceptrum de Iuda*, &c. nam ibi שֵׁבֶט *scebet* inuenies. Reuera autem sceptrum regium, cùm illud pio Principi diuino beneficio obtigerit, scipio est & baculus, quo potissimùm nititur plebis infirmitas: sin ferum & immitem nactum erit, sceletúmque artificem, hasta est & lancea, qua optimum quemque ciuem calumnijs vsque opprimens interimat.

Et ait ad seruos qui assistebant ei.] Seneca in Thyeste act. 3.

A *Ille qui donat diadema fronti,*
Quem genu nixæ tremuere gentes,
Cuius ad nutum posuere bella
Medus & Phœbi propioris Indus,
Et Daca Parthis equitem minati;
Anxius sceptrum tenet, & mouentes
Cuncta diuitias; metuitque casus
Mobiles rerum, dubiumque tempus.

AVDITE NVNC FILII, &c. Reges plerique meticulosi. Seneca.

Cur verò mouentes cuncta diuitias dixit? An quia nihil tam sanctum, quod non violari; nihil tam munitum, quod non expugnari pecunia possit? Itaque apud Curtium libro 4. cùm interceptæ essent à Dario literæ, quibus Græci milites sollicitabantur, vt immensis propositis præmijs, Regem interficerent, aut proderent: dubitauit Alexander an eas pro concione recitaret, satis confisus Græcorum erga se beneuo-B lentiæ ac fidei. Sed Parmenio deterruit, non esse talibus promissis imbuendas aures militum: affirmans patere vel vnius insidijs Regem: nihil nefas esse auaritiæ.

Curtius.

Audite nunc filij Iemini.] Filij Beniamin. Isæus, inquit Suidas, Γεννήτας simpliciter vocat τοὺς ἐξ αἵματος συγγενεῖς consanguineos. Sed quia si generis parentem spectes, erant omnes Israelitæ consanguinei: idcirco hunc communem sibi cum illis tribum notat. Athenienses, inquit Suidas, suos ciues in partes quasdam distribuerunt. partes autem maximas τὰς φυλὰς siue tribus dixerunt, quas esse quatuor ad instar anni temporum voluerunt. Φυλὴ verò siue tribus vnaquæque in tres partes rursus erat diuisa, quarum vnaquæque pars τριττὺς & φρα-C τρία, siue curia vocabatur. Rursus singulæ Curiæ diuisæ erant εἰς γένη τριάκοντα siue genera, siue gentes, aut etiam familias. Γεννῆται autem dicebantur siue gentiles, qui eiusdem generis communione sunt coniuncti. Genus autem viros triginta habet. Erat ergo hæc populi apud Athenienses distributio: Quatuor erant tribus, quot anni tempora; Curiæ duodecim menses imitabantur. Gentes siue genera triginta totidem mensis dies referebant: Singulæ ergo curiæ tot hominum capita continebant, quot sunt in anno dies, scilicet ccclxv. Non perinde apud Hebræos, sed populus distributus erat in duodecim שְׁבָטִים *scebatim* tribus: & שֵׁבֶט *scebet* siue *tribus* in מִשְׁפָּחוֹת *mispaoth*, *prosapias*: מִשְׁפָּחָה *miscpahbah* prosa-D pia autem in בָּתִּים *bathim* siue *domos* seu familias. *Numquid non filius Iemini ego sum*, ait Saul suprà capite nono versu vigesimo primo. *de minima tribu Israel, & cognatio mea nouissima inter omnes familias de tribu Beniamin?* Numerorum capite vigesimo sexto, quo loco totius populi census habetur cuilibet tribui complures מִשְׁפָּחֹת *miscpahhoth* accensentur: quo tempore cùm tribus Beniamin ad capita quadraginta millia & sexcenta accessisset, septem familiæ seu cognationes præcipuæ referuntur, quæ subinde numero auctæ sunt: nonnullæ etiam postea fortassis extinctæ.

Suidas. Atheniensium distributio in tribus, curias, & gentes.

Hebræi populi distributio.

Habet igitur emphasim ista compellatio, & generis argumento vtitur ad conflandam Dauidi inuidiam. ac si diceret: Vos cognati & affines mei,

NVNQVID DABIT, &c.

mei, quorum maximè interest meam salutem ac dignitatem tueri, tamen tacetis, & dissimulatione vestra atque silentio Dauidis audaciam fouetis. Homines, vbi vident se contemni, irasci solent: maximè verò si putent se contemni ab illis, apud quos debebant in pretio esse.

Dauidis ex contemptu proprio nomine abstinet.

Nunquid omnibus vobis dabit filius Isai] Contemnit Saul Dauidem, nec eum appellat suo nomine, quamuis ab eo maximis affectus fuisset beneficijs. Ille enim, eundem, cùm fureret, musica sua ad sanitatem reuocauerat: ille interfecto Goliath maximo periculo populum liberauerat: ille ducenta Palæstinorum præputia reportauerat, & alias expeditiones sæpe multas felicissimè susceperat. Sed horum omnium memoriam vna affectati regni suspicio prorsus obliterauerat. Alludit verò præterea ad nomen ipsum Isai, Filius *viri mei*, quare mox etiam seruum suum vocat. Pellenenses, vt autor est

Pausanias.

Pausanias in Achaicis, cùm ipsi Promachum post mortem multis honoribus cumularent, ab eius tamen nomine abstinebant. Ratio autem fuit planè non improbanda. Is enim, vt aiebant, aliquando sublata republ. tyrannidem occupauerat. Sed nihil tale aliquando Dauid tentauerat; tametsi hoc Saul ira atque odio percitus, & præcipuè stimulatus inuidia, verbo tenus assereret. Bina omnino vocabula sunt, quæ Hebræi non proferunt: Alterum scilicet augustius illud Dei nomen, quod Deus ipse Moysen docuit, ob reuerentiam: Alterum suis, vt scribit Elias in suo *Tisbi*, quòd ab ea abhorreant. Dic tu quo in numero generum reponis?

Nunquid dabit omnibus vobis agros & vineas.] Ego ista vobis hactenus dedi, & dare possum: ille autem est exul, vagus, inops, egens. Apud

Tacitus.

Tacitum cap. 7. lib. 1. Annal. cùm Pannonicas legiones post Augusti obitum, Tiberio nuper imperante seditio inuasisset, autore potissimum Percennio gregario milite, Centurio Clemens milites sic affatus esse dicitur. Percennione, & Vibuleno sacramentum dicturi sumus? Percennius & Vibulenus stipendia militibus, agros emeritis largientur? At verò inter seditiosa verba Percennij capite quinto irrisio est quædam agrorum, quæ emeritis distribuerentur. Trahi diuersas in terras, vbi per nomen agrorum, vligines paludum, vel inculta montium

Xenophon

accipiant. In eandem fere sententiam Xenophon de Cyro Minore libro primo eiusdem Expedit. Cyro, inquit, Minori aduersus fratrem pugnaturo, & Græcis militibus amplissima stipendia pollicenti, Gaulites qui Samo exulabat, vir Cyro fidus, Atqui, inquit, Cyre, Sunt qui dicant te nunc multa polliceri, dum anceps & dubius adhuc periculorum exitus: vbi verò rem feliciter gesseris, tibi omnia ex animo elapsura. Alij neque si memineris, & maximè velis, eas te opes habiturum, vt singulis quæ promiseris præstare possis. Quæ cùm Cyrus accepisset, At enim, inquit, paternum nobis, viri fortissimi, Imperium est. Ad Austros, ad ea vsque loca, in quibus propter æstus nulli homines habitant. Ad Septentriones, in quibus propter frigora

NVNQVID DABIT, &c.

A Quicquid inter hos fines medium est, totum in eorum potestate est, quos frater de amicorum suorum numero illis regionibus præesse voluit. Quòd si nos vicerimus, amicos ego meos pro illis, eorum locorum compotes, vti æquum est, faciam. Quamobrem tantum abest, vt defuturum sit quod dem, vt magis verear, ne quibus dem, desit. Insuper vobis Græcis auream coronam dabo. & cæt. Quibus mirum in modum incensi sunt Græci vt eiusdem auspicia sequerentur, & conatus iuuarent. An fortè, paribus nugis, ô filij Beniamin, imponit vobis filius Isai, & studia vestra in se concitat. An fortè ea vos spe lactat, si rerum potiatur, regnum à vobis direptum iri? Vehementiùs cum ijs suum dolorem expostulat: & quod hactenus Dauid eorum socordia, aut etiam clandestino

B fauore superstes maneat, acerbiùs exprobrat. Porrò hæc sententia eius verborum esse videtur. Egentium hominum est, & miserorum captare nouas tabulas, & perturbationem Reipublicæ, non diuitum, potentium, nobilium. Stulti estis: an ille faciliùs vos ditare potest, quàm ego. Si sine interrogatione legatur, erit ironia. Nam Dauid iste, quem tanti facitis, seruus meus est: quodque indignissimum est, contra me etiam arma mouet. Certè, vt eum fore Regem speretis, vosque omnes singulari fauore ac studio prosequuturum: quæcunque tamen ab eo vobis expectanda sunt, ea iam ex me habetis: neque cogitando possum consequi, quid causæ sit, cur spem dubiam atque incertam præsentibus ac certis beneficijs anteponatis.

Ctesias.

C *Agros & vineas.*] Autor est Ctesias in Persicis, Xerxem recepta Babylone, quæ non ita pridem defecerat, opera Megabyzi, qui eius filiam Amytin vxorem duxerat, cùm alia multa genero, tum molam auream sex talenta pendentem donasse: quod apud Persas, inquit, omnium regiorum munerum est pretiosissimum. Exercitu item donari apud Persas in primis honorificum habetur; vt scribit Herodotus lib. 9.

Mola aurea Persarum donum maximum.

Varro.

Varro 1. de lingua latina. Alij dant primatum bonis pratis, vt ego quoque à quo antiqui prata, parata appellant. Apud eundem tamen Cato hos bonitatis agrorum gradus facit, vineam, hortum irriguum, salictum, oliuetum, pratum, campum frumentarium, cæduam syluam, arbustum, glandariam syluam. Cæterùm mili-

Digestum.

D tes iure Romanorum *D. de re militari*, agrum comparare prohibentur in ea prouincia, in qua opera bellica peragunt, scilicet ne studio culturæ militiâ suâ auocentur. Et ideo domum comparare non prohibentur, sed & agros in alia prouincia. Cæterùm in ea prouincia, in quam propter prælij causam venerant, ne sub alieno quidem nomine eis agrum comparare licet. alioquin fisco vindicabitur. Ita Macer eo loco. Veteranis tamen & emeritis dati. *D. de rei vindicatione l. 15. & l. in agris, D. de acquirendo rerum dominio.* Lucanus item libro 1:

Quibus olim legibus agri militibus dati.

Conferet exsanguis quo se post bella senectus?
Quæ sedes erit emeritis? quæ rura dabuntur,
Quæ noster veteranus aret?

Adde concessos militibus limitaneis agros im-

NVNQVID DABIT, &c.

munes fuisse ab omni collationis ac tributi onere; *L. agros. Codice de fundis limitrophis.* Illud obseruatione dignum, quod Imperator Seuerus militibus limitaneis agros, ab hostibus captos, concessit ea lege, vt ne ad hæredem posterósque eorum vnquam peruenirent, nisi eos, qui militarent. Autor Lampridius in Alex. Eam legem postea abrogauit Constantinus, vt scribit Pomponius in eius vita. Illud constat, inquit, in initio sanxisse, vt agri, villæ, oppida, quæ ad victum emeritorum contributa erant, ad hæredes transirent. vnde milites sibi magis obnoxios, ac deditos reddidit. Prius ex vetere consuetudine, tribunis, præfectis, comitibus & ducibus, qui pro augendo imperio consenuerant, dabantur agri villæque, vt necessaria suppeterent quoad viuerent, *parochias* vocabant. Hæc Lætus. De his multa Stephanus Pasquierus lib. 2. cap. 9. Obseruationum suarum: sed cùm non haberem librum præ manibus nihil ex eo notare potui. Corrigendus esset nonnullis locis is autor, qui apud pios ac religiosos viros nonnihil malè audit.

Lampridius.

Pompon. Lætus.

Reliquas nationes à quibus ea primùm consuetudo ad Romanos manauit, paucis perstringam. Ægyptijs pugnatoribus agros olim destinatos immunes à tributo scribit Herodotus lib. 2. Apud eundem lib. 8. Phylacus, qui in pugna nauali egregiam Persis operam nauauerat, cùm inter de Rege benemeritos adscriptus esset (lingua Persica Orosangæ vocantur) multo tractu soli donatus est. Alexander Macedo, cùm in Palæstinam venisset, Sanaballetis militibus in Thebaide Ægyptiaca agros distribuit, iussis regioni præsidio esse. Autor Iosephus in calce lib. 11. Antiquit. Iudaic. Habent quoque Turcæ agros nonnullis regionibus alendis militibus ascriptos. Heraclides Cumanus apud Athenæum lib. 4. de Regis Persarum stipatoribus agens, Vt in Græcia, inquit, stipendiarij æs merent, sic victum à Rege isti accipiunt, qui in stipendium cedit ac imputatur. Nonnullis is quoque mos placuit. Apud Indos certè cibus regius milites sequitur. lege Diodorum lib. 3. cap. 10. circa finem. Sed ad nostra reuertamur.

Herodotus.

Iosephus.

Intellexit igitur Saul liberalitate Principum, militum beneuolentiam conciliari fouerique. Alioqui sanè nõ paucis auaritia exilio fuit. Hæc maximè autore Perseo, vt notat Liuius, dum ille thesauris parcit, Macedonum Imperium euertit, quod liberalitate ac magnificentia Alexander excitarat, qui e Macedonia soluens sibi nihil reliqui fecisse dicitur. Eadem Mauritio perniciem attulit, & Alexandrum Seuerum sustulit, dum eius mater Mammea cumulandę pecuniæ impensius studet. Neque tamen propterea laudanda est quorundam Principum effusio, quæ fundum non habet, nec suas, sed Reipub. opes temerè largiuntur: quibus aut militis crescit ferocia, ita vt in posterum contumacior euadat: aut luxu delitijsque robur atteritur, languescitque laborum impatiens. Romani Imperatores donatiuis ac largitionibus suis quid tandem consequuti sint, posterior ætas eorundem Principum crebris cædibus experta est. Didicit miles Imperium vendere: & quo vberiorem quæstum faceret, emptorem mox cædere, venale iterum habiturus, & nouam auctionem constituturus. Optima custos Imperij pietas, cũ iustitia, & mediocri liberalitate, affabilitatéque coniuncta. Immensæ largitiones, cùm Reipub. opes exhauriũt, tum quibus ipsum caput regni petant, ambitiosis hominibus tela subministrãt. Quamobrem non immeritò summus Pontifex, vt aliquando apud Cromerum legisse me memini, (nunc is liber penes me non est) Regis Polonorum liberalitates inhibuit, & donationes ab Episcopo inspici, & si ita videretur rescindi iussit. Tametsi ego sic arbitror, tale aliquod prædium donare, quale describit Martialis lib. 11. nullo iure reges prohiberi posse. Nam manifestè ea donatione nullum damnum accipit Respublica, nec sua dissipari prodigè queri potest. Ne quid dubites in rem præsentem veniamus.

Auaritia perinde ac largitionibus Principum, cùm ipsos tum Rempub. non rarò euerti.

NVNQVID DABIT, &c.

Donasti, Lupe, rus sub vrbe nobis,
Sed rus est mihi maius in fenestra.
Rus hoc dicere, rus potes vocare?
In quo ruta facit nemus Dianæ,
Arguta tegit quod ala cicadæ,
Quod formica die comedit vno,
Clausæ cui folium rosæ corona est:
In quo nec cucumis iacere rectus,
Nec serpens habitare tota possit.
Erucam male pascit hortus vnam.
Consumpto moritur culex salicto.
Et talpa est mihi fossor, atque arator.
Non boletus hiare, non marisca
Ridere, aut violæ patere possunt.
Fines mus populatur, & colono
Tanquam sus Calydonius timetur:
Et sublata volantis vngue Prognes
Inuido seges est hirundinino.
Vix implet cocleam peracta messis,
Et mustum nuce condimus picata. &c.

Martialis.

Amplissimi ruris magnifica descriptio.

Aut vniuersos vos faciet tribunos & centuriones.] Id enim fieri non potuit, cùm non essent tantæ regni copiæ, vt paris numeri legionibus ac centurijs præfici possent. Nundinationis harũ præfecturarum non meminit: quas cùm vendere instituisset Anastasius Imperator, πᾶσαν ὁμοῦ τὴν βασιλείαν εἰς ἀριστοκρατίαν μετέστησε, vniuersum Imperium in Aristocratiam mutauit; inquit Suidas in voce Ἀναστάσιος. Hos gradus idcirco milites vehementiùs ambiunt, quòd imperandi cupiditas magis quàm obtemperandi omnibus innata sit; quòd citra periculum duces quoque leuiori labore perfungantur; quòd virtutis quoque militaris pręfectura veluti publicum quoddam testimonium habeatur; quod hos denique cùm stipendiorum, tum prædæ quoque ac manubiarum potior pars maneat, vti nos antea docuimus. Nam olim quoque inter remiges, cùm in plures ordines distributi essent: ea lex seruata est, vt infimi minus stipendium acciperent. Erant inquit Suidas summus ordo θρανῖται; medius ζυγῖται; infimus θαλαμῖται. ὅτι μᾶλλον εἰσὶν ἐγγὺς τοῦ ὕδατος, quoniam hi aquam verrebant breuiore remo. Minoris isti merebant. reliquorum secundum analogiam sui ordinis ratio est habita.

Suidas.

Qui præfecturas vendunt, Regnum cum Aristocratia commutant.

Præfectur. cupiditas.

Suidas in voce θαλαμιακ.

Quoniam

QVONIAM CONIVRASTIS, &c.

Quoniam coniurastis omnes aduersum me.] Menander Comicus,

Putabam ego diuites, Phania,
Qui non sunt obnoxij vsuris, non lugere
Noctu, neque sursum deorsum versatos
Hei mihi dicere, sed iucundum & modestum quemdam
Somnum dormire: at è pauperibus quemlibet.
Nunc verò etiam vos, qui beati appellamini,
Video in eadem qua nos esse conditione.

Lucianus in Dialog. somnium siue Gallus.

Quinimò longè deteriore, vt quidem ille Gallus qui se olim Pythagoram fuisse apud Lucianum iactitat, séque regnasse etiam commemorat, in dialogo asserit.

QVÆSTIO XLVIII.

Quàm sit misera Tyrannorum conditio.

Regni seu potius tyrannidis infelicitas describitur.

EQuidem ille Gallus, imperabam regioni neutiquam exiguæ aut sterili, sed cùm incolarum frequentia, tum vrbium pulchritudine cum primis admirandæ: præterea fluminibus nauigabilibus, ac mari portuoso commodæ. Ad hæc exercitus ingens, equitatus spectatissimus atque excellens, satellitum haud exiguum, triremes, pecuniarum vis maior quàm vt posset numerari, vasorum argenteorum plurima copia, reliquáque omnis illa principatus tragœdia, strepitúsq; & apparatus suprà quã credi queat, extructus atque accumulatus. Itaque cùm prodirem, plerique adorabant, Deum quempiam intueri sese rati: alijque trudentes alios concurrebant, quò me conspicerent: nonnulli conscensis tectis, magni æstimabant se plenè contemplari licuisse quadrigam, stragulam, tum anteambulones, & eos qui à tergo comitabantur. Ego inter hæc mihi conscius quantæ me res discruciarent, versarentque: illos quidem propter inscitiam venia dignos iudicabam; at meipsius miserescebar, qui prægrandibus illis Colossis viderer persimilis, quales vel Phidias, vel Myron, vel Praxiteles fabricatus est. Etenim illorum quisque, quoad ea quæ foris apparent, Neptunus ipse est, aut Iupiter, mirificè decorus, auro eboréque compactus: & aut fulmen, aut fulgur, aut tridentem fuscinam dextra sustinet: cæterùm si immisso capite quæ sunt intus inspicias, videbis vectes quosdam, paxillos, & clauos introrsum prominentes, neque non vimina, cuneósque, & picem sublitam, & aliam item id genus deformitatem intrinsecus inhabitantem. Omitto recensere muscarum mustelarúmque vim, quæ nonnunquam in eis mansitant. Huiusmodi quædam res nimirum regnum quoque videtur. Deinde hęc pluribus explicans idem ille Gallus gallinaceus, Quid, inquit, primo loco tibi referam Mycille? vtrum metus, curas mordaces, suspiciones, odium, quo regem persequuntur ij qui cum illo viuunt, insidias, atque eas ob res somnum rarum, & hunc ipsum pertenuem, ac plena tumultus insignia, cogitationes perplexas, spes semper improbas: an otij penuriam, & occupationes, iudicia, expeditiones, edicta, fœdera, consultationes? quibus rebus fit, vt ne per somnium quidem aliqua re suaui frui liceat; verùm vt omnibus de rebus solus dispiciat necesse est, millé-que negotia sustineat:

A

Quippe nec Atridē Agamemnona dulcis habebat
Somnus, multigenas versantem pectore curas.

Idque cùm reliqui omnes Achiui stertèrent. Adde quod Lydum illum discruciat filius mutus: Persam verò Clearchus ad Cyrum desciscens: atque alium quempiam Dion cum Syracusanis nonnullis ad aurem communicans. Rursum alium quendam vrit Parmenion laudatus. Item Perdiccam Ptolemæus, Ptolemæum Seleucus. Quin illa quoque molestiam afferunt, si qui defectionem parare dicantur, aut duo quatuórue satellites inter sese consusurrantes. Porrò (quod est omnium grauissimum) amicissimi quique vel maximè formidandi, sempérque metuendum ne quid magni mali ab illis exoriatur. Nam alius à filio veneno necatus est: alius item ab amasio. Alium simile quoddam fortassis mortis genus eripuit. Postremò etiam reges confert cum histrionibus, qui tantisper dum sunt Cecropes, & Sisyphi, aut Telephi, diademata gestant, argenteisque capulis gladios, comamque ventilantem, & auro intertextam chlamydem: at si quis fortè eos in media scena det præcipites, & ipsi corruant, tum risum moueant spectatoribus, persona quidem cum diademate contrita, apparentibus autem vilibus pannis, quibus, vt fert eorum conditio, sub ementito ornatu miserè amicti sunt. Nam talis ferè est peregrinus ille decor diadematis & aurea regum felicitas, vt multò plures ærumnas occulat, quibus miserum pectus exeditur.

B

C

Phalaris tyrannus negat vllã certam hominum esse fidem.

Phalaris ad amicum Polium rescribens, sæuissimos animi sui cruciatus & clãdestina furiarum verbera non dissimulat. Cognoui, inquit, ex ijs literis, quas ad me dedisti, mirari te mirum in modum, quod à pristinis vitæ moribus omnino desciuerim, & nunc vix parentibus, amicisq; sanctioribus, conspiciendum ipse me præbeam, atque adeò conspectum hominũ quoquo modo refugiam. Sed mirari desine. Etenim nullam fidei sinceritatem, non modò in ignotis, sed etiam in ijs, quibus ipse me arctioris amicitiæ vinculo deuinxeram, vsquam deprehendi. Singula igitur magna cum diligentia & solertia expertus, in Africæ Numidiæque syluis ac

D solitudinibus, inter medias feras, quàm inter homines vitam degere, longè tutius esse, apud me statuo. Securius enim certè leonibus, serpentibúsque obsessus, quàm hominibus circunseptus, quieti me traderem. Hæc ille verbis, quæ melius in suo Iugurtha Sallustius factis ipsis expressit. Vagus, inquit, incertúsque agitabatur, neque illi res vlla, neque consilium, aut quisquam hominum satis placebat: itinera præfectósque in dies mutare, modò aduersum hostes, interdum in solitudines pergere, sæpe in fuga, ac paulò pòst in armis spem habere, dubitare virtuti, an fidei popularium minus crederet. Neque loco, neque mortali cuiquam aut tempori satis fidere: ciues hostésque iuxtà metuere,

Sallustius.

ET NON EST QVI, &c.

circumspectare omnia, & omni strepitu pauescere, alio atque alio loco, sæpe contra decus regium, noctu requiescere: interdum somno excitus, arreptis armis, tumultum facere: ita formidine, quasi vecordia exagitari. Hactenus Salustius. Quæ omnia Scripturæ sacræ confirmat autoritas apud Iob. caput 15. Nam ibidem de tyranno agens Eliphaz Themanites, *Sonitus*, ait, *terroris semper in auribus illius: & cùm pax sit, ille semper insidias suspicatur. Non credit quod reuerti possit de tenebris ad lucem, circumspectans vndique gladium. Cùm se mouerit ad quærendum panem, nouit quod paratus sit in manu eius tenebrarum dies. Terrebit eum tribulatio, & angustia vallabit eum, sicut regem qui præparatur ad prælium.* Verùm esto, de tyrannis ista dici possint, ne legitimi tamen principes ab ea peste immunes sunt. Legendus Cominæus in vita Ludouici XI. & item lib. 5. belli Neapolitani. Nam eousque tandem suspicionibus indulsit, vt moliri sibi insidias omnes crederet, nullum non suspectum haberet. Eius item pater, cùm ægrotus decumberet, venenum parari sibi existimans à cibo abstinuit. Carolus VI. is quoque tandem, cùm ijs quæ deferrentur impensius crederet, furere cœpit, ac mente captus est. Deniq; vt idem Cominæus obseruat, vix pauci reges à Carolo Magno annum sexagesimum superarunt, collecta sæpe ægritudine ex suspicionibus, & ex ijs quæ clanculùm ac falsò essent delata.

Comminæus.

Ne legitimi quidem Principes à suspicionibus vacant.

Ctesias.

Et non est qui mihi renuntiet.] Meminit Ctesias apud Photium, fontis cuiusdam in India, cuius aquam, simulátque hausta fuerit, in morem casei coagulari dicit: cuius coagulatę si quis tres obolos cum aqua biberit, quæcunque admiserit, patefacit. Quippe eo die mente alienatur. Eo autem rex delatos explorare solet, an abiectis criminibus affines sint, & supplicio digni. Nam si quis id, de quo quæritur, effutiuerit, mortem sibi cogitur consciscere: sin indicio suo nullius criminis conuincatur, absoluitur. Sed ne sic quidem apud Saulem Dauid euasisset. Non enim tam ipse crimen vrgebat, quàm à furijs exagitabatur. Narrat & aliud quippiam simile Diodorus lib. 3 cap. 5. Ferunt, inquit, in Æthiopia stagnum esse quadratum, cuius circuitus clx efficiat pedes: aquæ eius colorem similem minio, odore suauem, neque veteri vino dissimilem, virtute verò mirabili; vt quæ pota in insaniam vertens, cogat occulta errata palàm fateri. Sed ne si hoc quoque stagnum totum ebibissent illi filij Iemini, coniurationis scelus vllum prodidissent.

Diodorus.

QVÆSTIO XLIX.

De delatoribus.

Delator.

NOn eris, inquit Scriptura Leuitic. 19. ver. 16. *criminator, nec susurro in populo. Ne incedas* רכיל *rachil in populo tuo.* Græcè μηνυτὴς, & μηνύτωρ dicitur. Hinc μήνυμα & μήνυσις *indicium*, delatio. *Detractorem* vertit Arias; *criminatorem* & *susurronem*. Vulgatus, qui non alius quàm *delator est*. Alio nomine איש לשון *isch laschon*, *virum linguæ* delatorem Hebræi nuncupant. à verbo לשן *laschan obloquutus est*, obtrectauit; detulit aliquem linguâ sua, detraxit, falsa accusatione. Hinc fortasse Græcis λεσχήνης *obtrectator*, λεσχηνεία *detractio*, delatio contumeliosa, λέσχη *lingua*. Delatores igitur lex prohibet. At his impensius tyranni, & sibi malè conscij principes, plerunque fauerunt, præmijs eorum studium accendentes.

De quibus Plutarchus in eo lib. quem inscripsit *de curiositate*, Sanè tyrannos, quibus omnia cognoscere est necesse, inuisissimos reddit hoc genus hominum, qui *auscultatores* & delatores appellantur. ὠτακουσταὶ, προσαγωγίδες. ὠτακουστὰς μὲν τὸ πρῶτον ἔσχεν ὁ νέος Δαρεῖος &c. Primus Darius minor auscultatores vsurpauit, sibi ipsi non credens, omnésque habens suspectos atque metuens. Delatores, quos ipsi prosagogidas nominabant, Dionysij inter Syracusanos sparserunt. Hæc Plutarchus.

Qui primi delatoribus vsi Plutarchus.

Nec aliunde, vt nonnullis videtur, Μίδας ὄνου τὰ ὦτα, Midas asini aures sortitus est. Sycophantas quoque suos Atheniensium Respub. passa est. Tarquinius Superbus delatores primùm Romam inuexit, vt Dionys. Halicarnass. autor est lib. 4. Deinde lex Papia plebeis ob delationem congiarium quadringentorum nummûm viritim dedit. At Nero apud Tacitum lib. 4. Annal. præmia delatorum Papiæ legis ad quartas redegit. inde *quadruplatores* quoque dicti Asconio teste 1. act. in Verrem. Tiberius etiam his plura indulserat. Suetonius cap. 61. Decreta, inquit, accusatoribus præcipua præmia, nonnunquam & testibus, nemini delatorum fides abrogata. Tacitus lib. 4. Annal. etiam ijs, qui senatorij essent ordinis, commemorat præturas esse datas. Eo potissimùm Imperatore ea pestis grassata: quæ subinde etiam Neronis, & Domitiani, aliorúmque tempora corripuit. De Tiberio Seneca lib. 3. de Beneficijs cap. 26. Sub Tiberio Cæsare fuit accusandi frequens, & pene publica rabies, quæ omni ciuili bello grauius togatam ciuitatem confecit: Excipiebatur ebriorum sermo, simplicitas iocantium, nihil erat tutum, omnis sæuiendi placebat occasio: nec iam reorum expectabatur euentus, cùm esset vnus. Eorundem temporum infelicitatem describens Tacitus lib. 1. Historiarum. Non alias magis, inquit, anxia & pauens ciuitas, etiam aduersum proximos. Congressus, colloquia, notæ, ignotæque aures vitari: etiam muta & inanima, tectum & parietes, circumspectabantur: plena omnia suspicionum, & vix secreta domuum sine formidine. Sed vicit superiorum amentiam, si Marcellino credimus initio libro 14. Galli Cæsaris amentia, dum nocendi studio fouet, vt ait, clandestinos versatósque rumigerulos, & nullum non mouet lapidem quo secretissimos hominum sensus exploret. Excogitatum est, inquit, super his, vt homines quidam ignoti, vilitate ipsa parum cauendi, ad colligendos rumores per Antiochiæ latera cuncta destinarentur, relaturi quæ audirent. Hi peragranter & dissimulanter honoratorum circulis assistendo, persuadendóque

Tacitus. Delatorum præmia.

Suetonius.

Seneca. Delatorum sæuitia & improbitas.

Marcellinus.

Et non est qui, &c.

diuites domos egentium habitu, si quidquam noscere poterant, vel audire, latenter intromissi per posticas in regiam nuntiabant: id obseruantes conspiratione concordi, vt fingerent quædam, & cognita duplicarent in peius: laudes verò supprimeren: Cæsaris, quas inuitis cōpluribus, formido malorum impendentium exprimebat. Etiam parietes, ait, soli arcanorum conscij timebantur. Et post aliqua rursum, Nouo denique perniciosoq; exemplo idem Gallus ausus est inire flagitium graue, quod Romę cum vltimo dedecore tentasse aliquando dicitur Gallienus. Et adhibitis paucis clàm ferro succinctis, vesperi per tabernas palabatur & compita, quęritando Græco sermone, cuius erat impendio gnarus, quid de Cæsare sentirent, &c. Addam his quæ de Herode Iosephus Antiquitatum Iudaïcarum libro decimo quinto, capite decimo tertio: Ab eo, inquit, dispositi erant speculatores, tam in vrbe, quàm per itinera, qui obseruarent conuenientes cuiusque rei gratia. Adeò enim hanc curam non negligebat, vt sæpè ipse plebeio cultu noctu misceret se vulgo, & experiretur quid de se sentiret populus: & quotcunque pertinaciter improbarent eius studia, in omnes inclementer animaduertebat.

Iosephus.

Delatores itaq; pessimi quique Principes semper in pretio habuerunt; optimus quisque vehementer execratus est. Est enim genus, vt ait Tacitus, hominum publico exitio repertum. Synesius epistola centesima vigesima prima: Συνεργοὶ τοῦ κοινοῦ ἀλάστορος τῆς χώρας, communis patriæ mali genij sunt. Valentinian. & Valens Augg. *l. 2. Cod Theodos. de delatoribus*, humani generis inimicos vocant. Et iterum, violant, inquiunt, pacem, turbant securitatem. Martialis Epigram. 4. lib. 1.

Delatores coërciti.

Tacit. Annal. 4.

Synesius.

Turba grauis paci, placidaq; inimica quieti,
Quæ semper miseras sollicitabat opes.

Martialis.

Deinde, quid de peste hac ciuium Domitianus initio principatus sui statuerit, priusquam in tyrannum degeneraret, commemorat.

Traducta est Gyaris, excepit arena nocentes:
Et delator habet, quod dabat exilium.

Quinimò ipse Tiberius, qui primùm illos præmijs & honoribus inuitarat, ac veluti legum custodes habebat, ijsdem postea infensus, sectæ coryphæos vna die occidi iussit. Dion Cassius in eodem: Aurelianus etiam, tametsi supra modum ferox ingenio, delatores tamen ingenti seueritate prosequutus est, vt habet Flauius Vopiscus in eodem. Pertinax vrbe exegit; Herodianus libro secundo, Gordianus exilio multauit, libro septimo apud eundem. Macrinus vndique conquisitos pœnis afficiebat; Iul. Capitolin.

Dion Cass.

Anton. Pius infames esse iussit. Ita Capitolinus in eodem. Calumnijs quadruplatorum intercessit, inquit, apposita falsis delatoribus nota. Fuit illa K. elementum, quod ex lege Rhemnia frontibus candenti ferro imprimebatur; quo faciliùs omnes sibi ab eorum insidijs cauere possent. De hac Tullius in oratione pro Roscio. Inde Plinius in Panegyrico ait, delatores habere frontem ferream, punctis & notis vulneratam. Inde Callistratus *D. de testibus. l. 3.*

Litera K. ferro candenti delatorū frōtib. inusta

A noratum, & reprehensibilem vocat, & calumniæ damnatum, quem opponit disertè alteri, qui sit integræ frontis. Titus apud Suetonium, capite octauo, flagellatos delatores egit per amphitheatrum, & aut subiecit in seruos, aut in asperrima insularum auexit. Traianus nauigio inermi impositos ad certum naufragium mari commisit. Piaculares publicæ sollicitudinis victimas eos vocans Plinius in Panegyrico, dediti sunt, inquit, tempestatibus: ac si quem fluctus & procellæ scopulis reseruassent, hic nuda saxa, & inhospitale littus incoleret, &c. Constantinus iudices aduersus eosdem gladio armauit, *Cod. de delatoribus l. penult. lib.* 10. *tit.* 11. Honorius & Theod. AA. *l.* 17. *Cod. de accusationibus.* Calumniantes, inquiunt, ad vindictam poscit *similitudo supplicij.* Talio illa est, quam vocant
B *pœnam reciproci.* Leges nonnunquam *parem vindictam*; Verrius *iniuriæ vltionem*; Quintilianus *similitudinem supplicij. Vicem* interpretatur Priscianus. Apud Isidorum *antipelargosin* Græci dicunt talionem; Glossarium Philoxeni ἀντιπόνησις. Ἀμειβαῖον quasi *mutuum* dicas Sept. Interpret. in Scripturis vertunt. *Pœnam legitimam* vocat Cassiodorus lib. 1. Variar. Epistol. 9. delatores impugnatores. Suetonius in Augusto capite trigesimo secundo, *par pœna periculum.* Alijs *Rhadamanthaeum ius.* S. Isidoro Pelusiota libro quarto, epistola ducentesima nona, τὸ ὁμοίων μίμησις, *imitatio similium.* Sed magis ad rem de qua agimus, quod sanxit Antoninus Imperator olim innocentiæ Christianorum cauens, delatoresq; eorum compescens: Quòd si quis persistit huiuscemodi hominibus absque vllo crimine mo-
C uere negotia, ille quidem qui delatus pro hoc nomine fuerit, absoluatur, etiamsi prohibetur id quod ei obijcitur, Christianus. Is autem qui crimen obtendit, reus pœnæ ipsius, quam obiecit, existat. Inuenies in supplemento Eutropij à Paulo Diacono libro decimo. Hoc pacto delatores potiùs coërcere Saul debuit, quàm importunis illis querelis instigare, quo innocentem posset tanquam accepta anta opprimere.

Simili pœnæ, quam talionē vocant, addicti.

Cæterùm, cùm delatores execramur, tum eos nos dicere intelligimus, qui aut falsa deferunt, aut vera quæ sunt, ipsi sinistra interpretatione calumniantur: aut ea certè, tametsi ab officio viri boni non abhorreant, nec ipsi deprauent, norunt tamen eorum vitio ad quos ipsa deferunt, suis autoribus nocitura. Vel denique qui
D ea, quæ tutò latent, nec obesse cuiquam posse videntur, in lucem efferunt: & ijs, quos dudum fortassis admissi pœnitet, delatoria curiositate periculum creant. Tales excitare studuit Saul, qui testarentur cum quibus Dauid sermonem miscuisset, à quibus hospitio exceptus, aut vllo subsidio adiutus esset; vt tantisper dum in absentem & profugum sæuire non posset, in eius amicorum qui culpa vacarent, cæde bacchare-tur. Indorum autem Ephoros cur accusem non inuenio, quos sexto loco eorum politiæ Diodorus collocat libro tertio capite decimo, quorum hoc fuisse officium refert, vt inspectis, quæ in toto regno gererentur, ad Regem referrent. Εἰρηνάρχας item Stationariosque milites Romani Imperij, qui publicæ paci ac quieti præfecti

Delatorum duo genera.

Diodorus.

ET NON EST QVI, &c.

erant: quorum frequens apud Iurisconsultos mentio: qui criminibus inuestigandis, iudicibusque deferendis, iter agentibus securitatem præstabant, & quicunque apud eosdem Officiorum nomine censentur, aut Primates Officiorum dicti sunt. Hos ego, si suum munus legitimè obeant, laudandos potiùs quàm vituperandos duxerim: nec curiositatem in his, si ab inferenda iniuria abstineant, sed priuatim in delatoribus damnamus.

Suidas. Qua ratione exploretur delatorum fides.

Quid igitur si priuatus quisquam paratam Principi perniciem suo studio prodiderit, an erit ille delatores inter referendus? Nequaquam profectò. Sed quod ipse euulgauerit, idoneis testibus atque indicijs probare debet, ne cui videatur importare calumniam. Crem Bulgarorum Legislator, vt est apud Suidam in verbo Bulgari, delatorum artes veritus, lege statuit, vt si quis cuiusquam nomen detulisset, non antè accusandi licentiam acciperet, quàm ipse vinctus esset, aut etiam de eo quæstio habita. Durum hoc videri posset, & à studio publicæ vtilitatis deterrere posse quamplurimos. Apud Normannos, qui Rollonem inclamarit, (quæ vox continuò reum sistit immobilem, donec mancipetur custodiæ) idem quoque, nisi si fortè præs vasve acceptus fuerit, in eundem carcerem compingitur; temeritatis suæ pœnas, si perperam turbas concitarit, de more luiturus. Docet

Cominæus.

Cominæus prudenter facturos Principes, cùm aliquid occulti ad eos defertur, si delatorem sistant, & fidem sibi fieri iubeant. Hac enim ratione longè tranquilliorem vitam nacturos; cùm nemo sit eò progressurus amentiæ, vt quod probare non possit, periturus alteri obijciat. Ego sic arbitror omni ratione tuendam Principum salutem, qui sæpè ruere non possunt, quin vnà cum illis Respublica corruat, aut certè non mediocriter eius tranquillitas labefactetur: sed ita illi consulendum existimo, dum ne cui iniuria irrogetur. Non enim sceleri, sed diuinæ prouidentiæ Regum incolumitas accepta ferenda est, quæ potissimùm innocentia delectatur. Quamobrem cùm eorum, qui in crimen vocantur, delectum habendum censeo, tum etiam delatorum; ne vel his fraudi sit quod Reipublicæ student, aut cuiquam insonti negotium exhibeatur: si vel temerè delatores fidem inueniant, vel opinione communis perfidiæ obstinatiùs reijciantur. Oportet igitur primùm securitati Principis consulere, quod sine cuiusquam iniuria fieri potest: deinde, quàm fieri poterit diligentissimè, veritas è latebris eruenda est: & vbi iam reum coniecturæ vrgent, tum iudicij aleam subire cogendus est, concessa semper sui purgandi licentia. Sin delator ipse leuitate ingenij, aut etiam nocendi libidine eò deductus videatur, digna animaduersione plectendus erit. Quemadmodum autem qui Majestatis insimulatos vehementiùs vrgent, quàm coniecturæ sinunt, cùm Deum offendunt, tum de Principe malè merentur: ita & qui delatores pertinaciùs insectantur, & formidolosis quæstionibus ante patefactam calumniam examinant, cùm reliquos ab officio auertunt, tum Principem discrimini obijciunt.

ET NON EST QVI, &c.

A *Maximè cùm & filius meus fœdus inierit, &c.*] Casus hic misericordiam habet, sed eo perperam abutitur. Mentitur enim filium cum Dauide conspirasse, cùm neuter ei machinaretur malum: sed communi cùm eius, tum Reipublicæ incolumitati studeret. *Non est qui vicem meam doleat ex vobis, nec qui annunciet mihi.*] Quidam apud Philemonem Comicum:

Philemon.

Per Jouem maximum arbitrabar, Sosia,
Equidem priùs viuere pauperes duntaxat
In mœrore, diuitum autem vitam
Hilarem esse, & lætitiam ferre:
Nunc vero virorum differre quotidianis
Sumptibus vitam solùm video:
Ac maioribus doloribus premi maiores.

Æstum animi fatetur. *Nec qui annunciet mihi.*] Cùm tamen ipsi videatis insidias contra me parari. Quare aut hosti meo fauetis, aut dignitatem meam contemnitis. Certè subditorum est Regum salutem tueri, cuius ipsi præsidio defenduntur. Hæc oratio est eiusmodi, vt quiuis eam facilè subodorari possit profectam ab hypocrita. Accusat suos negligentiæ: & fortassis nimiùm negligentes erant, cùm erga Saulem, tum maximè erga Dauidem: quòd hunc quidem exulem parum studiosè fouerent; illum, cùm fureret, ab inferenda iniuria non prohiberent. Oziam leprosum Azarias Pontifex templo expulit; filius eius nomine regnum administrauit; ipse in separatam domum relegatus à rebus gerendis deinceps abstinuit, 2. Paralip. c. 26. Cur in Saulem, cùm vsque eò à dæmone concitaretur, vt insanire omnibus ac furere videretur, non ijs modis regni proceres animaduerterent, quibus innocentium saluti prospicerent: majestatem, quoad liceret, non minuerent? Quod autem videtur præterea accusare eos ingrati animi, suaque illis beneficia exprobrare, non pauca fortassis ijsdem Saul contulerat, vt solent qui affectant tyrannidem donatiuis & congiarijs militum animos delinire: sed aliena largitus est, & quæ iuris publici essent, non sua. Cæsar profligato Pompeio, cùm rem suam constituisset, tantùm effudit in milites, vt, cùm opes aliæ non sufficerent, coactus fuerit exhaurire publicum ærarium. Hoc Samuel futurum multò ante prædixerat, vt Reges hominum priuatorum vineas, & bona eriperent, eaque suis militibus atque emissarijs condonarent, illisque sæpè nequissimis, qui omnia loquerentur ad gratiam, nec spectarent quid verum esset, sed quid maximè placeret Regi.

Ælianus.

Eò quòd suscitauerit filius meus.] Dicit quidem hoc Saul, sed non probat. *Seruum meum.*] At contrà Antigonus apud Ælianum libro secundo variarum historiarum, capite vigesimo, cùm suum ipse filium efferre sese insolentiùs cerneret, dixit: An nescis, fili, τὴν βασιλείαν ἡμῶν ἔνδοξον εἶναι δουλείαν, nostrum regnum nobilem esse seruitutem? Apud Diodorum Sesostris, cùm defunctus belli laboribus ad templorum structuras & molitiones animum traduxisset, excitatis molibus inscripsit, Non Ægyptiorum, sed seruorum opera se vsum fuisse: ciues scilicet à seruis distinguens. Idem facit & Salomon libro 3. Regum, capite nono, versu vigesimo secundo.

Diodorus lib. 2. Scriptura Reges ciuiū fratres vocat.

Lex

ET NON EST QVI, &c. Lex ipsa Dei, Deuteronomij capite decimo septimo, *Non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non sit frater tuus.* Et iterum versu vigesimo, *Non eleuetur cor eius in superbiam super fratres suos.* At hîc Saul videtur augere contemptum velle ex personæ indignitate. Fortassis ita appellat seruum, quòd priuatim eidem seruisset, vt solent mercede conducti. Sed ad conferendum beneficium, non ad merendam stipem vocatus ad eum venerat: neque aut illum pater cuiquam addixerat, aut ipse se illi pretio emancipauerat. *Seruum meum.*] Nonnullus ex eorum grege, qui seruitutis iugo pressi seruiunt illiberaliter, liberè tamen ac fortiter respondet apud Philemonem Comicum,

Meus enim est dominus vnus vir:
Tua, aliorumq. innumerorum domina lex est.
Aliorum tyrannus: tyrannorum metus.
Sunt Regum serui, Rex Dei,
Deus necessitatis. Atque omnia prorsus, si perpendas,
Aliorum ex nutu pendent, & maiorum minores:
Illis semper hæc seruiant necesse est.

Ne Deum quidem censuit esse liberum, arbitratus eidem necessitatem imperare. Sed vnde illa necessitas quam Deus non peperit? an habes aliam præterea rerum scaturiginem? vnde manare necessitas possit? Quod si necessitatis Deus autor est, ergo huic quoque arbitratu suo moderatur. Sed quid mirum, si, cùm versaretur in tenebris Gentilis Poëta, impingat, & caespitet?

Artes tyrānicè regnātum.

Insidiantem mihi vsque hodie.] Obijcit Dauidi insidias, cùm ipse potiùs illi strueret insidias. Nam Saul liberè ac latè imperabat. Dauid autem ne angulum quidem habuit vllum, quò se reciperet: idque euentus etiam docuit. Postea enim bis dimisit Saulem, cùm illum iam haberet in manibus. Non magis erat Dauid insidiator, quàm Christus seductor & impostor: qui tamen ita vocatus est ab impijs. Sed *non erant* vt *conuenientia* dicta in vtrumque *testimonia.* Vulgare prouerbium est: Qui suum canem cupit ire perditum, priùs illum iactitat rabie esse correptum. *Prædicate,* ait Iezabel, *ieiunium, & sedere facite Naboth inter primos populi, & submittite duos viros filios Belial contra eum, & falsum testimonium dicant: Benedixit Deum & Regem: & educite eum, & lapidate, & sic moriatur.* Hæc sunt artes regnantium, postquam eos Dei timor destituerit.

3.Reg c.21.

Ælian.

Insidiantem mihi vsque hodie.] Nihil improbo Principe meticulosius, nusquam secura est mala conscientia. Phrygium est hoc dictum, inquit Ælianus libro decimo capite quinto variarum historiarum. Est enim Phrygis Æsopi: suem, si quis eam comprehendat, vociferari, idque non temerè. Etenim cùm neque lanam portet, neque quicquam aliud eius generis, statim mortem somniat, non ignorans seipsam vsui esse vtentibus. Similis autem mihi videri solent sui Æsopicæ tyranni, qui semper in suspicionibus & metu versantur: quum sciant sicut sues, suam animam omnibus deberi. Hæc Ælianus. Eosdem habitus induunt etiam legitimi Principes, postquam ab officio deflexerint,

Tyranni cū sue lepida cōparatio

A animumque ad tyrannidem transtulerint; non sine causa veriti, ne exemplo suo ciues ius violare discant, & quod nocet, non iam sacrum, sed vulgare ac profanum ducere.

VERSVS IX.

Respondens autem Doeg Idumæus, qui assistebat, & erat primus inter seruos Saul: Vidi, inquit, filium Isai in Nobe, apud Achimelech filium Achitob Sacerdotem.

VERSVS X.

B

Qui consuluit pro eo Dominum, & cibaria dedit ei: sed & gladium Goliath Philisthæi dedit ei.

QVi *assistebat, & erat primus inter seruos Saul.* Hebraïcè simpliciter, *& ipse constitutus super seruos Saul.* Ita Pagninus. Quidam tamen habet, *qui & ipse stabat iuxta seruos Saul.* Alius, *qui adstabat cum seruis Saul.* Vatablus, *qui & ipse stabat inter seruos Saul.* Chaldæus, *& ipse præpositus super seruos Saul.* Septuaginta, Δωὴκ ὁ Ἰδουμαῖος, ὁ καθεστηκὼς τὰς ἡμιόνους Σαούλ. *qui assistebat,* Romana editio, *qui præsidebat super mulas Saul. Syrum,* non *Idumæum* Romana editio vocat. Ἀχιτωβ τὸν ἱερέα, *filium Achitob Sacerdotem.* Hebræus non

Variæ trāslationes.

C habet *Sacerdotem.* Versu decimo, Chaldæus, *Et quæsiuit illi in dicto Domini.* καὶ ἐπηρώτα αὐτὸν διὰ τοῦ Θεοῦ. *Et consulebat ei per Deum.* Alius, *qui consuluit pro eo Iehouam*; vt cognosceret, an sacros panes tantùm Sacerdotibus concessos, & gladium semel Deo sacratum, ad alios vsus transferre fas esset: sed hoc impius Doeg reticet, vt ex coniectura statuatur Achimelecum esse reum initæ cum Dauide conspirationis, quod docent sequentia, & non obscurè ostendit Dauid Psalmo quinquagesimo secundo. Commentum istud non placet. *Et cibaria dedit ei.*] Quidam, *viaticum;* Vatablus, *commeatum;* Pagninus, *escam.*

Respondens autem Doeg Idumæus.] Persarum, inquit Ælianus variarum historiarum libro duodecimo, capite sexagesimo secundo, Persarum consuetudo fuit, vt si quis de rebus obscuris ambiguisque consilium Regi dare vellet, ἐπὶ πλίνθου χρυσῆς, super aureo latere staret: atque si bona salubriaque in medium consuluisse videretur, latere in consilij præmium accepto discederet: μαστιγοῦται δὲ ὅμως ὅτι ἀντεῖπε βασιλεῖ, nihilominus tamen flagris cæditur, quòd Regi contradixit. At homini libero non est meo iudicio digna merces, quæ cum iniuria tanta comparetur. Hæc Ælianus.

D

Qua mercede olim Persarum Regi benè consulere licuerit. Ælianus.

Qui assistebat, & erat primus inter seruos Saul.] Non adest Ionathas in hoc concilio. Nec mirum: illum enim pater dixerat vnà cum Dauide conspirasse. Sed nec Abner quidem Scriptura meminit, cùm esset ipse ductor exercitus: sed hîc Doegum reliquis seruis Saul præficit. Do-

ET ERAT PRIMVS, &c.

cent autem Septuaginta, eundem mularum gregibus fuisse præpositum. An fortè is fuit, quem nunc *stabuli comitem* dicimus? Videtur Saul etiā post adeptum regnum mularum studiosior fuisse: siue quòd is antea non parum oblectabatur: siue quod dum errantium vestigia sequitur, nactus sit imperium: siue quòd angaris vteretur, & ad onera portanda in montana potissimùm regione duceret vtiles. Negat Ælianus libro duodecimo, capite decimo sexto histor. animal. εἶναι φύσεως ποίημα τὸν ἡμίονον, mulum esse naturæ opus, sed humanæ machinationis audaciæque, vt ita dicam, adulterinum inuentum & furtum. Feros in India reperiri docet libro decimo sexto, capite nono, ab immanibus & carniuoris nihil differentes. Sunt autem rubri illi, nec bimis maiores vlla arte cicures euadunt. Fertur & Ana quidam ex posteris Esau, Genesis capite trigesimo sexto, versu vigesimo quarto, inuenisse mulos *in solitudine, cùm pasceret asinos Sebeon patris sui.* Nam quo loco Vulgatus habet *aquas calidas*, hoc est, thermas, Hebræi ferè פרדים *peradim*, siue *mulos* intelligunt. Hebraïcè ימים *iemim* scriptum est: quæ dictio neq; vspiam alibi apud Hebræos, neque apud vicinas gentes occurrit: ex quo sequitur, vt eius quoque significatio incerta feratur, & appareat quàm temerè Isidorus Clarius in Scholijs hallucinatum esse nostrum interpretem pronuntiet. Sed Hebræi, quoniam eodem loco asinorum Scriptura meminit, quos Ana ille pasceret in desertis locis, *mulos* designari conijciunt. Vulgatus מים *maiym* interpretari maluit, id est, *aquas*. Septuaginta difficultate deterriti, ἰαμεὶμ retinuerunt. Et Aquila quidem & Symmachus, τοὺς ἰαμεὶμ, quæ interpretatio pluralem numerum significat. Septuaginta verò & Theodotion, τὸν ἰαμείμ, quod numerum singularem indicat. Itaq; apud Græcos quidem & nostros, vt inquit sanctus Hieronymus Tradit. in Genes. super hoc silentium est: at Hebræi multa & varia disputant. Alij enim putant, *iamim*, *maria* appellata. ijsdem enim literis scribuntur *maria*, quibus & nunc hic sermo descriptus est. Et volunt illum, dum pascit asinos patris sui in deserto, *aquarum congregationes* reperisse, quæ iuxta idioma linguæ Hebraïcæ *maria* nūcupantur; quòd scilicet stagnum repererit: cuius rei inuentio in eremo difficilis est. Nonnulli putant, *aquas calidas* iuxta Punicæ linguæ viciniam, quæ Hebrææ contermina est, hoc vocabulo signari. (Adde his quod Targum *gigantes* interpretatur.) Sunt qui arbitrentur, onagros ad hoc admissos esse ad asinas, & ipsum istiusmodi reperisse concubitum, vt velocissimi ex his asini nascerentur, qui vocantur *iamim*. Plerique putant, quòd equarum greges ab asinis in deserto, ipse fecerit primus ascendi; vt mulorum inde noua contra naturam animalia nascerentur. Hactenus sanctus Hieronymus. Quem idcirco pluribus referre volui, vt Hebræorum simiæ suas nugas à sancto Hieronymo non ignoratas, sed contemptas intelligant: nec Vulgatum Interpretem, quem ille collustrauit sua diligentia, nisi temerè posse calumniari. Commentum verò Hebræorū, quòd idem ille Ana manser, siue spurius ex nefando concubitu fuerit, & filius fratris sui Sebeon, latè explicat Fagius in eundem locum Paraphr. Onkeli, & quo pacto equas cum asinis miscuerit: verùm, vt admonet Schindlerus in Pentagl. non equas, sed asinos pauisse scribitur. Deinde, verbum מָצָא *matsa*, *inuenit*, non rem quæ antè non fuerit, excogitare denotat, sex existentem reperire, & in eam incidere. Quare, & si fortè primus inuenit, non tamen excogitauit.

Marginal notes (left column): Ælianus. — Vulgatus defensus. Gen. c. 36. — S. Hieron.

Sed siue Ana primus vt muli nascerentur operam dedit, diuersasque species sollicitauit ad coïtum: siue feros, vt Ælianus habet, in eremo nactus, deduxit ad homines: statim vtiq; pluris fieri cœpti sunt. Mulæ Dauid insedit, postquam regni potitus est; & mulæ Salomon regnaturus imponitur: sed & mulum Absalon sibi vsurpasse fertur, cùm regnum exacto patre inuasisset. Sunt sanè equis muli diuturnitate vitæ præstantiores. Excellunt item robore: quapropter videtur Targum dixisse eos *gigantes*, non quod Ana cum gigantibus, vt nonnullus exponit, pro armentis in solitudine conflixerit: vnde אימים *emim* legisse putat pro ימים *iemim*: sed quòd fortes designare studuerit, vei vertit Fagius apud Onkelum, & fusiùs explanat in Commentar. Testantur præterea qui de eorum natura scripserunt, perinde vt canes odoratu valere, & semitam olfactu rimari. Adhæc, vt est in veteri prouerbio, mutuùm muli scabunt, seque beneuolentia complectuntur. Pollere autem ingenio quis neget? Accidit, inquit Ælianus libro septimo de Animalibus, capite quadragesimo secundo, cùm aliquando mulus sale onustus fluuium transmitteret, vt caderet, & sarcina euerteretur, sal autem aqua perfusus liquefieret. Is ex eo quod iam ab onere solutus, & liber factus esset, magnam lætitiam voluptatemque cepit; & simul vt quantum inter laborem & otium interesset, cognouisset, in reliquum tempus fortunam sibi magistram statuens, quam primò labem & casum inuitus fecisset, deinde summa cum voluptate prudens & sciens admittebat. Solus autem Thales Milesius, vt pote summus Philosophus, muli solertiam arte vincere potuit, spongijs lanaque ingeniosum mulum onerans: qui mox vt fraudem sensit, prudenter deinceps à lapsu abstinuit. At sunt qui callidum eius consilium non probent, tametsi reuera cur quisquam reprehendat quòd sibi consuleret? Alium tamen ex eodem proferam, quem publico decreto Atheniensium ciuitas virtutis ac pietatis ergo decorauit. Atheniensis mulus, inquit, iam vetulus, quamuis immunitate vecturarum iam donatus esset, non laborum tamen, qui per affectam ætatem obiri queunt, studio exolutus esse voluit. Nam cùm Mineruæ templum Athenienses ædificarent, is nulla re onustus, nullius imperio, sed sua sponte cum adolescentibus mulis, tanquam ad iter faciendum socius & hortator ibat. Et quemadmodum quispiam senex artifex, per exactam ætatem iam ab opere dimissus, veruntamen experientia, & senili doctrina iuuenes ad laborem exacuens, sic is vltrò citróque commeans, ad opus iumenta incitabat. Quod quidem ipsum vt Atheniensis populus intellexit, per præconem

Marginal notes (right column): Mulorum laus & commendatio. — Robur. — Odora vis. — Ælianus. — Mutua beneuolentia. — Prudentia. — Religio.

nem declarari iussit, vt ne à frumento, aut hordeo prohiberetur: sed expleri & satiari permitteretur, & pretium ex ærario peteretur: tanquam in Prytaneo sportula illi decreta, sicut athletæ iam ætate confecto. Hactenus Ælianus.

Præsagitio. Porrò etiam hoc pacto muli futurorum conscij & vates haberi possent. Nam cùm, vt Ctesias autor est apud Photium, Artoxerxis Regis Persarum corpus non ita pridem defuncti, in Persidem deportandum esset, regnante filio eius Xerxe, mulæ, quæ currum trahebant, tanquam filij cadauer expectantes, i er pergere nolebant: sed posteaquam idem mox Secundiani insidijs sublatus, ad patris funus accessit, tum sponte maturare fugam ipsæ cœperunt.

Artemidorus. Sed & illud ad eorum laudem commendationemq; pertinet quod habet Artemidorus Oneirocrit. libro secundo, capite duodecimo: Muli, inquit, εἰς πάντα ἐπιτήδειοι, ad omnia commodi sunt, propterea quod ad operas commonefaciunt, & maximè ad agriculturam. *Laborandi studium.*

Namq. hac parte bobus muli iam sunt anteferendi.

Pausanias in Eliac. citat ex vetere Poëta. Eleis tamen, si Pausaniæ credimus, olim inter portenta muli fuerunt, vsqueadeo, vt animal id intra fines ali religio esset. Sed & illud Doeg obseruare vererique debuit, ne dum alteri machinatur malum, ipsæ sibi mulæ, quibus pascendis Regis gratiam demeruisse videbatur, exitium portenderent. *Muli, malũ portendũt in u. c. 1.* Achmetis certe celebre effatum est, quod annotauit cap. 231. Oneirocriticorum ex Persarum Ægyptiorumque disciplina. *Achmes.* Αἱ γὰρ ἡμίονοι πᾶσαι ἄρσεν καὶ θῆλυ εἰς ἀναστροφὴν παντὸς πράγματος ἐπὶ παντὶ τῷ ἀνθρώπῳ κρίνονται. Omnes enim muli & mulæ, omnium rerum subuersionem homini portendunt, propterea quod steriles sint, & procreare neuter sexus possit.

Cæterùm, inter tot seruos Saulis, hic solus mulis præfectus Doeg inuentus est, qui aut spe maioris commodi pellectus, aut liuore incitatus, id quod viderat per summum scelus proderet. Erat autem ille in summa gratia apud Saulem: quod etiam ipsum ad Regis infamiam spectat, quod aures suas præberet delatoribus. Iusti quidem accusatores probandi sunt in Republica: obstringunt enim se ad probandum, quicquid dicunt. delatores autem susurris, & leuissimis suspicionibus sæpè omnia perturbant.

Vidi filium Isai in Nobe, apud Achimelech.] Viderat quidem ista geri Doeg: sed conspirationem initi non viderat. Nihil enim horum est, quod non potuerit benè fieri: sed ea ratio est adulatorum, vt si Principem incaluisse perspiciant, eundem studeant incendere, & ex stulto prorsus insanum facere. Doeg, quicquid viderat, deprauat. Mala enim mens, & malus animus semper omnia rapit in deteriorem partem. In istum scriptus est à Dauide nominatim Psalmus quinquagesimus secundus: *Dilexisti*, inquit, *malitiam super benignitatem, iniquitatem loqui magis quàm loqui æquitatem.* Neque dissimulauit eius exitium: *Euellet te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuentium.*

Filium Isai.] Ne iste quidem Dauidem vult appellare suo nomine, quo magis videatur imitari Principem: fortasse vt aliquid prædæ ab illo extorqueat. Ideoq; Dauid in eo Psalmo, quem dixi, ita in eum scribit: *Qui non posuit Deum adiutorem suum, sed sperauit in multitudine diuitiarum suarum.* Qui ita sunt comparati, illis nihil magis studio est, quàm assentari Principi. Adfert Doeg non solida argumenta, sed tantùm signa quædam, eaque leuissima. Ea tamen credulo tyranno, & sua sponte furenti facilè persuadent.

Ergone Doeg Sacerdotem deferens non poterit excusari à scelere?

QVÆSTIO L.

Sed ne fortè videar hominem clamore conuicioque vrgere potiùs, quàm falsitatis & flagitij conuincere: & quod imperiti faciunt, in scelera & mores vehementiùs inuehi, personam non attingere: singulas partes eius accusationis diligentiùs excutiam. *Quæ rationes Doeg factũ tueri videantur.* Nam sunt quibus primùm videri possit non esse mentitus. nam quæ ipse commemorat, eadem verè contigisse paulò antè Scriptura narrauit. Secundò, officij eius fuisse videtur, vt suo Regi morem gereret, & si quid eorũ nosset quæ circa Dauidem gererentur, afferret in medium. Tertiò, mentem eius consiliumque expendere non debuit. Non enim qui viuunt alterius obnoxij imperio, quò spectent Principes hoc scire tenentur, vt iudicent: sed satis erit si norint quid imperent, vt obsequantur. Quartò, cùm nihil ipse fingeret, aut mentiretur, in animum inducere debuit, hoc decreturum apud se Principem, quod æquũ atque vtile videretur. Quid si etiam quintò idem ipse humanùm sapiens, alienam à Dauide suspicionem non credidit, sed regnandi cupiditate teneri, præsertim asserente Principe, qui eundem priùs singulari beneuolentia complexus generum asciuerat. Itaque prudenter non expectandum ratus dum ille corroborata factione Regem opprimeret, deferre maluit. Sed & illud quoque animaduertendum est, cùm à legitimo Principe interrogaretur, neque silentio tegere, neque sermonis amphibologia, illa, quorũ esset conscius, dissimulare potuisse. Quid si denique extimuit, ne suo periculo quispiam ad Regem deferret, & celasse conuictus quæ Rex in suam tentari perniciem interpretaretur, silentium capite lueret. Hæc ferè sunt, quibus Doeg suum factum tueri possit. Nunc ea quantum ad eius defensionem conferre valeant, breuiter examinemus.

Primùm itaque, quod ad mendacium attinet, absit vt ego eum excusandum censeam, quin potiùs teterrimè mentitum fuisse manifestis rationibus probabo. *Refellũtur argumẽta, & Doeg reus conuincitur.* Quantum enim ex Saulis expostulatione querelisque potest intelligi, Dauidem moliri insidias conquestus est, idque clàm se fieri exprobrauit, cùm serui sui dare operam maturè debuissent, vt resciret. Quare, cùm de proditione quæstio instituta esset, respondit Doeg se Dauid in Nobe conspexisse. Quid igitur hoc spectat, inquis, ad perduellionis cri-

VIDI FILIVM ISAI, &c. men? Simpliciter & candidè rem ipsam narrauit. Imò cùm de proditione rogaretur si quid nosset, dixit hoc testimonium. Quis dubitet de proditione esse loquutum? Percunctanti vt arbitror studuit satisfacere. Hoc porrò non aliter potuit consequi, quàm si hæc ad defectionem referret, aut referre velle videretur. vtrumque porrò quis neget cum scelere esse coniunctum? Quid si mente tamen à calumnia abhorruit? Videri non potest. Neque enim cùm sciscitanti hæc ipsa nuntiaret, excusatione vsus est, aut asseruit nihil coniurationem attingere. Quinetiá ea verborum emphasi vsus est, quæ rem perspicuè asseueret. Nam qui verbum ex verbo curiosiùs transferunt, ita hunc locum interpretantur: *Vidi filium Isai venientem in Nobe ad Achimelech*. Cur autem in Nobe? cur ad Achimelech? verba sunt quæ suspicionem pariant, quæ conspirationem loqui videantur: nec aliter Saul accepit. Tabernaculi autem quare non meminit? quoniam is locus suspicione careret. Atqui eò properabat Dauid, vt oraculum consuleret? An non igitur manifesti mendacij tenetur, & proditæ veritatis reus est?

Reliquæ rationes cófutantur. Regibus autem parere æquum est: sic tamen, vt Deo primùm obtemperes. *Obedire*, inquiunt Apostoli, *Deo oportet magis, quàm hominibus*. Deinde haudquaquam is mihi morem gerere videtur, qui proditorem postulatus, prodit innocentem. Tertia ratio eò spectat, vt Regibus, quoad possis, tentes obsequi: nec antè imperium detrectes, quàm manifestum scelus appareat. Latere autem Saulis inuidia furorq; Doeg non potuit. Eodem cuneo quarta illa cauillatio truditur. Quinti quoque argumenti vis nulla est. Non enim sic cauere licet, vt alteri noceas: aut de corruptis improborum moribus coniecturam capere, vt innocentem, quem nulla certa ratio premit, morti adjudices. Ad sextum respondeo. Non satis liquet ex ipso contextu orationis quid aliud Saul efflagitauerit, quàm Dauidis insidias & clandestina consilia renunciari sibi. Horum ergo Doeg quum nihil deprehendisset, non videbatur Regis præcepto cogi, vt aliunde insonti negotium facesseret. Quæ nescias, ne Deus quidem vt reueles, imperabit. Sed & Regum opinor nonnulla interrogatio æquitate nititur, nonnulla quandoque cum iniustitia iuncta est. An verò censes etiam manifestè iniustis omninò esse parendum? Proprio denique periculo ab officio deterreri non debuit: nec satis quisquam seipsum in iudicio defendet, si declinandi periculi gratia insontem quempiam se dicat occidisse. Ea est diuinarum legum sanctitas, vt metus excusationem non admittant, sed postulent etiam in summo discrimine seruari.

Qui consuluit pro eo Dominum.] Miror qua conscientia Sacerdoti objiciendum putet, quod rogatus à Dauide, *consuluerit Dominum*. An genus hoc criminis esse ducat si quisquam vel pessimus Dei consilium expetat? Vereri opinor non debuit, ne Deus Sacerdotis ministerio Dauidi conciliatus, sceleri consentiret. Et quidem si, cùm esset immundus, vel eorum iudicio, penes quos ea potestas fuit, iuxta phrasim Euangelicam, *extra Synagogam factus*, sacri epuli particeps fieret, videri posset Pontifex in legem ceremoniasque peccare: sed in re dubia atque ancipiti Dei responsum petere nemo prohibetur. Tametsi enim oraculi non mediocris fauor est, quo Deus hominibus voluntatis suæ significationem dat: illud tamen magis ad docendum pertinet, quod errantibus alienisque cum primis necessarium est, quàm spectet ad vllum religionis emolumentum, quo alieni priuari debeant. Porrò nemo autore sapiente fit deterior. quanto minùs Deo?

Dicet aliquis, cùm is sua vota ac desideria Sacerdoti committeret, ea Dauidem indicasse ex quibus eius fugam cœptusque colligeret. Non est necesse. Nam eo modo quæ vellent sciscitantes exponebant, vt rei, quam susciperent, euentum percontarentur: sed illa, cuius generis esset, priuatim non aperiebant. Quinetiam quandoque nonnulli, qui ab alijs ad Prophetas allegati essent, aut personam mentiti, aut celasse reperiuntur. Certè nulla ratio fuit, cur singillatim quisque suos conatus aut studia exprimeret, cùm vno atque altero verbo, iubendo, aut vetando, quæstioni satisfieret.

VERSVS XI.

Misit ergo Rex ad accersendum Achimelech filium Achitob, & omnem domum patris eius, Sacerdotum, qui erant in Nobe, qui vniuersi venerunt ad Regem.

DE sancto Leontio Tripoleos Lydiæ Episcopo multa narrat Suidas in voce Λεόντιος, inter quæ etiam hoc habet, quòd cùm ab Eusebia Constantij Imperatoris vxore, vt se inuiseret ac salutaret pollicitationibus inuitaretur, responderit: Si volueris me venire ad te, conseruata reuerentia Episcopis debita, vt ego quidem ingrediar, tu verò statim de sublimi solio descendens, cum reuerentia mihi procedas obuiam, & caput meis manibus supponas, benedictionem acceptura, deinde verò, ego sedeam, tu verò stes verecundè, cùm iussero, signo dato, sessura, si sic facere volueris, ad te veniam. Sin alio modo in animum induxeris te gerere, non tam multa dabis, nec adeò magna præstare poteris, vt nos remittentes de honore Episcopis debito, sacerdotij diuinam legem per contemptionem videmus. Narrat deinde quemadmodum illa, cùm muliebri impotentia fureret, ab Imperatore in Gynæceum ablegata est. Quid Valentiniano Imperatori acciderit, refert sanctus Seuerus Sulpit. cùm enim adeunti ad se sancto Martino statuisset non assurgere, flamma thronum corripuit. Sanctus Ambrosius Maximi Imperatoris etiam osculum aspernatus est, offensus quòd in Prætorium vocatus esset. Reliqui ferè Imperatores & Reges, quicunque à fide ac pietate Catholica non desciuissent, religioso cultu ac reuerentia Pontifices & Episcopos

Suidas. Qua reuerentia, quo cultu Episcopi excipiendi sint.

Præsto sum, &c. nos prosequuti sunt. Sed redeo ad eundem illum Leontium. Constãtio, inquit Suidas, nonnunquam inter Episcopos presidente, & Ecclesijs imperare volente, plerique quidem quicquid ille dixisset, cum plausu & admiratione excipiebant, optimè dictum affirmantes: hic verò tacebat. Cùm autem Imperator ipsum interrogasset, Quid tu solus omnium taces? Miror, inquit, quomodo rebus alijs administrandis præfectus, alias aggrediaris. Nam rebus quidem bellicis, & ciuilibus es præfectus, Episcopis verò ea præscribis, quæ ad solos Episcopos pertinent. Imperatorem autem verecundia motum, in posterum ab eiusmodi edictis abstinuisse.

Versvs XII.

Et ait Saul ad Achimelech: Audi, fili Achitob. Qui respondit: Præstò sum Domine.

Præstò sum Domine.] Ita sancti Episcopi, & summi Pontifices, cùm Reges & Imperatores filios vocant, tum etiam dominos dicere non dedignantur. Frequens ea appellatio est, & benè solemnis apud S. Gregorium in Epistolis. Quàm bellè hæc in eumdem quadrent, docet S. Thomas Cantuariensis in 1 ep. st. ad Henricum 2. Angliæ Regem, quam descripsi priore Tomo cap. 4. ver. 18 1 2. Parte tract. de potestate Ecclesiast. cap. 4. *E ò quòd*, inquit, *dominus*, debeo vobis & offero consilium meum, & obsequium, quodcumque debet Episcopus secundum honorem Dei, & sanctæ Ecclesiæ, domino. *E ò quòd filius*, officij ratione ad castigationem teneor & coërtionem. Corripit enim pater filium, nunc blandis, nunc asperis; vt vel sic prouocet eum ad benefaciendum, &c. Carolus Magnus, inquit Anonymus Monachus Annal. gestorum à Carol. cap. 80: cùm die sanctissimo Natalis Domini ad Missarum solennia basilicam B. Petri Apostoli fuisset ingressus, & coram altari, vbi ad orationem se inclinauerat, assisteret, Leo Papa coronam capiti eius imposuit, cuncto Romanorum populo acclamante: Carolo Augusto, à Deo coronato, magno & pacifico Imperatori Romanorum, vita & victoria. Post quas laudes à Pontifice more antiquorum Principum adoratus est. Hæc ille. Vnde colliges, cùm dicunt Pontifices Reges aut Imperatores suos dominos, ex animi sententia loqui, & quoad fas est & decet, regnãtium maiestatem omni studio ac cultu prosequi, & non in speciem dumtaxat, aut verbo tenus, sicut hæretici calumniantur. Ridebat Martialis cùm diceret:

S Thomas. Episcopi Regum patres, Reges Episcoporũ domini.

Annales Anonymi.

Cum voco te dominum, nolo tibi Cinna placere:
Sæpe etiam seruum sic resaluto meum.

At non ridemus: sed verè, & ex animo, vt inquit Tertull. ad Scapulam, cap. 2. colimus Imperatorem sic, quomodo & nobis licet, & ipsi expedit, vt hominem à Deo secũdum, & quicquid est, à Deo consequutum, & solo Deo minorem. Hoc & ipse volet. Sic enim omnibus maior est, dum solo vero Deo minor est.

Tertull.

A Atqui Augustus, inquit idem Tertull. Apolog. cap. 34. Imperij formator, ne dominum quidem dici se volebat. Et hoc enim Dei est cognomen. Domini, vt scribit Suetonius, appellationem, vt maledictum & opprobrium, semper exhorruit. Cùm spectante eo ludos, pronuntiatum esset à mimo: O dominum æquum, & bonum! & vniuersi quasi de ipso dictũ exultantes comprobassent; statim manu vultúq; indecoras adulationes repressit, & in sequenti die, grauissimo corripuit edicto, dominúmque se posthac appellari ne à liberis quidem, aut nepotibus suis vel seriò vel ioco passus est. Hęc Suetonius. Ad quæ alludere videtur Orosius lib. 6. Hist. ca. 21. Cùm eodem tempore, inquit, hic ad quem rerum omnium summa concesserat, dominum se hominũ appellari passus non

B est, immò non ausus, quo verus dominus totius generis humani inter homines natus est. Quin etiam mox Tiberius domini appellationem cùm deferretur, abnuit. Acerbè, inquit Tacitus Annal. 2. cap. 12. increpuit eos, qui diuinas occupationes, ipsúmque dominum dixerant. Vnde angusta & lubrica oratio, sub Principe, qui libertatem metuebat, adulationem oderat.] Plures olim profectò sic ab ea voce abhorruerunt, tanquam ea appellatio extremæ cuiusdam professio seruitutis esset. Atqui ea quoque ciuili imperio congruit, & Christiani libenter olim amplexi sunt, Tertulliano interprete Apolog. cap. 34. Dicam planè, inquit, Imperatorem dominum, sed more communi, sed quando non cogor vt dominum Dei vice dicam. Cęterùm liber sum illi: Dominus enim

C meus vnus est, omnipotens Deus æternus, idem qui & ipsius. Qui pater patriæ est, quomodo dominus est? Sed & gratius est nomen pietatis, quàm potestatis; etiam familiæ magis patres, quàm domini vocantur.

Præsto sum, &c.

Sueton. in Octauio, cap 53. Dominos se non pauci Imperatores appellari vetuerunt.

Orosius.

Tacitus.

Tertull.

Versvs XIII.

Dixitque ad eum Saul: Quare coniurastis aduersum me, tu & filius Isai, & dedisti ei panes & gladium, & consuluisti pro eo Deum, vt consurgeret aduersum me, insidiator vsque hodie permanens?

D Saul contra ius & fas ipse & accusator esse vult, & iudex. Non oportuit quidem ita fieri: sed importunitas & impotentia non audit leges. Status accusationis est, Achimelech esse proditorem. Signa quæ ad probandum afferuntur à Saule, εἰκότα tantùm sunt, non τεκμήρια. Conspirasti, inquit. Achimelech negat. Quæstio est, in qua hæret omnis controuersia, An conspirauerit. Sed dices, Si erat innocens, quomodo succubuit? Respondeo, alias fuisse causas, cur Deus illum punitum vellet. Non rarò autem improbi plectuntur ob alia scelera, quàm de quibus accusantur: Multa enim, quæ latent oculos hominum, fallere Deum non possunt. Nec tamen Pontificem necesse

Non necessarijs, sed verisimilibus argumentis Saul nititur.

QVARE CONIVRASTIS, &c. est flagitiosum credere, cùm Dauid innocens in eodem crimine versatus sit. Si reos dumtaxat mali Principes insectarentur, & supplicio afficerent, nequaquam tyranni dicerentur, aut vlli martyres corona donandi essent. Iam verò qui eiusmodi sunt, perditis quidem ciuibus adulantur, & fauent; pijs, & de republica ac religione benè meritis perniciem parant. Saul porro tanto odio incendebatur in Dauidem, vt illi ne Deum quidem vellet esse propitium. Propositis signis addit causam de suo: Cur, inquit, hæc fecisti, nisi vt ille insurgeret contra me?

Quare coniurastis aduersum me, tu & filius Isai?] Suidas. Suidas in verbo Βασανίζειν, Apud Atticos, inquit, hoc verbum non significat torquere, quæstionem per tormenta dare, per cruciatus examinare, & flagris cædere, sed sine verberibus, ac plagis inquirere, & veritatem per verba exquirere, & arguere. Ἀπὸ τῆς βασάνου τῆς χρυσοχοϊκῆς λίθου μεταφορικῶς, ducta translatione à lapide Lydio, quo aurifices aurum explorant, vt syncerum ab adulterino discernant. Aristophanes tamen in Ranis, pag. 155. quocumque modo ac tormentis quibuslibet intelligit.

Quæstionis duplex genus: nam verbis, aut tormentis veritas quæritur.

Aristopha. Ξανθ. Βασάνιζε γὰρ τὸν παῖδα τουτονὶ λαβών.
Κἄν ποτέ μ' ἕλῃς ἀδικοῦντ', ἀπόκτεινόν μ' ἄγων.
Inquire enim, puerum istum corripiens.
Et si vnquam deprehenderis iniustè fecisse, me abducens interfice.
Αἰα. Καὶ πῶς βασανίζω; Ξανθ. πάντα τρόπον. ἐν κλίμακι
Δήσας, κρεμάσας, ὑστριχίδι μαστιγῶν. δέρων,
Στρεβλῶν, ἔτι δ' εἰς τὰς ῥῖνας ὄξος ἐγχέων,
Πλίνθους ἐπιτιθείς, πάντα τἆλλα, πλὴν πράσῳ
Μὴ τύπτε τοῦτον, μηδὲ γητείῳ νέῳ.
Quomodo autem inquiram? Xanth. Omnimodo. ad scalas
Alligans, suspendens, flagello è setis cædens, verberans, aut etiam excorians,
Torquens, inque nares acetum infundens.
Lateres (candentes) *imponens, tentans omnia: sed porro*
Ne verbera hunc, neque allio nouo.

Quod interpretatur idem Suidas βασάνιζε παντοίως, interroga omni ratione. Non per ludum, neque vt ingenui pueri solent, porri vel alij caule cædi. ἐπειδὴ οἱ ἐλεύθεροι, πρὸ τούτου ἐδαίροντο πρασοῦ τυλλῷ, siue ἀμπελοπράσῳ, ἢ σκορόδοις. Nam anteà ingenui agrestis porri folijs, vel allijs verberari mos fuit. Sed ego neutrum hîc fieri video. Non enim interrogat, sed accusat. *Quare coniurastis*, inquit. Illud primùm quærendum fuit, num coniurassent? non enim hactenus constare potuit. Quòd si negarent, tum præsumptiones expenderet, & indicia, si quæ vrgerent, diligentius excuteret. & quando nullam placuit haberi Sacerdotij rationem, si contumacius abnuerent, tormentis etiam quæstio exercenda fuit, vt immani sæuitiæ vel quæsitus color aliquis videretur. Ὅτι οἱ ἔξω φασίν, ἡ ἀμφισβήτησις κρίσει ἀναφερέσθω, &c. Nam Gentiles ipsi dicunt. Controuersia ad iudicium referatur; iudicium probationes examinet, examen decernat quod est faciendum, decretum verò scribatur, quæ scripta fuerint, sanciantur; quæ fuerint sancita, reipsa confirmentur, & omnis concertatio facessat, & amicitia denuò reflorescat. Inconsideratè verò iudicia facere, & temerè iudicare non oportet. Hæc ille ab Ethnicis. Quo non probro itaque, qua non vituperatione Saul dignus est, qui toto hoc iudicio nihil præter temeritatem, & præcipitem ferociam præ se fert?

Legitimorum forma iudiciorũ.

ET CONSVLVISTI, &c.

Et dedisti ei panes.] Exulem quemcumq; tecto & cibo iuuare lege veteri non licebat. Seneca lib. 6. Controuer. 2. LL. Politicæ Canuti Regis, cap. 12. Si quis fugitiuo subministrauerit cibum, siue eum in tectum receperit suum, pendito Regi eo nomine, (nisi imprudentiæ excusationem attulerit) libras quinque. Lex item Salica, titulo quinquagesimo nono, sancit, vt si quis ad Regem admallatus, siue mannitus (Gal. *adiourné*, vocatus in iudicium) vt eum Rex extra sermonem suum esse dejudicet: & ita ille culpabilis, & omnes res suæ erunt in fisco, aut cui fiscus dare voluerit; & quicumque ei panem dederit, aut in hospitium collegerit, etiamsi vxor eius propria sit, DC. den. qui faciunt sol. 15. culp. iud. donec omnia, quæ ei legibus imputantur, secundum legem componat.]

Perfugam crimen est tecto aut cibo iuuare.

Lex Salica.

Et consuluisti pro eo Dominum.] Thalmud in eo Tractatu, qui *Massechtah Iomah* vocatur, cap. 6. sic habet: Regi tantùm, & Patri consistorij (eo nomine supremum iudicem designant) per Vrim & Thummim, dominum interrogare ac consulere licebat, idque tantummodo in re graui & ardua. Vt si bellum aliquod contra hostem suscipiendum erat. Vel, si Consistorium, hoc est, iudices ordinarij, in aliqua causa non poterant ferre sententiam, ac certum statuere. Hoc Rabbini tradunt, quod falsum arbitror. Nam mox Sacerdos testatur, sæpiùs anteà in eius gratiam Dominum consuluisse: nec memini vlla vnquam lege priuatis in re seria oraculo interdictum fuisse.

Thalmud.

Quid si pręterea Sacerdos vim timuit? Tradũt Delphi, inquit Pausan. in Phocicis, venienti ad oraculum Herculi Amphitruonis filio, Xenocleam dei interpretem responsum dare recusasse, quod cæde Iphiti erat pollutus. Ibi sublatũ è templo tripodem Herculem foras asportasse: ipsam verò interpretem ex tẽpore dixisse,

Pausanias. Hercules vi extorquet responsum.

Hic Tirynthius Alcides, non ille Canobæus.

Itaque Amphitruonis filius, reddito tunc Apollini tripode, quicquid voluit à Xenoclea didicit. Atque inde ortum volunt, vt Poëtæ sumpto argumento, fabulis mandarent, Herculem cum Apolline de tripode certasse. Quid igitur, si id quoque Dauid in animum induxisset Vrim & Thummim secum asportare, vt per alium Sacerdotem Dei responsa quæreret? Neque enim scire Achimelech potuit quas ille secum copias educeret, tametsi iam de fuga eius aliunde certior factus esset. Vtique filij Dan, cùm in domum Michæ irrupissent, & Ephod, & Teraphim, & Sacerdotem per vim auexerunt. Statim etiam Abiathar, cùm cæso patre, alijsque Sacerdotibus, ad necem quæreretur, cladem fugiens, Ephod secum abstulit, & ad Dauidem cum eo se contulit. An non igitur satiùs videri debuit, etiam si resciret Dauidem

Iudic. 18.

ET CONSVLVISTI, &c. dem defectionem moliri, necessitati cedere, quàm intempestiua recusatione res sacras secum discrimini obiicere?

Insidiator vsque hodie permanens.] Nescio quid simile refert Suidas de Commodo Imperatore. Postquam is, inquit, ad nefarias cædes animum appulisset, πάντας ἀφειδῶς πηρ... ἀκρωτηριασμένους... ἐς τὸ θέατρον... δρακοντώδη τινὰ προσθεὶς ἐκ γιγάντων σχήματα... κατειργάσατο, inclementer quoslibet miseros, & mutilatos viros in theatrum compulsos, serpentinis quibusdam laruis, & spectris ad genua alligatis, tanquam gigantes claua confecit. Calumnia certè larua quædam est, qua Saul studet Dauidem induere, vt eumdem iure cædere videatur.

Suidas in voce Κόμμοδος.

De Præsumptionibus.

QVÆSTIO LI.

CÆterùm, quandoquidem complura facinora clàm remotis arbitris admittuntur, quæ certa ratione nequeunt inuestigari, & tamen publicè plecti interest, vt delinquendi licentia coerceatur: idcircò præsumptis opinionibus locus datus est: quibus, cùm certæ probationes iudicem deficerent, ad vindictam scelerum armaretur. Præsumere enim propriè dicitur esse legis, vel iudicis: vt persuadere, aduocati: testari, vel deponere testis, secundum Baldum *in L. Siue, ad finem, de probation.* Et *Cod. de rei vindic. L. iudices.* Instrui iudicis religio potest ex pluribus indicijs, quæ suspicionem inducunt. Tametsi enim priuati quoque suspicantur & præsumunt, horum tamen nulla ratio habetur, neque in alterutram partem iudicij lancem inclinant. at verò iudex non tam præsumptionis potissimùm adminiculis litem dirimit. Est autem *Suspicio*, vt inquit Baldus *in rubr. de probation. & ad L. ea quidem. Cod. de accusat.* passio animi, non eliciens firmiter aliquam conclusionem. *Præsumptio*, siue πρόληψις, sententia præassumpta præueniens veram cognitionem, priusquàm de ea liquidò constet. Oldendorpius aliam præsumptionis definitionem tradit. Præsumptio est, inquit, coniectura, seu diuinatio in rebus dubijs, collecta per rerum circumstantias, ex argumentis, vel indicijs frequenter euenientibus. Vel, Præsumptiones sunt anticipationes quædam de eo, quod in re est, communi sensu perceptæ ex eo quod plerumque intelligitur, quodque plerumque fit, quæ probationem omnem in eum transferunt, contra quem faciunt, Cuiacius *in rubr. ff. de probat. & præsumpt.* Hoc iuris remedio Saul legitimas probationes supplere instituit. Sed cùm præsumptiones multæ sint, inutiles pleraſque adhibet: & cùm id genus probationem in contrariam partem admittant, & argumentis dilui possint, cuncta refutat, & præsumptis suspicionibus pertinaciter inhæret, quo pacto regalem dignitatem non mediocri infamia atque dedecore maculauit.

In occultis non ratò præsumit iudex.

Suspicio.

Præsũptio.

Oldendorpius in Topic. Tract. de Præsũptione.

Cuiacius.

Præsumptio enim est quadruplex: Alia iuris, siue legis, aut canonis; alia hominis; alia naturæ; alia facti. Iuris iterùm præsumptio alia maior, alia minor. Minor est, quæ iuris tantùm dicitur: quæ Alciato in tertia parte præsumpt. nihil aliud est, quàm probabilis coniectura ex certo signo proueniens, quæ non alio adducto, hoc est, quæ nisi refellatur, pro veritate habetur. Tantisper enim dum manifestiora elucescant, ijs quæ probabilia videntur, fidem adhibemus. Maior est, quæ iuris & de iure vocatur: quæ nihil aliud est Alciato 2. part. præsumpt. quàm dispositio legis præsumentis, & super præsumpto tanquam sibi comperto statuentis, contra quam non admittitur probatio. *Vide L. vlt. Cod. ad Velleian.* Hæc sola est, quæ regulariter, vt obseruant iuris interpretes, probationem in contrarium non admittit, neque enim refelli obnoxia est, cùm sit legis publica auctoritate firmata. Felinus tamen *in c. quanto, nu. 3. de præsumpt.* id explicat, & restringit sex modis. Petrus Gregor. Syntag. lib. 41. cap. 11. num. 9. vnam putat necessariam exceptionem, si veritas contra præsumptionem appareat. Nam putat contra omnes præsumptiones, & in quacunque parte litis, obijci posse rei veritatem, & illam manere præcipuam. Quod si verum esset, nulla lex de præscriptionibus scribi debuit. Siquidem earum æquitas præsumptione primùm nititur. deinde publica auctoritate fulta, atque vsu corroborata, ita ius possessori tribuit, vt nec veritati quidem manifestæ cædat, sed serius quàm lex præscribit, oriatur. Sed de præsumptionibus mox plura versu sequenti.

Alciatus.

Felinus.

Petr. Greg.

VERSVS XIV.

Respondénsq; Achimelech Regi, ait: Et quis in omnibus seruis tuis sicut Dauid fidelis, & gener Regis, & pergens ad imperium tuum, & gloriosus in domo tua?

VERSVS XV.

Num hodiè cœpi pro eo consulere Deũ? absit hoc à me: ne suspicetur Rex aduersus seruum suum rem huiuscemodi, in vniuersa domo patris mei: non enim sciuit seruus tuus quidquam super hoc negotio, vel modicum, vel grande.

ET *pergens ad imperium tuum*] Pagninus, *qui pergit ad obedientiam tuam.* Arias, *Et recedens ad auditum tuum.* Quidam, *& pergit ad imperij tui auditum.* Alius, *Et incedens in tui obedientia.* Vatablus, *qui ad iussa tua recessit.* In Schol. *qui promptus est ad tibi parendum.* Chaldæus, *& magister super omnem auditionem tuam.* Septuaginta, καὶ ἄρχων παντὸς παραγγέλματός σου. Complut. *& complens omne imperium tuum.* At Romani transferunt, *& princeps omnis præcepti tui.* Et po-

Variæ trãslationes.

Et quis in omnibus, &c.

test intelligi, inquit Flaminius in Notis, aut quod sit princeps omnium, qui obediunt præcepto regis, vt videtur interpretari Chaldæus, aut quod primus ipse sit in obediendo præceptis Regis.

Versu decimo quinto, *Num pro eo cœpi hodie consulere Deum? interrogare ei,* באלהים *belohim, in Deo?* Vatablus in Schol. cùm scilicet ducturus erat tuas copias? Chaldæus, *Die hoc cœpi quærere illi in dicto Domini?* Septuaginta, *An hodie incœpi interrogare, siue consulere ei per Deum?* Quidam, *Hodie quidem cœpi consulere pro eo Deum.* Clarius in Annot. Sunt qui hanc sententiam sic legunt: Num hodie primùm cœpi consulere pro eo Deum? Absit, vt ego sciuerim quod fugerit à te, cùm alioquin toties pro eo consuluerim Deum. Kimhi tamen nostram probat lectionem, vt hic sit sensus: Quare redarguis me, quod consuluerim Deum pro eo, cùm is primus sit dies, quo illud facere cœpi, ignorans quidem, &c. Absit, absit à me, si sciuissem te illi aduersari, nequaquam id egissem. Non igitur imponas mihi, aut alicui ex vniuersa familia mea, verbum hoc. Hactenus ille. Potior est Vulgati Interpr. sententia: nam post LXX. & Ionathan Chaldæum, ipse etiam Pagninus hoc loco interrogationem agnoscit. *Ne suspicetur rex.*] Quidam, *Ne quæso imponat rex seruo suo verbum hoc.* Vatablus, *Ne imputet rex rem [hanc] seruo tuo.* Ita ferè reliqui.

Et quis in omnibus seruis tuis, sicut David? &c.]

Curtius.

Accusabatur Amyntas apud Curtium lib. septimo, perduellionis, siue conspirationis in Regem, ab eodem Alexandro triplici nomine. Primùm, quòd verba quædam aspera iactasset in Regem. Deinde, quod amicitiam iniuisset cum Philota, quem læsæ maiestatis paulò antè damnauerat. Postremò, quòd literas Alexander à matre accepisset, quæ monebat, vt ab eo, & fratribus eius sibi caueret. Quod proprium est huius loci, secundi capitis confutationem, quam Amyntas accepta respondendi licentia orditus est, ex ipso Curtio referam. Amicitiam, inquit, quæ nobis cum Philota fuit, adeò non eo inficias, vt expetisse quoque nos, magnósque ex ea fructus percepisse confitear. An verò Parmenionis, quem tibi proximum esse voluisti, filium omnes penè amicos tuos dignatione vincentem, cultum à nobis esse miraris? Tu Hercule (si verum audire vis) Rex, huius nobis periculi causa es. Quis enim alius effecit, vt ad Philotam decurrerent, qui placere vellent tibi? Ab illo traditi, ad hunc gradum amicitiæ tuæ ascendimus. Is apud te fuit, cuius gratiam expetere, & iram timere possemus. An non propemodum in tua verba, tui omnes, te præeunte, iurauimus, eosdem nos inimicos, amicósque habituros esse, quos tu haberes? Hoc sacramento pietatis obstricti, aduersaremur scilicet quem tu omnibus præferebas. Igitur si hoc crimen est, tu paucos innocentes habes, imò Hercule neminem. Omnes enim Philotæ amici esse voluerunt: sed non totidem quot volebant, esse poterant. Ita si à conscijs amicos non diuidis, nec ab amicis quidem separabis illos, qui idem esse voluerunt.

Excusatur inita amicitia cũ amicis Regis.

Quod igitur conscientiæ affertur indicium? vt opinor, quia pridie familiariter, & sine arbitris loquutus est nobiscum. At ego purgare non possem, si pridie quicquam ex vetere vita ac more mutassem. Nunc verò si, vt omnibus, illo quoque qui suspectus est, fecimus: consuetudo diluet crimen, &c. quæ leges apud eundem Curtium.

Et quis in omnibus, &c.

Et quis sicut David fidelis, & gener Regis, &c.] Achimelech ad defensionem suam arripit statum legitimum definitiuum. Coniuratio enim est consensus aliquorum contra remp. At ego non consensi cum quoquam contra rempub. Obiecta depellit per statum assumptiuum. Feci quidem hoc, inquit, sed iure feci. Quis enim iuuare nolit hominem optimè meritum de republica? Hic vtitur circumstantijs personæ. Is gener, inquit, tuus: eduxit exercitum feliciter, & reduxit: & in tuis ædibus versatus est fideliter. Consului ergo dominum pro seruo tuo, cuius tu fidem, & obseruantiam semper probaueras. Id autem Sacerdos facere debuit ex officio: nam in vii. cap. Num. Eleazar iubetur consulere Dominum pro principe reip. Dedi panem: id perinde erat, cùm esset gener tuus, ac si dedissem tibi. Dedi gladium: sed homini prompto, ac bellicoso, quique ad res gerendas sæpe à te mittebatur: quod cum affeci honore, in eo teipsum autorem habeo: tu enim illi omnia tribueras.

Num hodie cœpi pro eo consulere Dominum? Quasi dicat, Sæpè feci id antea, cùm ille iret militatum. Si hodie primùm consuluissem pro eo Dominum, possem non iniuria venire in suspicionem. At cùm te autore id toties ante fecerim, qua tandem ratione nunc mihi crimini datur? Kimhi tamen legit sine interrogatione, ac si Sacerdos dicat, se nunquam aliàs eius causa consuluisse Dominum. Sed hoc vtique suspicionem augeret magis, quàm imminueret. Quoniam verò Sacerdos rem sibi videbat esse cum impotenti ac furioso, ad extremum confert se ad preces. Quæso, inquit, ne ascribas mihi hoc crimen: absit hoc à me. Hic prætexit errorem: se nescisse, Dauidem fuisse proscriptum. Sed dices, cùm Achimelech consuluerit oraculum, quomodo nescire potuit, Dauidem profugum latebras captare? Credibile est Dauidem generatim tantum proposuisse Achimelech, vt interrogaret Dominum de illa via sua, & Deum generatim etiam respondisse: nec Achimelech, quò ea spectarent, intellexisse. Deus enim non semper omnia vatibus suis parte facit; imò sæpè ne expedit quidem. Quod si ignorarit, quis nisi iniustè eundem participatæ coniurationis insimulet? Sed cur non commemorat, quibus artibus, qua verborũ amphibologia in eam fraudem à Dauide inductus sit? cum dixisse, se missum à Rege, habere mandata arcana magni ponderis, summa celeritate opus esse? An quia indignum apud se statuit Dauidis innocentiam falsa onerare calumnia, cuius orationem, quæ defendi posset, si quis commodè interpretaretur, nosset à Rege in deteriorem partem acceptum iri? An quod speraret mox Dauidem cum Rege in gratiam

Sacerdos se fraudé passam non est causatus.

NE SVSPICETVR REX, &c. gratiam redire posse, atque adeò eius animi ostensionem sibi cauēdam esse? An quòd aliunde satis se victurum confideret, &, quòd ab omni scelere immunis esset, Regi se facilè persuasurum? An fortasse non omnia hîc narrantur, quæ ille tum commemorauit?

Cæterùm, quibus rationibus Sacerdos se purgare instituit, Saulem vehementius inflammauit. Laudes enim istæ Dauidis, quibus à se depellere suspicionem nititur, erant illi grauissimi stimuli. Quare videri potest his, qui mundi sapientiam magis quàm Dei sectantur, non satis prudenter adornasse atque instruxisse defensionem suam. Debebat potiùs Dauidem configere maledictis: & operam atque studium suum polliceri ad illum persequendum: causam suam conferre in errorem, Regi omnia fausta precari, & postremò admiscere preces. B Hæc fortasse potuissent animum Saulis nonnihil inflectere: sed primùm alienum hoc à sua religione Pontifex esse ratus est: deinde non dubium est, quin Deus Heli familiam magna ex parte vellet interire.

Ne suspicetur Rex aduersus seruum suum.] Suspicio definitur. Prateius. Suspicionem Prateius ita definit: Est actus, inquit, per quem in dubitationem trahimur, timentes de aliquo, ne læsionem adferat, priuatim, aut publicè.] Sed quia leuior est suspicio, quàm vt tantum malum pariat, quo Sacerdos oppressus est, nec magnam vim in iudicijs obtinere solet, idcircò iam anteà præsumptionem interpretari malui, quæ est vehementior quædam suspicio ad manifestæ veritatis fidem proximè accedens. Quæ cùm sit multiplex, & vario discrimine in plures distincta species, C quæ prima censetur in eo ordine, & à iure manat, ea iam à nobis suprà explicata est. Dicitur Præsūptio iuris, & de iure. autem ideò iuris, & de iure, quia ius vehementer præsumit, sic esse, vel non esse. Atque ideò à lege autoritatem accepit, & vim legitimæ probationis apud iudices obtinet, nec vllis argumentis refelli potest. Exemplum habes *Extra. de sponsa. cap. 15. qui.* Nam si quis futurum matrimonium contrahat, ac subinde rem habuisse cum sponsa visus sit, ratum habuisse matrimonium Ecclesiastica sanctio pronuntiat. Nam ex quo eam cognouit, præsumit lex eundem in illam consensisse: nec si quis contrarium asserat, fidem haberi permittit. Habuit verò etiam diuina lex suas apud Hebræos de iure præsumptiones. Nam si nocturnum furem quis occidisset, immunis à crimine haberi Præsūptiones iuris ex lege diuina. iussus est, Exod. c. 22. quòd lex præsumat eundem vitæ insidiari, nec intempesta nocte periclitanti maturè satis succurri posse. *Quòd si orto Sole hoc fecerit, homicidium*, ait Lex, *perpetrauit, & ipse morietur.* Cur ita? quoniam, vt lex præsumit, absque cæde saluti suæ consulere potuit. Aliam quoq; sancit Lex præsumptionem Deut. cap. 22. à ver. 25. *Si vir in agro puellam repererit, quæ desponsata est, & apprehendens concubuerit cum ea, ipse morietur solus: puella nihil patietur, nec est rea mortis: quoniam sicut latro consurgit in fratrem suum, & occidit animam eius: ita & puella perpessa est. Sola erat in agro: clamauit, & nullus affuit, qui liberaret eam.* Sin fortè quis virgini quam

A despondit pater, vitium in ciuitate obtulerit, NE SVSPICETVR REX, &c. *educes*, inquit, *vtrumque ad portam ciuitatis illius, & lapidibus obruentur: puella, quia non clamauit cùm esset in ciuitate, &c.* Præsumit Lex scilicet eam, cuius flos ruri delibatus sit, vim passam esse; at contrà alteram sceleri consensum accommodasse, quæ in vrbe oppressa est. Nec dubito quin plures ab ijs obseruentur, qui sacros codices lustrare voluerint. Sed mihi nunc aliud agenti hæc satisfacere posse visa sunt. Cęterùm, nulla ex his præsumptionibus, quibus ad Sacerdotis condemnationem Saul abutitur, vlla legis autoritate nixa est: quamobrem iure eas Sacerdos contrarijs rationibus diluit. Verùm, & reliquam eius generis supellectilem, si ita videtur, excutiamus.

Reliquæ præsumptiones explicantur.

QVÆST. LII.

PRæter eam præsumptionem quæ *iuris & de iure* dicitur, est alia quædam, quę *iuris* dumtaxat appellationem sortita est. Hanc esse volunt Iurisconsulti, quæ aliqua æquitate nititur. Ius enim est ars æqui, & boni. *Iuris* verò & *de iure*, quæ æquitatem etiam habet, sed vltrà in corpore iuris scripti continetur, & faciunt ambæ fidem. Felinus *in cap. quanto. num. 3. de præsumpt.* tradit præsumptionem *iuris & de iure* esse, quando ius in aliquo facto certum aliquid præsumit, & vltra præsumptionem illud firmat, & de eo statuit. Vbi autem ius aliquid præsumit, sed valere præsumptionem non imperat, nec eam sancit, ac stabilit, *iuris* est tantùm præsumptio. Talis est, si quis diutiùs cohabitarit cum vxore, ab eo cognita censetur Genes. c. 26. v. 9. Abimelech Rex Palæstinorum Isaac conspicatus *cum Rebecca iocantem, Perspicuum est*, inquit, *quod vxor tua sit.* Et Iacob ibidem cap. 31. ver. 32. *Quòd autem furti me arguis: apud quemcumque inueneris deos tuos, necetur coram fratribus nostris.* Quid si fur clàm in alterius sarcinas inseruisset? Ita quondam Palamedes Vlyssis fraude perijsse fertur. Sed & Genes. cap. 44. Postquam fratres Ioseph dixissent, *Apud quemcumque fuerit inuentum seruorum tuorum quod quæris, moriatur, & nos erimus serui domini nostri:* D mox scyphus in sacco Benjamin deprehensus est, cùm tamen is innocens, & alienus esset à furti conscientia. Itaque præsumptio hæc tantisper obtinet, dum non refellitur: at contraria probatione labefactatur, & ruit. Huc spectare videtur Saulis præsumptio: Proditorem armis & commeatu iuuisti: quis dubitet quin sis tu quoque insidiarum conscius & particeps? Vrget quidem vehemens Iuris præsumptionē Pontifex depellit à se. suspicio, sed ea tamen purgationem admittit. Hanc verò sic orditur Pontifex, vt has suspicionum nebulas nullo negotio depellat. Nam quid de Dauide sentire debuerit, ostendit ex pristina eius fide erga Regem, quam etiam Rex arctissimo affinitatis vinculo sibi deuinxerat: ab vtriusque consuetudine Regis, & sua:

Præsūptio quæ iuris simpliciter dicitur.

NE SUS-PICETUR, &c. quòd Rex illi maxima quæque negotia credere solitus esset: ipse pro eodem Dominum consuleret. Ex quibus hoc demùm conficiebat, nulli se culpæ affinem videri posse, qui nihil abhorrens a veteri re instituto, nihil ab officio alienum fecisset. Quòd si quid Dauid à seipso desciscēs, præter morem designasset, aut etiam Rex edixisset, ea clam se fuisse: prioris vitæ innocentiam suum erga Regem studium satis superque asserere: nec eorum nomine, quæ se latuissent, in reos majestatis posse iustè referri. Verùm Saul, qui præ liuore atque odio pensi nihil haberet, Pontificis satisfactionem mente atque animo auersatus est.

Presumptio famæ. Reliquas omnes præsumptiones contrarijs præsumptionibus licet explodere, quas paucis perstringam, quo Saulis iniquitas maiorem in modum arguatur. Nam quæ *à fama* manat, cùm sit illa plerumque mendax, in causis capitalibus nihil ampliùs obtinet quàm vt inquiratur. Ipsa per se famæ præsumptio nihil efficit: sed sicut à duobus testibus probatur, ita & conuincitur. In causis ciuilibus aliquantò plus momenti habet. Sed nihil ad rem præsentem. In hoc capitis iudicio Doeg vnicus delator habetur.

Naturalis. *Naturali* præsumptione Salomon vsus est, cùm lib. 3. Reg. c. 3. inter duas mulieres de infante lite coorta, quem vtraq; suũ esse assereret, objecto terrore infanticidij veram matrem deprehendit, &, *Date*, inquit, *huic infantem viuum, & non occidatur: hæc est enim mater eius.* Naturæ tandiu fides habetur, donec eam contraria argumenta degenerem arguant. Tametsi enim parentes naturæ lege nihil sceleris in filios moliri velle præsumantur, nonnullos tamen eorum insidijs perijsse compertum est. Quamobrem non antè filius exhæres habetur, quàm iustis de causis patrem filium abdicasse instituti hæredes probauerint. Porrò hæc præsumptio Sacerdoti fauebat magis quàm officeret. Erat enim Dauid, vt inquit, *gener Regis.*

Præsũptio facti. Sequitur quinta præsumptio, quam dicunt *facti* præcedentis, aut subsequẽtis. Nam quod ad futurum spectat, hæc regula iuris est, vt semel malus semper præsumatur malus in eodem genere mali. Porrò nihil hactenus Pontifici, aut etiam Dauidi objici potuit, quod oleret proditionem. Sed neque ex fuga, quam præsenti periculo coactus posteà inijt: neque ex medioeri illo commeatu, & armis quibus in summa omnium rerum inopia adjutus est, colligi potuit, insidias antè eum Regi struxisse: quin potiùs admodum verisimile est, nihil eum mali anteà meditatum esse, cùm inermis & famelicus non haberet quò se reciperet. Neque enim tantum scelus quisquam imparatus aggreditur, sed ea primùm comparat, quibus, si

Necessaria. opus sit, vim ferre atque inferre possit. *Necessariam* præsumptionem eandem esse volunt,

Violenta. quam suprà *iuris & de iure* exposuimus *Violenta*, cùm ea, quæ *iuris tantùm* vocatur, confun-

Probabilis. Vniuersalis. ditur. Tandem *Probabilis* quædam, siue *Vniuersalis* præsumptio dicitur. Emergit illa pluribus ex causis & suspicionibus, & illi statur, donec contrarium probetur. Vt, si res sit patris, præsumitur hæredis esse. Hæc ante con-

A trarij probationem, æquiualet semiplenæ probationi. Insuper hæc inducit purgationem, maximè fama crebrescente, *vt extra. de purgatione canon. ca. si quis de gradu.* Consule Speculatorem. Horum porrò quæ Saul objiciebat, nihil erat probabile, nec vlla satis idonea coniectura nixum, ne fama quidem (vel ipso teste) sinistri quicquam de Dauide vulgauerat. At contrà, quæ Sacerdos respondit, eiusmodi erãt, quibus non nisi temerè fides denegari posset; cùm virtus, probitas, consuetudo, fama, Regis ipsius dudum authoritas, affinitatis cum Dauide coniunctio, eiusdem egestas, ipsa denique Sacerdotis, vt potè repentinæ rei, ignoratio, eundem a suspicione sceleris palàm vendicarent.

NE SUS-PICETUR, &c.

Temeraria. Restat igitur, vt temeraria fuerit Saulis præ-B sumptio, quæ leuibus de causis mentem occupat: & quæ dubia sunt, cùm in meliorem partem interpretanda sint, vt dicitur *extra. de regulis iuris, cap. 2.* in deteriorem detorquet. Hæc maximè senum propria censetur, & eorum qui metu percelluntur, aut conflictantur inopia. Terentius in Adelph.

Omnes, quibus res sunt minus secundæ, magis sunt nescio quomodo
Suspiciosi, ad contumeliam omnia accipiunt magis.

Item, quicunq; flagitiorum suorum conscientia torquentur. Cicero in Verrem act. 7. Et te conscientia tumidum, suspiciosũmque faciebat. Inuidi prætereà, & quicunque maleficijs delectantur, alios ex suis moribus æstimantes.
C Sed hæc præsumptio inualida est, & à iure repellitur, nec mouere debet animum iudicantis. *Lege 2. quæst. 1. cap. 13.* & Glossam in eundem locum, quo loco plura notat de Temeraria, Probabili, & Violenta.

VERSUS XVI.

Dixitque Rex: Morte morieris Achimelech, tu, & omnis domus patris tui.

Quæstionis vlus vete ribus, vt apparet, incognitus. TOrmentorum Scriptura non meminit, quibus, negante quod objectum erat Pontifice, velut à contumaci reo veritas extor-D queretur. Fortassis necdum eo tempore dirus ille cruciatuum vsus inoleuerat, quibus innocentes plerique perirent. Sanè vix tota veteris Testamenti historia vllam quæstionis habitæ mentionem fieri reperies. Lucas demùm in Actis, postquam è carcere Petrus ab Angelo eductus esset, videtur docere milites tortos atq; examinatos fuisse. Posterioribus etiam seculis teneræ ætati leges pepercerunt. Habenis tamen impuberibus terror incussus est *D. de SC. Silan. l. cùm aliter. §. impuberi.* Solet hoc in vsu obseruari, vt impuberes non torqueantur: terreri tantùm solent, & habena vel ferula cædi. Apud Horatium lib. 2. Epistol. 2.

In scalis latuit metuens pendentis habenæ.

Prudentius tamen περὶ στεφάνων, hymno 10. penè infantis

DIXITQ; REX, &c.

infantis cruciatum describit his versibus. Asclepiades, inquit, cùm esset torquendis Christianis Antiochiæ præfectus,

Prudent. Torquetur impubes Christianæ Religionis causa.

Vix hec profatus, pusionem præcipit
Sublimè tollant, & manu pulsent nates,
Mox & remota veste virgis verberent,
Tenerámque duris ictibus tergum secent,
Plus vnde lactis, quàm cruoris defluat.
Quæ cautes illud perpeti spectaculum,
Quis ferre posset æris aut ferri rigor?
Impacta quoties corpus attigerat salix,
Tenui rubebant sanguine vda vimina,
Quo plaga feruet roscidis liquoribus, &c.

Sed hoc religionis odio, præter æquum & morem tentatum est.

Viri præterea genere aut dignitate præstantes, non vulgari equuleo torti, sed plumbatis cæsi sunt. Ita docet Prudentius in Romano Martyre.

Viri illustres plumbatis cæsi, non equuleo torti.

Incensus his, inquit, Asclepiades, iusserat
Euiscerandum corpus eculeo eminus
Pendere, & vncis vinculisque crescere.
Apparitores sed furentis suggerunt,
Illum vetusta nobilem prosapia,
Meritisque multis esse primum ciuium.
Iubet amoueri noxialem stipitem.
Plebeia clarum pœna ne damnet virum.
Tundantur, inquit, terga crebris ictibus,
Plumbóque ceruix verberata extuberet:
Persona quæque competenter plectitur,
Magnique refert vilis an sit nobilis.
Gradu reorum forma tormentis datur.

Hoc quoque per occasionem dicendum, flagelli manubrium fuisse deauratum, puta, si Constantinopoli, & de viris illustribus, & Imperatoris nomine, supplicium sumeretur. Clarè ingerit Luitprãdus in Legat. Pauperes sunt, si eos occidimus, manus nostras sanguine vili polluimus; pannosi sunt, serui sunt, rustici sunt; si eos flagellamus, non ipsos, sed nos dedecoramus, qui nec Romana scutica deaurata, nec huiusmodi sunt crucibus digni. O vtinam alter Episcopus, alter Marchio esset! Hæc ille.

Luitprand.

Plumbatas autem hic intelligimus, non, vt alias, collaria, & compedes plumbo graues: sed flagella, quorum lora in extremo plumbum innexum habebant.

Plumbatæ.

Cæterùm, antiquissimis illis temporibus, sæuitiem hanc apud Hebræos præsertim, obtinuisse non inuenio. Testibus reum conuincebant, aut propria confessione. Rarò tortibus ad probationem vsi sunt, nec satis tutò, nisi cùm à Deo præscriptum esset. Aquam verò zelotypiæ Deus instituit, qua hausta, si fortè nutasset thori fides, adulterium proderetur. Adhibuit & semel Moyses probationis aquas, cùm redacto in puluerem vitulo, eius cineres vnà miscuisset: quas cùm sorbere populus iussus esset, statim manifesta labe rei deprehensi sunt. Instaurare id genus examen voluisse tum Samuelem Rabbini ferunt, cùm suprà cap. 7. à populo *aqua in conspectu Domini effusa est.* Cæterùm, an quisquam præterea hanc cęremoniam vsurparit, necdum comperi. At similibus inuentis, quæ à Deo profecta non essent, frequenter aliquando Christiani abusi sunt, quo

Hebræi quibus artibus criminum confessionem extorquerent.

latentem è latebris veritatem eruerẽt. In Concil. Rhemens. cap. 11. pag. 19. nonnullus ita fatur: Hæc si quisquam vestrûm aliter esse putat, méq; indignum cui credatur, credat igni, feruenti aquæ, candenti ferro: faciant fidem tormenta, quibus non sufficiunt mea verba.] Inde manarunt veteres illæ dicendi formulæ, *Ad aneum mallari; Per æneum se educere; Vnde sententia.* & Gall. *Se purger par eau & par ignise.* De *aqua frigida* Hincmarus pro Lothario. Hoc examinandus iudicio conligatus in aquam dimittitur, & aut purgatus statim iudicio arbitrorum absoluitur, aut vsque ad purgationem conligatus iudicio examinatur.] Reus mergi non poterat: sed sublimis pendebat in aqua; vt colligitur ex verbis exorcismi, *Reijce eum abs te, & natare fac super te.* De *feruenti* sanctus Gregorius Turon. Histor. lib. 1. cap. 18. Succenditur igni æneus, & in feruenti aqua anulus cuiusdam proijcitur: qui verò eum ex feruenti vnda sustulerit, ille iustitiam consequi probatur.] De *ferro candenti* Marculphus in fine lib. 2. Solemn. Formul. *Accusatus* ad nouem pedum mensuram ferrum perferat. Huius denique manus sub sigillo triduum tegatur, & si sanies crudescens in vestigio ferri reperiatur, culpabilis ducatur: sin autem munda extiterit, laus Deo referatur. Hæc ille. At S. Chunegunda Imperat. cùm neglecti pudoris nomine malè audiret, quòd esset illa formosa, nec agrestis aut inhumana, volens ignitos vomeres vndecim nudis pedibus illæsa calcauit, & in 12. gradum figens clara voce testata est, pudicitiam suam virorum neminem vnquam delibasse. Addit his & aliam *panis hordeacei & casei* probationem Marculphus, cuius sicut & superiorum solemnes ritus & cęremonias, coniurationes, exorcismos, preces, missas toto eo libro fusè latéque prosequitur: ex quibus apparet, quantum his olim probationibus fidei à maioribus nostris tributum sit.

DIXITQ; REX, &c. Concilium Rhemense. Abusus quondam Vulgaris probationis.

S. Gregor. Turon.

Marculph.

At vereor, vt illud Marculphus probare possit, quod habet circa finem Iudicij aquæ frigidæ. Hoc iudicium, inquit, petente Domino Hludouico (Pio) Imperatore, constituit Beatus Eugenius, præcipiens, vt omnes Episcopi, Comites, Abbates, omnisque populus Christianus, qui infra eius imperium est, hoc iudicio defendant innocentes, & examinent nocentes, ne periuri super Reliquias Sanctorum perdant suas animas in malum consentientes. Hæc ille. Quæ solus, vt arbitror, Eugenio 2. ascribit, nec testem præterea quemquam laudare potest. Obseruat Cardinal. Baron. Annal. Tomo 9. ad annum Domini 825. & 2. Eugenij Secundi, tum quosdam in nonnullis Imperatoris pietati illusisse, ita vt etiam literas, quas dixit ea ætas *pacificas*, dictare ausi sint, quas nomine summi Pontificis Eugenij ad Michaëlem & Theophilum Orientis Imperatores transmitteret. Potuerunt igitur & in hoc quoque Pio imponere. Quid si Marculphus idcircò eius sanctionis Eugenium autorem facit, quòd eius tempore apud Francos Ecclesiastici Ordinis vsu ac constitutione firmata sit quorundam Episcoporum studio; qui, licet incon-

Animaduersio in Marculph.

Baronius.

DIXITQ. REX, &c.

ſulto Pontifice, ſua decreta autoritate Apoſtolica ſtabilire viſi ſunt? Sanè Syluester ſecundus aliquot ſeculis Eugenio poſterior, ſimile quicquam ab anteceſſoribus ſuis inſtitutum fuiſſe pernegat. Sic vero ſcribit Lamberto Magontino Epiſcopo: Ferri candentis, vel aquæ feruentis examinatione, confeſſionem extorqueri à quolibet ſacri non cenſuerunt Canones: & quod ſanctorum Patrum documento ſancitum non eſt, ſuperſtitioſa adinuentione non eſt præſumendum. Habes & illud apud Iuonem Carnotenſ. Epiſtol. 91. Vulgarem denique legem, ac nulla canonica ſanctione fultam, feruentis ſcilicet, ſiue frigidæ aquæ, ignitíque ferri contactum, aut cuiuſlibet popularis inuentionis (quia fabricante hæc ſunt omninò facta inuidia) nec ipſum exhibere, nec aliquo modo te volumus poſtulare, imò Apoſtolica autoritate prohibemus firmiſſime. Quin imò, ſanctus Agobardus Lugdun. Archiepiſc. Pio vixit æqualis, cuius etiam abdicationi præſedit, vt teſtatur in *Publica Ludouici Imperat. pœnitentia*, fol. 178. qui cùm aliàs in Vulgarem probationem inuehitur, tum ſpeciatim opuſculum ſcripſit, *De diuinis ſententijs, contra damnabilem opinionem putantium diuini iudicij veritatem, igne, vel aquis, vel conflictu armorum patefieri*, cuius nos deinceps cap. 26. 19. ver. teſtimonio atque autoritate vtemur.

Stephano Papæ tribuit. Thomas 2. 2. q. 95. art. 8. ad 3. ex 2. qu. 4. cap. Consuluiſti.

Vulgaris probatio ab Ethnicis manaſſe videtur.

Longè veriſimilius, ſi pauca Sanctorum miracula excipias, eam conſuetudinem à Gentilium ſuperſtitione duxiſſe originẽ. Nam quod ad ferrum candens attinet, ſatis hoc manifeſtè docet Sophocles. Cùm enim Creon indicta mortis pœna corpus Polynicis ſepeliri vetuiſſet, & tamen id clam cuſtodibus elatum eſſet, hæc illi per internuncium ad Regem mandata dederunt:

Sophocles.

Nemo deprehenſus eſt, nóſque latuit.
Sumus verò parati, & candens ferrum manibus tollere,
Et per ignem ſerpere, deóſque iurare,
Nec feciſſe, nec fuiſſe conſcios
Eius, qui de hac re conſilium habuerit, nec eius qui eam fecerit.

Acron.

De pane verò Acron ad illud Horatij libro 1. Epiſtol.

Vtque Sacerdotis fugitiuus liba recuſo.

Idem de Turcis habet Bucherius cap. 9. *de ſon Bouquet ſacré.*

Dioſcorid.

Cùm in ſeruis, inquit, furti ſuſpicio habetur, ducunt ad Sacerdotem, qui cruſtum panis carmine infectum dat ſingulis. Quod cùm ederint, manifeſtum furti reum aſſerit. Scribit autem & lib. 5. Dioſcorides, cap. 161. olim Ætitem lapidem, aut pane condi, aut coquendis edulijs miſceri conſueuiſſe, eóque furem deprehendi, quòd horum nihil in ſtomachum traijcere poſſet. Aquæ verò, cùm Stygis circa Epheſum, & Artecomij atque Daphnopoleos, uno & Tyanæ apud Philoſtratum Apollonij vitæ lib. 1. tum maximè Palicorum apud Stephanum & Ariſtotel. in lib. de admirand. auditionib. celebriores ſunt, quàm vt in deſcribendis eorum effectibus operam ludere neceſſe ſit. Si quis tamen eius generis plura exempla deſideret, conſulat Lindebrogi Gloſſar. in fine Cod. LL. antiquar. in hæc verba *Iudicium aqua*. Quamobrem non immeritò Eccleſia ſuperſtitioſis iſtis probationibus, quibus Deus tentari videtur, & arcanorum fides miraculo exigi, quod nuſquam Deus inſtituit, ſeuerè interdixit.

Quas purgationes probet Eccleſia.

Aſt vbi purgatio neceſſaria viſa eſt, quo plebis credulitati conſuleretur, cum nihil, præſertim ab Eccleſiaſticis, offenſionis poteſt accidere ſine grauiſſimo incommodo, ijs remedijs Patres vſi ſunt, quibus & fides haberetur, & diuini numinis nulla tentatio fieret. Hanc Eccleſiaſticæ leges, & decreta Pontificum non vno loco præſcribunt: ſed malumus eius rei vnum & alterum exemplum proferre. Itaque Leonis 3. ſummi Pōtificis purgationem Monachus quidam S. Galli in vita Caroli Magni his verbis deſcribit. Illic, inquit, intemeratus Pater Leo aſſumens Euangelium Domini noſtri Ieſu Chriſti (ambonem conſcendens, vt habet alter Monachus ſancti Eparchij Engoliſmenſis in eiuſdem Caroli vita) poſuit ſuper caput ſuum. & in conſpectu Caroli eiuſque militum, aſſiſtentibus etiam perſecutoribus ſuis, in hæc verba iurauit: *Sic in die* Magni Iudicij ſim particeps Euangelij, ſicut immunis ſum criminis falsò mihi ab iſtis objecti. Sanctus Ado Viennenſis ætate 6. Aimoinus lib. 4. cap. 88. Item Anaſtaſius Bibliothecar. in Pelagio. Qui Pelagius tenens Euangelia, & crucem Domini ſuper caput ſuum, in ambonem aſcendens, ſatisfecit cuncto populo ac plebi, quia nullum malum peregiſſet contra Vigilium.] Plura nos priore Tomo. Sed nequaquam iuranti Saul crediturus erat, qui furore atque inuidia cœcus, verum à falſo, religioſum à profano, amicum ab hoſte ſecernere non poterat.

Monachus S. Galli.

Anaſtaſius Biblioth.

Morte morieris Achimelech] Quibus tandem argumentis, aut quo teſte cōuictus? Theodulphus Aurelianenſis Epiſcopus, cùm eius coniurationis, quæ à Bernardo contra Ludouic. Imperat. inita eſt, conſcius & particeps haberetur (quam hiſtoriam refert Baronius Annal. tomo 9. ad annum Domini 832.) & Andegaui in carcerem conictus eſſet, ipſe propriæ aſſertor innocentiæ, hæc ad Modoinum ſcripſit, quæ non ita pridem edidit Henricus Caniſius tomo 5. Antiquæ Lection.

Henricus Caniſius.

Theodulphi Epiſcopi carmen.

Seruus habet propriam, & mendax ancillula legem,
Opilio, piſtor, nauta, ſubulcus, arans.
Prô dolor! amiſit hanc ſolus Epiſcopus, deſt Pentametrum excidit.
Debuit & qui alijs legalia promere iura,
Officij, perdit ius, ſine iure, ſui.
Culpa facit ſaunum confeſſa perire latronem:
Non eſt confeſſus Præſul, & ecce perit.
Cúmque ſuis egeant mundana negotia rebus,
Cauſſa quibus iuſtum poſſit habere modum,
Noſtra eguit iuſto rationis pondere cauſſa.
Sæuitia excepta nullum habet iſta modum.
Non ibi teſtis ineſt, iudex nec idoneus vllus,
Non aliquod crimen ipſe ego faſſus eram.

Audet præterea, & exceptione dignitatis ſuæ cauſſam ſuam tueri vult, negátque ſeculari iudicio ſe poſſe committi.

Eſto

Morte morieris, &c.

Negat Episcopus se cuiusquam iudicio se damnari potuisse.

Philo Iud.

Esto forem fassus, cuius censura valeret
Dedere iudicij congrua frena mihi?
Solius illud opus Romani Præsulis exstat,
Cuius ego accepi pallia sancta manu.

At sunt qui putent Pontifici nostro postrema hæc verba minimè conuenire, nec Regis iudicium recusare potuisse, cùm eundem censeant, vt quemlibet alium, Regiæ iurisdictioni obnoxium fuisse. Negat sane Philo in lib. *de Profugis:* tametsi illius dignitas reliquis præstaret, cum Regia æquari potuisse. Καὶ ὅτι τὴν κεφαλὴν οὐδέποτε ἀποθήσεται, τὸ βασίλειον οὐκ ἀποθήσεται διάδημα, τὸ σύμβολον τῆς οὐκ αὐτοκράτορος μὲν, ὑπάρχου δὲ καὶ θαυμαστῆς ἡγεμονίας. *Quod autem Sacerdos nunquam capite mitram exuit, hoc indicat, quod nec Regium quidem diadema deponit, insigne potestatis non summæ quidem & Imperatoriæ, sed proregiæ, alioqui mirificæ.* Hæc Philo. Si tamen interpretis iudicio stamus. Nam alioqui vertere possis, *Potestatis symbolum non quidem liberæ* (legibus enim diuinis administrabatur) *sed tamen quæ prima nata sit, & sibi sufficiat, admirandáque videatur.* S. autem Thomas, siue quicunque autor est Opusculi De regimine Principum ad Regem Cypri, lib. 1. cap. 14. Quoniam, inquit, in veteri lege promittebantur bona terrena, non à dæmonibus, sed à Deo vero, religioso populo exhibenda, inde & in lege veteri Sacerdotes Regibus leguntur fuisse subiecti. Sed in noua lege est Sacerdotium altius, per quod homines traducuntur ad bona cælestia: vnde in lege Christi Reges debent Sacerdotibus esse subiecti. Hactenus ille autor, quæ statim post iteræ commentarium diligentiùs expendemus.

Morte morieris.] Sic quoque Ioas cùm à Zacharia Pontifice neglecti officij admoneretur, eundem sacrilegus occidit. At Salomon Abiatharo palàm maiestatis reo, vrbe regia duntaxat interdixit. Gentiles ferè Pontificatum abrogare contenti sunt: personas ipsas sacras habuerunt. Cùm esset Sacerdotij honos perpetuus, primus, inquit Iosephus Antiquit. lib. 15. cap. 3. Antiochus Epiphanes eam legem violauit, pro Iesu subrogato in hoc Sacerdotium fratre ipsius Onia. Secundò Aristobulus ab Hyrcano fratre eum honorem in se transtulit. Tertius Herodes Aristobulum adolescentem viuo adhuc Pontifici Ananelo successorem dedit. Hæc ille. At nos libri Machabæorum 2. cap. 4. legimus, Antiochum Epiphanem Iasonis deliniтum muneribus, abdicato Onia Pontifice, eundem iactus præfecisse. Mox etiam, cùm iam venale Sacerdotium habere didicisset, pulso Iasone, atque auctione facta, Menelao addixisse: qui cum ad diem constitutum pactam pecuniam repræsentare non posset, cedere loco compulsus est, & Sacerdotium pluris licenti Lysimacho concessum. Horum tamen neminem præter Menelaum neci dedit, qui à patria lege desciscens, Græcorum errores palàm complexus erat, nec eius religionis, quam deseruerat, Sacerdos haberi poterat. At verò Oniæ, tametsi pridem abdicati, & lacrymis cædem prosequutus est, &, vt potuit, sumpto de autore sacrilegij supplicio, publicè vindicauit.

Gentiles abrogasse Sacerdotium contenti.

Lege Ioseph. lib. 12 Antiq. Iud. cap. 6.

Antiochus primus viuo Sacerdoti successorem dedit.

Tu, & omnis domus patris tui.] At in Romano Imperio, vltra autores suos delicta non plectebantur. Cùm nonnulli Sp. Cassij liberos, qui tyrannidis affectatæ damnatus fuerat, interficere conarentur: Hoc atrox & perniciosum exemplum patribus visum est, inquit Dionys. Halicar. Rom. Antiquit. lib. 8. Itaque cùm in curiam conuenissent, factum est Senatusconsultum, quo adolescentulis pœna est remissa, illisque nec exilio mulctatis, nec ignominia affectis, nec alia calamitate accepta, tutissimè viuere concessum est. Et ab eo tempore vsque ad hanc nostram ætatem, hic mos Romæ perpetuò seruatus est, vt nulla parentum delicta liberi suo supplicio luant: siue illi sint tyrannorum filij, siue parricidarum, siue etiam proditorum, quod apud illos crimen est grauissimum.] Idque verum, quamdiu Respublica libera stetit. At postquam in vnius potestatem dominatio recidisset, etiam in perduellionum, aut affectatæ tyrannidis conuictorum pignora sæuitum est. Vt sub Tiberio Seiani; sub Seuero Plautiani, Albini, Nigri: Sub Theodosio Maximi tyrannorum nefandissimi suspecta soboles perijt. Itaque Honorij & Arcad. Impp. constitutione, pœna quoque in partem ad filios extenditur, quorum parentes læsæ maiestatis reatum incurrerunt. *L. 5. Cod. ad L. Iul Maiest.* Et itaquidem olim apud Romanos moribus receptum fuit. At verò Græcorum alij, inquit Dionys. Halic. vt liberi tyrannorum vnà cum ipsis patribus necentur, æquum esse censent: Alij verò eos perpetuo exilio mulctant: quasi natura non ferat, vt boni filij ex malis parentibus nascantur. De Persis Ammianus libro 23. Leges, inquit, apud eos impendio formidatæ: inter quas diritate exuperant latæ contra ingratos, & desertores, & abominandæ aliæ, per quas, ob noxam vnius, omnis propinquitas perit. Exempla tam sæui moris habes apud Herodotum lib. 3. & Esther cap. 8. Neque mitior lex Macedonum, qua cautum erat, vt propinqui eorum, qui Regi insidiati essent, cum ipsis necarentur.

Morte morieris, &c.

Diony Halicar lib. 8.

Iniquũ parentum scelera filiorũ pœnis lui.

Diony Halicar. lib. 8.

Amm. Marcel.

Tu, & omnis domus patris tui.] Curtius lib. 6. Interim equites nobilissimus quisque, & ij maximè, qui Parmenionem propinqua cognatione contingebant, posteaquam Philotam torqueri fama vulgauerat, legẽ Macedonũ veriti, qua cautum erat, vt propinqui eorum, qui Regi insidiati erant, cum ipsis necarentur: alij se interficiunt, alij in deuios montes, vastásque solitudines fugiunt ingenti per tota castra terrore diffuso: donec Rex, tumultu cognito, legem se supplicio coniunctis sontium remittere edixit. Et hæc quidem Alexander, cùm patriam legem sæuitiæ prætexere posset. At verò Saul, cùm diuina lege cautum sciret, ne quisquam ob alienum scelus plecteretur, sed priuatim quisque sui maleficij pœnas daret: singulari immanitate numerosam turbam vnius ob culpam, seu potiùs nullius ob culpam, internecione deleuit. Quam mitiore præ Saule ingenio Sabaccus Æthiops, qui cùm olim Ægyptum armis subegisset, complures annos in ea regnauit. Huic cùm visus esset deus, qui

Curtius.

Herodot.

MORTE MORIERIS, &c.

Sabaceus regno cedere maluit quàm vt Sacerdotes violaret.

Thebis colitur, vt autores sunt Herodotus, & Diodorus Sic. vterque libro secundo, in somno dicere, regnum suum in Ægyptios neque fœlix, neque diuturnum fore, nisi Sacerdotibus omnibus Ægypti occisis, per media ipsorum cadauera cum suis transiret. Hoc somnio sæpius oblato, omnes vndiq; Sacerdotes conuocauit: narratisque quæ per insomnium acceperat, Nolle se, inquit, in Ægypto manentem cuiquam afferre perniciem: sed malle purum; omniq; solutum scelere, ab Ægypto abscedere, fatisque vitam reddere, quàm impia cæde pollutum regno potiri. Ita Ægyptijs regno tradito, in Æthiopiam repedauit.]

Tu, & omnis domus patris tui.] Quis miretur tyrannos sæuire in suspectos proditionum? En vt Saul olim populi votis expetitus, & Dei suffragio designatus, & sortis legitimæ beneficio renuntiatus Princeps, insuper & numine afflatus, torque diuinitùs victorijs auctus, cùm nulla sit vel leuissima prouocatus iniuria, attamen ne à sacris quidem hominibus, & Dei summi ministris, impias manus abstinet.

Suidas.

Apud Suidam in voce λεόντιος μοναχός. Cùm quidam, inquit, grauiter indignarentur ob ea, quæ Zeno Imperator aduersus Ecclesiam portentosè faciebat, Οὐδὲν ξένον ἔλεγεν (scilicet Leontius ille Monachus prophetica gratia clarus) ὅτι τὰ γινόμενα παρὰ ἀνθρώπου. καὶ ἀνθρώπου τοῦ παρ' ἀνθρώπων τὴν ἀρχὴν εἰληφότος, ὅτι καὶ Σαοὺλ ψήφῳ Θεοῦ βασιλεύσας, Ἀβιμέλεχ, καὶ τοὺς υἱοὺς αὐτοῦ ἐν τῷ οἴκῳ κυρίου, μαχαίρᾳ διεχρήσατο. Non, inquit, sunt miranda, quæ fiunt ab homine, & ab eo, qui ab hominibus imperium accepit, (id est, ab hominibus Imperator electus est) quandoquidem & Saul Dei suffragio creatus Rex, Abimelech, eiusq; filios in domo Domini gladio confecit. Hæc Leontius. Abimelech certè cùm à Saule accersitus, ad eum cum fratrum corona accessisset, ibidem coram eo cum benè magna caterua occisus est. Fieri tamen potuit, vt, cùm subinde Nobæ strages ederetur, & Abiathar præcipiti fuga Dauidis castra peteret, complures in tabernaculum Domini, tanquam in asylum, confugerint, atque ibidem scelere Doëg sacrilegi trucidati sint. Filios autem Achimelech idcirco vocat, non quòd eos omnes ipse genuisset, sed quòd omnium Pontifex, veluti pater, habeatur.

An cuiquam mortalium humano iure liceat manum mittere in Christos Domini?

QVÆST LIII.

Controuersiam istam, quam sacri Canones, & Pontificum Decreta sustulisse iam pridem videri poterant, huius seculi mores & consuetudo in disceptationem quæstionémq; reuocant. Nunc enim apud plerosque iudices, *perinde vt populus, ita & Sacerdos*, sacer, profanúsque nullo passim discrimine habentur. Neque porrò credibile est, non paucos rerum capitalium iudices, quorum virtus & pietas elu- A cet in colenda Religione, in re omnium grauissima vsquequaque turpiter allucinari. Itaque dandum aliquid licentiæ temporum nonnunquam existimaui: & quandoquidem haud versemur in inculpata Republica, non esse apud nos Prætorum iudicia ad iuris Canonici perpendiculum, & Ecclesiæ regulam exigenda, quin potiùs excusatione dignos videri, si nihil præter consuetudinem audeant, & sacri Ordinis rationem, quantum atrocitas scelerum patitur, habendam censeant. Et sic quidem hactenus. Verumenimuerò, vt deinceps aliter de ea re sentiam, perpetua quædam Ecclesiæ me mouet autoritas, quam errare, ac decipi, aut temerè sibi aliena iura arrogare, non possum in animum inducere. Quamobrem, si quibus olim indulgens, consuetudini B fauere visus sum, in posterum suo periculo peccent potiùs, quàm meo. Tametsi ne nunc quidem quicquam definio, aut statuo. *Quis enim me iudicem constituit?* Sed pauca quædam ex antiquis Patrum monumentis eruta profero, quæ cùm accuratius perpenderem, suasus sum mutare sententiam. Plura autem in hanc disputationem conferre nolui, quòd hæc ad labefactandam receptam oris autoritatem satis esse viderentur. Quòd si fortè cuipiam non probatur, at certè videat opinionis suæ quem autorem habeat, quem ducem sequatur. Ipse quidem decre a Ecclesia idcircò seriò complexus sum, quòd sperem, si eandem seu matrem ex animo colucro, me Deum patrem olim habiturum. Apud quem, qua tandem excusatione vsurus sum, si alijs potiùs, C quàm Ecclesiæ fidem accommodem, præsertim cùm eodem sponsore ac præstite nihil certius quàm Ecclesiæ sit mihi certa fides? Quamobrem hæc censeo, Lector, tecum conferas, & autores quoque tuos in consilium adhibeas, ac diligentiùs explores, an ex ijs colligi possit, hanc esse Ecclesiæ fidem, quam sequi, cui adhærere, cuius placitis obtemperare teneamur.

Quæstionis scopus.

Exordium porrò ducimus à Lucifero Calaritano, qui tametsi nonnullis acerbiùs in Imperatorem inuehi videatur, attamen eo opere SS. Patrum, atque in primis Athanasij præconium, commendationemque promeruit. Subinde verò, maiores nostri, quibus rationibus Episcopos maiestatis reos vlti sint, complura iudiciorum exempla demonstrant; quorum so- D lennes formulas, & legitimas actiones, si studiosè notaueris, vt quidem sentio, operæpretium facies. Obseruamus quippè tertio loco, qui eas contempserint, in Dei hominumque offensionem incurrisse. Quarto loco, quæ hactenus à nobis proposita sunt, confirmat, & sancit veneráda legum autoritas. Statim etiam, proximo gradu, Regum atque Imperatorum pietatem ac religionem SS. PP. ratione ac testimonio suo à calumnia vendicant. Posteà Platonis de summo Reipublicæ pastore sententiam idcircò refellimus, quòd Christianæ Religionis maiestatem, quam ignorabat, suis legibus circumscribere nequiuerit. Ad extremum, Regum suprema potestas asseritur, quam religiosè semper Ecclesia coluit, in ijs dumtaxat

Futuræ disputationis partitio.

MORTE MORIFRIS, &c.

duntaxat eorumdem imperium detrectans, quæ perferre ac pati Religio prohiberet.

Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari.

Lucif. Caralit.

Lucifer Caralitanus in lib. 1. pro S. Athanasio ad Imperatorem Constantium: Non legeras, inquit, Constanti, dictum ad vos Reges à Deo: *Nolite tangere Christos meos, & in Prophetas meos nolite malignari*, vt ad domum Dei auderes tendere manus? Retineo quidem sacris continens Scripturis, *Noli superbire coram Rege:* Sed si intra terminos potestatis tuæ esse voluisses, & superbus extitissem te contra, reuera ipse me vt præuaricatorem legis condemnassem. Nunc verò quia homicidæ tibi ac sacrilego vera dicamus, non vtique tanquam superbi puniri merebimur, sed magis præmijs afficiemur cælestibus, quòd tibi erranti non pepercerimus. Et rursum: Temerarius hinc esse intelligeris ac superbus, quòd contra Dei ordinationem tetenderis manum, quòd Apostolicam traditionem putaueris destruendam: quod Episcopos, sub quorum te sollicitudine agere oportuerat, sub tuam ditionem censueris redigendos. Quid igitur sis intellige, audiens per Salomonem quod tibi sit superbo nomen; *temerarius & superbus pestilentia* vocabitur. Idem denuò lib. 1. Ausus fuisti tentare dominari velle Dei populo, subijcere velle Ecclesiam Dei regno tuo, diuinam maiestatem illius tantùm metuentem tuo futili Imperio, & hoc quidem fecisti, quia nesciens sis scriptum esse ac vobis tyrannis, *Propter hoc indisciplinatæ animæ errauerunt. Dum enim persuasum habent iniqui posse se dominari nationi Sanctorum, vincti tenebrarum catenis, & longa nocte compediti, inclusi sub tectis fugitiui*, conspicis iam te esse inter illos Dei populi persequutores, de quibus legisti, *quòd vna catena tenebrarum sunt omnes colligati?* &c.

Vehemēter & acerbè in Constantiū Imp. inuehitur, quod i S. Athanasio palàm machinaretur malum.

Idem lib. 1. Non condemnarat, sed falsò Athanasij nomen detulerat Cōstantius, & condemnari iubebat ab Episcopis.

Ergóne Athanasium Constantius interfecerat: Nequaquam: Sed cùm ad Synodum detulisset, eius condemnationem ab Episcopis per vim conabatur extorquere. Calumnijs porrò, fictisque criminibus sanctum Episcopum studebat opprimere. Quare dic, Constanti, inquit Lucifer, verum crimen detulisti de Athanasio ad Dei Ecclesiam, an falsum? Si verum te detulisse certum habes, proba mihi, qui te iam falsi criminis cognoui portitorem. Arbitraris nihil te malorum in conspectu egisse Dei? Quæ te compulit ratio fieri testem falsum? cur mendax Imperator extitisti? cur non timuisti ne exemplo Ananiæ & Sapph. &c. Testis igitur accesserat ad causam Episcopi, non iudicandi sibi potestatem attribuit: sed qui autoritate sua damnare posse Episcopum non credidit, vt tamen id, per eos penes quos potestas esset, consequeretur, nullum non lapidem mouebat. Conuocasti nos, inquit, ad Dei Sacerdotem iugulandum, ad eum interimendum, per quem te præcepta sua audire sanxerit Deus. *Et scripsit Moyses verba legis huius in libro, & dedit Sacerdotibus & Leuitis, qui tollunt arcam testamenti Domini, & Presbyteris Israël, & mandauit eis Moyses in illa die dicens: Post septem annos, in tempore anni remissionis, in die festo Scenopegiæ in coeundo, omnem Israël apparere in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit, leges hanc legem in conspectu Israël, in auribus eorum, conuocatis in Ecclesiam viris & mulieribus, & natis, & proselyto, qui fuerit in ciuitatibus vestris, vt audiant, & discant timere Dominū Deum vestrum, & audiant facere omnia verba legis huius, & filij eorum qui nesciunt, audientes, discent Dominum Deum vestrum omnibus diebus, quibus ipsi viuunt super terram.* Persequeris eum, per quem te audire præceperit Dominus, agente eo in rebus humanis, cohæreticū tuum Georgium mittis successorem, cùm tametsi fuisset liberatus iam Athanasius, & corpore, tibi non licuerit mittere, sed fuerit ac sit in Dei manu, quem fuisset dignatus populo suo antistitem instituere, per seruos videlicet suos, hoc est, Catholicos Episcopos, &c.

Idem lib. 1.

Exempla cum formulis iudiciorum, quibus olim Episcopi maiestatis accusati, damnati, aut absoluti sunt.

QVÆST. LIV.

VErùm, inquis, Athanasij causa cum fidei causa coniuncta erat, quamobrem mirum videri non debet, si Caralitanus martyris animum induens, cùm se fidem tueri crederet, tam liberè in hæreticum Principem inueheretur. Crimina verò quorumlibet semper propria autoritate vlti sunt. Quàm grauiter allucineris, nisi for è molestum est, alterius quoq; hæretici Principis cum exemplo, tum etiam testimonio probabo. Nam hæc scribit Theodiricus, quem Ariana labes infecerat, apud Cassiodorum libro 1. Variar. Epist. 9. Eustorgio Mediolanensi Episcopo. Atque ideò, inquit, quod beatitudini vestræ gratissimum esse confidimus, præsenti tenore declaramus, Augustanæ ciuitatis Episcopum, proditionis patriæ falsis criminationibus accusatum, qui à nobis honori pristino restitutus, ius habeat Episcopatus omne quod habuit. Nihil enim in tali honore temeraria cogitatione præsumendum est: vbi, si proposito creditur, etiam tacitus ab excessibus excusatur. Manifesta proinde crimina in talibus vix capiunt fidem. Quicquid autem ex inuidia dicitur, veritas non putatur. Volumus enim impugnatores eius legitima pœna percellere. Sed quoniam & ipsi Clericatus nomine fungebantur, ad Sanctitatis vestræ iudicium cuncta transmittimus ordinanda, cuius est & æquitatem moribus talibus imponere, quam nouimus traditionem Ecclesiasticam custodire. Hæc ille Rex Italiæ: cum ageretur de crimine maiestatis, ne in Clericum quidem sententiam ferre ausus est, cùm nosset Episcoporum illud esse iudicium.

Cassiodor. In crimine maiestatis qui honorē Regib. Ecclesiastico Ordini sit habitus.

Sed ne videar hæreticorum duntaxat exemplis abuti velle, iuris antiqui formulas, quibus Reges nostri vsi sunt, cùm rei maiestatis Epi-

MORTE MORIERIS, &c. S. Gregor. Turon. Quo modo quondam se gererent Reges nostri cũ Episcopis maiestatis reis

scopi citarentur, ex historiarum monumentis eruamus. Sanctus Gregorius Turonensis lib. sexto Histor. Franc. cap. 46. Chilpericum Regem, Neronem sui temporis, & Herodem vocat, quique Sacerdotes Domini, vt ait, assiduè blasphemabat: nec aliunde magis dum secretus esset, exercebat ridicula, vel iocos, quàm de Ecclesiarum Episcopis. Is igitur cùm esset ijs moribus atque ingenio præditus, nequaquam verisimile est præter morem Episcopis, quibus nocere vellet, tantùm indulgere voluisse, vt cùm iniurias suas per se vlcisci posset, mallet apud eiusdem ordinis viros suas querelas deponere. Quid igitur egit, aut quibus tandem artibus cùm sanctum Prætextatum Rhotomagensem Episcopum perdere vellet, eumdem circumuenit? Synodum, vt idem sanctus Gregorius autor est lib. 5. cap. 18. Parisijs congregauit: ibidem de Prætextati iniurijs cum Episcopis expostulauit: denique his verbis præsentem accusauit: *Datis muneribus* cum Merouæo egisti vt interficerer. Hostem autem filium patri fecisti, seduxisti pecuniâ plebem, vt nullus mecum fidem habitam custodiret: voluistique regnum meum in manum alterius tradere. Hæc igitur primùm in Concilio à Rege objecta sunt. Sed cùm ea Prætextatus nullo negotio dilueret, Episcoporum fidem, qua minis, qua muneribus oppugnare aggressus est, quo innocenti periculum crearet. Pergit deinde Gregorius Chilperici dolos, & fraudes, & periuria commemorare, quibus suiipsius constantiam labefactare tentauerit, nec postremò etiam Fredegundis Reginæ insidias & pollicitationes, quibus eumdem in suam sententiam nitebatur abducere, dissimulauit. Ea nocte, inquit, decantatis nocturnalibus hymnis, Reginæ salutationem suscipio. deinde precantur eius pueri, vt in eius causis contrarius non existam, simúlque ducentas argenti promittunt libras, si Prætextatus me impugnante obprimeretur. dicebant enim, Iam omnium Episcoporum promissionem habemus, tantùm tu aduersus non incedas. Quibus ego, Si mihi mille libras auri argentique doneris, nunquid aliud facere possum, nisi quod Dominus agi præcipit? Vnum tantùm polliceor, quòd ea quæ cæteri secundùm canonum statuta consenserint, sequar. At illi non intelligentes quæ dicebam, gratias agentes discesserunt. Narrat deinde quo pacto Rex, cùm iam suæ libidini Episcopos obsequuturos speraret, sequenti die in basilica S. Petri accusationem instaurarit. Sed cùm tetram eius calumniarũ caliginem manifesta lux Prætextati innocentiæ discuteret, æstuabat animo, & in omnem partem se versans, commoliri dolum, & adhibere machinas, quibus insontem percelleret, statuit. Sed quibus tandem cuniculis viri simplicitatem expugnauit? Sceleris conscientia victus, ac pudore suffusus, è Concilio discesserat. Sed cùm impotentis fœminæ iræ atque libidini decreuisset morem gerere, nectere cœpit laqueos, quibus irretiretur. Instructus igitur, & à se clàm subornatos homines ad Episcopum allegat, qui eumdem mite Principis ingenium doceant, & mentem ad

Chilpericus S. Prætextatum apud Synodum accusat.

A ignoscẽdum flecti facilem, quamobrem si animum inducat quę Rex objecerit non refellere, sed potiùs veniam deprecari, quòd vnà cum eo facturi essent, haud dubiè Regis iram mox compesci, & huic tragœdię finem imponi posse. Credidit homo minimè malus, atque his illecebris in fraudem inductus est, séque in laqueos induit. Nam cùm postera die repetitò certamine Prætextatum Chilpericus ijsdem calumniarum telis peteret, primùm quidem satis commodè refutare visus est, at verò statim consilij memor, & reconciliandæ gratiæ spe lusus inani, solo prostratus Episcopus, ait: *Peccaui in cælum*, & coram te, ô Rex misericordissime: ego sum homicida nefandus: ego te interficere volui, & filium tuum in solio tuo erigere. Hæc ille pacis studio, nulla sceleris conscientia, de seipso fassus est: & innocentiæ suæ

B splendorem fœda labe maculauit. Verùm hanc quoque maculam multis postea ærumnis, & assidua lacrymarum vi detersit. Sed quid Rex? quid tum in conuictum ac confessum statuit? An non hinc continuò ad supplicium sublimem rapi imperauit? Non deerat animus, si similis facti exemplum non deesset. Sed cùm iuris & consuetudinis autoritate deterreretur, Prosternitur Rex, inquit sanctus Gregorius, qui iudex in eodem Concilio sedebat, coram pedibus Sacerdotum, dicens: Audite, ô pijssimi Sacerdotes, reum crimen execrabile confitentem: statimque discedens, & misso ad Episcopos Canonum libro, quo priuatim cauebatur, vt Episcopus in homicidio, adulterio, & periurio deprehensus, à Sacerdotio diuelleretur, petijt, vt aut tunica eius scinderetur, aut

C centesimus octauus Psalmus, qui maledictiones Ischariothicas continet, super caput eius recitaretur: aut certè iudicium contra eum scriberetur, ne in perpetuum communicaret. Quibus conditionibus ego restiti, iuxta promissum Regis, vt nihil extra Canones gereretur. Prætextatus à nostris raptus oculis, in exilium ejectus est. Hæc igitur fuit ratio iudicij illius, quo reus maiestatis Episcopus, etsi non vera, attamen propria confessione, non ab alijs quàm Episcopis, nec ciuilibus, sed Ecclesiasticis legibus iudicatus est.

S. Gregor. lib. 5. ca. 49. S. Gregor. maiestatis delatus.

Addamus & aliud, quo idem sanctus Gregorius absolutus est. Delatus est Gregorius Reginam maledictis incessere, & eius pudicitiæ

D famam turpi probro lacerare. Leudastes tragœdiæ autor, cùm ducatus honorem ambiret, accusationem instruit: Platonem Archidiaconum, & Gallienum Gregorij amicum, vinctos ad Regem mittit, quos delati criminis conscios asserebat. Rex vinculis absolutos in libera custodia haberi iussit. Berulfus Dux vnà cum Eunomio Comite, sparso in vulgus rumore à Gunthchramno Rege vrbi parari insidias, Turones pręsidio munit, ne qua Gregorius elaberetur. vocantur Episcopi Regis iussu, ad Brennacum villam magno numero coëunt. Dehinc, inquit, adueniente Rege, data omnibus salutatione, ac benedictione accepta, resedit. Tunc Berthchramnus Burdegalensis ciuitatis Episcopus, cui hoc cum Regina crimen impactum

MORTE MORIERIS, &c.

impactum fuerat, causam proponit, meque interpellat, dicens, à me sibi crimen ac Reginæ crimen obiectum. Negaui ego in veritate me hæc loquutum, & audisse quidem hæc alios: nam non excogitasse. Rex autem dicebat, Crimen vxoris meæ, meum habetur opprobrium: Si ergo censetis vt super Episcopum testes adhibeantur, ecce adsunt. Certè si videtur vt hęc non fiant, & in fidem Episcopi committantur, dicite: libenter audiam quæ iubetis. Mirati sunt omnes Regis prudentiam vel patientiam simul. Tunc cunctis dicentibus, Non potest persona inferior super Sacerdotem credi, restitit ad hoc causa, vt dictis Missis, in tribus altaribus me de his verbis exuerem sacramento. Et licet Canonibus essent contraria, pro causa tamen Regis impleta sunt. Igitur regressi Sacerdotes ad Regem, aiunt, Impleta sunt omnia ab Episcopo quæ imperata sunt, ô Rex: quid nũc ad te, nisi vt cum Berthchramno accusatore fratris, communione priueris? Et ille, Non, inquit, ego nisi audita narraui. Quærentibus illis, Quis hęc dixerit? Respondit se hęc à Leudaste audisse: cui, cùm iam se fuga præsenti periculo eripuisset, sacris Episcopi interdixerũt. Et quidem hactenus de seipso S. Gregorius.

Forma iudicij.

At verò Salonius & Sagittarius bellatores Episcopi, quo ordine iudiciorum damnati sint, narrat primùm eiusdem libri 5. cap. 20. deinde & 27. quo loco etiam hæc habet: *Et non solùm* de adulterijs, verumetiam de homicidijs accusantur. Sed hæc per pœnitentiam purgari censentes Episcopi, illud est additum, quòd essent rei maiestatis, & patriæ proditores. Qua de causa ab Episcopatu discincti, in basilicam B. Marcelli sub custodia detruduntur: alij in eorum locum suffecti. Ægidij præterea Remensis Episcopi, qui majestatis reus, & multorum malorum incentor probatus est: quo nomine reliqui Pontifices sacri muneris dignitatem eidem abrogarunt, idem Gregorius meminit libro 10. cap. 19. & iudicij formam, quam repetit Flodoardus in eodem Ægidio, accuratè satis describit. Sunnigisilus quidam casu deprehensus in oratorio quod Rex Childebertus orationis gratia petebat, eò se ad conficiendum Regem à Fredegunde allegatum confessus erat, cùm denuò tortus in equuleo, nec vim tormentorum sustinens, Ægidium initæ conspirationis socium prodidit. Nec mora, inquit sanctus Gregorius, rapitur Episcopus, & ad Metensem vrbem, cùm esset valdè ab ægrotatione longinqua defessus, adducitur: ibique sub custodia degens, Rex Episcopos arcesliri ad eius examinationem præcepit, scilicet vt in initio mensis octaui apud Viridunensem vrbem adesse deberent. At tunc ab alijs Sacerdotibus increpitus, cur hominem absque audientia ab vrbe rapi, & in custodiam retrudi præcepisset, permisit eum ad vrbem suam redire, dirigens epistolas, vt suprà diximus, ad omnes regni sui Pontifices, vt medio mense nono ad discutiendum in vrbe supradicta adesse deberent.] Eò igitur cùm ad condictum diem frequentes Episcopi conuenissent, & se quoque Ægidius præsentem iudicio sisteret,

S. Gregor. Fedoard. Ægidius Episc. qua iudicij forma maiestatis damnatus.

A multorum testimonijs atque adeò chartis propria manu exaratis sceleris proditionisq; conuictus, præsertim verò cùm post tertium diem iterùm in Conciliũ reuocatus his vocibus Episcopos compellaret: *Ad sententiam dandam super culpabilem ne moramini. Nam ego noui me ob crimen maiestatis reum esse mortis, qui semper contra vtilitatem huius Regis matrisque eius abij: ac per meum consilium multa fuisse gesta certamina noui, quibus nonnulla Galliarum loca depopulata sunt:* lectis Canonum sanctionibus, communi fratrũ suffragio abdicare se Episcopatu coactus est, & à Rege damnatus exilio, Argentoratum, quod nunc oppidum Strataburgum vocant, relegatus.

Sed iam satis superq; exemplorũ allatum est, quare mox ad rationes pariter expendendas me conferam, si præcedentia rursum luculẽta non B minus historia illustrauero. Nec verò quemlibet autorem sequutus, incerta pro veris asseram: sed testem laudabo Hincmarum Remensis vrbis Episcopum, qui vtique Antecessoris sui res gestas ignorare non potuit: seu potiùs Trecassinæ Synodi epistolam, quæ de Ebonis abdicatione ad Nicolaum I. PP. ab eodẽ scripta est. Ex his non pauca Flodoardus mutuatus est, quæ in lib. 2. Remensis hist. cap. 19. in Ebone exposuit. Ebo itaq; Remorum Antistes, cùm Imperatorem Pium sui filij comprehendissent, & Compendium per vim abduxissent, primùm cum nonnullis alijs Episcopis filiorum temeritati atque audaciæ fauit: deinde eumdem multis verborum contumelijs affecit. Adhæc facto decreto, quoad viueret, eundem Monasterio C addixit. Postremò etiam, cùm Imperator illi sententiæ sponte parere nollet, Ebo vnà cum reliquis abstulerunt, inquit Flodoardus, ei gladium à femore suo, induentes eum cilicio. Hęc ille cùm temerè, ac præter iuris ordinem nefariè designasset, Ludouicus tamen ab ijs qui melius sentirent, & officium fidemque colerent, Imperiò restitutus est. Mox verò vt habenas Imperij recepit, coacto Episcoporũ conuentu ann. 835. accusationem aduersus Ebonem instituit: qua de re Tricassina Synodus his verbis ad Nicolaum summum Pontificem rescripsit. In Episcoporum Synodo Ebbo præsens ab Imperatore præsente est accusatus, quòd eum falsò fuerat criminatus, & eisdem falsis criminibus impetitum à regno deiecerat, armisque ab eo D ablatis, nec confessum, nec conuictum, contra regulas Ecclesiasticas ab Ecclesiæ aditu, ac Christianorum societate eliminauerat, in quo molestissimum in se sentiens Domnum Imperatorem, petijt Ebbo secessum, quatenus sine præsentia Imperatoris liceret ei in Synodo Episcoporum suam agere causam: quod obtinuit, &c. Nam paucioribus omnem iudicij formam Hincmarus eius successor complexus est in Opusculo *de diuortio Hlotharij* & Tetbergę Reginæ in respons. ad 1. interrogat. Nos, inquit, qui in eodem Concilio fuimus, certa notitia, & ex eisdem gestis Episcopalibus, & illo ipso scripto, quod Ebbo manu sua firmatum Concilio protulit, ostendere possumus: quia præfatus Episcopus in Synodo accusatus, Iudices

MORTE MORIERIS, &c.

Ebonis maiestatis rei iudicium.

Episcopus ab Imperatore in Synodo accusatur. Hincmar.

MORTE MORIERIS, &c.

sibi elegit, libellum de secessione à ministerio Pontificali propter pondera peccatorum suorum manu sua subscriptum Synodo sacræ porrexit, ipse iuxta libelli tenorem confessus, testes adhibuit, & sic demùm secundum confessionem suam testibus & scriptura subnixam, vt Iudicum electorum iudicio à ministerio Episcopali recederet, sententiam Synodalem accepit, abijt, ac recessit.] Libellum ipsum si voles, & integram historiam, lege Flodoardi lib. 2. cap. 20. quo loco solennes ritus, & acta depositionis eius recenset, & quomodo cùm à Lothario deinceps Imperatore, Pio iam defuncto, obliterata veterum delictorum memoria, in suam pristinam dignitatem per edictum restitutus esset, reclamante Synodo eandem diutiùs tenere non potuerit.

Flodoard.

Quàm male ijs cesserit, qui Christos Domini tangere *ausi sunt.*

QVÆST LV.

Esto dices, nonnullis Principibus ita placuerit Canonum præscripta seruare, & iuris Ecclesiastici formulas in dijudicandis Ecclesiasticorum causis obtinere, si qui tamen in contrariam sententiam abierunt, & in Christos Domini cùm peccarent autoritate propria animaduerterunt, suo iure vti visi sunt, nec propterea reprehensionem in cuiusquam offensionem incurrerunt. Disces ex ijs quæ de Rege Roberto Aimoinus Floriac. retulit in vita S. Abbonis, cum quo idem vixerat, cap. 11. & 12. Duchenius in Ioanne 15. eidem tribuit, & Hugoni Capeto, ac Leoni Abbati S. Bonifacij Ioannis Legato, quæ Roberto Aimoinus, & Gregorio 5. atque Abboni Abbati. Sed nos Aimoinum sequi malumus, quem verisimile non est horum quicquam latuisse, cùm eodem tempore S. Abbonis familiari consuetudine vsus sit. Itaque Robertus quidem, cùm Arnulphum Archiepiscopum optaret sua sede deijcere, Episcoporum Synodum coëgit, nec hactenus in leges Ecclesiasticas peccasse videri poterat: sed cum nõnulli iustitiæ magis memores quàm Regiæ gratiæ studiosi, hominis abdicationem suo calculo firmare recusarent, & Seuinus Senonensis Archiepiscopus reliquis constantior, communi decreto intercederet, eumdem cum exauctorato in custodiam dedit. Verùm quæ tentata erant perperàm, eadem mox Romæ rescissa sunt, & à Ioanne, vt Duchenius memorat, Episcopis iniqui decreti autoribus sacris actionibus interdictum. Inde igitur, vt Aimoinus loquitur, occasio se præbuit, vt S. Abbo rogatu ac precibus gloriosi Regis Roberti, Romuleam repedaret ad vrbem; quia Arnulphus Remorum Archiepiscopus, absque iusta audientia, sede sua priuatus, custodiæque fuerat mancipatus: & Gregorius, qui Ioanni in Apostolica successerat sede, non solùm nobilitate generis, verumetiam probitate clarus mentis, toti regno Francorum anathema se inuecturum comminatus erat. Propter hanc

Aimoinus Floriac. Duchenius.

A causam itaque vir sanctus Romam venit, quem summus Pontif. ex singulari benignitate complexus, professus est hæc omnia se ex eius consilio facturum. Reuersus quid egerit, ex eiusdem Epistola intelliges, quam dedit ad eumdem Pontificem. Sæpius, inquit, contingit vt puritas integræ veritatis vacillet sententiá malefidi interpretis. Quod ego, Venerabilis Pater, cauens, vestri animi sensa fideliter simpliciterque vt præcepistis deprompsi: nec animositatem Regis perhorrui, dum fidem, quam vobis promiseram, ex asse seruaui; quandoquidem nihil addidi, nihil minui, nihil immutaui, nihil reliqui. Horum omnium ipse Arnulphus è custodia liberatus, & absolutus, testis est: cui vestrum pallium coopertum obtuli, quomodo illud acceperam ex sacris mani-
B bus vestris. Hactenus sanctus Abbo Floriacensis Abbas.

S. Abbo. Roberti pijssimi Regis mutata sententia.

Philippo Pulchro quàm non benè cesserit misisse manum in Christum Domini, obseruat S. Antoninus 3. part. Summæ Histor. tit. 20. §. 20. & 21. in quem locum quoque Maturus non indigna quæ legantur notat. Casimirus Magnus Poloniæ Rex, cùm Martinum quendam Cracouiensis basilicæ Vicariũ, quòd summi Pontificis mandata ad eum perferre ausus esset, quibus cum eo de nota ipsius libidine acerbius expostulabat, Vistula flumine demergi iussisset, primùm quidem à Bozenta eiusdem sedis Episcopo anathematis fulmine ictus est: deinde sæua lues sic totam regionem depopulata est, vt pagis, & oppidis, plerisque vastitas inferretur, donec post vnum & alterum an-
C num mole calamitatis oppressus, scelus admissum lacrymis eluit, & Iæsi numinis iracundiam, reconciliata primùm cum Ecclesiastico ordine gratia, pœnitentiæ magnitudine repressit. Ita narrat Martinus Cromerus lib. 12. De rebus Polonorum. Verùm hic videri possit, non tam sacri Ordinis violati, quàm tyrannicæ impotentiæ, furorisque ratio habita. Quamobrem aliud ex eiusdem lib. 23. exemplum proferam. Nicolaum, inquit, Turscium Presbyterum, & Nicolaum Gnoinium, & ipsum sacris initiatum, cùm essent furti rei, Magistratus Cracouiensis clàm noctu capitali supplicio affecerat: neque Rex necis imperatæ suspicione caruit. Quid igitur Episcopus rem dissimulandam censuit? Absit. quinimò statim tota ci-
D uitate sacris interdictum est, donec à Rege exoratus, & irrogata multa cum Magistratu in gratiam redijt. Accedat ad hæc & sancti Antonini Florentini Præsulis autoritas. Florentiam vtique priusquam illam acerba ciuium odia, & perpetua quædam seditio sub iugum misisset, libera quædam potestas regebat, quo nomine suum illi Magistratum dicebant. Contigit igitur, vt bini quandoque Presbyteri loco minus honesto reperirentur, quos summus ille Magistratus comprehensos; ad Archiepiscopum duci iusserit, præcedentibus duobus tubicinibus, insigni potestatis eorum, vt in his reliquis exemplum continentiæ statueret. Verùm is rei indignitate commotus, tum quidem liberos abire permisit, dilata in aliud tempus

S. Antoninus.

Martinus Crom.

Diuina vindicta sæuit.

S. Antonin.

MORTE MORIERIS, &c.

pus, si quod esset in eis crimen digna facti animaduersione: in Magistratus autem temeritatem, à quo tam sine vlla reuerentia Christi Domini traducti essent, grauiter ac seuerè inuectus est, & in laqueos anathematis se induisse palàm admonuit.

Vix impunè quemquam tulisse reperias, qui Dei ministros, quos priuatim sacris altaribus adhibet, sacrilegio violarit. Semper enim aut Dei Ecclesia sacrilegos anathemate perculit, aut Deus ipse facinus in legatos suos admissum dira calamitate vltus est: nonnumquam etiam horrenda morte puniuit. Ne plures commemorem, aut diutius referendis exemplis lectorem morer, cùm illa passim apud historicos occurrant, pauca dumtaxat loca apud Ottonem Frisingens. designabo, in quibus id genus non pauca nancisci queas. Lege igitur Ottonis lib. 5. Rer. gestarum, cap. 7. & 11. 13. 14. & 15. 18 libri 6. cap. 34. libri 7. cap. 11. 14. 15. 16. &c. Chilpericus noster quo genere leti diem suum clauserit vltimum, narrat Gregorius Turon. Apud Cromerum lib. 10. cùm Firmanus Episcopus Hungarorum Regem Ladislaum frustrà iam toties increpitum ob nefandas libidines ablegasset à fidelium cœtu, ab eodem in vincula coniectus est. Sed mox idem à suis passus, postremò etiam ab Hunnis, quorum mores & studia æmulari studuit, interfectus est. S. Stanislaum Cracouiensem Episcopum cùm Boleslaus 2. Poloniæ Rex ob adulteria & sordes infensum sibi ac sacris interdicentem ferre non posset, in sacrificantem irruit, ac membratim lacerauit. Verùm ea immanitas, vt primùm Romæ innotuit, sanctus Gregorius Septimus Pontifex Maximus toti Poloniæ sacris interdixit; Boleslaum diris deuouit, regnumque ipsi solemni ritu abrogauit. Itaque Polonia deinceps annos bis centum, & quod excurrit, rege caruit, vt idem Cromerus autor est initio lib. 11. in Præmislo Rege. Boleslaus ipse incertum quas præterea pœnas dederit: nam exul & profugus peregrè perijt. Vuilelmus quidem olim Dux Aquitaniæ, & Pictauorum Comes, cùm Episcopum suum sede deturbasset, & vrbe exegisset, ac in Ecclesiæ schismate debacchatus esset, ad extremum tamen indulgentiam meruit. Sed quis eius pœnitentiæ duros labores, squaloremque animo reputans, scelus non exhorreat? At Deus optimus pijssimo Principi Henrico primo Imperatori parcens, cùm is fraude assentantium ira atque odio inflammatus, Coloniam venisset, ab inferenda Episcopo iniuria diuinitùs prohibitus est: apud quem etiam hanc orationem habuit, vt refert Rupertus Abbas in Heriberto cap. 26. Ex quo ad regni fastigium, Deo donante, conscendi, detrahentium linguis nimiùm, fateor, credulus, venerande Pater, te exosum habui, & hanc odij trabem in oculo gestans, & ideò nihil videns, iniquum de te iudicium habui, tuamque iustitiam, imò Dei gratiam in te fulgentem videre non merui. Porrò te tacente, cælum clamat super te, tuamque causam defendit apud me. Nam ipse qui de Sanctis suis curam habet semper, & habuit (sicut scriptũ est) *Non reliquit hominem nocere eis, & corripuit pro eis reges*, dicens: *Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari*: ipse me pro te corripuit, vt sciam, quòd inter electos eius computatus sis. Indulge ergo, precor te, quòd in te malignatus sum, vel quòd te seruum Dei tangere deliberaui, quia peccatum meum agnosco, nec ampliùs addam aduersari tuæ sanctitati, &c. Rursum verò postera die, abiecta chlamyde, solo stratus ante pedes eius, in spiritu humilitatis, & animo contrito, se suscipi postulauit, & Sacerdotali potestate, quæ cuncta ligat, aut soluit, absolui; quod & consequutus est. Cæterùm, cùm olim plures Episcopos S. Henricus in Synodis accusasset, tum scilicet odio incensus, S. Heriberto Coloniensi Archiepiscopo præter morem & æquum nocere statuerat: odij autem eius non alia ratio fuit, quàm Saulis, quòd eumdem imperio suo ac potentiæ nequaquam fauere intelligeret. Nam quòd Episcopus eius electioni non interfuisset, calumniam passus est: quæ cùm nìti probabilitate aliqua videretur, delatorum studio Imperatoris mentem facilè occupat; ita vt quicquid ex qualibet occasione animum eius offenderet, eò referret, & proditionem interpretaretur. Quamobrem cùm non ita pridem Heribertus querquera febre laborans, magnanimo Imperatori opem ferre non potuisset, victor decreuit Episcopo negotium facessere: atque adeò eo animo Coloniam se contulerat: sed statim in somnis didicit quod mox palàm prædicauit, de Sacerdotibus dictum esse: *Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari*: pro quibus etiam Deus *corripuit Reges*.

[Margin notes: Otto Frising. — Cromerus lib. 4. — Rupertus Abbas. — Psalm. 104. — Solutio quæstionis S. Henrico Imp. diuinitùs tradita.]

Ciuilium legum autoritas Sacerdotes, seu Christos Domini, ad sua tribunalia vocari vetat.

QVÆSTIO LVI.

At sunt qui dicant, nos ex præscripto legum, & certa ratione vitam instituere debere, exempla plerumque fallere, vt pote cùm singulus quisque, cuius autoritate ducimur, in alterutram partem priuato studio deflectere potuerit. Leges cùm sapienti consilio conditæ fuerint, humanarum perturbationum expertes manent, & sunt stabiliori fundamẽto nixæ. His ego tametsi breuiter respondere potui, Sanctorum exempla nobis esse pro legib. eaque legibus humanis longè præstare, quas non raro vulgi mobilis ignorantia, aut cæci Principis arrogantia sancit: non cõmittam tamen, vt hactenus officij sui partes ignorasse sæculi potestates credantur. Quod si diuersa his nonnunquam senserint, & quæ sapienter ab illis instituta fuerant, contrarijs decretis abrogare conati sint, ipsi nimirùm homines habendi sunt, qui ira, odio, animi impotentia, varijsque cupiditatum stimulis agitati, labi quandoque potuerunt.

MORTE MORIERIS, &c. Ordiamur autem à Romanis legibus: Illæ primùm, vt arbitror, Constantino imperante, Christianæ dignitatis rationem aliquam habere cœperunt. Quid igitur illæ tum primùm statuerunt? *Ne laicus clerico inferat crimen.* Quòd si ne accusare quidem permissum est, quanto minus de sacro Ordine licuit ferre iudicium? Priuatim etiam decreta lex: *Nemo iudicabit primam sedem*; quoniam omnes sedes à prima sede iustitiam desiderant temperari. neque ab Augusto, neque ab omni Clero, neque à Regibus, neq; à populo Iudex iudicabitur. Verùm, ais, hi sunt Concilij Romani Canones, & Decreta Siluestri Papæ, non autem Constantini leges. Quinimò, Constantini leges sunt, quas etiam præsens autoritate sua firmauit, & valere iussit. Nam, vt testantur reliqua eius Concilij monumenta, his subscripserunt Episcopi 284. Presbyteri 45. Diacones 5. & duo sequentes (Acolythos vocamus) & Augustus Constantinus, & mater eius Helena. Et fixit Canonem hunc Siluester Episcopus in vrbe Roma, & omnibus Episcopis aspersit. Hæc ibi. Hæc igitur etiam Constantinus ille Magnus sanxit, qui non ita pridem quid de sacro Ordine sentiret, in Nicæna Synodo vulgauerat. *Deus*, inquit, *constituit vos Sacerdotes*; & potestatem vobis dedit de nobis quoque iudicandi; & ideò nos à vobis rectè iudicamur. Vos autem non potestis ab hominibus iudicari. Vos etenim nobis à Deo dati estis dij. Et conueniens non est, vt homo iudicet deos, &c. Quæ non modò Ecclesiastica refert historia: sed Carolus Magnus, instaurator Occidentis Imperij, digna duxit quæ suis Capitul. insereret. Inuenies apud Bened. Leuitam lib. 5. Capitul. 163.

Concil. Nicænum I.

Capitularia Regum nostrorum

Caluini objectio. Objicit Caluinus Instit. lib. 4. cap. 7. Cùm in Africa de sede Carthaginiensi inter Cecilianum & Donatum orta esset contentio, adeuntibus Imperatorem ijs qui Donati partes fouebant, Constantinum Iudices à se delegatos è classe Episcoporum, vnà cum Melchiade summo Pontifice litem dirimere iussisse. Quo pacto, etsi non alios quàm Ecclesiasticos sedere Iudices instituit, cùm tamen Iudices daret, autoritate propria, alienum ducere non potuit à suo Imperio, de rebus sacris & personis ferre sententiam. Sed his primùm respondemus, nequaquam mirum videri, si hi, qui contemptis Ecclesiæ decretis schisma alerent, cùm iure non possent, seculari potestate per summam iniuriam Ecclesiasticum ordinem vexare studuerunt. Constans hæc & perpetua hæreticorum schismaticorumque consuetudo est, vt ad labefactandam Ecclesiæ constantiam, secularis potentiæ viribus abutantur. Testatur hoc sanctus Gregorius Nazianzenus in Oratione 21. quam habuit in laudem sancti Athanasij. Ἐπῆσαν οἱ βέβηλοι τῶν ἁγίων κριταὶ, καὶ ἡ καινὴ μίξις, ὄψις δημοσία· καὶ μυστικὰ περιλαλήματα, καὶ ἡ περίεργος τῶν βεβιωμένων ἐξέτασις, καὶ οἱ μισθοφόροι συκοφάνται, καὶ οἱ ἐπὶ ῥητοῖς κρίσεις. Hinc, inquit, profani Sanctorum Iudices, & noua atque inusitata mixtio, mysticæ nempè quæstiones spectante vulgò tractatæ, atque iniqua rerum gestarum inquisitio, & pretio conducti sycophantæ, & sententiæ stata mercede pronuntiatæ.] Quare nihil tum abhorrens à Schismaticorum sacrilegio Donatistæ tentarunt. Qui postea, cùm ne hac ratione quidem se promouere quicquam intelligerent, nec Imperij vires suæ dementiæ patrocinari, cùm ob ea quæ perperàm designarant, pudore suffunderentur, statuerunt impudenti calumnia ignominiæ suæ consulere, mentientes primùm Catholicos ad profana tribunalia prouocasse: sed hanc imposturam egregiè sanctus Augustinus Epist. 166. confutauit. Scitote, inquit, quòd primi maiores vestri causam Ceciliani ad Imperatorem Constantinum detulerunt. Exigite hoc à nobis, probemus vobis, & si non probauerimus, facite de nobis quicquid potueritis.] Obseruat autem Cardinalis Baronius ex Eusebio, primum omnium Paulum Samosatenum, cùm cogi non posset vt Antiochenæ Synodo, à qua exauctoratus erat, morem gereret, & suffecto domum Episcopalem dimitteret, velut ansam præbuisse patribus, vt quod ipsi decreuissent, postularent Imperiali rescripto confirmari: quibus tamen Aurelianus annuens, cùm esset Ethnicus, & idolorum cultor studiosissimus, nihil præterea edixit, quàm vt ea domus ijs tribueretur, quibus Episcopi vrbis Romæ cum Christianis Italiæ adscripsissent. Audierat enim à Pontifice Synodum esse habitam, nec quibus in ea suffragij ius & potestas esset, satis accurate didicerat.

S. Gregor. Nazianz. Hæreticor. Schismat. ingenium.

Soluitur.

Prima responsio.

S. Augustin.

Baron. ad ann. Christi 272.

Altera responsio. Secundò, negant alij hactenus satis peritum rerum Christianarum fuisse. quoniam etsi iam signi Crucis hostibus terrore iniecto luculentam victoriam reportarat, & Christianam Religionem non modicis incrementis amplificarat, nondum tamen eiusdem mysterijs initiatus erat. Hæc enim Melchiade adhuc in viuis agente contigerunt, cùm tamen à S. Siluestro eius successore salutari lauacro tinctus feratur. Quamobrem si quid temerè præsumpserit opinione suæ potentiæ, neophyto facilè condonari posse, præsertim cùm, si quid peccarit per ignorantiam, autoritatem exemplo contrarijs deinceps factis abrogarit. Sed ego non vtar ea exceptione, quæ apud alios fortassis fidem inueniat, cùm id negare statuerim, Constantinum quicquam admisisse, quo iuris Ecclesiastici dignitas imminueretur: quod proculdubiò fecisset, si Ecclesiæ iudiciorum potestatem sibi arrogaret. Neque enim aliud velle videtur sanctus Augustinus, cùm ait in eadem Epistola: sed quia Constantinus non est ausus de causa Episcopi iudicare, eam discutiendam atque finiendam Episcopis delegauit.] Quamobrem non ausus? Quoniam ea noua atque inaudita foret impietas, si causam Ecclesiæ Iudex secularis discuteret, vti Maximum Imperatorem docuit sanctus Martinus apud Sulpitium hist. sacræ, libro secundo. Verumenimuerò, εἰ γὰρ ἐπισκόπων ἐστὶ κρίσις, τί κοινὸν ἔχει πρὸς ταύτην βασιλεύς; Si Episcoporum iudicium est, inquit sanctus Athanasius, quid habet cum hoc Imperator commune? Πότε κρίσις ἐκκλησίας παρὰ τοῦ βασιλέως ἔσχε τὸ κῦρος; Quando verò Ecclesiæ iudicia robur ab Imperatoria maiestate mutuata sunt?

S. August.

S. Sulpitius.

S. Athanasius in epist. ad Solitarios.

At verò

MORTE MORIERIS, &c.

At verò Imperatorem hactenus, inquis, illa latebant. Demus, quando ita lubet, Imperatorē Ecclesiæ priuilegia latuisse: attamen eius error Ecclesiastico iuri non præiudicat. Quid si ne illud quidem verum est, fugisse hæc tam pium Principem: sed contrà & nouisse, & à tanto scelere abhorruisse eiusdem testimonio probemus? Quippe eius opinor hæc verba sunt, quæ refert S. Optatus, grauis autor, lib. 1. aduersus Parmenianū. Petitis à me in sæculo iudicium, cùm ego ipse Christi iudicium expectem.] Porrò non aliud Christi iudicium vocat, quàm ipsius Ecclesiæ. Sed & illa quoque apud eundem non sine stomacho dixit: O rabida furoris audacia! Sicut in causis Gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt. Extatq; ipsa eiusdem Constantini epistola tunc ad Episcopos Catholicos scripta, qua inter alias vehementissimas aduersus eiusmodi appellantium impudentiam inuectiuas, ipsa quoque eadem ab Optato recitata verba continentur.

S. Optatus.

In Append ad Optatū edit ex Bibliot. Pith.

Cur itaque primùm Iudices dedit, deinde & appellatus, quæ ab Episcopis iam iudicata erāt, retractauit, & sententiæ suæ calculo comprobauit? Paucis ad hæc S. Augustinus satisfaciet, si tamen per vos licebit: nec superiora repetam, quæ ad primam actionem pertinent, cùm vt à tanto horum omnium appareat: vt cedendo pertinacium furori, & quæcumque vellent, etiam præter iudiciorum ordinem concedēdo, eosdem ad concordiam reuocaret. Sed tamen, inquit August. quid postea fecerint, Imperatoris literis sufficientissimè ostenditur. Iudices enim Ecclesiasticos tantæ autoritatis Episcopos, quorum iudicio & Cæciliani innocentia, & eorum improbitas declarata est, non apud alios collegas, sed apud Imperatorem accusare ausi sunt quòd malè iudicarint. Dedit ille aliud Arelatense iudicium, aliorum scilicet Episcoporum, non quia iam necesse erat, sed eorum peruersitatibus cedens, & omnimodo cupiens tantam impudentiam cohibere. Neque enim ausus est Christianus Imperator sic eorum tumultuosas & fallaces querelas suscipere, vt de iudicio Episcoporum, qui Romæ sederant, ipse iudicaret: sed alios (vt dixi) Episcopos dedit, à quibus tamen illi ad ipsum rursum Imperatorem prouocare maluerunt. Qua in re illos quemadmodum detestetur, audistis. Atque vtinam saltem ipsius iudicio insanissimis animositatibus suis finem posuissent, atque vt eis ipse cessit, vt de illa causa post Episcopos iudicaret, à sanctis Antistitibus postea veniam petiturus, dum tamen illi quod vlterius dicerent, non haberent, si eius sententiæ non obtemperarent, ad quem ipsi prouocauerunt, sic & illi aliquando cederent veritati. Hactenus sanctus Augustinus. Sed hæc idem copiosius tota illa Epist. 162. & altera 166. Et eo antiquior S. Optatus aduersus Parmenianum lib. 1. E recentioribus Cardinal. Baron. ad ann. Domini 313. Nuperrime Cardinalis Perronius accuratissimè libro primo, capite 46. iteratæ respons. ad Iacob. Mag. Britanniæ Regem. Sed nobis aliud agentibus hæc de Constantino sufficiant: Ad reliquos properemus.

S. August epist. 162.

Tertia, & vltima depōsio.

A Cod. Theodosiani, libro decimo sexto, De Episcopis, Ecclesijs, & Clericis, Cōstantius, & Constans, Constantini Magni filij, hanc legem numero 12. ferunt. Mansuetudinis nostræ lege prohibemus in iudicijs Episcopos accusari, &c. Si quid est igitur querelarum, quod quispiam defert, apud alios potissimùm Episcopos conuenit explorari: vt opportuna atque commoda cūctorum quæstionibus audientia commodetur.] At contrà, mox, inquis, Impp. censuerunt. Nam ibidem Valens cum nonnullis alijs hoc edicit: Qui mos est causarū ciuilium, ijdem in negotijs Ecclesiasticis obtinendi sunt, vt si qua sunt ex quibusdam dissentionibus, leuibusque delictis ad religionis obseruantiam pertinentia, locis suis, & à suæ diœceseos Synodis audiantur: Exceptis quæ actio criminalis ab ordinarijs extraordinarijsque Iudicibus, B aut inlustribus potestatibus audienda cōstituit. Hæc ille. Quid enim aliud ab hæretico expectandum fuit, quàm vt ferinum in morem Ecclesiam Dei conculcaret? Sed & alter in Authentic. collat. 6. Constit. 11. Vt Cler. apud propr. Episcop. & refertur Cod. Iust. lib. 1. De Episcop. & Cler. In ciuili crimine, inquit, ciuilis præsit Iudex, vt lis vltra duos non egrediatur menses: nec tamen puniatur, etiamsi reus sit inuentus, priusquam per Episcopum sacerdotio spolietur. Si verò crimen sit Ecclesiasticum, Episcopalis erit examinatio & castigatio.] Quod exponens Cuiacius ad Nouell. 79. Vt militare, inquit, delictum à communi distingui solet: ita separare debemus Ecclesiasticum crimen à ciuili, siue communi. Si commune fuerit Clerici C crimen, veluti adulterium, aut homicidium, à Iudice ciuili disceptabitur intra duos menses, & de damnato Clerico non ante supplicium sumetur, quàm regradatus fuerit ab Episcopo. Si Ecclesiasticum, veluti sacrilegiū, vt Zonaras scribit CP. Synodi 1. cap. 6. & ambitus, vt puta, si pecunia ambierit Clericatum, vel contumacia aduersus Episcopum, disceptatio erit Episcopi, vt Nouell. 123. in qua plenius alijsque distinctionib. adhibitis, tota hæc res explicatur. Hactenus Cuiacius. Adde his & illud ex Authent. De sanctis Episcop. §. Sed neque pro qualibet. Collat. 9. Const. fin. Nullus Episcopus inuitus ad ciuilē vel militarē Iudicē in qualibet causa producatur, vel exhibeatur, nisi Princeps iubeat.]

MORTE MORIERIS, &c.

Cod. Theodos. de Episcop.

Cod. Iustin. de Episcop. & Cleric.

Cuiacius.

Hæ ergo leges quo loco à pijs habendę sint, ex D me non audies: illud tantùm obseruabo, officij memores non solùm eas emendasse, sed autores ipsos censura quoq; notasse. Cod. de Episcop. & Cler. refertur noua Friderici constitutio, qua præcedentium temeritas castigatur. Statuimus, inquit, vt nullus Ecclesiasticam personā in criminali quęstione vel ciuili trahere ad iudicium seculare præsumat, contra constitutiones Imperiales, & Canonicas Sanctiones.] Iam verò eo longè antiquiores Arcadius, Honorius, & Theodos. Valentis sacrilegā audaciā correxerant. Nā Cod. Theod. De Episc. & Cler. l. 41. Clericos, inquiūt, nonnisi apud Episcopos accusari cōuenit. Igitur si Episcopus, vel Presbyter, Diaconus, & quicūq; inferioris loci Christianę legis minister apud Episc. (siquidē alibi nō oportet)

Cod. Theodos.

MORTE MORIERIS, &c.

à qualibet persona fuerint accusati, siue ille A sublimis vir honoris, siue vllius alterius dignitatis, qui hoc genus laudabilis intentionis arripiet, nouerit docenda probationibus, monstranda documentis se debere inferre, &c. At multo seuerius horum pater & auus Magnus ille Theodosius animaduertit. *Priuilegia*, inquit, *Ecclesiarum omnium, quæ sæculo nostro Tyrannus inuiderat, prona deuotione reuocamus*, &c. *Clericos etiam, quos indiscretim ad sæculares iudices debere deduci infaustus præsumptor edixerat. Episcopali audientiæ reseruamus. Fas enim non est, vt diuini muneris ministri temporalium potestatum subdantur arbitrio.* Eod. Cod. Theodos. L. 47. fin.

Valentis hæretici leges impiæ à Theodos. rescinduntur.

Nec verò necesse est singulorum populorum leges referre: si quæ tamen occurrant, visę sunt studioso Lectori fastidio esse non posse. Leges Siculæ, autore Guilelmo Rege, si maiestatis B crimen excipias, Clericos vetant à profanis iudicibus interpellari. *De personis* Clericorum inquit *lib. 1. tit. 42.* totius regni nostri volumus & iubemus, quòd si de aliquo forisfacto, de quo persona iudicari, vel condemnari debeat, appellatus fuerit, non à nobis, nec à curia nostra, sed ab Ecclesia, & in curia Ecclesiæ, de eo quod ad personam suam pertinet, iudicetur, & secundum Canones, & ius Ecclesiasticum condemnetur. Excepto, si de proditione aliquis fuerit appellatus, vel alio magno huiusmodi maleficio, quod spectat ad Maiestatem nostram. Quod si acciderit, volumus, & præcipimus, vt de hoc, quod spectat ad curiam nostram, in nostra curia iudicetur. Hæc ibi. Atqui etiam apud antiquiores, cùm de crimine maiestatis ageretur, alius ordo iudiciorum C fuit, vti supra pluribus, iisq; grauissimis exemplis demonstrauimus. Itaque Longobard. lex *lib. 3. tit. 1. lege 11.* huius exceptionis non meminit. *Volumus primò*, vt neque Abbates, neque Presbyteri, neque diaconi, neque Subdiaconi, neque quislibet de Clero, de personis suis ad publica, vel ad secularia iudicia trahantur, vel distringantur: sed à suis Episcopis iudicati iustitiam faciant.] De legibus Polonicis Cromerus: Henricus, inquit, Archiepiscopus Gnesnensis, perfecit diligentia & autoritate sua, circa ann. 1211. Lesco Albo Principe, vt Principis, atque omnium Ducum, procerumque Polonorum consensu, & vniuersi conuentus constitutione, sacer & Ecclesiasticus ordo omnis cum adscripticijs etiam & subditis suis, D ab omnium profanorum Iudicum, etiam Ducum, atque ipsius summi Principis iurisdictione prorsus liber esset; ita vt ne per exceptionem quidem vllam, aut reconuentionem pertrahi ad vllum profanum, siue laïcum, vt vocant, forum possent. Eamque constitutionem Pontificis Max. & Sedis Apostolicæ autoritate confirmauit. Hæc Matt. Cromerus. De nostris superfluum videtur attexere, cùm satis spectata sit eorum religio ac fides, & singularis aduersus sacrum Ordinem pietas & obseruantia. Nihil eo frequentius, aut studiosius Carolus Magnus in suis Capitular. commendat, quàm vt debitus honor Sacerdotibus, & præcipuus cultus tribuatur. *Legatos Dei summi* vocat, & sacros haberi iubet, atque inuiolabiles, Christianorum patres, diuinæ voluntatis iudices, quibus omnis terra caput inclinat, deos denique, quos nemo mortalium iudicare debeat. Lege *lib. 5. Capitular. titul. 163. Item 167. & 170.* quibus locis multa repetit cùm à sanctis Patribus, tum ab ipso Constantino Magno in hanc sententiam dict[a] atestimonia. *Lib. verò 6. cap. 109.* eadem statuit, quæ olim Theodosius, & eandem quoque sententiam vsurpat. *Clerici*, inquit, non secularibus iudicibus, sed Episcopali audientiæ reseruentur. *Fas enim non est, vt diuini muneris ministri temporalium potestatum subdantur arbitrio.* Lege *& titul. 154. & 287. eiusdem libri. Libri 1. titul. 38.* decernit, Vt Clerici Ecclesiastici Ordinis, si culpam incurrerint, apud Ecclesiasticos iudicentur, non apud seculares. *Lib. 5. titul. 225.* iubet apud Episcopos, Clericos, & Monachos canonicè iudicari: & Magistratum legis violatorem multat auri lib. 10. Exequutorem officio abdicat, & in decanicas Ecclesiasticas conijci pœnas luiturum. Ibidem *titul. 237.* accusare prohibet, nisi apud Episcopos.] Hæc porrò quàm præclarè à maioribus nostris instituta sint, quámque ex officio, & ad iustitiæ lancem æquis librata ponderibus, cùm alij plures docuerunt, tum doctè magis quàm eleganter Petrus Eduorum Episcopus in eo libello, quo Cunerij quondam impetum fregit, & quæ ab eo erant objecta, falsa esse docuit. Nos summa rationum capita, quibus sanctissimi olim Pontifices vsi sunt, cùm primùm leges Ecclesiæ regendæ præscriberent, ex eorumdem scriptis delibabimus.

Leges Siculæ.

Lex Longobard.

Leges Polonicæ. Matt. Cromer.

Capitular. Regum nostrorum.

MORTE MORIERIS, &c.

Decanica carcer Ecclesiæ.

Sanctorum nonnullæ rationes, quibus ipsissimam Regum ac imperatorum sententiam confirmant.

QVÆST LVII.

CLemens igitur, cuius adhuc viuentis nomen inscriptum esse libro vitæ Paulus asseruit, ad Iacobum scribens testatur hanc fuisse Petri doctrinam, vt qui spirituales essent, siue Sacerdotes, (nam hi spiritualis vitæ studium profitentur) carnalibus siue laïcis præessent; hi verò Sacerdotibus nusquam præficerentur: quoniam pro minimo, inquit, nobis esse debet, vt à talibus arguamur, & iudicemur, vel ab humano die. Neque verò solus hoc Clementem Petrus docuit, quinimò & Paulus, cùm ad Corinthios scriberet, ijsdem penè verbis vsus est, negans τοὺς ὑπηρέτας χριστοῦ ϗ οἰκονόμους μυστηρίων θεοῦ, *Ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei*, hominum iudicijs esse obnoxios. Cùm enim se & Sosthenem, & quicumque præterea eandem cum illo prouinciam sortiri essent, haud aliter quàm Christi ministros, & Dei œconomos haberi iussisset, occurrit deinceps tacitæ objectioni, propter eos, de quibus nonnusquam queritur, qui probris & conuitijs famam eius lacerabant. Dicet fortè aliquis:

S. Clemens Rom. 1.

1. ad Cor. cap. 4.

At te

MORTE MORIERIS, &c. At te primùm explorare necesse est, an quæ tibi commissa sunt, ex fide administres. Quinimò, inquit, ego vestrum examen, vestrum iudicium minimi facio. *Mihi autem pro minimo est, vt à vobis iudicer,* ἢ ὑπὸ ἀνθρωπίνης ἡμέρας: *aut ab humano die,* siue *iudicio,* vt sanctus Hieronymus interpretatur, asserens Paulum Cilicum idiomate non semel vsum. S. Hieron. Hominum de me sententiam nihil moror. *Sed neque meipsum iudico, &c.* ὁ δὲ ἀνακρίνων με, κύριός ἐστι. Sed ne videar quocumque pacto declinare laqueos, & iudiciorum aleam fugere, Domini sententiam subibo. Responsionis tota vis in eo sita est, siue hoc mihi dicere videtur: Non enim nos, quos Deus elegit, vt quæ vobis nullo iure debita sunt gratis conferremus, populari decet trutina examinari. Quamobrem? Quoniam neque potestatem hanc vestro beneficio nacti sumus, neque res vestras administrandas suscepimus, vt horum à nobis rationem reposceretis: sed soli Deo, qui sua mysteria nostræ fidei permisit, & cuius autoritate villici ac dispensatores instituti sumus, innocentiam ac fidem probare tenemur: *Tu verò quis es, qui iudicas alienum seruum?*

2. Hæc altera ratio est, ob quam nefas ducimus, eos, qui religionis diuinæ cultui atque ministerio mancipati sint, ab ijs iudicari, penes quos ciuilis dumtaxat potestas est. Et quis enim est, Petrus ait in Epist. Clementis, qui alterius iudicet seruum: Nam ista non patiuntur homines, neque Deus deorum, & Dominus dominantiū hæc vlterius patitur.] Quàm sit illud verum, quotidianæ Nobilium cædes testantur: qui, si qua domesticis eorum iniuria illata sit, non aliter dedecus elui posse autumant, quàm si ijs vitam eripiant, à quibus eorum serui iniuria affecti sint. Verùm, vt eorum mores erroris arguamus, & vlciscendi nimiam libidinem furoris & amentiæ damnemus, certum tamen est nihil iuris cuiquam in alienum seruum esse. Quòd cùm dicimus, de his dumtaxat intelligi volumus, qui pari nobiscum iure certant. Nam si cuius obnoxij imperio simus, dubium esse non potest, quin is cuius sententia culpa nostra plectitur, idem in seruos quoque animaduertere possit. Si verò quisquam dicendi iuris autoritate caret, hunc alienum seruum in crimen vocare ac iudicio persequi licet, non de eo supplicium sumere. Deus porrò est eiusmodi, vt omnibus quidem iure imperet, nullius verò legibus astringatur. Quamobrem si quos ipse priuatim sibi ministros adhibeat, hi videntur à nemine posse percelli. An quia fortè quisquam est immunis in tota Republica, & diuinæ seruitutis expers? Minimè gentium. Sed quia tametsi nemo est, qui se Dei seruum non profiteatur, non tamen omnes pari sorte ducti sumus. Ciuium nemo est, qui Regis majestatem non obseruet: alij tamen priuatim eumdem domesticis ministerijs colunt, & corporis curæ ancillantur; alij varia munera obeunt, & propriis vtilitatibus seruire sinuntur. Hos ille, si quid deliquerint, decreuit à publicis iudicibus corripi; domesticos propriæ cognitioni reseruat, nec in eos

A prius quemquam edere exemplum sinit, quàm sceleris atrocitate commotus, speciatim licere pronuntiet. An verò quisquam negabit fuisse MORTE MORIERIS, &c. veterem quondam Synagogam velut vmbratile quoddam præsentis Ecclesiæ simulacrum? Atqui Deus cùm eiusdem politiæ ac religionis in deserto fundamenta poneret, decretisque ac legibus instrueret, tribum Leui à reliqua multitudine secernens, suo cultui peculiari edicto adscripsit. Lege lib. Num. cap. 3. Horum postea in numerum Clerus noster successit, cuius eò priuilegia maiora habenda sunt, quò præstantior dignitas, potestas verò tanta, vt par nulli præterea concessa feratur. Sed tu fortassis, qui eum honorem Principi deferre soles, vt, nisi iussus, manum à seruis eius abstineas, nullam Dei summi rationem habendam censes.

B Tertia ratio est, quam affert idem sanctus Clemens in doctrina Petri. Si Episcopi exorbitauerint, ab istis, scilicet secularibus, siue laïcis, non sunt reprehendendi, vel arguendi: sed supportandi, nisi in fide errauerint. Deinde subiungit: Illi ergo super istos sunt: non isti super illos, quoniam maior à minore nec argui, neque iudicari potest. Nullus se extollat erga doctores & magistros suos, quia discipulus super magistrum esse non potest. Hactenus sanctus Clemens. Magistri sunt qui pueros docent, & eorum rudes animos disciplinis excolunt, mores componunt, & vbi quid deliquerint, leuiore plectunt supplicio. Tale est quodammodo Ecclesiæ in suos imperium. In ea magistri vocantur, qui reliquis præsunt, qui C mentes fidelium verbo Dei pascunt, moresq; fingunt cælestibus institutis. Hi, si qui fortè ab officio discesserint, pro ratione delicti clementiùs in eos animaduertunt. Cæterùm nusquam discipulis concessa licentia est, vt magistros ipsi castigent, & cùm visum erit, verberibus multent. Pædagogus quidem puerorum proditor, à Coriolano fertur ijsdem cædendus traditus, quo tempore Faliscos obsideret. Meminit & Cassiani Martyris in Hymno Prudentius, quem decreto iudicum imbellis ætas stylorum mucronibus confecit. Quid matricidam commemorem, qui matris funus Senecæ præceptoris imperata morte cumulauit? Sed is iam ferulæ manum subduxerat, & Imperij fasces acceperat, nec deerat autoritas, si ratio & æquitas non deessent. Priores illi Magistratus D imperio, non propria temeritate magistris insultarunt. Quòd si suapte audacia ac temeritate fecissent, statim afforet iniuriæ vindex Magistratus. Si itaque nemo est, qui temeritatis & insolentiæ pueros non accuset, qui peccantem magistrum arguant, plagisque ac verberibus afficiant, quis Sacerdotem autore laïco iure putet deteriora pati? Populus, inquit sanctus Telesphorus, à Sacerdotibus docendus est, & corripiendus; non ipsi ab eo; quia *non est discipulus super magistrum.* 3.

S Euaristus epist. 2. ad Episcopos Ægypti. Quartam rationem deducit sanctus Euaristus à similitudine nuptiarum. Sicut vxor, inquit, quæ sub viri manu est, obedire debet viro suo, eumque diligere, & amare: sic Eccle- 4.

Morte morieris, &c.

siam Episcopo suo in omnibus obedire, & amare vt animam suam decet: quia illud fit carnaliter, istud vero spiritualiter.] Sequutus videtur autoritatem Apostoli in Epistola ad Ephes. cap. 5. qui de vxoris erga virum obseruantia hæc habet: *Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino: quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ: Ipse, saluator corporis eius. Sed sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus. Vxor timeat virum suum. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* Christi porrò vices tantisper dum ad iudicium redeat, Episcopi & Sacerdotes in terris obtinent. Vnde sequitur, vt quemadmodum nemo vir vxore præside pœnam subire cogitur, ita nec Sacerdos debeat laïco iudice.

5. Accipe & Quintam à sancto Clemente, seu potiùs à sanctis Apostolis relatam ab eodem Clemente Apostol. Constitut. lib. 2. cap. 34. Nam si de parentibus, inquit, secundum carnem, ait diuina Scriptura, *Honora patrem tuum & matrem, vt benè sit tibi; & qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur:* quanto magis de patribus spiritualibus verbi Dei moneamur, honore & charitate eos prosequi, vt beneficos, & nostros ad Deum legatos, qui nos per aquam Deo regenerarunt; Spiritu sancto impleuerunt; lacte verbi Dei aluerunt, & doctrinæ alimento nutriuerunt; monitis stabilierūt: corpore salutari & pretioso sanguine nos dignati sunt; nobisque peccata remiserunt, & sanctæ ac sacræ Eucharistiæ participes fecerūt, ac promissionis Dei consortes, & Christi cohæredes constituerunt. His igitur reuerentiam adhibentes, omni eos genere honoris afficite. Siquidem hi potestatem vitæ & mortis à Deo acceperunt in ijs iudicandis, qui deliquerunt, & in damnandis ad mortem ignis sempiterni, & ijs, qui se ad rectè viuendum conuertunt, absoluendis, & viuificandis. Hos existimate vestros præsides, hos putate Reges: his, quasi Regibus, vectigalia offerte: eos enim, eorumque domesticos alere debetis.] Et rursùm: Oportet, inquit, Episcopum diligere vt patrem, vt Regem metuere, vt dominum honorare. Hæc & plura sanctus Clemens. Iam verò quis seruus dominum, quis Regem ciuis, aut filius patrem pœnæ adhibet? Iubet Apostolus parere seruos dominis, non modestis tantùm, sed etiam dyscolis. Peccarat Saul, & quidem grauiter, nec dubium quin si priuatus foret, supplicio dignus haberetur; & tamen cùm graui somno oppressus, trucidari absque periculo posset: *Ne interficias eum Dauid,* ait. *Quis enim extendet manum in Christum Domini, & innocens erit?* At verò Cham, quòd patris dumtaxat turpitudinem risisset, æterna posteritatis seruitute damnatus est. Et audebis posthæc augustum Sacerdotij nomen tristi elogio configere?

6. Proferamus & Sextam. Si corpus spectes, capitis quidem ductu atque imperio cætera membra reguntur, ipsum verò nullius horum indicio obtemperat, aut ductum sequitur. Episcopi verò, si Ecclesiam spectes, sunt capita populorum. Quamobrem idem sanctus Clemens Constit. Apostol. lib. 2. cap. 17. A Non est æquum, inquit, caput cùm sis, ô Episcope, caudæ obsequi, hoc est, laico, homini seditioso in alterius perniciem, sed Deo soli. Imperare enim debes subditis, non parere: nam neq; filius imperat patri secundum originis rationem, nec seruus domino secundum potestatis rationem, neque discipulus magistro, neque miles Regi: ita neque laïcus Episcopo. Et rursum ibidem, cap. 11. Quare, ô Episcope, stude munditie operum excellere, cognoscens locum ac dignitatem tuam, tanquam locum Dei obtinens, eò quòd præes omnibus dominis, Sacerdotibus, Regibus, Principibus, patribus, filijs, magistris, atque subditis simul omnibus. Sicque in Ecclesia sede cùm sermonem facis, vt potestatem habens iudicandi eos, qui peccauerunt, B quoniam vobis Episcopis dictum est: *Quodcumque ligaueritis super terram, erit ligatum in cælo, & quodcumque solueritis super terram, erit solutum & in cælo.*

Est & Septima quædam apud Iuonem in Epistola 51. quam scribit Henrico Anglorum Regi. 7. Iuo Carnotensis. Et quia res omnes non aliter benè administrantur, nisi cùm regnum & sacerdotium in vnum conuenerint studium, celsitudinem vestram obsecrando monemus, quatenus in regno vobis commisso verbum Dei currere permittatis, & regnum terrenum cælesti regno, quod Ecclesiæ commissum est, subditum esse debere semper cogitetis. Sicut enim sensus animalis subditus debet esse rationi: ita potestas terrena subdita esse debet Ecclesiastico regimini. Et quantum valet corpus nisi regatur C ab anima, tantum valet terrena potestas, nisi informetur, & regatur Ecclesiastica disciplina. Et sicut pacatum est regnum corporis, cùm iam non resistit caro spiritui: sic in pace possidetur regnum mundi, cùm iam resistere non molitur regno Dei.] Hæc Iuo. At sanctus Clemens libro 2. cap. 34. Apostolicar. Constitut. Quanto anima præstantior est corpore, tanto est Sacerdotium regno præstantius.] Num igitur corpus animam dijudicat, sensusue rationem?

Addit Octauam sanctus Symmachus in Apologet. aduersus Anastas. Imperatorem. 8. Bibliotheca Patrum, tomo 1. S. Symmachus. Fortasse, inquit, dicturus es scriptum esse: *Omni potestati nos subditos esse debere.* Nos quidem potestates humanas suo loco suscipimus, donec D contra Deum suas non erigunt voluntates. Cæterùm, si omnis potestas à Deo est, magis ergo quæ rebus est præstituta diuinis. Defer Deo in nobis, & nos deferemus Deo in te. Cæterùm, si tu Deo non deferas, non potes eius vti priuilegio, cuius iura contemnis. Et rursum: Conferamus autem honorem Imperatoris cum honore Pontificis, inter quos tantùm distat, quantum ille rerum humanarum gerit, iste diuinarum. Tu Imperator, à Pontifice baptismum accipis, sacramenta sumis, orationem poscis, benedictionem speras, pœnitentiam rogas. Postremò tu humana administras; ille tibi diuina dispensat. Itaque vt non dicam superior, certè æqualis honor est. Nec te putes mundi pompa præcellere: quia *quod infirmum est Dei,*

MORTE MORIERIS, &c.

est Dei, fortius est hominibus.] Atqui non æquales ab æqualibus, sed à maioribus minores iudicantur.

S. Isidorus Pelus.

9. At verò præterea Sacerdotium Regno præstantius atque antiquius esse docet sanctus Isidorus Pelusiota lib. 3. epist. 127. & 249. Et quidem quòd Regnum Sacerdotij dignitate longè superetur, ostendit priore illa epist. 127. At quod etiam posterius sit, nec possit cum maximo munere de antiquitate certare, testatur posteriore epistola his verbis: Ἐξ ἱερωσύνης καὶ βασιλείας τὰ πράγματα συνίσταται. εἰ γὰρ καὶ πολὺ ἀλλήλων διαφέρουσι (ἡ μὲν γὰρ ὡς ψυχή ἐστιν, ἡ δὲ ὡς σῶμα) ἀλλ' εἰς ἓν ὁρῶσι τέλος, τὴν τῶν ὑπηκόων σωτηρίαν. Ex Sacerdotio & regno rerum administratio conflata est. Quamquam enim non vno discrimine varientur (illud enim velut anima est, hoc corpus) vnum tamen finem spectant, subiectorum salutem. Quapropter, inquit, cùm primùm Respublica Iudæorum excitaretur, ἡ ἱερωσύνη ὡς ἀναγκαιοτέρα ἐθεσμοθετήθη, καὶ ἐπὶ πολὺ διήρκεσεν; Sacerdotium vt magis necessarium institutum est, ac perdiù durauit. Pergit deinde & illud commemorare, quo primùm tempore, quibus autoribus, & quam ob causam Regnum cœperit. Iudæi enim primùm Regem poscere instituerunt. Nec alia ratio fuit, quàm qui [illegible] carnis curæ dediti, pinguiores, seu potiùs stupidiores, atque hebetiores, Græcè σαρκικώτεροι καὶ παχύτεροι euaserant. Diuinæ autem prouidentiæ is scopus fuit, vt eorum τὰ πταίσματα τῶν τῇ ἱερωσύνῃ μὴ πειθομένων, qui Sacerdotio non parebant, peccata coërceret.] Quamobrem si diuinam mentem & consilium in excitando Regno intueare, non ad iudicandos Sacerdotes institutum videri poterit: sed vt eos potiùs qui Sacerdotum iussa detrectant, Reges ad officium pœnis reuocent.

10. Decima ratio petitur ex Epistola ad Hebræos cap. 13. ver. 17. Πείθεσθε, inquit Apostolus, τοῖς ἡγουμένοις ὑμῶν, καὶ ὑπείκετε. *Obedite præpositis vestris.* Arias, *ducibus:* Interpres Syriac. *gubernatoribus vestris, & subiacete illis:* Erasmus, *cedite, deferte:* alius quispiam, *obsecundate.* Ὑπείκειν, sanè morem gerere, atque obsequi significat. Itaque Syriac. Interpr. *& estote illis dicto audientes.* αὐτοὶ γὰρ ἀγρυπνοῦσιν ὑπὲρ τῶν ψυχῶν ὑμῶν, ὡς λόγον ἀποδώσοντες. *ipsi enim peruigilant pro animabus vestris, quasi rationem reddituri.* Cæterùm, qui præsunt Ecclesiæ, non soli plebeculæ, vt opinor, excubant: sed Regibus quoque, & iis qui summis Magistratibus funguntur? *Rationem*, inquit, *pro animabus eorum reddituri.* Cui tandem reddituri? vtique Deo. Quomodo igitur verisimile sit eosdem profanis tribunalibus addixisse? aut quo pacto obedientes & subiecti Sacerdotibus videri poterunt, qui eosdem suæ fidei permissos, ac iudiciis obnoxios arbitrantur? An quisquam verè & ex animo illi subjaceat, aut etiam se corripi ab eo ferat æquanimiter, cui se datum à Deo Iudicem ac censorem intelligat?

11. Mirabor autem si neges Reges ac Principes in Euangelio ouium numero censeri. Pascere certè non alius iubetur quàm Petrus, & qui eiusdem cum illo secundùm quandam analogiam ministerij facti sunt participes. Quòd si Sacerdotes & Episcopi, Clerusque omnis, ordo quidam pastorum est, qui fieri queat vt ab ouibus iudicentur?

Obiectio refellitur.

Veruntamen, inquis, plerique eorum sunt officij immemores. Siquidem igitur cum vitæ innocentia ministerij quoque potestatem amittant; ne dubites quin iisdem quibus reliqui legibus teneantur. Quòd si ne tum quidem Sacerdos cum scelere polluitur, Ordinis sui dignitate priuatur, Ecclesiæ sententiam te decet operiri potiùs, quàm in illum quid grauius statuas, aut Christi legatum cœco ac præcipiti studio violes. Sacerdos enim, inquit sanctus Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 349. etiamsi incertis atque ignauæ vitæ maculis contaminatus sit, & priuatim pœnas luat, Ἄγγελος δὲ κυρίου παντοκράτορός ἐστι, τῇ τε τῆς θείας τελετῆς μυσταγωγίᾳ, καὶ τῇ τῶν πολλῶν σωτηρίας διακονίᾳ. Angelus tamen siue nuncius Domini omnipotentis est: tum quia diuini sacrificij munere perfungitur, tum quia multorum saluti operam nauat. Hæc sanctus Isidorus.

S. Isidorus Pelus.

S. Clemés.

At verò beatus Petrus apud Clementem in ordinatione Zachæi Episcopi Cæsareæ: Audite, inquit, Episcopum vestrum, & ne pigeat omnem ei honorem adhibere, non ignaros quod ei præstaris, Christo præstari; & quod hac occasione Christo præstatis, ad Deum referri, & ei qui præstiterit, multò ampliùs reddendum esse. Deinde subiungit: Θρόνον οὖν τιμήσατε, ὅτι καὶ Μωσέως καθέδραν τιμᾶν ἐνετάλθητε, κἂν οἱ προκαθεζόμενοι ἁμαρτωλοὶ νομίζωνται. i. thronum Christi honorate, quia & Moysis cathedram honorare iussi estis, quamuis qui sederent, peccatores esse existimarentur.

12. Denique hoc quoque sanctus Anacletus in Epist. diligenter obseruat, quòd cùm Dominus veniens Hierosolymam, templum scelere pollui, & profano commercio contaminari comperisset, idem ipse flagellum pluribus funiculis intexens, non cuiusquam ministerio, sed per seipsum sacrilegij autores abegerit. Templum illud porrò Cleri quidem typus atque vmbra fuit. Quamobrem qui in eo ordine peccat, & sacri muneris functionem dedecore atque infamia aspergit, non laïca, sed Ecclesiastica autoritate de gradu deturbandus est.

S. Epiphan. ad Hæres. Nazaræor.

Postremò, & illud quantum ponderis ac momenti habere debeat, quod à sancto Epiphanio scriptum est lib. 1. Tom. 2. Hæres. 29. nu. 3. Lector diiudicet. Sic enim ait: Θρόνος γὰρ Δαβὶδ καὶ βασιλικὴ ἕδρα ἐστὶν ἡ ἐν τῇ ἁγίᾳ Ἐκκλησίᾳ ἱερωσύνη, ὅπερ ἀξίωμα βασιλικὸν τε καὶ ἀρχιερατικὸν ὁμοῦ ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνάψας ὁ Κύριος δέδωκεν τῇ ἁγίᾳ αὐτοῦ Ἐκκλησίᾳ, τὸν θρόνον μεταγαγὼν ἐν αὐτῇ τοῦ τε Δαβὶδ μὴ διαλείποντος εἰς τὸν αἰῶνα. Quocirca thronus ille Dauidis, ac regale solium nihil aliud est, quàm Ecclesiæ sanctæ Sacerdotium, quod Regia simul ac Pontificia dignitate in vnum contracta ei Dominus attribuit, ac Dauidis æternum illud, neque periturum vnquam solium in eandem contulit. Hactenus sanctus Epiphanius, qui pluribus ibidem suam sententiam confirmat.

Refellitur Platonis de summo Reipublicæ pastore sententia, & ostenditur cum Religione Christiana non posse conuenire.

QVÆST. LVIII.

Plato. CÆterùm, non paucos, opinor, hoc tempore Platonis argutiæ in fraudem inducunt, qui cùm communis boni ac publicæ felicitatis in suo Ciuili dumtaxat rationem haberet, quæ partim quidem artium ministerio, ac reliqua humana industria, partim iuris subsidio, religionibusque procurandis fouetur, & amplificatur, edixit, hunc solum regem ac pastorem Reipublicæ habendum esse, non qui horum quippiam priuatim excoleret, sed qui simul omnia suo ductu atque auspicijs ad tuendam societatem, communitatemque generis humani conferret. Iam verò quibus officijs hominū consociatio iuuari ac sustentari queat, ibidem copiosè describit. (Tria Reip. necessaria.) Sunt enim quædam quæ vis ipsa necessitatis exigit, quædam ad voluptatem comparata sunt, qui maximè nexus ciuium mentes mutua beneuolentia charitateque deuincit, quædam etiam vniuerso gregi securitatem præstant, cùm nemo solus tot in se vndique intenta pericula proprio marte refellere possit.

1. Iam verò quæ necessitatis esse videntur, ea ferè sunt, quæ ad corporis necessarium cultum pertinent; vt sunt victus, & vestitus, domicilij sedes, & quæ valetudinem medicamenta tuentur. In hos vsus pleræque artes inuentæ sunt, quarum aliæ propriam cuique artifici materiam suppeditant, aliæ instrumenta conficiunt, reliquarum solertia in ijs, quæ iam parata erāt, perficiendis ministrandisq; elaborat. Inde igitur latomi, cæmentarij, architecti: inde qui metalla terræ visceribus eruunt, inde qui acuunt, & ex eis falces aut vomeres, gladiosue ducunt & conflant: agricola denique, pistor, coquus, & qui pannos vestesque conficiunt; Medici, Pharmacopolæ, Chirurgi, & qui vasa, thecas, vehicula, omnem denique supellectilem suo studio parant & componunt, quos singillatim percensere minimè necessarium est. Horum quidem nemo qui priuatum aliquid efficiat, regis nomine dignus habebitur: sed vnà omnes regis cura digni, quo Rempublicam possit eorum ope atque industria seruare incolumem. Nec iam ferè pauciores sunt qui voluptati seruiunt, quàm qui necessitatibus ancillantur. 2. Tales sunt qui ædium, vestium, ac reliqui apparatus ornamenta fabricant, qui pingunt, tinguntue, qui parietes, arma, supellectilem auro atque argento, marmore atque ebore vestiunt, qui populo bellaria vendunt, & gulam vario condimentorum genere prouocant, qui musicis cantionibus, qui fidium illecebris aures deliniunt, & si qui præterea deliciarum autores sunt, qui tantisper commune bonum promouent, donec eos ciuium rector intra modestiæ cancellos cohibet.

3. Quod superest tertium, hoc spectat humana felicitas, tanto labore partis vt tutò frui liceat. Hoc verò præstat domi quidem iustitia, foris armorum præsidium. Quocirca disciplina iuris, & militares artes inuentæ sunt, quas alij quidem docent, alij exercent, complures etiam necessaria instrumenta suppeditant, sine quibus iuris & armorum vsus consistere nequit. Nam quis sine moneta, sigillis, contractibus, cartis, tesseris, vexillis, & id genus pluribus, belli pacisue commercium posse vigere existimet? Sed illud præterea cum primis conducere visum est, & ad publicam felicitatem pertinere, si religiones ritè atque ordine curarentur. Nam dij quidem eorum bonorum quibus aleretur ciuitas, primùm autores sunt habiti. Deinde sua beneficia tueri, augere, atque amplificare posse, si studiosè colerentur, visi sunt. Ne qua pars igitur communis boni neglecta videretur, Sacerdotes ab antiquis instituti sunt, qui sacrorum periti nossent quo cultu, quibus hostijs numina placarentur.

Ergo his omnibus cùm constare ciuilem beatitatem Plato intelligeret, statuit singulorū bonorū artificibus quemdam cōmunem ducem præfici debere, qui singula quæq; ad cōmunem vtilitatem referret. (Regalis muneris dignitas & amplitudo.) Hinc porrò bellè sequitur, quod Plato concludit, vt summi rectoris imperio ipsi quoque Sacerdotes pareant, & eius ductum sequantur. Nam cùm regia procuratio rem omnem publicam generatim atq; vniuersè complexa sit, si religio pars quædam ciuilis boni habetur, consequens est, vt eadem quoque Sacerdotes regat, & religioni, quantum satis sit, moderetur. Nec alia est sententia autoris Opusculi De regimine Principum lib. 1. cap. 14. (Opusc. De regimine Principum.) Sic enim ait: Quia igitur Sacerdotium Gentilium, & totus diuinorum cultus erat propter temporalia bona conquirenda, quæ omnia ordinantur ad multitudinis bonum commune, cuius Regi cura incumbit, conuenienter Sacerdotes Gentilium Regibus subdebantur. Finis enim multitudinis est viuere vnà secundùm virtutem. Ad hunc verò finem secundùm naturam ducit Rex.

Quid de noui Testamenti Sacerdotibus, an perinde censes profanis tribunalibus obnoxios esse debere? At quia non est, inquit, hic vltimus finis, sed est diuinus, ad eum solus Deus & homo ducere potest Christus Dominus, qui Sacerdotes suos ministros constituit. (Christiana Religio naturalem finem nō habet, nec humana lege Sacerdotes eius instituti sunt.) Quemadmodum autem his qui dirigit ad vltimum finem, imperat his qui mediatis; vt miles fabro, quæ arma cudat: ita & Sacerdotes Christi nomine imperare reliquis omnibus debent. (1. Ratio.) Hæc ille. Verùm non solùm finis spectandus est, sed origo quoque ipsa vtriusque dignitatis sedulò consideranda est. (2.) Nam Regum potestas, vt iura docent, naturalis est, & Imperator *in Institut.* asserit, lege regia populi ius omne in Principem esse translatum. Sacerdotis autoritas naturalis dici non potest, neque à natura profecta: neque verò ius illud fuit aliquando

MORTE MORIERIS, &c.

quando populi, sed à solo Deo manauit. *Regnum meum*, inquit Christus, *non est de hoc mundo.* Et alibi: *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Et Apostolus negat se *ab homine, vel per hominem* accepisse. Vnde igitur laïcis Iudicibus tanta potestas, vt quos diuino iure Sacerdotes sibi Deus asciuit, ad sua tribunalia rapiant? Ipsa
3. profectò sacri muneris functio eiusmodi est, vt eam neque vetare Reges, neque iubere possint. Nam quòd Sacerdos nolit, nulla arte effici potest vt per eum fiat: cui si vim afferas extrinsecus, labor cassus est, donec sponte consentiat, & operi voluntatem accommodet, quam nullo pacto explorare possis; vt minimè dubium sit humano illam iudicio Deum subjectam esse noluisse. Per vim extorta absolutio, nulla est: pœnitenti etiam cùm nolit Rex, à Sacerdote concessa, apud Deum obtinet.
4. Deinde sicut mittendi ius & potestatem Reges non habent, ita neque reuocandi. Quo iure itaque eorumdem ministri, quos Deus ipse misit, à sacris altaribus auulsos, ad sua subsellia reuocabunt? Ligandi vtique atque soluendi ius & autoritatem Regum nullus sortitus est. Hoc soli Petro singulari priuilegio concessum
5. est, vt quod ligaret, nemo Principum solueret. An fortè cuiquam obscurum est, quàm seuerè à sancta Sede interdictum sit, ne sæcularis Sacerdotem iudicet, tantisper dum ille Ordinis sui priuilegio defenditur, nec gradu deiectus est.

Sunt verè Reges, etiam Sacerdotum Reges, tametsi sacra profanis miscere non debeant.

QVÆSTIO LIX.

NOn erunt itaque Reges, Sacerdotum Reges, sed tantùm sæcularium? Quinimò, inquit sanctus Ioannes Chrysostomus homilia 23. in 13. cap. Epist. ad Rom. illud interpretans quod habet Paulus initio capitis, *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Ista imperantur omnibus, καὶ ἱερεῦσι, καὶ μοναχοῖς, οὐχὶ τοῖς βιωτικοῖς μόνον, & Sacerdotibus, & Monachis, non solùm sæcularibus. Et rursum: Πᾶσα ψυχὴ, ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις ὑποτασσέσθω, κἂν ἀπόστολος ᾖς, κἂν εὐαγγελιστὴς, κἂν προφήτης, κἂν ὁστισοῦν. οὐδὲ γὰρ ἀνατρέπει τὴν εὐσέβειαν αὕτη ἡ ὑποταγή. *Omnis anima potestatibus supereminentibus subdita sit:* etiamsi Apostolus sis, si Euangelista, si Propheta, siue quisquis tandem fueris. Neque enim pietatem subuertit ista subiectio. Et beatus Gregorius, cùm esset summus Pontifex, de lege Mauritij Imperatoris scribens, qua vetabat milites ante expletam militiam Monachos adscribi, *Valdè autem mibi* durum videtur, vt ab eius seruitio milites suos prohibeat, qui ei & omnia tribuit, & dominari eum, non solùm militibus, sed etiam Sacerdotibus concessit. Lib. 2. Epistol. cap. 103. Qui etiam anteà Mauritio scribens eiusdem lib. cap. 100. *Ego quidem*, aiebat, iussioni subiectus, eamdem legem per diuersas

(S. Chrysostomus. — S. Gregor. Papa.)

terrarum partes transmitti feci; & quia lex ipsa omnipotenti Deo minimè concordet, ecce per suggestionis meæ paginam serenissimis dominis nunciaui. Vtrobique ergo quæ debui exolui, qui & Imperatori obedientiam præbui, & pro Deo quod sensi, minimè tacui. Sanctus etiam Isidorus Pelus. epist. 90. lib. 3. Facinorosum Sacerdotem metu legum humanarum à scelere nititur reuocare. Εἰ τὴν ἀκοίμητον δίκην οὐ φρίττεις, κἂν τοὺς τῶν ἀνθρώπων νόμους φοβήθητι· μήποτε δὲ ἐν αὐτοφώρῳ ληφθεὶς, τὴν ἐσχάτην ὑπομείνῃς τιμωρίαν. *Si peruigilem*, inquit, illam Dei iustitiam haud perhorrescis, humanas saltem leges metue: ne alioqui in ipso quoque fortasse scelere deprehensus, extremo supplicio mulcteris. Hactenus sanctus Isidorus.

(S. Isidorus Pelus.)

Corruat ergo necesse est prior illa ratiocinatio, si quidem apud laïcos iudices Sacerdotes Patrum testimonio capitalis rei, rei agantur. Atqui hoc primùm decet expendere accuratè, an reuera ipsorum mentem assequamur. Nam quod S. Gregorius de seipso prædicat, nos quidem libenter amplectimur: sed nihil ad iudiciorum aleam quo persona in periculum vocatur, & de ea summo iure statuitur. Chrysostomi dictum eò spectat vt intelligamus, neminẽ institutis à Deo potestatibus refragari debere: quippe *qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Non sunt autẽ soli Reges & duces in eum ordinem referendi: sed habet quoque Ecclesia Regiâ atque Imperatoriâ sublimiores potestates, si S. Symmacho credimus, quibus non modò Clerus, sed ipsi quoque Orbis Principes obtemperent. Quod si his quoq; quos Sanctus Chrysostomus enumerat, quisquam contentiosior certet velle gladij metum incutere, intelligat, vtrumque, Chrysostomum scilicet & Pelusiotam nihil aliud docere velle, quàm damnatos ab Ecclesia, & ob sceleris atrocitatem gradu deiectos, perinde atque laïcos à Principe manere supplicium. Cæterùm, vt *Vnctos Domini* profani iudices violent, neuter eorum sacrilegij gratiam facit. Non enim nos abdicatorum & profanorum Sacerdotũ, quique vt S. Martinus Papa de Pyrrho loquitur, diuino honore nudati sunt, patrocinium suscipimus, sed eorum duntaxat, qui tametsi augusti ministerij dignitatem maleficio polluerint, necdum tamen Ecclesiæ iudicio Ordine moti sunt: sed, vt ait idem Pelusiota, hactenus Omnipotentis Dei Angeli manent, & pro eo legatione funguntur.

(Gradu deiectos, perinde vt laïcos manet à Rege supplicium.)

Neque verò dubito, non pauca item exempla in contrariam sententiam afferri posse. Sed quoniã ea neque SS. PP. autoritate fulta sunt, neque vllo sanctæ Sedis decreto nixa, neque vlla SS. Conciliorum Canonica sanctione firmata, idcirco illa quidem ego nihil moror, cęteros autem cur mouere debeant planè non video. Nam Regum quidem, si fortè se læsos existiment, quàm sit impotens iracundia nemo non nouit. Quo fit vt minimè mirum videri debeat, si multa nonnunquam, freti potentia, præter æquum & ordinem temerè designent, quæ nullo iure defendi possint. Plerique tamẽ officij memores, cùm pietatem colerent, reli-

MORTE MORIERIS, &c. Piorū Principum sententia.

giosè cauerunt, ne in Ecclesiæ matris offensionem incurrerent. Sic enim apud se statuebant, neque sponsam Spiritus Sancti errore decipi, neque verò quenquam Cælesti patri placere posse, qui Ecclesiam matrem iniuria afficeret. Itaque eum honorem sanctissimis eius decretis habendum esse, vt quod æterna lege sanxerat, Ecclesiastici Ordinis reos Præsides Ecclesiæ iudicarent. Qui secus fecissent, tametsi eorum per vim sententiæ obtinerent, iudicia tamen à SS. PP. ipso iure nulla sunt habita. Disces ex vno S. Maximo Martyre, qui cùm fidei causam apud Constantem Imperat. ageret, vnà quoque S. Martini Martyris innocentiam tueri coactus est.

Vocatur, seu potiùs rapitur in iudicium S. Martinus Papa.

Calliopas Exarchus Imperatoris iussu, S. Pontificem vi raptum Constantinopolim trāsmiserat, qui postquam multis esset affectus contumelijs, iudicio sistitur, & per delegatos iudices, perinde vt quisque nocens, contempta sacri culminis reuerentia falsis accusationibus appetitur. Parabat Apologiam Martinus, & iam de fide dicere orsus erat, cùm statim differentem interpellat Præfectus Troïlus, &, *Non inferas*, inquit, nobis hîc de fide, de duellio nunc scrutaris, quoniam & Romani, & nos Christiani sumus, & Orthodoxi. Sic enim habent eiusdem Acta apud Sirmundum in Collectaneis Anastasij. Quo loco etiam, cùm pluribus Scriptor de quibus accusaretur, & in discrimen vocatus esset, commemorat, tum paucis ita complexus est. Primicerius sanè omnium accusantium erat Dorotheus Patritius Ciliciæ, qui iurans dixit, quoniam quinquaginta capita si haberet (Martinus,) non oporteret eum viuere, eò quòd solus subuertit & perdidit vniuersum Occidentem, & deleuit, & reuera vnius consilij fuit cum Olympio, & inimicus homicida Imperatoris & Romanæ vrbanitatis. Denique, vt ipsi visum est, Sacellarius (qui fuerit vide apud Meursium in σακελλ & Σχυνάκεις, in Glossar. Græcobarb.) hanc in eum sententiam tulit: Tu nitebaris contra Imperatorem, quid tibi spei erat? Ecce dereliquisti Deum, & dereliquit te Deus. Et continuò exclamans idem Sacellarius, quendam astantium excubitorum tonsorem, præcepit sine mora auferre psachnion summi, & Apostolici, atque præcipui Pastoris omnium Christianorum, &c. Et cùm incidisset psachnion beati viri excubitor, & corrigiam compagiorum eius, statim tradidit eum Sacellarius Præfecto vrbis, dicens: Tolle eum, Domine Præfecte, & continuò membratim incide illum. Cum his autem omnibus iussit astantibus anathematizare eum. Mox sequitur: Suscipientes ergo eum carnifices, exuerunt exterius eius pallium sacerdotalis stolæ, & scindentes alas tunicæ, quæ erat interius, à summo vsque deorsum, circumposuerunt ferrea vincula in sanctam eius ceruicem, & per omne corpus eius, trahentes eum vi, à Palatio duxerūt eum, publicantes & dehonestantes per medium ciuitatis, ad Prætorium, & gladius coram eo. At hoc interim spacio dum beatus ille in vinculis imminenti supplicio præstolatur, gloriosus

Anastasij Collectanea.

Damnatur Impp. iussu S. Martin⁹.

A Imperator, tanquam nobili parta victoria, ad iacentem & moribundum Patriarcham accessit, & quàm indignis modis Dei Sacerdotem habuisset, insolenter præ se tulit. Quid igitur tum ille malorum incentor, & scelerum artifex? (Nam is erat Paulus totius tragœdiæ autor, inuentor *Typi*, & Cyri, Sergij, atq; Pyrrhi Monothelitarum defensor acerrimus) Rei indignitate commotus, cùm esset morti proximus, ingemuit, & conuersus ad parietem, Hei mihi! dixit, & hoc ad abundantiam iudiciorum meorum actum est. Et causam doloris percontanti Imperatori, respondit: *Nunquidnam, Domine, non est mirabile talia pati Pontifices?* & attentius adiurauit Imperatorem iræ modum imponeret; qui eiusdem oratione flexus, mortem, quam vir sanctus votis omnibus B expetebat, teterrimo exilio commutauit. Et hæc quidem eius forma iudicij fuit; Hi iudices, cùm *Christus Domini* reus citaretur, & sacrilega sententia damnaretur.

MORTE MORIERIS, &c.

Etiā impius hæreticus ingemiscit, non ferens Pontificis contumeliam.

At verò eiusdem rationem habendam negauit sanctus Maximus in Collatione sua cum Principibus in Secretario. Non enim, inquit, (Martinus) depositus est, sed expulsus. Nam quæ sub gestorum serie synodica & canonica facta est actio, continens eius diligenti relatione depositionem? Hoc sapit, non ab alijs quàm Sacerdotibus Sacerdotem potuisse deponi. Quādiu verò Sacerdotes sacri ministerij cōpotes manent, in eosdem quadrat quod Dauid asserit Psal. 104. ver. 14. *Non reliquit hominem nocere eis, & corripuit pro eis Reges. Nolite tangere Christos meos.* Verùm, vt tanquam ex vngue leo-C nem, sic noueris ex vna quadam responsione, quanta fuerit sacrilegorum hominum cœcitas & ignorantia, Gregorij Photij filius ait: *Ergo non est omnis Christianus Imperator etiam Sacerdos?* Cui sanctus Maximus, *Non est.* Neque enim astat altari, neq; post sanctificat. &c. At Gregorius: Et quomodo Scriptura Regem & Sacerdotem dicit esse Melchisedech? Sanctus Maximus, Vnius naturâ Regis cunctorum Dei, natura etiam ob salutem nostram Pontificis facti, vnus erat typus Melchisedech. Quòd si secundùm ordinem Melchisedech, alium dicis esse Regem & Sacerdotem, & reliqua præsume dicere, id est, *sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habentem.* Et aduerte quòd ex hoc D oriri valeat malum. Alius quippe, &c. Et rursum: Inter sacras oblationes supra sanctam mensam post Pontifices, & Sacerdotes, & Diaconos, omnemque sacratum ordinem, cum laïcis Imperatores memorantur, dicente Diacone: Et eorum qui in fide dormierunt, laïcorum, Constantini, Constantis, & cæterorum. Sic autem & viuorum memoriam facit Imperatorum post sacratos omnes.] Sed non intra eum gradum stetit perditorum hominum audacia. Huc etiam prorupit, vt quas Synodos Imperator non congregasset, ijsdem fidem & autoritatem derogarent, & Pontificum decreta latasque sententias rescinderent. Quam eorum vecordiam paucis ad hunc modum confutat sanctus Maximus in Collat. cū Episcopo Cæsareæ,

Habes in ijsdē Anastas Collectan.

Negat S. Maximus Imperialis iudicij rationem habendam in causa Pontificis.

Non firmat Concilia Principum autoritas.

MORALIS ENARRATIONIS, &c.

Cæsareæ, & Consulibus, quos ad eum Imperator allegarat. Si Synodos quæ factæ sunt, iussiones Imperatorum firmant, & non pia fides; recipe Synodos, quæ contra Homousion factę sunt. Nam iussione Principum sunt patratæ. Primam videlicet in Tyro, secundam in Antiochia, tertiam in Seleucia, quartam in Constantinopoli sub Eudoxio Arriano, quintam in Nice, quæ est in Thrace, sextam in Sirmio; & post hæc multò pòst septimam in Epheso secundam, cui Dioscorus præfuit. Omnes enim has Imperatorum iussio aggregauit. Attamen omnes damnatæ sunt propter impietatem infidelium dogmatum ab eis confirmatorū. Quare autem non abijcitis eam, quæ deposuit Paulum Samosatenum sub sanctis ac beatis Dionysio Papa Romano, & Dionysio Alexandr. atque Gregorio miraculorum patratore, qui eidem præfuit Synodo, quoniam non est iussione facta Imperatoris? Qui præterea Canon promulgat, solas illas approbandas Synodos, quæ Imperatoris iussione sunt congregatæ? Hæc & plura Beatus ille Martyr, ex quibus facilè colligas, quantum iuris in causis Ecclesiasticis sæculari potentiæ tribuat.

Sed hactenus de ea re quid senserint sancti Patres nostri, & optimi quiq; Principes, aperuisse sufficiat. Id quod adeò magis feci, vt me conscientia liberem, quàm quòd optem mea sententia vim cuiusquam opinioni afferri. Non enim semel à pijs & doctis iudicibus, quique factam Religioni iniuriam nollent, interpellatus, possentne Ecclesiasticorum, qui palàm delinquunt, per seipsos flagitia coërcere, præsertim cùm nonnullis locis eorum Iudices veternus occupasse videatur, rogatusq; vt hūc illis ex animo scrupulum euellerem, qui optimos quosque Iudices stimulat, ac pungit: nonnumquam anceps & dubius hæsi, & dandū aliquid licentiæ temporum, corruptisq; moribus addubitaui. At nunc, si quid olim fortè dixi, aut sensi, quod alienū esset ab Ecclesię legibus illud ego damno, atq; repudio, statuens, quod ad me attinet, Petri decreta, quę cęli suffragio firmantur, mortalium contumacia non posse rescindi. Ecclesiasticorum licentiorem viuendi consuetudinem ijs iure ferendam esse censeo, qui talium delectū habuerunt, & non eo animo miscenda sacra profanis, vt ad sua tribunalia cuncta reuocent. Neq; hoc sentiens, temeritatis argui posse arbitror. Nam quod nondū SS.PP. censuerunt, nec Ecclesia Catholica iussit, id arroganter non præiudico, neque reuoco ad arbitrium meum: sed Patrum, Conciliorumq; sententiam sequor, quorum in dijudicandis Ecclesiasticis aspernari autoritatem, & aliam, præter eam quæ ab eis præscripta est, iudiciorum formam instituere, nefas duco. Cùm essem iunior, R.P. Ioannis Baptistæ Desbois familiari consuetudine vsus sum, qui vir, cùm multiplicis doctrinæ laude floreret, ne tamen aliud ederet monumentum præstantis ingenij sui, præter Bellarmini Epitomen Controuersiarum, valetudinis vitio prohibitus est. Illū porrò supremis vitæ suæ temporibus, tanquam illustre quoddam humilitatis & patientiæ speculum agnoui; que etiam post elatū funus, gloriosum non semel apparuisse ferunt. Is igitur, cùm esset ijs moribus prędítus, & ad reliquas disciplinas SS. PP. eruditionis thesauros adiunxisset; insuper & Scholasticæ, quam dicunt Theologiæ, studium seriò complexus esset, adduci tamen vix poterat, vt Iudicum rerum capitalium, & eorum qui commendatas sibi Ecclesias haberent, confessiones audiret; quòd diceret, tametsi suum non esset de huiusmodi ferre iudicium, illud tamen sedulò cauere debere, ne aliena peccata, quæ vetare non posset, participaret. Non enim tam spectandū censebat, quibus illi rationibus nonnumquam factum suum tueri possent, quàm quod plerūque fieret; cùm alteri quidem, vt apparet, spoliatis hæredibus, Sanctorum sibi patrimonia vendicent, & regularis disciplinæ ruinam moliantur: alteri sacræ vnctionis mysterium ludibrio habētes, Sacerdotes popularibus ęquēt. His ego addo præterea, me doceri magis quàm docere paratum esse, & summi beneficij loco ducturum, si quis me erroris & inscientię conuictum, non obscuris rationibus ad meliorem, si qua est, sententiam traducat. Quod cùm fieri posse vix credam, Iudices & Commendatarios etiam atque etiam oro, salutis suæ rationem tandem aliquando ineant.

VERSUS XVII.

Et ait Rex emissarijs, qui circumstabant eum: Conuertimini, & interficite Sacerdotes Domini: nam manus eorum cum Dauid est: scientes quòd fugisset, & non indicauerunt mihi. Noluerunt autem serui Regis extendere manus suas in Sacerdotes Domini.

Variæ trāslationes.

PAgninus, *Dixitq; Rex cursoribus* (Hebraïcè לָרָצִים *laratsim*) qui stabant iuxta eum. Vatablus, *emissarios:* & in Schol. *cursores.* Alius, *viatoribus,* siue *apparitoribus.* Quidam, *Dixitq; Rex ad satellites.* Et in Annot. Vocat Hebraïsmus *satellites,* qui Regem stipant, רָצִים *ratsim,* id est, *cursores,* quod Regem præcedāt, & sequantur. Chaldæus, *Et dixit Rex ad cursores.* LXX. τοῖς παρατρέχουσι, *emissarijs,* προσάγετε καὶ θανατοῦτε τοὺς ἱερεῖς κυρίου. *adducite, & interficite Sacerdotes Domini, &c.* καὶ οὐκ ἐβούλοντο οἱ παῖδες τοῦ βασιλέως ἐπενεγκεῖν τὰς χεῖρας αὐτῶν ἀπαντῆσαι εἰς τοὺς ἱερεῖς κυρίου. *Et non voluerunt serui Regis inferre manus eorum irruere,* ita Complutenses, Rom. legunt: *afferre manus suas ad occurrendum in Sacerdotes Domini.* Chaldæus, *Circuite, & occidite Sacerdotes Domini, &c. Et non voluerunt serui Regis extendere manus suas ad potestatem exercendum in Sacerdotes Domini.* Pagninus legit cum vulgata. Postremis verbis ex Hebræo addit, *vt interficerent Sacerdotes Domini.* Arias, *ad irruendum in Sacerdotes Domini.* Vatablus Salmanticus, *Cir-*

CONVERTIMINI, &c.

cundate; & interficite Sacerdotes, &c. At serui Regis noluerunt inferre manus suas, vt irruerent in Sacerdotes Domini. *Alius, Diuertite, & morte afficite, &c.* Hebraïcè est סבו *sobou*, sicut initio versus sequẽtis סב *sob*, à verbo סבב *sabab*, quod *circuire, causare, reuertere* significat.

Conuertimini, & interficite Sacerdotes Domini.] Atqui hoc in primis summi Magistratus cauere debent, ne præcipiti consilio, quos accusatores detulerint, pœnæ subijciant. Habemus autem singulare quoddam Concilij Toletani decretum, quo Reges ne quid temerè in eam peccent ipsi partem, publica autoritate cauetur. *Hoc* (Patres inquiunt) *in commune decreuimus*, vt nullus deinceps ex Palatini ordinis gradu, vel Religionis sanctæ conuentu, Regiæ subtilitatis astu, vel profanæ potestatis instinctu, siue quorumlibet hominum malitiosæ voluntatis obnixu, citra manifestum & euidens culpæ suæ indicium, ab honore sui ordinis, vel seruitio domus Regiæ arceatur, non antea vinculorum nexibus illigetur: non quæstioni subdatur: non quibuslibet tormentorum, vel flagellorum generibus maceretur: non rebus priuetur: non etiam carceralibus custodijs mancipetur: neque adhibitis hinc inde iniustis occasionibus abdicetur, per quod illi violentia occulta, vel fraudulentia professio extrahatur: sed is, qui accusatur, gradum ordinis sui tenens, & nihil de supradictorum capitulorum nobilitate præsentiens, in publica Sacerdotum, Seniorum, atque etiam Gardingorum discussione reductus, & iustissimè perquisitus: aut obnoxius reatui detectæ culpæ pœnas excipiat, aut innoxius iudicio omnium comprobatus appareat. Hactenus Concilij decretum. Cuius beneficio cùm scelerati homines abuterentur ad Regum perniciem, non illud quidem Regum quisquam abrogare ausus est: sed Rex Egica, cùm illud laudasset legis Vvisigothorum libro secundo, titulo quinto, capite decimo nono, alia lege aggressus est perditorum conatus infringere: capite sanciens, *Si quis deinceps citra fidem regiam, vel propria causarum negotia in deceptione regiæ potestatis, se iuramenti vinculo alligare præsumeret.*] Sic ille statuit, ne parricidæ societatem coïrent; & perfidiæ nomine, quam lex in posterum præsumeret, in reos referri possent.

Concilium Tolet 13. cap. 2. p 616

Leges Vvisigoth.

Et interficite Sacerdotes Domini.] Neque citò sententiam proferre decet; neque postquam pronuntiata sit, statim vrgere supplicium. Si diem proferas, non rarò parua interiecta mora, irarum fluctus conquiescunt, & discussa perturbationis caligine, lux ipsa veritatis liquidius elucescit. Quamobrem cùm Theodosius Imperator iracundiæ facibus inflammatus, in Thessalonicensium cæde bacchatus esset, ne quis deinceps pariter indulgeret iræ, hanc ab eo legem sanctus Ambrosius extorsit, quæ nunc quoque est in Codice, *ne in damnatos capitis* ante trigesimum diem post latam sententiam lege agere liceret. Ast Saul, cùm necdum satis liqueret, & ab vno dumtaxat teste Sacerdos argueretur, *Irruite*, inquit, non in quosuis, sed *in Sacerdotes*: nec in quosuis Sacerdotes, sed *in Sacerdotes* Domini. Hoc additur ad exaggerandam scilicet facinoris atrocitatem. Nam quos nocentes numinis gratia reuereri oportuit, insontes sacrilega temeritate mactauit. Ita furore cœcus, atque amentia transuersus agebatur, vt imperati sceleris magnitudinem non agnosceret. Hæc tamen eius sententia, quantumuis iniusta, & plena sæuitiæ, id quod Deus iampridem æquissimè decreuerat, exequuta est. Itaque Saul ipse quidem postea sacrilegij sui pœnas dedit, at hoc interim spatio Dei gloria illustratur: nam quæ dudùm prædixerat, & Heli posteris comminatus fuerat, ea iam re ipsa & euentu comprobantur. Saul verò, etsi idem faciat, quod fieri Deus statuit, malo tamen id animo facit: neque prorsus cogitat, vt obsequatur voluntati Dei. Ita apud Esaiam: *Assur*, inquit, *virga furoris mei: ego faciam vt auferat spolia: tamen ille non ita cogitabit.* Rex enim Assyriæ nequaquam hoc studebat, quo pacto rem Deo gratam faceret, sed quemadmodum posset sibi quamplurimas nationes subijcere, & explere insatiabilem dominandi cupiditatem. Sic ergo Saul, cùm inuidiæ quidem stimulis agitaretur, non meminisset autem iudiciorum Dei, stragem Sacerdotum horribilem edidit.

Principis præceps iracundia damnatur.

ET INTERFICITE, &c.

Conuertimini, inquit, *& interficite Sacerdotes Domini*] Furialis illa vox, & belluis magis, quàm homine digna. *Sacerdotes Domini.* Tales agnoscis, & audes in eos inuadere, nec Dominum metuis, in quem hæc omnis contumelia redundat. Nam si priuatim Domini sunt, semper quidem potest cùm volet, & si ita volet, in eos animaduertere: tu verò *quis es qui iudicas alienum seruum?* An si quisquam idcircò stipatores tuos interimat, quod se ab ijs accepisse iniuriam dictitet, tu quidem æquo animo, ille verò impunè laturus sit? An non idcircò supplicio afficies, quod tametsi læsus, cùm posset apud te querelam deponere, suum dolorem vlcisci maluerit? Imminutæ proculdubiò majestatis reus arcessetur, & audaciam capite luet, tu autem cùm Domini Sacerdotes sustuleris, innocens videbere? An stipatoribus illi habendi sunt viliores? An minor aduersus Sacerdotes quàm satellites adhibenda reuerentia est? An habet terra quicquam angustius? An Deo vicinius? An fortè Deus ipse regni solio terrenis Principibus inferior habetur, & idcircò Christos eius, cùm ne verbo quidem ab ijs violatus sis, ferro enecas? Quæ tanta hæc stultitia mẽtem occupat, & oculos animi eripit? Vitandi periculi studio sæuire te simulas, & Sacerdotes interficis, quorum maximè præsidio securitatem consequi poteras. Nam hi profectò calamitatum imminentes procellas auertunt, qui Deum placant, & inflectunt ad misericordiam. Siquidem Dei ira malorum omniũ causa & origo est. Hanc porrò Sacerdotes prece & obsequio mitigant, quorum se supplicijs delicta populi condonaturũ Deus recepit. Tu itaq; cùm eos perimas, nequaquam incolumitati tuæ cõsulis, quin potiùs te in barathrum miseriarum demergis, spemque omnem reconciliãdæ cum eo gratiæ amputas. Nam quos deinceps sequestres,

Qui Sacerdotes tollit, seipsum diuino præsidio nudat.

CONVERTIMINI, &c.

ſtres, aut deprecatores adhibeas, cùm eos temerè perdideris, qui ſi tibi veniam impunitatemque depoſcerent, inſtitutis à Deo ſacrificijs impetrarent. Apud Ælianum lib. 3. var. hiſtor. cap. 43. quum Sybaritæ ad aram Iunonis citharœdum deæ laudes concinentem interemiſſent, ſubinde ſanguis videbatur in Iunonis templo ſcaturire, non ſecus quam è perenni fonte. Quo portento territi Sybaritæ, Delphicum oraculum adeunt, & Apollinem interrogant: at ille tale reſponſum dedit.

Sacrilegæ cædis etiā apud Ethnicos vltio.

Cede meis menſis, manibus nam ſanguis adhærens,
Deſtillanſque recens, prohibet tibi limina templi.
Non tibi fata canam: magnæ Iunonis ad aram
Muſarum innocuum ſtrauiſti cæde miniſtrum.
Non immortales hoc dij patientur inultum.
Si quis enim prudens ſcelerata è mente profectum
Committat facinus, grauis hunc prope pœna ſequetur.
Non exorabit, neq; ſi genus ab Ioue ſummo
Duceret: ipſe ſuo collo, colliſque nepotum,
Hoc luet, & generi cumulatim damna ferentur.

Neque verò vltio tardata eſt. Cùm enim aduerſus Crotoniatas bellum gererēt, ſubacti ſunt ab illis, & ciuitas eorum ſubuerſa eſt. Hactenus Ælianus. De Sacerdotū internecione quid ſenſerit S. Theodoretus, explicat quæſt. 53. in li. 1. Reg. Hæc à Saule perpetrata cædes, inquit, fuit omnibus alijs peccatis magis impia. Nam cùm Deus iuſſiſſet, vt penitùs perderet Amalec, non ſolùm ſeruauit Agag, ſed etiam quæcumq; erant digna quæ poſſiderentur. Sed cùm ſola eum mouiſſet ira, non ſolùm occidit Sacerdotes, ſed etiam cum ipſis viris ciuitatem, vt qui iuſſerit, vt non adoleſcens, non infans, non muliercula eſſet ſalua.

Maximum Saulis peccatorum S. Theodoretus.

Cōuertimini, & interficite Sacerd. *Cōuertimini.* Hebr. phraſis hoc valet, *Eia agite, adeſte* ad eos vos conuertite. Sæpè etiā, cùm quis incipit loqui, Hebræi dicūt, *Et reſpōdit.* Habet vnaquæq; lingua ſuos idiotiſmos, quos non ſatis cōmodè verbū è verbo transferendo explices. Reddi etiam non ineptè potuit, *Circundate*, ne quis elabatur: aut etiam *Aſtringite*, ne ſe tueri in animum inducant. nam ita diuerſis locis idem verbum Septuag. interpretati ſunt. Quod ad vim tactā ſacris hominibus attinet, hæc habet de ſeipſo Hildebertus Cœnomanenſis Epiſcopus epiſt. 39. Eadem die initū eſt aduerſum me conſilium, in craſtinum iniecēre manus: in me iterum ineceres Chriſti traditionem. Quinta enim feria in oſculo ſum ſuſceptus. Sexta feria tanquam cum Chriſto iturus ad crucem, contumelioſè captus ſum, & poſitus in cuſtodia publica. Diuiſerunt etiam ſibi veſtimenta mea, equis iam inter ſe diſtributis, qui gratis ad facinus diſcurrunt, ad honeſtū nec pretio. Porrò in illo caſtello, in quo hæc acta ſunt, Carnotenſis erat Epiſcopus, venerandæ vir autoritatis: ſed apud ſceleris autores ſine autoritate fuit autoritas. Is in ſpiritu contrito Hubertū conueniens (hoc enim Phariſæorum Principi nomen erat) primò blanditus illi beſtiæ: ſed beſtia

Hildebertus.

Ironem intellige.

Hubertus Comes erat.

rationem non admittit. Dehinc illum ſacrilegij liberè arguit, obſecrauit opportuè, importunè increpauit. Poſtremò tradidit eum Satanæ in interitum carnis, anathematis vinculo, quo debuit, alligatum.]

Addamus præterea & Athalarici legem, quo, tametſi patre Gotho & Ariano natus, vetuit debitam ſacro Ordini reuerentiam violari. Hanc conceptis verbis retulit Caſſiodorus variar. l. 8. c. 24. *Clero Eccleſiæ Romanæ Athalaricus Rex.* Tanto diuinitati plurima debemus, quanto à cæteris mortalibus maiora ſuſcipimus. Nam quid ſimile rependat Deo, qui potitur Imperio? Sed licet pro tanto munere nihil compenſari poſſit idoneè: ipſi tamen gratia redditur, dum in ſeruientibus honoratur. Itaque flebili aditione cauſamini, hoc fuiſſe longæ conſuetudinis inſtitutum, vt ſi quis ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſeruientē aliqua crederet actione pulſandum, ad ſupradictæ ciuitatis Antiſtitem negotium ſuum dicturus occurreret, ne Clerus veſter forenſibus litibus profanatus, negotijs potiùs ſecularibus occupetur: Addentes, Diaconum quoque veſtrum ad contumeliam religionis tāta executionis acerbitate cōpulſum, vt Saius cum propriæ cuſtodiæ crederet mancipandum. Presbyterū quin etiam Eccleſiæ Romanæ pro leuibus cauſis aſſeritis, criminaliter impetitum. Quod nobis pro ingenita reuerentia, quam noſtro debemus autori, diſplicuiſſe profitemur, vt qui pridem ſacris meruerant inſeruire miniſterijs, conuentionibus irreuerenter nefarijs expoſiti, iniurijs ſubiacerent. Sed aliorum plectenda ſubreptio nobis obtulit pleniſſimæ laudis euentum: vt cauſa contingeret præſtandi, quæ nos cæleſtibus commendaret auxilijs. Atque ideò conſiderantes Apoſtolicæ Sedis honorem, & conſulentes deſiderijs ſupplicantium, præſenti autoritate, moderato ordine definimus, vt ſi quiſpiam ad Romanum Clerum aliquem pertinentem, in qualibet cauſa probabili crediderit actione pulſandum, ad Beatiſſimi Papæ iudicium priùs conueniat audiendus; vt, aut ipſe inter vtroſq; more ſuæ Sāctitatis agnoſcat, aut cauſam deleget æquitatis ſtudio terminandam, &c. Denique poſt legis ſanctionem, piè reuerenterque Clerum admonet, Sed interim vos, quos iuſſa noſtra venerantur, Eccleſiaſticis viuite inſtitutis. Magnū ſcelus eſt, crimen admittere, quos nec conuerſationem decet habere ſæcularem: profeſſio veſtra vita cæleſtis eſt. Nolite ad vota mortalium humilia, & errores deſcendere. Mundani coërceantur humano iure, vos ſanctis moribus obedite. Hactenus apud Caſſiodor. Athalaricus, cuius vtinam admonitio ſeſe penitùs in animos noſtros inſinuet, & altiores in cordibus radices agat.

CONVERTIMINI, &c.

Caſſiodor.

Regis edictū, ne Clerus forenſibus litibus profanetur.

Digna Rege admonitio quam Clerus omnis audiat.

Nam manus eorum cum David eſt.] Solet aſcribi cauſa capitali ſententiæ. Itaque Saul, cùm illum certæ probationes deficerent, abuſus fingendi licentia, hinc innoxijs ferali edicto importat calumniam. *Nam manus eorum cum David eſt.* Infitiantur: dic tu quo argumento noris, quoue indicio deprehenderis. *Scientes*, inquit, *quòd fugiſſet, & non indicauerunt mihi.*

ET NON INDICAVERVNT MIHI, &c.

Hoc quoque negant: quis affirmat? Vnus Doëg. Atqui dudum lex diuina sanxit: *Nemo cadat sub vnius hominis testimonio.* Coniecturæ porrò eiusmodi sunt, vt si mores Pontificis, & superioris vitæ institutum expendere velis, mentem à proditionis suspicione procul abducant. Hoc saltem per te miseris liceat insontibus mori. Quamobrem, quibus vitam eripis, innocentiæ laudem inuideas? Cessisse vi neminem pudet: at torquet etiam innocentissimum quemque confisti criminis infamia. Et corporis sensus, si cum animi affectibus comparentur, longè obscuriores hebetioresque habentur: vincitque cruciatus corporis ignominia, doloris acerbitate. Quandoquidem Tyrannum agere instituit, cur non potiùs cum Antonio negat, vllam à se facti reddendam esse rationem. Nam Antonius, cùm Herodis donorum captus illecebris, atque obsequio delinitus, eumdem multorum criminum reum ancipiti iudiciorum alea eximere vellet, negauit: καλῶς ἔχειν βασιλέα περὶ τῶν κατὰ τὴν ἀρχὴν γεγενημένων εὐθύνας ἀπαιτεῖν, Oportere Regem eorum, quæ gessisset in Magistratu, tanquam apud censores rationem reddere. Οὕτως γὰρ ἂν οὐδὲ βασιλεὺς εἴη, alioqui ne Regem quidem futurum. Δόντας δὲ τὴν τιμὴν, καὶ τῆς ἐξουσίας καταξιώσαντας, ἐᾶν αὐτῇ χρῆσθαι, sed dato illi honore, etiam liberam potestatem permittendam esse.

Ioseph. Antiquit. Iud. lib. 15 ca. 4. Negat Antonius Regium esse, facti reddere rationē.

Et non indicauerunt mihi.] Tegere debent templa supplices, & ædes sacræ miseris pro asylo esse, præsertim verò ijs, qui alieno scelere potius quàm suo periclitantur. Meminit Pausanias in Corinthiacis, deam quandam Heben à Phliasijs cultam, cuius in templum qui fugissent, criminum impunitatem consequebantur. Vincti quoque ad eas arbores, quæ in eius luco erant, vincula & compedes appendebant. Idem in Laconicis, Tegeatæ, inquit, cùm Pausanias Lacedæmone fugeret ob rem minus prosperè gestam, supplicem in Aleæ Mineruæ receperunt. Qui autem tum Pausaniam seruarūt, incolumem antea quoq; Leotychidem, & fugientem Argos Chrysidem, loci præsidio ac religione defenderant. Athenienses verò, quod pene fidem superat, cùm à Peloponnesijs oppugnarentur, & iam non pauci Lacones in eorum vrbem irrupissent, Regemque suum Codrum fortiter in acie dimicantem amisissent, nequaquam tam immenso dolori indulserunt: Sed cùm repentè ad eos victoria inclinasset, & reliquæ copiæ diffugissent, quicunque ad aras dearum, quas Seueras vocant, se recepissent, abire incolumes permiserunt. Idem Pausanias in Achaicis. Quo pacto verò hi amicos prodidissent, qui ne hostes quidem infensissimos violandos censuerūt? Apud Herodotum verò lib. 1. cum Pactyam Cyrus dedi sibi postularet, Cumæi, ad quos ille confugerat, cùm Regis potentiam pariter ac perfugij religionem metuerent, oraculum consulendum censuerunt. Respondit dæmō ille qui apud Branchidas in agro Milesiorum Deum mētiebatur, Pactyam Persis esse permittendum. At visa est atrox illa responsio, trux & indigna Deo, itaque tanquam ipsi oraculum non satis accuratè percepissent, consultores denuò ad eum allegant. Hi porrò ita sciscitantur: *O Rex, venit ad nos* supplex Pactyas Lydus, mortem fugiens violentam: Persæ eundem reposcentes iubent Cumæos hominem dimittere. Nos Persarum potentiam formidantes, tamen supplicem nondum reddere ausi sumus, donec intelligeremus ex te indubitatò quid facere nos conueniret. At ille secundum priorem sententiam denuò respōdit. Aristodicus verò legationis princeps, passeres in templo nidulantes de industria captare cœpit: quem statim vox ex adyto compellans, Hominum scelestissime, inquit, quænam libido te incessit, vt auderes meos supplices diripere: At ille nihil cunctatus, Ergóne Rex sic passeres & auiculas tueris, & Pactyam supplicē Cumæos iubes Persis dedere? Itaque prudentius iniere consilium, vt quando protegere eum non possent, aliò transmitterent incolumem. Dæmon verò, cui nomina mille, mille nocendi artes, cùm non sine probabili aliqua suspicione vereretur, ne opinione sæuitiæ homines à se absterreret, aliàs clementius oraculum fudit, & supplices sacrosanctos esse debere Dodonæi Iouis nomine Atheniensibus respondit:

Pausanias. Templa, asyla. Herodot.

Ara tibi Eumenidum fumans, & curia Martis
Sint cordi. Huc bello domiti nam forte Lacones
Suppliciter tristes venient. tu proüce tela,
Supplicibus parcens, diuûm quos iura tuentur.

Pausanias in Achaicis.

Et addit Pausanias in Achaïcis, ob violatos supplices implacabilem esse numinis iram: quod non Helices modò exitium, sed alia etiam talium euentorum exempla demonstrant. Nam post aliquot annos cùm Athenis ipsi Magistratus eos, qui cum Cylone in arcem ad Mineruæ supplices confugerant, violassent; & ipsi interfectores, & omnes eorum posteri, violatæ per cædem religionis damnati, obnoxij deæ fuere. Ephori quoque Lacedæmoniorum, cùm in eos viros sæuissent, qui supplices in templum Neptuni, quod ad Tænarum est, euaserant, Sparta non multò post tam crebris, tamque vehementibus terræ impulsibus concussa est, vt vix vlla domus ruinæ expers fuerit. Postremò etiam Helice, cùm eam Achæi incolerent, & supplices è templo abstractos trucidassent, primùm quidem terræmotu corruit: mox etiam parietinæ ipsæ, atque rudera maris æstu atque inundatione prorsus deleta sunt. Complura id genus Historici nostri suppeditant, atque in primis Turonensis Gregorius: sed de hoc scelere, pluribus, si Deus dederit, lib. 3. erit disserendum. Hoc interim obseruo, quo nunc animo furit Saul, & bacchatur in Sacerdotes Domini, si Dauidem Achimelech maturè prodidisset, tabernaculum quoque ipsum sacrilegio polluere potuisse. Neque enim tam illi quicquam dolet, quàm quòd occasio erepta sit, vel ex ipsa ara Dauidem rapiendi: quem vel ad ipsam aram, si abducere non posset, optasset iugulasse.

Qui supplices olim è templis extraxissent, misere perijsse.

Noluerunt autem serui Regis extendere manus suas in Sacerdotes Domini.] Menander ait:

Si omnibus in rebus seruire seruus discat,
Prauus erit. Libertatis partem dato:
Id longè optimum eum faciet.

Satellites

NOLVERVNT AVTEM, &c. Satellites non parent imperio Saulis. Rabbini putant illorum præfectos fuisse Abner, & Amasa viros graues. Illi cùm viderent quàm graue illud scelus esset, noluerunt esse ministri furoris regij. Non tamen accusari possunt aut seditionis, aut conspirationis, aut officij deserti erga Regem. Debemus quidem parere Magistratui: sed ita, ne flagitium suscipiamus contra Deum. Principes sunt tantùm vicarij Dei: itaque Deo potiùs quàm illis parendum est. Mandatarius enim si quid velit facere extra mandatum, id iubetur esse irritum. Quòd si Magistratus aliquid imperare velit contra Deum, non debemus illi obedire. Nemo enim vlla in re obstringi potest, vt aliquid faciat contra manifestam Dei voluntatem. R. Salomon putat illos habuisse tum in animo sententiam istam ex libro Iosue cap. 1. *Obediemus tibi: tantùm sit Dominus Deus tecum,* vers. 17. quam nonnihil à nobis diuersè legit ad hunc modum: *Obediemus tibi, modo Deus tecum sit, quemadmodum fuit cum Mose:* hoc est, vt interpretatur, si nihil feceris, aut iusseris contra præscriptum Dei. Hoc dicere videtur Romanus Martyr apud Prudentium in Peristeph.

Sic Regibus parendū est vt Deo primùm obedias.

Rab. Salomon.

Prudent.

Hoc opto lumen Imperator nouerit
Tuus, meusque, si velit fieri meus:
Nam si resistit Christiano nomini,
Meus ille talis Imperator non erit:
Scelus iubenti, crede, nunquam seruiam.

S. Iustinus. Iustinus quoque Martyr eo antiquior, in Apolog. ad Antoninum Pium Imperatorem: *Sin autem vos quoque non secus quam insensatum vulgus veritati præfertis consuetudinem, quod potestis facite.* Porrò Principes veritati opinionem anteponentes, nihilo plus possunt quàm latrones in solitudine.] Itaque sanctus Maximus item Martyr, cùm ad eum Troïlus Patritius Constantis Imperatoris mandata perferens, ante alia dixisset, *Dic nobis* primitus, si facias iussionem Imperatoris, an non? absolutè ante se facturum polliceri noluit, quàm quid iuberetur, intelligeret. Domine, inquit, audiam quid iusserit pium eius Imperium, & necessariò respondebo. Nam ad id quod ignotum est mihi, qualem responsionem daturus sum? Tandem cùm acrius vrgerent, & instarent vehementius, in hæc verba respondit: Quia non patimini dicere seruo vestro quæ placent Domino & Imperatori nostro, Ecce dico, audiente Deo, ac sanctis Angelis, & omnibus vobis, quoniam quicquid iusserit mihi super quacumq; re cum hoc sæculo destruenda & corrumpenda, promptè faciam. Qua responsione cùm Imperatoris satellites nimioperè excanduissent, & eumdem probris innumeris contumelijsque lacerassent, nihil tamen amplius extorquere potuerunt, donec significata Imperatoris voluntate, palam negaret se morem gesturum. *Obedire enim Deo oportet magis quàm hominibus.* Ita sanxerunt Franci maiores nostri Imperatores atque Reges. Quinimò ijs legibus, quas ipsi tulerunt sancti Sepulchri Militibus, statuerunt: si ita decerneret sanctæ Ecclesiæ autoritas, anathematizatis atque exautoratis Principibus ab ijsdem bellum inferri posse. Legis autores ascribuntur Carolus Magnus Imperator, & Rex totius Franciæ Ludouicus sextus Sapiens, dictus Pius. Philippus dictus Sapiens, magnanimus, & conquerens. Sanctissimus atque magnanimus Ludouicus. Præses Godefredus de Buillon, ac alij magnanimi Principes, & Reges Christiani: quorum hæc constitutio est artic. 30. *Quòd dicti milites* contra aduersus aliquos Principes Christianos bellum gerere minimè tenebuntur, imò illis fauorabiles erunt. Casu quo sibi constiterit dictos Principes esse excommunicatos autoritate Dei & summi Pontificis, ab Ecclesia Catholica exules & dispersos, eorumque regnum belligeris esse prædam: Quo casu adueniente, dicti milites pro eis contra dictos Principes arma suscipient, ad exemplumque Dei iura pauperum, orphanorum, viduarum, extraneorum defendent, & ab omnibus vexationibus & oppressionibus viriliter protegent. Et sequitur: *Nos igitur præmissis,* & alijs legitimis causis, & rationibus consideratis animum nostrum mouentibus, præscriptas ordinationes à nobis ferri & edi, illasque de verbo ad verbum, nil de contentis in eisdem omisso, obseruari decreuimus, statuimus, sapienter deliberauimus. Et in eius rei testimonium & robur ad sancta Dei Euangelia per fidem & legem nostram, &c. nec sponte aliquid de contentis in eisdem ordinationibus executione dignū omittere promisimus, & iurauimus, illas à nostris successorib. regni Franciæ Regibus dicti Ordinis S. Sepulchri, &c. obseruari ordinātes. Et in hoc eorū conscientiam illis contrauenniendo onerantes, &c. Datum autem legitur Hierosolymis anno 1099. quæ ratio Chronologiæ constare non potest, si ad eos omnes referatur qui legis autores citantur. Si tamen dolus abest, responderi poterit: illum qui eo tempore leges istas instaurarit, superiorum decreta collegisse, & sua autoritate firmasse, quibus etiam posteriores subscripserint.

S. Maxim.

Ordinat. milit. S. Sepulchri.

Verùm hæc, quæ nihil ad nos spectant, missa faciamus: satis fore ducimus, si terrore, aut gratia Principum ab æquitatis via non deflectamus: nec cuiquam in his obtemperemus, quæ cum diuina lege palàm ac manifestè pugnant. Legis enim suæ Deus religiosos cultores nos esse iussit, & mortem potiùs oppetere, quàm vt contrarium quicquam aut abhorrens admittamus. Regum autem censores aut vindices quis nos constituit? Laude digni sunt, vt inquit sanctus Theodoretus in hunc locum, Saulis satellites: non quia Regi vim aut necem intulerunt, sed quia Sacerdotum sanguine manus suas inquinare recusarunt. Male agere licet nemini, non si rex, pater, dominusve autor fuerit. Quòd si quis propterea in discrimen veniat, quòd iniustis Principis desiderijs obsequi nolit, molestiam ferat æquo animo: statim enim pro breui mœrore diuturnam laudem inueniet. Nam ne apud Ethnicos quidem ea virtus & constantia meritis honoribus caruit. Laudatur enim Socrates à Xenophonte lib. 4. de eiusdem dictis & factis, quòd cùm triginta

Laudantur qui studio iuris & æqui imperiū detrectarūt.

Xenophō.

ET NOLVERVNT &c.

Ælius Spartianus in Antonin. Caracal.

Tyranni auctoribus Lacedæmonijs Athenas grauissimo iugo premerent, iisdem imperantibus vt quendam ad supplicium duceret, solus non obtemperauerit, quòd contra leges facere viderentur. Laudatur & Papinianus Iurisconsultus, Seueri quondam Imperatoris familiaris amicus, quem ferunt perire maluisse, quàm vt iniustam Getæ necem autore Caracallo perpetratam defenderet. Respondit siquidem, non tam facilè parricidium excusari posse, quàm fieri. Et item illud, Aliud esse parricidium, accusare innocentem occisum. Denique apud Horatium libro primo Epistolarum, ad Quintium,

Horat.

Vir bonus & sapiens audebit dicere, Pentheu
Rector Thebarum, quid me perferre, patique
Indignũ coges? adimam bona. nẽpe pecus, rem,
Lectos. argentum. tollas licet. in manicis &
Compedibus sæuo te sub custode tenebo.
Ipse Deus, simul atque volam, me soluet, opinor.
Hoc sentit, moriar. mors vltima linea rerum est.

Dic tu potiùs, simul atque opus erit, dexter & fauens Deus aderit, qui me his omnibus malis eripiet, & ab ærumnis ad delicias traductum, in tranquillissima regni sui statione collocabit.

Et noluerunt extendere manus suas, &c.] Hoc eo magis mirum videri potest, quod plerumque satellites sui Domini mores æmulantur. Vnde est illud Martialis Epigramm. lib. 9. ad Domitianum,

Nemo suos (hac est aulæ natura potentis)
Sed Domini mores Cæsarianus habet.

Apud Æthiopes verò etiam hanc consuetudinem obtinuisse ferunt, vt si quando Rex aliqua corporis parte ex quauis causa debilitaretur, domestici omnes sponte sua eandem partem debilitarent. Turpe enim existimabant, Rege claudo, non omnes amicos claudos esse. Diodor. Sicul. lib. 4. cap. 1.

Cæterùm, illud me nunc quærere iuuat, vnde tam dira sæuiendi libido Saulis animum occuparit? aut qua tandem ratione tam malus & teter euaserit, cùm alioqui bonus ad regnum vocatus esset, & à principio regni egregiæ virtutis specimen edidisset? At contrà, Soles, inquit Lampridius in Alexandro, quærere, Constantine maxime, quid sit quòd hominem Syrum (Alexandrum Seuerum intelligit) talem Principem fecerit, cùm tot Romani generis, tot aliarum prouinciarum reperiantur improbi, impuri, crudeles, abjecti, iniusti, libidinosi. Respondet autem idem Lampridius, Amicos sanctos & venerabiles habuit, non maliciosos, non furaces, non factiosos, non callidos, non ad malum consentientes, non bonorum inimicos, non libidinosos, non crudeles, non circumuentores sui, non irrisores, non qui illum quasi fatuum circumducerent: sed amantes Principis sui, & qui de illo, nec ipsi riderent, nec risui esse vellent: qui nihil venderent, nihil mentirentur, nihil fingerent, nunquam deciperent existimationem Principis sui, sed amarent. His talibus viris quid mali potuit cogitari, vel fieri? Hi sunt qui bonum Principem fecerunt: sicut & amici mali Romanos pessimos etiam posteris tradiderunt

Familiares amici, vt censet Lampridius, Reges bonos, aut malos faciunt.

A suis vitijs laborantes. Notum est illud, inquit, pietati tuæ, quod in Mario Maximo legisti, *Meliorem esse* Rempub. & propè tutiorem, in qua Princeps malus est, ea in qua sunt amici Principis mali: siquidem vnus malus potest à plurimis bonis corrigi; multi autem mali non possunt ab vno, quamuis bono, vlla ratione superari. Huc accedit, inquit, quod Eunuchos nec in consilijs, nec in ministerijs habuit, qui soli Principes perdunt dum à populo & amicis Principem submouent: qui internuntij sunt, aliud quàm respondetur sæpè referentes, claudentes Principem suum, & agentes ante omnia, ne quid sciat. Hæc ille. At Saul, vt apparet, viros præstantes amicos habuit, & iuris & æqui studiosos: vnus Doeg memoratur, qui eundem ad facinus impulerit. Quantum est igi-
B tur vel in vno serpente mali? Plus ille nocet, quàm boni mille proficiant.

VERSUS XVIII.

Et ait Rex ad Doëg: Conuertere tu, & irrue in Sacerdotes. Conuersusque Doëg Idumæus, irruit in Sacerdotes, & trucidauit in die illa octogintaquinque viros vestitos ephod lineo.

VERSUS XIX.

C Nobe autem ciuitatem Sacerdotũ percussit in ore gladij, viros & mulieres, & paruulos, & lactentes, bouemque & asinum, & ouem in ore gladij.

ET NOLVERVNT &c.

Conuertere, & irrue, cõuersus, & irruit, vnusquisque interpres suo more exposuit, vt suprà præced. versic. *Trucidauit octogintaquinque.* Eum numerum seruant quicumque nunc ex Hebræo interpretantur. Septuaginta quoque edit. Complut. ὀγδοηκονταπέντε ἄνδρας, *octogintaquinque viros:* sicut etiam Chaldæus. Ald. tamen, & Rom. editio habent, τριακοσίους καὶ πέντε ἄνδρας, *trecentos & quinque viros*, quam ego multitudinem miror cur tantoperè auxerint: nisi
D fortè his, qui coram Rege interfecti feruntur, tot in vrbe superfuisse Septuaginta aliunde didicerint: aut, quod verisimilius est, non errore interpretum, sed describentium negligentia factum sit, vt cæsorum summa cresceret. *Vestitos ephod lineo.*] Chaldæus, *qui idonei ad vestiendum ephod byssi.* Et Vatablus in Schol. Non quòd tum ferrent quum interficerentur, sed quòd essent in ea ætate, eoque ordine vt ferre possent, hoc est, vt ministrarent in sacerdotio Domini. Alius, *gestantes amiculum lineum.* functionem sacram obeuntes, ad quam amiculo lineo solebant tegi: quam lex tunicam appellat Exod. 28. 40. & 41.

Variæ translationes.

Conuertere tu, & irrue in Sacerdotes.] Iubebat lex, vt qui reum condemnassent suo testimonio,

Et trvcidavit, &c. nio, primi eumdem lapidibus peterent. *Et conuersus irruit.*] Legimus apud Pausaniam in A Achaïcis:

Paufanias.

ἐστὶν ἄρ᾽ ἢ καὶ πῦρ ἐς πλεῖον ἄλλου πυρὸς αἴθον,
Καὶ λύκος ἀγριώτερος λύκου ἄλλου,
Καὶ ὠκύπτερος ἱέρακος ἱέραξ πέτεσθαι.
Et ignis est alio magis qui vrat igne.
Lupisque sanior lupus est alijs,
Accipiter ocius accipitre volat.

An non idem hunc reliquis satellitibus exprobrasse censes, quod alter quidam apud Senecam in Hippolyto Act. 2.

Trepidamus? haud est facile mandatum scelus
Audere. Verum iusta, qui Reges timet,
Deponat, omne pellat ex animo decus.
Malus est minister Regij imperij pudor.

Et trucidauit in illa die octogintaquinque viros.] Hanc Sacerdotum funestissimam necem, qua B Deus, vt erat comminatus, illatam sacris iniuriam ab Heli filijs, à patre autem dissimulatam vlcisci voluit: sanctus Bachiarius Monachus, qui Augustini tempore vixit, in meliorem partem interpretatus est, ac pro martyrio duxit, in ea epistola, quam de recipiendis ad Ianuarium scripsit. Solet, inquit, percussus miles in primo certamine, in secundo fortius dimicare, & contra percussorem suum magis iratus insurgere. Ecce in seculi fine consistimus: instant pro Christi nomine prælia passionum. Quid mirum si ille, quem fornicationis hasta percussit, in passionis congregatione superauerit? Quid, si victor fuerit in martyrio, quem vicerat incontinentia & libido? Nonne sic fecit ille Nazaræus ex repromissione natus? &c. quæ ad Samsonis historiam Iud. 16. pertinent. C Postea subdit: Sicut enim illa Sacerdotalis familia, de Heli cognatione descendens, cui iurauerat Dominus, vt nullus de ipsis ante faciem eius assisteret, eò quòd grauibus peccatis Dominum prouocasset: Nonne omnis illa cognatio, pro Dauide, à Saule refertur occisa? Et quid est hoc, nisi forma martyrij, vt quos graue peccati crimen inuoluerat, mors pro Christo illata liberaret? Hæc sunt beatorum voluminum sacra mysteria. Sic vasa nequaquam figulus ille patitur interire, qui etiam ea confracta, & in lapidibus illisa redintegrare posse se dicit, &c. quæ habes Biblioth. sanctorum Patrum, Tomo tertio. Itaque quod suprà cap. 3. ver. 14. dictum erat, nequaquam *flagitium illud victimis expiatum iri*, de bobus, & hircis, & D arietibus intellectum oportuit: proprio autem sanguine, si quid hactenus maculæ inhæsisset, pro iustitia morientes eluerunt.

S. Bachiarius.

Martyres hos fuisse censet S. Bachiarius.

Trucidauit.] Nec mirum: nam qui minus aliquod scelus fecit, audebit etiam maiora, si detur facultas. Iste Doëg Sacerdotem prius lingua confecerat: nunc occidit gladio. Hæc perpetua est nota inter pios & impios. Pij mites & mansueti sunt, & si quid acciderit iniuriæ, facilè reconciliantur: impij verò nunquam verè & candidè redeunt in gratiam: semper caput & sanguinem petunt. *Accinctos ephod lineo.*] Hoc est, eo ipso tempore reipsa versantes in ministerio. Lineū dixit, ad discrimen ephod Pontificij. Occidit ex genere Sacerdotali alios

prætereà multos: sed isti erant præ cæteris insignes, quod cum sacro munere fungerentur: quos Rex accersi iusserat, propterea quod panum propositionis, & tabernaculi mentio à Doëg facta fuerat; vt quicumque eo tempore ministrarent, proditionis conscij viderentur. Occidit ergo homines primùm inermes, deinde consecratos Deo, postremò illos, quibus etiam in bello ab hostibus parci solet. Iosephus ait, Saulem prorsus voluisse spoliare tabernaculum: itaque cum non tantùm occidisse Sacerdotes, sed etiam ciuitatem ipsam Noben, in qua collegium erat & schola, perdidisse. Hoc autem erat seminarium Synagogæ prorsus tollere. Hoc scelus, quo maius videretur, Scripturæ distributiùs proposuerunt. Ita enim legitur: *pueros, senes, mulieres, lactantes, boues, asinos, armenta, greges.* In Nobensi ciuitate erat Ephod, & Tabernaculum. At Saul ne illi quidem loco parcit, quem Deus delegerat ad cultum nominis sui. Hic ille, videlicet sanctus vir, qui antè contra mandatum Dei pepercit Agag, & gregibus; nunc nec armentis, nec pueris, nec senibus, nec mulieribus, nec lactentibus in animum inducit parcere. Nunc ergo se satis prodit, quo animo fuerit antea.

Et trvcidavit, &c.

Sed quo consilio ita sæuit Saul? Videtur velle edere specimen aliquod odij sui erga fautores Dauid; vt intelligerent, quid sibi quoque expectandum esset, si pergerent. Sed non propterea perterriti homines pij, quo minus Dauidi studerent: nonnullis etiam ea res sponte currētibus calcar addidit, dum suspiciosi Principis odium timent, & falsis delationibus opprimi verentur. Quamobrem prudenter admodum Augusto Liuia apud Dionem Cassium lib. 55. Ego enim ita iudico, plus clementiam, quàm sæuitiam proficere. Nam misericordes, non ij tantùm, quibus delicti gratia facta est, caros habent, ac gratiam referre student: sed reliqui etiam omnes reuerentur, ac colunt; ita vt nemo eos deinde lædere ausit. At eos, qui ira inexorabili vtuntur, non modò od o habent ij, qui sibi metuunt: sed cæteri quoque infensi, insidijs structis suam perniciem euitare statuunt. Viden' vt medici rarissimè sectiones & ignes adhibeant, ne ipsa videlicet vitia corporis magis exasperent; pleraque autem humectationibus ac lauacris, & mitibus medicamentis molliunt, ac sanant. Neque enim putandum est, quòd hæc corporum, illa animorum sunt vitia, ideò esse inter se dissimilia. Etenim etsi animi hominum incorporei sunt, tamen multa habent cum corporum natura conuenientia: contrahuntur metu, turgent ira, dolore minuuntur, audacia inflantur, vt non multùm à corporum natura differant, atque eamdem ferè sanationem requirant. Nam sermo lenis ad aliquem habitus, omnem fremitum laxat; contrà asper remissum etiam ad iram concitat: venia data ferocem etiam quemque placat; supplicium vel mitissimos animos exasperat. Violentæ enim actiones, vt sint omninò iustissimæ, irritant; mansuetæ placant. ideóque faciliùs persuadendo quispiam,

Dio Cassius

Clementiæ laus.

ET TRVCIDAVIT, &c.

quàm cogendo eò adducitur, vt vel grauissima subeat. Quod adeò est natura comparatum, vt brutorum quoque animantium multa robustissima alioquin, & ferissima, blandiendo cicurentur, inescandoque perdomentur; alia timidissima, atque imbellissima male habita, ac territa, ad iram concitentur. Hactenus Liuia apud Dionem.

Quàm periculosa sæuitia.

Certum est, tametsi primùm crudelitatis opinio hominum frangat audaciam, & tormentorum metus à rebus nouandis absterreat, illum tamen sensim languescere, & grauioris iugi impatientia iterum animos accendi: qui si semel periculi formidinem à seipsis excusserint, tum nullis deinceps habenis cohiberi poterũt. Nam trepidatio & pauor, vbi malum præsentius vrget, locum desperationi cedit, qua mentis perturbatione nulla ferocior, & ad quiduis B etiam sine spe tentandum paratior: quæ non rarò etiam mulieres telis obuijs instruit, & tumultuario certamine cum armatis militibus committit. Sanè non ignobilis Poëta cecinit:

Vna salus victis nullam sperare salutem.

Ælianus.

Ælianus Var. Histor. lib. 14. cap. 22. cuiusdam Tyranni meminit, quem plebs edictorum sæuitia penè acta in rabiem, ad extremum sustulit. Tyrannus, inquit, quidam Tryzus, volens omnes coniurationum & insidiarum contra se vias intercludere, legem suæ regionis incolis posuit, vt nemo cum altero, neque priuatim, neque publicè sermones misceret: quod fuit grauissimum, miniméque ferendum. Itaque dolo Tyranni mandatum eluserunt, & oculorum manuumque gestibus, & nutu animi sensa mutuò significabant, & accipiebant. C Aliàs igitur acerbo vultu sese inuicem intuebantur, aliàs placato, faciéque læta, atque ex vniuscuiusque superciliorũ contractione perspicuum erat, eum tristem & intolerandum rerum statũ indignè ferre, animi affectione per vultum ei cum quo erat declarata, & ostensa. Sed hæc etiam Tyrannum commouebant, quòd existimaret silentium quoque propter varietatem gestuum, & commutationem vultus prorsus mali quid sibi moliturum esse. Proinde etiam illud lege sustulit. Quidam itaque desolationem illam ægrè molestéque patiens, & cupiditate dissoluendæ tyrannidis permotus, in forum progressus est: ibi stans, multùm & feruidè lacrymatus est. Quem mox circumsistit confluens omnis multitudo, quibus etiam ipsis in D fletum ac luctum erumpentibus, res ad Tyrannũ delata est; Neminé quidem nutibus vti, ac lacrymas frequentes emitti. Qui festinans, vt & illud prohiberet, neque solùm linguam nutusque seruitute constringeret, sed etiam oculis à natura tributam libertatem eriperet, quanta potuit celeritate, pedes cum stipatoribus & satellitibus accurrit, vt lacrymas sedaret. At illi, cùm procul venientem vidissent, eripientes arma satellitibus, Tyrannum interfecerunt.

Vestites ephod lineo.] Verisimile est, si quidé isti stola byssina vestiti fuerint, ita & Pontificé suo cultu indutum fuisse? Qui fieri itaq; potuit, vt non illum Saul revereretur? S. Leonem Atti-

A la tametsi ferox & insolens reueritus est, & victoriæ modum imponens, furentem exercitum in patriam reportauit. Alexander tametsi rebus secundis elatus, & Iudæorum genti ob denegatum commeatum infensus, infestis signis Hierosolyma peteret, vt primùm tamen candidatum populum vidit, & Sacerdotes ante agmen in amictu byssino, Pontificemque in stola hyacinthina auro distincta, tiaram in capite gestantem cum præfixa aurea lamina insculpta Dei nomine, deposita ferocia Deum in suo Pontifice adorauit. Autor Iosephus lib. 11. cap. 8. Itane demùm barbaris & infidelibus truculentior Saul euasit? & erit inuidia Gentilium superstitione atque immanitate deterior habenda? Tradit. Hebraïcæ in 1. Reg. In Hebræo habetur, *portantes ephod lineum.* Aiunt Hebræi non omnes ephod lineum portasse, sed tales eos fuisse, qui vtique digni & idonei essent ad portandum ephod. Hanc sententiam suprà Vatablus sequutus est. S. Theodoretus quæst. 53. in 1. Regum. Adiectum est autem, *Omnes portantes ephod*, ad maiorem reprehensionem eius qui id ausus est. Non erant enim Leuitæ, sed ex Sacerdotali radice genus ducebant. Hæc ille. Atqui Samuël, cum Leuites esset, & non Sacerdos, dicitur tamen suprà cap. secundo, *accinctus fuisse ephod lineo.* An fortè is tantùm accinctus fuit, hi verò etiam vestiti erant, quo pacto magis accederet ad lineam tunicam? Illic sanè Samuël חָגוּר *hhagour, accinctus* dictus est: hic Sacerdotum turba נשא *nose, portans ephod* scribitur. Et Dauid 1. Paral. cap. 15. ver. 27. indutus fertur *stola byssina.* si tamen idem est quod mox sequitur, *indutus erat ephod lineo.* Itaque Iosephus obseruat Antiquit. Iudaïcar. lib. 20. cap. 8. tunicam quidem lineam solis Sacerdotibus lege concessam, tandem etiam Leuitas Cantores Agrippæ Regis priuilegio vsurpasse. Interea, inquit, Leuiticæ tribus homines, quorum erat sacros hymnos in templo canere, adito Rege induxerunt cum precibus, vt aduocato Concilio decerneret eis vsum stolæ lineæ, (λινῆν στολὴν vocat) quæ tum solis erat concessa Sacerdotibus. Hanc enim nouationem pertinere ad famam principatus sui sempiternam. Neque frustrà fuit eorum postulatio. Rex enim de Concilij sententia permisit hymnorum cantoribus, vt deposito priore habitu, lineum, vt voluerunt, sumerent. Aliam etiam eiusdem tribus partem addictam Templi ministerijs, ipsorum precibus motus, permisit sacros hymnos canendos ediscere: quæ omnia fiebant contra instituta legis patriæ, numquam violatæ absque piaculo. Hactenus Iosephus.

Iosephus. *S. Theodoretus.* *De Ephod, & tunica byssina.* *Iosephus.*

Linum porro Hebræis בד *bad* dicitur, vti iam nos suprà cap. 2. ver. 18. sancto Hieronymo autore docuimus. בַּדִּים *badim* num. plural. *vestes lineæ*, politæ, & leuigatæ. Ita legimus Ezechielis cap. 9. ver. 2. *Et vir vnus in medio ipsorum indutus.* בַּדִּים *badim, lineis.* Targum, לְבוּשִׁין *lebouschin, vestibus.* sup. lineis. *erat linteatus.* Ductum volunt à בָּדַד *badad*, quod est, *solitariè egit*, aut vixit, siue solus & vnus fuit; quod linum à caule seorsum excrescat, nec in ramos spargatur.

De lino, lineisque vestibus, quibus Sacerdotes vsi sunt.

VESTITOS EPHOD, &c.

tur. Denotat autem lini ſpeciem candidiſſimi, cuius vſus fuit in ſacris veſtibus. Vt erat Sacerdotum illud vetus vmbra futuri, ita videtur eius veſtis etymologia cœlibem noui teſtamẽti Sacerdotum vitam adumbraſſe. Targum בוץ *bous* ſiue *byſſum* vertit lxx. βαδ legunt, decepti, vt aiunt, literarum ד & ר daleth & res ſimilitudine. Miror cur ipſi potius decipi, quam nos ipſi, potuiſſe videantur. Alioquin verò vocis ipſius etymologia myſterio plurimum facit. Nam ברר *barar*, ſiue בר *bar*, *clarum*, mundum, terſum, ac politum eſſe ſignificat: quod in linum optimè quadrat. Metaphoricè autem purum, ſanctum, ac veracem deſignat: quibus nihil magis Sacerdoti conuenit. Apocalyp. cap. 19. ver. 8. *Et datum eſt ei vt cooperiat ſe byſſino ſplendenti & candido. byſſinum enim iuſtificationes ſunt Sanctorum.* Exodi cap. 28. ver. 39. & 40. Sacerdotum tunica dicitur כתנת *kethoneth*, ſiue כתנת *kuthneth*. Græcis χιτών. כתון *kiton* autem Rabb. Chaldæis כתן *kethan*, Syris כתנ *kithan*, Arabibus *kitin*, Latinis *linum* eſt, ſiue *linteum*.

Cœlius. Linũ quam ob cauſam viſum ſit Sacerdotibus conuenire.

Linum autem, vt colligit Cœlius Lect. Antiq. lib. 5. cap. 12. diuinæ rei maximè idoneum inde iudicatur, primùm, quòd ex immortali, vt veteres loquuntur, terra prodit. Fructum quoque eſui non ineptum edere videtur. Veſtem autem puram omninò præbet, & frugi, nec geſtanti oneroſam, ac tempori cuilibet peraccommodam, nec φθειροποιὸν, id eſt, pediculos producentem. Iſiacos item Sacerdotes lineas veſtes ferre, coloris eius ratione, quem floreſcens linum mittit, æthereæ ac gratæ pulchritudini mundum continenti perſimilem. Sed verior Platonis ratio, quòd purum impuro tangere ſit nefas. At ciborum ſuperfluitas nulla pura, ſynceraque eſt: lanas autem, villos, vngues eſſe, pullulareque ex ſuperfluitatibus quis non nouit? Plura habet Plutarchus Tomo 1. Moral. in lib. de Iſide & Oſiride, cur Sacerdotes Ægytij veſtibus lineis vterentur.

Plutarch.

Hanc quoque materiam, velut Philoſophiæ, rerumque diuinarum contemplationi maximè propriam, olim Pythagoræi delegerunt. Qua de re Tyaneus olim Apollonius, cùm eſſet apud Domitianum Imperatorem accuſatus, hanc apud ſe defenſionem parabat, vt autor eſt Philoſtratus in eius vita lib. 8. cap. 3. Verumenimuerò, ſi quis animati & inanimati rationem auferat, ob quæ purus quis, aut impurus videri poteſt, quid in ſe præclarius habet lintea, quàm lanea veſtis? Hæc enim ex animali manſuetiſſimo nata eſt, circa quod etiam Dij laborauerunt, quandoquidem paſtores eſſe non ſunt dedignati. Et certè aurea ſpecie quandoque dignam lanam putauerunt, ſiue dij, ſiue fabulæ aut eum vellus alicubi fuiſſe dicentes. Linum verò ſeritur vtcumque euenit, auri verò circa illud nullus eſt ſermo: ſed quoniam ab inanimato decerpitur, purum quidem Indis, purum etiam Ægyptijs eſſe videtur. Et propterea Pythagoræ primis, deinde etiam mihi hoc ipſum in veſtem aſſumptum eſt, quàm conuenire nobis putauimus, tam diſputãtibus, quam orantibus, atque ſacrificantibus. Purum quoque arbitrati ſumus in lintea veſte pernoctare: nam ſomnia manifeſtiores ſignificationes oſtendunt iis, qui ſicut ego viuunt. Hæc ille Magus, qui fidem habuit Pythagoræ ſomnijs de animarum in plura corpora trãſmigratione. Alias etiam lineam veſtem vocat puram è puro natam, aquæ tellurisque donum. Linum porrò Oneirocritis, ſiue ſomniorum interpretibus, ferè laborem deſignat: tametſi nonnunquam etiam ſpem, & nuptiarum, atque initæ ſocietatis conſtantiam ſignificare videatur. Lege Artemidorum Oneirocr. libro primo, cap. 70. quo loco eorum etiam quæ clara fiunt, reuelationem innuit; quòd lino ſcilicet fidiculæ & lora fiant, quibus quæſtio exerceatur. Et lib. 3. cap. 60. Item Achmetem de Indorum, Perſarum, Ægyptiorumq; ſententia, cap. 222. Quo loco præterea hæc habet: Εἰ δὲ ἀπὸ ξύλων ἴδῃ τὸ λίνον ἀναβαῖνον, θλῖψιν ἀναλόγως εὑρήσει. Si linum cum ſuis lignis videre viſus fuit, cruciatum his reſpondentem inueniet. Quale lignum narrat, aut quid habet planta debilis commune cum robore? Hadrianus Iunius libro quarto Animaduer. cap. 29. hos verſus interpretans Gratij Poetæ κυνηγετικῶν autoris,

Artemidor.

Achmes.

Grati' Virgilio æqualis Cynegetic., ſiue de Venatione ſcripſit Hadrianus Iunius.

Vix operata ſuo ſacra ad bubaſtia lino,
Velatur ſonipes æſtiui turba Canopi.

Quibus innuit ægrè tantum lini ſuppeditari in aruis Ægyptijs, quantum ad veſtes & indumenta Sacerdotum Iſiacorum ſufficiat, qui in morem Saliorum tripudijs per vrbem ferebantur, ſiſtriſque perſonabant, quos propterea Sonipedem turbam appellat: Sciendum eſt, inquit, fruticem illum, qui regno Neapolitano lætiſſimos prouentus hodie dat, olim vni Ægypto familiarem, bombycem lanuginemue netilem dediſſe, cuius candor inimitabilis, nec æmula vſquam mollities fuiſſe prædicatur: goſſypion xylónue nominant: vnde veſtes Sacerdotibus Ægypti gratiſſimæ conficiebantur. Hæc ille: qui non aliud candidiſſimum illud linum fuiſſe putat, quàm goſſypion: illud nos *cotton* vocamus. Attamen Beniamin in itinerario de lino Ægyptio ſcribens: Incolæ, inquit, Sorihat linum ſerunt optimum; & retia, ſiue conopea texunt: atque hæc merx per totum orbem diſtrahitur. Et Exodi cap. 9. ver. 31. videtur Moyſes linũ haud diſſimile noſtro Ægyptijs tribuere. *Linum ergo*, inquit, *& hordeum læſum eſt, eo quod hordeum eſſet virens, & linum iam folliculos germinaret: triticum autem & far non ſunt læſa, quia ſerotina erant.* Quibus verbis, reliquis ſegetibus linum annumerat, non autem arboribus: fieri tamen poteſt, vt vtroq; abundarent. Iuuenalis à linea veſte linigerum gregem Sacerdotum vocat. Et Ion Poeta in Phœnice, Ægyptum λινοστόλον vocat, quòd longas veſtes lineas trahat. At notandum illud apud Plutarchum prouerbium: Οὔτε πωγωνοτροφίαι καὶ τριβωνοφορίαι ποιοῦσι φιλοσόφους, οὔτε λινοστολίαι καὶ ξυρήσεις Ἰσιακούς. id eſt: Vt neque barba, neque pallium Philoſophos facit: ita neque Iſiacos, ſiue Sacerdotes linea amicula, aut raſura. Sed de his iam ſatis.

Beniamin.

Nobe autem ciuitatem Sacerdotum percuſſit in ore gladij.] Quid itaque mirum ſi ram infelicem

VIROS AC MVLIERES &c.

Suidas

Sacrilegij dira planè vltio.

exitum Saul demùm sortitus est? Suidas in voce Ἀναγυράσιος, meminit cuiusdam senis, qui cùm Anagyri Herois sacrum lucum excidisset, eidem pœnas dedit acerbissimas. Nam Heros, inquit, pellicem illius impulit, vt filium eius ad insaniam vsque amaret, ac deperiret. Quæ cùm illi puero concubitũ persuadere non posset, eum vt impudicum, intentati stupri nomine apud patrem est criminata. Ille verò ipsum oculis priuauit, & intra parietes domi structos conclusit. Postea verò & ipse pater se suspendit, & pellex in puteum se præcipitem dedit. Quid Saul? genero necem machinatus est; filium penè hasta confecit. Pythonem cõsuluit; & nouissimè post filiorum cædem, ipse sibi manus attulit. Quàm beatum contra Hieronem Syracusarum Tyrannum idem prædicat? Ciuium, inquit, nullum occidit, nullum exilio mulctauit; nullum molestia affecit. Cùm autem annos liv. regnasset, patriæ quidem pacem conseruauit, sibi verò principatum insidiarum expertem beneficentia communiuit, & inuidiam excellentiæ comitem prudenter effugit; ita vt cùm sæpius instituisset principatum deponere, ne hoc faceret, à ciuibus publicè prohibitus sit. Omnes præterea sensus, & corporis partes illæsas, annos quos vixit xc. conseruauit. Idem Suidas in voce Ἱέρων.

Herodot. Puer blando risu carnificum ferociam superat.

Viros, ac mulieres, paruulos, ac lactentes.] Narrat Herodotus lib. 5. Cypselum, qui postea Corinthi tyrannidem occupauit, cùm ad necem infans quæreretur, ætatis commiseratione, ac blanditijs mortem euasisse. Ignara mater, cùm beneuolentiæ gratia posci crederet, percussoribus tradiderat: illis autem inter eundum conuenerat, vt qui primus puerum cepisset, illum humi allideret. At cùm puer illaturo mortem blandè arrisisset, flexit ad misericordiam; ita vt ab eius cæde abhorrens, alteri porrigeret. quem cùm infantis quoque miseratio subijsset, tertio exhibuit: & tertius item quarto: denique singillatim omnes, donec à decimo incolumis matri redditus est. Quos cùm animaduerteret foras egressos, de ea re habere inter se quæstionem, verita ne fortè eos indulgentiæ pœniteret, & domum repetentes, scelus complerent, in frumentaria mensura, quam cypselam dicunt, occuluit: vnde & factum puero nomen. Verùm hìc neque latebris, neque Rege internecionem vrgente, vllus miserationi locus relictus est. Solebant veteres, inquit Suidas in [illegible], in eorum, quos occiderant, capitibus gladios abstergere, vt expiantes piaculum in cæde commissum. Inde ἀποτροπιασμὸς, expiatio, & ἀποτρόπαιον, quasi dicas auerruncamentum, mali detestatio, atque depulsio. Videtur planè Saul parentum necem prolis strage atque interitu expiare voluisse, ita diligenter rem perficit. An putat delendis posteritatis vestigijs, sceleris quoque memoriam obliterandam esse?

Suidas.

Causas cur Nobe euersa fuerit, non dubitandum est fuisse iustissimas: sed illæ reconditæ erant in thesauris Dei. Cur autem familia Heli extincta fuerit, diximus antea. Sed de illis causis Saul nihil cogitauit. Facit hic Saul apertè contra munus suum: Reges enim tueri debent populum, non perdere: maximè verò Sacerdotes, qui Dei ministri sunt, & Regum quodammodo patres. Sed quid dicemus de infantibus pueris, qui vnà occisi sunt? Hi soli videntur asseri posse criminis expertes. nam etsi labe originis nascentes contigit inquinari, mox tamen ea mysterio Circumcisionis deleta est. Respondeo Martyrij prærogatiua, quam singulari beneficio Deus illis contulit, nullam pueris iniuriam irrogari. Perinde enim de his statuendum iudico, atque de Bethlemitis Innocentibus: *quos ipso lucis in limine Christi insequutor sustulit, ceu turbo nascentes rosas.* Nam illos quidem Herodis furor leto dedit, quod fuga sibi Christus consuluisset: hos Saulis iracundia perdidit, quod Dauid elapsus esset. Neutri quidem per ætatem alterutrius conatum iuuare potuerunt: sed eius ratio habenda est, non quod fecerunt, sed quod passi sunt. Cuius causam si diligentius explores, eamdem vtrorumque alleuerabis. Neque enim tum illum Dauid Saulem fugiẽs, quàm Christum Herodis tyrannicam vim declinantem repræsentauit. Itaque si Deum spectes, magnificè pueris istis prospexit. At Saulis atrox & crudele factum quis excuset? Cuius feritas & sæuitia ne imbecillis quidem ætatis & innocuæ supplicio exsatiari potest, etiam passim in bruta sæuit.

VIROS AC MVLIERES &c.

Imbellis ætas, quæ culpa caruit, haud dubiè martyrij palmã tulit.

VERSVS XX.

Euadens autem vnus filius Achimelech, filij Achitob, cuius nomen erat Abiathar, fugit ad Dauid.

VERSVS XXI.

Et annunciauit ei quod occidisset Saul Sacerdotes Domini.

EVadens autem vnus Abiathar.] Vnde euadens? è strage Nobensi: Non enim simul cum patre & reliquis Sacerdotibus ad Saulem profectus erat, sed domi relictus: siue hoc pater statuerat, vt esset qui penè desertam vrbem tueretur: siue quòd præter solitum vnà cum reliquo globo vocatus Achimelech, nonnihil mali suspicaretur, & vellet filio prospicere: siue quòd per ætatem necdum idoneus esset, qui Sacerdotum choro annumeraretur, aut certè necdum vnctus & sacris initiatus esset. Hic igitur vt primùm paternæ cladis & reliqui generis famam accepit, fugam adornat; & rapto confestim Ephod Pontificio, Doëgo, atque vrbis excidio præuertit. Etsi verò reliquo cultu Pontificio verisimile est ornatum Pontificem ad Saulem accessisse, non tamen Ephod illud, cui à pectore rationale duodecim gemmis distinctum insertum erat, secum habuit, quod illud extra Sanctuarium non nisi ad consulendum Dominum adhiberetur. Iosephus sanè, vt suprà

Quo pacto Abiathar euadere potuerit.

EVADENS AVTEM, &c.

suprà retuli, cùm Iaddum Pontificem describit Alexandro Regi occurrentem, tiaræ quidem meminit, & tunicæ hyacinthinæ: at de Rationali ne verbum quidem fecit: quod tamen si adesset, multiplici flore colorum, lapillorumque micantium fulgore Regem admiratione defigeret. Sed & illud quoque credibile est, cùm palàm Saul, & frequenti Ducum, stipatorumque corona septus, de Dauide conquestus esset, & palàm quoque Doëg Pontificem accusasset, nuntium, qui ad eum accersendum allegatus erat, secretò docuisse, irato, atque infenso animo Regem in eum esse, quòd Dauidem profugum subsidio iuuisse diceretur, quem Rex perditum vellet: nec Pontificem animum despondisse, quòd certò crederet eidem innocentiam suam nullo negocio probaturum. Neque verò satis tutum fore duxit, si detrectaret imperium, aut excusationem moræ prætexeret, quòd ea res coniurationis cum Dauid initæ fidem factura esset, & tum, quod Regi præsente exercitu facile fuit, iure in eos sæuire videretur. Videretur enim eo pacto præoccupaturus facinus, & incendij fomitem restincturus: quod nisi maturè oppressum esset, flamma ciuilis belli vniuersum regnum corriperet. His adde, quod nec sine seruitijs reuerendus ille Sacerdotum chorus ad Regem se contulit, sed stipatus, vt decuit, necessario famulitio, è quorum grege, vt apparet, quispiam, siue insperata clade attonitus, siue de herilis filij salute sollicitus, contento cursu viam relegens, eumdem impendentis ruinæ priùs admonuit quàm vrbem sicarius inuaderet: atque ita maturè sacrilegi parricidæ crudelitati illusit.

Euadens, inquit, *vnus:* non enim plures seruati sunt. Cùm Herodes fureret, & in puerorum cæde baccharetur, vnus tantùm Christus elapsus est. Abimelech Iud. 9. cùm septuaginta viros, filios Gedeonis, occideret super lapidem vnum, vnus tantùm Ioatham carnificem fefellit. Athalia cùm Dauidis regiam stirpem ferro demeteret, & studiosè cunas vagientium perscrutaretur, vnus tamen Ioas sororis studio seruatus est. Pharao cùm Hebræorum infantes letalibus vndis demergeret, vnus tamen Moyses iam flumini datus ad certum naufragium, morti ereptus est. Lege S. Iob historiam, cùm Sabæi Chaldæique armenta eius diriperent, seruosque interimerent, ipsum quoque cælum tactas oues cælesti igne absumeret, procella denique quassatis ædibus filios eius tecti mole obrueret, semper tamen vnus quispiam [illegible] superstes mansit, qui eidem acerbissimi [illegible]cij autor esset. Sed & graue illud incendium quod Num. cap. 16. ver. 35. seditiosum [illegible] & ducentos schismatis asseclas hausit, [illegible] tamen Core pepercit, nec illos flamma violauit. Pereunte Sodoma, Abrahami nepos li[illegible] permissus est. Noe, cùm reliquus orbis cataclysmo sorberetur, immensam aquæ vim arcæ præsidio superauit. Ita ferè solet Deus, cùm maleficiorum pœnas ab aliquo genere reposcit, stirpis aliquod germen relinquere; vt si fortè posteri è barathro paternæ impietatis emerserint, & ad meliorem frugem se receperint, ad pristinam dignitatem reuocet; & alios eorum exemplo doceat, non se genus aliquod hominum odio prosequi, qui omnes condidit, sed improborum mores & vitia insectari. At contrà homines, cùm nihil suum in alijs agnoscant præter formæ ac vultus similitudinem, si qua iniuria ab ijs affecti sint, totos oderunt. Non enim habent naturæ communis rationem: sed perinde vt quisque in eos affectus est, & conatus, actionesque suas, quæ à voluntate manant, ad eorum vtilitatem confert, ita odio & amore dignum iudicant: nec illud spectant, voluntatem, cùm sit vicissitudini obnoxia, resipiscere, atque emendari posse: naturam ipsam manere perpetuò bonã, etiam cùm voluntas scelere deprauata est, atque adeò nobis ipsis esse posse vtilem, si ab inerti & flagitiosa consuetudine ad melioris vitæ propositum traducatur. Apud Herodotum Crœsus Lampsacenis mandat, ni pareant, se illos instar pinus extriturum. Dubitantibus Lampsacenis quid hæ sibi minę protenderent, senex quidam belli ac vastitatis periculum illo ænigmate denuntiari respondit, pinum inquiens ex omnibus arboribus solam esse, quæ excisa, nullam sobolem emittat, sed prorsus emoriatur. At contrà, *Vigil* ille & *sanctus* cùm apud Danielem cap. 4. è summo æthere clamasset, *Succidite arborem, & præcidite ramos eius:* quam arborem Daniel ipsum Regem Assyriorum interpretatus est, mox addit: ne pœnitenti veniæ spem auferret, *Veruntamen germen radicum eius in terra sinite.* Et Esaiæ cap. 1. ver. 9. *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus.* Sed & ipsi Heli, cùm stirpis suæ interitum minaretur, illud tamen pollicitus est: *Veruntamen non auferam penitus ex te virum ab altari meo.* Huius nunc promissi autoritate, Abiathar fugam capessit, & Dei fidem liberat.

Filius Achimelech.] Hinc iure successionis postea Sacerdotij principatum obtinuit. Tandem tamen ob crimen majestatis, à Salomone rus ablegatus, fungi eo munere desijt. Et fuit quidem Abiathar priuatim Pontificis filius, cæteri consanguinei, & ex eadem familia orti: erant enim omnes posteri Ithamar, qui secundùm Eleazarum princeps eius generis fuit. Neque enim Heli dumtaxat sobolem deletum iri Deus prædixerat: sed vnà quoque patris eius familiam infando exitio perituram. *Ecce*, inquit, *dies veniunt, & præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui, &c. Brachij* nomine florem generis, & præstantissimos quosque eius gentis Sacerdotes intelligens, qui tum vnà cum Pontifice in Nobe morabantur. Sed cur *brachium patris tui?* Quàm certa ratione fieret, vt parentum scelera nati non rarò Deo iudice suo supplicio luerent, accuratè dudùm inuestigauimus. At verò cur peccantibus filijs patres plectantur, non ita facilè videtur explicari posse. Dices, quòd eorum exemplo deprauati sint, dum eorum vestigijs insistunt, & similia studia sectantur: quòd eos negligenter habuerint, nec quibus decuit artibus ad virtutem instru-

Deus, cùm [illegible] aut [illegible] vl- [illegible] fi- [illegible] per [illegible] [illegible] he- [illegible] or [illegible] detere [illegible] Iob c. 1.

Ratio vtriusque.

Herodot.

Per brachiũ patris, etiã reliqua cognatio intelligitur.

EVADENS AVTEM, &c.

FILIVS ACHIMELECH &c.

xerint: quòd eorum petulantiam & iuueniles æstus tempestiua animaduersione non represserint: quod facilitate sua, aut etiam blanditijs eorum intemperantiam fouerint, audaciam aluerint: quibus omnibus non magis flagitiorum participes, quàm autores filijs fuisse videntur. Esto igitur, ob hæc & similia in filiorum delictis parentes iure plectantur. Sed quid Ithamar aut fecit, aut commeruit, qui longè antè lumine cassus est, quàm hi in lucem prodirent?

Eidem culpæ cæteri quoque Sacerdotes eius stirpis affines fuisse videtur.

Non arbitror hoc loco patris nomen eo consilio additum, vt dare pœnas filiorum nequitiæ intelligeretur: sed amplificandi criminis gratia, vt Heli intelligeret eam esse nefandi sceleris magnitudinem, vt filiorum sacrilegij vsque ad proximos sanguine castigatio redundaret. Contagiones enim malorum à paucis profectæ manant latius, & ad plures pertinent. Præsertim verò corruptelis Principum, & palàm propositis peccandi illecebris, reliquorum mores citò inficiuntur. Ex quibus colligo, plerosq; eius ætatis Sacerdotes cum filijs Pontificis sacrilegij atque libidinis societatem coïuisse. Neque enim si soli delinquerent, reliqui rite atque ordine suo munere fungerentur, tanta futura erat Religionis perturbatio, vt propterea homines à sacrificijs abhorrerent. Deinde, si nemo eorum gulæ atque impudicitiæ faueret, citò pudore atque verecundia à flagitijs auocarentur. Adhæc reliqui monerent populum ab ijs abstinerent, neque cùm rem sacram facere vellent, ad eos accederent, aut eorum ministerio vterentur. Denique si pluribus animus non deesset, sed essent, vti decuit, studio pietatis incensi, paucos autoritate sua compescerent: præsertim verò cùm nacti essent Pontificem ijs moribus, qui à turpitudine & maleficio abhorreret. Sed reliqui scilicet, aut cupediæ vitio sacrilegio consentiebant, quod futuri essent delitiarum participes: aut priuatim suæ conscientiæ testimonio contenti, sacrorum pollutionem susque deque ferebant: aut etiam postremò, tametsi quæ fierent, auersarentur animo, potiùs tamen quam in eorum offensionem incurrerent, numinis iniuriam dissimulandam censuerũt: quæ ignauia non potuit non vehementer diuinam iracundiam prouocare. Quamobrem, cùm fuerint, vt apparet, affines culpæ, quid mirum si Deo par quoque supplicium eorum posteritas soluit. Neque tamen, si fortè posteri scelerum immunes fuerunt, ea ratio quicquam eorum innocentiæ officere potuit, quominus martyrij coronam sua constantia reportarent. Non enim inuecta à Deo calamitas, & accepta ab immiti rege iniuria, reos illos constituit: sed contrà pugnandi pro iustitia, vincendique materiam subministrarunt. Neque enim aliam ob causam Saul eorum cędem imperauit, quàm quòd officio erga Dauidẽ functi essent. Quod cùm iure fecissent, & ex præscripto legis, & supremam quoque necessitatem constanter tulerint: quis dubitet iustitiæ laurea meritò esse donandos? Fatentur Machabæi fratres, Iudæos improba viuendi consuetudne tantùm sibi mali consciuisse. An quisquam illis propterea immortalis gloriæ, quam pro patrijs legibus mortem oppetendo fortiter consequuti sunt, meritissimam famam denegat?

FILIVS ACHIMELECH, &c.

Abiathar tum adolescens fuit, vt pote qui post annos 40 à Salomone iussus sit domum se recipere.

Filius Achimelech, filij Achitob, cuius nomen Abiathar.] אֶבְיָתָר *Ebiathar*, id est, *pater residui*, siue *remanentis*: quod nomen eidem apprimè conuenit. Iuuenem esse oportuit. Non enim plus quàm annos quadraginta Samuël & Saul regnarunt. Quod si post acceptam cladem in Aphec, & arcam captam, Samuel Reipublicæ clauum statim accepit, & Principatum auspicatus est, & interregni negamus intercapedinem, ætatis admodum prouectæ Abiathar esse non potuit. Sed ne pater illius quidem tum, cùm cæsus est, virilem ætatem emensus videri potuit. Fuit namque Abiathar Achimelechi filius. Achimelech porrò Achitobo patre natus est. Heli præter Ophni & Phinees nullos liberos suscepit. Hi porrò florenti adhuc ætate in illa strage occubuerunt, quando arca Domini in potestatem Palæstinorum venit. Quare cùm alterutrius prolem fuisse necesse sit, si alium ab ipso Ichabod, qui posthumus natus est, fuisse volumus, opus est tamen eumdem paterna calamitas penè puerum reliquerit. Quare cùm reliqui sint anni dumtaxat quadraginta, & quidem non plenè confecto cursu, quo interuallo ipse primùm Achitob adoleuerit, deinde & Achimelech genuerit; Achimelech quoque in virum euaserit, & Abiathar susceperit: non video neque quo pacto Achimelech senuisse, neque Abiathar iam tum adoleuisse probari queat. Sed hoc adeò factum est, vt in ipso flore ætatis marcescerent, ne Prophetæ fides vacillaret, qui Deo autore vaticinatus erat: *Non erit senex in domo tua omnibus diebus.* Et, *Pars magna domus tuæ morietur, cùm ad virilem ætatem peruenerit.* Et quidem iusto Dei iudicio, vt qui adolescentiæ flore lasciuè petulanterque ad numinis contumeliam abusi erant, senectutis honore ac beneficio carerent.

Fugit ad Dauid, & annunciauit ei.] Multis de causis Dauidem sibi experendum ratus est. Primùm, quòd nusquam aliàs se tutum fore credidit, quòd esset à Rege addictus morti. Secundo, quòd cùm Dauidis causa pater eius interemptus esset, & familia deleta, sperarit eundem se, si memor esse beneficij vellet, patronum ac tutorem habiturum. Statuit præterea Abiathar, cùm crederet patrem suum Dauidis causæ fauisse, easdem partes sequi, & si qua posset eumdem ope iuuare. Credidit adhæc, cùm Ephod raperet, aduentum suum Dauidi fore gratissimum; vt pote qui in Dei præsidio spem omnem collocasset, & cuius fiducia oraculorum fide præcipuè niteretur. Accedebat denique, quòd retinendi Sacerdotij apud infensissimum Principem iam spes omnis excidisset. Quare, aut abdicare se Sacerdotio, & artes mechanicas sequi, aut aliò se conferre oportuit, quo auitam dignitatem, & honestè vitam tueri posset. His demum rationum momentis singula perpendens, statuit ad Dauidem sibi commigrandum esse: vt hinc quidem paratam

Filius Achimelech, &c. paratam sibi à Rege perniciem fugeret, illic paulò tutius cum futuro Principe periclitaretur. *Et annunciauit ei.*] Partim quidem vt ad solitudinis suæ misericordiam eum alliceret, partim etiam vt proprij discriminis eumdem admoneret. Nam cùm Saul tantæ sæuitiæ specimen Dauidis ergô in Sacerdotibus edidisset, idem facilè eo exemplo colligere potuit, quo in se animo affectus esset, qualemque experturus foret, si deinceps vitam ac salutem suam eius fidei permitteret.

Quòd occidisset Saul Sacerdotes Domini.] Reliqui ferè, qui Reipublicæ operam nauant, & commoditatibus publicis ancillantur, quamcumque partem publicæ administrationis sortiti sint, & quolibet nomine censeantur, Regis esse dicuntur. Sic dicitur Princeps militiæ Saul; sic Scriba Regis; Consiliarij, Quæstores, Iudices, & quicumque alij Regis Officiarij dicuntur. At verò *Sacerdotes, non Regis* Sacerdotes, sed *Domini* dicuntur. Et vtique ductores exercitui, populoque præsides Rex ipse præficit. At verò à Sacerdotibus, quos Deus instituisset, legem quidem accipere iussus est: instituendi verò, aut etiam abdicandi Sacerdotes, nullum vmquam ius aut potestas penes Regem fuit. *Sacerdotes Domini.*] Non omnes sanè, sed qui ciuitatem Nobem incolerent, hi planè omnes ea internecione extincti sunt. Cæterùm, oppida tredecim Sacerdotes olim à Iosue acceperant, Iosue vigesimo primo capite. Vnde sequitur, vt non omnes perierint. Sola enim Nobe funditùs euersa est. Aliam præterea vrbem excidisse Saul Scriptura non meminit, aut reliquos Sacerdotes ferro perdere voluisse; tametsi non paucos verisimile sit, sui Ordinis clade perterritos, ad Dauidem se contulisse.

Sacerdotes Domini dicuntur.

Versus XXII.

Et ait Dauid ad Abiathar: Sciebam in die illa, quòd cùm ibi esset Doëg Idumæus, proculdubio annunciaret Sauli: Ego sum reus omnium animarum patris tui.

Versus XXIII.

Mane mecum ne timeas: Si quis quæsierit animam meam, quæret & animam tuam, mecúmque seruaberis.

Variæ translat.

Chaldæus, *Cognoui in die illo, quia ibi Doeg Edomæus, quod indicando indicaret, &c.* Septuaginta, ᾔδειν (Complut. ὅτι) ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ (Ald. & Rom. ὅτι) ὅτι ἐκεῖ Δωὴκ Complut. ὁ ἰδουμαῖος, Ald. ὁ σύρος, Complut. καὶ, Ald. & Rom. ὅτι ἀπαγγέλλων ἀπαγγελεῖ τῷ Σαούλ. *Sciui quòd in die illa ibi erat Doeg Idumæus*, vel *Syrus*, Complut. *Et*, Ald. *quia nuntians nuntiabit Saul.*

A *Ego sum reus omnium animarum patris tui.*] Chaldæus, *Et ego fui occasio ad delendum in omni domo patris tui.* Septuaginta, ἐγώ εἰμι ὁ αἴτιος τῶν ψυχῶν (Complut. ὅλων) τοῦ οἴκου τοῦ πατρός σου, *Ego sum causa animarum* (Complut. *vniuersæ*) *domus patris tui.* Pagninus, *Ego præbui causam quòd interficeretur omnis homo familiæ patris tui.* Arias, *Ego præbui causam in omnem animam domus patris tui.* Quidam, *Ego in causa fui*, cur sæuiretur, *in omnem animam familiæ patris tui.* Vatablus, *Ego occasio fui omnium interfectorum ex domo patris tui.* Alius denique habet, *Ego quidem occasio fui [mortis] omnium animarum patris tui.* Hebraïcè, סַבֹּתִי *Sabothi.* Ab hoc verbo faciunt Rabini nomen סִבָּה *Sibab*, quo vtũtur in commentarijs pro causa. Sciebam, &c.

Et quod sequitur versu vigesimo tertio, *Quo-*
B *niam si quis requisierit animam:* Kimhi hunc locum sic legit: *Qui requirit animam meam, is est qui & animam tuam quærit.* Pagninus, *Quia qui quæsierit, &c.* quæ legimus apud Vulgat. Interpret. *quia custoditus eris penes me.* Arias, *quia custodia tu penes me.* Alius, *quia quærit vitam meam, quærit vitam tuam: sed* in *custodia tu es apud me. tu apud me eris in custodia.* Chaldæus, *Quia qui quærens ad occidendum me, quærens ad occidendum te, quia custoditus tu mecum.* Septuaginta, ὅτι οὗ ἐὰν ζητῶ τῇ ψυχῇ μου ζητήσω, καὶ τῇ ψυχῇ σου τόπον, ὅτι πεφύλαξαι σὺ παρ' ἐμοί. *quoniam vbi quæsiero animæ meæ locum, quæram & animæ tuæ, quoniam seruatus es tu apud me.* Vatablus in Schol. Hebraïsmus, *Quoniam custodia, vel depositum, eris apud me.* Egò te perinde seruabo atque meipsum, velutque rem depositam apud me.

C *Sciebam in die illa.*] Non priùs quidem quàm adirem ad Pontificem, sed mox, vt Tabernaculum ingressus sum: tum enim primùm didici adesse ibidem Doëgum, quem noueram non quidem certâ scientiâ, sed quantum ex eius moribus conijcere poteram, nocendi studio proditurum quæcumque mecum egisset Pontifex. Itaque *ego sum reus omnium animarum patris tui.* Non aliam ob causam cæsus est pater tuus, & reliqua domus, tanta clade obruta, quàm quòd ibi à delatore pessimo deprehensus sum: qui si eò non confugissem, & Pontificis gratia atque humanitate vsus non essem, nequaquam Saul in Sacerdotes Domini excandesceret, & familia hactenus incolumis & salua maneret. *Sciebam.* Non latebat
D Dauidem malitia Doëgi. Non tamen erat ea certa scientia, sed tantùm vehemens coniectura, & suspicio. Potuit enim & accidere, & non accidere. Etsi verò certò delaturum crederet, vix tamen in animum inducere potuit, Saulem eo furoris atque dementiæ euasurum, vt Sacerdotes Domini contempta Religione violaret. Nam alioqui Dauid non debuisset Sacerdotes exponere periculo. Non enim tanti nobis esse debet nostra salus, vt propter eam velimus alios periclitari. Potest etiam fieri vt Dauid, cùm acciperet ab Achimelecho panem, & gladium, nihil de Doëgi perfidia cogitarit: postea autem expenderit secum, quid posset accidere: aut certè, quod verisimilius puto, vt non ante eumdem ibi tum versari

SCIEBAM, &c. nosset, quàm ab eo deprehensus esset cum Pontifice sermonem contulisse, & armis ac commeatu ab eodem instructum fuisse. Quo tempore cùm iam remedium afferri nullum posset, vehementi quodam velut odore suspicionis impendentem calamitatem præsagijt. Nam neque se à Rege proscriptum prodere, ac vinctum dedere debuit: neque, etiamsi arma & annonam, quibus maximè indigebat, regereret, participati cum Pontifice consilij, atque initæ societatis suspicionem posset amoliri. Quamobrem tum silentio opus esse duxit, & euentum rei diuinæ prouidentiæ permittendum.

Doeg Idumæus procul dubio annunciaret Sauli.] In maledicum delatorem inuehitur Martialis Epigram. lib. 7.

Martial. in maledicos delatores.

Quid non audebis perfida lingua loqui?
Te fingente nefas, Pyladem odisset Orestes:
Thesea Pirithoi destituisset amor.
Tu Siculos fratres, & maius nomen Atridas,
Et Ledæ poteras dissociare genus.

Et lib. 5. ad Aulum, de Mamerco,

Vt benè loquatur, sentiatque Mamercus,
Efficere nullis Aule moribus possis,
Pietate fratres Curios licet vincas,
Quiete Neruas, comitate Drusones,
Probitate Marcos, æquitate Mauricos,
Oratione Regulos, iocis Paulos.
Rubiginosis cuncta dentibus rodit.
Hominem malignum forsan esse tu credas:
Ego esse miserum credo, cui placet nemo.

Dauid verò Psalmo quinquagesimo primo in Doëgum scripsit: *Quid gloriaris,* inquit, *in malitia, qui potens es in iniquitate?* Vel, vt Montanus legit ex Hebræo, *Cur gloriaberis in malitia, ô potens? misericordia Dei omni die. Tota die iniustitiam cogitauit lingua tua: sicut nouacula acuta fecisti dolum. Dilexisti malitiam super benignitatem, iniquitatem* (Hebr. *mendacium*) *magis quàm loqui æquitatem. Dilexisti omnia verba præcipitationis* (Hebr. *deuorationis*) *lingua dolosa. Propterea Deus destruet te in finem* (Hebr. *in æternum.*) *euellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuentium, &c.*

Ego sum reus omnium animarum patris tui.] Tertull. Quid, inquit Tertullianus de Pœnitentia capite tertio, quod voluntas facti origo est? Viderint enim, si qua casui, aut necessitati, aut ignorantiæ imputantur, nec excusari poterit per illā perficiendi infelicitatem, operata quod suum fuerat. Simile est quod habet alicubi sanctus Augustinus, Peccatum adeò debere esse voluntarium, vt nisi voluntarium, peccatū non sit. Hic porrò Dauidis culpa, si qua ex euentu colligitur, non illa voluntati, sed casui, necessitati, aut etiam ignorantiæ ascribenda est. Agnoscit igitur Dauid se causam eius cædis fuisse, non quidem quòd id voluisset, sed quòd imprudens occasionem aliquam dedisset, quodque cædes ea postea esset consequuta. Etsi verò fortassis, dum non satis curiosè omnia explorat, & circumspicit, nonnullo errore lapsus est, nec satis cautè amicorum saluti prospexit, sed objecit discrimini: nequaquam tamen cædis reus habendus est, cùm nihil egerit

Quo pacto Dauid stragis editæ reus habendus.

A aut ab eis expetierit, quod alienum esset ab eorum officio, aut vllius criminis suspectos efficeret, quòd morte ac supplicio plectendum esset. Nam sic vitam instituere, & in omnem partem circumferre oculos, vt nec maleuolis atque occasionem captantibus tanquam offensionis ansam præbeas, exuperat planè omnem humanam solertiam; adeò vt si his finibus iustitiam definias, iustum neminem reperturus sis. Nam nec sanctissimi quidem homines, & qui Scripturæ testimonio iustitiæ ac pietatis laude floruerunt, eam prærogatiuam habuerunt, vt quicquid susciperent, aut agerent, id semper alijs foret salutare. Christus ipse, cùm nosset omnia, & posset quibus vellet rationibus hominum mentes à peccandi studio auocare, id tamen præstare noluit; ne quisquam B posset, cùm vellet, rerum à se gestarum occasione abuti ad suam aliorumque perniciem. Sed plerumque satis habuit, si id iure facere non possent: his qui spontè furerent, indulgens peccandi licentiam. Sic enim ipse reus quodammodo fugiens, extitit necis innocentium, sicut nunc Dauid Sacerdotum Nobensium: tametsi reuera neuter vlli culpæ affinis fuit.

REVS SVM, &c.

Quòd si quis ampliùs vrgeat, & certet nostram sententiam proprio ipsius testimonio refellere, intelligat, non alia ratione Dauidem hoc loco reum Hebraicè dici, quàm quòd stragi causam dederit. Causæ porrò ratio varia est, & multiplex. Nam & occasio genus quoddam causæ est, non efficiens illa quidem, sed quæ tamen efficientem ad agendum alliciat. Deinde C occasio quædam spontè oblata est, alia præter spem ac voluntatem occurrit. Denique etiam occasio nonnunquam non tam data, quàm rapta, & accepta est. Neque perinde videntur accusari posse, qui causam, cùm nollent, flagitio dederunt, atque illi qui de industria. Nam posteriores fecisse videntur, quod, vt fieret ab alijs, efficere ipsi studuerunt. At verò priorum, quorum animus & mens abhorret à crimine, si quæ culpa est, tota in errore versatur. Quòd si qui ne dedisse quidem conuincantur, sed cùm officio fungerentur, & darent operam legitimis actionibus, improbi quidam vltrò in deteriorem partem accipientes, machinati sint malum, non video cur scelerum, quæ alij perpetrauerint, rei censeantur. D Horum porrò in numerum Dauidem referendum censeo, quippe qui mali quicquam in se non admiserat, quamobrem Rex eius vitæ insidias strueret: siue cùm fuga vim eius declinans, suæ saluti consuleret, siue cùm à Pontifice labore fractus, & inedia, cibi quippiam, telumque postularet: nam horum nihil est quod accusari meritò possit. Sed neque Pontifex, cùm Dauidis precibus assentiretur, & egeno suppetias ferret, quicquam egit quod Saul iure reprehenderet. Quamobrem igitur dubitemus eumdem criminis suspicione prorsus absoluere?

Quòd si quid fortè per imprudentiam peccarit, oportet peccatum fuisse ex eorum numero, quæ iustitiæ statum minimè labefactant, sed

REVS SVM, &c. Cassianus.

sed facilè veniam consequuntur. De quibus Theonas accuratè sapienterque disserit apud Cassianum, Collat. 22. capite decimo tertio: Iustos, inquit, & sanctos viros non esse immunes à culpa, manifestè Scriptura pronuntiat, dicens: *Septies in die cadit iustus, & resurgit.* Quid enim est aliud cadere, quàm peccare? Et tamen cùm dicatur septies cadere, nihilominus pronuntiatur iustus, nec iustitiæ eius præiudicat lapsus fragilitatis humanæ, quia multùm interest inter iusti & peccatoris hominis lapsum. Aliud est enim admittere mortale peccatum, & aliud est cogitatione, quæ peccato non caret, præueniri, vel ignorantiæ, aut obliuionis errore, aut facilitate otiosi sermonis offendere, aut ad punctum in fidei theoria aliquid hæsitare, aut subtili quadam cenodoxiæ titillatione pulsari, aut necessitate naturæ aliquantisper à summa perfectione recedere. Hæc enim sunt septem lapsuum genera, in quibus sanctus licet nonnunquam cadat, tamen iustus esse non desinit: quæ quamuis leuia esse videantur, ac parua, tamen faciunt eum sine peccato esse non posse. Et rursum nos ad Dauidem allegat Psalmo trigesimo sexto: *A Domino*, inquit Dauid, *gressus hominis* (iustum Theonas intelligit) *diriguntur, & viam eius volet nimis. Cùm ceciderit, non collidetur: quia Dominus supponit manum suam.* Cuius enim à Domino gressus diriguntur, quid aliud esse potest quàm iustus? Et tamen de hoc ipso dicitur, *Cùm ceciderit, non collidetur.* Quid est, *Cùm ceciderit*, nisi cùm lapsum peccati alicuius incurrerit? *Non collidetur*, inquit, id est, nequaquam diù opprimetur incursione peccati, sed licet ad præsens videatur elisus, tamen diuino quod implorat erectus auxilio, celeri resurrectione stabilitatem iustitiæ non amittit; vel etiamsi ad præsens per fragilitatem carnis aliquid admiserit, suppositione manus diuinæ reparabit. Hactenus apud Cassianũ Theonas.

Septem iusti quotidiani lapsus.

Cæterùm, ea cædes non mediocriter Dauidi doluit: partim quòd, tametsi nolens, occasionem dedisset exitio Sacerdotum, partim quòd religiosè coleret, & amplecteretur Sacerdotium. Nam cùm verè & ex animo Deum diligeret, non potuit non eius Sacerdotium eximio amore complecti. Cùm enim exul & proscriptus vagaretur in montibus, & palabundus erraret in solitudine, semper respexit ad Tabernaculum, & animum habuit occupatum in

A cultu Dei. Itaque sublatis atque interfectis Sacerdotibus, magnam cepit animo tristitiam; ne fortè inde apud populum Religio plurimùm detrimenti caperet, & legis ceremoniæ, atque sacrificia, quorum maximè præsidio, cùm vigerent, inuicta Hebræorum Respublica stetit, funditùs interirent. Neque enim ambigebat, qui tantam à principio sacri Ordinis stragem edere potuisset, reliquis deinceps minimè esse parciturum.

MANE MECVM, &c.

Mane apud me, &c. *mecumque seruaberis.*] Hoc sibi vult: Ego quidem cæsis vitam instaurare non possum: at quod superest, illos quidem luctu prosequar, te verò omni præsidio tuebor. Quamobrem *mane apud me.* Hoc primùm exuli ac profugo gratissimum fuit, vocari in alienas ædes, cùm proprio lare careret. B Deinde, inquit, ne timeas: nam vehementior illum metus perculerat, quem hactenus vultu, oculisque præ se ferebat. *Si quis quæsierit animam meam, quæret & tuam.* Rationes affert, quamobrem confidere debeat. Prima est, quoniam ego tuque eumdem infestum hostem patimur. Nam qui teipsum venatur, idem insidiatur & mihi. Non debes itaque vereri, ne te fortè dedam, aut eius gratia relinquam. Altera est, quòd vitam meam expetit, quo pacto gratiæ vlla reconciliatio sperari nequit. Nam si contentio aliqua honoris bellum hoc consciuisset, aut concessa vinea reliquisque opibus contentus esse posset, vtique non sine causa suspicarere, ne fortè pacem his legibus ab eo pacisceretur. At nunc de capite mihi cum illo res est: nec vitam quis pagit, vt perdat. Quocirca tutò mecum exulare potes, & eandem C mecum sortem experiri. At nempè illud times, ne vi opprimar, hasque mecum ruinæ particeps. quinimò *mecum* tu quoque *seruaberis.* Neque verò iactat hoc loco Dauid Samuelis promissiones, quas non dubitat Abiathar sæpius ex patre audisse: sed publica fama contentus, & recepta in vulgus opinione, *mecum*, ait, *seruaberis.* Nam si Rex futurus sum, perinde vt oraculo edocti estis: omnibus his periculis proculdubiò superior euadam. Quòd si has ego procellas, vimque omnem tempestatis diuina virtute superaturus sum, cur me præsente trepides, aut cuncteris in stadium ingredi? Si te mihi adiunxeris, postquam his ego fluctibus vndisque emersero, vnà mecum ad portum incolumis appelles.

CAPVT VIGESIMVM-TERTIVM.

ET annunciauerunt Dauid, dicentes: Ecce Philisthiim oppugnāt Ceilam, & diripiunt areas. 2. Consuluit ergo Dauid Dominum, dicens: Num vadam, & percutiam Philisthæos istos? Et ait Dominus ad Dauid: Vade, & percuties Philisthæos, & Ceilam saluabis. 3. Et dixerunt viri, qui erant cum Dauid, ad eum: Ecce nos hîc in Iudæa consistentes timemus: quantò magis si ierimus in Ceilam aduersum agmina Philisthinorum? 4. Rursum ergo Dauid consuluit Dominum. Qui respondens, ait ei: Surge, & vade in Ceilam: ego enim tradam Philisthæos in manu tua. 5. Abijt ergo Dauid, & viri eius, in Ceilam, & pugnauit aduersum Philisthæos, & abegit iumenta eorum, & percussit eos plaga magna: & saluauit Dauid habitatores Ceilæ. 6. Porrò eo tempore, quo fugiebat Abiathar filius Achimelech ad Dauid in Ceilam, ephod secum habens descenderat. 7. Nunciatum est autem Sauli, quod venisset Dauid in Ceilam: & ait Saul: Tradidit eum Deus in manus meas, conclususque est, introgressus vrbem in qua portæ & seræ sunt. 8. Et præcepit Saul omni populo, vt ad pugnam descenderet in Ceilam: & obsideret Dauid, & viros eius. 9. Quòd cùm Dauid rescisset, quia præpararet ei Saul clàm malum, dixit ad Abiathar Sacerdotem: Applica ephod. 10. Et ait Dauid: Domine Deus Israel, audiuit famam seruus tuus, quòd disponat Saul venire in Ceilam, vt euertat vrbem propter me: 11. Si tradent me viri Ceilæ in manus eius? & si descendet Saul, sicut audiuit seruus tuus? Domine Deus Israël indica seruo tuo. Et ait Dominus: Descendet. 12. Dixitque Dauid: Si tradent me viri Ceilæ, & viros qui sunt mecum, in manus Saul? Et dixit Dominus: Tradent. 13. Surrexit ergo Dauid, & viri eius quasi sexcenti, & egressi de Ceila, huc atque illuc vagabantur incerti: nunciatumque est Sauli quòd fugisset Dauid de Ceila, & saluatus esset: quam ob rem dissimulauit exire. 14. Morabatur autem Dauid in deserto in locis firmissimis, mansitque in monte solitudinis Ziph, in monte opaco. quærebat eum tamen Saul cunctis diebus: & non tradidit eum Deus in manus eius. 15. Et vidit Dauid quòd egressus esset Saul, vt quæreret animam eius. Porrò Dauid erat in deserto Ziph in silua. 16. Et surrexit Ionathas filius Saul, & abijt ad Dauid in siluam, & confortauit manus eius in Deo: dixitque ei: 17. Ne timeas: neque enim inueniet te manus Saul patris mei, & tu regnabis super Israël, & ego ero tibi secundus, sed & Saul pater meus scit hoc. 18. Percussit ergo vterque fœdus coram Domino: mansitque Dauid in silua: Ionathas autem reuersus est in domum suam. 19. Ascenderunt autem Ziphæi ad Saul in Gabaa, dicentes: Nonne ecce Dauid latitat apud nos in locis tutissimis siluæ, in colle Hachila, quæ est ad dexteram deserti? 20. Nunc ergo, sicut desiderauit anima tua vt descenderes, descende: nostrum autem erit, vt tradamus eum in manus Regis. 21. Dixitque Saul: Benedicti vos à Domino, quia doluistis vicem meam. 22. Abite ergo, oro, & diligentiùs præparate, & curiosiùs agite, & considerate locum vbi sit pes eius, vel quis viderit eum ibi: recogitat enim de me, quòd callidè insidier ei. 23. Considerate, & videte omnia latibula eius, in quibus absconditur: & reuertimini ad me ad rem certam, vt vadam vobiscum. quòd si etiam in terram se abstruserit, perscrutabor eum in cunctis millibus Iuda. 24. At illi surgentes, abierunt in Ziph ante Saul: Dauid autem & viri eius erant in deserto Maon, in campestribus, ad dexteram Iesimon. 25. Iuit ergo Saul, & socij eius, ad quærendum eum: & nunciatum est Dauid, statimque descendit ad petram, & versabatur in deserto Maon. quod cùm audisset Saul, persecutus est Dauid in deserto Maon. 26. Et ibat Saul ad latus montis ex parte vna: Dauid autem, & viri eius, erant in latere montis ex parte altera:

altera : porrò Dauid desperabat se posse euadere à facie Saul : itaque Saul & viri eius, in modum coronæ cingebant Dauid & viros eius, vt caperent eos. 27. Et nuncius venit ad Saul, dicens: Festina, & veni, quoniam infuderunt se Philisthiim super terram. 28. Reuersus est ergo Saul, desistens persequi Dauid, & perrexit in occursum Philisthinorum. propter hoc vocauerunt locum illum, Petram diuidentem.

ARGVMENTVM CAPITIS.

IN hoc capite, primùm Dauid oraculo confirmatus, Ceilam liberat, & Palæstinorum impetum reprimit. Deinde, cùm esset à Saule in eadem vrbe obsidendus, & prodendus à Ceilensibus, inde pedem effert, & prærupta montium, atque intimas solitudines sectatur. Tertiò, Ionathas, quem pater idcircò ad eam quam parat expeditionem non adhibet, quòd eumdem nosset Dauidi fauere impensiùs, eius vestigia sequutus, eumdem in monte Ziph comprehendit, & plurimùm sua oratione confirmat, ac denuò sibi fœdere deuincit. Postremò, delatus à Ziphæis, quòd apud eos versaretur in montibus, à Saule in monte Maon penè oppressus est: Sed cùm septus vndique persequentium corona emergere ex angustijs illis non posset, mox reuocato Saule ad Regni tutelam, in quod Palæstini magno agmine irruperant, ingenti formidine atque periculo solutus est.

VERSVS I.

Et annunciauerunt Dauid, dicentes: Ecce Philisthiim oppugnant Ceilam, & diripiunt areas.

VERSVS II.

Consuluit ergo Dauid Dominum, dicens: Num vadam, & percutiam Philisthæos istos? Et ait Dominus ad Dauid: Vade, & percuties Philisthæos, & Ceilam saluabis.

Variæ trāslationes. AReas.] Vatablus, *horrea.* Alter, *& ipsi diripiunt areas* illius. Id est, commeatum, vel annonam frumentariam in areis repositam, metonymicè. Est autem *Ceila* Vatablo in Schol. vrbs in tribu Iuda. Septuaginta editionis Complutensis, καὶ αὐτοὶ διαρπάζουσι τὰς ἅλω. *Et ipsi diripiunt areas.* Ald. καὶ αὐτοὶ διαρπάζουσι, καὶ καταπατοῦσι τὰς ἅλω. Romana versio, *Et ipsi diripiunt, conculcant areas.* Aldus addit, καὶ, *& conculcant.* Abest autem à Complutensi, quemadmodum à Vulgata, vt notat Flaminius. Et hæc dictio, & præcedens διαρπάζουσι, videntur duæ interpretationes eiusdem verbi Hebræi. Versu secundo, *Consuluit ergo Dauid Dominum.*] Quidam notat ad marginem, per Prophetam Gadem, qui erat in comitatu Dauidis, sup. 22. 5. nam nondum apud se habebat Sacerdotem cum amiculo, per quem Deum consulere posset.

Ceila. *Et annunciauerunt Dauid, dicentes, &c.*] *Ceila* erat ciuitas in tribu Iuda, ad fines Palæstinorum, vt apparet ex capite decimoquinto libri Iosue. à qua, inquit Adrichomius in Topographia tribus Iudæ, Num. 78. & tota illa prouincia nomen accepit: iuxta quam, tempore adhuc sancti Hieronymi, ostendebatur sepulchrum Abacuc, & nunc est villula Ceila, ad Orientalem plagam Eleutheropoleos: postea dicta est Echela. Distat ab Hebron octo miliaribus, in septimo ab Eleutheropoli. nec longius semota à Petra, siue spelunca Odollam. Ea nunc à Palæstinis prædonibus oppugnabatur cupientibus propagare fines suos, & fruges congestas in horrea diripere. Quis ista Dauidi nunciarit, non potest colligi ex historia. Fortasse Ceilenses ipsi Dauidem vltrò ad se euocarunt, quòd eum scirent esse virum promptum, & bellicosum: & Saulem viderent longè abesse, nec posse præsidio venire in tempore. S. Hieron.

Et diripiunt areas.] Septuaginta, τὰς ἅλω. Suidas, Ἅλων ἡ θηλυκῶς ἅλω. τὸ δὲ ἅλως, πλεονασμὸς Ἀττικῶν. Rectus casus est ἡ ἅλων. Nam ἅλως est recentiorum erratum. Contrà tamen sentiunt Eustathius Iliados ι. & magnum Etymolog. col. 74. 18. dicitur & ἀλωὴ καὶ ἀλωνία. Significat autem ea vox paradisos, hortosque amœnos, vt docet Suidas. Ἀλωαί. ἀλωνίαι. ἢ παράδεισοι. Idem, Ἀλωή. σιτοφόρος χώρα. Ager frumento ferendo aptus. Homerus etiam, Eustathio interprete, Iliados ι. metonymicῶs pro frugibus ipsis accipit illo versu, Suidas. Vox ἀλω explicatur

Ὃς κακὰ πόλλ' ἔρδεσκεν ἔθων Οἰνῆος ἀλωήν. Homerus.
Qui mala multa faciebat deuorans Oenei fruges.

ἔθων pro ἔδων, verso δ. in θ. Doricè. Suidas iterùm, ἔστιν ἀλωὴ καὶ ἡ δενδροφόρος γῆ. Est etiam arborifera tellus, seu locus arboribus consitus. Denique Ἀλωαὶ vocant eodem autore τοὺς τόπους ἔνθα ὁ σῖτος ἀλοᾶται, loca terendis destinata frugibus,

Et diripiunt areas, &c. Eustathius.

vt ex folliculis excutiantur grana. Eustathius apud Homerum loco citato, docet ἀλωὴν vocari, non solùm terram plantis ferendis aptam, & arboribus consitam: sed etiam locum ipsum vbi frumentum conculcatur, & teritur, id est, aream ipsam, in qua frumenta teruntur, vel nostro more tunduntur, vt è gluma grana excussa prosiliant. Primam autem huius vocis syllabam ait tenui spiritu notari, & apud priscos penultimam, ω per ἰῶτα subscripto, sic scribi solitam, ἀλῳαί. Ἀλοάω Græcis, siue ἀλοιῶ, tundo, tero. Sed in scribendo mira varietas occurrit, & pro varijs etymologijs varium etiam spiritum habet. Consule si lubet, Eustathium, & magnum Etymolog. Cæterùm idcirco ego hæc pluribus, quòd non absurdum visum sit, si pariter Hebræam dictionem exponerem, siue eamdem illi vim & significationem tribuerem. Inde est ἀλωηθόρος, triticum tundens in area. Ἀλωονεμῶ, in area dego. Ἀλῶα, ἱερὰ τῆς Ἀττικῆς, festum est Atticum. Philochorus verò dicit hoc ita nominatum esse, quòd illius sæculi homines tunc in areis versarentur, & degerent.

Diodorus. Indorum agricolæ belli tẽpore manent inuiolabiles.

Diripiebant areas.] Diodorus Siculus libro 3. cap. 10. Confert etiam, inquit, ad Indorum fertilitatem consuetudo, quæ in bellis seruatur. Nam apud cæteras gentes, hostes bellorum tempore regiones spoliant, vastantque, neque agros coli sinunt: apud Indos verò, quo tempore Mars furit, & bellum feruet, in agris opus rusticum exercent absque cura agricolæ, procul ab omni discrimine belli. Hostes in bellis mutua cæde grassantur: agricolis nulla in re nocent, sed intactos relinquunt, tanquam communis vtilitatis ministros. Neque verò hostium agros vrunt, neque cædunt arbores, neque pecora abigunt, aut fruges comportant; quæ fecisse hoc loco Palæstinos non dubito, cùm prædam ex eorum manibus Dauid excussit.

Dauidis benignitas & clementia prædicatur.

Consuluit ergo Dauid Dominum.] Toties appetitus insidijs, tantis oppressus calumnijs, tot lacessitus iniurijs, ac pulsus ingratijs, quid alter referret? Scilicet hostibus se adiungeret, eorum conatus iuuaret, atque vnà oppugnaret, quemadmodum plures olim fecisse leguntur. Quod si quem moderatius acturum iudicemus, nec concessurum dolori suo, quid tamen ampliùs ab eo sperari poterit, quàm vt quiescat, nec vlciscendæ occasionem iniuriæ arripiat? Cæterùm hoc illi dicere permittemus: Quid ego ista bella inauspicata, & mihi semper inuidiosa suscipiam? aut cur ego defendam regnum hostis mei, præsertim cùm isti me non defendant? Quandoquidem hactenus agnoscere me noluerunt iuuantem & defendentem, nunc saltem agnoscant destituentem & negligentem. Desiderent quem expulerint: Regi exprobrent, qui tutore Rempublicam orbauerit: interim ipsi se tueantur, & suo periculo discant, cuius virtute hactenus regnum steterit, & pace atque securitate potiti sint. Meministis, opinor, quid Iephte senioribus Galaad responderit, à quibus olim exactus per summam iniuriam, cùm reuocaretur ad defensionem patriæ, non antè precibus eorum cessit, quàm principatum, mercedem victoriæ ab illis pactus esset. Quamobrem si sanctos inter se conferre liceat, Dauid longè virtute præstabit, qui fortè ne rogatus quidem vltrò periclitantibus affuit, seque hostium furori objiciens, arma & vincula ab eorum ceruicibus, faces atque incendia ab horreis segetibusque propulsauit. Quid facturus præterea, si ab ijsdem amplissimis honoribus ac præmijs affectus esset? Vt obesse nollet, quod diuina lege interdicitur, Philosophi etiam viro sapienti iniuria lacessito ad leniendum dolorem indulserunt: attamen ne adesset laborantibus, multa potuit excusationis loco prætexere. Primùm enim non æquis viribus in certamen descendebat, cùm non essent tantæ exulis copiæ, vt cum exercitu Palæstinorum tutò committi possent. Deinde, cùm nec fortè rogatus esset, nec satis ciuium Ceilæ erga se explorasset animum, vereri debuit, ne profligatis hostibus, ijs, quibus victoriam peperisset, præda foret: quod reipsa experturus erat, nisi prænunciante Domino maturè fugam arripuisset. Nemo porrò tam infelici sorte atque omine, infestis sibi suppetias ferre cogitur: quinetiam imprudens ac temerarium facinus videri possit, si nociturο manum porrigas; haud aliter quàm si, vt est in fabulis, aspidem sinu foueas, per quam soluto gelu interimendus sis: aut canem rabidam puteo extrahas, quæ te mox dente laceret.

Verùm nihil horum Dauid aut fecit, aut dixit: sed ne cogitauit quidem. Quamprimùm autem tristem illum nuncium accepit, proprij quidem securus periculi, alieni sollicitus, succurrendum esse decreuit: quod & præstitit, Oraculi fide confirmatus. Cogitauit enim se Regem esse designatum, curam populi ad se pertinere: illos etiam esse cognatos, & tribules suos. Adhæc, videbat se proscriptum esse à Saule, & plebem semper facere cum Regibus, nec expendere causam innocentium. Vidit etiam voluntates multorum à se alienatas esse propter cladem ciuitatis Nobe: ideóque animos hominum aliquo insigni facinore esse redimendos; vt se amantem suorum, & patriæ studiosum esse intelligerent: quicquid autem acciderit Nobensibus, id non ipsius culpâ, sed Saulis tyrannide accidisse.

Sunt istæ probabiles rationes, quæ homini pio facilè possent persuadere. Dauid tamen, quoniam videbat ista posse fallere, retulit se ad verbum Dei: ea enim vnica est, & certissima regula vitæ nostræ. Consulit autem Dominum, quòd videret rem nouam sibi suscipiendam esse. Etsi enim esset Rex designatus, nondum tamen erat publicè inauguratus: interea semper sese gessit pro priuato. Deinde adhiberi voluit consilium Domini, ne non tam bellum quàm latrocinium exercere videretur. Hoc primum bellum est quod Dauid gessit auspicijs suis: nam antea semper pugnauerat nomine, ac iussi Saulis. Et de bellis quidem gerendis Scripturæ monent semper consulendum esse Dominum: id Deus ipse

Et consulvit, &c.

Inconsulto Domino non licuit bellum suscipere.

ipse in Numeris expressè iubet fieri. Et in libro Iudicum, cùm populus interrogasset, quis ascenderet contra Chananæos, Dominus respondit, tribus Iuda. Postea etiam populus consuluit Dominum in Maspha de bello gerendo contra Benjamitas. Dauid ergo sequitur, & exempla maiorum, & verbum Dei. Id Saul, cùm Sacerdotes occidisset, facere non potuit. Dauid habuit apud se Abiatharum Sacerdotem ex familia Heli, de stirpe Aaronis: non tamen ab Eleazaro, sed ab Ithamaro. Sacerdotium enim tum in alteram familiam transierat. Iam Dauid certus esse potuit de regno, cùm haberet & manum militum, & vtrumque ministerium, & ordinarium & extraordinarium: Sacerdotij & Prophetiæ. Hinc colligere debemus, quanti facienda sint instituta à Deo oracula, quoties est illorum copia. Nam si Dauid hoc tempore oraculum Dei neglexisset, haud dubiè fuisset accusandus. At si non habuisset Sacerdotem, sequutus fuisset internum instinctum Dei: vt antea, cùm fugeret Saulem, ab eo tantùm non iaculo transuerberatus: cúmque a Michole demissus fuisset de fenestra: cúmque apud Achis Regem Geth fingeret insaniam. Nunc autem, cùm habeat oraculi præsidem Sacerdotem, oportet eo vti. Et si enim gratia Dei non est alligata institutis ceremonijs, illas tamen, quoad possumus, debemus amplecti.

Ephod.

Modus consulendi Dominum per *Ephod* à multis descriptus est, & nostris, & Iudæis, atque in primis Iosepho. Erat in Ephod rationale, & in eo duodecim lapides, in quibus scripta erant nomina duodecim tribuum Israël. Illi lapides dicebantur *Vrim, & Thumim*: *Vrim* à splẽdore, quòd essent lucidissimi: Thummim à perfectione, quod vires haberent absolutas, & integras. Hoc ornatu indutus Sacerdos consulebat Dominum. An autem oraculum redditum fuerit per Angelum, an per internum aliquem instinctum animi, an per splendorem lapidum, non satis liquet. Consulit Dominum per Ephod, cùm tamen non adesset arca fœderis: sed ea nondum sortita erat designatũ à Deo certũ locum: itaque vbicumque esset Sacerdos, fas erat oraculũ sciscitari.

Num vadam:] Cùm semper & vbique diuini numinis potentiam reuereri decet tum præcipue in bellis, quorum anceps fortuna & æquis sæpè librata viribus, de illius nutu in alterutram partem inclinat. *Num vadam.*] Cedo quid optes tibi responderi? Num debeas obsessis contra vim tantam auxilium ferre: Duplicem sensum habere potest hæc interrogatio. Vel enim hoc poscit, num debeat, si possit: aut certè num possit, si debeat. De officio mea quidem sententia non interrogat: satis enim tam ex lege doctus erat, etiam inimici iumento si corruisset, subsidio esse oportere: quanto magis ipsi homini in pari discrimine versanti? Non itaque illud percontatur, essetne officij sui laborantibus subuenire: sed de rei successu responsum flagitat, ne temerè Ceilæ defensionem aggrederetur, & calamitatis magnitudinem voluntaria suorũ clade augeret. Quamobrem mox addit, *Et percutiam Philisthæos istos?* Neque verò ad officium viri boni pertinere potest, quòd eius vires manifestè superet. Licet enim nonnũquam laude dignum habeatur, si, cùm nihil aliud possis, mortem oppetas tuendæ patriæ gratia: attamen vbi quid in commune consulitur, & casus, si fortè tristior acciderit, non minimam ruinam trahit; vt laudem consequi possis cùm fortiter facias, tum maximè publicæ vtilitatis ratio habenda est. Etenim si cùm hoste publico manum cõserimus, non solis nobis, sed toti reipub. aut vincimus, aut morimur: quæ, aut inde exhausta viribus, aut robore confirmata, hostium ceruicibus incumbit, aut securibus succumbit.

Vade, et percvties, &c.

Vt fortiter agendo tibi laudem pares, ciuium vtilitatis ratio habenda est.

Vade, & percuties Philisthæos, & Ceilam saluabis.] Fœlicem successum charitati pollicetur. Et erat proculdubio tanta virtus digna, quam virtutis amator suo fauore prosequeretur. Duo quædam spondet, in quibus, vt opinor, victoriæ summa consistit. Primum est, Palæstinorum cædem & interitum. Alterum, ciuium incolumitatem cum vrbis liberatione coniunctam. Præclarum est hoc beneficium Dei, & illustre planè diuinæ erga Dauidem beneuolentiæ argumentum, cui tantopere fauit, vt etiam alijs salutis atque incolumitatis autor existeret.

Cæterum toto hoc capite obseruare poteris, quàm planè disertè atque perspicuè diuina oracula funderentur, cùm contra ob incerti euentus obscuram ignorantiam, dæmones inextricabilibus labyrinthis atque ambagibus sua responsa inuoluerent. Apud Herodotum lib. 1. cùm Lacedæmonij consuluissent Delphicum Apollinem de Arcadia occupanda, Pythia respondit:

Ambigua dæmonum responsa Herodotus.

Me petis Arcadiam, multis petis, haud tibi tradam:
Multi apud Arcadiam vescentes glande viri sunt,
Qui te reijcient, tibi ego haud inuidero quicquam,
Saltandam Tegeam planta plaudente daturus,
Vtque queas campum metiri fune feracem.

His responsis acceptis Lacedæmonij à cæteris Arcadibus abstinentes, bellum intulere Tegeatibus, ferentes secum compedes, videlicet captioso freti oraculo, tanquam essent ipsi redacturi Tegeatas in captiuitatem. Verùm victi, & ijsdem vinculis induti, campum Tegeatem meriti fune coluerunt. Crœso quoque Regi Lydorum post multa dona, de expeditione in Persas sciscitanti, idem oraculum in hanc sententiam respondit:

Crœsus Halim (fluuium) superans magnam peruertet opum vim.

Et rursum cùm rogaret, an diuturnum foret suum Imperium,

Regis, ait, apud Medos mulo iam sede potito,
Tunc ad scruposum fugere Hermũ strenue Lyde,
Nec perstare, nec ignauum te esse pudendum.

Cùm antè Apollo à Crœso tentatus an abstrusa nosset, affirmasset,

Noui ego arenarum numerum, spatiúmque profundi:

VADE, ET PERCVTIES, &c.

Nutum percipio, fantis nil audio vocem.
Victus itaque Crœsus, & impetrata à Cyro licentia, quosdam Lydorum Delphos misit, qui sua vincula ferrent, quibus ad templi limen depositis, iusserat sciscitari Deum, nunquid eum puderet ob oracula, quibus Crœsum induxisset ad bellum Persis inferendum, tãquam Cyri potentiam euersurum: vnde tales primitiæ offeruntur, compedes scilicet ostentando: sciscitari cùm hæc, tum nunquid Græcis dijs foret fas esse ingratis. Lydis illuc profectis, & hæc mandata exequutis, Pythia fertur ita respondisse: Sortem fato destinatam defugere, Deo quoq; est impossibile. Crœsus quintæ retrò ætatis crimen luit, hoc est abaui: qui cùm esset satelles Heraclidarum, mulieris dolo inductus, dominum interemit, illiúsque dignitate potitus est, nihil ad ipsum pertinente. Verùm Apollo cùm studuerit, vt hæc Sardium clades circa liberos Crœsi, non circa Crœsum contingeret, tamen transferre fata non potuit, sed quatenus illa permiserunt, annixus est, atque ei gratiam retulit, vt pote dilata Sardium expugnatione tres annos. Et hoc Crœsus discat, tribus annis, quàm fata destinarant, serius se fuisse captũ. 2. loco, quòd ipse ardenti opem tulit. Nam quod ad oraculum pertinet, haud rectè Crœsus incusat: quoniam Apollo prædixit, eum esse magnum Imperium, si bellum Persis inferret, euersurum: de qua re ipsum consultare volẽtem, decuerat mittere percontatum, Vtrùm ipsius Apollo dicere Imperium, an Cyri. Sed quod dictum erat, nec considerans, nec interrogans, sibi ipsi acceptum referat. Quod autẽ vltimo responso ait Apollinem dixisse de mulo, ne hoc quidem discussit. Nam mulus hic Cyrus erat: quippe qui duabus ex gentibus ortus est, generosiore matre quàm patre. Nam illa quidem Meda erat, Astyagis Medorum Regis filia: hic autem Persa Medis subiectus: & licet omnium infimus, tamen dominam suam in matrimonium duxit. Cambysen intelligit. Hactenus apud Herodotum. Ex quibus colliges, quibus artibus ille mendaciorum pater & architectus olim ludificaretur, & homines in fraudem induceret. Huiusmodi præstigijs atque ludificationibus nihil habet historia frequentius: at contrà Dei oracula, quem exitum quæque res habitura esset, clarè ac manifestè pronuntiabant.

Imbecillitas & vafrities deorũ Gentilium.

VERSVS III.

Et dixerunt viri, qui erant cum Dauid ad eum: Ecce nos hic in Iudæa consistentes timemus: quantò magis si ierimus in Ceilam aduersum agmina Philisthinorum?

VERSVS IV.

Rursum ergo Dauid consuluit Dominum. Qui respondens, ait ei: Surge, & vade in Ceilam: ego enim tradam Philisthæos in manu tua.

ECCE NOS HIC, &c.

CONSISTENTES, Hebræus non agnoscit, sed explicationis gratia additum est. *Agmina*, Pagn. *acies*; Arias, *ordines*; Vatablus *exercitum*. Alius, *Ecce nos hic in Jehuda timemus ab vno hoste Schaule: quanto igitur magis euntes Kehilam in acies Pelischthaeorum?* Subaudi, timendum erit, si Pelischthæos à fronte, & Schaulem à tergo habeamus? Chaldæus cum Vulgata consentit, sicut & Pagninus. LXX. Complut. edit. ἰδοὺ ἡμεῖς ἐνταῦθα ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ φοβούμεθα, καὶ πῶς ἔσται ἐὰν πορευθῶμεν εἰς τὴν Κεϊλὰ εἰς τὰς κοιλάδας τῶν ἀλλοφύλων, *Ecce nos hic existentes in Iudæa timemus, & quomodo erit si abierimus in Ceila aduersus valles Philisthæorum?* Aldus habet, ἐν τῇ [illegible], *hic in Idumæa*. Vereor ne librariorum incuria contigerit. Postrema verba ita legit: εἰς τὰ [illegible] τῶν ἀλλοφύλων εἰς[illegible]μεθα, *in agmina Philisthæorum ingrediemur*: Rom. editio, εἰς τὰ σκῦλα [illegible] εἰσπορευσόμεθα: *Et quomodo erit, si iuerimus in Ceila, in spolia alienigenarum ingrediemur?* Quo loco nobilius, Illud εἰσπορευσόμεθα abest à Complut. vt à Vulgat. Quod autem pertinet ad illud εἰς τὰ σκῦλα, in alijs libris est, εἰς τὰς κοιλάδας, *in cauitates*. In aliquo impresso, εἰς τὰς κοιλίας: quæ lectio confirmatur hoc Scholio, εἰς τὰς κοιλίας, εἰς τὰ στρατόπεδα, *aduersus agmina* (quod habet Vulg.) Hebræi εἰς τὰ σκῦλα. Ita nobilius: Atqui מערכות *magharchoth*, non spolia, sed *acies* seu *militares ordines* significat, à verbo ערך *gharak*, quod est *ordinauit* siue *disposuit*. Versu 4. Pagninus, *quia ego do*, (Arias, *dans*) *Philisthæos in manu tua*. Vatablus, *dabo*. Alius *quia ego illico traditurus sum*, antequam Schaul te adoriri possit. Consuluit autem non sua, sed suorum causa. Chaldæu, *Et addidit adhuc Dauid ad quærendum in dicto Domini: & audiuit orationem eius Dominus, & dixit, Surge, descende ad Kephilam, quia ego tradidi Pelisthæos in manu tua.*

Variæ translat.

Nobilius.

Ecce nos hic in Judæa consistentes.] Superiori cap. ver. 5. *Dixit Gad propheta ad Dauid: Noli manere in præsidio, proficiscere, & vade in terram Juda. Et profectus est Dauid; & venit in saltum Haret*. Hebraicè חרת *khareth*. Adrichomius in Topographia tribus Iuda *Arith* vocat. Accedit is saltus ad montes Seir, & fines Idumææ, in remotissima parte Iudæ situs: si spectes tribum Beniamin, Ceila ferè mediam viam occupat. Itaque is locus, cùm haberet in vicinia Idumæam, & proximum montem Ziph, inaccessis rupibus atque opaca caligine terribilem, & cùm à Saule, tum etiam Palæstinis longa satis locorum intercapedine dissitus esset, illis receptui opportunissimus visus est, qui nollent cum Saule confligere. Dauidi itaque in hoc Saltu commoranti nuntius allatus est de obsidione Ceilæ, quam cùm ferre non posset ab hoste vastari, consulto Domino, iussit, quos secum haberet, ad iter paratos esse: statuisse mox in hostem incurrere. At illi qui decretum non probarent, vt pote cum manifesto

Adrichomius.

Ecce nos hic, &c.

sto periculo coniunctû, eundem student à sententia deducere. *Ecce nos*, inquiunt, *hic in Iudæa consistentes timemus, quanto magis si ierimus in Ceilam aduersum agmina Philisthinorum*? Quid hoc sibi vult? An si Ceilam peterent, tum quoque non erant futuri in Iudæa? Vterque locus cesserat in sortem Iudæ, & vtramque possessionem dudum Iudæi susceperant. Absit igitur, vt Dauidis milites loca contendant, alioquin enim sine ratione contenderent: sed hominum ista est inter se, non locorum contentio: Iudæos conferunt cum Palæstinis. Familiare est cùm sacris, tum profanis scriptoribus, vt incolas metonymicôs appellent nominibus regionum. Hoc igitur se dicere intelligunt: Inter Iudæos, cùm sint fratres nostri & inermes, hac tota regione versamur tamen non sine metu, qua tandem audacia ex his latebris in aciem prodeuntes, cum valido hostium exercitu manum conseremus?

Sola pietas Dauidem meticulosum fecit.

Ergóne hoc verum est, extimuisse Dauid & à periculis exhorruisse? Vsqueadeo mentis eius constantiam & inuictum animi robur opinione imbibi, vt vix ipsi mihi fidem faciant. Illud oppidò ridiculum fuerit, si is hominum vires & impetum formidaret, qui ludum duxerit à prima ætate cum vrsis & leonibus colluctari, & instructum armis æreis gigantem penè puer lapide deiecerit. Veruntamen, ne quid mentiar, illum pietas atque religio meticulosum effecerat, si quando non hostis infestis signis petendus esset, sed Saul necessariò opprimendus occurreret. Illum namque præcipuo semper honore coluit, & tanquam à sacro propter vnctionis religionem abstinere perpetuò decreuerat. Idque non semel experimento comprobauit. Quod cùm ita sit, libet admirari charitatis eius vim maximam, quæ prius quidem intrepidum illum animum, cùm Saul feriendus esset, religione atque reuerentia fregit, & eiusdem insidias horrere ac terga dare coëgit: At mox vt aliorum postulare visa est necessitas, & vrsit præsens incendium, tum easdam planè contempsit, seque in laqueos, vbi opus esset, inducere maluit, quàm vt miseris subsidio non veniret.

Christiani nefas est iniuriæ meminisse.

Cæterùm, vt vides, nemo eorum, qui circa Dauidem essent, de accepta iniuria fecit mentionem: sed periculi duntaxat admonent, ne se imprudens in labyrinthum conijciat. Quàm procul hoc & abhorrens à feritate Anglorum ministrorum, quos ferunt concionantes, si tamen fama vera loquitur, Iacobo magnæ Britanniæ Regi initæ contra eum coniurationis perpetuò refricare memoriam. Nam cùm nobiles quidam Catholici, pertæsi ingentium malorum, quibus impia hæresis labefactare Sanctium constantiam nititur: structis insidijs Regem perdere statuissent, eundem cum plerisque optimatibus in summum discrimen adduxerunt. Sed hæc turbulenta consilia, Ecclesia quidem suis decretis reprobrat, Deus etiam tum irrito conatu esse iussit. Itaque hi ad vnum comprehensi omnes, pœnas capite luerunt. Huius ergo facinoris, quod auersatur Ecclesia, & sempiterna meruit obliuione damnari; quo

A Regis odium in pios concitent, Regem iubent prædicantes, vt aiunt, identidem meminisse. Nec qua conscientia ratione, aut exemplo, tam barbarum morem, & à Christianis institutis alienum permittat, facilè dixerim. At Henrici IV. Francorum Regis inuictissimi auream planè responsionem silentio præterire non possum. Cùm enim à nonnullis de Iesuitarum commentitio scelere admoneretur, respondit: Haud satis Christianè eos facere, qui apud ipsum veteris iniuriæ recordationem repeterent; cùm delicta proximis condonare, atque ex animo vindictæ studium deponere diuina lex iubeat.

Hæreticorum immanis sæuitia.

Audisti quandoque, lector, interroganti cuipiam, quod esset præ cæteris animal ferocius atque crudelius, respondisse philosophum: si B de cicuribus quæreretur, illum esse assentatorem: si de feris, tyrannum. Parcas ingenuè respondenti, neque succenseas: neque enim data opera mentitus est: sed cùm esset rerum nostrarum imperitus, seu potius expers miseriarum, vt sensit, ita loquutus est. At nunc hæreticum hominem vtrumque assentatorem, & tyrannum, feritate superare experientiâ didicimus. In portu Caletensi, quà breuissimè à nobis traijcitur in Angliam, egi annum vnum. Eò tum creber ad nos nuncius afferebatur de ijs, quæ sæuè atque immaniter in Catholicos ab hæreticis exercebantur. Atque illud in primis diabolicæ cuiusdam feritatis argumentum visum est, quod hi, qui ob fidem Catholicam oculis mortalium intereunt, dissimulatâ damnationis causâ, maiestatis palàm accusantur. C Numerabamus opinor tum annum 1616. cùm circa mensem Iulium fortissimus pugil, cuius nunc mihi nomen excidit, martyrij coronam tulit. Is cùm esset in stadium ingressus, frequenti ciuium aliorúmque corona (quæ referam à certo atque oculato teste didici) ducem satellitum iubet crimen edisserat, quod tanto supplicio plecteretur. Ille mox maiestatis crimen obijcit, clandestinas machinationes, & sollicitatos in Regis perniciem Anglorum animos. Verùm hæc Martyr statim mendacij arguit, admonens populum, non aliam ob causam suum sanguinem fundi, quàm quòd Catholicam fidem à maioribus acceptam coleret ac tueretur. Sed hoc impensiùs studet dæmon, ne athletæ Christi pietatis ergo perire videan- D tur. Itaque, quod reis morte grauius esse solet, vt quam ob causam dent pœnas, palàm edicatur, cùm Catholici petant, nullo pacto impetrare possunt. Atqui hoc à Sapore, Christiani nominis hoste crudelissimo, Vsthazanes Persa impetrauit, vt præco clamaret: Vsthazani caput amputari, non quòd vllius improbitatis in palatio admissæ conuictus esset, sed, quòd, cùm Christianus esset, vt Regis voluntati morem gereret, Deum suum negare noluisset. Nec vos vtique hanc gratiam Catholicis negaretis, ô fidei desertores, si non Ethnicis illis tyrannis crudelitate atque amentia superiores essetis. Quid enim crimen retices, qui vitam eripis? Scilicet, famæ parcis, qui publicè condemnas: aut tegis facinus dexteræ, qui non reuelanda

naturæ arcana in lucem producis. Hoc solum vos homines prodit, quod pudet sceleris, quod maximum est in innocentis nece. Sed narrabat ille præterea supplicij belluinam immanitatem, Sacerdotis palàm ac publicè coram pueris innuptísque puellis attrectata atque amputata virilia, dissectum ventrem, auulsa viscera, exenteratum cor. Stupenti, nec præ horroris magnitudine penè fidem adhibenti, tam inhumanam mentem humana effigie contineri posse, statim memoriæ occurrit quod vtcunque persuaderet. Nam S. Hieronymus nonnusquam meminit, Scotos olim (hi nempe ad eandem insulam pertinent) ancillarum vbera, pastorúmque nates in delicijs mensarum habuisse. Quid mirum itaque si tandem posteri atque nepotes, Sanctorum intestina diripiant?

Rursum ergo Dauid consuluit Dominum.] Quorsum hoc? Nunquid non antè iam consuluerat, & responsum quoque non ambiguum acceperat? Dauid quidem oraculo Dei satis iam fretus ac confirmatus erat: sed milites hactenus timore percelluntur. Nos hîc, inquiunt, sumus non sine aliquo terrore. Quod si aggrediamur Palæstinos, infestum hostem à fronte & à tergo experiemur. Verisimile est enim Saulem statim consequuturum: ac proinde etsi Palæstinorum copias profligauerimus, tamen postea cum recenti Saulis milite pugna erit de integro instauranda. His illi moti rationibus, quæ facilè fidem inueniant, si periculi magnitudinem ad iudicij nostri lancem expendamus: Dauidem tentant à suscepto proposito reuocare. Ipse verò qui nosset eos, qui ægrè ac repugnanter tantum negotij capesserent, tametsi apertè imperantium voluntati refragari non possent, segnius tamen opus vrgere, & rarò felicem exitum consequi; cùm ante animos despondeant, quàm in rem præsentem venerint, & difficultatem experiantur: statuit cedendum multitudini, aut militum audaciam diuino testimonio ad spem victoriæ excitandam esse. Quamobrem, cùm sciret humanam consolationem, quam ipse haud dubiè adhibere potuisset, non multùm apud attonitos valituram, denuò ad oraculum confugit. In quo egregium sanè moderati principis exemplum nobis exhibuit. Neque enim, quicquid imperasset, potestatis suæ priuilegio continuò obtinere voluit: sed eorum quoque sententiæ rationem habendam censuit, qui vnà periclitarentur. Quo pacto, sic eorum imbecillitati morem gessit, vt tamen vtilitati non deesset, & graue murmur atque indignationem compesceret. Neque sua consilia temeritatis argui indignè est passus, cùm ipse reliquis omnibus iudicio ac sapientia longè antecelleret, & prophetici muneris prærogatiua, qua diuinitus exornatus erat, non rarò futura prospiceret: sed comitum trepidationi indulgens, eosdem à Deo confirmari maluit, quàm sua autoritate ad officium compelli. Nouerat ipse quidem quantum sui milites imperio ac mandatis suis tribuerent: sed alacriores impendio tum magis fore existimauit, si quæ iuberet, autore Deo præcipi intelligerent. Nam homines planè, quamtumuis

Prudentis ac moderati Principis exemplum.

A licet sapientia præstent, falli nonnunquam necesse est: sola est erroris expers, & quæ nunquam allucinatur, diuini numinis prudentia.

Rursum ergo Dauid consuluit Dominum.] Qua tandem ratione? quo consilio? Ergóne militum suorũ trepidatione ita animo perturbatus est, vt de responsionis veritate dubitaret? Absit, vt quicquam in dubium reuocaret, quod à Deo profectum non ignoraret: quem neque falli, neque verò quemquam in fraudem inducere posse nouerat. Itaque certam atque indubitatam fidem Dei oraculis habebat. Sed verebatur forsitan, ne non mentem oraculi, diuinúmque consilium satis commodè perciperet. Quinimò disertis verbis oraculum responderat, *Vade, & percuties Philisthæos, Ceilamque saluabis.* At subesse conditionem aliquam lateréque suspicatus est, quæ nisi adhiberetur, frustrà esset B conatus omnis futurus. Vt puta, si miles responsis annueret, si prompto atque alacri animo expeditionem susciperet. Nam diuina promissa has ferè nobis leges præscribunt, vt qui earum fructum colligere volumus, dignos nos Dei beneficijs exhibeamus. Nam plures idcirco pollicitis benedictionibus orbati sunt, quòd eas aspernari visi sint, aut etiam ambigere. Numer. cap. 14. Cùm filij Israël exploratorum suorum perfidia territi, desperassent se posse victoriam consequi, quam Deus promisisset, ipsi reuera ab Amalecitis Chananæísque cæsi sunt, & promissæ terræ aditu prohibiti. Iudæi quoque, vt non semel testatur Paulus in Epistolis, idcirco Euangelicæ lucis gratiam non sunt adepti, quòd Prophetarum oraculis, quòd Apo- C stolorum testimonijs credere, atque assentiri noluerunt. Hoc igitur forsan etiam Dauid extimuit, ne Deus militum suorum diffidentiæ succensens, indignos iudicaret qui victoriam reportarent. Sed num illud probabile ducimus, Dauidis milites tam negligenter à prima ætate educatos atque institutos fuisse, vt Dei responsis fidem derogarent? Quod si ita esset, frustrà Dauid iterum Dominum consuleret. Non enim oraculi autoritate pauorem excuterent: sed manifestis rationibus atque argumentis periculi magnitudo eleuanda foret, quo suaderentur in hostem constanter inuadere. Atqui Dauid nihil horum curat, neque argumentationum subsidio vtitur, sed Deum tantùm controuersiæ iudicem adhibet. Quamobrem D sic arbitror, cùm primùm Dauid percontaretur oraculum, hoc statim accepto nuntio, priuatim ac minimè conscio exercitu fecisse. Quem postquam vidit probabili metu ab officio deterreri, studuit diuino potius quàm suo testimonio roborari, præsertim cùm repetita interrogatio oraculi, orationis vim quandam habitura videretur. Non enim idcirco Dauid denuo ad sciscitandum accedebat, quod anceps & incerta foret autoritas prioris responsi, sed quo Deum oraret, vt quemadmodum ipse prius oraculo confirmatus erat, ita & sui rursum eodem beneficio confirmarentur. Deinde, vt ipsi quoque Dauidi visum est, istæ interrogationes erant professiones diuinæ prouidentiæ, ideóque non poterant nó placere Deo.

Vera ratio quamobrẽ Dauid oraculum denuò peteret.

Ita

Ita enim homines declarabant, se non esse ἀθέους, aut Epicuræos: sed scire, Deum videre & gubernare orbem terrarum, & se illi esse curæ. His ego rationibus Dauidem in eam sententiam adductum crediderim, vt nihil alienum se facturum à Numinis cultu ac reuerentia crederet, si in gratiam exercitus oraculum deintegrò peteret.

Dei summa facilitas, & prolixa beneuolentia.

Qui respondens ait ei.] Mirabar Dauidis modestiam, & excelsi animi humilitatem prædicabam; iam verò Dei patientiam quibus laudibus exornem? Num offensus iterata interrogatione obmutuit? Num ἀπειθείαν exprobrauit? aut sua responsa in dubium reuocari conquestus est? sed ne verbo quidem vllo vllam animi offensionem prodidit. Eadem repetit, & hærentes præ metu atque formidine pardis & leonibus animosiores effecit. Deus planè in gratiam infirmorum hominum multa sæpe fecit. Christus in resuscitando Lazaro, non dubitabat patrem omnia velle sua causa. Tamen ita clarè orare voluit, vt omnes intelligerent se patrem habere propitium. Ita Deus Gedeoni semel atque iterum petenti signum non negauit. Non tamen semper infirmis cedendum est: sed docendi sunt, vt in fide robustiores euadant. Quod si abutantur nostra patientia, aut si fides infirmetur, aut dogmata laxentur, fortiter agendum est, vt Paulum scimus egisse: qui cùm aliàs in circuncidendo Timotheo Iudæis consenserit, in Tito tamen, vt idem testatur ad Galatas, *nec ad horam cessit subiectione, vt veritas Euangelij permaneret.* Zachariam Angelus linguæ beneficio multauit, quòd nuntij fidem visus esset in dubium reuocare.

Surge, & vade in Ceilam.] Vrget nunc, nec vltra deliberandi licentiam indulget. *Surge,* inquit, propera, moras omnes abrumpe: iam enim tempus est vt auxilium feras: acrius instat hostis, nec Ceilenses vim sustinent. Apparet quàm illi Deo curæ fuerint. Horum gratia prius cùm tutò apud Moabitas Dauid in præsidio esset, Moabitarum finibus excedere iussit, & in Iudæam repedare. Subinde verò, postquam vis inimica irruit, & mœnia Palæstinus obsidet, maturare auxilium iubet, & priusquam ipsi damnum acceperint, ocyus subuenire. Itaque nunc illum acrius pungit, & stimulat. *Surge, Vade. Quod si* quandoque, inquit propheta, *moram fecerit, expecta eum: quia veniens veniet, & non tardabit:* Nam simili quoque reliquos omnes cura ac sollicitudine complectitur.

Ego enim tradam Philisthæos in manu tua.] Cunctantem interrogat, Quid enim times? Ego quadrupedes illos constrictos, vnguibusque ac dentibus exarmatos, iugulandos tibi exhibebo, terrore concutiam, robore atque audacia priuabo. Quàm non futura sit ardua ac difficilis victoria ostendit, simulque docet, cui potissimum Deo an hominibus victoriæ felicitas accepta ferenda sit. *Non enim*, inquit Dauid, *in arcu meo sperabo, & gladius meus non saluabit me. Saluasti tu ipse nos de affligentibus nos, & odientes nos confudisti.* Et Psal. 43. *Nec enim in gladio suo possederunt terram, & brachium eorum*

A *non saluauit eos: sed dextera tua, & brachium tuum & illuminatio vultus tui, quoniam complacuisti in eis.*

VERSVS V.

Abijt ergo Dauid, & viri eius, in Ceilam, & pugnauit aduersum Philisthæos, & abegit iumenta eorum, & percussit eos plaga magna: & saluauit Dauid habitatores Ceilæ.

Variæ trāslationes.

ET *pugnauit aduersum Philisthæos.* Græci pluribus: καὶ ἐπολέμησε τοὺς ἀλλοφύλους καὶ ἔφυγον ἐκ B προσώπου αὐτοῦ, *& debellauit Philisthæos, & fugerunt à facie eius, &c. Et abegit iumenta eorum.*] Græci similiter, καὶ ἀπήλασε τὰ κτήνη αὐτῶν, *& abegit iumenta eorum, &c.* Aldus, καὶ ἀπήγαγε eodem sensu. Chaldæus, *& accepit pecora eorum, &c.* Pagninus, *Et pugnauit cum Pelistæis, & duxit pecudes* (Arias, *acquisitiones*) *eorum.* Hebraicè מקניהם *miknehem.* מקנים *miknim, pecora, seu possessiones pecorum & animalium.* Fœmin. מקנה *miknah, acquisitio, emptio;* à verbo קנה *kanah,* quod est *acquisiuit, possedit,* quoquo modo, generatione, industria, labore, pretio, præmio, &c. Quidam legit, *& abegit pecora eorum:* ac mox interrogat: Et numquid pecora fuerunt in pugna, quæ abigere potuit Dauid? Respondent Hebræi, quòd Dauid & viri eius post partam victoriam, insequuti sunt fugientes Phe- C listhæos, vsque in terram Phelistæorum, & hinc abduxerunt pecora & aliam prædam. Denique Vatablus etiam habet *pecora.* Et, *abegit,* è Palesthina scilicet: nam illuc vsque fugientes persequutus fuerat. Vel, pecora quæ secum adduxerant ad alendum exercitum.

Isidorus Clarius.

Abijt ergo Dauid & viri eius in Ceilam.] Apparet manifestè quo animo antea fuerint. Nam simulac Dei voluntatem perspectam atque exploratam habuerunt, continuò proficiscuntur, & hostem petunt. Ex quo facilè conijcias, non dei iussis refragari, sed de ijsdem cunctando certiores fieri voluisse. Mox igitur vt Dei mens, oraculo prodita, planè innotuit, ignauum pauorem exuunt, & ad Palæstinorum castra conuolant, acies armatas irrumpunt, te- D lis ordines conturbant: & ne putes sine sanguine stetisse victoriam, aut nactos esse qui primo impetu fracti pedem referrent, manus conserunt, instant, vrgent, propellunt, confodiunt, nec antè cædere desistunt, quàm stragem maximam ederent. *Et pugnauit,* inquit, *aduersum Philisthæos, & abegit iumenta eorum, & percussit eos plaga magna, & saluauit Dauid habitatores Ceilæ.* Scriptura quatuor notanda obseruat. Primùm, pugnam esse commissam. Deinde, abacta esse armenta & pecora. Tertiò, Palæstinorum cædem plurimam esse factam. Denique solutam obsidione Ceilam, ciuésque periculo ereptos. Primùm igitur atrox & sæuum prælium initum est. Non enim eò Palæstini ad expugnandam vrbem imparati venerant,

Non incruenta victoria.

ABIIT ERGO DAVID, &c.

aut fusi per agros & dispersi vagabantur, & prædonū more palantes passim volitabant: sed agrarijs ac prætoriis stationibúsque dispositis pars oppidū tentabat irrumpere, pars prædam conuectabat, pars armentis præsidio erat, à quibus Ceilensium segetes depascerentur: complures etiam, vt qui in hostico versarentur, armis instructi atque agmine composito aduentum hostium expectabant, ne quis superuentus eos opprimeret. Itaque, cùm instructam aciem Dauid nactus esset, prælio dimicandum fuit. Eo autem grauius certamen extitit, & vtrinque maiore pertinacia certatum, quod vtraque pars certo sibi victoriam promitteret. Nam Israelitæ quidem cùm diuinum responsum accepissent, ferocius in hostes irruebant, séque futuros superiores minimè dubitabant. Palæstini verò, cùm eorum paucitatem contemnerent, eo animosius resistebant: confidebant enim se posse, cùm plures essent, paucorum temeritatem contemnere. Inde factum est, vt cùm maximis vtrinque viribus atque animis pugnaretur, Palæstini maiorem cladem acciperent. Ast vbi iam manifestè victoria ad Iudæos inclinare cœpit, & Palæstini strage suorum attoniti pedem referebant, tum his in fugam versis, victor exercitus in armenta incurrit.

Et abegit armenta eorum.] Chaldæus, *Et accepit pecora eorum.* Sunt qui ouium greges, & armenta boum interpretentur, quæ ad alendos exercitus castra sequi solent: & sic abegisse, vt sibi illa Dauid suisque vendicaret: erant enim hostium propria. Nec hoc fieri potuisse negauerim, quod fam.li re est omnibus ex rctiribus, maximè qui semotis regionibus bellum inferunt, ne hostium studio ac diligentia comportatis in arces frugibus peregrinus miles inopia laboret. Veruntamen, cùm hoc tempore Palæstini non procul abessent à suis finibus, & ad diripiendas vicinorum areas, siue ad inferendam agris vastitatem se contulissent, ego sic arbitror, eò sua pecora atque armenta adegisse, non vt ijs vescerentur, & militi cibaria suppeterent: sed vt Ceilensium segetes quà corrumperent quà deuorarent, messis certè spem omnem præciderent, atque ad deditionem compellerent. Hoc fecisse prius Madianitas Iudic. liber commemorat cap. 6. his verbis: Cùm peccasset Israël, *tradidit illos Dominus in manu Madian septem annis, & oppressi sunt valdè ab eis. Cùm seuisset Israel, ascendebat Madian & Amalech, cæterique Orientalium nationum: & apud eos figentes tentoria, sicut erant in herbis cuncta vastabant vsque ad introitum Gazæ: nihilque omnino ad vitam pertinens relinquebant in Israël, non oues, non boues, non asinos. Ipsi enim & vniuersi greges eorum veniebant cum tabernaculis suis, & instar locustarum omnia complebant, innumera multitudo hominum, & camelorum, quidquid tetigerant deuastantes. Humiliatúsque est Israel valdè in conspectu Madian.* Porrò sicut cum Gedeon profligato exercitu Madian, filios Israel in libertatem asseruit, & à satis eorum pestem illam depulit: ita & nunc Dauid fusis fugatisq; Palæstinis, etiam eorum iumenta procul ab

Quæ iumenta Dauid abegerit.

A arcis Ceilensium amol tus est. Quo pacto Dominus non tantùm Ceilensibus prospexit, & Palæstinos vltus est: sed Dauidi totius populi amorem beneficijs fama conciliauit, & eundem rerum omnium egenum gloria & opibus locupletauit.

EPHOD SECUM, &c.

Et percussit eos plaga magna.] Postquam scilicet Dauid primam eorum aciem, quæ irruentis vim & impetum aliquantisper sustinuerat, in fugam vertisset: tum reliquos, qui pascendis gregibus vastandísque frugibus operam dabant, aut prædæ cumulis incubabant, pariter confecit. Itaque pabulatorum ingentem numerum, lixarum item & calonum, & eorum qui ad sarcinas & impedimenta restabant, necnon & eorum qui cur.ndo corpori, armis positis, vacabant, ferro demessuit, & vrbem exi-
B tio iam proximam periculo liberauit.

VERSUS VI.

Porrò eo tempore, quo fugiebat Abiathar filius Achimelech ad Dauid in Ceilam, Ephod secum habens descenderat.

Ephod secum habens descenderat.] Pagninus, *Cum Ephod descendit in manu sua.* Arias mouet illud *cum*, & scribit simpliciter *Ephod descendit in manu sua.* Quidam, vt *descenderet cum amiculo in manu sua.* Alius, *vt secum deferret manu sua Ephod.* In Hebræo habetur sic: *Ephod*
C *descendebat in manu sua.* Kimhi tamen exponit יָרַד *iarad*, pro הוריד *horid*, id est, *portauit*: licet magis probet, si יָרַד *iarad* capiatur in neutro genere. Nam inter cætera, quæ sacerdos secum detulit, descendit etiam per manū eius ephod, quod ignorans, & fortè fortuna inter alia arripuit. Eamdem sententiam amplectitur & Vatablus. *Contigit*, inquit, *vt & ephod in manu eius descenderet.* Quod sic explicat in Schol. Vel, incideret, quasi dicat, Fortè fortuna, & non dedita opera secum detulerat ephod, & posuerat inter sarcinas suas. Ita Vatablus. Mihi verò non fit verisimile, rem tantam tam negligenter haberi potuisse, vt dum raptim sarcinas componeret, casu in sacram vestem incideret; quin potius videtur ea phrasis singulare sacer-
D dotis studium ac religionem designare: qui cùm reliquam supellectilem, & necessarium commeatum in iumenta imponeret, sacram vestem haud aliter quàm propria manu tulerit: aut etiam, si nihil præterea rerum suarum auferre licuerit ob repentinum carnificis aduentum, speciosissimum tamen pontificis ornatum, qui solus commodè dum properat asportari potuit, clàm subduxerit, proprijs manibus baiulans, cùm publicæ religioni, tum priuatæ familiæ suæ dignitati consulens. Nec abhorret Chaldæus ab ea sententia, cùm ait: *Ephod descendere fecit in manu sua.* Nec item Græci, quorum hæc est interpretatio: κατέβη ἔχων ἐφοὺδ ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ, *descenderas habens ephod in manu sua.*

Variæ trāslat.

Quo pacto intelligendus Abiathar Ephod tulisse in manu sua.

Ephod

EPHOD SECVM HABENS, &c.

Ephod secum habens.] Et vnde acceptum? E tabernaculo. Nam ibi tum asseruari solitum docet Achimelech Sacerdos suprà ca. 21. v. 9. *Ecce*, inquit, *hic gladius Goliath Philisthaei, quem percussisti in Valle Terebynthi, est inuolutus pallio post Ephod.* Erat tum, vt arbitror, penes Sacerdotem, & illum, cùm opus esset, promebat, & induebat ad consulendum Dominum. Posteris temporibus, postquam is ornatus afflari numine desijt, & haberi velut quoddam principatus insigne, cui rerum summae praeessent, illum habere in sua potestate voluerunt. τὴν ἱερατικὴν στολὴν Iosephus vocat Antiquit. Iudaic. lib. 15. cap. 14. De cuius custodia haec habet: In Septentrionalis lateris (templi) angulo arx erat firma, & bene munita, opus Asamonaeorũ, qui gentis Sacerdotium simul & principatum tenuerunt, & turrim id vocauerũt, repositorium stolae Pontificiae, quę non promebatur, nisi Põtifice sacris operaturo. Hãc Herodes in eodem loco asseruauit, post cuius obitum in Romanorum potestate fuit, vsq; Tiberij Caesaris tempora. Eius principatu Vitellius Syriae praeses à Hierosolymitis honorificẽtissimo hospitio receptus, quò gratiam eis referret, vt iuxta sua postulata ipsi haberent sacrae stolae custodiam, à Caesare impetrauit: fuerúntq; Iudaei eius custodes vsque ad Agrippae Regis obitum. Post quem Cassius Longinus praeses Syriae, & Cuspius Fadus Iudaeae procurator, iusserunt eos denuò stolam in Antoniam deponere (hoc arci nomen in gratiam Antonij Herodes indiderat) dictitantes debere eam in Romanorum potestate esse, quemadmodum & antea. Missi sunt hac de causa legati ad Claudium Caesarem, deprecaturi talem necessitatem: vbi inuenerunt iuniorem Agrippã, cui petenti concessa est stolae custodia, scriptis de hac re ad Vitellium literis. Olim autem fuerat sub sigillo Pontificis, & praefectorum gazophilacij, qui pridie solennis festiuitatis adibãt arcis & praesidij Romani praefectum, & recognito prius sigillo stolam accipiebant: ac mox peracto festo, reportatam in eundem locum, & in conspectu arcis praefecti obsignatam deponebant: quod quidem hoc loco propter toties variatum morem admonere visum est. Hactenus Iosephus.

Iosephus. Ephod, seu potius post ephod stola Pont. sicca à Principibus studiosè asseruata.

Hęc porrò ratio Ephodis auferendi Abiatharo fuisse videtur, vt sibi Põtificatus dignitatem conseruaret. Verebatur siquidẽ ne si in Regis potestatem veniret, cùm is suo generi infensus esset, sibi quidẽ Sacerdotium, quod haereditario iure sortiebatur, abrogaret; Ephodem verò cũ Pontificatus pręrogatiua ad aliã familiã transferret. Neq; enim alia praeter hanc sacra vestis erat, in qua suum munus Pontifex obire posset. Hanc solã Moyses ex praescripto Dei, augusto prorsus artificio elaboratam, solenni ritu sacrauerat, quã interpolare non licuit: sed quisquis in demortui locũ sufficeretur, eandem vtẽdam accipiebat, successori pariter relicturus cùm è viuis excederet. Cùm itaq; nosset Abiathar absque ea veste summũ Sacerdotẽ inaugurari non posse, & eum qui eo cultu ornatus esset, si non deesset stirpis origo, & species tanto digna ministerio, iure successionis sacrum magistratum

Quam ob causam Abiathar sacram vestem auferre studuerit.

A inire posse: contẽptis rebus pretiosissimis, hanc sibi optatissimam sarcinam quam asportaret elegit. Neque hocin antiquo illo & vmbratili Sacerdotio miror, siue is cultus humanae naturae, quã sibi Dei filius asciuit, figura esset: siue Christi Ecclesiã repręsentaret: nam & haec vna est, & illã, *vt semel assumpsit nunquã postea dimisit.* At illud nõ miror modò, sed execror, si quis putet noui Sacerdotij potestatem vllo vestis genere obligari. Tametsi enim, ne nũc quidem mysticę operationis ceremonias cõmodè obire possis absq; solenni pompa, ipsae tamen vestes Sacerdotium non cõmendant, nec operãdi sacris autoritatẽ tribuunt: aut diuina institutione ad Sacerdotij mysteriũ pertinẽt: sed sunt ab Ecclesia ad excitandam passionis memoriã, & incendendos caelesti amore animos prudẽti con-

B silio cõparatae. Nec verò earum, quibus in Ecclesia Latina vtimur, mysteria persequar, cùm passim occurrãt qui eas sedulò interpretentur: sed pauca exempli causa è Graecorum fontibus delibabo.

Sacrarum vestium in Ecclesia allegoria.

Sticam vocant tunicam, quae vestis sacra interior iam olim fuisse videtur. Glossae Isidori *stica*, tunica. Glossae veteres Graecolatinae στιχάριον, tunica. Glossae Seruij, *Allix*, στιχάριον. Huius meminit in Liturgia S. Chrysost. Subinduebatur illa *penula*, quam etiam φαινόλιον dicunt. Codinus, φορεῖ μὲν τὸ σωμάτιον αὐτοῦ στιχάριον, φορεῖ δ' ἐπ' αὐτῷ καὶ φαινόλιον. Erat itaq; *stica* interior, *phelonis* exterior. Alba erat. Coloris rationẽ exponit S. Germanus in Hist. Eccl. τὸ μὲν στιχάριον λευκὸν ὂν τῆς θεότητος τὴν αἴγλην ἐμφαίνει, καὶ τὸ ἱερέως τὴν λαμπρὰν πολιτείαν. Splẽdorem enim diuinitatis &

C Sacerdotis lucidam politiã prae se ferebat. Vndulata praeterea erat, & triangulis hinc inde distincta quae Γ. litterã referrent; & ideo γαμμάδια dicta. Haec ita interpretatur Balsamon De priu. Patriarch. τὰ μὲν ποτάμια στιχάρια δηλοῦσι τοὺς κρουνοὺς τῶν αἱμάτων καὶ τῶν ὑδάτων, τοὺς ἐκ τῆς πλευρᾶς ἀποπηδήσαντας. τὰ δὲ τρίγωνα γαμμάτια, τὸν ἀκρογωνιαῖον λίθον Χριστὸν τὸν ἐκ δύο τὰ διεστῶτα συνάψαντα. Fluuij, inquit, illi seu vndae, quae in stica ludunt, salientes scatebras sanguinis & aquae è latere Domini non obscuro cultu celebrant. Triangulae figurae Angularem Christum lapidem, qui fecit vtraque vnum, repraesentant. Erant quoq; lora diuersa: haec in manu, illa transuersa. Ad scopum eius ceremoniae collimat S. Germanus in Hist. Eccl. Τὰ δὲ λωρία τοῦ στιχαρίου τὰ ἐν τῷ χειρί εἰσιν

D ἐμφαίνοντα τὰ δεσμὰ τοῦ Χριστοῦ, &c. Vincula manuũ, Christi vincula referunt, quibus tum alligatus est, cùm vinctus ad Caipham & Pilatum duceretur. Τὰ εἰς τὸ πλάγια, &c. transuersa sanguinem in cruce manantem. Demetrius Chomatenus in Respub. annotat, statis temporibus etiam purpureis sticharijs Sacerdotes vsos, sicut & Patriarchas. Sed in Patriarchis quidem purpura principatus symbolum fuit; Sacerdotes & diaconi purpurã luctus signũ habuerunt.

στιχάριον.

Φελώνης à nonnullis pallium exponitur. Detortum est vocabulum ex φαινόλης, transpositis & commutatis litteris. Constantinus Cabasilas in Quaest. ἐν μὲν τῷ στιχαρίῳ τοὺς ποταμοὺς, ἐν δὲ τῷ φαινολίῳ σταυρούς. Habuisse docet pallium cruces intertextas, vti & stica fluuios. Color illi purpu-

Φελώνης.

EPHOD SECVM HABENS, &c.

reus & alb⁹. De crucibus idē Germanus, [Greek] Nihil aliud significari, quàm Christum ita quódam sibi crucem baiulasse. Ostentare ait Balsamon De priuil. Patriarch. [Greek], Crucis virtutem & gloriam. De purpura S. German. Illam nobis ob oculos purpuram obijcere, quam Christus illudentibus impijs in passione tulerit. Sed de his satis, quæ alio atque alio modo ad arbitrium Ecclesiæ variari potuerūnt. Cuius etsi autoritatem in constituendis religionibus aspernari nefas sit, nequaquam tamen his vestibus alligatum Sacerdotiū intelligimus, aut sine his exerceri non posse; cùm interpolare, aut etiam rescindere, & nouas ceremonias præscribere ministrantibus Ecclesia possit. Quàobrem non sine causa S. Bernardus in Nigellum inuehitur, qui furtim raptis nonnullis Ecclesiæ Ardinachanæ insignibus, Episcopatum sibi arrogabat. Nigellus, inquit, ex infelici prosapia, ille incubator Ecclesiæ Ardinachæ, videns sibi imminere fugam, tulit secum insignia ædis illius, textum scilicet Euangeliorum, qui fuit B. Patricij, baculúmque auro tectum, gemmis pretiosissimis adornatum: quem nominant baculum Iesu, eò quòd ipse Dominus (vt fert opinio) eum suis manibus tenuerit atque formauerit. Et hæc summæ dignitatis & venerationis in gēte illa. Nempe notissima sunt celeberrimáq; in populis, atque in ea reuerentia apud omnes, vt qui illa habere visus fuerit, ipsum habeat episcopum populus stultus & insipiens. Ibat homo gyrouagus, & alter satanas circuibat terram, & perambulabat eam, insignia sacra circumferens: quæ vbique ostentans, vbiq; eorum gratia receptabatur, concilians sibi per hæc animos omnium, & à Malachia quoscunque potuisset auertens, donec multos seducens, per vim insignia reddere coactus est. Hæc S. Bernardus.

Sacris vestibus non alligatur Euangel. Sacerdium. S. Bernard. in vita S. Malachiæ.

Infelicem autem Nigelli prosapiam idcirco S. Bernardus prædicat, quòd ea iam annos fermè ducentos, vt inquit, quasi hæreditate possederat sanctuarium Dei. Execranda, ait, successio decursis iam in hac malitia quasi generationibus quindecim, eò processerat, vt deficiētibus Clericis de sanguine illo iā octo Episcopi vxorati, & absq; ordinibus, literati tamen, sedem illam occupasse dicerentur. Hoc profectò semper Ecclesia modis omnibus execrata est, & tanquā sacrilegiū à se detestata, si quisquam velut hæreditario iure Ecclesiæ sibi possessionem vēdicaret. Idque cùm nemo sit qui dirum scelus esse non fateatur, miror quæ tandē nonnullorum mentes vesania occuparit; vt quod olim quisquam suorum beneficium obtinuerit, siue Episcopatus ille sit, siue Abbatia, tanquam suæ familiæ debitum post obitum possessorum repetant, nec, si qua apud Principes autoritate, terrore, gratia valeāt, patere aditum idoneis & de Ecclesia benemerentibus sinant. Itaq; puerulis videmus adhuc in cunis vagiētibus Abbatias adscribi: nonnunquam etiam Episcopatus & Archiepiscopatus; & mercenarios institui, qui gregem Domini pascant, dum puero quidē

S. Bernardus execrandam prosapiam vocat, quæ hæreditate possidet sanctuariū Dei.

A butyro & lacte os tenerum alluitur: aut pila ludit, si fortè vegetior est: aut à scurris illuditur, & luxuriosa familia Christi patrimonium dilapidat. Quod ego tametsi quęram studiosissimè, non tamen inuenio quo pacto à sacrilegio excusari possit. Nā si hæc vllo iure defendi queāt, necesse est Episcopos esse posse, qui sint non tantùm à sacris ordinibus alieni, sed etiā rationis expertes: aut tametsi non sint, Episcoporum tamen stipendia, & Ecclesiasticę functionis emolumenta, quæ primùm iure diuino, deinde & iure gentium, autoritate contractuum, laborantibus debentur, ne opus quidem intelligentibus gratis donari posse. Et hæc tanti esse debere quis non iudicet, vt propterea Apostolicis electionibus autoritatem abrogaremus, & Ecclesiam tanquam sub iugum missam, & plerisq; B locis legitimis orbatam pastoribus, potentioribus ad suam libidinem vexādam proderemus?

At meminisses, inquis, primā huius mali labem ab electoribus quondam esse profectam. Nam Remenses, vt Flodoardus autor est Hist. Remens. Eccl. lib. 4. c. 20. Hugonem Heriberti Comitis filium necdū quinquennem elegerāt. Papæ! quàm opportunum malo remedium attulistis. Quinquēnis vnus semel electus est; vos in dies singulos non emensos quinquennium, sed à bimatu & infra, credo vt æquales habeantur Innocentiū, Ecclesiæ Dei præficitis. Cæterùm quid electionis vnius vitiū obijcitis? Liberum erat Summo Pontifici, tū habere rationem suffragiorū, tum electi designationem aut sua autoritate probare, aut rescindere. Quàobrem C etiam Cardinalis Baronius, qui hanc historiam refert in suis Annal. ad ann. Domini 925. Tom. 10. nō tam ipsos electores accusandos censuit, quàm illam belluam, quæ per id temporis Petri sedem occuparat, quæ hanc electionem valere iussit. Accipe tanti viri inuectiuam in hanc pestem orationē. Vidisti Lector, inquit, cuius autoritate Pontificis (si tamen ipse Pontifex est dicendus) id primùm fuerit introductū in Ecclesia Dei, Ioannis decimi, quo turpior nullus, cuius sicut ingressus in cathedrā Petri infamissimus, ita & exitus nefandissimus. Non ista Nicolaus vel audire tulisset, aliquisue alius legitimè electus Pontifex, sed opus illo dignū, quem infamis fœmina, infami opere in Petri soliū intrusisset. At verò quod in tanta Ecclesia malè fuit à malo Principe vsurpatū, in exēplum citò D transijt aliorum, vt cōplures huius seculi Principes sibi sanguine coniunctos adolescentulos in summas cathedras curauerint promouēdos, quod hoc ipso seculo non sine magno dedecore factum etiam Romæ, Constantinopoli, & in alijs præclaris ciuitatibus, inferius dicturi sumus. At vtinam quod hoc seculo ortum, cum eodem sæculo fuisset extinctum, & non in posteriora sæcula propagatum tantum nefas, quo iura omnia Ecclesiastica sauciantur. Hactenus Baronius. Qui iure idcirco illi monstro, quem dubitat fuisse Pontificem, tantum facinus exprobrat & vitio vertit, quòd nullam vim eligentium vota obtinerent, donec ad ea Pontificis autoritas accederet. Nunc quid fiat palàm cernimus. Vnde labefactatam Pontificis autoritatem

EPHOD SECVM HABENS, &c.

Flodoardus.

Quinquēnis electus episcopus.

Baronius.

autoritatem colligimus, quòd pleraque, quæ à S. Sedis pietate ac religione abhorrent, minimè probaturum intelligamus. Nam si nominatus repulsam ferat: aut sanè ne illud quidem studeat, vt sacris mysterijs initietur, accedit manceps qui opus redimat, seu potius ne opus quidem faciendum redimat, sed qui leui mercede ad scelus suum nomen accommodet. Nonnullos etiam nouimus qui se nominatos Episcopos appellarent, & in iacentem Ecclesiam insultarent: quiq; de fide suspecti, cùm patere sibi aditum ad sacræ dignitatis apicem posse desperarent, eo nomine contenti, impetrato, quod aiunt, œconomatu, quod quærebāt, temporalia bona sæculi potentia vsurparent. Ex quo facilè conijcias, Ecclesiasticis quondam electionibus quantum hæc seculi Principū nominatio præstet. Illa porrò Hugonis pueri electio quam libera fuerit; & à seculari tyrannide aliena, satis colligi posse videtur ex ipsiusmet Flodoardi historia: qui idcirco cū plerisq. alijs beneficij sui possessione priuatus est, quòd absens suffragiū non tulisset. Neque verò mox eiusdē electionis ratio habita est, cùm abdicato puero Artoldus suffectus sit: quem cùm ille in virū euadens deturbare postea conaretur, nihil quidem efficere potuit, à Synodo autem anathemate deuotus est.

Flodoard. lib. 4. c. 24.

Ibidem cap. 35.

Quandoquidem autem iamlongius quàm optaremus doloris æstu prouecti sumus, & eò delapsa est oratio, vt de Ecclesiæ calamitate cum plerisque, qui eandem lacerāt, expostularemus, addā de antiquatis electionibus quid senserit, & scripserit Martinus Cromerus VVarmiensis Episcopus De rebus Polonor. lib. 25. quibus non sine grandi nō modò Ecclesiasticæ authoritatis, verumetiam religionis & reipub. iactura vim allatam docet. Etenim, inquit, donec liberæ Sacerdotum electioni in creando Episcopo locus fuit, fuit tamen aliquod bonorum & malorū, dignorum indignorúmque discrimen, cùm Sacerdotes sumptis reuerenter tremendis Christi mysterijs, iurati de futuro Episcopo ferrent suffragia. Virtute, doctrina, & pietate tunc ambiebatur, plus quàm fautoribus, aut necessariorum precibus, aut mulierum blanditijs atque lacrymis, aut splendore comitatus, aut apparatu conuiuiorum, & compotationibus, aut commendatione generis & familiæ, aut assentatione, & sacerdoti indecoris ministerij, aut etiam largitione. Vigebat igitur disciplina Ecclesiastica: minus sibi permittebant ij, qui Episcopi fieri cupiebant: seruiebant famæ & existimationi: & non modo reprehensionem collegarum, sed etiam sinistram cuiusuis suspicionem cauebant. Episcopi verò facti, nihilóminus pro fratribus ducebant collegas dudum suos: in consilium eos de rebus maioribus adhibebant, plurimúmque reuerebantur: & officium suum nauiter faciebant, memores quid solenni & seriò dato iureiurādo recepissent. Ad aulas Principum quoties veniebant (veniebant autem rarius, nec tam sua suorúmue quàm publicæ vtilitatis gratia) de via ijs decedebatur, assurgebatur, omnísq; honos habebatur, & quasi numinibus quibusdā tantùm non ad genua procumbebatur, ab ipsis etiam Principibus. Porrò in consilijs de repub. in iudicijs, in defendendis ac vindicandis bonis & hominibus Ecclesiasticis, pupillisque & viduis, denique in admonendis & corrigendis non modò infimis & mediocribus, verumetiam primoribus, atque adeò regibus ipsis liberæ erant eorum voces & sententiæ, singularis dignitas, summa autoritas. Non inhibebat vocem accepti beneficij memoria, non spes futuri. Nec eleuabat autoritatem dicentis aut arguentis ambitio, & conscientia audientium: nec metus aut inscitia dignitatem deprimebat. Non erat necesse Episcopo & Sacerdoti pro foribus cubiculi regij inter scurras & vilia ventris mancipia assidere: nec sannas & scommata leuissimorum quorumcunque ferre: non turpiter & indecorè adulari & adblandiri non modò elegantioribus istis cubiculi & mensæ regiæ administris, vt aliquam tandem ij vel ioco mentionem absentis apud regem facerent: verumetiam satellitibus, ianitoribus, ne dicam etiam horum amicis, & concubinis, matellionibus, morionibus, ac cæteræ fœci aulicæ, atque ipsis denique catellis principum. Itaque florebat tum respub. florebat religio, florebat ordō Ecclesiasticus, florebant scholæ & Academiæ, sacerdotum & episcoporum seminaria: splendescebant templa. Aulæ verò principum, horum præceptis & exemplis institutæ, vrbanitatis, virtutis, fortitudinis, prudentiæ, modestiæ & pudoris erant officinæ: non fastus, ignauiæ, ebrietatis, libidinum, temeritatis, impudentiæ, & omnis nequitiæ & impietatis ganeæ ac barathra. Nunc sublata electione, hęc & multò plura alia mala bonis illis successerunt, & in domos ac familias, atque adeo in ipsa intima cubicula episcoporum, nedum in profanorum principum aulas inuaserunt, simulque dignitas sacerdotum, indecorè emerendo & emendo fauore etiam abiectissimorum viluit: labefactata est autoritas: nutat, ne dicam ruit Respub. religio prostrata penè concidit. Quæ omnia principes non tam episcopis debent imputare, & sacerdotibus, quàm sibiipsis, qui nuncupandorum episcoporum ius, sacris collegijs ereptum, sibi vsurparunt. Nam vt nihil perperam ij faciant, nihil affectioni cuiquam indulgeant, sed eadem illa omnia, quæ iurati sacerdotes in electionibus episcoporum habere solent, ob oculos habeant, certè longe facilius vnus aliquis, & is quidem alienis ferè oculis & auribus sentiens & iudicans, errat & fallitur, quàm multi graues, acuti, & multarum rerum periti: & aliud is plerunque spectat, quàm quod potissimum spectandum est in deligendo episcopo: & verò expeditius est, vnum quàm multos corrumpere. Tametsi magna, ne dicam præcipua huius rei culpa est penes Pontifices Maximos, mea quidem sententia: qui nisi electiones collegiorum primi labefactare aggressi essent, nunquam eo audaciæ reges prouecti essent. Sed nos inutili deploratione omissa, ad rem redeamus. Hæc omnia Cromerus.

Martinus Cromerus.

Abrogatis electionibus quanta calamitas Ecclesiam inuaserit.

De Ephode.

EPHOD SECUM HABENS, &c.

A Sacrum illum ornatum atque adeo illius vsum iam sæpius descripsimus, præsertim verò cap. 2. ver. 18. & 28. & cap. 14. vers. item 18. Occurrunt tamen non pauca quæ attexamus; hic quidem de illius materia, & schemate; einsdem postea vsum modumque, qui haud facilè deprehendi potest, inuestigaturi.

Ephodis forma describitur. *Ephodem* itaque Philo, lib. 2. de Monarchia, ὑφασμα θωρακοειδὲς vocat, thoracem seu vestem instar thoracis, quæ thoracis formam imitaretur. Iosephus ἔνδυμα τοῦ στήθους, pectoris indumentum. Facit autem illum Græcanicæ epomidi similem. Tostatus eundem confert cum scapulari Monachorum, nisi quod eo breuior fuit. Caietanus loricæ comparat, quæ vtranque partem corporis ab humeris ad vmbilicum tegit. Circa hanc regionem Ephod baltheo astringebatur. Vestis erat, ait Vatablus, extima, breuissima, quæ manicis carebat, & quodammodo arctabat, & constringebat laxitatem interiorum vestium. S. Hieronymus accessisse refert ad modum caracallarum, sed absque cucullis: quod miratur Salianus ad Ann. Mundi 2544. Lampridius enim & Sex. Aurelius vterque in Antonin. Caracal. eius generis vestes talares asserunt. Sed primùm fieri potest, vt longitudinis S. Hieronymus non habuerit rationem. Deinde, haud mihi fit verisimile, Antoninum milites, maximè qui pedibus incederent, tam incommoda veste impedire magis quàm ornare voluisse. Postremò Dion Cassius in eod. Anton. Caracal. cùm esset æqualis eorum temporum, ea forma caracallas describit, quæ mirificè cum Ephod conueniat. Τὴν ἰδίαν ἐσθῆτα βαρβαρικὴν τινα κατατεμὼν καὶ συρράψας ἐς μανδύης τρόπον, ἐπεξεῦρεν. Proprium, inquit, genus, indumenti, in modum penulæ excogitauit: id barbarum, discissùmque, & consutum erat ex multis partibus. Eóque indutus erat semper, ὥστε καὶ καρακάλλας διὰ τοῦτο ἐπικληθῆναι, &c. ex quo Caracallus cognominatus est, iussitque militibus, vt se eodem genere vestis induerent. Hæc Xiphil. Discissum illud caracallæ in Ephode agnoscere videtur Montanus, cùm scribit, Vtramque partem anteriorem & posteriorem ad humeros coniunctas, cætera verò solutas fuisse, quæ vt corpori hærerent, baltheo cingebantur. At præter hæc Iosephus Ephodi τὸ διάκενον, καὶ τὰς χειρῖδας tribuit, lacunam in medio pectore, & manicas. Ephod, inquit, ex varijs coloribus auro intermixto ita contexitur, vt circa medium pectus lacuna quædam relinquatur, manicis quoque ita extantibus vt planè tunica appareat. Lacunæ verò inseritur frustum amplitudine palmi, auro eisdémque coloribus quibus Ephod variegatum. id vocatur *Essen*, ac si dicas rationale: quod ita quadrat, vt adamussim spatium illud circa pectus à texente relictum expleat. Id committitur cum tunica annulis aureis per singulos angulos ex oris tunicæ ac essenis extantibus, intercurrente tænia hyacinthina, &, ne quid inter circulos hiet, filo hyacinthino suturam siue commissuram explente. Hactenus Iosephus.

Salianus Annal. Tomo 2. à num. 510.

Dio Cassius.

Forma Caracallor.

Iosephus lib. 3. Antiquit. Iudaic. cap. 8.

At verò hanc lacunam vacare, nec datum huic scrobi locum contendit Salianus, sed perpetuo textu vniuersam Pontificij pectoris regionem vallatam fuisse, in quam mediam multiplex illud monile varijsque distinctum lapidibus, aureis vinctum catenis aptumque ex humeris penderet. Cui sententiæ cùm aliunde conciliare autoritatem nititur, tum hoc argumento probat, quòd S. Hieronymus in ea epistola quam ad Fabiolam dedit de veste Pontificis, nequaquam eius lacunæ mentionem fecit. Atqui nos priore Tomo, cap. 2. ver. 18. duo hæc testimonia ex eadem epistola deprompsimus. Primum est, *Contra pectus* nihil contextum est, & locus futuro rationali derelictus. Alterum, *Per quatuor rationalis* angulos, quatuor anuli sunt aurei, habentes contrà in superhumerali B alios quatuor: vt, cùm appositū fuerit λόγιον, in loco, quem in Ephod diximus derelictum, anulus veniat contra anulum, & mutuò sibi vittis copulentur hyacinthinis. Hæc S. Hieronymus in illa epistola quam citat Salianus, quæ est Tomi 3. centesima vigesima octaua. Manicas verò Iosephus non alias quàm tunicæ intelligit.

S. Hieronymi de lacunæ in Ephode testimonia duo.

Quæritur, vtrùm valere debeat Iosephi autoritas in describendis sacris vestibus, quemadmodum S. Hieronymo visum est: & num reuera Ephodem adhuc suo tempore extantem videre potuerit.

S. Hierony. epist. 128. Tom. 3.

QVÆSTIO LX.

VTique in his quę ad Iudaïcas religiones pertinent, à Iosephi sententia haud facilè C recesserim, nisi aut cum Scriptura manifestè pugnet, aut à Sanctis PP. falsi dudum erroris ue conuictus fuerit. Nam nos quidem pluribus iam sęculis remotiores sumus, quàm vt ex ruderibus antiquitatis priscarum rerum statū instaurare possimus, ille in his aut versatus est, aut ea vidit, quę instar priorum, cùm perijssent, ab ijs innouata sunt, qui ante vrbis excidium antiquissima exēplaria spectauerant. Erat enim sacerdos, & quidem Hierosolymis degens, cui nihil incompertum esse potuit eorum quæ in templo haberentur, aut fierent. Quamobrem S. Hieronymus cùm eam rem tractaret accuratè, hoc dixisse satis habuit, *Iosephus refert.* Quem ne videretur temerè sequi, statim rationes attulit, ob quas tanto viro autoritatis pluD rimum tribueret. Nam, inquit, ętate eius adhuc templū stabat; & necdum Vespasianus & Titus Hierosolymam subuerterāt: & erat ipse de genere Sacerdotali: multóque plus intelligitur, quod oculis videtur, quàm quod ore percipitur.] Hæc S. Hier. Ex quibus sequitur, si tamen Hieronymum dignum ducimus cuius nos sententię adstipulemur, vt sacram vestem non semel Iosephus contemplatus sit. Certè veterum monumenta euoluerat: nec si quid in sacris vestibus interpolatū esset, quod verisimile est literis mandatum fuisse, eundem latere potuit.

Quamobrē S. Hieronymus Iosepho autoritatis plurimum tribuat.

Ephod porrò quo pacto aut tempore perierit, non inuenio. Huius siquidem in direpta à Babylonijs templi supellectile nullam comperi fieri mentionem. Sed neque Ieremias cum arca

EPHOD SECVM HABENS, &c.

Ephodem periisse quo tempore templũ à Chaldæis excisum est, Scriptura nusquam asserit.

Sed neque asseruatum.

arca & tabernaculo in latebras fertur compegisse. Qua de re 2. Machab. 2. legimus: *Inuenitur in descriptionibus Ieremiæ Prophetæ, quod iussit eos ignem accipere qui transmigrabant.* Et præcedenti cap. ver. 19. *Cùm in Persidem ducerentur patres nostri; sacerdotes, qui tunc cultores Dei erant, acceptum ignem de altari occultè absconderunt in valle, vbi erat puteus altus & siccus, & in eo contutati sunt eum, ita vt omnibus ignotus esset locus.* Reuersi nepotes eorum non inuenerunt ignem, sed aquam crassam: quæ tamen aspersa victimæ, strues lignorum statim flamma correpta est. Et rursum cap. 2. ver. 5. *Veniens Ieremias in montem, in quem Moyses ascendit, & vidit Dei hereditatem, inuenit locum speluncæ: & tabernaculum, & arcam, & altare incensi intulit illuc, & ostium obstruxit.* Et dixit Ieremias, *Quod ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem populi,* &c. quæ necdum re & exitu perfecta esse didicimus. Quare hæc minimè restituta sunt, & quanquam exilij lege abrogata, nequaquam tamen reducibus, tanquam iure postliminij recuperata. Sed cum his Ephod quoque Ieremias occuluisse non memoratur. Quæ autem Nabuchodonosor incenso templo, atq; vrbe diruta, Babylonem transtulit, hæc ferè sunt, quæ singillatim recenset Ieremias cap. 52. à ver. 17. Nimirum templi columnæ æreę, earundem bases, & capitella, atque malogranata, quorum numerum sedulò inijt eodem loco; mare æneum cum vitulis æreis duodecim, quæ conflasse Nabuzardan, aut in frusta cõminuisse dicitur. Sed *& lebetes,* inquit, *& creagras, & psalteria, & phialas, & mortariola, & omnia vasa ærea, quæ in ministerio fuerant, tulerunt Chaldæi: & hydrias, & thymiamateria, & vrceos, & pelues, & candelabra, & mortaria, & cyathos: quotquot aurea, aurea; & quotquot argentea, argentea, tulit Magister militiæ.* Quæ omnia liber quoque Regum 4. c. 25. enumerat *ollas* præterea, *& trullas, & tridentes:* sed sacræ vestis direptæ aut asportatæ Scriptura nusquam meminit. Addam & quod vtrobique, apud Ieremiam scilicet cap. 52. & lib. 4. Regum cap. 25. de Sacerdotibus refertur. *Et tulit Magister militiæ Saraiam Sacerdotem primum, & Sophoniam Sacerdotem secundum, & tres &c. Et percussit eos Rex Babylonis, & interfecit eos in Reblatha in terra Emath.* At verò pretiosissimi illius ornatus, qui præ cæteris intuentium oculos suo fulgore præstringeret, si fortè is quoque in hostium potestatem venit, qui factum dicemus, vt eius nulla ratio haberetur? Sed neque postquam reconciliata cum Deo gratia, populo potestas à Cyro facta est patrias olim sedes repetendi, *& Rex ipse Cyrus* summi Dei cultum instaurare studens, *protulit vasa templi Domini, quæ tulerat Nabuchodonosor de Ierusalem, & posuerat ea in templo Dei sui;* ne tum quidem Ephodem, cùm Esdras plura recenseat capite 1. lib. 1. restitutum legimus. *Et hic est,* inquit, *numerus eorum: Phialæ aureæ triginta, phialæ argenteæ mille, cultri viginti nouem, scyphi aurei triginta, scy, hi argentei secundi quadringenti decem: vasa alia mille. Omnia vasa aurea & argentea, quinque millia quadringenta.* Ex quibus si quis putet confici, posterioris tem-

Neque restitutum legimus.

A pli Sacerdotes antiquo illo Aaronis Ephode vsos non esse, quod relatum à captiuis nemo memoret, vtar prioris instrumenti rationibus, quibus probem nunquam ablatum esse, cùm huius ne verbũ quidẽ extet in vlla prædæ serie.

EPHOD SECVM HABENS, &c.

Quod si ademptus non est, sed cùm esset Sacerdotum studio altè defossus, prædonem fefellit, & in templi parietinis seruatus est: aut certè, cùm alter Abiathar eum clàm asportasset, eundem postea illius hæredes reportarunt, & eodem Sacerdotes deinceps vsi sunt, hunc profectò non semel Iosephus oculis vsurpauit: nec video quàm probabiliter oculatum testem refellere aggrediamur. Neque enim necesse est singillatim omnia disertis verbis in Scriptura contineri: sed cùm res pateret oculis, mysteriorum quidem typi descripti sunt; in alijs scri-
B ptorum relictus est industriæ locus. Vtiq; ipse Iosephus eiusdem libri cap. 9. haud obscurè innuit, eius vestis vsum adhuc suo tempore obtinuisse; tametsi decantatus ille fulgor, qui rebus futuris olim præluxerat, dudum occidisset. Desijt, inquit, tam Essen quàm Sardonyx τῷ λάμπειν, fulgorem emittere, annis ducentis antequam hæc commentaremur, irato Deo propter legum suarum præuaricationem.] Si pluribus ergo & ducentis. Alioquin enim multò pluribus antea fulgorem illum euanuisse, probari potest Esdræ testimonio lib. 1. cap. 2. ver. 63. Refert enim Athersatam siue Nehemiam ijs, qui stirpis suæ genealogiam non probarent, interdixisse, ne Sancto Sanctorũ vescerentur, *donec surgeret Sacerdos doctus atque perfectus.* Siue, vt Pagninus vertit, *donec staret sacerdos in Vrim*
C *& Thummim.* Sic enim Hebraicè scriptum est, *Vsque stare* כֹּהֵן לְאוּרִים וּלְתֻמִּים *Kohen, sacerdotem, leourim oulthummim, in vrim & thummim.* quod cùm significet *in illustrationibus & in perfectionibus,* vt vertit Arias, idcirco *doctum atque perfectum* exposuit Interpres noster. Sed nec huius quidem oraculi post excitatum templum, etiam ante captiuitatem Babylonicam, vllum exemplum proferri posse arbitror. Nescio an illud quisquam sit, quod scribitur 2. Paralip. cap. 24. vers. 20. *Spiritum Dei induisse Zachariam filium Ioiadæ Sacerdotem,* tanquam id per Vrim & Thummim factum sit, interpretaturus: sed si quis Zachariam obijciendum duxerit, eundem meminisse necesse est & Caiphæ, quem Ioannes ait, *cùm esset Pontifex anni illius,*
D *prophetasse,* & de Domini morte disseruisse, quæ salutem populo paritura esset. Nam si prior Rationalis beneficio futurorum scientiam consequutus videtur, cur non item posterior? Nam si his, quæ à Rabbinis tradita sunt, fidem habemus: tum Caïpham Rationali pectus habuisse munitum fatebimur. Nam quoties res quæpiam maioris momenti ad iudicium delata esset, & Pontificis sententiam desiderare videbatur, sicut ille quondam apud Ægyptios iudiciorum Princeps aurea catena signũ, vt inquit Diodorus, varijs ornatum lapidibus à collo suspensum, quod appellabant veritatem, gestabat, ita & Iudæorum Pontifex sententiam laturus, *Rationale* illud *iudicij* pectore præferebat. Cuius etsi fulgorem Iosephus coruscasse suo tem-

Iosephus. Quando videatur ephodis gratia eclipsim passa.

Diodor. Sicul. lib. 2. cap. 3.

EPHOD SECUM HABENS, &c.

pore negat, non negat tamen ad eum diem ornamentum illud superfuisse: quinimò, cùm lucem eius docet extinctam, ipsum præsens ἐργαιον videtur agnoscere.

Quid si reuera illius ornamenti decore dudum ante Iosephum Synagoga orbata est, an tum quoque Iosepho fides adhibenda erit, nec licebit eius testimonium refutare? Illud primùm videamus, an sit probabile Iudæos post instauratum templum Ephode caruisse. Rabbinos quidem nihil moror, quòd iuniores eos arbitrer quàm vt comperti quicquam habeant, & à pluribus audiant egregij mendaciorum artifices. Sed aliunde moueor, quòd siue apud sacros Scriptores, siue apud ipsummet Iosephū solennis cultus Pontificis mētio inciderit, post templum excisum, aut solutam captiuitatem, Ephodis nulla ratio habeatur. Zachariæ cap. 3. apparet *Iesus filius Iosedek Sacerdos Magnus indutus sordidis vestibus*, qui cultus hactenus captiuum decuerat at mox Angelus assertæ libertatis atque innouatæ felicitatis nuncius, *Auferte*, ait, *vestimenta sordida ab eo. Et dixit: Ponite cidarim mundam super caput eius: & induerunt eum vestibus.* Quo loco *vestes* illas *mutatorias* Vulgatus noster cum Pagnino & Vatablo interpretatus est: Lxx. *poderem*. בגדים *begadim* quodcunque vestis genus significat בגד *beged* etiam *tunicam* non semel Græci exponunt, nusquam *Ephodem* aut Rationale dici comperi. Ecclesiasticus quoque cum cap. 50. Simonis Oniæ filij, ac Sacerdotis Magni, virtutem luculento sanè præconio commendaret, & eius Sacerdotij gloriā stylo plane diuino describeret, sacræ quidem stolæ meminit his verbis, *Quasi oliua decora germinans fructus, & quasi cypressus exaltata in nubibus*, ἐν τῷ ἀναλαμβάνειν αὐτὸν στολὴν δόξης, *in recipiendo ipsum stolam gloriæ*. At verò *Ephodem* tacitum præterijt, nisi si quis fortè ijs, quæ mox sequuntur, obscurè indicatum velit: Καὶ ἐνδιδύσκεσθαι αὐτὸν συντέλειαν καυχήματος. id est, vt vertit Vulgatus: *Et vestiri eum in consummationē virtutis*, siue, vt Arias maluit, *Et vestiendo illum consummationē gloriationis*. Sed hæc nō video, tametsi *Ephod* abfuerit, cur *stolæ sanctæ* tribui nequeāt. Demq; Ionathas 1. Machab. 10. ver. 21. postquam summus Sacerdos renunciatus esset, Pontificatum iniens, *septimo mense, anno sexagesimo & centesimo*, ἐν ἑορτῇ σκηνοπηγίας ἐνδύσατο τὴν ἁγίαν στολήν, *in die solenni Scenopegiæ induit se sanctam stolam*. Nec alijs ferè vocibus Iosephus vtitur, cùm posterioris templi Pontificum ornatum describit. Quibus locis de publica sacræ vestis custodia in arce Antonia loquutus sit, antea notauimus. Vtrobique porrò *stolam sanctam* nuncupat: *Ephod*, aut essen, siue *epomidem* aut *superhumerale*, *rationale* siue λόγιον nusquā nominat Antiq. Iudaic. lib. 15 cap. 3. adolescentem Aristobulum ipso die Scenopegię primùm sacris operantem inducit, cuius cultum paucis ita describit: τὸν κόσμον ἔχων τῆς ἀρχιερωσύνης, ornatum autem habebat Pontificium. Quo habitu coloréue non dicit. At eundem lib. 11. cap. vlt. Iaddum describens Alexandro Regi obuiā euntem, à capite ad calcem detexit. Alexander, inquit, vt vidit è longinquo τὸν μὲν ὄχλον ἐν τῇ λευ-

καῖς ἐσθῆσι populum candidatum, τοὺς δὲ ἱερεῖς προεστῶτας ἐν ταῖς βυσσίναις αὐτῶν. Sacerdotes ante agmen in amictu byssino, τὸν δ᾽ ἀρχιερέα ἐν τῇ ὑακινθίνῃ καὶ διαχρύσῳ στολῇ, ἔχοντα τὴν κίδαριν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἔχοντα τὴν κίδαριν, τὸ χρυσοῦν ἐπ᾽ αὐτῆς ἔλασμα, ᾧ τὸ τοῦ θεοῦ ἐγέγραπτο ὄνομα, &c. Pontificemq; in stola hyacinthina auro distincta, tiaram in capite gestantem cū præfixa aurea lamina, insculpta Dei nomine: &c. Atqui is ornatus stolæ hyacinthinæ auro distinctæ videtur ab illa priore diuersus, quæ tota hyacinthina fuit, & cuius limbū alterna serie permista malis punicis aurea tintinnabula variabāt. Cur autem *Ephodem* tacuisset, si tum quoq. Pontificem ornasset? Idem postremo Iosephus, cùm spolia recenset, quæ à Romanis templo erepta sunt, & à Tito triumphante Romam inuecta, mensæ quidem aureæ, & candelabri item aurei legisq; meminit Bell. Iudaic. lib. 7. cap. 24. Καὶ τὰ πορφυρᾶ τοῦ σηκοῦ καταπετάσματα & penetralium vela purpurea commemorat, quæ φυλάττειν ἐν τοῖς βασιλείοις ἀπέθετο φυλάττειν, in palatio cōdita seruari præcepit: at verò de Rationali, cuius fulgor auro lapillisq; certantibus reliquorū facilè admirationē vinceret, ne verbum quidem fecit. Quo argumento proculdubio probari videtur, dudū ante Iosephi tempora *Ephodem & rationale* euanuisse Iudæorū ex oculis, præsertim cùm huic sententiæ faueat, cùm ipsius, tum etiam Scripturæ post incensam domū à Chaldæis, & abductum populū, perpetuum de ea re silentium. Quid itaq; restat, quàobrem in illis describendis Iosephi autoritatem suspiciamus? Dicam paucis: Cùm esset ille patriarū rerū callentissimus, atq. adeò in his potissimū versatus esset quæ ad religionis cultum pertinerent, siue ad eum diem *Ephod* extaret, quod nonnullis locis indicare videtur: siue sacram ædem vastantibus Chaldæis, vnà cum plurima supellectile incendio perierat: eundem latere non potuit, quo primùm schemate aut forma præditus esset. Nam si diuinitus atq; incōperta ratione ad eum diem seruatus est, qualis esset, oculis sæpe probauit. Sin illud probabilius ducimus, vt illū ignis Babylonius hauserit, certè illi qui è Perside Hierosolymā redierunt, contextus eius figuram ignorare non potuerunt. Quid si igitur posteriorē hanc vestem ab ijs, qui Mosaicam viderant, prioris instar fabricatam esse asserimus? Nam eandē, vt arbitror, ad amussim referre voluisse nemo dubitabit, qui nouerit eos imitari studuisse, quod primū à Deo Moysi exemplar fuisset traditum. Eorum quippe, quorū iacturam fecerant, quoad licuit, & humana solertia instaurari potuerūt, nouis faciundis exprimi similitudinē oportuit. Sic illi altare incensi, sic candelabrum aureū innouarunt. Arca nulla ratione restitui potuit duabus de causis. Prima est, quod manna nulla arte conficere poterant. Altera, quod nec imminentes propitiatorio Cherubim vlla imitatione effingere, quorum speciem tanto iam tempore in adyto reclusam, præter eos Pontifices qui dudū obierant, nemo hominum perspexerat. Quod de *Ephode* pariter asseri non potest, quem plerique toties erāt intuiti. *Ephodem* certè nonnulli iamdudum sibi parare studuerant. Gedeon Iudic. 8. cum inaures

Post excisum templum nulla extat apud autores Ephodis memoria.

Iosephus.

Quamobrē Iosepho nonnulla fides adhibenda videatur.

Lucæ 1. Machab. lib. 2. cap. 2.

EPHOD SECVM HABENS, &c.

res aureas Ismaëlitarum collegisset, *Fecit*, inquit Scriptura, *ex eo Ephod, & posuit illud in ciuitate sua Ephra.* Et rursum capite 17. vers. 5. *Michas in domo sua ædiculam Deo separauit, & fecit Ephod, & theraphim, id est, vestem sacerdotalem, & idola.* Egregiam sanè vestem, atque insigne ornamentum esse oportuit, cui asseruando turris excitata sit; & cuius primùm custodiæ Reges, deinde etiam Romani Orbis victores præsidere voluerunt. Sed fuerit Stola hæc posterior, quam spectauit Iosephus, nouo elaborata artificio, nec prioris speciem æmularetur: attamen stylo Scribarum exarata est, & ab ijs qui viderant Traditionum monumentis consignata. Nec dubito multa veterum scripta legisse Iosephum, quæ sequuta clades aboleuerit. Ab eius denique sententia nec latum vnguem recedam, quam sanctus Hieronymus tam manifestè suo calculo probauerit. Cæterùm, hæc ego pluribus quàm ab initio sperauerам, non quo cuiusquam studium reprehenderem, se ne me quisquam cum sancto Hieronymo sensisse putaret.

De Rationali, eiusdem Ephodis præcipuo ornamento; & de duodecim gemmis, quæ τὸ λόγιον mirificè exornabant.

QVÆSTIO LXI.

S. Hieron. Rationale. Iosephus.

SEptimum vestimentum, inquit S. Hieronymus, est mensura paruum, sed cunctis supradictis sacratius. Hebraïcè vocatur *hosen* חֹשֶׁן, Græcè autem λόγιον, nos *rationale* possumus appellare.] Græci, inquit Iosephus, quotquot à Religione nostra non abhorrent, τὸν ἐσσηνὰ λόγιον καλοῦσι Essena λόγιον vocant. Antiq. Iudaïc. lib. 3. cap. 10. Septuaginta quoque cùm apud Complut. & Reg. tum apud Aldum, τὸ λογεῖον interpretantur. Fagius in cap. 28. Exodi τὸ λογεῖον illis tribuit eodem sensu. Nos priore Tomo ad ver. 28. cap. 2. quod ad eam dictionem attinet, plura ex sancto Isidoro Pelusiota retulimus. Cæterùm, τὸ λόγιον, vt vides, S. Hieronymus secernit ab epomide: sed nos qui hoc loco oraculi potissimū rationem habemus, vnius ephod nomine, quem secum asportasse fertur Abiathar, vtrumque intelligimus. Est autem *rationale*, vt inquit idem Hieronymus, pannus breuis ex auro, & quatuor textus coloribus, hoc est, iisdem, quibus & superhumerale, habens magnitudinem palmi per quadrum; & duplex, ne facilè rumpatur. Intexti sunt enim ei duodecim lapides miræ magnitudinis atque pretij, per quatuor ordines, ita vt in singulis versiculis terni lapides collocentur. In primo ordine sardius, topazius, smaragdus ponitur. Hactenus sanctus Hieronymus.

Sardius.

Sardius prima Rationalis gēma.

In primo, inquit, ordine *Sardius.* consentit frequens turba interpretum. Septuaginta σάρδιον. Vni Iosepho σαρδόνυξ. Hebræi legunt אֹדֶם *odem.* אָדַם *adam* Hebr. idem quod rubuit. Idcirco *odem* Rabini *rubinum* gemmam interpretantur à rubedine. Quibus etiam אדם piscis quidam albus est, altero potissimùm quo captus

A fuerit, die rubescens. אדם *idam*, sanguis Chaldæis. S. Epiphanius in suo libro de duodecim gemmis quæ fuerunt in veste Aaronis, quem plurimi fecit S. Hieronymus, & Fabiolæ commendauit his verbis: Sufficiat quod & S. Papa Epiphanius egregium super hoc volumen edidit: quod si legere volueris, plenissimam scientiam consequere. in eo, inquam libro *Sardium* describit colore igneo atque sanguineo. ἔστι δὲ πυρωπὸς τῷ εἴδει καὶ αἱματοειδής. Sardio pisci sale condito & inueterato similem facit: qua de causa etiam sardius dicitur, à colore nomine desumpto. Hæc gemma cùm Babylone apud Assyrios nascitur, pellucida est, & vim habet medendi: quamobrem illam adhibent medici ad tumores & vulnera ferro inflicta. Sed est alia, inquit, præterea, quæ Sardonyx vocatur, & μελονυχίς, B eundem cum superiore colorem referens; nisi quòd ὑποχλωρίζων. Iolas interpres S. Epiphanij subuiridem vertit: sed intelligi debet aliquanto pallidior, siue languidior. alioquin quo pacto Sardij rubentis æmula videri posset? Scaliger Exercit. 315. cùm dixit χλωρόν, Tale est, inquit, oui vitellum, idcirco luteum vocatum, aut ab eo cætera. Auroræ epitheton. Huius coloris esse vult, quem Græci Icterum, Plinius Galgulum, Taurini Aureolum, Plinius idem alibi, Luridam dixerunt. Cæterùm, si lapis ille sardius eadem gemma est, quæ à Plinio Sarda vocatur, & apud eum lib. 37. cap. 7. in classem carbunculorum refertur, cum rubino nostro conuenire nullo pacto poterit. Pleraque sanè quæ à S. Epiphanio sardio tribuuntur, eadem C apud Plinium in sardam quadrant. Natalis locus ipsa Babyloniæ regio; coloris similitudo; & cum Sardonyche nominis communio; sed & ipsa quoque nonnullis eruta lapidicinis perlucet. At sexum præterea sardis Plinius ascribit, & in his mares excitatius fulgent: fœminæ pinguiores sunt, & crassius nitent. Nec fuit alia gemma apud antiquos vsu frequentior. Hac certè apud Menandrum & Philemonem fabulæ superbiunt. Hæc ferè Plinius. Cardano sarda lib. 7. de Subtilitate, lapis est rubei coloris, cuius species quæ dilutior est, & minùs rubra, vocatur carneolus, deinde litera mutata, corneolus: cùm verò imū habet onychem, dicitur sardonyx, qualē ego habeo, in cuius imo videtur, onyx in supremo sarda; ex onyche enim, vt diximus, sarda plerunq; nascitur. Aptissima D sigillis sarda corneolus, & sardonyx, ob tria: primum, quòd ceram non rapiat: secundū, quòd facilè cæletur: nam tenax est, & mediocris duritiei: tertium, quòd humore non facilè hebetetur. Hæc Cardanus. Addit his Scaliger in eundem Exercitat. 118. Corneolas erui ad Limadura regni Cābaïæ lacteo colore, proditum est. Ad rubrum inclinant alibi: quem colorem augent, atq; acuunt igni. Sic etiam rubinorum colorem igni intendere incolas Zeilam, in quo diù coqui sinant. Optimi in flumine Pegu reperiuntur. Ore, ac lingua exceptos explorant. Optimos iudicant frigidissimos. Commendatio etiā in duritia. Ex his porrò difficile est statuere, rubinū, an corneolam in primo ordine collocemus. Nam rubinus mihi carbunculus

EPHOD SECVM HABENS, &c.

S. Epiphanius.

Fortè sardā intelligit, vt Petauius adnotat.

Scaliger.

Plinius.

Cardanus.

EPHOD SECVM HABENS, &c.

dilutior videtur: corneolæ, quibus ad sigilla abutimur, vt apparet toto genere differunt. Si tamen nonnullæ cæteris nobiliores igneo lumine perluceant, tum mihi sarda rubinus videbitur. Quamobrem Lectori liberum relinquo, seu sardium dicere malit rubinum, seu diaphanam & flammantem sardam. Illa primum in rationali locum occupat, & Rubeni tribuitur: quoniam hunc post violatum patris thorũ decuit pudor; & prima post lapsum verecundia aditum nobis ad Deum parat. Elati animi fastum ac tumorẽ cohibet, & vltima naturaliu m affectuum erubescentia scelere hebetatur.

Allegoria. Pudor.

Topazius.

Topazius. Altera gemma est פטדה *Pireda*. Septuaginta τοπάζιον. Iosepho τόπαζος. Eadem omnium sententia. Topazium Latini vertunt. Sed topazij naturam coloremue non omnes pariter explicant. Sanctus Epiphanius à reliquis plurimùm dissentit. Τοπάζιον, inquit, ὁ ἐρυθρὸς ὑπὲρ ἄνθρακα νικῶν, Topazius rubedine carbunculum vincit. Inuentus in Topaza vrbe Indiæ à lapicidis in corde saxi, Reginæ Thebarum oblatus est, quæ illum supra frontem suo diademati inseruit. Si autem in mortario contundatur, non rubet, sed lacteus succus exprimitur, & quamuis multos impleas calices, nunquam tamen vel pondere, vel quantitate minuitur. Oculorum morbis succus illius est salutaris. Potus hydromaniæ prodest, ac furentibus ob vuam marinam. Hæc sanctus Epiphanius. Reliqui ferè viridem faciunt, quibus Paraphrasis Chaldaïca consentit. Vocat enim ירקן *iarkan*, hoc est, viridem. Vnde פטדה *pitedah*, nonnulli prassinum esse volunt à colore viridi, & genus quoddam topazij prasseidem dicunt, licet alij malint esse smaragdum, quod quæ autore Iuba, apud Æthiopas nascitur, acriter viridis est, & à Plinio plurimùm commendatur. Strabo ex Artemidoro, quem citat, testatur quoque topazium in Ophiade insula reperiri, & lapidem esse pellucidum, splendore aureo refulgentem. De topazio Plinius lib. 37. cap. 7. Egregia etiamnum, inquit, topazio gloria est, suo virenti genere, & cùm reperta est, prælatæ omnibus. Id accidit in Arabiæ insula, quæ Chitis vocatur: in qua Troglodytæ prædones, cùm diutius fame & tempestate pressi, herbas radicesque effoderent, eruerunt topazion. Hæc Archelai sententia est. Iuba Topazion insulam in rubro mari à continente stadijs CCC. abesse tradit, nebulosam, & ideo quæsitam sæpe à nauigantibus; ex ea causa nomen accepisse. Topazin enim Troglodytarum lingua significationem habere quærendi, &c. Duo eius genera faciũt, prasoïdem atque chrysopteron similem chrysoprasio. Eius enim tota similitudo ad porri succum dirigitur. Est autem amplissima gemmarum. Eadem sola nobilium limam sentit, cæteræ naxijs cotibus poliuntur. Hæc & vsu atteritur. Diodorus vitro similem facit, colore aureo, lib. 4. cap. 3. quo loco multa de Ophiade insula, & topazijs inuestigandis. Admonet porrò Cardanus De Subtilit. lib. 7. non eundem esse antiquorum & nostrum topaziũ. Sed topazium nunc habemus, qui fuit antiquorum chrysolithus: atque contraria ratione, quem nunc vocamus chrysolithum, topazius est verus antiquorum. Et probat deinceps: inquit enim Plinius, topazium subuiridem esse gemmam, quæ sola inter gemmas à cote poliatur ob mollitiem, limaq; tangatur: quæ omnia de chrysolitho à nostris vocato sunt verissima: nam lima tangitur, & est aurei coloris, non synceri, sed subuiridis, & ob mollitiem rota stannea expoliunt: nitorem etiam per se amittit, adeò vt pulchra quamuis sit, ob id nemo eam dignetur gestare. Vocant piradotum, & natum adagium inter gemmarios, *nimium esse vnum habere piradotum*: scilicet, quòd ob mollitiem minimè venalis sit. Expertus tamen sum, XV. illius grana epota, auxilio præsenti melancholicis esse. Hactenus Cardanus. Et fortassis sunt illi topazij degeneres, quos gemmarij dicunt chrysolithos, non quales olim mittebat Æthiopia: quibus Iob, quo eam maiorem in modum commendaret, tanquam rei pretiosissimæ ausus est præferre sapientiam. *Non adæquabitur*, inquit, *ei topazius de Æthiopia*. Nam ibidem פטדה *pitdah* legimus. Pagninus parum sibi constans, *smaragdum* vertit. *Topazium* sanè in pretio quondam fuisse, & inter nobiles gemmas habitum Plinius docet. Rubet, si credimus Epiphanio, & sardium colore vincit, ac secundo loco in Rationali collocatur. Sequitur profectò, vt si quem superioris vitæ pudet, eundem quoque pœniteat. Est autem pœnitentia veluti quædam vehementior erubescentia, quam numinis reuerentia concitat: quæ & præterita damnat, & à scelere deinceps absterret. Topazij, si teratur, lacteum succum ferũt: nec haustu minuitur. medetur verò oculis, furorem cohibet, & à nobis melancholiam procul amandat. Pœnitentium lacrymæ lacte dulciores sunt, quarũ immensa vis habetur. Mentis oculum purgant, animi perturbationũ fluctus compescũt, & depulsa tristitiæ nube, mira homines hilaritate perfundunt. Nemo autẽ, vt arbitror, cùm autores eius rei testes grauissimos habeamus, iure negare poterit esse quoque topazium viridi colore tinctum, & quidem oculis aureo fulgore blandientem tanto decore ac gratia, vt dignus sit habitus, qui Regum diademata coronaret. Quæ alia virtus æquè Dauidem commendat vt pœnitentia? Non illa quidem desperatione iacens, luctuque misera, sed quæ lapsum diuinæ spe misericordiæ erigit, & mulctam æternæ damnationis auro longè pretiosior exoluit. Troglodytæ famem atque inediam non ferentes, dum cibum vestigant, topazium nacti sunt. Nos ferè inopia atque egestate compulsi, dum terrena omnia animum non satiant, ad pœnitentiam appellimus. In corde, aiunt, lapidis primùm ea gemma reperta est. *Cor peccatoris*, inquit Iob capite quadragesimo primo, versu decimo quinto, *indurabitur tanquam lapis*. Et Dauid, *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies*.

S. Epiphan. Topazius ruber S. Epiphanio.

Color.

Plinius.

Diodorus.

Cardanus.

Tropologia.

Pœnitẽtia.

Smaragdus.

EPHOD SECVM HABENS, &c.

Smaragdus.

A

Lapis Ceraunius.

Tertius est Smaragdus. Hebraïcè וּבָרֶקֶת *Oubareketh*. Septuaginta, ὁ σμάραγδος. Iosephus, Pagninus, Vatablus consentiunt. Symmachus, inquit sanctus Hieronymus, dissentit in smaragdo, ceraunium pro eo transferens. Κεραυνὸς Græcè fulmen. Κεραυνόω, fulmine percutio. Κεραύνιος, & κεραύνειος, fulmineus, aut etiam fulmine ictus. Inde ceraunius lapis. *Pierre à foudre.* Plinij interpres vocat *Oeil de chat*, vel, *Pierre d'eau de mer*. Illum Plinius his verbis describit libro trigesimo septimo, capite nono. Et inter (gemmas) candidas, & quæ ceraunia vocatur, fulgorem siderum rapiens. Ipsa crystallina, splendoris cerulei, in Carmania nascens. Albam esse Zenothemis fatetur, sed habere intus stellam concursantem. Fieri & hebetes ceraunias, quas nitro & aceto per aliquot dies maceratas concipere stellam eam, quę post totidem menses relanguescat. Sotacus & alia duo genera facit cerauniç, nigras rubentesque, ac similes eas esse securibus: per illas quæ nigræ sunt & rotundæ, vrbes expugnari & classes, easque betulos vocari: quæ verò longæ sunt, ceraunias, &c. Hæc porrò idcircò retuli, vt si qui fortè Symmachi translatione vti velit, hoc loco descriptam ceraunium inueniat. Chaldæus habet וּבַרְקָן & *barkan*. Smaragdum quidem Complutenses tuentur: sed etymologia Fagio impensius fauet, qui carbunculum vertit. בָּרַק *barak* Hebræis, & Chaldæis בְּרַק *berak*, idem quod *fulsit*, splenduit, coruscauit, fulgurauit. בָּרָק *barak*, fulgur, coruscatio. בָּרֶקֶת *bareketh*, & Chaldaïcè בַּרְקָן *barchan*, lapis pretiosus à fulgure, vt videtur, dictus. Is porrò nonnullis aut ceraunius visus est, aut certè carbunculus. His tamen repugnat cùm Vulgati Interpretis, tum Septuaginta, atque adeo Iosephi autoritas. Vim autem nominis vsus magis quàm etymologia probat. Et nos de carbunculo statim dicturi sumus.

Plinius.

B

Interp Plinij betulos reddit Crapaudines.

C

S Epiphan. Smaragdus.

Smaragdus, inquit sanctus Epiphanius, vocatur etiam prasinus. Nonnullo tamen discrimine distingui tradit. Smaragdos etiam Iudæa parit. Æthiopia præterea, & Indus, siue Ganges, qui Moysi dictus est Phison. Ferunt autem smaragdum, speculi instar imagines reddere. Tradunt & qui fabulas condunt, pollere vi quadam prognostica. Plura de smaragdo Plinius, è quibus pauca delibabimus. Nullus, inquit, coloris aspectus iucundior est. Nam herbas quoque virentes frondesque auidè spectamus. Smaragdos verò tanto libentius, quoniam nihil omninò viridius comparatum illis viret. Præterea, soli gemmarum contuitu oculos implent, nec satiant. Quin & ab intentione alia obscurata, aspectu smaragdi recreatur acies. Scalpentibusque gemmas non alia gratior oculorum refectio est, ita viridi lenitate lassitudinem mulcent. Præterea, longinquo amplificantur visu, inficientes circa se repercussum aera, non sole mutati, non vmbra, non lucernis, semperque sensim radiantes, & visum admittentes, ad crassitudinem sui facilitate translucida: quod etiam in aquis non fit. Iidem plerumque & concaui, vt visum colligant. Quapropter decreto hominum ijs parcitur scalpi vetitis. Scythicorum Ægyptiorumque duritia tanta est, vt nequeant vulnerari. Quorum verò corpus extensum est, eadem qua specula ratione supini imagines rerum reddunt. Horum deinceps genera duodecim enumerat, quæ legere apud eundem poteris. Qui non omninò virides nascuntur, vino & oleo meliores fiunt. Hæc Plinius. Smaragdi principia ab ære esse Scaliger colligit, tum quia ærugo viridis; tum quòd smaragdus eo demùm iudicio certo probatur, si lydio lapidi affricata reddat æris colorem. Hoc enim modo mercatores Indos consulere veritati certum est, Exercit. 109. 4. Qua ratione autem smaragdus venenum pellat, & paratum sit à natura antidotum, idem explicat Exercit. 33. 2. confert illam cum theriaca, quæ partim venenis, partim ijs quæ venenis aduersantur, composita est. Venere offenditur etiam legitima, vsqueadeò pudicitiæ fauet. Causam explorat Cardanus De Subtilitate libro septimo. Item quo pacto futuris assensum concilliet, & diuinationem largiatur. Fingit etiam iudicium posse tribuere, & prudentiam acuere. Lædi facilis, si non eum sedulò ac religiosè tuearis.

Plinius lib. 37. cap. 5.

D

Scaliger.

Cardanus.

Tropologia. Fides.

Hæc porrò tropologia est. Smaragdus est fides, quæ pœnitenti cum primis necessaria est, ne casso labore atque inutili cruciatu torqueatur. Tametsi enim angor & solicitudo conscientiæ vexat impios, & dies noctesque horror quidam, & non intellecti Numinis metus concutit, nullum tamen portum dispiciunt: sed quemadmodum in vasto mari procella agitatis, postquam dies omnis, & syderum fulgor cæca nocte oppressus est, periculum vndique & vndique scopuli imminent, nec quam in partem torquere gubernacula debeant, agnoscunt, sed attoniti stupentesque cruciantur, & hærent: ita & qui sine fide scelerum stimulis agitantur, frustra laborant. At verò fides procul à nobis amandat tenebras, & cælum diemque aperit, quantoque in discrimine versemur, ostendit; & spem veniæ omnibus, quos verè & ex animo pœnitet, ostentat. Quamobrem suo merito gratissima mortalium oculis, humanæ mentis aciem recreat, ac reficit, quam Philosophiæ naturalis labor improbus fatigat, & humanæ sapientiæ caligo hebetat. Huius denique beneficio, vt inquit Apostolus, *Deum cognoscimus per speculum, & in ænigmate*, tantisper dum corruptionis vinculis absoluti, in eius vultum intueri liceat; quo pacto *nunc cogniti sumus*. Vino, inquit, & oleo smaragdi viror acuitur. Ita & fides, si fortè imbecillor est, diuinæ iustitiæ atque clementiæ exemplis incenditur. Non vmbra, non sole, non lucerna smaragdus mutatur. Quid fides? non illam prosperitas obscurat, non calamitas obcæcat, non denique humanæ prudentiæ astutia labefactat. Iudicium, inquiunt, & prudentiam smaragdus largitur, & futurorum præscientiam tribuit. Absit à me, vt cre-

EPHOD SECVM HABENS, &c.

dam vim tantam inesse lapidi: hæc vni fidei gratia concessa est, vt verum à falso incredibili luce secernat, & quæ ventura sunt, nec humana solertia inuestigari possunt, securè prospiciat. Smaragdus scalpi vetitus. Si hæresis fidem minuat, euanescit: aut tota, aut nulla est. Non illa credit ex parte, sed quæcumque Deus per Ecclesiam credenda proposuerit, his autem protinus accommodat. Venenis etiam resistit, & eorum vim superat. An non hæresis venenum est? error item & apostasia? quod virus æquè nocens vt idololatria est? Atqui hæc omnia vincit fides. Ab ære, vt volunt, smaragdus ducit originem, & affricatus æris colorem coti Lydiæ imprimit. Æream planè fidem probat in tormentis Martyrum constantia. Illam tamen libido vincit, seu potiùs scelere offensa cælum repetit: puris mentibus delectata, sceleratas animas hæresi atque apostasiæ lacerandas relinquit.

Carbunculus.

Quartus in secundo ordine Carbunculus locum occupat. Hebraïce נֹפֶךְ *nophec*. Septuaginta Interpret. Philoni, Iosepho, & sancto Epiphanio ἄνθραξ. Latini interpretes *Carbunculum* vertunt. Solus Paraphrastes Chaldæus dissentit, exponens אזמרגדין *imaragdin*, vt legit Fagius. R. Kimhi dicit esse gemmam nigri coloris. Auctores his longè præstantiores sequimur. Lxx. Vulgat. Iosephum, & sanctum item Hieronymum, qui omnes *Carbunculum* interpretati sunt.

S. Epipha. Carbunculus, inquit sanctus Epiphanius, puniceo colore ardet. Noctu à quærentibus faciè deprehenditur: fulget enim lampadis, aut carbonis instar. Tecta vestem suo fulgore vincit, si feriatur. Carbunculum ceraunius æmulatur, vini nigricantis speciem præ se ferens, vnde & οἰνωπὸς dictus. Carchedonius item. Hos omnes ex Africa Carthago in orbem mittit. Hæc sanctus Epiphanius. Plinius libro trigesimo septimo, capite septimo, de gemmis ardentibus sermonem instituens: Principatum, inquit, habent carbunculi, à similitudine ignium appellati, cùm ipsi non sentiant ignes, ob id à quibusdam apyroti vocati. Horum genera plura narrat. Præterea, in omni genere masculi appellantur acriores; at fœminæ languidius refulgentes. Inueniri autem vbique, maximè Solis repercussu. Optimos verò amethystizontas, hoc est, quorum extremus igniculus in amethysti violam exeat. Eosdem vmbrante tecto purpureos videri, sub cælo flammeos, contra radios Solis & scintillare, ceras signantibus his liquescere, quamuis in opaco. Aiunt ab Æthiopibus hebetiores in aceto maceratos XIV. diebus nitescere, totidem mensibus durante fulgore. Hi quoque cote probantur. Proxima carbunculis anthracitis appellata. Huius igneus color flammis immoritur: iam velut extinctus si aqua perfundatur, denuò exardescit. Hactenus ex Plinio. Refert autem Ludouicus Vartomanus apud Cardanum lib. 7. De Subtil. Regem Pege (hæc est ciuitas in India) pyropos habere tantæ magnitudinis, & splendoris, vt si quis Regem ipsum in tenebris conspicatus fuerit, non aliter lumine claro eum splendere videat, quàm si Solis radijs illustretur. Pyropum autem vocare consueuerunt carbunculi genus nobilius: quippe tria sunt illius genera. Primum, quòd in tenebris splendet, qualem vidisse se Albertus testatur: hunc igitur pyropum vocant. Proximus illi, qui dum in vase nigro splendido ponitur, superfusa aqua in tenebris splendet. Tertius autem vilior, cuius solùm lux est conspicua alieno lumine, scilicet diei, aut candelæ. Proprium autem est carbunculi, animum incitare, & alacrem facere: colores enim spiritus iuuant. Latet tamen illius vtilitas, cùm lapis fuerit vitiosus, aut paruus; qui gestauerit inconstans, vt puer, aut nimijs ac grauioribus curis obstrictus, vt Principes sunt, ac sapientes. Hæc Cardanus.

Carbunculus. Plinius. Cardanus. Pyropus.

Nunc quam nobis virtutem carbunculus referat ita colliges. Smaragdum fidem interpretati sumus. Ea nobis rerum cælestium lætissimum spectaculũ exhibet, in primis autem numinis ipsius admiratione defigit, quo nihil excogitari præstantius potest. Eo pacto illius in nobis amor accenditur, & tantæ pulchritudinis potiundæ studio deflagramus. Hinc ille carbunculus oritur, qui proximè smaragdum assectatur: charitas scilicet, quæ lampadis instar collucet, & pyropi flammam æmulatur. Charitate sanè nihil est, vel ad exemplum boni operis illustrius, vel ad studium virtutis ardentius: siquidem illa priuatim suæ vtilitatis immemor, publicè omnibus prodesse studet. Dei autem cum primis ardet desiderio, cuius igne vehementius inflammatur. Vnde fit, vt qui charitate feruent, non ceras modò, sed multorum corda saxo & chalybe duriora, obsequio, liberalitate, ac beneuolentia liquefaciant. Tantus porrò beatus mentes decor conuestit, vt Solem splendore vincant. Noctu maximè carbunculus se prodit, vti & charitas in rebus aduersis: aut Solis repercussu, cuius radijs lacessitus lucem vibrat. Sane non aliàs magis charitatis flamma erumpit, quàm vbi diuina res agitur, aut Religionis sanctitas periclitatur. In vmbra quidem obscurior est, & intra priuatos parietes vtcumque silet: verùm vbi à Deo producitur in lucem, tum suis illa flammis omnia collustrat. Cote gemma illa probatur: afflictis rebus seipsam præcipuè charitas exerit. Igne non læditur. An verò est quicquam igne potentius? Nec si quidem detur, charitatis constantiam labefaciet. Anthracitis tamen, vt aiunt, flamma flammis extinguitur, aquis accenditur. Sed illæ scilicet flammæ, quibus charitas immoritur, ab obscœna libidine profectæ sunt: hoc demùm incendio perit: extincta porrò haud aliter quàm perfusa lacrymis restitui potest. Quòd si nonnunquam languescat, vt carbunculus aceto, sic quoque charitas incommodis macerata nitescit. Charitas denique ignauis animum, remissis alacritatem conferre solet, nisi eius impetum insita à natura leuitas atque inconstantia, aut aliarum rerum

Tropolog. Charitas.

EPHOD SECVM HABENS, &c.

cura ac solicitudo moretur; quo pacto anthracis quoque vim & efficacitatem retundi ferunt. Est & alia huius ratio corruptelæ, si lapis ipse, seu potiùs virtutis species vitio non careat. Nam qui, vt luceant, alieno lumine indigent, ignobiles carbunculi habentur. Tales sunt qui diuites tantùm officio colunt, pauperes aspernantur, quos negat Christus beneuolentiæ suæ à Deo mercedem accepturos.

Sapphirus.

Sapphirum quinto loco Scriptura collocat. Hebraïcè סַפִּיר *Saphir*. Græcis σάπφειρος. Chaldæus etiam Fagio interprete consentit. Addit tamen Hebræos de colore huius gemmæ varia sentire. Nam alij, inquit, dicunt esse aërei coloris; alij rubri; alij candidi. Vnde & quidam B crystallum vertunt. Nec desunt qui adamantem exponant, quorum sententiæ R. Kimhi astipulatur in Radicibus.

S. Epiphan. λίθος σάπφειρος πορφυρίζων, Sapphirus, inquit S. Epiphanius, purpurascit, vt species blattæ, id est, purpuræ nigræ. Multa sunt eius genera. Est enim Regius, χρυσοστιγής, aureis punctis varius. Non est vero hic in tanta admiratione, quanta ille qui prorsus purpurascit. Contusus, & vna cum lacte locis vlcerosis illitus, tubercula tumoresque sanat. Scriptum est & in Lege, visionem quæ Mosi apparuit in monte, & legem datam, in gemma sapphiro fuisse expressam. Ita vertit postrema hæc Iolas. Ego tamen sic arbitror, non fuisse eam mentem Epiphanij, vt assereret in lege scriptum esse, legem sapphirinis tabulis fuisse inscriptam, sed vetere C fama celebrari. Itaque de visione quidem, quam Scriptura vocat *quasi opus lapidis sapphiri*, γέγραπται, inquit, ἐν τῷ νόμῳ: de lege vero non ait hoc scriptum esse, sed dici; καὶ δεδόσθαι νομοθεσίας, ὅτι ἐν τῷ σαπφείρῳ πλακὶ λέγεται. An quia fortè ספיר *saphir* à סָפַר *saphar* ducitur, quod scripsit significat: inde dictus, quòd lege inscriptus esset.

Plinius. Sapphirus, inquit Plinius l. 37. c. 9. aureis punctis collucet. Ceruleæ & Sapphiri, raroque cum purpura. Optimæ apud Medos, nusquam tamen perlucidæ. Præterea inutiles scalpturę interuenientibus crystallinis centris. Quæ sunt ex ijs cyanei coloris, mares existi-

Cardanus. mantur. Hæc Plinius. Plura Cardanus: Proximus, inquit, adamanti sapphirus, duritie maxima, colore cęruleo, atq; admodum, si sit non D dilutus, nec vitiosus, iucundo oculis: quamobrem nullæ res magis recreant visum smaragdo & sapphiro. Recreat etiam hominē, & epotus bili nigræ, & melancholicis, ac scorpionum ictibus auxiliatur. Refert Albert. Magnus bis expertū, quòd sapphirus solo contactu anthraces curat: optimū & grandem esse, ac diù carni hærere illum oportet. Id efficit, quod alexipharmacam habeat vim; & vt ictu dipsadis sitis inuehitur, & remoræ contactu obstupescit manus, ita contactu diuturno sapphiri virus anthracis extinguitur. Quo pacto autem sapphirus in adamantem transeat, docet eodem libro septimo. Sapphirus, inquit, nitidus, sed alioquin diluti coloris, cum auro iungitur, ap-

A ponitur ignis sensim donec liquescat: feruet aurum horis tribus aut quatuor, inde gemma tollitur, & sensim refrigerari permittitur, inuenies adamantem: gemma enim manet, nec lima tangitur: quicquid autem fuit coloris cęrulei, perit. Hæc ille. Purpureus Soli obiectus ardere videtur. Vnde & dicta putatur nonnullis *ignea visa lex in manibus Mosis*, quod tabulis sapphiri inscripta esset.

Tropologia. Sed quid tandem hæc sibi volunt, aut quò spectare dicemus? Vt primùm amor insitus est, ex eo desiderium nascitur. Hunc ille primum motum ciet, cùm sit ardor mobilissimus: nam

Rerum cælestium desiderium. quæ amamus, continuò etiam optamus. Itaq; carbunculum sapphirus consequitur, cælesti colore conspicuus, vt enim cælum sapphirino colore tinctum dicitur, sic quoque sapphirus B cęruleo, quem à cælo quidam nominatum ferunt. Desiderium porrò in id quod amat, rapit & transfert amantem; vnde nec mirum si speciem eius induit, & simili colore tingitur. Quod cælum petit, cæleste prorsus desiderium est. Cæli verò si quis color habetur, idem sapphirinus est: quamobrem cæleste desiderium sapphirus in Pontifice repræsentat. At punctis, inquit, aureis sapphirus collucet. Sic quoque stellis aureis cęlum micat. Ergo ad eandem votorū imaginem hoc quoq; spectat. At etiam ardet ante Solem exposita. Nimirùm Sol ipse Deus est, quinetiam & ignis, si Mosi fidem adhibemus. Ad hunc igitur quo magis rectis lineis accedimus, eò vehementiùs desiderij igniculus accenditur. Quid hoc sibi vult, quòd in sapphiro data est lex? Hoc nempe, quòd lex ea C amoris est, nec alijs quàm desiderātibus datur. An non audis quoties populum Deus optare iubeat, malintne dijs alienis obsequi, an sibi seruire cupiant? Non sunt tamen sapphiri omni ex parte perlucidæ. Ne desideria quidem: necdum enim optata numinis luce perfruūtur. Duriores gemmarum audiunt secundum adamantem: quinimò & adamantes euadunt, si permisti auro excoquātur. Constantes esse decet qui diuinarū rerum studio teneantur. Charitas hoc præstat, cùm igne Spiritus sancti impensiùs feruet. Hoc enim Apostolus de seipso prædicat: *Quis nos separabit à charitate Dei? Cupio dissolui, & esse cum Christo.* Iam verò quo pacto cęruleum colorem exuat, disces à Psalmista: *Quid mihi est*, inquit, *in cælo, & à te quid* D *volui super terram? Pars mea Deus in æternum.* Ne cælum quidem spirat, solum iam Deum sitit. Sapphirus quoque epota, atræ bili medetur, oculos recreat, ac reficit, mentemque lætificat. Sic quoque numinis studium molestissimas hominum cupiditates ablegat, & eorum animis spiritualis lætitiæ imbrem aspergit. Denique cum lacte contusa, tubercula & tumores vlcerosos sanat, anthraces contactu curat, à scorpionibus ictis auxiliatur. Adde his & si lubet, quæcumque pestes animos diaboli fraude conficiunt. Nulla est tam acerba lues, aut nocens venenum, quod non incensum Dei desiderium vincat, & expugnet.

EPHOD SECVM HABENS, &c.

Iaspis.

A

Iaspis in secundo ordine sapphirum sequitur. Hebraïcè יהלם *veiahalom*. Septuaginta Interpr. Iosepho, sanctis Hieronymo & Epiphanio ἴασπις. Vulgatæ item & Pagnino *Iaspis*. Arias *adamantem* maluit. Siquidem יהלם *iahalom* petitur ab הלם *halam*, quod est *fregit*, contudit, quassauit: quod adamanti cum primis congruere videtur, quod neque vinci ab alio potest, & per se omnia vincit. Fagius item in Onkelum, Chaldæum exponens, *adamantem*, inquit, vertimus, sequuti Iudæos. Nam Aben Ezra de ista gemma ita scribit: Et magnus sapiens Hispanus dicit, *Iahalom* eum esse lapidem, qui aliàs almas vocatur, qui frangit omnes lapides, atque etiam bedellium perforat, deductum nomen à verbo הלם *halam*, quod *percutere*, & contundere significat. Estq; Iod à principio litera adiectitia. Hæc ille. At nostri interpretes, inquit Fagius, *iaspis* habent. Sed probabilior est Hebræorum lectio.] Non credam: vsum antiquorum sequar magis in dictionum proprietate, quàm iuniorum opinionem. Hebræis porrò, Ionathanis & Onkeli interpretibus, longè antiquiores sunt, quorum nos autoritati deferimus.

Adamas.

B

Iaspis igitur, vt autor est sanctus Epiphanius, smaragdum colore refert, nam viret vt smaragdus: sed est obtusior, & hebetior; ærugine præterea, venisque multiplicibus inficitur. Est & alia magis glauca quàm mare, saturatior flore & tinctura. Alia reperitur in speluncis montis Idæ in Phrygia, pellucidior purpura quæ cochleæ marinæ sanguine tingitur, & vini nigricantis colori similior, amethysto saturatior. Nec enim vnius coloris ac facultatis est iaspis, &c. Hæc gemma noxia phantasmata expellit, vt quidam fabulantur. χρησιμεύει δὲ πρὸς τὰς ἐπιληψίας, confert ad epilepsias. Hæc sanctus Epiphanius. At verò totus Oriens, inquit Plinius capite nono lib. 37. pro amuletis traditur gestare eam, quæ ex ijs smaragdo similis est: & transuersa linea alba media præcingitur, & grammatias vocatur: quæ pluribus polygrammos. Magi quoque hanc concionantibus vtilem esse prodiderunt. Quædam niues & glaciem imitatur. Adulteratur maximè tinctura, idque in gloria Regis Ægyptij ascribitur, qui primus eam tinxit.] Addit his Galenus, viridem imminentem ventriculo, eundem plurimùm confirmare. Appensam quoque sistere sanguinem vndecumque manantem, sed è naribus præcipuè, vidimus, inquit Cardanus: nec mirum, quandoquidem vim maximam habeat astringentem.

S. Epiphan.

Iaspis.

Plinius.

C

D

Spei hæc imago est. Suadet ordo gēmarum. Iaspis sapphirum ponè sequitur. Spes desiderij vestigijs inhæret. Nam quod optat quis, idem & sperat: sperat autem nemo quod odit. Viret iaspis. Spes quoque viret, nec tamen syncero prorsus colore: nam iaspis quidem ærugine aspergitur: *Spes autem*, vt ait Scriptura, *quæ differtur*, *affligit animam*. Nec nos varietas illa conturbat, quominus spei ad multa iaspis quadrare videatur. Arridet enim nobis flos ille purpureus, nec vndiq; illibatus nitor, & violis similes maculæ, aut etiā vino dilutæ, quæ gemmę viriditatem pluribus locis distinguunt. Hoc enim ostendit non omniū eundem esse habitū, aut æquali spe niti. Nam alios innocentiæ perpetuū ver cælo inserit; nonnulli martyrij constantia spem alunt, & proprij sanguinis purpura tingunt; complurium etiam iacentes animos excitat, inducitq; in spem cogitationemq; meliorem illa, quæ scelerum rubiginem abstergit pœnitentia. Iaspis præterea concionātibus adest: spes orationes nostras apud Deū ratas esse iubet. *Quicquid*, ait, *orantes petitis, credite quia accipietis, & fiet vobis*. Adhæc, iaspis Orientalibus pro amuleto est, auerruncat enim noxia phantasmata: syncera spes maleficia prohibet, & dæmones auertit. Ventriculum confirmat, nec parum confert epilepticis. Animæ ventriculus, ipsa est consiliorum nostrorum intentio atque propositum: illud siquidem in suū finem concoquit & digerit omnia: spes autem potissimùm vires tribuit. Peccati quoq; ipsum cohibet, qua nulla nocentior epilepsia est. *Qui habet hanc spem*, inquit Ioannes, *sanctificat se*. *Spes* deniq; *non confundit*. Et Apost. ad Colossenses 1. vocat *stabiles & immobiles à spe Euangelij*. Postremò iaspis sanguinem sistit: *Nos autem*, vt inquit Apostolus, *spe salui facti sumus*. Illud tamen sedulò cauendum est, ne spem alioqui bonorum omnium matrem, temeritatis & confidentiæ fucus adulteret.

Tropologia.

Spes.

Lyncurius.

Septimus numeratur *Lyncurius*, & tertium ordinem primus incœptat. Hebraïcè לשם *Leschem*. LXX. Interpr. λιγύριον. Sic legit & S. Epiphanius. Iosepho λιγύριος. Latini *Lyncurium* aut *Ligurium* vertunt Vulgatus, S. Hieron. Pagninus. Fagius quoq; Onkeli interpres *Lyncuriū*. Et addit: Iudæi vulgo Turkuss & lyncurer exponunt. Cæterùm quocunque nomine ea gemma censeatur, non perinde constat quo in genere habenda sit. Τὸν δὲ λιγύριον εὑρεῖν, &c. De huius, inquit S. Epiphan. inuentione, vel apud physiologos vel apud alios veteres, qui harum rerum meminerunt, nihil cognouimus. Inuenimus tamen λιγύριον gemmam vocatā, quam vulgari lingua λιγυρίαν appellant. Et forte puto hunc esse lygurium, &c. S. Epiphanium S. Hieronymus imitatur. Scrutans eos, inquit, qui de gemmarū atq; lapidum scripsere naturis, lyncurium inuenire non potui. Næuus hic in tanto viro Cœliū non offendit, tametsi satis constet Theophrastū ac Pliniū lyncuriū lapidem suis scriptis celebrasse. Satis compertum esse negat Hermolaus, sit, necne, vel vnde lyncuriū. Audacior Plinius, quem ille nonnullis locis illustrauit. Ego, inquit, c. 3. l. 37. (quod de eo narratur) falsum id totū arbitror, nec visam in æuo nostro gemmam vllam ea appellatione, &c. Dioscorides, Lyncis vrinam, quam lyncuriū λυγγούριον appellant, simulac excernitur, glaciari, coïreue in calculi duritiem, creditū est. λιθοῦσθαι. Falsam esse historiam inde conuincit.

S. Epiphan.

Lyncurium [illegible]

S. Hieron.

Cœl. Rhodig. l. 9. cap. 8.

Plinius.

Dioscorid. lib. ca. 100.

EPHOD SECVM HABENS, &c.

conuincit. Est enim, inquit, quod à nonnullis vocatur succinum ἤλεκτρον πτερυγοφόρον, ideò dictum, quòd pennas ad se alliciat.] Nec pauci qui pedibus eant in eam sententiam, negentque lyncurium dari aliud à succino, quod etiam chrysophoron vocant, siue colorem spectantes, siue quòd auri laminas ad se rapiat. Erroris origo penes Græcos: qui cùm olim didicissent leucas populos siue albas circa Padum lacrymas fundere, quæ statim concrescerent, & dicerentur electrum, posterior ætas feras opinata lyncas nominauit. Docet hoc

Gesnerus.

Gesnerus lib. 1. de quadrupedibus in lupo ceruario. Quo loco plura, quæ ex varijs auctoribus collegeram, ab eo præoccupata comperi. Addam tot testibus, qui à Gesnero laudantur, & Scaligerum Exercitat. 104. in Cardan. num. 12.

Scaliger.

Lyncurium, inquit, neque hoc esse, nempe electrum, neque ab vrina lyncium quicquam concrescere satis scimus. In Germanijs inferioribus, Scythijs, & Sarmatijs eius animalis magna frequentia. Nusquam ibi gentium lapis vllus eiusmodi. Vereor, ne hoc sit, quod apud Ctesiam reprehendit Aristoteles, in secundo De animalium generatione. Etenim scripserat ille barrorum vrinam euadere electro similem, posteaquam concreuerit, atque transierit in lapidis duritiam. Antonius Musa Brasauolus in libris De medicamentis vsitatis simplic. & composit. terram lyncum vrina madidam sæpius collectam sibi & repositam scribit, sed nihil vnquam in ea concreuisse: mirè autem fœtidam fuisse.

Ant. Musa.

Refellitur sententia, quæ negat lyncurium.

Cur itaque ad hanc sententiam non accedimus? Dicam paucis. Quoniam qui lynces fundere lyncurium negant, satis non liquet sintne reuera de lynce loquuti. Albertus Magnus de lynce scribit, quæ veteres de thoe: S. Isidorus ea quæ de lupo ceruario Plinius, nempe lupo esse similem, sed maculis pardi instar esse distinctam, quod de thoe etiam Oppianus canit. Gaza existimare videtur thoem, lyncem, & pantherem vnius animantis diuersa esse nomina, cùm tamen pro thoe lupum ceruarium reddat, pro panthera lupum canariū. Plinius lynces peregrinas esse tradit. Et alibi, in Æthiopia vulgò frequentes. At Solinus cap. 8. lupos ceruarios in Italia reperiri scribit: mox eiusdem generis etiam lynces esse testatur; ex qua regione habeantur, omittit. Gillius apud Oppianum, lynces pardalium generis facit, tanquam id asserente Poëta. Cardanus, Felis, inquit, varia sunt genera: aut quia similitudine omnia fermè animalia sæua ei similia sunt, pantheræ, lyncei, pardi, & forsan etiam tigrides. Commune enim est vnguium magnitudo, & robur: pellis distincta, versicolor, & pulchra: caput rotundum, facies breuis, cauda prolixa, agilitas corporis, feritas: & cibus, qui venatione acquiritur. Hæc Cardanus. Ex quibus, & alijs quæ antea retulimus, satis apparet, ignorare nostros quæ tandem fera sit, quæ lyncis nomine priscis celebrata sit. Exoticam, atque adeò Æthiopicam facit Plinius; Indicam Ouidius in Metamorph.

Victa racemifero lyncas dedit India Baccho.

Non poterit igitur haberi lupus ille ceruarius, de quo Antonius Musa periculum fecit, & videtur intelligendus Scaliger. Deinde etsi coniectura non aberrent, regionis tamen habenda est ratio. Quæ patria non abundat asinis? nihil eo animali ad comportanda onera familiarius. Sola tamen India cornutos habet, de quibus Indi apud Philostratum mira prædicant. Nec verò lyncis calculus vsqueadeò mirus videri debet, tanquam nulli præterea animali contingat. Nec si cuiquam speciei natura hoc tribuit, continuò necesse est singulis euenire. De onagro hæc scribit Plinius lib. 28. cap. 15. Panos & apostemata in quacumque parte, sanguis vrsinus discutit: item taurinus aridus tritus. Præcipuum tamen remedium traditur in calculo onagri: quem dicitur cùm interficiatur reddere vrinam, liquidiorem initio, sed in terra spissantem se. Hic adalligatus femini, omnes impetus discutit, omnique suppuratione liberat. Est autem rarus inuentu, nec ex omni onagro, sed celebri remedio.] De succino non est cur quisquam nobis facessat negotium, donec certius aliquid explorauerit. Nam quæ de eo hactenus dicta sunt, Sunt, inquit Gesnerus, coniecturæ nostræ. Nos autem Scripturæ sacræ idoneos interpretes sequuti, coniecturas nihil moramur. Quamobrem his omissis, nonnulla veterum testimonia de lyncurio lapide proferemus.

Onagri vrina lapidescit. Plinius.

In primis igitur Aristoteles lynces auersas meiere, quod maribus insolitum, docet, vrinamque suam occultare; quòd cùm ad alia multa sit vtilis, tum ad sphragidas, hoc est, sigilla. Scripsit in Mirabilib. Ouidius 15. Metamorph.

Lyncurium describitur.

Victa racemifero lyncas dedit India Baccho,
E quibus, vt memorant, quicquid vesica remisit,
Vertitur in lapides, & congelat aere tacto.

Ouidius.

Ex domesticis sedibus egrediuntur, inquit Gillius, vt vrinam benè penitùs occultent. Διὰ καθαριότητα interpretatur Plutarchus in lib. Vtra animal. hoc est, puritatis studio, velut catti sua excrementa abdere, tegereque solent. At contrà Ælianus De animalibus libro quarto, capite decimo septimo, διὰ τῆς λυγκὸς βασκανίας, inuidiæ causa lyncem defodere vrinam suam docet, quòd vbi concreuerit, ac congelarit, lapis efficiatur, ad sculpendum accommodatus, & simul ad muliebrem mūdum expetitus. Theophrastus eò longè antiquior, Vrinam suam lynces illicò arenarum cumulis contegunt: transit ea in duritiem pretiosi calculi. Is colore succini est, pariter spiritu attrahit appropinquantia, dolores renum sedat, medetur regio morbo, vt etiam Solinus perhibet. Iorach, quem non semel ab Alberto Magno citatum nouimus, septem dierum spatio ab effusa vrina elaborari tradit. Quinimò idem ipse Plinius, qui lyncurio fidem non habet, quid tamen veteres de eo senserint, pluribus locis ostendit. Ac primùm lib. 8. cap. 38. Lyncum humor, inquit, ita redditus vbi gignuntur, glaciatur arescitue in gemmas carbunculis similes, & igneo colore fulgentes, lyncurium vocatas, atque ob id succino à plerisque ita ge-

Ælianus. Theophrastus. Plinius.

EPHOD SECUM HABENS, &c.

nerari prodito. Nouere hoc, sciuntque lynces, & inuidentes vrinam terra operiunt, eoque A celerius solidatur illa. Et rursum libro vigesimo octauo, capite octauo, pruritus corporum vrina lyncum inhiberi, ac stillicidia vesicæ prodit. Itaque eam, inquit, protinus terra pedibus aggesta obruunt. Eadem autem & iugulorum dolori monstratur in remedio. Meminit & lyncurij libro trigesimo septimo, capite secundo, quo loco demonstratum auctorem facit, illud fieri ex vrina lyncum bestiarum, è maribus quidem fuluum & igneum, è fœminis languidius, atque candidum. Denique eiusdem lib. capite tertio, vt ostendat non paucos in ea esse sententia, à qua abhorreat: De lyncurio, inquit, proxime dici cogit auctorum pertinacia. Quippe etiam si non electrum id esset, lyncurium tamen gemmam esse contendunt. Fieri autem ex vrina quidem lyncis, sed B egestam terra protinus bestia operiente eam, quoniam inuideat hominum vsui. Esse autem qualem in igneis succinis colorem, scalpique. Nec folia tantum, aut stromenta ad se rapere, sed æris etiam ac ferri laminas, quod Diocles quidem & Theophrastus credidit. Proditur & calculos vesicæ eo poto elidi, & morbo regio occurri, si ex vino bibatur, aut si portetur. Hactenus Plinius. Auctor est Gesnerus De quadruped. lib. 1. in lupo ceruario, ostensum sibi lyncis lapidem in Sabaudia, substantia crystalli, & pellucidum, ea duritie vt ignem excutias triangulum fere; colore partim candido, partim palleo diluto. Et hæc de lyncurio. Nunc ad eius tropologiæ mysteria accedamus.

Tropologia.

Humilitas.

Primùm illud occurrit, quod lynces cùm boni tantùm effuderint, eripere mortalium ocu- C lis conantur. Quo pacto mea quidem sententia ad se adituris humilitatem Deus commendat: *Cùm oras,* inquit Christus, *intra in cubiculum tuum: & pater tuus, qui videt te in abscondito, reddet tibi.* Et rursum: *Cùm facis eleemosynam, noli tuba canere. Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.* Non quo *homines opera nostra bona non videant*, aut *coram proximis lux nostra non luceat*, quod inuidiæ scelus est: sed ne eo animo virtutem colas, quo Scribæ & Pharisæi, *vt viderentur,* inquit Christus, *ab hominibus.* Ad sigilla, inquiunt, lyncurij materies vtilis. Sigilli porrò cuiusque ea autoritas est, vt quibus notum characterem inusserit, ijs fidem astruat: nec literis duntaxat, aut merci- D bus, sed auro quoque, æri, ac monetæ, quantum quæque species valeat, certis signis ostendit. Sed alijs quidem aliæ placebunt notæ: Deus humilitatis imagine plurimùm delectatur: quæ si fortè mentes nostras suo lumine collustrarit, non poterunt non esse Deo gratissimæ. *Cor contritum*, inquit, *& humiliatum Deus non despicies.* Et tertio Regum, capite vigesimo primo, versu vigesimo octauo: *Nonne vidisti humiliatum Achab? &c.* Arquato morbo, siue ictérico, lyncurius medetur. Humilitas iram cohibet, & iurgia sedat. Neque verò aliud est morbus ille regius quàm flaua bilis vniuerso corpori suffusa. Conterit quoque renum calculos, & pruritum corporis auertit.

Reuera autem humilitas Veneris amuletum est, & obscœnæ libidinis remedium animi summissio. Rapit præterea lyncurius paleas non modò, sed æris quoque laminas ac ferri ad se allicit. Quis tam ferreus, quem non vincat humilitas? hanc etiam feræ bestiæ suspiciunt, & eius illecebris delinitæ, mansuetudini indulgent, & feritatis obliuiscuntur. Vtiq; non nemo de leone prædicat:

Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni:
Pugna suum finem, cùm iacet hostis, habet.

Addam his, quòd non tantùm vtilitate lyncurius, sed etiam pulchritudine præstat: quam ob causam à mulieribus ad ornatum expetitur: quæ ratio maximè humilitatem commendat. Nam illa est decus & ornamentum animæ, summa quædam spiritualis formæ dignitas, quæ Dei pariter & hominum fauorem nobis conciliat. Sed quid sibi vult lyncurij adamantina prope durities? Præ se fert hic quoque lapis humilis ac modesti animi robur atque constantiam. Non enim vexata malis atteritur: sed tunsa coruscat, & diuini amoris igne impensius ardet. Hinc similis carbunculo perhibetur, ob insitum charitatis ardorem, & fulgere igneo colore. Nam masculus lyncurius rubet; at pallet fœmina. Germana proculdubiò, ac syncera animi summissio charitate feruet, à qua proficiscitur: at hebescit, & languet, quæ non aliunde oritur quàm à stupore mentis, & ingenij tarditate.

Sanctus Epiphanius hyacinthum gemmam interpretari maluit, quam etiam pluribus descripsit: nec ab eo abhorret sanctus Hieronymus: Ribera, & secundùm eum, Cornelius à Lapide, eam sententiam tuentur, & ornant: quamobrem ad eos Lectorem allego. Legatur Cornel. à Lapide in 28. Exod.

Achates.

Hanc seriem continuat octauus achates. Hebraïcè שבו *schebo.* Chaldaïcè מַרְקְיָא *markadja:* quæ vox, inquit Fagius, videtur nonnihil affinitatis habere cum eo lapide, quem vulgò turkuß nominant. Rabbi Dauid Kimhi scribit eius colorem declinare ad hyacinthum. id est, aëreum, siue cæruleum colorem. Græcis ἀχάτης. De *achate* sanctus Epiphanius. Hanc S. Epiphan. gemmam suspicati sunt quidam esse eam, quæ dicitur ἀείκινος, de qua nos in hyacintho diximus. Reuera præcedenti capite ὑαλοειδὴς hyacinthi quinta species ab eo numeratur. Mirabilis, inquit, gemma est, ὑποκυανίζον coloris subcærulei, extrinsecus circumferentiam habens albam instar marmoris, vel eboris. Inuenitur circa Scythiam. Est etiam inter achatis species, quæ leonis colorem habet. Si teratur cum aqua, & illinatur morsui venenato, auertit venenum scorpij, viperarum, & huiusmodi venenatarum bestiarum. Hæc sanctus Epiphanius. Cardanus de Subtilitate, libro septimo: Omnibus, inquit, gemmis Cardanus. vnus opponitur lapis achates, & ipse è gemmarum

rum numero, sed tam varij generis, vt vnum lapidem esse non credas, candidus, rubens, croceus, cinereus, viridis, niger, varius, cæruleus. Quid moror? huic vni nec omnium aliarum gemmarum colores satisfaciunt. Ille lucos, prata, animalia, flumina, flores, arbores, natura ludente refert. Hæc ille.

Ipsum sanè nomen Hebraicum hoc ipsum sua vi siue etymologia exprimere videtur. שבו *schebo* enim à שבה *schabah*, quod tametsi Hebræis *cepit* ac tenuit significat, tanquam sit ille lapis dignus qui capiatur, & teneatur; Arabibus tamen *schabah*, idem valet ac *similis fuit*, aut assimilatus & comparatus fuit: quoniam rerum omnium formas & simulacra similitudine quadam æmulatur. Pyrrhus, inquit Plinius lib. 37. cap. 1. habuisse traditur achaten, in qua nouem Musæ, & Apollo citharam tenens spectaretur, non arte, sed sponte naturæ ita discurrentibus maculis, vt Musis quoque singulis sua redderentur insignia.] Fuisse quoque sibi achaten Cardanus memorat, in quo natura hemisphærium pinxerat cæli, distinctis orbibus: in medio terra rotunda fuit, quasi aquis supereminens: in reliquo, hiatus terræ fumum emittere videbatur, qui aëri tenebras offunderet. Atque illud in eo dignum admiratione extitit, quòd alius fumi color, alius aëris, qui ex eo obscuraretur: fumus candidus quasi ac densus, aër subrubens ac mediocriter perspicuus. Quidā humanos oculos referunt, Leucophthalmi dicti; quidam lupi lycophthalmi; quidam capræ ægophthalmi. Plura eius nomina vide apud Plinium lib. 37. cap. 10. in quibus antachaten nominat eam, quæ cùm vritur, myrrham redolet. Coralloachates guttis aureis sapphiri modo distincta est, qualis copiosissima in Creta, sacra appellata.

Plinius

Achatis vires.

Putant eam contra araneorum & scorpionum ictus prodesse. Quod in Siculis vtique crediderim, quoniam primùm eius prouinciæ afflatu scorpionum pestis extinguitur. Et in India inuentæ contra eadem pollent, & alijs magnis miraculis, &c. Et rursum: Spectasse etiam prodest oculis. Sitim quoque sedant in os additæ. In Persis verò, ex Magorum disciplina, suffitu earum tempestates auerti, & præterea flumina sisti. Argumentum esse, si in feruentes cortinas additæ refrigerēt. Eam verò quæ vnius coloris sit, inuictam athletis esse. Hactenus Plinius.

Tropologia.

Hanc porrò sibi misericordia vendicat: quæ tametsi lucis suæ splendore gemmæ gratiam longo interuallo superat, ab ea tamen haud obscuris indicijs repræsentatur. Suadet primùm etymologiæ ratio, & insitum à natura imitandi studium: etenim ea species nihil non æmulatur. Iam verò ea vis priuatim misericordiæ tribuitur, vt omniū ipsa affectus molestiasque exprimat. *Quis infirmatur*, inquit Apostolus, *& ego non infirmor: quis scandalizatur, & ego non vror?* Et rursum, *omnibus omnia factus est, vt omnes lucrifaceret.* Addit his Sanctus Epiphanius centrum lapidis esse cœruleum, candentem peripheriam. Sic namque misericordi viro cor dolet, vt tamen innocentiæ vbique habeat ra-

Misericordia.

A tionem. Sic illum miseri atque afflicti miseret, vt tamen nullius sceleris conscius esse velit. Sitim, inquiunt, sedat achates. Sedat & misericordia: nec sitim modo, sed etiam famem restinguit. Perlege S. Tobiæ historiam. Scorpionum quoque morsibus illa medetur. Quid igitur misericordia? Certè, si quam vim ad depellendos morbos habere creditur achates, hanc misericordia comparat, & plura etiam, quibus opus sit, adhibet, omnibus opitulatur. Adhæc, inquis, feruentes cortinas achates refrigerat. Miraculum habeatur. Illud tamen longè vtilius atque præstantius, quod misericordia, dum de suo iure decedit, acerba litium incendia opprimit, & periclitantes discrimine

B liberat. Denique etiam inuictum athletam præstat achates ex Magorū disciplina. Fabula quidem illa est: non refellam tamen, quoniam plus reipsa misericordia efficit, quàm fingere ausit vana superstitio. Reuera enim misericordia omnibus victoriam parat, qui eam ex animo amplectuntur. Hæc etiam pertinacissimos hostes cedere cogit, & ab ea quondam se victum Saul confessus est, & quidem gloriosius quàm si Dauid eidem ex insidijs vitam eripuisset. At earum suffitu præterea docent Magi procellas tempestatesque depelli. Esto. Nulla tamen vis fulminis tanta, nullus procellæ impetus, qui cum diuini Numinis ira conferri possit. Atqui hanc misericordiæ mirabilis quædam potestas auertit. Testatur hoc Apostolus ad Hebræ. cap. 13. ver. 16. τῆς, inquit, εὐποιΐας καὶ κοινωνίας μὴ ἐπιλανθάνεσθε. Vulgat. *Beneficen-*

C *tiæ & communionis nolite obliuisci.* Siue, vt Syriaca translatio habet, *commiserationis & communicationis in pauperes*: τοιαύταις γὰρ θυσίαις εὐαρεστεῖται ὁ θεός. *Talibus enim hostijs promeretur Deus.* Erasmus vertit, *placetur Deo.* Arias, *Talibus enim hostijs beneplacet sibi Deus.* Transl. Syriaca *per has hostias homo gratus est Deo.* Beza omnium pessimè *delectatur* Deus. Nam etsi verum est his quoque delectari Deum, falsum est tamē quod asserit, eam esse verbi emphasim; vel vno Xenophonte teste, qui dixit ἱεροῖς θεοὺς ἀρέσκεσθαι ἐξιλασκόμενον vtique siue εὐαρεστῶ (nam par est vtriusque ratio) significationem auget, non minuit.

D Nam inde etiam est εὐαρεστήριος, quod est placatorius. Quare non falsò aut ineptè, vt mentitur Beza interpres noster exposuit. Sed hoc studuit, vt dictionis emphasim exprimeret: quæ non alia est, quicquid ille nebulo odio bonorum operum effutiat, quàm misericordiæ merito, postquam ea cum gratia coniuncta est, diuinæ iustitiæ æstum cohiberi, furoremque mitigari. Postea etiam incensa achates myrrham redolet. *Christi*, inquit Apostolus, *bonus odor sumus in omni loco.* Postremò etiam oculis achates aspectu prodest. An verò est aliud quidpiam præterea, quod sic erroris tenebras atque ignorantiæ caliginem infidelium animis excutiat, aut eorum mentis aciem ad contuendam fidei nostræ veritatem acuat, vt Christianorum misericordia, cùm illam iuxta legis suæ placita in quoslibet miseros exercent? Nolim sanè id pluribus exemplis confirmare. Sed si quis Sancti Pachomij acta legat apud S. Simeonem Me-

Bezæ calumnia refutatur.

EPHOD SECVM, &c. — Acta S. Pachomij apud Sim. Metaphra. 14. Maij

taphr. intelliget, quo pacto tantus ille vir misericordiæ illecebris à Christianis captus sit, quorum antea ne nomen quidem nouerat, & ab insana deorum gentilium superstitione ad veri numinis cultum & fidem reuocatus.

Amethystus.

A Sequitur gemmarum nona Amethystus. Hebraice ואחלמה *veachlamah*. Consentiunt interpretes, & tam Græci quàm Latini Amethystum interpretantur. Nominis origo חלם *hhalam*, quod est *robustus fuit*, conualuit. Item, somniauit. Inde igitur אחלמה *achlamah*, tanquam sit gemma quæ vires tribuat, aut robur addat cordi. Fagius in Onkelum ab alia significatione deducere maluit. Dicitur, inquit, à חלום *hhalom*, quod somnium significat; quòd videlicet is qui hunc lapidem gestat, semper somnia videat. Chaldaicè hic scribitur, ועין עגלא *veeen egla*, *& oculus vitulæ*; quod scilicet formam & similitudinem oculi vitulini præseferat. Nam עין *een*, oculum, עגלא in fœm. genere *vitulam* significat. Estque nomen proprium amethysti, tametsi nónulli Hebræorum nonnunquam *beryllum* exponant. Græcis ἀμέθυσος.

S. Epiphanius. Hæc gemma, inquit S. Epiphanus, circunferentiam habet profundo ceu colore flammæ ardenté: ab ipsa verò circunferentia in medio albior est, οἰνωπὸν ἀποστίλβουσα εἶδος, & à vino Græcis dictum colorem vibrat. Forma eius est varia, fortè autem & ipsa in montibus Lybiæ nascitur. Quædam ex eis puro hyacintho est similis, altera verò purpuræ: nasciturque in litore & præruptis locis eiusdem Lybiæ. Hæc S. Epiphá.

Gorrhæus. Gorrheus in definitionibus medicis, in verbo Ἀμέθυσος, herbæ, inquit, nomen est & gemmæ, quas ita appellatas esse quidam volunt, quod aduersus ebrietatem pollere, & temulentiæ aduersari arbitrentur. Quod vt verum sit, vtraque tamen à colore id nomen sibi potuit adsciuisse. Ac de gemma quidem satis conuenit: est enim purpurei coloris: amethysti autem herbæ folium meracioris vini colorem æmulatur.] Idem prius sensisse videtur

Plinius. Plinius lib. 37. c. 9. Causam, inquit, nominis afferunt, quod vsque ad vini colorem accedens, prius quàm eum degustet, in violam desinat: fulgorque quidam in illa purpura non ex toto igneus, sed in vini colorem deficiens. Hæc ille. Neque tamen priorem illam etymologiam ignorauit: sed eam magis acceptam refert. Addit enim postea: magorum vanitas resistere ebrietati eas promittit, & inde appellatas. Negare tamen opinor non poterit, non à magis, sed à medicis τὰ ἀμέθυσα dici, quæ medicamenta adhibentur, siue vt caueatur ebrietas, siue

Plutarchus. discutiatur. Plutarchus sanè in lib. de Poëtis audiendis, gemmam esse affirmat, qua vtantur quidam aduersus ebrietatem in symposijs.

Cardanus. Cardanus etiam 7. de subtil. Creditur, inquit, ebrietatem alligatus vmbilico prohibere, &

Ἴον τό. somnia mouere. Georgius Agricola scribit, eundem Ion dici à violaceo colore.

In ordine purpureorum, inquit Plinius, principatum amethysti Indicæ tenent. Perlucent autem omnes violaceo colore, scalpturis faciles. Indicæ absolutum felicis purpuræ colorem habent: ad hancque tingentium officinæ dirigunt vota. Fundit autem eum aspectu leuiter blandum, neque in oculos vt carbunculi vibrat. Hinc plures eius species enumerat, & eam præcipuè damnat, quæ ad viciniam crystalli descendit, albicante purpuræ deiectu. Hoc, inquit, minimè probatur, quando præcellens debet esse in suspectu velut ex carbunculo refulgens quidam in purpura leuiter roseus nitor. Tales aliqui malunt pæderotas vocari, alij anterotas, multi Veneris gemmam, quod maximè videtur decere & specie & colore extremo gemmæ. Tradunt magi, si lunæ nomen ac solis scribatur in ijs, atque ita suspendantur è collo capillis cynocephali, vel plumis hirundinis, resistere veneficijs. Iam verò quoquo modo adesse reges adituris. Grandinem quoque auertere ac similia, & locustas, precatione addita, quam demonstrant. Hactenus Plinius.

Tropologia. Iamblichus Prudentia. Verumenimverò quam nobis virtutem gemma ista referet? Principatum, inquit Plinius, in ordine purpureorum amethysti tenét. Iamblichus verò in Epistola ad Aphaleum; Prudentia, inquit, virtutum princeps est, reliquisque omnibus vtitur, atque ipsarum ordinem, modum, & occasionem in præsentia, tanquam oculus quidam mentis vndequaque lucidissimus, ostendit. Hominum gubernatrix est, & omnis inter eos constitutionis princeps. Ciuitates quinetiam, & familias, priuatamque singulorum vitam ad exemplar diuinum referens, qua potest optima similitudine depingit, hoc delet, illud inscribit, vtrobique assimilationis modo studens. Meritò igitur Deo similes facit sui possessores prudentia. Hæc Iamblichus. Cui concinit poëta Menander: Menander.

Οὐκ ἔστιν οὐδὲν πάτερ ἐν ἀνθρώπου φύσει,
Μεῖζον λογισμοῦ, τῷ διαθέσθαι πράγματα,
Ἕκαστός ἐστι καὶ λογίσασθαι κατὰ τρόπον,
Ἄρχων, στρατηγός, ἡγεμὼν δήμου, πάλιν
Σύμβουλος, ὁ διαφέρων λογισμῷ πάντ' ἔχει.
Non est quicquam, Pater, in hominum natura
Maius ratione & consilio. Nam componendis & disponendis rebus,
Et rationem subducendo commodè, vnusquisque est
Princeps, imperator, dux populi, rursum
Consiliarius: Qui præstat ratione, omnia habet.

Chaldæo *oculus* amethystus dicta est. Oculus quoque prudentia est. Quinimo inquit Sophocles:

Ὡς ὄψις ἐν ὀφθαλμῷ, ὁ νοῦς ἐν τῇ ψυχῇ.
Vt visus est in oculo, ita mens in anima.

Plutarchus. Corpus, inquit Plutarchus, (in lib. An vtilis sit prænotio futurorum?) anteriori solùm parte oculis præditum est, posteriori vero omnino cœcum. ἡ δὲ διάνοια, cogitatio autem præterita quoque memoriæ beneficio conspicit.] Futura quoque præuidet, & in omnem partem circumfert oculos. *Erant*, inquit Scriptura, *animalia plena oculis*. Talis quoque olim Argus quidam

EPHOD SECUM HABENS, &c.

quidam à Poëtis fingitur.

A Græcis autem eo nomine gemma illa donata est, quòd temulentiam arceat. Mentis porrò temulentia imprudentia est. Hæc est animorum ebrietas, quam sola discutit, quæ semper sibi constat, prudentia. Quòd si fidem habemus Hebraïcæ etymologiæ, amethystus etiam cor confirmat. An verò est aliud quicquam quod sic hominis animum confirmet, vt prudentia? Imprudentia quidem plerumq; turbas ciet, & quæ dudũ statuta erant, labefactat, & concutit: at prudentia nutantia corroborat, & collapsa restituit. Somnia quoque mouere amethystus dicitur. Somnia porrò quæ vera essent, visa sunt olim tanquam secretior quædam & nocturna cum Deo colloquutio, & ad futurarum rerum præscientiam attinere. Itaq; in his exponendis Daniel & Ioseph celebres in Scriptura habiti sunt. Et Deus ipse non vno loco manare à se somnia prædicat. Iamblichus de prudentiæ origine ait, Generatur primùm hæc à syncera perfectaque mente, (Deum dicere debuit) atque sic genita in ipsam mentem intuetur, à qua perficitur, modumq; & exemplar inde sibi pulcherrimum omnium suarum actionum habet. Quòd si quę nobis etiam cum deis (dic tu: quæ autem nobis cum Deo) intercedit communitas, ea maximè virtutis huius gratia consistit, & per hanc in primis ipsis assimilamur. Huius beneficio bona & vtilia, honesta & turpia discernimus, factaq; conuenientia iudicamus, ac emendamus. Roseo præterea nitore omnium oculis gratissima amethystus arridet, & audit pulcherrima. Interrogatus Socrates, τί φρόνησις; ἔφη, ... ψυχῆς. Quid esset prudentia? Animæ, ait, concinnitas. Παιδέρως, & αἰνῖτις, & Veneris gemma quoque amethystus dicta est, quæ omnia amorem sonãt, quem sua pulchritudine conciliare crederetur: sed nihil sic amorem pellicit, & accendit, vt prudentiæ decor eximius, quæ in delectu bonorum malorumque cernitur, estque opportunitatis idoneorum ad agendum temporum scientia. Nam quod ion Agricolæ amethystus quoque dictus est, indicat hoc scilicet, reliquarum virtutum florem esse prudentiam. Verùm amethysti præterea varia forma est. Quid tum? Ipsa quoque varia est forma prudentiæ. Nam circa bonum, inquit Plutarchus, prudentia quadrupliciter versatur, cùm aut adipiscitur bona, aut tuetur, aut adauget, aut prudenter vtitur. Et Aristonymus apud Stobæum, Boni gubernatoris est, πρὸς τὰς τῶν πνευμάτων ἁρμόσασθαι, ventorum se mutationibus accommodare: ... viri autem sapientis, fortunæ. Scalpturis amethysti faciles. Hoc ipsum de prudentibus Aristoteles prædicat: Quoniam euentus quidem rerum nostræ voluntati se haudquaquam accommodant, nos certè voluntatem euentibus accommodare oportet. Ad Reges adituris amethystus adesse creditur. Prudentia ad Deũ & homines viam munit, & aditum parat. Denique si Magis credimus, amethystus veneficijs resistit, grandinem quoque & locustas addita precatione auertit. Sed hæc commenta superstitiosorum hominum, fabulasque censet Plinius. At nos certi sumus, si ad prudentiam fidelis accedat oratio, cæli, terræque minas, quantum satis sit, à nobis auerti.

Impudentia. — Iamblich. — Plutar. in l. De virtut. moral. — Aristonym.

Chrysolithus.

Reliquus est ordo quartus, quem ducit gemmarum decima chrysolithus. Hebraice תרשיש *tharsisc.* Pagninus in editione Antuerpiensi Laurent. Hebraïcum nomen retinet *tharsis.* Rabi Dauid Kimhi dicit esse gemmam coloris cærulei. Videtur, inquit Fagius in Onkelum, à mari, vnde prouenit, nomen accepisse: quare & Paraphrastes Chaldæus transfert כרום ימא *keroum iamma*, fuliginem maris. Colorem carmesinum nonnulli interpretantur. Constanter tamen Latini interpretes etiam Paraphrasis Chaldaïca, *chrysolithum* exponunt cum ipso Fagio, Septuaginta Interpretibus, Iosepho item, & sancto Epiphanio χρυσόλιθος. Hunc etiam aliqui, inquit sanctus Epiphanius, χρυσόφυλλον vocarunt. Quo loco in editione Petauiana adnotatur ad marginem: Chrysophyllum alij auctores non habent, sed chrysoberillum: eamque Babylonicam: quod huic loco conuenit.] Aurum suo colore refert. Inuenitur autem in puteo duplicis petræ ad mœnia Achæmenetidis Babylonis. Regionem & puteum ita nominant, quòd dicant Cyri Regis patrem Achæmenem vocatum fuisse. Inuenitur & χρυσόπασος (χρυσόπρασος mauult interpres) quæ stomachicis & cæliacis pota vim medendi habet. χρυσόπασος Polluci libro sexto, capite primo, dicitur aurum intertextum habens. Chrysolythi, inquit Plinius, aureo colore translucent. Optimæ sunt, quæ in collatione aurum albicare quadam argenti facie cogunt. Funda includuntur perspicuæ, cæteris subijcitur aurichalcum. Tametsi iam inexpertis gemmarum vsu appellantur aliqui & chryselectri, in colorem electri declinantes, matutino aspectu iucundiore. Ponticas deprehendit leuitas. Quædam in ijs duræ sunt, ruffæque, quædam molles, & sordidæ. Sunt in hoc genere capniæ. Sunt & vitreis similes, veluti croco refulgentes. Vitreæ verò vt visu discerni non possint, tactus autem deprehendit, tepidior in vitreis. In eodem genere sunt melichrysi, veluti per aquam syncero melle translucente, quas India mittit, quamquam ad iniuriam fragiles. Fiunt & leucochrysi, interueniente candida vena. Deterrimæ autem Arabicæ, quoniam turbidæ, sunt & variæ, & fulgoris interpellati nubilo macularum, etiam quæ lympidæ contigere, veluti scobe sua refertæ. Cardano, quæ nunc vulgò topazius dicitur, ea est veterum chrysolythus, de qua nobis sermo est. Tanta eam duritie vult esse præditam, vt sapphiro nihil aut parum cedat. Rara absque maculis. Creditum est libidinem supra omnem opinionem coercere, si tangens carnem gestetur. Alber-

S. Epipha. — Variæ species. — Plinius lib. 37. cap. 9. — καπνὸς fumus. — Cardanus.

EPHOD SECVM HABENS, &c.

tus scribit in aquam feruentem immissam, feruorem compescere. Ingentis esse frigoris argumento est, quòd sitim sub lingua posita febricitantium mitigat: quod quamuis etiam crystallo, & alijs pluribus gemmis commune sit, non tamen peræquè manifestè. Hæc Cardanus libro septimo De Subtilitate.

Tropologia.

Quid hæc? cuius imago est? Ni fallor, temperantiæ. Atqui chrysolitho aureus color est. Et,

Temperantia.

Auream, inquit Horatius, *quisquis mediocritatem*
Diligit, tutus caret obsoleti
Sordibus tecti, caret inuidenda
Sobrius aula.

B

Aurum corruptionis expers est. Expers item corruptionis temperantia. Auri fulgor metallorum splendorem facilè vincit. Temperantia reliquis virtutibus ad famam boni nominis prælucet. Auro cumulantur opes. Opes cumulantur & temperantia. Quid hoc quòd præsente chrysolitho palescit aurum? Temperantiæ studium est mediocria sectari. Seu mauis, aurum, cum temperantia comparatum, eius splendore vincitur, & argento dilutius apparet. Temperantiæ porrò non vnum discrimen est, vti nec chrysolithi. Insignes sunt leucochrysi vena argentea. Sic quoque nonnulli gloriam in temperantia aucupantur. *Exterminant enim facies suas*, inquit Christus, *vt appareant hominibus ieiunantes*. Quales etiam fuisse Pythagoreos in vtroque temperantiæ genere non dubitamus. Melichrysi etiam sunt fragiles. Qui tandem? hi nimirum qui voluptatem captant, & sperant se consequuturos temperantiæ beneficio: quales fuisse Epicureos ex Magistri doctrina didicimus: qui difficile sibi temperant; & vbi cœperint delicijs immergi, rarò gulæ ac libidini moderantur. Est & alia species æmula succini, quam dicunt chryselectrum, quæ manè quidem blanditur oculis, at mox illius nitor hebescit. Huic ego similes eos arbitror, qui necessitate magistra à superuacaneis abstinent, quorum non est aurea temperantia: quibus si copia contingat, statim temperantiæ repagula conuellent. Denique Arabicas chrysolithos turbidas describit Plinius, & fulgoris interpellati nubilo macularum, quæque sint tanquam sua scobe refertæ. Auarorum sordida hæc temperantia est, quæ non sibi, sed congestis frugibus parcit: hoc frustrà perijsse rati, quod in se erogauerint. Vitrearum adulteria tactu comprobantur: nam tepidior est: syncera natiuo frigore se produnt. Hypocritæ haud seriò temperantiam amplectuntur. illi student dum spectantur, si sperent fore clàm, in cibum, potum, ac venerem sese ingurgitant. Rara chrysolithus absque maculis. Pala includuntur perspicuæ. Cæteris subijcitur aurichalcum. At nulla in toto rationali aurichalci mentio est. quare hanc & perspicuam esse oportuit, & in eo genere

A

præstantissimam. Quæ verò præstant reliquis, sunt eædem durissimæ. Non est virtus quam citò molliunt illecebræ, & formæ lenocinia superant. Necesse est inter blanditias sibi constet temperantia. Postremò, qui vires chrysolithi facultatesque medicas explorant, hæc ferè de ea memorant. Vndas feruentes compescit; linguæ supposita sitim restinguit; libidinem suprà quàm credi possit, cohibet; cœliacis denique & stomachicis medetur. Quæ omnia eò spectant, vt quæ mala libido & ebrietas hominibus important, eadem intelligas à temperantia curari.

Onychinus.

Vndecimam sedem hæc gemma occupat. Hebraïcè שֹׁהַם *schoham*. Septuaginta, quos sequitur sanctus Epiphanius, ordinem commutant, & *beryllum* hoc loco statuentes, *onychem* vltimam locant. Reliqui Vulgatæ editionis seriem seruant. Itaque ὀνύχιον vocant. Fagius in Onkelum *onychinum* similiter transfert, & addit: Ita communiter vertunt nostri interpretes. Candorem dicunt habere hunc lapidem vnguis humani, vnde *onyx* dictus. Nam ὄνυξ Græcis vnguem significat. Paraphrastes noster ferè semper בּוּרְלָא *bourla* vertit, quæ vox videtur nonnihil affinitatis habere cum eo lapide, quem nostri *beryllum* vocant. Hæc ille. Sanctus Epiphanius, λίθος ὀνύχιον, onychium gemma. Est hæc, inquit, valdè flauo colore.

S. Epiphan.

C

Pocula olim ex eo lapide Regum ac Principum sponsis in delitijs fuisse notat. Sunt & alij onychitæ æquiuocè dicti, qui ceræ, mellis colorem habentis, sunt similes. Aiunt autem aliqui, eos ex aqua coïre, ac veluti congelari. Et rursum idem sanctus Epiphanius, Onychitas appellant à natiuo eorum colore: quia elegantium virorum vnguis sit marmori similis, non sine colore sanguinis tamen. Marmor etiam falsò onychitam à nonnullis dici obseruat ab exploratione vnguis, propter exquisitum & politissimum læuorem. Sudines, inquit Plinius libro trigesimo septimo, capite sexto, dicit in gemma esse candorem vnguis humani similitudine. Item chrysolithi colorem & sardæ & iaspidis. Zeno-

Plinius.

D

themis Indicam onychem plures habere varietates, igneam, nigram, corneam, cingentibus candidis venis oculi modo, interuenientibus quarumdam oculis obliquis venis. Sotacus Arabicas onychas nigras inueniri candidis zonis. Satyrus carnosas esse Indicas, parte carbunculi, parte chrysolithi, & amethysti. Veram onychem plurimas, variasque cum lacteis zonis habere venas, omnium in transitu colore inenarrabili, & in vnum redeunte concentum suauitate grata.

In tria genera onychem Cardanus distribuit lib. 7. De Subtilit. Vnum est Chalcedonium ab vrbe Bithyniæ, in quam deferebatur ex India, ita appellatum: assimulatur eo ore & perspi-

EPHOD SECVM HABENS, &c.

Cardanus.

perſpicuitate propriè vngui. Refert Albertus expertum ſe eſſe, ſi lapis hic è collo ſuſpendatur, vires omnes corporis roborare, quod haud eſt incredibile. Nam frigiditate ſita conſtringit ſpiritus atque vnit, luce verò illos confirmat, & caloris temperie. Eadem ratione venerem collo ſuſpenſum cohibere fertur, atque in hunc vſum inde ferre paſſim conſueuerunt. Genus eſt aliud cæruleum, pallens in ſummo & opacum, in imo autem nigrum, quod vocatur Nicolus: geſtantem facit triſtem, & ſomnijs terribilibus agitat: nam ſpiritus adeo cogit, vt triſtitiam & turbationem moueat. Tertium genus ferruginei eſt coloris in ſupremo, in imo nigri, in medio candidi; vocatur à pleriſque Oculus. Si fruſta duo ex onyche inuicem confricentur, calorem tantum concipiunt, vt vix ferri queat. Hæc ille.

Sed iam ſatis quod ad præſens attinet, onychis gemmæ naturam inueſtigauimus: nunc ea tandem quid hoc loco velit, quemue ſenſum habeat, diligenter indagemus. Ab vngue gemma nomen habet, quæ pars corporis tametſi ſenſu caret, ipſa tamen manuum pedumque articulos ad agendum plurimum confirmat. At verò hoc in repub. quid niſi iuſtitia præſtat? Senſus illa quodammodo expers eſſe debet, nec proprium quicquam ſapere, ſuum autem ius cuique tribuere, libertatémque tueri. Ab onyche Græci dicunt ὀνυχίζειν, quod eſt diligenter inquirere: Latini *ad vnguem*, quod eſt perfectè accuratéque noſſe. His maximè iuſtitiæ munus abſoluitur: quæ ſi defuerint, iuſtitiæ ſedem temeritas occupat. Sotacus Arabicas onyches nigras deſcribit, præcinctas zona candida. His nimirum qui rebus iniuſtis delectantur, & ex rapto viuunt, qui mos eſt Arabum: tetrica res & inamœna. Videtur iuſtitia: ipſa tamen illibatæ niueo æquitatis diademate coronata eſt. Tres onychi colores Sudines tribuit, chryſolythi, ſardæ & iaſpidis. Satyrus, carbunculi, chryſolithi, amethyſti. Quas virtutes hæ gemmæ referant, iam ſuprà explicuimus. Has omnes ſcilicet iuſtitia ſuo ſinu complectitur. Nam neque iuſtus eſſe poteſt niſi qui ſit temperans, quod chryſolitho aſcripſimus: neque ſyncerè iudicia exercere, niſi qui ingenuo pudore, prudentia, charitate, atque adeò cæleſtis præmij bona ſpe ſit præditus, quæ omnia nobis antea ſardius, amethyſtus, carbunculus, & iaſpis in Summo Pontifice repræſentarunt.

Tropolog.

Iuſtitia.

Zenothemis diuerſam rationem explicandæ iuſtitiæ init. Nam Indicam onychem igneam, nigram, corneam facit, quam inſtar oculi candidæ venæ cohibent. Celebris eſt apud pleroſque autores iuſtitiæ oculus, de quo Orpheus in hymnis,

Ὄμμα Δίκης μέλπω πανδερκέος, ἀγλαομόρφου, &c.
Oculum iuſtitiæ canto, retrò videntis formoſæ,
Quæ etiam ſuper Iouis principis ſacroſedet ſolio,
Cælitus deſpiciens vitam mortalium in varias
gentes diuiſorum,
Iniuſtorum vltrix, ſupplicijs grauans iuſtis,
Veritatis æqualitate concilians diſſimilia.

πάντ' ἐφορᾷς, καὶ πάντ' ἐπακούεις, πάντα βραβεύεις.
Omnia vides, audiſque cuncta, & nihil non
diſpenſas.

Porrò, quod pluribus ſplendet amicta coloribus, hoc ſcilicet indicat habere illam rationem cuiuſque meritorum, & ſontes quidem pœnis vlciſci; bonos autem præmio afficere.

Onychis præterea Cardanus tria genera recenſet. Totidem partes iuſtitiæ numerant: Commutantem, diſtribuentem, vlciſcentem. Hæc triſtitiam parit, & terret, vti genus illud onychis pallens & cæruleum. Commutans vires cuiuſque corroborat, & tuetur. Diſtribuens virtutis ſtudium accendit. Sed paucis iuſtitiæ encomium Polus Pythagoricus abſoluit, quod Stobæus deſcripſit ſerm. 9. *Δοκεῖ μοι τὰν ἀνθρώπων ποτὶ δικαιοσύναν, ματέρα τε καὶ τιθήναν τᾶν ἄλλαν ἀρετᾶν προσαγορευέμεν. ἄτερ γὰρ ταύτας, οὔτε σώφρονα, οὔτ' ἀνδρεῖον, οὔτε φρόνιμον οἷόν τε ἦμεν.* Iuſtitia inter homines videtur mihi mater & nutrix cæterarum virtutum appellanda. Nam ſine illa neque temperantem, neque fortem, neque prudentem eſſe quemquam fieri poteſt. *Ἁρμονία γάρ ἐστι καὶ εἰράνα τᾶς ὅλας ψυχᾶς μετ' εὐρυθμίας.* Quippe harmonia & concordia totius animæ eſt cum concinnitate. Fiet autem eius vtilitas euidentior, ſi alios, inquit, habitus conſiderauerimus, vt pote qui particularem ſui vſum, & ad vnum quempiam præbeant. Iuſtitiæ verò vtilitatem in multitudine, & vniuerſas rerum comprehenſiones præſtat. Siquidem in mundo principatum omnem obtinens, prouidentia vocatur, & harmonia, & conſtitutio generis cuiuſdam deorum, qui ipſam ita diſpoſuerunt. In ciuitate autem pax, & æquitas meritò nominatur. In domo autem, hæc eſt viri & vxoris concordia mutua. Item, famulorum in heros beneuolentia: dominorum autem erga famulos benigna curatio. In corpore autem ſanitas, & perfectio membrorum, quæ tanquam præcipua cunctæ animantes maximè diligunt. Cæterùm in anima eſt ſapientia, quæ per ſcientiam & iuſtitiam hominibus comparatur. Cùm igitur hæc virtus totum ſimul ac partes ſingulas ita moderetur, & in concordia conſeruet, quomodo non mater & nutrix tum virtutum, tum rerum omnium communi iudicio dici debet? Hæc Polus.

Iuſtitiæ encomium.

Beryllus.

Claudit ſeriem gemmarum duodecima *Beryllus*. Hebraicè ישפה *iaſpeh*. Græcis βήρυλλος. Septuaginta & Vulgatus Interpres, inquit Fagius, *berillus* legunt, ſed nomen Hebraicum *Iaſpah* magis alludere videtur ad *iaſpis* vocabulum. Illum Montanus imitatur: *iaſpidem* vertit; Pagninus *beryllum*. Sed nolumus temerè à Sanctorum Patrum & veterum interpretum ſententia diſcedere. præterquam quod nullius momenti argumentum videtur.

Beryllus, inquit ſanctus Epiphanius, *γλαυκίζων μέν ἐστι, θαλασσοβαφὴς, ἔχων εἶδος καὶ τοῦ ὑακιν-θίζοντος ὑακίνθου*, glauca gemma eſt, colore maris,

EPHOD SECVM HABENS, &c.

aut hyacinthi dilutioris. Si quis velit hanc è regione Solis contemplari, videbitur non secus ac vitrum intrinsecus grana milij habere pellucida. Est & alia beryllus, pupillis oculorum serpentum similis, alia ceræ. Addidit Anonymus quidam ad Epiphanium: Berylli, si sphæricæ fiant, & radijs Solis opponantur, ignem emittunt, vt specula concaua. Plinius libro trigesimo septimo capite quinto. Eandem multis, inquit, naturam aut certè similem [cum smaragdis] habere berylli videntur, in India originem habentes, raro alibi reperti. Poliuntur omnes sexangula figura artificum ingenijs, quoniam hebescunt, ni color surdus repercussu angulorum excitetur. Aliter enim politi non habent fulgorem eundem. Octo deinde species beryllorum enumerat. Probatissimi sunt ex ijs, qui viriditatem puri maris imitantur. Proximi Chrysoberylli. Vicinum genus chrysoprasi. Quarto loco numerantur hyacinthizontes. Quintò, quos aëroides vocant. Post eos autem cerini. Ac deinde oleagini, hoc est colore olei. Postremi crystallis ferè similes. Auro coronari ea gemma non indiget. Summa commendatio est in longitudine. Ideo cylindros ex ijs Indi facere malunt, quàm gemmas. Quidam perforatos docent gratiores fieri medulla candoris exempta, additóque auro repercussa, aut omnino castigata causa perspicuitatis ad crassitudinem.

S Epiphanius.

Plinius.

Variæ species.

Berylli nobis color arridet. Nam hæc velut puri maris viriditas, spem bonam, atque adeo in re difficili alacritatem spondere videtur. Hæc porrò constantis animi fortitudo est, si te aduersa non terreant, nec obiectis rebus arduis animum despondeas. Serpentinis etiam oculis nonnunquam berylli similes perhibentur. Nec hoc abnuerim. Nam quæ prudentia caret, non illa fortitudo est, sed audacia. Aduerso sole sphæricus beryllus flammas emittit. Quis dubitet, si quis fortitudine præstet, tum eum ardere penitus & incendi, cùm Deus ipse, seu potius eius fides ac religio in periculum vocatur? Hæc porrò gemma ad sui commendationem externum auri splendorem non requirit. Quid fortitudo? Non opibus atque potentia, sed ærumnis ac calamitatibus maximè probatur. At infuso intra viscera auro beryllus gratior euadit. Dei gratia pectoribus nostris infusa vim omnem ac robur fortitudini præbet. Berylli productior stylus præcipuè laudatur. *Qui perseuerauerit*, inquit Christus, *vsque in finem hic saluus erit.*

Tropologia.

Fortitudo.

Nec pauciora dixerim fortitudinis genera quàm beryllorum. Nam & fortitudine opus est, vt clades publicas æquo animo feras, quæ, vt plurimùm, numinis iram testantur, terroré sque non modicos hominum mentibus incutiunt: quo in genere præter cæteros maiores nostri excelluerunt, cùm olim ab Ethnicis afflicti Imperij, & omnium calamitatum rei arcesserentur: & vt item corporis dolores acerbósque cruciatus perferas, siue illos hominum iniuria, siue morbi vis

Fortitudinis plures species.

A aut contumacia intulerit. Tertia præterea species necessaria est in exantlando labore, qui non rarò pauidis suas vires superare videtur. Iam verò seruitutis, ærumnæ, & captiuitatis incommoda, vt humanè tolerari possint, quartam quoque sibi speciem vendicant. Quid ipsa nominis infamia, contemptus, contumeliæ, quo pacto hæc omnia quisquam valeat vt decet absque fortitudine pati? Vincit sanè multos inopiæ magnitudo. Si qui eius impetum frangunt, horum nos fortitudinem prædicare solemus. Iactura quoque amicorum, & eorum qui nobis sanguine iuncti sunt, plurimorum animos deijcit. Quantos olim parentes natorum præcox hausit interitus? Quot olim coniuges elatis maritis recusarunt esse superstites? Si qui igitur, B cùm vehementer ament, charorum funera modestè defleant, nec acerbo dolori supra modum indulgeant, an nos hos quoque inter fortes numerandos censebimus? Quid si quispiam eorum, cum quibus sua consilia & opes communicauerit, perfidiam expertus, eorum proditione & fraudibus in discrimen adductus sit, an non huic quoque fortitudinis præsidio opus erit, vt tempestatem tranquillè subire possit? Quando igitur beryllorum genera solo colorum discrimine Plinio secernere placuit, nos quoque ex obiectis, seu potius subiecta materia, non pauciores fortitudinis species aliquanto maiori ratione designauimus.

Restat nunc, vt illud quoque consideremus quod ait Plinius, poliri beryllos sexangula figura, vt repercussu angulorum surdus C alioqui color excitetur. Nam pari numero non anguli, sed virtutes comites stipare fortitudinem debent, vt eius splendor alioqui obscurus sole clarior eniteat. Nam si innocentia patienti defuerit, necessitati non fortitudini patientia adscribetur. Quamobrem, vt inquit Apostolus, *nemo vestrum patiatur vt fur, aut homicida. Quæ est enim gloria, si peccantes & colaphizati suffertis? sed & si quid patimini propter iustitiam beati.* Neque verò sola innocentia sufficit, & illibatæ vitæ conscientia, sed necessaria est præterea fides, *sine qua quicquid agas, peccatum est*, inquit Apostolus. Et, *sine fide impossibile est placere Deo.* Adhæc fidem mansuetudo comite- D tur necesse est. Nam si eos, qui te rebus ipsis offendant, probris lacessas, non perferre fortiter, sed pusillo ac humili animo iniuriam referre videbere. *Quasi ouis*, inquit, *ductus ad victimam, sic coram tondente se obmutuit. Cùm malediceretur, non maledicebat. Non vos defendentes charissimi*, & cætera. Nec hactenus te satis fecisse putes, si dolorem tuum maledictis vltus non fueris, nisi etiam bene Deo dixeris, quod fecisse Danielis æquales in ardenti fornace Scripturæ memorant. Oportet etiam charitas, non gloriæ studium, sit ipsa patiendi ratio. Docet enim Apostolus: *Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Adde denique & prudentiam, ne temerè &

EPHOD SECVM HABENS, &c.

Fortitudinis necessariæ comites.

1. Petri 2. & 3.

EPHOD SICVM, &c.

rè & absque necessitate in periculum irruas. Nam *si quis turrim*, ait Dominus, *adificare velit, prius sedens computat sumptus qui necessarij sunt, si habeat ad perficiendum.* Et, *si quis rex iturus est committere bellum aduersus alium regem, prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se.* Itaque in vno quopiam loco ait: *Cùm persequuti vos fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam.* Quod si profectò cuiusquam constantia his virtutibus instructa erit, ita vt quisquis in eam oculos coniecerit, illibatum innocentiæ florem miretur cum pari fide coniunctum, mansuetudinem deinde, charitatem, prudentiam, atque adeo hæc omnia ad Dei laudem referri: fieri vtique non poterit, quin eam animi fortitudinem laudibus in cœlum ferat.

Itaque talis quondam fuit ornatus ille summi Pontificis, tales gemmæ: tales quoque virtutes, quæ lapillis ænigmaticè designarentur, quibus eos instructos atque ornatos esse decet, qui ad Deum oratores accessuri sint; vt gratiam ab eo inire possint, & quod postulant consequantur.

Sed quando huc ad explicandum Ephod non alio consilio diuertimus, quàm vt oraculum ipsum, si fieri posset, è tenebris in lucem proferremus; & iam his qui tropologias sectantur, vtcunque fecimus satis: reliquum est, vt illud quoque in quo potissimùm difficultatis cardo versatur, exponamus: quid sit, quod additur: *Pones autem in rationali iudicij doctrinam & veritatem, quæ erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram Domino.*

Exod cap. 28. ver. 30.

De Vrim & Thummim quid esset, & quo pacto diuinis oraculis inseruirent.

QVÆSTIO LXII.

IN re dubia certi quid asseram non habeo. Illud tamen iam penè constare videtur, quicquid id fuerit, rem sanè corpoream ijs nominibus designari. Hoc sentit S. Aug. qu. 117. in Exodum, & quicunque stellam auream, smaragdos, & adamantem, aut inscriptos nominum characteres interpretantur. Sed non illud æquè certum est, tametsi ego quoque non dubitem, hoc Spiritus sancti speculum, cuiuscuimodi fuerit, humano ingenio atque solertia minimè elaboratum fuisse. Neque enim, vt obseruat Rab. Salomon, sicut reliquam sacram supellectilem, sic quoque hoc, quodcunque est, artificis industria comparari Deus instituit: sed inseri duntaxat, aut dari, siue imponi rationali præcepit. Vnde colligit idem Salomô, *Vrim & Thummim* opus diuinum fuisse, in eum vsum antea apparatum, & ab ipso Deo Moysi in monte traditum: vel ab ipso Moyse, & non ab alio quoquam artifice adornatum atque instru-

Vrim & Thummim res corporeæ fuerũt.

Opus non cuiusquam artificis industria elaboratum.

Montanus.

A ctum. Salomonis sentētiam Arias in suo Aarone vltrò amplexus est. Hanc rem, inquit, cuiuscunque naturæ illa fuerit, hominum artificio factam aut comparatam non fuisse, sed diuinitus datam Moysi, vel eo tempore quo lex & tabulæ, vel eo quo perfectum opus fuit, arbitramur, eámq; fuisse multiplici figura distinctam, simul etiam claram, lucidam, speculique instar tersam, ex nominũ figura & numero etiam multitudinis intelligimus. In omnibus alijs, quæ hactenus commemorata descriptáq; sunt, ornamentis & vestibus, hoc modo scriptum legimus. *Et facies, & facient, & scribent.* Atque in ipsa curatione eorum sic etiam legimus. *Et fecerunt, & scripserunt, vel inciderunt, &c.* In huB ius verò arcanæ rei commemoratione, *Et pones:* siue ex Hebraico verbo, *Et dabis in rationale iudicij Vrim & Thummim.* Et in Leuitici lib. scriptum est: *Et dedit ad rationale haurim & hatthummim*, id est, indidit in rationale. Diximus autem rationale fuisse duplex, tribus lateribus commissum, ex vno autem latere apertum; inter vtramque partem Vrim & Thumim inferebantur, ibidemque seruata, Sacerdotis hærebant pectori: inde verò proferebantur, quoties diuinum responsum petendum erat. Hactenus Arias.

Leuitici 8.

Tertiò non possum in animum inducere, *Vrim & Thummim* nihil aliud fuisse præter easC dem voces in rationale intextas, aut etiam insculptas, cùm phrasis ipsa Scripturæ modusque loquendi ab ea sententia abhorreat. Exodi 28. ver. 10. *Pones autem in rationali iudicij Doctrinam & Veritatem.* Septuag. Καὶ ἐπιθήσεις ἐπὶ τὸ λογεῖον τῆς κρίσεως τὴν δήλωσιν καὶ τὴν ἀλήθειαν. וְנָתַתָּ אֶל חֹשֶׁן הַמִּשְׁפָּט אֶת הָאוּרִים וְאֶת הַתֻּמִּים *Venathatha el hhoscen hammiscpat eth haourim veeth hatthummim.* נָתַן *nathan* porrò nō scalpere, aut intexere significat, sed dare aut imponere. Vnde & alij *Dabis in rationale* trāsferunt. Sept. hoc loco *impones:* aliàs addere, inferre, inijcere etiam interpretantur. Sed quia nonnunquam etiam apud illos idem est ac ποιεῖν, πράττειν, facio sicut ostendit Kirkerus in Concord. addam & aliud testimonium, quod de artis effectione siue operis molitione intelligi non possit. Nam cùm sacras veD stes Moyses Aaron fratrem suum indueret Leuit. cap. 8. ver. 8. *Et posuit*, ait Scriptura, *super eum hoscen*, וַיִּתֵּן אֶל הַחֹשֶׁן *vaiythen el habhoscen vrim & thummim. & dedit* siue *posuit*, vt vertit Pagninus, *in pectorali vrim & thummim.* Sept. Καὶ ἐπέθηκεν ἐπὶ τὸ λογεῖον τὴν δήλωσιν καὶ τὴν ἀλήθειαν, *& imposuit super rationale, &c.* Sed & illud obseruat præterea Schindlerus. Quando, inquit, non construitur נָתַן *nathan* cum יַד *iad manus*, vt plurimum sequente tamen præpositione, vsurpatur pro שׂוּם *som* posuit, apposuit, imposuit. Genes. 1. וַיִּתֵּן Targum וִיהַב *vihab*, *& dedit ea Deus in firmamento cæli.* Sept. Καὶ ἔθετο, *& posuit* Genes. 9. *Arcum meum* נָתַתִּי Targ. יְהַבִית *dedi in nube.* Septuag. τίθημι *pono &c.* Denique Exodi cap. 28. vers. 9. & 36. quibus locis in auro cælari *Sanctum Domino*, & nomina filiorum Israël in lapides onychinos incidi Deus præcipit, nequaquam eo verbo Moyses vsus est: sed aliud adhibuit, quod ad eam artem pertinet.

Voces duntaxat non videri.

EPHOD SECVM, &c.

Versu 9. *Et accipies*, inquit, *duos lapides onychinos*, ופתחת *ouphithachtha*, *& sculpes in eis*; Arias, *& aperies super eis nomina filiorum Israel*. Versu 36. *Et facies* ציץ *tsits*; Vulgatus cum Pagnino *laminam*, Arias *florem de auro mundissimo*, ופתחת *ouphithachtha* Vulgat. *in qua sculpes opere cælatoris* siue *sculpturis*, vt Pagninus: Arias, *Et aperies super eum apertiones sigilli*, קדש ליהוה *Kodesc laihouah*, *Sanctum* siue *Sanctitas Domino*. *Pathach* פתח porrò *aperire* quidem propriè significat: sed quia scalpendo nudari lapillorum viscera videntur, aut vulgari nomina quæ latebant, idcirco scalpere, in æs aliamue materiam incidere, cælareque Hebræis significat. Itaque Græci interpr. quæ prius testimonia laudauimus, his verbis exprimunt: Καὶ γλύψεις ἐν αὐτοῖς τὰ ὀνόματα. Et ver. 36. Ἐκτυπώσεις ἐν αὐτῷ ἐκτύπωμα, &c [illegible] verò & [illegible] idem Græcis est, quod Latinis sculpo atque cælo.

Exod. v. 9 cap. 28.

Aliud videri præter gemmas duodecim.

Quartò non fuisse duodecim gemmas rationali insertas inde probari posse videtur, quod Leuitic. cap. 8. ver. 7. induto iam atque ornato Pontifice, cùm reliquis vestibus, tum etiam rationali, adhuc tamen *Vrim & Thummim* Moses pectorali imposuisse feratur. *Statim*, inquit, *obtulit Aaron & filios eius. Cumque lauisset eos, vestiuit Pontificem subucula linea, accingens eum balteo, & induens eum tunica hyacinthina, & desuper humerale imposuit, quod adstringens cingulo aptauit rationali, in quo erat Doctrina & Veritas.* Ad hunc modum Vulgatus: quem tametsi Mosis sententiam assequutum non dubitem, attamen eius mentem hebraica phrasis clarius explicat. *Et dedit super eum Ephod siue superhumerale, & cinxit eum cingulo superhumeralis, & cinxit eum cum eo. Et posuit super eum hoschen* siue *pectorale*, ויתן *vaythen* (à verbo נתן *nathan*, de quo supra disseruimus; quod *inserere*, imponere, atque immittere significat) *& dedit*, siue *inseruit* אל החשן את האורים ואת התמים *el hahhoschen eth haourim veeth hathummim in pectorale Vrim & Thummim.* Quod si rationali iam applicato Vrim & Thummim adderentur; distincta illa esse oportuit, quod de gemmis neutiquam concedendum est. Non enim separatim compositæ, genus aliquod ornamenti seorsum conficiebant, sed erant in ipsum hoschen intextæ, & velut pars toti, sic illi indiuidua serie cohærebant. *Vrim & Thummim*, sicut apparet, manifesto discrimine seiuncta erant, cùm adesse atque abesse possent.

Non videri istud oraculum solo numinis afflatu fundi consueuisse.

Addam quintò, non videri tam solemne istud oraculum, arcano mentis afflatu tantùm constitisse, sed foras quoque manifestis erumpentibus indicijs numinis præsentiam prodidisse: quorum plærique omnes qui aderant, testes forent, interpres solus Pontifex. Hoc autem probat primùm phrasis ipsa Scripturæ, quę longè diuersa est ab ea, qua prophetæ vti solet, cùm seorsum aut mente duntaxat Dei responsa percipiunt. Tum enim, quæ autore Deo renuntiant, plærunque ita auspicantur: *Hæc dicit Dominus*: quod vix aut nusquam Sacerdotem, cùm Ephod applicasset, obseruasse reperies. Quid ita? An quia fortè nescias suo an Dei nomine propheta loquatur, si non idem admo-

A neat? Nam quòd cum eo semotis arbitris Deus contulerit, nulla ratione explores. Sacerdotem autem ea præfatione vti nequaquam opus fuit, cùm ex ijs, quæ diuinitus in *Vrim & Thummim* elucerent, nulli dubium foret, oraculum instinctu diuino afflatuque fundi. An quia reuera, cùm per *Vrim* Deus sciscitantium vobis satisfaceret, Deus ipse non Sacerdos quæsita dissolueret? Nam eo pacto frustrà ac superuacuè videretur illud proloqui, *hæc dicit Dominus*. Sed nequaquam ita est. Deus enim quicquid incomperto illo modo indicasset, Sacerdos interpretari solebat. Hoc ipsum disertis verbis exprimit Numer. cap. 27. ver. 21. *Pro hoc*, (Ni-

B mirum Iosue) *si quid agendum erit, Eleazar Sacerdos consulet Dominum.* Pagninus, *interrogabit pro eo iudicium Vrim.* Hæbraicè, במשפט האורים *bemiscpat haourim in iudicio Vrim*, לפני יהוה *liphnei Iehouah*, *coram Domino. Ad verbum eius*, siue, vt Pagninus, *Iuxta sermonem eius.* Hebraicè, vt etiam vertit Arias, *super os eius egredietur & ingredietur ipse, & omnes filij Israel cum eo, & cætera multitudo.* Ex quibus patet, quicquid Deo placuisset, Sacerdotem oratione sua explicasse: nec tamen vsquam legimus solemnem illam prophetarum formulam vsurpare solitum, *hæc dicit Dominus.*

Veruntamen Zacharias, inquies, filius Ioiadæ, cùm esset summus Sacerdos, & in populi flagitia & sordes inueheretur, 2. Paralip. cap. 24. versu 20. ita orationem suam exorsus est,

C *hæc dicit Dominus.* Fateor illud quidem: sed tum illum induerat רוח אלהים *rouahh Elohim, Spiritus Dei*: non de oraculo respondebat: quamobrem etiam regis Ioas imperio lapidibus obrutus est. Nam cùm diuino spiritu afflati prophetæ, luce duntaxat, quæ videri non posset, perfunderentur, non rarò ab ijs, qui interpellari suas cupiditates molestè ferrent, calumniam passi sunt. Apud Ieremiam cap. 43. ver. 2. *Dixit Azarias filius Osaia, & Iohanan filius Caree, & omnes viri superbi, dicentes ad Jeremiam: mendacium tu loqueris: non misit te Dominus Deus noster, dicens: Ne ingrediamini Ægyptum, &c. Sed Baruch filius Neriæ incitat te aduersum nos, &c.* At Sacerdotum, cùm Ephod induissent, nusquam in dubium vocata fides, aut ludibrio

D habita oraculi autoritas. Quamobrem? An quia mentiri quoque ac fingere Sacerdotes non possent: fingere quidem, si responsum numen negaret: mentiri, si contrarium votis redderet, quiduis potius comminiscentes quàm vt in cuiusquam offensionem incurrerent? An quia ne à dæmone quidem in fraudem induci, aut ea credere à Deo profecta esse, quæ autore dæmone prænuntiarent. Cur enim potius hæc vera esse de Sacerdotibus, quàm de prophetis in animum inducerent? Non igitur harum vlla causa fuit, cur nemini vnquam visa sit oraculi suspecta responsio: sed quod Deus, vt antea diximus, cùm apud Sacerdotem, tum apud reliquos, certis argumentis præsentiæ suæ fidem faceret.

Nunc qua materia Hebræi *Vrim & Thummim* constasse putent, ex ijsdem referemus. Intra pectorale, inquiunt apud Fagium in cap.

Exodi

EPHOD SECVM, &c.

EPHOD SECVM HABENS, &c.

De materia Vrim & Thummim sententia Hebræorum Fagius.

Exod. 28. erat Scriptura quædam, quæ complectebatur nomen Dei tetragrammaton יהוה, quæ dicebatur *Vrim & Thummim.* Hoc autem nomen יהוה *Jeouah*, Trinitatis mysterium continet, vt veteres Iudæi, qui Christum præcesserunt, dixere in suis Traditionibus. Nam per י *iod* intelligitur Pater, qui est principium & origo omnium rerum. Per ה *he* Filius, per quem omnia quæ facta sunt, esse cœperunt. Per ו *vau*, quæ est coniunctio copulatiua, intelligitur Spiritus Sanctus, qui est amor & nexus vtriusque, qui ab vtroque procedit. Geminatur autem ה *he* propter duplicem naturam, quæ est in Christo. Per primum *he*, natura diuina intelligitur: per ה *he* postremum, natura humana. Hoc nomen יהוה *Adonai*, dicebatur Hebræis, שם המפרש *Schem Hamphorasch*, id est, nomen expositum, siue declaratum: aut nomen quod exponitur. Exponebatur enim ab eis per nomẽ 12. literarum אב, בן, ורוח הקדש *Ab, Ben, ueRouach hacados*, id est, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Item per nomen quadraginta duarum literarum, אב אלהים *Ab Elohim* &c. Hoc est, Pater, est Deus, Filius est Deus, Spiritus Sanctus Deus est, tres in vno (hoc est, in vna substantia) vnum in tribus, (id est, vna essentia.) Hæc autem Scriptura nominis Dei, dicebatur *Vrim & Thummim*, id est, illuminationes & perfectiones, quòd ex huiusmodi Trinitatis intellectu mens illuminetur & perficiatur. Scribit itaque Rab. Salomon in 28. Exod. *Vrim & Thummim* fuisse Scripturam ipsius *Schem Hamphorasch*, quæ à Mose, in ipsa duplicatura pectoralis, ex iussu Dei posita fuit, per quam Sacerdos interrogatus sua verba illustrabat, à quo *Vrim* dicebatur: simulátque perficiebat, inde *Thummim* vocabatur. Idem quoque tradit Pectorale, *pectorale iudicij* dictũ fuisse, à *Schem Hamphorasch*, quod in eo descriptum erat; per ipsum enim dijudicabatur, & comprobabatur, quidnam tribubus Israël facere liceret in rebus grauibus, vnde dicitur, *Et portabit Aaron iudicium filiorum Israel super cor suum, coram Domino semper.* Item Numeri 27. *Et stabit ante Eleazar Sacerdotem, qui consulet pro eo iudicium Vrim coram Domino*, &c. Hæc & plura ibidem Salomon. Cuius sententiam sequutus Nehemanides, hoc quoque sentit, *Vrim & Thummim* sacra nomina fuisse: & *Vrim* appellata ea, quorum virtute literæ illæ, quæ sub gemmis erant, illustratæ fuerunt. *Thummim* verò ea, quorum virtute literæ illæ illustratæ, legibiles factæ fuérunt; puta quod Sacerdos potuit eas in dictiones concinnare, atq; inde responsum Domini intelligere. Idem quoque refert, reuelationem siue responsum datum per *Vrim & Thummim*, fuisse מדרגה *madregah*, id est, gradũ aliquem Spiritus Sancti, inferiorem tamen prophetia, superiorem verò בת קול *bath Kol*, id est, voce cœlitus delapsa, quæ in vsu erat tempore secundi templi; postquã desierat ratio illa prophetica, qua aliquid arcani diuini per visiones cognoscebatur: similiter & Vrim ac Thummim, attestantibus priscis Hebræis.

Rab. Salomon.

Nehemanides.

Quod si fortè roget quispiam, quisnam mo-

A dus, & quæ ratio fuerit consulendi Dominum per Vrim & Thummim, ex Tractatu Thalmudico qui *Massechtah Iomah* vocatur c. 16. c accipiat. *Vrim* sacra nomina appellata esse docet, ab eo quòd illustrarent verba, per quæ respondendum erat: *Thummim* vero, quòd eadem non fallebant, sed perficiebantur. Si quæras præterea, quomodo se literæ habuerint, quæ in pectorali erant, cùm ex illis oraculum peti debebat: Respondent alij, eas literas, per quas respondendum erat, בולטות *boletoth* fuisse: hoc est, ex locis suis prominuisse, ita vt Sacerdos ex illis dictiones concinnare atque respondere posset. Cui sententiæ astipulatur Rab. Salomon. Vt cùm Dauid interrogaret Dominum 2. Samuel. 2. *Num ascendam in vnam ex ciuitatibus Iuda?* Respondit ei Dominus, עלה *aleh*, id est, *ascende.* Ibi dicunt istas tres literas prominuisse,

B עלה, ע *Ain* ex nomine Simeon, ל *lamed* ex nomine Leui; & ה *he* ex nomine Iehudah. Alij dicunt, istas literas, quæ oraculum repræsentabant, מצרפות *Miztarphoth* fuisse, hoc est, coiuisse in dictiones. Tradunt quoque in illa sacra Scriptura, scripta fuisse nomina Patriarcharum, Abraham Isaac & Iacob, necnon Israëlis: & hoc ad constituendum integrum alphabetum, quod ex reliquis nominibus non poterat totum haberi. Hæc ferè sunt, quæ ex Hebræorum lacunis hausit Fagius; quibus vtcunque oraculi eius ratio ex eorum sententia intelligi possit. Duodecim Patriarcharum nominibus duodecim Rationalis lapides inscripti erant. Huius illi in parte, quæ à fronte fuit, insidebant. Erat autem duplex operis textus,

C cuius mediam intercapedinem sacrorum nominum scriptura occupabat. Hanc illi fuisse ferunt, vt primùm roganti Deus affuit, atque adeò eo splendore solas colluxisse gemmarum literas, quæ oraculi sententiam præseferrent. Verùm non abs re vereor, ne commenta hæc Rabbinorum doctis non probentur, quando non semel aliàs, dum diuini nominis potẽtiam prædicant, vimque characteribus eius tribuere conantur, Christi Domini miraculis detrahũt, & Euangelio student importare calumniam.

EPHOD SECVM HABENS, &c.

Oraculum quo pacto quæsita indicaret. Thalmud.

שמעון Schimghō.

Interpretes nostri plerique cum antiquis Patribus *Vrim & Thummim* gemmas fuisse consentiunt, quorum nonnulli stellæ aureæ infixas fuisse tradunt, & ab ijs distinctas, quæ florum instar Rationalis superficiem pingebant.

D Binas Cyrillus enumerat in Expositione Niceni Symboli: quem imitatur Procopius in Deuteronom. in exponenda benedictione Leui. S. Epiphanium æmulatur Anastasius Nicenus in quæst. in Scriptur. quæst. 38. Nam & eius libri, qui est de 12. gemmis, epitomen collegisse docet Perauius Tom. 2. Oper. S. Epiphanij in Epist. ad Lectorem. A dextris, inquit, S. Epiphanius, & à sinistris supra mammillas ἐπάνωθεν τῶν μαζῶν, siue potius ἐπὶ ὤμων in humeris, vbi duo ceu ἀσπιδίσκαι parua scuta consuta erant, pendebant duo smaragdi. Εἰς μέσον δὲ τούτων ἦν ἡ δήλωσις, In medio autem horum erat *declaratio* quę erat Ἀδάμας, τὴν χροιὰν ἀερίζων, Adamas, colore aërem referens. Hactenus Epiphanius. Cyrillus, qui duodecim illos lapides confert cum Apo-

De materia interpr. nostrorum sententia.

S. Cyrillus.

S. Epiphan.

Ephod secum habens, &c. stolis, ambo interiores Christum repræsentasse docet quo pacto non incommode Epiphanij quoque adamas exponi poterit. Nam & sæpius in medio discipulorum stetit, & solus eisdem prædicandæ veritatis vim animúmque contulit.

Nostra sententia. Cæterùm, quæcunque oraculo subiecta materia fuerit, nam constare à principio negauimus: splendoris cuiusdam vtriusque sententiæ autores meminerunt, qui numinis præsentiam apertè demonstraret. Hanc ego lucem mirificè amplector: nec dubito, eo potissimùm discrimine genus hoc prophetiæ à reliquis distingui potuisse, quòd percontátibus imponi non posset, cùm Deum adesse non obscuris signis deprehenderent: in reliquis prophetæ esset habenda fides. Quamobrem etiam LXX. Interpr. cum Philone δήλωσιν, ἐ ἀλήθειαν *Vrim & Thummim* exposuisse videtur; hoc est, *Manifestationem & Veritatem*. ac si dicerent, manifestam ibi veritatem apparuisse. At eum fulgorem Salianus exosum habuit, multísque modis eundem extinguere conatus est. Nec sanè frustrà, si quis putet ex eius vario colore, quęcunque in Scripturis oracula descripta sunt, potuisse intelligi. Quid si verò non id quispiam opinetur, sed tanquam in tabula, sic in illo lucis radio futurarum rerum significationes fuisse depictas: Ego tamen non alium splendorem agnosco, quàm qui Numen adesse significet. Argumentum habeo Numinis præsentiæ, non rerum futurarum prognosticon. Quo nomine neque facilè confutari poterit, & alioquin penè necessariò asciscendus videtur, ni cum Saliano præter verba & voces in rationale intextas, *Vrim & Thummim* omnino nihil fuisse velimus asserere. Vt primùm autem splendor illuxerat, afflari diuino Spiritu Pontificem contingebat: sicque oracula fundebat.

(Salian. To. 2. Annal. ad ann. mundi 2544 Num 544. & seq.)

Versus VII.

Nuntiatum est autem Sauli quòd venisset Dauid in Ceilam: & ait Saul: Tradidit eum Deus in manus meas, conclusúsque est, introgressus vrbem in qua portæ & seræ sunt.

Versus VIII.

Et præcepit Saul omni populo vt ad pugnam descenderet in Ceilam: & obsideret Dauid, & viros eius.

Variæ trăslationes. *Tradidit eum Dominus in manus meas.*] Pagninus, *Conclusit* (Arias, *alienauit*) *eum Deus in manu mea, quia clausus est ingrediendo in vrbem portarum, & vectis.* Alius, *quandoquidem venit inclusum se* (Hebraicè, *inclusit se veniendo*: hypallage.) *in ciuitate munita foribus & vecte.* Vatablus, *valuis & vectibus* munitam. In Schol. Actũ est de eo, nam ingressus est vrbem

A clausam portis & vectibus Chaldæus, *Tradidit illum Dominus in manu mea, quia traditus est vt intraret in vrbem cui sunt portæ & vectes.* Secundũ è primo Saul malè colligit: plures enim Deus nonnunquam periculo obijcit, quo probet eorum fidem, quos tamen maturè liberat, nec obrui mole sinit. Græci cum Vulgat. sentiunt, nisi quod Rom. Edit. latina legit: *vendidit eum* &c. Versu 8. *Et congregauit*, &c.] *ad angustiandum super Dauid & super viros eius.* Ita Chaldæus. Vatablus, *Conuocauit* (*per præcones*,) &c. Arias, *& audire fecit Saul omnem populum in prælium* &c. *ad angustiandum ad Dauid & ad viros eius.* Alius, *Et promulgauit Schaul toti populo bellum*, &c.

Nuntiatum est, &c.

Nuntiatum est autem Sauli, &c.] Nuncij huius animum quis exploret? Fieri enim potuit, B vt eo consilio rem ad Saulem deferret, quo recentis beneficij commemoratione mentem eius inflecteret, & ad pristinæ consuetudinis beneuolentiam reuocaret. Fieri item, potuit, vt alieno incommodo studuerit Regis gratiam aucupari, dum furenti prodit innoxium. Atque adeò huc magis propendeo, vt creare periculum innocenti voluisse rear. Nam & hoc sępius deinceps à Ziphęis tentatũ est, dum Regis dementię fauent, & furori assentantur. Ita factum est, vt Dauidis victoriam non tropęa, sed cruces exciperent. Mox enim liuor & inuidia Saulis erupit. Atqui is, nisi pessimè esset erga Dauidem animatus, lętari potius debuisset, & populum esse liberátum, & talem sibi contigisse generum. Ille verò vtrumque dolet: & Dauidem vt hostem persequitur. Ex altera C autem parte gaudet, quod eum speret se iam iámque habiturum in potestate. Esse enim eum nunc in ciuitate munita, nec posse fugere. Tam autem erat cœcus, vt non cogitaret, Deum, qui illi dedisset victoriam, eundem posse discrimini eripere. Non enim est sapientia contra Dominum. Oblitus est, Samsonem, cùm esset conclusus in ciuitate, vnà cum ipsis portis, & postibus euasisse. Quippe, qui libidine atque iracundia præcipites feruntur, hi diuinæ prouidentiæ miracula non attendunt.

(Iracundiæ cœcitas.)

Tradidit eum Dominus in manus meas.] Non rarò sanè pios Deus venire in potestatem impiorum permittit. Nam & Iobi constantiam, cùm calumnijs à dæmone peteretur, diris ab eo cruciatibus probari tulit. Quòd si propterea D fauere Deum impijs eorum conatibus prædicent, eóque nomine glorientur, cùm aberrant plurimùm, tum horrendo blasphemiæ scelere conscientiam suam adstringunt. Non enim decet innocentię patronum, & omnis iustitiæ autorem, flagitiorũ artifices fauore prosequi: sed illi scilicet, ex ijs, quæ cito euanescunt, diuina consilia metiuntur, Deúmque à partibus suis stare iactitant, ipse verò caduca despiciens, iustis in æternum tempus consulit, & ea beneficia confert, quæ nulla hominum temporumue iniuria aut, vicissitudine labefactari queant. *Tradidit illũ Dominus in manus meas.*] Sic quoq; apud Esaiam Rabsaces nomine Sennacherib Regis Assyriorum. *Numquid*, ait, *sine Domino ascendi ad terram istam, vt disperderem eam?* *Dominus*

(Impij Deũ fauere suis conatibus falsò gloriantur.)

(Esaias 36.)

TRADIDIT EVM DEVS, &c.

Dominus dixit ad me: Ascende super terram istam, & disperde eam. At quàm vana spe seipsum luderet, quamque temerè Deum nefarijs cœptis suis affuturum iactaret, repentina clades ostendit. Facinorosi tamen, cùm sibi, tum alijs prospero rerum successu etiam in posterum Deum sibi obsequentem fore persuadent. Nam qui pari studio maleficia sectantur, ijs facilè fidem adhibent, leues mirantur, etiam iusti molestè ferunt, donec Dei mentem consiliúmque percipiant. *Iustus quidem tu es Domine* (inquit Ieremias cap. 12. *si disputem tecum: veruntamen iusta loquar ad te: Quare via impiorum prosperatur: bene est omnibus, qui prævaricantur, & iniquè agunt? Plantasti eos, & radicem miserunt: proficiunt, & faciunt fructum. Prope es tu ori eorum, & longè à renibus eorum. Et tu Domine nosti me, vidisti me, & probasti cor meum tecum*, &c. imò & Dauid, cùm res quidem improborum secundas, aduersas autem iustorum paulò attentius spectaret, aliquando in has voces erupit: *Ergo sine causa iustificaui cor meum, & laui inter innocentes manus meas.* Idque *donec*, inquit, *intraret in sanctuarium Dei: & intelligeret in nouissimis eorum.* Nam *propter dolos posuisti eis: deiecisti eos dum alleuarentur, Quomodo facti sunt in desolationem! Velut somnium surgentium Domine in ciuitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges. Tradidit eum in manus meas.*] An non in hunc maximè quadrat, quod impio Deus exprobrat apud Dauidem Psal. 49. *Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris, & aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum: Hæc fecisti, & tacui. Existimasti iniquè quod ero tui similis: arguam te, & statuam contra faciem tuam.*

Conclusúsque est, introgressus vrbem in qua porta & sera sunt.] Quid Paulus, an non is quoque vrbem introierat, quæ portis serísque munita esset, quinetiam ipsæ firmo præsidio tenebantur, Et tamen ipse teneri non potuit. 2. ad Corinth. cap. 11. *Damasci*, inquit, *præpositus Gentis Aretæ regis, custodiebat ciuitatem Damascenorum, vt me comprehenderet.* Et Lucas Actor. 9. *Custodiebant autem & portas Iudæi die ac nocte, vt eum interficerent. Et per fenestram*, inquit, *in sporta dimissus sum per murum, & sic effugi manus eius.* Quid Petrus? *Misit illum Herodes*, inquit Lucas Actor. 12. *in carcerem, tradens quatuor quaternionibus militum custodiendum. Sed & ipse Petrus erat dormiens ipsa nocte inter duos milites, vinctus catenis duabus: & custodes ante ostium custodiebant carcerem.* Attamen cùm ab Angelo excitatus esset, *transeuntes vnà primam & secundam custodiam, venerunt ad portam ferream quæ ducit ad ciuitatem, quæ vltrò aperta est eis.* Denique ibidem capite quinto, cùm *Princeps Sacerdotum, & qui cum eo erant (quæ est hæresis Sadducæorum) iniecissent manus in Apostolos, & posuissent eos in custodia publica: carcerem quidem postridie inuenerunt clausum cum omni diligentia, & custodes stantes ante ianuas aperientes autem neminem intus inuenerunt.* Quippe iam nocte ab Angelo è carcere educti erant. *Clamauerunt*, inquit Dauid, *ad Dominum, cùm tribularentur:*

Ne Seræ quidem & portæ Sanctos cohibere possunt.

A *& de necessitatibus eorum liberauit eos. Et eduxit eos de tenebris, & vmbra mortis, & vincula eorum disrupit. Confiteantur Domino misericordiæ eius: quia contriuit portas æreas, & vectes ferreos cõfregit.*

IN QVA PORTA, &c.

In qua porta & sera sunt.] Vrbem vocat Hebræus דְּלָתַיִם וּבְרִיחַ *delathaum oubriach. portarum & vectis.* Lxx. πύλαι θυρῶν καὶ μοχλῶν. Pollux Onomast. lib. 3. cap. 8. sect. 6. τὰ δὲ εἰς ἀσφάλειαν, Ad munitionem, inquit, adhibita sunt, κλεῖθρα, μοχλοί, κλεῖδες, κλειδὲς, καὶ ἐπιβλῆτες, καὶ βαλανάγραι, καὶ ὀχεῖς. quæ vertit interpres claustra, vectes, claues, seras, obices. Βαλανάγραι etiam claues sunt, παρὰ τὸ ἀγρεύειν τὴν βάλανον: captare enim ac venari videntur pessulum, vt excutiant. Τὸν δὲ ἐν μέσῳ κόρακα, κορώνην Ὅμηρος καλεῖ. Annulum ostij, quem alij κόρακα, Homerus κορώνην vocat. Portarum etiam partes, siue θυρῶν, sect. præcedenti describit. *In qua porta.*] In

Pollux.

B portis consentiunt interpretes. דֶּלֶת *deleth*, siue דָּלֶת *daleth*, quæ ipsa quoque Alphabeti Hebræor. quarta litera est, ianuam designat, à verbo דָּלָה *dalah*, quòd cardinibus *in altum eleuata sit.* דְּלָתַיִם *delathaym* in duali num. valuas seu fores geminas significant, quæ vectibus occludi solent. θύρα Græcis ianua est. Sunt qui à οἴγω dictam velint, quod est aperio: ianua quippe clauditur & aperitur. Sed inde potius seræ nomen, vt Varro autor est lib. 3. de ling. latin. Porta Isidoro dicitur, quod possit aliquid per eam importari, vel ex portari: estque propriè vrbis vel castrorum. Nam castra quoque habuisse portas quatuor docet Liuius histor. suæ 40. Ad portas quatuor, inquit, exercitum instruxit.

De portis castrorum & vrbium.

C Prima Prætoria fuit, qua exercitum in prælium educi solitum notauit Festus. Huic è diametro Decumana opposita erat, per quam facinorosi & desertores emittebantur, vt pœnis militaribus coërciti reliquis exemplo essent. Auersam hosti describit Tacitus Annal. 1. Ambæ laterales Principales sunt dictæ à Principijs, quibus illæ respondebant, & vtiles conuehendis commeatibus sunt habitæ. Vrbium verò portæ, tametsi muri sacri haberentur ab Ethnicis, religionis expertes creditæ sunt, quòd per eas mortuorum cadauera efferrentur. Roma à principio tres portas habuisse fertur: sed prolato demum pomœrio per omnem ambitum triginta quatuor obtinuit. Excogitandum, inquit Vitruuius, vti portarum itinera non sint directa, sed σκαιὰ Scæua legunt nonnulli codices eodem

Vitruuius lib. 1. cap. 5.

D sensu: hoc est obliqua, sinistra læua. Cuius rei rationem ibidem reddit.

Dicitur autem & porta Hebræis פֶּתַח *Pethach*, vt suprà cap. 2. ver. 23. quo loco θύρας Græci exponunt: & מַפְתֵּחַ *maphtheach* ianitor & clauis, quæ fores aperit, à verbo פָּתַח *pathach*, quod est *soluit*, aperuit. Vnde nostrum est illud *patere*, patens, patulus: & Græcis πετάω, πετάννυμι, πετάζω, &c. Sed altera potius etymologia huic loco conuenit, quæ à terrore petita est. Nam שַׁעַר *schaar*, quoque Hebræis porta est, cuius dictionis frequens vsus est in his Reg. libris, atque adeò suprà cap. 4. ver. 18. & שׁוֹעֵר *schoer*, portarius ianitor. Radix significationis est ipsum שָׁעַר *schaar*, quod duo significat. Primum quidem *æstimare*, & iudicium ferre: dein-

Portæ quondam iudiciorum sedes.

IN QVA PORTÆ, &c.

de etiam *horrere*; quo pacto solent cùm pili aut setæ præ metu in animante eriguntur. Scilicet in portis olim ciuitatum iudicia exercebantur, & sententiæ capitales in reos pronuntiabantur, quod non absque nocentium metu, & astantium horrore contingebat. Minari itaque supplicium Dauidi videtur. Bene cessit, inquit: *vrbem ingressus est, in qua porta est*, & forum rerum capitalium. Nihil illo debuit timere magis, neque quicquam diligentius cauere: statim enim vt adero, iudicio præsidens, quo iure, quaque iniuria ad supplicium rapi faciam. In Scripturis portæ nomine iudicij locum designari iam antea docuimus, priore Tomo ad ver. 18. cap. 9. quo loco præterea sacræ vrbis portarum nouem nomina recensuimus. Ad illam verò, quæ negotiatorum dicta est, Iudas, cùm suæ saluti desperasset, infelix in Sycomoro pependit. Portas in atrio templi septem fuisse Iudæi tradunt: vnam ad ortum, tres ad Septentrionem, & totidem ad meridiem. Orientalis quæ est, *Speciosa* postea nominata est. Ierem. 7. καὶ ἐν χλῶ שער בית יהוה *Schaar, beth Jehouah*, siue *porta domus Domini* appellatur. Altera *porta recessionis, & immundorum* vocata est 3. *porta cursorum*, qua Regis palatium petebatur. 4. Dicta est *porta Beniamin*. Reliquarum epitheta inuenire non potui. Omnes sanè, tametsi diuersa ratione, vnum & eundem Christum obscurè repræsentabant.

Et Seræ sunt.] Ab inserendo dictam Nonius docere videtur, quòd postibus inseratur. Varro, vt iam diximus, à sero, vnde & resero, quod aperire interpretatur. Suidas in Λακωνικαὶ κλεῖδες, hæc habet de Spartiatarum clauibus ex Aristoph.

Seræ. Aristophanes in Thesmophor. pag. 521.

Nam viri iam κλειδία *seu paruas claues*
Αὐτοὶ φορῦσι κρυπτὰ, κακοηθέστατα
Λακωνίκ' ὅττα, ἔχοντα γομφίους. &c.
Ipsi ferunt occultas, malignissimas,
Laconicas quasdam, quæ tres habent dentes.
Prius enim profectò licebat clàm aperire ianuam
Nobis, quæ feceramus δακτύλιον τριώβολον, *annulum trioboli.*
Nunc verò iste ὁ κότριψ Εὐριπίδης
(Atticè dictum. pro comm. ὁ οἰκότριψ*)*
Nunc verò iste dominatus seruus Euripides
Docuit à tineis corrosa habere lignea sigilla,

quibus sic omnia diligenter obsignant, vt nihil ipsis inscijs domi capere liceat. His docet, inquit Suidas, τὰ ἀρχαῖα μονοβάλανα εἶναι, antiquas claues vnicam glandem, pessulum siue dentem habuisse. Μισουμένοις siue Odiosis, Λακωνικὴ κλείς ἐστιν, ὡς ἐοικέ μοι, Laconica clauis est, vt videtur mihi. Circunferenda, inquit, est, quia extrinsecus circuncluditur, vecte circumposito, vel alio quolibet simili repagulo, ita vt qui sunt intus, ianuam ita clausam aperire non possint. Hactenus Menander. Sed tales profectò hoc loco non licet intelligere. Tametsi enim verisimile est seras ad eum diem minore solertia elaboratas fuisse, nec vlla parte cum Germanicis potuisse cōferri: ferreas tamen, & varia ac multiplici arte confectas non dubitarim. Hebraicū nomen בריח *beriach*, alias Græci μοχλὸν siue vectem, aliàs κλεῖθρον siue claustrum exponunt. Vocis origo est ברח *barach*, quod est *fugit*, aufugit. Vnde & בריח *bariach*, fugitiuus, profugus. Vectis autem hinc inde ocyus traijcitur, quod aptius etiam quadrat in Seræ pessulum.

IN QVA PORTÆ, &c.

Animaduertere interim quāto periculo malis opem feras. Apud eos etiā charitas periclitatur, & quo tempore miseris auxiliari studes, illi cōtra seras & claustra parant quibus te vinctū detineant. Non sunt itaq; ne Saulis quidem vrbes destituendæ, si quando præsidio nostro indigēt: sed planè sollicita cautio adhibēda est, ne dum alios conamur in libertatem asserere, fraude dæmonis cupiditatum serui euadamus.

Et præcepit Saul omni populo, vt ad pugnam descenderet.] Athenienses, cùm accepissent Xerxem infestis signis in Græciam inferri, statim quotquot relegati erāt, publico decreto ab exilio reuocarunt. Verebantur siquidem ne Aristides, quem non ita pridem ostracismi lege expulerant, cùm esset summus belli dux, & prudentia cum primis valeret, ad hostes accederet, & patriæ perniciē moliretur. Demetrius quoque Rex Asiæ, cùm audisset Alexandrū Imperij sui æmulum apud Ptolemaidam regnum occupasse, *Anticipemus*, inquit, *facere pacem cum Ionatha, priusquam faciat cum Alexandro aduersum nos: recordabitur enim omnium malorum, quæ fecimus in eum, & in fratrem eius, & in gentem eius.* At Saul contrà proprij contēptor periculi, Dauidi optat nocere magis quàm sibi prodesse: & quo plus tāti ducis bellica virtute indiget, eo acrius eundem perdere nititur. Quod si fortè nihil illud veritus est, ne ad Palæstinos transfugiens eorundem cœpta promoueret, attamen beneficijs flecti animo debuit, & ad saniora cōsilia reuocari. Impietatis reus citatus erat Alcibiades, atque adeo eam populi suspicionem fuga auxerat potius, quàm dilueret. Veruntamen, cùm ducum imperitia labare rempublicam suam intelligerent, & eundem rebus suis apud Tissaphernem fauere, non solùm exilij legem abrogarunt, sed eundē præterea copiarum suarum ducem statuerunt. Romani quoque, cùm oppressi tumultu Gallico, iam direpta vrbe ægrè Capitolium tuerentur, accepto nuntio Camillum cum Ardeatibus Gallis negotium facessere, tametsi populi decreto damnatum atque exulem, Imperij reliquijs præfecerunt. Et hæc quidem illi, cùm rationem in consilium adhiberent, decreuerunt. Saul verò, vt pote qui non ratione, sed furore atque impetu animi sui, vel potius impulsu Satanę præceps ageretur, contraria prorsus designat. Nam hostium quidem iniurias patienter dissimulat; at generi beneficijs incenditur, & eidem machinatur necem. Quid hoc homine facias, qui cùm parem gratiam non referat, haud insuper abstinet à contumelia? Annumerari meritò potuit decem illis Leopardis S. Ignatij: quibus, inquiebat, cùm benefeceris, deteriores euadunt. Sed eorū iniquitas mea doctrina est, sicut & Saulis ingratus animus, liuor, atque inuidia, ad excolendam patientiam & omne virtutis studium Dauidi plurimùm profuerunt.

Plutarch. in Aristid. Publica necessitas priuatas inimicitias sopire debet. 1 Machab. 10.

Præcepit, inquit, omni populo, vt ad pugnam, &c.] Conuocat Saul populum. Fortasse non significauerat

PRÆCEPIT OMNI POPVLO.

significauerat in vulgus velle se obsidere Dauidem. Meruerat ille coronam, & quidem ciuicam: tamen in eum nunc exercitus comparatur. Et Saul, qui antea, cùm oppugnaretur, Ceilam neglexerat, nec Palæstinis occurrerat, armatur in Dauidem; vt videri possit factus non ad seruandum populum, sed perdendum. Hoc etiam nostris temporibus videmus à principibus passim fieri. Illi enim omisso Turca, & veris hostibus Christiani nominis, seipsos mutuò conficiunt: in primis verò in homines pios, & studiosos religionis, rusticámque plebem, quam tueri debuerant, omnem vim suam & arma conuertunt. Nam hæc ferè est bellorum nostrorum ratio. Principes conferendis nummis plebis facultates exhauriunt; collectam pecuniam fures, qui apud Reges plurimùm possunt, dilapidant; miles stipendio frustratus sæuit in rusticos, & in fundis Ecclesiasticis grassatur. Postremò, vbi iam nihil apparet quod rapiant, plebem iubent reliquis, quæ condiderit, pacem redimere; vt saltem quiete perire possit. Harum calamitatum hæretici nuper cœperunt fieri participes, cùm prius rapinis Ecclesiarúmque direptionibus pasci duntaxat consueuissent. Verùm ad proposita reuertamur. Contrahit Saul exercitum in Dauidem, quasi contra publicum hostem, cùm ille reuera esset publica salus. De eius innocentia nihil cogitat, nec consulit Dominum, sed tantùm suæ libidini studet obsequi. Videt Dauidem à Deo designatum esse regem, illum vbique vincere, & quicquid aggrediatur, Deum habere propitium: tamen exercitum in illum comparat. Quid hoc aliud, quàm apertè θεομαχεῖν, & cum ipso Deo bellum gerere velle? *An prouocamus Deum?* inquit Apostolus: *an fortiores illo sumus?* Amens, & furiosus est, qui putat se aliquid posse impetrare inuito Deo. Itaque Saul nihil promouet. *Non enim est consilium, non est sapientia, non est prudentia contra Dominum.*

Mali principis exemplum.

Præcepit omni populo.] Tantæ molis erat vnum Dauidem vincere. Nouerat hominis inuictum robur, & animi magnitudinem Heroe dignam. Meminerat puerum rudimenta militiæ suæ posuisse cum vrsis & leonibus, adolescentem contemptis armis gygantem funda deiecisse, mox ducenta Palæstinorum præputia sponsalitiæ largitatis nomine suppeditasse, nusquam ab hoste victum, semper victoriam reportasse: imo verò modò cùm Palæstini Ceilensium areas deriperent, ab eodem fusos fugatósque esse: itaque tametsi eum statim opprimere cupiebat, non credidit tamen tumultuaria manu obrui posse. Arbitrabatur enim tot victorijs elatum animum mediocribus copijs haud temerè cessurum. Accedebat ad eam curam & solicitudinem, quòd solus videri non poterat cum exercitu Palæstinorum conflixisse: nec eò demum venturus vbi à Rege circumueniri posset, nisi collecto perfugarum exercitu vim Regiam se posse ferre confideret. Postremò illud etiam Saulem angebat, ne fortè Ceilenses recenti beneficio obligati

quamobrē Saul vniuersum populum ad signa vocauit.

A cum eo sentirent, & abdicato Rege designati à Deo principis partes fouerent. Quod si contigisset, non cum militibus tantùm, sed cum mœnibus & propugnaculis rem sibi futuram prospiciebat. Itaque ingenti exercitu opus esse statuit, & totis regni viribus in id incumbendum, ne si fortè irrito conatu rem aggressus esset, & receptui canere cogeretur, plures victorem sequuti ab eo deficerent.

Sed & illud arbitror tum Sauli in mentem venisse, quod Absaloni postea suggessisse fertur Chuzai 2. Regum, cap. 16. *Tu nosti Dauidem, & viros, qui cum eo sunt, esse fortissimos, & amaro animo, velut si vrsa raptis catulis in saltu sæuiat: & cùm ceciderit vnus quilibet in principio, audiet quicunque audierit, & dicet: Facta est plaga in populo, qui sequebatur Saulem. Et fortissimus quis-*
B *que, cuius cor est quasi leonis, pauore soluetur: scit enim omnis populus Israel, fortem esse Dauidem, & robustos omnes qui cum eo sunt.* Itaque hoc mihi *videtur rectum esse consilium. Congregetur ad te omnis Israel, à Dan vsque Bersabee, quasi arena maris innumerabilis: & tu eris in medio eorum. Et irruemus super eum in quocunque loco fuerit: & operiemus eum, sicut cadere solet ros super terram: & non relinquemus de viris, qui cum eo sunt, ne vnum quidem.* Quod si vrbe se continuerit, Ceilæ *circumdabit omnis Israel funes, & trahemus eam in torrentem, vt non reperiatur, nec calculus quidem ex ea.* Sed hæc dum secum mête reuoluit Saul, & cogit numerosum exercitum, hoc interim spacio Dauid elapsus est, & spes rei gerendæ ablata.

C Quid si hoc quoque spectauit, si cum delectis & parata manu in Dauidem inuaderet, cùm plures ex ducibus eidem fauerent, fore vt eorum studio clàm euaderet: in multitudine haud æquè facilè dolos necti posse. Primùm, quòd plerique ex ijs, qui procul degebant, tametsi virtutem eius bellicam non ignorabant, innocentiam tamen haud perinde perspectam habebant: quos facile esset in fraudem inducere, vt sibi dicto obsequentes essent, & operam seriò nauarent. Deinde, quòd si qui in contrariam partem aliquid moliri ausi essent, tot exploratores latere non possent, sed continuò deprehenderentur. Accedebat, quod si etiam vim nonnulli pararent, frustrà conatus foret, cùm nullius esset tanta priuatim potentia, qui infinitam hanc aciem vi per-
D rumpere posset. Quid, quod fugam inire, séq; periculo eripere, si forte res innotuisset, tot vndique cingentibus penè impossibile videbatur. Sperabat itaque, cùm neque proditio diutius, in tanta multitudine latere, neque alicuius momenti quicquam tot contrà pugnantibus effici posset, & alioqui deprehensis ablata spe fugæ supplicium necessariò subeũdum esset, complurésque insidiatum minimè conscij strenuè rem gererent: reliquis facile terrorem inijci, atque à proposito eosdem absterreri posse. Postremò illud etiam certum atque exploratum habebat, statim vt ingens ille militum numerus in conspectũ vrbis venisset, oppidanos deditionem iacturos, & Dauidem mox desertum aut proditum iri. His omnibus in eam

EPHOD SECVM, &c. Acta S. Pachomij apud Sim. Metaphra. 14. Maij

taphr. intelliget, quo pacto tantus ille vir misericordiæ illecebris à Christianis captus sit, quorum antea ne nomen quidem nouerat, & ab insana deorum gentilium superstitione ad veri numinis cultum & fidem reuocatus.

Amethystus.

Sequitur gemmarum nona Amethystus. Hebraice וְאַחְלָמָה *veachlamah*. Consentiunt interpretes, & tam Græci quàm Latini Amethystum interpretantur. Nominis origo חָלַם *hhalam*, quod est *robustus fuit*, conualuit. Item, somniauit. Inde igitur אַחְלָמָה *achlamah*, tanquam sit gemma quæ vires tribuat, aut robur addat cordi. Fagius in Onkelum ab alia significatione deducere maluit. Dicitur, inquit, à חלום *hhalom*, quod somnium significat; quòd videlicet is qui hunc lapidem gestat, semper somnia videat. Chaldaicè hic scribitur, וְעֵין עֶגְלָא *veeen egla*, *& oculus vitulæ*; quod scilicet formam & similitudinem oculi vitulini præseferat. Nam עֵין *een*, oculum, עֶגְלָא in fœm. genere *vitulam* significat. Estque nomen proprium amethysti, tametsi nonnulli Hebræorum nonnunquam *beryllum* exponant. Græcis ἀμέθυσος.

S. Epiphanius.

Hæc gemma, inquit S. Epiphanus, circunferentiam habet profundo ceu colore flammæ ardentẽ: ab ipsa verò circunferentia in medio albior est, οἰνωπὸν ἀποτιμώμενα εἶδος, & à vino Græcis dictum colorem vibrat. Forma eius est varia, fortè autem & ipsa in montibus Lybiæ nascitur. Quædam ex eis puro hyacintho est similis, altera verò purpuræ: nasciturque in litore & præruptis locis eiusdem Lybiæ. Hæc S. Epiphá.

Gorrhæus

Gorrheus in definitionibus: medicis, in verbo Ἀμέθυσος, herbæ, inquit, nomen est & gemmæ, quas ita appellatas esse quidam volunt, quod aduersus ebrietatem pollere, & temulentiæ aduersari arbitrentur. Quod vt verum sit, vtraque tamen à colore id nomen sibi potuit adsciuisse. Ac de gemma quidem satis conuenit: est enim purpurei coloris: amethysti autem herbæ folium meracioris vini colorem æmulatur.] Idem prius sensisse videtur

Plinius

Plinius lib. 37. c. 9. Causam, inquit, nominis afferunt, quod vsque ad vini colorem accedens, prius quàm eum degustet, in violam desinat: fulgorque quidam in illa purpura non ex toto igneus, sed in vini colorem deficiens. Hæc ille. Neque tamen priorem illam etymologiam ignorauit: sed eam magis acceptam refert. Addit enim postea: magorum vanitas resistere ebrietati eas promittit, & inde appellatas. Negare tamen opinor non poterit, non à magis, sed à medicis τὸ ἀμέθυσον dici, quæ medicamenta adhibentur, siue vt caueatur ebrietas, siue

Plutarchus

discutiatur. Plutarchus sanè in lib. de Poëtis audiendis, gemmam esse affirmat, quâ vtantur quidam aduersus ebrietatem in symposijs.

Cardanus

Cardanus etiam 7. de subtil. Creditur, inquit, ebrietatem alligatus vmbilico prohibere, & somnia mouere. Georgius Agricola scribit, eundem Ion dici à violaceo colore.

Ἴον ἴῶ.

In ordine purpureorum, inquit Plinius, principatum amethysti Indicæ tenent. Perlucent autem omnes violaceo colore, scalpturis faciles. Indicæ absolutum felicis purpuræ colorem habent: ad hancque tingentium officinæ dirigunt vota. Fundit autem eum aspectu leuiter blandum, neque in oculos vt carbunculi vibrat. Hinc plures eius species enumerat, & eam præcipuè damnat, quæ ad viciniam crystalli descendit, albicante purpuræ defectu. Hoc, inquit, minimè probatur, quando præcellens debet esse in suspectu velut ex carbunculo refulgens quidam in purpura leuiter roseus nitor. Tales aliqui malunt pæderotas vocari, alij anterotas, multi Veneris gemmam, quod maximè videtur decere & specie & colore extremo gemmæ. Tradunt magi, si lunæ nomen ac solis scribatur in ijs, atque ita suspendantur è collo capillis cynocephali, vel plumis hirundinis, resistere veneficijs. Iam verò quoquo modo adesse reges adituris. Grandinem quoque auertere ac similia, & locustas, precatione addita, quam demonstrant. Hactenus Plinius.

Tropologia. Iamblichus Prudentia.

Verumenimverò quam nobis virtutem gemma ista referet? Principatum, inquit Plinius, in ordine purpureorum amethysti tenet. Iamblichus verò in Epistola ad Aphaleum; Prudentia, inquit, virtutum princeps est, reliquisque omnibus vtitur, atque ipsarum ordinem, modum, & occasionem in præsentia, tanquam oculus quidam mentis vndequaque lucidissimus, ostendit. Hominum gubernatrix est, & omnis inter eos constitutionis princeps. Ciuitates quinetiam, & familias, priuatamque singulorum vitam ad exemplar diuinum referens, qua potest optima similitudine depingit, hoc delet, illud inscribit, vtrobique assimilationis modo studens. Meritò igitur Deo similes facit sui possessores prudentia. Hæc Iamblichus. Cui concinit poëta Menander:

Menander.

Οὐκ ἔστιν οὐδὲν, πάτερ, ἐν ἀνθρώπου φύσει,
Μεῖζον λογισμοῦ, τῷ διαθεῖναι πράγματα,
Ἕκαστός ἐστι καὶ λογίσασθαι κατὰ τρόπον,
Ἄρχων, στρατηγὸς, ἡγεμὼν δήμου, πάλιν
Σύμβουλος, ὁ διαφέρων λογισμῷ πάντ' ἔχει.
Non est quicquam, Pater, in hominum natura
Maius ratione & consilio. Nam componendis
& disponendis rebus,
Et rationem subducendo commodè, vnusquisque est
Princeps, imperator, dux populi, rursum
Consiliarius: Qui præstat ratione, omnia habet.

Chaldæo *oculus* amethystus dicta est. Oculus quoque prudentia est. Quinimo inquit Sophocles:

Ὡς ὄψις ἐν ὀφθαλμῷ, ὁ νοῦς ἐν τῇ ψυχῇ.
Vt visus est in oculo, ita mens in anima.

Plutarchus

Corpus, inquit Plutarchus, (in lib. An vtilis sit prænotio futurorum?) anteriori solùm parte oculis præditum est, posteriori vero omnino cœcum. ἡ δὲ διάνοια, cogitatio autem præterita quoque memoriæ beneficio conspicit.] Futura quoque præuidet, & in omnem partem circumfert oculos. *Et erant*, inquit Scriptura, *animalia plena oculis*. Talis quoque olim Argus quidam

Ephod secum habens, &c. quidam à Poëtis fingitur.

A Græcis autem eo nomine gemma illa donata est, quòd temulentiam arceat. Mentis porrò temulentia imprudentia est. Hæc est animorum ebrietas, quam sola discutit, quæ semper sibi constat, prudentia. Quòd si fidem habemus Hebraïcæ etymologiæ, amethystus etiam cor confirmat. An verò est aliud quicquam quod sic hominis animum confirmet, vt prudentia? Imprudentia quidem plerumq; turbas ciet, & quæ dudũ statuta erant, labefactat, & concutit: at prudentia nutantia corroborat, & collapsa restituit. Somnia quoque mouere amethystus dicitur. Somnia porrò quæ vera essent, visa sunt olim tanquam secretior quædam & nocturna cum Deo colloquutio, & ad futurarum rerum præscientiam attinere. Itaq; in his exponendis Daniel & Ioseph celebres in Scriptura habiti sunt. Et Deus ipse non vno loco manare à se somnia prædicat. Iamblichus de prudentiæ origine ait, Generatur primùm hæc à syncera perfectaque mente, (Deum dicere debuit) atque sic genita in ipsam mentem intuetur, à qua perficitur, modumq; & exemplar inde sibi pulcherrimum omnium suarum actionum habet. Quòd si quę nobis etiam cum deis (dic tu: quæ autem nobis cum Deo) intercedit communitas, ea maximè virtutis huius gratia consistit, & per hanc in primis ipsis assimilamur. Huius beneficio bona & vtilia, honesti & turpia discernimus, factaq; conuenientia iudicamus, ac emendamus. Roseo præterea nitore omnium oculis gratissima amethystus arridet, & audit pulcherrima. Interrogatus Socrates, τί φρόνησις; ἀρμονία, εἶπε, ψυχῆς. Quid esset prudentia? Animæ, ait, concinnitas. Παιδὶ ὡς, & αἰτίῳ, & Veneris gemma quoque amethystus dicta est, quæ omnia amorem sonãt, quem sua pulchritudine conciliare crederetur: sed nihil sic amorem pellicit, & accendit, vt prudentiæ decor eximius, quæ in delectu bonorum malorumque cernitur, estque opportunitatis idoneorum ad agendum temporum scientia. Nam quod ion Agricolæ amethystus quoque dictus est, indicat hoc scilicet, reliquarum virtutum florem esse prudentiam. Verùm amethysti præterea varia forma est. Quid tum? Ipsa quoque varia est forma prudentiæ. Nam circa bonum, inquit Plutarchus, prudentia quadrupliciter versatur, cùm aut adipiscitur bona, aut tuetur, aut adauget, aut prudenter vtitur. Et Aristonymus apud Stobæum, Boni gubernatoris est, ταῖς τῶν πνευμάτων ἁρμόσασθαι, ventorum se mutationibus accommodare: ἀνδρὸς δὲ σοφοῦ, ταῖς τῆς τύχης, viri autem sapientis, fortunæ. Scalpturis amethysti faciles. Hoc ipsum de prudentibus Aristoteles prædicat: Quoniam euentus quidem rerum nostræ voluntati se haudquaquam accommodant, nos certè voluntatem euentibus accommodare oportet. Ad Reges adituris amethystus adesse creditur. Prudentia ad Deũ & homines viam munit, & aditum parat. Denique si Magis credimus, amethystus veneficijs resistit, grandinem quoque & locustas addita precatione auertit. Sed hæc commen-

Imprudentia.

Iamblich.

B

C

Plutar. in l. De virtut. moral.

Aristonym.

D

A ta superstitiosorum hominum, fabulasque censet Plinius. At nos certi sumus, si ad prudentiam fidelis accedat oratio, cæli, terræque minas, quantum satis sit, à nobis auerti. Ephod secum habens, &c.

Chrysolithus.

Reliquus est ordo quartus, quem ducit gemmarum decima chrysolithus. Hebraicè תרשיש *tharscisc*. Pagninus in editione Antuerpiensi Laurent. Hebraïcum nomen retinet *tharsis*. Rabi Dauid Kimhi dicit esse gemmam coloris cærulei. Videtur, inquit Fagius in Onkelum, à mari, vnde prouenit, nomen accepisse: quare & Paraphrastes Chaldæus transfert כרום ימא *keroum iamma*, fuliginem maris. Colorem carmesinum nonnulli interpretantur. Constanter tamen Latini interpretes etiam Paraphrasis Chaldaïca, *chrysolithum* exponunt cum ipso Fagio, Septuaginta Interpretibus, Iosepho item, & sancto Epiphanio χρυσόλιθος. Hunc etiam aliqui, inquit sanctus Epiphanius, χρυσόφυλλον vocarunt. Quo loco in editione Petauiana adnotatur ad marginem: Chrysophyllum alij auctores non habent, sed chrysoberillum: eamque Babylonicam: quod huic loco conuenit.] Aurum suo colore refert. Inuenitur autem in puteo duplicis petræ ad mœnia Achæmenetidis Babylonis. Regionem & puteum ita nominant, quòd dicant Cyri Regis patrem Achæmenem vocatum fuisse. Inuenitur & χρυσόπασος (χρυσόπρασος mauult interpres) quæ stomachicis & cæliacis pota vim medendi habet. χρυσόπασος Polluci libro sexto, capite primo, dicitur aurum intertextum habens. Chrysolythi, inquit Plinius, aureo colore translucent. Optimæ sunt, quæ in collatione aurum albicare quadam argenti facie cogunt. Funda includuntur perspicuæ, cæteris subijcitur aurichalcum. Tametsi iam inexpertis gemmarum vsu appellantur aliqui & chryselectri, in colorem electri declinantes, matutino aspectu iucundiore. Ponticas deprehendit leuitas. Quædam in ijs duræ sunt, ruffæque, quædam molles, & sordidæ. Sunt in hoc genere capniæ. Sunt & vitreis similes, veluti croco refulgentes. Vitreæ verò vt visu discerni non possint, tactus autem deprehendit, tepidior in vitreis. In eodem genere sunt melichrysi, veluti per aquam syncero melle translucente, quas India mittit, quamquam ad iniuriam fragiles. Fiunt & leucochrysi, interueniente candida vena. Deterrimæ autem Arabicæ, quoniam turbidæ, sunt & variæ, & fulgoris interpellati nubilo macularum, etiam quæ lympidæ contigere, veluti scobe sua refertæ. Cardano, quæ nunc vulgò topazius dicitur, ea est veterum chrysolythus, de qua nobis sermo est. Tanta eam duritie vult esse præditam, vt sapphiro nihil aut parum cedat. Rara absque maculis. Creditum est libidinem supra omnem opinionem coercere, si tangens carnem gestetur. Alber-

S. Epipha.

Variæ species.

Plinius lib. 37. cap. 9.

καπνὸς fumus.

Cardanus.

EPHOD SECVM HABENS, &c.

tus scribit in aquam feruentem immissam, feruorem compescere. Ingentis esse frigoris argumento est, quòd sitim sub lingua posita febricitantium mitigat: quod quamuis etiam crystallo, & alijs pluribus gemmis commune sit, non tamen peræquè manifestè. Hæc Cardanus libro septimo De Subtilitate.

Tropologia.

Quid hæc? cuius imago est? Ni fallor, temperantiæ. Atqui chrysolitho aureus color est. Et,

Temperantia.

> *Auream*, inquit Horatius, *quisquis mediocritatem*
> *Diligit, tutus caret obsoleti*
> *Sordibus tecti, caret inuidenda*
> *Sobrius aula.*

Aurum corruptionis expers est. Expers item corruptionis temperantia. Auri fulgor metallorum splendorem facilè vincit. Temperantia reliquis virtutibus ad famam boni nominis prælucet. Auro cumulantur opes. Opes cumulantur & temperantia. Quid hoc quòd præsente chrysolitho pallescit aurum? Temperantiæ studium est mediocria sectari. Seu manis, aurum, cum temperantia comparatum, eius splendore vincitur, & argento dilutius apparet. Temperantiæ porrò non vnum discrimen est, vti nec chrysolithi. Insignes sunt leucochrysi vena argentea. Sic quoque nonnulli gloriam in temperantia aucupantur. *Exterminant enim facies suas*, inquit Christus, *vt appareant hominibus ieiunantes.* Quales etiam fuisse Pythagoreos in vtroque temperantiæ genere non dubitamus. Melichrysi etiam sunt fragiles. Qui tandem? hi nimirum qui voluptatem captant, & sperant se consequuturos temperantiæ beneficio: quales fuisse Epicureos ex Magistri doctrina didicimus: qui difficile sibi temperant; & vbi cœperint delicijs immergi, rarò gulæ ac libidini moderantur. Est & alia species æmula succini, quam dicunt chryselectrum, quæ manè quidem blanditur oculis, at mox illius nitor hebescit. Huic ego similes eos arbitror, qui necessitate magistra à superuacaneis abstinent, quorum non est aurea temperantia: quibus si copia contingat, statim temperantiæ repagula conuellent. Denique Arabicas chrysolithos turbidas describit Plinius, & fulgoris interpellati nubilo macularum, quæque sint tanquam sua scobe refertæ. Auarorum sordida hæc temperantia est, quæ non sibi, sed congestis frugibus parcit: hoc frustrà perijsse rati, quod in se erogauerint. Vitrearum adulteria tactu comprobantur: nam tepidior est: synceræ natiuo frigore se produnt. Hypocritæ haud seriò temperantiam amplectuntur. illi student dum spectantur, si sperent fore clàm, in cibum, potum, ac venerem sese ingurgitant. Rara chrysolithus absque maculis. Pala includuntur perspicuæ. Cæteris subijcitur aurichalcum. At nulla in toto rationali aurichalci mentio est. quare hanc & perspicuam esse oportuit, & in eo genere

A

præstantissimam. Quæ verò præstant reliquis, sunt eædem durissimæ. Non est virtus quam citò molliunt illecebræ, & formæ lenocinia superant. Necesse est inter blanditias sibi constet temperantia. Postremò, qui vires chrysolithi facultatesque medicas explorant, hæc ferè de ea memorant. Vndas feruentes compescit; linguæ supposita sitim restinguit; libidinem suprà quàm credi possit, cohibet; cœliacis denique & stomachicis medetur. Quæ omnia eò spectant, vt quæ mala libido & ebrietas hominibus important, eadem intelligas à temperantia curari.

EPHOD SECVM HABENS, &c.

Onychinus.

B

Vndecimam sedem hæc gemma occupat. Hebraïcè שהם *schoham*. Septuaginta, quos sequitur sanctus Epiphanius, ordinem commutant, & *beryllum* hoc loco statuentes, *onychem* vltimam locant. Reliqui Vulgatæ editionis seriem seruant. Itaque ὀνύχιον vocant. Fagius in Onkelum *onychinum* similiter transfert, & addit: Ita communiter vertunt nostri interpretes. Candorem dicunt habere hunc lapidem vnguis humani, vnde *onyx* dictus. Nam ὄνυξ Græcis vnguem significat. Paraphrastes noster ferè semper בורלא *bourla* vertit, quæ vox videtur nonnihil affinitatis habere cum eo lapide, quem nostri *beryllum* vocant. Hæc ille. Sanctus Epiphanius, λίθος ὀνύχιον, onychium gemma. Est hæc, inquit, valdè flauo colore. Pocula olim ex eo lapide Regum ac Principum sponsis in delitijs fuisse notat. Sunt & alij onychitæ æquiuocè dicti, qui ceræ, mellis colorem habentis, sunt similes. Aiunt autem aliqui, eos ex aqua coïre, ac veluti congelari. Et rursum idem sanctus Epiphanius, Onychitas appellant à natiuo eorum colore: quia elegantium virorum vnguis sit marmori similis, non sine colore sanguinis tamen. Marmor etiam falsò onychitam à nonnullis dici obseruat ab exploratione vnguis, propter exquisitum & politissimum læuorem. Sudines, inquit Plinius libro trigesimo septimo, capite sexto, dicit in gemma esse candorem vnguis humani similitudine. Item chrysolithi colorem & sardæ & iaspidis. Zenothemis Indicam onychem plures habere varietates, igneam, nigram, corneam, cingentibus candidis venis oculi modo, interuenientibus quarumdam oculis obliquis venis. Sotacus Arabicas onychas nigras inueniri candidis zonis. Satyrus carnosas esse Indicas, parte carbunculi, parte chrysolithi, & amethysti. Veram onychem plurimas, variasque cum lacteis zonis habere venas, omnium in transitu colore inenarrabili, & in vnum redeunte concentum suauitate grata.

S. Epiphan.

C

Plinius.

D

In tria genera onychem Cardanus distribuit lib. 7. De Subtilit. Vnum est Chalcedonium ab vrbe Bithyniæ, in quam deferebatur ex India, ita appellatum: assimilatur eo ore & perspi-

EPHOD SECVM HABENS, &c.

Cardanus. perspicuitate propriè vngui. Refert Albertus expertum se esse, si lapis hic è collo suspendatur, vires omnes corporis roborare, quod haud est incredibile. Nam frigiditate sua constringit spiritus atque vnit, luce verò illos confirmat, & caloris temperie. Eadem ratione venerem collo suspensum cohibere fertur, atque in hunc vsum inde ferre passim consueuerunt. Genus est aliud cæruleum, pallens in summo & opacum, in imo autem nigrum, quod vocatur Nicolus: gestantem facit tristem, & somnijs terribilibus agitat: nam spiritus adeo cogit, vt tristitiam & turbationem moueat. Tertium genus ferruginei est coloris in supremo, in imo nigri, in medio candidi; vocatur à plerisque Oculus. Si frusta duo ex onyche inuicem confricentur, calorem tantum concipiunt, vt vix ferri queat. Hæc ille.

Sed iam satis quod ad præsens attinet, onychis gemmæ naturam inuestigauimus: nunc ea tandem quid hoc loco velit, quemue sensum habeat, diligenter indagemus. Ab vngue Tropolog. gemma non en habet, quæ pars corporis tametsi sensu caret, ipsa tamen manuum pedumque articulos ad agendum plurimum confirmat. At verò hoc in repub. quid nisi iustitia præstat? Sensus illa quodammodo expers esse debet, nec proprium quicquam sapere, suum autem ius cuique tribuere, libertatémque tueri. Ab onyche Græci dicunt ὀνυχίζειν, quod est Iustitia. diligenter inquirere: Latini *ad vnguem*, quod est perfectè accuratéque nosse. His maximè iustitiæ munus absoluitur: quæ si defuerint, iustitiæ sedem temeritas occupat. Sotacus Arabicas onyches nigras describit, præcinctas zona candida. His nimirum qui rebus iniustis delectantur, & ex rapto viuunt, qui mos est Arabum: terrica res & inamœna. Videtur iustitia: ipsa tamen illibatæ niueo æquitatis diademate coronata est. Tres onychi colores Sudines tribuit, chrysolythi, sardæ & iaspidis. Satyrus, carbunculi, chrysolithi, amethysti. Quas virtutes hæ gemmæ referant, iam suprà explicuimus. Has omnes scilicet iustitia suo sinu complectitur. Nam neque iustus esse potest nisi qui sit temperans, quod chrysolitho ascripsimus: neque syncerè iudicia exercere, nisi qui ingenuo pudore, prudentia, charitate, atque adeò cælestis præmij bona spe sit præditus, quæ omnia nobis antea sardius, amethystus, carbunculus, & iaspis in Summo Pontifice repræsentarunt.

Zenothemis diuersam rationem explicandæ iustitiæ init. Nam Indicam onychem igneam, nigram, corneam facit, quam instar oculi candidæ venæ cohibent. Celebris est apud plerosque autores iustitiæ oculus, de quo Orpheus in hymnis,

Ὄμμα δίκης μέλπω πανδερκέος, ἀγλαομόρφου, &c.
Oculum iustitiæ canto, retro videntis formose,
Quæ etiam super Iouis principis sacrosedet solio,
Cœlitus despiciens vitam mortalium in varias
gentes diuisorum,
Iniustorum vltrix, supplicijs grauans iustis,
Veritatis æqualitate concilians dissimilia.

A πάντ᾽ ἐφορᾷς, καὶ πάντ᾽ ἐπακούεις, πάντα βραβεύεις.
Omnia vides, audisque cuncta, & nihil non
dispensas.

Porrò, quod pluribus splendet amicta coloribus, hoc scilicet indicat habere illam rationem cuiusque meritorum, & sontes quidem pœnis vlcisci; bonos autem præmio afficere.

Onychis præterea Cardanus tria genera recenset. Totidem partes iustitiæ numerant: Commutantem, distribuentem, vlciscentem. Hæc tristitiam parit, & terret, vti genus illud onychis pallens & cæruleum. Commutans vires cuiusque corroborat, & tuetur. Distribuens virtutis studium accendit. Sed paucis iustitiæ encomium Polus Pythagoricus absoluit, quod Stobæus descripsit serm. 9. Δοκεῖ μοι τὰν ἀνθρώποις δικαιοσύναν, ματέρα τε καὶ τιθηνὰν τᾶν B ἄλλων ἀρετᾶν προσαγορεύεν ἁπάσας, ἅτερ ταύτας, ἐν ἄνθρωπε, οὐ φρόνιμον ὦν τι εἶμεν. Iustitia inter homines videtur mihi mater & nutrix cæterarum virtutum appellanda. Nam sine illa neque temperantem, neque fortem, neque prudentem esse quemquam fieri potest. Ἁρμονία γάρ ἐστι καὶ εἰρήνα τᾶς ὅλας ψυχᾶς μετ᾽ εὐρυθμίας. Quippe harmonia & concordia totius animæ est cum concinnitate. Fiet autem eius vtilitas euidentior, si alios, inquit, habitus considerauerimus, vt pote qui particularem sui vsum, & ad vnum quempiam præbeant. Iustitiæ verò vtilitatem in multitudine, & vniuersas rerum comprehensiones præstat. Siquidem in mundo principatum omnem obtinens, prouidentia vocatur, & harmonia, & constitutio generis cuiusdam deorum, qui ipsam ita disposuerunt. C In ciuitate autem pax, & æquitas meritò nominatur. In domo autem, hæc est viri & vxoris concordia mutua. Item, famulorum in heros beneuolentia: dominorum autem erga famulos benigna curatio. In corpore autem sanitas, & perfectio membrorum, quæ tanquam præcipua cunctæ animantes maximè diligunt. Cæterùm in anima est sapientia, quæ per scientiam & iustitiam hominibus comparatur. Cùm igitur hæc virtus totum simul ac partes singulas ita moderetur, & in concordia conseruet, quomodo non mater & nutrix tum virtutum, tum rerum omnium communi iudicio dici debet? Hæc Polus.

Iustitiæ encomium.

D

Beryllus.

Claudit seriem gemmarum duodecima *Beryllus*. Hebraicè ישפה *iascpeh*. Græcis βήρυλλος. Septuaginta & Vulgatus Interpres, inquit Fagius, *beryllus* legunt, sed nomen Hebraicum *Iaspah* magis alludere videtur ad *iaspis* vocabulum. Illum Montanus imitatur: *iaspidem* vertit; Pagninus *beryllum*. Sed nolumus temerè à Sanctorum Patrum & veterum interpretum sententia discedere. præterquam quod nullius momenti argumentum videtur.

Beryllus, inquit sanctus Epiphanius, γλαυκίζων τῷ εἴδει, θαλασσοειδής, ἔχων εἶδος καὶ τῷ ὑδάτων τῆς ὑακίνθου, glauca gemma est, colore maris,

EPHOD SECVM HABENS, &c.

aut hyacinthi dilutioris. Si quis velit hanc è regione Solis contemplari, videbitur non secus ac vitrum intrinsecus grana milij habere pellucida. Est & alia beryllus, pupillis oculorum serpentum similis, alia ceræ. Addidit Anonymus quidam ad Epiphanium: Berylli, si sphæricæ fiant, & radijs Solis opponantur, ignem emittunt, vt specula concaua. Plinius libro trigesimo septimo capite quinto. Eandem multis, inquit, naturam aut certè similem [cum smaragdis] habere berylli videntur, in India originem habentes, raro alibi reperti. Poliuntur omnes sexangula figura artificum ingenijs, quoniam hebescunt, ni color surdus repercussu angulorum excitetur. Aliter enim politi non habent fulgorem eundem. Octo deinde species beryllorum enumerat. Probatissimi sunt ex ijs, qui viriditatem puri maris imitantur. Proximi Chrysoberylli. Vicinum genus chrysoprasi. Quarto loco numerantur hyacinthizontes. Quintò, quos aëroides vocant. Post eos autem cerini. Ac deinde oleagini, hoc est colore olei. Postremi crystallis ferè similes. Auro coronari ea gemma non indiget. Summa commendatio est in longitudine. Ideo cylindros ex ijs Indi facere malunt, quàm gemmas. Quidam perforatos docent gratiores fieri medulla candoris exempta, additoque auro repercussa, aut omnino castigata causa perspicuitatis ad crassitudinem.

S Epiphanius.

Plinius.

Variæ species.

Berylli nobis color arridet. Nam hæc velut puri maris viriditas, spem bonam, atque adeo in re difficili alacritatem spondere videtur. Hæc porrò constantis animi fortitudo est, si te aduersa non terreant, nec obiectis rebus arduis animum despondeas. Serpentinis etiam oculis nonnunquam berylli similes perhibentur. Nec hoc abnuerim. Nam quæ prudentia caret, non illa fortitudo est, sed audacia. Aduerso sole sphæricus beryllus flammas emittit. Quis dubitet, si quis fortitudine præstet, tum eum ardere penitus & incendi, cùm Deus ipse, seu potius eius fides ac religio in periculum vocatur: Hæc porrò gemma ad sui commendationem externum auri splendorem non requirit. Quid fortitudo? Non opibus atque potentia, sed ærumnis ac calamitatibus maximè probatur. At infuso intra viscera auro beryllus gratior euadit. Dei gratia pectoribus nostris infusa vim omnem ac robur fortitudini præbet. Berylli productior stylus præcipuè laudatur. *Qui perseuerauerit*, inquit Christus, *vsque in finem hic saluus erit.*

Tropologia.

Fortitudo.

Nec pauciora dixerim fortitudinis genera quàm beryllorum. Nam & fortitudine opus est, vt clades publicas æquo animo feras, quæ, vt plurimùm, numinis iram testantur, terrorésque non modicos hominum mentibus incutiunt: quo in genere præter cæteros maiores nostri excelluerunt, cùm olim ab Ethnicis afflicti Imperij, & omnium calamitatum rei arcesserentur: & vt item corporis dolores acerbósque cruciatus perferas, siue illos hominum iniuria, siue morbi vis

Fortitudinis plures species.

A aut contumacia intulerit. Tertia præterea species necessaria est in exantlando labore, qui non rarò pauidis suas vires superare videtur. Iam verò seruitutis, ærumnæ, & captiuitatis incommoda, vt humanè tolerari possint, quartam quoque sibi speciem vendicant. Quid ipsa nominis infamia, contemptus, contumeliæ, quo pacto hæc omnia quisquam valeat vt decet absque fortitudine pati? Vincit sanè multos inopiæ magnitudo. Si qui eius impetum frangunt, horum nos fortitudinem prædicare solemus. Iactura quoque amicorum, & eorum qui nobis sanguine iuncti sunt, plurimorum animos deijcit. Quantos olim parentes natorum præcox hausit interitus? Quot olim coniuges claris maritis recusarunt esse superstites? Si qui igitur, B cùm vehementer ament, charorum funera modestè defleant, nec acerbo dolori supra modum indulgeant, an nos hos quoque inter fortes numerandos censebimus? Quid si quispiam eorum, cum quibus sua consilia & opes communicauerit, perfidiam expertus, eorum proditione & fraudibus in discrimen adductus sit, an non huic quoque fortitudinis præsidio opus erit, vt tempestatem tranquillè subire possit? Quando igitur beryllorum genera solo colorum discrimine Plinio secernere placuit, nos quoque ex obiectis, seu potius subiecta materia, non pauciores fortitudinis species aliquanto maiori ratione designauimus.

EPHOD SECVM HABENS, &c.

Restat nunc, vt illud quoque consideremus quod ait Plinius, poliri beryllos sexangula figura, vt repercussu angulorum surdus C alioqui color excitetur. Nam pari numero non anguli, sed virtutes comites stipare fortitudinem debent, vt eius splendor alioqui obscurus sole clarior eniteat. Nam si innocentia patienti defuerit, necessitati non fortitudini patientia adscribetur. Quamobrem, vt inquit Apostolus, *nemo vestrum patiatur vt fur, aut homicida. Quæ est enim gloria, si peccantes & colaphizati suffertis? sed & si quid patimini propter iustitiam beati.* Neque verò sola innocentia sufficit, & illibatæ vitæ conscientia, sed necessaria est præterea fides, *sine qua quicquid agas, peccatum est*, inquit Apostolus. Et, *sine fide impossibile est placere Deo.* Adhæc fidem mansuetudo comitetur D necesse est. Nam si eos, qui te rebus ipsis offendant, probris lacessas, non perferre fortiter, sed pusillo ac humili animo iniuriam referre videbere. *Quasi ouis*, inquit, *ductus ad victimam, sic coram tondente se obmutuit. Cùm malediceretur, non maledicebat. Non vos defendentes charissimi*, & cætera. Nec hactenus te satis fecisse putes, si dolorem tuum maledictis vltus non fueris, nisi etiam bene Deo dixeris, quod fecisse Danielis æquales in ardenti fornace Scripturæ memorant. Oportet etiam charitas, non gloriæ studium, sit ipsa patiendi ratio. Docet enim Apostolus: *Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Adde denique & prudentiam, ne temerè &

Fortitudinis necessariæ comites.

1. Petri 2. & 3.

EPHOD SECVM, &c.

rè & absque necessitate in periculum irruas. Nam *si quis turrim*, ait Dominus, *ædificare velit, prius sedens computat sumptus qui necessarij sunt, si habeat ad perficiendum.* Et, *si quis rex iturus est committere bellum aduersus alium regem, prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se.* Itaque in vno quopiam loco ait: *Cùm persequnti vos fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam.* Quod si profectò cuiusquam constantia his virtutibus instructa erit, ita vt quisquis in eam oculos coniecerit, illibatum innocentiæ florem miretur cum pari fide coniunctum, mansuetudinem deinde, charitatem, prudentiam, atque adeo hæc omnia ad Dei laudem referri: fieri vtique non poterit, quin eam animi fortitudinem laudibus in cœlum ferat.

Itaque talis quondam fuit ornatus ille summi Pontificis, tales gemmæ: tales quoque virtutes, quæ lapillis ænigmaticè designarentur, quibus eos instructos atque ornatos esse decet, qui ad Deum oratores accessuri sint; vt gratiam ab eo inire possint, & quod postulant consequantur.

Sed quando huc ad explicandum Ephod non alio consilio diuertimus, quàm vt oraculum ipsum, si fieri posset, è tenebris in lucem proferremus; & iam his qui tropologias sectantur, vtcunque fecimus satis: reliquum est, vt illud quoque in quo potissimùm difficultatis cardo versatur, exponamus: quid sit, quod additur: *Pones autem in rationali iudicij doctrinam & veritatem, quæ erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram Domino.*

Exod. cap. 28. ver. 30.

De Vrim & Thummim quid essent, & quo pacto diuinis oraculis inseruirent.

QVÆSTIO LXII.

IN re dubia certi quid afferam non habeo. Illud tamen iam penè constare videtur, quicquid id fuerit, rem sanè corpoream ijs nominibus designari. Hoc sentit S. Aug. qu. 117. in Exodum, & quicunque stellam auream, smaragdos, & adamantem, aut inscriptos nominum characteres interpretantur. Sed non illud æquè certum est, tametsi ego quoque non dubitem, hoc Spiritus sancti speculum, cuiuimodi fuerit, humano ingenio atque solertia minimè elaboratum fuisse. Neque enim, vt obseruat Rab. Salomon, sicut reliquam sacram supellectilem, sic quoque hoc, quodcunque est, artificis industria comparari Deus instituit: sed inseri duntaxat, aut dari, siue imponi rationali præcepit. Vnde colligit idem Salomõ, *Vrim & Thummim* opus diuinum fuisse, in eum vsum antea apparatum, & ab ipso Deo Moysi in monte traditum: vel ab ipso Moyse, & non ab alio quoquam artifice adornatum atque instructum. Salomonis sentẽtiam Arias in suo Aarone vltrò amplexus est. Hanc rem, inquit, cuiuscunque naturæ illa fuerit, hominum artificio factam aut comparatam non fuisse, sed diuinitus datam Moysi, vel eo tempore quo lex & tabulæ, vel eo quo perfectum opus fuit, arbitramur, eámq; fuisse multiplici figura distinctam, simul etiam claram, lucidam, speculique instar tersam, ex nominũ figura & numero etiam multitudinis intelligimus. In omnibus alijs, quæ hactenus commemorata descriptáq; sunt, ornamentis & vestibus, hoc modo scriptum legimus. *Et facies, & facient, & scribent.* Atque in ipsa curatione eorum sic etiam legimus. *Et fecerunt, & scripserunt, vel inciderunt, &c.* In huius vero arcanæ rei commemoratione, *Et pones:* siue ex Hebraico verbo, *Et dabis in rationale iudicij Vrim & Thummim.* Et in Leuitici lib. scriptum est: *Et dedit ad rationale haurim & hatthummim*, id est, indidit in rationale. Diximus autem rationale fuisse duplex, tribus lateribus commissum, ex vno autem latere apertum; inter vtramque partem Vrim & Thummim inferebantur, ibidemque seruata, Sacerdotis hærebant pectori: inde verò proferebantur, quoties diuinum responsum petendum erat. Hactenus Arias.

Vrim & Thummim res corporeæ fuerũt.

Opus non cuiusquam artificis industria elaboratum.

Montanus.

Leuitici 8.

Tertiò non possum in animum inducere, *Vrim & Thummim* nihil aliud fuisse præter easdem voces in rationale intextas, aut etiam insculptas, cùm phrasis ipsa Scripturæ modusque loquendi ab ea sententia abhorreat. Exodi 28. ver. 30. *Pones autem in rationali iudicij Doctrinam & Veritatem.* Septuag. Καὶ ἐπιθήσεις ἐπὶ τὸ λογεῖον τῆς κρίσεως τὴν δήλωσιν καὶ τὴν ἀλήθειαν. וְנָתַתָּ אֶל חֹשֶׁן הַמִּשְׁפָּט אֶת הָאוּרִים וְאֶת הַתֻּמִּים *Venathatha el hhoscen hammiscpat eth haourim veeth hatthummim.* נָתַן *nathan* porrò nõ scalpere, aut intexere significat, sed dare aut imponere. Vnde & alij *Dabis in rationale* trãsferunt. Sept. hoc loco *impones:* aliàs addere, inferre, inijcere etiam interpretantur. Sed quia nonnunquam etiam apud illos idem est ac ποιεῖν, ἐργάζω, facio sicut ostendit Kirkerus in Concord. addam & aliud testimonium, quod de artis effectione siue operis molitione intelligi non possit. Nam cùm sacras vestes Moyses Aaron fratrem suum indueret Leuit. cap. 8. ver. 8. *Et posuit*, ait Scriptura, *super eum hoscen*, וַיִּתֵּן אֶל הַחֹשֶׁן *vaiytten el hahhoscen vrim & thummim. & dedit* siue *posuit*, vt vertit Pagninus, *in pectorali vrim. & thummim.* Sept. Καὶ ἐπέθηκεν ἐπὶ τὸ λογεῖον τὴν δήλωσιν καὶ τὴν ἀλήθειαν, & *imposuit super rationale, &c.* Sed & illud obseruat præterea Schindlerus. Quando, inquit, non construitur נָתַן *nathan* cum יָד *iad manus*, vt plurimum sequente tamen præpositione, vsurpatur pro שׂוּם *som* posuit, apposuit, imposuit. Genes. 1. וַיִּתֵּן Targum וִיהַב *vihab, & dedit ea Deus in firmamento cæli.* Sept. Καὶ ἔθετο, & *posuit* Genes. 9. *Arcum meum* נָתַתִּי Targ. יְהָבִית *dedi in nube.* Septuag. τίθημι *pono &c.* Denique Exodi cap. 28. vers. 9. & 36. quibus locis in auro cælari *Sanctum Domino*, & nomina filiorum Israël in lapides onychinos incidi Deus præcipit, nequaquam eo verbo Moyses vsus est: sed aliud adhibuit, quod ad eam artem pertinet.

Voces duntaxat non videri.

EPHOD SECVM, &c.

Versu 9. *Et accipies*, inquit, *duos lapides onychinos*, ופתחת *ouphithachtha*, *& sculpes in eis*. Arias, *& aperies super eis nomina filiorum Israel*. Versu 36. *Et facies* ציץ *tsits*; Vulgatus cum Pagnino *laminam*, Arias *florem de auro mundissimo*, ופתחת *ouphithachtha* Vulgat. *in qua sculpes opere cælatoris* siue *sculpturis*, vt Pagninus: Arias, *Et aperies super eum apertiones sigilli*, קדש ליהוה *Kodesc laihouah*, *Sanctum* siue *Sanctitas Domino*. *Pathach* פתח porrò *aperire* quidem propriè significat: sed quia scalpendo nudari lapillorum viscera videntur, aut vulgari nomina quæ latebant, idcirco scalpere, in æs aliamue materiam incidere, cælareque Hebræis significat. Itaque Græci interpr. quæ prius testimonia laudauimus, his verbis exprimunt: Καὶ γλύψεις ἐν αὐτοῖς τὰ ὀνόματα. Et ver. 36. Ἐκτυπώσεις ἐν αὐτῷ ἐκτύπωμα, &c Γλύφω verò & ἐκτυπόω idem Græcis est, quod Latinis sculpo atque cælo.

Exod. v. 9. cap. 28.

Aliud videri præter gemmas duodecim.

Quartò non fuisse duodecim gemmas rationali insertas inde probari posse videtur, quod Leuitic. cap. 8. ver. 7. induto iam atque ornato Pontifice, cùm reliquis vestibus, tum etiam rationali, adhuc tamen *Vrim* & *Thummim* Moses pectorali imposuisse feratur. *Statim*, inquit, *obtulit Aaron & filios eius. Cùmque lauisset eos, vestiuit Pontificem subucula linea, accingens eum balteo, & induens eum tunica hyacinthina, & desuper humerale imposuit, quod adstringens cingulo aptauit rationali, in quo erat Doctrina & Veritas.* Ad hunc modum Vulgatus: quem tametsi Mosis sententiam assequutum non dubitem, attamen eius mentem hebraica phrasis clarius explicat. *Et dedit super eum Ephod siue superhumerale, & cinxit eum cingulo superhumeralis, & cinxit eum cum eo. Et posuit super eum hoschen* siue *pectorale*, ויתן *vaytthen* (à verbo נתן *nathan*, de quo supra disseruimus; quod *inserere*, imponere, atque immittere significat) *& dedit*, siue *inseruit* אל החשן את האורים ואת התמים *el hahoschen eth haourim veeth hathummim in pectorale Vrim & Thummim.* Quod si rationali iam applicato Vrim & Thummim adderentur; distincta illa esse oportuit; quod de gemmis neutiquam concedendum est. Non enim separatim compositæ, genus aliquod ornamenti seorsum conficiebant, sed erant in ipsum hoschen intextæ, & velut pars toti, sic illi indiuidua serie cohærebant. *Vrim & Thummim*, sicut apparet, manifesto discrimine seiuncta erant, cùm adesse atque abesse possent.

Non videri istud oraculum solo numinis afflatu fundi consueuisse.

Addam quintò, non videri tam solemne istud oraculum, arcano mentis afflatu tantùm constitisse, sed foras quoque manifestis erumpentibus indicijs numinis præsentiam prodidisse: quorum plærique omnes qui aderant, testes forent, interpres solus Pontifex. Hoc autem probat primùm phrasis ipsa Scripturæ, quæ longè diuersa est ab ea, qua prophetæ vti solet, cùm seorsum aut mente duntaxat Dei responsa percipiunt. Tum enim, quæ autore Deo renuntiant, plærunque ita auspicantur: *Hæc dicit Dominus*: quod vix aut nusquam Sacerdotem, cùm Ephod applicasset, obseruasse reperies. Quid ita? An quia fortè nescias suo an Dei nomine propheta loquatur, si non idem admo-

A neat? Nam quòd cum eo semotis arbitris Deus contulerit, nulla ratione explores. Sacerdotem autem ea præfatione vti nequaquam opus fuit, cùm ex ijs, quæ diuinitus in *Vrim & Thummim* elucerent, nulli dubium foret, oraculum instinctu diuino afflatuque fundi. An quia reuera, cùm per *Vrim* Deus sciscitantium vobis satisfaceret, Deus ipse non Sacerdos quæsita dissolueret? Nam eo pacto frustrà ac superuacuè videretur illud proloqui, *hæc dicit Dominus.* Sed nequaquam ita est. Deus enim quicquid incomperto illo modo indicasset, Sacerdos interpretari solebat. Hoc ipsum disertis verbis exprimit Numer. cap. 27. ver. 21. *Pro hoc*, (Nimirum Iosue) *si quid agendum erit*, *Eleazar*

B *Sacerdos consulet Dominum.* Pagninus, *interrogabit pro eo iudicium Vrim.* Hæbraicè, במשפט האורים *bemiscpat haourim in iudicio Vrim*, לפני יהוה *liphnei Iehouah*, *coram Domino. Ad verbum eius*, siue, vt Pagninus, *Iuxta sermonem eius.* Hebraicè, vt etiam vertit Arias, *super os eius egredietur & ingredietur ipse, & omnes filij Israel cum eo, & cætera multitudo.* Ex quibus patet, quicquid Deo placuisset, Sacerdotem oratione sua explicasse: nec tamen vsquam legimus solemnem illam prophetarum formulam vsurpare solitum, *hæc dicit Dominus.*

Veruntamen Zacharias, inquies, filius Ioiadæ, cùm esset summus Sacerdos, & in populi flagitia & sordes inueheretur, 2. Paralip. cap. 24. versu 20. ita orationem suam exorsus est,

C *hæc dicit Dominus.* Fateor illud quidem: sed tum illum induerat רוח אלהים *rouakh Elohim*, *Spiritus Dei*: non de oraculo respondebat: quamobrem etiam regis Ioas imperio lapidibus obrutus est. Nam cùm diuino spiritu afflati prophetæ, luce duntaxat, quæ videri non posset, perfunderentur, non rarò ab ijs, qui interpellari suas cupiditates molestè ferrent, calumniam passi sunt. Apud Ieremiam cap. 43. ver. 2. *Dixit Azarias filius Osaia, & Iohanan filius Caree, & omnes viri superbi, dicentes ad Ieremiam: mendacium tu loqueris: non misit te Dominus Deus noster, dicens: Ne ingrediamini Ægyptum, &c. Sed Baruch filius Neria incitat te aduersum nos, &c.* At Sacerdotum, cùm Ephod induissent, nusquam in dubium vocata fides, aut ludibrio

D habita oraculi autoritas. Quamobrem? An quia mentiri quoque ac fingere Sacerdotes non possent? fingere quidem, si responsum numen negaret: mentiri, si contrarium votis redderet, quiduis potius comminiscentes quàm vt in cuiusquam offensionem incurrerent? An quia ne à dæmone quidem in fraudem induci, aut ea credere à Deo profecta esse, quæ autore dæmone prænuntiarent. Cur enim potius hæc vera esse de Sacerdotibus, quàm de prophetis in animum inducerent? Non igitur harum vlla causa fuit, cur nemini vnquam visa sit oraculi suspecta responsio: sed quod Deus, vt antea diximus, cùm apud Sacerdotem, tum apud reliquos, certis argumentis præsentiæ suæ fidem faceret.

Nunc qua materia Hebræi *Vrim & Thummim* constasse putent, ex ijsdem referemus. Intra pectorale, inquiunt apud Fagium in cap. Exodi

EPHOD SECVM, &c.

EPHOD SECVM HABENS, &c.

De materia Vrim & Thummim sententia Hebræorum Fagius.

Exod. 28. erat Scriptura quædam, quæ complectebatur nomen Dei tetragrammaton יהוה, quæ dicebatur *Vrim & Thummim*. Hoc autem nomen יהוה *Jeouah*, Trinitatis mysterium continet, vt veteres Iudæi, qui Christum præcesserunt, dixere in suis Traditionibus. Nam per י *iod* intelligitur Pater, qui est principium & origo omnium rerum. Per ה *he* Filius, per quem omnia quæ facta sunt, esse cœperunt. Per ו *vau*, quæ est coniunctio copulatiua, intelligitur Spiritus Sanctus, qui est amor & nexus vtriusque, qui ab vtroque procedit. Geminatur autem ה *he* propter duplicem naturam, quæ est in Christo. Per primum *he*, natura diuina intelligitur: per ה *he* postremum, natura humana. Hoc nomen יהוה *Adonai*, dicebatur Hebræis, שם המפרש *Schem Hamphorasch*, id est, nomen expositum, siue declaratum: aut nomen quod exponitur. Exponebatur enim ab eis per nomē 12. literarum אב, בן, ורוח הקדש *Ab, Ben, ue Rouach hacados*, id est, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Item per nomen quadraginta duarum literarum, אב אלהים *Ab Elohim* &c. Hoc est, Pater, est Deus, Filius est Deus, Spiritus Sanctus Deus est, tres in vno (hoc est, in vna substantia) vnum in tribus, (id est, vna essentia.) Hæc autem Scriptura nominis Dei, dicebatur *Vrim & Thummim*, id est, illuminationes & perfectiones, quòd ex huiusmodi Trinitatis intellectu mens illuminetur & perficiatur. Scribit itaque Rab. Salomon in 28. Exod. *Vrim & Thummim* fuisse Scripturam ipsius *Schem Hamphorasch*, quæ à Mose, in ipsa duplicatura pectoralis, ex iussu Dei posita fuit, per quam Sacerdos interrogatus sua verba illustrabat, à quo *Vrim* dicebatur: simulátque perficiebat, inde *Thummim* vocabatur. Idem quoque tradit Pectorale, *pectorale iudicij* dictū fuisse, à *Schem Hamphorasch*, quod in eo descriptum erat; per ipsum enim dijudicabatur, & comprobabatur, quidnam tribubus Israël facere liceret in rebus grauibus, vnde dicitur, *Et portabit Aaron iudicium filiorum Jsrael super cor suum, coram Domino semper.* Item Numeri 27. *Et stabit ante Eleazar Sacerdotem, qui consulet pro eo iudicium Vrim coram Domino*, &c. Hæc & plura ibidem Salomon. Cuius sententiam sequutus Nehemanides, hoc quoque sentit, *Vrim & Thummim* sacra nomina fuisse: & *Vrim* appellata ea, quorum virtute literæ illæ, quæ sub gemmis erant, illustratæ fuerunt. *Thummim* verò ea, quorum virtute literæ illæ illustratæ, legibiles factæ fuerunt; puta quod Sacerdos potuit eas in dictiones concinnare, atq; inde responsum Domini intelligere. Idem quoque refert, reuelationem siue responsum datum per *Vrim & Thummim*, fuisse, מדרגה *madregah*, id est, gradū aliquem Spiritus Sancti, inferiorem tamen prophetia, superiorem verò בת קול *bath Kol*, id est, voce cœlitus delapsa, quæ in vsu erat tempore secundi templi; postquā desierat ratio illa prophetica, qua aliquid arcani diuini per visiones cognoscebatur: similiter & Vrim ac Thummim, attestantibus priscis Hebræis.

Rab. Salomon.

Nehemanides.

Quod si fortè roget quispiam, quisnam mo-

A dus, & quæ ratio fuerit consulendi Dominum per Vrim & Thummim, ex Tractatu Thalmudico qui *Massechtah Iomah* vocatur c. fi6. c accipiat. *Vrim* sacra nomina appellata esse docet, ab eo quòd illustrarent verba, per quæ respondendum erat: *Thummim* verò, quòd eadem non fallebant, sed perficiebantur. Si quæras præterea, quomodo se literæ habuerint, quæ in pectorali erant, cùm ex illis oraculum peti debebat: Respondent alij, eas literas, per quas respondendum erat, בולטות *boletoth* fuisse: hoc est, ex locis suis prominuisse, ita vt Sacerdos ex illis dictiones concinnare atque respondere posset. Cui sententiæ astipulatur Rab. Salomon. Vt cùm Dauid interrogaret Dominum 2. Samuel. 2. *Num ascendam in vnam ex ciuitatibus Iuda?* Respondit ei Dominus, עלה *aleh*, id est, *ascende*.

B Ibi dicunt istas tres literas prominuisse, עלה, ע *Ain* ex nomine Simeon, ל *lamed* ex nomine Leui; & ה *he* ex nomine Iehudah. Alij dicunt, istas literas, quæ oraculum repræsentabant, מצטרפות *Miztarphoth* fuisse, hoc est, coiuisse in dictiones. Tradunt quoque in illa sacra Scriptura, scripta fuisse nomina Patriarcharum, Abraham Isaac & Iacob, necnon Israëlis: & hoc ad constituendum integrum alphabetum, quod ex reliquis nominibus non poterat totum haberi. Hæc ferè sunt, quæ ex Hebræorum lacunis hausit Fagius; quibus vtcunque oraculi eius ratio ex eorum sententia intelligi possit. Duodecim Patriarcharum nominibus duodecim Rationalis lapides inscripti erant. Huius illi in parte, quæ à fronte fuit, insidebant. Erat autem duplex operis textus,

C cuius mediam intercapedinem sacrorum nominum scriptura occupabat. Hanc illi fulsisse ferunt, vt primùm roganti Deus affuit, atque adeò eo splendore solas colluxisse gemmarum literas, quæ oraculi sententiam præseferrent. Verùm non abs re vereor, ne commenta hæc Rabbinorum doctis non probentur, quando non semel aliàs, dum diuini nominis potētiam prædicant, vimque characteribus eius tribuere conantur, Christi Domini miraculis detrahūt, & Euangelio student importare calumniam.

Interpretes nostri plerique cum antiquis Patribus *Vrim & Thummim* gemmas fuisse consentiunt, quorum nonnulli stellæ aureæ infixas fuisse tradunt, & ab ijs distinctas, quæ florum instar Rationalis superficiem pingebant.

D Binas Cyrillus enumerat in Expositione Niceni Symboli: quem imitatur Procopius in Deuteronom. in exponenda benedictione Leui. S. Epiphanium æmulatur Anastasius Nicenus in quæst. in Scriptur. quæst. 38. Nam & eius libri, qui est de 12. gemmis, epitomen collegisse docet Perauius Tom. 2. Oper. S. Epiphanij in Epist. ad Lectorem. A dextris, inquit, S. Epiphanius, & à sinistris supra mammillas ἐπάνωθεν τῶν μαζῶν, siue potius τῶν ὤμων in humeris, vbi duo ceu ἀσπίδιον parua scuta consuta erant, pendebant duo smaragdi. Εἰς μέσον δὲ τούτων ἦν ἡ δήλωσις, In medio autem horum erat *declaratio* quę erat Ἀδάμας, τὴν χροιὰν ἀέριζον, Adamas, colore aërem referens. Hactenus Epiphanius. Cyrillus, qui duodecim illos lapides confert cum Apo-

EPHOD SECVM HABENS, &c.

Oraculum quo pacto quæsita indicaret. Thalmud.

שמעון Schimgh6.

De materia interpr. nostrorum sententia.

S. Cyrillus.

S. Epiphan.

EPHOD SECVM HABENS, &c.

stolis, ambo interiores Christum repræsentasse docet: quo pacto non incommodè Epiphanij quoque adamas exponi poterit. Nam & sæpius in medio discipulorum stetit, & solus eisdem prædicandæ veritatis vim animúmque contulit.

Nostra sententia.

Cæterùm, quæcunque oraculo subiecta materia fuerit, nam constare à principio negauimus: splendoris cuiusdam vtriusque sententiæ autores meminerunt, qui numinis præsentiam apertè demonstraret. Hanc ego lucem mirificè amplector: nec dubito, eo potissimùm discrimine genus hoc prophetiæ à reliquis distingui potuisse, quòd percontātibus imponi non posset, cùm Deum adesse non obscuris signis deprehenderent: in reliquis prophetæ esset habenda fides. Quamobrem etiam LXX. Interpr. cum Philone δήλωσιν, καὶ ἀλήθειαν *Vrim & Thummim* exposuisse videtur, hoc est, *Manifestationem & Veritatem*. ac si dicerent, manifestam ibi veritatem apparuisse. At eum fulgorem Salianus exosum habuit, multísque modis eundem extinguere conatus est. Nec sanè frustrà, si quis putet ex eius vario colore, quæcunque in Scripturis oracula descripta sunt, potuisse intelligi. Quid si verò non id quispiam opinetur, sed tanquam in tabula, sic in illo lucis radio futurarum rerum significationes fuisse depictas? Ego tamen non alium splendorem agnosco, quàm qui Numen adesse significet. Argumentum habeo Numinis præsentiæ, non rerum futurarum prognosticon. Quo nomine neque facilè confutari poterit, & alioquin penè necessariò asciscendus videtur, ni cum Saliano præter verba & voces in rationale intextas, *Vrim & Thummim* omnino nihil fuisse velimus asserere. Vt primùm autem splendor illuxerat, afflari diuino Spiritu Pontificem contingebat: sicque oracula fundebat.

Salian. To. 2. Annal. ad ann. mundi 2544 Num. 544. & seq.

VERSVS VII.

Nuntiatum est autem Sauli quòd venisset Dauid in Ceilam: & ait Saul: Tradidit eum Deus in manus meas, conclusúsque est, introgressus vrbem in qua portæ & seræ sunt.

VERSVS VIII.

Et præcepit Saul omni populo vt ad pugnam descenderet in Ceilam: & obsideret Dauid, & viros eius.

Variæ trāslationes.

TRadidit eum Dominus in manus meas.] Pagninus, *Conclusit* (Arias, *alienauit*) *eum Deus in manu mea, quia clausus est ingrediendo in vrbem portarum, & vectis.* Alius, *quandoquidem venit inclusum se* (Hebraicè, *inclusit se veniendo*: hypallage.) *in ciuitate munita foribus & vecte.* Vatablus, *valuis & vectibus* munitam. In Schol. Actū est de eo, nam ingressus est vrbem

A clausam portis & vectibus Chaldæus, *Tradidit illum Dominus in manu mea, quia traditus est vt intraret in vrbem cui sunt porta & vectes.* Secundū è primo Saul malè colligit: plures enim Deus nonnunquam periculo obijcit, quo probet eorum fidem, quos tamen maturè liberat, nec obrui mole sinit. Græci cum Vulgat. sentiunt, nisi quod Rom. Edit. latina legit: *vendidit eum* &c. Versu 8. *Et congregauit*, &c.] *ad angustiandum super Dauid & super viros eius.* Ita Chaldæus. Vatablus, *Conuocauit* (*per precones*,) &c. Arias, *& audire fecit Saul omnem populum in prælium* &c. *ad angustiandum ad Dauid & ad viros eius.* Alius, *Et promulgauit Schaul toti populo bellum*, &c.

NVNTIATVM EST, &c.

Nuntiatum est autem Sauli, &c.] Nuncij huius animum quis exploret? Fieri enim potuit,
B vt eo consilio rem ad Saulem deferret, quo recentis beneficij commemoratione mentem eius inflecteret, & ad pristinæ consuetudinis beneuolentiam reuocaret. Fieri item, potuit, vt alieno incommodo studuerit Regis gratiam aucupari, dum furenti prodit innoxium. Atque adeò huc magis propendeo, vt creare periculum innocenti voluisse rear. Nam & hoc sæpius deinceps à Ziphæis tentatū est, dum Regis dementiæ fauent, & furori assentantur. Ita factum est, vt Dauidis victoriam non trophæa, sed cruces exciperent. Mox enim liuor & inuidia Saulis erupit. Atqui is, nisi pessimè esset erga Dauidem animatus, lætari potius debuisset, & populum esse liberatum, & talem sibi contigisse generum. Ille verò vtrumque dolet: & Dauidem vt hostem persequitur. Ex altera
C autem parte gaudet, quod eum speret se iam iámque habiturum in potestate. Esse enim eum nunc in ciuitate munita, nec posse fugere. Tam autem erat cœcus, vt non cogitaret, Deum, qui illi dedisset victoriam, eundem posse discrimini eripere. Non enim est sapientia contra Dominum. Oblitus est, Samsonem, cùm esset conclusus in ciuitate, vnà cum ipsis portis, & postibus euasisse. Quippe, qui libidine atque iracundia præcipites feruntur, hi diuinæ prouidentiæ miracula non attendunt.

Iracundiæ cœcitas.

Tradidit eum Dominus in manus meas.] Non rarò sanè pios Deus venire in potestatem impiorum permittit. Nam & Iobi constantiam, cùm calumnijs à dæmone peteretur, diris ab eo cruciatibus probari tulit. Quòd si propterea
D fauere Deum impijs eorum conatibus prædicent, eóque nomine glorientur, cùm aberrant plurimùm, tum horrendo blasphemiæ scelere conscientiam suam adstringunt. Non enim decet innocentiæ patronum, & omnis iustitiæ autorem, flagitiorū artifices fauore prosequi: sed illi scilicet, ex ijs, quæ cito euanescunt, diuina consilia metiuntur, Deúmque à partibus suis stare iactitant, ipse verò caduca despiciens, iustis in æternum tempus consulit, & ea beneficia confert, quæ nulla hominum temporumue iniuria aut, vicissitudine labefactari queant. *Tradidit illis Dominus in manus meas.*] Sic quoque apud Esaiam Rabsaces nomine Sennacherib Regis Assyriorum. *Numquid*, ait, *sine Domino ascendi ad terram istam, vt disperderem eam? Dominus*

Impij Dei fauere suis conatibus falsò gloriantur.

Esaias 36.

TRADIDIT EVM DEVS, &c.

Dominus dixit ad me: Ascende super terram istam, & disperde eam. At quàm vana spe seipsum luderet, quamque temerè Deum nefarijs cœptis suis affuturum iactaret, repentina clades ostendit. Facinorosi tamen, cùm sibi, tum alijs prospero rerum successu etiam in posterum Deum sibi obsequentem fore persuadent. Nam qui pari studio maleficia sectantur, ijs facilè fidem adhibent, leues mirantur, etiam iusti molestè ferunt, donec Dei mentem consiliúmque percipiant. *Iustus quidem tu es Domine* (inquit Ieremias cap. 12. *si disputem tecum: verumtamen iusta loquar ad te: Quare via impiorum prosperatur: bene est omnibus, qui praeuaricantur, & iniquè agunt? Plantasti eos, & radicem miserunt: proficiunt, & faciunt fructum. Prope es tu ori eorum, & longè à renibus eorum. Et tu Domine nosti me, vidisti me, & probasti cor meum tecum*, &c. quinimo & Dauid, cùm res quidem improborum secundas, aduersas autem iustorum paulò attentius spectaret, aliquando in has voces erupit: *Ergo sine causa iustificaui cor meum, & laui inter innocentes manus meas.* Idque *donec*, inquit, *intraret in sanctuarium Dei: & intelligeret in nouissimis eorum.* Nam *propter dolos posuisti eis: deiecisti eos dum alleuarentur, Quomodo facti sunt in desolationem! Velut somnium surgentium Domine in ciuitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges. Tradidit eum in manus meas.*] An non in hunc maximè quadrat, quod impio Deus exprobrat apud Dauidem Psal. 49. *Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris, & aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum: Hæc fecisti, & tacui. Existimasti inique quod ero tui similis: arguam te, & statuam contra faciem tuam.*

Conclusúsque est, introgressus vrbem in qua portæ & seræ sunt.] Quid Paulus, an non is quoque vrbem introierat, quæ portis serísque munita erat, quinetiam ipsæ firmo præsidio tenebantur, Et tamen ipse teneri non potuit. 2. ad Corinth. cap. 11. *Damasci*, inquit, *præpositus Gentis Aretæ regis, custodiebat ciuitatem Damascenorum, vt me comprehenderet.* Et Lucas Actor. 9. *Custodiebant autem & portas Iudæi die ac nocte, vt eum interficerent. Et per fenestram*, inquit, *in sporta dimissus sum per murum, & sic effugi manus eius.* Quid Petrus? *Misit illum Herodes*, inquit Lucas Actor. 12. *in carcerem, tradens quatuor quaternionibus militum custodiendum. Sed & ipse Petrus erat dormiens ipsa nocte inter duos milites, vinctus catenis duabus: & custodes ante ostium custodiebant carcerem.* Attamen cùm ab Angelo excitatus esset, *transeuntes vnà primam & secundam custodiam, venerunt ad portam ferream quæ ducit ad ciuitatem, quæ vltrò aperta est eis.* Denique ibidem capite quinto, cùm *Princeps Sacerdotum, & qui cum eo erant (quæ est heresis Sadducæorum) iniecissent manus in Apostolos, & posuissent eos in custodia publica: carcerem quidem postridie inuenerunt clausum cum omni diligentia, & custodes stantes ante ianuas aperientes autem neminem intus inuenerunt.* Quippe iam nocte ab Angelo è carcere educti erant. *Clamauerunt*, inquit Dauid, *ad Dominum, cùm tribularentur:*

Ne Seræ quidem & portæ Sanctos cohibere possunt.

& de necessitatibus eorum liberauit eos. Et eduxit eos de tenebris, & vmbra mortis, & vincula eorum disrupit. Confiteantur Domino misericordiæ eius: quia contriuit portas æreas, & vectes ferreos cōfregit.

IN QVA PORTÆ, &c.

In qua portæ & seræ sunt.] Vrbem vocat Hebræus דְּלָתַיִם וּבְרִיחַ *delathaim oubriach. portarum & vectis.* LXX. πύλαι θυρῶν καὶ μοχλῶν. Pollux Onomast. lib. 3. cap. 8. sect. 6. Τὰ δὲ εἰς ἀσφάλειαν, Ad munitionem, inquit, adhibita sunt, κλεῖθρα, μοχλοί, κλεῖδες, κλεῖδες, καὶ ἐπιβλῆτες, καὶ βαλανάγραι, καὶ ὀχῆς. quæ vertit interpres claustra, vectes, claues, seras, obices. Βαλανάγραι etiam claues sunt, παρὰ τὸ ἀγρεῖν τὴν βάλανον: captare enim ac venari videntur pessulum, vt excutiant. Τὸν δὲ ἐν μαζόμενον κόρακα, κορώνην Ὅμηρος καλεῖ. Annulum ostij, quem alij κόρακα, Homerus κορώνην vocat. Portarum etiam partes, siue θυρῶν, sect. præcedenti describit. *In qua portæ.*] In portis consentiunt interpretes. דֶּלֶת *deleth*, siue דָּלֶת *daleth*, quæ ipsa quoque Alphabeti Hebræor. quarta litera est, ianuam designat, à verbo דָּלָה *dalah*, quòd cardinibus *in altum eleuata sit.* דְּלָתַיִם *delathaym* in duali num. valuas seu fores geminas significant, quæ vectibus occludi solent. Θύρα Græcis ianua est. Sunt qui à θύρω dictam velint, quod est aperio: ianua quippe clauditur & aperitur. Sed inde potius seræ nomen, vt Varro autor est lib. 3. de ling. latin. Porta Isidoro dicitur, quod possit aliquid per eam importari, vel ex portari: estque propriè vrbis vel castrorum. Nam castra quoque habuisse portas quatuor docet Liuius histor. suæ 40. Ad portas quatuor, inquit, exercitum instruxit. Prima Prætoria fuit, qua exercitum in prælium educi solitum notauit Festus. Huic è diametro Decumana opposita erat, per quam facinorosi & desertores emittebantur, vt pœnis militaribus coërciti reliquis exemplo essent. Auersam hosti describit Tacitus Annal. 1. Ambæ laterales Principales sunt dictæ à Principijs, quibus illæ respondebant, & vtiles conuehendis commeatibus sunt habitæ. Vrbium verò portæ, tametsi muri sacri haberentur ab Ethnicis, religionis expertes creditę sunt, quòd per eas mortuorum cadauera efferrentur. Roma à principio tres portas habuisse fertur: sed prolato demum pomœrio per omnem ambitum triginta quatuor obtinuit. Excogitandum, inquit Vitruuius, vti portarum itinera non sint directa, sed σκαιὰ Scæua legunt nonnulli codices eodem sensu: hoc est obliqua, sinistra læua. Cuius rei rationem ibidem reddit.

Pollux.

De portis castrorum & vrbium.

Vitruuius lib. 1. cap 5.

Dicitur autem & porta Hebræis פֶּתַח *Pethach*, vt suprà cap. 2. ver. 23. quo loco θύραν Græci exponunt: & מַפְתֵּחַ *maphtheach* ianitor & clauis, quæ fores aperit, à verbo פָּתַח *pathach*, quod est *soluit*, aperuit. Vnde nostrum est illud *patere*, patens, patulus: & Græcis πετάω, πετάννυμι, πιτάζω, &c. Sed altera potius etymologia huic loco conuenit, quæ à terrore petita est. Nam שַׁעַר *schaar*, quoque Hebræis porta est, cuius dictionis frequens vsus est in his Reg. libris, atque adeò suprà cap. 4. ver. 18. & שׁוֹעֵר *schoer*, portarius ianitor. Radix significationis est ipsum שַׁעַר *schaar*, quod duo significat. Primum quidem *æstimare*, & iudicium ferre: dein-

Portæ quondam iudiciorum sedes.

In qva portæ, &c.

de etiam *horrere*; quo pacto solent cùm pili aut setæ præ metu in animante eriguntur. Scilicet in portis olim ciuitatum iudicia exercebantur, & sententiæ capitales in reos pronuntiabantur, quod non absque nocentium metu, & astantium horrore contingebat. Minari itaque supplicium Dauidi videtur. Bene cessit, inquit: *vrbem ingressus est, in qua porta est*, & forum rerum capitalium. Nihil illo debuit timere magis, neque quicquam diligentius cauere: statim enim vt adero, iudicio præsidens, quo iure, quaque iniuria, ad supplicium rapi faciam. In Scripturis portæ nomine iudicij locum designari iam antea docuimus, priore Tomo ad ver. 18 cap. 9. quo loco præterea sacræ vrbis portarum nouem nomina recensuimus. Ad illam verò, quæ negotiatorum dicta est, Iudas, cùm suæ saluti desperasset, infelix in Sycomoro pependit. Portas in atrio templi septem fuisse Iudæi tradunt: vnam ad ortum, tres ad Septentrionem, & totidem ad meridiem. Orientalis quæ est, *Speciosa* postea nominata est. Ierem. 7. καὶ ἐν πύλῃ שער בית יהוה *Schaar, beth Jehouah*, siue *porta domus Domini* appellatur. Altera *porta recessionis, & immundorum* vocata est 3. *porta cursorum*, qua Regis palatium petebatur. 4. Dicta est *porta Beniamin*. Reliquarum epitheta inuenire non potui. Omnes sanè, tametsi diuersa ratione, vnum & eundem Christum obscurè repræsentabant.

Seræ. Aristophanes in Thesmophor. pag. 521.

Et Seræ sunt.] Ab inserendo dictam Nonius docere videtur, quòd postibus inseratur. Varro, vt iam diximus, à sero, vnde & resero, quod aperire interpretatur. Suidas in Λακωνικαὶ κλεῖδες, hæc habet de Spartiatarum clauibus ex Aristoph.

Nam viri iam κλειδία *seu paruas claues*
Αὐτοὶ φοροῦσι κρυπτά, κακοηθέστατα
Λακωνίκ' ἄττα, ἔχοντα γομφίους. *&c.*
Ipsi ferunt occultas, malignissimas,
Laconicas quasdam, quæ tres habent dentes.
Prius enim profectò licebat clàm aperire ianuam
Nobis, quæ feceramus δακτύλιον τριωβόλου, *annulum trioboli.*
Nunc verò iste ὁ χότριψ *Euripides*
(Attice dictum. pro comm. ὁ οἰκότριψ *)*
Nunc verò iste dominatus seruus Euripides
Docuit à tineis corrosa habere lignea sigilla,

quibus sic omnia diligenter obsignant, vt nihil ipsis inscijs domi capere liceat. His docet, inquit Suidas, τὰ ἀρχαῖα μονοβάλανα εἶναι, antiquas claues vnicam glandem, pessulum siue dentem habuisse. Μισουμέναις siue Odiosis, Λακωνικὴ κλεὶς δεῖ, ὡς ἐμοὶ μοι, Laconica clauis est, vt videtur mihi. Circunferenda, inquit, est, quia extrinsecus circuncluditur, vecte circumposito, vel alio quolibet simili repagulo, ita vt qui sunt intus, ianuam ita clausam aperire non possint. Hactenus Menander. Sed tales profectò hoc loco non licet intelligere. Tametsi enim verisimile est seras ad eum diem minore solertia elaboratas fuisse, nec vlla parte cum Germanicis potuisse cõferri: ferreas tamen, & varia ac multiplici arte confectas non dubitarim. Hebraicũ nomen בריח *beriach*, alias Græci μοχλὸν siue vectem, aliàs κλεῖθρον siue claustrum exponunt.

Vocis origo est בָּרַח *barach*, quod est *fugit*, aufugit. Vnde & בָּרִיחַ *bariach*, fugitiuus, profugus. Vectis autem hinc inde ocyus traijcitur, quod aptius etiam quadrat in Seræ pessulum.

In qva portæ, &c.

Animaduertere interim quãto periculo malis opem feras. Apud eos etiã charitas periclitatur, & quo tempore miseris auxiliari studes, illi cõtra seras & claustra parant quibus te vinctũ detineant. Non sunt itaq; ne Saulis quidem vrbes destituendæ, si quando præsidio nostro indigẽt: sed planè sollicita cautio adhibẽda est, ne dum alios conamur in libertatem asserere, fraude dæmonis cupiditatum serui euadamus.

Plutarch. in Aristid. Publica necessitas priuatas inimicitias sopire debet. 1 Machab. 10.

Et præcepit Saul omni populo, vt ad pugnam descenderet.] Athenienses, cùm accepissent Xerxem infestis signis in Græciam inferri, statim quotquot relegati erãt, publico decreto ab exilio reuocarunt. Verebantur siquidem ne Aristides, quem non ita pridem ostracismi lege expulerant, cum esset summus belli dux, & prudentia cum primis valeret, ad hostes accederet, & patriæ perniciẽ moliretur. Demetrius quoque Rex Asię, cum audisset Alexandru Imperij sui æmulum apud Ptolemaidam regnum occupasse, *Anticipemus*, inquit, *facere pacem cum Ionatha, priusquam faciat cum Alexandro aduersum nos: recordabitur enim omnium malorum, quæ fecimus in eum, & in fratrem eius, & in gentem eius.* At Saul contrà proprij contẽptor periculi, Dauidi optat nocere magis quàm sibi prodesse: & quo plus tãti ducis bellica virtute indiget, eo acrius eundem perdere nititur. Quod si fortè nihil illud veritus est, ne ad Palæstinos transfugiens eorundem cœpta promoueret, attamen beneficijs flecti animo debuit, & ad saniora cõsilia reuocari. Impietatis reus citatus erat Alcibiades, atque adeo eam populi suspicionem fuga auxerat potius, quàm dilueret. Veruntamen, cùm ducum imperitia labare rempublicam suam intelligerent, & eundem rebus suis apud Tissaphernem fauere, non solùm exilij legem abrogarunt, sed eundẽ præterea copiarum suarum ducem statuerunt. Romani quoque, cùm oppressi tumultu Gallico, iam direpta vrbe ægrè Capitolium tuerentur, accepto nuntio Camillum cum Ardeatibus Gallis negotium facessere, tametsi populi decreto damnatum atque exulem, Imperij reliquijs præfecerunt. Et hæc quidem illi, cùm rationem in consilium adhiberent, decreuerunt. Saul verò, vt pote qui non ratione, sed furore atque impetu animi sui, vel potius impulsu Satanę præceps ageretur, contraria prorsus designat. Nam hostium quidem iniurias patienter dissimulat; at generi beneficijs incenditur, & eidem machinatur necem. Quid hoc homine facias, qui cùm parem gratiam non referat, haud insuper abstinet à contumelia? Annumerari meritò potuit decem illis Leopardis S. Ignatij: quibus, inquiebat, cùm benefeceris, deteriores euadunt. Sed eorũ iniquitas mea doctrina est, sicut & Saulis ingratus animus, liuor, atque inuidia, ad excolendam patientiam & omne virtutis studium Dauidi plurimùm profuerunt.

Præcepit, inquit, *omni populo, vt ad pugnam*, &c.] Conuocat Saul populum. Fortasse non significauerat

PRAECIPIT OMNI POPVLO.

significauerat in vulgus velle se obsidere Dauidem. Meruerat ille coronam, & quidem ciuicam: tamen in eum nunc exercitus comparatur. Et Saul, qui antea, cùm oppugnaretur, Ceilam neglexerat, nec Palæstinis occurrerat, armatur in Dauidem; vt videri possit factus non ad seruandum populum, sed perdendum. Hoc etiam nostris temporibus videmus à principibus passim fieri. Illi enim omisso Turca, & veris hostibus Christiani nominis, seipsos mutuò conficiunt: in primis verò in homines pios, & studiosos religionis, rusticámque plebem, quam tueri debuerant, omnem vim suam & arma conuertunt. Nam hæc ferè est bellorum nostrorum ratio. Principes conferendis nummis plebis facultates exhauriunt; collectam pecuniam fures, qui apud Reges plurimùm possunt, dilapidant; miles stipendio frustratus sæuit in rusticos, & in fundis Ecclesiasticis grassatur. Postremò, vbi iam nihil apparet quod rapiant, plebem iubent reliquis, quæ condiderit, pacem redimere; vt saltem quiete perire possit. Harum calamitatum hæretici nuper cœperunt fieri participes, cùm prius rapinis Ecclesiarúmque direptionibus pasci duntaxat consueuissent. Verùm ad proposita reuertamur. Contrahit Saul exercitum in Dauidem, quasi contra publicum hostem, cùm ille reuera esset publica salus. De eius innocentia nihil cogitat, nec consulit Dominum, sed tantùm suæ libidini studet obsequi. Videt Dauidem à Deo designatum esse regem, illum vbique vincere, & quicquid aggrediatur, Deum habere propitium: tamen exercitum in illum comparat. Quid hoc aliud, quàm apertè θεομαχεῖν, & cum ipso Deo bellum gerere velle? *An prouocamus Deum?* inquit Apostolus: *an fortiores illo sumus?* Amens, & furiosus est, qui putat se aliquid posse impetrare inuito Deo. Itaque Saul nihil promouet. *Non enim est consilium, non est sapientia, non est prudentia contra Dominum.*

Mali principis exemplum.

Præcepit omni populo.] Tantæ molis erat vnùm Dauidem vincere. Nouerat hominis inuictum robur, & animi magnitudinem Heroe dignam. Meminerat puerum rudimenta militiæ suæ posuisse cum vrsis & leonibus, adolescentem contemptis armis gygantem funda deiecisse, mox ducenta Palæstinorum præputia sponsalitiæ largitatis nomine suppeditasse, nusquam ab hoste victum, semper victoriam reportasse: imo verò modò cùm Palæstini Ceilensium areas deriperent, ab eodem fusos fugatósque esse: itaque tametsi eum statim opprimere cupiebat, non credidit tamen tumultuaria manu obrui posse. Arbitrabatur enim tot victorijs elatum animum mediocribus copijs haud temerè cessurum. Accedebat ad eam curam & solicitudinem, quòd solus videri non poterat cum exercitu Palæstinorum conflixisse: nec eò demum venturus vbi à Rege circumueniri posset, nisi collecto perfugarum exercitu vim Regiam se posse ferre confideret. Postremò illud etiam Saulem angebat, ne fortè Ceilenses recenti beneficio obligati

quamobrẽ Saul vniuersum populum ad signa vocauit.

A cum eo sentirent, & abdicato Rege designati à Deo principis partes fouerent. Quod si contigisset, non cum militibus tantùm, sed cum mœnibus & propugnaculis rem sibi futuram prospiciebat. Itaque ingenti exercitu opus esse statuit, & totis regni viribus in id incumbendum, ne si fortè irrito conatu rem aggressus esset, & receptui canere cogeretur, plures victorem sequuti ab eo deficerent.

Sed & illud arbitror tum Sauli in mentem venisse, quod Absaloni postea suggessisse fertur Chuzai 2. Regum, cap. 16. *Tu nosti Dauidem, & viros, qui cum eo sunt, esse fortissimos, & amaro animo, velut si vrsa raptis catulis in saltu sæuiat: & cùm ceciderit vnus quilibet in principio, audiet quicunque audierit, & dicet: Facta est plaga in populo, qui sequebatur Saulem. Et fortissimus quis-* B *que, cuius cor est quasi leonis, pauore soluetur: scit enim omnis populus Israel, fortem esse Dauidem, & robustos omnes qui cum eo sunt.* Itaque *hoc mihi videtur rectum esse consilium. Congregetur ad te omnis Israel, à Dan vsque Bersabee, quasi arena maris innumerabilis: & tu eris in medio eorum. Et irruemus super eum in quocunque loco fuerit: & operiemus eum, sicut cadere solet ros super terram: & non relinquemus de viris, qui cum eo sunt, ne vnum quidem.* Quod si vrbe se continuerit, Ceilæ *circumdabit omnis Israel funes, & trahemus eam in torrentem, vt non reperiatur, nec calculus quidem ex ea.* Sed hæc dum secum méte reuoluit Saul, & cogit numerosum exercitum, hoc interim spacio Dauid elapsus est, & spes rei gerendæ ablata.

C Quid si hoc quoque spectauit, si cum delectis & parata manu in Dauidem inuaderet, cùm plures ex ducibus eidem fauerent, fore vt eorum studio clàm euaderet: in multitudine haud æquè facilè dolos necti posse. Primùm, quòd plerique ex ijs, qui procul degebant, tametsi virtutem eius bellicam non ignorabant, innocentiam tamen haud perinde perspectam habebant: quos facile esset in fraudem inducere, vt sibi dicto obsequentes essent, & operam seriò nauarent. Deinde, quòd si qui in contrariam partem aliquid moliri ausi essent, tot exploratores latere non possent, sed continuò deprehenderentur. Accedebat, quod si etiam vim nonnulli pararent, frustrà conatus foret, cùm nullius esset tanta priuatim potentia, qui infinitam hanc aciem vi per- D rumpere posset. Quid, quod fugam inire, séq; periculo eripere, si forte res innotuisset, tot vndique cingentibus penè impossibile videbatur. Sperabat itaque, cùm neque proditio diutius, in tanta multitudine latere, neque alicuius momenti quicquam tot contrà pugnantibus effici posset, & alioqui deprehensis ablata spe fugæ supplicium necessario subeũdum esset, compluresque insidiarum minimè conscij strenuè rem gererent: reliquis facile terrorem injici, atque à proposito eosdem absterreri posse. Postremò illud etiam certum atque exploratum habebat, statim vt ingens ille militum numerus in conspectũ vrbis venisset, oppidanos deditionem iacturos, & Dauidem mox desertum aut proditum iri. His omnibus in eam

PRAECEPIT OMNI POPVLO.

sententiam adductus est, vt fore vtilissimum A duceret, si quotquot eius parerent imperio, vniuersos ad signa vocaret, totisque viribus Dauidem oppugnaret: quæ tamen ratio Saulem, vti postea colliges, magnopere fefellit.

Addam postremò & illud quoque in animo habuisse, vt populum pari secum scelere obstringeret. Nam etsi is iniustæ cædis, quæ patranda erat, præcipuus autor habendus erat nequaquam tamen illi, qui impios conatus adiuuassent, criminis expertes habendi forent. Consule lib. 4. Regum, cap. 10. Stans Iehu inter aceruos capitum filiorum Achab, quos interfici iusserat, *Dixit ad omnem populum: Iusti estis: Si ego coniuraui contra Dominum meum, & interfeci eum, qui percussit omnes hos?* Non enim Dauidem solum destinabat ad cædem, sed vnà B omnes qui eius partes sequuti essent.

Et obsideret David, et viros eius.] Quidam putant, Saulem, quo facilius alliceret militem, dissimulasse se iturum in Dauidem. Itaque quod scriptum est, *vt obsideret Dauid*, non illud innuere, ita palàm edictum esse: sed Scripturam aiunt occultam Principis mentem interpretari. Plures tamen cùm olim tum hodie vbi semel insonuit tympanum, & classicum intonuit, ad signa concurrunt, séque in numeros referri patiuntur, nihil interim cogitantes, qua causa sint pugnaturi. Quid si nossent se contra Dauidem duci, & eundem nulli culpæ affinem esse, num propterea imperium detrectare debuerant? Non minus, vt arbitror, peccat, qui insontem sibi notum, nec oppressum C calumnia, iussu regis occidit, quàm qui eundem falsò accusat. Iam verò falsos illos testes, qui, vt regiæ libidini morem gererent, falsum crimen Naboth impegerunt, Scriptura *filios Belial* appellat. Quod si illi filij Belial audiunt qui vitam mendacio eripiunt, qui ense trucidat quo pacto *filij Dei* audient? Si tamen is, quem priuatim sceleris purum noueris, publicè probatus sit nocens, & à rege hostis iudicatus, hoc interim spatio dum mendax criminatio dilui possit, & innocentia probari, regis imperio obtemperandum est. Diuersum planè videtur Regis libidini obsequi, & eius parere sententiæ; quam, tametsi testium fraude deceptus, ex D præscripto legum, & secundum iuris formulas, rite atque ordine tulerit.

An iure regis imperiũ detrectes cum insonti machinatur necem.

3. Regum. cap 21.

VERSVS IX.

Quod cùm Dauid rescisset, quia præpararet ei Saul clàm malum, dixit ad Abiathar Sacerdotem: Applica Ephod.

VERSVS X.

Et ait Dauid: Domine Deus Israel, audiuit famam seruus tuus, quòd disponat Saul venire in Ceilam, vt euertat vrbem propter me.

VERSVS XI.

APPLICA EPHOD.

Si tradent me viri Ceilæ in manus eius? & si descendet Saul, sicut audiuit seruus tuus? Domine Deus Israel indica seruo tuo. Et ait Dominus: Descendet.

VERSVS XII.

Dixitque Dauid: Si tradent me viri Ceilæ, & viros qui sunt mecum, in manus Saul? Et dixit Dominus: Tradent.

Variæ trãslationes.

CHaldæus, *Et cognouit David quòd super ipsum Saul insidiaretur malum; & dixit ad Abiathar sacerdotem, Approxima Ephoda.* Lxx. Complut. edit. Καὶ ἔγνω Δαυὶδ, ὅτι Σαοὺλ παρεσιώπα περὶ αὐτοῦ τὴν κακίαν, &c. προσάγαγε τὸ ἐφούδ, Ald. & Rom. addunt κυρίου. *Adduc*, siue *applica ephod Domini. Et cognouit David quia Saul tacet de eo malum.* id est, tacitus in corde suo versabat: quod Vulgata explicat, *quia pararet ei Saul clàm malum.* Aldina & Rom. edit. interserunt *οὐ*. ὅτι οὐ παρεσιώπα, *quia non tacet Saul de eo malitiam.* Pagninus, *Et cognouit David quòd contra* (Arias, *super*) *se Saul tacitè cogitaret* (Arias, *tacens*) *malum.* Quidam, *quòd Saul contra eum machinaretur malum.* Ionathan suprà *insidiaretur*, Kimhi, *cogitaret*, Vatablus, *meditaretur*; Alius, *fabricaretur malum.* Hebraïcè legimus, מחריש *mahharisc*, à verbo חרש *hharasc*, quod plura significat, *fodere, sulcos ducere*; atque inde per metaphoram *cogitare, insidias moliri*; & per antiphrasim *silere, quiescere, cessare.* Significat & magorum more carminibus quemquam expugnare, quòd ea vis occultè fiat. Itaque satis appositè Vulgatus exposuit: *quòd pararet ei Saul clàm malum. Applica Ephod.*] Vatablus, explica, aut admoue. In *Ephod.* erat rationale, in quo erant *Vrim & Thummim.* Accede inductus amiculo, vt consulas pro me Deum ratione præscripta Numer. 27. 21.

Versu 11. Pagninus, *Numquid tradent me maiores* (Arias, *concludent me Domini*) *Chebilah in manu eius? Ciues* vocat Vatablus in textu; & in Schol. Hebraismus, inquit: *Domini*, id est primores, magistratus. Alius in textu, *Kebilæ.* Ad marginem, Hebr. *Domini Kebila.* Sic vers. 12. & Iud. 9. 2. Hebraicè legimus, בַּעֲלֵי *baghalei* in regimine, à בַּעַל *baghal* siue *baal*, quod *maritum, dominum, possessorem* significat: quod nomẽ dijs gentium in Scripturis passim tribui cõperies; à verbo בָּעַל *baghal*, quod est *amauit*, rem cum muliere habuit, & quamcunque rem possedit, quomodo maritus vxorem. Chaldæus, *Num cogitantes tradere me habitatores keghila?* Lxx. pro eo quod habet Vulgat. *Si tradent me viri Ceila in manus eius?* Legunt: εἰ ἀποκλεισθήσεται, Complut. *si excludetur.* quod ita interpretor: quod vrbem euersurus sit mea causa, si excludatur nimirum Saul. Romæ Edit. lat. *Si concludetur?* Nobilius, *ipse David. Et nunc si descendet Saul*, &c. Complutensis, καταβήσεται, *descendet.* Ald. & Rom. Edit. ἀποκλεισθήσεται, *concludetur.*

Sequentem

Applica Ephod.

Sequentem versum 12. Ald. & Rom. edit. Lxx. Interp. non agnoscunt, sed habet tamen Complutensis, Chaldæus, cum Vulgata & reliquis interpr. atque in eo consentiunt, cùm Hebræa phrasis per se manifesta sit.

Quod cùm David rescisset.] Sunt qui putent Ionathan ista Dauidi núciasse. Quod si ille non fecerit, tamen Deo non deerant alij, per quos ista indicaret: Habet enim pegasos si sit opus.

Dixit ad Abiathar Sacerdotem.] Deus illi autor expeditionis fuerat. Núc postquam ea Ceilensibus bene cessit, & aliunde clàm sibi parari malum cessit: ad eundem confugit postulans; vt qui prius alienis incómodis suo labore prospexerat, idem nunc periclitanti adesse vellet, & quæ è re sua essent maturè consulere. Non mirum it. que, si neutiquam spes eum fefellit, qui non humano præsidio, sed ope diuina fretus fuit.

Ratio & modus per contandi oraculum, vt Iudæis placet.

Applica Ephod.] R. Kimhi in cap. 11. lib. Iudic. Hic, inquit, mos erat interrogandi Deum. Qui volebat de publico, vel alioqui de graui negotio percontari, veniebat ad Sacerdotem: is indutus Ephod stabat (si fortè aderat) coram arca Domini. In Ephod, siue in pectorali erant inclusi duodecim lapides pretiosi, in quibus nomina duodecim tribuum erant inscripta, addebátúrque nomina Abraham, Isaac, & Iacob, atq; ita in illis lapidibus erant omnia elementa Alphabethi. Interrogantem oportuit faciem obuertere ad Sacerdotem, & interrogare, non quidem tam apertè vt vox audiretur, nec ita etiam obscurè, vt tantùm in animo cogitaret, quæ petebat: sed eo modo, vt Anna legitur precata in primo lib. Samuelis, vbi dicitur tantum labra mouisse, nec dixisse quicquam, quod audiri potuerit, De.nde Sacerdoti hoc pacto reddebatur oraculum. Spiritus Sancti vi literæ quædam in pectorali eminebant, idque vel loco, vel fulgore, in quibus Sacerdos oraculum & voluntatem Dei legebat. Atque hęc illa sunt *Vrim & Thummim*, quæ Sacerdos in pectorali gerebat. Hæc Kimhi. Potuit etiam fieri, vt Spiritus Dei absque literis & fulgore oracula ediderit, per vocem Summi Sacerdotis, cuius animum vaticinio afflasset. Sententiam nostram suprà copiosè explicuimus.

Lucianus ridet Apollinem

De Apollinis oraculis Lucianus in Bis accusato: In summa, inquit, vbicunque Sacerdos oraculorum interpres, postquam de sacro latice biberit, & laurum commanderit, ac tripodem impulerit, adesse iubet, impigrum ac strenuum quamprimùm assistere. Apollinem necesse est, connectentem oracula; vel intercidere artis huius gloriam sibi pati. Hæc Lucianus.

Aristophanis interpr. Pythia quo pacto oracula captaret. Strabo.

Aristophanis Interpres, vt est apud Cœlium lib. 8. cap. 15 Pythiam tripodi insidentem vaticinari solitam scribit in Pluto: partémque eam in qua sederet seu tripodis epithema, vocari holmon: vnde à Sophocle Apollo dicatur Enholmos, & vates enholmides. Strabo, Autores, inquit, certi memorant, diuinum ipsum domicilium profundam & curuam esse speluncam, non admodum lato patentem ore, vnde auram quidem referri, sacro aiunt efflante numine. Excelsum autem ostio imminere tripo-

A dem, quem cum Pythia vates inscenderit, hausto diuinationis spiritu, Dei responsa referre, & metro, & oratione soluta. Addam & Iamblychum in lib. de Mysterijs: Sibylla, inquit, in Delphis duobus modis suscipiebat Deum, vel per spiritum quendam trenuem igneúmque, qui erumpebat alicubi ex ore antri cuiusdam, vel sedens in adyto super sedem æneum, habentem tres aut quatuor pedes, & Deo dicatã, & vtrobique diuino se spiritui exponebat, vnde diuini ignis radio illustrabatur. Tripoda Martianus in Musica, trini cursus præsagia polliceri ait, hoc est, extantis, instantis & rapti. quo loco *instans* futurum intellexit. His olim præstigijs dæmon cæcis & infidelibus illusit, quæ haud obscurè Principis tenebrarum ingenium artésque proderent. Nam quid ad rerum B futurarum scientiam conferre potuit haustus lacunæ vapor, aut mentis expers depressæ voraginis anima? Quod si non dolis captaret homines, cur, quod præstantissimum haberi debuit, vilibus obscurisque locis potius quam cœlo adscriberet? Sed nusquam ea fraus manifestius deprehenditur quàm in antro Trophonij: quod quia se quoque subijsse Pausanias memorat in Bœoticis, pluribúsque describit, pauca ex eo referam.

Applica Ephod. Iamblychus.

Capella.

Fraus & doli dæmonum.

Pausanias.

Solennes ritus antri Trophonij

Quod ad oraculum, inquit, pertinet, obseruatur ritus huiusmodi. Vbi quis statuerit in Trophonij descendere, primùm certos dies in ædicula Boni genij Bonæque fortunæ commoratur, ibique cùm expiationes suscipit, tum calidis aquis abstinet, & Hercyna fluuio se abluit, immolatisque carnibus affatim vescitur. Aruspex, extis inspectis, litatum sit Triphonio C necne pronuntiat. Post hæc intempesta nocte mactatur aries ad foueam, cuius viscerum, si cum precedentibus significatio consentiat, bona cum spe consultor adn otis scalis in specum mergitur. Deducunt illum sacrificuli primùm ad Hercynam fluuiú, quo loco hominem oleo perungunt, abluunt pueri Hermæ dicti annos tredecim nati: mox lethen potat siue obliuionis fontem, ne quid præteritorum meminerit: & hausta Mnemosynes aqua, vt ne mens effluat, quo minus aquæ intra penetralia viderit, memoria contineat, simulacrum, quod antrum subituris duntaxat ostenditur, adorat, & cum multa religione votis nuncupatis ad oraculum progreditur, tunicam indutus lineam, ac tænijs D incinctus, soleis popularibus in pedes inductis. Specus est, non natura, sed arte, & certo proportionis modulo quàm sollertissimè excisus. Forma furno similis: in altum subsidit hiatus haud amplius octo ferè cubitûm. Mediam cauernam altera minor cauernula occupat. Consultos humi procumbens, & melle subactas offas tenens, pedes primùm ac genua hiatum illum inserit: mox totus in illum torrentis instar abripitur. Hinc futura ex visis alius, alius ex auditis consequitur, & statim itinere retrogrado præeuntibus pedibus per easdem fauces emittitur. Consultorem à Trophonio reuersum sacrificuli in solio statim collocant, quod Mnemosynes siue Memoriæ vocant: positum illud est non procul ab adyto. Ab eo percontantur

Applica Ephod. quæcunque vel visa, vel audita reportarit, & in tabulas à se conscripta referre coguntur. Ea vbi accepere, suis illum reddunt. Hi sublatum hominem, in cellam Bonæ Fortunæ, & Boni Genij, in qua primùm commoratus fuerat, reducunt, multo illum quidem adhuc terrore attonitum, & suimet, atque omnium adsistentium oblitum. Resipiscit tamen paulo post, & pristina ei mens, & risus redit. Scribo autem, inquit Pausanias, non solùm audita, sed quæ & alijs accidisse vidi, & egomet sum expertus, cùm ad Trophonium consulendi causa ipse etiam venerim. Hactenus ibi Pausanias. In Achaicis autem aliam quidem narrat apud Buram captandi oraculi rationem, sed non alienam ab impij dæmonis machinis atque fallacia. Qui consultum, inquit, venère, precatione ad signum peracta, votisque nuncupatis, talos ex ea quæ in promptu est, copia, iaciunt quatuor super mensam. Inscripti sunt certis notis tali singuli: earum illi notarum interpretationem in tabula, similitudinem sequuti requirunt. Meminit & Cereris speculi atque fontis Pausanias eodem libro. Enaries & Scythæ, quàm varijs & sine ratione modis res futuras venentur, docet Herodotus lib. 4.

Neque verò probabile est, quod scribit Lucianus, sic spem atque metum oracula peperisse, vt omnia commentitia forent, à nebulonibus quibusdam inuenta, qui fallendi periti, quæstum aucuparentur: sed pleraque dæmon ipse commentus est, arte delusis hominibus, dum quasi numinibus rerum instantium conscijs fidem adhibent. Qui cùm non pauca coniecturis assequi non possent, partim obscuris verborum ambagibus superstitiosis imponebant, quæ possent ad ea quæ contigissent fallaci interpretatione accommodare: partim quæ nouerant, vt pote diuinæ iustitiæ ministri, data opera synonymis corrumpebant; vt & viderentur arcanorum callentes, nec tamen cuiquam anbigua significatione prodessent. Lybethram vrbem quondam in Olympo monte sitam, consultus in Thracia Liber pater, respondit à sue deletum iri. Itaque securi agebant ciues, quòd persuaderi non possent tantam vrbem à sue posse excindi. Sus tamen aliquando, non fera illa quidem, sed torrens ex Olympo eo nomine dictus, Libethriorum muros deiecit, sacras & profanas ædes euertit, & homines ipsos, & cuncta intra vrbis mœnia animalia prorsus extinxit. Vnde colligi potuit, nec dæmonem futuram cladem latuisse, nec periclitanti oppido consultum esse voluisse. Autor idem Pausanias in Bœoticis, qui plura eius generis exempla, cùm alibi passim, tum præcipuè recenset in Arcadicis: Verùm illud quis non rideat, quod apud Pharas olim religiosè habitum refert in Achaicis? Qui Deum consulunt, inquit, oleo infuso lucernas accendunt: Tum verò in aræ dextera parte nummum patria nota signatum (appellant æreum) dedicant. Vbi, quod ex vsu fuerit, quispiam interrogarit, aurem simulachro admouet; inde è foro abiens manibus aures premit. (In foro ara posita erat.) Vbi è foro excessit, amota manu, quam

Nonnulla alia dæmonum oracula, in quibus perinde dæmonum fallendi studium elucet.

A primam excipit vocem, eam sibi oraculi loco ducit. Talis etiam apud Ægyptios, in Serapidis fano celebrabatur oraculi religio. Vnde colligas, quæ fuerint quondam deorum gentilium oracula. Nam responsa quidem dolis mendacijsque scatebant, ceremoniæ autem planè ridiculæ, vis ipsa quæ fingitur instinctu fatidici, nulla ratione nixa. At in Dei oraculis primùm quidem veritas perspicuitásque elucebant, vt, si fortè velles, impendentibus malis plerunq; mederi posses. Deinde ritus omnes castissimi, Deóque digni. Postremò non alij acceptum ferebant responsum quàm Deo. Quod si quæ nonnunquam, vt apparet, puerilia sacris Iudæi aspergunt, horum nulla ratio habenda est, vt puta qui figmenta sui capitis venditent, antiquas consuetudines ignorent, de quibus, quæ B est eorum cæcitas atque dementia, ne quidem sentire videntur.

Audiuit famam seruus tuus.] Fama plærunque mendax: itaque haud temerè credendum censuit. De temeritate Gallorum Cæsar lib. 4. Est autem hoc, inquit Gallicæ consuetudinis, vt & viatores etiam inuitos consistere cogant: & quod quisque eorum de quaque re audierit, aut cognouerit, quærant: & mercatores in opidis vulgus circunsistat, quibúsque ex regionibus veniant, quásque ibi res cognouerint, pronunciare cogant: & his rumoribus atque auditionibus permoti, de summis sæpè rebus consilia ineunt: quorum eos e vestigio pœnitere necesse est; cùm incertis rumoribus seruiant, & plerique ad voluntatem eorum ficta C respondeant.

Audiuit famam, &c.

Cæsar. Famæ Galli temerè credunt.

Quod disponat Saul venire in Ceilam.] Non fidit Dauid Ceilanis: itaque consulit Dominũ. Rabbini aiunt, Deo vno tempore vnam tantùm proponendam esse quæstionem. Quod cùm Dauid non fecisset, & duas haberet quæstiones, necesse fuisse, vt Deum secundò consuleret. Id quàm verum sit, ipsi viderint: certè nusquam in sacris literis præcipitur. Hoc autem nobis vtile erit aduertere, Dauidem & auspicatum fuisse à precibus, & in preces conclusisse. *Indica*, inquit, *Domine seruo tuo.*] Ita nobis ineunda sunt consilia, vt consulamus Deum in sacris literis, & voluntatem eius à Sacerdotibus inquiramus: nunquam tamen sine precibus. Ita Deus pulsantibus, & quærentibus non deerit. Cogitabat Dauid, Saulem sibi malum D aliquod non leue machinari. Audit eum habere exercitum: & suspicatur in se venturum. Ceilanos ciues suspectos habet: sed quoniam id certò non sciebat, accedit ad Dominum: eum enim non dubitabat esse καρδιογνώστην. Solicitus est autem non tantùm de se, sed etiam de militibus, quos habebat secum. *Et ירגיר anasai, viros meos si tradent in manu Saul?* Hoc fuit veri regis, moueri cura populi sui. Ita Christus paulò antequam moreretur, *Quandiu fui cum eis, ego seruaui eos: nunc tu, Pater, serua, & sanctifica eos.*

Vt euertat vrbem propter me.] Anxius quidem fugæ labor, quibus nusquam tutus receptus est. Si tamen Ceilenses propter me detrimentum accepturi sunt, non quæram quod mihi

Si tradent me, &c.

vtile sit, sed quod illis. Accedens illos tuitus sum: iterum fugiens seruabo incolumes. Statui, quoad potero, omnium seruire commodis, neminem afficere molestia. Ceilenses mihi quidem suspecti sunt, & maximè vereor, ne pro accepta gratia iniuriam mihi rependant. Complures enim periculi præsentia magis quàm beneficij memoria commouentur. Sed ego non tam quid referre debeant, aut ego consequi merear attendam, quàm illorum salutis habebo rationem. Illorum gratia huc in aciem descendi, & cum hoste manum conserui: illis ego vici, & æreas defendi, vrbem denique obiectu corporis mei protexi: non committant itaque vt quos te autore ingentibus eripui malis, eosdem in exitium videar agere præcipites. Quamobrem si venturus est Saul, vt propter me oppidum excindat, *Indica Deus Israel seruo tuo.* Quippe statim vrbem liberabo metu, & Saulem labore absoluam. Ergo nō ficta Dauid charitate flagrabat, qui cùm in tanto discrimine versaretur, id potissimum studuit, ne ingratis obesset. *Vt euertat vrbem propter me.*] Ælianus lib. 2. Var. histor. ita caput nonum inscripsit: Περί τινων ἀποστάντων Ἀθηναίων ψηφίσματα, siue De quibusdam, qui ab Atheniensibus defecerunt eorundem decreta. Ibidem porrò hæc habet: Æginetarum vnicuique pollicem è manu dextra rescindi statuerunt, vt hastam ferre non possent, remos verò adhuc agere possent. Mitylenensium verò omnem iuuentutem occidi. Captiuos autem Samiorum notis in facie notari & inuri, qui noctuam referrent. Quæ omnia sæuitiam & immanitatem redolent. Sed non multò mitiorem Ceilenses Saulem experturi erant. Nam quibus parceret, qui Sacerdotes à principio Dauidis fugæ ignaros vnà cum suis internecione deleuerat?

Ælianus.

Si tradent me viri Ceila in manus eius?] Quærit de principibus, quod eos magis haberet suspectos, quàm populum: nam plebs sæpe non ita aliena est à vero, & præsentibus beneficijs facilè capi potest. Christus honorifice à plebe susceptus est; cùm interim Scribæ & Pharisæi de eius morte & supplicio cogitarent. Suspicabatur ergo Dauid se in discrimen aliquod venturum, eóque magis, quòd ex victorijs videret nouas sibi cruces semper excitari. Non tamen ea causa deterretur, quo minus succurrat patriæ. Ita Christus Dominus, etsi nouerat se agendum in crucem, tamen non destitit vnquam à docendo, à curando, & benefaciendo. Hoc exemplum nobis quoque ob oculos semper ponendum est, vt cogitemus, non quid ingrati homines, aut impij de nobis sentiant, sed quid Deus à nobis requirat: quicquid autem futurum sit, vt officio strenuè fungamur, & successum, quemcumque Deus dare voluerit, diuinæ prouidentiæ permittamus.

Principes autem isti Ceilani idcirco conspirauerant in Dauidem, quod audirent magnos apparatus bellicos à Saule fieri: veniebat illis in mentem, quæ non ita pridem contigerat, clades & euersio Nobensium. Verebantur ne se, suósque, & ciuitatem suam in similem calamitatem conijcerent. Nam qui sapientia præ-

A stant in seculo, & politicas artes profitentur, hanc habent primam instituti sui rationem, vt se tueantur. Itaque nullo pacto periclitari volunt, neque est vlla causa tam æqua, quam suscipere velint cum periculo. Ceilenses porrò ita secum cogitabant: Si hunc vnum defendimus, nos omnes mori necesse est: imò potius ille vnus pereat, vt salutem omnes consequi possimus. Nec aliter postea Scribæ & Pharisæi, *Venient Romani, & tollent locum nostrum, & gentem: sed expedit, vt vnus moriatur pro populo, ac non tota gens pereat.* Hæc illi. Sed fit sæpe, vt qui parua pati nolint pro Christo, multò grauiora patiantur pro diabolo.

Si tradent me, &c.

B Cùm Dauid abijsset, Saul Ceilenses non euertit; quamuis illi hostem suum, & hominem à se palàm proscriptum recepissent. An fortè intellexerat eos non fauere ex animo Dauidi, sed statuisse, ni fugeret, illum sibi prodere. Sed dices, Annon debebant Ceilani prospicere ciuitati suæ? Certè debebant: sed alia ratione. Annon igitur Abelani, cùm propter vnum Seba obsessa esset eorum ciuitas, & iam muros aries quateret, eiusdem caput amputatum ad Ioab miserunt, vt solueretur obsidio? Verum illud quidem est, & sapientis fœminæ consilio esse patratum. Sed idem ante buccina cecinerat, vt testatur lib. 2. Regum capite vigesimo. *Non est nobis pars in Dauid, neque hereditas in filio Isai: reuertere in tabernacula tua Israel:* & defectionis à Rege populo autor fuerat, at-

C que manifestè tyrannidem affectabat. Dauid autem expers criminis fuit, nec vlla re maiestatem læserat. Quid igitur facerent? An quia priuatim ille iniuriam accepturus videbatur, cùm esset innocens, debuerunt Regi bellum indicere, aut eundem vrbis aditu prohibere? Nequaquam. Nam si liceat, statim populari leuitate permiscerentur omnia. Neque verò hanc populis Deus potestatem fecit, vt quoties peccare reges viderentur, in eos animaduerterent. Sed aliud est innocentem non prodere, aliud palàm & aperto marte regijs conatibus obsistere. Vt insonti præsidium pares, non licet armis cum rege contendere: vt verò illum prodas, aut scelere vllo violes, nullo regis imperio cogi potes. Debuerant itaque orare Dauidem, vt cederet tempori, & maturè sibi fuga consuleret. Illis autem hominem bene de se

Quo pacto cum rege agendum sit, qui innocentem perdere studeat.

D meritum ita admonere turpe videbatur: defendere aperta vi, cùm ab officio alienum, tum maximè periculosum. Quæ cum ita essent, animaduerte quid consilij capiant: in scelus nefarium consentiunt, vt illum prodant. Ita est hominum ingenium. Si quis admonendus sit, vt molesti quippiam subeat, quo se periculo liberet, hominis vultum erubescimus, cùm tamen illic pudor minimè necessarius sit: absentem verò insidijs petimus, & meritorum suorum conscientia fretum nullo clàm pudore prodimus; cùm tamen nihil eo turpius, aut maiore dignum infamia excogitari possit.

Diodorus Sicul. lib. 3. cap. 13. agens de incolis insulæ cuiusdam in Oceano ad meridiem repertæ: Habet, inquit, eorum lingua priuatim quid, tum à natura, tum ab ingenio datum.

Diodorus.

DESCENDET, ET TRADENT TE.

Diuisam enim linguam natura dedit, quæ scinditur in inferiori parte, vt ab radice duplex esse videatur. Itaque multiplici vtuntur loquela; vt non solùm voce hominum loquantur, sed auium diuersarum imitentur cantus. quod verò videtur mirabilius, vnà cum duobus hominibus profectè simul tum respondendo, tum disputando loquuntur. Vna enim linguæ parte vni loquuntur, reliqua alteri. Hactenus Diodorus. Tali quidem naturæ beneficio Ceilani vsi non sunt, sed proditione tamen atque assentatione, dum Regi placere student, & Dauidem blanda oratione decipere, bilingues istos studiosè æmulati sunt. Rubetas duplex habere iecur Timæus author est apud Ælianum: quorum alterum necet, alterum salutem afferat. In perdicibus apud Paphlagonas cor geminum reperiri Theophrastus etiam prodit.

Homines duplici lingua præditi.

Ælianus li. 17 cap. 15. histor. animal. & lib. 10 cap. 35.

Descendet: & Tradent te.] Hæc est oraculi certa responsio. Tamen neutrum accidit. Neque enim aut Saul descendit, aut Ceilani Dauidem tradiderunt. Quid ergo, an mentitus est Deus? Absit. *Omnis* quidem *homo mendax*: Deus autem non tantùm verus est, sed etiam ipsa veritas. Nihil mentitus est Deus: sed ostendere voluit, quid illi haberent in animo. Et certè Saul decreuerat descendere, & Ceilenses Dauidem prodere. Non autem loquitur de prouidentia, aut prædestinatione sua. Ita enim nec Saul descensurus erat, nec Ceilani proditurí. Lyranus non malè, vt mihi quidem videtur, ait, Deum respondisse ex hypothesi, ad hunc modum: Si manseris, Saul descendet, & illi te prodent. Et quoniam hypothesis mutari potuit, illud quoque potuit non accidere, quod erat ex lege sequuturum. Ita Deus per Esaiam edixit regi Ezechiæ: *Dispone domum tuam: nam morieris tu, & non viues.* Id autem prædixit ex ratione morbi, & ex serie causarum secundarum: quæ eiusmodi erant, vt Ezechias omnino esset moriturus. Prædixerat etiam Niniuem esse euertendam ex ratione iustitiæ. Nam exitium sibi suis sceleribus accersiuerat, si ius & æquitas relegata clementia obtinerent. Et reuera ciuitas pessum itura erat, ni flagitiorum ciues verè & ex animo pœniteret. Si quis prædestinatus ita mecum agat, An damnabor, si pertexero peccando? Respondebo, Maximè: neque idcirco mentiar, etsi prædestinatos damnari non possit: eum enim Deus non patitur labi, aut lapsum restituit. Ego autem respondebo tantùm de secundis causis: nam de prædestinatione non possum quæ me latet: quæsitis præcisè satisfacio, & Scripturarum autoritate fretus constanter assero, quicunque ille sit, qui à malo resipiscere nolit, si in ea sententia ad vltimam vitæ periodum perseueret, salutem consequi non posse. Non quia prædestinatus quisquam perire possit, quod à fide abhorret: sed quia *nihil coinquinatum introibit in regnum cœlorum.* Vnde tam falsum est quenquam perstare in nequitia posse, quàm verum est, eundem à Deo ad fruendam æternæ vitæ beatitatem delectum esse. Si tamen quis pertinacius vrgeat, an qui à Deo designatus est hæres cælestis regni, obstinatione sua perniciem sibi creare possit? Respondeo quod æquum & verum est, omnem impium sua culpa damnatum iri.

Quo pacto vera intelligi possit oraculi sententia.

DESCENDET, ET TRADENT TE.

Hoc præterea obseruatione dignum est, Dauidem, cùm audiret de apparatu Saulis, & suspectos haberet Ceilanos, non conuocasse concilium suorum, aut expostulasse cum magistratu: sed statim se contulisse ad Deum. Nam pij semper Deum libenter habent à consilijs: ea enim via est tutissima. Deus Dauidi responsum dat, non ambiguè, aut obscurè, & Apollo solebat, is qui propter vafritiem λοξίας dicebatur, sed clarè ac directè. Ait enim disertè, *Descendet, & Tradent.* Nec differt oraculum suum, sed statim respondet: voluit enim stare promissis suis: & Dauid eius oraculo habuit fidem.

Audiuit seruus tuus quod disponat Saul, &c. Indica Domine Deus seruo tuo.] Apparet loquentem quæ vellet interrogasse, cùm responsurum sacerdotem haberet præ oculis. At nebulo quidam Alexander, vt est apud Lucianum in Pseudomante, cùm oraculum apud Paphlagonas instituerer, iussit, inquit, vt quisque, quod videretur, quódque maximè discere vellet, id in libello conscriberet, eúmque funiculis obuinctum, cera argilláue, aut simili re quempiam obsignaret: Si verò receptis libellis, cùm subiisset adita, ordine per præconem ac theologum euocaturum eos qui tradidissent: dehinc vbi de singulis esset edoctus à Deo, libellos redditurum, ita vt traditi fuerant, obsignatos, subscripto illis responso pro cuiusque argumento, Deo nimirum respondente, quacumque de re quis esset sciscitatus. Is porrò cùm varias esset commentus artes, quibus signa tollerentur, quæ quisque sciscitabatur, ea legebat; atque ita quæ viderentur, ad interrogata respondebat. Deinde rursum obuincta obsignatáque reddebat, non sine summa admiratione eorum qui recipiebant. Plurimus enim hic inter illos erat sermo, quî tandem scire potuisset iste quæ ego illi tradidi, sanè quàm diligenter obsignata signis imitatu neutiquam facilibus, nisi reuera Deus esset quispiam, cui cuncta sint perspicua? Iam verò quibus artibus rudi plebeculæ vafer illuderet: Accipe, inquit Lucianus, quò videlicet imposturas eiusmodi deprehendere queas, & coarguere.

Lucianus.

Describuntur artes fraudulenti ac commētitij oraculi.

Prima ratio sic habebat. Eam ceræ partem quæ post signum hærebat, acu candefacta liquefactam diducebat: tum vbi legisset, rursum calefactam acu ceram eam, quæ à tergo funiculi fuerat, signo eodem manente facile coagmentabat. Porro secundus modus constat per id, quod collyrium vocant. Id conficitur ex pice Berytia, bitumine, ac lapide perspicuo trito, cum cera & mastiche. Confectum igitur ex his omnibus collyrium igni calfactum, inuncto prius suillo pingui, signo applicabat, ac symboli figuram excipiebat. Id simul atque siccum esset factum, (siccabatur autem protinus) commodè resignabat libellos: quibus perlectis, imposito ceræ denuò, perinde

INDICA DOMINE, &c.

perinde atque è lapide signum idem imprimebat, ad archetypi similitudinem mirè effictum. Post hæc iam tertiam accipe rationem: Calce in glutem iniecta, quo vulgò codicillos agglutinant, atque ex his confecta ceu cera, mollem eam adhuc admouebat signo, statimque detrahebat. Nam illicò siccescit, adeò vt cornu vel ferro potius reddatur solidius. Hac ad imprimendum signum vti consueuerat. Sunt præter has & aliæ complures viæ, &c.

Reddebat igitur oracula, diuinabàtque, non mediocri ad eam rem vtens ingenio, artéque negotium reddens probabilius, dum alijs obliqua quædam & ambigua respondet ad ea quæ proponebantur, alijs penitus obscura: quandoquidem & hoc oraculis conuenire iudicabat. Alios item deterrebat, alios adhortabatur, prout sibi magis conducere coniectasset. B Nonnullis remedia morborum, vitæq; rationes perscribebat, cùm sciret (vt initio diximus) complura atque efficacia pharmaca. Porrò spes, rerúmque successus & incrementa, neque non hæreditatum obuentus; semper in aliud tempus reijciebat, illud interim addens: Cuncta hæc tum obtingent, cum ipse volam, quúmque vates meus Alexander me rogabit, próque vobis vota faciet. Denique merces erat vnicuique responso præstituta, nempe drachma cum obolis duobus. Ne verò pusillum aut exiguum fuisse putes amice hunc quæstum, quum in annos singulos ad septuaginta aut octoginta milia redierit, vsqueadeo auidis & insatiabilibus hominibus, & singuli supra decem aut quindecim rogationes tra- C derent.

Oraculi quæstus annuus.

Et ait Dominus. Et respondit Dominus.] Intellige per Sacerdotem interpretem. Neque enim αὐτόφωνα ea oracula fuisse docet liber Numerum capite vigesimo septimo versu vigesimo primo. At veterator ille, cuius ex Luciano paulò antea fecimus mentionem: quò magis redderet attonitam multitudinem, pollicitus est sese exhibiturum ipsum Deum loquentem, citráque interpretem edentem oracula. Pellæ in Macedonia draconem immani magnitudine, cicurem tamen ac mansuetum, quales ibi plures in ædibus ciuium commorantur, dudum compararat. Hunc ille Deum esse finxit: cuius cùm caudam & reliquum corpus spectanda præberet, ipsum tamen caput mortalium quenquam intueri non D siuit, sed pressit demersum sinu, alísque condidit. At parauerat aliud sibi è linteis confectum draconis caput, quod speciem quandam humanam præ se ferret, colorum fucis mirè adsimulatum, quódque pilis equinis os & aperiret, & clauderet. Tum lingua, sicut & draconum, bisulca atra prominebat, quæ & ipsa pilis agebatur. Deinde non magno negotio, gruum arterijs contextis, ac per lineum illud draconis caput insertis, alio quopiam per has foris insonante, responsitabat ad ea quæ proponebantur, voce nimirum per linteaceum illum Æsculapium ad aures promanante. Huiusmodi responsa αὐτόφωνα dicebantur, id est, ipsius voce reddita: neque quibusli-

Alexandri tum figmentum, quo ethnicos quondam illusit.

ET AIT DOMINVS &c.

A bet, neque passim dabantur, verùm splendidis modo atque opulentis, & qui grandia largirentur.

Atqui difficile erat, inquies, de ignotis temerè pronuntiantem non rarò mentiri, idque à nonnullis, qui non prorsus cæcutirent, agnosci. Id cùm idem ipse non ignoraret, duo quædam remedia adhibuit. Nam cùm priuatim singulis, aut certè paucis præsentibus responsa daret, si quid secus accidisset, quod editum in vulgus oraculo posset fidem detrahere, inducto priori contrarium in monumenta referebat. Atque adeò singulorum querelas apud populum monumentorum autoritate superabat. Cuius rei exemplum istud habes apud eundem Lucianum. Consuluerat Deum Seuerianus, Felicitérne in Armeniam incurreret? Respondit,

Contraria responsa parat, si fortè, quæ dedisset, malè succederet.

Parthis Armenijsque citato Marte subactis
Romam vrbem repetes, & claras Tybridis vndas:
Vertice serta gerens radijs distincta serenis.

Fueratque illud αὐτόφωνον oraculum. Mox tamen ipse ab Othryade cum exercitu cæsus est. Quod vbi famâ percrebuit, statim aliud callidè commentus est, & in tabulas retulit.

Agmen in Armenios ne duc: neque enim expedit isthuc.
Ne tibi fœmineis vir amictus vestibus, arcu
Exitium immittat, vitáque ac lumine priuet.

Excogitauit autem ter scelestus ille & aliud quiddam neutiquam inscitum, & ingeniosius, quàm vt in vulgarem competat latronem. Etenim resignatis libellis ac perlectis, si quid offendisset in ijs quæ proponebantur, ita scriptum, vt cum periculo ac discrimine eius qui scripsisset, si proferretur, coniunctum videretur, apud se detinebat, neque remittebat; quò videlicet obnoxios, ac propemodum seruos ob metum sibi redderet eos qui miserant, cùm in mentem illis veniret, cuiusmodi de rebus consuluissent. Intelligebat autem esse consentaneum, vt qui opibus ac potentia præcellerent, eiusmodi rogationes essent propositurì. Ab his munera quamplurima ferebat: quippe qui non ignoraret sese intra casses eius teneri. His artibus ille securitati suæ prospexit, séque potentium præsidio muniuit, quo tutius reliquos ludificaret.

Reliqua est breuis vna quæstio: nam videtur quispiam hoc posse quærere. Quid si Ceilani beneficij memores, Dauidis innocentiam armis tueri statuissent, an futurus erat illis defectionis autor, & sua causa ciues à principe desciscere pateretur? Respondeo primò. Non videri quæstionem illam vllo literæ fundamento niti. Nusquam enim interrogat, sintne illum defensuri, & Saulem vrbis aditu prohibituri: sed hoc tantum percontatur sedulò, an illum cum suis prodituri sint? Neque enim, etsi pro eo pugnare nollent, & cum Rege bellum gerere, continuò necesse fuit eundem circumuentum dolis Sauli dedere. Sed primò eundem periculi admonere maturè debuerant. Deinde clàm, quibus possent armis & commeatu iuuare: quæ non possent multorum

Ceilani quantū Dauidis gratię dare debuerant.

ET AIT DOMINVS, &c.

conſcientiam veriti, iubere tamen clanculùm ea ex arcis parare ſibi, quas antè ſeruauerat, polliceríque damna ſingulorum publicè ſarturos. Quod ſi feciſſent, officio functi viderentur, & quod debuerant abundè pro tempore ſoluiſſe. Nam cùm autore Deo procul à ſpelunca & ſaltu ad tuendos eos aduolaſſet, dubium eſſe non potuit, quin ſtipendia militibus reſtituere tenerentur. Nam *nemo*, vt ait Apoſtolus, *ſuis ſtipendijs militat:* & quantum poſſent eoſdem in receptu tutos ab inſidijs præſtare. Reſpondeo ſecundò. Etſi Ceilani in animum inducerent Regis imperium aſpernari, atque adeo cum illo armis contendere, Dauidem tamen non fuiſſe laturum: quòd ea res plurimùm à iure & æquo abhorreat. Tametſi enim, ſi quid ſceleris ac flagitij imperet, liceat Regis iuſſa contemnere, non licet tamen propter illatam cuiquam iniuriam aduerſus Regem quicquam moliri. Verbis quidem, ſi non deſit animus, pleroſque fas eſt in Regem animaduertere; vim afferre Maieſtati nefas ducimus. Adde his, quod nequaquam ſit vero ſimile, virum tanta virtute præditum, atque in primis manſuetudinis laude florentem, tot ciues vel hoc vnico decreto bene de ſe meritos, manifeſto periculo fuiſſe obiecturum. Nam ſi placeret ex conſenſu ciuitatis in bellum ciuile confugere, quæ breui clades ſequutura eſſet Dauidem præterire non potuit. Nam ſi vinceret, cùm totius velut gentis corona Saul cinctus eſſet, vtique maximas antè ſtrages ederet: Sin victus occumberet, aut ſaltem defectis viribus ad extremum vrbem deſerere, atque in fugam ſe conijcere cogeretur, ſtatim ciuitas omnis deformata cædibus, omnium ordinum ſanguine redundaret. Quam calamitatem tametſi nonnulli, qui ſecum pariter obrui cuncta ruina cupiant, ſuſque deque laturi videantur, iuſtum tamen dedecet publico exitio priuatæ incolumitati cauere. Qinimò, ait Ionas, *Tollite me, & mittite in mare: & ceſſabit mare à vobis.* Denique, vt nihil horum contingeret, non potuit tamen Dauid excuſatione dignus haberi, ſi cum fugere poſſet, mallet cum Regi manum conſerere. Nam ſi quæ ratio afferri poteſt quamobrem cum Rege contenderet, ea eſt, vt quidam ait, quam non didicimus, ſed à natura ipſa hauſimus, & expreſſimus, quòd liceat vim vi repellere. Atqui ea ratio tum verè obtinet, cùm quis ad necem petitur iniuriâ, nec patet receptui locus. Nam donec fugiendi poteſtas datur, & declinare regis impetum licet, vis afferri propriè non videtur. Eſt enim vis, quæ nolentem opprimit: quod non patitur qui ſponte confligit: nam voluntate, non neceſſitate congreditur; cùm liberum ſit de via deflectere. Quod ſi hæc moderatio in priuata perſona requiritur, vt inculpata tutela iudicetur: quid cum rege facias, in quo non vnius hominis ſalus, ſed tota ſimul reſpublica periclitatur? Si, cùm indubitata vis affertur, mortem potius oppetere debeas, quàm vt propter te reſpublica in diſcrimen vocetur: quo non ſupplicio dignus eris, ſi vim illatam citra neceſſitatem defendere ſtudeas cum principis periculo? Hæc porrò quantum Dauid auerſaretur animo, non ſemel poſtea re & exitu comprobauit. Nam cùm à Saule redactus ad incitas, eundem nullo negotio poſſet interimere, ſic tamen eidem non ſemel pepercit, vt iuraret ſe *Chriſtum Domini* nunquam violaturum.

Non licuit, vt inſonté defenderét, regem armis petere.

SVRREXIT ERGO DAVID, &c.

VERSVS 13.

Surrexit ergo Dauid & viri eius quaſi ſexcenti, & egreſſi de Ceila, huc atque illuc vagabantur incerti: nuntiatúmque eſt Sauli quòd fugiſſet Dauid de Ceila, & ſaluatus eſſet: quam ob rem diſſimulauit exire.

VERSVS 14.

Morabatur autem Dauid in deſerto in locis firmiſſimis, manſitque in monte ſolitudinis Ziph, in monte opaco: quærebat eum tamen Saul cunctis diebus: & non tradidit eum Deus in manus eius.

HVc atque illuc vagabantur incerti.] Hebraiſmus, *Et ambularunt in quo ambulauerunt.* Quidam, *& perrexerunt quocunque perrexerunt.* Hoc eſt, exiuerunt, neſcientes ad quem locum, in quo tuti eſſent, diuerterent: ſed vagabantur per nemora, donec inuenerunt latibula, ſaxa, & præſidia, in quibus tutò manere poſſent. Vatablus, nullam certam viam tenebant. Chaldæus, *Et exierunt in locum qui idoneus ad eundum.* Septuaginta, Καὶ ἐπορεύοντο οὗ ἂν ἐπορεύοντο, *& ibant quò ibant.* Theodor. Illud autem ἐπορεύοντο, errationem demonſtrat. Interdum enim in Iudæa, interdum in ſolitudine degebat. *Et viri eius quaſi ſexcenti.*] Ita plerique omnes, ad quos etiam Complutenſes accedunt. Aldus tamen, & Rom. edit. legunt, ὡς τετρακόσιοι *circiter quadringenti.* At communis lectio cùm Hebræorum eſt propria, tum etiam reſpõdet ijs, quę narrãtur capite vigéſimo quinto. *Quòd fugiſſet, & ſaluatus eſſet.*] Vno verbo Hebræus, *quòd euaſiſſet.* Septuaginta. ὅτι διασέσωσται, *quia Saluatus eſt.* Nam euaſiſſe ex inſidijs Salus eſt. *Diſſimulauit exire.* Ceſſauit, quieuit ab expeditione.

Variè tr

Verſu 14. *Morabatur autem Dauid in deſerto, &c.*] Roman. editio. Septuag. Interpr. *Et ſedit in Maſerem in deſerto in anguſtis.* Quo loco Flaminius in Notis, Paulò pòſt dicitur *Meſſara.* Complutenſ. habet tantùm ἐν τῇ ἐρήμῳ ἐν τοῖς στενοῖς. Theodoretus, ἐν τῇ ἐρήμῳ ἐν μασερέμ, *in deſerto in Meſerom:* quæ vox propius accedit ad Hebræam, ſignificantem loca munita. Quare videri poteſt illud, ἐν τοῖς στενοῖς *in anguſtis*, eſſe huius interpretationem. Theodoretus quidem teſtatur pro ἐν μασερέμ, cæteros interpretes edidiſſe, ἐν τοῖς σπηλαίοις τοῖς ὀχυροῖς, *in ſpeluncis munitis.*

SVRREXIT ERGO DAVID, &c.

tis. In monte solitudinis Ziph, in monte opaco.] Roman. edit. *In deserto in monte Ziph in terra æstuosa.* Complut. habet tantùm, ἐν τῷ ὄρει ἐν τῇ ἐρήμῳ *in monte in solitudine Ziph.* Chaldæus, *Et sedit Dauid in deserto in præsidio, & sedit in monte in deserto Ziph.* Pagninus, *Et sedit Dauid in deserto in munitionibus, mansitque in monte in deserto Ziph.* Vatablus *in deserto in arcibus.* Id est, petris inaccessis, locis natura munitis. Alius, *Considens autem Dauid per desertum in propugnaculis, tandem consedit in monte, in deserto Ziph.* Aldi Græca editio habet præterea, εἰς τὸ ὄρος τὸ αὐχμῶδες ἐν γῇ αὐχμώδει, *in montem squalentem & arentem in terra æstuosa.*

Surrexit ergo Dauid, & viri eius.] Abijt haud dubiè tristis, & valdè afflictus, cùm sese videret proscriptum esse, & exulem, nec innocentia beneficijsue vllum sibi præsidium parare posse. Aliquod perfugium inuenerat in tribu sua: non tamen sine periculo. Itaque propter ciuium perfidiam coactus est fugere. Atqui videri potuisset iam in tuto collocatus. Habuit enim vrbem munitam: conciliarat multorum mortalium voluntates: potitus erat victoria: Habuit præsidium militum, erat in tribu sua: tamen omnia ista nihil prosunt. Deus enim voluit fiduciam eius prorsus ab omni humana ope abducere. Omnia enim humana præsidia caduca & incerta sunt. Dei autem salus constans & æterna est. Potuisset quidem Deus adesse Dauidi contra Saulem, non minus quàm antea contra Palæstinos. Sed videbat id sine intestina cæde non posse fieri. Eum autem cùm decreuisset fore regem, voluit seruare suos, non perdere. Deinde noluit eum cum illa nota peruenire ad regnum, vt videri possit contra regem vnctum, aut contra socerum suum gessisse bellum. Abit inde tacitus, nihil accusans populum ingratitudinis, aut de quoquam sumens supplicium. Alij autem eo loco sic potius cogitassent: Volunt prodere me Sauli, nec habent vllam rationem innocentiæ meæ, neque meritorum. At mea cura erit, ne possint. Optimates istos, quos habeo iure suspectos, truncabo capite, & in ingratis iustæ indignationis meæ posteris exemplum statuam. Areas quas seruaui diripiam, & vrbem perdam incendio. At nihil horum aut loquitur, aut facit Dauid. Quippe futuram Domini patientiam iam quasi in typo præferebat. De qua Tertullianus in lib. De patientia, capite tertio. Non illi saltem, inquit, ciuitati, quæ eum recipere noluerat, iratus est, cùm etiam discipuli tam contumelioso oppido cælestes ignes repræsentari voluissent. Ingratos curauit, insidiatoribus cessit. Parum hoc, si non etiam proditorem suum secum habuit, nec constanter denotauit. Cùm verò traditur, cùm adducitur, vt pecus ad victimam (sic enim non magis aperit os, quàm agnus sub tondentis potestate) ille cui legiones Angelorum, si voluisset, vno dicto de cœlis affuissent, ne vnius quidem discentis gladium in vltorem probauit: patientia Domini in Malcho vulnerata est. Itaque est gladij opera maledixit in posterum, & sanitatis restitutione ei, quem non ipse vexauerat, satisfecit per patientiam, misericordiæ matrem. Hactenus Tertullianus.

David quã patienter ferat ingratos.

Tertullian.

De hac fuga Dauidis, & perfidia Ceilanorum, si Felici Pratensi, Ioanni Baptistæ Folengio, Incognito illi in Psalm. alijsque nonnullis credimus, scriptus est Psalmus 55. vbi Dauid optat sibi dari alas columbinas, vt possit fugere. Orat, vt dissipentur illorum linguæ. Intra vrbem ait nihil aliud esse, nisi vim apertam, & insidias. Si inimici fuissent, inquit, potuissem eos cauere. At isti contribules mei, quos ego habebam pro amicissimis, tamen conati sunt me hosti prodere. Porrò iam inde ab exordio Psalmi æstum ac perturbationem animi sui mirificè describit. *Contristatus*, inquit, *in exercitatione mea:* siue, vt Montano placuit, *Conquerar in meditatione mea, & conturbatus sum à voce inimici & à tribulatione peccatoris. Quoniam declinauerunt in me iniquitates,* Siue, vt Pagninus interpretatur, *extenderunt contra me mendacium: & in ira* siue *furore molesti erant mihi.* Pagninus, *aduersati sunt mihi. Cor meum conturbatum est in me: & formido mortis cecidit super me. Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ. Et dixi, quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam? Ecce elongaui fugiens: & mansi in solitudine, &c.*

Et viri eius quasi sexcenti.] Exit cum sexcentis militibus, qui ingressus fuerat tantùm cum quadringentis. Ita in rebus afflictis & desperatis, tamen numerus militum, & vires crescunt. Iacob Genesis trigesimo secundo de seipso testatur: *In baculo meo transiui Iordanem istum, & nunc cum duabus turmis regredior.* De filijs Israël in Ægypto commorantibus, cùm studerent eos Ægyptij perdere, *Quando*, inquit Scriptura Exodi 1. *opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur, & crescebant.* De Ecclesia S. Leo Sermone primo in Natal. Apostol. Petri & Pauli. Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur: & semper Dominicus ager segete ditiori vestitur, dum grana, quæ singula cadunt, multiplicata nascũtur.] Quamobrem si vexari passim Catholicos, & complures ob synceram fidem audiamus diuersis locis torqueri, animum ne despondeamus. Nam his artibus maximè crescit fidelium exercitus, & crucibus augetur, quod ex omnibus sacris historijs facilè possumus intelligere. *Viri quasi sexcenti.*] Papæ! Et vnde hic inter proditores tantus cumulus ad Dauidis copias accessit? Primùm hoc arbitror diuino consilio factum, vt plures ad fugiturum eo loco se adiungerent, ne calamitatis mole oppressus, animo succumberet. Secundò, cùm plures ab initio Dauidis innocentia permoti, & recenti beneficio incitati, eidem palàm & apertè fauissent, postea Regis iram delatoresque veriti, cum ipso solum vertere coacti sunt. Nonnulli quoque, cùm animaduerterent Saulis regnum in peius ruere, viresque sensim languescere, diuinas autem de Dauide promissiones nouis in dies victorijs confirmari, rati sunt haud se temerè facturos, si cum

Rebus aduersis Ecclesia crescit.

S. Leo.

Et viri eius, &c.

designato à Deo principe eandem aleam subirent, spésque eius fouerent. Fieri denique potuit, vt non pauci ære diruti, fortunisque euersi, dum nexa creditorésque fugiunt, res nouas affectarint & Dauidis castra sequuti sint. quod iam factum aliàs superiori capite didicimus.

Eorum qui pro Deo errent, idem dux & rector est.

Et egressi huc atque vagabantur incerti.] *In solitudinibus errantes*, inquit Apostolus, *quibus dignus non erat mundus.* Sic quondam Moyses Pharaonem fugiens Exodi 2. Sic quoque Elias territus minis Iezabel. 3. Regum capite decimo nono. Sic vniuersus Iezrahel, postquam mari rubro transmisso in vastam eremum ingressus est: *Inuenit eum*, inquit Dauid, *in loco horroris & vastæ solitudinis. Circunduxit eum & docuit, & custodiuit quasi pupillam oculi sui.* Porrò tametsi Dauidis comites errarent incerti, & passim bestiarum more vagarentur, non tamen illis ductor Angelus deerat qui regeret iter, & eosdem in tuto collocaret. Errare autem idcirco dicuntur, non quia Deus illos casui & fortunæ permisisset, aut curam eorum abiecisset: Sed quia terrore vndique obsessi, & omni humana ope destituti, quò se reciperent non agnoscebant. At diuina prouidentia nouerat, quibus locis eos procul à periculo constitueret. Deus vult haberi sibi fidem, & plus quemque verbis eius quàm suis oculis credere. Eorum est, qui per se nihil efficiunt, quæ polliceantur docere quo pacto exhibeant: Sed si quis omnia potest, cur rationem reddat consiliorum suorum? Non enim collectis opibus indiget, extructisue arcibus, aut apparatu bellico, vt quos velit tueatur. nam si libeat, etiam absque his præstabit incolumes. Quod autẽ suis nusquam desit, sed opportunè auxilium ferat, cum eius bonitas suadet, tum multis sæpe exemplis probauit. Genes. cap. 21. Errabat Agar cum filio Ismaele in solitudine Bersabee, quo loco iam vtre exhausto, defectísque aquis, despondit animum, & desperauit puerum vltra vitam tolerare posse. Itaque flens atque eiulans, cùm non ita procul abscessisset, ab Angelo de puteo edocta est. Eiusdem libri cap. 37. Cùm Ioseph adhuc puer erraret in agro, fratrésque quæreret, statim ibidem, qui comiter mõstraret viam, autore Deo, repertus est. Fugitiuum Moysen, & incerto lare palantem, non sine numine Raguel hospitio excepit. Exod. 2. Quid nobis columnam memorem? quid facem illam igneam? quid Angelum castris die noctéque præeuntem, quo duce Israël è maris Erithræi gurgitibus emersit, & immensum pelagus arenarum meramque solitudinem superauit? Legere poteris etiam Gedeonis historiam; Tobiæ præterea; Eliæ quoque, & Iosephi sanctissimæ Virginis sponsi, qui ab Angelo monitus, puerum Iesum paratæ neci subduxit, & vnà cum matre in Ægyptum traduxit.

Quod fugisset Dauid de Ceila, & saluatus esset.] Perierat scilicet, nisi maturè ex insidijs elapsus esset. *Quod fugisset.*] Indicare videtur non sine vi ex oppido erupisse. Ceilani nimirum occultè primum nectebant dolos, & studebant eum clandestinis artibus decipere. *Molliti sunt*, inquit, *sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula.* Psalm. 54. quo loco Ceilanorum scelus & perfidiam asperioribus verbis perstringit. Mox vbi patere sua consilia sentiunt, & Dauidem parare fugam, & ipsi quoque vim parabant. Fregit tamen ciuium audaciam eius virtutis admiratio, dum verentur, ne ab eo profligati præda militibus fient. atque ita illis inuitis, nec contrà hiscere audentibus, cum suis effugit.

Quamobrem Saul dissimulauit exire.] Saul, cùm audisset Dauidem abijsse, destitit quidem ab armis, seu potius vrgere duntaxat expeditionem illam. Nam Ceilanis propter tentatam proditionem iam satis placatus erat: Dauidem autem desperabat se posse consequi: non tamen ab insidijs, dolis, & explorationibus destitit. Ita hæretici, cùm vident se nihil posse promouere, dissimulant odium suum, & quodammodo desistunt persequi Ecclesiam: interim tamen in animo dolos, fraudes, ignes, sanguinem meditantur. Non ita pridem innouatos eorum furores experti sumus, tanta insolentia, vt alia quidem sceptra sibi raperent, alia ludibrio haberent. Itaque Catholici principes tota Galliâ Germaniáque castigare armis nebulonum audaciam coacti sunt; qui nisi vi reuocari ad officium non possunt. Nunc bello flagrat vtraque prouincia: & Imperium simul ac Regnum vexat inimica regnis Caluini superstitio. Fota diu fauore principum, nunc illa nobis negotium exhibet: & quà potest exitium minatur. Accessit præterea ad hæresim non leuis Monarchiæ contemptus, & Democratiæ studium, quo solo nunc fundamento, vt periti dicunt, seditiosa illa superstitio nititur. Dudum popularis illa factio in sectariorium animis altas radices egit, nec facili negotio extirpari poterit. *Erunt vobis*, inquit Dominus, *quasi claui in oculis, & lanceæ in lateribus, & aduersabuntur vobis in terra habitationis vestræ: & quidquid illis cogitaueram facere, vobis faciam.* Numer. cap. 33. vers. 55. Et rursum Iud. 2. vers. 21. *Non delebo gentes*, inquit Dominus, *quas dimisit Iosue, & mortuus est: vt in ipsis experiar Israel, vtrùm custodiant viam Domini, & ambulent in ea, &c.* Et capite seq. *Hæ sunt gentes quas dimisit Dominus, quinque Satrapas Philisthinorum, omnem Chananæum, &c.* Vtinam ad alios potius hæc dicta pertineant. Si tamen ad pietatem principum, qui hoc tempore regnant, & virtutes bellicas, accedat morum emendatio, & preces assiduæ, nihil est opinor, cur de Dei misericordia desperemus. Sed quo tandem declinauimus? ad propositum reuertatur oratio.

Quàm perniciosa hæresis.

Morabatur Dauid in locis deserti tutissimis.] Munitissima deserti loca Dauid occupat, séque rupibus inaccessis tuetur. In ferarũ latibulis securè dormit, qui apud homines, quo suo beneficio seruauerat, cùm esset illis præsidio, periclitatus est. Feras mitiores quàm suos ciues expertus est. *Mansitque in monte solitudinis Ziph.*] Erat ille mons in tribu Iuda: ibi Dauid latere voluit, & quòd esset ex illa tribu, & quòd ibi speraret se inuenturum amicos, & quòd illa loca haberet cognita: præcipuè verò quòd Deus ita iussisset, referente Gaddo propheta præced. cap.

QVÆREBAT EVM, &c.

cap. ver. 5. *Proficiscere, & vade in terram Iuda.* Solitudinis Ziph.] Tria oppida inuenio ab Adrichomio eo nomine in tribu Iuda notata. Vnum est ad radices montis Seïr situm. Alterum Carmelo monti vicinum iacet. Tertium magis accedit ad Ceilam, de quo Adrichom. num. 246. Ziph, inquit, vrbs in monte nemoroso & opaco sita, dumis & arboribus infructuosis consito, quæ nomen magno dedit deserto. Et num. 248. Desertum Ziph, nemorosum, saltuosum, feris & ibicibus peruium, antris & speluncis plenum, & plurimùm cauernosum, in quibus Dauid vagabundus & fugitiuus à facie Saul sæpè latitauit, seséque abscondit. Ibidem docet, S. Baptistam pœnitentiam prædicasse, num. 273. Vsque hodie, inquit S. Hieronymus in locis Hebr. vicus ostenditur in Daroma, in finibus Eleutheropoleos, vbi Dauid fuit absconditus. Sed situm Eleutheropoleos, quæ tempore Hieronymi floruit, & à qua, tanquam famosissima, multorum locorum interualla metitur, idem non notauit. Si tamen ea est prima Palæstinæ ciuitas, vt quidam Suidæ placuisse volũt, & Ascaloni proxima, intelligendus erit vicus ille positus in exteriori Daroma: sin, quod verisimilius est, cæna fuerit ille locus, vt censet Iosephus 6. Antiquit. Hoc loco Daroma interior accipienda erit. Cæterùm, in tanta nominum locorumque varietate, quæ Topographi sola plerunque coniectura in tabulis suis collocant; & in tot eiusdem loci synonymis, quid huic loco præcipuè conueniat, non potest liquidò constare.

Ziph ab Adrichomio describitur.

S. Hieron.

Quærebat eum tamen Saul cunctis diebus.] Non enim postquam ex hoc procelloso mari Dauid euasisset, eundem mox quieti indulgere licuit: sed perpetuò illi Saul obseruandus fuit, qui nullum non lapidem mouit, quo eum perderet. Itaque, quoad vixit Saul, semper quidem studio & voluntate Dauidi insidias struxit, palàm autem & aperta vi toties, quoties se sperauit eundem posse opprimere. *Et non tradidit eum Deus in manibus eius.*] Ita fallus erat opinione sua Saul. Nã antea, *Tradidit*, inquit, *mihi Deus eum in manum meam.* Spiritus autem sanctus ait, *Non tradidit.* Nemo autem venit in potestatem hostis sui, nisi eum Deus tradat. *Non haberes potestatem*, inquit Christus Pilato, *in me vllã, nisi tibi datum esset desuper.* Et, *Pilus*, inquit, *non cadet de capite vestro sine voluntate Patris mei.* Et in Exodo, *Si securis exciderit, & aliũ proximè astantem occiderit, ego*, inquit Deus, *tradidi eum in manum occisoris.* Hæc enim non fiunt, nisi consilio, & prouidentia Dei, etsi agi videantur fortuitò. Conabatur Saul omnibus modis cõprehendere Dauidem: sed nihil proficit, quia Deus illũ non tradidit. Dauid tamen exul & vagus cogitur errare per montes & solitudines. Ita, *qui volunt piè viuere in Christo Iesu, persequutionẽ patiuntur.* Ita Christus ipse per crucẽ inductus est in gloriam, & populus Iudaicus per desertũ, & mare, inductus est in terram promissionis. Nemini ergo nostrum, cùm opus est, exilium molestum videri debet, cùm habeamus tot piorum hominũ exempla ante oculos. Sub Iuliano Imperat. Christiani passim ita miserè vexabantur,

Pios semper aliqua calamitas exercet.

A vt, cùm non possent domi cõsistere, coacti fuerint versari in solitudine. Quandiu furor præcedentium Impp. vsque ad Constantini tempora in cæde Christianorum bacchatus est, relictis vrbibus plebes cum Episcopis cryptas, & subterraneos specus incolere tormentorum vis & acerbitas impulit. Hactenus in Britannia complures nouimus, qui ob disseminatã fidem Catholicam ad supplicium quæsiti, syluas & lustra ferarum appetant, ne immanem illam hæreticorum carnificinam subeant. Itaque quandoquidem nullo tempore Saul aliquis deerit, qui pios exerceat, discamus quàm forti animo, & inuicto robore, discoli Principis dictorum factorumque impotentiam Dauid pertulerit.

B

VERSVS XV.

Et vidit Dauid quòd egressus esset Saul, vt quæreret animam eius. Porrò Dauid erat in deserto Ziph in silua.

VERSVS XVI.

Et surrexit Ionathas filius Saul, & abijt ad Dauid in siluam, & confortauit manus eius in Deo: dixitque ei:

VERSVS XVII.

Ne timeas: neque enim inueniet te manus Saul patris mei, & tu regnabis super Israël, & ego ero tibi secundus: sed & Saul pater meus scit hoc.

C

VERSVS XVIII.

Percussit ergo vterq; fœdus coram Domino, mansitque Dauid in silua: Ionathas autem reuersus est in domũ suam.

CONcurrunt Interpretes in eandem sententiam. *Vt quæreret.*] Vatablus, *vt perderet animam suam.*] Alius, *vitam suam.* Chaldæus, *ad quærendum, & occidendum. In silua.*] Consentiunt reliqui præter Græcos. Complut. ἐν τῇ καινῇ, *in noua.* Aldus, καὶ Δαυὶδ ἦν ἐν τῷ ὄρει τῷ αὐχμώδει ἐν τῇ καινῇ. Rom. Lat. versio Sept. Interpr. *& Dauid erat in monte æstuoso in Cene Ziph.* Ad quæ Nobilius in Notis. Rursus Complut. ἐν τῇ ἐρήμῳ Ζὶφ ἐν τῇ καινῇ, *in solitudine Ziph in Cene.* Quod autem pertinet ad istud, ἐν τῇ καινῇ, & nonnulli interpretantur, *in noua*; aliqui libri, & Theodoretus habent καινῇ, & addit Theodoretus Aquilam dixisse δρυμόν, *siluam*: quod habet Vulgata. Capite autem 27. etiam in Vulgat. fit mentio *Cenì*, tanquam loci cuiusdam. Dictio Hebraïca, quæ hoc loco est, valdè similis est ei, quæ significat *nouam.* Versu 16. *Ad Dauid in siluam.*] *Siluã* interpretes vt antea, sicut & ver. 18.

Variæ translat.

D

Versu 18. καὶ διέθεντο ἀμφότεροι διαθήκην ἐνώπιον κυρίου, *Et disposuerunt vtriq; testamentum coram Domino. In domum suam.*] Chaldæus, *in viam suam. Coram Domino.*] Vatabl. Domino teste. Quidam, Deo autore & arbitro, ac præsente Sacerdote Dei.

SVRREXIT IONATHAS, &c.

Dauid erat in deserto Ziph in silua.] Siluam, montem, vrbem, solitudinem, eo nomine nuncupata docet Adrichomius in tribu Iuda.

A

Surrexit Ionathas, & abijt ad Dauid in siluam.] Bion Eidyllio 5.

Felices qui se mutuò diligunt.

Beati, inquit, qui amant, quum æqualiter redamantur.
Beatus erat Theseus, quum Pirithous adesset,
Etiamsi implacabilis descenderit in Plutonis domum.
Beatus erat inter rigidos Axenos Orestes,
Quoniam communes cum eo Pylades susceperat profectiones.
Erat felix Æacides socio viuente Achilles:
Beatus erat moriens, quoniam ab eo mortem horrendam propulsauit.

Beatus quoque Dauid, ad quem venit Ionathas, ne videri posset mutasse voluntatem. Non erat ea leuis, aut puerilis amicitia, sed constans & certa. Itaque in rebus aduersis non vacillat. Amat Ionathas Dauidem, vel potius amat in eo ordinationem Dei, vel Deum potiùs ipsum. Non dubium est, Dauidem magnam cepisse consolationem ex aduentu & conspectu Ionathæ. Sequitur Dauidem Saul, sequitur & Ionathas: sed longè dispari consilio; ille, vt perdat; hic, vt iuuet, & consoletur. Sed quomodo scire potuit Ionathas, vbi esset Dauid? Verisimile est, id eum resciuisse ex internuntijs. Dauid enim non timebat sibi à Ionatha, ne ab illo proderetur. Quemadmodum ergo Christo oranti, & præ mœrore sanguinem sudanti astabat Angelus, qui sudorem abstergeret: ita Ionathas hoc tempore missus est ad Dauidem, tanquam Angelus Dei, qui eum consolaretur. Ita Deus in rebus miseris & calamitosis excitat sæpè amicos, & consolatores, quos non potuisses expectare. *Charitas enim gaudet cum gaudentibus, & flet cum flentibus.* Venit Ionathas ad Dauidem non sine summo periculo: expertus enim antè fuerat iram patris. Nam cùm paucis verbis agere cœpisset pro Dauide, parum abfuit, quin ab eo hasta configeretur. Quid ille nunc fecisset, si eum audisset consilia cum Dauide profugo & exule communicasse? Habebat in oculis Nobenses, & cædem Sacerdotum. Hæc sibi omnia cogitare potuisset euentura. Sed charitas extrudit timorem. Nam qui verè, atque ex animo amat, nihili facit pericula. *Nulla* autem esse potest *maior charitas, quàm vt animam suam aliquis ponat pro amico suo*, vt Christus ait. Quod certè Ionathas, vt apparet, pro Dauide facere paratus erat. Sollicitus enim est de Dauide. Regnum, quod sibi hæreditario iure deberi videbat, non moratur. Ita Moses quoque despexit regias opes Pharaonis, & maluit potiùs esse cum fratribus suis in cemento, & luto. Sed hac ratione Ionathas consuluit posteritati suæ.

B

C

D

Et confortauit manus eius in Deo.] Id est, addidit animum. Nam qui deiecto sunt animo, solent esse remissis manibus. Philemon Comicus:

Amici præsentia mœrorem excutit.

An quemadmodum ægrotantes, vehementi dolore agitati,
Medicum si viderint, non amplius dolent:
Ita cùm quis in mœrorem inciderit,
Minus angitur, amicum si præsentem viderit.

Et Ouidius de Ponto, Elegia 4.

SVRREXIT IONATHAS, &c. Ouidius.

Reddita confusæ nuper solatia menti,
Auxilium nostris spemque tulere malis.
Vtque Machaonijs Pæantius artibus heros,
Lenito medicam vulnere sensit opem:
Sic ego mente iacens, & acerbo saucius ictu,
Admonitu cœpi fortior esse tuo.
Et iam deficiens sic ad tua verba reuixi,
Vt solet infuso vena redire mero.

Addit tamen postea:

Nec tamen exhibuit tantas facundia vires,
Vt mea sint dictis pectora sana tuis.

Quod in hunc locum minimè conuenit. Non enim humanis pollicitationibus Ionathas Dauidem confirmauit, sed *in Domino*, hoc est oraculis diuinis: quorum vt certa expectatio est, ita consolatio efficacissima. Non ita Iobum amici sui consolati sunt, cùm illum vndique mala obruerent: non enim illi commemorarunt promissiones Dei, sed cum potiùs dixerunt meritò puniri, & dignum fuisse, qui ita affligeretur. Itaque cùm ingrata Patriarchæ erat illa consolatio, tum illam Deus minimè probauit. Hic Ionathas parum morigerus est patri. Sed incidunt nonnunquam tempora, cùm necessariò discedendum sit à voluntate patris, si ille aut iniusta præcipiat, aut pugnantia cum lege Dei. Christus respondit parentibus suis, cùm adhuc puer eisdem subiectus esset, vt Euangelista docet, *In his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse.* Ita nos quoque oportet in simili causa parentibus nostris respondere, ne eorum maiorem quàm Dei rationem habeamus.

Neque enim inueniet te manus Saul patris mei.] Hîc maximè spectari potest fides Ionathæ. Etsi enim pater meus sit potens, tamen Deus est longè potentior. Nec tantùm euades, sed etiam regnabis. *Et tu regnabis super Israël*] Non tantùm non inuidet Dauidi regnum, sed etiam se illi fautorem pollicetur: non tamen armis, aut milite, sed tantùm *in Domino*. Deus, inquit, primùm potest hoc effectũ dare: deinde etiam vult: nam id se pollicitus est facturum. Cæterùm, illud oppidò mirum in Ionatha, alterius stirpis homini, nec ita pridem opilioni, tametsi non vulgari virtute prædito, nec indigno qui Regis filiam Ionathæ sororem vxorem duceret, tam facilè regni prærogatiua cedere voluisse. Nam plerosque videmus fraterna cæde Imperium auspicari. Rarum est, quod narrat Iosephus Antiquit. Iudaïc. lib. 20. cap. 2. Monobazum Adiabenorum Regis maiorem filium, postquam is imposito diademate patris annulum signatorium recepisset, & administrare Rempublicam cœpisset, Izatæ fratri, quem patris iudicio prælatum sibi nouerat, regni habenas vltrò tradidisse. Plures sanè ne consortes quidem regni ferre potuerunt. Itaque Remo Vrbis conditor vitam eripuit. Caracalla, postquam iam patris medicorum ope fata præcipitasset, Getam regni socium in sinu matris obtruncauit. Polynicis & Eteoclis Oedipi filiorum,

Iosephus.

Quãta hęc fuerit Ionathæ virtus, probãt fratrũ mutuæ cædes, quas peperit regnandi cupiditas.

Fraternæ

ET TV REGNABIS, &c.

Fraternas acies, alternaque regna profanis
Decertata odijs, geminoque in funere flammas
Dissidij testes, & mutua vulnera, &c.

Statius. annis duodecim Statius in sua Thebaïde explicare conatus est. Camerarius autor est anno 1582. mortuo Selime Turcarum domino, chartas venales passim circumlatas esse, in quibus ipsius & filiorum feretra conspiciebantur depicta, singula cum diademate, & stragulis pretiosissimis exornata. Filij numero quinque iussu fratris Murathis 3. interfecti, & regio funere in monuméta maiorum ad minuendam inuidiam vnà cum defuncto patre illati fuerant. Neque hoc ille fecit, quòd præ cæteris ferox & inhumanus esset: sed quasi regni legem sequutus, nouo Imperio fraternis hostijs litauit. Scribit enim Busbequius in suo itinere Constantinop. Busbequius Nihil planè miserius Turcicorum Impp. filijs esse, è quibus, si quis patri successit, reliquos ineuitabilē mortis necessitatem manere. Nam neque, inquit, Turcæ Imperij æmulos ferunt, nec per milites prætorianos omninò ferre possunt, qui superstite fratre congiariorum petendorum nullū finem faciunt. Eodem porrò anno & modo quo Murathes fratres sustulit, Ismaël, Techmasis Regis Persarum secundo loco natus filius, fratres quoque suos interemit. Ipse post sextum regni mensem à sorore veneno necatus est. Ita scribit Leunclauius in Supplem. Leūclauius. Annal. Turcic. Ne gemini quidem seruare pacem in imperio potuerunt. Testes Aristodemi filij Eurysthenes & Procles apud Herodotum Herodotus lib. 6. quorum mater, cùm prodere primogenitum recusaret, ambo Spartæ regnū adepti sunt. quod tamen adulti sic administrarunt, vt perpetuo inter se odio atque dissidio dissiderent. Crudelior Ioram, optimi patris sceleratissimus filius, qui ne subiectos quidem fratres priuatam vitam agere permisit: sed vbi rerum penes se summam esse vidit, potestate abusus, per summam iniuriam reliquos sex filios patris sui gladio peremit. Lege cap. 21. 2. Paralip. Apud Alber. Krantzium Daniæ lib. 1. ca. 11. hoc etiam Krantzius. comperi, regnandi cupiditate sororem fratri negotiū exhibuisse. Nam Frotonis Daniæ Regis soror, viro primùm inuadendi regni autor Soror fratri insidiatur. extitit. Quod vbi malè cessit, & à Frotone in potestatem redactus est, illa priori viro erepta fratris clementia Principi Scotorū nupsit. Cui cùm par facinus persuadere non posset, eò mulier ambitiosa prorupit, vt paratis percussoribus viro moliretur interitum. Sed illi detecta fraude cæsi sunt, ipsa deinceps diligentius habita. quin etiam apud eundem antea cap. 8. Haddingo item Danorum Regi filia necem machinata est: sed illa patefactis insidijs antè à Filia patri. patre oppressa est, quàm meditatum facinus exequi posset. Apud Iosephum, Aristobulus Hyrcani filius, is qui primus post captiuitatem Babylonicam Hierosolymis regium diadema vsurpauit, matrem principatus æmulam, & fratrem affectati regni falsò suspectum, crudelem in modum sustulit. Narrat item Pausanias in Atticis, quo pacto Cleopatra, Ptolemæi Philometoris mater, cùm Alexandrum minorem natu filium sibi obsequentiorem fore speraret, imperij mulier auida, ius regni primogenito abrogare studuerit, exilium deinde, ac postremò necem arte molita sit. quam tametsi inferre non potuit, Alexandro tamen regnum parauit. Sed ipsa, cùm esset regno grauis, subinde ab eo occisa est. Ergo hic etiam, ne cum matre imperij potestatem communicaret, parricidio dextram maculauit. Quid Nero? An non is quoque materna viscera ferro violauit? Sed Agrippina prius nece viri filio quæsierat Imperium. Nihil vsquam leges Tullia ferocius: quæ dum molestè fert cani parentis exitum præstolari, quo maturius ad principatum viam sibi muniat, per venena & cædes grassata est. Nam virum quidem veneno, patrem gladio extinxit, & in mortuum sæuiens, per medium cadauer carpentum egit. His illa virum dictis interpellat apud Ouidium Fastorum 6.

Ioseph l. 13. Antiq. Iud. cap. 19. — Pausanias.

Et caput, & regnum factum est dotale parentis: Ouidius.
Si vires, indictas exige dotis opes.
Regia res scelus est: socero cape regna necato:
Et nostras patrio sanguine tinge manus.

Quòd si liberos dominandi libido eousq; præcipites egit, vt naturæ iura in parentibus violaret, nequaquam tamen parentum ferociam & immanitatem in iugulandis liberis, quos affectati regni suspectos haberent, superarunt. Regnandi libido parricid. suo que parētes excitauit. Nam quid truculentius Deiotaro? Complures ille filios susceperat autore Plutarcho. Quo regnum luculentius vni relinqueret, cæteros suis ipse manibus trucidauit: vinitores imitari se dictitans, qui, cùm vitis plures surculos emiserit, reliquis amputatis, vnum seruant, quo maior & robustior euadat. Quid Turcarum Imperatore Solymano immanius? Quum enim anno M. D. LII. Mustapha filius maior natu, fractis Persarum opibus, ad patrem, accepta fide, sine comitatu redijsset, tanto exercitus clamore, tantaque gratulatione exceptus est, vt mortalium antea nemo. Pater istam gloriam ferre non potuit, sed filium subinde strangulari mandauit in cubiculo interiore, & eodem momento coram exercitu proijci; tum præconem altissima voce promulgare iussit: Vnum in cœlo Deum, in terris vnum Solymanum Imperatorem esse oportere. Totus exercitus terrore attonitus obmutuit. Iunior natu biduo post veneno sublatus est, quòd ingemuisset. Tertius metu patris ad Regem Persarum confugerat; statim per Legatos reuocatus est, ac securi percussus. Restabat Selimus, cui pater minas intentauit, nisi solus restaret, &c. Vicit tamen Solymanum, cæterosque omnes Phrahartis Parthorum Regis inaudita sæuitia. qui statim vt regnum inijt, quasi nollet mori naturaliter, inquit Iustinus, Herodem patrem interfecit, Iustin. l. 42. fratres quoque triginta trucidant: sed nec in filijs cessant parricidia. Nam cùm infestos sibi optimates propter assidua scelera videret, ne esset qui nominatim Rex posset creari, adultum filium interfici iubet. Vnus maleficia omnia complexus, dum patrem, fratres, postremò etiam filium enecat.

Porrò hæc tametsi ferarum potius videantur esse quàm hominum, mitiora tamen videntur præ illis, quæ muliebris ambitio designauit.

ET EGO ERO TIBI SECVNDVS, &c.

Vxores viros imperādi studio iugularunt.

Nam vincit certè filiorum charitatem genialis thori gratia, & alioqui Reginæ coluntur vt sceptri participes. Non paucæ tamen imperādi cupidæ, & fidei oblitæ, quos seruare debuerant, dolis extinxerunt. Landgertha apud Krantz. Noruagiæ lib. 1. cap. 37. viro maturauit exitium, quo sola tyrānidem occuparet. Semiramis quibus artibus Ninum circumuenerit & oppresserit, docet Diodorus li. 3. ca. 5. Athenienses, inquit, nonnulliq; alij scriptores asserunt, Semiramidem, cùm pulchra decoraq; forma esset, à Rege Assyriorū præter modum dilectam, cuius modestia fuerit admodū laudata; cùm eius vitę integritas vulgata admodum foret, persuasisse viro tradunt, vt quinque dies se solam regnare pateretur. Quo impetrato, sceptro stolaq; regia sumptis, prima die splendidū cōuiuium fecisse, inque eo omnes Duces Principesq; adegisse, vt sibi veluti Reginæ parerent. Secunda die, cùm populares nobilioresque se tanquam Reginam colerent obseruarentque, viro in carcerem truso, aut etiam interempto, vt Ælianus habet lib. 7. cap. 1. var. hist. magnoque animo cùm cepisset imperium, ad senium vsque multis à se præclarè magnificeque gestis, tenuisse. Sed de his hactenus. Neque enim commemorare omnia necesse est: & alioqui ista sufficiunt, quibus obiectis, Ionathæ in Dauidem constantissimus amor, modestia, & fides, hoc in genere clarius eluceant.

Diodorus.

Quomodo secundū locū sperare potuit.

Et ego ero tibi secundus.] Quo pacto? Num filijs Regis præferri studuit? Si contentio quædam & comparatio fiat, quibus plurimùm tribuendum sit officij, quoscumque amicos longo interuallo filij superant. Adhiberi tamen amicos in consilium, & in rebus agendis maiorem potestatem fieri, ius & consuetudo est. Non enim ad hæc quærūtur qui chariores sint, sed qui reliquis virtute præstent, & quæ necessaria sunt, efficere possint. An igitur secundum Regē antecellere autoritate voluit? Quinimò sic arbitror amicitiæ magis, quàm fauoris, aut potentiæ Ionathan habuisse rationem. Itaque inter illos potius fieri collatio intelligenda est, quos sibi quisq; amicos asciscit liberè: quorum in numero primas sibi vendicat Ionatas, & quidem non immeritò. Quis enim alter vnquam simili pignore cum quoquam amicitiam societatemque coijt? Nam cæteri quidem eo nomine, quod eundem principatum affectent, pacta dirimunt, & amicitiam renuntiant, Ionathas contrà imperij abdicatione fœdus cum Dauid sancire cupijt. *Et ero tibi secundus.* Hebr. לְמִשְׁנֶה *lemiscneh*, *in secundum*. מִשְׁנֶה *miscneh* secundum significat, ordine, & dignitate.

Nihil tutū apud Principes in secūdo loco.

Cæterum in regno qui secundum locum occupat, longè distat à primo. Finiti, vt aiunt, ad infinitum nulla proportio est. Regum immensa quædam potestas est. Amicorū, vt nullis prętereà finibus circūscripta sit, certè tota ex Regibus pendet, & eorum arbitrio finitur. Nec secundum quemquam potestatis suæ iugo absoluunt, aut præstantà reddendis rationib. immunem. Itaque si quid peccent, perinde vt nouissimi in iudicium vocantur, & pœnas à legibus statutas subeunt; nisi fortè delicti veniam

A adnotatione sua Princeps fecerit. Quòd si in plerisque iudiciorum laqueos, vt grandiores muscæ aranearum telas perrumpunt, alias tamen eò grauius corruunt, quò superius fastigium videbantur assequuti. Nam in illis, qui benignitate fortunæ, & opum magnitudine, priuati hominis habitum videntur exuisse, nouandarum rerum facilè hæret suspicio. Quæ postquam semel Principum animis insederit, mox obliti fidei, ac necessitudinis pristinæ, eò vires suas omnes conferunt, quò hominem de statu deijciant, ac funditùs euertant. Itaque horum maximè ruinas & casus acerbos tragœdiæ loquuntur. Meminit liber Genes. Magistri pistorum, quem iratus Pharao in crucem egit. Ioab Principem exercituum Dauid, iussit Salomon ad aram mactari. Aman filius Amadathi, quem

B Rex potentissimus reliquijs Imperij sui Principibus præfecerat, tandem offensoatq; alienato Rege de sublimi trabe pependit. Intaphernes, vt est apud Herodotum lib. 3. cùm esset suo merito Dario Persarum Regi charissimus, vt pote vnus e septem illis proceribus, qui Magos Imperio incubantes confecerant: postea tamen eiusdem iussu ad suppliciū raptus est. Tiberius Seianum, quem ad ludibriū fortunæ in summo apice collocasse videbatur, ad extremū miserrimas clades eodem agente oppressit. Lege Romanorum historias, lege & nostras, atq; in illis præcipuè S. Leodegarij vitam: qui tametsi sanctissimè, quandiu penes illū rerū potestas fuit, regni negotia administrauit, tandem tamen paria scelestissimis præmia tulit. Ex quibus intelliges, neminem satis tutò in secundo gradu pos-

C se consistere; cùm illum vndique calumnia machinis oppugnet, & aduersus suspiciosum Principem nullo satis firmo præsidio septus sit.

ET EGO ERO TIBI SECVNDVS, &c.

Herodot.

לְמִשְׁנֶה *lemiscneh* etiam verti potuit *in alterum*, siue *duplum*. Ac si diceret: Tu quidem regnum obtinebis, at ero tibi tanquam alter Rex, & in duplici persona regnabis. Amicū studet impensius consolari; & quo magis eum ab ea cogitatione auocet, quòd ægrè laturus sit seipsum regno priuari: quinimò, inquit, nihil istud mea quicquam refert: nam te regnante, quæ mea est in te beneuolentia, me quoq; regnare putabo. Quippe quemadmodū amicitię iure ego te alterum me semper esse duxi, sic quoq, te regnante ego me alterum Regem putabo. An fortè amico Ionathas operam in curando regno pollice-

D tur? Nam מִשְׁנֶה *miscneh* Hebræis eodem sensu *secundum* significat, quo nos Galli dicimus, *Je seray vostre second, Ie vous seruiray de second, Ie vous seconderay*. i. Nusquā non adero, nullo loco deseram. Hebræi Ierem. c. 52. v. 14. quo loco legimus: *Et tulit Magister militiæ Saraiā Sacerdotem primū, & Sophoniam Sacerd. secundum, &c.* interpretantur כֹּהֵן הַמִּשְׁנֶה *kohen hāmiscneh Sacerdotem secundum*, eum qui constitutus erat sub Sacerdote magno, vt ipsius loco ministraret, si quid ei labis accidisset, *Vicarium* nominare possumus: Gallicè *Lieutenant*.

Quis secundus Hebræis.

Ego sanè vix crediderim Ionathan honoris studio de secundo loco sibi cauere voluisse. Quod etsi fecerit, quid mirum si ambiat locum in illo regno honorificum? Erat enim regnum

Dei.

SED ET PATER MEVS,] &c. Dei. Et quis nolit in populo Dei celebrem locum obtinere? Ita filij Zebedæi ambiuerunt locum ad dexteram, & ad sinistram Christi. Verùm frustratus est expectatione sua Ionathas: interfectus enim est in Gelboe. Hoc tamen eius dictum vtcumque completum est in filio eius Miphiboseth, quem Dauid conuiuam mensæ suæ adhibuit. Deus non semper omnia reuelat hominibus pijs: interdum opinione falluntur. Isaac caligans oculis, & manu tentans, non intellexit cui precaretur bene, cùm studeret augeri atque amplificari maiorem filium Esau. Paulus scribit, se euasisse ex ore leonis, hoc est, ex manibus Neronis: & tamen ab eo interfectus est. Et ad Philippẽses iterum scribit, se victurum, & futurum cum eis: quorum tamen neutrum euenit. Sed ista non pertinebant ad dogmata. Deus nos ad vitam euehit ea ratione ac via, qua ipse maximè velit.

Ad Philipp. c. 1. v. 26.

Sed & Saul pater meus scit hoc.] Primùm arguit patrem suum persequi Dauidem contra conscientiam. Deinde significat, id ita iam peruulgatum fuisse, Dauidem fore Regem, vt ne Saulé quidem latere potuerit. Postremò his verbis addit Dauidi animum. Cùm enim audimus hostes nostros esse in metu, incipimus de nostris rebus melius sperare. Sed vnde potuit Saul suspicari, Dauidem fore Regem? Ex multis indicijs. Primùm, quòd audisset è Samuële, se reiectum esse cum familia sua, & regnum cessurum alteri ipso meliori. Deinde etiam, quòd videret Dauidi omnia feliciter succedere, & populum, & filium suum Ionathan illi studere, & postremò Deum esse cum eo.

Percussit vterque fœdus coram Domino.] Ionathas renouat fœdus cum Dauide. Ex eo colligere possumus, licere hominibus Christianis inter se sancire fœdera, modò id iustam ob causam fiat, vel ad defendendam Religionem, & cultum Dei, vel ad conseruandam Rempublicam, aut familiam, vt sine cuiusquam iniuria posteris de incolumitate in futurum prospiciant. Nam si Deus fœdus percussit cum hominibus, cur hominũ ipsorum inter se fœdera probari non debeãt? Ter Ionathas fœdus istud inijt cum Dauide. Primùm interfecto ab illo Goliath, quo tempore dedit illi gladium & cingulum: iterum, cùm esset fugiturus è regno: & nunc tertiò. Hominum fides naturâ suâ caduca & fluxa est. Itaque sæpe opus est renouatione fœderum. Et Deus fœdus illud suum initum per Christum sæpè cum Patribus renouauit. Non est ista coniuratio contra Saulem: non enim Ionathas conspirat contra patrem suum, nec pollicetur se illum interfecturum. Imò in tota hac historia non legimus Ionathan arma cepisse, vt defenderet Dauidem. Dauidi quidem licuit copias contrahere, non quibus Saulem oppugnaret, sed quibus se, familiamque suam tueretur. Nam si exul & profugus imbellem secum & inermem turbam traheret, citò prædonibus, & quicumque similes Ziphæis essent, præda foret. Adde, quod videtur non iniussu Dei qualemcumque exercitum comparasse, vt Rege suas partes negligenter obeunte, Ceilanos defenderet, & plerisq; locis pro muro æneo esset, ne qua hostes irrumperent. Gad sanè Propheta, cùm apud Moabitas Dauid stipendia mereret, iussit pedem referret in Iudæam, & ab oraculo ad soluendos obsidione Ceilanos missus est.

CORAM DOMINO, &c.

Coram Domino.] Id quidam ita interpretantur, quòd coram Abiatharo, & Gad, tanquam in sacro aliquo cœtu factum esset: Alij, quòd testem inuocassent Deum: aut quòd hæc facta essent in nomine Domini. Dici etiam poterit Prophetam huius historiæ scriptorem, his verbis asserere voluisse, fœdus illud gratum, acceptumque Deo fuisse.

Nec prætereundum illud est, quod plurimùm facit ad commendendam Ionathæ modestiam. Non enim commemorat, quas iniurias & contumelias tulisset Dauidis causa: sed tantùm id agit, vt fœdus innouetur. Nec expectat, vt Dauid de ea re prior agat. Sed quamuis esset filius Regis, & sciret successionem ad se pertinere, tamen vltrò Dauidem commonefacit. Nam qui verè amant, vltrò student se mutuò omnibus officijs præuenire. Non pudet Ionathan Dauidis, quamuis fugitiui, & exulis. Imò eius causa grauissima conuitia pertulerat. Quàm autem Dauid Ionathæ in amore mutuo responderit, indicio esse potest lugubris ille cantus, quem habuit, cùm audiret Ionathan in acie cecidisse: *Doleo super te, frater mi Ionatha, decore nimis, & amabilis super amorem mulierum. Sicut mater vnicum amat filium suum, ita ego te diligebam.* Vita illi ingrata fore visa est ablato tali amico. Nec mirum. Ecclesiastes enim ait, *Amicitiam esse pharmacum humanæ vitæ.* Nam cùm tota vita nostra exposita sit tot casibus, & molestijs, nulla est medicina melior quàm amicitia. De humanis rebus ista dico: nam alioqui nulla amicitia conferri potest cum consolatione diuina. S. Chrysostomus queritur, veram amicitiam auolasse in cælum: & homines non aliter de illa loqui, quàm de planta aliqua Indica, quàm auditu tantùm sciant, non experientia.

Amicitiæ specimen egregium.

Remansit Dauid in silua.] Qui tot vrbes seruauerat: & cùm tot homines, atque in ipsis etiam Regem tot sibi beneficijs deuinctos haberet, inter feras bestias commorari cogitur. *In silua.* Latronum hæc sedes est, illic prædonum latibula. Sæpè verò etiam grauiora latronibus supplicia pij viri perferunt. At erat *ficut malus inter ligna syluarum*, optimos patientiæ fructus, charitatis, & innocentiæ edens. Hoc quoque spectasse Deus videtur, vt in syluis degentes, feras haberent quas venarentur, & eo pacto commodiùs vitam tolerarent. *Abijt Ionathas in domum suam.*] Separationem hanc vtrique molestissimam fuisse non dubito: sed non decebat Regis filium diutiùs in his castris morari, ne filius patrem bello lacessere videretur: Quæ res Saulis animum vehementius incenderet, & apud plerosque insidiarum minimè conscios, offensionem animorum pareret. Apparet autem illum hactenus à patre secessisse, nec ab eo reuocatum, quòd cum solo Dauide bellum gereret, cui Ionathan fauere impensius nouerat.

Versvs XIX.

Aſcenderunt autem Ziphæi ad Saul in Gabaa, dicentes: Nonne ecce Dauid latitat apud nos in locis tutiſſimis ſiluæ, in colle Hachila, quæ eſt ad dexteram deſerti?

Versvs XX.

Nunc ergo, ſicut deſiderauit anima tua vt deſcenderes, deſcende: noſtrum autem erit vt tradamus eum in manus Regis.

Variæ trãſlationes.

Ald. & Rom. edit. ita legunt: καὶ ἀνέβησαν οἱ Ζιφαῖοι ἐκ τῆς αὐχμώδους πρὸς Σαοὺλ ἐπὶ τὸν βουνὸν λέγοντες· οὐκ ἰδοὺ Δαυὶδ κέκρυπται παρ' ἡμῖν, ἐν Μεσσερὰ ἐν τοῖς στενοῖς ἐν τῇ Καινῇ ἐν τῷ βουνῷ τοῦ Ἐχελὰ τοῦ ἐκ δεξιῶν τοῦ Ἰεσσαίμου: *Et aſcenderunt Ziphæi de æſtuoſa ad Saul in collem, dicentes: Nonne ecce Dauid abſconditus eſt apud nos in Meſſera in anguſtis, in Cane, in colle ipſius Echela, qui à dextris Ieſſemu?* Verſus vigeſimus, καὶ νῦν πάντα πρὸς ψυχὴν τοῦ βασιλέως εἰς κατάβασιν καταβαινέτω πρὸς ἡμᾶς· ἀποκεκλείκασιν αὐτὸν εἰς τὰς χεῖρας τοῦ βασιλέως. *Et nunc omne quod eſt ad animam Regis; in deſcenſum deſcendat ad nos: (concluſerunt eum,* ſic habet Romana editio) Ald. & Complut. *Concluſi ſunt enim in manus Regis.* Flaminius in Notis, *Collem.*] Videntur hoc loco, vt etiam alibi, Septuaginta habuiſſe Γαβαα. Nam pro hoc Theodoretus teſtatur Aquilam dixiſſe βουνόν, *collem.* *In Meſſera.*] Rurſus hoc abeſt à Complut. *Et nunc omne quod eſt.*] Hæc loquutio videtur hoc ſignificare, *Quando Rex quod cupiebat, eſt aſſequutus, deſcendendo deſcendat ad nos.* *Concluſerunt eum.*] Alij, ἀποκεκλεισμένοι (Complut. addit, γὰρ) εἰσὶν εἰς τὰς χεῖρας (Complut. ἐν ταῖς χερσὶν) τοῦ βασιλέως. *Concluſi ſunt in manus Regis.* Chaldæus: *Et aſcenderunt viri Ziph ad Saul in Gibghatha ad dicendum, Nonne Dauid abſconditus nobiſcum in præſidio in ſilua in Gibghatha hhachilah, quæ ad Auſtrum Ieſſimon? Et nunc ad omnem voluntatem animæ tuæ Rex deſcendendo deſcende, & nos trademus eum in manus Regis.* Complutenſes: *Nonne ecce Dauid abſconditus eſt apud nos in anguſtis in noua colle Achila, qui eſt à dextris Ieſſemun? &c.* *Ad dexteram deſerti.*] Iunius, *à meridie ſolitudinis.* Sic inſr. 24. In ſingulis dictionibus exponendis ſequitur vnuſquiſque interpres ſuum morem: qui ſatis intelligi poterit ex ſuperiore commentario.

Nonne Dauid latitat apud nos in locis tutiſſimis ſyluæ? Perpende autem quantis ibidem incommodis afficeretur, cùm & locus ipſe nihil earum rerum, quæ ad alendam vitam ſpectant, ſuppeditaret, & vicini, quo animo Dauidem proderent, eodem neceſſaria negarent. Annon tandem opus fuit Arcadicas glandes repetere? Cùm vulgò Arcades, inquit Pauſanias, virente adhuc fronde, herbiſque, ac radicibus, non modò non cibarijs, ſed plerunque perniciosis incautius veſcerentur; Pelaſgus, ſalubriores multò glandes eſſe, neque omnes, ſed quæ è ſola fago legerentur, perſuaſit. Fuit verò tam frequens ac diuturnus hic glandium cibus Arcadibus, vt quo tempore monuit Apollo Lacedæmonios, ne Arcades armis prouocarent, hunc illis victum è glandibus hoc verſu tribuerit:

Pauſan. in Arcad.

Nonne David latitat, &c.

Arcades quondam glande veſci ſoliti.

Glande ſatur multa, obſiſtet tibi plurimus Arcas.

Hactenus Pauſanias. Diodorus verò Siculus lib. 4. cap. 3. Hylophagos, & Spermophagos, Gymnetaſque, ſiue Arabas illos, ſiue Æthiopes deſcribens, expreſsè magis videtur ſylueſtris huius exercitus veſcendi rationem explicuiſſe. Spermophagi, inquit, populi appellãtur, qui arborũ fructus æſtate decidentes colligũt, & ijs abſque labore veſcuntur: quique reliquo tempore herbam in vmbroſis locis naſcentem decerpunt, quæ vitæ ſubuenit egeſtati. Hylophagi verò cum filijs vxoribuſque ad loca campeſtria accedentes, arbores aſcendunt, ac teneras ramorum ſummitates auferunt. Ita ramis tenerioribus dente exeſis, ventrem farciunt. Gymnetæ ſylueſtrem incolentes patriam, & penitùs aſperam, cariſque aquarum fontibus, ſuper arbores ferarum timore dormiunt. Sub auroram ad aquarum decurſus armati prodeuntes, ſe abſcondunt inter arborum frondes. Sub æſtum verò Solis agreſtes boues, pardaleſque, ac varia ferarum genera, tum caloris, tum ſitis impatientia, ad aquas potus cauſa confluunt. Repletas graueſque aqua beſtias, Gymnetæ, cùm haud facilè moueri poſſint, ex arboribus deſcendentes adoriuntur, ac lignis adustis, ſaxiſque & ſagittis occiſas, perque cœtus diuiſas edunt, &c.

Diodorus. Cibus ſylueſtriũ hominũ, quos panis deficit.

In colle Hachila.] De Achilla Adrichomius in tribu Iuda hæc habet. Caſtrum eſt natura ſimul & arte munitiſſimum, ad dextram deſerti Ziph, in quo aliquoties latitauit Dauid fugiens à facie Saul: in cuius rupis vertice, viginti ſtadijs alto, primus Ionathas Pontifex caſtellum ædificauit, natura inacceſſum, & appellauit Maſſadam; quod poſtea Herodes Magnus ſpatio ſeptem ſtadiorum muro firmo cinxit, & viginti ſeptem turribus prææltis, regiaque cum quatuor turribus excelſis communiuit, atque in incertum belli euentum, commeatu, quem poſt annum centeſimum Eleazarus occupauit, & omnigenum armorum apparatu, qui decem millibus armandorum hominum ſufficeret, inſtruxit, &c. Quo pacto à Romanis obſeſſum, expugnatumque ſit, inuenies apud Ioſephum lib. 7. bell. Iudaic. cap. 28. & accuratam loci arciſque deſcriptionem. Ex quibus facilè colliges nonnulla apud Adrichomium falsò, aut hyperbolicè poſita.

Adrichom.

Ioſeph. li. 7. de bell. Iudaic. ca. 3. & li. 7. c. 28.

Vt tradamus eum in manus Regis.] Hic fides Ionathæ conferri poteſt cum perfidia Ziphæorum. Quantò ille erat melior, tantò erant iſti deteriores. Ziphæi tribules erant Dauidis: itaque illum in primis debebant tegere. De hac hiſtoria ſcriptus eſt Pſal. 54. & 116. & 31. & alij quàmplures. In quinquageſimo quarto queritur, ſe prorſus omni eſſe auxilio deſtitutum.

Ideoq;

Nostrū erit, &c.

Ideoque erat Deum, per nomen, & virtutem suam, vt se defendat. Ziphæos autem appellat *alienos*, non quidem cognatione, aut stirpe, sed animo, & voluntate, quodque essent ex aliena familia, nec pertinerent ad filios Dei. Sed ait, Deum illis repensurum esse quod merebantur, & se aliquando liberatum sacrificia facturum, & Dei nomen celebraturum.

Ziphæorū origo, & inhumanum ingenium.

Ziphæi isti erant ex stirpe Chaleb. Nam inter eius filios numeratur Ziph, 1. Paral. 2. Ex quo isti Ziphæi putantur oriundi. Eò se Dauid contulit, vt ijsdem fauentibus in præruptis locis, & inaccessibus cautibus seruaretur. Sed idem illi accidit, quod Christo: qui, cùm in propria venisset, tamen receptus non est à suis. Itaque Dauid in Psal. 99. calamitatem suam deflet his verbis: *Alienus factus sum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ.* Possunt Ziphæi isti conferri cum Doëg, cum falsis fratribus, cum Iuda proditore. Captabant illi gratiam tyranni. Sed sæpè fit, vt pro gratia incurrant in odiū. Prudenter enim Augustus respondit: Proditionem amo, proditores non amo. Sapiēs enim Princeps facilè potest cogitare illos in se quoque idem molituros, si tempus postulet. Causa verò, quæ mouit Ziphæos, vt Dauidem vellent prodere, eadem esse potuit, quæ antea mouerat Ceilanos, nimirùm, ne illis accideret quod Nobensibus. Idumæi longè humanius tractant Dauidem, quàm ipsius tribules cum eo sanguine, & cognatione coniuncti. Nec tantùm ab Idumæis humanitate vincuntur, sed etiam ab alijs Ethnicis. Nam cùm medicus Pyrrhi pollicitus esset Romanis Consulibus se velle dominum suum veneno tollere, illi eum Pyrrho prodiderunt: & ludimagistrum Phaliscorum, cùm ad se per proditionem filios nobilium tradidisset, captum, & vinctum remiserunt ad suos. Isti autem non expectant dum accersantur à Saule: sed vltrò ad eum veniunt. Et nostrum, inquiunt, est illum tradere. Imò verò potius vestrum erat celare, & tegere hominem, de vrbis & tota Republica bene meritum.

Perire potius quàm male agere debuerant.

Quid si Dauidis innocentiam ignorabant, & Regis præceptum vrgebat, & terrebat clades Nobensium? Respondeo, vix credi posse, latuisse quemquam Saulis inuidiam, qua inflammatus, non insontem modò, sed etiam vindicem patriæ ciuem perdere atque affligere properabat. Esto, nouisse concedamus: an idcirco Regi minùs obtemperantes esse debuerunt: An propter illum funditùs cum suis perire? Respondeo: nequaquam propter illum perire debuisse: sed si quid perperam Rex præcepisset, quod palàm & apertè cum diuinis legibus pugnaret, non quidem Dauidis, sed sua causa temporaliter potiùs perire debuisse, quàm vt in æternum perirent. Quod si & innocentiam eius perspectam habebant, & eundem à Deo designatum Principem nouerant, quo pacto proditionis immunes videri poterunt, qui homini, tametsi Regi, obsequi maluerūt quàm Deo? Sacerdotum strages dudùm à Deo prædicta fuerat, ne quemquam terreret.

A

Num igitur prodere neminem vnquam licet? Quid autem est proditio?

QVÆST. LXIII.

Proditores malè audiunt.

Proditores nusquam non malè audiunt, & complura in eos veterum dicta iactantur. Antigonus dixit: Proditores tantisper amo, dum produnt: ast vbi prodiderint, odi. Plutarchus Augustum exclamasse refert, προδοσίαν φιλῶ, προδότας δ' οὐκ ἐπαινῶ. hoc est, Proditionem amo, proditorem autem non laudo. Præterea Lasthenes quidam, cùm patriam suam Olynthum Macedonibus prodidisset, atque ob id

Plutarch.

B se apud eos in honore futurum arbitraretur, ei longè secus accidit. Nam per castra passim à militibus proditor appellabatur. quocirca ea de re grauiter cum Philippo Rege conquestus, audijt: Macedonas suos, homines esse admodum rudes & agrestes, qui res alio nomine quàm suo ac proprio vocare nescirent. Dicunt, inquit, σκάφην, σκάφην. quod perinde fuit ac si diceret: Cùm ipse talis sis, aliter appellari non debes. Demosthenes in Orat. περὶ στεφ. Nemo, inquit, ô Athenienses, eo animo pecuniam consumit, vt proditorum rationibus consulat: neque quispiam, posteaquam ea quæ redemit, obtinuerit, atque in potestate sua habuerit, proditorem reliquis de rebus in consilium adhibet. Apud Homerum Achilles Iliados 9. siue ι.

Demosth.

C

Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς Ἀΐδαο πύλῃσιν,
Ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθῃ ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ βάζει. id est,
Inimicus enim mihi ille æquè, ac inferni portæ,
Qui aliud occultat in mente, aliud autem dicit.

Homerus.

Et Chorus apud Æschylum in Promethei tragœdia,

Didici enim odisse proditores:
Nec est vitium quod magis, quàm hoc respuam.

De proditore item Cicero: Omnium, inquit, communis est inimicus, qui hostis est suorum: nemo vnquam sapiens hosti credendum putauit. Addamus Ciceroni suum interpretem Asconium Pædianum in secundam Verrinam. Prodere, ait, deterius est, quàm oppugnare. Nam oppugnant, inquit, inimici, quod eis vitio verti non debet. At produnt, qui amici videri volunt, ac tales erga nos esse deberent.

Tullius.

D Ideoque cùm ab officio recedant, longè grauiùs quàm illi peccant. Copiosius eandem sententiam exaggerat Xenophon lib. 1. Rer. Græcar. Tantò, ait, perniciosius delictum est proditio, quantò difficilius rem latentem quàm manifestam custodire: tanto etiam abominabilius; quia hostes aliquando conciliantur, amicique redduntur. At qui semel in proditione deprehensus est, cum illo nemo vnquam in gratiam redit, aut illi deinde confidit. Hæc Xenophon. Sed & Esaias cap. 16. ideò Moabitas grauiter increpat, quòd Israëlitas, dum ab inimicis vexarentur, acerbissimè tractarint; & illos admonet, ne Iudæos illo eorum tempore ad se confugientes prodant. Paulus denique ad

Xenophō.

NOSTRŨ ERIT,&c. Timotheum epist. poster. scribit, fore posterioribus temporibus homines grauissimis sceleribus corruptos, in quorum sensu etiam proditores enumerat.

Nicephorus Calist. Confirmabo rursum vno atque altero exemplo. Constantius Imperator, cùm aduersus eum rebellasset Eudochius, & victus ad Ecdicium confugisset, Ecdicius eum benignè hospitio suscepit, tanquam qui ab eo accepisset beneficia: noctu tamen ei caput amputauit. Quod cùm ad Constantium detulisset, Constantius quidem de facinore hoc gratias ei egit, & caput recepit. Cùm autem manere cum illo conaretur, discedere iussit, miniméque rem sibi, exercituique bonam putauit fore infidi hospitis consuetudinem, teste Nicephoro Callis. lib. 14. histor. cap. 6. Dauid 2. Reg. cap. 4. Rechab & Baana, Isboseth domini sui proditores atq; interemptores, cùm caput eius attulissent, manibus pedibusque amputatis suspendi iussit. Genes. 34. Simeon & Leui cùm per fœderis atque amicitiæ simulationem Sichimorum vrbem euertissent, à patre tandem, quo tempore reliquis filijs precabatur bene, audierunt *vasa iniquitatis bellantia.* Et, *Maledictus furor eorum, &c.* Genes. 49. Ioab, & Doëg, & Iudam, non vno loco Scriptura diris deuouet, maledictisq; configit. Addam postremò & illud seueritatis in proditorem exemplum, quod refert sanctus Hieronymus de Optimo genere interpretandi ad Pammachium, Theodosium Imperatorem, Hesychium virum consularem capitis damnasse, quòd Patriarchæ Gamalielis chartas inuasisset. Nec id sanè mirum fuit, quandoquidem apud Romanos, *vt in ff. habetur, De re militari. L. Omne. §. 2. & C. De commercijs & mercaturis. L. 2.* reuelasse cuiuspiam secreta, capitale fuit. Proditor est, qui arcana sibi commissa aperit, vt notat Archidiac. in *c. Clericus. 1. 46. dist.* De proditoribus non pauci plura, & quidem accuratius, atque in primis Pausanias in Achaïcis, atque Messenicis: quibus locis cùm plures recenset proditores, tum studiosè admonet quantis illi malis Græciam perculerint, atque afflixerint. Petrus etiam Gregor. Iuris Syntag. lib. 35. cap. 5. proditionis publicæ, quæ ad legem maiestatis pertinet, non paucas species enumerat: sed nos cùm de priuati hominis iniuria disseramus, ea nobis solùm repetenda duximus, quæ vel generatim proditionem damnarent, vel speciatim scelus in priuatos admissum vlciscerentur.

Luunt pœnas violatæ fidei.

S.Hieron.

Proditores qui laudem & præmia meruerint. Neque tamen omnia quæ hactenus retuli, probari à me necesse est, cùm videam plures ex ijs, qui patriam priuatosque prodiderint, cùm præmijs affectos, tum etiam apud posteros laudem consequutos esse. Rahab certè, vt Iosue exploratores seruaret incolumes, patriam prodidit. Iosue 2. Atqui ob eam causam seruata est eiusdem lib. cap. 6. Quid Iahel? annon illius laudes mirificè Debbora prædicat? *Benedicta,* inquit Iud. 5. *inter mulieres Iahel vxor Haber Cinæi.* Et tamen illa Sisaram benignè exceptum clandestina vi oppressit, cùm esset *pax inter Iabin Regem Azor, & domum Haber Cinæi.* Iud. 4. Nec secus Iudith Holophernem, beneuolentiam professa iugulauit. quam tamen ijs encomijs Sacerdotum corona exornat: *Tu gloria Hierusalem, tu lætitia Israël, tu honorificentia populi nostri: quia fecisti viriliter, &c.* Iudith c. 15. Dauid huius lib. cap. 30. puerum illum Ægyptium, qui dominum Amalecitam cum suis prodidit, nequaquam supplicio affecit, sed tanquam autorem non mediocris beneficij, quod optarat, vita donauit. Denique Iud. cap. 1. proditorem vrbis Bethel filij Ioseph ita dimiserũt, vt statim vrbem aliam nomine Luzam in terra Hetthim excitaret. Ex quibus colligimus, non vsqueadeo damnatam esse proditionem, vt prodere nunquam liceat.

Rationes ab initio propositæ dissoluuntur. Nec rationes, quas ab initio posui, quicquam obstant, quo minus aliqua proditio approbetur. Dicebatur primùm ex Antigoni, Augusti, Philippi Macedonis, Achillis Homerici, Æschyli, atque Demosthenis autoritate, proditores consueuisse malè audire. Hoc respondeo propterea contingere, quòd proditores plerunque iusti atque honesti rationem non habent, neque iustitiæ causam, quam sequuntur, explorant: sed tantùm odio, commodo suo, timore, prauis affectibus ad prodendum adducuntur: potuissentque alijs vijs & rationibus, quibus fas est, & decet, ius suum obtinere. Adhæc interponere mendacia, & manifesta peccata sæpius non verentur. Deinde illud obseruo, malè istos pronunciasse, cùm se proditionem amare, proditores autem odisse testati sunt: cùm vtrumque aut simul probandum, aut simul improbandum videatur. Nisi fortè non se proditionem amplecti intelligunt, sed nonnullum fructum, qui nonnunquam ex malis, occasione accepta, nascitur. Denique, vt vno verbo dicam, testimonia quę adducta sunt, in malis & damnatis proditionibus locum habere tantummodò possunt. qui verò de seipsis cogitantes, se ac sua prodi nolent, & idcirco nullam proditionem bonam esse patiuntur, ijs respondendum est, quod ait sanctus Augustinus: Non esse audiendas illorum querimonias, qui patiuntur: sed facientium animum spectare oportere.

S. August. l. 2. aduersus epist. Petiliani, c. 10.

Secundo loco Pædianus cum Tullio & Xenoph. asserebat, multò deteriorem esse proditionem oppugnatione, quòd hæc ab inimicis fieret, altera verò ab amicis. Id facilè dabitur. Nam si mala iniustaque proditio cum oppugnatione item iniusta conferatur, proditio longè deterior censebitur, quandoquidem ab amicis proficiscitur, à quibus nec læsio, nec detrimenta expectanda erant. Sed vt aliqua oppugnatio reperiatur iusta, quid erit ab re, vel alienum à vero, si aliqua etiam proditio iusta reperiatur? Collatio itaque Pædiani ita est accipienda, vt vtrumque comparatorum sit malum. Nam, vt Grammatici aiunt, gradus comparatiuus positiuum semper exigit, in quo fiat comparatio. Quod autem Xenophon ait proditori abrogari fidem, & minus quàm hosti quemquam illi fidere posse, nequaquam in illũ quadrat, qui studio iustitiæ, aut publicæ salutis gratia, suos affectus contempserit; quin potius eo maiorem apud omnes bonos fidem inueniet,

quo illi chariorem ciuium incolumitatem & virtutem perspexerint. At Constantius in Ecdicij facinore exhorruit, & eius consuetudinem auersatus est. Non, opinor, quòd proscriptum, & Reipublicæ grauem tyrannum necasset, sed ferum hominis ingenium, & immanem sæuitiem execratus est, qui hospitis & amici quondam sui ruinam insolenter iactaret, cuius casum lugere debuerat, & reliquias naufragij eius tentaret pretio addicere. Cædem Isboseth Dauid, & Abner, atque Amasæ probare non potuit. Iacob indignatus est, pacem quam dedisset autoribus filijs, eorumdem temeritate atque audacia cædis occasionem præbuisse. Imperatorem Theodosiū, Hieronymo teste, proditorem capitis damnasse, mirum non est, cùm leges Romanæ ita sanciant *in D. & in Cod.* vt superius est demonstratum. Et sanè proditio ea, quæ mala est, pro crimine grauissimo haberi debet. Etenim si iactura ibi fiat nominis ac famæ, pugnat cum Dei præcepto, quo mandat: *Ne falsum testimonium dixeris.* Sin verò fortunarum & rerum, præcepto, quod statutum est contra furtum, aduersatur. Denique si corporis & vitæ mandatum violat, quo Deus præcepit, *Non occides.* Nec dubium est, quin ex proditionibus eiuscemodi homicidia plerumque contingant, & capitales inimicitiæ coorianturt. Cædis porrò eius, quæ iniustè consequitur, damnorumque omnium, malus proditor reus est. Quamobrem, si leges, aut Principes huic sceleri pœnam capitis decreuerunt, id non iniquè factum arbitror: sed id non obstat quominus bonæ proditiones reperiantur. Prodere furem, bonum est, & sicarium, & patriæ proditorem, denique quicunque inimicus est publicæ quietis. Qui hos prodit, officium facit: qui tegit, ciuium proditor habendus est. Esaias sanè, vt dicebatur, nomine Dei Moabitas admonuit, vt ne suos profugos proderent, quia id ex inimicitia & odio, non quòd voluntatis Dei iuuandæ studiosi essent, fieri videbat. Nec enim Deus Moabitis, vt affligerent Israëlitas mandauerat. Quamobrem, cùm Hebræi à Moabitis, vel ab Edomæis prodebantur, non poterat id non fieri ex crudelitate, cùm viciniæ & cognationis iura violarent. Paulum verò ad Timoth. de proditione vitiosa loquutum fuisse apertius est, quàm vt nunc oporteat à me demonstrari.

Proditio plurib. Dei legibus aduersatur.

Notatio nominis.

Paucis exponamus, quid sit quod Latini vocent *prodere*. Quantum ad præsens negotium attinet, tria videtur hoc verbum significare: nimirum patefacere, fallere, ac tradere. Proditio igitur actio est, qua dolo, patefactione, seu traditione, proximi, aut res eorum læduntur, ab ijs præsertim, qui eas potius tueri debuerant.

Quibus legibus proditio legitima haberi debeat.

Iam verò vt intelligas quàm malè Ziphæi officio functi sint, & quemadmodum illi inter malos, & non bonos proditores referri debeāt, paulò accuratiùs singulas proditionis partes perscrutemur, & quibus legibus ea actio legitima fieri possit doceamus. Legitimæ proditionis is scopus est, ea ratio, vt malum vitetur, aut vindicetur. Fieri autem illud patefaciendo tradendove debet. Sed cui tandem? nam hæc videntur in eorum numero esse, quæ sunt ad aliquid. Distinctio adhibenda esse videtur. Nam
A eorum malorum, quæ Rempublicam labefactant, cognitio ad Magistratum pertinet, vt pote, cui publica salus credita est, & omni studio ad eam tuendam incumbere debet. Si quis itaque moliri perniciem Reipublicæ, si rapinis cædibusue, aut quibuscunque alijs machinis perturbare pacem Prouinciæ deprehensus sit, hunc quamprimùm decet Magistratui prodere; vt incendium, quo plures deflagraturi sunt, mature extinguat. Quid si Magistratus summi secum contendant, & turpibus inter se iurgijs conflictentur. Respondeo: quando bellum vel controuersia inter aliquos inciderit, quorum altera pars iustam bonamq; causam habere cognoscatur, si altera quæ tuetur deteriorem, ac proinde iniustè agit, ad bonas æquasque conditiones
B adduci se nullo modo patiatur, profectò boni viri, quos loci muneriue ratio cum illa coniunxerit, ea ratione qua possunt iustitiam promouere, iuuare, atque tueri debent: ac si oporteat ab iniustis ad iustos deficere. Nec eorum proditio seu mala iure potest damnari, quamlibet ijs, qui peruersè agunt, arctissima prius necessitudine coniuncti fuerint. Quid si priuatim quis alteri nocere studeat, nec clàm te sit, cui prodere debeas? Respondeo: primùm summa vi niti debes quo hominem à proposito deterreas. Quod si nihil promoueas, sed obfirmato animo statuat scelus perficere, tum priuatim is tibi monendus est, qui malo remedium priuatim adhibere queat. Alioquin silentio premendum est quod probare non possis; & summopere cauendum, ne is facinus ab alio
C meditatum præoccupet quem monueris, & quod aliena culpa futurum erat, tua fiat.

Quæ conditiones circa eum quē prodas obseruādæ sint.

Sed aliæ rursum conditiones, circa eum quem prodas obseruandæ sunt. Prima est, vt nocens sit qui defertur, idque certa scientia noueris. Nam ex incertis coniecturis quemquam in certum periculum conijcere, nefas ducimus. Nam obseruare quidem de fide suspectum licet, & quibus potius rationibus proximi salutem in tuto collocare: sed iniuriā propterea cuiquam imponere, aut periculum creare non licet. Quid si me quidem hominis flagitium lateat, sed publicè proscriptum intelligam, an tum prodere non debeo? Respondeo: si iniustè quæri ad cædem noueris, prodire sine scelere non potes: sin tu illius innocentiam pariter vt scelus ignores, Magistratui parendum est, & illius stan-
D dum iudicio. Neque enim singulos adhibere in consilium potest, & qua ratione quid quaq; de re fiat, speciatim admonere: sed in dubijs apud priuatos autoritas publica fidem sancit. Ziphæos porrò Regis inuidia minimè fugiebat, & spectatam satis atque exploratam habebant Dauidis innocentiam. Vnde sequitur, vt crimine proditionis absolui nullo pacto queant. Secunda conditio est, vt illud quoque sedulò spectes, an idoneis argumentis fidem facturus sis; ne si persuadere non possis, scandalum parias magis, aut tibi malū accersas, quàm quicquā proficias. Quamobrem abstinere nos Apostolus docuit, non à malo tātùm, sed etiam ab omni specie mali. Quod tamen eius docu-

In dubijs apud priuatos autoritas publica obtinere debet.

Nostrū erit, &c.

mentum, vt per nos fieri potest, debemus intelligere. Licet enim quandoq; rem specie quidem, non tamen verè malam, cōmittere: dum tamen spes est, vt res è vestigio pateſiat; ita vt quod primo aspectu visum est malum, liquidò cognoscatur fuisse bonum. Sic Apostolus ipse Timotheum circūcidit, & caput totondit, quæ per se ac verè mala non erant, licet quibusdam, qui ex Ethnicis conuersi erant, nec satis hactenus confirmati, quandam speciem mali præ se ferre viderentur. Sic nonnunquam prodi nonnullos, de quibus mali nihil suspicemur, multorum animos offendit. At si subinde periculi magnitudo, aut sceleris atrocitas arguatur, tum nos quidem temeritatis damnamus, proditorem autem laudibus in cœlum ferimus, quem apparet optimam Reip. operam nauasse. Præter hæc consultum admodum fuerit, ne ad hoc veniatur, nisi cùm alia remediorum genera defuerint. Nam hostilis proditio est, & dedito paciscendi ęquis conditionibus facultatem amputat, non rarò etiam spem omnem veniæ adimit. Rahab porrò sic egit. Nisi enim tunc exploratores Hebræorum seruasset, de illis humana ratione actum erat, neque alia eorum seruandorum occasio supererat. Sic Michol, sic Ionathas Saulis filij, cùm Dauid in summo vitæ discrimine versaretur, voluntatem & consilia patris Dauidi prodiderunt. Sic denique Chusaï Arachites Absalon prodidit, cùm oppugnato Achitophelis consilio, suum longè deterius obtrusit, & Dauidi omnia indicauit. Et sanè crebrò accidit, vt pars deterior, alijs vijs & rationibus tentatis, ad sanitatem reuerti nolit; ita vt non alibi quàm in proditione remedium supersit. Si itaque, cùm reliqua expertus fueris, perstare in sententia maleficum perspexeris, pestem prode, nosque libera metu.

Quæ proditor obseruare debeat si studeat officium facere.

Nunc, quod ad proditorem attinet, si officium facere studeat, & vt se ament Deum hominesque promereri, illud cum primis vtile ac nessarium iudico, vt seipsum excutiat, & suam mentem diligenter exploret. Non enim liuore atque odio, vel vt susceptis inimicitijs satisfaciat, non mercedis aut præmij spe, non cuiusquam gratia aut periculi formidine, quod vitare cupiat, ad prodendum quemquam impelli debet, sed amore iustitiæ, & publicæ studio vtilitatis incitari. Nam si secus faciat, seruit ille priuatim suis commodis, nec Remp. curat, aut diuinis legibus obtemperat. Quamobrem tametsi rem multis vtilem faciat, nullam tamen laudem meretur, nec caret penitùs proditoris infamia, quod videatur odore lucri ad prodendum quemlibet allici posse.

Non decet mentiri vt boni quicquā facias.

Ad extremum, quod spectat ad ipsam actionem, periuria seu mendacia non sunt ijs proditionibus, quæ probari possint, admiscenda. Siquidem ex Apostolica regula constat, committenda non esse mala, vt bona succedant. Scio quidem nonnullos ea mendacia niti defendere, quæ officiosa vocantur: sed sancto Augustino id minimè probatur. Cuius rationes qui volunt cognoscere, librum eius ad Consentium legant. Nunc plerique omnes Catholici eius opinioni subscribunt. Nam etsi nulla esset alia ratio, ea mihi satis superque videtur sufficere, quòd mentiens sibi ipsi fidem abrogat, & semper eius oratio vt suspecta de mendacio auditur. Adhæc accedit, Scripturam mendacia passim detestari: iubemurque loqui, vt Petrus ait, *quasi sermones Dei*. Ij autem puri sunt, neque in illis mendacium vllum inhęrere concedendum est, vt Augustinus ad Hieronymum pulcherrimè scripsit. Quòd si quandoque Sanctos mentitos legimus, aut illos non excusabimus, cùm homines fuerint: aut id eos Deo volente fecisse putabimus. Nam tum ea actio, quæ apparet vitiosa iuxta naturam suam, peccatum esse desinet, si Deum illa præcepisse constiterit. Habet enim penes se occultam iuris dispositionem, in quam penetrare crebrò vix possumus.

Versus XXI.

Dixitque Saul: Benedicti vos à Domino, quia doluistis vicem meam.

Versus XXII.

Abite ergo, oro, & diligentius præparate, & curiosius agite, & considerate locum vbi sit pes eius, vel quis viderit eum ibi: recogitat enim de me, quòd callidè insidier ei.

Versus XXIII.

Considerate, & videte omnia latibula eius, in quibus absconditur: & reuertimini ad me ad rem certam, vt vadam vobiscum: quòd si etiam in terram se abstruserit, perscrutabor eum in cunctis millibus Iuda.

Variæ translationes.

Pagninus, *Benedicti vos à Domino, quia miserti estis mei*. Arias tollit *à*, & vertit, *quia pepercistis super me*. Alius, *Benedicti estote Iehouæ, quòd clementia vtimini erga me*. Sic religioso Dei nomine, quem oppugnabat in Dauide Saul, impiè abutitur, vt illos ad nefarium proditionis consilium magis perduceret. Vatablus, *Laudandi vos à Domino, quòd vos mei miseret*. Et in Schol. illud, *Benedicti vos à Domino*, sic interpretatur, singulari fauore vos prosequetur. Chaldæus, *Benedicti vos ante Dominum*. Septuaginta, εὐλογημένοι ὑμεῖς τῷ κυρίῳ, ὅτι ἐπονέσατε περὶ ἐμοῦ. Complutenses vertunt: *Benedicti vos à Domino, quia doluistis de me*. Romana editio, *quia laborastis pro me*.

Versus vigesimus secundus, Chaldæus: *Ite nunc, & praeparamini adhuc, & cognoscite, & videte locum eius in quo manens, quis vidit illum ibi? quia dicentes ei, quòd callidè agens, & exiens ille.*

Septua-

BENEDICTI VOS, &c.

Septuaginta: πορεύθητε δὴ καὶ ἑτοιμάσατε ἔτι καὶ γνῶτε (Complut. καὶ ἴδετε) τὸν τόπον αὐτοῦ, Complut. αὐτοῦ οὗ ἔσται ὁ πούς αὐτοῦ ἐν τάχει ἐκεῖ οὗ εἴπατε, (Complutenses, ὅτι εἶπε ὁ Σαοὺλ; Ald. & Rom. non habent) μή ποτε πανουργεύσηται. Complutenses vertunt: *Abite iam, & preparate adhuc, & cognoscite, & videte locum eius, vbi est pes eius, velociter ibi vbi dixistis, quia dixit Saul, Ne fortè callidè agens hic callidè agat.* Romani interpretantur: *Ite nunc, & parate adhuc, & noscite locum eius, vbi erit pes eius citò ibi, vbi dixistis: ne fortè versutè agat.* Pagninus in reliquis cum Vulgata facit: postrema verba sic legit, *quia dixit ad me, quòd callendo callidè aget ipse.* Quidam exposuit ad hunc modum: *Ite iam, informate vos certius adhuc, & cognoscite, ac dispicite locum eius, vbi erit pes eius, quis viderit eum ibi: nam dicebat mihi ipse, se astu admodum solere vti.* Id est, Dauid, quum familiariter mecum versaretur, rogatus qua ratione tam facilè hostibus potiretur, dicebat, &c. Vatablus: *Mihi enim dictum est, eum esse vehementer callidum.* In Schol. autem, Hebraïsmus est, inquit: *Dixit enim mihi* (subaudi, animus meus) *quòd callendo callidus est*, id est, quòd astu & calliditate sua vtetur erga nos. Præsagit mihi animus, eum calliditate sua elapsurum. Chaldæus Paraphrastes vertit, *dixerunt*, id est, *renuntiatum est mihi.* Alij, *dixit enim mihi*, subaudi, Dauid, quòd magno astu & calliditate vti soleat in re militari. Hactenus Vatablus. Chaldæus Ionathan, & Pagninus in vtramlibet partem inflecti possunt. Illud autem *parate*, quidam sic interpretatur, hoc est, Videte denuò ne elabatur, donec ego venero.

Versu vigesimo tertio, *Ad rem certam.*] Pagninus, *cum re certa.* Arias, *ad rectum.* Vatablus in textu, *ad certum* [*tempus.*] In Schol. *cum certo nuntio.* Quidam, *cum certo responso.* Alius, *cum certitudine.* LXX. Complut. edit. εἰς ἕτοιμον, *in preparatum* (deest in edit. Ald. & Rom.) Chaldæus, *in veritate.* Hebraïcè אֶל נָכוֹן *el nachon.* Niphal verbi כון *choun*, quod est *parare, certum facere, stabilire, &c.* Ex quo colligitur, non imperitè Vulgat. *ad rem certam* transtulisse. *Quòd si etiam in terram se abstruserit, &c.*] Pagninus, *Et erit si fuerit ipse in terra,* (Vatablus, *in regione,*) *& scrutabor eum in omnibus millibus Iuda.* Vatablus in Schol. Assumptis omnibus millibus Iuda, inquiram eum. At Chaldæus, *Et erit si ille non est in terra, & inuestigabo illum in omnibus millibus domus Iuda.* Septuaginta: καὶ ἔσται εἰ ἔστιν ἐπὶ τῆς γῆς, ἐξερευνήσω αὐτὸν ἐν πάσαις χιλιάσιν Ἰούδα. *Et erit si est super terram, perscrutabor eum in cunctis millibus Iuda.*

Benedicti vos à Domino.] Tanquam pro *indicina* Ziphæis Saul benedicit: ita enim appellat Apuleïus libro septimo de Asino aureo, munus quod indici fugitiui pro mercede dabatur.

Indicina. Μήνυτρα Græcis, Latinis indicium Iurisconsultis; vt docet Gothofredus ad caput septimum Edicti decimi tertij Iustiniani Imperatoris. Benedicere autem laudare est, & gratias agere, bene precari, quod in dandi accusandique casu effertur, ἐν τῷ ἀγωγικῷ. Ergone verum est quod scribit Plutarchus, Reges cum primis esse ἀπιστίας καὶ προδοσίας διδασκάλους, proditionis atque infidelitatis doctores? Gratulatur Saul Ziphæis eandem secum sympathiam, & bene precatur, & de studio ac voluntate agit gratias. Sed ista benedictio, re ipsa erat execratio. Nam pro fide laudat perfidiam, & pro virtute scelus. Ita autem eos laudat, ac si magnum obsequium exhibuissent Deo, cùm proderent hominem innocentem. Sed cùm istis ita benedicit, alios omnes, qui idem non fecerant, execratur. At Dauid Amalechitam illum, qui Saulem interfecerat, iussit occidi; & de latronibus illis, qui filium eius Isboseth interemerant, iussit sumi supplicium: tantùm aberat, vt illis, quasi re benè gesta, gratularetur.

QVIA DOLVISTIS, &c.

Quia doluistis vicem meam.] Quam vicem tuam? quam describit opinor Suidas in voce Ἐπιθυμία. Ἐπιθυμία, inquit, ἄλογος ὄρεξις: Cupiditas est bruta appetitio: cui hæc subijciuntur σπάνις, μῖσος, φιλονεικία, ὀργή, ἔρως, μῆνις, θυμός. id est, penuria, odium, contendendi studium, ira, amor, indignatio, iracundia. Ac penuria quidem, siue σπάνις, est cupiditas quædam in frustratione, per quam quis rebus aliquibus, quas habere cupit, potiri non potest, & frustrà tamen ad ipsam contendit, & attrahitur. Μῖσος δὲ, siue odium, est cupiditas lædendi aliquem, μετ' ἐπιτάσεως τινος καὶ συντάσεως, cum quodam progressu, & vlteriore extensione, id est, affectione longius se extendente. Φιλονεικία, *contentio, siue contendendi studium, est vehemens affectio, qua quis cum quouis contendit, aut contendere studet.* Ὀργή, vel ira, est cupiditas vltionis, qua quis cupit illum vlcisci, qui præter decorum eidem iniuriam fecisse videtur. Ἔρως δὲ amor verò, ἐπιθυμία τις οὐκ ἔστι σπουδαίων σωμάτων, cupiditas quædam non bonæ rei. Ἐστι γὰρ ἐπιβολὴ φιλοποιΐας διὰ κάλλος ἐμφαινόμενον; est enim susceptio magni laboris ob pulchritudinem in oculos incurrentem. Μῆνις, indignatio, est ira quædam inueterata, in animo sita, vltionis occasionem captans. Θυμὸς δὲ, ὀργὴ ἀρχομένη, iracundia, est ira incipiens, & *ipsa ad iram proclinitas.* Hactenus Suidas. Hæ itaque furiæ cùm dies noctesque Saulem insectarentur, non ardentibus tædis, sicut est in fabulis; sed angore conscientiæ, & cædis patrandæ cruciatu, haud mirum est, si se miserum atque infelicem prædicat.

Suidas. Ἐπιθυμία quid sit explicatur.

Pagninus, *Quia miserti estis mei.*] Vobis enim non immeritò miserabilis visus sum, qui ista paterer, & à sero meo Dauid, & à filio meo Ionathan. Pati se putat quod non inferat malum. Et reuera malis inferendi mali studium sæpè grauius est, quàm sit difficilis boni illati perpessio. Dum necare student, centies antè mortem grauiores molestias patiuntur, quàm interimant. Cæterùm misericordia quidem laudanda est, si miseria rectis oculis consideretur. Ista autem reuera non miseria erat, sed summa felicitas, habere talem defensorem, & propugnatorem regni, & talem generum. Miseria autem erat malis oculis. Nam Saul cùm esset cœcus, & amens, bonum malum iudicabat, & malum bonum. Quamobrem proditores Ziphæos laudat, & blanda oratione in-

Abite ergo, &c.

citat, vt pergant. Dauid autem in Psalmo longè aliter de istis prædicat. Nam quos Saul appellat benedictos, eos ille improbos vocat, & execrabiles, eosque ait non habere Deum ante oculos suos. Huic spiritui potiùs credendum est, quàm Sauli.

Abite ergo, oro, & diligentius præparate, &c] Magnam præ se fert curam, & sollicitudinem de capiendo Dauide. At si causam bonam habuisset, partem eius curæ commisisset Deo. Dimittit ad extremum Ziphæos cum mandatis, vt Dauidem omnibus modis exagitent, & persequantur, ne ipse cogatur vagari per deserta cum exercitu. Dedit Saul Ziphęis in mandatis, vt, re confecta, redirent ad se. Sed cur ita diligenter agit? *Quoniam de me recogitat, quòd callidè insidier ei.* Septuaginta: Μήποτε πανουργευσάμενος ὅπως πανουργεύσηται, *Ne fortè callidè agens, hic callidè agat*. Pagninus: *Quia dixit ad me* (quispiam scilicet) *quòd callendo callidè aget ipse.* id est, Dauidem callidum esse, & astutè agere. Prudentia est donum Spiritus sancti. Ea tamen humanæ carni videtur astutia. Nam *animalis homo non percipit ea quæ sunt Dei.* Ita Pharisæi clamabant, Christum *in Beelzebub Principe dæmoniorum eycere dæmonia*. Ita discipulos eius appellabant præstigiatores, & excantatores, & magos, & quiduis potius, quàm nuntios Dei. Ita Iudas proditor de Christo: *Quemcunque osculatus fuero, ipse est: tenete eum, & ducite cautè.* Quasi diceret: Cùm aliàs captus esset, elapsus est è manibus. Videte nunc, ne idem vobis quoque vsuueniat.

Dauid Saulem nulla quidem violauerat iniuria: sed esto, læserit: quando sic eum persequebatur vt hostem, & insidiari votis suis, regnumque affectare Saul in animum induxerat, animaduertis vtique, quàm sit operosa res vlcisci etiam Regi. Cùm igitur, inquit sanctus Isidorus Pelusiota libro secundo, epistola sexagesima septima, ante eum qui pœnas daturus est, is qui eas exposcit, sexcentis seipsum calamitatibus conuulneret, satiùs fuerit minimè committere, vt cum eo quod læsus ipse sis, alia quoque mala experiaris. Quòd si obscurum tibi ac perplexum videtur quod dictum est, id perspicuum reddere conabor. Considera enim si quis illatam sibi iniuriam vlcisci velit, quotnam acerbitates perferat. Primùm furore perfunditur: deinde ab ira interrumpitur. Primùm enim ebullit affectus: deinde ad vindictæ cupiditatem extimulatur. Tertiò, infinitos fluctus excitat. Quartò, mille cogitationum vias ingreditur. Quintò, metus subit, ac tremor, animique angor, iracundia nimirum eum interrumpente, ac metu concutiente, dum illud secum agitat, quonam pacto quod cupit assequatur, acceptamque iniuriam vindicet. Annō videtur tibi qui huiusmodi fuerit, ante eum, qui pœnas daturus est, ipsemet pœnas dare? At qui patientiam adhibet, ab his omnibus rebus exemptus est. Ac sanè meritò. Nam hoc in ipsius arbitrio situm est: atque ipse totum absoluit. Ille autem alter, non item. Verùm & temporis commoditate opus est, & loco, & fraude, & versuta improbitate, & armis, & machinis, & adulatione, & seruitute, & hypocrisi. Videsne quemadmodum difficilis quædam res sit vitium, facilis autem virtus? Atque illud quidem tumultibus scateat, hæc autem ab omnibus perturbationibus remota sit? &c.

S. Isidorus Pelus.

Quàm difficile & laboriosum sit vlcisci.

Curiosius agite, & considerate locum vbi sit pes eius.] Proditores Ziphæos rursum exploratores adhibet. Sunt verò qui existiment proditionem ac explorationem à se inuicem non multùm distare, sed fieri quandoque posse, vt idem sit proditor & explorator. Nam si quispiam ciuis ab hostibus pecunia corrumpatur, is & proditor est patriæ, & domesticum interim exploratorem agit. Alij hoc discrimen statuunt, vt exploratio ab hostibus, proditio à coniunctis, quibus vt amicis confidimus, proficiscatur. Verùm ea lex non perpetuò seruatur. Sed quamquam rebus ipsis ac definitionibus proditio ac exploratio multùm differant, attamen in eodem quandoq; inhærent. Quemadmodum Musica & Grammatica distant à se inuicem plurimùm; cùm tamen sæpè contingat, vt idem sit grammaticus & musicus. Munus autem exploratorum vel opus est (vt sanctus Chrysostomus docet in Epistola ad Galatas, capite secundo, illa Pauli verba exponens, quòd essent *subingressi falsi fratres, ad explorandam nostram libertatem*) res aduersariorum cognoscere, vt sibi ac suis faciliorem aditum parent ad illorum expugnationem, aut repulsam. Inde colligimus, actionem esse, ac videmus in quem finem instituatur. Ab inimicis porrò, & ab hostili animo proficiscitur: fit verò clàm, & astutè. Vt autem pugnare licet cum hostibus vi atque armis, cùm bellum iustè susceptum fuerit: ita iustum & fas est, explorandi arte seu astutia vti.

Abite ergo, &c.

Proditor & explorator quantum differant.

S. Chrysostomus.

Quare sanctus Hieronymus super Ezechielem capite vigesimo septimo, dixit, explorationem rem esse mediam, qua nimirum, cùm benè, tum malè vti liceat. Benè vsus est Moses & Iosue. Quod si bellum iniquum fuerit, exploratio quoque illi subseruiens iniusta erit. Vnde fratres Iosephi, cùm ipse diceret eis, *Per salutem Pharaonis exploratores estis;* id à se seu iniuriam & contumeliam depulerunt. Pœna verò exploratorum ea est, si deprehendantur, quæ hostibus irrogari solet, cùm in manus inimicorum inciderint. Nihil enim refert an armis, an versutia & vafritie quispiam certet. Attamen Scipio, & Xerxes, vt est apud Herodotum libro septimo, deprehensos, hic quidem Græcorum, ille Annibalis exploratores per exercitum circumduci iusserunt; & cùm in robore copiarum suarum fiduciæ plurimùm collocassent, præter omnium consuetudinem inuiolatos dimiserunt. Nam solent vtique capitis damnari. Quamobrem forti animo eos esse oportet, qui pro bono publico vitæ discrimen explorando subeunt. Non est sanè opus vulgarium hominum exploratio. Scribit Iosephus exploratores à Iosue missos, Geometras fuisse, quòd eos oportuerit benè ac perspicuè terræ Chanaan situm cognoscere. Homerus verò

S. Hieron.

De exploratoribus.

CVRIOSIVS AGITE, &c.

verò Vlyssem ac Diomedem, heroas alioquin insignes, exploratores fecit. Paulus Apostolus explorandi opus ad contentiones de religione in Epistol. ad Galat. loco iam adducto, cap. 2. eleganter traduxit, vbi scribit, παρεισάκτους, hoc est, *emissarios* quosdam ex falsis fratribus extitisse, qui παρεισῆλθον insinuarunt se, κατασκοπῆσαι ad explorandam libertatem nostram. Ac si diceret: Peruestigabant ac perscrutabantur subtiliter nostram voluntatem, vt eam expugnarent, ac subtili diligentia inquirebant, an qui nobiscum erant, præputium retinerent: illud erat libertatem explorare, vt videlicet Christianos ea deijcerent. Zipheorum is finis explorationis fuit, vt circumuentum dolis atque insidijs Dauidem sæuissimi hostis libidini per summam iniuriam dederunt.

Quod si etiam in terram se abstruserit, &c.] Quàm procul abest à priore modestia, cùm adhuc memor originis suæ, ne regnum quidem oblatum acciperet, quæsitus inter sarcinas delitesceret, spretus & illusus tacitus dissimularet? Sed nimirùm, prout se res circa nos habent, ita plerunque afficimur. Inconstantiam autem illam humani ingenij graphicè descripsit Rhianus Cretensis antiquus poëta Græcus in Poëmate de Impudentia.

Humani ingenij imbecillitas.

Rhianus.

Omnes, inquit, profectò erramus animis
Homines, ferimúsque deorum variantia dona
Pectore insipiente. Nam qui victus inops
Obseruatur, dijs grauem impingit culpam
Mæstus; virtutem verò suam animúmque neglegit,
Nec dicere quippiam audet, neque facere
Prætimore, vbi viri locupletes adfuerint:
Sed animum eius absumunt pudor & mæror
At qui feliciter agit, cuique Deus opes tribuit,
Et regnum in multos, hic obliuiscitur quod tellurí
Pedibus insistat, & mortales ei sunt parentes:
Sed arrogantia animique vitiosa elatione
Instar Iouis tonat, & caput supra ceruicem tollit.
Ast Ate leuibus accurrens pedibus,
In vertice capitis insperata, nullique visa,
Iam quidem vetulis ipsa iuuenili forma, iam verò contrà
Iuuenibus senili insistit facie fraudulenter,
Ioui deorum principi, & Iustitiæ gratum faciens.

Huius animi impotentiæ, ac mox sequutæ vltionis nobile monimentum præbet Apries Ægypti Rex apud Herod. lib. 2. Fertur, inquit, Apries ea fuisse persuasione, vt nullus neque Deorũ, neq; hominũ posset sibi adimere regnũ: adeo videbatur sibi illud stabiliuisse. Et tamen congressus cum Amasi, rebellantibus Ægyptijs, victus captúsque est, & populi potestati permissus, fœdè strangulatus. Eodem lib. Cyri Maioris stultitia in multando fluuio Gynde, cui ob submersum equum infensus erat, luculenter enituit. Nam cùm eidem minatus esset, effecturum se, vt vel mulieres sicco genu eundem traijcerent, vnâ æstate, fodiente toto exercitu, fluminis alueum in riuos trecentos & sexaginta diduxit. At illius tandem caput

Herodot.

A exectum fœmina sanguine in vtre demersit. Nec verò Xerxis minor ab eodem vecordia prædicatur. Quippe qui, cùm pontem ab eo iunctum contra tempestas dissoluisset, indignè ferens, iusserit trecenta Hellesponto verbera infligi, & in eius pelagus par compedum demitti. Iam verò, inquit Herodotus, audiui allegasse quoque cum his etiam qui stigmata Hellesponto inurerent. Certè mandauit vt colaphos Hellesponto incuterent, dicentes barbara verba ac vesana: O aqua amara, dominus hanc tibi irrogat pœnam, quòd eum læsisti, qui de te nihil malè meritus erat. Te tamen Rex Xerxes, velis nolisue, transmittet. Is tandem suorum insidijs oppressus est, vt narrat Etesias in Persicis.

QVOD SI ETIAM, &c.

Herodot. lib. 7.

B *Quod si etiam in terram se abstruserit.*] Narrat Herodotus lib. 4. Scytharum Reges, postquam in Scythiam Darius irrupisset, allegasse ad eum caduceatorem cum his muneribus, aue, mure, rana, & quinque sagittis. Persæ autem eum, qui munera ferebat, percontabantur quid illa significarent. Iste negare sibi aliud esse mandatum, nisi cùm illa tradidisset, celerrimè rediret. Iubere tamen ipsos Persas, si solertes forent, interpretari quid sibi dona vellent. Hoc cùm audissent Persæ, consultabant: & Darij quidem sententia erat, Scythas seipsos illi donare, & terram atque aquam, hac ratione coniectans, quòd mus quidem in terra gignatur, & eodem quo homines victitet; rana autem in aquis nascatur; auis vero equum referat; sagittis dandis quod seipsos tradere videantur. In hanc sententiam Darius interpretabatur.

Minantur Scytha paria Dario & Persis.

C At Gobryas vnus è septem qui magos abstulerant hoc velle dona coniectabat. O Persæ, nisi effecti vt aues subuolctis in cœlum; aut velut mures subeatis terram, aut ranis similes in paludes insiliatis, non remeabitis illuc vnde venistis, his sagittis confixi. Et hæc verior interpretatio fuit. Neque tamen, etsi temere Scythiam Darius incurrisset, quas minas intentarant Scythæ, perficere potuerunt. Nam plurimus vbique casus hominum cœptis interuenit, qui eorum conatus interpellet; vbi tum quoque accidit Nam Darij exercitum dum via quadam inuestigant, alia elapsus est.

D Cæterùm, neque cœlo neque mari Scythæ persequi statuerant, neque terram perscrutari, si fortè in eam instar murium Persæ se abdidissent. At Saul haud aliter quàm si nullius numinis conscius esset, neque se hominem nosset, *Quòd si etiam*, inquit, *in terram se abstruserit, perscrutabor eum in cunctis millibus Iuda.* Sic ferè Alcen venatores capere solent, cùm sit alioqui inuentu difficilis. Est fera, inquit Pausanias in Boëoticis, quam ἄλκην Alcen vocant. Olaus Magnus Onagrum, Albertus Magnus Equiceruum; Cardanus & alij Magnum animal. Iubatum bisontem nominari à Plinio putat Apollonius Menabenus, qui peculiarem de eo commentarium scripsit. Scaliger in exercitat. cum Rangifero confundit. Germani nobiscum dicunt *Ellend.* Prudeni hactenus & Sueci cum Græcis Alce. Non ita pridem in saltu Vicennensi feram illam peregrinam vi-

Alce, siue Ellans.

Pausanias.

QVOD SI ETIAM, &c. dimus. Nunc illa perijt. Belluarum, inquit Pausanias, hanc vnam nequeunt homines aut inuestigare, aut præuidere: sed alias indagantibus feras, hanc quoque fors interdum offert. Præsentit alioqui hominem olfactu, ex longo interuallo; ac statim in retrusos anfractus & speluncas confugit. Venatores vbi campestres vel montanos saltus ad stadia fermè mille in orbem continenti indagine cinxerint, ita vt constanter omnes, quem quisque ceperit in eo ambitu locum obtineant: ad intimos eadem agminis forma recessus progressi, feras omnes in medio comprehendunt, & inter eas Alcen; quę si fortè lustrum in ea quam obsederint regione non habuerit, nulla vtique reliqua est ad capiendum solertia. Hactenus de Alce Pausanias. Vt venatores Alcen, ita Saul Dauidem se inuestigaturum minatur, & exploraturum omnes eius latebras, etiamsi terram subierit. Porrò egregius iste indagator, cùm in speluncam alui purgandæ gratia diuertisset, in Dauidem incidit, quem quærebat, periculum experturus quod alteri moliebatur conflare, ni Dauid meliore conscientia foret. Νεοπτολέμειος τίσις, siue Neoptolemeam vltionem olim Græci dixerunt, cùm quis, qua alterum affecisset iniuria, eandem pateretur: Idcirco, quòd cùm ad Hercei Iouis aram Neoptolemus Achillis filius Priamum iugulasset, & ipsi postea accidit, vt ad Apollinis Delphici aram interimeretur. Pausan. in Messen.

Neoptolemea vltio.

VERSVS 24.

At illi surgentes abierunt in Ziph ante Saul: Dauid autem & viri eius erant in deserto Maon, in campestribus ad dexteram Iesimon.

VERSVS 25.

Iuit ergo Saul & socij eius ad quærendum eum: & nunciatum est Dauid, statímq; descendit ad petram, & versabatur in deserto Maon: quod cùm audisset Saul, persequutus est Dauid in deserto Maon.

VERSVS 26.

Et ibat Saul ad latus mõtis ex parte vna: Dauid autem & viri eius erant in latere montis ex parte altera: porrò Dauid desperabat se posse euadere à facie Saul: itaque Saul & viri eius, in modum coronæ cingebant Dauid & viros eius, vt caperent eos.

Variç trãslationes.

ANte Saul.] Hebraicè, לִפְנֵי שָׁאוּל *liphne Saul*, *ad facies Saul*; vt vertit Arias. Pagninus cum Vulgato *ante* explicat. Pagninus, *erant in deserto Maon in campestribus* (Arias, *in solitudine*) *ad dextram Iesimon*. Arias, *desolationis*. Quidam, *in planitie, quæ est ad dextram*

A *Iesimon*. Alius, *in campestribus ad Meridiem illius solitudinis*. Vulgatus in Schol. *ad dextram*, hoc est, *ad Meridionalem partem*. Chaldæus, *in planitie, quæ ab Austro Iessimon*. Septuaginta, Καὶ ἑσπέρας ἐκ δεξιῶν τοῦ ἰεσσημοῦ, *In deserto Maon*, Complutenses, *in vespere*; Roman. *Ad Occidentem à dextris Iessemum*. Aldus legit ἰεσσημοῦ. Theodoretus videtur habuisse, ἐν τῇ ἐρήμῳ ὑποκάτω, *in deserto subiecto, & plano*: pro quo inquit Aquilam dixisse, ἐν τοῖς ὁμαλοῖς, *in planis, & campestribus*: quod habet Vulgata. Dictio Hebræa, & *desertum*, & *campestria* significat.

Versu 25. *Saul, & socij eius.*] Hebraicè, *& viri eius*. *Et descendit ad petram*. Arias, *& descendit petram*. Chaldæus, *& descendit ad rupem*. Septuaginta, Καὶ κατέβη εἰς τὴν πέτραν τὴν ἐν τῇ ἐρήμῳ Μαών, *& descendit ad petram in deserto*
B *Maon*. Alius, *Descendit è petra illa*, id est, è colle Hachilæ, de quo suprà versu vigesimo. *Et consedit in deserto Maon*. Sensus est, quidam ait, quòd ab eo loco, in quo fuit, descendit in vallem, vt hinc ascenderet ad præsidium petræ. Vatablus idem apertius in Schol. Vallis erat media, inquit, ex eo loco in quo erat Dauid, in rupem, in quam volebat ire, quasi dicat, descendit in vallem, quæ erat inter locum, in quo erat ipse Dauid, & rupem illam.

Versu 26. *Porrò Dauid desperabat se posse euadere*. Pagninus, *Et festinauit Dauid ire à facie Saul. & Saul & viri eius circundabant Dauid, &c.* Vatablus Salmant. *Festinauitque Dauid præcipitanter vt effugeret ante Saul, sed Saul & viri eius cingebant Dauidem*. In Schol. quanta poterat festinatione parabat discedere à Saul.
C Arias cum Vulgata עֹטְרִים *ghotrim* interpretatur *cingentes corona*. Alius, *vt Dauide accelerante abitum metu Saulis, Saul & viri eius circumcluderent Dauidem, &c.* Chaldæus, *Et fuit Dauid disquirens ad abeundum ex-ante Saul: & Saul & viri eius insidiantes super Dauid, &c.* Quidam denique vertit: *Fuitque Dauid anxius, quomodo abiret à facie Saul: Nam Saul, &c. cingebant, &c* נֶחְפָּז *neepaz* interpretantur Hebræi *sollicitum* & *festinum*. Et hinc fit nomen חִפָּזוֹן *hipazon*, quod significat *angorem animi*, & mobilitatem seu instabilitatem, quæ pauorem habet annexum. Alij *festinationem, pauorem, stuporem* interpretantur, à verbo חָפַז *hhaphaz*, quod est *festinauit, fugit cum pauore, obstupuit*. In Niphal, quomodo Scriptura nunc vtitur,
D *territus, turbatus, sollicitus, obstupefactus*. Quare non imperitè Vulgatus vertit, *desperabat se posse euadere*: non quòd diffisus Dei promissis, spem omnem abiecisset: sed quòd periculi præsentia turbaretur; quemadmodum nos quoque solemus, cùm in rerum terribilium spectaculum incidimus; tametsi non ignoremus nos procul abesse à discrimine. Septuaginta rerum statum magis explicant, quàm ipsam perturbationem animi. Καὶ Δαυὶδ ἦν σκεπαζόμενος πορεύεσθαι ἀπὸ προσώπου Σαούλ, *Et Dauid erat tectus, vt iret à facie Saul*. Ita Complut. Eodem sensu Rom. editio, *Et fuit Dauid tegens se in eundo à facie Saul*. Deinde Ald. & Roman. Καὶ Σαοὺλ καὶ οἱ ἄνδρες αὐτοῦ παρενέβαλον ἐπὶ Δαυίδ, &c. *Et Saul, & viri eius castrametati sunt super Dauid.* Complut.

ADDEXTRAM IESIMON.

Compl. προσεπορεύοντο appropinquabant super Dauid. quod alij vertunt, à latere cingebant Dauid. Fame scilicet, atque inedia, si forte vi non posset, statuerat milites Dauid cogere ad deditionem.

Arnobius.

Ad dexteram Iesimon.] Ridet Arnobius libro aduersus Gentes quarto, dextras læuásque partes mundo dari: scribítque pro ratione situs corporis, variare mundi partes, vel læuas, vel dextras. Nam quicquid teres est, & ex omni parte rotunditate solida connexum, definiri aliqua finis aut initij parte non potest. Itaque cùm dicimus, inquit, hæc regio dextera est, illa læua: non ad mundi habitum dicimus, qui sui simillimus totus est, sed ad positionem nostram, sitúmque reuocamus. Sed riserit Arnobius: quandoquidem tamen his quoque loquendi formulis non rarò Scriptura vtitur, visum est semel quærere, quid dextra læuáque in topographia designet. In siderum cursu Orientem nominari dextram cœli partem, Occiduam verò plagam, læuam sinistramúe, ex Higyni obseruatione didicimus. Vnde & Plinius lib. secundo cap. octauo Natur. histor. errantia sidera læuum tenere cursum, mundi vertigini contrarium scribit, illo semper in dexteram præcipiti: cui consentit & Ptolemæus. Eódem spectat & Orphei vetustissimi poëtæ dictum, Solem dextrum auroram producere, læuum noctem. Hoc est, in Oriente diem parere, in Occasu noctem. Quid quod apud Græcos σκαιὰ id est læua, dici τὰ δυτικὰ siue occidua annotat diligentissimus Eustathius? quin & ex Aristotelis sententia Chalcidius Timæi Platonici interpres, Orientem dextram mundi partem statuit. Attestatur item Plutar. lib. 2. de Philosophorum placitis, his verbis. Pythagoras, Plato, Aristoteles, dextram mundi partem Orientalem esse dixerunt, vnde motus initium existat: occiduam verò læuam. At Cleomedes Græcus autor, cuius opus non ita pridem in lucem exijt, Septentrionem pro dextra ponit. Similiter & Hetrusci olim Aruspices dextram nominabant Septentrioni subiectam, sinistram meridiei expositam, quomodo & poëtæ accipiunt. Contrà Empedocles dextram statuit ab ea parte, qua solstitium æstiuum est: sinistram, qua brumale. Et apud T. Liuium in Numa, Augur regiones ab Oriente ad Occasum determinans, dextras ad Meridiem partes, læuas ad Septentrionem esse dixit.

Hadr. Iunius lib. 3. Animad. cap. 3.

Quæ dextra, quæ læua pars mũdi.

Chaldæus hoc loco *dexteram*, *ab Austro* vertit. *In planitie, quæ ab Austro Iessimon.* Vatablus in Schol. *Ad dexteram*, hoc est, *Ad meridionalem plagam*. Iunius, *In campestribus, ad meridiem illius solitudinis.* Hebraicè, אל ימין *el iemin.* ימין *Iamin* proculdubio Hebræis, Chaldæis, Syris, Arabibus *dextram* significat. Inde *Beniamin* Genes. 35. *Filius dexteræ* Iacobo patri dictus est. בנימין *Beniamin*, quod nomen *filium dexteræ* Vulgatus noster interpretatus est, Aben Ezra legere maluit בן ימים *Ben iamim filium dierum*, quòd illum Iacob in senectute genuisset. Æquè leue est quod de Rab. Leui referam, nominis etymologiam exposuisse *filium meridiei*, ob eam causam quod solus

Dextram partem Meridiem Scripturæ interpretes accipiunt.

A hic filius ei natus est in terra Israël, quæ est ad meridiem eius loci, in quo nati fuerunt reliqui filij. Habeatur illud, vt forte est, inertis Iudæi commentum: certè illud indicat exponi ab eis *dextram* pro *Meridie*. Vtique ימין *iamin*, sine addito ת תימן *theman* Hebræis, Syris, & Arabibus *Meridies* est, seu plaga Australis, quæ ad Orientem conuersis dextram occupat. Sic porrò hominis situm in locorum designatione accipi debere vel ex eo conuinci potest, quòd Orientem פנים *panim* siue *facies*, Occidentem אחור *achor*, hoc est, *posterius* nuncupant. Nec verò nos exempla deficiunt, quibus id autoritate Scripturæ probemus. David Psalm. 88. versu 12. his verbis Deum compellat; *Aquilonem & mare tu creasti.* צפון *tsaphon* Septentrionem, וימין *veiamin*, Septuaginta *mare:* ימים *iammim*

B scilicet Græci à ים *iam*, quod est mare deriuarunt: quibus nec ipsi magnopere refragamur: siquidem ad dextram & meridiem Iudææ iacet sinus Arabicus & Erythræum mare: frequentes tamen Hebræi *Septentrionem & dextram*, aiunt, *tu creasti*, siue, vt Targum habet, *eos qui sunt in meridie.* Sed nec solus Chaldæus, quod identidem facit, dextram meridiem interpretatur: Sed etiam nonnullis locis Vulgatus noster, idque in primis disertissimè Cantic. 4. vers. 16. *Surge*, inquit, *Aquilo, & veni* תימן *theman.* Vulgat. *Auster.* Vti porrò ימין *iamin*, siue dextra, Meridiem significat, ita & שמאל *semol* siue sinistra designat Septentrionem. Genesis capite decimo quarto versu decimo quinto. *Quæ est ad læuam Damasci*, Chald. Paraphr. exponit, *à Septentrione.* Manifestè vtrum-

C que colligi potest ex Iob capite vigesimo tertio vers. 8. & 9. *Si ad Orientem*, inquit, *iero, non apparet: si ad Occidentem, non intelligam eum.* Postquam verò de Oriente & Occidente sermonem fecit pergit idem quoque de reliquis orbis partibus asserere. *Si* שמאל *semol, ad sinistram, quid agam? non apprehendam eum: si me vertam* ימין *iamin, ad dexteram, non videbo illum.* Iam verò post designatum Orientem & Occidentem, quæ partes illæ sinistræ dextræque esse possunt, nisi quæ vtrinque vergunt ad Septentriones & Meridiem? Ita palàm Chaldæus accepit. Id verò tu quoque quò facilius in animum inducas, mecum animaduerte, superiore versu pro Oriente קדם *Kedem*, quod est *ante*: & pro *Occidente* אחור *achor*, siue *retrò* esse po-

D sita. Nam si Orientem ante te statuas, à tergo Occidentem, dubitare posthac opinor non poteris quam in partem dextram sinistramúe porrigas. Denique Chaldæus Genes. decimo tertio versu 9. quo loco apud Vulgat. legimus: *Ecce vniuersa terra coram te est: recede à me, obsecro: si ad sinistram ieris, ego dextram tenebo: si tu dextram elegeris, ego ad sinistram pergam:* dextram, Meridiem; sinistram, Aquilonarem tractum explicat.

Descendit ad petram, & versabatur in deserto Maon.] Adrichomius in sorte Iudæ Numer. 184. & 185. Desertum Maon nemerosum & plenum faucibus & cauernis: in quo erant campestria & petra diuisionis: est confine deserto Carmeli, & deserto Pharan. Hunc

Topographia.

ET IBAT SAVL, &c.

locum Dauid profugus incoluit, atque hic tanquam in abdito delitescebat. Est quoque ciuitas eiusdem nominis in campestribus sita, ad dextram Iesimon, contra Solis ortum Daromæ.

Et ibat Saul ad latus montis ex parte vna: Dauid erat in parte altera.] Postquam Ziphæi diligentius Dauidis latebras explorassent, redierunt ad Saulem, qui extemplò cum exercitu sequutus est eos, venerúntque in montem: sed cùm animaduerterent eum tentare fugam, cinxerunt montem vndique, ne labi posset. Cæterùm dissimiles in montibus pugnas, & ambigua certamina, occasione exercituum Crassi atque Antonij, quos Parthi profligatos aut deleuerunt penitus, aut clade maxima affecerunt: graphicè describit Appianus in lib. de Bello Parthico. Cùm descendentes, inquit, Romanos è collibus Parthi in decliui lacesserent, & cum summa difficultate deducentes conturbarent, conuersi qui clypeos ferebant, omnes leuis armaturæ in medio clausere; ipsi genu flexo connitentes, clypeos ante se tenuerunt. Qui verò ponè steterant, & à tergo præcedentibus imminebant, armis superiectis primos contegebant: eodem modo & reliqui nisi sunt. Huiusmodi igitur figura pariformiter decliuis theatricum præbebat aspectum, propugnaculum sanè firmissimum aduersus lubricos sagittarum ictus. At Parthi inclinationem Romanorum in genua, lassitudinem & calorem interpretati, arcus deposuere; contisque acceptis cominus cœperunt lacessere: ad quos Romani sublato continuò clamore, repentino impetu aduolant, telisque è manibus excussis, primos interficiunt, reliquos in fugam vertunt. Ad hunc modum bene & feliciter cessit Antonio, cùm è montibus in fugæ descenderet. At contra Publica Crassi filij milites, cum apud eundem Parthos fugientes collem subirent, penè sagittis ad vnum confixi. Publio, inquit, Crassi filio vulneribus confecto, cùm illius milites semitam colli proximam viderent, eò concurrerunt: equísque in medium receptis, clypeis extrinsecus eos protegentes nullo negotio Barbaros depulsum iri putarunt: quod ex aduerso illis contigit. In ordinibus quippe qui posteriores sunt, ab antecedentibus contegi solent. In ascensu verò alijs supra alios sine ordine locum occupantibus, & continuè eos, qui posterius resident denudantibus, nullus ferè modus fugæ aderat.

Appianus.

Pugnę quales in ascēsu ac descēsu mōtium.

Porrò Dauid desperabat se posse euadere à facie Saul.] Ergóne hunc referam impij hominis luculentam planè sententiam, quam habet in Alcyone, & Socrati Gentilium Philosophorum sapientissimo tribuit? Audiamus planè non Lucianum contraria his quæ loquitur sentientem, sed quantum citra fidem licuit, studiosum veritatis ac sapientiæ philosophum. O amice Cherephon, videmur nos quidem & eorum quæ fieri possunt, & eorum quoque quæ effici nequeant, tardi atque obtusiores quidam esse indices. Nam iudicamus nos planè pro humanæ facultatis viribus, quæ & rerum ignara ac rudis est, & difficilè adducitur vt credat, sed & nequaquam perspicaciter intuetur. Itaque complura nobis & de ijs quæ facilia sunt, difficilia: & quæ consequi possunt, impossibilia sæpe videntur. Atque id quidem nonnunquam per imperitiam: sæpenumerò verò ob quandam ipsarum mentium infantiam. Omnis namque homo infans vtique videtur esse, vel vltima senectute prouectus: quandoquidem pusillum admodum, ac nouellum est vitę tempus ad vniuersum æuum. Quid est igitur, ô bone vir, quod ex eiusmodi rebus, possibiléne, an impossibiles sint, dicere quippiam possint ij, quos deorum ac dæmoniorum latent potestates, quibusúe totius naturæ vis incognita est? Meministi, ô Chærephon, quanta nudiustertius tempestas extiterit? Nam vel cogitantem quidem tum fulgura illa ac tonitrua, tum ventorum incredibiles atque immensos impetus, cogitantem, inquam, pauor incessit. Vereretur forsitan quispiam vniuersam iamiam ruituram mundi fabricam. Porrò verò admirabilis quædam tranquillitatis constitutio exorta est, quæ ipsa & hactenus perdurauit. Pergit deinde Socrates, & hominum inter se ætates conferens, & artium quoque cum imperitia solertiam committens, ostendit quàm temerè de numinis potestate dubitemus. Nam pueris sanè multa videntur impossibilia, & sunt, quæ ijdem confirmata ætate cùm in viros euaserint, facilè conficiunt: multa nobis artium imperitis fieri posse non videntur; multa sæpè dæmonum præstigijs & magicis carminibus ascribimus, quæ docti artifices nullo negotio consequuntur. Quanta prior ætas fieri posse negauit, quæ posterior ætas admirabili ingenij felicitate experta est? Quanta prior ætas olim experta est, quæ plures hoc tempore postquam artis cognitio iniuria temporum deleta est, in gratiam antiquitatis ficta fuisse contendunt? lege vtrumque librum Pancirolij, alterum rerū memorabiliū deperditarum, alterum nouiter inuentarum. Quod si multa, quæ nonnullorum hominum studio comparantur, aliorum fidem superant, quis putet ea duntaxat numen efficere posse, quæ fert humana opinio? Si itaque Deus, quantùm viris & artificibus mole corporis & eruditione præstat, tantùm eosdem efficiendi potestate vincit, longè plura nobis de diuina virtute credenda atque expectanda sunt, quàm intellectu capere & intelligere valeamus. Quî fieri igitur potuit, vt Dauid desperaret se posse euadere, cùm sciret à Deo se designatum principem, nec vim promissis eius afferri posse?

Lucian. in Alcyon.

ET IBAT SAVL, &c.

Nemo impossibile dicere quicquam potest, cùm nesciat Dei quanta sit virtus.

Respondeo, de seipso quidem desperasse Dauid, cùm se vndique circumuentum conspiceret: at nequaquam de Deo spem abiecisse, cuius præsidio etiam tum confidebat, tametsi qua ratione illum Deus eriperet non agnoscebat. Aut si qua desperatio hoc loco intelligenda est, ea accipi debet iuxta consuetum morem loquendi, quo is nobis desperare dicitur, qui fugam supra modum vrget, & quamlibet moram fert impatientissimè. Itaque hoc loco Vulgatus nihil aliud se dicere intelligit, quàm quod Galli eleganter

In quo sensu Dauid desperasse intelligendus sit.

li eleganter solent: *Il se hastoit desesperement.* A
Porro David, &c. Nam hæc quoque vis est Hebraicæ dictionis. נֶחְפָּז *nechepaz.* *& festinauit David* לָלֶכֶת *lalecheth ad abeundum.* חָפַז *khaphaz* enim *festinauit*, properauit, & quidem cum aliqua perturbatione, significat; vti nos iam suprà copiosius in varijs trãslat. explicuimus. Timuit quidẽ Dauid vehemẽter, & incredibili horrore cõcussus est: non tamen desperauit. Nam in hoc tãto discrimine inuocauit Dominũ, vt apparet ex Psalm. 116. & 54. &c. Quomodo autem inuocare potuit eum, in quem non crederet? Imò ipse de se ait: *Credidi: propter quod & loquor.* Eram equidem pessimè affectus, *& dixi in excessu*, siue *festinatione mea, Omnis homo mendax.* Id quidam ita exponunt, quasi Dauid in hoc tanto periculo prorsus desperarit de promissis Samuëlis, eumque dicat fuisse mendacem. Sed id non patitur, nec B fides, quam retinebat erga Deum, nec inuocatio. Verisimilius est, illum accusare mendacij Ceilanos, & Ziphæos proditores, & dicere illos, quotquot sunt, proditores & mendaces esse. Quanquam R. Chimhi ista ad Dauidis ipsius personam refert: acsi diceret sibi, etsi tu dubites, & ambigas, tamen Deus verus est: *Omnis autem homo*, etiam tuipse *mendax*. Non ista dico, quò non putem viros sanctos interdum vacillare, & vehementer titubare, præsertim cùm relinquuntur sibi. Hoc Deus interdum permittit fieri, ne putemus nos constantiam, & animi firmitatem, ac robur habere de nostro. Dauidem de omni humano præsidio desperasse, certum est: at de diuina ope non desperauit. Nam si captus fuisset à Saule, tamen sciebat, C Deum posse se etiam captiuum in hostium manibus conseruare. Potuit enim & Ionam viuum conseruare in ceto, & pueros in igne. Imò si mortuus etiam fuisset, tamen sciebat, Deum posse se etiam è sepulchro excitare, vt promissa compleret. Alij putant, Dauidem solicitum fuisse non sua causa, sed populi, quod horreret cædem, quam videbat vtrinque necessariò sequuturam, si manus cum Saulis milite consereret. Alij putant, eum reueritum fuisse maiestatem Regiam, & idcirco noluisse pugnare contra Christum Domini. Sed quicquid sit, certum est, Dauidem horruisse mortem: nam de hoc tempore ita scripsit, *Circundederunt me laquei mortis.*

Saul, &c. in modum coronæ cingebant David, &c. vt caperent eos.] Quo tum studio Sau- D lem vnumquemque militem vrsisse putas, qua diligentia lustrasse locum, aditúsque omnes occupasse, ne quà fugam capesseret? Maturabat iter, nec vlla rupium difficultate deterritus, deuios anfractus scopulósque superabat, iam velut præsentem prædam spe deuorans. Qui cùm ita animo affectus esset, annon tibi eadem præ gaudio iactasse videtur, quæ apud Senecam Atreus in Thyestem?

Saul quo animo fuerit, cũ Dauidem iamiam capiendus esset.

Plagis, inquit, *tenetur clausa dispositis fera.*
Et ipsum, & vnà generis inuisi indolem
Iunctam parenti cerno: iam tuto in loco
Versantur odia: venit in nostras manus
Tandem Thyestes; venit, & totus quidem.
Vix tempero animo, vix dolor frenos capit.

Seneca in Thyeste act. 3. scen. 2.

Sic, cùm feras vestigat, & longo sagax
Loro tenetur Vmber, ac presso vias
Scrutatur ore; dum procul lento suem
Odore sentit, paret, & tacito locum
Rostro pererrat: præda cùm propior fuit,
Ceruice tota pugnat, & gestu vocat
Dominum morantem, séque retinenti eripit.
Cùm spirat ira sanguinem, nescit tegi.

Et illa item quæ apud Ennium,

Ennius.

———animúsque in pectore latrat.
Sicuti siquando vinclo venatica aëno
Apta solet cani, fortè feram si ex nare sagaci
Sensit; voce sua nictáque vlulátque ibi acutè, &c.

Et nuntius venit, &c.

Versus 27.

Et nuntius venit ad Saul, dicens: festina, & veni, quoniam infuderunt se Philisthijm super terram.

Versus 28.

Reuersus est ergo Saul desistens persequi Dauid, & perrexit in occursum Philisthinorum: propter hoc vocauerunt locum illum, Petram diuidentem.

Variæ trãslationes.

Et *nuntius venit.*] Hebraicè וּמַלְאָךְ *ommalach*; Græcè, ἄγγελος, *angelus.* Angelum & quemlibet nuntium ea verba significant. Videri autem potuit is nuntius, non sine Angelo comite, tam opportunè ac necessariò ad soluendam Petræ obsidionem occurrisse. Quidam, *Quia irruerunt Pelischthæi in hanc terram.* Pagninus, *Quia impetum fecerunt super terram.* Vatablus, *impetu irruerunt.* Alius, *Strauerunt se Philisthijm in terram.* Chaldæus, *Nam extracti sunt Philisthæi super terram.* Septuaginta edit. Aldinæ, ὅτι ... ἐπέθεντο ἐπὶ τὴν γῆν, *incursionem fecerunt super terram.* At Complutenses cum Vulgat. sentiunt. ὅτι ἐχύθησαν, *infusi sunt.* Arias item, *diffuderunt se.*

D Versus 28. *Petram diuidentem.*] Chaldæus, *Ideo vocarunt locum illum Rupem diuisionis, locum, in quo diuisum est cor Regis ad eundum huc & illuc.* Septuaginta, *Propter hoc vocatus est locus ille.* Πέτρα ἡ μερισθεῖσα, *Petra diuisa.* Pagninus, *Ideo vocauerunt locum illum Selah hammachlekoth*, סֶלַע הַמַּחְלְקוֹת *Petram diuisionum.* Ita vertit Arias. Alius, *Petram diremptionum.* Ex eo quod nuncio ablato de Pelischthæis, diremptæ sunt copiæ Saulis à copijs Dauidis, quas circumuenerant. Vatablus, *Ob hoc nomen adeptus est locus ille Sela hamahelecoth.* In Schol. id est, *Rupes diuisionum.* Vel *distractionum*, id est, variarum sententiarum. Quidam hoc referunt ad Saulem, cuius animus distrahebatur in partes varias, capturúsne esset prius Dauidem, an Pa-

læſtinis occurſurus. Alij referunt ad milites A Saulis, qui diuerſa ſentiebant.

Hæc porrò Scripta ſunt de Sanctis Patribus, vt eſſet vnde nos capiamus conſolationem, ſi quando ſimilia patiamur. Nam *quæcunque Scripta ſunt, ad noſtram doctrinam Scripta ſunt, vt per patientiam, & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus.* Sinit enim Dominus Sæpè rem incidere in ſummum diſcrimen, & omnia videri conclamata. Tum demum ſuccurrit in tempore, & ἐν ἀκμῇ. *Deducit enim ad inferos, & reducit.* Quid deſperatius eſſe potuit, quàm cùm Sennacherib obſideret Hieroſolymam? Audit, Æthiopas irrupiſſe in regnum ſuum: redit: & interficitur à filijs ſuis. Ita hic cùm Saul haberet Dauidem quodammodo in manibus, audit Palæſtinos inuaſiſſe Iudæam: reducit exercitum, & inuitus Dauidem relinquit. Sed ita Saul videri poteſt functus officio boni principis, quod odio priuato publicum commodum anteponat. Sed non erat ea bonitas Saulis, ſed opus Dei: qui hoſtes ſuorum ſemper aut ad alias res ab incepto reuocat, aut eos inter ſe committit, cùm iam videntur haud dubiè perituri. Saul verò tametſi perire omnia malit quàm Dauidem non perdere, ſibi tamen rebúſque ſuis cauet, quas ſine præſidio reliquerat: ſimulque timet, ne ſi hoſtis impetum non repreſſerit, negetur poſtea receptui locus. Denique veretur, ne ſi in tanto Reipublicæ periculo ciuium ſalutem negligere videatur, & pergat priuatis odijs indulgere, in plebis offenſionem incurrat, & alienum eius animum alieno tempore experiatur.

(Margin note: Deus pijs adeſt opportuno tempore.)

CAPVT VIGESIMVM-QVARTVM.

ASCENDIT ergo Dauid inde: & habitauit in locis tutiſſimis
Engaddi. 2. Cúmque reuerſus eſſet Saul, poſtquam perſe-
cutus eſt Philiſthæos, nunciauerunt ei, dicentes: Ecce, Dauid
in deſerto eſt Engaddi. 3. Aſſumens ergo Saul tria millia ele-
ctorum virorum ex omni Iſraël, perrexit ad inueſtigandum Da-
uid & viros eius, etiam ſuper abruptiſſimas petras, quæ ſolis ibi-
cibus peruiæ ſunt. 4. Et venit ad caulas ouium, quæ ſe offe-
rebant vianti. erátque ibi ſpelunca, quam ingreſſus eſt Saul, vt purgaret ventrem:
porrò Dauid & viri eius in interiore parte ſpeluncæ latebant. 5. Et dixerunt ſer-
ui Dauid ad eum: Ecce dies, de qua locutus eſt Dominus ad te: Ego tradam tibi
inimicum tuum, vt facias ei ſicut placuerit in oculis tuis. Surrexit ergo Dauid, &
præcîdit oram clamydis Saul ſilenter. 6. Poſt hæc percuſſit cor ſuum Dauid, eò
quòd abſcidiſſet oram chlamydis Saul. 7. Dixítque ad viros ſuos: Propitius ſit
mihi Dominus, ne faciam hanc rem domino meo, chriſto Domini, vt mittam ma-
num meam in eum, quia chriſtus Domini eſt. 8. Et confregit Dauid viros ſuos
ſermonibus, & non permiſit eos vt conſurgerent in Saul: porrò Saul exurgens de
ſpelunca, pergebat cœpto itinere. 9. Surrexit autem & Dauid poſt eum: & egreſ-
ſus de ſpelunca, clamauit poſt tergum Saul, dicens: Domine mi rex. Et reſpexit
Saul poſt ſe: & inclinans ſe Dauid pronus in terram, adorauit. 10. Dixítque ad
Saul: Quare audis verba hominum loquentium, Dauid quærit malum aduerſum
te? 11. Ecce hodie viderunt oculi tui, quòd tradiderit te Dominus in manu mea
in ſpelunca: & cogitaui vt occiderem te, ſed pepercit tibi oculus meus. dixi enim:
Non extendam manum meam in dominum meum, quia chriſtus Domini eſt.
12. Quin potiùs pater mi, vide, & cognoſce oram chlamydis tuæ in manu mea:
quoniam cùm præſcinderem ſummitatem chlamydis tuæ, nolui extendere manum
meam in te. animaduerte, & vide, quoniam non eſt in manu mea malum, neque ini-
quitas, neque peccaui in te: tu autem inſidiaris animæ meæ vt auferas eam. 13. Iudi-
cet Dominus inter me & te, & vlciſcatur me Dominus ex te: manus autem mea non
ſit in te. 14. Sicut & in prouerbio antiquo dicitur: AB IMPIIS egredietur impietas:
manus ergo mea non ſit in te. 15. Quem perſequeris, rex, Iſraël? quem perſequeris?
canem mortuum perſequeris, & pulicem vnum. 16. Sit Dominus iudex, & iudicet in-
ter me & te: & videat, & iudicet cauſam meam, & eruat me de manu tua. 17. Cùm au-
tem compleſſet Dauid loquens ſermones huiuſcemodi ad Saul, dixit Saul: Numquid
vox hæc tua eſt fili mi Dauid? Et leuauit Saul vocē ſuam, & fleuit: 18. Dixítq; ad Da-
uid: Iuſtior tu es quàm ego: tu enim tribuiſti mihi bona: ego autem reddidi tibi mala.

19. Et

19. Et tu indicasti hodie quæ feceris mihi bona: quomodo tradiderit me Dominus in manum tuam, & non occideris me. 20. Quis enim cùm inuenerit inimicum suum, dimittet eum in via bona? Sed Dominus reddat tibi vicissitudinem hanc, pro eo quod hodie operatus es in me. 21. Et nunc quia scio quòd certissimè regnaturus sis, & habiturus in manu tua regnum Israel: 22 iura mihi in Domino, ne deleas semen meum post me, neque auferas nomen meum de domo patris mei. 23. Et iurauit Dauid Sauli. Abijt ergo Saul in domum suam: & Dauid & viri eius ascenderunt ad tutiora loca.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Capitis vigesimi quarti summa capita paucis perstringam. Describitur primùm illud nocendi studium, quo Saul nequiter & perpetuò in Dauidem flagrabat. Deinde quemadmodum Dauid hosti capitali pepercerit, cùm eum haberet in manibus. Exponitur deinceps, cùm Saul speluncam egressus esset, & eundem Dauid ponè sequutus interpellasset, quam ad eum orationem habuerit. Postremo loco, quid illi Saul responderit, & oranti Dauid fuerit pollicitus.

VERSVS I.

Ascendit ergo Dauid inde: & habitauit in locis tutissimis Engaddi.

VERSVS II.

Cúmque reuersus esset Saul, postquam persequutus est Philisthæos, nunciauerunt ei, dicentes: Ecce Dauid in deserto est Engaddi.

VERSVS III.

Assumens ergo Dauid tria millia electorum virorum ex omni Israel, perrexit ad inuestigandum Dauid & viros eius, etiam super abruptissimas petras, quæ solis ibicibus peruiæ sunt.

בִּמְצָדוֹת *Bimetsadoth* variè, vt antea sæpius, exponunt interpretes. Vulgatus, *in locis tutissimis*. Chaldæus, *in præsidia*. Lxx. ἐν τοῖς στενοῖς *in angustis*. Alius, *in propugnaculis*. Pagninus, *in munitionibus*. Vatablus, *in arcibus*. Quidam, *in præsidijs*. *Engaddi*, desertum ita dictum putat Vatablus; vrbem alius ad mare mortuum sitam. Versu 3. *Tria millia electorum virorum*. Chaldæus, *tria millia virûm adolescentiũ*. *Etiam super abruptissimas petras, quæ solis Ibicibus sunt peruiæ.*] Pagninus, *super faciem petrarum hircorum siluestrium*. Alius, *in summitatibus petrarum, vbi hirci siluestres morantur*. Vatablus, *in summitatibus rupium, quas conscendunt rupicapræ*. In Schol. ibicum, vel, caprarum, id est, in quibus solent habitare ibices. Hoc est, super rupes abruptissimas, solis ibicibus peruias. Alius, *versus*

Variæ trāslationes.

A *rupes rupicaprarum*. id est, editissimas, qualibus illud genus animalium delectatur. Chaldæus, *super facies foraminum rupium*. Lxx. Edit. Complut. κατὰ πρόσωπον τῆς θήρας τῶν ἐλάφων, *per anteriorem partem venationis ceruorum*. Lucifer, *ante faciem venationis ceruorum*. Fortassis hoc pacto commodius exponi posset: *haud aliter quàm ceruos venari solemus*. Ald. & Rom. editio, ἐπὶ πρόσωπον σαδδαιμ, *super faciem Saddaem*. Et est vestigium, inquit Nobilius, dictionum Hebraicarum, quas Chaldæus interpretatur *foraminum rupium*. Alij non vno modo, vt suprà notauimus.

Quod ad topographiam attinet, gesta ista fuerunt in Engaddi. Erat autem locus ille desertus non longè à mari mortuo. Inde S. Hieronymus ait adferri opobalsamum: Et Salomon in suis Canticis celebrat *vineas Engaddi*. Vehementia autem & magnitudo odij, quo Saul persequutus est Dauidem, cerni potest ex topographia, & qualitate militum. Habuit enim milites ad tria millia fortissimos, & lectissimos. Deinde scrutabatur eum in huiusmodi rupibus, & petris, quæ solis ibicibus essent peruiæ, vt nullus iam locus superesset, vbi Dauid amplius latere posset. *Assumens tria millia electorum virorum.*] Iam à principio regni, suprà cap. 13. ver. 2. *Elegit sibi Saul tria millia de Israel: & erant cum Saul duo millia in Machmas, & in monte Bethel: mille autem cum Ionatha in Gabaa Beniamin.* Sed nunc postquam filium ab hominibus relegauit, & ruri habitare dixit, eiusdem ad se reuocatos milites secum habuit. Non tulit enim fauentem genero filium: sed illum quidem vt perderet, remis velísque, quod aiunt, insequutus est; Ionatham verò omnia præsidio nudauit: quo factum est, vt tria secum millia ad nutum parata haberet. Indos obseruat Suidas in voce Ἰνδοί, in bello pro singulis millibus equitum totidem vexilla vsurpasse. Quibus Draco pro signo fuit, caput quidem argenteum habens, dentibus exertis, & ri-

Suidas. Draco Indorum vexillum.

QVÆ SOLIS IBICIBVS, &c.

ctu minaci, corpus autem reliquum ex serico contextum, colorum varietate verum draconem referens. Hunc sublimem cùm ferret eques, vt par fuit aëre in cauum sinum recepto, spiras serpentis & sinuosos tractus mirificè repræsentabat, ita vt non leuem aduersarijs terrorem incuteret. Sed Indi quidem serpentis simulachro ad inijciendum metum abusi sunt. Saul deteriorem draconibus Satanam antesignanum habuit, cùm ad expugnandum Dauidem accederet. seu magis adhuc inuidiam, quæ diabolo ipso nocentior est, quippe quæ illum nósque perdidit. Addit his Suidas, Ἰνδοὶ οὔτε χρήμασι συμμάχουσι κατὰ Ῥωμαίων τῷ βασιλεῖ. Indi neque corporibus, neque pecunijs in bello Regem aduersus Romanos iuuerunt, quid ita? οὐ γὰρ ἔστιν αὐτοῖς πολεμεῖν πρὸς ἄνδρας ἀδικουμένους. id est, Nefas enim ipsis est bellum gerere contra viros, quibus iniuria fiat.

Indorum æquitas.

Super abruptissimas petras, quæ solis ibicibus sunt peruiæ.] Ἄβατον, ἀδιέξοδον Græcis; inaccessum, via carens, imperuium Latinis idem significant. Indicat Scriptura nulla locorum difficultate, quam ἀνοδίαν Græci dicunt, Saulem ab incepto deterreri potuisse. Hebraïcè legimus על פני צורי היעלים *aal penai tsoure haieelim, super facies petrarum ieelim.* יָעֵל *iaal* porrò sunt qui deducant à verbo עלה *aala*, quod est *ascendit*, & *ibices* tanquam *ascendentes* dictos velint, quòd summa montium iuga petant. S. Isidorus *ibices* quasi *auices* interpretatur, quòd auium instar ardua quæque & inaccessas rupes superent. Heluetij hactenus *ybschen* Gesnero teste nuncupant, nomine vt apparet à Latinis deducto. Albertus *caprum montanum* vocat. Varro *rotas* vt tradit Scaliger: quod audaciores, inquit, corruperunt auctis elementis, dum legi iubent *platycerotas*. Homerus ἴξαλον αἶγα, siue *saltatricem capream*. De *ibicibus* scribunt copiosè Gesnerus lib. 1. De quadrupedibus viuiparis, & qui ab eo pleráque mutuatus est, Vlysses Aldrouandus lib. 1. De quadrupedibus bisulcis, cap. 13. Gesneri icon cum Ioachimo Camerar. in Symbolis consentit: Aldrouandi imago magis ceruum refert. *Ibices* Plinius paucis ita describit lib. 8. Natur. Histor. cap. 53. Sunt, inquit, perniciratis mirandæ, quanquam onerato capite vastis cornibus gladiorúmque vaginis: in hæc se librant, vt tormento aliquo rotati in petras, potissimum è monte aliquo in aliũ transilire quærentes, atque recussu pernicius quò libuerit exultant. Hæc Plinius: quo loco Gallicus interpres Antonius du Pinet *ibices* vertit *Bokstein*, quod olet Germaniã. Ioannes Stumpfius pluribus in Chronicis Heluetiæ, cuius verba à Gesnero Latinè reddita, visa sunt huic loco lucem aliquã afferre posse. Ibices, inquit, apud Heluetios in summis montibus abundant, incolunt enim vertices Alpium, vbi glacies nunquam soluitur: natura enim frigus requirit hoc animal, cœcum aliter futurũ. Egregium est & corpulentum, specie ferè ceruina, minus tamen, cruribus quidem gracilibus, & capite paruo ceruum exprimit. Pulchros, & splendidos oculos habet. Color pellis fuscus est, vngulæ bisulcæ & acutæ, vt in rupicapris.

De ibicibus

Plinius.

Ioannes Stumpfius.

A Magni ponderis cornua ei reclinantur in dorsum, aspera, & nodosa, eoque magis quo grandior ætas processerit. Augentur enim quotannis, donec iam vetulis tandem nodi circiter viginti increuerint. Bina cornua vltimi incremẽti, ad pondus sexdecim, aut octodecim librarum accedunt; libram dico sexdecim vnciarũ. Ibex saliendo rupicapram longè superat: hoc tantũ valet, vt nisi qui viderit, vix credat. Nulla montium rupes tam edita, aut præceps est, quam non saltibus aliquot superet, si modo aspera sit, & spatia tanta promineant, quanta salientis vngulas excipere possint: parietem scandit, si asper sit, & non incrustatus. Venatores impellunt eam ad rupes excelsas, & læues: illic cùm euadere nequeat, conficitur, vel ab homine funibus per rupem demisso, vel ab ijs, qui
B scandendo per rupium latera accedunt. Fera venatorem expectat, & solicitè obseruat, an inter ipsum, & rupem, vel minimum intersit spatium: Nam si visu duntaxat intueri, vt ita loquar, possit, impetu facto se transfert, & venatorem impulsum præcipitat: sin ille ita presse fixéque rupi hæreat, adeundo vt nulla interualli spes appareat, fera eodem loco manet, in quo vel capitur, vel conficitur. Iucunda quidem hæc venatio: sed multis laboribus & periculis coniuncta; quamobrem bombardis sæpius feriuntur. Hactenus Stumpfius. Obseruat item Scaliger, deprehensas ibices aperto, atq; libero loco, capacique cursus in venatorem irruere, eúmque deijcere de rupe: Quare operam dant, vt obiectu scopulorum tecti de improuiso appareant. Tum ibi, cùm impetendi
C non sit locus, animum despondent, & facilè cedunt.] Sanguis eius, vt nonnullis placet, calculum in renibus comminuit. Fimus, autore Marcello Empirico cap. 25. ischiadicis medetur. Cæterùm cùm vbique mendacium odi, tum Medicos vehementer opto verum dicere: his namque doloribus non ita pridem tentari mea valetudo cœpit.

Scaliger.

Cæterùm priusquam ad reliqua progrediar, me planè iuuat contemplari miseram hominis maleuoli conditionem. Hinc enim palàm ab hostibus oppugnatur, inde clàm amicis insidias struit: nec iam satis altero perfunctus labore, ab altero quiescere finitur, sed illum liuor atque inuidia pariter vt hostium ferocia exagitat. Quod tam vile mancipium, tam assi-
D duo labore præfectus operum in ergastulo fatigauit? Diurno labori nocturna quies succedit, & vires, quas, labor immodicus deterit, alterna quiete reparãtur. Sed neque miles quisquam perpetuas excubias agit: sed postquã peruigil partem aliquam noctis obseruauerit, accipit successorem. A tibicine, inquit Vegetius, omnes vigiliæ committuntur: & finitis horis à cornicine vocantur. Et quoniam impossibile videbatur, per totam noctem vigilantes singulos in speculis permanere, ideo in quatuor partes ad clepsydram sunt diuisæ vigiliæ, vt non amplius quàm tribus horis nocturnis vigilare sit necesse.] Quod genus hoc militiæ, cui nulla munerum vacatio conceditur, seu potius operæ ac laboris remissio? Sed ne ipse

Inuidiæ labor & molestia maxima.

Vegetius.

Perrexit Savl, &c.

ipse quidem Dauid, quem omni contentione persequitur, simili ægritudine laborat. Etenim dum ille captator amici, alia iactatur procella, & proprio in discrimine versatur, tantisper quiescit. Saul verò nullas sibi facit inducias. Vt primùm enim Philisthæorum fregit audaciam, & impetum cohibuit, tum denuò in circumueniendis & expugnandis amicis improbo labore se macerat atque enecat. Nec porrò suo priuatim scelere contentus, lectissimum quemque militum secum conspirare iubet, & quos mente atque animo innocentis proditionem auersari sentit, cogit tamen reipsa fieri maleficij participes. quod quàm sit iniquum, & præter eius mentem atque consiliū, qui supremam regibus potestatem sanxit, is statuat atque iudicet, qui meminit non alia ratione ius imperiúmque regibus datum, quàm vt reipublicæ per eos consuleretur: & innocentes quidem eorum tuti præsidio securè agerent, noxij plecterentur.

Perrexit, inquit, *ad inuestigandum David.*] Pergunt & reliqui coacti eius imperio: & fieri potuit, vt pars eorum conscientia non deterreretur, quippe quos assidua criminatio, qua Saul in absentem vsus est: & nonnulla quoque affectati regni suspicio in fraudem induceret. Alioqui enim Dauid, si rem humanis affectibus expendas, alienus à regni cupiditate videri non potuit: quod si tentasset, facilè consequeretur, in maturè Saul generi conatibus obuiam iret. Quamobrem cùm nec suspicioni deesset locus, & Rex ipse criminandi nullum finem faceret, plures ea cura solicitos habuit: quos verisimile est Regis autoritate permotos calumniæ fidem habuisse. *Ad inuestigandum David.*] Venatorum est illud proprium, qui in syluis & montibus feras insequûtur. Num igitur is tibi fera visus est, quem mansuetudinis ergo Scriptura plurimùm commendat? Quinimò & leones hinnulos venatur, & lupi agnos. Nec verò solus solius Dauidis vestigia rimatur vt deuoret: sed cum dæmonis typum præferret, suo facto ostendit, quo studio dæmon homines captet & aucupetur. *Etiam super abruptissimas petras.*] Scilicet nulli loco fidendum est, non vastæ solitudini, non præruptis cautibus. *Neque enim*, vt docet Apostolus, *nobis colluctatio est aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus potestates tenebrarum & spirituales nequitias in cælestibus*; quæ cùm sint molis expertes corporeæ, aëria montium iuga momento superant, & pernici volatu quò libuerit extemplò aduolant. Turrium dæmones propugnacula rident, arcium mœnia nullo ariete quassant, inuadunt per medias munitiones, nec vllo patefacto aditu tanquam in capta vrbe sic illi fortunas nostras diripiunt: fortes, & ad virtutis ardua nitentes, velut de superiore loco telis conantur deijcere, nec arma timent, vtpote ferro inuiolabiles. Quæ cùm ita sint, quæ spes salutis reliqua esse potest? Attamen vna res est, quæ furialem eorum impetum atque improbitatem valet retundere. Quæ tandem? Nimirum humilitas, quæ locis depressis gaudet, & in humili sede acquiescit, inferiora semper

Dæmonis studium in perdendo homine, quod sola humilitate vincitur.

A occupans. *Recumbe*, aiebat Christus, *in nouissimo loco.* Infima dæmon non appetit, sicut nec fulmen, loca. Denique in monte periclitatur Dauid, qui in spelunca tutus delituit. In petra Saul Dauidem vrget, in spelunca Dauid Saulem in potestate habet; & eodem superior euadit.

Postremò, quis non miretur quantus labor curæque inuidum exerceant? Planè molestum virus, quod sic præcordia adurit, vt quiescendi nullam potestatem faciat. Nec soli inuidi ex omnibus qui peccant, ita torquentur: verùm & alij plerique omnes qui in scelera incumbunt, multò plus molestiæ capiunt, & afflictationis tolerant, quàm qui virtuti dant operam. Itaque S. Nonnus Episcopus Edessenus, vt est apud Nicephor. lib. 14. cap. 40. cùm aliquando Pelagiam, tum obscænæ libidini ser-
B uientem, mirificè comptam conspicatus esset, ingemuit, seipsum increpitans, quòd non pari studio mentem virtutibus excoleret. Tanti vitreum, inquit Tertullianus ad Martyras, quanti verum margaritum? Quis ergo non libentissimè tantum pro verò habeat erogare, quantum alij pro falso? Quot ociosos affectatio armorum ad gladium vocat? Certè ad feras ipsas affectatione descendunt, & de morsibus & de cicatricibus formosiores sibi videntur. Iam & ad ignes quidam se autorauerunt, vt certum spatium in tunica ardente conficerent. Alij inter venatorum taureas scapulis patientissimis inambulauerunt. Hæc benedicti non sine causa Dominus in seculum admisit, sed ad nos & nunc exhortandos, & in illo die confundendos,
C si reformidauerimus pati pro veritate in salutem, quæ alij affectauerunt pro vanitate in perditionem. Sed hæc exempla, inquit, constantiæ omittamus de affectatione (gloriæ) venientis. Habet tamen & alia plura, siue eorum, qui famæ cupiditate incensi, siue patriæ charitate incitati, siue virtutis amore aut religionis opinione animati, aut sibi ipsis mortem consciuerunt, aut ab alijs illatam stupendo animi robore pertulerunt.

Longum est, inquit, si enumerem singulos qui se gladio confecerint, animo suo ducti. De fœminis ad manum est Lucretia, quæ vim stupri passa, cultrum sibi adegit in conspectu propinquorum, vt gloriam castitati suæ pareret. Mutius manum suam dexteram in ara cre-
D mauit, vt hoc factum eius fama haberet. Minus fecerunt Philosophi, Heraclitus, qui se bubalo stercore oblitum exussit. Item Empedocles, qui in ignes Æthnæi montis dissiluit, & Peregrinus, qui non olim se rogo immisit: cùm fœminæ quoque contempserint ignes. Dido, cùm post virum dilectissimum nubere cogeretur: Item Asdrubalis vxor, quæ jam ardente Carthagine, cum maritum suum supplicem Scipionis videret, cum filijs suis in incendium patriæ deuolauit. Regulus dux Roman. captus à Carthaginiensibus, cùm se vnum pro multis captiuis Carthaginiensibus compensari noluisset, maluit hostibus reddi, & in arcæ genus stipatus, vndique extrinsecus clauis transfixus, tot cruces sensit. Bestias fe-

Perrexit Savl, &c.

Nicephor.

Tertullian.

Turpe est libidinis aut famę studio cōplures grauiora pati, quàm nos virtutis gratia perferamus.

Plura exēpla eorum qui præ amore, aut gloriæ cupiditate, acerbissima quæque tolerarunt.

PERREXIT SAVL, &c. mina libens appetit, & vtique horridiores aspides serpentes tauro vel vrso, quas Cleopatra immisit sibi, ne in manus inimici perueniret. Sed mortis metus non tantus est, quantus tormentorum. Itaque cessit carnifici meretrix Atheniensis, quæ conscia coniurationis cùm propterea torqueretur à tyranno, & non prodidit coniuratos, & nouissimè linguam comestam in faciem tyranni expuit: vt nihil agere se scirent tormenta, etsi vltrà perseuerarent. Nam quæ hodie apud Lacedæmonas solennitas maxima est διαμαστίγωσις, id est flagellatio, non latet. In quo sacro ante aram nobiles quique adolescentes flagellis affliguntur astantibus parentibus, & propinquis, & vti perseuerent adhortantibus. Ornamentum enim & gloria deputabitur maiore quidem titulo, si anima potius cesserit plagis, quàm corpus. Igitur si tantum terrenæ gloriæ licet de corporis & animi vigore, vt gladium, ignem, crucem, bestias, tormenta contemnant sub præmio laudis humanæ, possum dicere, *Modica sunt istæ passiones ad consecutionem gloriæ cœlestis & diuinæ mercedis.* Tanti vitreum? Quanti verum margaritum? Hæc Tertull. in lib. ad Martyras cap. 4. & 5.

VERSVS IV.

Et venit ad caulas ouium, quæ se offerebant vianti: erátque ibi spelunca, quam ingressus est Saul, vt purgaret ventrem: porrò Dauid & viri eius in interiore parte speluncæ latebant.

Variæ trãslationes. *QVæ se offerebant vianti.*] Pagninus, *iuxta* (Arias *super*) *viam. Vt purgaret ventrem.*] Hebraïcè, לְהָסֵךְ אֶת־רַגְלָיו *Lehasech eth-raglau.* Arias, *ad tegendum pedes suos.* סוּךְ *Souch, tegere est. Et Dauid & viri eius in lateribus speluncæ manebant.* Ita Pagninus. Chaldæus, *ad faciendum necessaria sua, & Dauid & viri eius in foraminibus speluncæ.* Vatablus: *Veniens itaque ad septa ouium* [*quæ erant*] *in itinere, vbi erat spelunca, quam ingressus est Saul exonerandi ventris gratia, Dauid autem & milites sui in lateribus speluncæ sedebant.* In Schol. Hebraïsmus, *vt tegeret pedes suos.* Hæc forma loquendi exprimit gestum & D habitum egerentis. Verecundè enim Hebraïsmus loquitur de exanitione vesicæ, renum, & alui, vt in Pentateucho non semel patet. Lxx. Καὶ ἦλθεν ἐπὶ τὰς ἀγέλας τῶν ποιμνίων τῶν ἐπὶ τῆς ὁδοῦ. *Et venit ad greges pecorum qui in via.* Καὶ ἦν ἐκεῖ σπήλαιον, καὶ εἰσῆλθε Σαοὺλ παρασκευάσασθαι. *Et erat ibi spelunca; & ingressus est Saul,* Complut. *vt præpararetur;* Rom. Editio, *ad pronocandum.* Ad quæ Nobilius in Notis, id est, ad ciendũ ventrem. Lucifer, *ad sellam.* Theodoretus quæst. 55. non habet παρασκευάσασθαι, sed ἀποσκευάσασθαι, *ad deponendum*: & hæc scribit, Honestè Lxx. sunt interpretati: Aquila autem id manifestius dixit: inquit n. εἰσῆλθεν ἀποκενῶσαι, *introiuit ad exinaniendum.* Iosephus autem, καὶ φυσικὰς ἐκκρίσεις

A ποιήσασθαι, *ad faciendum naturales excretiones.* In reliquis ferè consentiunt interpretes. ERATQVE IBI SPELVNCA.

Dauid sequutus consilium Spiritus Sancti latuit in via publica, in ipso itinere, in spelunca, in quam pastores fortasse propter æstũ solebant cogere pecora. Non putabat Saul, Dauidem ibi esse obuium: eum quærit in rupibus: at ibi Dauid esse noluit. Huc se Saul recepit, vt purgaret aluum. Est autem eiusmodi natura antrorum, vt qui sit in intimo recessu, omnia videre possit quæ fiant in aditu: at, qui ingrediantur, propter subitam mutationem nihil videant. Saul antè gloriabatur, Deum dedisse sibi Dauidem in manum. Nunc autem ipse imprudens venit in manum & potestatem Dauidis. Ita impij incidunt in foueam, quam fecerint. Verisimile est, milites Saulis oberrasse B ad fores antri interim, dum ipse exoneraret aluum.

Callistratus. *Eratque ibi spelunca.*] Callistratus in statuis, Antrum, inquit, quoddã fuit circa Thebas Ægyptias instar fistulæ expressum, in inuolucra à natura per orbem latè circa terræ caua contortũ: non enim recto tramite apertum in directos tubos findebantur, sed submontanum circumcurrens cliuum, subterraneos circos protendebat, in errorem vix indagabilem & inextricabilem excidens. Hæc est antri descriptio autore Callistrato, interprete Morello. *Quam ingressus est Saul, vt purgaret ventrem.*] Ἀποδῦναι Suidæ est à via recedere ad exonerandam aluũ. Platonem autorem facit. *Ad tegendum pedes suos.*] Verecundè sacra Scriptura naturæ sordes C exprimit. Cæterùm quod ad eam phrasim attinet, meminit quidam Monachus S. Galli Carolum Magnum per edictum cum Frisonibus Mercatoribus expostulasse, quòd breuiora pallia Francis venderent, quàm vt ijs naturæ operi incumbentes pedes tegere possent. Vltimus, inquit, Francorum habitus erat pallium canum, vel saphyrinum, quadrangulum, duplex, sic formatum, vt cùm imponeretur humeris, antè & retrò pedes tangeret, de lateribus verò vix genua contegeret. Sed vt est mos humani ingenij, cùm inter Gallos Franci militantes, virgatis eos sagulis lucere conspicerẽt, nouitate gaudentes antiquam consuetudinem dimiserunt, & eos imitari cœperunt. Quod interim rigidissimus Imperat. idcirco non prohibuit, quia bellicis rebus aptior ille videretur habitus. Sed cùm Frisones hac licentia abutentes aduerteret, & breuissima illa palliola, sicut prius maxima vendere comperisset, præcepit, vt nullus ab eis nisi grandia latissima illa longissima pallia consuetudinario pretio coëmeret. Adijciens, quid prosunt illa pictaciola? In lecto non illis possumus cooperiri, caballicans contra ventos & pluuias nequeo defendi, *ad necessaria naturæ secedens tibiarum gelatione deficio.* Hactenus S. Galli Monachus. S. Galli Monachus in vita Caroli Mag. ex VVerimberto. Francorum veterum pallia.

Ingressus vt purgaret ventrem.] Opportunè id accidit ad retundendam eius superbiam. quippe, vt scribit Antiphanes Comicus, Humanæ infirmitatis argumentũ perpetuũ.

Quisquis magnificè supra hominem de se sentit,
Exigua confisus eaque misera numatione,
In secessũ profectus, similẽ se omnibus deprehẽdet.

Hoc

In spe-lvncam, &c. Hoc sæpè suus apud Plutarchum Antigono lasanaphorus inculcabat. Secedere porrò iubentur Israëlitæ huius rei gratia Deuteron. 23. *Habebis*, inquit, *locum extra castra, ad quem egrediaris ad requisita naturæ, gerens paxillum in balteo. Cumque sederis, fodies per circuitum, & egesta humo operies quo releuatus es (Dominus enim Deus tuus ambulat in medio castrorum, vt eruat te, & tradat tibi inimicos tuos) & sint castra tua sancta, & nihil in eis appareat fœditatis, ne derelinquat te.* Buxtorfius habet elegantes Iudæorum obseruationes circa hanc materiam: neq; enim instar Christianorũ hæc ad mores transferunt, & arbitrantur stercore peccata designari: sed auream istam literam mordicus apprehendunt, & in his exponendis volutantur vt amica luto sus. Decretorum grauissima hæc sunt: Ne geminas symplegades ad Orientalem plagam colloces, néue medium anfractum antrumue Sybillæ Soli ostentes; quoniam hoc nitiduli patres esse nefas ducunt. Admonent præterea, ne quis ad salientem vesicæ manum admoueat. Inde Rabbi Haccados dictum volunt, hoc est sanctum, quòd aquæductum illum nunquam ne summis quidem digitis attigisset. Qui plura volet, & oleum atque operam perdere, autorem ipsum consulat. Mi-

Xenophon hi quidem Xenophon placet magis de veterum Persarum temperantia disputans: quin,

Persarum temperantia. inquit Cyropæd. lib. 1. etiam hoc tempore testimonium durat. tum moderati eorum victus, tum etiam defatigationis. Nam nunc quoque turpe est apud Persas & spuere, & emungi, & flatus videri plenos. Turpe item ducitur, si quis appareat quoquam ire aut meiendi, aut cuiusquam huiusmodi rei gratia. quæ quidem facere nullo modo possent, nisi vt victu modico vterentur, & humiditatem per laborem consumerent; quo fit, vt ea aliò quopiam secedant.

Cæterùm ducibus non raro militibúsque ad primum hostis conspectum aluum solui Iuuenalis indicat Satyra 5.

Trepidantibus aluus soluitur.

——— *Longos*, inquit, *castrorum ferre labores*
Si piget, & trepido soluunt tibi cornua ventrem
Cum lituis audita, &c.

Rationem docet Aristoteles in Problem. Physic. quam refert Gellius Noct. Attic. lib. 19. c.

Aristoteles. 4. quærit Aristoteles, inquit Gellius, quam ob causam eueniat, vt quibus inuasit repentinus rei magnæ timor, plerunque aluo statim cita fiant. Respondet alui pronæ ac præcipitis hanc causam esse, quòd timor omnibus sit algificus, quem ille appellat ψυχροποιητικὸν, id est frigus facientem: quæ vis frigoris sanguinem, caldorémque omnem de summa corporis cute cogat penitus & depellat: faciátque simul vti qui timent, sanguine ex ore decedente, pallescant. Is autem, inquit, sanguis, & caldor in vltima coactus, mouet plerunque aluum, & in-

Macrobius citat.] Aliam affert Macrobius Saturnal. lib. 7. cap. 11. Timentes inquit tremunt, quia virtus animæ introrsum fugiens neruos relinquit, quibus tenebatur fortitudo membrorum: & inde saltu timoris agitantur. Hinc & laxamentum ventris comitatur timorem: quia musculi,

A quibus claudebantur retrimentorum meatus, fugientis introrsum animæ virtute deserti, laxant vincula, quibus retrimenta vsque ad digestionis opportunitatem continebantur. Hæc Macrobius. Apparet naturam in periculo facere quod faciunt in naui vectores, cùm periculum timent, iactum facit quo leuior & expeditior fugæ præsidium occupet. Debuerat sanè discriminis præsentia aluum Sauli soluere. sed cùm insidiarum minimè conscius foret, nullum pauori impetum sensit: sed hic sponte natura ventrem ciet. Refert Photius in Excerptis Ctesias.
ex Ctesiæ scriptis Indicis, gentem esse quæ otiosa viuat, ac neque frumentum edat: sed magnum boum, caprarum, ouium copiam alat, eorúmque lac potet, nec quicquam aliud. Apud illam, cùm in lucem prodeunt infantes, sedem

B perforatam non habere, neque ventrem podice purgare: sed nates quidem habere nullo exitu perforatas. Vnde fit vt per eam partem non egerant, sed caseosum quiddam meiant, non valdè crassum tamen, sed feculentum. Dulci quadam herba præterea, ne lac in stomacho cogatur, prohibent, & vomitum parant.

Porro Dauid & viri eius in spelunca latebant.] Adierat summum vitæ periculum, si de Dauide hactenus vera narrasset, aut sibi similem nactus esset. Sed *mentita* erat scilicet *iniquitas sibi*, & Dauidis innocentiam calumnijs falsò lacerauerat. Itaque Deus, quo tempore Saul maiori contentione ac impensiore cura Dauidi parabat exitium permisit, vt idem se in laqueos Regum pericula.
indueret, & in eius potestatem veniret. Similis fermè periculi Iosephus mentionem facit An-

C tiq. Iudaic. lib. 14. cap. 27. quo penè Herodes Herodes.
post victoriam statim oppressus est. Nam Rex, inquit, iam vespere iussis parare cœnam militibus, ipse pugna lassatus in quoddam cubiculũ lauatum abijt, vbi in maximo discrimine versatus est, quod tamen euasit Dei prouidentia. Cùm enim esset nudus, & vnius tantum pueri ministerio lauaret, intus in eisdem ædibus latebant quidam hostium armati, quos metus eò compulerat: dúmque ille se abluit, primus prodiens stricto gladio per fores se proripit, deinde alter & tertius, armati similiter, adeò attoniti, vt illæso Rege contenti essent sibiipsis fuga salutem quærere. Et hæc quidem de Herode scripsit Iosephus. At periculum non euasit Antoninus Caracalla siue Bassianus, cùm is

D quoque vt Saul seorsum naturæ operam daret. Historiam narrat Herodianus lib. 5. Cùm, Herodianus.
inquit, euocatis manibus per magos optimos, iussu Principis, Maternianus Antonino Imperatori rescripsisset, Macrinum Imperio insidiari, Macrinus facinus præoccupare studens, & Principis iram veritus, Martiali cuidam Centurioni, cuius paucis ante diebus fratrem delatum, sed minimè redargutum Antoninus occiderat, persuadet primo quoque tempore Antoninum obtruncet. Euenit autem haud multò post. Quippe agens Carris, quæ est Mesopotamiæ vrbs, Antoninus, deæ lunæ inuisit templum, quod in ea regione distans aliquantum ab vrbe, præcipuo honore ab incolis colitur, eò secum paucos equitum eduxit, relicto

PORRO DAVID, &c.

exercitu cætero, vt sacrificio facto in vrbem reuerteretur. Medio autem itinere, vno tantùm famulo comitatus, ac reliquis absistere iussis, recessit ad requisita naturæ. Quare auersis omnibus, & quàm longissimè recedentibus, honoris ac reuerentiæ causa, Martialis, qui omnes temporum captabat articulos, vt eum solum esse animaduertit, ceu nutu Principis ad videndum aliquid, aut audiendum vocatus, accurrit illico, auersúmque, & subligacula sibi deducentem pugione traijcit, quem celatum manu attulerat: & cùm in ipsam iuncturam ferrum incidisset, letali scilicet vulnere de improuiso Antoninus minimè defensus occubuit. Hactenus Herodianus. Caracallæ itaque præstitisse ἐν Πυθίῳ χέσαι id est, in Pythij templo ventrem leuare. Meminit eius prouerbij Suidas ἐν Πυθίῳ. Εἰ Πυθίῳ κρεῖττον ἦν ἀποπατῆσαι, inquit ἢ ἂν κινδυνεῦσαι. Hoc est in Pythij templo ventris onus deposuisse præstitisset. Id est, periculum subijsse. Quibusdam enim Apollinem contemnentibus, & in eius fauo ventrem exonerantibus, Pisistratus legem tulit, qua sanxit, vt is capite plecteretur, qui in hoc impio facinore deprehensus esset. Cùm autem omnes id edictum deriderint, & plures de industria hoc magis facerent, custodes constituit. Cùm autem quidam ab ipsis captus fuisset, iussit ipsum ab ipsis vinctum, per viam flagris cædi, & proclamari: Hic homo verberibus cæsus morietur, quia contempsit edictum. Illo autem morte mulctato, id factum Athenienses adeo penetrauit, vt qui nunc malum aliquod patiuntur, aut qui propter aliquod suum peccatum pœnis implicantur, in illos vsurpent hoc prouerbium, ἐν Πυθίῳ κρεῖττον ἦν αὐτῷ ἀποπατῆσαι, ipsum in templo Pythij aluum purgasse præstitisset.

Antoninus Caracalla naturæ dās operam interimitur.

Suidas.

Addam postremò, non quo medicis inuideam suam materiam, in hæc liberè versentur per me licet: sed quo gemmas è stercore legam, id quod olim Agneti Imperatrici à Beato Petro Dam. responsum est epistola 5. lib. 7. A me, inquit, requisisti, vtrum liceret homini inter ipsam debiti naturalis egeriem, aliquid ruminare psalmorum. Ad quod ego, quod ad tempus occurrebat, exposui; quoniam & S. Iob Deus omnipotēs visitauit in sterquilinio constitutum: & beata Martyr Agnes, cuius & tu æquiuoca es, in obsoletis, & sordidis lupanariū locis Angelum, simul & Angelicum reperit indumentum. Nam & Apostolus vbique nos præcipit orare, cùm dicit: *Volo ergo viros orare in omni loco, leuantes puras manus sine ira, & disceptatione:* quanquam hæc magis eo loci versanda sunt in corde, quàm sint explicanda sermone. Hæc ille. Vtique Deus qui vbique est, nulla corporum eluuie, nullis fecibus offenditur: sed hæ duntaxat cum sensibus nostris dissident, & ab ijs natura abhorret, quæ semel egessit. Cum quibus autem est illi cognatio naturæ, & quasi concentus atque consensus, quam συμπάθειαν Græci vocant: his illa cupidè adhæret, & vltrò amplectitur. Quæ autem corporeæ molis expertia sunt, quemadmodum nullam cum illis sensus coniunctionem habent, ita neque ea auersantur, aut cum illis pugnant. Inde sequitur, vt non magis Dei maiestas corporis sordibus offendi possit, quàm solis splendor luto inquinari. quamobrem neque loci, neque verò actionis, quæ sputatilica esse videatur, ratio habenda est, quo minus semper & vbiq. Deum veneremur. Narrat S. Victor Vricens. de Persecutione Vandalica, Episcopos pariter cum pueris & mulieribus ab hæreticis in angusto loco conclusos, fecibus & lotio penè demersos fuisse. An censes Martyres propterea de Numinis laudibus conticuisse? Adhæc nonnulli dysenteria laborant, & intestinorum grauissimis doloribus torquentur. Quis hoc vetet in torminibus & stranguria sua Numinis opem implorare? Plures, cùm potionem à medico hauserint, illis acerbè viscera dolent, nec absq; intimo cruciatu ventris inutile pondus deijciunt: nonnullos διαῤῥοίας penè anima deficit: Anne hos quidem in tormentis Deum appellare licebit? Constare hoc arbitror, primùm internam animi contentionem in Dei contemplatione defixam nullo loco aut actione prohiberi, siquidem mentis intuitus perinde ac solis radius corporeis sordibus nequeat infici. Deinde, in locis etiam vilissimis, cùm vrget persecutio, & denegatur alterius loci copia, exemplo Martyrum diuinas laudes decantari posse. Postremò, cùm imperat necessitas, etiam de sella familiari, vt Varro vocat, alij dici volunt cesale, Deum inuocari posse.

Iob 38.

1. ad Timoth 2. ver. 8.

Deus corporis sordibus propter se non offenditur.

S. Victor.

At cùm de voluntarijs precibus agimus, non quas extorquet necessitas, sed quas sponte concipis, idque in manu tua est: tum loci actionisque delectus habendus est; non quo spatile seu hominis editus (hanc vocem magis probat Vlpianus) labis quicquam Numini aspergat: sed quo in his, quæ ad corpus attinent, cùm sis ipse corporeus, & corporea voce Deo supplices, quanti Deum facias etiam corporis habitu indices. Itaque ornandæ sunt laudes nostræ locorum circumstantia: &, ni fallor, ille mihi Deo horarum pensum quod debet persoluere non videtur, qui sic eas recitat, vt interim naturæ det operam. Neque enim Canon officij hoc tantum præscribit, vt quæ necessaria sunt à Deo postulemus: sed vt is quoque à nobis laudetur, & in toto orbe terrarum magnificè prædicetur. Huius porrò officij dignitati actionis illius lutulenta ratio plurimùm derogat. Quis enim vel hominis eo loco laudes & encomia prædicantem ferat? At Deum nihil horum lædit, cùm sit incorporeus. Esto: sed non tam quid Deum offendat, qui nullo mali genere violari potest, spectandum est, quàm quid ipse præstes, qui eundem celebrare iussus es: & num illa tua actio ad diuinæ Majestatis cultum potius quàm contemptum pertineat. Verumenimuero, quemadmodum nos, si amici valetudo aut salus in discrimen adducta sit, nullo loco aut actione ab ijs abhorremus, sed horrendos carcerum specus eorum gratia subimus, & inter ipsas naturæ sordes contra vim morbi languentibus assidemus: ita de Deo quoque sentiendum est, vinctorum & ægrotorum incommodis indulgere. At rursum, quemadmodum

Qui modus in his adhibendus sit.

ECCE DIES, &c.

modum si cùm ad amicum venimus, is consuetudinem ducat ea nobis præsentibus inuerecundè agere, irati haberi nos ludibrio censeremus: ita & Deus ipse haud mediocriter indignatur, si præter necessitatem cum eo agamus præpostere, & eiusdem patientia abutamur.

VERSVS V.

Et dixerunt serui Dauid ad eum: Ecce dies, de qua locutus est Dominus ad te: Ego tradam tibi inimicum tuum, vt facias ei sicut placuerit in oculis tuis. Surrexit ergo Dauid, & præcîdit oram clamydis Saul silenter.

VERSVS VI.

Post hæc percussit cor suum Dauid, eò quòd abscidisset oram chlamydis Saul.

Variæ trāslationes.

SErui Dauid.] Pagninus, *viri Dauid.* Ita reliqui cum Chaldæo. Lxx. ἄνδρες Δαυίδ. *Ego tradam tibi inimicum tuum.* Ita Pagninus. Lxx. τὸν ἐχθρόν σου. Chaldæus, *autores inimicitiæ tuæ.* Vatablus *hostes tuos,* plurali numero. *Sicut placuerit in oculis tuis.*] Compl. τὸ ἀρεστόν, & Lucifer, *quæ placita sunt.* Ald. & Rom. ὡς ἀγαθὸν ἐν ὀφθαλμοῖς σου, *sicut bonum in oculis tuis.* Ita Hebræus, *sic facies ei quemadmodum,* יטב בעיניך *iitab beghenecka, bonum erit in oculis tuis.* Alij, *sicut rectum visum erit,* &c. *Et abscidit oram* (Arias, *alam*) *pallij, quod erat Saul clàm.* Arias, *in secreto.* Sic enim vertunt בַּלָּט *balat.* Vatablus, *alam paludamenti quod habebat Saul.* Lxx. Καὶ ἀφεῖλε τὸ πτερύγιον τῆς διπλοΐδος Σαοὺλ λαθραίως, *Et dempsit,* vel, *abstulit.* Complut. *alam;* Rom. *pinnam diploidis Saul latenter.*

Versu 6. Pagninus, *& percussit cor Dauid eum.* Sensus est, quidam ait, quòd redarguit eum conscientia, quod truncauerat vestimentum Christi Domini, timens nè Dominus hoc illi imputaret pro peccato. Chaldæus, *Doluit Dauid in corde suo.* Alius, *sed fuit postmodum, vt afficeret animus* Dauidis *ipsum.* Id est, tæderet ipsum facti præ conscientia, cuius causam attingit sequenti vers. Vatablus, *Post hoc reprehendit Dauidem cor suum.* Lxx. cum Hebræo, Vulgatóq; faciunt. Καὶ ἐπάταξεν τὸν Δαυὶδ ἡ καρδία αὐτοῦ. Ald. & Rom. eodem sensu, inuerso licet ordine dictionū. Καὶ ἐπάταξε καρδία Δαυὶδ αὐτόν, *Et percussit cor* Dauid *ipsum.* Vel, *percussit* Dauidē *cor eius.*

Callistratus.

Tempus opportunum.

Ecce dies de qua loquutus est Dominus ad te.] Volo etiā tibi, inquit Callistratus, Lysippi opificium oratione exprimere: quod quidē signorum suorum pulcherrimum artifex fabricatus, Sicyonijs ad spectandum proposuerat. Simulacrum fuit, *Tempus opportunum* ex ęre sculptum, arte cum natura contendente. Tempus autem, puer erat pubescens: in quo pubertatis flos à capite ad pedes vigebat. Facie certè formosus apparebat, lanuginē quatiens, & Fauonio concutiendam quocunq; vellet, cæsariem solutam linquens. Florigero nitebat colore, splendore corporis flores ostendens eratq; Dionysio maxima ex parte similis. At enim frōs gratijs emicabat: genæ autem ipsi floris instar rubentes, iuuenili decore fulgebant, tenerum oculis ruborem adijcientes. Stabat autem in globo quodam summis pedum plantis insistens, quibus alatus erat. Capillus non more solito creuerat: verùm coma contra supercilia repens, ad genas cincinnum reuocabat. Occiput itaque Temporis cincinnorum nexibus liberum fuit, solo à primo ortu insito, apparente capillo. Et hæc quidem opportuni Temporis elaborata à Lysippo statua, quam sequitur apud eundem Callistratū breuis & acuta interpretatio: Temporis potentiam in ære seruatam esse. Nam quod aligerum est in talis, subindicare pernicitatem, & talaria quibus multum implicans æuum, horis ac tempestatibus annuis inuectum fertur. Porrò efflorescentem venustatem referri ad id, quod omne tempestiuum formosum est: & solus pulchritudinis artifex est tempus: omne verò quod defloruit, extra temporis naturam est. Coma autem ante frontem vagatur, quia tempus accedens vsurpare sibi facile est: eo præterito, negotiorum vigens occasio vnà abit; & neglectum tempus arripere est nefas. Hactenus apud Callistr. in Statuis.

S. Ioann. Chrysost. homil. 1. de Dauide & Saule,

Dauidi quā difficile fuerit parcere.

Ecce dies de qua loquutus est Dominus ad te.] Nunc mihi specta, inquit S. Chrysost. philosophicam animi moderationem, specta luctam, victoriam, coronam. Nam spelunca illa cāpus erat, in eo lucta quædam mirabilis dictúq; incredibilis facta est. Luctatus est Dauid, pugilem egit iracūndia. Saul positus erat certaminis materia, agonothetes erat Deus. Quin potius, non ipsi modò aduersus seipsum, propriámque cupiditatem erat præliū, sed & aduersus milites qui aderant. Etenim si voluisset animo moderari, ac parcere ei qui læserat, consentaneum erat vt & illos metueret, ne fortè ipsum cōtrucidarent in spelunca, tanquā qui illorum salutem prodidisset, exitiúmq; attulisset, ac pūblicū ipsorum hostem seruasset. Probabile enim est illorum vnumquemq; dolore percitū hæc suo cum animo dicturos fuisse: Errones exulésque facti sumus, domo, patria, cæterisque omnibus excussi, omniúmq; difficultatū tuarum consortes sumus. Et tu eum qui horum malorum tibi est autor, in manus tuas traditum, cogitas dimittere, ne nobis vnquam liceat ab his calamitatibus respirare, ac proditis amicis hostem seruare studes? & quo pacto ista sunt æqua: Nam si tuam ipsius salutē negligis, nostræ certè vitæ parcas. Non tibi dolēt antéacta, neque memor es corū, quæ ab illo perpessus es mala? Certè ob ea quæ futura sunt, tolle hostem, ne maiora & acerbiora perpetiamur mala, &c. Verùm nihil horum iustus ille apud se perpendebat, vnum illud spectans, quomodo posset redimiri tolerantiæ corona. Neque verò perinde mirū erat, si quum esset solus & absque comitibus, pepercisset illi à quo fuerat læsus, atque nūc est, quod hoc idem alijs præsentibus fecit: eò quod militum illorum præsentia geminum adferat obstaculum iræ moderandæ. Nobis ipsis frequenter euenit, vt quum statuerimus vindictam remittere, & commissa cōdonare, post vbi viderimus aliquos nos irritātes, & ad vltionē concitantes, mutemus sentētiam, & illorū dictis obtempe-

Ecce dies, &c.

remus. Verùm hoc non accidit huic beato, &c.

De qua loquutus est Dominus ad te.] Hîc Dauidi oblata est occasio occidendi Saulem. Et cum vrgent atque instigant milites, admouéntque calcar ex verbo Dei. Hic, inquiunt, est ille dies, de quo Dominus tibi pollicitus est, futurum, vt hostis veniret in manum tuam. Milites isti, cùm essent exules, & animo amaro, fortasse cupiebant redire domum & tantis absolui molestijs. Quo tempore hoc oraculum editum fuerit, nõ satis liquet. Credibile tamen est, editum, cùm Dauid apud Samuëlem esset inter prophetas: idque eum amicis suis indicasse. Alibi autem hoc nusquam scribitur. Pleraque nonnullis locis Scripturæ citantur, quæ alibi præterea non reperias: vt quæ commemorantur ex *libris Iustorum, ex libris Bellorum Domini, ex libris Enoch, & à Paulo de Iamne & Mambre*, aut ex Epimenide, Arato, Menandro. Ea quæcunque sunt, postquam à Spiritu Sancto citata sunt, esse debent instar Canonicæ Scripturæ. Dauid non dubitauit ex oraculo Domini, hostem venturum in potestatem suam. Sed illum hostem nesciebat esse Saulem. At si sciuisset, tamen Deus non mandauerat, vt illum occideret, sed vt faceret, quod bonum videretur in oculis suis. Bonum autem illi visum est, non vt occideret, sed vt tantùm fimbriam pallij præscinderet. Tametsi reuera etiam fieri potuerit, vt nullum priuatim tale oraculum Dauidi redditum sit: neque enim hoc Scriptura asserit: sed refert duntaxat quibus illi verbis Dauidem incendere studuerint. Hæc porrò coniectura milites ex ijs collegisse videntur, quæ à Samuële de regno Dauidi renunciata erant: quæ vana ac falsa futura cõijciebant, nisi infestissimũ hostem, quem neq; obsequio, neq; beneficio vllo flectere poterat, ipse conficeret.

Quid de hoc sentiat S. Chrysost. attẽde. Operæpretium verò est, inquit, etiã ipsorum militũ audire consiliũ, eò quòd exhortationis versuta malitia illustrat iusti mentem solidam & inconcussam. Non enim ita loquuti sunt: Ecce qui multa in te molitus est mala, qui necem tuam concupiuit, qui nos inexplicabilibus vallauit difficultatibus: sed vbi perspexerunt quod hæc omnia negligeret Dauid, nec magnam haberet rationẽ in se cõmissorum, allegant illi diuinum autorem: Deus, inquientes, illum tradidit, quo videlicet iudicium à Deo profectum reueritus, propius iret ad homicidiũ. Non enim, inquiũt, tuam ipsius vicem vlcisceris, Deo subseruis, ac minister es, illius sententiã comprobas. Sed eò magis hic pepercit hosti. Intelligebat enim quòd Deus ideo tradiderat eũ, vt ipsi maiores occasiones probandæ virtutis suppeditaret. Proinde tu quoque, si quando hostis tuus inciderit in manus tuas, caue putes esse datam vlciscendi opportunitatẽ, sed seruandi hostis oblatã occasionem. Eóq; tum maximè parcendum est inimicis, quũ illi fortè venerunt in potestatem nostram. Hæc S. Ioan. Chrys. Dauidem non solitudo Regis, non exhortatio militum, non anteactorum memoria, non præsentes angustiæ, non futurorũ metus, non impunitatis spes, non denique cæde patrata regni certa consequutio,

A vt de hoste vindictam sumeret, persuadere potuerunt.

Præcidit oram, &c.

Surrexit ergo David.] Rabini putant, eum eo animo iuisse, vt Saulem occideret: ductũ autem pœnitentia, satis habuisse præscindere partem aliquã vestis eius. Sed satius est, vt ne illud quidem cogitasse Dauidem arbitremur. Idcirco autem ipse surrexit, ne si quis alius in eum inuaderet, reipsa interficeret: id quod summopere vetare studuit.

Et præcidit oram chlamydis Saul.] Opus hic fuit incredibili celeritate. Sed Deus fuit qui cœptũ hunc fortunauit. Nam alioqui Dauidi facilius fuit Saulem interimere, quam oram chlamydis præscindere. Hoc certissimũ erat indiciũ, quid Dauid facere potuerit. Ita cùm milites venirẽt, vt manum inijcerent in Christũ, in contrariam
B partem repulsi sunt, & auersi corruerunt. Id argumento erat, Christum vi sua potuisse eos perdere. Non sensit autem Saul Dauidem, vel propter fremitum circunstantium militum, vel quod pallium seposuisset. Sed quid necesse est ista comminisci? Deus hoc voluit ita fieri.

Occulta vis maiestatis non paucos à cædibus principum absterruit.

Et præcidit oram chlamydis Saul.] Non paucos sanè, cùm in principũ necem conspirassent, occulta vis maiestatis absterruit. Augustus, inquit Sueton. c. 79. vultu erat, vel in sermone vel tacitus, adeo tranquillo serenóq;, vt quidã è primoribus Galliarum confessus sit inter suos, eo se inhibitum ac remollitum, quo minus, vt destinarat, in transitu Alpium per simulationem colloquij propius admissus, in præcipitiũ propelleret. Confessus est & Gabrinus Fundulus
C Cremonensiũ dominus, ante obitum, Cremonę de altissima turri, quam propter altitudinem & pulchritudinẽ spectandi causa ascenderant Sigismundus Imperator & Ioannes Pontifex XXIII. vtrumq; constituisse præcipitare; conscientiæ tamen terrore à facinore tanto abstinuisse. Eius generis exẽpla plura habet Camerarius centur. 1. c. 50. Dauidem, non augusti vultus reuerentia, non conscientia vlla à suscepto facinore reuocauit, non enim Regi necem inferre decreuerat: sed hoc tantum quærebat, vt signo aliquo manifesto eidem innocentiã suam probaret, & quantum à proditionis abesset scelere, cuius illum infamauerat, ostenderet. Atqui potuerat Dauid, inquies, tantis malis expedire sese, si occasione data vti voluisset. Verùm est. Sed optauit magis periclitari, quàm vt seip-
D sum vllo crimine obstringeret. Hoc idem de Christianis olim Tertullian. asserebat. Voluntate enim, aiebat, Christiani sumus arbitrium nostrum est: sed malumus damnari, quàm à Deo excidere. Obijciebant autem Infideles quòd hic quoq; Dauidi obijci potuit, qui à Deo ver. 13. vltionem expetit. Ergo, inquitis, ait Tertullianus Apol. c. 50. cur querimini quòd vos insequamur, si pati vultis, cùm diligere debeatis per quos patimini quod vultis? Planè volumus pati: verùm eo more, quo & bellũ miles. Nemo quippe libens patitur, cùm & trepidare & periclitari sit necesse: tamẽ & præliatur omnibus viribus, & vincẽs in prælio gaudet, qui de prælio querebatur: quia & gloriam consequitur, & prædam. Prælium est nobis quod prouocamur

Tertullian.

ad tri-

PERCVSSIT COR SVVM DAVID.

ad tribunallia, & illic sub discrimine capitis pro veritate certemus. Victoria est autem pro quo certaueris obtinere. Ea victoria habet & gloriã placendi Deo, & prædam viuendi in æternum.

Silenter.] Hebraïcè בלט *balat*, clàm, secretò. Septuag. λαθραίως. Tum opus habuisset Saul Maximiliani. Primi annulo, in cuius gemma etiam quæ post tergum fiebant, conspiciebantur. Huius beneficio clandestinum furem deprehendit, qui auersum Imperatorem latere putabat. Historiam habet Camerarius Centur. 1. cap. 65. Historici Neronem gladiatorum certamina smaragdo spectasse ferunt. De Domitiano Suetonius cap. 14. Tempore verò suspecti periculi appropinquante, sollicitior in dies, porticuum, in quibus spatiari consueuerat, parietes phengite lapide distinxit: è cuius splendore per imagines quidquid à tergo fieret, prouideret.

Annulus, cuius beneficio posteriora conspiciebantur.

Post hæc percussit cor suum David.] Hoc est, nonnihil doluit. Iudæi, qui omnia fabulantur, putant Dauidem peccasse, cùm scinderet pallium Saulis, eóque senem punitum fuisse pœna talionis, vt vestibus suis non posset calefieri. Sed illi magis frigent, quàm ipse Dauid. *Percussit* ergo *cor suum*, quòd factum suum prima fronte appareret iniuriosum, & ignominiosum esse erga Regem: postea tamen cùm consideraret, id tantum spectare ad indicandam humanitatem suam, & ad placandum Saulem iratum, cúmque reuocandum à scelere, non dubitauit, illud probatum iri, & coram Deo, & coram hominibus. Deus autem voluit, Dauidem habere testimonium iustitiæ suæ etiam ab hoste: quod, vt Aristoteles ait, est longe omnium firmissimum. Opera verò iudicanda sunt non ex materia, sed ex circunstantijs, & maximè ex fine. Finis autem Dauidis non erat, vt Regem afficeret ignominia. Adhæc erat in hoc facto species aliqua vaticinij. Nam, vt cùm Saul scinderet pallium Samuëlis, ille statim respondit, ita *scissum est regnum in manu tua*: ita cùm Dauid scindit chlamydem Saulis, videtur facto suo vaticinari, regnum illi esse eripiendũ.

Cõmentũ Hebræorum.

Percussit cor suum David.] Erasistratus Antiochi Regis morbum, qui ob nouercæ Stratonices amorem ægrotabat, admota manu ad cor ipsius, manifestè deprehẽdit. Quoties enim Antiochus suam nouercam fortuitò transeuntem aspiceret, toties ipsius cor ob illius amorem vehemẽtius palpitabat. Suidas in Ἐρασίστρατος. Totus homo, Pollux inquit, constat ex anima & corpore. Καὶ ἔστιν ἡ ψυχὴ & anima est, πνεῦμα, ἢ πῦρ, ἢ αἷμα, Spiritus, aut ignis, aut sanguis, vel quodcũque doctis visum fuerit. [Imò corporis expers est substantia, nec habens quicquam cum aëre, sanguine, aut igni commune, propter analogiam.] Partes vero eius sunt, νοῦς, ἐπιθυμία, θυμός. i. mens, concupiscentia, & animus. Mens verò, ἢ λογισμός, ἢ ἡγεμονικὸν, & ratiocinatio, & princeps dicitur: aut iuxta cerebrum περὶ ἐγκέφαλον, secundum Pythagoram & Platonem consideus; aut περὶ ἐγκεφαλίδι, ἢ μήνιγγι, iuxta cerebri inferiorẽ partem, aut meningam, vt multis Medicorũ videtur; aut κατὰ τὸ μεσόφρυον iuxta superciliorũ medium, vt Straton dixit: vel

Suidas.

Pollux Onomast. lib. 2. cap. 4. sect. 4.

A circa sanguinem, iuxta Empedoclem & Aristotelem. Vel circa cor, vt Stoici sentiunt. Θυμοῦ δὲ τόπος, animi verò sedes, sine cõtrouersia cor est: quemadmodũ & concupiscentiæ locus, hepar. Hæc Pollux. Vtique præter eã facultatem, quæ vitam tuetur, altera vis quoque cordi insidet, quam veteres Philosophi θυμικὴν, Latini animosam siue irascibilem appellãt: quæ motus in nobis varios cier, perinde vt ipsa ratio res obiectas esse duxerit. quanti enim ratiocinandi facultas obiectam rem fecerit & æstimauerit, tantum vis illa animosa concitatur. Expendere enim fugiendáne an amplectenda species sit, quæ obijcitur, rationis munus & pensum est: eandem fugere vel amplecti sola animosa potest. Cùm verò animosam dicimus, vtramque pariter voluntatem cordi ascribimus: non quo

B intellectualẽ esse negemus, sed quòd hæc quoque cordis tumultu maximè se prodat. Cùm itaque non peræque omnes ratione polleant, aut de rebus iudicẽt, & vis ipsa animi alijs quidem remissior, alijs concitatior obuenerit, inde fieri necesse est, vt singulorum corda non æquis perturbationibus concutiãtur. Cùm enim harum causæ variè facultatem afficiant, diuersa motionum genera esse oportet, quæ Græci non θυμοῦ, sed ψυχῆς παθήματα, animi affectus siue passiones appellarunt; quod necesse sit animæ facultates φανταστικὴν καὶ λογιστικὴν ad hos motus concurrere, etiamsi propriè ad animosam cordis facultatem pertineant, & in corde peragantur. Porrò quemadmodum natura vitæ consi-dens, alternis motibus, quas συστολὴν καὶ διαστολὴν

C Græci nominant, cor contrahit & distendit: ita & θυμὸς seu vis animosa, παλμὸν siue palpitationem in corde excitat, quæ est veluti diastole quædam præter naturam cita. Nam dilatat illa præter modũ & latè cor explicat, postremò etiã concutit, haud aliter quàm tremor, sed longioribus interuallis. Palpitatio enim cordis partes plerunque omnes attollit, quæ, dum contrahitur, impete sidunt, ac præcipites deorsum feruntur: ita vt totus ipse motus præter naturam sit, non qualis à tremore editur, mistus quodammodo & compositus. Num igitur probabile ducimus de cordis palpitatione loquutam esse Scripturam? an quod pluribus placere video, quod de Dauide asserit, ad consciẽtiæ vim & angorem referemus? De quibus Apollonius apud Philostratum, vitæ suæ lib. 7. cap. 7.

D Euripidis, inquit Apollonius, sententia est, putantis conscientiam esse, quæ homines puniat, cùm se malè operatos fuisse recogitant: eadem enim furiarum pœnas apposuit Oresti, quando aduersus matrem insanijt. Mens enim rebus agendis moderari debet; conscientia quæ mens statuerit subinde amplecti. quapropter si mens bona opera quæ faciat, eligit, conscientia virum mittit ad omnia sacra, per omnes vicos, per omnia deorum templa, ad quemlibet ciuium ordinem: & plaudens canẽnsque ipsum vbique laudat: dormienti quoque eidẽ assistẽs, præclarum chorum è somniorũ domo illi circumponit. Sin ad aliqua delicta seditiosa mens prolabitur, non sinit conscientia talem hominem rectis oculis quemquã aspicere: nec expe-

PERCVSSIT COR SVVM DAVID.

Cor animi sedes.

Motus cordis.

Philostratus.

Conscientiæ æstus.

PERCVSSIT COR SVVM DAVID.

ditè verba proferre, à sacris quoque & precibus, votisque eundem arcet: neque manus ad simulacra deorum attollere sinit, & attollentem increpat, ac reijcit, sicuti leges contra rebelles fieri iubent: ab omni etiam hominum cœtu eundem exterminat, & dormientes terrefacit, & quæcunque per diem fecerint, ea tanquam imagines audire, aut dicere arbitrantur, & ea omnia similia somnijs, vanáque consciētia efficit. Debiles autem visiones & phantasticos terrores probabiles, & verè timendos ostendit. Hactenus Apollonius.

S. Chrysost. homil. 1. de Dau. & Saule.

De Dauide nostro S. Chrysost. *Surrexit*, inquit, *& tulit oram chlamydis Saulis clanculùm.* Vides quanta iræ tempestas coorta fuerit? At non processit vlterius, neque fecit naufragium, eò quod gubernatrix illico sentiēs periculum, videlicet pia ratio, tempestatem vertit in tranquillitatem. *Percussit enim Dauidem*, inquit, *cor ipsius*, ac velut equum subsilientem ac ferocientem reuocauit iram. Huiusmodi sunt Sanctorum animæ, priusquam concidant resurgunt: priusquam ad peccatum perueniant, refrænantur, eò quòd sobriæ sint semperque vigilent. Et tamen quantulum erat interuallum inter corpus & chlamydem? attamen ille seipsum cohibuit, ne progrederetur vlterius. Quin insuper & ob hoc ipsum grauiter seipsum condemnauit. *Percussit enim*, inquit, *illum cor ipsius, quòd abstulisset extremum chlamydis.*

VERSVS VII.

Dixitque ad viros suos: Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo, Christo Domini, vt mittam manum meam in eum, quia Christus Domini est.

VERSVS VIII.

Et confregit Dauid viros suos sermonibus, & non permisit eos vt consurgerent in Saul: porrò Saul exurgens de spelunca, pergebat cœpto itinere.

Variæ trāslationes.

SEptuag. *Et dixit Dauid ad viros suos: Nequaquam mihi à Domino; si faciam verbum hoc Domino meo Christo Domini; vt inferam manum meam super eum: quoniam Christus Domini est hic.* Versus 8. *Et suasit Dauid viros suos in verbis, & non dedit eis, vt surgentes immolarent Saul. Immolarent.*] Hoc loco Nobil. ad Rom. Edit. θῦσαι. Ita lib. vetust. In alijs, (Ald.) & Complut. est, θανατῶσαι, & Lucifer, *occiderent.* quod tamen valere etiam θῦσαι patet ex verbis Nabal seq. cap. & alijs locis. Vulgat. ex Hebræo habet tantùm, *& non permisit eos, vt consurgerent in Saul.* Reliqua eiusdem versus Rom. Edit. breuissimè. *Et surrexit Saul, & descendit viam.* Quo loco idem Flaminius in Notis, Alij, εἰς τὴν ὁδὸν αὐτοῦ, *ad viam suam.* Complut. Καὶ ἀπῆλθεν εἰς τὴν ὁδὸν ἐκ τοῦ σπηλαίου, *& exijt in viam de spelunca.* Lucifer habet tantùm, *descendit in viā.* Hæc Nobilius. Chald. *Absit mihi ab ante Dominū, si faciam verbum hoc, &c.* Versu 8. *Et quietos reddidit Dauid viros suos in verbis, & nō siuit eos surgere super Saul. Et Saul surrexit è spelunca, & iuit in via.* Pagninus item, *absit à Domino, &c.* Heb. כִּי מְשִׁיחַ יְהוָה הוּא, *ki mesciahh Iehuah hou.* Græcè, ὅτι χριστὸς κυρίου οὗτός ἐστι. *quia Mesciahh, Christus, vnctus Domini est.* Pagn. ver 8. cum Vulgato legit, *cōfregit.* Arias mauult *scidit.* Est hîc, inquit, aliquis, in textu defectus istorum verborum, vel similium: Et reuersus Dauid ad viros suos, ferens in manu sua oram vestimenti Saul, dixerunt illi ad eum: Et quare non occidisti hostem tuum, quem hodie Deus tradidit in manus tuas? Respondit Dauid: *Absit à me, vt coram Domino faciam rem istam, &c.* Versu 8. ita vertit: *Et auulsit David viros suos verbis istis, &c.* Vatablus item *auulsit* in textu. In Schol. autem notat, vel, *confregit*, aut, *reuocauit*, id est, depulit eos de sententia. Legi potest, *pacauit.* Alius, *dispescuit homines suos Dauid verbis.* Id est, Iam ex vtraque parte speluncæ, vbi latebant, exsurgentes, vt in Saulem irruerent, vtrinque repressit. Notat autem Hebraïcè propriè scribi *fidit*, vel *diffidit.* At versum 7. Sic interpretatur Vatabl. *Seruet me Dominus, ne rem istam designem cōtra Dominū meum, Messiam Domini.* Est autem Hebraïsmus, inquit, *Absit mihi à Domino*: id est, Prohibeat me Dominus, ne id faciam. vel, ne permittat, vt id faciam: dispeream, si fecero rem istam Domino meo, *vncto Domini.* Id est, à Deo ad regnum assumpto, ac proinde sancto ac munito ab omni iniuria, vt sup. 21. 5.

PROPITIVS SIT MIHI DOMINVS, &c.

Propitius sit mihi Dominus, ne faciā hanc rem.] S. Ioan. Chrys. hom. 1. Ne concedat vnquam vt hoc faciā Deus, neque permittat me ad tantum deuenire scelus. quoniam videbat hāc philosophiam superare penè naturam humanā, cœlestisque opus habere momento, séq, propemodū collabefactū ad cædem, precatur, vt Dominus illi conseruet manū impollutam. Quid tandem hoc animo possit esse mitius? An hunc posthac dicemus hominē, qui in natura humana vitam præstiterit angelicam? Nam pleriq; mortalium eò feritatis abrepti, vt quum sint adeò imbecilles, vt non queant eum à quo lacessiti sunt, vllo incommodo afficere, Deum ad vltionem inuocent, obsecrantes vt ipsis donet ijs, à quibus læsi sunt, manus inijcere. Hic verò illis omnibus velut ex diametro contraria precando, rogat, ne permittat vt manus inijciat, loquēs hunc in modum: Ne mihi hoc accidat ô Domine, vt inijciam manum meam in illum: perinde quasi de filio, ita de hoste loquitur, quasi de prole germana. Hactenus S. Chrysost.

Dauidis votum pro inimico.

Propitius sit mihi Dominus, ne faciā hāc rē.] Cùm Dauid se recepisset ad suos in interiorem speluncam, infecta re, verisimile est, eos vehemēter animo fuisse cōmotos. Expectabant enim vt secum Saulis caput afferret, & vident ipsum solū habere in manu frustulum eius pallij. Verùm eos Dauid partim autoritate sua, partim oratione compescuit. Ad leniendos autem illorū animos vsus est duobus potissimùm argumentis. Primùm, inquit, est herus meus: deinde etiam Christus Domini. Itaque manum in illum mittere nefas esse iudicabam. Primum argumentū ducitur à circunstantijs personarum. Dominos enim à seruis coli oportet, & in honore haberi,

PROPITIVS SIT MIHI DEVS, &c.

Dominis etiam discolis honos habendus est.

Flau. Vopiscus in Aureliano.

non autem peti insidijs, & interfici: qualescunque tandem sint. Quamobrem Petrus mouet seruos, vt obtemperent, & morem gerant dominis, non tantum modestis, sed etiam discolis. Si seruus videat se iniustè, nullo suo merito à Domino suo quæri ad necem, fugere potius debet, quàm vt gladium in eum stringat. Atqui non ita Mnestheus ille quondam libertus, vt est apud Vopiscum Aureliani Principis, cui cùm Aurelianus minatus esset, quem sciret neque frustrà minari solere, neque si minaretur ignoscere, breue nominum conscripsit, mixtis ijs, quibus Aurelianus verè irascebatur, cum ijs, de quibus nihil asperum cogitabat, addito etiam suo nomine, quo magis fidem faceret ingestæ solicitudinis: ac breue legit singulis, quorum nomina continebat: addens, disposuisse Aurelianum eos omnes occidere: illos verò debere suæ vitæ, si viri sunt, subuenire. Hi cùm exarsissent timore qui merebantur offensam, dolorem miscentes beneficijs atque officijs, quibus Aurelianus videbatur ingratus, in supradicto loco iter facientē Principem subitò adorti, interemerunt. At idem postea Mnestheus re prodita, ab ijs, à quibus Imperator interemptus erat, surrectus ad stipitem bestijs obiectus est. Nec aliam ob causam etiam prius Commodus oppressus est. Nam Martia eius concubina, cùm libellum nacta esset, in quo Commodus eorum nomina scripserat quos statuerat necidare, seque primam peti intellexisset, Lætúmque & Electum subsequi, quorum hic cubiculi custos, alter præfectus exercitibus: communicato cum ijs consilio cùm tentassent veneno tollere, ad extremum laqueo eidem gulam fregerunt. A Seuero Lætus deinceps supplicio affectus est.

Herodianus in Cōmodo.

Alterum argumentum, quoniam videbatur habere plus roboris, Dauid bis inculcare voluit. *Est Christus*, inquit, *Domini*. Quod si Dominus velit eum ferre, cur ego eum tollam? A primo ortu fidei atque inter ipsa Ecclesiæ incunabula cùm tyranni omnibus modis, & exquisitissimis suppliciorum, & tormentorum generibus vexarent Christianos, nunquam tamen aut Petrus, aut Paulus, aut quisquam Apostolorum populum in eos inuestigauit. Sed neque ipsi cùm illis animus non deesset ad audendum facinus, si liceret, cuiquam Principum insidias struxisse feruntur. Imò monuerunt potius, vt preces pro illis funderentur, idque nominatim pro ipso Nerone, à quo miserrimè occidebantur. Ita Hieremias monet populum, vt orent Dominum pro Nabuchodonosor, à quo abducti fuerant in exilium.

Reges etiā cùm malè se gerunt, sacri atque inuiolabiles habendi sunt.

Quia Christus Domini est. Sed qua ratione, inquit Sanctus Augustinus, Dauid Saulem, postquam Deus ab eo recessit, Christum, Dominum vocat, & honorem defert ei? Non nescius ait, Dauid diuinam esse traditionem in officio ordinis regalis, idcirco Dauid in eadem adhuc traditione positum honorificat, ne Deo iniuriam facere videretur, qui his ordinibus honorem decreuit: Dei enim imaginem habet rex, sicut & episcopus Christi. Quandiu ergo in ea traditione est, honorádus est, si non propter

S. August. quæst. ex vet. testam. q. 35. tomo 3.

PROPITIVS SIT MIHI DEVS, &c.

A se, vel propter ordinem. Vnde Apostolus, inquit, *Potestatibus sublimioribus subditi estote. Non est potestas nisi à Deo, quæ enim sunt, à Deo ordinata sunt.* Hinc est, vt Gentilem, in potestate tamen positum honorificamus, licet ipse indignus sit, qui Dei ordinem tenens gratias agit diabolo: potestas enim exigit, quia meretur honorem. Nam ideo Pharaoni futuræ famis somnium reuelatum est: & Nabuchodonosor alijs secum assistentibus solus filium Dei vidit in camino ignis: non vtique merito suo, qui in idolo se adorari voluit, sed merito ordinis regalis. Hactenus ibi S. Augustinus. Apertius lib. 2. contra Epistolas Petiliani cap. 48. Tomo 7. quo loco non Majestatis prærogatiuā spectasse Dauidem pronunciat, sed Sacramenti sanctitatem; *Quia Christus Domini fuit.* quæro, in-

Ad Rom. 13

B quit, si non habebat Saul Sacramenti sanctitatem, quid in eo Dauid venerabatur? Si autem habebat innocentiam, quare innocentem persequebatur? Nam eum propter Sacrosanctam Vnctionem & honorauit viuum, & vindicauit occisum. Et quia vel panniculum ex eius veste præscidit, percusso corde trepidauit. Ecce Saul non habebat innocentiam, & tamen habebat sanctitatem, non vitæ suæ, (nam hoc sine innocentia nemo potest) sed Sacramenti Dei, quod & in malis hominibus sanctum est.] Postremò idem copiosius lib. De ciuitate Dei cap. 6. quod genus Sacramenti intelligat disertè explicans. Regnum quoque Saulis ipsius, qui certè reprobatus atque reiectus est, futuri regni erat vmbra in æternitate mansuri. Oleum quippe illud quo vnctus est, & ab eo chrismate Christus est

Idem Tomo 5.

C dictus, mysticè accipiendum, & magnum Sacramentum intelligendum est: quod in eo tantum veneratus est ipse Dauid, vt percusso corde pauitauerit, quando in tenebroso occultatus antro, quo etiam Saul vrgente intrauerat necessitate naturę, exiguam particulam vestis eius retrorsum latenter abscidit, vt haberet vnde monstraret, quomodo ei pepercerit, cùm posset occidere: atque ita suspicionem de animo eius, qua sanctum Dauid putans inimicum suū vehementer persequebatur, auferret. Ne itaque reus esset tanti Sacramēti in Saule violati: quia vel indumentum eius sic attrectauit, extimuit. Ita enim scriptum est: *& percussit cor Dauid super eum, quia abstulit pinnulam chlamydis eius.* Viris autem qui cum illo erant, & vt Saulem in ma-

D nus suas traditum interimeret, suadebant: *Non mihi*, inquit, *contingat à Domino si fecero hoc verbum domino meo Christo Domini, inferre manum meam super eū: quia Christus Domini est hic.* Huic ergo vmbræ futuri non propter ipsam, sed propter illud quod præfigurabatur, tanta veneratio exhibebatur, &c. Nam hæc videntur satis posse facere, quod spectat ad Augustini sententiam.

Quia Christus Domini est.] S. Chrysostomus Homil. 1. de Dauide & Saule Tomo 1. Non pepercit tantum, inquit, sed & excusationem pro eo cōponit. Vide verò quàm prudenter, quamque sapienter. Siquidem cùm vitam Saulis perscrutans, nihil inuenisset boni, vt dicere posset, non sum ab illo læsus, nec vllo affectus incom-

S. Chrysostomus.

Inimicum studet excusare Dauid.

QVIA CHRISTVS DOMINI EST.

modo: (protinus enim his reclamaturi erant milites qui aderant, Regisque malitiam experimento cognouerant) alia ex parte vestigabat, studens probabilem inuenire excusationem: Id cùm non posset, nec ab illius vita, nec à factis, ad dignitatem illius confugit, dicens: *Quoniam Christus Domini est*. Quid ais, inquiunt? quòd scelestus, quòd in nos extrema cogitans? Non. Sed Rex est, sed Princeps, sed præsidentiam in nos suscepit. Καὶ οὐκ εἶπε, βασιλεύς, ἀλλὰ τί; ὅτι χριστὸς κυρίου ἐστίν. Neque tamen dixit Rex est. Quid ergo? Quoniam *Christus Domini est*. Οὐκ ἀπὸ τῆς κάτωθεν τιμῆς, ἀλλ' ἀπὸ τῆς ἄνωθεν ψήφου τυχόντα αἰδέσιμον, non ab humano honore, sed à cælesti iudicio sumpto honorifico testimonio. Contemnis, inquit, conseruum tuum, reuerere dominum. Aspernaris electum, metue eum qui elegit. Nondum Deus abdicauit eum principatu, nondum fecit illum ex rege priuatum. Itaq; ne inuertamus ordinem, neque rebellemus Deo, Apostolicum illud dictum factis præstantes: *Quoniam quisquis resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Quicunque autem resistunt, sibiipsis accipient damnationem*. Deinde & illud obseruat praeterea: Non solùm, inquit, Christum appellauit, hoc est, vnctum & Regem, sed etiam suum dominum vocat. Non est profectò mediocris philosophiæ, hostem honoris & obsequij vocabulis appellare. Plerique siquidem inimicos suos ne nudis quidem ac simplicibus nominibus appellare sustinent, sed alijs vocabulis accusationem habentibus eos nominant: puta illum impium, illum insanum, illum mente captum, illum delirum, illum pestilentem: aliáq; multa contexunt, hisque notis designant hostem. Id esse verum Saulis ipsius exemplo docebo, qui iustum hunc ob vehemens odium non sustinuit proprio vocare nomine, sed contemptim velut generis obscuritatē exprobrās, filium Isai nuncupabat. At non itidem fecit beatus Dauid. Neque enim patris cognomento vocauit illum, quanquam is quoque fuit admodum humilis & contemptus: neque nudo simplicique nomine designauit: sed dignitatis & principatus titulo. Vsque adeò purum ab omni maleuolentia gerebat animum. Proinde tu quoque charissime, hunc imitans, illud in primis discito, ne vnquam inimicum famosis nominibus, sed honorificis potius appelles. Etenim si os assueuerit, eum qui læsit honoris obsequijque nominibus appellare, & animus hęc audiens à lingua doctus, non refugiet cum illo redire in gratiam. Nam ipsa verba remedium erunt optimum vlceris in corde tumescentis. Hactenus S. Chrysost. homil. 1.

Regem tametsi hostem & ingratum Dauid appellat honorificè.

Et confregit Dauid viros suos sermonibus.] At isti sanè, inquit S. Chrysostomus homilia 1. qui videntur per philosophiam habere moderatos affectus, etiam si ipsi in se non recipiunt homicidium, nolunt tamen alios occidere parantes, cohibere. At non ita Dauid, sed perinde ac si depositum & pignus aliquod suæ fidei concreditum accepisset, pro quo rationem foret redditurus, ita non tantùm ipse non attigit inimicum, sed etiā alios occidere volentes coërcuit, satelles optimus, & corporis custos pro hoste

A factus. Itaque nequaquam aberrarit à vero, qui dixerit, Dauidem id tēporis in grauius incidisse discrimen, quàm ipsum Saulem. Neq. enim leue certamen periculúq; sustinebat, dum omnibus modis conatur illū ab insidijs eripere, quas ei parabant milites: neq; perinde metuebat quū ipse esset occidendus, ac formidabat, ne quis militū irę obsequens perderet hominē, eámque ob causam eiusmodi cōmentus est excusationē. Atq; illi quidem accusabant: accusabatur autē Saul non audiens, sed defendit inimicus: Deus verò iudex erat, ac Dauidis sententiā confirmauit. Neque enim absq; Dei pręsidio valuisset illos furentes deuincere: sed hæc erat Dei gratia, in prophetæ labijs residēs, quæ veluti suadelam quandam addebat illis verbis. Tametsi nō leue momentū & Dauid huc attulit: qui quoniā illos

ET CONFREGIT DAVID, &c.

Ne alieno quidem scelere vi voluit, vt hostem vlcisceretur.

B superiore tempore sic instituerat, idcirco in articulo certaminis paratos illos ac morigeros reperit. Præfuerat enim illis non vt belli dux militibus, sed vt sacerdos, iamque spelunca illa erat ecclesia. Neque enim aliter atque aliquis Episcopi sortitus munus, ad illos concionē habebat: ac peracta concione sacrificium obtulit, idq; admirabile quoddā dictúque incredibile; haud quidē mactato vitulo, aut occiso agno, sed quod his erat multò honorificentius, mansuetudinē & humanitatem offerens Deo, atque irrationabili motu animi mactato, occisáq. iracundia, videlicet mortificatis mēbris quæ sunt super terram. Et factus est idem tum victima, tum sacerdos, tum altare. Siquidem & ratio quæ offerebat mansuetudinem atque humanitatem, & ipsa humanitas ac mansuetudo, deni-

C que cor, in quo hæc offerebantur, omnia erant eiusdem hominis, Hactenus S. Chrysost.

Nonnulli hoc loco disputant, licueritne Dauidi Saulem occidere? Et respondent licuisse? Primùm, quod Dauid iam esset Rex: Deinde, quòd Saul indignus esset, qui diutius regnaret, vt qui & seipsum perderet, & Rempub. & cōtra ius fásque Sacerdotes Domini trucidasset: Adhæc, quod ius esset vim vi repellere: Postremò, quòd lex Domini esset in Deut. Latronem armatum ἐν αὐτοφώρῳ deprehensum licere interficere. Et si quæras, cur eū Dauid non occiderit, si licuerit, respondent, quoniam non id solum spectandum sit quid liceat, sed etiā quid expediat. Non expedisse autem, quòd Dauid videri postea potuisset inuasisse in regnum, &

Argumenta eorum qui putant Dauidem Saulem iure cædere potuisse.

D illud per cædem occupasse. Sed quomodo id dicunt licuisse, si ad scandalum & euersionem Reipub. pertinuit? Multa quidem sua natura sunt adiaphora. Vbi verò ad electionem peruentum est, ea ex decreto voluntatis ac iudicij, boni aut mali rationem induunt. Nam qui à recta ratione non aberrauerit, & quicquid instituat aut agat illud studeat placere Deo, nec latum vnguem ab æquitate deflectet. Sed si quis res adiaphoras alieno tempore vsurpando peccet in publica commoda, & animorum offensionē cōcitet, alienus à culpa videri nō poterit.

Dauid, inquiunt, erat Rex. Esto. At nondum publicè erat inauguratus. Vim vi repellere licet. Fateor. Sed vt Iurisperiti loquuntur, cum inculpata tutela: hoc est, si non possint fugere,

Confutatio.

Et confregit David.

fugere, nec se alia ratione defendere. Lex permittit, furem nocturnum occidi: quia per tenebras sciri non potest, quis sit, nec appellari potest magistratus. At Dauid hunc videbat esse Saulem, & potuit alia via se tueri. Dauid ergo non potuit vllo iure Saulem occidere: & & præsertim cùm videret id facturum ad euersionem Reipubl. Et cùm sciret se esse regnaturum, cauere debuit, ne malis exemplis omnia perturbaret. Et si Saulem priuatus interfecisset, videbat idem postea pari iure sibi quoque posse fieri. Ad hæc noluit illi Deus per vim parare regnum. Et Semei, qui postea Dauidem contumeliosè appellauit virum sanguinarium, verum obiecisse nonnullis videretur. Quare Dauid prudēter & piè vltionem permisit Deo. Ita enim Deus monuit, *mihi*, inquiens, *vindictam: & ego retribuam*. Et, *si esurierit inimicus tuus, pasce illum: si sitierit, da quod bibat. Sic enim faciens, carbones ingeres in caput eius. Noli vinci à malo*, inquit Paulus: *Sed vince in bono malum*. Et certe Dauid hoc tempore vicit seipsum. Non enim truncus erat, vt non videret se ita liberari posse à multis curis, si Saulem è medio tolleret. Nec tantùm seipsum vicit, sed etiam socios. Docemur hoc exemplo manum mittendam non esse in magistratum: est enim minister Dei: & illi omnem animam oportet esse subiectam, modò ne id imperet, quod salua pietate fieri non possit.

Versus 9.

Surrexit autem & Dauid post eum: & egressus de spelunca, clamauit post tergum Saul, dicens: Domine mi rex. Et respexit Saul post se: & inclinans se Dauid pronus in terram, adorauit.

Versus 10.

Dixitque ad Saul: Quare audis verba hominum loquentium, Dauid quærit malum aduersum te?

Variæ translationes.

Pagninus, *Et inclinauit Dauid faciem* (Arias, *vultum*) *in terram, & adorauit*. Arias, *Et incuruauit se*. Quidam, *verticem inclinans Dauid, facie in terram* demissa, *incuruauit se* honorem exhibens. Alius, *inclinauit se Dauid facietenus in terram, & adorauit*. Vatablus, *inclinato vertice pronus sese incuruat*. Chaldæus, *& incuruauit se Dauid super faciem suam super terram, & adorauit*. Septuaginta, Καὶ ἔκυψε Δαυὶδ ἐπὶ πρόσωπον αὐτοῦ ἐπὶ τὴν γῆν, καὶ προσεκύνησεν αὐτῷ. *Et inclinauit* (Rom. edit. *se*) *Dauid in faciem suam super terram, & adorauit eum*. Versu 10. ἱνατί ἀκούεις τῶν λόγων τοῦ λαοῦ λεγόντων, ἰδοὺ δὴ Δαυὶδ ζητεῖ τὴν ψυχήν σου, *Quare audis verba populi dicentium, Ecce Dauid quærit animam tuam?* Theodoretus addit, εἰς κακά, *in mala*. Pagninus legit, *hominis*, in singulari: & *quærit malum tuum*. Alius, *Quare auscul-*

A *tas verbis cuiusquam dicentis, &c.* Vatablus, *Cur credis delatoribus dicentibus, &c.* Chaldæus, *Ad quid audis verba filiorum hominum, qui dicunt, Ecce Dauid insidians malum tuum?*

Surrexit Dauid, &c.

Surrexit Dauid post eum, & egressus de spelunca.] *Egressus est autem*, inquit S. Ioann. Chrysostomus, *post illum & Dauid* liberis deinceps oculis cœlum intuens, ac tum temporis magis exultans, quàm cùm Goliath deiecisset, ac Barbari caput amputasset. Siquidem hæc illa magnificentior erat victoria, hæc magnificentiora spolia, hæc præda illustrior, hoc gloriosius trophæum. Siquidem illic & funda, & lapidibus, & acie habebat opus: hic verò cuncta prudentia rationéque peracta sunt, ac sine armis contigit victoria, atq; incruentum trophæum erectum est. Itaque rediit non Barbari illius caput gestans, sed animi commotionem mortificatam, sed iram eneruatam: neque hæc spolia reposuit Hierosolymæ, sed in cœlo, inque superna illa ciuitate. Nūc haudquaquam in choris obuiam veniebant fœminæ excipientes illum cum laudibus: Sed angelicus populus è sublimi applaudebat, admirans eius philosophiam & humanitatem. Ascendit enim hoste vulneribus innumeris sauciato, vt qui tametsi seruasset Saulem, tamen illum reuera hostem diabolum multis plagis confixit. Quemadmodum enim nobis per iracundiam inter nos pugnantibus, & mutuo conflictu collisis, ille tum gaudet, tum floret: ita nobis pacem habentibus & concordibus, iræque moderantibus, rursus contrahitur ac deiicitur, nimirum hostis pacis & inimicus concordiæ, & inuidiæ pater. C *Egressus est* igitur *Dauid* dextram illam totius orbis pretio parem, simul cum capite coronatam gestans. Alludit Chrysostomus ad præmia militaria, in quibus etiam armillæ numerari solent, dignam ducens Dauidis manum quæ ob innocentiam coronaretur. Legi apud Cromerum in Boleslao tertio, Zelislao, virtutis ergò, datam à Rege auream manum. Sed ille manum, dum fortiter pugnat, amiserat: Dauid intactam inuictamque seruauerat: quo nomine duplici præmio dignus fuit. Non egressus est inquit, gestans Saulis diadema, sed egressus est gestans coronam iustitiæ. Non egressus est gestans Regis purpuream vestem, sed egressus est amictus humanitate, (*Philanthropiam* vocat) naturam humanam superante, quod pallium est quauis stola magnificentius. Egressus est è spe- D lunca tanta cum gloria, cum quanta tres pueri egressi sunt de camino ardente. Nam quemadmodum illos non exussit ignis, ita hic non conflagrauit iræ incendio. Et illis quidem foris nihil ignis, in quo versabantur, nocuit: hic verò cùm intus haberet carbones accensos, quum foris videret diabolum caminum incēdentem, idque varijs modis, ab inimici conspectu, ab exhortatione militum, à facilitate perficiendi cædem, à solitudine eorum qui Sauli possent auxiliari, à præteritorum memoria, à futurorum periculorum metu: siquidem hæc & sarmentis, & stipulis, ac cæteris omnibus, quibus caminus ille Babylonius incendebatur, luci-diorem excitabant flammam: tamen non exar-

S. Chrys. homil. 3. de Dauide & Saule. Lib. 1. Reg. cap. 17.

Dauidis triumphum describit S. Chrysost.

Cromerus lib. 5 De rebus Polon.

Confertur Dauid cum pueris è camino Babyl. egressis.

SVRREXIT DAVID,&c.

sit Dauid, neque vllo pacto sic fuit affectus, quemadmodum consentaneum erat hominem affici tot modis irritatum: sed exiuit purus, & intuitus inimici faciem, hinc maximè sumpsit animum fortem ac philosophicum. Et rursum: Haud intempestiuum fuerit, si quis hic meminerit etiam Danielis. Quemadmodum enim ille ascendit è lacu superatis feris leonibus: itidem hic è specu prodijt, alijs bestijs ora occludens longè sæuioribus. Hactenus Chrysost.

Et clamauit post tergum Saul.] Non oportuit latere hoc factum. Dauid egressus ex antro habet orationem ad Saulem. Noluit eum ferire gladio: ab admonitione tamen non abstinuit; ne ille in peccatis suis computresceret. Subditi enim & possunt, & si tempus, & vsus postulet, principes suos admonere debent. Hanc orationem alij volunt esse Apologeticam: alij Expostulatoriam, quo Dauid queratur iniuriam sibi fieri à Saule. Potest etiam esse Suasoria. Hortatur enim Saulem vt deponat hostilem animum, & inanes illas suspiciones, quas collegerat, adijciat. Sed ante clamat eminus ad Saulem. Cúmque ille respiceret, pronus se abiecit ad terram. Nam hoc signo subditi quodammodo pollicentur principibus suis perpetuum obsequium. Ita Dauid obsequutus est Sauli summa cum fide & obseruantia, & cùm illi furenti pulsaret citharam: & cùm eius iussu iret in Palestinos cum exercitu: & hoc tempore maximè cùm illum è manibus dimitteret incolumem. Adoratio autem ista est tantùm politica. Eam oportet vacare hypocrisi: nam alioqui vitiosa est.

Et inclinans se Dauid pronus in terram adorauit.]

Εἰκὼν δ᾽ βασιλεὺς ἐστιν ἔμψυχος θεοῦ,

Animata Dei imago rex est,

Reges à populis adorati.

inquit Menander. Itaque complures populi reges suos haud secus ac viuentia Dei simulachra adorationis cultu dignati sunt. Persarum morem in adorando refert Lucianus in Nauigio his verbis: O Rèx Persico more procumbens ὑποκύψας ἐς τὸ Περσικὸν, προσκυνῶ σε, περιαγαγὼν ἐς τοὐπίσω τὼ χεῖρε, τιμῶν τὴν τιάραν, ὀρθὴν οὖσαν, καὶ τὸ διάδημα, adoro te, circumactis post tergum manibus, venerando tiaram rectam istam, atque ipsum diadema. Apud Assyrios, vt scribit Ammianus lib. 18. supplicans incuruatis membris, humum penè vultu contingebat, manibus post tergum reiectis, connexísque. Pancirolius de Romanis lib. Rer. Memorab. deperditarum, Qui imperatores, inquit, salutabant, non exosculabantur illis genua, vt hodie vsurpatur; nec etiam manus: sed congenulati, aut genibus flexis purpuream ipsorum vestem tangebant. Atque hi sacram dicebantur purpuram adorare. *l. 1. Cod. de Apparit. præfect. Prætor. lib. 12. & l. si quis seruum. 7. Cod. qui milit. poss. eod. libr.* Quidam hodie quorumlibet vestes exosculantur, quibus insignem aliquem honorem haberi volunt. Hæc Pancirolius: qui hanc adorationem Principum in diperditis rebus numerat. Cæterùm vbi adoratores Imperatoriam purpuram tetigissent, manum ad osculum referebant: vt docere videtur Plinius libro vigesimo octauo capite secundo. In adorando, inquit, dextram

Lucianus.

A

ad osculum referimus.

ET INCLINANS SE DAVID, &c.

Adorare. Valla.

Quid sit autem *adorare* Laurentius Valla Elegant. lib. 5. ita explicat, gestu corporis, non voce, honorem impendere, quod etiam ad bruta pertinet, vt elephas solem adorat. Ioann. Oldendorpius apud Caluinum in lexico Iur. interpretatur *Adorare* id esse propriè, quod humiliare se, & reuerentiam facere, vt vulgò dicimus. Et Salmuthius in Pancirolium, Salutare, inquit, veteribus idem fuit, quod *adorare*. *Adorare* autem propriè est, ad os admouere. Obseruatum hoc in deorum salutatione. Multi enim eminus stantes, quod deos ore profano tangere verebantur, manum porrigebant, eámque ad os suum relatam sauiabantur; vt Lipsius admonuit lib. 2. Elector. cap. 6. & Muretus Variar. Lection. lib. 1. cap. 1. In adoratione Principis & purpura eius tangebatur, & ad os admouebant. Neque tamen aut Vallæ, aut ante citatis Iurisperitis concesserim idem fuisse *adorare* quod saluere iubere, aut etiam deosculari: nam hæc disertè secernuntur *Cod. lib. 12. tit. 16. De silentarijs l. 1.* quo loco adoranda Principis serenitas, administratores & reliqui salutandi proponuntur. Et Accursius annotat: Adoratur Princeps: salutantur alij. *Et titulo 17. de Domesticis & protectoribus. Cod. eod.* hanc primam legem Valentinianus & Theodos. sanciunt ad Eusignium Præf. Præt. rescribentes, Domestici ac protectores, osculandi, cùm salutauerint vicarios, tui culminis habeant potestatem. Pœna enim sacrilegij similis erit si his honorificentia non deferatur, qui contingere nostram purpuram digni sunt existimati. Ex his, ni fallor, liquet adorationem aliquid præter salutandi officium innuisse, ac velut eius seruitutis, quæ Principi debetur, manifestam professionem fuisse: quam nonnulli principes Ethnici eoúsque exaggerarunt, vt parem numinibus cultum suæ maiestati arrogarent.

Oldendorpius.

B

Cod. Iustiniani.

C

Quam dementiam tametsi plerique reges & Imperat. auersati sunt, indigna tamen libero populo semper adoratio visa est. Lacedæmonij apud Herodotum nefas esse dixerunt apud se adorari hominem. in quam sententiam reliqui deinde Græci abierunt. Celebratur autem ab Æliano Var histor. lib. 1. cap. 21. supra modum Thebanus Ismenias, qui sibi visus est Reipubl. suæ gratia Persarum Regi illusisse. Cùm enim Tithraustes, inquit, Tribunus, Magister admissionum his verbis Ismeniam compellasset, Thebane hospes, lex est apud Persas recepta, vt is qui in conspectum regis venit, non antè sermonem cum eo conferat, quàm eum adorauerit. Quod si igitur vis eum adire, necesse est, vt quod lex iubet, peragas. Sin minus, idem tibi etiam per nos præstabitur, quamuis tu non adoraueris. Ismenias verò, deduc me, ait. Quũ autem accessisset, & in faciem regis ventum esset, annulum, quem gestabat, è digito detractum, clàm abiecit ad pedes, confestímque procumbens, tanquam adoraret, sustulit eum iterum, & opinionem quidem adorationis Persarum regi præstitit: nihil tamen commisit, quod ignominiosum aut indecorum foret Græcis. Quicquid igitur petijt, impetrauit, neque quic-

Ælianus.

Græci, ne reges adorarent, pertinacissimè recusarunt.

D

Et inclinans se David, &c.

quicquam à Persa ei denegatum est. Ita sentit Ælianus. Ego verò, tametsi regnum adorationem, quæ nihil præter humanam maiestatem colit, à boni viri officio alienam non iudicem: attamen liberi populi legato indignam censeo, nec factum suum Ismeniam frigida simulatione tueri posse, per quam suæ libertati potius quàm Persarum arrogantiæ illusit. quem ritum Iudæi in adorandis regibus seruarent ex hoc loco satis intelligi potest, à quo neutiquam Dauid abhorruit. Non enim extra cancellos tum ferebatur ambitio, sed legitimis officij finibus circumscripta erat.

Obseruat Chrysostomus modestiam Dau. post tãtum benefic.

Porrò, inquit Chrysostomus, hæc non minus adferunt ornamenti Dauidi, quàm seruatus hostis. Neque enim vulgaris erat animi, non inflari beneficijs in proximum collatis, neque sic affici, vt solent plerique è vulgo, qui perinde vt mancipia superciliis adductis despiciunt, quos beneficio iuuerint. At non ita beatus Dauid, quin potius, post impensa beneficia modestior apparuit. In causa fuit, quod nihil eorum, quæ præclarè gesta fuerant, suæ ipsius industriæ ferebat acceptum, sed totum diuino muneri ascribebat. Ideóque qui seruarat, idem adorabat seruatum, rursúmque Regem nominabat, videlicet ob illius dignitatem animi tumorem reprimens, irámque mitigans, & inuidiam submouens. Hactenus homil. 2.

Quare audis verba hominum.] Duplex assentatorum genus regum aures occupat. Alterum oblectans & innocuum, quod graphicè pinxisse videtur Antiphanes, cùm ait:

Assentator oblectans & innocu'.

Scilicet aut est, aut esse potest ars iucundior,
Aut prouentus alius, quam adulandi industria?
Pictor labores duros & amaros tolerat:
Agricola rursum in quantis periculis versatur?
Omnibus presto est solicitudo & labor.
Nobis verò cum risu & delicijs vita transigitur.
Non enim maximum opus est iocari,
Dulce ridere, cauillari cum aliquo, ebibere multum:
Non suaue? Mihi quidem: ac post diuitias secundum locum tenet.

Assentator alius qui bonorum vitæ ac fortunis insidias struit.

Alterum genus est eorum, de quibus in Psal. *Venenum aspidum sub labijs eorum. Dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus.*

Assentator, inquit Diphilus, *imperatores, optimates, amicos,*
Vrbes euertit, sermone sceleroso
Exiguum tempus oblectans. Hoc verò tempore mala
Tabes quædam subijt Regem: iudiciáque
Nostra ægrotant: & gratia multum valet.

Porrò inquit Menander,

Qui calumnijs citò fidem adhibet,
Aut malis is moribus præditus est:
Aut animum puerilem is prorsus habet.

Imago depicta calumniæ.

Apelles Ephesius apud Lucianum De non temerè credendo calumniæ, elapsus ex insidijs quibus ab Antiphilo petitus erat, delatus falsò maiestatis ad Ptolemæum Regem, & addicto sibi in seruitutem Antiphilo; vt erat summus pingendi artifex, calumniam tali imagine vltus est. Ad dextram considet quispiam auribus prælongis insignis, quales ferè Midæ feruntur. Manum porrigit procul accedenti calumniæ. Circumstant eum mulierculæ duæ, Ignorantia, ni fallor, ac Suspicio. Adit aliunde propera Calumnia eximiè compta, vultu ipso & gestu corporis efferam rabiem, & iram æstuanti conceptam pectore præ se ferens, sinistra facem tenens flammiuomam, dextra secum adolescentem capillis prehensum, manus ad superos tendentem, obtestantémque deorum immortalium fidem, rapit. Anteit vir pallidus, in speciem impurus, acie oculorum minime hebeti, cæterùm ijs planè similis, qui sontico aliquo morbo contabuerunt. Hunc facilè conijcias Liuorem esse. Quin & mulierculæ aliquot calumniam sequuntur comites, quarum est munus, Dominam hortari, instruere, comere: interpres picturæ aiebat Insidias, ac Fallaciam esse. A tergo, lugubri habitu, pullata lacerá que Pœnitentia subsequitur, quæ capite in tergum deflexo, cum lacrymis ac pudore procul venientem Veritatem excipit. Hac Apelles tabula casus suos lusit.

Quare audis, &c. Lucianus.

Quare audis verba loquentium, Dauid quærit malum aduersum te?] Legit Chrysostomus cum Septuaginta, *Quare audis verba populi dicentium tibi, Ecce Dauid quærit animam tuam?* Et tamen, ait, qui hanc conscripsit historiam, prius dixit quod totus populus esset cum Dauid, quódque gratiosus esset in oculis seruorum Regis, & quod Principis filius vniuersúsque exercitus animo starent à Dauide. quo pacto igitur hic ait fuisse qui deferrēt ipsum, ac Saulem in eum prouocarent? quod enim non aliorum instinctu, sed ipse ex propria mente malitiam hanc peperisset, vt bellum gereret cum iusto, declarauit, qui columen conscripsit, cum ait, è laudibus Dauidis natam esse inuidiam, quódque progrediens creuisset in dies. quam igitur ob causam crimen transtulit in alios, dicens: Cur audis verba populi tui, dicentium: Ecce Dauid quærit animam tuam? nimirum vt illi præbeat occasionem excutiendi malitiam. Hoc nímirum & parentes sæpenumero faciunt erga filios, dum quispiam corripiens filium suum corruptum, multáque operatum mala, quamuis sibi persuasum habeat, illum ex propria malitia ad perditos mores exorbitasse, frequenter tamen in alios culpam reijcit, ita loquens: Noui non fuisse tuum delictum, sed alij te corruperunt ac seduxerunt. Illorum est totum hoc peccatum. Nam hęc audiens filius, poterit paulatim à malitia resipiscens facilius ad bonã frugem reuerti, dum pudefit erubescítque hac laude videri indignus. Idem facit Paulus scribens Galatis. Post multos illos ac prolixos sermones, pósque non commemorandas accusationes, quibus illos accusarat, sub epistolæ finem volens ab illis amouere culpam, vt aliquantulum à criminibus recreati ad excusationem venire queant, hunc in modum loquitur: *Ego confido de vobis, quod nihil aliud sentietis. Cæterùm qui vos perturbat, feret iudicium quisquis ille fuerit.* Itidem fecit & Dauid hic. Cùm enim ait, *Cur audis verba populi dicentis: Ecce Dauid quærit*

1. Reg. 16.

S. Ioann. Chrysost.

Quam ob causam Dauid culpam transferat in alios.

Ad Galat. 5. 10.

QVARE AVDIS, &c. *animam tuam*: indicat, alios esse qui prouocarent, alios qui animum ipsius inficerent, modis omnibus studens illi porrigere excusationis occasionem. Hactenus S. Chrysost.

Cæterùm Beatus iste non ita intelligendus est, tanquam velit nullum omninò delatorem fuisse, qui Saulis inuidiæ fomenta ministraret. Neque enim temerè toties in Psalmis Dauid in obtrectatores suos inuehitur: sed hoc sibi vult, quicquid illi egerint, non tam priuato odio, aut etiam emolumenti spe, quàm illo autore atque instigante fecisse. Nam Doëg sanè (Suprà c. 22) tametsi æmulatione gloriæ Dauidi haud satis æquus, eius apud Principem gratiæ inuideret attamen non prius Dauidem Sacerdotésque prodidit, quàm Regis querelis excitus, vereretur silentio periculum sibi creatum iri. Ziphæi verò alienæ cladis exemplo videntur ad prodendum incitati. Itaque etsi plures Dauidis nomen falsò detulerint, vnus tamen habendus est Saul calumniæ artifex. Nam reliqui non alia ratione scelus ausi sunt, quàm vt calamitatem à se depellerent, aut Regis gratiam aucuparentur. quo nomine non immerito Dauid tanquam in sceleris instrumenta, sic in eos potuit crimen conferre. His enim Saul, liuori suo indulgens, cupidè fidem habuit.

VERSVS 11.

Ecce hodie viderunt oculi tui, quòd tradiderit te Dominus in manu mea in spelunca: & cogitaui vt occiderem te, sed pepercit tibi oculus meus: dixi enim: Non extendam manum meam in dominum meum, quia Christus Domini est.

VERSVS 12.

Quin potiùs pater mi, vide, & cognosce oram chlamydis tuæ in manu mea: quoniam cùm præscinderem summitatem chlamydis tuæ, nolui extendere manum meam in te: animaduerte, & vide, quoniam nō est in manu mea malum, neque iniquitas, neque peccaui in te: tu autem insidiaris animæ meæ vt auferas eam.

D

(Variæ trāslationes.) ET *cogitaui vt occiderem te.*] Pagninus, *Et dixit quispiam vt occiderem te.* Arias simpliciter, *& dixit ad occidendum te.* Pagninus, *& peperci tibi*; Arias, *& peperci super te.* Alius, *Ecce hoc die viderunt oculi tui, Iehouam tradidisse te hodie in manum meam in ista Spelunca, ac si dixisset vt occiderem te, at pepercit* oculus meus *tibi*, Dixi *enim non extendam, &c.* Vatablus, *& fuerunt quidam qui dicerent, vt occiderem te, at parcitum est tibi.* In Schol. pepercit tibi anima mea, vel oculus meus. Chaldæus, *& dixerunt alij vt occiderem te, & peperci super te.* Septuag. Καὶ οὐκ ἐβουλήθην

A ἀποκτεῖναί σε, καὶ ἐφεισάμην σου. *Et nolui occidere te, & peperci tibi.* ὅτι Χριστὸς Κυρίου οὗτός ἐστι. *quoniam Christus Domini hic est.* Nobilius in Not. Apud Theodoret. & in Complut. sequitur, Καὶ πατήρ μου, *& pater meus*: quæ sunt in Hebræo: sed videntur coniungi cum sequentibus, vt in Vulgat.

Versus 12. Hebraicè scriptum est, וְאָבִי רְאֵה גַּם רְאֵה אֶת כְּנַף מְעִילְךָ בְּיָדִי *Veabi reeh gam reeh eth kenaf meghilecha beiadi*, Pagninus, *Et pater mi vide, etiam vide oram siue alam pallij tui in manu mea.* Reliqui pariter interpretantur. Et hac blanda appellatione Dauid Saulem promouet, quia socer affinitate genero, & rex officio popularibus est pater: quò pertinet Saulis responsum inf. vers. 17. Chaldæus, *Et Domine mi considera, etiam vide alam pallij tui, &c.* Septuaginta,

B neque Dominum neque patrem hîc appellant, sed absolute scribunt, Καὶ ἰδοὺ τὸ πτερύγιον τῆς διπλοΐδος ἐν τῇ χειρί μου, *Et ecce ala siue pinna diploidis in manu mea. Pinnam* Lucifer, vt notat Flaminius, *laciniam* vocat *chlamydis eius.* Sequitur, *Scito, & vide, quoniam non est in manu mea* רָעָה *raghah, malum*, וָפֶשַׁע *vephescagh & preuaricatio.* פֶּשַׁע *phescagh* apice dextro notatum, significat propriè rebellionem, seu transgressionem præcepti præ superbia. Aliàs aliud quippiam denotat. *& non peccaui tibi.* Alij, *malum, & iniquitas* Alij, *malum, aut defectio.* Chaldæus, *culpa, & iniquitas.* Vatablus Salmant. *Cognosce igitur, & vide, quòd nihil mali molior, nihil preuaricationis, nihil in te pecco: tu verò venaris animam meam, vt tollas eam.* More scilicet venantium insidiaris animæ meæ. צֹדֶה *tsodeh*, insidians; à צָדַד *tsadad*,

C seu potius צָדָה *tsadah, insidiatus fuit.* צדים *tsidim* sunt plagæ, retia, seu laquei, quibus feræ piscésque capiuntur. Septuag. Καὶ σὺ δεσμεύεις τὴν ψυχήν μου τοῦ λαβεῖν αὐτήν, *Et tu* Complut. *insidiaris*, Roman. *ligas*, id est, cingis insidijs, laqueos nectis, seu retia tendis, &c. Lucifer, *Et tu queris animam meam capere.* Superiora verò legunt hoc pacto: ὅτι οὐκ ἔστιν ἐν τῇ χειρί μου κακία, οὐδὲ ἀθέτησις, οὐδὲ ἀσέβεια, καὶ οὐχ ἥμαρτον εἰς σέ. *Quoniam non est malitia in manu mea, neque* Complut. *iniquitas*; Roman. *neque contemptus, neque impietas, & non peccaui in te. Neque impietas, & contemptus.* Lucifer tantum habet, vt notat Flaminius, *neque iniustitia*, & respondet Hebræo.

ECCE HODIE, &c. *Ecce hodie viderunt oculi tui.*] Illi quidem, inquit, delatores mei verbis calumniantur: at ego (S. Chrysost. hom. 1. de Dauide & Saule.) reipsa me purgo, ipsísque factis depello cri-

D men. Mihi nihil opus est verbis, quum ipse rerum exitus quauis oratione clarius possit te docere, quinam sint illi, & qui ego, & quomodo facta sit aduersum me mendax delatio, & calumnia. Harum rerum non alium, sed temetipsum testem inuoco, teipsum inquam, qui meo beneficio seruatus es. Et paulò pòst: Si testes citasset, Saul suspectum habuisset eorum testimonium, eósque iusto gratificantes ea loqui putasset. Quod si ratiocinationibus ac probabilibus argumentis tentasset excusare sese, futurum erat, vt minus ipsi crederetur, quippe iam corrupto iudicis animo. Quomodo enim is qui tot beneficijs affectus nihilo secius bello persequebatur nihil commeritum, suspicari potuisset, quòd aliquis iniuria affectus, cum

qui

ECCE HODIE, &c. Plerunque alios suis moribus æstimant. qui fecerat iniuriam nactus in manus, pepercisset? Plerunque enim vulgus hominum ex suo animo de alijs iudicat. Velut qui assiduè inebriatur, haud facilè credere posset esse quempiam hominem sobriè frugalitérque viuentem. Qui scortis indulget, etiam pudicè viuentes habet pro incontinentibus. Rursus qui res rapit alienas, non facilè persuadebitur, esse homines qui sua quoque profundant. Similiter & hic quoque occupatus ira haudquaquam facilè credidisset, esse hominem vsqueadeò suis affectibus superiorem, vt non modò nihil læderet, verùm & eum qui læserat seruaret. Quoniam igitur & animus iudicis erat corruptus, & testes, si producti fuissent, in suspicione erāt futuri, consilio prudenti reperit probationem quandam, quæ posset & vehementer impudentibus obturare os. quænam est hæc? Lacinia B est lamydis, quam protendens dicebat, Ecce lacinia chlamydis tuæ in manu mea, quam abstuli, nec occidi te. Mutus quidem testis, sed omnibus vocem habentibus euidentior. Neque enim si non fuissem, inquit, proximus, ac corpori tuo vicinus stetissem, potuissem chlamydis amputare partem. Et rursum: Quoniam igitur hunc in modum verum & indubitabile testimonium exhibuit, ipsum mox inimicum, & iudicem & testem facit suæ erga Regem reuerentiæ, loquens in hunc modum: *Cognosce & vide hodie quod non est in manu mea iniquitas, neque contemptus tui, & alligas animam meam vt capias eam.* Hinc vel maximè quis admirari debeat illius magnanimitatem, quòd non sumit excusationem nisi ab ijs quæ eo die acciderant. Cognosce, inquit, & vide hodie. Nihil enim loquor de anteactis: mihi ad probationem satis est hic dies: tametsi poterat multa magnáque enumerare beneficia, quæ prius in illum contulerat. Hæc & plura S. Chrysost.

Dauidis apologia. *Quod tradiderit te Dominus in manu mea in spelunca.*] Cùm nos vrgent & premunt aduersariorum calumniæ, Rhetores monent, eam esse debere primam curam, vt grauissimis illorum argumentis respondeamus. Dauid accusatur, quasi qui affectet regnum, & insidias faciat vitæ Saulis. Id Dauid hoc pacto inficiatur. Si quid vehementer cupimus, id vbi primùm oblata est facultas, effectum damus. Id esse verum, in omnium animis impressum est. Ita vbi aliquid factum non sit, dicere solemus, aut voluntatem aut facultatem defuisse. Minor propositio est: Deus te conclusit in manus meas: & ego te non occidi. Ergo non facio tibi insidias. Minorem probat hoc pacto. *Vide*, inquit, *oram pallij tui in manu mea.* Quod pallio tuo feci, id tibi multò facilius potuissem facere. Tu autem cōtra nullum non lapidem moues vt me interficias. Sed Deus cœptis non fauet tuis. Tantum interest inter te, & me. Tu enim, relictis Palæstinis, me vnum persequeris. Hæc erat Apologia Dauidis. Ex qua apparet, licere sanctis se defendere, si accusentur, & suam tueri innocentiam. Ita Christus ipse fecit in Ioann. Ita Paulus apud Festum & Agrippam, & apud plebem Iudæorum.

Porrò cùm Ecclesiæ causam oraret Tertullianus, eodem argumento vsus videtur cap. 37. quo probaret diuinarum legum reuerentia Christianos, & non quod occasio opportunitásue deesset, ab vlciscendis persequutoribus abstinuisse; quando vel vna nox, inquit, pauculis faculis largitatem vltionis posset operari, si malum malo dispungi penes nos liceret. Sed absit, vt aut igni humano vindicetur diuina secta, aut doleat pati, in quo probatur. Si enim & hostes exertos, non tantum vindices occultos agere vellemus, deesset nobis vis numerorum & copiarum? Plures nimirum Mauri, & Marcomanni, ipsique Parthi, vel quantæcunque vnius tamen loci, & suorum finium gentes, quàm totius orbis? Externi sumus, & vestra omnia impleuimus, vrbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum. Sola vobis relinquimus templa. Cui bello nō idonei, non prompti fuissemus, etiam impares copijs, qui tam libenter trucidamur? Si non apud istam disciplinam magis occidi liceret quàm occidere? Potuimus & inermes nec rebelles, sed tantummodo discordes solius diuortij inuidia aduersus vos dimicasse. Si enim tanta vis hominum in aliquem orbis remoti sinum abrupissemus à vobis, suffudisset vtique dominationem vestram tot qualiumcunque amissio ciuium. Imò etiam & ipsa destitutione puniisset. Et rursum in lib. ad Scapulam cap. 2. Et vtique ex disciplina patientiæ diuinæ agere nos satis manifestum esse vobis potest, cùm tanta hominum multitudo, pars penè maior ciuitatis cuiusque in silentio & modestia agimus, singuli fortè noti magis quàm omnes, nec aliunde noscibiles quàm de emendatione vitiorum pristinorum. Absit enim vt indignè feramus ea nos pati quæ optamus, aut vltionem à vobis aliquam machinemur, quàm à Deo expectamus.]

QUOD TRADIDERIT TE, &c. Tertullian. Voluntatem non facultatem vlciscendi Christianis olim defuisse.

Et cogitaui vt occiderem te.] Constanter reliqui alium quempiam pluresue notant. Græci *Et nolui occidere te.* Vtrumq; intelligi potest. Nam & ex præcedentibus manifestum est à militibus ad cædem Saulis incitatum fuisse, & fieri potuit vt idem quoque de tanto facinore cogitarit, tametsi minimè consenserit. *Deus*, inquit, *te conclusit in manu mea.* Cumque tu eo loco esses, non deerant impulsores, qui vehementer mihi autores essent, vt te occiderem. Ego verò memor officij erga te mei illorum D consilia repudiaui. Tantum interest inter facta tua, & mea. Ego meos satellites ad tuam perniciem sequi nolui: Tu monitu & suasu delatorum, qui me falsò apud te calumniantur, meam vitam, & sanguinem quæris. Est autem præclarum ἦθος, quod ait se in tantis angustijs constitutum, cùm esset vndique obsessus à Saule, tamē noluisse in eum mittere manum suam. Ego, inquit, habeo te pro domino, & patre meo. Tu verò me innocentem tanquam feram aliquam, & immanem bestiam per saltus, atque inuia persequeris. Cæterùm ego, inquit Dauid, non do tibi verba: factum ipsum, quod mentiri non potest, faciet fidem. Quibus oculis videbit Deus crudelitatem istam tuam? Nimium indulges odio: nec videris posse exaturari.

QVOD TRADIDERIT TE, &c.

Pollux. Quib' nominibus honoris causa rex appelletur.

Quin potius pater mi.] Pollux Onomast. lib. 1. cap. 2. In regis, inquit, laudem dices, πατὴρ pater, ἤπιος, πρᾶος, blandus, mansuetus, iucundus, prouidus, æquus, φιλάνθρωπος humanus, magnanimus, liber, diuitijs imperans, ἥσσων παθῶν affectibus carens, sui compos, voluptati dominans, rationalis, ingeniosus, solers, circumspectus, consultus, iustus, sapiens, religiosus, hominum tutor, firmus, constans, φροντιστὴς τῶν ἀρχομένων, σωτὴρ, subditorum curam gerens, saluator, πρόχειρος εἰς εὐεργεσίας, βραδὺς εἰς τιμωρίας, beneficus, ad vindictam tardus, ἀπλανὴς erroris expers, diligens iustitiæ obseruator, comis, ad colloquium facilis, μειλίχιος lenis, πολεμικὸς μὲν, οὐ φιλοπόλεμος δὲ, bellicosus quidem, sed belli osor, εἰρηνικὸς, εἰρηνοποιὸς, εἰρηνοφύλαξ, pacis amās, pacificus, pacis custos, εὖ ποιεῖν πεφυκὼς, ad benefaciendum natus, &c. Hæc & plura ibidem Pollux. Regem itaque, etsi non gener esset Dauid, iure ac merito vocare debuit patrem. Reuerentiæ tamen causa ita factum videri potest Nam cùm Naaman Syrus discederet ab Elizæo, famuli eum his verbis admonuerunt, *Pater mi.* Quanquam fortassis Dauid etiam hoc spectauit quòd socer esset. Blandiri opinor studuit, & ferocem animũ fortassis patris appellatione ad humanitatis sensum aliquẽ inflectere. Hebraicè אבי Abi *Pater mi.* Ἀββᾶ, ὁ πατὴρ inquit Apostolus. *Abba* idem quod *pater* est. Καὶ οἱ μὲν παλαιοί, inquit Suidas in voce Ἀββᾶ, ἐκάλουν πατέρα τὸν ἥρω τῆς οἰκίας ἐξουσίας, Et prisci quidem Deum vocabant patrem ex suo sensu, siue ex familiari, ac peculiari quodam modo. Vt Moyses dicit, *Deum qui te genuit dereliquisti.* Et Malachias, *Ille Deus, & pater, qui nos genuit.* Et sicut est inquit, *Spiritus prophetiæ, & spiritus linguarum,* ita est & *spiritus adoptionis filiorum Dei,* à quo ille, qui donum spiritus accepit, impulsus à spiritu, Deum vocat patrem. Notæ in eundem locum: Ex ἀββᾶ per litterarum transpositionem, & mutato gemino ββ in geminum pp, Latinum vocabulum *Papa* deductum. Consule Eustathium in voce Παππᾶς, vbi formationem etiam affert. Alij verò tradunt olim præstantissimos Romanæ Reipub. Principes & Imperatores appellari solitos in singulari, Pater Patriæ, quæ voces compendij causa sic scribebantur. *Pa. Pa.* Vnde vulgus imperitum sublato medio puncto, vocem vnicam, *Papa,* formauit, quomodo summus Pontifex iam recepto nomine vocatur. Hoc autem nomen est honorificentissimum, & sui officij monet eum, qui sic appellatur. Principes enim & Pontifices, vt cum poëta loquamur, non δημοβόρους sed λαῶν ποιμένας, & patres populorum suæ fidei commissorum esse decet, qui paterno affecta moti, commodis, honori, & saluti ipsorum pro viribus consulere debent.]

Papæ nomen.

Vide & cognosce.] Hebraicè ראה גם ראה reeb gamreeh. *Vide, etiam vide.* Atenim quid eandem vocem duplicare oportuit? An quia geminum est lumen oculorum? An voluit eundem per se spectare, nec alienis oculis credere? Habent enim Principes *visores* suos, vt vocat Tacitus lib. 16. Græcis etiam explorator, ὀφθαλμὸς βασιλέως. Sed & Satrapæ olim qui apud

Visores & ocu'i principum.

A Principem gratia & autoritate valerent & consilijs adhiberentur, *Regum oculi* dicti sunt; sicut & non rarò βασιλέως ὦτα siue aures dictos meminimus. Hoc itaque sibi vult Dauid: Qui soles delatorum calumnijs fidem habere & alienis oculis meas rationes inspicere, nunc tu ipse *vide, vide,* inquam, nec vltrà salutem meam calumniatorem peruersæ fidei permittas. An forte idcirco verbum iterat, quòd credantur oculi inuidorum hebescere? Ferunt spadonibus, & ijs qui intemperantius venere abutuntur, aciem oculorum imminui: Sed nihil sic eam debilitat vt liuoris suffusio. Itaque iteratò admonet, ne respexisse contentus sit ijs oculis quibus dudum immeritum ad cędem designat, sed illis quibus amicissimum quemque & suæ salutis studiosissimum intueri solet. Neque

QVIN POTIVS PATER MI.

Quamobrẽ bis videre iubeat.

B enim vlla hic proditionis signa comperies: sed quod refutari non possit, beneuolentiæ in te meæ clarissimum argumentum. An denique idcirco bis spectare iubet, quòd sicut videt corpus beneficio oculorum, ita & mens quoque videt intellectuales sortita oculos, qui & ipsi speculantur. Vtrisque porrò Dauid Sauli opus esse censuit, vt verum de sua causa iudicium ferret. Nam si solos mentis oculos arbitros Saul ascisceret, cùm illi dudum liuoris contagione deprauati essent, videbat rem liquidò perpendi non posse. Si visu duntaxat rem obiectam attingeret, cõiectabat oram pallij quam manu præferret exiguam posse videri. At si vtrosque pariter defigeret, spes erat, periculi magnitudinem cum insperata salute conferendo, ab insana illa nocendi libidine posse resi-

C piscere. Quid si tandem hoc solùm voluisse dicamus, vt Saul accuratè studioséque rem consideraret; quo pacto nos ipsi solemus, quæ vehementer optamus fieri, iterum atque iterum imperare?

Nolui extendere manum in te.] Bene ait *Nolui:* quandoquidem nec alterius saltem maleficio, ad facinus abuti voluit. Sunt enim non pauci qui tametsi à scelere abhorreant, nec ferre possint proprias manus hostili sanguine pollui, impedire tamen alterius conatum nolint. Gothofredus *ad l. 3. De regul. iur.* Velle propriè dicitur, qui sciens, nec coactus, iubet, mandat, aut imperat, aut expressim approbat. Nolle, qui sciens, nec coactus, expressim vel palàm vetat, aut refragatur. Non nolle is videtur, qui

Quid sit quod dicatur Nolle.

Gothofredus.

D tacitè approbat, qui sciens patitur, nec expressim fieri iubet, estque inter velle & nolle medium. Non est velle, quia palàm non iubet. Non est nolle, quia non refragatur, sed tamen probat. Non velle, non est expressim refragari, sed factum tacitè reprobare. Non est velle, quia non iubet. Non est nolle, quia palàm non vetat. Non nolle, non est iubere, sed approbando pati. Non velle, non est vetare, sed tamen reprobando pati. Velle igitur, & Nolle, est iussio, & prohibitio expressa. Non nolle, & non velle, tacita. Ex quibus patet quod Dauid asserit, verè eum noluisse afferre manus Christo Domini.

Tu autem insidiaris animæ meæ, vt auferas eam.] Non magis istic Saulis improbitatem Dauid verbis

Qvin potivs, &c.

Quo tempore Dauid Sauli pepercit.

verbis exaggerat, quàm suam ipse magnanimitatem commendat. Nam quo tempore hostis vitæ pepercit? quo tempore ab eodem in summum vitæ discrimen adductus erat. Nam alienas condemnare iniurias, aut etiam publicas, regibus in promptu est. Nonnulli præterea excelso animo præditi, postquam periculum euaserint, acceptam iniuriam securi obliuiscuntur, & suum quo vsuri erant in reos supplicium remittunt. At Dauid his omnibus superior, adhuc in ipso discrimine constitutus, lacessenti inimico pepercit.

Versvs 13.

Iudicet Dominus inter me & te, & vlciscatur me Dominus ex te: manus autem mea non sit in te.

Versvs 14.

Sicut & in prouerbio antiquo dicitur: Ab impiis egredietur impietas: manus ergo mea non sit in te.

Versvs 15.

Quem persequeris, rex, Israël? quem persequeris? canem mortuum persequeris, & pulicem vnum.

Versvs 16.

Sit Dominus iudex, & iudicet inter me & te: & videat, & iudicet causam meam, & eruat me de manu tua.

Variæ trãslationes.

Vlciscatur me Dominus ex te.*] Pagninus, *de te*. Versu 14. idem, *prouerbium antiquorum*; Arias, *antiqui, Manus ergo. Ergo* non est in Hebræo. Versu 15. Legit Pagninus in tertia persona, *Post quem egressus est rex Israel? quem persequens?* Versu 16. Arias, *& disceptet litem meam*; reliqua Pagninus, *& indicet me de manu tua.* quidam, *atque vlciscatur me de manu tua.* Versu 13. Chaldæus eadem quæ Vulgat. affirmatiuè D legit in futuro. Septuaginta. Κρίναι Complutenses, Aldus δικάσαι κύριος ἀναμέσον ἐμοῦ καὶ ἀναμέσον σου, καὶ ἐκδικήσαι μοι Complut. ad Rom. σοι; Aldus, με, κύριος ἐκ σοῦ. *Judicet Dominus inter me & te*, & Complut. *vlciscatur me Dominus ex te*; Rom. edit. *& vindicet tibi de te.* Id est, vindictam sumat de te ex teipso. Lucifer, *indicabit me de te.*

Versu 14. *Sicut in prouerbio antiquo dicitur.* In Hebræo est: *prouerbium antiqui*, & subintelligitur, *hominis.* Ponitur enim hîc מְשַׁל *meschal prouerbium* in statu regiminis, id quod puncta arguunt. Porrò prouerbium ipsum: *Ab impijs egredietur impietas*: quidam Hebræorum sic exponunt: Desinent impij aliquando impiè agere, cùm nullum violentum sit perpetuum. Alij verò sic interpretantur: ex impiorum corde nihil procedere potest, quàm quod impium sit. Quidam, *Quemadmodum dicitur sententia illa antiquorum, Ab improbis prodeat improbitas, &c.* Vatablus, *Quemadmodum veteri prouerbio dicitur, Ab impijs egreditur impietas.* Et in Schol. Hebraismus, Vt dicit parabola autoris antiqui, *Ab impijs, &c.* pro, Ab impijs egredietur, vel egreditur, siue egredi solet impietas: vt est in vetusto prouerbio: quasi dicat, Suo se gladio iugulabunt impij, committent aliquid ob quod peribunt. Acsi dicat, Tu tibi tandem eris causa interitus, nisi resipueris. Vel vt alij, Scio impios impiè acturos. tanquam dicat, Tametsi sciam te impiè acturum, non tamen tibi vim B inferam. Hæc Vatablus. Septuag. Καθὼς λέγεται ἐν παραβολῇ ἀρχαίᾳ. Ἐξ ἀνόμων ἐξελεύσεται πλημμέλεια. Καὶ ἡ χείρ μου οὐκ ἔσται ἐπὶ σέ. *Sicut dicitur parabola antiqua, Ab iniquis exibit delictum, & manus mea non erit in te.* Chaldæus, Vt id quod dicunt assimilatores ab antiquis, Ex impijs exibit culpa eorum, &c.

Ivdicet dominvs, &c.

Versu 15. Omnes cum Vulgat. legunt *canem mortuum, pulicem vnum.* כֶּלֶב מֵת *kelef meth.* ὀπίσω κυνὸς τεθνηκότος, *canem mortuum*; פַּרְעֹשׁ אֶחָד, *parghosc echad.* ὀπίσω ψύλλου ἑνός; *pulicem vnum.* Sensum magis quàm verba exprimit Chaldæus, cùm ait: *post debilem vnum, post abiectum vnum.* Et est sensus, Vt quid persequeris hominem abiectissimum, qui ad tui comparationem vix sum vel canis mortuus, vel pulex quidam, cui saltanti de loco ad locum insidiatur homo? C Quasi dicat, inquit alius, Facis quod est tanto rege indignum, dum me tenuissimum, infimum, & infirmissimum tanto comitatu persequeris: hyperbolæ sunt per comparationem dictæ.

Versum 16. Sic legit Chaldæus: *Et erit Dominus in iudicem, & faciet iudicium inter me & inter te, & manifesta ante eum iudicia: iudicet me, & liberabit afflictionem meam à te.* Septuag. Γένοιτο κύριος εἰς κριτὴν καὶ δικαστὴν ἀναμέσον ἐμοῦ καὶ σοῦ, καὶ ἴδοι κύριος καὶ κρίναι τὴν Aldus, κρίσιν; Complut. δίκην μου, καὶ δικάσαι. Ald. με; Complut. μοι ἐκ χειρός σου. *Fiat*, vel, *sit Dominus in iudicem*, & Complut. *censorem*; Rom. *vindicem inter me & te*; *videat Dominus, & indicet* Complut. *causam*; Rom. *iudicium meum, & vindicet me de manu tua.*

S. Chrysostomus.

Non quo vindictam cupiat, sed vt terreat, diuini iudicij admonet.

Iudicet Dominus inter me, & te.] S. Chrysostomus homil. 2. Hoc verbum dixit, non quod D cuperet puniri Saulem, aut de illo pœnas sumi, sed vt illi formidinem inijceret, venturæ condemnationis commemoratione: neque vt timorem incuteret tantùm, verùm & seipsum à criminis suspicione purgaret. Præcipuam quidem, inquit, probationem ex ipsis habeo factis: quod si non credis, ipsum Deum inuoco testem, qui & cuiusque mentis arcana nouit, & scrutari potest conscientias. Hæc autem loquutus est declarans quod nequaquam ausus fuisset appellare iudicem illum, cui non potest imponi, & in sese condemnationem accersere, nisi certissimum haberet, quòd ab omni insidiarum crimine purus esset. Et quòd ea quæ dicimus non coniecturæ sint, sed quòd

IVDICET DOMINVS, &c.

simul & ſeſe purgare cupiens, & illum ad ſobrietatem reuocare, illius iudicij fecit mentionem, illa quidem quæ iam geſta fuerunt, ſufficienter oſtendunt; non minus autem his & illa, quæ poſtea acciderunt, huius rei fidem facere poſſunt. Nam cùm rurſus Saul incidiſſet in manus ipſius, poſt datam ſalutem imminens illi, & occidere volens, quumque poſſet hoſtem cum vniuerſo exercitu concidere, dimiſit illum integrum & incolumem: idque cùm ſciret morbum Regis immedicabilem eſſe, neque illum vnquam hoſtilem in ſe animum poſiturum, ſubmouit ſeſe ab oculis illius: & apud alienigenas ac B rbaros vitam agebat, ſeruitutem ſeruiens, honore priuatus, pudore ſuffuſus, labore ac miſeria ſibi ipſi parans ad victum neceſſaria. Hactenus ſanctus Chryſoſtomus.

Iudicet Dominus inter me & te.] Si hic, inquit, mihi ius non dicatur, appello Deum. Ille eſt ſuperior iudex: & de te quoque iudicabit. Hæc oratio mouere debuit Saulem, ne vellet incurrere in manus Dei.

Seneca.

Vos quibus rector maris atque terræ
Ius dedit magnum necis atque vitæ,
Ponite inflatos tumidóſque vultus:
Quicquid à vobis minor expaueſcit,
Maior hoc vobis dominus minatur.
Omne ſub regno grauiore regnum eſt.

Reges Deũ reuereri neceſſe eſt.

Iuſtitiæ munus ac poteſtas.

Heſiodus.

Heſiodus ἀίργυις, ἢ ἡμέργεις, Iuſtitiam παρθένον, καὶ ἀδιάφθορον, virginem & incorruptam facit. Dicit autem ipſam perſequi atque punire eos, quibus iniuria mala, & impia facinora curæ ſunt. Illis verò, qui ipſam colunt, & ipſam terram ſua bona abundè producere dicit, & ipſum mare ſuppeditare omnia, quæ parit, ipſóſque valde copioſè alere. Quinetiam audio ipſam apud ipſius Iouis thronum ſedere, & præſtantiſſimorum conſiliorum eſſe ſociam. Homerus etiam ipſius imperium & potentiam celebrat, & dicit, illis, qui contemnunt ipſam, iratum fore Deum, & ipſam vehementes imbres effundere, & torrentes in ipſos impetuoſè demittere, & ipſorum vrbes, & arua, & greges delere, hiſque pœnis affici illos, qui fœdiſſima iniuriæ, & impietatis facinora ſuſcipere, & patrare audent. Sauli quid acciderit in ſequentibus videbimus.

Suidas.

Et vlciſcatur me Dominus ex te.] Suidas ἐπὶ βύρσης ἐκάθιζεν, In corio ſedebat. Hoc, inquit, apud Scythas fieri ſolebat. Cùm quis ab altero iniuria affectus eſſet, aut per vim opprimeretur, & vlciſci parabat, ſed ſuis viribus id poſſe deſperabat: bouem immolabat, & carnes quidem conciſas elixabat, ipſe verò corio humum ſternebat & reiectis poſt tergum manibus in ipſo ſedebat. Atque hoc apud Scythas eſt religioſiſſimum ſupplicandi genus. Statim verò ad eum populares accedebant, & accepta bubularum carnium parte, dextro pede corio inſiſtentes, quiſque pollicebatur ſe pro viribus opem laturum. Hoc autem iuſiurandum apud eos eſt ſanctiſſimum. Inde verò nonnunquam etiam tenues & contempti regibus negotium exhibuerunt, vt Lucianus commemorat. Hanc viam Dauid cùm inire poſſet, tantum abeſt vt Regem collecta manu laceſſiuerit, vt etiam miſero cùm in eius poteſtatem veniſſet, indulſerit, & ab eo manus abſtinuerit. Idcirco autem prouocauit ad Dominum, vt hoc exemplo moueamur, ne in rebus afflictis animos deſpondeamus: ſed cùm opprimimur iniurijs, defenſionis noſtræ curam ac ſollicitudinem Deo permittamus. Ille enim eſt & noſter & hoſtium noſtrorum communis iudex: & non tantùm poteſt, ſed etiam vult diſceptare cauſam noſtram. Dauid, vt id maiori cum fiducia faceret, habuit peculiares promiſſiones Dei: vt apparet ex Pſalm. 88. *Inueni*, inquit Deus, *Dauid ſeruum meum: oleo ſancto meo vnxi eum. Manus mea auxiliabitur ei: & brachium meum confortabit eum. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non apponet nocere ei. Et concidam à facie eius inimicos eius: & odientes eum in fugam conuertam. Et veritas mea & miſericordia mea cum ipſo, & in nomine meo exaltabitur cornu eius.* Nos autem conſequuti ſumus generales promiſſiones Dei. Deus enim promiſit, ſe iuſtis & innocentibus nequaquam defuturum. Quòd ſi quandoque in hac vita videatur nos derelinquere, at in altera haud dubiè complectetur. Cæterùm nequaquam temerè appellandus eſt, quod non pauci iniuriarum impatientes faciunt qui nequaquam impunè ferent: quibus etiam tantum impudentiæ & perfrictæ frontis vehementius exprobrat apud Eſaiam cap. 58. verſ. 2. *Quaſi gens*, inquit, *quæ iuſtitiam fecerit, & iudicium Dei ſui non dereliquerit: rogant me iudicia iuſtitiæ*, ſiue, vt Græci legunt, *petunt me iudicium iuſtum.* Et rurſum apud Amos capite quinto verſu 18. 19. 20. *Væ deſiderantibus diem Domini: ad quid eam vobis? dies Domini iſta, tenebræ, & non lux. Quomodo ſi fugiat vir à facie leonis, & occurrat ei vrſus: & ingrediatur domum, & innitatur manu ſua ſuper parietem, & mordeat eum coluber. Nunquid non tenebræ dies Domini, & non lux: & caligo, & non ſplendor in ea?*

ET VLCISCATVR, &c.

Docet nos in aduerſis rebus Dei iudicis meminiſſe.

Nequaquã temerè Deus appellandus eſt.

Sicut eſt in antiquo prouerbio, Ab impijs egredietur impietas.] Hoc eſt, Id genus ſceleris quod tu formidas, non ego qui pietatem colo, & te patrem regémque veneror, & Chriſtum Domini ſuſpicio, ſed impij admittent. Confirmauit Dauid antea innocentiam ſuam à facultate nocendi: eandem nunc confirmat ex vetere prouerbio. Non debes tibi metuere à me, inquit: quia vim tibi nunquam afferam. Id probat ex prouerbio. quia ex impio erumpet impietas in actum. Quod ſi ego eſſem impius, non potuiſſet tandiu latere impietas mea: præſertim cùm te haberem in poteſtate. Simile eſt illud Chriſti in Euangelio: *Arbor mala non poteſt fructus bonos edere.* Et Daniel. duodecimo capite verſu decimo. *Impiè agent impij.* Ionatham filius Gedeon cùm accepiſſet iniquam cædem fratrum ſuorum, quam patrarat Abimelech, Sichimitæ conſenſerant: *Egrediatur*, inquit Iud. capite nono, *ignis ex Abimelech, & conſumat habitatores Sichem, & oppidum Mello: egrediatúrque ignis de viris Sichem, & de oppido Mello, & deuoret Abimelech.*

Prouerbij expoſitio.

ABIMPIIS EGREDIETVR IMPIETAS. Delrius.

Abimelech. Id est, malos mali malè perdant. Duo quædam, inquit Delrius in Adag. Dauid hoc dicto dicere voluit: primò, se à crimine perduellionis tam alienum esse, quàm id erat alienum à vita moribúsque suis. Non enim tam enorme crimen animo concipi posse, nisi à vehementer improbis, quorum ex numero ipse nec fuerit vnquam, nec modò esse velit. Hoc ergo ait: Absit à me. Scelus scelestis arrideat, non mihi. Ita Delrius Adag. 181. quo loco plures eius adagij interpretationes & varios vsus recenset.

A

Probabile est autem hoc prouerbium fuisse in vtramque partem: & dici etiam vulgò solitum, *A pijs egredietur pietas.* Dauid autem alteram tantùm partem vsurpat. Sed dices: Nonne hypocritæ cælat interdum nequitiam suam? Certè. Sed tantum ad tempus. Oblata autem occasione erumpit statim. Multos enim audiuimus, & nouimus, qui vt ad aliquam dignitatem aspirarent, simularint summam sanctimoniam: postea autem fuerint deterrimi. Quod nonnullis exemplis ostendi posset. Ego, inquit Dauid, nolo esse impius. Non efficimur mali patiendo iniurias: sed certè efficimur, referendo iniurias.

B

Theodorus.

Qui Deo non seruat fidem, quo pacto homini seruet?

Ab impijs egredietur impietas.] In Collectaneis Græcis Theodori lectoris, quæ Robertus Stephanus adiecit ad calcem Historiæ fol. 553. fit Diaconi cuiusdam Ortodoxi mentio, qui cùm à Rege Theuderico Aphro malè de religione sentiente plurimùm se amari cerneret, quo eum vehementius adhuc in sui amorem pertraheret, ab Orthodoxa fide ad Arrianã hæresim desciuit. Quod cùm intellexisset Theudericus, eum, quem tantopere amabat, capitis supplicio quamprimum affici iussit, dicens, Si Deo fidem non seruasti, quonam pacto conscientiam sanam homini conseruaturus es? Id verò pluribus exemplis probat Tertullianus, ostendẽs impios dæmonum cultores, quod falsò Christianis obiectabant, insidijs potissimum principes appetisse. Vnde, inquit, Cassij, & Nigri, & Albini? Vnde qui inter duas lauros obsident Cæsarem? Vnde qui faucibus eius exprimendis palæstricam exercent? Vnde qui armati palatium irrumpunt, omnibus Stephanis atque Parthenijs audaciores? De Romanis ni fallor, id est, de non Christianis. Atque adeò omnes illi sub ipsa vsque impietatis eruptione, & sacra faciebant pro salute Imperatoris, & genium eius deierabant, alij foris, alij intus, & vtrique publicorum hostium nomen Christianis dabant. Et rursum libri ad Scapulam capite secundo. Sic, inquit, & circa maiestatem Imperatoris infamamur, tamen nunquam Albiniani, nec Nigriani, vel Cassiani inueniri potuerunt Christiani: sed ijdem ipsi, qui per genios eorum in pridie vsque iurauerant, &c. Clodius Albinus aduersus Seuerum rebellis in Gallia victus est. Pescennius Niger aduersus eundem à Syriacis legionibus Imperator appellatus apud Cyzicum ab eo interemptus est. Auidius Cassius ex familia Cassiorum, qui C. Iulium Cæsar. &c. Lucio Vero Imperatori insidias struxit, & occisus est. Post quæ Christianorum innocentiæ rationem reddens, Christianus, inquit, nullius est hostis, nedum Imperatoris: quem sciens à Deo suo constitui, necesse est vt & ipsum diligat, & reuereatur, & honoret, & saluum velit, cum toto Romano Imperio, quousque seculum stabit: tamdiu enim stabit. Hactenus Tertullianus. Qui porrò nostro tempore à fide defecerunt, Infidelium exempla sectati, quicunque reges perditorum hominum vim furorésque non probarunt, eosdem scriptis sicísque perdere studuerunt. Testis vicina Scotia, testis Dania, Suetia, Bohemia, Hungaria, Transsyluania, quarum supræmæ potestates solio deiectæ, aut diuturnis carceribus maceratæ, aut in exilium eiectæ, ferro venenóue expugnatæ sunt. Launæus eorundem in Gallia coniurationum conscius, postquam ab errore resipuit, mira seu potius horrenda de Gallorum hæreticorum feritate, insidijs, perfidia retulit, quarum nos hactenus fructus sanè quamacerbos colligimus. Sed quando hæc alij portẽta accuratius persequuti sunt, & deinceps eadem sæpius materia retractanda erit, pro regibus hoc tempore potissimum cum Philosophis hæreticorum parentibus manus conseremus.

Tertullian. Apolog. ca p. 35.

ABIMPII EGREDIETVR IMPIETAS.

Quod impium sit manum mittere in Christos Domini.

QVÆSTIO LXIV.

C

Hoc dictum puta in antiquos Philosophos, qui id genus impietatis suis decretis approbarunt, à qua maximè abhorret Christiana Philosophia. Nihil porrò mirum si in eo laudis genere apud Philostratum palmam ferat Apollonius. erat enim ille non modò à vera pietate alienus, sed etiam magus & præstigiarum artifex, dæmonúmque cultor acerrimus. Quem tamen propterea mirificis encomijs ornat Philostratus, eumque reliquis, qui vspiam in toto orbe de tollendis tyrannis coniurarunt, anteponit. Neque verò sic statuens tyrannorum vllum delectum habet, sed ablato discrimine, si quis legitimum Principem, quem nouerit officij immemorem, & tyrannorum instar potestate sua abuti, è medio sustulerit, hoc ille impius parricidæ magnæ laudi ducit. Sed hæc immanis & truculenta opinio quàm sit absurda, grauis hæc sapientissimi viri, & quidem tum insidijs à tyranno petiti, sententia demonstrat. *Ab impijs,* inquit, *egredietur impietas, manus autem mea non sit in te.* quamobrem? Scilicet ne impietatis labe maculetur.

D

Ergo impius Aod, qui Eglon Regem Moab adacto in ventrem pugione confecit? Ergo impius Sacerdos Ioiada, qui Athaliam sextum iam annum Imperio incubantem regno simul & vita priuauit. Ergo impius Iehu, qui Ioram Regem Israël sagitta interemit. Absit. Neque enim Eglon & Athalia haberi poterant legitimi Hebræorum Principes. Lex enim sanxerat, ne quem externum asciscerent: sed op-

Iud. cap. 3.

Reg 4 c. 11.

ABIMPIIS EGREDIETVR IMPIETAS.

Genes. 14.

pressores erant eorum libertatis. Non ergo Aod & Ioiada citari magis impietatis rei potuerunt, quàm prius Abraham, cùm Regem Elamitarum Chodorlahomor vnà cum exercitu fudit fugauitque. Neque enim is Sodomorum regnum iure vllo adeptus erat, sed per vim & potentiam subactos bellóque fractos imperato tributo seruire coëgerat. Hoc porrò iugum tentabant excutere cùm ab illo denuò miserè profligati sunt. Sed affuit iam victis Abraham, quos vt in libertatem assereret, coniuratos Reges edita strage cecidit. Libera est in prædones animaduertendi potestas. At in Principem qui summo iure Rempub. administret, nulla est opinor ciuibus, etiam cùm deliquerint, vindicandi licentia. Vnum Iehu comperi, qui absque scelere suum Principem violarit, eóque cæso Imperium arripuerit: reliqui quamlibet excusationem suo facinori prætexerint, non impunè tulerunt. At verò Iehu non antè hoc ausus est, quàm per Prophetam oleo delibutus, se quidem Principem à Deo institutum, Ioram autem abdicatū sensit. At enim tum sic illum Propheta affatus est: *Hæc dicit Dominus: Vnxi te Regem super populum Domini Israel, & percuties domum Achab domini tui, & vlciscar sanguinem seruorum meorum prophetarum, & sanguinem omnium seruorum Domini de manu Iezabel, &c.* 4 Reg. cap. 9. Leges Deo non præscribimus. Potest vtcunque libet principes impios & contumaces perdere. Sunt enim reges tanquam Dei legati & administri, quibus ipse vicariam in terris potestatem permisit: quos si destituat, quis restituet? Arbitratu suo quibus vult abrogat Imperium. Sed eos qui diuinæ tantùm cognitioni seruantur, nec alieni iuris sunt, reuocare velle ad arbitrium nostrum, & de his non tantùm præiudicare, sed etiam grauissimè iudicare, vt ego quidem sentio, non eos solos afficit iniuria, sed Deo præterea contumeliam facit. Quis enim pater, si seruus peccantem filium supplicio afficiat, non putet sibi vim factam; non quia filius meritas fortè pœnas non luerit, sed quia seruus in eum ius imperiumque non habuit? Non audis quam iniquo animo passus sit Dauid cæsum à Ioab Absalonem filium suum, tametsi ille impius patris thorum sacrilegio polluisset, eundémque regno & vita priuare statuisset? Non enim satis est, vt quem punias, eum deliquisse, sed eundem potestati tuæ obnoxium esse necesse est. Potestatem enim vsurpasse quam Deus deneget, ea demum iniquitas est maxima. Nam quid amabo te potentia atque imperio diuinius aut sacratius esse potest? Non habet opinor numen his quicquam augustius. Quo pacto igitur innocens videri poterit, qui hæc sibi rapuerit? Iam verò quæ hæc est tanta improbitas Deo patríque indulgentiæ beneficio interdicere? Summa est enim diuina clementia, nec vlla re magis quàm misericordiæ denegatione offenditur. Qui scis igitur an non fuerit ignoscitusus? Cæterùm, cùm reges humanis, quæ pœnas statuunt, legibus absoluimus, non eosdem tamen sanctis matris Ecclesiæ ferulæ subducimus, quæ non huma-

Nulla in reges ciuibus permissa potestas.

A no aliquo iure, sed accepta à Deo potestate clementer eorundem errata castigat. Sed mihi de cædibus sermo est, & cum impijs de Regum sacra maiestate suscepta contentio.

ABIMPIIS EGREDIETVR IMPIETAS.

Philostratus igitur primum ante alios Zenonem Eleatem commemorat, illum Dialecticæ repertorem, qui cùm in perniciem Nearchi Mysij tyranni coniurasset, forétque deprehensus, licet quæsitissimis tormentis excruciatus, conscium tamen prodidit neminem: sed eos duntaxat simulata confessione iugulauit, quos sciret tyranni acerrimos defensores, quorúmque mors patriæ quidem saluti, tyranno autem mœrori atque exitio foret. Secundum hunc Platonis meminit, quem vnà cum Dione in Dionysium Siciliæ tyrannum arma mouisse refert, quo illum non ignobilis Reipublicam ceruicibus depelleret. Adit & Petonem Rhegio exulem, quem cùm idem Dionysius maiori quàm exulem decuit, fauore prosequeretur, suspicatus Peto quod erat, eundem de occupando Rhegio cogitare, tyranni consilia suis ciuibus clàm aperit: quo ille comperto Rhegium expugnare adortus vinctum Petonem machinæ alligat, quam muris iussit admoueri, ratus, vt viro parcerent, ciues in machinam tela non coniecturos. At ille sublimis, & animo hactenus quàm loco excelsior, ciues contenta voce admonebat ad se collimarent: se enim tanquam libertatis scopum ijsdem esse propositum. Heraclidem præterea & Pythonem quemdam celebrat, qui cùm essent obscuro loco nati, Academicis institutis exculti è tenebris illis emerserunt, & obtruncato Lotye Thraciæ tyranno nominis celebritatem consequuti sunt. Denique non paucos alios memorat, quos breuitati studens prætereo, quando nec eorum quisquam, si Philostrato credimus, cum Apollonio iure conferri possit. Neque enim quomodo cæteri exiguæ cuiusdam prouinciæ, vel etiam insulæ, dominum aut verbo corripuit, aut bello insidijsue aggressus est: verùm totius orbis dominos, duo sæuitiæ portenta, Neronem & Domitianum, quo tempore terra marique imperarent, tollere conatus est. quo præclaro facinore reliquis omnibus longè superiorem fuisse prædicat.

Philostratus vitæ Apollonij li. 7. ca. 1. & 2.

Plures qui in tyrannos coniurarunt.

B

C

D Quibus autem stimulis seu potius facibus potentissimos quosque in tyrannorum cædem inflammaret, ne posteros ea pestis lateret, etiam stylo complexus est. Nam identidem, inquit, eos admonebat, tyrannorum potentiam non esse immortalem: eos qui reliquis terrorem incuterent, minimo sæpe negotio confici posse. Athenis Palladi ludos celebrari solitos, in quibus magna voce Harmodij & Aristogitonis laudes canerentur, & Tribuum Atticarum præclara virtus prædicaretur, quæ tyrannos olim triginta sustulissent. Sed nec aliunde petitis exemplis Romanos indigere, cùm domesticis abundarent. Quippe maiores eorum, cùm seruilem in modum à tyranno olim haberentur, Superbi iugum collo excussisse, regnique simul

Confutantur Apollonij rationes.

ABIMPIIS EGREDITVR, &c.

mul aboleuisse memoriam. His ille rationibus Principum cædem, si tyrannorum mores induerent, fieri posse & debere impius Apollonius persuadebat. Qui mihi nihil idcirco habere commune videtur cum eorum laudibus, qui Rempub. suam fortiter tutati sunt, quòd illi quidem illatam patriæ iniuriam iure vlti sunt, quo iure nos omnes natura armauit, vt liceret vim vi repellere: Apollonius verò legitimis acclamationibus acceptos atque inauguratos Principes, & ea potestate præditos quæ suprema & legitima haberetur, imò quam Tyanæus ipse à Vespasiano in consilium adhibitus retinendam censuerat, si quid in publica commoda delinquerent mactandos decreuit. Etenim, vt in quemquam animaduertere liceat, debes in primis opinor autoritatis aliquo subsidio fulciri. At quæ tandem esse poterit, cùm suprema seu potius omnis potestas sit penes Principem?

Quid si Princeps vim faciat?

An non igitur vim vi repellere licebit? Licebit. Ergo & legitimum Principem, si fortè ab instituto maiorum vitiò deprauatæ voluntatis degeneret, mihique vim afferat, per vim tollere licebit. Demus primum tibi vim non afferri, sed alijs; quo iure fretus in Principem animaduertis? Num te illius iudicem Deus constituit, vt de capite eius quod videretur pronunciares? Atqui talis erat Vindex, quem in Neronem Apollonius concitauit, & quem ei ad hoc facinus ex Hispaniæ præfectura copulauit. Quid si metuam ne me tandem flamma corripiat, qua video vicinum ardere parietem? Nemo opinor dixerit iure cæsum videri, quem ob suspectas insidias peremeris. Nefas est alieno sibi cauere periculo. Quod si impendentem ceruici meæ securim alia ratione depellere non datur, an tum quoque nefas admisisse videbor, si ante facinus occupem quàm peream? Nam eo potissimum argumento Cocceium Neruam, Ruffum, & Orphitum Domitiano suspectos Apollonius in suam sententiam pertraxit. Lætus autem atque Electus Commodum; Macrinus Caracallam; Mnestheus Aurelianum obtruncarunt. Respondeo, Dauidem, cùm in idem periculum incidisset, haud secus quàm ab impietate à Principis cæde abstinuisse.

Non licebit itaque vim vi propulsare: quæ tamen lex, si naturæ credimus, prior est & antiquior haberi debet omni principatu ac potestate. Equidem de illa lege sic sentio, etiam in illum valere qui vitam dederit, si per vim eripiat, nec alia saluris expediendæ ratio appareat. An verò etiam quando nobis cum Principe res est, tum locum habeat, paulò accuratius expendamus.

Quibus rationibus Principis incolumitas sacra esse debeat.

Primùm itaque Principem parentis nomine ac dignitate minimè tuebor, siquidem natura ipsa propriam cuiusque vitam paterna charitate potiorem existimat non principatus religione, quando huius quoque hæc summa institutio esse videtur, vt ciuium vitam sartam & tectam conseruet. Sed dicam, quod nemo negabit: singulis partibus totum maius esse, & publicæ magis quàm priuatæ salutis rationem

A esse habendam. Non vides vt singuli ciues suo periculo Rempubl. defensant? Priuatim vltrò discrimen adeunt, ne quid illa publicè detrimenti capiat. Non vides vt manus, brachia, pedes, ictus vulneráque excipiant, ne telum pectus violet, aut etiam caput, & ventrem quibus partibus totius corporis incolumitas continetur? Tu quoque nunc pariter in hoc philosophare, Rempublicam corpus esse, cuius caput in rege sit, singulos autem ciues huius aliquod membrum esse. Qui itaque vnumquodque membrum docuit propria morte, si opus sit, capitis incolumitatem pacisci, idem singulis quoque ciuibus autor est, ne ob priuatas iniurias Principem neglexisse velint. quod si interimas, quo pacto desertæ salutis publicæ excusari possis non video. At ille mihi perniciem
B molitus est. Esto: tum quoque cùm in discrimen vocareris, seruare debueras. Sic namque cogita commune bonum priuato longè præstantius esse, & publicam Reipub. vtilitatem singulorum commoditati esse præferendam: & vitam quidem tuam in ijs esse bonis, quæ priuatorum propria habenda sunt; publicam autem salutem Regis incolumitate niti. Nam si cadas, vnus interis: at si Princeps corruerit, vnà cum illo Rempub. plerunque labefactari necesse est. Nam etsi fuerit ille nequissimus qui interit, quantæ tamen clades orbatam suo capite Rempub. nouásque res ægrè molientem consequantur, experimento didicimus. Neque enim Neronis mors tantum emolumenti attulit, quantum Galbæ, Othonis, Vitellij, Vespasiani sæuæ contentio-
C nes calamitatum pepererunt. Commodi verò necem quanta incommoda sequuta sunt? Pertinacis cædes; addictum pretio turpissimo cuique Imperium; Ciuile bellum, & ab Oriente ad Occasum Romanorum ciuium strages fœdissima, ac tandem ipsa sibi suspecta ciuitas Seueri perfidia. Caracallam statim Heliogabalus excepit, quo imperante post sumptum de Macrino supplicium, cædémque exercitus, nescio quid reliquum fuerit ad supremam bonorum miseriam. Neque id semel atque iterum casu accidisse quisquam putet, grauiora plerunque eueniant necesse est. Nam si is qui insidijs oppressus erit, hæredem successorem nactus erit, vltor non deerit, qui calamitatem cumulet: sin nemo hęres superstes
D erit, eò plures tanquam abiectum in medio principatum & direptui obnoxium ferro, cæde, incendijs & direptionibus lacerabunt.

Principum cædes maiores plerũque calamitates excipiunt.

Tandem hoc animaduertas velim, quod etiamsi iudex quispiam seruato iuris ordine insontem damnauerit, eundem tamen reo non liceat occidere. quòd si institutum à Rege iudicem violare non possis ob iniustam sententiam, manifestè sequitur ne Regem quidem posse interficere, tametsi præter morem iudiciorum, ante constitutam quæstionem & factam diluendi criminis potestatem, interimat. Hoc enim opinor interest inter Principem & iuratum iudicem, quod iudex quidem ex præscripto legum iure agere debeat; Rex autem liberrimo iure vtens, nullis legum for-

Iudicẽ, tametsi iniustè reũ capitis damnauerit, reo interficere non licet: quanto minus Regẽ?

AB IMPIIS EGREDIETVR IMPIETAS. mulis astringatur. Etsi namque nunquam iniquo illi esse liceat, & insontem pœnæ subijcere, potest tamen absque solemnibus iuris formulis seruare æquitatem. quòd si quid etiam peccet, dum putat se rectè agere, absque consessu iudicum, se solo iudicia exercens, non erit opinor deterior illius conditio, quàm sit pedanei iudicis pariter delinquêtis. Non enim maiorem iudici peccandi licentiam tribuit legum autoritas, quàm Regi ipsi Imperij maiestas. Verùm si ad humanæ cæcitatis ignorantiam voluntatis quoque scelus accedat, neutrum arbitror impunè laturum: Neutrum tamen à reo iure cædi posse: sed iudicem quidem Regi; Regem Deo permittendum esse.

Quem persequeris? canem mortuum.] Ego, inquit, nihil aliud sum quam canis, si cum tua maiestate conferar. Quid tu tanto cum exercitu, & apparatu me persequeris? Saltem rationem aliquam habe dignitatis tuæ. Vel appellat se canem & pulicem, quòd Saul Dauidem haberet pro cane & pulice. *Canem mortuum.*] Epithetum illud exaggerat contemptus magnitudinem, simul & imbecillitatem indicat. Non enim mordent canes mortui, vt habet Germanorum prouerbium. Græci simpliciter aiunt, οἱ τεθνεῶτες οὐ δάκνουσι, mortui non mordent. Alioquin enim canes, dum viuunt, non vsqueadeo inutiles haberi possunt. Apud Theocritum senex Eidyll. 26.

Mortuus canis non mordet.

Theocritus.

Papæ, quale hoc fecerunt dij reges
Animal, & cum hominibus sit? quàm callidum!
Si mens ei pariter intelligens in pectore esset,
Vt intelligeret cui irasci deberet, & cui minus,
Tum nullum animal cum hoc de honore certare posset.
Nunc nimis furenter iracundum, & sæuum est temerè.

Nam eo loco Theocritus in Herculem inuadentem describit. Itaque canum alij venatici, alij custodes asciscuntur. Priores saltus & nemora lustrant, feras vestigant, prædam cursu consequuntur, aues etiam captant, nonnullo quæstu pariter atque oblectatione Dominos recreantes. Custodum alij pecora, alij villas, alij priuatas domos, alij ædes publicas, & templa custodiunt. Quâ fide pluribus cùm olim, tum nostra memoria exemplis comprobarunt. Si quis horum copiam desideret, Gesnerum adeat libro primo. De quadrupedibus in Cane, eo loco affatim reperiet. Vnum addam, in quo præter singulare illud canum excubandi tuendíque studium, etiam diuinæ prouidentiæ prolixam in homines beneuolentiam admireris. Quidam Minimus, ex eorum numero, qui Neapoli sub signis sancti Francisci à Paula Deo militant, cùm aliquando propositi immemor, & eius disciplinæ quam colebat, libidinis æstum non ferret, procellam, quam obnitendo se vincere posse desperabat, statuit cedendo compescere. Itaque teterrimo operi obscurum tempus opportunum ratus, clàm nocte è conuentu sancti Ludouici

Canes custodes & venatici.

Gesnerus.

erumpere nisus est, cœco furori tenebrísque, ni Deus afforet, præda futurus. Dormitorio sensim ac sine sensu foras egreditur, hortum petit, indéque quà humilior maceria fuit, & facilius transcendi potuit, tentat euadere. Ad murum sese applicat, & manibus pedibúsque reptans iam penè voti compos, iam præceps ruiturus fastigio imminebat, cùm repentè domesticus canis familiæ custos, & in ampla domo circitorem agens, à tergo in eum inuadit; & quanquam studeret mulcere blanditijs eius ferociam, nihil tamen obtinuit, donec canis contumacia territus, & veritus ne non temerè præter consuetudinem eundem se nosse dissimulet, ὑπαναχωρεῖ silenter repetit, cane nusquam ab eius latere discedente donec eò se recepisset. Illic vigil & insomnis aliquandiu perstitit, nec satis hactenus seipsum cohibens; tametsi meditati sceleris conscientia, & custos truculentus & insolens, non minimum illi terrorem incusserant. Tandem tamen, vt erat perturbato animo, multa secum agitans cogitare cœpit, casu accidere potuisse, vt intempestæ noctis caligine canis eum non agnosceret; nequaquam illud animaduertens, quòd neque ab eo dente violatus esset, & esset præter morem in interiorem domum compulsus. Itaque tacitus explorat, numquam in aliam partem canis deflexerit, illud in animum inducens, si canis oculos falleret, fore, vt quod cœperat, tutò perficeret. Simul vt abesse sensit, maturat fugam, & iam victor murum superabat, cùm canis denuò cursu præcipiti in eum incurrit, & saltu vestem mordicus apprehendens de muro deponit, & pauore penè exanimem, vt qui se deuorandum crederet, ad cellam duntaxat minis reuocat: & ne quà deinceps elaberetur, aut conuentum lateret, vnà cum eo dormitorium ingressus, transfugam latratu prodidit. Insimulatus itaque suspecti sceleris, culpam confessus est, séque ad meliorem frugem recipiens, prioris vitæ labem pœnitentiæ pumice detersit. Iterum autem ad Patrem Generalem R. P. Petrum Hebert, à quo hæc accepi, quique nobiscum hoc tempore priuatus degit, delatus, quo tempore Neapolitanum ille prouinciam lustrabat, quanquam longè mutatus ab illo, superiora sponte suo testimonio confirmauit.

QVEM PERSEQVERIS? &c.

Mira Dei clementia, & singularis cura, qua filios complectitur.

Nec verò priuatarum duntaxat ædium, aut etiam publicarum custodia canibus commissa est, sed vrbium quoque regum ac populorum salus eorumdem fidei permissa. Autor est Valer. Maximus Masinissam Regem Numidarum, quum parum fidei in hominum pectoribus reponeret corporis sui custodiam canibus credidisse. Garamantum Regem canes ducenti ab exilio reduxere, laceraturi si quis obsisteret. Neque enim vt tantùm moneant vrbium custodiæ præficiuntur, sed etiam vt pugnent, & si opus sit in aciem prodeant, & cum hostibus cõmittantur. Magnetes, inquit Ælianus lib. 14. Var. histor. cap. 46. accolæ Mæandri, quum bellum Ephesijs inferrent, singuli equites canem venatorium secum adduxerunt.

Publicæ canum custodiæ.

Valer. Maxim.

Ælianus lib. 14

Quum

QVEM PERSEQVERIS? &c.

Quum verò iam ad manus, & in conspectum ventum esset, proruentes canes diem hostium terrore & sæuitia, & implacabili impetu perturbabant. Atque post canum ferociam, quæ dispulerat ordinem, ipsi demum hostes aggrediebantur. Hæc ille. Notum est, Hispanos, qui nouum orbem perlustrarunt, in certaminibus cum nudis incolis canum opera plurimùm vsos fuisse. Petrus Martyr in Oceanis Decad. Canes Hispanorum, inquit, in homines nudos rabidi insiliebant, haud secus ac in feros apros, aut fugaces ceruos: nec minus fidos Hispani reperiunt in periculis subeundis canes, quàm suos olim Colophonij vel Castabalenses. [illegible]atam etiam illis tesseram, & agmini præeuntes pugnam capessere solitos memorat. Plinius cæso Cimbrorum exercitu, domos eorum plaustris impositas canes defendisse autor est. Hyrcani quoque olim & Magnesij cum canibus bellorum gerendorum quasi societatem inire solebant, & vnà cum illis ad prælia descendebant. De Rho dijs Stroza filius in Epicedio canis,

Petrus Martyr ab Angleria, de Orbe nouo.

Stroza filius.

His auxere fidem, quos nostro fulua sub æuo
Miratur, nutritque Rhodos, custodibus illis
Arua, & Carphati defendit littora ponti.
It noctes animosa phalanx, innexa trilici
Pectora thoracum tunica, sacrumque profano
Seligit, & blandè exceptum deducit ad vrbem:
Illum autem rapit, & morsu discerpit acerbo.

Et addit:

Tale tibi auxilium Colophon, tibi tale parasti
Caspia gens, partósque æquè partiris honores.

Nonnullus præterea portus Minoris Britanniæ siue Armoricæ etiamnum simili canum præsidio vtitur.

Sed illud omnem fidem superat, nisi iam quælibet portenta antiquitatis ex recentiorum nauigationibus fidem meruissent: quod nonnulli autores referunt olim quosdam tanti hoc genus fecisse, vt regum loco haberent & obseruarent. Natio est Æthiopum, inquit Ælianus, quæ canem & habet regem suum, & illius appetitui paret: si adulatur, & suo quodam modo murmurat, eum non iratum esse credunt: si latrat iram cognoscunt. Et addit: Hoc, si cui videtur, Hermippo credat, qui Aristotelis etiam testimonio nititur. Atqui hoc etiam Plinius confirmat. Apud Æthiopas gens, inquit, (Nubas quidam vocant) in Africa Ptoemphanæ fuere, quibus regis vice canis dominabatur, D quem mirificè obseruabant. Ex illius enim motu & nutu imperia, & quæ essent placita augurabantur; Gyraldus ex Plinio. Apud Solinum deniq; Æthiopes Sambris proximi summam, regiæ potestatis cani tradunt, de cuius motibus quisnam imperitet, augurantur: Ægyptij sanè, tametsi regem canem eos habuisse nusquam proditum est in Hieroglyphicis tamen magistratum canis effigie repræsentabat, cui addebant regiam stolam nudæ figuræ appositam. At deos, quod longè est incredibilius, canes habuere. Neque enim alius erat quàm canis ille, vt Virgilius ait, *Latrator Anubis*, quē summo in honore Ægyptij habuere. Ab Hebræo נבח *Naba*, quod est latrauit, deducit Fun-

Canis pro rege habitus.

Ælianus Histor. Animal. l. 7. cap. 40.

Plinius.

Canes dij habiti.

A gerus in Etymol. Et sunt qui lingua Ægypti, Anubim *canem* dici affirment. At Goropij, inquit Fungerus, in Hermathenis etymologias de Anubi multis de caulis repudiamus, vt quæ parum ad pietatem & rei veritatem faciāt. Neque verò solis Ægyptijs deos placuit canes videri, sed & apud Romanos mortalium sapientissimos, Lar quondam familiaris teste Plauto canis speciem præ se ferebat. Ex quibus omnibus facilè colliges, non postremo loco canes apud pleràsque nationes olim fuisse.

QVEM PERSEQVERIS? &c.

Fungerus Goropij etymolog. spernit.

Sed ista quondam de cane non ignobiles populo senserint, nusquam tamen in Scripturis inuenio honorificam canis fieri mentionem; quinimo contemptus & nequitiæ perpetuum quoddam symbolum esse comperi. Deuteronomij cap. 23. ver. 18. *Non offeres*, ait Dominus, B *mercedem prostibuli, nec pretium canis in domo Domini Dei tui, quicquid illud est quod voueris: quia abominatio est vtrumque apud* Dominū *Deum tuum.* Et Goliath suprà cap. 17. *Nunquid ego canis sum*, ait? Cùm se Dauidi ludibrio esse, & ab eo contemni se crederet. Abner verò cùm se ab Isboseth accepisse contumeliam interpretaretur 2. Reg. cap. 3. *Nunquid caput canis ego sum?* Nec aliter Miphiboseth seq. cap. 9. cùm contemptissimæ sortis suæ despicatissimam conditionem apud Dauidem verbis amplificare vellet, *Quis ego sum*, inquit, *seruus tuus, quoniam respexisti super canem mortuum similem mei?* Abisai præterea cùm indignè ferret Regem ab impuro Nebulone conuitijs proscindi infrà cap. 16. *Quare*, inquit, *maledicit canis hic mortuus domino meo Regi? Vadam, & amputabo* C *caput eius.* Quinetiam & Azael Syrus 4. Regum c. 8. admiratus quanta de eo Elisæus prædicaret, cùm penes se tantam vim futuram desperaret, & rerum duntaxat præsentium rationem iniret, respondit: *Quid enim sum seruus tuus canis, vt faciam rem istam magnam?* Quos olim S. Iob nihili duxerat, *hos*, inquit, cap. 30. *non dignabar ponere cum canibus gregi mei.* Canum nomine non vno loco Christi hostes Dauid designat, maximè verò Psal. 21. ver. 17. *Circumdederunt me*, ait, *canes multi, tauri pingues obsederunt me.* At supra modum turpissimæ huius comparationis contumeliam atque indignitatem Ecclesiasticus exaggerat, cùm ait: *Omnis caro ad similem sibi coniungetur, & omnis homo simili sui sociabitur. Si communicabit lupus cum agno aliquando, sic peccator iusto. Quæ communicatio sancto homini ad canem?* Speciatim autem oblitos officij sui prophetas *canes mutos* Esias appellat cap. 56. Vocat & *canes impudentissimos* eodem loco *qui nescierunt saturitatem.* Quamobrem *Nolite*, ait Dominus, *sanctum dare canibus*, Matth. 7. ver. 6. Et Marci 7. ver. 27. *Non est bonum sumere panem filiorum, & dare canibus*; canes, vt arbitror, eos nominans, qui alieni essent à veri Dei cultu, & commentitijs numinibus immolarent. Paulus verò ad Philippenses scribens, eosdem his verbis admonet: *Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem.* Quo loco non alios canes intelligit, quàm Iudæos, qui, vt idem ait, *quæstum arbitrati pietatem, turpis lucri gratia*, Gentes, quæ Christo nomen dede-

Canis in Scripturis vilissimæ conditionis symbolum.

Ecclesiast. cap. 13. ver. 22.

QVEM PERSEQVERIS? &c.

rant, & Mosaicæ legis iugum reuocabant. Sapiens denique vnà cum Petro Epist. 2. cap. 2. ver. 21. Sceleratorum hominum deterrimos, quorum, vt ait Christus, *nouissima fiunt peiora prioribus* canes nuncupat: quoniam sicut canes vomitum, sic illi superioris vitæ sordes repetunt: & quæ scelera pœnitentia damnauerant, eadem postea studiosius consectantur. Itaque hos foris Ioannes extra ciuitatem collocat, & cœlestis Ierusalem aditu prohibet, dignos habens qui cum veneficis pœnas dementiæ suæ æternas luant.

Prouer. 26. ver. 11.

Apocalyp. cap. 21. ver. 15.

Vsus similitudinis.

Iam satis opinor ex his liquet, qui fuerit vsus huius similitudinis apud Hebræos. Nam aut canis nomine pessimum quemque & singulari nequitia præditum designarunt, aut vilissimum & nullo numero hominem, & quem nemo vllo honore dignum duceret, aut denique præ cæteris infirmum ac debilem, cuius nulla vis, nulla potestas foret. Proditionis autem & malitiæ suspicionem Dauid manifestis rationibus à se amouet, imbecillitatem ac contemptum agnoscit, seq; humilem & abiectum vltrò prædicat. Non beneficia exprobrat, non minas intentat, non periculum denunciat, non denique ait quod Abner, cum illum Ioab vehementius vrgeret, *An ignoras quod periculosa sit desperatio?* Sed ærumnas calamitatemque suam coram Rege explicat, quo illius animum à sæuitia ad lenitatem & misericordiam reuocet. Indicatur itaque hoc adagio, vt scribit Delrio Adag. 182. imbecillitas & rei vilitas: imbecillitas voce *mortui*, vilitas voce *canis*, vtraque simul fœditas & absurditas quædam atque contagio. Quid enim fœtidius canis cadauere? Simpliciter indignum est rege, *canem* persequi; hoc est, hominem vilissimæ & abiectissimæ conditionis. Additum *mortui*, hoc est cadaueris nomen, magnopere attollit sensum; vt ad eos spectet, qui cum imparibus sibi, & indignis ira, exercent odia; qui premunt humiles, afflictos grauant, oppressos planè mergunt, & nudos spoliant. Hæc Delrio qui nonnullos præterea Claudiani versus ascribit, quos tum videri possit Dauid vsurpasse.

2. Reg. c. 2. ver. 26.

Delrius.

Claudianus.

Iam iam supplicijs fessos humilesque ferentes
Respice, quid tanta dignaris morte clientem?
In breuibus nunquam sese probat Æolus vndis,
Nec capit angustus Boreæ certamina collis,
Alpes ille quatit, Rodhopeia culmina quassat.
Incubuit nunquam cœlestis flamma salictis.
Nec parui frutices iram meruere Tonantis:
Ingentes quercus, annosas fulminat ornos.

De publicè, qui partem alteram prouerbij occupat, infrà cap. 16.

Herodot.

Videat, & iudicet causam meam.] Macrobij apud Herodotum lib. 5. in cippis vitreis cassos lumine parentes collocabant, inductos gypso & coloribus depictos proximè ad viuentium similitudinem: ita vt neque grauis odor vllus, neque fœda species viuentes offenderet. Porrò hæc ratio eorum consilij fuit, vt filij quæcunque agerent à parentibus conspici crederent, sicque eorum reuerentia in officio continerentur, ne degeneres euaderet. De Boleslao Tertio

A Polonorum Principe narrat hæc Matt. Cromerus lib. 5. in eius vita. Gestabat, inquit, de collo suspensam in pectus auream laminam, in qua nomen & imago patris insculpta erat, qua subinde memoriam eius sibi refricaret: & quicquid vel faceret, vel loqueretur, sic ageret, quasi inspiciente omnia, & exaudiente patre: ita vt summa in iuuene existeret modestia & verecundia. Quondam etiam apud Romanos patritiorum familiæ, si quos nactæ essent sui generis insignes viros, eorundem ad acuendos posterorum animos imagines religiosè seruabant, tanquam ijs præsentibus à virtute deficere vehementius erubescerent. Quid si, quod verum est, omnia nostra à Deo inspici in animum induceremus, quantum ea cogitatio ad virtutis studium sectandum & colendam modestiam conferret? Haud dubiè ab B inferenda iniuria manum abstineremus. Pudet me Regem, & cum Rege plures alios qui veri Numinis conscij sint, ab Ethnico poëta admoneri: sed quando tantum lumen videre se dissimulant, quod verisimile est, veterno sopitos alienis stimulis excitemus. Sophocles igitur de Oedipode tyranno Creontem hæc dicentem introducit. pag. 206.

VIDEAT, ET IVDICET, &c.

Achmet Turcar. Vlu.

Numinis præsentiæ sæpius excitanda memoria, ne peccemus.

Sophocles.

Ἀλλ' εἰ τὰ θνητῶν μὴ καταισχύνεσθ' ἔτι
Γένεθλα, τὴν γοῦν βόσκουσαν φλόγα
Αἰδεῖσθ' ἄνακτος ἡλίου, &c.

Sed si mortalium non veremini
Genus, illam saltem omnia pascentem flammam
Veremini Regis Solis, tale piaculum
Detectum sic ostendere, quod neque tellus,
Neque imber sacer, neque lux admittet.

Suidas.

C Suidas in voce Ζεὺς, Iouis, inquit, simulacrum sedere tradunt, superiores partes habens nudas, inferiores verò, tectas. Læua quidem sceptrum gerens, dextra verò porrigens aquilam. At illa quidem sessio, potentiæ firmitatem subindicat. Illa verò superiorum nuditas, significat ipsum intelligentibus, & cœlestibus mundi partibus esse conspicuum. Reliquæ verò partes teguntur, quòd Deus humi repentibus sit ignotus. Quod verò læua sceptrum teneat, potestatis amplitudinem significat. Quod verò altera manu porrigat aquilam, indicat, ipsum spiritibus in aëre versantibus imperare, vt aquila volantibus per aërem auibus imperat. Ita Suidas. At verò potius sic accipiendum D videtur, & aquila Dei perfectissimam cognitionem designet. quemadmodum enim aquila oculorum acie plurimùm valet, ita & Deus lynceis oculis in omnia penetrat, sic vt illum nulla hominum actio præterire possit. Nam & inde vetus illud prouerbium manauit: ὁ Ζεὺς κατεῖδε χρόνιος εἰς τὰς διφθέρας, *Iupiter inspexit serus in diphtheras.* Quod de ijs dici solebat, qui digna factis præmia tandem aliquando consequuti videbantur, siue illi laudem, siue supplicium promeruissent. Tradebant enim veteres, vt quidem illi quos idolorum superstitio cœcauerat, orbem diuina prouidentia regi. quamobrem etiam Iouem cuncta quæ fierent caprinis pellibus inscribere, quas diphtheras vocant, ac tandem scelerum pœnas à flagitiosis repetere, ferebant. Quinetiam Comici

Deus nihil non videt.

poetæ

VIDEAT, ET IVDICET, &c.

poëtæ deum quendam Corycæum prædicabant, qui verba factáque hominum cuncta sedulò exploraret. Quod profectò epithetum mutuatum videtur à vetere illa paræmia, τοῦδ᾽ ἄρα ὁ κωρυκαῖος ἠκροάζετο, *Hunc vtique Corycæus audiuit.* Cuius hanc rationem reddit Ephorus libro tertio. Sub promontorio inquit, (Pamphyliæ promontorium esse docet Suidas non procul ab vrbe Attalia) in pelagus prominente, habitabant illi, qui vocantur Corycæi, conuenæ quidam, oppidulo condito, vicini μυωνήσῳ Mionneso. Ad mercatores autem in portu stationem habentes accedebant, quasi merces empturi, vel nauigationis comites futuri. Deinde, cùm cognouissent & quid illi veherent, & quo nauigarent, Mionnesijs renunciabant. Illi verò ipsos inuadebant. Accipiebant autem & ipsi Corycæi partem quandam prædæ captæ, vel prætij, quo se redimebant capti mercatores.

Vtrum qui per calumniam iniquo iudicio opprimitur, Deum iudicem appellare, & aduersario diem dicere possit?

QVÆSTIO LXV.

QVæstio hæc non mediocri studio ac diligentia à nobis inuestiganda erat, ni iamdudum Feuardentius anteuertisset, & disputandi nobis ansam præripuisset. A quo iam res acta videri poterat, si non illud apud ipsum obseruassemus, iudicem vindicémque nullo discrimine confundi. Deinde rationes multas afferri, tametsi prima fronte partem negantem tueri videantur, nullo tamen fundamento nixæ sunt: sed quæ si quis leuiter impellat, sponte sua corruant. quas tamen ipse nusquam confutauit. Quæ cùm rei per se iam satis obscuræ non minimas tenebras offundant, operæpretium nos facturos duximus, si primùm ea quæ ab eo in contrariam partem allata sunt, argumenta diluamus, quandoquidem vtrumque caput quæstionis promiscuè & communiter oppugnant, siue querelas spectes quæ à vim passis & oppressis apud Deum deponũtur, siue prouocationem illam, maximorum scelerum vindicem, quæ autores iniuriarum ad eundem in ius vocat. Deinde hæc inter se quantum differant ostendemus. Postremo quantũ in vtramque partem bonis liceat, & quid de prouocatione sentiendum sit, conabimur explicare.

Feuardentius in cap. 13. Esther ver. 15.

Diluuntur argumentationes 12. quæ nonnullis visæ sunt negantem partem statuere.

Itaque prima ratio quæ damnare videtur appellationem diuinæ maiestatis, Amos prophetæ autoritate nititur, cuius hæc verba sunt ca. 5. *Væ desiderantibus diem Domini. Ad quid eam vobis? Dies Domini ista, tenebræ, & non lux.* Dies Domini, inquit Feuardentius, vulgata Scripturæ phrasi, dies est iudicij, vel communis, vel singularis, quo in vnumquemque inquiritur. Quinimmò, vt scribit in hunc locum Chrystophorus Castrus, verior expositio est S. Theo-

Amos explicatur.

Chrystophorus Castrus.

A doreti, Lyræ, Vatabli, Roberti simpliciter intelligentium hunc locum de die captiuitatis Israëlitarum, quam quidam non credebant futuram, & adeo despiciebant minas prophetarum, vt non dubitarent audaces aduentum diei illius expostulare, quasi desiderarent eum per irrisionem, vt quidam, de quibus Isaias cap. 5. 18. *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum. Qui dicitis: Festinet, & citò veniat opus eius, vt videamus.* Atque ita sensus est: Væ illis ex vobis, qui ita contemnunt has minas diei captiuitatis, vt irrideant, dicentes, Veniat iam dies iste toties inculcatus, quo vestro commodo illum desideratis? &c. Neque S. Hieronymus, qui hæc primùm pariter iuxta historiam vt ait interpretatus est, & deinde subdit: *Cæterùm nulli dubium est, omnes nostros, diem tenebrarum, diem intelligere iudicij:* nequaquam tamen hoc

B Israëlitarum votum ad vllam diuini iudicij prouocationem retulit, sed Pharisaicæ quorundam superbiæ tribuit, qui meritorum suorum opinione freti, temerè dissolui cupiunt, & cum Christo esse. Fieri etiam potuit, vt non alium diem Domini se optare intelligerent, quàm qui toties promissus esset, & à maioribus eorum expeditus, videlicet ortus Christi, de quo cùm multa sibi bona pollicebantur, tum illum malis omnibus remedium allaturum confidebant. At contrà Propheta, cùm nosset Iudæorum scelere atque pertinacia factum iri, vt tum suprema calamitate perfida gẽs obrueretur, *Ad quid eam vobis*, inquit? *Nam dies ista Domini*, quæ Rempub. vestram gratissima luce

C perfundere debuerat, splendorémque rebus vestris afferre, vestris obducta flagitijs, tenebris & caligine demerget.

Alterum Feuardentij argumẽntum. Ieremias, inquit, inter conquestiones suas de violentis hominibus, ait ad Dominum: *Et ego non sum turbatus, te pastorem sequens: & diem hominis non desideraui, tu scis. Quod egressum est de labijs meis, rectum in conspectu tuo fuit.* Quis verò hic dies hominis, nisi vitæ extremus, quo cuique redditur iuxta opera sua? quamobrem non desiderauit illum irrisoribus & contemptoribus Dei, cuius verba prædicabat, si certè aliquando exoptari possit? Respondeo, hanc diei interpretationem alienam esse à mente Prophetæ, si dignum habemus S. Hieronymum, cuius

D expositioni fidem habeamus. Illius sic commentarius est: *Illis*, inquit, *ista dicentibus*, qui dissimulationem sententiæ dilationem arbitrabantur, & dicebant, *Vbi est verbum Domini? ego non sum turbatus, nec laboraui te pastorem sequens*, siue post tua ingrediens vestigia. Nec hoc fui fine contentus, sed *diem hominis non desideraui*: vel vitam longiorem, vel prospera quæque huius sæculi: ipsúmque vocat testem, quem & iudicem: *Tu nosti*. Sequitur: *Quod egressum est de labijs meis, rectum fuit in conspectu tuo:* vt nunquam mentitus sit, & Domini voluntati aduersa non dixerit. Hæc S. Hieronym. Cuius sententiam sequuntur Rabanus, Hugo, S. Thomas, Lyra, Dionys. & Chrystophorus à Castro, qui ita hunc locum interpretatur: *Tu scilus es*

VIDEAT, ET IVDICET, &c.

Ierem. 17.

Ieremias exponitur.

S. Hieronymus.

Chrystophorus à Castro.

laus mea, hoc est, laudis meæ causa, dum me tua virtute corroboras, & potentem facis. Nam cùm multi ex Iudæis mihi prædicanti insultent, & me quæ iussisti denunciantem probris insectentur, ego non destiti, nec curaui illis placere: neque fauorem illorum, & vitam quietam, quam possem habere si illis morem gessissem, procuraui. Vt de se ait Apostolus ad Galat. 1. *An quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem.* Sic 1. ad Corinth. 4. *Mihi autem pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die*, hoc est hominum fauore, & commendatione. Tametsi verò nonnulli non *diem* אנוש *enos* siue *hominis*, sed *diem* אנוש *anous* siue doloris legunt, quam Tigurina, Pagninus, Vatablus, Isidorus, *duram & calamitosam*, quæ Iudæos oppressura erat, interpretantur; & Chaldæus item exponat, *Et diem malam, quam tu adduces super eum non desideraui*; Theodoretus denique nobiscum legens explicet *Diem hominis non concupiui*. i. non optaui vnquam vt veniret dies ille calamitosus, quem comminabar, vt illi mihi imponebant: nemo tamen hactenus in animum induxit, aut scripsit ea oratione Ieremiam quemquam à numinis appellatione deterrere voluisse. quanquam enim Ieremias hoc dicens & faciens, benigni ac clementis animi egregium specimen edidit, mox tamen idem iustitiæ studio, ne fauere nequitiæ crederetur, addidit: *Confundantur qui me persequuntur, & non confundar ego: induc super eos diem afflictionis, & non duplici contritione contere eos.* Veruntamen

Refel. 3. argum. Tertiò, inquit, non potest dies dici alicui ante diuinum tribunal, nisi mortis eius desiderio. At verò proximis nostris nec optanda, nec inferenda est mors.] quinimò perditorum hominum interitum, & eorum maximè qui publicè peccant, & iudiciorum fundamenta conuellũt, quibus innocentium præcipuè vita salúsque innititur: & optare licet, & legitimis actionibus moliri.

4. Quartò, qui ad diuinum tribunal prouocant, idcirco facere videntur, quòd acceptas iniurias iniquo animo patiantur: neq; hoc interim spatio dum Christus ad iudiciũ properat, tantisper moram ferant. Respondeo, nonnullorũ mentem qui Deum appellant, ea ratio priuatim carpere videtur: qui cùm cœca doloris impatiẽtia ad Deum prouocẽt, quo iniustè ea quæ decreta sunt ab hominibus, à Deo iustè rescindantur, haud dubiè ab officio discedunt: sin habeant rationem maioris mali, cui sperent eo remedio diuinitus occurri posse, nõ video cur hactenus eorum consilium in reprehensionem incurrat. Nam quod videantur nonnullis constituto à Deo tempori temerè præuertere velle, hoc ego nil moror: meminisse enim eos oportuit, nõ ita Deum singulum quemque diem distindere statuisse, vt tantùm suprema mundi tempestas eũ iudicem agnosceret: sed complura in dies accidere, quæ cùm ad multorum perniciem redundent, tum præsenti supplicio vlcisci decreuerit: quæ postquam euenire necesse est, idem sanctis & innocentibus autor est vt ad se prouocent.

A Quintò, nemo est qui hanc appellandi libidinem ab appetitu vindictæ profectã non interpretetur: cui cùm humana autoritate quispiam arbitrio suo indulgere non sinitur, tum ad superiora subsellia prouocet. Vlciscẽdi porrò studium Scriptura vehementer reprehendit. Esto non tamen iustitiæ studium. Nec planè video quamobrem, cùm sine crimine Princeps ab ijs, quos inferiorum iudicũ vexat iniquitas appelletur, ab ijsdem sine scelere Deus appellari non possit. Vtiq; siue Deũ appelles, siue Regem, scelus est, si hoc facias vt iræ duntaxat obsequaris. At quemadmodum incensus ardor consequendi quod iustum est, vt ad Regem prouocent nonnullos impellit, ita & ad Deum. 5.

Sextò, quis appellantium Deũ confidentiam non horreat, qui cœleste iudiciũ subire, & suũ B ius apud Deũ experiri postulent, in cuius conspectu *ne stellæ quidem mundæ sunt, & qui in angelis reperit prauitatem*? Qua freti conscientia hoc audent? qua innocentiæ opinione nixi diuini examinis censuram expetunt? *Nemo mundus à sorde*: &, si naturam spectes, *filij iræ nos omnes sumus & rei mortis*. Et hunc soluamus nodũ Gordium. Prouocantes terres, Vir Religiosissime æquè ac doctissime, diuini iudicij metu. Bene facis: neque enim reuera eo quicquã terribilius dici excogitariue potest. Dic tamẽ te obsecro si non prouocent, an propterea siue metu futuri sint, aut reddendis rationibus minus obnoxij? an fortè putas illud præteritorũ delictorũ summam cumulare posse, quod iustitiam expetant? Quemadmodũ prouocatio, si rei fuerint, flagi- C tiorũ pœna non absoluet: ita neque, si innocentes fuerint, meritorũ præmio fraudabit. Oportet autem labis purum esse nõ eum tantùm qui prouocet, sed quicunq; diuini iudicij aleã subiturus sit. Neq; porrò nobis natura spectãda est, qua nascimur filij iræ, sed naturæ sordes gratiæ beneficio, & cœlestibus Sacramentis eluendæ sunt. Vnũ est quod obseruare debet prę cęteris, qui prouocat; ne temerè Deum appellet dubio adhuc & ancipiti iure, neue in alterum calumniam importet: sed sua vota diligentius exploret, ne temeritatis & falsæ criminationis à Deo damnetur. 6.

Septimo loco, inquit, talis appellatio pugnat cum summo apice Legis & Prophetarum, ex quo apta pendet omnis ratio Christianæ perfectionis: cũ diuinissimo illo præcepto quo iube- D mur proximos pari nobiscum amore cõplecti. Nam qui prouocat eò spectare videtur, vt qui eum læserit, immatura morte diem suum claudat extremum, & Deum infensum iudicem experiatur, suppliciúmq; luat: quę omnia quo pacto cum charitate, quæ à Deo imperatur, conueniant, haud facilè iudices. His tamen ego cõtrarium sentio: nec si quid ingenio valeo, leuibus momentis in contrariam sententiam adductus sum. Nam qui prouocat, ex vi & vsu prouocationis hoc velle intelligẽdus est, tantisper dum reus satisfacere nolit, quo pacto bellè & ad amussim cum religionis nostræ placitis consentit. Quòd si quisquam obfirmato ac pertinaci animo officiũ facere recuset, nec ad vltimam vitæ periodum ab inferenda iniuria manum abstineat, 7.

Quid obseruare debeat qui prouocat.

abstineat, tum nobis, quicunque ille sit, optare licebit, & diuinæ iustitiæ seueritas obtineat. At quoniam hominis nouissimam mentem explorare nulli concessum est, nec vlla arte inuestigare possumus, an tandem aliquando prouocatum cōsilij sui pœniteat: idcirco qui alteri diem dicere paratus est, hanc sibi primum legem dicere tenetur, vt nolit resipiscenti negotium facessere. Deinde vt optet præcipitem illius mortem cæteris exemplo prodesse potius, quàm vt eidem exitium paret. Denique, quoniã miraculo opus est vt quis ante diem, quem vis aut natura præscribit, eò cōmigret, seq; iudicio sistat; nisi si quid diuinitus aliter imperetur, hæc conceptis verbis præfari oportebit: si Deo ita visum erit, & ad maiorē eius gloriam pertineat.

8\. Octaua obiectio est: Iubet nos Deus etiam inimicos amore prosequi. Matthæi 5. *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Et Apost. 1. ad Thessal. 5. *Videte, ne quis malum pro malo reddat: sed semper quod bonum est sectamini inuicem, & in omnes.* Atqui non id obseruant, inquit Feuardentius, qui hominem extinctum, & coram Deo pro immanitate & iniustitia sua pudefactum & damnatum cupiunt. Ne quem moueat Scripturæ non intellecta autoritas, duplici responsione breuiter satisfacio. Primùm enim certum est, non esse virtutes inter se contrarias, nec iustitiam cum charitate pugnare. Nam & ipsi iustitiæ, quam vltricem dicunt, leges à Deo præscriptæ sunt, quas Euangelica charitas nusquam abrogauit, vel ipso teste Apostolo: qui tametsi Christianos apud profanos iudices de suis iniurijs experiri grauiter ferret, attamen, si fortè sapiens deesset, iussit contemptibiles qui essent in Ecclesia iudices institui. Quod si fortè iudicum delectus habendus est, an erit quisquam æquissimo Numini præferendus? Veteri certè non possumus, ne ab eo fauore aut gratia corrupto cuiquam iniuria fiat. Sine charitate porrò non modò vltor ille impetus Deo probari non potest, sed nec ipsa quidem misericordia & liberalitas, quibus nihil esse Deo gratius aut acceptius Scripturæ prædicant, placere possunt: *Si distribuero*, inquit Apostolus, *in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Contrà verò charitatis vis & efficacia tanta est, vt si ad vindicandi sceleris ardorem accedat, aspernari eius studium Deus non possit. Quocirca Apostoli phrasim imitati, & eiusdem doctrinæ vestigijs inhærentes, diuersam ab ea quam de benignitate tulit, de vlciscendi studio sententiam proferre possumus. Si sceleratum hominem iis, quas habet, facultatibus iure nudauero, si rei capitalis reum fecero ita vt pereat, charitatem autē habuero, nihil mihi nocet, quinetiam plurimùm prodest. Altera responsio est, non esse necesse, vt quicunque ad Deum prouocat, scelus velit æterno nocentis supplicio constringi: sed plerunque qui diem alteri dicit, si officij memor est, vtilitatis publicæ rationem habet: certè hoc quærit, vt apud homines diuinæ iustitiæ splendor eluceat. Pauci verò, seu nemo potius, de sempiterno rei interitu cogitant. Nam quod student ab hominibus consequi, vt iniustè damnati habeantur: non ignorant, si ad condictum diem mortem obierint, cumulatè præstari posse: sin præterea suo dolori indulgent, & cupiunt impositã sibi iniuriam violentorum hominum pœnis lui, norunt tamen, citra æternum ignem, Purgatorij flammis vltricibus abundè sibi posse satisfieri.

Non pugnat iustitia vindicans cum Christiana charitate.

9\. 10. & 11. Nonò, Decimò, & Vndecimò, hãc prouocandi licentiam Feuardentius contrarijs Sanctorũ exemplis oppugnat, præcipuè verò sanctorum principis Christi Domini Iesu: qui cùm summo cruciatu supplicióq; à Iudæis iniustissimè necaretur, nequaquam illis diem dixit, aut in ius vocauit: sed *Pater*, inquit, *ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* quem subinde Stephanus imitans, primus ille Martyrũ antesignanus, cùm ab ijsdem per summam iniuriam lapidibus obrueretur, exclamauit, *Domine ne statuas illis hoc peccatum.* Denique Paulus Gentium doctor & Apostolus, cùm à Iudæis multas plagas accepisset, & ad ijsdem toto orbe ad necem quæreretur, optabat tamen *anathema esse pro fratribus suis secundũ carnem*, vt Deum illis fauentem ac propitium conciliaret. His ergo respondeo, paucorum exemplum communi omnium iuri præiudicare non posse.

Respons.

Et quidem quod ad Christum Dominum attinet, non eum solùm perfectæ benignitatis, sed etiam iustitiæ diuersis locis ac temporibus specimen edere voluisse. Nam, vt ea silentio prætercam, quæ de eo ab Euangelistis sacrarum literarum monumentis tradita sunt: illius profectò voces notę sunt, quæ à Psalmista Psal. 42. referuntur. *Iudica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta.* Et item illæ Psal. 108. quas in Iudam proditorem dictas volunt, *Cùm iudicatur, exeat condemnatus, & oratio eius fiat in peccatũ.* Apostolus verò, tametsi singulari mansuetudine præditus, nec vlla re vnquam à Christi charitate separatus, nihilominus tamen cùm ad Timothæum secũdas literas daret, scripsit c. 4. *Alexander ærarius multa mihi mala ostendit; reddet illi Dominus secundum opera eius.* Quo loco non *reddet* legit Chrysostomus, sed vnà cum Græcis ἀποδῴη *reddat*. Et quanquã Theophilactus pariter cum Chrysostomo legens, arbitretur ἀποδῴη positum pro ἀποδώσει *reddet*, vti legisse olim videtur Latinus interpres: Arias tamen in editione sua ἀποδῴη retinere màluit. quo verbo palàm Apostolus fabro illi ferrario malè à Deo precatur. Stephanus denique priusquam pro Iudæorum salute verba faceret, probris illos & conuicijs lacessiuerat, tametsi iure, *proditores & homicidas* eos dictitans.

Actor. cap. 7. ver. 52.

Neque porrò necesse est, si Christum Dominum excipias, virtutum omnium exempla à quolibet sanctorum petere, cùm plures breuiore curriculo præsentis vitæ stadium decurrerint, quàm vt se totus in eo virtutum chorus manifestè explicaret.

Postremò, inquit Feuardentius, nullum (quod nunc occurrat memoriæ) extat veterum Martyrum, tametsi dirissima & iniustissima quæque passi sint, exemplum; quo doceamur vel impijs

tyrannis, vel horum ministris & carnificibus diem coram Deo omnipotenti dicere: vt nostra innocentia, illorum autem improba crudelitas cõprobetur. Contrà ve[ro] de illis canit Ecclesia:

Cæduntur gladys more bidentium,
Non murmur resonat, non querimonia:
Sed corde tacito, mens bene conscia
Conseruat patientiam.

S. Iustinus Apolog. 1. — Adeò de quibusdam eorum refert Iustinus Martyr, quòd supplicijs adiudicati, Iudicibus tantùm dixerint: Gratias habemus, quod per vos à duris & molestis dominis erepti, ad optimum & cœlestem patrem mittimur. Et Tertullianus: Magis damnati, quàm absoluti gaudemus, &c. His itaque satis effici videtur, vt nullus ad istas prouocationes animum rectè exhibere valeat: sed in patientia possidentes animas nostras, easdem commendemus fideli creatori: nihil ambigentes, pro Christo patientibus copiosam in cœlis mercedem repositam esse. Et hæc Feuardentius.

Tertull. ad Scapulam.

Cæterùm, ne mihi quidem nunc in mentem venit, an quisquam Sanctorum Martyrum tyrannis, à quibus olim sæuè atque immaniter torti sunt, diem dixerint, vt de capitali sententia quam tulerant, redintegrata actione apud Deum disceptaretur: sed etiamsi quispiam hoc fecerit, non dubitem perpetuum constantiæ & æqualitatis tenorem seruasse. Neque enim illa ad Deũ prouocatio, quę vtilitati publicæ causa fit, aut propagandæ studio religionis, iurísue tuendi, splendori patientiæ quicquam officit, quin potius his maximè studijs illibatus innocentiæ flos alitur & defenditur. Quandoquidem autem pauci hoc tempore ex recentioribus in memoriam redeunt, vnum atq; alterum proferam, quos nemo ambigat pari cum antiquis constantia & religione certasse.

Exempla eorum, qui Deum iudicem appellarunt.

Primus occurrit Patricius Ochelius Martyr insignis, qui cùm ab ineunte ætate Christo nomen dedisset, & inter S. Francisci tyrones relatus maximis virtutibus religiosæ militiæ rudimenta posuisset, anno Domini 1579. à Gregorio XIII. Pontifice Maximo dignus est habitus, qui castris Ecclesię præficeretur, & ordines duceret. Itaque Maionensium Episcopus in Hiberniam, ex qua oriundus erat, & quæ tam hæretica peste grauissimè laborabat, ab eodẽ allegatus est. Quò vt primùm generosus appulit, singulari studio atque animi fortitudine hæresum mõstra oppugnare cœpit, collapsos populi mores, & in plerisq; labefactatam fidem, in pristinum statum restituere cogitãs. At inde mox Protegi suspectus esse, viderique nouandis rebus studere. Quamobrem statim accitum vnà cum Conatio Ornario, Ardachadeni Principis filio, qui eundem cum illo Ordinem professus erat, admonet, Reginæ edictis obtemperent, eámq; caput Ecclesiæ agnoscant. Quorum vbi constantiam in damnanda Principis sacrilega temeritate vidit, in tenebricosum carcerẽ coniectos dies decem & quinque multis incõmodis macerauit. Sperauerat ærumnis contumeliáque fractos sponte morem gesturos. Nec tamen propterea minus adhibet blanditiarũ stimulos, & captat illecebris, pollicens, si parere in animum inducant, fore, vt pro vno Episcopatu ternos ipsi consequãtur. Hortatur itaque conditionem accipiant; cæteroqui verò contumaces horrẽdos cruciatus & sæua manere supplicia. Pro regis impudentiã ne respõsione quidem Patricius dignatus est, quinetiam sereno vultu renidens hominem irrisit. Quod cernens barbarus supra modũ ira excanduit, & ocreas Martyri indui iubet non tantùm oleo, sale, butyro, pice illitas, sed planè fartas, quas & in aquã feruentem tamdiu demergi imperauit, donec iam satis relixa carne reuulsísque ocreis ossium compages nuda apparuit. Tum iste, qui hunc in summas angustias adductũ putaret, & iam partem non minimam corporis excarnificatã videret, percontatur an pareat, remedium tanto vulneri etiamnunc adhiberi posse. At Patricius denuò hominis vecordiã risu excipit: & quanquam moribundus languebat, & humi iacentem penè anima defecerat, hominis tamen contemptum oris rictu testatus est. Itaque Patricij constantia tyrannum egit in rabiem, nec vltrà contumeliam ferens, vt quidem interpretatus est: reliqua tibiarum ossa saxis comminui iubet, subinde etiam manuum articulos, brachiorúmq. lacertos, ac postremò membris omnibus debilem ac furcam rapi. Inserto iam in collum laqueo, priusquam vox eriperetur, orauit horam vnam sibi ad docendum populum dari. Cõcessa est pars horæ dimidia, quæ tota in eo opere consumpta est, eo successu atque efficacia vt hæretici quoque collacrymarent. Ad extremum Proregem ipsum hac oratione compellauit. *Tu quidem, Domine Prorex, corpusculum istud meum dirissimis cruciatibus afflixisti, meque per summam iniuriam indignissimis contumelys affecisti: neque verò tuas iniurias apud mortales persequi mihi in animo est, sed ad iudicum indicem in ius te voco, téque ad diem quintum & decimum ad reddendam rationem omnipotenti Deo adesse iubeo.* Excepit cum indignatione barbarus, & post quintum diem pendentes de furca Martyrum reliquias intuitus, etiamtum mortuis insultans, denunciatam sibi ab Ochelio causæ dictionẽ ludibrio habuit. Verum enimuerò non ita multò post morbo in eum irruente atque in dies ingrauescente pridie quàm iussus erat, vadimonium quod non promiserat, per vim ab hominibus demigrans sistere coactus est. Obseruauit Rescius in suis Phalarismis, & Florim. Remundus De ortu & interitu nostri temporis hæresum lib. 6. cap. 20.

Alterum exemplum Bernardi Tyronẽsis.

Alterum exemplum nobis S. Bernardus Abbas Tyronensis suppeditabit, cuius vitã scripsit Gaufredus Monachus: quæ autem commemoraturi sumus, Duchenius retulit in Additio. ad Paschalem 2. Bernardus itaque primùm eremiticam vitam colebat, sed Abbas ascitus à Monachis S. Cypriani Pictauiensis, eam domum sanctissimè rexit. Eius virtus potissimùm & digna Martyre constantia, in Pictauiensi Cõcilio enituit. Quo loco cùm Philippo Regi ad reuocatam Bertradam, & instauratũ adulterium, à Patribus sacris interdictum esset: & VVillelmus Comes non sine causa similem sententiam veritus, Patres tormentorum metu

Sit Dominus iudex,

metu fugā inire coēgisset: solus Bernard. Abbas cū altero notæ sanctitatis viro Roberto, Fontis Eberaldi fondatore, māsit intrepidus, quidlibet ferre paratus potiùs quàm vt iniquis Vvillelmi conatibus cederet, aut ab Ecclesiæ sentētia discederet. Sic igitur tū ille fortiter egit. Subinde verò cùm Cluniac. Monachi S. Cypriani Abbatiā esse sui iuris assererent, ni parere instituisset, à Paschali 2. officio prohibitus est. At illa occasione accepta, eremū sibi charissimam repetijt. Verùm mox inde Monachorū desiderio, & Episcopi autoritate reuocatus, Romā magnis itineribus contendit, & quamobrē abdicatus sit Sūmum Pontificē interrogat: qui viri fama cōmotus, eundē statim inducto priore decreto restituit. Reducē summa cū gratulatione Monachi & lætitia excipiunt. Sed nequaquā ea pax syncera diù atq; illibata mansit. Nam vt primùm redundantes illos & superfluentes sęculari quadā impunitate & licētia repressit, illi indignari, & censurā eius iniquo animo pati. Itaq; de expellendo eo consiliū agitāt. Quod vbi non processit, tū Cluniacenses sollicitant, vt redintegrāta actione Abbati suo negotium facessere velint. Cluniacensiū cùm alias ob causas, tū quod ipse Pontifex ex eadē familia emerserat, non erat eo tempore leuis autoritas. Cùm itaq; ad eā gratiā qua pollebant, accessisset præterea quorundam Monachor. Cyprianensiū consensus, quod postulabant, nullo negotio impetrarunt. Quod vt primùm Bernardus rescijt, seq; Cluniacensib. à Pontifice addictū intellexit, Romam properat, Pontificē adit, & ne indicta causa sententiā ferre velit, obsecrat, statuisse se ius suū ratione tueri. Negat Pontifex decreta rescindi posse, sed Bernardū iubet aut manere Cluniacēsib. obnoxium, aut priuatū agere. Irritatus ea responsione Bernardus, qui nosset eo pacto disciplinam Monasterij pessum iturā, & quę sapienter instituerat, citò labefactatū iri, ad Deum prouocare instituit, adeoq; Pontificē, & quincumq; illi cōsilio adessent, in ius vocare. Hoc porrò vt cogitauerat, ita mox perfecit. Quæ res summū Pontificem haud mediocriter ira inflāmauit. Verùm ablegato Bernardo, cùm quæreret quo pacto in eū animaduerteret, didicit ex multis viri sanctitatē & constantiā, nec tutū fore, cùm Deū appellasset, si pro se dicendi potestas denegetur. Cardinales certè pleriq; responderunt, nolle se temerè in laqueos diuinorū iudiciorū incidere, nec cū tanto viro de re cōtrouersa apud mortaliū omniū iudicem disceptare. quamobrē placatus Pontifex, Bernardo dicendi copiā fecit: qui & causam vicit, tāto Pontificis fauore, vt statim eundē in collegiū Cardinaliū allegeret: sed ille humilitatis studiosissimus sectator, vt honores acciperet, persuaderi nullatenus potuit. An verò cùm diem Pontificij diceret, certum finierit, Gaufredus nō meminit. S. Athanasij certè acrior illa oratio apud S. Epiphaniū, cùm à Constantino in exiliū relegaretur, cōminatio quædam potiùs videri possit, quàm legitima in ius vocatio. Quod videns, inquit, Athanasius λόγῳ βαρυτῶ τῷ βασιλεῖ ἐπιπλήξει, ὡς ἐν δικάσει κύριος ἀναμέσον ἐμοῦ καὶ σοῦ, ἐπεὶ καὶ αὐτὸς συμφωνεῖς τῇ συκοφαντίᾳ τῶν ἡμετέρων μισούντων, acri illum oratione perstrinxit: De te,

S. Epiphan. hæres. 68.

A inquit, ac de me iudicabit Dominus, quod & ipse mediocritatis meæ calūniatorib. assētiaris. Sed iam satis, opinor, rationes illas confutauimus, quas sic in mediū eruditus ille Feuardentius attulerat, vt tamen eas non refelleret. Nos idcirco diluendas censuimus, ne quis inde scrupulus hominū mentibus inhæreat, aut quisquā putet his maxime argumētis mortales ab appellando summo iudice deterreri oportere; cùm fieri possit, vt in plerisq; qui vim & iniuriam patiuntur, locum non habeant, nec tamen idcirco talibus passim concedenda sit ad Deum prouocandi licentia.

Sit Dominus iudex, &c.

An circumuentis iniquo iudicio, vel potentiorum scelere oppressis, liceat Deum vindicem appellare?

B

QVÆST. LXVI.

QVęstionis pars altera iam nobis explicāda est, & quod polliciti sumus, diuini numinis appellatio à nonnullis actionibus, quæ eandem æmulari videntur, necessariò distinguēda. Nam sunt qui iudicū testiumve perfidia contra quam fas erat iniustè oppressi, ijsdē malè precātur, & Deū vindicē implorant; & sunt itē, quod longè diuersum est, qui Deū iudicem appellāt, & cū aduersarijs iudicio contēdere volunt: sed alij quidē hoc pacto vt diem causæ dictioni statuant; plures verò ad Deū prouocasse contenti, diem iustū edere aut praescribere nequaquā audent, sed seipsos hostesq; suos diuinæ prouidentiæ permittunt. Priores suas iniurias Deo curæ esse student, & aduersariorū insolentiā cohibe-C ri. Posteriores quod ambigitur, aut aduersariorum calumnia in deteriorem partem accipitur apud mortales, manifesto aliquo diuini iudicij argumento demonstrari volunt, & tyrannum siue oppressorem tanquam ex iure manu consertum vocant, vt cum illo sibi apud æquissimū iudicem æquo iure disceptare liceat. Sed horum profectò qui Deum vindicē implorant, & qui iudicē appellant non prædicta die, ni fallor, par & eadē ratio est, si non temerè atq; impetu animi, sed certo consilio ac voluntate faciāt. quod si quod preterea discrimen inter vtramq; actionem obseruari contingat, non tamen in nouas difficultates incurrit: & certè leuius est, quàm vt hoc loco à nobis diligētius examinari necesse sit. quamobrē genus hoc geminū numen obte-D stantiū, siue appellantiū, quos posteriore loco recensuimus, ab ijs separatim collocātes, quos appellantes prodicere diē monuimus: priores excutiemus, summa cura inuestigātes quo iure, & quatenus Deū testari, & ad illū prouocare ijsdem concessū sit. Nam quod deprecari ab se calamitatem, & à Deo postulare liceat, vt si quæ mala ab improbis imminent, ea propitius auerruncet, & detestetur, nemo it inficias: sed pleriq; fasne sit dubitant ijsdē præterea mala à Deo precari, vt puta morbū, necem, aut cruciatum; quippe Thyestea ista execratio est, nec satis cū religionis nostræ placitis conuenit, quę nos hostes etiā iubet charitate complecti. Verūtamen quod hoc quoque facere nonnunquā ius fasque sit, exemplis primùm demonstrabo, deinde &

Alij vindicem, alij iudicem Deū appellant.

SIT DOMINVS IVDEX, &c.

Deum vindicem implorare licet, si quis obfirmato animo noceat.

legibus, & quidem ijs quæ accusari falsi non possint, cùm sint illa è sacris literis deprompta, quæ mendacij suspicione vacant.

Primùm igitur, videtur communis illa, & à Deo humano generi insita licentia, vt quicunque per vim opprimitur, Deum salutis suæ patronum ac vindicem inuocet, & nefarium scelus ab eo vindicari postulet, siquidem admissi flagitij autorem non pœniteat. Etsi verò non pauci elisis faucibus hoc facere prohibentur, nonnulli etiam contrà sicarijs ac prædonibus iniurias suas vltrò condonent, ac bona precentur, tantisper hoc velle intelligendi sunt, donec spes sit eosdem posse resipiscere. Nam si iniuriosi in proximos, & Reipublicæ pestis ac pernicies esse perseuerent, vt lingua taceat, fusus ipse sanguis vociferabitur, & Deum appellabit. *Vox sanguinis*, inquit, *fratris tui clamat ad me de terra.* Nō quòd sanguis Abel post mortem cum Domino colloquutus sit, vt sentire videtur sanctus Epiphanius Hæres. 9. [Nam μετὰ τὸ ἀποθανεῖν τὸ αἷμα προσδιαλέγεται τῷ δεσπότῃ, inquit: & addit, καὶ οὐκ εἶπεν, ἡ ψυχὴ βοᾷ πρός με. Id est, neque verò dixit: Anima illius clamat ad me.] Sed quòd is naturæ sensus sit, vt scelere violata, Deum vltorem imploret. Neque hoc Christianam charitatem quicquam imminuit, quæ pœnitentibus semper indulget, pertinacium supplicium atque animaduersionem diuinæ æquitati permittit.

Abelis sanguis.

Genes. 6. Noe.

Noe, cùm esset *iustus & perfectus, & cum Deo ambularet*, dignus habitus qui collapsum in peius genus humanum, & mundum aquis obrutum instauraret, haud dubium quin filios cùm naturali charitate complecteretur, tum eo amore diligeret, quo proximum quemque suum lex iubet, & tamen Geneseos nono capite, *cùm didicisset quæ fecerat ei filius suus minor, ait: Maledictus Chanaan, seruus seruorum erit fratribus suis.* Quid Sarai vxor Abrahæ, an huius leuis autoritas haberi poterit, cuius audire vocem Abraham pater credentium à Deo iussus est? *Omnia*, inquit, *quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius.* Illa cùm ancillæ esse se ludibrio conspiceret, iniuriam hanc cum Abrahamo expostulans, *Iniquè*, inquit, *agis contra me: ego dedi ancillam meam in sinum tuum, quæ videns quòd conceperit, despectui me habet, iudicet Dominus inter me & te.* Laban etiam Rachelis pater, & frater Rebeccæ, cùm fœdus iniret cum Iacob genero suo in monte Galaad, excitato *testis tumulo*, ait: *Deus Abraham, & Deus Nachor, iudicet inter nos, & Deus patris eorum.* Iacob ipse moriens, non oblitus sceleris Ruben primogeniti sui, qui alteram concubinarum suarum incesto polluerat, *Effusus es*, inquit, *sicut aqua, non crescas: quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius.* Et de Simeon & Leui pronunciauit: *Maledictus furor eorum, quia pertinax: & indignatio eorum, quia dura: diuidam eos in Iacob, & dispergam eos in Israël.*

Sara. Genes. 21. ver. 12.

Laban.

Iacob.

Iob. Iob cap. 19. ver. 6.

Quinimò, Iob, cùm aliàs, tum capite decimo tertio, decimo nono, & vigesimo tertio, amicorum lacessitus calumnijs, Deum ipsum autorem calamitatis suæ in ius vocare videtur, & ad tuendam innocentiam suam à studio probationis ad eiusdem æquitatis iudicium prouocare. Dixit enim, *Saltem nunc intelligite, quia Deus non æquo iudicio afflixerit me, & flagellis suis me cinxerit.* Et capite decimo tertio, versu decimo octauo: *Si fuero iudicatus, scio quòd iustus inueniar. Quis est qui iudicetur mecum? veniat: quare tacens consumor? Duo tantùm ne facias mihi, & tunc à facie tua non abscondar: Manum tuam longè fac à me, & formido tua non me terreat. Voca me, & ego respondebo tibi: aut certè loquar, & tu responde mihi. Quantas habeo iniquitates, &c.* Et iterum capite vigesimo tertio, *Quis mihi tribuat, vt cognoscam, & inueniam illum, & veniam vsque ad solium eius? Ponam coram eo iudicium; & os meum replebo increpationibus. Vt sciam verba, quæ mihi respondeat, & intelligam quid loquatur. Nolo multa fortitudine contendat mecum, nec magnitudinis suæ mole me premat. Proponat æquitatem contra me, & perueniat ad victoriam iudicium meum.* Vel, vt legit Arias apud Pagninum, *Ibi rectus arguens cum eo, & liberarer in perpetuum à iudicante me.* Hactenus vir ille *simplex, & rectus, ac timens Deum, & qui in omnibus his non peccauit labijs suis, neque stultum quid contra Deum loquutus est.* Quòd si ne Deum quidem, cùm idem causæ iudex sedisset, appellare est veritus, quis putet hominum decretis esse parcendum? Tametsi enim vir sanctus non dubitaret, quicquid Deus de se statuisset, summa ratione fecisse; cùm tamen inde turpitudinis notam inuri vitæ suæ intelligeret, cùm suæ, tum iustorum omnium, qui varijs calamitatibus conflictantur, in primis verò iustorum coryphæi Domini nostri innocentiæ patrocinium suscipiens, Deum appellat, non quo sua decreta rescindat, aut ab eo sibi factam iniuriam cum eo expostulet: sed quo palàm faciat edicto suo, non tanquam in sceleratum animaduertere, sed virtutis ergo, vt laboribus exercita triumphis crescat, & maiora laudis & gloriæ præmia consequatur. Quod cùm Deus æquum censuisset, amicos quidem Iob erroris ac stultitiæ damnauit; ipsum autem Iob rectè, atque ordine loquutum pronunciauit. Sed iam ad homines reuertamur.

Iob c. vlt.

Moyses, Numerorum capite decimo sexto, cùm Leuites quidam Core litem Aaroni de Sacerdotio intendisset, & vnà cum Dathan & Abiron seditionem concitasset, ait ad Dominum: *Ne respicias sacrificia eorum: tu scis quod ne asellum quidem vnquam acceperim ab eis, nec afflixerim quempiam eorum.* Et rursum: *Si consueta hominum morte interierint, non misit me Dominus.* Itaque alij cælesti igne arserunt, alij terræ hiatu absorpti sunt. Suprà quoque huius libri capite vigesimo, cùm Dauid & Ionathas amicitiam mutuam fide ac religione sancirent, Ionathas addidit: *Requirat Dominus de manu inimicorum Dauid.* Quod fecisse statim Dominum Scriptura testatur: *Et requisiuit Dominus de manu inimicorum Dauid.* Notum est quod Elias, libro quarto Regum, duobus Regis Ochoziæ quinquagenarijs responderit: *Si homo Dei sum, descendat ignis de cælo, & deuoret te,* &

Moyses. 1

1. Reg. c. 20. ver. 15 & 16

Elias.

Sit Dominvs Ivdex, &c.

Elisæus. Iosaphat.

& quinquaginta tuos. Hoc verò mox re & exitu comprobatũ est. Pueris Bethel seq. capite Eliseus malè precatus est, quod ab eis caluus audiret, & ludibrio haberetur: at illos extẽplò vrsi deuorauerũt. Iosaphat 2. Paralip. c. 20. *Nunc,* inquit, *ecce filij Ammon, & Moab, & mons Seir, per quos non concessisti Israël, vt transirent, quando egrediebantur de Ægypto, sed declinauerunt ab eis, & non interfecerunt eos: econtrariò agunt, & nituntur eijcere nos de possessione, quam tradidisti nobis. Deus noster, ergo non iudicabis eos?* Zacharias Ioiadæ filius, cùm lapidum grandine oppressus, moreretur Regis Ioas imperio, *Videat*, inquit, *Dominus, & requirat*, 2. Paralipomenon cap. 24. ver. 22. Statim autem Syri, vt Scriptura docet, in Regem *ignominiosa exercuere iudicia*, & à suis demùm *in vltionem Sacerdotis* occisus est. Apud Prophetas nihil istis execrationibus, & diuini iudicij appellatione frequentius: siue suo priuatim nomine, siue Christi Domini nomine illa proferant.

Zacharias.

Quod autem ex Apocalypsis sexto capite citatur, *Vsquequo, Domine, non iudicas, & vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra?* ad rem esse non potest: quoniam illorum hæc interpellatio est, qui cùm iam in cælum recepti sint, perturbationum nostrarum expertes manent, nec vltrà periculum est, ne iracundiæ impetu ab officio discedant: apud nos plerumque appetitus vindictæ charitatem violat. Deinde, iam facti cælestium mysteriorum conscij, norunt à quibus pœnas expetere debeant; nos sæpè hostes rati, fratres lædimus. Adhæc, diem dicunt priuatim nemini: sed quod Deus pollicitus est, exerceri iudicium volunt, & causa cadere qui visi sunt, pijs euasisse superiores. Postremò, ne quid dissimulem, huius loci alia interpretatio esse potest, seu potiùs sensus alius verborum. Græcè scriptum est: Ἕως πότε ὁ δεσπότης ὁ ἅγιος καὶ ἀληθινός, οὐ κρίνεις καὶ ἐκδικεῖς τὸ αἷμα ἡμῶν, ἐκ τῶν κατοικούντων ἐπὶ τῆς γῆς; *Vsquequo Domine sanctus & verus, non iudicas, & vindicas sanguinem nostrum de habitantibus in terra?* Restitui sibi sua corpora volunt, non de alijs supplicium sumi. *Vsquequo Domine, non seligis, non secernis*, (nam hoc quoque κρίνεις significat) *& vendicas, liberas, asseris sanguinem nostrum*, nostra corpora? Ἐκδικεῖν Græcis vendicare est, & actione in iudicium deducta petere. Budæo ex Pandectis, ἡ τῶν ἰδίων ἐκδικήσεως ἀγωγή, rei propriæ vendicatio est. Quocirca huius loci autoritate non abutemur, sed ad ea quæ ex Scripturis ante protulimus, historiam vnam adiungemus, quam ex membranis Floriacens. Ioannes à Bosco restituit.

Apoc. ca 6. ver. 10.

Explanatur locus ille Apocalyps.

In Bibliotheca Floriacensi, capite decimo sexto vitæ sancti Gildæ Sapientis hæc legimus. Erat in illis diebus quidam tyrannus, nomine Conomerus, in superioribus partibus illius regionis, (Armoricam, siue Britanniam Minorem intelligit, quam tum Letaniam dictam fuisse docet) peruersa crudelitate, & diabolica fraude seductus, qui hanc habebat consuetudinem, vt quotiescunque suam cognouisset coniugem concepisse in vtero, statim iugulabat eam. Itaque cùm pluribus iam interemptis, ijsque nobilissimis (stylum contraham) omnium in se odium concitasset, identidem nouas nuptias ambiens, tandem ab omnibus repulsam tulit. VVeroco tamen Venetensium Comiti præ cæteris cœpit esse molestior: quem cùm assidua prece fatigaret, & offerret quoscumque optasset suæ fidei obsides, respondit Comes: Vana est petitio tua, & frustrà rogitando laboras. Nisi enim beatum virum Gildam fideiussorem dederis, minimè quod quæris, impetrabis. quia nisi per manum ipsius, eam nulli tradam. Conomerus vt primùm Comitis mentem percepit, allegatis ad sanctum Gildam nuncijs, eidem sua vota significat, & iubet adesse sibi. At ille nuncijs respondit: Nostis, quia dominus vester callidissimus est, & tyrannica feritate peruersus. Si consensero ei, & me fideiussorem posuerit, & post puellam occiderit, graui lapsus sum peccato apud Dominum, & parentes eius vehementi orbatione prolis seduxi, atque intolerabili dolore tradidi congemiscendos. Sed tamen vobiscum proficiscar, & vtrorumque voluntatem discutiam, parentum scilicet, & eius qui vos ad me direxit. Tunc veniens simul cum eis, reperit ipsos Principes ob huiusmodi causam conuenisse. Et dum de hac re loquerentur inter se, ait pater puellæ beato Gildæ: Si manu tua susceperis filiam meam, tibi credam, tibi eam tradam. Quòd si illam suscipere nolueris, hic nunquam habebit. Cui beatus Gildas dixit: Mihi eam trade, & ego protectus Dei virtute, eam sanam restituam. Hac lege nuptiæ pactæ sunt, & puellam tyrannus duxit vxorem. Quam primò efflictim amore deperijt, & quouis cultu dignam habuit. Verùm, vt primùm illam concepisse sensit, & vterum gerere, auersari, atque alieno animo molestus esse cœpit, denique perniciem moliri. Tantisper tamen sancti viri reuerentia à facinore deterretur, donec illa vim verita, fugam capessit. Fugientem ferox insequitur, & in itinere deprehensæ caput abscindit. Cuius cædis vt fama ad patrem perlata est, statim beato Gildæ per internuntium mandat: Redde mihi meam filiam, quia propter tuam intercessionem perdidi illam. Cognosce enim, quia qui in coniugio eam de manu tua accepit, proprio gladio eam iugulauit. At ille, vt decuit, sceleris atrocitate permotus, extemplò tyrannum conuenire statuit, scire cupiens, an vera fama nuntiaret. Tyrannus verò nefariæ cædis conscientia constrictus, patere Sancto arcis aditum vetuit, nec eundem orare studuit, vt criminis pœnitendi locum ac voluntatem pro eo intercederet. Quamobrem cùm se ludibrio haberi, & ad ianuam frustrà tẽpus terere intelligeret, hanc ad Deum orationem habuit; *Vt siquidem Conomerus modũ flagitijs deinceps non imponeret, ipse modũ & finem eius vitæ imponeret.* Dehinc munitionem circumiẽs, arrepta manu terra eandem puluere conspersit, quę repente tota corruit, & tyrannum cum suis ruinæ mole oppressit. Pergit deinde Scriptor referre quò pacto extinctã Trifinam, nam eo nomine Conomeri coniux dicebatur, S. Gildas ad vitam reuocarit,

Regnabat tum apud Francos, vt habet c. 11. Childericus Merouei filius.

Sit Dominvs Ivdex, &c.

S. Gildæ oratio.

Stupendum miraculũ.

SIT DOMINVS IVDEX, &c.

& illa Trechinorum filium in lucem ediderit, cuius postea præclaras virtutes insignia miracula commendarunt. Sed quæ hactenus descripsimus, ea dumtaxat spectare ad propositum nostrum visa sunt.

Sed iam satis exemplorum allatum est, deinceps autoritate certemus: quæ si pariter fauerit, soluta quæstio videri poterit. Nam si prouocationes Scriptura probet, & se appellatum responsurum Deus polliceatur, quis appellantes læsi numinis insimulet? Prima sit itaque autoritas, quæ petitur Exodi capite vigesimo secundo, versu vigesimo secundo & seq. *Viduæ*, inquit Deus, *& pupillo non nocebitis. Si læseritis eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum: & indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio, &c.* Et ibidem rursum: *Si pignus à proximo tuo acceperis vestimentum, ante Solis occasum reddes ei. Ipsum enim est solum, quo operitur, indumentum carnis eius, nec habet aliud in quo dormiat: si clamauerit ad me, exaudiam eum, quia misericors sum.* Deuteron. capite decimo quinto, versu nono: *Caue ne forte subrepat tibi impia cogitatio, & dicas in corde tuo: Appropinquat septimus annus remissionis; & auertas oculos tuos à paupere fratre tuo, nolens ei, quod postulat, mutuum commodare: ne clamet contra te ad Dominum, & fiat tibi in peccatum.* Iterum capite vigesimo quarto, versu decimo quarto: *Non negabis mercedem indigentis, & pauperis fratris tui, siue aduenæ, qui tecum moratur in terra, & intra portas tuas est: sed eadem die reddes ei pretium laboris sui ante Solis occasum, quia pauper est, & ex eo sustentat animam suam: ne clamet contra te ad Dominum, & reputetur tibi in peccatum.* Non agam pluribus testimonijs, cùm sexcentis locis Scriptura prædicet, Deum, si rogetur, iniuria affectis nusquam defuturum.

Deus appellantes auditurũ se pollicetur.

Sed in eo fortassis quispiam hæreat, quod ignoret quid sit, quod appellantes à Deo postulare valeant. Primum est, vt, si fortè falsis criminationibus circumuenti fuerit, vindicentur à calumnia: si de gradu aliquo dignitatis deiecti, vt restituantur: si fortunis euersi, vt damnum sarciatur: si à plagiarijs venditi, vt in libertatem asserantur: denique, quibuscunque fuerint iniustè vexati malis, orare possunt, vt his eripiantur. Neque hoc inter nos ambigi posse videtur, cùm hic solùm rei personæue vendicatio petatur, absque cuiusquam iniuria. Alterum est, quod à Deo deprecari liceat, vt vnde hostes nocendi vim & audaciam petunt, his vt priuentur. Itaque si quis nos astu dolisve oppugnet, huic rogare licebit vt ingenij acies hebescat, ratio titubet, memoria labatur. Si opum vi, vt minuantur: si corporis robore, vt ægritudine marcescat: si libertate insolescat, vt vinculis arceatur. Neque enim hactenus charitas violatur, cùm hæc solùm adimi postules, quibus, cùm tibi, tum etiam sibi perniciem parat. Mortem denique optare licebit, si pergant hostes molesti esse, nec ab iniuria bonorum temperent, & pluribus exitio fore videantur. Nam quod à iudicibus, Dei quondam beneficio institutis, fas est legitimis actionibus obtinere, idem quoque votis & orationibus à Deo impetrare licebit. Sic tamen cuiusquam interitum expetere, vt in æternum tempus pereat, nulla lege concessum est: nam eo pacto manifestè vis affertur charitati, & cælestis beneuolentiæ coniunctio dissoluitur. Nam charitatis is scopus est, ea ratio, vt quem complectitur, cum eodem summi boni vsuram communicatam velit. Quamobrem reliqua quidem bona maioris boni respectu contemnere potest, Dei fruendi votum si tollas, nulla charitas intelligi poterit.

Quæ sint quæ Deum implorãtes fas sit à Deo postulare.

Vtrum sic quemquam Deum appellare liceat, vt diem prædicere, & certum vadimonio tempus constituere audeat?

QVÆSTIO LXVII.

HÆc quæstio summos Magistratus duntaxat attingere videtur, aut sanè eos, qui prouocandi licentiam non tribuant, siue hoc Principis priuilegio consequuti sint, vt Parlamenta apud nos, Latrunculator, quem ληστοδιώκτην Iustinianus vocat, & nonnulli rerum capitalium Præfecti: seu potiùs sibi violenter arrogent, vt prædones, & qui tyrannidem occupant: vel certè pupillis tantùm, & viduis fauet, & si quæ sunt aliæ personæ miserabiles, quæ ob Iudicum improbitatem, aut forensium artium imperitiam, vel quòd patronis destitutæ sint, cùm aduersariorum dolos & fraudes refellere nequeant, desperatione clementioris sententiæ ab appellatione superioris Magistratus deterreantur. Cur enim contempto iudiciorum ordine, quem Deus instituit, ad eundem, nulla vrgente necessitate, prouocent?

Qui videitur Deum appellare posse.

His tamen ita constitutis, hæc prouocandi licentia non minimi momenti rationibus etiam nunc abrogari videtur. Primùm enim, vt apparet, qui prouocat, nouum sibi iudiciorum morem asciscit, adhuc viuentes eò ad tribunal vocans, quò soli siti perueniunt. Deinde mortem, quam diuinæ leges & humanæ summum viuentium supplicium esse voluerunt, aduersarios antè subire iubet, quàm quid deueniat in iudicium, & de quo disceptetur, quæri incipiat. Postremò, quid si furore cœcus & amentia aduersario diem dixerit, ergone vitæ iactura facienda erit? nam mortis vtique damna sarcire natura nõn nouit.

Quæ rationes appellandi licentiam damnare videãtur.

Secundò, Iob decimo quarto capite, *Breues*, inquit, *dies hominis sunt, numerus mensium eius apud te est: constituisti terminos eius, qui præteriri non poterunt.* Cùm itaque suus cuique supremus dies à Deo constitutus sit, quem inuestigare nulla ratione possis, temerè facturus videtur, qui antequam dies venerit, lucis vsuram quemquam pendere iubeat. Nam etsi reus suo scelere promeruit vt vita meritò priuari posset, non decet tamen, si quæ regio

Qui appellat, vitæ cursum ante diem abrũpere velle videatur.

Sit Dominus iudex, &c.

gio vitæ à Deo ac spatium circunscriptum est, eiusdem humano arbitrio fines terminosque moueri. Oportet autem, vt qui certum diem alteri præstituit, horum alterum in animum inducat: aut Dei mentem consiliumque inuestigare se posse, vt non alium diem proscribat, quàm qui à Deo vitæ finis constitutus sit: aut tametsi exploratum illum habere nequeat, Deum tamen quicquid olim statuerit, nunc eius voluntati obtemperaturum: quorum alterum blasphemiam redolet: alterum, si vires humanas spectes, temeritatem atque arrogantiam palàm prædicat.

Tempus denegat pœnitétiæ.

Tertiò, *Tempora*, inquit Paulus Actorum 17. *huius ignorantiæ despiciens Deus, nunc annuntiat hominibus, vt omnes vbique pœnitentiam agant; eò quòd statuit diem, in quo iudicaturus est orbem in æquitate, in viro, in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum à mortuis.* Quibus verbis tria nos docet Apostolus. Primum est, Deum ab æterno tempore futurum ad certum diem iudicium decreuisse, in quo Christus Dominus, quem virum vocat ob assumptam carnem, pro tribunali sedens, vt quisque hominum merebitur, ita sententiam ferat. Alterum est, medij temporis intercapedinem pœnitentiæ adscripsisse, vt qui deliquissent, hoc interim spacio dolore, fletu, resipiscentia, bonisque operibus, superioris vitæ maculas eluerent. Tertium est, Deum, quo fidem dictis apud homines conciliaret, Christi Domini resurrectionem tanquam arræ siue pignori esse voluisse. Quæ omnia si quis in dubium reuocet, aut tollere studeat, is profectò fidem negauit, Dei decreta rescindit, & quantum in ipso est, singulari immanitate naufragis reliquam pœnitentiæ tabulam eripit. Nam & Christi resurrectioni fidem non habet, qui diffisus promissis, aliud ante diem iudicium Deum flagitat; & mutare Dei decreta nititur, qui morarum impatiens, anteuertere statuto tempori conatur: pœnitentiæ denique beneficium hominibus inuidet, qui diuturnioris vitæ spatium appellatione sua amputat, quo nihil atrocius crudeliusque in humanum genus excogitari potest; cùm sit illud fragilitate sua peccatis obnoxium, & si pœnitentiæ locú deneges, ex æternæ mortis laqueis sese expedire non possit. Quòd si is, qui hominum iudicio non contentus, ad Deum prouocat, & aduersario diem dicit, fidem pariter abnegat, & Dei statuta dissoluit, ac pœnitentiæ remedium abolet, quis eius studium non improbet, & mente pariter atque animo auersetur?

Deum tentat.

Adde postremò, quod qui hoc pacto hominem in ius vocat, & causæ dictionis diem certum edit, Deum temerè tentare videatur. Nam vita hominum aut morbo corrumpitur, aut senio tabescit, aut perit inedia, aut sanè illam hominum ferarumque vis aliqua, elementorumve iniuria labefactant: quorum si fortè nihil hominem oppugnet, mori non poterit, nisi diuinitùs, ac præter naturæ legem ac consuetudinem portentosé intereat. Fieri autem non rarò poterit, vt quo tempore quispiam Dei iudicio adesse iussus erit, neque morbo vexe-

A tur, neque senectutis vitio marcescat, neque inopia laboret, & tutus quoque sit ab hominum ferarumque iniuria, benignis præterea elementis perfruatur. Hinc porrò sequitur, vt si tum reus citatus se sistere debeat, miraculo opus sit, quo anima ex corporis vinculis, tanquam ex carcere, ad Deum euolet. At qui miraculum à Deo flagitat, cùm nulla satis idonea necessitas vrget, Deum tentare censetur. Alioqui enim naturæ leges seruandæ sunt; quæ Deum autorem sortiuntur: nec dubitandum quin deficienti, quantum necesse sit, opituletur. Cur itaque alieno tempore fidem eius ac potentiam edendis miraculis explores? Hìc porrò quæ mortis aduersarij necessitas fingi potest? Nam etsi tum extra ordinem diem suum non obeat, breui tamen incommodis confe-B ctus, suapte natura succumbet. Cæterùm, vt mortem intra paucos annos vitare non poterit, ita nec post mortem iudicium. Quòd si communi omnium lege, & fragilis naturæ conditione mortem iudiciumq; subiturus est, quamobrem quod Deus & natura sponte offerunt, optes potiùs miraculo consequi? Annon manifestè satis diuinæ virtutis experimentum quærere conuinceris?

Sit Dominus iudex, &c.

Obiectio quædam soluitur.

Quid si non id agimus, vt extra vitæ metas apud supremum iudicem reus conueniri possit, sed vt apud mortales præsens dijudicetur, & hanc iudicij sui Deus significationem det, vt damnum quidem accipiat, qui damnum dedit; innocens aut periculo superior euadat, aut, quod æquum postulat, adipiscatur? Ne hoc quidem probauero. Nam aut tentare Deum C volumus, quod nefas est: aut clandestinum aduersarij scelus ea ratione inuestigare, quam Deus naturæ non concessit; & vtrinque manifestè periclitamur, ne aut iustus damnetur cùm de iure causæ ambigitur, & eidem male cesserit: aut si fortè liquet, Deus mali fautor habeatur. Neque enim hoc rarò fieri sinit, vt qui iure potior est, causa cadat: non quò iniustitiæ faueat, quam prohibet: sed ne studiosis de se benè merendi copia desit. Virtutem porrò non in stadio, & apud mortales, sed in cælo tantùm immortali palma se remuneraturum recepit.

Genes. c. 30. ver. 33. Iacob explicatur.

Quid igitur, inquies, sibi vult Iacob, cùm ait: *Respondebit mihi cras iustitia mea?* Nam profectò is sensus verborum esse videtur: Iubes me Laban laboris ac industriæ meæ mercedem D à te exigere. Ast ego huius rei iudicium Deo permittam, quo autore, quod iustum est, die crastina præmium consequar. Et huic quidem interpretationi etiam fauet Pagninus, qui vertit: *Et testificabitur mihi iustitia mea in die crastina, cùm veneris super mercedem meam coram te*, quod Vulgatus transtulerat, *quando beneplaciti tempus aduenerit coram te.* Esto, ita senserit Pagninus, & Chaldaïca item Paraphrasis apud Complutenses: Onkeli tamen interpres, quem Vatablus sequitur, & Septuaginta Interpretes aliter sentire videntur. Septuaginta: καὶ ἐπακούσεταί μου ἡ δικαιοσύνη μου ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ αὔριον. ὅτι ἐστὶν ὁ μισθός μου ἐνώπιόν σου. *Et exaudiet me iustitia mea in die crastina: quia est merces mea in conspectu tuo.* Onkelus: *Et testimonium dabit pro me inno-*

SIT DOMINVS IVDEX, &c.

uocantium & appellantium nece ad tempus abstinerent, & intentatam aduersus eos litem ab ouo resumentes, omni diligentia & fide iterum iterumque cuncta perquirerent, explorarent, atque perpenderent, antequam illi ad extremum supplicium raperentur. Meminerint itaque rerum capitalium Præfecti, & omnes Magistratus, grauissimæ huius beati Regis Iosaphat ad iudices à se constitutos orationis, & exhortationis. *Videte quid faciatis: non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini: & quodcunque iudicaueritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum. Cum diligentia cuncta facite. Non est enim apud Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum.* Ita respondet Feuardentius, cuius ego sententiæ subscribo. Quæ autem ibidem copiosè in hanc quæstionem disseruit, digna sunt quæ legantur, & complura apud eum reperies, quæ à me desiderari poterunt; quòd ea cùm nossem ab eo pertractata commodè, attingere noluerim.

2. Paral. 19.

VERSVS XVII.

Cùm autem complesset Dauid loquens sermones huiuscemodi ad Saul, dixit Saul: Nunquid hæc vox tua est, fili mi Dauid? & leuauit Saul vocem suam, & fleuit.

NVnquid hæc vox tua, fili mi Dauid?] quàm potens veritas! Non potest illi amplius Saul resistere. Verba ista à Spiritu sancto profecta, ita prorsus flexerunt eius cor, vt nunc eum agnoscat pro filio, quem antea ne nomine quidem suo voluit appellare. Et certè erat pietate atque animo filius. Quid enim amplius potuisset filius facere erga patrem, quàm quod Dauid iam fecit erga Saulem? Itaque iam ex persequutore habet laudatorem, ex hoste testem innocentiæ. Expressit hæc oratio Sauli lacrymas: hoc est, vt ille ait, sanguinem animæ. Mirabilis erat Moses, qui aquam elicuit ex lapide: multò autem mirabilior est Dauid, qui confessionem & lacrymas exprimit à Saule, & duritiem eius cordis infringit.

Generi à socceris filij dicti.

Fili mi Dauid.] Forcatulus libro quinto Imper. & Philosoph. Gallorum: Veteres, inquit, sicut nunc vulgus, generos dulciore filij nomine dignabantur. Qui enim bonum nactus est generum, vt ait Democritus, filium inuenit, qui malum, filiam simul perdidit. Et socerum parentis locum obtinere, eademque obseruantia colendum Pomponio Iurisconsulto placuit *l. 17. ff. sol. matr.* Hinc Merouęum tertiũ Francorum Regem, quidam Clodionis filium putauerunt, quod ipsius filiam sibi despondisset. Quin etiam in quadam epistola ad Clodoueum Francorum Regem, à Merouęo secundum, Theodoricus Rex Ostrogotus pacis conciliandæ arbiter, eum comiter monet, atque obsecrat, ne diutius belligerare pergat cum Alarico Visigotorum Principe, genero suo, quem tamen filium suum ipse nominat. Iure patris, in-

Apud Cassiodor. var. li. 3. epist. 4.

A quit, vobis interminor, & amantis, teste Cassiodoro, apud quem Clodoueus *Luduis* vocatur. Hæc Forcat.

NVNQVID HÆC VOX, &c.

Neque verò, inquit sanctus Chrysostomus, è verbis tantùm quæ Dauid loquutus est, verumetiam è Saulis oratione, Dauidis virtutem perspiciemus. Nam si Saul aliquid placidè mansuetéque responderit, huius causam Dauidi imputabimus, qui immutarit hominem, quiq; erudierit, & ad sobrietatem composuerit illius animum. Quid igitur ait Saul? Posteaquam audierat Dauid loquentem, *Ecce lacinia chlamydis tuæ in manu mea*; aliaque cunctá quæ in excusationem attulit: *Vox*, inquit, *ista tua, fili Dauid?* quanta subitò facta est mutatio? qui nunquam sustinuerat illum vel simplici vocare nomine, ipsam etiam appellationem habens B exosam, nunc adoptat eum in cognationem, appellans eum filium. quid igitur Dauide felicius, qui ex homicida facit patrẽ, è lupo ouem, qui fornacem iracundiæ multo impleuit rore, quique tempestatem vertit in tranquillitatem, quique tumorem omnem ira exæstuantis animi restinxit? Verba quippe Dauidis τὰ ῥήματα ingressa in animum istius efferati, totam hanc perfecerint immutationem, quod è Saulis verbis deprehendas licet. Neque enim dixit, *οἱ λόγοι σου οὗτοι, τέκνον Δαυίδ, sermones tui isti fili Dauid:* sed, *ἡ φωνή σου αὕτη, τέκνον Δαυίδ, Vox tua ista, fili Dauid:* adeò mox ad ipsam vocem incaluit.

S. Chrysost. homil. 3. de Dauide, & Saule.

quemadmodum pater ex longo interuallo audita filij reuertentis voce, non ad conspectum modò illius, verumetiam ad ipsam vocem excitatur: sic & Saul simul vt accepit verba Dauidis in animum ingressa, abiecit inimicitiam, iamque sanctum agnouit, positoque affectu, recepit πάθος affectum. Siquidem posita ira, recepit εὐθυμίας τε καὶ συμπαθείας, tranquillitatem, & condolescentiam. Et quemadmodum quandiu nox adest, sæpè ne præsentem quidem amicum agnoscimus, at mox vt exortus est dies, etiam eminus conspectum agnoscimus: itidem & in iracundia solet vsuuenire. Donec inter nos maleuolum gerimus animum, & vox audita nobis aliter sonat, & ipsam faciem corrupta mente aspicimus. Cæterùm, vbi posuerimus iram, & vox quæ prius erat inuisa, atque hostilis, placida nobis ac iucundissima videtur, & aspectus ipse priùs inimicus & iniucundus, tunc fit amabilis & iucundus. Idem accidit in tempestate. Non patitur nubium concursus nobis conspicuam esse cæli pulchritudinem, sed quamuis millies habeamus oculos perspicaces, & acres, nequaquam pertingere possumus ad illam supernam iucunditatem. Cæterùm, vbi iam radiorum color, perruptis ac discussis nubibus, Solem ostendit, rursus & cæli decorem ostendit. Idem accidit in nobis ira feruentibus, dum simultas velut densa nubes, ante oculos & aures stat, facit vt voces aspectusque videantur aliter quàm sunt. Verùm simul atque aliquis animi robore posuerit odium, nubemque diruperit ægrimoniç, tunc demùm incorrupta mente & videbit, & audiet omnia: quod & huic euenit Sauli, qui simul atque nubem maleuo-

Quod ira cæca velut tempestas oculis eripit, gratiæ reconciliatio restituit.

NVNQVID HÆC VOX, &c. lentiæ disrupit, agnoscens vocem Dauidis, ait: *Vox tua ista, fili Dauid.*

Vox tua ista, fili Dauid.] quænam ista? quæ Goliath dejecit, quæ ciuitatem periculis eripuit, quæ cunctos in seruitutis ac mortis periculo constitutos, in libertatem restituit, & in tuto constituit, quæ Saulis furorem sedauerat, quæ multa magnaque beneficia in eum contulerat. Siquidem hæc barbarum illum & alienigenam prostrauit, eò quòd priusquam mitteret lapidem, eum precationis robore fuerat aggressus. Neque enim vulgari more projecit lapidem, sed priùs dixerat: *Tu venis ad me ἐν τοῖς θεοῖς σου, in dijs tuis; ego autem venio ad te in nomine Domini Sabaoth, cui exprobrasti hodie.* Atque hæc loquutus, emisit lapidem, atque hæc vox lapidem veluti manu duxit in Goliath: hæc pauorem incussit barbaro, hæc hostis confidentiam fregit. Et quid miraris, si vox iusti & furorem mitigat, & hostes deijcit, quum impios quoque spiritus expellat? Loquebantur tantùm Apostoli, & fugiebant omnes aduersariæ potestates. Vox Sanctorum frequenter & elementa stare fecit, & potestates illorum immutauit. Loquutus est tantùm Iesus Naue, *Stet sol & luna*, & stetit. Sic & Moses mare ingressus est, & cessit: sic tres illi pueri ignis vim extinxerunt hymnis illis suis ac voce. Itidem & Saul ad eandem vocem incaluit, dicens: *Vox tua ista, fili Dauid.*

Vox Sãctorum quàm sit potens, & efficax.

Iosue 10.12 Exod 14.21 Daniel.3.

Et leuauit vocem suam Saul, & fleuit.] Rursum sanctus Chrysostomus: quid esse possit hoc Propheta beatius, qui breui temporis momento sic hostem è furore ad sobrietatem composuit, & animum nactus sanguinis ac cædis sitientem, repentè ad lamenta & ciulatus compulit? Non perinde miror Mosen, quod è saxo prærupto fontes elicuit aquarum, vt admiror Dauidem, quod ex oculis lapideis fontes eduxerit lacrymarum. Siquidem ille quidem vicit naturam; at hic vicit animi decretum: ille virga percussit lapidem, hic sermone pepulit cor, non vt contristaret, sed vt purum mansuetumque redderet. quod etiam perfecit maiore beneficio Regem afficiens quàm antea fecerat. Est quidem & illud laude summaque admiratione dignum, quod ensem non tinxerit sanguine, nec caput illud hostile resecuerit: sed longè maiore corona dignum erat, quod ipsum inimici propositum immutauit, eumque reddidit meliorem, idque priusquam ipse suam immutaret humanitatem. Hoc beneficium illo præstantius est. Neque enim paria sunt condonare culpam, & ad animi sobrietatem adducere. Non sunt paria, liberare ab ira cędem iniustam spirante: eximere à cæde, & eximere à furore ad tantum properante nefas. Dum enim satellites suos Dauid cohibuit, ne Saulem occiderent, præsenti quidem vitæ profuit: cæterùm, quum mitibus verbis malitiam ex animo depellit, futuram illi vitam æternaque largitus est bona: quantum quidem erat in ipso. Quoties igitur Dauidem laudas ob ipsius mansuetudinem, magis illum lauda, quod Saulem immutârit. Siquidem multò minus est proprijs temperare cupiditatibus, quàm alienum vincere

Quantum hoc fuerit miraculũ.

A furorem, quàm cor ira intumescens compescere, eaq; tanta tempestate tantam facere tranquillitatem, quàm oculos homicidium præ se ferentes calidis implere lacrymis. Atque hoc est stuporis ac miraculis plenum. Etenim si Saul fuisset homo moderatus & æquus, non admodum magni erat negotij ad solitam eum reuocare virtutem. At efferatum, & ad extremam prouectum malitiam, iamque ad cædem properantem breui temporis momento sic afficere, vt omnem illam amaritudinem euomat ex animo, quem non obscuret omnium, qui vnquam super Philosophiæ doctrina clarum promeruere nomen? &c. Nam ibi plura Chrysostomus, quæ vehementer animum mouent, & mirificè delectant.

IVSTIOR TV ES, &c.

B

VERSVS XVIII.

Dixitque ad Dauid: Iustior tu es, quàm ego: tu enim tribuisti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala.

VERSVS XIX.

Et tu indicasti hodie, quæ feceris mihi bona: quomodo tradiderit me Dominus in manum tuam, & non occideris me.

C *Iustior tu es, quàm ego.*] Posteaquam, inquit Chrysostomus, plorauit, vocemq; amaram emisit, posteaquam clarè ejulauit, quid dicat, audi: *Iustior tu me es, quoniam tu mihi retribuisti bona, ego verò retribui tibi mala.* Vides vt suam ipsius damnat malitiam, ac iusti virtutem prædicat, nulloque cogente sese purgat? Idem tu facito, [Dauidem æmulatus], quum hostis inciderit in manus tuas, noli accusare illum, sed teipsum purga, vt illum perpellas ad suiipsius condemnationem. Nam si nos accusemus, exasperatur: sin nos excusauerimus, ille reueritus nostram humanitatem, mox seipsum condemnabit. Hoc pacto simul & redargutio fit suspicione carens, & ille omnem exuit malitiam. Quod & hic euenit. Quum tacet is qui affectus erat iniuria, is qui fecerat, multa cum vehementia seipsum accusat. Neque enim simpliciter dixit, *Fecisti mihi bona*, sed *retribuisti*, hoc est, pro insidijs, pro cæde, pro malis illis innumerabilibus magna mihi rependisti beneficia. At ego ne sic quidem factus sum melior, sed post illa tua benefacta perseueraui in malitia: tu verò ne sic quidem es immutatus, sed constanter tuum obtinuisti morem, nos iterum atque iterum tibi insidiantes beneficijs prosequens. In hisce singulis verbis, quot coronis dignus apparuit Dauid? Quamquam enim os Saulis ista sonabat, sapientia tamen & ars Dauidis ea in animum illius inseuerat. *Ego autem reddidi tibi mala.*] Verbum Reddedi quamquam significationem habet retrodandi, recipit tamen & per se dandi significationem. *Celsus D. de verbor. signif. l. 94.*

S.Chrysost.

Quo pacto cum eo qui nos læserit, agendũ sit.

D

Et tu

Et tv indicasti, &c. *Et tu indicasti hodie, quæ feceris mihi bona.*] S. Chrysostomus: *Renunciasti*, inquit, *mihi hodie*, ἃ πεποίηκας μοι σήμερον, *quæ mihi feceris bona, quum me Dominus hodie concluserit in manus tuas, nec occideris me.* En rursus de altera eius virtute perhibuit testimonium, videlicet, quod benemeritus non tacuerit, neque dissimularit, sed accedens narrauit: non quidem ad ostentationem, sed ipsis factis illum docere cupiens, se de numero eorum esse, qui Regi benè cuperent, eiusque commodis prospicerent, non eorum qui tenderent insidias. Tum enim fas est propria commemorare benefacta, quum insignis hinc speratur vtilitas. Nam quoties nulla data occasione iactat quis ac deprędicat sua in alium beneficia, nihilo potior est exprobrante. Cæterùm, quoties id facit, vt corrupto persuadeat, & malam de ipso opinionem habentem flectat in diuersum, is & curator est, & beneficus: quod sanè fecit & hîc Dauid, haudquaquam à Saule gloriam captans, sed iram in illo radicatam euellere studens. Atque hoc nomine Saul collaudauit eum, quod & benemeritus esset, & merita sua commemorasset. Hactenus sanctus Chrysostomus.

Quo tẽpore tutò benefacta sua prædicare liceat.

An reuera iustus quisquam habendus sit, quòd à scelere, aut ab inferenda iniuria manum abstinuerit?

QVÆST. LXVIII.

Philostrat. Apollonius Tyanæus apud Philostratum Vitæ suæ libro tertio, capite septimo, cum Indis Sapientibus sermonem conferens, & Pythagoricę μετεμψύχωσι fidem adhibens, cùm se gubernatorem nauis Ægyptiæ in priore corpore fuisse assereret, addidit præterea, se etiam hoc in eo corpore præclarè gessisse, quòd à Phœnicibus piratis sollicitatus nequaquam pecuniæ illecebris captus sit, aut decem millium drachmarum ostensa spe adduci potuerit, vt nauim vectoresque suos proderet. Atque ob eam rem magnificè de se sentiebat, & iustitiæ nomine plurimùm gloriabatur. Cui mox Iarchas ille Sapientum Princeps: Hæccine, inquit, iustitiæ opera esse censes Apolloni. Censeo, inquit Apollonius, & non solùm iustitiæ, sed etiam φιλανθρωπίας humanitatis. Non perdere enim hominum vitam, & mercatorum facultates non dispergere, pecuniarumque cupiditatem vincere, præsertim cùm essem nauta, multas mihi virtutes complecti videtur. Adhæc subridens Indus: Videtis, inquit, existimare iustitiæ quandam speciem esse iniuriam non referre: quod & omnes Græcos existimare video. Vt enim ex Ægyptio quodam, qui huc accessit, audiui, veniunt ad vos Romani Magistratus, nudam erectamque securim super vos ferentes, etsi nondum nouerint, bonisne, an malis vobis imperent. Vos autem, nisi hi causarum iudicia vendiderint, iustos illos esse prædicatis: perinde ac seruorum caupones ibidem facere accepi: qui ex Caria seruos captiuos adducentes, cùm eorum vobis mores enarrant, inter primas laudes enumerare solent, non esse eos fugaces. Magistratus igitur quibus subestis, tali genere laudis exornatos, quo etiam serui laudantur, admirandos iudicio vestro dimittitis. Sic tum Iarchas Apollonium irrisit, negans opus esse iustitiæ ab iniustis abstinere.

Non censet Iarchas ad iustitiã pertinere, si quis à malo abstineat.

Quod cùm denuò Apollonius ad Gymnosophistas retulisset, eorumdem Princeps Thespesion, Rectè, inquit, sentiunt Indi, neque enim prudentiæ opus est, stultè aliquid non cogitare: neque fortitudinis, aciem non relinquere: neq; temperantiæ, in mœchorum turpitudines non incidere: nec omninò laude dignum est, quod non esse malus videaris. Omne enim quod æquè ab honore pœnaque distat, virtus non est. Nunquam enim apud Athenienses, aut Lacedæmonios scripta sententia est, hunc aut hunc esse coronandum, quia scortator non est: aut hunc donandum esse ciuitate, quia non est sacrilegus. Quis igitur erit iustus, aut quid faciens talis appellabitur? Neminem enim iustitiæ causa coronatum agnoui: nec est qui pro viro iusto sententiam scripserit, quod hunc oporteat coronari, quod talia aut talia operatus, iustus esse videatur. Cogitanti enim quę apud Troiam Palamedi, aut Socrati Athenis euenẽre: malè fortunata apud homines apparebit iustitia. Iniustissima namq; ij, quos dixi, passi sunt, cùm essent ipsi iustissimi. quin etiam per iniustitię opinionem damnati sunt, cùm præter omne ius latæ sententiæ fuissent. Aristidem quoq; Lysimachi filium ea ipsa iustitia olim perdidit: ac talis vir ob talem virtutem in exiliũ missus est. Equidem ridiculam iustitiã haberi cognosco. A Ioue enim & fatis ordinata, vt hominibus non afferretur iniuria, nusquam sibi ipsi, ne quis iniuriaretur, prouidit.

Eandẽ sententiã tuetur Thespesion.

Mihi autem, inquit, Aristides ipse satis est ad ostendendum quis non iniustus, quisve iustus sit dicendus. Dicas namq; velim, numquid hic Aristides ille sit, quem vos ex Gręcia venientes ad insulas, dicitis nauigasse tributorum componendorum causa? quæ cùm ille æqua ratione constituisset, eadem veste, & quidem vili ac semilacera amictus redijt. Istemet est, inquit Apollonius, ob quẽ & paupertatis amor quandoque floruit. Si igitur, inquit Thespesion, oratores duo fuissent Athenis, qui redeuntem à socijs Aristidem voluissent laudare; & is quidem in hunc modum sententiam scriberet, Corona dignum esse Aristidem, quoniam diuitias non accepit, neq; sui victus causa molestiã cuiquam attulit: sed cùm antea pauperrimus Atheniensium omnium semper fuisset, tunc etiam seipso redijsset pauperior. Alter verò decretũ hoc modo proferret. Quoniam Aristides non præter vires sociorum, sed commodè pro cuiusque facultatibus tributa dispertiens, concordiæ ipsorum erga Athenienses curam gessit, effecitq; vt non ægrè illa perferrent, videri sibi iustitiæ causa ipsum coronari debere. Nonne censes priori sententiæ ipsum etiam Aristidem contradicturum quasi rebus à se gestis non congruenti; cùm pro quibus iniustè non egisset, honorẽ peteret: hanc autem esse laudaturum, cùm mente

Thespesion non iniustũ à iusto discernit.

repeteret, quid illis agendis fuerit meditatus, &c. Si igitur secundum rectam rationem contemplari voluerimus, Apolloni, non is est iustus, qui iniusta non operatur, sed qui & ipse iusta operatur, & alios ne iniustè quid agant, instituit. Hactenus Gymnosophistarum Princeps apud Philostrat. Vitæ Apollonij lib. 6. cap. 11. Nec secus sensisse videtur Horatius cùm scribit ad Quintium Epistol. lib. 1.

Horat.

Nec furtum feci, nec fugi, si mihi dicat
Seruus: habes pretium, loris non vreris: aio.
Non hominem occidi: non pasces in cruce coruos.
Sum bonus, & frugi: renuit, negat atq; Sabellus.

Et rationem subijcit, cur his argumentis fidem non habeat.

Cautus enim metuit foueam lupus, accipiterque
Suspectos laqueos, & opertum miluius hamum.
Oderunt peccare boni virtutis amore.
Tu nihil admittes in te formidine pœnæ:
Sit spes fallendi, miscebis sacra profanis.

Atqui hic tantùm abest, vt si Dauid Saulem cōficeret, grauis illum supplicij pœna maneret, vt contrà cædis amplissimum præmium propositum esset, vitæ securitas, & regni mox adipiscendi non obscura expectatio. Itaq; Flacci ratio tametsi apud complures non rarò obtinet, & verum sit pœnæ formidinem, si manum duntaxat & non mentem, à suspecto scelere reuocet, iustitiæ laudem viro parare non posse: si tamen supplicij metus sic animum mutet, vt flagitium fugiat, & officium colere instituat, haud dubitem quin ea res ad iustitiæ studium pertineat. *Declina à malo*, inquit Psaltes, *& fac bonū.* quibus verbis vniuersam iustitiæ regionem complexus est, eandem in duas præcipuas partes distribuens: quarum altera in bona opera incumbit, altera malum auersatur. Neque me mouet stultorum hominum autoritas, quos miror aliquādo sapientes habitos, cùm ipsi se verè truncos ac stipites fuisse prodant. Tametsi enim cessatio propriè neque laudem, neque vituperationem meretur. Si quis tamen certo consilio aliquid non faciat, quòd pugnet cum æquitate, cùm id iustitiæ studio faciat, certum est iustitiæ nomen decusque promereri. Neq; enim, quod illi fingebant ob ingenij tarditatem, hic duntaxat à maleficio abstinet, quod plerisque inter dormiendum contigit, qui de virtute ne quidem somniant: sed delinitus cupiditatum illecebris, spe allectus, multorumq; adhortationibus instigatus, nequaquam tamen stimulis cessit, aut suæ libidini obsequutus est: sed aut virtutem cum suo periculo coniunctam fortiter coluit, aut sua commoda quæstumve mali speciem prę se ferentem constanter aspernatus est. Æquitatis porrò illud studium, mens, siue propositum, quo statuit temperare sibi, rebusque iustis duntaxat inhærere: cuius deinde veluti quidam partus est abstinentia, seu quælibet nefarij operis intermissio: iustitiam hominis palàm commendant, & dignum prædicant, cui honores amplissimi ab omnibus habeantur.

Quo pacto non fecisse malum, iustitiæ laudē promereatur.

S. Chrysostomi vera sententia.

Itaque S. Chrysostomi sententiam potiorem nugis Philosophorum habeamus, qui Saulis de Dauide pronuntiatum confirmat, & eius iustitiam, quòd Saulem non occiderit, audet cum

A Martyrū victoria comparare. Ne illud reputemus, inquit, quod Deus vetuit ne Dauid Saulē occideret: sed illud considera, quod ex insidijs Saulis tripla quadruplaq; Martyrij corona redimitus est. Etenim qui propter Deū seruauit hostem, eum qui semel atq; iterum, imò frequenter lanceam in caput eius vibrârat: cùm esset occidendi potestatem nactus, tamen pepercit, ipsiq; cùm sciret post eam præstitam clemētiam, fore vt denuò ab illo impeteretur: perspicuum est, quod millies interfectus est animi proposito, millies autem interfectus propter Deū, plurimas tulit Martyrij coronas: qui queadmodum & Paulus ait, quotidie mortuus est propter Deum. Cùm enim posset hostem sibi insidiantem è medio tollere, propter Deum noluit, & maluit quotidie periclitari, quàm iusta cæde à

B tot mortibus liberari. quod si vsq; ad ipsius vitæ periculum insidiantem vlcisci atque odisse fas non est, multò minus licet eum qui vulgariter læsit, vindicare. Hæc Chrysost.

Non igitur is solus iustus dicendus erit, qui iustis operibus exercetur, vti quondam Sapientes Indos Gymnosophistasq; censuisse Philostratus refert: sed etiam quicumq; frænos suæ cupiditati adhibet, & à scelere manum abstinet, non tantùm supplicij metu, sed aut virtutis studio, aut diuinæ legis reuerentia, aut propter ipsius numinis amorem, cui comes adhæret proximi quoque dilectio.

Versus XX.

Quis enim cùm inuenerit inimicū suū,
C **dimittet eum in via bona? Sed Dominus reddat tibi vicissitudinem hanc, pro eo quod hodie operatus es in me.**

Variæ trāslationes.

Pagninus, *Dominus reddat tibi bonum pro die hac quam fecisti mihi.* Quidam, *Vtique Dominus retribuet tibi bonum pro die ista, quod tu operatus es in me.* Alius, id quod præcedit, *dimittet eum in via bona?* notat Hebraïcè legi *in via boni?* & interpretatur, *an dimittet eum cū beneficio?* Vatablus, *Etenim, quis deprehensō hoste suo, incolumē eum abire permittit? Dominus rependat tibi bonum pro isto die, quo mihi benefeceris.* Consentit Chald. Lxx. paulò obscurius: καὶ ὅτι εἰ εὕροι τις τὸν ἐχθρὸν αὐτοῦ ἐν θλίψει, καὶ ἐκπέμψαι αὐτὸν ἐν ὁδῷ ἀγαθῇ, καὶ κύριος. Complut. ἀνταποδώσει, Ald. ἀνταποδώσει αὐτῷ ἀγαθά, καθὼς πεποίηκας σήμερον. *Et quia si inueneris aliquis*
D *inimicū suum in angustia, & miserit eum in via bona, & Dominus* Complut. & Rom. *reddet ei bona sicut fecisti tu hodie.* At priora Ro. edit. ita legit: *Et sicut si inueniat quis inimicū suū in tribulatione, & emittat eum in viā bonā, & Dominus reddet, &c.* Nobilius in Not. Sunt in codd. quædam varietates non magni ponderis. Lucifer sic habet, *Et sicut inueniat quis amicum suum, & præmittat eum in viam bonam, & Dominus retribuat tibi bona, pro quibus fecisti mihi hodie.* Et quod quidem pertinet ad istud, *retribuat tibi,* magis respondet Hebræo, & Vulgatæ, quā quod est in collatis Gręcis codd. ἀνταποδώσει αὐτῷ, *retribuet ei.* Ita Nobil.

Curtius.

Quis enim cùm inuenerit inimicū suum, dimittet? &c. Apud Curtiū lib. 6. Hyrcaniam ingrediens Alexander,

DOMINVS REDDAT &c.

Alexander, literas Nabarzanis (is eam regionem Satrapes obtinebat) qui Darium cum Besso interceperat, accipit, quarum sententia hæc erat: Se Dario non fuisse inimicum, imò etiam quæ credidisset vtilia esse, suasisse: & quia fidele consilium Regi dedisset, prope occisum ab eo. Agitasse Darium, custodiam corporis sui contra ius fasque peregrino militi tradere, damnata popularium fide, quam per ducentos & triginta annos inuiolatam Regibus suis præstitissent. Se in præcipiti & lubrico stantem, consilium à præsenti necessitate reperisse. Darium quoque cùm occidisset Bagoam, hac excusatione satisfecisse popularibus, quòd insidiantem sibi interemisset. Nihil esse miseris mortalibus spiritu charius. Amore eius ad vltima esse propulsum: sed ea magis esse sequutum, quæ coëgisset necessitas, quàm quæ optasset. In communi calamitate suam quemque habere fortunam, &c. Quibus ostendit quàm arduum & difficile sit inimico parcere quem metuas, & iudices exitium tibi allaturum.

Tanta Dauidis charitas solum Deū meruit remuneratorem.

Sed Dominus reddat tibi vicissitudinē hanc, &c.] Dein, inquit S. Chrysost. quum Saul referre gratiam cupiens, non inueniret vllam parem, ipsum Deum illi pro se constituit debitorem, ita loquens: ὅτι εἰ εὕροι τις τὸν ἐχθρὸν αὐτοῦ ἐν θλίψει, καὶ ἐκπέμψαι αὐτὸν ἐν ὁδῷ ἀγαθῇ, καὶ κύριος ἀνταποδώσει αὐτῷ ἀγαθά, καθὼς πεποίηκας σήμερον. *Si inueniet aliquis inimicum suum in angustia, & dimittet illum in via bona, & Dominus reddet illi bona, quemadmodum fecisti tu mihi hodie.* quid enim poterat Saul reponere dignum meritis, etiam si regnum dedisset cum omnibus oppidis? Neque enim oppida modò & regnum, verùm & vitam ipsam donârat illi Dauid: & verò non habebat alteram vitam, quam rependeret: eoque illum relegat ad Deum, & ab illo manaturis præmijs honorât: pariter & hunc laudans, & vniuersos erudiens, quod tum maiora nobis apud Deum præmia reposita sunt, cùm pro innumeris beneficijs in hostem collatis, diuersa recipimus. Hactenus sanctus Chrysostomus.

Nouerat ergo Saul Deum his maximè propitium esse ac familiarem, studereque eorum remunerationi, ac præmia curare, qui in hostes ingratos beneficia contulissent. Tametsi enim illi referendæ gratiæ vicissitudinem negligant, Deus tamen abundè reponit: quoniam hi maximè illius similes euadunt, & quæ vehementius probat, ipsi perficiunt, & difficillimis eius legibus obsequuntur. Sanctus Dionysius Areopagita in Epistola ad Demophilum Monachum, cùm Mosis meminisset, qui salutem eorum, à quibus ad necem petitus erat, & frequentes iniurias acceperat, à Deo deprecatus est: Intelligebat enim, inquit, eum, qui cum Deo, qui bonus esset, versaretur, ad maximam similitudinem, quoad eius fieri posset, expressum effictumque esse oportere, & conscium esse, quæ bono gratæ sint actionum. Quid verò Dauidem Dei patrem cum Deo amicitia coniunxit? nempe benignitas, & in hostes charitas. *Inueni*, inquit optimus, & bonorum amans, *virum secundum cor meum.* Atqui lege bona sanctum erat, vt etiam iumenta ini-

Qui parcūt hostibus, Dei similes euadunt.

S. Dionys. Areopag.

Suprà c. 13.

Exod. 23.

A mici curæ essent. Iob etiam innocentia præditus, iustus est iudicatus. Et Ioseph fratrum, qui sibi insidias parassent, non est vltus in se iniurias. Abel quoque simplici ac minimè suspicioso animo, cùm fratricida proficiscebatur; & diuina scripta omnes bonos prædicant eos, qui nec mala prospiciunt, nec dissimulant: sed ne aliorum quidem malitia bonum virtutemque deserunt, contraq; Dei imitatione malos etiam bonos efficiunt, effunduntq; in eos magnam benignitatis suæ copiam, & benignè ad similia prouocant. Hactenus sanctus Dionys. *Reddat tibi Dominus vicissitudinem hanc, pro eo quod hodie operatus es in me.* Hoc est, Sicut tu hodie pepercisti mihi, cùm sim inimicus tuus, & præsenti periculo eripuisti, sic Deus vicissim tueatur te, & malis omnibus eripiat.

DOMINVS REDDAT, &c.

B Hæc porrò Saulis oratio videri potest palinodia eorum omnium, quæ antea aut dixerat, aut fecerat contra Dauidem. Eum antea habuerat pro seruo vilissimo: illi detraxerat, quantum potuit: dixeratq; Ionathæ, non posse eum saluum esse, si Dauid viueret. Nunc autem eum vltrò vocat filium, & fatetur iustiorem esse se, & dignum, qui imperet. Postremò, eius tutelæ & fidei commendat liberos, & posteritatem suam. Quod aliud testimonium exprimere Dauid ab eo vnquam potuisset, si vinctum habuisset, & tormentis voluisset experiri? Sed dubitari potest, vtrum Saul ista simpliciter, & candidè dicat, an potiùs fraudulenter & callidè. Quidam putant hanc sententiam esse hypocrisin. Æthiopem enim non posse mutare pellem C suam. Nam cùm ista publicè gererentur, & omnes perspexissent modestiam, & summissionem Dauidis, studiumque eius erga Regem, Saulem, nisi aliquod signum dedisset mutatæ voluntatis, ne hominem quidem videri potuisse. Itaque eum inseruire voluisse tempori, & fingere crocodili lacrymas, vt Dauidem retraheret in aulam, atque ita sine tumultu pro sua libidine interficeret. Sed nihil necesse ista dicere. Nam impij homines, quamuis destituti sint ea fide, quæ per charitatem operatur, tamen vitare non possunt interdum acres morsus conscientiæ. Sed quoniam sunt πρόσκαιροι, facilè redeunt ad ingenium. Nam si ordo iste, & conspectus rerum naturalium adducere potest homines ad aliquam notitiam Dei, & efficere, vt eum ita cognitum aliquo modo velint colere, D etsi illi postea infirmitate, & cæcitate ingenij sui auferantur ad superstitionem, & idololatriam, quanto æquius hanc vim tribuemus verbo Dei? Haud dubiè tanta est vis veritatis, vt nullum sit pectus tam durum, quod illa non aliquo modo molliatur. Mouentur ergo impij sæpè lumine ipso naturæ, etsi motus tantum sit temporarius. Nemo enim impius ita cæcus est, vt bonum malumq; non possit distinguere.

Experiūtur etiam impij conscientię aculeos, & ad horā resipiscunt: sed statim redeunt ad ingenium.

Oratio Saulis videtur deprecatoria. Nam cùm accusati non possumus negare factum, proximū est, vt deprecemur crimen. Vidit Saul Dauidem vera dicere. Est enim magna vis conscientiæ etiam in impijs. *Habent* enim, vt Paulus ait, *cogitationes accusantes sese mutuò, & defendentes.* Caïn enim agnouit peccatū suum. Iudas

Oratio Saulis deprecatoria.

DOMINVS REDDAT, &c.

clamauit, *Peccaui tradens sanguinẽ iustũ.* Et Pharao, quoties dixit Mosi, & Aaroni, *Peccaui in Dominum: Orate pro me Dominum.* Et cur non potuerunt ista eadem accidere in Saule? Non dubito equidem magnam in eo fuisse hypocrisin. Nemo enim, nisi qui syncera charitate præditus sit, vacare potest eo vitio. Interim tamen verè & ex animo sentire potuit se iniustè oppugnasse Dauidem. Sed ista quæcunque tandem hypocrisis non fuit in eo diuturna. Ex hoc exẽplo videmus, lumine naturæ patefactã esse nobis vim iustitiæ, eamq; sitam esse maximè in eo, vt hominibus benefaciamus, maximè verò inimicis. Nam ego, inquit Saul, *pro tot bonis reddidi tibi mala. Quis enim si inueniat hostem suũ, dimittat eum in via bona?* Hæc iustitia est, qua ego à te longè superor. Hæc iustitia ea est, quam Cic. in Cæsare tantopere prædicauit, cùm eũ diceret, nihil solere obliuisci nisi iniurias. S. August. in epist. 5. ad Marcel. Hæc dixit, inquit, tantus laudator, aut tantus adulator. Si laudator, dixit ea quæ reuera erant in Cæsare: sin adulator ea dixit, quæ esse in eo debuerunt. Hoc videt Saul in Dauide, & agnoscit esse verè heroïcum. qui sunt veræ fidei expertes, & à charitate alieni, pro illo sensu, quem habent à natura, putant benefaciendum esse amicis: hostes autem omnibus modis esse atterendos. Ita Christus ait, Pharisæos & Scribas legisse: *Diliges amicũ tuũ: & odio habebis inimicum tuum.* Nam hæc posterior clausula non legitur in lege, sed adjecta erat ab hypocritis. Id Christus reprehendit, & addit: *Nisi abundauerit iustitia vestra plusquã Scribarum & Pharisæorũ, non potestis intrare in regnum cælorum.* Nemo esse potest tam stupidus, quin si ista non præstet ipse, tamen ea laudare velit in alijs. Hęc confessio si ornata fuisset vera charitate, dici posset iusta pœnitentia: nunc autem ea destituta, inutilis, & inanis est.

Iustitiæ vis à natura patefacta in dilectione inimicorũ.

S. August.

Ex aliorum sententia.

Iustitia & misericordia Hebraïcè vna & eadem voce signif.

Ad extremum, nihil oberit annotasse, cùm superiore versu decimo octauo scriptum sit, צדיק אתה ממני *tsadik athah mimmeni.* id est, *iustus tu præ me:* hanc vocem *tsadik*, non fidelem modò, iustum, ac tenacem propositi virum, sed etiam misericordem, ac clementem significare. Nam & צדקה *tsidakah* Hebræis, Chaldæis, Syris, Arabibus, beneficium & eleemosynam significat. Et inde fortassis nomenclatura accepit originem, quod clementia, misericordia, liberalitas ex iustitia & necessarijs officijs proficiscuntur, & ex his, tanquam manifestis argumentis, hominis iustitia agnoscitur. Nam vt quis alteri quod suum est tribuat, etiam si nolit, videtur cogi posse; neque hinc certò probare possis, an verè & ex animo iustitiam colat. At qui misero fert opem, cui iure ciuili nihil debeat, cùm id sponte faciat, videtur cælestis iustitiæ studiosus esse. Sic Minerua apud Homerum fingitur Odyss. ρ. Vlyssem commouisse, vt mendici habitu stipem à procis colligeret.

Γνοίη θ' οἵ τινές εἰσιν ἐναίσιμοι, οἵ τ' ἀθέμιστοι,

Cognosceretque quinam essent iusti, quique iniusti.

Psalmo vigesimo quarto, versu quinto: *Hic accipiet benedictionem à Domino,* וּצְדָקָה *outsidakah.* Pagninus, *& iustitiam.* At Septuaginta, ἐλεημοσύνην. Vulgatus, *& misericordiam à Deo salutari suo.* Daniel quarto capite, versu vigesimo quarto, *Peccata tua.* בצדקה *bitsedakah. eleemosyna redime.* Hinc etiam Arabibus *Zadic*, & *Muzaddic*, eleemosynarius, qui dat eleemosynam. Cùm itaque צדיק *tsadik* clementem quoque, indulgentem, misericordem interdum designet, videri possit hoc voluisse Saul hoc loco: Verè tu me misericordia & clementia longè superasti, cùm non fuerim, si in potestatem meam venisses, vitæ parciturus tuæ. quo nomine idcirco, iure, ac merito iustus Dauid dici potuit, quòd si is iustus sit, qui alienum non detinet, sed possessori suo restituit, quanto magis qui sua largitur, & ingratum beneficijs cumulat, eam laudem merebitur? Non debet beneficij magnitudo videri iustitiæ splendori tenebras offundere.

VERSVS XXI.

Et nunc, quia scio, quòd certè regnaturus es, & habiturus in manu tua regnum Israël:

VERSVS XXII.

Iura mihi in Domino, ne deleas semen meum post me, neque auferas nomen meum de domo patris mei.

ET *nunc quia scio, quod regnaturus es.*] Sed dic obsecro, inquit sanctus Chrysostomus, vnde istud scis? Penes te sunt exercitus, penes te sunt pecuniæ, arma, ciuitates, equi, milites, breuiter vniuersa vis apparatus regij: hic contrà desertus & nudus, nec ciuitatem, nec domum, nec familiam habens. Vnde igitur, te quæso, ista loqueris? nimirum ex ipsis Dauidis moribus. Neque enim nudus, & inermis, ac desertus me armatum, tantaque circumuallatum potentia superasset, nisi Deum haberet adiutorem. Porrò qui Deum habet fauentem, omnibus est potentior. Vides ad quantam Philosophiam Saul post insidias deductus sit? Vides quî fieri possit, vt inimicus omnem expugnat malitiam, immutatusque ad meliora se recipiat? &c. Hactenus Chrysost.

S. Chrysost.

Scio quod regnaturus sis.] Iam idem suprà Ionathas asseruerat, nosse patrem suum Dauidem esse regnaturum. Idque verisimile est suspicatum esse Saulem, vel quòd videret Dauidem non sine diuina prouidentia semper elabi sibi è manibus: vel quòd eum audisset inunctum esse à Samuele: vel quòd illi omnia feliciter succederent: vel postremò, quòd nunc se incolumem è manibus dimisisset. Nam propter tantam virtutem, & iustitiam, dignum eum iudicabat esse, qui regnaret. Itaque orat Dauidem, saltem vt propitius esse velit filijs suis.

IVRA MIHI NE DELEAS, &c.

suis. Quanta est ista mutatio? Rex supplex est exuli, & hosti suo, & cum eo paciscitur de regno. Sed interponi vult iusiurandum. Homines enim malè sibi conscij vix credunt sibi impunè fore. Itaque requirit iusiurandum: & Dauidem relinquit tutorem liberorum suorum: omnémque spem posteritatis suæ constituit in eius arbitrio.

S. Chrysost.

Iura mihi in Domino, ne deleas semen meum post me.] Hostem, inquit Sanctus Chrysostomus, filijs suis relinquit tutorem, suásque proles in illius deponit manus, dum his verbis filiorum ac Dauidis manus apprehendens, Deum sequestrem inducit. Rex priuatum rogat: qui diademate cinctus est, supplicem agit pro filijs suis, obsecrat exulem. Et hoc ipsum arguit virtutem Dauidis, quod hostis ausus sit hæc ab hoste petere. Nam quòd iusiurandum exigit, non eò facit, quòd diffidat Dauidis moribus, sed quòd reputet, quot malis illum affecisset. Hactenus Chrysostomus. Porrò Saulem miror, cur iuramento posteris suis caueri voluerit: nam qui hosti nocentissimo pepercit, quo pacto innoxios potuit ire perditum? An hoc fortè cogitabat idcirco Dauidem temperare sibi, ne Regia cædes popularium animos ab eo alienaret, & ad consequendum regnum impedimenti plurimum afferret: at vbi iam confirmato regno metum posuisset, tum securè in suorum strage bacchaturum. Haud dubiè Dauidem metiebatur suo pede, & hæc secum animo voluebat: Ego volui compeditorem meum tollere: fortasse idem Dauidi quoque aliquando in mentem veniet. Nam qui ebrietati sunt dediti, neminem putant esse sobrium: qui libidini seruiunt, neminem castum: qui auaritiæ student, liberalem credunt neminem. Principes id maximè solent quærere, vt possint securè regnare. Id autem putant non posse fieri, nisi sublatis competitoribus. Sed regnum Dauidis altioribus radicibus nitebatur, nimirum promissione Dei.

Saul Dauidem suis moribus æstimat.

Regum maxima cura competitorum stirpem euellere.

Veruntamen exemplum istud posteriores velut certatim sequuti sunt. 3. Regum, capite decimo quinto versu vigesimo septimo & sequentibus. Baasa cùm Nadab filium Ieroboam Regem Israel insidijs oppressisset, regnúmque occupasset, *Percussit*, ait Scriptura, *omnem domum Ieroboam: non dimisit ne vnam quidem animam de semine eius, donec deleret eum.* Zambri quoque cùm Ela Regem Israël obtruncasset eiusdem libri capite 16. versu 11. *& regnasset & sedisset super solium eius, percussit omnem domum Baasa, & non dereliquit ex ea mingentem ad parietem, & propinquos & amicos eius: deleuitque Zambri omnem domum Baasa.* Nec Iehu posteros Achab clementius habuit, de quo scriptum est. 4. Regum, capite decimo versu 17. *Et percussit omnes qui reliqui fuerant de Achab in Samaria vsque ad vnum.* Quid fieret apud Romanos disces ex vno Domitiano. Senatus, inquit Suetonius, ob interemptum Domitianum adeò lætatus est, vt repleta certatim Curia non temperaret, quin mortuum contumeliosissimo atque acerbissimo acclamationum genere lace-

Sueton ca. 23. in Domitiano.

A raret: scalas etiam inferri, clypeósque & imagines eius coram detrahi, & ibidem solo affligi iuberet: nouissimè credendos vbique titulos, abolendámque omnem memoriam decerneret. Non raro etiam inscriptum fastis nomen inductum fuisse alibi legimus, & ipsum nomen, vt Manlij Capitolini, posteris ex eadem familia indi vetitum. Apud Liuium etiam leges Decad. Quartæ libro decimo Philippum Macedoniæ Regem Persei patrem propalam negasse, satis tutum sibi quicquam esse, nisi liberos eorum, quos interfecisset, comprehensos in custodia haberet, & tempore alium alio tolleret. Machiauellus denique libro tertio capite quarto in I. Decad. Liuij, negat securè agere posse Principem, donec propago aliqua eorum, quibus regnum ademptum sit,

Liuius.

Machiauelli impia & inhumana cœcitas.

B superstes manet: nec posse nouo beneficio veteris iniuriæ obliterari memoriam, cùm posteriorem gratiam damni magnitudo longo interuallo superet. Quamobrem ridet Tarquinium Priscum, qui cùm imperium inuaderet, pupillorum proditor, eorundem vitæ pepercit; à quibus postea interemptus est. Nec minus imperitum censet Seruium Tullum, qui cùm regnum mira arte in se transtulisset, speraret Tarquinij filios, quos seruabat, contrahendis nuptijs & iungenda affinitate conciliari posse, & persuaderi vt soceri imperium tantisper æquo animo ferrent, dum per ætatem è viuis excederet. Vtrumque docet insidijs eorum, quos incolumes esse iusserant, postea perijsse. Nec videt cœcus ille nebulo, cùm Priscus ille gratia & opinione virtutis Romanorum in se

Confutatur.

C studia concitasset, & imperium parasset, si cæde filiorum Regis de se déque Republ. benemeriti suam famam polluisset, alienatis ciuium animis & offensis dignitatem retinere non potuisse. Seruium porrò Tarquinius gener regnantem vtcunque passus est: sed ferocis animi filia incensa regni cupidine, necem suo parenti molita est. Vnde magis sequitur, vt nulla proles Principi alenda videatur. Deinde, an ignorabat Machiauellus quod olim Babyloniorum Regem docuisse fertur Daniel capite quarto, versu vigesimo secundo. *Quòd dominetur Excelsus super regnum hominum, & cuicunque voluerit, det illud?* An cùm fortè Numinis timorem religionémque animo exuisset, statuit scelus scelere defendi posse, & ruina fulci-

D ri? Sed non committam hoc tempore, vt cum demente & insano, qui nihil virtuti tribuat, & Dei prouidentiæ, ratione, qua prorsus destituitur, contendisse videar. Quod si exemplis certandum sit, quis eorum qui Machiauelli consilijs paruerunt, & in cæde innocentiam bacchati sunt, cum Dauide & eius familia de Imperij diuturnitate certet? Atqui is tantùm abest, vt Saulis posteros internecione deleuerit, vt etiam vim allatam Isboseth vltus sit, & Miphiboseth mensæ suæ adhibuerit. Capeti genus inclytum annos iam sexcentos & quod excurrit apud nos Reipubl. clauum torquet, neque tamen Capetus, cùm ob populatas ecclesias Carolo ab Episcopis sacris interdictum esset, & ipse in regem ascitus, reliquam Caroli

Ivra mi-hi, &c.

stirpem ferro demessuit: sed viuere passus est, satis tutus præclara virtutis conscientia, Numinis præsidio, consensu procerum, populique fauore, quibus summam ille potestatem nactus est. Qui autem Machiauelli nugas illas quidem, sed generi hominum nocentissimas amplectitur, is primùm omnem futuri iudicij metum à se abdicet necesse est; deinde etiam orbem hunc diuina prouidentia neget gubernari; Postremò diras & vltrices furias seu conscientiæ stimulos fabulas putet, quæ sicarios & homicidas nimiùm vera quotidie cernimus experiri.

Iurisiurandi religio.

Iura mihi.] Clearchus apud Xenophontem Cyri Min. Exped. lib. 2. de mutua suspicione tollenda cum Tyssapherne agens, iuramenti cumprimis meminit: Primùm enim, inquit, ipsa nos omnino iurisiurandi religio continere debet, ne nobis vicissim infensi simus: atque eum quidem, qui se violatæ religionis conscientia obligarit, neutiquam ego inter beatos numerarim. Deorum enim immortalium bellum, neque qua quis celeritate, nec in quas effugiat latebras, video: nec postremò in quod se propugnaculum recipiat, quò neglecti numinis ira non peruadat, cùm sint omnia dijs obnoxia, neque sit quicquam vspiam quod in deorum potestate non sit. Hæc infidelis. Quanta nobis, qui Fideles audire volumus, fidei ratio habenda erit? Porrò eodem loco Clearchus quantum sit periculum suspicionis his verbis aperit: Noui ex huiusmodi plerunque suspicionibus effici solere, vt dum homines ne patiantur quid grauius metuunt, longè atrocissimas iniurias ijs facere occupent, qui nihil ipsi vnquam tale quicquam commissuri erant.

Suspicio quanta mala pariat.

Versvs XXIII.

Et iurauit Dauid Sauli. Abijt ergo Saul in domum suam: & Dauid, & viri eius ascenderunt ad tutiora loca.

Variæ trāslationes.

AD *tutiora loca.*] Pagninus, *in præsidium.* Arias, *super munitionem.* Græci, εἰς μεσσαρὰ τὴν στενήν. Complut. *in munitionem arctam.* Roman. editio, *in Messara angustam.* Hebraïcè legimus עַל־הַמְּצוּדָה *ghol hametsoudah.* Itaque Sept. vna litera videntur à nobis dissentire. ר *res* enim pro ד *daleth* accepisse palàm est. צָרָה *tsara* porro quod à verbo צור *tsor* siue צַר *tsar* descendit, angustam & angustiam significat. Verbum enim ipsum idem est Hebræis, quod nobis *in angustum compegit.* Hinc Prouer. cap. 11. versu 8. *Iustus* מִצָּרָה *mitsarah, ex angustia liberatus est.* מְצוּרָה *metsourah* etiam arcem, & quemlibet locum munitum significat, qui nequaquam armis, sed fame duntaxat aut siti expugnari potest. מְצָרָא *metsara* Rabbinis pons arctus & angustus est. Hoc igitur Græci volunt sibi, Dauidem angustias montium occupasse, & in ea loca se recepisse, ad quæ nullus pateret aditus; vt loci difficultate Saul deterritus desperaret eum se comprehendere posse. At nunc Hebraica exemplaria tradunt מצודה *metsoudah* à verbo צוד *tsod*, quod est venari, & feris, auibus, aut piscibus insidiari, plagas & retia disponere. Inde מצודה *metsoudah* locus natura munitus, in quem se feræ recipiunt venationis tempore: & per metaphoram, arx quælibet, rupes, aut spelunca natura aut arte munita, quam captant homines, & cuius se præsidio tuentur aduersus inimicorum vim & impetum. Dauid Psalmo trigesimo versu tertio. *Esto mihi in Deum protectorem*, siue vt alij vertunt *in petram roboris, & in domum* מְצוּדוֹת *metsoudoth receptuum*: siue vt habet Vulgatus, *refugij, vt saluum me facias.* Vtique מְצָד *metsad*, quod idem est, Sept. passim περιοχήν, ὀχύρωμα, καταφυγήν, præsidium, munitionem, refugium transferunt.

Vox Hebr. examinatur.

Et ivravit Da-vid Savli.

Et iurauit Dauid Sauli.] Quid igitur Dauid, inquit Sanctus Ioannes Chrysostomus. Num vel leuiter dissimulatione & ironia ad hæc vsus est? nequaquam: sed protinus annuit, quódque petebatur concessit: ac mortuo Saule, non modò non occidit illius posteros, sed tum plura præstitit quàm erat pollicitus; siquidem filium eius, cùm esset claudus ac debilis cruribus, in suam ipsius domum induxit, suæque mensæ fecit participem, summo illum honore dignatus: nec erubuit, nec occultauit, nec arbitratus est Regiam mensam claudicatione pueri dehonestari, sed decorari potius ac lautiorem fieri. Quotquot enim cum illo discumbebant, abibant magnam doctrinam consequuti. Cùm enim viderent Saulis filium, illius qui tanta mala patrarat aduersus Dauidem, tanto in honore haberi apud ipsum, etiamsi feris omnibus fuissent immitiores, pudore tamen ac rubore cum omnibus inimicis redibant in gratiam. Hactenus Sanctus Chrysostomus.

S. Chrysostomus.

Dauid hostis sui posteris plus quàm pollicitus esset præstitit.

Sed dices, præposteram istam fuisse Dauidis misericordiam: sciebat enim iam Saulem abiectum esse à Deo. Sciebat quidem: nihil tamen audierat de tollenda eius posteritate: neque alienum erat à voluntate Dei reuelata, vt ea maneret incolumis: Commune autem præceptum extabat, diligendum esse proximum. Dauid, quod Saul postulat, iureiurando repromittit. Id intelligendum est, pro eo quantum Deus vellet: vt si Deus postea declarasset, se secus velle, Dauid non amplius obstringeretur. Omnia enim pacta, promissa, vota, iuramenta ad hoc caput referenda sunt, si Deus velit. Id dico, quia posteri Saulis, vno excepto Miphiboseth, Dei iussu suffixi sunt in crucem. Satis autem Dauidi erat, eo tempore, cùm iurabat, habuisse voluntatem seruandi iurata. Iurat Dauid, ne quid postea Sauli ad excusationem relinqueretur. Nam si Dauid iurare noluisset, & Saul postea eum persequutus fuisset, populus dicere potuisset, Dauidem nimis fuisse difficilem, & importunū: nec mirum esse, si Saul redierit ad ingenium, cùm eius soboli, cuius periculo parentes plerunque vehementius

Iuramenta obtinent, si Deus ita velit: oportet tantum iurare ex animi sui sententia.

Et iuravit David Sauli.

tius anguntur quàm proprio, Sacramenti religione cauere renuisset. Nunc autem nihil habet, quo se excuset: quin quicquid postea moliatur in Dauidem, id omne videatur facere contra conscientiam. Hæc eadem Dauid antea iurauerat Ionathan, se eum habiturum secundo loco, vt certè habuit eius filium, quandiu vixit.

Iuramenti porrò formulam solenniáque verba Scriptura non tradit, sed ea cuiusmodi fuerint, ex Saulis postulatis intelligi posse videntur. *Iurauit* itaque primùm *in Domino*, cuius numen perfidia violari, cùm toties ipse peierasset, à Dauide posse non credidit. At reliqui populi, cùm essent veræ fidei expertes, per varias res, vt sibi quidem visi sunt, non minus religiosè iurabant. Argilæ, populi Minoris Africæ, regionis Cyreniacæ, si Pomponio Melæ credimus, cùm stolidè tantùm naues deos putarent, per eas deierabant. Veteres alij iurabant per brassicam: Zeno Cittiæus per capparim, vt scribit Athenæus Dipnosoph lib. 9. cap. 2. Apud Homer. Iliad. 1. iurat Achilles cum Agamemnone contendens per sceptrum regum & iudicum. Æthiopum sacratissimum iusiurandum fuit per cineres maiorum, vt Diodorus testatur lib. 4. cap. 1. Cyrus Lysandro apud Xenophontem in Oeconom. per Mythram, quem Solem Persæ interpretantur. Per nomen Drusillæ sororis, postquam ea extincta esset, quam virginem prætextatus adhuc vitiauerat, & adultam viro obduxerat, deierare solitum Caligulam autor est Suetonius cap. 24. in eius vita. Ægyptij cæpas & allia cùm haberent pro dijs, statuerunt iuramentorum esse vindices; vt docet Plinius lib. 19. cap. 6. Iudith 1. iurat Nabuchodonosor *per thronum & regnum suum*. Genes. 42. Ioseph *per salutem Pharaonis*. Vrias 2. Reg. 11. *per salutem Dauidis*. Per salutem Principis & genium eius iurare leges Ciuiles decreuerunt. & Genes. 31. *Per timorem patris sui Isaac* Patriarcha Iacob iuramentum concepit. Fas quondam fuit iure Ciuili per salutem suam deierare, per caput suum & filiorum suorum: & per id omne quod quis postulasset iurari sibi: & illud iuramentum Prætor ratum habebat *ff.* De iureiurando *l. 3. §. fin. & l. qui per salutem. & l. non erit ratum. 5. eodem titulo.* Inde illa vox Veraniæ vxoris Pisonis in Regulum captatorem, epist. vlt. lib. 2. apud Plinium Iuniorem. O hominem nequam, perfidum, & periurum, qui sibi per salutem filij sui peierasset. Silius de Scipione iurante lib. 10.

Mela de Situ Orbis lib. 1. cap. 8.

Per quæ interarios quondam Iudæi atque Gentiles.

Pérque caput, nullo leuius mihi numine patris
Magnanimi, iuro, nunquam Lauinia regna
Linquam, nec lingui patiar, dum vita manebit.

Et Briseis in epist. apud Ouidium,

Pérque tuum nostrúmque caput quod iunximus vnà, &c.

Per arma quondam Franci sicut & Scythæ per enses. Apud Martialem lib. 8. Gellia per vniones.

Per vniones iurat Gellia.

Non per mystica sacra Dindymenes,
Nec per Niliaca bouem iuuence,
Nullos denique per deos deásque
Iurat Gellia: sed per vniones.

Hos amplectitur: hos deosculatur:
Hos fratres vocat, & vocat sorores;
Hos natis amat acrius duobus:
His si quo careat misella casu,
Victuram negat esse se nec horam.

Ex quibus patet, vt arbitror, Ethnicos, tametsi superstitione cæcos, & cùm iurarent plerumque numinis immemores, non tamen vniones suæ fidei testes aut vindices esse voluisse: sed earum rerum periculo, quibus, si fidem fallerent, malè precarentur, fidem facere voluisse. Per quaternarium numerum iurarunt Pythagorici, cuius iuramenti hæc erat formula:

Iuro ego per sanctum pura tibi mente quaternum;
Æternæ fontem naturæ, animique parentem.

Pythagorici per Quaternarium.

An fortè rerum aliam originem non agnoscebant præter elementa, quæ pari numero censentur? Nobis si Pythagoricis esse licuisset, facilè eum numerum in naturæ prima scaturigine obseruaremus. Nam diuina substantia cum sit vna, personas tamen tres sortita est. Nonnulli eò spectasse volunt, quod apud omnes ferè gentes Dei nomen sit tetragrammaton. quod non pauci diligenter inuestigauere. Stygis aquæ Vergilius meminit, quam manare apud Inferos poëtæ fingunt.

Stygiámque paludem,
Di cuius iurare timent, & fallere numen.

Sed quid de Socratis iuramento dicemus, qui canem, anserem, & platanum deierare solebat, cùm in illius nomen, vt docet Apuleius lib. 10. Met. egregij quondam philosophi summo beatitudinis studio iurarent? Fatuum senem vocat Thespesion Gymnosophistarum Princeps apud Philostratum, qui canem, anserem, platanum deos putans, per eos iuraret. Ast illum ibidem defendit Apollonius. Οὐχ ἀνόητος, inquit, ἀλλὰ θεῖος, καὶ ἀτεχνῶς σοφὸς· ὤμνυ γὰρ ταῦτα, οὐχ ὡς θεούς, ἀλλ' ἵνα μὴ θεοὺς ὄμνυ. id est, Minimè verò fatuus, sed diuinus quidam vir, & verè sapiens: iurabat autem per ea, non tanquam deos, sed ne per deos iuraret.] Sed hæc purgatio non satisfacit: nam longè secus Tertullianus interpretatur Apologet. 14. cap. Socrates, inquit, in contumeliam deorum quercum, & hircum, & canem deierabat. Nec immeritò Tertullianus: nam deierare Deum cùm ratio postulat, religio est, & professio quædam diuinæ prouidentiæ: at canem deierasse ad numinis contemptum & contumeliam pertinet. Optima itaque iurandi ratio cùm per Deum iuratur. Vt ita faceret Abimelech Genes. 21. versus 23. Abraham obtestatus est: *Iura per Deum, ne noceas mihi, & posteris meis, stirpique meæ. Et dixit Abraham: Ego iurabo.* Et infrà capite trigesimo seruus Ægyptius Dauidem compellat his verbis: *Iura mihi per Deum quod non occidas me.* Hoc loco, *Iura mihi in Domino.* Franci olim, per amorem Dei; vt refertur in visione Flotildis.

Per quæ Socrates.

Philostrat. vitæ Apollon. lib. 6. cap. 9.

Tertullian.

Per Deum optima ratio iurandi.

Solebat præterea iusiurandi religio nonnullis ceremonijs celebrari. Sed aliæ quidem ad sancienda fœdera solenni ritu pertinebant, aliæ erant extemporales, & quas vbique passim nullo apparatu obseruare licuit. Legendi

Iuramentorum extemporales ceremoniæ.

ET IVRAVIT DAVID SAVLI.

Petrus Gregor. Syntag. lib. 50. cap. 8. & Lud. Aurelius in lib. 1. Annal. Taciti. Apparet autem hoc loco Dauidem posterioris generis ceremonijs vsum. Romanos pectori manum admouisse docere videtur Ouidius 3. Amor.

Supposuisse manus ad pectora lubricus amnis
Dicitur, & socij iura dedisse thori.

Bulgari manu spathæ imposita; vt legitur in responsis Nicolai 1. ad Consulta Bulgarorum. Iuraturi præterea apud Romanos Deum Fidium in compluuium prodibant, vt esset cælum iurisiurādi quasi testis. Varro de liber. educat. Meminit & S. Clemens Rom. Const. Apostol. lib. 2. cap. 52. iudices olim manibus sublatis Solem testari solitos priusquam de capite suffragium ferrent. Aristoteles lib. 3. Politic. cap. 10. iudices cùm iurarent sceptrum eleuasse scribit. Alium morem Romanorum tradit Plautus in Aulularia: B

Si te ego sciens fallam, ita me eyciat Diespiter
Bonis, salua vrbe & arce, vt ego hunc lapidem.

Quippe iurantes lapidem manu tenebant. quadi Germanorum populus, iurabant eductis mucronibus, quos pro numinibus habebant. Autor Rhenanus lib. 1. Rer. German. Abraham Genes. 24. & Iacob. 47. iuraturos iubent suo femori manum supponere. Deuteronom. cap. 32. ver. 40. *Leuabo*, inquit Dominus, *ad cælum manum meam, & dicam: Viuo ego in æternum.* Hic quoque habitus iurantis fuisse videtur: quem arbitror præ cæteris hoc loco Dauidem vsurpasse.

Solennia verba. Concepta porrò verba non alia fuisse arbitror, quàm quæ Saul ipse præisset. Quamobrem non quid iurarit Scriptura refert, sed absolutè quod Saul flagitasset, illud esse pollicitum indicat. Nam qui iuramenti conceptionem ab alio propositam verbis immutat, captare videtur opportunitatem fallendi, & in alium sensum promissa detorquere velle. Obseruat hoc Tacitus in Annalib. cuius hæc verba sunt apud Petrum Gregorium lib. 50. Syntag. cap. 8. Senatus inchoantibus primoribus iuramentum concepit, quo certatim omnes Magistratus cæteri, vt sententiam rogabantur, Deum aduocabant, nihil ope sua factum, quo cuiusquam salus læderetur: neque se præmium, aut honorem ex calamitate ciuium cœpisse: trepidis, & verba iusiurandi mutantibus, quibus flagitij conscientia inerat, id est, qui delationum conscientia vrgebantur, conceptionem, id est, formulam iurisiurandi mutantibus, vt solent, qui fallaciter iurant. Hæc Tacitus. — Tacitus. C

Iurisiurandi porrò quanta religio esse, & quantum momenti habere debeat ad deuinciendam fidem, cùm alij plures, tum Cicero disertissimè Officiorum lib. 3. disseruerit. Nullum, inquit, vinculum ad obstringendam vitam, iureiurando maiores arctius esse voluerunt. Id indicant leges in duodecim tabulis, indicant sacra, indicant fœdera, quibus etiam cum hoste deuincitur fides, indicant notationes, animaduersionésque sacrorum, quæ nulla de re diligentius, quàm de re iureiurando iudicabant. Et iterum ibidem, Quod affirmatè quasi Deo teste promiseris, id tenendum — Tullius. Iuramenti præcipua religio esse debet.

A est: hoc ad iustitiam & fidem pertinet, &c. Philo autem Iudæus in lib. de iureiurando, iuramentum in re ambigua Dei testis esse dicit citationem, quæ nisi fiat in veritatis fauorem, mendacij testem Deum citare, magnum scelus esse. Sed quia verisimile est hoc genus vinculi nouis emergentibus causis non perinde semper valere, quinetiam contrarios nonnunquam actus his quæ promissa sint obtinere, si absque cuiusquam iniuria solui non possint: & superioris quoque voluntate rescindi posse, cuius autoritas ad firmandam fidem necessaria videatur: quæri merito poterit. — ET IVRAVIT DAVID SAVLI. Philo.

An quisquam circumuentus insidijs, & periculi metu perterritus, cùm iurarit, Sacramenti religione obstrictus teneatur?

QVÆSTIO LXIX.

Iuramenti, inquit Sanctus Thomas, duplex obligatio est. Astringitur enim non solum fides homini, sed etiam Deo. Cæterùm qua parte deuincitur homini, si ab eodem vis allata sit, eiusdem scelere soluitur. Negligi tamen Numinis reuerentia non potest, quo teste promissio firmata est: sed certius est accipere damnum, quàm vt religionis obliuio nos cepisse videatur. Repetendarum autem actio læso competit, etiamsi hoc quoque coactus iurarit, captam pecuniam non repetiturum. Quippe hoc genus iuramenti cum publica iustitia pugnat, ad quam sibi aditum præcludere non potuit, vt aleret publicam perniciem, & prædones foueret reipubl. graues. Romani verò Pontifices cùm talibus laqueis irretitos absoluunt, non decernunt iuramenta ligare non potuisse, sed nexis obligationis laxamentum indulgent iusta de causa. Hæc ferè S. Thomas. Quæ quo facilius intelligi possint, ibidem — S. Thomas 2.2. quæst. 89. art. 7. ad 3. Iuramenti duplex vinculum.

Caietanus admonet, iuramenta quæ vis aut metus extorserit, ex triplici capite considerari posse. Nam aut iurantem spectamus, aut eum qui coëgerit, aut denique materiam ipsam. Quod si deierantis ratio habeatur, is haud dubiè vinculo astringitur. Tametsi enim ægrè hoc faciat, & damnum animo auersetur instar eius, qui merces in mare proijcit naufragij vitandi gratia, attamen hoc sibi faciendum statuit potius quàm vt de vita periclitetur: quod satis est, vt docet Aristotel. Ethic. 3. vt sponte fecisse videatur. At si cogendum spectemus, scelere & violentia aliena sibi vendicare non potuit. Reliqua est vna materia, quam expendamus. Nam si vsus quidam virtutis sit, & actio laude digna, iurantem ligat: sin secus, vinculi nulla obligatio est. Nam Deo autore præterquam ad id quod honestum est, & cum virtute coniunctum, nulla vnquam obligatio orietur. Incurris igitur in latrones: ab his vitam constituta mercede pacisceris: elapsus quæris, an conuenta præstare debeas? Vtique: — Caietanus. D Iuramenta, quæ vis aut metus causa facta sunt, trifariam spectari possunt.

ETIVRAVIT DAVID SAVL

que: neque enim quicquam ab officio alienum spopondisse te video. Seu propriam seu alienam vitam prætio redimas, facis quod te decet: & prius quidem manat à charitate, qua seipsum quisque complecti debet: posterius ad misericordiam pertinet, qua nulla gratior & acceptior virtus esse potest. Tametsi igitur seu fœnus, seu λύτρον, suo periculo prædo, aut qui vsuras exercet, accipiat, nec illa sibi iure vsurpet: tu tamen, si pollicitus eris, & Deum testem adhibueris, cùm fidem liberare studeas, eadem illis repræsentes necesse est. Repetendi tamen idcirco potestas penes te manebit, quod eo iuramento pactam quidem pecuniam exhibiturũ te promiseris, sed non est ea abalienatio, aut traditio alteri nexu, aut in iure cessio, donatióve, vt alieni iuris deinceps facta videri possit.

Caietanus in eand. quæst. art. 7. ad 4.

Quid si quispiam iuret, quod præstare nolit?

Quid si quisquam non ex animi sententia iuret, nec in animum inducat, quæ verbis promiserit, reipsa præstare? Respondet idem Caietanus, in sponsionibus iureiurando firmatis, tria quædam intus in animo, tria quoque foris in externa actione obseruanda esse. Mentem enim iurantis primùm spectari oportere, deinde spondendi propositũ, postremò etiam, num statuat promissa complere. Foris verba sonant, quæ iurisiurandi religionem, & promissi fidem præ se ferunt: vtriusque verò constantia rebus præstandis deinceps comprobatur. His rite patratis munus promissi omne conficitur. Sed accidere nonnunquam potest, vt qui deieret, & spondeat, à soluendo abhorreat. Nam sunt nonnulli qui non alia mente solenne votum in quibusdam Monasterijs nuncupant, quàm vt copiosis eorum opibus ad suam libidinem abutantur. Accidere etiam potest vt qui solennem iurisiurandi formulam recitat, verbis tantùm spei nostræ illudat, cùm nulla iurandi spondendique prorsus voluntas adsit, sine qua promissi fides rata esse non potest. Quod si itaque cuiquam seruandi duntaxat quæ verè & ex animo iurasset, voluntas defuerit, promissi reus manebit: quoniam etsi, quæ certa esse debuit, executionis vacillet intentio; postquam tamen iurare placuit in religionem conscientiam astringitur, nec eius vinculum propositi circa munerum præstationem à recta ratione defectio dissoluit. Sin verò cùm ad iurandum, tum etiam ad promittendum animus defuerit, nulla quidem iuramenti sponsionisue religione tenebitur: seruabit tamen quod ore protulerit, ne animorum offensionem conciter: aut alius quispiam cuius intersit, ex eius simulatione detrimentum accipiat. Ingenij porrò sui leuitatem accuset, qui se temerè in laqueos induerit.

Quid si quispiam cui vis afferatur, compositis ad decipiendum verbis simulatè & non ex animo iuret, num qui eiusmodi est, letali scelere se obstringit? Respondet Caietanus primùm verborum, deinde etiam rei subiectæ delectum habendum esse. Nam nocere cuiquam nefas est, & emptorem venditorémue dolo circumuenire. Quod si absque cuiusquam noxa iusiurandum simulare liceat,

A illud primùm sedulo animaduertendum est, ne mendacio quolibet oratio deprauetur: nam vt Caietani deinceps verbis vtar, in quacunque materia sit, si verba sunt falsa, tale iuramentum est peccatum mortale. Et ratio est, inquit, quia ibi est mendacium iuramento firmatum: quia ibi est falsæ vocis significatio, cùm intentione fallendi iurameno firmata. Vnde 24. *quæstion. secund. capit. in dolo.* dicit Augustinus, In dolo iurat, qui aliter facturus est quàm promittit. Nec excusatur propter implicitam subauditionem in mente retentam: quoniam huiusmodi subauditio non excusat, quin sit falsæ vocis significatio, cum intentione fallendi illum, vt intelligat sibi promitti, quod [illegible] non promittere intendit. Et breuiter habeatur pro vniuersali regula, quod

ETIVRAVIT DAVID SAVL

Caietanus. Quodcunque iuramentum mendacio fidem faciens, letale peccatum est.

S. Augustin.

B mendacio interueniente, semper iuramentum est mortale. Et quia vbicunque deficit animus promittendi, aut obseruandi in iuramento promissorio, interuenit mendaciũ, ideo semper est mortale. Vbi autem deficit etiam animus iurandi, & solùm exterioris iuramenti apparentia interuenit, mortale quoque peccatum est. Et ratio est, quia exterius iuramentum applicatur mendacio, quod est materia omnino contraria iuramenro, tam interiori, quàm exteriori. Sicut si quis non animo colendi, sed solo actu exteriori, coleret idola, vt de Marcellino dicitur: peccaret mortaliter: quia actum exterioris cultus applicaret, cui non debet: Ita in proposito actum exterioris iuramenti, qui est actus latriæ, applicaret materiæ contrariæ, se men-

C dacio, dum diceret: Deus est mihi testis, quod sic faciam, & non intendit facere. Est enim hoc exhibere Deo irreuerentiam coram hominibus, quibus mendacium manifestum fieri debet in non obseruando. Et scriptum est: *Quicunque me erubuerit coram hominibus, hunc & filius hominis erubescet coram Angelis Dei.* Hact. Caiet.

Qui de iuramentis sponsionem firmantibus accipiendus est; alioquin enim iurisiurando quod tantùm asserit, mixta propositio non ineptè quadrat. Ea est quæ responsionis partem verbis aperit, partem silentio tegit: qualis est illa Christi, cùm se negaret discipulis iudicij diem compertum habere, nimirùm vt eundem cuiquam proderet. Neque ea doctrina, quod nonnulli falsò calumniantur, autoritate

Mixta propositio, quæ, & quo fundamento nitatur.

D Scripturę, rationibus, exemplisque destituitur: sed quia alterius loci ea disputatio est, & nos alio properamus, quo maximè fundamento nitatur paucis indicabo. Si quæ sunt quæ patefacta me in periculum vocent, ea sponte reuelaturus non sum, cùm meipsum prodere nulla lex iubeat: sed vt ea cogar fateri, autoritate opus est, quæ hanc mihi necessitatem imponat, quam renereri, cui refragari religiosum ducam. Autoritatem porrò quæ tantam vim habeat, vt meo me testimonio iuguler, verisimile est suis finibus à Deo circumscriptam esse, intra quos seipsam exerat, & extra quos bruto fulmine nequicquam perterreat. Citatus ergo cùm interrogor si forte à præscriptis terminis quæsitor aberret, hominis quidem insolentiam

Et iuravit David Saul.

ſuſque dêq; fero: at illud ſtudioſè attendo, vt quomodo interrogare debuit, ita reſpondeam: & quia hinc mihi perniciem, creari poſſe video, communem iuris clauſulam, quæ iudicem quæſtionis latere non poteſt, ſubticeo, quam ſi vt decet cum reliqua mea oratione coniungat, me verum dixiſſe comperiet. Iubes me de adulterio teſtimonium dicere. Nego me noſſe: non quia planè non nouerim, ſed quia non aliunde nouerim quàm ex Sacramento Confeſſionis. Mendacij reum me inſimulas perperam. neque enim aliter de te ſentire debui, quàm ea te ex me quærere, quæ me proferre liceat. Quod ſi verum eſt, mentitus videri non potero, negans me noſſe quicquam, ſiquidem noui nihil, quod fas ſit, aut teneat in lucem producere. At verò iuratæ ſponſionis non eadem ratio eſt. Quæ enim par iuris clauſula intelligi poſſit? An fortè hæc, ita iuro & ſpondeo ſi debeam, aut ſi commodum erit? quinimò pleræq; ſponſiones gratis fiunt, nec raro donationes cum eorum incommodo iunctę ſunt, à quibus promittuntur: neque hactenus quiſquam ſponſiones ea lege fieri intellexit, ſi commodę eſſent, aut deberentur, vt tacitæ, non neglectæ conditiones, cùm iuramus & pollicemur, videri poſſint. Sola eſt rei promiſſæ iniquitas, quæ iuramenti vinculum diſſoluat. Neque enim Deo teſte firmari potuit, quod eodem autore nefas eſt præſtari. Quod ſi rem quæ promiſſa eſt, nulla lex prohibet, autoritate cuiuſquam tacitæ conditionis iuriſiurandi religio eludi non poterit: ſed tum vincet & obtinebit Caietani ſententia.

Num verò prædones ludere liceat ſermonis amphibologia?

Quid ſi prædonis vim & hiantem auaritiam orationis amphibologia eludas? vt ſi quis vulpi gallum pollicitus, Gallum hominem exhibeat? Nam qui eidem æris plurimum promittere cogitur, ſi fortè habeat illius rationem meritorũ, ærea vincula intelligere poterit, quibus idem vinciatur. qui eidem ſe fundum prætio mercaturum, non prædium, ſed dolij fundũ ſe dicere intelliget. qui ſe fidem præſtaturum, non promiſſi conſtantiam, aut etiam fidem quæ lyram diſtendit, animo deſignabit, ſed illud tormenti genus quo facinoroſi homines torqueri ſolent. Quid ſi populum ab eo auerſurum ſe recipiat, nec plebis multitudinem, ſed exciſam vicinam populum ab eo amoliatur? quid ſi reditum pactus, cum armata manu redeat, quæ latronem comprehendat? Accuſari mendacij nõ poterit, cùm & verum dixerit, ſi vocum etymologiam ſpectes: nam etſi aliàs aliud quidpiã ſignificent, & in alium ſenſum graſſator illuſus detorſerit, attamen ex vi nominũ ſic quoque ſponſi exponenda venit: nec iniuſtè doloue malo prædonẽ circumueniſſe videri poterit, cùm eidem nullo nexu aut iure antea obligatus fuerit. Ex quo ſequitur, vt hoc pacto iuriſiurandi religionẽ iuſtitia & veritas neceſſariç comites cõmendent. Deerit tamen, inquit Caietanus, diſcretio: quoniam non debet diuinum teſtimonium his immiſceri quaſi duplicitatibus. Ego tamen non video, quamobrem poſtquam aliquis in tãtum diſcrimen venerit, ſi quod ſpondetur alicuius momenti ſit, tametſi aliud ab eo quod petitur, iureiurando firmari nõ poſſit. Debet enim eſſe

A voluntaria promiſſio, & ſufficit, & à numinis contumelia abſtineas, ſi par ſponſio aliàs religioſa affirmatione deuinciatur. Duo ſunt, in quibus æquiuocationis beneficio vti nefas appareat. Si res vilis ſit, & contemptu digna, ne haud minus Deus ipſe quàm latro ludibrio eſſe videatur. Si homini exitium pares. alienum eſt enim à ratione promiſſionis, cuius tu Deum teſtem futurum laudas.

Et David, et viri eius, &c.

Quid ſi poſtremò ea arte quiſpiam prędonem captet, vt quanquã oratio vera ſit, & ſermonis ambiguitate careat, ex eius tamẽ tanquã meandris & flexionibus ſeipſum explicare non poſſit: ſed deceptus ſecus quàm intelligas, non tamen ſecus quàm ab eo intelligi velis, accipiat, & alienam rem à ſuo propoſito paciſcatur? Reſpondeo breuiter pactis conuentis ſtari poſ- B ſe, cùm ipſe quidem qui rebus alienis inſidiatur, ſi arte prohibeatur, nullam accipiat iniuriam, ipſa autem iuſiurandi religio veritate, iuſtitia, atque iudicio legitimis conditionibus ornetur.

His ita explicatis, facilè colliges, Dauidem, cùm nihil iuraret ab officio boni viri alienum, neque vocum amphibologia abuſus eſſet ad decipiendum Regem, vt loco filiorum ſemen in horreis conditum intelligeret, & paternis ædibus nomẽ inſcriptum, neq; verborum ambagibus iuſiurandi formulam in diuerſam ſententiam detorſiſſet, ſed in Regis verba bona fide iuraſſet, iurata ſponſione deuinctum fuiſſe. quamobrem etiã quoad eius fieri potuit, quod ſe facturum receperat, ſine fraude perfecit, & C Saulis poſteros incolumes ſeruauit. Sed ſalua ſemper & integra ſua Numini poteſtas manet: cui poſtquam contraria pactis ſeueritas placuit, ſic ille morem geſſit, vt non pacta reſcindere, aut violare fidem, ſed fidem ſeruare Deo, & iuſſis eius obtemperare videretur.

Dauidis hoc iuramento verè deuincta fides.

Dauid, & viri eius aſcenderunt ad tutiora loca.] Noluit cum Saule Regiam domum repetere. Scilicet, quòd ſciret, non magnam habendam eſſe fidem amicis reconciliatis. Id enim antea ſatis expertus fuerat. Et Ioannes de Chriſto, *Illi*, inquit, *credebant in eum: at is non credebat ſe illis*. Videbat enim quid eſſet in homine. *Omnis autem homo mendax*. Deo quidem in vniuerſum omnia credenda ſunt, non item hominibus. Vita eſt donum Dei: itaque ea non temerè prodenda eſt: ſed omnibus iuſtis rationibus D defendenda. Videant ergo illi, quos Deus liberauit à cruentis manibus hæreticorum, ne illis ſe temerè denuò committant. At Dauidem ſecurum præſtabat magnitudo beneficiorum. quis enim illi, cui ſe vitam debere intelligeret, vitam eriperet? Reſpondet apud Curtium lib. 6. Craterus poſtquam Alexander delicti veniã Philotæ feciſſet, & ſuppliciũ ſuum atque animaduerſionem quo in eum ob ſuppreſſum inſidiarum indicium vti debuerat, remiſiſſet, Vtinam in principio quoque huius rei nobiſcum deliberaſſes: ſuaſiſſemus ſi Philotæ velles ignoſcere, paterere potius ignorare eum quantum deberet tibi, quàm vſque ad mortis metum adductum cogeres potius de periculo ſuo, quàm de tuo cogitare beneficio. Ille enim ſemper inſidiari

Curtius.

Quædam beneficia nos accepiſſe pudet, & eorundem autores.

ET IVRAVIT DAVID SAVLI.

sidiari tibi poterit; tu non semper Philotæ poteris ignoscere. Nec est quod existimes, eum qui tantum facinus ausus est, venia posse mutari. Scit, eos qui misericordiam consumpserunt, amplius sperare non posse. At ergo etiamsi ipse vel pœnitentia vel beneficio tuo victus quiescere volet, patrem eius Parmenionem tanti ducem exercitus, & inueterata apud milites tuos autoritate, haud multum infra magnitudinis tuæ fastigium positum, scio non æquo animo salutem filij sui debiturum tibi. Quædam beneficia oneri sunt. Meruisse mortem, confiteri pudet.

Superest, vt malis videri iniuriam accepisse, quàm vitam. Proinde scio tibi cum illis de sa-

A lute esse pugnandum. Hæc Craterus Philotæ clanculùm infensus ob dignitatis æmulationem, quæ cum vera esse Alexander in animum induxisset, Philotam quæstione atrocissimè habitâ crudelissimè necat. Quæ tametsi in plerisque fallunt, Dauid tamen vereri debuit, ne Saul periculi magis quàm beneficij memor, quoties præcisam chlamydem recordaretur, vsqueadeo propinquam corpori ferrum horrens eundem perditum vellet. Accedebat quod non tam iudicio hactenus quàm morbo animi eundem opprimere studuerat. Quæ pestis cùm in dies ætatis vitio cresceret, non sine causa formidabat, ne denuò correptus insania incautum interimeret.

CAPVT VIGESIMVM-QVINTVM.

MORTVVS est autem Samuel,& congregatus est vniuersus Israël,
& planxerunt eum, & sepelierunt eum in domo sua in Ramatha.
Consurgénsque Dauid descendit in desertum Pharan. 2. Erat
autem vir quispiam in solitudine Maon, & possessio eius in Carmelo,& homo ille magnus nimis: erántque ei oues tria millia, &
mille capræ:& accidit vt tonderetur grex eius in Carmelo. 3. Nomen autem viri illius erat Nabal : & nomen vxoris eius Abigail.
erátque mulier illa prudentissima & speciosa: porrò vir eius durus, & pessimus, &
malitiosus: erat autem de genere Caleb. 4. Cùm ergo audisset Dauid in deserto
quòd tonderet Nabal gregem suum, 5. misit decem iuuenes, & dixit eis: Ascendite in Carmelum, & venietis ad Nabal, & salutabitis eum ex nomine meo pacificè.
6. Et dicetis: Sit fratribus meis, & tibi pax,& domui tuæ pax,& omnibus,quæcumque habes, sit pax. 7. Audiui quòd tonderent pastores tui, qui erant nobiscum in
deserto: numquam eis molesti fuimus, nec aliquando defuit quidquam eis de grege,
omni tempore quo fuerunt nobiscum in Carmelo. 8. Interroga pueros tuos, & indicabunt tibi. Nunc ergo inueniant pueri tui gratiam in oculis tuis: in die enim
bona venimus. quodcumque inuenerit manus tua, da seruis tuis, & filio tuo Dauid.
9. Cúmque venissent pueri Dauid ,locuti ad Nabal omnia verba hæc ex nomine
Dauid: & siluerunt. 10. Respondens autem Nabal pueris Dauid, ait: Quis est Dauid? & quis est filius Isai? hodie increuerunt serui qui fugiunt dominos suos. 11. Tollam ergo panes meos, & aquas meas, & carnes pecorum, quæ occidi tonsoribus
meis, & dabo viris quos nescio vnde sint? 12. Regressi sunt itaque pueri Dauid per
viam suam, & reuersi venerunt, & nunciauerunt ei omnia verba quæ dixerat
13. Tunc ait Dauid pueris suis: Accingatur vnusquisque gladio suo. Et accincti sunt
singuli gladijs suis, accinctúsque est & Dauid ense suo: & secuti sunt Dauid quasi
quadringenti viri: porrò ducenti remanserunt ad sarcinas. 14. Abigail autem vxori Nabal nunciauit vnus de pueris suis, dicens: Ecce Dauid misit nuncios de deserto,
vt benedicerent domino nostro: & auersatus est eos. 15. Homines isti, boni satis
fuerunt nobis, & non molesti: nec quidquam aliquando perijt omni tempore, quo
fuimus conuersati cum eis in deserto. 16. Pro muro erant nobis tam in nocte quàm
in die, omnibus diebus quibus pauimus apud eos greges. 17. Quam ob rem considera,& recogita quid facias: quoniam completa est malitia aduersum virum tuum,
& aduersum domum tuam, & ipse est filius Belial, ita vt nemo possit ei loqui. 18. Festinauit igitur Abigail, & tulit ducentos panes,& duos vtres vini, & quinque arietes
coctos, & quinque sata polentæ, & centum ligaturas vuæ passæ, & ducentas massas
caricarum, & posuit super asinos: 19. dixítque pueris suis: Præcedite me: ecce, ego
post tergum sequar vos: viro autem suo Nabal non indicauit. 20. Cùm ergo ascendisset asinum, & descenderet ad radices montis, Dauid & viri eius descendebant in

occursum eius: quibus & illa occurrit. 21. Et ait Dauid: Verè frustra seruaui omnia quæ huius erant in deserto, & non periit quidquam de cunctis quæ ad eum pertinebant: & reddidit mihi malum pro bono. 22. Hæc faciat Deus inimicis Dauid, & hæc addat, si reliquero de omnibus quæ ad ipsum pertinent vsque manè, mingentem ad parietem. 23. Cùm autem vidisset Abigail Dauid, festinauit, & descendit de asino, & procidit coram Dauid super faciem suam, & adorauit super terram, 24. & cecidit ad pedes eius, & dixit: In me sit, domine mi, hæc iniquitas: loquatur, obsecro, ancilla tua in auribus tuis: & audi verba famulæ tuæ. 25. Ne ponat, oro, dominus meus rex cor suum super virum istum iniquum Nabal: quoniam secundùm nomen suum stultus est, & stultitia est cum eo: ego autem ancilla tua non vidi pueros tuos, domine mi, quos misisti. 26. Nunc ergo domine mi, viuit Dominus, & viuit anima tua, qui prohibuit te ne venires in sanguinem, & saluauit manum tuam tibi: & nunc fiant sicut Nabal inimici tui, & qui quærunt domino meo malum. 27. Quapropter suscipe benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua tibi domino meo: & da pueris qui sequuntur te dominum meum. 28. Aufer iniquitatem famulæ tuæ: faciens enim faciet Dominus tibi domino meo domum fidelem, quia prælia Domini, domine mi, tu prælaris: malitia ergo non inueniatur in te omnibus diebus vitæ tuæ. 29. Si enim surrexerit aliquando homo persequens te, & quærens animam tuam, erit anima domini mei custodita quasi in fasciculo viuentium, apud Dominum Deum tuum: porrò inimicorum tuorum anima rotabitur, quasi in impetu & circulo fundæ. 30. Cùm ergo fecerit Dominus tibi domino meo omnia quæ locutus est bona de te, & constituerit te ducem super Israël, 31. Non erit tibi hoc in singultum, & in scrupulum cordis domino meo, quòd effuderis sanguinem innoxium, aut ipse te vltus fueris: & cùm benefecerit Dominus domino meo, recordaberis ancillæ tuæ. 32. Et ait Dauid ad Abigail: Benedictus Dominus Deus Israël, qui misit hodie te in occursum meum, & benedictum eloquium tuum, 33. & benedicta tu, quæ prohibuisti me hodie ne irem ad sanguinem, & vlciscerer me manu mea. 34. Alioquin viuit Dominus Deus Israel, qui prohibuit me ne malum facerem tibi: nisi citò venisses in occursum mihi, non remansisset Nabal vsque ad lucem matutinam, mingens ad parietem. 35. Suscepit ergo Dauid de manu eius omnia quæ attulerat ei, dixitque ei: Vade pacificè in domum tuam, ecce audiui vocem tuam, & honoraui faciem tuam. 36. Venit autem Abigail ad Nabal: & ecce erat ei conuiuium in domo eius, quasi conuiuium regis, & cor Nabal iucundum: erat enim ebrius nimis: & non indicauit ei verbum pusillum aut grande vsque manè. 37. Diluculo autem cùm digessisset vinum Nabal, indicauit ei vxor sua verba hæc, & emortuum est cor eius intrinsecus, & factus est quasi lapis. 38. Cúmque permansissent decem dies, percussit Dominus Nabal, & mortuus est. 39. Quod cum audisset Dauid mortuum Nabal, ait: Benedictus Dominus, qui iudicauit causam opprobrij mei de manu Nabal, & seruum suum custodiuit à malo, & malitiam Nabal reddidit Dominus in caput eius: Misit ergo Dauid, & locutus est ad Abigail, vt sumeret eam sibi in vxorem. 40. Et venerunt pueri Dauid ad Abigail in Carmelum, & locuti sunt ad eam, dicentes: Dauid misit nos ad te, vt accipiat te sibi in vxorem. 41. Quæ consurgens adorauit prona in terram, & ait: Ecce famula tua sit in ancillam, vt lauet pedes seruorum domini mei. 42. Et festinauit, & surrexit Abigail, ascendit super asinum, & quinque puellæ ierunt cum ea, pedissequæ eius, & secuta est nuncios Dauid: & facta est illi vxor. 43. Sed & Achinoam accepit Dauid de Iezrael: & fuit vtraque vxor eius. 44. Saul autem dedit Michol filiam suam, vxorem Dauid, Phalti filio Lais, qui erat de Gallim.

ARGVMENTVM CAPITIS.

IN hoc capite primùm describitur mors, & sepultura Samuelis. Postea legatio Dauid ad Nabal, & repulsa. Tertio loco Dauidis ira præceps, & intempestiuus furor; eiúsque mox procellæ Abigaëlis arte atque industria sedatio. Quartò Nabal interitus, & Dauidis nuptiæ. Postremò etiam Saul Michol filiam suam Dauidis coniugem alteri nuptijs locat.

VERSVS

MORTVVS EST AVTEM SAMVEL.

VERSVS I.

Mortuus est autem Samuel, & congregatus est vniuersus Israël, & planxerunt eum, & sepelierunt eum in domo sua in Ramatha. Consurgénsque Dauid descendit in desertum Pharan.

Variæ trãslationes.

D*Escendit in desertum Pharan.*] Aldus, *Maan* Rom. editio *Maon.* Complutensis Pharan cum Vulgat. & Hebræo. Chaldæus, *Et stetit Dauid, & fugit sibi in desertum Pharan.* Quidam, *Tum mortuo Samuele*, cuius consilio subsidióque fretus Dauid commodius in regno versabatur, *quum se congregarent omnes Israelitæ*, quo tempore ad fines regni se recepit, & à Saulis persequutione aliquantisper respirauit, *vt plangerent eum, & sepelirent eum in domo eius Ramæ; surgens Dauid descendit versus desertum Paranis*; ad meridianos terminos regni & tribus Iehudæ.

Mortuus est autem Samuel.] Samuel diem suum obijt, non à Saule interfectus est. Neq; enim legitur, Saulem vllo tempore eidem vim attulisse: erat enim eius maxima autoritas apud populum: vel quòd propheta esset, vel quòd in magistratu iustè imperasset: nam bene administratæ Reipub. populus, cùm ipse magistratu abiret, ei testimonium dedit. Quinimo tum maior eius erat autoritas, quàm aut Abimelech Pontificis: aut Dauidis ab eo designati regis. Deinde postquam Imperio se abdicasset, egit tantùm priuatam vitam in Schola inter prophetas: & eam ob causam atque ingrauescens senium à Saule contemnebatur. Præcipua tamen ratio tuendæ salutis eius, diuinæ voluntatis semper præsidio nixa est. Quantus autem fuerit Samuel ex eo colligere potes, quòd prophetia simul & principatu floruit. Heli quidem ante eum pontificatu pariter & principatu potitus erat: & Ægyptij suum Mercurium iactãt, quem regem, vatem, & Sacerdotem, fuisse dictitant: sed is, cùm esset idolorum cultor, laude dignus haberi non potuit: at Ioannes Hyrcanus, Simonis filius, vt inquit Iosephus Antiquit. Iud. lib. 1. cap. 18. tribus maximis à Deo habitus est dignus honoribus, principatu gentis Iudæorum, pontificatu, & prophetia: nam is quoque arcanorum conscius diuinis colloquijs fruebatur. Veruntamen nemo illorum, quod fecit Samuel, aute supremum diem potestate se exuit, quo nomine reliquis omnibus superiorem semper existimaui. Mortuus est tamen, & senio confectum corpus macie extabuit. Suidas in voce λυκάβας, Annus est, inquit, quod celeriter, vel obscurè & tacitè eat. ὁ ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν λύκων, vel dictus per translationem à lupis, qui fluuios transeunt hyberno tempore, alij aliorum caudas tenentes. An quia potius lupi se mutuò vorare dicuntur? Anni profectò alter alterum conficit, & iugulat, quibus necessariò vita nostra absumitur.

Samuel longè omniũ præstantissimus.

Iosephus.

Annus. Suidas.

Mortuus est Samuel.] Non illum vitæ integritas, non innocentiæ candor, non beneficiorum magnitudo aut meritorum ingens copia, non denique impolluta donis dextra mortis faucibus eripuit. Longæuo licet, breuiore tamen quàm oportuit, si Reipub. pessum euntis necessitatem spectes, vitæ munere perfunctus, eandem cum morte commutauit. quod si mors capitale censetur supplicium, & quod pro grauissimis duntaxat flagitijs infligi soleat, quid peccauit iste, aut quid commeruit, quem populus editio publicè suffragio ab omni sceleris suspicione absoluit, vt pari cum scelestissimis animaduersione plecteretur? Quis non alienum à ratione iudicet, si cum nocente innocens simili pœna mulctetur? Nisi fortè hoc discriminis inter vtrumque statuendum est, quòd nocenti quidem mors pœna sit; iusto autem atque innocenti viro fruendæ mercedis exordium. Facinorosos quippe homines grauior post mortem manet interitus. Neq; enim funereus gurges vnà cum corpore animam pariter absorbet, sed illa, cùm sit mori nescia, rediuiuo semper vulnere torquetur, & rogo imposita inextinguibili æternùm ardet. Vnde illis mœsta sors leti iure pertimescenda est. At viris bonis, quibus illa ad capescendam felicitatem viam munit, & aditum parat, expetenda magis est quàm timenda. Illis namque malorum quidem postrema linea est, & præsentissimum aduersus tot clades & incommoda, quibus variè conflictantur, antidotum; pacis autem atque ocij portus tranquillissimus, æternæ vitæ ianua, paradisi vestibulum. Quanquam eo tempore diuturnior vita etiam sanctis Patribus in votis fuit. Necdum enim veteris culpæ obice remoto cœli regia patebat; necdum ad beatorum sedem ab hominibus adiri poterat. At simul ipsa culpa deleta est, quicquid accessum prohibere potuit, filij Dei morte prostratum est: En vt Apostolus citò *dissolui cupit, & cum Christo esse.* Secundum hunc autem quis non optet maturè mundo emori, nisi quem sceleris conscientia deterreat: siquidem mors laborum solutio sit, vitæ autem melioris initium, quam à carnis interitu necesse est auspicari?

Iustorum atq; impiorum moriẽdi diuersa ratio.

Et mortuus est Samuel.] Itaque falsò Samarites Menander Antiochiam profectus, cùm magicis artibus plures in fraudem induxisset, ijsdem persuasit, si qui ex animo doctrinam suam sectarentur, nunquam esse morituros; vt refert Iustinus Martyr in Apolog. ad Anton. Pium. Pythagorei verò Philosophi, cùm se fingerent deorum colloquio frui, & famam immortalitatis affectarent, ne mori crederentur hoc maximè studuerunt, vt clam hominibus excederent. Meminit Suidas Heraclidis ex Heraclea vrbe Pontica oriundi, qui cum Platone consueuit. Is draconem cicurem aluit, & cùm sanus aliquando decubuisset, vltrà non apparuit. Itaque nonnulli raptum ad superos, & immortalitate donatum crediderunt. Alij, vt talis haberetur ab hominibus, se in puteum dedisse præcipitem. Laërtius fraudem ex Demetrio Magnesio planius explicat, nutrisse eum à puero draconem, & cùm iam moriturus esset, iussisse cuidam ex necessarijs, vt eius corpus oc-

Iustinus Martyr.

Suidas in voce Ἡρακλείδης.

Stultitia quorũdam Philosophorũ immortalitatis opinionem affectantium.

Laërtius.

MORTVVS EST AVTEM SAMVEL.

culeret, draconémque supponeret lectulo, vt putaretur ad deos migrasse; factúmque esse, vt ille mandauerat. Interea cùm Heraclidem efferrent ciues, atque laudibus prosequerentur, audito clamore draco ex vestibus prodijt, perturbauítque plurimos. Tandem verò aperta sunt omnia, visúsque est Heraclides, non qualis putari voluit, sed qualis erat. Hæc Diogenes Laert. lib. 5. qui etiam epigrammatis meminit, quo negatur quidem draco fuisse Heraclides; sed asseritur Heraclides fuisse bestia. Empedoclis nota historia, siue ille Parmenidis, siue potius Telaugis Pythagoræ filij discipulus, haud dubiè Pythagoræ nugarum sectator, cùm hoc de seipso carmen cecinisset.

Χαίρετ᾽ ἐγὼ δ᾽ ὕμμιν θεὸς ἄμβροτος, οὐκέτι θνητός.
Saluete, siue *valete. Ego enim sum vobis Deus immortalis, non amplius mortalis homo.*

B

Noctu senex se in Æthnæi montis igneum craterem coniecit, vt corpore subducto dictis fidem faceret: sed cùm ærea sandalia, quibus vti solebat, flammæ vis expuisset, iactantia hominis ludibrio est habita. Hanc eandem sectam cùm miro studio Apollonius Tyanæus complexus esset, hoc quoque præ se tulit, Apollinis, Mineruæ, atque Musarum familiari consuetudine vti. Consueuerat autem, inquit Philostratus, in omni vita Apollonius frequenter hanc sententiam proferre, *λάθε βιώσας. εἰ δὲ μὴ δύναιο, λάθε ἀποβιώσας.* Hoc est, Ignoreris vixisse: at si id non queas, nesciaris interijsse. Vt igitur à se Dauidem amoueret hactenus indiuiduum comitem, & ne coram testibus moreretur, cùm instare supremam horam præsentiret, occasionem epistolæ meditatus est, qua illum Romam mitteret. Idem autem quamuis optimè sciret, quid euenturum esset, nihil tamen abeunti dixit, quale dicere solent, qui se nunquam amplius mutuò sint visuri, adeò persuadendi cupidus erat se semper esse victurum. Ad hunc modum Philostratus Apollonij vitæ lib. 8. cap. 11. Itaque, quanquam alij eundem Ephesi diem suum obijsse ferant, nonnulli in Lindo, plures etiam Cretæ, nusquam tamen vllum eius extare sepulchrum affirmat. Pythagoræ, vt falleret & moriens, non perinde contigit. Crotone ferunt, postquam in suspicionem venisset affectatę tyrannidis, à ciuibus in domo Milonis igne consumptum. Sunt qui dicant à Syracusanis cæsum, dum fugit ex acie, & fabas violare timet; aut sanè Metaponti, quò aliunde confugerat, in delubro Musarum inedia perijsse. At viuens hoc tentauerat, vt diuinorum mysteriorum conscius, & immortalis haberetur. Pythagoras, inquit Suidas, cùm in subterraneo antro se conclusisset, iussit matrem rumorem spargere se mortuum esse. Postea verò, cùm ex improuiso mortalibus apparuisset, quæ vellet portenta facilè persuasit, & supra hominem esse aliquid visus est. Magistrum æmulatus Zalmoxis, nam illum Pythagoræ seruum fuisse scribit Herodotus: apud Getos numinis cultum & opinionem adeptus est. Docuit autem illos, vt refert Suidas, neque se moriturum, neque sectatores suos, sed beatos fore, & omnia bona habituros. Cùm autem

Philostrat.

Diogen. Laert li. 8. in Pythag

Suidas in ἴδη.

Suidas in verbo Ζάμολξις.

A

hæc diceret, inquit, domicilium subterraneum exstruxit. Deinde ex Thracum oculis & conspectu se repentè proripiens, in hoc degebat. Ipsum verò Getæ desiderabant. Quarto autem anno post, rursus apparuit, & Thraces ei omnia crediderunt. Quamobrem dixisse videtur Sophocles in Electra:

Iam enim vidi sæpe etiam sapientes,
Verbis falsò mortuos, deinde quum domum
Venerunt iterum, honorati sunt magis.

Hoc sibi vult, Nonnullos quondam Philosophos, dum captant hominum voluntates, & student immortales videri, falso rumore de se vulgato mortem simulasse; vt cùm subinde reduces apparerent, dijs similes haberentur. Quam aliena hæc ostentatio à Sanctorum moribus, & Scripturæ consuetudine, quæ illustrissimorum patriarcharum prophetarúmque obitus, luctum, funus, & sepulcra accuratè describit, vt per eos supremæ necessitatis admoneamur, & à scelere & nequitia ad pietatis studium traducamur.

Mortuus est autem Samuel.] quo tandem tempore? Salianus ad annum mundi 2977. Annal. tomo tertio. Contigit, ait, hæc mors iuxta chronologiam, quam initio magistratus Heli constabiliuimus, anno ætatis 77. initi magistratus 38. quem inijt annos natus 39. hæc numero 3. Præcedenti verò docet eum annum fuisse decimum & octauum regni Saulis, & biennio solùm ante Saulis mortem Samuelem obijsse. Et numero 4. Apparet, inquit, mortuum sanctissimum senem, mœrore magis animi, quàm annorum pondere degrauatum: & pertæsum pręsentis rerum status, nec parum perturbatæ Reipub. in eius capite vehementer ægrotante, à Deo petijsse vt auferret animam. Duo illi doloris summa capita Saul & Dauid, &c. Hæc Salianus. quæ idcirco referre volui, quod vir religiosus, & de historia Ecclesiastica benemeritus, cùm reliquorum opiniones accuratè inter se contulisset, ita demum censuerit. Tametsi ego, qui chronologiæ hactenus multis in partibus fidem non habeo, quòd hærere illam plerisque locis, nec satis commodè explicare sese è scopulis appareat, diuersam ab eo sententiam sequar. Sed non vsqueadeo mei oblitus sum, vt præstantes doctrina viros, quorum me in numerum referri haud patior: præ me contemnendos putem. Itaque temporum rationem à Saliano lector accipiat per me licet.

C

D

Cæterùm Samuelem annis viginti maiorem dudum existimaui, quum interregnum cap. 7. admitterem: quo tempore prophetam egisse non dubitabam, eodem autore cap. 3. sed ad Reipubl. clauum non antè accessisse credebam, quàm, post annos viginti ab ea clade quæ Heli filiósque eius obruit, interpolato fœdere populum cum Deo reconciliauit: & parta insigni victoria, publico omnium consensu, Israëlem in Bethel, Masphat, & Galgalis iudicare cœpit, sicut eodem cap. primùm narratur vers. 15. quo pacto Samuelem prope centenarium occidisse necesse est. Siquidem sexagenarius magistratum inijt. Octogenarius & iam propè senio confectus, nec par rebus gerédis vltrà habitus, rogatu

MORTVVS EST AVTEM SAMVEL.

Sophocles.

Salianus.

Samuelis ætas & obitus.

De Samuelis ætate nostra sententia.

MORTVVS EST AVTEM SAMVEL.

rogatu populi seniorum abdicauit, regémque instituit. Quod cùm proximè ad veritatem accedere iudico, tum non mediocriter miror, quamobrem ad conficiendum senem ægritudo animi necessaria visa sit, qui ante annos decem & octo senectutis vitio defectis viribus, haud aliter quàm in palæstra defatigati solent, candentes tædas alteri tradiderat. At meminerant, qui hoc asserunt, Samuelem, cùm è vita migraret, sua sententia annum agere septuagesimum septimum, qua ætate tum mors immatura videri poterat, si naturæ defectioni tribueretur. Hinc ergo vehementius miror, quî fieri potuerit, vt ante illum mœrorem & acerbum dolorem animi, quo oppressus creditur, vixdum sexagenario ingrauescens ætas obijceretur, & vacatio munerum non poscenti vltrò concederetur. Septuagenarios complures nouimus in consilium à regibus hactenus adhiberi, de quorum sententia pacis ac belli rationes administrentur: octogenarios etiam & eo maiores, cùm in Parlamentis, tum in Senatu Principis nonnullos ex nomine designare possumus. An igitur verisimile est, contrà quàm plerique omnes sentiunt, non in peius mundum ruere, sed sensim adolescere, & longæui temporis lapsu augeri viribus, & valetudinem crescere in dies? Non ita pridem, vt quidem ab eo accepi, qui testem laudaret classicum locupletem & assiduum, Proprætor Blesensis, quem nos Locum tenentem Generalem dicimus, cùm quæstioni præesset siue numariæ illi, siue de capite, senex testimonium dixit annum agens centesimum & decimum quintum: quem idcirco refellere ausus non est, quod valere iudicio ac memoria videretur. Tismus, quæ in testibus consideranda sint, hoc disticho complexus est:

Viuax senectus.

Conditio, fortuna, fides, discretio, sexus,
Fama, atásque bonis testibus esse volunt.

Aderant hæc omnia. Ætatem probabat nonagenarius eius filius, qui non ita multò pòst diem suum obijt, patre relicto superstite: qui cùm à puero labori assueuisset, ad eum diem operi rustico incumbebat. Asserebat autè idcircò filium annos nonaginta natum immatura morte præreptum, quòd patris consilijs haud satis obsequens, nonnunquam calicibus epotandis vacaret.

Et congregatus est vniuersus Israel.] Non idcirco, opinor, quòd vererentur, ne quiquam nouandarum rerum cupidi, eo sublato turbas cierent. Status enim Reipublicæ rege dudum constituto nulla seditione tentari poterat. Sed, vt solet fieri hominum concursus ad ingentis ruinæ fragorem, ita disseminato rumore de morte Prophetæ, tanquam ingenti mole ruenti occurrunt, & attoniti casum illius spectant, quem semper præcipuum regni columen suspexerant, & in quem vnum per tot annos Reipubl. salutem inclinatam recubuisse meminerant. Congregatus autem dicitur *vniuersus Israel*, inquit Salianus, vel aliquibus publico nomine de singulis vrbibus in Ramatha venientibus, vel pluribus in locis magistratu ei iusta persoluente. Vtrumque contigisse magis crediderim. Vtrum verò Saul huic funeri adfuerit, non apparet ex historia. Potest autem fieri vt adfuerit. Voluerit enim gratiam inire apud populum specie aliqua pietatis. Et hypocritæ non molestè faciunt ea, quæ constent non magno sumptu. Non apparet tamen, Saulem luxisse mortem Samuelis: vt antea Samuel eius abiectionem luxerat. Dauidem autem haud dubium est, multis lacrymis prosequutum esse eius funus. Samuel enim illum vnxerat, & exulem, & profugum consolatus fuerat, & eum semper consilio iuuerat. Ita Respublica Iudæorum eodem tempore orbatur duobus luminibus: altero in morte Samuelis; altero in exilio Dauidis.

ET PLANXERVNT EVM.

Et planxerunt eum.] Seu potius seipsos ob illius discessionem. Neque enim tanto parente turbari potuerunt absq; periculi metu. Regem enim audierant, quòd dicto non satis audiens esset, à Deo repudiatum esse. Mente quoque non rarò excidere intelligebant; sacrilega nece Sacerdotum pollutum; Dauidis vitæ insidiari: in quo exule ac profugo quantum spei collocandum esset, non perspiciebát. Quamobrem Samuele demùm erepto ex oculis, trepidare omnes, & publicè priuatímque lugere ac mœrore deijci. Hebraicè legimus ויִּסְפְּדוּ לוֹ *vaijspedou-lo, & planxerunt eum.* סָפַד *saphad* porrò Hebræis idem quod *planxit*, percussit pectus, seipsum ferijt. Schindlerus ita interpretatur: Percussione pectoris, capitis, vultus, aliorumúe membrorum dolorem indicauit.

Planctus Hebræorum.

Describitur planctus funebris Hebræorum.

QVÆSTIO LXX.

QValis fuerit non aliunde magis quàm ex ipsis Scripturis intelliges, quæ nonnulla passim eius exempla suppeditat. Esaias cap. 32. vers. 12. mulieres opulentas admonet. *Super vbera plangite.* Quo loco סוֹפְדִים *sophedim* Chaldæus quoque *percutientes* interpretatus est. Septuaginta, Καὶ ἐπὶ τῶν μαστῶν κόπτεσθε, *& super vbera cædite, verberate.* Neque te moueat, quòd סוֹפְדִים *sophedim* masculinè vsurpari videatur: est enim generis enallage Scripturæ non insolens. Ezechiel præterea *planctum* à fletu lacrymísque distinguit in funere, cap. 24. vers. 16. & sequentib. *Et factum est,* inquit, *verbum Domini ad me, dicens: Fili hominis, ecce ego tollo à te desiderabile oculorum tuorum in plaga:* vel, vt habet Pagninus, *Ecce tollo à te vxorem, quæ est desiderium oculorum tuorum percussione: & non planges,* Vatablus addit *eam*, Hebr. תִסְפֹּד *thispod, & non* תִבְכֶּה *thibkeh plorabis, & non fluent* דִּמְעָתֶךָ *dimmathecha, lacryma tua.* Septuag. vertunt: *non planges, nec flebis: gemitus sanguinis, rerum luctus erit.* Sequitur versu 17. *Ingemisce tacens;* vel, vt Vatablus, *ab eiulando tace, mortuorum luctum non facies: corona tua circumligata sit tibi.* vel, vt Pagninus, *tiaram tuam circumliga super te.* Septuaginta, *non erunt crines tui colligati super te, & calceamenta tua erunt in pedibus tuis, nec amictu ora*

Esaias interpretatus.

Ezechiel planctum à fletu distinguit.

Et planxerunt eum.

Amictu ora velabant, & comedebāt panem lugentium.

velabis. Pagninus, *& ne operias labrum ſuperius;* Arias, *myſtacem, nec cibos lugentium comedes.* reliqui ferè exponunt, *& panem hominum non comedes.* quod referri nequit ad inediā, qua celebrabantur exequiæ, cùm eundem præ ſe ferre luctum vetet: ſed *panis lugentium* intelligendus eſt, quem prohibet ab eo vſurpari. Eadem denuò mox repetit filios Iſraël alloquens: *Ecce ego polluam, dicit Dominus, ſanctuarium meum, ſuperbiam imperij veſtri, vxores, deſiderabile oculorum veſtrorum, & ſuper quo panet anima veſtra: filij veſtri, & filiæ veſtræ gladio cadent. Et facietis ſicut feci. Ora amictu non velabitis, & cibos lugentium non comedetis. Et coronas habebitis in capitibus veſtris.* Pagninus, *tiaræ veſtræ erunt ſuper capita veſtra.* Septuag. *Comæ veſtræ erunt ſuper capita veſtra, & calceamenta veſtra in pedibus veſtris: non plangetis, neque flebitis, ſed tabeſcetis in iniquitatibus veſtris, & vnuſquiſque gemet ad fratrem ſuum.*

Addamus & his, quæ ad planctum conferunt apud Ieremiam cap. 34. verſu 5. *Non morieris,* inquit, *Sedecia Rex in gladio, ſed in pace morieris: & ſecundum combuſtiones patrum tuorum regum priorum, ſic comburent te: & Væ Domine, plangent te: quia verbum ego loquutus ſum, dicit Dominus.* Septuag. edit. Rom. *& ſicut plorauerunt patres tuos, qui regnarunt ante te; plorabunt & te, Væ Domine, & vſque ad infernum plangent te.* Combuſtionis illi non meminerunt. Neque verò ſic ea accipienda eſt, tanquam Iudæorum cadauera rogo impoſita ignium vi ſoluerentur in cinerem: ſed quod certatim ab omnibus dum funus procederet, odores adolerentur. Itaque hoc loco Vatablus, quod alij transferunt *comburent te,* exponit *comburent tibi:* ídque manifeſtè probari poteſt ex deſcriptione funeris Regis Aſa, quam legimus 2. Paralip. cap. 16. verſ. 14. *Poſueruntque eum ſuper lectum ſuum, plenum aromatibus & vnguentis meretricijs, quæ erant pigmentariorum arte confecta, & combuſſerunt ſuper eum ambitione nimia.* Quo honore ſceleratiſſimus Ioram priuatus fertur ſequenti cap. 21. verſ. 19. *Et non fecit ei populus ſecundum morem combuſtionis, exequias, ſicut fecerat maioribus eius.*

Quæ combuſtio vſurpetur ab Hebræis in funere.

Tibiæ funebres.

Neque verò his duntaxat exequendis Iudæorum planctus abſoluitur: ſed ad hæc funebre carmen pangitur, quo mortui quidem virtus; viuentium autem deſideria palàm explicantur. Adhibebantur & præficæ cantatoréſque, nonnunquam & tibiæ; quæ cierent lacrymas, dolorem lenirent. Lib. 2. Paralip. cap. 35. verſ. 25. Vniuerſus quidem Iſraël Ioſiam regem pijſſimum luxiſſe fertur, *ſed Ieremias maximè: cuius omnes cantores atque cantatrices, vſque in præſentem diem, lamentationes ſuper Ioſiam replicant; & quaſi lex obtinuit in Iſrael: ecce ſcriptum fertur in lamentationibus.* Eo loco à principio hæc habes: *Sedit Jeremias propheta flens, & planxit lamentatione hac in Ieruſalem, & amaro animo ſuſpirans, & eiulans dixit: Quomodo ſedet ſola ciuitas, &c.* Rurſum de præficis, eiulatu, & væ, ſiue, vt alij volunt, heu, heu, Hebr. הו הו *ho ho,* teſtimonium dicet Amos propheta cap. 5. verſ. 16. *Erit,* inquit, *in omnibus plateis planctus, & in cunctis vijs dicetur væ væ: & vocabunt agricolam ad luctum, & ad planctum eos, qui ſciunt plangere.* Fauet ipſum etiam Euangelium Lucæ 7. verſ. 32. *Cui dicam ſimiles,* inquit Dominus, *homines generationis iſtius? Similes ſunt pueris ſedentibus in foro, & acclamantibus interſe, ac dicentibus: Cantauimus vobis tibijs;* Syrus, *cecinimus vobis, & non ſaltaſtis: lamentauimus;* Syrus, *lamentum edidimus;* Eraſmus, *cecinimus vobis lugubria, & non ploraſtis.* Pueri ſcilicet, vt ſunt maiorum ſimiæ, præficarum funebre munus in ſuis ludis æmulabantur. Matthæus *tibiarum* meminit cap. 9. verſ. 23. Nam cùm Dominus filiam cuiuſdam Principis à mortuis excitaturus, in eius domum ſe contuliſſet, *Vidit,* inquit, *tibicines, & turbam tumultuantem:* quos idcirco valere iuſſit, quòd negaret mortuam eſſe puellam, quam ſtatim ad vitam reuocare ſtatuerat. Quo tandem ritu recentiores Iudæi lumine caſſos plangant, docuit nos ſuperiore tomo Margarita Iudæus ad verſ. 18. cap. 4. in hæc verba; *& mortuus eſt.*

Carmen.

Præficæ.

Deſcribitur planctus funebris Gentilibus, Iudæis lege prohibitus.

QVÆSTIO LXXI.

QVi verò ritus quondam prohiberentur, paucis ad hunc modum lex ipſa complexa eſt Deuteron. cap. 14. verſ. 1. *Filij eſtote Domini Dei veſtri: non vos incidetis, nec facietis caluitium ſuper mortuo.* In quem locum Fagius interpres Onkeli Paraphr. *Non incidatis vos.* Gentes, inquit, quaſdam corporis partes acu vulnerabant, vel aliàs incidebant, atramentúmque ſuperponebant, quod in cultum dæmonum ſuorum fiebat. Præcipitur ergo ne vllo pacto ſicut Gentes ferirent carnes ſuas, quemadmodum Sacerdotes Cybeles, & Deæ Syrorum, vt refert Lucianus, & 3. Reg. ſcribitur cap. 18. verſ. 28. Hæc Fagius. qui ſanè hoc loco vulnera, & ſanguineum imbrem, à planctu detorſiſſe videtur ad religionis cultum: non enim deorum aras duntaxat, ſed etiam mortuorum tumulos Ethnici quondam cruore imbuebant. Teſtis vel vna Caſſandra apud Senecam, cuius hæc verba ſunt in Choro act. 3. Agamemn.

Seneca.

Quæ patria reſtat? quis pater? quæ iam ſoror?
Bibere tumuli ſanguinem atque aræ meum.

Et apud eundem in Troade act. 1. hunc planctum Hecuba comites docet:

Troadum planctus.

Soluite crinem, per colla fluant
Mœſta capilli: tepido Troia
Puluere turpis paret exertos
Turba lacertos. veſte remiſſa
Subſtringe ſinus, vteróque tenus
Pateant artus. cui coniugio
Pectora velas captiue pudor?
Cingat tunicas palla ſolutas:
Vacet ad crebri verbera planctus
Furibunda manus . . . . . .
Hectora flemus.

At huic ſubinde chorus reſpondens, infamem plagis, & turpatum ſanguine planctum mirificè deſcribit.

Tibi

Et planxerunt eum.

Tibi nostra ferit dextra lacertos,
Humerósque feris tibi sanguineos.
Tibi nostra caput dextera pulsat.
Tibi maternis vbera palmis
Laniata iacent. fluit, & multo
Sanguine manat, quamcunque tuo
Funere feci rupta cicatrix.
Columen patriæ, mora fatorum.
Tu præsidium Frygibus fessis,
Tu murus eras; &c.

Planctum cruore manantem lex prohibet.

Incidendi porrò verbum non te moueat, vt putes tantùm nouaculas & cultros prohiberi: quamlibet planctum vetat, qui manet sanguine, & laceris artubus cruorem eliciat: Nam & Pagninus, quo rem magis exprimeret, *Non lacerabitis vos* interpretatus est. *Nec facietis caluitium*, Sept. cum reliquis, *intermedium oculorum vestrorum, super mortuo.* Hoc, ait sicut Fagius, Hebræi scribunt, multis modis fiebat, vel resecando capillos; vel manu extrahendo; vel veneno corrodẽdo. Nonnullæ exterarum gentium capillos capitis secare solebant, ac defunctis offerre. Alij pilos genarum. Alij verò ipsa cilia incidebant atque offerebant. Hæc omnia hîc, & in alijs locis prohibet lex, maximè immoderatum luctum Gentilium super mortuis, qui inde erat, quòd non haberent spem resurrectionis, sed defunctos suos planè amissos putabant. Hæc ibi Fagius.

Græci Interpretes habent, καὶ κόψονται αὐτὸν, *& plangunt eum.* Κόπτω verò *cædo*, ferio, vulnero significat: & cum accusatiuo iunctum, *cum planctu deploro*, plangore & lamentatione prosequor. ספד *Saphad* autem Septuag. passim & frequentissimè κόπτω exponunt: κλαίω, quod est *deploro*, semel atque iterum, sicut & θρηνῶ lamentor. מספד *misped*, siue מספד *mispad*, *planctum*, κοπετὸν constanter interpretantur. Consule Hebr. Concord. Ancillæ Achillis, audito de Patrocli nece nuncio, ad Achillem cucurrerunt, χερσὶ δὲ πᾶσαι στήθεα πεπλήγοντο, *manibus autem omnes pectora percusserunt.* Apuleius Asini aurei lib. 9. Mœstáque crines pendulos, & interdum pugnis obtundens vbera. Ouidius,

Nudáque marmoreis percussit pectora palmis.

Virgilius. Virgilius Æneid. 4. de Anna Didus sorore loquens, quæ se pugione confecerat:

Audijt exanimis, trepidóque exterrita vultu
Vnguibus ora soror fœdans, & pectora pugnis,
Per medios ruit, ac morientem nomine clamat.

Phalaris. Phalaris epistol. 83. ad filias Stesichori de morte patris scribens, plura planctus indicia indicat, quibus olim Gentes in charorum funere suum dolorem proderent. Non est, inquit, decens lacrymis, sed cantu potius Stesichorum prosequi, & in vniuersum, non quidem volo vos θρήνους, τὰ αἰκισμοὺς περὶ δὲ σωμάτων lamentationes, & flagellationes, vel corporum vexationes abijcere: non quin communiter hi affectus omnibus accedant: sed quoniam miserorum sunt, quorum non mors, sed vita, vel potius mors deplorari debeat. Hæc Phalaris. De Romanis Seruius: Inferiæ sunt sacra mortuorum, quæ inferis soluuntur: Sanè mos erat in sepulcris virorum fortium captiuos ne-

Romanor. Planctus. Seruius.

cari: quod postquam crudele visum, placuit gladiatores ante sepulcra dimicare, qui à bustis, bustiarij dicti sunt. Sin captiuorum, aut gladiatorum copia non esset, laniantes genas suum effundebant cruorem, vt rogis illa imago restitueretur: vel, [quemadmodum Varro loquitur, vt sanguine ostenso inferis satisfieret.] Genis deinceps etiam leges XII. tab. pepercerunt. Refert Cicero 2. de legibus. *Mulieres genas* ne radunto, neue lessum funeris ergo habento. Et *lessum* quidem lugubrem eiulationem Lælius interpretatur, quod Cicero probat: at *radere genas* Festus exponit vnguibus scindere, laniare, cruentare. quod tametsi publicè fieri, cùm funeris pompa prodiret, leges inhibuerunt, adhuc tamen priuatim apud vnamquamque familiam clausis ædibus obtinuit. Inde est illud Tibulli.

Festus in verb. *radere.*

Tu manes ne læde meos, sed parce solutis
Crinibus, & teneris Delia parce genis.

Hæc si demas, quibus leges interdixerunt, & quæ vana superstitio veris doloribus admiscuit, in reliquis ferè Iudæi reliquarum gentium studia superarunt. Testatur hoc Suetonius in Iulio Cæsare, capite octuagesimo quarto. In summo publico luctu, inquit, exterarum gentium multitudo circulatim suo quæque more lamentata est: præcipuéque Iudæi, qui etiam noctibus continuis bustum frequentarunt.

Suetonius.

Cæterùm postquam Romanis plangor meram olere barbariem visus est, siue, vt Suidas loquitur, βαρβαρικὸν ἦ τὸ θρηνεῖν barbaricum lamentari, Nænia in scenam introducta est, & θρηνῳδοὶ prodicere, quos θρήνους Homerus vocat, lugubrium cantores carminum, quibus olim præfica solita est præcinere. De Nænia Gutherius lib. 1. De iure Manium 23. Triplicem, inquit, Næniam fuisse comperio. Prima Nænia, quæ ἐπικήδειος καὶ θρηνῳδία, per vias ad tibicines ducebatur ad rostra vsque, vbi laudationes audiebantur, corpúsque interim quiescebat: tum illud ad rogum efferebatur, quod erat *funus commouere*, de loco in locum corpus transmittere. Varro, *funere familiari commoto, auito ac patrito more precabamur.* Tunc enim preces concipiebantur, & Dea Nænia à præficis aduocabatur. Secunda canebatur ad rogum. Tertia ad tumulum. Atque hæc ὕμνος ἐπὶ τῶν νεκρῶν in lexico vetere Græcolatino, vbi malè Scriptum Veniæ pro Næniæ. Hæc tertia ἐπιτάφιος siue ᾠδὴ ἐσχάτη τιμίαν, quod extremum atque vltimum mortuo accinebatur, precationis formulam continebat, quæ in populi circunstantis corona à præfica fundebatur, dum corpus vreretur & humaretur, cui stans populus vsque respondebat dum consumpto cadauere, & collectis cineribus, *Ilicet* diceretur. Quæ ita à κομμῷδίᾳ differt, vt hymni & preces à planctu & lamentatione distinguntur. Hactenus Gutherius.

Nænia. Suidas.

Gutherius.

Apud Noniũ in verb. Patritum.

In verb. Τίμαι.

ET PLANXERVNT EVM.

Non planctu, sed veneratione honoratas quondam fuisse Martyrum reliquias.

QVÆSTIO LXXII.

INitio nascentis Ecclesiæ, cùm necdum Iudaicos ritus illa desuesset, *Curauerunt*, inquit Lucas Act. 8. vers. secundo. *Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum magnum super eum.* At mox, vt ait Eusebius, Martyrum reliquiæ sunt effossæ, & in honore habitæ, & nomina eorum ad altaria in diptycha relata. Statim etiam populus didicit confluere ad memorias Martyrum, vt eorum exemplo redderentur fortiores ad omnia ferenda pro Christo. Subinde etiam accessit religio ab Apostolis tradita, vt eorum se præsidio tutos arbitrarentur, & eorum opem implorarent, qui pro fide Numinis occubuissent morti: ijs extruerent sepulcra, basilicas, statuas ponerent, quæ defunctorum memoriam viuis repræsentarent; denique dies festos consecrarent, in quibus ad eorum tumbam quotannis salutaris hostia Deo fieret. Vssit ea Martyrium gloria non præsentes modò hæreticos, sed etiam tyrannos, & quicunque è schola Philosophorum Euangelij clarissimo splendori inuiderunt: quorum illi quidem Martyrum reliquias ferro, flamma, aquis abolere conati sunt; posteriores, cùm ad maiora patranda scelera vires deficerent, probris conuitijsque lacerarunt. Eunapius certè, cùm falsorum numinum superstitioni supra modum addictus esset, hæc scripsit in Ædesio. Qui imperante Theodosio rerum habenas moderabantur, Monachos, ἀνθρώπους μὲν κατὰ τὸ εἶδος, ὁ δὲ βίος αὐτοῖς συώδης, homines quidem specie, sed vitam turpem porcorum more exigentes, Canobi collocarunt; vt pro dijs, qui animo cernuntur, seruos, & quidem flagitiosos (sic ille Martyres vocat) diuinis honoribus percolerent, hominum mentibus ad cultum ceremoniásque obligatis. ij namque condita & salita eorum ὀστᾶ, καὶ κεφαλαί, ossa (oblitus erat interpres) & capita, qui ob scelerum multitudinem à iudicibus extremo supplicio fuerant affecti, pro diuis ostentabant, καὶ προσεκαλινδοῦντο, ijs genua submittebant (ita vertit Hadrianus Iunius: καλινδέω autem propriè cuipiam ad pedes supplex accido: lacunam hoc loco præterea Commelinus, vt verisimile est, ita suppleuit: eos in deorum numerum receptabant,) ad illorum sepulcra puluere sordibúsque conspurcati: in his nonnulli Martyres, diaconi alij, καὶ πρέσβεις, & legati, arbitríque precum petitionúmque apud deos nominabantur, cùm fuerint seruitia infida, & flagris pessimè subacta, & quæ cicatrices, scelerum ac nequitiæ vestigia, corporibus circumferrent: eiusmodi tamen deos fert tellus. Illud itaque prouidentiæ Antonini existimationem summopere adauxit, quòd palàm apud omnes prædixerat, τὰ ἱερὰ τάφους γίνεσθαι, templa in sepulcra conuersum iri. Hactenus Eunapius. Quod autem Antoninum prædixisse refert, hoc multis antè seculis Hermes Ægyptius vaticinatus erat, sicut antea notauimus huius libro capite quinto versu quarto. In Monachos autem non solus Eunapius, canis instar rabidæ, inuehitur, sed Sozimus quoque eorum innocentiam, quibus potest mendaciorum machinis labefactare nititur: quem Ioannes Leunclaius, vt sperabat, non quidem defendit, sed seipsum bipedum nequissimum prodidit in sua Apologia: quod idcirco notare volui, ne seculi nostri pestes gloriarentur, se primùm innocentibus viris, & de religione, totóque genere humano benemeritis, ingrato animo negotium exhibuisse.

Quod ad Martyrum Sanctorúmque reliquias attinet, præter illud testimonium quod ab hoste infensissimo expressimus, addam & aliud religiosissimi & doctissimi Monachi S. Hieronymi, non aliam ob causam, (nam de reliquiarum veneratione hoc loco non disputo) quàm quòd speciatim Samuelis lipsanorum fecit mentionem, cùm Vigilantij hæreticam impudentiam acri obiurgatione castigaret. Dolet, inquit, Martyrum reliquias pretioso operiri velamine, & non vel pannis, vel cilicio colligari, vel proijci in sterquilinium, vt solus Vigilantius ebrius & dormiens adoretur. Ergo sacrilegi sumus quando basilicas Apostolorum ingredimur. Sacrilegus fuit Constantinus Imperator, qui sanctas reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothei transtulit Constantinopolim, apud quas dæmones rugiunt, & inhabitatores Vigilantij illorum se sentire præsentiam confitentur. Sacrilegus dicendus est & nunc Augustus Arcadius, qui ossa B. Samuëlis longo post tempore de Iudæa transtulit in Thraciam. Omnes Episcopi non solùm sacrilegi, sed etiam fatui iudicandi, qui rem vilissimam, & cineres dissolutos in serico, & vase aureo portauerunt. Stulti omnium ecclesiarum populi, qui occurrerunt sanctis reliquijs, & tanta lætitia quasi præsentem viuentémque prophetam cernerent, susceperunt, vt de Palæstina vsque Chalcedonem iungerentur populorum examina, & in Christi laudem vna voce resonarent. Videlicet adorabant Samuelem, & non Christum, cuius Samuel & Leuita, & prophetes fuit. Delibemus & alterum hunc flosculum ex eodem libello, quem lectori non ingratum fore confido. Dicis, inquit, in libello tuo, quod, dum viuimus, mutuò pro nobis orare possumus; postquam autem mortui fuerimus, nullius sit pro alio exaudienda oratio, &c. Respondet: Si Apostoli, & Martyres, adhuc in corpore constituti, possunt orare pro cæteris, quando pro se adhuc debent esse soliciti: quanto magis post coronas, victorias, & triumphos? Vnus homo Moyses sexcentis millibus armatorum impetrat à Deo veniam: & Stephanus, imitator Domini sui, & primus Martyr in Christo, pro persequutoribus veniam deprecatur: &, postquam cum Christo

Marginalia: Quo ritu celebrata Martyrum funera. — Eunapius Sardianus. De vitis Philosoph. — Monachos & Martyres prius quidē Philosophorū pessimi quiq; deinde nebulones hæretici insectati sunt. — Defensio reliquiarū. — S. Hieron. aduers. Vigilant. to. 2. epist. 53. — Exod. 32. Act. 7.

ET PLANXERVNT EVM.

Christo esse cœperint, minus valebunt? Paulus Apostolus ducentas septuaginta sex sibi dicit in naui animas condonatas; & postquam resolutus esse cœperit cum Christo, tunc ora clausurus est, & pro ijs, qui in toto orbe ad suum euangelium crediderunt, mutire non poterit? Meliórque erit Vigilantius canis viuens, quàm ille leo mortuus? Hactenus S. Hieronymus.

A planctu ad precandi studium statim animi Christianorum traducti sunt.

Si qui porrò erant, ab ipsis Ecclesiæ incunabulis, quos, cùm morerentur, sanctos esse palàm non liqueret, illis decernebantur exequiæ, anniuersaria, trigesimæ, septimæ, tertiæ; addebatur præterea aqua lustralis, & thymiama: vtique ait S. Dionysius, cadauera perungebantur charismate: postremò etiam mortuorum nomine Deo Eucharistia offerebatur. Itaque prior ille planctus sensim obsoleuit, B traductis animis ad precandi studium, postquam reseratas cœli fores Christiani intellexerunt, & si quæ labes animis ex contagione secularis vitæ inhæsisset quæ cœli aditu prohiberet, superstitum lacrymis & oratione elui posse. Pijssimum Ecclesiæ consuetudinem subinde etiam Imperatorum edictis confirmatam legimus. Nam præficarum loco & tibicinum, qui næniis concinendo manibus illuderent, psallentes, etiam destinato publicè sumptu, instituti sunt, qui hymnis & orationibus decantandis funera curarent. Consule Iustiniani Nouell. 59. Testatur etiam Iulianus Antecessor Nouell. 53. Reditum, inquit, funeribus destinatum à diuæ memoriæ Anastasio Imperat. confirmauit, & funeribus deputauit, & dedit singulis cadaueribus, siue singulis lectis mortuorum, vnum asceterium: id est, C octo sanctimoniales psallentes, & tres acolythos. Iustinianus Græcè ἓν ἀσκητήριον δίδοσθαι ἀσκητριῶν ἢ κανονικῶν μὴ ἔλαττον ἢ ὀκτὼ γυναικῶν ἡγουμένων τῆς κλίνης, καὶ ψαλλουσῶν. Canonicas vel ascetrias siue sanctimoniales deducentes & psallentes non pauciores octo esse voluit.

II. Imperator.

Ἀσκητήριον.

Tertiæ diei, nonæ item ac quadragesimæ rationes.

Tertiæ autem diei, nonæ item, ac quadragesimæ cur potissimum Græci in parentalibus siue iustis persoluendis, & supplicijs oblationibusque peragendis rationem haberent, refert Meursius ex Triodio in verb. Τεσσαρακοστά. Ἐξελθοῦσα μὲν οὖν ἡ ψυχὴ τοῦ σώματος οὐδεμίαν φροντίδα τῶν ἐνταῦθα ἔχει, ἀλλὰ τῶν ἐκεῖ ἀεὶ φροντίζει. Postquam anima erupit è corpore, præsentium quidem curam abijcit, at in his quæ illic sunt tota ver- D satur, & ijsdem duntaxat afficitur. Τρίτα δὲ ποιοῦμεν, ὅτι τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ὁ ἄνθρωπος ἀλλοιοῦται τὴν ὄψιν. ἔνατα δὲ, ὅτι πᾶσα τότε διαρρεῖ ἡ πλάσις, σωζομένης μόνης τῆς καρδίας. τεσσαρακοστὰ δὲ, ὅτι καὶ αὐτὴ ἡ καρδία τότε ἀπόλλυται. Tertia verò die idcirco animarum in ecclesijs memoriam refricamus, quòd tertia die visus organum perit. Nona, quod tum deletur corporis species solo iam corde superstite. Postremò quadragesima, quòd eo demum tempore cor tabe confectum soluitur, & colliquescit. Καὶ ἡ γένεσις οὕτω προβαίνει. τῇ γὰρ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἡ καρδία ζωγραφεῖται. τῇ δὲ ἐνάτῃ πήγνυται εἰς σάρκα· τῇ δὲ τεσσαρακοστῇ εἰς τελείαν ὄψιν διαμορφοῦται. διὰ ταύτην τὴν αἰτίαν τῶν ψυχῶν μνείαν ποιοῦμεν. Nec verò secus generatio ipsa progredi- A tur. Nam tertia quidem die cor pingitur: nona verò coagmentatur in carnem, quadragesima elaboratos atque perfectos oculos consequitur. Propter hanc causam animarum his diebus memoriam facimus. Hactenus ex Trinodio. Sed de his hactenus. Planctum repetamus. Sed quam tandem ob causam?

Lucianus Samosatensis, ἀνὴρ, vt inquit Eunapius cap. 2. De vitis Philosophorum, σπουδαῖος ἐς τὸ γελασθῆναι vir ad concitandum risum factus, in lib. cui περὶ πένθους nomen fecit, multis, vt sibi quidem visus est, rationibus funebrem planctum exsibilauit & explosit. Accedunt, inquit, ad hæc, (ad pompam funeris) κωκυτοὶ γυναικῶν, mulierum ciulatus, καὶ παρὰ πάντων δάκρυα, omnium certè lacrymæ, καὶ στέρνα τυπτόμενα, καὶ σπαραττομένη κόμη, καὶ φοινισσόμεναι παρειαί, pectorum B planctus, comæ dilaniatio, genarum cruentatio. Alijs autem & vestis discerpitur, καὶ κόνις ἐπὶ τῇ κεφαλῇ πάττεται, & puluis capiti aspergitur, adeo vt viuentes miserabiliores sint mortuo. Nam illi humi volutantur, & capita solo allidunt: hic verò decorus & formosus, ac diligentissimè coronatus, sublimis propositus est ac excelsus, velut ad pompam adornatus. Deinde, inquit, filio circumfusus pater flebili quadam voce verbum vnumquodque producens in longum, ait: Fili iucundissime, peristi mihi, mortuus es, ante diem præreptus es, me super hæc misero solo relicto. Non comessaberis posthac, non amabis fili, neque cum æqualibus in compotatione inebriaberis. Porrò hæc, atque id genus alia dicet, quasi putet filium adhuc rebus his egere post obitum, ac C desiderare quidem, verùm potiri non posse. Verùm his filius, vt plangentis stultitiam retundat, eodem autore respondet: O demens, quid tibi videtur in vita boni, quo posthac non simus posituri? Nimirum compotationes dicis, ac cœnas, vestémque, & concubitus: eóque metuis ne harum rerum inopia peream. Non cogitas autem longè bellius esse, non sitire, quàm bibere: non esurire, quàm edere: non algere, quàm vestibus abundare? Age igitur, quandoquidem ignarus videris, docebo te lugere verius: iámque denuò incœpto luctu, clama: Fili miser, non amplius sities, non amplius esuries, non amplius algebis. Peristi mihi infelix, qui morbos effugeris, qui febrem iam non timeas, non hostem, D non tyrannum. Non amor discruciabit te, non auocabit libido, neque huius rei causa bis aut ter quotidie perdes impensam. Heu calamitatem! Hæc si dixeris pater, annon putas te multò veriora, magísque ridicula dicturum, quàm ista quæ modò? At vide ne illud te malè habeat, dum noctem quæ apud nos est, magnámque cogitas caliginem, proinde metuis ne tibi præfocer, conclusus in monumento. Verùm in his oportet illud perpendere, oculis putrefactis atque corruptis iam neque tenebris neque lumine quicquam affici posse.

Ridet Lucianus lamenta Gentilium.

His ferè de causis planctum damnat Lucianus, & quòd nesciat quisquam quò mortuus concesserit, & bona sint an mala quæ nactus erit. Nam Homeri atq; Hesiodi fabulas, quibus

ET PLANXERVNT EVM.

idiotæ fidem adhibent, pro deridiculis habet sophista Lucianus. Plutonis regnum & opaca tenebris tartara ridet: nam si cœca caligine locus obrutus est, quis ea quæ nulla acies oculorum penetret, obseruare potuit. Itaque Cocytum, & Phlegethontem, atque adeò Acheronticam paludem, & præfectum portæ Æacum, & latrantem tribus faucibus Cerberum, poëtarum figmenta vocat. Nec illum mouet Minois & Rhadamanthi tetrica seueritas, & quæ illis apparet ministra iudiciorum cohors prætoria, furiæ, pœnæ, terrores, suppliciorúmque turba multiplex non tolerandis stipata doloribus. quippe ea quis vnquam oculis vsurpauit? Hæc videlicet, inquit, priscis mortalibus narrarunt, quæ illinc redierant, nempe Alcestis & Protesilaus, Thessalus vterque, neque non Theseus Ægeo prognatus, & Homericus Vlysses, testes admodum graues, dignique, quibus habeatur fides, quæ mihi non videntur è fonte Lethæo bibisse, alioqui horum non meminissent.

Rationes non paucæ quamobrē mortui lugendi non sunt.

Aliam rationem affert Hyperides apud Stobæum Sermone centesimo vigesimo tertio. Si mori, inquit, & natum non esse similia sunt, immunes posthac erunt à morbis, dolore alijsque humanæ vitæ casibus. Sin etiam à morte sensus aliquis est, & numinis prouidentia, vt arbitramur, nimirum illi qui deorum honores ope sua promouerunt, maximam diuinitùs beatitudinem assequentur. Aliam Sophocles in Scyrijs,

Sophocles.

Ἀλλ' εἰ μὲν ἦν κλαίουσιν ἰᾶσθαι κακὰ,
Καὶ τὸν θανόντα δακρύοις ἀνιστάναι,
Ὁ χρυσὸς ἧσσον κτῆμα τοῦ κλαίειν ἂν ἦν.
Νῦν δ', ὦ γεραιὲ, τοῦτ' ἀμηχάνως ἔχει
Τὸν μὲν τάφῳ κρυφθέντα πρὸς τὸ φῶς ἄγειν.
Si liceret lugendo mederi malis,
Et mortuum lacrymis reuocare,
Aurum sanè vilius foret fletu.
Nunc autem, ô senex, fieri nequaquam potest,
Vt qui sepulcro conditus est, in lucem reducatur.

Atqui idcirco Solon immatura morte raptum sibi filium lugere dicebat, quod flendo ne hilum quidem proficeret. Quare probabilior Antiphanis sententia in Aphrodis.

Antiphanes.

Πενθεῖν δὲ μετρίως τοὺς προσήκοντας φίλους·
Οὐ γὰρ τεθνᾶσιν, ἀλλὰ τὴν αὐτὴν ὁδὸν,
Ἣν πᾶσιν ἐλθεῖν ἔστ' ἀναγκαίως ἔχον,
Προεληλύθασιν. &c.
Lugendi sunt moderatè coniuncti nobis olim amici.
Non enim mortui sunt, sed eandem viam,
Quam ingredi omnibus necessarium est,
Præiuerunt. Nos etiam in posterum
In idem cum ipsis diuersorium veniemus,
Communem vnà reliquam victuri vitam.

Dion optimam profert ex Charidemo. Res nostræ, inquit, ita euenerunt, vt Deo visum est. Nihil autem eorum quæ fiunt, graue existimandum, aut ægrè ferendum est, tanquam indignum. Siquidem cùm alij sapientes, tum Homerus inprimis nos monet, hominibus non esse spernenda deorum dona. Rectè sanè dona vocans ipsa deorum opera, vt quæ omnia

A

bona sunt, & boni alicuius gratia fiant. Hæc ille cùm à fide alienus esset.

ET PLANXERVNT EVM.

Sanctimortuos luxerunt.

1. Machab. 9. & 13.

Veruntamen Genes. 50. Iacob vbi vita defunctus esset, magno planctu à sanctissimo Patriarcha Ioseph defletum legimus. Iudam quoque in acie cæsum sancti fratres sui Simon, & Ionathas: Ionathan, Simon: Stephanum denique, vt Lucas ait, viri timorati plangore magno neci datos prosequuti sunt. Quamobrem non poterit planctus alienus à ratione videri. Neque verò vsqueadeo planctus miseris mortalibus inutilis habendus est, vt doloris acerbitatem lenire non possit. Euripides in Archelao:

Inest & lacrymis voluptas quædam mortalibus,
Cùm quis amicum misericordia motus deplorat.

B

Et iterum in Oenomao:

Complures luctus rationes.

Est etiam in malis aliquid voluptatis
Hominibus, nempe luctus, & lacrymarum defluxiones.
Hæc enim leuant animi dolores, & nimios pectoris labores soluunt.

Quinetiam & apud Homerum legimus lacrymas superstitum ad virtutis post mortem commendationem pertinere.

Homerus Odyss. 4.

Hic sanè solus est miseris mortalibus honor,
Tonderi comam, & effundere lacrymas genis.

Itaque idem Iliad. 18.

Πάτροκλον κλαίωμεν· ὃ γὰρ γέρας ἐστὶ θανόντων.
Patroclum defleamus: hic enim honos est defunctorum.

Tametsi, vt Lucilius ait, Mercede quæ conductæ flent alieno in funere præficæ,

C

Multos & capillos scindunt, & clamant magis,

mihi non probentur. Naturæ enim indulgendum censeo, non arte aut pretio eliciendas lacrymas. An verò idcirco apud sitos plangimus, quòd statim lumine cassos terra obruat, & corpus ipsum sarcophagus deuoret, inque cinerem soluatur, quæ tum moles vix vnciam appendit, vt ex Cardano didicimus. Apud Senecam miratur Alcmena,

Seneca in Hercule Oetæo. act. 5.

——Tam paruus cinis
Herculeus est; huc ille decreuit gigas.
O quanta Titan in nihil moles abis!
Anilis, heu me, cepit Alciden sinus.
Hic tumulus illi est. ecce vix totam Hercules
Compleuit vrnam. quam leue pondus est mihi,
Cui totus æther pondus incubuit leue!

D

Vtique hæc animo ruina terrorem incutit, recogitanti quò mortui ruant, & quid illis prodigij accidat, vt apud seipsos non reperiantur. Verùm, dicet aliquis, postquam periculum dudum fecimus, quanto nos onere corporis massa fatiget, æquo animo ferenda mors est, quæ tam graui miseros sarcina exoneret, & risu potius festisque acclamationibus, vt Thraces olim fecisse commemorant, quàm comploratione & gemitu funeris pompa celebranda. Vix tamen amor animis à natura insitus extingui potest erga consortem vitæ, & necis, cuius reliquias ad spem immortalitatis suæ pertinere sentiunt. Neque enim quidquam dimidia parte sui diutius constare potest. Porrò hoc ipsum quod abeuntem torquet animam ob desiderium sui, idem quoque nos angit, tum ob

naturæ

Et planxerunt eum.

naturæ tum periculi similitudinem. Futurum timemus, quòd iam illi dolet non modò se veteri exactam contubernio, sed & illud, ob cuius absentiam mœret, vetustate solui & in fauillam dissipari. Vnde quamtulumcunque est illud reliqui, quod funeri superesse possit, summa cura atque religione sanctissimi quique patres asseruandum curarunt. Reuolue Sanctorum Historias. Abrahamum comperies, Isaac item, & Iacob, Ioseph, Tobiam, aliosque complures huic studio operæ ac laboris plurimum impendisse.

Accedit ad plangoris commendationem & alia ratio, quòd originalem culpam mortis supplicio luimus. Hinc enim & ab hominis cadauere plerique omnes abhorremus, & vmbras ac spectra ex eius præsentia formidamus. Bonorum autem calamitate supra modum afficimur, vt qui videantur tanquam præter meritum alieno flagitio oppressi. Sed & illud nos habet sollicitos, quam viam denique capessant, & quàm feliciter ad sequentis & æternæ vitæ portum applicent. Nam iter illud obscurum, & à latronibus obsessum nouimus: quam ob causam migrantibus ne à recto tramite contingat deflectere, vehementer extimescimus. Vnus porrò Deus est, qui periclitantibus adesse possit, quem non dubitamus, si ad planctum fides accedat, gemitu nostro non posse non commoueri. Ex quo sequitur, & funebrem planctum non tantum naturæ fragilitas, excuset, sed eidem quoque ratio & vtilitas patrocinentur. Quod si quemquam plangere ius & æquum fuit, Iudæi vtique sanctissimum prophetam, & de Repub. benemeritum iudicem, denique patrem patriæ, deflere lamentarique debuerunt. Qui, vt nihil eorum quæ Lucianus ridet, illi metuerent, sed expertem tormentorum, quæ reos apud inferos exercent, eius innocentiam fore confiderent: attamen proprij periculi formidine ad deplorandum Reipub. casum concurrerent, vt puta qui tanto parente orbati, ab insano rege præcipites in exitium agerentur. Plangendus erat, inquit Salianus ab omnibus Ordinibus is, cuius morte omnes non leuem iacturam faciebant. Amittebat ipse Rex apud Deum patronum studiosissimum sui. Amittebant Leuitæ clarissimum lumen ordinis sui, quod ab ipso ortu suo ad mortis occasum perpetua vitæ claritate, sine vlla nubium obscuritate fulserat. Amittebant Sacerdotes singulare ornamētum suum, eum qui non natura, sed diuino priuilegio Sacerdos, muneribus sacerdotalibus extra ordinem fungebantur; vt docet S. Hieronym. epistola 125. ad Damas. quæst. 3. Amittebant studiosi religiosique viri, qui sub eius auspicijs in lege Domini die noctéque meditabantur, doctorem ac moderatorem suum. Amittebant ciues eius, domesticique gloriam suam, protectorem ac propugnatorem suum. Amittebant omnes tribus Iudicem pacis & belli artibus instructissimum, victorijsque ac prodigijs clarissimum. Amittebat denique populus vniuersus prophetam prudentissimum, & secundum Mosen ad hanc vsque diem maximum; moderatorem & patronum apud Deum gratiosissimum, omnium denique virtutum exemplar absolutissimum; qualem scilicet eum esse oportebat, qui Iesum Christum filium Dei hominem factum, tam multis rebus repræsentaret in terris; quas ibidem Salianus accuratè explicat à numero decimo ad decimum septimum, dignas profectò quæ legantur.

Samuelem Iudæi non absque graui causa planxerūt.

Salian. to. 3. ad ann. mūdi 2977. num. 8. & seq.

Et sepelierunt eum, &c.

Et sepelierunt eum in domo sua in Ramatha.] Infrà cap. 28. vers. 3. *in Ramatha vrbe sua.* Apud Stobæum Serm. 121. siue Menander ille, siue Moschion, haud ineptè de sepultura philosophatur:

Ἐάσατ' ἤδη γῇ καλυφθῆναι νεκρούς·
Ὅθεν δ' ἕκαστον εἰς τὸ σῶμ' ἀφίκετο,
Ἐνταῦθ' ἀπελθεῖν, πνεῦμα μὲν πρὸς αἰθέρα,
Τὸ σῶμα δ' εἰς γῆν. οὔτι γὰρ κεκτήμεθα
Ἡμέτερον αὐτὸ, πλὴν ἐνοικῆσαι βίον·
Κἄπειτα τὴν θρέψασαν αὐτὸ δεῖ λαβεῖν.
Sinite iam terra mortuos operiri:
Et vnumquodque, vnde in corpus venit,
Illuc redire: Spiritum quidem ad æthera,
Corpus verè in terram. Non enim possidemus
Ipsum proprium, sed quamdiu hanc vitam incolimus:
Deinde restituendum est suæ parenti.

Cynicè Diogenes sepulturæ curam contempsit, si canes cadauer suum lacerarent, Hyrcanam sepulturam fore dictitans; sin vultures, Iberam. At si nullum animal accederet, ipsum tempus pulcherrimam sibi fore sepulturam, corpore à pretiosissimis rebus, Sole, inquam, & imbribus absumpto. Lucianus περὶ πένθους, varios gentium ritus circa sepulturam fuisse perhibet. Græcus, inquit, exurit, Persa defodit, Indus adipe suillo obtinuit, Scytha deuorat, muria condit Ægyptius. Atque hic quidem (rem à me visam narro) desiccatum cadauer, conuiuam & compotorem adhibet. De Persis item & Ægyptijs Herodotus lib. 3. Persæ, inquit, & Ægyptij nefas esse putant, mortuos comburere. Nam Persæ ignem Deum existimant. Quare non iustum esse dicunt humanum cadauer offerre Deo. Ægyptij verò persuasum habent, ignem animatam quandam esse belluam, quæ quæcunque nanciscitur, deuorat atque consumit: at cùm est expleta, ipsam, & quæ ab ea vorata sunt, vnà emori: & propterea nec cremare, nec belluis offerre corpora, vt aliæ pleræque nationes, Ægyptij statuerunt: sed ea condire, ne à vermibus absumerentur. Apud Diodorum Siculum lib. 1. Ægyptij domos nostras diuersoria appellant, tanquam breui tempore à nobis inhabitandas; defunctorum sepulcra, sempiternas domos, quoniam apud inferos infinitum sit tempus, vocant. Ideo domus ędificandę curam contemnunt: circa sepulcrorum magnificentiam summum studium operámque impendunt. Cyrus Persa apud Xenophontem terram sibi sepulcrum designat. Meum corpus, ô mihi charissimi filij, cùm moriar, neque in auro condite, neque in argento, neque in alia re prorsus vlla: sed illud terræ reddite quamprimùm. Quid enim hac re beatius, quàm terræ misceri, quæ

Cynicum est sepulturam contemnere.

Varij sepeliendi ritus.

Diodorus.

Xenophon Cyropæd. lib. 8.

Cyrus Maior terram sibi tumulum optat.

Et sepelierunt eum, &c. pulchra omnia, bona omnia gignit & nutrit? Ego verò & aliàs me humanum præstiti, & nunc iucundè mihi videor eius rei particeps fieri, quæ benefica est in homines. Hæc ille. Studebat Cyrus scilicet etiam post mortẽ prodesse quamplurimis, & alendis stirpibus hominum bestiarúmque pabulum fieri. Athenienses tamen eorum ossa, qui pro patria mortem oppeterent, cyparissinis arcis condi maluerunt; (Thucydides.) vt esset ad excitandos posterorum animos diuturnius virtutis eorum monumentum.

Et sepelierunt eum.] Vt saltem hunc honorem exhiberent mortuo. Homerus in Iliade:

Funus ei adornent fratres socijque,

Τύμβῳ τε, στήλῃ τε· τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ θανόντων.

Tumulo & cippo. Hic enim honor defunctorum est.

Est autem honor testimonium virtutis. Fuit B (Sepulturæ studium in Sanctis.) autem mos ille antiquissimus cohonestandi sanctorum hominum sepulturas. Non Abraham emit sepulcrum Saræ vxori suæ. Iacob & Ioseph iusserunt ossa sua exportari ex Ægypto. Fuit ista cura non contemnẽda: erat enim præclarum testimonium resurrectionis. Deinde corpora nostra sunt templa Dei & organa Spiritus sancti. Itaque non sunt temerè abijcienda sine honore. Volunt etiam pij vnà sepeliri cum alijs fidelibus, vt vel mortui testificentur vnitatem, & consensum in religione & cultu Dei. Apud Ioannem Moschum in Prato Spirituali hæc legimus. (Pratũ Spirit. cap. 40.) Abbas Cosmas cum ab Hierosolymis Theopolim venisset, ibi defunctus est: quem Patriarcha Gregorius in Monasterio sepeliri fecit, vbi positus erat & Episcopus. Audiebatur autem nocte vox illius dicentis ad Episcopum: Noli me tangere hæretice: ne appropinques mihi, inimice sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ, &c. Quod ad rationem sepulcrorum attinet, caueri debet luxus immodicus & inanis sumptus: qua in re omnibus seculis scimus magnopere peccatum esse. Multi enim non contenti humo aut lapide, in ære, alabastro, argento, auro volunt putrescere: extruunt insanas moles, obeliscos, & pyramides. Neque tamen virorum fortium, aut etiam principum virtuti & gloriæ inuidendum, si posteritas ad exemplum virtutis excitatis magnificentioribus tumulis constantiæ eorum ac pietatis admoneatur. *Simon,* inquit Scriptura Machabæor. cap. 13. *ædificauit super sepulcrum patris sui & fratrum suorum ædificium altum visu, lapide polito retrò & antè: & statuit septem pyramides, vnam contra vnam patri & matri, & quatuor fratribus: & his circumposuit columnas magnas; & super columnas arma, ad memoriam æternam; & iuxta arma naues sculptas, quæ viderentur ab omnibus nauigantibus mare. Hoc est sepulcrum, quod fecit in Modin, vsque in hunc diem.*

Certè non in postremis habendam rationem (Vltio diuina quædam est sepultura priuari.) sepulturę ex Scriptura ipsa didicimus. Ille enim qualiscunque honor pertinet ad promissiones Dei. Dominus enim in 22. cap. cap. Ieremiæ minatur Ioachim, illum *asini sepultura* esse sepeliendum: videlicet, & proijceretur insepultus, & dilaceraretur à canibus, vt solent cadauera asinorum. Et in tertio lib. Reg. cap. 13. A Propheta ille qui non paruerat mandato Domini, sed cibum sumpserat in Samaria, audit ex altero propheta: *Cadauer tuum non inferetur in sepulcrum patrum tuorum.* In 14. cap. eiusdem libri, Ieroboam audit ex Ahia propheta, omnes posteros suos abijciendos esse insepultos, & prædam fore volucribus: quoniam tamen Dei clementia ita statuisset, vnum tantùm ex eius filijs sepeliendum esse in sepulcro maiorum. Et 4. Reg. 22. Olda prophetis respondet Iosiæ, de populo quidem actum esse: tamen, quoniam eius cor emollitum esset, & præ doloris magnitudine vestem discidisset, Deum illum collecturum ad patres suos, & affectum iri Regali sepultura. Sed obijcies, si ita est, cur tot prophetæ & apostoli tanto honore caruerunt? partim enim combusti sunt: partim suspensi ad Solem: partim per syluas, & solitudines disiecti, aut etiam piscibus in alto mari præda facti sunt. S. Chrysostomus in epistol. ad Hebræos homil. 26. ait, Præter Petrum & (S. Chrysostomus.) Paulum, Ioannem item & Thomam, aliorum Apostolorum sepulcra ignorari. Respondeo, Sepulturam ita esse bonam, vt tamen contemnenda sit propter Christum. Nam & opes, & amici, & vita ipsa, & omnia nostra postponenda sunt studio pietatis, & amori erga Deum: Et cùm propter Christum honore sepulturæ caremus, tum maiori gloriæ cedit, quàm si extructo Pario lapide Mausolæo tegeremur.

In domo sua in Ramatha.] Hinc ergo priusquam Romanæ leges conderentur, sepulta in vrbibus cadauera fuisse liquet. Sit exemplo Timoleon, cuius corpus in foro Syracusarum C terræ mandatum fuit. Elatus quoque Dion Hipparini filius Syracusanus in vrbe celeberrimo loco. Et Maro Æneid. 11.

Innumeras struxere pyras, & corpora partim
Multa virûm terræ infodiunt, auectáque partim
Finitimos tollunt in agros, vrbique remittunt.

Quinimò moris olim fuit intra suas quemq; ædes humari. Vnde Lares in singulis ædibus colendi religio, & à Laribus dictum Larium; in quo non solùm deorum Penatium, sed etiam præstantium virorum ex eadem familia imagines haberi solebant. Verùm ea licentia intra vrbis pomœrium sepeliendi Decemuirali iure sublata est. Legem refert Cicero 2. De legibus, quæ 12. Tabul. inscripta vetabat, ne hominem (Olim apud Romanos in vrbe sepeliri vetitum.) D mortuum quisquam in vrbe sepeliret. Rursum etiam Hadrianus *ff. De sepulcro violato, l. 3. §. 5.* pœnam statuit 40. aureorum in eos, qui in ciuitate sepeliunt, quam fisco inferri iussit: & in magistratus eandem, qui passi essent: & locum publicari iussit, & corpus transferri. Tantæ seueritatis causam interpretatur Cicero incendij periculum: nam apud Romanos incenso rogo cadauera cremabantur. Sed aliam rationem tradunt *l. mortuorum. C. de Relig. & sumpt. funer.* Diocletianus & Maximianus Augusti. Mortuorum, inquiunt, reliquias, ne sanctum municipiorum ius polluatur, intra ciuitatem condi, iampridem vetitum est. Id est, ne sacra ciuitatis funestentur. Paulus sentent. 1. titul. De sepulturis: Seneca tamen factum scribit, ne corpora

S. August.

corpora defunctorum fœtore & fœditate sua nocerent, cùm sepultura sit reperta viuorum gratia, non mortuorum. Quo pacto scribit & S. Augustinus de Ciuitate Dei lib. 1. cap. 1. Omnia ista, curationem dico funeris, conditionem sepulturæ, exequiarum pompam, magis esse viuorum solatia, quàm mortuorum subsidia. Sunt alij rursus, qui factam putant translationem istam mutationémque, vt ciuium animi excitarentur ad propulsandam iniuriam, & arcendos hostes muris, finibus, & agris. Sed profectò persuasum veteres habuisse, polluere cadauera seu defunctorum reliquias, inde conieceris, quod vt refert Gellius lib. 16. capite 15. nunquam solitus fuerit Flamen Dialis ingredi locum sepulcris destinatum, aut mortuum attingere, quod se pollui eo pacto existimaret. Idcirco etiam fortassis δύσφημον τάφον infame
B sepulchrum dixit Hesiodus. Quinimo Numer. 19. in eandem sententiam edictum legimus: *Si quis tetigerit in agro cadauer hominis occisi, aut per se mortui, siue os illius, siue sepulchrum, immundus erit septem diebus.* Sed hæc priscis eatenus in figura contigere, donec Christi sanguine peccati labes deleta est. Itaque mox vt per leges licuit, non in priuatas domos duntaxat, sed in ipsas sacras ædes, atque adeo etiam in aras ossa Martyrum illata sunt. Gentilium autem superstitionem, vt quæ nullo pietatis fundamento niteretur, Leo Imperator per edictum acriter reprehendit, & constitutione sua quinquagesima tertia abrogauit; Vtpote, inquit, quæ dedecore humanam naturam afficeret.

Eam legem Leo Imperator reprehendit & abrogat.

C Et quidem, inquit, de ea lege agens, si hoc præcipiens, de ijs humandis ageret, quibus facilem elationem facultates, quas viui habuerant, suppeditarent, fortasse lex aliquam ad id iubendum rationem habuisset. Quanquam tunc etiam ad amicorum, cognatorum, necessariorúmque defuncti commiserationem respicere oportebat: quorum dolori atque orbitati magnum sanè solatium est, si amici sui sepulchrum amplexari, ac in id lacrymas profundere possint. Quæ officia extra ciuitatem sepulto non facile est exequi. Attamen, si illos solùm extra ciuitatem sepeliri vellet, quibus id ipso mortis die per facultates facile esset, ad eam inclementiam aliquam lex occasionem haberet. Verum nunc cùm inclementia illa simul ad omnes se extendat, quomodo non ma-
D nifesta est absurditas? quomodo legem in naturæ opprobrium ferri non est euidens? Qui enim, dum adhuc viuerent, inopes & deserti erant, quomodo mortui ipso mortis die humabuntur? quomodo item, cùm propter paupertatem sepultura non accelerabitur, multis diebus insepulti, non miserabile simul & horrendum spectaculum iacebunt, tabescentémque hominum naturam decorabunt? Extra hæc autem, quum mortui interdum famuli Dei appellentur, proptérque cœlestem gloriam colantur, ipsorum corpora inhumata abijci, quomodo id verò expiationi etiam obnoxium non est? Ne igitur vllo modo inter ciuiles leges hæc lex recenseatur, sancimus: quin potius vt à consuetudine rectè contemnitur, sic etiam

A decreto nostro prorsus reprobatur. quicunque autem siue extra muros, siue intra ciuitatem sepelire mortuos volet, perficiendæ voluntatis facultatem habeto. Hactenus Leo Imperator.

His ab Imperatore in medium adductis rationibus cùm adiungi complures aliæ possint, tum hæ præcipuè quæ nunc animo meo occurrunt. Videntur enim mortuorum sepulcra idcirco nobis in conspectu posita esse debere, vt identidem officij immemores humanæ fragilitatis admoneamur, & formidine mortis à scelere reuocemur. Nam & propterea monumenta dicta sunt: & Græcè quoque funebris tumulus τάφος à τάφω, sicut & τάρβος, siue pauor appellatus est, quòd diuini iudicij metum terrorémque incutiat. Est & alia ratio quæ ad pietatem spectat, si ad sitos ipsos respectum habea-
B mus, nimirum vt ijsdem, si quid fortè deliquerint quod Purgatorij pœnis lui debeat, supplicium à Deo deprecemur. Nam quæ sunt ante oculos, horum nos facilè præsentia mouet: quæ procul sunt posita, horum ex animis cito memoria elabitur. Inde Græcis monumenta μνημεῖα καὶ τὸ μνήμης, quod sepultorum memoriam excitent. Valere etiam possunt ad fouendam fidei constantiam, ne qua hereticorum arte labefactetur; cùm monumenta ipsa testentur eandem religionem, quam profitemur, iam olim maiores nostros amplexos esse, & ad supremum vsque diem syncerè coluisse. Sanctorum etiam Sacratiores loculi, dum prostant, & viuentium oculis vsurpantur, spectantibus ad virtutis studium stimulos adhibere videntur.
C Subit enim virtutis eorum memoria, & quanta pro Christo siue egerint siue pertulerint: quos cùm ipsi non in alio quàm humano corpore labores obierint, nobis ipsis videmur magnopere deesse, si fugiendæ gratia molestiæ ab officio ad libidinem deflectamus. Adhæc immortalitatis spem vehementius accendunt, quam non obscuris vestigijs in præsenti Sanctorum gloria consequûtur; quos regnare iam & cæli delicijs perfrui non dubitant. Bonorum autem quæ magna putes, & speres tibi parare posse, vix fieri potest vt non ardeas desiderio. Illud quoque maiores nostri spectasse videntur, vt Sancti nobis præsidio essent, quos proprijs ipsorum corporibus tanquam certissimo beneuolentiæ pignore sibi haberent obnoxios. Nam si nullo non loco periclitantibus adsunt,
D quis putet à charissimis reliquijs, quas restitui sibi vehementius optant diutius posse abstitere? & si pro ijs olim à quibus iniurias acciperent, Deum orabant, quid eosdem nunc agere par est eorum nomine, à quibus religiosè coluntur? Ne vestes quidem suas neglexisse feruntur. Itaque Francorum acies S. Martini Cappa olim tuita est. Valentiam ab hoste in Hispania S. Vincentij tunica; Catanam in Sicilia S. Agathæ velum non semel ab incendio defendit. Postremò etiam idcirco sepulcra intra arcium mœnia recipi voluerunt, ne sacrilegæ furum libidini paterent, qui auaritiæ studio ea violarent: aut ne hostis immanior vrbibus exclusus, odio viuentium, quibus nocere non posset, in mortuos eorum parentes sæuiret.

Æquum, pium, & vtile videtur, si mortuorum reliquiæ in vrbe condantur.

Erat vir in solitudine Maon.

Versus II.

Erat autem vir quispiam in solitudine Maon, & possessio eius in Carmelo, & homo ille magnus nimis: erántque ei oues tria millia, & mille capræ: & accidit vt tonderetur grex eius in Carmelo.

Versus III.

Nomen autem viri illius erat Nabal: & nomen vxoris eius Abigail. erátque mulier illa prudentissima & speciosa: porrò vir eius durus, & pessimus, & malitiosus: erat autem de genere Caleb.

Variæ trãslationes.

Pagninus, *Et vir erat in Mahon, & pecudes* (Arias, *opus*) *eius in Charmel*. Charmel, & Maon oppida sunt prope desertum Pharan. Vatablus, Nomen loci iuxta desertum Pharan. De hoc, & de Carmelo vide cap. 15. Iosue, vers. 55. *Et possessio eius.*] Vatablus, *cuius operæ fuerunt in Carmelo*. In Schol. vel, *cuius opus*; vel, *cuius opes*. Alij, *cuius peculium*, siue *pecudes* erant in Carmelo. Alius, *cuius opus* erat *Charmeli*. Chaldæus, *& substantia eius in Charmela*. Septuag. edit. Complut. Καὶ ἦν ἄνθρωπος ἐν τῇ ἐρήμῳ, καὶ ἡ ἐργασία αὐτοῦ ἐν τῷ καρμήλῳ. *Et erat homo in solitudine, & possessio eius in Carmelo.* Ald. edit. Καὶ ἦν ἄνθρωπος ἐν τῇ μαάν, καὶ τὰ ποίμνια αὐτοῦ ἐν τῷ καρμήλῳ. Rom. translat. LXX. Interpr. *Et erat homo in Maon*. Nobilius, Ita etiam Hebræus hoc loco, & Chaldæus. Complut. ἐν τῇ ἐρήμῳ, *in solitudine*. Vulgatus vtrumque coniungit, *in solitudine Maon. & greges eius in Carmelo.*] Complut. vt sup. vidimus habent ἡ ἐργασία, *cultura*, *possessio*, vt Vulgata. Dictio Hebræa (ea est מעשה *maghaseh*, à verbo עשה *ghasah*.) propriè significat *culturam*: sed transfertur etiam ad significandas pecudes, quoniam in pecudibus, tanquam in præcipua possessione insumebantur operæ veterum. *Et homo ille magnus nimis.*] præpotens, ditissimus. Hebraïcè גדול מאד *gadol meod*, idem quod Græcè μέγας σφόδρα; Latinè, *magnus valdè*.

Versu 3. Nomen viro נבל *Nabal*; vxori, אביגיל *Abigail*. Sept. edit. Complut. ἀβιγαῖλ Ald. & Rom. ἀβιγαία. Pagninus, *Et mulier bona intellectu*, טובת שכל *tobath sechel*. *& pulcra forma*, ויפת תאר *viphath thoar*. Hinc quidam ita vertit: *Fuitque mulier illa clari ingenij*, seu boni intellectus, *& pulchra forma*. Vatablus, *claro ingenio, & venusta forma*. Alius, *præstante mente*. Hebr. *bona intelligentia*. Ionathan Chaldæus, *Sapiens intelligentia siue cognitione, & pulcra visu*. Septuag. Καὶ ἦν ἡ γυνὴ ἀγαθὴ συνέσει, καὶ καλή. Rom. edit. ἀγαθὴ τῇ ὄψει σφόδρα, *& erat mulier bona prudentiâ, & pulchra* (*bona*) *formâ nimis*. Pagninus, *Et vir erat durus, & malus operibus*,

A (Arias, *adinuentionibus*) מעללים *maghalalim*. *Et ipse Calibita*. Al. durus, & malis moribus, de genere Caleb. Chaldæus, durus, & malus factis; hoc est, intractabilis & totus inhumanus. Vatablus, *durus*, siue *difficilis, & malus operibus*, seu *malis studijs præditus*. Al. *durus, & malis actionibus deditus*. Septuag. Καὶ ὁ ἄνθρωπος σκληρὸς καὶ πονηρὸς ἐν ἐπιτηδεύμασι, καὶ ἄνθρωπος κυνικός. *Et homo durus*, Complut. *& malitiosus in exercitijs*, Rom. *& malignus in studijs, & homo caninus*.

Erat vir in solitudine Maon.

In solitudine Maon.] Athalaricus Rex apud Cassiodorum Variar. lib. 8. epist. 31. Feris datum est, inquit, ægros syluásque quærere: hominibus autem focos patrios supra cuncta diligere. Aues ipsæ gregatim volant, quæ innoxia voluntate mitescunt. Canori turdi amant sui generis densitatem. Strepentes sturni compares sequuntur indesinenter exercitus. B Murmurantes palumbi proprias diligunt cohortes, & quicquid ad simplicem pertinet vitam, adunationis gratiam non refutat. Contrà, animosi accipitres, aquilæ venatrices, & supra omnes alites acutius intuentes, volatus solitarios concupiscunt: quia rapaces insidiæ innoxia conuenticula non requirunt. Ambiunt enim aliquid soli agere, qui prædam cum altero non desiderant inuenire. Sic mortalium voluntas plerunque detestabilis est, quæ conspectum hominum probatur effugere: nec potest de illo aliquid veraciter credi, cuius vitæ testis non potest inueniri. Et rursum: Nam quale desiderium est, ciuium frequentiam deserere, cùm aliquas quoque auium conuersationi humanæ se videant velle miscere? Mortalium enim pe- C nalibus fiducialiter nidos philomena suspendit, & inter commanentium turbas pullos nutrit intrepida. Fœdum ergo nimis est, filios in desolationibus educare, cùm frequentationi humanæ videat alites sua pignora commisisse. Redeant igitur ciuitates in pristinum decus: nullus amœnitatem ruris præponat mœnibus antiquorum. Quomodo potest in pace refugi, pro qua oportet bellum, ne vastetur, assumi? Cui enim minus grata Nobilium videatur occursio, cui non affectuosum sit cum paribus miscere sermonem, forum petere, honestas artes inuisere, causas proprias legibus expedire, interdum Pala mediacis calculis occupari, ad balnea ire cum socijs, prandia mutuis apparatibus exhibere? Caret profectò omnibus his, D qui vitam suam vult semper habere cum famulis. Hactenus Athalarici edictum de habitandis vrbibus. Fauet his etiam quod de Persarum filijs refert Xenophon, qui vnà omnes educabantur, quòd viderentur ex eo iuuari quod simul habitantes, se inuicem cognoscerent: at in mutua notitia innascitur magis omnibus verecundia. qui autem ignorantur, videntur procliuiores quodammodo ad desidiam, tanquam versentur in tenebris. Hæc Xenophon. Quæ tametsi momenti nonnihil ad persuadendum habere videantur, nequaquam tamen eremus deserẽda est, si neque impudentiam alat, neque sceleri faueat, sed à rebus terrenis duntaxat auocet, & ciuilium negotiorum tumultibus, qui religionis cultum & pietatis studium plerunque

Cassiodorus.

Syluæ feris, homines generis sui societate gaudent.

φιλομήλα scribi debet si Pausaniæ credimus: ea in hirundinem, vt Varroni placet: Græci malunt in lusciniam mutatam.

Xenophon Cyropæd. lib. 1.

Et possessio eius in Carmelo.

S. Isidorus Pelus. Eremi laus.

runque interpellant. Quinimò vt docet S. Isidorus Pelus. epist. 77. lib. 1. vsqueadeo ad salutem conducit secessus ab vrbanis tumultibus, vt etiam Dei filius relictis vrbibus, eos, qui cum puritate viuunt, in montis cacumine beatos prædicarit. In quo per ea quæ faciebat, illud ostendebat, fieri non posse, vt qui ab inferis rebus minimè se abstraxisset, atque ad virtutis fastigium ascendisset, beatus à Deo censeretur, aut futura bona consequeretur. Nam qui superna sapit, illic habitat, *vbi Christus est in dextera Dei sedens.*

Ad Coloss. 3.

Quid vocetur possessio.

Et possessio eius in Carmelo.] *D. De adquirenda vel amittenda possessione, l. 1.* Paulus: *Possessio* appellata est (vt & Labeo ait) à sedibus, quasi positio, quia naturaliter tenetur ab eo, qui ei insistit, quam Græci κατοχὴν dicunt. Gothofredus ibidem habet à pedibus, & vt Labeo ait, quasi pedum positio. Vulgat. ex Florentina lectione colligit Hotomanus, existimari posse, adquirendæ possessionis notam ac symbolum fuisse sedis alicuius, dicis causa, positionem. Legendus Cuiacius Obseruat. 9.33. Paucis complura explicantur *D. De verbor. significatione l.* 115. Possessio, inquit Modestinus, ab agro iuris proprietate distat. quidquid enim apprehendimus, cuius proprietas ad nos non pertinet, aut nec potest ad nos pertinere: hoc possessionem appellamus. Possessio ergo vsus. Ager proprietas loci est. Prædium vtriusque supradictæ generale nomen est. Nam & ager & possessio huius appellationis species sunt. Gothofredus, Puto id innui, vna & eadem res diuersas appellationes sortiri potest. Sic terra, quatenus in eam quid agitur, iure proprio ac nostro, Ager: quatenus quotannis multa fundit, Fundus, Varro 4. De lingua Latina: quatenus ex ea homini maximè prouidetur, Prædium, quasi præuidium, Isidor. 13. quatenus ea vtimur, aut eam possidemus, Possessio dicitur vt hic. Aliter dici potest, Fundus est ipsum solum: eo si vtimur, Prædium dicitur. Vtilitas quæ ex prædio venit, consistit vel in proprietate, hinc ager: vel in vsu aliquo, hinc possessio. Græcam & Hebræam vocem iam antea expendimus.

In Carmelo.] Mons fuit in quo & ciuitas ædificata fuit ad meridiem sortis Iudæ, vicina deserto Maon. Charmel siue Chermel ciuitas dicta fuit, quæ tempore S. Hieronymi nominabatur Carmelia, vbi & Romanorum præsidium erat positum. Diuersus est mons iste ab alio eiusdem nominis, quem Tribus Issachar ad mare possedit, Elias cum pluribus alijs prophetis incoluit.

Et homo ille magnus nimis.] Quo pacto hoc explicem? Non enim virtute præstantissimum dicere voluit. Atqui hi ferè soli maximi dicendi sunt, si nihil adijcias cui tu magnitudinem destines. Nam & corpore magnus dici potest, & robore magnus, potentia item doctrina, & diuitijs. at quem magnum absolutè prædicem præter eum, qui pietate & religione præditus sit, video ego neminem. Vtitur Scriptura scilicet recepta phrasi, & in gratiam hominum vulgato more loquitur. Iam verò quanta sit ea

A magnitudo, quamque latè pateat in hominum vita Teles apud Stobæum mirificè describit Serm. 89. Agit autem diuitiarum causam apud eum nescio quis Plutus, ab Ethnicis opum numen habitus, cuius hæc summa oratio fuit. Iactabat se, inquit, Plutus se hominum necessitates sustentare, ac emendare, desideria perficere, damnis resistere, curare corpus, animæ gratificari, splendere in pace, militiæ suppeditare sumptus, à morbis restituere: singulis anni temporibus magnas commoditates præbere, nempe calorem in frigore: & contra declinationem æstuum: augere domos, & conseruare successiones magnarum familiarum, nuptias magnificè struere, & liberorum generationem promouere. Adhæc orno, inquit, templa, ciuitates per me pulchriores fiunt. Opera

Et homo ille magnus nimis.

Teles in lib. de comparatione diuitiarum & virtutis.

B mea sunt mœnia, portus, classes. Amnes profundos pontibus operio, terramque diuulsam coniungo. Me indiget negotiatio. Agricultura quoque sumptus ex penoribus meis postulat. Nihil enim sponte terra producit, nisi antea aliquid acceperit: non potest autem aliunde accipere quàm ex meis. Quinetiam alijs rebus omnibus non parum commoditatis præsto. Nam ornamentis plurimùm formam iuuo, & sumptus suppedito, qui ad corporis curam & exercitium sufficiat. Omnibus disciplinis præceptores adhibeo. Vnde mulieribus ancillæ ad lanificium? Vnde viris arma? Ebur ac aurum quæ simulacris destinantur, mea sunt, item anathema omnia. Per me magnæ sunt ciuitates, & regna propter me potentiora. Ego festa

Diuitiarum laudes & commoda.

C celebro, mihi hospitalis est mensa, beneficia prompta, retributiones amplæ. Qui me possidet, non ipse solùm fortunatus agere potest, sed etiam alijs fortunam suam communicare. Ego artes omnes meliores facio, dum illis spem inijcio: fouentur enim magnitudine mercedis à me suppeditandæ. Hæc denique cùm Plutus pro se oraret, fortuna pro eo testimonium dixit, quæ eidem fauebat impensius. Aderant & complures deæ comites, quæ eiusdem causæ patrocinabantur: Voluptas, Spes, Votum, Cupiditas. Amor quoque partes eius sequebatur, vt qui diuitiarum opera sæpius vteretur. Et Sanitas ei gratiam habebat, vtpote beneficio pecuniarum morbos expugnans. Sequebantur & aliæ duæ, Oeconomia & Luxuria, &c. Hæc omnia Teles: quæ cùm vera sint, quis neget

D magnum virum esse diuitem?

Desponderet itaque animum alter quispiam cui opes deessent: non despondit tamen Socrates, cùm animaduerteret nonnullos qui opibus destituerentur, præstantes & magnos haberi. Nam his diebus, inquit apud Xenophontem in Oeconomico, cùm equo Niciæ peregrini obuius fuissem, vidissémque plures qui spectandi causa sequebantur, & multis eum verbis laudarent, accessi ad equisonem sciscitans, an equus ille multas haberet diuitias. Ille verò coniectis in me oculis quasi dementem & insanum, qui sic rogarem. Quo pacto, inquit, essent equo diuitiæ? Hoc pacto respirare cœpi, animóque recreari, quod audissem equum pauperem, si naturæ beneficio bona præditus esset

Xenoph. Oeconom. cap. 17.

Habet quoque paupertas suas laudes & commoda si cum virtute coniuncta sit

Erántque ei oves, &c.

anima, bonum fieri licere. Sic enim licet & mihi esse bono. Pluribus apud eundem Charmides ostendit in Conuiuio, longè maiorem esse qui pauper sit, quàm qui diuitijs abundet. Annon enim, inquit, hoc constat, præstantius esse fidere, quàm metuere? liberum esse magis quàm seruire? & coli, quàm colere? & eum esse, cui patria fidem habeat magis, quàm cui diffidat? Ego igitur cùm in hac ciuitate diues essem, primùm metuebam, ne quis pariete diruto res meas diriperet, ac meipsum aliquo incommodo afficeret, maléque tractaret. Deinde etiam colendi mihi erant sycophantæ: intelligebam enim mihi facilius ab illis malum accidere posse, quàm illis à me, &c. quibus ille quidem nonnulla paupertatis commoda in libera ciuitate enumerat, sed summam eius laudem, quæ in virtute posita est, non complectitur.

Erántque ei oues tria millia.] Contrà tamen Polyphemus apud Ouidium cùm ipse quoque diues pectoris esset, inquit;

Ouid. Metamorph. 13.

Nec si fortè roges, possum tibi dicere quot sunt.
Pauperis est numerare pecus.

Quamobrem & pauper erat ille Menalcas, qui apud Virgilium

De grege non audet quicquam deponere: ait enim,
Est mihi namque domi pater, & iniusta nouerca:
Bisque die numerant ambo pecus, alter & hædos.

Sed numerus hic scilicet cùm tantus esset, non potuit possessorem suum non copiosissimum reddere. Iob historiæ suæ cap. 1. Septem millia ouium habuisse dicitur. Marineus lib. 1. De reb. Hispan. oues in Hispania innumeras haberi scribit, multos se ibi pastores nouisse, quorum vnusquisque ouium triginta millia possidebat, ideóque lanas mollissimas earum non Hispaniæ solùm populis, sed externis etiam gentibus abundantissimè suggeri. Et Damianus à Goes in Histor. Hispan. Eques Lusitanus tradit, hac etiam tempestate in Hispania regulos multos, quos pastores, inquit, Hispani vocant, tricena, & quadragena millia ouium possidere. Sed hæ priuatorum copiæ. Apud Strabonem legimus Cappadoces Persis pendere præter cætera, ouium quinquaginta millia, Medos duplum ferè. Mesa Rex Moabitarum 4. Reg. cap. 3. Ioram, Achab filio, Israëlitarum Regi, pendebat centena agnorum millia, & totidem lauatorum arietum. Denique Iosaphat Iudæorum Regi pijssimo, pendebant Arabes singulis annis, *arietum septem millia septingenta, & hircorum totidem.*

Marineus. Ouium exercitus in Hispania.

Damianus à Goes.

2. Paral. c. 17.

Pecuniam & peculium priscis à pecore dictum volunt, quod in eo augendæ rei apud eos facultas sita esset, & honestissimum pascendi studium existimarent. Testatur hoc Varro lib. 2. De re rustica, cap. 2. De antiquissimis ait, illustrissimus quisque pastor erat, vt ostendit Græca & Latina lingua, & veteres poëtæ: qui alios vocant πολύαρνας, alios πολυμήλους, alios πολυβούτας, qui ipsas pecudes propter caritatem aureas habuisse pelles tradiderunt; vt Argis Atreus, quam sibi Thyesten subduxisse queritur; vt in Colchide, ad cuius arietis pellem profecti regio genere dicuntur Argonautæ, vt in Lybia ad Hesperidas, vnde aurea mala, id est, secundum antiquam consuetudinem, capras, & oues, quas Hercules, & Africa in Græciam exportauit: ea enim Græci sua voce appellarunt μῆλα. Hæc ille. Tres autem gradus humanæ vitæ Varro ibidem constituit: primum, naturalem, cùm, inquit, viuerent homines ex ijs, quæ inuiolata vltrò ferret terra. Ex hac vita in secundam descenderunt, pastoritiam, è feris, atque agrestibus, vt ex arboribus, atque virgultis decerpendo glandem, arbutum, mora, pomáque colligerent ad vsum: Sic ex animalibus, cùm propter eandem vtilitatem, quæ possent, syluestria apprehenderent, ac concluderent, & mansuescerent. Tertio denique gradu à vita pastorali ad agriculturam descenderunt. Hæc ille. Sed & Plinius testatur, pecus aliquando vnicum Romanis vectigal fuisse. Et Ouidius Fastor. 1. *Pascebátque suas ipse Senator oues.*

Varro.

Priscorum diuitiæ, pecora.

In Græcia quoque hoc pastoritium studio ita viguisse ex Homero, alijsque antiquissimis scriptoribus, poëtisque constat, vt non reges tantùm, sed ipsorum etiam deos immortales, pastores fuisse tradant: Pastor apud Homerum est Apollo, Mercurius, dij alij, & apud eundem Minerua Vlyssi apparet habitu pastoris; quales, inquit, regum filij sunt. Similiter apud Apollonium Orpheus Nymphas vocat, ποιμένας, hoc est, vt interpretatur Scholiastes, quæ ouium curam gerunt, atque inde etiam ποιμνήιδες dicuntur. Sol itidem filio suo apud Theocritum, eximium hoc donum præbuisse legitur, vt diuitijs rei pecuariæ abundaret præ omnibus hominibus.

Filij regum pastores.

Odiss. N. Lib. 4. Argonaut.

Theocritus idyll. 32.

Quod ad vtilitatem spectat, Post maiores quadrupedes, inquit Columella, ouilli pecoris secunda ratio est, quæ prima fit, si ad vtilitatis magnitudinem referas. Nam id præcipuè nos contra frigoris violentiam protegit, corporibúsque nostris liberaliora præbet velamina. Et Plinius: Magna pecori gratia in vsu vellerum, vt boues victum hominum excolunt, ita corporum tutela pecori debetur. Primas ex feris oues cicures factas Varro opinatur: Maximè enim, inquit, naturæ quietæ, & aptissimæ sunt ad vitam hominum: ad cibum enim lac, & caseum adhibitum, ad corpus vestitum, & pelles attulerunt. Fructuum enim ex pecore, species sunt duæ: vna est tonsura, altera, quæ latius patet, de lacte & caseo, quam scriptores Græci separatim τυροποιΐαν appellarunt, atque scripserunt ea de re permulta. Varronem imitatus Ouidius Metamorph. 15.

Columella.

Plinius.

Ouium vtilitas.

Ouidius.

inque tuendos, inquit,
Natum homines (pecus) *pleno quæ fertis in vbere nectar,*
Mollia quæ nobis vestras velamina lanas
Præbetis, vitáque magis, quàm morte iuuatis.

De ouium ingenio & moribus, & reliquis quæ ad eius pecoris cultum pertinẽt, mysteria, apologos, Hieroglyphica, inuenies apud Vlyssem Aldrouandum lib. 1. De quadrupedibus bisulcis cap. 7. In Ponto felle carent: ibi enim absynthio victitant; in Naxo insula contrà duplici felle abundant.

Et mille capræ.] Virgil. de capris lib. 3. Georgic.

Ha

Et mille capræ. Virgilius.

Hæ quoque non cura nobis leniore tuendæ,
Nec minor vsus erit: quamuis Milesia magno
Vellera mutentur Tyrios incocta rubores.
Densior hinc soboles: hinc largi copia lactis.
Quo magis exhausto spumauerit vbere mulctra,
Læta magis pressis manabunt flumina mammis.
Nec minus interea barbas, incanáque menta
Cinyphij tondent hirci, setásque comantes,
Vsum in castrorum, & miseris velamina nautis.
Pascuntur verò syluas, & summa lycæi,
Horrentésque rubos, & amantes ardua dumos.
Atque ipsæ memores redeunt in tecta, suósque
Ducunt, & grauido superant vix vbere limen.

Caprarum commoda.

Mille.] Minor numerus quàm ouium. Rationem affert Varro lib. 2. De re rustica, cap. 3. Numerus, inquit, in gregibus minor est caprino, quàm in ouillo, quòd capræ lasciuæ, & quæ dispergant se. Contrà oues quæ se congregent, ac condensent in locum vnum. Itaque in agro Gallico greges plures potius faciunt, quàm magnos; quod in magnis citò existat pestilentia, quæ ad perniciem eum perducat. Satis magnum gregem putant esse circiter quinquagenas, quibus assentiri putant id, quod vsu venit Gaberio Equiti Rom. Is enim cùm in suburbano mille iugerũ haberet, & à caprario quodam, qui adduxit capellas ad vrbem x, sibi in dies singulos denarios singulos dare audisset, coëgit mille caprarum, sperans se capturum de prædio in dies singulos denarium mille. Tantum enim fefellerit, vt breui omnes amiserit morbo. Contrà in Sallentinis, & in Casinati ad centenas pascunt. Hæc Varro. Qui ibidem de caprarum emptione ac delectu loquens, Capras sanas, inquit, sanus nemo promittit: nunquam enim sine febri sunt. Itaque stipulantur paucis exceptis verbis, ac Manilius scriptum reliquit sic: Illas capras hodie rectè esse, & bibere posse, habereque rectè licere, hæc spondésne?

Varro. Caprarum multitudo sibiipsi perniciẽ creat.

De Capris admirandum illud Varro narrat, quod etiam Archelaus scribit, non vt reliqua animalia naribus, sed auribus Spiritum ducere solere. Vtrisque spirare Ælianus refert lib. 1. de animal. cap. 53. Harum quoque pelles in Sardinia, quibus indigenæ pro vestimentis vtuntur, tam mirifica vi esse, vt hyberno tempore calefaciant, æstiuo refrigerent: pilos ipsis cubiti magnitudine innasci. Ibidem Histor. Animal. lib. 16. cap. 34. Oculorum suffusio quo pacto curaretur, capræ homines primùm docuisse feruntur. Nam vt oculum male affectum sentiũt, ad rubi spinam admouent, & reserandum permittunt: hæc vt pupugit, pituita statim euocatur, nullâque pupillæ læsione facta, visum recuperant. Inde medicis, vt pariter experirentur ansa data est. ibidem lib. 7. cap. 14. Caniculę item exortum & pluuias ante præscire capras affirmant. Ex earum pellibus cum Hipparchus quidem Romæ, Anaxagoras in Olympia futurum imbrem prænunciassent, vtrobique sunt celebres habiti. lib. 7. de histor. Animal. cap. 8. De capris copiosissimè Aldrouandus lib. 1. de quadruped. bisulcis, cap. 9.

Varro. Capræ spiritum ducunt auribus. Ælianus.

Et accidit vt tonderetur grex eius.] Tametsi Horatius in Epistolis nonnusquam scripserit, *Al-*
A *ter rixatur de lana sæpe caprina*, ironicè tanquam ea nulla sit: Ælianus tamen lib. 16. De Animal. cap. 30. Callisthenes Olynthius, inquit, capras scribit in Lycia, densissimo & prolixissimo hirsutas esse pilo, vt muliebres crines implexi ab eis dependere videantur, & passim tanquam oues tonderi, ex eisdémque nauium fabros rudentes contexere. Scaliger Exerc. 199. num. 4. In Anatolia, inquit, quæ est Phrygia, siue Asia Minor, hirci sunt quadricornes, pilo admodum prolixo æquante candorem niuis, Quem vellunt ad textrinam, non autem tondent, propterea quod attonsione pilum aiunt crassescere. Hunc morem veteribus fuisse Varro ait, vnde & vellus dictum putat. Aristoteles eiusdem sententiæ author est: ἀποκαρέντες λεπτότεραι αἱ τρίχες πεπλημέναι ἀναφύονται; ex molliore villo pre-
B ciosos conficiunt pannos, Zarzacan vocant, è crassiore Maiacar; è mediocri, id quod Zambellot, alij camelot, Turcæ hac, sicut hircum ipsum Halc. Ita Scaliger. Rursum Æliano caprarum Caspiarum villi adeo molles & albi, vt cum Milesijs lanis mollitudine comparari possint: ex ijsque Sacerdotes, & Caspiorum ditissimi vestes conficiunt. In Cilicia, referente Plinio, circáque Syrtes villo tonsili vestiuntur lib. 3. c. 31. Tondentur etiam capræ, inquit Varro, quod magnis villis sunt, in magna parte Phrygiæ: vnde Cilicia, & cætera eius generis fieri solent. Sed quod primum ea tonsura in Cilicia sit instituta, nomen id Cilicas adiecisse dicunt.] Cilicijs vsos nautas, pastores, milites, non pauci scribunt, quòd & bellicis tormentis
C saga ex caprinis setis confecta plurimùm resisterent, & ab imbre haud facilè penetrarentur. Vetus expositio in Auicennam Mathahaze dicit esse pannum ex pilis capræ. Andreæ Bellunensi Mesha pannus & contextus ex pilis asinorum, & caprarum, & interdum ex solis caprinis: additque ex hoc rudis panni genere, Arabes, qui vastum eremum incolunt, sacros sibi conficere. Cyprij quoq; autore Ænea Syluio è pilis caprarum camelotum conficiunt. Iosephus barbarus testatur in Armenia Minore prope Betelin, & Issam fluuios, magnam esse caprarum copiam, eásque in vsum vestis vndulatæ quotannis tonderi. Asserit denique Bellonius Obseruat. lib. 3. c. 13. Selectiores Turcarum pannos vndulatos ex pilis caprarum contexi Ancyræ Cappadociæ metropoli, sed &
D tapetes ex caprarum pilis constare. In Iudæa tamen capras tonderi solitas nusquam legimus, quamobrem hoc loco de ouibus duntaxat Scriptura accipienda est.

Et accidit, &c. Capræ etiã nonnullis locis tondentur.

Scaliger.

Sect. 10. Probl. 15.

Tonsuræ tempus, inquit Varro De re rustica li. 2. c. 11. inter æquinoctium vernum, & solstitium, cùm sudare cœperint oues, à quo sudore recens lana tonsa succida est appellata. Oues hirtas tondent circiter hordeaceam messem, in alijs locis ante fœnisicia. Quidam has bis tondent in anno, vt in Hispania citeriore, ac semestres faciunt tonsuras: duplicem impendunt operam, quòd sic putant plus facere lanæ, quo nomine quidam bis secant prata.] Palladius locis calidis tondere oues iubet mense Aprili, locis verò temperatis, mense Maio tonsuram

Varro. Tonsuræ tempus.

Palladius.

ET ACCIDIT, VT TONDERETVR, &c. celebrandam esse scribit: Iunio verò mense in frigida regione. Columella & Palladius certum tempus anni per omnes regiones hoc in negotio seruari non posse asserunt, quoniam nec vbique tardè, nec celeriter æstas ingruit, & est modus optimus, inquiunt, considerare tempestates, quibus ouis non frigus, si lanam detraxeris, neque æstum, si nondum detonderis, sentiat. Variant itaque tonsuræ tempora, quia non vbique idem cœli status, neque pecoris, pabulique ratio eadem. Quibusdam locis bis tondentur oues, inquit Heresbachius, nempe ad initium Maij, aut finiente Aprili, temperatis diebus, prima tonsura, & iterum circa Septembris initium, secunda vsurpatur. Nostri bis tondent, primum circa festum S. Crucis, quod est tertio Maij, & rursus circa festum S. Crucis, quod est 14. Septembris. Quibus semel duntaxat tondere consuetum, hi circa solstitium æstiuum vellere pecus liberant. Quo tempore & ij, qui gemina vtuntur tonsura, agnos quoque tondere consueuerunt. Ante triduum quàm tondeantur, bene lauandæ, atque vbi exsiccatæ, tondendæ. Tantum Heresbachius. Dies, inquit Varro, ad eam rem sumuntur sereni, & in ijs id faciunt ferè à quarta ad decimam horam, quoniam Sole calidiore tonsa, ex sudore eius lana fit mollior, & ponderosior, & colore meliore; quam demptam, & conglobatam alij vellera, alij velumina appellant. Ex quo vocabulo animaduerti licet, prius lanæ vulsuram, quam tonsuram inuentam. Plinius Varroni assentiens non vbique oues tonderi scribit, sed quibusdam in locis vellendi modum durare. Et, qui etiamnunc vellunt, ait Varro, antè triduo ieiunas habent, quod languidæ minus radices lanæ retinent. Virgilius lanam albam plurimùm commendat Georg. lib. 3.

Heresbachius.

Nonnullis locis non tondentur oues, sed lanæ velluntur.

Virgilius.

Munere sic niueo lana (si credere dignum est)
Pan Deus Arcadiæ captam te Luna fefellit,
In nemora alta vocās: nec tu aspernata vocantē.

Vt talem consequi lanam possis, admonet:

Si tibi lanicium curæ: primùm aspera sylua,
Lappæque tribulique absint: fuge pabula læta:
Continuóque greges villis lege mollibus albos.
Illum autem (quamuis aries sit candidus ipse)
Nigra subest vdo tantum cui lingua palato,
Reijce: ne maculis infuscet vellera pullis
Nascētum: plenéque alium circumspice campo.

Calphurnius habendam coloris & mollitiei rationem, ne dura molliculæ, fusca candidæ misceatur.

Cùm iam tempus erit, maternas demere lanas,
Hircorúmque iubas, & olentes cædere barbas,
Ante tamen secerne pecus, gregibúsque notatis
Consimiles include comas, ne longa minutis,
Mollia ne duris coeant, ne candida fuscis.

Denique illud etiam vehementius inculcat, quod vulgò dicitur, Boni pastoris esse tondere pecus non deglubere.

Sed tibi cum vacuas posito velamine costas
Denudabit ouis, circumspice, ne sit acuta
Forfice læsa cutis: tacitum ne pustula virus
Texerit occulto sub vulnere, quæ nisi ferro
Rumpitur, in miserum fragili rubigine corpus
Corrodet sanies, & putrida contrahet ossa.

A Docent tamen Varro, & Palladius, & etiam Virgilius remedia acie ferri molliora.

ERAT QVI MVLIER, &c.

Nomen viri illius Nabal.] Explicat illud vxor sua infra ver. 25. *Et nomen vxoris eius Abigail.*] *Patris mei exultatio.* Annon à voce *Ab*, & *Gail*, exultatione? Fungerus in Etymol. *Erátque mulier illa prudentissima & speciosa.*] Ecclesiasticus cap. 22. ver. 4. *Filia prudens hereditas viro suo.* Et rursum cap. 36. *Est filia melior filia. Species mulieris exhilarat faciem viri sui. Qui possidet mulierem bonam, inchoat possessionem: adiutorium secundùm illum est, & columna vt requies.* Digna planè Abigail quæ tribus viris redimeretur, quod fecisse olim Balearium Insularum accolas Diodorus refert lib. 6. cap. 5. Tanti olim mulieres illi faciebant. Atalantæ verò masculam pulchritudinem & venustatem describit

Laus mulieris bonæ.

Diodorus.

B Ælianus lib. 13. Var. Histor. cap. 1. Sed magis arridet cum corporis tum animi præstātia, quam in Aspasia commendat lib. 12. cap. 1. Illa magis nostram Abigail pudore, gratia, atque excelsi animi magnitudine referebat. In sanctis mulieribus pulchritudinem & decorem plerunq; Scriptura obseruat. Itaque Saram excellenti forma fuisse legimus, Rebeccā item & Rachel, Esther, Iudith. Ecclesia verò etiam fœminas martyres, eodē epitheto honestauit. Comnenus Imperator in sua constit. Διὰ τὴν καλλιμάρτυρα βαρβάραν. Et mox, ὅτι τὴν καλλιμάρτυρα εὐφημίας πανηγυρίζουσι. SS. Barbaram & Euphemiam *pulchras Martyres* vocat. quinetiam Scriptura ipsa simpliciter eas *speciem* nuncupat. Sic enim nonnulli de mulieribus interpretantur illud

Ecclesia Martyres fœminas pulcras vocat.

C Iob, *Et visitās speciem tuam non peccabis*: Et item illud Psal. *Et speciei domus diuidere spolia.*

At verò Lucianus ille disertissimus nebulo cùm in Dialogo *Imagines*, formosissimæ atque honestissimæ mulieris exemplar Pantheā proponeret, quæ non tantùm corporis pulchritudine præstaret, sed etiam numeris omnibus absoluta esset, & eas animi dotes esset consequuta quæ formæ gratiam & morum venustatē plurimùm commendarēt, iubet ex ijs dearum imaginibus, quæ pulcherrimæ olim à summis artificibus elaboratę essent, quod præcipuum foret & plurima laude nobilitatum, illud ad ornandam corporis speciem Pantheæ conferre. Et primùm quidem Polystrato, cum quo sermonem instituit, Cnidiorum Venerem, Praxitelis

Muliebris formæ descriptio.

D monumentum famosissimum, in mentem reuocat. Deinde & alterā Alcamenis, quæ in hortis Athenis prostaret; Sosandram etiā Calamidis, denique Phidiæ Lemniam, & innixā hastæ Amazonem. Quæ vbi iam satis ob oculos statuisse visus est, tum iubet Veneris è Cnido adductæ caput eligere. Nam quod ad comam, inquit, & vultum attinet, ac decentem superciliorum ambitum, illi habendū concedes quemadmodum à Praxitele absoluta est. Quinetiam oculorum mobilem agilitatem amabili hilaritate & gratia temperatam retinebit, sicut visum est Praxiteli. Cæterùm vbera, & quæcunq; vultus sunt partes priores, ab Alcamenis Venere quæ in hortis sita est, mutuò accipiet. Adhæc manus teretes, earumdémq; concinnam iun-ćturam,

Erat que mulier, &c.

cturam, digitorúmque tenellum ductum non difficilem, in extremis in orbiculatã exilitatem desinentiũ, ab ea quæ in hortis est, & illa vtenda recipiet. At verò totius faciei descriptionem & lineamenta, genarúmque tenellam mollitiem, & nasum intra rectum modum cohibitũ, præstabit Lemnia & Phidias. Idem quoque dabit oris conformem compositionem: ceruicem verò lacteam sumet ab Amazone. Porrò autem Sosandra & Calamis eandem ornabunt verecundia. Risu præterea tenui fallente intuentis oculos, animi orísq; hilaritatem ostendet, qualis & illius esse solet. Vestitus frugalem munditiem à Sosandra concessam habebit, præterquam quod illa nudo & aperto erit capite. Hactenus ille formæ & lineamentorũ elegantiam consequutus à fictoribus, ad pictores se cõfert, qui colores apte cõmixtos temperent, & suum cuique parti florẽ aspergant. Sanè verò, inquit, accersatur Polygnotus, & Euphranor ille, atq; etiam Apelles, Aëtione vnà comitante. Illi diuiso inter se opere. Euphranor comam pinget, qualem Iunonis depinxit. At Polygnotus superciliorum decoram distantiam, & malarum decentem rubedinem, cuiusmodi Cassandram apud Delphos fecit in cõuenticulis, exprimat. Amictum verò ille quoq; præparet, quàm poterit tenuissimè elaboratum, vt quęcunque par est, corpori decenter applicet, multa verò ventis diffundenda relinquat. Porrò reliquum corpus ipse Apelles absoluat, secundum pacatæ simulacrum, ita tamen ne nimirum addat albedinis, sed planè temperanter rubescat. Labia autem non sint alia quàm quæ Rhoxanæ Aëtion fecit. Aduocat & poëtas, & Homerum iubet eidem bouinos oculos, hoc est, pulchros & nitentes pingere roseósq; digitos. Thebanum autem Poëtam venustate palpebras exornare. Quod autem, inquit, per omnia amabili quadam elegantia niteat, hoc Gratiæ erit officium, aut potius omnium quotquot vspiam sunt Gratiæ atque Cupidines chorum ducentes. Sed quoniam, vt ait, decor animi corporis speciem longè superat, & formosa mulier si morũ laude careat, Ægyptiorum templis similis haberi debet, quæ cùm sint forinsecus extructa magnificè, nihil præter simiam, felem, aut hircum continent: idcirco mox ad exornandas eius animi dotes, & morum elegantiam stylum conuertit.

Cultus animi.

Quod igitur spectat ad ornatum animi, primam in ea eloquentiam prædicat. Vult enim eam esse, vt ait, fandi facultate præditam, ac dulci voce instructam, vt orationem melle dulciorem de illius fluxisse veriùs quàm de senis illius Pylij concionatoris lingua, Homerus dixisse videatur. Omnis autem verborum & loquelæ tonus, cuiusmodi delicatissimus esse solet, neque nimiũ graui & aspero tinnitu insonet, quasi ad virilem vocem informatus sit: neque rursus nimiũ tenui, quasi impensè effœminatus aut fermè fractus sit, sed qualis esse solet pueri nondum pubescentis, dulcis & blandus, comiter & iucunde in auditum sese insinuans. Vult & canendi itaq; peritam, ita vt Orpheũ & Amphiona canendo vincat: deniq; ita pingatur, ait, vt omnia bona cõprehensim possideat,

A quibuscunq; Helicon affatim atq; abundanter affluit: nequaquam verò vt Clio, aut Polymnia, aut etiam Calliope, atque omnes aliæ, quarum vnaquæque vnius rei tantùm perita excellẽter præcellit: verùm nostra omniũ ex æquo gnara & prudens sit, præterea nec minus Mercurij atque Apollinis dotibus eluceat. Neque verò tantum penicillo obiter colorata, sed pigmentis penitus imbuta, & ad satietatẽ vsque tincta sit. Adhibet deinde Æschinem & Socratem, imitandi dexteritate omnes longo interuallo post se relinquentes, qui Aspasiæ illius Milesiæ celeberrimum exemplar vsurpantes, Pantheæ rerum peritiam, in officijs ciuilibus acumẽ, industriam denique atque solertiam accuratiùs effingant. Secundum hanc, inquit, secundum & tertium exemplum, si lubet producamus, nimirum illam Theano, ac versificatricem Lesbiam, vnà cum Diotima. Theano quidẽ animi magnitudinem ad picturam conferet: Sappho autem institutæ vitæ iucunditatem adferet. Porrò Diotimæ non tantùm vt illam laudauit Socrates, similis erit, verùm illi omnibus ingenij ornatissimi dotibus comparata respõdebit. Subinde verò ad benignitatis & humanitatis specimen Theani illi confertur, nempe Antenoris coniugi, neque non Aretæ, & filiæ eius Nausicaæ: præterea si qua alia in fortunæ indulgentis affluentia animi modestiã obtinuit. Deinceps verò post hanc Modestiæ imago depingatur, ac ostensæ erga conseruantem beneuolentiæ, vt iuxta illam Icari filiã maximè modesta & pudica sit, quemadmodum ab Homero adumbrata est. Talem enim Penelopes effinxit imaginem. quæ omnia cùm eleganti penicillo in sua Panthea rarò serius scriptor delineasset, Hactenus tamen, inquit, summum & maximæ laudis caput omissum est. Dico verò, cùm in tantam rerum magnitudinem euecta sit, vt neque fastu ob blãdientis fortunæ prosperitatem intumescat, neque vltra humanæ sortis mensuram efferatur, temerè fortunæ confidens, sed seruata æquabilitate animi, seipsam cohibeat, nihil procacius aut insolentius, quod alijs foret molestiæ, animo concipient, sed vt erga accedentes populariter affecta sit, ac dextris copulatis eosdem benignè atque amanter suscipiat. Tanto enim his quibuscum sermonem conferunt, sunt acceptiores, quanto altiori fortuna euectę, nihil superbi fastidij, aut contẽptus tragici præ se ferunt: veluti omnes illi qui sua potentia non in hoc vtuntur, vt procaciter contemnant alios, sed potius vt benignè aliorũ subleuent inopiam: illi soli acceptis à fortuna bonis maximè digni habendi sunt: soli inuidentię malum possunt effugere. Cæterùm his moribus factum est, vt Panthea non solum corporis venustate conspicua esset, sicut quondam Helenam fuisse constat, sed animo quoque lepido & amabili talibus exculta donis spectantes in sui amorem pelliceret. Hactenus ex Luciano Pantheę descriptio, quam si quis imitari volet, ex melioribus exemplis Sanctæ Abigail cùm animi, tum corporis pulchritudinem facilè restituet. Sed & illam Salomon graphicè depinxit in Cantico, in quo licet singulas eius

Erat que mulier, &c.

Modestia præcipuè mulierem decet.

ERATQVE MVLIER, &c.

Rara auis mulier prudens.

formæ partes attonitus admireris.

Mulier prudentissima.] Rarum exemplum est. Prudentia enim his fere partibus excolitur, acri iudicio, ratione, multarum rerum cognitione, lectione historiarum Philosophiæ studio, experientia; mulierum autem exercitia vt plurimùm acus, & colus. Quamobrem ne cui singularis fœminæ heroica virtus imponat, referam diuersa earum genera quæ descripsit Phocylides poëta antiquissimus, Pythagoræ æqualis; non quo fidem habeã ineptis poëtarum fabulis, sed ea mente potius, vt quod illi figmentis permiscuerunt, grato lenocinio persuadentes, nos quoque referẽtes persuademus ijs qui cœlorum ergo cœlibem vitã elegerint, nihil quod tutò desiderari posset, reliquisse. Nõ enim omnes pari sorte natæ sunt, aut pariter vitam instituunt: sed pleræque in eo studiosè versantur vt quibuscum vnà iugum trahunt, contrarijs votis perpetuò incommodent. Sic igitur ille quondam ab Ethnicis sapientissimus habitus multiplicem hanc miseriam descripsit:

Phocilides. Mulierum quatuor genera.

Ex quatuor istis, inquit, *nata sunt*
Mulierum genera: ex cane, apicula,
Torua sue, & equa iubata.
Ex equa nata commoda est, velox, discurrens, pulchritudine præstans.
Ex toruo autem sue, neque mala, neque bona est.
Ex cane verò, molesta & fera est. Ex apicula autem
Bene administrat rẽ familiarẽ, et nouit laborare.

Verum idem argumentum longè copiosius enarrans Simonides, mirificè describit varium ac multiplex mulierum ingenium.

Simonides in Iambis.

Mulierum multiplex ingenium, & varii mores describuntur.

Mulieris mentem seorsim fecit Deus
A principio: vnam ex sue setosa produxit,
Cui omnia domi luto inquinata,
Inornatáque iacent, & humi prouoluuntur.
Ipsa autem illota cum vestibus immundis,
In stercore desidens pinguescit.
Aliam verò Deus fecit ex maligna vulpe,
Mulierem omnisciam. neque ipsam mali
Neque boni quicquam latet.
Nunc autem mala sunt hæ mulieres sæpenumero:
Nunc bonæ rursus, aliàs alijs prædita moribus.
Aliam ex cane maledicam, parenti suæ similem,
Quæ omnia & audire & scire cupit:
Vndequaque autem circumspiciens & oberrans
Latrat, etsi neminem viderit.
Ipsam verò compescere neque minis vir posset,
Nec si iratus excusserit ei saxo
Dentes, neque si benigniter alloquatur,
Etiamsi iuxta hospites consederit:
Sed pertinaciter inutilem clamorem exercet.
Aliam ex tellure formatam cœlicolæ
Marito dederunt in damnum. Nam neq; mali,
Neque boni quippiam callet huiusmodi mulier:
Sed vnicum tãtum opus nouit, scilicet comedere.
Et cùm duram hyemem Deus fecerit,
Ipsa frigens ad ignem propius sellam attrahit.
Mulierẽ autẽ ex mari genitã nunc animo cõsidera:
Hæc quidem die ridet, & hilarem se præbet,
Ita vt hospes eam domi videns laudaret, inquiẽs:
Haud est mulier vlla melior, quàm ista
Inter omnes homines, neque elegantior.
Interdum contrà intolerabilis est, tum visu,

A *Tum accessu. tunc enim furit, adeo*
Vt appropinquare nemo sustineat, veluti canis circa catulos,
Omnibus implacida, infensáque,
Ac similis est in amicos & hostes.
Quemadmodum mare aliquando tranquillum
Et innoxium stat, ingens gaudium nautis
Æstiuo tempore: aliquando autem furit
Grauisonis procellis agitatum:
Huic maximè similis est huiusmodi mulier
Ingenio: naturámque vt pontus variam habet.
Aliam ex cinere & dossuario asino constituit,
Quæ vix necessitate minisque adacta,
Tandem omnia facit & operatur
Quæ viro placent. interim autem furtim aliquid deuorat,
Noctu & interdiu, quinetiam in foco comedit.
B *Ad opus autem Venereum*
Quemuis aduenientem suscipit socium.
Aliam ex mustela creauit, miserum & triste genus.
Huic enim nihil pulchrum, desiderandum,
Iucundum aut amabile prorsus inest:
Sed aliena est à Veneris complexu,
Et præsentem maritum fastidio habet,
Et furando multum damni vicinis infert:
Quin & hostias sæpe nondum immolatas deuorat.
Aliam equa mollis iubata genuit,
Quæ seruilia opera & laborem abhorret,
Neque molam attingeret, neque cribrum
Leuaret, neque stercus foras proijceret:
Neque iuxta furnum, euitans fuliginem,
Sederet. virum non sponte, sed coacta amat.
Abluit autem sordes quotidie.
C *Bis aut ter, & vnguentis vngitur:*
Semper autem & comas pexas gerit,
Densas & floribus obumbratas.
Talis sanè mulier pulchrum spectaculum
Alijs est, habenti verò damnosum,
Nisi rex fueris, aut princeps aliquis,
Qui huiusmodi rebus delectetur.

Adde nunc, quod Simonides oblitus est, Cui nisi vir gemmas, lapillos, monilia, & sericas vestes affatim suppeditarit, suppeditabit redemptus amator prostituti mercede pudoris. Non meminit præterea vinosæ ac temulentæ, quam dypsade & arena genitam comminisci potuit: quę vt Æthnæos illos ardores gutturis mero riget, nulli rei parcit, non famæ, non sumptibus.
Aliam autem, inquit, *ex simia creauit: istud certè præcipuè omnium*
D *Iupiter viris maximum malum contulit.*
Talis mulier faciem turpissimam habens
Per vrbem ingreditur, nulli non irrisa,
Ad ceruicem vix potest flecti ob breuitatem, &c.
O miserum virum,
Qui malum huiusmodi amplectitur!
Nouit enim omne genus consiliorum, & mores,
Instar simiæ, neque ridere solet.
Neminem beneficijs demeretur: sed illud spectat,
Et hoc quotidie consultat secum,
Vt malum aliquod facinus, idque maximum edat.

Et hactenus quidem Simonides malas mulieres suis coloribus expressit: deinceps verò bonarum quoddam simulacrum, quod rarum genus est, nititur effingere.

ERATQVE MVLIER, &c.

Aliam

ERATQVE MVLIER, &c. Quæ bonæ sint.

Aliam ex apicula fecit, quam qui duxerit, felix A
est;
Vtque sola nihil reprehensione dignum habeat.
Floret autem sub ea, & augetur res familiaris,
Charáque charo consenescit coniugi,
Enixa pulcram & celebrem progeniem.
Hæc excellit inter mulieres
Cunctas, & diuinæ quadam gratia circundat eā.
Non gaudet cum mulieribus considere,
Vbi venereos narrant sermones.
Eiusmodi vxores largitur viris
Iupiter optimas, & prudentissimas.

Hæc omnia Simonides. quibus si quisquam autem accommodet, nequaquam illū religiosi propositi pœnitebit: non quia verum sit vllas aliquando mulieres cane, simia, aut mustela natas, ita vt ferinum ingenium & belluinos mores emendare non possint, aut etiā malas Deus B creauerit, vt illæ viris negotium facesserent: nam qua mente Deus, & quo consilio fœminam condiderit, quáque ex materia eam finxerit, liber Genes. disertè satis explicat: sed quod pleræque quos ab initio mores imbiberint, ita pertinaciter illis inhærent, vt nulla ratione ad officium reuocare possis. quocirca etiam Apostolus, quos ab ineundo matrimonio absterrere non potuit, sedulò admonuit non leues eos molestias experturos. Sed iam deteriores illas, quando de optima sermonem instituimus, missas faciamus: & quæ sint prudentis ac speciosæ coniugis, qualem Abigail Scriptura prædicat, laudes & munera obseruemus. Et præcepta quidem nuptis cùm nostri tum veteres Philosophi ac Poëtæ non pauci C tradiderunt, quibus ad virtutem erudirentur: sed vt est Poetarum oratio blandior & concinnior, ita mihi præ cæteris Naumachij Poëtæ metris arridet comprehensa institutio. Qui postquam virginitatis votum laudibus in cœlum extulit, mox addit:

Apud Stobæum ser. 72. breuitatis gratia Græca non exscripsi.

Quod si te communis vitæ desiderium capit,
De ista quoque presciens dicam, quomodo te
oporteat
Conficere nauigationem, vt aiunt, secundam læto
animo.
Hic tibi sit maritus, quemcunq, parētes decreuerint:
Et si fueris prudens, felicissima es: sin aliter
Virum sortita fueris, istū quoque ferre necesse est.

Naumachius poëta nuptas docet quo pacto se cum viris gerāt.

Quod si quis prudens aliquid tibi dixerit,
Obedias: nec ab ipso dissentias. Esto autem ei
Blanda, idque magis cum aliqua cura afficitur. D
Viro enim indignanti consilium & solatium est
coniux.
Externa negotia, quæ cōficere potest, ipsi relinques
Tibi verò cura rei familiaris sit, & custodia domus. [*lieres*
Nec ipsum interroges de rebus, quas nefas est mu-
Nosse: Si tamen velit te in consilium adhibere,
Statim quidem eius sermoni ausculta, serò autem
respondе cum ipso
Deliberans. Et nihil promitte, nec hortare,
Vt voluntati tuæ res agenda permittatur: exitus
enim vanus est.
Prudenti mulieri, quæ virgo nupsit, sat est maritus:
neque ipsam
Aspiciet alter lecto denudatam.

Principiò stultè agentem tolera: est enim necessarium.
Sapius & morbum sustine, quantumuis anxia:
Celatóque in pectore tuas curas, neque dicas
Omnibus quæ facit, nec omnia parētibus indices.
Sed sola desipientē moneas, idque leniter vt decet.
Nam contumeliam etiam prudentem virum irritare noui.
Sæpius autem oratio lenis etiam insipientem virum demulcet.
Sic igitur charum virum ex pectore ames.
Et intelligat maritus tuus euidenter, quod liberos
Ex animo diligas. Haud enim talis existit,
Vt non sentiat amorem, nec fidele ingenium
agnoscat.
Sed audi, ô virgo, hæc omnia tibi obseruāda sunt.
Neque procliuis ad risum, neque tristis esto:
Nec ociosa prorsus, sed labores subi moderatos.
Neque tuis famulis duram, aut valdè lenem
Te præbeas: negligentiores enim domini semper
damnum patiuntur.
Timentibus autem seruis domini facilè cum confidentia imperant.
Externas amicitias reijce, priusquam ab alijs
Reuera cognoscas studia, & mentem ipsorum.
Improbam anum domi nunquam receperis:
Multorum bene conditas familias pessundederunt anus.
Sed neque loquacem mulierē tibi sociā adhibeas:
Κηδεὰ καχοὶ φθείρυσι γυναικῶν ἤθεα μῦθοι. *id est,*
Venerandos matronarum mores improbi sermones corrumpunt.
Nunquam nimis afficiaris auri studio, neq; in collo
Purpureum hyacinthum geras, viridémue iaspin,
Quibus stulti superbiunt. Tu verò ornatu
O virgo inani non indiges: neque in speculo
Manu discernens tuam contempleris formam.
Sed neque circa comā multiplices contexe nodos,
Neque sub genis tuis oculos colore nigro inficias.
Haud enim mulieribus natura dedit corpus imperfecta
Forma, vt & alia opus esset in corpore machinari, &c.

Porrò eodem loco legi poterit & Phyntyos Callicratis filiæ, Pythagoræ dogmatum studiosæ, in eandem sententiam elegans & erudita oratio, qua reliquas mulieres studuit ad temperantiæ studium cohortari. Habes & in Scripturis Prouerb. caput 31. quod penè totum in fortis mulieris laudibus consumitur.

Porrò vir eius durus, & pessimus, & malitiosus.] Durum & inhumanum diuitem graphicè depingit Lucianus in Timone, cuius post adeptas diuitias eiusmodi ratio & consilium fuit. Hæc, inquit, decreta sunto placitáque in reliquum vitæ: seiunctio, ignorantia, fastidium erga mortales omnes. Porrò amicus, hospes, sodalis, aut ara misericordiæ, meræ nugæ. Tum commiserari lacrymantem, suppeditare egentibus, iniquitas, ac morum subuersio: at vita solitaria, qualis est lupis: vnus sibi amicus Timon, cæteri omnes hostes, & insidiarum machinatores. Cum horum quopiam congredi, piaculum: adeo vt si quem aspexero duntaxat, inauspicatus sit ille dies. In summa, non alio nobis habeantur loco, quàm signa

ERATQVE MVLIER, &c.

Luciani Τίμων, ὁ Μισάνθρωπος.

Diuitis inhumani mores.

PORRÒ VIR EIUS DURUS, &c.

saxea, æreáue: neque fœcialem ab illis missum recipiamus, neque fœdera feriamus. Solitudo terminus esto. Cæterùm tribules cognati, populares, postremò patria ipsa, frigida quædam & sterilia nomina, stultorúmque mortalium gloriæ. Solus Timō diues esto: despiciat omnes: solus ipse secum oblectetur, liber ab assentationibus, & onerosis laudibus. Dijs sacra faciat, & epuletur solus: sibi ipsi vicinus, sibi particeps, excutiens sese ab alijs. Ac semel decretum esto, vt vnus seipsum comiter accipiat, nullumque nomen sit dulcius, quàm Misantropi, id est, hominum osoris. Morum autem notæ, δυσκολία, καὶ τραχύτης, καὶ σκαιότης, καὶ ὀργή, καὶ ἀπανθρωπία, difficultas, asperitas, feritas, iracundia, inhumanitas. Quod si quem conspexero incendio conflagrantem, obtestantem quò restinguam, pice oleoque restinguere: rursum si quem flumen vndis abstulerit, isq; manus porrigens, imploret vt retineatur: hunc quoque demerso capite propellere, ne possit emicare. Hanc legem Timon tulit Echecratides Colyrtensis: & concionis subscripsit suffragijs idem ille Timon: Age hæc decreta sunto: hæc fortiter tueamur.

Lopez in Histor. Indica.

Durus.] Lopesius in Histor. Indica tam duro capite præditos nonnullos noui Orbis insulanos asserit, vt nulla mucronis acie violari possint: sed ipsi magis enses retundantur, aut etiam frangantur. Comici verò Poetæ, vt Ælianus autor est Varr. Histor. lib. 13. capite 15. Polydorum quendam stupidissima mēte fuisse referunt, cutémque durissimam, adeò vt pungendo transigi non posset, habuisse. Verùm hoc loco nulla nobis de corij duritia quæstio est, sed de morum inclementia, quam nulla aliena calamitas ad misericordiam inflectere possit. Itaque hoc loco Græcis σκληρὸς καὶ πικρὸς ἐν ἐπιτηδεύμασι, καὶ αἴθρωπος κυνικός. id est, *homo durus, caninus, peruersis studijs.* ἀνάλγητος, καὶ δυσπάλγητος, ἀπὸ τοῦ σκληρεῖ, inquit Suidas. Τυπίσ, vt idem interpretatur, δυσμετάβλητος, ἀναλγής, ἀπαθής, ἀνηλεής, σκληρός. Hoc est, Qui non facilè frangitur aliorum malis, qui nullum dolorem sentit, qui aliorum malis non tangitur, crudelis, durus. Id genus aliàs κερασβόλους vocat, τοὺς ἀπαιδεύτους, καὶ σκληροὺς institutos perperam, & ab omni humanitate alienos. Sunt enim κερασβόλα nigra quædam semina instar milij, quæ permista leguminibus non coquuntur. Inde dicta quòd tempore sementis cùm boum cornua attigerint, dura euasisse credantur; ita vt neque coqui, neque molliri, aut liquefieri possint. An fortè talis erat quem describit Martialis Epigram. lib. 12.

Ælianus.

Duritia.

Suidas.

Nummi, cùm tibi sint, opésque tantæ,
Quantas ciuis habet, Paterne, rarus:
Largiris nihil, incubásque gazæ:
Vt magnus draco, quem canunt poetæ
Custodem Scythici fuisse luci.

Martialis in Paternum.

Aristoteles.

Vitia diuitum.

Aristoteles 2. Rhetoric. cap. 16. diuitum mores explorans, animaduertit illos primùm esse cōtumeliosos, deinde etiam contumaces, quam labem contrahunt à possessione diuitiarum. Tanquam enim vnà cum diuitijs omnia in sua potestate habeant, sic animo affecti sunt: quòd diuitiæ velut pretium quoddam sint quo reliqua comparentur; & quæcunque venalia sint, sua, cùm primùm libuerit, fore confidāt. Tertiò loco delicatos esse obseruat, quòd mollitiem affectent, ad felicitatis ostentationem. Quartò arrogātes & elatos, propterea quod omnes soliti sunt versari in eo, quod amatur & suspicitur ab ipsis. Diuitum enim studia plerunq; tenuioris fortunæ homines æmulantur, & ijsdem placere student. Deinde qui opulenti sunt, eadem omnes expetere sectariq; autumant quæ ipsi consequuti sunt. vnde fit, vt tanquā reliquis superiores de victoria insolentius glorientur. Adhæc si qui abundant, horum gratia & beneficijs plerique indigent. Itaque ad eorū ianuam Philosophi frequentes accedunt. Denique eo maximè efferuntur, & de se magnificè sentiūt, quod ea se habere putant quibus Imperium administretur: quamobrem etiam se dignos existimant, quibus cedant omnes & obtemperent. Quintò etiam illud notat, eos qui nuper diuitias nacti sunt, ob imperitiam ijs longè deteriores esse, qui à maioribus partas acceperunt: quibus cùm nihil noui accidat, longius absunt ab ostentatione & iactantia. Sextò, qui opibus abundant, procliues sunt ad incontinentiam; vnde frequentes iniuriæ in alios redundant, vt stupra, plagæ, conuitia, quæ ab animi impotentia potius quàm certa ac destinata malitia proficiscuntur: postremò enim opum vis beatorum mentes de rationis sede deturbat. Hæc Aristoteles. Quæ non ita accipienda sunt, tanquam diuitiæ, quæ Dei dona sunt, suapte vi mores corrumpant, aut vitia procreent: sed quòd ijs, qui malè animis affecti sunt, & sceleribus delectantur, materiam plerunque subministrent. Quamobrem facetè magis seu potius cynicè, quàm verè ac piè lusit in eam rem Elisius Calentius in epistolis, occasione Cynici cuiusdam de testamento deliberantis, quem ita secum loquentem inducit:

Calentius Colotio.

Testamentum Cynici.

Æger sum, testari volo, bona mea cui relinquam? Populóne? Minimè quidem. quia neque in pace vulgus possidebit, neq; diuidet concorditer. Regi? nihil minus. quia militibus dabit generi omnium pessimo, & inhumano. Ergo Pōtifici? Satis abundè habet vnde podagras nutriat. Ergo Præsulibus? Vt tumidos ventres augeant, rumpantur viri turgidi? non volo. Ergo ipsis Sacerdotibus? Nolo, quia scortis & lenonibus dabunt. At tu Mendicis? Neque id quidē, ne desināt molesti esse diuitibus. At tu Piratis. Vt in Asiam deferant? Non volo. Vin mulieribus? Nolo. quia deteriores diuitijs fiunt. Vin pueris? Nolo. quia perdent rem inscitia paratam bene. Vin senibus? Minus. quia deliri in omnes dies noctésq; iurgabunt. At tu dijs immortalibus dona. Stultū est dari tibi quod despexeris. Da seruis. vt auferant, id iniussu meo faciunt. Quid igitur nunc id cogito? Primùm templa nō ædifico, ne nouas lites Sacerdotibus creem; orbas non marito, ne fastiditi coniuges sepulti ossa admoneant. Pontes fluminibus nō cōstruo, ne cadens aliquis irascatur mihi. Claustra Virginibus nō do, ne scorta his nutriā, qui Deum

Non paucis qui officiū deferunt, diuitiæ nocent.

A B C D

PORRÒ VIR EIUS DURUS, &c.

Porro ô vir eius durus, &c.

Deum malè confitentur. Neque Mendicis hospitium, ne desides illi desidiores fiant. Ergo cuinam tu rem deseris tuã? Nemini. Tibi Fortuna reddo, restituóq; quod commiseras; posteri valete; Mors tu tuum officium facito. Hactenus Cynicus. Cuius nomine tametsi Calentius videri possit omnibus temerè detrahere voluisset, & sit illa cane & impio digna planè sententia: ostẽdit tamen in quibus singuli, qui in vnoquoque ordine officium deserunt, diuitijs abutantur, & quàm nihil aut parum opes immodicæ probatis moribus conferant. Euripidis opinor illud est in Phætonte,

Euripides.

Res mala, sed innata diuitibus est,
Improbè viuere. Quænam huius rei causa est?
An quia cœca diuitiæ ipsis conuersantur,
Mentem quoque cœcam habent propter fortunã?

Diuitiæ quantum mali pariãt.

Qui pecuniæ cumulandæ, ait Plato l. 8. de Rep. impensius student, quo maioris eã faciunt, eo minoris virtutem. An non ita virtus distat à diuitijs, tanquã si vtraq; in lance stateræ posita essent, & alterũ semper inclinaret in contrariũ? Et Hierax lib. de Iustitia, Qua quæso ratione possessio diuitiarũ quenquã ad iustitiã aut alias virtutes perduxerit? Nam quę deterioribus studijs inseruiunt, optimis adquirendis contraria sunt. Pecuniæ verò ignauiam fouent, voluptates cient, ac insidias bifariam struunt, primùm aduersus diuites, inuidorũ opera: deinde contra pauperes, vi potentiorum. quæ igitur alios ad moliendum insidias ipsis possidẽtibus instigant, & habentes ad iniustitiam roborãt, quomodo ista quicquam ad iustitiam conferrent? Homines natura quidem ad virtutẽ nati sunt, vt docet Teles in lib. de Collatione diuitiarum & virtutis, sed diuitiæ illos ad se conuertunt, infinita ad malitiam habentes pharmaca. Diuitiæ falsa boni opinione proposita à verissimis abducunt. Hominem cui hærent, sapere non permittunt, sed rapiunt eum ad externa, & à fortuitis temerarijsque euentibus animos suspendunt. Audacissimæ simul ac timidissimæ sunt, superbientes tanquam de rebus maximis, & timẽtes tanquam imbecillibus. Inflatæ sunt arrogantiæ, curis humiles. Si rebus suis vtuntur, luxuriosæ fiunt: si abstinent, miseræ. Alium multæ in acquirendo ærumnæ infelicem reddunt, alius propter abundantiam in voluptatibus perit. Nulla satietate possidentes capiuntur. Nunquam vacant molestia aut dolore, vtcunque acciderit: & veluti aqua intercus magis magisque impleri sitiens, augescit earum cupiditas. Homini gnauo nocent, diligentiam enim quæ ad meliora conferri poterat, in exigua numismata consumunt. Obsunt etiam ignauo, dum occasiones delinquendi præbẽt. Sic vtrisque perniciosæ sunt: nam laborandi gnarum occupant: delicijs autem emollitum magis effœminãt. Diues primùm animi bona negligit, tanquam sine illis feliciter agat: deinde corpus delicijs corrumpit, & propter abundantiæ occasionem, plenitudini assuescit, vnde morbos plurimos colligit. Et post multa, Hoc sanè modo corpora quoque lædũt diuitiæ: reliqua verò incõmoda maiora sunt. Domesticas seditiones mouent, quarum infelix præmiũ inter fratres

Teles.

A proponitur. Liberos deteriores parẽtibus reddunt, propter cupiditatem opibus licentiosè vtendi: item parentes proli suæ molestiores faciunt. Amici per diuitias suspecti fiunt. Defunctum nemo luget, ne successores quidem. Si quod beneficiũ cuiquam contulerit, reliqui inuident: oderunt etiã non rarò qui nihil acceperunt. Denique post alia non pauca, Hæc sunt, inquit, quæ in diuitijs, etiam ex illis rebus quibus ornari videntur, culpari possunt: cætera planè intolerabilia sunt, arrogantia inquã, audacia, superbia, curæ turpes, malæ cupiditates, prauæ voluptates, desiderium insatiabile. Postremò vitia plurima & infinita mala haud nascerentur ex eis, nisi ipsæ diuitiæ malæ essent. Committitur cædes lucri gratia, spoliãtur templa, amicitia violatur, fides negligitur lucro

B perfidiam gignente, produntur patriæ: in summa, nihil non malorum perpetratur. Hæc Teles. Quæ tametsi pleraque vera sunt, non sunt tamen illa vitio danda diuitijs, sed hominum peruersis moribus, qui diuinis muneribus perperam abutuntur ad suam aliorúmque perniciem. Quod si his vti norint, nec suæ libidini obsequãtur, tum opes ad virtutis studium plurimum conferent. Quamobrẽ Apostolus Epist. 1. cap. 6. Timotheum admonet, *Diuitibus huius seculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo, (qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum) bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam.*

Erat autem de genere Caleb.

C *Erat autem de genere Caleb.*] Nihil hoc ad eius laudem pertinet. quinimo eò vituperatione dignior, quòd cùm esset optimi parentis filius, ipse pessimus euaserit. Caleb iste fuit quem legimus fortissimè expugnasse terrã Chanaam, & singulari constantia reliquis exploratoribus restitisse, qui Dei promissis apud populum detraherent. Itaque virtutis ergo accepit à Deo locum peculiarem in Chebron. Illis agris, & pascuis nunc iste Nabal fruitur. Nam ex viris bonis non semper progenerantur boni. Parentes quidem possunt partas opes relinquere filijs suis: sapientiam autem & pietatem nõ possunt. Hæc enim pendent ab alio principio. Eaque de causa Deus illa non dat omnibus, ne videri possint ad posteros deriuari per traducem, non propagari munere & gratia Dei. Nam si

Optimorũ parentum mali filij, quoniam virtus ex traduce nõ est.

D semper boni nascerentur ex bonis, bona videri possent naturalia. Fit, inquit Augustinus, vt etiam de iustis & legitimis nuptijs filiorũ Dei, non filij Dei, sed filij sæculi generentur: quia & ij qui generant, si iam regenerati sunt, non ex hoc generant quod filij Dei sunt, sed ex quo adhuc filij seculi. Dominica quippe sententia est, *Filij seculi huius generant & generantur.* Ex quo itaque sumus adhuc filij seculi huius, exterior homo noster corrumpitur, ex hoc & filij huius seculi generantur, nec filij Dei nisi regenerentur fiunt: sed ex quo sumus filij Dei, interior de die in diem renouatur, quamuis & ipse exterior per lauacrum regenerationis sanctificatus sit, & spem futuræ incorruptionis acceperit, propter quod & templum Dei me-

S. August. l. 1 de Nuptijs ex cõcupisc. ca. 18. Tomo 7. Lucæ 20.

Erat autem de genere Caleb. rito dicitur. *Corpora vestra*, inquit Apostolus, A *templum in vobis Spiritus Sancti est, quem habetis à Deo, & non estis vestri: Empti enim estis pretio magno, glorificate ergo & portate Deum in corpore vestro.* Et rursum cap. sequenti, Ex hac igitur 1. AdCor.6. concupiscentia carnis quod nascitur; vtique mundo, non Deo nascitur. Statim verò post aliqua subijcit: Mirum est ergo quemadmodum à peccati vinculo per gratiam liberati, gignant tamen eodem vinculo obstrictos, quos eodem modo oporteat liberari: Fatemur, mirum est. Sed quod latent fœtus oleastrorum etiam in seminibus olearum, quando & hoc crederetur, nisi experiētia probaretur? Proinde sicut gignitur ex oleastri semine oleaster, & ex oleæ seminę nō nisi oleaster, cùm inter oleastrū & oleā plurimùm distet: ita gignitur & de carne peccatoris, & de carne iusti vtrinque peccator, B quamuis inter peccatorem & iustum plurimùm distet. Et quia non facili ratione indagatur, nec sermone explicatur, ab infidelibus non creditur: quasi & illud quod de oleastro, & de olea diximus, vt generis dissimilis sit fœtus similis, facilè aliqua inueniat ratio vel explicet sermo. Sed hoc ab eo qui experiri voluerit, cerni potest. Sit ergo in exemplo, vnde & illud credatur quod cerni non potest. Hæc S. Augustinus. Ex quibus facilè colligas mirum esse non debere, si ex optimis parentibus nascantur filij vitiorum sectatores, cùm illis virtus non natura constet, sed imitatione, à qua voluntate abhorrent qui sceleribus delectantur.

Illud postremò quam ignominiosum sit à maiorum pietate deficere, explicat idem Au- S. Augustinus to. 10. gustinus De verbis Domini in Euang. secundū C Ioannem serm. 51. ca. 3. Prorsus, inquit, si ita est, degener est. Si dicas alicui filio hominis, degener es, quanta iniuria est? Et quomodo dicitur filius hominis degener? Vt puta pater ipsius fortis est, ille timidus & ignauus. Quicunq; illum viderit, & vult corripere, attendēs patrem suus virum fortem, quid ei dicit? Porrò vade degener. Quid est degener? Fortis vir fuit pater tuus, & tu timore contremiscis. Ille cui hoc dicitur, vitio degener est, natura par est. Quid est, natura par est? homo est, quod est & pater ipsius. Sed ille fortis, ille ignauus: ille audax, ille timidus: tamen homo & homo. Vitio ergo degener est, non natura, &c. Quibus vir Sanctus ostendit non leuem inuri labem infa- D miæ, si quis degener arguatur; cùm illud non naturæ vitio, sed voluntati dari debeat.

Versvs IV.

Cùm ergo audisset Dauid in deserto quòd tonderet Nabal gregem suum.

Versvs V.

Misit decem iuuenes, & dixit eis: Ascendite in Carmelum, & venietis ad Nabal, & salutabis eum ex nomine meo pacificè.

Versvs VI.

Et dicetis: Sit fratribus meis, & tibi pax, & domui tuæ pax, & omnibus, quæcunque habes, sit pax.

Et salutabis eum, &c.

Et *salutabis eum ex nomine meo pacificè.*] Vulgat. Pagninus sequitur, At verò Arias apud eumdem, *Et optabis ei in nomine meo ad pacem.* Chald. *& rogabitis ei in nomine meo pacem.* Vatablus simpliciter, *salutabitis eum meo nomine.* In Schol. verò, Hebraïsmum esse notat, *quæritis in nomine meo ad pacem*, id est, optate; siue dicite illi verbis meis salutem. Quidam, *interrogabitis eū nomine meo de prosperitate.* Alius habet, *interrogabitis eum ex nomine meo, num in pace viuat.* Isidor. Clarius, *Precabimini ei salutem ex nomine meo.* Lxx. Ald. & Ro. edit. Καὶ ἐρωτήσατε αὐτὸν ἐπὶ τῷ ὀνόματί μου τὰ εἰς εἰρήνην. *Et interrogate eum in nomine meo* (τὰ *quæ* Aldus habet, non Rom.) ad pacem. Complutenses legunt, ἀσπάσασθε *salutate, &c.* ἐν εἰρήνῃ *in pace.* Variæ trāslationes.

Versus 6. Pagnin. *Et dicite sic: Ad vitam.* לֶחָי *Letha. Et tu pacificus*; Hebr. וְאַתָּה שָׁלוֹם, Arias, *& tu pax, veatha scalom.* quæ dictio שָׁלוֹם *scalom pax*, ter hoc versu repetitur: sed Pagninus pro ratione cuiusq; loci variè fungi voluit vice epitheti. Sic enim vertit, *& tu pacificus, & domus tua pacifica, & omne quod est tibi erit pacificum.* Alius, *Dicetisque: Sic valeas, & tu sis in pace, & domus tua sit in pace, & quicquid habes sit in pace.* In Annot. Hebraicè est: Sic ad vitam: Hoc est, in hunc modum, sis ad longam vitam, tam tu quàm familia tua, & omnia quæ habes. Non nemo denique, *Ac ita dicetis ei, si incolumis est, & tu pace, & domus tua pace, & quicquid est tibi pace* fruitor. Ad marg. Hoc est, pace iam & prosperitate fruenti, meo nomine eius cōtinuationem precamini. Vatablus in Scholio, Hebr. *Sic (tibi) viuenti: & pax tibi: & familiæ tuæ pax, & omnibus quæ tua sunt sit pax*, id est, Ita tibi viuo siue viuenti proximo anno cōtingat facere, nempe vt incolumis tōdeas oues: sisque saluus & familia tua, quicquid præterea tuum est, sit saluū. Hoc genere sermonis longiorem vitam imprecari solent Hebræi: Vel vt alij, Sic tibi accidat quandiu, nempe vt sis saluus, & familia tua sit salua, &c. vt (&) siue vau Hebraïcum, expositiuè vertatur. Aut tale bonum sit tibi per vitam tuā, his opibus abundes quandiu vixeris: sisque saluus, &c. Itaque sic vertit idem Vatab. in textu: *Dicetisque, Vitam, pacem, & incolumitatē [optamus] & tibi & domui tuæ, omnibúsque quæ habes.* Lxx. Καὶ ἐρεῖτε αὐτῷ τάδε, εἰς ὥρας καὶ σὺ ὑγιαίνων, καὶ πάντα τὰ ὑγιαίνοντα, καὶ ὁ οἶκός σου. *Et dicetis ei hæc*, Complut. *Ad tempus*: Rom. *In horas & tu saluus, & omnia salua, & domus tua.* Nobil. in Not. Εἰς ὥρας.] Et fortasse significat, *omni tempore*, quemadmodū interdum apud alios autores: aut, *ad vigorem, ad prosperitatem*, vt sit modus quidam salutandi. Nam Hebræus habet, vt multi interpretantur (nam aliter Vulgata, & non ineptè) *ad vitam*: Chald. *per vitam tuam.* Hæc Nobilius. Ionathan Chaldæus scribit: *Et dicetis sic: Per vitā tuam, & tu pax, & domus tua pax, & omnia quæ tibi pax.*

Cùm

Cum audisset, &c.

Cùm audisset, quòd tonderet Nabal, &c.] Fit aliàs etiam mentio tonsuræ ouium, quæ non modo apud rusticos aut villarum patresfamilias, sed etiam principes viros celebris habebatur. Sequenti lib. Absalom eius nomine conuiuium fecit, ad quod non tantùm Regis filios, sed & ipsum Regem vocauit. Comperi à Romanis Imperatoribus pari ratione cultam vindemiam. Nam cùm olim Sophia Augusta, vt autor est S. Gregorius Turon. lib. 5. histor. Franc. cap. 30. Imperatori Tiberio moliretur insidias, eius temporis opportunitatem rata est commodissimam. Procedente enim eo ad villam, inquit, vt iuxta ritum Imperialem, XXX. diebus ad vindemiam iocundaretur, vocato clàm Iustiniano, Sophia voluit eum erigere in Imperium. Quo comperto, Tiberius cursu veloci ad Constantinopolitanam ciuitatem regreditur: adprehensamque Augustam ab omnibus thesauris spoliauit, solum ei victus quotidiani alimentum relinquens. Hæc ille.

Vt tonsura Hebræis, sic quondã Rom. Imp. celebrata vindemia. S. Gregor. Turon.

Dauid porrò laborat inopia rerum: nec tamen latrocinio, aut vi sibi victum quæritat: sed mendicando magis impetrare studuit, quàm vt cuiquam iniuriam faceret. Vidit Nabalem esse diuitem, & cognatum suum. Non tamen ex eius pascuis prædas agit, sed precariò aliquid ab eo petit. Etsi non haberet stipendia, quibus aleret milites, tamen non patitur eos concutere quemquam, aut cuiusquam Iudæi fortunis manus afferre. At nostri hodie milites non ita modestè se gerunt. Oportet, inquiunt, hoc dare. Et si quis quamuis verecundè neget, interpretatur sibi contumeliam factam. Apud veteres Romanos castrensis disciplina seuerissimè colebatur. Postremo tamen eò ventum est insolentiæ, vt Cicero scribit, milites Romanos socijs ciuitatibus multò grauiores esse, quàm hostes. Ita hodie passim imponuntur ciuitatibus huiusmodi præsidia, vt ciuibus multò potius sit ab hostibus oppugnari, quàm ab illis defendi. Sed huiusmodi milites, cùm ita se gerant, satis docent, se non Deo militare, sed diabolo. Cauit Dauid quantum potuit à rapina, ne suo exemplo latrones, & sicarios ad nequitiam faceret audaciores. Martinus Cromerus lib. 6. de rebus Polonor. in Casimiro, Inoleuerat, inquit, superiorum principum negligentia & conniuentia, prauus & barbarus mos apud proceres & equites Polonos, vt iter facientes, quotiescunque & vbicunque collibitum esset, agros atque prata agrestium & oppidanorum depascerentur, ac non modò pabulum, sed etiam victum omnem ipsis imperatèt, siue adeò ipsi effractis horreis atque cellis per vim auferrent: neque contenti quantum libuisset absumpsisse, reliquum etiam malitiosè profundebant, dissipabant, & corrumpebant: iumenta è pascuis & stabulis, atque etiam iuncta curribus & aratris vtenda, vel potius ad cursum abutenda abducebant: eáque vel defatigata & enecta dimittebant, vel si fortè placuissent, retinebant & vsurpabant. Adhæc, in possessiones & facultates morientiũ Episcoporum, ac cæterorum Sacerdotum inuadebant, eásque diripiebant, &c. Hæc quamuis iniqua, iniusta, crudelia & impia, quamuis acerba miseris hominibus & intolerabilia, tamen quia longa consuetudine inueterauerant, legísque vim propemodum obtinebant, & à proceribus, quibus erant vtilia, defendebantur, perdifficile erat abrogare. Sed tamen anno Christi 1180. Comitijs apud Lenciciam habitis, omni cura studióque contendit & perfecit Cazimirus, & legem pertulit, qua barbari illi, & indigni Christiano populo mores & abusus omnino sublati sunt. Ac ne quando resumerentur, octo Episcopi, qui in ijs comitijs aderant, de Synodi eam ob rem institutæ sententia, graui anathemate, audiente & assentiente vniuerso conuentu execrati sunt, dirísque deuouerunt, quicunque in posterum agricolæ cuipiam pabulum, annonam, obsonium, iumentumúe vi aut arte aliqua, præterquam ad hostium aduentum denunciandum rapuisset, rapiúe iussisset: item qui in bona Episcopor. & Sacerdotum, &c. Deinde legati ex eo conuentu ad Pontificem Maximum, de confirmando salutari illo & pio decreto simul & constitutione missi, facilè, quod petebant, ab Alexandro tertio impetrarunt. Hactenus Cromer.

Dauid orãdo vitæ subsidium petit, non per vim extorquet.

Qua ratione apud Polonos coërcita militum prædãdi licentia.

Cromerus.

Hic tanquam in speculo contemplari possumus statum hominum piorum. Nabal impius, & stultus abundat opibus: Dauid vir pius & prudens esurit & eget. Tamen Paulus ait, *omnia esse nostra*. Et sanè sunt: non tamen vt in ea inuolemus, aut illis iniustis rationibus abutamur: sed quod instrumenta quædam & adiumenta sint salutis nostræ. Sed obijcies: Vnde alere potuit Dauid tot milites, si non prædabatur? Imò prædabatur, sed non ex populo Dei: verùm ex Palæstinis & Syris, quos sciebat iamdudum hostes fuisse declaratos à Deo. Sed cùm illa præda, vt fit, non esset satis, misit in Carmelum ad Nabal. Nam Nabal etsi esset Ziphæus, Maon enim ciuitas est in Ziph, tamen possessiones ac greges habebat in Carmelo. Habet autem vox illa, Carmelus tria significata. Primùm enim in genere significat omnem locum cultum frumento, vineis, & pascuis. Deinde est locus eo nomine in tribu Issachar, vbi Elias occidit prophetas Baal. Tertius autem locus est, de quo nunc loquimur, in tribu Iuda.

Carmelus.

Misit decem iuuenes.] Ætas ad laborem delecta videtur. Maturare iter debuerant, ne quas illis Ziphæi insidias struerent, tum mõtis Diuus superandus erat, & si quid Nabal dare voluisset, onera humeris imponenda. Decem autem idcirco missi sunt, ne si plures, quod peterent, terrore extorquere velle viderentur: si pauciores, omnium quos in itinere obuios nacti essent libidini atque iniuriæ obnoxij forent.

Salutabitis eum ex nomine meo pacificè.] Dauid cùm non tantum armis valeret, sed etiam eloquentia, dictauit nuncijs suis luculentam orationem, qua vteretur apud Nabal. Primùm salutatio, qua vtitur pro proœmio, valdè est acuta & operosa. Nam cùm Nabal esset diues, precatus est, vt ea illi felicitas esset perpetua: nec tantùm illi, sed etiam familiæ: nec familiæ tantùm, sed etiam armentis & gregibus.

MISIT DECEM, &c.

Sit fratribus meis pax.] Suos etiam milites postea cap. 30. fratres vocat. A Nec enim solùm gentiles suos aut eiusdem familiæ, consanguineos & affines fratres vocabãt, sed omnes promiscuè Israëlitas, vtpote vnius Abrahę filios, vel etiam, quo supra modum gloriabantur, Dei. Christus verò Dominus nos etiam fratrum nomine dignatus est, & docuit nos inuicem fratres appellare: *Vnus enim est pater vester, qui in cœlis est: vos autem*, inquit, *fratres estis.* Itaque primo tempore Christiani fratres nominabantur. *Si quis frater nominatur inter vos, &c.* Vtitur autem hoc loco Dauid, vt copiosum ac diuitem ad misericordiam alliceret, & tacitè admoneret vt sanguinis, ita & rerum communionem esse debere, postquam tantoperè indigeat. Atqui hoc ipsum Nabal offendit. ex quo sperauerat B eius beneuolentiam sibi suísque conciliatum iri, & seruos contra ac fugitiuos contemptim vocat. Offendit & Gentiles quondam hoc nomen vsurpatum inter Christianos. Sed & quod fratres nos vocamus, inquit Tertullianus, Apologetici cap. 39. non aliàs, opinor, infamant, quàm quod apud ipsos omne sanguinis nomen de affectatione simulatum est. Fratres autem etiam vestri sumus, iure naturæ matris vnius, etsi vos parum homines, quia mali fratres. At quanto dignius fratres & dicuntur & habentur, qui vnum patrem Deum agnouerunt, qui vnum spiritum biberunt sanctitatis, qui de vno vtero ignorantiæ eiusdem ad vnam lucem expauerint veritatis. Sed eo fortasse minus legitimi existimamur, quia nulla de nostra fraternitate tragœdia exclamat, vel quia ex substan- C tia familiari fratres sumus, quæ penes vos ferè dirimit fraternitatem. Itaque quia animo animáque miscemur, nihil de rei communicatione dubitamus. Omnia indiscreta sunt apud nos præter vxores: in isto loco consortium soluimus, in quo solo cæteri homines consortium exercent. Hactenus Tertull.

Fratres quondam Hebræi & Christiani sese mutuò vocabant.

Tertullian Apologet. cap 39.

Et tibi pax, & domui tuæ pax, & omnibus quæcunque, &c.] Quid opulento & rura colenti melius optet quàm vt diuitijs in pace frui liceat? Menander,

Εἰρήνη γεωργὸν κἀν πέτραις τρέφει καλῶς
Πόλεμος δὲ κἀν πεδίῳ κακὸς ἔφυ,
Pax agricolam vel inter saxeta bene nutrit,
Bellum autem etiam in campis malum est.

Pacis encomia.

At verò Philemon in Pyrrho scitè admodũ ait:

Philemon.

D
Inquirunt, vt audio, Philosophi
Et multum in hoc absumunt temporis,
Quidnam sit bonum, necdũ vllus inuenit quid sit,
Alius virtutem, alius prudentiam, inquit, &
Hæc etiam intricant magis, quàm quid bonũ sit.
At rusticus ego terrámque fodiens
Nunc bona quæ sint pacis inueni, ô Iupiter charissime,
Amabilis illius & benignissima Dea.
Nuptias, festa, cognatos, liberos, amicos,
Diuitias, sanitatem, annonã, vinum, voluptatẽ,
Pax confert: quod si hæc omnia defecerint,
Perijt omnis communiter viuentium vita.

Itaque sine pace aut nullæ aut certè inutiles diuitiæ fore videntur: nam vt quid.m ait,

Quò mihi diuitiæ, si non conceditur vti?

ET TIBI PAX, &c.

Nam bello, quæ pacis ruina est, non opes duntaxat congestæ plurimæ, sed vita quoque ipsa in periculum adducitur. Quippe diuitijs prædo inhiat, flamma minatur, & ijs maximè qui ruri degunt, & in pascuis agrorumúe cultu suum vectigal collocant, omni tempore clades imminet. Fruges enim diripi, armenta & greges abigi, agris vastitas inferri, horrea immissis facibus incendi nullo negotio possunt; quæ calamitas vt quondam Iob, sic quemlibet diuitem citò pessundederit. Hæc porrò quemadmodum vbi acciderint, miserum hominem bonis omnibus euertunt: ita cùm procul sunt, ipsa mali expectatio vehementius torquet, & metu ac solicitudine animum conficit. Neque verò tum diuitiæ mulcere curas, aut lenire mentis ægritudinem possunt, cùm potius ipse donec pereant, velut oleum incendium alant, quo nos dolor acrius vrat. Accedit ad hæc quod dum bello ardet prouincia, non tantum hostes copiosis hominibus insidiantur, sed ipsa quoque Respublica conditas fruges, & annonæ thesauros sibi vendicat, priuatis opibus publicam inopiam sustentans. Ex quo sequitur, vt belli tempore qui opibus abundant, tametsi procul à periculo absint, fortunásque suas munitissimis arcibus crediderint, non magis eas in sua ditione ac potestate habeant, quàm qui maximè indigent. Nam præsidiarius miles qui Baccho, Veneri, & aleæ indulgens nihil vnquam quæsiuit, his statim copiosè alendus est, ne stationem deserat, néue arcem prodat, aut certè ad hostem transfugiat. Tenuioris quoq; fortunæ homines, quorum labore patria indiget, cùm nihil sibi condiderint, his copijs cum vniuersa familia alendi sunt. Vnde colliges, locupletibus viris nihil æquè in votis esse posse, vt passis amœnissimam tranquillitatem. Priuatim verò idcirco Nabali & domesticæ eius reipublicæ pacem optat & precatur, quoniam ijs qui rerum copia circumfluunt, grassatores nullo non tempore moliuntur insidias: cum prædonibus nulla pax opulentis satis vnquam firmo fœdere coalescit. De fortunis non modò suis cum illis perpetuum bellum gerunt, sed etiam earum occasione atque inuidia de salute periclitantur. Hinc patet quàm prudenter Dauid pacem, quam hactenus ipsi gregibúsque suis in solitudine fouerat, precetur ab initio, captans hominis beneuolentiam.

Odiosa rei bellum diuitibus, & i.s maximè qui rura colunt.

Ipsa porrò vox שלום *scalom*, quæ aliàs salutationis vice fungitur, pacem idcirco hoc loco interpretamur, quòd verisimile non sit, Nabalis gregibus, instrumento rustico, & vniuersæ supellectili salutem dicere voluisse, pro quibus tamen votum facit, vt domino salua atque incolumia fient. Quæ, vox si paulò accuratius expẽdas, mirabere quantas pacis commoditates suo tanquam sinu contineat. Deductam volunt à verbo שלם *scalam*, quod *reddidit*, siue *retribuit* Græci frequentes exponunt: cùm Græcis ipsis, tum reliquis idem valere intelligitur, ac si dicas, *integer fuit, plenus, absolutus, perfectus, saluus incolumis, concors, denique & pacificus fuit.* Inde שלום *scalom*, *Concordiam & pacem* significat. Deinde & alia plurima, quæ pacem cõsequuntur,

Quã multa bona pacis nomine significentur.

Et tibi pax, &c.

tur, & in eius fructibus numeranda sunt: *salutem, incolumitatem, tranquillitatem, integra omnia, χαρὰν, gaudium, felicitatem.* Et quia non optabat simpliciter, vti homines plerunque faciunt, sed ea à Deo concedi postulabat, prosperam quoq; *valetudinem*, & fortunarum non mediocre *incrementum*, quæ hac quoque voce designantur, eidem à Deo deprecari intelligendus est. Pollicetur denique, & si quid largitus fuerit, ea dictione, non defuturam bono operi à Deo remunerationem; vt eo pacto magis ad opem ferendam incitaretur. Postremò שלם *scelem, sacrificium retributionis* non rarò in Scripturis significat, de quo Leuit. 3. tanquam illum admoneat, qui tanta à Deo accepisset, erga eundem gratum esse, & gratiam referre debere: quod eo pacto maximè præstiterit, siquid in eum beneficij conferat; cùm sit verè eleemosyna, gratiarum actionis sacrificium. Quod tametsi diuersè, commodè tamen à Sept. Interpr. θυσία σωτηρίου exponitur: quoniam, vt inquit Scriptura, *eleemosyna* quoque *à malo liberat*, & cœleste præsidium parat. Cæterùm pacis nomen hoc loco tertiò repetitur, cùm ob vehemens desiderium, tum quòd *Deus pacis* in tribus personis subsistit: quam dudum exulem ita mihi cum Poëta compellare liceat:

Eleemosyna, gratiarum actionis sacrificium est.

Euripides in Cresphonte.

O pax opulēta, et beatos inter pulcherrima diues,
Desiderium me tui habet, ô quàm tarda moraris.
Atqui metuo, ne prius laboriosa vincar senecta,
Quàm iucundum tui tempus inspexero.
Huc ades ô veneranda, hec ad regnum, vrbibus inimicam expelle seditionem,
Insanámque haresim, ferro quæ gaudet acuto.

Versvs VII.

Audiui quòd tonderent pastores tui, qui erant nobiscum in deserto: nunquam eis molesti fuimus, nec aliquando defuit quidquā eis de grege, omni tempore quo fuerūt nobiscū in Carmelo.

Versvs VIII.

Interroga pueros tuos, & indicabūt tibi. Nunc ergo inueniant pueri tui gratiam in oculis tuis: in die enim bona venimus: quodcūq; inuenerit manus tua, da seruis tuis, & filio tuo Dauid.

Variæ trāslationes.

Nec aliquando defuit eis quicquam.] Sept. Καὶ οὐκ ἐνετειλάμεθα αὐτοῖς οὐδὲν πάσας τὰς ἡμέρας, &c. *Et nō imperauimus eis quippiā omnibus diebus, &c.* Arias, *nec visitatum est eis quicquam, &c.* Prius verò illud, *Nunquam eis molesti fuimus*, quod reliqui interpretantur, *non læsimus*, aut *iniuria affecimus*, Vatab. exponit, *nunquam pudore aut ignominia affecimus*, siue, cùm opera nostra aut industria, vel etiam opibus indigerent, nunquam repulsam passi sunt: semper nos promptos atq; expeditos ad opem ferendam experti sunt. Sic antè Pagn. *ignominia*; Arias, *verecundia*. Vers. 8. *In die enim bona venimus.*] *In die læto*, quo prouentus tuos è gregibus recipis, & æquum est ex lege Deuter. 15. 7. vt ex tua abundantia aliquid

A

In die enim, &c.

cum fratribus egentibus communices. Vatabl. *quandoquidem opportuno tempore venimus.* Et in Schol. Hebraïsmus, inquit, in die bona, hoc est, ad diem lætam, id est, ad diem qua liberalitatem tuam exerces erga tonsores ouium tuarum. Isidorus Clarius in Annot. Mos fuit veterum, vt cùm tonderent oues, solenne instituerent conuiuium, & amicos quosque ad illud inuitarent, vocabantque diem illum, *diem bonum*, id est, solennem. *Da seruis tuis, & filio tuo Dauid.*] Ita Complut. τοῖς παισί σου, καὶ τῷ υἱῷ σου Δαυίδ. Non nemo, qui vt sumus ex animo; ita etiam factis seruorum officium præstitimus apud seruos tuos, & Dauid officium filij. Theodoret. qu. 57. τοῖς παισὶ τοῦ υἱοῦ σου Δαυίδ, *pueris filij tui Dauid.* Rom. edit. hoc tātùm habet, τῷ υἱῷ σου Δαυίδ. *Filio tuo Dauid.*

B

Summa orationis Dauid.

Est omninò artificiosa oratio. Nihil prætermisit quod ad impetrandum ars Rhetorica conferre possit. Ostēdit primùm se nulla vnquam Nabal iniuria violasse. deinde etiam non mediocri beneficio affecisse. Tertiò, quo hęc probet, non alios testes adhibet quàm eiusdē seruos. Captat postea temporis opportunitatem, idq; tum minimè graue futurum docet paratis copiosè epulis. Quintò quoque nihil præscribit, sed eius arbitrio permittit quantum largiatur. Postremò, cùm ipsa filij appellatio quam Dauid vsurpat blanditur, tum etiam in posterum quoties opus erit, opem & præsidium videtur polliceri.

Primùm igitur, inquit, nullum gregibus tuis detrimētum attuli, numerum nunquam imminui. Quid tum inquies, an si quisquam alterum iniuria non pepulit, huic propterea gratia referenda est, & munera donanda? Respondeo, si studio tui id faciat, & manifesta beneuolentia, dignum esse quem in album amicorum referas, & ope iuues si forte indigeat. Porrò haud obscuris indicijs Dauidis animum hoc loco explorare possis. Nam gratis quidem vix quisquā nocens esse velit: at si spes aliqua lucri pellexerit, tum pleríque omnes in flagitium ruunt. Dauid tamen nulla vtilitatis ratione moueri potuit, vt inde prædas ageret, cùm eo pacto suorum egestati atque inopiæ mederi posset. Sed alterum illud argumētum vrget magis, quòd in vastam eremum secedere coactus, omni cōmeatu cum publico, tum priuato prohiberetur. Quippe necessitati iura cedunt, quæ priuatim quidquam ciuibus ascribunt: nec, vt alieno parcat, quemquā perire iubet diuina lex: sed vitæ magis quā cuiusquam opibus consultum vult. Accedebat ad hæc accepta à Rege iniuria, à quo per calumniam patria laribúsque eiectus, fortunis omnibus euersus erat, & ad incitas redactus. At verò iure gentium, vt quidam aiebat,

C

Ab iniuria temperasse nonnunquam beneficij loco ducendum est.

D

Quicquid delirant reges plectuntur Achiui.

Adde his quod Ziphæi hostili animo Dauidis latebras obseruarent, vt eum Regi proderent. quamobrem non sine aliqua ratione videri poterat eosdem posse bello lacessere, & proprio periculo deterrere ab inferenda iniuria. Nam vim vi repellere licet, & eos, qui nos contra ius fasque oppugnant, datis damnis auertere. Et quanquam fortè Nabal cum proditoribus consilia non miscuerat, reorum tamen delectus haberi facilè non poterat: quam ob causam com-

NVNQVAM EIS MOLESTI, &c.

plures alij vniuersam Ziphæorum regionem populationibus infestam redderent. At si partem aliquam pecoris abigere vellet, res scilicet ardua foret atque difficilis, & cum non mediocri periculo coniuncta. Pluribus contrarium Dauid asserit, & quàm nullo negotio fieri potuerit, ostendit. In solis, inquit, ac desertis locis cum pastoribus tuis conuersati sumus. Ac si diceret: Primùm quidem is locus fuit, in quo prohiberi à nemine potuimus, neque pastores tui vllo cuiusquam præsidio iuuari. Neque enim in vasta solitudine, quam nemo mortalium incolit, cócursus popularium nobis extimescendus fuit, aut vicinus quisquam circumspici potuit, cuius opem pastores tui, si nobis vim facere placuisset, implorarent. At illi scilicet resisterent. Verùm opiliones illi sunt, armorum rudes; non verò milites. Pauci deinde erant, nos plures: inermes illi, nos armis & telis instructi. vnde facilè colligas, impetum nostrum frangere minimè potuisse. Quòd si neque periculum vllum, neque difficultas, cùm inopia premeremur, à mactando pecore tuo nos reuocauit; sed sola ratio officij nostri, & studium beneuolentiæ tuæ; tametsi nos alioqui cùm accepta à Rege & vobis iniuria, tum maximè dura necessitas prouocarent: reliquum est, vt quos tui studiosos hactenus expertus es, eosdem nunc egentes ac supplices beneficij memor, beneficentia tua recrees atque reficias.

Nec aliquando defuit eis quidquam de grege.] Altera ratio est, qua Dauid Nabali persuadere conatur, vt militum suorum inopiam aliquo subsidio leuet. Non enim illi solùm tuis gregibus pepercerunt, cùm absque metu vexare ac diripere possent: sed etiam ab omni aliorum iniuria tutos & illæsos seruarunt. Nam vt ipsi tua pecora non attingerent, non deerant tamen prædones & abigei, qui ex insidijs in ea inuaderent. Nam his maximè solitudo fauet, & nullo non tempore numerosis gregibus insidiantur. Qui si strenuos pastores & impigros nacti erant quos circumuenire dolis nequeant, vim parant, & complures adunati non rarò etiam cæsis pecorum magistris vno agmine in caulas irrumpunt. Hos igitur cùm reformidarent opiliones tui, præsidio nostro securos præstitimus. Hanc illis porrò nos operam nauauimus, ne quid eorú periret quæ ad te pertinerent. Quamobrem te equum est, quod gregibus tuis bene consuluimus, æqui boni consulere, laborésque nostros benignitate tua recreare. Tametsi enim vt hoc præstaremus, non sumus à te mercede conducti: si quis tamen cùm opus esset, & res aliena periclitaretur, opis quippiam attulit quo minus illa periret, industriæ laborísque sui fructu priuari non debet. Neque verò nos apud te falsa iactamus, aut dubijs autoribus dicta confirmamus. Nam pastores tui quorum fidei greges tuos permisisti, si iubes conseruari nobis pecoris tui testimonium dabunt. *Interroga*, inquit, *pueros tuos, & indicabunt tibi.*

Altera ratio, qui rē alienā seruauit, mercede dignus est.

Nunc ergo inueniant pueri tui gratiam in oculis tuis.] Aristoteles 2. Rhetoric. cap. 7. Ἔστω δὴ χάρις, inquit, καθ' ἣν ὁ ἔχων λέγεται χάριν ὑπουργεῖν δεομένῳ, μὴ ἀντί τινος, μηδ' ἵνα αὐτῷ τι. Sit igitur gratia, per quam is, qui possidet, dicitur gratificari ei qui indiget, non pro vlla re, aut vt aliquid accipiat qui beneficium tribuit, sed vt egenti conferat. Itaque in definitione gratiæ quam tradit Aristoteles, quatuor spectanda sunt, vt Riccobonus obseruat in sua Paraphr. Primum est, vt detur egenti; non enim gratia est, nisi cùm in aliquem indigentem beneficium confertur: deinde vt non detur pro re aliqua, & loco remunerationis: præterea, vt non idcirco detur, vt ei, qui tribuit aliquid suppetat, isque aliquid vtilitatis consequatur: postremò, vt detur solo animo benefaciendi. Cùm autem definiatur gratia esse, per quam is, qui possidet, dicitur gratiam suppeditare ei, qui indiget, appellatur gratia, tum is affectus quo ad largiendum impellimur, tum ipsum quod confertur beneficium. Gratiæ porrò magnitudinem, vt idem Aristoteles autor est, triplex ratio commendat. Prima est, si valdè egeant, quos nostra benignitate iuuamus. Inopiam verò plurimùm exaggerat desiderij sitis, & ea potissimùm quæ cum dolore coniuncta est. Nam qui cupiditate aliqua vehementius æstuant, aut anguntur periculi metu, corporisúe cruciatu acrius vruntur, his si benefacias, & molestia liberes, quamtuluncunque sit illud quod contuleris, ingens beneficium se accepisse prædicant. Aliàs verò rerum ac temporum momenta expenduntur; ἢ ἡ μεγάλων ἢ χαλεπῶν, ἢ ἐν καιροῖς τοιούτοις; si magnarum rerum, & quas haud facilè tibi compares, gratia facta sit: si eo tempore, quo per hæc aut periculi metus, aut ægritudo animi, aut grauior quælibet molestia depulsa sit. Tertio denique etiam eius qui gratiam impertit, ratio haberi solet: ἢ μόνος, ἢ πρῶτος, ἢ μάλιστα. Si solus, aut primus, vel etiam præcipuè. Hæc vbi concurrunt, gratiæ summa gratia habetur. *Inueniant*, porrò inquiunt, *pueri tui gratiam in oculis tuis*, quam summi beneficij loco habituri sumus. Nam & fame laboramus, nec est aliud tormētum quod cum inedia comparari possit: Et res nobis supra modum ardua & difficilis videtur, vt in his desertis locis commeatú exercitui quisquam suppeditet: & hoc tempus ipsum postulat, cùm exules ac profugi impotentem Regis iram fugimus; & tu primus, quinetiam solus, certè omnium maximè, si ita in animum induxeris, inopiam nostram leuare poteris. Illud porrò ad animi modestiam spectat, vt fauorem ac beneficium ducas, quod labore atque obsequio constet esse promeritum.

Aristoteles.

INVENIANT PVERI, &c.

Gratia quid sit.

Riccobonus.

Quæ gratiam commendat.

In die enim bona venimus.] Ἀγαθόν, inquit Suidas in eadem voce, ὁμώνυμός ἐστι φωνή. Bonum est vox homonyma, quæ nomē quidem vnum, & idem habet: sed multa significat. κατηγορίαις ἢ ταῖς δέκα γὰρ τὸ ἀγαθόν, nam bonum decem Categorias occupat, seu decem Categoriæ bonum in totidem genera distribuunt. Suidæ placuit tot boni discrimina inductione demonstrare: quod tametsi Philosophiæ candidatis in promptu est pariter consequi, referre tamen in aliorum gratiam qui tardiores ingenio sunt, minimè grauabor. καὶ πρῶτον ποιεῖν, inquit: Et primum quidem ipsum facere, siue ipsa *Actionis* Categoria sibi bonum vendicat, ἐπεὶ ἔστι τινὰ ἀγαθὰ ὡς ποιητικά,

Suidas.

Bonū omnes decem categoriæ sibi vendicant.

IN DIE BONA VENIMVS.

ποιητικά; quia sunt quædam bona, vt bonorum efficientia. Primò, nam propterea quod actiones quædam bonum pariant, idcirco eædem ipsæ in bonis censentur. Λέγεται γὰρ τἀγαθοῦ ποιητικὸν, ἀγαθὸν, dicitur enim bonum id, quod est efficiens boni; vt voluptatis, valetudinis, aut cuiuslibet vtilitatis. Quod enim in edulio bonum est, id censetur bonum, vt boni efficiens. Nec verò secus de *Qualitatis* Categoria sentit. Quum enim bonum hominem esse dicimus, *qualem* ipsum esse significamus, eiusque qualitatem sic exprimimus; vt cùm ipsum dicimus esse temperantem, aut fortem, aut iustum. Interdum verò bonum, ipsum *Quando*, tempúsq; significat. Quod enim opportuno suóque tempore fit, bonum vocatur. Quartò bonum etiam significat quantum, & ad *Quantitatis* Categoriam refertur. Τὸ γὰρ μήτε ἐλλεῖπον μήτε ὑπερβάλλον μέσον, ἀλλ' ὃν αὖ ποσὸν, καθὸ ποσόν τι. Quod enim neque redundat, neque deficit, sed quantum satis est obtinet, illud quantum nominatur, mensuram mediam inter id quod minus est, & aliud quod excedit, significans. Λέγεται δὲ οὐσία τἀγαθὸν, ὡς θεὸς, νοῦς. *Substantia* quam vocant Categoriam designat. Dicitur etiam aliquid bonum, vt essentia, nimirum Deus mens. Λέγεται δὲ καὶ ὡς πρός τι. de *Relatione* sermonem instituit. Τὸ γὰρ σύμμετρον, τοῦτο ἀγαθόν. Quod enim habet commensum, quam Græci symmetriam vocant, hoc quoque bonum censetur. Septimò, in ipsa quoque *Passione* bonum versatur, & ad Categoriam τὸ πάσχειν refertur, vt curari, doceri. Hoc enim est bonum. Octauò, est etiam aliquod bonum in Categoria *Vbi*, ἐν τῷ ποῦ. Vt, in securo loco, salubri, & tranquillo versari. Ἔστι δὲ αὖ καὶ ἐν τῷ κεῖσθαι, erit etiam nonò bonum in Categoria *Situm esse*; cùm ille quidem, cui sedere conducit, sedet: cui verò cubare conducit, cubat. Ne longius euagemur, si dicas febricitanti expedire vt in lecto quietè iaceat, hoc etiam bonum fuerit. Denique bonum esse etiam in Categoria *Habere* versatur, vt, armatum esse contra vim hostilem, aut splendidis vestibus ornatum esse ad nuptias celebrandas, hoc etiam bonum ducitur. Hæc Suidas. Quæ si cum historia contuleris, nullo negotio colliges, qua ratione solennis epuli dies legatis Dauid bona dicta sit.

Cœli° lect. Antiq lib. 14. cap 9.

In die bona venimus.] Nihil ad superstitionem Gentilium, qui dies bonos & malos adhibito discrimine seruare solebant. Extat Hesiodi lucubratiuncula, inquit Cœlius, qua is pro ratione temporum & superstitionis inuolutæ, dierum alios comprobat, amplexatúrque: reijcit alios, ac velut emortuos transilit. Quartos omnes laudat, reprobat quintos: in quibus vagari furias credidit, & periuros deposcere ad supplicium, insinuat: quòd is numerus iustitiæ sit proprius. quod Pythagoreorum contineri in arcanis nouimus. Tres verò sunt, quibus Iouis adoptat nomen, vt Mensis principi, quarto item, ac septimo. Sic enim profectò scribit:

Hesiodus.

Αἱ δ' γὰρ ἡμέραι εἰσὶ Διὸς πάρα μητιόεντος,
Πρῶτον ἔνη, τετράς τε, καὶ ἑβδόμη ἱερὸν ἦμαρ.
Sunt enim dies ab Ioue consilio abundante,
Mensis Primus, Quartus, & septimus sacer dies.

Et ἕνην quidem (vt inquit Proclus) vocat Neo-

A meniam, id est diem primam, quam & principe statuit loco, veluti Arithmeticæ congruam. Et est numerorum princeps monas, id est vnitas: & omne principium esse, ac censeri diuinum inter Platonis placita refertur. Quartum amplexatur, vt qui Musicas complectatur rationes, eam scilicet, quæ vocatur διὰ τεσσάρων, & epitritos: tribus namque si adijcias vnum, quaternarius consurgit. Item quam διὰ πασῶν vocăt, siue diplasion. Duo namque geminata quaternarium cŏflant. Necnon quæ δὶς διὰ πασῶν nuncupatur, quando duplicata, quaternitas octonarium conficit. Septimum verò, quia ex sola cooriatur vnitate, nec duplicatus intra decada progignere numerum possit. Cæterùm ratione compari ab Hesiodo totus peragitur Mensis ad trigesimum vsque diem, quem ab eo laudari,

IN DIE BONA VENIMVS.

Gentilium superstitio in dierum bonorum malorumq; delectu.

B Proclus ait, quia fit in eo lunæ coïtus, quem veritatis arbitrabantur imaginem: cui vnitas consecretur, sicut mendacio multiplicitas. Propterea insinuat Poëta, esse tunc operum inspectionem peropportunam. Sed & familiæ tum cibaria contribui debere: quam rem Latini nuncupare demensum solent. Tunc cessabant ab opere, sicut & formicam tempore eodem feriari, obseruandum ferè est. Secundum etiam mensis diem Boni dæmonis dictum Apostolius tradit. Albumasar non incelebris autor inter Mathematicos, Qui luna, inquit, Ioui coniuncta cum capite draconis, Deo supplicauerit, quicquid petierit, proculdubio impetrabit. Nec Albumasari defuit astipulator, quando Petrus Aponensis hác se hora à Deo scientiam petijsse scribit, ac mox insigniter profecisse. Illud tamen

C Doctorem Gentium non minimùm offendit: *Dies, inquit, obseruatis, & menses, & tempora, & annos: timeo vos, ne fortè sine causa laborauerim.* Et S. Augustinus in Enchiridio, ipsam temporum obseruationem, vt hæc fausta, illa infausta putemus, ad magnum dixit pertinere peccatum.

Ad Galat. cap 4.

Decretum Grat. caus. 26. quæst. 7.

Neque tamen aut medicos damnamus, aut agricolas, siue etiam nautas, qui dies obseruăt: his enim maximè *stellæ in cælo positæ sunt*, vt Moses docet, *in signa & tempora*; vt nouerint qui motus, & quæ naturę vires, singulis temporum momentis inferiora corpora exerceant. Et notiores quidem sunt quos Medici criticos siue decretorios vocant. nonnullo quoque vsu nouimus quos agricolæ & vinitores vereantur: nautis suspecti dies hi sunt: Martij primus, se-

D ptimus, quintusdecimus, septimusdecimus, decimusnonus, & vigesimusquintus: Aprilis, 5. 6. 11. 20. Februarij, 6. 12. 15. 17. 19. & 20. & hos quidem inuariabiliter obseruăt: adstruuntq; hisce ferè diebus maximas in mari mutationes contingere, vel ad tranquillitatem, vel ad tempestatem: proinde in re ambagiosa, ac incertitudinis multæ, tutius arbitrantur nauigationi supersedere. At verò meram superstitionem olet, quod olim Pontifices apud Romanos statuerunt, dies postridie Calendas, Nonas, Idus, atros habendos esse: vtque dies hi neque prœliares, neq; puri, neq; comitiales haberentur. Nefastos & inominales appellatos Gellius tradit: alij etiam postriduanos, infaustos, atros, communes: quorum instar Februarij mensis bisextum vitasse

A. Gellius lib. 5. ca. 17.

QVICQVID INVENERIT, &c. fertur Valentinianus Imperator. Græci ἀποφράδας indigitarunt. Quam vocem interpretatur A Lucianus in Pseudologista. Ἀποφράδα, inquit, Athenienses τὴν μιαρὰν, καὶ ἀπευκτὴν, καὶ ἀπαίσιον, καὶ ἀσυνάντητον ἡμέραν atram & abominabilem, & inauspicatam & nefastam diem vocant. Et iterum, Quando neque magistratus de rebus consultant publicè, neque lites in foro disceptantur, neque sacrificia peraguntur, neque quicquam eorum, quæ more & auspicato solent, tractatur, id dies ἀποφρὰς siue ater dicitur. Atque huiusmodi dies apud alios alijs de causis indicti sunt: apud Romanos, vt testatur Gellius, quod complures olim Senatores meminissent, quoties belli gerendi gratia, res diuina postridie Calendas, Nonas, Idus, à magistratu populi Rom. facta esset, eius belli proximo deinceps prælio rem malè gestam esse. Tanquam ipse quoque Numinis fauor certis temporibus circumscriberetur, aut temporum legibus Numen obnoxium subiaceret. B

Lucianus.

Quicquid inuenerit manus tua.] Apparet famem atque inopiam passos. Fames porrò omnia reddit dulcia prçter seipsam, vt inquit Antiphanes.

Fames optimum condimentum.

Ἅπανθ' ὁ λιμὸς γλυκέα πλὴν αὐτὸν ποιεῖ.

Suetonius de Iulij Cæsaris militibus cap. 68. Famem, inquit, & cæteras necessitates, nō cùm obsiderentur modò, sed & si alios ipsi obsiderent, tantopere tolerabant, vt Dyrrachina munitione Pompeius, viso genere panis ex herba, quo sustinebantur, cum feris sibi rem esse dixerit: amouerìque ocyus, nec cuiquam ostendi iusserit: ne patientia & pertinacia hostis, animi suorum frangerentur. Apud Herod. lib. 8. Xerxes post acceptam cladem Græcos fugiens, Hellespōtum cum aliqua parte copiarum petebat: quæ quocunque veniebant, & ad quoscunque homines, eorum direptis fructibus vescebantur: vbi autem nihil fructuum reperiebant, ipsa herba, vt è solo germinabat: nonnulli delibatis corticibus, & strictis frondibus arborum, tam agrestium quàm mansuetarum, nihil omnino relinquentes. Hoc autem præ fame facere cogebantur. Quos deinde pestilentia excipiéte ac dysenteria inter viam extinguebantur. Hçc Herodotus. Antonij quoque milites, cùm Parthos fugeret, par ferè calamitas oppressit. Nam cùm illi quoque famis stimulis excruciati insuetum gramen tentarent, in quandam herbam inciderunt: quam vbi deuorassent, abiecto militiæ studio, eruendis passim lapidibus incumbebant tanta pertinacia, vt non inde prius euellerentur, quàm bile affatim euomita exanimes conciderent. Autor Plutarchus in eius vita. At verò Lydi, cùm ipsi quoque annonæ difficultate vexarentur, mira arte huic tanto periculo remedium attulerūt. Pilæ, inquit Herodotus, atq; aleæ, tesserarúmque ludum tum primum repererunt. Porrò ad famem discutiendam, altera quidem die in totum lusibus occupatos fuisse, ne videlicet ciborum quærendorum solicitudine torquerentur; altera verò à lusibus abstinentes, vesci consueuisse. Atque hoc modo vixisse annis duodeuiginti. Non tamen arbitror Dauidis milites Lydorum inuentis in eremo inediæ illudere voluisse. Naturalia quædam remedia

Suetonius.

Herodot.

Plutarch.

Herodotus lib. 1. Lydi ludūt & illudunt famem.

Plinius commemorat, quibus haud paruo tempore fames tolerari possit. Quçdam, inquit, exiguo gustu famem ac sitim sedant, conseruantque vires, vt butyrum, hippace, (caseus & equinus) glycyrrhizon. Et rursum lib. 25. cap. 8. Inuenere herbas & vniuersæ gentes. Scythia primam eam, quæ Scythice vocatur, circa Boëtiam nascens, prædulcis. Aliam vtilissimam ad ea quæ spasmata vocāt. Magna & ea commendatio, quod in ore eam habentes, famem sitimque non sentiunt. Idem præstat apud eos hippice dicta, quod in equis quoque eundem effectum habeat. Tradúntque his duabus herbis Scythas etiam in duodenos dies durare in fame sitique: Hactenus Plin. Nos alibi, vt arbitror, idem de coca Peruanorum notauimus. Plutarchus in Symposio septem Sapientum, ἄλιμα & ἄδιψα nuncupat pharmaca, quæ famem obrepere ac sitim prohibeant. Nam est & alimos herba, quam gustantes famescere nesciunt.

QVICQVID INVENERIT, &c. Famis antidota. Plinius hist. nat. li. 11. cap. 54.

Diodorus Siculus Rerum antiq. lib. 4. cap. 3. Acridophagorum meminit quos locustis in Africa vesci docet. Quem cibum etiam Baptistam vsurpasse in solitudine Matthæus refert, si Vulgatum Interpr. sequimur. Verùm hæc expositio S. Isidoro Pelus. non placet. Nam αἱ ἀκρίδες, inquit epist. 132. lib. 1. αἷς Ἰωάννης ἐτρέφετο, οὐ ζῶά εἰσιν, ὥς περ οἴονται ἀμαθῶς, κανθάροις ἀπεοικότα. μὴ γένοιτο. ἀλλ' ἀκρέμονες βοτανῶν ἢ φυτῶν. Acrides, quibus Ioannes alebatur, non animantia sunt, vt quidam imperitè putant, scarabæis similia, (absit:) verùm herbarum aut plantarum summitates. Hæc illæ. Fuisse verò etiā Hylophagos idem Diodorus autor est in eod. lib. C de quibus hoc habet. Hylophagi cum filijs vxoribúsque ad loca campestria accedentes, arbores ascendunt, ac teneras ramorum summitates auferunt. Tantam autem ex continuo vsu ramos ascendendi peritiam habent omnes, vt, quod incredibile videtur, de arbore in arborem velut aues prosiliant, ascendántque tenues absque periculo ramos, macilentia leuitatéque corporis nixi. Si quando pedes labantur, manibus ramis comprehensis se à casu vindicant. Ita ramis tenerioribus dente excisis, ventrem farciunt. Moriuntur vt plurimum fame, cùm deficiente visu corporis priuentur eo sensu, quo cibum quærebant. Hæc Diodorus. Quæ si vera sunt, quis dubitet Dauidis milites, cùm eos annona deficeret, summis arborum ramis vtcunque vitam tolerasse?

Diodorus.

Matthæi 3. Acridophagi. S. Isidor. Pelus.

Hylophagi.

D *Quicquid inuenerit manus tua.*] *Nam quæ prius nolebat tangere anima mea*, inquit Iob, *nunc præ angustia cibi mei sunt.* Sed & illud obseruandum, quod de Socrate narrat Xenophon lib. 1. De dictis & fact. Socrat. Cibo, inquit, tam parcè vtebatur, vt iucundè comederet: atque ad illum ita ibat paratus, vt pro obsonio sibi esset cupiditas comedendi. Potus verò omnis erat ei gratus, propterea quod nunquam bibebat, nisi sitiret.

Da seruis tuis, & filio tuo Dauid.] Mercurius cùm apud Lucianum Timonem fodientem montanum ac petricosum solum miraretur Papæ, inquit, adest, καὶ ἡ Πενία, καὶ ὁ Πόνος οὑτοσί, ἡ Καρτερία δὲ, καὶ ἡ Σοφία, καὶ ἡ Ἀνδρία, καὶ ὁ τοιοῦτος ὄχλος

Lucianus in Timone.

QVICQVID INVENERIT, &c. ὄχλος τῶν ὑπὸ τῆς λιμοῦ πολεμουμένων ἀπάντων, & Paupertas, & Labor ille, tum Robur, Sapientia, Fortitudo, atque id genus aliorum turba, quorum omnium agmen Fames cogit. Hæc ille, qui Humilitatem in prima acie statuere debuerat: sed cæco illi, ac superbo animi summissio ignobilis ac degener visa est, nec digna quæ ascriberetur virtutum choro. *Da seruis tuis.*] Quanta hæc animi moderatio in milite, & quidem famelico? Plautus in Curculione:

Plautus. *Os amarum habeo, dentes plenos, lippiunt fauces fame,*
Ita cibi vacuitate venio laxis lactibus.

Iracūdi famelici. Famescentibus enim cùm hepatis tum miseraïcæ venæ quemlibet humorem eliciunt, regerente semper natura quod minus commodum est; ita vt hoc genus pabuli stomachum magis cruciet quàm reficiat. Inde tristis succus, & amara bilis fauces occupat. Quod manifestius idem in Amphitryone,

Seneca. *Vetu' st adagium, Fames, & mora, bile nasum conciunt.*] Idcirco Seneca, vt obseruat Cœlius lib. 13. cap. 24. quibus, inquit, stomachus suspectus est, processuri ad res agendas maioris negotij, bilem cibo temperent, quam maximè mouet fatigatio: siue quia calorē inedia conuellit, ac nocet sanguini, cursumq; eius, venis laborantibus sistit: siue corpus, quia attenuatum & infirmum, incumbit animo. Certe ob eandem causam iracundiores sunt valetudine, aut ætate fessi. Fames quoque & sitis, ex eisdem causis vitanda est: exasperat enim, & incendit animos. Vetus dictum est, A lasso rixam quæri: æquè autem & ab esuriente ac sitiente, & ab omni homine, quem aliqua res vrit. Nam vt vlcera ad leuem tactum, deinde etiam ad suspicionem tactus condolescunt: ita animus affectus minimis offenditur. Adde his denique quod scribit Egesippus: Omnem, inquit, affectum excludit fames, in primis verò verecundiam. Esurientibus enim dispendium vitæ pudor affert, salutisque detrimentum est. Ex quibus omnibus facilè conijcias quantos tum progressus Dauidis milites in virtute fecisse oportuit, qui iniurijs lacessiti, labore fracti, inedia confecti, cùm vi rapere possent, tum summissè rogare maluerunt. Nam vera esse quæ autores tradunt, experiētia non rarò probauimus. Sed hæc scilicet defetiscentis naturæ infirmitas est, quam gratia corrigit, si in virtutis studium strenuè incūbamus. quippe, vt scribit Antiphanes,

Πενία γὰρ ἐστιν ἡ τρόπων διδάσκαλος,

Paupertas magistra morum est. *Paupertas magistra morum est.*

Et Arcesilaus apud Stobæum, Paupertatem aiebat asperam quidem esse, quemadmodum & Ithacam, sed bonam prolis nutricem, vt quæ assuefaciat frugalitati & abstinentiæ, καὶ καθόλου γυμνάσιον ἀρετῆς ἐμπρακτικόν, & in vniuersum efficax virtutis gymnasium. Diogenes quoque docebat Paupertatem αὐτοδίδακτον βοήθημα, subsidium esse ad Philosophiam sponte doctum, siue necessaria doctrina instructum. Nam quæ Philosophia verbis persuadere conatur, ea paupertatem in ipsis rebus cogere. Quod si Ethnicis, & ijs, qui diuinæ gratiæ expertes essent, dicere licuit, quid Euangelicæ paupertatis alum-

nos de eiusdem emolumentis æquum est sentire? Facilem sobrietatem, inquit Chrysostomus, & animæ cultum modestiam promptam, non subitam inflationem, non ambitionem insanam, imò & alias omnes abundè virtutes in pauperum animis florentes inuenias: diuites contrà, vt plurimùm virtutibus vacuos, & ad vitia pronos. Hæc ille. DA FILIO TVO DAVID, &c.

Da filio tuo Dauid.] Suetonius de Augusto in eius vita, cap. 91. Ex nocturno visu etiam stipem quotannis die certo emendicabat à populo, cauam manum asses porrigentibus præbens. Suetonius.

Versvs IX.

Cumque venissent pueri Dauid, loquuti sunt ad Nabal omnia verba hæc ex nomine Dauid: & siluerunt.

Versvs X.

Respondens autem Nabal pueris Dauid, ait: Quis est Dauid? & quis est filius Isai? hodie increuerunt serui, qui fugiunt dominos suos.

Versvs XI.

Tollam ergo panes meos, & aquas meas, & carnes pecorum, quæ occidi tonsoribus meis, & dabo viris, quos nescio vnde sint?

ET *siluerunt.*] Pagninus, *& quieuerunt.* quidam, Fortè ex fatigatione itineris. Ionathā Chald. *& finierunt,* vel *cessauerunt:* subaudi, loqui. Vatabl. *& siluerunt.* Alius, *& quietè se continuerunt.* Patienter Nabalem inuehentem in se & in Dauidem, ad finem vsq; audiuerunt. Vatablus in Schol. Hebraïsmus est, inquit: *quieuerunt,* .i. desierunt loqui. Aut, desederunt aliquantisper, donec daretur occasio conueniendi hominem durum. Non habent hoc LXX. sed eius loco legitur apud Complut. καὶ ἀνεπήδησεν Ναβάλ, *& resilijt,* siue *exilijt Nabal*; quod cum sequenti oratione Aldus, & Rom. edit. coniungunt. Versu 10. Pagninus, *Hodie multiplicati sunt serui, qui diuidunt se vnusquisque à facie dominorum suorum.* Alius, *Increscunt hodie serui, qui sigillatim se separant à facie dominorum suorum.* Vatablus, *(hodie multi sunt serui, qui sese à dominis suis abrumpunt.)* Et hæc putat per parenthesin legenda esse, vt sit sensus: Quis est filius Isai, vt tollam panes meos, &c. quidam, *qui erumpentes deficiunt quisque à domino suo.* Ad marg. qui perrumpunt officij sui fines, & in dominos suos iustos perfidè inuehuntur, denique tanquam si fluenta retrò properarent, ita contra ius naturæ veniunt aduersantes magistratui suo, sumpta metaphora ab exundantibus fluminibus. Sept. Ald. & Rom. edit. ἀναχωροῦντες, *recedentes.* Com- Variæ translationes.

QVIS EST DAVID? &c.

plut. & apud Theodoret. ἀποδιδράσκοντες, *fugientes*. Chald. *qui fugiunt, & abscondũtur vir ab ante dominum suum*. Versu 11. *Et aquas meas*. quidam, *& coctionem meam, quam coxi tonsoribus meis*. Per *aquas* intelligitur hic quilibet potus, sicut & per coctionem omnis cibus præter panem. Pagninus, *victimam meam quam occidi*. Hebr. *mactationem meam quam mactaui*, id est, *mactatas carnes meas*. Vatabl. *obsonium meum quod mactaui*. In Schol. escam meam, quam præparaui. Lxx. καὶ λήψομαι τοὺς ἄρτους μου, καὶ τὸν οἶνόν μου, καὶ τὰ θύματά μου ἃ τέθυκα τοῖς κείρουσί μου, &c. *& capiam panes meos, & vinum meum*, & Complut. *pecora mea, quæ occidi tondentibus*. Rom. translat. *& victimas meas, quas immolaui, &c.* Chaldæus optimè omnium interpretatus est: *Et accipiam cibum meum, & potum meum, & conuiuium meum, quæ paraui tonsoribus, &c.*

Quis est Dauid? & quis est filius Isai? Quamuis æquissima fuisset postulatio Dauidis, tamẽ nihil planè impetrat, quia illi res fuit cum homine stulto, & temerario, qui pro beneficijs reponit contumelias. Diuitiæ enim inflant sæpe homines, & feroces, atque insolentes reddunt. *Quis est iste Dauid?* inquit. Quasi eum contemneret, vt hominem ignotũ, & obscurũ. Quis? inquis. Hebræus est: tribulis tuus est: gener Regis est: de Rep. & de teipso benemeritus est: in muliercularum etiam choræis notus est. Non potuit Dauid illi obscurus esse. Nam Abigaïl eũ postea salutauit Regẽ: & Ionathas, & Saul ipse palàm audiente populo dixerat, eum esse regnaturum: & iam in vulgus notum erat, eum vnctum esse à Samuele. Nec verò tantùm in Dauidem contumeliosus est Nabal, sed etiam in eius commilitones. eos enim accusat perfidiæ, æquè ac Dauidem, cùm ille semper fidelissimus extitisset, & Sauli ipsi, & Reip. Auctus, inquit, hodie numerus est seruorũ, qui à dominis suis deficiunt. Verum est illud Menandri:

Δρυὸς πεσούσης πᾶς ἀνὴρ ξυλεύεται.

Quercu delapsa nemo non lignatur.

Doëg accusat, Ziphæi produt, Nabal calũniatur.

Iniuria non vno modo dicitur.

Porrò *Instit. lib. 4. tit. 4. De iniurijs*, Generaliter iniuria dicitur omne quod non iure fit, aliàs contumelia, quæ à contẽnendo dicta est, quam Græci ὕβριν appellant; aliàs culpa, quam Græci ἔγκλημα dicunt, sicut in lege Aquilia damnum iniuria datum accipitur; aliàs Iniquitas, & Iniustitia, quam Græci ἀνομίαν, καὶ ἀδικίαν vocant. Iniuria autem dicitur, non solùm si quis pugno pulsatus fuerit, aut fustibus cæsus, sed & si cui conuitiũ factum fuerit libello, carmine, historia ad infamiam composita.

Quæ atrox iniuria.

Atrox verò iniuria æstimatur vel ex facto: veluti si quis ab alio vulneratus sit, vel fustibus cæsus: vel ex loco, veluti si cui in theatro, vel in foro, vel conspectu Prætoris iniuria facta sit: vel ex persona, veluti si Magistratus iniuriam passus sit, vel si Senatori ab humili persona iniuria facta, aut parenti, patronóve fiat à liberis vel libertis. Item locus vulneris iniuriam atrocem facit, vt si in oculo quis percussus fuerit.

D. De iniurijs, &c.

Iniuriam interpretatur Vlpianus *ff. De iniurijs & famosis libell. 1.* quasi non iuriam, quòd iure & iustitia caret. Iniuriam autem fieri Labeo ait re, aut verbis. Re, quoties

A manus inferuntur. Verbis autem, quotiens non manus inferuntur, Conuitium fit. Omnemque iniuriam aut in corpus inferri, aut ad dignitatem, aut ad infamiam pertinere.

Ibid. 15. Conuicium quid dicatur.

Conuitiũ autem dicitur, vel à concitatione, vel à conuentu, hoc est, à collatione vocum. Cùm enim in vnum complures voces conferuntur, conuiciũ appellatur, quasi conuociũ: siue vnus, siue plures dixerint: quod in cœtu dictum est, conuiciũ est. Quod autem non in cœtu, nec vociferatione dicitur, conuicium non propriè dicitur, sed infamandi causa dictum. Et conuicium non tantùm præsenti, verùm absenti quoque fieri posse, Labeo scribit. Nec omne maledictũ conuiciũ est, sed quod cum vociferatione dictũ est. Hæc illi. Ego verò non dubito, hanc Nabalis insolentiam, maledictum, contumeliam, conuicium,

B denique atrocem iniuriam interpretari.

Iniuria planè innocentissimo viro contumeliã facit, & fugã exprobrat, quam non vlla sceleris conscientia, sed sola necessitate, & alieno scelere coactus arripuit. quod autem illi vitio vertit, id erat maximum famæ decus futurũ. quod enim aliud æquè præclarũ constantis animi specimen edere potuit, quàm vt voluntarium illud exilium iniquissimo loco toleraret, seu potiùs non tam exilium (nam illud reo tutam ab iniuria vitam pollicetur) quàm perpetuũ capitis discrimen subiret, ne iniustissimũ & infensissimum hostem violaret? Quippe non semel id potuit gratulantibus quidem amicis, reluctante autem nemine præter propriam conscientiam, cùm futurus esset Saulis interitus, si secundũ hominem loquamur, eiusdem salutis exordiũ. Sed noluit,

C imò deteriorem morte viuendi conditionẽ accepit, ne vel tantillũ virtuti decederet, aut leui aliqua labecula innocentiam macularet. Hoc porrò, si tamen vel rarissimè contingat, in alijs quidem hominibus laudibus in cælũ fertur; serui Dei, cùm longè maiora præstiterint, conuitijs proscindũtur. Hanc acerbissimã Gentilium iniuriam cum ijsdem acerrimè expostulat Tertull.

Tertull. Infanum mundi iudicium, quo ea damnat in seruis Dei, quæ in alijs miratur.

Apologet. cap. 50. Licet nunc, inquit, sarmenticios & semarios appelletis, quia ad stipitem dimidij axis reuincti sarmentorum ambitu exurimur. Hic est habitus victoriæ nostræ, hæc palmata vestis, tali curru triumphamus. Meritò itaque victis non placemus. Propterea enim desperati, & perditi existimamur. Sed hæc desperatio & perditio penes vos in causa

D gloriæ & famæ, vexillum virtutis extollunt. Mutius dextram suam libens in ara reliquit. ô sublimitas animi! Empedocles totum se Catanensium Ethneis incendijs donauit. ô vigor mentis! Aliqua Carthaginis conditrix rogo se secundum matrimonium dedit. ô præconium castitatis! Regulus ne vnus pro multis hostibus viueret, toto corpore cruces patitur. ô virum fortem, & in captiuitate victorem! Anaxarchus, cùm in exitium ptissanæ pilo contunderetur: Tunde, tunde, aiebat, Anaxarchi follem: Anaxarchum enim non tundis. ô Philosophi magnanimitatem, qui tali de suo exitu etiam iocabatur! Omitto eos, qui cum gladio proprio, alióve genere mortis mitiore de laude pepigerunt. Ecce enim

&

Hodie increverunt, &c.

& tormentorum certamina coronantur à votis. Attica meretrix carnifice iam fatigato, postremò linguam suam comestam in faciem tyranni sæuientis expuit, vt expueret & vocem, ne coniuratos confiteri posset, si etiam victa voluisset. Zeno Eleates consultus à Dionysio, quidnam Philosophia præstaret, cùm respondisset, contemptum mortis, impassibilis flagellis tyranni obiectus sententiam suam ad mortem vsque signabat. Certè Laconū flagella sub oculis etiam hortantium propinquorum acerbata, tantum honorem tolerantiæ domui conferunt, quantum sanguinis fuderint. ô gloriam licitam, quia humanam, cui nec præsumptio perdita, nec persuasio desperata reputatur, in contemptu mortis, & atrocitatis omnimodæ, cui tantùm pro patria, pro Imperio, pro amicitia pati permissum est, quantū pro Deo non licet. Et tamen illis omnib. & statuas defunditis, & imagines inscribitis, & titulos inciditis in æternitatem, quantum de monumentis potestis: scilicet præstatis & ipsi quodammodo mortuis resurrectionem. Hanc qui veram à Deo sperat, si pro Deo patiatur, insanus est. Hactenus Tertullianus.

Eunapius. Seruos nefando nobilissimos Martyres vocat.

Hodie increuerunt serui.] Haud aliter sanctos Martyres vocat impius Eunapius in Ædesio, seruos, & quidem flagitiosos. Et rursum, *ἀνδράποδα δεδουλευκότα κακῶς, καὶ μάστιξι καταδεδαπανημένα, καὶ τὰς τῆς μοχθηρίας ὠτειλὰς ἐν τοῖς εἰδώλοις φέροντα.* Mancipia infida, & flagris pessimè subacta, & quæ cicatrices scelerum ac nequitiæ vestigia *εἰδώλοις* corporibus circumferrent. Ita vertit Hadrianus Iunius, imperitè satis mea quidem sententia, cùm de Martyribus dudum vita functis queratur Eunapius, quos dolet haberi in honore, quorum imagines testatur simulacra

C tormentorum præ se tulisse. Sed veritus est homo à pietate alienus, ne sacrarum imaginum cultum Ethnico autore assereret. Quod autem Eunapius Martyrum depictas icones idola vocat; cùm id calumniandi studio fecit, quo sanctis Martyribus detraheret: tum suo exemplo manifestè arguit, qua mente, quo consilio hoc ipsum postea hæretici non minus impiè quàm pertinaciter imitati sint.

Eunapius sacris imaginibus testimonium impertit.

Increuerunt serui.] Tametsi, vt scribit Anaxandrides, Seruorum ciuitas nullibi extaret: attamen Plinius lib. 33. cap. 1. in domos mancipiorum legiones, & turbam externam ita conectam apud Romanos asserit, vt seruorum causa nomenclator ipsi domino habēdus esset. Leges præterea apud Senecam lib. 1. de Clementia, cap. 14. Seruos vt à liberis cultus distingueret, aliquando in Senatu dicta sententia est: sed apparuit quantum periculum immineret, si serui nostri numerare nos cœpissent. Neq. finxit supra fidem Petronius, Eumolpi familiam tam magnam per agros Numidiæ sparsam fuisse, vt posset vel Carthaginem capere. Surius tomo 3. autor est ab S. Hermete Præfecto Vrbis, eodemque Martyre, mille ducentos quinquaginta in die sancto Paschatis manumissos fuisse. Terentianus in Act. sanctorum Ioannis & Pauli, ab Ouinio Gallicano Martyre clarissimo, quinque millia seruorum libertate fuisse donata

Apud Athenæum lib. 6. Seruorum olim turba plurima.

Seneca.

Surius.

A commemorat, octo millia à S. Melania iuniore Palladius. Belisarium puerorum duodecim millia habuisse Aimoinus & Regino tradunt apud Lipsium. Denique Romani singuli, inquit Athenæus libro 6. cap. 7. multos olim domesticos possidebant; ita vt decem, & viginti millia, vel plures etiam nonnulli haberent. Neque verò soli Romani mancipiorum greges aluerunt, sed alias quoque nationes par cupido cepit. Nam Mnaso quidam, vt ibid. refert Athenæus, à Phocensibus olim calumniam passus est, quoniam mille seruos haberet, qui totidem ciuibus necessariam annonam absumerent. Nicias item Nicerati filius, vt lepidus Xenophon testatur libro de vectigalibus, quos habuit seruos mille Sosiæ Thracio ad fodinas argentarias locauit, obolum quotidie singulis reddentibus.

Xenophō.

B Aristoteles in Æginetarum Republica seruorum quadraginta septem myriadas fuisse tradit. Agatharchides Cnidius lib. 38. Rerum Europæ, scribit, è Dardanis aliquem seruos mille possedisse, quendam etiam plures: ac eorum vnumquemque pacis tempore agrum colere, belli verò, militiæ nomen dare, suosque illis duces esse dominos. Epitimæus lib. 3. Historiarum prodidit, Corinthiorum oppidi fuisse tantam felicitatem, vt seruorum myriadas quadraginta sex possiderent. Ctesicles Chronicorum tertio scribit, 110. Olympiade Demetrium Phalereum Atticæ incolas recensuisse, inuentasque Athenensium *δισμυρίους πρὸς τοῖς χιλίοις*, duas myriadas fuisse ac insuper mille. Ita vertit Dalechampius: siue vt Natalis Comes prius expolierat, reperta viginti & vnū millia:

C Inquilinos decies mille, seruorum autem quadraginta myriadas. Tot serui, cùm tam pauci ciues essent?

Accedebat ad numerum frequens iniuria, quę seruitutis iugū suapte graue miseris intolerandū efficeret. Quippe eò prorupit dominorum impotentia, vt nihil non contumeliæ ijsdem pro sua libidine inferrent. Itaque non rarò dominis negotiū exhibuerunt. Seruorum Atticorum, inquit Athenæus, tot myriades vinctis pedibus in metallorū fodinis exercebantur. Itaque Posidonius Philos. tradit eos aliquando rebelles, metallorum præfectis ac custodibus interemptis, arcem occupasse promontorij Sunij, & Atticam diu populationibus vexasse, quo tempore in Sicilia excitata est seruorum secunda

D defectio: nam multæ illorum fuere, in quibus seruorum perierunt plus quàm centum myriades. Cæcilius Rhetor librum edidit de bellis seruilibus.

Bella seruilia.

De Romanis Florus lib. 3. Quid autem bella seruilia? Vnde nobis, nisi ex abundantia familiarum? Vnde gladiatorij aduersus dominos suos exercitus, nisi ad conciliandum plebis fauorem effusa largitio, quum spectaculis indulget, supplicia quondam hostium artem facit? quæ porrò seruilia bella rerum dominos penè oppressserint, paucis eodem libro complectitur, capite decimonono, & vigesimo. Primum, inquit, seruile bellum inter initia vrbis Herdonio Sabino duce in ipsa vrbe tentatum est: sed hic tumultus magis fuit, quàm

Florus.

HODIE INCREVERVNT, &c.

bellum. Mox imperio per diuersa terrarum occupato, quis crederet Siciliam multò cruentius seruili, quàm Punico bello esse vastatam? Terra frugum ferax, & quodammodo suburbana Prouincia, latifundijs ciuium Romanorum tenebatur. Hîc ad cultum agri, frequentia ergastula, catenatique cultores, materiam bello præbuere. Syrus quidam nomine Eunus, (magnitudo cladium facit, vt meminerimus) fanatico furore simulato, dum Syriæ deæ comas iactat, ad libertatem, & arma seruos, quasi numinum imperio concitauit, idque vt diuinitùs fieri probaret, in ore abdita nuce, quam sulphure, & igne stipauerat, leniter inspirans, flammam inter verba fundebat. Hoc miraculum primùm duo millia ex obuijs, mox iure belli refractis ergastulis, sexaginta ampliùs millium fecit exercitum; regijsque, ne quid mali deesset, decoratus insignibus, castella, oppida, vicos, miserabili direptione vastauit. Quin illud quoque (vltimum belli dedecus) capta sunt castra Prætorum; nec nominare illos pudebit, castra Manilij, Lentuli, Pisonis, Hypsæi. Itaque qui per fugitiuarios distrahi debuissent, Prætorios duces, profugos prælio ipsi sequebantur. Tandem Perpenna Imperatore fame consumpti sunt. Sed vixdum, inquit, respirauerat insula, quum statim à Syro reditur ad Cilicem. Athenio pastor, interfecto domino, familiam ergastulo liberatam sub signis ordinat. Ipse veste purpurea, argenteoque baculo, & regium in morem fronte redimita, non minorem, quàm ille fanaticus prior, conflat exercitum: acriusque multò, quasi & illum vindicaret, vicos, castella, oppida diripiens; in dominos, in seruos infestius, quasi in transfugas, sæuiebat. Ab hoc quoque Prætorij exercitus cæsi: sed ab Aquilio interclusus commeatu, ad extrema compulsus est; & armis communitæ copiæ, fame deletæ sunt. Hos sequutis temporibus Spartacus excepit, Spartacus, Crixus, Oenomaus, effracto Lentuli ludo, cum triginta aut amplius eiusdem fortunæ viris erupetunt Capua; seruisque ad vexillum, & ad auxilium vocatis, occupato monte Vesuuio, captis Clodij Glabri castris, non contenti villarum atque vicorum vastatione; Nolam atque Nuceriam, Thurios, atque Metapontum terribili strage populati sunt. Affluentibus in diem copijs, cum iam esset iustus exercitus, è viminibus, pecudumq. tegumentis inconditos clypeos, é ferro ergastulorum recocto gladios, ac tela fecerunt: capta de Prætoribus victis insignia & fasces dux ipse vsurpauit. Postremò, elatus victorijs, cum de inuadenda vrbe deliberaret, totis imperij viribus ea pestis oppressa est. Cùm interim, vt inquit Paulus Diac. orta in Sicilia belli seruilis cõtagio, multas latè Prouincias inficeret. Nam & Attica quoque & Delos emicantibus inde scintillis, pari incendio penè deflagrarunt. Herodotus in Erato seruorum Argis dominatum exponit. Apud eundem in Polymnia Cillyrij Syracusanorum serui vrbe dominos ejecere. De Volsiniorum seruis, qui dominos ipsi quoq; sub iugum mittere conati sunt, Florus lib. 1. cap. 21. quid Messene, Sparta, aliæque vrbes

Paul. Diac. histor Miscellæ lib. 4. cap. 24.

A complures à seruis passæ sint, omitto quærere. Chios quantis malis seruus Drimacus affecerit, narrat apud Athenæum Nymphodorus Syracusius, cum quo tandem & fœdus viuente inire coacti sunt, & mortuo ἱερὸν ἱδρυσάμενοι κατὰ τὴν χώραν, ἐπονομάσαντες, Ἥρωος εὐμενοῦς, Heroum illi extruxerunt, appellaruntq; Heroïs mansueti, ac beneuoli, & sacrificijs placare studuerunt. Sed illa longè grauiora, quæ ijsdem euenisse postea commemorant Nicolaus Peripateticus, & Posidonius Stoicus in suis historijs, Chios captiuos, & in seruitutẽ abreptos à Mithridate Pontico, vinctos fuisse, ac traditos proprijs seruis, vt in regionem Colchorum eam inhabitaturi transueherentur. Sic illis reuera Deum iratum fuisse, quòd primi emptis mancipijs vsi sint, B cùm primis temporibus iuniores senioribus inseruirent, & alioquin ad ministeria tenuis fortunæ homines multi suppeterent, quinetiam si quid Saturno credimus apud Teleclidem, prima ætate, siue aureo, quod aiunt seculo, seruis nequaquam opus fuit, cùm parata omnia natura suppeditaret.

HODIE INCREVERVNT, &c.

Apud Athenæum li. 6. cap. 7.

Puniti qui primi seruos pretio comparaũt.

Dicam, inquit, vitam ego, quam initio præbui mortalibus.
Primùm quidem omnibus pax fuit, tanquam manibus aqua.
Terra non ferebat timores, aut morbos, sed sponte prodibant necessaria.
Vino fluebant torrentes, placentæ cum panibus pugnabant
Circa ora hominum, orantes comedi,
Si candidissimas cuperent, pisces domos euntes,
C *Seipsos coquentes iacebant in mensis.*
Iuris fluebat prope lectos amnis, feruentes carnes prouoluens:
Intriti condimenti riuus, illis, si cuperẽt, aderat.
Nardique recentis tanta copia, vt ad singulas buccæas liceret
Plenis deuorare peluibus: punicorũ auulsa grana condimentis aspersa erant.
Assi turdi cum ameri cis ad fauces aduolabant.
Placenta festinanter in maxillas sese protrudentes, tumultuosè fremebant.
Depositis vuluæ & placentorum frustris pueri talis ludebant.
Obesi tum homines fuêre, & vasti gigantes.

Quale sequatur fuisse aureum seculum.

Hęc Saturnus. At quę Democritus apud Athenæum exclamat, Per Cererem obsecro vos, socij, hæc ita si fuerunt, quid seruis opus erat? Sed D ita nunquam fuit. Neque tam seruos habuisse veteres reprehendo, quàm malè eos habuisse. Neq; enim in sanciendа seruitute eorum duntaxat ratio habita est qui imperarent, sed etiam seruorum qui ancillarentur. Nam Posidonius 11. li. hist. scribit, quosdam, & eos non paucos, quia propter imbecillitatem ac tarditatẽ mentis ius suum tueri nequirent, prudentioribus se ministros tradidisse, vt eorum præsidio tuti, rebusque necessarijs aucti, secure degerent, suam illis vicissim quam possent ministrandi operam reddentes. Hoc sanè modo Heracleotis subditi sunt Mariandyni, seruituros se perpetuò stipulati, si quæ ad vitam necessaria sunt, ij suppeditarent, & insuper nominatim hoc pacti, extra Heracleotarum tractum nullum ex suis venum iri,

Posidon.

Honesta quædam seruitutis.

HODIE INCREVERVNT, &c.

iri, sed in illorũ tantùm regione fore venalem. Ad hunc modum Posidonius. Archemachus autem lib. 3. Rer. Euboïcarum scribit, à Bœotis in Arnam colonia deducta, qui in Bœotiam non redierunt, amœnitate & opportunitate loci allecti, seipsos Thessalis seruos mancipatũt, ea pactorum lege, vt nec à dominis interficerentur, nec educerẽtur extra illam prouinciam; vnde & Menestas primùm vocatos, deinde voce nonnihil immutata Penestas. Tales quoque euasisse Gabaonitas Scriptura testatur, dum mutare sedes non sustinent. Sed paucis vniuersas, vt videtur, asciscendæ seruitutis causas, S. Basilius complexus est lib. de Spiritu sancto, cap. 10. Inter homines, inquit, seruus naturâ est nemo: nam aut vi superati sub iugum seruitutis sunt redacti, vt fit in captiuitatibus: aut propter egestatem serui sunt facti, vt Ægyptij Pharaoni: aut sapiente quodam & arcano consilio, qui erant deteriores è liberis, edicto patris prudentioribus & melioribus seruire damnati sunt: quod beneficij loco, non condemnationis æquus rerũ æstimator duxerit. Si quis enim meritis inopia facultatem imperandi à natura inditam non habeat, vtilius ei est in alterius possessionem venire: vt dominantis ratione rectus, currui similis sit qui aurigam recepit, & nauigio, ad cuius clauum sedet gubernator.

S. Basilius.

Non itaque fuisse aliquando seruos illud in crimen voco, sed per fortunam, vt Florus ait, in omnia fuisse obnoxios, & quasi secundum genus hominum habitos. Offendit & illud quod Poëta cecinit:

Florus li. 3. cap. 20.

Perperam seruis illuditur.

Altisonus mentis priuauit Iupiter omnes
Dimidio, quotquot fatum seruire coëgit.

Grauissimè omniũ quod Euangelo tribuit Macrob. Saturn. 1. cap. 11. de seruis diuina non curare. Cuius impudentiam Senecæ verbis, vt apparet, apud eundẽ Prætextatus Pontifex acerrimè confutat. Iocóne, inquit, an serio putas esse hominum genus, quod dij immortales nec cura sua, nec prouidentia dignentur? An fortè seruos in hominũ numero esse non pateris? Audi igitur quãta indignatio de serui supplicio cælum penetrauerit. Narrat quo pacto indignante Ioue ob Atronij seruum crudeliter cæsum, & per circum actum, Circensiũ dies vnus instauratus sit. Vides, inquit, quanta de seruo ad deorum summũ cura peruenerit? Tibi autem vnde in seruos tantum, & tam immane fastidiũ? quasi non ex ijsdem tibi, & constent & alantur elementis: eundemq; spiritũ ab eodem principio carpant. Vis tu cogitare, eos, quos ius tuũ vocas, ijsdem seminibus ortos, eodem frui cælo, æquè viuere, æquè mori? Vtique nulla seruitus turpior, quàm voluntaria. At nos iugo à fortuna imposito subiacentem, tanquam miserum, vilemq; calcamus: quod verò nos (vitiorũ scilicet) nostris ceruicib. inserimus, non patimur reprehendi. Non homines fortuna æstimandi, sed moribus. Sibi quisq; dat mores, conditionẽ casus assignat. quemadmodũ stultus est, qui empturus equum, non ipsum inspicit, sed stratum eius, ac frænos: sic stultissimus est, qui hominẽ aut ex veste, aut ex conditione, quæ modo vestis nobis circundata est, æstimandum putat.

Macrobius Saturnal. 1. cap. 11. ex Senecæ ep. 47.

Non necessitate, sed voluntate serui vituperãdi sũt.

HODIE INCREVERVNT, &c.

Sequitur nominis ipsius contumelia, quam A hoc loco Nabal superbè atque insolenter exaggerat. Atqui nostri maiores, vt inquit Seneca, vt omnem dominis inuidiam, omnem seruis contumeliam detraherent, dominum, patremfamilias: seruos, familiares appellauerũt. Callistratus autem Aristophanis interpres, Heracleotarum famulos δωροφόρους, hoc est, beneficiarios, siue donis & muneribus obligatos, appellatos fuisse tradit, vt acerba detraheretur famulorum nomenclatura, quod & Spartiatæ in suis Elotibus fecerunt, in suis Penestis Thessali, quos Menestas primùm Archemachus ἀπὸ τοῦ μένειν, id est, manendo dictos vult, vti nos Galli hactenus colonos & agricolas *manans* vocamus. Cretenses κλαρώτας seruos suos dixerunt, quòd bello captos inter se sorte diuiderent. χρυσωνήτους B etiam nuncupant, qui domi ministerium exhibent: id autem significat auro redemptos; Amphamiotas, qui ruri dant operam. At superbus iste cùm liberis conuicium faceret, *Serui*, inquit. Nec hactenus exprobrasse contentus, etiam fugitiuos nominat. Talia seruis dominorum libido epitheta adiunxit: fugitiue, furcifer, mastigia, flagrio, verbero, tanquam ipsum serui nomen non satis per se contumeliæ inferret. Caput seruile, Paulus ait, nullum ius habet, caret nomine, censu, tribu.

Nominis seruilis cõtumelia.

D. de cap. diminut. L. 3.

Sed vincit tamen odiosi nominis contumeliam Herilis imperij fastus atque superbia, quæ tota illa Senecæ epistola graphicè depingitur. Domi Tyrannorum animos induimus: & non quantum decet, sed quantum libet, exercere volumus in seruos, quibus nec tanquam ho- C minibus, inquit, sed tanquam iumentis abutimur: in quos superbissimi, crudelissimi, & contumeliosissimi sumus. *Caïus L. 11. ad L. Aquil.* Vt igitur, inquit, apparet, seruis nostris exæquat quadrupedes, quæ pecudum more sunt. Breui epiphonemate horum sententiam concludit sanctus Chrysologus Sermone centesimo quadragesimo primo. Quidquid dominus indebitè, iracundè, libens, nolens, oblitus, cogitans, sciens, nesciens, circa seruum fecerit, iudicium, iustitia, lex est. Imperantis ira subdito ius est, & ad libitum domini vocem non habet conditio seruitutis.

Sen. ep. 47. Domino ũ fastus atque superbia.

S. Petrus Rauennas.

Quid deinceps tormenta, seruilesque cruciatus commemorem, quibus leuissima de causa sæpè etiam nulla, grauissimè torquebantur? Tametsi enim hæc improbis Ecclesiasticus ca- D pite vigesimo tertio tribuere videatur, *Seruo malo*, inquit, *tortura, & compedes:* eadem tamen frequenter à discolis dominis optimi quique serui patiebantur. *Cibaria*, inquit, *& virga, & onus asino: panis, & disciplina, & opus seruo.* De iure loquitur. At si consuetudinem spectes, dicendum erit: Fames, & iniuria, & cruciatus seruo. Mulierum sanè clementior seruitus esse debuit: nam is sexus indulgentior est. Vis igitur audire quàm remisse ac leniter in seruos gratis animaduerterent?

Cruciatus pro libidine dominorum.

Ecclesi. c. 33.

Si nocte maritus, inquit Iuuenalis Satyra sexta,

Auersus iacuit, perijt libraria, ponunt
Cosmeta tunicas, tardè venisse Liburnus

Iuuenal.

Muliebris sæuitia in seruos.

HODIE INCREBVERVNT, &c. *Dicitur, & pœnas alieni pendere somni*
Cogitur, hic frangit ferulas, rubet ille flagellis,
Hic scutica: sunt quæ tortoribus annua præstent.
Quelques-vnes mesmes ont des bourreaux à gages.

Deinde ostendit quàm lentè ferat impotens domina acerbissimos suorum cruciatus.

Verberat: atque obiter faciē linit, audit amicas,
Aut latum pictæ vestis considerat aurum;
Et cædit: longi relegit transuersa diurni;
Et cædit, donec lassis cædentibus, Exi
Intonat horrendum; iam cognitione peracta:
Præfectura domus Sicula non mitior aula.

Iam verò quibus supplicijs heri miseros conficerent, accuratè prorsus Lud. Aurelius in *Nouis suis Cogitat.* ad 3. Annal. Cornel. Taciti in hæc verba, *Seruiles cruciatus.* Recensuit & Pignorius lib. *de Seruis* statim post initium, illos B lector consulat: nam pauca duntaxat veterum testimonia proferam, quibus plerasque mancipiorum pœnas videntur complexi. Apud Terentium in Phormione, Act. 2. Scen. 1. Geta seruus.

Terent. *Herus si redierit,*
Molendum vsque in pistrino, vapulandum, habendæ compedes,
Opus ruri faciundum.

Seruilium tormentorum sūma genera. Pistrinum autem Apuleïus describit lib. 9. Metamorph. his verbis: Ibi complurium iumentorum multiuij circuitus intorquebant molas ambage varia; nec die tantùm, verùm perpeti etiam nocte, prorsus instabili machinarum vertigine lucubrabant peruigilem farinam. Deinde seruos ipsos in pistrinum datos eodem stylo depingens, Homunculi, inquit, vibicibus liuedinis totam cutem depicti, dorsumque plagosum scissili centunculo magis inumbrati, quàm C obtecti; nonnulli exiguo tegili tantummodo pubem intecti, cuncti tamen sic tunicati, vt essent per pannulos manifesti, frontes litterati, & capillum semirasi, & pedes annulati. Complura Plautus enumerat in Asinaria,

Stimulos, laminas, crucesq; compedesq;
Neruos, catenas, carceres, numellas, pedicas, boïas.

Et in Menæchmis,

Verbera, compedes, mola, magna
Lassitudo, fames, frigusque durum,
Hæc pretia sunt, inquit, *ignauiæ.*

Βάσανος. Aristophanes his quoque adiungit, extensionem in tabula, suspensionem, scuticam è pelle histricis, verbera, torturam, aceti in nares infusionem, & laterum impositionem. Addam D & Galenum, qui de dignosc. cur. an. morb. capite quarto & octauo, meminit, famulos tum calcibus appetitos, tum graphijs compunctos: eisdem confractos dentes, oculos stylo & calamo erutos; eosdem gladio percussos, ancillas morsu dominarum cruentas. Deniq; puteum, alij caudicem picemque commemorant, quibus omnibus crudelitatis suæ instrumentis cùm olim heri in famulos sæuirent, quid mirum si plerique dolorem & cruciatum non ferentes, tentarent fuga sibi consulere?

D. de Ædilicio edicto. *Qui fugiunt dominos suos.*] Quis sit fugitiuus, definit Ofilius: Fugitiuus est, qui extra domini

Quis habendus fugitiuus. domum, fugæ causa, quo se à dominò celaret, mansit. Cœlius autem fugitiuum esse ait eum,

A qui ea mente discedat, ne ad dominum redeat, SERVI, QVI FVGIVNT, &c. tametsi mutato consilio ad eum reuertatur. Nemo enim tali peccato (inquit) pœnitentia sua nocens esse desinit. Cassius quoque scribit fugitiuum esse, qui certo proposito dominum relinquat. Item apud Viuianū relatum est, fugitiuum ferè ab effectu animi intelligendum esse, non vtique à fuga. Nam eum qui hostem, aut latronem, incendium, ruinamve fugerit, quamuis fugisse verum est, non tamen fugitiuū esse. Vlpianus *l. 17. ibid.* §. 12. non esse fugitiuū, qui in asylum confugerit, aut ad statuam Cæsaris, aut eò quò solent venire, qui se venales postulant: nam publicè licet iusta de causa. Seruius autem in 2. Æneïd. ait dici asylum, quasi ἄσυλον, σύλαν enim est trahere: ἄσυλον, locus vnde ius abstrahendi confugam non est. Nonnulli tamen malunt à συλάω, quod est eripio, deriuari. Asyli etymologia.

Fugitiuos porrò Fugitiuarij statim retrahebāt, aut si latitarent, præconio illos indagabant: retractos stigmatibus in fronte notabāt, aut postquam maculari faciem, & vultum literis deformari Constantini pietate vetitum est, inscripto collari lamellave ærea fugitiuum prodebāt. Recipere verò fugitiuos hospitio, aut etiam occulere, quondam legibus interdictum fuit. Senatus censuit, inquit Vlpianus lib. de ser. fugit. ne fugitiui admittantur in saltus, neve protegātur à villicis, vel procuratoribus possessionum, & mulctam statuit. *Et infra.* Senatusconsultum Modesto Consule factum, vt fugitiuos inquirere volentibus, literæ ad Magistratus dentur, mulcta etiam centum solidorum in Magistratus statuta, si literis acceptis, inquirentes non adiuuent. Sed & in eum qui quæri apud se prohibuit, eadem pœna statuta est; etiam generali epistola diuorum Marci & Commodi, qua declaratur & Præsides, & Magistratus, & milites stationarios dominum adiuuare debere.

Lege Pignorium à pag. 17. ad 23.

Fugitiuos recipere nefas Roman. legibus.

Sed quæret aliquis, an reuera Dauid è seruis exercitum conflasset? Bello punico, inquit Macrobius, cùm deessent qui scriberentur, serui pro dominis pugnaturos se polliciti, in ciuitatē recepti sunt: & Volones (quia sponte hoc voluerunt) appellati. Ad Cannas quoq; victis Romanis, octo millia seruorum empta militauerunt. Cumque minoris captiui redimi possent, maluit se Resp. seruis in tanta tempestate committere. Sed & post calamitatem ad Trasimenū notæ cladis acceptam, Libertini quoque in sacramentum vocati sunt. Bello Sociali, cohortium 12. ex Libertinis conscriptarum opera mirabilis virtutis apparuit. Cæsarem, cùm milites in amissorum locum substitueret, seruos quoq; ab amicis accepisse, & eorum forti opera vsum esse comperimus. Cæsar Augustus in Germania & Illirico cohortes libertinorum complures legit, quas Voluntarias appellauit. Ac ne putes hæc in nostra tantùm contigisse Repub. Borysthenidæ oppugnante Zopyrione, seruis libertatis, datáque ciuitate peregrinis, & factis tabulis nouis, hostem sustinere potuerunt. Cleomenes Lacedæmonius, cùm mille & quingenti soli Lacedæmonij, qui arma ferre possent, superfuissent: ex seruis manumissis bellatorū nouem millia conscripsit. Athenienses quoq; consumptis

Plures olim exercitus ex seruis conflati.

TOLLAM ERGO PANES MEOS &c.

Non erant serui Dauidis milites.

ptis plublicis opibus, seruis libertatem dederunt. Viderit igitur Dauid etiam poterit, cùm alias copias non haberet, seruos ad pileū vocasse. Nam & suprà cap. 22. dicuntur ære alieno oppressi signa eius sequuti. Apud Hebręos portò qui soluēdo nō erant, creditoribus serui addicebātur. Vnde colligi posse videtur fugitiuos seruos sub signis habuisse, qui fugientes aut iugum excussissent, aut cùm deberent, subire detrectassent. De posterioribus facilè consenserim, & quo pacto excusari possent, antea docuimus. Sed illi priusquam reipsa seruitutem seruirent, haud aliter quàm contumeliosè serui dici non potuerunt. Non enim quicunq; sunt ære diruti, nexuq; obligati, eos continuò seruos lex esse iubet: sed si fortè creditor vrgeat, nec spes aliunde sit dissoluendi debiti, tum opera sua atq; labore iubentur ijs à quibus pecuniam mutuùm sumpserant, damnum sarcire. Cùm itaque serui non essent, quo pacto fugitiui esse potuerunt?

Tollam ergo panes meos, & aquas meas.] Quale hoc conuiuium quod aqua mergitur? Ergone ranis & anatibus epulas parauerat? Quinimò, veteres aquam in conuiuijs olim celebrarunt. Tepentem potabant alij, quam μετάκερας Athenienses dixerunt: alij frigidam magis probabant. Eupolis apud Athenæum lib. 3. cap. 30.

Aquarū vsus frequens in antiquorū conuiuijs. Apud Athenæum.

Ahenum calfacere nobis aliquem & aquam
Iube decoquere, visceribus vt auxiliemur.

Alexis in Locris: *Ancillæ affundebant,*
Altera quidem callidam, altera μετάκερας.

In eundem vsum refrigerandæ aquæ rationem docuit Protagorides lib. 2. Comicarum Histor. Interdiu, inquit, aquam insolantes, & sub noctem quod crassissimum erat colo secernentes, reliquum vrnis fictilibus exceptum, in excelsissima ædium parte sinunt, pueris duobus tota nocte vrnas aqua irrigantibus: diluculò verò vrnis deorsum reuectis, & fece quæ sidit, rursum detracta, aqua sic extenuata, & ad tuendā ea ratione bonam valetudinem maximè idonea, vrnas in paleis recundunt, & aquam sic purgatam bibunt, niue prorsus nihil egentes. Hæc ille. Cur enim aquam repudiemus annon illa vini mater est, vt inquit Athenæus. quæ leuis sit eam ἱμερτὴν, siue optabilem Homerus vocat. Et Pindarus, Μελιγαθὲς ἀμβρόσιον ὕδωρ.

Athenæus lib. 2. ca 6. & seq laudatus.

Iucunda membris, ambrosiæque par,
Dilapsa riuis perpetuis aqua.

Aquā nutrire nō pauci asserunt.

Idem alibi ἄριστον πάντων εἶναι τὸ ὕδωρ, aquam omnium optimam dicere ausus est. Τροφιμωτάτην eandem Homerus prædicat, tanquam quæ plurimùm nutriat. Aquā enim, inquit idem Athenæus, citra controuersiam alere inde manifestum, quòd ea sola nutriantur animalia quædam, veluti cicadæ. Virgilius,

Dumq; thymo ascentur apes, dum rore cicadæ.

Nonnullis placet esse tantùm ὄχημα τροφῆς, cibi vehiculum: Auicennam, aliosq; multos τρόφιμον pronuntiare certum est. Nisi aqua testimonio esse potest, qua pinguescunt Ægyptij: qua idcirco Api quondam interdictū fuit, ne adipe supra modum distenderetur. Vnum est, quod aquæ vitio datur, rationem, inquit Amphis Comicus, obscurat, & ingenij aciem obtundit.

A *Inesse rationem vino probabile est:*
Qui bibunt aquam, stolidi quidā sunt atq; fatui.

TOLLAM ERGO PANES MEOS &c.

Aqua ingeniū acuit.

At contrà Eubulus, eos qui solam aquam bibunt, docet inueniendis rebus sagaces, ac ingeniosos esse.

Ὕδωρ δὲ πίνων εὑρετικοὺς ποιεῖ.
Τὸν δ' οἶνον ἡμῶν τῷ φρονεῖν ἐπισκοτεῖν.

Vinum autem nostram obumbrare prudentiam.

Itaq; Pythagoras, & quicunque sectam eius & placita æmulati sunt, à vino abstinuerūt: aquā, vt quæ sapientiæ faueret, auidè vsurparūt. Enumerantur verò deinceps apud Athenæū abstemij aliquot viri, clari, & insignes. In eo albo primū locum obtinet Glauco Atheniensium tyrannus, quem ex Pythermo scribit autor fuisse ὑδροπότην. Habemus igitur, addit Casaubonus, quem Iulio Cæsari adiungamus, de quo notum B est verbum M. Catonis, Vnum ex omnib. Cæsarem ad euertendam Rempub. sobrium accessisse. Demosthenes eloquentiæ, Lamprus musices, Polemon Academicus sapientiæ studio, haud breui tempore aquam potasse autores referunt. Hispani, si Philarcho credimus, præ auaritia. Nam Hispanos scribit quamuis hominum ditissimos, aquam bibere, solos cibum capere ob parcimoniam: indui tamen sumptuosissima veste. Delicias Persarum Principes sequuti sunt. Atqui Herodotus lib. 1. scribit, Regi Persarum in potum aquam vehi ex Choaspe fluuio, Susa præterlabente. Ptolemæus, secundus Ægypti Rex, cognomine Philadelphus, cùm filiam Berenicem Antiocho Regi Syriæ nuptam dedisset, mittendam ad ipsam Nili C aquam sedulò curauit, vt eam solam gnata biberet, quod Polybius scribit. Caras & Lelegas, cùm occupatis montibus vicinas regiones latrocinijs infestas redderent, Salmacidis fontis potu, vt interpretatur Vitruuius Architect. lib. 2. cap. 8. è duro ferróque more commutati in Græcorum consuetudinem & suauitatem sua voluntate reducti sunt. Ergo ea aqua non impudico morbi vitio, sed humanitatis dulcedine, mollitis animis barbarorum, celebrem famam adepta est. Sed hæc omittamus, simul & quàm varium ac multiplex traditur elementi discrimen, quibusque argumentis optimam veteres discreuerint, quæ accuratè ibidem Athenæus, & non ita pridem Gorrhæus Medicus pertractauit in voce ὕδωρ. Expostulationem autem eam, quam fecit Petrus Damianus aquæ D nomine cum ijs qui eandem fastidiunt, silentio prætetire non possum: est enim cùm elegans, tum valdè pia.

Pleriq; viri præstantes abstemij.

Herodot.

Polybius.

Vitruuius.

B. Petrus Dam lib 6. epist. 23.

Age, inquit, bone vir, cur me elato supercilio despicis? cur me execrando, stomachando, rugosa fronte fastidis? Cur me tantopere à tua societate repellis? Si id de te mereor, non resisto, non torqueor, siquidem iustè hanc contumeliam patior: responde mihi, quid ego tibi vnquam mali feci? immò quid boni non contuli? Ego nimirùm te per virtutem sancti Spiritus, qui me consecrauerat, de seruo diaboli fieri feci filium Dei. Ego te de possessore gehennæ produxi regni cælestis hæredem; de colono inferni ciuem reddidi Paradisi, de tenebrosa stipula ignis æterni, nouæ gratiæ lumen exhibui:

Aquæ virtutes & encomia, maximè quæ petuntur à religionis nostræ mysterijs.

TOLLAM ERGO PANES, &c.

Ad Ephes. 5. ver. 8.

(*eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.*) De vase iræ composui vas misericordiæ. Ego te vetusta damnationis tunica exui, & noui hominis luce vestiui. Ego te vinculo antiquæ præuaricationis absolui, & per me regeneratum diuinæ adoptionis filijs aggregaui. Ipse mihi testis es, quia cum septem originalibus vitijs in meum gremium descendisti, & mox purificatus, & nitidus, absque vlla prorsus peccati contagione prodijsti. Ego te sordidum, fœtidumque reperiens, non dubitaui animam simul & corpus abluere: & tu me nunc dedignaris saltem labijs adhibere? Ego te diuinis facio interesse conuiuijs: & tu me ab humanis non erubescis mensis proijcere? Esto, sic eat, cæteris rebus sua iura seruentur: mihi soli, vt mereor, proprij honoris priuilegium subtrahatur. Videlicet, quia cæteris elementis sum iunior tempore, idcirco forsitan omnibus debeo esse inferior dignitate. Sed interroga, obsecro, Moysen: perquire in mundi principio, quod sibi elementum ad habitandum Spiritus sanctus elegerit: nunquid terram? nunquid aërem? nunquid ignem? Planè, nisi mentior, illicò respondebit: *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Et, vt iam de spiritualibus sileam, ego tibi corpus, & vestimenta, & cuncta, quibus vteris, abluo: ego tibi arua ad proferendas fruges irrigare non cesso: ego nauigijs iter præbeo, cuncta terræ animantia recreo: poma quoque & olera quibus vesceris, ad incrementa perduco. Taceo volucres, prætereo pisces, qui quotidie per mea regna nascuntur, & mei laris se vernulas confiteri nullatenus erubescunt. Ipsæ denique vites, quas me contempta, insana concupiscentia diligis, nisi meo adiutorio radicitus coalescerent: protinus arefactæ, ignem potiùs pascerent, quàm inundantibus poculis, bibulorum ventres ingurgitarent. Reliqua in pauca contraham. Orbem, inquit, cum fratribus elementis compono, terram fulcio, cælum etiam occupo. Solis æstum terræ circumfusa tempero. Neque verò infirma sum, quod nonnulli opinantur, grauia molarum pondera ad conterendas fruges conuoluens: neque frigida, quæ calcem incendo, hyeme in puteis fontibusque tepeo, æstate frigidior vt defetiscentes calore recreem: ad clepsydram temporum momenta partior, Musica quoque ab ipsa origine nostris legibus subiacuit. Nam si Musa, inquit, Græco vocabulo dicitur aqua, profectò Musica nostri nominis titulo cernitur insignita.] Vnde hanc Beatus ille apud Græcos etymologiam eruere potuerit, prorsùs ignoro: septem, aut etiam octo vocis eius origines tradit Fungerus in Etymol. Trilingui: sed in his nullum aquæ vestigium. Addit & Phœnicium esse vocabulum, siue etiam Hebraïcum, quibus מסר *masar*, seu potiùs מש *mus*, perscrutari, & inuestigare significat. Moysen in Scripturis Ægyptiacè ab aqua dictum legimus. eò potiùs respexisse Damianum verisimile est, qui deinceps testem laudat Pythagoram, & quædam eius acetabula hidraulicosque concentus. Denique, vt ait, Vt excellentissimum meæ dignitatis priuilegium

Gen. 1. v. 2.

Gen. 1. v. 7.

Ioan. 19. ver. 34.

ET CARNES PECORVM, &c.

1. Ioan. 5. ver. 6.

A pandam, suspenso in cruce Domino, ex ipso Creatoris mei latere prodij: & omnem terrarum orbem, totumque aërem, sociato mihi pretiosissimo eius sanguine consecraui. Hinc est enim quod Ioannes Apostolus ait: *Hic est, qui venit per aquam, & sanguinem, Iesus Christus.* Et paulò post subdit: *Tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis.* Ostendit postremò, etiam aquam in homine dominari, vt puta, quæ supremam cerebri partem occupet, oculis insideat, in ore perpetuò versetur. Ex quibus omnibus colligit, quàm ingratè, quàm temerè nonnulli aquam auersentur, & ab ea abhorreant.

Cæterùm, tametsi multis hactenus encomijs aquam ornauerimus, quo vsum eius commendaremus: non arbitramur tamen Nabalis con-
B uiuium vino caruisse. Nam ebrius & vinum digessisse fertur infrà, versu trigesimo septimo. Itaque quemadmodum panis nomine quemlibet cibum Hebræi intelligunt: ita etiam non rarò aquæ nomine quemlibet potum, atque adeò temetum, cùm regio vini ferax fuerit.

Ælianus. Epulū festis datum statis anni diebus.

Et carnes pecorum meorum.] In Rhodo aiunt, inquit Ælianus variarum historiarum libro 1. capite vigesimo octauo, si quis pisces intueatur, eorumque admiratione ducatur, sitque supra omnes alios piscium amans, eum populares quasi liberalem commendant. Quibus verò arridet carnium esus, ij agrestes & ventres apud Rhodios audiunt.

Macrob. 1. Saturnal.

Quæ occidi tonsoribus meis.] Apud Romanos, inquit Macrobius, mense Martio seruis cœnas apponebant matronæ, vt domini Saturnalibus.
C Illæ vt principio anni ad promptū obsequium honore seruos inuitarent: hi quia gratiam perfecti operis exoluerent. Nonis Iulijs diem festum esse ancillarum, tam vulgò notum, vt nec origo, nec causa celebritatis ignota sit. Philochorus Saturno & Opi primum in Attica statuisse aram Cecropem dicit, eosque deos pro Ioue terraque coluisse, instituisseque vt patresfamilias, frugibus & fructibus iam coactis, passim cum seruis vescerentur, cum quibus patientiam laboris in colendo rure tolerauerant: delectari enim Deum honore seruorum contemplatu laboris. Athenæus Saturnal. dierum morem, quibus seruos Romani conuiuio solent excipere, seruilia ipsi ministeria obeuntes, à Græcis ductum putat: quoniam idem Mercu-
D rij festis diebus in Creta fit, vt scribit Carystius in Historic. Comment. epulantium seruorum mensis ministrantibus, ac famulantibus dominis. Idem fit, ait, & apud Trœzenios mense Geræstione, quo per multos dies conuentus aguntur, & nundinæ. Eorum certo die serui cum ciuibus talis publicè ludunt, & conuiuium serui dominis exhibent. Berosus libro 1. Babylonicorum scripsit, mensis Loi 16. die, per quinque dies Babylone festum celebrari, Saceas nominant, cuius tempore mancipia dominis imperant, & ex seruis vnus quidam præest ædibus, vestem indutus regiæ similem, quam Zoganam vocant. Huius festi meminit & Ctesias in Persicis. Thessali quoque Saturnalitias ferias celebrant, easque Peloria nuncupant.

Athen. lib. 14. ca. 10.

Berosus.

Seruorum

ET DABO VIRIS, &c.

Seruorum autem quotidianus cibus Græcis Chœnix, ἡμερησίας τροφή Suidæ. Alexarcho, ἡμεροτροφίς: Diarium. libra farris Horatio. Dalechamp. ex Budæo.

S. Isidorus Pelus. lib. 2. epist. 266. Auari pueris similes.

Et dabo viris, quos nescio vnde sint.] Pueris, inquit S. Isidor. Pelus. non admodum dissimiles videntur esse homines illi, qui auaritiæ student: quemadmodum enim pueri, ea quæ verè horrenda ac pertimescenda sunt, nihil curant, imò manus persæpè etiam in ignem iniiciunt, inanes autem laruas & spectra conspicientes, metu percelluntur, & contremiscunt: ita hi, paupertatem quidem, quæ non modò nihil habet quod metuendum sit, verumetiam securitatis omnis ac modestiæ materia est, pertimescunt: iniquas autem diuitias plurimi ducunt, quæ tamen quouis igne magis timendæ sunt: siquidem dominorum suorum & animos & spes exurunt, atque in cinerem redigunt.

Et dabo.] Apud Menandrum Comicum quidam ait:

Diuitiarum inconstantia ad liberalitatem cohortari nos debet.

De pecuniis loqueris, dic tu, de cibis, *re instabili.*
Si enim putas eas permansuras tibi,
Perpetuo, custodi neminem
Aliis communicans, ipse nec sis dominus:
Sin autem nec te ipsum, sed a fortuna, dic à Deo,
omnia habes,
Quid est pater, quod istorum alicui inuideas?
Ipsa enim alteri, fortassis indigno cupiam,
Te prætermisso, omnia rursus attribuet.
Itaque censeo equidem, quandiu
Dominus es, tibi liberaliter iis vtendum, pater,
Omnibus opitulandum, ducescendos
Quàm poteris plurimos tibi amicos.
Id enim immortale est: & si quando collabaris,
Hinc hoc idem tibi suppeditabitur.

Sed fortasse Nabalem suus filius, si quem diuino beneficio consequutus esset, adhortari potuisset, si tamen eius acerbissimi mores permisissent. Mirum autem valde est, cum tantum periculum immineret, præsentire non potuisse. Scilicet, vt idem Menander ait, diuitiæ iniquæ potestatem nactæ, etiam eos, qui sapere videntur, dementes reddant. *Et dabo.*] quidni dares?

Ælianus. Rhegini publicè ieiunant, quo Tarentinis subsidio esse possint.

Quum Tarentini à Romanis obsiderentur, periculumq; esset, ne fame ad deditionem compellerentur, Rhegini decimo quoque die ieiunium decernentes, victum concesserunt Tarentinis. Proinde cùm decedentibus Romanis liberarentur, memores calamitatis Tarentini festum constituerunt, quod νηστείαν ieiunium appellauerunt. Autor Ælianus lib. 5. cap. 20. variar. histor. Rhegini scilicet verum esse credebant, quod postea Horatius:

Tunc tua res agitur, paries cùm proximus ardet:
Et neglecta solent incendia sumere vires.

S. Gregor. Turon. Singulare charitatis exemplum.

At longe illustrius Christianæ pietatis exemplum refert S. Gregor. Turon. lib. 2. Hist. Francor. ca. 24. Tempore, inquit, Sidonij Episcopi, magna Burgundiam fames oppressit. Cumq; populi per diuersas regiones dispergerentur, nec esset vllus qui pauperib. alimoniam largiretur, Ecdicius quidam ex Senatoribus huius propinquus, magnam tunc rem in Deo confisus fecisse perhibetur. Nam inualescente fame, misit pueros suos cum equis & plaustris per vicinas sibi ciuitates, vt eos qui hac inopia vexabantur, sibi adducerent. At illi euntes, cunctos pauperes quotquot inuenire potuerunt, adduxêre ad domos eius: ibique eos per omne tempus sterilitatis pascens, ab interitu famis exemit. Fueréq; (vt multi aiunt) amplius quam quatuor millia promiscui sexus. Adueniente autem vbertate, ordinata iterum euectione, vnumquemque in locum suum restituit. Post quorum discessum, vox ad eum è cælis lapsa peruenit, dicens: Ecdici, Ecdici, quia fecisti rem hanc, tibi & semini tuo panis non deerit in sempiternum, eò quòd obedieris verbis meis, & famem meam refectione pauperum satiaueris.

QVOS NESCIO, &c.

Quos nescio vnde sint.] Dauidem Regis generum, & pluribus victorijs insignem ignorare non potuit. Deinde hoc improbat S. Chrysostomus, si quis ita curiosè mendicantes exploret. Peregrinis, quorum tê regio latet, opem ferre iuberis, & fratres negas te nosse vnde sint. Viatores Abraham tanquam è specula contemplabatur, vt domum eos deduceret, conuiuióq; exciperet, & tu fingis contribules tuos te nescire vnde sint. Dic quo loco scriptum legeris, Abrahamum peregrinorum genus interrogasse, natalem locum, patriam, familiam? Id si Loth in animum quærere instituisset, Angeli domum eius præterirent, ipse cum reliqua stirpe sua incendio perirent. Quòd si fortassis, vt Tobias, quæris qui timeant Deum, quos mensæ tuæ adhibeas, & vocem in partem conuiuij tui, disce ex eorum moribus, quales habendi sint: postulant, quod auferre nullo negotio possunt.

S. Chrysost. non vult pauperes curiosè explorari.

VERSVS XII.

Regressi sunt itaque pueri Dauid per viam suam, & reuersi venerũt, & nuntiauerunt ei omnia verba quæ dixerat.

VERSVS XIII.

Tunc ait Dauid pueris suis: Accingatur vnusquisque gladio suo. Et accincti sunt singuli gladijs, accinctusq; est & Dauid ense suo: & sequuti sunt Dauid quasi quadringenti viri: porrò ducenti remanserunt ad sarcinas.

Ælianus.

ET *renuntiauerũt ei omnia verba, quæ dixerat.*] Ælianus var. hist. lib. 2. cap. 15. Clazomenij quidam, inquit, Spartam venientes, per iniuriam & fastum thronos Ephororũ, in quibus sedentes ius dicere, & de ijs quæ ad Remp. pertinerent, constituere consueuerãt, hos inquam thronos fuligine resperserunt. Ephori re cognita, non molestè tulerunt, sed vocato præcone publico, mandarunt, vt publicè in ciuitate proclamaret hoc mirandum, ἐξεῖναι Κλαζομενίοις ἀσχημονεῖν, Liceat Clazomenijs indecorè facere. Superbè admodũ animi modestiam Lacones præ

ET RENVNCIAVERVNT, &c.

se tulerunt, cùm leuis esset, vt apparet, iniuria. At lögè grauior est ignominia calumniæ, quàm sorditatæ fuliginis aspersio.

Ξίφος τιτρώσκει σῶμα, τὸν δὲ νοῦν λόγος.
Ensis corpus sauciat, mentem oratio.

Quanta ea contumelia fuerit, ex eo patet, quod Dauid eâ auditâ exarsit. Saulem vitæ suæ insidiantem, & Semei grauissima conuitia iacientem ferre potuit: istum solum non potuit. Qui animo excelso, & generoso sunt, acerbius multò conuitia accipiunt, quàm verbera. Eius rei sanctus Chrysostomus hanc rationem affert: quod pulsatio, quæ adfertur corpori, distribuitur quodammodo inter corpus, & animum: conuitium autem animum solum vulnerat. Et Iob grauius tulit amicorum contumelias, quàm aut fortunarum direptiones, aut filiorum mortem. Et nisi magnum esset patienter audire conuitia, Christus ea ferenti non tanta præmia proposuisset. *Dicent*, inquit, *omne malum contra vos: gaudete tamen, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlo.* Hîc paulùm consideremus circunstantias. Quis ista maledicta iacit? Nabal homo vilissimus, si cum Dauide conferatur. In quem? In Dauidem, hominem de ipso optimè meritum. Quando? Cùm minimè oporteret: cùm Dauid inops, & afflictus esset. At qualia tandem sunt ista maledicta? Maxima, & grauissima. Nabal ergo meritus est magnum malum. Christus enim ait, eum, qui fratrem suum appellat fatuum, dignum esse gehenna. At Nabal Dauidem appellat perfidum: quo nihil dici potest acerbius.

Conuitij grauissima iniuria.

Tunc ait Dauid pueris suis.] Ludit ille nescio quis facetè apud Antiphanem:

Mores quidem nosti meos,
Fastus nihil inest: sed amicis
Talis equidem sum: si verberer, ignitũ ferrum:
Si verberem, tonitru: ad excæcandum quempiam, fulgur:
Ad elatum quempiam ferendum, ventus: ad suffocandum laqueus:
Ad effringendas fores, terræmotus: ad insiliendum locusta, &c.

Accingatur vnusquisque gladio suo.] Pausanias in Bœoticis: Τὸ δὲ ἐνδύναι τὰ ὅπλα, ἐκάλουν ἄρα οἱ παλαιοὶ ζώννυσθαι· καὶ ἐν Ὁμήρῳ, &c. Ipsum, inquit, arma induere, veteres *cingere* dixerunt. Nam & Homerum, cum Agamemnonem Marti similem zona fecisset, de armorum ornatu id intelligi voluisse putant. *Et accincti sunt singuli gladijs suis, & Dauid accinctus est ense suo.*] Exarsit Dauid, & se accinxit. Non potest se tenere, quin de Nabale vltionem capiat. Ita Sancti interdum labuntur. Non enim semper reguntur à spiritu Dei. Nimis erat præceps Dauid ad vindictam. Oportuit rem consideratius expendere. Quid enim si nuntij illi mentiti essent, aut quid si verba Nabalis supra veritatem exaggerassent? *D. de iniurijs, & famosis libellis. 15.* ait Prætor: Qui aduersus bonos mores conuitium cui fecisse, cuiusque opera factum esse dicetur, quo aduersus bonos mores conuitium fieret, in eum iudicium dabo. Itaque hic apud Romanum Prætorem lege agere licuisset. At *Cod. Ne quis in sua causa iudicet. Lib. 3. Tit. 5.*

Dauidis hoc loco præceps ira.

ET ACCINCTI SVNT, &c.

Ne quis iudicet, cum sua causa agitur.

Imperatores Valens, Gratianus, & Valentinianus: Generali, inquiunt, lege decernimus, neminem sibi esse iudicem, vel ius sibi dicere debere. In re enim propria iniquum admodum est, alicui licentiam tribuere sententiæ. Deinus, inquit Gothofredus, reipsa in ipso iuris loco iniuriam illatam iudici, potestne in sua causa ius sibi dicere? Posse putant eo casu. alias reus ad alios iudices remittendus.

Scriptura sacra candida, & simplex est: & vitia quoque non tacet. Nihil enim mentitur: sed in medio ponit & virtutes, & vitia. Et certè exempla huiusmodi errorum, & lapsuum, non minus iuuant nos interdum, quàm virtutum. Hic enim quisque videre potest, qualis sit natura sua, & si quid rectè, & cum virtute faciat, se id non ex se habere, sed ex gratia & spiritu Dei. Dauid ira commotus, non tantùm inflammatur ad cædem, sed etiam excitat, & incendit alios: quos tamen antea ab omni insolentia satis repressérat. Nos verò cùm exagitamur conuitijs, cogitare debemus, quid Christus olim tulerit, quidque adhuc quotidie in concionatoribus, qui cùm æqua tantùm petant, tamen à populo contemnuntur; quid in pauperibus, quid in Martyribus patiatur. Christus ea fert: nos ergo ea debemus ferre. Sed dices: Ita nomen Dei perpetuò afficietur contumelia. Certè, nisi nos ei malo medeamur. Mederi autem oportet ea moderatione, qua vsus est Christus. *Ego*, inquit, *dæmonium non habeo. Ego multa bona feci: propter quod illorum vultis me lapidare?* Paulus proscindebatur à Iudæis, & Pseudoapostolis. Ille modestissimè purgauit se, & doctrinam suam, epistolis, quas ad Ecclesias dedit. Postremò, hic videre possumus, quantum situm sit in oratione. Blanda enim, & comis responsio emolliuit Saulem, quantumuis durum: aspera autem & contumeliosa oratio Nabal incendit Dauidem, quo nihil alioqui erat lenius.

Tertullianus in libro de Patientia, capite 10. cùm eam virtutem dignis laudibus ornaret, aduersariæ quoque illius Impatientiæ nefarios conatus non omisit. Est & alius, inquit, summus Impatientiæ stimulus, vltionis libido, negotium curans aut gloriæ, aut malitiæ. Sed & gloria vbique vana, & malitia nunquam in Domino odiosa, hoc quidem loco maximè, quum ab alterius malitia prouocata, superiorem se in exequenda vltione constituit, & remunerans nequam duplicat quod semel factum est. Vltio penes errorem solatium videtur doloris, penes veritatem certam redarguitur malignitatis. Quid enim refert inter prouocantem & prouocatum, nisi quod ille prior in maleficio deprehenditur, at ille posterior? tamen vterque læsi hominis Domino reus est: qui omnem nequam & prohibet, & damnat. Nulla in maleficio ordinis ratio est: nec locus secernit, quod similitudo coniungit. Absolutè itaque præcipitur malum malo non rependendum. Par factum, par habet meritum. Et rursum: Quantos verò casus huiusmodi Impatientia incursare consueuerat? quotiens pœnituit defensionem? quotiens instantia eius deterior

Tertull.

Impatientiæ nequitia

Nihil interest prouocãs an prouocat' malefaciat.

terior facta est causis suis? quoniam nihil impatientia susceptum, sine impetu transigi nouit: nihil impetu actum, aut non offendit, aut corruit, aut præceps abijt. Iam si leuius, insanies: si vberius, oneraberis. Quid mihi cum vltione, cuius modum regere non possum per impatientiam doloris? Quòd si patientiæ incubabo, non dolebo: si non dolebo, vlcisci non desiderabo. Hæc Tertullianus.

Versvs XIV.

Abigaïl autem vxori Nabal nuntiauit vnus de pueris suis, dicens: Ecce Dauid misit nuntios de deserto, vt benedicerent Domino nostro: & auersatus est eos.

Versvs XV.

Homines isti, boni satis fuerunt nobis, & non molesti: nec quidquam aliquando perijt omni tempore, quo fuimus conuersati cum eis in deserto.

Versvs XVI.

Pro muro erant nobis, tam in nocte, quàm in die, omnibus diebus, quibus pauimus apud eos greges.

Versvs XVII.

Quam ob rem considera, & recogita quid facias: quoniam completa est malitia aduersum virum tuum, & aduersum domum tuam, & ipse est filius Belial, ita vt nemo possit ei loqui.

Variæ trāſlationes. *Vnus de pueris.*] Hebr. נַעַר אֶחָד מֵהַנְּעָרִים *neghar ehhad mehanneghearim*. Pagninus verbum è verbo, *puer vnus è pueris*. Lxx. εἷς τῶν παιδαρίων. *vnus de pueris. Nuntios.*] Arias, *legatos*. Lxx. ἀγγέλους. *Vt benediceret Domino nostro.*] Pagninus, *ad salutandum Dominum nostrũ*. Lxx. εὐλογῆσαι τὸν κύριον ἡμῶν, *ad benedicẽdum Dominum nostrum*. Ita quoque Chaldæus, Vatablus, *salutatum, &c. Et auersatus est eos.*] Pagninus, *& inuectus est in eos*. Chaldæus, *& abominatus est in eos*. Lxx. καὶ ἐξέκλινεν ἀπ' αὐτῶν, *& declinauit ab eis*. Quidam, *& fastidiuit eos*. Ionathan enim pro וַיָּעַט *vaiaghat*, vertit וּקָץ *vekats*: Kimhi verò exponit, גָּעַר *geghar*, id est, *inuasit in eos verbis duris*. Significat enim עִיט *ghauat*, in morem rapacium auium mordacem esse. Itaque etiam Vatablus cum Pagnino vertit, *& inuectus est in eos*. Alius, *& abegit eos*. Versu 15. Pagninus, *Et viri boni nobis valdè, & non fuimus ignominia affecti*, (Arias, *pudefacti*,) *nec defuit nobis* (Arias, *nec visitauimus* fortè elegantius, *nec quæsiuimus*, aut *desiderauimus*) *quicquam omnibus diebus, quibus ambulauimus cum eis, dum essemus in agro*. Chaldæus, *Nos non læsi sumus, & non alteratum nobis quicquam, &c.* vt proximè Pagninus. Quidam, *non sumus passi vllam iniuriam, neque defe-*

A *cimus in aliquo omnibus diebus, &c.* Alius, *nec desiderauimus quicquam, &c.* Vatablus sic habet: Homines verò illi magno vsui nobis fuerunt, nec nos pudefecerunt, neque defuit nobis quidquam cunctis diebus, &c. campum, agrum, desertum interpretes exponunt. Lxx. καὶ οὐκ ἀπεκώλυσαν ἡμᾶς, οὐδὲ ἐνετείλαντο ἡμῖν οὐδέν. *Et viri boni nobis valdè*. Hebr. מְאֹד *meod*, Græcè σφόδρα: *& non prohibuerunt nos, neque imperarunt nobis quicquã, &c.*

Versu decimo septimo, *Quia completa est malitia*. Ita Pagninus. Arias, *consummata. Contra virum tuum*. Chaldæus, *vt veniat super herum nostrum*. Hebraïcè אֶל־אֲדֹנֵינוּ *el adonenou*, *in dominum nostrum*: Græcè, ἐπὶ τὸν κύριον ἡμῶν, *aduersus dominum nostrum*. Quidam, *quia definitum est malum contra dominum nostrum, & contra familiam eius*. Alius, *nam occasio mali data est*
B *contra dominum nostrum, &c.* Vatablus, *nam plenè conceptum est malum super herum nostrum, &c.* In Schol. alioqui enim de hero nostro actum est, & de domo eius. Septuaginta, ὅτι συντετέλεσται ἡ κακία ἐπὶ τὸν κύριον ἡμῶν καὶ ἐπὶ τὸν οἶκον αὐτοῦ. *quia completa*, siue *consummata est malitia, &c.* Quo loco Flaminius in Notis, Significare videtur hæc locutio certum malum, ac perniciem impendere ipsi Nabal. Sic suprà, capite vigesimo, *consummata est malitia hæc à patre suo*, id est, deliberatum, & certum est, hoc malum inferre Dauidi. *Et ipse est filius Belial, ita vt nemo possit ei loqui.*] Pagninus vertit, *& ipse est filius impius, vt nemo possit ei loqui*. Arias, *filius sine profectu*. Hebraïcè scriptum est, בֶּן־בְּלִיַּעַל *ben belyaghal*. Vox Belial.
Belial autem componitur ex בְּלִי *beli*, *absque*, & יַעַל *iaghal*, siue *iaal*, *vtilitas*: à יָעַל *iaal*, *profuit*,
C *vtilis fuit*. Denotat hominem ἄχρηστον, *inutilem*: qui ad rem nullam vtilis est, aut commodus: hominem nihili, & nequam, qui nec sibi, nec alijs prodest. Ionathan hoc eodem capite, versu vigesimo quinto, quo loco Vulgat. *iniquum* legit, שַׁטְיָא *scateia*, hoc est, *stultum* interpretatus est. Fungerus in Etymolog. Triling. notat quosdam eam dictionem deducere à בְּלִי *beli*, *absque*, & עַל *aal*, quod *altissimum* significat, & pro Deo sumitur, ac si dicas, *absque Deo*: *Dixit enim insipiens in corde suo, non est Deus*. Cuius rei exemplum profert Schindlerus in Pentaglot. Osee cap. 7. ver. 16. Nam quo loco nos legimus, *Reuersi sunt, vt essent absque iugo*, idem sic legit: *Conuertentur (sed)* לֹא עָל *lo aal*, *non (ad) excelsum*. quod Pagninus commodius, *Reuer-*
D *tentur non ad altissimum*. quo nomine dubium esse non potest, quin Deus ipse designetur. Itaque sic etiam commodè hoc loco exponi poterat: *Nam quod ad ipsum (Nabal) attinet, ne Deum quidem reueretur; tantùm abest, vt cuiusquam hominis reprehensionem æquanimiter ferat.* Vel sanè hoc modo: *Nam quod spectat ad Nabal, iam certa pernicies illi parata est: nam alienus à Deo factus est, qui illum suo præsidio destituit.* Chaldæus eodem ferè spectat: *Et ipse vir improbus ad loquendum cum eo*. Sept. καὶ αὐτὸς υἱὸς λοιμὸς, καὶ οὐκ ἔστι λαλῆσαι πρὸς αὐτόν. *Et ipse filius pestilens, & non est loqui ad eum*. Quidam, *cùm ille, vt filius Beliaal, loquutus sit contra istum*. Alius, *ipse autem nequior est, quàm vt alloquar eum*. Vatabl. Salmant. *& ipse perditus homo est, nec sana ratione*

NVNTIAVIT VNVS, &c. *praeditus, ita vt nemo cum illo vel loqui audeat.* In Schol. Hebraïsmus, *cùm sit filius improbitatis, magis quàm vt liceat eum alloqui.*

Nuntiauit vnus de pueris suis.] Optimi serui fungitur officio, sic tamen vt fescennina licentia in lacerando domino abuti videatur. Sed primùm nihil finxit detrahendi studio, deinde vt auderet protinus vrgebat præsentia Turni. Porrò vt periculum graue imminet, intempestiuum fuerit verbis parcere. Ne plagæ quidem à seruis impositæ nonnullos offenderunt. Laudatur à Macrobio serui, vt quidem ipse sensit, magnanimitas, qui Cluentium Pelignum Italicensem, dominum suum, comprehensum à cohortibus suis, ne Pompeïo traderetur, occidit, exitum mortis, inquit, ludibrio præferens. Sed hæc nobis suspecta virtus, quam contumeliæ metus peperit, & impatientia. Illud longè probabilius quod habet Luitprandus De rebus per Europam gestis, libro primo, capite tertio & quarto. Leo, inquit, Porphyrogenitus Imperator, vt sui corporis custodias exploraret, noctu quidem quasi lasciuus iuuenis ad lupanar pergens, in eas incidit, à quibus comprehensus, argento dato, transire permissus est. In secundam iterum impingens, pari ratione se liberat. A tertia verò deprehensus, verberibus iuxta Imperatoris decretum cæsus, in carcerem conijcitur, manè Imperatori præsentandus. Hos igitur postremos bonis præcedentium donauit. alios verò quos corruperat, cæsos vrbe expelli iussit. Et sequenti capite, Rursum explorans, dormientes duodecim inuenit, sed vnum ex illis fingentem potiùs: pectori singulorum auri libram imponit, quas omnes vigilans corripuit. Excitatos, & ab Imperatore requisitos, an quid noui accidisset illis, laudauit vigilem, & donum illi soli confirmauit, vti cæteros quoq; edoceret. Hactenus apud Luitprandum.

Luitprand.

Leonis Porphyrogeniti candor in probandis excubijs.

Quod ad hunc seruum attinet, apparet eum fuisse prudentem. Nam etsi in homine seruo nihil aliud requiri soleat, nisi fides, & diligentia: sunt tamen sæpè multi, qui valeant ingenio & prudentia. Videtur quidem ita esse natura comparatum, vt qui corporis robore, & firmitate valeant, & facti quodammodo sint ad seruitutem, animi viribus, & prudentia minus possint. Sæpè tamen, aut propter bellum, aut propter inopiam rei familiaris, etiam illi, qui satis instructi sint consilio, coguntur seruire seruitutem. Sed illa demùm est ingrata seruitus, si seruus prudens incidit in stultum, ac delirum dominum; vt possit conqueri cum seruo illo Aristophanico,

Misera seruitus, si demēti & stulto seruias.

Ὡς ἐργαλέον πρᾶγμα, ὦ Ζεῦ καὶ θεοί,
Δοῦλον γενέσθαι παραφρονοῦντος δεσπότου.
Quàm molesta res est, ò Iupiter, vosque dij,
Seruum fieri dementis domini.

Qui verò iudicio ac ratione præstiterunt, prudentes seruos summo in honore habuerunt. Anaxilaus Messenius, inquit Macrobius, is qui Messanam in Sicilia condidit, fuit Rhegynorum tyrannus. Is cùm paruos relinqueret liberos, Mycitho seruo suo commendasse contentus est. Is tutelam sanctè gessit, imperiumque tam clementer obtinuit, vt Rhegyni à seruo Regi non dedignarentur. Perductis deinde in ætatem pueris, & bona & imperium tradidit: ipse paruo viatico sumpto profectus est, & Olympiæ cum summa tranquillitate consenuit.

HOMINES ISTI, &c.

Homines isti, boni satis fuerunt nobis, & non molesti, &c.] Orationis eius hæc summa est, vt laudet Dauidem; reprehendat dominum suum; proponat heræ periculum, quod instabat; moneat, vt caueat in tempore; & doceat postremò, cur ista non indicarit domino suo. Videtur iste seruus rem prudenter administrasse. Nam cùm videret nihil spei esse ab hero suo, accessit ad dominam. Cura quidem rei familiaris maximè pertinet ad patremfamilias. At si ille desit officio suo, proximum est, vt vxor prospiciat. Finis orationis est vtilitas. Bonum est, quod omnia appetunt. Appetimus autem non tantùm ea, quibus perficiamur, sed etiam illa, quibus liberemur à malo. Affert iste seruus ad dominam suam non leues rumusculos, aut inanem aliquam famam, sed veras & certas coniecturas. Prudenter enim suspicatur ex caussis, quid sit futurum. Dauid, inquit, greges & armenta nostra seruauit in tuto: eius famuli cùm à domino nostro aliquid commeatus muneris loco postulassent, non tantùm nihil acceperunt, sed etiam onerati sunt conuitijs. Hic tantus contemptus non dubito, quin Dauidi grauissimam accenderit iracundiam: ea verò inflammata haud dubiè erumpet in grauem vltionem. Ita ille argumentatur à caussis. Vtque heram suam magis moueat, Non differetur, inquit, periculum. Iamiam paratum est malum. Iamdudum enim completa est eius malitia. In procliui est, vt veniat cum exercitu, & nos omnes ad vnum perdat. Hoc etiam annotandum est, vnum tantùm seruum ad Abigaëlem ista detulisse: neque enim Scriptura dicit venisse plures. Vtque amplificet Dauidis beneficium, Non tantùm, inquit, non rapuit quicquam de rebus nostris, sed etiam seruauit, fuitque nobis instar muri, nec tantùm ipse, sed etiam omnes eius satellites: idque non semel tantùm, aut iterum, sed etiam semper, interdiu, noctuque. Contemptus autem cùm quemuis mouere possit, multò certè illum grauius accender, qui attulerit beneficium. Fieri potest, vt iste seruus commotus fuerit periculo suo. Facilè enim videre potuit, familiam illam non posse perire, nisi ad se quoque pars eius periculi perueniret. Sed siue illa fide, siue metu inductus ista fecerit, nos cogitare debemus fuisse eam voluntatem Dei, primùm ne Abigaïl, alijque qui in ea familia extra culpam erat, interirent: deinde ne Dauid se tam graui scelere contaminaret. Deus enim, vt antea eum repressit à cæde Saulis, ita nunc quoque retinet, ne manus adferat Nabali. Graue est, si paterfamilias nec sapiat ipse per se, nec audire velit rectè consulentem. Potuit iste seruus exemplum capere ex satellitibus Dauidis. Nam si Nabal ita sæuijt in famulos alienos, quid erat facturus in seruum suum?

Serui prudentia.

Pro muro erant nobis tam in nocte quàm in die.] Ælianus

NVNTIAVIT, &c. Ælianus. Piscis sacer

Ælianus lib. 8. de animal. cap. 28. Anthiam, inquit, idcirco sacrum piscem à Poëta vocari nonnulli existimant, quia locus quem Anthias incolit, & belluarum expers, & vrinatoribus tutus est, & cum piscibus pacem seruat. Cuius fiducia pisces confirmati ibidem pariunt. Naturæ causam penitus retrusam & abditam, non meum est explicare: non magis quàm exponere causas cur Gallinaceum Leo & Basiliscus timeant: cur Suillum pecus Elephantus horreat. In quibus exquirendis & si qui permulto abundant otio plurimum temporis consumant, non tamen optatum assequuntur. Non soluit itaque difficultatem Ælianus. At nos paucis & quidem confidenter, non aliam ob causam Dauidem Nabalis pastoribus fuisse præsidio asserimus, quàm quod diuina gratia præditus, virtutis studium ex animo complexus esset.

Iamblichus

Ad ea quæ de voce *Belial.* in translat. diximus, hoc solum addam quod docet Iamblichus in Theologia Phœnicum. Neque verò, inquit, eandem omnino sententiam seruant nomina in aliam linguam transfusa, sed sunt peculiares suæ cuique genti proprietates, quæ nequeunt voce alteri genti significari: deinde si vel maximè transferantur, non tamen eandem vim obtinent. Ἔχει δὲ καὶ τὰ βάρβαρα ὀνόματα πολλὴν μὲν ἔμφασιν, πολλὴν δὲ συντομίαν, ἀμφιβολίας τε ἐλάττονος μετέχοντα καὶ ποικιλίας, καὶ τοῦ πλήθους τῶν λέξεων. Habent autem barbaræ voces magnam efficaciam, & breuitatis gratiam, minúsque habent ambiguitatis, minus variationis, neque tanta verborum copia redundant. Hæc ille: quæ non magices modo periti, sed ex professo omnes fatentur, vsqueadeo vt Origenes aduersus Celsum scribens, Hebræas voces transfundi aliam in linguã vetet, sed suis characteribus exaratas conseruari. Adde quod breuitas concisa, & quasi verborum inops, nullas variandi veneres præferens, nulla in lingua maior sit. Nonnulla de his Iunius Animaduer. lib. 4. cap. 25. quæ si vera protinus essent, frustrà collatum esset *linguarum donum, & interpretationis sermonum.* Si quæ tamen Hebrææ voces difficiliores visæ sunt, quàm vt commodè peregrino idiomate exponi possent, in his planè *Belial* numeranda est, quam plerũque Vulgatus retinet, Græci non vno modo interpretantur. Verùm vt ad serui illius prudentis & frugi orationem redeamus.

Barbarorũ nominum emphasim aliena lingua non exprimit.

Petr. Damianus. Æquum est virum vxori quandoque parere suæ.

Ad hæc fortè respondeas, inquit B. Petrus Damianus, quia nisi vir in his omnibus autor existat, ad hęc implenda vasculum infirmum non aspirat. Verum planè, nec diffitemur, quia cùm ad virum sit diuinitus decreta conuersio, indiget plerunque sexus infirmior authoritate virili: sed vbi mulier rectius iudicat, dignum est, vt et vir authoritatis suæ legibus non obsistat. Pro viro scilicet est hoc iudicium, non contra virũ. Ozias planè sacerdos in affutura Domini miseratione quinque dierum terminum statuit, sed hoc iudicium magnanimis illa Iudith corripiẽs improbauit: *Non est,* inquit, *iste sermo, qui misericordiam prouocet, sed potius qui iram excitet, & furorem accendat.* Abigail quoque dum stulti Nabal sententiam mutat, à suæ domus excidio vibratos Dauid gladios reuocat: quæ nimirum

Iud. th. 8.

A pro Nabal fecit, dum peruersum eius iudicium seruare contempsit. Manue cùm vidisset Angelum, desperare cœpit: sed pusillanimitatem eius eneruiter fluctuantem, vxor erexit: *Morte,* inquit, *moriemur, quia vidimus Deum.* Cui mulier, *Si Dominus,* ait, *vellet nos occidere, de manibus nostris holocausta, & libamenta non suscepisset.* Porrò si nunquam mulieri vir obtemperare debuisset, nequaquam Abrahæ Dominus diceret, *Omnia, quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius.* Hactenus Beatus ille lib. 7. Epist. 18.

FESTINAVIT, &c. Iud. 13. v. 42. Genes. 21. v. 12.

Filius Belial, ita vt nemo possit ei loqui.] Iuuenalis,

Iuuenalis.

Viuendum rectè, cùm propter plurima, tum his
Præcipuè caussis, vt linguas mancipiorum
Contemnas. nam lingua mali pars pessima serui.
Deterior tamen hic, qui liber non erit, illis,
B *Quorum animas & farre suo custodit, & ære.*

Suidas in voce ἀνηλεήμων siue immisericors, ἀστόργους, inquit, τοὺς ἀπηνεῖς & σκληροὺς φασιν. Græci ἀστόργους crudeles vocant, & amoris expertes, homines, qui nec suos, nec alios amant. Ἀσπόνδους verò, eos quibuscum nullum fœdus iniri potest. Irreconciliabiles. Implacabiles. Ἀνηλεήμονας verò, immisericordes. Homines, qui nullis rationibus flecti possunt, & qui nihil remittunt de sua inhumanitate, vt ad misericordiam adducantur. Hæc ille.

Suidas.

VERSVS XVIII.

C Festinauit igitur Abigail, & tulit ducentos panes, & duos vtres vini, & quinq; arietes coctos, & quinque sata polentæ, & centum ligaturas vuæ passæ, & ducentas massas caricarum, & posuit super asinos:

VERSVS XIX.

Dixitque pueris suis: Præcedite me: ecce, ego post tergum sequar vos: viro autem suo Nabal non indicauit.

VERSVS XX.

D Cùm ergo ascendisset asinum, & descenderet ad radicem montis, Dauid & viri eius descendebant in occursum eius: quibus & illa occurrit.

ET *cepit ducentos panes.*] Chaldæus, *ducentas tortas panis. & duos vtres vini.*] Sept. Καὶ δύο ἀγγεῖα οἴνου, *& duo vasa vini. & quinque arietes coctos.*] Pagninus, *& quinque oues siue pecudes paratas.* Ita Vatablus. *factas* mauult Arias Græcos sequutus, apud quos hæc legimus: Καὶ πέντε πρόβατα πεποιημένα, *& quinque oues factas.* Chaldæus, *& quinque pecora saginata.* quod verisimile est: non enim ad demulcendum furentis animum deteriora quæque elegisset. *Et quinque sata polentæ.*] Itaque quoque Pagninus. Quidam, *& quinque sata tosti farris.* Sata Hebraicè סאים *seim.*

EEe

FESTINAVIT, &c.

Chaldaice סְאִן *sauan.* quod retinere maluit interpres Paraphrasis Chaldaicæ, *quinque zzauan polenta.* Alius,*& quinque sata aristæ tostæ.* Vatablus, *quinque sata tosti farris, vel farinæ hordeaceæ.* Septuaginta Καὶ πέντε οἰφὶ ἀλφίτων. Ald. & Roman. ἀλφίτου, *& quinque œphi farinæ.* Complut. *Farinarum, & gomor vnum vuæ passæ.* At secus legit in Notis Nobilius Flaminius, *quinque œphi farinæ, est gomor.* & addit: Theodoretus quæstione quinquagesima octaua, scribit Aquilam pro οἰφὶ dixisse σάτα, *satum*: gomor autem esse æqualis mensuræ cum œphi, idque ex prophetia Ezechielis disci. *Et centum ligaturas vuæ passæ.*] Arias apud Pagnin. *& centum botros aridos.* צִמּוּקִים *tsimmukim*, à צָמַק *tsamak*, arefactus fuit. Sic verò dicuntur *vuæ passæ & siccæ.* Quidam, *& centum vuas passas.* Vatablus, *& centum ligaturas vuarum passarum.* In Schol. vel fasciculos vuarum siccatarum in clibano, vel ad solem. Chaldæus, *& centum palmites vuarum passarum.* Καὶ γόμορ ἐν σταφίδων. Ald. & Roman. σταφίδος, *& gomor vnum vuæ passæ, &c. Et ducentas massas caricarum.*] *Et ducentas* דְּבֵלִים *debelim*, Pagninus *caricas.* Chaldæus, *& ducentas portiones caricarum.* Alius, *& ducenta pondera compressarum ficuum.* Vatablus, *& ducentas massas ficuum.* In Schol. vel *libras.* Nam & Chaldæus, inquit, scripsit *libras massarum caricarum.* Caricas autem vocat ficus aridas, siccatas ad solem. Quidam, *ducentas palathas ficuum.* Septuag. simpliciter, καὶ διακοσίας παλάθας; quæ Roman. translatio vertit, *& ducentas palathas.* Complut. *& ducentas massas caricarum.*

Versu vigesimo. Et fuit illa equitante super asinum. Ita Pagninus. Hebraice, רֹכֶבֶת *rochebeth*, à verbo רָכַב *rachab*, quod est incedit, vectus fuit, iter confecit, curru, equo, camelo, vel asino. Non ignobilis Poëta dixit, equitare in arundine longa: cur non in asino, si modò frænos ille recepisset? *Et descenderet ad radicem montis.*] Pagnin. *per absconditum montis.* Alius, *secreto (ad latus) montis.* Vatablus, *clàm per montem.* Et in Schol. Hebraismus, per partem montis occultam. Chaldæus Paraphrastes, *per latus montis.* non enim vidit procul Dauid venientem. Septuag. Καὶ καταβαίνουσα ἐν σκέπῃ τοῦ ὄρους, *& descenderet in tegmine montis.*

Festinauit igitur Abigail.] Cùm animaduerteret sapiens fœmina, quid periculi impenderet, & familiæ, & sibi, censuit opus esse properato: idque ad eius laudem plurimum pertinet. Sæpe enim fit, vt dilationibus occasiones optimæ corrumpantur. Itaque dicere solebant occasionem à fronte tantùm capillatam esse, ab occipitio caluam. Nabal Dauidem duplici affecerat iniuria: primùm quod petenti nihil dedisset, deinde quod eum prosequutus fuisset contumeliis. Ad primum Abigail occurrit muneribus. Conuitia autem mariti placat blanda, & molli oratione. Munera videntur facere ad honorem illorum, quibus dantur. Non enim solemus donare nisi dignos. Faciunt etiam ad leuandam inopiam: qua tum Dauid maximè laborabat. Adfert autem ea Abigail, quæ facere possint ad curandum corpus, panem, vinum, carnes, & polentam, & ad secundas mensas vuas, & caricas. hæc enim hominibus famelicis sciebat gratiora fore, quàm argentum & aurum. Cæterùm apud Suidam in voce Ἑρμώνιος χάρις, Hermonium beneficium dicit esse ἡ καθ' ἀνάγκην διδομένη, οὐκ ἐκ διαθέσεως ψυχῆς: ἀλλ' ὑποκρίσει, καὶ κατ' ὑπόκρισιν φιλίας, οὐ κατ' ἀλήθειαν. quod per necessitatem datur non ex animi affectu; sed fictè, & per amicitiæ simulationem, non verè. Hermon enim, Pelasgorum Rex, Dario Thraciam inuadente, & omnia subigente, Lemnum Atheniensibus concessit, ipsa quidem specie gratificans ipsis, sed reuera Darium metuens. hæc ille. Porrò etsi metu munus hoc extortum videri possit, liberali tamen ingenio mulier optasset vltrò maiora Dauidi contulisse.

Suidas. Hermonium beneficium.

Et tulit ducentos panes.] Milites quadringenti Dauidem sequuti fuerant. Ducenti panes singulis dimidiam partem panis integri præstabant. Libram panis præscripto pondere in singulum quemque diem singulis Monachis S. Benedictus in sua Regula constituit. Maior ea fuit quantum ex Monachis Cassinatibus intelligere potui, quàm vt ab ætatis nostræ hominibus absumatur. S. Vincentius in suo lib. de Vita spirituali modum adhibendum docet. Pythagoras in suis Carminibus aureis,

Panis quantum quisque comedat.

Pythagoras.

Sed modum in cibo, potu, & exercitiis
Adhibeas. modum appello, id quod tibi dolorem non pariat.

At Hesiodus Operæ & Diei lib. 2.

Hesiodus.

Boues arantes quadragenarius iuuenis sequatur,
Panem cœnatus quadrifidum octo morsuum.

Vbi seruum intelligit robustum, qui integrum panem in quatuor partes diuisum, absumat in cœna: vel cui opus sit pane, cuius quadrantes octonis bolis seu partibus constet. Meminit Theocritus Eidyll. 4. Lacinij promontorij, vbi fortis pugil Ægon octoginta solus placentas comedit.

Theocritus

Et duos vtres vini.] Hebræis נֵבֶל *nebel* vas est siue fictile, siue ex corio & pelle confectum. Vtres vocantur cœli, nubes in Scripturis à similitudine. Mensuram certò definire non possumus. Vinum ergo oblita non est offerre sapiens mulier. Vinum enim animos rigans, inquit Socrates, mœstitiam & dolores, haud aliter quàm mandragoræ, sopit, & hilaritatem, quemadmodum flammam oleum, excitat. Itaque virorum conuiuiis eadem accidunt, quæ iis, quæ ex terra nascuntur. Etenim illa cum Deus nimio imbre irrigat, recta stare non possunt, nec auris perflari: at cum quantum requirunt, tantum biberint, tum & recta augescunt, florent ad frugémque perueniunt. Eodem modo & nos, si in nimium vinum nos ingurgitauerimus, statim tum corpora, tum mentes concidunt, nec respirare, nedum loqui possumus. Quod si ministri minuta pocula rorantiáque crebro ministrarint, vt ego Gorgiæ verbis

Vinum mœstitiam fugat.

Xenophon

Et qvinqve, &c.

verbis vtar, sic non violati vino vt ebrij fiamus, sed incitati, ad pueritia ludicra descendimus. Hactenus Socrates in Sympos. Xenophontis.

Satum quæ mensura.

Et quinque sata polentæ.] סאים *seim* pluralis est numerus nominis סאה *saah*, quod *Satum*, sesquimodium interpretantur. Mensura aridorum est, continens sex Cabos. Cabus, quatuor longin, sesquimodium. Μέτρον plerunque siue mensuram Græci interpretantur; *Modium* Vulgatus. Reg. 4. cap. 7. vers. 1. *Cras modius similæ vno statere erit, & duo mody hordei statere vno in porta Samariæ.* Hebraicè *satum*, & *duo sata.* Septuag. Μέτρον *mensura*, & δίμετρον *duæ mensuræ.* Intelligitur autem mensura hęc, quoties addito numero mensuræ species non exprimitur. vt manifestum est Aggæi 2. vers. 17. non enim ibi modiorum vlla mentio est, sed numerus duntaxat vigesimus ascribitur. Numeratur præterea inter eas mensuras, quibus locorum interualla Scriptura metitur, cùm fortè alibi, tum 3. Regũ cap. 18. vers. 32. quo loco Vulgatus כבית סאתים *kebeth sathaiim*, *duas aratiunculas* vocat. sed nihil nunc ad propositum. Docet autem Georgius Agricola in lib. de Mensur. & Ponderib. *sat*, siue *satum*, capere quatuor choas Atticos, siue congios.

Georgius Agricola.

Polenta.

Polenta.] קלה *kalah*, Hebræis, torruit, assauit, frixit. Inde, vt apparet, quòd tosta fiant leuiora. קלי Καλί polenta farina facta è spicis plenis, quas siccant in furno vt Hebræi docent: farina tosti, frictiue hordei: fruges tostæ seu vstulatæ: tostum, est geminum frumenti, & leguminum. De polenta Plinius lib. 18. cap. 7. De hordeo loquutus, polentam, inquit, Græci non aliunde præferunt. Pluribus fit hæc modis: Græci perfusum aqua hordeum siccant nocte vna, ac postero die frigunt, deinde molis frangunt. Sunt qui vehementius tostum rursus exigua aqua aspergant, siccéntque prius quàm molant. Alij verò virentibus spicis decussum hordeum recens purgant, madidúmque in pila tundunt, atque in corbibus eluunt, ac siccatum sole rursus tundũt & purgatum molunt. quocunque autem genere præparato, vicenis hordei libris, ternas seminis lini, & coriandri selibras, salisque acetabulo, torrentes ante omnia miscent in mola. qui diutius volunt seruare, cum polline ac furfuribus suis condunt nouis fictilibus. Italia sine perfusione tostum in subtilem formam molit, iisdem additis, atque etiam milio. Hactenus Plinius.

Gallicus interpres Plinii polentam *griote seche* vocat.

Gorrhæus.

Gorrhæus in definit. Medicis in voce Ἄλφιτα, omnis, inquit, grani mediocri magnitudine moliti fragmenta, ἄλφιτα vocantur. Nam maiora fragmẽta κρίμνα, hoc est, crassiores farinæ, minora autem ἄλευρα, hoc est, tenuiores farinæ, nominantur. Potum ipse interpretatur æstate præsertim vtilem: vult tamen præterea nonnullas gentes alphita pro pane vsas.] Hebræi verò קלי *kali* tostas etiam spicas non rarò exponunt. *De* frugibus, inquiunt, maturescentibus tollebatur manipulus, & iuxta ignem arefiebat. Postea grana frangebantur in modum farris, & inde fiebat מנחה *mincha* oblatio. At verò Casaubonus χίδρα putat temerè cum polenta contundi. Quid in eam sententiam scripserit referam

A ex eius Animaduers. in lib. decimoquarto Athenæi, cap. 16.

Et qvinqve, &c.

Casaubonus.

Frictum, inquit, cicer vulgò Romani edebant, sicut fricta tritici recentis grana aut tosta, multi olim populi. graneas Latini vocarunt, Græci χίδρα, vel χίδρα θρυπτά, quia hæc grana prius frangebant quàm torrerent. Subiit sæpè mirari veterum Grammaticorum inscitiam nescio dicam an inconstantiam in explicatione huius vocis. Exemplo sit eruditissimus Comici interpres, cuius verba sunt, χίδρα, πᾶς ἄγρια λάχανα, &c. quæ sic interpretamur. χίδρα nonnulli agrestia olera accipiunt. Alij verò legumina, aut ex leguminibus farinam, aut farinam crassiorem, quæ per cribrum laxiora habens foramina transmissa est, aut spicas recentes. Propriè verò ex viridi hordeo selecta, contractáque.

B Χίδρα dicuntur à χέεσθαι diffundere, &c. Omitto alia cæterorum magistrorum interpretamenta: à quorum lectione incertiorem quàm antea lectorem discedere necesse est. Nos eam maximè expositionem probamus, quæ ait esse πυροὺς νεοδρέπους, nouella tritici grana. Leuitici cap. 2. themate 14. ita legitur in Græco textu. ἐὰν δὲ προσφέρῃς θυσίαν πρωτογεννημάτων τῷ κυρίῳ νέα πεφρυγμένα χίδρα ἐρικτὰ. Quod dixit Moses גרש כרמל *geres karmel* contusionem spicæ virentis, verterunt χίδρα ἐρικτά. Eusebius ita interpretatur, χίδρα ἐστὶν, ὅταν ἀπὸ τῶν ἀκμαζόντων σταχύων λαβὼν ἄδρα θρύψῃ ταῖς χερσὶν, οἱονεὶ ἀλέσας. ἐρικτὰ γὰρ τὰ ἐν μύλῳ ἀλεσθέντα, καὶ τὰ φλοιῷ ἀποσκεπόμενα ὁμοιώδη λάχανα. Χίδρα intelliges cum quis adultas spicas acceptas manibus comminuerit, quasi qui moluit. Ἐρικτὰ e-

Vtraque Paraphr. Chald.

C nim dicunt quæ mola pista sunt, & quæ cortice clauduntur similia leguminibus olera. Paraphrastæ Chaldaici diuersè expresserunt. Oncelus hoc modo, אביב קלי בנור פירוך דכיכן *abif keloi benour perouchan dakichan.* id est, *spicas virentes, tostas igni, contritas & teneras.* Τὸ פרך *perach* significat *frangere.* Vnde פרך *parach*, fragilis. deductum inde פרוכן *pirouchan* non male Græco ἐρικτὸν respondet: ἐρείκειν enim est frangere. Concinit & Hebraicum גרש. nam גרש siue גרס *garas* est contundere, frangere, à quo non multum differt significatione ריף *roph*, vnde est vox הריפות *haripho*th quam exponunt Rabbini, tritica contusa. Ionathanis paraphrasis ita habet. מהבהב קלי בנורא קמח קלי ופירוכין *Mehabbab kali benoura kemach kali*, *spicas tostas igni*, *farinam tostam & contusas spicas.* Hiero-

D nymus libr. Quæstionum Hebraicarum in Paralipomenon, *Primitiæ spicarum quando deferebantur, torrebantur, & grana comedebantur, quod genus cibi vulgò graneas vocant.* Leuitici capit. vigesimo tertio vers. decimoquarto. Καὶ ἄρτον καὶ πεφρυγμένα χίδρα νέα οὐ φάγεσθε ἕως τῆς ἡμέρας. Etiam hic in Hebræo est, וקלי וכרמל *vekali vecharmel.* Vetus interpres, *Panem & polentam, & pultem non comedes.* Confundit χίδρα cum pulte & polenta, quæ res erant diuersæ. Narrat Galenus populos quosdam esse qui *alphitis*, hoc est, farina facta è probe tostis hordei recentis granis vtantur loco panis: Καθάπερ, inquit, ἐπὶ τῶν ἀγρῶν εἶδον ἐν κώμαις, καίτοι πλεῖστοι χωρ. χρῶνται αὐτῇ. Quemadmodum vidi ruri in

VIRO AVTEM, &c.

Cypro, tametsi plurimum colunt cibos. hoc quoq; ad *polentam* pertinet non ad χῖδρα. Græci fere cum dicunt ἄλφιτα, polentam intelligunt. Lege Plinium lib. 18. cap. 7. locus Galeni est in primo περὶ τροφῶν δυνάμεως. Porrò inter præcipuas delicias quibus se rustici oblectabant, fuere τὰ χῖδρα. probat hoc manifestissime chorus rusticorum qui apud comicum aduenientem Pacem his verbis excipiunt:

Χῖδρα quondam rusticorum deliciæ.

Τοῖς ἀγροίκοισι γὰρ ἦσθα
Χῖδρα καὶ σωτηρία
Ὥς τί σε τά τ' ἀμπέλια
Καὶ τὰ νέα συκίδια
Τ' ἄλλα θ' ὅσ' ἐστὶ φυτὰ
Προσγελάσεταί σε λαβόντ' ἀσμένα.
Rusticis enim eras, inquiunt,
χῖδρα *& salus, &c.*

quemadmodum enim ἐν τοῖς Σαμίοις, *mel* appellatur is, cuius gratissimus conspectus est: sic ruris pleni homines χῖδρα Pacem appellant: quia soliti cum maxima voluptate chidra comedere. Sicut & Hebræi, quia vesci carnibus diuitum & beatiorum censebatur, quod & B. Chrysostomus ait in posteriorem ad Corinthios, חַיֵּי בְּשָׂרִים *haui bascarim*, hoc est, *vitam carnium* rem volupem & suauem vocabant.

Præcedite me: ecce ego vos post tergum sequar.] Non facit ista Abigail per seruos aut literas. Nouerat enim quæ soleat esse fides, & diligentia nuntiorum. Ipsa potius ire voluit. Et in eo sequuta est exemplum Iacob Patriarchæ. Is enim cum rediret in terram suam, & sciret, se Esau fratrem vehementer habere offensum, præmisit ad illum seruos cum armentis, & gregibus. Descendit per occultam partem montis, vel, vt per compendium facilius Dauidi occurreret, viæ enim publicæ solent sæpe esse longiores: vel ne cui occurreret, à quo posset impediri. Ipsa interea meditabatur secum, apud Dauidem quam orationem esset habitura. *Viro autem suo Nabal non indicauit.*] De S. Sidonio Apoll. ex primis Galliarum Senatoribus postea Episcopo narrat S. Gregorius Turon. lib. 2. Histor. Franc. cap. 22. quod plerunque nesciente coniuge, vasa argentea auferebat domo, & pauperibus erogabat. quod illa cum cognosceret scandalisabatur in eum: sed tamen dato egenis pretio, species domi restituebat. Sed alia maritorum, inquies, alia vxorum potestas est, quæ viris morem gerere, à quibus regantur, diuinis humanisque legibus iubentur. Vnde non immerito quæri possit.

S. Gregor. Turon.

An liceat vxori inconsulto viro opis quidquam egenis largiri?

QVÆSTIO LXXIII.

Respondet S. Thomas 2. 2. quæst. 32. artic. 8. quod si vxor habet alias res præter dotem, quæ ordinatur ad sustentanda onera matrimonij, vel ex proprio lucro, vel quocúnque alio licito modo, potest dare eleemosynas etiam irrequisito mariti assensu, moderatus tamen, ne ex earum superfluitate vir depauperetur. Alias autem non debet sine consensu viri vel expresso, vel præsumpto, nisi in articulo necessitatis. quàuis enim mulier sit æqualis viro in actu matrimonij: tamen in his quæ ad dispositionem domus pertinent, *vir caput est mulieris*, vt docet Apostolus. Hactenus ibi S. Thomas.

S. Thomas. Vxor si quid habet præter dotem, donare potest.

In quem locum Bannes, nota, inquit, primò, quod nemo potest dare nisi sit dominus rei. vnde Religiosus nihil potest dare sine assensu prælati, expresso, vel interpretatiuo. Nota 2. quod non sufficit habere dominium rei, vt aliquis de suis bonis possit dare eleemosynam. quoniam dispensatio potest alteri esse subdita. Vnde vxores non possunt donare, siue habeant dominiũ, siue non: quia in dispensatione rerum temporalium debent esse subditæ viris. Cæterùm illa dispensatio multum pendet ex lege ciuili. Vnde doctrina S. Thomæ, vbi ait, quod si mulier habet alias res præter dotem, aut, &c. in Hispania non habet locum: quia lege ciuili cautum est, ne possit contractũ facere, aut aliquid donare.

Bannes. Vxor in Hispania, ne id quidẽ quod habet præter dotẽ.

Sed quæritur, inquit idem Bannes, quis sit iste consensus interpretatiuus prælati, vel mariti, vel patris. Respondeo, opus est prudentia boni viri. Non est iudicandum iuxta consensum superiorum, qui sunt nimis duri & male morigerati. Sed iudicandum est, quod deceat prælatũ, vel maritum prudẽtem interpretatiue velle, vt dispensetur per inferiorem. Atque hoc pacto vxores possunt communes eleemosynas facere pauperibus, in quibus nihil damnificatur ipsa familia: imo certe vehemẽter reprehẽdẽdi sunt viri, qui veluti ancillas proprias volunt habere vxores per omnia subditas; cum tamen sint cõsortes & sociæ virorum, & dominæ rerum, quæ acquiruntur; quamuis quoad dispensationem liberam pendeant ex voluntate viri. Mihi sane, inquit Bannes, nullus esset scrupulus affirmare, quod mulier diuitis dispenset nesciẽte viro vigesimam partem lucri annualis. Nam talis dispensatio debet esse interpretatiue volita à bono viro. Dispensatio vero vxoris debet esse in eleemosinas, vel in aliis licitis & honestis. Hactenus Bannes.

Consensus interpretatiuus qui habendus sit.

Addamus & quæ Leonardus Lessius lib. 2. cap. 12. dubitatione 14. scripsit in eandem sententiam. quintò, inquit, vxor potest facere donationes & eleemosynas secundum consuetudinem aliarum suæ conditionis mulierum. quod si maritus vetet, videtur vetare excessum. Ita passim Doctores, Paludan. Suprà, Syluester verbo eleemosina. Angelus ibidem, & alij. Si tamen constet illum omnino vetare, Nauarrus, & alij quidam dicunt, illam nõ posse quicquam dare. Sed contrarium est verius: quod etiam tenet Molina disputatione 274. & Petrus Nauarrus lib. 3. cap. 1. numer. 83. Et colligitur ex ratione quam Syluester, Angelus, Paludanus, & alij Doctores afferunt; quia consuetudo tribuit ius, non secus ac priuilegium, vel lex; quo iure maritus illam priuare nequit: præsertim, cùm ius positiuum magnam vim habeat circa bonorum administrationem, vt eam vel restringat marito, vel laxet.

Leonard. Lessius.

Maritus vetare nõ potest eas eleemosynas quas ex cõsuetudine vxores largiuntur.

Confirmatur, inquit, primo, quia vir tenetur vxori præstare decentem sustentationem, spectata eius conditione, suisque opibus. Atqui in hac sustentatione continetur non solum victus, vesti-

VIRO AVTEM, &c.

vestitus, alimenta, & famulatus, sed etiam alia, quæ fœminæ similis conditionis habere & facere consueuerunt, ad recreationes, eleemosinas, & largitiones: Ergo tenetur ei concedere. 2. quia vxor non est mancipium viri, sed socia, habens etiam authoritatem administrationis, etsi sub viro, ne quid inordinatè aut profusè faciat: Ergo non potest ei maritus omnes donationes prohibere.

Sextò potest, inquit idem doctor, dare ad impediendum damnum mariti, siue temporale, vt fecit Abigail: siue spirituale, ne Deus illum propter scelera puniat, vt docent Angelus, Syluester, Nauarr. Etiam si est dissipator, potator, & in mulieres profusus. Maritus enim non habet ius amplius in rem quàm vxor. Habet autem administrationem in suum & vxoris commodum. Vnde si non sequatur dictamen rationis, læsa potest compensare ex eodem. Hæc quoque Lessius.

Dionys. Halicarn.

Vtique negari non potest quod asserit Dionys. Halicarnas. lib. 2. Antiq. Rom. γυναῖκα γαμετὴν κατὰ νόμους ἱεροὺς συνελθοῦσαν ἀνδρὶ κοινωνὸν ἁπάντων εἶναι χρημάτων τε καὶ ἱερῶν. Mulierem nuptam, quæ ex sacratis legibus in manum mariti conuenisset, cum eo omnium & bonorum & sacrorum participem esse. Vnde mirum non est, inquit Brissonius in lib. De ritu nuptiar. Nuptias à Modestino in *l.* 1. Diuini & humani iuris cõiunctionem definiri, & à Gordiano vxorem rei diuinæ & humanæ sociam appellari. quapropter nec turpe iudicium ob res viro subtractas aduersus eam dari prudentibus placuit. *l.* 1. *D. de rer. amotar.* quam societas vitæ quodammodo dominam faceret. Hinc quoque fortè ab initio moribus comparatum fuit, vt ne coniuges factæ donationes valerent: quod & aliis postea rationibus vallatum est, quas inter etiam hanc Plutarchus ἐν αἰτίοις commemorat. ὅτι δεῖ κοινὰ τῇ γυναικὶ εἶναι τὰ τοῦ ἀνδρὸς, καὶ τἀνδρὶ τὰ τῆς γυναικός: quod oporteat quæ viri sunt, communia mulieri esse: quæ vxoris, viro. Itaque idem Plutarchus ἐν αἰτίοις quoque testis est, eos, qui nubentem introducerent, et verba hæc suggessisse, *Vbi tu Caius, ego Caia:* quorum verborum eum esse sensum quidam existimabant: *Vbi tu Dominus & paterfamilias, ego Domina & materfamilias.* quippe & materfamilias olim domina vocabatur. Catullus, domum dominam vocat. Et Claudius Imperat. apud Suetonium cap. 38. cur domina non veniret, requisiuit, de vxore Messalina loquens. Quo verò sensu matresfamiliæ dominæ vocatæ fuerint, docuit Guilhelmus Fournerius lib. 1. Selection. cap. 11. sicut & Menander.

Modestin. l. 1. D. de ritu nuptiar. Gordian. in l. aduersus Codic. de crim. expil. hæredit.

Plutarchus

Vxor quondam domina dicta.

Ἡ γ' ἐγγυητὴ ἐστί μοι γυνὴ δέσποινα.

Ibi enim γυνὴ δέσποινα Domina mulier pro vxore accipitur. quod item Thessalis olim familiare fuit. Hesychius: δεσποίνας, γυναῖκας Θεσσαλοί. Epictetus, Αἱ γυναῖκες εὐθὺς ἀπὸ τεσσαρεσκαίδεκα ἐτῶν ὑπὸ τῶν ἀνδρῶν κυρίαι καλοῦνται. Rectè, inquit, mulieres post annum quadragesimum à viris Dominæ audiunt. Neque enim aliæ mulieres, quam vxores, nec ab aliis quàm maritis sic appellabantur. Sic denique apud Scæuolam *in l. 41. D. de leg. 3.* Maritus ait; Peto à te domina vxor. Meminit etiam eius nominis Saluianus, cum in mores Aquitanorum perditos animaduerteret, & queritur ab iis eius appellationis potestatem imminui. Quis coniugi, inquit, coniugi fidem reddidit? imò quantum ad passiuitatem libidinis pertinet, quis non coniugem in numerum ancillarum redegit? & ad hoc venerabilis connubij sacramenta deiecit, vt nulla in domo eius vilior videretur in maritali despectione, quàm quæ erat princeps matrimonij dignitate. Cogitat fortè aliquis, non ita ad plenum esse, vt loquor. Habuisse enim illic matresfamilias ius suum, & dominarum honorem potestatémque tenuisse. Verum est, habuerunt quidem multæ integrum ius dominij, sed nulla ferme impollutum ius matrimonij: & nos modo non quærimus quæ mulierum potestas, sed quàm corrupta virorum fuerit disciplina. quamuis nec potestatem quidem illic matresfamilias integram habuisse dicam; quia quæcunque ius connubij inuiolatum ac saluum non habet, nec dominij habet. Haud multum enim matrona abest à vilitate seruarum, vbi paterfamilias ancillarum maritus est. Hactenus Saluianus. Neque vero familiæ duntaxat, sed etiam viris in priuatis dominari mulieres apud Ægyptios feruntur, profitentibus, inquit Diodorus lib. 1. in dotis confectione viris omnibus, esse vxoris arbitrio parendum. Publicè autē plus honoris ac dignitatis reginæ quàm regi impenditur, his, vt aiunt, de causis, quòd Isis coniunx Isiridis viri mortem esset vlta. Quod si verum est, quid non Abigail dignitatis ac prærogatiuæ promeruit, quæ sua prudentia virum familiámque seruauit?

VIRO AVTEM, &c.

Saluianus lib. 7. de gubernat. Dei

Quod ad rei familiaris administrationem spectat, apud Romanos ingredienti nuptæ claues dabantur, ad significandam quemadmodū Sex. Pompeius explicat, partus facilitatem. Sed hæc minus vera explicatio est. illud magis placet, quod pluribus probatur, idcirco claues traditas esse, vt significaretur ei rerum omnium domesticarum, quæ clauibus concludi solent, curam ac custodiam, totam denique domus ac rei familiaris administrationem, dispensationémque permitti. Nam & ex diuerso cùm illi nuntius remittebatur, claues adimebantur; vt Cicero 3. in Antonium Orat. indicat, Mimam exegit, claues ademit, res suas sibi habere iussit. Quæ omnia, vt arbitror, cùm sint è iure ciuili deprompta, superiorum doctorum sententiam haud parum confirmant. Cùm itaque Abigail multis aliis nominibus, tum quod vir eius fatuus ac delirus esset, & res eius dementia in summum discrimen adducta esset, periculo familiæ largitione ista prospicere potuit, & amplioribus donis lacessiti ducis iram mitigare; tametsi virum nollet si rogaretur minimè consensurum. Non enim vt perderet, sed vt regeret, tueretúrque, mulieris salus & incolumitas viro permissa est.

Claues olim nuptis datæ, vt intelligerent rei familiaris potestatē sibi permissam.

Cùm descenderet ad radicem montis, Dauid & viri eius descendebant, &c.] Apparet vtrumque montis iugum mediam vallem discriminasse. *Quibus & illa occurrit.*] Abigail cùm peruenisset iam ad vallem, vidit Dauidem ex aduerso cliuo descendentem. Aliæ fortasse mulie-

VERE FRVSTRA, &c. res in tanto periculo aut discessissent à viris aut fugissent, aut à cognatis & affinibus, auxilium & opem petiissent. Abigail verò, vt mulier animosa & intrepida non dubitauit se furenti leoni obijcere. At verò Esther, *cùm eleuasset faciem Assuerus, & ardentibus oculis furorem pectoris indicasset*, ex templò *corruit, & in pallorem colore mutato, lassum super ancillulam reclinauit pectus.* Nec satis aureæ virgæ contactu, & Regis osculo recreata, *Vidi te Domine*, inquit, *quasi Angelum Dei, & conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ. Valdè enim mirabilis es Domine, & facies tua plena est gratiarum.* quæ dicens, *rursus corruit, & penè exanimata est.* Atqui vt ibidem Scriptura testatur, *residebat* tum Assuerus *super solium regni sui, indutus vestibus regiis, auróque fulgens, & pretiosis lapidibus.* Quid si igitur in furentem, & telo armatum ferróque septum incurrisset, quo pacto conspectum eius ferre potuisset? Ausa est tamen Esther tanto perculsa metu adire periculum; ausa est Iudith, cuius feruentissima oratio cap. 9. continetur; ausa tunc Abigail, quam licet præstantissimis veteris testamenti mulieribus annumeres: quæ sua constantia, prudentia, charitate, viro domesticisque omnibus proprio periculo salutem peperit.

Esther c. 15.

VERSVS XXI.

Et ait Dauid: Verè frustrà seruaui omnia quæ huius erant in deserto, & non periit quidquam de cunctis quæ ad eum pertinebant: & reddidit mihi malum pro bono.

VERSVS XXII.

Hæc faciat Deus inimicis Dauid, & hæc addat, si reliquero de omnibus quæ ad ipsum pertinent vsque manè, mingentem ad parietem.

ET *non periit quicquam.*] Pagninus, *& non defuit*; Arias, *& non visitatum fuit*; Chaldæus, *& non alteratum fuit*; alius, *& non imminutum fuit*; Vatablus, *vt non desideratum sit.* Septuag. ἴσως εἰς ἄδικον; id quod Complut. ita vertunt, *fortè ad malum seruaui, &c.* at Rom. edit. *Vtique immeritò seruaui, &c.* quam interpretationem ideo tuetur Nobilius, quòd sententia ita postulare videatur, nec verba repugnent, & alioquin sic magis Vulgatæ respondeat. *Et non periit quicquam.*] Romana editio Septuag. interpr. *& non imperauimus capere ex omnibus eius quicquam.* quo loco flaminius, alij, ϗ ἐκ ἐνετειλάμην, *& non imperaui.* Complut. ϗ ἐκ ἐνετειλάμην λαβεῖν, *& non petij capere.*

Versu 22. *Inimicis Dauid.*] Sic legitur in Hebræo. Complut. etiam τοῖς ἐχθροῖς Δαυίδ. Sola Ald. edit. cum Roman. ipsi Dauid. *Sic faciat Deus, &c.* Vatablus in Schol. Imprecandi modus, in quo est defectio, pro, *Sic faciat mihi*

A *Deus vt opto*, nempe, vt me interficiat, aut multò deteriora faciat. Conuertit autem imprecationem à prima in tertiam personam. Quidam, imprecandi forma, qua malum aliquod sibi infligi & continuari veteres postulabant, si secus quàm dixerant facerent. Est autem vbique aposiopesis mali: quod vel ipsi intelligebant, vel Dei iudicio committebant. *Mingentem ad parietem.*] Vatablus Salmant. in Schol. *Perdat me Dominus, si non euertero omnia quæ habet Nabal intra lucem crastinam: & si reliquero*, inquam, *meientem ad parietem*: ne canibus quidem eius (hi ad parietem solent meiere) si quos habet, parcam. Vel, & filiis eius qui iam possunt ad parietem meiere, non parcam. Melius hic locus intelligitur de canibus custodibus. Isidor. Clarius, Hebræi communiter per *mingentem ad parietem*, intelligunt, *canem*, cuius natura est, mingere ad

B parietem. Sunt tamen qui hîc per מַשְׁתִּין *masthin, mingentem* בְּקִיר *bekir ad parietem*, masculum intelligunt, qui & ipse parietem lotio aspergere potest. Sept. simpliciter, οὐροῦντα πρὸς τοῖχον, *meientem ad parietem.* Chaldæus de masculis interpretatus est, seu vernæ illi, seu liberi forent, quicunque viderentur rationis compotes. Sic enim vertit: *Si reliquero ex omnibus, quæ illi, vsque ad lucem auroræ cognoscentem cognitionem.*

Et ait Dauid.] Verba ista Dauidis hic commemorantur, non quod ea Abigail audierit, sed vt intelligatur, quàm opportunè ea occurrerit. Res enim vltrà cunctationem non ferebat: nec paruum erat periculum quod videbatur impendere.

C *Verè frustrà seruaui omnia.*] Septuag. ἴσως εἰς ἄδικον ἐφύλαξα πάντα τὰ τοῦ Ναβάλ. *Fortè, vt me iniuria afficeret, custodiui res omnes Nabalis.* Aquila, inquit Procopius, πλὴν μάτην, *veruntamen frustrà.* In Hebraico est, *in mendacium*: hoc est, vt ipse me deciperem. Acsi diceret; Ego enim beneficio meo prouocaui ad mentiendum. Debuit ille quidem humanitatem meam aliquo officio compensare. Nunc autem immemor omnis iustitiæ afficit me intolerabili contumelia. Atque hoc illud est, quod Græcus reddidit εἰς ἄδικον.

Verè frustrà.] Græcorum illud prouerbium est, Κεστρεὺς νηστεύει, *Cestreus ieiunat*, de ijs qui sic iustitiam colunt, vt nihil inde præmij consequantur. Piscis enim est qui ab aliorum iniuria

D abstinet, & limo pascitur. Pœnitentia potiò Dauid duci videtur quod in ingratum malè beneficium collocarit. Hoc verò sicut à ratione alienum haberi debet, ita & seuerè à Tertulliano reprehenditur cap. 1. lib. de Pœnitentia. Pœnitentiam, inquit, hoc genus hominum, quod & ipsi retrò fuimus, cœci, sine Domini lumine, natura tenus, norunt passionem animi quandam esse, quæ veniat de offensa sententiæ prioris. Cæterùm à ratione eius tantum absunt, quantum ab ipso rationis autore, quippe res Dei ratio. Et rursum. Quàm autem in pœnitentiæ actu irrationabiliter deuersentur, vel vno isto satis erit expedire, cùm illam etiam in bonis factis suis adhibent. Pœnitet fidei, amoris, simplicitatis, patientiæ, misericordiæ, prout quid in

Non decet quéquam boni quod fecerit postea pœnitere.

Tertullianus.

VERE FRVSTRA, &c.

in gratiam cecidit, semetipsos execrantur, quia benefecerint. Eamque maximè pœnitētiæ speciem quæ optimis operibus irrogatur, in corde figunt: meminisse curantes ne quid boni rursus præstent, contra malorum pœnitentiam leuius incubant. Denique facilius per eam delinquunt, quàm per eandem rectè faciunt. Tādem cap. 2. Ratio eius, inquit, quam cognito Domino discimus, certam formam tenet, ne bonis vnquam factis cogitatisue, quasi violentia aliqua, manus inijciatur. Deus enim reprobationem bonorum ratam non habens, vt pote suorum; quorum quum autor & defensor sit, necesse est proinde & acceptator. Si acceptator, etiam remunerator. Viderit ergo ingratia hominum, si etiam bonis factis pœnitentiam cogit. Viderit & gratia, si captatio eius ad benefaciendum incitamento est. Terrena mortalis B vtraque. Quantulum enim compendij, si grato benefeceris? vel dispendij, si ingrato? Bonum factum Deum habet debitorem, sicut & malum: quia iudex omnis remunerator est causæ. At cùm iudex Deus iustitię charissimæ sibi exigendæ tuendæque præsideat, & in eam, omnem summam disciplinæ suæ sanciat, dubitandum est, sicut in vniuersis actibus nostris, ita in pœnitentiæ quoque causa iustitiam Deo prę standam esse? quod quidem ita impleri licebit, si peccatis solummodo adhibeatur: hæc Tertullian.

Seruaui omnia quæ huius erant, & nihil periit, &c.] Iustitia & honestas id exigunt, vt illis gratias referamus, qui beneficia in nos contulerunt. Natura hunc ordinem sequitur, vt effe- C ēta in suas causas conuertantur: quandoquidem vnde oriuntur, inde quoque conseruationem & augmentum habent. Hoc itaque Dauidi debebatur, vt illum Nabal omni studio ac fauore prosequeretur. Quippe de eo cùm summo labore suo benemereri Dauid studuerat, tum nullo hactenus emolumento suo, quæ duæ conditiones inter eos, qui de alijs benemereri student, illi principem locum facilè concilient. Verum enimuerò nonnullos primùm videas, qui dum beneficia conferunt, seipsos tantùm respiciunt. Sic opiliones, bubulci, & subulci faciunt, dum animantibus, quas curant, pabulum sufficiunt: Ibi enim suum quæstum & lucrum tantummodo venantur. Alioqui boues, oues, & sues amore non prosequuntur. Alij sunt qui benefaciendo, & seipsos respiciunt, D & illos quos iuuant. Nam pauperes diuitibus & principibus inseruiunt, partim quòd eos ament, partim verò, vt ex illis aliquid commodi nanciscantur. Tertio gradu illi sunt collocandi, qui sic beneficio quempiam afficiunt, vt ab eo nullam recompensationem expectent. Sæpe fit vt miserum intuentes, misericordia tangamur, & eum adiuuemus: quod sanè ab humanitate proficiscitur. Nam cùm simus homines, nihil humani à nobis alienum putamus. Vltimo summóque loco illi habentur, qui alios etiam cum sua molestia, damno, & iactura beneficio aliquo cumulant aut tuentur. Quo pacto Christus erga nos egit: humanum genus redimens immensa laborum cruciatuumque

Eorum qui in alios beneficia cōferunt, plures gradus sunt.

A patientia. Hunc Dauid non obscurè æmulatus est cùm Nabalis greges famem atque inediam tolerans, nullam pactus mercedem, dies noctesque ab insidijs Abigeorum tutos præstitit, ita vt nihil illi in vasta solitudine periret.

VERE FRVSTRA, &c.

Et reddidit mihi malum pro bono.] Ingratorum primus gradus est, cùm de se benemeritis bona vicissim non rependunt. Secundus, quando non laudant neque probant, quæ sibi à bonis viris benefiunt. Tertius est eorum, qui accepta beneficia obliuiscuntur. Quartus & pessimus omnium est, cùm pro beneficijs iniuria ac damna reponuntur. Ad hunc modum Nabal se aduersus Dauidem gessit, qui pro defensione ac præsidio, quo eius pecora seruauerat, eumdem probris ac contumelijs affecit: quæ planè grauis iniuria est cum summa iniquitate coniun- B ēta. Quid enim hoc aliud est quàm & beneficia collata, & benefactorem contemnere? Id autem maximè ingratorum est, quando neque homines, neque aliæ creaturæ sic agendo spernuntur, verum ipse Deus contemnitur. Quicquid enim beneficiorum ab hominibus accipimus, à Deo habemus, qui hominum opera vtitur ad defensionem eorum qui in periculis versantur. Quocirca ingrati, cum erga Deum, tum erga homines, charitate vacui sunt. At dices: cum igitur benefici homines in ingratos incidunt, quo pacto se gerere debent? an beneficia illis è vestigio subducent? Certè ipsi hoc merentur: at non id statim committendum est, quia homines ob vitiatam naturam tardi sunt, neque citra difficultatem mouentur ad officiū C faciendum. Idcirco pergendum est benefaciendo: nam qui primo beneficio nō adducitur vt fit gratus, alterò, tertio, quarto, quintóue fortassis excitabitur. Verùm si omnino hæreat in sua ingratitudine, beneficia illi iuste subtrahemus, non quidem odio vel vltionis cupiditate impulsi, sed vt corrigatur: & ne beneficia, quæ Dei dona sunt, contumelijs perpetuò afficiat. Hoc etiam Deus facit, qui dixit per Oseam Prophetam ingratis Hebræis: *Dabo vobis cœlum æneum, & terram ferream. Auferam à vobis lanam meam, &c. quandoquidem illa fecistis Baal.*

Ingratorū plures species.

Quo pacto se cum ingratis gerere deceat

Rogabis forsan, cur præcepit nobis Christus, *vt instar patris cœlestis perfecti simus, qui solem suum oriri facit super bonos & malos*, & sicut scribitur Lucæ 6. *bonus est contra ingratos?* Respondeo sententiam Domini allatam definitioni D iam expositæ non aduersari. Deus quippe duo habet genera beneficiorum. Quædam præcipua sunt vt iustificatio, glorificatio, æterna vita. Hæc dignis duntaxat largitur quos sua gratia tales effecerit: Euangelij item reuelatio, fides: quæ munera si quis obfirmato animo repudiet, tandem auferre solet. Alia quædam temporaria sunt & communia, quæ tamen speciatim in gratiam delectorum impertit: Sed quia citra miraculum fieri non potest vt ad bonos perueniant, nisi mali quoque participes efficiantur, ideo illa promiscue largitur. Quomodo imber prohiberetur, ne agros impiorum madefaceret? Posset quidem & id à Deo fieri: at non citra miraculum. Cumque semper non velit edere miracula, vult potius, vt etiam impij

Quomodo Dei similes euadamus.

ET REDDIDIT MIHI, &c.

horum beneficiorum sint participes, quàm bonos ijs commodis ad victum necessariis destitui. Reges item præfecturas, præturas, & reliquos magistratus non quibusuis ciuibus mandant, sed tantum iustis & prudentibus: quod si non fecerint, suo non funguntur munere. At cum populo suo dant congiarum aut epulum, aut frumentum distribuunt, quia sine maximo labore ac molestia non possent bonos ciues à malis discernere, ideo promiscue omnibus, quæ sunt huius generis, largiuntur, & potius eligunt de malis ciuibus bene mereri, quàm bonos liberalitate fraudare, propter quos maximè adducuntur, vt munifici sint erga populum. Nos etiam id imitemur, vt quando priuata conferimus, quãuis in ingratum incidamus, non statim ab eo subducamus nostram humanitatem, sed modo iam superius exposito nos geramus, vt si pertinaciter ingratus esse pergat, ad eius tandem correctionem beneficium largiri desinamus. Quæ verò communia & publica beneficia sunt, vel ingratis assidue præstemus, vt à Deo nobis præcipitur, ac eligamus nostra bona ad pios & sanctos potius deriuari, quàm desistere à benefaciendo, ne mali sint eorum participes.

Quomodo itaque Dauid Nabalem, cum ita affectus esset, vt non tantum gratiam nullam referret, sed insuper benefactorem suum conuitijs proscinderet, tractauit? Crœsus sane antequam regnum capesseret, cum ab Alyatte mercatore Lydorũ ditissimo vt sibi pecuniam fœnori daret impetrare non posset, Ephesum quærendæ pecuniæ causa profectus votum Dianæ fecit, si rex fieret, se totam illius mercatoris domum ei consecraturum: quod ipsa postea præstitit. (Suidas in voce κροῖσος) Petebat aliquando Hispaniam Felix Perretus cum adhuc minor esset, & vnà cum eo alter quidam non infimæ conditionis, quibus cum mutua societas placuisset, cum alijs rebus communiter vtebantur tum eodem lecto decumbebant. At comes aliquando graui pedum odore offensus, Perreto exprobat eidem male olere pedes; quod tum dissimulanter & acerbe tulit. At vbi primum postea Petri sedem conscendit, & Sixti V. nomen sortitus est, & is comes antiquus ad pedum oscula de more accessit, eundem dicere iubet Pontifex, an sibi pedes male oleant? nec hactenus tam veteris quàm leuissimæ iniuriæ memoriam refricasse contentus, officia iubet si quæ adeptus esset in curia vendere, Romaque excedere. Næuus hic scilicet fuit in pulchro corpore, fuit enim alioqui non ignobilis Pontifex. Dauid quid agere statuisset, disces ex ipsiusmet oratione. *Hæc faciat Deus*, inquit, *inimicis Dauid, & hæc addat, si reliquero de omnibus quæ ad ipsum pertinent vsque manè, mingentem ad parietem.* Huc eum induxit contemptus, & ingratitudo Nabalis. Hæc enim duo animum eius prorsus inflammarunt ad vindictam. Aristoteles in 2. Rhetor. cap. 2. ait, conuitia pertinere ad ὀλιγωρίαν siue despicientiam, eam autem vlciscendi libidinẽ prouocare. *Hæc faciat Deus inimicis Dauid.*] Quoniam homines non solent libenter imprecari sibi, male precatur hostibus suis, vt ait Chimhi.

A Potest etiam esse iusiurandum cum formula precandi: ac si Dauid ita diceret, Ita mihi Deus subijciat hostes meos, vt ego funditus perdam Nabalem, eiusque totam familiam. (HÆC FACIAT DEVS, &c.) *Et hæc addat.* Iram, inquit Aristoteles eod. loco, semper aliqua voluptas consequitur ex spe vlciscendi: Iucundum est enim existimare se consequuturum esse, quæ appetat. Nemo autem quæ videntur fieri non posse, appetit. At qui irascitur, appetit quæ à se fieri posse putat. Quamobrem recte ab irato Achille de ira dictum est: (Vlciscendi spem voluptas quædam consequitur.)

Dulcior effuso quæ melle in pectore crescit. (Homer. Iliad. 18.)

Consequitur vero etiam & voluptas quædam ex eo quod versantur in vlciscendi cogitatione: ἡ γὰρ τότε ἐγγινομένη φαντασία, ἡδονὴν ποιεῖ, ὥσπερ ἡ τῶν ἐνυπνίων. Nam quæ tum fit phantasia, voluptatem parit illi similem, quæ in somnijs B accidit. Hanc Geta apud Terentium in Adelphis graphice depingit his verbis:

Me miserum, vix sum compos animi, ita ardeo iracundia. (Terent. in Adelp. act. 3. scen. 2.)
Nihil est quod malim quàm illam totam familiam dari mihi obuiam
Vt iram hanc in eos euomam omnem, dum ægritudo hæc est recens.
Satis mihi id habeam supplicii, dum illos vlciscar modo.
Seni animam primum extinguerem ipsi, qui illud produxit scelus.
Tum autem Syrum impulsorem, vah, quibus illum lacerarem modis!
Sublimem medium arriperem, & capite primum in terram statuerem:
C *Vt cerebro dispergat viam.*
Adolescenti ipsi eriperem oculos: post hæc præcipitem darem.
Cæteros ruerem, agerem, raperem, tunderem, & prosternerem.

Paucioribus Dauid: *Si reliquero de omnibus quæ ad ipsum pertinent vsque manè, mingentem ad parietem.*

Mingentem ad parietem.] Sunt qui masculos duntaxat intelligi velint. (Phrasis hæc masculos indicat.) Sic enim accipiendum videtur 3. Reg. cap. 14. v. 10. *Inducam mala super domum Ieroboam, & percutiam de Ieroboam mingentem ad parietem.* Agit enim de posteris Ieroboam tantum qui regni sceptrum sperare possent: vt & de posteritate Baasa 3. Reg. 16. vers. 11. *Percussit omnem domum Baasa, & non dereliquit ex ea mingentem ad parietem.* D Et rursum cap. 21. vers. 21. *Demetam posteriora tua, & interficiam de Achab mingentem ad parietem.* Deniq; lib. 4. Reg. 9. ver. 8. *Perdamque omnem domum Achab: & interficiam de Achab mingentem ad parietẽ.* Hæc phrasis cum fœminis nõ tum olim apud Hæbreos alienæ censebantur à Reipubl. negotiis, & regni expertes manebant. משתין בקיר *Masthin vekir.* Sic etiam Septuag. οὐροῦντα εἰς τοῖχον. Quod item in pueros quadrare non potest. Quocirca nonnulli infantulos excipientes eos duntaxat à Dauide interfectum iri exponunt, qui iam adulti ratione vterentur. Et huic interpretationi fauet Chaldæus qui transfert, *cognoscentem cognoscentem, Iadagh Madagh,* hoc est quicunque è virili sexu iudicio ac ratione pollerent. Sed cum postea Abigaeli dixerit: (Hoc loco canes.)
Prohi-

VSQVE MANE, &c. Procopius.

Probibuit me Deus ne perderē te, apparet de masculis tantum accipi non posse. quamobrem Procopius scribit: Τὸ μὴ μόνον αὐτόν, ἀλλὰ καὶ τοὺς αὐτοῦ πάντας ἀνελεῖν κατεπείγεσθαι, quod non modò ad delendum Nabalem, sed ad totam etiam ipsius familiam exscindendum properat. Itaque hoc sibi vult, ne vilissimis quidem canibus, nedum reliquæ familiæ parciturum. Nam canes quoque sublato crure parieti irrorant. Si quæras quid canes commeruerint? Lyranus respondet, nihil meritos: sed ita significari iræ & vindictæ exuberantiam. Potest etiam ratio illa reddi, quia canes sunt custodes & symmachi suorum dominorum: ideo simul cum illis aut odio aut fauore eosdem prosequimur. Vulgare prouerbium est: *Qui m'ayme, ayme aussi mon chien.* Sic quoque pariter hostis & infensus ducitur Aurelianus Imperator, vt Vopiscus ait in eius vita, cum Thyanam venisset, eamque occlusam reperisset, iratus dixisse fertur: Canem in hoc oppido non relinquam. Mox igitur milites spe prædæ acrius incumbentes oppidum expugnant. At cum ipsi iuxta illud dictum, quo canem se relicturum apud Thyanæos negauerat, euersionem vrbis exposcerent, mutata sententia respondit: Canem negaui in vrbe me relicturum, canes omnes occidite. Exclamat flauius Aureliani lenitatem commendans, Grande Principis dictum, grandius militum votum: nam dictum Principis, quo præda negabatur, ciuitas seruabatur, totus exercitus ita quasi ditare tur, accepit.

Vopiscus.

Ad parietem.] *D. de verborum signific. l.* 157. Ælius Gallus, Paries est: siue murus, siue maceria est. In eundem locum Gothofredus; Res tota ita habet: Septorum quatuor genera numerantur. Naturale fit virgultis, aut spinis: secundum fit ex agresti ligno: Tertium ex fossa & terreno aggere: Quartum est fabrile, vt maceria. Gulielmus Philander in cap. 8. lib. 2. Vitruuij de Architectura, locus, inquit, admonet, vt semel complectamur, percenseamusque parietum genera, si prius dixerimus parietes censeri structuras, quæ obductæ stent ad interiora ædificij vacua obuallanda, aut tectum (quo & pluuia excipitur, & æstus excluditur) atque adeo cameras, contignationesve sustinent. Præterea singulos parietes esse veluti singulas perpetuas in latitudinem & altitudinem columnas, vti porticus est pluribus in locis apertus paries, quamobrem ad columnarum rationem esse eos tollendos, vt sint latiores in imo, & contractiores in verticem, id est ad columnarum symmetriam temperati. Sunt igitur parietes marmorei aliqui, alij quadrato saxo constant, fiunt & cæmentitij ex informibus, sed imbricum modo hærentibus lapidibus, sūt testacei ex latere igne percocto: lateritij vero è crudis lateribus, id est sole tantum coctis fiūt. Cratitij ligneis cratibus, aut cannis in modum cratis insertis, & plexè incursantibus constant. Formacei vero parietes fiunt ex terra, dicti autore Plinio lib. 35. cap. 14. quoniam in forma circumdatis duabus tabulis inferciuntur verius, quàm instruuntur. Vtuntur & sepiendis fundis atque hortis, macerijs, id est, ex puris cæmentis temere congestis & sine arenato parietibus. Vt taceam quod scribit Plinius lib 5. cap. 5. Hammanientes domos sale è montibus suis exciso, ceu lapide construere. Et quod idē refert lib. 7. c. 2. Pygmæos casas suas luto pennisque & ouorum putaminibus construere, & si quid huiusmodi à scriptoribus memoratur. Clatri enim siue cancelli, id est ligna modicis interuallis annexa, siue arrectariis atque transuersarijs fiant, siue rhombi figura, reticulatove opere (quidam ab amygdalis ei formæ nomen indiderunt, ceu amygdalaceum dicant, bona pars nostrorum à lauri, vt puto, folio *Lozangias* corrupto vocabulo, quasi laurinas vocauit) tametsi locus eis occludatur, haud scio, an parietis appellatione venire possint. Hæc Philander.

Septorum quatuor genera.

Philander.

Parietum plures species.

VSQVE MANE, &c. Plinius.

An Dauid iure potuerit Nabalem vlcisci, nec temerè iurarit?

QVÆSTIO LXXIIII.

QVomodo vero ille, inquit Procopius, qui tanta moderatione erga Saulem vsus est, Nabalem perdere conatus est? Neque enim, inquit Tertullianus Apologet. 36. Hæc opera bonæ mentis solis Imperatoribus debentur à nobis. Nullum bonum sub exceptione personarum administramus, quia nobis præstamus qui non ab homine aut laudis, aut præmij expensum captamus, sed à Deo exactore & remuneratore indifferentis benignitatis. Iidem sumus Imperatoribus qui & vicinis nostris. Male enim velle, male facere, male dicere, male cogitare de quoquam ex æquo vetamur. quodcunque non licet in Imperatorem, id nec in quemquam: quod in neminem, eo forsitan magis nec in ipsum qui per Deum tantus est. Si inimicos (vt supra diximus) iubemur diligere, quem habemus odisse? Item si læsi vicem referre prohibemur, ne de facto pares simus, quem possumus lædere? Hactenus Tertull. Quomodo igitur qui tam humane ac toleranter Saulis iniurias ferebat, in Nabalem ob conuitia & ingratitudinem tantopere exarsit? Respondet Procopius: Maximus Nabalem beneficijs affecerat Dauid, non tantum suos milites, sed alios etiam insidiatores prohibendo, id quod pastores testati sunt, dicentes; *Hi viri nobis valdè profuerunt*. Attamen non modo modicum ob ingentem necessitatem petenti non præbuit, sed insuper conuitijs onerauit. Saul vero ansam suæ impietatis inuidiam habebat, quam ex metu amittendi regni conceperat. Nihilominus tamen cum illo pugnat, *Si malum rependi mihi mala inferentibus*; quod non modo ad delendum Nabalem, sed ad totam etiam ipsius familiam exscindendum properat. Ad quæ dicendum est, pergit idem Procopius, Dauidem, prohibente diuina prouidentia, (quæ illa, quæ sanctis desunt, resarcit.) malum non rependisse. Hinc forte dixit. *Dixi in abundantia mea, non commouebor in æternum. Domine, iuxta voluntatem tuam præstitisti robur decori meo; auer-*

Tertullianus.

Quo pacto licuit in Nabalem sæuire qui Sauli pepercerat?

Matth. 6.

Procopij responsio.

HÆC FACIAT DEVS, &c.

tens faciem tuam conturbatus sum. Γίνονται γὰρ ἐγκαταλείψεις, πρὸς τὸ μὴ τοὺς ἁγίους ἐπαίρεσθαι, ὡς Πέτρῳ παρὰ τὴν ἄρνησιν, καὶ Παύλῳ ἄγγελος σατᾶν. Manent enim in sanctis reliquiæ, ne insolescant. Vt in Petro, propter negationem; in Paulo, Angelus Satan. Quapropter etiam hanc mulierculam, prouidentiæ Dei inseruientem, vt par erat, impensè amauit, quippe quæ impediuit eum, ne casus ille tristis subsequeretur.] Peccauit igitur Dauid, & præceps iracundia lapsus est: quod tamen postea velut palinodiam, canens negare Procopius videtur. Dicendum est, inquit, ὡς ὁ μὲν ὅρκος, ἦν τῆς δικαίου θυμοῦ· ἡ δὲ φειδὼ, τῆς σώφρονος λογισμοῦ. Hoc est, iuramentum iustæ iracundiæ fuisse; misericordiam verò, prudentis rationis, & consilij. Accepta enim supplicatione Abigail, restinxit furorem. Satius enim est, quæ minatus es, negligere, quàm tantam cædem facere. Hæc ille.

Quod si iusta hæc iracundia, quo pacto nocens? An verò iusta haberi potuit quæ tantum scelus designaret? Nam iratus decreuerat Nabalis familiam funditus euertere. Quam ob culpam? quod prius ab eo beneficio affectus egenti vicem rependere noluerat. Grauissimum planè crimen: nam, vt Tullius ait, in ingrati animi vitio nihil mali non inest. Et Xenophon de Persarum moribus agens lib. 1. Cyropæd. De illo crimine, inquit, iudicium faciunt, quod est in causa vt se homines odio mutuo maximè insectentur. Nam vehementer causam agunt ingratitudinis. Et quem cognouerint posse referre gratiam, nec refert, in hunc seuerissimè animaduertunt: quippe qui arbitrantur eos qui sunt ingrati, & deos maiorem in modum negligere, & parentes, & patriam, & amicos. Ingratitudinem vero potissimum impudentia sequitur, quæ ad omnem turpitudinem maxima est dux. Ita Xenophon. Qui itaque docent Dauidem, Principem à Samuele non solum designatum, sed etiam institutum fuisse, Dauidis sententiam tueri poterunt, qui statuit in ingratum animaduertere. Atqui nulla lege cautum fuit, vt qui gratiam non referrent, supplicium luerent. Esto: nouam legem Princeps condere potuit. Lege libri Iudic. caput 8. quo pacto Gedeon viros Soccoth & Phanuel contriuerit, quòd necessaria petenti denegassent. De Ammonitis & Moabitis scriptum est Deuteron. cap. 23. ver. 6. *Non facies cum eis pacem, nec quæras eis bona cunctis diebus vitæ tuæ in sempiternum.* Quid ita? *quoniam noluerunt vobis occurrere cum pane & aqua in in via quando egressi estis de Ægypto*; cùm tamen eos bello non lacessiuissent, sed rebus eorum hominisque pepercissent. Nulla tamen pacta aut conuenta Dauid & Nabal fecerant, quibus ad referendum beneficium Nabal obligaretur. Excusationem hanc iam ante explosimus. Nam quod vrgente necessitate beneficium confertur, pactionis vim obtinet, vt quanti illius interest qui contulit, tantundem ab eo qui accepit referatur. Quod item aiunt, Neminem seipsum vlcisci debere, non quadrat in Principem, qui alium præterea vindi-

Xenophon Apud Persas damnatur reus ingratitudinis.

A cem non habet cuius opem imploret, & præsidio defendatur.

Negat tamen Sanctus Theodoretus Dauidem Nabal ob ἀχαριστίαν siue ingratitudinem perdere voluisse, sed propter indignissima conuitia & probra quæ eidem petulanter obiecerat. Vtramque causam ipse Dauid allegat. Seuerior tamen pœna videtur quàm deceat æquum Principem. Quinimò initio nascentis Imperij cum Saulem nonnulli ludibrio habuissent, nec vllo munere coluissent, capitali sententia ea contemptio digna visa est, tametsi tum rei ob recentem victoriã, ne triumphi lætitia sanguine mergeretur, Regis clemẽtia incolumes seruati. Scriptum est: *Principem populi tui non maledices.* Quam aliam ob causam Dathan & Abiron terræ dehiscentis vorago absorbuit? Obijciunt tamen, erat innocens familia: quo iure igitur eam cædere potuit? Credidit Dauid non nisi vi & armis rem geri posse. Itaque etiam arma parauerat, & quadringentis stipatus fortissimis militibus tanquam in hostem irruebat, ea agitans animo, quæ tum contingere solent cum hostilis ciuitas expugnatur, & multa hyperbolice minitans, quæ iratus hostis in contumaces effutit statim deditione placandus. Nam & si plerunque dum furit ira, & minas intentat, disertis verbis nihil excipiat, ipse tamen vsus & disciplinæ militans ratio ita accipiendum docet, nisi se hostis dediderit, & ad satisfaciendum paratum se obtulerit. Quod si dux ipse familiæ aut vrbis, vel etiam prouinciæ, quod nefarie admissum C est per vim studeat asserere, & vindicem armis prohibeat; tantisper dum arma mouet, & bello iustitiam moratur, nemo innocens qui ad eius partes attineat esse iudicatur. Itaque delectus innocentium nusquam habetur, aut eorum qui contrariam sententiam sequuti sint: sed ducis calamitas vna omnes obruit, nisi si quibus victoris clementia indulgere decreuerit. Soli Gabaonitæ Leuitæ vxorem sua libidine oppresserant Iud. cap. decimonono. Et tamen præter paucos reliqua tribus, cum reos tueri statuisset, internecione deleta est. Nec viri modo qui in aciem descenderant, in acie perierunt; sed *regressi filij Israël, omnes reliquias ciuitatis, à viris vsque ad iumenta, gladio percusserunt, cunctasque vrbes & viculos Benjamin vorax flamma consumpsit.* D Ibidem cap. vigesimo, versus. 48. Itaque si Dauid vere principatum iniisset vnctus à Samuele, quod nonnulli affirmant, nos antea negauimus: hactenus excusari poterat, quod contumeliosum & ingratum, si tentaret obsistere, cum suis omnibus pessundare ac proterere decreuerat. Sed quandoquidem nos designatum non institutum Principem censuimus, consequens est vt eundem quoque peccasse, & quæ nefas esset exequi statuisse animo, atque adeo tentare ausum fuisse asseramus, quod ingratum priuatus bello persequi, conuitia in seipsum contorta capite plectere, innocentem familiam perdere præ animi impotentia decreuerit, tametsi statim Dei prouidentia à malitia & scelere reuocatus est.

HÆC FACIAT DEVS, &c.

S. Theodoreti responsio. 1. Reg. cap. 11.

De reliqua familia quid sentiendum.

Nostra sententia.

Hoc

Hæc faciat Deus, &c.

Necessariæ iurisiurandi comites.

Hoc itaque iusiurandum quod illa solemni verborum religione comprehenditur, temerarium & iniustum fuit. Hieremias in 4. cap. *Iurabunt*, inquit, *in nomine Domini, in veritate, in iustitia, & in iudicio.* Religiosum enim iusiurandum ornari oportet his tribus comitibus, vt & verum sit, & iustum, & cum iudicio susceptum. In primis spectanda est *veritas*, vt verum sit, quod iuramus: deinde *iustitia*, vt rectum sit, & bonum: postremò adhibendum est *iudicium*, ne temerè aut passim, aut apud quosuis, aut quacunque de caussa iuremus. Verum quidem erat, quod iurauit Dauid. Omninò enim decreuerat iurata perficere. *Iustitia* autem & *iudicium* aberant. Itaque Deus eum impediuit, & animum eius auertit per Abigaelem, ne cogitata præstaret. Nam quæ erat ista iustitia ob vnius noxam velle profligare totam domum, & in ea ne canē quidem relinquere, qui aspergere possit vrina parietem? Nec discernere iustum ab iniusto? Quid enim mulieres, quid seruuli, quid infantes peccauerant? Non ista iusti hominis verba sunt, sed ira cœci. Ita Dauid prorsus oblitus sui ad tempus transuersus rapitur. Nec meminit legis eius, quam Deus tulerat in 24. cap. Deuteron. *Non punietur pater pro filio, nec filius pro patre: vnusquisque portabit peccatum suum.* Laudatur Rex Amasias in quatuor lib. Reg. cap. decimoquarto quòd sicarios à quibus pater ipsius fuerat occisus, interfecisset: filijs autem illorum pepercisset. Atque eo in loco citatur Lex illa Deuteron. Acham quidem in lib. Iosue cap. septima cùm pallium, & lingulam auream ex anathemate sustulisset, iussus est interfici cum filiis, seruis, gregibus, & vniuersa supellectile. Et Dathan atque Abiron viui absorpti sunt cum totis ipsorum tabernaculis. Sed ista erant peculiaria exempla iræ, & vindictæ Dei, neque trahenda sunt in exemplum. Deus potest pro suo arbitratu quiduis facere. Nobis autem proposita est lex communis, & ordinaria, quam sequamur.

Dauidis iuramentum temeritatis damnatur.

Exploditur alia responsio.

Quidam factum Dauidis sic excusant, quod ista fecerit impulsu Dei. Spiritum enim Sanctum, qui eum antea retraxerat à cæde Saulis, nunc eum impulisse ad expetendum vindictam de Nabale. Sed quid opus est ista comminisci, præsertim cum videamus, Dauidem ea de re ab Abigaele iustè reprehendi? maximè verò cum videamus, Dauidem ipsum Deo gratias agere, quod se à nefario incepto reuocasset? Quid oportet Dauidem excusare plusquam ipse velit? Prætextus iste Dauidis, quod ait, Nabalem sibi reddidisse mala pro bonis, nihili est. Quid enim, an ea caussa tu mala reddes pro malis? Ita mala crescerent in infinitum. Ille tibi malum regereret: & tu vicissim illi: nec vllus vnquam esset malorum finis. Si Nabal suum officium non fecit, an idcirco tu non facies tuum? Aut si ille iniustus est, an ea caussa tu non eris iustus? Conseruaui, inquies, illi greges incolumes. Quid, an te pœnitet rectè facti? Non rapui. An ergo si ista futura præuidisses, rapuisses? Cohibui milites: an ergo voluisses militibus vti prædonibus? Non debes dicere, te ista frustrà fecisse. In Dei enim gratiam ista fecisti, non Nabalis. Et, si ille tibi deest, at Deus tamen non deerit. Deus enim sæpè compensat etiam ea, quæ etsi speciem habeant aliquam virtutum, tamen quoniam fiunt ab impijs, quod ad ipsos attinet, peccata sunt. Romani veteres colebant iustitiam, viuebant frugaliter, ius dicebant æqualiter. Hæc, etsi videantur pulcra, tamen quoniam nec ex fide fiebant, nec propter Deum, præmium vllum mereri non poterant. Quoniam tamen gerebant præ se speciem aliquam virtutum, & faciebant ad conseruationem reipublicæ, idcirco Deus dedit illis Imperium: non quod illi Deo grati essent: sed vt ordo aliquis in rebus humanis seruaretur. Quare si ne illi quidem, qui alieni sunt à Deo, frustrà rectè faciunt, quanto minus putare debuit Dauid, se illa fecisse frustrà? Hoc nos exemplo moneri debemus, ne leuiter, aut temere præcipitemus iusiurandum.

Quandoquidem vero ea animi perturbatio, quam acceptæ iniuriæ dolor excitat, (siue ille furor & ira est, siue, cum vlciscendi potestas negatur, deneger tristitia) haud facile frænos recipit, præsertim si appareat contumelia cum ingrati animi vitio coniuncta; & nos aliquando aliunde occasionem nacti, nullum non lapidem mouimus quo illius impetum cohiberemus: nihil à proposito nostro alienum aut inutile nos facturos duximus, si ea quæ olim in eam sententiam ad F. Laurentium à Valleroscida, Ordinis N. alumnum pijssimum scripsimus, hoc tempore cum studioso lectore communicemus.

Quo pacto eorum, de quibus bene sis meritus, ingratum animum, & linguæ petulantiam feras?

QVÆSTIO LXXV.

Animaduerti nonnunquam, Laurenti charissime, ob eam causam quod nonnulli, qui de religione benemeriti viderentur, & idem ornamento esse, suffragiorum honore carerent, & ijs, qui longe deteriores essent, simpliciorum fratrum pertinaci studio posthaberentur, te non mediocriter animo fuisse commodum. Id vero cùm per se mihi molestum est, & acerbe fero tam charum caput superuacaneo dolore torqueri; tum si quid opis afferre queam, vehementer optarim virtutis studiosum mentem tuam ægritudine ista leuare. Neque vero protinus tanquam Stoico supercilio damnarim omnem istam molestiam, quæ pietatis studio suscipitur. Nam si ea ratione doles, quod cùm publicæ vtilitati bene consultum velis, contrà eo pacto non parum detrimenti religio

HÆC FACIAT DEVS, &c.

capiat, facis vt te decet, & optimi Religiosi officio fungeris: modus tamen adhibendus mœrori est. Sin verò illud te angit & cruciat, quod ij, quos æquum erat Fratres venerari ac colere, nonnullam ab ingratis iniuriam accipiant, longius à scopo aberras mea quidem sententia, nec satis intelligis, quibus rebus obscurari, quibus illustrari virtus possit. Quæ quoniam de te sentire, qui tantos progressus in virtute feceris, alienum ducimus à tua prudentia; teipsum quidem quæ sit honoris ratio, aut quibus artibus splendor eius eluceat, haudquaquam docebimus: dabis tamen hanc nobis veniam, vt quæ remedia dudum vsu studioque compereris, eorum tibi memoriam refricemus: aut certè complures alios tua gratia necessarijs aduersus eam pestem præsidijs instruamus, quos hactenus seu vitæ instituto, siue insitâ menti socordiâ, similis error occupauit.

Verumenimverò cùm olim plures, tum nuper non pauci, cùm ferre vtiliter & summa cum laude ciuium suorum fastidium possent, vlciscendi studio perire, ac perniciem reipublicæ moliri maluerunt. Neque tamen pariter omnes & ex æquo suis nocuerunt. Sed Cato quidem, cùm non nemo ex eo quæreret, cur instar aliorum nulla illi statua in rostris staret? Malle se hoc quæri ait, quàm cur statua cum plerisque donatus esset? Vna eademque oratione cùm populi erga se ingratum animum, tum in decernendis alijs statuis temeritatem notans. Quam ego responsionem laudibus in cœlum ferrem, nisi ea ab insito fastu atque arrogantia manasse videretur. Ferocior tamen Atheniensis Xenophon, qui cùm ab ingrata patria relegatus esset, totum se ad celebrandas Lacedæmoniorum leges & instituta contulit. Deinde vti postremo ad defendendam patriæ suæ consuetudinem se finxit accedere, his ille coloribus Atheniensium rempublicam depinxit, vt ciues suos bipedum nequissimos esse probaret. Infamis planè præstantissimorum virorum cladibus ea ciuitas fuit, Socratis, Aristidis, Phocionis, &c. Sed nullum suum Scelus sic eam dedecore atque infamia oppressit, vt Xenophontis defensio. Mirantur, inquit, nonnulli eos vbique plus tribuere malis, & egentibus, & plebeis, quàm bonis: Sed in hoc ipso apparebit eos populi potestatem conseruare. Est enim vbique terrarum optima quæque pars populari contraria potentiæ. Nam in optimis quibusque minima est incontinentia, & iniuria, plurimaque probitatis diligentia. At in plebe plurima est imperitia, confusio, & peruersitas. Nam & paupertas eos magis impellit ad turpia: & ignorantia inscitiaque, propter rei indigentiam, nonnullis hominibus inest. Quare huiusmodi administrationibus efficitur, non vt optima sit ciuitas illa quidem, sed vt popularis potestas ita maximè retineatur. Populus enim non vult, bene constitutâ ciuitate seruire ipse, sed liber esse, & dominari. Prauam autem constitutionem parum curat. Nam quod tu putas non bene constitutum, in hoc ipso sita est plebis libertas atque potentia. Quod si bonam constitutionem quæris, primùm videbis scientissimos quosque eis leges ferre. Deinde punient boni malos, & consultabunt de ciuitate, neque sinent insanientes homines consultare, neque concionari. Ab his igitur bonis quamprimum populus sit in seruitutem delapsurus. Subinde vero & aliam profert eorum maximam turpitudinem. Nam societates, inquit, fœdera, necesse est vt paucorum imperio subditæ ciuitates præstent. Quod si conuentis non steterint, fieri non potest, vt non pauci illi qui pepigerunt, criminis autores esse videantur. At quæ populus paciscitur, licet reliquis reiecta culpa in vnum illum, qui dixit, & qui sciuit, negare: non enim adfuisse aut comprobasse, qui quidem quæ sciscuntur, in pleno sciscitentur populo. Aut si hoc non videatur, at mille inueniant occasiones non faciendi quod nolint. Et rursum: Equidem hoc dico, populum Atheniensem cognoscere quinam ciuium boni, quique mali sint: quod cum sciant, eos qui sibi commodi sunt, & vtiles, diligunt, etiam si mali sint: bonos autem magis oderunt. Non enim existimant virtutem illis ad suum bonum inditam esse, sed ad malum. Ad hæc & illud postremo addidit: Videntur autem Athenienses hoc quoque non rectè instituere, quod deteriores eligunt in ciuitatibus. Sed ne hoc quidem abs re faciunt. Si enim eligerent meliores, eligerent non eos qui eadem secum sentirent. Similes autem similibus student. Hæc & plura Xenophon.

Complures ciuium suorum ingratum animum grauiter & acerbè tulerunt.

Athenienses Xenophon cùm esset veræ pietatis expers, immaniter vltus est.

Xenophon lib. Reipubl. Atheniens.

Quorum nonnulla secundum quandam analogiam in eas Religiosorum familias, quarum gubernatio ad democratiam proxime accedit, dicta videri possint. Nam cum in his multitudinis arbitrium ac potestas sit quem sibi præficiat, perinde vt quisque fratrum animi affectus est, ita & sibi Superiorem designat. Quamobrem, vbi primum disciplina ruit cùm illi fere numero vincant, quorum mens à studijs & rerum cœlestium contemplatione abhorret, quique pertæsi solitudinis, assidua cum mulierculis miscere colloquia, & hominum stipari frequentia gaudent, aut pitissando nugandoque bene sibi viuendi tædium eximere: mirum videri non debet, si tales suis votis expetant, quos nouerint ijsdem corruptelis obnoxios esse. Sunt præterea & vetuli plures, quorum superior ætas nugis, compotationibus, & ambulatiunculis exercita, facit, vt tetricos eorum mores suspectos habeant, qui secessum putent, & frugi silentium ad religiosæ vitæ cultum splendoremque spectare. Hi porro etiam nonnunquam officij ac fidei immemores, pristinis moribus suis assentantur: & in futurum tempus commodissimum quemque sufficere student, qui fouere sua vitia posse videatur. Et hæc quidem, mi Laurenti, digna lacrymis & mœrore neutiquam negauerim: sed is modus adhibendus est, ne tristitiæ vis animi constantiam deijciat. Disces ex Sancto Chrysostomo in Epist. secunda ad Sanctam Olympiadem. Cum ad te, inquit, allatum fuerit

Democratiæ vitia corrupti Religiosorum mores æmulantur.

Hæc faciat Devs, &c.

fuerit, Ecclesiam aliam pestum ijsse, aliam tempestate iactari, aliam sæuis fluctibus obrui, alias etiam grauissimis cladibus affici, quippe quæ vel partim lupum pro pastore, vel prædonem pro gubernatore, vel carnificem pro medico acceperint, doleas quidem licet (neque enim hæc sine doloris sensu ferre oportet) verùm ita doleas, vt modum dolori imponas. Nam cùm in ijs rebus, in quibus ipsi peccamus, & de quibus rationes reddituri sumus, minimè necessarium ac tutum sit, verum perquam funestum ac pestiferum, nimis vehementer discruciari: quanto magis superuacaneum & vanum est, imò Satanicum atque animæ exitiale, pro alienis sceleribus animo frangi ac debilitari? Hæc S. Chrysost.

S. Chrysostomus.

Modus adhibendus dolori est, etiam cùm iustè ac piè doleas.

B Quod porrò Xenophon stylo atque eloquentiæ suæ indulsit, vt manifestis sceleribus ac flagitijs Atheniensium rempublicam videretur traducere, & ingratos ciues suos posteris execrandos ac detestabiles efficeret, vt pote qui nequitiæ fauerent, virtutem autem odio prosequerentur: illud quidem Ethnici hominis vlciscendi libidinem ac sitim vtcũque explere potuit: at qui Christianam pietatem olet, & in Seruatoris nostri verba iurauit, nequaquam in aliorum dedecore atque infamia gloriæ suæ spem collocabit. Cæsar tamen etiam eo grauius insaniuit: qui, quòd eius absentis in petendo consolatu rationem Senatus habendam negaret, extincta per vim libertate Imperium arripuit. Fertur & Eques quidam ex ijs, quos S. Ioann. vocant, cum summum Ordinis sui magisterium, vt sperabat, non esset consequutus, dolore repulsæ Religionem suam euertere statuisse: Rhodum sanè clandestinis machinationibus, quibus idem oppressus est, inclytæ congregationi ademit. Sed hi scilicet, cum se læsos arbitrarentur, tanquam à scorpionibus icti, eorum, à quibus contumelia affecti essent, ruina atque pernicie inflicto vulneri mederi statuerunt. Quod si fieri posset, vt eos, qui prætereuntur, & quorum de honore nulla in comitijs suffragia feruntur, nulla re læsos aut violatos ostenderemus, superioribus remedijs nequaquam opus esset: sed vna hæc animo instillata opinio, instar nepenthes quamlibet tristitiæ nubem discuteret. Age igitur, quando hoc præsentissimum fore videtur antidotum; alia quidem pharmaca missa faciamus; in id autem totis viribus incumbamus, vt qui neglectus est, nullam se iacturam fecisse, nullam iniuriam accepisse sibi persuadeat. Quî enim fieri possit, inquies, cum non aliam ob causam à iuratis electoribus abdicatus videatur, quàm quod eo gradu indignus sit habitus, & virtus eius mendaci oppressa calumnia? Docebit te sanctissimus ille Chrysostomus, cuius tu plurimum lectione delectaris, in eo libro quem scripsit, *Quod nemo læditur nisi à seipso*; in quo quidem de proposita quæstione disserit in hanc sententiam.

Vlciscendi libido teterrima.

Singulæ quidem res, inquit, à singulis quibusdam vitijs læduntur. Ferrum infe-

S. Chrysost. tom. 4. edit Frontonis Duc.

A stam rubiginem, lana tineam, lupos ouium greges patiuntur. Ac vini quidem vis labefactatur, cum id deprauatur, & in vappam commutatur; mellis vero, cum ingenitam amittit dulcedinem, & in amarum liquorem conuertitur. Triticearum frugum herbis obest erugo, & siccitas; vitium fructui, pampinis & palmitibus malus locustarum exercitus: alijs arboribus eruca, corporibus item rationis expertibus morbi multiplices: ac ne singulis percensendis longum faciamus, corpori quoque nostro & febres, & siderationes, atque morbi plurimi. Quemadmodum ergo hæc singula habent, à quo virtus eorum violetur, age videamus quid etiam hominum generi noceat, & quid tandem sit, quod hominis virtutem labefaciat. Vulgus ergo prauis imbutum opinionibus diuersa existimat nostræ virtuti nocere: alij paupertatem, alij corporis morbum, alij pecuniæ iacturam, alij calumniam, alij mortem, atque hæc perpetuò lamentantur ac deplorant: & eos, quibus illa contigerunt, miserantur: at improbè viuentes nemo: sed quod longe grauissimum est, eos sæpe quoque beatos prædicant, quæ etiam omnium malorum causa est. Age igitur ostendamus nihil eorum quæ diximus, nocere sobrio homini, neque virtutem eius labefactare posse.

Hæc faciat Devs, &c.

Vnaquæque res proprio vitio deprauatur.

Quid noceat homini.

C Quæ enim est virtus hominis? quæ autem virtus equi? Nunquid aureum habere frænum, & huiuscemodi habenas, stragulorum vincula ex sericis filis contexta, tapetas variatos auròque intertextos, phaleras gemmis distinctas, comas aureis funiculis complicatas: an vero cursu esse velocem, cruribus bene firmis, numerose incedere, & vngulas habere generoso equo dignas; robore præditum esse, longis itineribus ac bellis idoneo: posse & in acie magno animo, & facta fuga equitum incolumem conseruare? An non perspicuum est his, non illis, equi virtutem contineri? Asinorum vero & mulorum quam virtutem esse diceres? An non posse onera commode gestare, itinera facile conficere, habere pedes qui firmitate saxa æmulentur? Num ea, quibus extrinsecus circundati sunt, aliquid ad virtutem ipsorum proprium conferre dicemus? Nequaquam. Vineam deinde quam admirabimur? Folijs comatam & D palmitibus, an fructu onustam? Quam etiam oliuæ virtutem esse dicemus? cum magnos habet ramos, & multam foliorum comam, an cum suum fructum vberem, & in omnes partes dispersum ostentat? Sic igitur etiam in hominibus faciamus. Discernamus virtutem hominis, idque solum damnum existimemus, quod illam violet. τί οὖν ἐστιν ἀρετὴ ἀνθρώπου: Quid igitur est virtus hominis? Non pecuniæ, vt paupertatem metuas: nec sanitas corporis, vt timeas morbum: non multitudinis opinio, vt suspectam habeas existimationem malam: nec vita per se sola sine adiectione, certoque proposito fine, vt mors tibi formidabilis existat: nec libertas, vt ser-

In quo potissimum virtus hominis sita.

Hæc faciat Deus, &c.

Incommodatio.

qui incommodat, inquit, φαίνεται καταφρονεῖν videtur paruipendere: ἔστι γὰρ ὁ ἐπηρεασμὸς, ἐμποδισμὸς ταῖς βουλήσεσιν, οὐχ ἵνα τι αὐτῷ, ἀλλ' ἵνα μὴ ἐκείνῳ. Est enim *Incommodatio*, impedimentum, quo alterius voluntati obsistitur; non quo nobis aliquid contingat, sed ne illud alter consequatur. Primùm itaque *Despicientia* absque cuiusquam noxa grassatur, & hæc vocatur *Contemptio*. Subinde verò etiam incommodat: quod si nulla cupiditate metuve faciat, manifesta *Despicientia* est: non enim ob aliam rationem nocet, quàm quod eius, cui molestiam exhibet, nullam putat habendam rationem. Alteram hanc speciem *Incommodationem* vocat. Tertia species est quam dicunt *Contumeliam*. Ὁ γὰρ ὑβρίζων ὀλιγωρεῖ, Nam qui contumeliam infert, despicit. Ἔστι γὰρ ὕβρις, τὸ βλάπτειν καὶ λυπεῖν, ἐφ' οἷς αἰσχύνη ἐστὶ τῷ πάσχοντι μὴ ἵνα τι γένηται αὐτῷ ἄλλο, ἢ ὅτι ἐγένετο ἀλλ' ὅπως, ἡσθῇ. Est enim *Contumelia* nocere, & molestum esse in ijs, in quibus damnum cum patientis dedecore coniunctum est; non vt aliquid fiat sibi aliud, nisi quod fit, sed vt voluptatem percipiat. Tertia itaque hæc species damnum simul cum dedecore patit. Quod cùm sit non in alium finem, quàm vt ex alterius ignominia videndi occasionem captent, quis neget hominem palam contemni? Nam qui student acceptam referre iniuriam, non ij contumeliam faciunt, sed vlciscuntur. Contumeliosorum autem illud proprium est, vt in ijs noceant, ὅσα ὕβρεως σημεῖα quæ *Contumeliæ* signa sunt. Ἀνάγκη δὲ τοιαῦτα εἶναι, ἃ μήτε αὐτῷ πρός, μήτ' ὠφέλιμα τοῖς ποιοῦσιν, ἤδη γὰρ δοκεῖ δι' ὕβριν .i. Necesse autem est, vt talia sint, quæ neque pro re aliqua, nec vtilia agentibus existant. Sic enim maximè videntur propter contumeliam. Qui porrò vexant alios contumelijs, inde sibi magnificè placent, nec minimam voluptatem capiunt, quod opinentur se reliquis malefaciendo præstare. Quamobrem etiam iuuenes & diuites inferentis contumelijs potissimum delectantur, quod eo pacto se putent plerisque mortalium excellere. Ὕβρεως δὲ ἀτιμία, ὁ δὲ ἀτιμάζων, ὀλιγωρεῖ. τὸ γὰρ μηδενὸς ἄξιον, οὐδεμίαν ἔχει τιμήν, οὔτε κακοῦ οὔτε ἀγαθοῦ. Contumeliæ vero est non æstimare. Et qui non æstimat, despicit. Quod enim nulla re dignum est, nullam habet æstimationem nec boni, nec mali. Probat exemplo Achillis, qui apud homerum succensens Agamemnoni, ἠτίμησεν, *non æstimauit*, inquit, nullo me loco habuit. Hactenus de speciebus Aristoteles: qui subinde etiam reliqua, quæ ad *Despicientiam* pertinent, articulis decem & septem ferè complexus est. His nos tanquam exemplis vsi sumus, quibus ea, quæ spectant ad nostrum propositum, inuestigaremus. Ipsam etiam specierum seriem ab Aristotele traditam sequuti sumus, ne perturbatus ordo confusionem pareret. Cæterùm non pauca addidimus, quæ magis è re nostra esse visa sunt: & complura insuper remedia, quibus morosæ ac difficiles istæ pertubationes deliniri sedarique possent.

Contumelia.

Quamobrem quisquam alteri contumeliam faciat.

Hæc faciat Deus, &c.

De simplici contemptione.

1. Nonnullæ rationes quæ videntur exaggera e Cõtemptionis iniuriam.

Ordiamur itaque à prima specie, quam in solo contemptu positam docet Aristoteles, nec cuiusquam existimationem aut commoda lædere: quoniam etsi is qui spernitur, fortasse aliquid adeptus non est, ne desiderauit quidem. Vrit tamen illum, non eius rei quam non optauit denegatio, sed hominum despicientia; quos conijcit indignum ea re se iudicasse. Neque enim ob aliam causam, verbi gratia, quisquam ab iis qui suffragia ferrent, præteritus est, quàm quod illi muneri non satis idoneus sit habitus. Electores porro, cùm pars maxima rudes & imperiti sint, erudito viro dolet, non solum penes eos esse quid de se sentiant, sed etiam existimationem suam eorumdem temeritate imminui. Quid enim turpius, ait 2.
quispiam, quàm sapientem ex insipientium sermone pendere? Amicorum deinde defectio, si forte ad eos, qui nos despiciunt, se contulerint, cum & ipsi mores nostros ingeniorumque dotes perspectas habeant, & si quid forte non grauis labeculæ aspersum esset, indulgere debuerint; non poterit non graui nos molestia afficere. Quid si est illi, 3.
qui nostra prius laudare consueuerant, nosque habere in pretio, & quouis dignos honore ducere, deinde sententiam mutent, & existimationi nominis nostri detrahant, an poterit quisquam qui ita contemptus sit, non mœrore tabescere? Nam ea plane manifesta contemptio est, quam suffragii denegatione profitentur. Quid si fratres, cum à nobis fue- 4.
rint beneficio affecti, & magnis nostris laboribus nomen & gloriam consequuti, &, si homines essent, gratiam referre debuerint, honorique nostro consulere, ne bene quidem sentire de nobis videantur? an quisquam possit eam iniuriam toleranter pati? Quid si in his nonnullos obserues, qui bo- 5.
nos atque vtiles aspernari non soleant, sed eos contrà in quibus nonnulla gratia appareat, votis expetere, quanta ad eum mœrorem accessio fiet? Hinc enim statim colliget, nullam eos in se industriam agnoscere. Quid si de- 6.
nique viri boni & prudentes, quorum spectata virtus est, repulsam nostram susque deque ferant: & eius qui deterior videatur, electionem Spiritui Sancto acceptam ferant? Hæc fere sunt, quæ citra damnum & contumeliam, contempti animum lancinant: quibus, antequam ad exploranda cætera transeamus, an ratio vlla mederi possit, decet experiri.

In eo porro, vt videtur, expostulationis summa atque adeo tota querela consistit; quod is, qui moribus studiisque suis de Fratribus erat promeritus, vt quouis honore dignus haberetur, à rudibus tamen & imperitis, quos multis sæpe beneficijs publice priuatimque deuinxerat; ab amicis & necessariis, quos religiose omnibus officiis coluerat; aliisque nonnullis, qui sua mirari consueuerant, & prudentes

Hæc faciat Devs, &c.
Nebula hæc & caligo discutitur.

habentur, nec temere quemquam despiciunt, quo tempore suffragijs darent operam præteritus sit, idque boni leuiter & humane ferant. Tametsi idē, vt suffragijs vinceret, nequaquam optauit. Quorsum igitur spectat tam acerba conquestio? quod ab ijs quos minimè decuit, neglectus videatur. Quo pacto? quòd de eius honore suffragia non tulerint. An tulisse velles? minime gentium. Quid igitur illud est, quod te perstringit & stimulat? quòd non sit, qui familiam regeret, dignus habitus. An dignus haberi velles? an falsa homines opinari, & in errorem induci? Nam nisi tu dignus sis, necesse est eos, qui ita opinentur, decipi. Num itaque te dignum censes? quibus argumentis? quod doctus & prudens sis, nec medioeri virtute polleas? Nam hæc ferè sunt, quæ dignum hominem qui imperet efficiunt. Hæccine igitur penes te esse arbitraris? te doctum & prudentem existimas? virtute reliquis præcellere? an necdum quanta hæc sit arrogantia sentis? necdum Pharisaicam istam superbiam auersaris? necdum satanicam istam impotentiam, & diabolicos spiritus perhorrescis? An ignoras, quod ijs Scriptura dicat malè, qui prudentes sunt in oculis suis, & de virtute sua gloriantur? Ingrati porrò animi vitium fratribus obiicere non potest, tametsi alium quempiam designarint: non enim Superiorum electio in iis numeranda est, quæ ad beneficiorum commercium attinent, alioquin occultum in mente Simoniȩ virus alis & foues. Amicorum autem consilium probare magis quàm carpere æquum est, per quos eo pacto infirmitati nostræ pariter & quieti optimè consulitur. Sed nec continuò illud verum est, ineptos ad clauum regendum iudicari quicunque non obtineant. Nam si vel vnus commodior & vtilior ex diuersis rationibus notari possit, interest non solum congregationis vt præficiatur: sed priuatim electores vt id faciant, iusiurandi religione obligantur. Quis autem nisi planè demens & excors se cunctis præstantiorem iactitet? Poterit igitur etiam absque contemptu repulsa contingere. Quæ omnia si quis attente ac sedulo secum reputet, haud dubitem, quin mœror ille ex contemptionis opinione conflatus, extemplo euanescat.

De Incommodatione, altera specie despicientiæ.

Sequitur altera species Despicientiæ, quam parit desiderij sitis: quam si forte cuiusquam studio frustrari contingat, eo vehementius ardet, & maiorem in modum cruciat; vnde & quod sit cum aliquo iuncta incommodo, ἐπηρεασμὸς siue *Incommodatio* dicta est. Paucis, vt solet Aristoteles, ἐφίεται γάρ τινος ὁ λυπούμενος, Nam appetit aliquid dolens. ἐάν τε κατ' εὐθυωρίαν οὖν ἀντικρούῃ τις αὐτῷ, ὡς διψῶντι πρὸς τὸ πιεῖν, ἐάν τε μὴ ὁμοίως ταὐτὸ φαίνεται ποιεῖν. Καὶ ἄν τι ἀντιπράττῃ, ἐάν τε μὴ συμπράττῃ, ἐάν τι ἄλλο ἐνοχλῇ οὕτως ἔχοντα, τοῖς πᾶσιν ὀργίζεται. Siue igitur, inquit, directò obstiterit aliquis, vt sitienti ad biben-

Definitur Incommodatio.

A dum; siue non directò, similiter idem videatur efficere, &, si refragetur aliquis, &, si non suffragetur, & si qua alia in re turbarit sic se habentem, siue ita animo affectum, omnibus irascitur. Itaque pluribus quidem succenset, qui ex contemptu incommodum accipit: vna tamen, vt apparet, iniuriæ origo est, latens cupiditas; cuius numerosam segetem, seu potius infelices surculos, non tam explicare quàm euellere deinceps conabimur.

Hæc faciat Devs, &c.

1\. Et primùm quidem fieri potest, vt quis bona fide præfici studuerit, quod officium facere decreuisset, iuxta illud Apostoli, *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Quod cum non sit consequutus, atque adeo per eos steterit, qui fauere impensius B debuerant; nihil mirum si ad priorem illam ægritudinem, quam mera contemptio conflauerat, alter quoque ex eo cruciatus accedat, quod iustis desideriis carere videatur. Habet autem is dolor aculeos eo molestiores, quo manifestius apparent vota nostra cum publica vtilitate coniuncta. Nam ea opinio mœrorem nostrum præcipuè fouet. *Quis me constituat iudicem super terram, vt ad me veniant omnes, qui habent negotium, & iustè iudicem?* Dolet maris perito, imperito nautæ clauum permitti, & cum vectoribus nauim periclitari. lib. secundo Reg. cap. 15. ver. quarto. 2. Accedit ad hæc, quod postquam alter locum occuparit, consiliorum nostrorum nulla ratio habeatur. Id quod eo C iniquius ferimus, quo nobis prudentiores videmur, & in dando consilio fidem religionemque præstare. Sed & is videtur secundus imperii gradus; & vna maiestate minor, si consilio & autoritate regas: & prudentiæ laude potissimum celebrari cupimus, quæ reliquas animorum dotes longo interuallo superat. Itaque *Achitophel* lib. secundo Reg. cap. 17. ver. 23. *videns, quòd non fuisset factum consilium suum, strauit asinum suum, surrexitque, & abijt in domum suam, & in ciuitatem suam: & disposita domo sua, suspendio interiit, & sepultus est in sepulchro patris sui.* 3. Tertiò illud quoque odiosum ac molestum est, semper quidem de aliena pendere voluntate, imperare vero nunquam. Naturale est, vt quod quisque vult optet & fieri. D Nam volontati suæ quis refragetur? hoc autem imperando magis quàm obtemperando consequimur. Deinde ea maxime probamus, quæ volumus: tum quod nobis bene conscii sumus; tum vero præcipue quod incensa voluntas nescio quo lenocinio mentem in suam sententiam pertrahit. Adde quod omnium animis dominandi quædam libido insita est: quæ vbi nihil obtinet, maiores intus tragœdias excitat. Ardemus denique libertatis sibi, quam sola nobis in Religione præfectura repræsentat. 4. Gliscunt præterea & ad quorundam libidinem importunæ quædam in Religione consuetudines, quarum cum olim pertæsus sis, tum te eas abrogaturum non raro professus es: quæ postquam

Pluribus rationibus ostenditur, id genus contemptionis quantum incommodet.

HÆC FACIAT DEVS, &c.

quam ab alio non corriguntur, sed per eius incuriam in dies inualescunt, dolore vreris, eo vehementius, quod ita fieri à nonnullis intelligas, tibi magis vt incommodent, quàm vt genio obsequantur suo. Siue itaque indoctiores, & qui literarum expertes degunt, necessarijs familiæ muneribus mancipati, studijs tuis obstrepunt, & licentius vagantur: siue ardeliones quidam nouandi semper exagitati prurigine, mutant quadrata rotundis, & insanis molitionibus ac splendore ædium splendori Ordinis & virtutis tenebras offundunt, aut nouos in dies ritus sanciunt, quos tyrunculi veteranos doceant: dolenter fers, & supra modum animo angeris, quòd imprudentium hominum temeritatem compescere, & acta
5. rescindere non possis. Adde his, quod qui repulsam passus est, in æmuli ac competitoris sui potestatem venit: qui si fortè ingenij dotibus longè inferior erit, eo grauior contemptus, & obedientiæ iugum molestius erit. Siquidem verisimile est eum, qui pluribus suffragijs vicerit, alterum, qui præstantioribus ingenij atque indolis argumentis dignior appareat, suspectum habiturum. Etenim quicquid agat, non magnifieri intelliget; cùm longe maiora ab alio expectari potuerint. Explorari insuper actiones suas ab eo suspicabitur, & si quid imprudenti perperam exciderit, in sinu clàm suum dolorem oppidò gauisurum. Itaque ne illi quidem temere credendum censebit. Quod cum difficile sit non continuò ab alio deprehendi, accedet ad dolorem repulsæ, quod ne Superiorem quidem satis æquum, cui perturbationes suas & æstus animi tanquam spirituali medico aperiat, sortietur. Quinetiam præfecti sui hæsitantiam ac suspiciones contemptum suum interpretabitur, tanquam eo pacto probare studeat, quàm nihili ducat quæcunque de eo prædicantur. Quicquid autem superior designet, vix erit vt in animum inducat eum syncere ac sine fuco facturum. Nam si peregrinandi potestatem faciat, ablegari se atque amandari conijciet: sin domi contineat, obseruari se colliget, aut etiam necessariam valetudini relaxationem inuideri. Ac proinde non minimum tempus in ærumnis iacebit, cum vota sua vndique oppugnari sentiat.

Sed hactenus portenta ista atque incommoda contemptionis magnitudinem exaggerarint, & quosdam nimis ieiuno animo atque angusto terruerint: deinceps tamen terricula ista & laruas nullo negotio profligabimus. Nam quod primo fingitur

Obiect. 1. cõfutatio.

præuia quædam desiderij sitis, quæ pietatis gratia, præfecturæ studio incensa sit, abhorret ab humilitatis sensu atque modestia; & ea dudum opinio à nobis philautiæ rei peracta est. Tametsi enim εἴ τις ἐπισκοπῆς ὀρέγεται, καλοῦ ἔργου ἐπιθυμεῖ. *qui Episcopatum expetit, pulchrum opus desiderat*, vt ait Apostolus, nec audemus eius sententiæ refragari; quippe πιστός, inquit, ὁ λόγος: veruntamen, vt quis arbitretur præstare se cæteris, & eas in se virtutes educere; quæ

1. ad Timoth. 3.

ab eodem postulantur: plus aliquanto sibi arroget necesse est, quàm necessaria religiosæ menti summissio patiatur. Neque porrò tam bonum opus illud censendum est, vt non plures sancti viri eo liberari studuerint, quo vberiores fructus colligerent. Felix Nolanus, quem Paulinus celebrat, vt præficeretur adduci non potuit. Gaudet, æternumque gaudebit mater Ecclesia, Doctorem Angelicum, dum viueret, nulli vnquam Ecclesiæ præfuisse. Sed & illud cum primis prædicat, & idem honori ducit, quod Ecclesiasticas dignitates singulari animi constantia respuerit. Quo pacto igitur quisquam putet, propterea quod præfectura careat, nullam sibi de re publica benemerendi ansam dari? At dolemus consilijs nostris fidem autoritatemque abrogari. Esto, tametsi nequaquam inde necessario sequitur: quorsum tamen hoc tibi doleat? Nimirum eo nomine, quod cum sis tibi magnæ prudentiæ conscius, dubites, si rerum habenæ tuis rationibus regantur, religionis splendorem ac dignitatem plurimum amplificari posse. 2.
Atqui, vt paucis satisfaciam, non tam ratione atque solertia res plerunque felicem exitum sortiuntur, quàm Dei beneficio atque indulgentia. Hanc porrò humilitatis studio atque oratione potius impetres, quàm vlla sapientiæ opinione, quæ non raro menti tenebras offundit magis quàm lucem impertiat. Denique, in ijs quæ prompta atque parata sunt, operam frustrà colloces: in arduis hoc mihi summopere expetendum videtur, vt alieno peccetur periculo potius quàm tuo. Quod si quid præterea conferre studeas, idipsum oratione commodius atque vtilius quàm ingenij acumine conficies. Consilijs porro dandis fratrum gratiam aucupari, atque autoritatem captare velle, fastum olet atque superbiam, & vanitatem clamitat, quam dudum Achitophelis laqueus apud nos suffocasse debuit.

3. Id quod tertio loco obijcitur, male dissimulatum vlcus aperit: nec satis digna querela videtur, cuius ratio habenda sit. Nam manifestè virus deprauatæ mentis euomit, ac pestem fatetur. Ambitionis æstu vritur, & propriæ libidini studet, nec se satis agere posse putat ex animi sui sententia, si aliorum iussis obtemperet, qui clauum familiæ teneant, & vice Dei gubernacula tractent. Atqui hoc solenne votum illius est. Mirum porro videri possit, si quis votis suis obtemperans, animo non obsequatur suo. Cæterum nos hoc loco iis duntaxat remedium paramus, qui virtutis zelo præcipites, incautius ruunt; quare aliunde huic morbo medicina quærenda est, qui tantopere à ratione abhorret: cuius tamen haudquaquam operosa futura curatio est, si professionis suæ serio meminisse velit. Quippe qui sponte sua Dei proprius factus sit mancipio & nexu: Ordinis, cui nomen dedit, vsu & fructu. Quinimo suus potius, ascito duntaxat Numinis præsidio: cuius ope ac vicaria potestate, quam penes dele-

HÆC FACIAT DEVS, &c.

ctos homines esse voluit, in veram ac synceram libertatem vindicatur. Nam quæ maior libertas fingi possit, quàm illius qui nihil nisi quod optet & velit, patiatur & faciat? Hoc autem illorum est proprium, qui in hoc virtutis stadio Superiorum præceptis exercentur. Nam hoc quisque votis suis expetit, quod rationibus proprijs conducere videatur. Nihil porro sic nostra commoda promouet, vt quæ ad eam rem Superiores prodesse iusserint: quorum vtilitas magis ex eorum arbitrio pendet qui Numinis autoritate nixi sunt, quàm vllo naturæ beneficio, aut physica potestate. Quæ cum nobis affatim obedientia suppeditet, non video quo pacto, qui ea respuant, videri possint libertatis studio teneri. Nam quod optant vt suo ductu potius quàm alieno militent, nihil illud quidem ad victoriam conficiendam contulerit: sed periculum duntaxat auxerit, & curas adiecerit, quibus periclitantium animi discrucientur: quæ videre non possum quamobrem ad libertatem spectare iudicent.

4. Quæ subinde quarto loco obijciuntur, sunt quidem illa molesta, & quæ nonnullam animi ægritudinem pariant, dum pluribus frustrà succensemus qui petulantius lasciuiunt: sed quæ, si ad præfecturam spectes, nequaquam valeant cum eius multiplici cura ac sollicitudine conferri. Quamobrem non est eius, qui sibi bene consultum velit, nec prudentia careat, ea appetere, per quæ grauioribus negotijs implicetur. Nemo qui libertatem sectatur, sponte se in laqueum induit. Porrò nemo magis cum opera, tum animo distentus est, quàm qui omnium curam suscepit, & suo labore ac periculo consulere debet, ne quid familia detrimenti capiat. Quocirca, non nisi temerè tentes leuiores turbas maioribus compescere. Deinde illud quoque sedulo spectandum est, ne plus æquo studijs nostris assentemur. Nam qui sibi plusquam satis est indulgent, & sua duntaxat mirantur, aliena plerunque solent acerbius carpere: & complura, quæ cæteri leuiora putent, censoria grauitate damnare. Quod cum alienum est à religiosa mansuetudine, & plurium quietem interpellat, atque adeo toti familiæ graue & molestum est, tum fortè etiam non vacet aliqua philautiæ aut melancholiæ suspicione.

5. Postrema non agnosco, quin potius contrariam partem docet experientia, haberi competitores in honore. Attamen fieri posse non inficior, vt ea quandoque vsuueniant, & nonnulla vtrinque æmulatio cooriatur, dum alter præfecturæ inuidet, alter riualis suis præclaras ingenij dotes suspectas habet. Sed satis est, si tantisper stomachum non erumpant, dum mutuis officijs conceptus liuor deleatur. Quod si quisquam ea animi imbecillitate est, vt ne suspiciones quidem suas leuare atque à se remouere queat, illum ego indignum censeo, qui ad regendum idoneus habeatur. Nam qui ficta opinione iniuriæ tantopere laborat, quo pacto veras molestias, quibus omnis præfectura scatet, patienter ac moderatè toleret? Reliqua est vna Contumelia, quæ, gemina iam peste sublata, ipsa quoque telis nostris conficienda est.

De Contumelia tertia specie despicientiæ.

Contumeliam, cum ad reliquos species despectionis adiungeremus, à principio quæstionis definiuimus. Simplex contemptio hominem despicit, ab iniuria grauiori abstinet. Contumelia contempti dedecore pascitur, & gaudet ignominia. Quamobrem asperior nobis cum illa suscipienda dimicatio est. Tametsi, vt mea fert opinio, si Contumeliam diligentius excutias, nihil aliud deprehensum iri existimem, præter latè manantem despicientiam. Illam porrò idcirco magnopere extimescimus, & ab ea vehementius abhorremus, quòd ea nos pudefaciat, & verecundiæ simili generosas mentes acerbius exagitent. Quod ne temerè dici sentias, age, iniuriam ipsam particulatim expendamus.

Nam vt primum repulsa, seu vota nostra, seu potius aliorum expectationem illusit, statim eorum nos maxime pudet, qui nobiscum vnà versantur, aut etiam in posterum verecundiæ nostræ conscij præsentes affuturi sunt: quorum oculos ignominiæ nostræ testes, & arcanos sensus erubescimus. Τὰ δὲ ἐν ὀφθαλμοῖς, καὶ τὰ ἐν φανερῷ, inquit Aristoteles 2. Rhetor. cap. 6. Nam quæ palàm & ante oculos proposita sunt, ea nos maxime pudore suffundunt. Vnde & vetus parœmia manauit, ἐν ὀφθαλμοῖς εἶναι αἰδῶ oculis insidere verecundiam. Καὶ διὰ τοῦτο τοὺς πλησίον μέλλοντας μᾶλλον αἰσχύνονται, καὶ τοὺς προσέχοντας αὐτοῖς, διὰ τὸ ἐν ὀφθαλμοῖς ἀμφότερα. Et ob id eorum, qui semper adsunt, & qui nostra contemplantur, nos magis pudet, propterea quod vtraque species oculis obuersetur. Hinc Cydias, cum orationem haberet de Sami colonia, Athenienses admonuit, non modo vt meminissent audituros Græcos quæcunque decernerent, sed etiam frequenti eorum corona stipatos se crederent, qui, quam sententiam ferrent, intentis oculis spectarent. Ita enim facilius posse ab iniustitia deterreri. Antiphon vero poëta cum tympano torquendus esset à Dionysio, vidit vnà morituros, dum pudori parcere student, sibi caput obnubere. Eorum vero maxime respectus nos angit & cruciat, qui nos æmulantur. Θαυμαστοὶ γὰρ οἱ ζηλωταί, hi quippe nostra mirari ac suspicere consueuerant. Denique quicunque nos honore aliquo dignos habuerant, horum præcipue conspectum fugimus. Nam cum περὶ ἀδοξίας φαντασία sit ἡ αἰσχύνη pudor nihil aliud sit quàm opinio læsæ existimationis, οὐδεὶς δὲ δόξης φροντίζει, ἀλλ' ἢ διὰ τοὺς δοξάζοντας, ἀνάγκη τούτους αἰσχύνεσθαι, ὧν λόγον ἔχει. Nec quisquam famam atque existimationem curet, nisi propter eos ex quibus apta pendet, & qui autores illius esse videntur: necessario consequitur, vt eorum nos pudeat, quorum ducimus habendam esse rationem. Rationem autem quisque habet· τῶν θαυμαζόντων, qui mirantur & suspiciunt; Καὶ οὓς θαυμάζει, & quos ipse suspicit: Καὶ ὑφ' ὧν δύ-

Quod eoram palam Contumelia committitur.

Quorum n... maxime pudeat.

Aristoteles

λαται

HÆC FACIAT DEVS, &c.

A αὐτῷ θαυμάζεσθαι, & à quibus optat plurimi fieri; Καὶ πρὸς οὓς φιλοτιμοῦνται, & quibuſcum de honore contendit; Καὶ ὧν μὴ καταφρονεῖ τῆς δόξης, & quorum non contemnit exiſtimationem. Senes etiam erubeſcimus: eruditos præterea, & quicunque prudentiæ laude florent, tanquam his longè deteriores habiti; Καὶ τοὺς μὴ περὶ ταὐτὰ ἐνόχους, & eos qui non ſunt iiſdem obnoxij, ſeu potius ſimilia paſſi. Καὶ τοὺς ἐξαγγελτικοὺς πολλοῖς, Veremur autem & eos, qui pleni rimarum ſunt, & quicquid viderint enunciant. Enunciant autem iniuriam paſſi, quia nocendi tempus obſeruant: tum οἱ κακολόγοι maledici, qui quo pacto vera non prodant, cum falſa pleraque comminiſcantur? deinde & ii, quorum omne ſtudium & opera, οἱ διατρίβοντες ἐπὶ ταῖς τῶν πέλας ἁμαρτίαις in delictis proximorum exagitandis conſumitur: quod præcipue χλευασταῖς tribuit, & κωμῳδοποιοῖς. B Subſannatoribus, & Comicis: maledici enim quodammodo ipſi ſunt, & procliues ad enunciandum. Detrahendi ſiquidem libidine pruriunt. Adhæc, illud nobis acerbe dolet, ſi apud eos male audiamus, quorum ſtudemus nobis beneuolentiam conciliare. Denique notos ac familiares erubeſcimus, ſi quam in nobis hærere culpam ſentiamus: ignotos, ne falſa opinione in fraudem inducti, de nobis perperam ſentiát. Sed hactenus pleraque ex Ariſtotele.

Nunc ea nobis ſumma Contumeliæ iniuria eſſe videtur, Primum quidem, quòd garruli latere, quod acciderit, non patiantur; Maledici verò etiam calumniam adiungant, & factũ præpoſtere interpretẽtur; qui autem clanculum inuident, aut iure quondam à nobis laceſſiti odiũ profiteantur, in circulis de cõtemptu noſtro paſſim glorientur; leues autem, & qui alios temere ſuis moribus æſtimant, non raro fabulæ conſenſum accommodent, ita vt deinceps repulſa C in manifeſtã calumniam erumpat. Quippe hinc amicis non pauci ſuſpecti eſſe cœperunt, ſtultis odio, ludibrio æqualibus, ne minores quidem inpoſterum ſatis æquos experti. Qui autem ſæculum curant, nec Religioſæ paleſtræ leges & iura norunt, ſed præ virtutis opinione nos impenſius obſeruant & colunt, cum opinentur optimos quoſque Fratrum choris præfici, non ſine probabili ratione ſuſpicãtur, ne forte hactenus mendaci pietatis fuco decepti ſint: quæ res famam pij atque eruditi hominis haud leuiter offendit. Verum hæc diabolica commenta, terroréſque panici, quàm nullo fundamento nitantur, breuiter oſtendemus.

Calumniæ depulſio.

Nam quod garruli factum prodant, & eorum vitio repulſa foras erumpat, nemo qui ſit officij memor moleſte accipiet, cum potius eo nomine gaudere debeat, quod plures habiturus ſit felicitatis ſuæ conſcios, ac proinde etiam gaudij participes. Neque enim pars felicitatis minima eſt, ſi nos alij beatos eſſe ſentiant, boniſque noſtris gratulentur. Quam vero prouinciam aſceta beatiorẽ ſortiatur, quàm vt libere ſibi Deóq; vacet? Tametſi enim eorum, qui familiæ gubernacula tractant, cura & ſolicitudo, quam charitas imperat, æterno digna præmio cenſeatur: longe tamen melius atque beatius eſt, ſi te Deus paſcat, quàm ſi tu ipſe paſcas homines. quanquã ne illi quidem qui præteriri videntur, à paſcendo grege Domini alieni ſint, ſi forte doctrina atque eloquentia præſtent, quibus artibus panis cœleſtis confici atque elaborari ſolet. Iuriſdictionis poteſtas, quæ partem maximam in iis rebus occupatur, quæ haud ita magni momenti ſunt per ſe nihil ad victoriam conferet, ſi reliqua in eo, quem fraternitas abdixit, longo interuallo ſuperent. Seceſſus porrò, & Scripturarum ſtudium, earum nobis rerum copiam ſuppeditát, quæ pure pute ſpirituales ſunt, & ad animorum cultum proxime referuntur. Alioqui verò plerique Sanctorum, cum eruditione & rerum gerendarum ſolertia pollerent, haud ſatis probabiliter videri poſſent, quo ſtudiis incumberent, Eccleſiaſticas dignitates reſpuiſſe. Veruntamen, inquis, maledici, & quicunque inteſtino liuore turgent, hoc nobis dant vitio, & culpa noſtra factum mentiuntur. Donandum eſt aliquid ignorantiæ, nec decet nos ſimpliciorum fratrum rumuſculis de ſtatione conſtantiæ dimoueri. quòd ſi quos forte occultum inuidiæ virus exagitat, ſtatim meminiſſe neceſſe eſt, illos non authore Deo, ſed fraude dæmonis, ea peſte torqueri: cuius nos tela decet retundere, non vltro vulneri locum præbere. Leues, ſiquidem ſinunt, prudentiam doceamus, & inſitam à natura ſtultitiam ſerio excutiendam eſſe, poſtquã ipſi veræ pietatis ac ſapientiæ ſtadium ingreſſi ſunt: nec quemquam ſuis ipſorum moribus, ſed propriis æſtimãdum eſſe. Amici porro haud ſatis eo nomine digni cẽſendi ſunt, ſi ſuam in nos beneuolentiam ex vulgi opinione nauent. quos vero ludos idcirco debeamus æqualibus, ſi forte ſapiant, non video. Inferiorum proteruitas facile cõpeſci, contemni've poteſt. Religioni denique ea mente nomen dedimus, ne ex ſæcularium iudicio fama noſtra penderet, aut ad arbitrium & nutum eorum vitam inſtitueremus. cur itaque mores noſtros & ſtudia ad eorum libidinem fingere ac componere ſtudeamus.

Non videri locum patere contumeliæ.

Falſum eſt igitur quod rudes & indocti quidam ſentiunt, ſi quis Fratrum ſuffragiis præſes deſignatus non ſit, repulſam contumelia cumulari: quinetiam ad multorum laudem & commendationem illud pertinet, quibus parcitur, quod habeantur rebus iis idonei, quas præſtare nequeant qui ad clauum adhibentur. Sed neq; verum eſt quod nonnulli temere fingunt, ſi qui doctrina & virtute reliquis prælucceant, nec tamen ad imperium aſciſcantur, in odium & contemptionem adduci: quin potius, vt apparet, D Fratrum officiis aſſidue coluntur. Nec ſi tamen contingat, is contemptus tanti faciendus erit, vt præ illo beatæ quietis tædium nos capiat. Nam quo quiſquam à procuratione familiæ, quæ non raro procellas & pericula ciet, remotior eſt, eo tutior velut in portu nauigat, & cœleſtibus deliciis perfruitur: quas angor animi, & plerunq; metus interpellat. Poſtremo æquum eſt, vt qui tantos progreſſus in virtute & ſtudiis ſacrarum literarum fecerint, haud ita facile leuibus de cauſis percellantur: ſed forti atque excelſo animo imperitorum hominum linguæ petulantiã ferant, quam nemo bonus vitare potuit, nemo ſapiens vllo numero habendam cenſuit.

Quocirca, Laurenti & charissime, doctorum hominum quieti non inuideamus, neque præcipiti studio ac fauore in mediam turbam atq; in gregem eos conijciamus, quo ab amica tranquillitate auocentur. Neque vero illis iniuriam factam arbitremur, cum summi beneficij loco ducant, si secum, si cum Deo vnâ assidue versari sinantur. Difficile enim est non ab eius societate frequenter hominum improbitate diuelli. Fratres quoque optandi, quos velint, libera facultate potiantur. hoc enim æquum est. quia in re si quando ab officio & fide deflectant, nequaquam improbis eorum studiis fauendum est: meminisse tamen iuuabit, suo, non nostro periculo desipere.

Versus XXIII.

Cùm autem vidisset Abigail Dauid, festinauit, & descendit de asino, & procidit coram Dauid super faciem suam & adorauit super terram.

Versus XXIV.

Et cecidit ad pedes eius, & dixit: In me sit, Domine mi, hæc iniquitas: loquatur, obsecro, ancilla tua in auribus tuis: & audi verba famulæ tuæ.

Variæ translat.

ET *procidit coram Dauid.*] Pagninus, *& prostrauit se in faciem Dauid super faciem suam, & incuruauit se in terram.* Alter, *cadensque ante conspectum Dauid in faciem suam, incuruauit se vsque ad terram.* Chaldæus, *& inclinata est de super asino, & cecidit ad faciem Dauid suam, & adorauit super terram.* Vatablus, *Procidensque prona coram Dauide, incuruauit se ad terram vsque.* Quidam, *incuruauit se terram* versus honorem exhibens. hoc signo abiectissime atque humillime supplicans. Septuaginta. Καὶ προσεκύνησεν αὐτῷ ἐπὶ τὴν γῆν. Ald. & Roman. editio addunt, ἐπὶ τοὺς πόδας αὐτοῦ: quæ ab aliis in sequentem versic. referuntur. *& adorauit eum super terram ad pedes eius.* Cæterùm tametsi dictio Hebraica, *incuruare se atque inflectere* proprie significet; vnde ad significandam adorationem translata est: melius tamen hoc loco Vulgatus interpres *adorare* exposuit, quoniam prius iam procubuisse dicta est.

Versu 24. *Et cecidit ad pedes eius.*] Pagninus, *& prostrauit se ad pedes eius.* Arias, *& cecidit super pedes eius.* Septuag. Pariter vertunt: Καὶ ἐπὶ τοὺς πόδας αὐτοῦ ἔπεσε. Vatablus, *Procidens, inquam, &c.* ne quis putet, quod illi scribunt, corpus primùm illam inflexisse, mox etiam procidisse: non noua hæc oratio est, sed præcedentis repetitio. *In me sit, Domine mi, hæc iniquitas.*] Exordium ex abrupto, quo crimen in se transfert, & audientem facit. *In me, me inquam, Domine mi, sit hæc iniquitas.* Vatablus in Schol. id est, reputa me peccasse: esto peccarim: tamen audi me. Hebraice legitur, *In me, ego Domine,* (subaudi, peccaui,) *iniquitas:* quasi dicat, *In me (ego enim peccaui) sit iniquitas ò Domine.* Arias. sic vertit quomodo Vatablus ex Hebræo. At Pagninus qui nouerat עון *ghauoth* non scelus modo, sed etiam sceleris animaduersionem significare, eleganter transtulit: *Obsecro ego, Domine mi, sim obnoxia pœna iniquitatis.* Ac si diceret, Patienter oro me audias: neque enim, Domine, pœnam nunc deprecor, sed quicunque delicti reus habeatur, hoc ego meo supplicio luam. *In me, mi Domine, (recidit) hæc iniquitas.* Chaldæus, *Obsecro, super me quæ mihi, Domine mi, culpa.* Septu. ἐν ἐμοὶ κύριέ μου ἡ ἀδικία, *In me, Domine mi, iniustitia.* Sola Rom. edit. habet, ἡ ἀδικία μου, *iniustitia mea.*

Et adorauit, &c.

Et descendit de asino; & procidit coram Dauid.] Iudicium cap. 1. vers. 14. vno verbo ותצנח *vathitsnach*, quod Pagninus vertit, *& defixit se desuper asino.* Deiecit se Axa filia Caleb, quo debitam erga patrem obseruantiam declararet, suamque petitionem redderet gratiorem: & ita se deiecit, quemadmodum Hebraicum verbum significat, vt genua humi fixerit. Vtuntur enim Hebræi צנח *tsanach*, cùm palum vel clauum, aut quippiam eiusmodi figi significare volunt. In summa, genu flexo petiit quæ cupiebat. Rebecca quoque, vt in lib. Genes. habetur, conspecto Isaac, ad quem sponsa ducebatur, è camelo, cui insidebat, se deiecit. *Et adorauit super terram, & cecidit ad pedes eius.*] Narrat Philostratus Apollonium cum se Lacedæmonem contulisset, statuisse & magistratus conuenire, vt quæcunque vellent interrogandi præberet facultatem. Aduenientem igitur primo interrogarunt, quo pacto coli Deos oporteret? quibus ille, Perinde, inquit, ac Dominos. Rursus, quomodo Heroas? Tanquam patres, respondit. Tertio vero interrogantibus quomodo homines colendi essent, non Laconica est, inquit, interrogatio.] An potius Laconica responsione satisfacere non potuit, cum sit is cultus ex dissimili gentium consuetudine varius ac multiplex? Itaque ne supplicum quidem apud omnes idem habitus describitur. Ritus, inquit Hadr. Iunius, præcipuus & irrefragabilis supplicandi apud Persas is habebatur, si supplex sumpto igne flumē ingressus, minatus fuisset, se ignem aquæ immissurum, nisi voti fieret compos, vt refert Plutarchus in commentario de frigido. Hoc eo spectat, quod apud eos sacrosancto in honore ignis habebatur. Scribit enim lib. 3. quintus Curtius, ignem, quem Persæ sacrum & æternum vocabant, argenteis altaribus præferri consueuisse ante Persicum agmen, de quo & Agathius lib. 2. Hist. & Procopius lib. 2. belli Persici, & Ammianus Marcell. libr. 23. Apud Assyrios supplicans incuruatis membris humum penè vultu contingebat, manibus post tergum reiectis connexisque, vti scribit lib. 18. idem Ammianus. Apud Græcos oleaginas virgas ore manúque præferebant supplices, lana candida circundatas: vnde ἱκετηρίοι κλάδοι apud Æschylum supplices rami, & ἱκετηρίαν oliuæ ramum à supplicando Græci nominant, quem εἰρεσιώνην cæteri. Illud non fugit Virgiliū, vbi ait:

Iámque oratores aderant ex vrbe Latina,
Velati ramis oleæ, veniámque rogantes.

Philostrat. vitæ Apoll. lib. 4. c. 10.

Lib. 2. Animaduer. cap. 11.

Varij gentium supplicandi modi.

Hinc

Et adoravit, &c.

Hinc est quod Valerius Flaccus & Papinius supplicem oliuam appellant, quippe per quam Lutatius pacem supplicando fieri dicit. Æneas item apud Virgilium lib. 8. supplex Euandro vitta comptos prætendere ramos legitur. Apud Plautum: Postridie in castra ex vrbe ad nos veniunt flentes principes, Velatis manibus orant, ignoscamus peccatum suum. Quibus autem velatas manus dicit? an forte oleaginis adumbratas frondibus significat? an potius habitum Fidei præ se ferentes, cui manus ad digitos vsq; inuolutæ atq; intectæ res sacra fiebat? an idcirco obnuptæ velo manus, vt appareret obligata fide dextera? Commentarij Euripidis id quoque fieri lauri foliis annotarunt in Orestem. Iam verò & Macedones ἐχιδόνῃ tunica, quam subuculam dicimus, sola induti, supplicasse leguntur.

Cœlius lib. 15. cap. 18. lect. antiq.

Tropologicè ritus quidam supplicantium exponuntur.

Præterea ad supplicantium ritum spectant, quæ in Græcorum commentariis obseruauimus. Veteribus, inquiunt, diu receptissimi moris fuit, vt supplicantes caput, dextram, genua eius, cui se ingererent supplices, contingerent: nec totum tamen caput, sed mentum modo, vt statuere Homerus videtur, vel barbæ meditullium, quod probat Euripides. Id verò διὰ τὸ ἡγεμονικὸν, quia sit in nobis pars ea principalis, vt in qua logisticon, id est rationalis collocetur potentia. Dexteram verò, διὰ τὸ πρακτικὸν, quoniam inibi maxima insit ad agendum facultas. Genua propter motus & progressionis necessitatem. Tria vero hæc symbolice, consensum, actionem, progressum, ad ea quæ peterentur, præstanda, complecti videntur, & veluti οἰωνισμοὶ τῆς ἱκετείας τέλους, id est auguria finis supplicandi. Sinistram autem attigisse, ominosum censebatur, id est, δυσοιώνιστον: quando & improspera vocabant σκαιὰ & ἀριστερά; bona vero & fortunata, δεξιά. Προστρόπαιος Græcis tam is est, cui supplex ad genua accidit, quàm qui obnoxius prouoluitur. à verbo προστρέπω, oro, supplico. Τρέπω idem quod verto. quod ad mentum & dextram attinet, Hecuba Vlyssi vt duro atque inexorabili exprobrat quod vultum auerterit, ne mentum eius muliere posset, & dextram quoque, apud Euripidem, occuluerit, vt omnem veniæ spē præcideret. De genibus Plinius libr. 11. cap. 45. hominis genibus inest, inquit, & quędam religio, obseruatione gentium: hæc supplices attingunt, ad hæc manus tendunt, hæc vt aras adorant, fortassis quia inest iis vitalitas, quippe quorum inanitate perfossa, ceu iugulo, spiritus fugiat. Huc denique spectat quod Homerus Iliad. nono, Litas deas supplices fingit esse claudas, eo quod γονυκλινεῖς, id est, flexis genibus supplicent qui priores offenderint. Complures verò non ad genua modò, sed ad imos vsque pedes procidebant. De Perseo Macedonum Rege victo Liuius 5. Decad. lib. 5. summittentémque se ad pedes sustulit: nec attingere genua passus est Consul. Apud quintum Curtium mater & coniux Darij prouolutæ ad pedes Alexandri, orant vt liceat sibi patrio ritu sepelire Darium, quem rebantur in acie cecidisse. Prometheus verò apud Æschylum vinctus negat se supinas muliebri ritu manus ad Iouem extensurum, supplicum more,

Plinius.

Homerus.

A γυναικομίμοις ὑπτιάσμασι χερῶν. At contrà docet Astyanactem filium Andromacha apud Senecam in Troade, act. 3.

Seneca.

Huc è latebris procede tuis,
Flebile matris furtum miseræ.
Submitte manus,
Dominique pedes supplice dextra
Stratus adora: nec turpe puta,
Quicquid miseros fortuna iubet.
Positóque genu
Si tua nondum funera sentis,
Matris fletus imitare tuæ.

Postremò non raro supplices, quibus suppliciis digni viderentur, eorum præ se instrumenta tulerunt, eáque ratio ad captandam misericordiam semper visa est potentissima. *Ecce, audiuimus,* inquiunt Syri lib. 4. Reg. cap. 20. vers. 30
B *quod Reges domus Israël clementes sint: ponamus itaque saccos in lumbis nostris, & funiculos in capitibus nostris, & egrediamur ad Regem Israel: forsitan saluabit animas nostras.* idque mox, vt coniecerant, accidit.

Et cecidit ad pedes eius.] Synesius πρηνὴς & γονυπετὴς ἱκέτης ἐγένετο, pronus atque in genua procidens supplex factus. Apud Virgilium,

Et genua amplectens effatur talia supplex.

Est & aliud quiddam obseruatione dignum de genibus, quod habet Suidas Ἐν πέντε κριτῶν γούνασι, *In quinque iudicum genibus* negotium suppl. totum est situm. quod ideo dictum est, quia antiquitus quinque iudices de comicis iudicabant, vt ait Epicharmus. Compositum autem hoc est ad imitationem illius sententiæ,

Suidas.

C quæ legitur apud Homerum, Θεῶν ἐν γούνασι κεῖται, *Deorum in genibus situm est* negotium. Cuius dicti hanc affert rationem Suidas: ἐπειδὴ οἱ κριταὶ ἐν τοῖς γόνασιν εἶχον ἃ νῦν εἰς χαμαιπετῆ ἐγχέουσι). quia iudices in genibus olim habebant suffragia, quæ nunc in tabellis scribuntur.

Loquatur obsecro ancilla tua.] Suidas, εἴπῃς τὰ τρία τὰ παρὰ τῇ αὐλῇ, id est, *tria illa dicas ad aulam* i. prope Prætorium. Hæc ita interpretatur: Illis, qui ad capitale supplicium adducebantur, licebat cibo vinóque repletis, tria dicere, quæ volebant. quibus dictis, ore obturato, ad mortem abducebantur. Nam quod nunc τὸ πραιτώριον vocatur, Prætorium, curia, id quondam αὐλὴ siue aula dicebatur.

In me sit, Domine mi, hæc iniquitas.] Septuaginta, ἡ ἀδικία. Iniustitia, scelus contra iustitiam
D perpetratum, improbitas, iniuria. An fortè exponenda fuit ἀδικολογία. Est autem, vt interpretatur Suidas, ἄδικος λοιδορία, absurdum conuitium. Iniustum conuitium, quod bonam alicuius famam lædit. A ratione alienum maledictum. Iniusta maledicentia existimationem lacerans. Dauidem porro Nabal omni probro ac dedecore vexauerat. Ἀδικεῖ verbum αἰτιατικῇ accusatiuo gaudet. τὸ ἀδικεῖν ἑκόντα, & significat vltro, & sponte, nec prouocatum, aliquem lædere. Sed in primis placet Pagnini interpretatio, qui hoc loco metonymicῶs effectum pro causa supplicium atque animaduersionem pro delicto accepit. Nam pœna culpam sequitur, quam vltro accersit, ne ad minuendam aut excusandam contumeliam venisse videri posset;

LOQVATVR, &c. Plato. Iniquitas, pestis hominum.

quo pacto furentem potius incenderet quàm compesceret. Plato docet τὴν ἀδικίαν, νόσον ψυχῆς εἶναι, iniustitiam esse morbum animi. Nullus verò morbus animi est vtilis. Sic & quodcunq; vitium nocet illi qui eo laborat. ἡ δὲ ἀδικία, κακία. Iniustitia autem est vitium: quamobrem etiam possessori nocet. Primùm enim naturam ipsam manifestè lædit quam sibi vendicat. ἐπὶ δὲ, καὶ φθαρτική, deinde vero & corruptrix est. τῶν μὲν ἐν πόλει κοινωνίας. τῶν δὲ τῆς πάσης συναλλαγῆς. partim quidem societatis ciuilis, partim verò contractus omnis. ἐναντία δὲ καὶ παρὰ φύσιν τοῖς ἀνθρώποις. οἱ γὰρ ἄνθρωποι, φύσει κοινωνικοί. Est etiam hominibus contraria, & contra naturam ipsorum. homines enim natura sunt societatis amantes. Quinimò non eos modò ciuili conuersatione priuat, & à ciuitatibus relegatos in syluas & inospita tesqua eijcit: sed iniuriis lacessitos inter se committens, mutuis vulneribus conficit. A B

Loquatur ancilla in auribus tuis.] Hæc oratio speciem habet actionis iudicialis. Versatur autem maximè in deprecatione. Non enim aut negat, aut defendit factum: sed tandem deprecatur culpam. Vtitur etiam translatione in stultitiam Nabalis, & ignorantiam suam, quod ipsa de legatione Dauidis non audisset. Admiscet etiam aliquid suasionis, ne Dauid suam iniuriã vlcisci velit. Quod ad procemium attinet, Abigail, cùm venisset in conspectum Dauidis, descendit ex asino. Nam alioqui videri potuisset, eius dignitatem contemnere. Itaque Fabius Consul apud Plutarchum cùm aliquando publicè negotiis operam daret, & patrem suum Q. Fabium Maximum videret accedentem in equo, misit statim lictorem, qui eum moneret, vt descenderet. Id senex ita non molestè tulit, vt gratularetur sibi, quod haberet filium, qui posset gerere magistratum. Prouoluit se Abigail ad pedes Dauidis. hoc erat captare beneuolentiam. Se appellat eius ancillam; illum autem Dominum suum. Hæc videntur per antithesin dicta, vt Nabalis conuitia & contumelias honore & obsequio deleret. Nam ille, *Quis*, inquit, *est David*? ac si ignobilis aut obscurus esset. Hæc autem illum salutat Dominum suum. Ille, vt fugitiuos seruos contempserat; hæc se famulam professa ad eius pedes corruit. Et quoniam in mala causa petenda est attentio, orat eum, vt se attentè audiat. Crimen autem à principio in seipsam transfert: quod plurimùm facit ad placandum animum iratum. Quid enim expectari amplius potest, quàm vt reus vltrò se subijciat, & offerat ad supplicium? Opponit se pro viro suo, innocentem pro sonte. Mutatio enim huiusmodi personarum præcipitur à Rhetoribus, & multum prodest. Multa enim aliis facilè dantur, quæ iure, ac merito negãtur aliis. Ita Christus se pro nobis interponit apud Patrem, & peccata nostra perfert in suo corpore. Et Apostolus in Epist. ad Philemonem causam agens Onesimi vers. 18. *Si autem aliquid nocuit tibi, aut debet; hoc mihi imputa. Ego Paulus scripsi mea manu: ego reddam.*

Procemium orationis Abigaelis.

VERSVS XXV.

Ne ponat, oro, Dominus meus Rex cor suum super virum istum iniquum Nabal: quoniam secundum nomen suum stultus est, & stultitia est cum eo: ego autem ancilla tua non vidi pueros tuos, Domine mi, quos misisti.

VERSVS XXVI.

Nunc ergo Domine mi, viuit Dominus, & viuit anima tua, qui prohibuit te ne venires in sanguinem, & saluauit manum tuam tibi: & nunc fiant sicut Nabal inimici tui, & qui quærunt Domino meo malum.

Variæ translat.

SVper virum istum iniquum.] Pagninus, *impium*: Arias, *absque profectu*. אל איש הבליעל *el isc habeliiagbal, ad virum istum Belial*. Chaldæus, *super virum stultum hunc*. Sept. ἐπὶ τὸν ἄνδρα τὸν λοιμὸν τοῦτον, *super virum iniquum istum*. edit. Ald. & Roman. ἄνθρωπον, *super hominem pestilentem hunc*. Quidam, *virum nequissimum*; Vatablus, *virum istum Belial*. *Quoniam secundum nomen suum stultus est, & stultitia est cum eo.*] Pagninus, *quia secundum nomen suum sic est*. Arias ad Marg. *insipiens*. נבל *Nabal* nomen eius, ונבלה *& stultitia* (Arias, *vilitas*) *cum eo*. *Nabal*, nebulonem, parcum, illiberalem, fatuum significat, נבלה *nebalah* stultitiam, vt quidam volunt, cum scelere coniunctam. Argumentum est à notatione nominis, siue etiam à coniugatis, vt Scholæ loquuntur. Chaldæus, *nam vt nomen eius, sic ille. Nabal nomen eius, & stoliditas cum eo*. Alius, quoniam ipse est, vt sonat nomen eius: Nabal est nomen eius, nam stultitia est cum eo: *penes eum est stultitia*. Vatablus, *nam nomini suo respondet, &c.* Septuag. eodem sensu, ὅτι κατὰ τὸ ὄνομα αὐτοῦ οὕτως ἐστὶν αὐτός. *quia secundum nomen suum hic est ipse*. κατὰ τὸ ὄνομα αὐτοῦ, καὶ ἀφροσύνη μετ' αὐτοῦ. *Nabal nomen eius, & insipientia cum eo*. Theodoretus, nomen *Nabal* in Græcam vocem translatum significat τὴν ἀφροσύνην. Hoc enim Abigæa ostendit, & liber nominum Hebraicorum. Aquila autem sic dixit, κατὰ τὸ ὄνομα αὐτοῦ, καὶ ἀπόρρευσις μετ' αὐτοῦ. *Nabal nomen ei, & defluxus cum eo*. Diffluente enim & extincta ratione, exoritur morbus insipientiæ. Hæc Theodoretus. C D

Hactenus prima pars propositionis primæ, deprecationem continens; primum culpæ, propterea quod vir eius non tam destinata malitia aut odio in eum peccauerat, quàm insita stultitia: ipsa verò ne aduentum quidem nuntiorum eius præsenserat: Nunc sequitur altera, qua pœnam quoque deprecatur: quod facit ad commouendũ ratione omnium potentissima. Nam vbi crimen à se depulit, & viri quoque culpam immi-

Altera pars propositionis.

QVI PROHIBVIT, &c.

imminuit, tũ opportune Deum innocentiæ patronũ aduocat, & indulgeri sibi per eius nomen obsecrat. *Nunc ego Domine mi*, (sic quidam interpretatur vers. 26.) per *viventem Iehouam, & per vitam tuam, quandoquidem cohibet te Iehouah ne ineas cedes*, (statuit illi ob oculos Dei prouidentiam suum occursum disponentis) *vindicet manus tua te*; (officij admonet, ne sibi suiipsius vltionem sumat priuato studio: quod contra legem est. Atque huc etiam spectant verba illa vers. 28. *Si bella Iehouæ Dominus meus gerat, &c.* itémque vers. 31. provt agnoscit ipse Dauid vers. 32. & sequentibus.) *nunc inquam, sint sicut Nabal inimici tui, & qui quærunt malum contra Dominum meum.* Ab æquitate per comparationem facti Nabalis, cum alieno: quasi dicat, non de illis qui stultitia imprudentissima delinquunt in suo officio, vt Nabal, vltio sumenda est: sed de illis qui studio contra suum officium veniunt. Sint illi, sicut Nabal futurus esset, si in tuo consilio pergeres. Vatablus, *Nunc ergo mi Domine, viuit Dominus, & viuit anima tua: en prohibuit te Dominus, ne consque erumperet, vt sanguinem funderes, seruauitque tibi manum tuam. Sint igitur quemadmodum Nabal hostes tui, & quicunque machinantur Domino meo malum.* Idem in Schol. Hebraismus, *ne venires in sanguinem, & ne seruaret te manus tua*, id est, ne effunderes sanguinem innocentem, & ne vlcisceretur te manus tua. Alij vertunt, *qui seruauit manum tuam ne effunderes sanguinem.* Pagninus, *quia prohibuit te ne venires in sanguinibus, in seruaret manum tuam tibi. Et nunc sicut Nabal inimici tui, & quærentes Domino meo malum. Non nemo interpretatur, en prohibuit te Dominus ne venires in sanguinem, & tu quoque libera manum tuam (ab effusione sanguinis:) sint nunc inimici tui sicut Nabal, &c.* Chaldæus, *quòd prohibuit te Dominus ab effundo sanguinem, & ab vlciscendo manu tua te, & nunc erunt vt Nabal osores tui, &c.* Septuaginta. Καθὼς ἐκώλυσέ σε Κύριος τοῦ μὴ ἥκειν εἰς αἷμα ἀθῶον, καὶ σώζειν τὴν χεῖρά σου σοί· καὶ νῦν γένοιντο ὡς ναβὰλ οἱ ἐχθροί σου, οἱ ζητοῦντες τῷ Κυρίῳ μου κακά. *Sicut prohibuit te Dominus ne venires in sanguinem innoxium, & seruares animam tuam tibi*, (Theodoretus pro eo quod est, *ne odio replearis ex cede*,) *& nunc fiant tanquam Nabal inimici tui, & qui quærunt Domino meo mala.*

Diodorus.

Vxorum licẽtia in viris deserendis.

Apud Thurios, quibus leges Charondas scripsit, vt Diodorus author est Bibliothecæ lib. 12. vxori lege permittebatur à viro, vbi visum esset, discedere, viróque alteri, cuicunque collibuisset, consuescere. Qua lege cum licenter admodum quædam abusa esset, ea conditio postea addita est, ne tamen iuniori nuberet. Iudicum etiam 19. legimus vxorem cuiusdam Leuitæ reliquisse virum suum, *qua & reuersa est in domum Patris sui in Bethleem, mansitque apud eum quatuor mensibus.* Alteri tamen connubiali iure nequaquam iuncta est: sed victa blanditiis, & reconciliata gratia, vt decuit virum complexa est. Prima Salome Herodis soror, coorta simultate libellum repudij Costobaro marito misit, præter legitimum morem

A patriæ, inquit Iosephus: lex enim nostra solis maritis hoc ius permittit; mulieribus autem ne dimissis quidem fas est nubere, nisi prioris viri permissu. Verum illa magis ex propria licentia quàm communi iure fecit diuortium, & ad fratrem se conferens, ait se prætulisse fraternam beneuolentiam coniugali fœderi, conspirasse enim eum ad res nouas moliendas cum Lysimacho, Antipatro, & Dositheo, &c. Abigail cùm esset prudens & virtute singulari prædita, tametsi eum virum nacta esset qualem præter ipsam toleraret nemo, nequaquam tamen vt Salome res suas sibi eundem habere iussit, aut velut vxor illa Leuitæ ab eo secessit, & ad patrem se recepit: sed instar prudentis nauclеri motus hominis incompositos, irarúmque B procellas arte & patientia superabat. Dicunt Hebræi, vt est in eorum Apophthegmatis, Si quis malam mulierem sortitus sit, nec cum ea diuortium facit, nequaquam huic opus esse Purgatorio. Quid de infirma muliere sentiendum, cum illa fero atque immiti tyranno nupserit.

Iosephus Antiquit. lib. 15. c. 11.

Actio quōdam malæ tractationis.

Equidem malæ tractationis hoc loco Scriptura disertis verbis non meminit, sed quis putet honestissimam fœminam ab insano homine, cuius mores & consuetudinem ferre nemo posset, humaniter & benigne habitam? Non pauci memorant iam olim, si quæ mulier morosum ac difficilem virum caularetur, *malæ tractationis* actionem esse datam. Testem laudabo Senecam, apud quem in Epitome earum controuersiarum quæ perierunt lib. 5. controuer. 4. inscri- C ptio hæc legitur, *Malæ tractationis sit actio.* Subinde verò in eiusdem themate, *Reus sit Pater malæ tractationis ab vxore.* Quam per κάκωσιν, inquit Schottus, Maletractationis vnica voce alij scribunt. Nec aliud argumentum est Declamat. 7. lib. 3. Egit & altera libri 2. Controuers. 2. cum viro *malæ tractationis*, quòd virgo esset. Egit & tertia, seu quarta potius, lib. 4. Declamat. 6. quod cùm viri studio suus filius vnà cum prouigno ruri educatus esset, vter suus foret non posset agnoscere. Chirius Fortunat. Rhetor lib. 1. Vult filius, inquit, accusare Patrem dementiæ, vxor *malæ tractationis*. Quintilianus Declamatione 383. Quæ virum *malæ tractationis* damnauerit, duplã dotem recipiat. Hanc actionem, inquit Schottus in 3. Controuers. earum D quæ Senecæ perierunt, & vxor instituere potest, si quid pater crudelius in filias admiserit. Iurisconsulti malunt hæc decreta Scholarum fuisse. Legibus tamen olim *de moribus iudicium* datum. Rogabat Censor solenne iusiurandum: *Et tu ex animi tui sententia vxorem habes?* Gellium lege libr. quarto, capit. vigesimo. Coercendi penes Censorem potestas fuit. Quod si diuortium factum esset, *Morum*, inquit Vlpianus in Fragmentis titul. sexto, grauiorum nomine sextæ retinentur, leuiorum autem octauæ: grauiores mores sunt adulteria: leuiores omnes reliqui. Sed quia hactenus leges viris duntaxat cauent, quibus morosæ coniugis dotis partem tanquam dissidij pœnam ascribunt: censet Ræuardus Variorum lib. quarto capit. decimotertio, de fœminis pariter sentiendum

Seneca.

Schottus.

Iudicium de moribus.

Vlpianus.

Ræuardus.

QVI PROHIBVIT, &c.

esse. Sin contra, inquit, mariti moribus accidisse Censores pronunciarent, vt à marito diuerteret ad amicos vxor, quo minus pari ratione, rerum propter nuptias donatarum, certam aliquam partem vxor consequeretur, nihil mihi videtur obstitisse.]

Sed iam redeo ad *malam tractationem*, quam si fortè leges nullo metu aut periculo cohibuerint, eo licentius & immanius intra domesticos parietes sæuiit. *Mala tractationis* incommoda Tertullianus paucis complectitur cap. 13. de Pudicitia. Carnis, inquit, interitum in officium pœnitentiæ [apud Apostolum] interpretantur, quod videantur ieiuniis & sordibus, & incuria omni, & debita opera *malæ tractationis*, carnem exterminando satis Deo facere.] Neque porro verum est perinde vt Romanas, sic quoque leges alias *malæ tractationis* rationem nullam habuisse. Hanc enim cùm grauiter plectit Longobardorum lex lib. 2. tit. 11. tum speciatim ibidē Luitprandus Rex l. 4. quæ *mala tractatio* habenda sit, disertè satis explicat. *Mala tractatio* est, inquit, si eam fame aut sibi necauerit, aut vestimentum, aut calciamentum, secundum qualitatem personæ, vel pecuniæ, mulieri non dederit, aut turpiter battiderit eam, aut si eam ad indicibilem operam coactam minauerit: Omnia hæc qui facere præsumpserit, malè tractatam esse decernimus. Ideo statuimus, vt propter plagas aut feritas, si fecerit, eidem fœminæ componat, & mundium eius amittat.] Quoniam autem ea lex de puella & muliere lata est, ea duntaxat quæ vxori conuenirent, referre studuimus. *Mundium* tutelam interpretantur: sed illud videtur maius aliquid fuisse. Cæterum etsi probabile sit plæraque horum Abigail expertam non esse, ipse tamen vsus & consuetudo tam ferocis atque impotentis viri satis fuisse videtur, vt diuertere ab eo sapiens mulier optaret. Sed fregit sua patientia barbari ferociam: nec prius suo iure atque authoritate vsa est, quàm is sua temeritate in summum discrimen adductus est. Quo in genere reliquis sui ordinis sua virtute præluxit, & singularis modestiæ specimen dedit.

Tertullian.

Mala tractatio quæ esset.

LL. Longobard.

Virtus Abigaelis.

Ne ponat Dominus meus cor suum super virum istum iniquum.] Deprecatur culpam à stultitia Nabalis. Non debes, inquit, hominem fatuum tanti facere. Stulti enim, si quem contemnunt, non faciunt id cum iudicio, nec eius, quem contemnunt, existimationem lædunt. Neque vero prudentes tanti faciunt, si aut à mulierculis, aut à pueris, aut à morionibus contemnantur. Vident enim se nihilo minoris futuros apud sapientes. At si à prudentibus contemnantur, id indignè patiuntur. Leo, cum sit animal generosum, non captat nisi robustas bestias: infirma autem animalcula contemnit. Tertullianus in Apologetico, Obijcitis, inquit, reges nobis aduersari. At quos reges? quos vos ipsi detestamini, Nerones, Caligulas, Domitianos. Ab istis odio haberi honorificum est. Sed non videtur Abigail functa officio probæ vxoris, cum virum suum appellat stultum. Atqui scire debemus, eius stultitiam decantatam iam fuisse,

Stultus, etsi quemquam despiciat, non offendit.

Tertullian.

A & in vulgus notam. Itaque Rabbini quidam aiunt, hoc illi cognomen impositum fuisse à stultitia. Deinde ista dicit, vt virum seruet. Chirurgus enim partem aliquam carnis interdum amputat, vt totum corpus sit incolume, quod erat alioqui periturum. Hæc forma excusandi vsitata est in sacris literis. Ita enim Christus in cruce excusat illos, à quibus occidebatur. *Pater ignosce illis: quia nesciunt, quid faciunt.* Ita excusat illorum stultitiam, & ignorantiam: non quod prorsus excusandi essent eo nomine: sed quod ita possent aliquo modo commendari. Et cum discipuli ægrè ferrent, quod viderent Pharisæos offensos, Christus respondit, *Sinite illos: cæci sunt & duces cæcorum:* indigni quorum ratio habeatur.

QVONIAM SECVNDVM, &c.

B *Quoniam secundum nomen suum stultus est.*] Plures in imponendis nominibus etymologię rationem habuerunt, Hebræi vero maximè, de quorum consuetudine nos antea copiose satis, cum superiore tomo de Samuelis nomine ageremus. Herodotus libr. sexto, siue in Erato, cum scripsisset sub Dario Hystaspis, & Xerxe Darij, & Artoxerxe Xerxis filio, tribus iis deinceps ætatibus plus malorum passam esse Græciam, quàm vinginti aliis ante Darium ætatibus pertulisset: Et sane, inquit, in Græca lingua pollent hæc nomina, Darius, idem quod ἐρξίης, id est, coercitor: Xerxes, idem quod ἀρήιος, id est bellator, ad verbum martius: Artoxerxes, idem quod μέγας ἀρήιος, magnus bellator. Hæc ille. Plato in Cratylo dictum censet τὸ ὄνομα, ὡσεὶ τὸ μαίεσθαι ὄν, à

Ratio habita etymologiæ in imponendis & interpretandis nominibus

Herodotus

C perquirendo quidnam sit illud, quod proponitur, id est, quænam eius natura & vis sit. Quo modo Festus τὸ nomen ἐπωνυμία, quod notam rem faciat nobis, quasi dixeris nouimen. Sed & σύμβολον ab Aristotele 1. περὶ τῆς ἑρμηνείας nominatur, quæ vox Latinis significat notam, eo quod rem quamque designet, vt ait Boethius: Veriloquium aliàs appellans, forte quod ἔτυμον Græcis sit verum, oratio λόγος.

Secundum nomen suum stultus est.] Obseruari iam aliàs Christianis olim exprobratum Christi nomen à Gentibus ex Sancti Theophili Anthiocheni lib. aduersus Gentilem Antolycum. Tertullianus autem in Apologetico, postquam carere vitio Christianorum mores

D pluribus argumentis ostendit, subinde etiam nomen ipsum vindicat à calumnia. Nunc igitur, inquit, si nominis odium est, quis nominum reatus? quæ accusatio vocabulorum, nisi si aut barbarum sonat aliqua vox nominis, aut infaustum, aut maledictum, aut impudicum? Christianus vero quantum interpretatio est, de vnctione deducitur. Sed & cum perperam Christianus pronuntiatur à vobis (nam nec nominis certa est notitia penes vos) de suauitate, vel benignitate compositum est. Oditur ergo in hominibus innocuis etiam nomen innocuum. Tertullianum excipit Zephyrus eiusdem Paraphrastes. Nomen enim, inquit, & vocabulum aliquod quatuor de causis abhorrere homines solent, quarum nullam in se habet

Tertullian. Apologet. cap. 3.

Christianū nomen defenditur.

Zephyrus.

Christianus

SECVNDVM NOMEN, &c.

Christianus. Barbarum quidem non est, quoniam Græcum. Nihil habet in se infelicitatis aut omnis, quod malum aliquod minitetur: nulli etiam maledicit, atque ab omni turpitudine seiungitur. Siue enim per *iota* scribitur orthographicè, vnctionem illam regiam præ se fert: siue per *ita*, quemadmodum vulgò ineptè Christianus deriuat, benignitatem refert. Christus enim vnctus est; Christus autem bonus. Illi Hactenus. At non pariter Nabalis nomen defendi potuit.

A

Secundum nomen suum stultus est.] Vox Hebraica נבל *Nabal*, significat destitui naturali humido. à verbo נבל *nabal*, quod propriè sumptum, significat *flauus* fuit, emarcuit & intelligitur de folijs & floribus naturali humore destitutis, & ideo flauescentibus, marcidis, & decidentibus. Metaphoricè autem significat *palluit*, viluit. Significat etiam *desipere*, & stultū esse. In Deuter. vbi scribitur, *in gente stulta irritabo illos*, vox ista vsurpatur. Quam vocem Paulus in Epist. ad Romanos, reddidit ἀσυνέτῳ *insipientem*. Hoc nomen Nabali rectè cōuenisse, vxor eius testis est, Iob vxori suæ 2. cap. vers. 10. ne fortè mulieres supra modum glorientur, & de se magnificè sentiant. Stulti porrò pallescunt & trepidant non rarò nulla de causa, flauescunt vt marcens folium, cerebro carent & ratione. Inde nobis fortasse *nebulo*. נבלה *nebalah* Hebræis stultam, & stultitiam denotat. *Nebla* cadauer est flauum & exanime. Talem penè stultum nouimus, quem ratio & prudētia destituit. Cæterùm quando media litera ב *daghes* in ventre punctum non habet, si recentioribus Grammaticis fidem habemus, *Nafal* legi debet, vnde Græcis φαῦλος marcidus, & vilis, bardus, stolidus; Gallis *fol*, *folie*. Habet autem hæc vox cognationē cum verbo נפל *napal* cecidit, אבל *abal*, fleuit, הבל *habal*, euanuit, & בלה *balah* veterauit: quæ omnia in stultum mirificè quadrant.

Nabal exponitur.

B

C

Sunt verò & alia non pauca nomina, quæ stultum & vecordem Hebræis designent. אויל *Euil* is est, qui insipienter res suas gerit, qui leuiter & temerariè se obstringit. הולל *holel* deducitur à verbo הלל *halal*, seipsum laudauit. Stultus enim insolenter se effert, & iactat, cùm à prudentibus rideatur. Inde הוללות *holela* stultitia: ad quas voces Gallicæ nostræ, *fol*, *& folie* proximè accedunt. Tertiò, כסיל *kesil*, à verbo כסל *casal*, obliquus, tortuosus, inconstans fuit: *stultus enim vt Luna mutatur*, & instabilis semper apparet. Quartò, סכל *sachal*, prauus insanus: *sechel*, & *sicluth* stultitia, prauitas, fatuitas, à verbo *sachal*, prauus, distortus, peruersus fuit, stultè egit, infatuatus est. Quintò, עול *ghaual*, iniustus vanus, iniurius, qui contra leges & publicam honestatem peccat, à verbo עול *hauual*, quod habet in secunda coniugat. עול *hiuuel*, id est, iniustè egit. Cognationē habet ea vox cum *halal* עלל *infantium more pueriliter egit*, aut loquutus est. Ex quo apud Esaiam, ca. 3. dicit Dominus se daturū impijs populis תעלולים *Thaghalulim*, id est *pueros*, (stultos) *vt sint principes eorum*. Propriè qui ludicris rebus & nugis delectantur, quod stultorum est proprium. Sextò, פתי *Pethi*. *fatuus*, stultus, infans, qui se blanditijs

Varia supellex similium nominum.

D

in fraudem induci sinit, cui facile imponitur; à verbo פתה *Phatha*, persuasus est; vt & in passiuo eiusdem primæ Coniugationis *Niphtha* deceptus est, persuasionibus delusus est. פתא *Thatha* etiam stultus dicitur. Inde Latinis *fatuus*, qui fatur ineptè; & nostrum *fat* idem quod *Phath* Hebræis: quorum nonnulli א in ea dictione volunt esse superfluum. Græci dicunt ἀπατάω, blandis verbis decipio. Septimò. ריק & רק *Rek* & *Rik*, *leuis*, futilis inanis, homo nihili, vnde *Raka* Matthæi 5. 22. רק *rok* sputum. Inde *Rek* stultus; quippe qui stultitiæ nomine, qua delectatur, & alijs studet illudere, dignus sit qui ab omnibus conspuatur. A Græcis deniq; stultus pro rei dignitate pluribus nominibus designatur: ἄβουλος, consilio carens: ἀβέλτερος, stupidus: ἄφρων demens: ἀσύνετος, ἄνους, desipiens, insipiens: ἠλίθιος, stupidus: ἀνόητος, fatuus: μωρὸς, morio: φαῦλος, bardus, stolidus. Sed de etymologia nominibúsque plus satis, ad rem ipsam veniamus.

SECVNDVM NOMEN, &c.

Et stultitia est cum eo.] Cælius Lect. Antiq. l. 17. cap. 3. Autor est, inquit, Auicenna sexta primi, animalem virtutem duas continere potestates, apprehensiuam, & motus compotem. Apprehendēdi vim bifariam item distribuit: aut enim manifesta fit apprehensio, vt quum sensu aliquid percipimus: aut clandestina & latens. De hac verò Galenus, & medicorum pleriq; agentes, quantum ad sanitatis pertinet custodiam, & ægritudinem curam, trifariam modò distribuisse contenti, Imaginandi vim statuere, qua sensibilia apprehenduntur omnia. Item Cogitandi facultatem, siue discernendi, quæ facienda à non faciendis discernit. Sequitur postremò Memoriæ potestas, quæ præterita nobis suggerit. De ijs ergo tertio Morbi Galenus agēs, déque accidētibus earum, ab Imaginatione ducit exordium, ac eius esse nocumentum vnum putat, qui dicatur stupor. Aliud quod congelatio, aliud alienatio. Nocumentum verò discretiuæ potentiæ aliud dicitur ablatio, sicut amentia. Aliud diminutio, vt stultitia. Aliud corruptio, vt desipientia. In memoriali autem potestate, aut destructio inest actionis, vt in Lethargia, aut diminutio motus, & vocatur insania. Est & aliud quod insaniam item dicimus. Nam alienatio duobus modis fit: aut non bene imaginamur, aut parum rectè recordamur. Porrò imaginandi potentia oblædi sola potest, incolumibus alijs, quod ibidem vno atque altero exemplo probatur. Dignum verò relatu, imaginosos id genus homines dici passim *Byzaros*, credo, ab inconditis moribus populorum, qui in Ponto dicuntur Byzares, vt inquit Stephanus: Meminit Valerius Flaccus, *Byzarésq. vagi*. Plutarchus tria & ipse genera videtur agnoscere, melancholiam, phrenetin, paracopen. Nam idem alibi Plutarchus Catacopos furore percitos intelligere videtur. Ἔκστασιν Galenus fit ὀλιγοχρόνιον μανίαν, id est insaniam perpetem. Ἔκπληξις ab eodem dicitur ἀθρόας ἐκστάσεως, id est cogitationis stupor, ex repentina consternatione extrinsecus adueniente. Alienos in hoc genere nuncupat Firmicus Matheseos tertio: Si cū Sole, inquit, in octauo ab horoscopo loco Mars,

Cœlius.

Stultitiæ causæ physicæ.

Galenus.

Firmicus.

SECVNDVM NOMEN, &c.

aut Saturnus fuerint inuenti, facient alienos, delyros, aut phreneticos. Enthusianus est quidem mentis stupor, sed ex illustratione diuina.

Verùm hæc curiosius perscrutari medicorũ est, qui morborum causas sedulò explorãt; quibus mens, cuius summa est cum corpore connexio, nõ rarò de sede rationis deturbetur. Varias id genus species cum ex Hippocrate & Galeno, tum alijs Medicorum placitis studiosè colligit & explicat Gorrhęus in suis Medic. Definit. in verbis Μελαγχολία, & Μελαγχολικὸς χυμὸς, Μώρωσις, & Παραφροσύνη. Et quanquam eius perturbationis, quæ siue λῆρος & παραφροσύνη, siue μώρωσις aut ἄνοια, siue quocunque alio nomine censeatur, plures causæ habeantur: vt est minus idonea decensque cerebri conformatio, vel frigida intemperies, aut frigidus aliquis & pituitosus humor in cerebro collectus, Phlegmon, erysipelas, vel vulnera, plagæ, aut medicamenta, quæ foris imposita caput immodicè refrigerant: communior tamen & frequentior calamitatis origo est quæ ab atra bile petitur. Sed illa duplex est. Altera quidem μελαγχολικὸς χυμὸς mitis & placidus succus, & limus sanguinis ad corporis nutritionem comparatus: Altera ἡ μέλαινα χολή, adusta præter naturam. Prior enim si diutius in corpore cohibeatur, ita vt incalescat & putrescat, facilè in atram bilem exquisitam, quam μέλαιναν χολὴν vocant, degenerat, & simile quiddam feci vini vsti patitur: quæ cùm ante vstionem frigida & sicca sit, tantum subinde calorem concipit, vt carnem vrat & corrodat. Neque tamen semper ex æquo furit: quoniam hanc quam κατακεκαυμένην, id est adustam nuncupant, in quatuor species partiũtur. Aut enim naturalis melancholiæ, aut sanguinis purioris, aut bilis, aut pituitę salsioris combustione conflatur: quæ nemo est qui nesciat diuersas omnino vires obtinere, quæ ad nostram perniciem incendio crescunt & intenduntur, ita vt ex his non vnius generis stultitia oriatur.

Gorrhęus.

Atra bilis duplex.

Adustę melancholiæ species quatuor.

Galenus de locis affect. lib. 3. cap. 3. Atra bilis, inquit, vbi in ipso cerebri corpore abũdat, eam insaniæ speciem, quam Græci vocant melancholicam, inducit. Quemadmodum alter atræ bilis succus, qui præ assata flaua bile nascitur, ferina gignit deliramenta, modò cum febre, modo absque illa, in cerebri corpore abundãs. Atque ob hãc causam φρενῖτις nonnunquam est mitior, vbi à pallida bile ortum traxit: nõnunquam vehementior, vbi flaua bilis eam peperit.] Hæc Galenus. Cerebri meminit, quoniam etsi nonnunquam atra bilis toto corpore fusa sit, aut priuatim hypochondria occupet, semper tamen vapor cerebrum ferit. Quod si mitior pallidæ bilis impetus, quid de pituita secundum analogiam sentiendum erit? Omnis quidem melancholia mæstitiam parit, & terrores incutit; siquidem officinas interiorum sensuum fuligine obscurat, & mentem tenebris obsidet: sed vbi se cum pituita miscuerit, frigore contracta iacet, quæ cum bile bacchatur. Quoniam tamẽ capitis arci incubat, stultitiam plerunque enititur. Rationalem animę vim, inquit idem Gal. cap. 2. de loc. affect. in cerebro; virilem irascibilémque in corde: appetitoriam

Galenus.

φρενῖτις quę mitior, quæ sæuior.

A denique in iecinore sitam esse, nemini non persuasum existimo. Id quod vel ex vulgi sermone discere licet, Fatuum siquidem aiunt carere cerebro, timido & pusillanimi corde esse. Tityo autem fingunt iecur erosum ab aquila. At verò quemadmodum, si ratio lædatur, sæpenumero contingit lædi memoriam: ita si memoria vitietur, ratio ipsa quodãmodo labefactatur, vt pote actionis vtriusque noxa procedente ab eadem dispositione, quæ vbi vehementius intenditur, simul cum memoria ratio planè deperditur. Ac talis quidem affectio stultitia vocatur. Et rursum paulo post: Intellectus amissio, stultitia est.

Sed iam satis accuratè pro nostro modulo ac pede stultitiæ rationes physicas expressimus: quid si priusquam ad reliqua transeamus quæ nobis explicanda sunt, obiter corporis temperationem describamus qua potissimùm viget B animus, & bellè sentit. Quod mihi deerat mutuabor à Cœlio. Exuberet, inquit, atra bilis, verùm subtilissima, nec tenuioris pituitæ circumfusus humor desit, ne statim inarescat, ac protinus durior euadat. Non tamen vsque promisceri pituitæ volumus, præcipuè si largior ea fuerit, & frigidior, ne inde algorem contrahat. Sed bili sanguiníque ita promisceatur, vt ex tribus vnum consurgat corpus, dupla sanguinis ad reliqua duo proportione compositum, vbi octo sanguinis partes, duæ bilis, duæ item bilis atræ portiones existant. Accendatur quadamtenus à duobus illa bilis atra, accensáque fulgeat, non vratur. Hoc significasse illud Heracliti videtur, *Lux sicca, anima sapientior.* Spiritus ex hoc humore creati primò quidem subtiles sunt: etenim sub angustioribus atræ bilis C eiusmodi compressi meatibus, vehementiore ob vnitatem calore in primis attenuantur, perque arctiores expressi meatus, subtiliores erũpunt. Deinde calidiores similiter, atque eadem ratione lucidiores. tertiò agiles motu, actione vehementissimi. quartò item stabili solidóque humore iugiter emanantes actioni diutissimè seruiunt. Tali autem animus noster obsequio fretus, indagat vehementer, perseuerat inuestigando diutius. Facilè quæcunque peruestigauerit, inuenit, clarè perspicit, syncerè dijudicat, ac diu retinet iudicata. Hæc ille.

Cœlius lib. 17. cap. 5.

Optima corporis humani temperatio.

Septuag. Ναβὰλ ὄνομα αὐτῷ, καὶ ἀφροσύνη μετ' αὐτοῦ. *Nabal nomen eius, & insipientia cum eo.* Quis autem insipiens? aut quæ tandem insipientia dicenda est? Theophrastus apud Stobæum Serm. D 4. Περὶ Ἀφροσύνης, ἀναισθησίαν seu stupiditatem, ἀγροικίαν seu rusticitatem, ἀκαιρίαν denique, quæ est importunitas, mirificè suo penicillo descripsit, quas Stobæus censuit ad insipientiam siue stultitiam debere referri. Si cui vacat, & lubet, per me licet harum exemplar ab autore petat. Breuitati consulimus. Respondet itaque Philo, Nullum maius malum accidere homini potest, quàm insipientia ἀφροσύνη, qui mentem, hominibus propriam, perdiderit. Προκοπῆς ἐμπόδιον, Proficiendi impedimentum vocat Bion. Cœca Menãdro dicitur. Nihil ea audacius esse Hesiodus pronuntiat. Menander θνητοῖς δυστυχία αὐθαίρετος, stultitiam mortalibus voluntarium esse infortunium. Est quoque ἀδελφὴ τῆς πονηρίας

Theophrastus.

Insipientia describitur.

Philo.

Secundum nomen, &c.

πονηρίας malitiæ germana soror, inquit Euripides. Reuera enim, vt docet S. Chrysostomus, οὐδὲν οὕτω ποιεῖ μωροὺς ὡς πονηρία, nihil sic stultos facit, vt malitia. Cùm enim aliquis fraudulentus est, cùm ingratus, cùm nullà affectus iniuria molestus est, quomodo is non extremæ præbet exemplum dementiæ? Ἀφροσύνη, inquit Aristoteles, ἐστι κακία τοῦ λογιστικοῦ, αἰτία τοῦ ζῆν κακῶς, Imprudentia siue stultitia rationis est vitium, malè viuendi causa. Sed hanc accuratius explicat Alexander Aphrodis. lib. 4. Quæstionum. Si, inquit, ἡ φρόνησις prudentia faciendorum & non faciendorum sit scientia, eorundem inscitia fuerit ἀφροσύνη siue imprudentia: καὶ ἄφρονες & imprudentes, qui horum aliquid ignorant, & in hisce falluntur. Quod si ita habet, non simpliciter omnes qui quapiam in re fallũtur, eum ob errorem ἄφρονες siue imprudentes fuerint. Haud enim vel cognitio vel error omnis in faciundis aut non faciundis existit. Etenim neque cognitio aut deceptio huius aut illius figuræ mundum esse, de faciundis est: neque an mundus genitus, ingenitusúe sit, aut finitus, aut infinitus, aut vnus aut infiniti: (expertem fidei nostræ Aphrodiseum memento) neque an stellarum numerus par sit, aut impar. Neq; quod altera mundi superior, pars altera sit inferior: nec denique eorum quicquam, vt summatim dicam, quæ solam cognitionem ac speculationem attinent. Cæterùm huiusmodi rerum scientia virtutis alterius est, non prudentiæ. Similiter quoque ἡ ἀπάτη περὶ αὐτά, οὐκ ἀφροσύνης, deceptio in his, non imprudentiæ, ἀλλὰ κακία τις ἄλλη, sed aliud quoddam vitium est. Ἀφροσύνης δέ ἐστι, inquit Aristoteles, Imprudentiæ autem est, iudicare peruersè de rebus, deliberare perperam, congredi ineptè, vti non posse præsentibus bonis, in falsam adduci opinionem, de ijs, quæ ad vitam sunt bona & honesta. Παρακολουθεῖ δὲ τῇ ἀφροσύνῃ, ἀπειρία, ἀμαθία, ἀκρασία, ἐπαρυστερότης, ἀμνημοσύνη, Sectatur autem imprudentiam siue stultitiam, inscitia, incontinentia, rusticitas, obliuio. Hæc ille.

Aristot. in libello de Virtutibus.

Alexander Aphrodis.

Aristoteles libro citato.

Stultitiæ pedisequæ.

Qui sunt igitur imprudentes siue stulti? τὴν ἀφροσύνην, Imprudentiam, inquit Plato, plurimi inter se partiuntur: & qui maiorem sortiuntur imprudentiæ partem, μαινομένους καλοῦμεν insanos furentésque vocamus: qui verò aliquanto minorem ἠλιθίους τε καὶ ἐμβροντήτους, stolidos atque attonitos. Qui autem honestioribus vocabulis eadem significare volunt, partim quidem μεγαλοψύχους magnanimos appellant, partim εὐήθεις minimè malos, quidam ἀκάκους, καὶ ἀπείρους, καὶ ἐνεούς, innocuos, & inexpertos, & stolidos. Inuenies quoque alia multa nomina, quibus omnibus ἀφροσύνη significatur. Sed iam olim satis supérque de nominibus, rem quærimus. Quos itaque stultos iure dicemus? Eósne, inquit idem Plato, φρονίμους sapientes putas, qui facienda dicendáque cognoscunt? Hos ipsos. Quos vero ἄφρονας stultos arbitraris? nonne qui neutrum istorum sciunt? ita sanè. Igitur, qui vtrumque istorum ignorant, stultos sese prodent, dicendo faciendóque ea quæ non conuenit. Alteram stultorum prærogatiuam Hesiodus annotat, quòd cùm ipsi cæco in errore versentur, nequaquam tamen bene consulentibus aurem accommodent.

Plato in Alcibiad. 2.

Stultorum plures classes.

Optimus quidem ille fuerit, quicunque sibi omnia
consuluerit,
Animaduertens ea quæ deinceps, ac in fine meliora sunt.
Bonus autem & ille est, qui benedicẽti obtẽperat.
Qui verò neque sibi sapit, neque ab alijs audita
Animo recondit, hic sanè vir est inutilis.

Hesiodus.

Pluribus Orphæus in præfatione de lapidibus.

Orpheus.

Vulgus hominum, inquit, simile feris, indoctúmque
Mentis indigentia diuinæ, neque ad consilium
Diuinum splendens mortalibus fugit ex malitia.
Neque diuinum aliquod opus vlla admiratione dignum
Nouit, sed nubes præcordijs ipsorum atra
Vndique circumposita, progredi floridum
Virtutis in pratum, fertigerúmque inuidet.

Quamobrem non imperitè Heraclitus, Κακοὶ μάρτυρες ἀνθρώποισιν ὀφθαλμοὶ καὶ ὦτα ἀφρόνων ἀνθρώπων, ψυχὰς βαρβάρους ἐχόντων. Mali sunt oculi & aures stultorum hominũ, qui barbara mente præditi sunt. Nam neque ipsi verum per se dispiciunt, neque docentibus fidem habent. Cum temulentis Socrates stultos conferebat. nam hi quoque mente ebrij, & titubare iudicio videntur. Nonnunquã etiam pueris & infantibus similes dicebat, qui nugis quidem delectãtur, à serijs rebus abhorrent. peregrinis item qui sibi semitam non sapiunt, sed palantes à via aberrant. Demades tibijs comparabat, quibus si linguã adimas, nihil est præterea. Democritus simulachris quæ corde carent. Stilpon etiam statuis duriores. Philippus cùm stultos Athenienses traducere vellet, asserebat eos similes esse τοῖς Ἑρμαῖς, quibusdã Mercurij statuis, quæ στόμα μόνον ἔχουσι, καὶ αἰδοῖα μεγάλα, nihil aliud quàm os habent, & magna pudenda. Quippe præter gulam, & linguæ intemperantiam, æstúmque libidinis, haud temere boni quicquam in stulto reperias. Cleanthes sola forma stultos homines à brutis differre dicebat. Stultum, si abundaret opibus, mãcipium aureum χρυσοῦν ἀνδράποδον Socrates nuncupabat. Laërti Vlyssis patri Ariston Chius, qui cùm agrum, vt scribit Homerus, studiosè coleret, suiipsius nullam rationẽ habebat: nam hi quoq; in augenda re familiari, & curanda cute occupati, animorum cultum negligunt. Obseruabat quoq; Crates stultos τοῖς τυμπάνοις posse componi: ἀνευ γὰρ δεσμοῦ καὶ ἀνάγκης, μηδὲν ποιεῖν τῶν δεόντων τούτων, quòd nisi vinculis & necessitate coacti officium non faciant. Stulti præterea vt animaduertit Sophocles,

Stultorum plura encomia.

τἀγαθὸν χεροῖν
ἔχοντες, οὐκ ἴσασι πρίν τις ἐκβάλῃ.
bonum manibus
Tenentes non agnoscunt, antequam amittant.

Est etiam hæc altera stultitiæ nota, quod stulti, vt inquit Democritus, semper absentium desiderio æstuant, præsentium tædio tametsi præstent afficiantur. At verò insignis stultorum inconstantia Scripturarum etiam testimonio celebris, quæ Matth. 7. stultorum fundamenta vocat, quæ in arena locentur: quæ subruit incidens aquæ vis, & procellæ deijciunt. Vita

SECVNDVM NOMEN, &c.

eorum, inquit Philo, tota hæret in ancipiti, & ex euentu pendet, quippe quæ βάσιν ἐχυρὰν οὐκ ἔχοντα, firmo careat fundamento. Et Proteus quidem, aiebat Socrates, formam; stultus autem animum vbique mutat & variat. Itaque neque res aduersas fert fortiter, neque secundis moderatè vtitur. Quam profectò stultorum inconstantia nescio an quisquam stylo elegantiore descripserit quàm Rhianus apud Stobæum Serm. 4. cuius hæc verba sunt:

Mortalium quanta in vtraq; sorte stultitia.

Omnes profectò erramus animis
Homines, & lance deorum distributa diuersa dona ferimus
Pectore insipiente. Nam qui victus inops
Fuerit, is grauem dijs culpam impingit,
Mœstus: virtutem verò suam, animúmque negligit,
Nec dicere quicquam fortiter, neque facere,
Præ timore audet, vbi viri locupletes adfuerint.
Sed animum eius absumunt pudor & mœstitia.
At qui secundam fortunam, & opes à Deo collatas habuerit,
Et regnum in multos: hic obliuiscitur, quod telluri
Pedibus insistat, & mortales ei sint parentes:
Sed arrogans, & animo peccans,
Instar Iouis tonat, & caput supra ceruicem tollit,
Quamuis paruus homo, pulchrisque decoram cubitis Mineruam ambit.
Denique viam vbique requirit ad Olympum,
Vt numeratus inter deos epulis iungatur eorum.
Ast Ate lenibus adcurrens pedibus,
In vertice capitis insperata, nullique visa,
Iam quidem vetulis ipsa iuuenili forma, iam verò contrà
Iuuenibus senili insistit facie fraudulenter,
Ioui Deo terribili, & Iustitia gratum faciens.

Agnosce verò & aliud ab Eusebio stultitiæ symbolum. Stulti, inquit, homines, prædiuites quidem vtcunque malos colunt & admirantur: bonos verò, & primùm inopes esse intelligunt, contemptui habent & aspernantur. Stultus item, inquit Hesiodus,

Ἄφρων est quisquis præstantioribus certare vult,
Et victoria priuatur, & dedecore supra dolorem afficitur.

Petrus Gregorius.

Petrus Gregorius Iur. Syntag. lib. 13. cap. 5. cui titulum fecit, De curatore mente captorum, & furiosorum, postquam insanorum complures species edidit ex sententia medicorum, quibus iure Ciuili curatores dandi sunt, vniuersos tandem in tres classes distribuit. Horum, inquit, fatuorum & stultorum tres gradus ego constituo. Primum in illis, qui simpliciter fatui sunt, & temerè, prout in mentem venit, de omnibus iudicant sine discretione, & arrogantia. Secundum in illis, qui cùm fatui sint, tamen se sapientes arbitrantur: & horum *infinitus est numerus*, vt ait Salomon Ecclesiast. 1. *Et via stulti recta est in oculis eius.* Prouerb. 12. & 26. Et vereor, ne, si oporteret curatores illis dare, pauci forent, qui curatoris munere fungi possent. Tertium constituo in illis, qui cùm stulti sint, insigniter, latéque ebiberint ex flumine Cesco vrbis Siciliæ, quod ἄνω dicitur, tamen alios stultos putant, séque solos sapien-

Suidas in verb. *Cesco.*

A tes: minimam nec scintillam mentis habentes, nec se, nec alios cognoscentes. Et cùm nihil norint, omnia tamen superbè iudicant. Insanabiles certè cùm non sentiant morbum, nec erubescant vt priores. Hæc ille. De hoc genere vt videtur queritur Terentius.

Terentius in Adelphis act. scena 1.

Homine imperito nunquam quicquam iniustius,
Qui nisi quod ipse facit, nihil rectum putat.

Hunc verò Theognis stultum pronunciat.

Quicunque, inquit, *nihili æstimat alium,*
Séque putat solum varia consilia nosse,
Κεῖνος γ' ἄφρων ἐστί, νόον βεβλαμμένος ἐσθλῶν
Desipit, atque bona mentis est expers.

Nabalis stultitiaque habēda fit.

In hunc potissimum ordinem Nabal referendus videtur, & quidem satis dignus qui chorum ducat. Nam fatuitatem, vt dudum satis ex ijs, quæ supra diximus, constat, aliam in-B telligere debemus quæ cum hominibus nascatur, quam naturalem dicere possumus: verùm ea qui laborent misericordia digni potius quàm supplicio habendi sunt; aliam autem quæ ab impietate & malitia oriatur. Hoc genere stultitiæ certum est insanijsse Nabalem. dicitur enim *filius Belial*. Ea est autem vis impietatis, vt homines stultos & amentes reddat. Itaque scribitur, *Excæcauit eos malitia eorum.* Et Paulus ad Roman. cùm dixisset sapientes & philosophos *inuisibilia Dei ex ipsa creatione mundi*, & æternam potentiam, & diuinitatem Dei intellexisse, subiecit, ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν. Cùm enim nouissent Deum, tamen illi gratias non egerunt. Sed pro suo insano sensu finxerunt, illum non curare res humanas, C nec videre, quid inter homines gereretur: ita bonum, vt malo peccantes non afficeret: postremò, qui eorum, quos non nossent, siue hominum siue dæmonum idolis fictísque imaginibus coli vellet. Ita infatuati sunt: καὶ ἐσκοτίσθη ἡ ἀσύνετος αὐτῶν καρδία, *obscuratum est, tenebris & caligine obductum est, insipiens ac stultum cor eorum.* Ieremias Deum querentem inducit, *Populus meus stultus non cognouit me.* Quo loco sanctus Hieronymus, Ea vera est, inquit, stultitia non cognouisse Dominum: præsertim verò cùm bos & asinus cognoscant herum suum. Et Dauid in Psalm. *Dixit*, inquit, *insipiens in corde suo, Non est Deus.* quo in loco vsus est hac ipsa voce, *Nabal.* An reuera talis fuerit iste Nabal, qui Deum esse negaret, aut idolorum studio teneretur, Scriptura D quidem non loquitur: non dubitem tamen quin fuerit, quod quidam ait, Numinis cultor parcus & infrequens, & pompa duntaxat festísque epulis religionem mentiretur. Cum quibusdam iam olim Dominus expostulat: *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me.* Et Ioannes Epistol. prima capite tertio vers. decimo septimo, *Qui habuerit*, inquit, *substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo?* Sed demus Nabalem hunc à syncero Dei cultu non desciuisse, non solùm is populus insipiens aut stulta gens audit, quæ oblita est Domini creatoris sui, sed aliorum quoque flagitiorum rei nonnunquam eo nomine designantur. Nam

Stulti omnes impij.

Principes

SECVNDVM NOMEN, &c. Principes qui libidinis impotentia ferunt, & in amicorum thoris bacchantur, vt Achab & Sedecias, stulti ab Ieremia nuncupantur cap. 29. Deinde qui despondent animos, & diuini auxilij spem abijciunt, hi quoque stulti esse, & stultè facere in Scripturis afferuntur. *Quasi vna de stultis mulieribus loquuta es*, respondit Iob vxori suæ, cùm præ doloris impatientia vt desperaret, & sibi exitium accerseret, eundem instigaret. Postremò qui meliores se despiciunt, hi quoque Nabales siue stulti nominantur. Quam ob causam non immeritò Abigail quadrare hoc nomen viro suo prædicat.

Ego autem non vidi pueros quos misisti.] quoniam obijci poterat, si vir tuus fatuus erat, te tamen, cùm valeres ingenio, oportuit ista curare: respondit Abigail, se de illa legatione Dauidis nihil audiuisse. Atque ita obscurè perstringit illos nuntios, quod nihil sibi indicassent.

Nunc ergo viuit Dominus.] Abigail cùm deprecata esset culpam, multis rationibus suasit Dauidi vt vindictam remitteret. Prima sumitur ab autoritate Dei. Non debes, inquit, putare me miseram mulierculam tibi ista dicere. Deus ipse me excitauit, vt te à scelere retraherem. Illi fidem habere debes non mihi. quo autem illum magis moueat, interponit iusiurandum. Nō temerè, aut leuiter ita iurat: sed vt seipsam, & maritum liberaret à periculo, & Dauidem à cæde reuocaret. quoniam autem iurare non oportet nisi de re certa, videbat illa se moueri non tātùm interno impulsu spiritus, sed etiam externo verbo Dei. quisque enim debet fratrem suum à peccato, quātum potest, prohibere. Nam si iubemur bouem, aut asinum educere, si forte hæserit alicubi in fossa, quāto id magis præstare debemus fratri nostro? Facit autem id Deus modò per Scripturas, modò per concionatores, modò per amicos nostros: quos putare debemus, haud dubiè missos esse à Deo, vt labenti nostræ miseriæ suppetias ferant.

Viuit Dominus.] S. Hieron. putat, hoc iusiurandum habere antithesin ad idola Gentium. Illi enim dij, quales erant Saturnus, Iupiter, Mars, erant reuera mortui. Solus autem Deus verè viuit. *Et viuit anima tua.*] Per creaturam iurare videtur, quod nefas est. quid enim est iusiurādum? Attestatio diuini nominis ad confirmationem eorum, quæ aut diximus, aut promisimus. Cùm Deus aduocatur testis, defertur illi cultus, isque summus, & singularis. Ita enim testamur, Deum præsentem esse vbique, & omnia videre, & vindicare velle, si quis delinquat. Hæc non conueniunt nisi in solum Deum: nam Angeli nec vbique sunt, nec, præterquam in verbo, vident omnia. Cultum autem omnem proficisci oportet à fide: eam verò, quoniam de Angelorum vbique præsentia nihil ex sacris literis, aut sacrorum Conciliorum sanctionibus, comperti habemus, necesse est nullam esse. Quid ergo illos aduocamus testes, à quibus, si per se spectentur, nescimus an audiamur? Deinde quos volunt, punire non possunt, sed diuino parent imperio. Quare ista pertinent ad solum Deum. Ita decernitur in Deut. 6. cap. *Diliges Dominum Deum tuum, & illum*

Non licet iurare per creaturas.

A *solum coles, & iurabis per nomen eius.* His iusiurandum adiungitur ad cultum Dei. Stultè ergo & impiè fecit Socrates, cùm iuraret per canem, & anserem: & Manichæi, cùm iurarent per lumen. S. Hieron. in illa verba Christi apud Matth. *Non iurabitis neque per cœlum, neque per terram.* Non prohibet, inquit, ne iuremus: sed ne iuremus per creaturas. Et in Concilio Carthaginensi 4. qui locus etiam citatur 22. *quæst.* 1. *ca. Clericus*, vetitum est, ne quis iuret per creaturas. Et additur, Si Clericus ita iurauerit, vt excommunicetur, & deponatur. Sed annotare debemus, Deum aduocari testem interdum nō simpliciter, sed vel cum votis & precibus, vel cum diris & execrationibus. Cum precibus, vt, cùm dicimus, Ita viuam, Ita me Deus adiuuet, Sic Ioseph iurauit, *Viuat Pharao*: ac si diceret,
B Ita viuat Pharao, vt hoc verum est quod dico. Et consueuerunt olim iurare per genium Cæsaris, & per salutem filiorum eius. Sed ea formula sublata est in Codice. Diræ autem sunt huiusmodi: Malè mihi sit: aut, Dispeream. Ita Dauid in Psal. *Si feci, inquit, istud, & est iniquitas in manibus meis, auferat hostis gloriam meam, & conculcet ad terram vitam meam.* In istis duabus formulis nihil obstat quo minus interponi possit nomen alicuius creaturæ: cui aut bene velimus, aut malè. Nomen autem illud creaturæ obliquè tātùm interponitur. Neque enim est directum aut plenum iusiurādum. Ita enim resolui potest: Ita viuam, hoc est, Ita Deus det mihi vitam: Aut, Ita disperdam, hoc est, Ita me Deus perdat, calamitate opprimat. Hic nomen Dei supprimitur; cùm reuera vniuersa vis
C & attestatio iusiurandi ad illum solum referatur. Vt è diuerso, cùm dicimus: *Hæc mihi faciat Deus, & hæc addat*, exprimitur nomen Dei: res autem ipsæ reticentur. Habetur nonnunquam & ratio dignitatis personarum, aut præstantis virtutis, vtpote sanctitatis, aut Sacerdotij, vel etiam Principatus, quæ omnia vt Dei manifesta beneficia, & in quibus præcipuè colitur, cùm in testimonium citari videntur, Deus ipse qui horum autor & patronus est, non autem creatura aliqua, religiosè compellatur. Sed de his iam antè accuratius.

Qui prohibuit te ne venires in sanguinem.] Ruit quidem suopte pondere humana infirmitas in peccatum, sed Deus non rarò prohibet ne meditatum scelus perficiamus. Quod si ne volun-
D tate quidem facinus complexi simus, aut etiam cogitatione attigerimus, illud quoque eiusdem bonitati acceptum referendum est, quæ sponte labentibus suo beneficio præuertit. Frustrà igitur virtutis aut innocentiæ nomine quisquam gloriatur & insolescit. Boni quicquid fecisse videmur, ex illo fonte manauit. Sed nec mala quidem vitare possemus, nisi eiusdem præsidio freti. *Et saluauit manum tuam tibi.*] Ergo idem nos ab iniuria vendicat, & in nobis innocentiam tuetur. Stuprum, manifesta pernicies: rapina item, & cædes, & sacrilegium: eò nos tamen cupidinis æstus, habendi sitis, & vlciscendi libido transuersos rapiunt. quis impetum cohibet? quis ab exitio liberat? Ipse Deus, inquit Abigail, *saluauit manum tuam tibi. Seruauit* ergo

VIVIT DOMINVS &c.

Iurandi duplex formula.

Deus autor quidem boni, mali autem depulsor est.

VIVIT DOMINVS, &c.

perierat? Haud dubiè, si quà cœperat Dauid irrupisset, & quod iam apud se decreuerat, dexteram suam innoxio sanguine polluisset. Perit ergo qui seipsum vlciscitur, & mortem autori suo vindicta parit: contrà qui parcit, seipsum seruat, & qui alteri indulget, seipsum ab interitu redimit. *Qua mensura*, inquit, *mensi fueritis, remetietur & vobis.* Nec sibimet tantùm consulit qui culpam alteri condonat, verùm etiam eum qui deliquit, obiurgando atque monendo, & ad officium reuocando, sempiterni leti discrimini eripit. *Vade*, inquit, *& corripe eum inter te & ipsum solū. Si te audierit, lucratus eris fratrē tuū.* Itaq; vindictę appetitus insonti perniciē creat: culpæ condonatio etiam reo salutem conciliat.

Fiant sicut Nabal inimici tui.] Ratio argumēti hæc est: Prudentes non debent curare res superuacuas, & inutiles. Inutile autem est, velle expetere vindictam ab isto homine. Deus enim vlciscetur iniuriam suam in illum, etiam absq; opera & labore tuo. Quare debes illi relinquere vltionem. Quidam putant Abigaëlem his verbis prophetice prædicere, quid marito suo esset euenturum. Potest etiam non incommodè sic exponi. Conuitiatus quidem est: sed non est iis viribus, vt te possit lædere. Vtinam omnes hostes tui ita reddantur imbecilles & fatui. Mihi videtur captare misericordiam à persona Nabalis, ac si diceret: obtrectator ille laudum tuarum, & accusator innocentiæ, nunc præ sua stultitia in manu tua est, & potentiæ tuæ iacet obnoxius: arbitrij tui est, quid de illo statuas. Etsi verò nihil addat præterea, nec vitam illius ab eo deprecetur, professio tamen ista deditionis, & prostratæ superbiæ, clementiam non obscurè implorat. Solent enim quicunque sunt generoso atque excelso animo præditi, vbi hostis ferociam fractam vident, & in potestatem suam venisse, ad mitiora consilia inflecti. Addit vero & faustam precationem, quæ non ferum ingenium, sed sua sponte satis ad indulgentiam propensum non mediocriter impellat. *Fiant*, inquit, *sicut Nabal inimici tui, & qui quærunt mala Domino meo.* Sensus esse videtur. Nolim Domine, stulto homini tuo periculo parcas: sed vt ad hanc calamitatem nihil addas, satis iam satis per se supplicij tulit. ipse sibi pœna est, & vecordia sua seipsum excruciat. Non est porrò quod eum timeas, aut insolentem audaciam reformides: caret enim iudicio ac ratione, nec cuiquam negotium exhibere potest, sola linguę petulantia & inconsiderantissima temeritate armatus.

Generosi quique hostis calamitate commouentur.

VERSVS XXVII.

Quapropter suscipe benedictionē hanc, quam attulit ancilla tua tibi Domino meo: & da pueris qui sequuntur te Dominum meum.

VERSVS XXVIII.

Aufer iniquitatem famulæ tuæ: faciens enim faciet Dominus tibi domino meo domum fidelem, quia prælia Domini, domine mi, tu prœliaris: malitia

A ergo non inueniatur in te omnibus diebus vitæ tuæ.

Benedictio Hebr. ברכה *berachah*, quæ dictio benedictionem, salutationem, donū, beneficium significat. *Benedictionē* vertit Pagn. LXX. τὴν εὐλογίαν; Chald. *oblationem*; *donum* Vatablus. Pagn. *pueris qui ambulant ad pedes domini mei.* *Pedes* volunt μεταφορικῶς poni pro vestigijs; ita vt nihil aliud ea phrasis significet, quàm quod exprimit Vulgata translatio. Arias, *ambulātibus in pedibus Domini mei.* Sept. τοῖς παιδαρίοις τοῖς παρεστηκόσι τῷ κυρίῳ μου. *qui assistunt domino meo.* Vatablus, *qui à pedibus sunt domini mei.* Et in Schol. Hebraismus, *qui ambulant in pedibus*, id est, ministrant domino meo, quasi dicat, Iube illud

Variæ trāslationes.

B excipi à famulis tuis qui inseruiunt tibi. Chald. idem prius senserat: *Et dabitur pueris qui ministrant ante dominum meum.* Secunda propositio est, qua primùm oblato munere, crimen, quod in se transtulerat, sup. vers. 24. deprecatur.

Versu 28. Pagnin. *Parce obsecro præuaricationi ancillæ tuæ.* Sept. ἆρον δὴ τὸ ἀνόμημα τῆς δούλης σου. *Aufer iniquitatem*; Chald. *ignosce culpis ancillæ tuæ.* Vatabl. *remitte transgressionem ancillæ tuæ.* Alius, *condona, quæso, defectionem ancillæ tuæ.* [*Faciens enim faciet Dominus tibi domino meo domum fidelem.*] Confirmatio est propositionis suæ à promissione Dei, cum officio Dauidis coniuncta: quo argumento vsa est supra 26. pro Nabale. Quidam ita vertit, *Nam planè parabit Iehoua Domino meo domum firmam.* id est, regnum firmius quàm fuerit Saulis. *domum,*] *familiam re-*

C *giam* Vatablus interpretatur; Sept. οἶκον πιστόν, *domum fidelem*; Pagnin. *stabilem.* Chald. *firmando firmabit domino meo regnum firmum.* *Quia prælia Domini, domine mi, tu præliaris.*] non autem priuatas, vt quidam, notat, vltiones tuas. Interpretatur autem tanquam ex pacto seu placita conditione: *Si bella Iehoua Dominus meus gerat, & malum non inueniatur in te in diebus tuis.* Absolutè Vatablus cum Vulgata has causas seu rationes agnoscit, ob quas stabile futurum sit Dauidis regnum. *Nam dominus meus bella gerit Domini, mihi mali hactenus dum vixisti* (Hebr. *à diebus tuis,*) *inuentum est in te.* Si enim idcirco Saulis regnum concidit, quòd scelere atque inobedientia iram Dei prouocarit; vtique thronum tuum nulla poterit obruere calamitas: si-

D quidem nullo flagitio innocentiam commaculasti tuam. Sic etiam Pagninus, & Chaldæus conueniunt, & ad tempus elapsum referunt. *Prælia Domini, Prælia populi Domini* Ionathan exponit. Septuag. sunt in eadem sententia, nisi quòd tempus futurum respiciunt. ὅτι πόλεμον κυρίου ὁ κύριός μου πολεμήσει. Καὶ κακία οὐχ εὑρεθήσεταί ἐν σοὶ πώποτε, *quia prælium Domini dominus meus præliabitur, & malitia non inuenietur in te vnquam.* Prophetice dici potuit: quanquam etiam ad persuadendum simili dicendi formula non rarò vtamur.

Quapropter suscipe benedictionem hanc.] Quo magis animum Dauidis auertat à cogitatione vindictæ, & ad misericordiam inflectat, offert illi munera: eáque appellat *benedictiones*: quemadmodum

QVAPROPTER SVSCIPE, &c. Benedictio & benedicere.

admodum Paulus quoque Sanctorum munera appellauit εὐλογίας. Ita & Iacob loquutus est ad Esau. Fungerus in Etymolog. Trilingui, *Benedicere*, est bene ominari, fausta precari, & animi fauorem studiúmque iuuandi declarare. Græci εὐλογεῖν, i. εὐφημεῖν, quod interpretantur τὰ καλὰ καὶ πρέποντα λέγειν. Hinc εὐλογία & εὐφημία benedictio, καλὴ λέξις. Cùm tribuitur Deo, significat bona præsentia nouis ornare ac confirmare: cùm verò homini, tum bene precari alicui significat, & grati animi beneuolentiam verbis gestu aut etiam factis testari. Hebr. ברכה *beracha*, à verbo ברך *barach*, precatus est, benedixit, beatum prædicauit; item flexit genu. Vocant enim genu ברך *berech*, quod solemus inflectere cùm cuiquam benedicimus, aut saluere valeréue iubemus. Græcis inquit idem Fungerus βρέχω *flecto*: & latinis *precor*. Atque per metathesin posito μ pro ב μακαρίζω, beatifico. De Iosepho Moses narrat, Genes. 4. ver. 43. quod præco iubente Pharaone cùm eidem præiret, clamauerit, אברך *Abrec*, *flecte genu*, quod imperandi modo dicitur, Gall. *Qu'on s'agenouille*. *Barac* enim non modò verbis benedicere, sed hoc quoque corporis gestu habitúque præ se ferre significat. Hæc ferè ille autor.

Apparet mendū esse LXX. nōnūquā vertūt ἔκαμπτε ἐπὶ τὰ γόνατα, procedit in genua. Dan. 6 10 ἦν κάμπτων ἐπὶ τὰ γόνατα, procumbens, &c. Pollux.

Τὴν εὐλογίαν.] Apud Pollucem lib. 2. cap. 4. sect. 26. εὐλογεῖ, εὔλογος, εὐλόγως. Interpres reddidit, Consentaneum, prudens, prudenter. & ex Isocrate εὐλογώτερος, prudentior. εὐλογεῖν εὐλογήσασθαι, εὐλογία, benedicere, celebrare, benedictio. Hactenus ex Polluce. Apud Platonem εὐλογία, est bona oratio: εὐφημία, benedictio vel salutatio, seu votum vel sanctificatio. Sunt qui velint benedicendi verbo siue εὐλογίας, propriè significari beneuolentem precationem, seu salutationem, seu votum, atque hoc multis locis adhiberi, ita vt etiam effectum qui faustam precationē sequi debet, hoc est, beatitatem significet. Neque enim, quod ad hominē spectat, & quantum in eo situm est, aliud est benedicere (εὐλογεῖν) quàm bene alteri precari, & eidē Dei benedictionem, & quæ eandem consequuntur beneficia, exoptare. Sanctificare etiam significat cùm ad nostra mysteria refertur, quod nihil aliud est quàm elementa Sacramentorum diuina quadam virtute donare, aut etiam in Christi corpus, quod εὐχαριστίαν dicimus, admiranda metamorphosi commutare. Sic enim 1. Corinth. 10. accipitur, τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας ὃ εὐλογοῦμεν, *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* Verùm hæc proximè ad religionem. Erant secundum hæc quæ dicebantur etiam εὐλογίαι, quarum Monachos, qui in classem pœnitentium relati essent, participes esse licuit. Τοὺς ὄντας, inquit Nicephorus Homilogeta in Canon. Εἰ ἐπιτιμιοῖς μοναχοὺς χρὴ συνεσθίειν καὶ συνεύχεσθαι, μετέχει δὲ καὶ εὐλογίας, ἤγουν κατακλαστοῦ, ἅμα τοῖς αὐτοῖς ἐξομολογούμενοι. Monachos, qui delictorū pœnas luerēt, simul comedere simúlq precari oportuit, & εὐλογίας si ue benedictionis esse participes. quæ autē esset illa benedictio siue Eulogia, subinde interpretatur, ἤγουν κατακλαστοῦ. erant scilicet frusta panis benedicti, quo etiam nūc in Ecclesia fruuntur, qui Eucharistiæ non participant. Socrates lib. 7. c. 12. Ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας οὐδὲν ἐδέξατο, πλὴν κατὰ κυριακὴν δύο ἄρτους τῶν εὐλογιῶν ἐλάμβανεν. Ab ecclesijs percipiebat nihil, nisi quòd die Dominica duos panes Eulogiarum siue benedictionum accipiebat. Ioannes Moschus Limonarij cap. 42. Misit, inquit, ad illum Abbas Conon dux Lauræ Sancti patris nostri Sabæ Sudarium, vnam habens benedictionem, & numismata sex, &c. Senex autem benedictionem quidem retinuit, numismata verò remisit. Et cap. 85. Acciperent medium tritici sextarium, benedictiones tredecim, & sextarium vini. Capitul. Ludouici Imperat. Additione 1. tit. 68. Decernitur, Vt Eulogiæ fratribus à presbyteris in refectorio dentur. Meminit & S. Aldhelmus eulogiarum in lib. de laud. Virgin. Regula S. Benedicti cap. 45. Synodus Meldensis can. 9. Burchardus Decret. lib. 5. cap. 27. Iuo part. 2. cap. 37. Ordo Rom. de diuin. Off. in vita Frontonij. Eas denique eulogias indigentibus distribuit, quas acceperat. Extat etiam vt notat Lindenbogus in suo Glossario, in Ms. C. Marculf. bibliothecæ Reg. Gall. Formula de eulogijs dandis: sed quæ propter libri venustatem legi non potest. Sed præter has, quæ secundo gradu ad religionis ceremonias pertinebant, illæ quoque à Sanctis dictæ sunt Eulogiæ, quæcunque dona amicitiæ nomine, aut charitatis gratia, deuotis amicis aut egenis impertirent. Hoc enim ab ijs qui acciperent intelligi volebant, se quidem illis bene optare ac velle, & quantum in ipsis situm esset animo libenti ac prolixo facere, cæterùm diuina munera esse quæ largirentur, eiq. gratias habendas esse.

εὐλογίας plures acceptiones.

Nicephor. Homol.

Panis benedicti vius apud antiquos.

QVAM ATTVLIT, &c. Socrates.

Ioan Moschus.

Capitular. Ludou.

Munera Eulogiæ dictæ.

Quam attulit ancilla tua domino meo.] Cùm olim matrona quædam munera S. Edmundo offerret, qui postea Cantuariensis Archiepisc. factus est, veteratoris inimici artes veritus, percontatus est, an conscio marito hæc sibi dona tribueret? quæ cùm latere virum assereret, dandámque operam ne resciret, Atqui ego, inquit, clandestinis muneribus, quæ vir tuus ignoret, affici non patiar. Quamobrem? Quoniam, vt eius vitæ Scriptor testatur, his illecebris dæmon captabat iuuenem, & labefactare eius constantiam, atque ad libidinem inflectere tentabat. Quantum autem in hac parte nuptis liceat, iam antea copiosè disseruimus. Itaque Dauid Abigaëlem haud pariter interrogat. Halicarnasseus facit vxorem νοσφισαμένην χρήματα τι καὶ ἱερῶν. Itaque etiam apud Romanos, vt Paulus habet *l. 1. D. de actione rer. amotarum*, Rerum amotarum iudicium singulare introductum est aduersus eam, quæ vxor fuit: quia non placuit cum ea furti agere posse: quibusdam existimantibus, ne quidem furtum eam facere, vt Nerua Cassio; quia societas vitæ quodammodo dominam eam faceret: alijs (vt Sabino & Proculo) furtum quidem eam facere, sicuti filia patri faciat: sed furti non esse actionem constituto iure. in qua sententia & Iulianus rectissimè est. Hæc Paulus. Marcianus verò ibidem 25. Rerum amotarum, ait, iudicium sic habet locum: si diuortij consilio res amotæ fuerint, & sequutum diuortium fuerit.

S. Edmundus clandestina vxoris munera respuit.

An vxor subducens aliquid marito furtum faciat. D. rer. amotar.

QVAM ATTVLIT, &c.

Et Vlpianus l. 17. Res amotas non solùm eas, quas mulier amouit cùm diuortij consilium inisset: sed etiam eas, quas nupta amouerit, si cùm discederet, eas celauerit. Cui consentit Marcianus: si in matrimonio, inquit, vxor marito res subtraxerit, licet cessat rerum amotarum actio, tamen ipsas res maritus condicere potest. Nam iure Gentium condici posse puto res ab his, qui non ex iusta causa possident. Rerum verò amotarum actionem, condictionem esse Gaius ait. Et ideo sine ignominia & infamia est. Neque verò id adeo mulierum iuri detrahit. Nam vt Vlpianus autor est l. 7. Mulier etiam habebit rerum amotarum actionem aduersus virum. Et compensare potest mulier cum actione, quia maritus agere vult ob res amotas. Hæc illi. Qui duas ob causas videntur rerum amotarum actionem aut etiam condictionem probare. Si mulier paraphernа siue priuata bona habeat, quæ cum viro non communicet, & ea studeat familiæ detrimento cumulari: aut si diuortium faciat, & ea secum auferat, quæ ad maritum pertinent. Diuortio quidem Hebræorum coniugibus interdictum fuit, vt suprà ex Iosepho didicimus: an verò penes eas maneret potestas aliqua peculij, non legi, præter addictas priuatim ancillas vxoribus Iacob Racheli & Liæ. Cæterùm, cùm de pijs largitionibus agitur, quæ familiæ nihil incommodent, sed ad salutem eius conferantur, nihil alienum deriuat mulier in proprium commodum, nec videri potest rerum amotarum actione teneri.

Et da pueris qui sequuntur te.] Est in his verbis magna emphasis, quasi diceret: Ista tua quidem virtute non sunt digna: Distribue tamen illa seruis tuis. Hæc ostendunt, illam antea ignaram fuisse, quid ageretur. Nam cùm nunc vltro ita prolixè offerat, tum certè non negasset petita. Itaque verbis donum non exaggerat, nec oratione largitionem suam amplificat. Ast olim cum B. Melania, vt est apud Palladium cap. 10. argentea vasa ad Abbatem Pambo attulisset, & ipse neque illam propterea laudaret, aut dona magnifaceret, Domine, inquit, vt scias, sunt trecentæ libræ argenti. At ille mox, Non opus est, inquit, vt à te discam quantitatem ponderis. Qui enim montes appendit & syluas in statera, multò magis scit quantitatem tui argenti. Si enim hæc mihi dares, rectè mihi pondus dixisses: sed si Deo ea obstulisti, qui ne duos quidem obolos despexit, sed eos plusquam omnia æstimauit, tace. Hæc ille.

Munus suũ verbis non exaggerat.

Aufer iniquitatem famulæ suæ.] Suam vocat, quoniam ante dixerat: *In me, Domine mi, sit hac iniquitas.* *Faciet enim tibi Dominus domum fidelem.*] Fidelem, inquit, domum, id est, certam, stabilem, constantem, vt regnum perpetuò sit in tua familia. Antithesis est ad regnum Saulis. Nam in eius domo possessio regni non satis cõstanter hærebat, sed nutabat, & caduca videbatur. Si seruaueris, inquit, nobis domum nostram, etiam Deus tibi seruabit tuam. Deus tuus bonus est: eius tu debes bonitatem imitari. Quod si cædem iniustè feceris,

A

fortasse euertes res tuas, vt Saul euertit suas. Deus dedit tibi robur, vt prælieris prælia Domini. Ea tu non debes tanta turpitudine commaculare. Ne admisceas latrocinia tantis tuis victorijs. Deus enim te ad pugnandum vocauit, non ad latrocinandum. Ita prudens mulier admonet Dauidem muneris, atque officij sui. Quidam putant ista Abigaëlem dixisse prophetice, quod Deus illi intus in animo indicasset, Dauidem fore regem. Verisimilius est, notum iam in vulgus fuisse, inauguratum regno Dauidem à Samuele extitisse. Addit enim postea, quod *loquutus est Dominus de te.* Commendat eum etiam à iustitia. *Hactenus*, inquit, *non est inuenta iniquitas in manibus tuis.* Sic enim plerique interpretes exponunt, & ad tempus præteritum referunt. Vulgatus tamen cum Græcis maluit futurum tempus intelligere.

FACIET TIBI DOMINVS,

B

Malitia ergo non inueniatur in te omnibus diebus vitæ tuæ.] Non enim decet te, cùm ad res præstantissimas delectus sis, te omnium vilissima atque abiectissima peccati macula splendorem tui nominis inficere. Καὶ κακία οὐχ εὑρεθήσεται, *Et malitia non inuenietur*, seu potius vt Vulg. optandi modo, *Malitia ergo non inueniatur in te.* Suidas in verbo κακία. Interpres malicia, vitium, timiditas, ignauia. Ita Plato. Ælianus in Var. Histor. Quisquis aciem deseruit, illum Legislator morte mulctat, κακίᾳ τὴν τάξιν, &c. quia per ignauiam deseruit stationem, in qua collocatus fuit. Et rursus. ἀνάγκης καλούσης μὴ εἴκειν κάκῃ. Necessitate vocante, non oportet ignauiæ cedere, eique indulgere. Infrà verò, κακία διώνυμός ἐστιν ἡ λέξις, hæc vox duplex nomen habet. ἡ ὄντως κακία, nam & verè vitium est, ac improbitas ita vocatur. Vt scortatio, adulterium, auaritia, periurium, obtrectatio. Fames verò, & pestilentia, mortes, & morbi, & eiusmodi cætera non sunt *propriè* mala, quia sæpe nobis bonorum causæ sunt. Et de hoc malo loquitur Propheta, quum ait: Οὐκ ἔστι κακία ἐν πόλει, ἣν κύριος οὐκ ἐποίησε. *Non est malum in ciuitate quod non fecerit Dominus*, Item, Ἀνάλογον, inquit, ταῖς ἀρεταῖς αἱ κακίαι, vitia, virtutibus per quandam proportionem respondent. Nam alia quidem sunt prima, alia verò his subiecta. Vt, imprudentia, ignauia, iniustitia, intemperantia, incontinentia, ingenij tarditas, mala deliberatio. Vitia porrò ab ignorantia manant. Coniunctæ sunt autem cum vitijs & ipsæ vitiosæ actiones. Accessiones verò vitiorum, & quæ ijsdem malitia adnascitur, vt puta desperatio, ægritudo animi, & similia. Triplicem alij respectiuam malitiam siue σχετικὴν constituunt: τὸ αἰσχρὸν turpitudinem; ἀξύμφορον, inutilitatem aut incommodationem; τὸ λυπηρὸν iniucunditatem siue molestiam. Hæc per antiperistasim bonum oppugnant, quod honestum vtile, atque iucũdum esse prædicatur. At Tullius dictionis vim perpendens accuratius. Virtuti inquit Tusculan. 4. contraria est vitiositas. Sic enim malo, quàm malitiã appellare, quam Græci κακίαν vocant. nam malitia certi cuiusdam vitij nomen est, vt vitiositas omniũ. Quod illud vitiũ? Docet idem Tull. 3. de Natur. Deor. Malitia, inquit, est versuta & fallax nocendi ratio.

Malitia plura significat.

Suidas.

Ælianus.

C

D

Tullius.

Quid propriè malitia.

ratio. Et Suidas, κακία δέ ἐστιν, ἡ τοῦ κακῶσαι τὸν πέλας σπουδή. παρὰ τῷ ἀποστόλῳ, Apud Apostolum verò malitia est, alios lædendi studium. Ab hoc studio Dauidem Abigail, tametsi iniuria lacessitum, innocentiæ studio nititur auocare.

FACIET TIBI DOMINVS, &c.

Non est porrò offensus Dauid, nec ægrè tulit à muliercula doceri; id quod eo admiratione dignius est, quod iam conuitijs laceratus excanduerat. Sed *Spiritus* scilicet *vbi vult spirat, & vocem illius audis.* Videtur autem Tertulliani exordium lib. ad Martyras huic loco apprimè conuenire. Inter carnis alimenta, inquit, (nam & illa afferebat) benedicti Martyres designati, quæ vobis & domina mater Ecclesia de vberibus suis, & singula fratres de operibus suis proprijs in carcerem subministrant, capite aliquid & à nobis, quod faciat ad spiritū quoq; educandum. Carnem enim saginari, & spiritū esurire non prodest. Imò si quod infirmum est, curatur: æquè quod infirmius est, negligi non debet. Nec tantus ego sum, vt vos alloquar. Veruntamen & gladiatores perfectissimos non tantùm magistri & præpositi sui, sed etiam idiotæ, & superuacuè quique adhortantur de longinquo, vt sæpè de ipso populo dictata suggesta profuerint. In primis ergo benedicti, &c.

Tertull. ad Martyras, cap. 1.

Dauid non ægrè fert à fœmina doceri.

VERSVS XXIX.

Si enim surrexerit aliquando homo persequens te, & quærens animam tuam, erit anima domini mei custodita quasi in fasciculo viuentium, apud Dominum Deum tuum: porrò inimicorum tuorum anima rotabitur, quasi in impetu & circulo fundæ.

Variæ trāslationes.

PAgninus, *Et surrexit homo, &c. anima domini mei colligata in fasciculo vitæ* (Arias, *vitarum.* Hebr. החיים *habhaiim*, à חיה *hhaiah.*) *cum Domino Deo tuo.* Musterus, *Vnde cum surrexerit quispiam, & persequatur te, &c. ligata quasi in fasciculo viuentium.* Idem in Annot. Sensus est: Protegat te Dominus sub alis suis ab inimicis tuis, sicut illi tutissimè viuunt, qui apud Dominum viuunt, vel sub Domini protectione viuunt. Intelligunt enim Hebræi per *fasciculum viuentium, solium maiestatis*, sub quo aiunt animas iustorum in seculo alio quiescere. Hinc etiam est, vt tumbis suis passim hanc insculpant sententiam: *Sit anima eius ligata in fasciculo viuentium, &c.* Hæc ille. Eadem habet Isidorus Clarius, repetitque Serarius; qui iubet nos obseruare hæretici hominis testimonium, qui Iudæos pro mortuis orare confirmat. Chaldæus, *& erit anima domini mei in thesauro vitarum seculi ante Dominum Deum tuum.* Habet autem initio absolutè, *Et surrexit homo.* Lxx. Ald. & Rom. edit. &c. Καὶ ἀναστήσεται; Complut. Καὶ ἐὰν ἀναστῇ. *Et surget; & si surrexerit homo persequens, &c.* Καὶ ἔσται ἡ ψυχὴ τοῦ κυρίου μου ἐνδεδεμένη ἐν δεσμῷ τῆς ζωῆς παρὰ κυρίῳ τῷ Θεῷ. *& erit anima domini mei ligata in vinculo vitæ à Domino Deo.* Rom. translat. *apud Dominum Deum.* Quidam ita legit: *Vt surgat homo ad persequendum te*, (Altera confirmatio est à decreto Dei, quod nemo potest infirmare.) *erit tamen vita domini mei ligata in fasciculo viuentium apud Iehouam Deum tuum.* Id est, firmissima & secura, vt auelli ei à quoquam non possit: metaphora. Vatablus, *Insurgat licet homo vt te persequatur, insidieturque vitæ tuæ.* In Schol. Hebraïsmus, inquit, *Et* (tamen) *surrexit quidam* (nempe Saul) *vt persequatur te, &c. erit tamen anima domini mei ligata in fasciculo viuentium cum Domino Deo tuo.* Id est, Dominus meus diutissimè viuet colendo Dominum Deum tuum. Alij vertunt, *apud Dominum*, id est, in vita æterna. Minus probatur doctis. Vel, Dabit tibi Dominus prolem quæ diutissimè viuet, & diu sedebit super solium tuum. Idem Vatablus, *animam vero hostium tuorum eiaculabitur*, vel, quasi funda procul emittet. subaudi, ex hac vita. *in media vola fundæ.* In Schol. *in medio sedis.* Partem fundæ latiorem intelligit, ad quam religantur duo funes. Alius, *at vitam inimicorum tuorum eiaculabit è medio cauo fundæ.* Id est, violenter illis eripiens, quàm longissimè abijciet, vt lapidem emissum funda. Metaphora à re præsenti, id est, ab armis Dauidis & sociorum eius. *Cauum* autem *fundæ volam* Hebræus nuncupat. Pagninus, *eiaculabitur in medio sedis* (Arias, *curuatura*) *fundæ.* Non nemo, *animam autem hostium tuorum eijciat* (*Deus*) *veluti è fundæ manu.* Hic per modum optantis. At Chaldæus absolutè cum Vulgata: *& animam autorum inimicitiæ tuæ volare facit, vti qui volare faciunt lapides in funda.* Lxx. Hoc Dauidi tribuunt, quod reliqui fere Deo; Vulgata absque personæ designatione reliquit. Καὶ τὴν ψυχὴν τῶν ἐχθρῶν σου σφενδονήσεις ἐν μέσῳ τῆς σφενδόνης, *& animam inimicorum tuorum rotabis, funda iaculaberis*, torquebis, vt qui funda ad scopum collimant, *in medio funda.*

SI ENIM SVRREXERIT, &c.

Si enim surrexerit aliquando homo persequens te.] Postquam visa est adhibere fidem ijs, quæ de futuro Dauidis principatu ferebantur, & regni commemoratione, rerúmque præstantissimarum expectatione, ab vlciscendi studio ad indulgentiam & misericordiam allicere, occurrit tacitæ obiectioni. Videbatur enim Dauid respondere posse: Tu quidem regna mihi & sceptra polliceris, & propagandum ad posteros vsque imperium: ego verò interim penuria laboro, & proditus à vobis versor in summo discrimine, iamque prope est vt Regis insidijs opprimar; quamobrem verisimile est & assentando magis ad gratiam hæc loqui, quàm quòd vulgatæ de me famæ credēdum censeas. Quinimò, ait, Noui peti vitam tuam, téque omni dolo & arte captari, nec me fugit quanta sit inimici vis atque potentia: sed eo longè potentior Deus, cuius præsidio tutus seruabere: hostes vero tui statim eo impellente in exitium ruent. *Si enim surrexerit aliquando homo persequens te, & quærens animam tuam.* Abstinet à Saulis nomine non solùm quia quæ odiosa sunt, & molesta, sedulò vitare solemus, sed

SI ENIM SVRREXERIT, &c. maximè quia hunc honorem habuit nomini regio. Noluit enim quem tacitè designaret, palàm prodere, ne maiestati regiæ apud hostem insultare, aut eandem probris insectari, vel minacibus verbis violare videretur. Hominem idcirco Saulem, non proprio, sed speciei nomine appellat. Quid si ne regio quidem nomine sapiens mulier dignum censuit, quem nouerat dudum propter contumaciam à Deo abdicatum? Fortassis etiam non vnum Saulem pœnas autore Deo daturum intellexit, sed quicunque etiam Saulis exemplum & autoritatem sequuti, Dauidi molirentur insidias. Itaque, Homo quidam, inquit, te persequitur, & te iam coëgit in angustias. Si tu nobis peperceris, nunquam ille auferet vitam: sed rotabitur tanquam lapis excussus è funda. Pulcrum est, quod ait, *Vita tua erit colligata cum Deo.* Res enim B magni pretij solemus diligenter colligare, ne nobis excidant. Contra autem Saul, vt lapis, aut res aliqua nihili, eiaculabitur è manu Do-

Pios eadem fides & charitas inter se copulat.

mini. His verbis Abigail prædicit futurum exitium Saulis. Ex illis verbis, anima tua colligabitur apud Dominum, quidam annotarunt, omnes pios, & iustos colligari inter sese: & eodem verbo, eadem lege, eadem fide, eodem spiritu copulatur: impios autem instar lapidum dissilire, & distrahi, & studijs, & affectibus, & cupiditatibus: nec vllo modo posse inter se cohærere. Pia quidem ista sunt. Sensus tamen est quem dixi, pios diligenter, & securè seruari à Deo: impios autem, quod non seruentur, excidere. Alij ea referunt ad hanc vitam: quasi Abigail dicat, Homini iusto, dum hic viuit, C nihil mali posse accidere, quod sit colligatus cum Deo: Alij ad alteram vitam: quòd quamuis pij in hac vita multa acerba patiantur, tamen in altera arctissima necessitudine copulandi sunt cum Deo. Ego verò ista de vtraque

Suos Deus studiosè tuetur.

intelligo: hic enim inchoatur illa colligatio, ibi perficietur. Verum quidem est Deum velle interdum suos multa pati, & sanguine ac morte sua testari veritatem. Communi tamen cursu liberat eos ab hoste, & ab illis auertit ma-

Ad Rom. 8.

lum. De hoc vinculo Paulus ita scribit ad Rom. *Quis ergo nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas?*

Psal. 43. 23.

an periculum? an persequutio? an gladius? (sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oues occisionis.) Sed in his D *omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neq; profundũ, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* Et Christus de eadem col-

Ioann. 10. 28. 29.

ligatione ait apud Ioannem: *Oues meæ vocem meam audiunt, & sequuntur me. Et nemo eas potest rapere de manu mea.* Statimque rationem dictis subijcit: Nam *Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus est.* Ita vertit Vulgatus Interpres. atque adeo verum est, seu gregis æstimationem spectes & ouium pretium, seu virtutis illis à Deo insitæ robur & constantiam. Tametsi Græcus hanc vim potius Dei præsidio tribuit,

A & item bene. Ὁ πατήρ μου ὃς δέδωκέ μοι, μείζων πάντων ἐστί, καὶ οὐδεὶς δύναται ἁρπάζειν ἐκ τῆς χειρὸς τοῦ πατρός μου. *Pater meus qui dedit mihi, maior omnibus est.* Ita Arias & Erasmus: quibus denique Syriacus Interpr. consentit. *Et nemo potest rapere de manu Patris mei.* Siue enim Deus collato robore oues tuetur, seu lupum per se & furem abigit, vtrobique donorum suorum autor intelligendus est, nihilque posse à nobis nisi diuinæ virtutis ope ac præsentiæ fieri. Nam præceps labitur humana infirmitas, nisi eiusdem auxilio fulciatur. Quod stamus & vincimus, non animi nostri magnitudini, sed Dei gratiæ ac fauori acceptum ferendum est.

ANIMA DOMINI MEI, &c.

Erit anima Domini mei custodita quasi in fasciculo viuentium, apud Dominum.] Hanc sententiam, & alteram quæ proximè sequitur, *Porrò* B *anima inimicorum tuorum rotabitur, quasi in impetu & circulo fundæ*, Delrius inter Adagia sua retulit; quamobrem paulò accuratius à nobis excutiendæ sunt. Et quidem quod ad priorem attinet, bene Delrio annotat corruptam esse alteram illam lectionem, quam citat Hugo

Delrius.

Carrensis, *in fasciculo vitium*, & quam exponit de fasciculo sarmentorũ seu surculorum, qui reponuntur in aqua, vt ibi conseruentur ad transplantandum. Nam perspicuè mendosam esse docent optima Latina exemplaria, Hebræus fons, versio LXX. & paraphrasis Chaldaica. Septuaginta habent, ἐνδεδεμένη ἐν δεσμῷ τῆς ζωῆς, *alligata in fasciola vitæ.* Chaldæus, *in thesauro vitarum sæculi coram Deo.* Addit, Certum est Hebræos aliquos de futura vita accipere; & sic Abulensis Chaldæum intellexit. C Idem nos iam supra indicauimus autore Isidoro Clario. Addam nunc plura testimonia. R. Eleazer dixit: Animas iustorum esse repositas sub throno gloriæ: (illum iam ab illis *viuentium fasciculum* diximus appellari) animas verò impiorum rapi, & circumagi ab vno mundi fine ad alterum, nec illis esse quietem. Et Iudæi sepulcris mortuorũ inscribunt: *Quies eius* בצרור הַחַיִּים *bitseror habbaiim in fasciculo, alij* malunt, *in loculo, viuentium cum reliquis iustis mulieribus; Amen, a. a.* סלה *selah.* Item, *Anima eius* צְרוּרָה *tserourah*, ab eadem radice, *sit colligata in horto Eden; Amen, a. a. selah.* Veruntamen, inquit Delrius, fieri potest vt *vitas sæculi*. Chaldæus vocet hoc loco, vitam diuturnam & tranquillam. Nam Hebræorum idiotismus est nu-

Adagij interpretatio.

D mero pluratiuo præstantiam & magnitudinem rei indicare. Noster *viuentium* scripsit, hoc est eorum qui soli digni dici viuere. Sensum loci nostri puto, vt idem sit, *à Deo illigari fasciculo viuentium*, à Deo sedulò & diligenter custodiri, conseruarique, ne quis vitam, (nam anima hîc vitam hanc præsentémque significat) non modò adimat, sed vel perturbet, vt indicat oppositio rationis in funda. Hæc Delrius. Cuius ego sententiam tametsi, vt quidam ait, vtroq; pollice laudem, nihil tamen oberit quo minus dictionum vim ac potestatem curiosiùs inuestigem.

Et erit, inquit, נֶפֶשׁ *nephesc, anima Domini mei* צְרוּרָה בִּצְרוֹר הַחַיִּים אֵת יְהוָה *tserourah bitseror habbaiim eth Jehouah* אֱלֹהֶיךָ *elohecha*, id est,

colligata

Erit anima Domini, &c.

Vox Hebræa accuratius expenditur.

colligata in fasciculo vitarum cum Domino Deo tuo. Vtraq; porrò dictio צָרַר *Tsarar* radicem habet, quod ligauit, vinxit, consuit, strinxit, significat; ita vt ad verbum exponi commodè potuerit, *colligata in colligatione*, aut *vincta in vinculo*, siue etiam eo quodcunque studiosè ligari ac constringi solet. Itaque etiam צְרוּרָה *tserourah*, clausam, repositam, reseruatam innuere potest ex vsu Scripturę; quoniam hac potissimùm ratione res alligantur, vt clausæ ac sepositæ tutæque maneant. Sic dicit Deus Iobi cap. 26. ver. 8. צֹרֵר *tsorer, qui ligat aquas in nubibus suis, vt non erumpant pariter deorsum.* Hoc est, qui claudit tanquam in marsupio ne effluant. Osee 13. ver. 12. *Colligata est iniquitas Ephraim*, צָרוּר *tsarour*, hoc est, *reseruata apud me*, siue, vt Poëta loquitur, *manet alta mente reposita: Absconditum est*, Vatablus, *reconditum peccatum eius. Dolores parturientis venient ei, &c.* Targum illud *reseruatum* interpretatus est *repositam in thesauro.* 2. Reg. c. 20. ver. 3. de concubinis Dauid, quas filius eius Absalom incesto stupro polluerat, *Et erant clausæ* צְרֻרוֹת *tserurroth*, constrictæ, colligatæ, (*custoditas* Chaldæus exponit) *vsque ad diem mortis suæ.* Appositè itaque & doctè Vulgatus, *Et erit anima domini mei custodita* (*clausam* quoque non incommodè dicere possis, *sepositam, reseruatam.*) *Quasi in fasciculo viuentium.* Nomen Hebraïcum est צְרוֹר *tseror*, quod quod iam diximus ab eodem fonte manare.

Significat autem non *fasciculum* duntaxat, vt Cantic. 1. ver. 12. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi*, sed etiam sacculum, crumenam, loculos, in quibus aliquid clausum ligatur & constringitur. Genes. 42. ver. 35. *His dictis* (*filij Iacob*) *cum frumenta effunderent*, singuli repererunt in ore saccorum ligatas pecunias. Hebraïcè, *& ecce viri* siue *vniuscuiusque* צְרוֹר כַּסְפּוֹ *tseror kaspo.* Pagninus, *ligatura*, Arias *ligamen*, Septu. edit. Rom. *alligatura argenti.* Chaldæus, *ligatum argentum in sacco suo.* Vatablus *fasciculum pecuniæ suæ* vertit haud satis cōmodè, mea quidem sententia. quis enim ferat vt sarmentorum, sic quoque nummorum fasciculum dici? Itaque nonnulli conuenientius hunc locum transferunt, *Et ecce vniuscuiusque loculus argenti eius in sacco eius.* Et rursum eodem versu: *Et viderunt* צְרֹרוֹת כַּסְפֵּיהֶם *tserororth Kasepehem, loculos argenti sui.* Quinimò hanc eius vocis interpretationem alibi probat Vulgatus noster, Aggæi cap. 1. ver. 6. *Et qui mercedes congregauit, misit eas in* צְרוֹר נָקוּב *tseror nakouf, sacculum pertusum.* quam dictionem eodem loco cum reliquis Pagninus vsurpauit. Vnus tamen Chaldæus paraphrasticus, vt apparet, vertit *in maledictionem.* Erit itaque hic sensus orationis sapientis fœminæ. Sed quia nō me latet iniustis inimicorum odijs vitam tuam, cùm occultis insidijs, tum aperto marte oppugnari, illud quoque admonebo: si in animum induxeris perpetuò iustitiam colere, nec illibatum hactenus innocentiæ tuæ florem innocentium cæde fœdaueris, eandem vitam tuam, tanquam in vitæ thesauro ac loculo clausam, à Deo custoditum iri. Argumentatur à consuetudine hominum. Quemadmodum illi Zonam studiosè seruant, & clausum in

Sensus orationis Abigaelis.

A loculis thesaurum tuentur, qui ad alendam vitam illis necessarius est: (Inde scilicet dicitur *loculus vitarum* siue *viuentium*) sic quoque Deus innocentis vitæ tuæ rationem habebit. Nam *pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius:* & vita eorum cum virtute ac pietate coniuncta, thesaurus illius est.

Erit anima Domini, &c.

Obseruo denique צְרוֹר *tseror*, lapillum siue calculum significare. 2. Samuelis cap. 17. Prou. 26. Amos cap. 9. ver. 9. Vincentibus autem *calculum candidum* pollicetur Christus Apocal. cap. 2. ver. 17. Et verbum ipsum צָרַר *tsarar*, quo supra Abigail vsa est, *describere* LXX. interpretantur Cantic. 8. ver. 9. Nam quo loco legimus *compingamus illud tabulis cedrinis*, Hebraicè scriptum est נָצוּר *natsour*, quod Græci transferunt διαγράψωμεν *describemus*, Secundum porrò hanc
B sententiam ita aptissimè exponi poterit: *Erit anima domini mei descripta in calculo vitæ*, siue *viuentium.* Hic est proculdubio *liber vitæ*, quem delere nemo potest. Adamantem plerique intelligunt illum Ioānis calculum. Quamobrem non est quod timeas. Quemadmodum enim quod adamanti inscriptum est, inducere nemo potest: ita nec si vniuersus orbis coniuratione facta in te vnum irruat, te vnquam opprimet.

Alia interpretatio.

Porrò inimicorum tuorum anima rotabitur, quasi in impetu & circulo fundæ.] *Rotabitur*, Hebr. יְקַלְּעֶנָּה *iekaleeennah. Funda* קֶלַע *hakala.* Circulum autem fundæ vocat habenæ circa caput rotationem. Hebræa, vt inquit Delrius. Adagio 186. ad verbum licet minus Latinè, sonant; *funditabit eam* (id est animam inimicorū) *quasi in curuatura* siue in inflexione *fundæ.* Sic etiam
C Septuaginta, σφενδονήσεις *iacies funda in medio* σφενδόνης, *fundæ.* Chaldæus: *Volare faciet, vt qui volare faciunt lapides è funda.* Et volatum, inquit, intelligit non emissi iam lapidis, sed reuoluti in fundæ sinu: ideo melius verteretur *in funda*, (quomodo nos suprà legimus) cum LXX. & nostro, quod in illo poëtæ exprimitur.

Delrius,

Ter tamen adductâ circum caput egit habena.

Hæc Delrius. Atqui diuersa est Ieremiæ sententia ca. 10. v. 18. *Hæc dicit Dominus: Ecce ego longè proyciam habitatores terræ in hac vice.* Quo loco tametsi LXX. legant, ἰδοὺ ἐγὼ σκελίζω τοὺς κατοικοῦντας, *Ecce ego supplanto habitatores*, siue orbis incolas; Aquila tamen & Symmachus Hebræam dictionem curiosius exprimentes,
D σφενδονῶ transtulerunt. Pagninus ita vertit: *Ecce ego vt lapides funda proyciūtur, proyciam habitatores terræ.* Arias breuius, *Ecce ego funda iaciens.* Hebr. קוֹלֵעַ *koleagh*, ab eodem verbo קָלַע *kalagh*, quod vsurpat Abigail. Hoc autem sibi vult Ieremias: Sicut proijcitur lapis funda: sic proijcientur singulæ gentes ex loco suo, & exulabunt omnes. Cassianus eadem similitudine pariter vsus est lib. 4. Instit. Monastic. cap. 5. Continuò, inquit, de monasterio, velut funda rotante, fugiturum.] actum videlicet vertiginoso spiritu, celerrimè se in pedes daturū apostatam. Hoc autem versu, inquit Delrius, adagialiter indicatur impiorum Dauidis hostium, vita dubia, breuis, inquieta, curis & solicitudinibus, & ærumnis plena. Nam funditor

Adagij vsus.

PORRÒ INIMICORVM, &c. lapidem rotat & turbine circumagit, & tandem illum, quo & quando lubet, eijcit, vel ille excidit, qua caua funda patet. Hanc explicationem confirmat ipse contextus, quia horum vita opponitur vitæ diuturnæ & sedatæ; vt appareat animam quasi in circulo fundæ rotari, nihil esse quàm in perturbatione iugi, & sollicitudine versari, & tandem malè perire. Inimici eius, inquit Angelomus, insistentibus sibi aduersitatibus, sicut lapis funda circũactus, sic instabili motu perturbandi, & suis essent expellendi de finibus, vel etiam ab humanis rebus auferendi. Hæc ferè Delrius, quibus ego non contradico.

Cæterùm dubiũ non est has voces צרור *tseror*, & קלע *Kelagh* per antithesim contrariè opponi. *Tseror* porrò fasciculum, loculos, & calculum interpretati sumus. *Kelagh* fundã, cortinam præterea, & velum significat, cui pictæ imagines intertextæ sint. Verba ipsa, *tsarar* quidem *ligare*, asseruare, claudere, atq; adeo describere significat, *kalagh*, *perdere*, circumagere, torquendo nere, aut proijcere. Itaque Funda primum fasciculo opponitur; quoniã & si vtrumque vincula & habenas habet, lorum tamen fasciculi partes quas complectitur quietè cohibet: fundo contrà lapidem circumagit, & torquet. Fasciculus itaque similior placidæ quieti Sanctorum; funda turbis impiorum. Cõfertur deinde nec minus cõmodè cum Zona & marsupio. illud vndique septum ac munitum est: funda plagulis hiat, & vndique patet. hinc loculi, si quæ seposuerimus, & sedulò clausi sint, securos nos præstarit: fundæ quicquid immiseris, facilè elabitur. Neque verò vt seruet, lapidem plumbumue accipit, sed vt mox eijciat. Diuina prouidentia cum vtraque re suo quodam modo conferri potest. Nam iustos vt loculi seruat, & protegit: improbos, vt funda, statim abdicat & eijcit. Denique Scriptura non semel meminit cuiusdam *libri vitæ*. Huius ergo geminæ sunt paginæ. Pars altera vngue adamantino descripta est: altera velis, aut tapetibus arte phrygionica paratis. Horum delebilis materia. prior inuicto & æterno robore constat. Calculum igitur & æternum silicem Dauidi tribuit, hostibus picturam textilem; Vt intelligat Dauidem gloriam quidem suam nullo vnquam tempore labefactandam: at verò inimicorum memoriam, à quibus nunc tantopere exagitetur, citò obliterandam esse.

Antithesis dictionum vtriusque sententiæ.

VERSVS XXX.

Cùm ergo fecerit Dominus tibi Domino meo omnia quæ loquutus est bona de te, & constituerit te ducem super Israel,

VERSVS XXXI.

Non erit tibi hoc in singultum, & in

A scrupulum cordis domino meo, quòd effuderis sanguinem innoxium, aut ipse te vltus fueris: & cùm benefecerit Dominus domino meo, recordaberis ancillæ tuæ.

CONclusio petitoria. quidam ait, per hypothesim promissionum Dei, & officij Dauidis: qui fuerant supra duo summi suasionis loci. Et sic legit: *Sic erit, quum faciet Iehoua Domino meo bonum illud, secundum omnia quæ promisit tibi; & mandato instituet te antecessorẽ super Israel.* Pagninus cum Vulgat. consentit. Chald. *Et erit quãdo firmabit Dominus Domino meo iuxta omnia, &c.* Septuag. idem quod Vulgatus. Vatablus ad eosdem accedit. *Quúmque Dominus* B *prosequutus fuerit Dominum meum omni bonitate, quemadmodum tibi pollicitus est, præceperitque tibi vt sis dux super Israelem.* Variæ translationes.

Versus 31. *Tunc erit tibi domino meo hoc in vacillationem, & offendiculum cordis, vt scilicet effunderes sanguinem absque causa, Dominus meus se seruet: quúmque benefecerit Dominus domino meo, memineris ancillæ tuæ.* In Schol. *Et offendiculum*, id est, non te anget quòd profuderis sanguinem innoxium, & quòd sumpseris pœnas de hostibus tuis. Deinde illud, *Dominus se seruet*, sic interpretatur, vt idem intelligi velit, quod Vulgata significantius exprimit, *quòd ipse te vltus fueris*. Pagninus verbum è verbo sic reddit, *Et non erit hoc tibi offensio & offendiculum.* (Arias, *in vacillationem & offendiculum*) *cordis domino* C *meo, & ad effundendum sanguinem gratis, & ad faciendum salutem dominus meus sibi: & benefecerit Dominus domino meo, & recordaberis ancillæ tuæ.* Alius, *Non erit istud tibi in ruinam & in offendiculum cordis domino meo, vt effundas sanguinem gratis, & se liberet dominus meus, &c. Se liberet*, hoc est, ob illatam iniuriam se vlciscatur de Nabal. Proinde פוקה *ponkah* ferè idẽ est quod מכשול *michscol*, id est, *offendiculum*. Ionathan tamen Chald. interp. interpretatur יצפא *iatspha*, *sollicitudinem*. Nos sic latinè legimus apud Ionathan: *Et non erit hoc tibi in anxietatem, & in pondus cordis domino meo, & ad effundendum sanguinem frustrà, & ad vlciscendum dominum meum sibi, &c.* Quidã, *Vt tibi hoc non sit titubationi, aut offensioni animi domino meo, qua effundat sanguinem immeritò, aut vindicet dominus meus se: quúmque* D *que benefecerit Iehoua domino meo, recordaberis ancillæ tuæ.* Id est, hoc meum factum ita accepturus es, quasi ante acceptam iniuriam obliterauerim hoc officio meo; nec eam porrò in animum tuum reuocabis: nam *nuncij mortis sunt regis indignatio.* Prouerb. 16. 14.

Hæc postrema verba Græci Interpretes dicta in alium finem interpretati sunt. Sic enim legunt Complut. Καὶ ἀγαθυνεῖ *& benefaciet*; Aldus, & Rom. ἀγαθῦναι *& benefaciat* κύριος τῷ κυρίῳ μου, *Dominus domino meo*, Complut. Καὶ μνησθήσῃ *& recordaberis*; Ald. & Rom. Μνησθήσῃ τῆς δούλης σου ἀγαθῶσαι αὐτῇ, *& recordaberis ancillæ tuæ ad benefaciendum ei.* Complut. τοῦ καλῶς ποιῆσαι αὐτῇ, eodem sensu. Superiora verò interpretantur hoc modo: Καὶ οὐκ ἔσται σοι τοῦτο βδελυγμὸς

ὃ

NON ERIT HOC TIBI, &c. καὶ σκάνδαλον καρδίας τῷ κυρίῳ μου ἐκχέαι αἷμα ἀθῷον δωρεάν, *Et non erit tibi hoc abominatio & scandalum cordis domino meo effundere sanguinem innocentem gratis*, καὶ σῶσαι χεῖρα Complutenses, κυρίῳ μου ἑαυτῷ, *& seruare manum domini mei sibi.* Aldus, & Rom. κυρίῳ μου αὐτῷ, *& seruare manum domino meo sibi.* Si Hebraicè post לפוקה *lepkoukah* sequeretur לב *leb*, commode verti sic posset: *in collisionem cordis & causam exitij.* Sed *Leb* scriptum est post ולמכשול *oulmichscol*: quare melius exponitur, *in collisionem & mulctam* vel *pedicas* aut *laqueum cordis.* nam stimulis conscientiæ dum animus pungitur, cor ipsum colliditur, & tanquam pedicis irretitum laqueo præfocatur. Sic dies noctésque mulctatur. Nobilius in Notis ad Roman. Edit. LXX. Interpr. Theodoretus, Aquila dixit, πνιγμὸς *suffocatio*, pro eo quod habet eadem B editio, *abominatio.* (Sed hoc ita scriptum est, inquit Nobilius, codice, qui solus nunc erat ad manum, vt facilè appareat subesse mendum, ac fortasse legendum πνιγμὸς, aut λυγμὸς, Interpres quidem habet, *compunctio*) significat autem conscientiæ aculeos. Scholiastes hæc referens, habet, λυγμὸς, *conuulsio ex erosione, singultus*, vt Vulgata. *Scandalum.*] Ita quoque libri, vt annotat idem Flaminius, vetustiores. In aliis additur, καρδίας. nam Ald. & Complut. habent cum Vulgata, & omnibus, qui hauriunt è fontibus Hebræorum.

Non erit hoc tibi in singultum, & in scrupulum cordis.] Vltimum argumentum est: Postquam Deus tibi benefecerit, & tu potitus fueris rerum, non erit tibi hoc offendiculum cordis tui. Pollicetur, quasi præmij loco, ingens bonum, tranquillam conscientiam. Carnificina enim horribilis est conscientia perturbata. Itaque Cicero ait, non esse eas furias, quæ pinguntur à poëtis, sed eas, quæ perpetuò verberant, & cruciant animos sceleris alicuius malè sibi conscios. Eiusmodi homines, cùm in suis conscientijs nihil videre possint, nisi sordes, & flagitia, nec ea libenter contemplentur, auertunt oculos suos ad aliorum facta, atque ita fiunt πολυπράγμονες. Vt autem pulcrum & amœnum est considerare res à se præclarè, & cum virtute gestas, ita contra scelerata se patrata intueri grauissimus est animi cruciatus. Quamuis enim præterire videatur flagitium, cùm committitur, tamen perpetuò cubat in foribus, nec patitur autorem tranquilla esse conscientia.

Conscientiæ tranquillitas virtutis maximum præmium est.

Faciunt porrò ista ad munus & vocationem Dauidis. Principem enim oportet sæpe versari in periculis. Ibi si libera sit conscientia, non dubitabit quocunque tempore, aut loco occumbere. At si peccati alicuius recordatio semper versetur in oculis, semper putabit impendere vltionem. Faciunt etiam ista plurimùm ad modestiam subditorum. Illi enim, si quod videant insigne vitium in Principe, solent illud imitari. Putant enim illos, quæ ipsi faciant, velle etiam probare in alijs. Adhæc cùm Principem oporteat causas cognoscere, & dicere sententiam, quomodo potest alium condemnare, cùm ipse videat, se quoque contamina-

Plurimùm interest Principem conscientiam habere bonam.

A tum esse eodem scelere? *Qui indicas alium*, inquit Paulus, *teipsum condemnas.* Statim enim reclamat conscientia: tu ipse idem hoc flagitium designasti: tu quoque idem meritus es. Hinc colligere possumus generalem sententiam, homines flagitiosos semper secum circumferre cauteriatam conscientiam. Τὸν μόνον οὐκ ἔστι διαφυγεῖν, τὸ ἔνδον ἡ ἐν ἡμῖν αὐτοῖς δικαστήριον, inquit Theologus, Illud solum non potest euitari internum, & in nobis ipsis situm iudicium. Et Plutarchus in lib. de tranquillitate animi, Τὸ γὰρ συνειδὸς, &c. Hoc est, Facinorosa conscientia, instar vlceris in corpore, pœnitentiam relinquit in anima lancinantem iugiter ac peruellentem. Nam cùm alias omnes tristitias tollere ratio solita sit, pœnitentiam hæc eadem cum pudore, quasi mordicus impetentem sese atque excarnificantem promouet. Quemadmodum porrò qui rigente febre perfrigescunt, aut æstuante exuruntur, acrius infestiúsque afficiuntur, quàm qui æstu rigoréue exterius hæc eadem patiuntur: sic obtusiores tristitias afferunt fortunæ, vt pote aduentitia. At vero illud

Plutarch.

Οὔτις ἐμοὶ ἄλλος αἴτιος ἐπαίτιος, ἀλλ' ἐγὼ αὐτὸς,

Nemo mihi alius culpandus est, sed ego ipse:

Cùm sceleribus perpetratis succlamari flebiliter solet, graue suapte natura vulnus, grauius etiam facit, atque altius adigit. Hæc Plutarch. Sed de stimulo conscientiæ, quando hæc oratio ansam præbere videtur, paulò copiosius agamus: Tametsi de Conscientia iam satis accuratè priore tomo, in ver. 1. & 2. cap. 8. colum. 94.

C

De Conscientiæ stimulo, quem Abigail cordis singultum vocat.

QVÆST. LXXVII.

Ὀρέστα τλῆμον, τί σ' ἀπόλλυσι νόσος;
Ἡ σύνεσις, ὅτι σύνοιδα δείν' εἰργασμένος.
O miser Oresta, quid mali te perdit?
Ores. Conscientia: sum enim mihi conscius de malis perpetratis.

Euripides in Oreste.

Vir iniquus, inquit Pythagoras, plus mali patitur ὑπὸ τῷ συνειδότος afflictus conscientiâ, ἢ ὁ τῷ σώματι ταῖς πληγαῖς μαστιγούμενος, quàm ille qui corpore supplicium luit, & flagris cæditur. Nam quæ pœna maior, ait S. Ambrosius, quàm timere quod vitare non possis: nec quod timueris, euadere? Vnde præclarè Dauid exprimens D commotionem grauissimam conscientiæ peccatricis ait: *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & delictum meum contra me est semper.* Offunditur enim nobis vltrix nostri imago peccati: nec quietum reum suum esse permittit, inferens miseram seruitutem: atque in sua vincula trahit, vt enodare se non queat; quoniam volens ipse se vendidit, cui liberum erat delictorum æra non capere, & libertatem innocentiæ reseruare. Itaque dum oramus, peccatum offunditur: Vbi somnus sensum corporis relaxauerit, peccatum recurrit. Semper nobis error tanquam malus exactor occurrit, vel tanquam improbus fœnerator conueniens debitorem. Vnde Dominus ait: *Qui facit peccatum, seruus est peccati.* Hactenus S. Ambrosius.

Conscientiæ cruciatus.

S. Ambros. in tract. super Psal. 35.

Ioan. 8.

NON ERIT TIBI, &c. Historicis & Iurisconsultis qui conscii habeantur.

Sed fortasse quærat aliquis quid sit *Consciẽtia*, vt intelligere possit vnde sese exerat ille aculeus, qui nos reos pũgit & cruciat. Animaduerti itaque non rarò consciẽtiam pro alieni flagitij scientia ab historicis vsurpari. T. Liu. l. 3. Cõsilia inde non publica, sed in priuato, seductaque à plurium conscientia habuere. Tacit. l. 5. Liberti vnius conscientia vtebatur. Ac rursus l. 12. Prouisam iam sibi medici consciẽtiã adhibet. Reliqui passim in ea significatione pari licentia abutuntur. Conscium criminis Iurisconsulti vocãt, qui aut commisit ipse, aut qui cõmitenti adsensit, non quo sciente & cognoscente perpetratum est. Neq; enim testes, quibus præsentibus & scientibus aliquid factum est, dicuntur esse conscij: sed qui ope, & consilio, & voluntate adfuerunt. Connanus lib. 4. cap. 16. num. 6. De hoc genere conscientiæ non loquimur.

Connanus.

Conscientiæ plures definitiones.

Consciẽtiã, vt videtur, vulgò vocamus animum sibi consciũ. Papias diffinit cognitionem cordis sui ipsius. Non nemo vocat cordis testimoniũ. Platoni hanc definitionẽ tribuunt, conscientiã esse cogitationẽ tristẽ absq; ratiocinatione. Generalius alij volũt, Notitiã arcanã esse de factis præteritis ab homine conceptã, rectè factorũ bonã, malè factorũ malam: Illam lætitiam, hanc dolorẽ sequi. Alijs rursum ita placet definire: Consciẽtia est sensus diuini iudicij de factis suis, quorum notitiæ tanquam testis adiunctus est: Vnde συνείδησις dicitur. Rhadamanthus apud Lucianum in Cataplo siue Tyranno, Consciẽtiã ita describere videtur: Ὁπόσα ἄν τις ὑμῶν πονηρὰ ἐργάσηται παρὰ τὸν βίον, καθ᾽ ἕκαστον αὐτῶν ἀφανῆ στίγματα ἐπὶ τῆς ψυχῆς περιφέρει. Quot scelera quisque vestrum in vita patrarit, tot notas, sed quæ non facilè appareãt, in anima circumfert. Hæc ille: qui postea suo more ludere videtur, cùm Megapenthem tyrannum contumacem reum accusans, eius scelerum testes laudat lectum & lucernã. Quæ apud eundem pro testimonio dixit. Equidem quæ interdiu sint facta, nescio: neq; enim aderam. Verũ quæ noctu vel in alios fecit, vel ipse est passus, horreo dicere. Cæterùm nefanda multa, & quouis iniuriæ genere superiora sæpenumero spectaui, adeò vt & ipsa aliquoties extingui gestiens, oleũ vltrò adhibuerim. At ille quo mihi lucẽ modis omnibus conspurcaret, etiam abominandis facinoribus me inuitã adhibuit. Hactenus nugator, cuius oratio, si seriò agere instituisset, non vsqueadeo videri poterat ab omni prosopopeia aliena, aut à Scripturarum stylo abhorrere. Siquidem apud Habacuc cap. 2. ver. 11. legimus: *Quia lapis de pariete clamabit: & lignum, quod inter iuncturas ædificiorum est, respondebit.* Illud tamen ad conscientiæ effigiem propius accedit, quod exclamat Rhadamanthus ille inferorum iudex, postquã posita purpura nudũ tyrannum conspexisset: Papæ! hic totus est liuidus & insignis πελιδνός, καὶ κατάστικτος, μᾶλλον δὲ κυανός ἐστιν ἀπὸ τῶν στιγμάτων, imò per cicatricum crebritate cæruleus. Nũc ergo quo tormenti genere est puniendus? in Phlegethontémne inijciendus, an tradendus Cerbero? &c. Haud dubiũ quin ista omnia suo quodã modo ad conscientiæ descriptionem conferũt: sed qui rem accuratius per-

Lucianus.

A pendunt, autorem Apostolũ sequuntur. Porrò *Conscientia*, inquit Apost. *est in gentibus factum accusans vel defendens. Est igitur lex*, quasi dicat: Conscientia cuilibet indicat, nũ bene, an malè fecerit, etiam homini planè agresti & indocto. Sed tale iudiciũ non potest fieri in Conscientia sine aliqua formula legis, quæ indicet in corde hominis esse iustũ, aut iniquum, id quod fecit. Ergo est in homine lex, quã etsi nusquã ex scripto legit, habet tamen à Deo insculptam ad formandos mores. Ita Prateius. Nec aliter Oldendorpius & Ioãnes Corrasius, quorũ hæc est definitio in Lexico iuris. Cõscientia est tacitũ animi, infallibiléq; facti nostri iudiciũ à communi iustitiæ formula, quã Deus insculpsit omnibus hominibus, productũ, per quod accusatur res mala aut bona defenditur. Hæc Iuriscon. Alius

NON ERIT TIBI, &c.

Prateius.

B quidam è classe Theologorum: Conscientia, est syllogismus practicus in intellectu, in quo maior propositio est lex Dei, seu verbũ Dei: Minor verò & conclusio sunt applicatio approbãs rectè factũ, vel condemnãs delictũ. quam approbationem in corde sequitur lætitia, & condemnationem dolor, naturali ordine sancito à Deo, qui vult in creatura rationali hanc notitiam sui iudicij esse, & executionẽ antecedere; vt sit testimonium de ipso ostendens esse Deum, & præcipere iusta, & prohibere iniusta & punire. Hæc ille: quẽ vereor ne permisceat omnia, nec συνείδησιν distinguat à συντηρήσει. Atqui Theologiæ periti *Conscientiam* distingunt à *Synteresi*, sicut assumptionẽ à maiori propositione. Propositioni enim, quam dat *Syntheresis*, *Consciẽtia* subijcit assumptionẽ, vt Propositio sit Thesis,

Theologi definitio.

C Assumptio Hypothesis. Consule S. Thomam 1. part. q. 79. art. 12. Vtramq; eodem autore ac duce sic explicat Cœlius lect. Antiq. lib. 2. cap. 26. Forsan verò, inquit, scrutetur quispiam, sitne *Synteresis* animæ potentia peculiaris, ab cæterarum ratione seiuncta. Sed quum rationales potentiæ ad opposita se habeant, ex Aristotelica hæresi: Synteresis autem eiusmodi non sit, verùm ad bona proliciat tantùm, nõ videtur omnino esse potentia. Quoniam si potentia foret, non absq; ratione vtiq; foret: neq; enim in brutis cõperitur. Proinde videtur esse habitus potius, etiãsi potentiã ratione prominentiorem, statuerint quidam. Nõnulli verò rationem ipsam, nõ vt ratio est, sed vt est natura. Verùm sicuti speculabilium, principia insunt nobis na-

Cœlius.

Synteresis est habitus.

D turæ vi necessariò, ita & operabilium: ac vt illa ad peculiarem animæ potentiam haud spectãt, sed ad habitũ, qui principiorũ dicitur intellectus, quod Moral. 6 palàm fit: sic & hæc peculiarẽ indicant habitũ, Synteresεos nomine celebratũ. Pergit deinde & de *Conscientia* dicere, de qua idẽ omnino, inquit, queri potest. Namq; Origenis illud notissimum est. Conscientia est spiritus corrector, ac animæ pædagogus, abs quo reuellitur à malo, & bono associatur. At in anima spiritus potentiam indicat, vel mentem vtique ipsam. Vnde illud Apostolicum, *Renouamini spiritu mentis vestræ*. Vel imaginationem quoque: nam imaginatio visio dicitur spiritalis. quod ex Augustino est, Geneseos 12. Proinde videri potentiam, colligi potest.

Origenes.

Conscientia potẽtia.

At

Ad hæc Cœlius ne hilum quidem. Atqui nullo negotio respondere potuit, Spiritus nomine etiam actus habitúsque in Scripturis designari. Quod cùm sexcentis locis ostendi potest, tú illo Apostoli testimonio manifestè probatur. Non enim mentem animosq; naturâ siue essentiâ instaurari iubet, sed actu atque habitu. At bene sequitur: Cæterùm quia seponi Conscientia potest, potentia non potest, consecutio est manifesta, quare loquêdi proprietate asseruata, erit actus, non potentia. Nam Conscientiæ vocabulum, scientiæ ordinem præmonstrat ad aliquid. Est enim conscientia, cum aliquo sciêtia. Verùm ad aliquid scientiæ applicatio per actum fit aliquem, proinde est actus *Consciêtia*. Porrò quoniam actus principium habitui contribuitur, Conscientiæ nomen habitui primo naturali, id est Synteresi ascribitur. Quod in Ezechielem comprobat S. Hieron. Hactenus Cœlius. Synteresim Conscientiam nominat S. Hieron. in 1. cap. Ezechiel. S. Basilius *naturale iudicatorium*, S. Damascenus *lucem intellectus nostri*, Origenes *mentis nostræ censorem ac pedagogum*, vti iam diximus. Alij *dictamen rationis*. Opponitur ab Aristotele sensualitati ac concupiscentiæ. Probat autem S. Thomas eodem loco suam sententiam, non ijs duntaxat vsus argumentis quæ Cœlius retulit: sed etiam ex actibus, qui Conscientię tribuuntur: respectu quidem præteriti temporis, vt testificari, accusare, excusare, remordere; Præsentis, ligare, instigare; Futuri, deterrere, impellere. Sed quia receptæ dudum consuetudini cedendum est, & in interpretandis vocabulis amplectenda vsus autoritas, quàm potero breuissimè, quinta hæc dictio significet in Scripturis exponam.

Conscientia actus est non potentia.

Varia Conscientię acceptio in Scripturis.

1. Primùm igitur *Conscientiæ* nomine ratiocinâdi vim, ac iudicâdi facultatem Scripturæ significare vidêtur. Nam in eo sensu Apostolus 1. ad Cor. 8. scripsit: *Percutientes Conscientiam ipsorū infirmam, in Christum peccatis.* Quippe fucū facitis, & tenebras mêtibus offunditis, ne verum dispiciant. Et iterum: *Nihil interrogantes propter Conscientiam.* Ne scilicet ratiocinandi vis ac facultas cū offensione voluntatis temerè vobis negotiū exhibeat. Gen. 43. v. 22. Filij Iacob aiūt: *Non est in nostra conscientia* quis posuerit argentum in marsupijs nostris. Hoc est, ratiocinâdo inuestigare non possumus: tantū consequi non potest vis nostra ratiocinatiua. Ingenij vim rationémque omnem nostram factum superat.

2. Significat Conscientia totam ratiocinationem, quæ ex illa vi insita per regulam legis seu iuris diuini cum minore propositione atq; conclusione procedit. Hâc describere videtur Paulus ad Rom. 2. cùm de Gentibus loquitur. Habent, inquit, *legem scriptam in cordibus suis*. Hæc est Maior Propositio. *Testimonium reddente illis Conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationum accusantium aut defendentium.* Item ad Roman. 9. *Testimonium perhibente mihi conscientia mea.* Quantum me noui, sic colligo. Intelligit ergo ratiocinationem seu syllogismum practicum, quo mentem ac propositum nostrum, quod nemo nouit, aut damnamus aut probamus. Sic 2. ad Corinth. 5. *Spero autem & in conscientijs vestris manifestos nos esse.* Id est, si bene ratiocinari velitis, quales simus, vos facilè deprehensuros.

3. Manifestè solam Minorem talis ratiocinationis innuit 1. ad Corint.

4. *Nihil mihi conscius sum: sed non in hoc iustificatus sum.* Loquitur enim de particulari notitia factorum suorum. negat quicquam eorum quæ gessisset, suo iudicio cum diuina lege pugnare. Postremò conscientiam vocat Scriptura conclusionem, quæ ex tali argumentatione elicitur, seu veluti sententiam à semetipso de se suisq; actibus latam. Hinc *bona* denominatur aut *mala*, quarū frequens mentio cùm in Euágelio, tum in Epistolis & Actibus Apostolorum. Malam quoque Salomon suggillat, cùm ait, Prou. 12. ver. 18. *Est qui promittit, & quasi gladio pungitur conscientia.* quòd scilicet fraudem nectat & dolos. Et Sap. 17. ver. 10. *Semper sæua præsumit perturbata conscientia.* Malos autem à propria ipsorum conscientia flagellatos antea descripsit cap. 4. ver. 20. *Et erunt gementes, & venient in cogitatione peccatorum suorum timidi, & traducent illos ex aduerso iniquitates eorum.* Et Cicero Orat. pro Milone. Magna vis est conscientiæ in vtramque partem: vt neque timeant qui nihil commiserunt, & pœnam semper ante oculos versari putent qui peccarint. De pœna hac seu stimulo Abigail intelligenda est, cùm Dauidem admonet vt à scelere abhorreat; ne olim temerè expetitæ vltionis conscientia torqueatur. Hanc deinceps quantum possit, & quas in nobis tragœdias excitet, potissimùm ex sanctis patribus referre conabimur.

Quantus sit æstus Conscientiæ, & quales quantásque perturbationum procellas in nobis excitet.

QVÆSTIO LXXVIII.

Si Hesiodum audiamus, inquit Cœlius, haudquaquam citra pœnæ diritatem abeunt inauspicata monstrosáque ingenia. Astruit siquidem poëta is, non iniquitatis modò confectricem esse supplicij grauitatem, vt statuit Plato, sed coæuam quoque eadem protinus parte, imò verò radice pullulantem. Sic enim ait,

Coæua sceleri pœna conscientiæ.

ὅς δ' ἄλλῳ κακὰ τεύχει, ἑῷ κακὸν ἥπατι τεύχει.

Id est,

Qui alijs meditatur malum, suo ipsius iecori malum struit.

Nam & canthárides ex antipathia quadam naturali antidotum habent in seipsis congenitum permixtúmque. Itaque mœror prauitatem iniustitiámque non sequitur, sed concomitatur: nam Synteresis illa, siue Conscientia qualinam & quàm infesto perurget flagello? quia nemo se iudice nocens absoluitur. Hæc ille lib. 6. cap. 14. Quæ si vera sunt, quo pacto igitur *impij gloriantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis?* Euripidis sententiam laudat Apollonius apud Philostratum, putantis Con-

Apollonij vitæ lib. 7. cap. 7.

NON ERIT HOC TIBI, &c. ſcientiam eſſe, quæ homines punit, cùm ſe malè operatos fuiſſe recogitant: eadem enim furiarum pœnas appoſuit Oreſti, quando aduerſus matrem inſanijt. Νοῦς μὲν γὰρ, τῶν πρακτέων κύριος· συνείσις δὲ, τῶν ἐκείνῳ δοξάντων. Mens enim agendarum rerum domina eſt: Conſcientia verò eorum quæ menti videntur.] Cæterùm tanta ſæpe caligine perturbatio mentem opprimit, vt interim dum vehementius ira aut libido feruet, ſceleris magnitudinem Conſcientia non ſentiat. Itaque ſæpius memoriæ ſtudio excitatur quam flagitij præſentia permouetur. Cuius rei exemplum ſanè luculentum Scriptura nobis in Antioch. ſtatuit lib. 1. Machabæor. cap. 6. *In quantam*, inquit, *tribulationem deueni, & in quos fluctus triſtitiæ in qua nunc ſum; qui iucundus eram, & dilectus in poteſtate mea! Nunc vero reminiſcor malorum, quæ feci in Ieruſalem, vnde & abſtuli omnia ſpolia aurea & argentea, quæ erant in ea, & miſi auferre habitantes Iudæam ſine cauſa. Cognoui ergo, quia propterea inuenerunt me mala iſta: & ecce pereo triſtitia magna in terra aliena.* Et Tacitus de Nerone poſt matris cædem Annalib. 14. Sed à Cæſare perfecto demum ſcelere, magnitudo eius intellecta eſt: reliquo noctis, modo per ſilentium defixus, ſæpius pauore exurgens, & mentis inops lucem opperiebatur, tanquam exitium allatura. Hæc ille. quamobrem cæcum nefas vocat Papinius 6. Theb. & Iuuenal. Satyr. 13.

Conſcientia plerunque memoria excitatur.

Tacitus.

Scelus conſcientiæ carnificina ſequitur.

Cùm ſcelus admittunt, ſupereſt conſtantia: quod fas,
Atque nefas, tandem incipiunt ſentire peractis
Criminibus.

Itaque patrato demum facinore, & oppreſſo inſidijs Hippolyto, Phædra furore amens exclamat:

Seneca in Hippolyto Act. 5.

O mors amoris vna ſedamen mali,
O mors pudoris maximum læſi decus,
Confugimus ad te, pande placatos ſinus.
Audite Athenæ, tuque funeſta pater
Peior nouerca; falſa memoraui: & nefas,
Quod ipſa demens pectore inſano hauſeram,
Mentita finxi: falſa puniſti pater;
Iuueniſque caſtus crimine inceſtæ iacet,
Pudicus, inſons. recipe iam mores tuos.
Mucrone pectus impium iuſto patens,
Cruorque ſancto ſoluet inferias viro, &c.

Parentum noſtrorum non antè feruntur illuminati oculi, non Ionathæ, quàm illi vetitum pomum, hic mel in virga deguſtaſſet. S. Cyprianus in quadam epiſtola ait: Feruntur ſemper mali ſuo furore dementes, & poſtea quam ſcelera fecerunt, conſcientia ipſa ſceleratæ mentis agitantur. Sed nemo melius ſancto Auguſtino lib. de continentia capite ſexto. Peccatum quod inultum videtur habet pediſſequam pœnam ſuam, vt nemo de admiſſo niſi aut amaritudine doleat, aut cæcitate non doleat. Et 42. capit. Geneſ. Homilia 64. Ita ſe habet peccatum quando conſummatum eſt, & opere perfectum, tunc ſuæ abſurditatis oſtendit excellentiam: & ſicut ebrius, quando multum vinum ingurgitat, nó ſentit à vino damnum, poſtea verò ſentit quátum ſit damnum; ita & peccatum, donec conſummetur obtenebrat mentem, & quaſi denſa nube ita mentem corrúpit: deinde conſcientia inſurgit, & quouis accuſatore grauius, mentem arrodit, monſtrans abſurditatem facti. Hactenus S. Auguſtinus. Ergo ſceleris admiſſi contumeliam ponè ſequitur carnificina conſcientiæ.

S. Auguſt.

A

Conſcientiæ porrò vim & aculeos nó latebræ condunt, non frangit potétia. Nam reges quoque flagitij reos terror & ægritudo occupat. Etiam Nero Conſcientiæ obnoxius iacuit. Docui antea ex Tacito. Caracallam vexatú paternis fraterniſq; manibus Xiphilinus ait. De Caligula Sueton. c. 50. Incitabatur in ſomnio maximè: neque enim plus quàm tribus nocturnis horis quieſcebat: ac ne his quidé plácida quiete, ſed pauida miris rerum imaginibus: vt qui inter cæteras, pelagi quondam ſpeciem colloquentem ſecú videre vſus ſit. Adeóque magna parte noctis vigiliæ cubandique tædio, nunc toro reſidens, nunc per longiſſimas porticus vagus, inuocare identidem atque expectare lucem conſueuerat.] Quippe hæc & plura, inquit Amm. Marcellinus, vltrix facinorum impiorum, bonorúmque præmiatrix aliquoties operatur Adraſtia, quá vocabulo duplici etiam Nemeſim appellamus. Ius quoddam ſublime numinis efficacis, humanarú mentium opinione Lunari circulo ſuperpoſitum: vel, vt definiunt alij, ſubſtantialis tutela generali potétia partilibus præſidens fatis. quam Theologi veteres fingétes Iuſtitiæ filiam, ex abdita quadam æternitate tradunt omnia deſpectare terrena. Hæc Ethnicus, ſupra Lunæ circulum quærens, quæ noſtris inſita viſceribus hæret. Idem prius Cicero 1. de finibus. quod ſi qui ſatis opibus hominum ſibi contra conſcientiam ſepti eſſe & muniti videntur, deos tamen horrent: eáſq; ipſas ſolicitudines, quibus eorum animi noctes atque dies exeduntur, à dijs immortalibus ſupplicij cauſa importari putant. Melius S. Auguſt. in Pſal. 100. Quiſquis, inquit, in corde premitur mala conſciétia, quomodo quiſquis ab ſtillicidio erit de domo ſua, aut à fumo, non ibi patitur ſe habitare. Sic qui non habet quietum cor, habitare in corde ſuo libenter non poteſt. Confirmat hanc ſententiam S. Ambroſ. regis Achab exemplo. Toto ait, mundo fugit, qui conſiderans conſcientiam ſuam metuit deprehendi. Et ideo Achab ad Eliam ait: *Inueniſti me.* quàm miſera conſcientia quæ ſe proditam doluit. Et dixit Helias ad eum: *Inueni, quoniam feciſti malum in conſpectu Domini.* Rex ille erat, & rex Samariæ Achab: Helias pauper & indigens pane, cui defuiſſet victus ſubſtantia, niſi corui alimoniá miniſtraſſent. Adeò deiecta erat conſcientia peccatoris: vt nec regalis potentiæ faſtu attolleretur. S. item Cyprian. epiſt. 2. ad Donatum, Exigit pœnas etiam de potétiore ſublimitas, licet ſatellitum manu ſeptus, & clauſum ac protectú latus, numeroſo ſtipatore tueatur.

NON ERIT HOC TIBI, &c.

Conſcientia nè regibus quidem parcit.

Suetonius.

B

Amm. Marcell.

C

Tullius.

S. Auguſt.

S. Ambroſius in tract. de Naboth, cap. 12.

D

S. Cyprian.

Nec ſiquidem ſperes facinus fore clam, reo conſcientia parcet. Quamobrem nihil agit Sapiens, inquit S. Ambroſius, niſi quod honeſtum ſit, niſi quod cú ſynceritate & ſine fraude eſt: neque enim quicquam facit, in quo ſe crimine

S. Ambroſ. lib. 3. Offic. cap. 5.

crimine

NON ERIT TIBI, &c.

Sapiens in omnibus conscientiæ rationem habet.

crimine quoquam obliget, etiamsi latere possit. Sibi enim reus est priusquàm cæteris, nec tam pudenda apud eũ publicatio flagitij, quàm conscientia est.] Subinde meminit Gygis annuli, quem is, vt Plato autor est, hiatu terra dehiscente, & reperto equo æneo, intus incluso cadaueri exemit; cuius ea vis fuit, vt cùm palam ad palmam conuerteret, præsentium oculis subduceretur. Mox addit: Da hunc aunulũ sapienti, vt beneficio eius possit latere, cùm deliquerit: non minus fugiet peccatorum contagium, quàm si non possit latere. Nõ enim latebra sapienti spes impunitatis, sed innocentia.

S. Augustin.

Quippe, vt docet S. Augustin. Homil. 17. in 3. lib. Benef. iudex incorruptus conscientia, cùm aduersus hominem exurgit, clara voce clamat, & accusat, & ostendit, & quasi ante oculos scribit peccatorum magnitudinem: eámque ob rem, Deus principio cum formaret hominem, conscientiam illi indidit accusatricem perpetuam, quæ decipi, & deceptionem ferre possit nunquam. Et licet quis admisso peccato, perpetratóque aliquo facinore, illico omnes homines celet; non tamen accusatricem potest latere. Nam hanc intrinsecus habentes, vbicunque simus, circum ferimus: ista nos circuit, obturbat, laniat, flagellat; nunquam quiescit, sed & domi, & in foro, & in templis, & in mensa, & dormientem, & surgentem adoritur, rationem delictorum exigit, obque oculos proponit & delictorum grauitatem, & subsecuturam pœnam. Hactenus S. Augustinus.

Idem porrò quanta sit ea perturbatio, qui fluctus, quæ tempestas mirificè describit in Psal. 142. Talis est, inquit, natura animi male sibi conscij, & tales sunt animæ improborum: nunquam est eis tranquillitas, nulla animi securitas, sed perturbantur magis quam vllũ pelagus. Non nox, non dies eis cócedit vt sedetur tempestas, sed vndequaque vexantur, etsi nullus sit qui eis molestiam exhibeat, bellum intestinum & quod secum cohabitat habentes. Et hæc quidem S. Augustinus. quæ etiam Sallustium tametsi à nostra fide alienum minimè latuerunt. Animus, inquit, impurus dijs hominibúsque infestus, neque vitijs, neque quietibus sedari potest. Ita cõscientia mentem excitam vocat. S. Ambrosius in epist. ad violatorem virginis, Ipsa conscientia sceleris te agitat per diuersa præcipitem. (*Fugit enim impius nemine persequente*) & duræ peccati imagines te non solùm vigilantem, sed dormientem quoq; perterrent. Quintilianus, declamat. 12. Quoties facta reputaui, flagella mente sonant, vltrices video furias, & in quamcúque partem me conuerti, occurrunt vmbræ meorum. Immensam vim autem pudoris ac verecundiæ quæ noxios vexat, mirum in modum exprimit S. Ambros. in lib. ad virginem lapsam, cap. 3. Aperi oculos tuos si potes, erige frontem, si audes aliquem Sanctorum fiducialiter intueri. Nonne faciem tuam conscientiæ commissum tanquam plumbum inclinat & premit? Nonne tenebræ ante oculos tuos, & dura caligo versatur? Nonne timor & tremor animam tuam quassabit? &c. nam pluribus eum locum idem Sanctus luculenter illustrat. Negat idem malè sibi conscijs libertatem loquendi. In Epist. 2. ad Corint. cap. 6. *Os nostrum patet ad vos ô Corinthy.* Hoc libertatis causa Apostolus loquitur, & puræ conscientiæ. Malè enim sibi conscia mẽs loqui trepidat: sensum perdit, & erat in verbis.]

Impiorum nulla quies. S. Augustin.

S. Ambros.

A

Stobæus serm. 24.

Periander autem apud Stobæum interrogatus, *τί ἐστι ἐλευθερία?* quid est libertas? respondit, *ἀγαθὴ συνείδησις*, bona conscientia. De pauore qui reos concutit iam sæpius. Sciscitanti olim quæ res in vita metu careret, Bias respondisse fertur, *ὀρθὴ συνείδησις*, recta conscientia. Menander quoque cecinit:

Ὁ συνιστορῶν αὑτῷ τι, κἂν ᾖ θρασύτατος,
Ἡ σύνεσις αὐτὸν δειλότατον εἶναι ποιεῖ.

Qui aliquid sibi conscius est, etiamsi fuerit audacissimus,
Conscientia tamen facit ipsum timidissimum.

B

Timor, inquit, Cicero Parad. 5. ex conscientia peccatorum exoritur. At verò tristitia noxiorum videtur esse propria: ita vt si desit carnifex vel per se satis pœnarum dare censeantur. Idem Tullius 3. de officijs, Sceleris est pœna tristis, & pręter eos euentus qni sequuntur, per se ipsa maxima est. Angor & sollicitudo conscientiæ vexat impios. Et alibi, Illi scelerum suorum conscientia cruciati, populo Roman. pœnas dabunt. Rursum 1. de legibus, Itaque pœnas luunt, non tam iudicijs, quàm quod eos agitant insectantúrque furiæ: non ardentibus tædis, sicut in fabulis, sed angore conscientiæ, fraudisque cruciatu. Probat hoc S. Ambrosius malè sibi conscios tristitia mœroréque tabescere exemplo Cain in lib. 2. quem de Cain & Abele scripsit, cap. 6.

C

Ex quibus omnibus sequitur, quod docere studuit Dauidem Abigail, illum sibi pessimè consulere, qui in alterũ temere iacit iniuriam. Testatur hoc S. Ambrosius lib. 3. Offic. cap. 4. Neque enim, inquit, hominis nocentis alteri tantum esse commodi quod adipisci sese putet, quantum incommodi quod ex eo sibi accidat. Quæ enim pœna grauior, quàm interioris vulnus conscientię? quod seuerius iudicium quàm domesticũ, quo vnusquisque sibi reus est, séq; ipse arguit, quòd iniuriã fratri indignè fecerit.]

S. Ambros.

Recordaberis ancillæ tuæ.] Quidam putant, eam prophetico spiritu prædicare, se fore vxorem Dauidis. Potest tamen non incommode exponi generaliter. Nam si quid fausti alicui prædicimus, solemus addere: in tanta tua felicitate memineris mei. Ita Ioseph, cùm prędixisset pocillatorem Pharaonis rediturum ad gradum suum, subiecit, vbi hæc euenerint, *Memor esto mei.* Potest etiam hic esse sensus, Abigaelem, cùm videret Nabalem ob intemperantiam breui moriturum, & se fore viduam, prudenter considerasse, tum demum sibi opus fore alieno præsidio. Hac verò oratione & Dauidem reuocauit à scelere, & seipsam, familiámque suam liberauit à periculo.

D

Recordaberis ancillæ tuæ] Pamphaes Prienensis, inquit Ælianus, Cræso Lydo, superstite adhuc ipsius patre, triginta minas dono dedit. qui cùm imperium accepisset, currum argento plenum ei remisit.] Flauius Vopisc. in Aureliano,

Ælianus Var. Hist. l. 4. cap. 127.

ET CVM BENEFECERIT TIBI DOMINVS, &c.

Grati animi argum. Vopiscus.

Taceri, inquit, non debet res, quæ ad famam venerabilis viri pertinet. Fertur enim Aurelianum de Thyanæ ciuitatis euersione vera dixisse, vera cogitasse: verùm Apollonium Thyanæum celeberrimæ famæ autoritatisq́, sapientem, &c. recipiendi se in tentorium ea forma qua videtur subitò astitisse: atque hæc Latinè, vt homo Pannonius intelligeret, verba dixisse: Aureliane, si vis vincere, nihil est quod de ciuium meorum nece cogites. Aureliane, si vis imperare, à cruore innocentium abstine. Aureliane, clementer te age, si vis vincere. Norat vultum philosophi venerabilis Aurelianus, atque in multis eius imaginem viderat templis. Denique statim attonitus, & imaginem, & statuas, & templum eidem promisit, atque in meliorem redijt mentem. Hæc ego à grauibus viris comperi, & in Vlpiæ bibliothecæ libris relegi, & pro maiestate Apollonij magis credidi. Quid enim illo viro sanctius? venerabilius? antiquius? diuiniúsque inter homines fuit? Ille mortuis reddidit vitam. Ille multa vltra homines & fecit & dixit: quæ qui velit nosse, Græcos legat libros, qui de eius vita conscripti sunt.] His ille magum & impium onerat encomijs Studebat enim tum dæmon emergentem Euãgelij lucem impostoris fama atque opinione obscurare. Dauid sapienti fœminæ, cuius consilio postea se seruatum meminit: non aras, aut templa posuit, sed quod maximum dare potuit, in partem legitimi thori vocauit.

Recordaberis.] De recordatione philosophatur Suidas in voce Ἀνάμνησις, his verbis. Ἀνάμνησίς ἐστι φαντάσματος εὕρεσις, Recordatio est phantasmatis seu visionis inuentio. Initio autem ducto ab animo, penetrat vsque ad corpus vita præditum. Recordati enim alicuius terroris nobis obiecti, expallescimus, & nauigationis recordati nauseamus. Quomodo verò dicimus in recordatione motum ab animo initium ducere? An quasi ille ipse non recordetur? Sed vt de sensibus loquimur? Motus enim profectus ab ijs quæ sentiuntur, ad illud vsque transit, in quo iudicandi, & sentiendi facultas est sita. Hoc autem τὸ πνεῦμα ipse spiritus. Sic etiam de recordatione dicimus, à Spiritu, in quo ἡ ψυχὴ est animus, & principium motus illius qui secundum recordationem fit, ipsam recordationem proficisci, & in hac rem fieri contrà quàm in sensu. In quo enim desinit sensus, illinc ducitur initium recordationis. Recordatio enim est phantasmatis inuentio, quum extitit in spiritu. In hoc enim existunt phantasmata, in quo & anima sentiendi facultatem habés est constituta. Ab his igitur, quæ in spiritu sunt, in quo est animæ sedes, reliquijs, quæ phantasmata vocamus, reliquias è sensuum apprehensionibus profectas recordatio tenet. Ab his initium motus in recordatione fit. Appellens igitur iterum ad phantasmata, & id repetés, quod prius habuit, hoc est, eum, qui prius fuit in spiritu, locum, recordatur, & per quod instrumentum id sensit, quod sensit. Sic autem vnà cum sensus instrumento corpus afficicitur. Hactenus Suidas de recordatione. Nos alibi antea sicut & de obliuione.

Suidas.

Quid & vnde recordatio.

A

VERSVS XXXII.

Et ait Dauid ad Abigail: Benedictus Dominus Deus Israël, qui misit hodie te in occursum meum, & benedictum eloquium tuum.

VERSVS XXXIII.

Et benedicta tu, quæ prohibuisti me hodie ne irem ad sanguinem, & vlcisccerer me de manu mea.

Variæ translationes.

Hodie.] Lxx. *σήμερον ἐν ταύτῃ*, *hodie in hac.*
B Hebraïcè, הַיּוֹם הַזֶּה *haiom hazel.* Pagnin. *die hac.* Theodoretus ad illud Lxx. Interpr. ἐν ταύτῃ, addit, ἡμέρᾳ, *in hac die*: & hoc est in Hebræo, sed non illud, *hodie. Benedictus.*] Vatablus, *Laudandus.* Hebraïcè בָּרוּךְ *barouch.* Græcè nunc apud Lxx. εὐλογητός. At Theodoretus videtur hoc loco agnoscere ex Lxx. vocem Hebræam *Baruc*, pro qua Aquila dixerit, εὐλογητός, *benedictus. Et benedictum eloquium tuum.*] Sic quoque Pagninus, apud quem Arias, *& benedicta discretio tua.* Chaldæus, *cognitio tua.* vel, vt alij vertunt, *prudentia tua.* Quidam, *& benedictum consilium tuum.* Sept. Καὶ εὐλογητὸς ὁ τρόπος σου. Complut. *& benedictus mos tuus*; Rom. Edit. *modus tuus.* Vatablus totum hunc vers. sic vertit: *Laudandus Dominus Deus Jsrael, qui effecit vt mihi hodie obuiam venires Gratiam habeo mo-*
C *ribus tuis [festinissimis,]* Ad quæ hæc annotat in Scholio. Vox Hebræa significat *prudentiã, consilium, sermonem,* & etiam *gustum.* Chaldæus Paraphrastes, vertit *prudentiam.* Hæc ille. Hebraïcè legimus טַעְמֵךְ *taghmech.* Est autem טַעַם *taghaam,* siue *taaam, habitus totius corporis, in sermone, gestu, forma, dexteritate*: vnde mores quis cognoscit, sicut cibos ex sapore. Item *interior animi habitus, mens, animus, ratio, sensus, intellectus, cogitatio, intelligentia, consilium, iudicium, voluntas, sententia, decretum, edictum, preceptum.* Item Rabb. *causa, probatio, argumentum, demonstratio.* Chaldæũ autem Paraphrastem quidam sic vertit: *& benedictus sensus tuus.*

Versum 33. sic exponit Vatabl. *Tibi beneficium debeo, quæ me hodie coercuisti quominus sanguinem*
D *funderem, liberaremque me manu mea.* Pagninus, *ne venirem in sanguinibus, & ad seruandũ manum meam mibi.* Chaldæus cum Vulgata consentit. Lxx. *Ne venirem ad sanguines*, καὶ σῶσαι χεῖρά μου ἐμοί. Complut. *& saluarem manum meam mibi.* quod iam sæpius explicuimus quomodo accipiendum esset: sed Rom. translatio, Nobilio interprete in alium sensum detorquet. *Et seruãdo manum meam mibi.* Quod significat, inquit Nobilius, *Ita probibuisti, vt seruarem manum meam puram à sanguine.* Sed Theodoreto visa est absurda locutio. Ita enim scribit. Istud καὶ σῶσαι τὴν χεῖρά μου ἐμοί, peccatum scriptoris esse suspicor. Cæteri enim interpretes dixerunt, μὴ μιῶσαι, pro eo, quod est, μὴ μόνος μεταλαχεῖν, *ne abominationis, & sceleris fiam particeps.*

Et

BENEDICTVS DEVS, &c

Admonitio æquo animo ferenda est.

Et ait David ad Abigail.] Dauid visis muneribus, agnouit peccatum, & temeritatem suam: & Deo egit gratias, qui sibi subuenisset tempore. Tanta fuit modestia in Dauide: non contempsit, ne mulierculam quidem admonentem. Postea quoque cùm reprehenderetur à Nathan propheta, statim exclamauit, *Peccaui.* Sancti enim vltrò cedunt, & agnoscunt errorem suum, cùm feriuntur verbo Dei. Petrus cùm argueretur à Paulo, quòd non recto pede ingrederetur ad Euangelium, non respondit, se priorem illo fuisse in illo munere, aut melius scire, quid esset agendum quàm illum, sed statim manus dedit, & tacuit. Hoc nos quoque sequi debemus in Dauide, vt si quando reprehẽdimur, id æquo animo & molestè patiamur.

B

Tertullian.

Quid sit hominem bene Deo dicere.

Benedictus Dominus Deus Israel.] Non quod deceat homines, inquit Tertullianus in lib. de Oratione, cap. 2. bene Deo optare, quasi sit & aliud de quo ei possit optari, aut laboret nisi optemus. Planè benedici Deum omni loco ac tempore condecet ob debitam semper memoriam beneficiorum eius ab omni homine. Sed & hoc benedictioni vice fungitur. Hactenus Tertullianus. *Dominus Deus Israel.*] Erat quidem Deus totius mundi. Peculiariter tamen dicitur *Deus Israel*, quòd eam Rempubl. vero sui cultu ornauerat, quòd in ea maximè agnoscebatur. *Notus*, inquit alibi, *in Iudæa Deus, & in Israel magnum nomen eius.* Agit gratias de gustu & prudentia Abigaëlis. Ea enim vsa fuerat huiusmodi argumentis, & ἤθεσι & πάθεσι, quibus Dauid vehementer commouebatur. Itaque ea laudat, tanquam profecta à Deo. Non enim est

C

Deus fons vnicus totius boni.

ea vis externi verbi, vt per se mouere possit. Nisi accesserit spiritus Dei, qui intus pulset, & inflammet cor, nihil agitur. Agnoscit ergo Dauid, esse ista instrumenta Dei. Itaque ipsi agit gratias, non orationi aut prudentiæ Abigaëlis, aut assensui, & voluntati suæ. Deus enim vnicus est fons omnis boni. Neque cum illo certandum est de finibus, vt dicamus hoc nostrum est, hoc tuum. Totum, quicquid est, tribuendum est Deo. Nam alioqui non auferretur gloriatio. At Paulus ait: *Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Non enim est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Nos enim non sumus idonei sine sufficientes, qui vel cogitemus aliquid, tanquam ex nobis. Deus est, qui operatur in nobis & velle, & perficere pro sua bona voluntate.* Quis nostrum est,

D

S. August.

Voluntas intus à Deo mouetur.

inquit S. Augustinus ad Simplicianum, qui nesciat, bonam voluntatem esse donum Dei? Quare nõ satis est nobis proponi verba. Oportet etiam vt Deus intus nos afficiat. Alioqui manemus rebelles, & repugnamus verbo Dei. Neque Deus ita omnes afficit. Multi enim ruunt in præcipitium: idque maximè suo merito. Sunt enim post corruptam peccati labe naturam, natura sua mali: & alunt instigatores ad malum: tantum abest, vt illi resistant. Theodosius Imperator lapsus est grauiter: neque reuocatus est ante patratam cædem. Postea seuerè ab Ambrosio reprehensus est. Nabal autem non ita reuocabatur, quin conuitia iaceret in Dauidem.

A

BENEDICTVS DEVS, &c

Habent quidem omnes suos quosdam impetus à Deo ad bonum, & suas quasdam reuocationes à malo. Impelluntur quidem, & reprimuntur, & quidem sufficienter: sed non ita vt pertrahantur. S. Augustinus ad Simplicianum: Voluntas, inquit, fertur in bonum. Sed non est in potestate cuiusque, vt illud, quod offertur, illi bonum videatur. Non omnes mouentur illo modo quo impelli possint. Omnes quidem vident bona, & mala: Non tamen inde salus consequetur, nisi efficax impulsio consequatur. Non satis est iecisse telum, nisi arte & viribus torqueatur. Quid ergo sumus trunci, aut stipites? Minimè. Trunci enim & stipites nec vident, nec volunt. Nos vtrumque facimus. Cur iste trahatur, ille non trahatur, inquit S. Augustinus, noli iudicare, si non vis errare. Quod autem non omnes trahimur, id non Dei vitio fit, sed nostro. Verùm humana ratio hic quiritatur, & vellet omnes trahi eodem modo. Quod tamen Deus non vult. In hac re duo nobis credenda sunt. Primùm, Deum misereri cuius velit: deinde quod non misereatur omnium, id nullo fieri ipsius vitio. Hoc vidit, & agnouit Dauid. Itaque egit Deo gratias, & quod hæc indicasset Abigaëli, & quod illa sibi ea dixisset, & quod ipse in animo commotus esset, ac resipuisset.

Laus virtutis etiã cum hominibus communicatur.

Et benedictum eloquiũ tuum.] Hæc laus, quam Dauid omnem retulit in Deum, subinde etiam communicatur cum Abigaële. Bona enim pars actionum sæpe tribuitur instrumentis. Ita Paulus ait, *se genuisse Corinthios & Galatas:* & Euangelium dicitur potentia Dei. Re tamen vera opus vniuersum à Deo proficiscitur. Nam vt animus Dauid inflecteretur, & cederet ad orationem Abigaëlis, id non à seipso habuit, sed à Deo. Eius beneficium est, & quod facimus bene, & quod desistimus à malo. Duplex enim est ratio iustitiæ, & vtraque pendet à Deo. Sed dices, Dauid iam lapsus erat. animo enim destinarat cædem. Atque hoc satis est coram Deo. Nam qui videt mulierem ad concupiscendum eam, adulterium committit in corde suo. Quomodo ergo agit Deo gratias, qui se represserit à peccato? Respondeo: peccata recepta in corde pertinere ad idem genus, ad quod reipsa & opere perpetrata: non tamen æquè esse grauia. Si quis mulierem concupiscat, peccatum quidem eius pertinet ad adulterium: non ille tamen æquè grauiter peccauit, atque si adulterium reipsa commisisset. Peccatum enim cùm intus in animo reconditur, minus vehemens & potens est, quam cùm erumpit ad facinus. Nisi enim ita esset, nulla essent impedimenta legum. Hic videmus, Deum solere tribus modis homines reprimere. Primùm, vt ne in animo quidem peccatum insideat: ita Dauid ait, se ne cogitasse quidem vnquam de cæde Saulis: deinde vt quamuis in animum irrepserit, tamen ab opere cohibeatur: postremò, vt si peccatum reipsa patratum sit, tamen agamus pœnitentiam, & redeamus in viam. Ita Dauid cùm commisisset adulterium, à Nathan reuocatus est. Primum quidem horum in primis optandum est. Quod si non contigerit, at con-

Peccatum longè grauius cùm opere, quã cùm sola voluntate perficitur.

Alioqvin vivit, &c. sistendum est in secundo: in tertio verò nisi hæremus, actum est.

VERSVS XXXIV.

Alioquin viuit Dominus Deus Israël, qui prohibuit me ne malum facerem tibi: nisi citò venisses in occursum mihi, non remansisset Nabal vsque ad lucem matutinam, mingens ad parietem.

VERSVS XXXV.

Suscepit ergo Dauid de manu eius omnia quæ attulerat ei, dixitque ei: Vade pacificè in domum tuam, ecce audiui vocem tuā, & honoraui faciem tuam.

Variæ trāslationes. ACerbitatem sententiæ huius nonnihil verbis molliunt. Septuaginta Interpr. in edit Ald. & Rom. πλὴν ὅτι ζῇ Κύριος ὁ Θεὸς, *&c.* τότε εἶπα· εἰ ὑπολειφθήσεται) τῷ Νάβαλ, *&c.* *Veruntamen viuit Dominus Deus Israel, qui prohibuit me hodie malefacere tibi; quia nisi festinabas, atque adueniebas in occursum mihi; tunc dixeram, si remanebit ipsi Nabal, &c. Mingens ad parietem.*] Solus Chaldæus, *cognoscens cognitionem.* Versu 35. Pagninus, *Ascende in pace in domum tuam, vide,* רְאִי *rei* (à verbo רָאָה *raa*) *audiui vocem tuam,* (Arias, *in voce tua,*) *& suscepi faciem tuam.* Arias, *& tuli facies tuas.* Quidam, *exaudiui vocem tuam, & suscepi faciem tuam.* Alius, *& suscipio vultum tuum.* id est, personam: Synecdoche. Vatablus, *suscepique faciem tuam.* quasi dicat, Acquieui petitioni tuæ, condonauique tibi omnia, quum sis mihi gratissima. vel, gratissima mihi fuerunt quæ dixisti, & quæ attulisti. Ald. & Rom. edit. consentit: Καὶ ᾑρέτισα τὸ πρόσωπόν σου, *& suscepi faciem tuam:* & respondet Hebræo. Symmachus, ἐνετράπην, *reueritus sum*, vt Complut. nec longè secus Vulgat. *honoraui.*

Alioquin viuit Dominus, qui prohibuit me.] Iam deliquisse voluntate ac proposito respōdimus: sed cùm esset diuinæ legis studiosus ac virtutis amans, statim vt officij se sensit admoneri, crudele decretum rescindens ad mentem rediit.

Prouerb. 24. vers. 16. *Septies*, inquit Salomon, *cadet iustus, & resurget; impij autem corruent in malum.* Quam sententiam mirificè exponit S. Isidorus Pelus. lib. 4. epist. 158. S. Isidor. Pelus. Τὸ, inquit, ἑπτάκις πεσεῖται ὁ δίκαιος, *Septies cadet iustus*, non simpliciter atque absolutè dictum est; sed ideo, quia qui legitimè certat, necessariò etiam athleticè cadit. Quo pacto iustus septies cadere dicatur. Hoc autem non omnino & sine discrimine efficit, vt quis succumbat & victoriam aduersario tradat, sed contrà sæpè victoriā parit. Multi namq; postquam ceciderant, eorum vires, qui stare videbantur, eneruarunt, totum ipsorum corpus pede supplantatum humi prosternentes, atque ita ereptam eis victoriam in se transferentes. Ideóque non solum dixit, *Iustum cadere*, sed addidit, *ipsum etiam resurgere*, nimirum vt coronam à victore reportatam simul ostenderet. Quod si etiam vbi cecidit homo, celeriter resipiscit, atque ad sanam mentem redit, hunc optimum esse esse noueris. Hactenus S. Isidorus: cuius posterior interpretatio hoc loco aptius in Dauidem quadrat.

Ecce avdivi, &c.

Suscepit ergo Dauid de manu eius omnia, &c.] Illa prius optauerat, & missis nuncijs à Nabale postularat: sed cùm repulsam passus esset, & conuitijs insuper lacessitus, verisimile erat aut his minime contentum fore, aut certè repudiaturum. Itaque quod vix quisquam crederet, quæ attulerat Abigail grata & accepta habuit. nam & penuria laborat, & reconciliatam cum ea gratam intelligi volebat. Id enim placati animi iudiciū fuit. Quem enim oderunt homines, eum valere iubent cum suis muneribus. Munera enim placere non possunt, nisi ille qui dedit, prius placeat. Vt enim alter amore mouetur vt det, ita alter amore mouetur, vt accipiat. Et qui accipit, siquidem ingenio liberali atque ingenuo sit præditus, ad referendam gratiam se sentit obligari.

Vade pacificè in domum tuam.] Abi salua, & incolumis. Impetrasti quæ postulas. Hunc honorem habui virtuti ac facundiæ tuæ, vt eorum quæ velles nihil tibi denegarem. Ita Christus mulieri peccatrici, *Remissa*, inquit, *sunt tibi peccata tua: vade in pace.* Pax autem animi nulla esse potest sine fide. Hic videmus Abigaëlem impetrasse salutem, & sibi, & viro, & familiæ. Impius quidem erat Nabal. Tamen propter vxorem culpa illi condonatur. Id certum est perpetuò fieri in rebus humanis. Quod enim nefarij homines permittuntur viuere, ac non statim perduntur, id debent iustis. Ita enim Deus pollicitus est, se velle parcere toti Sodomæ, tantùm si inuenirentur in ea decem iusti.

Ecce audiui vocem tuam.] Fingit Homer. Iliados α. strinxisse Achillem quandoque gladium vt Agamemnonem interficeret, sed Palladis interuentu à cæde prohibitum. His nobis altera Pallas, seu potius illa longè melior, quemadmodum & Dauid Achille longè præstantior fuit. Fertur Lampsacenus Anaximenes, qui fuerat Alexandri præceptor, cùm ad eundem à suis allegatus esset, quibus iratus Alexander belli ac vastitatis metum intulerat, nec minus ingenio quàm eloquentia valeret, dolis eundem circumuenisse. Suidas in Ἀναξιμένης. Nam cùm aduentare Anaximenem Macedo comperisset, deos persanctè iurauit, se his quæ Lampsacenus postularet, contraria omnia facturum. Quod postquam resciuit Anaximenes, Hoc, inquit, beneficium, ô Rex, mihi largiaris, vt vxores, & liberos Lampsacenorum in seruitutem abstrahas, & templa incendas, & vrbem solo æques. Itaque Alexander iusiurandi religione constrictus præter spem iram remisit. Indignum esset his artibus Dauidem capi: rationi cessit, quam singulari facundia prudētissima mulier illustrauit. Quamobrem etiam illo rhetore longè præstantior & laude dignior habenda est.

Ecce audiui vocem tuam.] Atqui iurauerat Dauid, *Hæc mihi faciat Deus, &c.* Iurauerat & Philippus Rex Francorum, quod Galo in vita sua non

Ecce audiui, &c.

non esset futurus Beluacensis Episcopus. Qua de re Iuo scribens ad Paschalem summum Pontificem, Quod si sanctitati vestræ, inquit, obijcitur, Regem nõ oportere cogi ad periurium, recordari potestis qui dicat B. Ambrosius li. 1. de Officijs. Dicit enim: Est nonnunquam contra officium, promissum custodire sacramentum. Vt Herodes, qui iurauit quoniam quicquid petitura esset, daret filiæ Herodiadis, & necem Ioannis concessit, ne promissum negaret. Dicit enim Augustinus in Serm. quem fecit in decollatione Ioann. Baptistæ: Video hominem pium, sanctum, in iurationem temerariam procidisse, & maluisse non facere quod iurauerat, quàm iurationem suam fuso sanguine hominis implere. Item, Iurauit Dauid temerè, sed non impleuit iurationem maiori pietate. De duobus peccatis elegit minimum. Item Ambrosius in lib. 3. de Offic. Plerique sæpe se constringunt iurisiurandi sacramento, & cùm ipsi cognouerint promittendum non fuisse, sacramenti tamen contemplatione faciunt quod spoponderunt, sicut de Herode supra scripsimus. Quanto tolerabilius fuisset tale periurium sacramento, si tantùm periurium dici posset, quod eiuratus in saltantium choro promiserat. Item Hieronymus lib. 1. super Ieremiam: Animaduertendum quod iuramentum hos habeat comites, veritatem, iudicium, & iustitiam. Si ista defuerint, nequaquam iuramentum erit, sed periurium. Et in Actione septimæ Synodi legitur: Herodes obseruauit Sacramentum, & perijt. Petrus negauit cum iuramento, & conuersus fleuit, & saluatus est. Hactenus Iuo. Dauid itaque prudenter, & piè abiurat iusiurandum. Iuramenta enim & vota (nam de vtrisque idem sentiendum est) non sunt vincula iniquitatis, sed tantùm stimuli quidam ad rectè agendum. Quare si ea temerè concepta, & nuncupata sunt, prudenter, & consideratè reuocanda sunt. Neq; enim imitari debemus Iephthe, qui mactare maluit filiam suam, quàm votum temerarium rescindere. Nullum hic aliud periculum est, nisi ne videamur Deum contemnere. At si quis non ex contemptu, sed ex reuerentia erga legem Dei rescindat iusiurandum, aut votum, quod videat se id non posse præstare sine peccato, non peccat. Imò illi potius grauiter peccant, qui quod stultè promiserunt, volunt etiam impiè persoluere. Peccant tamen etiam illi, qui aliquid imprudenter iurant, aut vouent. Videndum enim erat, ne quid temerè committerent, quod post esset reuocandum.

Iuo Carnot ep 50.

Pie ac religiose Dauid temerarium iuramentű rescindit.

Caietanus

Quærit denique Caietanus in secundam secundæ quæst. 89. art. 7. Num mater verbera filio pollicens, idque iuramento confirmans, ac postmodum non præstans, peccet mortaliter? Grauior vtique res agitur circa Nabal: Sed quia vtrumque iuramentum parem exitum habet, & hanc quoque difficultatem eadem quæstione soluere videtur Caietanus, operæpretium me facturum duxi, si huic loco insererem. Postquam igitur venialiter matrẽ peccare ex communi sententia dictum est, subdit: quod autem refertur de iuramentis matrum circa verbera-

A tionem filiorum, non ex paruitate promissi boni, scilicet correctionis paruæ, sed aliunde iudicandum est, scilicet vel ex obiecto, quia scilicet huiusmodi iuramenta communiter fiunt ex passione iracundiæ: & verberatio sub ratione paruæ vindictæ, magis quàm correptionis, præsentatur mulieri præsenti, quæ facilè agitur passionibus. Cuius signum est, quod si in eodem erraret filius, & mater non esset irata, non promitteret punire filium. Et sic huiusmodi punitio promittitur sub ratione mali venialis, at per hoc non tenetur seruare, quando sic est: Secus autem esset, si vt bonum correctionis promitteret, quamuis ex ira. Vel iudicandum est ex commutatione in melius. quamuis enim bonum correptionis promiserit, si tamen melius est post pacatam domum parcere, ne fletus
B conturbet familiam, commutatur iuramentum in melius. Sicut Dauid iuramentum, quo punire Nabal promiserat, mutauit in melius indulgendo. Et quia horum alterum communiter accidit, ideo communiter non nisi venialiter peccant nõn puniendo. Hactenus verba Caietani.

Ecce audiui, &c.

Quo pacto mater tantùm venialiter peccet, quæ animaduersionẽ, quã iurãdo promiserat, filio remittit.

Versus XXXVI.

Venit autem Abigail ad Nabal: & ecce erat ei conuiuium in domo eius, quasi conuiuium regis, & cor Nabal iucundum: erat enim ebrius nimis: & non
C **indicauit ei verbũ pusillum aut grande vsque mane.**

Cor *Nabal iucundum.*] Septuag. Καὶ ἡ καρδία Ναβὰλ ἀγαθὴ ἐπ' αὐτῷ. Rom. Editio, *Et cor Nabal bonum in eo.* Complut. ἐν αὐτῷ, *Et cor Nabal iucundum in eo.* Sic quoque Pagninus. Hebraicè, טוב *tob.* Arias, *Et cor Nabal bonum super se.* quidam, *iucundum intra ipsum.* Latina interpretatio Chald. Paraphr. *pulcrum super ipsum.* Vatablus, *hilare.* Alius, *in quo animus Nabalis lætus erat, ita vt perualdè ebrius esset.* Septuag. μεθύων ἕως σφόδρα, *ebrius vsque valdè.*

Variæ translationes.

Venit autem Abigail ad Nabal.] Abigail reuersa domum inuenit Nabalem securum in conuiuio. Impij enim maxime securi sunt, cùm impendeant summa pericula. Nam cùm dicũt
D *pax, & securitas, repentinus illis veniet interitus:* vt dolor inexpectatus opprimere solet parturientes. Ita Babylon capta est à Cyro, cùm Rex Balthazar produxisset vasa sacra in contemptum Dei, & versaretur inter scorta, & pocula. Ita Arius, cùm iussu Imperatoris restituendus esset Ecclesiæ, & iam animo securo esset, mortuus est ex itinere. Ita Iulianus Apostata cùm certus esset de victoria contra Persas, & animo agitaret euersionem Christiani nominis, interfectus est è vestigio. Ita Iulius Cæsar cum pridie vesperi otiose, & secure disputasset de optimo genere mortis, postridie interfectus est in Senatu. Ita Christus, *Hac*, inquit, *nocte repetent à te animam tuam: ista autem, cuius erunt?* Et S. Bernardus prudenter addit, Tu ipse, qui

Impiorum securitas proxima periculo.

ET ERAT EI, &c.

ea parasti, cuius eris? Ista securitas hominibus carnalibus ex eo nascitur, quòd contemnant Deum, & sibi persuadeant, eum nunquam sumpturum pœnas de peccatis. Altera autem est spiritualis securitas, quæ nascitur ex vera fide, conscientia bona, & expectatione misericordiæ Dei.

Deorū Augustus conuiuia æmulari studuit.

Et erat ei conuiuium quasi conuiuium regis.] Notatur hic luxus Nabalis. Nemo sua sorte contentus viuit. Priuati regum, reges deorum conuiuia æmulantur. Suetonius autor in Augusto cap. 70. Cœna quoque eius secretior, inquit, in fabulis fuit, quæ vulgò δωδεκάθεος vocabatur: in qua deorum dearúmque habitu discubuisse conuiuas, & ipsum pro Apolline ornatum, non Antonij modò epistolæ singulorum nomina amarissimè annumerãtis, exprobrant, sed & sine autore notissimi versus:

Suetonius.

Cùm primum istorum conduxit mensa choragum,
Sexque deos vidit Mallia, sexque deas:
Impia dum Phœbi Cæsar mendacia ludit,
Dum noua diuorum cœnat adulteria:
Omnia se à terris tunc numina declinarunt:
Fugit & auratos Juppiter ipse thronos.

Auxit cœnæ rumorem summa tunc in ciuitate penuria ac fames. Acclamatúmque est postridie, frumentum omne deos comedisse: & Cæsarem esse planè Apollinem: sed Tortorem, quo cognomine is Deus quadam in parte vrbis colebatur. Ita satis inauspicato Augustus tentauit, vt scribit Suetonius, deorum conuiuia æquare.

Quasi conuiuium regis.] Curarum expers regum fruebatur delitijs. Talis apud Senecam Creon:

Seneca in Oedipo act. 3.

Solutus onere regio, regni bonis
Fruor, domúsque ciuium cœtu viget:
Nec vlla vicibus surgit alternis dies,
Qua non propinqui munera ad nostros lares
Sceptri redundent; cultus, opulentæ dapes,
Donata multis gratiâ nostrâ salus.
Quid tam beatæ deesse fortunæ rear?

De luxu antiquorum conuiuiorum cùm plerique autores multa scripsere, tum maximè Athenæus, qui Deipnosophistarū libros quindecim reliquit. Sed hæc repetere duco superuacaneum. Nonnulla tamen referam quibus veterum luxus arguatur, in quem animaduertere hoc loco Scriptura videtur. Apud Macrob. li. 3. Saturn. cùm Horus in suæ ætatis luxuriam inuectus esset, Cæcinna ita respondit, vt ostenderet prioribus sæculis maiorem deliciarum curam fuisse. Describit autem Sallustius quàm immenso luxu Metellum in Hispaniam redeuntem Quæstor C. Vrbinus conuiuio exceperit. Exornatis, inquit, ędibus per aulæa, & insignia, scenísque ad ostentationem histrionum fabricatis. Simul croco sparsa humus; & alia in modum templi celeberrimi. Præterea cùm sedenti in transenna demissum victoriæ simulacrum cum machinato strepitu tonitruum, coronam ei imponebat: tum venienti, ture quasi Deo supplicabatur. Toga picta plerumq; amiculo erat ei accumbenti. Epulæ quæsitissimæ, neque per omnem modò prouinciam, sed trans maria ex Mauritania volucrum, & ferarum incognita

Macrob. Luxus antiquorum conuiuiorum.

antea plura genera.] Quinimò accipite, inquit Macrob. eiusdem lib. cap. 13. inter grauissimas personas non defuisse luxuriam. Refero enim Pōtificis vetustissimam cœnam, quæ scripta est in indice quarto, Metelli illius Pontificis Maximi, in hęc verba: Ante diem nonum Calend. Septemb. &c. quæ apud Macrob. reperies. Quibus postremò adijcit, Vbi iam luxuria tunc accusaretur, quando tot rebus farta fuit cœna pontificum? Hanc quoque Ethnicis sicut & Saliorum epulum Tertull. exprobrat in Apologet. Agapas Christianorū ab eorundem calumnia vendicans. De Saliorum epulo hanc habet histor. Sueton. Claudij vitæ ca. 33. Cognoscens, inquit, quondam (Imperator) in Augusti foro, ictúsq; nidore prandij, quod in proxima Martis æde Salijs apparabatur, deserto tribunali, ascendit ad sacerdotes, vnáq; discubuit.] Ipsa verò edulium genera, quàm dictu turpia? Nam Cincius in suasione legis Fanniæ, obijcit seculo suo, quod porcum Troianum mensis inferat. Quem illi ideo sic vocabant, quasi alijs inclusis animalibus grauidum, vt ille Troianus equus grauidus armatis fuit. Exigebat hoc quoque illa gulæ intemperantia, vt & lepores, & ostrea teste Varrone saginarentur. Nec acipenser, inquit Macrobius, cap. 16. quem maria prodigis nutriunt, illius seculi delicias euasit. Parasitus apud Plautum in Baccharia,

Suetonius.

Specimen egregium grauitatis Imperat.

Porcus Troianus

Varro de agricultura lib. 3.

Quis est mortalis tanta fortuna affectus vnquam,
Quàm ego nunc sum, cuius hac ventri portatur pompa?
Vel nunc, qui mihi in mari acipenser latuit antehac,
Cuius ego latus in latebras reddam meis dentibus, & manibus?

Plautus.

Hæc ille. Sed vt nihil deesset ad exaggerandam antiquorum conuiuiorum turpitudinem, Sammonicus Serenus qui Seueri principis ætate floruit, prodit veneratione, qua is piscis habebatur, vt à coronatis ministris inferretur cū tibicinis cantu, quasi quadam non deliciarum, sed numinis pompa. Addam his Mamertinum Iuliani Præfect. Prætor. cuius hæc verba sunt in Panegyrico Iuliano dicto: quinetiam prandiorum ac cœnarum magnitudines R. P. sanciebat, cùm quæsitissimæ dapes non gustu, sed difficultatibus æstimarentur, miracula auium, longinqui mari pisces, alieni temporis poma, æstiuæ niues, hybernæ rosæ.

Mamertinus in Panegy.

Quasi conuiuium regis.] quinimo priuatorum luxus non rarò Principum magnificos apparatus superauit. Latinus Pacatus in Panegyrico Theodosio dicto, Neminem vnum, ait, inueniri, qui auderet ad penum regiam flagitare remotorum littorum piscem, peregrini aëris volucrem, alieni temporis florem. Nam delicati illi ac fluentes, quales tulit sæpe Respubl. parum se lautos putabant, nisi luxuria vertisset annum, nisi hybernæ poculis rosæ innatassent, nisi æstiuam in gemmis capacibus glaciem falerna fregissent. Horum gulæ angustus erat noster orbis: namque appositas dapes non sapore, sed sumptu æstimabant. Illis demum cibis acquiescebant, quos extremus Oriens, aut positus extra Roman. imperium Colchus, aut famosa

Priuatorum luxus. Pacatus

Et erat illi, &c.

famosa naufragiis maria misissent, quos inuitæ quodammodo reluctantiq; naturæ hominum pericula rapuissent. Hactenus Pacatus. At hos, inquit Lucianus, Nigrinus Platonicus vehementius irridebat, qui miram quandam diligentiam in apparandis cœnis adhibent, dum liquamentorum varietatem, & bellariorum curiosam atque immodicam compositionem sectantur. Nam rursum & hos dicebat breuis ac modico tempore duraturæ voluptatis amore multa negotia sustinere. Indicabat autem, quatuor illos digitorum causa totum hũc suscipere laborem solere. Tot enim digitorũ mensuram æquat vel longissimum hominis guttur. Nam neq; antea quàm eorum, quæ tam charo emuntur, quicquam ederunt, vllam voluptatem eos capere: nec rursum posteaquam illa deuorata atque absumpta sunt, suauiorem cæteris illam, quæ fit ex tam pretiosis & charis istis, repletionem reddi. Restare igitur vt illam, quæ velut in transcursu percipitur, voluptatem, tam grandi pecunia mercentur.

Nigrinus Platonicus.

Gulæ voluptas quatuor digitorum.

Adde his, quod tanta ciborum varietas, quibus nepotes delectantur, valetudinem plurimùm labefactat. Probat hoc apud Macrobium Disarius medicus Saturn. lib. 7. cap. 4. Primùm exemplo pecudum, quibus simplici cibo vtentibus familiarem sanitatem esse asserit; ægrescere autem quæ saginantur, & composita offarum varietate crudescere. Secundo autoritate medicorum, quorũ nullus febrienti dat corruptam condimentis alimoniam, sed vniformem ac simplicem. Tertiò ratione. Cruditates enim, inquit, eueniunt, aut qualitate succi, in quem cibus vertitur, si non sit aptus humori, qui corpus obtinuit: aut ipsius cibi multitudine, non sufficiẽte natura, ad omnia, quæ congesta sunt, concoquenda. Qui enim multiplici cibo alitur, diuersas patitur qualitates ex diuersitate succorum: nec concordant humores ex materiæ varietate nascentes, nec efficiunt liquidum purúmue sanguinem, in quem iecoris ministerio vertuntur, & in venas cum tumultu suo transeunt. Hinc morborum scaturigo, qui ex repugnantium sibi humorum discordia nascuntur. Deinde quia non omnium, quæ esui sunt, vna natura est: nõ omnia simul coquuntur: sed alia celerius, tardius alia. Cùm ergo prima digestio vertitur in succum, quia non simul accepta omnia vertuntur, acescit, & hoc sæpe etiam eructando sentimus. Alia quoque quibus tarda digestio est, velut ligna humida, quę vrgente igne fumum de se creant: sic illa imminente igne naturæ, fumant, dum tardius coquuntur. Siquidem nec hoc sensum eructantis euadat. Cibus autem simplex non habet controuersam moram, dum in simplicem simul succum vertitur: nec digestio vlla turbatur, dum omnes sibi stata momentorum dimensione succedunt. Macrobius porrò eodem loco quatuor cibi digestiones, primam in stomacho, secundam in iecore, tertiam in venis, quartam in vnoquoque membro, copiosè persequitur, quæ apud eundem legi poterunt. Ad extremum autem etiam hoc argumento vtitur, quod pulmentorum condimentorúmque varietas gulam lacessat, quæ deinde sibi moderari non nouit: sed præceps in crapulam fertur, & ciborum indigesta congerie ventrem onerat, & morbos parit.

Ciborũ copia & varietas valetudini officit.

Macrob.

Et cor Nabal, &c.

Et cor Nabal iucundum.] Erat quippe præsentis periculi, futurique mali ignarus. Narrat Herodotus lib. 2. Mycerinum quendam Ægypti regem, cùm oraculum accepisset se breui moriturum, lucernas fecisse permultas, quibus cùm noctesceret accensis, potaret, ac se oblectaret: neque diu neque noctu intermittentem. Hæc autem idcirco excogitasse, quod vellet oraculum mendacij conuincere, & duodecim pro sex fierent anni, diebus factis ex noctibus. Si Herodoto credimus, Mycerinus clementiam iustitiámque coluerat: itaq; mortem minus timuit. At Nabal, cùm pessimè vitam instituisset, cognito discrimine, postea expauit: nec vltrà conuiuij licentia potuit ad hilaritatem iucunditatémque reuocari. Sed hoc interim spatio lasciuiæ edacitatique indulgebat. Illum mihi pingere Epicharmus visus est, cùm scriberet:

Herodot.

Mycerinus moriturus conuiuiis vacabat.

Primùm quidẽ si comedentẽ videres eũ, emoreris.
Fremunt intus fauces, resonat maxilla,
Strepit dens molaris, tumultuatur caninus:
Stridet naribus, mouet auriculas.

Nec deerãt præterea parasiti agrestes, & supra modum edaces rustici, qui dicacitate atq; edacitate sua perdito nebuloni risum mouerẽt. De Aurel. Imp. Vopiscus in eius vita. Vehementissimè delectatus est Phagone, qui vsque eò multũ comedit, vt vno die ante mẽsam eius aprum integrum, centum panes, veruecem, & porcellum comederet: biberet autem infundibulo apposito plus orca. Complures ἀδδηφάγους seu voraces Ælianus memorat lib. 1. cap. 27. Var. hist. sed fœminam præ cæteris vnam celebrat præced. cap. 26. Fœminam, inquit, audio tuba cantasse, eiúsque hoc institutum vitæ atque artem fuisse, nomine Aglaidem, filiam Megaclis. Comam habebat apposititiam, & cristã in capite, vt testatur Posidippus. Consumebat hæc in vna cœna, duodecim minas carnium, & quatuor chœnices panum, bibebat congium vini. Sunt qui ex his monstris seu naturæ probris inhonestam voluptatem captent. Nec dubium quin hoc tempore Nabal talia sibi oblectamenta, quibus capi poterat, accersierit.

Edaces & parasiti cõuiuijs adhibiti.

Fla. Vopiscus.

Ælianus.

Cor Nabal iucundum.] Ἡδονὴ, inquit Suidas in eadem voce, ἄλογος διάχυσις. Voluptas est bruta dissolutio. Vel ἄλογος ἔπαρσις bruta elatio, aut etiam impulsio ad aliquid, quod in altero videtur esse. Cui subijcitur κήλησις, ἐπιχαιρεκακία, τέρψις, διάχυσις. delinitio, ob aliena mala gaudium, delectatio, hilaritas. Κήλησις siue delinitio, voluptas est, quæ per aures animum delinit ac mulcet. ἐπιχαιρεκακία verò, voluptas ob aliena mala. τέρψις delectatio, quasi τρέψις, id est versio, siue conuersio aut traductio animi ad relaxationem. διάχυσις deniq; siue hilaritas aut iucunditas, ἀνάλυσις ἀρετῆς, virtutis resolutio siue relaxatio. Hinc profectò tristis virtus proteruiæ crapulæq; cedens, abscedere coacta est. Aristippus autem, è classe Philosophorum deliciarum patronus, apud Ælianum cap. 6. lib. 14. pluribus argumentis olim suadere statuit, vt neque ob præterita torquerentur se, neque ob ea quæ im-

Suidas.

Voluptatis plures species.

Ælianus.

ERAT QVIPPE EBRIVS NIMIS.

Ex his & alijs pluribus, quæ deinceps expendemus, cùm non pauci animaduerterẽt, quàm non modò turpis, sed etiam perniciosa res esset ebrietas, vino seuerè interdixerunt. Inde enim manarunt Romanæ leges atque Milesiæ, Locrensium quoque ac Massiliensiũ, quas Ælian. lib. 2. Var. hist. cap. 37. & 38. religiose descripsit. Sed nos, si quæ sunt etiam aliorum decreta populorum quæ vino moderentur, & intemperantiam coërceant, in præsentia missa facimus: Vnius duntaxat Platonis meminero, cuius hæc statuta leguntur lib. 2. de legibus. Principiò lege sanciemus, inquit, vt pueri vsque ad decimum octauum annũ vini vsum prorsus ignorent. Deinde vino moderatè vtantur vsque ad ætatis annum trigesimum. Ab ebrietate verò & vini repletione iuuenes omninò abstineant. Sed cum ad quadragesimum peruenerint, tunc in conuiuijs liberius discumbentes, cùm alios deos, tum Dionysium ad sacra senum & ludos inuocent, qui hominibus vinum quasi remedium aduersus senectutis duritiam est largitus, vt reiuuenescere videamur, & mœstitiæ nos obliuio capiat, ipsáque affectio animi, sicuti ferrum in igne, ex duritie in mollitiem deducta, flexibilior fiat. Nunquam in castris quisquam gustare vinum audeat, sed toto illo tempore aqua bibatur, & in ciuitate nunquam vini vsum seruo vel ancillæ concederem. Sed nec magistratibus toto eo tempore, quo magistratu funguntur. Gubernatores etiam ac iudices munus suum subituros à vino penitus prohiberem. Deliberaturos quoque de rebus non omnino negligendis. Ac nulli penitus interdiu vinum concederem, nisi exercitationis corporeæ morborúmque causa hoc potu opus fuerit: neque etiam nocte viro vel mulieri, quando liberis operam dare volunt. Plura etiam referri possent, in quibus homines legis rectæ mentísque compotes vino abstinerent. Hactenus Plato. Cuius legibus non dubito plerosque homines intercessuros, quippe qui non tam licentiæ frænos in pluribus adhibere videatur, quàm mortales diuino beneficio priuare. Verumenimuerò, vt docet Theognis,

Plato vini vsum legibus suis præscribit.

Οἶνος πινόμενος πολὺς, κακός. ἢν δέ τις αὐτὸν
Πίνῃ ἐπισταμένως, οὐ κακὸς, ἀλλ' ἀγαθός.

Vinum si bibas multum, noxium est: at si quis ipsum
Bibat prudenter, iam non malum, sed bonum est.

Modum itaque decet præscribere, quo tanto Dei munere legitimè vtamur, non protinus eius vsu interdicere. Quamobrem in primis legitimum eiusdem vsum doceamus. Deinde eius abusum ostendamus, quantum diuinæ legi aduersetur. Postea afferemus exempla, quibus liquidò constet, temulentiam cùm damnosam, tum fœdam & detestabilem esse. Recensebo deinceps huius mali horribilia effecta. Postremò ex his omnibus, si quis animum aduertat, facilè responderi poterit cauillis & sophismatibus, quibus ebrietas & vini abusus ab Epicureis defenditur.

Quæstionis distributio.

Quod ad primum attinet, inficiari nemo potest præclaras esse dotes vini. Quandoquidem sitim restinguit, quæ nos maximè cruciat: quod etiam aqua fieri posset, verùm non ita commodè; quia vinum sitim extinguendo fractas vires reficit, & spiritus procreat, quibus natura plurimùm recreatur. Subinde etiam medetur frigori & imbecillitati, cùm ventriculi, tum etiam cæterarum facultatum, quæ humanæ vitæ inseruiunt. Vnde Paulus ad Timotheum scripsit, vt vino vteretur propter stomachum, & frequentes eius morbos. Exterius ad vulnera non inutiliter quandoque apponitur. Nam & Lucæ 10. scribitur, Samaritanum alligasse vulnera eius quem semiuiuum repererat, & illis oleum ac vinum infudisse. Exhilarat præterea vinum, nec parum facit ad tristitiam ac mœrorem animi depellendum. Et idcirco Salomon in Prouerb. cap. 31. iubet: *Date siceram mœrentibus, & vinum ijs qui amaro sunt animo. Bibant & obliuiscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius.* Et Psalm. 104. *Vinum lætificat cor hominis.* Item vitis Iudic. 9. vers. 13. *Nunquid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum & homines?* Id quod non ita accipiendum est, quasi Deus aut bibat, aut vini aliqua voluptate perfundatur: sed quia in sacrificijs libamina vini adhibebantur. Et, vt Rabini perhibent, Leuitæ in oblatione sacrificiorum tunc canere voce, tubis, ac lyris incipiebant, quando ad vini libamina peruentum erat.

Complures vini dotes.

Porrò tanta fuit Dei bonitas erga homines, vt illis non tantùm ad victum necessaria dare voluerit, sed etiam delitias largitus sit: quia propriè ac per se non delectatur squalore, tristitia, ac mœrore hominum, sed eos cupit sanctè ac piè viuere cum honesta cordis hilaritate. Quocirca non tantùm vini vsum illis concessit, sed etiam oleum, & fragrantissimos odores, carnes item, necnon diuersa & multiplicia ciborum genera. Et sanè necessarius nonnunquam vini vsus ijs qui à morbis conualescunt, & restituendi sunt pristinæ valetudini: Vtique Philosophus quidam retulit, tristitia & amaritudo quędam senum eo perinde mitigatur & lenitur, atque lupini alioquin amarissimi dulcescũt aqua macerati. At videndum est, vt modus adhibeatur; alioqui lætitia quæ ex vino quæritur, facilè abit in summam tristitiam. Nam intemperantia vini, vtilitatem facilè perdit. Imò si temulentia virum occupet, tristissima res euadet, & damni plena.

Philonides medicus apud Athenæum lib. 15. autor est, translata è rubro mari vite in Græciam à Baccho, multísque intemperanti voluptate delinitis, & merum bibentibus, cùm alij furijs acti insanirent, alij obruti vino & crapula conciderent mortuis similes, quibusdam ad littus maris compotantibus, ingruente pluuia, dissolutum conuiuium, ac poculum, in quo parum vini relictum fuerat, aqua repletum esse: deinde cùm factum rursus esset sudum ac serenum cœlum, conuiuas in eundem locum reuersos, vinum dilutum gustantes, mitem atque minimè molestam voluptatem sensisse. Inde igitur miscendi ratio primùm illis reperta est, qua vini furor & insolentia cohiberetur. Athenienses tamen vini σύμμετρον κρᾶσιν seu conuenientem

Miscere vinum necesse est, & vnde primùm ea ratio tradita est.

ERAT QVIPPE EBRIVS NIMIS.

ERAT QVIPPE EBRIVS NIMIS.

uenientem cum aqua mixtionem, Amphictyonem regem docuisse fama est. Vnde & Διονύσου ὀρθοῦ delubrum extruxerit: quoniam tum reuera Bacchus rectus sit, miniméque titubet aut noceat, cùm modicè dilutus bibitur; vt testatur idem Athenæus libro quarto. Itaque Græci olim vino vsi sunt partim mero, quod ἄκρατον dicunt, partim diluto, quod ἀπ᾽ ὕδατος, quasi aquosum dicas, vocant. At verò τὴν ἀκρατοποσίαν, meri potum, Anacreon Σκυθικὴν πόσιν nominat: hoc est, Scythicam potionem. Chamæleon autem Heracleotes lib. de Temulentia scribit, Cleomenem Lacedæmonium ad insaniam perductum esse, quòd apud Scythas agés, meracius potare vinum assueuisset: id quod Ἐπισκυθίζειν appellat, hoc est Scythas æmulari. Neq; verò hoc dubium est, quin merum menti pariter ac corpori plurimùm officiat: Sed non omnes medicorum cõsilijs obtemperant. Testem laudabo Fuscum, cuius meminit Thomas Morus in Epigram.

Potando medicus perituros dixit ocellos
Fusco, qui cùm se consuluisset, ait:
Perdere dulcius est potãdo, quàm vt mea seruem
Erodenda pigris lumina vermiculis.

Quis modus adhibendus.

Vinum ergo quomodo bibere dilutum me conuenit, inquit Diocles in Apibus, an quatuor & duo? Πῶς δ᾽ ἡ κεκραμένον πίνειν τὸν οἶνον δεῖ μοι; τὰ πέντε ἢ δύο; Κεράσεως non vna fuit ratio. Nonnullas apud Athenæum libro decimo produnt Menander, Alexis, &c. Plutarchus tres mixtionis modos, tribus musicalibus consonantijs similes tradit, Hemioliam, cùm tribus aquæ partibus duæ vini adduntur; diatessaron, cùm tribus aquæ vna vini; diapason, cùm vni vini duæ aquæ. Græcorum vetus illa cantio fuit: ἢ πέντε πίνε, ἢ τρία, ἢ μὴ τέσσαρα. Quinque bibe, vel tria, non autem quatuor. Quinarius scilicet his duo complectitur, & dimidium: quaternarius semel tria, & tertiam partem. Iubet ergo adagium, vt cum quinque partibus aquæ, vini duas bibamus; aut cum aquæ tribus vnam vini. Athenæus libro decimo ita interpretatur. Quod quatuor bibere vetat, ea temperatio est duorum aquæ cyathorum cum totidem vini, quod ἴσον ἴσῳ, par pari bibere dicebant. Antiquis ea potio meracior habebatur. Obseruent hos canones, quibus Græcia, aut alia quælibet par regio generosum vinum suppeditat: nostratibus, si vel quarta pars aquæ infundatur, plerunque, vt aiebat Pherecrates, ranarum potio euadit. Regula certa tradi non potest: sed prudentiæ fons, vt quidam ait, aquam vinum bibentibus subministret.

Poculorum numerus præscribitur.

In poculorum verò numero Panyasis apud Athenæum libro secundo dicit primum esse χαρίτων, ὡρῶν, ἢ Διονύσου. i. Gratiarum, horarum, & Bacchi: secundum tribuit ἀφροδίτῃ & Διονύσῳ Veneri & Baccho: Tertium dicit esse ὕβριος & ἄτης iniuriæ, & Atæ, quæ dea turbas ciere solet. Melius Eubulus Comicus Bacchi nomine

Tria ego pocula tantum misceo
Illis qui sapiunt: vnum bona valetudinis, ὑγιείας 1.
Quod omnium primum bibunt: deinde alterum ἔρωτος ἡδονῆς τε. 2.
Amoris & voluptatis: soporis tertium: ὕπνου. 3.
Hoc epoto, ij quos sapientes dicimus,
Sese domum recipiunt. Post si quartum additur,
Non est id amplius nostrum, sed proteruiæ. ὕβρεως. 4.
Quintum clamoris altè vociferantibus: βοῆς 5.
Sextum petulantis comessationis: κώμων 6.
Septimum macularum ac sugillationum in oculis ὑπωπίων 7.
Apparitoris octauus: nonus iracundiæ: κλήτορος 8. χολῆς 9.
Decimus furoris, quo prosternuntur qui bibunt. μανίας 10.
Nam in exiguum vas multum si vinum funditur
Appotos supplantat facillimè.

Cæterùm haud dubium quin vasorum quoque ratio habenda sit, siquidem non omnes ex æquo capiunt funduntúe. Quod si quis vino moderatè vbi instituerit, non paucas ex eo vtilitates percipiet. Paucis ita describit Mnesitheus apud eundem Athenæum.

Vini moderatè sũpti vtilitates & commoda.

Illos enim modestè qui bibunt alit,
Animúmque pariter, & corpus roborat:
Ad vsus medicinæ varios est vtilissimum.
Miscetur ijs, quæ propinantur pharmacis:
Vlcera lauare corporis vino expedit.
In quotidianis hominum conuictibus
Modicè bibentibus dilutum, ac sobrijs
Animum exhilarat: At modus
Si non adhibeatur, contumelias parit.
Par pari si bibitur, adigit ad insaniam:
Si merum, resoluit artus corporum.

De his nunc secundo loco videndum est, & de vini abusu, quam ebrietatem dicimus, accuratè disputandum.

De ebrietate, & quàm Deus illam exosam habeat.

QVÆSTIO LXXX.

Marsilius Ficinus.

Duplex ebrietas.

PRincipio animaduertendum est, nimium potum seu ebrietatem duplicem esse, propriam, & metaphoricam. Hoc discrimen attigit Luculenter Marsilius Ficinus in Argumento Dialogi 2. de Iusto, & vnam fecit ebrietatem super lunam seu cœlestem, excitatam nectaris potione, per quã animus extra ac supra se positus, morborum mortalium obliuiscitur, & diuina suscipit, quorum splendore primùm caligat, sed illorum saporem gustans, calore nouo è priori habitu permutatur, vnde mox perspicuè cernit spiritualia, & illa dum salubriter gustat, summo cum fructu nutritur. Vnde in Psalm. scriptum est, Inebriabimur ab vbertate domus tuæ. Quin & Musæus. anti-

NON ERIT HOC TIBI, &c. ſcientiam eſſe, quæ homines punit, cùm ſe malè operatos fuiſſe recogitant: eadem enim furiarum pœnas appoſuit Oreſti, quando aduerſus matrem inſanijt. Νοῦς μὲν γὰρ, τῶν πρακτέων κύριος. συνείσις δὲ, τῶν ἐκείνῳ δοξάντων. Mens enim agendarum rerum domina eſt: Conſcientia verò eorum quæ menti videntur.] Cæterùm tanta ſæpe caligine perturbatio mentem opprimit, vt interim dum vehementius ira aut libido feruet, ſceleris magnitudinem Conſcientia non ſentiat. Itaque ſæpius memoriæ ſtudio excitatur quàm flagitij præſentia permoueatur. Cuius rei exemplum ſanè luculentum Scriptura nobis in Antioch. ſtatuit lib. 1. Machabæor. cap. 6. *In quantam, inquit, tribulationem deueni, & in quos fluctus triſtitiæ in qua nunc ſum; qui iucundus eram, & dilectus in poteſtate mea! Nunc verò reminiſcor malorum, quæ feci in Ieruſalem, vnde & abſtuli omnia ſpolia aurea & argentea, quæ erant in ea, & miſi auferre habitantes Iudæam ſine cauſa. Cognoui ergo, quia propterea inuenerunt me mala iſta: & ecce pereo triſtitia magna in terra aliena.* Et Tacitus de Nerone poſt matris cædem Annalib. 14. Sed à Cæſare perfecto demum ſcelere, magnitudo eius intellecta eſt: reliquò noctis, modo per ſilentium defixus, ſæpius pauore exurgens, & mentis inops lucem opperiebatur, tanquam exitium allatura. Hæc ille. quamobrem cœcum nefas vocat Papinius 6. Theb. & Iuuenal. Satyr. 13.

Conſcientia plerunque memoria excitatur.

Tacitus.

Scelus conſcientiæ carnificina ſequitur.

Cùm ſcelus admittunt, ſupereſt conſtantia: quod fas,
Atque nefas, tandem incipiunt ſentire peractis
Criminibus.

Itaque patrato demum facinore, & oppreſſo inſidijs Hippolyto, Phædra furore amens exclamat:

Seneca in Hippolyto Act. 5.

O mors amoris vna ſedamen mali,
O mors pudoris maximum læſi decus,
Confugimus ad te, pande placatos ſinus.
Audite Athenæ, tuque funeſta pater
Peior nouerca; falſa memoraui: & nefas,
Quod ipſa demens pectore inſano hauſeram,
Mentita finxi: falſa puniſti pater;
Iuueniſque caſtus crimine inceſti iacet,
Pudicus, inſons. recipe iam mores tuos.
Mucrone pectus impium iuſto patens,
Cruorque ſancto ſoluet inferias viro, &c.

Parentum noſtrorum non antè feruntur illuminati oculi, non Ionathæ, quàm illi vetitum pomum, hic mel in virga deguſtaſſet. S. Cyprianus in quadam epiſtola ait: Feruntur ſemper mali ſuo furore dementes, & poſteaquam ſcelera fecerunt, conſcientia ipſa ſceleratæ mentis agitantur. Sed nemo melius ſancto Auguſtino lib. de continentia capite ſexto. Peccatum quod inultum videtur habet pediſſequam pœnam ſuam, vt nemo de admiſſo niſi aut amaritudine doleat, aut cœcitate non doleat. Et 42. capit. Geneſ. Homilia 64. Ita ſe habet peccatum quando conſummatum eſt, & opere perfectum, tunc ſuæ abſurditatis oſtendit excellentiam: & ſicut ebrius, quando multum vinum ingurgitat, nõ ſentit à vino damnum, poſtea verò ſentit quãtum ſit damnum; ita & peccatum, donec conſummetur obtenebrat mentem, & quaſi denſa nube ita mentem corrũpit: deinde conſcientia inſurgit, & quouis accuſatore grauius, mentem arrodit, monſtrans abſurditatem facti. Hactenus S. Auguſtinus. Ergo ſceleris admiſſi contumeliam ponè ſequitur carnificina conſcientiæ.

S. Auguſt.

NON ERIT HOC TIBI, &c.

Conſcientiæ porrò vim & aculeos nõ latebræ condunt, non frangit potẽtia. Nam reges quoque flagitij reos terror & ægritudo occupat. Etiam Nero Conſcientiæ obnoxius iacuit. Docui antea ex Tacito. Caracallam vexatũ paternis fraterniſq; manibus Xiphilinus ait. De Caligula Sueton. c. 50. Incitabatur in ſomnio maximè: neque enim plus quàm tribus nocturnis horis quieſcebat: ac ne his quidẽ placida quiete, ſed pauida miris rerum imaginibus: vt qui inter cæteras, pelagi quondam ſpeciem colloquentem ſecũ videre vſus ſit. Adeóque magna parte noctis vigiliæ cubandique tædio, nunc toro reſidens, nũc per longiſſimas porticus vagus, inuocare identidem atque expectare lucem conſueuerat.] quippe hæc & plura, inquit Amm. Marcellinus, vltrix facinorum impiorum, bonorúmque præmiatrix aliquoties operatur Adraſtia, quã vocabulo duplici etiam Nemeſim appellamus. Ius quoddam ſublime numinis efficacis, humanarũ mentium opinione Lunari circulo ſuperpoſitum: vel, vt definiunt alij, ſubſtantialis tutela generali potẽtia partilibus præſidens fatis. quam Theologi veteres fingẽtes Iuſtitiæ filiam, ex abdita quadam æternitate tradunt omnia deſpectare terrena. Hæc Ethnicus, ſupra Lunæ circulum quærens, quæ noſtris inſita viſceribus hærẽt. Idem prius Cicero 1. de finibus. quod ſi qui ſatis opibus hominum ſibi contra conſcientiam ſepti eſſe & muniti videntur, deos tamen horrent: eáſq; ipſas ſolicitudines, quibus eorum animi noctes atque dies exeduntur, à dijs immortalibus ſupplicij cauſa importari putant. Melius S. Auguſt. in Pſal. 100. Quiſquis, inquit, in corde premitur mala conſciẽtia, quomodo quiſquis ab ſtillicidio erit de domo ſua, aut à fumo, non ibi patitur ſe habitare. Sic qui non habet quietum cor, habitare in corde ſuo libenter non poteſt. Confirmat hanc ſententiam S. Ambroſ. regis Achab exemplo. Toto ait, mundo fugit, qui conſiderans conſcientiam ſuam metuit deprehendi Et ideo Achab ad Eliam ait: *Inueniſti me.* quàm miſera conſcientia quæ ſe proditam doluit. Et dixit Helias ad eum: *Inueni, quoniam feciſti malum in conſpectu Domini.* Rex ille erat, & rex Samariæ Achab: Helias pauper & indigens pane, cui defuiſſet victus ſubſtantia, niſi corui alimoniã miniſtraſſent. Adeò deiecta erat conſcientia peccatoris: vt nec regalis potentiæ faſtu attolleretur. S. item Cyprian. epiſt. 2. ad Donatum, Exigit pœnas etiam de potẽtiore ſublimitas, licet ſatellitum manu ſeptus, & clauſum ac protectũ latus, numeroſo ſtipatore tueatur.

Conſcientia nè regibus quidem parcit.

Suetonius.

Amm. Marcell.

Tullius.

S. Auguſt.

S. Ambroſius in tract. de Naboth, cap. 12.

S. Cyprian.

Nec ſiquidem ſperes facinus fore clam, reo conſcientia parcet. Quamobrem nihil agit Sapiens, inquit S. Ambroſius, niſi quod honeſtum ſit, niſi quod cũ ſynceritate & ſine fraude eſt: neque enim quicquam facit, in quo ſe crimine

S. Ambroſ. lib. 3. Offic. cap. 5.

NON ERIT TIBI, &c.

Sapiens in omnibus conscientiæ rationem habet.

crimine quoquam obliget, etiamsi latere possit. Sibi enim reus est priusquàm cæteris, nec tam pudenda apud eū publicatio flagitij, quàm conscientia est.] Subinde meminit Gygis annuli, quem is, vt Plato autor est, hiatu terra dehiscente, & reperto equo æneo, intus incluso cadaueri exemit; cuius ea vis fuit, vt cùm palam ad palmam conuerteret, præsentium oculis subduceretur. Mox addit: Da hunc aunulū sapienti, vt beneficio eius possit latere, cùm deliquerit: non minus fugiet peccatorum contagium, quàm si non possit latere. Nō enim latebra sapienti spes impunitatis, sed innocentia. Quippe, vt docet S. Augustin. Homil. 17. in 3. lib. Benef. iudex incorruptus conscientia, cùm aduersus hominem exurgit, clara voce clamat, & accusat, & ostendit, & quasi ante oculos scribit peccatorum magnitudinem: eámque ob rem, Deus principio cùm formaret hominem, conscientiam illi indidit accusatricem perpetuam, quæ decipi, & deceptionem ferre possit nunquam. Et licet quis admisso peccato, perpetratóque aliquo facinore, illico omnes homines celet, non tamen accusatricem potest latere. Nam hanc intrinsecus habentes, vbicunque simus, circum ferimus: ista nos circuit, obturbat, laniat, flagellat; nunquam quiescit, sed & domi, & in foro, & in templis, & in mensa, & dormientem, & surgentem adoritur, rationem delictorum exigit, obque oculos proponit & delictorum grauitatem, & subsecuturam pœnam. Hactenus S. Augustinus.

S. Augustin.

Impiorum nulla quies. S. Augustin.

Idem porrò quanta sit ea perturbatio, qui fluctus, quæ tempestas mirificè describit in Psal. 142. Talis est, inquit, natura animi male sibi conscij, & tales sunt animæ improborum: nunquam est eis tranquillitas, nulla animi securitas, sed perturbantur magis quam vllū pelagus. Non nox, non dies eis cōcedit vt sedetur tempestas, sed vndequaque vexantur, etsi nullus sit qui eis molestiam exhibeat, bellum intestinum & quod secum cohabitat habentes. Et hæc quidem S. Augustinus. quæ etiam Salustium tametsi à nostra fide alienum minimè latuerunt. Animus, inquit, impurus dijs hominibúsque infestus, neque vitijs, neque quietibus sedari potest. Ita cōscientia mentem excitam vocat. S. Ambrosius in epist. ad violatorem virginis, Ipsa conscientia sceleris te agitat per diuersa præcipitem. (*Fugit enim impius nemine persequente*) & duræ peccati imagines te non solùm vigilantem, sed dormientem quoq; perterrent. Quintilianus, declamat. 12. Quoties facta reputaui, flagella mente sonant, vltrices video furias, & in quamcūque partem me conuerti, occurrunt vmbræ meorum. Immensam vim autem pudoris ac verecundiæ quæ noxios vexat, mirum in modum exprimit S. Ambros. in lib. ad virginem lapsam, cap. 3. Aperi oculos tuos si potes, erige frontem, si audes aliquem Sanctorum fiducialiter intueri. Nonne faciem tuam conscientiæ commissum tanquam plumbum inclinat & premit? Nonne tenebræ ante oculos tuos, & dura caligo versatur? Nonne timor & tremor animam tuam quassabit? &c. nam pluribus eum locum idem San-

S. Ambros.

A ctus luculenter illustrat. Negat idem malè sibi conscijs libertatem loquendi. In Epist. 2. ad Corint. cap. 6. *Os nostrum patet ad vos ô Corinthy.* Hoc libertatis causa Apostolus loquitur, & puræ conscientiæ. Malè enim sibi conscia mēs loqui trepidat: sensum perdit, & erat in verbis.] Periander autem apud Stobæum interrogatus, τί ἐστι ἐλευθερία? quid est libertas? respondit, ἀγαθὴ συνείδησις, bona conscientia. De pauore qui reos concutit iam sæpius. Sciscitanti olim quæ res in vita metu careret, Bias respondisse fertur, ὀρθὴ συνείδησις, recta conscientia. Menander quoque cecinit:

NON ERIT TIBI, &c.

Stobæus serm. 24.

Ὁ συνιστορῶν αὑτῷ τι, κἂν ᾖ θρασύτατος,
Ἡ σύνεσις αὐτὸν δειλότατον εἶναι ποιεῖ.

Qui aliquid sibi conscius est, etiamsi fuerit audacissimus,
Conscientia tamen facit ipsum timidissimum.

B Timor, inquit, Cicero Parad. 5. ex conscientia peccatorum exoritur. At verò tristitia noxiorum videtur esse propria: ita vt si desit carnifex vel per se satis pœnarum dare censeantur. Idem Tullius 3. de officijs, Sceleris est pœna tristis, & præter eos euentus qui sequuntur, per se ipsa maxima est. Angor & sollicitudo conscientiæ vexat impios. Et alibi, Illi scelerum suorum conscientia cruciati, populo Roman. pœnas dabunt. Rursum 1. de legibus, Itaque pœnas luunt, non tam iudicijs, quàm quod eos agitant insectantúrque furiæ: non ardentibus tædis, sicut in fabulis, sed angore conscientiæ, fraudísque cruciatu. Probat hoc S. Ambrosius malè sibi conscios tristitia mœroréque tabescere exemplo Cain in lib. 2. quem de Cain & C Abele scripsit, cap. 6.

Ex quibus omnibus sequitur, quod docere studuit Dauidem Abigail, illum sibi pessimè consulere, qui in alterū temere iacit iniuriam. Testatur hoc S. Ambrosius lib. 3. Offic. cap. 4. Neque enim, inquit, hominis nocentis alteri tantum esse commodi quod adipisci sese putet, quantum incommodi quod ex eo sibi accidat. Quæ enim pœna grauior, quàm interioris vulnus conscientiæ? quod seuerius iudicium quàm domesticū, quo vnusquisque sibi reus est, séq; ipse arguit, quòd iniuriā fratri indignè fecerit.]

S. Ambros.

Recordaberis ancillæ tuæ.] Quidam putant, eam prophetico spiritu prædicare, se fore vxorem Dauidis. Potest tamen non incommode exponi D generaliter. Nam si quid fausti alicui prædicimus, solemus addere: in tanta tua felicitate memineris mei. Ita Ioseph, cùm prædixisset pocillatorem Pharaonis rediturum ad gradum suum, subiecit, vbi hæc euenerint, *Memor esto mei.* Potest etiam hic esse sensus, Abigaelem, cùm videret Nabalem ob intemperantiam breui moriturum, & se fore viduam, prudenter considerasse, tum demum sibi opus fore alieno præsidio. Hac verò oratione & Dauidem reuocauit à scelere, & seipsam, familiámque suam liberauit à periculo.

Recordaberis ancillæ tuæ] Pamphaes Prienensis, inquit Ælianus, Cræso Lydo, superstite adhuc ipsius patre, triginta minas dono dedit. qui cùm imperium accepisset, currum argento plenum ei remisit.] Flauius Vopisc. in Aureliano,

Ælianus Var. Hist. l. 4. cap. 127.

ET CVM BENEFECERIT TIBI DOMINVS, &c. Grati animi argum. Vopiscus.

Taceri, inquit, non debet res, quæ ad famam venerabilis viri pertinet. Fertur enim Aurelianum de Thyanæ ciuitatis euersione vera dixisse, vera cogitasse: verùm Apollonium Thyanæum celeberrimæ famæ autoritatisq́; sapientem, &c. recipiendi se in tentorium ea forma qua videtur subitò astitisse: atque hæc Latinè, vt homo Pannonius intelligeret, verba dixisse: Aureliane, si vis vincere, nihil est quod de ciuium meorum nece cogites. Aureliane, si vis imperare, à cruore innocentium abstine. Aureliane, clementer te age, si vis vincere. Norat vultum philosophi venerabilis Aurelianus, atque in multis eius imaginem viderat templis. Denique statim attonitus, & imaginem, & statuas, & templum eidem promisit, atque in meliorem redijt mentem. Hæc ego à grauibus viris comperi, & in Vlpiæ bibliothecæ libris relegi, & pro maiestate Apollonij magis credidi. Quid enim illo viro sanctius? venerabilius? antiquius? diuiniúsque inter homines fuit? Ille mortuis reddidit vitam. Ille multa vltra homines & fecit & dixit: quæ qui velit nosse, Græcos legat libros, qui de eius vita conscripti sunt.] His ille magum & impium onerat encomijs. Studebat enim tum dæmon emergentem Euāgelij lucem impostoris fama atque opinione obscurare. Dauid sapienti fœminæ, cuius consilio postea se seruatum meminit: non aras, aut templa posuit, sed quod maximum dare potuit, in partem legitimi thori vocauit.

Recordaberis.] De recordatione philosophatur Suidas in voce Ἀνάμνησις, his verbis. Ἀνάμνησίς ἐστι φαντάσματος εὕρεσις. Recordatio est phantasmatis seu visionis inuentio. Initio autem ducto ab animo, penetrat vsque ad corpus vita præditum. Recordati enim alicuius terroris nobis obiecti, expallescimus, & nauigationis recordati nauseamus. Quomodo verò dicimus in recordatione motum ab animo initium ducere? An quasi ille ipse non recordetur? Sed vt de sensibus loquimur: Motus enim profectus ab ijs quæ sentiuntur, ad illud vsque transit, in quo iudicandi, & sentiendi facultas est sita. Hoc autem τὸ πνεῦμα ipse spiritus. Sic etiam de recordatione dicimus, à Spiritu, in quo ἡ ψυχὴ est animus, & principium motus illius qui secundum recordationem fit, ipsam recordationem proficisci, & in hac rem fieri contrà quàm in sensu. In quo enim desinit sensus, illinc ducitur initium recordationis. Recordatio enim est phantasmatis inuentio, quum extitit in spiritu. In hoc enim existunt phantasmata, in quo & anima sentiendi facultatem habēs est constituta. Ab his igitur, quæ in spiritu sunt, in quo est animæ sedes, reliquijs, quæ phantasmata vocamus, reliquias è sensuum apprehensionibus profectas recordatio tenet. Ab his initium motus in recordatione fit. Appellens igitur iterum ad phantasmata, & id repetēs, quod prius habuit, hoc est, eum, qui prius fuit in spiritu, locum, recordatur, & per quod instrumentum id sensit, quod sensit. Sic autem vnà cum sensus instrumento corpus afficicitur. Hactenus Suidas de recordatione. Nos alibi antea sicut & de obliuione.

Suidas.

Quid & vnde recordatio.

A

VERSVS XXXII.

Et ait Dauid ad Abigail: Benedictus Dominus Deus Israël, qui misit hodie te in occursum meum, & benedictum eloquium tuum.

VERSVS XXXIII.

Et benedicta tu, quæ prohibuisti me hodie ne irem ad sanguinem, & vlciscerer me de manu mea.

HOdie.] Lxx. σήμερον ἐν ταύτῃ, *hodie in hac.* Hebraïcè, היום הזה *baiom bazel.* Pagnin. *die hac.* Theodoretus ad illud Lxx. Interpr. ἐν ταύτῃ, addit, ἡμέρᾳ, *in hac die*: & hoc est in Hebræo, sed non illud, *bodie.* *Benedictus.*] Vatablus, *Laudandus* Hebraïcè ברוך *barouch.* Græcè nunc apud Lxx. εὐλογητός. At Theodoretus videtur hoc loco agnoscere ex Lxx. vocem Hebræam *Baruc*, pro qua Aquila dixerit, εὐλογητός, *benedictus.* *Et benedictum eloquium tuum.*] Sic quoque Pagninus, apud quem Arias, *& benedicta discretio tua.* Chaldæus, *cognitio tua.* vel, vt alij vertunt, *prudentia tua.* Quidam, *& benedictum consilium tuum.* Sept. Καὶ εὐλογητὸς ὁ τρόπος σου. Complut. *& benedictus mos tuus*; Rom. Edit. *modus tuus.* Vatablus totum hunc vers. sic vertit: *Laudandus Dominus Deus Israel, qui effecit vt mihi hodie obuiam venires. Gratiam habeo moribus tuis* [*festinissimis,*] Ad quæ hæc annotat in Scholio. Vox Hebræa significat *prudentiā, consilium, sermonem*, & etiam *gustum.* Chaldæus Paraphrastes, vertit *prudentiam.* Hæc ille. Hebraïcè legimus טעמך *taghmech.* Est autem טעם *tagham*, siue *taaam, habitus totius corporis, in sermone, gestu, forma, dexteritate*: vnde mores quis cognoscit, sicut cibos ex sapore. Item *interior animi habitus, mens, animus, ratio, sensus, intellectus, cogitatio, intelligentia, consilium, iudicium, voluntas, sententia, decretum, edictum, præceptum.* Item Rabb. *causa, probatio, argumentum, demonstratio.* Chaldæū autem Paraphrastem quidam sic vertit: *& benedictus sensus tuus.*

Variæ trāslationes.

B

C

Versum 33. sic exponit Vatabl. *Tibi beneficium debeo, quæ me hodie coercuisti quominus sanguinem funderem, liberaremque me manu mea.* Pagninus, *ne venirem in sanguinibus, & ad seruandū manum meam mibi.* Chaldæus cum Vulgata consentit. Lxx. *Ne venirem ad sanguines*, καὶ σῶσαι χεῖρά μου ἐμοί. Complur. *& saluarem manum meam mibi.* quod iam sæpius explicuimus quomodo accipiendum esset: sed Rom. translatio, Nobilio interprete in alium sensum detorquet. *Et seruādo manum meam mibi.* Quod significat, inquit Nobilius, *Ita probibuisti, vt seruarem manum meam puram à sanguine.* Sed Theodoreto visa est absurda locutio. Ita enim scribit. Istud καὶ σῶσαι τὴν χεῖρά μου ἐμοί, peccatum scriptoris esse suspicor. Cæteri enim interpretes dixerunt, μὴ μετασχεῖν, pro eo, quod est, μὴ μόνος μεταλαχεῖν, *ne abominationis, & sceleris fiam particeps.*

D

Et

BENEDICTVS DEVS, &c

Et ait David ad Abigail.] Dauid visis muneribus, agnouit peccatum, & temeritatem suam: & Deo egit gratias, qui sibi subuenisset tempore. Tanta fuit modestia in Dauide: non contempsit, ne mulierculam quidem admonentem. Postea quoque cùm reprehenderetur à Nathan propheta, statim exclamauit, *Peccaui.* Sancti enim vltrò cedunt, & agnoscunt errorem suum, cùm feriuntur verbo Dei. Petrus cùm argueretur à Paulo, quòd non recto pede ingrederetur ad Euangelium, non respondit, se priorem illo fuisse in illo munere, aut melius scire, quid esset agendum quàm illum, sed statim manus dedit, & tacuit. Hoc nos quoque sequi debemus in Dauide, vt si quando reprehẽdimur, id æquo animo & molestè patiamur.

Admonitio æquo animo ferenda est.

Benedictus Dominus Deus Israel.]. Non quod deceat homines, inquit Tertullianus in lib. de Oratione, cap. 2. bene Deo optare, quasi sit & aliud de quo ei possit optari, aut laboret nisi optemus. Planè benedici Deum omni loco ac tempore condecet ob debitam semper memoriam beneficiorum eius ab omni homine. Sed & hoc benedictionis vice fungitur. Hactenus Tertullianus. *Dominus Deus Israel.*] Erat quidem Deus totius mundi. Peculiariter tamen dicitur *Deus Israel*, quòd eam Rempubl. vero sui cultu ornauerat, quòd in ea maximè agnoscebatur. *Notus*, inquit alibi, in *Iudæa Deus, & in Israel magnum nomen eius.* Agit gratias de gustu & prudentia Abigaëlis. Ea enim vsa fuerat huiusmodi argumentis, & ἤθει & πάθει, quibus Dauid vehementer commouebatur. Itaque ea laudat, tanquam profecta à Deo. Non enim est ea vis externi verbi, vt per se mouere possit. Nisi accesserit spiritus Dei, qui intus pulset, & inflammet cor, nihil agitur. Agnoscit ergo Dauid, esse ista instrumenta Dei. Itaque ipsi agit gratias, non orationi aut prudentiæ Abigaëlis, aut assensui, & voluntati suæ. Deus enim vnicus est fons omnis boni. Neque cum illo certandum est de finibus, vt dicamus hoc nostrum est, hoc tuum. Totum, quicquid est, tribuendum est Deo. Nam alioqui non auferretur gloriatio. At Paulus ait: *Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Non enim est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Nos enim non sumus idonei siue sufficientes, qui vel cogitemus aliquid, tanquam ex nobis. Deus est, qui operatur in nobis & velle, & perficere pro sua bona voluntate.* Quis nostrum est, inquit S. Augustinus ad Simplicianum, qui nesciat, bonam voluntatem esse donum Dei? Quare nõ satis est nobis proponi verba. Oportet etiam vt Deus intus nos afficiat. Alioqui manemus rebelles, & repugnamus verbo Dei. Neque Deus ita omnes afficit. Multi enim ruunt in præcipitium: idque maximè suo merito. Sunt enim post corruptam peccati labe naturam, natura sua mali; & alunt instigatores ad malum: tantum abest, vt illi resistant. Theodosius Imperator lapsus est grauiter: neque reuocatus est ante patratam cædem. Postea seuerè ab Ambrosio reprehensus est. Nabal autem non ita reuocabatur, quin conuitia iaceret in Dauidem.

Tertullian.

Quid sit hominem bene Deo dicere.

Deus fons vnicus totius boni.

S. August.

Voluntas intus à Deo mouetur.

Habent quidem omnes suos quosdam impetus à Deo ad bonum, & suas quasdam reuocationes à malo. Impelluntur quidem, & reprimuntur, & quidem sufficienter: sed non ita vt pertrahantur. S. Augustinus ad Simplicianum: Voluntas, inquit, fertur in bonum. Sed non est in potestate cuiusque, vt illud, quod offertur, illi bonum videatur. Non omnes mouentur illo modo quo impelli possint. Omnes quidem vident bona, & mala: Non tamen inde salus consequetur, nisi efficax impulsio consequatur. Non satis est iecisse telum, nisi arte & viribus torqueatur. Quid ergo sumus trunci, aut stipites? Minimè. Trunci enim & stipites nec vident, nec volunt. Nos vtrumque facimus. Cur iste trahatur, ille non trahatur, inquit S. Augustinus, noli iudicare, si non vis errare. Quod autem non omnes trahimur, id non Dei vitio fit, sed nostro. Verùm humana ratio hic quiritatur, & vellet omnes trahi eodem modo. Quod tamen Deus non vult. In hac re duo nobis credenda sunt. Primùm, Deum misereri cuius velit: deinde quod non misereatur omnium, id nullo fieri ipsius vitio. Hoc vidit, & agnouit Dauid. Itaque egit Deo gratias, & quod hæc indicasset Abigaëli, & quod illa sibi ea dixisset, & quod ipse in animo commotus esset, ac resipuisset.

Et benedictum eloquiũ tuum.] Hæc laus, quam Dauid omnem retulit in Deum, subinde etiam communicatur cum Abigaële. Bona enim pars actionum sæpe tribuitur instrumentis. Ita Paulus ait, *se genuisse Corinthios & Galatas*: & Euangelium dicitur potentia Dei. Re tamen vera opus vniuersum à Deo proficiscitur. Nam vt animus Dauid inflecteretur, & cederet ad orationem Abigaëlis, id non à seipso habuit, sed à Deo. Eius beneficium est, & quod facimus bene, & quod desistimus à malo. Duplex enim est ratio iustitiæ, & vtraque pendet à Deo. Sed dices, Dauid iam lapsus erat. animo enim destinarat cædem. Atque hoc satis est coram Deo. Nam qui videt mulierem ad concupiscendum eam, adulterium committit in corde suo. Quomodo ergo agit Deo gratias, qui se represserit à peccato? Respondeo: peccata recepta in corde pertinere ad idem genus, ad quod reipsa & opere perpetrata: non tamen æquè esse grauia. Si quis mulierem concupiscat, peccatum quidem eius pertinet ad adulterium: non ille tamen æquè grauiter peccauit, atque si adulterium reipsa commisisset. Peccatum enim cùm intus in animo reconditur, minus vehemens & potens est, quam cùm erumpit ad facinus. Nisi enim ita esset, nulla essent impedimenta legum. Hic videmus, Deum solere tribus modis homines reprimere. Primùm, vt ne in animo quidem peccatum insideat: ita Dauid ait, se ne cogitasse quidem vnquam de cæde Saulis: deinde vt quamuis in animum irrepserit, tamen ab opere cohibeatur: postremò, vt si peccatum reipsa patratum sit, tamen agamus pœnitentiam, & redeamus in viam. Ita Dauid cùm commisisset adulterium, à Nathan reuocatus est. Primum quidem horum in primis optandum est. Quod si non contigerit, at con-

Laus virtutis etiã cum hominibus communicatur.

Peccatum longè grauius cùm opere, quã cùm sola voluntate perficitur.

ALIOQVIN VIVIT, &c. sistendum est in secundo: in tertio verò nisi hæremus, actum est.

VERSVS XXXIV.

Alioquin viuit Dominus Deus Israël, qui prohibuit me ne malum facerem tibi: nisi citò venisses in occursum mihi, non remansisset Nabal vsque ad lucem matutinam, mingens ad parietem.

VERSVS XXXV.

B Suscepit ergo Dauid de manu eius omnia quæ attulerat ei, dixitque ei: Vade pacificè in domum tuam, ecce audiui vocem tuã, & honoraui faciem tuam.

Variæ trãslationes. ACerbitatem sententiæ huius nonnihil verbis molliunt. Septuaginta Interpr. in edit Ald. & Rom. πλὴν ζῇ Κύριος ὁ Θεός, *&c.* τὸν εἶναι· εἰ ὑπολειφθήσεται τῷ Νάβαλ, *&c. Veruntamen viuit Dominus Deus Israel, qui probibuit me hodie malefacere tibi; quia nisi festinabas, atque adueniebas in occursum mibi; tunc dixeram, si remanebit ipsi Nabal, &c. Mingens ad parietem.*] Solus Chaldæus, *cognoscens cognitionem.* Versu 35. Pagninus, *Ascende in pace in domum tuam, vide,* ראי *rei* (à verbo ראה *raa*) *audiui vocem tuam,* (Arias, *in voce tua,*) *& suscepi faciem tuam.* Arias, *& tuli facies tuas.* Quidam, *exaudiui vocem tuam, & suscepi faciem tuam.* Alius, *& suscipio vultum tuum.* id est, personam: Synecdoche. Vatablus, *suscepique faciem tuam.* quasi dicat, Acquieui petitioni tuæ, condonauique tibi omnia, quum sis mihi gratissima. vel, gratissima mihi fuerunt quæ dixisti, & quæ attulisti. Ald. & Rom. edit. consentit: Καὶ ᾑρέτισα τὸ πρόσωπόν σου, *& suscepi faciem tuam:* & respondet Hebræo. Symmachus, ἐνετράπην, *reueritus sum,* vt Complut. nec longè secus Vulgat. *honoraui.*

Alioquin viuit Dominus, qui prohibuit me.] Iam deliquisse voluntate ac proposito respódimus: sed cùm esset diuinæ legis studiosus ac virtutis amans, statim vt officij se sensit admoneri, crudele decretum rescindens ad mentem rediјt.

Prouerb. 24. vers. 16. D *Septies,* inquit Salomon, *cadet iustus, & resurget; impij autem corruent in malum.* Quam sententiam mirificè exponit S. Isidorus Pelus. lib. 4. epist. 158. (S. Isidor. Pelus.) Τὸ, inquit, ἑπτάκις πεσεῖται ὁ δίκαιος, *Septies cadet iustus,* non simpliciter atque absolutè dictum est; sed ideo, quia qui legitimè certat, necessariò etiam athleticè cadit. (Quo pacto iustus septies cadere dicatur.) Hoc autem non omnino & sine discrimine efficit, vt quis succumbat & victoriam aduersario tradat, sed contrà sæpè victoriã parit. Multi namq; postquam ceciderant, eorum vires, qui stare videbantur, eneruarunt, totum ipsorum corpus pede supplantatum humi prosternentes, atque ita ereptam eis victoriam in se transferentes. Ideóque non solum dixit, *Iustum cadere,* sed addidit, *ipsum etiam resurgere,* nimirum vt

A coronam à victore reportatam simul ostenderet. Quod si etiam vbi cecidit homo, celeriter resipiscit, atque ad sanam mentem redit, hunc optimum esse esse noueris. Hactenus S. Isidorus: cuius posterior interpretatio hoc loco aptius in Dauidem quadrat. (ECCE AVDIVI, &c.)

Suscepit ergo Dauid de manu eius omnia, &c.] Illa prius optauerat, & missis nuncijs à Nabale postularat: sed cùm repulsam passus esset, & conuitijs insuper lacessitus, verisimile erat aut his minime contentum fore, aut certè repudiaturum. Itaque quod vix quisquam crederet, quæ attulerat Abigail grata & accepta habuit. nam & penuria laborat, & reconciliatam cum ea gratam intelligi volebat. Id enim placati animi iudiciũ fuit. Quem enim oderunt homines, B eum valere iubent cum suis muneribus. Munera enim placere non possunt, nisi ille qui dedit, prius placeat. Vt enim alter amore mouetur vt det, ita alter amore mouetur, vt accipiat. Et qui accipit, siquidem ingenio liberali atque ingenuo sit præditus, ad referendam gratiam se sentit obligari.

Vade pacificè in domum tuam.] Abi salua, & incolumis. Impetrasti quæ postulas. Hunc honorem habui virtuti ac facundiæ tuæ, vt eorum quæ velles nihil tibi denegarem. Ita Christus mulieri peccatrici, *Remissa,* inquit, *sunt tibi peccata tua: vade in pace.* Pax autem animi nulla esse potest sine fide. Hic videmus Abigaëlem impetrasse salutem, & sibi, & viro, & familiæ. Impius quidem erat Nabal. Tamen propter vxorem culpa illi condonatur. Id certum est C perpetuò fieri in rebus humanis. Quod enim nefarij homines permittuntur viuere, ac non statim perduntur, id debent iustis. Ita enim Deus pollicitus est, se velle parcere toti Sodomæ, tantùm si inuenirentur in ea decem iusti.

Ecce audiui vocem tuam.] Fingit Homer. Iliados α. strinxisse Achillem quandoque gladium vt Agamemnonem interficeret, sed Palladis interuentu à cæde prohibitum. His nobis altera Pallas, seu potius illa longè melior, quemadmodum & Dauid Achille longè præstantior fuit. Fertur Lampsacenus Anaximenes, qui fuerat Alexandri præceptor, cùm ad eundem (Suidas in Ἀναξιμένης.) à suis allegatus esset, quibus iratus Alexander belli ac vastitatis metum intulerat, nec minus ingenio quàm eloquentia valeret, dolis eundem circumuenisse. Nam cùm aduentare Ana- D ximenem Macedo comperisset, deos persanctè iurauit, se his quæ Lampsacenus postularet, contraria omnia facturum. Quod postquam resciuit Anaximenes, Hoc, inquit, beneficium, ô Rex, mihi largiaris, vt vxores, & liberos Lampsacenorum in seruitutem abstrahas, & templa incendas, & vrbem solo æques. Itaque Alexander iusiurandi religione constrictus præter spem iram remisit. Indignum esset his artibus Dauidem capi: rationi cessit, quam singulari facundia prudẽtissima mulier illustrauit. Quamobrem etiam illo rhetore longè præstantior & laude dignior habenda est.

Ecce audiui vocem tuam.] Atqui iurauerat Dauid, *Hæc mihi faciat Deus, &c.* Iurauerat & Philippus Rex Francorum, quod Galo in vita sua non

ECCE AVDIVI, &c.

Iuo Carnot ep 50.

Pie ac religiose Dauid temerarium iuramentũ rescindit.

non esset futurus Beluacensis Episcopus. Qua de re Iuo scribens ad Paschalem summum Pontificem, Quod si sanctitati vestræ, inquit, obijcitur, Regem nõ oportere cogi ad periurium, recordari potestis quid dicat B. Ambrosius li. 1. de Officijs. Dicit enim: Est nonnunquam contra officium, promissum custodire sacramentum. Vt Herodes, qui iurauit quoniam quicquid petitura esset, daret filiæ Herodiadis, & necem Ioannis concessit, ne promissum negaret, Dicit enim Augustinus in Serm. quem fecit in decollatione Ioann. Baptistæ: Video hominem pium, sanctum, in iurationem temerariam procidisse, & maluisse non facere quod iurauerat, quàm iurationem suam fuso sanguine hominis implere. Item, Iurauit Dauid temerè, sed non impleuit iurationem maiori pietate. De duobus peccatis elegit minimum. Item Ambrosius in lib. 3. de Offic. Pia que sæpe se constringunt iurisiurandi sacramento, & cùm ipsi cognouerint promittendum non fuisse, sacramenti tamen contemplatione faciunt quod spoponderunt, sicut de Herode suprà scripsimus. Quanto tolerabilius fuisset tale periurium sacramento, si tantùm periurium dici posset, quod eiuratus in saltantium choro promiserat. Item Hieronymus lib. 1. super Ieremiam: Animaduertendum quod iuramentum hos habeat comites, veritatem, iudicium, & iustitiam. Si ista defuerint, nequaquam iuramentum erit, sed periurium. Et in Actione septimæ Synodi legitur: Herodes obseruauit Sacramentum, & perijt. Petrus negauit cum iuramento, & conuersus fleuit, & saluatus est. Hactenus Iuo. Dauid itaque prudenter, & piè abiurat iusiurandum. Iureiuranda enim & vota (nam de vtrisque idem sentiendum est) non sunt vincula iniquitatis, sed tantùm stimuli quidam ad rectè agendum. Quare si ea temerè concepta, & nuncupata sunt, prudenter, & consideratè reuocanda sunt. Neq; enim imitari debemus Iephthe, qui mactare maluit filiam suam, quàm votum temerarium rescindere. Nullum hic aliud periculum est, nisi ne videamur Deum contemnere. At si quis non ex contemptu, sed ex reuerentia erga legem Dei rescindat iusiurandum, aut votum, quod videat se id non posse præstare sine peccato, non peccat. Imò illi potius grauiter peccant, qui quod stultè promiserunt, volunt etiam impiè persoluere. Peccant tamen etiam illi, qui aliquid imprudenter iurant, aut vouent. Videndum enim erat, ne quid temerè committerent, quod post esset reuocandum.

Caietanus

Quærit denique Caietanus in secundam secundæ quæst. 89. art. 7. Num mater verbera filio pollicens, idque iuramento confirmans, ac postmodum non præstans, peccet mortaliter? Grauior vtique res agitur circa Nabal: Sed quia vtrumque iuramentum parem exitum habet, & hanc quoque difficultatem eadem quæstione soluere videtur Caietanus, operæpretium me facturum duxi, si huic loco insererem. Postquam igitur venialiter matrē peccare ex communi sententia dictum est, subdit: quod autem refertur de iuramentis matrum circa verbera-

A tionem filiorum, non ex paruitate promissi boni, scilicet correctionis paruæ, sed aliunde iudicandum est, scilicet vel ex obiecto, quia scilicet huiusmodi iuramenta communiter fiunt ex passione iracundiæ: & verberatio sub ratione paruæ vindictæ, magis quàm correptionis, præsentatur mulieri præsenti, quæ facilè agitur passionibus. Cuius signum est, quod si in eodem erraret filius, & mater non esset irata, non promitteret punire filium. Et sic huiusmodi punitio promittitur sub ratione mali venialis, at per hoc non tenetur seruare, quando sic est: Secus autem esset, si vt bonum correctionis promitteret, quamuis ex ira. Vel iudicandum est ex commutatione in melius. quamuis enim bonum correptionis promiserit, si tamen melius est post pacatam domum parcere, ne fletus

B conturbet familiam, commutatur iuramentum in melius. Sicut Dauid iuramentum, quo punire Nabal promiserat, mutauit in melius indulgendo. Et quia horum alterum communiter accidit, ideo communiter non nisi venialiter peccant non puniendo. Hactenus verba Caietani.

ECCE AVDIVI, &c.

Quo pacto mater tantùm venialiter peccet, quæ animaduersionē, quā iurādo promiserat, filio remittit.

VERSVS XXXVI.

Venit autem Abigail ad Nabal: & ecce erat ei conuiuium in domo eius, quasi conuiuium regis, & cor Nabal iucundum: erat enim ebrius nimis: & non

C indicauit ei verbū pusillum aut grande vsque mane.

Varię trāslationes.

COr Nabal iucundum.] Septuag. Καὶ ἡ καρδία Ναβὰλ ἀγαθὴ ἐπ' αὐτῷ. Rom. Editio, *Et cor Nabal bonum in eo.* Complut. ἐν αὐτῷ, *Et cor Nabal iucundum in eo.* Sic quoque Pagninus. Hebraicè, טוב *tob.* Arias, *Et cor Nabal bonum super se.* quidam, *iucundum intra ipsum.* Latina interpretatio Chald. Paraphr. *pulcrum super ipsum.* Vatablus, *hilare.* Alius, *in quo animus Nabalis lætus erat, ita vt perualdè ebrius esset.* Septuag. μεθύων ἕως σφόδρα, *ebrius vsque valdè.*

Impiorum securitas proxima periculo.

Venit autem Abigail ad Nabal.] Abigail reuersa domum inuenit Nabalem securum in conuiuio. Impij enim maxime securi sunt, cùm impendeant summa pericula. Nam cùm dicūt

D *pax, & securitas, repentinus illis veniet interitus:* vt dolor inexpectatus opprimere solet parturientes. Ita Babylon capta est à Cyro, cùm Rex Balthazar produxisset vasa sacra in contemptum Dei, & versaretur inter scorta, & pocula. Ita Arius, cùm iussu Imperatoris restituendus esset Ecclesiæ, & iam animo securo esset, mortuus est ex itinere. Ita Iulianus Apostata cùm certus esset de victoria contra Persas, & animo agitaret euersionem Christiani nominis, interfectus est è vestigio. Ita Iulius Cæsar cum pridie vesperi otiose, & secure disputasset de optimo genere mortis, postridie interfectus est in Senatu. Ita Christus, *Hac, inquit, nocte repetent à te animam tuam: ista autem, cuius erunt?* Et S. Bernardus prudenter addit, Tu ipse, qui

Et erat ei, &c.

ea parasti, cuius eris? Ista securitas hominibus carnalibus ex eo nascitur, quòd contemnant Deum, & sibi persuadeant, eum nunquam sumpturum pœnas de peccatis. Altera autem est spiritualis securitas, quæ nascitur ex vera fide, conscientia bona, & expectatione misericordiæ Dei.

Deorũ Augustus conuiuia æmulari studuit.

Suetonius.

Et erat ei conuiuium quasi conuiuium regis.] Notatur hic luxus Nabalis. Nemo sua sorte contentus viuit. Priuati regum, reges deorum conuiuia æmulantur. Suetonius autor in Augusto cap. 70. Cœna quoque eius secretior, inquit, in fabulis fuit, quæ vulgò δωδεκάθεος vocabatur: in qua deorum dearúmque habitu discubuisse conuiuas, & ipsum pro Apolline ornatum, non Antonij modò epistolæ singulorum nomina amarissimè annumerantis, exprobrant, sed & sine autore notissimi versus:

Cùm primum istorum conduxit mensa choragum,
Sexque deos vidit Mallia, sexque deas:
Impia dum Phœbi Cæsar mendacia ludit,
Dum noua diuorum cœnat adulteria:
Omnia se à terris tunc numina declinarunt:
Fugit & auratos Iuppiter ipse thronos.

Auxit cœnæ rumorem summa tunc in ciuitate penuria ac fames. Acclamatúmque est postridie, frumentum omne deos comedisse: & Cæsarem esse planè Apollinem: sed Tortorem. quo cognomine is Deus quadam in parte vrbis colebatur. Ita satis inauspicato Augustus tentauit, vt scribit Suetonius, deorum conuiuia æquare.

Quasi conuiuium regis.] Curarum expers regum fruebatur delitijs. Talis apud Senecam Creon:

Seneca in Oedipo act 3.

Solutus onere regio, regni bonis
Fruor, domúsque ciuium cœtu viget:
Nec vlla vicibus surgit alternis dies,
Qua non propinqui munera ad nostros lares
Sceptri redundent, cultus, opulentæ dapes,
Donata multis gratiâ nostrâ salus.
Quid tam beatæ deesse fortunæ rear?

De luxu antiquorum conuiuiorum cùm plerique autores multa scripsere, tum maximè Athenæus, qui Deipnosophistarũ libros quindecim reliquit. Sed hæc repetere duco superuacaneum. Nonnulla tamen referam quibus veterum luxus arguatur, in quem animaduertere hoc loco Scriptura videtur. Apud Macrob. li. 3. Saturn. cùm Horus in suæ ætatis luxuriam inuectus esset, Cæcinna ita respondit, vt ostenderet prioribus sæculis maiorem deliciarum curam fuisse. Describit autem Sallustius quàm immenso luxu Metellum in Hispaniam redeuntem Quæstor C. Vrbinus conuiuio exceperit. Exornatis, inquit, ędibus per aulæa, & insignia, scenisque ad ostentationem histrionum fabricatis. Simul croco sparsa humus, & alia in modum templi celeberrimi. Præterea cùm sedenti in transenna demissum victoriæ simulacrum cum machinato strepitu tonitruum, coronam ei imponebat: tum venienti, ture quasi Deo supplicabatur. Toga picta plerumq; amiculo erat ei accumbenti. Epulæ quæsitissimæ, neque per omnem modò prouinciam, sed trans maria ex Mauritania volucrum, & ferarum incognita

Macrob. Luxus antiquorũ conuiuiorum.

Et erat ei, &c.

antea plura genera.] Quinimò accipite, inquit Macrob. eiusdem lib. cap. 13. inter grauissimas personas non defuisse luxuriam. Refero enim Pontificis vetustissimam cœnam, quæ scripta est in indice quarto, Metelli illius Pontificis Maximi, in hęc verba: Ante diem nonum Calend. Septemb. &c. quæ apud Macrob. reperies. Quibus postremò adijcit, Vbi iam luxuria tunc accusaretur, quando tot rebus farta fuit cœna pontificum? Hanc quoque Ethnicis sicut & Saliorum epulum Tertull. exprobrat in Apologet. Agapas Christianorũ ab eorundem calumnia vendicans. De Saliorum epulo hanc habet histor. Sueton. Claudij vitæ ca. 33. Cognoscens, inquit, quondam (Imperator) in Augusti foro, ictúsq; nidore prandij, quod in proxima Martis æde Salijs apparabatur, deserto tribunali, adscendit ad sacerdotes, vnáq; discubuit.] Ipsa verò edulium genera, quàm dictu turpia? Nam Cincius in suasione legis Fanniæ, obijcit seculo suo, quod porcum Troianum mensis inferat. Quem illi ideo sic vocabant, quasi alijs inclusis animalibus grauidum, vt ille Troianus equus grauidus armatis fuit. Exigebat hoc quoque illa gulæ intemperantia, vt & lepores, & ostrea teste Varrone saginarentur. Nec acipenser, inquit Macrobius, cap. 16. quem maria prodigis nutriunt, illius seculi delicias euasit. Parasitus apud Plautum in Baccharia,

Suetonius.

Specimen egregium grauitatis Imperat.

Porcus Troianus

Varro de agricultura lib. 3.

Quis est mortalis tanta fortuna affectus vnquam,
Quam ego nunc sum, cuius hæc ventri portatur pompa?
Vel nunc, qui mihi in mari acipenser latuit antehac,
Cuius ego latus in latebras reddam meis dentibus, & manibus?

Plautus.

Hæc ille. Sed vt nihil deesset ad exaggerandam antiquorum conuiuiorum turpitudinem, Sammonicus Serenus qui Seueri principis ætate floruit, prodit venerationẽ, qua is piscis habebatur, vt à coronatis ministris inferretur cũ tibicinis cantu, quasi quadam non deliciarum, sed numinis pompa. Addam his Mamertinum Iuliani Præfect. Prætor. cuius hæc verba sunt in Panegyrico Iuliano dicto: quinetiam prandiorum ac cœnarum magnitudines R. P. sanciebat, cùm quæsitissimæ dapes non gustu, sed difficultatibus æstimarentur, miracula auium, longinqui mari pisces, alieni temporis poma, æstiuæ niues, hybernæ rosæ.

Mamertinus in Panegyr.

Quasi conuiuium regis.] quinimo priuatorum luxus non rarò Principum magnificos apparatus superauit. Latinus Pacatus in Panegyrico Theodosio dicto, Neminem vnum, ait, inueniri, qui auderet ad penum regiam flagitare remotorum littorum piscem, peregrini aëris volucrem, alieni temporis florem. Nam delicati illi ac fluentes, quales tulit sæpe Respubl. parum se lautos putabant, nisi luxuria vertisset annum, nisi hybernæ poculis rosæ innatassent, nisi æstiuam in gemmis capacibus glaciem falerna fregissent. Horum gulæ angustus erat noster orbis: namque appositas dapes non sapore, sed sumptu æstimabant. Illis demum cibis acquiescebant, quos extremus Oriens, aut positus extra Roman. imperium Colchus, aut famosa

Priuatorum luxus. Pacatus

Et erat illi, &c.

famosa naufragijs maria misissent, quos inuitæ quodammodo reluctantiq; naturæ hominum pericula rapuissent. Hactenus Pacatus. At hos, inquit Lucianus, Nigrinus Platonicus vehementius irridebat, qui miram quandam diligentiam in apparandis cœnis adhibent, dum liquamentorum varietatem, & bellariorum curiosam atque immodicam compositionem sectantur. Nam rursum & hos dicebat breuis ac modico tempore duraturæ voluptatis amore multa negotia sustinere. Indicabat autem, quatuor illos digitorum causa totum hũc suscipere laborem solere. Tot enim digitorũ mensuram æquat vel longissimum hominis guttur. Nam neq; antea quam eorum, quæ tam charo emuntur, quicquam ederunt, vllam voluptatem eos capere: nec rursum posteaquam illa deuorata atque absumpta sunt, suauiorem cæteris illam, quæ fit ex tam pretiosis & charis istis, repletionem reddi. Restare igitur vt illam, quæ velut in transcursu percipitur, voluptatem, tam grandi pecunia mercentur.

Nigrinus Platonicus.

Gulæ voluptas quatuor digitorum.

Adde his, quod tanta ciborum varietas, quibus nepotes delectantur, valetudinem plurimùm labefactat. Probat hoc apud Macrobium Disarius medicus Saturn. lib. 7. cap. 4. Primùm exemplo pecudum, quibus simplici cibo vtentibus familiarem sanitatem esse asserit; ægrescere autem quæ saginantur, & composita offarum varietate crudescere. Secundo autoritate medicorum, quorũ nullus febrienti dat corruptam condimentis alimoniam, sed vniformem ac simplicem. Tertiò ratione. Cruditates enim, inquit, eueniunt, aut qualitate succi, in quem cibus vertitur, si non sit aptus humori, qui corpus obtinuit: aut ipsius cibi multitudine, non sufficiẽte natura, ad omnia, quæ congesta sunt, concoquenda. Qui enim multiplici cibo alitur, diuersas patitur qualitates ex diuersitate succorum: nec concordant humores ex materiæ varietate nascentes, nec efficiunt liquidum purúmue sanguinem, in quem iecoris ministerio vertuntur, & in venas cum tumultu suo transeunt. Hinc morborum scaturigo, qui ex repugnantium sibi humorum discordia nascuntur. Deinde quia non omnium, quæ esui sunt, vna natura est: nõ omnia simul coquuntur: sed alia celerius, tardius alia. Cùm ergo prima digestio vertitur in succum, quia non simul accepta omnia vertuntur, acescit, & hoc sæpe etiam eructando sentimus. Alia quoque quibus tarda digestio est, velut ligna humida, quę vrgente igne fumum de se creant: sic illa imminente igne naturæ, fumant, dum tardius coquuntur. Siquidem nec hoc sensum eructantis euadat. Cibus autem simplex non habet controuersam moram, dum in simplicem simul succum vertitur: nec digestio vlla turbatur, dum omnes sibi stata momentorum dimensione succedunt. Macrobius porrò eodem loco quatuor cibi digestiones, primam in stomacho, secundam in iecore, tertiam in venis, quartam in vnoquoque membro, copiosè persequitur, quæ apud eundem legi poterunt. Ad extremum autem etiam hoc argumento vtitur, quod pulmentorum condimentorúmque varietas gulam lacessat, quæ deinde sibi moderari non nouit: sed præceps in crapulam fertur, & ciborum indigesta congerie ventrem onerat, & morbos parit.

Ciborũ copia & varietas valetudini officit.

Macrob.

Et cor Nabal, &c.

Et cor Nabal iucundum.] Erat quippe præsentis periculi, futurique mali ignarus. Narrat Herodotus lib. 2. Mycerinum quendam Ægypti regem, cùm oraculum accepisset se breui moriturum, lucernas fecisse permultas, quibus cùm noctesceret accensis, potaret, ac se oblectaret: neque diu neque noctu intermittentem. Hæc autem idcirco excogitasse, quod vellet oraculum mendacij conuincere, & duodecim pro sex fierent anni, diebus factis ex noctibus. Si Herodoto credimus, Mycerinus clementiam iustitiámque coluerat: itaq; mortem minus timuit. At Nabal, cùm pessimè vitam instituisset, cognito discrimine, postea expauit: nec vlterà conuiuij licentia potuit ad hilaritatem iucunditatémque reuocari. Sed hoc interim spatio lasciuiæ edacitatique indulgebat. Illum mihi pingere Epicharmus visus est, cùm scriberet:

Herodot.

Mycerinus moriturus conuiuijs vacabat.

Primum quidẽ si comedentẽ videres eũ, emoreris.
Fremunt intus fauces, resonat maxilla,
Strepit dens molaris, tumultuatur caninus:
Stridet naribus, mouet auriculas.

Nec deerãt præterea parasiti agrestes, & supra modum edaces rustici, qui dicacitate atq; edacitate sua perdito nebuloni risum mouerẽt. De Aurel. Imp. Vopiscus in eius vita. Vehementissimè delectatus est Phagone, qui vsque eò multũ comedit, vt vno die ante mẽsam eius aprum integrum, centum panes, veruecem, & porcellum comederet: biberet autem infundibulo apposito plus orca. Complures ἀδδηφάγους seu voraces Ælianus memorat lib. 1. cap. 27. Var. hist. sed fœminam præ cæteris vnam celebrat præced. cap. 26. Fœminam, inquit, audio tuba cantasse, eiúsque hoc institutum vitæ atque artem fuisse, nomine Aglaidem, filiam Megaclis. Comam habebat appositiam, & cristã in capite, vt testatur Posidippus. Consumebat hæc in vna cœna, duodecim minas carnium, & quatuor chœnices panum, bibebat congium vini. Sunt qui ex his monstris seu naturæ probris inhonestam voluptatem captent. Nec dubium quin hoc tempore Nabal talia sibi oblectamenta, quibus capi poterat, accersierit.

Edaces & parasiti cõuiuijs adhibiti.

Fla. Vopiscus.

Ælianus.

Cor Nabal iucundum.] Ἡδονή, inquit Suidas in eadem voce, ἄλογος διάχυσις. Voluptas est bruta dissolutio. Vel ἄλογος ἔπαρσις bruta elatio, aut etiam impulsio ad aliquid, quod in altero videtur esse. Cui subijcitur κήλησις, ἐπιχαιρεκακία, τέρψις, διάχυσις. delinitio, ob aliena mala gaudium, delectatio, hilaritas. Κήλησις, siue delinitio, voluptas est, quæ per aures animum delinit ac mulcet. Ἐπιχαιρεκακία verò, voluptas ob aliena mala. τέρψις delectatio, quasi τρέψις, id est versio, siue conuersio aut traductio animi ad relaxationem. Διάχυσις deniq. siue hilaritas aut iucunditas, ἀνάλυσις ἀρετῆς, virtutis resolutio siue relaxatio. Hinc profectò tristis virtus proteruiæ crapulæq; cedens, abscedere coacta est. Aristippus autem, è classe Philosophorum deliciarum patronus, apud Ælianum cap. 6. lib. 14. pluribus argumentis olim suadere statuit, vt neque ob præterita torquerentur se, neque ob ea quæ im-

Suidas.

Voluptatis plures species.

Ælianus.

ET COR NABAL, &c.

minerent. Id enim animi bene constituti esse signum, & hilaræ cogitationis argumétum. Iubebat autem in diem animum intendere, & diei illam solummodo partem, quâ quisq; quid ageret aut cogitaret. Solum enim aiebat præsens in manu nostra positum, non præteritum, neque instans. Illud enim abijsse: hoc an euenturum sit, incertum esse. Hæc ille. An ergo Nabal Aristippi scholam frequentauerat? Plus aliquid mihi fecisse videtur quàm ille docuerit: nam ne præsentis quidem periculi rationem habuit.

Aristippi documentum ad voluptatem pertinens.

Cor Nabal iucundum.] Quid mirum? *erat enim ebrius nimis.* Hi porrò lasciuiam vultu præ se ferunt quod in Nabale nullo negotio deprehendi potuit.

Ebrietas occultari non potest.

Occultare, Phidia, inquit Comic⁹ Antiphanes
Omnia alia quis possit, præter duo:
Aut cùm vinum bibit, aut in amorem incidit.
Vtrumque enim patefit ex aspectu,
Et ex oratione: vt qui negarint
Maximè hæc, palam se multis prodant.

Et apud Athenæum poëta Cyrenæus,
Est eadem vini ac ignis vis: corpora nostra
Cum subijt, fluctus commouet, in Lybico
Vt pelago Notus, aut Boreas: occulta reuelat
Ex imo: mentes concutit atque hominum.

Plato. Vini Græca etymologia.

Plato in Cratylo, vocis (οἶνος) rationem & originem indagãs, sic inquit notatam fuisse, quod animum nostrum impleat τῷ οἴεσθαι, id est arroganti de nobis ipsis quadam opinione: quanquam fortassis etiam ἀπὸ τῆς ὀνήσεως, id est vtilitate quam ex eo percipimus, dictum fuisse non absurdum sit. Communis porrò omnium sensus est, vinum homines lætitia perfundere. Vnde est illud Homeri:

Vinum lætitiam parit.

O Menelae dij fecerunt optima vina,
Qua tristes hominum curas dispellere possint.

Et item illud Panyasis apud Athenæum lib. 2.
Aduersus omnes molestias adhibitum vinum remedium insigne est.
Magnifici conuiuij iucunda est pars vna vinum:
Vna chorearum: vna optabilis amicitia.

Et rursum: Vinum optimum est munus deorum mortalibus,
Ac luculentum: vino congruit quæuis cantio:
Saltatio quæuis: amabilis omnis beneuolentia,
Omnes ex hominis corde molestias vinum obliterat,
Si modicè bibitur: supra modum potum noxiũ est.

Testatur hoc nescio quis ebrius apud Menand.
Totam bibimus noctem propter te,
Ac valdè merum mihi videor
Itaque capitibus quatuor præditus exurgo.

Ebrietas turbas concitat.

Quamobrem Bacchum veteres pro ebriorum statu ac moribus, quoniam ad violentiam temulentos vinum cõcitat, nunc cum tauro comparant, nunc cum Panthera, inquit Athenæus. Quidam enim vinolenti sunt iracundi, taurus huiusmodi est: quidam ob pugnacem audaciam efferantur: quod pantherarum ingenio conuenit. Plures linguæ intemperantia laborant ac præter modum lasciuiunt. Eiusmodi ille est qui apud Bathonem Comicum in temperantes & abstemios inuehitur:

Ebrij loquaces, & reliquos præ seipsis contemnũtes.

E Philosophis temperantes huc voco,
Nil boni sibi concedentes,

A *Prudentem quærentes in deambulationibus*
Et diatribis quasi fugitiuum.
Pestis hominum, quam ob rem cùm tibi sit quod conferas,
Parcis? quid tanta verò deum afficis iniuria?
Quid argentum, Homo, pretiosius
Teipso statuis, quámque natura sit?
Inutilis es ciuitati qui bibis aquam:
Agricolam enim & mercatorem offendis.
Ego verò qui sum ebrius, progressus honestos facio.

Et item alter ille apud Antiphanem, qui omnes ad bibendum prouocat.
Te autem quæso, inquit, *viuere quid est? si bibas, censeo.*
Vides enim iuxta fluenta hyberna quot
Arbores semper noctéque diéque
B *Rigentur, magnitudine & pulchritudine quales oriantur.*
Quæ verò contrà nituntur, scilicet sitim quadam
Aut ariditatem habentes, radicitus sua sponte pereunt.

Sed vnde dices petenda nobis tanti ratio discriminis? vt qui vino madent, alij quidem impotenti lætitia lasciuiant, alij truculentiores effecti præsentibus terrorem incutiant? Existimo, inquit S. Isidorus, quoniam nos de rebus quoque naturalibus disputare cogis, hæc vel à corporis affectione contingere, nempe quod huiusmodi euentuum causæ à vino augeantur, vel imminuantur, vel ab animi impulsionibus, quæ plerósque latent. Quoniam enim vinum humidorum duntaxat mores informat, vtentium moribus quodammodo miscetur. Etenim C pro ijs moribus quibus adhibetur, eosdẽ quoque affectus ostendit: non quidem eos, cùm non essent, efficiens, verùm abstrusos & occultos denudans. Siquidem fictis moribus detectis, ea, quæ in obscuro erant, patefacit. Vnde etiam illud in prouerbium abijt, dicentibus multis, in vino veritatem esse. Neque enim quę non sunt, efficit: verùm quæ occulta & abstrusa sunt, euulgat. Hæc & plura vir sanctus, cuius sententiam lepide confirmat Argiui Calliæ epigram. 2. Antholog. tit. εἰς μεθύσ.

Vnde tanta in vino varietas?

S. Isidor. Pelusi. lib. 2. epist. 109.

Bellua perpetuò, Pollycrite sæua fuisti:
Nunc potum subitus te furor arripuit.
Nunquam non malus esse mihi prauúsq; videris.
Cui vinum mores non facit, at retegit.

οἶνος ἐλέγχει
Τὸν τρόπον. οὐκ ἔθηκε νῦν κακὸς, ἀλλ' ἐφάνη.

D Præterea scilicet Aurelianus Imperat. Bonosum, de quo dicere solitus erat, non vt viueret notum esse, sed vt biberet: vt Vopiscus autor est, diu in honore habuit. Nam si quando legati Barbarorum vndecunque gentium venissent, ipsis propinabat, vt eos inebriaret, atque ab his per vinũ cuncta cognosceret. Ipse quantumlibet bibisset, semper securus, & sobrius: & vt Onesimus dicit Scriptor vitæ Probi, adhuc in vino prudentior. At non item Nabal, siquidem.

Vopiscus in Bonoso.

Ebrius erat nimis.] Hadrianus Iunius Animaduers. lib. 3. cap. 6. Ebrium, inquit, præter notam significationem, pro pleno & ad saturitatem vsque referto accipi, Latinis auribus notum est. Similiter μεθύειν (quod inebriari propriè

Ebrius dicitur quicunque re aliqua plenus est.

ERAT QVIPPE EBRIVS NIMIS.

prie sonat) pro ... & compleri efferunt Græci: quomodo in Dioscuris Theocritus de Amyco Bebrycum rege loquens, illud extulit: ... , id est, Constitit offertus & ebrius plagis. Apud nostros Plautus Comicus ebriam cœnam dixit, pro opipara, & adijciali copiosaque. Quid, quod Nonnius Marcellus ebrios dici posse quaelibet re expletos, confirmat autoritate Varronis, qui in Eumenidibus dixit, scholasticas aures scholica dape ebrias. Quin & vestris ostro ebria dicitur, quæ purpuræ florem ebiberit: quæ simili metaphora, saturata murice à Martiale scribitur.

Demens quoq; ebrius dicitur.

Deinde (quod magis in Nabalem quadrat) quia ebrietas mentem alienat, & (vt cum Ennio loquar) expectorat, ob immodicum potum, etiam pro vecorde & mentis haud compote, ebrius accipitur. Qua in significatione sumitur apud Horatium Odarum lib. 1. de Cleopatra Ægypti regina, quam dicit fuisse fortunâ dulci ebriam, hoc est, dementatam, nimiúmq; secundis rebus elatam; ad exemplum Anacreontis Teij, qui amantem sine modo, & amoris œstro velut extra se positum, ... dixit, id est, amore ebrium, quod apud Philostrat. in Apollonio lectum est. Quam significationem *ebrij* agnoscas etiam in Petronij illo versu,

Vilis adulator picto iacet ebrius ostro.

Quo innuit parasitos & adulatores ad amplissimas fortunas Principum stoliditate euectos, priorum vitæ sordium non amplius memores, & rerum successu elatos, reliquos præ se despicere. Esaiæ autem cap. 51. vers. 21. *Audi hoc paupercula, & ebria non à vino*, intelligit autē ærumnis & calamitatibus fractam, atque adeo consilio prudentiáque destitutam. Quod idem præcedenti cap. 29. vers. 9. fusius explicat. *Obstupescite, inquit, & admiramini, fluctuate, & vacillate: inebriamini, & non à vino: mouemini, & non ab ebrietate. Quoniam miscuit vobis Dominus spiritum soporis, &c.* Vtrumque porrò Nabali conuenit, nam & vecordia temulentus erat, & vini vi mentem amiserat, & insaniebat.

De ebrietate siue temulentia Aquilonaribus maximè populis familiari, & an illa gentis aliquo priuilegio excusari possit.

QVÆSTIO LXXIX.

Stobæus Serm. 17.

PAnyasidis carmen apud Stobæum relegēs, Nabalem ebrium mihi videre videor, & audire tonsores suos, & subulcos, & armentarios, atque opiliones, ad certamen poculorum prouocantem. Sic enim ait:

Poculorum quondam certamina præmijs & laudibus celebrata.

Agedum hospes, quin bibe: hoc etiā virtutis est,
Si quis in virorum conuiuio plurimos calices
exiccauerit
Rectè sciteque: aliúmque simul prouocauerit.
Tam inter epulas fortis vir esse potest, quam qui
in bello,
Pugnas sequitur luctuosas, in quibus pauci
Animosi sunt, ac Martē impetuosum excipiunt.
Huic ego illū æquali laude contulerim, qui epulis
Assidens gaudet, aliúmque pariter cœtū incitat.
Non enim viuere illū mortalē indico, neq. agere
Vitam hominū ærumnosorum, quicunque à vino
Animū abstinens, potionē aliam stultus hauserit.
Etenim vini non minor quam ignis est mortalibus
vtilitas
Bona, malorum amuletum, omnis cantilenæ comes.
Inest vino sacra pars Thaliæ & Aglaiæ Gratiarum,
Insunt saltatio, & optatus amor.
Quapropter decet te inter pocula læto animo merum acceptantem
Potare, non cibo malè affectum instar vulturis
Sedere pleno ventre, oblitum gaudia.

Alexander præmia potantibus proposuit.

Vetus hæc insania, vel Alexandro Macedone teste: qui cùm in honorem Calani Brachmanis Indici Sophistæ, qui seipsum combusserat, certamina musica, equestria, & pugilatus constituisset, volens gratificari Indis, vsitatam etiam ipsis concertationem in honorem Calani, superioribus certaminibus adiecit, & potandi vini certamen instituit, atque primas obtin[e]nti, præmium constituit talentum, proximo triginta minas, tertio decem. Palmam tulit quidam Promachus, & victoriæ præmium conse[c]utus est, sic tamen vt statim post diem tertium morti occumberet: Compotatorum verò XLI. mortuos testatur Chares Mitylenæus, oborto post ebrietatem vehementi frigore, quod eosdem extinxit. Apud Dionysium in festo, quod choas vocant, victor auream coronam reportabat. Sed nolo plura, vnum duntaxat exemplum adijciam. Narrabat mihi non ita pridem cuiusdam vrbis gubernator quæ in regni finibus sita est, cuius nomini parco, cùm primùm eius aduentum festis conuiuijs præcipui ciues celebrarent, tres ex primoribus, atque in his magistratum, quem Vrbis Maiorem dicunt, poculis certando perijsse. Quid fiet tibi Germania, cùm Galli potando rumpantur? Certè ea labes hactenus non ita passim nostris hominibus adhæsit: sed sumus ingenio ad imitandum facili, & aliarum gentium corruptelis citò inficimur.

Plutarchus in Alexand. vita. Ælian. li. 2. ca. 41. Var. hist. Athenæus li. 10. ca. 12.

Ea consuetudo reprobatur.

Atqui iamdudum vecordiam istam S. Ambrosius in sui sæculi hominibus reprehendit. quo magis mirum est, ne hoc quidem tempore à nobis, qui Sanctorum sententias vsurpamus, posse cohiberi. Quid autem, inquit, obtestationes compotantium loquar? quid memorem sacramenta, quæ violare nefas arbitrantur: Bibamus, inquiunt, pro salute Imperatoris: & qui non biberit, sit reus indeuotione. Videtur enim non amare Imperatorem qui pro eius salute non biberit. O piæ deuotionis obsequium! Bibamus pro salute exercituum, pro Comitum virtute, pro filiorum sanitate. Et hæc vota ad Deum peruenire iudicant, sicuti illi qui calices ad sepulcra Martyrum deferunt, atque illic in vesperam bibunt, & aliter se exaudiri posse non credūt. O stultitiam hominum, qui ebrietatem sacrificium putant, qui æstimant illos ebrietate placari, qui ieiunio passiones sustinere didicerunt. Hactenus S. Ambros. qui ad cætera vitæ dedecora, etiam sacrilegia & blasphemias ebrietatem addidisse demonstrat.

S. Ambros. in li. de Elia & ieiunio cap. 17.

Erat quippe ebrius nimis.

Ex his & alijs pluribus, quæ deinceps expendemus, cùm non pauci animaduerterẽt, quàm non modò turpis, sed etiam perniciosa res esset ebrietas, vino seuerè interdixerunt. Inde enim manarunt Romanæ leges atque Milesiæ, Locrensium quoque ac Massiliensiũ, quas Ælian. lib. 2. Var. hist. cap. 37. & 38. religiosè descripsit. Sed nos, si quæ sunt etiam aliorum decreta populorum quæ vino moderentur, & intemperantiam coërceant, in præsentia missa facimus: Vnius duntaxat Platonis meminero, cuius hæc statuta leguntur lib. 2. de legibus. Principiò lege sanciemus, inquit, vt pueri vsque ad decimum octauum annũ vini vsum prorsus ignorent. Deinde vino moderatè vtantur vsque ad ætatis annum trigesimum. Ab ebrietate verò & vini repletione iuuenes omninò abstineant. Sed cum ad quadragesimum peruenerint, tunc in conuiuijs liberius discumbentes, cùm alios deos, tum Dionysium ad sacra senum & ludos inuocent, qui hominibus vinum quasi remedium aduersus senectutis duritiam est largitus, vt reiuuenescere videamur, & mœstitiæ nos obliuio capiat, ipsáque affectio animi, sicuti ferrum in igne, ex duritie in mollitiem deducta, flexibilior fiat. Nunquam in castris quisquam gustare vinum audeat, sed toto illo tempore aqua bibatur, & in ciuitate nunquam vini vsum seruo vel ancillæ concederem. Sed nec magistratibus toto eo tempore, quo magistratu funguntur. Gubernatores etiam ac iudices munus suum subituros à vino penitus prohiberem. Deliberaturos quoque de rebus non omnino negligendis. Ac nulli penitus interdiu vinum concederem, nisi exercitationis corporeæ morborúmque causa hoc potu opus fuerit: neque etiam nocte viro vel mulieri, quando liberis operam dare volunt. Plura etiam referri possent, in quibus homines legis rectæ mentísque compotes vino abstinerent. Hactenus Plato. Cuius legibus non dubito plerosque homines intercessuros, quippe qui non tam licentiæ frænos in pluribus adhibere videatur, quàm mortales diuino beneficio priuare. Verumenimuerò, vt docet Theognis,

Plato vini vsum legibus suis præscribit.

Οἶνος πινόμενος πολὺς, κακός. ἢν δέ τις αὐτὸν
Πίνῃ ἐπισταμένως, οὐ κακὸς, ἀλλ' ἀγαθός.

Vinum si bibas multum, noxium est: at si quis ipsum
Bibat prudenter, iam non malum, sed bonum est.

Modum itaque decet præscribere, quo tanto Dei munere legitimè vtamur, non protinus eius vsu interdicere. Quamobrem in primis legitimum eiusdem vsum doceamus. Deinde eius abusum ostendamus, quantum diuinæ legi aduersetur. Postea afferemus exempla, quibus liquidò constet, temulentiam cùm damnosam, tum fœdam & detestabilem esse. Recensebo deinceps huius mali horribilia effecta. Postremò ex his omnibus, si quis animum aduertat, facilè responderi poterit cauillis & sophismatibus, quibus ebrietas & vini abusus ab Epicureis defenditur.

Quæstionis distributio.

Quod ad primum attinet, inficiari nemo potest præclaras esse dotes vini. Quandoquidem sitim restinguit, quæ nos maximè cruciat: quod etiam aqua fieri posset, verùm non ita commodè; quia vinum sitim extinguendo fractas vires reficit, & spiritus procreat, quibus natura plurimùm recreatur. Subinde etiam medetur frigori & imbecillitati, cùm ventriculi, tum etiam cæterarum facultatum, quæ humanæ vitæ inseruiunt. Vnde Paulus ad Timotheum scripsit, vt vino vteretur propter stomachum, & frequentes eius morbos. Exterius ad vulnera non inutiliter quandoque apponitur. Nam & Lucæ 10. scribitur, Samaritanum alligasse vulnera eius quem semiuiuum repererat, & illis oleum ac vinum infudisse. Exhilarat prætera vinum, nec parum facit ad tristitiam ac mœrorem animi depellendum. Et idcirco Salomon in Prouerb. cap. 31. iubet: *Date siceram mœrentibus, & vinum ijs qui amaro sunt animo. Bibant & obliuiscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius.* Et Psalm. 104. *Vinum lætificat cor hominis.* Item vitis Iudic. 9. vers. 13. *Nunquid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum & homines?* Id quod non ita accipiendum est, quasi Deus aut bibat, aut vini aliqua voluptate perfundatur: sed quia in sacrificijs libamina vini adhibebantur. Et, vt Rabini perhibent, Leuitæ in oblatione sacrificiorum tunc canere voce, tubis, ac lyris incipiebant, quando ad vini libamina peruentum erat.

Complures vini dotes.

Porrò tanta fuit Dei bonitas erga homines, vt illis non tantùm ad victum necessaria dare voluerit, sed etiam delitias largitus sit: quia propriè ac per se non delectatur squalore, tristitia, ac mœrore hominum, sed eos cupit sanctè ac piè viuere cum honesta cordis hilaritate. Quocirca non tantùm vini vsum illis concessit, sed etiam oleum, & fragrantissimos odores, carnes item, necnon diuersa & multiplicia ciborum genera. Et sanè necessarius nonnunquam vini vsus ijs qui à morbis conualescunt, & restituendi sunt pristinæ valetudini: Vtique Philosophus quidam retulit, tristitia & amaritudo quædam senum eo perinde mitigatur & lenitur, atque lupini alioquin amarissimi dulcescũt aqua macerati. At videndum est, vt modus adhibeatur: alioqui lætitia quæ ex vino quæritur, facilè abit in summam tristitiam. Nam intemperantia vini, vtilitatem facilè perdit. Imò si temulentia virum occupet, tristissima res euadet, & damni plena.

Philonides medicus apud Athenæum lib. 15. autor est, translata è rubro mari vite in Græciam à Baccho, multísque intemperanti voluptate delinitis, & merum bibentibus, cùm alij furijs acti insanirent, alij obruti vino & crapula conciderent mortuis similes, quibusdam ad littus maris compotantibus, ingruente pluuia, dissolutum conuiuium, ac poculum, in quo parum vini relictum fuerat, aqua repletum esse: deinde cùm factum rursus esset sudum ac serenum cœlum, conuiuas in eundem locum reuersos, vinum dilutum gustantes, mitem atque minimè molestam voluptatem sensisse. Inde igitur miscendi ratio primùm illis reperta est, qua vini furor & insolentia cohiberetur. Athenienses tamen vini σύμμετρον κρᾶσιν seu conuenientem

Miscere vinum necesse est, & vnde primùm eius ratio tradita est.

ERAT QVIPPE EBRIVS NIMIS.

uenientem cum aqua mixtionem, Amphictyonem regem docuisse fama est. Vnde & Διονύσου ὀρθοῦ delubrum extruxerit: quoniam tum reuera Bacchus rectus fit, miniméque titubet aut noceat, cùm modicè dilutus bibitur; vt testatur idem Athenæus libro quarto. Itaque Græci olim vino vsi sunt partim mero, quod ἄκρατον dicunt, partim diluto, quod ἀπὸ ὕδατος, quasi aquosum dicas, vocant. At verò τὴν ἀκρατοποσίαν, meri potum, Anacreon Σκυθικὴν πόσιν nominat: hoc est, Scythicam potionem. Chamæleon autem Heracleotes lib. de Temulentia scribit, Cleomenem Lacedæmonium ad insaniam perductum esse, quòd apud Scythas agés, meracius potare vinum assueuisset: id quod ἐπισκυθίζειν appellat, hoc est Scythas æmulari. Neq; verò hoc dubium est, quin merum menti pariter ac corpori plurimùm officiat: Sed non omnes medicorum cõsilijs obtemperant. Testem laudabo Fuscum, cuius meminit Thomas Morus in Epigram.

Potando medicus perituros dixit ocellos
Fusco, qui cùm se consuluisset, ait:
Perdere dulcius est potãdo, quàm vt mea seruem
Erodenda pigris lumina vermiculis.

Quis modus adhibendus.

Vinum ergo quomodo bibere dilutum me conuenit, inquit Diocles in Apibus, an quatuor & duo? Πῶς δ' ἐν κεκραμένον πίνειν οἶνον δεῖ με; τέτταρα καὶ δύο; Κεκραμένως non vna fuit ratio. Nonnullas apud Athenæum libro decimo produnt Menander, Alexis, &c. Plutarchus tres mixtionis modos, tribus musicalibus consonantijs similes tradit, Hemioliam, cùm tribus aquæ partibus duæ vini adduntur; diatessaron, cùm tribus aquæ vna vini; diapason, cùm vni vini duæ aquæ. Græcorum vetus illa cantio fuit: ἢ πέντε πίνε, ἢ τρία, ἢ μὴ τέσσαρα. Quinque bibe, vel tria, non autem quatuor. Quinarius scilicet his duo complectitur, & dimidium: quaternarius semel tria, & tertiam partem. Iubet ergo adagium, vt cum quinque partibus aquæ, vini duas bibamus; aut cum aquæ tribus vnam vini. Athenæus libro decimo ita interpretatur. Quod quatuor bibere vetat, ea temperatio est duorum aquæ cyathorum cum totidem vini, quod ἴσον ἴσῳ, par pari bibere dicebant. Antiquis ea potio meracior habebatur. Obseruent hos canones, quibus Græcia, aut alia quælibet par regio generosum vinum suppeditat: nostratibus, si vel quarta pars aquæ infundatur, plerunque, vt aiebat Pherecrates, ranarum potio euadit. Regula certa tradi non potest: sed prudentiæ fons, vt quidam ait, aquam vinum bibentibus subministret.

Poculorum numerus præscribitur.

In poculorum verò numero Panyasis apud Athenæum libro secundo dicit primum esse χαρίτων, ὡρῶν, καὶ Διονύσου. i. Gratiarum, horarum, & Bacchi: secundum tribuit ἀφροδίτῃ καὶ Διονύσῳ Veneri & Baccho: Tertium dicit esse ὕβριος & ἄτης iniuriæ, & Atæ, quæ dea turbas ciere solet. Melius Eubulus Comicus Bacchi nomine

Tria ego pocula tantum misceo
Illis qui sapiunt: vnum bonæ valetudinis, ὑγιείας 1.
Quod omnium primum bibunt: deinde alterum ἔρωτος ἡδονῆς τε. 2.
Amoris & voluptatis: soporis tertium: ὕπνου. 3.
Hoc epoto, hi quos sapientes dicimus,
Sese domum recipiunt. Post si quartum additur,
Non est id amplius nostrum, sed proteruiæ. ὕβρεως. 4.
Quintum clamoris aliis vociferantibus: βοῆς 5.
Sextum petulantis comessationis: κώμων 6.
Septimum macularum ac sugillationum in oculis ὑπωπίων 7.
Apparitoris octauus: nonus iracundiæ: κλήτορος 8. χολῆς 9.
Decimus furoris, quo prosternuntur qui bibunt. μανίας 10.
Nam in exiguum vas multum si vinum funditur
Appotos supplantat facillimè.

Cæterùm haud dubium quin vasorum quoque ratio habenda sit, siquidem non omnes ex æquo capiunt funduntúe. Quod si quis vino moderatè vbi instituerit, non paucas ex eo vtilitates percipiet. Paucis ita describit Mnesitheus apud eundem Athenæum.

Vini moderatè sũpti vtilitates & commoda.

Illos enim modestè qui bibunt alit,
Animúmque pariter, & corpus roborat:
Adusum medicinæ varios est vtilissimum.
Miscetur ijs, quæ propinantur pharmacis:
Vlcera lauare corporis vino expedit.
In quotidianis hominum conuictibus
Modicè bibentibus dilutum, ac sobrijs
Animum exhilarat: At modus
Si non adhibeatur, contumelias parit.
Par pari si bibitur, adigit ad insaniam:
Si merum, resoluit artus corporum.

De his nunc secundo loco videndum est, & de vini abusu, quam ebrietatem dicimus, accuratè disputandum.

De ebrietate, & quàm Deus illam exosam habeat.

QVÆSTIO LXXX.

Marsilius Ficinus.

Duplex ebrietas.

PRincipio animaduertendum est, nimium potum seu ebrietatem duplicem esse, propriam, & metaphoricam. Hoc discrimen attigit Luculenter Marsilius Ficinus in Argumento Dialogi 1. de Iusto, & vnam fecit ebrietatem super lunam seu cœlestem, excitatam nectaris potione, per quã animus extra ac supra se positus, morborum mortalium obliuiscitur, & diuina suscipit, quorum splendore primùm caligat, sed illorum saporem gustans, calore nouo è priori habitu permutatur, vnde mox perspicuè cernit spiritualia, & illa dum salubriter gustat, summo cum fructu nutritur. Vnde in Psalm. scriptum est, Inebriabimur ab vbertate domus tuæ. Quin & Musæus, anti-

ERAT QVIPPE EBRIVS NIMIS.

quus poëta virtutis præmium dixit esse, perpetuam ebrietatem. Et Orpheus ante Musæum illam significari dixit per ceremonias & sacra Dionysij. Alteram vero facit ebrietatem sub Luna & mundanam, quæ lethæo potu, id est, carnali excitatur, per quam anima extra se posita & infra se diuinarum rerum obliuiscitur & delirat. Nec ambigendum est hoc genus ebrietatis prorsus euitandum. Prioris ebrietatis, quę μεταφορικά' est, luculenta mentio fit in Prouerbijs Salomonis, vbi Sapientia inuitat homines ad vinum bibendum, quod in mensa sua copiosè ac affatim miscuit. Quin & à Christo Seruatore nostro, qui vera Sapientia est, nobis tale vinum promittitur in regno cœlorum. Per translationem quoque vinum compunctionis, & furoris, describitur à Deo propinandum impijs, quo insaniant, & vt mererentur, in furorem vertantur.

B

Sed ijs metaphoris relictis, ad ebrietatem propriè sumptam, de qua nunc agimus, redeundum est, atque ostendendum testimonijs diuinarum literarum, talem vini abusum esse prohibitum atque interdictum. Ad Ephesios Paulus ait: *Nolite inebriari vino, in quo ἀσωτία: sed impleamini spiritu, loquentes vobismetipsis per psalmos, hymnos, & cantiones spirituales.* Quo in loco S. Hieronymus ait, Non possumus impleri simul vino & Spiritu sancto: nam Apostolus hæc vt ἀσύστατα posuit, quemadmodum duobus dominis seruire non valemus. Qui spiritu impletur, habet prudentiam, mansuetudinem, verecundiam, & castitatem: qui vino, insipientiam, furorem, procacitatem, & libidinem. Qui non implentur vino, facilè possunt psalmos, hymnos, & cantica spiritualia tractare: quod illi facere nequeunt, qui sese in vinum ingurgitant. Scripsit idem Paulus: *Carnis curam ne feceritis pro eius desiderijs.* At Christus expressè ait suis discipulis, *Cauete ne corda vestra grauentur crapula & ebrietate.* In veteri autem Testamento, Prouerb. 31. scribitur: *Noli dare vinum regibus.* Et cap. 23. *Ne intuearis vinum quando flauescit, cùm splenduerit in vitro color eius: ingreditur blandè, sed in nouissimo mordebit vt coluber, & sicut regulus venena diffundet.* Esaiæ 5. *Væ qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam, & potandum vsque ad vesperam, & vino æstuetis. Cithara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conuiuijs vestris, &c.* Et rursum ibidem vers. 22. *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendā ebrietatem.* Eadem Ioël, Amos, & alij plures prophetæ repetunt. Petrus autem epist. 1. cap. 4. Gentium libidinibus atque proteruiæ vinolentiam, comessationes, & compotationes annumerat, à quibus abhorrere Christianos iubet. Nec illud prætereundum est, quod in Leuit. præcipitur Aaroni & filijs eius, ne vinum bibant, priusquam sacrificatum coram Domino accedant. Et Paulus bis iussit, vt qui Ecclesiæ inseruient, ne sint multo vino dediti. Et cùm Timotheo suo consuleret, vt ventriculi & morborum causa vino vteretur, *modico* adiecit, ne fræna laxaret ebrietati. In veteri etiam lege Nazaræis vini vsus interdicebatur: & Rechabitæ apud Ieremiam commen-

Ebrietas prohibetur & damnatur.

A

dantur, quòd paterno iussu à vino abstinerent. Ex quibus manifestè colligimus immoderatum vini vsum ac temulentiam Deo Magnopere displicere.

ERAT QVIPPE EBRIVS NIMIS.

Nec verò aliter sensisse Ethnicorum præstantissimos pluribus eorundem testimonijs ostendi potest. Plato lib. 7. de legibus ad finem habet, Minoa suis legibus prohibuisse Cretensibus, ne simul compotarent ad ebrietatem. Et Seneca epist. 4. inquit, Nihil aliud est ebrietas, quàm voluntaria insania. Et mox: Habitus ebrietatis extensus in plures dies, est furor. Adhæc, qui certant poculis, etsi vincunt alios plus vini capiendo, vincuntur attamen velint nolint à dolijs. Et turpe est quempiam sibi plus ingerere quàm capiat, & stomachi sui non nosse naturam. Agesilaus autem, vt autor est Xenophon, æquè fugiendam esse putabat temulentiam, atque insaniam. Critias in Elegis, Est verò insolentis, inquit, ac incompositi, potione immoderata, & vinolentia corpus suum obruere. Stheneleus poëta, Sapientes vino ad amentiam impelli. Aristophanes lac Veneris vinum esse dixit, & obscœnis ignibus corpus incendere. Pontianus, vinum malorum omnium esse metropolim. Sed longè potior futura est S. Augustini autoritas, qui philosophorum poëtarúmque sententias suo calculo confirmabit. Is igitur lib. de Pœnitentia: Ebriosus, inquit, si vinum sorbet, ab illo absorbetur. Deo fit abominabilis: ab Angelis despicitur: ab hominibus deridetur: à dæmonibus confunditur: conculcatur ab omnibus. Ebriosus confundit naturam, amittit gratiam, perdit gloriam, incurrit damnationem æternam. Idem iterum ad sacras virgines hoc modo definit ebrietatem. Ebrietas est flagitiorum omnium mater, culparúmque materia, radix criminum, origo vitiorum, turbatio capitis, subuersio sensus, tempestas linguæ, procella corporis, naufragium castitatis, amissio temporis, insania voluntaria, ignominiosus languor, turpitudo morum, dedecus vitæ, honestatis infamia, animæ corruptela.

Plato.

Seneca.

S. August.

Ebrietas quàm pestis habēda sit.

C

Sed iam satis opinor ostensum est, vini abusum & cum diuinis literis, & cum humana ratione pugnare. Idem deinceps exemplis conuincemus: vt qui non credunt sententijs prius allatis, saltem illis doceantur. Noë vir iustus, & Deo gratus, qui duplicem vidit mundi constitutionem (etenim ante & post diluuium vixit) propositus nobis est, vt exemplum ebrietatis prorsus euitandæ; cùm bibendo plus vini quàm par esset, hausisset, iacuit in tabernaculo nudatus quàm fœdissimè, & eas corporis partes quas pudor velat, apertas ac denudatas præbuit spectandas: & qui solebat esse norma virtutum, magno fuit scandalo suis liberis. Cham irrisit eum, atque inde prima seruitutis calamitas mundo inuecta est: reliqui duo filij, melioris ac sanctioris ingenij, dolore affecti sunt, & eos paternæ turpitudinis vehementer puduit. Quæ res gesta satis declarat, pudorem, irrisionem, seruitutem, scandalum ebrietatem comitari.

Ebriorum exempla.

D

Sed huius peccati habemus illustrius exem-

pla

ERAT QVIPPE EBRIVS NIMIS.

Exemplum iusti Loth.

plum in Loth, qui sanè non bibit immodicè, vt filiabus abuteretur, & fieret incestus; sed vt curas deponeret, & molestias, quas conceperat ex quinque vrbium euersione, amissione charissimæ vxoris, ac suarum facultatum. Volebat etiam suas natas consolari, ne tristitia nimia conficerentur, præsertim ob dolorem amissæ matris, quamuis aliam consolationum rationem excogitare debuit. Sed tantùm hoc dixi, ne quis putet illum ea voluntate plus solito bibisse, vt libidine turpissima pollueretur: nihilominus tamen, potus nimia copia impulit in fœdissimum concubitum, hominem alioqui senem, & alio admodum tempore, cùm iudicia Dei aduersus libidinē quinque vrbium sese declarabant. Et quod mirum est, vinum ita Loth à seipso alienauit, vt non intelligeret cum quibus mulierculis misceretur. Vnde rectè dixit Seneca epist. 84. Multa faciunt ebrij, quorum postea sobrios pudet. Quæsiuit Loth vino exhilarari, & in mœrorem tristitiámque incurrit. Discant igitur qui ex vino immodico hilaritatem captant, se præsentissimo periculo exponere, ac facilè posse fieri, vt ea via in grauissima facinora se præcipitent.

Relatio aduersariorū refellitur.

Nec est quod aliqui excusent, euentus huiusmodi esse ignotos, ita vt statui non possit, an qui plus æquo biberit, in hæc turpia sit lapsurus: quandoquidem res tam nota est, vt vel ipsæ filiæ Loth, virgines adhuc, id intellexerint; nempe senem vino posse impelli ad libidinem, & ita decipi, vt etiam cum filiabus, quod horret natura, rem haberet. Quod itaque illæ intellexerunt, quis diceret se ignorare? Verùm Loth passus est insidias ab ijs, de quibus minimè suspicari debuit: Sed quid hilaritatem calicibus aucupantur, seipsos inuitant, & apertè adoriuntur. Neque cogitant secum, Deum ebrietatem grauissimis pœnis vlcisci, nec ferre diutius abusum sui pretiosissimi doni. Solent bibones nonnunquam Loth in medium adducere, ceu patronum suæ intemperantiæ. Neque attendunt diuinas literas eius historiam tradere, vt horribile ac penè tragicum exemplum. Puniuit verò non leuiter Deus innocentem fortassis hominis ebrietatem: est quippe coniunctus cum filiabus, conceperunt ex eo, non potuit res dissimulari, nati sunt incestuosi filij, Ammon, & Moab, vnde nationes ortæ sunt Ammonitæ & Moabitæ, odiosæ Deo, & Israëlitis infestæ. Loth ipse, vt credendum est, ob admissum facinus vehementer & semper doluit. Factus est hominum fabula. Et cùm testimonium sacrarum literarum extet, & ad finem mundi sit duraturum, illæ quoties leguntur, toties notatur & aspergitur infamia. Quod si Deus non pepercit homini alioqui sancto, fraude circumuento, nepoti Abrahami, hospiti Angelorum: quid faciet helluonibus & porcis qui nulla commendati virtute, diu ac noctu vel iacent vel sedent ebrij? Quod Lotho semel accidisse legitur, id quotidie patiuntur.

Sed pergamus exempla commemorando. Ammon filius Dauidis occisus est à fratre Absalom, non vtique sobrius, verùm vbi esset in conuiuio plus æquo hilaris, vino liberalius sumpto. Vtique refertur in calce libri primi Machabæorum. Simon Summus Pontifex, cum duobus filijs Matthia & Iuda, occisus est à genero, cùm in conuiuio propemodum ebrij essent, multo hausto vino. Et historia Iudith ostendit Holophernem, alioqui ferocissimum exercitus imperatorem, vino ita fuisse obrutum, vt à muliercula nullo negotio fuerit obtruncatus.

Profana exempla.

Ethnicorum porrò historiæ, si quis fortè desideret, ingentem similium exemplorum syluam suppeditabunt. Sed nullum opinor illustrius Cambysis Persarum regis non tam sæuitiâ quàm insaniâ. Is enim Prænaspem, qui eidem vinum miscebat, & quem præcipuo honore colebat, aliquando temulentus interrogat: Quemnam virum Persæ me esse censent, aut qualem de me sermonem habent? & iste, Here, cætera quidem omnia in te magnis laudibus ferunt, sed nimis te vino deditum aiunt esse. At ille mox indignè ferens, Intellige, inquit, nunc ipse per te nunquid Persæ vera dicant, an hæc dicentes ipsi desipiant. Nam si filij tui qui in vestibulo stat, medium cor non frustrato ictu traiecero, constabit nihil esse quod Persæ dicunt: sin aberrauero, constabit Persas vera loqui, & me esse intemperantem. Hoc loquutus, intendit arcum, & ad puerum collimauit: quem collapsum iussit discindi, & inspici ictum. Cúmque in corde sagitta esset inuenta, ob id lætabundus atque cachinnans, ad patrem pueri dixit, Præxaspes, facta est tibi fides non me insanire, sed Persas. Autor Herodotus lib. 3. Alexander ille Macedo, victor orbis, à vino superatus turpissimè, Clytum fortissimum & fidelissimum amicum ebrius interfecit, cuius opera, industria, labore, prudētia, & fortitudine diu in bellis magno suo commodo vsus fuerat. Vnde cùm postea vinum edormisset, & facinus à se admissum cogitaret, adeo erubuit, & doluit, vt mori destinaret. Cæterùm vitium ebrietatis non emendauit: imò semel postea tantum vini hausit vna nocte, & in febrim inciderit, & cùm à vino temperare nollet, intra paucos dies extinctus est. Vnde Seneca epist. 84. scribit, Alexādrum, qui tot pericula euaserat & superauerat difficillima, intemperantia bibendi, & ille Herculeanus ac fatalis scyphus perdidit. Plinius de Viris Illustrib. cap. 54. dicit Antiochum regem à sodalibus, quos temulentus in conuiuio pulsauerat, occisum fuisse. M. Antonius alioqui strenuus, ac fortissimus imperator, victor in multis prælijs, ita se quandoque onerauit mero, vt in ipso tribunali manè coram populo Romano, dum ius diceret, coactus fuerit vomere. Et in Ægypto multus erat in compotationibus. Vnde nihil potuit egregiè facere: sed in fugam turpissimè actus est ab Octauio. Quid Poëtæ scribant de conuiuio Lapitharum & Centaurorum, notius est, quàm vt nunc necesse sit à me recitari. Et exemplorum satis iam adductum arbitror: quæ considerata diligentius, multum faciunt ad ebrietatis detestationem.

Herodot. Seneca. Plinius.

ERAT QVIPPE EBRIVS NIMIS.

Sed qui non deterrentur ab eius fœditate verbis Dei, quæ primo loco posuimus, & illam non abijciunt exemplis iam allatis persuasi: fortasse vincentur, & inde adducentur, eorum consideratione malorum, quæ oriuntur ex vini abusu. Expedit vt arbos cognoscatur ex fructibus. Et sanè talis æstimanda erit ebrietas, quales esse cognoscentur fructus ex ea propagati.

De ebrietatis incommodis, quæ corpus & animum pessundant.

QVÆSTIO LXXXI.

VT ordine agamus, ebrietatis mala per subiecta distribuemus: lædit enim corpus, animum quoque diuexat, fortunas profundit, deniq; etiam proximis infesta est. Hæc omnia paucis Critias in Elegis complexus est.

Pocula vino plena circumferre Lydorum est,
Meraciorique potu madidos, intemperanter se gerere.
His scilicet potationibus in turpia verba
Lingua soluitur: strigosius corpus
Elanguescit: oculos habebat insidens caligo.
Ingenium ac memoria obliuione tabescunt:
Mens labat, perditis moribus famuli
Corrumpuntur: sumptus fit qui domesticam rem proterat.

Hæc ille: eadem nos pluribus.

Corporis incōmoda quæ ebrietatem consequuntur.

Nam quod ad corpus attinet, ex ebrietate non raræ sunt mortes repentinæ, dissolutiones membrorum, apoplexiæ, varij & miserandi casus. Nam terra æquabilis ac plana, ebrijs est fouea. cadunt enim, frāgunt crura, brachia, nonnunquam ceruices: & comburuntur dum in ignem cadunt, & colliduntur dum præcipites ruunt. Inflammatur epar ex nimio potu, caput dolet, membra languescunt & tremunt, corrumpuntur sensus, calor naturalis obruitur, cruditate ac doloribus non ferendis laborat stomachus, qui plus æquo distenditur: incenditur penè totum corpus, & sitis augetur. Iacent prostrati tanquam stipites ebrij, & ita destituuntur viribus, vt nec pes, nec caput officium faciant. Quando, inquit, S. Basilius, cerebri membranæ ea sunt impletæ fuligine, quā exhalans vinum sursum mittit, dici non potest quàm intolerandis caput doloribus afficiatur: quod quidem rectum supra humeros stare minimè valens, nunc in pectus nunc in aduersas vertebras procumbit. Et rursum: Corporis habitum corrumpunt non solùm effusiore intemperantia: sed si carneam molem respicias, vliginosum muscosúmque corpus habent, & vitali robore penè destitutum. Oculi ebrijs liuidi, cutis subpallida, fœtidus oris spiritus, languida lingua, inarticulata vox, pedes labentes, vltroneæ excrementorum deiectiones. Quæ autem pecus, inquit, quæ ita audiendi videndique sensu hallucinetur, vt ebrius? Nonne familiarissimos sibi non agnoscit, atque extraneis sese vt domesticis adiungit? Nonne vmbras ebrij sæpè quasi riuulos terræque hiatus transiliunt? Sonis verò strepitibúsque, quasi maris æstuantis, eorum aures refertæ sunt. Ipsa etiam humus in rectum assurgere, & montes in orbem conuolui videntur. Graues quidem his difficiléſque somni, & reuera morti vicini: vigiliæ verò somnis stupidiores, ac sensu magis expertes. Quamobrem, vt Crobylus scribit apud Athenæum lib. 10.

S. Basilius in Orat. de Ingluuie & Ebrietate, à Simone logotheta collecta.

Ante ebrietatem si crapula, capitisque grauitas
Inuaderet nos, nemo vnquam
Vini plus sibi permitteret, quàm quod satis est:
Nunc autem quoniam ebrietatis pœnas non speramus
Accessuras, merum alacriter bibimus.

Paucis Sapiens cap. 23. Prouerb. *Cui væ, cuius patri væ, cui rixæ, cui foueæ, cui sine causa vulnera, cui suffusio oculorum? Nonne his qui morantur in vino, & student calicibus epotandis?*

Cæterùm iam videndum est, animus ipse aut mens quantum ebrietate lædatur. Nam quidam olim apud Stobæum dixit:

Stobæus Serm. 17.

Doleo caput Onomacrite, vim mihi facit
Vinum, animique non sum amplius compos
Mei: ædes rotantur. Quin age surgens
Experiar, an & pedes vinum inuaserit,
Et animum intra pectus.

Ebrius desipit.

Sed his ita satisfacit Theognis, vt dicat,

Quisquis bibendo modum superauerit, is non amplius
Suæ linguæ compos est, neque mentis.
Verba effatur balba, quæ sobrijs dedecus sunt.
Nullo enim quodlibet agendi pudore ducitur, quandiu fuerit ebrius.
Qui prius sapiebat, tum stultus efficitur.

S. Basilius.

Hæc ille. At S. Basilius in ea Oratione, cuius ante mentionem fecimus, Quare, inquit, à brutis differs ô homo? nonne rationis munere? quo quidem à tuo conditore accepto, cæteris animantibus imperas atque dominaris. Is igitur qui hoc se sensu per temulentiam priuauit, *comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Imò verò ipsis etiam brutis multò magis ratione carentes temulentos affirmauerim: quandoquidem quadrupedia omnia atque feræ, ordinato ac certo quodam impetu ad congressum feruntur: quibus verò mens ebrietate obsessa est, corpúsque calore præter naturam adimpletum, hi nullo non tempore, nulla non hora ad impuros atque indecentes complexus stimulantur. Vt enim igni inimica est aqua, sic modum excedens vini potio, modestum ac prudentem sensum extinguit. Hactenus S. Basilius. Percutiuntur sanè ebrij plerunque spiritu stuporis, & in furorem quodammodo vertuntur: brutescunt, ita vt nihil in illis intelligentiæ reliquum videatur. Inde fortassis poëtæ pictoréſque Baccho cornua appinxerunt. Lilius Girald. in histor. deorum Gentil. notat eundem βουγενῆ Διόνυσον ab Argiuis dictum, siue boue genitum. bos porrò non alium quàm vitulum gignit. Tales ergo ebrios euadere antiquitas credidit. ταυρωπὸν Orpheus nominauit. βουκέρως item & δικέρως ab eodem in hymnis audit, sicut & ταυροκέρως à Nicandro, vt qui

Ebrij brutis deteriores.

ERAT QVIPPE EBRIVS NIMIS.

qui fingatur ab ijs bouinis taurinisque carnibus præditus. Alij ταυροκέφαλον, id est tauricipitem, & ταυρόμορφον nuncuparunt, vt intelligeremus eos qui vino indulgent, statim ad brutorum mores accedere.

Ebrij sibi manus afferunt.

Graue quidem quemquam sibi vulnus infligere, aut etiam seipsum membro aliquo mutilare: sed mentem sibi ipsi vltrò auferre, scelus est intolerabile. In Osee capite quarto meritò scriptum est, *Vinum & ebrietas auferunt cor.* Et Ecclesiastic. 19. habetur: *Vinum & mulieres faciunt apostatare sapientes*; id est, à rectis institutis discedere. ita vt sibi non constent: abducuntur enim ab officio & virtute, necnon à iusta ratione vitæ deficiunt. Et rursum idem liber capite trigesimo primo docet, vinum copiosius sumptum acerbitatem animi parere cum rixis & contumacia. Animum stulti ebrietatem maiorem efficere ad offendiculum, vires autem eneruare. Est autem in ijs verbis elegans ἀντίθεσις; nempe quod vinum augeat animos & spiritus, atque maiorem inferat audaciam; vires autem imminuat ac debilitet. Vnde Plato in sexto dialog. de Iusto, Ebrium, inquit, habere animum tyrannicum, quod omnibus pro libidine, non ex vlla ratione seu lege, velit imperare. Inducit etiam ebrietas obliuionem legum & iuris. Vnde in Prouerbijs dicitur à Salomone regibus non esse dandum vinum, ne forte bibant, & obliuiscuntur constitutæ legis, mutentque iudicium cunctorum filiorum pauperum. Plato etiam de Republic. lib. 3. scribit, cuiuis magis concedendam ebrietatem quàm magistratui: nam ebrius vbi terrarum sit, nescit: quod si magistratus inebrietur, custos habebit opus custode. Huc accedit nullum arcanum regnare vbi viget ebrietas. quia non tantùm corporis, sed etiam animi aperit pudenda. Et verba impudica, stulta, inepta, & scelesta inter bibêdum effunduntur. Quamobrem Horatius ebrietatis effectu describens, ait:

Plató.

Horatius.

Quid non ebrietas designat? operta recludit,
Spes iubet esse ratas, in prælia trudit inermem.
Sollicitis animis onus eximit, addocet artes.
Fœcundi calices quem non fecere disertum?
Contracta quem non in paupertate solutum?

Et idem rursum lib. 3. Ode 21.

Tu spem reducis mentibus anxijs
Virésque, & addis cornua pauperi,
Post te neque iratos trementi
Regum apices, neque militum arma.

Plato.

Et Plato in 1. de legibus circa finem, sic ait: Cùm quis biberit vinum, primò alacrior fit: deinde quo plus biberit, est maiori & meliori spe, & fortius de se sentit. Deinde quasi sapiens ea homo confidentia, libertate, audaciáque repletur, vt intrepidè & dicat & faciat quicquid placet. Idem in Dialog. 6. de Legibus, Qui vino refectus est, tam animi quàm corporis rabie concitatus, quouis trahit & trahitur. & est ebrius tanquam mente captus.

Seneca.

Seneca lib. 2. Natural. cap. 26. Ebrietas, donec exiccetur dementia est, & nimia grauitate fertur in somnum. Et in Epist. 60. ad Lucillum, A circa finem, Ebrietas vnius horæ liberam insaniam, longi temporis tædio pensat. Et in epist. 84. Ebrietas omne vitium eruit, & incendit, & detegit. Obstantem verecundiam malis conatibus remouet. Vbi possedit animum nimia vis vini, quicquid malè latebat, emergit. Ebrietas non facit vitia, sed in lucem protrahit. In ebrietate crescit insolenti superbia, crudelitas sæuo, malignitas liuido, omne vitium detegitur & prodit. Adijce ignorationem sui, dubia & parum explanata verba, incertos oculos, & gradum errantem; vertiginem capitis, tecta ipsa mobilia velut aliquo turbine circumagête totam domum, stomachi tormenta cùm efferuescit merum, ac viscera ipsa distendit. Ferè crudelitas vinolentiam sequitur. Etenim M. Antonius in conuiuio allatis capitibus & membris proscriptorum, mirifice gaudebat. B In Prouerb. item scribitur: *Vinum facit derisorem, & sicera turbulentum. Quicunque errat in eo, nunquam sapiet.* Sed quoniam aliqui sunt, qui iactant se posse multo etiam hausto vino esse compotes mentis, & integri iudicij, rogo eos vt audiant Senecam epistola iam adducta; qui ait: Dicant etiam tales veneno hausto se non morituros, nec opio sumpto dormituros, nec elleboro assumpto quicquid in visceribus hærebit, eiecturos deiecturósq́;

Tom. II.

ERAT QVIPPE EBRIVS NIMIS.

Ebrietas incendit vitia & detegit.

Quæ hactenus retulimus incommoda vini, nimium hauriatur, cùm ad corpus, tum ad animum pertinent. At nunc addendum est vt damnum inferat substantiæ ac facultatibus. In Prouerb. cap. 21. scribitur, *Qui amat vinum & pinguia, non ditescit.* Et in eodem lib. cap. 23. C *Non sis inter potatores vini, & cum illis qui deuorant carnes: quia vacantes potibus, & dantes symbola consumentur, & laceris pannis vestietur dormitatio.* Familiaria sunt huiusmodi exempla nepotum, & plures cuique ex ijs quos nouerit, designari possunt, qui potando patrimonium prodegerint. Horum porrò neminem miserit, sed viles parasiti euadunt, & coguntur, vt quidam ait, aliena viuere quadra. Horum è grege Nescio quem Menium describit Horatius lib. 1. epistol. ad Vallam his verbis:

Ebrietas opes exhaurit.

Horatius.

Nepotis descriptio.

Menius, vt rebus maternis, atque paternis
Fortiter absumptis, vrbanus cœpit haberi
Scurra vagus, non qui certum præsepe teneret:
Impransus, non qui ciuem dignosceret hoste,
D *Qualibet in quemuis opprobria fingere sæuus,*
Pernicies, & tempestas, barathrúmque macelli,
Quicquid quæsierat, ventri donabat auaro.
Hic vbi nequitiæ fautoribus, & timidis nil
Aut parum abstulerat, patinas cœnabat omasi
Vilis & agnini: tribus vrsis quod satis esset.
Menius idem
Quicquid erat nactus prædæ maioris, vbi omne
Verterat in fumum, & cinerem: Non Hercule miror
Aiebat, si qui comedunt bene, cùm sit obeso
Nil melius turdo, nil vulua pulchrius ampla.

Proximis ebrij quantum nocent.

Quantum verò dediti ebrietati proximis incommodent, facile est videre. Sunt enim iniuriosi, & sibi obuios contumelijs afficiunt. Et cùm in libidines furibundi irruant, alienis sponsis vxoribúsque non rarò vitium

Et non indicavit ei, &c.

offerunt, & in honestis familijs horrendis modis bacchantur. Malo sunt exemplo, imò scandalo alijs ciuibus. Et dum suas facultates in vinum & ebrietatem conferunt, domui suæ non prospiciunt de rebus necessarijs. Imò dum ebrio furore aguntur, & vxorem & liberos innocentes malè accipiunt, & pauperes defraudant eleemosynis, quas parcius viuentes illis possent impertiri. Sed nos hæc omnia in Concionibus nostris accuratius. Ecclesiam præterea turbant & infamant: vnde ab ea separantur. Paulus enim 1. ad Corinth. cap. 5. ebriosos ijs annumerauit, cum quibus nec quidem cibum sumere debeamus. Denique inutiles etiam Reipublic. euadunt, quando nec magistratus possunt gerere homines ebriosi, nec bene imperantibus valent obsequi. Horum nebulonum tanquam in tabula expressam effigiem nobis Titius quidam dereliquit in ea oratione, qua legem Fanniam suasit. Ludunt, inquit, alea, studiosè vnguentis delibuti, scortis plerunque stipati. Vbi horæ decem sunt, iubent puerum vocari, vt comitium eat percontatum: quid in foro gestum sit, qui suaserint, qui dissuaserint, quot tribus iusserint, quot vetuerint. Inde ad comitium vadunt, ne litem suam faciant. Dum eunt, nulla est in angiporto amphora, quam non impleant, quippe qui vesicam plenam vini habeant. Veniunt in comitium tristes, iubent dicere. Quorum negotium est, narrant. Iudex testes poscit. Ipsus it mictum. Vbi redit, ait se omnia audiuisse. Tabulas poscit. Literas inspicit. Vix præ vino sustinet palpebras. Eunti in consilium, ibi hæc oratio: Quid mihi negotij est cum istis nugatoribus, quin potius potamus mulsum mistum vino Græco? edimus turdum pinguem, bonúmque piscem, lupum germanum, qui inter duos pontes captus fuit? Hæc ille apud Macrob. Saturnal. lib. 3. cap. 16. Sed de his hactenus.

Titius apud Macrob.

Et non indicauit ei verbum pusillum aut grande vsque manè.] Sapienter mea quidem sententia. Nam quod olim in fœminam dictum est, idem in virum quadrare potest, si vino aut iræ pariter indulgeat. Sosia apud Plautum monet Amphitruonem, ne irritet crabrones: hoc est, ne obiurgando Alcmenam suam vxorem, iracundiorem reddat. Crabrones enim irritati, infestiores sæuioresque redduntur, cùm sua natura sit insecti genus pertinacissimum, aculeóque pestilentissimo. Vtitur eodem adagio S. Hieronymus in suis epistol. At idem in eadem Comœdia elegantius planiúsque mutata allegoria expressit Plautus.

Plautus in Amphitruone.

Bacchæ bacchanti si velis aduersarier,
Ex insana insaniorem facies, feriet sæpius;
Sin obsequaris, vna te soluas plaga.

Conuenit quidem illud in mulierum ingenium, quibus iratis si repugnes, magis prouoces, nec sine tuo malo discedas: sed non minus quadrat in ebrios, qui temerè accepta occasione excandescunt, nec facilè manus à plagis abstinent. Abigail cùm virum suum ita videret affectum, tacuit. Occasiones enim captandæ sunt, si quid aliquem monere velis: vt medici

Cum ebrio frustrà iniuriam expostules.

A solent, si quid volunt ægroto propinare. Non rixatur, non euertit mensas, non verberat ebrium. Expectat potius, vt animum colligat, & ad se redeat. Alioqui videbat se acturam cum absente, & surdo narraturam fabulam. Ebrij enim obiurgationis æquitatem non percipiunt, sed de omnibus malè iudicant. Quemadmodum enim externi illorum oculi ita offuscantur, vt simplicia illis dupla videantur, & recta incurua: ita animus excæcatur, vt bonum malum esse sentiat, & contraria omnia arbitretur. Quare si tum obiurgare vellet,

Dum furit Lyeus,
Dum regnat rosa, dum madent capilli

Auditura erat quod vxori Martialis lib. 11.

B *Vxor vade foras, aut moribus vtere nostris,*
Non sũ ego nec Curius, nec Numa, nec Tatius.
Me iucunda iuuant tracta per pocula noctes:
Tu properas pota surgere tristis aqua.
Si te delectat grauitas: Lucretia toto
Sis licet vsque die, Thaida nocte volo.

Itaque sapienter mea quidem sententia tacuit. Quam enim parum proficiant eo tempore admonitiones, quotidiana experientia docet: & alioqui periculum erat ne conuitia regereret, aut etiam coniugalis reuerentiæ oblitus exprobrantem verberibus compesceret. Atenim, vt scribit Comicus Alexis,

Solent longua consuetudo,
Et compotationes multæ & quotidianæ
Ludibrium parere: quod longè plus mœroris
quàm voluptatis adfert.
C *Nam maledicti hinc initium oritur: ac si semel*
maledixeris
Iam statim vicissim audis: ita reliquum est
conuitiari:
Deinde vapulare subit, & debacchari. Hæc enim
— Natura ita fieri solent, ac eatenus mulctandum
fuerat.

Ebrij verba sæpè verberibus excipiunt.

Suidas in verbo Ἁλσὶ ἀποσμηχθείς, &c. hoc est, *Sale detersus iuuari posset iste*: Hoc ideo dictum inquit, quia illos, qui propter ebrietatem quodammodo desipiunt, oleo sale mixto perfundere solemus, & melius habent. Sed hoc loco præsentius remedium silentium duxit Abigail, verita ne velut vnguis in vlcere oratione sua malum augeret potius quàm imminueret. Matrem suam sanctus Augustinus simili prudentia vsam prædicat lib. 9. Confession. cap. 9.
D Nam erat vir eius, sancti Augustini pater, sicut, inquit, beneuolentia præcipuus, ita ira feruidus. [Ira porrò ipsa quoque genus quoddam ebrietatis est, quam temulentia plurimum incendit.] Sed nouerat hæc non resistere irato viro, non tantùm facto, sed ne verbo quidem. Iam verò refracto & quieto cùm opportunum videret, rationem facti sui reddebat, si fortè ille inconsideratius commotus fuerat. Denique cùm matronæ multæ quarum viri mansuetiores erant, plagarum vestigia, etiam dehonestata facie gererent, inter amica colloquia illæ arguebant maritorum vitam, hæc earum linguam, veluti per iocum grauiter admonens, ex quo illas tabulas quæ matrimoniales vocantur, recitari audissent, tanquam instrumenta,

Suidas.

S. August.

Qua arte ferocem virum S. Monica demulcere.

Et non indicavit ei, &c. instrumenta, quibus ancillæ factæ essent, deputare debuissent; proinde memores conditionis, superbire aduersus dominos non oportere. Cúmque mirarentur illæ, scientes quàm ferocem coniugem sustineret, nunquam fuisse auditum, aut aliquo indicio claruisse, quod Patricius (Augustini pater) ceciderit vxorem, aut quod à se inuicem vel vnum diem domestica lite dissenserint, & causam familiariter quærerent, docebat illa institutū suum, quod supra memoraui. Quæ obseruabant, expertæ gratulabantur; quæ non obseruabant, subiectæ vexabantur. Hactenus sanctus Augustinus de S. Monica matre sua, digna planè cuius mores atque prudentiam mulieres omnes, tanquam absolutum muliebris modestiæ exemplar imitentur.

Nam quod nonnullæ sexus imbecillitatem excusant, vt iure videantur maritos intemperantia linguæ lacessere, nequaquam excusationem meretur, cùm plures olim longè grauiora passæ sint. (S. Isidor. Pelus. lib. 1. epist 87.) Excusationem, inquit S. Isidor. Pelus. natura nescit: veniam fœmina non habet. (Non sunt vxores excusatione dignæ quæ viros non ferunt.) Potest enim fortiter ac strenuè aduersus mollitiem impetum facere, cupiditatúmque machinas atque tormenta firmiter propulsare. Documento sunt celebris illa Susanna, cum filia Iephthe, & admiranda Iudith. Quarum prima senum intemperantem libidinem in iuuenili ætate superauit. Altera mortem quoque æquo animo suscepit, atque cum virginitate præclarè abcessit. Postrema pro castitatis præmio hoc à Deo accepit, vt tyranno necem afferret. Adde muliebrium victoriarum ac trophæorum caput, hoc est, illam omnium laudibus celebratam Theclam, quæ tanquam immortalis pudicitiæ columna prostat, quæque è media turbidarum affectionum tempestate tanquam fax accensa, ad portum ab omnibus fluctibus immunem appulit, &c. Hæc eò spectant: Si Thecla tauros feroces, quibus vtrinque alligata est, cùm stimulis in diuersas partes agerentur, pertulit; Si Iudith immanem tyrannum non expauit, sed domuit; Si Susanna infensos iudices, & suæ vitæ insidiantes æquanimiter passa est; si filia Iephthe mori studuit potius quàm vt patris imperium sperneret, qua tandem excusatione dignæ erunt, quæ breuem virorum suorum insaniam verbis exaggerare malunt quàm patientia frangere?

VERSUS XXXVII.

Diluculo autem cùm digessisset vinum Nabal, indicauit ei vxor sua verba hæc, & emortuum est cor eius intrinsecus, & factus est quasi lapis.

(Variæ trāslationes.) Pagninus, *Et fuit manè cùm egressum esset vinum a Nabal, &c. & mortuum est cor eius in medio* (Arias, *in interiori*) *eius, & ipse fuit vt lapis.* Arias, *fuit in lapidem.* Chaldæus, *Et fuit aurora quando quieuit vinum à Nabal, &c. & mortuum est cor eius in visceribus suis, &c.* Vatablus, *Factum est igitur manè, cùm Nabal vinum concoxisset,* In Schol. Crapulam edormisset, *retulit ei vxor eius negotium illud, emortuúmque est cor eius in ipso, ita vt fieret tanquam lapis.* Lxx. Καὶ ἐγένετο πρωΐ, καὶ ὡς ἐξένηψεν ἀπὸ τοῦ οἴνου Ναβάλ, *& factum est manè, & vt resipuit à vino Nabal, &c.* Καὶ ἐναπέθανεν αὐτῷ ἡ καρδία αὐτοῦ, καὶ αὐτὸς γίνεται ὡς λίθος, *& immortuum est ei cor eius, & ipse fit vt lapis.* Quidam, *sequenti manè, cùm egrederetur vinum à Nabal, &c.* Hoc est, cùm discederet ebrietas ab ipso, & sobrius fieret. Et quod sequitur: *Emortuum est cor eius.* Isidorus Clarius interpretatur. Scilicet propter missum munus, quod in tantum hominem illum כילי *Kilai*, id est, parcum, discruciauit, vt quasi lapis insensibilis redderetur. Haud placet hæc interpretatio. Alius hoc modo, *Sed fuit manè, cùm abiisset crapula à Nabale,* Hebraicè (*vinum*: metonymia.) *& indicaret ei vxor eius res istas vt obstupuerit animus eius in eo, & ipse fuerit veluti lapis.* Præclusus sensibus rigebat, horrore periculi perterrefactus.

(Cùm digessisset vinum Nabal.) *Cùm digessisset vinum Nabal.*] Flauius Vopiscus in Bonoso, habuit inquit rem mirabilem, vt quantum bibisset, tantum mingeret: neque vnquam aut eius pectus, aut venter, aut vesica grauaretur.] (Fl. Vopisc.) Penè similem historiam narrat Gregorius Turon. lib. 3. Histor. Francor. cap. 36. (S. Gregor. Turon.) Theoberto rege, inquit, mortuo, Parthenius nouorum vectigalium inuentor Treueris à populo extra Ecclesiam extrahitur, nihil neque loci sanctitatem, neque Pontificum duorum præsentium reuerentiam reueritō, & dirè cæditur, atque ad columnam alligatus lapidibus obruitur. De eo autem narrat quod fuerit in cibis valdè vorax: sed quæ sumebat, quo celerius ad manducandum commoueretur, sumpto aloë velociter digerebat. Sed & strep tus ventris absque vlla auditorum reuerentia in publico emittebat. Hæc de illo Gregorius. Neutro modo Nabal: sed stertendo totam noctem vinum digesserat. Postridie autem cùm illum videret Abigail vinum edormisse, rem illi omnem indicauit. Nihil tamen hic audimus acerbæ reprehensionis. Satis putauit esse, si rem illi perinde vt gesta fuerat exponeret.

Et emortuum est cor eius intrinsecus.] Alexis Comicus, (Mœror ebrietatem discutit.)

Non est vt videtur medicina ebrietatis
Vlla talis, ac cùm irruit derepente
Ita mœror aliquis: abigit enim vehementer
Delirationes, vt ita raphani quidam videantur.

Emortuum est cor eius.] Nimio terrore concussum. Plura timoris nomina recenset Pollux libro quinto. Onomost. cap. 22. (Nominum varia suppellex quæ ad timorē pertinet.) φόβος timor, ἔκστασις stupor, δέος metus, ὀρρωδία trepidatio, εὐλάβεια verecundia, δειλία formido, ἀθυμία mentis inopia, ἀνανδρία mollities, ἔκπληξις terror, κατάπληξις. φρίκη horror, τρόμος tremor, πτοία, θάμβος, pauor, stupiditas, συστολή correptio, θόρυβος tumultuatio, ταραχή turbatio. Hæc omnia timori tribuuntur à Polluce: tuum erit Lector statuere quæ potissimùm perturbatio Na-

ET EMORTVVM EST COR EIVS.

balem percuterit. *Emortuum est cor eius.* Phædra apud Senecam

Curæ leues loquuntur, ingentes stupent.

Accidit hoc quoque captiuæ vxori Arminij de qua Tacitus: Ea neque voce supplex, neque victa in lacrymas, compressis intra sinum manibus grauidum vterum intuebatur. Sed illustrior Psammeniti Regis Ægypti stupiditas, quem miratus est Cambyses suorum casibus haud illacrymasse. Regno à Cambyse exutus, ad suburbana relegatus cum proceribus in vincula coniectus est. Eò filia ancillari veste, quo ægrè patri faceret, cum delectis nobilium filiabus ad hauriendam aquam missa est. Hoc spectaculo cæteri quidem attoniti vbertim lacrymas fuderunt, solus Psammenitus oculos duntaxat demisit. At mox illac quoque ante patris oculos ad supplicium filius raptus est, vincta ceruice, & ore frenato: sed ne tum quidem supremam hanc calamitatem obortis lacrymis defleuit. Statim verò conspecto mendicante sene quodam antiquo familiari suo, eiusdem casum & miseriam lamentis eiulatúque prosequutus est. Qua re cognita cùm Cambyses per nuncium sciscitatus esset, cur in liberorum calamitate tacitus, vnius senis inopiam tam impotenter ferret? respondit: Fili Cyri, domestica mala grauiora sunt, quàm vt lacrymas recipiant: at amicus deplorandus erat, qui è multis opibus ad summam inopiam redactus est in extremo limine senectutis. Hactenus ex Herodoto. Sed eandem historiam ita paucis expendit Aristoteles 2. Rhetoric. cap. 8. Miserantur verò & familiares, si non valde coniuncti sint necessitudine. Erga hos autem, vt erga seipsos passuros, se habent. Quamobrem & Amasis (is est quem Psammenitum Herodotus vocat) in casu filij, qui ad mortem ducebatur, lacrymas non effudit, vt aiunt. Sed in casu amici, qui mendicabat effudit. Hoc enim est miserabile ἐλεεινόν: illud δεινόν atrox. Nam atrox diuersum est à miserabili, & habet vim pellendæ misericordiæ, & sæpe in contrarium vtile est.

Tacit. Annal. l. c. 11. Non pauci mirando casu obruti stupent. Herodotus in Thalia. Aristoteles

Emortuum est cor eius, ita vt destiterit facere officium suum, & corpus calefacere. Grauiter enim commouentur spiritus vehementibus & repentinis affectibus. Insperata enim opinio de ingenti aliquo bono, aut malo, ita verberat & affligit cor, vt legamus quosdam dolore, timore, gaudio fuisse mortuos. Cogitauit secum Nabal, quàm parum abfuisset ab extremo exitio: Deinde videbat, si Dauid vellet vim facere, se nullo modo posse euadere. Atque ita diriguit in lapidem: & qualem omnem vitam egerat, tali defunctus est morte. Vt truncus vixerat, ita nunc mutatur in truncum. Quippe omnia, vt docet Suidas in voce Κέραμος, principij sui æternitatem appetunt, & vt possunt æmulantur. Hoc autem potissimum generatione consequimur: quæ quia certo modo ac mensura circumscripta est, idcirco secundum illam incrementis indigemus. quia verò incrementum fit per cibum, facultate etiam altrice indigemus. Ob hoc igitur naturalium facultatum facti sumus participes, & nos, & animalia rationis expertia. quare cùm secundum has facultates agimus, vt stirpes agimus. Vnde perfacetè Plotinus dixit, Omnes, qui furiosè secundum altrices facultates agunt, in periculo versari, ne arbores fiant. Qui verò supra modum iræ maledictisque indulgent, an non hi quoque periclitantur ne feræ euadant? Eiusmodi verò sunt plerique diuites, atque in his Nabal longè omnium cõtumeliosissimus. Age igitur quando commodùm Menippus ab inferis redijt, vt Lucianus autor est in Necyomantia, quid de his ibidem statutum sit audiamus. Tale igitur, inquit, atra illa concio decretum fecit. quoniam multa diuites perpetrant in vita, rapientes, ac vim inferentes, inopésque omni modo despectui habentes: Curiæ populóque visum est, vt quum functi vita fuerint, corpora quidem eorum pœnas cum alijs sceleratorum corporibus luant: animæ verò sursum remissæ in vitam, in asinos demigrent, donec in tali rerum statu quinquies ac vicies decem annorum millia transegerint, asini semper ex asinis renati, onera ferentes, atque à pauperibus agitati: dein vt liceat illis è vita excedere. Hanc sententiam dixit Caluarius, patre Aridello, patria Manicensis, tribu Stygiana. Hac igitur lege recitata, approbauerunt principes, sciuit plebs, adfremuit Proserpina, allatrauit Cerberus: sic enim rata quæ inferi statuunt, authenticáque fiunt. Sed hactenus illius decreti historia. Nunc verò non in asinum, aut truncũ mutatus fertur: *sed factus quasi lapis.*

Vitã mortis conditio æmulatur.

ET FACTVS EST QVASI LAPIS.

Et factus est quasi lapis.] Vxor Loth conspicata Sodomæ incendium in salis statuam conuersa est. Sed illa quidem vera metamorphosis, hæc metaphorica: neque enim reuera cor eius lapidem induit, sed præ ingenti metu frigore pariter rigoréque contractum est, & quiescere visa est systoles & diastoles perpetua reciprocatio. In Ostreis maioribus circa insulam Biblidem, gemmas locum tenere cordis seu vice cordis esse docet Philostratus vitæ Apollonij lib. 3. cap. 15. Sed hoc concharum est propriũ, quæ vniones pariunt: abhorret autem à genere nostro. Fabula est quam narrat Pausanias in Phocicis, ex lapidibus primum homines à Prometheo factos esse. Est, inquit, Panopensibus in ipsa via è crudo laterculo sacellum, & in eo signum è lapide Pentelico: quidam Æsculapium, alij Prometheum esse dicunt. Eius rei testimonia haud dubia se habere putant, quod ad præruptas proximi torrentis ripas saxa iacent magnitudine nihilo minore, quàm vt plaustrum onerare queant singula. Color illis non terreni luti, sed qualis in sabulo riuorum & torrentium cernitur. Odorem etiam humani propè corporis referunt: reliquias esse aiunt luti illius, è quo vniuersum genus humanum extitit. Fingunt præterea Poëtæ, post deletum aquis orbem, coniectis à Deucalione & Pyrrha post tergum saxis homines rursum instauratos esse. Sed hæc omnia pari fide. neque enim duris è cautibus orti sumus, aut ex humano silice ficti. Quinimò, vt Sacræ Scripturæ testimonio fretus scripsit Alphius Auitus,

Vxor Loth in statuam salis. Philostrat. Pausanias. Homines è luto non silice ficti. Auitus.

Fragilem dignatus tangere terram.

Temperat

ET FACTVS EST QVASI LAPIS.

Temperat humentem consperso puluere limum,
Molitúrque nouum diues sapientia corpus,
In lento meditatur viscera cœno.
Vertitur in carnem limus, &c. lib. 1. de Origine mundi.

At verò Niobem, quæ Latonam contempserat, & orba

Niobe in saxum diriguit.

Exanimes inter natos, natásque, virúmque
Diriguisse malis dicitur, ad hunc modum descripsit Ouidius lib. 6. Metamorph.
Nullos mouet aura capillos:
In vultu color est sine sanguine: lumina mœstis
Stant immota genis: nihil est in imagine viuum.
Ipsa quoque interius cum duro lingua palato
Congelat, & venæ desistunt posse moueri:
Nec flecti ceruix, nec brachia reddere gestus,
Nec pes ire potest, intra quoque viscera saxũ est.

Miraberis fortasse quanta ista fuerit vis orationis Abigaelis, quæ Dauidem furentem placare B potuerit, & Nabalem mœrore extinguere. Sed scire debes, Deum fuisse, qui eius verbis vim addiderit. Etsi enim hominum verba infirma sint, & frigida, tamen cùm vibrantur à Spiritu Dei, & magna vi torquentur in animum auditorum, ibi demum incipiunt esse potentia, vel ad salutẽ, vel ad perniciem. Idem contigit verbis Petri ad Ananiam & Saphiram. Impij porrò in eiusmodi angustijs nihil habent, quò se recipiant. Neque enim fidunt Deo, nec eum inuocant. Cùm vident impendere præsentem mortem, nihil superest, nisi vt desperent. Inde saxa fieri dicuntur. At contrà Ezechias cùm audisset grauia illa verba, *Dispone domum tuã: nam morieris*, non desperauit; sed grauiter animo commotus, *conuertit se ad parietem, & fleuit.* C

VERSVS XXXVIII.

Cúmque pertransissent decem dies, percussit Dominus Nabal, & mortuus est.

VERSVS XXXIX.

Quod cùm audisset Dauid mortuum Nabal, ait: Benedictus Dominus, qui iudicauit causam opprobrij mei de manu Nabal, & seruum suum custodiuit à malo, & malitiam Nabal D reddidit Dominus in caput eius. Misit ergo Dauid, & loquutus est ad Abigail, vt sumeret eã sibi in vxorem.

CVmque pertransissent decem dies.] Non obtigit ei cita mors, & inter confertos calices, qualem olim apud Menandrum ebrius quidam optauerat: cuius hæc verba sunt:

Mors ebrijs optata, sed digna.

Sola mors ea videtur mihi mors expedita,
Cum quis omento pingui crassus iacet,
Vix loquens, & ex alto suspirans,
Vescitur, & ait: Præ voluptate putresco.

Otto Frising.

Sed nec qualem Attila sortitus est: qui, vt est apud Ottonem Frising. lib. 4. cap. 28. ob amorem speciosissimæ puellæ, dum luxuriosa celebrat conuiuia, inebriatur, noctéque proxima A iuxta puellam resupinus iacens, sanguine proprio effluente de naribus, suffocatur. At noster iste Nabal non priusquam decem dies elapsi essent, interijt. Tam diu decubuit, vt omnes animaduerterent iudicia Dei. Deus enim ea obscura esse, & homines latere noluit. Decem dies continuos contabuit: ne videri posset aut fatali, aut naturali morte obijsse. Potuisset quidem pro cõditione corporis diutius viuere: sed hoc illud est, quod Dauid ait in Psal. *Impij non dimidiabunt dies suos.* Alioqui verò & hoc ebrijs iracundis vtile, vt immaturo funere efferantur, primùm quidem vt peccare desinant, deinde vt rabiei præuertant, quæ plerunque eos à tergo sequitur. Apud Philostrat. vitæ Apollon. lib. 3. cap. 12. quærenti patri filios quidem sibi nasci, sed cùm primùm bibere vinum cœpissent, omnes mori: Sic respondit Iarchas Brachmanum princeps, meliùs cum illis agi, quod moriantur. Si enim superstites essent, omnes esse euasuros insanos, quod ex semine, vt apparet, feruidiore procreati essent. Vino itaque deinceps filij qui tibi nascentur abstineant. Et ne cupiditate illius moueantur, noctuæ oua mediocriter elixata infantibus comedendo porrige. Hoc pacto fiet vt vinum in posterũ oderint, & modestius degant, aqua temperante calorem. Hæc ille. Quidam putant Nabali spacium decem dierum datũ ad pœnitentiam. Quanquam eum egisse pœnitentiam non apparet. Imò contrà scribitur, diriguisse illi cor instar lapidis. Rabini quidam putant illum tamdiu dedisse pœnas propter decem illos seruos, quos Dauid ad ipsum miserat. An quia ebrius decem verba legis violauerat, idcirco ad resipiscendum totidem dies concessi sunt?

PERCVSSIT DOMINVS NABAL, &c.

Philostrat.

Vino rabies concitatur.

Percussit Dominus Nabal.] Hoc additur, ne quis suspicetur, eum, aut veneficio, aut suasu Dauidis, aut familiæ insidijs, iussúve Abigaelis fuisse sublatum. Nihil Deo, aut veneno, aut gladio, aut cuiusquam opera opus est, si quem ferire velit. Impijs porrò, nisi si quos ante vltimam vitæ periodum scelerũ pœniteat, haudquaquam parcit: sed infelici leto sublatos inferorum supplicijs æternũ torquet: quam Christianè homo Ethnicus apud Diphilũ Comicũ!

Impio à tergo diuina iustitia vrget.

Putas tu mortuos, Nicerate,
Delicijs omnibus fretos in vita,
Effugisse diuinum numen vt latentes?
Est iustitia oculus qui omnia videt.
Etenim inferorum duas semitas censemus,
Vnam iustorum, alteram impiorum esse viam.
Ne quid aberret, erit apud inferos iudicium,
Quod faciet Deus, omnium dominus:
Cuius nomen formidabile, nec ego nominauerim:
Qui peccantibus in longum tempus vitam
Concedit: Si verò quis mortalium putet quotidie
Malum quid faciens Deum latuisse,
Peruersa opinatur, & opinans decipitur,
Dum quietem agitat vltio diuina:
Videte quotquot Deum non esse censetis.
Est reuera, est: ac si quis malè malus
Agit, temporis vsuram lucretur:
Tempore enim postero pœnas dabit.

Benedictus Dominus, qui iudicauit causam opprobrij mei.] Dauid lætatus est, non ob mortem

BENEDICTUS DOMINUS, &c.

Rationes expenduntur propter quas Dauid gaudeat.

Nabal: id enim ab eius charitate alienum esset: A lætatur ergo de iustitia Dei. Ita enim in Psalm. scribit: *Lætabitur iustus cùm viderit vindictam, manus suas lauabit in sanguine peccatoris.* Nam cùm patefiunt iudicia Dei, pij hominis est illis applaudere. Alia causa eius lætitiæ fuit, quòd gauderet ansam sibi amputatam ne fieret autor eius vindictæ: nam obiectum lætitiæ bonum est. Id Dauid sibi videbat eo tempore duplex esse: alterum de iustitia Dei: alterum quod se videret extra aleam positum, nec posse illum vltra vlcisci. Impij verò si prohibeantur à scelere, æstuant animo, & impatienter ferunt: at pij ex eo plus veræ voluptatis capiunt, quàm si in thesaurum incidissent. Neque hoc excusandi Dauidis gratia comminiscimur. *Benedictus*, inquit, *Dominus qui iudicauit.* Oratio hominis est, qui inter reos relatus, cùm esset innocens, B absoluitur. Gaudet autem cùm ex confutata calumnia, tum quod manifestè Deus causæ suæ patrocinium susceperit. Nihil porrò tantam potest afferre lętitiam, quantam ex eo quis percipit, quòd intelligat non dubijs argumentis suam salutem Deo curæ esse. Accedit ad hæc, *Et seruum suum custodiuit à malo.* Siue quod viri potentis & inimici insidias vereretur, & gratuletur sibi res suas à Deo in tuto collocatas esse: siue, quod verisimilius est, etiam in posterum extimesceret, ne iniurijs ab eo prouocatus tandem aliquando ad cædem eius raperetur. Iam enim periculum fecerat impotentis iræ suæ, & metuebat, ne data occasione vulnus recrudesceret. *Et malitiam Nabal reddidit Dominus in caput eius.* Malitiam vocat. quippe qui nulla lacessitus iniuria Dauidem gratis oderat. C *Reddidit*, inquit, *Dominus*. Etiam hoc nomine mirificè gaudet. nam eo pacto diuinæ æquitatis splendor maiorem in modum elucet. *Reddidit* inquit *Dominus*. non alius quilibet, ne calumniæ pateret locus, & quispiam diceret contra ius eundem vim passum. *Reddidit* autem *in caput eius*. Non quod inimici ruina lætetur, aut prostrato iam atque perdito superbè insultet: sed quod innocens familia discrimini erepta sit, & sapiens mulier cum domesticis impotentis tyranni iugum excusserit. Proprio capite supplicium luisse gaudeo, & copiosam familiam non vnà cum principe pari exitio obrutam fuisse.

Ad extremum funus Nabalis non celebratur luctu, vt suprà Samuëlis: Nec mirum: pe- D rijt enim & anima & corpore. Pij quidem morientes, relinquunt sui desiderium: impij verò sua morte gaudium & lætitiam pariunt. Nam quorum grauis & molesta pluribus vita fuit, horum lætissimus oblitus esse solet. Nemo enim tam sibi infensus est, qui non aliquantisper gaudeat graui molestia liberari.

VERSUS XL.

Et venerunt pueri Dauid ad Abigail in Carmelum, & loquuti sunt ad eam, dicentes: Dauid misit nos ad te, vt accipiat te sibi in vxorem.

ET VENERUNT, &c.

VERSUS XLI.

Quæ consurgens adorauit prona in terram, & ait: Ecce famula tua sit in ancillam, vt lauet pedes seruorum domini mei.

VERSUS XLII.

Et festinauit, & surrexit Abigail, & ascendit super asinum, & quinque puellæ ierunt cum ea, pedissequæ eius; & sequuta est nuncios Dauid: & facta est illi vxor.

ET *venerunt pueri Dauid ad Abigail.*] Tametsi hactenus in summa rerum omnium difficultate ac penuria versaretur, & profugus non minimis conflictaretur incommodis, attamen in medijs procellis cogitauit non alienum fore à rationibus suis, si viduam illam vxorem duceret. Vidit Dauid expedire sibi hoc matrimonium, quod & honestum esset, & vtile, ac iucundum futurum. Honestum futurum erat, quod Abigail esset mulier & prudens & pia: vtile, quod ea esset satis locuples, Dauid autem rerum necessariarum inopia laboraret. Postremò iucundum, quod ea esset præstanti corporis specie, & venustate. Deinde non legimus eam habuisse liberos ex Nabale. Huc accedit præterea, quòd ea esset tribulis Dauidis. Nam Nabal vt monuimus, fuit ex tribu Iuda. Et credibile est, eum delegisse sibi vxorem de tribu sua. Adhæc ipsa suum erga Dauidem animum antea satis aperuisse videbatur, cùm cuperet eundem olim sui meminisse. Denique insigne beneficium ignorante marito in Dauidem contulerat. Sed nihil sic Dauidis voluntatem illi conciliauit vt illa sapiens oratio, qua præter spem à scelere reuocatus est. Itaque mittit ad eam legatos; ipse autem ire noluit. Nouerat enim ad matrimonium rectè contrahendũ nihil tam requiri, quàm consensum liberum. Multa autem legatis sæpe negantur, quæ si Princeps ipse coràm peteret, negari non possent. Fortassis etiam ea de causa ire noluit, ne si repulsam tulisset, pudore suffunderetur. Famæ quoque suæ prospexit, ne prædas egisse, & diripuisse domum opulentam spargeretur in vulgus.

Quamobrē Dauid Abigail vxorem optauerit.

Quo tempore contractum fuerit hoc matrimonium, non apparet ex textu. Credibile tamen est interpositum fuisse aliquod spatium à morte Nabalis: & Dauidem consulere voluisse & suo pudori, & mulieris. Non quod Scripturæ distinguant certa interualla temporum, quibus post elatum funus mariti nuptiæ legitimæ ineantur. Nec Apostolus aliam legem de viduis vllam tulit, quod ad hanc rem attinet, nisi, vt nubant in Domino.

Luctui tēpus aliquod præscriptū priusquam viduæ nubebant.

ET VENERVNT, &c. Sed quod nonnulla luctus tempora Scriptura designet, quæ solemni consuetudine ad contrahendas nuptias expectari solerent. Sic enim secundo Regum, capite vndecimo, legimus: *Audiuit autem vxor Vriæ, quod mortuus esset Vrias vir suus, & planxit eum. transacto autem luctu, misit Dauid, & introduxit eam in domum suam, et facta est ei vxor.* Deinde Romanæ leges, *in Codice de secundis nuptijs*, decernunt, Si qua vidua nubat intra spatium vnius anni à morte prioris viri, infamem fore. Sic enim habet lex secunda eiusdem tituli. Si qua ex fœminis, perdito marito, intra anni spatium alteri festinauerit nubere, probrosis inusta notis, honestioris, nobilisque personæ decore & iure priuetur: atque omnia quæ de prioris mariti bonis, vel iure sponsalium, vel iudicio defuncti coniugis consequuta fuerat, amittat. Quin etiam & aliæ pœnæ *l. 1. eiusdem tituli*, ijs mulieribus, quæ religionem luctus festinatione nuptiarum prioribus maritis non præstiterint, constitutæ sunt. Legenda est & Iustiniani *Nouella 22. de Nuptijs, cap. 22. & 43.* quo loco Gothofredus pluribus docet luctuosi temporis annum, decem mensium accipiendum esse. Sed hoc studeo magis, vt rationes inuestigem, quibus adducti veteres, annum luctui præscripserint. Hanc reddit Iustinianus *Nouella 22. cap. 40.* Illam, quæ ante tempus luctuosum nubit, puniunt amare: & licet filios non habeat, propter solam honestatem hoc agunt. Aliam affert Vlpianus *D. de his qui notantur infamia, l. 11. §. 1.* Nam ait, etsi talis sit maritus, quem more maiorum lugeri non oportet, non posse eam nuptum intra legitimum tempus collocari. Prætor enim ad id tempus se retulit, quo vir elugeretur, qui solet elugeri propter turbationem sanguinis. Ea igitur consuetudine, & honestati consultum, & sobolis synceritati.] Audis quosdam non elugeri, nec circa eos lugubrium religionem, vt solet seruari. Quales autem illi fuerint, paucis enumerat Neratius *ibidem §. tertio.* Non solent lugeri hostes, vel perduellionis damnati: nec suspendiosi: nec qui manus sibi intulerunt, non tædio vitæ, sed malâ conscientiâ. Adde & transfugas. Quid si & Nabalem his annumeremus numinis ira peremptum: Etsi elugeri non meruit, legitima tamen nuptiarum tempora decuit præstolari.

Cod. de secund. nupt.

Rationes annui luctus.

Ecce famula tua sit in ancillam, vt lauet pedes, &c.] Abigaïl non considerat præsentis temporis conditionem, & res aduersas Dauidis, aut potentiam, & furorem Saulis: sed tantùm promissionem Dei; à quo non dubitabat Dauidem non esse descendum. Nec sese pollicetur illi vxorem fore: sed offert potiùs se ad infima omnia officia, videlicet ad lauandos pedes famulorum Dauidis. Chimhi putat eam his verbis significare nuptias cum aliquo ex famulis Dauidis, quòd vxores solerent illis temporibus maritis suis lauare pedes. Mihi tamen prior expositio videtur simplicior. Hebraïcè, *Ecce* אֲמָתְךָ לְשִׁפְחָה *amathecha lesciphchah, famula tua pro ancilla ad lauandum, &c.* אַמָּה porrò, si daghes literam mediam in ventrem recipiat, cubitum aut brachium significat; sin minus, ancillam. Quamobrem autem *ama*, siue ancilla, non inde dicta videri possit, quòd veluti brachium operi inseruiat. Alia dictio שִׁפְחָה *sciphchah* famulam conditione designat, humilitate, ancillandi studio. Græci pariter duabus diuersis vocibus vtuntur: *ἰδοὺ ἡ δούλη σου εἰς παιδίσκην νίπτειν τοὺς πόδας τῶν παίδων τοῦ κυρίου μου.* Sic quoque Beata Virgo, cùm Domini mater renuntiaretur, *Ecce*, inquit, *ancilla Domini.* Δούλην porrò, & παιδίσκην se nominat, nusquam ἄβραν: quod nomen tametsi quoque seruile sit, distinguit tamen pretiosum mancipium à vili. Hesychio ἄβραι, αἱ νέαι δοῦλαι. At verò Suidæ in eadem voce, Ἄβρα, inquit, οὐχ ἁπλῶς θεράπαινα, οὐδ' ἡ εὔμορφος θεράπαινα λέγεται. Habra neque generaliter quæuis ancilla, neque formosa ancilla sic appellatur: ἀλλ' οἰκότριψ γυναικὸς κόρη καὶ ἔντιμος, εἴτε οἰκογενὴς εἴτε μή. Sed domestica mulieris puella, & honorata ministra, siue illa sit verna; siue non.] Ἄβρα ea esse videtur, quam Galli patrio sermone vocant, *fille de chambre, fille d'honneur.* *Vt lauet pedes seruorum Domini mei.*] Apud Herodotum li. 6. cùm Miletum à Persis expugnandam Oraculum Delphicum indicare vellet, respondit:

Humilitas Abigaëlis.

Kimhi temeraria interpretatio.

ECCE FAMVLA, &c.

Ἄβρα & δούλη inter se differũt.

Suidas.

Crinitisque pedes tua pluribus abluet vxor:

futuram mulierum seruitutem designans, quæ captiuæ Persis cogerentur pedes abluere. Sed quæ mancipia conditionis necessitate præstare coguntur, sponte se facturam Abigaïl repromittit. In sancta vidua Apostolus hoc requirit, *si pedes Sanctorum lauit.* Cæterùm, his verbis minimè dubium est, quin se Dauidi morem gesturam polliceatur. Itaque mox

Festinauit, & nuntios Dauid sequuta est.] quam iniquo animo laturus Tertullianus, ni sciret tum in votis iure merito sobolem fuisse. Quid libertatem, inquit libro primo ad Vxorem, capite septimo, collatam tibi, iterata matrimonij seruitute fastidis? *Obligatus es*, inquit, *matrimonio, ne quæsieris absolutionem. Absolutus es matrimonio, ne quæsieris obligationem.* Nam etsi non delinquas renubendo, carnis tamen pressurã subsequi dicit. Subinde verò & hæc addit, quæ citra peccatũ euenire ex eodem interpretanda sunt. Quantum fidei detrahant, quantum obstrepant sanctitati nuptiæ secundæ, disciplina Ecclesiæ, & præscriptio Apostoli declarat, cùm digamos non sinit præsidere, cùm viduam adlegi in ordinationem, nisi vniuiram, non concedit: aram enim Dei mundam proponi oportet. Tota illa Ecclesia, candida de sanctitate describitur. Sacerdotium viduitatis, & celebratum est apud nationes pro diaboli scilicet æmulatione. Regem sæculi Pontificem Maximum rursus nubere nefas est. Quantum Deo sanctitas placet, cùm illam etiam inimicus adfectat? Non vtique vt alicuius boni adfinis, sed vt Dei Domini placita cum contumelia adfectans. Hæc ibi. Sed vrget vehementius eiusdem lib. cap. 4. Nam disiunctis, inquit, matrimonio, duæ species humanæ imbecillitatis necessarias nuptias faciunt. Prima quidem potentissima, quæ venit de concupiscentia carnis: sequens, de concupiscentia sæculi. Sed vtraq; repudianda est à seruis Dei, qui & luxuriæ, &

1. ad Cor. 7. Tertull.

Secũdæ nuptiæ plurimùm à perfectione desciscunt.

FESTINAVIT, &c.

ambitioni renuntiamus. Carnis concupiscentia ætatis officia defendit, decoris messem requirit, gaudet de contumelia sua: dicit virũ necessarium sexui, vt autoritatis & solatij causa, vel vt à malis rumoribus tuta sit, &c. Cæterùm sæcularis concupiscentia causas habet, gloriam, cupiditatem, ambitionem, insufficientiam, per quas necessitatem nubendi subornat: videlicet cælestia repromittens: dominari in aliena familia, in alienis opibus incumbere, cultum de alieno extorquere sumptu, quem non sentias cedere in te. Hæc procul à fidelibus, quibus nulla cura tolerandæ vitæ, nisi si diffidimus de promissis Dei. Pergit porrò, & cap. 6. tacitæ respondet obiectioni. Durum planè & arduum satis, continentia sancta, fœminæ post viri excessum, Dei causa, cùm Gentiles Satanæ suo & virginitatis & viduitatis Sacerdotia perferant. Romæ quidem, quæ ignis illius inextinguibilis imaginem tractant, auspicia pœnæ suæ cum ipso dracone curantes, de virginitate censentur. Achææ Iunoni apud Ægium oppidum virgo sortitur; & quæ Delphis insaniunt, nubere nesciunt. Cæterùm viduas Africanæ Cereri assistere scimus, durissima quidem obliuione matrimonij adlectas. Nam manentibus in æternũ viris, non modò thoro decedunt, sed & alias eis vtique videntibus loco suo insinuant, adempto omni contactu vsque ad osculum filiorum; & tamen durante vsu perseuerant in tali viduitatis disciplina, quæ pietatis etiam sanctæ solatia excludit. Hæc diabolus præcipit, & auditur: prouocat nimirum Dei seruos continentia suorum quasi ex æquo. Denique cap. 8. Vxorem ad cœlibem viduitatem cohortans, suadet illam moueri honoribus, quibus Deus viduis benedicit, earum patrocinium suscipiens. Nam licet in virginibus tota sit sanctitas de proximo visura faciem Dei, viduam tamen habere aliquid operosius: in illis gratiam, in istis virtutem coronari. Hactenus Tertullianus. Apud quem verum non puto quod annotat Pamelius numer. 45. hæc ab errore defendi non posse, scilicet, *Quantum fidei detrahant, quantum obstrepant sanctitati nuptiæ secundæ, disciplina Ecclesiæ, &c.* Nam cùm paulò antè dixerit, non peccare quæ renubat, non video qui locus istic errori pateat. *Fidem* vocat idoneæ personæ autoritatem, quæ legi possit. Nam & in eo sensu vox illa Latinis autoribus trita. Quantum aiunt, quis habet nummorum, tantum habet & fidei. Galli hanc fidem vocamus, *la creance que l'on a en quelqu'vn, son credit.* Aut sanè fidem obligatam matrimonij religione intelligit, quæ, vt vna sit, à Patribus, imò & Apostolo ad ordinationem requiritur. Huic detrahit, qui ad secundas nuptias conuolat. *Sanctitatis* non vna significatio est: hoc loco ad religionis ceremonias refertur. & Sanctitas dicitur præscriptarum conditionum absoluta perfectio, siue illæ ad corporis, siue ad animi cultũ pertineant. Sed alia tum ratio Abigaëlem impulit, vt secundis nuptijs assentiretur: nimirum, suscipiendæ prolis desiderium, cuius sitim diuina lex promissa benedictione in mulieribus accenderat, vt alibi sæpius docuimus.

Tertullianus hoc loco defendi posse videtur.

A *Et quinque puellæ ierunt cum ea pedisequæ eius.*] Septuaginta, καὶ πέντε κοράσια αὐτῆς ἀκολουθοῦσαι αὐτῇ, *Et quinque puellæ eius sequutæ sunt eam.* Pagninus, *Et quinque puellæ eius ambulabant ad pedes eius.* Τὸ δὲ κοράσιον, inquit Pollux, εὐτελές. *Vulgare* vertit interpres. *vile* autem significat, aut quod leui sumptu alitur. Παιδίσκην δὲ τὴν θεραπαινίδα Λυσίας ὠνόμασεν, Famulam verò Lysias puellam vocat. Siquidem ambiguum est, num ætatis, vel fortunæ nomen sit. Non dubito famulas eas fuisse, cùm eius fuisse ferantur. Tulisse aliquid præterea ex amplissimis viri sui opibus ad Dauidem Scriptura non memorat. Nec satis compertum arbitror, quantum in relictis rebus vidua mulier apud Hebræos iuris habuerit. Nuptam, inquit Suidas, Græci vocabant ἐπίκληρον, quum totius hæreditatis, siue B bonorum omnium hæres erat relicta. Nam & ipsas facultates, κλῆρον, id est, hæreditatem, nuncupant. Talem fuisse Iudith Scriptura refert eiusdem historiæ capite octauo, versu septimo. *Cui vir suus reliquerat diuitias multas, & familiam copiosam, ac possessiones armentis boum, & gregibus ouium plenas.* Sed an pari omnes sorte relinquerentur, dubitari meritò potest. Exodi capite vigesimo primo, versu decimo legimus: *Quòd si alteram ei acceperit, prouidebit puellæ nuptias, & vestimenta, & pretium pudicitiæ non negabit. Si tria ista non fecerit, egredietur gratis absque pecunia.* Nonnulli paulò aliter legunt: *& alimentum eius, & tegumentum eius, &* Pagninus, *tempus,* Arias, *habitationem eius,* Alij *concubitum eius non diminuet.* Inde verò Hebræi colligunt, maritum vxori debere שאר *seer,* C alimentum, כסות *kesouth*, vestem, עונה *veghonah*, & concubitum. Iuxta Scribas verò septem: 1. vt curet ægrotam. 2. vt redimat captiuam. 3. vt sepeliat mortuam. 4. vt sustentetur ex facultatibus eius, & habitet in domo eius, quamdiu est vidua. 5. vt eius filiæ, &c. Hæc illi commenti sunt: ego ex asse hæredem, præter vnam Iudith, quæ hoc præter consuetudinem, mariti beneficio consequuta videtur, non legi. Ex Romuli legibus descendisse Halicarnasseus admonet, quod vsu apud Romanos inualuit, vt viro mortuo superstes vxor non aliter ac patri filia hæres existeret: & quidem eo sine liberis defuncto, totam ex asse hæreditatem sibi vendicaret: liberis verò relictis, æquam cum eis partem ferret. In leD gibus quoque Baiuuarior. legimus capite septimo, de vidua, Si post mariti mortem in viduitate permaneat, æqualem inter filios suos, id est, qualem vnus ex filijs, vsufructuariam habeat portionem, vsque ad tempus vitæ suæ, vsufructuario iure possideat. Et capite octauo, Quòd si mater ad alias nuptias fortè transierit, ea die vsufructuariam portionem, quam de bonis mariti fuerat consequuta, filij inter reliquas res paternas, qui ex eo nati sunt coniugio, vindicabunt. Mater si habet proprias res, & cum dote sua, quam per legem habet, egrediatur. Itaque concesso à lege beneficio carebant, si fortè secundas optarent nuptias. Rursum, capite decimo eadem lex sancit, De eo qui sine filijs & filiabus mortuus est, mulier accipiat

ET QVINQVE PVELLÆ, &c.

Pollux.

Suidas.

Vidua ἐπίκληρος.

Quid maritus vxori debeat.

Romuli lex de viduis.

Lex Baiuuar.

ET SEQVVTA EST, &c. Viduæ, si ad secundas conuolent nuptias, suo iure cadūt.

accipiat portionem suam, dum viduitatem custodierit, id est, medietatem pecuniæ: medietas autem ad propinquos mariti pertineat. Si autem mulier alium maritum tulit, tunc quod proprium habet, & de mariti rebus, quæ per legem ei debentur, accipiat. Cæteras res propinqui prioris mariti accipiant. Hactenus illa lex, *titulo decimo quarto. Iustinianus Nouell. 22. de Nuptijs, capite quadragesimo tertio*, Lex, inquit, quæ vocatur Iulia Miscella, lex antiqua, lex vetusta, filiorum procreationis præponens studium, permittit mulieribus, licet vir prohiberet, & aliquid ob hoc relinqueret, quatenus non ad secundas veniret nuptias, tamen & ad virum venire, & iurare quia filiorum causa hoc ageret: & quod relictum erat, acciperet. Et hanc quidem in annum dabat mulieribus licentiam, &c. Nos igitur, inquit, videntes plurimas mulieres desiderio nuptiarum, non propter filiorum procreationem, sed propter necessitatem & iurantes, & nubentes, & transcendentes morientium voluntates, existimauimus prius interim sacratiorem mederi partem, & periurium eis cohibere, nec sinere talia subire iuramenta, in quibus omninò periurium promptum est. Iubet itaque, quando amarum est prohibere nubere; nolit autem morientis voluntatem, nihil illicitum continentem frustrari: optet mulier quam malit conditionem: aut nubere, quod permittit, abrenuntiantem præceptioni, vt ait, relictorum à marito cum ea conditione: aut consequi relictum, & simul abstinere à nuptijs. Relicti autem petitionem differt vsque ad annum, nisi vbi, inquit, Sacerdotij modus spem omnem tollat nuptiarum. Hæc quoque de Romanis Iustinianus. De Hebræis quid asseram, satis exploratum non habeo. Genesis cap. trigesimo octauo, versu vndecimo, dicit Iudas Thamar nurui suæ: *Esto vidua in domo patris tui, donec crescat Sela filius meus.* Ad iuniores viduas, si sine liberis relictæ essent, propinquiores accedebant, ita vt non viderentur sentire viduitatis incommodum. Quid vetulæ, & quæ iam per ætatem procreandæ sobolis spem abiecissent? Docet liber Ruth, capite quarto, *Booz, inquit, partem agri fratris vestri Elimelech vendet Noemi, &c.* ea scilicet vidua erat. Sed quid si mulier nuptias auersaretur, nec alterius viri iugum subire vellet? Respondeo, præter consuetudinem fuisse, vt Iudith continentiam colere institueret, & quod habuit mariti lege videri consequutam. Quid si in alienam familiam transiret vt Abigaïl? Nihil asseram temerè: sic tamen arbitror, oportuisse migrantem proprijs rebus contentam esse.

Quid Hebræis fieret haud satis exploratū vidari.

Et facta est ei vxor] Martialis Epigrammat. libro 4.

Nuptiale votum.

Tam bene rara suo miscentur cinnama nardo,
Massica Thesäis tam bene vina fauis.
Nec melius teneris iunguntur vitibus vlmi:
Nec plus lotos aquas, littora myrtus amat.
Candida perpetuo reside concordia lecto,
Tamque pari semper sit Venus aqua iugo.
Diligat ipsa senem quondam: sed & ipsa marito,
Tunc quoq; cum fuerit, non videatur anus.

A

VERSVS XLIII.

Sed & Achinoam accepit Dauid de Iezraël, & fuit vtraque vxor eius.

VERSVS XLIV.

SAVL DEDIT, &c.

Saul autem dedit Michol filiam suam vxorem Dauid, Phalti, filio Laïs, qui erat de Gallim.

SEd & Achinoam accepit Dauid.] Testatur Pausanias in Achaïcis, Patris fœminarum, quàm virorum duplo maiorem numerum esse. Quid mirum si duas ducat? Sed nos statim de Polygamia. Duxit autem Dauid Abigaëlem, cùm iam antea Achinoam sibi asciuisset vxorem. Hæc secundum Michol, quæ sterilis mansit, habita est Princeps vxorum Dauid, & filius eius Amnon primogenitus, quoad vixit: nam ob stuprum Thamar ab Absalone cæsus est. Dices, Cur ita apertè violat legem Dei, præsertim cùm se Regem fore nouerit? Deus enim monet in Deuteron. capite decimo septimo: *Ne Rex multiplicet sibi vxores.* Hic respondent quidam, Deum vetuisse, ne Rex augeret numerum vxorum suarum: non autem, ne liceret habere duas, aut tres, aut omninò vllas. Nam in eadem lege edici, ne multiplicet equos, & aurum, atque argentum. Non tamen vetari, quin Rex & equos complures possideat, & auri vim aliquam, atque argenti: sed in his rebus tenendum esse modum. Et addunt verisimile esse, legem eam intelligi debere de vxoribus alienigenis. Additur enim in textu, *quæ auertant animum eius à cultu Dei.* Scimus enim huiusmodi matrimonia Samsoni & Salomoni malè cessisse. Augustinus tamen ait, locum illum intelligi posse de vxoribus Israëliticis: quòd non conueniat Principi, vt semper versetur in Venere.

Lex Regia Deuteron. exponitur.

Saul autem dedit Michol vxorem Dauid Phalti.] Noluit scilicet vt alteram Penelopen, Veneris expertem sobolisque senescere. Seneca in Hippolyto, Act. 2.

Seneca.

Ætate fruere, mobili cursu fugit,
Nunc facile pectus, grata nunc iuueni Venus,
Exultet animus: cur thoro viduo iaces?
Tristem iuuentam solue: nunc luxus rape,
Effunde habenas, optimos vitæ dies
Effluere prohibe: propria descripsit Deus
Officia, & æuum per suos ducit gradus.
Lætitia iuuenem, frons decet tristis senem.

Verisimile tamen est, Michol, cùm tanto Dauidis amore flagraret, & alioquin regni spem, si in fide maneret, ad se quoque pertinere non dubitaret, studuisse secundas illas nuptias refellere: sed quò mariti studiosior visa est, eò vehementius studuit pater eam à Dauide diuellere. Sic enim sperauit domesticas insidias se facile vitare posse, si vtrosque sibi inuicem suspectos atque infensos efficeret. Elegans quæ-

SAVL DEDIT, &c. Ennius

dam est patris cum filia de hac re apud Ennium in Cresphonte contentio his verbis. Queritur filia:

Iniuria abs te afficior indigna pater.
Nam si improbum Cresphontem existimaueras,
Cur me huic locabas nuptijs? Sin est probus,
Cur talem inuitam inuitum cogis linquere?

Respondet pater:

Nulla te indigna nata afficio iniuria:
Si probus est, benè locaui: sin est improbus,
Diuortio te liberabo incommodis.
Erraui: post cognoui, & fugio cognitum.

Saul itaque eripit Dauidi filiam suam, & eam tradit alteri in matrimonium. Magna erat ista perfidia. Dederat eam antea Dauidi; non animo bono, sed vt ille eo tanquam laqueo caperetur. Sed cùm ille Deo ipsi fefellisset fidem, quomodo eam seruare potuit erga hominem? Saul cùm videret conatus suos non succedere, filiam suam collocauit alteri: id autem vt faceret, duplicem causam habuit. Primùm, vt Dauidi ægrè faceret: cumque illum ipsum, quod maximè cupiebat, lædere non posset, lædere saltem studuit in abducenda ab eo vxore. Deinde cùm esset callidissimus hypocrita, noluit videri persequi generum. Putauit videlicet, nouis illis nuptijs omnem illam veterem affinitatem extingui posse: sed frustrà, & stultè. Quod enim Deus coniunxit, homo non potest separare. Itaque Saul iniustissimè sese gerit, & cum Deo pugnat. Erat enim ea Dauidis, non solùm iure matrimonij, sed etiam iure emptionis: redemerat enim eam ducentis præputijs Palæstinorum: deinde etiam iure promissionis. Promiserat enim eam Saul illi, quicunque Goliath occidisset. Bis ergo nunc peccat Saul, & quòd eam eripit marito suo, & tradit alteri, qui eius maritus esse non potuit. Et quamuis Saulis peccatum esset grauissimum, Phalti tamen etiam, & Michol non leuiter peccant. Nam cùm esset res ea pessimi exempli, non debebant vllo modo assentiri. Neque enim excusari possunt titulo bonæ intentionis. Quomodo enim illa potuit virum habere non suum; & ille vicissim vxorem non suam? Mitigatur quidem nonnihil illorum factum propter tyrannidem, atque impotentiam Saulis. Sed nullo periculo adduci debemus, vt faciamus mala: eam oportuit sequi maritum suum, etiam in exilium. Dauid non remiserat ei nuntium repudij. Id apparet ex eo, quod postea restitutus eam repetit. Atqui id non potuisset, si fuisset repudiata. Sancitur enim in Deuteronomio, Si quis repudiarit vxorem suam, eam illi postea profanam, & immundam fore. Michol autem non dederat libellum repudij Dauidi: id enim lege Dei non licebat mulieri. Quare Saul non potuit vllo iure distrahere illud coniugium. Rabbini arbitrantur, illum Phalti, cùm esset vir bonus, & timens Deum, non attigisse Michol: idque ex eo maximè liquere, quod Dauid eandem postea requisiuit. Quid igitur sibi vult Scriptura, cùm ait secundo libro Regum, capite tertio, versu decimo sexto, *Sequebaturque eam vir suus Phaltiel, plorans vsque Bahurim?* An verisimile est, alienam

Saulis iniquitas.

A vxorem, cuius duntaxat curam egisset, cùm à viro suo repeteretur, gemitu, lacrymisque palàm fuisse prosequuturum? Dion apud Ælianum variarum historiarum libro duodecimo, capite quadragesimo septimo, cùm Aristomachen vxorem suam non sponte, sed metu Dionysij tyranni, & necessitate coactam alteri nupsisse intellexisset, nequaquam redux & victor eam à se ablegauit, sed pro antiqua consuetudine domum deduxit, & quamquam violatæ sibi fidei consciam, ac pudore suffusam, in honore tamen habuit.

SAVL DEDIT, &c. Ælianus.

B
An potuerit aliquando pater contractum legitimè matrimonium arbitratu suo dissoluere? & de diuortio.

QVÆST. LXXXII.

Nonnullis visa est patria illa potestas: Reges maximè eo iure abusi sunt. Nam præter Saulem idem fecisse legimus Ptolemæum Regem Ægypti, quem misisse legatos ad Demetrium cum his mandatis Scriptura testatur 1. Machab. c. 11. v. 9. *Veni, componamus inter nos pactum, & dabo tibi filiã meam, quam habet Alexander, & regnabis in regno patris tui. Pœnitet enim me quòd dederim illi filiam meam: quæsiuit enim me occidere. Et vituperauit eum, propterea quod concupierat regnum eius. Et abstulit filiam* C *suam, & dedit eam Demetrio, & alienauit se ab Alexandro,* quem antea generum optauerat. Hæc ille Saulem imitatus, dum genero inuidet: Iure an iniuria, hoc scilicet in ambiguo est. Quid sentiant iuris ciuilis autores, habemus ex parte *Cod. de repudijs, l.* 5. Dissentientis patris, qui initio consensit matrimonio, cum marito concordante vxore filia familias, ratam non haberi voluntatem, Diuus Marcus pater noster, religiosissimus Imperator constituit: nisi magna & iusta causa interueniente hoc pater fecerit. Emancipatę verò filiæ pater diuortium arbitrio suo non habet, sicut Diocletianus & Maximianus AA. rescripsêre. *Nouella verò* 22. causa redditur: Quia cuius consensus requiritur in contrahendo matrimonio, requiritur etiam in dissoluendo. Lex autem *Cod. de liberis* ijs agit, qui D adhuc sint in potestate parentum, quibus inuitis non possit à parentibus matrimonium dissolui. Ideo rectè queritur apud Ennium filia, cuius paulo antè querelas & expostulationem cum patre retulimus. *D. autem de liberis exhibendis l.* 1. *§.* 5. quæritur, Si quis filiam suam, quæ mihi nupta sit, velit abducere, vel exhiberi sibi desideret: an aduersus interdictum exceptio danda sit, si fortè pater concordans matrimonium, fortè & liberis subnixũ, velit dissoluere? Et respõdetur, quòd certò iure vtimur, ne benè concordantia matrimonia iure patrię potestatis turbentur. Quod tamen sic erit adhibendum, vt patri persuadeatur, ne acerbè patriã potestatem exerceat. Et *ibidem l.* 2. Imò magis de vxore exhibenda ac ducenda pater, etiam qui filiam in

Ptolemæi regis Ægypti par factum.

Cod de repud. Romanæ leges negãt diuortij potestatẽ penes patrem esse.

SAVL DEDIT, &c.

in potestate habet, à marito rectè conuenitur. Id quod ibidem Gothofred. alijs quoque autoritatibus muniens, præstat, inquit, filiam separari à patre, quàm bene concordantes nuptias dissolui. Afranius in Diuortio apud Nonium, indignum facinus vocat, si adolescentulas optimas, bene conuenientes, concordes cum viro, repente viduas faciat spurcitia patris?

Sed quia nonnullas tamen causas sæculi Principes esse duxerunt, ob quas iure pater contractas nuptias dirimeret, seu potius coniuges sibi nuntium remitterent, idcirco illæ quoq; à nobis è iuris ciuilis fontibus eruendæ sunt; vt ijsdem confutatis appareat, quàm grauiter allucinentur non tantùm qui hoc audent, sed etiam qui posse statuunt. Atque illud in primis quo non stupore dignum, quo veluti fundamento

Novell c.5.

B Iustinianus vsus est, cui omnis illa ratiocinatio niteretur, quam *Nouell. 22. de nuptijs* cōplexus est: Quicquid ligatur, inquit, solubile est. Apparet sane Tribonianum expertem fidei virum plura ex his dictasse, qui nesciret Christum in Euangelio sanxisse, *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Dissoluendi porrò matrimonij complures modos tota ea constitutione docet. Nam vt *ibid. in ca. 4.* distrahuntur in vita contrahentium matrimonia, alia quidem consentiente vtraq; parte: pro quibus nihil hîc dicendū est, pactis causam sicut vtriq; placuerit, gubernantibus: alia vero per occasionem rationabilem, quæ etiam bona gratia vocatur: alia verò citra omnem causam: alia quoq; cum causa rationabili. Sed hactenus vniuersim: ipsas deinceps causas sigillatim expē[c]tamus. Nouimus, inquit,

Pluribus olim rationib. diuortiū licuit.

C sequ. cap. 14. huius nostræ felicissimæ ciuitatis conditorē (diuinæ memoriæ dicimus Constantinum) scripsisse legem, secundum quam si quis in expeditione fuerit, & tacuerit ad vxorem per quadriennium, & nullum ei fiat ab illo signum eius circa eam affectus: tunc licentia sit mulieri ad secundas nuptias veniendi, offerenti prius libellum militiæ principi, & hoc ipsum testificanti.] Hoccine est meminisse verbi Domini, cùm repudij legem abrogaret, quam à Moyse concessam Iudæis ad duritiam cordis asserui[t]? Verùm legem Iustinianus ipse correxit. Errasse igitur Constantinum deprehendit. At qua tandem ratione correxit: quam censuram exercuit? Nimirum præscripto decem annorū spatio hoc permittēdi ius ad se reuocauit, & eo pacto præcedentium culpam in se retorsit. Subinde verò

Has Constant. & Theod. leges habes Cod de repudijs, & iudicio de morib. sub lato.

D & alias repudiorū causas plurimas affert in medium, ne probationibus opinor destitui videretur ad demonstrandam in ea re, cuius penes Ecclesiam autoritas esse debuit, cùm suam tum aliorum Impp. iudicij inopiam. Nam de constitutione Theodosij Iunioris religiosissimi Imperatoris verba faciens, Licentiam, inquit, dat viro mulierem abijcere, si adulterā inueniat, aut veneficam, aut delinquentem homicidium, aut plagiariam, aut sepulcrorum violatricem, aut sacrilegam existentem, aut fauentem latronibus, aut viro nesciente, vel etiam prohibente gaudentem conuiuijs aliorum nihil sibi competentium: vel etiam inuito viro citra rationabilem causam foris pernoctantem, aut extra

A eius voluntatem Circensibus congaudentem, & spectaculis inhærentem, aut theatris aduenientem (dicimus autem vbi scena & talia sunt, aut etiam vbi bestijs aduersus homines pugna est) aut insidias sibi facientem ex venenis, aut gladio, aut alio factas modo, ex quibus circa vitam periculum est, aut etiam consciam tyrannidem meditantibus, aut falsitatis ream constitutam; aut audaces eius manus inferentem sibi, scilicet tali aliquo facto dat hæc lex viro abijcere mulierem, si vel vnam horum & solam probauerit causam. Et lucrari quidem dotem, antenuptialem verò habere donationem. Parem quoque tribuit mulieri in virum licentiam. Quo loco etiam illud refert inter causas dirimentes, si flagellis super ea vtatur.

Iustiniani & LL Ciuiliū lapsus in permittēdo diuortio.

B Sed dicet aliquis, quoad thorum duntaxat, & cohabitationem eam repudij abdicationem intelligi. Accipe legis sententiam manifestius, & mirare in Christiano Principe, non leuem Christiani dogmatis ignorantiam. Si verò, inquit eiusdem *Nouellæ capite decimo sexto,* rationabiliter mulier repudium miserit, & in certaminibus vicerit: aut vir irrationabiliter eam abijciens, subiacuerit pœnis: lucretur quidem lucra primitus dicta: erubescat autem ante annum completum ad secunda vota venire.] Quis hoc ferat, vt terræ adscripta potestas dimissæ libidinosam copulam, post annum, legitimum matrimonium pronunciet, quam adulterij crimine damnat Apostolus? Sed maiori etiam dedecore legem suam aspersit, cùm addidit: Quod non obseruandum nobis est in viro irrationabiliter obtinente talia

C lucra: cùm & non obtinenti etiam repentè nuptias facere licet: quoniam nulla circa sobolis confusionem rationabilis est suspicio: quod in mulieribus ante anni completionem rectè prohibetur: & tanta est prohibitio ex hoc, quia licet bona gratia dissolui matrimonium contingat, tamen etiam ex Anastasij piæ memoriæ cōstitutione, in annum prohibitio secundarum nuptiarum mulieribus instituta est. Qui rursum, vt ostenderet ad priorem legis infamiam nouum dedecus addi posse, tres denique alias causas diuortiorum adiecit: Si mulier abortum procuret, virumque spe sobolis frustretur. Si cum viris voluptatis ergo lauet. Si constante adhuc matrimonio cum viro, ad alios de nuptijs suis loquatur, his casibus repudium

D probat, & ad secundas nuptias aditum patefacit.

In legibus Burgund. legimus de diuortijs capite 34. Si qua mulier maritum suum, cui legitimè iuncta est, dimiserit, necetur in luto. Item de viro: Si quis vxorem suam sine causa dimiserit, inferat ei alterum tantum, quantum pro pretio eius dederat: & mulctæ nomine solid. 12. Deinde articulo tertio: Si quis vir vxorem fortè dimittere voluerit, & ei potuerit vel vnum de his tribus criminibus approbare, id est, adulteram, maleficam, vel sepulcrorum violatricem, dimittendi eam habeat liberam potestatem: & iudex in eam sicut debet, in criminosam proferat ex lege sententiam. Articulo quarto: Quòd si de his tribus facinoribus

LL Burgund. de diuortio.

SAVL DEDIT, &c.

nihil admiserit, nulli virorum liceat de altero crimine vxorem suam dimittere: sed si maluerit, exeat de domo, rebus omnibus dimissis, & illa cum filijs suis, h.s, quæ maritus habuit, potiatur. Hactenus ibi.

Impedire, non dirimere matrimonia suis legibus Principes possunt.

Vtique negari non potest, quin potuerint Principes, propter annexum Sacramento ciuilem contractum, in futuras nuptias animaduertere, suisq. legibus expetitæ copulæ obicem ponere: at postquam vnà vir & mulier legitimè conuenerint, & libero consensu, nullo legis impedimento, Sacramenti autem gratia perficiente, ambo in vnam carnem coaluerint, non video deinceps qua autoritate fulti audeant diuinæ legis repagula conuellere, & nodum illum Gordium, seu potiùs adamantinum, quem perpetuum Deus esse voluit, non quidem dissoluere, quod non possunt: sed instar Alexandri temerè per vim abrumpere. Diuinorum vtique decretorum sæculi Principes defensionem suscipere debent, non censuram vsurpare. Sunt illi Euangelicorum dogmatum patroni, atque assertores, non arbitri, autoresve. quamobrem ea suscipere ac venerari eos decet, non eorum sanctitatem iniquis suis legibus labefactare.

Iuo Carn.

Adulterij labe contaminari quicunq; thori consorte superstite aliam duxerit.

Cæterùm in noua lege, neutri licet ad secundas nuptias deflectere consorte superstite. Iuo Carnotensis epistola 55. ad Vulgrinum Archidiaconum Parisiensem: Quamuis, inquit, mulier dupliciter fornicata sit, quia & ad Iudaïsmum redijt, & viro alteri Iudaïci videlicet ritus nupsit: vir tamen Christianus, qui aliam viuente ea duxit, proculdubio adulterium perpetrauit. Canon autem manifestè dicit, sicut ipse bene nosti, quia incestis coniunctionibus nihil veniæ reseruamus, nisi cùm adulterium separatione sanauerint. Dicit enim beatus Augustinus in libro de nuptijs & concupiscentia: Manet inter viuentes quoddam coniugale, quod nec separatio, nec alia copulatio possit auferre. Hieronymus etiam ad Oceanum de morte Fabiolæ: Præcepit Dominus, *vxorem non debere dimitti; excepta causa fornicationis: et si dimissa fuerit, manere innuptã.* Quicquid viris præcipitur, hoc consequenter redundat ad fœminas. Neque enim adultera vxor dimittenda est, & vir mœchus retinendus. Hactenus Iuo. Neque tamen apud antiquos par vtrobique ratio fuit, cùm polygamiæ beneficio viri fruerentur, fœminis polyandria semper & vbique interdictum fuerit. Quandoquidem verò occasione accepta ab antiqua lege ad nouam sermonem contulimus, & alioquin Principes, veterum exemplum sequuti, multa circa nuptias & diuortia temerè designarunt, operæpretium me facturum duxi, si ad calcem huius quæstionis, quid de hac re Tridentinum Concilium statuerit, vice coronidis adscripsero.

Tridentini Conc. can. de fide & constantia matrimonij.

Primùm igitur, Concilium Tridentinum Sessione vigesima quarta, can. 12. hæc habet: Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad Iudices Ecclesiasticos, Anathema sit.

Canone quinto, Si quis dixerit propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam à coniuge, dissolui posse matrimonij vinculum; Anathema sit.

ET FVIT VTRAQVE &c.

Matth. 19. Luc. 16. 1. ad Cor. 7.

Canone septimo, Si quis dixerit Ecclesiam errare, cùm docuit, & docet, iuxta Euangelicam & Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius coniugum, matrimonij vinculum non posse dissolui, & vtrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero coniuge viuente, aliud matrimonium contrahere, mœcharique eum, qui dimissa adultera, aliam duxerit; & eam, quæ, dimisso adultero, alij nupserit; Anathema sit.

Matrimonij nexus perpetuus.

Initio porrò eiusdem sessionis 24. inuiolabilem coniugij nexum docet sacrosancta Synodus. Matrimonij (sic enim scriptum est) perpetuum, indissolubilemque nexum primus humani generis parens, diuini spiritus instinctu pronuntiauit, cùm dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.*

De Polygamia.

Dauid ducit Abigaëlem, cùm haberet antea in matrimonio Michol filiam Saul, & Achinoam. Est ergo iam trigamus. Hic mihi nodus satis difficilis explicandus est de Polygamia. Occurrit enim sæpius in sacris litteris. Itaque nihil à proposito alienum facturi videmur, si quid de ea sentiendum sit, paulò accuratius explicemus. Nos quidem priore tomo ad ver. 2. primi capitis, iam aliquid eius rei delibauimus, sed carptim, & quasi transeuntes: hoc verò tempore diligentius controuersiam excutiemus.

Tostatus.

De Polygamia disputat quidem hoc loco Tostatus quæstione decima septima: sed magis ex professo cap. 18. quo loco de eadem habet quæstiones nouem supra ducentas, à quæstione 24. ad 235. in quibus præterea de alijs quoque nuptiarum difficultatibus, quæ non paucæ occurrunt, copiosissimè disserit. Sed nos longas ambages perosi, & viarum compendia sequentes, quæ necessaria visa sunt, duabus aut tribus quæstionibus breuiter absoluemus. Duplex est autem, vt etiam priore tomo monuimus, Polygamiæ ratio. Prior, cùm mortua priori coniuge, secunda, aut tertia ducitur. De ea, quoniam nihil hodie ambigitur, nihil dicam. Altera est, cùm duæ, pluresve vxores simul habentur in matrimonio. Vtrum autem liceat vni mulieri simul habere duos viros, ne quærendum quidem arbitror. Certum est enim id nullis vnquam bonis legibus licuisse. Res ista vel simpliciter & absolutè considerari potest, vel pro ratione temporis & loci. Primùm ergo quæremus, vtrum Polygamia simpliciter, & absolutè probari queat. Deinde, quo iure ea in vsu fuerit apud veteres in lege Mosaïca. Postremò, vtrum ea libertas ad nos quoque transferri possit.

Polygamia distinguitur.

Vtrum

ET FVIT VTRAQ. &c.

Vtrum Polygamia per seipsam considerata simpliciter probari possit.

QVÆST. LXXXIII.

S. August. SAnctus Augustinus libro vigesimo secundo contra Faustum Manichæum, cùm ageret de hoc negotio, ita distribuit peccatum, vt diceret, aliud esse contra naturam, aliud contra morem, aliud contra legem. Polygamiam ait non esse contra naturam, facit enim ad fœcunditatem: nec contra morem, erat enim iam publicè recepta: nec contra legem, nihil erat hactenus de ea cautum legibus.

Primum argumentum contra Polygamiam. Veruntamen, si simpliciter de ipsa re, & per se spectata, dicendum est, dicam ego Polygamiam non licere. Idque vt probem, primum argumentor ab institutione matrimonij. Nam si formam aut modum rei alicuius scire volumus, ad initia recurrendum est. Deus ab initio creauit non tres, aut quatuor, sed duos: & Adami ipsius ore pronunciauit legem coniugalem: *Hoc nunc os ex ossibus meis. Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna:* hoc est, ita coalescent, vt sint vna caro. Si quid collapsum videamus in matrimonio, id reuocandum est ad hoc archetypum. Quòd si dicas le-
2. ges posteriores, vt Iurisperiti dicunt, præiudicare prioribus, respondeo, Si qua postea inuecta, aut vsurpata sunt, ea esse inuenta humana: priorem autem institutionem esse legem Dei.
C Et si de tempore quoque velis contendere, illa etiã tempore est posterior. Christus enim eam decimo nono Matthæi, & decimo Marci, quasi postliminio reuocauit. *Ne,citis,* inquit, *quod qui a principio fecit illos, is dixit: Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna? Quos ergo Deus coniunxit, homo non separet.* His verbis prior lex Dei repetitur, & instauratur. Quòd si Christus pati noluit, vt repudiata priore vxore, duceretur altera, quanto minus credibile est eum voluisse pati, vt aliquis plures haberet vxores eodem tempore: Imò, quod grauius est, ait, eum, qui ducit aliam, adulterio pollui. Neque tanti est, quod quidam hic obijciunt, Marcum dicere, *Adulterium committit aduersus eam:*
D quasi non simpliciter sit adulter: sed tantùm in-
3. iuriam faciat priori vxori. Imò bis peccat: primùm, quia est adulter: deinde, quia iniurius est vxori suæ. Sanctus Hieronymus pluri-
S Hieron. bus locis expendit illa verba, *Erunt duo in carne vna:* contra Iouinianum: *In vna,* inquit, *carne,* scriptum est, non in duabus, aut tribus. Et addit, Lamechum improbum virum fuisse, qui vnam costam distraxerit in duas. Sed pœnas, inquit, dedit nequitiæ suæ in cataclysmo. Idem ait in epistola ad Saluinam. *Et adhærebit vxori suæ,* non, inquit, vxoribus. Ego quoque cùm expendo mecum verba illa, *in vna carne,* video in illis esse magnam emphasim. Est enim caro vna vel colligatione, quemadmodum

ET FVIT VTRAQ. &c.

A membra omnia inter se connectuntur, vel continuatione. Vtraque ratio efficit, vt omnes corporis partes sibi mutuò inseruiant. Ita manus operam suam præstat ori, os ventriculo, ventriculus toti corpori: vti fusius describitur à Galeno de vsu partium. Huiusmodi caro est incommunicabilis, vt transire non possit ab vno animali in aliud animal. Videmus ergo horum verborum vi tolli & adulterium, & polygamiam.

Paulus ad Corinthios pulcherrimè de hac re scribit. Primùm enim propter scortationem, 4.
ἕκαστος τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα ἐχέτω, vnusquisque suam vxorem habeat. & mulier quaque τὸν ἴδιον ἄνδρα ἐχέτω. *ἴδιον* autem opponitur τῷ κοινῷ. At si vir habeat plures vxores, eam necesse est habere maritum cum alijs communem, non pro-
B prium. Dialectici autem optimè id definierunt esse proprium, quod vni, semper, & soli conueniat. Addit, *Nolite fraudare vos inuicem.* At 5.
in Polygamia necesse est alicui fraudem fieri. Non enim potest maritus simul versari cum omnibus. Itaque Iacob coactus est ita rem decidere, vt per vices modò cum Rachele esset, modo cum Lia. Hinc enim exoriuntur perpetuæ inter vxores contentiones, & rixæ. Nullum enim videmus esse animal tam ignauum, quin & in cibis, & in propagatione velit liberè agere: & pugnare malit, quàm ab istis prohiberi. In Polygamia autem, etsi mulieres ad castra non veniant, tamen interdum rixis, & iurgijs, sæpè etiam pugnis, & vnguibus dimicant.
Qui ducit vxorem, corpus suum illi tradit. 6.
Quomodo ergo potest illud postea mancipare alteri? Magna est iniustitia nolle stare pactis. Sed dices: Tradit quidem corpus suum: sed non in vniuersum. Audio. Sed cur ergo vult vxorem suam sibi tradere suum corpus vniuersum? Oportet in contractibus parem esse vtrinque rationem. Adhæc, caput matrimonij est amicitia. Amicitia autem maximè nititur iustitia. Ea si claudicet, necesse est claudum esse matrimonium. Addit Paulus, *Virum non habere potestatem sui corporis, sed vxorem: nec vxorem sui, sed maritum.* Vir ergo non potest secundam vxorem ducere, sine iniuria prioris.
Asserit etiam, magnas esse molestias in matri- 7.
monio. *Tribulationem* enim *carnis habebunt eiusmodi.* Non est autem prudentis viri, augere sibi molestias, vbi nihil sit opus. Nam vix pauci sunt, qui possint vel vnam huiusmodi crucem patienter tolerare.

Alia ratio ducitur à Sacramenti significatio- 8.
ne. Paulus ait ad Ephesios: *Viri diligite vxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, &c. Et erunt duo in carne vna. Magnum hoc,* inquit, *Sacramentum: in Christo dico, & Ecclesia.* At Christus habet vnam tantùm Ecclesiam. Quare, si connubia nostra respondere debent Archetypo, non licebit nobis ducere plures vxores. Hanc rationem S. Hieronymus secutus S. Hieron.
est contra Iouinianum, quo in loco vehementer inuehitur in Lamech, quem ait vnam costam diuisisse in duas. Atque ita ait, hæreticos 9.
scindere Ecclesiam in conuenticula. Scholastici aiunt, tria maximè spectari in coniugio, fœ- Tria in matrimonio spectanda.

Et fuit vtraq. &c.

A cunditatem, cohabitationem, & Sacramenti significationem. Primum illud bonum fœcunditatis polygamia nihil impedit, imò auget potiùs. 10. Vt autem cohabitent, & vir vxores suas omnes ex æquo inuet in polygamia, vix potest fieri. In matrimonio summam oportet esse charitatem. At & ratio ipsa, & Aristoteles in octauo Ethic. docet, summam amicitiam non posse cõstare inter plures. quò enim in plures amicitia spargitur, eò necesse est eam remissiorem esse in singulos. 11. Súmam etiam oportet in coniugio esse vnitatem. *Sunt enim duo in carne vna.* Et Paulus ait, *Os ex ossibus eius, & caro de carne eius.* At nemo vnus potest idem esse erga plures. Adhæc, in polygamia sæpe præ vna cæteræ omnes contemnuntur, & ancillarum habentur loco. Illa autem vna dominatur, & imperat reliquis. Nec ibi consistit malitia. B Sæpe enim in illius vnius gratiam cæteræ miserè affliguntur. Id apparet ex capite secundo Malachiæ. Ibi enim vxores iam vetulæ, cùm inductis alijs à maritis suis fastidirentur, & afficerentur iniurijs, venerunt in atrium, & conquestæ sunt coram Domino. quia in re mariti illi bis peccabant: & quod alias ducerent, & quòd priores affligerent. 12. Videtur etiam polygamia facere contra bonos mores. Odia enim non tantùm nascuntur inter vxores, sed etiam aluntur, & propagantur inter liberos. Nam Agar cùm se videret esse grauidam, contempsit dominam suam, deinde fugit: postea cùm rediisset, & filijs inter se, Isaac scilicet cum Ismaële conuenire non posset, Abraham coactus ancillam cum filio suis ædibus exigere. C De Rachele & Lia nota est historia. De Helcanæ vxoribus statim diximus à principio huius libri. 13. Sanctus Epiphanius contra Messalianos ait, Veteres, cùm haberent plures vxores, nunquam illas aluisse simul in vna domo. Vnde id habuerit nescio. Inde tamen suspicor, quod Laban, cùm persequeretur Iacob, & quæreret idola sua, scribitur primùm ingressus in tabernaculum Rachelis, deinde Liæ. Vnde apparet, illas seorsim disiunctas habitasse. Salomon etsi malè sibi consuluit, tamen instinctu Spiritus sancti rectè monuit alios. 14. Nam Salomon in Prouerb. *Oblecta*, inquit, *te cum vxore pubertatis tuæ. Sit illa serua tua, sit hinnulus. Illius vberibus semper te inebria.* Id autem non potest, qui plures vxores habet. Nec tantùm Salomon hoc vidit, sed etiam Laban. D Ille enim quamuis genero duas sorores obtrusisset, tamen cùm eum fugientem apprehendisset in Galaad, & fœdus cum eo percussisset, hoc adiecit, *Ne affligas filias meas, neue alias vxores illis superinducas.* Vidit enim id non posse fieri, nisi vt illæ grauiter affligerentur. Lamech habuit duas, Ada, & Sela. Sela autem Latinè redditur, vmbra eius: quòd ea vmbra potiùs videretur vxoris, quàm vera vxor.

Polygamiã Romanæ leges auersantur.

Imò etiam Comœdia docet, polygamiam magnã esse corruptelam matrimonij. In Phormione enim senex Chremes cùm vxorem haberet Athenis diuitẽ, & aliam ducere vellet in Lemno, cogebatur mutare nomen, & se Stilphonẽ appellare. Nisi enim ita fecisset, fortasse secũda illa Lemniensis illi non nupsisset. Imò Chremes A à parasito Phormione accusatur de polygamia, quasi de graui crimine. Romanæ leges polygamiam nunquam ferre potuerunt. Nam *in Cod. de incestis, & inutilibus nuptijs*, Diocletianus, & Maximianus decernunt, ne quis habeat plures vxores; & si quis contrà faciat, vt puniatur. Et addunt, id receptum fuisse antea in edictis Prætorijs. In *Digest. De ijs, qui notantur infamia, L. 1. §. fin.* Infames iudicantur, qui habent simul duas vxores, aut duo sponsalia. Idem habetur *in Cod. ad leg. Iul. de adult. L. Eum qui.* Quodq; magis etiam mirandum est, *in Cod. de Iudæis, L. Nemo*, Theodos. Arcadius, & Honorius decreuerunt, ne Iudæis, qui viuerent sub Rom. Imperio, liceret plures ducere. Ita pij Imperatores, quamuis alia multa in illa natione ferrent, hoc tamen ferre noluerunt. Concilio Eliberi- B no, quod etiam citatur *trigesima prima quæstione, can. de ijs.* decernitur, ne Clerici huiusmodi nuptijs benedicant. Ratio autem adfertur: quia Sacerdotem oportet illis potiùs suadere pœnitentiam, quàm bene ominari. Idem habetur *Extra De secundis nuptijs. cap. 1.*

His ergo rationibus in eam sententiam adducor, vt putem, simpliciter non licere polygamiam. Multò autem illos minus probo, qui putant, nuptias oportere communes esse: quales erant Gnostici, Valentiniani, Secundiani: quod etiam à quibusdam traditur de Platone.

Quid igitur sentiendum de Patribus veteris Testamenti, apud quos polygamia obtinuit?

QVÆST. LXXXIV.

Duplici ratione Patrũ polygamia excusatur.

Respondeo, duabus illos rationibus posse defendi. Primùm enim dico, Deum pro conditione illorum temporum remisisse illis legem, quam tulerat ab initio. Deinde, quidam addunt significationem. Quod ad primum attinet, potuisset Deus homines quouis tempore è limo excitare. Sed cùm decreuisset, vt humanum genus procreatione propagaretur, necessaria erat polygamia. Atque hanc sententiam sequitur Magister Sententiarum. Nam propagatio carnis, erat propagatio pietatis. Deus enim voluit, populum, in quo vera Religio es- D set constituta, durare vsque ad Christum. Licuit ergo illis vti pluribus vxoribus, vt populus ille semper numero cresceret. Neque illi, cùm ita facerent, videri possunt peccasse. Sed hic distinguendum est peccatum. Nam si peccare sit à perfectissima ratione aberrare, certè peccarunt. At si peccatum id esse statuamus, quo Deus offenditur, & ad vindictam prouocatur, non peccarunt. Deus enim frænos laxauerat illi licentiæ, vt numerosior esset populus, à quo coleretur. Etsi enim in alijs nationibus non pauci fortè erant pietate ac religione præditi, publicus tamen cultus Dei nusquam vigebat alibi, nisi in Iudæa. Deinde nihil ab illis noui importari videbatur. Totus enim Oriens vtebatur polygamia. Deus ergo curauit, vt quo alij

ET FVIT VTRAQ. &c.

alij vtebantur vitiosè, Iudæi sine peccato vterentur.

Perfectio veteris Synagogæ.

Sed obijcies, cùm fateamur hærere in polygamia nonnullam imperfectionem, cur tulit eam Deus in Ecclesia sua, quam oportuit esse perfectissimam? Respondeo, perfectam quidem fuisse illam Ecclesiam, sed prout illa tempora ferebant. Exercebant enim adhuc lanienam pecudum, & sine ratione victimas offerebant. Nam qui Patres ita defendunt, solent dicere, ætatem totius mundi ita considerandam esse, vt ætatem vnius hominis, in quo sit pueritia, iuuentus, virilis ætas, & senectus. Multa autem licent pueris, quæ in grandiori ætate non licerent. S. Augustinus notat, vti manicatis, aut talaribus vestibus apud veteres fuisse argumentum mollitiei. At nunc, inquit, notaretur, si quis vteretur breui veste, & sine manicis. Sed dices, Patres illos fuisse perfectissimos, vt Abraham, vt Iacob, vt Dauidem, & complures alios. Fateor: Sed aliud est homines per se spectare, aliud pro ratione temporum. Patres illi charitatis & fidei summum apicem tenebãt: pro conditione tamen temporis hęrebat in illis nonnulla labes imperfectionis. Nam aiunt, illa tempora tenebras & vmbram fuisse, & demersa figurarum caligine, si cum Euangelij luce conferantur. Iudæi quidem, si cum Gentibus comparentur, illo tempore lumen orbis terrarum haberi poterant. Nihil autem erant ad nostrum statum, postquam datus est Spiritus sanctus, & splendor illuxit Euangelij. Multa autem in tenebris rectè fiunt, quæ non ferrentur in luce.

Vnde constet Deum Patrum polygamiam probasse.

Adhuc tamen quæres, ex quibus scripturis constare possit, Deum, vt polygamiæ faueret, eatenus legem suam remisisse. Respondeo, satis id posse constare ex exẽplis Abrahami, Iacob, Dauidis, Elcanæ, & aliorum piorum Patrum. At illi, inquies, errare potuerunt. Verum illud quidem est. Non ergo illorum factum satis est ad firmandam aliorum conscientiam. quinimò quod non vnus & alter, sed pleriq; fere omnes tam diuturno tempore vsurparunt, haud dubiè culpa vacat. Adde quod eos non videmus vspiã ea causa à Prophetis reprehẽdi. Huc adde, quòd Deus cùm ferret legem, si quid antea à Patribus peccatum esset, emendauit. Antea enim Iacob licuit iungere sibi matrimonij vinculo binas sorores. Id autem Deus in lege vetuit, & distinxit gradus. Non tamen sceleris damnauit polygamiam: quamuis locus videatur id maximè postulasse. Idque magis etiam probat, quod Deus ait se Saulis vxores Dauidi dedisse in sinũ. Non ergo peccarunt Patres in ea re, siquidem id fecerunt citra libidinem: quod dubitandum non est multos fecisse. Seruabant autem fidem thori satis religiosè. Ad nullas enim accedebant nisi ad suas. Atq; hoc pacto consulebatur soboli. Adhuc tamen obijcies, Si lex Dei prolis suscipiendę causa remissa fuerit, eam maximè remittendam fuisse Adamo. quinimò, alia præterea difficultas Adamum à polygamia absterruisset: neque enim cum alijs quàm cum suis ipsius natis commisceri potuit. Deinde S. Augustinus de Nuptijs & Concupisc. lib. 1. cap. 9. respon-

S. August.

A der Deũ in Adamo perfecti matrimonij posteris exemplum statuere voluisse. Subinde etiam addit, nullam illo tempore fuisse idololatriam. Postea verò, cùm idololatræ creuissent, necesse fuisse vt crescerent etiam pij, & ea causa Deum gratiam legis fecisse. Imò, inquies, perturbatio quædam naturæ ordinis est. Itaque non ascribenda Deo. Scilicet illud probandum est. Nos enim cum polygamiã refelleremus, non aliunde argumenta deduximus, quàm à prima nuptiarum origine, quæ diuina institutione & lege lata manifestè constat. Quod si his olim legibus matrimonij iura perscripsis, quis neget subinde cùm voluerit, potuisse mutare? Non paucas sæpè leges suas abrogauit: alias cùm tollere nollet, pro conditione tamen temporum nonnihil inflexit. Euangelij certè gratia Mosaïcas

B sanctiones, & vetus omne decretum antiquari passus est. Quod si ad naturam proximè referas monogamiæ decretum, Primùm maiores nostros violatæ iustitię reos constituas necesse est. Neq; enim naturæ lex, cùm sit omniũ animis à natura insita, ignorãtiæ vllam excusationem recipit, neque verò laxari, aut dissimulari, rescindive vllo pacto potuit. Deinde, vt opinor, haud satis intelligis constare matrimonium institutione, non natura. quæ autem impedimenta prius nobis visa sunt pugnare cum æquabilitate iustitiæ, vitijs hominum, non naturæ polygamiæ tribuenda sunt. Neque postremò qui contrahunt, semper necesse est vtrinq; pari iure certare. quinimò, vt docet Apostolus, *vir caput est mulieris:* caput autem nihil repugnat plurib. membris pręesse. Et alioquin idem iubet *mulie-*

Ad Ephes. 5. v. 24.

C *res viris subiectas esse*, & eorum ferre imperium. quamobrem, quicquid illud est quod in polygamia auersamur, non cum natura, sed cum institutione legeque pugnat, cuius penes autorem semper potestas fuit.

Argumentũ à significatione.

Quidam ex Patribus addunt, Deum remisisse legem suam, non tantùm propagationis causa, sed etiam vt id aliquo modo adumbraret, quod erat postea futurum. S. Ambrosius li. 1. de Abraham Patriarcha, cap. 4. quod ille filium suscepit primum ex Agar, deinde ex Sara, ait in ea re latuisse magnum mysterium. Quod idem etiam S. Hieronymus ait ad Geruntiam: Saram enim repræsentasse Ecclesiam, Agar autem Synagogam. Idem sentiunt de Rachele & Lia. Idem de Anna & Phenenna. Eandem sententiam Iustinus Martyr sequitur in Dialogo, quem habet

S. Ambros.

S. Hieron.

S. Iustinus.

D cum Tryphone: videlicet, licuisse Patribus habere plures simul vxores, ad delineandum rerum futurarum mysterium. *Omnia quippe in figura contingebant illis, & erant vmbra futurorum.* Quæ omnia hausisse videntur ex Apostolicis fontibus, maximè verò ex capite quarto Epist. ad Galatas. Nam ibidem Apostolus à versu vigesimo secundo fusè mysterium hoc explicat. *Hæc enim sunt, inquit, duo testamenta. Vnum quidem in monte Sina, in seruitutem generans, quæ est Agar. Sina enim mons est in Arabia, qui coniunctus est ei, quæ nunc est Ierusalem, & seruit cum filijs suis. Illa autem, quæ sursum est Ierusalẽ, libera est, quæ est mater nostra. Nos enim fratres, secundũ Isaac, promissionis filij sumus, &c.*

ET FVIT VTRAQ. &c.

SS. Patrum testimonia.

Quid autem Patres ipsi senserint de polygamia veterum, facile liquere potest ex ipsorum testimonijs. Clemens Alexandrinus στρωμάτων libro 4. ait, Deum primis illis temporibus exegisse polygamiam. Sanctus Chrysostomus ait, Deum illis polygamiam concessisse. S. Hieronymus ad Geruntiam ait, id factum fuisse pro varietate temporum. Augustinus de Doctrina Christiana, lib. 3. cap. 12. ait, factum illud Patrum non esse spectandum ex actione ipsa externa, sed ex modo appetendi. Ideoque ait, eos, si sobolis tantùm causa hoc fecerint, non peccasse: at si qui fuerint, qui libidinem in ea re quæsierint, eos non posse excusari. Agebat quidem eo loco sanctus Augustinus de cibis: sed hoc addidit ad extremum de polygamia: eamque ait sufficiendæ prolis gratia inculpabilem fuisse. Idem contra Faustum Manich. Quoniam tum, inquit, mos erat, peccatũ non erat. Et in eodem lib. de Doctrina Christiana, c. 18. Potuerunt, inquit, & plures castè habere, & vnam cum libidine. Et addit, Eos, qui plures habuerunt propter aliud, id est, propagationis ergo, præferendos esse illis, qui vnam tantùm habuerunt propter ipsam. Sanctus Ambrosius de Abraham Patriarcha ait, eum nihil fecisse propter libidinem, ideoq; posse excusari. Idem postremò asserit Magister Sententiarum lib. 4. distinct. 33. Sic ergo defendi possunt facta Patrum: primùm, quòd antiquissimi illi spiritu Dei, quo erant prædıti, intellexerint, Deum remisisse legem suam: deinde, quòd posteriores sequuti sint exempla superiorum: maximè cùm viderent illud factum nec reprehensum vspiam fuisse à Deo, nec postea lege vlla interdictum.

Vtrum polygamia fieri possit apud Christianos.

QVÆST. LXXXV.

Christianis polygamia interdicitur.

QVod autem ad tertiam partem institutæ disputationis attinet, vtrum ea libertas ad nos quoq; transferri possit, respondeo, id planè non licere. Iam enim Christus declarauit legem illam Dei, eamque ad primam institutionem reuocauit. Itaque qui eam iam transgreditur, manifestè pugnat cum verbo Dei. Deinde sublata causa, necesse est tolli effectum. Causa autem erat propagatio. Eâ nunc nihil opus est. Deus enim habet iam cultores suos per vniuersum orbem terrarum. Antea verò, oportuit cultum Dei retineri in vno populo vsque ad aduentum Christi. Commodissimè autem factum est, vt lex ea per Christum explicaretur. Cùm enim Adam primus fuisset monogamus, par erat vt Christus, secundus Adam, cuius ille primus typus fuerat, inter suos monogamiam institueret.

Patrum de ea re sententiæ.

Huic à me allatæ sententiæ subscribunt omnes Patres. Nam sanctus Chrysostomus homilia quinquagesima sexta in Matthæum, Non iudicandum est, inquit, de Patribus pro nostra

A ratione: tum enim licebat: modò non licet. Et addit, Christum venisse, vt nos traduceret ad statum Angelorum. Nunc enim conceditur vna, donec veniamus eò, vbi nec nupturæ sint, nec ducturi vxores. Idem in orat. de Libello repudij ait, Christum idcirco venisse, vt nos traduceret ad altiorem Philosophiam. Veram Religionem appellat Philosophiam, vt Græcorum tolleret supercilium, qui suæ Philosophiæ tantùm tribuebant. Sanctus Hieronymus multa passim de hac re scribit ad Geruntiam, ad Eustochiam, & contra Iouinianum. Inter cætera autem scribit, Christum fuisse α, & ω. Cumque res iam peruenisset ad ω, hoc est, ad extremum, eam à Christo reuocatam fuisse ad α, hoc est, ad initia. Deo enim placuisse, vt Paulus ait ad Ephesios, *Omnia ἀνακεφαλαιώσασθαι, instaurare in*

B *Christo*: vt quæ imperfecta adhuc essent, ad perfectionem reducerentur. Ad Eustochium ait, Orbem antea fuisse vacuum. Cùm autem iam esset matura messis, Deum immisisse falcem, hoc est, huiusmodi libertatem resecasse.

S. Hieron.

Valentiniani & Marcionitæ, ex hoc facto veterum Patrum, accusabant Deum veteris Testamenti. Christum autem filium boni Dei prædicabant, permissionem istam mali Dei rescidisse. Sanctus Hieronymus respondet: Nos non diuidimus legem & Euangelium: neque Christum opponimus Patri suo: sed vnum colimus Deum, qui pro tempore illud voluit: nunc autem contrà istud statuit: tum enim *tempus fuisse spargendi lapides: nunc esse colligendi*, tum *fuisse tempus amplexandi: nunc esse tem-*

C *pus abstinendi ab amplexibus*. In summa ait, Patres inseruisse temporibus illis. Et illud, *Crescite, & multiplicamini*, hoc tempore non æquè vigere. Nam olim virginitatem fuisse probo: nunc Paulum scribere, *Tempus in contracto est: quare, qui habent vxores, sint tanquam non habentes*. Et addit, Christum præcipuè probare illos, *qui castrauerunt seipsos propter regnum cælorum*. Augustinus quoque de Doctrina Christiana, libro tertio, cap. decimo tertio, ait, illos veteres ita fuisse castos, vt si in nostra tempora incidissent, sese castraturi fuissent propter regnum cælorum. Item ait, nunc non posse haberi plures vxores, nisi cum libidine: quòd id futurum sit contra leges, & mores, qui violari non possint citra libidinem. Idem contra Faustum: quia tum mos erat, inquit, peccatum

S. August.

D non erat: nunc autem quia mos non est, peccatum est. Clemens in Stromatis, quem locum suprà citaui, cùm dixisset, Deum in lege exegisse polygamiam, adiecit postea, eam nunc non licere. Et sanctus Iustinus contra Tryphonem ait, Nunc quemque lætari sub vite suâ: hoc est, quemque habere vxorem suam, eamque vnam. Et reprehendit Rabbinos, qui hactenus sibi permitterent plures. Ex Origene nihil certi eruere possumus, ita ludit in suis allegorijs: & plures facit plures virtutes: & eum ait esse felicissimum, qui asciscat plurimas.

Clem Alex.

S. Iustinus.

Ex his omnibus apparet, nobis hodie polygamiam prohiberi. Atque his omnibus hoc etiam addo, Romanas leges nunquam permisisse

Et fuit vtraque &c.

sisse polygamiam: & boni ciuis esse, bonis legibus obtemperare. Imò Plutarchus ait, grauissimam insequutam fuisse perturbationem Reipublicæ, & orbis terrarum, cùm ea lex infringeretur. Postquam enim Antonius, qui Octauiam iam Cæsaris Octauij sororem habebat in matrimonio, Cleopatræ delinitus illecebris, eandem habere vxoris loco instituisset, tulit id indignè populus, & Augustus indignissimè. Itaque summis vtrinque viribus dimicatum est, donec Antonius sceleris autor cum pellice ipsa periret. Valentinianus Senior, cùm Seuera superstite Iustinam secundo loco asciA uisset vxorem, tametsi probatis alioqui moribus, & religionis amans, Deum vindicem expertus est. Nam si earum nuptiarum spectemus euentum, Iustina illa secunda vxor Arianam hæresim pertinaci animo complexa, grauiter afflixit sanctum Ambrosium, quem semper Valentinianus summo in honore habuerat. Iunior autem Valentinianus, qui natus est ex Galla Iustinæ filia, sequutus est errores auiæ, & vehementer oppressit Ecclesias. Occubuit autem miserè, in lectica obtruncatus. Sed de polygamia hactenus.

Non desũt tamen qui negent Valentinianũ Seuera superstite, Iustinam asciuisse.

CAPVT VIGESIMVM-SEXTVM.

ET venerunt Ziphæi ad Saul in Gabaa, dicentes: Ecce, Dauid
absconditus est in colle Hachila, quæ est ex aduerso solitudi-
nis. 2. Et surrexit Saul, & descendit in desertum Ziph, &
cum eo tria millia virorum de electis Israël, vt quæreret Dauid
in deserto Ziph. 3. Et castrametatus est Saul in Gabaa Ha-
chila, quæ erat ex aduerso solitudinis in via: Dauid autem ha-
bitabat in deserto. Videns autem quòd venisset Saul post se in
desertum, 4. misit exploratores, & didicit quòd illuc venisset
certissimè. 5. Et surrexit Dauid clàm, & venit ad locum vbi erat Saul: cumque vi-
disset locum, in quo dormiebat Saul, & Abner filius Ner, princeps militiæ eius, &
Saulem dormientem in tentorio, & reliquum vulgus per circuitum eius, 6. ait Da-
uid ad Achimelech Hethæum, & Abisai filium Saruiæ, fratrem Ioab, dicens: Quis
descendet mecum ad Saul in castra? Dixitque Abisai: Ego descendam tecum. 7.
Venerunt ergo Dauid & Abisai ad populum nocte, & inuenerunt Saul iacentem, &
dormientem in tentorio, & hastam fixam in terra ad caput eius: Abner autem &
populum dormientes in circuitu eius. 8. Dixitque Abisai ad Dauid: Conclusit
Deus inimicum tuum hodie in manus tuas: nunc ergo perfodiam eum lancea in ter-
ra, semel, & secundo opus non erit. 9. Et dixit Dauid ad Abisai: Ne interficias
eum: quis enim extendet manum suam in christum Domini, & innocens erit? 10.
Et dixit Dauid: Viuit Dominus, quia nisi Dominus percusserit eum, aut dies eius ve-
nerit vt moriatur, aut in prælium descendens perierit: 11. propitius sit mihi Do-
minus, ne extendam manum meam in christum Domini. nunc igitur tolle hastam,
quæ est ad caput eius, & scyphum aquæ, & abeamus. 12. Tulit igitur Dauid ha-
stam, & scyphum aquæ, qui erat ad caput Saul, & abierunt: & non erat quisquam,
qui videret, & intelligeret, & euigilaret, sed omnes dormiebant, quia sopor Domi-
ni irruerat super eos. 13. Cumque transisset Dauid ex aduerso, & stetisset in ver-
tice montis de longè, & esset grande interuallum inter eos, 14. clamauit Dauid
ad populum, & ad Abner filium Ner, dicens: Nonne respondebis Abner? Et res-
pondens Abner, ait: Quis es tu, qui clamas, & inquietas Regem? 15. Et ait Dauid
ad Abner: Numquid non vir tu es? & quis alius similis tui in Israël? quare ergo non
custodisti dominum tuum Regem? ingressus est enim vnus de turba, vt interficeret
Regem, dominum tuum. 16. Non est bonum hoc, quod fecisti: viuit Domi-
nus, quoniam filij mortis estis vos, qui non custodistis dominum vestrum, christum
Domini. nunc ergo vide vbi sit hasta Regis, & vbi sit scyphus aquæ, qui erat ad ca-
put eius. 17. Cognouit autem Saul vocem Dauid, & dixit: Numquid vox hæc
tua, fili mi Dauid? Et ait Dauid: Vox mea, domine mi Rex. 18. Et ait: Quam
ob causam dominus meus persequitur seruum suum? Quid feci? aut quod est ma-
lum in manu mea? 19. Nunc ergo audi, oro, domine mi Rex, verba serui tui: Si
Dominus incitat te aduersum me, odoretur sacrificium: si autem filij hominum,

maledicti sunt in conspectu Domini: qui ejecerunt me hodie, vt non habitem in hæreditate Domini, dicentes: Vade, serui dijs alienis. 20. Et nunc non effundatur sanguis meus in terram coram Domino: quia egressus est Rex Israël, vt quærat pulicem vnum, sicut persequitur perdix in montibus. 21. Et ait Saul: Peccaui, reuertere fili mi Dauid: nequaquam enim vltrà tibi malefaciam, eò quòd pretiosa fuerit anima mea in oculis tuis hodie: apparet enim quòd stultè egerim, & ignorauerim multa nimis. 22. Et respondens Dauid, ait: Ecce hasta Regis: transeat vnus de pueris Regis, & tollat eam. 23. Dominus autem retribuet vnicuique secundum iustitiam suam & fidem: tradidit enim te Dominus hodie in manum meam, & nolui extendere manum meam in christum Domini. 24. Et sicut magnificata est anima tua hodie in oculis meis, sic magnificetur anima mea in oculis Domini, & liberet me de omni angustia. 25. Ait ergo Saul ad Dauid: Benedictus tu fili mi Dauid: & quidem faciens facies, & potens poteris. Abijt autem Dauid in viam suam, & Saul reuersus est in locum suum.

Et venerunt, &c.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Hoc caput in quatuor capita diuiditur. Quorum in primo scribitur, Saulem proditione Ziphæorum incitatum fuisse, vt persequeretur Dauidem. In altero, Dauidis audax facinus commemoratur, & Saulem conjectum fuisse in tam graue periculum, vt à Dauide potuerit occidi. In tertio proponitur dialogismus inter Dauidem & Saulem. Saul postremò ratione victus, & Dauidis iam sæpius spectata beneuolentia, eidem fausta precatur: & receptui canens, eundem liberum abire permittit.

Versvs I.

Et venerunt Ziphæi ad Saul in Gabaa, dicentes: Ecce Dauid absconditus est in colle Hachila, quæ est ex aduerso solitudinis.

Versvs II.

Et surrexit Saul, & descendit in desertum Ziph, & cum eo tria millia virorum de electis Israël, vt quæreret Dauid in deserto Ziph.

Variæ trāslationes.

Pagninus legit cum Vulgat. præter hæc: *Nonne Dauid latet in Ghibhah, siue Gabaa,* (nam eadem voce Hebræus vtitur, qua suprà) *Chachilah, quæ est contra faciem Jesimon?* Arias ad marg. *solitudinis.* prior dictio Hebræa est. Alius, *in colle Hachila, qui est è regione Iesimon. Rursus,* ait quidam, *venerunt Ziphæi, &c.* & de prima eorum proditione vide sup. 23. 20. Vatablus, *ad Saul in Gabaa,* Beniamin scilicet. Lxx. edit. Complut. καὶ ἔρχονται οἱ ζιφαῖοι εἰς τὸν βουνὸν πρὸς Σαὺλ, λέγοντες, ἰδοὺ Δαυὶδ κέκρυπται παρ' ἡμῖν ἐν τῷ βουνῷ τῷ ἐχελὰ τὸ κατὰ πρόσωπον τοῦ ἰεσσεμοῦ. *Et venerunt Ziphæi in collem ad Saul, dicentes: Ecce Dauid absconditus est apud nos in colle Echela, qui est ex aduerso Iessemun.* Edit. Ald. & Rom. καὶ ἔρχονται οἱ ζιφαῖοι ἐκ τῆς αὐχμώδους πρὸς τὸν Σαὺλ εἰς τὸν βουνὸν λέγοντες. ἰδοὺ Δαυὶδ σκεπάζεται μεθ' ἡμῶν ἐν τῷ βουνῷ, &c. *Et veniunt Ziphæi ab æstuosa ad Saul in collem, dicentes: Ecce Dauid tegitur nobiscum in colle Echelà, &c.* Versu secundo, *In desertum Ziph.*] Admonet Nobilius à Lucifero Caralit. pro sancto

A Athanasio *opacum* dici.

Et venerunt Ziphæi ad Saul in Gabaa.] Ziphæi cùm semel cœpissent Dauidem prodere, noluerunt ab incœpto discedere. Itaque Saulem cupientem, & de ea re maximè cogitantem incitant, & extimulant, vt ad capiendū Dauidem, dū se putat in tuto versari, irrueret. Ita illis pulcrum videbatur Regis odio velificari, &, quod in aulis perpetuò fieri videmus, ad eius rationes sese adiungere. Nam qui grauiter aliquem læserunt, desperant se vnquam postea cum eo in gratiam redituros. Itaque labantē solo affligere ac funditus euertere student. Isti cùm semel caput, & salutē Dauidis nefarie prodidissent, cogitabant se non posse deinceps degere securos, maximè si Dauid rerum aliquando potiretur. Itaque illorum improbitate & nequitia persequutio illa Saulis vtcunq; sopita recruduit. Dauid porrò non videtur prudēter sibi cōsuluisse, qui cùm semel Ziphæorum perfidiam expertus esset, postea tamen in illorum regione moraretur. Nam qui ita facit, videri possit tentare Deum. Verùm cùm is tum amicorum inopia laboraret, nec satis videret cui se tutò posset credere, oportuit eum ibi esse, vbi posset sibi suisque quamoptimè prospicere: deinde fortunæ, & quæcunq; erant opes Abigaëlis in illis locis erant positæ. Non ergo temeritatis, sed necessitatis potius erat, quod ex agro Ziphæorum non discesserit.

Pergunt Ziphæi perdere velle, quem iam antea prodiderant.

B

Ecce Dauid absconditus est in colle Hachila.] Perinde vti solent canes venatici lustrare ferarū vestigia, ita & homines impij rimari student innocentium latebras, si quando à tyrannis ad necem postulentur. Gaudent enim meliorum vexatione, nec minimam ex eorum ærumnis & calamitatibus voluptatem percipiunt; tametsi

Ecce David, &c. metsi reuera nihil inde emolumenti consequa-
tur. *Odio*, inquiebat, *habuerunt me gratis*. Odium
autem ex antipathia nascitur, quæ res inter se
pugnantes & contrarias committit. Nam si quid
infestum patimur, & à rationibus nostris alie-
num, illud auersamur animo, & tanquam ma-
lum odio prosequimur. Causas porrò tam iniu-
sti odij breui tanquam indice siue compendio
Sapiens complexus est Sapientiæ c. 2. *Quoniam*,
inquiunt ibidem impij, *inutilis est nobis; & con-
trarius est operib. nostris; & improperat nobis pecca-
ta legis; & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ:*

Quas ob causas impij iustum oderint.

*promittit se scientiam Dei habere; & Filium Dei se
nominat. Factus est nobis in traductionem cogitatio-
num nostrarum, grauis est nobis etiam ad videndũ;
quoniam dissimilis est aliis vita illius; & immutatæ
sunt viæ eius. Tanquam nugaces æstimati sumus ab
illo; & abstinet se à viis nostris tanquam
ab immunditiis; & præfert nouissima iusto-
rum; & gloriatur patrem se habere Deum.* Quæ
omnia tametsi de Christo prophetice admodũ
dicta sint, attamen Dauidi quantum secundum
analogiam conueniant improba Ziphæorum
sedulitas ostendit. Nec mirum; cùm in pleris-
que illius personam gereret. Decem porrò ra-
tionibus scelerati homines se moueri dictitant,
quibus ad commoliendam iusto perniciem in-
citentur. Queruntur enim primùm *quod sit*
1. *inutilis*, hoc est minimè aptus ad suscipienda
cum illis scelera, quòd nolit pariter cum illis
flagitio contaminari. Nam cùm boni nihil spi-
rent, hanc solum vtilitatem spectant, si quis ma-
la eorum studia promoueat. At secundo loco
2. hoc illos vehementius angit & stimulat, quòd
sit inquiunt *contrarius operibus nostris*. Nam cum
fortunas pauperum diripere studeamus, ille
contrà prohibet; cum bacchari in cæde inno-
centium, hos ille suo præsidio tuetur. Tertiò,
3. *Improperat nobis peccata legis*. Etiam in nos cen-
soria sua illa grauitate animaduertit, verbis ca-
stigat, nec patitur pro nostra libidine contra le-
gem grassari. Tanquam obicem, legis authori-
tatem cupiditatibus nostris obijcit, & pudoris,
iuris, atque officij repagula vellere contenden-
4. tes fatigat exprobratione perpetua. Quartò,
etiam, inquiunt, *diffamat in nos peccata discipli-
næ nostræ*. Græcè ἐπιφημίζει ἡμῖν ἁμαρτήματα παιδείας
ἡμῶν, *celebrat nobis peccata disciplinæ nostræ*. Ita
Montanus. Hoc est, institutum vitæ nostræ re-
prehendit, in vitia nostra inuehitur, & apud po-
pulares traducit, quo reliquos ab ineunda no-
5. biscum societate absterreat. Adhæc Scriptura-
rum doctrina fretus, quam Dei esse confidit,
eruditionem nostram facilè contemnit, & pru-
dentiam nostrã ludibrio habet. Præterea *Filiũ
Dei se nominat*, eòque titulo gloriatur. Atque
6. adeo præ illo honore fastum ac superbiam no-
stram nullo loco ducit. Subinde etiam *factus
7. est nobis in traductionem*, εἰς ἔλεγχον, Arias, *in re-
dargutionem cogitationum nostrarum*. Conscien-
tiæ suæ æstum produnt ac perturbationem,
eiúsque procellæ eundem authorem faciunt.
Nam si paria nobiscum studia sectaretur, per-
petrata flagitia nullum nobis terrorem incute-
rent. Nunc verò cum ab iis abhorreat, animum
suspicio subit, ne forte male agentes malum no-

A bis accersamus. Ea porro cogitatio nequaquam Ecce David, &c.
liquida ac libera voluptate frui nos sinit. Octa-
uò, *Grauis est nobis ad videndum*. Vel solus il-
lius conspectus nos offendit. videre illum abs- 8.
que molestia & mentis ægritudine non possu-
mus. Quid ita? Quoniam *dissimilis est aliis vi-
ta illius*. Hoc malos vrit, si quis reliquis virtu-
te præluceat. Sic enim interpretantur, illius in-
nocentia improbitatem suam accusari. Sed &
illud ægrè ferunt cum sint superbissimi, & o- 9.
dio pariter atque inuidia rumpantur, si quis
pietate ac religione antecellere videatur. Hanc
verò illorum inuidiam manifestè prodit Græca
dictio. Sic enim scriptum est: Καὶ ἐξηλλαγμέναι αἱ
τρίβοι αὐτοῦ. quam sententiam interpres quidem
noster cum Montano exponit, *& immutatæ sunt
B viæ illius*. Verisimile tamen est sic quoque com-
modè verti potuisse, *& facta sunt egregiæ viæ il-
lius*. Seu viæ illius, studia, & mores præstant re-
liquis, nósque gloria & opinione longè supe-
rant. Sequitur, *Tanquam nugaces æstimati su- 10.
mus ab illo*, siue, vt significantius Græca phrasis
exprimit, εἰς κίβδηλον ἐλογίσθημεν αὐτῷ, *in spurium
æstimati sumus ei*. Et quidem hoc Dauid alibi
planè testatur, cum ait: *Filij alieni mentiti sunt
mihi*. Christus etiam apertius, *Vos ex patre* 11.
*diabolo estis. Et abstinet se à viis nostris tan-
quam immunditiis*. quemadmodum enim qui
corporis munditiam affectant, cœnum & sor-
des diligentissimè fugiunt: haud secus qui pie-
tatis & innocentiæ desiderio flagrant, malorum
consuetudinem cane peius & angue vitãt, quo
nihil ipsi ferunt iniquius. Denique, *Præfert*, 12.
C inquiunt, *nouissima iustorum*: siue, μακαρίζει ἔσχα-
τα δικαίων, *beata prædicat postrema iustorum, &
gloriatur patrem se habere Deum*. Nihil æque
iram accendit, & odium suscitat, vt contem-
ptionis opinio. Ille porrò hoc interim spacio
dum de morte Philosophatur, conatus nostros
ridet: & futurorum bonorum expectatione
contentus, præsentia despicit: & præ vno Deo,
quem se patrem habere iactitat, nostra illi so-
cietas & consuetudo sordet. quamobrem, *Ve-
nite*, inquiunt, *contumeliis & cruciatu vexemus
eum, & damnatissima morte afficiamus*. Et hoc
quidem impij vltro faciunt, quum nulla à iusto
iniuria læsi sint, nec sperent ex illius incommo-
dis commodi quicquam ad se redundare posse.
quid si emolumenti spes aliqua affulgeat? quid
si sponte currentibus calcar addideris? quo tum
D impetu in iustũ irruent? Nec sumptui deinceps,
nec labori parcent, quo illi necẽ & exitiũ parẽt.
At nemo vicissim iustum vestigat pari diligẽ- Genes. 18.
tia, quo eidem opem ferat. Fertur quidẽ Abra-
ham, nihil moratus æstũ diei peregrinos specu-
lari solitus de ostio tabernaculi, vt labore fra-
ctos & inedia cibo recrearet. Tobias quoq; le-
gitur discrimen capitis adiisse, quo cæsorum ca-
dauera clàm è platea apportata, noctu sepultu-

Malorum nocẽdi studium piorũ diligentiã superat.

ræ mandaret. Sed neuter eorum deserta lustra-
uit, vt iusti cuiusquam inopiam leuaret. Haba-
cuc iussus ferre prandium Danieli, Angelo res- Daniel. ca. 14. v. 33.
pondit: *Domine, Babylonem non vidi, & lacum
nescio*. Dauid cum rogaret, à Nabale repulsam
passus est. Sic vicit Sanctorũ impigram diligen-
tiã non raro malorũ nocendi libido, quib. nullæ

Ecce David, &c.

incompertæ latebræ, nulla solitudo inuia, aut inaccessa rupes, quam non improbo labore superent. Multa porrò Dauidem horribilem malis & formidolosum efficiebant. Virtutis iam satis spectatæ splendor, armorum gloria, morũ sanctitas, legis studium, odium impietatis, fama designati principatus, Principis ipsius liuor & inuidia, popularium fauor, Ziphæorum animos ad scelera prõptos in perniciem insontis acuebant. Verebantur siquidem, ne tali tantóque principe à flagitiorum suorum consuetudine ad religionis & pietatis cultum reuocarentur, & legis iugum quod principum socordia dudũ à se excusserant, & ferre detrectabãt, subire denuò cogerētur. Quod si quis eo nomine proditionem ipsorum defendi posse putet, quòd eo pacto Regis libidini obsequerentur, intelligat, nequaquam iniustis principum desideriis obtēperandum esse. Vrgebit forsan, negabitq; regiæ voluntatis examen subiectis permissum esse. Vt vt sit respondet Apostolus, *Rationabile sit obsequium vestrum*: non enim feris & brutis, sed ratione præditis hominib. imperant. Ziphæos verò latere nõ poterat, quod in ore omniũ versaretur innocentē, & de Rege atq; adeo vniuersa Republ. benemeritum, contra ius fasq; ad necē peti. quod si mandata Principis Dei leges violent, contemnēda nobis illa sunt, vt Deo pareamus. Tantisper tamen dum sceleris intentio clã nobis est, morem gerere necesse est, nec prætērquã in manifestis flagitiis imperiũ detrectandũ. Deus enim regũ iudicio obnoxios nos esse voluit, & de eorum arbitrio pendere: reges autem nusquam iussit consiliorum factorúmque suorum cum iis, quos regendos susceperint, rationes putare. Tametsi iampridem etiam apud Ethnicos consuetudo obtinuit, vt cùm aliquid Principes edicerent, edicti pariter rationes ederent. Sed non potest ea res esse perpetua, cũ pleráque nonnunquam tegi expediat.

Quo nomine Dauid Ziphæis formidolosus.

A

B

C

Et surrexit Saul, & descendit in desertum Ziph.] Cum Ziphæi Sauli consilia sua inculcassent, statim omnia Dauidis superiora beneficia traduntur obliuioni: & mens illa, quæ Dauidi aliquo modo reconciliata fuerat, prorsus immutatur. Ita enim ruere solent homines deserti à Deo. Nam vt Paulus ait ad Timoth. 2. captiui tenentur in obsequium diaboli. quare S. Greg. verissimè dixit, Peccatũ, quod non diluitur per pœnitentiã, suo pondere trahit aliud. Saül ergo idem nunc est, qui ante fuerat. Hic iã apparet prudētia Dauidis, qui reconciliata vtcunq; gratia, tamen non redierit in aulam, nec sese statim cõtulerit ad Saulem. Saül antea publicè confessus fuerat, & iuiurando affirmauerat, se certò scire, Dauidem esse regnaturum. Sed illud iusiurãdũ tametsi tũ recētis beneficij magnitudo extorsit nequaquãtamen vt id fieret animo assensus est. Fore quidem credidit admiratus Dauidis prudentiam & diuinæ circa eum beneuolētiæ prouidentiã. sensim tamen dolor ex ea opinione inflictus & assidua ægritudo animi præteritorum inducēs memoriã persuasit oblata occasione incautũ posse opprimi atq; eo pacto trãsferēdi regni metũ vanescere. Hinc ergo manifeste patet virtutis actũ cũ habitu cõtrario posse cõsistere.

D

nec eũdē vno atq; altero actu cõtrario extingui.

Ecce David, &c.

Vt quæreret Saul in deserto Ziph.] Mira hæc odij cõtumacia, quæ nullo beneficio vinci potuerit. Author est Iosephus Antiquit. lib. 13. c. 19. Alexandrum Regē Iudæorũ, nullo suo merito in patris Aristobuli, populiq; odiũ offensionémq; incurrisse, quos nullo vnquã officio placare potuerit. Huic, inquit, accidit, vt mox natus exosus patri factus sit, nec vnquã dũ ille viueret in eius cõspectũ admissus. Eius odij causam ferũt hanc fuisse. Cum aliquãdo in sõnis ei Deus apparuisset, rogauit de successore, solicitus de Aristobulo & Antigono, quos præ cæteris diligebat fratribus. Sed cum Deus huius effigiē designasset, contristatus quod is in omnes fortunas successurus esset, in Galilæa educari eum voluit. Sed oraculi fidē euentus approbauit. Postquam vero defuncto patre rerum potitus esset, in eundē populi coorta seditio est, cũ per Scenopegiæ celebritatē in parantē sacrificare coniecta sunt citrea: nam hoc festo nostris morē esse palmeos & citreos thyrsos gestare indicauimus: quin & conuitiis impeditus est populariter, quibus exacerbatus occidit eorũ circiter sex millia. Subinde vero cõplures annos ab iisdē bello vexatus, nõ minus quã L. millia Iudæorũ interfecit. quã cædem cũ fecisset eorũ lacessitus iniuriis, & pacis desiderio victos ad reconciliationē hortaretur, adhuc magis ciuium suorum odia accēdit: & rogãti, quid se vellent facere, ore vno respõsũ est, vt teipsũ interficias. Itaq; aduersariorum suorum vitam, non autem odia extinxit.

Iosephus.

Gratis odio habitus.

VERSVS III.

Et castrametatus est Saul in Gabaa Hachila, quæ erat ex aduerso solitudinis in via: Dauid autem habitabat in deserto. Videns autem quod venisset Saul post se in desertum.

VERSVS IV.

Misit exploratores, & didicit quòd illuc venisset certissimè.

IN *Gabaa Hachila.*] Haud secus Pagninus. *Collem* prius Vulgatus interpretatus est, vti rursum Græci hoc loco, interpres Paraphr. Chald. Vatablus, & alij. *Ex aduerso solitudinis.*] Hebr. *Iesimon*: quod retinent plerique interpretes. Reliquis duobus locis, quibus *desertum* legimus, Hebraice scriptum est במדבר *bamidbar* Significat autem מדבר *midebar*, locum vastum & incultum, in quo syluæ, montes, & pabula. Tres sunt inferioris mundi partes: ים *iam*, mare; מדבר *midebar* desertum, & ישוב *iscouf* habitatio. מדבר *midbar* autem siue desertum, non raro in Scripturis pro plaga Meridionali accipitur, eo quod desertum Iudææ à Meridie esset. Psal. 75. vers. 7. *Quia neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque à desertis montibus.* Hebraic. ממדבר *v immidebar*, *à deserto*. Alij exponunt *à Meridie*. Chaldæus *ab Austro* simul & *Septentrione*. Aliàs desertum proprium sibi nomen asciscit à vicina regione; vt desertum Sinai, desertum Damasci, Iudææ, &c.

Variè interpretatur.

Versu

Misit exploratores &c. Versu 4. *Et didicit quòd illuc venisset certissimè.*] Hebr. אֶל־נָכוֹן *el-nachon*, certo, pro certo, reuera. Chaldæus, בִּקְשׁוֹט *bikesot, in veritate*. Sept. edit. Aldinæ, ὅτι ἥκει Σαοὺλ ἕτοιμος ἐκεῖ, *quia venit Saul verè illuc*. quod nō abhorret à Vulgat, *certissimè*, Complut. ἕτοιμος ἐκεῖ, *paratus illuc*. Lucifer habet tantum, *in Sicelet*. Roman. editio, *quia venit Saul paratus de Ceila*.

Suidas. *Misit exploratores.*] Suidas in Γέρανοι λίθους καταπιοῦσαι, Grues, quæ lapillos deuorarunt. De iis dici solitum admonet, qui prudēter aliquid agunt. Grues enim, quod sublimè volent, & ob directum impetum, quo ferūtur, rerū infra sitarum aspectu impediantur, lapillos gestāt, vt eos volatu lassatæ deijciāt, & sentiāt vtrū supra terrā an vero supra mare ferātur. Nā si lapis in mare deciderit, iter conficere pergūt, sin vero in terrā, requiescūt. Hæc ille. Sic illæ sua pericula explorāt. Dauid cū rē haberet cū homine captioso, ſéq; peti insidiis nō ignoraret, exploratores mittit, per quos hostium dolos & artes detegat.

Festus. *Exploratores.*] Festus lib. 5. de verbor. significatione, Speculator ab exploratore hoc distat, quod speculator hostilia silentio perspicit: Explorator parata clamore cognoscit. Græci hoc

Pollux. loco κατασκόπους nomināt. Pollux lib. 1. c. 11. sect. 22. σκοποὶ, καὶ κατάσκοποι. καὶ ἐπὶ κατασκοπὴν ἐξελθεῖν, ἐπὶ προσκοπήν. Ad speculandum exire, ad explo-

Exploratoris munus & etymologia. randum. Hebr. מְרַגְּלִים *meragelim*. à verbo רָגַל ragal quod est detulit, obtrectauit, fefellit. Deriuatur à nomine רֶגֶל *regel*, quod pedem significat. Explorator enim pedibus varia loca circuit & concito cursu si quid inuestigauerit ad suos defert. Talis etiam dicitur qui viam monstrat, & tutum præstat iter, qualem se præbuisse Deus testatur Israelitis erūpentibus ex Ægypto. Osee c. 11. v. 3. Capitis pœnas luunt, si in hostiū castris deprehēsi fuerint. *D. de re militari, L. omne.* Ap-

Appianus. pianus de bello Punico de Annibale loquens, Ille, inquit, castra sua mouit, ter missis in Romana exploratorib. Hos comprehensos Scipio, præter Castrensem morem, non interfecit: sed iussos circumire, vt armamētaria, machināsque, & decurrentem exercitum inspicerent, dimisit incolumes, vt Hannibalem edocerent de singulis. Xerxes quoque Græcorum speculatores à suis ducibus tortos, & ad supplicium raptos, iussit periculo eripi, & ostenso iisdem exercitu absq; noxa dimitti: sperans eo pacto terrorem Græcis

Herodot. incuti posse. Author Herodotus lib. 7. De his

Vegetius. admonet Vegetius lib. 3. c. 5. Sciēdum est, inquit, signa vocalia in castris quotidie debere variari, ne ex vsu hostes signū agnoscant, & exploratores inter nostros versentur impune.

Versus V.

Et surrexit Dauid clàm, & venit ad locū vbi erat Saul: cúmque vidisset locum, in quo dormiebat Saul, & Abner filius Ner, princeps militiæ eius, & Saulem dormientem in tentorio, & reliquum vulgus per circuitum eius.

Variæ translat. PAgninus, *Et surrexit Dauid, & venit ad locum in quo castrametatus erat Saul. Et vidit Dauid*

A *locū in quo iacebat Saul, & Abner filius Ner. princeps militiæ eius. Et Saul iacebat in loco castrorū, & populus erāt castrametati per circuitū.* Arias, *Et Saul iacens in rotunditate, & populus castrametantes circuitu eius.* Alius, *dormiebat autem Saul intra castra, & populus ambiebat eum per circuitū. Intra castra*] בַּמַּעְגָּל *bammaagal*. Significat autem מַעְגָּל *maagal*, orbitam, vestigium currentis in via, rotæ. Inde quoque metaphoricè s gyrum castrorum, qui scilicet fit ex curribus, equis & custodibus. Chaldæus, *Et Saul cubans in vallo, & populus se ponentes circum ipsum.* Quidam, *Saul autem cubabat in ambitu plaustrorum, populus verò castra habebat circa eum.* id est, in pedimentis omnibus castra sua circummunierat à Dauide metuens: vide sup. 17. 20. Vatablus, *Saul autem dormiebat intra vallum, &c.* Sept. Καὶ ἀνέστη Δαβὶδ λάθρα, &c. *Et surrexit Dauid clàm, &c.* Καὶ Σαοὺλ ἐκάθευδεν ἐν λαμπήνῃ· καὶ ὁ λαὸς παρεμβεβληκὼς κύκλῳ αὐτοῦ, *Et Saul dormiebat in curru & populus castrametatus est per circuitum eius.* Rom. edit. Græc. vocem

B

intactam reliquit: *Et Saul dormiebat in Lampene.* Quo loco Nobilius in Not. Theodoret. inquit, qu. 59. λαμπήνη quidem est genus currus, sicut etiā ἀπήνη. Aquila dixit ἐν στρογγυλώσει, *in canitate & rotunditate.* Ratio autē indicat in medio exercitus cubuisse regem, &c. Eadem repetit Procopius. Lucif. *in stragulis præclaris*, & paulò post, *in stragulis pretiosis*, Vulgata, *in tentorio.* Chald. *in vallo.*

Et surrexit, &c. *Et surrexit Dauid clàm, & venit, &c.*] ἅλας ἄγων καθεύδεις, Salem vehens dormis. Græcorum illud fuisse prouerbium Suidas testatur de eo, qui in discrimine versatur, & negligenter agit. Suidas in ἅλας ἄγων.

C Mercator enim cùm sale nauem onerasset, & sentinam parum curiosè curaret, aqua sensim ac sine sensu irrumpens salem liquefecit, ac nauem perdidit. Idem opinor hoc loco non sine ratione Saüli objci potuit, qui hosti vicinus in deserto loco & aperto securè dormiret. Dauid, etsi certus esset de salute sua, vtpote qui esset à Deo princeps designatus, tamen misit exploratores, venit ipse, nihil per socordiam prætermisit, quod ille status rerum postulare videretur. Saül autem ociosè somno indulget, & quòd Dauidem hominem exulem, & ab omnibus desertum contemneret, & quòd se videret magno numero lectissimorum militum esse vallatum. Et tamen si vigilasset, nihil ista omnia efficere potuissent, cū proderetur à Deo. *Frustra* quippe *vigilat qui custodit ciuitatem, nisi Dominus custodierit eam.* Periculosa securitas.

D Vt contrà, etsi pij interdum dormitent, tamen Deus illis excubias agit. Dauid ipse explorat castra Saülis, quod principes viros Vlyssem & Diomedē fecisse legimus. Nonnulli putant, eum statim descendisse cum Abisai: alij arbitrantur, eum primùm in castra Saülis clàm solum irrepsisse, deinde cùm se retulisset ad suos, comitem adiunxisse Abisai, & secūdò in castra rediisse. Comitem autem assumpsisse sibi, vt haberet rerum à se gestarum testē. Postea enim fortasse homines non fuissent illi fidē habituri de seipso dicēti. Fieri etiā potuit, vt Abisai ducis sui exēplo docēdus esset, qua religione princeps etiam tum cùm nocēs esset, foret obseruandus, & temperandū ab eius iniuria.

Et Saulem dormientem, & reliquum vulgus in

SAVLEM DORMIENTEM, &c. *circuitu eius.*] Somni palatium mirificè describit Ouidius lib. 11. Metamorph.

Est prope Cimmerios, inquit, lõgo spelũca recessu,
Mons cauus, ignaui domus & penetralia somni:
Quo nunquam radiis oriens, mediúsve, cadénsve
Phœbus adire potest: nebulæ caligine mistæ
Exhalantur humo, dubiæque crepuscula lucis.
Somni regio. *Non vigil ales ibi cristati cantibus oris*
Euocat auroram, nec voce silentia rumpunt
Sollicitiue canes, canibúsque sagacior anser,
Non fera, non pecudes, non moti flamine rami,
Humanæue sonum reddunt conuitia linguæ,
Muta quies habitat: saxo tamen exit ab imo
Riuus aquæ Lethes: per quem cũ murmure labẽs
Inuitat somnos crepitantibus vnda lapillis.
Ante fores antri fœcunda papauera florent,
Innumeræque herbæ, quarum de lacte soporem
Nox legit, & spargit per opacas humida terras.
Ianua ne verso stridorem cardine reddat,
Nulla domo tota est, custos in limine nullus:
At medio torus est hebeno sublimis in antro
Plumeus, vnicolor, pullo velamine tectus,
Quo cubat ipse Deus, mẽbris lãguore solutis, &c.

Deum certe Troezenij Somnum nominarũt, & coluerunt. Et eodem loco apud Ouidium Iris Somnum compellans,

Somne, ait, quies rerum, placidissime somne Deorum,
Pax animi, quem cura fugit.

Quo magis mirum est eodem nunc Saülẽ demergi potuisse, quem curæ graues exercebant. Cura somnos fugat. quippe tametsi cibi, tenebræ, defatigatio, æstus, syluarũ atq; arborũ murmur fatigante vento, lenis præterlabentis aquæ strepitus somnũ alliciãt ac promoueant, à metu tamen, anxietate animi curisque, quæ sæpe hominẽ conficiunt, excluditur. Deinde qui atra bile cruciãtur, qua tũ verisimile est Saülẽ laborasse, tametsi eos πανονείρους καὶ πολυφαντάστους Græci dictitent, Latini somniosos imaginosósque, haud tamen somniculosi sunt, neq; somnos facilè captãt, cùm tẽperato calore humoréque delectentur: melancholici cõtra & arcãt & frigeant. Vidẽtur illi ex Ægas insula nati, in qua vix quemquã posse consopiri prodidit Nicocrates, ex phasmatũ occursaculis subinde quietẽ interpellãtib. Veruntamẽ, inquit Cœli.*, Cœlius lib. 6. c. 3. cõtingit sępiusculè, vt attẽtissima cura quid expendẽtibus ingerat sese vel inuitissimis obnitẽtibúsq; insuperabilis dormiẽdi procliuitãs. Cura grauior nonnunquam somno opprimit. Inde vero hoc fieri, deprehensum à peritiorib. est, queis cõperta sunt naturæ arcana penè vniuersa: quod quũ cogitatione profundius versante quippiam, suspensa mẽs solicitudine est, alimẽtorũ percoctioni impedimẽtũ affertur insigne, proinde qui protrudantur in caput, vapores, dũ minus excoqui possunt, crassescere necessarium est. Illud verò paulo doctiores sciunt omnes: quoniã fit somnus, quum in cor sese contraxerit calor intimus, quo in ima delapso, cõcipere palpebras frigoris vim frigore autem cõcepto, defluere, ac denique cõprimi, quãdo vnus est, qui omnia in corporibus temperet, moderetúrque calor: frigus in sopore superna contrahunt, & extima, recalescunt inferna, pedum argumẽto, sed intima eo amplius. Hæc ille stylo planè ferrugineo. Ex quibus sequitur, quum ex vehemẽ-

A ti animi contẽtione minus defecati vapores cerebrum petant, eò quoque somnũ contumaciorẽ in solicitos irruere. An fortè ob eam causam hic somnus Saülem occupat? Apostolos certe de salute Domini solicitos, sopor vsque adeo improbus inuasit, vt ne ad horam quidẽ cum eo excubare potuerint. Alexander etiam ille orbis domitor, cum Dario commissurus cum suscepti belli molem ac præsens pugnæ discrimen secũ attentius reputaret, vt Curtius autor est: vt signum daret excitari vix potuit. Curtius. Idem de Octauio Cæsare Suetonius c. 16. Suetonius. Pompeium (filium) inter Mylas & Naulochum superauit: sub horã pugnæ tam arcto repentè somno deuictus, vt ad dandum signum ab amicis excitaretur. Vnde præbitam Antonio materiam putẽ, exprobrandi, ne rectis quidem oculis eum adspicere po-
B tuisse instructam aciem: verum supinum, cœlũ intuẽtem, stupidum cubuisse. Sed Antonius scilicet factũ Octauij calumniari maluit, quàm de somni vi ac potentia cũ Philosophis ratiocinari.

VERSVS VI.

Ait Dauid ad Achimelech Hethæum, & Abisai filium Saruiæ, fratrem Ioab, dicens: Quis descendet mecum ad Saül in castra? dixítque Abisai: Ego descendam tecum.

VERSVS VII.

C **Venerunt ergo Dauid & Abisai ad populum nocte, & inuenerunt Saül iacentẽ & dormientem in tentorio, & hastam fixam in terra ad caput eius: Abner autem & populum dormientes in circuitu eius.**

D*Ixítque Abisai: Ego descendam tecum.*] I. Paral. 2. Isai genuit septem filios: quorũ sorores fuerunt Saruia, & Abigail. Filij Saruiæ, Ioab, Abisai, & Asael. Erat itaque Abisai sororis Dauid filius. Dauid ipse eiusdem patruus. Abisai autem, vt erat cum Dauide summa necessitudine coniunctissimus, & eiusdem amantissimus, periculi nullam habet rationem: sed Iusti securus in periculis adeũdis animus.
D gaudet insigni aliquo facinore suam erga illum beneuolentiam testificari posse. Offert itaque sese cum eo pariter subiturũ discrimen. Neque enim Dauid, vt se periculo secum obijciat, imperat: sed tantum quærit an ire velit. Ille statim respõdet, velle. Tanti ponderis erat apud eum, non dicã Dauidis authoritas, sed nuda voluntatis eius significatio. Alius dixisset, Vide, quid agas: sunt tria millia fortissimorum militum: noli tanto periculo te offerre sine causa. Horũ Abisai nihil dicit. Nonnulli suspicãtur Achimelech ire noluisse: ex quo magis apparet, quantũ illud discrimen fuerit. Tamẽ Iosephus illum quoque ait descendisse cum Dauide. Potuisset quidem Dauid vel vno atque altero stipatus comite videri solus: sed cùm Deum haberet secum,

erat

Et inve-nervnt, &c.

erat egregie comitatus. Itaq; pluris erat ea paucitas, quàm Saülis decem myriades. *Etsi*, ait, *ambulauero in medio vmbra mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es.* Nec aliunde magis Deus, cùm Mosen allegaret ad Pharaonem, eidem animum addidit, quàm cum diceret, *Ego tecum ero*. Ita principes Iudæorum, cum proficiscerentur ad bellum, consulere solebant os Domini; vt certo scirent, se illum secum præsentem habituros. Ethnici quoque magni quippiam aggressuri consulebant auspicia. Et consilia quidem eorum non erant mala, etsi media essent pessima. Saül quamuis esset in castris, stipatus vndiq; firmissimo satellitio, tamen traditur in Dauidis potestatē. Præsidia enim militū sunt instrumenta Dei; quæ sine Deo nihil possunt. Deus autem etiam sine illis potest omnia. Vtendū ergo illis est, si suppetant, non fidendū.

Venerunt ergo Dauid & Abisai ad populum nocte.] Sic quoque Gedeon vno comitatus puero Madianitarum castra explorauit. Iudic. 7. *Castra Madian erant subter in valle. Eadem nocte dixit Dominus ad eum: Surge, & descende in castra: quia tradidi eos in manu tua. Sin autem solus ire formidas, descendat tecum Phara puer tuus. Descendit ergo ipse & Phara puer eius in partem castrorum, vbi erant armatorum vigiliæ. Madian autem & Amales, & omnes Orientales populi, fusi iacebant in valle, vt locustarum multitudo, &c.* Virgilius Nisum atque Euryalum Rutulorum castra subeuntes describit Æneid. 9.

Egressi superant fossas, noctisque per vmbram
Castra inimica petunt:
Passim vino somnoque per herbam
Corpora fusa vident: arrectos littore currus
Inter lora rotasque, viros, simul arma iacere,
Vina simul.
Rhamnetem aggreditur, qui fortè tapetibus altis
Extructus, toto proflabat pectore somnum.
Et iuuenem Serranum, illa qui plurima nocte
Luserat, insignis facie, multóque iacebat
Membra deo victus, &c.

Et inuenerunt Saul iacentem, & dormientem,] Apud Alexin Comicū quadā hoc ænigma virgini proponit, quendam esse neq; mortalem, neque rursus immortalē, sed vtriusq; temperamēto constantē, quippe qui neq; hominis portionem, neq; item Dei, viuēdo obtineat, sed cuius semper nouo quodā modo & nascatur & intereat ipectrū, nunc pręsens, nunc inuisile, cunctis tamē mortalibus illum haud ignotū. Somnū tādē interpretatur. Arist. absq; ænigmate lib. 5. de generatione animaliū, Somnus, inquit, talis sua natura esse videtur, vt viuendi, & non viuendi interliminium sit: & neque omnino sit, qui dormit, neq; non sit. Viuitur enim vigilia potissimū propter sensum. Et Plato 7. de legibus, καθεύδων γὰρ οὐδεὶς οὐδενὸς ἄξιος, οὐδὲν μᾶλλον τοῦ μὴ ζῶντος. Nemo, qui dormiat, ad vllam rem gerendam magis aptus erit, quàm qui iam hominē exuit. Itaq. vitā hominū Plinius vigiliam esse dixit. Aristō somnum publicanum esse dixit, qui vitæ nobis dimidium auferret.

Apud Athenæū lib. 10.

Ænigma somni.

Iacentem & dormientem.] Arist. primo de moribus scribit, οὐδὲν διαφέρειν τὸ ἥμισυ τοῦ βίου τοὺς εὐδαίμονας τῶν ἀθλίων. Fœlices nihil admodū cæteris pręstare vitæ dimidio. quoniam scilicet tantundem dormiant somno miseris pares. Atqui præcipuā hominis in hoc mundo felicitatem nonnulli in somno collocant. Quoniam, inquit Themistius, somnus affectuū nostrorū suauissimus est. Primū enim doloris sensum extinguit propter voluptatem pergratū nobis & familiarem. Deinde alias cupiditates superat, etsi vehementissimæ fuerint. Etenim qui insano Musices studio ducuntur, dormiendi tamen voluptati cedunt cū primū somnus obrepserit. Amātiū etiā blādissimi cōplexus sopore soluūtur. Sed quid opus est plura recēsere, cū & illā voluptatē, quam disciplina, colloquiū, & Philosophia pariūt, somnus occupās, velut à fluuio quodā leni & profundo subducta excludat: Cęterū inquit, omnis quidē voluptas vim & naturā habet: sed habet somnus præ cæteris peculiariter. Cū enim nihil foris iucundū & mouens animū superueniat, oblectamur tamē in somnis: nempe laboriosū quendā, durū, & fatigantē somnus affectū nobis adimēdo suauissimus efficitur. Est autē affectus ille nō alius, quàm qui corpori animā astringit. Separatur enim inter dormiendū recurrēs & se colligēs ad seipsā, cū antea per corpus distenta, & in sensus sparsa fuisset. Et hoc est quod voluptatē excitat, requies, inquā, & otiū animæ tanquā onus deponentis, seque recreantis, & in secessum abdentis. Moriens enim omnino effugere videtur corpus: sopita verò fugitiua fieri. quamobrē aliqui cū dolore moriūtur: omnes autē cum voluptate dormiūt. Illic enim vinculū omnino abrumpitur: hic verò remissius tantū, laxius, & mollius fit, vtpote oculis, & reliquis animæ sensibus circa corpus resolutis & remissis. Et quidē hactenus apud Stobæum Themistius serm. 119. Propterea scilicet νήδυμος somnus ab Homero dictus est, id est dulcis: λυσιμέριμνος ab Orpheo, quod curas soluat: ab Ouidio deorū placidissimus, animi pax, curarum fuga.

Somnus curas soluit, & communis omniū voluptas est.

Themistius

Iacentē & dormiētē.] Itane regē decuit, qui cæteros seruare debuerit? Philostr. Icō. l. 2. in insulis, Mergis, inquit, homines insidiātur, qui somnolēti existūt, & illato igni capiūtur. At Mergi ceyca auē, vt & curator sit, & ante ipsos expergiscatur, in prædæ partē accipiūt. Est autē Ceyx marina quidē auis: sed frugi, atque ociosa, & ad capiendū aliquid imbecilla: verū aduersus somnū validissima, & quæ paululū dormiat: quo fit vt illis oculos locet. Cū igitur ad cibū euolāt, is quidē domi in saxo moratur: hi verò ad vesperā prædæ decimā adferentes reuertūtur: & circū vigilantē, quique nunquā nisi volentib. ipsis somno opprimatur, dormiunt: quod si doli aliquid aduētātis senserit, is quidē altū atq; acutū clamitat: hi verò ex cōpacto sublati fugiunt, curatorē, si quandóq; inter volandū defecerit, sustinentes. Hactenus de Ceyce aue Philostratus, quę mihi secūdū quādā analogiā boni principis symbolū præ se ferre videtur. Vespasianus certe, vt author Dion. Nyss. lib. 66. Imperatorem stantem mori oportere pronuntiauit.

Excubias agit ceyx mergis dormientibus.

Philostrat.

Abner quoque dormientem.] Commendatur plurimum à Dione vigilantiæ nomine Vlpius Marcellus à Commodo Imperatore Dux militum factus. Dux fuit, inquit, omnium vigilan-

Dio Nyssæus in Cōmodo.

ABNER QVOQVE, &c.

Dux vigilantissimus

tissimus. quúmq; vellet cæteros qui cum ipso erant, vigilãtes esse, duodecim tabellas, quales ex tilia fieri solent, ferè quotidie perscribebat vesperi, mãdabátq; vni ex suis, vt alias aliis atq; aliis horis perferret ad diuersos milites, quo imperatorẽ suum vigilare semper rati, minus ipsi quoque dormirent. Et quanquã somno alioqui resisteret à natura, tamẽ quo magis id facere posset, inedia perfecerat. Nam vt alioqui cibis haud se plus æquo satiabat, ita ne plane repleretur, eum Roma ad se curabat exportari; non quòd panibus cuiuscunq; regionis vesci non posset: sed ne vel paulò plus quàm necesse esset, posset propter vetustatẽ comedere. Idem quoq; Turbonis meminit, vt Xiphilinus autor: qui cùm esset vir rei militaris peritissimus, ab Hadriano Imperatore prætorio præfectus est. Hic aliquãdo Hadriano consulenti sibi, vt quiesceret, respondit; præfectum stantem mori oportere. Hæc sunt quæ videãtur Abner, qui somno indulget in tanto Regis discrimine, neglecti officij, desertæque prouinciæ arguere.

Xiphilinus

Diodorus.

Et populum dormientes in circuitu eius.] Diodorus Sicul. lib. 3. c. 13. de insulis agens versus meridiem in Oceano repertis, Gemina, inquit, est apud eos herba, super quã si quis iaceat, in suauẽ deductus somnũ moritur. An fortè hic in vasta solitudine aut desertis syluis Saülis milites in talem herbã inciderant, & incubuerant? haud dubiè perituri si hostis non deesset? Docent medici nanos & pumiliones, deminutos, decurtatósq; à reliquorũ commẽsu in somnum procliues esse. Pygmæos fortè milites haud cõscripserat. At esse præterea duo hominũ genera insita vi præter cæteros in somnũ prona, nimirũ quib. angustæ venæ sunt, aut præter æquum caput extumuit. Nam quo amplius est cõceptaculum, eo plus capiat necesse est. Vt reddat item copiosius consequẽs esse videtur. Illud porrò non ita prõtè atq; expeditè fieri potest, cũ calor insitus vim tãtam sublatæ euaporationis breui percoquẽdo nequeat conficere. Vapor autem ille quãdiu cerebro insidet, somnũ moratur. Idem efficit meatuum angustia, quę liberiorem humoris lapsum prohibet. Verùm etsi hæ rationes nonnulla probabilitate nituntur, verissimile tamen est, cùm tanti essent, locũ in omnib. habere minime potuisse. Ego potius tam alti soporis vim socordiæ tribuerim & securitati. Nam Dauidẽ quidẽ cõfidebãt nihil ausurum, cum ex eius moribus, tũ militum paucitate conijcientes: satis habiturũ si Regis impetum declinaret. Negligẽter autẽ idcirco in obeundis vigiliis se habebãt, quod plures occulte Dauidis amicitiam colerẽt: nulli, vel omnino pauci, Regis insidias furorémq; probarẽt. Accesserat non ita pridẽ cœnę post laborem auidior vsurpatio; ita vt distento cibis ventriculo profundius stercerẽt. quid enim est somnus? Vtique si Aristoteli credimus animalis facultatis quies, qua restituuntur vires & spiritus vigiliis inediáq; exhausti: quam efficit benigna sanguinis & spiritus vitalis anathymiasis in cerebrum delata, vbi vertitur ille in spiritũ animalem. Inde nubes quædã cerebrum occupat: qua caligine sensus obruti tantisper quiescũt, donec inediæ damna resarciat detrimẽtum instauret.

Nani in sõnum procliues.

Aristoteles

Somni definitio.

Hanc Philosophiam Gregò. Nyssenus ita commode explicat. Vt in terra humida radiis solis calidioribus calefacta, vapores quidam nebulosi ex alto excitantur: sic fit prope ad eundẽ modum in nostra terra, cum cibus naturali calore feruefactus fuerit. Nam cum vapores secundũ naturam sint aerei, & sublime ferantur, ad superiorem locum aspirantes, in capite consident. Hæc ille. Postremò diurnus labor iam fractos victósq; sopori dediderat. Scribit Auerrois, post laborem somnum obrepere; quia dum mouentur animalia, exercentúrque, spargitur innatus calor eorum, & quantitas diminuitur, indéque refrigeratur, & proinde necessariò ad principia recurrit, vt propriis velut thesauris muniatur aduersus præpediẽtia. Aristoteles verò ex Themistij interpretatione, aliquãdo, inquit, & fatigatione multa pertentamur somno: cuius ea ratio est, quòd labor diffundit quædã in nobis, & tabescere facit, quæ vicem incocti alimenti prębent, nisi colliquamentũ id frigidum fuerit. Ita intestinorum calor, qui ex attritu laboréq; exprimitur, recrementa quædam emollit, quæ ad superiorem locum redundantia, somnum inducunt. Somni finalis causa, salus est & conseruatio animalium. Agens verò causa, spiritus est vitalis, qui in corde est: materia vero, vapor qui caput subit. Forma autem, situs, & dispositio, est illa membrorum & partium corporis, quæ in dormientibus intus & extra cernitur.

Quàm sit autẽ arduũ ac difficile somnũ prohibere, docet S. Macharius apud Palladium c. 19 Statuerat aliquando, vt narrat, somnũ vincere. Itaq; totis, inquit, viginti dieb. & noctib. tectũ non sum ingressus; cũ interdiu quidem æstu arderẽ, noctu verò algore rigerẽ. quod nisi tectũ citius essem ingressus, & somno vsus essem, ita mihi erat arefactũ cerebrũ, vt deinceps agerer in exstasim. Et quod ad me quidem attinet vici somnum, quod autẽ ad naturã, ei cessi. Hæc ille. Perseus Rex Macedonum ab Æmylio victus, cũ eidem à militib. somno interdiceretur, defectis viribus concidit. quo magis miror Lucianum in lib. de Dea Syria, asserere eos, qui Priapos in eius templo conscendunt Deum responsa quæsituri, dies septem in eorũ cacumine sine somno perseuerasse. Docet autẽ scorpium ibidem excubasse, qui conniuentibus terrorem incuteret. Arbitratur & cadendi metu deterreri potuisse.

Palladius.

S. Machar. somno cessit.

Mirum autẽ hoc loco in tanta præsertim multitudine neminẽ vigilasse, aut certe Dauidis aduentu excitari potuisse. Euclides quidem somni duplex genus cõstituit. Nam alter quidẽ iunior est, ὁ μειρακιώδης δαίμων & puerilis dæmon, persuasu facilis, & quem nullo negotio excutias: alter autem πολιὸς ὁ γέρων canus & senex, grãdæuis hominibus potissimùm innatus, pertinax & inexorabilis. Ab hoc dæmone difficile est liberari, si semel inuaserit. Neq; enim verbis quicquã attendit, neque audire omnino potest: surdus quippe est. Neq; rursum ostendẽdo ei quicquã, vt cernat efficies: quippe cœcus est. Hæc Euclides. Verissimile autẽ non est senes omnes Saülis milites fuisse. Philo aliam nobis interpretãdi rationẽ solertia sua inuenit. Vnus quidem, inquit, somnus est, multas verò eius captãdi suggestiones cu-

Apud Stobæũ serm. 6

Somni duplex genus.

PERFODIAM, &c.

nes cupiditas habet: videlicet, à natura, à cibis, à dæmonib. & forte etiã à somno & intenso ieiunio, quo debilitata natura sõno statim se recreare cupit. Sed quid si ne horum quidem quidquã eos oppresserat, sed, quemadmodum intra ver. 12. asseritur, ipse Dominus ducem cum exercitu per seipsum sopore victos prostrauerat?

VERSVS VIII.

Dixitque Abisai ad Dauid: Conclusit Deus inimicum tuum hodie in manus tuas: nunc ergo perfodiam eum lancea in terra, semel, & secundo opus non erit.

VERSVS IX.

Et dixit Dauid ad Abisai: Ne interficias eum: quis enim extendet manum suam in Christum Domini, & innocens erit?

Variç uãslat.

PErfodiam.] *Percutiam*, Pagninus, & alij complures. Chaldæus, *Tradidit Dominus hodie autorem inimicitiæ tuæ in manu tua: & nunc percutiam eum nunc in hasta sua, & configam eum in terra vice vna, & non iterabo illi.* Septuag. consentiunt. Vatablus, *Tradidit Deus hodie hostem tuum in manum tuam, sine obsecro, vt vno ictu defigam eum lancea in terram, nec iterem.* Id est, vt ipso transfosso hasta, infigam hastam ipsam terræ, vt non sit opus ferire eum denuo. Rom. Edit. Septuag. Interpr. *percutiam eum lancea in terram semel, & non repetam ei.* Lucifer, *& non repetam illam.* Versu 9. *Ne interficias eum.*[Pagninus, *ne disperdas.* Arias, *ne corrumpas.* Chaldæus, *non perdes.* Vatablus & alij cum Vulgata legunt. Septuag. Edit. Ald. & Complut. cum Theodoreto μὴ διαφθείρῃς αὐτόν. *Ne interficias eum, ne corrumpas, ne disperdas.* Rom. Edit. *ne humilies illum.* Lucifer *non continges.* ὅτι τίς ἐποίσει χεῖρας αὐτοῦ εἰς τὸν χριστὸν κυρίου καὶ ἀθωωθήσεται; *quoniam quis inferet manus suas in Christum Domini, & innocens erit?* Roma. editio, *& purus erit?* Vatablus, *& impunè feret?*

Deo quæcunque feliciter cesserint ascribenda.

Conclusit Dominus inimicum tuum in manus tuas.] Principis duces, ducis milites, magistri discipuli plerumque non tantum mores & studia, sed etiam orationem ipsam æmulari student. Itaque Dauid cum esset pius, & quæcunque illi prosperè cessissent Deo accepta referret, duces suos, vt idem facerent exemplo suo docuit. Alij fortunæ tribuerent, vt Sylla, & quicunque eidem gratificari vellent. Nonnulli arti atque industriæ: nam his maxime Lacones confidebant: quidam virtuti atque animi magnitudini, quas in Scipione Africano præcipuè Roma mirata est, postremò etiam non pauci humanum modum egressi, originem suas in deos referentes, quæcunque præclare fecissent suo numini adscripserunt. Quæ dementia cum alios, tum Alexandrum deuicto Oriente per-

NVNC ERGO, &c.

A didit. Non itaque Abisai Dauidis animi celsitudinem prædicat, fortunamue miratur: sed *conclusit*, ait, *Dominus inimicum in manus tuas.* Quod ergo antea temere susceptum videri poterat, animaduerto, nunc denique quo autore tentaueris.

Nunc ergo perfodiam eum cum terra.] Postulat feriendi licentiam. *Perfodiam eum*, inquit. Sciebat enim Dauidem, cum esset & natura clemens, & gener Saulis, & regiæ maiestatis cultor religiosissimus nequaquam induci posse vt eum sua manu conficeret. Sed quid frustrà petit Abisai? colligere enim certò potuit ex eo quod prius in antro acciderat, Dauidem hoc nunquam esse permissurum. Sed fortassis id secum cogitauit, Dauid cum videat animum Saulis nullis beneficijs prouocari posse ad clemen-
B tiam, se autem semper quoad ille vixerit, victurum in periculo, mutabit animum, & illum tolli patietur. Deinde argumento quodam diuinæ voluntatis vtitur. *Conclusit*, inquit, *Dominus.* Quid moraris? autore Deo de inimico supplicium sumpturus es: qui si vellet eiusdem vitæ parci, nequaquam illum tuæ potestati permitteret. Apparet autem manifeste diuino consilio factum, vt voluntati tuæ dederetur: quãdoquidem nec tantus exercitus excubante nemine absque eius numine sopiretur: nec si casu aliquo forte contingeret, scire posses, vt prudenter & intrepide per media castra ad Regis prætorium euaderes. Quod itaque huc euaseris cum diuinum esse beneficium haud obscure sentias, & possis infensissimi atque ingratissimi
C hostis interitu incolumitati tuæ consulere, quid cunctaris? Nam & res ipsa per se vtilis est, & Deo vtique placet, qui eiusdem gerendæ εὐκαιρίαν siue opportunitatem dedit. Nam quod ad speluncam attinet, cum naturæ necessitate moueri potuerit vt secretum locum captaret, satis ex eo constare non poterat, quid de eodem Deus statuisset: at nunc postquam euidenti miraculo clarissimam voluntatis suæ significationem dat, diuinæ iustitiæ manum accommodes. Verùm nihil horum Dauid in animum inducere potuit, quin potius certissime credidit, Deũ iustis & innocentibus nonnunquam hostes suos dedere, vt obsequio atque indulgentia importatam suo nomini calumniam confutent. Venit quidem ipse ad Saulem, & Saul ad illum: sed longe diuerso consilio. Erant enim
D imbuti diuerso spiritu. Saul venit vt Dauidem occideret, eo videlicet spiritu præditus, qui ab initio fuit homicida. Dauid autem venit vt animum erga Regem summissum, ac beneuolum ostenderet. Itaque mox coërcet Abisai: & addit iusiurandum, non impune fore, aut alienum à sceleris conscientia, si quis occidisset Christum Domini. Etsi porro Dauid fuerit vbique natura clemens, nusquam tamen eius clementia magis elucet, quàm ex hoc loco, & ex illo superiori cap. 24. Hic se prodit vera, & Christiana charitas. Tametsi enim Dauid incendatur ab Abisai, tamen non patitur extorqueri sibi illam animi virtutem: sed singulari modestia pro tyranno, & pro hoste supponit personam Regis. Quem enim Abisai præ contemptu atque indi-

Adhortatus Dauidem Abisai, vt hostis neci consentiat.

Dauidis mansuetudo atque benignitas.

PERFODIAM EVM, &c.

gnatione inimicum eius nominauerat, idem appellat *Christum Domini*. Ita nos cùm afficimur ab aliquo iniuria, cogitare debemus, illum esse proximum nostrum, & fratrem, redemptum sanguine Christi, & cælestis regni consortem futurum. Non erat ita stupidus Dauid, vt non intelligeret, se beneficia sua perdere. Hoc tamen cogitauit, quanquam ingrato homini conferrentur, apud Deum tamen ea tutò collocatum iri. Non enim hominis perfidiæ rationem habet, sed dignitatis, qua Deus illum ornauerat. Cæterum tametsi Abisai visus sit ad iram præceps & vindictæ appetens, eo nomine tamen non mediocriter laudandus est, quod iniussus Regem non oppresserit, sed interrogarit ducis voluntatem. Interrogauerat quidem & Petrus: sed ante expectatam responsionem Malchum feriit. Quamobrem etiam iure à Domino reprehensus est.

Somnus mortis imago, & limen. Philo.

Perfodiam eum lancea in terra.] An non itaque Mnesarchus iure merito pronuntiauit somnum esse parua mortis mysteria? Viden quàm pene nullo discrimine inter se separentur? Philoni somnus nihil aliud est quàm θάνατος πρόσκαιρος, καὶ ἡμερῶν ὀλίγων, mors ad breue tempus, & aliquot horarum obitus. Verum illud quidem est: sed addendum præterea, esse quoque diræ mortis limen, & præcipité aditum. Quamobrem, inquit Philo, qui rem attentius considerarunt, non temere dixerunt somnum esse εἰκότως μελέτην θανάτου, σκιὰν δὲ καὶ ὑπογραμμὸν τῆς αὖθις ἐσομένης ἀναβιώσεως, mortis præmeditationem, & vmbram ac delineationem, quandam vitæ denuò futuræ. Imagines enim vtriusque euidenter repræsentat. Quippe eundem hominem ex integro & aufert, & sibi restituit. Verum hoc posterius de naturali somno intelligẽdum est: reuera autem præsens Saulis periculum nos admonet, maximum esse τοῦ ὕπνου cum morte coniunctionem. Somnus, inquit Democritus, συγγενὴς γὰρ τοῦ ἀληθινοῦ θανάτου veræ mortis cognatus & germanus est: κασίγνητος λήθης καὶ θανάτου, frater obliuionis & mortis. Scriptura verò cùm superiore versu Saulem iacentem atque dormientem describeret, iis verbis vsa est, quorum anceps & ambigua significatio est, ita vt commode ad mortem aut somnum referre possis. Sic enim habet: *Et ecce Saul* שֹׁכֵב יָשֵׁן *iascen scochef, iacens dormiebat* יָשֵׁן *iascen* porrò à prima, vt volunt, origine *dormiuit* significat vsus tamen obtinuit vt mortuis quoque non rarò tribueretur. Hinc Daniel. 12. ver. 2. מִיְּשֵׁנֵי *iescenim, dormientes* mortui dicuntur. Nec secus de altera quoque dictione sentiendum est. Tametsi enim proprie idem sit quod *iacuit*: frequenter tamen *mortuus est* significat. Syrus interpres apud Ioann. cap. 11. ver. 11. *Lazarus amicus noster* שָׁכֵב *scachaf, dormit*: hoc est, vt idem Dominus exposuit, *mortuus est*. Sequenti lib. cap. 7. ver. 12. *cùm impleti fuerint dies tui* וְשָׁכַבְתָּ *vescachabtha & dormieris cum patribus tuis*, hoc est, *mortuus fueris*. Quomobrem autem putamus ita Spiritui sancto placuisse vt somni nomine mortem quoque designaret? An fortè quia, vt Clemens docet, quæcunque de somno dicuntur, eadem etiam de morte accipi debent: ἑκάτερος γὰρ δηλοῖ τὴν ἀπουσίαν τῆς ψυχῆς ὁ μὲν μᾶλλον, ὁ δὲ ἧττον, vtrumque enim animi defectionem prædicat, hæc magis, ille minus? Ego potius crediderim periculi rationem habitam. An non audis?

Dormire non rarò idem Hebræis quod mortuum esse.

Perfodiam eum lancea in terra.] Hinc apparet quam periculosa res sit somnus, quamque non temere, nec sine cautione ac prouisione aliqua eidem indulgendum. Primum enim qui vitæ nostræ, fortunisve insidiantur, tempus illud captare solent, quo tempore ante opprimendi sumus quàm defensionem paremus. Nam qui sopore demersus est neque excubias agit, neque procul hostem speculatur, neque obiecto clypeo telum excipit, aut fugæ præsidio se tuetur: sed iacet verum omnium securus, hostium autem libidini furorique obnoxius. Itaque qui homini perniciem moliuntur, haud dubitant si dormientem nancisci potuerint, nullo negotio interimi posse. Accedit quod nec si somnum fortè excutiat, arma tamen expedire possit. Primùm enim mens attonita manet, nec se satis primo aspectu colligit. Deinde periculi præsentia expediendæ salutis rationes omnes conturbat: postremò, vt præsenti consilio non careat, tenebrarum tamen laqueis irretitus emergere ex angustijs non poterit, seque periculo liberare. At vero cæca nox quæ sopitum hostibus prodidit, eadem grassatoribus fauet. Nam neque quem feriat oppressus videt, aut in quem telum contorqueat: tegit enim eos velut scuto obscura nox; ita vt amicum ab hoste nequeat secernere: illi contrà destinatum locum non incerto ictu velut scopum petunt, & quantum opus sit lucem suis conatibus ministrant. Itaque qui stertens deprehensus est, cum neque aduersarios lædere, neque eorundem vim atque impetum declinare possit, confestim morti occumbit. Nam postremò, quæ nouissima spes salutis superesse poterat, vt necessariorum ac familiarium ope discrimini eriperetur, ea quoque tum periclitantem defecit. Nam pariter somno sepulti iacent, & plerunque mente ac cogitatione alio in orbe peregrinatur. Ne somnia quidem, quæ res est omnium leuissima, dormientibus parcunt: sed illa nobis insultant, & negotij plurimum exhibent, laruisque minacibus terrent, quas experrecti contemnere ac videre solemus. Quo argumento facilè colligere possis, quantum roboris atque animi somno nobis depereat. Itaque non sine ratione nobis vmbræ & caligo, quæ somni regio est, terrorem horroremque à natura incutiunt.

Somni noctisque pericula.

Neque tamen quantum sentio præcipua hæc formidinis insitæ ratio est: sed quod hæc quoque sit, vt aiebat Dominus, *hora vestra, & potestas tenebrarum. Cùm dormirent homines venit inimicus homo, & superseminauit zizania.* Et alibi idem improbos dæmones cum furibus comparans nocte potissimum eos grassari docuit, & nocturnis conatibus quiescentium domos perrumpere. Hos in primis formidolosos atque horribiles detestari atque auersari debemus. Nam reliquos terret sæpe inexplorata custodia, muri arcent, fores excludunt, seræ, pessuli, vectes, aditu prohibent: at dæmones nulla vi aut arte humana ab inferenda iniuria impediri

Nocturnis potissimum tenebris formidolosi dæmones.

PERFODIAM EVM, &c.

diri possunt. Audacia furunt, viribus pollent, calliditate præcipua gloriantur. Nec vero suis duntaxat armis nos oppugnant: sed ipsis perturbationibus nostris quas concitant, pro telis vtuntur: & corpora quidem multiplici labe polluunt, mentibus autem præstigijs illudunt. Quæ dæmonum malitia tametsi Platonem latebat, nemo tamen de Republ. perturbationum procellas tempestatesque studiose descripsit, conatus insuper huic malo remedium afferre. Sic autem habet. Earum, inquit, voluptatum cupiditatumque, quæ non necessariæ sunt, videntur mihi quædam legibus repugnantes omnibus inesse quidem: legibus autem & melioribus cupiditatibus pariter cum ratione castigatas, in quibusdam hominibus vel omnino obsolescere: vel adeo reprimi, vt raræ admodum exilesque reddantur: in alijs autem vehementiores frequentioresque euadere. Quas potissimum istas vocas? Quæ in somnis sæpius excitantur, quoties animi pars illa, quæ rationis particeps mansuetáque, & illius domina est, dormit: ferina autem & agrestis, cum sit immoderato potu atque pastu repleta, exultat, tentatque excutere somnum, & solitis libidinibus indulgere. Tunc quippe nihil est, quod non audeat, veluti soluta & libera omnibus verecundiæ prudentiæque præceptis: vt aut cum matre corpus miscere nitatur, aut cum quouis alio homine, vel deo sæpe etiam & bellua: atque etiam trucidare aliquem, & impiè cruentari, & à nulla prorsus voracitate abstinere: nec vt breui complectar, ab vlla insania vel impudentia temperare. Vera loqueris. At cùm quis rectè moderatéque habens, quieti se tradiderit, ea parte animi in qua est ratio, excitata & recta, saturataque bonarum cogitationum epulis, & ad seipsam contemplando conuersa: ea verò quæ voluptate alitur, nec inopia pressa, nec satietate affluenti, vt quiescat maximè, neque optimam partem illam, aut gestiendo, aut mœrendo perturbet, sed sinat eam per seipsam solam ac puram considerare, indagare atque percipere quicquid ignotum hactenus, vel præsentium, vel præteritorum, vel futurorum: illa etiam tertia parte animi, in qua irarum æstuat ardor, sedata atque restincta, vsque adeo vt nulli intensa quiescat: atque ita, inquam, partibus quidem duabus pacatis, mente vero erecta, somno se comparet: tunc demum mens pura veritatem attingit, neque insomniorum visa nefaria sese obijciunt. Sic prorsus existimo. Hactenus Plato.

Plato. Somni procellas ac tempestates Plato describit.

Qui tametsi ridiculus videri possit, dum putat per somnum naturæ beneficio veritatem inuestigari posse, quod nonnullis quandoque per visum agente numine concessum est: concupiscentiæ tamen æstus quantos in nobis perturbationum fluctus excitet, bellè satis exprimit: nec periclitanti defuit, si quis ad compescendam vim libidinis antidotis ab eo propositis vti vellet. Illud tamen animaduertendum est; longe tutius esse feræ illius contumaciam labore atque inedia retundere, quàm dum speres posse tenere modum, experiri quantum illa ab omni modo atque ratione abhorreat. At scilicet illud

A Platonem fugiebat, quod cum somnus tantas ex se funderet peccandi illecebras, quas secessus, nox ipsa, silentium ablegato foras pudore ingererent, accederet tamen præterea callidus dæmon, qui suis artibus foueret libidinis impotentiam, & semisopiti hominis cum tot scelerum monstris confictantis innocentiam labefactaret. Atqui Dominus, vt docet S. Hilarius, in comm. in Matth. cap. 26. furem esse ostendit Zabulum, ad detrahenda ex nobis spolia peruigilem, & corporum nostrorum domibus insidiantem: vt ea incuriosis nobis & somno deditis, consiliorum suorum atque illecebrarum iaculis perfodiat.] Nec dubium quin pluribus superior euadat, & in barathrum voluptatum eos deiiciat, cum ad consequendam victoriam tot paratas eo tempore copias inueniat.

Note dæmon non paucos superat.

B Itaque plures, quos diurnus labor ad virtutem exercuit, quos pudor castitatis comes, quos animi contentio procul à scelere cohibuit, dæmonum fraude somnique blanditijs deliniti, tenebrarumque conscientia freti, tanquam disiectis obicibus, & reuulsis verecundiæ repagulis, in flagitia & sordes sese ingurgitant. Hæc cum per se cauenda sunt, & remis velisque fugienda: tum illud magnopere timendum est, quod non vno loco minatur Dominus, se furis instar dormientibus superuenturum. *Media nocte* inquit, *clamor factus est: Ecce sponsus, exite obuiam ei.* Quibus verbis inopinata mors & nocturna designari videtur. Illa siquidem in tenebras vsurpat imperium, quæ & pericula cum frequentiora, tum grauiora efficiunt, & remedia si quæ nos iuuare poterant, procul amouent: denique si quid de die per intemperantiam peccatum est, humores qui ex diurnis comessationibus in totum corpus redundant, fauces plerunque aut etiam alias partes occupant: quibus præfocatis vita extinguntur. Statim vero repentinam atque improuisam mortem terricum illud iudicium excipit, quod est rerum omnium longe formidolosissimum. Neque vero tum iusti dies, aut vllæ dilationes legitimæ impetrari poterunt, quando tempus est faciundi iudicati: sed confestim totius vitæ ratio reddenda, luendumque supplicium.

C

Quæ cum ita sint, nec mutari à nobis vitarique possint, vnusquisque nostrum mea quidem sentẽtia rationibus suis optimè consulet, si non imparatus ad somnum accesserit. Parari autem ad somnum hoc pacto conuenientissimè poterit, pro eo tempore quo illum humanæ vires deficiunt, diuinæ bonitatis præsidium imploret. Illud autem ita facilè consequetur, si primum immortali Deo pro diurna incolumitate acceptisque beneficijs omni studio gratias agat. Deinde seipsum diligenter excutiat: & si quid se deliquisse compererit, culpam à Deo deprecetur, statimque in animo suo constanter statuat, & detrimentum, si quod fortè proximo intulerit, cumulatè sarturum, & ab omni deinceps scelere atque iniuria temperaturum. Postremo, postquam Deo Opt. Max. Salutem suam precibus commendauerit, qui solus semper excubat, & sopitos tuetur: tum satis tuto videtur somno se permittere posse. At plerique

Quo pacto nos somno tuto committamus.

D

PERFODIAM EVM, &c.

Examen conscientiæ.

pro dolor! pecudum instar non Dei, ne quidem sui memores, sopore demerguntur: nec Christianos pudet, quod plerique Gentiles fecisse memorantur, tam absurdè negligere. Debuerat saltem magnitudo periculi ad eorum æmulationem prouocare, qui, cum essent veræ fidei expertes, vix vllo terrebatur iudicij metu. Cicero sane in Catone Maiore, Exercendæ, inquit, memoriæ gratia, quid quoque die dixerim, audierim, & egerim, commemoro vesperi. Pythagoras hanc consuetudinem disciplinæ suæ placitis instituit aureisque versibus suis inseruit.

Pythagoras.

Μηδ᾽ ὕπνον μαλακοῖσιν ἐπ᾽ ὄμμασι προσδέξασθαι,
Πρὶν τῶν ἡμερινῶν ἔργων τρὶς ἕκαστον ἐπελθεῖν.
Πῆ παρέβην; τί δ᾽ ἔρεξα; τί μοι δέον, &c.
Nec somnum mollibus admittas oculis,
Priusquam diurnorum operum ter singula æstimaueris. B
Quà transij? quid egi? quid opportunum omisi?
Incipiens autem à primo percense quoque sequentia,
Et malis quidem commissis, increpare: bonis autem, delectare.

Eadem in poëmate De bono viro tradit Virgilius, aut certè hæc, cum vehementer probaret, paraphrasticōs transferre studuit. Vir bonus, inquit,

Non prius in dulcem declinat lumina somnum,
Omnia quàm longi reputauerit acta diei.
Quæ prætergressus, quid gestum in tempore, quid non?
Cur isti facto decus abfuit, aut ratio illi?
Quid mihi præteritum? cur hæc sententia sedit, C
Quam melius mutare fuit: miseratus egentem?
Cur aliquem fracta persensi mente dolorem?
Quid volui, quod nolle bonum foret? vtile honesto.
Cur malus antetuli? num dicto, aut denique vultu
Perstrictus quisquā? cur me natura magis quàm
Disciplina trahit? sic dicta, & facta per omnia
Ingrediens, ortoque à vespere cuncta reuoluens,
Offensus prauis, dat palmam & præmia rectis.

Sapiens etiam cùm latere possit à peccato abstinet. S. Ambrosius.

Ne interficias eum.] Quid mihi opus est, inquit S. Ambrosius Officior. lib. 3. cap. 5. figmento Gygis annuli, cum possim docere ex rebus gestis, quod vir sapiens cum sibi in peccato non solum latendum, sed etiam regnādum videret, si peccatum admitteret, contrà autem periculum salutis cerneret, si declinaret flagitium: eligeret tamen magis salutis periculum vt vacaret flagitio, quam flagitium quo sibi regnum pareret. Denique Dauid cum fugeret à facie regis Saul, cum enim Rex cum tribus millibus virorum electorum ad inferendam necem in deserto quæreret, ingressus in castra Regis, cū dormientem offendisset, non solum ipse non percussit, sed etiam protexit, ne ab alio qui simul ingressus fuerat, perimeretur. Nam cum diceret ei Abisai: *Conclusit hodie Dominus inimicum tuum in manibus tuis, & nunc occidam eum, respondit: non consumas illum, quoniam quis inijciet manum suam in Christum Domini, & purus erit?* Et addidit: *Viuit Dominus, nisi Dominus percusserit illum, aut nisi hora illius venerit vt moria-* A *tur, vel in pugnam descenderit, & apponatur mihi, non sit à Domino inijcere manum meam in Christum Domini.* Itaque non permisit necare eum, sed solum *lanceam*, quæ erat ad caput eius, & *lenticulam* tulit aquæ, dormientibus cunctis. Quinetiam egressus castris, coarguebat stipatores regios, &c. Et cum hoc diceret, timebat tamen insidias eius, & fugit, sedem exilio mutans. Nec tamen salutem prætulit innocentiæ, cum iam secundò facultate sibi tributa Regis necandi, noluisset vti occasionis beneficio, quæ & securitatem salutis metuenti, & regnum offerebat exuli. Hactenus S. Ambros. Textum autem Scripturæ idcirco descripsi, vt si quod esset in litera discrimen, notaretur, nec opus esset ea denuo repetere.

Seneca. Voluntas reum constituit.

Quis enim extendet manum suam in Christum B *Domini, & innocens erit?*] Quid si velet, nec tamen perficiat, num innocens erit? Seneca 2. de Tranquillitate, cap. 7. Potest aliquis nocens fieri, quamuis non nocuerit. Venenum dando quis scelere se obligat, etiamsi non nocuit: non minus latro est, cuius furtum (vt putat legendum Gothofredus: Latro porrò non tantum furem, sed quemlibet grassatorem significat) vel telū opposita veste elusum est. Omnia enim scelera & ante effectum operis quantum culpæ satis est, perfecta sunt. Idem in Controuers. Scelera quamuis citra exitum subsederint, puniuntur. Maximè in crimine maiestatis. Non videtur autem Abisai voluisse simpliciter, cum antè licere velit, & probari factum designati à Deo principis imperio. Conditionatam volun- C tatem distingunt Scolastici ab eâ, quæ rata fixaque manet: & primum illum animi impetum, qui rationi præuertit, negant ad sceleris conscientiam pertinere. *Et innocens erit?* Diodorus Siculus lib. 4. cap. 1. autor est Æthiopum Ægyptiorumque reges pileos oblongos gestasse cum vmbilico serpentibus, quos aspidas vocant, circumuoluto. Monumentum, inquit, insigne, eos qui contra reges insurgere audeant, mortiferis morsibus subesse. Rex Gunthchrānus Chilperici frater, quem è viuis abeuntem virtutis ergo S. mater Ecclesia in Sanctorum numerum retulit: vt est apud S. Gregor. Turon. histor. Francor. lib. 7. cap. 21. cum de morte fratris inquireret, & esset à Fredegunde de regina Eberulfus cubicularius accusatus, iurauit Rex, inquit, omnibus optimatibus, quod D non modò ipsum, verumetiam progeniem eius in nonam generationem deleret, vt per horum necem consuetudo auferretur iniqua, ne reges amplius interficerentur.] Hyperbole. Quis enim ex vna stirpe nouem aliquando propagines præsentes vidit? Quinimò, vt Iurisconsdocent *ff. de gradib. & affi.* vltima septimi gradus nomina, nec reperta sunt, nec euenire potest, vt vita succedentibus in id tempus porrigi possit.] Hactenus vnus Adam, quo tempore adhuc recenti seculo ad annum prope millesimum mortales vitam prorogabant, Lamech nonum nepotem videre meruit. Hoc itaque dicere voluit, etiam se posteros pœna affecturum. Ergone sapiens sibi quisquam persuadeat se tanto tempore victurum? Deinde ridiculum

Diodorus. Regum percussores viuis lacerantur.

S. Gregor. Turon.

videri

PERFODIAM EVM, &c.

videri possit, extirpata semel radice fibrisque omnibus amputatis, surculos sperare denuo nascituros. Postremò Scriptura vetat parentum scelera filiorum pœnis lui. Itaque satius est, vt dictum à Rege hyperbolicōs interpretemur. Eberulfus porrò in basilicam Sancti Martini, in cuius sæpè res ipse inuaserat, fuga se recepit: quo loco fraude cuiusdam à Rege missi, asyli religione violata, quod Rex fieri prohibuerat, cæsus est, sacrilego pariter ob sceleris immanitatem cum eo confosso.

Insana regnandi cupiditas.

Veruntamen, ne his quidem pœnis propositis, plures à cœde Regum abstinent. Quid si impunitatis spes aliqua arrideat? quid si etiam regnandi? Nam his illecebris ad audendum facinus Dauid alliciebatur: quo pacto sibi temperent? Quid non mortalia pectora cogis regni sacra fames? Petrus Victorius tradidit lib. 11. Variar. Lect. extitisse quendam capitalem importunumque hominem Athenis, qui dixerit, se, dum regno Athenarum vno die potiri posset, nullum supplicij genus recusaturū: passurumque æquo animo, vt acerbissimis cruciatibus postea afficeretur: omnisque ipsius familia funditus periret. Tametsi reuera nihil tale Plutarchus, quale Victorius credidit, habeat, sed hoc tantum, vt Muretus admonet, Solonem, cùm delatam à suis ciuibus tyrannidem spreuisset, à multis reprehensum esse, & parum sanæ mentis habitum. Aiebant enim eum si saperet, accepturum fuisse tyrannida, vel propositis ijs conditionibus, quas suprà exposuimus. Quorum sententiam Solon his versibus trochaicis expressit.

Muretus lib. 1. Var. Lect. c. 13.

Solon.

Οὐκ ἔφυ Σόλων βαθύφρων, οὐδὲ βουλήεις ἀνήρ·
Ἐσθλὰ γὰρ θεοῦ διδόντος, αὐτὸς οὐκ ἐδέξατο.
Περιβαλὼν δ' ἄγραν, ἀγασθεὶς οὐκ ἀνέσπασεν μέγα
Δίκτυον, θυμοῦ θ' ἁμαρτῶν, καὶ φρενῶν ἀποσφαλείς.
Ἤθελε γὰρ κεν κρατήσας, πλοῦτον ἄφθονον λαβὼν,
Καὶ τυραννεύσας Ἀθηνῶν μοῦνον ἡμέραν μίαν,
Ἀσκὸς ὕστερον δεδάρθαι, κ' [illegible] γένος.

Non fuit prudens Solon, neque consilio præditus vir.
Bona enim cùm Deus dedisset, ipse non accepit.
Cùmque circundedisset prædam, hilaris non attraxit magnum
Rete, tum animo aberrans, tum consilijs falsus.
Voluisset enim, potentiam consecutus, magnis opibus acceptis,
Et potitus Athenarum imperio solū diem vnum,
Vtris in morem postridie excoriari, ac totum genus suum conteri.

Hæc prudentia carnis, inquit Apostolus, quæ inimica est Deo, & ab ipsa quoque ratione aberrat. At regna & opes Dauid non duxit esse tanti, vt adipiscendi studio scelus admitteret.

Quod nemo manum afferens Christo Domini, sceleris purus sit & innocens.

QVÆSTIO LXXXVI.

Perluctuosa nostrorū temporum calamitas hoc à nobis postulare videtur, vt lectorem moneamus tantisper gradum sistere, donec suis, quod aiunt, momentis sanctissimi Regis & Prophetæ sententiam expendat. Quippe illum Deus iam antea testatus est, comperisse se *virum secundum cor suum.* Quamobrem etiam eiusdem placita, peræque ac Sancti Spiritus oracula suspicio ac veneror: cuius omnia decreta cùm æterna autoritate vigent, & perenni veritate nituntur, tum hoc præter cætera ad tuendam humani generis societatem & incolumitatem præcipuè valet. Neque enim absque certo ac stabili fundamento regnorum ædificia constant: quod si forte labat, nemo dubitet inclinatam rei publicæ molem breui ruituram. Exemplo nostro docere possumus quas strages edat principum ruina. Iam enim semel atque iterum ex quo hanc animam duco, regum miserando exitio in summum discrimen Francia adducta est. Quod cùm per se triste atque acerbum est, tum illud opinor ad gentis ignominiam pertinet, inuictos reges ab hostibus, & Dei clementia seruatos, in ipso sinu Reipublicæ parricidio interire. Nec hactenus acerbitate suppliciorum audacia illa repressa est. Accessit enim ad furoris contumaciam religionis opinio; quæ simulac corruptis mentibus insidet, flagitioque prætexitur, non modò pudorem extinguit, sed etiam tormentorum metum abdicat. Quamobrem prima mali labes, & origo temeritatis huius atque amentiæ, studiose nobis inuestiganda sunt, vt præstantissimæ spei, qua ducuntur, expectatione damnata, diuini timoris frænum tabies cœca recipiat. Nec porro dubito, redundantes nos & superfluentes infinita quadam impunitate atque licentia, primùm hoc monstrum peperisse. Deinde etiam simili pertinacia fouere atque alere, dum se nemo vel sane pauci ad meliorem frugem reuocant. Sed quoniam in exterminandis prodigijs, qui nonnunquam prodeunt ad humani generis perniciem, hoc etiam spectare solemus quibus sint causis edita, quæ instrumenta fefellerint, per quæ natura deerrauerit à scopo, vt ijs cognitis si fieri possit, inusta naturæ macula in posterum deleatur: idcirco nos quoque quæ fuerint pestis huius primæua semina, quæ fomenta, quaque ex officina deprompta sedulo perscrutari debemus: sic enim fiet, vt antidotis commode adhibitis veneni vis retundatur, & furiosi homines ab errore resipiscant. Neque tamen propterea in animum induximus, quæ quisque olim temere senserit, aut nefariè docuerit, vniuersa hæc repetita ex omni antiquitate memoria proferre in medium: sed satis fore ducimus, si fontem ipsum, seu potius lacunam Lernæam vel digito monstrauero, è qua sententia hæc, tanquam omnium hydra malorum, nostro tempore erupit.

Ioannes Vviclefus autor impiæ sententiæ.

Non poterat tale monstrum nisi patre diabolo, & hæresi matre teterrima nasci. Itaque non ita pridem Ioannes Vvicletus, qui circa annum 1386. hanc vitam cum æterna morte commutauit, & dignam pestifera sua doctrina sententiam anno à Natiuitate Domini 1415. in Con-

PERFODIAM EVM, &c.

cilio Constantiensi, Octaua Sessione tulit, prima furoris huius fundamenta iecisse videtur, cùm hæc asserere ausus est: primum quidem art. 15. *Nullus est Dominus ciuilis, nullus est Prælatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali.* Deinde etiam manifestiùs art. 17. *Populares possunt ad suum arbitrium Dominos delinquentes corrigere.* Quæ tametsi iam publicè doctorum iudicio damnata, & à Concilio reprobata, Ioannes Husz tanta pertinacia complexus est, vt ignis vim experiri maluerit, quàm vt, (quod aiunt) palinodiam caneret. Porrò hæc stygia dogmata duobus potissimum articulis confirmat: nimirum 25. quo negat condemnationem articulorum quadragintaquinque eiusdem Vviclefi ritè atque ordine factam: & 30. quo Huszius Vviclefi articulum 15. repetit & asserit. Ad hos iuniores, & qui superiori sæculo hæreticum virus vsque ad feces hauserunt, antiquitatis suæ prærogatiuam referunt, his maioribus gloriantur: quos iurare audent ab œcumenico Concilio calumniam passos: quibus freti veterum monumentis ipsi viderint, hoc solum monere velim, haud satis prudenter eos inficiari eandem fuisse patrum suorum doctrinam, quam ipsi sequantur. Negabunt? Nube testium obruam: & ex eorundem commẽtarijs præuaricationis arguam. In comment. de statu eius Religionis, quæ à perduellibus defectioni prætexitur, & Reipubl. l. 12. hæretica temeritas ad hunc modum decernit: *Statuo populum summos magistratus legitimo imperio abutentes abdicare imperio posse.* Item; *Apud Danos, Suedos, Scotos, recentia exempla ostendunt illam aduersus Reges esse populi autoritatem.* Reuera autem Scoti Reginam suam malis artibus perdiderunt. Vvenceslao Bohemi regnum cum vita eripuerunt, Dani Christiernum, Suedi Sigismundum vinxerunt. Germani Caroli Quinti latus suis mucronibus petere conati sunt. Galli plures Reges nostros, vt Launæus testatur, cùm tentarent insidijs opprimere, nec conatus procederet, aperto marte aggressi sunt. Tune, inquiunt, popularium rabiem, & vulgi furores Verbi Ministris ascribas? Quidni, cum sint ijsdem autoribus eò præcipites acti, & doctrinæ concionumque vestrarum œstro concitati? Dogma illud tartareum, si per eos liceret, silentio premere mallem quàm testatum posteritati relinquere: Sed quando necessitas vrget, (nam æstate proxime præterita Sicarius hæreticus Lutetiæ vitam laqueo abrupit, qui ad confodiendum Regem perduelles armis vlciscentem castra petebat) age cum præsens tum futura ætas nouerit, portentum illud hereticæ peruersitatis fuisse, quod dudum Ecclesia damnauerit, & diris omnibus deuouerit. Probabo verò paucis, ne sermonem diutius protraham, autoribus sectarum coryphæis.

Hæreticorum nostrorum sententia de abdicandis regibus.

Lutheri impietas & insolentia.

Dux regit examen: prior ipse Lutherus infestis signis in Reges fertur. In lib. de potestate sæculari ad Ioann. ducem Saxoniæ, quicunque Reges aut Principes nebulonis stultitiæ manus non darent, eosdem tyrannos, lictores, Dei carnifices, Herodes, Christicidas vocat, & cum Membrotis incude confert: *nec ad eos*, inquit, *præstari debet* (belluæ verbis vtar) *obsequium, aut sequela, aut obedientia, ne vestigio quidem aut digito vno.* Quid suppar ille Luthero Melancthon, qui in plerisque magistri temeritatem correxisse videri voluit, quid ait? Quid enim, inquit, monstruosius, turpius & abominabilius excogitari potest, tyrannis omnium temporum? Deinde his verbis de Regum cædibus hanc profert sententiam: *Sicut honestissimè Traianus ad Magistrum Equitum dixit, tradens ei gladium: Hoc gladio pro me vtaris, si iusta imperauero: sin verò iniusta, contra me vtaris.* Hanc habet pius Euangelista honestissimam propagandi quinti Euangelij rationem, si Reges tollantur, quicunque perditorum hominum furiosos conatus cohibere studuerint. Ita sentit & docet in Quartum præceptum. Caluinus in prælectione in Danielem, Geneuæ edita, anno Domini, 1561. Reges tyrannos vocat, si qui dementiæ suæ consensum non accommodent; potestate sua abdicatos prædicat, equis & asinis similes facit, in numero hominum habendos negat. Denique concludit: *Potius ergo conspuere in ipsorum oportet capita, quàm illis parere: αὐτὸς ἔφα.* Nunc illud Magistri pronuntiatum perduelles nostri ferro & igne tuentur. Beza discipulorum illius facilè princeps, in eo libro, cui titulum fecit: Vindiciæ contra Tyrannos, siue de Principum in populum populique in Principem legitima potestate, *Tyrannos per populum punit & castigat Deus.* Ioannes Cnoxius ex eadem schola, Scotici regni tetra lues & acerbum exitium, in libello Geneuæ impresso, quem vocat Appellationem ad nobilitatem populumque Scoticum, pag. 36. *Illud*, inquit, *audacter affirmauerim, debuisse nobiles, Rectores, Iudices, populumque Anglicanum, non modò resistere, & repugnare Mariæ illi Isabellæ, quam vocant Reginam suam: verum etiam de ea, & Sacerdotibus eius, & alijs omnibus, qui quotquot ei auxilium tulerunt, mortis supplicium sumere, vt primum apertè cœperunt Christi Euangelium supprimere.* Addamus postremò & Buchananum, quando nos Knoxius mare traiecit. Neque enim is cuiquam flagitiosorum istorum styli petulantia cessit; plerosque vicit eloquentia, quam ad Principis suæ perniciem contulit. *Video*, inquit, in lib. de iure regni apud Scotos, edit. 2 Edimburgi, anno 1580. *video nationes ferè omnes in ea fuisse sententia, nam & Thebe laudari solet quòd maritum; & Timoleon quod fratrem; & Cassius quod filium interfecerit: & Fuluius quod filium ad Catilinam proficiscentem; & Brutus quod filios & propinquos, cùm reducendi tyranni consilia eos rescisset iniisse, necauerit: & publicè præmia erant tyrannicidis, & honores à multis Græciæ ciuitatibus instituti.* Hæc ille, qui multis antea legitimos Principes in eandem classem referre conatus est, cum ijs qui per vim oppressa

Melancthon. Caluinus. Beza. Cnoxius. Bucchananus.

QVIS EXTENDET, &c.

pressa ciuium libertate tyrannidem occupent: quos nequaquam homines appellandos censet, nihilo certe magis quàm Satyros, simias, aut vrsos, quamlibet vultu, gestu, & sermone hominem mentiantur. Itaque de Regibus si quid deliquerint, haud aliter sentit quàm de latronibus: quos lex permittit, inquit, nocturnos quouis modo; diúrnos, si telo se defenderint, interficere. Quamobrem, *si Rex aliter quàm vi in ius pertrahi non possit, de quo cum iudicio non potest decerni, ferro cernitur.* Et hæc quidem illius doctrina est, quam haud obscure ex hæreticorum fontibus deriuauit. At cùm loquitur ex animi sententia, & conceptum in Reges odium aperit, *Tum*, ait, *Si mihi legem ferre liceret, iuberem (quod Romani in monstris procurandis facere solebant) id genus hominum in solas terras deportari, aut in alto procul à conspectu terræ demergi, ne contagio etiam mortuorum hominibus officeret. Interfectoribus autem præmia decerni, non ab vniuerso tantum populo, sed à singulis, quemadmodum vulgo fieri solet iis qui lupos, aut vrsos occiderunt, aut catulos eorum deprehenderunt.* Hactenus illa bellua. Plures referre non sustineo! actutum cohors impia facessat, & auertat Deus ac detestetur procul à nobis tam dirum nefas, & horrendum flagitiũ.

Ad hæreticos proxime accedunt, si qui olim schismati fauerunt, aut fomenta quibus aleretur ministrarunt, & summo Pontifici leges scribere quàm ab eo accipere maluerunt: quorum facile princeps haberi potest Ioannes ille Gerson, quem, quia non pauca alias pietatis suæ monumenta reliquit, nec vsquam legitur Sanctæ matris Ecclesiæ iudicio pertinaciter refragatus, idcirco è reis eximimus. Cuius non sine causa miramur nonnullos ita doctrinam complecti, quæ non vno loco temeritatem, vt nihil amplius dicam, redolet, vt ab eius vita abhorreant, quam virtutis aliquo splendore fulsisse ferunt. Hominis porrò quanta in docendo temeritas fuerit, disces ex eodem, ne forte calumniam innocenti importasse videar, *Contra adulatores, Consideratione* 7. *Error est*, inquit, *dicere principem in nullo suis subditis dominio durante obligari: quia secundum ius diuinum, & naturalem æquitatem, & verum dominij finem, quemadmodum subditi debent fidem, subsidium, & seruitium Domino: sic etiam Dominus subditis suis fidem debet & protectionem. Et si eos manifestè cum obstinatione in iniuria & de facto persequatur princeps: tunc regula hæc naturalis, vim vi repellere licet, locum habet: Et id Seneca in Tragœdijs, Nulla Deo gratior victima quàm tyrannus.* Hactenus ibi. Accipe rursum aliam hominis temeritatem. In eo sermone, quem ad Regem Carolum Sextum habuit nomine Vniuersitatis Parisien. His verbis vtitur. *Si Roboam, qui Sauli successit post David & Salomonem, omnia iure diuino capere potuisset, quare decimam regni sui partem amisisset, pro hoc quod ad consilium iuuenum & adulatorum multiplicare volebat exactiones populi plus quàm Salomon.* Ni fallor Gerson probare populi defectionem videtur. Atqui duæ erant causæ, quamobrem tum populus Dauidicæ stirpis iugum excuteret. Altera quidem autore Deo, quam refert Ahias propheta 3. Reg. cap. 11. ver. 33. *Eo quod*, inquit Dominus, *Salomon dereliquerit me, & adorauerit Astarthen deam Sidoniorum, & Chamos Deum Moab, & Molech Deum filiorum Ammon: & non ambulauerit in viis meis, &c.* Altera quam populus sequutus est, minaci Regis oratione prouocatus, qui se tributa & vectigalia aucturum diceret. Priorem Gerson cùm tacuisset, posterioris meminit, quam idcirco probasse suo calculo suspicamur. Auget suspicionem quod sequitur in eadem Veritate: *Sic alius aliquis dicat, quod princeps quandoque ad id quod agit necessitatur. Sciendum est tunc vnde talis emergat necessitas: & an ex voluntate. Si enim Dominus aliquis in triplo aut quadruplo plures velit tenere quàm debeat homines, & quod sic in statu suo necessitatur: hic necessitatem facit. Est quasi ipse excusatus? profectò non: sed dupliciter accusandus: & multo magis si nihil eorum quæ recipit, in boni publici vertat defensionem: verùm ad malum vsum & dissipationem. Propter quod sic oppressi à Deo vindictam petunt: & ipse exaudiet eos. Propter miseriam inopum & gemitum pauperum, nunc exurgam dicit Dominus.*] Quis afflictos prohibeat de principum iniurijs cum Deo expostulare, opem & præsidium implorare? Nemo vtique nemo. Sed cùm populus à Roboam deficeret, non vtique Deum vindicem implorauit, sed Regis impotentiam armis, cæde, defectione vltus est. Deinde cum tyrannidis partes explicaret Gerson Veritate sequenti, tertiam autore Aristotele hanc esse voluit, vt ciuium commoda præter ius & æquum in suam vtilitatem conuerteret. Quibus ita explicatis demum concludit: *Concludamus vlterius, quod caput, aut aliquod ciuitatis membrum tale incurreret inconueniens, quod tyrannidis mortale venenum sorbere vellet: membrum quodlibet suo in loco toto posse obuiare deberet, verum est per media conuenientia, & talia per quæ peius non sequatur. Non congruit quoniam si caput paruo afficiatur dolore, manum ipsum percutere: hoc enim fatuum esset: nec conuenit ipsum statim abscindi, aut à corpore separari: sed in omni dulcedine medicari, tam per bona verba, quàm aliter, ad bonorum medicorum exemplum. Nec quicquam esse irrationabilius & crudelius, quàm per seditionem tyrannidem impedire velle. Seditionem voco rebellionem popularem absque causa & ratione, quæ sæpenumero peior est tyrannide, &c. Opus est mirum in modum magna discretione, prudentia, & temperantia ad tyrannidem expellendam. Propter quod audiendi sunt, & fides adhibenda est sapientibus Philosophis, Iurisperitis, Legistis, Theologis, hominibus bona vita, bonæ naturalis prudentiæ, & magna experientiæ. In senibus est experientia. Non enim subitò Dominus aliquis tyrannus iudicandus est, si peccator sit pluribus in casibus, cùm tamen sit hoc manifestè contra Dominii sui finem, & in boni communis subuersionem. Potestas (sicut dicit Apostolus) non est data cuiquam Do-*

Ioannes Gerson probat Senecæ sententiam, nullã Deo gratiorem victimam esse quam tyrann.

Ibi Gerson in Veritate 8.

A B C D

QVIS EXTENDET, &c.

mino, in subuersionem, sed in ædificationem potius. Ibidem suprà: *Multo eligibilius foret sine principe esse, vt fabulantur de ranis, quibus datus fuit rex, serpens quidam, eas deuorans.* Et infrà: *Rarò tyrannus morte moritur naturali: odio habetur à Deo & mundo: nec fermè adeo paruus est, quin, si vitam suam periculo exponere vellet, vt tyranno vitam adimat, inueniat modum ipsum occidendi, & pacem restituendi.* Hactenus Ioannes Gerson: Quem, quia Summi Pontificis, vt obseruat Cardinalis Perronius, autoritati detrahere studuit, & futuro schismati materiam ministrauit, in lucem prodire denuo curauimus: Regum autem iniuriam, & manifestum discrimen susque deque ferimus, iuxta poëtæ sententiam.

Securi posthac cadat, an recto stet fabula talo.

Sententiæ hæret eorum confutatio.

Verùm enimuerò belluinam hanc perditorum hominum vecordiam non pauci nostro tempore egregie confutarunt. Quo in opere cum aliorum, tum maximè Religiosorum qui sunt è Societate Iesu assiduus labor & candor eluxit: tanto vtique fauore, vt etiam hæretici B Principes, qui alioquin à syncera & orthodoxa eorum doctrina abhorrerent, nouatorum diffisi perfidiæ, præsidio eorum sententiæ salutem & incolumitatem suam tueri in animum induxerint. Elenchum clarissimum virorum, & de Christiana Repub. atque adeo vniuersi orbis Regibus benemeritorum, clarissimus ipse Petrus Cottonus edidit in ea Epistola quam ad Reginam dedit, cùm importatam suo Ordini calumniam validissimis argumentis refelleret. Nunc plures addi possent, cum in dies augeatur Scriptorum numerus, & nullus eorum officio desit, sed certatim quisque Regiam maiestatem vindicet.

Cardinal. Perronius.

Cardinalis denique Perronius, tantus ille vir, negauit in dubium vocari posse, an liceret Regibus, qui forent officij immemores, manus violentas afferre. Sic enim testatur in ea oratione, quam habuit in comitijs generalibus ad eos qui è tertio ordine conuenerant, dicens: *Je n'entend point comprendre soubz le mot, problematique, ce qui concerne la condãnation des parricides qui entreprẽnent sur la vie des Roys, laquelle ie tiens pour necessaire de* A *necessité de foy, & condãne l'opinion contraire cõme heretique & coulpable de toutes sortes d'anathemes & de peines eternelles.* Hæc ille. Vnde verò tam certam tamque absolutam pronunciandi licentiam acceperit, docet alibi, nimirum & decreto Constantiensis Concilij: cuius quando quidem autoritatem & fidem Serenissi. magnæ Britanniæ Rex, quod eum minimè decuit, eleuare conatus est: primum illud integrum describam: deinde quæ in eandem sententiam explicationis gratia Cardinalis Perronius adiecerit, subijciam: postremò Regis cauillationibus satisfaciam, ea quæ contrà obiecerit, non tantum nullius momenti esse, sed etiam à veritate aliena certis rationibus demonstrans.

Decretum sacri Constantiensis ex eiusdem sessione decimaquinta.

Concil. Constant. Sess. 15.

PRæcipua solicitudine volens hæc sacrosancta Synodus ad extirpationem errorum & hæresum in diuersis mundi partibus inualescentium prouidere, sicut tenetur, & ad hoc collecta est: nuper accepit, quod nonnulla assertiones erroneæ in fide & bonis moribus ac multipliciter scandalosæ, totiusque reipublicæ statum & ordinem subuertere molientes, dogmatizatæ sunt, inter quas hæc assertio delata est: Quilibet tyrannus potest & debet licite & meritorie occidi per quemcunque vassallum suum vel subditum, etiam per clanculares insidias & subtiles blanditias vel adulationes, non obstante quocunque præstito iuramento, seu confœderatione factis cum eo, non expectata sententia seu mandato iudicis cuiuscunque. *Aduersus hunc errorem satagens hæc sancta Synodus insurgere, & ipsum funditus tollere, præhabita deliberatione matura, declarat, decernit, & diffinit huiusmodi doctrinam erroneam esse in fide & in moribus, ipsamque tanquam hæreticam, scandalosam, & ad fraudes deceptiones, mendacia, proditiones, periuria viam dantem, reprobat & condemnat. Declarat insuper, decernit, & diffinit, quod pertinaciter doctrinam hanc perniciosissimam asserentes, sunt hæretici, & tanquam tales, iuxta canonicas sanctiones puniendi.* Hactenus Concilij decretum.

Regum parricidas damnat.

Cuius decreti pondus & autoritatem cum pari vtilitate coniunctam, cum Perronius verbis amplificare vellet, (Orationem autem eius Gallicam cum interpretatione mea coniungam: vt sicubi interpretatio minus feliciter cesserit, habeat lector præsens eius exemplar quod consulat.)

Quis nesciat, inquit, quod si monstra illa stygia, quorum scelere duo postremi Reges nostri perierunt, leges Ecclesiasticas legissent, vtique damnari suum facinus autoritate Constantiensis Cõcilij comperissent? Quod igitur gemino se parricidio polluerint, nequaquam legibus Ecclesiasticis ascribendum est, tanquam illæ nefario scelere non interdixerint: sed eorum potius negligentiæ qui non legerint, seu mauis insano furori, & diabolicæ nequitiæ. Verùm his nonnulli respondent, non satis hactenus Ecclesiam Regum incolumitati prospicere, quòd anathematis periculum intentet ijs qui Principum vitæ insidias struant, aut fieri posse asserant, ni pariter decernat Sacramenti religione subiectos absolui non posse, aut vllo tempore iugum excutere, licet illi fidei nuntium remittant, & obstinato animo à religione deficiant, atque adeo eandem in alijs insectentur, vimque faciant Catholicorum conscientiæ. Quippe, inquiunt, tametsi Ecclesia hoc vetet, & Principes statuat violare nefas; si tamen hæ-

Obiectio.

C *Car qui ne sçait, dict il, que si les monstres infernaux qui ont attenté sur la vie de nos deux derniers Roys, eussent leu les loix Ecclesiastiques, ils eussent trouué leur damnation expresse dedans le decret du Concile de Constance: Et donc que ce n'a pas esté par le defaut des Loix Ecclesiastiques, mais par faute de les auoir leues, ou plustost par vne malice enragée & diabolique, qu'ils ont commis ces deux horribles assassinats? Mais on replique qu'il ne suffit pas pour asseurer la vie des Roys, que l'Eglise ait decerné soubs peine d'anatheme, que nul ne puisse attenter sur leurs personnes, si elle ne decerne aussi soubs les mesmes peines, que les subjets ne puissent estre absous de leur obeissance, en quelque estat qu'ils soyent, c'est à dire, quand mesme ils seroient profession d'heresie ou infidelité incorrigible, & se rendroient persecuteurs, & violateurs des consciences. Car encore, disent les repliquans, que l'Eglise defende que l'on n'entreprenne*

Card. Peronij iudicium de decreto Constant. quo Regũ Salus & incolumitas asseritur.

QVIS EXTENDET, &c.

retici euadant aut apostatæ, nec ab errore resipiscant, quin potius fidem pro virili parte oppugnent, Ecclesia autem subiectos eorundem fidelitatis Sacramento absoluat, illi quoque declarationis nulla ratione habita pro more ciues officium facere compellant, tyrannorum instar habentur. Lex porrò ciuilis vnumquemque ciuem armat in tyrannorum perniciem: Vnde mox sequitur, vt qui in hæresim labuntur aut apostasiam, manifestum vitæ discrimen adeant. Sed huic obiectioni nullum negotium erit paucis ita satisfacere. Non enim Ecclesia ciues Regibus obtemperandi debita necessitate liberat, nisi quantum fidei interest, & spectat ad tribunal Ecclesiasticum. Nam præter hanc, & anathematis alteram, nullam præterea pœnam Ecclesia sancit. Quocirca tantum abest vt in quos ipsa censuris animaduerterit, eorundem neci consentiat, vt ab omni cæde vehementius abhorreat, maximè verò in pinata atque improuisa, quæ vnà cum corpore animam plærunque in exitium trahit. Quod si contrà referas, ipsam sanè quidem Ecclesiam abstinere manus à capitali sententia reliquis tamen ansam præbere vt faciant quandoquidem Republica Ecclesiæ sequuta iudicium pariter censeat; & si fortè in posterum absterritus pergat principem agere, tyrannus & hostis Reipublicæ ab eadē iudicetur, legibusque politicis obnoxius maneat, quibus fas est & licet tyranno necem machinari. Ad hæc primùm illa exceptione vtimur, tyrannos longo inter se interuallo distingui. Nam alter quidem cùm sit priuatus, tyrannidem per vim occupat: alter legitimè potentiam nactus, eadem tyrannicè abutitur: Quibus addimus, hæreticos Principes, qui fidem vnà cum suis cultoribus perdere moliuntur, tyrannos esse administrationis non vsurpationis, quos solos clandestinis insidijs licet opprimere. Quibus à me dictis si quis fortè respondeat, leges politicas in vtrosque frænos laxare licentiæ, negabo Christianas leges politicas tantū tribuere licentiæ, sed profanas, quę ab Ethinicis hominibus, priscis videlicet Romanis Græcisque manarunt. Neque enim politicæ leges Christianę hoc solùm in Principe spectant, quod Imperij maiestatem præ se ferat, & communis boni ratio ex eo apta pendeat, aut hoc solo nomine eundem colunt & obseruant: sed in eo præterea diuini numinis imaginē à quo præfectus est, & sacram vnctionem venerantur & suspiciunt; sic prorsus, vt quicunque semel Regiam dignitatem legitimè consequuti sint, quamtumuislicet tyrannorum mores & studia æmulentur, nunquam tamen Christianorum leges politicę eos proscribant, aut clandestinis conatibus obijciant: Sed eundem ad eos respectum habent, quem ad Saulem habuisse Dauid legitur, quā quam abdicatum à Deo atque reiectum sciret, cùm diceret: *Quis extendit manum in Christum Domini, & innocens erit?* Quamobrem si fortè Christiani contra vim hęreticorum Principum aut desertorum vitam ac religionem tueri cogantur, quanquam iam exauctoratis & Ecclesię iudicio Sacramento solutis, nihilo plus indulgent politicæ Christianorum leges quàm militares decernant, & iure gentium concessum sit: nusquam verò insidijs appetere, aut sicariorum more grassari. Siquidem isti naufragio superstes manet ciuidē dignitatis habitus, & quidam veluti politicus character inhæret, qui Reges absterritos à priuatis discriminat: quin etiam amoto impedimento, siue *postquam vitam* in melius commutarint & satisfecerint, statim regni habenas recipiunt. Quam ob causam cùm tantæ sæpè contentiones Summos Pontifices cum terrenis Principibus commiserint, attamen nullus vnquam Pontifex cuiusquam cædem consilio aut assensu suo comprobauit. Quinimò si quis eorum quemquam aliquando tētarit in admissi sceleris suspicionem vocare, mox idem non sine flagitij horrore atque execratione ad refellēdam calumniam Apologia vsus est. Quippe memores semper fuerunt S. Gregorij sermonum, quos ipse ad posteritatis memoriam literis mandare instituit lib. 7. Epist. 1. Vnum est, inquit, quod breuiter suggeras se-

Quas pœnas Ecclesia sanciat.

Tyrannorum duplex genus.

S. Gregorius.

A *treprēne sur la vie des Princes: neantmoins si les Princes viennent à tomber en heresie ou Apostasie incorrigible, & se rendent persecuteurs de la foy, & que l'Eglise là dessus declare leurs subiects absoubz du serment de fidelité, & que nonobstant cette declaration ils les veulēt forcer de continuer à leur obeïr, ils deuiennēt tyrans. Or, adioustent ils, les loix politiques permettent à chaque particulier d'entreprendre sur la personne des tyrans: Et par consequent leur vie en cas d'heresie, ne peut estre asseurée. A ceste obiection donc la response est courte & facile. Car l'Eglise ne se mesle de l'absolutiō des subiets, sinon au tribunal Ecclesiastique: Et outre ceste peine là, & celle de l'excommunication, n'en impose aucune autre. Au moyen dequoy tant s'en faut qu'elle consente que l'on entreprenne sur la vie de ceux contre qui elle a ietté ses censures, qu'elle abhorre toutes sortes de meurtres, & principalement les meurtres impreuenz & inopinez, à cause de la perte du corps & de celle de l'ame, qui y sont souuent conioinctes. Que si l'on dict que l'Eglise ne l'ordonne pas, mais qu'elle est cause qu'il se faict, d'autant* B *que la republique venant à se conformer au iugement de l'Eglise, & à faire la mesme decision au tribunal politique, si le Prince veut passer outre, la republique le declare tyran & ennemy de l'Estat, & consequemmēt le sousmet à l'effect des loix politiques, qui permettent de conspirer par assassinat contre les tyrans: Nous apportons premierement cette exception, qu'il y a grande differēce entre les tyrans d'vsurpation, lesquels les loix permettēt d'exterminer par toutes sortes de voyes, & les tyrās d'administration qui sont legitimement appellez à la principauté, mais l'administrent mal: Et adioustons que les Princes heretiques qui persecutent la foy & leurs subiets Catholiques, sont du nombre des tyrans d'administration, & non du nombre des tyrans d'vsurpation, contre lesquels seuls il est permis de conspirer par embusches occultes & clandestines. Et si l'on repart que les loix politiques permettent de conspirer cōtre les vns & les autres, nous répondons que ce sont les loix politiques, prophanes, & Payennes, comme celles des anciens Romains ou des vieux Grecs, & non les loix politiques Chrestiēnes. Car les loix politiques Chrestiennes, ne considerent pas seule-* C *ment en leurs Princes, le respect qui leur est deu pour le bien de la police temporelle, & à cause de la maiesté de l'Estat qu'ils representent: mais considerent en eux, l'image & l'vnction de Dieu qui les a appellez à ceste dignité, de sorte qu'en ceux qui ont eu vne fois la vocation legitime à la Royauté, quelque tyrannie qu'ils exercēt, iamais les loix politiques Chrestiēnes ne passent iusques à permettre qu'on vse de proscription contre leurs persōnes, & qu'on attente par coniuration clandestine sur leur vie: mais leur portent le mesme respect que porta Dauid à Saul, encore qu'il sceust qu'il estoit reietté & reprouué de Dieu, lors qu'il dict:* Qui est ce qui mettra la main sur l'Oinct du Seigneur, & sera innocent? *De maniere que si les Chrestiens sont contraincts de deffendre leur religion & leur vie, contre les Princes heretiques ou Apostats, de la fidelité desquels ils ont esté absoubz, les loix politiques Chrestiennes ne leur permettent rien plus que ce qui est permis par les loix militaires, & par le droict des gents: asçauoir la guerre ouuerte, & non les assassinats, & coniurations clandestines. Car il reste tousiours en eux vne certaine habitude à la dignité royale, & comme vne espece de charactere politique, qui les discerne des simples particuliers, & mesme quand l'obstacle est osté, c'est à dire, quand ils viennent à se corriger & à donner satisfaction d'eux, les reporte à l'vsage legitime de la royauté. Et pource voyons nous qu'ē tāt de controuerses que les Papes ont euës auec les Princes temporels, iamais aucun Pape n'est passé iusques à prester conseil ou consentement aux assassinats des Princes. Au contraire, si quelques calomniateurs le leur ont voulu*

QVIS EXTENDET, &c.

Christianæ leges Politicæ nusquam Reges proscribunt: & quid in Principe spectent.

Nullus vnquam Pontifex neci cuiusquam Principis assēsus est.

QVIS EXTENDET, &c.

renissimis Dominis vestris, quia si ego seruus eorum in morte Longobardorum me miscere voluissem, hodie Longobardorum gens nec Regem, nec Duces, nec Comites haberet, atque in summa confusione esset diuisa. Sed quia Deum timeo, in mortem cuiuslibet hominis me miscere formido. Hactenus cum Sancto Gregorio Card. Perronius.

imputer, ils s'en sont tousiours iustifiez, voire auec horreur & abomination de tels actes se souuenans de ces paroles de S. Gregoire, lors que les Lombards luy faisoient la guerre: Si i'eusse voulu me mesler de la mort des hommes, auiourd'huy la nation des Lombards n'auroit ny Roy ny Gouuerneurs. Mais pource que ie crains Dieu, ie ne me veux mesler de la mort de personne. Iusques icy le Cardinal du Perron.

Greg. lib. 7. epist. 1.

Respondetur nonnullis obiectionibus, & probatur Sacri Concilij Constantiensis decreto Regum cædem inhiberi, tametsi in tyrannos degenerent.

QVÆSTIO LXXXVII.

CÆterû hæc illustrissimi Cardinalis oratio cû bonis omnibus magnopere placuisset, & schismatis nascens incendium in primo ortu maturè oppressisset, attamê Serenissimi Magnę Britanniæ Regis animû vehementius offendit. quæ Regis indignatio vt primum ad nos fama manauit, statim qui prius in suspicionem conscientiæ venerat, palã ac publice feralis articuli autor haberi cœpit. quippe mox etiã abdicato ac repudiato deesse noluit: sed damnatæ iam atque conclamatæ sentêtiæ patrocinium suscepit, atque ita causam perorauit, vt non tam Regum salutis studio duci videretur, quàm Catholicis omnibus periculû creare velle: cum quibus qua deinceps clementia vsurus esset, non pauca exêpla quæ in suæ gentis Catholicos edidit, manifeste declarant. Cur enim apud nos in exigenda quàm sancienda lege minus posset? Itaque non minimo periculo Dei prouidentia defuncti sumus. Subinde verò vt globus nobilium Frãcorum, assertor fidei, Cleri autoritatem sequutus, venenatam potionem exhorruit, & fraudê passos temeritatis quoque pœnituit, tum Serenissimus ipse iræ atq; dolori suo nonnihil indulgês, fundamenta rationum, quibus schismatica Sacramenti religio explosa est, arte conuellere instituit, quo spectaret ne quemquam in posterû latere posset, signis manifestis aperiens, nempe vt à Pontificis obedientia Gallos dirimeret, in quem toto suo libello nô obscura odij ac simultatis argumenta dedit. Secundum hęc tempora orationis autorem morbus ingrauescens, mors denique præmatura occupauit, qui Regis defêsionê relatione sua facilè labefactare potuit: ipsum eius opus posthumum Solis splendorê sua claritate vincit. Ipse porro ad hæc ne hiscere quidem ausim, tametsi plerisque Rex nihil dicere visus est. Quippe si Theologorum coryphæos pro vermiculis habet, quos solo nutu côterit, quid me Minimo fiet? Quanquã olim ita edoctus eram, si quis humilitate præstaret, non modo Magnæ Britanniæ Regi, sed totius orbis Monarchiæ, si forte vnusquispiam tantum Imperium nactus esset, magnitudine præstare. Verum hæc missa faciamus. Non enim siuero vt me quisquam cum tanto Rege committat. Veruntamen, vt ego quidem sentio, nihil oberit, si communem Christianæ Reip. fidem à calumnia vindicemus, quæ hactenus credidit, autoritate Constantiensis Concilij Principum cædem, licet illi officij immemores ad tyrannidem deflecterent, prohiberi.

Itaque duo quædã sunt quæ à Ser. Rege Cardinali obijciuntur, quibus Côstantiensis decreti autoritatem eleuet, quo Ecclesia Regum incolumitati à parricidis caueri voluit. *Il propose,* dit-il, (neque enim aliud eius defensionis exêplar præterquam Gallicum vidi) *vne loy d'vn Concile qui n'est approuué par les Papes, & qui ne parle point de ce dont il s'agit.* Affert, inquit, in medium legem ab eo Concilio latam, quod nequaquam Pontifices suo calculo comprobarût: & quod tametsi probassent, ipsa tamen lex aliena videretur à proposito: quippe quę de ea re de qua nunc agitur, hoc est Regum tyrannorum cæde, minime tractat. Hæc ille. Ego vero, quod ad primû caput obiectionis attinet, si forte per eum liceat, Regiam ipsius imploro fidê. Negat Rex Pontifices Constantiense Concilium sua autoritate confirmasse. Atqui si forte Conciliû legit, legit vtique à Martino Quinto Pontifice solemni ritu approbatum, eiusdê Concilij Sess. 45. in Absolutione Concilij, non hæc ibi reperies: *Quibus sic factis Sanctissimus Dominus noster Papa dixit respondendo ad prædicta, quòd omnia singula & determinata, conclusa & decreta in materijs fidei per præsens Concilium, conciliariter tenere & inuiolabiliter obseruare volebat, & nunquam côtraire quoquo modo. Ipsaque sic conciliariter facta approbat, & ratificat, & non aliter nec alio modo. Et illud idê iterato fecit dici per organum Domini Augustini de Piscis fiscalis, & sacri Consistorij Aduocati prædicti, qui nomine Papæ à protonotarijs & notarijs adscribendum acta Concilij ordinatis & deputatis, petijt instrumêta publica fieri.* Hactenus acta Concilij, publica exarata fide, Regis obiectioni fidem abrogant: ad alterum caput pariter expugnandum accedamus.

Prima Reg. obiect.

Confirmatio Constantiensis Concilij.

Pluribus hanc partem stabilire conatus est. Quod vt facilius consequeretur, paucis historiam repetendam censuit, quæ legi sanciendæ videretur occasionem præbuisse. Autoris archetypum, si tamen is stylo peregrino exarasse defensionem suam videri possit, cum latina mea interpretatione relationi meæ pariter inseram.

Verùm age videamus, inquit, quas tandê leges Ecclesia sanxerit, quibus Regû imperio obnoxios ab eorum cæde deterreret: non enim aliam D. Cardinalis legem nobis exhibet prćter Constantiense Concilium, quod tamen de ea re nequaquam loquitur: historiam vti reuera se habet paucis expediam Ioannes dux Bur-

Mais encores voyons, dict-il, quelles sont ces loix Ecclesiastiques qui deffendent aux sujets de tuer ou assasiner leurs Rois: M. le Cardinal nous baille pour toutes loix le Concile de Constance: lequel toutefois n'ê parle point du tout: Voicy la verité de l'histoire. Jean Duc

Altera Reg. obiect.

QVIS EXTENDET, &c.

A gundiæ, postquam is Lutetiæ Parisiorum Ludouico Duci Aureliæ violentas manus ex insidijs attulisset, admissum facinus probare studens, ad eam rem Magistri cuiusdã Ioãnis Parui opera abusus est, qui nouem assertionibus in academia Parisiensi propositis, licere docuit, quemlibet subiectum ac priuatum ciuem insidijs & alia quacunque ratione tyrannum interimere, qui Regi suo superioribusque suis perniciem moliatur, idque iustum fore ac laude dignum: & Regem insuper eum qui tantum ausus fuerit prēmio afficere debere, vtpote qui proditorem, & clam malum Regi parantẽ è medio sustulerit. Sunt autem hæc verba propositionis primæ. Licitũ est vnicuique subdito absque quocunque præcepto vel mandato, secundum leges naturalẽ, moralem, & diuinalem occidere vel occidi facere quemlibet tyrannum, qui per cupiditatem, fraudem, sortilegium, vel malum ingenium, machinatur contra salutem corporalem regis sui & superiorum omniũ, &c. Et in 3. propositione. 3. Licitum est vnicuique subdito, honorabile, & meritorium occidere vel occidi facere supranominatum tyrannũ proditorem & infidelem suo regi & supremo Domino. Et in 6. Rex debet præmiare vel remunerare illum qui occidit modo qui dictus est, 6. vel occidi facit tyrannum supra nominatum, &c. Has porrò assertiones Ioannis Parui postquam in publicum prodiissent. Constantiense Concilium sua autoritate damnauit, quòd impietatẽ redolere, & pluribus offensioni esse posse visæ sint. Concilium autem absque controuersia tyranni nomen in eodem sensu accepit quo Ioannes Paruus assertionum autor antea vsurpauerat. Vnde sequitur, vt Conciliũ nequaquam videri possit in illum anathematis fulmen intorsisse, qui Regem aut summum Principem parricidio violaret, sed in eum qui iniussus clandestino conatu perduellẽ ciuem, & ad circumueniẽdum Regem dolum & machinam commolientem, interficeret: siquidem hoc vnum spectabat Ioannes Paruus quo Ducis Aureliorum cędem iure factam tueretur, quem ille tyrannum nominat, tametsi non esset supremam potestatem consequutus. Cuncta sanè Ioannis Parui verba, quæ nos antea citauimus, satis superque testãtur, non eundẽ de alio tyranno sermonem instituisse quàm qui vitam priuatam degens, Dominum suum percellere ac labefacere tentaret. Ita planè vt quicunque Constantiensis Concilij mentem ac consilium penitius inspexerit haud dubitet præsidio Reges destituisse potius cùm vetuit priuatos Regum insidiatores opprimere, quã vt eosdem septos inuiolabili legis custodia, procul à periculis in tuto collocaret.

A *Duc de Bourgongne ayant faict assassiner à Paris Louys Duc d'Orleans, voulut faire trouuer bonne son action, & mit en auant vn certain maistre Iean Petit, qui proposa neuf propositions en l'Vniuersité de Paris, contenantes en somme qu'il est loisible, iuste, & honorable à tout suiet, & homme particulier, par embusches, & par toute autre voye de fait, de tuer vn Tyran qui machine contre son Roy & ses superieurs, & que le Roy doit recompenser celuy qui auroit tué vn tel comme vn qui a tué vne personne infidele à son Roy. Les mots de la premiere sont. Il est permis à tous suiet sans en receuoir aucun commandement, selon les loix, naturelle, morale, & diuine de tuer ou faire tuer tout Tyrã, qui par conuoitise, fraude, sortilege, ou malengin, machine contre le salut corporel de son Roy & de ses superieurs, &c. Et en la troisiesme proposition. Il est permis à tout suiet, honorable, & meritoire, de tuer ou faire tuer le susdit Tyran traistre & infidele à son Roy. Et en la sixiesme. Le Roy doit salarier celuy qui a tué ou fait tuer le susdit Tyran, &c. Ces propositions de Iean Petit ont esté condamnées par le Concile de Constance comme impies & scandaleuses. Or est il certain que ledict Concile a entendu le mot de Tyran au mesme sens que Iean Petit l'a pris. Il n'a donc pas entẽdu condamner celuy qui tueroit vn Roy ou Prince Souuerain, mais celuy qui tueroit par trahison & sans charge vn subiet se rebellant & machinant contre son Roy: Car Iean Petit taschoit de iustifier la mort du Duc d'Orleãs qu'il appelle Tyran encore qu'il ne fust pas souuerain, & toutes les paroles de Iean Petit susalleguées tesmoignent qu'il parle d'vn Tyrã qui estant suiet se rebelle contre son maistre. De façon que quiconque aura recogneu de prez le but & le sens du Concile de Constance, trouuera qu'au lieu de pourueoir à la seureté des Rois, diminue leur seureté, defendant aux particuliers de tuer vn suiet qui attenteroit à la vie du Roy. Iusques icy les paroles du Roy d'Angleterre.*

QVIS EXTENDET, &c.

Histoire de l'assasinat du Duc d'Orleans.

1\. Propositiõ de M. Iean Petit.

Gerson.

Hactenus Seren. Magnæ Britanniæ Rex, quo Ecclesiæ fidem derogaret, eiusdem decreta studuit in deteriorem partem interpretari: cuius tamen quãtumuislicet legibus obtrectet, incolumitatem suã acceptam referre debet: neque enim Catholicis, qui eo vndique ad martyrium conuolant, ad parricidium animus deesse potuit, nisi matris Ecclesię interdicto deterrerẽtur, quæ Regum interfectoribus sempiternæ mortis periculum intentat. Cæterum ad concinnandam calumniam vnum autorem adhibet Ioannem Gerson, quo teste manifeste falsi conuinci potest: quippe Ioannis Parui assertiones vniuersales fuisse cõfirmat. Autoris verba referam ex eiusdem *Propositione facta coram Concilio generali Constant. ex parte Regis Franciæ, anno Domini M. cccc. xvi. die v. Maij. Omissa,* inquit, *contentione super hoc constat assertiones istas octo sumendas esse pro vniuersalibus ex quadruplici radice. Primò ex vsu cõmuni & vulgaris acceptionis. Secundò, ex forma suæ locutionis. Tertiò ex modo syllogisticæ applicationis. Et quartò ex Theologicis sermonibus ac moralibus regulis, in quibus indefinita pro vniuersali solet poni. Declamationes omittere fastidij timor cogit: Nam in prima multiplex distributionis signum ponitur dum ait: licitum est vnicuique subdito &c. Sed & quarta palam est vniuersalis dicens quod Quilibet Tyrannus debet interfici per insidias, &c.* Nec ignoro quam calumniam quinto loco Gerson refellat, sed dictionis vim & potestatem attendo, quæ nulli tyranno parcit. Tyrannum autem designat his verbis, quæ S. Gregorio ascribit in Opuscul. *Errores circa præceptum Nõ occides: Tyrãnus est*, qui in republica non iure principatur, aut principari conatur. Nam si, vt regnum rectus principatus dicitur: sic & tyrannis dominium peruersum nuncupatur. Hactenus ibidem Gerson.

Probatur Constant. Concil. Regũ Tyrannorum securitati prospicere voluisse.

Verumenimuerò quæcunque tandem fuerit mens & consilium Ioannis Parui, verum non est eius autoris in sancienda lege habitam esse rationem, aut D descriptos à Rege articulos & à Gersone relatos atq; oppugnatos, damnatos fuisse. Gemino iudicio pestifera hæresis, quæ bacchatur in cæde Regum, condẽnata est: Parisiensi primum, deinde Constantiensi. De Parisiensi itaque primo loco videamus quid Gerson literis mandarit. De persona Ioãnis Parui hæc habet in *Propositione facta ex parte Regis* dum confutat tertiam calumniam: *Nihil actum est, nihil processum iudicialiter contra personam aliquam: sed duntaxat contra quaternum istum, & alios similis tenoris: damnando doctrinam in eis pestiferam, cum assertionibus istis nouem, & alijs istic positis: quisquis autor vel non autor extiterit.* Hæc de persona. Nunc de doctrina, & quæ tandem assertiones censura notatæ sint, apud eundem inuestigemus. *Sequitur,* inquit Gerson, *Conclusio quam Episcopus Parisiensis misit nonnullis doctoribus & magistris in Theologia almæ Vniuersitatis Parisiensis, cum suis reprobationibus in die Veneris Septima Decembris, anni M. cccc. xiii. ad reddendũ deliberationem suam in die Mercurij xiii. fortasse 12. &c. Ex parte Domini Episcopi Parisiensis, & Inquisitoris, & Concilij fidei solemnissime congregati, Magistri reuerendi mittitur vobis scedula con-*

Nulla ratio habita Ioan. Parui.

QVIS EXTENDET, &c.

tinẽs assertiones aliquas cum suis reprobationibus. Quare requirimus vos sub pœnis iuris, vt detis deliberationẽ vestram publicè in scriptis vel verbotenus. Si huiusmodi assertiones, ex quibus ortum est notoriè, scandalum, sicut notetur (fortè notauit) *Concilium fidei: sint erroneæ & taliter condemnandæ, vt consequenter procedere valeamus, sicut ordo iuris postulat: & hoc infra diem Mercurij.* XIII. *huius mensis Decemb. &c. Quilibet tyrannus potest & debet licitè & meritoriè occidi à quocunque suo vasallo aut subdito: & per quemcunque modum, maximè per insidias & flaterias: non obstante quocunque iuramento, aut confœderatione facta apud eum: non expectando sentẽtiam aut mandatum iudicis cuiuscunque. Sequitur* [Deinde apud eundẽ] *reprobatio eiusdem conclusionis in forma.* Hunc illi titulum fecit. *Hæc assertio sic generaliter posita, & secundum acceptionem huius vocabuli tyrannus, est error in nostra fide & doctrina bonorum morum: & est contra præceptum Dei, Non occides: glo. propria autoritate. Et contra hoc quod dicis Dominus noster: Omnes qui gladium acceperint: glo. propria autoritate: gladio peribunt. Item hæc assertio vergit in subuersionem totius reipub. & vniuscuiusque regis aut principis. Item &c. dat viam generaliter ad omnem inobedientiam subiecti ad dominum suum, &c.* Hanc porrò in titulo præced. capitis, vocat *sententiam latam Parhysius contra propositionẽ magistri Ioann. Parui, quam intitulauit Iustificationem Ducis Burgundiæ.* Quid Magistri responderint verbis cõceptis non inuenio. Sed idẽ nõ semel ea quæ Parisiis acta essent, inculcat sex supra decem Magistros sua subscriptione firmasse. Non sunt ergo damnati Ioannis articuli nouem, neque habita ratio sensus illius: sed vniuersim accepta illa propositio, ab Episcopo, Inquisitore, Concilio fidei, Magistrisque, erroris hæresisque damnata est: At Cõstantiense Concilium cõtra Ioannis Parui mentem venire instituit, & eiusdem sententiam insectari: quamobrem dictionis significatio ex eiusdem voluntatis proposito petenda est, qui non alium tyrannum se dicere intellexit quàm alterius subiectũ imperio. Quid si ne tum quidem hactenus cùm in eos errores Concilium animaduertit, ad illud Ioãnis fama peruenerat? quid si Burgundicum scelus Patres latuit, eiusdem de industria dissimulata iniuria? quid si prius à Synodo sententia lata est quã acta ad illam Parisiensis iudicij deferrentur? Hæc si ita contigisse quisquam demonstret, vtique dubitari non poterit, Constantiense Concilium nullam Ioãnis Parui & consiliorum eius rationem habuisse. Atqui Ioannes Gerson, quem solum Rex testem laudat, quique horum omnium cõscius extitit, asserit ita contigisse. Neque te moueat quod eã hæresis suprà Parisiis conclamata fertur anno Domini 1413. hoc est duobus annis ante editũ Cõstantiense decretum, quod demum anno Domini 1415. mense Iulio conditum est: nam quæ mox vice firmamenti producturi sumus, ea Ioannes Gerson, vt quidem asserit, cùm partes ageret Regis Franciæ, anno Domini M. CCCC. XVI. in ipso Concilio perorauit. *Propositionem factam* vocat *in Concilio generali Constant.* in qua cùm processum Parisiensem fateretur se non habere præ manibus, sperare se ait authenticum breui recepturum. At reliqua digna sunt quę verbis ipsius Gerson referamus vt tanquam valido concussa ariete Regis obiectio labefactata corruat. Hæc igitur Gerson in *confutatione secundæ calumniæ.*

Censura Parisiensis haud obscurè Regem tyrannum notat.

A *Calũniãtur alij secundò, quod assertiones istæ sunt infideliter & perperã præfato Magistro Ioãni Parui per æmulos attributæ. Mõstrans hæc literæ Regis contrariũ, quod mõstrabitur in processu: ex ipsa propositionis inspectione liquefit, quã hic examinãdam & dãnandã iudicialiter offerimus. Hæc illa est vel similis, quã in camera sua se præsente partim pronũtiauit partim pronuntiari fecit multis transcribentibus idem Ioãnes Parui: quæ & postmodum per exemplaria multa venditioni publicæ fuit exposita. Veritas est, nec negamus, quod de conclusione finali propositionis istius sceleratissimæ: quæ conclusio est Domini Ducis Burgũdiæ, sicut asserit sæpè & loquitur singulariter de ipso, quod in nullo culpari debet, dum fecit interfici Ducem Aurelianen. Sumpta sunt quinque, sex, septem assertiones nõ prorsus dolo malo, vel ad veritatis immutationem: sed vt honor ipsius Ducis Burgundiæ quãtum fieri poterat, celando nomen eius seruaretur.*

B *Quale est igitur ea quæ in obsequium facta sunt in maleficium retorquere? Porrò non secus euenit in hoc Concilio dum assertiones absq; asserentis nomine nunciatæ sunt: quod versum vidimus in grande præiudicium causæ fidei & Catholicæ veritatis: quia non ita potuit intelligentia dictorum ex causis assumi dicendi.* Hæc Gerson. Quæ si Rex legisset, noui, qui solet esse candor. Regij pectoris, (ex domesticis coniecturam capio) iniustè à se vexatum Concilium noluisset: sed qui solent populares falsa sub imagine religionis in fraudem inducere, hi quoque nunnunquam Regibus imponunt, securi quantum inde Regiæ existimationi ac famæ depereat.

Proposit. Ioan. Parui absque autoris nomine ad Concil. delatæ fuere.

C Tantum verò abest, quod Rex asseuerat, vt nouem assertiones Ioannis Parui. Concilium exterminandas censuerit, aut sententiam eius damnauerit, vt ne delatum quidem eius nomẽ ante legis rogationem audiuerit: ex quo factum sit, vt quanquã fidei & Regum incolumitati Synodus abũdè prospexerit, Gersoni tamen & Francis, qui Ioannis assertiones rescindi cupiebant, minimè satisfecerit. Quamobrem hanc qualemcunque iniuriam idem Ioannes Gerson cum Commissarijs fidei expostulat in eo sermone, quem habuit coram illis *de erroribus contra fidem & mores circa præceptum, Non occides. Casus breuis,* inquit: *Quilibet Tyrannus potest & debet licitè, &c.* repetit quæ in Concilij decreto cõtinentur, & addit: *Hic casus quamuis sit decisus per hoc sacrum Concilium quod est hæreticus: & sequatur ex tertia & quarta iunctis prima & vltima: nihilominus videtur aliquibus diminutè poni. Primò quia non loquitur de autorizatione per leges diuinam naturalem, &*

Queritur Gerson Ioan. Parui propositiones à Concilio damnatas non esse.

D *humanã, vt in secunda. Secundò non ponit prædictos casus, quod viliter vel ignominiosè & subitò, id est sine diffidatione debeat occidi, vt in tertia & quarta. Deinde non ponit quod Rex debeat honorare, remunerare, & honorare; vt in quinta, sexta, & septima. Quartò dimittit assertionem octauam de falsitate sensus literalis Scripturæ sacræ: & quod quilibet sit interpres vel epyekes eius. Denique silet quod Rex supremus non habet talem potentiam in suo regno, quod de vasallo suo non possit facere iustitiam. Quæritur nunc si ba nouem assertiones in forma sicut sunt, veniunt iudicio fidei reprobandæ? &c.* Et infrà: *Nouem assertiones cum suis reprobationibus iudicialiter indicatæ spectant ad fidem etiam explicitè.* Et rursum, *Sunt denique per hoc sacrum Concilium, vel per sedem Apostolicam de necessitate salutis reprobandæ, & hoc vere vel interpretatiuè.* Et rursum in

Serm.

QVIS EXTENDET, &c.

Sermon. de nuptiis cum hominis importunitas Patribus negotium facesseret, & responsum esset primùm de subrogando Pontifice cogitandum esse, cuius cognitioni ea res seruari posset: *Amplius*, inquit, *dicitur quod talis dilatio cedere videtur in grande dedecus huius sacri Concilij, dicentibus multis vario modo, quod Concilium materiam istam determinare, vel non audet; quod est timiditatis & ignauiæ: vel nescit, quod est necessitatis & ignorantiæ: vel non vult, quod non est charitatis, vel iustitiæ.* Et ibidem denuò, ne solum Concilium lacesseret, de summo Pontifice indignè sentit, & loquitur. *Rursus continuando, quia si fieret, vt aliqui quærunt, dilatio ad futurum Pontificem, &c.*] Constat *quod non habebit plures clericos vnus Papa quàm habeat hoc Concilium, nec maiorem audaciam.* Denique in alio Serm. *contra errores circa preceptum, Non occides,* vrget etiam impudentius. *Quod si dicatur*, inquit, *quia prælati inferiores & inquisitores quandoque sunt ignari sacrarum literarum: sicut arguit Okam planè: ita fuerunt quandoque summi Pontifices.* Hunc ille doctorem non rarò sententiæ suæ authorem laudat, quo minus miror ex tali officina copiosam schismati materiam parare potuisse. Addit postremò: *Aduertant prælati ea quæ sequerentur inconuenientia, si passim ac libere aliqui prædicarent quicquid vellent: neque possent corrigi, nisi referendo causas ad sedem Apostolicam, vbi plerunque pauci sunt Theologi, nisi forte tales qui possunt esse rei & pars.*] Hæccine est illa Hieronymi modestia rescribentis ad Damasum. Summi Pontificis iudicium in suspicionem vocat in causa fidei. Mox etiam animi sui moderationem ac summissionem prædicat. *Audenter*, inquit, *non arroganter affirmo, quod in damnationem nouem assertionum plures fuerunt Magistri in Theologia ac licentiati absque baccalaurijs formatis & aliis, quàm sunt in hoc sacro Concilio: & tribus mensibus durauit eorum deliberatio, quæ fiebat publice & libere, &c.* Rursus, *executio facta est non per vnum aut per duos, sed per sedecim magistros ad hoc iudicialiter deputatos.*]

Mira Gersonis modestia.

Hæc & multò plura stylo ferrugineo doctor temerarius exarauit. an etiam peroraucrit, vti videri vult, me fugit: certe non meruit vt vel nominis illius Synodus meminisset, aut importunitatis illius vlla ratio haberetur. Semel, vt arbitror, sess. 35. mentio fit Cancellarij studij Parisiensis in causa Illustris Principis Comitis Armeniaci, quo loco, ne quidem adscripto proprio nomine, dixisse fertur, *Ambasiatores Christianissimi Regis Francorum certa habuisse scripta, quod dictus Dominus Comes sequi vellet vestigia prædicti Domini Regis.* Cæterum nominis illius honorificam appellationem nusquam fieri memini. Sed neque inter Ambasiatores refertur, neque ad vllam functionem à Concilio adhibitus est. Regis Ambasiatores sess. 20. nominantur Magister Iordanus Morini, & Magister Guilhelmus Pulcenepot. Mattheus Abbas Claræuallis in Theologia Magister Ambasiator Ecclesiæ Gallicanæ. Ioannes Siluanectensis Ambasiator Vniuersitatis Parisiensis. & sess. 6. Dominus Benedictus ordinis S. Benedicti, quem Venerabilem & circunspectum vocat. Porro cum plures etiam Magistri ex eadem natione, vt patet cum alibi tum sess. 6. partim Commissarij, partim legati à sacro sancto Concilio instituti ac designati essent, nonnulli etiam sess. 41. in electione Summi Pontificis ad ferendum suffragium delecti, ipse Ioannes Gerson nullo honore aut munere dignus est habitus. Et tamen hominem nonnulli supra modum mirantur, itavt alter S. Thomas suo tempore credi potuerit, propterea quod, vt nonnulli suspicantur, dum curiose nimis Okami turbulentam doctrinam affectat, desiderantibus viam ad schisma munierit.

Nulla Gersonis in Concilio honorifica mentio facta est.

Quæstionis solutio.

Cæterum quicunque exitus Gersoni fuerit, & quemcunque finem quæstionum suarum statuerit, constat certe eiusdem testimonio, Constantiense Concilium in damnanda hæresi quæ Reges oppugnat, ad Ioannis Parui mentem & propositum respectum habere non potuisse. Deinde nequaquam Regibus periculum creasse, vetando, ne quis insidiantibus armata manu preuerteret. Ex quibus postremò colligo, quandoquidem Sereniss. Regis argumenta, quibus communem de Concilij decreto sententiam labefactare conatus est, nulliùs momenti esse, nulla probabilitate niti ostensa sunt, certa fide tenendum esse, & mortalium auribus ac mentibus religiosè inculcandum, *Tametsi Principes ab officio deflectant, & tyrannidem affectent, multósque mortales inferendis iniuriis conterant, eosdem tamen Ecclesia decreto augustos & inuiolabiles esse, neque subiectorum quemquam fas esse iisdem clandestinis machinationibus perniciem moliri. Quicunque autem secus doceat, & Reges propter tyrannidem ciuium insidiis è medio tolli posse pertinaciter defendat, primùm quidem illum errare à fide, deinde sacris eidem Ecclesiæ iudicio interdictum esse, postremò, quod Christus præcipit, sicut Ethnicum & publicanum habendum esse, eò quod Ecclesiam non audiat, nec ad eius sententiam, cùm sit illa columna & firmamentum veritatis, assensum suum accommodet.*

VERSVS X.

Et dixit Dauid: Viuit Dominus, quia nisi Dominus percusserit eum, aut dies eius venerit vt moriatur, aut in prælium descendens perierit:

VERSVS XI.

Propitius sit mihi Dominus ne extendam manum meam in Christum Domini: nunc igitur tolle hastam, quæ est ad caput eius, & scyphum aquæ, & abeamus.

VERSVS XII.

Tulit igitur Dauid hastam, & scyphum aquæ, qui erat ad caput Saül, & abierunt: & non erat quisquam, qui videret, & intelligeret, & euigilaret, sed omnes dormiebant, quia sopor Domini irruerat super eos.

Variæ translat.

INterpres quidam habet, *Vt viuit Iehoua* non sinam, *sed Iehoua plaga afficiet eum: aut dies eius*

Sed omnes, &c.

aduenict vt moriatur, aut in bellum descendet vt consumatur. Sept. habent, προστεθῇ, *apponatur.* Id est, inquit idem ad Marg. Committo eum Deo, vt quocunq; pacto voluerit, cũ è medio tollat. Vatabl. in Schol. Hebraismus est, inquit, *Viuit Deus*: quasi dicat, Iuro ego per Deum viuentẽ. subaudi, quòd non mittes manum in Christum Domini: *sed Dominus ipse percutiet eum, aut periodus eius vitæ veniet, &c.* Alij vertũt, *Viuit Dom. quod Dominus percutiet, &c.* quasi dicat, Non est opus vt eum interficias: nam breui morietur.

Versu 11. *Propitius sit mihi Dominus, ne extendam manum meam in Christum Domini.*] Vatablus, *seruet me Dominus, ne manum meam inferã vncto Domini.* In Schol. Hebraismus, *Absit à me à Domino, vt manum, &c.* Id est, Ne permittat Dominus vt occidam vnctum Domini. Pagninus, *Absit mihi à Domino, ne mittam, &c.* Alius, *Absit mihi coram Domino, &c.* Chaldæus, *Nephas mihi ab-ante Dominum ab extendendo manum meam in Christum Domini.* Sept. edit. Complut. ἐμοὶ δὲ μὴ γένοιτο παρὰ κυρίου ἐπενεγκεῖν χεῖρά μου ἐπὶ χριστὸν κυρίου. *Mihi autem non fiat à Domino inferre manum meam in Christum Domini.* Ald. & Rom. edit. nobilij μηδαμῶς μοι παρὰ κυρίου, *Nequaquam mihi à Domino.* Lucifer, *Mihi autem non sit à Domino. Nunc igitur tolle hastã quæ est ad caput eius.*] Pagninus, *Nunc cape obsecro lanceam quæ est ad caput eius.* Arias, *quæ capitalibus eius.* Chaldæus, *hastã quæ ad ceruical eius*; sic quoque Vatablus interpretatur. Sept. Καὶ νῦν λαβὲ δὴ τὸ δόρυ πρὸς κεφαλῆς αὐτοῦ, *& nunc accipe iam hastam quæ ad caput eius.* Ita Complutenses. Aldus verò, & Rom. editio sic habent: ἀπὸ προσκεφαλῆς αὐτοῦ, *à ceruicali eius.* Lucifer cum Vulg. legit, *quæ est ad caput illius.* Καὶ τὸν φακὸν τοῦ ὕδατος, καὶ ἀπέλθωμεν ἡμεῖς καθ᾽ ἑαυτούς. Rom. edit. lat. Sept. Interpret. *& lentem aquæ & abeamus nos per nos ipsi.* Quo loco Nobilius: Libuit autem hoc loco *lentis* nomen ab antiquo patre vsurpatum retinere, licet hoc vasis genus vsitatius *lenticula* dicatur. *Per nos ipsi.*] καθ᾽ ἑαυτούς, itémque paulò post, ἀπῆλθον καθ᾽ ἑαυτούς, videtur esse imitatio Hebraismi, qui habet, *eamus nobis, & abierunt sibi.* Vtroque tamen loco abest à Complut. & à Lucifero. Hebraicè, ונלכה לנו *venelcha lanou*, à verbo ילך *ialac, & eamus nobis*, Arias apud Pagninum. Chaldæus, *& ibimus nobis.* Pagnin. tamen cum reliquis, *& abeamus*, non addito, *nobis. Et scyphum aquæ.*] Hebraicè, ואת צפחת המים *veeth tsapahhath hammaiim.* Pagnin. *& scyphum aquarum.* Chaldæus, *vas aquæ*: vertit enim מנא *mana*, quod *vas* significat. Alius interpretatur *pateram aquæ.* Kimhi putat esse *vas testaceum.* Iunius, *ampullam aquæ*; Vatablus, *vrceum aquarum.*

Versu 12. *Tulit igitur Dauid hastam, &c.* Vatablus Dauid hæc accipit: sed enim verebatur ne Abisai regi violentas manus afferret. *Quia sopor Domini irruerat super eos.*] Pagn. *quia sopor vehemens ceciderat super eos.* Arias restituit *Domini*: sic enim scriptum est: תרדמת יהוה *thardemath Iehouah*; à רדם *radam*, quod in Niphal נרדם *nirdam*, idem est, ac sopitus, seu graui somno oppressus est. Inde תרדמה *thardemath*, arctior somnus quàm שנה *scena.* Idcirco Chaldæus vertit, *quia somnus fortis ab-ante Dominum cecidit super illos.* Quidam, *eò quod à Domino sopor irruisset super illos.* Mox annotat Hebraicè legi *soporem Domini*, quem sic interpretatur, vt magnũ haberi velit. Vocat enim nõ rarò Scriptura, inquit, id quod est magnificum, diuinum: vt, *montes Dei, cedros Dei, ciuitatem Dei*, & similia. Vel ad literam intelligendum est: alioquin quomodo fieri posset, vt hostis ingrederetur penetralia castrorum ad regem vsque, & ad introitum eius nemo excitaretur, nisi Dominus immisisset soporem istum? Maximũ, & diuinitus immissum alius intelligit: qualem legimus Genes. 15. v. 5. immo & Genes. 2. 21. Vatabl. *nam grauissimus sopor à Domino, &c.* immissus à Domino, vel certè magnus: nam magna, & fortia Deo tribui solent. Sept. ὅτι θάμβος κυρίου ἐπέπεσεν ἐπ᾽ αὐτούς, *quia stupor Domini irruerat super eos.* Nobilius in notis: Lucifer, *timor.* Aquila, καταφορά. Symmachus, κάρος; Theodotio, ἔκστασις; quæ omnia *grauem quendam soporem, ac stuporem* significant.

Tria mortis genera.

Viuit Dominus, quia nisi Dominus percusserit eum, aut, &c.] Hoc loco Rabbini annotarunt tria esse mortis genera: vnum ante tempus ordinarium, vt Nabali accidit: is enim ea fuit corporis conditione, vt potuisset diutius viuere: alterũ ordinarium, aut naturale: tertium ab externo casu, vt si quis occumbat in bello. Tria illa mortis genera Dauid intelligit esse in manu Dei: & Deum illis vti pro suo arbitrio. Manu autem mea, inquit, nec consensu cadet. Hic relucet non tantùm charitas incredibilis erga Saülem, sed etiam imperatoria quædam virtus, qua posset suos contra eorundem sententiam continere in officio. Nam Brutus in Epistola quadam ad Ciceronem, Cæsari, inquit, non potest imperari, nec ille potest imperare exercitui suo: quorum vtrumque pessimum est.

Aut dies eius venerit vt moriatur.] Ridet Cyniscus apud Lucianum in Ioue confutato, Deos Gentiliũ fato obnoxios. Si enim, inquit, res ita se habet, & Parcæ omnium rerum potestatem & gubernationem obtinent, & nihil à quoquam eorum quod illis decretum est, immutari potest: cuius ergo gratia vobis nos homines sacrificamus? quamobrem hecatombas vobis ad aras adducimus, votis expetentes bona nobis vestra largitione contingere? Neq; enim video quem fructum ex tanta cura, & sacrificandi studio capimus, si neq; malorum auersiones ipsis precibus inuenire possumus, neque aliud bonum diuinitus datum consequimur. Hactenus Lucianus qui iure scurrilia illudit numina, & de fragili lino pendẽtes Deos, in quos olim Parcis Gentiles imperium tribuerunt, itavt quicquid illæ ratum ac fixum stare iussissent, mouere ipsi nõ possent. Censebantur autem suum cuique supremum statuisse diem, quem ne dij quidem tantillum proferre possent. Non ita Dauid dicere accipiendus est, qui nouerat ad Dei nutum & arbitrium flecti regique omnia, nihilque certum ac stabile esse, nisi quod ipse volũtatis suæ decreto firmasset. Itaque cùm eius diei meminit quo Saülem necesse sit è vita migrare, non ab alio præscriptum intelligit quàm ab ipso Deo, qui vbi visum erit, vitæ cursum morbi vi aut naturæ defectu abrumpit. Iob quoque c. 14. *Breues, inquit, dies hominis sunt, numerus mensium eius apud te est: constituisti terminos eius qui præteriri non poterũt.* Denique Daniel c. 5. Baltassar Babylonium Regem increpans, *Deum*, inquit, *qui habet flatum tuum in manu sua, & omnes vias tuas, non glorificasti.* & primum illud exaratæ in pariete capitalis sententiæ ita interpretatus est: *Mane, numerauit Deus regnum tuum, & compleuit illud.*

Supremus vitæ dies à solo Deo præscribitur.

Propitius sit mihi Deus, vt non extendam manum meam in Christum Domini.] Dauid dimittit hostem

PROPITIVS SIT, &c.

stem è manibus,& vltionem relinquit Deo. Hoc erat *carbones ignitos congerere in caput inimici sui:* hoc est, vt ille, cùm consideraret illius beneficia, & suam ingratitudinem, confunderetur, & cruciaretur animo, ac si quis illi prunas ardentes in caput congessisset: aut, vt hostis tot affectus beneficiis, ni resipisceret, grauius peccaret: & peccando decretum sibi mortis supplicium accelerarct. Verùm non ea causa benefaciendum est inimicis, sed vt illi ita prouocentur ad redamãdum. *Vt non extendam manum in Christum Domini.*] Cogitauit Dauid se adhuc priuatum esse: itaque abstinet à cæde Saülis, & si eum non dubitet tyrannum esse. Vidit enim id sibi non licere: & certe paucissimis tyrannoctonis bene cessit. Nullus enim id nec Prophetarum, nec Apostolorum licere docuit. Bonitas ista Dauidis erga Saülem, eius, aulicorúmque ac satellitum feritatem coarguit. Ex hoc porrò exemplo discere possumus, & obedientiam erga magistratũ exhibendam esse, & clementiã erga hostem. Dauid nullis iniuriis adduci potest, vt discedat ab ingenio suo. Idem omnino nunc est, qui antea in spelunca fuerat. Arma Dauidis hoc loco nulla legimus: preces tantùm & vota legimus. Hoc enim tempore quidam putant eum scripsisse Psalmum 54. in quo nihil fiduciæ in rebus humanis collocans, se prorsus commendat Deo. Contrà autem arma, milites, castra Saülis commemorantur: preces autem eius nullæ audiuntur. Hoc discrimen est inter pios, & impios. Illi enim, quocunque modo res casuræ sint, fidunt vni Deo: isti autem præsidiis humanis.

Nullus Prophetarũ aut Apostolorũ Principum cædem docuit.

Tolle hastam & scyphum aquæ.] Fabulantur Scythæ apud Herodotum lib. 4. hæc regni insignia cœlitus in Scythicam regioné demissa fuisse, aratrum, iugum, securim, phialam, aurea omnia. *Scyphum aquæ.*] Ælianus li. 12. Var. hist. c. 40. Quum alij commeatus magnificentia & ostentatione pleni sequebantur Xerxem, tum etiam aqua ex Choaspe fluuio simul vehebatur. quum vero in loco deserto sitiret, neq; adhuc adessent impedimenta, proclamatum in exercitu est, si quis aquam è Choaspe haberet, vt Regi eam bibendam daret: & inuentus quidam qui pauxillum haberet, idque putridum. Bibit igitur illã Xerxes: & eum, qui dederat, in benefactoris loco habuit: quoniam nisi illa fuisset inuenta, periisset siti. Hæc Ælianus. De Augusto Suetonius c. 77. Vini natura parcissimus erat. neq; temere interdiu bibit. Pro potione sumebat perfusum aqua frigida panem, aut cucumeris frustum, vel lactucułæ thyrsum, aut recẽs acidũve pomum succi vinosioris. *Qui erat ad caput eius.*] Philippus Alexandri pater, vt author est Athenæus lib. 4. ca. 14. aureum suum poculum quinquaginta drachmarum pondo, cum dormitum iret, capiti suo subijciebat.

Herodotus

Ælianus.

Reges hydropotæ.

Suetonius.

Athenæus

Tulit igitur Dauid hastam, & scyphum aquæ, & abierunt.] Iussit Dauid Abisai tollere hastam Saulis, & cyathum: non vt iactet, vt quidam insolenter solent, insignia victoriæ: sed vt secum auferat certissima argumenta charitatis suæ erga Saülem. Rabbini putant, Dauid ipsum ista sustulisse, quod timeret, ne, si Abisai propius ad Saulem accessisset, non posset se continere, quin

A cum configeret. Sed nihil necesse est ista confingere: certum enim est, Abisai commotum fuisse authoritate Dauidis. Fieri potest, vt Abisai ea primum sustulerit, deinde tradiderit Dauidi. Abierunt autem è castris illæsi.

PROPITIVS SIT, &c.

Et non erat quisquam qui videret, & intelligeret.] Sed videri posset haud satis prudentis viri facinus, vno stipatum comite in hostis castra penetrare: præsertim cum credere aut suspicari deberet tria millia delectorum militum circa Regem excubare. Hoc erat, inquies, tentare Deũ, sine causa in certum periculum se committere. Putant quidam, datã illi fuisse hanc à Deo prærogatiuam præter morem ac consuetudinem. Nam ita Gedeon quoque iussus est adire castra Madianitarum, & ex illorum insomniis omen victoriæ captare. Et Ionathas vno comitatus armigero accessit ad castra Palestinorum. Ita
B Dauidem aiunt impulsum spiritu Dei Saulis castra explorasse. Et rationem adferunt, quòd idcirco Deo agente tam altum stetterent ac dormirẽt. Caput autem & scopum diuini consilij fuisse, vt charitas Dauidis erga Saulem hoc pacto patefieret. Neque enim aliàs Dauid illustriore argumento probare potuit quantum Regiæ majestati tribueret, quàm cum Saulem insidiantem sibi deprehẽsum atque interceptum seruauit incolumen. Nam Saulis quidam satellites in vulgus rumores sparserant tanquam Dauid affectaret regnum, & Saulis vitæ moliretur insidias. Hanc calumniam Deus hac ratione à Dauide depulit. Sed in ista prærogatiua est tamen aliquid quod imitemur. Etsi enim nõ licet temere, & sine co-
C mitatu venire intra hostium præsidia, tamen si opprimamur multitudine ex insperato, scire debemus, Deum eundẽ, qui adfuit Dauidi, nobis quoq; adfuturum, vt aut victoriam reportemus, aut certe pie ac fortiter moriamur. Ita quidã expediũt hũc locũ, vt mihi videtur nõ male.

Dauidis audax facinus authore Deo cessit feliciter.

Sed alio quoque modo responderi potest, caput esse charitatis, vt vitam pro fratrib. nostris profundamus. *Maiorem enim charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis*, vt ait Christus apud Ioannem. Et ide Ioannes in Epist. 1. c. 3. v. 16. *In hoc cognoscimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Ideam enim & exemplar perfectæ & summæ charitatis, in solo Christo spectare possumus. Et tantã quidẽ charitatẽ assequi in hac infirmitate
D nonvalemus: veruntamẽ quoad eius fieri potest eã debemus imitari. Si inopia cibi laboret frater tuus, & tu videas, te illi posse prodesse, & nolis, *non est in te*, inquit Ioannes, *charitas Dei*. quãto magis opem ferre debemus fratri, si eum videamus obrui peccato, & de externa salute periclitari? Nam S. August. pulchre scribit de doctrina Christiana, antiquiorem apud nos esse oportere salutẽ fratris, præ vita & incolumitate corporis nostri. Saul autẽ versabatur in summo discrimine salutis suæ. Dauid ergo eũ si posset, vel cũ capitis sui periculo seruare debuit. Deinde experiẽtia iam antea didicerat, animũ Saulis quãtũuis obstinatũ, beneficiis tamẽ inflecti posse. Ipse etiã non ita pridẽ periculum fecerat, cũ ad eũ Abigail cũ commeatu occurrisset, quantũ

Dauidis perfecta charitas demonstratur.

Sed omnes, &c.

beneficia possint ad leniendam iracundiam.

Obiectio quædam soluitur.

Imò, inquies, Dauid cum ista faceret, Saüli grauioris sceleris occasionem dabat, dum inferendæ sibi necis eidem potestatem faceret. quidam respondent, hoc peccatum in Saüle non fuisse nouum. Nam non alia causa eo venerat, quàm vt Dauidem occideret. Atqui hoc nihil est, longe enim aliud est sceleratum facinus animo designare, aliud id effectum dare. Pertinet quidem vtrumque ad idem genus: non tamen est eiusdem momenti ac ponderis. Vtvt sit, cum rei licitæ operam daret, præter Dauidis mentē futurum erat, vt oblata reconciliandæ pacis occasione ad eius perniciem abuteretur. Itaque Saül quidem Dauidis egregio conatu ad peccādum allici potuit: Dauid autem datæ offensionis siue obiecti scandali reus citari non potuit. Respondere denique possumus, Dauidem certum fuisse sese euasurum, & fore regem: & Saülem potius in suam potestatem venturum, quàm vt ad eius arbitrium necandus permitteretur. Sed scire inquies, potuit, se nihil profuturum. Imo sciebat hoc potius, neminem tam esse profligatum & perditum, quin possit aliquando in viam reuocari. Cur ergo, inquies, etiam prius facta reconciliatione gratiæ, non se adiunxit ad Saülem, vt obsequiis hominem à flagitio deterreret? quia tum putabat se fecisse satis, vt Saül desisteret à persequendo, & alioquin nouerat eius inconstantiam, vulnúsque quod tum præsenti beneficio videri poterat consanuisse, diuturna eius præsentia posse recrudescere. Nunc autem putat ad se pertinere, vt illum identidem moneat erroris sui. Ad extremum ita paucis statuere possumus, si quis priuato consilio discrimen capitis manifestum vltro subeat, temeritatis suspicione carere non posse. Longe autem aliud esse cum occulte stimulat Deus, & constantiam videtur polliceri (quod aliàs authore Thoma Moro me docuisse memini) si temporalis vitæ periculum adeas, vt de æterna periclitātes è vitiorum barathro eripias. Hæc enim est summa & caput charitatis: & hoc in Christo & eius Apostolis expressum exemplar habemus.

Sed omnes dormiebant.] Deus, vt est solers & πολυμήχανος, eadem opera & Dauidem liberat, & castra Saulis afficit ignominia. Ignauorum enim militum est ita dormire, vt hostem venientem, & omnia considerantem minime sentiāt. Neq; porro Regium est, velle stertere totam noctem: quemadmodū Homerus ait de Agamemnone:

D

Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν πολεμικὸν ἄνδρα,

Dedecet bellatorem virum totam noctem stertere.

Quod eo magis in Saule miror, cui non temeti, sed aquæ cyathus tribuitur.

Vini potores, an abstenij somno benigniore perfruantur.

QVÆSTIO LXXXVIII.

Philostrat.

Apud Philostratum vitæ Apollonij lib. 2. c. 14. Phraotes Indorum Rex Apollonium alloquens, neq; enim dormire te, inquit, nimiū arbitror, cum aquam bibas, & vinū contemnas. Verum mox Apollonius, an non dormire censes

A

eos qui aquam bibunt? Dormire inquam opinor, Rex inquit, sed per leuem somnum, & qualem dicimus summis oculis insidere, non autem menti. Imo vero, inquit Apollonius, vtroque dormiunt: forte etiam mente magis. Nisi enim quieta mens fuerit, nequaquam oculi somnum suscipient. Et post alia quædā, noli, inquit Rex, sophisticis in disputando sermonib. vti. Concedam enim, si ebrium ipsum supposueris, etiam non dormire. Debacchans enim & quasi furens animus multipliciter illum deuoluet, & plurimis implebit perturbationibus. Videntur enim sibi omnes, qui concepta ebrietate dormitare nituntur, nunc vsque ad domorum culmen attolli, nunc rursus sub terram detrudi, & tali agitari vertigine, quali circumuolui Ixionem fabulæ perhibent.

B

Non itaque de tali ebrio sum loquutus, sed de eo qui vinum bibens, sobrius tamen permanet, quique contemplari, & alia mētis opera exercere potest: hunc ego magis meliúsque dormiturum dico, quàm qui tantummodo aquam bibit. Hæc Phraotes. quibus quādoquidem Apollonius multis occurrit, & contrariam sententiam summa vi tuetur, neque res aliena videtur à nostro proposito, idcirco summam illius argumentorum paucis vt potero colligam.

Abstemiorū somnia lōge præstantissima.

In dormientibus itaque Apollonius duo potissimum considerat, quietem ipsam, & somnia quę eandem comitari solent, seu potius interpellant. Et quidem quod ad somnia attinet, lōge pręstantiora sunt illius iudicio quæ abstemiis accidunt, quàm quæ vino madidos fatigant: quę

C

licet lætitiæ nonnunquam & falsæ spei plenissima sint, vtpote vino supra modum mentem hilaritate perfundente: ideo tamen misera habenda sunt, quoniam mentem ludificant, estque ea voluptas manię proxima. At nō eiusmodi quicquam in eum qui frigidam potet, temere incurrit. Quippe libera mens, nec vlla vini cœca caligine, facile obiecta discutit, & rerum veritatem explorat falsitate reiecta. Quapropter vates qui olim Amphiarai oraculo præerant, eos qui diuina somnia captarent, iubebāt prius triduo vino abstinere. Et qui vocantur à Poëtis Oniropoli cum sint somniorum interpretes, neglectis quæ in primam aut secundam noctis tempestatem somnia incidissent, ea sola digna de quibus cōijcerent habuerunt, quę noctis suprema tempora occupassent: qua tempestate absumptis iam hesterni potus vaporibus, mens vino libera credi posset verum dispexisse. Longe igitur melior est eorum conditio qui frigida sitim extinguāt, quàm qui mero incalescant, siquidem somniorum rationem aliquam habendam censeamus.

Lenior & suauior abstemiorum somnus.

At lenior est, inquis, eorum somnus, & ad minimum quemque strepitum excitantur. Quid oro te, ait Apollonius, iucundius & optabilius dici fingiue potest, quàm vt te ne quidem dormientem eorum quicquam lateat quæ circa te geruntur? Quod si quam habet somnus voluptatem, ea tum maxime percipi debet, cum non omnino sopitis sensibus, sed leui quadam titillatione delinitis, ipsam quodammodo quietem degustamus. At quos grauis somnus arctius complectitur, & runchos stertunt lethæis quibus-

QVIA SOPOR, &c.

quibusdã vinculis irretiti, non tam mihi refici atq; oblectari videntur quàm obrui atq; opprimi, siue, vt Zeno loquitur, animo prorsus cõcidisse. Quanquam nec plane verũ est quod ait Apollonius, eos qui à vino & aliâ qualibet soporifera potione sibi caueant, leuiter somnũ delibare, aut temere suscitari: videmus enim pueros quibus vino interdicitur, cum se somno tradiderint, vix inde posse emergere. Nec illud item verum comperimus, hydropotas visorum falsis imaginibus minime ludificari, cum sciamus Anachoretarum principem S. Antonium discipulos sedulo monuisse, ne se in aquam ingurgitarent, aut sine mensura biberent, quoniam immodice sumpta somnia pareret, quæ mentis quietem interpellarent. Cui doctrinæ cum experientia fauet, tum etiam ratio astipulatur.
B Nam & aqua liquor est, quem si calor excitet, in fumos abit, atque in vapores soluitur, qui statim cerebrum petunt & somnum conciliant. Vapores porro varias rerum formas induere posse nubium spectacula demonstrant. Veruntamen haud dubitarim quin quanto acrior est vini vis atque potentia, aquæ vero clementior, eo etiam vehementius quæ sunt ab illo visa sopórque dormientibus incumbant: quæ vero ab aquæ haustu proficiscũtur, somnia quidem molliori impetu sese in animum insinuant, blandior etiam sopor fessos artus pristino vigori restituit. Quamobrem huic potioni quamprimum assuescamus. sin minus placet, aut certe diuturna consuetudo, & cœli solique inclementia nos à proposito deterrent, vel etiam vitæ genus phlegmaticum nonnullo vi-
C ni fomento indiget, vtrumque pariter misceamus; quo somni tempora, quæ pars est ætatis nostræ non modica, laborum autem portus atq; refugium, tranquilliora experiamur. Procul autem à nobis facessat ebriosa Catulli Postumia, quæ meraca docet potione inebriari.

Catullus.

Minister, inquit, *vetuli puer Falerni,*
Ingere mi calices amariores,
Vt lex Postumiæ iubet magistræ
Ebriosa acino ebriosioris.
At vos, quo lubet, hinc abite lymphæ
Vini pernicies, & ad seueros
Migrate. hic merus est Thyonianus.

Religiosos decet vitæ genus tetricum, & cum modesta seueritate coniunctum, à petulantia vero & poëtarum temulentia remotum.

Quia sopor Domini irruerat super eos.] Deus e-
D nim iniecerat in omnes milites Saülis תרדמה *thardemath*, id est, *grauissimum soporem*. Huiusmodi somno oppressus erat Adam, cum Deus ex eius latere Euam excitaret: & Abraham, cum Deus illi per quietem ostenderet, quid de eius posteris futurum esset. Quippe vtroque loco in Hebræo legitur תרדמה *thardemath*. Apud Sept. vt iam supra monui, legitur hoc loco θάμβος. apud Aquilam Ponticum καταφορά; Symmachũ κάρος; Theodotionem ἔκστασις: quæ omnia tametsi visa sint illis quadrare in vocem Hebræã, nonnullo tamen inter se discrimine variant. θάμβος stupor est, aut etiam pauor, quo attoniti percellimur. Sunt qui velint animi affectionem esse ex admiratione simul & timore permixtã.

Soporis plures species describuntur.

A At hic etiam excubantibus incidere potuit, & Regis stipatores etiam vigiles à clamore & iniuria prohibere. Tametsi enim quę geruntur attoniti spectent, pes tamen manus & lingua stupet. Pro extasi seu mentis excessu, inquit S. Hieronymus, in Hebræo est *Thardema*, quod Aquila καταφορὰν, Symmachus κάρον, id est grauẽ profundúmque soporẽ interpretati sunt. Cataphoricos somnos intelligere Paulus videtur βαθεῖς, id est profundos, Καταφορὰ Galeno in lib. de Comate, grauis somnolentia est, cuius ipse duas species constituit: somnolentam alteram, alteram non somnolentam. Somnolentam vocat, in qua æger profundo & diuturno somno mergitur. Alteram in qua ægri vigiles manent, cùm ipsis diuersæ variæq; imagines rerum semper succedant, quæ illorum mentẽ moueant arceántq; somnum. Quamobrem insomnes quidem excubant, obire tamen vigilantium munia non possunt. Vtraque porrò cataphora hoc habet commune, quod ægri oculos attollere nequeunt, inexpugnabili pondere pressos, & in somnum, vt quidem apparet, mergi faciles. Ea tum grauissima moles oculos deprimit cum aut frigus vrit, aut redundans pituita fatigat, vel certe, vt in temulẽtis, vtilis succi copia cerebri meninges occupat. Aliàs idem Galenus lib. 13. Methodi medendi, genus quoddam malorum omnium quibus sine febre sopor quidam altus irruit, cataphoram designat, cuius species apoplexiam, carũ, & catochen constituit. Et hæc de Cataphora.

Galenus. Καταφορά

Κάρος est paralysis imaginatricis facultatis, excepta respiratione sensum & motum adimens. Galenus sane κάρον eius facultatis symptoma esse docet in lib. de Symptom. differ. Causa, viscidus humor anteriorem cerebri ventriculum occupans. Morbis comitialibus assiduus it comes: irrumpit etiã fracto cranio, aut si qua parte cerebrum atteratur, meningésve lædantur. Somnus altus est, excepto quòd anima vltro citróq; commeet, cætera motus expers. Si pungantur, sentire valent, nullã tamẽ doloris significationẽ dare. Nullam, vt aiunt, sicut pleraque eius generis symptomata valetudinis iacturam facit. ἔκστασιν Galenus ὁλοχρόνιον μανίαν vocat, hoc est insaniam perpetem. ἔκπληξις ab eodem dicitur διανοίας ἔκστασις, id est cogitationis stupor, ex repentina consternatione extrinsecus adueniente. Ab aliis nunc somnum dici, nunc terrorẽ animaduertas. Extasis apud S. Dionys. Areopag. huma-
D nas mentes à rerum terrenarum studio ad cœlestium contemplationem traducit. Sed nos de ea re nihil hoc loco Philosophamur. Ad rem præsentem magis accedit quod scripsit Scaliger Exercit. 312. Stupor, inquit, si validius incumbat, & diuturnius insideat, *Ecstasis* dicitur à Græcis, à nostratibus excessus. Est autem priuatio officiorum animæ sentientis, mouentis, & intelligentis. Immoti manent ac potius rigent: transfixi non sentiunt. Neque verum est quod aiunt: si à prauis rebus moueatur, horrorẽ appellari. Motam mentem potius simul cum Ciceronianis. Horror autem ad extasin haud vnquã pertingere poterit sua significatione. Absistit igitur anima à suis functionibus perculsis spiritib. ac receptis in intimos cordis sinus; adeò vt

QVIA SOPOR, &c.

Κάρος.

Ἔκστασις.

Scaliger.

QVIA SOPOR, &c. apertis oculis nihil videant, nihil audiant. Percelluntur autem internis imaginibus quidam melancholici: quas putant foris esse. Alij formis externis: quæ aut plus cœlestis vigoris habent, quàm quantum ferre queat humanus captus: aut aliquid terroris ex inusitatis circunstatiis, quas refugit mortalis imbecillitas. Nonnullas alias eius dictionis acceptiones ibidem Scaliger annotat. quid horum si forte roges censeam Saülis castris incubuisse, respondeo: si causam efficientem spectes, solam extasin. nam reliquis causas Physicas & domesticas adscripsimus: sola ecstasis diuinis quandoque spectris excitatur. sin formam ipsam, non video cur horum aliquo symptomate, aut etiam simul omnibus, Regem cum exercitu Deus sopire non potuerit?

VERSVS XIII.

Cúmque transisset Dauid ex aduerso, & stetisset in vertice montis de longè, & esset grande interuallum inter eos.

VERSVS XIV.

Clamauit Dauid ad populum, & ad Abner filium Ner, dicens: Nonne respondebis Abner? Et respondens Abner, ait: Quis es tu, qui clamas, & inquietas Regem?

VERSVS XV.

Et ait Dauid ad Abner? Numquid non vir tu es? & quis alius similis tui in Israël? Quare ergo non custodisti dominum tuum Regem? ingressus est enim vnus de turba vt interficeret Regem, dominum tuum.

VERSVS XVI.

Non est bonum hoc, quod fecisti: viuit Dominus, quoniam filij mortis estis vos, qui non custodistis dominum vestrum, Christum Domini: nunc ergo vide vbi sit hasta Regis, & vbi sit scyphus aquæ, qui erat ad caput eius.

POstquam *transisset Dauid ex aduerso.*] Vt primùm Dauid è castris emersisset, & in aduersum montem subijsset, clamare instituit de superiore loco, vt & in tuto esset, & melius audiretur. Ita omnibus locis prodit se amor Dauidis erga Saülem. Non putauit esse satis quod Abisai à cæde prohibuisset, nisi ipse etiam Saülem suis verbis de salute sua admoneret. Quare animo eius pessime affecto medicinam parat: hortatúrque, vt desistat à scelere. Clamat ad vulgus militum: sed nemo erat qui audiret. A Clamat ab Abner: at ille indignatur esse aliquem, qui Regem somno indulgentem à sua quiete auocet. Ita videlicet sollicitus erat de somno Principis sui, cùm eius salutẽ negligeret.

ET ESSET GRANDE, &c. *Et esset grande interuallum inter eos.*] Quo pacto igitur cùm esset tanta loci intercapedine dissitus, vox eius & oratio exaudiri potuit? Mirum ita commode audiri potuisse. Idem tamen fecisse prius legitur Ioathan filius Gedeon, cum Iud. 9. ob interemptos fratres suos, & institutum Regem Achimelech, de summo vertice montis Garizim Sichimitas violatæ fidei, & ingrati animi in Gedeonem & posteros eius argueret. Idem postea Abia Rex Iuda, qui de superiori iugo montis Semeron longa satis oratione Ieroboam, & exercitum eius, qui militum octingentis millibus conflatus erat, ad officium reuocare studuit; vti legimus 2. Paralip. cap. 13. B Stentoris etiam meminit Homerus, qui clangorem tubæ vinceret, & vocem ederet longe latéque resonantem. Erat item, inquit Herodotus lib. 4. apud Darium cum Scythas fugeret, & pontem quem iunxerat solutum nactus esset, atque animo pene concidisset, Ægyptius quidam omnium hominum vocalissimus: hunc Darius supra ripam Istri positum iubet inclamare Histiæum Milesium: qui statim naues applicuit, & exercitum traiecit. Verum, vt arbitror, aliud est sic vociferari, quod nautæ solent, vt sonus aliquis fungendi muneris index auribus hauriatur: aliud orationem habere quæ rationum momenta expendat, & argumentorum vi auditorum animos inflectat. Herodot.

C

De Voce, & quo pacto ex grandi interuallo exaudiri potuerit?

QVÆSTIO LXXXIX.

Pollux. Φωνὴ, ait Pollux, φθόγγος ἀμέριστος καθ' αὑτό· ἐπὶ μυρίας δ' ἀκοὰς μεριζόμενος, ὡς ἡ ἀκτὶς τοῦ φωτὸς, ἐπὶ πολλοὺς ὀφθαλμούς. Vox sonus per se indiuisus; sed ad infinitas aures diffusus: quemadmodum & luminis radius ad plurimos spectantes oculos. Vox. Tradit autem & modum quo vocem natura opifex architectata est. Vox inquit, φθόγγος ἔναρθρος sonus articulatus, aër per vocis instrumenta ad vocem formatus, spiritus per tracheam arteriam ex pulmone redditus, epiglottida feriens, in ore reuolutus, & instar cymbali resonans, & inarticulatus, sed per vocis organa in modulatam vocem expressus atque formatus. ad concinnitatem dispositus veluti linguæ plectro, & reliquorum organorum chordis. D ἐπιγλωττὶς γὰρ, τῆς ἁπλῆς φωνῆς ὄργανον. γλῶττα δὲ, τῆς ἐνάρθρου. Epiglottis enim simplicis: lingua vero, articulatæ vocis organum est. Verum hæc necdum satis explicant quanta sit vocis potestas, quæ regio, quæ circumferentia.

Vitruuius. Vitruuius Architect. lib. 5. cap. 4. & sequentibus aliquot, pluribus de voce Philosophatur: quod autem nunc facit ad propositum, Vox, inquit, est spiritus fluens, & aëris ictu sensibilis auditui. Ea mouetur circulorum rotundationibus infinitis: vti si in stantem aquam lapide immisso

Et esset grande, &c.

Vox spargitur in æquales circulos, & celsa petit præcipuè.

immisso nascantur innumerabiles vndarum circuli crescentes à centro, & quam latissimè possint vagantes: nisi angustia loci interpellauerit, aut aliqua offensio, quæ non patitur designationes earum vndarum ad exitus peruenire, &c. Eadem ratione vox ita ad circinum efficit motiones. Sed in aqua circuli æqua planitie in latitudinem mouentur: vox & in latitudinem progreditur, & altitudinem gradatim scandit. Hæc Vitruuius. Qui non ita intelligendus est, tanquam vocis concitati fluctus si non allidantur ad scopulum, in immensum æquor porrigantur. Nam sicut vndarum spiræ, ita & vocis impetus emenso certo spatio defectis viribus concidit. Docet hoc Seneca Natural. Quæstion. libro primo capite vndecimo. Cùm, inquit, in piscinam lapis missus est, videmus in multos orbes aquā descendere, & fieri primum angustissimum orbem, deinde laxiores, ac deinde maiores, donec euanescat impetus, & in planitiem immotarum aquarum soluatur. Hæc ille. quamobrem si longius interuallum concionantem dirimat, irrito conatu loca intermedia voce fatigabit. Vox etiam scandit potius quàm ima petat. Ducitur enim à pulmone ad superiorem oris meatum, & alioquin natura sua aërea est, & igneo quodam impetu fertur, qui motus & soni causa est. Hæc porrò omnia superioribus inhiant, ima dedignantur. Ita planè de voce sentit Hippocrates in lib. de carnibus, Spiritum esse qui vocem edit. Inde fieri, vt quos vocem intendere oporteat, ij Spiritus quamplurimum intrò trahant, indéque foras propellant. Quibus autem plurimus insit calor, eos maxima voce prędytos esse idem autor est, sectione quarta libri 6. de morbis popularibus: Causam esse, quòd plurimus sit frigidus aër, ex duobus verò magnis magna etiam quæ generantur existere.

Seneca.

Hippocrat.

Vocem nō pauca iuuant & acuunt.

Num igitur Dauidem calidissima qualitate fuisse præditum affirmabimus, vt credibile videatur eius orationem de longinqua rupe Saulis auribus excipi potuisse? An potius Vitruuio credemus asserenti meridionales populos præ cæteris vocis claritate pręstare? Nam vocum varietas, si Vitruuio credimus, ex climatum diuersitate nascitur. Nam gentes quò breuiorem habent poli eleuationem, eò sunt acutioris vocis, quò sublimiorem, eò grauiorem sonum edunt: à nete scilicet, transeundo per mesen, ad hypaten & proslambanomenon pertingendo, vt in musica theatri designatione superiore libro demonstratum est. Id verò fit ait propter breuitatem altitudinis, aut distantiam ad mundum. Vti in organo sambuca, chorda quæ est angulo proxima (ita enim loquitur Vitruuius) id est, quæ est breuissima, tenuem & acutissimum habet vocis sonitū: ab ea verò, quæ ab angulo maximè abest, id est à longissima grauior exprimitur sonitus. An potius putamus loci opportunitate adiutum, vt vox eiusdem supra modum intenderetur? Nam locis præcelsis vocem acui Capella autor est, in cuius sententiam Parrhasius Ausonium quoque poëtam pertrahere

Vitruuius lib. 6 cap. 1. seu potius ibidem Philander, qui paucis autoris mentem complexus est.

Et esset grande, &c. Ausonius.

A conatus est. Ausonij locus est ex eius epist. 25. ad Paulinum.

Respondent, inquit, *& saxa homini, percussus ab antris*
Sermo redit, redit & nemorum vocalis imago,
Littorei clamant scopuli, dant murmura riui,
Hiblæis apibus sedes depasta susurrat.
Est & arundineis modulatio musica ripis:
Cumque suis loquitur tremulum coma pinea ventis.
Incubuit folijs quotiens leuis Eurus acutis,
Dindyma Gargarico respondent cantica luco.

Hæc Ausonius. Postrema Parrhasius eò retulit, vt intelligeret arborum folia, quibus ventus incubuisset, acutum stridere. quid si Ausonius comam pineam acutam se dicere intellexit? Capella tamen manifestè asseruit lib. 1. B Nuptiarum Philologiæ, cuius hæc verba sunt. Inter hæc mira spectacula, fortunatúmque cursus, motus nemorum, etiam susurrantibus flabris canora modulatio melico quodam crepitabat appulsu. Nam eminentiora prolixarum arborum culmina perindéque distenta acuto sonitu resultabant. quicquid verò terræ confine ac propinquum ramis accliuibus fuerat, grauitas rauca quatiebat. At media ratis per annexa succedentibus, duplis ac sesquialteris, necnon etiam sesquitertijs, sesquioctauis, etiam sine discretione iuncturis, licet interuenirent limata, concinebant. Hactenus Martianus. Potuit igitur & vox ipsa Dauidis loci conditione acui atque intendi. Nam & propterea qui conciones habituri sunt, suggestum conscendunt: & in C castris duces exercitum allocuturi aggerem cespite moliuntur, aut eminentiorem tumulum captant.

Mota à vento folia acutum stridere. Capella.

Aderat & montium cultrix, quæque in cauis rupibus latitat Echo, quæ velut internunria Dauidis verba repeteret. Quippe γίνεται ἠχὼ, inquit Suidas, κατὰ ἀνάκλασιν τὴν ἀπὸ τῶν τοίχων, καὶ λείων σωμάτων, μάλιστα δὲ κοίλων, τῆς πληγῆς ἀπὸ τῆς φωνῆς ἀέρος. Echo fit per refractionem à solidis & læuibus, præcipuè vero cauis corporibus, in aëre à voce percusso. qui enim loquitur, circumfusum aërem quidem impellit, sed vocis impetus maximè in anteriorem fertur. Inde fit, vt ad nos quidem vultu conuersum facilè, auersum ægrè audiamus. Aër porrò concitatus, si forte in solidum ac durum inciderit, D & obliquis vtrinque lateribus velut intercipiatur, cùm vltrà progredi non possit, haud aliter quàm si sagitta impingens in silicem resiliat, cum voce reflectitur. Verùm, inquies, vox ipsa reciprocans perturbaret potius quam iuuaret audientem. Vtique Vitruuius lib. 5. cap. 8. quo loco de scenarum generibus loquitur, Sunt, inquit, nonnulli loci naturaliter impedientes vocis motus, vti dissonantes, qui Græcè dicuntur κατηχοῦντες: circumsonantes, qui apud eos nominantur περιηχοῦντες. Item resonantes, qui dicuntur ἀντηχοῦντες: consonantésque, quos appellant συνηχοῦντες. Dissonantes sunt, in quibus vox prima, cùm est elata in altitudinem, offensa superioribus solidis corporibus, repulsáque resiliens in

Suidas.

Echo.

Vitruuius.

Quæ loca vocem impediant.

Qvis es tv, &c.

imum, opprimit insequentis vocis elationem. Circumsonantes autem sunt, in quibus circumuagando coacta vox se soluens in medio sine extremis casibus sonans, ibi extinguitur, incerta verborum significatione. Resonantes verò, in quibus, cùm in solido tactu percussa resiliat, imagines exprimendo, nouissimos casus duplices faciunt auditu. Postremò consonantes sunt, in quibus ab imis auxiliata cum incremento scandens, ingreditur ad aures discreta verborum claritate. Hactenus Vitruuius. Verùm hic primò dissonans locus, aut circumsonans, timeri non potuit, cùm de superiori montis supercilio loqueretur: sed ne resonans quidem fortassis, aut Echo valuit interpellare, cùm non in aduersam rupem, sed subiectam planitiem verba iactaret. Consonans locus si commodè designetur, orationi pro vehiculo est, & auditionem non mediocriter iuuat. Hanc commoditatem Vitruuius admonet in theatris, quæ saxea mole excitantur, vasis æneis certo ordine dispositis captari oportere. (Vitruuius lib. 5. cap 5.) At horum quidem istic copia deerat, sed minimè necessaria fuit. Siquidem abrupta rupes eò vocem agebat præcipitem quò spectabat Dauid, quam obscuro mugitu specus altè defossi augebant & amplificabant.

(Altera responsio.) Quid si hæc interualli magnitudo non regionis distantia, sed viæ difficultate metienda est? Nam plerique sublimes scopuli & inaccessæ rupes haud aliter quàm variè tortis flexionibus & meandris adiri possunt. Itaque cùm longis itineribus per obliquos montis anfractus vicinum iugum superandum sit, tametsi proximè immineat, abesse tamen procul & dirimi longa intercapedine videtur. Quod si vt verum probamus, iam non erit necesse plura istic miracula comminisci; aut præter rerum ordinem Dei beneficio contigisse, vt Saul Dauidis, Dauid autem Saulis sermones vicissim exciperent.

Quis es tu qui inquietas Regem?] Ecce, inquit Philostratus Apollonij vitæ lib. 2. cap. 14. (Philostrat.) dum Phraotes Indorum Rex & Apollonius sermones inter se conferūt, homines ad tibiam canentes superuenere. Interroganti autem Apollonio, quidnam hęc sibi vellet exultatio: Indi, inquit ille, huiusmodi cantibus Regem admonent, quoties dormitum pergit, vt bonis vtatur somnijs: atque benignus erga subditos, & illis bene consulens pergat. Hæc ille Rex, quem philosophiæ studiosum Philostratus asserit. Cæterùm ea voluptas ad somnum conciliandum comparata fuisse videtur, & diurnas curas ac solicitudines demulcendas.

Qui inquietas Regem?] Iudith 14. vers. 9. *Cùm filij Israel cum grandi strepitu & vlulatu* Bethulia erupissent, tanquā repentino impetu Assyriorū castra capturi, *exploratores ad tabernaculum Holofernis concurrerunt. Porrò hi qui in tabernaculo erant, venientes, & ante ingressum cubiculi perstrepentes, excitandi gratia, inquietudinem arte moliebantur, vt non ab excitantibus, sed à sonantibus Holofernes euigilaret. Nullus enim audebat cubiculum virtutis Assyriorū pulsando aut intrādo aperire, &c.*

Qvis es tv, &c.

A Saxo Grammat. Histor. Danicæ lib. 7. Regno, inquit, paratas insidias delaturus, noctu regiam petit, séque promissæ rei indicem venire tacitè asserit. (Saxo Grammat.) Dormientem tamen ad vigilias euocare passus non est, eò quòd Frotho excitationis suæ pœnas ferro exigere solitus fuerat. (Capitale crimen Regis somnū interpellasse.) Tanti quondam regium somnum importuna frustratione perrumpere existimatum est, &c. Strepitum etiam, qui somnum interrumperet, Sybaritæ tantopere auersati sunt, vt cùm vniuersum genus opificum qui sonum aliquem ederent, procul amandassent, etiam gallos gallinaceos relegarint, ne suo cantu eorundem quieti obstreperent. (Curtius.) Apud Curtium, milites in concione Macedonum Philotæ copiarum duci maiestatis accusato, illud identidem obijciunt, quod cùm esset propriæ quietis amās, milites cogeret procul à se tentoria locare, quo
B pacto non rarò incommodis atque molestia affecti essent. Apud Persas, vt autor est Herodotus lib. 3 (Herodotus) inter septem Magi occisores ea lege conuenerat, vt ijsdem sine internuntio ad Regem pateret aditus, nisi cùm forte rei vxoriæ operam daret. Ea res vni eorum exitium peperit. Nam cùm Intaphernes ad Regem Darium penetrare vellet, & ab admissionali prohiberetur, quòd Regem diceret rem habere cum vxore: mentitum arbitratus & causas fingere, eundem sæuum in modum multauit: quam iniuriam statim capitali supplicio luit. Clamoris hoc loco Hebræi tantùm meminerunt. Vulgatus interpretis videtur functus officio. Neque enim aliud Abner vociferantem increpitans se dicere intellexit, quàm Re-
C gis somnum præfractè nimis interpellari.

Nunquid non tu vir es?] vir איש *isc.*] (Vocis איש plures etymologiæ.) Haud certa est vocis etymologia: quare etiam multiplex significatio eidem ascribi potest. Sunt qui deducant à verbo אנש *anesc*, quod est sonuit, resonuit. Ac si diceret Dauid. De strepitu quereris, atqui tu sonus esse debueras. (Suidas in κωδωνοφόρος.) Nunquid non tu sonus? Κωδωνοφόρος, tintinnabulum ferens? Solebant enim quondam duces & præfecti tintinnabulum gerentes excubias explorare, ne fortè dormirent. Nam cùm ipsi speculas ac stationes clam noctu lustrarent, quo loco visum esset tintinnabulo sonum edebant: cui nisi mox vigiliæ responsarent, stertere iudicabant. Quo pacto igitur quòd inclamem mecum expostu-
D las, qui procliues ad somnum excubias tintinnabulo excitare debueras? Eusebius Cæsariensis, quod aliàs notaui, ab אש *esc*, quod *ignem* vt ait significat, imò & *pudorem* Esaiæ 26. ver. 11. ita vt Dauid hoc sibi voluisse videri possit. Ecquid te pudet Abner? *quis enim sicut tu* ad custodiendum Regem cùm beneficiorum magnitudine, tum officij ac muneris obligatione deuinctus est? Sed melius videtur & præsenti negotio magis congruere, si ab עשש *ascasc*, quod est *fortis* & robustus fuit, deriuemus. Numquid non tu robustissimus & excelsi animi? Et quis sicut tu siue similis tui, hoc est, qui pari tecum dignitate ac potestate certet? tu militum fortissimus, ductor exercitus, Regis vices in castris obtinens.

Quare

QVARE NON CVSTODISTI, &c.

Quare ergo nō custodisti Dominum tuum Regem?] Et rursum: *Filij mortis estis, quia non custodistis dominum vestrum Regem, Christum Domini.*] Duplici nomine Dauid obiurgat Abner. Primùm, quod totus dormiret exercitus cùm ipse dux esset. Deinde ipsi quoque Principis stipatores, quibus præerat, aliorum exemplum sequuti somno indulgerēt. Probabile est initio nascentis imperij vnam fuisse præfecti prætorio & ducis exercitus dignitatē, aut certè prætoriam cohortem expeditionis tempore Principi militiæ paruisse. Vnde quicquid in vtroq; ordine negligētia peccatum esset, in Abnerum culpa redundabat. Aucto mox cum imperio copiarum numero, ea officia manifestè distincta sunt. 3. Reg. cap. 2. ver. 35. *Constituit Salomon Banaiam filium Ioiadæ pro eo* (Ioab, quem interfici iusserat) *super exercitum.* Et ibidem c. 4. v. 5. *Azarias filius Nathan, super eos qui assistebant* B *Regi*; id est, super custodias regis. Nec secus olim apud Romanos. Qui primùm Dux Celerum vocatus est à Regibus, mox à Dictatoribus Magister equitum dici cœpit. Postremò à castrorum cura reuocatus ad Principis custodiam, ab Imperatoribus Prætorio præfectus est. Hunc Procopius de bello Persico ὕπαρχον τῆς αὐλῆς identidem nominat. Ministrum se Rutilius Numatius lib. 1.

Præfectus Prætorio.

Officijs regerem cum regia lecta minister,
Armigerásque pij Principis excubias.

Principis custos aliquando etiam dictus est. Nam ita vocat Ausonius in Cæsaribus de Macrino.

Principis hic custos, sumptum pro Cæsare ferrum
Vertit in autorem cæde Macrinus iners. C

Et Martialis de Fusco, qui Præfectus prætorio fuit sub Domitiano:

Ille sacri lateris custos Martisque togati,
Reddita cui summi castra fuere ducis.

Ἀκόλυθος Principis.

Codinus.

In Notitia imperij Rom. qui olim præfectus prætorio, Comes domesticorum inscribitur. Posterioribus temporibus Græcis Ἀκόλυθος appellatus est, qui Barangis præerat, seu regis stipatoribus. Ita docet Codinus de Offic. Aulæ Constantinop. ὁ ἀκόλυθος ὑπάρχει μὲν ἔνοχος τῶν βαράγγων, ἀκολυθεῖ δὲ τῷ βασιλεῖ ἔμπροσθεν αὐτῶν. διὰ τοῦτο καὶ ἀκόλυθος λέγεται. Acoluthus quidem ἔνοχος addictus, adscriptus, attributus, qui Barangis siue regijs satellitibus instet, immineat. (ita mihi exponi commodè posse visum est. nam cur reum aut obnoxium nisi secundum eandem significationem interpretemur haud video.) Sequitur autem regem ante Barangos. ideóque Acoluthus dicitur. Hactenus Codinus. D

Præfecti prætorio quanta quondam autoritas fuerit.

Præfectus autem prætorio vnde dictus sit, extat Asconij autoritas. Veteres, inquit, omnem magistratum, cui pareret exercitus, Prætorem appellauerunt, vnde & Prætorium tabernaculum eis dicitur, & in castris porta Prætoria, & hodie quoque Præfectus Prætorio. Quibus ex verbis perspicuum est, Præfectum prætorio dici eum, qui militibus ijs præerat, quos Imperatores ad sui corporis custodiam asciuerant. Quod institutum primum ab Augusto fluxisse, Suetonius in eius vita,

Suetonius.

A & Dio lib. 55. testantur. Nam ab eo primùm missa sub iugum Repub. & oppressa libertate, exemplo Magistrorum equitum, Præfectus prætorio creari cœpit: eique dari plenior licentia ad disciplinæ publicæ emendationem. Quibus initijs adeo is magistratus creuit, vt appellari à Præfectis prætorio non posset. Credidit enim Princeps, eos, qui ob singularem industriam, explorata eorum fide & grauitate, ad huius officij apicem eueherentur, non aliter iudicaturos esse pro sapientia ac luce dignitatis suæ, quàm ipse foret iudicaturus. *l. 1. de Offic. Præfecti prat.* in Pandect. Potestati Præfecti prætorio, inquit Cassiodorus Variar. lib. 6. nulla dignitas est æqualis, vice sacra iudicat, nullus ei miles fori autoritate præscribit, excepto officiali magistri equitum.] Ad regendas denique prouincias sunt adhibiti. Augustus à principio duos creauerat. non raro tamen vnus tanto muneri præfuit. Deinde postquam ijdem prouincias sortiti sunt, beneficio Principis, binos Oriens totidem Occidens ea potestate præditos accepit. quintum postremò Iustinianus Africæ imposuit, postquam ea Vandalis erepta est. Titus Vespasiani filius, si Plinio credimus in Panegyr. apud patrem ea præfectura functus est. Pugio insigne potestatis fuit, vt refert Aurelius in Traiano, & Dio lib. 44. Constat autem ex plerisque omnibus solitum ab Imperatore cingulum vna cum gladio dari Præfecto prætorio, & memorabilis vox Traiani literis mandata est, qui cùm Præfectum suum cingulo donaret, ita dixisse traditur. Accipe hunc ensem, & siquidem rectè, atque è Republ. imperauero, pro me: sin secus, in me vtere. Verùm, inquies, quorsum hæc tam multa de Præfecto prætorio? Vt intelligeres eorum non leuem apud milites autoritatem fuisse, & secundum Principem summo iure exercitibus imperasse: primis etiam temporibus cùm apud Romanos, tum etiam Hebræos, eam potestatem cum exercitus præfectura fuisse. Vnde non immeritò Dauid Abnerum arguit, qui neglectis excubijs Regem nocturnis insidijs periculisque obiecerat.

Cassiodor.

Plinius.

Dion Cassius.

Regum stipatores.

Qui non custodistis Dominum vestrum, Christum Domini.] Iam inde à primis regnorum incunabulis excubiæ regibus necessariæ visæ sunt, quæ somni tempora obseruarent, stipatorésque delecti, qui securos Principes præstarent, ne qua eos sceleratorum temeritas violaret. Apud Lacedæmonas generosissimi quique iuuenes regum satellites erant; vt docet Dionys. Hal. libro secundo. Apud Macedonas principum filij, vt scribit Curtius. Liuius de rege Perseo loquens libro 44. Cohors regia, quos Nicatoras appellant. Apuleius libro de mundo de Persarum regibus agens. Ante fores stipatores quoque regalium laterum, tutela peruigili custodiam per vices sortium sustinebant: erant inter eos diuisa officia. In comitatu regis armigeri quidam, at extrinsecus singuli custodes locorum erant, & ianitores & atrienses.

Apuleius.

Virgilius.

Cernis, inquit Virgilius, *custodia qualis*
Vestibulo sedeat. Et rursum Æneidos 6. loca infera Plutonisq; regiam [describens, inquit:
Tisiphonéque sedens, palla succincta cruenta,
Vestibulum insomnis seruat noctésque diésque

Silius.

Virgilium Silius æmulari studuit lib. 13.
Ante aulam atque aditus, & inexorabile limen
Quanta cohors, omni stabulante per atria mõstro,
Excubat?

Itaque quod de primis regibus Statius in 1. Thebaid. asseuerat, haud facilè in animum induxerim, caruisse eos excubiarum præsidio.

Statius.

Necdum impacatis, inquit, *regum aduigilantia*
Tela, nec alterna ferri statione gementes [*somnis*
Excubiæ.

Hoc ego, inquam, haud temerè Statio crediderim. quippe cùm apes natura docente videam, quia regem colere instituunt, eundem excubijs vigilijsque tueri.

Virgilius 4. Georg.

Illum admirantur, & omnes
Circunstant fremitu denso, stipántque frequentes:
Et sæpe attollunt humeris: & corpora bello
Obiectant, pulcrámque petunt per vulnera mortẽ.
Sunt quibus ad portas cecidit custodia sorti:
Inque vicem speculantur aquas, & nubila cœli.

Regum custodes latrones primùm dicti.

Coæuas regnis semper duxi regum excubias. quippe qui primi imperiũ in alios affectarunt, veriti ne fraudem passa multitudo ijs peremptis iugum excuteret, seipsos obiectis militum stationibus vallo munierunt sarissarum. Sunt qui latrones primùm dictos velint, quòd tutelę gratia principum lateribus inhærerent, & ad latus ferrum gererent. Ita Varro in lib. de lingua Latina. Stipatores item vel à stipe quam mererent mercede conducti, quę Græcis μισθοί: vel à stipatione, quòd densi principem protegerent. Οἱ σωματοφύλακες Græcis.

Speculatores etiam vocati.

Speculatores etiam Romanis. quam vocem Euangelista cùm Græcè scriberet, retinendam putauit. Καὶ εὐθέως ἀποστείλας ὁ βασιλεὺς σπεκουλάτωρα, *& misit Herodes speculatorem, & amputari iussit caput Ioannis in carcere.* Apparet autem præter gladium etiam lanceas speculatores habuisse. Suetonius in Claudio: Neque conuiuia inire ausus est, nisi vt speculatores cum lanceis circunstarent. Et rursum in Galba: Descendentem Galbam speculator impulsu turbæ lancea propè vulnerauit.

Habuisse quoque Iudæorum reges stipatores suos, & qui pro foribus excubarẽt, statim à primo regni ortu, manifestis Scripturæ testimonijs comprobabo.

Qui fuerit olim numerus stipatorum.

2. Reg. c. 11. v. 9. *Dormiuit autem Vrias ante portam domus regiæ cum alijs seruis domini sui, & non descendit ad domum suam.* & 3. Reg. c. 10. v. 16. *Fecit quoque Rex Salomon ducenta scuta de auro purissimo: sexcentos auri siclos dedit in laminam scuti vnius.* Vers. 17. *Et trecentas peltas ex auro probato: trecentæ minæ auri vnam peltam vestiebant: posuitque eas Rex in domo saltus Libani.* In quem vsum docet sequens c. 14. ver. 27. *Scuta quoque aurea quæ fecerat Salomon, abstulit Sesac rex Ægypti: pro quibus fecit Rex Roboam scuta ærea, & tradidit ea in manum ducum scutariorum, & eorum qui excubabant ante ostium domus regis.* Apud Romanos ter centum Celeres primùm sibi Romulus adiunxit. Datum est deinde Iulio Cæsari mutata [Repub. vt senatoribus & equitibus stiparetur. quod postea oblatum etiam Augusto. Sub Tiberio, fuit in senatu qui idem censeret, sed in exilium actus est. Sexcenti porrò milites Augusto dati pro excubijs, qui postea creuere ad decem millia, conflata partim ex ciuibus Romanis, partim ex Germanis, & Thracibus, & exteris. Sueton. cap. 55. in Caio. Eorum autem stipendia dupla, & missio maturior cæteris militibus. Liuia Augusto apud Dionem lib. 55. Sunt nobis multi milites, quorum alij hostibus opponuntur, alij stipant, ac nos custodiunt, & domi & foris securitatem præstant.]

Dion.

Prætoriani milites subinde etiam Comitatenses dicti, & Scholares, protectores, & domestici. *Cod. de domest. & protector.*

Prætorianorum militũ genera 7. Codinus. Barangi.

Horum, siue stationariorum militũ, postremis temporibus genera septem Codinus enumerat in lib. de Off. Aulæ Constantin. Barangos, Bardariotas, Cortinarios, Murtatos, Spatharios, Stratiotas, τζάκωνες. Οἱ Βάραγγοι, inquit Codin⁹, ὑποστῶσιν εἰς τὰς θύρας τοῦ κοιτῶνος τοῦ βασιλέως, καὶ εἰς τὸ τρίκλινον; obseruantes fores conclauis regis & triclinij. Horum arma secures erant. Nicetas in Andronico Comneno l. 2. τοὺς πελεκυφόρους secures eisdem tribuit. Vnde & alibi simpliciter τοὺς πελεκυφόρους bipenniferos vocat.

Cantacuzenus.

De his Cantacuzenus lib. 2. cap. 11. Securigeros Barangos claues vrbis afferre (hos enim vrbium claues Imperatore præsente custodire solenne erat) & Arego tradere imperauit. Anglos fuisse Codinus scribit.

Bardariotæ.

Bardariotæ Βαρδαριῶται illud à quodam fluuio nomen adepti sunt. Vestibus russis siue coccineis insigniebantur. Arma, virga & baculus. vnde & πριμικήριος primicerius, qui ijsdem præerat, nuncupatus est. Officium aulæ ianuam custodire, & equitante Imperatore præeuntes populũ summouere.

Cortinarij.

Κορτινάριοι, ὑπηρετοῦσι εἰς τὴν τοῦ βασιλέως σκηνήν. Erant stationarij milites, qui in castris ante Imperatoris tentorium excubias agebant, & habebant præfectum Comitem.

Tzacones.

Lacones item, qui corruptè Tzacones dicti sunt, Principis custodiæ addicti erant, cùm is in castris versaretur: sed eo discrimine à Cortinarijs seiuncti erãt, quòd hi solam curtem & tentorium Imperatoris custodiebant, at Tzacones prodeuntem per castra deducebant, custodes corporis eius. Φύλακες γὰρ εἰσι, inquit Codinus, ἀπλικίου. Gestabant cuculiones & clibania cœrulea, quæ in tergo ac pectore habebant leones albos contra sese erectos.

Murtati.

Μουρτάτοι quoque stationarijs & excubitoribus palatinis accensentur. De quibus Codinus πλὴν ἵστανται φύλακες, arcus seu pharetras gestantes. Videntur fuisse sagittarij, quales olim apud nos *les Archers de la guarde.*

Spatharij.

Adde his Spatharios. Cedrenus, σπαθάριος ὁ σωματοφύλαξ ἐστίν. Spatharius custos corporis est. Ab insigni Spatha dictos non dubito. Hos non ignobiles fuisse historiæ testantur. Nam legatos sæpe legimus.

Alcuinus.

Et Alcuin. epist. 9. ad Nicephorum Imp. Arsacium eius legatum Spatharium gloriosum nominat.

Stratiotæ.

Postremò etiam ad Prætorianos milites στρατιῶται pertinent, ita dicti ab equis, quos στρατοὺς appellabant. His præerat στρατοπεδάρχης siquidem tum equos Græci dixere; vti & Latini scriptores nonnulli cùm equos dicere vellent

QVONIAM FILII,&c.

vellent, simpliciter animalia scripserunt. Consule Diaconum in Heraclio. 9. *Cod. Theodos. de Remil. Et in l. quod 4. tit. de Murileg.* Cæterùm palatinarum excubiarum imaginem nemo melius Corrippo expressit lib. 3.

Quia non custodistis dominum vestrum.] Dauid nemini parcit. Vniuersus ab eo exercitus neglecti Principis reus citatur. An quia necdum prætoria cohors instituta erat? Apparet. Nam etiam postea cùm Isboseth in regia dormiens à sicarijs oppressus esset, ancillæ duntaxat ostiariæ Scriptura meminit. An quia Rege præsente totus exercitus regia cohors est, & eundem obseruare debet. *Dominum vestrum.*] Non opes inquam illius, non armenta gregésue, non prædia aut segetes, non denique thesauros, sed vitam illius vestra socordia prodidistis. Crimen exaggerat à personæ dignitate. *Christum Domini.*] Quinimò non in hominem solùm tametsi regem ac Dominum vestrum, sed in Deum ipsum peccastis, qui eundem vobis ipse præfecit. *Filij mortis estis.*] Valer. de publ. Iud. lib. 8. cap. 1. M. inquit, Militius, Cneus Lolius, L. Sextilius Triumuiri, quod ad incendium in sacra via ortum extinguendum tardius venerant, à Tribuno pleb. die dicta ad populum damnati sunt. Item P. Biblius, Triumuir nocturnus à P. Aquilio Trib. pleb. accusatus, populi iudicio concidit: quia vigilias negligentius circumierat. Quæ si vera sunt, quo pacto apud eos, si cuius negligentia Principis salus in discrimen incidisset, impunè tulisset? Nam in vno Principe tanquã capite totius Reipul. periclitatur incolumitas. Prius itaque Abnerum principem exercitus splendido titulo ornauit, vt eius criminis magnitudo magis conspicua foret. Cæterùm quid me facturi sitis, si potestas detur, licet apertè colligere, cùm vos dominum vestrum pręsidio vestro destitueritis. His etiam verbis perstringit Saulem, qui cùm tales habeat custodes corporis, tamen eum, qui de illius salute tã sit solicitus, hostili animo persequatur. Nominatim verò compellauit Abner, quòd non dubitaret Saulem, cùm non procul abesset, ista auditurum.

Valer. max. Puniti qui segnius custodissent.

Filij mortis estis.] Nam stipatores adiguntur iureiurando, se curaturos, Principem fore saluum. Apud Cæsarem lib. 1. belli ciuilis, Postulant, inquit, vt iurent omnes se exercitum, ducésque non deserturos, neque prodituros, &c. Princeps in hæc verba iurat, subsequuntur Tribuni militum, Centurionésque, Centuriatim producti milites idem iurant. Iterum lib. 3. eiusdem belli: Princeps Labienus procedit, iurátque se eum non deserturum, eundémque casum subiturum, quécunque ei fortuna tribuisset. Hoc idem reliqui iurant Legati, hoc Tribuni militum, Centurionésque sequuntur: atque idem omnis exercitus iurat. Apud Liuiũ autore Cornelio Scipione lib. 31. Luc. Cæcilius cum reliquis, Ex mei, inquit, animi sententia iuro, vt ego Rempl. non deseram, neque aliũ ciuem Romanum deserere patiar. Si sciens fallo, tum me Iuppiter Opt. Max. domũ, familiam, remq; meam pessimo letho afficias. Dionys. lib. 2. ait, militare Sacramentum fuisse, Duci obsecutu-

Militare Sacramentum. Cæsar.

Liuius.

Dionysius.

QVONIAM FILII,&c. Vegetius.

A ros, signa non relicturos: si faxint, indicta causa necari posse. Vegetius lib. 2. cap. 5. Iurant, inquit, milites, omnia se strenuè facturos, quæ præceperit Imperator, nunquam deserturos, nec mortem recusaturos pro Romana Repuplica. Itaque qui excubias deserunt, capite puniuntur. *ff. de re militari. L. Excubias.* Imperator autem Opilius Macrinus tribunum, qui excubias deseri passus erat, carpento rotali superadnexum, per totum iter viuum atque exanimem trahi præcepit: Iulio Capitolino teste. Quid facturus si propterea vitæ periculũ adijsset? Atqui iurarunt non pauci nõ tantùm reges pro virili sua parte defensuros, sed præterea, inquit Sallustius in fragm. olim se regibus deuouent, & post eos vitam refutant; adeò illis ingenita est sanctitas regij nominis. Humanos

Supplicium eorum qui excubias deserunt.

B Ioues reges Plautus dixit. Diogenes apud Dionem Orat. 1. de regno, nutritios & amicos Deorum. Θεοχιτῶς dicuntur à poëtis. Virgilius,

Vigilásne Deûm gens

Ænea? Sancti quoque siue sacri appellantur in Epigram. Græco Antholog. 1. Λογίων ἀγέλης ἄμβροτοι ἡγεμόνες. i. Rationalis gregis sancti duces. quinetiam vt scribit Strabo, Βασιλέας θεοὺς νομίζουσι. 17. de Æthiopib. Scriptura quoque deos reges non semel vocat. Quomodo igitur non rei mortis, qui sua culpa hostis, vt aiebant, insidijs obiecerint? Quod si capitale est & sacrilegio proximũ regem negligentius habuisse, quid illis fiet qui Deum deserũt, qui summo iure reges creat & vngit? Tantum mihi imperare non potui, vt non ad superiora postremo adderem, quę religiosissimè quanquã Ethnicus

Regũ nonnulla epitheta.

C Epictetus admonet apud Arrianum lib. 1. c. 14. Τούτῳ τῷ θεῷ ἔδει ἢ ὑμᾶς ὀμνύειν ὅρκον, ὅν οἱ στρατιῶται τῷ καίσαρι, &c. Enimuerò, inquit, par erat vos etiam Deo obstrictos esse iureiurando, quemadmodum milites sunt Cęsari. At milites propter stipendium iurant, se Cæsaris salutem omnibus rebus ante laturos: Vos tantis & tam eximijs affecti beneficijs non iurabitis, aut iurati nõ præstabitis? Ecquidnam vobis iurandũ? non rebellaturos vnquam, aut incusaturos, aut indignè laturos vllã rem ab ipso vobis oblatã, necnon libenter facturos, & perpessuros, si ferat ita necessitas, omnia. Hæc Epictetus.

Arrianus.

Sed dices, Deus hunc illi exercitui soporẽ immiserat: Cur ergo à Dauide accusantur? Imò contempserũt Dauidis paucitatem: & ea causa

D non legimus, eos disposuisse vigiles, sed prorsus omnes fuisse consopitos. Νυκτοφύλακας καθιστάναι, καὶ σύνθημα παραδιδόναι, vt est apud Xenophon. Nocturnas vigilias collocare, & tesseram dare neglexerant. Diurnas excubias ἡμεροφύλακας Curopalates vocat lib. de Off. Aulæ Constantin. Itaque immunes à culpa videri non poterant. Quod si duces officio functi essent, & dispositis excubijs Principis securitati consuluissent, tum si vigiles sopor oppressisset, ad paucos culpa pertineret, aut etiam nullos, si præter naturæ consuetudinẽ diuinitus irruisset: at nunc postquam suo muneri defuisse conuincuntur, digni sunt, ait Dauid, qui capite pœnas luant. Deinde hoc quoq; nosse debemus, non semper satis iustam esse excusationem necessitatis. Videndũ

Curopalates.

Qui somno occasioné dedit quæ officio deesset, tametsi is immissus à Deo feratur, innocens haberi non poterit.

Vide vbi sit hasta, &c.

enim est, an ipsi nobis cum necessitaté attulerimus. Nam primi illi animi motus, quamuis in potestate nostra cùm erũpũt minimè sint, si tamen longa docti experientia cùm emersuros prospiceremus, iisdem præuertere neglexímus, criminis expertes haberi non possumus. Iubemur enim amare Deum ex toto corde, ex toto animo, ex omnibus viribus: quod certè quisquis non facit, peccat. Non facit autem, neque Deũ tota mente complectitur, qui cùm brutos animi impetus possit adhibito remedio cõpescere, temerè sinit efferri. quæcunq; autem peccata præter labem originis, siue omissionis, siue cõmissionis, vt aiunt, censentur, non absq; electione perniciem mortalibus afferunt, aut nisi id ab electione manarit, ad quod ipsa sequũtur. Nam cùm aliquid, vt aiunt, quod sponte elegimus, habet cum peccato sequenti physicam connexionem, aut legis edicto prohibitum est, ne facienti exitium pareret, quod probabiliter timebatur: tum si quis illud vsurpet, ad scelus animum adiecisse iudicatur. Sed & si quis dum maleficio studet, ex ea occasione in morbum incidat, aut vulnere debilitetur, quo subinde officio desit, & cuiusquam salutem discrimini obijciat, vereor vt innocens plerisque possit videri. Iam verò spectemus, an simile quicquam isti admiserint, quo addici somno mererentur. Sequebantur regem scelus anhelantem: innocentem partim vi, partim etiã insidijs perdere conabantur: nemo furentẽ absterret à scelere. Itaque Deus illos, quo cœpta illorum nefaria dissipet, somno oppressit. Iure ergo accusantur, quasi qui illam sibi necessitatem conciliarint.

Vide vbi sit hasta Regis.] Ne forte Abner se derideri putaret, Quære, inquit, hastam & cyathum, quæ erant ad caput domini tui. Hoc indicio an verum loquar manifestè deprehendes. Iudith historiæ suæ ca. 13. Holophernem iugulatura, *accessit ad columnam quæ erat ad caput lectuli eius, & pugionem eius, qui in ea ligatus pendebat exoluit*, & iacentem confecit. *Et scyphum qui erat ad caput eius.*] Somni simul & calicis recordabor. Vuidonis vxor, inquit Luitprand. c. 9. l. 1. de rebus per Europam gestis, à rege Arnulpho in Camerino castro re & nomine Firmo obsessa, cùm euadendi spem nullam haberet, cœpit astu tractare, quomodo obsidionem solueret. Accitum igitur quemdam Regis familiarissimum magnis donatum muneribus rogat, vt poculo ab ea sibi collato dominum suum Regem potaret, quod non periculum mortis daret, sed mentis feritatem mulceret. Vt fidem faceret, seruum vnum è suis eo potat: qui per horam sanus conspectus suspicionem omnem abstulit. Rex itaque hausto poculo soporifero, tandem in somnũ incidit adeò grauem, vt obsidionem soluere, & de salute sua consulere cogeretur. Hactenus Luitprandus.

Luitprandus.

Versus XVII.

Cognouit autem Saul vocem Dauid, & dixit: Numquid vox hæc tua, fili mi Dauid? Et ait Dauid: Vox mea, domine mi Rex.

Cognouit Saul &c.

Versus XVIII.

Et ait: Quam ob causam dominus meus persequitur seruum suum? Quid feci? aut quod est malum in manu mea?

De voce Plinius Hist. Natur. l. 11. c. 51. Vox, inquit, in homine magnam vultus habet partem. Agnoscimus eã prius quàm cernamus, non aliter quàm oculis: totidémq. sunt eæ, quot in rerum natura mortales, & sua cuique sicut facies. Hinc illa gentium totq; linguarum toto orbe diuersitas, hinc tot cantus, & moduli flexionésque. Sed ante omnia explanatio animi, quæ nos distinxit à feris, inter ipsos quoq; homines discrimen alterum æquè grande quàm à belluis fecit. Hæc Plinius. Agnouit igitur Saul vocem Dauid non solùm, sed per eã quoq; eius animi beneuolentiã agnouit. Sunt enim voces, vt docet Aristoteles, etiam mentis affectionum notæ: his tanquam naturali sono, quæ latent intus in animo deprehenduntur. Nam perinde vt vocis tonus variè flectitur, ita irã aut clementiam prodit. Autor est Varro Zamen Lybiæ fõtem canoras voces efficere. Sed nullum mel, non liquor vllus vsqueadeo gratas & suaues auribus voces infundit, vt amoris occulta vis, quæ simul cum voce faucibus erumpit. Testem laudabo Saulem, qui vt primùm Dauidis orationem auribus hausit, sic statim eiusdem concentu delinitus est, vt animi ferociã deponeret, & à cædis illius studio ad pietatis cultum traduceretur. Non enim inanem vocis sonitũ audire sibi visus est: sed in voce tanquam imagine fidi pectoris prolixã in se beneuolentiam ac fidem suis coloribus expressam intueri. Ferunt vrsos tametsi truces, blando fistulæ sono cantúsque illecebris capros, etiã tum cùm esuriunt à pastorũ cæde abstinere. Non arbitror Saulem feris syluestribus fuisse multo clementiorem. Quinetiam ferocissimas videtur sæuiendi libidine superasse. Illæ, si quando humano sanguine se proluunt, hoc ipsum necessitati indulgent: rarò saturæ se in nostras carnes ingurgitant. At Saul, cùm vino dapibúsque abundet, generi tamen sanguinẽ sitit, & cędis illius desiderio cruciatur. Atqui beneficijs vinci debuerat vt iram remitteret. Verum illud quidem: sed hactenus inuidiæ liuorisq; magnitudo eorũ memoriam deleuerat. Quam simul vt Dauidis vox immemoris auribus instillata refricauit, humanitatis sensum, quem videbatur exuisse, dissimulare vltrà non potuit. *Num hæc vox tua, fili mi Dauid?*] En vt modò filium vocat, quem toties antea cùm fureret, proditionis insimulauerat. Blanditur qui ferire statuerat: & qui vitam erepturus aduenerat, nunc se patrem præstaturum pollicetur. Quàm insperata hæc mutatio est, quàm stupenda metamorphosis! Quis deinceps quemquã desperet fore vt pœniteat, siquidẽ ad vnius hominis vocem è lupo agnus, ex hoste pater, amicus quispiã ex tyranno euadat? Maior hæc Dauidis gloria seu potius Dei, quàm si bello fractum, dotisue circumuentum pacem orare coëgisset. Virtus hoc loco Martis & nequitiæ impetum sua gratia superauit.

Plinius.

Sua cuique vox.

Vox

Cognovit Savl, &c.

Vox mea, domine mi Rex.] Ista est extrema actio Dauidis cum Saule. quare hic attentius considerare debemus, quo pacto idem sese Sauli purget. Dauid verecundia quadam inductus erga Regiam maiestatem, noluit Saulem appellare nominatim. Itaque primùm appellauit Abner, quòd sciret, postea sibi facultatem fore agendi cum Rege. Neque Abner idcirco dixit esse filium mortis, quod vellet de eo, aut de quoquam alio capitale supplicium sumi: sed vt ille attoleret animum, & consideraret, somnum illum tam profundum non fuisse naturalem, sed immissum à Deo. Obstupuit Saul ad orationem Dauidis, & subitò factus est mitior. *Estne tua*, inquit, *ista vox, fili mi David?* Oratio Dauidis cum Abnero fuit tantùm quasi leuis armaturæ prima excursio. Nunc autem in Saulem vtrumque argumẽtorum suorum cornu commouet. Cum illo enim firmis, & solidis rationibus dimicandum erat. Exorditur autem magna cum reuerentia, & animi summissione. Saulem enim appellat dominum, & regem suum. Genus orationis est suasorium. Hortatur enim Saulem vt discedat ab armis, & se innocentem ne in posterum fatiget. Rationes ducuntur ab iniusto, ab inhonesto, à damnis & & detrimentis, à terrore diuini iudicij, denique ab indignitate rei. Sunt autem rationes numero sex. Prima sumitur ab iniusto. Iniustũ enim videtur, vt innocens opprimatur. Altera ratio duplex est. Si Deus te incitauit, inquit, in me, odoretur sacrificium: At si te homines instigãt & calumnijs in meam perniciem accendunt, & commouent, sunt illi execrabiles. Quarta est, quod exclusus à Iudæa necessariò sese ad idololatras recipiat, à quibus suæ fidei haud leue periculum immineat. Quinta ab eo, quod fieri non possit, vt eius causæ Deus non sit cognitor & vindex. Hinc postremò argumentatur, quod indignum sit, tantum principem hominem priuatum, & profugum, quasi pulicem aut perdicem persequi. Sed quoniam istæ rationes plurimum habent momenti, & ponderis, eas excutiemus singulas.

Sex rationibus Dauid Saulis improbitatem expugnat.

Quamob causam persequitur dominus meus seruum suum? quid feci?] Procul à se affectati regni suspicionem nititur amoliri. Nusquam nõ illum dominum, si autem seruum eius profitetur. Id cùm verbis vbiq; testatur, tum etiam rebus gestis probat. quid commisi, inquit, in te ô Rex? aut quæ est iniquitas in manu mea? Gemina ratione peccamus: Ex industria, & per imprudentiam. An mali igitur admisi quippiam quod me fugeret, & imprudens in offensionem tuam incurri? an data opera & sponte deliqui? Dauid prudenter & modestè accedit ad causam. Si quid à me peccatum est, id mihi proponi & ostendi cupio. Causa enim cognita, multi absolui possunt: ea autem incognita, nemo iuste damnari potest: vt ait Cicero Act. 3. in Verrem. Vis orationis est huiusmodi: Innocentes iniquum est per vim opprimere. Ego autem sum innocens: ergo non possum à te nisi iniustè opprimi. Minor propositio ex eo liquet, quòd à Saule nominatim Dauidi nihil obijceretur: quòd Dauid Sauli salutem toties attulisset.

Peccamus per imprudẽtiam, aut de industria.

Quod est malum in manu mea?] Erat apud Persas ita constitutum, vt cùm quis in iudicio argueretur aliquid fecisse contra leges, etiamsi liquidò constaret, eum culpæ affinem esse, non tamen statim condemnaretur: sed prius inquireretur diligentissimè in omnem illius vitam, iniretúrque ratio, pluráne turpiter & flagitiosè, an bene laudabiliterq; gessisset. Tum si vincebat turpium numerus, condemnabatur: sin præponderabantur honestis turpia, absoluebatur. Cogitabant enim, humanarum virium non esse, rectum cursum perpetuo tenere: habendos pro bonis viris eos, non qui nunquam peccarent: sed qui sæpius honestè agerent. Similia quidem haud sanxit Deus, qui flagitiorum reos plecti iussit. Si tamen postquam dies cuipiam dicta est, haud satis liquea. an scelus admiserit, ex superioris vitæ instituto delati innocentia vtcunque colligi poterit Neque enim verisimile est, eum, qui semper religiosè iustitiam coluerit, eandem maleficio violare potuisse. qui autem hactenus impietati atque iniustitiæ studuerit, hunc facilè conijcias, tum quoque iniuriam facere voluisse.

Persarum lex.

Reorũ innocẽtia ex superiori vita colligitur.

V E R S V S XIX.

Nunc ergo audi, oro, domine mi rex, verba serui tui: Si Dominus incitat te aduersum me, odoretur sacrificium: si autem filij hominum maledicti sunt in conspectu Domini: qui eiecerunt me hodie, vt non habitem in hæreditate Domini, dicentes: Vade, Serui dijs alienis.

V E R S V S XX.

Et nunc non effundatur sanguis meus in terram coram Domino: quia egressus est rex Israël vt quærat pulicem vnum, sicut persequitur perdix in montibus.

PAgninus, *Si Dominus incitauit te contra me, odoret* (Hebraicè, יָרַח *iarahh* à verbo רִיחַ *reahh*. vel רוּחַ *roahh*, seu potius הֵרִיחַ *heriahh* in Hiphil, quod *olfecit* significat, *odoratus est*; & cùm de sacrificio agitur, *gratum habuit, accepit, eo placatus est*. quare verti poterat, *placetur sacrificio*, vt patet Genes. cap. 8. vers. 21. & Amos 5. vers. 21. & pluribus alijs Scripturæ locis.) *Sacrificium*, Arias *munus*: *& si filij hominum* (Arias, *hominis*) *maledicti sunt coram Domino, qui expulerunt me hodie, ne habitem* (Arias, *ab inherendo*) *in hæreditate Domini, dicendo: Vade, serui dijs alienis.* Non nemo, *vt non sim affixus hæreditati Domini, dicentes; Vade, cole deos alienos.* אֱלֹהִים אֲחֵרִים *elohim ahherim.* Habet autem & quidam, *odoretur oblationem*; idque hoc pacto explicat: hoc est, acceptet oblationem pro peccato meo, quo demerui illam persequutionem.

Variè trãslationes.

Si Dominus incitat te, &c.

Vnde Ionathan sic vertit: *acceptet sacrificium meum cum pia voluntate.* Nec est hic, *incendatur oblatio*, vt quidam ex nouellis interpretibus hic perperam vertit: sed יָרַח *iarahh, odoretur*, à præterito רָח vel רִיחַ *reahh.* Et quod sequitur: *vt non sim affixus hæreditati Domini: est* מֵהִסְתַּפֵּחַ *mehisethapeahh*, à verbo סָפַח *saphahh*, quod idem hic est ac דָּבַק *debak, adhæsit, affixus fuit:* scribitúrque in coniugatione Hithpael: vt sit sensus: Exturbor à populo meo, vt non possim adhærere ei & conuersari inter Israël, qui est hæreditas Domini, sed adigor ad gentes, & quodammodo cogor à meis ad cultum idolorum. Hæc ille. Chaldæum sic vertit interpres suus: *Si ab ante Dominum destinatus es in me, accipiatur sacrificium meum in voluntate: etsi filij hominis, maledicti illi ante Dominum, quia repudiauerunt me hodie ne habitem in hæreditate populi Domini, dicendo: Abi inter gentes colentes errores.* Vatablus, *odoretur sacrificium placatorium.* In Schol. Vel, *olfaciat sacrificium*, id est, sit mihi propitius quum offeram illi munera. Aut, *olfaciet sacrificium*, id est, placabo iram eius sacrificio. *Eyciunt me hodie, ne consociare me possim hæreditati Domini, in hoc quod dicunt, Vade, cole deos alios*, In Schol. quasi dicerent, perinde faciunt ac si dicant *mihi, Vade, &c.*

Hactenus non parcos interpretes retuli, è quorum numero Pagninus in ambiguo reliquit, cuius sacrificio Dauid, suóne an regis iram Dei mitigari vellet: reliqua turba ab ipso Dauid oblatum iri interpretatur; quo suum scelus expiet, si quod fortè est, cuius occasione regis in se indignatio concitetur. Sed nequaquam mihi fit verisimile, cùm eundem sæpius audiam satis longa oratione innocẽtiam suam tueri, & se integrum vitæ, scelerísque purum asserere. At verò Iunij interpretatio, si quid video, à scopo aberrat, & à Dauidis mente prorsus aliena est. *Odoretur*, inquit, *munus.* Hoc est, Nihil aliud peto, quàm vt ei acceptum sit sacrificium etiam meiipsius per mortem (ad quam tibi, ô Rex, legitimè cognoscenti meipsum offero) acceptum inquam, cùm mihi (qui me vltrò dediturus essem, si constaret de instituto & voluntate Dei) tum etiam tibi (qui iudicium Iehouæ in me exerciturus esses mandato eius) vt est acceptum munus rite oblatum: munus pro oblatione, tota synecdoche metaphorica. In reliquis nobiscũ sentit. *quia expellunt me hodie, ne cooptatus hæream possessioni Iehouæ, dicentes: Abi, cole deos alienos.* Ad marg. non sinunt me versari in cœtu fidelium: sed cogunt me viuere inter infideles; ac proinde ad defectionem à Deo prouocant. Hactenus ille.

Iunii commẽtum reprobatur.

Sequar igitur, quod attinet ad priorem partem huius sententiæ, Septuag. Interpr. sententiam. Sic autem illi exponunt, vt id consilij Dauidem dare intelligant, vt Saul sacrificio Deum placare studeat, quo nocendi studium ab eo auerruncet. εἰ ὁ θεὸς ἐπισείει σε (Aldus, & Rom editio ἐπισείει σε) ἐν' ἐμὲ, *Si Deus incitauit te* (Rom. edit. *Si Deus incutit te in me*) *aduersum me*, ὀσφρανθείη ἡ θυσία σου, Complut. *odoretur.* Rom. edit. *olfiat sacrificium tuum.* εἰ δὲ υἱοὶ, &c. ὅτι ἐξέβαλόν με σήμερον μὴ στηρίζεσθαι, *quia eiecerunt me hodie, vt*

Optima interpretatio.

A *non firmer*, ita Complut. At Rom. & Ald. edit. μὴ ἐστηρίχθαι, *non confirmatum esse* ἐν κληρονομίᾳ κυρίου, λέγοντες, πορεύου δούλευε θεοῖς ἑτέροις. *in hæreditate Domini, dicentes: Vade, serui dijs alienis.* Quo loco Nobilius in edit. Rom. ad hæc verba *non confirmatum esse:* Et in hac quidem parte retinuimus versionem Luciferi (non autem in verbis proximè sequentibus. Ipse enim habet, *confirmatum esse in testamentum Domini.* vt intelligatur, quàm veteres curarint verbum verbo reddere. Poterat tamen ita verti, *à non inhærendo firmiter*, id est, vt non commorarer, ac stabilem sedem haberem *in hæreditate Domini.*

Versus 20. Pagninus, *Et nunc ne cadat sanguis meus in terram coram facie Domini, quia egressus est rex Israel ad quærendum pulicem vnum, quemadmodum persequitur quispiam perdicem in montibus.* Arias *quispiam* respuit, & *cantorem* habet, B pro perdice. Hebraicè הַקֹּרֵא *hakore.* קֹרֵא *kore* in Scripturis *perdicem* denotat à clamore: קָרָא *kara* enim idem est quod *clamauit, vociferatus est.* Natiuus eius sonus est κακκαβίζειν fastidiosus, qualis in aue cognata coturnice magis auditur. Sunt qui *cuculum* interpretentur Ier. 17. Quoniam verò קָרָא *kara* etiam *cantauit* significat, & hoc commune est omnium auium, idcirco *cantorem* vertere maluit Arias, nulla certa specie designata. *Ad quærendum pulicem vnum.*] Chaldæus, *ad quærendum debilem vnum, sicut perquiritur perdix in montibus.* Vatablus, *Ne itaque cadat sanguis meus coram Domino.*] Quidam, *in præsentia, & conspectu Domini.* Chaldæus, *ab ante dictam Domini.* Alius, *procul à conspectu Iehouæ.* Septuag. ἐξ ἐναντίας προσώπου κυρίου, *ex aduerso faciei Domini.* Rom. edit. *ante conspectum Domini.* C Id est, inquit Vatablus in Schol. Nunquam obliuiscatur Dominus sanguinis mei effusi in terram, si interficias me, sed sit semper in conspectu eius, & requirat illud & vlciscatur. Alius, Id est, ne prius morte afficiar, quàm legitimè de causa mea sit cognitum, & sistar magistratui: qui iudicia Dei exercet, & in cuius medio Deus præsidet. *Nam procedit rex Israel*, pro sua libidine, sine vlla iuris forma, vt aucupes, *ad quærendum pulicem vnum:* id est, me ei longè inferiorem, vt sup. 24. 15. *ac si persequeretur perdicem in montibus. Pulicem vnum.*] Hebraicè, אֶת־פַּרְעֹשׁ אֶחָד *eth paroos ehhad. Paroos pulicem* significat, & metaphoricè *hominem vilem & abiectum.* Septuag. Complut. edit. ψύλλον ἕνα, D *pulicem vnum.* Edit. Ald. & Rom. ψυχήν μου, *animam meam*, καθὼς καταδιώκει ὁ νυκτικόραξ ἐν τοῖς ὄρεσιν, *sicut persequitur nycticorax in montibus.*

Perdix.

Pulex.

Nunc ergo audi, Domine mi Rex, verba serui tui. Quandoquidem nihil habes quod obijcias, nec causari potes huc te meo scelere prouocatum descendisse, oro te patienter me audias: forsitan consilij quippiam reperero, quo si in animum vti induxeris, cùm me seruum tuum, tum etiam teipsum graui molestia liberabis. Nam cùm nulla ratio subsit cur me perdere cogites, horum alterum esse necesse est: aut te diuinitus ad hoc facinus impelli, aut delatorum calumnijs cõtra ius fasque incitari. Quod igitur ad primum attinet, si mihi aurem accommodes, institutis à Deo remedijs eiusdem ita

Honesta oratio est.

Si Dominus incitat, &c.

ira placari poterit: sin mihi tibique scelerati homines & sycophantæ negotium exhibent, vtique eos à te detestari atque amoliri debueras. Neque enim clam te esse potest, hoc genus nebulonum quantopere Deus execretur & oderit.

Deus intentator malorum est.

Si Dominus incitat te aduersum me.] Ergóne Deus incentor malorum est? quinimo, inquit Iacobus Apostolus cap. 1. vers. 13. *Nemo cùm tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur: Deus enim intentator malorum est: ipse autem neminem tentat. Vnusquisque verò tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus. Deinde concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum, &c.* Ἀναίτιος ὁ θεὸς τῶν κακῶν, inquit Suidas. Deus nequaquam malorum causa est. κακὰ δὲ κυρίως ὀνομάζομεν, οὐχ ἃ τῶν πολλῶν ὀνομάζειν ποιεῖ φίλον, ἀλλὰ κακίας, καὶ ἀκολασίας, καὶ τὰς ἄγαν παρανομίας ὅσαι ὑμῶν αὐτεξουσίως τολμῶνται. Mala verò propriè vocamus, non ea, quæ plerique de vulgo sic appellare solent, sed vitium, & intemperantiam, & quæcunque sunt iniqua facinora, quæ à nobis vltrò confidenter suscipiuntur. ἡμεῖς γὰρ τούτων αἴτιοι. οὐχ ὁ τἀναντία νομοθετήσας Θεός. Nos enim horum sumus autores. Non autem ipse Deus, qui cōtraria lege lata sanxit. Quamobrem Pythagoras in versibus aureis,

Suidas in κακῶν.

Quæ mala dicenda.

Pythagoras.

Si quis, inquit, *Deum iustitiámque coluerit, post alia*
Cognoscet quoquè homines spontanea mala habere.
Miseri qui bona propè præsentia neque inspiciunt,
Neque audiunt. Malorum verò solutionem pauci intelligunt.
Talis sors hominum lædit mentes. illi verò cylindrorum instar
Modò huc modò illuc feruntur, infinitos habentes dolores.
Tristis enim comes lis nocens latuit
Congenita: quam admittere non decet, sed cedendo fugere.

Σύμφυτος porrò hoc loco ἔρις, lis, concupiscentia, quæ assiduum cum ratione bellum gerit, idcircò dicitur, non quòd nobis ingeneratam esse velit, sed nobiscum generatam, à nobis tamen separatam, sic vt eam vitare possimus. Annotat Hortibonus in eundem locum. Hæc scilicet scelerum officina est, hæc omnium, vt quidam ait, panegyris malorum, postquam oppressa hominis libertate, fugatis præsidijs, peccati proditione tyrannidem occupauit. Idem priuatim Seneca de obscœna libidine docet in Octauia act. 2.

Seneca.

Quid, vnde, & quo alatur obscœnus amor.

Volucrem esse amorem fingis, immitem Deum,
Mortalis error, armat & telis manus,
Arcúsque sacros miscuit sæua face;
Genitúmque credit Venere, Vulcano satum.
Vis magna mentis, blandus atque animi calor,
Amor est; iuuenta gignitur; luxu, otio
Nutritur, inter læta fortunæ bona.
Quem si fouere atque alere desistas, cadit,
Breuique vires perdit extinctus suas.

An verè Deus homines ad malum incitet? Et quo pacto?

QVÆSTIO XC.

Si Dominus incitat, &c.

Sanctus Augustinus de Manichæis loquens in lib. de vtilitate credendi, tom. 6. Sæpe, inquit, in hac quæstione auditores erigunt ad quærendum, sed ea docent excitatos, vt vel dormire semper satius sit, quàm illo modo euigilare. De lethargicis enim phreneticos faciūt: inter quos morbos, cùm sit vterque plerunque mortifer, hoc tamen interest, quod Lethargici sine aliena vexatione moriuntur, Phreneticus autem multis, & ijs potissimùm qui volunt subuenire, metuendus est. Nam neque Deus mali autor est, nec eum quicquam fecisse pœnituit, nec vllius commotionis animi tempestate turbatur: nulla flagitia vel scelera probat, aut imperat, nunquam mentitur. Et idem rursum 83. Quæst. 3. & 4. Nullo sapiente autore fit homo deterior. Non enim parua ista culpa est, imò tanta est, quæ in sapientem quemuis hominem cadere non queat. Est autem Deus omni sapiente homine præstantior. Multò minus igitur Deo autore fit homo deterior: quod vitium si longè abest à Dei voluntate, vt ratio docet, in quo sit quærendum est. Vt sit homo deterior, aut in ipso causa est, aut in alio aliquo, aut in nihilo. Si in nihilo, nulla causa est. Aut si ita accipitur in nihilo, quod homo ex nihilo factus est, vel ex ijs quæ ex nihilo facta sunt, rursum in ipso erit causa, quod eius quasi materies est nihilum. (Hoc dicere videtur: Si quis dicat illud esse vitium materię, vt asserit Max. Tyrius in Serm. materies ante formam in rerum natura nihil est.) Si in alio aliquo: Vtrum in Deo, an in quolibet alio homine, an in eo quod neque Deus, neque homo sit. Sed non in Deo, bonorum enim Deus causa est. Si ergo in homine, aut vi, aut suasione. Sed vi nullomodo, ne sit Deo valentior. Siquidem Deus ita optimè hominē fecit, vt si vellet manere optimus, nullo resistente impediretur. Suasione autem alterius hominis si concedimus hominem deprauari, rursum quærendum erit, suasor ipse à quo deprauatus sit: non enim potest prauus nō esse talium suasor. Restat nescio quid, quod nec Deus nec homo sit. Sed etiam hoc quicquid est, aut vim intulit, aut suasit. De vi, hoc respondetur quod suprà. De suasione autem quicquid est, quia suasio non cogit inuitum, ad eiusdem hominis voluntatem causa deprauationis eius redit, siue aliquo, siue nullo suadente deprauatus sit. Hactenus ex Augustino. Qui rursum tomo 7. in Respons. ad articulos falsò sibi impositos, ad art. 10. Detestanda, inquit, & abominanda opinio est, quæ Deum cuiusquam malæ voluntatis, aut malæ actionis credit autorem, cuius prædestinatio nunquam extra bonitatem, nunquam extra iustitiam est. *Vniuersæ enim viæ Domini misericordia & veritas.* Adulteria enim matronarum, & corruptelas virgi-

S. Augustinus.

Deus autor mali nō est.

Voluntas origo mali.

Mala volūtas aut actio Deo nequit tribui.

Psalm. 24.

SI DOMINVS INCITAT, &c.

num non instruere nouit sancta diuinitas, sed damnare: non disponere, sed punire. Quæ mala homines cùm admittunt, suis concupiscentijs & cupiditatibus seruiunt, quas ab illa prima voluntariæ præuaricationis labe traxerũt; cùm autem *declinant à malo, & faciunt bonum, à Domino gressus hominis diriguntur, vt viam eius velit.* Et post aliqua: Non ergo casus ruentium, nec malignitatem iniquorum, neque cupiditates peccantium prædestinatio Dei aut excitauit, aut suasit, aut impulit: sed planè prædestinauit iudicium suum, quo *vnicuique retributurus est prout gessit, siue bonum siue malum.* Quod iudicium futurum non esset, si homines Dei voluntate peccarent. Erit autem iudicium manifestissimè: & omnis homo quem discretio diuinæ sententiæ in sinistra constituerit parte, damnabitur, quod non Dei, sed suam executus est voluntatem. Ibidem in respons. ad art. 13. Nefas est, inquit, Deo ascribere causas talium ruinarum: qui etsi ex æterna scientia præcognitum habet, quid vniuscuiusque meritis retributurus sit, nemini tamen per hoc quod falli non potest, aut necessitatem, aut voluntatem intulit delinquendi. Si ergo à iustitia & pietate quis deficit, suo in præceps fertur arbitrio, sua concupiscentia trahitur, sua persuasione decipitur. Nihil ibi Pater, nihil Filius, nihil Spiritus sanctus. Nec in tali negocio quicquam diuinæ voluntatis interuenit: cuius ope scimus multos ne laberentur retentos, multos autem vt laberentur impulsos. Hactenus S. Augustinus. Itaque, inquit Tertullianus, cùm vtrumq; ex præceptis eius didicerimus, quid velit, & quid nolit, iam nobis est voluntas eligendi alterum sicut scriptum est: *Ecce posui ante te bonum & malum:* gustasti enim de arbore agnitionis. Et ideo non debemus quod nostro expositum est arbitrio, in Dei referre voluntatem, quos vult ipse & velle, qui malum non vult. Et iterum: Non est bonæ & solidæ fidei, sic omnia ad voluntatem Dei referre: & ita adulari vnumquemque sibi, dicendo, nil fieri sine iussione eius: vt non intelligamus aliquid esse in nobis ipsis.

Neminem cogit Dei præsciẽtia.

Tertullian.

Concludit denique quod iam antea Augustinus attigit, si libertatem tollas, & Deum autorem flagitiorum asseras, frustrà Dei iudicium fore. Cæterùm, inquit, excusabitur omne delictum, si continuerimus, nihil fieri à nobis sine Dei voluntate. Ita Tertullianus. Hoc pacto sanè apud Lucianum Sostratus sua scelera excusat, & à Minoë ratione conuicto solui iubetur. Si quis, inquit, vi compulsus ab alio, occiderit aliquem, cùm non possit ei contradicere, vt verbi gratia, si carnifex aut satelles quispiam, alter iudici parendo, alter tyranno: quemnam cædis istius reum ages? Minos. Quem alium nisi iudicem, aut tyrannum? quoniam neque ipsum gladium accusare possumus: subseruit enim hic tanquam instrumentum quoddam, animis atque furori accommodatus illius, qui primò causam hanc præbuit. Sostratus. Rectè sanè ô Minos. Vidésne igitur quàm iniusta facis, dum supplicio afficis nos, qui ministri tantum fuimus eorum, quæ Clotho nobis imperauit. Non enim illud dicere quisquam poterit, quod contradicere, aut imperata detrectare licitum fuerit in ijs, quæ cum omni prorsum vi ac necessitate imperata fuere. Et rursum in Ioue confutato negat Cyniscus iure quemquam pœnæ Minoëm addicere posse. Neque enim, inquit, quicquam nos homines animo voluntario facimus, sed necessitate, quam vitare nemo possit compulsi: si tamen vera sunt illa quæ ante confessus es, nempe Parcam esse omnium rerum caussam. Iam si quis alterum peremerit, Parca in culpa est, quæ admisit parricidium. Si quis sacrilegio deorum fana compilauerit, facinus à Parca sibi iniunctum admisit. Quocirca si Minos rectè vti velit iudicio, multò æquius Factum pro Sisypho puniet, & Parcam pro Tantalo. Quid enim illi iniustè egerunt, quando iussis dicto audientes fuerint?]

Lucianus in Dialogo Minois & Sostrati.

Frustrà iudicium futurum prædicatur, si necessitate non arbitrio peccamus.

Obiectio.

Quid igitur sibi vult Dauid, cùm ait: *Si te Dominus incitat aduersum me?* cur Deum toties cum hoc loco, tum superiore cap. 24. iudicem vindicémque appellat, si fortè eundem credit iniuriæ autorem? Non enim Deum caussæ cognitorem optare, sed reum potius citare debuit: aut si vlla Numinis reuerentia moueretur, querelas suas silentio premere. Abisai sanè, cùm Semei maledicentissimum obtrectatorem iamiam peremptурus esset, ob eam causam à Dauide est prohibitus. *Dimittite eum, inquit, vt maledicat: Dominus enim præcepit ei, vt malediceret Dauid: & quis est, qui audeat dicere, quare sic fecerit? Dimitte eum, vt maledicat iuxta præceptum Domini.* At hic contrà sæpius Deum vlcisci suas iniurias, séque periculo eximi postulat: Regem autem diuini iudicij formidine terret, & à nocendi studio reuocat. Quo pacto autem vindicem sperare potuit, quem autorem facinoris & iniuriæ caput agnosceret? *Si Dominus te incitat.* Talis quispiam vno verbo Græcis θεοβλαβής[?], tanquam diuinitus ira percitus, aut à numine furore aduersus aliquem afflatus. Verùm si Deus voluntati vim afferat, quicquid inuita deliquerit, citra culpam erit: nec damnari iure poterit, cùm videri non possit officio defuisse. An fortè ita commodiùs Dauidis mentem interpretabimur, si dicamus, non aliter Deum instigare intelligi oportere, quàm cùm incitantem dæmonem non prohibet, nec vires gratiámque tribuit, quibus tentatoris impetus retundatur. Postquam enim velut quassatam ariete virtutis arcem peccati machina perculerit, tum velut acta præcipiti ruina misera mens in omne flagitium mergitur. Quam calamitatem tametsi turpitudo vitæ superioris asciuit, quoniam tamen illam iuris arbiter Deus infligit, & peccantes gratiæ suæ, quam repudiarunt, præsidio destituit, idcirco eos in scelera & fraudes, quò suopte pondere ruunt, præcipites agere dicitur. Haud aliter quàm si quis barathro imminens labentem quempiam fulciat, ac deinde morsu ab eo appetitus, vnguibúsque laceratus, manum oneri subducat, isque mox à gurgite sorbeatur. Et si namque is sua culpa corruit, & suo ipsius pondere depressus est, si qui tamen procul cadentem spectarent, nec vim ab eo fieri conspicerent, crederent eius, qui prohibere potuit, studio perijsse. Reuera tamen neuter ruinæ

2. Reg. c. 16.

Suidas.

Quo pacto malos Deus incitet.

SI DOMINVS INCITAT, &c.

ruinæ occasionem dedit, sed tota penes ruentem culpa est. Deus autem idcirco etiam à sanctis sponte peccantes impellere dicitur, quò eiusdem auxilium studiosius imploret, qui potest collapsos iacentésque denuò excitare.

Quæ vis homines ad peccãdum impellat.

Quæcunque ea vis est quæ flagitioso homini peccãdi necessitatem affert, tota ex voluntate pendet; non quæ hoc tempore libidini vtcunque reluctatur, sed quæ iam olim peccato consensit, & nequitiæ habitum induit, cuius post lapsum mancipium esse cœpit: *qui enim facit peccatum, seruus est peccati.* Aut certè veteratoris illius est, qui, cùm primùm aditus patuit, tam densas tenebras mentibus offudit, vt deinceps caligine cæcas, & diuinæ gratiæ luce orbatas, minimo negotio in fraudem inducat.

Tertull.

Diaboli opus vnum est, inquit Tertullianus, tentare quod in te est, an velis. At vbi voluisti, sequitur, vt te sibi subigat, non operatus in te voluntatem, sed nactus possessionem voluntatis.

S. August.

Et S. Augustinus lib. citato in respons. ad art. 15. Qui à fide, ait, & sanctitate exciderunt, sicut voluntate prolapsi sunt, ita voluntate non surgunt, & dominatum concupiscentiarum quibus succubuerunt, sponte patiuntur. Et rursum post alia: Qui se à Deo auertit, ipse & velle quod bonum est, posse sibi sustulit.

S. August. de Gratia & Libero arbitrio cap. 20.

At longè manifestius idem S. Augustinus, & quod in Saulem melius quadrat, in lib. de Gratia & libero arbitrio ad Valentinum, tomo 7. Scriptura diuina, inquit, si diligenter inspiciatur, ostendit non solùm bonas hominum voluntates quas ipse facit ex malis, & à se factas bonas in actus bonos, & in æternam dirigit vitam; verumetiam illas quæ conseruant seculi creaturam, ita esse in Dei potestate, vt eas quò voluerit, quando voluerit faciat inclinari, vel ad beneficia quibusdam præstanda, vel ad pœnas quibusdam ingerendas, sicut ipse iudicat occultissimo quidem iudicio, sed sine dubitatione iustissimo.

Alia interpretatio, quod Deus habeat in sua potestate volũtates hom. & quò vult inclinet.

Nam inuenimus aliqua peccata etiam pœnas esse aliorum peccatorum, sicut sunt *vasa iræ, quæ perfecta dicit* Apostolus *in perditionem:* sicut est induratio Pharaonis, cuius & causa dicitur ad ostendendam in illo virtutem Dei, &c. Subinde verò Semei conuicia, & maledicendi libidinem expendens, & de eadem Dauidis sententiam referens, qui autore Deo obtrectatorem in se inuehi testatus est, cùm diceret: *Dixit illi Deus,* explicationis gratia attexuit: Quomodo dixerit Dominus huic homini maledicere Dauid, quis sapiens & intelliget? Non enim iubendo dixit vbi obedientia laudaretur, sed quod eius voluntatem proprio vicio suo malam, in hoc peccatum iudicio suo iusto & occulto inclinauit, ideo dictum est, *dixit ei Dominus.* Nam si iubenti obtemperasset Deo, laudandus potius quàm puniendus esset, sicut ex hoc peccato postea nouimus esse punitum.

2. Reg. 16.

Non iubẽdo Deus malum imperat, sed dicit: & quid sit dicere.

Interpretatur autem hoc loco *dicere* cor eius malum mittere vel dimittere. Et addit: Ecce quo modo probatur Deum vti cordibus etiam malorum ad laudem atque adiumentum bonorum. Sic vsus est Iuda tradente Christum: sic vsus est Iudæis crucifigentibus Christum. Et quanta inde bona præstitit populis credituris? Qui est ipso diabolo vtitur pessimo, sed optimè ad exercẽdam & probandam fidem & pietatem bonorum, &c. Et rursum c. 21. sequenti: Quis non ista iudicia diuina contremiscat, quibus agit Deus in cordibus etiam malorum hominum quicquid vult, reddens eis tamen secundum merita eorum? &c. Iterum autem post aliqua, Agit, inquit, omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, vt per eos agat quod per eos agere ipse voluerit, qui omnino iniustè aliquid velle non nouit.

Deus agit in cordibus hominum motũ voluntatis eorum.

Post hæc complura Scripturarum testimonia laudat, quibus ea veritas asseritur. Per Ezechielem prophetam, inquit, dicit Deus, *Et Propheta si errauerit, & locutus fuerit, ego Dominus seduxi Prophetam illum, & extendam manum meam super eum, & exterminabo eum de medio populi mei Israel.* Scriptum est Prouerbijs Salomonis, *Sicut impetus aquæ, sic cor regis in manu Dei, quocunque voluerit declinabit illud.* Et in Psalmo centesimo quarto legitur dictum de Ægyptijs, quid eis fecerit Deus i. *Et conuertit cor eorum, vt odissent populum eius, vt dolum facerent in seruos eius.* In literis etiam Apostolicis videte quæ scripta sunt, in epistola Pauli ad Romanos, *Propterea tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam.* Item paulo pòst, *Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ.* Item paulò pòst, *Sicut non probauerunt Deum habere in notitiam, tradidit illos Deus in reprobam mentem, vt faciant quæ non cõueniunt.* Et ad Thessalonicenses in epistola secunda ait de quibusdam, *Pro eo quod dilectionem veritatis non receperunt vt salui fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris vt credant mendacio, vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt falsitati.*

Ezech. 14.

Prouer. 21.

Ad Rom. 1.

2. ad Thessal. 2.

Postremò concludit: His & talibus testimonijs diuinorum eloquiorum, quæ omnia commemorare nimis longum est, satis quantum existimo manifestatur, operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocunque voluerit, siue ad bonum pro sua misericordia, siue ad mala pro meritis eorum, iudicio vtique suo aliquando aperto, aliquando occulto, semper autem iusto. Fixum enim debet esse & immobile in corde vestro, quia *non est iniquitas apud Deum.* Ac per hoc quando legitis in literis veritatis à Deo seduci homines, aut obtundi vel obdurari corda eorum, nolite dubitare præcessisse mala merita eorum, vt iustè ista paterentur: ne incurraris in illud prouerbium Salomonis, *Insipientia viri violat vias eius, Deum autem causatur in corde suo.* Denique Potens est inquit Deus, siue per Angelos vel bonos vel malos, siue quocunque alio modo operari in cordibus malorum pro meritis eorum, quorum maliciam non ipse fecit, sed aut originaliter tracta est ab ipso Adam, aut creuit per propriam voluntatem.

Deꝰ operatur in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates siue ad bonum, siue ad malum: & quomodo.

Quorsum igitur, inquies, Dauid suas iniurias cum Saule expostulat, aut Deum iudicem appellat, sacrificijsúe suadet inditum à Deo furorem piari oportere. Triplici ratione Dauid hoc facere videtur. Primùm, quod scelerati, tametsi à Deo libidinum suarum stimulis agantur præcipites, sponte tamen scelera suscipiũt,

Si Dominus incitat, &c.

nec vis vlla, quæ cogat, eorundem voluntati afferatur. Probat enim ijsdem duobus cap. 20. & 21. Studiosissimè S. Augustinus, ijs, qui à diuina iustiria exagitentur, libertatem non eripi: sed etiam tum cùm vehementius furunt, eosdem pollere arbitrio, quo se totos in nefarias & obscœnas cupiditates ingurgitant. Quamobrem iure merito de ijsdem conqueri possumus, vt qui sponte noceant: & Deus in eosdem supplicio animaduertere, quod propriæ voluntatis vitio ac pertinacia sunt promeriti.

1\. Malis arbitrij libertas non eripitur.

2\. Altera ratio est, quòd non aliunde manat is furor, & erumpit in aliorum perniciem, quàm ex prioris delicti venenata scaturigine, quæ mentem animumque sua cōtagione corrupit. Non enim Deus bene se habenti nequitiæ virus instillat, sed infectam iam & perditam occultam luem prodere cogit, eóque velut instrumento atque materia, ad probandam bonorum constantiam, malorum autem exaggerandam improbitatem abutitur, quô malorum periculo eius misericordia simul & iustitia clarius elucescant. Ex quo sequitur, vt non abs re eos à quibus lædimur, querelis nostris fatigemus, aut etiam ad pœnitentiam cohortemur: si quidem peccati fomite ex incto, statim incendij flamma concidet.

3\. Tertio denique idcirco autor est, & Sauli consulit, vt Dei iram sacrificijs leniat & mitiget, quòd idem nemini ad resipiscentiam aditum obstruxerit: sed peccatores iusserit, si se ad meliorem frugem recipiant, gratiæ cum Deo reconciliationem sperare. Verumenimuerò, vt docet S. Augustinus, Si qui captiuitatem suam gemunt, & iudicantes semetipsos, ad misericordiam Domini mutato corde confugiunt, non sine spiritu diuinæ visitationis hoc faciunt. *Hæc* enim *est mutatio dexteræ excelsi*, qui innumeris lapsis dat pœnitentiam, vt resipiscant à laqueis diaboli, à quo captiui detinebantur ad ipsius voluntatem. Nemini autem Deus correctionis adimit viam, nec quemquam boni possibilitate dispoliat; quia qui se à Deo auertit, ipse & velle quod bonū est, posse sibi sustulit. Deinde, inquit idem Augustinus lib. quinto contra Iulian. Pelag. capite tertio. An oblitus es quod idem ipse doctor (Apostolum se dicere intelligit 2. ad Timoth. 2.) ait, *Ne fortè det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant à diaboli laqueis?*] Sanè qui remedijs à se institutis nos sinit vti, speratam salutem quam externa symbola promittunt, videtur polliceri.

S. August. in respons. 15 ad artic. falsò sibi impositos.

Odoretur sacrificium.] Id est, inquit Salianus ad annum mundi 2978. num. 22. acceptum sit ei quod agis, ac si id esset sacrificium in odorem suauitatis, ita Caiet. & Sa: vel vt Lyra patientia mea in persecutione ista, sit accepta coram Deo, ac si offerrem holocaustum ad altare ipsius; & melius, quia persequutio Deo grata esse non potest, sicut patientia. Optimè Abulensis, Præsto sum ad mortem subeundam, quasi victima Deo consecrata in odorem suauitatis. Quæ vox eximiæ perfectionis est, ac meriti singularis, hominis vltrò admittentis aduersa omnia, ipsámque adeò mortem, ad diuinam voluntatem exequendam. Hæc Salianus. quorum ego probo nihil præter piam & religiosam conclusionem. Non videntur autores sui Dauidis mentem assequuti. Non vtique Caietanus & Sa: neque enim Dauid Saulem, quà cœperat vt pergeret, hortari voluit, siquidem moliendæ necis suæ Deum autorem habere se crederet; quinimò, siue delatorum calumnijs instinctus id faceret, siue Deus ipse sponte currenti calcar adderet, diuini iudicij periculum identidem Sauli denuntiat. Non Lyranus. Neque enim hoc loco Dauid patiētiam suam prædicare studuit, sed Regem à maleficio deterrere, docerìque modum, quo superet sui furoris impetum. Non denique Abulensis: falsum est enim eundem Regiæ libidini dedere se velle, tametsi Rex ita iudicet, instigari se à Deo ad cædem illius, ad quem ne reconciliata quidem gratia & blandè inuitatus se recipere voluit, malens hinc ad infensos sibi Palæstinos diuertere, quàm toties apud Saulem periclitari.

Salianus. Variæ huius loci interpretationes.

Odoretur Dominus, &c.

Alij hunc locum ita interpretantur, vt ex duabus personis Dauid dilemma colligat. Aut Deus te huc impulit, inquit, aut certè homines. Si Deus propter aliquod meum facinus, quod clam te est, voluerit ita me affligere, *odoretur sacrificium.* Nam ego quidem non sum is, qui non possim peccare. Placetur ergo Deus mihi aliquo sacrificio, siquidem id illi gratum erit: Sin alieno à me animo auersatus fuerit, eius semper & vbique voluntas obtineat. Hanc fere sententiam sequuntur Latini interpretes. Sed hoc videtur esse obtusius. Oportet enim dilemma ferire vtroque cornu. At si Dauid ita dicat, hoc alterum istud cornu retunditur. quare Hebræi sacrificium prudentius referunt ad Dauidem: ac si ille ita dicat: Si peccatum aliquod meum notum sit Deo, non sum animo præfracto, aut impœnitenti: offeram illi sacrificium, quo eum mihi iratum reconciliem, si quidem ille te incitauit. Nam expiando peccato multa erant sacrificia constituta in Leuitico. Et Rab. Salomon ita reddit: Deus accipiet orationem meam, & auertet à me furorem tuum. Quare si quod ego in me peccatum admiserim, quod à te probari non possit, sacrificijs potius quàm armis agendum est. Postquam enim nos auertimur à peccato, Deus minas suas, & flagella remittit. An igitur sacrificandi sibi potestatem fieri postulat, & tacitè Regem perstringit, qui, quòd olim Sacerdotes Domini pro eo consuluissent oraculum, eosdem crudelem in modum iugularat.

Aliorum interpr.

Sed hic occurrit aliqua difficultas, quam non oportet dissimulare. Nam Dauid, cùm ait, *Odoretur Dominus sacrificium*, videtur illis veteribus sacrificijs tribuere vim remittendi peccata, & placandi Deum. Neque id hoc solùm loco significatur, sed etiam sæpè in Leuitico appellantur *sacrificia expiatoria, & pro peccato.* At in epistola ad Hebræos perspicuè legitur, *sanguinem hircorum & taurorum peccati labem delere non posse.* Sed scire debemus, res quadam natura disiunctas, ita tamen Dei instituto inter se coniungi, vt & vocabula, & proprietates inter se communicent. Quid enim distantius esse potest,

ODORETVR DOMINVS, &c.

poteſt, quàm natura diuina eſt humana? Tamen nos verè dicimus, Deum natum, crucifixum, A mortuum: quæ certè Deo non conueniunt, ſed homini: Et viciſſim Chriſtus de humana natura dixit, *Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcẽdit de cœlo, filius hominis, qui eſt in cœlo.* At humana Chriſti natura eo tempore nõ in cœlo erat, ſed in terris. Tamen propter communicationem idiomatũ, Chriſtus eam verè dixit eo ipſo tempore eſſe in cœlo. Ita in Sacramentis ex inſtitutione Dei huiuſmodi coniunctio eſt inter ſymbolum, & rem ſignificatam. Cõſiſtit autem iſta coniunctio non natura, qualis eſt inter Lunam & mare, ſed vt dixi, ex inſtituto Dei, qui nouit res disiunctiſſimas præter naturæ ordinem ſecreta quadam energia atq; efficacitate copulare. Eſt autem ea tanta cognatio, vt, quæ propriè rebus cõueniunt, ea tribuantur ſymbolis: quæque ſymbolis conueniunt, ea viciſſim rebus aſcribantur. B Deniq; Moſaïcæ legis antitypa eandem ſibi prærogatiuam vendicãt. Exempli cauſa. Chriſtus in veterum ſacrificijs adumbrabatur: per eum illi conſequebantur remiſſionem peccatorum. Atque ita ſacrificia illa dicebãtur remittere peccata, quòd ea per Chriſtum remittebantur, qui in illis ſacrificijs varijs ritibus exprimebatur. Ita Paulus dixit, *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus.* Paſcha ſignificat *tranſitum;* eius ſymbolum erat agnus. Ille agnus referebat Chriſtum. Id ergo Paulus tribuit rei, quod erat ſigni. Interdum etiam id ſigno tribuitur, quod conuenit tantùm rei. Vt cùm dicitur: *Erit fœdus meum in carne veſtra.* Non enim illi fœdus, ſed Circumciſionem, hoc eſt, ſignum fœderis gerebant in carne. Hæc regula expediet multa loca C & in Scripturis, & in Patribus.

Qua ratione veterum ſacrificia peccata delerent.

Potior ſententia.

Portò quòd ad huius loci explicationem attinet, tametſi poſterior ſententia non paucis arrideat, ſequar tamen potius Sept. Interpr. autoritatem, qui munus hoc ſacrificãdi à Rege exigi interpretantur. Ὀσφρανθείη, inquiunt, ἡ θυσία σου, *victima tua fragret & redoleat.* Sed enim cùm duo prius impedimẽta obſeruaſſet, quæ gratiæ cum Rege reconciliationem interpellarent; ne quid etiam deinceps pacem moretur, vtriq; incommodo commodè remedium parat. Nam ſi Deus hanc nobis moleſtiam exhibet, ſacrificio placa, vt furere deſinas. Sin homines tibi negotiũ faceſſunt, vtique ignorare non potes quo loco tibi habendi ſint, cùm tales Deus odio proſequatur. Itaque hoc ſibi vult Dauid, *Si te Dominus,* ô Rex, incitat, ſi te verba illius inſtigant & impellunt in meam perniciem, quòd renunciarit tibi Samuel abrogatum eſſe imperium, & deſignatum ſucceſſorem: aut certe à te prouocatus inobedientiâ clanculùm ſtimulos admouet, teque furore concitat, vtere paratis ab eo præſidijs, téque ad religionis cultum reuoca: ſacrificijs, ſi quando in eius offenſionem incurreremus, iram ſuam mitigari poſſe docuit. Sacrificiorum autem alia ſunt, inquit Suidas δωροφορικά, quæ donum aliquod offerunt Deo. Alia ἀπολυτρωτικά, quæ redemptionis atque à malo liberationis cauſa fiunt. Alia vero ἱλαστικά, quibus oblatis cum Deo quodammodo colloquimur, dum ſcilicet eum precamur, vt quæ petimus,

Suidas in voce θυσία.

nobis largiri velit, aut certè diuinarum rerum cõtemplatione paſcimur. VVolfius legere maluit ἱλαστικά, expiatoria, per quæ nobis iratum Deum placare ſtudemus. à verbo ἱλάσκω, fut. ξω. Denique ἀποπληρωτικά ſiue expletoria, per quæ vota quæ nuncupauimus, explemus, & quod Deo promiſimus & vouimus, exoluimus ac perſoluimus. Celebrata eſt etiam antiquis κάθαρσις γυναικῶν μαινομένων, luſtratio ſiue expiatio mulierum inſanientium. Theopompus 9. Philippicarum hiſtor. cùm alia multa de Bacide narrat admiranda, tum etiam illud, quod olim Lacedæmoniorum vxores furore percitas luſtrarit, quum Apollo illis hunc expiatorem dediſſet. Ἔθος ἦν ἐν Ἀθήναις, καθαίρειν τὴν ἐκκλησίαν, καὶ τὰ θέατρα, καὶ ὅλως, τὰς τοῦ δήμου συνόδους, μικροῖς πάνυ χοιριδίοις, ἅπερ ὠνόμαζον καθάρματα. Mos etiam fuit B Athenis luſtrare concionem, & theatra, denique populi cœtus, idque paruis porcellis, quæ καθάρματα vocabant, ideſt, luſtralia. Periſtiarchi autem vocabantur qui hæc faciebant, à περιίσχειν ſiue circumeundo dicti. Cùm hæc veræ fidei expertes à dæmonibus ſperarent, cur Saul, qui eſſet veri numinis conſcius, non idem inſtitutis ab eo ſacrificijs adipiſci poſſe ſperaret? Niſi fortè, quod olim Sybaritis contigit horrendum viſu, viſum eſt ei Dei tabernaculum ſanguine ſcaturire: & idem reſponſum timuit, quod illi, cùm oraculum conſulerent poſt cædem, ab Apolline retulerunt.

Sacrificiorum ex fine plura genera.

Cede meis menſis, manibus nam ſanguis adhærens.
Deſtillanſque recens, prohibet tibi limina templi.
Non tibi fata canam: magnæ Iunonis ad aram, C
Muſarum innocuum ſtrauiſti cæde miniſtrum.
Non immortales hoc dij patientur inultum, &c.
quæ prius cap. 22. verſ. 17.

Ælian. Var. hiſt. lib. 3. cap. 43.

Reuera autem ſtatim à Crotoniatis Sybaris euerſa eſt. Illi portò citharœdum vnum ad aram Iunonis interfecerant: Saul complures Domini ſacerdotes à ſacris altaribus abreptos, criminis expertes iugularat. Quid minus ab illis meruiſſe videri potuit?

Odoretur Dominus ſacrificium.] S. Agobardus in eo libro, cui titulum fecit, *de diuinis ſententijs, &c.* Contra damnabilem opinionem putantium diuini iudicij veritatem, igne, vel aquis, D vel conflictu armorum patefieri, hęc habet, quę ad huius loci explicationem pertinent. Si Omnipotens Deus mundi Conditor & Rector, Iudicij veritatem in rebus latentibus per mutuas cædes inueniri voluiſſet, aut permiſiſſet, Sanctus & innocens vir Dauid perſequutori ſuo Saul, non diceret: *Si Deus te incitat cõtra me, odoretur ſacrificio, &c.* Sed potius diceret: Mitte vnũ de tuis, qui congrediatur mecum ſingulari certamine, & probet me reum tibi eſſe ſi occiderit: aut certè: Iube ferrum vel aquas calefieri, quas manibus illæſus attrectem: aut Conſtitue cruces ad quas ſtans immobilis perſeuerem. Cùm autem nihil tale lex diuina vel etiam humana ſanxerit, & vani homines nominent iſta; *Iudi-*

S. Agobard.

Cõtra Vulgarem probationem, quæ dicta eſt olim.

ODORATVR DOMINVS, &c. cium Dei; vnde probari potest Iudiciú esse Dei, quod Deus nunquam præcepit, nunquam voluit, nunquam denique Sanctorum & quorumlibet fidelium exemplis introductum monstratur; quasi omnipotens Deus animositatibus, vel adinuentionibus hominum seruire debeat, aut ipse sibi cótraria agit: vt qui in Lege, & in Euangelio præcepit, vt diligat homo *proximum suum sicut seipsum*, ac si voluntate mutata, &c. quo pacto autem inuestigari debeat docet subinde pag. 190. Æterna, inquit, Dei sapientia, indubitanti fide quærenda est, precibus & lectionibus assiduis obtinenda est, Apostolo Iacobo protestante: *Si quis*, inquit, *vestrûm indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Postulet autem in fide nihil hæsitans, &c.* Cap. 1.

B *Si autem filij hominum, maledicti sunt in conspectu Domini.*] Alterum cornu dilemmatis est. (Pars altera dilemmatis.) Si maleuoli homines & inuidi iram tuam aduersum me calumnijs exacuunt, scias eos esse detestabiles. Itaque debebas eos potius à te repellere, aut saltem assensum sustinere. Inuidi autem illi erant Doeg, & alij, quos Dauid describit in Psalmis: quos ait nihil aliud loqui solitos, quã gladios, ignes, & lanceas. Sed dices, Nonne licet incitare Principem contra scelera, accusando sontes? Licet: modò ne animo maleuolo id fiat. Quisque enim iuuare debet magistratum, quantum potest, vt malum auferatur de medio populi. Et ita videri possunt incitari iusti accusatores à Deo. Sed insontes falsis delationibus opprimere nusquam licet. Isti autem quia mouebantur inuidia, & liuore tabescebant, erant execrabiles, idque non tantum humano iudicio, sed etiam coram Deo. Ita enim scribitur in Deuteron. 17. *Maledictus, qui impellit alium ad peccandum, qui fundit sanguinem innocentem, quique prouocat alium ad idololatriam.*

Si autem filij hominum.] Artabanus eleganter apud Herodotum cum Xerxe loquens lib. 7. (Herodot. Mali consiliarij principes transuersos agunt.) Apud me, Rex, tantundem valet bene sentire per se, & alteri bonam dicenti sententiam accedere: quæ ambo tibi quum adsint, malorum tamen hominũ colloquia te deprauant: quemadmodum mare quod est hominibus omnium vtilissimum, ferunt ab ingruentibus ventorum flatibus non sini natura sua vti. Ego verò cùm ex te malè audiui, non tam meam dolui vicem, quàm tuam, &c. Athenodorum certè Stoicum Philosophum, postquam eius consilijs Octauianus parere cœpit, pessundata Repub. multis exitium attulisse Suidas autor est in Ἀθηνόδωρος. (Suidas.) At quod non solùm falsò delatis noceat clandestina obtrectatio, sed etiam ijs, & quidem maximè, qui fictis criminationibus aurem accommodant, docet pluribus Apollonius apud Philostratum lib. 6. cap. 7. (Philostrat.) Sed quoniam, inquit, Euphrates (Gymnosophistas autem, & eorum principem Thespessioné alloquitur) vobis probabiliter dicere visus est, cùm mores meos calumniaretur, animaduertite quo pacto vos antea sit calumniatus. Mihi enim periclitari non parum is videtur, quem alius quispiam studeat falsis criminibus clanculùm oppugnare. Tametsi enim nihil admiserit mali, odium tamen

A plurimorum suscipiet. Veruntamen neque illi periculorum fore videntur expertes, qui ijsdem faciunt adeundi sui copiam, & aures admouent. (SI AVTEM FILII, &c.) Primùm enim mendaciorum studiosi videbuntur, & veritatis haud satis magnam ratioñé habere. (Quàm pessimè sibi consulant, qui delationibus aurem accómodant.) Deinde leuitatis & inconstantiæ nomine malè audient, vt qui mendaciorum architectis citò fidem adhibeant, quæ solent etiam in iuuenibus vt turpia reprehendi. Inuidi præterea censebũtur, quoniam inuidia calumnijs fauet, eásque sedulò complectitur. Postremò etiam digni de quibus talia ferantur, cùm vnusquisq; quę facit, eadem ab alijs fieri, sibi facilè persuadeat. Quamobrem, inquit, quisquis ita facilè delationibus capitur, clauum Reipub. ne affectet, tyrãnidem enim & democratiam citò excitabit. (Id est, sycophantæ quidem, fex populi, rerum gubernacula ad se rapient: ipse verò ab his instinctus tyrannidem exercebit.) Neque iudicijs præsideat, quãdoquidem veritatem indagare non nouit: Neq; nauim regat, ne statim illam seditio demergat: Exercitui quoq; ne imperet, ne mox ab aduersario propter suam credulitatem in fraudem inducatur: Non denique philosophetur, quoniam de rebus certum iudicium ferre non poterit. Vobis igitur calumniator Euphrates abstulit esse sapiẽtes: quos enim inanibus mendacijs seduxit, quo pacto seipsos sapientiæ fama dignos putabunt? à qua defecisse, & procul abscessisse videntur, qui verisimilia sectari, tantum apud se sycophantijs autoritatis esse voluerũt?

C *Maledicti sunt in conspectu Domini.*] Quî fieri itaque potest, vt ad aures tuas ijsdem pateat aditus? nam illos exemplum Domini autoritatémque sequutus, vltra Gangem & Indum procul amandare debueras. Absit, Rex, à te, neque tantum cuiusquam assentatióni indulgeas; vt quos Deus execratur & odit, illi sese in tuam familiaritatem & amicitiam insinuẽt. (Contra delatores.) Non enim poteris Rex, tantisper dum eam pestem domi ales, optata cuncta mortalibus tranquillitate perfrui. Nam delatores, cùm pacem oderint, & publicè priuatímque ciuium quieti inuideant, turbas serunt, & suspiciones fouent, subiectos terrent, principes insidiarum quas ipsi comminiscuntur, metu exanimant. quis itaque salutis hominum studiosus vota non faciat, vt ea pernicies quamprimùm in vastam solitudinem relegetur? Hæc monstra cùm aliquando Cæsar

D damnasset exilio, & à se abdicasset, Martialis bonorum omnium nomine, tanquam parta victoria pæana cecinit. (Martial. li. 1. Epigram.)

Turba grauis paci, placidæque inimica quieti,
Quæ semper miseras sollicitabat opes,
Tradita Getulis, nec cœpit arena nocentes:
Et delator habet, quod dabat exilium
Exulat Ausonia profugus delator ab vrbe.
Impensis vitam Principis annumeres.

Hoc est, ad cætera quoque eius beneficia hoc adiungas, quod vitã tibi delatore fugato quæstúque imminuto, securam præstat. (Sueton in Domit. c. 9.) De Domitiano loquitur: cuius, vt ait Suetonius, ea vox ferebatur: Princeps qui delatores non castigat, irritat. (Idem in Tito. cap. 8.) Frater eius Titus non ita pridem in foro flagellis ac fustibus cæsos, ac nouissimè traductos

MALEDICTI SVNT, &c.

ctos per Amphitheatri arenam, partim subijci in seruos ac venire imperauerat: partim in asperrima insularum auehi, qualis *Gyaros* nocentium famosa exilijs, quam nonnulli putant pro *Getulis* Martialis Epigram. restituendam. Lectoris esto iudicium. Ludou. Aurel. Legit, *Traducta est betulis, & cœpit arena nocentes.* & sequenti versu *exilium* cum *exitio* commutat, & Tito ascribit, non Domitiano: quæ si probentur omnia, non dubito placere posse correctionem. Mallem *Traducta est Gyaris, accepit arena nocentes.*

Maledicti sunt in conspectu Domini.] Vitio carent huiusmodi maledictiones, quæ iuris & æqui studio intorquentur, non vlciscendi libidine. Prophetæ, inquit S. Thomas, in Scripturis quandoque imprecantur mala peccatoribus, quasi conformantes voluntatem suam diuinæ iustitiæ. Licet hæ imprecationes possint etiam per modum prænuntiationis intelligi. Ita S. Thomas. Dauid autem hoc loco non tam videtur accusatoribus suis malè precari, quàm Regem admonere officij, ne temere delatoribus credat. Nam si quid est quod iuris æquitatem labefactet, cui tuendæ reges à Deo patroni tutoresque adhibiti sunt: ea demum clandestina calumnia est, quam Lucianus *De non temerè credendo calumniæ* ad hunc modum descripsit.

S. Thom 2. 2. quæst. 76. art. 1.

Sancti impijs nonnunquam malè precantur.

Calumniæ descriptio.

De delatione siue calumnia.

QVÆSTIO XC.

Διαβολὴ, inquit, siue calumnia, delatio est ementita odio, clanculum reo, calumniatori credita, delato ad respondendum ac refellendum non admisso. quæ definitio personis, perinde atque comicum argumentum, tribus constat, delatore, delato, & auditore calumniæ. quorum si primi & vltimi mendacia, dolos, iniurias; Alterius autem damna atque pericula perpendas, accuratius intelliges calumniarum cuniculis iustitiæ fundamenta reuelli. Quàm potero breuiter singulorum partibus defungar, quò principes ab ea peste vehementius abhorreât. Omnium autem si lubet, primum producamus in medium, actus principem, & quasi præsultorem, autorem calumniæ. Is quidem quàm minimè bonus vir sit, ignorat nemo. Neque enim quisquam vir bonus aut amico periculum creat, aut infensos sibi falsis criminationibus perdere conatur. Nam viri boni officium est, omnium quidem quoad eius fieri potest beneficijs animos sibi cóciliare, temperare autem etiam ab inimicorum iniuria. Delator contrà, amicos quidem captat insidijs: cum quibus autem inimicitias exercet, illos fraudulentis machinationibus percellere nititur. Ex quibus facilè conijcias, iniustum, sceleratum, impium, in summa damnosum rebus communibus calumniatorem esse. Adhæc iustitiæ pensum æqualitas, &, quod aiunt, ne quid nimis: inæqualitas, & item quod nimium est, iniustitiæ. quomodo ergo delator non iniustus habebitur? Nam qui clanculùm absentem rodunt & insectantur, fugiunt omnem æqualitatis modum; quippe qui

Delator.

A auditorem totum sibi asserunt, aures illius occupant, absenti parant inuidiam & odium conflant, satisfacturum primo aditu ac vestibulo perhibent. quæ sane iniuria præter alias grauissima habetur, vel eorum qui Athenis leges tulerunt, hoc est Draconis Solonisq; iudicio, qui iureiurando Senatum Atheniensem astrinxerunt, vt pari benignitate gratiáque tam reum quàm actorem iudex audiat, dum alterius causam honestiorem intelligat. Scelestum & crudele iudicium esse, si quid statuatur antea quàm cum accusatione cóparata sit defensio. Id verò ex omni parte calumniator molitur, vti cum furore ac vecordia hominis coram quo res agitur, indefensum reum committat, defensurum partes suas clancularia sectione arceat. Adeò enim hoc hominû genus obnoxium est formi-B dini, adeò nihil audet palàm, sed perinde atque qui ex insidijs transuersi hostem inuadunt, ex abdito alicunde specu iaculatur, vt non sit qui contra vel mittere telum, vel manu contendere possit, hostisque ignarus aduersarij, fraudísque nescius pereat. quod profectò minimè fallax indicium est, in calumnia nihil inesse veri, nihil sani prorsum. Nam qui accusaturus quempiam sibi conscius est veri, proculdubio & palàm audet aduersarium incessere, arguere, purgantem crimen ferre: vt in bello, qui iusta acie vincere hostem potest, turpe ducit astu & insidijs certare. Cæterùm quadruplatoris ipsum quoque studium nequaquam facile est, simpléxue, quanquam ita fortasse videatur, sed arte multiplici, solertia peculiari, indefessa denique & accurata diligentia opus habet. Neq; enim noxia fue-C rit calumnia, nisi in speciem similia vero narret: neque temerè cunctarum alioqui rerum dominam Veritatem superauerit, nisi auditorem argumentosa & probabili actione, in summa, mille modis fallat. Principium inuidiæ debet, inter spem metúmque fluctuanti: exitus nihil non miserabile, tragicum, calamitosum habet. Neque enim satis est delatorem præsenti expugnasse calumnia, sed illud in posterum victorem sollicitû habet, ne qua ratione fraudis instrumenta pateant, & oppressi candor & innocentia detegatur. Vt verò etiam hæc illi feliciter succedant, plerunque tamen in alias labitur insidias, & incautus ab æmulis pariter discerpitur. Suspicionibus sanè nunquam vacat, perpetua formidine angitur. Verum, quando-D quidem non tam quærimus quem delator sortiatur exitum, quàm quibus artibus iram Dei prouocet, & sibi maledictionem accersat, præstigiarum eius summam paucis complectamur. Arma illi sunt, quibus nihil tale opinâtes conficit, hypocrisis, & simulatio mutuæ cum eo amicitiæ quem circumuenire studet, fallacia, mendacium, periurium, προσλιπάρησις instare assiduè atque importunè vrgere, perfricta fronte esse, nullo pudore affici, imposturas denique & malitiosas cautiones mille adhibere. Omnium maximè præsens, & longè potentissima assentatio est, calumniæ cognata, imò soror. quippe nemo hominum tam generoso pollet pectore, qui si calumniæ concedat, non idem assentatione vincatur. Hæc foris recti iudicij ceu fun-

MALEDICTI SVNT, &c.

Maledicti sunt, &c.

damenta suffodit, ac subruit. Vt verò nihil calumniator obtineat, sed irrito conatu vanescant scelerata illius stratagemata, an non tibi videtur qui hæc tentare ausus sit, diris & omni execratione dignus?

Sed non intra eum gradum sistit calumniatoris improbitas: delato præterea atque audiēti perniciem parat, & huius quidem animæ, alterius autem corporis machinatur interitum.

Delatoris auditor, siue fautor.

Quî fiat, breuiter expediam. Nam vt primùm de auditore exequar, delator assentatione, suspicionibus, metu, spei ostentatione proditores intus in animo eius sollicitat, qui irruentem adiuuent, portisque reseratis captiuum suæ libidini permittant. Sunt autem proditores quos me dicere intelligo, nouandi cupido, natura humanis ingenijs consita, præsentium item fastidium, sequax eorum animus quorum admiratione capitur. Nescio enim quî fiat, vt omnes amore sui immodico admiratio furtim rapiat, & suspicionibus illectet. Quosdam equidem comperi studio calumniæ adeò suauiter auriculas titillari, vt si pennis blandè confrices. Proinde talibus adiuti socijs calumniatores, cùm intrò irrupuerint, cuncta pro viribus euertunt: nec magno emitur victoria, vbi nemo repugnat, nemo tormentorum vim sustinet, aut iaculis iacula mutat: sed qui auscultat, ipse se sponte sua in manus hostium dedit. Quod vbi contigerit, tum velut oestro in auriculam immisso auditor ignauus excandescit, & amicum veterem impos animi causa indicta iugulat, aut missum facit. Etenim dici non potest quàm instructa sit, quantùmque valeat calumniæ facies, si quando cum cupiditatibus auditoris confli- C ctatur. Sed illud pessimum auditorum genus, postquam se delusos compererint, credidisse pudet, & perinde ac ipsi iniuria affecti sint, quod alienam fraudem non prospexerint, sed se in laqueos induerint: nec mutasse sententiam curāt, nec cum ijs, quos læserint, in gratiam redire. Sic itaque primò calumniator auditorem suum varijs animi perturbationibus torquet & angit. mox amicis infensum reddit. subinde etiam à iustitiæ cultu, & legitimorum iudiciorum regula, traducit ad iniustitiam; vt pote qui cùm prius accusanti studiosè aures indulserit, reo deneget: & præstigijs captus delatorijs, indefensum condemnet. Postremò, quod omniū longè miserrimum est, eò sæpè dat præcipitem, tātisque implicat difficultatibus, vt emer- D gere ad pœnitentiam nolit, aut illata damna sarcire. Atque ita delator, si quem forte nactus erit, qui suis præstigijs fidem habeat: vt maledictus audiat, demum efficiet: hoc est, Numinis quidem contemptor, amicorum autem proditor, iuris & æqui violator, denique qui neque legum sanctitatem curet, neque iurisiurandi religionem quicquam pensi habeat, & quod semel cœpit, in eo scelere obfirmatus permaneat. hæc & plura flagitia delator molitur, si fortè ad accusandum patere clandestinum aditum senserit.

Delati calamitas.

Interim ignarus insidiarum est, qui accusatur. Nam haud aliter qui deferūtur, atque qui captis vrbibus pereunt, dormientes trucidantur.

A Et quod est in primis mirabile, nescius se reum haberi, neque cuiusquam sibi sceleris cōscius, amico candide congreditur, familiariter compellat, facitque pro more, iam ante vndique circumuentus insidijs miser. At ille, cùm sit indole seruili præditus, audit quidem, & summis arridet labris, verùm odit, & clanculùm dentibus frēdit: ac, vt inquit Poeta βυσσόθε ἀρχὰς τὴν ὀργὴν extruit iræ fundamenta. Quo ego homine, profectò nihil iniustius, nihil tetrius existimo, qui admorso labro bilem intus alit, odiúmque dudum conceptum exaggerat, agitque læta & comica facie, verbisque ad hilaritatem compositis tragœdiam meram, & nihil non triste patiētem. Subinde verò ille, cùm sit innocens, oppressus gemit, & deum vindicem implorat: quis putet non auditum iri? *Maledicti sunt*, inquit B dauid, *in conspectu domini.*

Ne bono quidem viro, si delator fiat, temerè credendum est.

Quid si vir quispiam probatis alioqui moribus, & recto ciuilique iudicio præditus, alterum accuset, an ne huic quidem auscultare licebit? Age, inquam, fuitne alius quisquam apud Græcos iustitiæ fama Aristide illustrior? Ille tamen aduersatus Themistocli, contra eum populi animos exacuit, inuidia gloriæ popularis, vt aiunt, vellicatus. Aliàs vir bonus Aristides; verùm homo erat, nec felle caruit, solebátque amare alios, alios odisse. Sunt verò innumera eius generis exempla: adeò naturæ hominum familiare est, hoc errore labi. Quid igitur faciet vir prudens in re ambigua? Sanè opinor quod Homerus in Sirenum fabula docet, perniciosas talium sermonum delicias nauigio prætereat, obturet aures, nec passim aperiat affectui cuipiam obnoxijs. Nihil attinet qualis sit qui accusat, nihil ad rem faciūt alieni mores, nihil accusationis acrimonia: quin eo maiore cura rē discute, quo instructior venit delator: vnaquæq; res suis momētis ac pōderibus accuratè examināda est, & quod vtrinq; argumēta suaserint statuendum. Tum vel odisse vel amare quem diligenter explorauimus, licet. Priusquam id factum sit, calumniæ concedere in primo statim congressu, sanè nimis quàm puerile est, ac indignum viro, longéque à iustitia semotum. Hęc quidem admonitio Sauli, siquidem animum attendere voluisset, impendio vtilis futura erat: sed quando is sua pertinacia exitium sibi peperit, non erit alienum ab officio, lector, exemplo alieni periculi saluti nostræ prospicere.

Qui eiecerunt me hodie, vt non habitem, &c.] Multo enim auro & opibus antecellit patria ad inhabitandum prudenti viro. Nam quod naturæ cognatum est & familiare, nescio quam sui dulcedinem mortalibus in vita præstat. Hęc ille grauis Euripides. Hæc illa nos primùm terra nascentes excepit, fouit, educauit, & si quæ aliunde nobis necessaria essent, quibus parari possent, suppeditauit: quamobrem vitæ huius vsuram eidem acceptam referre debemus. Nec mirum si quæ ab illa sunt, ea nobis extera, tametsi eiusdem generis, gratia atque vtilitate superare videantur. Quippe illis à teneris vnguiculis assueuimus. Vsus porrò & consuetudo complura alioqui molesta futura, grata efficiunt. Siquidem natura rebus sensim se accommodat,

Dulce natale solum.

QVI EIECERVNT, &c.

commodat, séque illis imbuit. In patria primùm viuere didicimus. Inde primùm Solem diemque spectauimus, illic primam auram hausimus: & quæ deinceps ad tuendam vitam necessariò adhibentur, illa nobiscum communicauit. Quæ si mutentur, non rarò valetudinem labefactant. Testatur hoc exul Ouidius lib. 2. Tristium, Eleg. 15.

Peregrinæ regionis incommoda.

Nec cœlum patior, nec aquis assueuimus istis:
Terráque nescio quo non placet ista modo.

Et rursum Eleg. 8.

Ouidius.

Nec cœlũ, nec aqua faciunt, nec terra, nec aura:
Hei mihi perpetuus corpora languor habet.
Seu vitiant artus ægra contagia mentis:
Siue mei causa est in regione mali.
Ut tetigi Pontum, vexant insomnia: vixque
Ossa tegit macies: nec iuuat ora cibus.
Quique per autumnum percussis frigore primo
Est color in folijs, quæ noua læsit hyems
Is mea membra tenet, &c.
Nec melius valeo quã corpore mẽte: sed ægra est
Utraque pars æquè: bináque damna fero.

Addit & alia exulis incommoda, quæ paucis ita complectitur:

Cúmque locos, moré sque hominum, cultú sque sonumque
Cernimus, & quid sim, quid fuerimque subit:
Tantus amor necis est, &c.

Alieni mores scilicet, dispar cultus, & à nostra consuetudine abhorrens, vocis incomperta significatio, exuli non parum negotij facessunt. Deinde torquet patriæ desiderium: quæ si grata est etiam cùm scopulis & incultis sentibus horret, quid cùm amœnitate vincit?

A patria fugio victus & exul ego.
Nec mihi Dulichium domus est, Ithacéue, Saméue:
Pœna quibus non est grandis abesse locis:
Sed quæ de septem totum circumspicit orbem
Montibus, imperij Roma deûmque locus.

Tetigit etiam exules cura sepulcri. Iudæos autem omnium maximè, idque pro magno beneficio habuerunt, si paternis tumulis inferrentur: pro magno supplicio iisdẽ priuari. Quamobrem iussit Iacob, iussit & Ioseph asportari ossa sua ex Ægypto, & maiorum sepulcro in patria condi. Ouidius Eleg. 3. lib. 3. Trist. Vxorem multis orat.

Ossa tamen facito parua referantur in vrna:
Sic ego non etiam mortuus exul ero.

Sed illud ridiculum: ne si quid cineri superfit, etiam post mortem inter barbaros exulet.

Atque vtinam, inquit, pereant animæ cum corpore nostræ:
Effugiatque auidos pars mea nulla rogos.
Nam si morte carẽs vacuas volat altus in auras
Spiritus: & Samij sunt rata dicta senis:
Inter Sarmaticas Romana vagabitur vmbras:
Pérque feros manes hospita semper erit.

Ridiculum plane. At non item illud quod habet Hierocles in Sermone, *Quales in patriam esse debeamus.* Qui nomen, inquit, patriæ imposuit à re ipsa, non temerè πατρίδα patriam nominauit, vocabulo quidem à patre deducto, pronunciato tamen fœminina terminatione., vt ex vtraque parente mixtum esset. Atque hæc ratio insinuat patriam vnam ex æquo duobus parentibus colendam esse. Præferenda igitur omnino est patria vtriuis parentum seorsum: & ne simul quidem ambos maioris fieri, sed æquali honore dignari. Est autem & alia ratio, quæ nõ tantùm æquali, sed maiori etiam quam simul ambos parentes honore patriam afficere monet, neque solùm ipsis eam præfert, sed etiam vxori, & liberis, & amicis, & vt compendio absoluam, rebus alijs omnibus secundum Deos. Alterum velut Deum patriam vocat. Quod si patriæ amor parentum charitatem vincit, & omnes omnium necessitudinum gradus vna patriæ beneuolentia superat, quàm acerbo dolore eos cruciari par est, qui ab ea per vim diuelluntur? Itaque olim Lacedæmone cùm Magistratus per edictum rogasset, si qui vellent pro patria supplicium sponte subire, nobilissimi ciues reperti, qui statim conditionem accipere. At hi ad Regem Persarum profecti, cùm pro legatis violatis pœnas daturos se dedidissent, virtutis ergo seruati sunt. At cùm insuper, vt scribit Serinus, à Rege rogarentur vt secum manerent, & quomodo, inquiunt, patriam relinquere possemus, cuius gratia tantum itineris morituri confecimus? Ne manes quidem & immania tartara antiqui horruerunt seruandæ patriæ gratiâ. Decius vterque se pro ea dijs, vt aiebant, inferis deuouerunt. Curtius in barathrum insilijt, quo pestem ab ea depelleret. Quibus argumentis probare possis, quàm arctè virtus & natura patriam complexæ sint. Ab his porrò seiungi atque distrahi quæ penitus insita sint, & altè visceribus inhæreant, absque grauissimo doloris sensu haudquaquam potest.

Hierocles. Patria parẽtes ipsos charitate superat.

Eximius amor in patriam.

Veruntamen, inquies, (quod olim Musonius in eo lib. quo docuit exilium non esse malum.) Alterum horum esse necesse est, vt vel iure, vel iniuria exules. Quod si iure, quomodo decet & conuenit, vt quod iustum est molestè feras? Sin iniuria, id non nostrum, sed illorum, qui nos expulerint, malum est. quippe per Iouem, inquit, iniuriam facere, quod in ipsis, res est dijs (Ethnicus loquitur) omniũ maximè exosa, impijssimáque: iniuriã verò pati, quod in nos cecidit, tum apud Deos, tũ apud homines æquos, auxilium & curam, non odium commereri existimatur. Sed & Stilpo à Telete dixisse fertur: quibus tandem & qualibus bonis priuat exiliũ, animíne, an corporis, an fortunæ? An iudicandi agendíque dexteritatem aut felicitatem aufert? haud sanè. An fortitudinẽ, iustitia, aut alia quapiam virtute priuat? Ne id quidem. Sed nec vllo fraudat corporis bono. An non æquè licet in aliena terra bene valere, viribus pollere, acutũ cernere, & audire acutè, interdum verò multò magis, quã si in sua terra quis maneat? Fortunæ verò bonis exilium neminem exuit. An non visum est multos cum demum cùm exules sunt facti, potitos fortunæ bonis splendidioribus? An non Phœnix expulsus terra Dolopum ab Amyntore in Thessaliam exulatum concedit?

Exilium defenditur.

Teles de exilio apud Stobæum.

Exilio quidam opes & dignitates consecuti.

Ad Peleum deueni, & me opulentum reddidit.
Multum præterea dedit mihi populum.

Apud Homer. Iliad. 1.

At magistratum exules non gerunt, nec ha-

Qvi eiecervnt, &c.

betur eisdem fides. Quinimò, inquit, Lucinus ille nonne præsidium apud vos tenebat, exul cùm esset ex Italia, summæ apud Antigonum fidei? Nosq; in patria agentes faciebamus quod Licinus imperasset. Hippomedon ille Lacedæmonius, nunc Thraciæ præfectus à Ptolemæo. Chremonides & Glaucon Athenienses, nonne assessores regis & consiliarij sunt, ne prisca tibi referam, sed præsentia? At semper inquilini exules audiunt, & eo nomine traducuntur. Quinimò, vt Cadmus, ita & reliqui vrbium conditores, gentium laudibus celebrãtur, cùm tamen essent omnes inquilini. Hercules ex Argo eiectus, Thebas incoluit. Quo pacto igitur vt virum optimum laudamus, si probrum ducimus esse inquilinum? Lacedæmonij nequaquam hoc vitio cuiquam vertunt & ignominiæ. His ille & longè pluribus exilij molestias Teles depellere nisus est: nec sane frustrà: siquidem relegatio virtutem nulla parte imminuit. Afficit tamen plerosque non leuibus incommodis; qua ratione multatos sontes exilio legimus: neque id supplicium leue habitum. Sanctos tamen & Martyrum choros lætitia voluptatéque potius deportatio & exilium perfundere debet, quàm mœrore contrahere, quandoquidem eo pacto magis ad coronam accedunt, & cum Deo arctiori vinculo copulantur. Verum peculiaris quædam ratio erat, ob quam eiectus Dauid mœrore tabesceret.

Ratio Dauidis querelarum.

Vt non habitem, inquit, in hæreditate Domini.] Dauid molestissimè fert, quod videat, se spoliatum iri hæreditate Dei. Extrudi quidem è terra Chanaan non erat per se tanti. Sed ea terra habuit adiunctam promissionem, & erat quodammodo symbolum coniunctionis hominum cum Deo. Itaque eius possessione deturbari, & aliò ablegari, Dauidi graue, & molestum videbatur: & præsertim quòd sibi videret non alium quam ad impios patere receptum, cum quibus vnà deinceps conuersandum foret. Iudæi enim in illam hæreditatem non ab hominibus missi fuerant, sed à Deo. Et ea de causa Naboth noluit ne Regi quidem Achab patrimonium vendere: & Abraham cùm semel promissionem accepisset, noluit filium suum remittere in Mesopotamiam: cùmque populus iam occupasset Palestinam, Deus omnibus modis prohibuit, ne redirent in Ægyptum: Imò, cum Godolias esset interfectus, & populus vereretur, ne Nabuchodonosor vellet eam cædem vindicare, & iam cogitaret de fuga in Ægyptum, Hieremias quantum potuit reclamauit. Et cum populus abductus fuisset captiuus in Babylonem, & longo post tempore Cyrus illis permisisset reditum, multi autem essent, qui aut propter ignauiam, aut propter cupiditatem, aut propter diffidentiam de Deo redire nollent, grauissimè reprehensi sunt à prophetis. Duplex ratio fuit, vt arbitror, cur olim Deus tantum patriæ studium Iudæis indere voluerit. Prima, ne miscerentur cum Ethnicis, & eorum exemplo ad idolorum cultum pellicerentur. Altera, quod Christus carnem induens eò appulsurus esset, & quæcunque olim patribus pollicitus esset, reipsa posteris exhibiturus.

Vt non habitem, &c.

Elias in Tisbit.

Tertiam, si nugari vacat, & quidem Iudæorum cœcitate dignam Elias ex suo Tisbit suppeditabit. Commenti sunt Rabbini solam terræ promissionis humum ea vi præditam esse, vt futuræ resurrectioni condita corpora seruet, & congrua præparatione apta afficiat. Qui peregrè sepulcrum sortiantur, horum maximum laborem esse, quò per tubos & subterraneos canales, quos *Gilgoul mebilot* vocãt, in Iudaicum solum penetrent. Quamobrem si credere fas est, vt sibi post morté parcerent, tanto studio patres & degere & tumulari in Palæstina optarunt.

Dicentes: Vade, serui dijs alienis.] Non voce quidem, sed factis, dum innocentem vndique vrgent & obsident, nec aliam expediendæ salutis rationem ostendunt. Et quidem rerum aliarum securus Dauid de sola religione cogitat. Hæc illum cura sollicitat & angit. Agros, villas, patrimonium, denique ereptam coniugem haud grauatè obliuiscitur: hoc tantum moleste fert, quòd ad idololatras se recipere cogatur. Id enim perinde erat, ac si quis eum iussisset ire, & deos alienos colere. Antiquior verò apud eum fuit cógressus cum fidelibus ad colendum Deũ, quàm aliæ quælibet opes humanæ. Nam id sæpè testatur in Psalmis: *Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.* Item, *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.* Denique, *Sicut desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.*

Extra Iudæam verus Deus coli haud facilè poterat.

Vade serui dijs alienis.] Quippe, vt scribit Rab. Salomon, qui discedit è Iudæa, velle videtur idola colere. Si enim velit pacatè viuere, necesse est veri Numinis iniuriam patienter dissimulet, & insanas hominum superstitiones susque deque ferat. Deinde verum Deum non potest ritè colere vt velit. *Quomodo*, ait Dauid, *cantabimus cãticum Domini in terra aliena? Super flumina Babylonis sedimus & fleuimus, cùm recordaremur Sion. In salicibus in medio eius suspendimus organa nostra.* Quæ verba, inquit S. Isidor. duplicé sensum habere possunt. Primum quidem, quia Hierosolymis duntaxat & in Iudæa Pascha, & reliquiæ solemnitates locum habebant, & victimis ceremonijsque frequentabantur. Alterum, quasi dicerent: quonã pacto miracula quæ in Ægypto, & solitudine, ac Palæstina contigerunt, quæque etiam aduersus Æthiopes & Assyrios edita sunt, (quo tempore cẽtum octoginta quinq; millia sine pugna & dimicatione occubuerũt) commemorare possumus, cùm præsens captiuitas dictis fidé abroget? quo pacto enim credent pœna canentibus, quum nos victos spectent seruitutis iugo premi? Itaq; non legimus Iudæos exilij lege in sontes vsos; ne non tam in scelera viderẽtur animaduertere, quàm prodere religionem suam. Deus tamen, inquis, cùm diuturna populi cõtumacia offensus esset, eundem procul in Babyloniam amandauit. Sed illi ius fuit statuere in suos quicquid vellet. Non debent autem mali principes hoc exemplo defendere, aut ornare nequitiam suam. Debent quidem imitari Deum, sed in illis rebus, quæ sunt præscriptæ diuinis legibus. Multa enim licent Deo, quæ nobis non licent. Ille cùm vult vlciscitur iniurias: nobis autem imperat,

S. Isidorus Pelus. lib. 3. epist. 51.

Iudæi nusquam sontes extra Iudæam relegarunt.

VADE, SERVI DIIS ALIENIS.

perat, ne vlciscamur. Suos cùm vult, vult autem semper quod iustum est: infidelium libidini permittit: nobis non licet quemquam hæresis aut apostasiæ manifesto periculo objicere. Nefas est itaque sontes, qui Catholicam fidem profitentur, extra Catholicorũ fines exilio relegare. Quamobrem non sine causa Iosephus in sacrilegam Herodis temeritatem animaduertit lib.16.cap.1. Nouam, inquit, legem tulit prioribus dissimilem, quam ipse sancit, vt qui parietes suffoderent, eosdem venire ius esset extra patriam: quod visum est non tam ad pœnam maleficorum spectare, quàm ad dissolutionem patriarum consuetudinum. Seruire enim apud exteros, & diuersam viuendi rationem sectantes, & cogi ad faciendum quicquid illis libuerit, religionem magis lædebat, quàm ipsos conuictos sceleris. Qua de re satis cautum erat in pristinis legum sanctionibus: videlicet, furem quadruplum redderet: quod si non sit soluendo, vendi quidem iubetur, sed non exteris, nec in seruitutem perpetuam, sed vindicandum in libertatem anno septimo. Quamobrem sic vulgò interpretabantur, nouam illam legem iniquam pœnam statuere, & tyrannicum quiddam magis quàm regium sapere, non sine contemptu inueterati iam moris publici: traducebatúrque hoc nomine rex omnium criminationibus inuidiosissimis. Hactenus Iosephus. Qui si cum reliquis eiusdem ætatis indignum cẽsuit reum Iudæum venire in potestatem alterius gentis, quid de innoxio? quid de benemerito censuisset?

Ioseph. Antiquit. Iudaic.l. 16

Vade, serui dijs alienis.] Quid non mortalia pectora cogis

Regni sacra fames?

Ne religioni quidem parcit. Narrat idem Iosephus Antiq. lib.14.cap.3. quo tempore Aristobulus vnà cum sacerdotibus ab Hyrcano & Areta oppugnaretur, statum Pascha incidisse, in quo festo nobis mos est, inquit, multis Deum honorare sacrificijs: quibus quia carebant obsessi, rogauerunt suos tribules, vt accepta quantam postularent pecunia, victimarum copiam sibi facerent: illis verò pactis mille drachmas in singula capita, mox per funem pretium demissum est. Quod cùm illi accepissent, eò, inquit, progressi sunt, vt non seruata fide hominibus, Deum etiam fraudarent debitis honoribus. Verùm statim illorum agros postquam illis sacerdotes malè precati essent, ingens procella populata est. Atqui religionis ac pietatis exẽplũ in re simili ab Antiocho Pio Syriæ Rege & Gentili petere poterant. Nam cùm is quoque antea Hyrcanum Simonis filium Hierosolymis obsideret, & incurrisset in eos dies festum Scenopegiæ, rogatus, religionis gratiâ septem dierum inducias concessit: nec hactenus fecisse contentus, victimas misit magnificas, tauros auratis cornibus, & pocula tam aurea quàm argẽtea referta omne genus aromatibus, quinetiam exercitui ob diei festi lætitiam solenne epulum dedit. quæ res pacis conciliandæ occasio fuit. At nequissimi isti tantum abest vt religioni faueant, vt veri Numinis cultum per vim studeant extorquere mihi, & traducere ad

Sacrilegij ac Religionis exẽpla.

Iodem Ioseph. l. 13. c.16 Antiq

A idololatriam. Vsqueadeóne sæuit regnandi libido, aut tantum potest apud principem perditorum hominum liuor atque inuidia? Atqui Boëmi cùm Vuladislao Iagelloni Polonorum Regi, mox etiam Vitoudo Lituaniæ Duci regnum offerrent, eo nomine tanta spes ab ijs refutata est, quod dicerent religionem sibi esse apud hæreticos regnare. Lege Cromer. de reb. Polon. lib.18.

VADE, SERVI DIIS ALIENIS.

Hæreticis pij Principis imperare noluerunt. Cromerus

Vade, serui dijs alienis.] quanta est hæc iniquitas? Hinc illæ Dauidis lacrymę. Sed, inquies, Dauid ita erat animo forti, vt ad idolorum cultum cogi non posset. Meminit sanè Homerus, & post eum complures alii, Alphei Arcadiæ vrbis fluuii, quæ sita est in Peloponneso, qui statim à fonte in terram mergitur. Deinde rursum ad Lycoam auctior euadit, & per Adriaticum mare, & Siculum, aquis dulcibus & incorruptis in Siciliam ad Arethusam fontem emergit: verùm rarum exemplum est: & plerique minis à proposito deterrentur, aut blanditiis & pollicitationibus ad defectionem sollicitantur. Suidas in voce Θεοδέριχος, Theudericus Afer, inquit, diaconum quendam habebat orthodoxum, quem valdè diligebat & fouebat. Hic verò Diaconus existimans se Theuderico gratificaturum, ab Homousia fide deficiens, Arij sententiam sequi cœpit, non terrore aliquo victus, sed studio placendi Principi. Quod, tamen nequaquam impunè tulit. Theudericus enim hoc cognito, hominem adeò charum statim capite plectendum curauit, dicens: εἰ τῷ θεῷ πίστιν οὐκ ἐφύλαξας, πῶς ἀνθρώπῳ φυλάξαις συνείδησιν ὑγιαίνουσαν; Si Deo fidem non seruasti, quomodo sanam conscientiam erga hominem seruabis? Hæc ille. Verùm Dauid aduersus metum spemque pectus adamantino robore septum habuerit, vereri tamen potuit, ne commilitones haudquaquam pari constantia certarent. Nam & sæpe fit, vt qui videantur fortissimi, tamen vbi ad rem ventum est, succumbant. Vt verò forent omnes fortissimi, nec eorum constantia vllis artibus labefactari posset, eam tamen virtutem nõ à Saule, sed à Deo consequuti erant, vt dignus excusatione videri non posset. Quicquid enim Deus humanis mentibus roboris inserit, hominum oculos latet, nec oblatus fauor ingenio aut arte deprehendi potest. Quamobrem qui insontem discrimini objiciunt, videntur quantum in ipsis est, idololatriam velle promouere. His porrò Scriptura non vno loco malè dicit.

Alphei dulces aquæ maris salsugine non corrumpũtur.

Suidas.

Desertoris fidei pœna.

Et nunc non effundatur sanguis meus in terram coram Domino.] quinto loco Dauid diuini iudicij Regem admonet. Absit à te Rex, vt innocentis sanguinem coram Domino in terram fundas. Domini meminit, quòd nihil eorum quæ à nobis geruntur illum prætereat, & iudicia nostra aliquando ad suum examen reuocaturus sit, vt de iudicibus ipsis quid commeruerint statuat. Subinde etiam terræ mentionem facit, quòd haustus ab ea sanguis Abel parricidam Cain legatur accusasse. Potest etiam hoc referri ad diuinum supplicium, quod impendebat Sauli: vt Dauid ita dicat: Non fundetur sanguis meus frustrà, vt aqua in terram fundi-

Et nunc non effundatur, &c.

tur, quasi res nihili, quæ à nemine curatur. Nam profusus clamabit in cœlum contra te: nec tu tantum scelus impunè feres. Hoc erat Saulem à cæde reuocare. Alij Dauidis istam orationem preces interpretantur, & hunc esse sensum: Ego cùm possem, sanguinem tuum non fudi: Quare obsecro, Domine mi, ne patiare meum à te effundi. Et certè est prouerbium apud Hebræos, Mensuram pro mensura: hoc est, vt quo iudicio quisque statuerit de alio, eodem de ipso iudicetur. *Non effundatur sanguis meus.*] Ex Lege Salica, & antiquissimis Regum nostrorum capitulis, intelligere licet, crimina ferè omnia & supplicia pecuniâ æstimata fuisse; à fundendo sanguine religiosè abstinuisse. Diodorus etiam lib. 2. narrat, Sabaccum Æthiopem Ægypti Regem, capite damnatos nequaquam morte affecisse, sed vinctos compedibus per ciuitates opus facere coëgisse: quæ res non paruo extitit vectigali. Plures enim ex eo seruitio pecunias contraxit: eorum opera multos aggeres construxit, fossas varijs locis opportunas fecit. Ita & pœnæ acerbitatem leniuit, & inutilem atrocitatem in suam & regni commoditatem vertit.

Diodorus.

Egressus est Rex, vt quærat pulicem vnum.] Vltima ratio ducitur ab indecoro. Alienum, inquit, est, ô Rex, à maiestate tua, vt hominem miserum & inopem tanto studio, & apparatu persequaris. Nam ego nec molior res nouas, nec ea gratia aut potentia sum, vt tibi, etiamsi maximè velim, nocere possim. Etiamsi me capias & occidas, tamen id tibi tanto principi non potest esse honorificum. Ego enim, si ad tuas vires conferar, sum instar perdicis aut pulicis. Apud Ælianum lib. 12. Var. histor. cap. 54. Aristoteles Alexandrum excandescentem ira placare volens, & sedare summam indignationem, hæc ad eum scripsit. ὁ θυμὸς, καὶ ἡ ὀργὴ οὐ πρὸς ἴσους, ἀλλὰ πρὸς τοὺς κρείττονας γίνεται. σοὶ δ' οὐδεὶς ἴσος. Excandescentia & ira non erga pares, sed erga suos superiores & potentiores existere solet; tibi verò nemo par est. *Pulicem vnum, perdicem vnum.* Dauid cùm ista dicit, mirificè commendat bonitatem Dei: quæ tanta est, vt etiam infimos quosque, & abiectissimos tueatur. Anceps fere totum diem se cruciat, vt vnum perdicem capiat. Illa interim multis rationibus, & artibus saluti suæ consulit. Quod si postremò capiatur, fructus non potest videri tanti. Hęc oratio Dauidis studium furorémque Saulis vtcunque mitigauit.

Ælianus.

Ira maximè in superiores excandescit.

Sicut persequitur perdix in montibus.] Duæ hîc interpretationes occurrunt, inquit Delrius, quæ ambæ in adagij sensu conueniunt. Sunt qui *persequitur* actiuè sumunt, sensu: sicut ipsa perdix pulices venatur, eos etiam in ipsis montibus persequens. Sed hos, inquit, non sequor. ita Delrius. Quem enim pulicem perdix vestiget ac captet in montibus? Nam si fortè id genus insecti molestissimum perdicibus negotiũ exhibet, cur non illi pulices etiam in aperto & aprico campo venentur? An fortè id genus pulicis hoc loco intelligendum est, quod Ælian. Histor. Animal. lib. 6. cap. 26. describit? Ἡ πιθήκη Pithece, inquit, à quibusdam ὀρειβάτης oribates

Delrio.

Ælianus. Pulex nascens in arboribus.

A vocatur, ab alijs ὑποδρόμος, aut ψύλλα hypodromus, aut psylla siue pulex pilosum animal, quod in arboribus nascitur. Morsum ab eo periculosissimum tremor & cordis dolor sequuntur. Obstruitur etiam vrina & aluus. Remedium ex cancro fluuiatili, quem in cibo sumere iubent. Genus est Phalangij, vt docet ibidem Gillius, quod & Aristoteles pulicem vocat, vtpote paruum, procax, & salax: pithece forsan à figura dictum: oribates à loco, quod in arboribus præsertim montanis, reperiatur: hypodromus, quod sub folijs lateat. Nicander octauum genus phalangij sub folijs Perseæ degere scribit. Aristoteles pulicem lupo comparat. An fortè huiusmodi pulices perdices nostri in montibus aucupantur? Haud temerè crediderim tam dira peste delectari, præsertim cùm B vix vsquam super arboribus sidere memorentur. An potius Lyrano subscribimus, qui hanc auem vulgo *coquin* dictam putat, quæ insequatur muscas, & alias res viles? Sed

Sicut persequitur, &c.

Gillius.

Non placet à Vulgati sententia discedere, qui *perdicem* interpretatus est. Arias quidem vocis etymologiam sequutus, *cantorem* transferre maluit: sed is cantor, vt ferè aliorum testimonio constat, non alius intelligendus est quàm perdix. Hebræis vocatur קורא, id est *Kore*. Santes Pagninus ita dici putat à vocando: addit tamen rationem sibi esse ignotam. Scaliger in Verb. Etymol. pro *Kore*, *Quore* scribit, id est, inquit, καλεῖ, quod vocet pullos. Radix est קרא *Kara*, vocauit, clamauit. Kimhi hoc loco, & Hieremiæ 17. referente Ornithologo פירדיו Gallica voce, id est *perdicem* pro C *Kore* exponit. Rab. Salomon aliàs etiam *perdicem* interpretatur, aliàs cuculum. Chaldæus cum Hebraica voce sono consentit. LXX. tametsi hoc loco *nycticoracem* transtulerint, aliàs tamen cum S. Hieronymo *perdicem* exponunt; vt videre licet Hierem. 17. Quo loco Scriptores Arabici, vel eorũ interpretes, ea de aue *Cubeth* scribunt, quæ Græci de *perdice*. Perdix eodem nomine Latinis nominatur & Græcis: ac vtrisque tam masculino quàm fœminino genere effertur. Nec alia ratio etymologiæ quàm Hebræis, si Dalechampio credimus, ad Plinij lib. 10. Nam κατὰ τὸ πέρδειν perdicem dici asserit, quoniam eum sonum edat, aut volando imitetur. Κακκάβη etiam Hesychio perdix est: vox nimirum ab auis sono conficta, qua ante Hesychiũ D Athenæus lib. 9. cap. 13. Alcmanem quendam vsum fuisse scribit, & à nonnullis etiam dici κακκαβίδας. Cæterùm perdices plerique naturalium rerum scriptores montibus ascribũt. Pierius Valerianus duplex earum genus constituit. Sunt, inquit, perdices aliæ nobiles, aliæ rusticæ. Nobiles longè grandiores sunt, syluásque & saltus plurimùm incolunt: rusticæ arua & segetes peruagantur. Plutarchus etiam de loquacitate commendat in Symposiacis. Athenæus lib. 3. Aristomonem Atheniensem Adriani libertum scribit à patrono solitum dici Atticoperdica, quod est Comœdiæ veteris histrio. Statius in sylua de Psittaco Melioris, perdicem inter eas aues enumerat, quæ discunt humanas voces æmulari.

Pierius.

Athenæus.

Plangat

SICVT PERSEQVITVR, &c.

Statius. Perdices humanas voces discunt æmulari.

Plangat Phœbeius ales,
Auditasque memor penitus dimittere voces
Sturnus, & Aonio versa certamine Pica,
Quique refert ingens iterata vocabula Perdix,
Et quæ Bistonio queritur soror orba cubili
Ferte simul gemitus:

Luscinias postremo loco intelligit, quas Drusus & Britannicus latino & Græco sermone loquentes habuisse feruntur. His statuis perdices annumerat, quæ & linguam in suo genere latiusculam sortitæ videntur, vti Plinius in iis auibus requirit, quæ nostras voces conentur. Itaque non video, etsi dictionis etymologiam spectes, cur hoc loco dubites *cantorem* illum *perdicem* interpretari: nam præter complura testimonia quæ iam antea laudauimus, etiam illud addere possumus, à Grammaticis perdicis nomen à cantus excellentia deriuari. Sic enim in Etymol. legimus dictam παρὰ τὸ περιττῶς ᾄδειν. B Quod ne temerè factum quisquam statuat, docet Ælianus, nonnullas perdices vocis contentione & cantu valere. Ex perdicibus, inquit lib. 4. de Animal. cap. 13. qui vocis contentione & cantu valent, & linguæ facultati confidunt, &c. se minimè dignos credunt, qui ad extruendas mensas capterentur: vnde fit vt cum venatoribus de sua libertate remissius contendant, tanquam sibi consciæ sint ob cantus suauitatẽ seruatũ iri. Athenæus earum quoq. patronum agit, & canendi peritiam multò luculentius commendat. Inuexit, inquit, & Alcman cantus, inuentámque à se & compositam cantionem Caccabidum, vulgari lingua dedit, apertè significans perdices canẽdi magistras sibi fuisse. Quamobrem & Chameleon Ponticus ait, C priscis hominibus repertam ac excogitatam musicam ab ijs auibus, quę in solitudinibus canunt, ad earúmque imitationem institutam fuisse musicis disciplinam.] Hæc ille.

Perdices à cantu commendãtur.

Athenæus lib. 9 cap. 13

Sed iam satis superq; de perdicum cantionibus, ne quis hic malè cantores alios suspicetur denominari aut alias nobis aues venatoresue asciscat, qui & ipsi saltus & montes clamore fatigant, & ære recuruo clangunt, ferásque latibulis exciunt. Nam quod non modò feri, sed etiam cicures pascantur in montibus, cùm alij plures tum vnus omnium disertissimè testatur Nicolaus à Nicolais lib. 2. Nauigat. Orient. l. cap. 8. Agricolæ, inquit, huius insulæ (de Chio loquitur) maximos perdicum greges alunt: in- D terdiu adhibitis custodibus ad vicinos montes ad quærendum sibi victum dimittunt: custodes eas sub vesperam edito sibilo reuocantes simul omnes domum reducunt: & illæ alias sibilo custodum nondum assuefactas, & etiamnum feras comites asciscunt. An verò illic pulicibus insidiantur vt deuorent? Quidni? pamphagas esse volunt, & præter herbas, gramina, fruges, alijs quoque rebus vesci. In Sciatho insula, vt Athenæus autor est lib. 9. cap. 13. cochleas edũt. Aristoteles item 9. Histor. cap. 37. negat limaces reperiri vbi perdices habitent. Sabulum etiam vorant, si Scaligero credimus comment. in p. l. Aristot. de Plantis. Cur post hæc pulicibus parcant? non sunt vtique calculis & glarea duriores. Sed vnde illas habeant in montibus? Ve-

Perdices pascuntur in montibus.

Nicolai.

Perdices pamphagas esse volunt. Athenæus.

A reor ne quod est in antiquo prouerbio, μετρεῖν τὸ ψυλλῆς ἴχνος, *pulicum vestigia metiri* velle videar. Veruntamen quando ita res postulat, si quid alios apud legerim in rem fiet, cur lectori inuideam. Aldourandus lib. 5. de Insectis, cap. 6. cùm alia multa de pulice ex antiquis scriptoribus collegit, tum hoc etiam obseruat, quòd αἱ ψύλλαι præter animalia etiam olera infestent. Theophrastus sanè scribit lib. octauo hist. Plãt. cap. 10. fruges pulicum erosione vexari. In raphanis antea lib. 7. c. 5. pulices nasci docuerat. Plinius etiam pulices napis tribuit lib. 19. c. 10. Apud Anatolium etiam legitur lib. 12. Geopon. à pulicibus brassicas vehementius infestari. Quid si præterea etiam per terram in puluere magno numero habitent, & immundis locis atque desertis incubent? Pulicem à puluere dictum S. Isidorus autumat, quod eo potissimum nutriatur. Generari etiam è puluere Cœlius Calcagnin⁹ docet in Encomio Pulicis. Eius, inquit, ortus admirabilis prorsus, atque humano simillimus, qualem Herodotus ac Diodorus in Bibliotheca ab orbis incunabulo nostrũ descripsit. Humoris enim copia pulueri admista, mox calore subacta, ceu Nilus limo concretus, Sole accedente, tenuissimum atque informem vermiculum gignit, cui subinde rostellum, manus, pedésque succrescunt: nec multo exacto tempore, non modo humi repit (habet enim & pulex suam infantiam) sed quasi adultus iuueniliter exultat. Hactenus Calcagn. At quod etiam pulex in montibus habitet, & puluerulentos saltus & colles occupet, historiæ probat autoritas. Nam in Africa, & potissimum monte Dedes, tanta est huius pestis copia, vt quietem nullam indulgeant, his maximè qui earum improbitatis insolentes eò adueniunt. Plura obseruare non statui, nec earum latibula perscrutari, quod impunè non cederet: sed hoc tandem subductis rationibus conficio; etsi quis hoc loco perdices in montium stirpibus, aut etiam puluere, quo maximè delectantur, & se vice aquæ perluunt, venari pulices interpretetur, haud absurdè facturum.

SICVT PERSEQVITVR, &c.

Perdices venantur pulices in montibus. Aldourandus.

Calcagninus.

Accedo tamen magis ad Delrij sententiam: & arbitror primo loco Dauidem cum pulice, deinde cum perdice conferri, quam venator captat in montibus. Mira est autem illa Regis & pulicis antithesis. *Egressus est*, inquit, *Rex Jsrael, vt quærat pulicem vnum.* Nam rege quidem nihil nouit terra sublimius: pulex, vti paruus est, ita & ab exiguo corpusculo nomen inuenit. Inde enim Græci ψύλλαν appellauere. tametsi aliter Calcagninus sentiat in Encomio, volens à Psyllis dictum, quorum suctum in eliciendo sanguine pulex imitatur; eidem, non hippopotamo, phlebotomiæ inuentum acceptum referens. Cæterùm, tametsi leonibus & vrsis corporis robore longè inferior, non tamen captu facilis, ne regi quidem. Hebræis פרעש *paras* dicitur. Quidam audacius, inquit Pagninus, à radice פרש *paras* deducẽtes, hanc putant insertum, quòd insiliat & excurrat ad depopulandum, & sese expandat ac explicet. פרש *paras* autem vel cum puncto dextro, vel si-

Regis cum pulice antithesis.

Etymologia.

SICVT PERSEQVITVR, &c.

nistro scribitur. Si cum dextro, præter allatam significationem etiam pungere denotat, præsertim in Coniugat. Hiphil. Vnde & פָּרָשׁ *parasc*, eques, quòd equum calcaribus impactis pungat; & פְּרָשׁ *perasc*, aculeus, stimulus. פָּרַשׂ *paras* etiam extendit, expandit significat. Germanis pulex *floch*, Belgis *Vlo*, aut *vloye*, Anglis *à flee*. A volatu, hoc est celerrimo saltu, & fuga, tribus hisce nationibus nomen habere videtur. Nobis *puce*, vti & Latinis pulex, à pulsando pungendóue fortasse dictus est. Vt vt sit, bellè hæc omnia in eundem quadrant. Saltitantem, inquit Dauid, pulicem, ô Rex, persequeris. Nam pulicum lasciuiam & saltus, identidem fugiendo videbatur imitari, haud aliter quàm si perdicem (ita vertit Pagninus) quispiam persequatur. Atqui non sum ego perdix, sed pulex. Vtraque saltitat, vtraque difficilis comprehendi: sed in perdice prædæ spes laborem solatur; capti pulicis nullum emolumentum sperari poterit. Philes autor Græcus,

Capti pulicis nullũ emolumentum.

Philes.

Quid nominando quis vocauerit pulicem,
Num vermiculum, animaculúmne, vel feram?
Ὅτι ἂν ᾖ φαινόμενον, πλὴν οὐκ ἔστ' ἄλλο πλὴν
Δέρμ' αἵματος πλῆρες, ὑπόπουν, &c.
Quodcunque dicamus, nihil quam pellis est
Cruore suffusa, atque suffulta pedibus,
Orisque acuti infesta morsiunculis.

Itaque hoc loco, inquit Delrius, alij illud *persequitur* passiuè accipiunt, *pro perdix persecutionem patitur*. Tã auidè, inquit, me, tanto studio & conatu persequeris, etiam inter abrupta montium & petrarum scabra & glabra, quanta cupiditate & pertinacia perdicem anceps vbi insectatur. Ita Carensis, Lyranus, Abulensis, Caietanus, Vatablus, & alij. quod placet. Quia scriptores Ecclesiastici sæpè pro passiuis quædam deponentia sumunt, vt promereor, *Talibus hostijs promeretur Deus*. Hebræor. 13. 16. vbi plura. Sic hoc loco sumit *persequitur*, & Græcũ καταδιώκει. hoc enim Hebræa & Chaldæa hîc postulant. Perdicis autẽ meminit, inquit idem Delrius, quia vafrum animal sæpè astu fallit, & difficilè capitur, maximè in locis saltuosis.

Persequitur hoc loco passiuè positum.

Quibus artibus, quo astu perdices venatoribus illudant, narrat Plinius lib. 10. cap. 33. Si venator, inquit, ad nidum cœperit accedere: procurrit ad pedes fœta, prægrauem aut delumbem sese simulans, subitóque in procursu, aut breui aliquo volatu, cadit fracta, aut ala aut
D pedibus: procurrit iterum, iam iámque prehensurum effugiens, spémque frustrans, donec diuersum abducat à nidis. Eadem pauore libera, ac materna vacans cura, in sulco resupina, gleba se terræ pedibus apprehensa, operit.] Quid non faciat in saltu, quæ sic tueri se nouit in aprico campo? Eadem antea scripserat Aristoteles lib. 9. cap. 8. histor. Cùm ad nidum quis accesserit, prouoluit sese ante pedes venantis, quasi iam possit capi, atque ita allicit ad se capiendum aucupem eousque donec pulli effugiant; tum ipsa auolat, & reuocat prolem. Idem astus Æliano, Plutarcho, & Athenæo repetitur. Expertum se testatur S. Basilius homil. 8. in Hexamer. & homil. 13. in Exhort. ad Baptis. Callida, inquit, volucris, astuta ac Zelotypa

Plinius.

Perdix haud facile capitur.

Aristoteles

S. Basilius.

A perdix est, malitioséque cum venatoribus in præda agit. Vidi ego, cùm pullos suos videat adhuc ob debilitatem prædæ periculo expositos, sese aucupi ante illos vt prædæ paratam offerre, ita sese vertentem ac gestus dispensantem, vt nec periculo penitus, aut manibus se præbeat, neque item insidianti spem omnino eripiat. Sic itaque illud inter vtrumque versando, occupando, in se retinendo, spatium dat natis ociosè fugiendi, ipsa ad extremum auolat.] Hactenus S. Basilius. Plutarchus easdem docet, cùm venator vrget, docere pullos suos iacere supinos, paleis autem operire se, aut gleba, vt fallant quærentium oculos.

Plutarch. in Gryllo, & de solertia animal.

Sed his omissis quæ studiosè collegit Aldourandus Ornithologiæ lib. 3. cap. 17. Cyrrhæorum duntaxat perdicum admirandum pruden-
B tiam memorabor, quam pios omnes imitari decet, quandoquidem eos improbi omnes velut perdices captent, & eorum ruina & incommodis haud aliter quàm opiparis dapibus delectentur. De his Ælianus histor. Animal. lib. 4. ca. 13. Reliqui perdices, inquit, & potissimùm qui nuncupantur Cirrhæi, sibi conscij, quòd nec ad certamina valent, neque pulcrè cantare sciunt, & si capiantur, futuros se prandiũ his, qui ceperint; naturali quadam machinationis commentatione seipsos macie conficiunt, nimirùm, cùm ab omni alia esca, quæ ad pinguedinem eos perducere queat, se sua sponte abstinent, tum vt ne idonei sint ad hominum mensas, cupide allijs vescuntur: cuius rei experientes, his præteritis, aliò venationem conuertũt.
C Qui verò hoc ipsum ignorant, eos, si facultas sit, capiunt: quicunque autem ipsos captos decoxerit, eorúmque insuaues carnes expertus fuerit, se iam & tempus & operam cognoscit in his venandis perdidisse.] Hactenus Ælianus. Nimirum haud temerè quisquam gratis nocet. aut enim potentiæ inuidet, aut lucrum appetit, aut gloriam sectatur. Quamobrem nusquam tuta virtus, quæ horum aliquid possidet. Tutius obscura delitescit, & paupertatis vallo munita. Quippe scelerati homines neque inopiam captant, neque humilioribus subsellijs insidiantur: denique, si nocendo desperent se posse quicquam proficere, nequaquam ferunt inutili se labore macerare.

Ælianus.

Tropologia.

VERSVS XXI.

Et ait Saul: Peccaui, reuertere fili mi Dauid: nequaquam enim vltrà tibi malefaciam, eò quod pretiosa fuerit anima mea in oculis tuis hodie: apparet enim quod stultè egerim, & ignorauerim multa nimis.

SEquitur præcedentis orationis fructus. Saul videt se teneri medium, nec quicquam esse quod respondeat. Videt indignum esse, eripere illi vitam, à quo ipse bis iam seruatus sit. *Peccaui*, inquit, *stultè egi*. Tibi hoc ipsum debeo, quod

PECCAVI, &c. quod viuo. tu me, si voluisses, occidere potuisses. Expressit hanc Sauli confessionem non lictor, aut tortor, sed Dauidis innocentia. Ea enim ita erat illustris, & perspicua, vt ne à Saule quidem negari posset. Ergo beneficijs, & manifestis innocentiæ argumentis, non autem vi reges ad officium compellendi sunt. *Peccaui* Id si in priuato magni ducitur cùm ingenuè & ex animo culpam fatetur, in rege quanti fiet? Quod si priuato dicere licuit, Peccaui, sit erranti pœna confessio: quàm potiori iure rex veniam consequetur? Equidem etiam Deus confitentibus nobis indulget. Sed quia non satis fore nouerat crimen fateri, nisi qua dederat damna sarciret, *Reuertere*, inquit: exilij legem abrogo, mortis decretum rescindo: recipe te in aulam in qua mecum vnà versari consueueras. Cur probata tam luculenter innocentia tua Regis conspectum fugias? *Fili mi Dauid.*] Blanditur, & filium hoc tempore nominat, qui filiam non ita pridem ademerat, qui alteri in matrimonium collocarat, qui generum abdicarat, qui tanto tempore eius vitæ insidias struxerat.

Nequaquam vltra tibi malefaciam.] Si quem superioris vitæ non fictè pœnitet, eundem melioris vitæ propositum necessariò comitatur. Sic enim maximè voluntatis institutum in melius se commutasse probabit, si contraria his, quæ prius placuerant, designet: si temperet ab iniuria, si beneficijs fauoréque complectatur. *Non vltra tibi malefaciam.* Hæc breuis oratio paucis multa comprehendit: non eripiam agros, non villas, non vxorem, non honores: sed hæc omnia rediens tanquam iure postliminij recipies. Vitam denique tuam sartam tectam tuebor. Et quo dictis fidem faciat, reconciliatæ cum eo gratiæ rationem addit: *Eò quòd pretiosa fuerit anima mea in oculis tuis hodie.* Hoc est, quòd tanti me feceris, vt tuo periculo, quod iam aliàs expertus es, me seruares incolumem. Narratur, inquit Herodotus in Vrania, Xerxem, posteaquam Athenis profectus esset, exercitu Hydarni permisso, nauem Phœnissam conscendisse, vt in Asiam se reciperet: & dum cursum tenet, à Strymonia ingenti vento fuisse exceptum, & eò vehementius tempestate vexatum, quòd nauis referta vectoribus erat, vt pote cùm super contabulationes essent frequentes Persæ qui cum Xerxe vehebantur. Ibi metu perculsum regem cum clamore interrogasse gubernatorem, num qua salus eis esset? Et cùm ille respondisset, here, nulla admodum est, nisi horum vectorum aliqui hinc facessant, & nauim aliquanto pondere leuent. Tum Xerxem eo audito, his verbis præsentes compellasse: Viri Persæ, nunc aliquis vestrum declaret se curam habere regis. in vobis enim sita esse videtur salus mea. Hæc porrò vt primùm dixit Xerxes, illos eo adorato desilijsse in mare, atque ita leuata naui, Xerxem incolumem in Asiam peruenisse. Qui mox vt appulit, gubernatorem quòd se periclitantem seruasset, corona aurea honoris ergo donauit. at statim eundem eorum desiderio victus, qui naufragio voluntario perierant, eundem decollauit. quo

Herodotus

Mira Persarum erga Regem in summo discrimine beneuolẽtia.

A tandem iure quod innoxijs suo consilio exitiũ pepererat. Si reus qui mortis consilium dedit, qui autor extitit, quo pacto innocens habebitur? Cæterùm nõ vulgaris hæc erga regem Persarum beneuolentia: sed quam, vt arbitror, salutis desperatio conciliabat; quippe qui aut citò fluctibus obruta naui perituri erant, aut si fortè euaderent, in littore quæsitissimis supplicijs excarnificandi, si parcere vitæ in tanto regis discrimine visi essent. At verò Dauid cùm Saulem perimere tutò posset, & rebus suis tranquillitatem parare, denuò periclitari maluit, & Regis vim atque insidias experiri, marinis scopulis procellisque longè formidolosiores.

APPARET QVOD STVLTE EGERIM, &c. Postremò Rex eos maximis sibi beneficijs deuinxerat.

Apparet quod stultè egerim, & ignorauerim multa nimis.] Pagninus, *Stultè egi, & erraui valdè.* B Non mediocris hæc in rege humilitas. *Et ignorauerim multa nimis.* Perniciosa res ignorantia, quidam ait, & varijs modis noxia mortalibus, non solùm communi hominum vitæ tenebras quasdam offundere, ac veri cognitionem obliterare solita, sed priuatas quoque singulorum rationes miscens ac perturbans. Quo fit vt perinde atque qui in tenebris errãt, imò haud aliter quàm cœci, iam huc iam illuc impingamus. Quod haud procul nobis, & ante pedes est situm, non videmus: formido est his capi, à quibus etiam quàm longissimè absumus. Denique in rebus humanis nihil tam faustè feliciterque agitur, quod nõ error aliquis interpellet. Hinc sunt innumeræ illæ tragicæ clades, fata Labdacidarum ac Pelopidum, aliæ item aliorum calamitates: ferè enim quicquid malorum scenæ C ac pulpita clamant, ab ignorantia ceu tragico Deo compositum proficiscitur. Illa verò cùm aliàs potest plurimum, tũ noxia est immodicè, si quando in calumnias familiares, & mutua inter se amicorum crimina incidit; per quæ solẽt, & intestinis dissidijs res domesticæ, & odijs ciuilibus vrbes funditus euerti; in natos sæuire parentes, nati parentibus insidiari, frater fratri, amans amanti, amicus item ab amico diuelli, turbari demum omnia calumniæ vafritie. Sed nusquam ea maiores tragœdias excitat, quàm vbi regum mentem occupauit. Itaque cùm alia regna plurima tum etiam Macedonicum, sublato à patre Demetrio, ignorantia pessundedit. Quippe, vt ait poëta, *exinde res ruere, & retro collapsa referri.* Herodis autem familiam, secundis D alioqui rebus florentem, quantis calamitatibus afflixit? Vxorem veneni suspectam, duos filios falsò coniurationis reos per ignorantiam sustulit, séque parricidæ fidei permittens, dum eius machinas ignorat, penè vitam illusit; cuius tametsi dolis præuertere potuit, domesticis tamen cladibus penè in rabiem actus, miserè occubuit.

Perniciosa res ignorantia.

Et ignorauerim multa nimis.] Hoc pacto quoq; Artaxerxes latum de nece Iudæorum decretũ excusat, mutatque sententiam. *Quidam enim,* inquit, *datam sibi gloriam non ferentes, in tantum vesania proruperunt, vt eos, qui credita sibi officia diligenter obseruant, & ita cuncta agunt vt omnium laude digni sint, mendaciorum cuniculis conentur subuertere, dum aures principum simplices, & ex sua*

Reges ignorantiam iuris & facti edictis suis ingenuè fatentur.

Et ignoraverim &c. *natura alios æstimantes, callida fraude decipiunt. Quæ res & ex veteribus probatur historijs, & ex his quæ geruntur quotidie, quomodo malis quorundam suggestionibus regum studia deprauentur, &c. Nec putare debetis, si diuersa iubeamus, ex animi nostri venire leuitate: sed pro qualitate & necessitate temporum, vt reipub. poscit vtilitas ferre sententiam.* Hactenus Assuerus in edicto, in lib. Esther. c. 16. Plerosque reges non puduit quæ male sanxissent, postea rescindere, & ignorantiam publice fateri. Nonnullos iam antea notauimus. Iustinianus (Iustinianus) cùm de alijs, tum de seipso testimonium dicit Nouell. 22. in præfat. Nos autem, inquit, in constitutionũ compositione multa quidem & alia de istis (nuptijs sc.) decreuimus: existimauimus autem oportere nunc cõsilijs perfectioribus causam considerantes etiam quædam corrigere, non aliorum solummodo, sed etiam quæ à nobis ipsis sancita sunt. Non enim erubescimus, si quid melius etiam horum quæ ipsi prius diximus, adinueniamus, hoc sancire, & competentem prioribus imponere correctionem, nec ab alijs expectare corrigi legem. Hæc Iustinianus. quibus reges non tantum facti, sed iuris quoque labi ignorantia demonstrat.

Saul postquam se manifestò deprehensum videt, nec posse contra Dauidem tergiuersari, ad eundem ignorantiæ portum confugit. *Peccaui*, inquit: sed mox peccati causam confert, non in malitiam, aut infirmitatem suã, sed in errorem: vnde autem is natus sit, callide dissimulat. Ex eo autem errabat, quod flagraret odio perdendi Dauidem, & immoderata cupiditate consulendi suis, quibus regnum volebat tradere. Non error eiusmodi, qui totã culpam dilueret. Nam Iacob cum concumberet cum Lia, eam putauit Rachelem esse, & errore excusatur. Genes. quoque 20. cùm Abimelech rex Geraris Saram vxorem Abraham asciuisset sibi, & audisset à Domino, *En morieris propter mulierem quam tulisti: habet enim virum*, is contrà retulit: *Domine num gentem ignorantem & iustam interficies?* Deus autem denuò respondit: *Et ego scio quod simplici corde feceris: & ideo custodiui te ne peccares in me, & non dimisi vt tangeres eam. Nunc ergo redde viro suo vxorem.* Si quis hominem quempiam latentem in dumeto configat iaculo, putans interim esse feram, excusatur. At si quis sciat aliquid iniustum esse, & tamen id errore quoquomodo inductus faciat, eleuari quidem eius factum aliquo modo potest: sed non in totum excusari. Nam ignorantia quidem vtcunq; excusat. Itaque Plato ait, neminem peccare, nisi ex ignorantia. Occupatur enim interdum animus alijs curis, vt id, quod præ manibus est, nõ possit cogitare. Fatetur ergo Saul peccatum quod negare non potuit, Dauidi se machinatum malum; inuidię verò atque odij fomitem, quo eam pestem alebat, pudore victus prodere noluit.

Versvs XXII.

Et respondens Dauid, ait: Ecce hasta Regis: transeat vnus de pueris Regis, & tollat eam.

Versvs XXIII.

Dominus autem retribuet vnicuique secundum iustitiam suam, & fidem: tradidit enim te Dominus hodie in manum meam, & nolui extendere manum meam in Christum Domini.

Versvs XXIV.

Et sicut magnificata est anima tua hodie in oculis meis, sic magnificetur anima mea in oculis Domini, & liberet me de omni angustia.

Ecce hasta Regis, &c. Dauidis modestia.

Ecce hasta Regis: transeat vnus de pueris, &c.] Hæc indicia sunt animi sapientis & moderati. Non enim retinere voluit ista apud se, quasi insignia & trophæa victoriæ, vt posset postea, cùm vellet, de Saule triumphare. Cùm satis iam testatum esset, quo animo esset erga Saulem, id putauit esse satis. Non perinde faciunt qui gloriæ student. Parthi deuicto Crasso signa & Romanas aquilas nequaquam remiserunt. Sylla captiui Iugurthæ in annulo semper præ se tulit imaginem, tanquam in ea re sita foret Reipub. salus. Dauid quæ fortiter sapientérque gessisset, identidem iactare noluit, aut apud absentes de Rege suo insolentius gloriari. Nam eiusmodi iactantia cùm leuis animi argumentum est, tum ijs qui beneficium acceperint, per se odiosa est. Eleganter Martialis lib. 5.

Beneficij frequens commemoratio odiosa est. Martialis.

Quæ mihi præstiteris memini, sempérque tenebo:
Cur igitur taces Posthume? tu loqueris.
Incipio quoties alicui tua dona referre,
Protinus exclamat, dixerat ipse mihi.
Non belle quædam faciunt duo, sufficit vnus
Huic operi: si vis, vt loquar, ipse tace.
Crede mihi, quamuis ingentia Posthume dones,
Authoris pereunt garrulitate sui.

Id verò potissimùm regibus graue & molestum est, si cuiquam suorum debere vitam videantur. quo in genere ostẽtatio non amoris & beneuolentiæ significatio est, sed quædã velut de generis aut ingrati animi exprobratio censetur. Quamobrem ab his etiam in posterum Dauid studuit abstinere. Hastæ autem idcirco priuatim meminit, quod ea vice sceptri, imperij signũ esset; ne, si retinuisset, futuræ potentiæ illo tanquã pignore cauere crederetur. *Et tollat eam.*] Quàm nihil superbè & arroganter, quàm moderatè omnia! Nilus, vt docent historici, æstate crescit, nec iam alueo contentus Ægyptum rigat: reliqui ferè fluuii per hiemem pluuijs niuibúsque solutis intumescunt, & vicinos agros populantur. At verò Ister, vt scribit Herodotus (Herodotus) lib. 4. omnium quos nouimus fluuiorum maximus, semper sibiipsi par tam æstate quàm hyeme fluit. Sic quoque alios quidem res aduersæ deijciunt, alios secundæ supra humanum modum efferunt; non paucos calamitas ita pariter ac furore incendit: Dauid prius quidem Dei benignitate modestè vsus est; nunc postquam

Ecce hasta Regis, &c.

poſtquam eundem ærumnæ premunt vndique, fert tamen humaniter, nec ferro, nedum conuitijs infenſum ſibi Regem violat.

Tertullian. Deus patientiæ ſequeſter, & iniuriæ vindex.

Deus reddet vnicuique ſecundum iuſtitiam ſuam, & fidem.] Adeò ſatis idoneus, inquit Tertullianus cap. 15. de Patientia, patientiæ ſequeſter Deus. Si iniuriam depoſueris penes eum, vltor eſt: ſi damnum, reſtitutor eſt: ſi dolorem, medicus eſt: ſi mortem, reſuſcitator eſt. Quantum patientiæ licet, vt Deum habeat debitorem? Nec immeritò. Omnia enim placita eius tuetur: omnibus mandatis eius interuenit. Fidem munit, pacem gubernat, dilectionem adiuuat, humilitatem inſtruit, pœnitentiam expectat, exomologeſim aſſignat, carnem regit, ſpiritum ſeruat, linguam frænat, manum continet, tentationes inculcat, ſcandala pellit, martyria conſummat: pauperem conſolatur, diuitem temperat, infirmum non extendit, valentem non conſumit, fidelem delectat, gentilem inuitat, ſeruum Domino, Dominum Deo commendat: fœminam exornat, virum approbat: amatur in puero, laudatur in iuuene, ſuſpicitur in ſene: in omni ſexu, in omni ætate formoſa eſt. Hactenus Tertullianus; qui ſicut patientiam iuſtorum multis ornat laudibus, ita haud obſcurè Deum vindicem ſcelerum aſſerit, qui improborum flagitia & tyrannidem, qua ſanctorum patientiam vexant, dignis quandoque ſupplicijs plectat. Horrendè Seneca, & verbis quæ decerent Ethnicum ad terrorem compoſitus, in Octauia, act. 3.

Seneca.

Vltrix, inquit, *Erinnys impio dignum parat*
Letum tyranno, verbera, & turpem fugam,
Pœnaſque queis & Tantali vincat ſitim,
Dirum laborem Sisyphi, Tityi alitem,
Ixioniſque membra rapientem rotam.
Licet extruat marmoribus, atque auro tegat
Superbus aulam, limen armatæ ducis
Seruent cohortes, mittat immenſas opes
Exhauſtus orbis, ſupplices dextram petant
Parthi cruentam, regna, diuitias ferant:
Veniet dies tempuſque, quo reddat ſuis
Animum nocentem ſceleribus, iugulum hoſtibus,
Deſertus, & deſtructus, & cunctis egens.

Iuſtitia bonorum operum, quo pacto Dei, quo pacto etiam hominis eſſe intelligenda ſit?

QVÆSTIO XCI.

Iuſtitia quo pacto Dei, quo pacto etiam noſtra.

DEus reddet vnicuique ſecundum iuſtitiam ſuam & fidem.] Oratio hæc optantis eſſe poteſt, & Deum iudicem appellantis; aut certè eius, qui ea quæ de diuinis iudicijs compererat, enuntiet. Pronomen verò illud, & ad Dei iuſtitiam referri poteſt & ad noſtram. Dei eſt, quia ab illo proficiſcitur, vt alia etiam omnia bona. Eſt etiam noſtra, quia per nos exercetur. Nos quidem credimus, ſentimus, facimus, volumus. Tamen vt iſta faciamus, incitamur, & iuuamur à Deo. Ita tota iuſtitia Dei eſt, tota etiam viciſſim noſtra. Neque enim tanquam de finibus fas nobis eſt litigare cum Deo. Sed boni quicquid in nobis eſt, hoc totum manat à

Deus reddet, &c.

A Deo, *qui*, vt ait Apoſtolus, *operatur in nobis velle & perficere.* Et totum quoque illud noſtrum eſt: quoniam hoc ille nobis contulit, & noſtrum eſſe voluit; vt ſua in nobis dona æqua mercede compenſaret. Hinc Dauid ex eo quod iuſtè ſe geſſiſſet erga Saulem, ſperat Deum id ſibi repenſurum. Nam rex meus erat, inquit: colui vt debui: fecit me tribunum, ſeruaui fidem: erat ſocer meus, obſeruaui vt patrem: Deus eum dedit in manum meam, eum ſeruaui incolumem non ſecus ac meipſum. Ob hæc ergo non abſurdè mercedem ſpero. Sed quo tandem iure? quid enim homo mereri poteſt? Neque enim quiſquam facit, niſi quod debet. quinimo nemo facit quantum debet. quamobrem ſatis cuique fuerit ſi non puniatur. Deinde noſtris viribus nô facimus, ſi quid facimus. Deus

B vnicus architectus eſt: is *in nobis operatur & velle & perficere.* Ille dat nobis & vires, & facultates, & impulſum. Illius ergo ſunt omnia noſtra. Quare Chriſtus optimè monuit, vt, *cùm feceri mus omnia, nos tamen inutiles ſeruos eſſe dicamus. Nihil enim nos feciſſe, niſi quod facere debuimus.* Neque verò iuuatur Deus factis noſtris bonis. Bonis enim noſtris non indiget. Et Iob ait: *Si benefeceris, quid dabis ei*: Poſtremò non obligatur nobis Deus vllo debito. Noſtra enim opera non ſunt eiuſmodi, vt illum poſſint obligare. Etenim, vt ait Apoſtolus ad Rom. 8. Οὐκ ἔστιν ἄξια τὰ παθήματα τοῦ νῦν καιροῦ πρὸς τὴν μέλλουσαν δόξαν, *Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.* Et rurſum ait, *felicitatem æternam gratis dari, non ex nobis.* Et, *ſtipendium peccati eſſe mortem: vitam*

C *autem æternam eſſe gratiam.* Certum eſt tamen mereri hominem, & vitam æternam non falsò quoque mercedem appellari. Quid enim eſt illud, quod mereri dicimus? Reſpectus, inquiũt, inter opus noſtrum & præmium, quod eſt iuſtitiæ commutantis aut rependentis: cuius vi naſcitur obligatio, vt tantum reddatur quantũ accipitur, quantumuis labor & opera cuiuſquam locari ſolet. Atqui ſi bona hominũ opera ſpectes, non qualia humanis viribus effici poſſunt, ſed gratia Dei, & pacti quoque memineris quod rebus pretium ſtatuere ſolet: citò agnoſces iuſtos æternam vitam bonis operibus poſſe conſequi.

Quàm doctè & eleganter S. Auguſtinus in Pſal. 102. Ergo magnus ſum, inquies, ergo lu-

D ctatus ſum. Cuius viribus? Tuis, ſed ab illo ſubminiſtratis. Nam luctaris manifeſtum eſt, & ideo coronaberis, quia vinces. Sed vide quis prior vicerit, vide quis te faciat etiam ſecundò victorem. *Ego*, inquit, *vici ſæculum, gaudete.* Et vnde gaudemus, ſi ille vicit ſæculum, quaſi nos vicerimus? Ita planè gaudeamus, quia nos vicimus. Qui in nobis victi ſumus, in illo vicimus. Ergo coronat te, quia dona ſua coronat, non merita tua. *Plus omnibus illis laboraui*, ait Apoſtolus: ſed vide quid adiunxit, *Non ego autem, ſed gratia Dei mecum.* Et poſt labores omnes expectat ipſam coronam, & dicit: *Bonum agonem certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui. De cætero repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam mihi debet Dominus in illa die iuſtus iudex.* Quare?

Certamus & vincimus aſpirante Dei gratia.

S. Auguſt.

1 ad Cor. 15

2 ad Timoth. 4.

DEVS RETRIBVET, &c.

quia *agonem certaui*. Quare? quia *cursum consummaui*. Quare? quia *fidem seruaui*. Vnde certasti? Vnde fidem seruasti? *Non ego autem, sed gratia Dei mecum*. Ergo & quod coronaris, illius misericordia coronaris: nusquam sis superbus, semper lauda Dominum, &c. Et rursum in Psalm. 144. Vt esses, inquit, quis fecit? Nonne scriptum est, quia sumpsit Deus limum de terra, & formauit hominem? Antequam homo esses, limus eras: antequam limus esses, nihil eras. Sed non de solo isto figmento gratias agas artifici tuo. Audi aliud eius figmentum vbi te fecit: *Non ex operibus, ait, ne fortè quis extollatur*. Sed qui dixit, *Non ex operibus ne quis extollatur*, superius quid commemorauit? *Gratia salui facti estis per fidem*, & hoc vt salui essetis per fidem, *non ex vobis*. & statim iterum: *Gratia facti estis*. Vbi audis gratiam, gratis intellige. Si ergo gratis, nihil tu attulisti, nihil meruisti. Nam si meritis aliquid redditum est, merces est, non gratia: *Gratia*, inquit, *salui facti per fidem*. Et denuo ibidem S. Augustinus: Sed & nos fortasse aliquid fecimus, vt dona Dei mereremur? *Non ex operibus*, inquit, *ne fortè quis extollatur*. Quid ergo? Nos bene non operamur? Imò operamur. Sed quomodo? Ipso in nobis operante, quia per fidem locum damus in corde nostro, ei qui in nobis, & per nos bona operatur. Audi enim vnde opereris bona. Ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Iesu in operibus bonis, vt in illis ambulemus. Denique ait: Merita tua nusquam lactes, quia & ipsa tua merita dona illius sunt. quibus omnibus manifestè S. Augustinus ostendit, & ascribi nobis nonnulla merita, quæ nostra vocat, & labore nostro parantur: nec tamen ea nos iactare posse, quoniam non nostris viribus quodcunque illud est quod Deo gratũ & acceptum est, peperimus, sed illud in nos ipse contulit: quod primùm *velle* dedit, deinde etiam sua gratia *perficere*. Quæ si fortè opem tulit, eritne quidquã quod humana ars efficere non possit? *Omnia possum*, inquit Apost. *in eo qui me cõfortat*.

Ephes. 2.

Sed idem tamen iterum multò luculentius testatur, & habere nos merita bona quibus merces reponatur, & tamen illa ex Dei gratia apta pendere, sine qua ruit meritorũ cumulus, spesq; omnis euanescit. Omnem autem meritorum œconomiam paucis ad hunc modum describit *de Gratia & libero arbitrio* cap. 6. His, inquit, & talibus testimonijs diuinis probatur gratia Dei non secundum merita nostra dari, quandoquidem non solùm nullis bonis, verumetiam multis meritis malis præcedentibus videmus datam, & quotidie dari videmus. Sed planè cùm data fuerit, incipiunt esse etiam merita nostra bona, per illam tamen: nam si illam subtraxerit, cadit homo non erectus, sed præcipitatus libero arbitrio. Quapropter quando cœperit homo habere merita bona, non debet sibi tribuere illa, sed Deo, cui dicitur in Psalmo, *Adiutor meus esto ne derelinquas me*: dicendo, *ne derelinquas me*, ostendit quia si derelictus fuerit, nihil boni valet ipse per se: vnde & ille ait, *Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum*. Putauerat enim suum fuisse bonum,

S. August. Tom 7 de Grat. & lib. arbitr. Post acceptam Gratiam per eam mereri incipimus.

Psalm 26.

Psalm 29.

A quod ei sic abundabat vt non moueretur: sed vt ostenderetur illi cuius esset illud bonum, de quo tanquam suo cœperat gloriari, paulùlum gratia Dei deferente admonitus dicit, *Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem*: *Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus*. Ideo necessarium est homini, vt gratia Dei non solùm iustificetur impius, id est, ex impio fiat iustus, cùm redduntur ei bona pro malis: sed etiam cùm fuerit iam iustificatus ex fide, ambulet cum illo gratia, & incumbat super ipsam ne cadat. Propter hoc scriptum est in Cantico canticorum de ipsa Ecclesia, *Quæ est ista quæ ascendit dealbata, incumbens super fratruelem suum?* Dealbata est enim quæ per seipsam alba esse non posset. Et à quo dealbata est, nisi ab illo, qui per prophetam dicit, *Si fuerint peccata vestra vt phœnicium, sicut niuem dealbabo?* quando ergo dealbata est, nihil boni merebatur: Iam verò alba facta, bene ambulat, sed si super eum à quo dealbata est, perseueranter incumbat. Propter quod & ipse Iesus super quem incumbit dealbata, dixit discipulis suis, *Sine me nihil potestis facere*.

Canticor. 8.

B

Esaiæ 1.

Ioan. 15.

Subinde etiam Apostolum interpretatur scribentem ad Timoth. epist. 2. cap. 4. *Ego iam immolor, & tempus resolutionis meæ instat: Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui*. Ista vtique, inquit, iam merita sua bona commemorat, vt post bona merita consequatur coronam, qui post merita mala consequutus est gratiam. Denique attendite quid sequatur, *Superest*, inquit, *mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex*. Cui redderet coronam iustus iudex, si non donasset gratiam misericors pater? Et quomodo esset ista corona iustitiæ, nisi præcessisset gratia, quæ iustificat impium? quomodo ista debita redderetur, nisi prius illa gratuita donaretur? Sed cùm dicunt Pelagiani hanc esse solam, non secundum merita nostra gratiam, qua homini peccata dimittuntur: illam verò quæ datur in finem, id est æternam vitam, meritis nostris præcedentibus reddi: respondendum est eis, Si enim merita nostra sic intelligerẽt, vt etiam ipsa dona Dei esse cognoscerent, non esset reprobanda ista sententia: quoniam verò merita humana sic prædicant, vt ea ex semetipso habere hominem dicant, prorsus rectissimè respondet Apostolus? *Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Prorsus talia cogitanti verissimè dicitur, Dona sua coronat Deus, non merita tua: si tibi à teipso, non ab illo sunt merita tua: hæc enim si talia sunt, mala sunt: quæ mala sunt non coronat Deus: si autem bona sunt, Dei dona sunt: quia sicut dicit Iacobus Apostolus, *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum, &c.* Nam post hæc pluribus illam Apostoli sententiam, quam ex eius epist. 2. ad Timoth. laudauimus, expendit. Consideremus, inquit, ipsa merita Apostoli, quibus dixit coronam redditurum iudicem iustum, vt videamus vtrum merita ipsius tanquam

C

Pelagianorum error.

D

Iacob 1.

quam

DEVS RETRIBVET, &c.

quam ipsius, id est ex ipso ei comparata, an dona sint Dei. *Bonum inquit certamen certaui, &c.* Quæ omnia idem Augustinus eiusdem Apostoli testimonio ostendit, quomodo idem Apostolus alibi accepta fert gratiæ Dei; sic tamen vt pro iisdem quæ diuina liberalitate adeptus est, asserat coronam iustitiæ sibi esse reddendam. Nam si quem Deus meritis cumulauerit, consequens est, vt merces quoque reponatur. Meriti porrò tametsi solus Deus autor homini esse possit, negari tamen non potest, quin homini, & subiectæ saltem materiæ tribuatur: quam postquam meritis ornauerit, consequenter & iustè facturus videtur si præmio & mercede amplificet. Neque tamen sic Deus cuiuslibet meriti architectus habendus est, vt interim homo desideat, & nullo discrimine iustus ab impio secernatur: quinimo eiusdem *cooperatores sumus*, vt docet Apostolus, *& adimplemus in nobis, quæ desunt passionibus Christi*, id quod sibi alio loco Apostolus arrogat; sic tamen vt intelligat, non tantum quod ex virtute agit, sed quod omnino sit, Dei gratiam esse. Nunquid inquit Augustinus, non corona bonis operibus redditur? Sed quia ipsa bona opera ille in bonis operatur, de quo dictum est, *Deus est enim qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate*, ideo dixit Psalmus, *Coronat te in miseratione & misericordia*: quia eius miseratione bona operamur, quibus corona reddetur. Non enim, quia dixit, *Deus est enim qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate*: ideo liberum arbitrium abstulisse putandus est. Quod si ita esset, non superius dixisset, *Cum timore & tremore vestram ipsorum salutem operamini.* Quãdo enim iubetur vt operentur, liberum eorum conuenitur arbitrium: sed ideo cum timore & tremore, ne sibi tribuendo quod bene operantur, de bonis tanquam suis extollantur operibus. Hæc & multò plura acerrimus ille Dei gratiæ apud homines patronus & assertor August.

Ibidem cap 7.

Ad Philip. 2.

Psal. 102.

Bona opera quæ Deus nos habere dedit, in nobis ipse coronat.

Quæ idcirco paulo fusius retuli, quòd hæreticus interpres flosculos sententiarum eius carptim legens, in euertenda meritorum efficacia tanti viri autoritate potissimùm niti videri voluit, eius doctrinam identidem inculcans, & nonnulla eius pronuntiata, quorum delectum habuit, in medium afferens, quæ per se spectata simpliciores in fraudem inducerent. Cæterùm eius discriminis, quo suam ipse sententiam distinxit, nullam rationem habuit; vt notaret aliam esse hominis, qui solis naturæ viribus niteretur: aliam eius, qui diuinæ gratiæ præsidio fultus esset, vim atque potentiam. Nam prior quidem quantumuislicet remis velisque contendat, diuinam gratiam promereri non poterit. posterior si vires exerat, non solùm gratiæ incrementum, sed ipsam quoque beatitatem præmij loco feret. Sed nec illud quidem, quò in nos calumniam strueret, obseruare voluit, quæcunque tandem merita nostra ferantur, diuinæ beneficentiæ à nobis assignari. Quæ si quis apud Augustinum accuratè perpendat, inueniet, fauere eum Catholicæ sententiæ, nec vsquam operum meritis,

Humana merita S. August. ab operibus bonis sedulò ac religiosè distinxit.

A siue Scripturarum autoritati detrahere.

Secundum iustitiam & fidem.] Iustitia est, vt Iurisconsulti definiunt, constans & perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi. Primum oportet voluntatem esse, ne videatur profici sci ex hypocrisi: deinde constantem etiam, quæ actionem secum coniunctam habeat, ne facilè ab ea desciscat, vt penitus in animo insita videatur. Nam qui facilè ab officio ad inferendam iniuriam traducitur, non tam videtur velle iustitiam colere, quàm nocendi occasionem captare, quod ad iniustitiam pertinet. Et iustitiæ quidem studium Dauid suis moribus luculẽter expressit. At verò Saul perpetua quadam animi leuitate atque inconstantia iniustitiam præ se ferre videtur. Quamobrem, vt verè illud & bellè in Dauidem quadret, cuius innocentiam res gestæ vindicabant à calumnia;

B è diuerso tamen de Saule exponendum est, recepturum cum secundum iniustitiam ac perfidiam suam. *Et fidem.*] Fides autem duplex est. Altera, quæ Dei verbo assentitur, & omnibus, quæ ab Ecclesia credenda proponuntur, fidem habet; quæ etiam, cùm à Spiritu Sancto incitata atque accensa est, & per charitatem operatur, hominem iustificat. Altera, qua stamus constanter pactis, & promissionibus. De ista posteriori Dauid loqui videtur, tametsi cum præcedente coniunctam pariter intellexit. Neque enim posterior sine priore ad promerendam diuinam gratiam aut mercedem quicquam proficit. Ea porrò sequitur iustitiam. Est enim eius fundamentum. Ita enim

C Cicero ait, Fides est fundamentum iustitiæ, hoc est dictorum factorúmque constantia & veritas.

DEVS RETRIBVET, &c.

Iustitia quid sit.

Fides distinguitur.

Et nolui extendere manum meam.] Mirum videri possit, olim Episcopum de Synodi sententia idcirco ab Ecclesiastica communione semotum esse, quod iram remiserit, & iniuriam ijs, à quibus læsus fuerat, condonarit. Eius mihi narrationis autor est S. Gregorius Turon. Histor. Franc. lib. 5. cap. 20. Cùm Salonius, inquit, & Sagittarius, flagitiosi Episcopi, post alia multa scelera, etiam Victorem Tricassinorum Episcopum multis contumelijs affecissent, à Beato Nicetio Archiepiscopo Lugdunẽsi cum Synodo Episcopatu moti sunt. Verùm annuente Rege Guntchramno à Ioanne Papa restituti sunt. ex quo nulla emendatio consequuta est.

D Tamen victoris Episcopi pacem petierunt, traditis hominibus quos in seditionem direxerant. Sed ille recordatus Dominici præcepti, non debere reddi inimicis mala pro malis, nihil his mali faciens, liberos abire permisit. Vnde in posterum à communione suspensus est, pro eo quod publicè accusans, clàm inimicis pepercisset, absque consilio, quibus accusauerat, fratrum: sed per fauorem Regis iterum in communionem receptus est. Hactenus S. Gregor. Ex quo manifestè patet, non quidem Episcopi clementiam damnasse Synodum, aut mansuetudinem censura notasse: sed seruare voluisse iudiciorum ordinem, & præuaricatione accusatori interdicere, præsertim cùm scelera publica publicè vindicari intersit. Erat au-

S. Gregor. Turon.

quamobrẽ quandoque non liceat iniuriam cõdonare.

Et nolui extendere, &c.

tem horum flagitiosa vita, quibus ille clam iudicibus pepercit: non vni duntaxat molesta Episcopo, sed etiam toti perniciosa Ecclesiæ. Quamobrem iure in eos Synodus animaduertere decreuerat, nec actori licere voluerunt, eosdem arbitratu suo è reis eximere, aut communem omnium causam prodere. Alioquin verò non videtur ea animi lenitas quadrare ad amussim Euangelij, quæ sic paucis indulget, vt pluribus officiat. Christus, qui à nobis charitatem tantopere coli instituit, idem quoque iustitiam non mediocri studio commendauit. Prudentiæ autem iudicium est, quid cuique tempori conueniat. Intempestiuam eam tum fuisse Episcopi indulgentiam Synodus iudicauit. At non perinde nobis de Dauide statuendum est. Nam & causa eius agebatur, nec habebat reum sibi obnoxium, quinimò eius ipse potestati addictus erat; nec satis plerisque spectata eius innocentia. Sed & fidei religio qua Regi obstrictus erat, offensio plurimorum qui scelus, non legitimam vindictam Principis cædem interpretaturi erant; Numinis denique reuerentia, cuius vicariam in terris potestatem rex obtinet, Dauidem ab inferenda nece deterrere debuerunt.

Et sicut magnificata est anima tua hodie in oculis meis, ita magnificetur anima mea in oculis Domini.] Æquum postulat postquam id polliceri Dominus dignatus est. *In qua mensura*, inquit, *mensi fueritis, remetietur & vobis. Dimittite & dimittetur vobis. Mihi vindictam, & ego retribuam.* Itaque alibi confidenter ait, *Iudica me Domine secundum iustitiam meam, & secundum innocentiam meam super me.* Quam iustitiam? quam innocentiam? Explicat disertè his verbis. *Domine Deus meus si feci istud, & si est iniquitas in manibus meis: Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis. Persequatur inimicus animam meam, & comprehendat & conculcet in terra vitam meam, & gloriam meam in pulverem deducat.* Non enim ego cùm daretur facultas, inimicum meum vltus sum; non manus attuli; non cædem feci: sed contra perinde seruaui, vt qui rem nactus essem pretiosissimam. Quanti fecerim reipsa probaui. Salutem eius atque incolumitatem meis commodis antetuli, & de vita fortunisque meis periclitari malui, quàm vt eum, qui vitæ meæ parabat insidias, ferro aucuparem. Quod si facere instituissem, dignus viderer qui hostis libidini permitterer. At postquam nihil in me admisi quo deterius haberet, sed colui vt patrem; & quanquam lacessitus ab eo manus abstinui. *Iudica me*, inquit, *secundum iustitiam meam, & secundum innocentiam meam super me.* Non potest Deus fallere fidem aut deesse promissioni suæ: non tamen semper mox vt vocatus est, laboranti subuenit, aut virtuti sua præmia repræsentat: sed iustum sinit maioribus in posterum periculis defungi, aut etiam ad tempus ærumnis obrui, vt ad æternam felicitatem meritis cumulatior emergat. O homo, inquit S. Augustinus in Psal. 35. Operarius es Dei, postea est tempus mercedem accipiendi. Quid iam flagitas mercedem antequam opereris? Si venerit operarius ad domum tuam, nunquid dabis mercedem ante, nisi perfecerit opera sua? Nam peruersum eum existimabis si dixerit, prius accipiam mercedem, & tunc operabor. Irasceris. Quare autem irasceris? quia non habuit fidem homini mendaci. quomodo Deus non irascetur, cùm tu fidem non habeas ipsi veritati? quod tibi promisit daturus est, non fallit, quia veritas est qui promisit. Sed times ne fortè non habeat quod det. Omnipotens est, noli timere, ne non sit quod det. Immortalis est, non timeas, ne succedatur ei. Perpetuus est, securus esto. Si vis in te præsumere tota die operarium tuum, crede & tu Deo tota vita tua: quia vita tua momentum temporis est ad Deum. Hactenus Augustinus.

Psal. 7.

Orat talionis lege secum agi, & meritis suis vicem rependi.

S. August.

Benedictus tu, &c.

VERSVS XXV.

Ait ergo Saul ad Dauid: Benedictus tu fili mi Dauid: & quidem faciens facies, & potens poteris. Abijt autem Dauid in viam suam, & Saul reuersus est in locum suum.

Benedictus tu fili mi Dauid.] Cùm æqua & honesta videretur Dauidis oratio, nec posset eam refellere, aut obiectum crimen diluere, nocendi studiũ non solùm studuit recedendo à se depulisse videri, sed etiam contraria benedictione pensare. Hoc pacto credidit accusantis impetum posse retundi. *Benedictus tu fili mi Dauid.* Precatur Dauidi fausta & felicia: nam benedicere, est bonorum omnium cumulum cuipiam suis votis expetere. Deus autem cùm benedicit, semper auget, aut interpolat beneficium. Neque verò Saul seipsum præ se fert benedictionem impertiri, sed benedictum, vt verisimile est, à Deo Dauidẽ prædicat. Cùm benedicit nos Deus, inquit S. Augustinus in Psal. 66. nos crescimus: & cùm nos benedicimus Dominum, crescimus: vtrumque nobis prodest. Non augetur ille benedictione nostra, nec minuitur maledictione nostra. Qui maledicit Domino ipse minuitur: qui benedicit Dominum, ipse augetur. Hæc Augustinus. Hominis autem benedictio quantum habet meriti, tantum habet & fidei: votum est, oratio est, prolixæ in hominem beneuolentiæ testificatio est: cæterùm per seipsam nihil efficere potest, sterilis est, fructus omnis à Deo expectandus. Principis autem etiam mali idcirco benedictio magni ducenda est, quòd eam vice Dei conferre videatur. Quod etiam de Sacerdote atque propheta pariter sentiendum est. Itaque cùm olim Balaam, vt male precaretur populo Dei, à Balac rege Moabitarum mercede conductus esset, tametsi erat is impius, quia tamen propheta erat, filijs Israel dici ab eodem malè noluit, sed contra bona omnia optare iussit ac vaticinari.

Benedictio Domini.

S. August.

Principis etiam mali benedictio magni ducenda est.

Et quidem faciens facies, & potens poteris.] Quod ait interprete Pagnino, *praualebis*, potest vel futuri esse temporis, vel modi optantis. Arbitror tamẽ eum potius ita futurũ ominari, quod

Abiit autem David, &c. quod inuictum eum, ac diuino præsidio septum expertus esset. Potuit etiam è re nata, & tantæ virtutis admiratione defixus, temerario quodam impetu imperio dignum ducere, & eiusdẽ spei obiter fauere. Hinc Saul Dauidi regnũ quodammodo in manũ tradit: quod antea verbo tenus ad antrum fecerat. Ita ipse tumultuaria velut pœnitudine ductus, acta sua rescindit. Antea Dauidem modis omnibus cupiebat perditum: nunc illi bene precatur.

Abijt autem David in viam suam, & Saul reversus est domum.] His transactis Saul pudore suffusus, regiam domum repetit: Dauid ad sua se latibula recipit, seu potius, cùm receptum nullo certo loco haberet, *abijt in viam suam.* Animaduerte an non huic loco conueniat, quod Christus Dominus, cuius hic typum gessit, de seipso asserit? *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet.* Sed & illud quoque huc referendum est, quod Dauidi tribuit sapiens mulier 2. Reg. cap. 14. ver. 17. Eundem *instar Angeli extitisse, qui nec benedictione, nec maledictione moueretur.* Nequaquam enim Saulis

A blando sermone delinitus in laqueos se induit, aut eius fidei se permisit; quod sciret aulã eius scatere calumnijs, & fraudum atque insidiarum officinam esse: satellites in cæde innocentium cupide bacchari, postremò Saulem ipsum non rarò afflari atque concitari malo spiritu & furere. Et certè Saul, vel hypocrisim simulans, ista dicit: & ea citò erumpit in simplicium perniciem; vel perspicua veritatis luce coactus: & hæc odium parit, quo nihil nocentius, vel ex fide: sed non erat futura stabilis, sed B labilis & fluxa quantum ex superioribus gestis conijci poterat. At certè beneficiorum magnitudini confidere potuit. Quinimò, vt quidam ait,

Abiit autem David, &c. Quamobrẽ David cum eo non sit reuersus.

Improbitas nullo flectitur obsequio.

Narrat Diodorus lib. 3. cap. 3. cap. 12. in regione Nabathæorum stagnum esse, quod asphaltilem producit, tetro odore, & aqua amarissima, ita vt pisces nullos alat, illud, tametsi complures fluuij subeant, nunquam tamen dulcescere. Ibidem quoque, Crystallum in India non frigore, sed diuturno calore lapidescere. Sic quoque impij beneficijs deteriores euadunt. Diodorus.

CAPVT VIGESIMVM-SEPTIMVM.

ET ait Dauid in corde suo: Aliquando incidam vna die in manus Saul: nonne melius est vt fugiam, & saluer in Terra Philisthinorum, vt desperet Saul, cessétque me quærere in cunctis finibus Israel? fugiam ergo manus eius. 2 Et surrexit Dauid, & abiit ipse, & sexcenti viri cum eo, ad Achis filium Maoch regem Geth. 3. Et habitauit Dauid cum Achis in Geth, ipse & viri eius; vir & domus eius; & Dauid, & duæ vxores eius, Achinoam Iezrahelitis, & Abigail vxor Nabal Carmeli. 4. Et nunciatum est Sauli, quòd fugisset Dauid in Geth, & non addidit vltrà quærere eum. 5. Dixit autem Dauid ad Achis: Si inueni gratiam in oculis tuis, detur mihi locus in vna vrbium regionis huius, vt habitem ibi: cur enim manet seruus tuus in ciuitate regis tecum? 6. Dedit itaque ei Achis in die illa Siceleg: propter quam causam facta est Siceleg regum Iuda, vsque in diem hanc. 7. Fuit autem numerus dierum, quibus habitauit Dauid in regione Philisthinorum, quatuor mensium. 8. Et ascendit Dauid, & viri eius, & agebant prædas de Gessuri, & de Gerzi, & de Amalecitis: hi enim pagi habitabantur in terra antiquitus, euntibus Sur vsque ad Terram Ægypti. 9. Et percutiebat Dauid omnem terram, nec relinquebat viuentem virum & mulierem: tollénsque oues, & boues, & asinos, & camelos, & vestes, reuertebatur, & veniebat ad Achis. 10. Dicebat autem ei Achis: In quem irruisti hodie? Respondebat Dauid. Contra meridiem Iudæ, & contra meridiem Ierameel, & contra meridiem Ceni. 11. Virum & mulierem non viuificabat Dauid, nec adducebat in Geth, dicens: Ne fortè loquantur aduersum nos: Hæc fecit Dauid: & hoc erat decretum illi omnibus diebus quibus habitauit in regione Philisthinorum. 12. Credidit ergo Achis Dauid, dicens: Multa mala operatus est contra populum suum Israel: erit igitur mihi seruus sempiternus.

ARGVMENTVM CAPITIS.

HISTORIA totius capitis ad tria potissimùm capita referri debet. Nam primo loco Dauid ingrauescentis mali diuturnitate territus, & Saulis insidias vimque veritus, Iudæam deserere statuit, ac statim ad Regem Geth cum expedita sexcentorum militum manu se contulit: quod vt primùm Saul resciuit, extemplò persequendi impetum cohibuit. Secundo loco, Palæstinorum familiarem cum suis consuetudinem extimescens, ne quid illa apportet mali: oppidum à Rege impetrat, in quo seorsum cum suis habitet. Postremò ita passim prædatur, vt à Iudæis quidem abstineat: credatur tamen à Rege multis eos incommodis vexare: quo pacto eius sibi beneuolentiam conciliat.

VERSVS I.

Et ait Dauid in corde suo: Aliquando incidam vna die in manus Saul: Nonne melius est vt fugiam, & saluer in terra Philisthinorum, vt desperet Saul, cesséťque me quærere in cunctis finibus Israel? fugiam ergo manus eius.

Variæ trãslationes.

PAgninus, *Et dixit Dauid in corde suo:* (Arias, *ad cor suum*) *Nunc consumar die vna per manum Saul, nonne est mihi bonum, quòd eruendo eruam me in terrã Pelistim, & desperet de me Saul, & non quærat me amplius in omni termino Israel, & eruam me de manu eius?* Vatablus, *Incidam vna die in manum Saulis.* Chaldæus, *Nunc tradar vno die in manum Saul.* Septuag. Νῦν προστεθήσομαι ἐν ἡμέρᾳ μιᾷ εἰς χεῖρας Σαοὺλ, *Nunc apponar in die vna in manus Saul.* Προστεθήσομαι, ea dictio, inquit Nobilius, significat ita incidere vt pereas. Nam & apud Hebræos eadem dictio significat tradi, incidere, consumi. Symmachus, παραπεσοῦμαί ποτε, quod Vulgata, *aliquando incidam.* Alius, *Et nunc aliqua die interibo per manum Saul.* Vatablus in Schol. Hebraismum hunc esse notat, *Tandem absumar quadam die per manum, &c.* id est, Tandem vitæ meæ finem inueniam, incidens in manum Saulis. Quidam ita vertit: *Tandem dixit Dauid cum animo suo, Iam consumar aliquo die manu Saulis.* & addit ad marg. Hæc Dauidis verba labascentem & inclinantem ipsius fidem exprimunt ex humana infirmitate propter diuturnitatem mali: vt etiam Gad propheta in pari facto ostenderat supr. 22. 3. & sequentibus. Sed hæc interpretatio mihi non probatur.

Nonne melius est vt fugiam, &c.] *Nihil mihi melius est, quàm vt omnino proripiam me in terram Pelisthæorum, vt spem abijciat Saul mei* prehendendi, *quærendo me amplius in vllo termino Israelis, quum eripuero me è manu eius.* Chaldæus non parum obscurè: *Non est quidquam quod bonum, sed euadendo euadam in terram Pelisthæorum, & quiescet à me Saul ad quærendum me amplius in omni termino Israel, & liberator de manu eius.* Vatablus, *Ideo nihil mihi consultius, quàm vt fuga euadam in terram Palesthinorum, vt Saul à me absistat, neque vltra me per omnes terminos Israelis inuestiget, effugiámque manus eius.* In Schol. verò, Hebraismus, inquit, *Nullum est mihi bonum.* Subaudi, hîc, id est, nulla est mihi quies, nusquam conquiescit animus meus. *Ideo nihil mihi consultius, quàm vt fuga euadam.*] Hebraismus, *si euadam* (vel effugero, salutis scilicet causa) in terram Palæsthinorum, tum demum desperabit de me Saul (subaudi, se me consequuturum) vt non quærat me vltra per omnem terminum Israelis: & (ita) eruam me de manu eius. Vel, seruabo me de potestate eius.] Hactenus Vatablus.

Desperabit.] Significat verbum יאש iaasc [à quo נואש veneasc, *& desperet*; qua voce Scriptura hoc loco vtitur] omnem spem à mente excludere de re aliqua, vt quidem nõ cogitemus, quo pacto illud vel efficiamus, vel consequamur. Ionathan vertit *dimittet*, vel *cessabit à me.* Quærunt hîc Hebræi, quomodo Dauid ausus fuerit fugere ad Achis, cùm prius vix euaserit manus eius. Respondent: quòd nuncium miserit ad Achis, & indicauerit illi quomodo à suis persequutionem pateretur, vt nullibi locorum tutus esset: & præterea secum haberet sexcentos expeditos milites, quibus si opus haberet, posset præliari bella eius contra quoscunq; hostes, modò se & suos in pace susciperet: & hanc conditionem rex Achis facilè suscepit, atque cum Dauid fœdus iniit. LXX. Καὶ οὐκ ἔστι μοι ἀγαθὸν, ἐὰν μὴ διασωθῶ εἰς γῆν ἀλλοφύλων, *& non erit mihi bonum nisi saluer in terram Philisthinorũ,* καὶ ἀνῇ ἀπ' ἐμοῦ Σαοὺλ τοῦ ζητεῖν με, &c. *& cesset à me Saul vt quærat me, &c.* Nobilius ad illud verbum ἀνῇ *cesset*, sic, inquit, etiã Chaldæus. Aquila, ἀπογνώσεται, *desperabit.* Symmachus, ἀπόσχηται, *recedat, abstineat.* Vulgata duo illa prima coniunxit, *vt desperet, cesséťque.*

Videtur Deus nullo loco voluisse Dauidem tutò consistere, non modò vt in his poneret rudimentum militiæ, & periculorum assiduitate ad patientiam erudiretur: sed etiam vt vicinas regiones lustraret, & viarum gnarus euaderet, locorũq; peritus. Postellus de Magistrat. Atheniensium cap. 8. Dicebantur, inquit, περίπολοι τῆς χώρας apud Athenienses, adolescentes, qui ex ephebis excesserant. Nam priusquam ipsi τῆς κληρικῆς ἄρχειν, id est, rei hæreditariæ & bonorum suorum possessionem haberent, biennio cogebantur circuire vicinas regiones, hoc est, à 18. anno vsque ad 20. Ideoq; appellabantur περίπολοι, id est, circumitores, ὁδοὶ, ob viam & peregrinationem, in qua versabantur: περίπολοι τῆς χώρας, regionis inspectores, non veluti magistratus, sed vt cum ingrueret necessitas, essent regionum, viarum, & locorum periti.

Postellus.

Περίπολοι τῆς χώρας Atheniensium.

Aliquando incidam vna die in manus Saul.] Difficile est regum insidias vitare, cùm plures habeant quàm Argus oculos, & plures etiam manus quàm fingatur Briareus habuisse: vbiq; suos

Regum insidias fugere difficillimum.

ALIQVANDO INCIDAM, &c. suos habent Ziphæos, vbique exploratores, qui vt illorum gratiam aucupentur, auia queque & deserta loca penetrant & scrutantur, nec miseris tutus locus vllus esse potest. Norunt vero etiam paris periculi consortes, ipsos calamitatis socios, minis, terroribus, præmijs ad proditionem impellere. Non ita pridem cùm ferro & populationibus pessimi quiq; in Italia grassarentur, & iam domi forisque infesta essent omnia, tamque ij qui rura colerent, quàm qui Vrbem incolerent, in pari discrimine versarentur: Sixtus V. Pontif. Max. vtili commento breui tranquillitatem peperit. Proposito namque publicè edicto, vt qui prædonis & sicarij caput afferret, tametsi olim eiusdē sceleris particeps, & præmium à principe consequeretur & veniam: perfecit primo, vt ne vltrà sibi inuicem confiderent, dum quisque consortis sui proditionē veretur, ne periculo capitis sui propriam incolumitatem redimat; sicque eorum societatem & consertos cuneos dissipauit. Deinde plures eorum vltus est. Etenim non pauci, dum patriæ ac libertatis desiderio tenentur, & præmia appetunt, salutem propriam gregalis sui nece pacti sunt.

Saulis mētem Comment variè interpretantur. *Aliquādo incidam.*] Sed quo pacto istud vereri potuit, cùm esset à Deo designatus princeps, & imperij summam adepturus? Lyran. ait, eum timuisse non vtique ne occideretur, sed ne cum Rege congredi cogeretur, & cædes suorum ciuiū facere. Atqui hoc est, hebes est, & infirmū, & pugnat cum ipso textu. Dauid enim ipse ait,
1. *Et occidet me.* quid enim aliud est sic in quenquā incidere vt pereas, vel absumaris, quàm occidi?
2. Alius quidam respondet paulo subtilius: Dauidem habuisse promissiones, sed timuisse, ne illis annexa esset cōditio, atque ita illis posset excidere. Sic fortè Genes. 18. Angelus cùm Saræ masculam prolem polliceretur, séque eodem tempore reuersurum, bis inculcat *vita comite.* Nam Saulem quoque cum promissiones amplissimas accepisset, quod conditionibus nō stetisset, excidisse. Sed hoc quoque infirmum est. Nam si propter aliquod peccatum Deus voluisset in Dauidem animaduertere, an tutus esse potuisset inter Palæstinos? An erat Dauid ita hebes, vt nō cogitaret Deum vbique esse? Quid ergo illum mouit? Non nemo ita respondet: Il-
3. lud scilicet, quod sanctos homines interdum mouere solet. Etsi enim sint sancti, tamen possunt aliquādo titubare. Vixerat Dauid diu iam in cruce. Itaque voluit aliquādo tutius, & liberius agere. Hoc ille videlicet spectabat. Non enim ita planè obduruerat ad res aduersas, vt non posset dolori cedere. Videbat quidem sæuitiam Saulis nōnihil imminutam esse: sed hoc etiam videbat, posse eam denuò recrudescere: & se vix sexcentos habere milites, eósq; egentes & malè acceptos: Saulem autem trahere iustum exercitū: itaque se nō posse cum illo æquis viribus dimicare. Hinc cœpit Dauid velle consulere rebus suis. Sed interim, vt quidem illi volunt qui Dauidem increpant, *Modicæ* fidei quare dubitasti? non consuluit Dominum: non aduocat Abiatharum: non iubet applicari ephod. Consulit rebus suis: sed humana ratione. Non

A adhibet preces, non vota, non sacrificia. Atqui bonum consilium est donum Dei: itaque precibus erat impetrandum. Sic ferè ratiocinantur, qui Dauidem, mea quidem sententia, perperam temeritatis accusant. ALIQVANDO INCIDAM, &c.

Contrariam sententiam sequutus est Salian. ad ann. mundi 2978. à nu. 30. & quibus eadem rationibus niteretur copiosè expressit. Paucis referam: Non fuisse tumultuariam hāc deliberationem qua solum vertit Dauid, sed adhibitos in consilium præcipuos quosq; duces, aduocatum Pontificē, captatum oraculum, & diuinæ opis fiduciā expeditionem esse susceptam, cùm plures suspectam dicerent Palæstinorū fidem, quorum terrores Dauid se facilè contemnere prædicat, cùm sit Dei firmissimo præsidio fre- Salian. Annal. tom 3. 4.
B tus. *In Domino, ait, confido, quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem sicut passer, &c.* Nam totum eum Psalmū Iansenius eò pertinere annotat. Missos deinde legatos, qui Regis Palæstinorum animum tentarent; sicq; demum accepta publica fide eò commigrasse. Erant autem multa, vt idem ait sequ. anni nu. 4. quæ Dauidi migrationem è terra Israëlitarum persuaderēt. Nam præter periculum incidendi aliquando in Saulis manus, qui populum omnem sibi habebat obsequentem; etiam ipsam tribum Iuda, ad quam Dauid pertinebat, vt propterea Saul diceret Ziphæis, *Perscrutabor eum in cūctis millibus Iuda:* & ipse nulli vrbi quantumuis bene meritus credere se tutò posset. Persuadebat etiā ipsa vitæ eius ratio. Quamuis enim certò illi constitisset, nunquam se in Saulis manus esse ventu- Psalm. 10.
C rum: quotidianus tamen labor mutandæ habitationis, & tædiū montes & speluncas ferarum more incolendi, nō leue afferebant momētum ad emigrandū. Accedebat & periculum eorum, ad quos cohors Dauidis accederat; ne si qua ratione illis opem tulissent, calamitatē ciuium Nobe participarent. Fieri quoque poterat, vt dum milites Dauidis Saulis arma declinant, & vicissim eos copiæ Saulis cōcludere moliuntur, ad manus veniretur, cum multa vtrinque cęde, & multa plurimorum qui suos amisissent querela, quod Dauidi inuitissimē contigisset. Hæc Salian. Verùm hæc statim vers. seq. ad trutinam & examen reuocabimus. Nunc illud opinor quæritur, non quibus causis vt fugeret persuaderi potuerit, sed num reuera idcirco trāsfugerit, quod diuinæ promissioni haud satis confi-
D dens, ne à Saule tandem opprimeretur extimesceret. Despondisse animū priores accusant: posteriores contrà defendunt certa spe salutis in exilium abijsse. Cur enim potius apud exteros quàm apud suos Deum sibi auxilio futurum polliceretur? Asserunt aduocata cōcione, communi consilio fugæ decretum factum, nec suæ vitæ, sed aliorum cauere voluisse; ne si fortè occasio aliqua suos milites cum Regijs cōmitteret, vtrinq; strages ederetur. Atqui, vt videtur, alia Scripturę sentētia est. *Dixit*, inquit, *Dauid in corde suo.* Ergo Iosephi cōmentum est, ducum rogatam esse sentētiam. Sed fac vtrumq; posse cōsistere. Nam quod prius priuatim Dauid secū agitarat, potuit deinde ad concilium deferre. *Incidam*, inquit, seu potius *absumar tandem ali-* Nonnullæ difficultates eā sentētiam oppugnant.

ALIQVANDO INCIDAM, &c.

quando manu Saulis. Interrogatum Dominum accusatores negant, patroni factum defendũt, sed esse prætteritum in historia. Imò Scripturæ solent ista diligenter commemorare. Et causa alioqui erat, cur id hoc loco non deberet omitti. Deus enim antea secus imperauerat, & eum per Gad iusserat in Iudeam reuocari. Neutrum horum satis certum est. Sed quia nos quoque Dauidis innocentiæ patrocinium suscepimus, ostendamus Scripturæ testimonio, labefactatæ spei reum non posse conuinci.

Scriptum est, *Aliquando incidam vna die in manus Saul.* Quid tum? non enim necesse est vt quicunque in alterius potestatem venerit, statim pereat. Cur ergo timuit? cur solum exilio vertit? quoniam non vno modo indignè accipi potuit. Quippe & in vincula conijci, & verberibus mulctari, & ad vulgi ludibrium poni potuit. Libertatis porrò periculum, seruiles plagæ, ignominia, insignem præsertim virum non parum commouent. At sunt qui verbi emphasim pertinacius vrgeant, & instent, ea dictione leti vim significari. Esto. non tamen de se solo tum rationem inibat, cùm tutum aliquem receptum despiciens, diceret: *Nonne melius est vt fugiam?* sed alijs secum vnà periclitantibus studebat prospicere. Ergo ne tum quidem priuatim se dicere intellexit, cùm se tandem Saulis conatu perditum iri cogitaret. Vulgaris ille dicendi modus est, & phrasis dudum vsurpata ducibus, vt se vicisse iactitent cùm exercitus victoriam reportarit; se victos fractósque defleant, si fortè copiæ profligatæ sint. Dudum nos Iphicrates Atheniensis docuit, militarem exercitum cum humano corpore conferri posse: cuius singula membra suis locis commodè apud Polyænum collocat, capitis verò dignitatem duci tribuit. Sic quoque Christus Dominus Ecclesiæ caput habetur. Iam verò quanta idem suo nomini ascribit, quæ ipsi quidem si per se spectetur, nullo pacto conueniunt: eadem autem manifestè patet in membris reperiri. Hìc ergo Dauid consuetum loquendi morem sequutus, & quod erat verisimile colligens, futurum coniecit, vt sua manus in Saulis copias aliquando incurreret, & obruta multitudine leto occumberet. Quod tamen ita fore credidit, vt nequaquam desperaret se posse euadere incolumen: sed cladem exercitus sui suũ ipse duxit interitũ. quòd tametsi superstes maneret, morte grauius laturus esset tot ciues sua causa perire.

Sed addo præterea, non eam vim dictionis esse, vt mors necessariò intelligenda videatur. Hebraicè scriptum est נִסְפָּה *esapheh.* cuius radicem Complutenses notant esse סָפָה *sapha.* Kirkerus maluit ad סוּף *soph* referre. Vtriusque par vis & potestas est, eadem significatio. Septuaginta vertunt hoc loco περιπέσωμαι, quod verbum, ait Nobilius, ita incidere significat vt pereas. Quo autore fretus hoc asserat, non inuenio. Sed vt quispiã ad hoc significandum quandoque adhibuerit, aliunde tamẽ verbi περιπίπτω trita satis notatio est. Sed nolo pluribus de Græca voce contendere: ipsi certè Græci sic alibi de eodem interpretati sunt, vt in potestatem quidem hostium veniret, non tamẽ interiret. 1. Pa-

Inuestigatio thematis, seu potius significationis.

A ral. ca. 21. v. 12. Postquam Dauid ceu lustro condito populum Domini recensuisset, Propheta Gad ad eũdem allegatus, his eum vocibus compellauit. *Hæc dicit Dominus: Elige quod volueris: aut tribus annis famem: aut tribus mensibus te* נִסְפֶּה *nispeh*, Sept. φυγεῖν *fugere hostes tuos, & gladium eorum non posse euadere:* vel, vt Septuag. καὶ μάχαιραν ἐχθρῶν σου καταδιώκειν σε, *& gladium inimicorũ tuorum persequi te: aut tribus diebus gladium Domini & pestilentiam.* Et quidem sapienter Græci interpretandum verbum illud Hebraicum censuerunt. quippe cùm eadem Scriptura eandem sententiam lib. 2. Reg. cap. 24. vers. 13. referens, loco סָפָה *saphah*, vsa sit verbo נוּס *nous*, quod fugere significat. *Aut septem annis*, inquit Gad, *veniet tibi fames in terra tua: aut tribus mensibus* נֻסְךָ *nuscha.* Græci φεύγειν, *fugies aduersarios tuos, & illi*
B καταδιώκειν σε, *persequentur te: aut certè tribus diebus erit pestilentia in terra tua.* Pagn. ita vertit: *Recipe tibi*, 2. Paral. 21. *aut tribus annis famem: aut tribus mensibus* נִסְפֶּה *nispeh, deficiens esse à facie hostium tuorum, & gladiorum inimicorum tuorum te attingentem*, Arias, *in apprehendentem: aut tribus diebus gladium Domini, & pestem in terra.* Quibus verbis Dauidem nequaquam absumptum iri Gad prædicat, sed infestos hostes tres menses passurum, ita vt strages maxima Israëlitarum edatur. Quod si quem mouet id quod subijcitur, non euasurum eum gladium hostium suorum, sed vim illius Dauidem experturum: notare debuerat, nequaquam illud addendum fuisse, si vox נִסְפֶּה *nispeh* hoc satis exprimeret: quod non explicationis verbi, sed exaggerandæ punitionis gratia attexitur. Secundò eam exagge-
C rationem huic loco deesse. Denique ne sic quidem Dauidi terrorem cædis intentari, sed fore, vt ipse quidem tribus mensibus in summo discrimine versetur, plures autem eius manipuli atque cohortes internecione deleantur.

Iam verò quod ad præsentem locum attinet, cùm illum doctè & sapienter Vulgatus interpretatus est, tum etiam ita commodè exponi potuit, eadem Scriptura interprete (vt suprà docuimus lib. 2. Reg. cap. 21.) *Aliquando fugiam vna die*, hoc est, Tandem aliquando cogar fugæ præsidio vti, fuga mihi consulere. בְּיַד שָׁאוּל *beiad Scaoul.* Arias, *in manu Saul*; Pagnin. *per manum Saul.* Manum porrò nemo est qui nesciat vim, robur, potestatem, exercitum, & alia id genus innuere. Ipsum autem בְּ. vt docent Gram-
D matici Hebræor. in capite nominum, seu cùm ab eo nomina in oratione auspicãtur, ablatiuũ casum denotat: quo instrumentum, causa, modus agendi, locus, tempus, pretium, &c. significãtur: Et pro diuersa ratione syntaxeos, *in, cum, per, pro, propter*, exponitur. Etsi itaque maximè nolim, inquit Dauid, & cuncter aliquanto tempore, detrectémque fugere, ipse me tamen Saul adiget, dum sic ille meas omnes latebras inuestigat, vt nullo non loco vim afferat. Quod si mihi per eius legiones ne desertis quidem locis, & inaccessis rupibus consistere licet, vtique fuga nobis capessenda est, & aliò commigrãdum.

Nonne melius est vt fugiam?] Longè diuersam rationem inijt apud Luitprandum Basilius, cùm pariter apud Imperatorem periclitaretur. Hanc historiam

ALIQVANDO INCIDEM, &c.

NONNE MELIVS, &c.

historiam paucis ita narrat Luitprandus lib. 1. de rebus per Europam gestis, cap. 2. Basilius puer Macedonia humili prosapia oriundus, Constantinopolim abbati ob paupertatem seruiturus venit. In huius Monasterium orationis gratia cùm venisset Imperator, pueri egregia forma delectatus, ab abbate sibi donari postulat: quem postmodum cubicularij officio in palatio donauit. Verùm quia omnipotens Deus seruos suos iustè visitat, vult quacunq; mensura: hunc Imperatorem Michaëlem sanæ mentis ad tempus non esse permiserat: vt quo eum grauius premeret in infimis, eò misericordius remuneraret in summis. Nam vt fertur, huius tempore passionis, familiares etiam capitis iusserat damnari sententia. Quos tamen ad se rediens hoc pacto requirebat; vt nisi quod iugulari iusserat, redderentur, pari ipsi qui hoc fecerant sententia damnarentur. Hoc igitur terrore, quos damnari iusserat, asseruabantur. Sed cùm hoc sæpius & iterum Basilio faceret, huiusmodi à sibi obsequentibus (prô nefas!) accepit consilium, ne fortè insana Regis iussio aliquando ex industria à te non diligentibus, imò odio habentibus impleatur: eum tu potius occidito: atque Imperialia sceptra suscipito. Quod sine dilatione tum terrore compulsus, cùm etiam regnandi cupiditate deceptus, compleuit. Hoc itaque interfecto factus est Basilius Imperator. Deinde diuino monitu eleemosynis pauperum peccata redemit, & sancto Michaëli Archangelo basilicam magnificè extruxit. Hactenus Luitprand. Itaque dum sibi timet Basilius, facinus occupare maluit, & morte Principis futuro periculo præuertere. Hinc propria autoritate, quod tyranni solent, nullo sibi iure debitum Imperium vsurpauit. At non perinde Dauid insanijt: qui Regij furoris procellis diutius iactari maluit, quàm vt institutum à Deo Principem parricidio violaret. Et tamē iamdudum fuerat à Deo designatus Princeps, & Samuelis voce renunciatus, atque adeò sacro chrismate delibutus: & si Regem perdere voluisset, videri poterat suo quodam iure fecisse, cùm ab eo iugulum eius peteretur: aut etiam diuinas iniurias vlcisci, quas palàm Samuel Dei nomine cum Saule expostulauerat, eundem regni spe abdicans: sed numinis maiestatem reueritus, optauit potius, si necesse foret, mortem oppetere, quàm vt propriæ securitati regio sanguine litaret.

Basilius dū sibi ab Imperat. metuit, eūdem iugulat, & Imperium occupat.

Nōne melius est vt fugiā, & saluer.] Sicut enim circunscripta certis spatijs ac limitibus fera, venatoris plagas, & laqueos declinare diutius nō potest, nec piscis retia angustis piscinæ carceribus inclusus: ita quoque non absurdè iudicat, si fugam suam regni finibus definire velit, humana solertia fieri non posse vt non quandoque in casses incidat. *Et saluer in terra Philisthinorum.*] Non erat locus, inquit Salianus, in quem tutius emigrare potuisset, quàm ad Philisthæos, & nominatim ad Gethæos, vt superius quoque disputatum est. Nam à Moabitis, apud quos non incommodè versari posse videbatur, eum Dominus euocauerat; apud Ammonitas, Idumæos, Tyrios, Sidonios, Syros, parum tu-

Salian. to. 3. ad annum mun 2979. num. 5.

tò futurus erat; Nam cùm nullum cum ipsis bellum gereret Saul, noluissent hominem fugitiuum Regi Israëlitarum rogāti negare. Eam autem gratiam nec ab hoste Philisthæo petiturus erat, neque si peteret impetraturus: imò vel hac maximè de causa eum libenter suscepturi erant, & armis virisque defensuri, quòd Saulis esset inimicus. Accedebat & loci commoditas: à desertis enim Iudæ ad Philisthæos modicus erat traiectus, adeò vt olim magna pars terræ Philisthæorum ad tribum Iuda pertineret, quod de cæteris populis præter Idumæos, dici non poterat. Hactenus Salianus.

Et desperet Saul, cessétque me quærere. Fugiam ergo manus eius.] Solent enim aliena regna esse perfugis asyli loco: nec facilè dedunt alieni supplices, nisi ob sceleris atrocitatem repetantur. Tum enim pudor seruare vetat, quem ad pœnam iura extorqueant. Verùm multa apud exteros eum, qui elapsus sit, ab iniuria tuentur. Primùm, quòd apud eos profugo manus inijcere non liceat, sed precibus cum loci principe agendum sit, vt per eum quem velis vinciendi potestas sit. Hoc verò plerique principes, postquam summo iure & imperij autoritate vti didicerint, ægerrimè faciunt vt cuiquam supplicent. Inde plerunque latrocinijs & cædibus famosa regnorum cōfinia, ob impunitatis spem, quæ sceleribus adulatur, & audaciam fouet. Secundò, quòd honorificum putent & laude dignum, ab ijs, quos fortuna perculerit, propulsare inimicorum impetum, & extorres ac miseros autoritatis suæ tanquam ægide protegere. Neque enim est alia virtus, quæ omnium fauorem Principi perinde conciliet, vt eorum, qui in calamitatem inciderint, tutela atque defensio. Accedit, quòd non rarò principes id genus patrocinij etiam suis rebus commodum atque vtile iudicent: præsertim verò, si reus qui in crimen vocatur, seu potius quicunque in principis sui offensionem incurrerit, finitimi regni negotijs, cui vt plurimùm è proximo inuidetur, periculum aliquod creare possit. Tales ferè sunt qui rebus olim præfecti fuerunt, aut arcanorum conscij & consiliorum fuere cum rege participes: qui regni vires perspectas habent: qui apud suos gratia & autoritate pollent: qui opibus, aut amicorum numero vel potentia freti sunt. Quippe amplificandi imperij occasionem plerique principes vt numen colunt: iustitiæ & æquitati post imperij lucra secundas partes tribuunt: si tamen vel apud eos secundas sedes obtinere iustitia credenda est, quæ nisi omnibus anteponatur, indignans & stomachans è vestigio recedit. Sed quæritur,

Aliena regna profugis asyli loco esse solent.

An fas sit periculi vitandi gratia ad hostes fidei transfugere?

QVÆSTIO XCII.

QVærunt nonnulli, an liceat, vt cædem vites, & vitæ tuæ consulas, ad eos transfugere, aut eorum opem implorare, siue auxilio

NONNE MELIVS, &c.

Rationes nonnullæ, quę negare videantur.

vti, qui à vero Dei cultu abhorreant, & religionem tuam capitali odio insectētur; quales olim Palæstini fuisse videntur, & etiam nunc Mauri, Turcæ, atque hæretici, quos pono omni veræ religionis vsu atq; ceremonijs interdixisse? Verumenimuerò nefas est dæmonum opera abuti ad morborum remedia. Sed neq; ad magos, sagas, & maleficos accedere licet, vt suis illi præstigijs & cantionibus auerruncēt, si quid aliunde mali obrepserit. quod cùm ita sit, quomodo non absurdè facias, si te ad eos contuleris vt corpori subsidium pares, qui animæ tuæ hostes sunt: & ab ijs caducæ huic vitæ præsidium postules, qui hoc interim student, quo pacto æternæ iacturam facias? Scelus est temporalem vitam æterna morte pacifici. Quid igitur ad ea respondemus, quibus nihil verius, vt apparet, certiúsue excogitari potest? Vtique Dauid à nobis criminis absoluendus est, quandoquidem illum Scriptura nusquam accusat: paucis verò regulis eius defensio summatim comprehendi poterit.

Quid fas, quid nõ fas, in tanta necessitate, explicatur.

Nam primò certum est, eum, cui vis afferatur, fuga sibi posse consulere. Secundò etiam manifestè patet, nunquam licere, quacunque tandem iniuria affectus sis, quicquam in religionis perniciem moliri. Liquet adhæc tertiò, vt vitam serues, non oportere à veri numinis cultu deficere. quartò denique, nec vlla remedia adhibere, quæ coniunctam habeant diuini numinis iniuriam. His porrò sedulò ac religiosè obseruatis, non video, quamobrem, si necessitas vrgeat, eorum obsequio ad vtilitatem nostram vti non possimus. Ad hoc interim spatio, dices, dum inter eos versaris, à legitimis ritibus ceremonijsque tuis abstineas necesse est. Quis enim, si horum copia non detur, fieri posse neget. Quanquam hoc de externo cultu duntaxat, qui minoris momenti est, intelligēdum videtur. Tantisper enim dum mētis compos fuero, Deum mente ac cogitatione complecti, quę præcipua religio est, venerariq; prohiberi non potero. Quod verò ad Sacramentorum vsum & participationem attinet, circa quæ totius difficultatis cardo vertitur: vix locum in orbe reperias, in quo non occultè saltem ab ijs, qui harum rerum studiosi sunt, delibentur. Quod si veteris, ad breue exiguumque est duratura tempus illa necessitas de qua nunc loquimur. Nam citò ab exilio se reuocatum iri, atque à Deo restitutum sperabat. Denique Ecclesię leges, quæ nos ad annuam Sacramentorum participationem, & Missæ hebdomadariam auditionem astringit, necessitati concedunt, vt vitæ parcant & incolumitati.

Non est par ratio Magorum & Hæreticorum.

Ad extremum quoque soluenda illa obiectio est, quæ videbatur peti à simili. Cùm enim in ijsdem castris principis tenebrarum militent Magi, Incantatores, Malefici, Turcæ, Gentiles, atque hæretici, & pariter omnes stipendia faciant sub auspicijs dæmonum (*stipendia autem peccati mors,* vt inquit Apostolus) quæ ratio esse potest, cur hæreticorum copijs vti magis liceat quàm magicis cantionibus maleficarum? Ea nimirum maxima differentia est, quòd hi quidem non aliā quàm dæmonum ope mederi, aut occulta pandere se profiteantur: quos vbi tartareis sedibus, aut etiam cœlo (vt credi volunt) superstitiosis ritibus exciuerint, tum quæ optāt discunt, aut etiam ijsdem ad arbitrium obsequentibus perficiunt. At verò hæretici humanis viribus nituntur, & ea subsidia adhibent, quæ ad tuendam rempublicam à Deo instituta sunt, tametsi perperam, & præter Dei mentem atque consilium, ad asserendas quas pepererint hæresum pestes, & profligandam veri numinis religionem abutantur: quibus ipsi licet abutātur, manent tamen diuina munera: quorum emolumentis frui cum gratiarum actione, citra numinis offensam, nemo est qui prohibeat.

VERSVS II.

Et surrexit Dauid, & abijt ipse, & sexcenti viri cum eo, ad Achis filium Maoch regem Geth.

VERSVS III.

Et habitauit Dauid cum Achis in Geth, ipse & viri eius, vir & domus eius; & Dauid, & duæ vxores eius, Achinoam Iezrahelitis, & Abigail vxor Nabal Carmeli.

VERSVS IV.

Et nuntiatum est Sauli quòd fugisset Dauid in Geth, & non addidit vltrà quærere eum.

RAbini putant, quod proximè ad veritatem accedit, Dauidem ad Achim prius allegasse nuntios, qui sibi eius gratiam conciliarent: & sic demum publica fide accepta ad eum se contulisse. *Ad Achis filium Maoch regem Geth.*] Scriptura solet reges honorificè titulis exornare. Saulem antea tantopere prædicauit, vt neminem in toto populo eo meliorem assereret. Dauidem Deo gratum & acceptum, summísque ingenij ac corporis dotibus præditum fuisse docuit. Salomonis quoque Sapientiam, & Iosiæ sanctitatem postea celebrauit. Huius duntaxat genus obseruat, & regni sedem. An quia à vera pietate & diuini numinis cultu abhorruit, licet alioqui bellicæ virtutis & politicæ iustitiæ laude floreret? & Dauidem exulem, quod spectat ad humanitatis studium, benignè comiterque exceperit? Ælianus lib. 2. Var. hist. cap. 23. dignam habet, quæ à nobis referatur, de hac re sententiam. Nicodorus, inquit, pugil celeberrimus apud Mantinenses, extremo ætatis suæ tempore, & exacta pugilatione, legislator eis extitit, longè vtiliorem se patriæ in ea re præstans, quàm cùm publicè victor in stadijs audiret. Aiunt tamen Diagoram Melium, à quo amabatur, ei composuisse leges. Haberem aliquid amplius de Nicodoro recensere, sed ne videar simul laudare Diagoram, hic oratio

Indigni laude, qui veræ religionis expertes manent.

Ælianus.

tio

Et svrrexit David, &c.

tio mea conquiescat. Nam dijs erat infestus
A Diagoras, nec mihi cordi est vlterius de illo
mentionem facere. Hæc Ælianus. Miror au-
tem diuinæ prouidentiæ œconomiam, in su-
premo actu tragœdiæ, cùm Saul propediem
moriturus esset, tum primùm Dauidem voluis-
se secedere, & ad hostes transfugere. An quia
tum fortè Dauid impatientia victus est, & diu-
turnitati malorum succubuit? nam hoc eius-
dem oratio præ se ferre videtur. At nos qui di-
uino consilio factum credimus, quam eius ra-
tionem afferemus? An Saulem Deus voluit Da-
uidis præsidio destitui? qui si fortè Regem ad
incitas redactum videret, haud dubiè suppetias
periclitanti laturus erat. An eiusdem defectio-
ne terreri, Palæstinis autem animos addi, post-
quam is in eorum partes concessisset, qui solus
ad hunc diem fregisset eorum impetum, & vi-
B ctoriam moratus esset? An eousque Dauidis
fortunã Saulis improbitate deprimi, vt Ethnici
principis satelles euaderet, vt mox ex humi-
li seu potius infimo loco, ad regni fastigium
emergeret; idque non aliter quàm diuina vi
atque potentia factum intelligeret? An eo pa-
cto vrbem Siceleg, quæ hactenus Palæstino-
rum parebat imperio, ditioni Iudæ restitui vo-
luit? An denique ex ijs qui tum eam vrbem
incolebant, & dæmonum cultui addicti erant,
nonnullos Deus ab æterno tempore delege-
rat, quos ad cæli beatitatem eueheret: quos &
veram religionem doceri oportuit, & doctos
in eadem Iudæorum præsidio conseruari?
Quicquid horum dixeris, Dauidem vindica-
bis à calumnia, & eius innocentiam asseres.
C Quem quia à nonnullis reum postulari video,
operæpretium me facturum confido, si cri-
minationis robur ac firmamentum certa ratio-
ne diluero.

Plures causæ afferuntur, ob quas eo tempore Dauid fugisse videatur.

An peccarit Dauid à Saule ad Achim Regem Geth transfugiens?

QVÆSTIO XCIII.

Argumenta quæ Dauidis innocentiam oppugnant.

QVi Dauid, etsi non desertæ, ad saltem im-
minutæ fidei arcessunt, & defectionis
reum faciunt, non paucis nec leuibus, vt qui-
D dem sibi videntur, eius innocentiam argumen-
tis oppugnant. Primùm enim facinus indi-
1. gnum clamitant, Dauidem, quos toties antea
profligasset, eorundem postea opem & auxi-
lium implorare. Nam Dei beneficium haud sa-
tis agnoscere videtur, si quis postquam ab eo
impetrarit victoriam, eius quem vicerit, præsi-
dio se tueri velit. Itaque plures Pompeij consi-
lium reprehendunt, qui tot rebus & tanta par-
ta gloria, ad Ptolemæum supplex adire potuit.
Catonis contrà virtus & animi celsitudo præ-
dicatur, quòd vetuerit Vticenses sua causa am-
2. bire gratiam Cæsaris. Deinde Deus edixerat
grauissimis verbis, ne Iudæi fœdus ferirent
cum præscriptis Gentibus, in quibus Palæsti-
3. ni erant, neue auxilium peterent ab impijs. Ad-

hæc Dauid, quem Deus imperatorem & prin-
cipem populi designauerat, nunc agit transfu-
gam. Quæ autem illa, quantaque infamia sit,
& lumine ipso naturæ docemur, & legibus ci-
uilibus. Nam in *ff. de Captiuis, & postliminio,
l. Postliminium, §. filius, & §. transfuga*, Qui
transfugit ad hostem, priuatur iure ciuitatis
suæ. Hoc ergo facto Dauid priuat se iure com-
muni populi Dei. Vt autem eodem loco de-
claratur, is est transfuga, qui tempore aut bel-
li, aut induciarum transfugit, vel ad hostes,
vel eos, qui nec hostes sint, nec amici, accepta
ab illis fide. Is autem amisit ius postliminij,
qui priuatur iure recuperandi res suas, & pa-
triam. Et, *de capite minutis*, ijdem declarantur
hostes rei publicæ. Qui opera, aut societate iu- 4.
uat hostem, incurrit in crimen læsæ maiesta-
tis, & est reus perduellionis. Nec factum tan-
tùm spectatur in hoc crimine, sed etiam vo-
luntas, si modò de ea satis liquidò constiterit.
Credibile est autem pactionem aliquam inter-
cessisse, vt Dauid arma gereret contra Saulem,
& eius vitam peteret, cui iam bis pepercerat.
Præterea verò quis dubitet, Saulem hanc fu-
gam Dauidis insolenter tulisse, & amicis eius 5.
insultasse? Hunc illum esse, cui tantum tribue-
rent, perfugam, perfidum, desertorem, pro-
ditorem religionis ac gentis suæ. Illos autem
verisimile est, cùm hæc audirent, vix tenuisse
lacrymas. Et quanquam Saul antea iniustè
agere visus est, cùm Dauidem extruderet, nunc
tamen videri potest iustam habere causam pro-
scriptionis. Adhæc cùm esset Iudæus, & liber, 6.
tamen appellauit se clientem, & seruum Achis;
cùm non esset ipse delectus rex è numero fra-
trum suorum, sed exoticus & gentis alienæ.
Consilia etiam Dei, quantum quidem in ipso
erat, euertit. Deus enim eum regem elegerat, 7.
qui populum defenderet: at ille deficit ad ho-
stem, & contra populum suum bellum geren-
dum suscipit. Hoc latronem potius erat quàm
regem agere. Eò autem se demittit, vbi esset
æternam seruitutem seruiturus: idque, quod
grauius est, regi impio & barbaro. Id enim fu- 8.
turum Achis ipse prædicauit. *Erit*, inquit, *ser-
uus meus in æternum*. Cogitur etiam colligere 9.
gratiam tyranni non bonis artibus. Mentitur
enim, & orationem suam ad eius voluntatem
accommodat: se modo in tribules suos Iudæos
inuasisse, modò in Cinæos, modò in Ierahmee-
lenses. Sunt tamen qui dicant Dauidem nihil
mentitum esse, cùm diceret, se impetum fecis-
se in meridiem Iudæ. Illa enim loca pertinuis-
se ad sortem Iudæ, vt apparet ex descriptione
Iosue: etsi illi nondum totam illam hæredita-
tem adijssent. Sed hoc quicquid est, valeat
quantum potest. Certè ista à Dauide dicta sunt
ad gratiam tyranni, idque, quod fieri non po-
test, animo fallendi.

Sed videamus, quæ mala hanc fugam dein- 10.
ceps consecuta sint. Vrbs illa, quam Dauid do-
no acceperat à Rege, direpta est ab Amaleci-
tis: vt ille miserè coactus fuerit deflere sortem
suorum ciuium: à quibus etiam parum abfuit,
quin præ doloris impatientia lapidibus obrue-
retur. Taceo quod imperatoriam illam vim, & 11.

virtutem coactus sit mutare in latrocinandi studium. Occidit enim omnes: nulli pepercit ætati aut sexui, ne Rex olfaceret, quid egisset. Prædam deinde diuisit cum tyranno: neque id semel tantùm aut iterum, sed quoad ibi fuit Cogebatur interim ferre indignitatem conue-
12. niendi Achim, & se apertè patriæ suæ hostem
13. profiteri. Adhæc parum videtur prudentis fuisse viri, committere se inimico reconciliato. Vti quidem solent homines illorum opera, quibuscum in gratiam redierint, sed tantisper tantùm dum est opus. Nam quid putamus Achim interim de Dauide cogitasse: nisi eum hominem esse ferum, & barbarum, qui posset in gentem suam arma capere? Augustus dicere solebat: proditionem amo: proditorem autem non amo. Quos autem animos Palæstini habuerint erga Dauidem, apparet satis ex historia. Nam cùm congressuri essent, *Quid isti hic*, inquiunt, *Hebræi faciunt? quo alio modo placare sibi possunt Regem suum, nisi nostro sanguine?* Hic Dauid apertè se profitetur hostem patriæ: & Achis eum sibi adiungit custodem corporis. Et Dauid, cùm propter importunitatem Palæstinorum remitteretur domum, molestè tulit. *Quid ego*, inquit, *commisi?* Quid quod toto hoc tempore non audiuntur preces? non
14. scribuntur psalmi: Nec mirum. Humano enim consilio hæc gesta sunt, iniussu Dei. Imò, inquies, non erat necesse consulere Dominum. Imò verò Deus 27. cap. vers. 21. Num. disertè iubet in huiusmodi rebus sese consuli. *Iosue*, inquit, *filius Num stabit coram Eleazaro, & consulet Sacerdos Dominum. Ad verbum eius ingredietur & egredietur.* Dauid autem erat dux populi: & antea quidem consuluit Dominum: & ad idem institutum postea rediit. Nunc autem
15. nihil tale videmus ab illo fieri. Videtur etiam vnà cum loco mutasse ingenium. Nam antea nihil gesserat, nisi apertè & candidè: nunc nihil nisi insidiosè, & fraudulenter. Et Saulem Regem suum, quem antea seruauerat, nunc videtur armis velle oppugnare. Achis verò, quod eum crederet, quorum verba imitaretur, eorum facta quoque imitaturum, non ita diligenter in eius facta inquirebat.

Vt autem rem ipsam propius consideremus,
16. hæc defectio Dauidis magnum Iudæis attulit detrimentum. Nam, vt apparet ex 12. cap. 1. Paralip. confluxerat ad eum magnus numerus militum ex omnibus partibus Iudææ, vt iam haberet copias numerosissimas, tanquam exercitum Dei. Ita factum est, vt Achis confligeret tantùm cum aliqua parte, non cum vniuersis copiis Iudæorum. Illi enim, quos oportebat in aciem cum Saule descendere, confluxerant ad Dauidem. Quod si mansisset in finibus, potuisset excursiones facere in agros Palæstinorum, & ita aut liberare, aut certè non mediocriter iuuare patriam suam. Adhæc mode-
17. Sup. cap. 23. vers. 28. stia Saulis potest satis Dauidis temeritatem condemnare. Nam ille cùm Dauidem haberet propè in manibus, reliquit eum, vt Palæstinos repelleret, quos audierat eo ipso tempore inuasisse in fines suos: atque ita priuatis inimicitiis commune bonum prætulit. Dauid autem, cùm patriam suam in maximum discrimen vocari conspiciat, adiungit se ad infestissimum hostem, vt publico exitio priuatas iniurias vlciscatur: & sese ad eam pugnam non posse adscribi, queritur. Sed fingebat, inquies. Potest fieri. Neque ego contendo. interim tamen non iuuat patriam. At Deus, inquies, voluit hoc pacto punire Saulem. Fateor. Sed nos oportet non spectare occultam voluntatem Dei, sed expressam in lege. Ad eam enim omnia facta nostra sunt dirigenda. Præterea cauere debe- 18.
mus, ne nostro vitio veniamus in infamiam. At cùm Dauid violaret finitimos illos Palæstinorum, videtur violasse ius hospitij. Nam potest fieri vt illi fuerint aut tributarij, aut vectigales Achis. Omnino ita voluisse se vlcisci de Saule, non video quomodo defendi possit. 19.
Nam si dicas in animo mitiora de Saule cogitasse, nihil effeceris. Nam si quis hodie dux militaris à nobis deficeret, & vnà cum exercitu suo transfugeret ad Turcas; etsi is diceret nolle se pugnare in Christianos, sed alios sibi hostes deligeret, vt puta Persarum aut Tartarorum Principes, quos infestis signis peteret Turcarum auspicia sequutus; non tantùm haberetur pro transfuga, sed etiam grauiori nota inureretur. In Machabæorum historia Iason & Alcymus, & alij similes, vel vltionis, vel ambitionis causa contulerunt se ad Macedonas. Idem nunc facit Dauid. Erat fulmen belli, & 20.
quocunque inclinasset, magnum secum momentum adferebat ad victoriam. Tamen abesse voluit, cùm potuisset plurimùm profuisse. Sed esto: noluerit pugnare in suos. Idem haud dubiè exitus eum manebat, qui Coriolanum, qui Themistoclem. Coriolanus cùm detrectaret contra Romanos bellum, occisus est à Volscis. Themistocles, cùm nollet oppugnare patriam suam, hausit venenum. Alcibiades quoque qui primùm ad Lacedæmonios, deinde ad Ariobarzanem se receperat, eadem de causa periit. Is ferè est exitus transfugarum, nisi fortè Deum illorum misereat. Quod autem multò 21.
grauius est, cùm Dauid certò sciret, se fore regem, potuit etiam scire sibi necessariò bellum fore cùm Palæstinis. Quomodo ergo patitur se nunc illorum deuinciri beneficiis, vt postea in eos pugnare non possit sine magna nota ingratitudinis? Ad extremum, subductis rationibus ita summatim concludunt aduersarij, Peccauit itaque Dauid, etsi non ad mortem. Languebat vtcunque, non autem prorsus extinguebatur eius fides. Sanctus Augustinus, inquiunt, in Psalmos ait duplex esse peccatum: aliud ex necessitate, aliud, vt ipse loquitur, ex abundantia & pinguedine. Multi si interrogentur, cur furati sint, respondebunt, quod necessitas coëgerit, vt haberent quo vxorem & liberos tuerentur. Est ista quidem aliqua necessitas, sed non absoluta, verùm tantùm ex hypothesi; si quis eo animo sit, vt velit omnino quacunque ratione viuere, & se tueri. Alij cùm sint diuites, tamen nunquam desinunt expilare pauperes: idque non ex aliqua necessitate, sed ex inexplebili cupiditate. Peccatum Dauidis ad superius membrum pertinebat.

Qualiter aduersarij Dauidem peccasse velint.

His

Et abiit David, &c.

His ferè machinis aduersarij Dauidis prudens syncerumque iudicium labefactare conantur. Neq; verò sic ista à nobis opinio refellitur, tanquam Christianæ fidei placitis refragetur, aut statim hæreticus habendus sit, quisquis ita senserit: Dauidem, cùm ad hostes profugeret, propter infirmitatem animi, vel transversum vnguem à constantia & officio boni viri deflexisse. Sed quòd ea potior sententia visa sit, & propius ad veritatem accedere, quæ eiusdem integritati fauet, idcirco eam tuendam suscepimus: quam nos ita demùm commodè statuere posse videmur, si primùm contraria argumenta diluamus: deinde ijs rationibus stabiliamus, quæ rei dubiæ faciant fidem. Relationem etsi non à principio accusationis ordiamur, quòd is ordo nonnihil perturbatus sit: sic tamen eam instituemus, vt firmamenta aduersariorum omnia conuellamus.

Confutatio præcedentium argumentorum.

Docent vnumquemq; famæ atque existimationis suæ rationẽ habere debere. Quis negat? Atqui eo pacto Dauid desertor & perfuga audire meruit. quis sit autem transfuga, & quantum dedecus atque ignominiam, qualq; pœnas iure ciuili subeat, legum autoritate probare nituntur; quas si syncere atq; integre referre voluissent, non mediocri labore nos absoluere
3. potuissent. Non enim quisquis ad hostem trãsfugit accepta fide, hunc leges seu transfugam proscribunt; sed qui malo consilio, & proditoris animo patriam relinquit. *L. 19. §. transfuga. ff. de captiu. & postl.* Festus li. 14. Gallum Ælium perfugam, qui & transfuga dicitur, definisse scribit, qui liber, aut seruus, aut hostis, sui voluntate ad hostes transierit. Sic *in l. 4. ff. ex quib. caus. maior. & l. 38. §. 1. ff. de pœn. l. 3. in fin. ff. ad l. Cornel. de Sicarys.* Consule Brisson. Iacob. Spiegelius ob spem commodorum fugam iniri debere obseruat. Cuiacius Obseruat. li. 4. cap. 9. & lib. 6. cap. 26. transfugam definit, quòd sit proditor, qui fide mutata ad hostes transit. *L. Transfuga. ff. de captiu. & postl. &c.* Horũ porrò nihil in Dauidem conuenit, quem constat non turpis lucri gratia, non proditoris animo, non suapte voluntate, aut liberè: sed clàm, & aperto marte pulsum atque fugatum, non prius ad hostem se recepisse, quàm de salute tuenda desperaret. Vnde sequitur, vt hanc temerè, & sine iudicio aduersarij Dauidi importent calumniam. Reus tamen læsæ majestatis arguitur, vt qui societatem cum hoste coierit, & eundem armis iuuerit. Sed hæc quoque
4. criminatio nullius momenti est. Nam si fortè in summum vitæ discrimen veneris, de eadem retinenda cum hoste paciscí nulla ratio vetat. Quòd si subinde etiam patriam tuis viribus oppugnes, tum sanè videberis posse majestatis arcessi. Sed hoc fecisse Dauidem, non fingi, sed rebus ipsis ostendi oportuit. Hostem tamen populi se palàm professus est, cùm pugnaturus
20. vnà cum illis in aciem descendit. Mirum est Palæstinos eius consilij æquiores se præbuisse iudices, quàm qui nunc se amicos simulant.

Quis habẽdus transfuga.

Brissonius. Cuiacius.

Illi ita senserunt, statuisse Dauidem, cùm pugnam cœpissent, in incautos à tergo inuadere, & eorum strage edita, veterem Regis sui gratiam reconciliare sibi; vos contrà, quod semper vehementius abhorruit, in Christum Domini manum mittere voluisse iudicatis. Atqui hoc antea nefarium & impium non semel pronuntiauit. Quo pacto igitur probare potuit? Certe prædonem egit, & quidem sæuissimum, 17.
cùm in vicinia grassaretur, nec vlli ætati, aut sexui parceret. An ignoramus Deo autore fecisse, qui gentes à se proscriptas seruari vetuit? Saul cùm Regem Amalecitarum clementius habuisset, in Dei offensionẽ incurrit, & propagandi regni in posterũ spes abscissa est. Excusari 18.
tamen non poterit, quin hospitij fidem violarit. Erant enim fortassis plerique ex his, quos ibat perditum, Palæstinorum vectigales. Fortassis etiam nonnullo amicitiæ fœdere cum illis coniuncti. Cur autem incerta vobis asserentibus potius quàm inficianti mihi credatur, non video. Accusator certis rationibus vrgere debet. quas si non probauerit, tum satis erit patrono causæ si neget. Deinde miror, quo nu- 2.
mine medio putent aduersarij Dauidem Palæstinis fidem obligasse. Non enim dejerasse dicent conceptis verbis per nomen falsorum deorum. An fortè Deum Israël obtestatus est, quo fidem Palæstinis faceret? Quinimò, vt ei fiderent, illum à Deo deficere videri oportuit. Non verbis, sed rebus, vt Achis testatus est, oppigneratum sibi Dauidem sensit. quo pacto igitur pactorum fidem rescindere visus est, quam numquam addixit? Mentiendo tamen Gethæo Regi illusit. quod cùm neminem, tum 9.
maximè tantum ac talem virum minimè decuit. Reuera si falsum dixit, mentitus est. Sed hoc scilicet probandum erat, non innocens temerè conuitijs lacerandus. Nam vera fuisse quæ referret, postea demonstrabimus. Non enim volui præter ordinem, hoc loco sequentium versuum interpretationem occupare. Veruntamen fallendi animo orationem suam ita commodè temperauit, vt Achis, quod erat, ne suspicione quidem attingeret. Esto: Dauid arte atque industria vsus sit, quo Achis sese in laqueum indueret: quis tam durus, & ab omni humanitate alienus est, qui mihi succenseat, si studeam eum, qui mihi nocere studeat, sibi ipsi imponere, ac decipi? Ingratus tamen olim 21.
futurus erat, vt pote qui à Palæstinis beneficijs affectus, eosdem postea officij sui ratione bello lacesseret. Si iustè ac legitimè deinceps eosdem infestis signis peteret, cùm hoc faceret, ne quid officio deesset, ingratus haberi non potuit. Non enim ingrati animi vitium est, maiora beneficia anteferre minoribus, & priuatam gratiam contemnere, vt saluti publicæ consulas. Tametsi quod tandem beneficium acceperit non video, cuius ratione Palæstinis obstrictus haberetur. Incolumem scilicet apud se degere permiserunt, quem nullo iure interimere poterant. Siceleg etiam vrbeculam, domicilij sedem, eidem Achis adscripsit. Quid si prædo quispiam centum aureos à te auferat, deinde vnum ex eisdem te habere

Et abiit David, &c.

iubeat beneficij loco, an futurum est hoc beneficium tanti, vt si prædæ reliquam partem legitimis actionibus extorquere coneris, ingratus habeare? Tota Palæstina Iudæorum fuit. Hanc sibi Philisthæi è Cappadocia oriundi, nullo iure vsurpabant, quæ multis, atque amplis vrbibus frequentabatur; in quibus etiam oppidulum quoddam ignobile fuit, quod iniustus possessor habitandi gratia domino cessit. Huic scilicet deinceps verendum erit, ne si reliqua repetat, & sibi vendicet, ingratus au-
5. diat. Quod si absurdum est, & dignum quod omnium mentes aspernentur, & respuant, ne illud quidem, quod subinde obijciunt, minus abhorrens & incredibile videtur; eo pacto Sauli insultandi vehementius ansam præbuisse; amicis probro ac dedecori fuisse; denique popularibus offensioni ac scandalo, quod palàm, vt apparuit, fidem falleret, & à Synagoga deficeret: quippe Dauidis innocentiam plerique omnes spectatam satis & compertam habebãt, & eundem non sponte, sed coactum ad Palæstinos accessisse. Saul etiam vis allatæ priuatim sibi conscius erat: quem satius fuit ferre procul exprobrantem, quàm si cominus hastâ feriret. Non decet nos insonti atque innoxio viro vitam inuidere, & dum alienæ nequitiæ fa-
17. ueas, eidem periculum creare. Adhæc, inquiũt, manifestis rationibus arguitur supra modum vindictæ appetens, qua in re Saulis ipsius nequitiam superauit. Nam Saul quidem cùm iam Dauidem coronâ cinxisset, nec vlla ex parte labi, fugamve moliri posset, accepto nuntio, Palæstinos fines suos populari, publicæ salutis studio conatum remisit, prædamque euadere passus est. Dauid contrà in summo Reip. discrimine hostium signa sequutus, iniurias suas persequitur. Sed hæc quoq; insignis calumnia est. Non enim vlciscendi libidine, aut etiam sponte ad castra Palęstinorum profectus est, sed declinandi pericula gratia, quod illi à Palęstinis imminebat, si venire detrectasset. Neq; eo animo suas copias instruxit, vt Iudæos iret perditum: sed vt, quod iustum esse temporis nego-
23. tijq; ratio suaderet, hoc exequeretur. Quod autem imprudentiæ ab ijsdem insimulatur, primùm quòd inimico reconciliato se permiserit,
20. deinde quòd luctuosum transfugarum exitum non exhorruerit; respondemus, de priuatis inimicitijs prius illud intelligendum esse. non rarò publicas iniurias seriò condonari, præsertim quæ videntur non tam nocendi studio, quàm tuendæ patrię necessariò impositæ. quod ad alterum caput attinet, *In Domino, ait, confido: quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem sicut passer. Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt sagittas suas in pharetra, &c.*

Sed illa demùm pars accusationis longè grauior atq; acerbior, qua volunt eundem refixisse leges patrias, & diuini numinis sanctiones re-
25. scidisse. Non enim, inquiunt, Deum consuluit, cùm rei dubiæ periculum faceret, & rem haud leuis momenti aggrederetur. Quid si consuluisse asseram, quo me argumento reuinces? Vt fecisse credam, suadet primùm eius morum

A sanctitas, & vitæ superioris institutum, periculi magnitudo, anceps & dubius fugæ exitus, Gaddi Prophetæ præsentia, cuius antea autoritate in Iudæam reuocatus fuerat: oraculum prę manibus, Pontifex in comitatu, quæ omnia neglexisse Dauid haud facilè in animum induxerim. denique in eam sententiam consensus reliquorum interpretum, concentusque. Vnum est quod contra hæc omnia obijcitur, scriptum non esse. Atqui ne nos quidem scriptum asserimus. Sed negamus necessariò sequi, vt quicquid litterarum monumentis mandatum non erit, continuò factum negetur. Quid autem factum sit, ex pristinæ virtutis studio coniecturam capiunt plerique interpretes, nec verentur
petitum ab eo responsum asseuerare. Secundò, 1.
beneficium aiunt contemnere videtur, qui par-
B ta victoria, in eius quem vicit, sponte potestatem venit: & Pompeij quidem ignauiam conuitijs onerant, qui cùm esset tot gentium victor, se Ptolemæo dedidit; Catonis autem animi celsitudinem prædicant, qui sibi manus afferre maluit, quàm vt quisquam eius vitam à Cæsare deprecaretur. Hanc ego Catonis dementiam qui laudat, non miror Dauidem vituperare posse. Sed hoc planè miror, qua fronte Christianum nomen iactet atque ostentet, cùm Christiana pietas à tanto scelere abhorreat. Pompeij consilium longè præstabilius censeri debet, qui dedere se maluit, & aliena fraude potius quàm proprio scelere perire. Neq; verò rerum secundarum ea constantia est, vt si quem fortè viceris, eidem in posterum nunquam supplicandum putes.
C Fit enim non rarò, vt quem primo certamine fuderis, idem postea reparatis viribus victorem suum profliget. Quamobrem vti victoriâ modestè vtendum est, sic quoq; deditionis necessitas, cùm res postulat, fortiter tolerandaest. Absit autem, vt beneficij autorem spernere iudicetur, quisquis pro varia fortunæ vicissitudine victoris victiq; personam vicissim induit: quin potius necessitati paret, & diuino
de se iudicio obtemperat. Tertiò, fœdus, in- 2.
quiunt, cum proscriptis gentibus Iudæos inire non licuit. Quid tum? Non enim fœdus Dauid cum Palæstinis inijt: sed vt sibi fas esset tutò cum eis versari, precibus ab Achis impetrauit.
Quartò tamen obijciunt, Iudæos diuina lege 6.
prohiberi, ne Regem externũ asciscant, & qui genere ac religione frater esse non censeatur.
D Verum illud quidem est, si liberis populi suffragijs designandus foret: sin aliò demigrandum fuit, & inter exteras nationes commorandum, nusquam iussi sunt earum Reges tollere, & suorum quempiam præficere. Quamobrem Dauid neque Regem Ethnicũ sponte deligere potuit, neque se vltrò eidem addicere: veruntamen in tanto vitæ discrimine ad arcendum periculum
eiusdem vti præsidio potuit. Postremò, etiam 7.
hoc adijciunt, Dauidem, quantũ in ipso est, Dei voluntatem atq; institutum rescindere; vtpote qui cùm à Deo Princeps designatus esset, & eo nomine populi defensionem ac patrocinium suscipere debuisset, nunc eundem contrà palàm armis oppugnet. Sed hoc falsum esse iam sępius diximus, & deinceps iterum dicturi sumus.

Verùm,

ET ABIIT DAVID, &c.

Nec suis scandali ansam præbuit.

Verùm, esto: dices, præuaricatæ legis damnari non possit: scandali tamen occasioné popularibus suis præbuit, dum in hostiũ exercitu Ethnico Imperatore meret. Qui militari dolo (quod genus Græci στρατήγημα vocant) hostem circũuenire statuit, non habet semper necesse docere quemlibet rationẽ consilij sui, ne quam animorum offensionem pariat. Siquidem quæcunq; defectionis erit coorta suspicio, maturo rei exitu statim diluetur. Alioqui verò quod celare velis, illud prodere minimè tutum est; ne quo pacto gens inimica rescifcat. At saltem, inquis, Saulem admoneret. Quid si explorator tutò satis cõmeare non potuit? Quid si hoc veritus est, ne Saul odio ac furore amens, ad se delata hostibus patefaceret? quid si antea castris excedere iussus est, quàm rei gerendæ potestas esset? Nam vt primùm copiæ lustrari cœptæ, eundem concessò vltrò cõmeatu remissum didicimus. Vtique Palæstinis animos sua præsentia addidit. quippe nouerant ad parandam victoriam quantum momenti prius Hebræis attulisset. Quinimò Satrapæ eo conspectò non mediocriter territi sunt: nec antè pugnam capessere statuerunt, quàm is procul abscederet; nihil ambigentes vbi primùm acies concurrissent, *mistus{q}; viro vir* manum consererent, Palæstinis à tergo minimè parsurum. Illud tamen eosdem plurimùm confirmauit, quòd scirent à castris Hebræorum abesse, quos eo præsente lacessere nequiquam auderent. Esto. Si quid tamen alter peccarit, Dauidi non oportuit vitio dari. Neq; enim per eum steterit quominus inter primos Iudæorum prælium iniret, fortiterque dimicaret: sed Regis iniquitate Israëlis castra deserere compulsus est, qui ne sibi quidem parcere instituit quo minus eum perderet. Iudæos

Nec Palæstinis animos addidit.

16. tamen, inquiunt, non medioctri præsidio nudauit, cùm plures ad eum fortissimi milites trãsfugerent, qui si mallent cum fratribus in acie stare, ordinesque seruare, Palæstinorũ impetum atque audaciam retundere potuissent. Vt tamen illi inconsultò deliquerint, Dauidem eos non decuit ob alienam culpam infamare. quid si eosdem par necessitas eò compulit, dum nolunt Regio furori ac nequitiæ obsequi; ac proinde insidias vtrinq; pertimescerent, quòd Regis in se odium atq; offensionem bene agendo concitassent? Addunt postremò: Si tamen in Iudæa

20. mansisset, potuisset crebris excursionibus infestam Palæstinam reddere, & populando, prædasque agendo, hostem ab incœpto reuocare. Fatemur: neque is abnuit, si certo loco daretur consistere: idq; semper antea impigrè præstitit, donec receptum vel in antris, aut desertis montibus se habere credidit, quò pedem referret. At nunc, postquam inaccessas rupes, & auia nemorum, subterraneosque specus, latibula ferarum, Regis obsedit improbitas, nec se vidit vspiam posse delitescere: si mutuam cædem ciuium vitare studuit, patria visa est necessariò deserenda. Quam vbi iam quartũ mensem non sponte reliquisset, Palæstini de vastanda atque occupanda Iudæa deliberant, statimque coacto exercitu in fines Iudæorum irrumpunt, & cùm Saule lætis animis de summa rerum decertant;

A cùm interim Dauid vtrinq; rejectus, neq; moliri quicquam inter Palæstinos potuit, à quibus ablegatus erat: neque periclitanti Regi ferre suppetias, cùm ob interualla locorũ, tum quòd ab eo dudum hostis iudicatus erat, & crudelissimè protect{us}. Hactenus, vt spero, quàm breuissimè fieri potuit, eorum, quæ ab aduersarijs proposita sunt, argumentorum vim atque impetum ratione labefactaui. reliquum est, vt quibus verior opinio nixa fundamentis sit, à me pariter ostendatur.

ET ABIIT DAVID, &c.

Pars negans statuitur, & asseritur Dauidis innocentia.

Primum argum. petitur ex eo quod prius licitè transfugerit ad Moabitas.

Cur enim Dauid hoc loco reprehenditur, qui antea reprehensus non est, cùm fugeret in terram Moabitarũ? An enim illi minus erant ido-
B lolatræ, quàm Palæstini? Respondent: Alia fuit ratio & temporis, & animi, & gentis. Primùm enim non ita multos tum secum habebat milites: deinde nõ fuit eo animo, vt militaret Moabitis, sed vt apud eos parentes senes deponeret. Nec adhuc acceperat verbum Domini vt rediret. Ibi enim primùm admonitus est à Gad Propheta, vt sese reciperet in Iudæam. Nec ita alieni erant Moabitæ à Iudæis vt Palæstini. Erant enim ex posteris Loth fratris Abrahã. Et Deus Deuter. 2. nominatim edixerat Iudæis, ne attingerent illorũ agros. Non est ergo similis ratio. Sed & illud quæri poterat, an rectè Dauid perrexerit ad Moabitas. Certè profectionẽ illã non vsqueadeò placuisse Deo, ex eo apparet, quod eum postea iussit per Gaddũ reuocari. Ha-
C ctenus aduersariorũ responsio est, quam nihil erit negotij manifesta ratione refellere. Non ita multos, inquiunt, tum secum trahebat milites. Non tamen pauciores quadringentis, vt suprà refertur cap. 22. ad hos ducenti duntaxat accesserant, cùm se modò ad Achim conferret. Cæterùm numeri ratio quid ad augendam, vel minuendam fugæ æquitatem faciat, non inuenio. Nam si sexcentis fugere non licuit, ne quadringentis quidem: qui mihi videntur eò minus excusatione digni, quòd videtur minore numero cõmodius in Iudæa seruari potuisse. Non enim Dauid cum Saule confligere decreuerat, sed identidem mutando sedes, furoris impetũ eludere. Vnde sequitur, vt si quadringenti cùm fugerent, nihil admiserint reprehensione dignũ,
D ne sexcẽti quidem postea notationẽ & animaduersionem mereantur. At non eo animo fuit vt Moabitis militaret. quinimò eodẽ cap. 22. Scriptura memorat quandiu Dauid inter Moabitas versatus est, semper eum in præsidio fuisse. Non tamen hactenus illũ Dei nomine Propheta conuenerat, &, vt pedem referret, imperauerat. Sed ne postea quidem quisquam vetuit miserũ atque iactatum vicinæ gentis portu ac perfugio vti. Tum autem remeandi ea occasio fuisse videtur, vt Ceïlam à Palæstinis obsessam seruaret.

Potuit Dauid vrgente necessitate, citra religionis periculũ, Ethnico principe stipẽdia mereri.

Probas itaque, dices, eundem apud Ethnicos stipendia facere potuisse. Vtique, si nihil molirentur, quo Synagogã destruerent, sed alienos, à quibus accepissent iniuriã, iusto bello lacesse-

Et abiit David, &c.

rent. Genes. 14. Abraham Gomorrhæos & Sodomitas cæsis eorum hostibus vltus est, & prædam restituit, statimque Melchisedeci Regis ac Sacerdotis benedictionem est adeptus. Machabæi verò li. 1. ca. 8. icto cum Romanis fœdere, disertis verbis pacti sunt *Quod si institerit bellum Romanis prius, aut omnibus socijs eorum in omni dominatione eorum: auxilium feret gens Iudæorum. pro vt tempus dictauerit, corde pleno: & custodient mandata eorum nihil accipientes.* Hæc Iudas probauit vnà cum fratribus, & reliqua gente Iudæorum. Et sequenti cap. 11. Ionathas à Demetrio Rege rogatus, Iudæos ter mille fortissimos milites Antiochiã misit, qui eundem defectione exercitus, & populi seditione penè oppressum, atque in regia obsessum, ciuiũ strage edita, periculo exemerunt, & in pristinam dignitatem asseruerunt. Iosephus etiam hoc narrat Antiquit. l. 11. c. 8. siue vlt. Alexander Macedo, inquit, cùm fecisset Iudæis potestatem, si qui vellent saluis suis ritibus sequi eius militiam, multi in eam expeditionem dederunt nomina. Rursum autem l. 13. c. 16. Ioannis Hyrcani gesta commemorant, qui patre Simone nefariè interempto, Pontificatum vnà cum Principatu exceperat (& prophetandi quoque gratia deinceps claruit, vt idem autor est seq. cap. 18.) hæc habet. Quin & Antiochũ Pium Syriæ Regem, profectum in expeditionem Parthicã sequutus est vnà cum auxilijs. Cuius rei testem laudat Nicol. Damascenum, qui docet eundem Antiochum biduum hæsisse ad Indatem fluuiũ, quòd tum in solennem diem incurrisset, per quã Iudæi vetabantur longius iter conficere: quæ non alia fuit, inquit Iosephus, quàm Pentecoste, quæ tum instabat post Sabbatũ] Ioannes certè non legitur, cùm in Pharisæorum scelera & sordes inueheretur acerrimè, Iudæos à Romana militia deterruisse: *Nemini*, ait, *calumniam feceritis: neminem concutiatis: contenti estote stipendijs vestris.* nusquam addidit, & castra quoque Romanorum deserite: Ethnicis Imperatoribus nolite mereri. Denique Iosue cap. 10. Gabaonitas tutatus est, & pro eisdem cum Regibus Amorrhæorum prælium commisit. His autoribus in eam sententiam adducor, vt Iudæis licuisse credam, salua religione ac fide externæ militiæ nomen dare.

Ioseph.

Vrgent, Non ita alieni erant Moabitæ à Iudæis, vt Palæstini. Erant enim ex posteris Loth, ac proinde etiam consanguinei, à quibus abstinere manus Iudæos Deus præceperat. Esto, terram eorum filijs Israël dare noluerit: noluit tamen eosdem habere rationem vllam cognati sanguinis, sed Moabitis Iudæorum consortio ac beneuolentia perpetuò interdixit. Lege Deuteron. cap. 23. Eo loco Manzer, siue *de scorto natus, post decimam generationem in Ecclesiam Domini* admittitur. At verò *Ammonites & Moabites etiam post decimam generationem non intrabunt in Ecclesiam Domini, in æternum: quia noluerunt vobis occurrere cum pane & aqua in via, quando egressi estis de Ægypto: & quia conduxerunt contra te Balaam filium Beor de Mesopotamia Syriæ, vt malediceret tibi. Et noluit Dominus Deus tuus audire Balaam, vertitq; maledictionem eius in bene-*

Moabitarũ consortio præ cæteris Deus Iudæis interdixerat.

A *dictionẽ tuam, eò quòd diligeret te. Non facies cum eis pacem, nec quæres eis bona cunctis diebus vitæ tuæ in sempiternum.* Ergo vtriusque gentis, quod spectat ad ineundam societatem, par & similis ratio fuit. Nec alterutrius vti commercio quisquam inhibuit, si nulla commodior expediendæ salutis ratio appareret. Illis enim non nobis ea pœna quæsita est, & incõmodo suo, non nostro periculo plectidebuerunt. Postremò, quòd ipsum quoque Dauidem insimulant, tanquam prius etiam temerè ad Moabitas commeasset, perperã faciunt; tametsi inde postea à Gad Propheta reuocatus sit. Non enim Ioseph sine numine Christum adhuc infantem in Ægyptum transtulerat; neque Iacob sine oraculo cum tota familia eodem perrexerat: & tamen inde Ioseph postea, posterique Iacob diuino monitu
B pedem referre iussi sunt. Multa ab initio probat diuina prouidentia, quæ subinde tamen mutari vult, & sapienti consilio in diuersam partem inflecti. Habent scilicet vt tempora, sic quoque res humanæ suas vicissitudines, nec vno, vt aiunt, tenore fluunt.

Et abiit David, &c.

Quod autem non solus Dauid, sed alij quoque vi ac necessitate coacti, opem ab Ethnicis implorarint, & ad eos confugientes inopiæ suæ, aut etiam incolumitati prospexerint, non paucis nec contemnendis antiquorũ exemplis probare possumus. Abrahami nolo meminisse, aut eorum cuiusquã qui ante scriptam legem, cùm fames in regione Cananæa sæuiret, toties in Ægyptũ sibi gratia descenderunt. Sed nec Patriarchæ Iacob, aut Legislatoris Moysis recor-
C dabor, quorũ alter Pharaonem fugiens ad Madianitas se contulit: alter fratris minas iramque veritus, ad Laban auunculũ se recepit, quem testatur Scriptura cultorem idolorum fuisse. Vtique iamdudum lex promulgata fuerat, cùm, vt legitur Ruth c. 1. *In diebus vnius iudicis facta est fames in terra: abijtque homo de Bethlehem Iuda, & peregrinatus est in regione Moabitide, cũ vxore sua & duobus liberis. Ipse vocabatur Elimelech, & vxor eius Noëmi, &c. ingressiq. regionem Moabitidem morabantur ibi.* Hi fuerũt maiores Dauid, quos nemo hactenus violatæ legis damnauit: datur siquidem venia necessitati. Fames enim Iudæam populabatur. quid si ferrea mors à tergo premeret, annon fas esset tum quoq; in alienam prouinciã euadere? *Absalon* post patratam cædem *fugiens, abijt ad Tholomai filium Ammiud*
D *Regem Gessur, fuitque ibi tribus annis.* 2. Reg. c. 13. v. 37. Amnonem iure cæsum nequaquã dixerim: Absalonem tamen fugæ neutiquam pœnituit, aut loci diuersa religio scelus exaggerasse cuiquam visa est, quominus Dauid eidẽ parceret, postquam maioris nati casum eluxit. Ieroboam quoque 3. Reg. c. 11. v. 40. postquam de regno certior factus esset ab Ahia Silonite, Salomonẽ fugiẽs, in Ægypto à Rege Sesac seruatus est. Sed ne sceleris suspectos duntaxat proferre videar, age testes laude dignos in posterum, seu potius autores citemus, 3. Reg. c. 17. v. 8. Vt primùm torrens Carith, qui Eliæ potũ ministrabat, prohibitis nubium stillicidijs exhaustus est, *Factus est sermo Domini ad eum dicens: Surge, & vade in Sarephta Sidoniorũ, & mane ibi: præcepi enim ibi mulieri*

Alterum argumentum ab exẽplis.

Abraham.

Iacob.

Elimelech.

Absalom.

Ieroboam.

Elias.

Et abiit David, &c.

mulieri viduæ vt pascat te. Surrexit, & abijt in Sarephta. Addamus & alterum Prohetam, vt iuxta Scripturæ sententiam: *In ore duorum testium stet omne verbum.* Apud Ieremiam cap. 26. Vrias filius Semei de Cariathiarim, cùm vrbis cladem vaticinatus esset, minasque graues in Iudæam contorsisset, Regis Ioakim sæuitiam veritus, statim in Ægyptum secessit. Vnde tamen postea tanquam ereptus ex asylo, Regis iussu periit. Accedat tertius quoque Elisæus, qui 4. Reg. cap. 8. *Loquutus est ad mulierem, cuius viuere fecerat filium, dicens: Surge, vade tu & domus tua, & peregrinare vbicunque repereris: vocauit enim Dominus famem, & veniet super terram septem annis.* Ipsa porrò totidem annis morata scribitur in terra Philisthijm, reduceremque domum & agros postliminij iure recepisse. quarto loco Ieremias, vt idem scribit cap. 38. à Deo allegatus ad propugnatores vrbis Ierusalem, non modò priuatim singulis, sed etiam publicè omnibus autor fuit, vt ad Chaldæos transfugerent: sic enim optimè saluti eorum consultum iri. Quo nomine cùm in vitæ periculum incidisset, idem tamen Sedeciæ Regi persuadere conatus est. ibid. v. 20. Denique Christus Dominus iam adulta ætate, iam passim Euangelij sementem fundens, cùm aliquando labore fractus & siti, sederet ad puteum, Samaritanam mulierem potum petijt: & Pharisæorum improbitatem fugiens, tantisper dum eorum refrixit impetus, & aliquantum ira deferbuit, ad Tyrios, Sidoniosque se contulit. Atqui prius palàm edixerat: *In viam Gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis.* Sed hoc scilicet factis docere voluit, tempora distingui oportere, & esse necessitati parendum. Nam qui hoc loco cùm mortem fugeret, ad Palæstinos transijt, idem quoque Dauid, vt Dominus autor est Matth. 12. ver. 3. *Cum esuriret, intrauit in domum Dei, & panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his qui cum eo erant, nisi solis Sacerdotibus.* Respondent, Christus quidem ad Tyrios, Sidoniosque se contulit, sed non vt illorum partes susciperet contra Iudæos: sed vt eos doceret Euangelium, vt adduceret ad Deum, & sanaret, & in eos beneficia conferret. Idem quoque de Dauide sentiendum est, non accessisse ad Palæstinos eo animo, vt Israëlitis negotium facesseret: sed vt seipsum, & alios complures, quos Regis ira ad cædem destinarat, procul in tuto collocaret: quo beneficio nullum maius ab eo æquiusve sperari potuit. Nam & innoxios ipse seruabat, & qui suâ causâ iniustè periclitabantur.

Vrias.

Elisæus.

Ieremias.

Christus Dominus.

Verumenimuerò Dauid habuit eo tempore hostem potentissimum, & tribules ingratos, & infidos. An semper versandum erat in periculo? Sic vrgebatur persequutione Saulis, & proditione suorum tribulium, vt necessariò aut moriendum fuerit, aut fugiendum ad Palæstinos. Imò aiunt, hæc fuga non euitauit periculum, sed permutauit. Nam in maiores angustias se coniecit inter Palæstinos, quàm si mansisset in Iudæa. Non est autem prudentis, aut pij viri, ea propter timorem, & animi imbecillitatem suscipere, aut facere, quæ ipsius persona sunt indigna. Saul persequitur: Ziphæi produnt: At Deus tibi illorum insidias indicauit, vt tibi nocere non possent. Saul semel atque iterum venit in manus tuas. Sed graue est perpetuò ita viuere. Esto. Sed Deus huiusmodi ictibus cudit in te futurum Regem. In summa, facis ista vel diffidentia de Deo, vel odio crucis. Si diffidentia, refer te ad promissiones Dei, & considera, quid tuâ causâ antehac fecerit. Si odio crucis lamentare potius infirmitatem istam carnis, quæ ita hæret in natura nostra, vt ne à sanctissimis quidem hominibus depelli possit. Dilemma autem illud aut fugiendum est, aut moriendum, infirmum, & mancum est. Adde enim tertium cornu: nimirum, vt ibi maneas, vbi te Deus collocauit: & speres eum non minus nunc tibi adfuturum, quàm antea. Qui sic argumentantur, non parum subtiles & acuti sibi videntur. Verùm si attentius consideres, inuenies, quod ait sanctus Augustinus lib. 1. contra Iulianum Pelagianum, aciem argumentorum vitream, & plumbeos pugiones esse. Etenim iam satis superque ostendimus, Dauidem, neque Deo diffidentem, neque crucem detrectantem ad Palæstinos penetrasse: sed quòd hanc Dei mentem esse intelligeret, vt humana ope, quoad fieri licitè posset, remediū calamitati suæ quæreret. Falsum est autem, sic Dauidem in Iudæa tanquam statione Deum collocasse, vt vetaret quoquam egredi: præsertim cùm dudum Ceilam obsidione liberasset, & iam altera vice innocentiam suam Sauli in eius summo discrimine approbasset. Quod autem aut solùm exilio vertendum diximus, aut mortem oppetendum, non ita accipiendum est tanquam ne diuino quidem præsidio defendi posset: sed quod ita futurum videretur, ni Deus præter ordinem eundem miraculo seruaret. Est autem prudentis ac pij viri officium, donec humanis opibus se tueri possit, diuinam vim experiri nolle: quod vtique numen grauiter offendit. *Non tentabis*, ait, *Dominum Deum tuum.* Quæ autem sint illæ angustiæ, in quas apud Palæstinos incidit, neque aduersarij explicant, neque nos diuinare possumus. Nam & Achis illum fecit semper plurimi, & seorsim præterea, vt voluit, oppido donauit. Breuis autem illa calamitas quæ Siceleg oppressit, ea quoque in Iudæa grassata est, vt patet sequenti cap. 30. ver. 14. quæ demùm ita cessit, vt inde plus emolumenti consequeretur, quàm accepisset detrimenti. Indignum autem sua virtute nihil admisit: sed hostes illusit stratagemate, prædas egit, & spolia opima tulit.

Argumentum à necessitate.

Obiectio.

Responsio.

Adhæc, non tantùm sibi prospicere debuit, sed etiam suis. Habuit autem sexcentos milites, cum illorum vxoribus & liberis, qui vitam difficillimam trahebant in syluis & saltibus. Vnde eos alere potuisset in Iudæa? An vim fecisset suis popularibus? & illis inuitis cibos eripuisset? Quid autem vltrò daturi fuerint, satis apparet ex historia Nabal. Obijciunt contrà: Nihil opus erat, vt aut vim adhiberes, aut expectares liberalitatem tuorum. Tantùm in Iudæa permaneres. Erant finitimi Palæstini hostes nominis Iudaïci, & iam proscripti à Deo.

Altera necessitas.

Et nunciatum est Sauli, &c.

Ab illis licebat prædas agere. ita enim antea feceras: & Deus conatus tuos fortunauit. Sed iam deerat receptui locus, & Rex ipse missis in antra & speluncas exploratoribus, suspecta omnia atque infesta reddiderat. Familiæ porrò cùm muliebri turba, tum senili atque immatura ætate graues, sedes identidem mutare non poterant. Multi etiam erant apud Saulem probi viri, qui Dauidi fauerent, & bene cuperent, & eâ causâ sæpè vocabantur in periculum. Adhæc prudentis viri erat, vti occasione, quam Deus obtulerat. Quod nisi fecisset, videri potuisset tentare Deum. Postremò, oportuit finem aliquem imponi peccato Saulis, vt desineret persequi hominem innocentem. Id cùm breui futurum Deus decreuisset, Dauidem abesse voluit, ne auxilium ferre tentaret: aut si non ferret, maleuolorum conuitijs proscinderetur, & eidem ex communi suspicione populare conflaretur odium, atque inuidia. Itaque diuini consilij, vt iam antea monuimus, particeps & conscius factus est, nec temerè quicquam aut præposterè fecit.

Complures aliæ rationes.

B

Et nunciatum est Sauli quòd fugisset Dauid in Geth: & non addidit vltrà quærere eum.] Non fefellit Dauidem coniectura sua: neque enim Saul eum amplius est persequutus. Vel quod difficile videret esse, eum assequi: vel quod iam id haberet, quod quærebat: exitium videlicet Dauidis. Sic enim cogitauit apud se, Dauidem, qui & Goliathum, & alios ducentos Palæstinos occidisset, & summa cum ignominia eorum præputia abstulisset, non posse tutò viuere inter Palæstinos. Apparet Geth ciuitatem fuisse satis amplam, quæ præter inquilinos, etiam sexcentos milites reciperet cum familijs.

C

Adrichom. Geth.

Quod ad topographiam attinet, Adrichomius in descriptione tribus Dan, Num. 29. Geth, inquit, vrbs regia, sita in colle, vna ex quinque principalibus Philisthinorum, quondam immanium gigantum alumna. de qua fuit Goliath à Dauide cæsus, & alij, quorum nonnullos Dauid expulit. Ab hac vrbe propriè incipit terra Philisthinorum. Est in decimo quarto milliario ab Eleutheropoli euntibus Diospolim, de Ioppe quatuor leucis, non longe à mari sita. Hanc vrbem Dauid diripuit, Roboam instaurauit, Asaël Rex Syriæ expugnauit, Ozias murum eius destruxit. Ætate sancti Hieronymi vocabatur Diocæsarea. Aliàs Anthedon, & Agrippia dicitur, nunc Zaph, vel Ibelis, Hibelis, Ybilyn, &c. appellatur à Guliemo Tyrio in libris de Bello sacro. Habuit tum Comitem suum, vt idem autor est 21. lib. capite 13. Quod tamen Anthedon cum Geth confunditur à Volaterrano, putat nulla ratione factum Veissemburgius. Fit item alterius Geth mentio 4. Regum 14. quam γεθ vocant Græci, in Opher, patria Ionæ Prophetæ, vbi & sepultus fertur; vicus exiguus, & ignobilis iuxta Sephorim. Hactenus Adrichomius. Si loca Scripturæ desideres, & autorum opera, eundem consule.

D

A

VERSVS V.

Dixit autem Dauid ad Achis: Si inueni gratiam in oculis tuis, detur mihi locus in vna vrbium regionis huius, vt habitem ibi: cur enim manet seruus tuus in ciuitate Regis tecum?

Quam ob causam Dauid seorsum à Rege studuerit habitare.

DAuid postulat à Rege oppidum sequestro sibi dari. Nonnulli putant id eum modestiæ causâ fecisse, quòd non putaret conuenire, vt ipse in eadem ciuitate moraretur cum Rege. Alij potiùs vt habitaret in finibus, & excursiones facere posset, ac prædas agere: alij, quòd odisset luxum: alij, quòd meminisset Goliathum, & alios Palæstinos interfecisse: & cogitaret, præsentiam suam posse sibi creare periculum: alij, quòd videret aulas scatere calumnijs, & fraudibus: & sciret, semper in illis esse aliquos, qui insidientur illis, qui sint in gratia apud Regem. Alij Dauidem hoc potius petijsse arbitrãtur, ne cogeretur apertè pugnare contra Iudæos. Nam in oculis Palæstinorum positus, non latuisset vicinos vastans. Habuit ingenium in procinctu, quicquid erat suscipiendum. Ego tamen magis crediderim idcirco seorsum habitare voluisse, quòd non ferret idolatriam ciuitatis: maximè, quòd videret, se vix sibi temperare posse à carnibus immolatitijs, & præsertim, cùm sæpè inuitandus esset ad illorum conuiuia. Hoc sanè etiam prius quàm ad illos commearet, vereri visus est, cùm præced. cap. ver. 19. diceret vehementius expostulans, *Maledicti sunt in conspectu Domini, qui eijciunt me hodie, vt non habitem in hæreditate Domini, dicentes: Vade, serui dijs alienis.* Non enim locus, quæ fuit regni sedes & domicilium, Dauidi displicuit: sed pleraque suspecta habuit, quæ in eo loco degentem cum Rege ad Gentilitiæ superstitionis cultum inuitarent.

Quo pacto quis absque scelere inter Gentiles conuersari possit.

QVÆSTIO XCIV.

Tertull.

De sacris locis Gentilium quid sentiendum sit.

TErtullianus in lib. de Spectaculis, postquam deos recensuit, quorum falsis numinibus cæca vetustas Circum consecrarat; quò ab impuris & flagitiosis spectaculis Christianos citius auocaret, ostendit, primùm loci conditionem religioni non officere. De locis, inquit 8. cap. locus est retractandi ad præueniendam quorundam interrogationem. Quid enim, inquis, si alio in tempore Circum adiero, periclitabor de inquinamento? Nulla est præscriptio de locis. Nam non sola ista conciliabula spectaculorum, sed etiam templa ipsa sine periculo disciplinæ adire seruus Dei potest, vrgente causa simplici duntaxat, quæ non pertineat ad proprium eius loci negotium vel officium. Cæterùm, & plateæ, & forum, & balneæ, & stabula, & ipsæ domus nostræ sine idolis omninò non sunt; totum sæculum Satanas & angeli eius repleuerunt. Non tamen quod in sæculo sumus,

à

Cur manet servus tuus, &c.

à Deo excidimus: sed si quid de sæculi criminibus attigerimus. Proinde si Capitolium, si Serapeum sacrificator & adorator intrauero, à Deo excidam: quemadmodum circum vel theatrum spectator. (*de ludis ita sentit opinor, quod dijs voti atque dicati essent.*) Loca nos non contaminãt per se, sed quæ in locis fiunt, à quibus ipsa loca contaminari altercati sumus: de contaminatis contaminamur. Hactenus de locis Gentilium Tertullianus, quæ à Christianis frequentari posse autumat tantisper dum ab eorum superstitione abhorreant.

A quib. artibus in media Gentilitate cauere debeamus.

Pergit autem & in reliquis, quo pacto in media Gentilitate se habere debeant, docere in eo lib. quem scripsit de Idololatria. Ac primùm docet, idola fabricare non licere, quoniam id ad idololatriam pertineat: & est manu atq; opere asserere, quod animo atque ore negas. cap. 4. 5. 6. 7. Octauo verò capite eandem esse rationem fabricæ templi, aræ, ædiculæ, domus, in honorem idolorum, siue expressionem in bractea, aut insignibus eorundem. Nono, non licere esse Astrologos, Mathematicos, Magos: eos enim esse idololatras. Decimo, nec Ludimagistros, quum deorum genealogias, & reliqua ad eos pertinentia ex Poëtis, & alijs doceant. Vndecimo, negotiationes merciũ prohibet, quæ idolorum cultui inseruiunt. Verùm ea res longiori explicatione indiget, quapropter ipsum audiamus. In crimen offendere idololatriæ eam opinor, quæ ad ipsam idolorum animam & spiritum pertinet, quæ omne dæmonium saginat. An non illa principalis idololatria, viderint si eædem merces, thura dico, & cætera peregrinitatis sacrificium idolorum. Nundinationem vetat, quæ materiam suppeditet sacrificiorum, & superstitionis cultum duntaxat foueat: thura tamen in dubium vocat, nec prorsus eorum commercio Christianis interdicit: quoniam his etiam nos promiscuè vtimur. Ait enim, Etiam hominibus ad pigmenta medicinalia, nobis quoque insuper ad solatia sepulturæ vsui sunt. At eas merces, quæ in apparatum sacrificiorum duntaxat insumuntur, venales habere, ac cauponari omninò prohibet. Certè cùm pompæ, inquit, cùm sacerdotia, cùm sacrificia idolorum de periculis, de damnis, de incommodis, de cogitationibus, de discursib. negotiationibusve instruuntur, quid aliud quàm procurator idolorum demonstraris? Occurrit deinde nonnullis quæ objici poterant. Nemo, ait, contendat posse hoc modo omnibus negotiationibus controuersiam fieri. Grauiora delicta quæque pro magnitudine periculi diligentiam extendunt obseruationis, vt non ab his tantùm abscedamus, sed & ab ijs per quæ fiunt. Licet enim ab alijs fiat, non interest si per me. In nullo necessarius esse debeo alij, cùm facit quod mihi non licet. Ex hoc quod vetor facere, intelligere debeo curandum mihi esse ne fiat per me. Exemplo subinde illustrat. Denique in alia causa non leuioris reatus præiudicium istud obseruo. Nam quod mihi de stupro interdictum sit, alijs ad eam rem nihil aut operæ, aut conscientiæ exhibeo.

Quarũ rerũ nundinatio prohibita censeri debeat.

Thuris vsus in Ecclesia tẽpore Tertull.

Sacrificia verò & sacerdotia pijs interdicta

A non reperio, quòd nemo in dubium vocare possit. Circa officia verò, inquit ibid. cap. 16. priuatarum & communium solemnitatum, vt togæ puræ, vt sponsalium, vt nuptialium, vt nominalium, nullum putem periculum obseruari de flatu idololatriæ quæ interuenit: causæ enim sunt considerandæ, quibus præstatur officium. Eas mundas esse opinor per semetipsas, quia neque vestitus virilis, neque anulus, aut coniunctio maritalis, de alicuius idoli honore descendit. Nullum denique cultum à Deo maledictum inuenio, nisi muliebrem in viro. *Maledictus* enim, inquit, *omnis qui muliebribus induitur.* Toga verò etiam appellatione virilis est. Infra tamen cap. 18. ornatus & vestes prohibet, quæ religioni dicatæ sunt: quę ciuiles, aut regiæ & magistratibus aut ingenuitati adscri-
B ptæ sunt, Christianis eas indulget: qualem olim purpuram & suggestum ciuilem sancti viri Ioseph & Daniel haud grauatæ admiserunt. Mardochæus quoq; & Esther, vt testatur eius historia. Superioribus Tertul. consequẽter attexit: Nuptias quoque celebrari non magis Deus prohibet, quàm nomen imponi. *Obijciunt:* Sed his accommodantur sacrificia. Si in vocatu, nec in sacrificijs sit titulus officij, & operæ meæ expunctio, quid tum? si libet. Vtinam quidem nec videre possimus quæ facere nobis nefas est. Sed quoniam ita malis circundedit seculum idololatria, licebit adesse in quibusdam, quæ nos homini non idolo officiosos habent. Planè ad sacerdotium & sacrificium vocatus non ibo: (proprium enim idoli officium est:) sed neque consilio, neque sumptu, aliave
C opera in eiusmodi fungar. Si propter sacrificium adsistam, ero particeps idololatriæ: si me alia causa coniungit sacrificanti, ero tantùm spectator sacrificij.

Cur manet servus tuus, &c.

Quid circa ciuiles solemnitates obseruãdũ. Vestes.

Deut. 22.

Nuptias.

Num sacrificantibus interesse liceat alia de causa.

Cęterùm, inquit idem Tertullianus sequenti capite decimo septimo, qui facient serui, vel liberi fideles, item officiales sacrificantibus dominis, vel patronis, vel pręsidibus suis adhęrentes? Sed si merum quis sacrificanti tradiderit, imò si verbo quoque aliquo sacrificio necessario adiuuerit, minister habebitur idololatrię.

Quid facient qui inseruiunt.

Num verò Magistratum gerere liceat, & dignitates obtinere? Idem eodem capite decimo septimo definit exemplo Ioseph & Danielis, posse seruum Dei alicuius dignitatis,
D aut potestatis administrationem apud Ethnicos capere, si ab omni specie idololatrię, aut gratia aliqua, aut astutia intactum se pręstare possit.

Quid Magistratus.

Quæ itaque potissimùm speciem habent idololatriæ, à quibus cauere necesse sit? Autore Tertulliano eod. lib. Primùm sacrificare, quod Sacerdotum est: deinde sacrificijs autoritatem accommodare, quod summorum Pontificum est: tertiò, hostias locare, curas templorum delegare, ac vectigalia eorum procurare, quod æditorum est: adhæc spectacula edere, aut edendis præesse, quod ædilium curulium, & prætorum est: ideò verò inter idololatrica scelera etiam spectacula & ludos reponit, quoniam dijs vouebantur. Præterea, solemne ali-

Quę necessario vitanda sunt.

CVR MANET SERVVS TVVS, &c.

quid pronuntiare vel edicere, quod augurum est: denique iurare, quod apud Ethnicos non nisi in deorum fit nomine. Hactenus Tertull. qui tametsi perquam accuratè propositam quęstionem dissoluere visus sit, quoniam tamen ea hoc tempore non rarò occurrit, & instar cuiusdam labyrinthi varios flexus & ambages habet, eandem denuò ad examen reuocantes, pluribus iterum explicare conabimur.

Quibus tandem legibus cum Infidelibus nobis habitare liceat.

QVÆST. XCV.

Cum Infidelib. multis nominibus cōuersari licet.

NAm quod liberè quisque possit Infidelium consuetudine vti, pluribus sanè rationib. probari posse videtur. Primùm quia Christus Publicanorum, Pharisæorum, & peccatorum conuiuia non aspernabatur. Secundò, in priori ad Corinth. Paulus fideli coniugi non facit copiam, vt ab Infideli abeat, si modò is velit vnà viuere, atque habitare. Deinde scribit idem Apostolus: *Si quis Infidelium vos ad conuiuium inuitarit, & vultis ire, quæ vobis apponuntur comedite.* Suis itaque verbis id liberum facit. Præterea, idem in eadem epist. se ait monuisse Corinthios, vt scortatores, rapaces, maledicos, & consimiles euitarent: *Non quidem omnes*, ait, *alioqui debuissetis de mundo exire: sed si quis frater vocatur, &c.* Non itaque nobis indictum est, impiorum omniũ commercia euitare. Adhæc, vocatus est Abraham è Chaldęa, & iussus peregrinari inter nationes à religione alienas. Vnde versatus est in Chanaam, & Ægypto, quæ loca idololatris referta erant. Quin & Loth à conuersatione atq; familiaritate cognati sui Abraham sese disiunxit, & ad habitandum Sodomam se contulit. Naaman quoque Syrus ad suos idololatras redijt. Christus item, quos à morbis sanauerat, non eos omnes retinuit secum, sed illos quandoque ad suos remisit, vt ibi nunciarent, quæ sibi contigissent. Sed & legibus Ciuilibus hæreticis quibusdam locus datus est, vt Nouatianis in vrbe Constantinopolitana, & hodie Iudæis passim conceditur, vt inter Christianos habitent.

Quæstionis explicatio.

Quæstio porrò hæc quam proposuimus, vt grauis est, ita sinus complures habet. Nam primo loco quæri posset quid Magistratibus, deinde quid priuatis hominibus liceat. Secundo loco distinguendum esset, conuersationem cum Ethnicis duplicem esse: Vnam, qua homines ad idololatricos & impuros cultus adigantur: Alteram verò, qua relinquantur liberi. Sed quoniam iam antea cap. 21. ver. 10. quantum in ea re hęreticis quibuscum moremur concedi possit, copiose disseruimus, & deinceps, dante Deo, cap. 28. de officio Magistratuum quæstionem habituri sumus: idcirco de priuatis tantùm hoc tempore, quibus nulla vis afferatur, sermonem instituemus.

De priuatis tātùm agimus.

Primùm itaque attendendum est, eos, qui vnà degũt cum impijs quoad religionem, interdum peritos & fortes esse: nonnunquam verò cùm infirmos, tum indoctos. Dicendum itaque videtur, quod spectat ad priuatos homines, vbi periti fuerint, & vnà cum doctrina constantiam coniunctam habuerint, modò non cogatur impijs ritibus communicare, illos cum hominibus infidelibus licitè agere ac versari posse, dum tamen cautiones quædam adhibeantur. Prima est, vt hoc animo id faciant, quo alienos à pietate doceant, & ad religionem sinceram inducant. Et idcirco dum agunt inter eos, minimè cessare debent: verùm semper id moliri, cuius causa in ijs locis versantur. Atque vt institutio & doctrina eorum sensim obtineat, consultissimum est, vt blandi, ac comes, & benigni sint erga eos, quos Christo lucrifacere cogitant. Nisi enim fides illis fiat, se ab ijs amari, & fieri plurimi, à quibus instituantur, & moneantur, res bene instituta parum feliciter procedeţ. Deinde videndum est, vt sanctè, iustè, atque honestè viuant. Nam si moribus eorũ infideles offenderentur, inutile prorsus studium eorum euaderet: quandoquidem nihil conducit vna manu ædificare quod alterâ destruas.

Quæ docti & fortes obseruare debeant.

Præterea, id maximè videndum est, ne prætextu comitatis vel amicitiæ sese ritibus impijs admisceant, nec quidem si persuasum haberēt, se posse hac via illos facilius ad Christum allicere. Apostolica enim regula oportet inconcussa maneat: mala non esse cōmittenda, quo bona contingant. Caueant etiam ne lucra sectentur, aut sua commoda quærant, dum cum eis versentur. Etenim quidam reperiuntur, qui licet cupiditatem Euangelij propagandi obtendant, suas tamen voluptates & lucra, seu compendia captent. Quod si desperetur, (quod tamen rarò iustè potest contingere) salus huiuscemodi Infideliũ, cum eis amplius non est agendum, nisi quantum necessitas vel nostra, vel eorum postulat: id est, si fortè ipsi laborarent grauissimè, nec eis aliunde quàm operâ nostrâ posset subueniri: aut si nosipsi quæ ad victum necessaria sunt, alibi quàm apud eos non valeremus nancisci. Conuersari etiam cum eis licebit, quãtum naturales & ciuiles necessitudines exigunt, vt si nostri Principes fuerint, patres, coniuges, aut heri, & horum similia.

Restat vt hanc sententiam confirmemus diuinarum litterarum vel testimonijs, vel exemplis. Ita profectò Christus agebat, qui hac de causa cum publicanis, peccatoribus, Pharisęis, & Scribis versabatur, vt eos de salute institueret, & à peccatis ad virtutes & pietatem conuerteret. Vnde S. Hieronymus in cap. 9. Matt. sic habet: Ibat quidem Christus ad peccatorum conuiuia, sed vt occasionem docendi haberet, vtque illorum inuitationes cum spiritualibus epulis compensaret: neque alia ibi referuntur, nisi quæ Christus ipse dixerit, aut fecerit, quæve potentia illius doctrinæ fuerit, &c. Hac eadem ratione Prophetæ antiquitus vtebantur, quando cum populo idololatra vnà versabantur. Nec dissimili ratione Apostoli cùm à Christo missi essent, inter Ethnicos vagabantur. Neque Paulus cùm venisset Athenas grauatus est per idolorum templa discurrere, ac ibi titulos

Probatur e Scriptura.

Cvr manet servvs tvvs, &c.

& inscriptiones altarium curiosè ac diligenter inspicere. Vnde illam ἀγνώστῳ, *Ignoto Deo* arripuit, ac inde argumentum egregiæ concionis illic habitæ accepit, vt Athenienses ex proprijs ipsorū tabulis quodammodo redargueret. Satis hæc esse arbitror, ad sententiam iam allatam confirmandam. At priusquam hinc discedam, id quoque admonere visum est, istis ijsdem cautionibus adhibitis, licere pijs hominibus cum ijs, qui nominatim non sunt excommunicati, degere, ac conuersari: vt videlicet eos in viam reuocent, modò ne cum illis in crimine communicent, vel, quod nunc in Gallia plerumque fit, animi gratia eorundem familiari consuetune vtantur.

Indoctis atque infirmis quantū sit in hac parte liceat.

Pergamus verò, & de infirmis atque indoctis hominibus quid sentiendum sit, exponere. Ij, licet non cogantur idololatricis ritibus sese polluere, non debent vnà cum Infidelibus familiariter agere. Nam cùm indocti sint, docendi prætextum non habent: etenim si conarentur alios instituere, veram Christi doctrinam sua inscitia ridendam facilè propinarent. Et sanè talium hominum temeritas non leuiter arguenda est, qui cùm objecta non possint refellere, nec captiosas aduersariorum argumentationes dissoluere, cùm ad alios liberandos nihil conferunt, tum non rarò seipsos in laqueos induunt. Suspicantur enim ne fortè vera non sint, quæ non possunt ipsi asserere, tuendæ veritatis difficultatem rei potius quàm imperitiæ suæ ascribentes. quamobrē qui eiusmodi sunt, vt ignorantiâ laborent, ij, quantum patitur necessitas corporis & ratio ciuilium officiorum, debent se à familiari commercio Infidelium sejungere. Adolescentes, tantisper dum magistris artium dant operam, in eandem classem indoctorum referimus. An igitur si fortè à pietate abhorreant, qui ad bonas artes, & ad Philosophiam docendā adhibentur, eorū scholas Catholicam iuuētutem frequentare permittimus? Dico periculosum esse huiusmodi præceptoribus vti, siquidem in animos audientiū peruersa plerunq; dogmata instillant, & cùm de præceptore docto mira soleat apud discipulos esse opinio, facilè postea fit vt eos incipiant admirari, & quidem non vulgariter. Quare videntes eos eloquētes, acutos in Liberalibus artibus, & in Philosophia benè versatos, vix queunt sibi persuadere, illos de religione vera falli ac miserè decipi. E diuerso quippe videmus Origenem Adamantium, cùm præter Christi religionem, qua institutus erat, bonis artibus & Philosophia mirificè imbutus esset, docendo Græcas disciplinas permultos ex auditoribus ad Christum perduxisse. Scimus etiam S. Augustinum, cum S. Ambrosium ob illius facūdiam libenter audiret, à Manichæis ad Catholicos denique transijsse. Ita, imò facilius (quandoquidem ad mala magis, quàm ad bona proni sumus) continget sæpius, vt qui sunt in religione infirmi, & parum docti, sub impijs præceptoribus, quoad impietatem, plurimùm proficiant. Et hāc sanè viâ Iulianus Apostata defecit à Christo, dum Libanio, Iamblicho, & Maximo præceptoribus vteretur. Sic quoque Caluinus, dum apud Bituriges in

Ab hæreticis præceptorib. abstinendum.

A studia Græcarum literarum incumbit, autore quodam Volmario Teutonico, seu potius, vt Massono placuit in eius vita, Roberto Hebraïcæ linguæ perito, consanguineo suo, vt dignum erat nefandis eius sceleribus Ecclesiam deserens, hæreticam impietatem amplexus est. quapropter cùm absque graui periculo tales præceptores non habeantur, ab eis prorsus abstinendum iudico.

Obiectio soluitur.

Dixeris fortè Paulum Apostolum in epist. 1. ad Corinth. hasce cautiones, aut exceptiones de infirmis & indoctis minimè tradidisse, cùm simpliciter scribat: *Si quis ex Infidelibus vos vocauerit, & vultis ire, &c.* Quibus verbis testari videtur, totum id nostræ voluntati permittendum. Respondeo, Apostolum non quibuslibet B & cum periculo facere eundi copiam, sed tantùm bene institutis, & quorum fides eo pacto non labefactetur. Nam si quis ab Infideli ad ea conuiuia se vocari intelligat, in quibus luxui & crapulę turpiter indulgeatur, & obscœnis quoque sermonibus casto pudori illudatur, atque adeò vereatur ne se pariter in eadem flagitia ingurgitet: hîc citra controuersiam data ab Apostolo licentia abuti non potest. Quis igitur putet, cùm de fide in conuiuio periclitandum sit, eódem indoctum bona atq; integra conscientia posse proficisci? Nam quo pacto, postquam eò accesserit, quod agit, ad Dei gloriam, quemadmodum iubetur, instituet? Proinde si Paulus eo loco disertis verbis cautionem allatam non posuit, inde minimè colligitur, eam non esse adhibendam: quandoquidem tum firma constat ratione, tum ex alijs diuinæ Scripturæ lo- C cis euincitur, id minimè licere. Nam quæcumque sententiæ iubent vitare periculum, eædem indoctos in hac parte, præsertim si ad contentiosos se conferant, & qui de religione identidem disputent, temeritatis & imprudentiæ condemnant. Debet itaque quisque imperitus atque infirmus, quantum naturalis & ciuilis necessitudo patitur, ab Infidelium commercio seu familiaritate disiungi. Nam cùm inde animo suo periculum imminere videat, non potest bono animo, ac sano consilio cum illis versari. Potest attamen illis debita officia præstare, quæ diuina lege mandantur; ne sententiæ Pauli fiat obnoxius, dum ait: *Qui suorum, & præsertim domesticorum, curam non habet, fidem abnegauit, & infideli est deterior.* Quin & eiusdem D Apostoli præcepto, serui necesse est vt suis dominis pareant.

Quàm necesse sit rudes & indoctos ab Infidelium societate seiungi, cùm ratione, tum pluribus Scripturarum testimonijs probatur.

QVÆST. XCVI.

Probationes ex Euangelio.

Svperest vt de ista conuersatione dirimenda, rationem & testimonia sacrarum literarum indicemus. Principiò quidem Seruator noster dicere non est veritus, Matth. 5. & 18. *Si manus*

CVR MANET SERVVS TVVS, &c.

tua, pes, aut oculus tibi est offendiculo, aut impedimento, abscindas, & abs te proijcias. Hæc porrò, quemadmodum saniores interpretes monent, de corporis membris minimè dixit, sed ad eos retulit, quos familiares, necessarios, & propinquissimos habemus. Ij omnes à cõmercio nostro separandi sunt, quantumuis vtiles & commodi videantur, quando nos à Deo, qui æterna salus est, vel disiungunt, vel remoras, atque impedimenta interponũt, quibus inde auocemur. S. Chrysostomus hoc ferè argumentũ tractans in Ioan. homil. 56. inquit: Si putridum membrũ à corpore amputamus, ne reliquas eius partes corrũpat, quod certè non facimus, quia ipsũ negligamus: *Carnem* enim *suam quis vnquam odio habuit?* quanto magis in his qui nobis malè iuncti sunt, idem faciemus, non illos aspernantes, verùm prouidendo ne salus nostra ibi periclitetur, vbi videmus nos illis non posse quicquam commodare. Proinde familiaritatem & concordiam hoc loco affectare, seu colere, minimè conducit. Huc quoque lex ea Christi spectat, quam 18. cap. Matthæi sancit, vt qui sunt desperatæ quodãmodo salutis, nec fratres rectè monentes audiunt, imò etiam Ecclesiæ vocem se corrigentis surdis auribus excipiunt, loco Ethnicorum atque Publicanorum deniq; habeantur. Quod Paulus item tradidit, qui priore ad Corinth. 5. mandauit incestũ excommunicari, *ne paululum fermenti* vniuersam Sanctorum conspersionem pollueret.

S Chrysost.

Docebat præterea idem Apostolus, & quidem in eadem epist. cap. 15. ex Menandri Comici versiculo, *Sanctos mores corruptis sermonibus vitiari.* Atque inde monstrabat, fidem orthodoxam de resurrectione, inter Corinthios, qui recens ad Christum venerant, grauiter eo nomine læsam fuisse, quòd ad Philosophorum, seu potius hæreticorum argumenta, seu profanas rationes, aures nimis faciles præbuissent. Nemo satis potest cogitare, vt fascinum impiorum sermonum teneram fidem neophytorum inficiat. Quare vtiliter ac opportune monebantur Corinthi, & quotquot sunt, in quorum mentibus Christiana fides non altas radices egit, vt ab Infidelium commercio abstineant. Quin & Medici suadent, si quando lues aut contagio familiam seu viciniam peruaserit, vt qui adhuc integra valetudine sunt, ægrotantes ne accedant. Siquidem in humanis corporibus atque temperamentis, quædam inest συμπάθεια, qua morbi vis ab ijs qui malè habent, ad integros & sanos facilè manat: cuius virus, licet è vestigio non sentiatur ab ijs qui sibi non cauerint, illos tamen aliquanto postea perniciosè labefactat. Proinde quando corporis ita iubemur cauere, multò plus animi vitia prouidere debemus, ne aliunde nobis accersamus.

Ex Apostolo.

Habemus præterea naturam ita comparatam, ob genuinam vel originalem concupiscentiæ labem, vt corruptioni simus vndique obnoxij, quemadmodum tam diuinæ literæ, quàm permulta experimenta nos quotidie admonent, vt dubium non sit, quin alienorum peccatorum venena, si ea quàm diligentissimè non caueamus, facilè simus imbibituri. Ea verò vt nullo negotio imprudentibus nobis adhærescunt, ita semel concepta non possunt absque summis laboribus extrudi. Quocirca sanctus Chrysostomus homilia in Ioann. 56. quam paulo antè produxi, videtur sapienter dixisse: quòd si eos meliores possemus reddere, ac nobis ipsis non officeremus, (de Infidelibus & improbis illic agebat) omnia facienda essent: sed cùm illis prodesse non valeamus, quòd sint incorrigibiles, & nos ipsos grauiter lædamus, omnino sunt abscindendi. Deinde, vt suam validius confirmet sententiam, illud inducit, quod Paulus 1. epist. ad Corinthios, cap. 5. scribit: *Malum auferte è medio vestrûm.* Quæ porrò Apostoli verba de peccato accipi nequeunt, cùm habeamus Græcè τὸν πονηρόν, qua locutione vir improbus notatur. quamobrem nihil errauerim, si Apostoli verba paululum ad infirmorum commodum inuerterem, dicendo: Vos ipsos è medio improborum auferatis. Nam si, cùm debiles & inperiti sitis, accesseritis eos, permulta contra pietatem ac religionem, quam profitemini, cùm videre, tum audire vos oportebit. Ea verò, quia neque confutare, neque arguere valebitis, videbimini tanquam blasphemiarum & contumeliæ veritatis testes adhiberi. Ac fortassis in animis vestris aculeus relinquetur, quo diutius ac putetis in conscientia vexemini. Sapientem audiamus, qui rectè ac fideliter monuit: *Qui tangit picem, inquinabitur ab ea: et qui habet cum superbo commercium, similis eius euadet. Ne suscipias onus supra vires tuas, nec teipsum potentiori te adiungas,* Ecclesiastici decimo tertio capite. Hæc ad rem præsentem duplici nomine pertinent. Primùm, quòd aliena vitia picis instar esse dicantur, quæ tractantium digitis ac vestibus incredibili glutino adhæret. Deinde studiosè monemur, vt rationem propriarum virium habeamus.

CVR MANET SERVVS TVVS, &c.

S. Chrysost.

Paulus ad Corinth.

Doceant nos, quæso, diuinarum litterarum exempla. Israelitæ septuaginta annos in Babylone captiui fuerunt, & infidelium nationum consuetudine vsquead eo deprauati sunt, vt cùm sibi prius à Cyro, deinde à Dario potentissimis Regibus facta esset copia redeundi, permulti eorum noluerint redire, sed capti ædium, agrorum, & mercaturæ commoditate, inter Chaldæos, Medos, & Persas restitabant: adeò in illis pietatis amor, & studium religionis refrixerat. Corripiebantur quidem ab Esdra, Nehemia, & Zacharia, sed paruo cum fructu. Quantum verò ex diuturna consuetudine, & familiari vsu commorandi cum Ægyptijs Hebræi contaminati fuerint, ea, quæ mox in deserto gesserunt, facilè testantur. Etenim cùm adhuc ob oculos haberent summa erga se Dei beneficia, ab eo ad idololatriam desciuerunt: & quoniam viderant in Ægypto bouem superstitiosè coli, Aaronem instigarunt vt sibi fingeret bouem, quem adorarent. Quo sibi dato, cœperunt gratulabundi acclamare: *Ij sunt Dij tui, ô Israel, qui te de Ægypto eduxerunt.* Adhæc per syluestria loca iter facientes, cùm ad fines Moabitarum peruenissent, & vnà cum ea natione familiarius quàm deceret versarentur, eò

Exemplis idem probatur.

Exod. 32.

Num. 25.

eò adducti sunt, vt non solùm Moabitidibus impudicis mulieribus fœdissimè scortarentur: sed etiam turpissimo idolo, nimirum Beelphegor immolarent, seque paterentur sacris eius impurissimis initiari. Matth 26. S. Petrus Apostolorum coryphæus, cùm impiam aulam sacerdotum principis ingressus esset, atque ibi cum ancillis & seruis impijs sermonem conferret, præceptorem suum, Christum, inquam, Iesum, Seruatorem nostrum abiurauit. Quam postea culpam, inde recedens, vberrimis lacrymis defleuit. Isaiæ 6. Isaïas cùm Deum instar Iudicis in templo sedentis videret, & circa eum astantes Angelos, qui laudes illius purissimè celebrarent, quamuis non videretur sibi propriæ culpæ obnoxius, attamen exclamauit: *Væ mihi quòd in medio populi ago immunda labia habentis.* Sentiebat vtique vir Dei, se contagionis ex eo non parum contraxisse, quòd vnà cum populo impuro diutius vixisset. Alexander ille Macedo, qui armis & præclarissimis victorijs iam sibi bonam partem orbis subjecerat, Persarum moribus ita mollitus est, ac effæminatus, vt quos ad suos mores & cultus pertrahere debuerat, eorum ipse vestes, mollitiem, fastum, ac superbiam imbuerit: tantùm abfuit, vt eos ad Macedonum instituta traduceret; quare magnum odium suorum militum incurrit. De Cleomene Spartiatarum Rege alibi diximus Scytharum consuetudine deprauatum fuisse. Verùm id genus exempla passim occurrunt, & plura referri possent.

Plures aliæ rationes id confirmãt. Nec prætereundum est, diuturniorem conuersationem piorum cum Infidelibus, nisi fructus conuersionis eorum appareat, & omnibus modis quæratur, moram seu impedimentum eorundem saluti parere. Nam dum nostros animaduerterunt secum adeò familiariter agere, superstitionem qua laborant, non adeò malam & deploratam existimant. Et fortassis eò adducuntur, vt perseuerando in eis, non desperent se posse salutem consequi. Nam si aliter res se haberet, nostros fuisse dissimulaturos, minimè sibi persuadent. Ijs accedit, complures ex nostris esse, qui exemplo huius promiscuæ conuersationis arbitrantur sibi quoq; idem licere, quod alios facere vident. Vnde priuato quorundam facto seu exemplo malum grassatur latius, & nostra fides atque pietas Ethnicis atque hæreticis hominibus ludibrio habetur. Sæpius etiam id vsu venit, quod Pauli tempore, vt priori ad Corinth. habetur, accidisse nouimus; vt qui alioqui fideles erant, ex ista consuetudine pollutis ac flagitiosis ritibus communicent. Nam ab exteriori coniunctione cum Infidelibus, pedetentim fit gradus ad illorum superstitionem & idololatriam sectandam. Quamobrem non absque ratione clamabat Apostolus: *Fugite idololatriam.* Huc etiam illud facit, quod idem ad Corinthios 2. scripsit: *Nolite iugum ducere cum Infidelibus. Quod enim consortium iustitiæ cum iniustitia? aut quæ communio luci cum tenebris? aut quæ concordia Christi cum Belial? aut quæ pars Fideli cum Infideli? aut quid conuenit templo Dei cum simulacris?* Ista tam clara sunt, vt lumine interpretationis non egeant: nec solùm de contrahendis matrimonijs accipi debent, cùm latè ac vniuersim pateant, ad omnemque pertineant consuetudinem & familiarem vsum cum impijs, quem nostrâ causâ suscipimus.

Scio quidem vmbras veteris legis à nobis Christi beneficio iam esse remotas: veruntamen ea non dubitãdum est hactenus vigere, de quibus per eas tum tẽporis Dei populus admonebatur. Proinde quæro, quid voluerit sibi Deus, cùm Iudæis præcepit, vt fimbrias vestimentis, quibus vtebantur, assuerent? Id nimirũ, vt eo signo edocti, se intelligerent ab Ethnicis discretos, neq; fas esse vt ad eos se adiungerent, nisi quantum necessitas coëgisset. Non semel prohibuit eis Deus ne redirent in Ægyptũ, nec ab exteris nationibus auxiliũ peterent. Volebat quippe suo populo superstitionũ & idololatriæ omnes occasiones præcisas. Quin & Scripturæ passim testantur, Israëlitas grauiter peccasse, quòd nationes idolis deditas, quas Deus proscripserat, seruare maluerint, & redegerint sub tributum, pepigerintque cum eis fœdus, & vnà in ijsdem ciuitatibus & agris habitarint. Et sanè quàm id eis malè verterit, historia ipsa indicat: Non enim Chananæos ad Dei cultum traduxerunt, sed ipsi potius relicto Deo suo, idololatræ pariter euaserunt. *Commixti sunt inter Gentes, & didicerunt opera eorum: seruierunt sculptilibus eorum, & factum est illis in scandalum.*

Taceo inter Hebræos & Samaritanos conuersationem adeò fuisse odiosam vsq; ad Christi aduentum, vt muliercula Samaritis, cuius Ioannes meminit, Christo dixerit, Iudæos non consueuisse Samaritanis familiariter vti. Sub hæc parum Christianis conuenit, παρρησίαν, & facultatem liberè loquendi de Christo sibi adimere. Quod eos facere necesse est, qui vnà cum Infidelibus versantur. Nam si de Christo sermones familiariter cum Infidelibus agendo conferrerent, aut riderentur, aut non ferrentur. Profectò sancti Patres antiquitus & dolebant, & lugebant, cùm aliqua necessitate cogerentur extra populum Dei agere. Dauid noster vtique testis est, qui cùm iniquam Saulis violentiam fugiens, deserta loca incoleret, gemebat. Et in Psalmis apparet, quàm graui querimonia lamentaretur, quòd inter peregrinos, & à Deo alienos, procul à cœtu populi pulsus se reciperet. Daniel vnà cum socijs, mensa regia, & cibis delicatissimis frui potuisset, si dapes Ethnicas & immundas epulas incredulorum non exhorruisset. Moses quoque, vt ad Hebræos cap. 11. scribitur, cùm potuisset filius filiæ Pharaonis haberi, ac inde magnos honores consequi, totum id aspernatus est, & se ad fratres contulit, qui misera seruitute, luto, ac lateribus conficiendis atterebantur. Qui hæc exempla non sequuntur, ij porrò declarant, vt Dei gloriam susque deque ferant, nec propriam salutem studeant cum vlla commodorum suorum iactura in tuto collocare. *An,* inquit Paulus ad Corinthios 1. *Deum prouocamus? an illo sumus fortiores?* Proinde qui sunt infirmi, atque indocti, dum vnà versari cum Infidelibus audent, citra controuersiam Deum tentant, & quodammodo eum prouocant, quasi fortiores il-

CVR MANET SERVVS TVVS, &c.

lo esse velint. Hæc ergo cùm spectaret Dauid, & habere se eius generis plurimos in comitatu suo, qui possent Infidelium consuetudine deprauari: ne quid detrimenti Religio caperet, potius quàm regiæ ciuitatis splendore, ac delitijs frueretur, maluit ignobili oppido contentus esse, in quo procul à superstitionis periculo, qui leuiores essent, faciliùs in officio continerentur.

Respondetur argumentis ab initio propositis.

Restat modò, vt illis respondeamus argumentis, quæ ab initio fuerunt proposita, quibusque videbatur probari communem vsum
1. vitæ cum Infidelibus esse licitum. Christus producebatur, qui cum Pharisæis, peccatoribus, & publicanis vescebatur. At ille non solùm fortis & sapiens, verùm caput omnium sapientum & fortium erat; & ita malis prodesse potuit, vt sibi aliorum malitia nihil prorsus officeret. Proinde qui constantes & benè docti fuerint, ijs, vt docuimus, vt sint cum Infidelibus, cumque vnà licet, quò illis ad salutem prosint. Se-
2. cundo loco de Paulo agebatur, qui prohibuit, vt ne Fidelis coniux ab Infideli discederet, qui vnà vellet habitare. Nos item consensimus naturales & ciuiles necessitudines, præsertim quæ à Deo fuerunt institutæ, retinendas esse. Nec tamen quod ab Apostolo dicitur, ita simpliciter accipiendum est, vt prætexitur: quoniam si coniux Infidelis Christianum coniugem sollicitaret ad impietatem, aut non desineret maledictis Christum incessere, coniugium eiusmodi minimè oporteret continuare. Non enim hoc esset coniuges vnà viuere, sed in Christum si-
3. mul conspirare. Adhæc, sententia eiusdem Apostoli ad Corinthios referebatur, non esse quidem vitandos omnes auaros, maledicos, ebriosos, scortatores, alioquin oportuisset mundo ipso excedere: sed illos tantùm dicebat auersandos, qui fratres haberentur. Quoad hoc, Pauli propositum attentè considerandum est, primùm illum rectè animaduertisse, vitæ tuendæ rationem minimè pati potuisse, vt omnes, qui tum temporis à Christo abhorrebant, cauerentur. Maxima enim pars hominum sub initijs à Christo aliena erat. Nec Infideles meliores euasissent, si nostri se ab eis omninò separassent. Verùm Apostoli sententiâ, corruptis fratribus & dolor & pudor incutiebatur, dum se propter peccata viderent ab eis euitari, quibus antea ita familiares & chari fuerant, vt membra eiusdem corporis iuncta esse consueuerunt. Deinde cùm hæc disciplina vigeret, Ecclesia propter peccata fratrum non malè audiebat; quod secus euenisset, si scelera dissimulare visi essent. Nihil itaque cum ijs pugnant, quæ iam definiuimus. Et id multò minus, quod
4. Abrahamus inter Ethnicos & idololatras peregrinationem susceperit. Primùm, quia Deo vocante id fecit. Deinde, quòd tantæ constantiæ ac sapientiæ fuerit, vt cum impijs absque suo damno, & magno cum illorum fructu versari potuerit. Etenim Dei nomen, & religiosum cultum secum circumtulit, quocunque pergebat. Tametsi reuera ea peregrinatione, seu voluntario exilio idololatras fugeret potius, quàm ad eos accederet. Difficilius enim domesticos caueas quàm alienos, cum quibus familiaritatis parcior vsus est. At serpit intestina tabes promptissimè, & momento cuncta eiusdem familiæ membra corripit. Ad Chananæos ita diuertit, vt tamen eorum hospitio non vteretur: sed contentus publico rerum necessariarum commercio, cum ampla & copiosa familia in tabernaculis agebat. Nec illum ita curiosè indigenæ obseruabant quod potissimùm numen coleret: suos latere in Mesopotamia, Chaldæáq; non poterat, apud quos etiam Hebræi religionis gratia eundem periclitatum ferunt. Deinde non prorsus in ea regione veri numinis reuerentia extincta erat, siquidè eiusdem Sacerdos fuit, qui eo tempore in Salem regnum obtinebat. Verisimile est autem optimorum delectum habuisse, cum quibus societatem coïret. Adde postremò, eundem, quocumque eum Deus allegasset, sacrosanctum, & inuiolabilem populis secreta vi præstitisse. Idem quo- 5.
que liceret de Loth respondere, si consulit sese in Pentapolin bono animo, vt Sodomitas pietatem & rectam vitam doceret: sin verò tantùm loci commoditate adductus eò abijt, vt nihil grauius censeamus, certè illud obseruamus, profectioné illam parum feliciter cessisse. Nam captiuus abductus est, eumque vi prædonibus eripi per Abrahamum oportuit. Et cùm postea diuinitus ea loca incenderentur, coactus est no-
lens volens inde migrare. De Naaman Syro, vt 6.
plura in præsentia dicam non est necesse. Nam cap. 21. de ipso egi satis multis. Si quid tamen addendum est, illud esse videtur: Non satis dignam fuisse causam cur ad Israëlitas se conferret, cùm illi palàm ac publicè vitulis Ieroboam diuinos honores tribuerent. Sed & illud obseruandum est, tutò id facere non potuisse, cùm id temporis Reges Syriæ Regibus Israël satis, vt 4. Reg. c. 5.
apparet ex epist. quam idem attulit, insolenter imperarent, nec æquanimiter laturus esset Benadab, si ad Israëlitas tantus vir & copiarú ductor transijsset. Nec erant præterea regna illa longa locorú intercapedine dissita, vt non posset, cùm opus esset, (si quid fortè difficultatis nasceretur) cum vicinis Prophetarum choris de religione conferre. Adde beneficij simul ac miraculi magnitudinem eundem in suscepta fide plurimùm confirmare potuisse, ita vt fides eius tantis nixa fundamentis, malorum consuetudine conuelli haudquaquam posset. *Onus* præterea *duorum burdonum* de terra Israël tulerat, in qua rem sacram soli Deo faceret annuente Propheta, cuius etiam suffragio precibusque, quas implorauerat, se non parum iuuari posse confidebat. Deniq; securum eum esse Eliseus iusserat, cùm diceret, *Vade in pace.* Quem verisimile non est, cùm corporis valetudinem curasset, salutem animæ negligere potuisse. Christus rur- 7.
sum affertur in mediú, qui non semel eos quos sanauerat, ad suos remisit, vt testes illis essent beneficiorum quæ diuinitus acceperant. Primùm

Qvam ob cavsam, &c. mũm non legitur, vt quidem reor, ad infideles remisisse. quod si fecisset, mirum videri non debuit, quando eos à se donatos constantia & fide, ceu Euangelij prænuntios ad eos allegaret, quos statim Apostoli veritatis luce collustraturi erant. Octauum argumentum ex iuris Ciuilis authoritate pendet, & fortassis seq. cap. 28. nonnulla eius ratio habebitur.

9. De Iudæis, cur tolerentur, S. Augustinus lib. 4. de Ciuitate Dei, & 18. necnon in Psal. 58. Scribit idcirco ferri, quòd præ cæteris hominum generibus promissionem salutis habuerint, neque sint deploratæ spei, cum subinde nonnulli eorum, licet pauci, ad Christum redeant. *Cæcitas*, inquit Paulus, *ex parte contigit in Israel. Cum autem ingressa fuerit plenitudo Gentium, tunc omnis Israel seruabitur.* Deinde, vt idem Apostolus docet, *credita sunt illis eloquia Dei.* testes quoq; sunt eorum, quæ ad fidei nostræ confirmationẽ ex sacris Bibliis deprompta sunt. Postremò etiã in exemplum nobis propositi, ne pariter vt illi, cum sint rami naturales, à gratia excidamus. Prohibendi sunt tamen à magistratibus, ne Christum maledictis proscindant, aut quemquam inficiant.

Paulus ad Rom.

Lege S. Hieronym. in cap. 6. Isaiæ.

Versvs VI.

Dedit itaque ei Achis in die illa Siceleg: propter quam causam facta est Siceleg regum Iuda, vsque in diem hanc.

Versvs VII.

Fuit autem numerus dierum, quibus habitauit Dauid in regione Philisthinorum, quatuor mensium.

F*acta est Siceleg regum Iuda.*] Quidam annotat: Fuerat quidem assignata Iudæ ab ipso Iosue c. 15. 31. Sed tamen obtinebatur à Philisthæis, donec hac occasione ad Iudam transferretur. Neque verò propterea putandum est iniustam fuisse detentionẽ huius oppidi, eò quòd hac ratione fuerit Achis cliens seu beneficiarius: nam primum Siceleg ad ius hæreditarium Iudæ diuinitus pertinebat, & hac donatione quasi reuoluebatur ad iustum possessorem suũ: deinde vero cum aliæ quoq; ciuitates occupatæ à Philisthæis inhabitarentur infrà 31. 7. illæ iure belli receptæ sunt; hæc vero eodem iure à cliẽtelæ vel fiduciæ lege vindicata, quum priores Palestini bello sine iusta causa Israëlitas lacesserent. Hactenus ille.

Variæ trãslat. Versu 7. *Fuit numerus dierum, quibus, &c. quatuor mensium.*] Quidam ita vertit, *anni vnius, & quatuor mensium.* Scilicet vsque ad Saülis mortẽ, post cuius casum in Hebron transiuit: de quo 2. Sam. 2. 1. Hebraicè legimus, יָמִים וְאַרְבָּעָה *iamim*, quod verbum è verbo exprimens, *dies* vertit Arias; *annum* Pagninus transtulerat: *vearbaghah, & quatuor*, חֳדָשִׁים *hodascim, menses.* Vatablus in textu, quatuor menses, & dies aliquot; at in Scholio, vel, inquit, *annus vnus, & menses quatuor.* Chald. cũ Hebręo facit, *dies & quatuor menses.* Isidorus Clarius, *quatuor mensium & aliquot dierum.* Cum quo alter quoq; tempus illud interpretatur fuisse *quatuor mensium & dierum aliquot.* Intelligunt Hebræi communiter per יָמִים *iamim, dies*, absolutè & sine adiectione siue numero positos, duodecim menses siue *annum.* Sic Rab. Salomon, sic Onkelus Genes. c. 24 & 40. sic quoq; plures è recentioribus pluribus aliis Scripturæ locis. Kimhi hanc affert rationẽ. Noster, inquit, annus integris cõficitur diebus, non subtrahimus aut addimus ei aliquot horas, & idcirco יָמִים *iamim* vocatur *annus.* (verum nescio an cuiquam hęc ratio satisfaciat.) Alij tamen capiunt hîc, *dies*, simpliciter pro aliquot vltra menses diebus, & aiunt Dauid per integrum annũ illic nõ mansisse: id quod hinc patet: quoniã Dauid secessit ad Achis post mortẽ Samuelis: præcessit autẽ mors Samuëlis interitũ Saül, septem duntaxat mensibus. Sept. μῆνας τέσσαρας, *menses quatuor.*

Tom. II.

Qvam ob cavsam, &c.

Dedit itaque ei Achis Siceleg.] Donari ciuitate à Principe, nec vile nec nouum est. Ita enim Themistocles donatus est Rege Persarũ. Thucydides lib. 1. Bell. Peloponn. Artaxerxes, inquit, Xerxis illius filius, qui Græciam frustrà inuaserat, fugientẽ ad se Themistoclem Magnesia donauit ob panẽ, quæ quotannis 50. pendebat talenta; Lampsaco autem ob vinũ, putabatur enim tũ vini vbertate pręstare; Myunte verò propter obsoniũ.] Tres illas vrbes aliis nominibus designat Appianus in lib. de Bello Parthico. Cum Phraartes, inquit, Orodem patrẽ interemisset, regnúmq; sibi vindicasset, plurimi subinde Parthorũ aufugere, & Muneses vir clarus & potẽs ad Antonium pariter fuga peruenit, fortunã suã Themistocli assimilans, Antonij vero facultates ac magnificentiam Persarũ Regi, qui tres vrbes illi dono dederat, Larissam, Arethusam, & Hierapolim, quã Callinicen prius appellabãt. Accepit igitur hic quoque tres vrbes ab Antonio. Vt porrò Xerxi Themistocles, sic quoq; Achi Dauid ceu victoriã è manibus eripuerat, & copias eius grauissima clade affecerat. *Dedit ei Siceleg.*] qui itaq; Dauidem volunt ad Palestinos temere trãsfugisse, hinc colligere possunt, quàm feliciter eidẽ cesserit incõsulta temeritas. Apud Suidã, Ἀθηναίων δυσβουλία. *Atheniensiũ incõsulta temeritas.* Prouerbiũ fuisse ait, ὅτι τὰ παρ' ἐλπίδας, καὶ ἀναξίως ἀπευτυχοῖεν, quod de illis dici soleret, qui præter spẽ ac meritũ feliciter rẽ gererẽt. Atheniẽses scilicet, cũ rebus suis pessime cõsulerẽt, plerunq; tamẽ lætiorẽ sortiebãtur exitũ. ὦ πόλις, aiebãt, ὡς εὐτυχεῖς μᾶλλον, ἢ καλῶς φρονεῖς, O ciuitas, vt fortuna maiore, quàm prudẽtia vteris! Neptunus enim & Minerua, vt est in fabulis, de Attica cõtenderũt, Minerua autẽ vicit. Neptunus, repulsę impatiẽs, Atheniẽsib. male precatus est, vt ipsi perpetuo male consultarẽt. at statim Minerua addidit: Sic tamẽ, vt voti cõpotes fiãt. nos tamẽ antea ita Dauidis fugã accepimus, vt non temere, sed diuino cõsilio ad Achim se cõtulisse interpretaremur. De Sicel. iã diximus. De eadẽ Adrich. in Simeon. 71. *Siceleg*, inquit, & *Sicelech*,

Donari ciuitate honorificum.

Thucydides.

Appianus.

Fuga Dauidi cessit feliciter.

Suidas.

Adrichomius.

QVAM OB CAVSAM, &c.

vrbs assignata prius tribui Iudæ, postea Simeonis, Iosue 19.v.5. sed possessa à Philistæis, quam Rex Achis donauit Dauidi, qui in ea sedit & habitauit totum annum & menses quatuor atq; exinde permãsit tribus Iudæ. Ita Adrichomius.

Quod donatur, eius sit, cui donatur.

Quam ob causam facta est Siceleg Regum Iuda.] Donari enim non potest, nisi quod eius sit, cui donatur, *l.9. §.vlt. ff. de donationib.* & Paulus, *l. 35. §.1. de donat. cauſ. mortis*, ait, Donationem exemplo Græcorum dictam esse, à dono & datione. Plinius lib. 35. scribit, Græcos antiquos δῶρον appellasse palmum: & ideo δῶρα vocasse munera, quia manu darentur. Donationum autem duæ sunt species: Alia enim pura siue propria, alia conditionalis est. Pura donatio est, cũ quis ea mente dat, vt statim velit accipientis fieri, nec vllo casu ad se reuerti, & propter nullam aliam causam facit, quàm vt liberalitatem, & munificentiam exerceat. Hæc propriè donatio appellatur. *ff. de donationib. l.1.* quæ si fuerit perfecta, temerè reuocari non potest: perficitur autem, cùm donator suam voluntatem scriptis, aut sine scriptis manifestauit. *§. aliæ autem de donat. Inst.* Donatio conditionalis est, cùm quis ea mente dat, vt tunc demum accipientis fiat, cùm aliquid sequutum fuerit. Ea enim non propriè donatio appellatur, sed tantùm donatio sub cõditione est. Item, cùm ipse ea mente dat, vt statim accipientis fiat: si tamen aliquid factum fuerit, aut non factum fuerit, velit ad se reuerti; ea quoque non est propriè donatio, sed tantùm donatio dicitur, quæ sub conditione soluatur. *D. de donat. l.1.* Ad secundam speciem donatio hæc vrbis Siceleg pertinuisse videtur. Iis namq; legibus dare voluit, si tamen apud se permaneret, & Iudæos bello lacesseret. An fortè nihil horum illi in mentem venit? sed cum ea vera crederet, quæ Dauid referebat, simplici animo oppidi possessione cessit, & Dauidi tradidit?

Plinius.

Gemina species donationum. Pura.

Conditionalis.

Quæritur, an Rege iurent, cùm primùm principatum ineunt, quæ ad fiscum pertineant, ea se non alienaturos.

QVÆSTIO XCVII.

VErum, vtcunq; se res habeat, donatio certe alienationis genus quoddã censetur, sicut & venditio, atq; permutatio ab Imp. Iustiniano Nouell. 7. *Alienare* autem regni patrimonium, Reipub. dotem, Regibus nequaquam licet. Qua de re librum Io. Sauaro non ita pridem edidit: & aduersarium quendam suum anonymum nube testium obruit. Mitto dicere quales sint plerique authores, quorum in sua relatione laudat testimonia, noluit opinor quemquam neglexisse videri. Illo autem, vt mihi quidem visum est, potissimum fundamento nititur, quod cum alij tum nostri præcipuè Reges, nam de his sermonem instituit: cum Regni infulas accipiunt, & à sacris Pontificibus inunguntur, conceptis verbis, & solenni formula, iurant Regni dominiũ se non abalienaturos, & si quæ sunt alienata quę ad illud pertineant, reuocaturos. In prima autẽ serie Ecclesiasticorũ authorum, Honorij tertij

Sauaro docet iurasse Reges nostros nihil alienaturos

Honorius tertius.

A Summi Pontificis meminit, qui sacramenti huius fecerit mentionem. Iubet enim *de iureiurãd. c.33. intellecto. alienationes quasdam ab Hungariæ Rege in præiudicium regni sui factas* rescindi, *quòd teneatur*, inquit, *& in sua coronatione iurauerit, iura regni sui, & honorem Coronæ, illibata seruare.* Verum is loquitur de regno Hungariæ, quod priuatim potuit iis legibus addictum esse: neq; enim, vt etiam nunc facilè probari potest, Regum omnium idem ius & æqua potestas est. Secundo loco Astesanum testem producit, qui Summæ Astensis part. 1. l.1. tit.18. art.8. de iuramento illicito exempli gratia hoc offert: Vt si Rex in sua Coronatione iuret nihil alienare in præiudicium Regni, & postea faciat immoderatas alienationes in detrimentum Regni, non obstante iuramento secundo, contrario primo, B poterit quod est alienatum, repetere.] Quis enim dubitet pactis conditionibus stare oportere? Iuramẽti religio sacrosancta & inuiolabilis haberi debet. Illud tamen primum requirit vt Rex iurauerit, quod fecisse nequaquã affirmat. Tertio loco in cap. *de iuramento Regis*, quo loco solennem iuramenti formulam proferre debuit, & conceptis ipsius verbis aduersariorũ refellere; Cunerius prodit in medium, asserens, quod *cùm Rex in sua coronatione iurasset iura Regni non alienare, & alienata ad se reuocare, si per Ecclesiam, aut quemcunque alium erant aliqua vsurpata, tenebatur per iuramentum ad se illa reuocare.* Et idem rursum: *Quia talia iura debita Regi Rex non poterat à se abdicare, cùm esset iuris Regalis, & iurasset in Coronatione Regni iura non alienare, & alienata reuocare, & quia talia erant im-* C *prescriptibilia.* Hactenus Sauaro Cunerij verba refert. quæ non aliunde expromsisse videtur, quàm ex Petri Bertrandi libello, quo eundem Cunerium, ex ipsa iureiurandi formula, coram Rege mendacij conuicit. Ita vt si forte Sauaro non alio exemplari vsus fuerit, eius fidẽ implorare cogar: sin aliunde exscripserit, diligentiam requiram. Sequitur Baldus qui ait: Omnes Reges mundi in sua Coronatione debent iurare iura Regni conseruare, & honorem Coronæ. *c. intellecto, de iureiurando.* Esto, ita sanxerit Baldus; quæritur tamen hactenus, an ea lex à nostris Regibus vsu recepta fuerit. Subinde verò nos dignos habuit, qui *Viridarij somnium* oraculi loco haberemus. Asseruit, inquit, ille somnians, quod non possit Princeps talia iura à se abdicare, cum D iurauerit in coronatione sua, iura Regni non alienare, & alienata reuocare lib. 2. cap. 295. Frequentes deinde testes idem verbo tenus dixisse contenti, ita discedunt, vt qui eius iuramenti quod prædicãt, formulam nullam proferre potuerint. Plures sanè apud varios authores legi, sed quæ hoc, quod isti testantur, disertis verbis confirmet, nullam hactenus reperire potui.

QVAM OB CAVSAM, &c. Ostenditur nullum esse eius testimonium.

Summæ Astensis. Ne huius quidem.

Cunerius. Hunc dudũ Petrus Cleri nomine refutauit.

Baldi auctoritas ab vsu pendet.

Somnij Viridarij graue testimonium.

Tametsi verò quæ dicunt, probare nequaquã potuerint, eorundem tamen fretus conscientia, haud timidè Sauaro Regem compellat: *Le serment solennel, Sire, que vous iurez à vostre sacre & couronnemẽt au desir de ceste loy de maintenir vostre Estat & vos sujets, de n'aliener le domaine de la courõne, & d'en recouurer les alienatiõs, oblige si estroitemẽt V. M. qu'elle ne la peut abroger, ne deroger à icelle,*

Sauaronis ad Regem oratio.

QVAM OB CAVSAM, &c.

icelle,&c.ne le permuter, si la permutation & eschãge ne tournent au profit & vtilité du Royaume,iugée par vos Officiers du Domaine, par la Cour de Parlement & Chambre des Comptes, vos Procureurs Generaux ouys,&c. Et rursum, *Ce serment solennel de garder par vostre Maiesté sa Seigneurie & Domaine, est si fort & obligatoire, qu'il dispense & desoblige de tout autre serment, & le rend de faict & de droict nul & illegitime, &c.* Postremò, Regem nostrum Christianissimum, Ludouicum decimum tertium, vehementius incitans ad tuendum sartum tectum Regale dominium, cuius præcedentes omnes Reges, qui idem nomen sortiti sunt, studiosos fuisse probat; in primis S. Ludouici meminit, quem eo nomine mirifice commendat. *Le Roy S. Louis vostre progeniteur, par vn excez de bonté, &c. contre l'aduis de ses Barons & Conseil, ayant remis les conquestes du Roy Philippes le conquerant, &c. contre l'exception de ce qui ne pouuoit par priuilege estre mis hors la Couronne, modification de la Cour de Parlement par son Arrest de l'Octaue de la Natiuité de nostre Dame l'an mil deux cẽs soixãte, & le blasme des gens d'Estat, & des Historiens, les peuples de Limosin, Quercy, & Perigueux, conceurent vn tel desplaisir, qu'ils n'honorerent de là en hors le Roy de son viuant, ny sa memoire apres son decés, ny mesmes apres sa canonisation, ne daignans d'en celebrer la Feste. Puis que vostre Maiesté porte son nom, sa Couronne, son tiltre de* IVSTE, *en tire son extraction en droite ligne, qu'il luy plaise conseruer à son exemple les sacrez Fleurons de sa Couronne, &c. ne point souffrir les villes qui ne peuuent estre mises hors de sa main, en estre alienées, comme sainct Louis ne voulut permettre à Alphonse son frere celles qu'il pretendoit estre comprises en son appanage, &c. ne violer iamais le serment de son Sacre & Couronnement, qui le lie à la conseruation de son Domaine & droits de sa Couronne, se tirer du mespris & du blasme que S. Louis a encouru, pour auoir delegué sa souueraineté, & aliené son domaine, à la conseruation duquel il auoit obligé ses Officiers par serment, suiuant l'ordonnance de sa Maiesté, qui defend l'alienation du Domaine.*

De S. Ludouico quid sentiat.

Quis non miretur prædicandi hominis genus insolitum, ac suadendi nouam rationem? solennis iuramenti violationem vocat *vn excés de bonté*, & quem Regi nostro exemplum fidei seruandæ proponere studuit, periurum ac perfidũ fuisse prędicat. Regem admonet, *ne violer iamais le serment de son Sacre, se tirer du blasme de S. Louis.* Atqui tam immanis perfidiæ nusquam legimus illum pœnituisse. Sed neque ante Sauaronem, qui sanctissimum Regem neglectæ fidei insimularit. Noui quid Tillius scripserit. accusat tenem imprudentiæ atque inutilis scrupuli, cuius tum religiosos Theologos, quos *bigots* vocat, authores facit. Ioinuillæus ipsum met Sanctum dixisse referr, se studio firmandæ pacis fecisse, ne deinceps sui & Regis Angli posteri, quum essent sanguine iuncti, parricidali bello conflictarentur, tametsi nosset ad eas pacis conditiones cogi non potuisse. Nonnulli volunt S. Gregorii Noni Summi Pontificis consilio atq; authoritate fecisse. Tractatus ille *de iure Regni*

Tillius.

Ioinuillæus.

Asseritur S. Ludouici Innocentia

A *Franciæ*, quem manuscriptum se legisse testatur Sauaro, & Gulielmus Benedicti, qui eundem Latine repetere videtur in cap. Raynutius, hanc causam Paciscendi afferunt, quòd Rex impensius studeret Saracenis bellum inferre. *B. Ludouicus*, inquit, *cupiens & affectans contra Infideles transfretare, eósque debellare, & considerans quòd securè hoc facere non poterat, nisi pacem in Regno suo haberet: præsertim cum Anglis Regnum Franciæ persequentibus & deuastantibus, &c.* Nemo fregisse fidem, aut iuramentum violasse asseruit. Cur enim tam peruerse nobiscum ageret, qui cum Saracenis agens pactis religiosissime stetit? Non leuis hæc contumelia est, quam in sanctissimum Regem intorquet, perfidię labem eius famæ inurens. Obseruarunt nonnulli vix

QVAM OB CAVSAM, &c. Gulielmus Benedicti.

B quemquam de fide male sentire, qui non eundẽ Sanctum conuitiorum iaculis velut scopum petat. Nolim ego Sauaronem in suspicionem vocare desertæ fidei, cuius ego diligentiæ plurimum faueo, & Deum impensius obsecro, vt eius studia ad illustrandam Ecclesiam, & Regni decus amplificandum promoueat: nolim tamẽ illum non dicam surdis maledicere, sed malorũ exemplo Sanctos probris lacessere.

Nam quod ægre tulerint Petrachorii, pactis à Rege conditionibus Anglis ascribi, ita vt ne relatum quidem inter Sanctos aliquando tempore colere voluerint: illud quidem Sanctum nequaquam periurii arguit, sed stultitiæ contumaces populos conuincit. Tametsi ne ipse quidem Sauaro, in ea referenda historia veritatis cultor admodum religiosus appareat. Sic enim

C ait: *Contre l'exception de ce qui ne pouuoit par priuilege estre mis hors la Couronne.* Atqui contrarium Tillius asserit *en son Recueil des traictez d'entre les Roys de France & d'Angleterre. Se chargea*, dit-il, *de recompenser ledit Roy d'Angleterre de ce qui estoit esdits pays, & ne pouuoit par priuilege estre mis hors de la couronne de France.* Et rursum Sauaro, *Se tirer du blasme que S. Louis a encouru pour auoir delegué sa souueraineté, & aliené son domaine.* Comme ainsi soit que le traité du droict de la Couronne, qu'il allegue, le rapporte en ces termes, *Sauf la foy & l'hommage lige qu'ils seront tenus d'en faire aux Roys de France comme à leurs souuerains en ceste qualité, & le ressort & souueraineté, ainsi que les autres Duchez & Pairies de France.* Et peu apres, *Et deuint ledit Roy d'Angleterre à cause dudit Duché de Guyen-*

S. Ludouicus à calũnia vindicatur.

Du Tillet en son Recueil des traitez d'entre les Rois, &c.

D *ne, accreu & augmenté ainsi que dit est, homme & vassal du Roy de France, & luy en fist la foy, le serment & l'hommage lige.* Quæ Guillelmus Benedicti apud eundem Latine exprimit his verbis. *Quam donationem fecit & vnionem Ludouicus prædictus, saluo sibi homagio ligio, per Reges Angliæ pro tempore existentes Regibus Franciæ fiendo, tanquam veris seu directis & supremis Dominis: & saluâ etiam superioritate, & vltimo ressortio, prout cæteri Duces & Pares Franciæ ei subijciuntur.* Et infrà, *Henricus III. effectus verus & indubitatus Regis Franciæ vasallus, fecit eidem Ludouico Regi homagium, & fidelitatis præstitit iuramentum, &c.* Sed iã satis multa pro cõditione loci, quo piissimum Regem de periurio purgaremus opportunius instituetur alio tẽpore pro eodẽ apologia.

QVAM OB CAVSAM, &c.

Quod ad præsens attinet, si nosse cupis quæ summatim iurent Reges nostri quo tempore inunguntur, lege c.11. Tractatus nostri de Sacerdotum politica iurisdict. Tom.1. ad c.4. v.18. A

Esto, plerique non iurent: Quæritur tamen an non lege aliqua, aut etiam ratione, res Imperij alienare vetentur?

QVÆSTIO XCVIII.

Lege Regni docet Sauaro Reges ab alienando domanio prohiberi.

SAuaro ibidem docet, Francorum Reges lege Regia ab omni alienatione prohiberi. *La Loy Royale*, dit-il, *loy d'Estat, loy fondamentale, loy du Royaume, loy Salique (selon aucuns des Docteurs François) que vostre Majesté est tenuë par serment de garder, veut & ordonne que vostre souueraineté & domaine soient inalienables, doncques elle ne peut les aliener sans enfreindre ces loix augustes & inuiolables.* Et rursum, *les loix du Royaume obligent vostre Majesté à conseruer son domaine, vos subjects & officiers à s'opposer à ces alienations, sauf l'honneur & reuerence du Roy, sans pour ce encourir le crime de rebellion & desobeissance.* Non quæram, an pariter de Religione Catholica sentiat, cuius ne meminerunt quidem, qui Regni leges enumerant. Pro prato itaque, aut nemore, Regiæ voluntati si quis intercedat, & imperium detrectet, laude dignus habebitur: sin de Religione seruanda mutire audeat, Majestatis reum clamitent. Optarim vtique, si quæ fortè hactenus antiquitatis monumenta premant, publico ne inuideant. Nam nos quidem hactenus nullum certius de Regum nostrorum suprema potestate testimonium comperimus, testamento S. Remigij, quo Religio Regni prima lex statuitur, Domanij nulla fit mentio. Lex ipsa Salica, quæcunque authoritatem vllam habet, Catholica Religione, & S. Remigij testamento posterior est, vt eadem ipsa à principio testatur. *Gens*, inquit, *Francorum inclyta, authore Deo condita, &c. ad Catholicam fidem nuper conuersa, immunis quidem ab omni hæresi, &c.* Mox vbi Salicæ legis authores antiquissimos recensuit, *Ast vbi*, inquit, *Deo fauente Rex Francorum Chlodoueus, florens, & pulcher, & inclytus, primus recepit Catholicum baptismum: & deinde Childebertus & Chlotharius in culmen regale Deo protegente peruenere, quidquid in pacto habebatur minus idoneum, per illos fuit lucidius emendatum, & sanctius decretum. Viuat qui Francos diligit, Christus eorum regnum custodiat, &c.* Quam legem cum toties euoluerim, nusquam reperi, Dominicarum rerum alienationé vetari. Sed nec ipse Sauaro, cum caput scriberet *Des Loix du Royaume*, ex ea lege articulum vllum proferre potuit: sed cum probatio illum ex lege deficeret, vno atque altero teste eandem mendacij arguere studuit, qui non ita pridem exorti, assererent, quæ Pharamundus aliquando sanxisset. Lex Salica, inquit Equinarius Baro, anno tertio Regni Faramundi perlata, Regni iura diuidere, minuereq; vetat. Et idem rursus: Lex Salica Re-

Lege Salica quam nunc habemus, Catholica Religio prior est, & S. Remigij testamentũ.

Equinarius Baro, testis locuples eorũ, quæ neque legit vnquã, neq; vidit.

gnum indiuiduum esse sanxit. Vt autem noueris, quàm idoneus testis fuerit, cui fides habetur testimoniũ dicenti de rebus quæ Faramundo Rege gestæ sunt, authoris ætatem disce. Vnitatem, inquit, Ducatus Britanniæ Celticæ cum sacro Dominio Regni Franciæ non ita pridem factam meminimus.] Non ergo ante ducentos annos floruit. At Petrus Rattius Legem Salicam inuenit in vetustis chartis Abbatiæ S. Magentij, cuius primi capitis initium constat his verbis, *Gens Francorum inclyta.* In eo, inquit, volumine multæ quidem leges, tum de personis, tum de rebus editæ continentur, quarum primam ad Regni temporalia conseruanda spectantem initio descripsimus.] Illa est scilicet, quam idem habet in Procemio consuetud. Picton. *Placuit vt Franci, & eorum proceres, ad conseruandum inter se pacis studium, omnia incrementa terrarum resecare debeant, cæteris gentibus iuxta se positis fortitudine & brachio præeminentes.* Atqui ea lege non video, quo pacto fisco caueatur. Primum enim de Rege eo loco non agitur. Deinde, non alienatio, sed agri quælibet accessio, siue noua acquisitio prohibetur. Postremò alij quoque eandem legem diuersè legunt. Lindenbrogus in Codice legum antiquar. initio Legis Salicæ seorsum scribit, & prologum vocat. *Placuit atque conuenit inter Francos, & eorum proceres, vt propter seruandum inter se pacis studium, omnia incrementa veterum rixarum resecare deberent. Et quia cæteris gentibus iuxta se positis fortitudinis brachio præeminebant, ita etiam legum authoritate præcellerent; vt iuxta qualitatem causarum, sumeret criminalis actio terminum.* Neque sane verisimile est, Francos, initio nascentis imperij, interdixisse sibi ne crescerent: non magis, quàm quod fingit Equinarius, Salica lege prohibitum, ne Regnum in partes diuiderent, cum prima ætate, singuli Regum filij suam quisque partem sortiretur. At, inquit præterea Rattius, in lege Salica definitur lex aliter atque ab Romanis est definita: definita itaque verbis his constat. *Lex est constitutio populi, quam maiores natu cum plebibus sanxerunt, statuerunt; iudicauerunt, vel stabilierunt, ad discernendum rectum.*] Collegisse arbitror ex ipso legis procemio. Nam conceptis verbis descriptam nancisci non potui. Reuera autem in priori lege Salica condenda sanciendóque, eadem Lex ante susceptam fidem Catholicam authoritatis Regiæ non meminit. At mox vt Chlodoueus Baptismo tinctus est, & sacro chrismate delibutus, eandem emendatam sciscit, & valere iubet. Ex quo fere sequitur, quod Forcatius & alij tradiderunt, Reges nostros ante lucem Euangelij, Spartanorum fuisse similes. vt primum autem Chlodoueus Christo nomen dedit, & sacro oleo inunctus est, electione Episcoporum Galliæ, Germaniæ, atque Neustriæ, vt S. Remigius asseuerat: tum vere Regiam illam Maiestatem induisse, quam nos in Regibus nostris ex animo complectimur & reueremur. Reliqui testes à Sauarone laudati, iuniores sunt, quàm vt eorum ratio habeatur: qui nec tabulas proferunt, nec authorem indicant, nec

QVAM OB CAVSAM, &c.

Petrus Rattius.

Dic Petre de tribus capellis.

Lindenbrogus.

Ibidem art. 1. Legis definitio.

Francorum Reges ante Episcopor. electionem & sacri Chrismatis vnctionẽ, non videntur leges sanxisse.

QVAM OB CAVSAM, &c.

nec tempus annotant, quo lex illa Regni, quam prædicant, rogata videri queat.

Cuiacius. Hanc legē Regni Francorum Cuiacius non agnoscit.

Melius itaque Cuiacius, ab eodem Sauarone inter Iurisconsult. relatus cap. 12. Non ita dudum inquit, quærebatur in aula Regia, quæ lex vel consuetudo vetasset, ne esset Regi potestas illa alienandi ea bona, quæ sceptri, siue Regni Francici sunt (*qui sont de son domaine*) & longe magis ne liceret regnum ipsum alienare, quin hanc dubitationem animo Principis nescio quis genius induxisset, nihil est verius: & ea de re cum nemo non consuleretur, & ipse qui tunc veneram certis de causis ea de re consulerer, respondi nullam esse legem specialem quæ id prohibuisset: sed hanc esse legem Generalem omnium Regnorum, cum ipsis Regnis natam, & quasi ius gentium, ius quod initio Regni Rex quisque iurare & ferre quodammodo solitus esset, &c. Quæ hactenus probo, si non iurasse conceptis verbis in Coronatione sua nostri Reges asserantur. Neque enim dubium est, quin naturalis æquitas, siue etiam ius gentium, à Rege hoc postulet, ne venale habeat, quod tuendum regendúmque recepit. Sed non inde sequitur, nullam ex Regni patrimonio partem authoritate Regia delibare posse, aut in alterum conferre, cùm partis alienatio nonnunquam ad totius conseruationem, aut etiam incrementum attineat. quod autem Claudius Seyssellius habet, in Orat. coram Rege Angliæ habita, quam refert Sauaro in Catalogo Ecclesiastic. *Alienationes à Regibus quacunque formula factas, non aliter ratas haberi, quàm si eas in euidentem Regni vtilitatem cedere, magistratus patrimoniales primùm, dehinc supremus Senatus, audito in aduerso Regni Procuratore, decreuissent*; sicut sapienter à Regibus institutum est, ne cuiusquam astutia Reipublicæ periculo circumuenirentur: ita ab incunabulis Imperij vsu receptum fuisse non apparet. Neque hoc opinor adeo fit, quod supremæ potestatis, Aristocratico iure, partem ad se reuocent: sed quod potestate à Rege accepta ita facere iussi sint, cuius authoritate eiusdem voluntati intercedunt: aut denique ita refragantur, quòd iniustam alienationem, & Reipubl. exitialem, suo calculo nolint comprobare.

Claudius Seyssel.

Quo iure Magistratus Patrimoniales alienationi fisci intercedant.

Expenduntur rationes, quibus freti nonnulli Doctores, negant Reges quicquam alienare posse.

QVÆSTIO XCIX.

NOn paucos authores Sauaro collegit, qui cùm idem cum illo sentire videntur, tum nonnullis rationibus sententiam suam confirmant. Eas hoc demum loco seligere, atque expendere statuimus.

Dantes Aligerius.

Primum argumentum est, quod à Dante Aligerio mutuum sumpsit ex eiusd. Monarchiæ lib. 3. quam Ecclesia proscripsit. *Nemini licet*, inquit Dantes, ea facere per officium sibi deputatum, quæ sunt contra illud officium, quia sic

A idem in quantum idem, esset contrarium sibi ipsi, quod est impossibile: Sed contra officium deputatum Imperatori est scindere Imperium: ergo eidem non licet, &c. Hactenus Dantis argumentum, qui toto eo lib. de Imperio sermonem instituit. sed quando apud nos quoque Sauaro valere voluit, nullo negotio refellemus. Nam neque alienum quicquam ab officio facit, neque Regnum scindit, qui sic aliquid ex eo donat, vt idem seruet, vel etiam amplificet. siquidem Regis officium est, maioris boni publici gratia, minorem vtilitatem quandoq; aspernari. Quinimò, quo iure manus à fisco abstineat, qui nec vitæ ciuium, cuius vtique longè maiorem rationem habere debuit, parcit?

Primi Argum. confutatio.

B Alterum argumentum, *ius humanum*, Imperij basis & fundamentum est. At cum iure humano pugnat, si quis sibi manus afferat. Imperium autē sibi ipsi perniciē moliri videtur, si seipsum laceret, & membratim diuidat, cum illud in vnitate Monarchiæ vniuersalis consistat. Atqui ius illud maximè, Sauaro, in propria cuiusq; salute tuenda eluc[...] quam haud aliter nonnunquam seruare possis, quàm si partem corporis aliquam amputes. Nec vulnera, aut morbos referam, & tabifici veneni serpens periculum: Iabenses suprà cap. 9. incolumitatem alterius oculi iactura pacti sunt. Zopyrum Herodoti Thalia celebrat, qui sibi inhonesto vulnere nares auriculásque præcidit, quo Babylonem reciperet. Maris iras nunquam expertus es: nescis quem iactum nautæ faciant, cum à procella iactantur, & naufragium timent. Nam quod ais

Refellitur 2.

Herodot.

C Imperium vna atque vniuersali Monarchia cōtineri, illud ita accipiendum est, quàm latè scilicet porrigitur: cuius legitimi fines non extremus orbis, aut imperandi cupiditas habenda sunt, sed iustitia, & æquitas, & boni publici ratio, quæ pace ac tranquillitate ciuium maximè constat. Hanc si speret Princeps liberalitate aliqua plurimum promoueri posse, aut ab hostibus labefactatam instaurari, nec alia facultas suppetat, æquum faciet, si populi salutem publico patrimonio redimat.

Tertia eiusdem ratio est: *Omnis iurisdictio* prior est suo iudice, iudex enim ad iurisdictionem ordinatur, & non è conuerso: sed Imperium est iurisdictio omnem temporalem iurisdictionem ambitu suo comprehendens, ergo ipsa est prior suo iudice, qui est Impe-

D rator; quia ad ipsam Imperator est ordinatus, & non è conuerso. Ex quo patet, quod Imperator ipsam permutare non potest in quantum Imperator, cum ab ea recipiat esse quod est. Itaque iurisdictionem suam minuere non potuit. Hactenus ille. qui nescio quod idolum nobis inter ideas Platonicas inauditum collocat. Ego quidem certò statuere non possum, an absurdius & stolidius vllum aliquando argumentum audiuerim. Nam scimus vtique priores esse homines institutis ab eis iurisdictionibus; & propter se Cæsarem, cū esset non superioris modò, sed etiam consortis impatiens, oppressa libertate ciuium, cum regnum excitare denuò vereretur, dominandi genus insolitū Imperium instituisse: quod poster[...]

Explodituṛ 3.

QVAM OB CAVSAM, &c.

deinceps nonnulli modestius, insidiarum metu suæ libidini pauciora indulgentes, plures per vim & impotentiam omnia sibi tribuentes, tyrannorum instar administrarunt. Qui si, vt quondam Sylla, authoritatem Senatui, Majestatem populo, quam cæsis optimis ciuium per summum scelus vsurpauerat, restituisset, ipse quidem suam ipsius potentiam haud mediocriter imminuisset: sed neque Rempub. hoc agens affecisset iniuria, neque alienum quicquam ab officio suo fecisset. Veruntamen, inquis, succedente tempore, tacito omnium ordinum consensu, ea potestas legitima haberi cœpit, interpolata denuo lege Regia, quam maiores olim inter vrbis crepundia sanxerant. Esto, per me licet. In posterum igitur mutare non licuit. Veruntamen non pauci Imperij consortes asciuere, cum quibus æquo iure regnarent: & filij, si fortè plures vnà manerent patri superstites, Imperium inter se partiti sunt: quæ videntur cum Monarchia pugnare, & ad Aristocratiam magis accedere. Verùm Imperij iura alienis nunquam concesserunt. Quinimò non pauca regna, quæ armis quæsiuerant, ac propterea Imperij propria censeri debuerant, exteris hominibus largiti sunt: siue quod ita fore è Repub. iudicarent, vt procul positi hostium impetum exciperent, & arcerent à ditione Romana: siue quod ita meriti de Republ. viderentur. Non tamen, ais, inconsulto Senatu. Respondeo, de omnibus facile probari non posse. Negas aliter iure fieri potuisse. Vtar Dantis argumento, & in aduersarium retorquebo. Fatebor itaq; iurisdictionem, quæcunque legitima sit, iudice ipso esse priorem, atq; adeò ipsum ad eam exercendam institutum esse; quoniam etsi Regia dignitas inter entia moralia referri debeat, quæ sunt accidentia: nec ea prius accidere possint, quàm prostet subiecta materia: quoniam tamen iurisdictio ipsa temporalis iam inde à principio cum natura simul à Deo manat, Regibus nostris multò antiquior existat necesse est. Sed ea qualis sit, scilicet à nobis declaranda est, vt noris quibus etiam finibus circumscribatur. Sed nolo mihi fides habeatur. Doceat te potius insignis Theologus Franciscus à Victoria, qui Relectione 3. numero 8. de Regia potestate in hanc sententiam disserit:

Franciscus à Victoria.

Ideo nos cum omnibus sapientibus melius dicimus, Monarchiam siue Regiam potestatem non solùm iustam esse, & legitimam, sed dico Reges etiam à iure diuino & naturali habere potestatem, & non ab ipsa Republ. aut prorsus ab hominibus. Et probatur, Quia cùm Respublica potestatem habeat in Reipubl. partes, hæc autem potestas per ipsam multitudinem exerceri non possit (non enim commode posset leges condere, atque edicta proponere, lites dirimere, & transgressores punire) necesse ergo fuit, vt potestatis administratio alicui, aut aliquibus commendaretur, qui huiusmodi curam gererent: & nihil refert vni aut pluribus commendetur: Ergo potuit commendari potestas, quæ eadem est, quæ Reipublicæ. Et authoritatibus probatur, &c. Post quæ demum

Qualis habenda Regia potestas.

A concludit: Videtur ergo quod Regia potestas sit non à Republica, sed ab ipso Deo, vt Catholici doctores sentiunt. Quamuis enim à Republica constituatur (creat enim Respublica Regem) non potestatem, sed propriam authoritatem in Regem transfert, nec sunt duæ potestates, vna Regia, altera Communitatis. Atque ideo sicut potestatem Reipublicæ à Deo, & à iure naturali constitutam esse dicimus, idem prorsus de Regia potestate dicamus necesse est: quod satis consonum Scripturæ videtur consuetudinibus, quæ *Principes Dei*, non ministros Reipublicæ appellat. Apud Salomonem enim ait Deus, *Per me Reges regnant*. Et Dominus Pilato respondit, *Non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi tradita esset desuper*, id est de cœlo. Errare ergo videntur authores concedentes Reipublicæ potestatem esse de iure diuino, non autem Regiam potestatem. Quod si homines, vel Respublica non haberent potestatem à Deo, sed ex condicto omnes conuenirent, & pro bono publico vellent potestatem contra se constituere, illa quidem esset ab hominibus, sicut est quam Religiosi tribuunt Abbati. Non ita verò est. Constituta est enim in Republica, omnibus etiam ciuibus inuitis, potestas seipsam administrandi, in quo officio Ciuiles Reges constituti sunt. Hactenus Franciscus à Victor.

B

Reges Principes Dei, nō ministri Reipub. in script. vocantur.

Regis ergo potestas non alia est, quàm quæ Reipublicæ concessa à Deo est ad seipsam sartam tuendam. Atqui nemo est qui dubitet, Rempubl. si forte opus sit, de suo patrimonio partem aliquam delibare posse, vendere, donare, alienare, atque in alterum transferre, siue cuiusquam studeat meritis gratias referre, siue paci suæ ac securitati consulere. quod si Reipublicæ communi omnium sententia conceditur, miror qua fronte quisquam Regibus negare audeat? quoniam his, inquis, legibus à principio Reipubl. cum Rege conuenit, & pacta violare nefas, quæ nisi cum Imperio rescindi non possunt. Cedo ergo tabulas, & fœderis monumenta ex omni antiquitate erue. Non opus est, inquis: nam hactenus Reges in hæc verba iurant. De nostris negamus. Iure gentium ea lex apud omnes obtinet. Negamus. Non pauci enim sua regna hæreditario iure possident, aut iure belli parta, vel etiam pretio comparata, quæ mancipi esse noscuntur, & in parem sortem alteri, aut dono dari possunt, aut pretio addici. Legibus scriptis ita cautum est. Ede, quæ sint illæ leges, & coram omnibus recita. ede autem & nomen authoris, vt probemus Majestatem Regiam earundem religione teneri. Consuetudo tamen obtinuit. quid igitur querimur si consuetudo obtinet? Postremo, Regalis officij ratio, & iuris æquitas postulant, vt quod regnū tuendum quisquam suscepit, eius præpostera liberalitate ne quid detrimenti accipiat. Hoc ipsum vehementer probo & amplector. Sed illud item vt rationi consentaneum admittendum est, si Regis moderata liberalitate emolumenti plurimum Respublica consequatur, eidem necessaria partis alicuius publici patrimonij alienatione interdici non posse. Alioqui

C

Si eadem Regis potestas quæ Reipub. in bus solet, non videtur alienandi potestate primari posse.

D

QVAM OB CAVSAM, &c.

Alioqui enim negamus Principi Reipub. conſulendi licentiam, & ciuium vitam debere potius periculo obijcere, quàm vt fiſci iacturam vllam faciat, quo tranquillitatis atque otij murus excitetur.

Aligerij quinta ratio eſt, quam Sauaro valere iubet: Si vnus Imperator aliquam particulam ab Imperij iuriſdictione diſcindere poſſet, eadem ratione & alius: & cùm iuriſdictio temporalis finita ſit, & omne finitum per finitas deciſiones abſumatur, ſequeretur quod iuriſdictio prima poſſet annihilari, quod eſt irrationabile. Ad hunc modum Aligerius. Memini quod olim Horatius Epiſt. lib. 2. epiſ. 1.

Horatius.

Vtor permiſſo, caudæque pilos vt equinæ
Paulatim vello, demo vnum, demo etiam vnum,
Dum cadat eluſus ratione ruentis acerui.

Si fors ita, æquo animo neceſſitati parendum eſt. Neque enim propterea mundo quicquam deperit, ſed mutat manus. Etſi verò Imperium ruat, nequaquam tamen æterna ſalus deſperãda eſt, quam vt conſequamur, reliqua nullo loco habenda ſunt. Ex aliorum ruinis Romanum ſenſim creuit Imperium: quid mirum ſi totidem gradibus paulatim decidat? Quod non eo animo dico, quod illud præceps agam, aut Regnum quodlibet impellam in ruinam. Sed quo eorum ſtultitiam refellam, qui ignorare videntur, *Quod dominetur Excelſus ſuper Regnum hominum, & cuicunque voluerit, det illud.*

Quintum argum. refellitur.

Neque porro ſequitur, quod Dantes colligit, (ſi ſupremam neceſſitatem excipias, cui nos cedere neceſſe eſt) vt ſi quam vrbem vnus Imperator alteri in poſſeſſionem mancipauerit, & item alter ſtatim labatur Imperium. Nam ſi id maioris emolumenti gratia fiat, nullum damnum accipit; ſin meritis gratia habetur, illud quoque Reipublicæ intereſt, ne qua labes ingrati animi eundem inurat; ſin merces operi redditur, ne illa quidem neganda eſt: Reliqua eſt vna calamitas quæ fiſcum exhauriat, ſi ſumptus perpetuò faciendus ſit, nec procella deferueat. Nam vbi huiuſmodi tempeſtas vrget, & pertinacius incumbit, vnà cum patrimonio Reſpublica citius peſſundatur. Vt enim agricola, ſi quotannis ſementem faciat, nulla autem meſſis oriatur, tandem conſumpto ſemine fame atque inedia peribit: ſic quoque Rex, ſi donando rem publicam dilapidet, nec largitiones cum vtilitate compenſet, cùm ſibi, tum reliquis ciuibus perniciem creat. At ſi, cùm mediocre beneficium ſeuerit, quæſtus vberrimam ſegetem ſortiatur, non poterit cum Reipublicæ iniuria donationem feciſſe videri.

Sextum argum. ob hæreticam prauitatem quam redolet, contemnitur.

Quinto loco Dantes manifeſte Eccleſiam oppugnat, quam negat aurum poſſidere poſſe: nec ab eo quantum apparet Sauaro abhorruit. Illius namque teſtimonium laudat, atque apud Regem autoritate vtitur, cùm dudum nouerit eam hæreſim damnatam eſſe. Nam præter eos, qui perfectionis ſtudio ſponte rerum ſuarum poſſeſſione ſe abdicarunt, nemini Chriſtus proprijs opibus interdixit, ſiue quæ iam quæſitæ eſſent, ſiue quæ honeſtis deinceps rationibus pararentur. Apoſtolis priuatim quod in rem eſſet pro tempore præcepit: reliquis optandi poteſtatem fecit. Alioqui vero quotquot ſunt Epiſcopi, Cardinales, & Clerici exhæredes habendi eſſent, nec parentum hæreditates adire poſſent. S. Remigium, Francorum Apoſtolum dicere ſolemus, & tanto doctore gloriamur. Atqui ſi teſti, quem laudas, fidem habemus Sauaro, turpiter & miſere lapſus eſt, noſque ipſe decepit. Habes apud Flodoardũ eiuſdem teſtamentum quod condidit iure prætorio. Hinc diſcere potes ſi qua Sanctus poſſederit. Sed alia excutiamus, neque enim huius loci eſt iſta altercatio.

Gulielmus Okam.

Prodit igitur ſexto loco Gulielmus Ockam, ab eodem Sauarone teſtis productus, qui pro teſtimonio dixit. Imperator quidem quantum ad res mobiles annexas Imperio, habet proprietatem, & dominium proprietatis ad libitum eius diſponendo, quantum vero ad immobiles, vt eſt Imperium ipſum, vrbes, caſtra, iura Imperialis ducatus, quorum alienatio eſſet in detrimentum Imperij, non habet dominium proprietatis, quia, vt dictum eſt, non poteſt pro libito alienare, vel donando, vel vendendo, vel commutando. Eodem modo dicendum de quolibet Rege, & ſuo Regno. Vnde filia in regno Franciæ ſuccedit in rebus mobilibus, ſed quantum ad immobilia, & Regnum ipſum, &c. non ſuccedit. Quid tum? An putat Ockam orbis regna omnia Salica Francorum lege teneri? In Hiſpania certè, Anglia, Scotia, alijſque pluribus hiæ ſuccedunt. Cætera plerique ſuo calculo confirmant.

Septimum argum. quantum momenti habeat, expenditur.

Ioann. de Pariſius.

Joannes de Pariſius ſiue *Surdi*, apud eundem Sauar. in Catalogo Iuriſconſ. hanc cauſam affert: Quia Imperator eſt adminiſtrator Imperij & Reipub. vt dicunt iura, per legem Regiam ab hortenſio latam: vt *de conſtitutionibus Principum l. 1.* Sed ſi Imperij adminiſtrator, eſt Imperij diminutor aut vaſtator, donatio non valet. *vt ff. pro emptore. l. quod fundum. c. ſi tutor.* Iacobus item Almainus c. 1. in Elencho Eccleſiaſticorum. Rex, inquit, Franciæ non habet autoritatem reſignandi Regnum, neque prouinciam datam fiſco, alteri dare: Regnum enim non eſt Regis, ſed Communitatis, & ipſa poteſtas Regia eſt ipſius Communitatis. Ideo non poteſt ad libitum alteri reſignare, de patrimonio poteſt, ſed non de Regno. Circa. decis. Guliel. Ockam. cap. 15.

Almainus.

Ioann. Iuuenalis.

Denique Ioannes Iuuenalis Viſinus Archiepiſ. Rhemenſ. *A proprement parler, le Roy n'y a (au Royaume) ſeulement qu'vne maniere de adminiſtration & vſage pour en iouyr ſa vie durant tant ſeulement.* Tametſi melius mea quidem ſententia Præſes Silnius in ea Oratione, quam ad Franciſcum Regem habuit, cum Pariſienſis tum aliorum Parlamentorum nomine, in Regiſtr. Parlam. 20. Decemb. 1527. in qua de alienatione Ducatus Burgundiæ, quam Rex vtcunque pactus erat, differens, cùm alia obijcit, tum etiam illud. *Dauantage ledict Sieur ne le pourroit faire, car il eſt tenu d'entretenir les droicts de la Couronne, laquelle eſt à luy & à ſon peuple, & ſubiects: à luy comme le chef, & aux peuples & ſubiects comme aux membres, & eſt vn mariage faict auec ledict*

Siluius.

QVAM OB CAVSAM, &c. Non est Rex alieni villicus Imperij, sed sui, quod tamen cōmuniter cum ciuibus possidet.

sicut & sesdictis subiectis.

Non est itaque Rex alieni villicus Imperij, sed sui, quod tamen habet commune cum ciuibus, illudque omnes communiter & promiscuè possident, Rex separatim regit: qua potestate populus sese abdicasse videtur, cùm Regem asciscerct; alioquin si delegata duntaxat Regis iurisdictio est, rerum autem summa est penes populum, huius quoque maiestas propria censeri debet, & hactenus in media versamur Democratia. Vt tamen Monarchia esse vera credatur, haud dubitem Regem ab officio discedere, & in Rempublicam, quæ se eiusdem fidei permisit, grauiter peccare, si eiusdem patrimonium decoquat: sin illud conferat in tempora Reipublicæ, vt ciues calamitate liberet, aut iisdem præsidium paret, non video cur Regiæ maiestati denegemus, quod populus iure ac meritò facturus erat, si rerum habenas regeret. Solennes porrò formulæ, quæ necessariæ feruntur, vt Rex videri possit partem aliquam Dominici iuris alienasse, sapientum consilio à Regibus institutæ sunt: non quo vis Aristocratica Regiam potentiam temperaret, sed ne Reges præcipiti consilio decipi contingeret: nam similes quoque in Democratia obtinent, vbi populus rerum summam obtinet.

Baldus. Septimi argum. vis retunditur.

Septimam rationem habet Baldus in Proœmio Digestor. *Non potest*, inquit, Imperator minuere iura Imperij, & partem à se abdicare, & partem retinere, quia Imperium est indiuisibile ens, trahit ad se non ens, &c. Sed illud, Balde, quid sit, esse ens indiuisibile, non percipio. Nam Imperium, si orbis latitudinem spectes, potest maius & minus esse: & reuera nunc arctiore ambitu quàm pridem concluditur: sin iurisdicendi atque imperandi potestatem te dicere intelligas, illa quoque mutata est per temporum vices, nec æquali semper iure regnatum est. Plures etiam quandoque simul, nonnunquam distinctis Orbis partibus imperarunt. quid non horum dirimi distrahique Imperium posse demonstrat? Et tamen iubes ens indiuiduum credi. Hoc si ita foret, Balde, iamdudum nullum Imperiū haberemus. Nihil æquè vicissitudini ac mutationi, incrementis quoque ac decrementis obnoxium est, vt Imperium: quæ res autem seipsa mutatur, nunquam illam dixeris esse indiuisibilem.

8. Octauò idem argumentatur. *Quia mutatâ formâ* corrumperetur Imperium, quæ est, quod per vnum regatur. *l. 2. §. Nouissimè: de Orig. iur.* Negamus eam esse formam Imperij vt per vnum regatur. Nam plures illud sæpius administrarunt: & si qua alienatio partis alicuius fiat, non est necesse vt Imperium plures rectores accipiat. Nam aut pars illa, tametsi subducta dominio, Imperio tamen continetur: aut prorsus abscissa, sola alieni iuris facta est, nec Imperij, cuius esse desijt, dignitatem nouo possessori largita est. Nonò inquit; Beneficium in personam collatum, non debet dignitati, quæ nec liberatur, nec patitur, officere. Contrà, si Reipubl. intersit beneficium in personam conferri, & eandem seruari, Reipublicæ quoque interest idem beneficium necessaria aliena-

Refellitur.

9.

A tione pensare, quæ Principis dignitati non officit, sed eandem periculò eripit, & quoad potest fieri seruat incolumem. Quod si vtilius sit, & conducibilius, alia ratione meritis seruatoris gratiam referre, quicquid erit cum maiori vtilitate Reipub. atque honestate coniunctum, hoc decet Regem amplecti. QVAM OB CAVSAM, &c.

Decimò idem etiam Baldus *Regis finitur propria* vita potentia: vnde & temporalem effectum habet, non infinitum: nec pro tempore quo priuatus erit, vices gerentem constituere potest: Ergo nec donatio eius saltem post mortem tutorem designat. Reges pleraque leges sanciunt, quæ post mortem obligant, donec reuocentur: Regnant vero plerisque locis, quos ipsi hæredes instituerint: idque olim apud Romanos obtinuit. Regentes, quibus habenas 10.

B permittant, testamento scribunt, qui sua vice tantisper imperent, donec filij adolescāt. Deinde, contractuum vis constans & perpetua est, neque à successore rescindi possunt, nisi fortè detrimento Reipub. & vitiosè facta donatio iudicetur. Nam si è Republica fuerit, non videtur ad decidēdum autoritas Principi defuisse. Quamobrem sic censeo, transactionis potius vtilitatem aut incommodum expendi oportere, quàm de Monarchæ, qui summo iure clauum Reipub. torquet, facultate disceptare: qui moliri quidem perniciem Reipub. nullo iure potest, at potest eiusdem saluti infinita quadam vi potestatis prospicere.

Nocendi Reipub. Regi potestas nulla, bene consulendi potestas infinita.

Vndecimo loco, Ioannes de Parisius apud eundem ratiocinatur ad hunc modum. *Si donatio* Principis lex est, vt *Cod. de donationibus inter vir. & vxor. l. donationes quas diuus.* Lex autem

C facta per vnum, seu ab vno, reuocari potest per successorem: quia par in parem non habet imperium, vt *ff. de arbitris. l. nam magistratus*; facta à Principe donatio firma non erit. Quinimo ea constitutione vim legis Principis donationibus duntaxat quæri manifestum est, vt illico valeant, nec solennes contractuum formulæ desiderentur; non autem idcirco Imperator Regios contractus vicem legis obtinere iubet, vt doceat posse reuocari. Pactis robur non inconstantiam tribuere voluit. Vnde sequitur, vt in ea argumentatione nequicquam laboret Ioannes de Parisius.

Ioannes Surdi. Vndecimi argum. acumen hebes & obtusum.

Ad duodecimum argum. accedamus. *Ab augendo Imperatorem* Augusti nomen sortitum 11.

D constat, augere itaque debet, non minuere. Atqui Somnium Viridarij Regem Francorum Augustum Galliarum vocat: Regnum igitur eiusdem studio amplificari debet non decrescere. Esto. Donatio certè, si maioris emolumenti gratia fiat, ad Regni incrementum pertinet.

Argum. Somnium Viridarij ab Ecclesia proscriptum est.

Addit his decimum tertium Renatus Chopinus De domanio lib. 2. tit. 2. nd. 2. *Quemadmodum*, inquit, *lege Julia* dos est à marito inalienabilis, ita Regium Coronæ patrimonium, indiuidua Reipub. dos.] Non est tamen necesse vt arbitror, quoties, Sauaro, duorum contentionem facimus, vt ad amussim quadrent vtrinque omnia. Confertur cum mulieris dote Reipub. patrimonium. Illud fruendum Principi conceditur,

Renatus Chopinus.

QVAM OB CAVSAM, &c. Argum. 13. refellitur.

conceditur, vt tanquam maritus coniugij, sic ipse administrationis publicæ onera toleret. Si reliqua pariter exigas, lucrum ex fructu dotis sicut mulier, sic quoque Respub. debebit consequi, & quanta dos Regis fidei permissa erit, in eiusdem bonis tantundem habere ius hypothecæ. Deinde, quis me docuit Francorum Reges lege Iulia teneri? Posteriores denique Imperatores, si ita visum fuerit, antiquorum leges refigunt. Quid si ne hoc quidem sancit Iulia lex? Referam ex Iustiniano *Cod. lib. 5. tit. 13. de rei vxoriæ actione*. Docet igitur, legem Iuliam fundi dotatis Italici duntaxat à marito, vxore non consentiente, alienationem fieri prohibuisse. At nobis placet, inquit Iustinianus, eandem obseruationem non tantùm in Italicis fundis, sed etiam in Prouincialibus extendi. Sed & hoc insuper addere, tametsi mulier consentiat, si fortè vir soluendo non erit, ne quid ei præiudicet. Verum & in alijs plerisque, ait Cuiacius, leges ipsæ dissident. Lege Iulia vrbani & rustici prædij alienatio prohibetur, *l. 13. D. de fund. dotal.* Oratione Seueri rustici & suburbani, non vrbani. Sed ex Constitutione Constantini, etiam vrbani. *l. lex. Cod. de adm. tut.* Præterea in lege Iulia absciſe & districte inhibetur alienatio. In Oratione Seueri sine decreto. Decreti autem causæ plures designari possunt, vt æris alieni dissolutio, maior vtilitas, &c. Sed nolumus in his diutius immorari. Breuiter dicimus cum Cuiacio, cùm in lege Iulia, tum in Orat. Seueri, alienationis verbum eodem modo accipi pro voluntaria, non pro necessaria alienatione: nam ex causa damni infecti vicinus fundum dotalem possidere iuberi potest. *l. 1. D. de fund. dot.* Ex lege Iulia itaque probari non potest, nullo vnquam tempore fas esse Regi partem aliquam publici patrimonij alienare.

Legis Iuliæ examē.

Cuiacius Obseruat. lib. 7. c. 24.

Prodit decimoquarto loco Iacobus Bonaudus, qui autore Paul. de Castro Consil. 72. ait, *Quod non potest Rex*, aut Imperator alienare res Regni sui aut Imperij, sine consensu omnium Principum, & populi Regni: est enim istud ius publicum totius Regni: vnde quod omnes tangit, ab omnibus comprobari debet: ex alienatione etenim, siue ex donatione terrarum Regni aut Imperij, totum Regnum & Regnicolæ læduntur. Respondeo paucis, iam pridem populum ijs quæ à Rege vtilitatis eius gratia aut etiam necessitatis fierent, consensum accommodasse, cum lata lege Regia omne ius suum & potestatem in Regem transferret.

Iacobus Bonaudus.

Argum. 14.

Decimoquinto gradu Baldus vrget, *Iurisdictiones supremæ* sunt sacrum sacrorum, & ideo non sunt in marsupio Principis, nec potest habere vrbem venalem. *Cap. Intellecto, de iureiurando*. Respondeo, caput illud nequaquam hoc attetit: neque porrò verisimile est, cum sint illæ ciuiles & profanæ à sacro & religioso distinctæ, quæ etiam vendi possunt, si cuius sint propriæ; cum ea nundinatio sit quædam velut abdicatio libertatis, quam licet illi qui sui iuris sit, si forte volet, alteri mancipare.

Baldus.

Argum. 15.

Decimum sextum argumentum est ex officina Caroli Molinei. *Formalis*, inquit, & essentialis virtus Regis, iurisdictio, quæ prorsus de-

Carolus Molineus Scriptor ab

A se est inabdicabilis à Rege manente Rege, nec est separabilis à Regia dignitate, sine sui veluti subiecti corruptione. Igitur sicut non potest Rex diuidere, nec corrumpere Regnum, ita nec aliquem de Regno à sua iurisdictione eximere: & ita tenet Lucas in d. lege, in sacris, & eadem ratione non potest Rex abdicare totam administrationem iurisdictionis seu potestatis Regiæ, etiam quoad aliquem locum, vel ad aliquam personam Regni. Hactenus Molineus testis citatus à Sauarone, *§. 3. Gloss. 4. in hac verba, Serment de feauté, num.* 18. Qui tamen numero immediatè præcedenti lectorem admonet, *Et aduerte* quod hæc planè procedunt in principatu quod electione, vt Imperium & Regnum Romanorum, vel iure sanguinis, vt Regnum Franciæ defertur, sed non æquè in regno

QVAM OB CAVSAM, &c. Ecclesia proscriptus.

B mere hæreditario. In reliquis accurati nebulonis miror ingenij tarditatem. Non potest, inquit, Rex abdicare totam administrationem iurisdictionis seu potestatis Regiæ (vult enim semper ius appellationum & supremæ potestatis manere penes Regem) etiam quoad aliquem locum, vel quoad aliquam personam Regni. Intelligit fortassis, quod aiunt Scholæ, in sensu composito, perque præstigias & captiones lectoris simplicitati illudit: vel sophisticè à dicto secundum quid argumentatur ad dictum simpliciter. Tametsi enim pars aliqua veteris Dominij alieni iuris fiat, & pauci, qui prius ciues censebantur, Regiæ potestati obnoxij esse desinant, donec tamen Regia potestate alicui prouinciæ imperet, Regia dignitate abdicatus

Refellitur Argum. 16.

C videri non potest. Non enim certis limitibus Regia maiestas circunscripta est, aut certo hominum numero definitur: sed alias quidem latius porrigitur, aliàs angustioribus terminis concluditur: non rarò etiam mutat sedes. Sed nec illud omnino necesse est, vt tanquam perpetua regione continuetur, tametsi id commodius futurum sit: sed media nonnunquam prouincia interiacet, quæ loci interuallo latius Imperium dirimat. Quod nunc Romanorum Imperium dicitur, olim Regni Francorum quædam portio fuit. Num igitur postquam tot ac tales prouinciæ sponte absciſſę Regno, Imperio donatæ sunt, Reges nostri deinceps sua dignitate caruerunt? Ego quidem sic arbitror, nec vana fides, *Ludouicum* Decimum tertium tam esse regem, quàm Carolus ille Magnus ante

D fundatum Imperium fuerit, tametsi veteris Regni pluribus prouincijs haud imperet. Habuerunt vero & asyla pleraque regna, in quæ nullum ius Regibus esset: quale fuit Turonense B. Martini ætate Clodouei, & filiorum eius, à B. Gregorio Turon. in histor. Francor. tantopere celebratum. Habuerunt & vrbes non paucas Hebręi ad quas non sponte rei confugerent, è quibus eos educendi Regibus potestas non esset. Postremo, quæ non historia Darium Hystaspis filium ęque ac Cyrum Persarum Regem prædicat? Atqui Otanes vnus è septem Persarum nobilissimis, qui Magos confecerant, cum sua familia Regiæ iurisdictioni exemptus est. Nam cum de Rege creando decretum fecissent Ego, inquit, vobis non refragor: quippe qui

Herodotus.

QVAM OB CAVSAM, &c.

neque praeesse volo, neque subesse. Et hac lege cedo vobis ius meum Imperij, vt nulli vestrum aut ipse ego, aut vllus vnquam meorum subsit. Otane verò hæc loquuto, inquit Herodotus lib. 3. reliqui sex eius postulatis assenserunt.

Baldus. Argum. 17.

Baldi postremum argumentum est: *Rex non potest alienare* populum suum, nec dare ei alium Regem; quia populus est liber, licet sit sub Rege, *in Authent. de hered. & Falcidia* §. 1. Sed liberorum nulla est alienatio, quia non sunt in commercio, vt in §. *Sacra, Instit. de rer. diuis.* nisi sint quasi serui, sicut sunt rescriptij, *vt l. si quis inquilinos, de legatis.* 1. Hæc Baldus. Liberi tamen ingenui, si fortè parentes inopia premeret, Romæ venire poterant. Sed vno verbo satisfacio, cùm Respublica in singulas partes ius & imperium habeat, si forte alia salutis expediendæ ratio non appareat, partem pro toto abijcere posse: quam potestatem lege Regia in Principem transmisit. Sed huic argumento sequentis quæstionis dissolutio respondebit cumulatius.

An Regi liceat vrbis cuiusquam, quæ Regni esse censeatur, potestate abdicare se, & alteri addicere?

QVÆSTIO C.

Sauaro.

RESpondet Sauaro in lib. de Suprema Regis potestate, *Vos subiets peuuent vendre & aliener leurs fiefs du consentement des interessez, V. M. ne pourroit ce faire quand mesmes ses subiets y consentiroient.*

Baldus.

Baldus apud eundem, *Illud constat*, quod Imperator non potest à se abdicare Imperium, etiam minimæ particulæ, quia per minimas particulas peruenitur ad interemptionem totius, totum diuidendo per frusta.

Panormitanus.

Panormitanus, *Si Dominus* alicuius loci, inquit, vult subijcere illum locum alieno Domino, possunt homines illius loci contradicere, quod eorum interest, vt eorum dominus sit liber, vt non habeant plures dominos, &c. Quod est menti tenendum, ait, & facit hoc dictum Hostiensis cum allegationibus prædictis, vt Rex non possit inuitis hominibus castrum vel ciuitatem sibi subiectam alicui inferiori subijcere. Ad idem facit, quod notat Innocentius *in ca. auditis inf. de præscripti.* vbi dicit: quod sicut interest non perdere vasallos seu subditos, æque interest subditorũ non perdere dominos: quod bene notabis, *de maiorit. & obed. c. dilecti.* Hactenus Panormit. à Sauarone relatus in Catalogo Ecclesiast. cap. 1.

Baldus & Panormitanus negant inuito populo Principem vrbem donare posse.

Baldus itaque & Panormitanus, Innocentio Papa autore, atque adeo Henrico Cardinale Hostiensi, populi consensum requirunt, quem inuitum negant alteri domino dedi at mancipari posse. Quæro inquit, Baldus, vtrum Rex Franciæ posset alienare vnam de ciuitatibus Regni inuitis ciuibus? Respondeo, *non* secundum Hostiensem, qui ita notat *extra de maiorit. & obed. cap. dilecti filij*, & ibi vide in Nouell. &

A ideo Constantinus quando donauit vrbem B. Syluestro, fecit cum consensu populi, vt patet in Palea Constantina 16. &c. quem sequitur Bonaudus de Sauzeto: Nam est, inquit, ius istud publicum totius Regni, vnde quod omnes tangit, ab omnibus comprobari debet.

QVAM OB CAVSAM, &c.

Bonaudus. Molineus.

Hinc, inquit Molineus, *in Consuet. Parif. t. 1. de mat. feodali* §. 1. *gloss.* 3. *in verb. pent. num.* 27. cùm post multa bella inter Reges Franciæ & Angliæ, tandem pace composita, & Isabella Philippi Pulchri Francorum Regis filia nuptui data Edoardo Regi Angliæ, inter cætera actum fuisset, quod Rex Franciæ omne ius patronatus, superioritatis & vasalli, quod habebat in Ducem & Ducatũ Britanniæ scilicet Minoris, quæ quodã Armorica nominabatur, cederet & delegaret Regi Angliæ, quod & facere voluit, B sed non potuit, & infectum remansit, quoniam Arturus Britanniæ Dux cum proceribus & nobilibus contradixit, allegans hoc non posse, nec debere fieri, & quod saltem Domino minus digno non poterat inuitus delegari, &c.

Henricus Bohic. Negatur inuitos minus digno addici posse dignaud posse.

Circa hoc quidam doctores moderni, inquit Henricus Bohic lib. 3. de feud. distingunt. Aut Dominus vult transferre vasallum suum in maiorem Dominum, & tunc potest; quia facit conditionem eius meliorem, cùm sub maiori iudice gens constituta maiori securitate gaudeat, &c. Et ideo cùm prosit vasallo, cogitur consentire, &c. Aut vult transferre vasallum in minorem Dominum, & non potest; quia hoc facit conditionem vasalli deteriorem. Ideo, inquit Alciatus, *C. de pact. l. debitor. col.* 149. C communi calculo existimatum est, non licere Principi oppidum aliquod inuitis subditis alienare, ita tamen si eorum probabiliter intersit non mutare Dominum, vt quia in eum transferuntur, cui subijci non æque decorum esset, potentiori enim Domino subditi alacrius parent, quoniam & sub eius imperio tutiores sũt. Hactenus Alciatus.

Alciatus.

Petrus de Bella Pertica neutro modo censet fieri posse.

Veruntamen Petrus de Bella Pertica, priorum vestigijs inhærens, tenet, quod nec in maiorem, nec in minorem transferri possit inuito vasallo, quemadmodum nec ius filiationis transferri potest filio inuito, &c. Et hoc teneas, inquit, de iure, licet de consuetudine in Regno Franciæ contrarium obseruetur: non quoad Reges, sed quoad Regnicolas. Hæc ille.

Ioan Faber.

Cuius sententiam probat Ioannes Faber. *Inst. de assignat. libertor.* §. *in summa, num.* 4. D Nam ratio, inquit, doctorum, quod translatio in potentiorem non interest vasalli, imò est sibi vtile habere potentiorem Dominum, non est multum bona: quia imò interest potius vasalli quandoque esse hominem capellani sui, qui modicum eum vexabit, quàm magni tyranni, qui multas dat molestias. Hæc illi. Qui si verum dicerent, profecto mirum esset, nobiles, cùm aduersa fortuna premerentur, quæ possident vendere non posse, & egestati suæ atque inopiæ subuenire. Sed iam ad Reges reuertamur, quorum iura hactenus in controuersiam disceptationemque vocantur.

Reges duplici titulo nonnulla oppida possident.

Duplex ius habet Rex in castro vel re concessa, inquit Molineus §. 1. *gloss.* 5. *verb. le fief, tit.* 1. *de mat. feodali num.* 53. vnum tanquam Dominus

nus specialis & vtilis ipsius castri, quod forte emerat, & illud censetur transferre. Aliud tanquam Rex, quia habet dominium directum & ius Regium vniuersaliter in toto Regno, & de isto Regno nihil transfertur, ita punctualiter decidit Alber. *in l. 1. in fin. de off. eius cui mand. est iurisdict, &c.* Ratio est duplex, prima quia huiusmodi Regalia sunt de iuribus Coronæ, & illi annexa & inseparabilia, nec sunt in cõmercio *l. apud Julian. §. Constat de legatis.* 1. ita quod non sunt alienabilia etiam per ipsum Principem, ex certa scientia, vel motu proprio. Et rursum *ibidem num. 49. Non potest* Summus Princeps in totum alienare & abdicare, seu, vt dicunt, expropriationem facere, territorij, dignitatis, vel iurisdict. licet commoda & vtile dominium concedere possit, salua superioritate, recognitione, & fide, vt not. ait Bald. *in proœ. feud. col. 8. verb. expedita, & in proœ. C. col. 3. ibi, tertiò, per modum expropriationis.* Aliàs esset homicida suæ dignitatis, vt inquit idem Bald. *in c. licet causam col. 3. extra de probat.* Molineo apud Sauaronem Barth. Chassaneus it comes, cuius hæc verba sunt: Hinc dicit Baldus in *d. §. generaliter,* quod Principi licitum est infeudare Ducatus & Comitatus suis subiectis, vt idem auxilium præstent contra hostes, dummodo non infeudet vltra modum consuetum aliorum Regum, alienare tamen non potest, nec iura Regni, nec ea quę contendunt contra honorem Coronæ, aliàs ea attentare, dicitur vnum pecus, vt dicit ibi Baldus, qui patificat iura Regni & honorem Coronæ, quod dicit esse menti tenendum, & hoc casu si alienatio sit contra honorem Coronæ, aut in perniciem Reipub. quoniã vt inquit, quia facta hosti non tenet: imò nec iuramentum in talibus est seruandum, notatur *in l. 1. §. non fuit. ff. de dolo.* quoniam in malis promissionibus fidem non seruabis, vt dicit, &c. Addamus postremò & Ioãn. Quintinum ex eodem. Vnde, ait Quintinus, si Rex etiam sola Regia ductus liberalitate, suæ ditionis oppidum, locumue aliquem donet, non censetur hoc imperium merum donasse, cuius nemo capax est, præter ipsum solum Principem, qui tametsi se hoc donare exprimat, seque abdicãdo in alium transferre velle, non tamen amittit imperium, si non & populus pariter consentiat, à quo illud est, *l. penult. de officio præsidis.* tum quidem iurisdictio transfertur, sed merum Imperium quod lege Regia datum est Principi, non posse transire verius est, quandoquidem maiore omnium opinione indelegabile est. Hostiẽsis Cardinalis dictum singulare commendant omnes, *in cap. dilecti, de maiorit. & obedien.* vbi adstruit, quod Rex vel Princeps, non potest inuitis incolis, castellum vel ciuitatẽ sibi subiectam alteri subijcere; subditorum interest, ait Innocentius, non mutare dominos. *cap. auditis, de præscript.* Et paulò post. Dico igitur, cùm sit adhuc à nemine decretum contrarium, Regem non potuisse id imperium merum ad alium transferre, nec per Regiam donationem (quamtumuis in aliquem larga sit, & generalis concessio) intelligitur quis eximi Principis imperio ac potestate. Non potest Rex facere, quin sit omnibus & agnoscatur in Regno suo superior. Peracutè multa hinc non abhorrentia scripsit Lucas de Penna l. quocunque de omni agro. desl. lib. 11. c. concludens Regalia non posse ad Regem non pertinere, etiamsi Rex aliter vellet, &c. in Aristocratia. Et quidem illi hactenus.

Molineus negat directum dominium alienare posse, vtile posse.

Chassaneus

Ioann. Quintinus

Henricus Cardinal. hostiens.

Nos verò priusquam institutæ disputationis exitum expediamus, summam aliquam necesse est opinionum harum facere. Id quo facilius assequamur, & quæstionem; Iurisconsultorum studio, multis implicatam difficultatibus vtcũque enodemus, eorum sententias ad tria capita referemus. Dicemus itaque primò, de quibus rebus ipsi disputent vtrum alienari possint: rerum autem nomine etiã personas intelligimus. Deinde quem modum in paciscenda alienatione seruari velint. Postremo, rebus traditis, quid sit quod dari, vendi, concediue intelligant.

Quæstio distinguitur in tria capita.

1. Quod ad primum spectat, negat Sauaro Regem vendere aut alienare quicquam posse, tametsi etiam subiecti consentiant. Reliqui ferè ea lege consentiunt, si Reipublicæ bono fiat. De vrbe autem aliqua, aut castro agroue nos dicere intelligimus, vti etiam supra à nobis initio quæstionis propositum est. De locorum incolis maior difficultas est, quorum hi cùm liberi sint, non videtur inuiti alterius imperio subijci posse. 2. *Itaque, quod ad modum spectat,* ne quid eorũ inter sit qui in alterius rediguntur potestatẽ, potentiori Domino iubent adscribi: quod si fiat, eorundem consensum non vltrà requirunt. At contrà, reliqui intercedentibus loci incolis nihil posse fieri autumant; quod tum quoq; eorũ intersit, ne potentiorem tyrannum sortiantur, cuius vim ferre non queant. Cõsensus porro ille ita distingui potest, vt vel totius populi sit, vel illorum duntaxat quorũ terra recens alteri Domino addicitur. Bonaudus censet ad eum contractum totius populi volũtatem accedere debere, quòd bonum publicum ad omnes pertineat, & de eo non aliter quàm communi omniũ lege transigere atque decidere liceat. Nonnulli magis eorum rationem habendam iudicant, qui priuatim fraudem pati videntur; cùm à patrono, cuius se fidei permiserant, eo pacto prodãtur. 3. Quid sit autem illud, quod quocunq; modo à Rege dirimi distrahique possit, sic plerią; omnes interpretantur: Quacunque tãdem formula cõceptisque verbis pactio confletur, nihil aliud concedi intelligendum esse, præter commoda & vtile dominium, cùm Rex directo dominio ac mero imperio sese abdicare non possit. Neque enim fieri posse vt Regis maneat inconcussa Maiestas, si quisquam de Principis iurisdictione eximatur, aut de suprema potestate vlla diminutio fiat. Quod tamen ni fallor nonnulla distinctione opus habet. Nam si quis de subiectorum numero ita eximatur, vt tamen ciuis maneat, dubium esse non potest, quin Monarchia labefactetur: sin vero ita mittitur, vt inter ciues censeri desinat, huius quidem rex vltrà haberi non poterit: in residua tamen republica summo iure imperabit, nec vllam dignitatis suæ iacturam faciet. Neque enim Regem facit aut quorundã numerus ciuium, aut certa regionis descriptio, sed perinde vt in magno, sic

Consensus populi duplex intelligi potest.

QVAM OB CAVSAM, &c.

quoque in exiguo grege Regis Maiestas retineri potest, si pari vtroque autoritate potiatur. Veruntamen plerique nolunt siue personam spectes, siue locum, Regem posse de pristino iure decedere, quod penitus insitum hæreat in ipsis medullis ac visceribus Imperij. Atqui.

Numer. cap. 10. ver. 29. & seq.

Alienationum complura exēpla, quæ iuriconsl. doctrinam refellunt.

Nam pauca veterum exempla cum hac sententia pugnant. Nam primum quidem Moyses cū Hobab cognatus eius locorum gnarus esset, & castrametandi peritia excelleret, eundem obnixe rogauit, vt Hebræis dux & comes esse vellet, pollicitus, quę nanciscerentur optima, filios Israël eidem largituros. Huius ergo posteri, qui Cinæi dicti sunt, quæ loca occuparint discimus ex 1. cap. Iud. & 4. & 1. Paralip. cap. 2. ver. 55. Israëlitæ quæ Moses promiserat, studiose præstiterunt. Sic autem illi quas optarunt sedes à Iudæis impetrarunt, vt tamen sui iuris essent, nec eorundem imperio parerent. Quod probari manifeste videtur cum huius libri cap. 15 tum maxime Iudic. cap. 4. Quo loco Haber Cinæus, quo tēpore Iabin Rex Chanaan Hebræos bello vexabat, cum eodē fertur pacem coluisse. Negabis tum Regem Israëlitis imperasse. Esto, Democratia tum siue Aristocratia obtinuerit, semper tamē eadem difficultas recurret. Maiestatis enim habetur ratio, quæ nulla est, vt quidem ipsi volunt, si priuatim quisquam suis legibus in Republica viuat, quam siue Rex, siue Optimates gubernant, siue denique populus ipse regit. Deinde Rechabitæ, & ipsi Cinæi, vsque ad Ieremiæ tempora & Regni finem in Iudæa perseuerarūt. Vnde sequitur, vt verum esse non possit, Regiam Maiestatem extingui, si agri pars aliqua, quæ ad Regnum pertineat, amicis ita cōcedatur, vt imperij iugum minime subeant, sed sui iuris ac mancipij plenam libertatē retineāt. Sed neque Moyses rogasse populi sententiam narratur, cum locorum quæ illis placuissent, nō tantum vtili, sed etiam directo dominio cederet ac mero imperio. Hoc loco Achis quicquid egit, inconsulto populo, & satrapis, vt apparet, minime conscijs egit. Salomon quoque cum hiram Regi Tyri mercedis nomine oppida viginti daret in terra Galilęæ, nec consuluisse populum, nec Regibus Iuda directum dominium reseruasse scribitur. Sed nec ibidē Pharao horum quicquam obseruauit, cum *Gazer ciuitatem dedit in dotem filiæ suæ vxori Salomonis.* Tametsi enim quæ Reges bello quærūt communibus impensis, periculo ciuium, non sibi sed Regno videantur quærere, cum tamen Salomonis amicitiam præ illa vrbe Ægypto fore vtiliorem iudicasset, scripsit eam dotem filiæ, & ad Salomonis Imperium adiungi passus est. Syriæ quoque Reges non paucas Toparchias Iudæis, cum ijs quæ Regalia iuniores vocant, atque adeo cum summo imperio largiti sunt: quæ omnia fecisse perperam, aut etiam nullatenus facere potuisse nemo hactenus conquestus est. Cum verò plura ex Græcorum Romanorumque historijs aliarumque gētium afferre in medium potuissem, hæc satis fore statui, per quæ aduersariorum opinio vocaretur in dubium, & conclusionem fides nutaret.

3. Reg. c. 9. ver. 11.

Ibidem ver. 16.

Verumenimuerò cum Princeps & Populus, si

A

Reipublicæ procurationem spectes, cū ad clauum sedent, pari inter se iure certent, cur Principi deneges quod Populo necessariò concedēdum est, vt iustis de causis publici patrimonij partem alienare possit? Nouimus vtique Populum, cum in sua potestate est, si publicè consentiat, se totum alteri aut Populo aut Principi mancipare posse: quod nequaquam Regi licere citra controuersiam est. Neq; enim hoc ad suscepti muneris partem aliquam referri potest, cū sit manifesta veteris instituti atque adeo Reipub. status mutatio. Sed in his quæ ad salutem Reipub. sartam tectam tuendam pertinent, quæ pars est politicæ administrationis summa atque præcipua, Monarchiæ atque Democratiæ sine dubio par est & æqua potestas. Nam quicquid iuris ad tractanda gubernacula populus in Democratia habuit, illud totum, cum Monarchiā institueret, lege Regia in Principem transtulit. Quod cum dico, haudquaquam pactorum fidē rescindo. Nam Principes, quantum Regalis officij ratio patitur, pactis conuentis stare necesse est. Sed supremam Reipub. potestatem assero, quæ in Monarchia Regum propria est, si fortè nullis legibus, pactis, vel antiquo more, à primo Regni exordio, aut innouatione aliqua, circumscripta sit. Nam quas sibi leges Reges ipsi postea tulerint, nisi eas iuramento firmauerint, cum visum fuerit, abrogare poterunt; successores, etiamsi iuramento firmauerint, cum eorum fides à præcedentibus obligari nequiuerit, aut potestas imminui. Par siquidem, vt sentiūt iuris doctores, in parem non habet imperium.

QVAM OB CAVSAM, &c.

Quæstionis Solutio.

B

C

Accolis tamen, si fortè locus vltro deditur, & velle se significent, patere debet ad suos receptus. Qui cum ex mutatione loci, & possessionum amissione, non leue detrimentū accipiant, quantum feret Reipub. necessitas, publico sumptu leuandi sunt horum eadem ratio habenda videtur, ac illorum, quorum ædes obsidionis tempore à militibus occupantur, aut etiam fruges autoritate magistratus in publicum vsum & commodum conferuntur; quibus subinde pars aliqua pretij restitui solet. Sin iacturam Respublica sarcire non poterit, intelligenda est pars pro toto calamitati exposita.

VERSVS VIII.

D

Et ascendit Dauid, & viri eius, & agebāt prædas de Gessuri, & de Gerzi, & de Amalecitis: hi enim pagi habitabantur in terra antiquitus, euntibus Sur vsque ad Terram Ægypti.

VERSVS IX.

Et percutiebat Dauid omnem terram, nec relinquebat viuentem virum & mulierem: tollensque oues, & boues, & asinos, & camelos, & vestes, reuertebatur, & veniebat ad Achis.

Pagninus pro eo quod legimus *& agebant prædas*, vertit *& impetum fecerunt*; Arias, *& diffuderunt*

Variæ translat.

De Gessuri, &c.

diffuderunt se. Alius quidam, *& hostiliter irruerũt.* Septuag. Καὶ ἐπετίθεντο ἐπὶ πάντα γεσουραῖον, *& irruebãt,* siue *incursiones faciebant in Gessureum, &c.* Chaldæus, *& distracti sunt super Ghessureum, & Girgezeum, & Ghamalekeum, quia illi habitantes terram quæ à seculo descensu Hhagra & vsque ad terram Misraim.* Veruntamen, ne quid dissimulem, cum Hebraicè cum Chaldaicè nonnihil interest inter Gergesæum & Gerzæũ, quod nullo negotio deprehendes, si hunc locum cum Genes. cap. 10. ver. 16. contuleris. Nam prior dictio, Hebraicè & Chald. duplici ג *gimel* describitur, posterior simplici, & hæc quidẽ *Zain* obtinet, prior ש cum apice dextro. Sed Latini interpretis autoritatem sequutus sum, qui vtrobiq; Gergesæũ aut Girgezæũ interpretatus est. Pagninus, *quia hi inhabitabant terram quæ à seculo, ingrediente te Sur, & vsque ad terram Ægypti.* Alius, *hæ enim gentes inhabitabant terram ab antiquo, veniente te scilicet in Sur vsque ad terram Ægypti.* Vatablus, *hæ enim* [*gentes*] *iam olim regionem istam incoluerant, vbi itur in Sur vsque ad terram Ægypti.* In Schol. *Iam olim*] vel, *regionem quæ fuerat à seculo*, id est antiquam, & ideo populosã. *Vbi igitur*, vel, *ex quo intras.*] Chaldæus, *ab ingressu, &c.* Sept. ὅτι κατῳκεῖτο ἡ γῆ ἀπὸ γεσούρ καὶ ἕως γῆς αἰγύπτου, *quoniam habitabatur terra quæ à Gessur. & vsque ad terram Ægypti.* Ita legunt Complut. At Rom. & Ald. edit. diuersissimè: Καὶ ἰδοὺ ἡ γῆ κατῳκεῖτο ἀπὸ ἀνηκόντων ... καὶ ἕως γῆς αἰγύπτου, *Et ecce terra habitabatur ab aduenientibus, quæ à Gelampsur murata, & vsque ad terram Ægypti.* Sic habet Rom. translat. cuius cum Græcum exemplar penes me non habeam restituam quæ desunt in Edit. Aldina, ex Notis flaminij. Ἀπὸ ἀνηκόντων ἡ ἀπὸ γελαμ ψουρ τετειχισμένων, *ab aduenientibus, quæ à Gelampsur muratorum.* Horum porrò verborũ difficilis interpretatio est, sed quæ Flaminius inuenerit, hoc loco referam. Si illud, inquit, γελαμψούρ, diuidatur in duas dictiones, γελάμ, videtur dictio Hebræa (quamuis paulum immutata) quæ significat *seculum*, & ψούρ, nomen loci proprij. Quamobrem si legeretur, ἡ ἀπὸ γελάμ ἀπὸ ἀνηκόντων ψούρ, respõderet Hebræo, qui habet, *quæ à seculo, adueniente te Sur.* & Vulgata, *antiquitus, euntibus Sur.* quod tamen hic est, *Sur*; in Hebræo ita ponitur, vt significare etiam possit, *murata*, vnde fluere potuit illud, τετειχισμένων. Ita apparet quædam variarum interpretationum coagmentatio. Hactenus Flaminius. Porrò quod ad gentes illas attinet, adnotant Hebræi fuisse reliquias Cananæorũ, qui ad aduentum Israëlitarum Gessur in Galaad, de quo Iosue 12. 5. & Gazer in Ephraim, de quo Iosue 16. 3. reliquerunt, vt ad Amalecitas se reciperent. Gerzæum autem legimus, pro Gezeræo, transpositis literis, vt notant Massoritæ. *Illa enim sunt gentes*, scilicet, duæ priores, *quæ olim habitauerant ipsam terram*, Iudæam cis & trans Iordanẽ, *quà venis Sur vsque ad terrã Ægypti.* De *Sur* autem habes Genes. 16. Exod. 15. De Gessur plura Adrichomius in Manasse 2. n. 57. *Gessur*, inquit, aliàs Iessur, Gesur & Ghesur, fortis & regia vrbs, sita, vt ex Hebraici nominis significatione videtur, in valle. Ab hac vrbe finitima regio Gussuri, siue Iessuri, &c. Iosepho

Adrichomius.

Quæ regio Gessuri.

Gesura & Gessiri appellatur: quę quidẽ Israëliticæ terræ, quæ trans Iordanem est, versus Septentrionem terminus fuit: atque licet dimidiæ tribui filiorum Manasse in possessionem fuerit data, pristini tamen terræ habitatores nunquã inde expulsi fuisse videntur. Et post alia quædam, Vt vt sit, inquit, extra quæstionẽ est, quod alibi de Dauide legimus, qui scribitur de Gessuri egisse prædas, & Maacham filiam Tholmai Regis Gessur accepisse vxorem. De qua S. Hieronimus in Tradit. Hebraicis: Dicunt, inquit, Hebræi, à Dauid in prælio captam, & cæsarie & vnguibus præcisis, secundum legem eã vxorem sibi sociasse, & ex ea genuisse Thamar filiã, & Absalom tertium filium suum. Lege 2. Rex. cap. 3. ver. 3. Hæc causa fuit, vt Absalom, cùm ob violentam Thamar sororis suæ deflorationem, Amnon fratrem suum primogenitum occidisset, fugerit in Gessur ad regionis illius Regem; quia is erat auus eius maternus: Lege 2. Reg. cap. 13. ver. 37. Vbi toto triennio permansit, donec Dauidis consensu à Ioab Hierosolymam reduceretur. Hæc Adrichomius.

Et de Gerzi.] diximus iam Massoritas Gezeræos interpretari accolas vrbis Gazer, quæ sita fuit in finibus tribus Ephraim, non procul Geth vrbe Regia Regis Achis: de qua hæc habet idẽ Adrichomius in descriptione tribus Ephraim, num. 46. Gazer, inquit, quæ & Gazera, & Gazara, Gezer, & quemadmodum apparet, Gadera, sita in extrema & protensa longitudine tribus Ephraim, vrbs cuius Regem occidit Iosue, vrbe expugnata, eaque Leuitis assignata. Hanc postea Pharao Rex Ægypti bello aggressus expugnauit, & occisis ad vnum habitatoribus diruit: deinde filiæ suæ Salomoni nuptæ in dotem dedit, quam Salomon, quod esset natura munita, & ad bella opportuna, denuo exædificauit. Ætate S. Hieronymi villa erat, in quarto miliario Nicopoleos contra Septentrionem.] Gergesæos Chaldæus hoc loco exposuit, qui à Gergesæo quinto filio Chanaam originem duxisse feruntur. Horum primum ciuitas Gergesa dicta est, deinde Gerasa & Ierasa, vt idem testatur Adrichomius in tribu Manasse, Iosepho Gerasis, Gargasis etiam S. Hieronymo, quæ insignis ac munita trans Iordanẽ fuit: cuius regio monti Galaad iungitur ac continetur. Sita vero est super motem, in vlteriori, hoc est Orientali maris Galileæ litore, ex aduerso Tiberiadis, paululum tamen ab ea ad Aquilonẽ declinãs. Scribitur abesse à Nazareth sextodecimo miliario. Gergesæos cum filij Israël in promissę terræ inuasione deleuissent, tenuit eam dimidia tribus Manasse. Ab hac ciuitate circumiacens territorium, regio Gerasenorum vocatur: quã Euangelista Matthæus c. 8. in Græco γεργεσηνῶν id est, Gergesenorũ; Marcus vero 5. & Luc. 8. γαδαρηνῶν, hoc est, Gadarenorum appellant. quod multis occasionem præbuit, inquit Adrichomius, vt existimarent vnam eãdemque ciuitatẽ tria hæc habuisse nomina: Gerasa, vnde est Gerasenorũ, Gergesa, vnde est Gergesenorum, & Gadara, vnde est Gadarenorum. Sed ex Iosepho, Hieronymo, Ptolomæo & alijs manifestum est, Garasam, & Gadaram diuersas fuisse ciuitates: am-

De Gessuri, &c.

Gerzi qui locus.

Iosue 10. 33

Genes. 10.

De gessuri, &c.

bas tamen trans Iordanem ac mare Galilieæ, nõ longe ab inuicem dissitas. Itq; verisimilius est, eandem hãc regionem ab vtraq; ciuitate nomẽ accepisse, & à Gerasa quidem, quæ & Gergesa, Gerasenorum & Gergesenorum, à Gadara verò Gadarenorum nomen sortitam esse. Latinus autem Interpres ideo videtur nomen Gerasenorũ posuisse, tã in Matthæo quã in Marco & Luca, pro Gergesenorum & Gadarenorũ, quod illud suo tẽpore notius esset & communius. Nã & S. Hieronymus in Abdiam scribens, eam Arabiæ partẽ, quæ prius Galaad vocabatur, suo tẽpore nuncupatam asserit Gesaram. Ipsius tempore, vt idem autor est de locis Hebraic. in dictione Gergesa, Gerasa tantum viculus fuit, qui hostilitatem metu desolatus diu iacuit. Hæc omnia collegit Adrichomius ex varijs autoribus.

S. Hieronym. in Abdiæ c. 1.

Horum locorum difficilis inuestigatio est

Quæ nescio quo pacto cum ijs conuenire possint, quæ mox addũtur explicationis gratia. *Hi enim pagi habitabãtur in terra antiquitus, euntibus Sur vsque ad terram Ægypti.* Nam *Sur* quidem desertũ fuit ab vltima Palæstina vsque ad fines Ægypti, ac proinde ad meridionalem plagam Iudæ iacens, Sed longa locorum intercapedine seiunctum ab ijs regionibus, quas prius Gergesæis & Gessuræis tribuimus. Est quidẽ Gethæis vicina Gazer, & illã tum Chananæi incolebãt: sed è vicinia periculum fuisse videtur ne Achis resciisceret. Nam vrbs quidem ipsa cùm à Dauide expugnari nõ posset, sed rustica tantum prædia & pagos popularetur, non erant ciues dissimulaturi iniuriam, sed cum Palæstinis expostulaturi, & prædones Iudæos prodituri. Verisimile est enim cum ijsdem pacem coluisse, cũ quibus commune odium in Iudæos susceperant, & recedentium viam obseruare potuisse, cum nõ ita procul prædas agerent. Deinde Gazer, si Iudæam spectes, meridiẽ non occupat, nec ad Sur desertũ pertinet, aut in via Ægypti insidet, sed vergit potius ad Septentrionem. Gessurã autẽ & Gergesam si placeat ascribi tribui Manasse trans Iordanem, & hærere monti Galaad, fateri oportet easdem ad ortum Solis Iudæ collocatas fuisse. Necesse est deinde à deserto Sur, & via Ægypti, quæ mediam Palæstinam atterebat, remotissimas fuisse. Dicet aliquis, non eius viæ rationem habitam quam vulgus peregrinantium incederet, sed quã filij Israël priusquam in Galaad irrupissent, annis quadraginta tenuerant. Nam & Amalecitarum fit mentio. Quæ gens, cum passim in vasta solitudine moraretur, & eremi loco opportuniora incoleret, non tantum desertum Sur, sed & Sin, & Pharan, & Euila sibi vendicabat: quo pacto non vni Iudæ, reliquis quoque terræ sanctæ partibus Australis haberi poterat. Meminit autem deserti Sur præ reliquis, quoniam inde via cœpit, vt primum ex Erythræo mari emerserãt. Mirabor tamen si quo pacto per mediam Iudæã, aut Idumeæ deserta, mõtesue Seir, ad eas regiones penetrare potuerint, quæ trans Iordanem & mare Tiberiadis, à Gergesæis colebantur vt inde spolia auferrent, & ouium greges atque armenta abigerent. Neque enim verisimile est per tot gentes impeditã turbam, & onustum præda militẽ, absque prælio traijcere, domũ tutò recipere potuisse. Difficultatis solutionem lectoris arbitrio permittam. Huc magis accedo, vt credam horum populorum reliquias, cum domi ab Israëlitis delerentur, ad Amalecitas confugisse, & in vasta eremo quæ Ægypti viam obsidet, sedes sibi cõstituisse, excursionibus & latrocinijs potius quàm vlla ratione agraria vitam propagantes.

De gessuri, &c.

Salianus.

Salianus Annal. Tomo 3. ad ann. mundi 2979. num. 16. duplicem Gessur in Scriptura commodè distinguit. Altera est, inquit, trans Iordanẽ, contermina Syriæ, propterea que Gessur Syriæ appellatur: pertinuitque ad tribum Manasse. Non tamen eam possedit, *Noluerunt enim*, ait Scriptura, *disperdere filij Israël Gessuri & Machati, & habitauerũt in medio Israël, vsque in præsentem diem:* adeò vt viuo quoque Dauide haberent proprium regem, nomine Tholmai, cuius filiam idem David duxit vxorem, ex eaque suscepit Absalonem, & Thamarem. Altera Gessur est, quæ hoc loco memoratur, vicina Amalecitis, & extra terminos Israëlitarum, meridiem versus, cuius nulla est, præterquam hoc loco, in tota Scriptura mentio, sicut neque de Gerzi: quam vocem Septuag. Romanæ, Aldinæ, Basil. Vuechelianæ editionis non habent. Nec Iosephus. Est tamen in Complut. & Regia, quæ ad textum Hebræum efformatæ sunt, &c.

Iosue 13. vers. 13.

2. Reg. 13.

Qui prædones dicerentur. Brissonius.

De his ergo *David, & viri eius prædas agebãt.*] Euaserant ergo prædones. Prædo autem in iure vocatur quilibet iniustus & malę fidei possessor, siue qui bona sine iusta aliqua possidendi causa inuasit, qui possessionis causam nullam afferre potest. Prædones piratas Brissonius interpretatur. Aliàs propriè sunt, qui cum bellum non indixerint, hostiliter tamen grassantur, qui & latrones, siue latrunculi appellantur. l. hostes. 24. ff. de capt. Tametsi latronum vocabulum ex eorum numero sit, quę ab honesta origine in inuidiam postea abierunt: quo ex genere sunt Tyrannus & Sophista inquit Brissonius. Nã latrones primum dicti sunt οἱ σωματοφύλακες siue Principum stipatores, aut quod eorum latera stiparent, aut quod ferrum ad latera gestarent, vt Varro docet in l. de lingua Latina. Imò quicunque olim mercede cõducti militarent, latrones audierũt, παρὰ τὸ λατρεύειν, inquit Seruius, quod seruire spe mercedis, & obsequi significat: vel, Festus, ἀπὸ τῆς λατρείας, quod perinde est: ea certè merces Græcè dicitur λάτρον, ἢ λάτρον. Venatori etiam latronis nomen tribuit Virgilius 12. Æneid.

Qui latrones.

Virgilius.

Pœnorum qualis in aruis, &c.
Tum demum mouet arma leo, fixumq; latronis
Impauidus frangit telum.

In prædonibus tandem hæsit ea dictio, quod viatores clanculum ex insidijs captent, aut, cum lateant, incautos per vim derepente opprimãt. Hunc viuendi morem Iephte complexus fertur Iud. cap. 11. ver. 3. postquam is paterna domo à fratribus exactus, & hęreditatis spe deiectus est.

Quo

De Gessuri, et, &c.

Quo iure Dauid prædas de tot gentibus egerit; & an quenquam liceat in bona naufragorum inuadere?

QVÆSTIO CI.

IAm verò quo iure Dauidem in hos populos grassari licuerit, hoc scilicet ambigitur. Nã si Amalecitas excipias, quos iampridẽ Deus proscripserat, Exod. 17. ver. 14. 16. Deuteron. 25. ver. 19. de reliquis nullum extat legis antiquæ decretum quo perire iubeantur. Sed & illud non minimam interpreti difficultatem parit, quod cùm Dauidem præceptum Domini non lateret, ausus sit contempta lege anathematis, Amalecitarum spolia sibi vsurpare. Neque enim solam gentem, sed eius quoque bona omnia anathemate damnauerat. Suprà cap. 15. *Vade, & percute Amalec, & demolire vniuersa eius, non parcas ei, & non concupiscas ex rebus ipsius aliquid, sed interfice à viro vsque ad mulierem, & paruulum atque lactantem, bouem & ouem, camelum & asinum.* At contrà Dauid hoc loco *tollens oues, & boues, & asinos, & camelos, & vestes reuertebatur.* Nunquid non hoc scelus est, ob quod Saul à Deo abdicatus est, & miserè periit? Respondet Salianus num. 17. Oportet fateri Dominum lege anathematis soluisse Dauidem, cum copiosam inde prædam sæpius abduceret, sine vlla Dei reprehensione. Ita Salianus. (Salianus.) Quid si egestatem exulis ac profugi excusationis loco prætexamus? Sed multo probabilius quod idem Salianus Abulensi placuisse refert, hanc legem anathematis priuatim Sauli præscriptam fuisse Antiquam legem, qua communiter omnes tenerentur, cædem quidem imperasse, præda autem & commodis non interdixisse. Exodi 17. *Bellum Domini erit contra Amalec à generatione in generationem, delebo memoriam Amalec sub cœlo.* Et Deuteron 25. *Cùm Dominus dederit tibi requiem, delebis nomen eius sub cœlo: caue ne obliuiscaris.* Non debuit itaque audire prædo Dauid, tametsi Amalecitarum supellectilem auferret, & armenta abigeret prædonio more. Non enim prædonem quorumlibet vexatio direptioque facit, sed iniustitia. Nam malis obesse qui pluribus noceant, si autoritate publica fiat, laudem ac præmia meretur.

(Quamobrẽ Dauid non paruerit legi anathematis in seruanda præda Amalec.)

(Quid iuris in Gessuræos & Gezræos?) De Gessuræis & Gerzæis, inquit ibidem Salianus num. 18. putat Abulensis idem licuisse Dauidi, quod cum intra fines Chananitidis cõprehenderentur, in eos valeret illa lex; Deuter. 7. 2. *Percuties eas vsque ad internecionem*; Et iterum, *De his autem ciuitatibus quæ dabuntur tibi, nullum omnino permittes viuere, sed interficies in ore gladij, &c.* Verum supponit Abulensis, hos populos fuisse trans Iordanem prope Galaad in tribu Manasse, cum fuerint ab ijs longo terrarum tractu disiuncti. Torniellus putat eos pertinuisse ad fines Israëlis, mansisseque à meridie Iuda cis torrentem Ægypti, qui est terminus meridianus possessionis Israëlitarum. (Torniellus annal. 4. ætat. 436. num. 5.)

A Num. 34. Verum nullo id testimonio demonstrat; proptereaque existimauerim, Dauidem, qui apud se habebat Pontificem cum Ephod, quotidie eum de expeditione sua consuluisse; eoque profectum esse populabundum, quò Dominus per Sacerdotem dixisset excurrendum. Qua in re nihil absurdi video. Nam nuper protecturus in Ceilam Dominum per Pontificem consuluit, & semel iterumque responsum accepit, & rursum cum migraturus esset; Posthæc etiam cum expeditionem susciperet contra eos qui vastauerant Siceleg; & cum eundum fuit in Hebron. Idem ergo de quotidianis istis excursionibus dicendum videtur. Hactenus Salian.

(Dauid, et viri, &c.)

(Alia ratio.) Nos qui iam antea vtrumque hunc populum in numerum proscriptarum gentium retulimus, B Dauidem manifestis rationibus criminis absoluimus: tametsi enim metu periculi atque impendentis ruinæ dudum sedes mutauerant, solumque exilio verterant, semper tamen obnoxij morti manebant, quos capitalis diuini iudicij sententia perculerat. Lege 12. tabularum, *Aduersus hostem æterna autoritas esto.* Quo loco tametsi Balduinus hostem prisco idiomate peregrinum interpretetur, & æternâ autoritatem eatenus valere doceat, ne aduena vindicationis iure siue vsucapionis donetur, aut temporis præscriptione possessionem tueri possit: non video tamen cur de vero ac legitimo hoste nequeat intelligi, quandiu perduellionis crimen interpolato fœdere non deletur. Perduelles autem dicuntur, qui licet, vt Plautus ait, se C in fugam penetrent, bellum tamen pertinaciter animo retinent. Quamobrem hi quoque hostilitatis rei habendi erant, qui datâ occasione pristinas sedes per vim & cædes repetituri erãt. (Balduinus.) (Perduelles qui habẽdi.)

(Hostes publici erant, in quos omnis homo est miles.) Sed erant præterea Gessuræi & Gerzæi perinde vt Amalecitæ, quorum hactenus Arabes instituta & mores æmulantur: humani generis hostes publici; quippe quos necessariarum rerum inopia, & cæca cupiditas rapinarum ad omne facinus impelleret. Vicinis, quos pacis inertiâ solutos incautius agere compeerissent, insidias struebant, & quascunque prouincias adire poterant, incendijs ac latrocinijs infestas reddebant: in eremo autem non secus ac mari piraticam exercebant. Toles nunc quoque non pauci Pyrenæos scopulos, & Alpium iuga obsident, & densiores syluas, in quibus grassantur, & circumuicinis non rarò D molestiam exhibent. Thracum meminit Xenophon, qui Salmydessum incolunt lib. 7. Exped. Cyri Min. Ad ea littora, inquit, è mari, in breuia & quasi æstuaria quædam impactæ naues quamplurimæ in Pontum venientes, franguntur: eas Thraces prædantur, diuisis inter se littoribus, columnis per interualla erectis: nam antequam id fieret, de præda inter eos cædes plurimæ fiebant. Curtius lib. 4. Ad Septentrionem Ammonis oraculi Nasamones habitant, gens Syrtica, nauigiorum spolijs quæstuosa: quippe obsident littora, & æstu destituta nauigia notis sibi vadis occupant. Quinimo paria quoque de nostris commemorat. Sanctus Gregorius Turon. (Xenophon.) (Naufragos prædantur.) (Curtius.) (S. Gregorius. Turõ)

DAVID, ET VIRI, &c. lib. 6. Histor. Francor. cap. 2. Cùm redirent. inquit, à Tiberio Imperatore Regis Chilperici legati, ad Agathen vrbem nauim fregerunt. Arreptis autem tabulis Legati ad littus appulerunt, desideratis non paucis puerorum. Res autem quas vndæ littori inuexerant, incolæ rapuerunt: ex quibus quod melius fuit recipientes, ad Chilpericum Regem retulerunt: multa tamen ex his Agathenses secum retinuerunt. Hæc S. Gregorius.

At subinde, tanquam per ætatum gradus succedente tempore audacia cresceret, ea immanitas in naufragijs miserorum longè ferociùs bacchata est. De quibus iniurijs cum præsenti sæculo grauissimis verbis expostulat Iacobus Billius Obseruat. Sacrarum lib. 1. cap. 6. An, inquit, in alijs huiusce regni regionibus, nescio, insulis quidem certè Rupellæ vicinis, omnibusque illis oris maritimis, viget crudelissima atque immanissimis belluis potius quàm Christianis hominibus digna cõsuetudo. Nam si grauior quædam tempestas nauem aliquam, multis ante detrimentis affectam, magnaque ex parte fractam, in littus eiecerit, tantum abest vt ij, ad quos delata est, eiusmodi calamitate moueantur, naufragosque vllis humanitatis officijs complectantur, vt eos ipsos hoc nomine, quod miseri sint, oderint, hostiumque loco ac numero habeant, atque id omne quod fluctuum rabies ipsis reliqui fecerat, confestim diripiant: imò ne ab ipsorum quidem corporibus, si sua tueri ac retinere conentur, manus interdum abstineant. Quod si loci dominus ijs opibus, eaque potentia fuerit, vt hanc eorum quibus præest, feritatem prohibere queat, piratam ipsemet agit, ac naufragorum damna in sua commoda conuertit, nouusque miseris fit scopulus. Quod quidem ius (nam ius quoque id facinus appellatur) tam crudele ac nefarium est, vt vix in vlla alia tempora, quàm hæc nostra, in quæ omnium scelerum monstra confluxisse videntur, cadere potuisse crediturus fuerim, nisi melioribus seculis idem quoque vsurpatum fuisse credidissem ex Paulino, viro vel Hieronymi & Augustini elogijs sanctissimo, atque eximia quadam pietate. Etenim in Epistola ad Macar. non sine magna verborum grauitate narrat, quemadmodum Posthumiani cuiusdam procurator, Secundiniani nauem ad Domini sui littus naufragio delatam occuparit: agitque cùm eo ad quem scribit, vt Secundiniani causam suscipiat his verbis: Ne patiaris inuidia diaboli per hominem improbum Secundiniano eripi, vel iam ereptum negari, quod illi de naufragio redonauit Deus. Procurator Christiani viri fratris nostri Posthumiani esse dicitur, qui eam nauem, in Brutiorum littore, quo possessio senatoris alluitur, allapsam auarior mari, & sine myoparone piraticam in terra agens occupauit, & captam vacuefecit. Hactenus Iacob. Billius.

Iacobus Billius.

Dira atque inhumana consuetudo

S. Paulinus

Atqui lege antiqua Rhodia, vt apparet, naufragorum bona ad publicanos pertinebant. Chirius Fortunatian. Rhetor. lib. 1. Sorianus & Sopater in Apthonium pag. 107. Νόμος τὰ ναυάγια τῶν τελωνῶν εἶ). *l. 9. ff. ad l. Rhodiam, de iactu.* Ναυαγίων πιπάσιες ἐν τῷ Ιταλία, ἀπογραφῶν ὑπὸ τῶν δημοσίων. Posterior ætas apud Romanos ea tantum fisco addixit, quæ pro derelictis haberentur, aut quorum legitimus hæres haud appareret. *l. 13. ff. de acquirend. vel omitt. l. 2. ff. eod. l. 7. ff. pro derelicto. & toto tit. ff. de incend. ruin. naufrag.* Verùm apud alios vsqueadeò ea immanitas inualuit, vt non res tantum, sed homines quoque ipsi ex naufragio seruati, fisci commodis adscripti, in seruitutem abducerentur. Cuius rei exemplum habemus apud Albertum Abb. Stadens. pag. 153. Friderici, inquit, auia & mater de Anglia nauigantes in Comitatu Stadensi naufragium passæ sunt, & secundum prisci iuris rigorem tam homines, quàm res, regiæ ditioni sunt mancipati. Et rursum, Auia & mater sub prætextu naufragij, seruituti sunt addictæ. Sed nec ipsos quidem Anglos clementiores quondam naufragi experti sunt, quorum immanitas aliquando lege lata repressa est. Testatur Gulielm. Neubrig. Histor. Anglor. lib. 4. cap. 26. Antiquam, inquit, inhumanam circa naufragos consuetudinem, Henricus in ipsis regni sui initijs eximia pietate correxit: atque huiusmodi hominibus ab æquoreo discrimine liberatis, humanitatis officium exhiberi præcipiens, graues in eos pœnas sanxit, qui fortè illis in aliquo molesti esse, vel de rebus eorum quippiam vsurpare præsumerent. Sed ille hactenus.

Lex Rhodia nautragos spoliabat.

Naufragi seruituti addicti.

Albertus Stadensis.

Gulielm. Neubrig.

Saxo Grammaticus autor est, vt ex eodem refert Albertus Krantzius Daniæ lib. 1. cap. 38. Piraticam olim Danis, & plerisque Aquilonaribus populis honestum quæstum habitum. Itaq; Olanus Rex moriens, geminis filijs Froconi & Haraldo imperium ita partitus est, vt alternis vicibus terræ & mari imperarent: maris autem imperium nihil aliud quàm piratica fuit. Sed vt ad nostros reuertamur, Est quidem etiamnunc ius quoddam regale, quod Varech nominant, quo ea quæ casu in mari reperiuntur, si ante annum non repetantur, fisco adiudicantur: cæteroqui verò Caleti, & Bononiæ, totóque Morinensi tractu ac Picardiæ littore, seuerissimis legibus à naufragis quælibet iniuria propulsatur. At dudum Armoricos fecisse, quæ Billius Rupellanorum vicinis tribuit, testis est Hildebertus Turonensis Archiepis. Epist. 65. ad Honorium 2. Roman. Pontificem. Nam de Britãnia Minore loquens, Quicquid euadebat, inquit, ex naufragijs, totum sibi fiscus lege vendicabat patriæ: passosque naufragium miserabilius violentia Principis spoliabat, quàm procella. Hanc iniquissimam exactionem cùm rogante Comite in Nannetensi Synodo anathemate damnasset, postulauit decretum autoritate Summi Pontificis confirmari, cuius hæc responsio fuit apud eundem Epist. 66. Prauam illam consuetudinem à Comite Britanniæ Clarissimo, in manu præfati Archiepiscopi, in conspectu Synodi refutatam, qua illis qui naufragium euaserant, etiam quæ in portu postmodum erant, auferebantur, damnamus: & ne quis eam futuris temporibus renouare præsumat, autoritate Apostolica interdicimus. Iniquum enim cenfemus

Krantzius.

Hildebertus.

Decretum Pontificis.

DAVID, ET VIRI, &c.

mus esse, vt quem diuinæ clementiæ magnitudo, à sæuientis pelagi voracitate exuit, hominum sæua rapacitas audeat spoliare. Piorum namque Imperatorum emanauit autoritas, vt etiam earum rerum quæ in tempestate maris, leuandæ nauis causa, eijciuntur, non amittatur dominium: non enim eas aliquis eo animo abijcit quod habere nolit, sed quò periculum effugere possit. Et qui res ipsas lucrandi animo abstulerit, furtum committit. Hactenus Pontifex. Paulus hoc probat ex Antonini Pij rescripto. *l. Padius, de incend. ruin. & naufr. D. lib. 47. tit. 9.* Plurimum, inquit, interest in furto ex naufragio, an quæ seruari *possint quis flagitiosè inuaserit, & in* graui præda appetita, liberi fustibus cæsi in triennium relegantur: sordidiores, operi publico dandi: serui flagellis cæsi, in metallum adiudicandi. Si non magnæ pecuniæ res fuerint, liberi fustibus, serui flagellis cæsi dimittuntur. Constitutio Friderici Imperatoris statuit, nauigantium bona, quæ naui vel rupta fluctibus, vel expugnata, in portum, vel alias ripas peruenerint, integra dominis reseruari, sublata penitus omnium locorũ contraria consuetudine: nisi nauigia illa piraticam exercerent prauitatem, vel inimica Christiano essent nomini. Atque transgressores sanxit bonorum publicatione multari, aliaque pœna extraordinaria puniri. Et alibi *lib. 11. Cod. tit. 5. de naufrag. l. 1.* Imperator prohibuit etiam fisco, ne in aliena calamitate, de re tam luctuosa compendium sectetur, & res dominis restitui iussit. Denique iure Canonico à sacris arceantur, qui naufragos spoliant. Extr. de rapt. in c. Excommunic.

Ad l. Rhodiam, de iactu. ff. l. 1. §. fin. & l. qui leuãdæ. & tit. Incend. ruin. nauf. l. 1. l. ne quid. Cod. quoq; lib. 11. tit. 5. de naufragijs.

§ nauigia, de statu & Cõsuetud. Coll. 11. in Authent. Et constit. nauigia, de furtis. in Cod. Caroli V. Rerum Criminal. cap. 119. Christierni Reg. Daniæ in Apologet. P. Parui contra Ioan. Magnum. cap. 30.

Prædones communes omnium hostes. Hostire.

Quorsum vero, inquis, tam multa de piratis atque naufragijs? Vt intelligeres, quotquot terra aut mari prædatur (porro iam sæpius de terrestribus prædonibus diximus, & rursum sequenti cap. 30. dicturi sumus) nõ in numero perduellium, sed cõmunes omnium hostes habendos esse. Hostire autẽ, si Nonio credimus, cõprimere est, & recedere: aut etiã ferire, autore Festo. Est quoque æquare, seu parẽ referre. Vnde est illud Plauti, Par pari hostimentum est, opera pro pecunia. (Et hostorium pro rutro illo ac bacillo rotundo accipiendum putat P. Crinitus lib. 23. de honesta disciplina, quo in mensuris frumenti cumuli exæquantur.) Ex quo sequitur, vt qui hostili animo, nullo delectu omnes insectantur, iure coerceri ab omnibus, & paribus incommodis, quibus alios vexant, affici possint. Quibus tanquam legitimis hostibus haudquaquam necesse est bellũ indici, aut cũctando moras ducere, donec te priuatim lacessant: in prædones incurrẽdi omnibus concessa licentia est. Qui hos persequitur, non ille latrunculus, sed latrunculator in iure nominatur: hoc est, maleficiorum iudex, & vindex iniuriæ: Licet ergo de his prædas agere. quo iure piraticam S. Canutus, priusquam Daniæ regnum adeptus esset, fecisse memoratur, non quò nullo discrimine nauigantibus passim insidias strueret: sed quò mare latrocinijs infestũ, piratis vndique fugatis purgaret. Addam quod Suenone tertio Daniæ Rege contigisse refert Saxo Grãmaticus Histor. Danicę l. 14. Eo tẽpore, inquit, propter incursus qui à maritimis crebri prædonibus edebantur, apud Roskilmiã Vverhemãno autore piratica cœpit: cuius hæc disciplina, hi mores fuere. Nauigia piratę magis idonea sibi visa, absque possessoris permissu assumendi potestatem habebant, octaua acquisitorum parte naulum daturi. Nauigationem orsuri, apud Sacerdotes præteritę vitæ piacula deplorabant, eorumque religiosa animaduersione puniti, perinde ac statim decessuri, diuina altaris libamenta sumebant, cuncta prosperius cessura rati, si rite Deum ante bella placassent. Paruo viatico sumpto, onera & impedimenta vitabãt, armatura ac cibo simpliciter contenti, nihilque quod nauigationem moraretur amplexi. Multæ illis vigiliæ, multaque parsimonia erat. Remorum manubrijs considendo innixi, somnum carpebant, &c. Crebrum illis cum hoste certamen, sed vbique facilis, ac penè incruenta victoria fuit. Prædas ex æquo partiebantur, nec maior gubernatoris portio quàm priuati remigis erat, Christianos quos expugnatâ classe captiuos repererant, amictu donatos ad propria dimittebant: tanta eis in conterraneos humanitas erat. Octogenas & binas piraticas puppes variè & vicissim cepere, nunquam ipsi classem viginti duabus frequentiorem habebant. Stipendijs defecti, impensas à ciuibus contrahebant, præmij loco prædæ dimidium recepturis. Hic piraticæ cultus, vt dixi, Roskildiæ cœptus, ab vrbis gremio etiam ad agrestes manauit, ab omni ferme Sialandię parte subsidia mutuatus. Enimuerò angustus primùm actenus, magna breui incrementa contraxit. Sed neque ante redditam terris pacem vlla ex parte remissior fuit. Hæc Saxo Grammaticus. Qui si iuste atque è republica fecisse Danos censuit, quòd piratico bello piratas profligarint: quis Dauidem insimulet, qui prædones prædonio item bello fregerit ac debilitarit?

In prædones omnibus concessa licentia.

Saxo Grãmat.

Nec relinquebat viuentem virum, & mulierem.] Ex hoc loco videre possumus, Amalecitas non prorsus deletos fuisse à Saul. Sustulerat quidem ille omnes ex illis locis, in quos irruperat, & qui vicini erant, istos autem, qui longius habitabant, non attigerat. Erant illi damnati dudum, & proscripti à Deo, & hostilitatis rei flagitiorumque omnium perire debebant. Hactenus tamen & Mosen, & Iosue, totque Iudices impune euaserant. Nunc oppugnantur à Dauide. Nec sexui, nec dignitati parcit, ne quis superesset, qui ista Achi nunciaret. Nihil tale cogitantes, & securos oppressit. Id Achis si resciuisset, haudquaquam tulisset. Ita principes recipiunt ad se interdum perfugas magno suo malo. Sed quomodo nemo superfuit, qui ista nunciaret? Oportet, aut valde paruos, & obscuros fuisse illos pagos, & procul seorsum in solitudine sitos, aut Achim valdè facilem ad credendum fuisse. Nec mirum. Facile enim credimus ea, quæ vera esse cupimus. Volebat autem Achis & affligi Iudæos, & ditari eorum spolijs. Deinde suis illum moribus æstimabat: quem cùm sciret à Saule grauissimis contumelijs affectum, non dubitauit, quod ipse lætus facturus esset, Dauidem quibus posset modis Sauli incommodaturum. Quippe vlciscendi studium apud Ethnicos magnopere viguit. Adde postremo Deum ita Dauidi in periculis prospexisse, vt eius quidem consilia promoueret; aduersariorum autem mentes te-

DAVID, ET VIRI, &c.

meritate atque imprudentia occæcaret.

Virum, & mulierem.] Neque erat ista crudelitas in Dauide, quod homines tum sibi innoxios, & pacate viuentes affligeret. Dudum enim illos diuina iustitia multorum sibi flagitiorum conscios capitali sententia neci addixerat. Quo pacto igitur mater Absalonis, filia autem Regis Gessur, seruari potuit, si quotquot nancisci poterat internecione deleuit? Teneræ ætatis Scriptura non meminit, nec virguncularum, quibus non raro parci solebat, cum vtriusque sexus strages ederetur. Vel certè, quandoquidem nec pueros, nec virgines, sed camelos duntaxat, armenta, & ouium greges abduxisse fertur, Hebræorum Rabbinis fides adhibenda non est.

VERSVS X.

Dicebat autem ei Achis: In quem irruisti hodie? Respondebat Dauid: Contra meridiem Iudæ, & contra meridiem Ierameël, & contra meridiem Ceni.

VERSVS XI.

Virum & mulierem non viuificabat Dauid, nec adducebat in Geth, dicens: Ne fortè loquantur aduersum nos: Hæc fecit Dauid: & hoc erat decretum illi omnibus diebus quibus habitauit in regione Philisthinorum.

Variæ translat.

CONTRA *meridiem Ierameël.*] Vatablus in Scho. Vrbs est tribus Iuda in latere meridionali. Alius quidam, *ad meridianum tractum Ierameël*, regionem Iudææ, quam possident posteri Ierameël primogeniti Hezron filij Phares, filii Iudæ, de quo 1. Paralip. 2. 9. 25. & sequentibus. *Ceni.*] Alij *Kenæi*. Septuag. Κενεζ. Chaldæus, *& ad meridiem Salmaah.* Cæterum *Kenæi*, vt non nemo annotat, hi sunt, qui descenderunt de Iethro socero Moysi: de quibus vide Iudic. cap. 1. vers. 16. His porro verbis, ait Iunius, Dauid ex ambiguo ludificatur regem Geth, plus deflectens à simplicitate, quàm virum bonum decuit: nimirum traductus infirmitate carnis, vt infrà 29. Nam intelligebat Achis Dauidem in possessionem Iudæ irrupisse; contrà vero sentiebat Dauid se inuolasse in tractus Iudæ conterminos. Ita de Dauide sentit hæreticus, quem nos statim refellemus. Versu 11. *& hoc erat decretum illi.*] Pagninus, *& sic fuit consuetudo eius.* Hebr. משפטו *mispato.* Arias, *iudicium eius.* Septuag Καὶ τοῦτο τὸ δικαίωμα, *& hac iustificatio eius.* Quemadmodum autem, vt Nobilius admonet, *Mispat* apud Hebræum, ita & δικαίωμα apud Septuag. interdum significat ritum, consuetudinem, modum. Quidam, *& hæc ratio eius.* Vatablus, *& hic mos eius.* Chaldæus, *& hæc consuetudo eius.*

Salianus.

Dicebat autem ei Achis: in quem, &c.] Cum Dauid, inquit Salianus, tom. Annal. 3. ad ann. 2978. num. 20. ex præda reuerteretur, veniebat ad Achis, cui scilicet optima quæque honoris, & gratiæ causa offerebat. Putat autem Abulensis Dauidem perpetuò totam prædam attulisse ad Achis, priusquam quidquam deponeret in Siceleg. Verùm id parum probabile facit, tam res ipsa, quàm locus. Nam fieri poterat vt pleraque essent in præda, quæ Regem videre aut non deceret, aut non expediret: Deinde cum Siceleg, iuxta Adrichomij topographiam, æquis fere spacijs à Geth, & ab Amalecitis, cæterisque populis distaret, & redeundo ab expeditione, pene transeundum esset per Siceleg, vt veniretur in Geth, quis credat non plurima in Siceleg deposita, ibidemque plurimos de militibus, vel ad ea custodienda substitisse? Achis autem læto ac sereno vultu, & eam serenitatem præda meridiana faciebat, *In quem*, inquit, *irruisti hodie?* Hæc erat non vnius diei, Sed communis omnium interrogatio. Itaque & generalis illi responsio redditur à Dauide. *Contra meridiem Iudæ, & contra meridiem Ierameël, & contra meridiem Ceni.* Erant hæc nomina partium quarundam sortis Iudæ, ad quarum singulas diuersa oppida pertinebant, vt ex seq. constat, licet Vatablus dicat Ierameël fuisse vrbem Iudæ; earum priorem miror ab Adrichomio prætermissam, posteriorem autem attributum Philisthæis hucusque Salian.

RESPONDEBAT DAVID, &c.

Isidor Clarius.

Respondebat Dauid contra meridiem Iudæ, &c.] Existimabat, inquit Isidorus Clarius in Scholijs, Achis huiuscemodi prædas afferri de regno Saulis, idcirco sic respondebat Dauid, vt & verum diceret, & Rex non intelligeret, neque tamen idem Rex vlla in parte læderetur. Excurrebat quidem Dauid ad meridiem Iudæ, sed gentes, quæ ex ea parte adhuc hæreditatem tribus Iuda possidebant, deuastabat. Id autem nesciebat Rex, nec aliquis hoc illi renunciare poterat, quandoquidem nullum illorum capiebat, sed omnes occidebat. Hæc Isidor. At vero Iunius, vt antea diximus, Dauidem accusat mendacij, nec eundem nos excusare patitur Abulensis quæst. 25. in hunc locum: eo quod responderit iuxta interrogationem Regis, & ad significandum se agere prædas de terra Iuda, quod falsum erat. Adhæc, vt quidam ait, videtur Dauid notare seipsum graui infamia, qui tantam sæuitiam præseferat in suos. Sed Achis, inquies, putabat honestum esse, vt persequeretur iniurias: vt hostis à Saule perperam iudicatus, hostem se gereret, vt sibi tot beneficijs deuinctus obsequeretur. Verùm Dauidi cogitandum erat, non quid tyrannus Barbarus, sed quid probi viri, & homines pij essent de illo facto iudicaturi. quinimò ne viri quidem boni, si rescirent fallaciam, offendi poterant, aut de eo malè sentire, si quidem Abraham, & Isaac, & Iacob, & Aod, & Iahel, &c. memissent. Quod ad alteram partem accusationis attinet, Arbitror, inquit Salianus, Dauidem hoc loco argui non posse nisi tacitæ, aut dissimulatæ veritatis, cùm ea verba diceret, quæ geminam haberent sententiam; quarum Achis eam, quæ sibi placebat, & veram putabat, Dauid autem eam quæ vera erat, capiebat. Et volebat quidem falli Regem: sed non omnis dolus in culpa est, vt alibi disseruimus. Iusta porrò fuit causa dissimulandæ veritatis, quod alioqui

David à nonnullis vocatus in crimen, à nobis defenditur.

Salianus.

Respondebat David, &c.

alioqui in terra Philisthæorũ tuto habitare non poterat. Si enim sciuisset Achis nihil damni à Dauid Hebræis inferri, eum merito suspectum habuisset, ne præuaricatoriam aliquã moliretur proditionem. Sin autem sciuisset eũ gentes alias populari, eos sibi hostes parari, & quietos iniuste vexari, proculdubio moleste tulisset: & Dauidem, vt nihil grauius in eum statueret, ditionis suæ finibus iussisset excedere. Hactenus Salianus.

Fasne sit ambiguitate sermonis seipsum innocentem periculo liberare?

QVÆSTIO CII.

NON possum autem non vehementius admirari, amphibologicas siue æquiuocas responsiones, de quib. iam sæpius diximus, tam pertinaciter ac temere ab hæreticis reprobari, cũ easdẽ Iurisconsulti iam olim docente natura probarint. Gothofredus sane *ff. de diuersis regulis iuris l. 65.* naturã cauillationis seu σορίτου explicãs atque allegãs Decium: Placet, inquit, potius quod ait num. 3. subtili responsione, malitiosam interrogationẽ retundi posse. ideóq. eum, qui in veritate mutuum reddidit, posse cum iuramẽto affirmare, se nihil à creditore habuisse. quo pacto autem non mentiatur qui ambigua oratione vtitur, docet Paulus *ff. de reb. dubiis l. 3.* In ambiguo sermone, ait, non vtrumque dicimus, sed id duntaxat quod volumus. Itaque qui aliud dicit quàm vult: neque id dicit, quod vox significat, quia non vult: neq. id, quod vult, quia id nõ loquitur. Chrysippus apud Gelliũ lib. 11. c. 12. aiebat, omne verbum ambiguum natura esse, quoniam ex eodẽ duo vel plura accipi possunt. Diodorus negabat: Nullum, inquiebat, est verbum ambiguum, nec quisquam ambiguum dicit, aut sentit. Nec aliud dici videri debet, quàm quod se dicere sentit, is qui dicit. At cum ego, inquit, aliud sensi, tu aliud accepisti, obscure magis dictum, quàm ambigue videri potest. Ambigui enim verbi natura illa esse debuit, vt qui diceret, duo vel plura diceret. Nemo autem duo vel plura dicit, qui se sentit vnum dicere. Hæc ille.

Iurisconsulti respõs. æquiuocas probant.

Gellius.

Reuera si eius qui loquitur, sententiã spectes, nullum verbũ ambiguũ videri debet. nam vnũ aliquid se dicere intelligit. at si communem dictionum vsum, pleraq. voces ambiguæ sunt. Nã si quis dicat se videre malum, nouit quidẽ quẽ se dicere intelligat: at ego hæreo, cùm id vocabulũ & improbũ hominẽ indicet, & plerunq. etiã aut nauis arborẽ, de qua sublimes antennæ pendent, aut eam quæ pomis in horto luxuriatur. Non raro autẽ vsuuenire solet, vt quispiam secus ac se dicere intelligit, me cupiat accipere: quod tametsi quandoq. parum simpliciter ac candide faciat, si tamen quod verum erat verbis idem significantib. ex animi sui sententia protulit, quanquam aliter interpretati sumus, mendacij damnari non poterit. quod si iusta de causa faciat, & quæ cum virtute coniuncta sit, non nocẽdi studio, sed periculi vitandi gratia quod

A contra ius fasq. intẽditur, laudem præterea merebitur. Inter mendacium dicere, & mentiri distat, inquit Nigidius, cuius viri doctrinã & ingeniũ M. Cicero summe reueritus est. qui mẽtitur ipse nõ fallitur, sed alterum fallere conatur. qui mendacium dicit, ipse fallitur. qui mentitur, fallit quantũ in se est: at qui mendacium dicit, ipse non fallit, quantum in se est. Vir bonus autẽ præstare debet, ne mentiatur: prudens, ne mendacium dicat. Alterum incidit in hominẽ, alterũ non. Ita Nigidius. Fallit tamen etiam nonnunquam qui non mentitur; vt si quis verum dicẽs, non perinde ab altero percipiatur. Si tamen tũ qui loquitur fallere potius dicendus est, quàm auditor decipi. Veruntamen, inquis, quantũ in se est, & quantum posset veritatem non aperit, ne alter decipiatur. Sed ne hoc quidem, vt suo

Respondebat David, &c.

Quæstionis solutio.

Nigidius.

B periculo conetur, vlla lege teneri potest. Atqui optat alterum decipi, quod alienum censeri debet à viri boni officio. quid ita? An quia decipi peccatum sit? An quia cum aliquo damno coniunctum? Vtiq. sic decipi, ne pecces in alterum, & insonti noceas, tantum abest vt detrimentum aliquod afferat, vt summi beneficij loco habeatur. quid itaque Dauidi vitio vertitur? An quod verum dixerit? nam res gesta, & oratio ipsa disertis verbis eam exprimens, verum dixisse testantur. An quod suam suorumque salutem non prodiderit? Sed ne id quidẽ sine summo scelere facere potuit? An quod Achi, quod perinde sibi atq. illi vtile foret, non inuiderit? Non debuit, cùm is error sine crimine esset, & sceleris patrãdi ansam amputaret. Neque enim verisimile est

C Achim, si quod gerebatur rescisceret, ab inferenda iniuria temperare potuisse. Nemo autem qui sit sapiẽs vsqueadeo hosti gratificari studet, vt sibi malum accersat, & suis perniciem paret.

Sed quid si animi gratia hoc loco referã, quæ Cambyses fertur à Xenophonte docuisse Cyrũ filium, num lectorem tædio affecturus sum? Experiar. nam ea oratio mihi valdè placuit, & si quemadmodum decet intelligatur, ad rem maximè pertinet. Meliorem, inquit Cyrus, conditionem quàm hostes, Pater, quo pacto quis habere possit? Non minimum, fili, ait Cambyses, neq. simplex opus interrogas. At noris, qui hoc facturus sit, & insidiatorẽ esse oportere, & dissimulatorem, & dolosum, & deceptorem, & furẽ, & raptorem, & omni in re hostibus præualere. Et Cyrus arridens, respondit: O Hercules qualẽ

Xenophon lib. 1. Cyr. pæd.

De bellicis stratagematibus idem sentiendũ.

D me, pater, virum esse dicis oportere! Qualis, inquit, fili, & iustissimus sis, & legum obseruantissimus. Quomodo tamẽ, inquit Cyrus, cum pueritiam pubertatémque ageremus, his contraria docebatis? Ita, inquit, per Iouem, & eadem nunc quoq. erga amicos & ciues. Sed vt hostes malè possitis afficere, an ignoras didicisse vos maleficia permulta? Ignoro equidem, Pater. quam ob rem, inquit, discebatis sagittare? quamobrẽ iaculari? quamobrem subigere sues agrestes & retibus & foueis? cur ceruos pedicis & laqueis? Quid autem? nonne aduersus leones, & vrsos & pardos, non ex æquo constituti pugnabatis, sed cum meliore conditione quadã semper studebatis aduersus eas bestias certare? an hæc omnia minus nosti & maleficia esse, & deceptiones, &

RESPONDEBAT DAVID, &c.

dolos & fraudes? Ita, inquit, Medius fidius, quo- A ad bestias quidem. Quod si visus foré velle decipere quemquam hominem, multis verberibus cæsus esses. Neque enim sagitta, inquit pater, neque iaculo hominem ferire permittebamus vobis, sed ad scopũ propositum iacere docebamus. Et ne nunc quidem, vt in amicos vtamini maleficio hortamur. Quod si quando bello vtẽdum foret, possetis & in homines ictum dirigere, atque decipere, & fraudare. Non aduersus homines vos erudiebamus, sed in bestias, quo ne in his quidẽ amicis noceretis. Verùm si quãdo belligerandum esset, neq; harũ rerum exercitatio vos lateret. Si ergo, inquit, pater, conducit vtrorumq. scientia, & beneficiorũ & maleficiorum, hæc quoq. docenda fuerant aduersus homines. At dicitur, fili, fuisse olim apud maiores nostros virum quendam magistrum puerorum, qui pueros iustitiam docebat, quemadmodum etiam ipse iubes, non mentiri & mentiri, & non decipere & decipere, & non fraudare & fraudare. Definiebat etiam quæ horum erga amicos faciũda essent, & quæ aduersus inimicos. Atque in hanc sententiam docebat iustum esse amicos fallere, videlicet propter bonum, & furari amicorum bona propter bonum. Qui verò hæc docebat, necesse erat pueros inuicem exercere ad hæc faciunda: quemadmodum dicuntur Græci docere pueros in luctatione decipere, eosq; cõmittere inter se, qui facere hoc possint. Cùm ergo aliqui ita essent ingeniosi & ad bene decipiendum & ad fraudandum, fortassis etiam non obtusi ad lucrandi studium, hi ne ab amicis quidem abstinebant, quo minus tentarent eos dolo circumuenire. Quamobrẽ ẽ ex his manauit lex, qua hoc etiam tempore vtimur, simpliciter pueros docendos esse, quemadmodum erga nos ipsos famulos erudiamus, verũ dicere, & nõ decipere, neque habendi studio incumbere, quos, si secus egerint, supplicio afficimus, quò assuefacti huiusmodi consuetudine, ciues reddantur mitiores. Sed vbi habuerint ætatẽ, qua nunc ipse es, etiam quæ aduersus hostes iura seruanda sunt, tempestiuum visum est, & tutum posse tradere. Hactenus Xenophon. Qui nequaquã credendus est, vbi cum hoste res agitur, indulgere velle scelerum licẽtiam, aut docere aduersarios mendaciorum cuniculis oppugnandos esse: sed arte tantùm & solertia deludi posse, & percelli dolis machinationibúsq. quæ hostem in fraudẽ inducant, & ex insidiis opprimant, tantisper dũ ab iniustitia & scelere abhorreant. *Neque* enim vt inquit Apostolus, *mala facienda sunt, vt veniãt bona.* Illa tamen mendacia, & fraudes, & maleficia Xenophon nuncupat: non quia cum iniquitate & nequitia commune quicquam habeant: sed quia qui lacessuntur & damnum accipiunt, tametsi hostes, quòd iniuriã sibi fieri autument, ob doli mali similitudinẽ (quo nefarij homines amicos & ciues in laqueos induunt) hæc queq; quæ iure belli licent, paribus vocabulis dignãtur. Haud aliter, quàm si prætectum vigilum exploratorem atq; insidiatorem voces; furis spoliationem, furtum; cædem, sontis suppliciũ: quæ rebus quidem ipsis non parum inter se conueniunt, at si mores spectes, toto genere differunt.

Virum & mulierem non viuificabat David.] Tartari, inquit Cromer. lib. 10. de reb. Polonor. cùm aliquando in Poloniam irrupissent, satiati tandem cædibus atq; præda, in Russiam reuerterunt. Tantum autem hominum prædam tunc abegisse dicuntur è Polonia, vt cùm eam apud Vuladimiriam recognoscerent, & partirentur inter se, vnum & viginti millia innuptarũ puellarũ censa esse dicantur. Eas enim libidinis causa seruant maximè. Prouectiores tum viros, tum mulieres, itémque paruos pueros immaniter trucidant. Diuina lex num. 31. v. 17. *Cunctos interficite, quicquid est generis masculini, etiam in paruulis.* Cur etiam paruulos? Quoniam etiam stirpium fibræ euellendæ sunt, si regionem purgare velis, vt nouam gentem inseras. An quia hoc quoque spectandũ est, non defuturos vindices, B si filij patribus superstites maneant? *Et mulieres, quæ nouerunt viros in coitu, iugulate: puellas autem & omnes feminas virgines reseruate vobis.* Cur autẽ illibatas seruat, stuprum passas iubet neci dari? An fortè itidem vt Tartari libidinis gratia? Nequaquam. Sed *nunquid non istæ sunt*, inquit, *quæ deceperunt filios Israel ad suggestionem Balaam, & praeuaricari vos fecerunt in Domino super peccato Phogor, vnde & percussus est populus?* Habuit itaque rationem innocentiæ. Sed & minor ætas flecti nullo negotio potest, & ad pietatis cultum traduci. Famulæ vtiles futuræ visæ sunt, nec sibi mulieres pariunt, sed viris aut Dominis. *Ne fortè loquantur aduersum nos.*] Quoniam plerunque segnes ac remissi sumus ad vlciscendam numinis iniuriam, ad capitalem sententiam etiam C propriæ necessitatis ac periculi stimulos adhibuit. Ita tandẽ diuina iustitia vim suã obtinuit.

RESPONDEBAT DAVID, &c.

Cromerus.

VERSVS XII.

Credidit ergo Achis David, dicens: Multa mala operatus est contra populum suum Israel: erit igitur mihi seruus sempiternus.

SEPTVAG. Ald. & Rom. edit. Καὶ ἐπιστεύθη Δαυὶδ ἐν τῷ Ἀγχοὺς σφόδρα, *& fidem sibi conciliauit David in Anchus valde.* Similis locutio bis reperitur in Psal. 77. Complut. Καὶ ἐπιστεύθη ἀγχὶς ἐν Δαυίδ, *& credidit Achis in David.* λέγων· ᾐσχύνθη αἰσχυνόμενος ἐν τῷ λαῷ αὐτοῦ ἐν Ἰσραήλ· καὶ ἔσται μοι δοῦ- D λος εἰς τὸν αἰῶνα, Translat. Complut. *Dicens: Confundebatur confusus in populo suo in Israel, & erit meus seruus in seculum.* At Rom. sic habet: *Abominans abominatus est in populo suo in Israel.* Pagninus vertens ex Hebræo, *Abominando abominatus est populũ suum Israel.* Actiuè accepit, quod passiuè septuag. intellexerunt. Cæterùm idem sensus est, aut eodem recidit: neque enim aliter populum tãtis incommodis vexare potuit, quin execrandus eidem ac detestabilis esset. Alius quispiam, *Magnam nauseam habet super populo suo Israel.* Arias, *Fœtere faciendo fœtere fecit in populo suo in Israel, & erit mihi in seruum seculi.* Quod alius interpretatur, *Planè fœtidum se reddidit populo suo Israeli, ideo erit mihi seruus perpetuus.*

Variæ translation.

Mvlta mala, &c.

tuus. Vatablus, *Omnino fordet illi gens sua Israelitica*. Et in Schol. Hebraism. *fecit fœtere* (subaudi, opera sua) *in populo suo Israele*, id est, reddidit opera sua inuisa, séque odiosum Israelitis suis. Fecit quæ displicent popularibus suis. Vel, *reddidit se fœtidum in populo suo*, id est, inuisum & odiosum; inde ducta metaphora, quòd abhorreamus à re fœtida, putida, & malè olēte. Exod. 5. v. 21. *Fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaonem & seruis eius*. Chaldæus sensum potius quàm verba exprimere studuit: *Immittendo immissus est in populum suum Israel, & erit mihi seruus in seculum*.

Credidit ergo Achis Dauid.] Æmulatur Scriptura vulgatum loquendi morem. cum enim Dauidis verba traxisset in suam sententiam, his fidem habuit, seu potius sibi imposuit. Non enim hoc Dauid asseruit: sed cum moribus suis illum expenderet, idq; percuperet statim ac temerè sibi persuasit. Voluntas quidem cœca est, & naturæ instituto à ratione ducitur: sed cum voluntatis sit, vbi quid ambigitur, quæstionem decernere: si rem præcipiti voto ac præcoci impetu complexa sit, ipsam etiam mentem in errorem inducet. In manifestis enim duntaxat noui reluctari: in re dubia atque ancipiti, si voluntas neget inuestigandi copiam, eiusdem vt plurimum libidini assentatur. *Credidit Achis Dauidi*, seu potius seipsum Dauidi credidit, ipsi cōfidit. *Quia fieret*, inquit Cicero, *quod dictum est, creditum est appellatum fidem*. At non placet Vallæ hæc etymologia, à *fide* potius deriuari putat. Hebræis tamen fides à constantia dictorum nomen inuenit. Siquidem dicitur אֹמֶן *omen*; אֵמֻן *emun*; אָמְנָה *amna*, אֲמָנָה *amanah*; אֱמוּנָה *emouna*; à verbo אָמַן *aman*, verax & fidelis fuit, tutatus est fideliter, enutriuit bona fide, præfuit fideliter, sustentauit. Et in coniug. 3. הֶאֱמִין *heemin*, fidem habuit, credidit. Hoc loco legimus, וַיַּאֲמֵן אָכִישׁ בְּדָוִד *Vaiaomen Achisc bedauid, & credidit Achis in Dauid*. At verò Græcè ἐπιστεύθη ἀγχὶς *& persuasus est Anchis*. Nam πείθομαι perinde est atque persuadeor, assentior, planè credo. cuius actiuum πείθω, sono, sensu, ac significatione cum Hebræo פָּתָה *patha* mirifice conuenit, quod suasit ac persuasit significat. Hinc porrò Hebræi, quod in Regem Geth quadrat appositissime, stultum atque imperitū hominē, & qui facile decipitur, פְּתִי *pethi*, aut פוֹתֶה *potheh* nominant. & πίστις Græcè tam ea persuasio est quâ falsum, quàm quâ verum amplectimur.

Fides vnde dicta.

Simplicius.

Simplicius in 3. lib. de anima, διὸ τέλος μὲν πίστις, ὁδὸς δὲ ἐπὶ ταύτην τὸ πείθεσθαι. Fides, inquit, finis seu scopus quidē est: at via quæ eò ducit, ipsum suaderi est. Suademur autem vel aliorum studio, vel propria cupiditate: cui cum hoc loco plurimum indulgeret Achis, ab ea in fraudem inductus est.

Multa mala operatus est, &c. erit igitur mihi seruus sempiternus.] Fratrum discordiæ maximæ quidem sunt, nonnunquam & graues, & inhonestis contentionibus confligantur: sed nō sunt illæ dissensiones perpetuæ. Redeunt enim aliquando in gratiam, nisi quis forte sensum omnē humanitatis exuerit. Perfugæ sæpe facile reuocantur ab instituto. Amantium iræ, vt inquit

Amantium iræ, amoris redintegratio est.

A Terentius, amoris redintegratio est. Senec. act. 3. in Thyeste.

Nulla vis maior pietate vera est.
Iurgia externis inimica durant,
Quos amor verus tenuit, tenebit.
Ira cùm magnis agitata causis
Gratiam rupit cecinitque bellum,
Cùm leues frenis sonuere turmæ,
Fulsit hinc illinc agitatus ensis;
Quem mouet crebro furibundus ictu
Sanguinem Mauors cupiens recentem:
Opprimit ferrum, manibúsque iunctis
Ducit ad pacem pietas negantes.

Mvlta mala, &c.

Seneca.

Iacob hanc vim cognati sanguinis semel atq; iterum expertus est. Nam cum primum fratris sui Esaü, quem altera vice arte deceperat, & primogenituræ iure ac paterna benedictione fraudauerat, iram minásq; perhorresceret, postquā in eius conspectū ab exilio venit, reducem Esaü simultate deposita omni officio coluit. B Laban vero cum eundem fugientem infestis signis insequutus esset, & in monte Galaad comprehendisset, furore statim composito, *Filia*, inquit, *meæ & filij, & greges tui, & omnia quæ cernis, mea sunt: quid possum facere filiis & nepotibus meis? Veni ergo, & ineamus fœdus, &c.* Ioseph à fratribus plagiariis venditus, iisdem pepercit. Reliquiis Beniamin vsqueadeo populus indulsit, vt iisdem rapere suas virgines permitteret. Gedeō Iud. 8. filiorum Ephraim, qui vim parabant, iracundiam vno verbo fregit & reconciliauit sibi. Ioab 2. Reg. c. 2. ad primam vocem Abner exercitus sui impetum cohibuit, & receptui cecinit. C Dauid ipse bis Saüli; Saül bis Dauidi cum posset occidere beneficio ac pudore victus pepercit. Exteri quoque Coriolanum & Alcibiadem prædicant: qui cum exules patriā perdere possent, suorum lacrymis victi iram remiserunt. Lacedæmonij captis Athenis, imperij æmulis, offensionem condonarunt; ne alterum Græciæ oculum eruisse viderentur. Hæc igitur cum nemo sit qui nesciat, si qua forte coorta simultas antiquam necessariorum societatem diremit, qui prudentiores sunt haud ita facile dissidio fidem adhibent: norunt enim recentis odij cicatricem facile obduci posse. Sed his indiciis liuoris atque odij pertinaciam explorandam censent, si non dubitent lacerare se inuicem indignissimis contumeliis, quarum atroci memoria prohibeantur deinceps coalescere. Cum enim D iacturæ magnitudo tanta est, vt eam sequentis beneficij gratia sarcire non possit, fit plerunque vt ea vulnera animis accipiantur, quæ nisi diuinitus nunquam consanescunt. At tātisper dum plaga curam non respuit, sed accepta iniuria impensis officiis compensari potest, suspecta esse debet amicorum simultas. Idcirco Achis, cum prius ante has patratas cædes, & prædas abactas, haud satis tutò Dauidi confideret, nunc denique tanquam pertinacis inimicitiæ, certo pignore accepto, omnem ex animo dubitationem expuit. Siquidem *multa mala*, inquit, *operatus est contra populum suum Israel*. Haud aliter nunc quoque apostatæ desertæ fidei fidem Turcis faciunt, quàm si Barbaros ipsos sæuitia & crudelitate in Christianos vincant. Hæretici sane no-

Contumacis inimicitiæ argumenta.

Erit igitur, &c.

ſtro tempore tyrannorum diabolicas artes, & immanes cruciatus, inuentorum à ſe tormentorum tetra diritate ſuperarunt. Martyres illi quondam leonibus lacerandos, hi etiam muribus corrodendos obiecerunt.

Qui multa perpetrat mala, hic æternùm ſeruiet.

Erit igitur mihi ſeruus ſempiternus.] Non filiũ dixit, non fratrem, non ſocium, non denique amicum, ſed *ſeruus*, inquit, *mihi futurus eſt*. Hanc illi ſpem mercedis oſtendis, vt amiſſa libertate æternùm ſeruiat. Regni mei opes auget in dies, vires hoſtium minuit, noſtro quidem commodo, ſuo autem periculo: hoc igitur laborũ præmium feret, vt æternùm ſeruiat. *Multa mala operatus eſt*, inquit: nobis igitur etiam in futurũ ſeruiet, nullo vnquam tempore iugum excutiet. *Qui facit peccatum*, inquit Apoſtolus, *ſeruus eſt peccati. Stipendium autem peccati mors.* vnde ſequitur, vt qui in ſcelera & flagitia ſeſe ingurgitat, ad mortem vſque maneat ſeruituti obnoxius. *Multa mala*, inquit. Nam qui vno aut altero crimine polluitur, & damna ſarcit facilius, & maturius reſipiſcit, & ne rurſum corruat cauet in poſterum diligentius. At qui præceps in omne facinus ruit, & diuina pariter & humana iura violat: poſtquam ſe in barathrum vitiorũ dedit, haud ita facilè poſtea emergit. Nam & Deum maleficiorum vindicem timet, quem deſperat poſſe placari: & pleraque damna videt nõ poſſe reſtitui. Adhæc voluntas aſſueta malo, virtutem odit, & pœnitentiam à ſe deteſtatur: denique vbi iam prorſus occalluerit deſpondet animum, & in conſcientia ſcelerum vtcunque acquieſcit. Inde adeò fit, vt qui *multa mala* conſciuit, ſpem libertatis abijciat, ac velut reprobũ & vtile mancipium in ergaſtulo libidinis boijs & compedibus alligatum, perpetuis laboribus atteratur. Dauid in Pſal. peccata cum funibus contulit. *Funes*, ait, *peccatorum circumplexi ſunt me*. Et alibi Sapiẽs, *Funiculus triplex difficilè rumpitur*. quid ſi ſeptuplex? ne Samſon quidem vinceret. quid ſi cẽtuplex, aut etiam millenus? quid ſi, vt quidam de ſe fatetur, vincens numerum arenæ maris, quo pacto peccator tantis ſeſe vinculis exoluet? Si vires eius ſpectes, manebit proculdubio *ſeruus ſempiternus*.

Illecebris captat diabolus quos ſubiugum mittat.

Blanditur tamẽ à principio fallax & vana cupiditas, & deliciis allicit, quos ſtatim exectura eſt. Hoc porrò etiam apud Romanos quondam & Græcos in vſu fuit, vt qua primũ die emptitij Domini tectum ſubirent, indulgentius eos haberent, & cruſtulis placentiſque donarent. Pharao Geneſ. ca. 45. v. 18. cùm primùm captaret filios Iſraël, *Venite ad me*, inquit: *& ego dabo vobis omnia bona Ægypti, vt comedatis medullam terræ.* Et rurſum c. 47. v. 4. cum nuper aduenissent, *In optimo loco fac eos habitare, & trade eis terram Geſſen.* At ſtatim vt Ioſeph è viuis exceſſit, duris operibus eoſdem exercere, ac flagellis proſcindere cœpit, donec cœlum querelis ac gemitibus fatigarẽt, & à Deo Pharaone licet inuito manumitterentur. Rationem ſcilicet habuit, quòd nõ ſponte Iſraëlitæ ſeſe addixerant, ſed fame preſſi, & beneficio inuitati, vt inquilini, non vt ſerui, colendam Ægyptum acceperãt; ſubinde ve-

A ro per vim & iniuriam hoſpitalitatis iure violato, ſeruorum inſtar habiti eſſent, & crudelem in modum vexati. Si qui autem ad hoſtes vltro accedant, & ſeruitutem mercede paciſcantur, ſupplicio digni potius habendi ſunt quàm vt redimantur. Itaque his rarius diuina bonitas indulget, ſed ſępè ſinit, vt in quem malorum labyrinthum ſeſe coniecerint, in eo pereant.

Æternitas quantum momenti habeat ad terrorem incutiendũ.

Quod autẽ nos præter cætera abſterrere debet à ſubeunda tali ſeruitute, illud eſt, quod cõtinuo ſubdit, futuram illam *ſempiternam*. His enim legibus, poſtquã à Deo defecimus, libertati priſtinę nuncium remittimus, vt diabolicæ libidini obſequentes, nunquam ab ea vel tranſuerſum vnguẽ recedamus. quæ ſeruitus cum atrox per ſe eſt, & indignitatis ac ſæuitiæ plena, tum

B illud maiorem mihi ſupra modum terrorem incutit, quod feratur æterno tempore duratura. Nam quæ mala dies minuit, tametſi aliquando tempore moleſtiſſima ſint, dolorem tamen leuationis ſpes haud parum conſolatur: at quę videntur caritura remedio, ea torquent acerbius. Accedit enim ad præſentis ægritudinis magnitudinem, futuri quoq; non tam metus, quàm immenſa quędam æterni cruciatus deſperatio. Vt tamen Achis hoc loco manifeſtè decipitur, ita & dęmon non raro opinione fallitur. Crediderat etiam deinceps dęmon, poſtquã Dauid obſcœna libidine in tranſuerſum actus adulterium nefaria cæde cumulaſſet, nec peracto ſcelere ſtatim reſipuiſſet, ſed ſubinde perempti coniugem thori conſortẽ aſciuiſſet, plagas & laqueos, in quos ſe induerat, nunquam euaſurum. Nec id

Dei miſericordia non rarò prædã diabolo eripit.

C temere, ſi vires humanas ſpectes: neq; enim ſeipſum vnquam ex illis difficultatibus expedire potuiſſet: ſed quod ipſe conari non poterat, diuina clementia perfecit, vt è tanto gurgite vitiorum Dauidem eriperet. quid parricidas fratres Ioſeph commemorem, qui patrem ſimul cum filio eodem tempore pene ſuſtulerunt? At hos quoq; diuina indulgentia liberauit. Mariã quoque ſororem Moſis obtrectationis & inuidię tabes corruperat. Sed mox illius corpus lepra inficiens animam purgauit. Nolo totius populi meminiſſe, qui cum ſe toties nefandis ſceleribus obſtrinxiſſet, & diabolo periturus videretur, à Deo tamẽ ſemper liberatus eſt. Mittamus cęteros: ipſe certe Manaſſes in immenſum quãdam flagitiorum Charybdim ſeu potius voraginem ſeſe demerſerat, cędibus & ſacrilegiis vrbẽ

D repleuerat, non ſacris non profanis pepercerat, quinetiam contempto vero numine legitimos ipſius honores ad idola tranſtulerat. Itaque Dei pręſidio nudatus à quo defecerat, victus captúſque in hoſtium poteſtatem venit, à quibus ferreis vinculis alligatus in tetrum carcerem datus eſt. quis hunc non crederet æternùm libertate extincta, perpetuam ſeruitutem ſeruiturũ? Hoc vtiq; diabolus ſibi ſpondebat certo futurũ: ſpe tamẽ fruſtratus eſt, & excidit expectatione ſua. Nam miſeri lacrymis diuina iuſtitia expugnata eſt, & inflexus ad miſericordiam Deus Manaſſen vinculis peccatóq; abſoluit, & reconciliatũ ſibi ad priſtinam Regni dignitatem reuocauit.

CAPVT

CAPVT VIGESIMVM-OCTAVVM.

FACTVM est autem in diebus illis, congregauerũt Philisthiim ag-
mina sua, vt præpararentur ad bellum contra Israël: dixitq; Achis
ad Dauid: Sciens nunc scito, quoniam mecum egredieris in castris
tu, & viri tui. 2. Dixitq; Dauid ad Achis: Nunc scies quæ facturus
est seruus tuus. Et ait Achis ad Dauid: Et ego custodẽ capitis mei
ponam te cunctis diebus. 3. Samuël autem mortuus est, planxitq;
eum omnis Israël, & sepelierũt eum in Ramatha vrbe sua. Et Saül
abstulit magos & hariolos de terra. 4. Congregatiq; sunt Philisthiim, & venerunt, &
castrametati sunt in Sunam: congregauit autem & Saül vniuersum Israël, & venit in
Gelboë. 5. Et vidit Saül castra Philisthiim, & timuit, & expauit cor eius nimis. 6. Con-
suluitq; Dominum, & non respondit ei, neq; per somnia, neq; per Sacerdotes, neque
per Prophetas. 7. Dixitq; Saul seruis suis: Quærite mihi mulierem habentem pytho-
nem, & vadam ad eam, & sciscitabor per illam. Et dixerunt serui eius ad eum: Est mu-
lier pythonem habens in Endor. 8. Mutauit ergo habitum suum: vestitúsq; est aliis
vestimentis, & abiit ipse, & duo viri cum eo, venerúntq; ad mulierem nocte, & ait il-
li: Diuina mihi in pythone, & suscita mihi quem dixero tibi. 9. Et ait mulier ad eum:
Ecce, tu nosti quanta fecerit Saul, & quo modo eraserit magos & hariolos de terra:
quare ergo insidiaris animæ meæ, vt occidar? 10. Et iurauit ei Saul in Domino, di-
cens: Viuit Dominus, quia non eueniet tibi quidquam mali propter hanc rem. 11.
Dixitq; ei mulier: Quem suscitabo tibi? Qui ait: Samuëlem mihi suscita. 12. Cum au-
tem vidisset mulier Samuëlẽ, exclamauit voce magna, & dixit ad Saul: Quare impo-
suisti mihi? Tu es enim Saul. 13. Dixitq; ei Rex: Noli timere: quid vidisti? Et ait mu-
lier ad Saul: Deos vidi ascendentes de terra. 14. Dixitq; ei: Qualis est forma eius? quæ
ait: Vir senex ascendit, & ipse amictus est pallio. Et intellexit Saul quòd Samuel esset,
& inclinauit se super faciem suam in terra, & adorauit. 15. Dixit autẽ Samuel ad Saul.
Quare inquiëtasti me vt suscitarer? Et ait Saul: Coarctor nimis: siquidem Philisthiim
pugnant aduersum me, & Deus recessit à me, & exaudire me noluit, neque in manu
Prophetarum, neq; per somnia: vocaui ergo te, vt ostenderes mihi quid faciam. 16. Et
ait Samuel: Quid interrogas me, cùm Dominus recesserit à te, & transierit ad æmulũ
tuum? 17. Faciet enim tibi Dominus sicut locutus est in manu mea, & scindet regnũ
tuum de manu tua, & dabit illud proximo tuo Dauid: 18. quia non obedisti voci Do-
mini, neq; fecisti irã furoris eius in Amalec. idcirco quod poteris, fecit tibi Dominus
hodie. 19. Et dabit Dominus etiam Israël tecum in manus Philisthiim: cras autem tu
& filij tui mecum eritis: sed & castra Israël tradet Dominus in manus Philisthiim. 20.
Statimq; Saul cecidit porrectus in terram: extimuerat enim verba Samuelis, & robur
non erat in eo, quia non comederat panem tota die illa. 21. Ingressa est itaque mulier
illa ad Saul (conturbatus enim erat valde) dixitq; ad eum: Ecce obediuit ancilla tua
voci tuæ, & posui animã meam in manu mea: & audiui sermones tuos, quos locutus
es ad me. 22. Nunc igitur audi & tu vocem ancillæ tuæ, & ponam coram te buccellam
panis, vt comedens conualescas, & possis iter agere. 23. Qui renuit, & ait: Non come-
dam. Coegerunt autem eum serui sui & mulier, & tandem audita voce eorũ surrexit
de terra, & sedit super lectum. 24. Mulier autem illa habebat vitulum pascualem in
domo, & festinauit, & occidit eum: tollénsq; farinam, miscuit eam, & coxit azyma,
25. & posuit ante Saul & ante seruos eius. Qui cùm comedissent, surrexerunt, & am-
bulauerunt per totam noctem illam.

ARGVMENTVM CAPITIS.

HVIVS Capitis partes quatuor distingui posse videntur. In prima futuri libelli apparatum, & Palæstinorum studia describit. quo loco etiam Dauidis meminit, quem Achis cùm haberet delectum copiarum, & in eius virtute ac fide opis ac præsidij plurimum collocaret, secum ducere voluit, & eundem custodiæ capitis sui præficere. Secundo loco Saulis trepidationem commemorat, & nonnullas causas recenset, quibus Saul in eam sententiam adductus sit, vt magam sibi necessario consulendam decerneret. In tertia eius consultatio: euocatus à maga Samuel: & responsum ab eo redditum copiosè narratur. Postremo, in quam grauem mœrorem, & in quantam desperationem Saul coniectus fuerit: vt vix animo consisteret, & humi iacens ac solo prostratus corporis curam renueret.

Versvs I.

Factum est autem in diebus illis, congregauerunt Philisthini agmina sua, vt præpararentur ad bellū contra Israël: dixitq; Achis ad Dauid: Sciens nunc scito, quoniam mecum egredieris in castris tu, & viri tui.

Versvs II.

Dixitque Dauid ad Achis: Nunc scies quæ facturus est seruus tuus Et ait Achis ad Dauid: Et ego custodem capitis mei ponam te cunctis diebus.

Variæ trāslation. *Sciens scito.*] Hebraismus, qui idem valet, ac si diceret: Certissime noueris; Persuasum habe; Nullatenus dubita. Hebraicam phrasim Septuag. æmulati sunt. γινώσκων γνώσῃ, ὅτι μετ' ἐμοῦ ἐξελεύσῃ εἰς τὸν πόλεμον, σὺ, καὶ οἱ ἄνδρες σου. *Cognoscens cognosces, quia mecum exibis in bellum, tu, & viri tui.* Alius, *ad pugnam*, Vatablus, *in prælium.*

Versu 2. *Nunc scies quæ facturus est seruus tuus.* Sept. οὕτως νῦν γνώσῃ, *ita nunc cognosces, &c. Et ego custodem capitis mei, &c.*] Sept. οὕτως ἀρχισωματοφύλακα θήσομαί σε πάσας τὰς ἡμέρας, *Sic ego principem custodia corporis ponam te cunctis diebus.* οὕτως, quidam, *Ob id*; Alius, *Propterea*, quòd te virum præstiteris. Denique non nemo, *Propter facinora quæ patraturus es.* Hebraice לָכֵן *lachen*: quam dictionem *Profectò* vertit Pagninus vtrobique. Vatablus, *ergo. igitur.* Sic autem interpretatur in Schol. mentem Dauidis: *Cognosces ergo, &c.* quasi dicat, Si ita decreueris, vide quid me velis facere. Hæc scilicet oratio est Æoli apud Virgilium,

Tuus, ô Regina, quod optes
Explorare labor; mihi iussa capescere fas est.

Achis autem verba sic exponit: *Ponam igitur te custodem capitis mei*: id est, hac de causa, quoniam te video paratum ad obsequium.

Cùm pij vexantur, clades regna plerunque obruūt. *In diebus illis congregauerunt Philisthini agmina sua.*] Bella huiusmodi quibus ciuiū strages maximæ eduntur, & cū rectoribus suis regna corruunt aut mutantur, tum maxime inferri solent cùm homines pij affliguntur, religio contemnitur, vel certe

Scinditur incertum studia in contraria vulgus,
Et dissidio principes intestino laborant. Pharao cum Israëlitas tyrannice vexaret, & grauiorib. in dies laboribus attereret, vnà cum toto exercitu à mari absorptus est. Manasses cū Prophetas occideret, vt Hierosolyma tota sanguine redūdaret, cū populo in Babylonem captiuus abductus est. Iudæi cum Christum seruatorē nostrum affixissent cruci, & Apostolos omnibus modis affligerent, à Vespasiano & Tito incenso templo atq; euersa Hierosolyma internecione deleti sunt. Rom. Imperiū, cum infinitā vim innocētis sanguinis effudisset, ita concussū & imminutū est, vt nunquā postea potuerit pristinā gloriā recuperare. Hoc testari vidētur maiores nostri, cū initio legis Salicæ Rom. Imperij iugū sese excussisse prædicant. Nam *post agnitionem, inquiunt, Baptismi, Sanctorū Martyrum corpora, quæ Romani vel igne concremauerūt, vel ferro trūcauerūt, vel bestiis lacerāda proiecerūt; Franci reperta auro & lapidibus pretiosis ornauerūt.* Sed nihil sic orbis Imperium labefactauit vt hæretica rabies, postquam ea corruptis Orientis Imperatorib. grassari cœpit in pios. Schisma demū Imperij domiciliū Constantinopolim perculit, donec tādē cæso Imperatore in Turcarū potestatē veniret. quā calamitatē statim alia haud multò leuior patrū nostrorū memoria subsequuta est. Nam cū duæ pestes illæ teterrimæ Lutherus & Zuinglius, organa duo Satanæ perniciosissima, populorū mentes furore atq. insania imbuissēt, multisq. locis miserū in modū Dei Ecclesiā lacerassent, amisimus Hungariam, Nauplium, & Maluasiam. Gallia à Caluino in furorem acta hactenus in cæde & sacrilegio bacchatur.

In diebus illis &c.

Sed illud præterea obseruauimus, tū externū hostē irrumpere, cum Regni spes ambigitur, & principes inter se dissidēt. Testē laudabo Floriacensem Aymoinū, qui lib. 2. de miracul. S. Benedicti c. 1. de nostris hæc ait. Gallicanarū incolas regionū assiduis exterarum labefactatos incursibus nationum, & veteres & modernæ, quibusque eas intellectu reuoluentibus pandunt historiæ. quos Iulij Cæsaris decennalis attriuit concertatio, Hunnorū subita dilacerauit irruptio, Gothorum subuertit præsumptiua habitandi inuasio, ad vltimum Francorum viuida bello dextra, victos pariterque victores, æqua sorte suo subiugauit dominio. Horū præferox potentia, cum in subigendis, tum etiam in arcendis à suis finibus Barbaris gentibus, viguit concordiæ viribus, vsq. ad diuæ memoriæ Caroli Calui tempora, filij Hludouici, cui agnomē Pius fuit. Contra hunc fraternæ insimulatio inuidiæ, finitimarum concitauit odia gentiū, præcipue Northmannorum, qui piraticam exercēdo maritima regni eius loca direptionibus grauissimis depopulati sunt. Hactenus Aymoinus. Cui alter quoq; accedit adstipulator ex eadem Bibliotheca Floriacensi Scriptor vitæ S. Genulphi, c. 17. & 18. Nam post Heluetios, Germanos, Romanos, Gothos, Alanos, Gepidas, Vandalos, Hunnos, Burgundiones, Frācos, Alemannos, hic quoq; supremæ cladis Nortmannorū meminit. Dū Carolus, inquit, agnomine Minor de Regno disputat cū vsurpatorib. erat is Ludouici Balbi filius, cruentæ acies in cœlo visæ sunt: & tandē ab Othone adiutus Regnū recepit. Tū clādestino malo Gallia laborāte, barbaries, inquit, effera Nortmannorū, quæ interiora Oceani Britannici plagæ Septētrionalis incolere videbatur, nauali manu innumera de suis electa, ingētis pelagi Galliæ, victū occupat limbum. Igitur ab ipsis incipiens oris, ac deinde cuncta peruadēdo sese diffundens: Occidentales Gallias, & maxime Neustriā, & Aquitaniā depopulari cœpit. Idipsum vero multoties superioribus annis adgressi fuerāt, sed eis belligeri viri duces locorū sępius obstiterant, & eorum frequentes impetus sæpe Mauortia

Aymoinus Floriac.

Dissidia principem regna perfundūt.

Author vitę S. Genulfi.

Northman. furor, & clades.

In diebus illis, &c. Mauortia manu pepulerant. At ipsis etiam ducibus inter se diuturno bello dissidentibus, ac vario rerum euentu, nunc istis, nunc illis decidentibus: ita tellus suis nudata defensoribus, perfacilè patuit externis peruasoribus. Quorum insania, per cuncta quæ visus ante sui faciem erat, feraliter incedens, obsistentes si qui fuerant interimere, victos captiuare, bona cuncta diripere, nulli mortalium parcere, diuina & humana suis ludibrijs promiscua habere, sancta loca demoliri, cædibus, incendijs prorsus cuncta replere satagebat. Itaque cum per 7. annorum lustra, Neustriam & Aquitaniam deuastando, Aruernum vsque peruenissent Nortmanni, Rex Burgundiæ Rodulphus, in auxilium euocatus ab Aquitanis, cum exercitu valido festinus occurrit eis: commissóque prælio cum eis, in loco qui dicitur ad Destrictos, Deo auxiliante Christianis, penè vsque ad internecionē deleti sunt Pagani, & ab Aquitania fugati. Qui verò euadere potuerunt, in oris Galliæ super Oceanum, in vrbibus scilicet, quas ipsi primo impetu suo desolauerant, eo pacto, permittente Francorum Rege, vt fierent Christiani, resederunt. Quæ loca propter inhabitantes, nunc partim Nortmannia, partim Britannia dicuntur. Hæc ille. Tortarius Monachus eadem versibus complexus est, cùm S. Mauri Martyris passionem ante annos sexcentos caneret: cuius demum ossa impij Caluinistæ, quæ priores Franci auro gemmísque ornata honorificè habuerant, anno 1562. à se comminuta dissiparunt.

Tortarius.

Martyris ergo sacri corpus coluere Britanni,
Donec Nortmanni, fontis gens nescia sacri,
His infesta foret, supremaque damna pararet.
Sordida dæmonicis, quæ se deuouerat aris.
Quæ non lota sacro, vastabat cuncta, lauacro.
Hinc & Christicolis magis impacata cateruis,
Egit multiplices ea gens fanatica cædes.
Testatur Turonis, Carnotus, & Aurelianis,
Beluacus, Meldis, Lutetia, sicque Trecassis,
Pictauis, Aruernus, Niuernis, ceu Rotomagus,
Andegauis, Biturix, Nannetis, ceu Nouiomus,
Vrbes & plures, quas versu dicere non est,
Quas hæc incendit gens impia seu spoliauit.
Nam tunc Francorum virtus emortua Regum
Non poterat vires gladio frenare rebelles,
Tota intestino dum feruet Gallia bello.
Propterea Gallis instabat Barbarus hostis,
Donec dante Deo, prostratus Rege Rodulpho,
Submisit nostris sua colla petentibus armis.

Status miserrimus Reipub.

Palæstini dum similes occasiones captant, audiunt Sacerdotes impiè cæsos, mortuū Prophetam; Dauidem insidijs appetitum ad se transfugisse; dissidere populum; plures in singulos dies pertæsos iniustitiæ transire in partes Dauidis. His rationibus in spem adducti se posse aliquid conando efficere, temporis opportunitate abuti statuunt, & Iudæos bello lacessere. Hæc porrò omnia tum concurrebant admirabili prouidentia Dei. Iam enim Saul impleuerat mensuram scelerum suorum, & tempus aderat vt maleficiorum pœnas lueret.

Dixitq; Achis ad Dauid.] Achis non imperauit vnus toti Palestinæ. Erant enim in ea regione quinque minores Reguli: illis Achis adiun-

A ctis, mouet in Saulem. *Scito quod mecum egredieris in castris.* Ælian. lib. 14. Var. hist. cap. 5. Athenienses, inquit, non solùm idoneis ciuibus gerendam Rempub. & militiam administrandam commiserunt, sed sæpe etiam peregrinos ciuibus antetulerunt, eosque Reipub. gubernationi præfecerunt; siquidem eos bonos honestósque viros cognouissent, & ad hæc munera subeunda accommodatos. Apollodorum Cyzicenum sæpissimè belli ducem crearunt, quamuis esset peregrinus: item Heraclidē Clazomeniū. quum enim se dignos laude præstitissent, nō iudicati sunt indigni, qui Atheniensiū imperium tractarent. Atque ob hæc laudibus extollenda ciuitas est, quæ non ciuibus veritatem gratificando prodiderit: sed etiam ijs non rarò summam rerum impertiuerit, qui nulla ipsis cognatione coniuncti essent, propter virtutem tamen

Dixitque Achis, &c. Ælianus.

Peregrinis virtutis ergo Respub. commissa.

B honore dignissimis. Hanc Atheniensiū prudentiam Veneta Respublica sic complexa est, vt ea potissimùm ratione æternitati suæ cōsulere studuerit. Neque enim suos exercitus domesticis ducibus, sed aliunde accitis permittit. quo pacto tametsi haud imperiū longè lateq; propagatura videatur, videtur tamē is status, qui à principio illi placuit, difficiliùs posse labefactari. Nam Romanos ducū vis atq; impotētia perculit. Nā miles in castris ducis assuetus imperio, si semel eius mores imbuerit, autoritatē quoq; tuebitur: Senatus tetricos vultus, & iudicia grauitate ac tēperātia plenissima fugit & abhorret.

Dixitq; Dauid: Nunc scies quæ facturus est seruus tuus] Hîc Dauid ita tenetur in nassa constrictus medius, vt nesciat, quò se conuertat. De-

C bebat enim primùm Deo & religioni, quæ à Palæstinis palàm petebatur; deinde Reipublicæ; debebat Sauli vncto Domini; debebat socero suo: sed vicissim etiam debebat Achi, à quo tot acceperat beneficia. Hîc duo erant vincula: alterum commune, ne nocere vellet Reipub. alterum priuatum, ne ingratus esset erga eum, cuius beneficio salutem, & dignitatem retineret. Hic itaque ita vrgetur, vt quocunque inclinet, partem aliquam officij violaturus videatur. Sed illud præterea diligentissimè obseruādum fuit, ne quam alienæ voluntatis significationem daret, ne vel leui suspicione coorta, statim vt proditor ab exercitu circumuentus opprimeretur. quapropter in has angustias adductus, librare sua verba incipit, & obscurè atque

D ambiguè loqui. *Cras*, inquit, *videbit Dominus meus quid sim facturus.* periculū fidei ac virtutis meæ faciet. industriæ enim atque indolis meæ egregium specimen edam. rebus gestis me virum probabo, & hostium strage edita liberabo fidem. Hæc ille. Quæ cùm in vtramlibet partem peræque accipi possent, Achis ita interpretatus est, vt eum sibi haud segniter operam nauaturum confideret. Itaque seipsum eius fidei permissurum pollicetur, & custodem corporis habiturum.

Et ego custodem capitis mei ponam te cunctis diebus.] Qua fide Demetrium Syriæ Regem missi à Ionatha Iudæi tutati sint, diximus alibi ex Machab. lib. 1. cap. 11. vers. 47. & seq. Nonnulla rursus exempla proferā, quando ea nunc mihi

Iudæorum militum fides.

DIXITQVE ACHIS AD DAVID, &c.

commodè apud Iosephum occurrunt. Ptolemæus igitur Lagi filius, cùm aliquando Sabbati captans occasionem Hierosolyma occupasset, Iudæorum satis magnā multitudinem in Ægyptum captiuam abduxit. Quòs cùm pertinacissimè, inquit Ioseph. Antiq. lib. 12. cap. 1. iurisiurandi fidem seruare compertum haberet, ex responso quod Alexandri legatis post Darij cladem dederant, multa ex eis præsidia disposuit per arces: & cùm eis apud Alexandriam ius ciuitatis pari cum Macedonibus conditione dedisset, Sacramento omnes deuinxit, seruaturos fidem posteris eius qui tam multa illis crediderat. Quid porrò Iaddus Pontif. Alexand. annonam & commeatum petenti respōderit, narrat idem Ioseph. lib. præced. cap. 8. nimirum Sacramento se obligatum Dario, ne arma cōtra eum sumeret, idq; ratum fore quamdiu ille vixerit. Et hæc quidem ibi. At lib. 12. cap. 3. Antiochus Magnus, inquit, amplum pietatis ac fidei nobis testimonium dedit, quo tempore quosdam per Phrygiam ac Lydiam nouis rebus studere comperit. Zeuxidem enim amicum præcipuum, in superioribus satrapijs ductantem exercitum, iussit quosdam è nostratibus apud Babylonem degentibus in Phrygiam mittere, scribens in hunc modum, &c. *Quia quosdam in Phrygia & Lydia res nouas moliri audio, &c. consultis amicis, placuit mihi*, ex his Iudæis qui Babyloniā ac Mesopotamiam incolunt, duo millia familiarum cum tota supellectili eò traducere, & locis opportunis per præsidia disponere. Persuasum enim habeo illos fore nostrarum rerum custodes beneuolos: tum quia cæleste numen piè colunt, tum quia fides eorum & promptum obsequium etiam maiorum nostrorum comprobatur testimonijs. Volo igitur vt eos, licet difficile videatur, traducas, pollicitus libertatem viuendi suis legibus, &c. Achis Dauidem sperauit pari fide militaturum sibi, nec sua gratia discrimen vllum capitis fugiturum. Adactum autem fidem polliceri, aut iurare per nomen falsorum deorum, vti Scriptura non asserit, ita nec verisimile arbitror.

Iosephus.

An reuera Dauid statuerit pro Palæstinis in aciem dimicationémque venire, & cum Hebræis manum conserere?

QVÆSTIO CIII.

NOnnulli, quòd indignum putent personā Dauidis dissimulare, & ambiguæ vocis subsidio vti, aiunt eum omnino pugnare voluisse. Et addūt, bellum illud fuisse iustum: iusto autem in bello licere cuius arma sumere. Bellum verò illud fuisse iustum probāt ex eo, quod Deus ita voluerit Saulem affligere, & Israëlitas castigare. Sed falsum est quod isti assumūt, bellum fuisse iustum, quòd Deus eo abuti decreuisset, vt Saulis scelera vindicaret. Nam, vt sæpe docuimus, non rarò hominum maleficia ad illustrandam gloriam Dei eodem autore conferunt. Nouit quippe etiam ex ijs, quæ malo animo cœpta sunt, & præposterè aguntur, boni quippiam emolumenti elicere. In hoc bello

Bellum illud à Palæstinis nequaquam iustè susceptum esse.

A Achis capitali odio, quod in populum Dei susceperat, indulsit, ac libidini suę obsequutus est: Dei autem voluntatem nequaquam sibi propositam habuit. Nabuchodonosor dum studet amplificare imperium, Iudæam multis ac grauibus affectam incommodis Babylonijs seruire coëgit. Deus tamen illius iniusta cupiditate atque ambitione iuste abusus est ad puniēdum populum suum. Non tamen statim iustum bellum censeri debet, quocunque Deus in sceleratum populum animaduertit. Nam quæ mala homines ex animi sui sententia perpetrant, ea crimine non absoluit, aut ritè atq; ordine facta deputat: sed cùm eadem esse possint instrumenta dolorum, sontibus ac maleficis supplicij loco adhibet. *Assur*, inquit apud Isaiam, *virga furoris mei: & baculus ipse est, in manu eorum indi-*
B *gnatio mea. Ad gentem fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei mandabo illi, vt auferat spolia, & diripiat prædam, & ponat illum in cōculcationem quasi lutum platearum. Ipse autem non sic arbitrabitur, & cor eius non ita existimabit: sed ad conterendum erit cor eius, & ad internecionem gentium nō paucarum. Dicet enim; Nunquid non principes mei simul reges sunt? &c.* & seq. vers. 13. *Dixit enim: In fortitudine manus meæ feci, & in sapientia mea intellexi, & abstuli terminos populorum, &c.* Quibus verbis satis indicat, tametsi is diuinæ iustitiæ satelles à Deo delectus esset, de illa ne cogitasse quidem, sed animo suo duntaxat ac superbiæ morem gerere voluisse. Quinimò, quemadmodum tradit Ezechiel, cùm esset iam in biuio, & ambigeret, vtrum in Iudæos moueret, an in Moabitas, Deus eum flexit potius in
C Iudæos. Nam *in eius manu sunt corda regum.*

Sed dices: Achis tamen satis videbat se ad hoc bellum adduci à Deo. Ita enim Rabsaces de se loquitur: *Nolite fidere Ezechiæ. An enim ego absque Deo ascendi contra vos? Ille mihi dixit: Vade, & prædare populum istum.* Scire tamen debemus Rabsacen ista εἰρωνικῶς dixisse. Si tantus, inquit, est vester Deus, vt omnia regat, ego quoq; eius iussu huc venio. Hæc ex hypothesi dicuntur: non quod ita sentiret, Deum Israël verum esse Deum, & eius numine impleri omnia: illum enim mox cum reliquis, qui deuotos sibi populos tueri non potuerant, sed in ignem coniecti erant, nullo discrimine recenset.

Alij fingunt bellum istud fuisse iustum, quod Saul pacis cōditiones violasset. Hæc eos primū
D docere oportuit. Deinde non licuit Iudæis ad vllas conditiones venire cū Palæstinis, per quas prohiberētur libertatē suam asserere. Sed esto, pacta rescissa sint, & fœdera violata: Dauidi tamen nō licuit cum hostibus patriā oppugnare. Abhorret enim à boni ciuis officio tametsi qui aliunde sunt, si ita visum fuerit, in legitimo bello hostibus operā locare possint. Dauid porrò hactenus ciuis erat, nec vllo tempore sacramēto absolui poterat: non enim cuiusquam fauore ac gratia ciuitate donatus erat: sed generis atq; natalium iure adeptus, & in eius perpetua possessione Circumcisionis sacramento autoratus. Ex quibus sequitur, vt neque bellum istud iustè susceptum videri queat, neque Dauid hostili animo & signis infestus in ciues inferri potuisse.
Sed

NVNC SCIES, &c.

Isaiæ ca. 10. vers. 5.

Rabsacis ironia fuit.

Altera sententia refellitur.

Nunc scies, &c.

Tertia confutatur.

Sed erat, inquiunt nonnulli, iam designatus rex. Itaque licuit armis vendicare ius suũ. Respondeo, non tantùm iustum faciendum esse, sed etiam iustè. Acceperat quidem à Samuele se fore regem: at mandatum non acceperat, vt armis regnum sibi assereret. Nec adhuc poterat appellari rex, cùm nondum eum populus recepisset. Saul ipse cùm dudum à Samuele sacro crismate delibutus esset, & subinde etiam sortibus in comitio declaratus, attamen à regali honore aliquandiu abstinuit, quod nõnullos electioni suæ reclamasse comperisset. Postea verò cum profligasset Ammonitas, & Iabenses periculo liberasset, & Deus voluntatem suam insigni victoria declarasset, publicè ab omnibus receptus est. Potuisset quidem Deus ipse per se pro suo iure Dauidem regem constituere: sed maluit expectare consensum populi. Ita cùm legem ferret in Sina, iussit populum adesse, & audire: vt assensu suo legem probarent. Et illi, *Faciemus*, inquiunt, *quæcunque Dominus iusserit nobis.* Quamuis ergo Dauid renunciatus esset rex à Deo, publicè tamen & annuente populo nondum hactenus magistratum inierat. Idque nemo melius testari potest quàm ipse Dauid. Nam cùm bis Saulem haberet in manibus, & eum posset facilè conficere, *Absit*, inquit, *vt ego manum mittam in dominum meum, quia Christus Domini est.* Hæc autem Dauid non ex modestia tantùm dixit, sed etiam verè & ex animo. Est ergo pulcra collatio inter istum Dauidem, & verum nostrum Dauidem Christum Iesum. Illi enim, cùm esset filius Dei, & haberet ius regni, tamen cùm versaretur in carne, vti noluit iure suo. At postquam mysteriũ nostræ salutis perfecisset, sublatus in cœlum, sine finibus aut terminis latissimè imperat. Dauid ius quidem consequendi regni habuit: vsum autem adhuc & fructum non habuit. Imò, inquit, *Viuit Dominus: nisi venerit dies eius, aut percusserit eum Dominus, aut iniens prælium occubuerit, &c.* Nunquam enim Dauid iudicem aut dominum Saulis se asseruit. At si Dauid iam regnum adijsset, & eius vsum & fructum habuisset, Saul haud dubiè maiestatis crimen admisisset, nec supplicium quod eius peruicaci contumaciæ debebatur, & toties commodè irrogari potuit, fortassis effugisset. Neque enim vltrà reuereri poterat vt Christum Domini, quem abdicatum & reum debebat pœnæ subijcere. Tum autem verè principatum inijt, & Rex verus esse cœpit, cùm à tribu Iuda in Hebron solenni ritu inauguratus est, & rursum communi omnium consensu Hierosolymis Rex appellatus. Quamobrem ne hac quidem ratione potuit, vt promissum regnum sibi vendicaret, eos qui hactenus Saulē sequebantur, bello lacessere. Idcirco.

Quarta sententia.

Quidam ita sentire malunt, Dauidem nullo modo fuisse pugnaturum: idque his inducti rationibus. Antea, inquiunt, incursiones fecit in Girzæos & Gessuræos, ne cogeretur attingere, aut violare Israëlitas. Deinde cùm audisset Saulem perijsse, scidit vestem suam, & fleuit, & se puluere conspersit: postremò iuuenem Amalecitam, qui dixerat se occidisse Saulem, interfecit. Quare non est verisimile, inquiunt, eum voluisse nunc mutare animum, & pugnare contra Saulem statuisse. Quid ergo facturus? Summa fide, inquiunt, defensurus erat corpus Regis: non autem pugnaturus contra Iudæos. Sed ista non cõsentiunt cum verbis Dauidis. Nam cùm remitteretur ab Achis in Palæstinam, *Quid*, inquit, *ego offendi, vt non prodeam in aciem cum Domino meo, & pugnem aduersus hostes eius?* Sed aiunt eum ista dixisse, cum videret se iam esse extra periculum & aleam: & ista iactasse, non quòd ista sentiret: sed quo longius suspicionem à se amoliretur, & Regi suum studium vehementius approbaret. Quo pacto à mendacio, & inani iactantia excusari non posset.

Quinta exploditur.

Existimat Abulensis Dauidē statuisse in animo Iudæis quidem auxiliari, Palæstinos autem quibus posset rationibus perdere, suísque victoriā parare. Idq; prudenter coniecisse eorum principes, cùm autores fuerunt Achi vt eundem iuberet secedere. Securus autem Dauidis innocentiæ eundem censet, vt iam antea cùm de excursionibus ageretur, veritatem adumbrasse officioso mendacio, & præter animi sententiam esse loquutum. quam temeritatem nos suprà retudimus. Nec tamen illi propositum fuisse autumat, vt in Regem ipsum inuaderet, sed in cæteros Palæstinos, quibus neque fidem dederat, neque ab eis beneficium acceperat: his solùm statuerat moliri perniciem. Quod planè commentum videre non possum quo pacto cohæreat. Nam quî fieri poterat, vt exercitum perderet, Regem autem seruaret. Deinde quomodo fieri potuit vt non omnibus Palæstinis beneficij nomine obstrictus esset, qui tantis à Rege donatus esset, quæ ad Rempub. pertinerent, & eiusdem nomine ab eo conferrentur?

Caietan. in hunc locū.

Caiet. putat, eum re vera habuisse in animo, vt pugnaret: verùm nõ rectè: sed corrupta, & praua mente. Voluisse enim eum prodere Palæstinos, aut illos aliquo malo afficere: eámque perfidiam ait non fuisse nouam in Dauide. Illum enim aliàs prodidisse Vriam, & curasse non solùm vt ille periret, sed etiam, vt milites, qui cum eo erant occiderentur. Deinde etiam præter fidem, & omnem æquitatem iussisse, vt filius Ionathæ nullo admisso scelere, hæreditatē suam diuideret cum Siba seruo suo. Et fortasse, quod ad Palæstinos attinet, putauit, Infidelibus non esse seruandam fidem. Itaque concludit, verisimile esse, eum voluisse arma sua cõuertere contra Palæstinos. Idque eo magis etiam esse probabile, quod declaratus rex statim suscepit bellum contra eos: quamuis nunc vitam & salutem suam illorum præsidio tueatur. Verùm Caietanus nonnihil erat. Palæstini enim non lacessiti à Dauide, vltrò illi bellum priores intulerunt. Nam postquam accepissent, illum esse publicè declaratum regem, adiunctis vicinis Regulis illum cœperũt prouocare. Quis autem cuiquam vitio vertat si telo appetitus, telo se defendat?

Salian. Annal. tom. 3. ad annum 2979. num. 31. & seq.

In hanc Caiet. sententiam Salian. vehementius inuehitur, & autorem ipsum acerbè vellicat num. 31. audacter, inquit, affirmantem, Dauidem intendisse proditoriè conuertere arma in Philisthæos, idque ex alijs eius factis ait red-

NVNC SCIES, &c.

di credibile: vt qui ingratissimus fuerit Ionathę & Vriam prodiderit: *multo ergo magis*, inquit *ingratus & proditor Achis fuisset*. Quis non contra istam coniectandi ac dicendi licentiam iure succenseat? Nonne ei meritò dixerimus,

Sexta reijcitur.

Parcius ista viris tamen obiicienda memento.

Viris præsertim, quorum in laudem tam illustria extant ipsius Dei testimonia, viris omnium confessione sanctissimis, & pro quorum defensione omnem mouere lapidem oporteat, potius quàm in reos eosdem referri patiamur. De ingratitudine in Ionathan suo loco viderimus. Quod autem ait, Dauidem multo maiora peccata commisisse, quàm Saulem, vt regno excideret, illud planè Caietani iudicium quantùm felle abundat, tantùm veritate caret. Nam si vtriusque peccata contuleris, intelliges Olympum montem cum lapillo comparari. Dauid vnum hominem occidit iniustè. Saul 85. Sacerdotes, & tot sacrilegis cœdibus non contentus, in totam vrbem incredibili furore bacchatus, nulli sexui, nulli ætati, nulli animanti pepercit. Dauid Vriæ mortem mandauit semel. Saul totis penè octo annis Dauidem generum suum quæsiuit ad mortem, & iniustissimam necis huius voluntatem millies iterauit. Adde gentem Gabaonitarum iniustis cædibus exterminatam, ac penè deletam. Vni autem adulterio nonne sacrilegè violatum anathema Amalecitarum, quod Scriptura toties ingerit atque inculcat, & consulta Pythonissa longè multúmque præponderat?

Septima, quæ est Saliani.

Cæterum, inquit, vt eò reuertatur vnde modicè deflexit oratio, ea mihi videtur commodissima expositio, vt dicamus Dauidem in tam lubrico, & ancipiti loco, ad Deum more solito recurrendo, se totum diuinæ ipsius prouidentiæ commisisse, certum exequi quod ille iussisset, siue pro Saule, siue pro Achis: nec defuit Dominus in hoc salo fluctuanti. Interuẽtu siquidem Satraparum curauit illum dimitti, vt cum bona Gethæi Regis gratia, neque pro ipso, neque cõtra ipsum pugnaret. Quod ad verba vero attinet, apparet nihil esse mentitum, quia reuera nihil certi promisit, licet Rex in proniorem significationem verba Dauidis acceperit. Ex quo etiam intelligitur, eum non ad Regis mentem, sed ad suam, quæ ex diuina dispositione pendebat, fuisse locutum. Diuinæ autem voluntati omnem in partem obsequi, non culpæ vlli, sed magnæ laudi tribuendum est. Hactenus Salian. ad cuius ego sententiam pedarius accedo. Tametsi enim de voluntate Dauidis, nihil constare possit ex historia, arbitror tamen hoc satis tuto dici posse, illum nec contra Palæstinos pugnare voluisse, nec contra suos: sed expectasse potius diuinam aliquam occasionem, vt nec ab illis, nec ab istis stare cogeretur: & ob eam causam ita librasse verba, & ambiguè respondisse.

Sed quia his quoque nos satisfacere decet qui coniecturas aspernantur, nec Scripturas ferunt diuinando interpretari, interpretandi alia nobis ratio ineunda est. Neque enim Scriptura Dauidis consilium & orationem ascribit eius fidei, aut diuinę expectatione prouidentiæ tuetur: sed vbi eum in summo hærentem discrimine collocauit, tum ea respondisse loquitur, quæ si egisset, quod polliceri visus est, flagitio ac scelere aliquo carere minimè posset. Esto enim ea sic varijs ambagibus & multiplici amphibolia implicuerit, vt mendacij culpam arte effugerit: horum tamen alterum necesse fuit vt faceret, aut seruatori suo ingrato animo perniciem crearet, aut dextrã cognato sanguine pollueret. Horum quicquid futurum asseras, futurum asseres alienum à boni viri officio fuisse. Negabis alterutrum necessario facturum fuisse, cùm potuerit ab vtrisque abstinere, vt qui neutrum iure violare posset. Tum foret ergo nocentior, vt qui patriæ pariter & benefactori deesset. Inde adeo fit, vt haud facilè reperiam, qua ratione viri innocentiam ab interpretum calumnijs vindicem. Veruntamẽ si quid video, non potuit non videri debito munere defungi, si in summa necessitate constitutis, cùm non posset pluribus, coniunctissimis sanè auxilium ferret. Habent siquidem humana officia suos gradus, nec pari iure nos omnes sibi vendicant. Peregrinus si pacem colat, benignè fouendus, & mutuo beneficiorum cõmercio dignus habendus: sic tamen vt ciuem memineris, cùm opus sit, eidem præferri oportere. Et est sane locus cùm vniuersa officiorum genera per suos gradus commodè explices, ita vt quod cuique debetur secundum analogiam cumulatè referas. At cùm necessitas vrget, nec tempus sinit vt pluribus gratia rependatur: tum is à nobis opinor præ cæteris iuuandus est, qui pluribus nominibus nos sibi deuinctos tenet. Laudatissima porro & omnium calculis comprobata sententia est, Deo, parentibus, & magistris, parem gratiam referri non posse, quæ omnia Dauid in Hebræorum populo collecta habuit. Nam & notus in Iudæa Deus erat, & ibidem elucebat in posteris Abrahæ fides, & Moses in Synagogis per omne sabbatum legebatur. Quæ cùm obnixè omnia & summis viribus deberet defendere, nullo posteriori beneficio ea obligatione absolui potuit. Tametsi nec quale sit beneficiũ intelligo, quod perfugam hostis, non iuuandi eius gratia, sed studio nocendi eius patriæ recepit. Non enim Achis Dauidis saluti, sed propriæ vtilitati voluit consulere.

Octauaque proponimus ipsi.

VERSVS III.

Samuel autem mortuus est, planxítque eum omnis Israël, & sepelierunt eum in Ramatha vrbe sua. Et Saul abstulit magos & hariolos de terra.

Variæ nistulationes.

PAgninus, *Et sepelierunt eum in Rama, & in vrbe sua*. Reuera enim ו, quæ fungitur vice coniungentis copulæ, iterum post Rama, vrbi affixa est. Chaldæus, quæ deesse visa sunt, in sua Paraphr. suppleuit. *Et sepelierũt eum in Ramatha, & luxerunt eum homines ciuitatis eius*. At Vatabl. in Schol Hebraismus, inquit, *in vrbe sua*, id est, in ea Rama in qua habitabat. nam erant duæ vrbes eodem nomine. Vatablum miror, cur Hebraismum

ABSTVLIT MAGOS, &c.

braismum notet: quid enim habet ea syntaxis diversum ab oratione Latina? Alij, inquit, hoc referunt ad verbum remotius *planxerunt eum in Rama, & in urbe sua Israelitæ*, quasi dicat, tam in Rama, quàm in alijs vrbibus. Alij, *sepelierũt eum in ipsa urbe Rama*, non extra vrbem. *Et Saul abstulit* הָאֹבוֹת אֶת *eth haoboth*. (à nomine אוֹב *ob*) Vulgata *magos* interpretatur. Sept. τοὺς ἐγγαστριμύθους, *ventriloquos*: Interpr. Paraphr. Chald. *Hariolos*: Pagn. *pythones*: Vatabl. etiam *pythones*, vel, *magos*. וְאֶת הַיִּדְּעֹנִים *veeth haydeghonim*. (יִדְּעֹנִי *ydeghoni* autem deducitur à verbo יָדַע *iadagh*, quod est *scivit*, & alia pleraque significat. nam verba sensuum apud Hebræos, & affectus comprehendunt. Notitiam affectus consequitur.) Vulgata, *& hariolos*: Septuag. τοὺς γνώστας, Rom. edit. *& gnostas*: Complut. *& divinatores*. Pagnin. *magos*: Arias, *sciolos*: Chaldæus, *incantatores*: Vatablus, *divinos*: Alius, *ariolos*. Cęterùm hæc de industria, Spiritus sanctus παρενθετικῶς apponi voluit, vt melius, quid in sequente historia contra veritatem, quid contra pietatem & æquitatem sit gestum cognoscatur. Nam contra naturam rerum veritatémque est, quòd Saul obnitens Deo Samuelem præsumebat esse reuersurum; contra æquitatem, quòd se ad eos ipsos consulendos reciperet, quos antè iustissimo iudicio damnauerat; contra pietatem vtrumque. Addam & ex Hebræis pauca de magis seu pythonibus & hariolis, quæ ad explicationem literæ videntur pertinere. quod dictum volo ex eorum sententia, nam plerisque eorum commentis fidem non habeo.

Refert Fagius in 19. Leuit.

De Pythonibus sententia Rab.

Pythonem igitur, quem Hebræi אוֹב *ob* nominant, sic illi describũt. *Ob* est, qui dicitur pytho, inter cuius femora seu iuncturas ascendit, & sedet mortuus, vel inter axillas eius, loquens admodum submissa voce, perinde ac si ex inferioribus terræ prodiret. Est quoque adhuc alia species pythonis, qua cranium mortui consulitur, & ab eo responsum dicitur. Vox Hebraica אוֹב *ob*, vtrem, seu lagunculam significat: hinc quidam hanc speciem magiæ sic vocatam autumant, quod qui ea vteretur, obtusa voce tanquam ex laguncula, aut cauea loqui viderẽtur. Septuag. interpr. ἐγγαστριμύθους, quos nostri ventriloquos appellãt, maximè Tertull. qui de hac re etiam peculiariter scribit. Ventriloquas Mulieres etiam tempestate nostra vidimus, quibus sedentibus vocula quædam, ab earum pudendis excitabatur, respõdebátque sciscitantibus, ipséque audire volui, non quod vllam fidem his adhiberem, sed vt dæmonum præstigias cognoscerem. Præstigiæ certè sunt, & miserarum genera vanitatum. Nascuntur ex his calamitosi errores, & incredibiles calamitates. Huiusmodi scribunt Patres Græci fuisse Pythiam, cuius impurissimus Dæmon, impurissimam & fœdissimam elegerat partem, in qua versaretur, & inde responsa daret.

Tertullian.

De Ariolis.

Nunc de Hariolis. יִדְּעֹנִי *Iideoni*, siue Hariolus dicitur homo, qui ponit os animantis, cui nomen est יַדּוּעַ *iadua*, in os suum, quod postea à semetipso loquitur. Aiunt autem, quod quasi magnus funis egrediatur ex radice terræ, quæ crescit eo in loco vbi istud animal prouenit, præ se ferens quantitatem, siue formam cucumerum: habétque istud animal *Iadua* appellatum, hominis figuram, ex omni parte, quod faciem, corpus, manus, pedes, reliquáque membra attinet, atque vmbilico suo alligatum est ad funem prodeuntem ex radice, neque quispiam est, qui audeat propius ad illud accedere, quàm funis ille extendatur, quia rapit & interficit omnia. Totum quoque illud spacium quod extẽsio funis illius complectitur, circumquaque depascit. Et cùm veniunt qui volunt feram venari, iaculis eminus petunt funem eius, donec soluatur, quo facto statim moritur. Hactenus Hebræi.

Cassiodor.

Mors hominum quietem parat.

Samuel autem mortuus est.] Nec habet, inquit Cassiodorus Var. li. 11. epist. 37. quod possit metuere, qui ad designatum tempus inoffensè meruit peruenire. Astra ipsa, vt Astronomi volunt, licet assidua repetitione voluantur, cursus sui definita custodiunt: nequit esse ambiguũ, quod fine proprio tenetur inclusum. Saturnus annis triginta constituta sibi cæli spatia peruagatur. Stella Iouis duodecim annis attributam sibi regionem illustrat. Martis sidus, ignea celeritate raptatum, decem & octo mensibus deputata sibi discurrit. Sol anni spatio Zodiaci circuli signa pręteruolat. Astrum Veneris mẽsibus quindecim spacia concessa transcendit. Mercurius velocitate succinctus tredecim mensibus proposita sibi interualla prætereuehit. Luna peculiari nobis vicinitate proximior, triginta diebus peragit, quod anni spacio Sol aureus circumactus impleuerit. Meritò ergo laboris finem mortales inueniunt: quoniam, vt Philosophi dicunt, & ipsa quæ deficere nequeunt nisi cum mundo, cursus sui terminos rationabiliter acceperunt: hac tamen interueniente distantia, quod illa opus suum finiunt, vt ad proprium redeant: Humanum genus ideo militat, vt peractis sudoribus conquiescat.

Apollodor.

Cur senex funera defleat.

Et planxerunt eum.] Cur ita plangerent? Respondet Apollodorus Comicus,

Quando iuuenis eram, me mortis immaturæ miserebat:
Nunc verò cùm senis funus efferri video,
Lacrymor. Eadem enim via mihi terenda imminet.

Theocritus.

Et Theocritus, siue ille Moschus Eidyllio 19. Biona deflens,

Nunc tristes plantæ lacrymarum fundite guttas,
Nunc nemora & saltus miseris vlulate querelis,
Tristibus ô mœsti flores spirate corymbis,
Nunc lugubrè rosæ rubeant, nunc tristè papauer,
Nunc hyacinthe sonet tua littera, scilicet ai ai.
Non tamen hoc satis est ai ai, plus ergo loquatur,
Litterulásque velis folijs inscribere plures:
Occidit heu miseris deflenda morte poëta.
Non tantum æquoreis Delphin lugebat in vndis,
Nec tantum in scopulis questa est philomela remotis,
Nec tantùm aërios per montes fleuit hirundo,
Nec tantum Alcyone potuit sensisse dolorem,
Amissum Ceyca suum quo tempore flebat.

Planctus.

Subinde vero etiam sui doloris rationem versibus exprimit: sed malui soluta oratione

ABSTVLIT MAGOS, &c.

interpretari, ne quid gratiæ astricta numeris translatione Poëtæ deperiret.

Hei mihi, inquit, *maluæ cum in horto interierunt,*
Vel viride apium, vel florens crispum anethum,
Postea reuiuiscunt, & altero anno renascuntur:
Nos verò qui magni & fortes, aut sapientes viri sumus,
Vbi primùm mortui fuerimus, obscuri in terra concaua
Dormimus valdè bene longum infinitum inexcitabilem somnum.

Sic ille deflet eximium poëtam, qui si fidei lumen accepisset abiens lætitia & choreis potius prosequendus erat, quàm elegia & lacrymis, quæ doloris testes adhiberi solent: non enim morte extinguntur qui iustitiam ac pietatem coluerunt, sed labore soluti amplissima B præmia consequuntur. Homo, inquit Suidas, tribus modis melior quàm prius fuerit euadit. Primum quidem collocutione cum Deo. Necesse enim est eum, qui accedit ad ipsum, illo temporis articulo, ab omni improbitate separari, & ad Dei similitudinem se pro viribus cōformare. Deinde, benefaciendo. Dei enim hoc est, & imitationis diuinæ. Tertio loco, in morte. Si enim animus dum ipsum animal viuit, aliquantulum à corpore separatus, seipso fit melior, atque in somnis per ipsa somnia, & in illis morborum commotionibus, quæ mentes à corporibus ad breue temporis spatium abstrahūt, vaticinatur; multò præstantior euadit, quum prorsus à corpore separatur. Quod autem ad C lethæum illum somnum attinet, quem poëta deflet vehementius, idem in voce ἀναστάσεως, quoniam, inquit, mors παρὰ φύσιν præter naturam in mundum irrupit, resurrectio quoque κατὰ φύσιν secundum naturā inducta est, quæ mortis damna sarciret. ὁ γὰρ πρωτόπλαστος πρὸ τῆς παραβάσεως ἀθάνατος ἦν. Nam ille primo formatus homo ante lapsum, immortalis erat. Dicitur autem resurrectio, quia illud à Deo formatum opus, quod per peccatum perditum est, & collapsum, per iustitiam erigitur & instauratur. εἰ γὰρ παρέμεινεν ὁ Ἀδὰμ τῇ ἐντολῇ, ἔμενεν ἂν ζῶν. Si enim Adam in Dei mandato perseuerasset, viuens permansisset. Ἀνάστασις οὖν, ἡ δευτέρα στάσις. Καὶ ἡ τῆς μακροθυμίας τοῦ Θεοῦ πέρας. Resurrectio igitur est secunda statio. Et hic est diuinæ longanimitatis finis.

Suidas in ἄνθρωπος αὐτός.

Tribus modis homo melior euadit.

Resurrectio

Et sepelierunt eum in Ramatha vrbe sua.] Id additum est, quod esset duplex Rama: vel vt Chimhi putat, quod sepultus fuerit in vrbe, non autem foris in agro. Chaldæus interpres, vt iam antea notauimus, ait, eos qui accesserunt ad funus, defleuisse eum in ipsius ciuitate Rama, vbi sepeliebatur. Alios autem qui non accesserunt, tamen fleuisse eum in ciuitatibus suis. Atque ita addit, Samuëlem defletum fuisse in omnibus ciuitatibus Iudææ, quod totam Iudæam iudicasset. Interea non frustrà commemoratur mors Samuëlis. Ex ea enim ratione intelligimus, cur eundem Saül desperata salute Pythonissæ magico carmine studuerit reuocari. Deinde, quanta in calamitate Iudæi fuerint illo tempore, cum & Dauide & Samuële carerent.

PLANXIT QVI EVM, &c.

Et Saül abstulit magos & hariolos de terra.] Magiam prohibitam seu diabolicam hoc pacto describit Delrius lib. 1. Disquisit. Magic. cap. 2. *Facultas est* siue ars, qua, vi pacti cum dæmonibus initi, mira quædam, & communem hominum captum superantia efficiuntur. Dixi *vi pacti*, quoniam omnis Magiæ huius vis, pacto tacito vel expresso nititur. Ea, si finem spectes, in quatuor species distribuitur, & totidem nomina consequitur. Aut enim miranda quædam & stupenda præter consuetudinem parit, & tum speciatim Magiæ nomen obtinet; aut arcana & occulta rimatur, & tum diuinatio est; aut rebus molitur hominibusve perniciem, quod scelus maleficium est; aut deniq; delitias opémve pollicetur, quod genus Nugatoriam seu vanam obseruantiam Theologi nuncupant. Sic Magia reproba, in Magiam specialem, Diuinationem, Maleficium, & Vanam obseruantiam necessario penè discrimine secatur. Ab hac porrò specierum Magiæ diuersitate, mira nominum varietas apud Hebræos, Græcos, Latinos manauit, ad eos designandos, qui stygiis hisce mysteriis forent initiati. Sed ne longius fluat & vagetur oratio quàm instituti ratio postulat, tantisper dum nefandæ artis suppellectilem diligentius excutiamus, geminam appellationem istam quam hoc loco Scriptura vsurpat, eodem authore Delrio explicemus.

Delrio.

Magia definitur.

Magiæ species.

Quædam, inquit, Hebræorum nomina, ad solam diuinationem videntur pertinere, vt duo illa coniungi solita *Aouoth*, & *Iddeghoni*; quorum nisi fallor posterius latius paulò patet, ideòque in sacris litteris illi solet postponi, locis passim obuiis. *Aouoth*, à radice אוב *Of*, quòd vox reddatur obscurior, & quasi ex vtre stridens. Nam *Of* primò significat ipsum dæmonem respondentem, secundò significat Magum qui responsum elicit: sicut & *Python* & *ventriloquus*, vocatur, vel ipse dæmon inhabitans, & ex imo hominis respondens; vel ipse homo, cui dæmon inhabitat. Græcus etiam εὐρυκλῆς vtrumque significat, à quodam Eurycle, qui Pythonem habebat, & primus ventriloquus Athenis fuit, vnde & alij εὐρυκλεῖς dicti. quod docent Suidas & Hesychius, & Scholiastes Aristophanis, & ex Aristophane in Vespis, Plutarchóque in lib. de defectu oracul. D probari posset. *Iddeghoni* non spectat ad Chyromanticos & similes, vt quidam censet: sed ad oracula dæmonum, siue per *Aouoth*, siue ex visceribus telluris, siue per vmbrarum euocationem, vt colligitur comparatione locorum SS. vbi hoc nomen vsurpatum; siue ad genus quoddam diuinationis, de quo idem disserit lib. 3.

Leuit. 19. v. 31. & 20. v. 6. Deuter. 18. v. 11. & alibi

Etymon Hebraicæ dictionum.

Græcè hoc loco τοὺς ἐγγαστριμύθους, καὶ τοὺς γνώστας legimus, quas voces suprà in Variis translat. expoluimus. Latinè *Magos legimus & Ariolos*. Magorum nomen à Barbaris ad Græcos, Latinósq; traductum, initio Persis & Chaldæis in honore fuit, vt proprium sacrorum antistitibus, Regum moderatoribus, Philosophis atq; Theologis; postea in infamiā vergere cœpit &

Magi vocabulum.

Et Savl abstvlit &c.

Petr. Gregorius.

& cunctis malis artibus attribui. De Magici nominis etymologia primum illud obseruat Petrus Gregor. Syntag. iur. lib. 34. cap. 1. Magum olim apud nos domum significasse, vti complura hactenus oppidorum nomina testantur: Rothomagum, Nouiomagum, Maguntia, & ipsa adeò vox Gallica *Maison*, quo publicas & priuatas ædes significamus. Obseruant autem astronomi regiones & plagas cœli, quam etiam in partes, quas domos dicunt, partiuntur. Quamobrem à domicilijs cœli siue planetarum domibus, quas plerunque Magi speculantur, non sine aliqua probabilitate nomen mutuati videri possent. Sed quia Persis & Medis haud constat, à quibus ea vox ad nos deriuata est, an itidem significet, idcirco hanc Gregorij etymologiã haud multùm moramur. At verius est, inquit, Magos hos, & reliquos rerum mirabilium iactatores, dictos fuisse ab vsurpato nimium arroganter sapientum nomine, vt eo specioso homines rudes fallerent, & sacrilegam mentem, & artes sceleratas, dolósque tegerent. Nam vt Cœlius scribit, vox *Magus* Scythis quidem ædificatorem sonat; Persis sapientem: Græcis verò diuinarum rerum interpretem, exactissimè speculantem. Hæc ille. Eruditis nonnullis placuit *Magos* à verbo הָגָה *hagah* dictos, quod est meditatus est, quasi *meditatores* dicas & artium magistros. Inde הֶגֶה *hegeh* meditatio est; & Rabbinis הִגָּיוֹן *higaion* Logica, quæ in ratiocinatione & theoria maximè consistit. Isaiæ cap. 8. ver. 19. legimus, *Quærite à Pythonibus, & à diuinis, qui strident in incantationibus suis: Nunquid, &c. Quærite ab* הָאֹבוֹת *haouoth Pythonibus*, quos hoc loco *magos* vertit, *& à* הַיִּדְּעֹנִים *haijdeghonim, diuinis*, quos hic *Ariolos* interpretatus est, *Sciolos* Arias. *Qui strident in incantationibus suis.* Hæc videtur esse quædam eorum descriptio. Pagninus vertit, *qui garriunt & loquuntur.* Arias, *garrientes & susurrantes.* *Veraculos* dicere videtur Suetonius in Vitellio. Nullis, inquit, infensior quàm *Veraculis & Mathematicis*. Hebraicè porrò scriptum est, *garrientes* וְהַמַּהְגִּים *vehammahgim*, ab eodem verbo הָגָה *hagah*, à quo deductum est Magi nomen indicauimus; ita vt *Magum* non incommodè *susurrantem* aut *stridentem* à nonnulla eorum ceremonia, aut sanè *speculatorem* aut *meditatorem* à præcipua eorum occupatione vocatum possimus interpretari. Arioli verò, Augures, Aruspices, Chaldæi, Thessali, Genethliaci, vt inquit Delrius, sæpe confunduntur. De quibus Petr. Gregor. eod. lib. cap. 3. num. 9. Arioli quibusdam dicuntur & Harioli, quasi Farioli à fando, vel ore prædicendo, χρησμολόγους alij dicunt vates, diuinationem ore promentes μάντεις. S. Augustinus *Ariolos* putat dictos, quòd circa aras idolorũ nefarias preces emitterent, & funesta sacrificia exercentes responsa acciperent dæmonum. Vlpianus *Fanaticos* dixisse videtur, qui aliqua profantur caput iactantes, circa fana bacchantes, & quasi dementes responsa dantes. Nam & Fanatici à fando, vel certè fano, quod fando dedicatur, dicti sunt. Gothofredus ad *l. 10. in prin. Cod. de episc. audient. Arioli*, inquit, quorum mentio fit in *l. 5. 7. Cod. de malef. & mathem.* Similes sunt impostoribus, qui Mathematicorum liberali nomine adumbrantes suas ineptias, profitentur se fata cuiusque nosse, & natalitias syderum obseruationes. Hæc ille. Fingunt Rabbini, Saulem ea causa sustulisse Ariolos, quòd illi prædicerent, eius familiam euertendam esse, & regnum transferendum esse ad Dauidem. Quo teste freti asseuerare hoc audeant, ipsi viderint. At nos accepta occasione seriò quærimus.

S. August. lib. de nat. dæmon. & c. igitur, 26. q. 3.

Gothofred.

Et Savl abstvlit &c.

An Magos è medio tollere liceat?

QVÆSTIO CIV.

Respondeo Magorum nomen amphibolon esse, & vario ac multiplici discrimine Magos inter se distingui. Sunt enim qui Magiam alteram superstitiosam esse velint, alteram naturalem ac physicam, quam scientiam practicam seu potius ποιητικὴν esse definiunt, de qua Ioan. Baptista Porta Neapolit. de Natural. lib. 1. cap. 1. hæc habet: Magia naturalis abditis scatet mysterijs, ac delitescentium rerum contemplationem, qualitatem, proprietatem, ac totius naturæ cognitionẽ largitur, docetq́; rerũ adminiculo, & earum mutua & opportuna applicatione opera efficere, quæ vulgus putat miracula, omnem admirationem humanúmque captum excedentia. Opera Naturalis Magiæ sunt naturæ opera: Ars autem illius ministra est, ac naturæ sedulò ancillatur. Vnde Plotinus Magum naturæ ministrum non artificem vocat. Visitur hæc Magia in Astrologicis, Opticis, Catoptricis, Chymicis, Medicis rebus. Hæc ille. qui multa horum experimenta suppeditat lib. 4. Huius Magiæ, inquit Plinius lib. 3. Nat. hist. exempla exhibuerunt rudi populo, qui primi succino paleas, magnete ferrum attraxere. Hanc si qui ita vestigent, vt intra naturæ cancellos se cohibeant, nec ope dæmonum aut superstitione aliqua, incomperta reliquis Dei beneficia venentur, aut inficiant, hos ego nequaquam hoc tempore in iudicium voco, aut controuersias eorum discepto.

Baptista Porta. Magia Naturalis.

Plinius.

Cum Magis illis res mihi est, qui cum dæmonibus societatem coëunt, & eorum opera abutuntur; vt quæ per se præstare rimariùe posse desperant, dæmonum fauore ac studio consequantur. Tametsi enim ne dæmones quidem quicquam amplius suapte vi atque ingenio conari possint, quàm quod naturæ atque arti à Deo tributum est: attamen nonnulli aut veritati fidem non habent, aut si habent, illud certè norunt quod latet neminem, multarum rerum scientia quæ clam nobis sunt, dæmones præditos esse, & multa pernici volatu vndique conferre posse, quæ locorum interuallo disiti, aut difficultate deterriti, parare non possumus. quibus potius quàm careant, malunt dæmonum ministerio vti, siue cum illis suo nomine paciscantur, siue aliorum periculo suæ libidini obsequantur, qui cum ijsdem fœdus inierunt. Quorum etiam, vt nonnullis visum est,

Quid Magia diabolica, & quotuplex.

Et Savl, &c.

duplex ratio distingui potest. Quædam enim δραστικὴ siue operatrix, quædam μαντικὴ ab ijs appellatur, quæ latentium rerum scientiam profitetur. Sed nec diuinatio ipsa vnius modi esse censetur. Nam præter ipsam μανικὴν, quam furorem aut vim fatidicam nūcupant, alteram quoque τεχνικὴν legimus, quæ velut ars, dæmonum studio certis legibus ac regulis comprehensa est, ex quarum præscripto futuros euentus pollicetur, aut præsentis temporis operta resignat. Verum hęc ad rem quam paro, nihil hactenus aut parum conferunt. Sed aliud est præterea discrimen, quod à nobis necessario exponendum est, priusquam differendi initium faciamus.

Magi Malefici.

Fingunt enim Magorum quidem plerosque maleficos esse, nonnullos tamen esse beneficos. Malefici sunt, qui mala faciunt, vel sola ipsorum imaginatione, vel reipsa. *Sola imaginatione*, nempe cùm nihil mali reipsa faciunt: attamen à dæmone ita vis φαντασία illorum conturbatur & peruertitur, vt se mal. quæuis patrare sibi persuadeant, adeóque in tormentis constanter id asseuerant, quod experientia docuit in lamijs & strigibus seu s gis. *Reipsa* verò, cùm varijs malis homines afficiunt, vel solis characteribus & carminibus, permittente Deo, sine pharmaco: atque hæc species dicitur γοητεία, ἀπὸ τῶν γόων, id est à funeralibus seu exequialibus carminibus, quibus ad sepulchra mortuorum vtuntur, vel in genere à tristi murmure, & querulis vocibus: Vel cum pharmacis. Atq; hæc species dicitur φαρμακεία, Latinè Veneficium: & quæ hac vtitur, dicitur φαρμακεύτρια. *Benefici* autem benignè conuersantur cum Spiritu παρέδρῳ seu familiari, & quibusdam τελεταῖς, i. consecrationibus eum suscipiunt, Hanc speciem non erubescūt vocare θεουργίαν. Sic igitur illi Magorū studia & artes passim distinguunt, vt alij quidem semper aliquid machinentur mali, alij contra iuuare studeant. Quæ falsa opinio non paucorum hoc tempore mentes occupauit. Sunt enim pleriq; cùm obtuso atque hebeti ingenio, tum de sua salute parum solliciti, qui hac vera esse in animum inducant. De dæmonibus quippe ex seipsis coniecturam capientes, arbitrantur si quis eos colat ex animo, & ea faciat quæ ijsdem placeant, verisimile esse huic vicissim eos fauere ac gratificari velle; atque adeò eundem dæmonum præsidio fretum, alijs qui indigeant, & morbo conflictentur, aut qualibet difficultate laborent, auxiliari posse. Qui porrò in alterum beneficium conferat, eundem non posse videri supplicio dignum. At si quis pauperiem fecisse dicatur, aut magicis actibus cuiusquam pudicitiam aut vitam expugnasse, decere maleficium autoris pœnis lui. Nonnulli tamen hoc quoque negant, quòd hæc esse aniles fabulas deputant, indoctos Medicos sequuti, quorum ars & industria tota in corpore versatur, & à spiritualibus abhorret: aut si quid eiusmodi aliquando contingat, non hominem, cui tum illuditur: sed dæmonem sceleris habendum artificem. Qui protinus quanto in errore versentur, quantúmque animis al-

Benefici qui nonnullis videantur.

lucinentur, à nobis docēdi sunt. Quamobrem hoc primo loco quæremus,

Et Savl, &c.

An iure Malefici capite pœnas luant?

QVÆSTIO CV.

Constātinus Imperator, inquit Petrus Gregorius Syntag. iuris lib. 34. cap. 1. Magicis assuetos, Maleficos vulgi consuetudine nuncupari testatur. Idipsum & Lactantius. Quamuis enim maleficij nomen ad omnia pertineat crimina, & damnum omne, quo nocetur alteri, vt constat ex penè infinitis iuris testimonijs: ob insigne tamen nocendi studium, quod in sortilegis, lamijs, incantatoribúsque esse detegitur, ea κατ' ἐξοχὴν maleficij nomine absolutè signantur. Ita Augures, Vates, Chaldæos, Magos, reliquósque id genus, Maleficos vulgus appellat, ob facinorum magnitudinem. Vt & Valentin. Theodos. & Archadius Maleficos, communis salutis hostes dixerūt. Hæc Petrus. quæ vera esse deprehendo *Cod. lib. 9. titulo 18.* qui est *de Maleficis & Mathematicis.* & item *Cod. Theodos.* Quæ autem illa sint Maleficorum crimina, summatim poëtæ referunt: quorum tametsi leuior autoritas, quòd pleraque comminisci soleant, vbi tamen cum reliquis testibus eorum oratio consentit, ea dignior habetur quæ plura paucis exprimat. Ab his igitur, inquit Lucanus, quô pecudes hominésque perimant

Petr. Gregorius.

Qui Malefici.

Quicquid fœtu genuit natura sinistro
Miscetur: non spuma canum, quibus vnda timori est,
Viscera non Lyncis, non duræ nodus hyenæ
Defuit, & serui pasti serpente medulla.
Non puppim retinens Euro tendente rudentes,
In medijs echeneus aquis, oculique draconum.

Lucanus.

Complura Magorum maleficia.

Veneficiū.

Nulla perfidis venenorum ignota seges, nullum virus incompertum: nullam non pestem sollicitant, quô cuiquam periculum creare possint. etiam lupum induunt, quo homines deuorent. Testis Virgilius Ecloga 9.

Has herbas, inquit, *atque hæc Ponto mihi lecta venena*
Ipse dedit Mœris: nascuntur plurima Ponto.
His ego sæpe lupum fieri, & se condere syluis
Mœrim, sæpe animas imis excire sepulcris,
Atque satas aliò vidi traducere messes.

Virgilius.

Λυκανθρωπία.

Segetum calamitas.

Ouidius verò Fastor. lib. 6. Maleficas describēs intempesta nocte sublimes per aëra ferri, ait & infantium cunis insidias struere, in quorum viscera & sanguinem sese ingurgitant, si forte cura nutricis eos destituat.

Sunt auidæ volucres, inquit, *non quæ Phineia mensis*
Guttura fraudabant: sed genus inde trahunt.
Grande caput, stantes oculi, rostra apta rapinæ,
Canicies pennis, vnguibus hamus inest.
Nocte volant, puerósque petunt nutricis egentes,
Et vitiant cunis corpora rapta suis.
Carpere dicuntur lactantia viscera rostris,
Et plenum poto sanguine guttur habent.

Ouidius.

Αἱματοποσία.

Est

Et Savl, &c.

Est illis strigibus nomen: sed nominis huius
Caussa, quod horrenda stridere nocte solent.

Deinde, vt qui dæmonum artes haud satis compertas haberet, addit his dubitans:

Siue igitur nascuntur aues: seu carmine fiunt:
Næniáque in volucres falsa figurat anus:
In thalamos venere Procæ: Proca notus in illis
Præda recens auium quinque diebus erat:
Pectoráque exsorbent auidis infantia linguis:
At puer infelix vagit, opemque petit.

Adde his idololatriam, sacrificia, & preces, quæ mox Grane concipit, saga altera, puerum erepturа periculo.

Sacrilega sacrificia, idololatria, preces.

Ipsa medebor, ait.
Spargit aquis aditus, & aqua medicamen habebant:
Extáque de porca cruda bimestre tenet.
Atque ita, Noctis aues extis puerilibus, inquit:
Parcite: pro paruo victima parua cadit.
Cor pro corde precor, pro fibris sumite fibras:
Hanc animam vobis pro meliore damus.
Sic vbi libauit, &c.

Medea apud Senecam Actu 4.

Seneca.

Vos precor vulgus silentum, vósque ferales deos,
Et Chaos cæcum, atque opacam Ditis vmbrosi domum, &c.

Statim vero Hecaten inuocans,

Nunc meis vocata sacris noctium sidus veni,
Pessimos induta vultus, fronte non vna minax.
Tibi sanguineo cespite sacrum
Solenne damus: tibi de medio
Rapta sepulcro fax nocturnos
Sustulit ignes: tibi mota caput
Flexa voces ceruice dedi.
Sacrum laticem percussa dedi,
Manat noster sanguis ad aras, &c.

Simætha apud Theocritum Eidyllio 2.

Theocritus

Magicum carmen.

Excantabo virum, inquit, mihi sacra ferenti
Luna faue, claráque velis in luce videri,
Sacra tibi taciturna feram, tibi carmina dicam,
O dea, &c.
Farra tibi hac primùm sacro comburimus igni.
Sparge simul dicens, hæc spargo Delphidis ossa.
Furfura nunc tibi sacrifico, tu Ditis in aula
Confregisse adamanta, & si quid durius illo est.
Magna Diana potes, &c.
Nunc ego ter libo, ter & hæc bona carmina dico, &c.

At tu scilicet non inexpertus poëticæ fidei, hæc vatum figmenta rides, & si qui fidem eorum commentis habeant. Non risit tamen Agrippa qui hæc seriò docuit, cùm olim Magicas artes temerè complexus esset. Cuius cùm præcipuas partes fecisset, Goëtiam, & Theurgiã, de Goëticis hæc ait. Nefandissimi, detestando & omnibus ignibus plectendo scelere se dæmonibus submittentes, illis sacrificant & adorant, idololatriæ, & vilissimæ deiectionis rei effecti. Quem cultum non Angelis siue bonis dæmonibus, vt nonnulli eorum mentiuntur, exhibent, sed ipsi diabolo & Angelis eius. Quod probat ibidem his verbis: Cur autem Goëtici illi solis malis vtantur dæmonibus, ea ratio est, quia boni Angeli difficilè comparent, quia Dei iussum expectant, nec nisi mundis corde & vita sanctis hominibus congrediuntur: mali

Agrippa de Vanitate Scientiarũ cap 45

Goëtici quales habendi ipso Agrippa autore.

Et Savl, &c.

autem faciles se exhibent ad inuocandum, falsò fauentes, & diuinitatem mentientes, semper præsto, vt astu suo decipiant, & venerentur, & adorentur. Hæc Agrippa de Goëticis. qui sequenti capite haud multò clemẽtius in Theurgicos animaduertit, quorum artes diabolicas in oblationibus potissimum, hostijs, & sacrificijs commendat: in quibus etiam, inquit, nonnunquam immũdi Spiritus & deceptrices potestates, vt venerentur & adorentur pro dijs, munditiam requirunt. Ad extremum de vniuersa Magia sententiam ferẽs cap. 48. ita concludit. *Iam itaque ex his quæ dicta sunt, patet, non aliud esse Magiam, quàm complexum idololatriæ, astrologiæ, superstitiosæque medicinæ.* Experto crede Roberto. Sed & valet contra se aduersarij testimonium. *Ex ore tuo te iudico serue nequam.*

Theurgici.

Iam verò quod nostri asserunt, Magos plerunque & Sagas seu potius semper hæresis labe pollutas esse, hoc quoque Agrippa suo testimonio confirmat. Quinetiam à Magis, inquit, magna hæreticorum caterua in Ecclesia orta est, qui, sicut Iamnes & Mambres restiterunt Moysi, sic illi restiterunt Apostolicæ veritati. Horum princeps fuit Simon Samaritanus, qui Romæ sub Claudio Cæsare propter hãc artem statua donatus est, cum hac inscriptione: Simoni Sancto Deo. Eius blasphemias copiosè narrant Clemens, Eusebius, & Irenæus. Ex hoc Simone, tanquam ex hæresum omnium seminario, per multas successiones monstrosi Ophitæ, turpes Gnostici, impij Valentiniani, Cerdoniani, Marcionistæ, Montaniani, & multi alij hæretici prodierunt propter quæstũ & inanem gloriam, mentiẽtes aduersus Deum, vtilitatem nullam, neque beneficia hominibus præstantes, sed decipientes, & in perniciẽ & in errorem mittentes: & qui credunt illis, confundentur in iudicio Dei. Ad quæ postremò velut coronidis loco adijcit: *Verùm de Magicis scripsi ego iuuenis adhuc libros tres, amplo satis volumine, quos de Occulta Philosophia nuncupaui:* in quibus quidquid tunc per curiosam adolescentiam erratum est, nunc cautior hac palinodia recantatum volo: permultum enim temporis & rerum in his vanitatibus olim contriui. Tandem hoc profeci, quod sciam, quibus rationibus oporteat alios ab hac pernicie dehortari. quicunque enim non in veritate, nec in virtute Dei, sed in elusione dæmonũ, secundum operationem malorum spirituum, diuinare & prophetare præsumunt, & per vanitates Magicas, exorcismos, incantationes, amatoria, agogima, & cætera opera dæmoniaca, & idololatriæ fraudes exercentes, præstigias & phantasmata ostentantes, mox cessantia miracula sese operari iactant, omnes hi cum Iamne & Mambre, & Simone Mago æternis ignibus cruciandi destinabuntur. Hactenus impurus nebulo, & nefandorum mysteriorum teterrimus sacerdos, quem tamen hæc dæmon ipse prædicare voluit, & nonnullam pœnitentiæ simulationem præ se ferre, quo detestabiliores essent qui in hæc studia incumbunt, & eodem autore ac teste excusatione carerent. Tametsi

Magi hæresis rei.

Ibidem cap 48.

Agrippæ ficta palinodia.

Et Savl, &c.

quod ad ipsum attinet, saluti propriæ neutiquam consuluit. Neque enim verè & ex animo illum pœnituit, neque ingenuè quid potissimùm in arte à se tradita damnaret aperuit: sed cùm alias semper teter & nefandus ex libris apparuisset, tum in hoc opere Lucianum æmulatus, hæreticum se atque apostatam, seu potius atheum comprobauit. Itaque Agrippam, quem in adolescẽtia magia & superstitio amare cœperant, ad vltimum iam *senem & inueteratum dierum malorum*, calumnia & impietas funditus perdiderunt.

Ynita cum dæmone societas, &c.

Adde his ictum cum dæmone fœdus, & obligatam sacrilegio fidem, abdicatam numinis reuerentiam, nefandos concubitus, & Satanicæ libidinis portentum, quæ hominem cum malis genijs alterutra venere copulat, immane nocendi studium, diuinorum Sacramentorum religionem violatam, & quæcunque religione vlla consecrata sunt, & scelera & fraudes sacrilegè traducta: nocturna sacra, clandestinos conuentus, quæ omnia lamiæ & striges, cùm olim, tum hac ætate nostra seu sponte, seu quæstione habita identidem fatentur. quæ ne fortè quisquam cuiusquam arte atque industria conficta putet, eadem penè referunt, qui diuersarum gentium iudiciorum acta, & quæstiones perscripserunt. Quinetiam priscæ leges cùm Romanæ, tum peregrinæ non paucæ, in hæc flagitia, quæ legum latoribus innotuisse par est, seuerè animaduertunt. Quarum longior series ne fortè lectorem tædio enecet, paucas breuiter annotabo.

Leges Maleficium capite sanciunt.

Exodi cap. 22. ver. 18. *Maleficos non patieris viuere. Qui immolat dijs, occidetur, præterquam Domino soli.* Apud Romanos leg. 12. tabularum, cuius Seneca lib. 4. Natural. quæstion. & Plinius Natur. Histor. lib. 28 cap. 2. meminerunt, *Qui fruges excantassit, & qui malum carmen incantassit, coerceter.* Præter quæ etiam alterum legis fragmentum extat apud S. August. in eandem sententiam lib. 8. de Ciuitate Dei, *Neue alienam segetem pellexeris.* Liuius autem Decad. 4. lib. 9. cùm de Bacchanalibus loquitur, testis est, olim Romæ ex Senatusconsulto conquisitos fuisse omnes veneficiorum & vaticiniorum libros, vt comburerentur. Plinius denique lib. 30. Non satis æstimari posse ait quantum Romanis debeatur, qui sustulerunt religionum mõstra, in quibus mactare hominem, olim religiosissimum erat, mandi verò etiam saluberrimum. Loquitur autem de Druidibus & Magis. Pergam autem, quando ita cœpi, & nonnullas præterea Romanorum leges referre. Quippe Mœcenas apud Cassium Augusto bene gerendæ Reipub præcepta tradens, etiam illud admonuit: ne Magos & præstigiatores, deorum contemptores toleraret. Iustinianus certè *Instit. iur. ciuil. lib. 4.* Eadem lege, inquit, id est, Cornelia, & venefici damnantur, qui artibus odiosis, tam venenis, quàm susurris, homines occidunt. Constantinus autem *Cod. lib. 9. De malefic. & mathematicis, leg. Eorum est.* Seuerissimis, inquit, legibus vindicanda eorum scientia, qui Magicis accincti artibus, aut contra salutem hominum moliti, aut pudicos animos ad libidinem deflexisse deteguntur. Nec ea longè clementior lex, quæ eiusdem tituli sextum locum occupat. Qui Magicis artibus elementa turbarint; vitam insontium labefactarint; manibus accitis ventilarint: hos, quoniam naturæ peregrini sunt, feralis pestis absumat. Lex denique nona, quisquis Magum deprehenderit, eidem comprehendendi ius & potestatem facit. *Quicunque maleficiorum labe* pollutum audierit, deprehenderit, occupauerit: illico ad publicum pertrahat, & iudicum oculis communis hostem salutis ostendat. Prohibet tantùm clàm priuato iudicio necari, ne solutior licentia insonti cuipiam fraudi sit, & immerentem opprimat. Cæsaribus antiquior Plato lib. 11. de legibus, ipse quoque maleficos capite plectit. Si quis, inquit, vinculis, aut illectamentis, aut incantationibus, aut huiusmodi quibuscunque veneficijs, nocenti similis iudicatus fuerit, si vates sit, aut prodigiorum consultor, ἢ τερατοσκόπος, moriatur.

S. August. — Liuius. — Plinius. — Instit. de public iudic § item lex Cornelia.

L. Multi Magicis. — L. Quicunque.

Lex Salica.

Maiores nostri de strigibus siue lamijs quid senserint, disces cùm aliunde, tum & Salicæ legis *titulo* 67. §. 3. Si Stria hominem comederit, & conuicta fuerit, VIII. den. qui faciunt Sol. cc. culpabilis iudicetur. Stria autem siue Striga non alia est quàm malefica. Gloss. Striga, λαισρυζών ἢ γυνὴ φαρμακίς. Tum scilicet nullum non scelus apud Francos pecunia luebatur. VVisigothorum lex paulo fusius genus ipsum maleficii distinguit, & explicat duabus legibus, *tertia & quarta, tituli 2. qui est de maleficis ac consulentibus eos. lib. 6.* quas etiam pœnis seuerioribus sanxit. Malefici, inquit, & immissores tempestatum, qui quibusdam incantationibus grandines & vineas messésque mittere perhibentur, & hi qui per inuocationem dæmonum mentes hominum conturbãt, seu qui nocturna sacrificia dæmonibus celebrant, eósque per inuocationes nefarias nequiter inuocant, &c. Ducentis flagellis publicè verberentur, & decaluati deformiter decem conuicinas possessiones circuire cogantur inuiti, vt eorum alij corrigantur exemplis. Iubet etiam deinceps carcere cohiberi, ne nocendi cuiquam potestatem habeant. Consulentes verò sancit itidem vapulent, ac totidem plagas accipiant. Qua lege etiam sequenti capite eos teneri vult, & easdem pœnas pendere, Quicunque in hominibus vel brutis animalibus, omnique genere quod mobile esse potest, seu in agris vel vineis, diuersisque arboribus, maleficium, aut diuersa ligamenta, aut etiam scripta in contrarietatem alterius excogitauerit facere, aut expleuerit, per quod alium lædere, vel mortificare, aut obmutescere velit, aut damnum tam in corporibus, quàm etiam in vniuersis rebus fecisse reperiantur. Sed iam horum satis súperque. Si plura voles, Petrum Gregor. consule Syntagm. iur. lib. 34. cap. 14. & 15. Vnum hoc attexam, apostasiæ quoque idololatriæ, atque perfidiæ Maleficos Canonico iure damnari, cùm alibi, tum præcipuè 26. *quæst. 5. cap. 12. Episcopi.*

Lex VVisigothor.

Ad extremum subductis sententiarum calculis rationibúsque hanc summam iudiciorum conficio,

ET SAVL ABSTVLIT &c.

conficiо, iure os supplicio affici, qui tot scelerum rei citentur, & cùm proprio tum omnium doctorum testimonio conuincantur. Quæ autem supplicia sceleratos meritò maneant, si debitam pœnam suscipiant, copiosè Delrius explicat lib. 1. sectione 16. Sed quia illa nobis ab initio quæstio proposita est, an malefici iure cæsi sint, quod nonnulli temerè inficiantur: eorundem argumenta, quibus illi suum errorem fulciunt, conuellamus.

Responsio aduersariorum, quam excipit nostra relatio; instituta ad eorum labefactandam rationem.

QVÆSTIO CVI.

Primi argumenti examen atque discussio.

OBijciunt primò, pleraque eorum quæ lamiæ fatentur, cùm nostras tum diabolicas vires superare, ac proinde nec mereri fidem. Quis enim credat volasse eas ad nocturnos cœtus, libidinem explesse cum dæmone, tempestates & procellas excitasse? Respondeo, credet haud dubiè quisquis Euangelij meminerit, & Dominum Satanæ opera procul ab eremo in templi pinnaculum translatum esse. Primùm enim eo motu, qui est à loco ad locum multa perficit, cùm ad arbitrium, nisi prohibeatur, corporibus imperet. Deinde, & si qua vis præterea aut efficacitas necessaria videatur, nouit ipse ad subiectam materiam causas efficientes applicare. In concubitu venereo neq; voluptatem capiat, neque proprio corpore congreditur: sed aliunde ascito corpore, ab hominibus mutuatur quæ satis sint ad perpetrandum flagitium. Tempestates non video cur negemus ciere posse, cùm illæ primùm è terræ visceribus aut mari erumpant, & ex fumis vaporibúsque, qui cælum petũt, conflentur. Noui ego quid S. Agobardus scripserit contra opinionem de grandine pag. 138. *In his*, inquit, *regionibus pene omnes homines nobiles & ignobiles, urbani & rustici, senes & iuuenes putant grandines & tonitrua hominum libitu posse fieri: dicunt enim mox vt audierint tonitrua, & viderint fulgura, Aura leuatitia est.* Interrogati verò quid sit *aura leuatitia*, alij cum verecundia, parum remordente conscientia, alij autem confidenter (vt imperitorum moris esse solet) confirmant, incantationibus hominum, qui dicuntur *Tempestarij*, esse leuatam, ideo dici *Leuatitiam auram*.] In quam opinionem tetricè ac grauiter animaduertit. Sed aliud est, opinor, diuina beneficia, aut etiam flagella humanæ passim libidini ascribere, aliud censere in his quoque nos fraudem dæmonis posse quandoque pati. Quis enim nesciat Magos Ægyptios pleraque his, quæ à Mose autore Deo prodigia patrata sunt, similia dæmonum studio præstitisse? Sed quia vim huius argumenti S. Agobardus retudisse visus est, dum negat Magos grandinem elicere potuisse; ne quid de industria dissimulasse

S. Agobardus, Gall. Agobe, in l. Contra insulsam vulgi opinionem de grandine & tonitruis

Negat posse Maleficos ope dæmonis tempestates ciere.

A videar, plura ex eo referam, & interpretabor de eiusdem sententia.

Iam aquas, inquit, *verterant in sanguinem, iam ranas produxerant è fluminibus*, licet eas cohibere non possent, sicut Moyses in verbo Domini fecit vt tantùm in flumine remanerent: at cùm ventum est ad Cyniphas, & nihil inde facere potuissent, dixerunt, *digitum Dei sibi esse contrarium*, nihilq; vlterius tale conati. Certè si quilibet homo grandinem potuisset immittere, Iamnes & Mambres immisissent, quia aquas conuerterunt in sanguinem, & ranas de fluminibus produxerunt, quod sibi facere non possunt, qui nunc dicuntur *Tempestarij*.] Et rursum pag. 146. *Si homines grandinem immittere possent*, vtique & pluuias possent, nemo enim grandinem sine pluuia vnquam vidit;
B possent quoque de inimicis suis se vindicare, non solùm ablatione frugum, sed & vitæ ademptione. Quando enim contingit inimicos *Tempestariorum* esse in itinere, aut in agris, vt eos occiderẽt, possent multiplicatam grandinem super eos in vnam congeriem fundere & obruere illos: nam & hoc quidam dicunt nosse se tales *Tempestarios*, qui dispersam grandinem, & latè per regionem decidentem faciant vnum in locum fluminis, aut syluæ infructuosæ, aut super vnam (vt aiunt) cupam, sub qua ipse lateat, defluere. Et pag. 151. *Nostris quoque temporibus videmus aliquando collectis messibus* & vindemijs, propter siccitatem agricolas seminare non posse; quare non obtinetis apud *Tempestarios* vestros, vt mittant *auras leuatitias*, quibus terra irrigetur, vt po-
C stea seminare possitis? Suprà autem pag. 150. *Nostri semifideles, mox vt audiunt tonitrua*, vel cum leui flatu ventos, dicunt, *leuatitia aura est*, & maledicunt dicentes, maledicta lingua illa, & arefiat, præcisa esse debebat, quæ hoc facit. Dic rogo, cui maledicis? Iusto, an peccatori? Peccator namque, & ex parte infidelis similis tui, auram (vt dicere soletis) leuare non potuit, quia nec virtute sua valuit, nec angelis malis imperare potuit, quanquam nec eorum in hac re sit potestas, Domino meo non supplicauit, vt orando id obtineret, quia sicut vos, ita & illi quos *Tempestarios* putatis, præstigijs malis fieri hæc putant, non voluntate Dei. Addam his postremò quod idem narrat & refellit ibidem pag. 140. *Plerosque vidimus & au-*
D *diuimus tanta dementia obrutos*, tanta stultitia alienatos, vt credant & dicant quandam esse Regionem, quæ dicatur Magonia, ex qua naues veniant in Nubibus, in quibus fruges, quæ grandinibus decidunt, & tempestatibus pereunt, vehantur in eandem regionem, ipsis videlicet nautis æreis (*aereis* opinor, aut *ereos*) dantibus pretia Tempestarijs, & accipientibus frumenta vel cæteras fruges. Et hîc item tam profunda stultitia excæcatis, vt hæc posse fieri credant. Vidimus plures in quodam conuentus hominum exhibere vinctos, quatuor homines, tres viros, & vnam fœminam, quasi qui de ipsis nauibus ceciderint, quos scilicet per aliquot dies in vinculis detentos, tandem collecto conuentu hominum exhibuerunt, vt

ET SAVL ABSTVLIT &c.

Exod. 7.

Exod. 8.

Magonia regio.

Et Savl, &c.

dixi, in nostra præsentia, tanquam lapidandos: sed tamen vincente veritate, post multam ratiocinationem, ipsi qui eos exhibuerant, secundum propheticum illud confusi sunt. *sicut confunditur fur quando deprehenditur.* Hactenus S. Agobardus.

Agobardus exponitur, nec dubiū quin hæc possint dæmones si permittantur.

Subinde verò toto illo libro complura passim Scripturarum testimonia laudat, quibus vni Deo grando ascribitur, & solus eius autor atque opifex asseritur. Quibus, inquis, dic si quid habes quod respondeas. quinimò necesse non est vt ea quomodo accipienda sint, coner exponere, cùm idem Sanctus abundè tibi satisfaciat. Nam cùm pag. 143. negasset Moysem Ægyptiæ grandinis architectum haberi posse, Psalmista refragante, qui ait: *Occidit Deus in grandine vineas eorum, & moros eorum in pruina, & trad. &c.* Statim obseruat additum, *immissiones per angelos malos:* quæ verba ita mox interpretatur. *Sciendum quod vindictarum aut probationum flagella per ministros malos exerceat Deus, qui voluntatem quidem nocendi de suo habeant, potestatem autem ab illo accipiant: Sicut enim eorum propria est voluntas nocendi, sic solius Domini potestas, vt possint quæ volunt. Non est certè hominum potestas*, neque bonorum, neque malorum, non est contrariarum fortitudinum potestas, sed solius Domini, qui earum malæ voluntati tribuit potestatem, in quantum vult, & abrogat in quantum non vult vt possint. Hactenus S. Agobard. In cuius ego libens discedo sententiam, nec video cùm reliquorum sit potestas, quamobrem priuatim grandinis ac meteororum exceptio fiat. Nam Scripturæ agente dæmone cælū etiam igne pluisse ferunt, & ventos ab eo concitatos ædificia & ædes prostrasse atque afflixisse. Satan cùm accepta licentia fureret, & in cunctis opibus Sancti Iob diabolicum in morem grassaretur, cùm non posset eius rabies terrestribus expleri malis, ignem cœlo elicuit, quo extemplò pastores ouium cum gregibus deflagrarunt lib. Iob, cap. 1. ver. 16. *Ignis Dei cecidit è cœlo, & tactas oues pueròsque consumpsit.* Statim etiam maioris natu filij eius domum procella concussit, ac ruina oppressit. *Filijs tuis & filiabus vescentibus & bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti, repentè ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos, & mortui sunt, &c.* Quæ cùm ita sint, quis deinceps negare audeat dæmonem nubes inter se committere posse vt fulmen eliciat, & fruges grandine quatere, quam idem affatim collecto gelu coëgerit? Neque enim illa omnia, quibus Sancti viri fortunas afflixit, sic egisse putandus est, tanquam supra vires aliquid molitus sit: non enim illi propterea miraculorum gratia collata est: sed concessis duntaxat à natura viribus eatenus vti permissus est, dum illius vitæ parceret. Nihil itaque S. Episcopus ea oratione qua in vulgi opinionem inuectus est, aliud sibi voluit, quàm non posse *Tempestarios* cùm velint, vim ventis incutere, aut segetes grandine discutere: non vi propria, quæ in meteora nulla est: non imperio, neque enim dæmones hominum potestati addicti sunt: non denique precibus, cùm sint illi bipedum nequissimi: Siquidem *Deus peccatores non audit.* Quinetiam nec dæmones ipsos, quantumuislicet viribus ac robore polleant, quicquam amplius posse reipsa præstare, quàm diuinæ iustitiæ æquitas decreuerit. Non enim pro sua libidine ac viribus nocere sinuntur. quid enim intactum relinquerent, aut cui denique rei parcerent? Miscerent sacra profanis, & sursum ac deorsum ferrent omnia. Non itaque illis tanquam ruptis habenis licet in quos velint inuadere: Sed cùm sint summi illius iudicis lictores ac ministri, si quos probare aut plectere incommodis statuerit, eosdem diuino præsidio destitutos torquent & cruciant. Hinc terret ignaros Dei iudiciorum carnifex, & suadet quos velit se posse vexare. Deinde ea lege cum maleficis paciscitur, si se totos illi dedere ac mancipare voluerint, eandem illis potestatem facturum. Docet postremò illos inutilia quædam pharmaca quæ ipsa plerunque nullam vim obtinét, sed ipse dato signo ad condictum adest, vt nocet quantum permittitur. Hoc enim testatur Tatianus aduersus Græcos. pag. 203. Τῶν ῥιζῶν αἱ ποικιλίαι, νεύρων τε καὶ ὀστῶν παραλήψεις, οὐκ αὐταὶ καθ' ἑαυτὰς δραστικαί τινές εἰσι, στοιχεῖα δέ ἐστι τῆς τῶν δαιμόνων μοχθηρίας, οἳ πρὸς ἕκαστον αὐτῶν ἀπρ ἰσχύειν ὡρίκασιν. Hoc est, Variæ radices, & neruorum & ossium adhibitio, non sua natura aliquid efficiunt, sed tanquam elementaris institutio sunt improbitatis dæmonum, qui ad singula valere debeant, perscripserunt.] Securi quo pacto fidem suam liberent, si fortè res diuinitus impedita fuerit, aut etiam aliquid polliciti fuerint quod eorum conatum superet, modo maleficos à Deo auocent, & in idem secum barathrum attrahant. Quæ tamen hactenus ab aduersarijs obiecta sunt, si insitam à natura facultatem spectes, vincere diabolicas artes videri non poterunt.

Psalm. 104.

Non est cõcessa diabolo miraculorum potestas, sed vtendi naturalibus tributa licentia.

Dæmones diuinæ iustitiæ lictores & ministri.

Fraus dæmonum. Tatianus.

Alterius, & Tertij argument. confutatio.

QVÆSTIO CVII.

Esto, igitur, inquiunt, hæc vis dæmonis atque solertia illis efficere possit, non æquum est Striges alienæ culpæ reas citari. Neq; enim ipsæ aut fingere corporeum dæmonem, aut è nubibus grandinem cogere, volucrelúe aërem tranare possunt: solus hæc dæmon, si per Deum liceat, tentabit & perficiet: quam vim, suæ naturæ propriam, non habet quo pacto cum lamijs communicet. Vnde sequitur, si sagæ pœnas luant, vt sola cogitatio, nudusúe conatus plectatur. Respondeo primò, ipsum etiam conatum ac atrocioribus, vt crimine Maiestatis, leges vlcisci. Respondeo secundò, non posse videri conatum simplicem postquam scelus patratum est. Tametsi enim cùm plures essent, non quilibet grassator hominem iugularit, quotus tamen quisque in eum incurrit, cædis reus habetur. Non enim conscius tantùm, tametsi

Et Savl, &c.

metſi ne ſic quidem immunis eſſet à crimine, ſed etiam flagitij particeps iudicatur, quoniam quorum vnam mentem fuiſſe conſtat, vnus omnium enſis cenſeri debet. Quid ſi quiſpiam pacta cum latrone mercede hominum ab eo curarit interimi, an idcirco ſceleris purus habebitur, quòd licet eius ſtudio ac ſumptu cæſus fuerit, non tamen ipſe ſicam in eius ilia merſerit? Qui pepigit, qui mercedem dedit, quantumuiſlicet à ferro abſtinuit, haud dubiè necem attulit. Quod ſi is homicidij damnatur qui ſicarium nummó pellexit, erunt lamiæ innocentes quæ ſe totas malis genijs deuouent, quô per eos nocere quamplurimis detur? Striges iudiciorum laqueos euadent, aut quoquam innocente patrono criminis abſoluentur, quæ perire in æternum tempus maluerunt, quàm vt cuiquam innocenti parcerent? Quas in noſtram perniciem ſeruare ſtudetis, illæ veſtrum interitum à dæmone abdicata ſua ipſarum ſalute pactæ ſunt.

Saga æterno ſuo exitio temporalem noſtram perniciem paciſcitur.

Verùm hæc pacta, inquiunt, deluſarum figmenta ſunt erroréſque mentium. Vſqueadeóne rudes & imperiti ſumus, vt diabolicas artes, quibus tam multi pereunt, fabulas eſſe iudicemus? Noſſe autem magnopere velim, quibus olim prẹſtigijs ſimpliciores in eum errorem diabolus induxerit. An quia cum dæmone paciſci nemo poſſit? An quia tametſi fortaſſis à vero non abhorreat aliquando fœdus iniri, quibus tamen credamus autores idoneos non habemus: idcirco non vulgatæ tantum opinioni, ſed ſagarum quoque confeſſionibus fidem & autoritatem derogamus? Horum quicquid aſſerueris, non poterit non videri cum ſumma ignorantia ac cæcitate coniunctum. Nam quid cauſæ fingere poſſumus quamobrem cum dæmone ſaga pactionem non conflet? An quia hominem auerſatur dæmon, nec poteſt illi cum eo conuenire? Sed ne tum quidem ſic illi conuenit, & hominis ſaluti ſtudeat: Sed vt eandem percellat conſcientia ſcelerum, & maleficiorum machinis labefactet. Vt tamen fœdus ſanciat, hoc impedimento eſſe poteſt, quod plerunque ſoleat Numinis voluntate cohiberi. Mentiri ſcilicet veretur, aut cuiquam fallere fidem, qui iam inde ab initio, vt Ioannes autor eſt, in veritate non ſtetit.

Explodun tur aduerſar argum. quibus negare viſi ſunt, Magos ſocietatem cum dæmone coïre.

Noua nunc religio vnde eum iſthæc inceſſit, credo? An forſan etiam hoc ambigitur, poſſitne verba fari, ſéque mortalium oculis præbere conſpicuum atque aſpectabilem? Nam hæ quoque nugę indoctorum hominum nobis audiendę ſunt, quibus apud bardos & hebetes eccleſiaſticorum iudiciorum ſeueritas pulſatur & concutitur. Sagæ tamen cum ijs pactum inire nolint, ſéque illis permittere, quos hoſtes experiantur hominum generi infenſiſſimos. Quid ſi non credant? Quid ſi par odium imbuerint? Quid ſi priuatim earum quæ obſequuntur rationem habituros ſperent? Quid ſi à dæmonibus ab ea cogitatione ad varias occupationes traducantur? Quid ſi libidine primum atque animi impotentia pręcipites actę, aut diſcendi ſtudio incenſæ, ſeu quolibet errore deceptæ, ſocietatem temerè coïuerint, ac

deinceps fraude retecta, cùm cupiant deſciſcere, ab ijſdem minis & cruciatibus deterreantur? Quid ſi non ignarę futuri exitij nolint reſipiſcere? Nam pleroſque videmus poſtquam diuturna deſperatione animis obduruerint, ne diuinorum quidem iudiciorum metu ab odio, gula, libidine, atque auaritia poſſe reuocari. Sponte quidem ruimus, & in vitiorum barathrum nos deijcimus: vt pedem reuoces, ac malorum te ſeriò pœniteat, haud aliter quàm diuino munere continget. Idcirco autem Deus non paucos in cœno turpiſſimorum flagitiorum volutari ac perire ſinit, vt eorum exemplo cæteri ad pietatis & iuſtitiæ cultum erudiantur. Sagas autem potiſſimùm rariùs pœnitentiæ beneficio ad officium reuocat, & ſuæ gratiæ reſtituit, vt intelligamus boni nihil eos conari poſſe, qui à Deo defecerint.

Quod autem non temerè, nec obſcuros aut ignobiles autores ſequuti, maleficas credidérimus ex pacto & conuento cum dæmonibus in humani generis perniciem conſpiraſſe, cum multorum Martyrum aliorumque Sanctorum res geſtæ teſtantur, tum Doctores grauiſſimi docent: quorum ſeriem texuit longiſſimam Delrius Diſquiſit. Magic. libro quinto ſectione decimo ſexto, ita vt aduerſarij nube teſtium obrui poſſint, ſi minus autoritati deferant. tametſi in his quoque non pauci recenſentur ſanctitate ac doctrina præſtantes viri, quos Eccleſia dignos ſemper habuit, quorum eruditioni plurimum tribueret; Auguſtini præſertim & ſancti Thomæ, qui in hoc ordine chorum ducunt: quorum vehementer miror ſi auſint aduerſarij ſententia refragari.

Refellitur quartum argument. & Canon Epiſcopi *accuratè exponitur.*

QVÆSTIO CVIII.

VEruntamen, inquiunt, Ancyrani Concilij Patres præſtigijs deludi mulierculas aſſeuerant, *26. quæſtion. 5. c. 12. Epiſcopi.* Quo pacto igitur deſertæ fidei, atque idololatriæ reas condemnant, ſi deceptas arbitrantur, & inſontes habent? An error quiſpiam etiam ſcelus eſt? & peccat grauiſſimè, qui in fide errat, aut à vero Dei cultu aberrat? Sed quo melius eius Concilij (ſi tamen vllius Concilij Canon habendus eſt) mens & ſententia percipiatur, neceſſe eſt integrum illud Capitulum Lectoris oculis ſubijciamus. *Epiſcopi,* aiunt; *eorúmque miniſtri omnibus modis elaborare ſtudeant, & perniciosam & à diabolo inuentam ſortilegam & magicam artem ex parochijs ſuis penitus eradicent: & ſi aliquem virum, aut mulierem huiuſcemodi ſceleris ſectatorem inuenerint, turpiter dehoneſtatum de parochijs ſuis eijciant. Ait enim Apoſtolus, Hæreticum hominem poſt primam, & ſecundam correptionem deuita: ſciens, quia ſubuerſus eſt, qui huiuſmodi eſt. Subuerſi ſunt, & à diabolo captiui tenentur, qui relicto creatore ſuo diaboli ſuffragia quærunt: &*

Canon *Epiſcopi* recitatur.

ET SAVL ABSTVLIT &c.

ideo à tali peste debet mundari sancta Ecclesia. Illud etiam non est omittendum, quod quædam scelerata mulieres retrò post Satanam conuersa dæmonum illusionibus, & phantasmatibus seductæ credunt & profitentur se, nocturnis horis cum Diana dea Paganorum, vel cum Herodiade, & innumera multitudine mulierum equitare super quasdam bestias, & multarum terrarum spatia intempestæ noctis silentio pertransire, eiúsque iussionibus velut dominæ obedire, & certis noctibus ad eius seruitium euocari. Sed vtinam hæ solæ in perfidia sua perijssent, & non multos secum ad infidelitatis interitum pertraxissent. Nam innumera multitudo hac falsa opinione decepta, hæc vera esse credunt, & credendo à recta fide deuiant, & errore Paganorum inuoluuntur, cùm aliquid diuinitatis, aut numinis, extra vnum Deum arbitrantur. Quapropter Sacerdotes per ecclesias sibi commissas populo Dei omni instantia prædicare debent, vt nouerint hæc omnino falsa esse, & non à diuino, sed à maligno Spiritu talia phantasmata mentibus Infidelium irrogari. Siquidem ipse Satanas, qui transfigurat se in Angelum lucis, cùm mentem cuiusque mulierculæ ceperit, & hanc sibi per infidelitatem subiugauerit, ilico transformat se in diuersarum species personarum, atque similitudines: & mentem, quam captiuam tenet, in somnis deludens, modò læta, modò tristia, modò cognitas personas ostendens, per deuia quæque deducit: & cùm solus Spiritus hoc patitur, infidelis mens hoc non in animo, sed in corpore euenire opinatur. Quis enim non in somnijs & nocturnis visionibus extra se educitur, & multa videt dormiendo, quæ nunquam viderat vigilando? Quis verò tam stultus & hebes sit, qui hæc omnia, quæ in solo spiritu fiunt, etiam in corpore accidere arbitretur? cùm Ezechiel propheta visiones Domini in spiritu, non in corpore vidit? & Ioannes Apostolus Apocalypsis Sacramentum in Spiritu non in corpore vidit, & audiuit, sicut ipse dicit? Statim, inquit, fui in Spiritu. Et Paulus non audet dicere se raptum in corpore. Omnibus itaque publicè annunciandum est, quod qui talia, & his similia credit, fidem perdit: & qui fidem rectam in Domino non habet, hic non est eius, sed illius, in quem credit, id est, diaboli. Nam de Domino nostro scriptum est, Omnia per ipsum facta sunt, &c. Quisquis ergo aliquid credit posse fieri, aut aliquam creaturam in melius, aut in deterius immutari, aut transformari in aliam speciem, vel similitudinem, nisi ab ipso creatore, qui omnia fecit, & per quem omnia facta sunt, proculdubio infidelis est, & pagano deterior. Hactenus ille Canon. de cuius fide primùm ambigitur, an vlli Concilio acceptus referri debeat. Deinde quæ partes tam longæ orationis Canoni tribuendæ sint, cùm plura ab ijs insita probari possint, qui posteriores retulerunt. Sed quoniam Delrius analyticum commentarium in eum Canonem edidit, quo eundem ceu clauam Herculis aduersariorum manibus eripuit: idcirco labori parcens, quam breuissimè fieri poterit summam quandam responsionum eius lectori repræsentabo. Ad extremum, si quid aliter sensero quàm visum sit

A erudito viro, hoc quoque summatim in medium allaturus, & doctorum iudicio permissurus. Sed primùm quæ sit huius argumenti vis atque potentia consideremus.

Concilium, inquiunt, pronuntiat mulierculas delusas videri, & quia præstigijs fidem pertinaciter accommodent, à fide quoque desciuisse: quarum cœcitatem si qui præterea æmulentur, & quæ lamiæ referunt ea vera esse confidant, hos quoque desertæ fidei reos censeri. Vnde sequitur, vt quod flamma & ferro in sagis vlciscimur, error sit, & deceptio quædam humana, quam potentibus dolis architectatus est dæmon, digna potius misericordia quàm supplicio atque animaduersione calamitas. In quam quisquis inuehitur, & infelices cruciatu pœnisq; fatigat, cùm ea vera esse sibi persuadeat quæ striges prædicant, & aliena à fide Concilium decernit, haud dubiè hæretica labe se polluit. Ex quo subinde etiam colligunt, hic Canon quantum momenti habeat ad tuendam lamiarum innocentiam. Quinimò ne sit quidem capitalem sententiam vitare possent, cùm dæmonum ludificationibus pertinaciter adhæreant, & vera esse in animum inducant, quæ fraudem passæ experiri sibi visæ sunt. Nam eo nomine hæresis atque idololatriæ damnantur. Sed qui hoc aduersarij ignorare videntur quanto discrimine humanus error ab hæresi distinguatur, quæque sint & qualia, quæ in Sagis Ancyrana Synodus anathemate perculit, de quibus Canon iste complectitur quid sentiendum sit, Martini Delrij verbis exponam. — Vis argumenti exponitur. (B)

C Sensus est, inquit, *qui talia credit*, qualia hæ mulierculæ Dianianæ, de quibus Canon agit. Hoc autem quod sequitur, & his similia: non est referendum ad omnia quæ mulierculę istę credebant, sed ad quędam quæ credebant, & erant verè hęretica. Primò, aliquid esse numinis præter verum Deum. Secundò, quòd alteri quàm vni Deo diuinum honorem liceat exhibere. Tertiò, quòd talia suadens, aut ad talia hominem deuehens sit bonus Spiritus. Quartò, quòd nequeant eis talia contingere imaginariè, seu in solo Spiritu. Quintò, quòd possit vllus immediatè, præter solum Deum, subitò, vel sine rerum naturalium applicatione, speciem seu essentiam vllius creaturæ in aliam commutare: vel vera creatione aliquid producere. Nam hæc omnia eas credidisse partim expressè in Canone habetur: partim non improbabiliter ex eo colligitur. Ad hęc ergo talia & similia, hoc est hęretica, istud est referendum. Non potest autem referri ad cætera, in quibus decipiebantur quidem, non verò idcirco fidem perdebant. Verbi gratia, Primò, quod putabant de facto sibi hęc vigilantibus accidere. Nam hac in re delusæ tantum erant, non hęreticę. Secundò, quod putabant veris se bestijs vehi. Tertiò, veras bestias posse tam citò tam longa terrarum spatia traijcere, & per aërem volare, sine spiritualis intelligentię opera: qui sunt errores contra Philosophiam & rectam rationem, non contra fidem Catholicam. Quartò, quod opinabantur se conueni- — Delrius. — Quæ hæretica mulieres istæ crederent. — D — Quæ erronea.

re &

re & discurrere cum multitudine mulierum & hominum aliorum, partim viuorum, partim mortuorum, quæ tantum erat delusio, & non hæresis. Si verò credidissent se dæmonum opera posse corporaliter deferri, etiam per aërem valde celeriter, successiuè tamen, & congruo actiuitati dæmonis, & earum conditioni, tempore: id nec erat hæreticum, nec deceptio: sed dubia duntaxat quibusdam opinio, re autem vera probabilior; & tantùm non de fide sententia. Igitur quod ad hanc translationem attinet, non deciditur quid diabolus facere possit, sed quid de facto cum istis mulierculis egerit. Hactenus Delrius.

Quid sit quod ille Canō anathemate feriat.

Damnatæ sunt itaque mulieres istæ de hæresi atque idololatria, non quia intempesta nocte equitare se crederent, & plures in eundem locum concurrere, quod secundum quietem tantùm illis acciderat: sed quia Dianæ obsequi se crederent, cuius numen iam sopore discusso fide ac religione complecterentur. Sed neque in eos Canon animaduertit, qui peccasse eas, & supplicium meruisse assererent, siquidem eas anathemate ferijt, & Sacramentis, cœtúque Fidelium interdixit; aut qui sublimes à dæmone ferri posse contenderent, cùm Dominus ipse prior in excelsum montem seorsum delatus sit: sed si quis comprobator & æmulus similium studiorum earum superstitionem imitando consectatus esset, procul amandarunt ab Ecclesia, pariter cum hæreticis proscripserunt. Quod autem decernit errore deceptas, & insomnium fuisse quod vigilando expertas se crederent, ex circunstantijs facti colligi potuit, & iudiciali iure atque autoritate pronunciari: nihil tamen ad fidem sanciendam attinet quo pacto statuat quibusdam olim contigisse, cùm vterque modus cum fidei placitis bellè consentiat. Vnde tandem conijcio, non hunc fidei Canonem à Patribus præscriptum esse, qui nusquam extat in veteribus actis Ancyrani Concilij: sed hanc Patres iudiciariam sententiam tulisse cùm priuatim de mulierculis illis iudicarent. quo testimonio fretus? inquis. Communi omnium atque adeo publica fide. Nam Gratiani quidem fides vacillat, cùm in edendo autore titubet. Reliqui inter se non consentiunt: cùm alij quidem temerè Aquileiensi Synodo tribuunt, plures sancto Damaso ascribant, nonnulli sancto Augustino, quod non pauciores refellunt: ipsa verò Ancyranæ Synodi antiquiora exemplaria constanter respuant. Accedit quod posteriores, de quibus ambigitur, ea inseruisse videantur, cùm eundem canonem semper cumulationem exhibeant: quod Delrius ibidem manifestè ostendit.

Non Canonem fidei, sed iudicialem sent. videri.

Mens Pontificis in Præfat Decreti.

Gregorij verò Decimitertij præfatio, qua Decreti correctionem commendat, non eò spectat, vt Gratiani liber in Canonem referatur, de cuius autoritate veter absque delectu sententiarū in controuersia fidei disputare: sed ne cuiquam liceat decreto operi quicquam inserere, aut iuris Canonici regulam priuata autoritate mutare. Habuit præterea Populi Rom. rationem, cuius sumptibus in editione tanti operis parcere studuit. Quæ cùm ita sint, satis tutò negare posse videor, partem eius capituli mediam ad canonem vnquam pertinuisse: sed sententiam fuisse asserere, quam tum Patres in sontes tulerint: quam cùm nonnulli postea nacti essent, & putarent Canoni lucem afferre posse, haud satis prudenter eidem attexuerint. Nam reorum causas non rarò in Synodis diiudicatas fuisse Conciliorum acta testantur, quorum non solùm fides statera Ecclesiæ examinata est, sed alia quoque scelera testibus adhibitis è tenebris eruta, ac vindicata fuerunt. Quod si vnquam aliàs, tum præsertim hoc tempore Ancyræ factum arbitror, in qua vrbe cùm Sybilla Phrygia olim sua oracula ediderat, vt eadem testatur,

Ancyra quondam Sybillæ oraculis celebrata.

Responsis quondam celebrata est Ancyra nostris,
Concepto incalui quando animata Deo.

Tum hactenus haud tenues Hellenismi reliquiæ illibatum Ecclesiæ candorem inficiebāt. Quippe nonnullæ mulieres palàm iactabant se Dianam colere, & nocturnas cum ea choreas agitare, inque belluis volucribus vehi. Quæ res cùm in iudicium ad Patres delata esset, non hoc solum inuestigandum censuerunt, Iurene Dianam colerent, & fallax numen venerarentur? sed alter quoque causæ status apparuit, an reuera terras procul positas corpore obirent? an is cursus insomnium foret? Vnde sequitur, vt non iuris tantum quæstio fuerit, sed etiam facti, saltem quoad aliquam partem; cùm non solùm quæreretur, iure an iniuria fecissent: sed omnino quid fecissent. Idololatriam itaque & Magicas artes edito Canone proscripserunt, qui est eiusdem Concil. Can. 23. & 26. quæstion. 5. cap. 12. ad quem potuit hic quoque accedere, si partes extremas copules, medias amputes. Nam quæ Canonis mediam partem occupant, non ad iuris sed facti iudicium pertinent; cùm Synodus statuat non solùm mulieres in idololatriæ crimen incurrisse quæ Dianam colerent, sed præterea fraudem passas esse, tametsi aliàs à dæmone circumuehi potuissent. Quis enim Simonis Magi non meminit, qui è cœlo lapsus quod Roma inspectante petebat, oppidò vulneratus est? Quod si ne hæc quidem responsio cuipiam satisfacit, Petrum Anchoranum consulat, qui tractatu 9. Confutationis suæ *incredulitatis fortil. &c.* Complures doctissimorum virorum interpretationes atque in primis Arnaldi Albertini retulit. Nam quæ hactenus conati sumus, idcirco in medium attulimus, quod in exponendo hoc canone vulgarem Doctorum sensum sequeremur; tametsi haud sponte, quòd ab eo mens & sensus noster vtcunque abhorreat.

Multa sæpe Gratianum vnà copulasse, Correct. initio Decreti lectorem admonent.

De hoc Canone consule Petrū Anchoranum.

Verum enimuerò quid causæ est cur ita sensisse Patres arbitremur, mulierculas istas alto sopore defixas autore diabolo somniasse quæ dicerent, insomnes autem ac vigiles, eodem baiulo, corpore seu reipsa translatas non esse? Quoniam, inquis, phantasma & illusionem fuisse asserunt. quid si igitur reuera asportarentur, & corpore atque animo vigilarent, præstigijs & phantasmate à dæmone decipi

Alia à nobis Canonis interpretatio proponitur.

ET SAVL, &c.

non poterant? An negamus plura ab eo fingi poſſe, & varijs coloribus induci, qui ſenſibus illudant. Hoc igitur tantùm Canon ſtatuit, belluas illas in quibus veherentur, & Dianam cæteráque portenta quibus obſequi ſe crederent, non vera numina, ſed dæmones fuiſſe, qui tales formas induerent. Quæ quoniam vera non eſſent, phantaſmata vocat: hoc eſt inania ſpectra ſeu vanas imagines, tum etiam illuſiones, quòd per hæc in fraudem à dæmonibus inducerentur. Sed ne temerè in hanc ſententiam veniſſe videar, ipſum Canonem oculis denuò colluſtremus. *Illud etiam*, inquit, *non eſt omittendum, quod quædam ſceleratæ mulieres retro poſt ſatanam conuerſæ, dæmonum illuſionibus & phantaſmatibus ſeductæ, credunt, & profitentur ſe nocturnis horis cum Diana dea Paganorum, vel cum Herodiade, & innumera multitudine mulierum equitare ſuper quaſdam beſtias, & multarum terrarum ſpatia intempeſtæ noctis ſilentio pertranſire, eiúſque iuſſionibus velut dominæ obedire, & certis noctibus ad eius ſeruitium euocari.* Hæc ſunt quæ ſe expertas illæ mulieres prædicabant. Sed errore fallebantur: Ludificabat enim eas vana quædam ſpecies rerum, dæmonis arte conficta. Quæ illa? Vectio illa fortaſſis & curſus. tantiſper enim dum ſe peregrinari ſentiebant, in lectis ſtertebant.

Falſa numina, non vectiones Canō pronuntiat.

Non ea mens Patrum, non is ſcopus Canonis fuit: ſed quod falſa rerum imagine deluſæ, non dæmones, ſed Dianam aut Herodiadem, ceu deas Heráſue comitari, & ijſdem ancillari ſe crederent. Erant porrò ſimulacra mendacia quæ illis imponerent: quæ hactenus diabolus adhibet cùm in conuentu lamiarum diuinos prædo vſurpat honores. Quamobrem non excurſionem illam nocturnam, perinde vt fingunt interpretes, Canon falſam pronuntiat, ſed commentitij numinis cultum ac fidem. Diſces ex verbis ipſius contextúque ſermonis. *Sed vtinam hæ ſolæ in perfidia ſua periſſent, & non multos ſecum ad infidelitatis interitum pertraxiſſent. Nam innumera multitudo hac falſa opinione decepta, hæc vera eſſe credunt, & credendo à recta fide deuiant, & errore Paganorum inuoluuntur, cùm aliquid diuinitatis, aut numinis extra vnum Deum arbitrantur.* Viden quid in illis arguat, quid ſpeciatim ac diſertis verbis improbet? quod falſum numen aſtruãt, & portẽta Paganorum fide ac reuerentia complectantur. D Hunc tantum errorem cùm in mulierculis illis Canon vehemẽtius reprehendit, tum ne quis ijſdem fidem adhibens itidem circumueniatur, de fallacia dæmonũ populum iubet admoneri. *Quapropter Sacerdotes per eccleſias ſibi commiſſas populo Dei omni inſtantia prædicare debent, vt nouerint hæc omnino falſa eſſe.* Quæ illa? Magica ſcilicet numina Dianam & Herodiadem. *Et non à diuino*, qui nullus eſt præter vnum ſolum quem Chriſtiani colunt: *ſed à maligno Spiritu*, cui nomina mille, mille nocendi artes, *talia phantaſmata mentibus Infidelium irrogari. Siquidem ipſe Satanas, qui transfigurat ſe in Angelum lucis, cùm mentem cuiuſcunque* (pro *cuiuſuis*, inquit Delrius, vel *alicuius*: quod pacto non crediderim loquutum A B. Damaſum, ſed Burchard. aut Iuonem.) *mulierculæ ceperit, & hanc ſibi per infidelitatem ſubiugauerit, dico transformat ſe in diuerſarum ſpecies perſonarum atque ſimilitudines: & mentem, quam captiuam tenet, inſomnijs deludens*, (ſic ſpectra illa atque phantaſmata dicere placuit, quæ ſomniorum inſtar illudunt & euaneſcunt.) *modò læta, modò triſtia, modò cognitas perſonas oſtendens, per deuia quæque deducit: & cùm ſolus ſpiritus hoc patitur*, (hoc eſt, ſolus dæmon tam varium ac multiplex ſχῆμα induat) *infidelis mens*, quæ diaboli machinas & dolos ignorat, *hæc non in animo*, in ſpiritu, quod idem eſt: hoc eſt experte molis eſſentia: quomodo dudum quidam ſcripſit, Si Deus eſt animus: *ſed in corpore euenire opinatur.* Vtraque dictio modum aut ſubiectam materiam ſignificat. Ac ſi diceret, infidelis mens, quæ miratur, cùm dæmon ad ſpeciem duntaxat præ ſe ferat, ea vera eſſe putat, ſéque deorum vultus ac facies intueri. Aut ſic, quæ phantaſticè & ſpiritualiter mulierculaB rum oculis obuerſantur, perſuaſum habent in corpore ſeu reipſa exhiberi. *Quis enim non in ſomnijs, & nocturnis viſionibus extra ſe educitur, & multa videt dormiendo, quæ nunquam viderat vigilando? Quis verò tam ſtultus & hebes ſit, qui hæc omnia quæ in ſolo Spiritu fiunt*, hoc eſt ſpecie tenus apparent, *etiam in corpore accidere, ſeu rebus ipſis peragi arbitretur?* Confirmat ſententiam à ſimili, & geminam muliercularum defenſionem diſſoluit. Dicebant enim, primùm ſe multa in comitatu Dianæ experiri, de quibus nunquam antea cogitaſſent. Secundò cùm Deam per ſe ſtare ac moC ueri cernerent, fieri non poſſe vt tam mira ſpectacula non veritate aliqua niterentur. Veruntamen ſomniantibus, inquit, naturæ vi ſimilia vſu venire ſolent, aut etiam fraude dæmonis obrepere, neque tamen quiſquam eſt tam tardo atque hebeti ingenio, qui ea quæ in ſomnis ſibi videre viſus ſit, conſtare ſibi ac vera eſſe exiſtimet. Non poterit igitur ne illorum quidem veritas ex ſimilibus argumentis colligi. *Cùm Ezechiel propheta viſiones Domini in Spiritu, non in corpore vidit? Et Ioannes Apoſtolus Apocalypſis Sacramentum in Spiritu, non in corpore vidit, & audiuit, ſicut ipſe dicit? Statim*, inquit, *fui in Spiritu.* Hæc duo exempla dictis fidem conciliant, & oſtendunt manifeſtè voces illas *in Spiritu, non in corpore*, non ad D videntes, ſed ad res obiectas debere referri. Neuter enim ſomnians rerum futurarum ſimulacra ſibi videre viſus eſt, ſed corporeis oculis vſurpauit: non illa quidem in corpore, ſed ſpiritu, vt puta non vera animalia vterque ſpectauit, rotas, candelabra, thronos, ſed harum rerum imagines in nubibus aut vicino aëre Angelorum penicillo depictas. Sequitur: *Et Paulus non audet dicere ſe raptum in corpore.* Quorſum iſtud? aut quò ſpectat? Ne mulierculæ cum corpore ſe raptas aſſeuerent. Dubitauit tamen Apoſtolus, nec auſus eſt negare; quoniam fieri potuiſſe duxit. Qua fronte ergo negemus? Sed nec illud verum eſt ignoraſſe Apoſtolum, an ſimul cum corpore cœlo illatus eſſet. Nouerat enim corpus ſuum in hoſpitio

Illuſio obiecta, nõ corpus falſum repræſentans, cùm ſint ipſa quidem numina nulla, dæmones verò incorporei.

Arbitramur Ezechielem & Ioã. verè vidiſſe, tametſi non vera, ſed verorũ imagines.

2. ad Cor. 12.

ET SAVL, &c.

Et Savl, &c.

spitio triduum illud perdurasse. Sed aliud quiddam explorare liquidò non potuit, quod nec ego quidem assequor. Illud porrò quicquid sit, quamobrem huc referatur non satis intelligo. Hoc solum spondeo atque polliceor ex verbis Apostoli nihil huic nostræ interpretationi contrarium elici posse. Quod nec autores Canonis voluisse certum est, si sibi constent, nec velint telam retexere. Quamobrem mox ita concludunt: *Omnibus itaque publicè annuntiandum est, quod qui talia, & his similia credit, fidem perdit.* Quæ talia? quæ similia? Siste gradum, statim audies. *Et qui fidem rectam in Domino non habet, hic non est eius, sed illius*, aures arrige, *in quem credit, id est, diaboli. Nam de Domino nostro scriptum est, Omnia per ipsum facta sunt, &c.* Sequitur ad extremum sanctio, quæ huic nostræ interpretationi plurimùm fauet. *Quisquis ergo aliquid credit posse fieri, aut aliquam creaturam in melius, aut in deterius immutari, aut transformari in aliam speciem*, (sua vi aut potentia, non adhibitis naturalibus remedijs: alioquin enim & Magorum virgæ inspectante Pharaone in serpentes mutatæ sunt, & aqua in sanguinem versa, ranæque ab ijsdem excitatæ.) *vel similitudinem, nisi ab ipso creatore, qui omnia fecit, & per quem omnia facta sunt, proculdubio infidelis est, & pagano deterior.* Qua fronte igitur Lamias, quæ hoc credunt, & eo nomine fidem diabolo obligant, criminis absoluimus? Videte ne fortè vestro periculo ac damno seductoris ac carnificis vestri male consulti patroni esse velitis.

Sententiæ nostræ fauet ipsa conclusio.

Quinti ac Sexti argument. confutatio.

Postquam ille nobis aduersariorum Achilles superatus est, & Canon *Episcopi* ita demum expositus, vt nec tenuissimus scrupulus resideret qui non ex eorum animis auelleretur, futurum sperabamus vt victi conticescerent, nec vltrà nobis negotium facesserent. Verùm opinione plurimum decepti sumus. Siquidem idem nobis Canon aduersariorum contumacia denuò molestiam exhibet. Nam aliquando saltem diabolicis artibus sagas decipi ipsius autoritate compertum est: quod cùm accidit, verisimile non est iudices humanis rationibus deprehendere posse. Quod si non assequantur, nec deprehendant, qua fiducia seu potius conscientia in eas animaduertent, quas dubitant debeantne in reas iure referri? Nam si deceptæ sint, videntur non sine graui iniuria in eas exemplum edituri. Hinc mihi geminus labor exoritur. Negatur enim primo loco, delusas ab ijs, quæ fraudem passæ non sint, iudicis solertia inuestigari posse. Negatur secundo loco, si quibus dæmon imposuerit, absque sceleris conscientia supplicio addici posse. Vtrumque nobis refellendum est, & aduersariorum temeritas breuiter obiurganda, quandoquidem eandem copiosè Delrius lib. 5. sect. 16. castigauit.

Et Savl abstvlit &c.

A

Iudices Lamiarum crimen, quantum satis sit ad ferendam sententiam, humano ingenio explorare posse.

QVÆSTIO CIX.

Certum est enim si quis mentis compos habeatur, nec alioqui testes & indicia reum destituant, à confessione eius iudicem stare oportere. Veruntamen, inquies, negat S. Abogardus in hoc crimine reo tutò credi posse. Referam quid de ea re senserit. Non enim arbitror Delrium S. Abogardi opusculum illud legisse, siquidem Posseuino credimus, ann.
B 1603. Disquisit. Magicas Moguntiæ ab eo postremò editas, quo tempore S. Abogardus necdum è tenebris eruperat. Ante hos paucos annos, inquit, disseminata est quædam stultitia, cùm esset mortalitas boum, vt dicerent Grimaldum Ducem Beneuentorum transmisisse homines cum pulueribus, quos spargerent per campos & montes, prata, & fontes, eo quod esset inimicus Christianissimo Imperatori Carolo, & de ipso sparso puluere mori boues: propter quam causam multos comprehensos audiuimus, & vidimus & aliquos occisos, plerosque autem affixos tabulis in flumen proiectos, atque necatos: & quod mirum valdè est, comprehensi ipsi, aduersus se dicebant testimonium, habere se talem puluerem: & spar-
C gere. Ita namque diabolus occulto & iusto Dei iudicio, accepta in illos potestate, tantum eis succedere (fortè suggerere) valebat, vt ipsi sibi essent testes fallaces ad mortem, & neque disciplina, neque tortura, neque ipsa mors deterrebat illos, vt aduersum semetipsos falsum dicere non auderent. Hoc ita ab omnibus credebatur, vt penè pauci essent quibus absurdissimum videretur. Nec rationabiliter pensabant vnde fieri posset talis puluis, de quo soli boues morerentur, non cætera animalia: aut quomodo tantus portari posset per tam latissimas regiones, quas super spargere pulueribus homines non possunt, nec si Beneuentani viri & fœminæ, senes, & iuuenes, cum terreis carris, puluere carricatis egressi de re-
gione fuissent. Tanta iam stultitia oppressit
D miserum Mundum; vt nũc, sic absurdè res credantur à Christianis, quales nunquam antea ad credendum poterat, quisquam suadere Paganis creatorem omnium ignorantibus. Hactenus S. Abogardus. Qui non idcirco suorum temporum errori succenset & irascitur, quod dæmones crederet humano generi nocere non posse, aut ad maleficium perditorum hominum opera abuti: sed quod nocendi vis quæ tum boues tolleret, cùm à populo, tum Magis ipsis leui puluisculo tribueretur, fidemque facerent; cùm tamen ea lues longius latiusq; serperet quàm vt à sparso puluere manare posset. Hoc itaque Sancto dolet, quod cùm ea calamitas autore Deo populum perculerit, quò à studio flagitiorum ad officij ac pietatis cultum re-

S. Agobard. contra insulsam vulgi opinionem de grandine.

Historia.

Agobardus exponitur.

ET SAVL ABSTVLIT &c.

uocaretur, dæmonis arte atque fallacia pulueri sceleratisque homuncionibus ascribatur; quo vindictæ potius studeant, quàm vt eosdem scelerum seriò pœniteat. Noluit tamen maleficos, quos Scriptura condemnat, insontes asserere. In quos, si ritè confessi fuerint, inquit Delrius lib. 5. sect. 11. non aliud iudicis officiũ est, quàm condemnandi. iuxta illud Christi Domini; *Ex ore tuo te iudico.* & illud Iurisconsulti, *Confessus pro iudicato est.* quia quodammodo sua sententia damnatur. Intellige si confessio sit clara, certa, verisimilis, constans, & legitima. Nam ex tali confessione indicijs fulta, quæ ad torturam per se sufficerent, reum damnari posse, non est dubitandum, vt meritò censuit post alios Daniel Mollerus *part. 4. Constitut. Saxonicar. sect. 2. num. 13.* & hoc in terminis de crimine & confessione Strigum accuratè probat Arnald. Albertin. *de agnosc. assertion. haret. quæst. 25.* quem lege si lubet. Quod si dubia & obscura confessio foret, interpretanda erit in fauorem confitentis, nec satis idonea ad iudicandum haberi poterit. quæ pluribus ibidem Delrius explicat.

Confessis credi oportere, si nihil aliud impediat.

Deinde, tres Canones indagatorios, quibus maleficiorum veritas inuestigari possit, tradidit S. Augustinus de Ciuitate Dei lib. 18. c. 18. quos ex eodem collegit Sebastianus Michaelius in sua Pneumalogia, & repetit Delrius Disq. Mag. lib. 5. sect. 16. Horum Primus est, *Quæ fateantur striges, an re atque exitu præstiterint, primum constare oportere.* Cædem fatentur. Exploremus sedulò, an qui cæsus ab ijs fertur, reuera tum perierit. Nam Iphigeniam idcirco negat S. Augustinus mactatam, aut in feram mutatam fuisse, quòd alibi postea viuens reperta sit. Altera regula est, *Spectandum esse, an quæ afferant, ea dæmon efficere possit.* Nam si vires eius opus superet, fucum fecisse credendus est. Quo argumento negat S. Augustinus Diomedis socios in aues mutatos fuisse. Non fuit ea vera metamorphosis sed illusio. Non enim miracula diabolus edit, quam gratiam Deus cum solis bonis Angelis communicat. Ita docet S. Thomas 1. *part. quæst.* 114. *art.* 1. *ad* 2.

Canones indagatorij, quibus maleficia eruantur. 1. 2.

3. Tertiam regulam S. Augustinus petit *ex multitudine testium, & conformi similitudine narrationum:* quia vniuersorum vnanimis vbique consensus excludit omnem deceptionis aut somnij suspicionem. Cùm itaque striges, inquit Delrius, idem quod dicunt in Hispania, dicant in Italia; & quod in Germania, totidem factis & verbis referant in Gallia; & quod vno anno, id alio semper iam ab annis plusquam octoginta continuis in equuleo, & extra quæstiones liberè profiteantur: idque tam appositè, vt mulierculæ & pueri literarum alioquin rudes, videantur legisse, intellexisse, & memoriæ mandasse, quæcunque viri docti de his rebus scripto per Europam totam varijs linguis tradiderunt: Nonne hic consensus vniuersalis plus satis conuincit, non in somnis ijsdem hæc accidisse? Legendus Delrius, qui hæc singula probat accuratè, quique tribus his quartum præterea canonem examinatoriũ addidit.

4. Quarta regula, inquit, & certissima videtur, *casu occurrente circumstantias omnes diligentissimè debere perpendi:* Nam hinc clarè dignoscetur, an circa factum confitens fuerit delusus. Quippe in re adeò occulta & arduæ probationis, non est moderati aut sensati hominis demonstrationes exigere, vel probationes luce meridiana clariores: tum quia dicenti esse delusum confitentem, incumbit probatio, non verò neganti; quia hic pro se habet præsumptionem: tum quia in similibus, nempe exceptis criminibus, hoc receptum est à saniore Iurisprudentium parte, vt admittantur probationes aliàs minus sufficientes. V. g. infamiam, & complicum depositiones & testimonia, &c.

ET SAVL, &c. Circumstãtiæ omnes expendendæ.

Prima itaque circumstantia occurrit, *Quis.* Hoc est, si ætas doli capax, si mente constet, si facti aut scientiæ suæ non improbabiles det rationes. Sequitur altera *Quid.* Fueritne in diaboli potestate vt per se vel per sagas efficeret, quod illæ de se prædicant: cuius rei iudicium penes Theologos esse debet. An extent vlla patrati sceleris indicia, quæ Maleficæ confessioni fidem faciant. Vt si tactu se necasse confessa sit, & absque ratione præter consuetudinem tetigisse visa sit. Si cùm mors immatura quemquam oppresserit, eo loco Magicum philacterium inuentum sit, in quem se defodisse constanter asseueret. *Cur.* Quære & quamobrem pactum videri possit cum dæmone iniri voluisse. Si contumeliam non ferens, si pertæsa inopiæ, si incensa libidine, si ira percita, si vindictæ appetens, si noscendi studio, si tædio vitæ, aut desperatione rerum meliorum: Nam his sæpè rationibus impulsi homines ne saluti quidem æternæ parcunt; cuius sicut nullum sensum habent, ita nec rationem habendam censent. quarta peristasis *Quomodo* modum explicat. Sed illæ modum, quem plerunque ignorant, explicare non possunt. Satis erit si sua instrumenta pulueres, vnguenta, buffones, philacteria prodiderint, quibus ad maleficium abutuntur. Quæ si ad facinus quod patrarunt, iudicentur inutilia, intelliges signi tantùm ac tesseræ, non causæ loco fuisse: dæmonem ipsum motu locali, aut venenis à natura datis, perniciem attulisse. Latent quippe non rarò Satanæ stratagemata, tametsi non alias quàm naturæ vires adhibeat. Quinta, *Quibus auxilijs,* hoc est conscijs, complicibus, & eiusdem sceleris administris: Neque enim verisimile est plures pariter decipi potuisse, ita vt se deceptam nulla comperisset. Sexta est *Vbi,* quæ locũ designat, quem iuuabit obseruasse, si plures in eundem se conuenisse indicent. Temporis quoque propter eandem rationem habenda ratio est; quoniam hoc pacto maximè à conscijs conuinci possunt, & à domesticis aut vicinis, si tum abfuerint, deprehendi. Et hæc vltima numeratur, quam dicunt *Quando*: quæ cùm ad cæteras accesserit, ad inuestigationem veri non parum momenti conferet.

Quis. *Quid.* *Cur.* *Quomodo* *Quibus auxilijs.*

Sed de criminis quæstione hactenus, quod satis liquere arbitror, si sceleris instrumenta pateant, & letum datum constet, aut pauperiem factam; conscij prodant, testes vrgeant, malefica fateatur. Si tamen, inquis, præstigijs delusa

ET SAVL ABSTVLIT, &c.

delusa fuerit, & secundum quietem fraudem passa, peribit innocens, & iudex apud Deum cædis reus habebitur. Perscrutemur itaque,

---

An si fortè strigibus dæmon imposuerit, & fucum fecerit, immunes à culpa censeri debeant?

QVÆSTIO CX.

HAud dubium est quin Striges dæmō multifariàm ludere possit. Nam quæ de nefarijs earum mysterijs narrantur, ea omnia dæmon ijsdem in somnis obijcere potest, vt se pariter cum cæteris, quod vocant Sabbathum, celebrasse putent, negasse fidem, infanda multa perpetrasse. Quæ vt fierent, si neque prius vigiles quicquam moliti sunt, neque deinceps consensum accommodent, quin potius ab his flagitijs vehementius abhorreant, non videntur qui eiusmodi sunt vllius maleficij reæ posse citari.

Quæ secūdum quietē delusæ sūt, si prius aut postea cōsenserint, insontes haberi non poterunt.

Sin autem postquam hæc omnia in quiete per visum acceperint, experrectæ iam atque excitatæ ijsdem fidem habent, in his acquiescunt, errorémq; suum ex animo complectuntur (quod accidisse ijs autumant in quas Ancyranum Concilium animaduertit quicunque eiusdem Concilij autoritatem sequuntur) insontes eas habere non possunt. Vt enim nihil præterea maleficij commiserint, attamen fidem negarunt, & cum infensissimo diuini numinis hoste societatem coïerunt: cuius contumelia si vllum nobis dolorem inurit, illæ à nobis tollēdæ sunt. Tollendus igitur esset, inquis, quisquis se letali scelere astringit. Nam is quoque Deum à se ablegat, & ab eo deficit, & sicut Scriptura loquitur, *fœdus init cum morte, & cum inferno pactum facit.* Respondeo, tametsi quis diuinæ legis imperium detrectat, aut partem eius aliquam violat, quouis supplicio dignus haberi debeat, donec tamen Deum agnoscit & in fide perseuerat, tantisper nos decet in plerisque eiusdem pœnitentiæ præstolari. at si quis veri Numinis reuerentiam ac fidem prorsus ex animo exuerit, quid moramur? aut quorsum nefarium hominem ampliamus? vsquedum ad plures serpat mali contagio? Non est, mihi credite, segniter & remissè vindicanda diuini Numinis iniuria.

Quæ vigiles fraudem passæ sunt quādo puniendæ.

Quod si non ea in somnis sibi videre visæ sunt, sed cùm vigiles excubarent, domi forisúe spectris ac falsis imaginibus delusæ sunt, sic tamen vt ijs quæ contra fidem proponerentur credendum ducerent, & imperatis apud se statuerent morem esse gerendum, idque signo aut verbo aliquo significarent, non video quo pacto criminis absolui possint. Hæresis enim atque apostasiæ manifestè reæ tenentur. Quæ etiam tum se prodit, cùm ea dæmoni, quæ vires eius superant, pollicenti assentiuntur. Vt si excitaturum se quemquam à morte spondeat, aut vim cuiusquam voluntati à se allatum iri polliceatur. Quod si ad eam perfidiæ professionem accedat quoque Magicorum instrumentorum tractatio, si carmen insusurrent, si vnguento oblinant, si puluere aspergant, si phyltro potent, si maleficij signum clàm defodiant, nulla iam arte defendi poterunt. Quidni, inquis: Neq; enim hæc quæ saga adhibet, damni accepti causæ sunt, aut maturatæ necis, sed inania quædam signa, quæ suapte natura nullam vim habent; dæmon verò ipse maleficium perficit. Non decet autem dæmonum facinus hominum pœnis lui. Hoc si verum est, quid causæ erit cur non liberes Pharaonem culpa? non ipse Hebræorum filios flumine mersit, sed ab alijs proiectos Nilus absorbuit. Quid Saul? num ipse arrepto ferro Sacerdotes mactauit? neuter cædem fecit, sed imperauit. Quid Dauid? epistolam scripsit. Quid Absalom? signum sustulit. vterque tamen homicidij reus peractus est. Quid Balaam? quid verò Architophel? vterque consilium dedit, & perijt. Sed quid Iudas? Argentum accepit, osculo dominum prodidit: ferrum autem neque strinxit, neque dominum suffixit cruci, & tamen infami leti genere ipse sibi statim, quam meruerat, mortem consciuit. Esto igitur, non valeant striges adhibitis signis cuiquam vitam eripere, conantur tamen quantum possunt, nec dæmonem cædis autorem parem iuuant: qui cùm propria autoritate perdere quemquam non sinatur, attamen humanæ libidini seruit & obsequitur. Siquidem diuinæ prouidentiæ æquum visum est, vt qui impios decepturi essent, & ab ijsdem olim pœnas tanquam mercedem exacturi, hoc interim spacio nonnullis eorum cupiditatibus morem gererent. Neque verò simplex conatus videri potest, cùm agant ex conuento pacta vtrinque mercede, & non modò striges scelus probent, sed etiam pro virili sua impensius promoueāt: tametsi non quo modo putant ipsæ noceant, inutilia multa subministrando: sed flagitium suo nomini ascribendo, quod dæmonis opera perficiunt. Falluntur igitur opinione quidem, & à diabolo striges in errorem inducuntur: sed is error eiusmodi est, vt culpam exaggeret potius quàm eleuet. Accedit enim ad sceleris magnitudinem, ex societate criminis arctior quædam cum dæmone coniunctio, cuius vi ac ministerio abutuntur. In suscipiendo autem scelere nequaquam falluntur. Nam quod ille agit, hoc consequi student, & effectum volunt. Si quis autem cùm mucronis acie punctim ferire vellet, ensis capulo caput eliserit, num propterea iudicij laqueos euadet? Quid si cùm pirata nauem mergere vellet, tormentorum vi ignea flammam corripuit & incensa est?

Non decipiūtur Striges in scelere suscipiendo.

Diabolicas artes plures distinguam, quibus sagis imponi solet; quò facilius imperiti iudicent, an earum aliqua ab illis excusationis loco prætexi possit. Illudit itaque dæmon nonnunquam internis sensibus; sic vt vana quædam species animum pulset, reuera autem nihil horum fiat, quæ fieri videntur. Ita plerunque in somnis accidit. sed & hoc non rarò qui phrenesi, aut atra bile plus æquo laborant, experiuntur. φαντασίας Græci dicere videntur, quam Plutarchus in Placitis Philosophorum, de sen-

Artes variæ quibus dæmon Strigibus illudit.

φάντασμα siue visum.

Et Savl abstvlit, &c.

tentia Chrysippi definit ad hunc modum. Φαντασία, inquit, est affectio in animo, quæ & sese efficiens ipsam ostendit. Ciceroni visum est: Quintiliano visio. Huius opus φάντασμα est, ad quod animus attrahitur specie illa inani & huius motu, cùm videre sentiréque sibi aliquid videtur, quod reipsa nihil est. De quo Orestis soror apud Euripidem,

Οὐδὲν γὰρ ὁρᾷς, ὧν δοκεῖς σάφ' εἰδέναι.

Quæ scire planè credis, horum nihil est.

Solent igitur hoc quoque modo Sagæ nonnunquam à dæmone decipi, vt in frequenti aliarum cœtu se versari putent, & diuinum numen pariter vexare contumelijs, atque adeò cum dæmone commisceri, cuius sceleris sola imago sensibus internis obuersatur: cùm interim neque loco motæ sint, neque complexu cohæreant. Quod cùm accidit, annon videri debent miseratione potius quàm supplicio dignæ? Iam diximus si hæc ludibria dæmonum inuitæ patiantur, accusari non posse. Sin verò ea probent, in his acquiescant, & quo eadem experiantur, vsurpent quæ dæmon instituit, hæresis atque apostasiæ excusari non posse.

Aliàs dæmon lamias ita circumuenit, vt reuera quidem fiat quod se facere opinantur, sed à dæmone fiat, nō ab illis, quibus eam vim conferre non potest. Sic enim falsò credunt se procellas excitasse, aut agris vastitatem intulisse, quod nequaquam potuerunt: sed omnis conatus eorum eò spectat, vt institutum à dæmone signum attollant: quo sublato, nisi diuinitus prohibeatur, tanquam ex cōdicto præsto adest, & in scelus irruit. Cuius non possunt illæ videri immunes, cùm sint illius etsi non artifices, at certè consciæ, & ex pacto consortes.

Non rarò verò easdem per se ad maleficia adhibet: quo tempore etiam variè ijsdem illudit. Nam quod stigi obijcitur, & in quod furibunda inuadit, ita nonnunquam externa specie immutat, vt ab ipsa quale sit agnosci non possit. Nouit enim dæmon etiam homines varias animalium formas induere, quibus illæ præstigijs delusæ ad sæuiendum alliciantur. Sic Panthea Regem Thebarum mater, sic matrem Oeneus: cùm alter quidem hircus, altera vrsa videretur, thyrso teloque perdere conati sunt. Meminit & fœminæ Palladius in Lausiaca, quæ iumenti speciem præ se ferens olim S. Machario sistitur. Quid si hanc fraudem passa filium saga deuorarit, aut alium quemlibet iugularit: Respondeo, ne sic quidem criminis absolui posse, cùm se dæmonis fidei permiserit, passura quicquid liberet. Deinde nihil eorum quæ nequiter admiserint, easdem postea pœnitet, quin potius assensu suo comprobant. Ex pacto vtique scelus ratum habent. Non est autem credendus dæmon, cùm ita decipit, rerum formas vera metamorphosi variare: Sed medium aërem colore inficit, aut circumuestit hominē factitio schemate, tyrannorum instar, qui Martyres insutos ferarum pellibus lacerandos canibus obijciebant.

Grauius peccant, cū solus sensus illuditur.

Iudicandi minor difficultas cùm solus sensus illuditur, norunt autem aliunde quod obtruditur figmētum esse. Neque enim plerasque striges latet dæmonem nulla corporis mole constare: & tamen easdem cum illo congredi iuuat, & corporis simulacrum amplecti. Nam manifestè eo grauius peccant, quò à natura longius abscedunt, & in peregrina venere atque aliena bacchantur.

Est vbi plus hæreas, cùm opinione pariter & sensu falluntur, vti quæ dæmonem eo habitu esse credunt, quo se videndum exhibet: quibus cùm præstanti forma appareat, & terræ ac maris Imperium obtinere se prædicet, idque cōfictis in speciem miraculis probare videatur, terreat autem minacibus prodigijs, eò inducūtur, vt datam Deo fidem violent, eidem spondeant: videtur enim tum humanæ cæcitati clementer indulgendum, cùm falsa numinis imagine captæ sint, dum non valent falsum à vero secernere. Nam quæ maleficia deinde peregerint, ex eadem scaturigine manant, dum æquum censent eius quem dominum confessi sint, iussis obtemperare. Verùm ne hic quidem dolus purgare eas de crimine poterit. Nam primò quidem fidem malè rescindunt. Deinde complura scelera, quæ lex vetat, perperam admittunt. Gnosticos tantùm abest vt hæresis liberarit à culpa, cùm ex eius instituto infantes mactarent & comederent, & in promiscua venere identidem volutarentur, vt eò grauiori se scelere obstringerent, quò pertinacius hæc impietatis portenta specie religionis tuerentur. Paulina Saturnini, vt est apud Iosephum Antiquit. Iudaic. lib. 18. cap. 4. cùm Isaicorum delinita fallacijs, Anubi Deo gratificari studens, Decio Mundo obsequuta esset apud Romanos adulterium impune tulit, quòd dij Gentium haudquaquam libidinis expertes haberentur, celebrantibus poetis eorundem raptus & venereos furores: at nunc postquam Euangelij luce ea caligo discussa est, & constat nullum numen mulieris amore capi, decipi nefas est. Quæ autem decipitur, quo pacto culpam excuset, cùm fidem abdicet vt errori consentiat, & sponte Deo contumeliam irroget?

Ne tū quidem cum sensu pariter atque opinione falluntur, excusatione dignæ sūt.

Iosephus.

Postremò, quod rarum est, ita quandoque nōnullarum mentes falsis opinionibus imbuit, vt de diabolo non secus ac de numine sentiant. Tametsi enim nullo eas spectaculo in sui admirationem rapiat, suadet tamen se posse omnia, nec esse quicquam quod eum prætereat, beatitatem autem quibus velit tandem largiturum esse. Hoc interim spacio asperioribus edictis suarum periclitari fidem: quam si constanter his muneribus obeundis approbent quæ à diuina Christianorum lege abhorreant, & eosdem quibus possunt modis vlciscantur, manere eas laborum præmia, & paribus cum eo bonis tandem frituras. Qua spe allectæ, confidenter in omne facinus ruunt, & sacrilegio atque impietate plurimùm delectantur. quæ maleficia si quis ludum putat, & Christum fabulam, his censeo clementer indulgeat.

Sed nunc denique Maleficijs valere iussis, ad Beneficos transeamus, & quæramus,

An

Et Savl abstulit &c.

An qui magicas artes ad commodum delectationémue conferunt, ne cuiquam nocere student, hi quoque supplicio digni sint?

QVÆSTIO CXI.

Beneficorum duplex genus. Aut enim rerum abditarum scientiam profitentur, aut eas artes, quibus cùm corporis tum animi dotes augeantur, morbiúe pellantur. Verùm de diuinatione postea. Nunc de Magia, quæ beneficentiam præ se ferre videtur, primo loco disseramus. Ea, si finem spectes, quadruplex distinguenda erit. Nam aut foris iuuat, vt cùm imminentes procellas auertit, imbrésue ciet, aut à gregibus luem detestatur, aut proximè ad corporis valetudinem virésque firmandas opis aliquid & præsidij confert: aut sanè mentes scientiarum luce collustrat: Vel denique, quod soli Deo concessum est, delictorum veniam indulget, & scelerum maculas abstergit.

Magia, quæ benefica fingitur, quadruplex.

De vtraque priori specie sceleratus Agrippa in epist. ad lectorem. Fateor, inquit, Magiam ipsam multa superuacua, & ad ostentationem curiosa docere prodigia, Simul hæc vt vana relinquite, causas tamen illorum ne ignorate. Quæ verò ad hominum vtilitatem, ad auertendos malos euentus, ad destruendum maleficia, ad curandos morbos, ad exterminanda phantasmata, ad conseruandam vitæ, honoris, fortunæ dexteritatem, sine Dei offensa, sine religionis iniuria fieri possunt: quis illa non tam vtilia censeat, quàm etiam necessaria? Hæc Magi sententia. Quam miror edicto prius Constantinum confirmasse: seu rudis eatenus religionis habendus fit, quod nonnullis placet: seu lentus Numinis iniuriæ vindex, quam dissimulanter ferre potuit, si quid hominibus prodesset. *Nullis verò, inquit, criminationibus implicanda sunt remedia humanis quæsita corporibus, aut in agrestibus locis innocenter adhibita suffragia, ne maturis vindemijs metuerentur imbres, aut ventis grandinisque lapidatione quaterentur: quibus non cuiusquam salus aut æstimatio læderetur, sed quorum proficerent actus, ne diuina munera & labores hominum sternerentur.* Hacten. Imperator. Quibus addit S. Agobardus olim etiam Tempestarios à plerisque Gallorum stipendio donatos fuisse, quo pestem ab eorum frugibus auerruncarent. *In plerisque locis, inquit, sunt homines miserrimi, qui dicant se non equidem nosse immittere tempestates, sed nosse tamen defendere à tempestate habitatores loci; habent statutum quantum de frugibus suis donent*, & appellant hoc *Canonicum.* Multi verò sunt qui sponte Sacerdotibus decimam nunquam donant, viduis & orphanis, cæterisque indigentibus eleemosynas non tribuunt, quæ illis frequenter prædicantur, crebrò leguntur, subinde ad hæc exhortantur & non adquiescunt: *Canonicum* autem quem dicunt, suis defensoribus, à quibus se defendi credunt à tempestate, nullo prædicante, nullo

Corn. Agr. De occulta Philosoph.

Nonnulli magos probant si non noceant.

Cod. lib. 9. Tit. 18 de Maleficis & Mathem. lib. 4.

S. Agobard. in lib. contra insulsam vulgi opinionem de grandine.

Mercede olim conducti qui tempestates arcerét.

admonente vel exhortante sponte persoluunt, diabolo illiciente. Denique in talibus ex parte magnam spem habent vitæ suæ, quasi per illos viuant.] Et hæc quidem tum illi cùm à dæmone in fraudem inducti, eiusdem præstigijs fidem adhiberent. Quod si nosse cupias quid de his idem Sanctus senserit, & quàm grauiter & tetricè cum ætatis suæ hominibus iniuriam hanc expostulet, accipe paucis eius sententiam. *Hoc non est*, inquit, *portio, sed ferè plenitudo infidelitatis*, etsi diligenter consideramus, absque ambiguo pronuntiabimus id plenitudinem esse infidelitatis. Hactenus S. Agobard.

Scelus infidelitatis vocat Agob. si quis Magi beneficio vtatur.

Cur enim non liceat, inquies, dæmonis tanquam serui nequam opera vti ad vitæ commoditatem iucunditatemque parãdam? Quoniam haud aliter possis quàm prece vel imperio. Dæmonibus porrò Deus imperat, cuius vt essent beneficio adepti sunt; & rari præterea, quibus ob singularem virtutis præstantiam tantum posse Deus indulsit: reliqui, si quid ab eis consequi cupiant, id precibus impetrent necesse est: neque enim humanæ potestati obnoxios passim legimus. Quod cùm sit, non ita cuiusquam gratia moueri intelligendi sunt tanquam ad bene promerendum allici possint, sed tum captant illecebris homines, & falsa voluptate deliniunt, quò sese in laqueos induant. Itaque primùm hominem diuino nudare præsidio student, & violata fide omnes ad Deum additus eidem intercludere. Deinde eos honores, qui vero Numini debentur, ascribi sibi imperant, & paribus sacrificijs ac religione coli. Testis Agrippa, De vanitate Scientiarum cap. de Goëtia & Necromantia. Et Inuocationes quidem quales esse debeant, docet lib. 1 de occult. Philosophia cap. 71. De Sacrificijs disserit lib. 3. cap. 60. & 61. Vnius tantùm formulæ solennia verba referam, quam veteribus tribuens iuniores docet, vt idem scelerum artifex astutè monet in operis totius conclusione. *Ego seruitor tuus hæc tibi offero* & sacrifico, autorem sanctitatis te confiteor, & ad sacrificandum inuoco hanc oblationem, vt infundas sibi virtutem spiritus tui alti ac honorati, vt per eam obtineamus quod petimus. Cæterùm verò sicut res ista præsens oblatione mea, tua efficitur, ita vt de cætero tibi viuat & moriatur, ita & ego tuus efficiar, qui per hanc oblationem & communionem, per hoc quod ad offerendum & sacrificandum tibi venio, de familia & cultoribus tuis me esse profiteor.] Quæ autem iubet cap. sequenti miraculorum exempla ex Scripturis peti, ea sæpè in pictacijs Magorum incantatorijs deprehendimus, sic tamen vt semper mendacio aliquo aspersa essent. At verò lib. 1. cap. 71. postquam nos obtestando detestandóque Magicum carmen condere docuit, *Iubent*, inquit, præterea Magi inuocandum & precandum per nomina eiusdẽ stellæ, (Nam in Theurgia stellas dæmonum corpora & thronos esse asserit) siue numinis, quibus tale carmen attinet, & per sua mirabilia siue miracula, per cursus suos & vias suas in sphæra sua, per lumen suum, per nobilitatem regni, per gratiam & claritatem, quæ in eo est, per fortes & mirabi-

Precibus à dæmone beneficia impetranda sunt.

Magi horrenda precatio.

In operis conclus.

les virtutes suas, & per horum similia. Quo in genere nihil nouit potentius Orphei hymnis, ad quos nos allegat: vt virtutes illæ nobis, inquit, appareant, quales olim Hermes, Zoroastres, Apollonius, & cæteri mirabilium operatores consequuti sunt. Hæc ille. quæ nemo dubitare possit meram redolere idololatriam, nec quemquam posse toleranter pati, nisi qui fidei desertor sit, nullóque numinis amore ac venerentia moueatur.

26. quæst. 2. cap. Illud.

Ligaturæ, characteres, & amuleta magica damnãtur.

At hoc porrò genus, inquit S. Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana, cap. 20. pertinent omnes ligaturæ atque remedia, quæ medicorum quoque disciplina condemnat, siue in præcantationibus, siue in quibusdam notis, quas characteres vocant: siue in quibusdam rebus suspendẽdis atque ligandis, vel etiam saltandis quodammodo, non ad præseruationem corporum, sed ad quasdam significationes occultas, aut etiam manifestas, quę mitiore nomine physicam vocant: vt non superstitione implicare, sed natura prodesse videantur, &c. Hactenus S. Augustinus. Cuius de ligaturis, amuletis, &c. sententiam palàm ac manifestè confirmat idem Cornelius lib. 1. & 2. de occult. Philosoph. copiosè explicans quibus ritibus, ac ceremonijs, qua superstitione, ea vim magicam concipiant, tametsi ea naturæ vi ac potentiæ verbo tenus conetur ascribere. Itaque Augustinus iterum à

S. August.

Gratiano relatus 26. *cap. Qui sine.* Omnis, inquit, inquisitio, & omnis curatio, quę à diuinis vel magis, vel ab ipsis dæmonijs in idolorum cultura experitur, mors potius dicẽda est quàm vita: & qui ea sectantur, si se non correxerint, ad æternam perditionem tendant, Psalmista dicente, *Omnes dij Gentium dæmonia:* qui per deceptos homines alios decipere quotidie gestiunt, vt perditionis suæ faciant eos esse participes. Hactenus ibi. At vero denuo in Ms. Sermone de Martyribus & Philacterijs, Solet fieri, Fratres, vt etiam ad aliquam ægrotantem veniat persequutor, ex parte diaboli, & dicat. Si illum præcantatorem adhibuisses, iam sanus esses. Si characteres illos tibi voluisses appendere, iam poteras sanitatem accipere, &c. Venit forte alius qui dicat, Mitte ad illum diuinum, trãsmitte ad illum cingulum, aut fasciam tuam, & adspiciat, &c. Dicit & alius. Ille bene nouit suffumigare, nam cuique hoc fecit, statim melius habuit, &c. Hæc omnia S. Augustinus, quæ constanter execratur & damnat. Nec secus S. Chrysostomus in hæc portenta impietatis passim inuehens. Orat. 2. ad Antiochenos,

S. Chrysost.

quid verò, diceret aliquis de his, qui carminibus & ligaturis vtuntur, & de circumligantibus aurea Alexandri Macedonis numismata capiti vel pedibus? Dic mihi hæ ne sunt expectationes nostrę? vt post crucem & mortem Dominicam, in Gentilis Regis imagine spem salutis habeamus:] Hæc S. Chrysostomus.

Quid si philacteria Dei nomine conficiantur?

Quid si quæ adhibentur pictariola, Dei nomine Sanctorúmque inscripta sint, an tum quoque in reprehensionem incurrent aut contemni poterunt? Ex his porro phylacteria confici Agrippa præcipit, quorum etiam nonnulla exempla refert. Origenes aduersus Celsum dudum eum morem apud Magos obtinuisse perhibet, vt ad suas artes Dei nomine & Sanctorum Patrum abuterentur. Eius generis horrenda quædam carmina inuenies apud Marcell. Empyric. cap. 21. & Alex. Trallian. lib. 11. ex quo mutuum vnum sumam ad Agrippæ regulas accuratè compositum, quo impij homines podagræ dolores lenire nisi sunt. Ὁρκίζω σε τὸ ὄνομα τὸ μέγα Ἰαὼθ, Σαβαὼθ, ὁ Θεὸς ὁ στηρίξας τὴν γῆν, καὶ στήσας τὴν θάλασσαν ῥεόντων ποταμῶν πλατυνάζων, ὁ ξηράνας τὴν τοῦ Λὼθ γυναῖκα, καὶ ποιήσας αὐτὴν ἁλατίνην, λάβε τὸ πνεῦμα τῆς μητρὸς σου γῆς, καὶ τὴν δύναμιν αὐτῆς, ἐξήρανον τὸ ῥεῦμα τῶν ποδῶν ἢ τῶν χειρῶν τοῦδε ἢ τῆσδε. Nolo tam diræ impietatis interpres esse: qui Græcè nesciunt, si duntaxat elementa norint, satis intelligent Θεὸς, Ἰαὼθ, Σαβαὼθ, Dei esse nomina, quæ nefariè ac sacrilegè à Mago vsurpentur: reliqui etiam in mendacium cum blasphemia coniunctum animaduertent, cùm ait λάβε τὸ πνεῦμα τῆς μητρὸς σου γῆς, &c. Quid igitur de his sentit Chrysostomus quæ Dei nomen præ se ferunt, & eiusdem virtutem prædicant?

S. Chrysost.

Homil. 25. ad popul. Antioch. Christiana est, inquit, mulier quæ hæc incantat, & nihil aliud quàm Dei nomen loquitur. Quare eam magis odi, quod Dei nomine vsa est: quod cùm dicat se esse Christianam, ea quæ sunt Gentilium ostendet.] Reuera enim præcipua impietas est cum eiusmodi anilibus τερθρείαις Sacrosanctum Dei nomen violatur. Ideóque ab antiquis Ecclesiæ Patribus, & Impp. Christianissimis atrocissimæ pœnæ in talium facinorum reos constitutæ sunt. *Can 61. Synod. 6. in Trullo. Cod. Inst. de malefic. & mathem.*

Philacteria iure Canonico damnata.

In decretis S. Gelasij PP. I. Philacteria omnia, quæ non Angelorum (vt illi confingunt) sed dæmonum magis arte conscripta sunt, apocrypha. 26. *quæst. 5. cap. 1.* Si quis Ariolos, Aruspices, vel Incantatores obseruauerit, aut philacterijs vsus fuerit, Anathema sit. Balsamon verò pluribus explicat ad Can. 61. Concil. 6. in Trull. φυλακτῆρες, hoc est remediorum seu amuletorum præbitores dicuntur, qui fraudę dæmonis eis qui à se decipiuntur, vincula quædam ex sericis filis contexta, quæ est ἅμματα dicuntur, præbent, quæ aliquando quidem intus habent scripturas, aliquando falsa quædam alia, quæcunque inciderint. Dicunt autem hæc iuuare, si ex collis eorum, qui illa accipiunt, perpetuò pendeant, ad omne malum vitandum.

Iisdẽ Impp. interdicuntur.

Amm. Marcellinus.

De Impp. Christianis testatur Ammianus non vno loco. lib. 16. Si quis, inquit, anile incantamentum ad leniendum adhibuisset dolorem, quod medicinæ quoq; admittit autoritas, (*forsan apud Ethnicos, tametsi hoc quoque hippocrates reprehendit*) reus vnde non poterat opinari delatus, raptúsque in iudicium pœnaliter interibat. lib. 19. Si qui remedia quartanæ, vt doloris alterius collo gestaret, siue, &c. pronuntiatus reus capitis interibat. De Ethnicis etiam Spar-

Spartianus.

tianus in Caracalla. Damnati sunt & qui remedia quartanis tertianísq; collo annexa gestarẽt.

Ansegisus.

Apud Ansegisum Capitul. lib. ca. 64. Habemus in lege Domini mandatum, *Non auguramini.* Et in Deuter. *Nemo sit qui Ariolos sciscitetur, vel somnia*

ET SAVL ABSTVLIT, &c.

somnia obseruet, vel ad auguria intendat. Item, *Nemo sit maleficus, nec incantator, nec pythonis consultor.* Ideo præcipimus, vt nec cauculatores & incantatores, nec tempestarij vel obligatores fiant, & vbicunque sunt emendentur, vel damnentur. Ex Carolina Sanctione, & consuetudine Imperij, etiamsi ob bonum finem interrogarint, vel Magicis artibus aut remedijs vsi fuerint; exilio, vel aliter infra mortem damnantur, vel arbitrio iudicis. Carolus Constitut. cap. 109.

Quod ad Constantini legem attinet, quam à principio quæstionis descripsimus, illam iure ac merito Leo item Imperator censura notauit. Qui propter temulentorum, inquit, incompositum malignumque animum, reprobandum esse vinum, eiúsque oblectamentum auersandum dicit: nam ille propter peruersum vsum, rem per se non peruersam sugillat. Ego verò promulgatam à veteribus legislatoribus legem considerans, eam quæ modò incantamentum malum esse rata, id punit, modo vero admittit & approbat, quanquam id ex vtentium proposito malum non fiat, sed sua natura ac vitiositate, tanquam sterquilinia graueolentia scaturiat: non tamen illos legislatores reprehendendos dixerim, sed ne quis legem (quod merito fiat) vituperet, eam ex legum quasi fundo tollendam puto. Vult autem puniri incantationes, eo quod modestia animi sublata, stimulis furoréque amatorio rationem ad insaniam adigant: Ac approbat rursum illas, tanquam segetes & fructus curent, aliáque bona (vt quidem videtur) suppeditent. Atque ita quod tanquam insidiosum punijsset, idem rursus tanquam beneficium honorat. Atqui nos istiusmodi incantationes perniciosas esse persuasum habemus: & vt boni quicquam inde manare credamus, induci non possumus. Ac sanè etiam si boni quippiam producere illas appareat (quomodo quidem approbanti ipsas legi videtur) non id bonum esse, sed illecebram atque nassam, quæ illectos in malorum omnium extremum, vbi à summo bono excidant, absorbeat, compertum habemus. Notum enim nobis est, illas, vt qui se ipsis dedunt, præ Creatore & Domino infaustis dirisque dæmonijs adhæreant, efficere: & qui illas affectantur, hos per externarum rerum lætam quandam speciem vulnera in animam excipere. Quale quiddam meticulosis fræquenter accidit, qui dum ictus in manus excipere nolunt, illis vel caput, vel ventrem exponunt. Sanè vero si quis aliquo modo incantamentis vsus esse deprehensus fuerit, siue id restituendæ conseruandæque valetudinis, siue auertendæ à rebus frugiferis calamitatis causa fecerit, is apostatarum pœnam subiens, supremum supplicium sustineto. Hactenus Imperator. Qui his potissimùm rationibus niti visus est, vt priorem illam legem refigeret.

Leon Constit. 65. de Incātator. pœna.

Leo iubet Constant. legem, quæ beneficas incantationes probat, ex legum quasi fundo tolli.

Rationes interdicti.

Primùm, quòd ea res suapte natura mala sit. Nam inde sequitur, ex vtentis instituto bonam euadere non posse. Secundò, quod ne vtilitatem quidem vllam pariat, sed maiorum malorum illecebra sit. Tertiò, quod dum corpori

A fictè parcit, letali vulnere animam saucier. Quod hominem à veri Numinis religione abducat, & ad malorum dæmonum cultum traducat: quæ suprà nos manifestè probauimus. Itaque cùm Alarichus Honorio Imperatore Romam obsideret, nec aliunde humanitus expediendæ salutis ratio appareret, statuit sanctus Innocentius, si Deo ita visum esset, vrbem magis à Barbaro capi, quam vt magicis artibus periculo eriperetur; tametsi Zosimus Christianorum pietatem ac fidem perosus, nonnullam famæ Pontificis labem conetur aspergere. Sed illum reliqui à calumnia vindicant: neque enim magicas artes & nefandos cultus clam magis quàm publice probauit.

Sozom. hist. 9. cap. 7. Zosimus lib. 5 circa fin.

B Teterrimum ipsum Agrippam Magus alter, haudquaquam impietate & nefandæ artis peritia inferior, etsi re factísque consentiens oratione tamen abundè refellet. An fortè monstra hæc stygia pudor vllus afficit? An terret publicum humani generis odium? An denique cum Magi nomen apud omnes nationes infamia laboret, illustriorem titulum aucupantur: & ita nolunt his artibus indulgere videri? Affectant autem nonnulli hanc gloriam, vt dij: plerique vt deorum saltem interpretes habeantur. Vtrumque Apollonius ascribi sibi studuit, atque adeò apud Infideles consequutus est, vt colligi potest ex Philostrato in eius vita, & Flau. Vopisco in Aureliano. Quem falsò Philostratus incantatorem negat, causam eius agens potissimùm lib. quinto, C capite quarto. Incantatores, inquit, κακοδαιμονεστάτους ἀνθρώπων omnium hominum infortunatissimos iudico, qui partim torquendis idolis, partim barbaris insuetísque sacrificijs, partim cantibus, aut vnctionibus quibusdam vacant, &c. Apollonius autem quæ fato statuta erant sequens, præsciebat, non incantationibus vtens, sed ex ijs coniectans, quæ sibi dij immortales ostendebant. Igitur cùm vidisset apud Indos vinaria vasa, tripodésque ad sua destinata ministeria sponte proficisci, vt diximus, neque quo pacto id fieret interrogauit, nec ab eisdem petijt, vt se docerent: & quamuis ea laudauerit, non tamen imitari voluit. Hæc Philostratus: qui testimonium quod Apollonio dedit, plerisque historiæ suæ locis manifestè confutat. Nam vt cætera taceam, quo pacto crus exemptum è compede D Damidi ostendit, & in iudicium à Domitiano vocatus ex omnium oculis repente euanuit, aut parte diei minima Roma Puteolos absque alis, inquit, & ariete peruenit? An non hæc illius artis experimenta sunt, quæ hominum quidem vires superat, dæmonis autem ope nititur? Verùm vt hæc omittamus, qualia non pauca in vita sortitus est: ipse vtique Damis, quo solo teste fretus innocentem Apollonium Philostratus asserit, arcanorum eiusdem nequaquam conscius & arbiter extitit: Vt enim idem testatur, neutiquam in congressum colloquiumque venit cum Magis Babylonicis & Indis Sapientibus, quo tempore Apollonius cum eis sermonem conferret, fie-

Philostr. lib. 5. cap. 4.

Apollonius pudet incātatorē audire, quem frustrà defendit Philostratus.

Idem lib. 7. cap. 16. & lib. 8 cap. 5.

ET SAVL ABSTVLIT &c.

ET SAVL ABSTVLIT, &c.

reque nefandorum mysteriorum particeps. Sed ne tum quidem comes affuit, cùm ad Achillis tumulum eiusdem manes euocaret. Qua fronte igitur pium illum ac religiosum spondeat, qui cùm malis artibus operam daret, ipsum latere studuit. Fallendi tamen hoc studium magicas disciplinas impietatis palàm arguit. Nam quæ rite atque ordine fiunt, ea prodere non veremur. Virtus latebras non captat, nec quemquam religionis pudet: cur incantator audire nolis, si is habendus sit beneficiorum artifex? Cùm carminibus igitur manes deósque, vt aiunt, sollicitaret Apollonius, erubuit: Agrippa Christum professus, impudenter prædicat.

Qui Magis artibus scientias hominum mentibus instillare posse confidunt, reósque criminum piaculo soluere, hi quoque è medio tollendi videntur.

QVÆSTIO CXII.

Reliqua sunt prioris generis duo capita, quæ verè capita sunt impietatis & fallendi audaciâ superiora vincunt. Iactant se pestes illæ flagitiorum sordes eluere posse, & imperitorum rudes animos artis beneficio sublimioribus instruere posse disciplinis. Quod vt probent, quæcunque passim mendacia libris aspersa sunt, ea studiosè colligunt, vt ex his Magiæ præsidium parent. Sperant enim quæcunque à male feriatis hominibus conficta sunt, ea posse nugis suis patrocinari. Legimus, inquiunt, antiquos certis rebus naturalibus sæpè diuinum aliquod & mirandum suscipere solitos. Sic lapis qui nascitur in pupilla oculorum hyænæ, sub lingua retentus, diuinationem præstare dicitur. Idem fertur Selenites, lapis lunaris, efficere: sic anchitide dicunt euocari imagines deorum, synochitide vmbras inferorum euocatas teneri. Similia aglaoptis herba, quæ & marmoritides vocatur, in marmoribus Arabiæ nascens Persico latere, efficit, vt narrat Plinius, atque Magos ea vti, cùm velint deos euocare: esse herbam theangelidam nomine, qua pota Magi diuinant. Adde his ossa borametz è Scythia, de quo hæc refert Duretus in histor. Plantar. mirabil. capite vigesimo nono ex quodam Cabalista exponente, vt ait, verba illa Deuteron. decimo octauo, *Nec consulat ideoni.* Latina hæc editio minus quidem aptè diuinos profert. Diuinus enim, Pythonem, Ariolum, Augurem, Aruspicem, & cuiusuis præsagij cultorem ostendit: Ideoni verò præcipuum quoddam vaticinandi genus designat: Est enim, vt Chusensis Moyses Rabbi Simeone autore commemorat, animal dictum Ieduah, agni formæ persimile, cui de vmbilico medio veluti funis producitur, quo, cucurbitæ instar, terræ solo affigitur, & quò funis longitudo protenditur, sæuum animal circunquaque rapit & deuorat. Id capere nesciunt venatores, nisi sagittarum ictu funem proscindant, quo amputato, continuò bellua prosternitur atque expirat, cuius inde ossibus certa quadam lege ori admotis, statim clàm spiritu arripitur opifex, & expetita vaticinia pronuntiat. Verùm esto: tametsi fabellam vocat Scaliger exercit. 181. in Cardan. diuino certe interdicto prohibetur, ne quis vti velit. Sed qui iurarunt in verba Magorum, diuinæ legis rationem nullam habent. Hinc tantum confici putant, nonnulla ea vi à natura prædita esse, vt mentes hominum valeant cælesti quadam luce perfundere. Id quo pacto fieri posse interpretentur, referam ex Cœlij Rhodig. Lect. Antiquar. libro sexto cap. duodecimo, quo loco tametsi de annulis sermonem instituerit, easdem tamen causas affert, quas Magi ad illustrandos animos adhibent.

Portentosa quædam mendacia veterum.

Duretus in hist. plant. mirabil. in vlt. hist.

B Id cur sic, inquit, ex multis magistris accepimus, esse in anima nostra γνωστικὰς δυνάμεις, id est, cognitiuas potest. tres tres: νοῦν id est mentem: διάνοιαν, cogitationem seu discursum: δόξαν, id est opinionem. Rursum, dum se naturæ æmulam anima facit, tria item inde oriri: ἐπιστήμην, τέχνην, ἐμπειρίαν, hoc est, scientiam, artem, experientiam: quæ sint tribus analoga viribus, menti scientia, cogitatrici potentiæ ars, opinioni denique experientia. Nam sicuti citra rationem sese promit opinio: ita & experientia subiectum sibi rerum minus rationes tenet. Hæc ille. Deinde ad scientiam capessendam quo pacto Magia viam muniat, tametsi aliud agens, sic explicat. Est in rebus naturalibus cognatio quædam, & sympathia, id est (vt sic dixerim) compassio aut consensus, vel contagio, vt Ciceroni placet: vel etiam contages, vt alijs: aliorum ad alia, & manifestorum ad vires occultas. Est & antipathia siue contrapassio & repugnantia. Rerum periti per mutuam cognationem conducebant in vnum: per repugnantiam expellebant, purificantes, sicubi vsu veniebat, sulphure atque asphalto, aqua aspergentes marina: quod expurgandi vim obtineat sulphur, propter odoris planè acumen: aqua verò marina propter igneam portionem. Ad quam doctrinam sane Satyricum illud spectare contenderim:

Cœlius Magiæ fundamēta locat ex ariolorū sententia.

Cuperent lustrari, si qua darentur
Sulphura cum tædis, & si foret humida laurus.

Nam quod laurum adiecit, illuc fortè tendat, quod est ab Magiæ consectatoribus peruestigatum, sufficere nonnunquam herbam vnam, vel lapidem vnum ad diuinum opus. Sufficit enim cnebison, id est carduus, ad subitam numinis alicuius apparitionem, ad custodiam verò laurus. Hæc Cælius.

Quæ cùm apud eum lego, & similis notæ complura alia, tametsi non dubitem Cœlium ab idolorum cultu & Magorum arcanis mysterijs vehementius abhorruisse, attamen mentem meam subit dictum illud Tertullian. quo olim Ludimagistrorum intempestiuam licentiam cohibuit, dum in explanandis Poëtarum figmentis Ethnicorúmque numinum portentis temerè luxuriarentur. Quærendum est, inquit Tertullianus, etiam de Ludimagistris, sed & cæteris professoribus litterarum. Imò non dubitandum

Tertull. de Idololatr. cap. 10.

ET SAVL ABSTVLIT &c.

dubitandum affines illos esse multimodæ idololatriæ. Primùm quibus necesse est deos nationum prædicare, nomina, genealogias, fabulas, ornamenta honorifica quæque eorum enuntiare, tum solemnia festáque eorundem obseruare, vt quibus vectigalia sua suppetant.

Ludimagistri officij admonentur.

Quis Ludimagister, si non tabularia idolorum, quinquatria tamen frequentabit? Ipsam primam noui discipuli stipem Mineruæ, & honori, & nomini consecrat, vt etsi non profanatus alicui idolo, verbotenus de idolothyto esse (comesse) dicatur, pro idololatra vitetur. Si Fidelis literas doceat infectas idolorum prædicatione; sine dubio dum docet, commendat: dum tradit, affirmat: dum commemorat, testimonium dicit. Deos ipsos hoc nomine obsignat, cùm lex prohibeat, vt diximus, deos pronuntiari, & nomen hoc in vano collocari. Hinc prima diabolo fides ædificatur ab initijs eruditionis: Quære an idololatriam committat, qui de idolis catechizat. Hæc Tertull. Quæ nequaquam in Cœlium, aut alios Ludimagistros nostros quadrant: illud tamen vtcunque me male habet in earum scriptis, & ab eorum lectione auocat, quod studio Pythagoricæ siue Platonicæ Philosophiæ nonnunquam plus quàm satis est non vtique naturali, sed diabolicæ magiæ tribuant.

Cornel. lib. 2. cap. 37. & 38.

Neque enim aliud Agrippa docet quàm Cœlius, mutuum rerum omnium nexum esse ac continuam seriem, & ab Archetypo originalem vim in omnia diffundi: primùm quidem intellectualia, quæ numina vocat: deinde per hæc in corpora cælestia, vt quæ scaturigini viciniora sint: postremò ad hæc nostra inferiora deriuari, non vna quidem ac simplici via, sed ita tamen, vt infima quæque speciatim insitâ quadam proportione atque analogiâ cum cælestibus, à quibus manant, deuincta sint: cælestia quoque vi quadam armonica ab intellectualibus pendeant, quæ proximè è fonte hauriunt quantum cuique satis sit ad ordinis sui perfectionem. Quam rerum omnium sympathiam qui perfectè nouerit, ad ipsum rerum omnium principium euadere posse, & parem Angelis agendi noscendique facultatem consequi. Accipe ab ipsa eadem bellua pauca verborum portenta, quibus sacrilegam suam sententiam explicat. *Eadem esse in cælesti mundo* quæ in sublunari conspiciantur, sed modo quodam cælesti: deinde etiam in mundo intellectuali, sed multo perfectiori, & meliori nota, perfectissimo tandem in Archetypo. Atque hac serie vnumquodque infernum suo superiori, & per hoc supremo, pro suo genere respondere: & ab eisdem suscipere, è cælis quidem vim illam cælestem, quam quintam essentiam, siue spiritum mundi, siue mediam naturam vocant: ab intellectuali autem mundo spiritualem, viuentémque vigorem, omnem qualitatiuam virtutem transcendentem: ab Archetypo denique per hæc intermedia pro gradu suo originalem vim totius perfectionis. Hæc basis superstitionis, quæ duplici mendacio nititur. asseuerans primò ad inferiora hæc quintam è cœlis essentiam deriuari. deinde Intelligentias fundere ex se spiritalem vim atque vigorem, qui omnem qualitatem superet. Ex quibus temerè iactis fundamentis, quæ nulla Scripturarum autoritate fulciuntur, mox conficit. Hinc ab istis inferioribus ad sydera, ab illis ad eorundem Intelligentias, & inde ad Archetypum vnaquæque res aptè reduci potest: ex quarum serie tota Magia, & omnis occultior Philosophia emanat.

Sed operæpretium est intelligere quibus tandem rebus vim illam miraculo similem tribuat, quâ homo retrogradu cursu eò remeet vnde primum prodijt, & cum Archetypo coniungatur. Certis, inquit, quibusdam materijs naturalem vim diuinitatis habentibus, hoc est, quæ naturaliter superis consentaneæ sunt, ritè collectis, partim physicè partim astronomicè, vndique opportunè conflatis, dona non solùm cælestia aut vitalia, verumetiam intellectualia, quædam dæmoniaca & diuina desuper suscipi posse.

Magicorũ mysteriorũ ridicula œconomia.

In opere verò adeò nefario non est, opinor, quòd mireris nebulonis impudentiam. Sanctum Augustinum testem laudat octauo de Ciuitate Dei, qui potius ibidem Trismegisti nugas deridet, & cœcam impietatem execratur. Illud porrò quod genus monstri? Ea est, inquit, mundi concordia, vt etiam supercælestia trahantur à cælestibus, & supernaturalia à naturalibus conspirent ac trahantur: quia vna virtus opifex, sicut ex occultis rationibus manifesta producit, ita magus assumit manifesta, occulta vt attrahat: puta, per stellarum radios, per suffumigationes, per lumina, per sonos, per res naturales cælestibus congruas: quibus vltra corporeas qualitates insunt etiam rationes, & sensus, & numeri, & mensuræ incorporeæ atque diuinæ. Hactenus fera illa stygia.

Expectas autem lector dum hæc confutem. Neque enim leue periculum est, ne sus mactata, quæ rusticæ familiæ in annum paratur, dum flammis amburitur, & feræ fumant, nidore conformis sibi stellæ radios alliciat, mox stellam occupet: deinde etiam Intelligentiam rapiat, & ad Archetypum vsque penetrans numen aliquod quadrupes euadat, non illud quidem tonans, sed grunniens: atque interim agricola perna & larido indigeat.

Grãde miraculum, quod par erat hæc Magię fundamenta consequi.

Cur enim non perinde vt homo, sic quoque asinus cœlum inuolet, si fumo paratur aditus? Nam nec deest illi sub cauda fumus, & sonos edit itidem graues, & analogam sibi stellam sortitus est. Quæ cùm ita sint, quid causæ esse dices quamobrem Archetypum non inuadat? Qui hæc primùm tradiderunt, cùm argumenti vim refellere posse desperarent, arietem & capricornum cælo donarunt. At pudet secretiores, vt aiunt, Theologos hæc portenta fateri. quos ego cùm à nonnullis, qui Christum induerunt, Secretiores & Reconditiores Theologos audire, & honorificè appellari comperio, dubitare vtique soleo, homines credere debeam an personatas pecudes, qui hæc scribant, & fidem nugis conciliare studeant. Quippe & barros, immanes belluas, exarasse nonnullas quandoque literas promuscide legimus.

Et Savl abstvlit &c.

Magi nihil horum credunt, sed vno dæmone freti sunt.

Nam Magi quidem nihil horum credunt, cùm nugas esse nouerint: sed dæmonis ope freti, cum quo periculo animæ fœdus icerunt, leuibus & imperitis fucum facere student, & à fide ac pietate abducere. Quod cùm per se impium est, & quouis supplicio dignum: nam errorum magistris, qui fratres suos in fraudem inducerent, Deus parci vetuit: tum isti fœderis perfidia sceleris atrocitatem magnopere exaggerat. Neque enim lentè tanta Numinis iniuria ferenda est, cùm Magus desertis fidei castris, de prodenda hominum salute cum diabolo paciscatur.

Quid si his fidem habeant?

Quòd si quis fortè contumacior his Magos assentiri contendat, quæ reliquis persuadere nituntur, nihilomagis eos crimine absoluerit. Neque enim hæresis seu potius apostasia & infidelitas, vllo minor scelere habenda est: quæ tanti erroris conscia, maximorum flagitiorum caput & origo est. Nam si Deum fumis & crepitaculorum strepitu captare licet, & cœlum irrumpere, quis tandem relictus gratiæ locus? Crux ipsa nequicquam Christi sanguine rubet: & religionis, quam falsò præ se ferunt, arx quassata ruit. Quinimò de Numinis quidem maiestatem sartam tectam tueri possunt, qui rebus à natura satis eam vim tribuunt, vt quæ proximè ab eius voluntate pendent, eliciant. Vtuntur, inquis, exemplis Sacramentorum: quorum cùm sit diuina virtus, párque Magorum pollicitis, natura tamen symbola suppeditat. Esto, Sacramentorum symbola natura suppeditet: non tamen eam vim quæ Christum cælo deducit, & diuinæ nobiscum gratiæ dona communicat: sed tota manat ab institutione diuina. Quamobrem, vt comparationis valere possit autoritas, naturæ prius derogandum est, quod arroges institutioni. Quod cùm feceris, tum ede dicam, Agrippa, testes, ne dictis temerè fidem habuisse videamur. Sed quorsum tamdiu lauamus Æthiopem? absoluamus paucis.

* Nulla forma naturalis diuinum quicquam in se continet.

Negamus itaque primò eas mutæ atque corporeæ naturæ vires esse, vt quæ diuinæ sunt, & naturam superant, ea suopte ingenio conferre possit. Quippe si partum naturæ quemlibet ad sua principia siue elementa reuoces, inuenies, quod formale sit, diuinum prorsus habere nihil. Nam nec numeri quidem ipsi mensuræque omnes, tametsi à Mathematicis separatum spectentur, rebus ipsis præstant à quibus componuntur, aut parere quicquam per se poterunt, quamuis humani ingenij acies figmentis ipsa suis non rarò capiatur. At negant absolutam suis numeris analysim intelligi posse, ni Dei quoque in numero causarum ratio habeatur. Esto, quod ad causas efficientes attinet, sic tamen idem causarum seriem instituit, vt quamquam vellet effectum sibi conuenientem edere: ipse, vt cuiusque captus esset, ita vim suam libraret; qui si se totum exerat, rerum discrimen pereat necesse est. Atqui vt apparet oculus videt, pes graditur. neuter autem volat, aut incorporea speculatur. Quidni faciant? annon vtriusque Deus est opifex? Est vtique. Sed ita efficientiam suam temperat, séque rebus accommodat, vt non amplius quicquam exhibeat, quàm quod formalis causæ facultas conari possit.

Spiritualia spiritualibus comparantur.

Sed & hoc præterea inficiamur, decere diuinam sapientiam, vt quæ præcipua dona habeat, ea rebus vilissimis addixerit. Creditur enim vt arbitror Numen mente præditum, & quod iudicio ac ratione sua beneficia dispenset: quo pacto igitur seipsum ferat suáque intellectualia bona fumo ac strepitu potius, quàm studio atque amore comparari. Nam contentio quidem vehementior animi, & incensum voluntatis desiderium, intellectuali via cœlum petunt: fumus quò euadat cernimus: statim sorbetur ab aëre, & dissipatus soluitur. Sed neque commodum est illud animæ vehiculum, quod à ratione alienum est: neque mysteriorum idoneus interpres habendus, vt per illum superis inseri, diuinísque mentibus commendari posse confidamus.

Lib. 1. c. 60.

Negamus tertiò, tametsi quis auro lapillísque ornatus, quos magno numero lib. primo cap. vigesimo tertio recenset, libanoride, quod Solis thymiama vocat Orpheus, suffimentum paret, & incensa cedro verbenáque Soli scarabeum faciat, insuper & in Solis ipsius anima, quæ nulla est, mentem cogitationémque defigat: haurire eum, quod mentiuntur, lumen gradus supremi posse; Solem intellectualem euadere; & eorum, quæ supra naturam sunt, mysteriorum fieri compotem. Neque enim horum quicquam aliud quàm corpus est, neque à Deo neque à natura ad hoc institutum, vt homines in cœlum eueheret, & dignitate ac scientia Angelorum Principibus æquaret.

Magi Platonicorum dementiam ponunt.

Negamus denique quod asserunt scelerum artifices, *quod sicut* in grano sinapis contusio latentem excitat acuitatem; & sicut calor ignis literas succo cepæ vel lacte imbutas producit in aspectum prius delitescentes: & literæ hirci adipe lapidi inscriptæ, & prorsus occultæ, quando submergitur lapis aceto, prodeunt, & quasi sculptæ eminentes extant: ita, quodcunque lumen cœlestium corporum fingant, delitescentes in animis imperitorum scientias, & notionum characteres ostendere posse. Neque enim tales vlli à natura typi conduntur in animis hominum; quin potius ea nobis instrumenta subministrauit, quibus cuderentur: in quibus elaborandis quantum operæ ac laboris collocemus, nos manifestè periculum facimus, qui tanto tempore in studia scientiarum incumbimus. Quod si inscriptæ rerum notæ in animis delitescerent, quoties earum rerum mentio incideret, quas nunquam vidimus, contingeret vt de iisdem rebus pariter opinaremur, nunquam allucinaremur. Nam quæ perfectè aliquando nouimus, ita vt harum effigies à nobis elaboratas memoriæ mandaremus si refrices, nisi forte eas induxerit obliuio, res licet extra conspectum procul positas absque errore repræsentant. Sed hæc fuit illa celebris Platonicorum dementia, quam seriò deinceps Magi atque hæretici non pauci complexi sunt: quorum cùm nonnulli, nonnulla ingenij

ET SAVL ABST VLIT, &c.

ingenij felicitate breui curriculo liberalium artium cognitionem consequuti essent, statuerunt apud se, eam ingenij facilitatem ex superioris æui reminiscentia oriri. Itaque & animas prius vixisse quàm corporibus inderentur docuerunt: quæ cùm ex pulcherrimo rerum spectaculo deturbatæ essent, tenebris & caligine diuersas esse; at sensim studio excitari, & & conditas in mentibus pristinæ cognitionis formas & similitudines emergere. Quæ omnia & hæresim sapiunt, & à vera Philosophia abhorrent.

Naturalia quid possint.

Reuera autem si quid possunt incensi odores, & reliqua turba agentium naturalium, omnis ea virtus in iuuando cerebro, fouendisque sensuum organis cõsumitur: quæ cùm nouerit astutus dæmon, sic ea vbi finitur adhibet, vt nocumenti semper plus afferant quàm emolumenti. Verum futuri securus, hoc sollicitè vrget, quo pacto fallacibus illecebris in fraudem inducat. Potest verò & quæ nouerit, vti quilibet alius, audientem docere. Sed quæ est belluæ malitia, falsa veris permiscet. Hinc scatent mendacijs magorum scholæ. Postremò, etsi quæ memoria occulit, ea in apertum nouit educere, & ob oculos mentis statuere. Videtur & ex varijs rerum spectris, quæ in phantasia insident, quale nonnunquam secundum quietem occurrit: simulacrum multiplex ac monstro simile componere posse. Pingendi quoque gnarus eas in aere vicino rerum imagines effinget, quæ id quod scire velis docere videantur. Instillare tamen scientiam mortalium animis haudquaquam potest. Nam etsi ea pestis ad sensus affluit, in mentes tamen neutiquam illabitur. Nam neque voluntas eius foris quicquam immutat, neque intellectus efficit; cuius opus nosse est, vti & illius velle. Hæc optat & eligit, ille vt plurimùm suadet & imperat. itaque hic velut obiectiua, illa causa moralis habetur: neutra principalis & efficiens, nisi quatenus ipsum eius iudicium practicum, vti rerum ordo postulat, inferiora loco mouet. Quam tamen vim nonnulli recentiores Theologi ab imperio rationis secernunt: sed, siue illa iudicij potestas est, siue secreta potentia, non habent tamen hominum mentes, vt corpora, per quæ impellantur. Nam quæcunque mole aliqua constant, superficie, quæ penetrari non possit, circunscripta sunt; itaque ea impetum excipit, vt locum conditionemue mutet. Animorum tota ratio qua moueri possint, circa vtrumque intellectus & voluntatis cardinem versatur, atque adeò in eo consistit, vt noua velit aut intelligat. Vt autem velit, dare cuiquam dæmon non potest, cùm sit facultas libera: vt intelligat, cùm ad rem commodè obiectam intellectio necessariò sequatur, nequicquam laborabit. Quod si dæmon rem obiectam duntaxat applicare commodè, & phantasmatum simulacra perpolire nouit, nihil citò promouere poterit. Erunt siquidem naturæ leges sequendæ, & modus ipse, quo ex Dei præscripto intellectus agens intelligibiles rerum species cudere atque architectari solet, obseruandus. Ex quo sequitur, vt diuturna animi con-

Quid ipse dæmon.

Dæmon citò sciẽtiam conferre non potest.

ET SAVL ABST VLIT, &c.

A tentione opus sit, vt eo doctore quisquam ratiocinando scientiam consequatur: quod tamen cum eius sectæ placitis minimè consentit. Volunt enim Magi scientiarum cognitionem ab ipsis non studio ac ratiocinatione parari, sed pellectis suffimento stellarum animis, statim hominem cœlesti luce collustrari, & in Archetypo diuina mysteria contemplari, quæ Theologorum ac Philosophorum quasi per caliginem mentis aciem perstringant. Quo mihi dici cogitariue potest absurdius. cùm & hæc studia vanitatis arguat & procul à nobis detestetur religio, & natura, seu rationem consulas, seu vires eius periclitari malis, fieri non posse confirmet.

Quibus artibus dæmon stultis imponat.

Non itaque mentis humanæ caligo magicæ artis beneficio discutitur, & scientiarum lumen infunditur. B Sed dæmon ipse, quæ est eius versutia atque calliditas, vbi iam satis siue motus seu petentibus cerebrũ nebulis phantasiæ arcem perculerit, tum perturbatis animis mendacia concinnat, aut etiam eius rei quæ speciatim quæritur, nonnullam oculis imaginem subijcit, quam instar miraculi habeant. Sin forsan illustrius artis argumentum expetitur, compendiariam viam eligens, Magi vocis instrumentis abutitur, & de propositis quæstionibus per seipsum disputat, seu Magum hoc lateat, seu fraudis ipse conscius sit. quod plerique toleranter ferunt, qui se non instinctu solum afflatúque diuino motos, sed ipso quoque numine fœtos impudentissimè gloriantur. Legendus Mersenus noster quæst. 1. in cap. 1. Genes. quæst. cap. 32. & nonnull. sequent. C nam de his ille disserit accuratissimè.

Expiationũ Magicarũ fraus nocentissima.

Ad extremum nulla fraus capitalior, quàm vbi Numinis offensam sese remittere, & superstitioso quodam cultu externísque ceremonijs flagitiorum notas inducere posse iactitant: quippe ea opinio postquam in animis hominum insederit, exitus exitiales habere solet. Siquidem eo pacto Dei metum à se excutiunt: & quos sceleris diu atque anxiè pœnitere debuit, hi delicias voluptatésque sectantur, fitq; proinde vt æternûm pereant. Nam si cuiusquam hominis qui sui iuris compos habeatur, nemo alius iniurias condonare potest, quis credat, si fortè quispiam Numen læserit, eidem irato fulmen ab homine extorqueri posse? Nulla vis tanta est artis humanæ, rerumúe sublunarium, D vt hoc præstent: sed fallaciam hanc dæmon studuit comminisci, vt pereuntes à pœnitentiæ studio reuocaret. Hæc enim velut altera post naufragium tabula est, qua nouit, Dei beneficio, supplicio reos eripi posse. Itaque hoc quoque nobis salutare pharmacum dæmõ inuidit, idque eo pacto statuit auferri posse, si à labore pœnitentiæ quæ corpus stimulat, & animum pungit, eoque minus accepta est: ad inutilium rerum studium traduceret, quibus idem statim effici homines confiderent. Idcirco quondam Sapiẽtes Indi, cùm essent Magiæ dediti, eodem autore, *culpæ puteum & craterem veniæ* Indis aperuerunt. Erat aquæ color cœruleus, nonnunquam etiam aduerso Sole Iridis speciem repræsentans; crateris flamma plumbea, nullum ne-

ET SAVL ABSTVLIT, &c. que fumum neque odorem exhalans. Ἐνταῦθα Ἰνδοὶ, inquit Philostr. lib. 3. cap. 3. vitæ Apollonij, καθαίρονται) πᾶν ἀκούσιον. ὅθεν οἱ σοφοὶ τὸ μὲν φρέαρ, ἐλέγχου καλοῦσι. τὸ δὲ πῦρ, ξυγγνώμης. Illic Indi à patratis facinoribus expiantur. Quapropter Sapientes quidem culpæ puteum appellant, craterem autem veniæ. Apud Virg. Æneas patrē alloquitur:

Philostrat.

Virgilius.

Tu genitor cape sacra manu, patriosque penates,
Me bello ex tanto digressum & cæde recenti
Attrectare nefas, donec me flumine viuo
Abluero.

& alibi, Idem ter socios pura circumluit vnda,
Spargens rore leui, & ramo felicis oliuæ.

Inde Græcis Romanísque Ambaruualia, Solitaurilia, Suouetaurilia, Armilustria, lustra quibus vrbes ipsas, arua, domos, exercitus, familias, priuatum quemque se piaculo soluere persse in animum induxerant. Narrat Philostratus quo pacto Apollonius Memphiticum iuuenem, inuoluntariæ cædis reū, & qui septimum iam mensem exulans erransque in montibus à Gymnosophistis absolutionem impetrare non potuerat, absoluerit. Postquā, inquit, ille Apollonij dictis obtemperans eò venisset quò iusserat, Apollonius ea mysteria peragens, quæ Pythagoras Empedoclésque pro expiatione facienda docent, domum redire illum iussit, tanquam crimine absolutum & expiatū. Hæc ille.

Vitæ Apollon. lib. 6. cap. 3.

His artibus dæmon multorum olim simplicitati illusit, hanc ille fallaciam adornauit nocentissimam qua miseros mortales perderet. Sed iam doli patescunt, & versutia palam traducitur. Nam quæ rationes præcedentem errorem oppugnant, & hanc hæresim pariter refellunt. Sanè quidem monstro simile videri possit, si sulphure aut aqua flammisque, naturæ beneficio, Numinis ira flectatur. cùm etsi ea omnia nocens quisquam expertus fuerit, eius hominis quem temerè violauerit, mulcere iracundiam nequeat. Ea igitur cæcitas magna est, & impietas quouis digna supplicio, si diuinæ voluntatis constantiam pendere ex fumis, & rebus vilissimis obnoxiam esse velit. Quæ cùm ita sint, & vtraque hæc superstitio cum hæresi blasphemiáque coniuncta hominum saluti insidietur, seueris legibus coërcendæ sunt, & à Republica Christiana procul amandandæ.

De Diuinis quid sentiendum sit, & an eorum ferenda stultitia?

QVÆSTIO CXIII.

Diuinatio ad Magos beneficos pertinet.

DE Diuinatione disputationem quàm potero breuissimè expediam. Ea, si fortè Iarcham Brachmanum Principem audiendum putes, ad Magos beneficos pertinet. Siquidem Iarchas cùm hunc Sapientiæ, vt inquit Philostratus, Apollonium studere impensius animaduerteret, hanc ad illum orationem habuit: *Qui diuinandi peritia gaudent, optime Apolloni, diuini quidem ob ipsam euadunt:* sed melius est vt pauca hæc Græcè cum Philostrato referam: οἱ μαντικῇ

Philostr. li. 3. vitæ Apoll. cap. 13.

A χαίροντες, ὦ χρηστὲ Ἀπολλώνιε, θεῖοί τε ἀπ' αὐτῆς γίγνονται) καὶ πρὸς σωτηρίαν, &c. *& ad salutem hominum* atque incolumitatem plurimùm conferūt. Qui enim ea, quæ alijs opus est à dijs exquirere, hæc apud se præuidere, & cæteris ignorantibus prædicare possit, hunc ego felicissimum puto, cùm tandem quantum Apollo Delphicus in hac re possit efficere. Hæc ille Magus. Chrysippus autem, vt Cicero ait 2. de diuinat. Diuinationem definit his verbis, *vim cognoscentem & videntem*, & explicantem signa, quæ à dijs hominibus portendantur: officium autem eius esse prænoscere dij erga homines mente qua sint, quidque significent, &c. At simplicior alia videtur quam habet idem Cicero. *Diuinatio est earum rerum*, quæ fortuitæ putātur, prædictio atque præsensio. Futurarum rerum aliàs scientiam vocat. Vt mihi quidem videtur earum rerum est, quæ B mentis & oculorum aciem fugiant, à dæmone petita cognitio. Duplicem eam distinguunt: & alteram quidem μαντικὴν seu furorem, vimque fatidicam nuncupant, quæ oracula fundit: alteram οἰωνιστικὴν sup. ἐπιστήμην, auguralem sciētiam, quæ certis regulis ac præceptionibus comprehensa est, & non pauca signa naturalia speculatur de quibus coniecturam capiat: sed ea dudum fraude dæmonis superstitione atque idololatria deprauata est. De priore statim, vbi cū Pythonissa nobis res erit, disseremus. Posterioris vero cùm plures species numerentur, quas Petrus Gregor. Tur. Syntagm. lib. 34. præsertim verò cap. 3. diligenter recensuit, & eo accuratius Mart. Delr. li. 4. Magic. Disquisit. cap. 2. & sequent. omissis cæteris, nos earum duntaxat C rationem habendam censuimus, quarum nominatim in iure mentio facta est.

ET SAVL ABSTVLIT &c.

Cicero.

Quid sit Diuinatio.

Species diuinat. ab ipso iure nominatim prohibitæ.

Primùm igitur damnantur. §*Sortilegi* iure Canonico, 16. *qu.* 1. *cap. Sortilegi.* Sortilegos autem vocat ibidem S. Isidor. qui per sortes Apostolorum diuinationis scientiam profitentur, aut inspectione quarumcunque Scripturarum futura promittunt.

Sortilegi.

Quæst. 2. *&* 3. primùm diuinationis species quatuor à Varrone numerantur, quas eadem autoritas condemnat. Est enim quædam *Geomantia*, altera *Hydromantia*, tertia *Æromantia*, quarta *Pyromantia* quæ circa terram, aquam, aërem, ignémque versantur: quæ omnia studiosè explicat Delrius locis citat.

Geomātia, Hydromātia, &c.

Arioli ibidem vocantur, propterea quod circa aras idolorum nefarias preces emittunt, & D funesta sacrificia offerunt, hisque celebritatibus dæmonum responsa accipiunt.

Arioli.

Haruspices nominati, quasi horarum inspectores: dies enim & horas in agendis negotijs, operibúsque custodiunt: & quid per singula tempora obseruare debeat homo, intendunt. Hi etiam exta pecudum inspiciunt, & ex eis futura prædicunt.

Haruspices.

Augures sunt, qui volatus auium & voces intendunt, aliáque signa rerum, vel obseruationes improuisas hominibus occurrentes ferunt. Iidem sunt & Auspices: nam auspicia sunt, quę iter facientes obseruant.

Augures. Auspices.

Astrologi dicti, eò quòd in astris augurantur. *Genethliaci* appellati propter natalitiorum considerationes

Astrologi. Genethliaci.

ET SAVL ABSTVLIT &c.

considerationes dierum. Geneses enim hominum per duodecim cæli signa describunt, siderúmque cursu nascentium mores, actus, & euentus prædicere conantur: id est, quis quali signo fuerit natus, aut quem effectum habeat vitę, qui nascitur. Hi sunt qui vulgò *Mathematici* vocantur: cuius superstitionis genus, *Constellationes* Latini vocant: id est, notationes syderum, quomodo se habeant, cùm quisque nascitur.

Mathematici.

Horoscopi nuncupati, quod horas natiuitatis hominum speculentur de simili & diuerso fato.

Horoscopi.

Salitores vocati sunt, quia dum eis membrorum quæcunque partes salierint, aliquid sibi exinde prosperum seu triste significari prædicant.

Salitores.

B

De his quid PP. senserint, vnus & alter exponet. Tertullianus de Idololatria cap. 9. Post Euangelium, inquit, nusquam inuenias aut Sophistas aut Chaldæos, aut incantatores, aut coniectores, aut magos, nisi planè punitos. Et rursum, Non potest regna cœlorum sperare, cuius digitus aut radius abutitur cœlo. At sæpè sæpius in Christianorum vecordiam S. Augustinus inuehitur, qui eius generis pestes consulerent: ex quibus manifestè colligas, quantum ab eo scelere abhorruerit. Enarr. in Psal. 91. *Quando*, inquit, *aliqua tribulatio est, currunt ad pythonem, aut sortilegum*, aut mathematicum: dicitur illi nomen Christi, subsannat, torquet os suum: Dicitur illi, Fidelis, cur consulis mathematicum? & ille, Recede à me, ipse mihi prodidit res meas, nam perdidissem, & in planctu remansissem. Homo bone, nonne signas te signo sanctæ crucis Christi? & lex omnia ista prohibet? Gaudes quia res tuas inuenisti: non es tristis quia tu perijsti? Quanto melius tunica tua periret, quam anima tua? Et ibidem infer. Ergo inimici Dei omnes amatores huius mundi, omnes inquisitores nugarum, omnes consultatores sortilegorum, mathematicorum, pythonum intrant ecclesias: non intrent ecclesias, inimici Dei sunt. Idem rursum in Psalm. 140. Sedent & computant sydera, interualla, cursus, volubilitates, status motus intendunt, describunt, conijciunt, Docti magni videntur. Totum hoc doctum & magnum, defensio peccati est. Eris adulter, quia sic habes Venerem: Eris homicida, quia sic habes Martem. Mars ergo homicida, non tu: & Venus adultera, non tu. Vide ne pro Marte & Venere tu damneris. Deus enim qui damnaturus est, nouit quia tu es qui dicis, non ego, iudici scienti.] Deinde ostendit quo pacto ne ille ipse quidem mathematicus suis nugis plerunque fidem habent. *Porrò ipse* mathematicus, qui tibi fabulas laqueorum tuorum etiam vendit, vt non vel gratuitam compares mortem. Emis enim mortem à mathematico pretio, qui contempsisti vitam à Christo gratis. Ipse enim mathematicus si vxorem suam paulò petulantius viderit conuersari, aut aliquos alienos improbè attendere, aut fenestram crebrò repetere, nonne arripit verbera, & dat disciplinam in domo sua? Respondeat illi vxor, si potest,

Tertullian.

Diuinos Patres condemnat.

S August.

C

D

Mathematici nugis suis fidem non habẽt.

A

Venerem cæde. Nonne & ille respondit, Fatua, aliud est quod competit rectori, aliud quod profertur emptori.

ET SAVL ABSTVLIT &c.

Plura ex eodem quoque Gratianus in suo Decreto retulit, quorum nonnulla describam. 26. *quæst.* 2. *cap.* 33. Hoc autem genus, inquit, fornicationis animæ salubriter diuina Scriptura non tacuit, neque ab eadem sic deterruit animam, vt propterea talia negaret esse sectanda, quia falsa dicuntur à professoribus eorum, sed [*etiamsi dixerint vobis*, inquit, *& ita euenerit, ne credatis eis*:] Non enim quia imago Samuelis mortui Sauli Regi vera prænunciauit, propterea talia sacrilegia, quibus illa imago præsentata est, minus execranda sunt: aut quia in Actib. Apostolorum fœmina ventriloqua verum testimonium perhibuit Apostolis Domini, ideo Paulus Apostolus pepercit illi spiritui, ac non potius fœminam illius dæmonij correptione, exclusione mundauit. Omnes igitur artes huiusmodi nugatoriæ vel noxiæ superstitionis ex quadam pestifera societate hominum, & dæmonum, quasi pacta infidelis & dolosæ amicitiæ constituta, penitus sunt repudianda, & fugienda Christiano.] Et rursum *ibidem cap. Illos.* Planetarios & mathematicos damnat, tametsi neque sacrificia, neque preces ad aliquem spiritum ob diuinationem dirigant. Postremò etiam *cap. Sed & illud.* Obseruare auguria, requirere stellarum cursus, & euentus ex ijs futurorum rimari, seruare somnia, &c. opprobrium Ægypti nuncupat, & fornicationem polluentem totam Ecclesiam.] Augustino astipulatur sanctus Gregorius, qui libro septimo epistol. 66. idolorum cultores, Aruspices, & Sortilegos pariter plectit: & siquidem superioris vitæ institutum emendare noluerint, Episcopum iubet eos comprehendere, & seruos quidem verberibus & cruciatibus torqueri vt resipiscant; liberos autem includi vult, & pœnitentia macerari.

Deutet. 13.

Act. 16.

Etiam absque prece & sacrific. diuinandi studium damnat.

S. Gregor.

Accedit ad hæc sacrorum Canonum autoritas. Concil. Antissiod. capite quarto. Non licet ad sortilegos vel auguria respicere, nec ad characteres, quos vocant Sanctorum, vel quos *de ligno* aut *de pane* faciunt, adspicere, &c. Concilium Agathense relatum à Gratiano *vigesimo sexto quæst. quint. capite sexto.* Diuinationis, inquit, scientiam quicunque consulere, aut docere deprehensus fuerit, ab Ecclesia habeatur extraneus. Si plura voles pete ex *ead. quæst. cap.* 1. 2. 4. 5. *& alijs.*

Canones eadem vetant.

Nec sanè remissior ciuilis potestas in coërcendo hoc scelere. *Cod. lib.* 9. *tit.* 18. *De Malefic. & Mathem. libro secundo.* Ars mathematica damnabilis, & interdicta prohibetur. *Lib.* 3. Aruspicum, Mathematicorum, &c. vetere amicitia omnibus interdicitur. Secundò, accusatores eorum delatores vetat appellari, & præmio dignos pronuntiat. Tertiò, si Aruspex ad domum alienam accesserit, iubet flammis vltricibus dari. Quartò, si quis vocauerit, ademptis bonis in insulam deportari. *Lib.* 7. Ariolos, Aruspices, Augures, Mathematicos, & enarrandis somnijs occultantes artem aliquam diuinandi, in comitatu Principis deprehen-

Leges Romanæ seuerè in diuin. animaduertunt.

Et Savl abstvlit, &c.

sos, præsidio dignitatis exutos torqueri iubet, & equuleo deditos vngulis sulcantibus latera perfodi. *Lib.* 8. eas artes discentem docentemque simili pœna plectit. *Lib.* 5. Nemo Aruspicem consulat, aut Mathematicum, aut Ariolum: Augurum & Vatum praua confessio conticescat. Chaldæi, & Magi, & cæteri quos maleficos ob facinorum magnitudinem vulgus appellat, nec ad hanc partem aliquid moliantur. Sileat omnibus perpetuò diuinandi curiositas: etenim supplicium capitis feret gladio vltore prostratus, quicunque nostris iussis obsequium denegauerit. At VVisigothorum lex præclare *lib.* 6. *tit.* 2. *cap.* 5. Sicut pia veritas mendacij assertione non capitur: ità non est consequens, vt latens veritas mendacio inuestigetur. Omnis igitur veritas ex Deo est, mendacium verò ex diabolo est: quia & ipse diabolus ab initio mendax. Cùm ergo vtraque res suos principes habeat, quid opus est, vt veritas cuiuscunque mendacio admittatur exquiri? Quidam enim ex iudicibus feruntur Dei spiritu vacui, qui acta maleficiorum dum inuestigare subtili perquisitionis perspicacia nequeút, execrabiles diuinorum pronuntiationes intendunt. Veritatem enim se inuenire non putant, nisi diuinos & aruspices consulant: & eo sibi reperiendæ veritatis aditum claudunt, quo veritatem ipsam per mendacium addiscere concupiscunt. Dum enim maleficia per diuinationes comprobare pertentant, quasi tertio loco ipsi se diabolo seruituros illaqueant. Quapropter si quis ex quolibet iudicum gradu vel ordine, per diuinos aut eorum similes aliquid sciscitare tentauerit, vel approbare intenderit: Si quis etiam hominum, cuiuslibet sit ordinis vel personæ, qui à talibus aut salutis aut ægritudinis responsa poposcerit, vel consulendos eos pro quibuscunque rebus crediderit, legis illius teneatur satisfactioni obnoxius, quę in hoc libro sexto, sub titulo secundo, era prima, eos, qui de salute vel morte Principis, aut quoruncunque hominum, vaticinatores quosque consulere prætentant, statuit serenitatis ordine resecari.] Illa lege 1. quam laudat, iubet quicunque ariolos, aruspices, vaticinatores de salute cuiusquã vel morte consuluerit, vnà cum respondentibus flagellis cæsos fisco in seruitutem mancipari. Hoc verò loco tanquam coronidis loco attexuit: At nunc, quia & augurijs deditos, eodem modo nouimus odibiles Deo: ideo speciali legis sanctione decernimus, vt quicunque sunt illi, quibus augures vel auguria obseruare contigerit, quinquagenis publicè subijciantur verberibus coercendi. Qui tamen ad solitum vitium vltrà redierint, perdito etiam testimonio, similiter erunt sententiæ flagellorum subijciendi.

Lex VVisigotor.

Porrò ea lex sapienter colligit, cùm sit dæmon mendacij pater, & scelerum artifex, non decere quemquam in re dubia eius testificatione vti. Nam etsi earum rerum quæ nos fugiunt, plerasque perspectas habeat, à veritate tamen abhorret, quam Dei filiam esse nouit: & homines odio persequitur; ita vt haud aliter suaderi possit veri quicquam prodere, quàm si speret eo pacto cuipiam perniciem allatum iri. Exemplo vno probabo, cuius is mihi autor est; qui se præsentem cùm accideret in ea vrbe fuisse diceret.

Legislatio.

Et Savl abstvlit, &c.

Dabat operam lanius vt mactanda sus apud se pinguesceret. Ea aliquando in officinam irrupit, & cõspicata domini pensile marsupium, quod vt lanium decuit sanie atque adipe egregiè inunctum erat, prædam rata dente secto loro deuorat. Ipse coactus vt fit cum pluribus vnà sermonem serere, suis temeritatem non aduertit: sed grunnitu parum opportunè interpellatus, stomachans atque increpitans clamore, fuste, prædatricem abigit: illa præclari sibi conscia facinoris, thesaurum vtero gestans maturius in haram se proripit. Condebant loculi nummos aureos decem, loculos autem suis ventriculus, quod herum latebat. Contigit autem subinde dum is carnes venderet, pretium reciperet, vt ventralem quæreret in quam pecunias mitteret. Vbi non reperit, tum is primùm consternatus animo ob iacturæ magnitudinem, deinde domesticum ac familiare scelus suspicans, vxorem, seruos, ancillas, percontatur sedulò; qua ratione postquam nihil promouere sese intelligit, iniuriæ impatiens, ac vindictæ cupidus, ariolum explorare constituit, valeátne furti autorem prodere. Itaque ad quendam adit habitantem in vicina platea, apud quem suas querelas deponit, orátque si quid opis afferre possit, pacta mercede conferat. Is facturum se recipit, iubétque post horam denuò ad se redeat non dubium responsum accepturus. Ita ergo tum discedit, vt qui fraudem vlturum se statim speraret. Veruntamen, quæ est humani ingenij curiositas & discendi sitis, actutum pedem refert, & sensim sine sensu ad Magi fores aurem applicat. Extemplò vocem audire sibi visus est raucam illam & obtusam sciscitantis, quid quæreret. cui Magus quid lanius postulasset exponit. ille refert Lanij crumenam à sue deuoratam esse, atque hactenus in eius hærere ventriculo: sed oblatam rei gerendæ occasionem negligi non posse: eodem pacto vxori interitum, viro autem supplicium parari posse. Quamobrem Lanio diceret, coniugem suam inhonesto Pastoris sui amore captam, eam illi pecuniam dedisse: sed & alia pleraque largiri, quæ si suppellectilem excutiat, obseruare possit amota esse. Sed & illud maturè cauendum esse ne in posterum maius aliquid audeat, & tentet eius vitæ periculum creare. Hæc postquam lanius arrectis auribus hausit, abit lætus & hilaris, vt qui magno sibi defunctus periculo videretur, in quod se temerè coniecerat: & ad condictum tempus iterum adest. Accusationem vxoris vbi percepit, fingit se mendacio credere. domum properat, suem iugulat, exenterat, ventrem secat, argentum nactus vxorem accersit, &, Heus tu, inquit, quàm parum abfuit quin pro fure hodie pariter interires: nam te libidine victam clàm meos labores adultero prodere Ariolus renunciauerat. Illa penè præsentis periculi imagine territa, non ante destitit, quàm ad deferendum Ariolum virum perpulit:

Exemplo probatur quàm tutò quisquam dæmoni & eius oraculis cõfidat.

Et Savl abstvlit &c.

pulit: qui statim nube testium obrutus, de celsa trabe pependit, & fracta gula vltrices flammas cadauere pauit.

Adde his, quod tametsi dæmones pro ingenij sui acumine & mentis perspicacia pleraque etiam futura acutè prospiciant, plura tamen ignorant, quæ nulla possunt coniectura consequi. Interim tamen nocendi studio, & gloriæ cupiditate, qua insolentius efferuntur, fingunt & comminiscuntur plurima, quæ hominum generi sperent incommodare posse. Quapropter tutò nunquam illis creditur: siue ignorent, quod iudicari liquidò nequit: siue tanquam lictores & carnifices cædes & strages, quas edere iussi sunt, aliquando ante tempore rescíscant. De quibus nos postea copiosius.

Dæmones diuinos sibi paciscűtur honores.

Tertia ratio est, quoniam vix aliter quàm pactis diuinis honoribus oracula fundunt, suáque mendacia cum Magis communicant. Inde tot illis quondam cæsæ hostiæ, instituta sacrificia, structæ aræ, sacrata adyta, templa posita. Hactenus denique nonnullis mactatis victimis, & incensis odoribus, profano ritu magi dæmonibus sacrificant, eosdem numina fatentur, verum Deum abdicant. Vtique Henricus Cornelius reliquos Magorum conatus sine sacrificio suffimentisque vix quicquam proficere posse prædicat.

Dices plerosque, qui magicis disciplinis vtantur, ab ea impietate alienos esse, nec vllum cum dæmone fœdus sanxisse. Veruntamen dæmon ea primùm mercede magicas artes docuit. Repete ex omni antiquitate sectæ principes, inuenies omnes idololatriæ deditos fuisse, non tantùm pythones, & eos qui numine correpti viderentur responsa dare, sed eos quoque, qui via ac ratione auguria sectarentur, & ex signis quibusdam, quæ disciplina traderet, rerum euentus coniicerent. Quod si legum metus nonnullos à publica superstitione absterruit, aut etiam Numinis timor auocauit, his interim diabolus fruitur quæcunque obtuleris: & si oblatio defuerit, gaudet tamen præscriptis à se ritibus coli, & habet pro suis quicunque suas artes exerceant. Nec quisquam negare possit, aut ad Deum excusationem vllam relinquere, qui diuinationis leges ac ceremonias nouerit docente Ecclesia defectionis à Deo, atque initi cum dæmone fœderis symbola esse.

Accedit SS Angelorũ iniuria.

Accedit ad hæc Sanctorum Angelorum insignis iniuria, quorum ministerio portenta hæc & ludibria Gentilitatis perfici mentiuntur: quorum probra & & contumelias si lentè tulerimus, quæ spes erit eorundem præsidio à dæmonum impetu atque violentia nos defendi posse.

Doctorum consensus.

Præterea frequentes Doctorum scholæ in eam sententiam conueniunt. Sanctorum autem nemo hactenus repertus est, qui eius dementiæ patrocinium susceperit: quos omnes falli nequaquam verisimile est, sint licet nonnulli qui temporum suorum licentię vtcunque cedentes, Vulgaris probationis testimonio innocentiam suam tuiti sint.

Et Savl abstvlit &c.

Diuinæ legis autoritas.

A Postremò, confirmat hæc omnia diuinæ legis autoritas, quæ humanis legibus cùm Ecclesiasticis tum Politicis fidem autoritatémque conciliat: de qua commodius in sequentibus. Institutum à nobis Commentarium repetamus.

Versvs IV.

Congregatique sunt Philisthijm, & venerunt, & castrametati sunt in Sunam: congregauit autem & Saul vniuersum Israel, & venit in Gelboe.

B

Versvs V.

Et vidit Saul castra Philisthijm, & timuit, & expauit cor eius nimis.

Topographia. Adrichomius.

Vnam.] Oppidum est in termino Issachar. Iosue 19. 18. *In Gelboe.*] Montes sunt non procul à conualle Iezrael: nam ibi prælium commissum est. Adrichomius in Issachar, *Suna*, inquit, quæ & *Sunam*, & *Sunem*, eadem dicta & *Sula*, ciuitas est ad latus Australe montis Hermon, distans à Bethsam vndecim miliariorum itinere; vnde *Sunamitis*, & *Sulamitis*.

C Hic castrametati sunt Philistæi contra Saul, quando Saul venit in Gelboe. Patria fuit hæc Abisag Sunamitis puellæ speciosissimæ, quæ senem ac Septuagenarium Regem Dauid calefecit, dormiens in sinu eius vxor & virgo. Hinc dicta est *Sulamitis* Cant. 6. 7. Hanc Elisæus frequenter transibat, iter faciens de Carmelo ad Iordanem, Galgala vel Iericho, vbi & hospitabatur apud mulierem Sunamitidẽ, cui à Deo filium impetrauit, quem postea mortuum suscitauit, 4. Reg. 4. Ostenditur & vsque hodie, ait S. Hieronymus, vicus nomine *Sulem* in quinto miliario Tabor. in loc. Hebraic. De *Gelboe* ibidem Adrichomius c. 37. *Gelboe* mons, siue montes, in quibus Saul castrametatus est contra Philistæos, ibique cum Ionatha filio suo occisus est: quamobrem postea imprecatus est

S. Hieron.

D ijs montibus Dauid, vt *nec pluuia, nec imber, nec ros descenderet super montes istos.* Extendunt se montes illi ab Occidente, à Iezrael vsque ad Iordanem per vndecim leucas. Narrat igitur Breidenbachius montes illos in multis locis esse petrosos, aridos, steriles. Sunt, qui volunt ciuitatem esse prope montes, quæ diceretur Gelboe, à qua ipsi montes nomen acceperint. Est & Gelbus vicus grandis, situs in monte Gelboe, vt sanctus Hieronymus autor est.

Congregauit autem & Saul vniuersum Israel.] Vt primùm scilicet Palæstinos nouit bellũ affectare. Prudẽter verò cùm videret confertos hostes in se irruere, vniuersum Israel compellit in vnum locũ. Nam quæ calamitas non rarò pri-

TIMVIT, &c. uatim paucos obterit, ea cùm in plures inciderit, cõmuni labore depellitur. Deinde simultates, quę inter absentes per delatores clanculùm fouentur, vt primùm conueniendi copia datur, & mores mutuûm experiri licet, plerũq; statim sopiuntur. Charitas porrò cùm nos Deo plurimùm commendat, tum dæmonem terret, qui iniquis hostibus subsidio esse solet. Adde his quod plures, si vota secũ communicauerint, & in eandẽ orationẽ consenserint, quod postulant facilè consequantur. Postremò, boni cùm adunati fuerint, malis præsidio sunt eósq; innocentia sua tuẽtur. Expauit nihilominus Saul, & timore correptus est. Vnde tanta imbecillitas? Quoniam etsi valido cinctus exercitu hostiles minas contemnere potuit, animaduertebat tamen Numinis præsentiam sibi deesse. Nouerat autem ni Deus afforet, multitudinem oneri potius quàm subsidio esse. Auget calamitatẽ turba non minuit. Pauci, si Deus annuerit, insignẽ sæpè victoriam conficiunt. quamobrem cùm delectum militum haberet, & copias cogeret, Dei primùm meminisse debuit, vt turmarum dux esse vellet, & suis auspicijs bellum hoc administrare. Sin iratum sibi atq; offensum præsenserat, priusquam copias educeret eundem pœnitentia placaret: Id cùm facere neglexerit, nunc cùm præsenti animo opus est, & virili constantia, ad primum aciei conspectum illum trepidatio degener exanimat.

Congregationis non leue emolumentum.

Et timuit, & expauit cor eius.] Pallori ac Pauori prisci Gentiles antequã pugnam inirent, sacrificare solebant. Narrat autem Pausanias in Corinthiacis, Pauoris simulacrum muliebri habitu Corinthi dedicatum fuisse. Idem in Eliacis, In Argiuorum, inquit, Nemea saxum eminet supra curriculi flexum, colore rutilo; cuius fulgore concitãtur equi, haud aliter multò, quàm si immissis ignibus iniecta esset trepidatio. Sed qui ab Olympico existit Taraxippo, longè est acerrimus terror. In eo, inquit, [stadio Olympico] ad ipsum aggeris exitum, ara est figura rotunda. Ad eam Deus colitur, quem Tarraxippum (ab incutiendo equis pauore) nuncupant. Solent enim iniecto terrore, circa aram hanc equi tam vehementer cõsternari, vt, incertum vnde coorta trepidatione, sæpe illisis curribus affligantur aurigæ. Quo igitur equo & propitio vtantur Taraxippo, ad eam aram aurigæ vota nuncupant. Variat autem, inquit, de Taraxippo Græcorũ sententia. Sed nos omissis cæteris, vnius tantùm quæ probabilior visa est, statuimus meminisse. Ægyptius quidam Pelopem aiebat acceptũ nescio quid ab Amphione Thebano, eo in loco defodisse; cuius arcana vi tunc conterriti fuerint Oenomai equi, & subinde equi omnes pariter afficiantur. Et censebat ille quidem Amphionem & Orpheũ (etsi Thrax diceretur) Ægyptios fuisse: propterea verò alteri feras allicere, alteri saxa ad muros extruendos mouere attributum, quod vterque Magorum scientia excellerent.] Reuera enim Circenses agitatores maleficiorum nomine plerunque infames habiti sunt. Nam dum vincere student, & aduersariæ factionis equos morari, ne magicis quidem artibus abstinuisse ferun-

Pausanias. *Ταραξιππος.* *Magicis artibus terror equis incutitur.*

A tur. Apud S. Hieron. in vita S. Hilarionis. Hic igitur (*Italicus*) æmulo suo habente maleficum, qui dæmoniacis quibusdam imprecationibus & huius impediret equos, & illius incitaret ad cursum, venit ad B. Hilarionem, & non tam aduersarium lædi, quàm se defendi obsecrauit, &c. Ammianus Marcel. l. 28. Postquam narrauit quo pacto Lollianus primæ lanuginis adolescens, conuictus codicem noxiarum artium, nondũ per ętatem firmato consilio descripsisse, Principis decreto perierit, statim addit: Super his etiam Tarratius, Bassus, & frater eius Camenius, & Martianus quidam, & Eusaphius omnes clarissimi arcessiti in crimen, quòd eiusdem conscij veneficij aurigam fauere dicebantur Auchenium. Superiore l. 26. Hilarium aurigam conuictum atque confessum, B vixdum pubescentem filium suum venefico tradidisse, docendum secretiora quædam legibus interdicta, vt nullo conscio adminiculis iuuaretur internis, capitali animaduersione damnauit: qui laxius retinente carnifice, subito lapsus confugit ad ritus Christiani sacrarium, extractúsque exinde ilico abscissa ceruice consumptus est. Contra hos aurigas maleficos scripta est in partem Constitutio Valentin. Theodos. Arcad. Impp. quæ est *l. 9. Cod. de malefic. & mathemat.* Non rarò quoque Magi duces exercitúsque terruisse feruntur: Sed nihil horum istic Sauli accidit.

TIMVIT, &c. *S. Hieron.* *Amm. Marcell.*

Quo pacto igitur cùm ingruere Palęstinorum exercitum cerneret, tanto præter consuetudinem pauore corripitur? Alioqui enim semper antea satis forti animo & parato ad pu- C gnam fuisse constat. Respondet Diphilus Comicus,

Sibi alicuius rei cõscius, etiamsi sit audacissimus,
Eum conscientia timidissimum esse facit.

Saulem sua conscientia terret.

Iam tandem igitur Deus incipit inire rationem præteritorum delictorum, & superioris vitæ contumaciam vlcisci, laxiores deinceps iræ suæ habenas permittit, & minas suas tametsi serò, seriò tamen, si quos non pœnitet, reipsa probat comprehendere. Hoc comminatus est grauissimis verbis in Leuit. cap. 26. & in Deuter. c. 28. *Percutiet*, inquit, *te Deus trepidatione: fugies nemine persequente: exhorresces ad strepitum folij volitantis.* Ita accidit quoties destituimur spiritu Dei. Dei enim spiritus, est spiritus fortitudinis. Nec fuit iste vulgaris timor Sau- D lis: sed tãtus vt ille totus obstupefieret, & mente quodammodo moueretur. Ita eum concussit superiorum malorum conscientia. Meminerat, sententiam dictam à Samuele, regnum transferendum esse ad alium se meliorem: videbat instare hostem, & suo vitio Dauidem ad eum transfugisse. Ita iam omnia pœnas ab illo repetunt, ac tandem iustitia diuina obtinet.

Leuitici 26. cap. legimus, v. 21. *Si ambulaueritis ex aduerso mihi, nec volueritis audire me, addam plagas vestras in septuplum propter peccata vestra.* Et rursum ibidem 23. *Quòd si nec sic volueritis recipere disciplinam, sed ambulaueritis ex aduerso mihi: ego quoque contra vos aduersus incedam, &c.* Denique v. 27. *Sin autem, nec per hæc audieritis me, sed ambulaueritis contra me: & ego incedam aduersus*

Vicem malis Deus rependit.

TIMVIT, &c.

aduersus vos in furore contrario, &c. Quæ omnia infelix Saul, dum obfirmato animo Dei imperium detrectat, & eiusdem sententiæ refragatur, verissima esse suo ipsius periculo atque exitio expertus est. Sed quoniam eius literæ non vna translatio est, plures referre non grauabor, quo pluribus eius decreti terror exaggerari possit. Hebraicè scriptum est: *Si ambulaueritis mecum* קרי *keri, & ego ambulabo vobiscum* בקרי *bekeri, in keri.* Additur 28. *Ambulabo vobiscum* בחמת קרי *bachamath keri.* Pagninus vertit: *Si ambulaueritis mecum ex aduerso, ambulabo ego etiam vobiscum ex aduerso (28) in furore contrario.* Arias maluit interpretari *keri, in occursu, occursiuè.* & 28. *in furore occursiu.* Vtrunque æmulari atque exprimere videtur, qui paraphrasticôs ita exposuit: *Quod si ne sic quidem à me ad sanitatem reuocati, mihi aduersari pergetis, ego quoque vobis aduersans, scelera vestra in vos septupla clade vindicabo.* & 27. *Quod si neque tum mihi morigerantes, mihi contrauenietis, ego vobis vicissim contrà iracundè veniens, supplicium ob scelera vestra septuplum irrogabo.* Alius quispiam ita habet: *Si ambulaueritis mecum temerè, vtique ambulabo & ego vobiscum temerè.* Hoc est, si ita mecum egeritis, vt maiestatis meæ nullam rationem habeatis, nullum ad personam respectum, ego quoque non adhibita plagis moderatione, habenas iræ meæ in vos laxabo: humanitus dictũ. Et v. 28. *Ambulabo vobiscum excandescens temerè.* Hoc est, omnia promiscuè ac sine discrimine peruadens, nullo delectu proterens & conculcans omnia. Hebr. *in excandescentia temeritatis.* Isidorus Clarius reddit, *incedam aduersus vos in furore ex aduerso.* Chaldæus, *Si ambulaueritis mecum in duritia, ambulabo & ego vobiscum durè.* 28. *in ira furoris.* ita habet Complutensis editio. Lxx. *Si* πορεύησθε πρὸς με πλάγιοι *ambulaueritis contra me obliqui;* πορεύσομαι κἀγὼ μεθ' ὑμῶν θυμῷ πλαγίῳ, *ambulabo & ego vobiscum furore obliquo.* Ἐναντίοι siue repugnātiâ Schol. φιλονείκως alij. Venetus Probl. Tomo 2. sect. 8. *Si seruieritis mihi frigidè, siue tepidè, & ego vobiscum tepidè ac remissè agam.* קור *Kur* enim, inquit, *frigus* significat. Ex eodem, *Si obiter & perfunctoriè, ita & ego quoque vobiscum perfunctoriè.* Significat enim קרי *keri, in accidente,* per accidens, ex occasione, vt sors tulerit. Vult enim Deus non vtcunque se occasio dederit, sed de industria coli. A verbo קרה *karah* deducunt, de quo Kirkerus in Concordant. Hebraicis. קרה *Karah,* accidit, euenit, occurrit, obuiam factus est, vel fato, vel fortuna seu casu. Et vt קרא *kara* dicitur de voce ad aliam personam, vel rem: ita hoc dicitur de reali accidente seu occursione. Hæc ille. Quod non potest vsquequaque verum esse. Nam ad rem pertinet quod isto posteriore verbo testatur Ieremias, cap. 32. v. 23. Καὶ ἐποίησας συμβῆναι αὐτοῖς πάντα τὰ κακά. *Et fecerunt accidere sibi omnia mala hæc,* in quo etiam nostra translatio consentit. *Casum* porrò ita interpretantur Varablus & Fagius, hic quidem in Onkelum, ille in Ecphrasi. *Si ambulaueritis mecum cum casu* siue *in casu,* hoc est, si dixeritis quæ à me vobis dantur, casu siue fortuna accidere, non à me. Si casui tribueritis, quæ mihi tribuenda sunt: *Ambulabo etiam ego vobiscum cum casu.* Non curabo vos vltrà: ita vobiscum agam, vt videantur omnes res vestræ casu accidere. Si sentiatis me mortalia non curare, ego profectò res vestras non curabo. & 28. *& ambulabo vobiscum in ira casus.* hoc est, quæ pessima ac teterrima mala nonnunquam casu videntur mortalibus accidere, ea per me vobis euenient. Si fortunæ adscripseritis quas ego pœnas delictis vestris irrogo, & non censueritis animaduersiones esse peccatorum vestrorum, & ego quoque contingentes eas habebo, vósque malis patiar obrui. Chaldæus, vt iam anteà attigimus, legit: *Si ambulaueritis coram me* בקשיו *bekasciu, in duritie; ambulabo, & ego vobiscum in duritie.* & ver. 28. בתקיף רגז *bithkoph regaz, in vehementia iræ.* Quod nonnulli ita exponunt: Si vos mihi opposueritis, atque duros, difficiles, & immorigeros erga me exhibueritis: vos quoque me durum ac difficilem, nec satis obsequentem desiderijs vestris experiemini. Vatablus Salmant. habet: *Si contumaciter aduersum me perrexeritis, incedam & ego contra vos contumaciter. Obstinatè* maluit Onkeli interpres. & 27. ita reddidit: *Si, inquam, nec per hoc [acquieueritis verbo meo,] sed ambulaueritis contra me obstinatè: ambulabo & ego contra vos in furore iræ, & castigabo etiam ego, & septuplum propter peccata vestra.* Æquum est itaque mortales obtemperare Deo, ne caput opponere, cum eo conscantes, cùm decretorum eius constantiam nullius hominis contumacia vincere possit.

VERSVS VI.

Consuluitque Dominum, & non respondit ei, neque per somnia, neque per Sacerdotes, neque per prophetas.

ET *non respondit ei.*] Chaldæus, *Et non accepit orationē eius Dominus. Neque per somnia.*] ἐν τοῖς ἐνυπνίοις, *neque in insomnys.* Hebr. בחלמות *bahhalomoth,* idem significat. Singulare est חלום *hhalom, somniũ,* à verbo חלם *hhalam,* quod cùm alia tum etiam *somniare* per metalepsin significat. Isidorus Clarius, *per somnia,* id est, per somniatores, siue diuinos, qui per somnia quærebant responsa.] De his apud Ethnicos est illud Virgilij 7. Æneid. — Variæ translationes.

Somnósque petiuit,
Multa modis simulacra videt volitantia miris
Et varias audit voces, fruitúrque Deorum
Colloquio.

Neque per Sacerdotes.] *Neque* Hebraicè, באורים *baurim.* Pagninus, *per vrim;* Arias, *in illuminationibus.* Interpr. Paraphr. Chald. *in luminibus;* Lxx. Καὶ ἐν τοῖς δήλοις. Complut. *in manifestis;* Rom. transl. *in manifestationibus.* Alius, *neque per Vrinos,* de quibus Numer. 27. 21. Illi enim non penes Saulem, sed penes Dauidem erant, suprà 23. 6. & 9. Vatablus, *Neque per Vrim,* id est, per Sacerdotes. Nam summus Sacerdos gerebat Vrim & Thummim in hosen,

CONSVLVITQVE DOMINVM, &c.

siue pectorali, ante pectus. Isidorus Clarius, *Neque per Vrim*, sensus, est, neque per summum Sacerdotem pontificalibus indutum vestimentis. Sed quomodo potuit consulere summum Sacerdotem, cùm is exul esset, & ageret cum Dauid? Respondent Hebræi, quòd miserit in tanta necessitate nuncios ad Dauid, & ad Abiathar summum Sacerdotem, & rogauerit, vt is applicato ephod, consuleret Dominum, quid facto opus esset. Sed hæc merè fabula est, & commentum Hebræorum. Satis autem commodè intelligitur, per Sacerdotes oraculum consulere non potuisse, cùm Sacerdotes deessent, quos aut metu fugauerat, aut etiam ferro peremerat. *Neque per prophetas.*] Solus Ionathan *Scribas* vocat. Hoc autem totum denotat, neque ordinariè, neque extra ordinem, Deum respondere voluisse.

Consuluitque Dominum.] Lucretius Poëta li 5.

Lucretius.

Cui non animus formidine diuûm
Contrahitur? cui non correpunt membra pauore,
Fulminis horribili cum plaga torrida tellus
Contremit, & magnũ percurrũt murmura cœlũ?
Non populi gentesque tremunt? regésque superbi
Corripiunt diuûm perculsi membra timore,
Ne quod ob admissum fœdè, dictúmque superbè
Pœnarum graue sit soluendi tempus adactum?

Religio tempora calamitatis potissimũ occupat.

Cùm scilicet ingruit sæua calamitas quæ nos opprimere posse videatur, tũ nemo formidinis expers; tametsi semper antea quispiam mortis ac periculorum contemptum præ se tulerit.

Idem lib. 3.

Multóque in rebus acerbis
Acrius aduertunt animos ad religionem,
Quo magis in dubijs hominem spectare periclis
Conuenit, aduersísque in rebus noscere qui sit.

Tandem ergo ille ferox & immitis animus, qui Domini imperium contempserat, qui ab eo designatum Principem omni conatu perdere studuerat, qui ausus erat in choros prophetarum irrumpere, qui religionem ludibrio habuerat, Sacerdotes mactauerat, tabernaculũ violarat, impendentis mali fractus metu, diuini Numinis opem implorandã censuit. Fuitne aliquando quisquam Pharaone contumacior; Nabuchodonosore elatior; sæuior Antiocho? Atqui hi omnes cùm in ærumnas calamitatesq; incidissent, à Deo liberari postularunt. Nemo tam ferox & truculentus viuit, quem non aliquãdo terror debilitet, quẽ ruinæ moles non deijciat, qui plagis & verberibus non possit mitescere. Natura porrò homines docuit, postquam nihil in se alijsq; opis ac præsidij relictũ vident, vt ad Deum naufragij sui reliquias appellant: hunc esse portum miseris à procella tutissimum.

Consuluitque Dominum.] Quærit oraculum. Ita enim Deus iusserat in Numeris, quoties aliquid magni momenti susciperetur. *Pro hoc*, id est Principe, *si quid agendum erit, Eleazar Sacerdos consulet Dominum. Ad verbum eius egredietur, & ingredietur ipse. &c.* Paraphr. Onkelos, *Sacerdos pro eo interroget iudicium Vrim coram Domino.* Obseruarunt autem Hebræi quod vbicunque mentio fit *Vrim pectoralis*, semper coniungitur cum *Thummim*, vt Exodi 28. Deut. 32. Esdr. 2. Nehem. 7. Excipitur hic locus, & item ille Nu. 27. quem citauimus, vbi *Vrim* solùm ponitur:

Num c. 27.

Nonnullæ obseruationes Hebræorum circa *Vrim & Thummim.*

A & volũt simpliciter accipi pro *Summo Pontifice* atque adeo præceptum illud ita interpretantur. *Ante Sacerdotem stabit Princeps, & interrogabit eum de iudicio Vrim coram Domino*, Id est, Cõsulet Pontificem de rebus agendis, tanquam conscium voluntatis Dei: de rebus inquã, quas reuelabit ei agendas Dominus, propter præsentiam nominis sui, quod ipse Sacerdos gestat in pectorali. Hîc *Vrim* pro *Summo Pontifice* accipitur, vt sit antecedens pro relatiuo. Interrogabit eum de *iudicio Vrim*, id est, *Pontificis*, hoc est, suo: interrogabit Sacerdotem de iudicio Sacerdotis: interrogabit Sacerdotem sententiam suã quid Dominus velit. Quasi dicat, Cùm aliquid agere volet, interrogabit Summũ Pontificem qui gestat Vrim & Thummim in pectorali. Vel interrogabit eum *de iudicio*, id est,

B sententia *Vrim*, id est, *illuminationum*: hoc est, de sententia Dei illustrantis & illuminantis, & dirigentis omnia: vt *Deus* hic dicatur *Vrim*, vt *lucem mundi* se Christus dicit in Euangelio. Hactenus illi. Qui videntur alijs nodum in scirpo quærere, & rebus per se satis manifestis obscuritatem accersere. volũt enim pleriq; non aliam eius loci sententiam esse. *Ante Sacerdotem Princeps stabit, qui interroget*, siue consulat *ei*, siue pro eo, *iudicium Vrim* quod in pectorali gestabat Sũmus Pontifex, vnde responsa dabantur: Idq; faciat *coram Domino*, id est, in tabernaculo coram arca Domini, vbi ipse dabat responsa.

Cæterùm siue *Vrim*, cùm absque *Thummim* scribitur, Pontificẽ ipsum designet, seu potius pectoralis ornamentum illud, per quod Deus volũtatis suæ Pontifici significationem dabat:

C neutrum Saul consulere potuit. nam & Pontifex errabat apud hostes profugus, &, cùm fuga vitæ suæ consuleret, *Ephod Pontificis* secum asportauerat. Quid si Saul, vt quondam Gedeon, aliud instar prioris ad suum arbitrium architectatus est erat? Nam sunt qui putẽt illum, postquam Abiathar euasisset, fecisse alias vestes sacras, & creasse aliũ Sacerdotem. Hoc tentasse legitur Michas Iudic. 17. & 18. & Danitas apud eundem consuluisse Dominum, & secundũ responsum tulisse. His ego fidem adhibeo, quoniã horum mihi Scriptura testis est. Sed non videtur necessariũ vt Regem hoc loco Sacerdotem adijsse censeamus. Neque enim id ascribitur. Tantum legitur: וישאל שאול ביהוה *Vaiscal Saul baiouah, & interrogauit*, siue *consuluit Dominum*

Sensus huius loci.

D aut *in Domino*. Quod autem statim sequitur: *Et non respondit ei, neque in somnijs, neque* באורים *baourim, in Vrim*, verum esse potest, tametsi de Sacerdote sciscitando non cogitarit. Idque videtur probabilius ex eo, quod postea apud Samuelem reuocatum ab inferis nullam fecerit mentionem de *Vrim, & Thummim*. Cõsulebatur autem Deus non tantum istis rationibus, sed etiam interdum per *sortes*: interdum per omina. *Omen* autem erat, vt quispiam signum aliquod sibi constitueret, quod si accidisset, intelligeret, id euenturum esse, quod in animo destinasset. Quale illud est quod in Genesi legimus de seruo Abrahami: quodque suprà pluribus persequuti sumus de Ionatha & eius armigero: quodque in libro Iudic. legimus de Gedeone,

CONSVLVITQVE DOMINVM, &c.

Gedeone, & vellere, modò sicco, modò compluto. Solebat etiam Deus interdum, quid vellet, significare per *Angelos*. Sed ista minus erant ordinaria: illa altera magis erant in vsu; itaque à Saule commemorantur.

Maiorum nostrorum pietas & religio.

Exemplum vnum referre institui, quo fortissimus Rex Clodoueus cum hæreticis signa collaturus Dei voluntatem explorare instituit: idque eò copiosiùs faciã, quò degeneres nostros arguam, qui hoc tempore, cùm sit res illis pariter cũ hæreticis, haudquaquam ab Ecclesiarum iniuria & spoliatione abstinent. Igitur, inquit S. Gregor. Tur. Clodoueus Rex ait suis: *Valde molestè fero, quod hi Arriani partem teneant Galliarum. Eamus cum Dei adiutorio, &* superatis redigamus terram in ditionem nostram. Cúmque placuisset omnibus hic sermo, commoto exercitu Pictauos dirigit. Ibi tum Alaricus commorabatur. Sed quoniam pars hostiũ per territorium Turonicum transibat, pro reuerentia B. Martini dedit edictum, vt nullus de regione illa aliud quàm herbarum alimenta aquamque præsumeret. Quidam autem de exercitu, inuento cuiusdam pauperis fœno, ait, Nonne Rex herbam tantum præsumi mandauit, & nihil aliud? Et hoc, inquit, herba est. Non enim erimus transgressores præcepti eius si eam præsumimus. Cúmque vim faciens pauperi, fœnum vi abstulisset, factum peruenit ad Regem: quo dicto citius gladio perempto ait: Et vbi erit spes victoriæ, si B. Martinus offenditur? Satisque fuit exercitui, nihil vlterius ab hac regione præsumere. Ipse verò Rex direxit nuncios ad beatam Basilicam dicens, Ite, & forsitan aliquod victoriæ auspicium ab æde sancta suspicietis. Tunc datis muneribus quæ sancto loco exhiberent, ait: *Si tu Domine adiutor mihi es, & gentem hanc incredulam, sempérque æmulam, meis manibus tradere decreuisti, in ingressu basilicæ S. Martini dignare propitius reuelare, vt cognoscam quia propitius dignaberis esse famulo tuo.* Maturantibus autem pueris, & ad locum accedentibus iuxta imperium Regis, dum sacram ingrederentur basilicam, hanc antiphonam ex improuiso primicerius qui erat, incipit: *Præcinxisti me Domine virtute ad bellum, supplantasti insurgentes in me subtus me, & inimicorum meorum dedisti mihi dorsum, & odientes me disperdisti.* Quod satellites audientes, & Domino gratias agentes, & vota B. Confessori promittentes, læti nunciauerunt Regi. Porrò ille cùm ad fluuium Vigennam cum exercitu aduenisset, per quem locum transire deberet, penitus ignorabat: intumuerat enim ab inundatione pluuiarum. Cúmque illa nocte Dominum deprecatus fuisset, vt ei vadum quo transire possit dignaretur ostendere, mane facto cerua miræ magnitudinis ante eos, nutu Dei, flumen ingreditur, illáque vadante, populus qua transire possit, agnouit. Veniente autem Rege apud Pictauos, dum eminus in tentorijs commoraretur, pharus ignea de basilica S. Hilarij egressa, visa est ei tanquam super se aduenire, Scilicet, vt lumine S. Confessoris adiutus Hilarij, liberius hæreticas acies, contra quas sæpe idem Sacer-

S. Gregor. Turo Hist. Franc. lib. 2. cap. 37.

Frequens hostis vsus olim apud nostros pro amico & proprio exercitu. In hoste pergere, *s'acheminer à l'armee. l'host du Roy.*

Responsum Clodoueo datum.

A dos pro fide conflixerat, debellaret. Contestatus autem omni exercitui, vt nec ibi quidem, aut in via aliquid spoliarent, aut res cuiusquam deriperent, &c. Itaque, vt ait, Clodoueus Gothos fudit, & eorum regem Alaricum occidit, & maxima parta victoria Tholosa Sede regni Gothorum potitus est, & Engolismæ muri, quam hactenus Gothi tenuerant, eo aduueniente sponte corruerunt. Hactenus vir Sanctus. Nec dubium quin nos quoque ætatis nostræ portenta hæreticos deleremus, si maiorum nostrorum vestigijs inhærentes, simili Deum & Sanctos eius religione coleremus.

Et non respondit ei.] Deus nihil respondet: qui tamen alioqui in rebus dubijs inuocatus deesse non solet. Videt enim quo animo ista
B fiant. Prodere vult aliquando occultum virus & cœcam prauitatem, quæ in animo Saulis iam diu delituerat, vt omnes viderent quàm procul ille abesset à pietate. Nam cùm prius animo concidisset, & pauore consternatus de Numinis præsidio desperasset, ex more magis quàm fide, & ne quid intentatum reliquisse videretur potius quàm vllam spem in Deo collocasset, oraculum sibi consulendum censuit. quod vbi comperit obmutuisse sibi, nihil sollicitus qua ratione Deum placaret ad diabolum se contulit: faciens quod quædam apud Poëtam minitari visa est:

Flectere si nequeo superos, Acheronta mouebo.

Sed illum primùm ex animo scelerum pœnituisse oportuit. Deinde se Deo permittere, & auxilio eius præstolari. Sed potius quàm pœ-
C nitentiæ laborem subeat, & liuorem præpostere conceptam à se detestetur, & cum exulibus in gratiam redeat, impatiens moræ, ad malas artes, quibus reliquis antè interdixerat, ipse se recipit. Itaque audiri non meruit, nec illum Dominus vllo responso dignatus est. Quinimò, quod mirere magis, Scriptura alio loco Saulem Dominum consuluisse negat. Sic enim legimus 1. Paral. 10. ver. 13. *Mortuus est ergo Saul propter iniquitates suas, eo quod præuaricatus sit mandatum Domini quod præceperat, & non custodierit illud: sed insuper etiam pythonissam consuluerit, nec sperauit in Domino.* Quæ postrema verba Vatablus exponit, *& non consuluerit Iehouam.* Hebr. scriptum est, ולא דרש ביהוה *velo darasc baihouah.* Arias vertit, *& non quæsiuit in Domino:* quod eodem spectare videtur. דרש
D *Darasc* Hebr. Idem quod *quæsiuit, sciscitatus est*, interrogauit, consuluit, consilium aut opem petijt. Genes. 25. vers. 22. cùm gemini in Rebeccæ parturientis vtero colliderentur, *perrexit*, ait Scriptura לדרוש את יהוה *lidrosc eth Iehouah.* Vulgatus, *vt consuleret Dominum.* Targum consentit, *vt quæreret doctrinam à Domino.* LXX. πυθέσθαι παρὰ κυρίου, *interrogare Dominum.* Hoc est, oraculum percontari. Ieremiæ cap. 21. ver. 2. דרש נא *Derosc-na.* Vulgatus, *interroga pro nobis Dominum.* LXX. ἐπερώτησον περὶ ἡμῶν τὸν κύριον. idem. Kirkerus autem in Concord. דרש *Darasc*, quærere, inquirere, sciscitari, percontari, & simul importat curam & solicitudinem. S. P. Interrogare, curare, quàndo Deo tribuitur. Hæc ille. Ex quibus sequitur, vt commodè

Conciliantur inter se loca quædã Scripturæ.

CONSVLVITQVE DOMINVM, &c.

etiam verti poterit: *Et non interrogauit, neque curauit Dominum.* Neque tamen ista cum historia nostra pugnāt. Nam quod verè & ex animo non fit, atque adeò vt fieri necesse est, perinde est ac si non fiat: vel potius reuera non fit. Quare vtrobiq; verè scribitur, hîc quidem, *Saulem consuluisse Dominum*, quoniam cùm desponderet animum, & nullum non moueret lapidem quo se periculo eriperet, Dominum quoque consulere velle visus est: & in Paralipomenis, *non consuluisse Dominum*; quoniam nulla spe fretus aut fide hoc egit, sed quasi tentans Dominum, & periclitans omnia, cùm nollet ab errore atque vecordia resipiscere.

Neque per somnia, neque per Sacerdotes, neque per Prophetas.] Primùm generatim dicitur, Deū non respōdisse. Deinde res distributius describitur per partes. *Nec per Sacerdotes.* Hebraicè, *nec per Vrim*, hoc est, per *Sacerdotem*. Nam ille in pectore gestabat lapides, qui à perfectione & claritate dicebantur *Vrim & Thumim*; vnde Deus solebat reddere oracula. Itaque, vt iam diximus, *Sacerdos* interdum dicebatur *Vrim*. Neque tamen inde sequitur, Saulem Pontificem cōsuluisse: Sed hoc solùm, reuera à Sacerdote, cùm in tanto discrimine versaretur, responsum non accepisse. *Neque per prophetas.*] Erant enim plures Samuelis discipuli quos afflari numine quandoque contigit, & futura prædicere, ad quos verisimile est Saulē nuncios allegasse, qui Dei mentem ac consilium ab eis exquirerent. Iosias Regum pijssimus, cùm perlectis legis execrationibus oppidoquā territus esset, exēplo viros principes misit, qui Oldam prophetidem ex suo nomine cōpellarent. (2. Paral. 34.) Deus ipse sæpius prophetas misit, qui Reges deterrerent à scelere, aut futuræ calamitatis admonerent. Lege 2. Paral. c. 25. Quinetiam ad Ioram filium Iosaphat Regem Iuda litteræ ab Elia septennio postquā is raptus esset, allatæ sunt, quibus illi funestissimum obitum ac teterrimam cladem denūciat: quas habes 2. Paral. c. 21. Quid si præterea Saul priuatim suum prophetam habuit, quemadmodum postea Dauid legitur habuisse Gad vtique 2. Regum c. 24. dicitur *Videns & Propheta Dauid.* Nec tamen horū quisquam Sauli Dei consilium aperuit: sed in tanto Reipub. periculo, cùm omnia pessum ruerent, hærebat in obscuro atque ancipiti nemine diuini consilij facem ostentante, ad quam naufragæ ratis reliquias appelleret.

Neque per somnia.] LXX. ἐν τοῖς ἐνυπνίοις. Suidas, ἐνύπνιον. ἐφ᾽ ὅσον τις ὑπνοῖ. dicitur quatenus quis dormit, & secundum quietem aliquid somniat. Ὄνειρον δὲ παυομένου τοῦ ὕπνου, ἐγείρει, ὀρίνει τὴν ψυχήν. Ὄνειρον tunc habet locum, quum somnus iam sedatus est, & excitat, & concitat animum. (Insomnij Græca etymologia.) Vel deductum est hoc nomen ab εἴρειν, quod dicere significat. Τὸ ὂν εἴρειν, quod dicit & significat id quod est. Quare verum somnium ita vocatur. Sed nihil opus est nobis tam accuratè nominum etymologias perscrutari: pro eodem hoc loco ἐνύπνιον siue somniū prognosticon accipimus. Erat autem Deus nonnusquam pollicitus, prophetas suos, si quid vellet, in somnis admoniturum. Num. c. 12. v. 16. *Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad eum.* Sed & nos rarò Patriarchas aliosq; viros principes, quæ ventura essent in quiete per visum resciuisse legimus. quinetiam non pauci reges, tametsi veræ fidei expertes, & quibus interprete opus esset, stupenda rerum futurarū mysteria in somnis sibi videre visi sunt. Quæ tametsi mortaliū mentibus Numen instillasse non dubitamus, nusquā tamē arte atque industria captari voluisse legimus; quin potius ne fieret seuerissimis legibus interdixit. (Insomnia arte captari Deus vetuit.) Leuit. c. 19. v. 26. *Non augurabimini, & non obseruabitis somnia.* Itaque eo nomine Manasses malè audijt, quod onirocriticis operam daret. 2. Paral. c. 33. v. 6. *Obseruabat somnia, sectabatur auguria, magicis artibus inseruiebat.* Hinc porrò nemo colliget Saulem insomnia aucupari voluisse. Sed hoc tantum Scriptura asserit, quocunque tandem modo ac ritu Saul Dominum cōsuluerit, seu prece, seu sacrificio, Deum ac prophetas sollicitauerit, diuinam voluntatem explorare non potuisse.

At quibus olim ritibus Gentiles insomnia, futurarum rerum præsagia, captarent, docet Virgilius 8. Æneid.

In dubijs responsa petunt, huc dona Sacerdos
Contulit, & cæsarum ouium sub nocte silenti
Pellibus incubuit stratis, somnósque petiuit.

(Ritus Gentilium in captandis insomnijs.)

Post quæ rursum statim canit:

Hic & tum pater ipse petens responsa Latinus,
Centum lanigeras mactabat rite bidentes,
Atque horum effultus tergo stratisque iacebat
Velleribus.

Qui Lacedæmonijs præerant, vt scribit Cicero, in Pasiphae Fano somniandi causa recubare solebant: idem quoque fieri in templo Æsculapij, à quo vera immitti somnia putabantur. Adhæc Calabri Podalyrium Æsculapij filium consulturi, iuxta illius sepulcrum in agninis pellibus obdormiscebant: sic namque insomnijs, vt stultis visum est, de qua quisque rescire cuperet, admonebatur. De Nasamonibus Herodotus lib. 4. Diuinant ad suorum accedentes monumenta, & illis, vbi preces peregerint, indormiunt: vbi quodcunque per quietem insomnium viderint, eo vtuntur. At contrà in sequentibus Atlantes populos negat vlla insomnia cernere.

Quò verò hanc dæmon accuratius adornaret fallaciam, & curiosas hominum mentes falsis imaginibus ex sententia luderet, conatus est insomnijs religionem attexere. quinetiā probatos mores postulare visus est, quo certius incautos virtutis ostensa specie deciperet. Hinc Orpheus exclamat:

Nuncie futurorum vaticinatur maxime,
Accedis ad animas somni quiete demulctas,
Easque compellans suscitas mentem,
Sententias numinum beatorum eis per somnium subinferis,
Silens silentibus animis ventura pronuncians,
His inquam animis, quorum mens diuino cultu rectissimè vtitur.

Apud Philostratum in vita Apollonij, Amphiaraus Vates ambientes oracula, cibo quidem integrū diē, triduo autem vino abstinere iubebat. (Lib. 2. c. 14.)

Qui

Et non respondit ei, &c.

Qui autem nunc somnia captant, hi Paganis nihilo meliores habendi sunt, quorum impietatem Christianæ Religionis contemptu, quam professi sunt, cumulant: quorum miror hoc tempore dolis complures capi. Sed hi scilicet sunt gemini hæresis partus, Magia, & Atheïsmus: quæ monstra vereor ne dissimulatio alat, dum nonnulli sperant alieno scelere suas opes, ac potentiam promoueri posse. Quæ dementia videri non potest vllam ad Deum aut homines excusationem sibi reliquisse, quandoquidem quæ adhibent omnia, manifestè diabolicas artes & idololatriam redolent. Iubent enim si qui indubia ac planè diuina somnia quærant, quæ futura liquidò portendant, cerebro esse atque animo à vaporibus atque perturbationibus libero, abstemios atque incœnatos quieti membra tradere, cubiculo mundo & purgato vti. Hactenus illecebræ. At quæ sequuntur, planè diabolica sunt. Somni domicilium consecrari iubent, atque exorcizari, non Ecclesiastica vtique benedictione, quæ dæmones fugaret, sed magico ritu. Iubent suffitum suo more fieri, tempora inungi, vinciri digitos somniorum annulis, submitti capiti cælestem imaginem, sacram chartam, sacris orationibus numen inuocari, hoc est diabolum: quorum omnium singulas præceptiones accuratè tradunt, quas nos idcirco referre dedecet, quod & impiæ sunt, & somniantibus præterea inutiles. Non enim illæ quicquam efficiunt, sed diabolus quantum sinitur, spectris plerunq; ænigmaticis somniantibus illudit, studens latere mendacium, quo plures in fraudem inducat.

Oneirocriticæ leges.

Quid igitur, an non somnijs habenda fides, quæ non rarò publicè priuatimque salutem attulerunt? quæ si prior ætas vtilia sæpenumerò experta est, cur non interpretandorum disciplina aliqua tradi possit, ne in exponendis illis allucinemur? Nam non intellecta quidem prodesse nullo modo poterunt, nocere frequenter, dum falsa spe atque expectatione pendet animus, aut noxia securitate torpet. Darium, inquit Curtius lib. 3. expectantem in exercitu Alexandrum, anxium de instantibus curis, agebant etiam per somnum species imminentium rerum: siue illas ægritudo, siue diuinatio animi præsagientis accersit. Castra Alexandri magno ignis fulgore collucere ei visa sunt: & paulò post Alexandrum adduci ad ipsum in eo vestis habitu, quo ipse fuisset, cùm appellatus esset Rex. Equo deinde per Babylonìam vectum, subitò cum ipso equo oculis esse subductum. Adhæc Vates varia interpretatione curam distraxerunt: alij lætum id Regi somnium esse dicebant, quòd castra hostium arsissent, quod Alexandrum, deposita regia veste, in Persico & vulgari habitu productum esse vidisset: quidam non ita augurabantur: quippe illustria Macedonum castra visa, fulgorem Alexandro portendere, quem regnum Asiæ occupaturum esse, haud ambigere: quoniam in eodem habitu Darius fuisset, cùm appellatus est Rex. Hactenus Curtius. Somnium porrò illud si commodè Darius potuisset interpretari, icto fœdere maluisset ab Alexandro pacis conditiones accipere, quàm commissâ pugnâ perire miserè, & regno pariter ac vita priuari. At Ptolemæo melius cessit, cùm remedio per somnum oblato studiosè vsus esset. Ptolemæus, inquit idem Curtius lib. 9. maiore periculo quàm vulnere saucius, (Indi enim veneno tinxerant gladios) vbi in currum se recepisset, altior insequutus est somnus: ex quo excitatus, per quietem vidisse se exponit speciem draconis oblatam herbam ferentis ore, quam veneni remedium esse monstrasset. Colorem quoque herbæ referebat, agniturum, si quis reperisset affirmans: inuentamque deinde, quippe à multis erat requisita, vulneri imposuit: protinusque dolore finito, intra breue spatium cicatrix quoque obducta est. De seipso Xenophon hæc habet lib. 3. Exped. Cyri Min. Post Clearchi necem, & aliorum ducum, desperatis, vt videbatur, Græcorum rebus, cùm Xenophon vehementer angeretur, somnum capere non poterat. Leuissimè tamen dormitanti, huiusmodi somnium oblatum est. Paternam domum visus est videre sibi de cælo tactam, omni ea parte subito lumine coruscare: qua specie perculsus, cùm somno solutus esset, eodem somnio & læta sibi & aduersa significata esse interpretatus est. Nam quod in medijs laboribus ac periculis lumen sibi à Ioue magnum affulsisse visum est, ad salutis spem pertinere videbatur. Terrorem verò afferebat, quod cùm à Ioue Rege id somnium extitisset, ac circumquaque omnia visa essent flammis ardere, ne non posset ex loci iniquitate euadere, ac rerum omnium difficultatibus intercluderetur, metuebat. Atqui tandem spe confirmatus, tametsi non sine magno labore sese ex illis laqueis expediuit. Cui denuò, vt idem autor est lib. 4. cùm ad amnem Centritem in finibus Armenorum & Cadurchorum vndique difficultatibus cingerentur, instantibus inde Cadurchis, inde Armenorum vario exercitu, in somnis nonnulla spes salutis ostensa est. Is enim in quiete se compedibus distineri putauit: eas verò compedes quibus distineretur, videre visus est repentè rumpi, seque liberum ac solutum quo velletcumque ingredi. Quod verum statim probatum est, indicato confestim à quibusdam adolescentibus vado commodissimo, & ab impetu hostium remoto. Hactenus Xenophon. Non patiar plura referri, cùm passim magno numero apud historiarum scriptores occurrant. Sed quia negari non potest, cùm apud profanos, tum etiam sacros autores non rarò somnia laudari, nec singulorum ratio breuiter & compendiosè explicari potest, agamus de his paulò diligentius.

Curtius. Darij somnium. Ptolemæi somnium. Xenophōtis somniū.

De Somnijs.

Somnia tractaturus, de nomine primùm disseram: quoniam eo vsi Septuaginta videntur, quod in hunc locum minus aptè quadret. Varias deinde eorum species distinguam, & vnam atque alteram, quam vsus & consuetudo parit, aut valetudo generat, paucis exponam. Quæram tertio loco, an vlla sint præterea, quæ haberi debeant conscia futurorum, quæ cùm à

ET NON RESPONDIT EI, &c.

natura profecta sint, & defecatis hominum sensibus affluant, via ac ratione explanari possint. Postremò de diuinis quid sentiendum sit, & num illa captari debeant, inquiremus.

De voce Ἐνύπνιον, quam Septuaginta vsurparunt, an bellè satis huic loco conueniat? Ipsa quoque Hebraici nominis חלום *hhalom etymologia expenditur.*

QVÆST. CXIV.

Ἐνύπνιον, & ὄνειρος discrimen. Artemidor.

QVæ à principio commentarij περὶ διαφορᾶς ἐνυπνίου καὶ ὀνείρου, de differentia vtriusque vocis ex Suida protulimus, ea mutuùm sumpta videntur ex Artemidori cap. 1. lib. Oneirocriticorum, quo loco vtramque speciem non vno (B) discrimine sejungit. Tametsi enim vtrumque sit ἔργον ὑπνούντων, opus dormientium, ἐνύπνιον tamen cum somno pariter euanescit, nec vltrà quicquam portendit. At verò ὄνειρος, postquam somni caligo discussa erit, tum verò curas acuit, & futurorum expectatione mentes sollicitat. Et rursum: Ταύτῃ γὰρ ὄνειρος ἐνυπνίου διαφέρει, hac ratione enim somniũ ab insomnio differt. ᾧ συμβέβηκε τῷ μὲν εἶναι σημαντικῷ μελλόντων· τῷ δὲ τῶν ὄντων. quod illud quidem futura significat, hoc verò præsentia. Itaque insomnium tribuit crapulæ, aut varijs animi perturbationibus, quibus affecti, ea secundum quietem sibi pati videntur, quæ sunt horum propria symptomata; vt cibo quidem distentus vomere, procus in libidine bacchari se putet. At verò somnium sequenti capite definit his verbis: Ὄνειρός ἐστι, κίνησις ἢ πλάσις ψυχῆς πολύσχημος σημαντικὴ τῶν ἐσομένων ἀγαθῶν ἢ (C) κακῶν. Somnium est motus aut figmentum animæ multiforme, significatiuum futurorum bonorum, aut malorum.] Etymologiam autem tradit capite præcedenti. Vult enim ita dictum ab ὄν, id est, verum, & εἴρειν, loqui. Hactenus Artemidorus.

Verùm esto, Artemidoro ita distinguere placuerit, atque adeò è re sua esse duxerit, quo somniorum prognostica facilius traderet, & inutilia ab ijs secerneret, quæ conferre crederet ad futurorum scientiam: haud tamen comperi eam distinctionem ab alijs pariter obseruatam esse. Nam Synesius, alioqui Græcæ facundiæ haud ignarus, cùm ipse quoque Oneirocritica scriberet, & eam disciplinam elegantis styli patrocinio tueretur, hunc libro titulum fecit, Περὶ ἐνυπνίων λόγος. Quinetiam, vt in Scholijs notauit Nicephor. Gregoras, toto eo libro Synesius ἀδιαφόρως ἐχρήσατο ταῖς ὀνόμασι τῶν ὀνείρων καὶ ἐνυπνίων, indifferenter vsus est nominibus somniorum & insomniorum. Lxx. verò ea voce constantissimè vsi sunt, cùm somnia significare vellent, quæ forent præsagia futurorum. An vsquam vel semel ὄνειρον adhibuerint, me fugit: sed neque Kirkerus in Concord. Græc. vllum locum annotauit. At verò περὶ ἐνυπνίων sexaginta & quod excurrit loca obseruauit. Tale porrò erat, opinor, Iosephi somnium, quod cùm narraret fratribus suis, maioris, vt Scriptura ait, odij seminarium fuit. Atqui de eo versu

Synesius discrimen illud non agnoscit. (D)

Nicephor. Gregoras

Septuaginta interpr.

Gen. ca 37.

(A) 4. scribitur, ἐνυπνιασθεὶς δὲ Ἰωσὴφ ἐνύπνιον. Idque sæpius eodem cap. repetitur. Quid illud Pharaonis quod septennem Ægypto sterilitatem portendit? annon hoc quoque prognosticon habendum est? Atqui hoc ita referunt cap. 41. v. 1. Φαραὼ εἶδεν ἐνύπνιον. Quæcunque item Danieli & Nabuchodonosori per quietem ostensa sunt, ibidem Græci τὰ ἐνύπνια vocant. Nec verò soli Lxx. eam illi dictioni significationem tribuerunt, sed Iesus quoque filius Sirach Eccl. c. 24. eandem vim illi nomini quater arrogat.

Hebraicæ vocis etymologia.

Hebraïcæ autem vocis etymologia, quæ somnium pariter atque insomnium significat (ipsa est חלום *hhalom*) petitur à verbo חלם *hhalam*, cuius vim ac sententiam multifariam exponunt interpretes. Et quidem sæpè admodum idem quod *somniauit* interpretantur, sed non habe- (B) tur germana dictionis notatio. Nam quod crassum est ac pingue, spissumq; proprie denotat. Dicitur enim de his, quæ cùm liquida sint, & fluitent, coalescunt & figuntur. Itaque primùm per metalepsin adipi tribuitur: deinde valetudini, quę ipsa quoque morborũ inconstantiam sistit: adhæc robori, quòd sanitatis comes esse solet: postremò consolationi, qua mentes potissimum consanescunt, & robore firmantur. Somnia autem idcirco hanc quoque sibi appellationem vendicant, quòd illa densiores quædam exhalationes pariant, quæ cùm ex ventriculi sinibus prodierint cerebrum subeuntes ibidem sese ad phantasmata applicant, quorũ vbi formam induerint, diutius hærent, nec statim cum somno pariter elabuntur. Quamobrem si etymologiæ rationem habeamus, erunt plures (C) modi, quibus Scripturam hanc exponamus: quos idcirco non arbitror ab instituto alienos haberi posse, quòd illi significantius exprimãt quę Saul optarit somnijs consequi. Penè autem memoria exciderat, quod חלם *hhalam* quoque *abrumpere*, ac separare significat. Atqui in ea significatione vsurpat ipse Dominus, Iobi ca. 39. v. 4. quo loco de partu ibicum disserens, statim vbi prodierint: *Separantur*, inquit, *filij earum, & pergunt ad pastum: egrediuntur, & non reuertuntur ad eas.* Cum Vulgato Lxx. consentiunt. Ἀπορρήξουσι τὰ τέκνα αὐτῶν. Est autem ἀπορρήγνυμι idem quod *abrumpo*. Verti itaque poterit, *Et non respondit ei in separatione Dominus.* Sic hostes abigens, vt non vltrà irrumperent, vti postea fecit, cùm Regem Assyriorum Ezechiæ insultantem procul amandauit, & compescuit. Vel certè, *& non respondit ei in constipatione, seu densitate Dominus.* Non enim fortissimi quiq; milites conferti ruebant in castra, cùm potius ad Dauidem transfugerent: sed rari ac trepidi Saulis signa sequebantur: quę res eundẽ exanimabat metu. Probabilior futura est interpretatio, si reddamus *Et non respondit ei in sanatione Dominus.* Valetudinem non contulit, cùm dudum corpore pariter atque animo laboraret, vt posset Reip. prospicere. Nec minus appositè explicari poterit: *Et non respondit ei in corroboratione Dominus*, vt illum sicut prius virtute diuinitùs indueret, viresque animumq; tribueret. Apparet tandem illa omnium cõmodissima: *Et non respondit ei in consolatione Dominus.* Non enim illum consolatus

Reg. lib. 4 cap 19.

Sup. ca. 11. ver. 6.

ET NON RESPONDIT EI, &c.

tus est Dominus, aut vlla spe dolorem eius demulsit, quin potius vbique repulsam passus est, ita vt se abdicatum à Deo sentiens desponderet animum, mœroréq; tabesceret. Psal. 126. legimus: *In conuertendo Dominus captiuitatem Sion, facti sumus* כחלמים *kebbolmim.* Hebr. *sicut conualescentes.* Targum, *sicut ægroti qui sanati sunt.* Lxx. ὡς παρακεκλημένοι, *sicut consolati.* Nonnulli, *sicut somniantes.* Verti etiam potuit, *sicut dormientes.* Neq; enim semel aut iterum Lxx. sed identidem ipsum quoque חלום *hhalom.* ὕπνον *somnum* vertetunt, qui reuera corpus pinguetudine distẽdit, vires roborat, valetudinem confert, diurnas curas abigit, & mentes ipsas recreat ac reficit. Sed ea multò efficacius somnia præstabunt, si læta erunt, & secundas res certò polliceri videantur. Non enim iam vt somnus sopitis duntaxat proderit, sed vigiles quoque lætitia, robore, valetudine, gloria delitijsque perfundent. Quæ tametsi omnia binas illas voces חלום *hhalom* & ἐνύπνιον manifestè probent ad prognostica somnia referri debere, (neque enim Scriptura aliorum vsquam habere rationem visa est) attamen eo argumento non vtar, sed communem Hebræorum sequar sentẽtiam, qui somnij etymon ducta ab ouo similitudine interpretantur hoc modo. *Est somnium,* inquiunt, veluti vitellum in albugine fluida, hoc est, somno: seu species illa est, quæ remanet, nec euanescit vt somnus, sed cuius post somnum reminiscimur. Ita illi חלום *hhalom* definiunt, quæ haud dubiè in Artemidori ὄνειρον quadrant, eiusdem ἐνύπνιος non conueniunt: at conueniunt Lxx. pariter & Synesij ἐνύπνιος. Distinctio tamen quam tum ipse, tum alij plures afferre solent, non erit ad huius quæstionis explicationẽ inutilis, si, quod hactenus probaui, memoriâ teneas, Septuaginta ἐνύπνιον, Hebræos *halom* dixisse, quod somniatores ὄνειρον vocant.

Hebræi de somnio.

Somniorum plures differentiæ, quarum nonnullas obseruant Medici, sed Onirocritici procul ablegant.

QVÆSTIO CXV.

PRimùm igitur Artemidorus ea quæ secundum quietem dormientibus accidunt, bifariàm distinguit, aliàs quidem ὄνειροι, aliàs ἐνύπνιον nuncupans, quod in somnis mortales sibi videre videntur. Vtriusque discriminis explicationem non repetam, quam superiori capite ex eodem tradidi. Subinde verò capite septimo alteram distinctionem subijcit eorum, quæ in somnis offeruntur, alia quidem περιεργαστικὰ καὶ αἰτητικὰ, hoc est, curiosa, & petitoria nominans: alia θεόπεμπτα, seu diuina, quæ quemadmodum ipse accipiat, ab eo paucis accipe. Sunt enim qui noscendarum rerum studio somnia à dijs expetunt, quibus cum similia eorum curis obtigerint, diuinationis expertia habenda sunt, eaque curiosa vocantur. Τὰ δὲ περὶ μηδενὸς φροντίζοντι ἐφιστάμενα καὶ προαγορεύοντά τι τῶν ἐσομένων ἀγαθῶν ἢ κακῶν, θεόπεμπτα λέγω, quæ verò de nulla re curiosis instant, & futura bona, seu

Artemid. Somniorum plures differentiæ.

A mala prænuntiant, diuina appello. Et rursum, Diuina, inquit, vt nunc consuetudo obtinet, omnia inexpectata appellant. Denique τῶν ὀνείρων, idem ait, οἱ μὲν εἰσι θεωρηματικοί, οἱ δὲ, ἀλληγορικοί, somniorum alia sunt speculatiua, alia allegorica. Speculatiua sunt, quæ rei futuræ imaginem proximè repræsentant: allegorica, quæ nonnullo ænigmate seu scrupo adumbrant.

ET NON RESPONDIT EI, &c.

Nicephorus Gregoras in lib. Synesij de Insomnijs τῶν καθ' ὕπνους φαινομένων, eorum quæ in somnis apparent, ex veterum sententia species quinque constituit: quas quandoquidem Macrobius eo longè antiquior Latinis verbis commodè explicuit, ex eo potius statui referre. Aut enim est ὄνειρος, inquit, secundum Græcos, quod Latini *somnium* vocant: aut ὅραμα, quod *visio* rectè appellatur: aut est χρηματισμὸς, quod *oraculum* nuncupatur: aut est ἐνύπνιον, quod *insomnium* dicitur: aut est φάντασμα, quod Cicero (quoties opus hoc nomine fuit) *visum* vocauit. Vltima ex his duo cùm videntur, curâ interpretationis indigna sunt, quia nihil diuinationis apportãt, ἐνύπνιον dico, & φάντασμα. Est enim ἐνύπνιον, quoties cura oppressi animi, vel corporis, siue fortunæ, qualis vigilantem fatigauerit, talem se ingerit dormiẽti. Huic autem *insomnio* nomen, non quia per somnum videtur, (hoc enim est huic generi commune cum cæteris) sed quia in ipso somno tantummodo esse creditur, dum videtur, post somnum nullam sui vtilitatem, vel significationem relinquit. Φάντασμα verò, hoc est, *visum*, cùm inter vigiliam & adultam quietem, in quadam (vt aiunt) prima somni nebula adhuc vigilare se existimans, qui dormire vix cœpit, aspicere videtur irruentes in se, vel passim vagantes formas, à natura, seu magnitudine, seu specie discrepantes: variasqué tempestates rerum, vel lætas, vel turbulentas. His duobus modis ad nullam noscendi futuri opem receptis, tribus cæteris in ingenium diuinationis instruimur. Et est *Oraculum* quidem, cùm in somnijs parens, vel alia sancta, grauisque persona, seu Sacerdos, vel etiam Deus, apertè euenturum quid, faciendum, vitandumve denuntiat. *Visio* autem est, cùm id quis videt, quod eodem modo quo apparuerat, eueniet. *Somnium* propriè vocatur, quod tegit figuris, & velat ambagibus, non nisi interpretatione intelligẽdam significationem rei quæ demonstratur.

Gregoras.

Macrob. in Somnium Scipionis l. 1. ca. 3.

B

Alia distinctio Somniorum.

C

D Commodior distributio S. Thomæ 2. 2. q. 95. qui causarum rationem iniens, compendiosè docuit, à causis externis vel internis somnia proficisci. *Exterior* autem causa est vel animalis ψυχικὴ, cùm phantasiæ dormientis occurrunt ea, in quibus eius studium, dum vigilat, elaborauit, aut cogitatio interdiu versata est: aut naturalis, φυσικὴ, cùm phantasia dormientis immutatur ab aëre continente, rebusque vicinis, vel impressione cælestium corporum, vnde, quæ apparent dormienti, horum aliquid similitudine referunt. *Interior* causa, aut est corporalis σωματικὴ, aut spiritualis πνευματική. Corporalis, cùm ex interiore corporis διαθέσει formatur motus, vel species tali διαθέσει conformis. Sic phlegmatici somnia sunt aqua, nix, &c. quæ temp-

S. Thomæ breuis & accurata distributio.

ET SAVL ABST VLIT, &c.

reretque nefandorum mysteriorum particeps. Sed ne tum quidem comes affuit, cùm ad Achillis tumulum eiusdem manes euocaret. Qua fronte igitur pium illum ac religiosum spondeat, qui cùm malis artibus operam daret, ipsum latere studuit. Fallendi tamen hoc studium magicas disciplinas impietatis palàm arguit. Nam quæ rite atque ordine fiunt, ea prodere non veremur. Virtus latebras non captat, nec quemquam religionis pudet: cur incantatorem audire nolis, si is habendus sit beneficiorum artifex? Cùm carminibus igitur manes deósque, vt aiunt, sollicitaret Apollonius, erubuit: Agrippa Christum professus, impudenter prædicat.

B

Qui Magis artibus scientias hominum mentibus instillare posse confidunt, reósque criminum piaculo soluere, hi quoque è medio tollendi videntur.

QVÆSTIO CXII.

Reliqua sunt prioris generis duo capita, quæ verè capita sunt impietatis & fallendi audaciâ superiora vincunt. Iactant se pestes illæ flagitiorum sordes eluere posse, & imperitorum rudes animos artis beneficio sublimioribus instruere posse disciplinis. Quod vt probent, quæcunque passim mendacia libris aspersa sunt, ea studiosè colligunt, vt ex his Magiæ præsidium parent. Sperant enim quæcunque à male feriatis hominibus conficta sunt, ea
C
posse nugis suis patrocinari. Legimus, inquiunt, antiquos certis rebus naturalibus sæpè diuinum aliquod & mirandum suscipere solitos. Sic lapis qui nascitur in pupilla oculorum hyænæ, sub lingua retentus, diuinationem præstare dicitur. Idem fertur Selenites, lapis lunaris, efficere: sic anchitide dicunt euocari imagines deorum, synochitide vmbras inferorum euocatas teneri. Similia aglaoptis herba, quæ & marmoritides vocatur, in marmoribus Arabiæ nascens Persico latere, efficit, vt narrat Plinius, atque Magos ea vti, cùm velint deos euocare: esse herbam theangelidam nomine, qua pota Magi diuinant. Addè his ossa borametz è Scythia, de quo hæc refert Duretus in histor. Plantar. mirabil. capite vigesimo
D
nono ex quodam Cabalista exponente, vt ait, verba illa Deuteron. decimo octauo, *Nec consulat ideoni.* Latina hæc editio minus quidem aptè diuinos profert. Diuinus enim, Pythonem, Ariolum, Augurem, Aruspicem, & cuiusuis præsagij cultorem ostendit: Ideoni verò præcipuum quoddam vaticinandi genus designat: Est enim, vt Chusensis Moyses Rabbi Simeone autore commemorat, animal dictum Ieduah, agni formæ persimile, cui de vmbilico medio veluti funis producitur, quo, cucurbitæ instar, terræ solo affigitur, & quò funis longitudo protenditur, fænum animal circunquaque rapit & deuorat. Id capere nesciunt venatores, nisi sagittarum ictu funem proscindant, quo amputato, continuò bellua prosternitur atque expirat, cuius inde ossibus certa quadam lege ori admotis, statim clàm spiritu arripitur opifex, & expetita vaticinia pronuntiat. Verùm esto: tametsi fabellam vocat Scaliger exercit. 181. in Cardan. diuino certe interdicto prohibetur, ne quis vti velit. Sed qui iurarunt in verba Magorum, diuinæ legis rationem nullam habent. Hinc tantum confici putant, nonnulla ea vi à natura prædita esse, vt mentes hominum valeant cælesti quadam luce perfundere. Id quo pacto fieri posse interpretentur, referam ex Cœlij Rhodig. Lect. Antiquar. libro sexto cap. duodecimo, quo loco tametsi de annulis sermonem instituerit, easdem tamen causas affert, quas Magi ad illustrandos animos adhibent.

Portentosa quædam mendacia veterum.

Duretus in hist. plant. mirabil. in vlt. hist.

Id cur sic, inquit, ex multis magistris accepimus, esse in anima nostra γνωστικὰς δυνάμεις, id est, cognitiuas potest. tes tres: νοῦν id est mentem: διάνοιαν, cogitationem seu discursum: δόξαν, id est opinionem. Rursum, dum se naturæ æmulam anima facit, tria item inde oriri: ἐπιστήμην, τέχνην, ἐμπειρίαν, hoc est, scientiam, artem, experientiam: quæ sint tribus analoga viribus, menti scientia, cogitatrici potentiæ ars, opinioni denique experientia. Nam sicuti citra rationem sese promit opinio: ita & experientia subiectum sibi rerum minus rationes tenet. Hæc ille. Deinde ad scientiam capessendam quo pacto Magia viam muniat, tametsi aliud agens, sic explicat. Est in rebus naturalibus cognatio quædam, & sympathia, id est (vt sic dixerim) compassio aut consensus, vel contagio, vt Ciceroni placet: vel etiam contages, vt alijs: aliorum ad alia, & manifestorum ad vires occultas. Est & antipathia siue contrapassio & repugnantia. Rerum periti per mutuam cognationem conducebant in vnum: per repugnantiam expellebant, purificantes, sicubi vsu veniebat, sulphure atque asphalto, aqua aspergentes marina: quod expurgandi vim obtineat sulphur, propter odoris planè acumen: aqua verò marina propter igneam portionem. Ad quam doctrinam sane Satyricum illud spectare contenderim:

Cœlius Magiæ fundamẽta locat ex ariolorũ sententia.

Cuperent lustrari, si qua darentur
Sulphura cum tædis, & si foret humida laurus.

Nam quod laurum adiecit, illuc fortè tendat, quod est ab Magiæ consectatoribus peruestigatum, sufficere nonnunquam herbam vnam, vel lapidem vnum ad diuinum opus. Sufficit enim cnebison, id est carduus, ad subitam numinis alicuius apparitionem, ad custodiam verò laurus. Hæc Cælius.

Quæ cùm apud eum lego, & similis notæ complura alia, tametsi non dubitem Cœlium ab idolorum cultu & Magorum arcanis mysterijs vehementius abhorruisse, attamen mentem meam subit dictum illud Tertullian. quo olim Ludimagistrorum intempestiuam licentiam cohibuit, dum in explanandis Poëtarum figmentis Ethnicorúmque numinum portentis temerè luxuriarentur. Quærendum est, inquit Tertullianus, etiam de Ludimagistris, sed & cæteris professoribus litterarum. Imò non dubitandum

Tertull. de Idololatr. cap. 10.

ET SAVL ABSTVLIT &c.

dubitandum affines illos esse multimodæ idololatriæ. Primùm quibus necesse est deos nationum prædicare, nomina, genealogias, fabulas, ornamenta honorifica quæque eorum enuntiare, tum solemnia festáque eorundem obseruare, vt quibus vectigalia sua suppetant. Quis Ludimagister, si non tabularia idolorum, quinquatria tamen frequentabit? Ipsam primam noui discipuli stipem Mineruæ, & honori, & nomini consecrat, vt etsi non profanatus alicui idolo, verbotenus de idolothyto esse (comesse) dicatur, pro idololatra vitetur. Si Fidelis literas doceat infectas idolorum prædicatione; sine dubio dum docet, commendat: dum tradit, affirmat: dum commemorat, testimonium dicit. Deos ipsos hoc nomine obsignat, cùm lex prohibeat, vt diximus, deos pronuntiari, & nomen hoc in vano collocari. Hinc prima diabolo fides ædificatur ab initijs eruditionis: Quære an idololatriam committat, qui de idolis catechizat. Hæc Tertull. Quæ nequaquam in Cœlium, aut alios Ludimagistros nostros quadrant: illud tamen vtcunque me male habet in earum scriptis, & ab eorum lectione auocat, quod studio Pythagoricæ siue Platonicæ Philosophiæ nonnunquam plus quàm satis est non vtique naturali, sed diabolicæ magiæ tribuant. Neque enim aliud Agrippa docet quàm Cœlius, mutuum rerum omnium nexum esse ac continuam seriem, & ab Archetypo originalem vim in omnia diffundi: primùm quidem intellectualia, quæ numina vocat: deinde per hæc in corpora cælestia, vt quæ scaturigini viciniora sint: postremò ad hæc nostra inferiora deriuari, non vna quidem ac simplici via, sed ita tamen, vt infima quæque speciatim insitâ quadam proportione atque analogiâ cum cælestibus, à quibus manant, deuincta sint: cælestia quoque vi quadam armonica ab intellectualibus pendeant, quæ proximè è fonte hauriunt quantum cuique satis sit ad ordinis sui perfectionem. Quam rerum omnium sympathiam qui perfectè nouerit, ad ipsum rerum omnium principium euadere posse, & parem Angelis agendi noscendique facultatem consequi. Accipe ab ipsa eadem bellua pauca verborum portenta, quibus sacrilegam suam sententiam explicat. *Eadem esse in cælesti mundo* quæ in sublunari conspiciantur, sed modo quodam cælesti: deinde etiam in mundo intellectuali, sed multo perfectiori, & meliori nota, perfectissimo tandem in Archetypo. Atque hac serie vnumquodque infernum suo superiori, & per hoc supremo, pro suo genere respondere: & ab eisdem suscipere, è cælis quidem vim illam cælestem, quam quintam essentiam, siue spiritum mundi, siue mediam naturam vocant: ab intellectuali autem mundo spiritualem, viuentémque vigorem, omnem qualitatiuam virtutem transcendentem: ab Archetypo denique per hæc intermedia pro gradu suo originalem vim totius perfectionis. Hæc basis superstitionis, quæ duplici mendacio nititur. asseuerans primò ad inferiora hæc quintam è cœlis essentiam deriuari. deinde Intelligentias fundere ex se spiritalem vim atque vigorem, qui omnem qualitatem superet. Ex quibus temerè iactis fundamentis, quæ nulla Scripturarum autoritate fulciuntur, mox conficit. Hinc ab istis inferioribus ad sydera, ab illis ad eorundem Intelligentias, & inde ad Archetypum vnaquæque res aptè reduci potest: ex quarum serie tota Magia, & omnis occultior Philosophia emanat.

Ludimagistri officij admonentur.

Cornel. lib. 2. cap. 37. & 38.

Sed operæpretium est intelligere quibus tandem rebus vim illam miraculo similem tribuat, quâ homo retrogradu cursu eò remeet vnde primum prodijt, & cum Archetypo coniungatur. Certis, inquit, quibusdam materijs naturalem vim diuinitatis habentibus, hoc est, quæ naturaliter superis consentaneæ sunt, ritè collectis, partim physicè partim astronomicè, vndique opportunè conflatis, dona non solum cælestia aut vitalia, verumetiam intellectualia, quædam dæmoniaca & diuina desuper suscipi posse. In opere verò adeò nefario non est, opinor, quòd mireris nebulonis impudentiam. Sanctum Augustinum testem laudat octauo de Ciuitate Dei, qui potius ibidem Trismegisti nugas deridet, & cœcam impietatem execratur. Illud porrò quod genus monstri? Ea est, inquit, mundi concordia, vt etiam supercælestia trahantur à cælestibus, & supernaturalia à naturalibus conspirent ac trahantur: quia vna virtus opifex, sicut ex occultis rationibus manifesta producit, ita magus assumit manifesta, occulta vt attrahat: puta, per stellarum radios, per suffumigationes, per lumina, per sonos, per res naturales cælestibus congruas: quibus vltra corporeas qualitates insunt etiam rationes, & sensus, & numeri, & mensuræ incorporeæ atque diuinæ. Hactenus fera illa stygia.

Magicorũ mysteriorũ ridicula œconomia.

Expectas autem lector dum hæc confutem. Neque enim leue periculum est, ne sus mactata, quæ rusticæ familiæ in annum paratur, dum flammis amburitur, & setæ fumant, nidore conformis sibi stellæ radios alliciat, mox stellam occupet: deinde etiam Intelligentiam rapiat, & ad Archetypum vsque penetrans numen aliquod quadrupes euadat, non illud quidem tonans, sed grunniens: atque interim agricola perna & larido indigeat. Cur enim non perinde vt homo, sic quoque asinus cœlum inuolet, si fumo paratur aditus? Nam nec deest illi sub cauda fumus, & sonos edit itidem graues, & analogam sibi stellam sortitus est. Quæ cùm ita sint, quid causæ esse dices quamobrem Archetypum non inuadat? Qui hæc primùm tradiderunt, cùm argumenti vim refellere posse desperarent, arietem & capricornum cælo donarunt. At pudet secretiores, vt aiunt, Theologos hæc portenta fateri. quos ego cùm à nonnullis, qui Christum induerunt, Secretiores & Reconditiores Theologos audire, & honorificè appellari comperio, dubitare vtique soleo, homines credere debeam an personatas pecudes, qui hæc scribant, & fidem nugis conciliare studeant. Quippe & barros, immanes belluas, exarasse nonnullas quandoque literas promuscide legimus.

Grãde miraculum, quod par erat hæc Magię fundamenta consequi.

ET SAVL ABSTVLIT &c.

Magi nihil horum credunt, sed vno dæmone freti sunt.

Nam Magi quidem nihil horum credunt, cùm nugas esse nouerint: sed dæmonis ope freti, cum quo periculo animæ fœdus icerunt, leuibus & imperitis fucum facere student, & à fide ac pietate abducere. Quod cùm per se impium est, & quouis supplicio dignum: nam errorum magistris, qui fratres suos in fraudem inducerent, Deus parci vetuit: tum isti fœderis perfidia sceleris atrocitatem magnopere exaggerat. Neque enim lentè tanta Numinis iniuria ferenda est, cùm Magus desertis fidei castris, de prodenda hominum salute cum diabolo paciscatur.

Quid si his fidem habeant?

Quòd si quis fortè contumacior his Magos assentiri contendat, quæ reliquis persuadere nituntur, nihilomagis eos crimine absoluerit. Neque enim hæresis seu potius apostasia & infidelitas, vllo minor scelere habenda est: quæ tanti erroris conscia, maximorum flagitiorum caput & origo est. Nam si Deum fumis & crepitaculorum strepitu captare licet, & cœlum irrumpere, quis tandem relictus gratiæ locus? Crux ipsa nequicquam Christi sanguine rubet: & religionis, quam falsò præ se ferunt, arx quassata ruit. Quinimò de Numinis quidem maiestatem sartam tectam tueri possunt, qui rebus à natura satis eam vim tribuunt, vt quæ proximè ab eius voluntate pendent, eliciant. Vtuntur, inquis, exemplis Sacramentorum: quorum cùm sit diuina virtus, párque Magorum pollicitis, natura tamen symbola suppeditat. Esto, Sacramentorum symbola natura suppeditet: non tamen eam vim quæ Christum cælo deducit, & diuinæ nobiscum gratiæ dona communicat: sed tota manat ab institutione diuina. Quamobrem, vt comparationis valere possit autoritas, naturæ prius derogandum est, quod arroges institutioni. Quod cùm feceris, tum ede dicam, Agrippa, testes, ne dictis temerè fidem habuisse videamur. Sed quorsum tamdiu lauamus Æthiopem? absoluamus paucis.

Nulla forma naturalis diuinum quicquam in se continet.

Negamus itaque primò eas mutæ atque corporeæ naturæ vires esse, vt quæ diuinæ sunt, & naturam superant, ea suopte ingenio conferre possit. Quippe si partum naturæ quemlibet ad sua principia siue elementa reuoces, inuenies, quod formale sit, diuinum prorsus habere nihil. Nam nec numeri quidem ipsi mensuræque omnes, tametsi à Mathematicis separatim spectentur, rebus ipsis præstant à quibus componuntur, aut parere quicquam per se poterunt, quamuis humani ingenij acies figmentis ipsa suis non rarò capiatur. At negant absolutam suis numeris analysim intelligi posse, ni Dei quoque in numero causarum ratio habeatur. Esto, quod ad causas efficientes attinet, sic tamen idem causarum seriem instituit, vt quamquam vellet effectum sibi conuenientem edere: ipse, vt cuiusque captus esset, ita vim suam libraret; qui si se totum exerat, rerum discrimen pereat necesse est. Atqui vt apparet oculus videt, pes graditur, neuter autem volat, aut incorporea speculatur. Quidni faciant? annon vtriusque Deus est opifex? Est vtique. Sed ita efficientiam suam temperat, séque rebus accommodat, vt non amplius quicquam exhibeat, quàm quod formalis causæ facultas conari possit.

Spiritualis spiritualibus comparantur.

Sed & hoc præterea inficiamur, decere diuinam sapientiam, vt quæ præcipua dona habeat, ea rebus vilissimis addixerit. Creditur enim vt arbitror Numen mente præditum, & quod iudicio ac ratione sua beneficia dispenset: quo pacto igitur seipsum ferat suáque intellectualia bona fumo ac strepitu potius, quàm studio atque amore comparari. Nam contentio quidem vehementior animi, & incensum voluntatis desiderium, intellectuali via cœlum petunt: fumus quò euadat cernimus: statim sorbetur ab aëre, & dissipatus soluitur. Sed neque commodum est illud animæ vehiculum, quod à ratione alienum est: neque mysteriorum idoneus interpres habendus, vt per illum superis inferi, diuinísque mentibus commendari posse confidamus.

Negamus tertiò, tametsi quis auro lapillísque ornatus, quos magno numero lib. primo cap. vigesimo tertio recenset, libanoride, quod Solis thymiama vocat Orpheus, suffimentum paret, & incensa cedro verbenáque Soli scarabeum faciat, insuper & in Solis ipsius anima, quæ nulla est, mentem cogitationémque defigat: haurire eum, quod mentiuntur, lumen gradus supremi posse; Solem intellectualem euadere; & eorum, quæ supra naturam sunt, mysteriorum fieri compotem. Neque enim horum quicquam aliud quàm corpus est, neque à Deo neque à natura ad hoc institutum, vt homines in cœlum eueheret, & dignitate ac scientia Angelorum Principibus æquaret. Lib.1.c.60.

Magi Platonicorum reminiscentiã ponunt.

Negamus denique quod asserunt scelerum artifices, *quod sicut* in grano sinapis contusio latentem excitat acuitatem; & sicut calor ignis literas succo cepæ vel lacte imbutas producit in aspectum prius delitescentes: & literæ hirci adipe lapidi inscriptæ, & prorsus occultæ, quando submergitur lapis aceto, prodeunt, & quasi sculptæ eminentes extant: ita, quodcunque lumen cœlestium corporum fingant, delitescentes in animis imperitorum scientias, & notionum characteres ostendere posse. Neque enim tales vlli à natura typi conduntur in animis hominum; quin potius ea nobis instrumenta subministrauit, quibus cuderentur: in quibus elaborandis quantum operæ ac laboris collocemus, nos manifestè periculum facimus, qui tanto tempore in studia scientiarum incumbimus. Quod si inscriptæ rerum notæ in animis delitescerent, quoties earum rerum mentio incideret, quas nunquam vidimus, contingeret vt de iisdem rebus pariter opinaremur, nunquam allucinaremur. Nam quæ perfectè aliquando nouimus, ita vt harum effigies à nobis elaboratas memoriæ mandaremus si refrices, nisi forte eas induxerit obliuio, res licet extra conspectum procul positas absque errore repræsentant. Sed hæc fuit illa celebris Platonicorum dementia, quam seriò deinceps Magi atque hæretici non pauci complexi sunt: quorum cùm nonnulli nonnulla ingenij

ET SAVL ABST V- LIT, &c.

ingenij felicitate breui curriculo liberalium artium cognitionem consequuti essent, statuerunt apud se, eam ingenij facilitatem ex superioris æui reminiscentia oriri. Itaque & animas prius vixisse quàm corporibus inderentur docuerunt: quæ cùm ex pulcherrimo rerum spectaculo deturbatæ essent, tenebris & caligine diuersas esse; at sensim studio excitari, & & conditas in mentibus pristinæ cognitionis formas & similitudines emergere. Quæ omnia & hæresim sapiunt, & à vera Philosophia abhorrent.

Naturalia quid possint.

Reuera autem si quid possunt incensi odores, & reliqua turba agentium naturalium, omnis ea virtus in iuuando cerebro, fouendísque sensuum organis cōsumitur: quæ cùm nouerit astutus dæmon, sic ea vbi finitur adhibet, vt nocumenti semper plus afferant quàm emolumenti. Verum futuri securus, hoc sollicitè vrget, quo pacto fallacibus illecebris in fraudem inducat. Potest verò & quæ nouerit, vti quilibet alius, audientem docere. Sed quæ est belluæ malitia, falsa veris permiscet. Hinc scatent mendacijs magorum scholæ. Postremò, etsi quæ memoria occulit, ea in apertum nouit educere, & ob oculos mentis statuere. Videtur & ex varijs rerum spectris, quæ in phantasia insident, quale nonnunquam secundum quietem occurrit: simulacrum multiplex ac monstro simile componere posse. Pingendi quoque gnarus eas in aëre vicino rerum imagines effinget, quæ id quod scire velis docere videantur. Instillare tamen scientiam mortalium animis haudquaquam potest. Nam etsi ea pestis ad sensus affluit, in mentes tamen neutiquam illabitur. Nam neque voluntas eius foris quicquam immutat, neque intellectus efficit; cuius opus nosse est, vti & illius velle. Hæc optat & eligit, ille vt plurimùm suadet & imperat, itaque hic velut obiectiua, illa causa moralis habetur: neutra principalis & efficiens, nisi quatenus ipsum eius iudicium practicum, vti rerum ordo postulat, inferiora loco mouet. Quam tamen vim nonnulli recentiores Theologi ab imperio rationis secernunt: sed siue illa iudicij potestas est, siue secreta potentia, non habent tamen hominum mentes, vt corpora, per quæ impellantur. Nam quæcunque mole aliqua constant, superficie, quæ penetrari non possit, circunscripta sunt; itaque ea impetum excipit, vt locum conditionemue mutet. Animorum tota ratio qua moueri possint, circa vtrumque intellectus & voluntatis cardinem versatur, atque adeò in eo consistit, vt noua velit aut intelligat. Vt autem velit, dare cuiquam dæmon non potest, cùm sit facultas libera: vt intelligat, cùm ad rem commodè obiectam intellectio necessariò sequatur, nequicquam laborabit. Quod si dæmon rem obiectam duntaxat applicare commodè, & phantasmatum simulacra perpolire nouit, nihil citò promouere poterit. Erunt siquidem naturæ leges sequendæ, & modus ipse, quo ex Dei præscripto intellectus agens intelligibiles rerum species cudere atque architectari solet, obseruandus. Ex quo sequitur, vt diuturna animi con-

Quid ipse dæmon.

Dæmon citò sciētiam conferre non potest.

A tentione opus sit, vt eo doctore quisquam ratiocinando scientiam consequatur: quod tamen cum eius sectæ placitis minimè consentit. Volunt enim Magi scientiarum cognitionem ab ipsis non studio ac ratiocinatione parari, sed pellectis suffimento stellarum animis, statim hominem cœlesti luce collustrari, & in Archetypo diuina mysteria contemplari, quæ Theologorum ac Philosophorum quasi per caliginem mentis aciem perstringant. Quo mihi dici cogitariue potest absurdius, cùm & hæc studia vanitatis arguat & procul à nobis detestetur religio, & natura, seu rationem consulas, seu vires eius periclitari malis, fieri non posse confirmet.

Non itaque mentis humanæ caligo magicæ artis beneficio discutitur, & scientiarum lumen infunditur. Sed dæmon ipse, quæ est eius B versutia atque calliditas, vbi iam satis siue motus seu petentibus cerebrū nebulis phantasiæ arcem perculerit, tum perturbatis animis mendacia concinnat, aut etiam eius rei quæ speciatim quæritur, nonnullam oculis imaginem subijcit, quam instar miraculi habeant. Sin forsan illustrius artis argumentum expetitur, compendiariam viam eligens, Magi vocis instrumentis abutitur, & de propositis quæstionibus per seipsum disputat, seu Magum hoc lateat, seu fraudis ipse conscius sit. quod plerique toleranter ferunt, qui se non instinctu solum afflatúque diuino motos, sed ipso quoque numine fœtos impudentissimè gloriantur. Legendus Mersenus noster quæst. 1. in cap. 1. Genes. quæst. cap. 32. & nonnull. sequent. C nam de his ille differit accuratissimè.

Quibus artibus dæmon stultis imponat.

Ad extremum nulla fraus capitalior, quàm vbi Numinis offensam sese remittere, & superstitioso quodam cultu externísque ceremonijs flagitiorum notas inducere posse iactitant: quippe ea opinio postquam in animis hominum insederit, exitus exitiales habere solet. Siquidem eo pacto Dei metum à se excutiunt: & quos sceleris diu atque anxiè pœnitere debuit, hi delicias voluptatésque sectantur; sitq; proinde vt æternùm pereant. Nam si cuiusquam hominis qui sui iuris compos habeatur, nemo alius iniurias condonare potest, quis credat, si fortè quispiam Numen læserit, eidem irato fulmen ab homine extorqueri posse? Nulla vis tanta est artis humanæ, rerumue sublunarium, D vt hoc præstent: sed fallaciam hanc dæmon studuit comminisci, vt pereuntes à pœnitentiæ studio reuocaret. Hæc enim velut altera post naufragium tabula est, qua nouit, Dei beneficio, supplicio reos eripi posse. Itaque hoc quoque nobis salutare pharmacum dæmō inuidit, idque eo pacto statuit auferri posse, si à labore pœnitentiæ quæ corpus stimulat, & animum pungit, eoque minus accepta est: ad inutilium rerum studium traduceret, quibus idem statim effici homines confiderent. Idcirco quondam Sapiētes Indi, cùm essent Magiæ dediti, eodem autore, *culpæ puteum & craterem veniæ* Indis aperuerunt. Erat aquæ color cœruleus, nonnunquam etiam aduerso Sole Iridis speciem repræsentans; crateris flamma plumbea, nullum ne-

Expiationū Magicarū fraus nocentissima.

ET SAVL ABSTVLIT, &c.

Philostrat.

que fumum neque odorem exhalans. Ἐνταῦθα Ἰνδοὶ, inquit Philostr. lib. 3. cap. 3. vitæ Apollonij, A καθαίρονται τῶν ἀκουσίων. ὅθεν οἱ σοφοὶ τὸ μὲν φρέαρ, ἐλέγχου καλοῦσι. τὸ δὲ πῦρ, συγγνώμης. Illic Indi à patratis facinoribus expiantur. Quapropter Sapientes quidem culpæ puteum appellant, craterem autem veniæ. Apud Virg. Æneas patrē alloquitur:

Virgilius.

Tu genitor cape sacra manu, patriosque penates,
Me bello ex tanto digressum & cæde recenti
Attrectare nefas, donec me flumine viuo
Abluero.

& alibi, Idem ter socios pura circumluit vnda,
Spargens rore leui, & ramo felicis oliuæ.

Inde Græcis Romanísque Ambarualia, Solitaurilia, Suouetaurilia, Armilustria, lustra quibus vrbes ipsas, arua, domos, exercitus, familias, priuatum quemque se piaculo soluere posse in animum induxerant. Narrat Philostratus quo pacto Apollonius Memphiticum iuuenem, inuoluntariæ cædis reū, & qui septimum iam mensem exulans erransque in montibus à Gymnosophistis absolutionem impetrare non potuerat, absoluerit. Postquā, inquit, ille Apollonij dictis obtemperans eò venisset quò iusserat, Apollonius ea mysteria peragens, quæ Pythagoras Empedoclésque pro expiatione facienda docent, domum redire illum iussit, tanquam crimine absolutum & expiatū. Hæc ille.

Vitæ Apollon. lib 6. cap 3.

B

His artibus dæmon multorum olim simplicitati illusit, hanc ille fallaciam adornauit nocentissimam qua miseros mortales perderet. Sed iam doli patescunt, & versutia palàm traducitur. Nam quæ rationes præcedentem errorem oppugnant, & hanc hæresim pariter refellunt. Sanè quidem monstro simile videri possit, C si sulphure aut aqua flammísque, naturæ beneficio, Numinis ira flectatur: cùm etsi ea omnia nocens quisquam expertus fuerit, eius hominis quem temerè violauerit, mulcere iracundiam nequeat. Ea igitur cæcitas magna est, & impietas quouis digna supplicio, si diuinæ voluntatis constantiam pendere ex fumis, & rebus vilissimis obnoxiam esse velit. Quæ cùm ita sint, & vtraque hæc superstitio cum hæresi blasphemiáque coniuncta hominum saluti insidietur, seueris legibus coërcendæ sunt, & à Republica Christiana procul amandandæ.

De Diuinis quid sentiendum sit, & an eorum ferenda stultitia?

D

QVÆSTIO CXIII.

Diuinatio ad Magos beneficos pertinet.

DE Diuinatione disputationem quàm potero breuissimè expediam. Ea, si fortè Iarcham Brachmanum Principem audiendum putes, ad Magos beneficos pertinet. Siquidem Iarchas cùm huic Sapientiæ, vt inquit Philostratus, Apollonium studere impensius animaduerteret, hanc ad illum orationem habuit: *Qui diuinandi peritia gaudent, optime Apolloni, diuini quidem ob ipsam euadunt:* sed melius est vt pauca hæc Græcè cum Philostrato referam: οἱ μαντικῇ χαίροντες, ὦ χρηστὲ Ἀπολλώνιε, θεῖοί τε ὑπ' αὐτῆς γίγνονται καὶ πρὸς σωτηρίαν, &c. *& ad salutem hominum* atque incolumitatem plurimùm conferūt. Qui enim ea, quæ alijs opus est à dijs exquirere, hæc apud se præuidere, & cæteris ignorantibus prædicare possit, hunc ego felicissimum puto, cùm tandem quantum Apollo Delphicus in hac re possit efficere. Hæc ille Magus. Chrysippus autem, vt Cicero ait 2. de diuinat. Diuinationem definit his verbis, *vim cognoscentem & videntem*, & explicantem signa, quæ à dijs hominibus portendantur: officium autem eius esse prænoscere dij erga homines mente qua sint, quidque significent, &c. At simplicior alia videtur quam habet idem Cicero. *Diuinatio est earum rerum,* quæ fortuitæ putātur, prædictio atque præsensio. Futurarum rerum aliàs scientiam vocat. Vt mihi quidem videtur earum rerum est, quæ mentis & oculorum aciem fugiant, à dæmone petita cognitio. Duplicem eam distingunt: & alteram quidem μανικὴν seu furorem, vimque fatidicam nuncupant, quæ oracula fundit: alteram οἰωνιστικὴν sup. ἐπιστήμην, auguralem sciētiam, quæ certis regulis ac præceptionibus comprehensa est, & non pauca signa naturalia speculatur de quibus coniecturam capiat: sed ea dudum fraude dæmonis superstitione atque idololatria deprauata est. De priore statim, vbi cū Pythonissa nobis res erit, disseremus. Posterioris verò cùm plures species numerentur, quas Petrus Gregor. Iur. Syntagm. lib. 34. præsertim verò cap. 3. diligenter recensuit, & eo accuratius Mart. Delr. li. 4. Magic. Disquisit. cap. 2. & sequent. omissis cæteris, nos earum duntaxat rationem habendam censuimus, quarum nominatim in iure mentio facta est.

Philostr. li. 3. vitæ Apoll. cap. 13.

Cicero.

Quid sit Diuinatio.

Species diuinat. ab ipso iure nominatim prohibitæ.

Sortilegi.

Primùm igitur damnantur. ¦ *Sortilegi* iure Canonico, *26. qu. 1. cap. Sortilegi.* Sortilegos autem vocat ibidem S. Isidor. qui per sortes Apostolorum diuinationis scientiam profitentur, aut inspectione quarumcunque Scripturarum futura promittunt.

Geomātis, Hydromātia, &c.

Quæst. 2. & 3. primùm diuinationis species quatuor à Varrone numerantur, quas eadem autoritas condemnat. Est enim quædam *Geomantia*, altera *Hydromantia*, tertia *Æromantia*, quarta *Pyromantia* quæ circa terram, aquam, aërem, ignémque versantur: quæ omnia studiose explicat Delrius locis citat.

Arioli.

Arioli ibidem vocantur, propterea quod circa aras idolorum nefarias preces emittunt, & funesta sacrificia offerunt, hisque celebritatibus dæmonum responsa accipiunt.

Haruspices.

Haruspices nominati, quasi horarum inspectores: dies enim & horas in agendis negotijs, operibúsque custodiunt: & quid per singula tempora obseruare debeat homo, intendunt. Hi etiam exta pecudum inspiciunt, & ex eis futura prædicunt.

Augures. Auspices.

Augures sunt, qui volatus auium & voces intendunt, aliáque signa rerum, vel obseruationes improuisas hominibus occurrentes ferunt. Ijdem sunt & Auspices: nam auspicia sunt, quę iter facientes obseruant.

Astrologi. Genethliaci.

Astrologi dicti, eò quòd in astris augurantur.
Genethliaci appellati propter natalitiorum considerationes

ET SAVL ABSTVLIT &c.

considerationes dierum. Geneses enim hominum per duodecim cæli signa describunt, siderúmque cursu nascentium mores, actus, & euentus prædicere conantur: id est, quis quali signo fuerit natus, aut quem effectum habeat vitę, qui nascitur. Hi sunt qui vulgò *Mathematici* vocantur: cuius superstitionis genus, *Constellationes* Latini vocant: id est, notationes syderum, quomodo se habeant, cùm quisque nascitur.

Mathematici.

Horoscopi nuncupati, quod horas natiuitatis hominum speculentur de simili & diuerso fato.

Horoscopi.

Salitores vocati sunt, quia dum eis membrorum quæcunque partes salierint, aliquid sibi exinde prosperum seu triste significari prædicant.

Salitores.

De his quid PP. senserint, vnus & alter exponet. Tertullianus de Idololatria cap. 9. Post Euangelium, inquit, nusquam inuenias aut Sophistas aut Chaldæos, aut incantatores, aut coniectores, aut magos, nisi planè punitos. Et rursum, Non potest regna cœlorum sperare, cuius digitus aut radius abutitur cœlo. At sæpè sæpius in Christianorum vecordiam S. Augustinus inuehitur, qui eius generis pestes consulerent: ex quibus manifestè colligas, quantum ab eo scelere abhorruerit. Enarr. in Psal. 91. *Quando*, inquit, *aliqua tribulatio est, currunt ad pythonem, aut sortilegum*, aut mathematicum: dicitur illi nomen Christi, subsannat, torquet os suum: Dicitur illi, Fidelis, cur consulis mathematicum? & ille, Recede à me, ipse mihi prodidit res meas, nam perdidissem, & in planctu remansissem. Homo bone, nonne signas te signo sanctæ crucis Christi? & lex omnia ista prohibet? Gaudes quia res tuas inuenisti: non es tristis quia tu perijsti? Quanto melius tunica tua periret, quam anima tua? Et ibidem infer. Ergo inimici Dei omnes amatores huius mundi, omnes inquisitores nugarum, omnes consultatores sortilegorum, mathematicorum, pythonum intrant ecclesias: non intrent ecclesias, inimici Dei sunt. Idem rursum in Psalm. 140. Sedent & computant sydera, interualla, cursus, volubilitates, status motus intendunt, describunt, conijciunt, Docti magni videntur. Totum hoc doctum & magnum, defensio peccati est. Eris adulter, quia sic habes Venerem: Eris homicida, quia sic habes Martem. Mars ergo homicida, non tu: & Venus adultera, non tu. Vide ne pro Marte & Venere tu damneris. Deus enim qui damnaturus est, nouit quia tu es qui dicis, non ego, iudici scienti.] Deinde ostendit quo pacto ne ille ipse quidem mathematicus suis nugis plerunque fidem habent. *Porrò ipse* mathematicus, qui tibi fabulas laqueorum tuorum etiam vendit, vt non vel gratuitam compares mortem. Emis enim mortem à mathematico pretio, qui contempsisti vitam à Christo gratis. Ipse enim mathematicus si vxorem suam paulò petulantius viderit conuersari, aut aliquos alienos improbè attendere, aut fenestram crebrò repetere, nonne arripit verbera, & dat disciplinam in domo sua? Respondeat illi vxor, si potest,

Tertullian.

Diuinos Patres condemnat.

S August.

Mathematici nugis suis fidem non habēt.

Venerem cæde. Nonne & ille respondit, Fatua, aliud est quod competit rectori, aliud quod profertur emptori.

Plura ex eodem quoque Gratianus in suo Decreto retulit, quorum nonnulla describam. 16. *quæst.* 2. *cap.* 33. Hoc autem genus, inquit, fornicationis animæ salubriter diuina Scriptura non tacuit, neque ab eadem sic deterruit animam, vt propterea talia negaret esse sectanda, quia falsa dicuntur à professoribus eorum, sed [*etiamsi dixerint vobis*, inquit, *& ita euenerit, ne credatis eis*:] Non enim quia imago Samuelis mortui Sauli Regi vera prænunciauit, propterea talia sacrilegia, quibus illa imago præsentata est, minus execranda sunt: aut quia in Actib. Apostolorum fœmina ventriloqua verum testimonium perhibuit Apostolis Domini, ideo Paulus Apostolus pepercit illi spiritui, ac non potius fœminam illius dæmonij correptione, exclusione mundauit. Omnes igitur artes huiusmodi nugatoriæ vel noxiæ superstitionis ex quadam pestifera societate hominum, & dæmonum, quasi pacta infidelis & dolosæ amicitiæ constituta, penitus sunt repudianda, & fugienda Christiano.] Et rursum *ibidem cap. Illos.* Planetarios & mathematicos damnat, tametsi neque sacrificia, neque preces ad aliquem spiritum ob diuinationem dirigant. Postremò etiam *cap. Sed & illud.* Obseruare auguria, requirere stellarum cursus, & euentus ex ijs futurorum rimari, seruare somnia, &c. opprobrium Ægypti nuncupat, & fornicationem polluentem totam Ecclesiam.] Augustino astipulatur sanctus Gregorius, qui libro septimo epistol. 66. idolorum cultores, Aruspices, & Sortilegos pariter plectit: & siquidem superioris vitæ institutum emendare noluerint, Episcopum iubet eos comprehendere, & seruos quidem verberibus & cruciatibus torqueri vt resipiscant; liberos autem includi vult, & pœnitentia macerari.

Deuter. 13.

Act 16.

Etiam absque prece & sacrific. diuinandi studium damnat.

S. Gregor.

Accedit ad hæc sacrorum Canonum autoritas. Concil. Antissiod. capite quarto. Non licet ad sortilegos vel auguria respicere, nec ad characteres, quos vocant Sanctorum, vel quos *de ligno* aut *de pane* faciunt, adspicere, &c. Concilium Agathense relatum à Gratiano *vigesimo sexto quæst. quint. capite sexto.* Diuinationis, inquit, scientiam quicunque consulere, aut docere deprehensus fuerit, ab Ecclesia habeatur extraneus. Si plura voles pete ex *ead. quæst. cap.* 1. 2. 4. 5. *& alys.*

Canones eadem vetant.

Nec sanè remissior ciuilis potestas in coërcendo hoc scelere. *Cod. lib.* 9. *tit.* 18. *De Malefic. & Mathem. libro secundo.* Ars mathematica damnabilis, & interdicta prohibetur. *Lib.* 3. Aruspicum, Mathematicorum, &c. vetere amicitia omnibus interdicitur. Secundò, accusatores eorum delatores vetat appellari, & præmio dignos pronuntiat. Tertiò, si Aruspex ad domum alienam accesserit, iubet flammis vltricibus dari. Quartò, si quis vocauerit, ademptis bonis in insulam deportari. *Lib.* 7. Ariolos, Aruspices, Augures, Mathematicos, & enarrandis somnijs occultantes artem aliquam diuinandi, in comitatu Principis deprehen-

Leges Romanæ seuerè in diuin. animaduertunt.

Et Savl abstvlit, &c.

ſos, præſidio dignitatis exutos torqueri iubet, & equuleo deditos vngulis ſulcantibus latera perfodi. *Lib.* 8. eas artes diſcentem docentemque ſimili pœna plectit. *Lib.* 5. Nemo Aruſpicem conſulat, aut Mathematicum, aut Ariolum: Augurum & Vatum praua confeſſio conticeſcat. Chaldæi, & Magi, & cæteri quos maleficos ob facinorum magnitudinem vulgus appellat, nec ad hanc partem aliquid moliantur. Sileat omnibus perpetuò diuinandi curioſitas: etenim ſupplicium capitis feret gladio vltore proſtratus, quicunque noſtris iuſſis obſequium denegauerit. At VViſigothorum lex præclare *lib.* 6. *tit.* 2. *cap.* 5. Sicut pia veritas mendacij aſſertione non capitur: ita non eſt conſequens, vt latens veritas mendacio inueſtigetur. Omnis igitur veritas ex Deo eſt, mendacium verò ex diabolo eſt: quia & ipſe diabolus ab initio mendax. Cùm ergo vtraque res ſuos principes habeat, quid opus eſt, vt veritas cuiuſcunque mendacio admittatur exquiri? Quidam enim ex iudicibus feruntur Dei ſpiritu vacui, qui acta maleficiorum dum inueſtigare ſubtili perquiſitionis perſpicacia nequeũt, execrabiles diuinorum pronuntiationes intendunt. Veritatem enim ſe inuenire non putant, niſi diuinos & aruſpices conſulant: & eo ſibi reperiendæ veritatis aditum claudunt, quo veritatem ipſam per mendacium addiſcere concupiſcunt. Dum enim maleficia per diuinationes comprobare pertentant, quaſi tertio loco ipſi ſe diabolo ſeruituros illaqueant. Quapropter ſi quis ex quolibet iudicum gradu vel ordine, per diuinos aut eorum ſimiles aliquid ſciſcitare tentauerit, vel approbare intenderit: Si quis etiam hominum, cuiuſlibet ſit ordinis vel perſonæ, qui à talibus aut ſalutis aut ægritudinis reſponſa popoſcerit, vel conſulendos eos pro quibuſcunque rebus crediderit, legis illius teneatur ſatisfactioni obnoxius, quę in hoc libro ſexto, ſub titulo ſecundo, era prima, eos, qui de ſalute vel morte Principis, aut quoruncunque hominum, vaticinatores quoſque conſulere prætentant, ſtatuit ſerenitatis ordine reſecari.] Illa lege 1. quam laudat, iubet quicunque ariolos, aruſpices, vaticinatores de ſalute cuiuſquã vel morte conſuluerit, vnà cum reſpondentibus flagellis cæſos fiſco in ſeruitutem mancipari. Hoc verò loco tanquam coronidis loco attexuit: At nunc, quia & augurijs deditos, eodem modo nouimus odibiles Deo: ideo ſpeciali legis ſanctione decernimus, vt quicunque ſunt illi, quibus augures vel auguria obſeruare contigerit, quinquagenis publicè ſubijciantur verberibus coërcendi. Qui tamen ad ſolitum vitium vltrà redierint, perdito etiam teſtimonio, ſimili erunt ſententiæ flagellorum ſubijciendi.

Lex VViſigotor.

Legiſlatio.

Porrò ea lex ſapienter colligit, cùm ſit dæmon mendacij pater, & ſcelerum artifex, non decere quemquam in re dubia eius teſtificatione vti. Nam etſi earum rerum quæ nos fugiunt, pleraſque perſpectas habeat, à veritate tamen abhorret, quam Dei filiam eſſe nouit: & homines odio perſequitur; ita vt haud aliter ſuaderi poſſit veri quicquam prodere, quàm ſi ſperet eo pacto cuipiam perniciem allatum iri. Exemplo vno probabo, cuius is mihi autor eſt, qui ſe præſentem cùm accideret in ea vrbe fuiſſe diceret.

Et Savl abstvlit, &c.

Exemplo probatur quàm tutò quiſquam dæmoni & eius oraculis cõfidat.

Dabat operam lanius vt mactanda ſus apud ſe pingueſceret. Ea aliquando in officinam irrupit, & cõſpicata domini penſile marſupium, quod vt lanium decuit ſanie atque adipe egregiè inunctum erat, prædam rata dente ſecto loro deuorat. Ipſe coactus vt fit cum pluribus vnà ſermonem ſerere, ſuis temeritatem non aduertit: ſed grunnitu parum opportunè interpellatus, ſtomachans atque increpitans clamore, fuſte, prædatricem abigit: illa præclari ſibi conſcia facinoris, theſaurum vtero geſtans maturius in haram ſe proripit. Condebant loculi nummos aureos decem, loculos autem ſuis ventriculus, quod herum latebat. Contigit autem ſubinde dum is carnes venderet, pretium reciperet, vt ventralem quæreret in quam pecunias mitteret. Vbi non repetit, tum is primùm conſternatus animo ob iacturæ magnitudinem, deinde domeſticum ac familiare ſcelus ſuſpicans, vxorem, ſeruos, ancillas, percontatur ſedulò; qua ratione poſtquam nihil promouere ſeſe intelligit, iniuriæ impatiens, ac vindictæ cupidus, ariolum explorare conſtituit, valeátne furti autorem prodere. Itaque ad quendam adit habitantem in vicina platea, apud quem ſuas querelas deponit, oratque ſi quid opis afferre poſſit, pacta mercede conferat. Is facturum ſe recipit, iubétque poſt horam denuò ad ſe redeat non dubium reſponſum accepturus. Ita ergo tum diſcedit, vt qui fraudem vlturum ſe ſtatim ſperaret. Veruntamen, quæ eſt humani ingenij curioſitas & diſcendi ſitis, actutum pedem refert, & ſenſim ſine ſenſu ad Magi fores aurem applicat. Extemplò vocem audire ſibi viſus eſt raucam illam & obtuſam ſciſcitantis, quid quæreret. cui Magus quid lanius poſtulaſſet exponit. ille refert Lanij crumenam à ſue deuoratam eſſe, atque hactenus in eius hærere ventriculo: ſed oblatam rei gerendæ occaſionem negligi non poſſe: eodem pacto vxori interitum, viro autem ſupplicium parari poſſe. Quamobrem Lanio diceret, coniugem ſuam inhoneſto Paſtoris ſui amore captam, eam illi pecuniam dediſſe: ſed & alia pleraque largiri, quæ ſi ſupellectilem excutiat, obſeruare poſſit amota eſſe. Sed & illud maturè cauendum eſſe ne in poſterum maius aliquid audeat, & tentet eius vitæ periculum creare. Hæc poſtquam lanius arrectis auribus hauſit, abit lætus & hilaris, vt qui magno ſibi defunctus periculo videretur, in quod ſe temerè coniecerat: & ad condictum tempus iterum adeſt. Accuſationem vxoris vbi percepit, fingit ſe mendacio credere. domum properat, ſuem iugulat, exenterat, ventrem ſecat, argentum nactus vxorem accerſit, &, Heus tu, inquit, quàm parum abfuit quin pro fure hodie pariter interires: nam te libidine victam clàm meos labores adultero prodere Ariolus renunciauerat. Illa pene præſentis periculi imagine territa, non ante deſtitit, quàm ad deferendum Ariolum virum perpulit:

ET SAVL ABSTVLIT &c.

pulit: qui statim nube testium obrutus, de celsa trabe pependit, & fracta gula vltrices flammas cadauere pauit.

Adde his, quod tametsi dæmones pro ingenij sui acumine & mentis perspicacia pleraque etiam futura acutè prospiciant, plura tamen ignorant, quæ nulla possunt coniectura consequi. Interim tamen nocendi studio, & gloriæ cupiditate, qua insolentius efferuntur, fingunt & comminiscuntur plurima, quæ hominum generi sperent incommodare posse. Quapropter tutò nunquam illis creditur: siue ignorent, quod iudicari liquidò nequit: siue tanquam lictores & carnifices cædes & strages, quas edere iussi sunt, aliquando ante tempore rescíscant. De quibus nos postea copiosius.

B Tertia ratio est, quoniam vix aliter quàm pactis diuinis honoribus oracula fundunt, suáque mendacia cum Magis communicant. Inde tot illis quondam cæsæ hostiæ, instituta sacrificia, structæ aræ, sacrata adyta, templa posita. Hactenus denique nonnullis mactatis victimis, & incensis odoribus, profano ritu magi dæmonibus sacrificant, eosdem numina fatentur, verum Deum abdicant. Vtique Henricus Cornelius reliquos Magorum conatus sine sacrificio suffimentisque vix quicquam proficere posse prædicat.

Dæmones diuinos sibi paciscũtur honores.

C Dices plerosque, qui magicis disciplinis vtantur, ab ea impietate alienos esse, nec vllum cum dæmone fœdus sanxisse. Veruntamen dæmon ea primùm mercede magicas artes docuit. Repete ex omni antiquitate sectæ principes, inuenies omnes idololatriæ deditos fuisse, non tantùm pythones, & eos qui numine correpti viderentur responsa dare, sed eos quoque, qui via ac ratione auguria sectarentur, & ex signis quibusdam, quæ disciplina traderet, rerum euentus conijcerent. Quod si legum metus nonnullos à publica superstitione absterruit, aut etiam Numinis timor auocauit, his interim diabolus fruitur quæcunque obtuleris: & si oblatio defuerit, gaudet tamen præscriptis à se ritibus coli, & habet pro suis quicunque suas artes exerceant. Nec quisquam negare possit, aut ad Deum excusationem vllam relinquere, qui diuinationis leges ac ceremonias nouerit docente Ecclesia defectionis à Deo, atque initi cum dæmone fœderis symbola esse.

D Accedit ad hæc Sanctorum Angelorum insignis iniuria, quorum ministerio portenta hæc & ludibria Gentilitatis perfici mentiuntur: quorum probra & & contumelias si lentè tulerimus, quæ spes erit eorundem præsidio à dæmonum impetu atque violentia nos defendi posse.

Accedit SS Angelorũ iniuria.

Præterea frequentes Doctorum scholæ in eam sententiam conueniunt. Sanctorum autem nemo hactenus repertus est, qui eius dementiæ patrocinium susceperit: quos omnes falli nequaquam verisimile est, sint licet nonnulli qui temporum suorum licentię vtcunque cedentes, Vulgaris probationis testimonio innocentiam suam tuiti sint.

Doctorum consensus.

A Postremò, confirmat hæc omnia diuinæ legis autoritas, quæ humanis legibus cùm Ecclesiasticis tum Politicis fidem autoritatémque conciliat: de qua commodius in sequentibus. Institutum à nobis Commentarium repetamus.

Diuinæ legis autoritas.

VERSVS IV.

Congregatique sunt Philisthijm, & venerunt, & castrametati sunt in Sunam: congregauit autem & Saul vniuersum Israel, & venit in Gelboe.

VERSVS V.

Et vidit Saul castra Philisthijm, & timuit, & expauit cor eius nimis.

SVnam.] Oppidum est in termino Issachar. Iosue 19. 18. *In Gelboe.*] Montes sunt non procul à conualle Iezrael: nam ibi prælium commissum est. Adrichomius in Issachar, *Suna*, inquit, quæ & *Sunam*, & *Sunem*, eadem dicta & *Sula*, ciuitas est ad latus Australe montis Hermon, distans à Bethsam vndecim miliariorum itinere; vnde *Sunamitis*, & *Sulamitis*. Hic castrametati sunt Philistæi contra Saul, quando Saul venit in Gelboe. Patria fuit hæc Abisag Sunamitis puellæ speciosissimæ, quæ senem ac Septuagenarium Regem Dauid calefecit, dormiens in sinu eius vxor & virgo. Hinc dicta est *Sulamitis* Cant. 6. 7. Hanc Elisæus frequenter transibat, iter faciens de Carmelo ad Iordanem, Galgala vel Iericho, vbi & hospitabatur apud mulierem Sunamitidé, cui à Deo filium impetrauit, quem postea mortuum suscitauit, 4. Reg. 4. Ostenditur & vsque hodie, ait S. Hieronymus, vicus nomine *Sulem* in quinto miliario Tabor. in loc. Hebraic. De *Gelboe* ibidem Adrichomius c. 37. *Gelboe* mons, siue montes, in quibus Saul castrametatus est contra Philistæos, ibique cum Ionatha filio suo occisus est: quamobrem postea imprecatus est ijs montibus Dauid, vt *nec pluuia, nec imber, nec ros descenderet super montes istos*. Extendunt se montes illi ab Occidente, à Iezrael vsque ad Iordanem per vndecim leucas. Narrat igitur Breidenbachius montes illos in multis locis esse petrosos, aridos, steriles. Sunt, qui volunt ciuitatem esse prope montes, quæ diceretur Gelboe, à qua ipsi montes nomen acceperint. Est & Gelbus vicus grandis, situs in monte Gelboe, vt sanctus Hieronymus autor est.

Topographia. Adrichomius.

S. Hieron.

Congregauit autem & Saul vniuersum Israel.] Vt primùm scilicet Palæstinos nouit bellũ affectare. Prudéter verò cùm videret confertos hostes in se irruere, vniuersum Israel compellit in vnum locũ. Nam quæ calamitas non rarò pri-

TIMVIT, &c.

uatim paucos obterit, ea cùm in plures inciderit, cõmuni labore depellitur. Deinde simultates, quę inter absentes per delatores clanculùm fouentur, vt primùm conueniendi copia datur, & mores mutuùm experiri licet, plerũq; statim sopiuntur. Charitas porrò cùm nos Deo plurimùm commendat, tum dæmonem terret, qui iniquis hostibus subsidio esse solet. Adde his quod plures, si vota secũ communicauerint, & in eandẽ orationẽ consenserint, quod postulant facilè consequantur. Postremò, boni cùm adunati fuerint, malis præsidio sunt eósq. innocentia sua tuẽtur. Expauit nihilominus Saul, & timore correptus est. Vnde tanta imbecillitas? Quoniam etsi valido cinctus exercitu hostiles minas contemnere potuit, animaduertebat tamen Numinis præsentiam sibi deesse. Nouerat autem ni Deus afforet, multitudinem oneri potius quàm subsidio esse. Auget calamitatẽ turba non minuit. Pauci, si Deus annuerit, insignẽ sæpè victoriam conficiunt. quamobrem cùm delectum militum haberet, & copias cogeret, Dei primùm meminisse debuit, vt turmarum dux esse vellet, & suis auspicijs bellum hoc administrare. Sin iratum sibi atq; offensum præsenserat, priusquam copias educeret eundem pœnitentia placaret: Id cùm facere neglexerit, nunc cùm præsenti animo opus est, & virili constantia, ad primum aciei conspectum illum trepidatio degener exanimat.

Congregationis non leue emolumentum.

Et timuit, & expauit cor eius.] Pallori ac Pauori prisci Gentiles antequã pugnam inirent, sacrificare solebant. Narrat autem Pausanias in Corinthiacis, Pauoris simulacrum muliebri habitu Corinthi dedicatum fuisse. Idem in Eliacis, In Argiuorum, inquit, Nemea saxum eminet supra curriculi flexum, colore rutilo; cuius fulgore concitatur equi, haud aliter multò, quàm si immissis ignibus iniecta esset trepidatio. Sed qui ab Olympico existit Taraxippo, longè est acerrimus terror. In eo, inquit, [stadio Olympico] ad ipsum aggeris exitum, ara est figura rotunda. Ad eam Deus colitur, quem Tarraxippum (ab incutiendo equis pauore) nuncupant. Solent enim iniecto terrore, circa aram hanc equi tam vehementer cõsternari, vt, incertum vnde coorta trepidatione, sæpe illisis curribus affligantur aurigæ. Quo igitur equo & propitio vtantur Taraxippo, ad eam aram aurigæ vota nuncupant. Variat autem, inquit, de Taraxippo Græcorũ sententia. Sed nos omissis cæteris, vnius tantùm quæ probabilior visa est, statuimus meminisse. Ægyptius quidam Pelopem aiebat acceptũ nescio quid ab Amphione Thebano, eo in loco defodisse; cuius arcana vi tunc conterriti fuerint Oenomai equi, & subinde equi omnes pariter afficiantur. Et censebat ille quidem Amphionem & Orpheũ (etsi Thrax diceretur) Ægyptios fuisse: propterea verò alteri feras allicere, alteri saxa ad muros extruendos mouere attributum, quod vterque Magorum scientia excellerent.] Reuera enim Circenses agitatores maleficiorum nomine plerunque infames habiti sunt. Nam dum vincere student, & aduersariæ factionis equos morari, ne magicis quidem artibus abstinuisse ferun-

Pausanias.

Ταραξίππος.

Magicis artibus terror equis incutitur.

tur. Apud S. Hieron. in vita S. Hilarionis. Hic igitur (*Italicus*) æmulo suo habente maleficum, qui dæmoniacis quibusdam imprecationibus & huius impediret equos, & illius incitaret ad cursum, venit ad B. Hilarionem, & non tam aduersarium lædi, quàm se defendi obsecrauit, &c. Ammianus Marcel. l. 28. Postquam narrauit quo pacto Lollianus primæ lanuginis adolescens, conuictus codicem noxiarum artium, nondũ per ętatem firmato consilio descripsisse, Principis decreto perierit, statim addit: Super his etiam Tarratius, Bassus, & frater eius Camenius, & Martianus quidam, & Eusaphius omnes clarissimi arcessiti in crimen, quòd eiusdem conscij veneficij aurigam fauere dicebantur Auchenium. Superiore l. 26. Hilarium aurigam conuictum atque confessum, vixdum pubescentem filium suum venefico tradidisse, docendum secretiora quædam legibus interdicta, vt nullo conscio adminiculis iuuaretur internis, capitali animaduersione damnauit: qui laxius retinente carnifice, subito lapsus confugit ad ritus Christiani sacrarium, extractúsque exinde ilico abscissa ceruice consumptus est. Contra hos aurigas maleficos scripta est in partem Constitutio Valentin. Theodos. [Arcad. Impp. quæ est *l. 9. Cod. de malefic. & mathemat.* Non rarò quoque Magi duces exercitúsque terruisse feruntur: Sed nihil horum istic Sauli accidit.

TIMVIT, &c.

S. Hieron.

Amm. Marcell.

Quo pacto igitur cùm ingruere Palęstinorum exercitum cerneret, tanto præter consuetudinem pauore corripitur? Alioqui enim semper antea satis forti animo & parato ad pugnam fuisse constat. Respondet Diphilus Comicus,

Sibi alicuius rei cõscius, etiamsi sit audacissimus,
Eum conscientia timidissimum esse facit.

Iam tandem igitur Deus incipit inire rationem præteritorum delictorum, & superioris vitæ contumaciam vlcisci, laxiores deinceps iræ suæ habenas permittit, & minas suas tametsi serò, seriò tamen, si quos non pœnitet, reipsa probat comprehendere. Hoc comminatus est grauissimis verbis in Leuit. cap. 26. & in Deuter. c. 28. *Percutiet*, inquit, *te Deus trepidatione: fugies nemine persequente: exhorresces ad strepitum folij volitantis.* Ita accidit quoties destituimur spiritu Dei. Dei enim spiritus, est spiritus fortitudinis. Nec fuit iste vulgaris timor Saulis: sed tãtus vt ille totus obstupefieret, & mente quodammodo moueretur. Ita eum concussit superiorum malorum conscientia. Meminerat, sententiam dictam à Samuele, regnum transferendum esse ad alium se meliorem: videbat instare hostem, & suo vitio Dauidem ad eum transfugisse. Ita iam omnia pœnas ab illo repetunt, ac tandem iustitia diuina obtinet.

Saulem sua conscientia terruit.

Leuitici 26. cap. legimus, v. 21. *Si ambulaueritis ex aduerso mihi, nec volueritis audire me, addam plagas vestras in septuplum propter peccata vestra.* Et rursum ibidem 23. *Quod si nec si volueritis recipere disciplinam, sed ambulaueritis ex aduersò mihi: ego quoque contra vos aduersus incedam, &c.* Denique v. 27. *Sin autem, nec per hæc audieritis me, sed ambulaueritis contra me: & ego incedam aduersus*

Vicem malis Deus rependit.

TIMVIT, &c. *aduersus vos in furore contrario, &c.* Quæ omnia infelix Saul, dum obfirmato animo Dei imperium detrectat, & eiusdem sententiæ refragatur, verissima esse suo ipsius periculo atque exitio expertus est. Sed quoniam eius literæ non vna translatio est, plures referre non grauabor, quo pluribus eius decreti terror exaggerari possit. Hebraicè scriptum est: *Si ambulaueritis mecum* קֶרִי *keri, & ego ambulabo vobiscum* בקרי *bekeri, in keri.* Additur 28. *Ambulabo vobiscum* בַּחֲמַת קֶרִי *bachamath keri.* Pagninus vertit: *Si ambulaueritis mecum ex aduerso, ambulabo ego etiam vobiscum ex aduerso (28) in furore contrario.* Arias maluit interpretari *keri, in occursu, occursiuè.* & 28. *in feruore occursus.* Vtrunque æmulari atque exprimere videtur, qui paraphrasticôs ita exposuit: *Quod si ne sic quidem à me ad sanitatem reuocati, mihi aduersari pergetis, ego quoque vobis aduersans, scelera vestra in vos septupla clade vindicabo.* & 27. *Quod si neque tum mihi morigerantes, mihi contrauenietis, ego vobis vicissim contrà iracundè veniens, supplicium ob scelera vestra septuplum irrogabo.* Alius quispiam ita habet: *Si ambulaueritis mecum temerè, vtique ambulabo & ego vobiscum temerè.* Hoc est, si ita mecum egeritis, vt maiestatis meæ nullam rationem habeatis, nullum ad personam respectum, ego quoque non adhibita plagis moderatione, habenas iræ meæ in vos laxabo: humanitus dictũ. Et v. 28. *Ambulabo vobiscum excandescens temerè.* Hoc est, omnia promiscuè ac sine discrimine peruadens, nullo delectu proterens & conculcans omnia. Hebr. *in excandescentia temeritatis.* Isidorus Clarius reddit, *incedam aduersus vos in furore ex aduerso.* Chaldæus, *Si ambulaueritis mecum in duritia, ambulabo & ego vobiscum durè.* 28. *in ira furoris.* ita habet Complutensis editio. Lxx. *Si* πορεύησθε πρός με πλάγιοι *ambulaueritis contra me obliqui;* πορεύσομαι κἀγὼ μεθ' ὑμῶν ἐν θυμῷ πλαγίῳ, *ambulabo & ego vobiscum furore obliquo.* Ἐναντιώσει siue repugnatiâ Schol. ἐμφιλονεικίως alij. Venetus Probl. Tomo 1. sect. 8. *Si seruieritis mihi frigidè, siue tepidè, & ego vobiscum tepidè ac remissè agam.* קור *Kur* enim, inquit, *frigus* significat. Ex eodem, *Si obiter & perfunctoriè, ita & ego quoque vobiscum perfunctoriè.* Significat enim קרי *keri, in accidente,* per accidens, ex occasione, vt sors tulerit. Vult enim Deus non vtcunque se occasio dederit, sed de industria coli. A verbo קרה *karah* deducunt, de quo Kirkerus in Concordant. Hebraicis. קרה *Karah,* accidit, euenit, occurrit, obuiam factus est, vel fato, vel fortuna seu casu. Et vt קָרָא *kara* dicitur de voce ad aliam personam, vel rem: ita hoc dicitur de reali accidente seu occursione. Hæc ille. Quod non potest vsquequaque verum esse. Nam ad rem pertinet quod isto posteriore verbo testatur Ieremias, cap. 32. v. 23. Καὶ ἐποίησαν συμβῆναι αὐτοῖς πάντα τὰ κακά. *Et fecerunt accidere sibi omnia mala hæc,* in quo etiam nostra translatio consentit. *Casum* porrò ita interpretantur Vatablus & Fagius, hic quidem in Onkelum, ille in Ecphrasi. *Si ambulaueritis mecum cum casu siue in casu,* hoc est, si dixeritis quæ à me vobis dantur, casu siue fortuna accidere, non à me. Si casui tribueritis, quæ mi-

A hi tribuenda sunt: *Ambulabo etiam ego vobiscum cum casu.* Non curabo vos vltrà: ita vobiscum agam, vt videantur omnes res vestræ casu accidere. Si sentiatis me mortalia non curare, ego profectò res vestras non curabo. & 28. *& ambulabo vobiscum in ira casus.* hoc est, quæ pessima ac teterrima mala nonnunquam casu videntur mortalibus accidere, ea per me vobis euenient. Si fortunæ adscripseritis quas ego pœnas delictis vestris irrogo, & non censueritis animaduersiones esse peccatorum vestrorum, & ego quoque contingentes eas habebo, vósque malis patiar obrui. Chaldæus, vt iam anteà attigimus, legit: *Si ambulaueritis coram me* בקשיו *bekasciu, in duritie; ambulabo, & ego vobiscum in duritie.* & ver. 28. בתקוף רגז *bithkoph regaz, in vehementia iræ.* Quod nonnulli ita ex-
B ponunt: Si vos mihi opposueritis, atque duros, difficiles, & immorigeros erga me exhibueritis: vos quoque me durum ac difficilem, nec satis obsequentem desiderijs vestris experiemini. Vatablus Salmant. habet: *Si contumaciter aduersum me perrexeritis, incedam & ego contra vos contumaciter. Obstinatè* maluit Onkeli interpres. & 27. ita reddidit: *Si, inquam, nec per hoc [acquieueritis verbo meo,] sed ambulaueritis contra me obstinatè: ambulabo & ego contra vos in furore iræ, & castigabo etiam ego, & septuplum propter peccata vestra.* Æquum est itaque mortales obtemperare Deo, ne caput opponere, cum eo conitcantes, cùm decretorum eius constantiam nullius hominis contumacia vincere possit.

C

VERSVS VI.

Consuluitque Dominum, & non respondit ei, neque per somnia, neque per Sacerdotes, neque per prophetas.

ET *non respondit ei.*] Chaldæus, *Et non accepit orationẽ eius Dominus. Neque per somnia.*] בחלמות ἐν τοῖς ἐνυπνίοις, *neque in insomnijs.* Hebr. *bahhalomoth,* idem significat. Singulare est חלום *hhalom, somniũ,* à verbo חָלַם *hhalam,* quod cùm alia tum etiam *somniare* per metalepsin significat. Isidorus Clarius, *per somnia,* id est, per somniatores, siue diuinos, qui per somnia quærebant responsa.] De his apud Ethnicos est il- Variæ translationes.
D lud Virgilij 7. Æneid.

> *Somnósque petiuit,*
> *Multa modis simulacra videt volitantia miris*
> *Et varias audit voces, fruitúrque Deorum*
> *Colloquio.*

Neque per Sacerdotes.] *Neque* Hebraicè, באורים *baeurim.* Pagninus, *per vrim;* Arias, *in illuminationibus.* Interpr. Paraphr. Chald. *in luminibus;* Lxx. Καὶ ἐν τοῖς δήλοις. Complut. *in manifestis;* Rom. transl. *in manifestationibus.* Alius, *neque per Vrinos,* de quibus Numer. 27. 21. Illi enim non penes Saulem, sed penes Dauidem erant, suprà 23. 6. & 9. Vatablus, *Neque per Vrim,* id est, per Sacerdotes. Nam summus Sacerdos gerebat Vrim & Thummim in hosen,

CONSVLVITQVE DOMINVM, &c.

siue pectorali, ante pectus. Isidorus Clarius, *Neque per Vrim*, sensus, est, neque per summum Sacerdotem pontificalibus indutum vestimentis. Sed quomodo potuit consulere summum Sacerdotem, cùm is exul esset, & ageret cum Dauid? Respondent Hebræi, quòd miserit in tanta necessitate nuncios ad Dauid, & ad Abiathar summum Sacerdotem, & rogauerit, vt is applicato ephod, consuleret Dominum, quid facto opus esset. Sed hæc merè fabula est, & commentum Hebræorum. Satis autem commodè intelligitur, per Sacerdotes oraculum consulere non potuisse, cùm Sacerdotes deessent, quos aut metu fugauerat, aut etiam ferro peremerat. *Neque per prophetas.*] Solus Ionathan *Scribas* vocat. Hoc autem totum denotat, neque ordinariè, neque extra ordinem, Deum respondere voluisse.

Consuluitque Dominum.] Lucretius Poëta li 5.

Lucretius.

Cui non animus formidine diuûm
Contrahitur? cui non correpunt membra pauore,
Fulminis horribili cum plaga torrida tellus
Contremit, & magnũ percurrũt murmura cœlũ?
Non populi gentésque tremunt? regésque superbi
Corripiunt diuûm perculsi membra timore,
Ne quod ob admissum fœde, dictúmque superbè
Pœnarum graue sit soluendi tempus adactum?

Religio tempora calamitatis potissimũ occupat.

Cùm scilicet ingruit sæua calamitas quæ nos opprimere posse videatur, tũ nemo formidinis expers; tametsi semper antea quispiam mortis ac periculorum contemptum præ se tulerit.

Idem lib. 3.

Multóque in rebus acerbis
Acrius aduertunt animos ad religionem,
Quo magis in dubijs hominem spectare periclis
Conuenit, aduersísque in rebus noscere qui sit.

Tandem ergo ille ferox & immitis animus, qui Domini imperium contempserat, qui ab eo designatum Principem omni conatu perdere studuerat, qui ausus erat in choros prophetarum irrumpere, qui religionem ludibrio habuerat, Sacerdotes mactauerat, tabernaculũ violarat, impendentis mali fractus metu, diuini Numinis opem implorandã censuit. Fuitne aliquando quisquam Pharaone contumacior; Nabuchodonosore elatior; sæuior Antiocho? Atqui hi omnes cùm in ærumnas calamitatésq; incidissent, à Deo liberari postularunt. Nemo tam ferox & truculentus viuit, quem non aliquãdo terror debilitet, quẽ ruinæ moles non deijciat, qui plagis & verberibus non possit mitescere. Natura porrò homines docuit, postquam nihil in se alijsq; opis ac præsidij relictũ vident, vt ad Deum naufragij sui reliquias appellant: hunc esse portum miseris à procella tutissimum.

Consuluitque Dominum.] Quærit oraculum.

Num c. 27. Ita enim Deus iusserat in Numeris, quoties aliquid magni momenti susciperetur. *Pro hoc*, id est Principe, *si quid agendum erit, Eleazar Sacerdos consulet Dominum. Ad verbum eius egredietur, & ingredietur ipse. &c.* Paraphr. Onkelos, *Sacerdos pro eo interroget iudicium Vrim coram Domino.*

Nonnullæ obseruationes Hebræorum circa Vrim & Thummim.

Obseruarunt autem Hebræi quod vbicunque mentio fit *Vrim pectoralis*, semper coniungitur cum *Thummim*, vt Exodi 28. Deut. 32. Esdr. 2. Nehem. 7. Excipitur hic locus, & item ille Nu. 27. quem citauimus, vbi *Vrim* solùm ponitur:

A & volũt simpliciter accipi pro *Summo Pontifice* atque adeo præceptum illud ita interpretantur. *Ante Sacerdotem stabit Princeps, & interrogabit eum de iudicio Vrim coram Domino*, Id est, Cõsulet Pontificem de rebus agendis, tanquam conscium voluntatis Dei: de rebus inquã, quas reuelabit ei agendas Dominus, propter præsentiam nominis sui, quod ipse Sacerdos gestat in pectorali. Hîc *Vrim* pro *Summo Pontifice* accipitur, vt sit antecedens pro relatiuo. Interrogabit eum de *iudicio Vrim*, id est, *Pontificis*, hoc est, suo: interrogabit Sacerdotem de iudicio Sacerdotis: interrogabit Sacerdotem sententiam suã quid Dominus velit. Quasi dicat, Cùm aliquid agere volet, interrogabit Summũ Pontificem qui gestat Vrim & Thummim in pectorali. Vel interrogabit eum *de iudicio*, id est,

B sententia *Vrim*, id est, *illuminationum*: hoc est, de sententia Dei illustrantis & illuminantis, & dirigentis omnia: vt *Deus* hic dicatur *Vrim*, vt *lucem mundi* se Christus dicit in Euangelio. Hactenus illi. Qui videntur alijs nodum in scirpo quærere, & rebus per se satis manifestis obscuritatem accersere. volũt enim pleriq; non aliam eius loci sententiam esse. *Ante Sacerdotem Princeps stabit, qui interroget*, siue consulat *ei*, siue pro eo, *iudicium Vrim* quod in pectorali gestabat Sũmus Pontifex, vnde responsa dabantur: Idq; faciat *coram Domino*, id est, in tabernaculo coram arca Domini, vbi ipse dabat responsa.

Cæterùm siue *Vrim*, cùm absque *Thummim* scribitur, Pontificẽ ipsum designet, seu potius pectoralis ornamentum illud, per quod Deus volũtatis suæ Pontifici significationem dabat:

C neutrum Saul consulere potuit. nam & Pontifex errabat apud hostes profugus, &, cùm fuga vitæ suæ consuleret, *Ephod Pontificis* secum asportauerat. Quid si Saul, vt quondam Gedeon, aliud instar prioris ad suum arbitrium architectatus est erat? Nam sunt qui putẽt illum, postquam Abiathar euasisset, fecisse alias vestes sacras, & creasse aliũ Sacerdotem. Hoc tentasse legitur Michas Iudic. 17. & 18. & Danitas apud eundem consuluisse Dominum, & secundũ responsum tulisse. His ego fidem adhibeo, quoniã horum mihi Scriptura testis est. Sed non videtur necessariũ vt Regem hoc loco Sacerdotem adijsse censeamus. Neque enim id ascribitur. Tantum legitur: וישאל שאול ביהוה *Vaiscal Saul baiouah, & interrogauit*, siue *consuluit Dominum* (Sensus huius loci.)

D aut *in Domino*. Quod autem statim sequitur: *Et non respondit ei, neque in somnijs, neque* באורים *baourim, in Vrim*, verum esse potest, tametsi de Sacerdote sciscitando non cogitarit. Idque videtur probabilius ex eo, quod postea apud Samuelem reuocatum ab inferis nullam fecerit mentionem de *Vrim, & Thummim*. Cõsulebatur autem Deus non tantum istis rationibus, sed etiam interdum per *sortes*: interdum per omina. *Omen* autem erat, vt quispiam signum aliquod sibi constitueret, quod si accidisset, intelligeret, id euenturum esse, quod in animo destinasset. Quale illud est quod in Genesi legimus de seruo Abrahami: quodque suprà pluribus persequuti sumus de Ionatha & eius armigero: quodque in libro Iudic. legimus de Gedeone,

CONSVLVITQVE DOMINVM, &c.

Gedeone, & vellere, modò ſicco, modò compluto. Solebat etiam Deus interdum, quid vellet, ſignificare per *Angelos*. Sed iſta minus erant ordinaria: illa altera magis erant in vſu; itaque à Saule commemorantur.

Maiorum noſtrorum pietas & religio. Exemplum vnum referre inſtitui, quo fortiſſimus Rex Clodoueus cum hæreticis ſigna collaturus Dei voluntatem explorare inſtituit: idque eò copioſiùs faciã, quò degeneres noſtros arguam, qui hoc tempore, cùm ſit res illis pariter cũ hæreticis, haudquaquam ab Eccleſiarum iniuria & ſpoliatione abſtinent. Igitur, inquit

S. Gregor. Turo Hiſt. Franc. lib. 2. cap. 37. S. Gregor. Tur. Clodoueus Rex ait ſuis: *Valde moleſtè fero, quod hi Arriani partem teneant Galliarum. Eamus cum Dei adiutorio*, & ſuperatis redigamus terram in ditionem noſtram. Cúmque placuiſſet omnibus hic ſermo, commoto

Frequens hoſtis vſus olim apud noſtros pro amico & proprio exercitu. In hoſtẽ pergere, s'acheminer à l'armee. l'hoſt du Roy. exercitu Pictauos dirigit. Ibi tum Alaricus B commorabatur. Sed quoniam pars hoſtiũ per territorium Turonicum tranſibat, pro reuerentia B. Martini dedit edictum, vt nullus de regione illa aliud quàm herbarum alimenta aquamque præſumeret. Quidam autem de exercitu, inuento cuiuſdam pauperis fœno, ait, Nonne Rex herbam tantum præſumi mandauit, & nihil aliud? Et hoc, inquit, herba eſt. Non enim erimus transgreſſores præcepti eius ſi eam præſumimus. Cúmque vim faciens pauperi, fœnum vi abſtuliſſet, factum peruenit ad Regem: quo dicto citius gladio perempto ait: Et vbi erit ſpes victoriæ, ſi B. Martinus offenditur? Satiſque fuit exercitui, nihil vlterius ab hac regione præſumere. Ipſe verò Rex direxit nuncios ad beatam Baſilicam dicens, Ite, C & forſitan aliquod victoriæ auſpicium ab æde ſancta ſuſpicietis. Tunc datis muneribus quæ ſancto loco exhiberent, ait: *Si tu Domine adiutor mihi es, & gentem hanc incredulam, ſemperque emulam, meis manibus tradere decreuiſti, in ingreſſu baſilicæ S. Martini dignare propitius reuelare, vt cognoſcam quia propitius dignaberis eſſe famulo tuo.* Maturantibus autem pueris, & ad locum accedentibus iuxta imperium Regis, dum ſacram ingrederentur baſilicam, hanc antiphonam ex improuiſo primicerius qui erat, incipit:

Reſponſum Clodoueo datum. *Præcinxiſti me Domine virtute ad bellum, ſupplantaſti inſurgentes in me ſubtus me, & inimicorum meorum dediſti mihi dorſum, & odientes me diſperdiſti.* Quod ſatellites audientes, & Domino gratias agentes, & vota B. Confeſſori promittentes, læti nunciauerunt Regi. Porrò ille cùm ad fluuium Vigennam cum exercitu adueniſſet, per quem locum tranſire deberet, penitus ignorabat: intumuerat enim ab inundatione pluuiarum. Cúmque illa nocte Dominum deprecatus fuiſſet, vt ei vadum quo tranſire poſſit dignaretur oſtendere, mane facto cerua miræ magnitudinis ante eos, nutu Dei, flumen ingreditur, illáque vadante, populus qua tranſire poſſit, agnouit. Veniente autem Rege apud Pictauos, dum eminus in tentorijs commoraretur, pharus ignea de baſilica S. Hilarij egreſſa, viſa eſt ei tanquam ſuper ſe aduenire. Scilicet, vt lumine S. Confeſſoris adiutus Hilarij, liberius hæreticas acies, contra quas ſæpe idem Sacer-

A dos pro fide conflixerat, debellaret. Conteſtatus autem omni exercitui, vt nec ibi quidem, aut in via aliquid ſpoliarent, aut res cuiuſquam deriperent, &c. Itaque, vt ait, Clodoueus Gothos fudit, & eorum regem Alaricum occidit, & maxima parta victoria Tholoſa Sede regni Gothorum potitus eſt, & Engoliſmæ muri, quam hactenus Gothi tenuerant, eo aduenien te ſponte corruerunt. Hactenus vir Sanctus. Nec dubium quin nos quoque ætatis noſtræ portenta hæreticos deleremus, ſi maiorum noſtrorum veſtigijs inhærentes, ſimili Deum & Sanctos eius religione coleremus.

Et non reſpondit ei.] Deus nihil reſpondet: qui tamen alioqui in rebus dubijs inuocatus deeſſe non ſolet. Videt enim quo animo iſta fiant. Prodere vult aliquando occultum virus & cœcam prauitatem, quæ in animo Saulis iam diu delituerat; vt omnes viderent quàm procul ille abeſſet à pietate. Nam cùm prius animo concidiſſet, & pauore conſternatus de Numinis præſidio deſperaſſet, ex more magis quàm fide, & ne quid intentatum reliquiſſe videretur potius quàm vllam ſpem in Deo collocaſſet, oraculum ſibi conſulendum cenſuit. quod vbi comperit obmutuiſſe ſibi, nihil ſollicitus qua ratione Deum placaret ad diabolum ſe contulit: faciens quod quædam apud Poëtam minitari viſa eſt:

Flectere ſi nequeo ſuperos, Acheronta mouebo.

Sed illum primùm ex animo ſcelerum pœnituiſſe oportuit. Deinde ſe Deo permittere, & auxilio eius præſtolari. Sed potius quàm pœnitentiæ laborem ſubeat, & liuorem præpoſterè conceptam à ſe deteſtetur, & cum exulibus in gratiam redeat, impatiens moræ, ad malas artes, quibus reliquis antè interdixerat, ipſe ſe recipit. Itaque audiri non meruit, nec illum Dominus vllo reſponſo dignatus eſt. Quinimò, quod mirere magis, Scriptura alio loco Saulem Dominum conſuluiſſe negat. Sic enim legimus 1. Paral. 10. ver. 13. *Mortuus eſt ergo Saul propter iniquitates ſuas, eo quod præuaricatus ſit mandatum Domini quod præceperat, & non cuſtodierit illud: ſed inſuper etiam pythoniſſam conſuluerit, nec ſperauit in Domino.* *Concilianturinter ſe loca quædã Scripturæ.* Quæ poſtrema verba Vatablus exponit, *& non conſuluerit Jehouam.* Hebr. ſcriptum eſt, ולא דרש ביהוה *velo dareſc baihouah.* Arias vertit, *& non quæſiuit in Domino:* quod eodem ſpectare videtur. דרש D *Daraſc* Hebr. Idem quod *quæſiuit, ſciſcitatus eſt*, interrogauit, conſuluit, conſilium aut opem petijt. Geneſ. 25. verſ. 22. cùm gemini in Rebeccæ parturientis vtero colliderentur, *perrexit*, ait Scriptura לדרוש את יהוה *lidroſc eth Iehouah.* Vulgatus, *vt conſuleret Dominum.* Targum conſentit, *vt quæreret doctrinam à Domino.* Lxx. πυθέσθαι παρὰ κυρίου, *interrogare Dominum.* Hoc eſt, oraculum percontari. Ieremiæ cap. 21. ver. 2. דרש נא *Dereſc-na.* Vulgatus, *interroga pro nobis Dominum.* Lxx. ἐπερώτησον περὶ ἡμῶν τὸν κύριον. idem. Kirkerus autem in Concord. דרש *Daraſc*, quærere, inquirere, ſciſcitari, percontari, & ſimul importat curam & ſolicitudinem. S. P. Interrogare, curare, quàndo Deo tribuitur. Hæc ille. Ex quibus ſequitur, vt commodè

CONSVLVITQVE DOMINVM, &c.

CONSVLVITQVE DOMINVM, &c.

etiam verti poterit: *Et non interrogauit, neque curauit Dominum.* Neque tamen ista cum historia nostra pugnāt. Nam quod vere & ex animo non fit, atque adeò vt fieri necesse est, perinde est ac si non fiat: vel potius reuera non fit. Quare vtrobiq; verè scribitur, hîc quidem, *Saulem consuluisse Dominum*, quoniam cùm desponderet animum, & nullum non moueret lapidem quo se periculo eriperet, Dominum quoque consulere velle visus est: & in Paralipomenis, *non consuluisse Dominum*; quoniam nulla spe fretus aut fide hoc egit, sed quasi tentans Dominum, & periclitans omnia, cùm nollet ab errore atque vecordia resipiscere.

Neque per somnia, neque per Sacerdotes, neque per Prophetas.] Primùm generatim dicitur, Deū non respōdisse. Deinde res distributius describitur per partes. *Nec per Sacerdotes.* Hebraicè, B *nec per Vrim*, hoc est, per *Sacerdotem*. Nam ille in pectore gestabat lapides, qui à perfectione & claritate dicebantur *Vrim & Thumim*; vnde Deus solebat reddere oracula. Itaque, vt iam diximus, *Sacerdos* interdum dicebatur *Vrim*. Neque tamen inde sequitur, Saulem Pontificem cōsuluisse: Sed hoc solùm, reuera à Sacerdote, cùm in tanto discrimine versaretur, responsum non accepisse. *Neque per prophetas.*] Erant enim plures Samuëlis discipuli quos afflari numine quandoque contigit, & futura prædicere, ad quos verisimile est Saulē nuncios allegasse, qui Dei mentem ac consilium ab eis exquirerent. Iosias Regum pijssimus, cùm perlectis legis execrationibus oppidoquā territus 2. Paral. 34. esset, extēplo viros principes misit, qui Oldam prophetidem ex suo nomine cōpellarent. Deus C ipse sæpius prophetas misit, qui Reges deterrerent à scelere, aut futuræ calamitatis admonerent. Lege 2. Paral. c. 25. Quinetiam ad Ioram filium Iosaphat Regem Iuda litteræ ab Elia septennio postquā is raptus esset, allatæ sunt, quibus illi funestissimum obitum ac teterrimam cladem denūciat: quas habes 2. Paral. c. 21. Quid si præterea Saul priuatim suum prophetam habuit, quemadmodum postea Dauid legitur habuisse Gad vtique 2. Regum c. 24. dicitur *Videns & Propheta David.* Nec tamen horū quisquam Sauli Dei consilium aperuit: sed in tanto Reipub. periculo, cùm omnia pessum ruerent, hærebat in obscuro atque ancipiti nemine diuini consilij facem ostentante, ad quam naufragæ ratis reliquias appelleret. D

Neque per somnia.] LXX. ἐν τοῖς ἐνυπνίοις. Suidas, ἐνύπνιον. ἐν ᾧ ὅσον τις ὑπνοῖ. dicitur quatenus quis dormit, & secundum quietem aliquid somniat. ὄνειρον δὲ πανυσθέντος τοῦ ὕπνου, ἐγεῖρον, καὶ ὀρίνον τὴν ψυχήν. ὄνειρον tunc habet locum, quum somnus iam sedatus est, & excitat, & concitat animum. Vel deductum est hoc nomen ab εἴρειν, quod dicere significat. Τὸ ὂν εἴρειν, quod dicit & significat id quod est. Quare verum somnium ita vocatur. Sed nihil opus est nobis tam accuratè nominum etymologias perscrutari: pro eodem hoc loco ἐνύπνιον siue somniū prognosticon accipimus. Erat autem Deus nonnusquam pollicitus, prophetas suos, si quid vellet, in somnis admoniturum. Num. c. 12. v. 16. *Si quis fuerit in-*

Insomnij Græca etymologia.

A *ter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad eum.* Sed & nos rarò Patriarchas aliosq; viros principes, quæ ventura essent in quiete per visum resciuisse legimus. quinetiam non pauci reges, tametsi veræ fidei expertes, & quibus interprete opus esset, stupenda rerum futurarū mysteria in somnis sibi videre visi sunt. Quæ tametsi mortaliū mentibus Numen instillasse non dubitamus, nusquā tamē arte atque industria captari voluisse legimus; quin potius ne fieret seuerissimis legibus interdixit. Leuit. c. 19. v. 26. *Non augurabimini, & non obseruabitis somnia.* Itaque eo nomine Manasses malè audijt, quod onirocriticis operam daret. 2. Paral. c. 33. v. 6. *Obseruabat somnia, sectabatur auguria, magicis artibus inseruiebat.* Hinc porrò nemo colliget Saulem insomnia aucupari voluisse. Sed hoc tantum Scriptura asserit, quocunque tandem modo ac ritu Saul Dominum cōsuluerit, seu prece, seu sacrificio, Deum ac prophetas sollicitauerit, diuinam voluntatem explorare non potuisse.

Insomnia arte captari Deus vetuit.

At quibus olim ritibus Gentiles insomnia, futurarum rerum præsagia, captarent, docet Virgilius 8. Æneid.

In dubijs responsa petunt, huc dona Sacerdos
Contulit, & cæsarum ouium sub nocte silenti
Pellibus incubuit stratis, somnósque petiuit.

Ritus Gentilium in captandis insomnijs.

Post quæ rursum statim canit:

Hic & tum pater ipse petens responsa Latinus,
Centum lanigeras mactabat rite bidentes,
Atque harum effultis tergo stratisque iacebat
Velleribus.

Qui Lacedæmonijs præerant, vt scribit Cicero, in Pasiphae Fano somniandi causa recubare solebant: idem quoque fieri in templo Æsculapij, à quo vera immitti somnia putabantur. Adhæc Calabri Podalyrium Æsculapij filium consulturi, iuxta illius sepulcrum in agninis pellibus obdormiscebant: sic namque insomnijs, vt stultis visum est, de qua quisque rescire cuperet, admonebatur. De Nasamonibus Herodotus lib. 4. Diuinant ad suorum accedentes monumenta, & illis, vbi preces peregerint, indormiunt: vbi quodcunque per quietem insomnium viderint, eo vtuntur. At contrà in sequentibus Atlantes populos negat vlla insomnia cernere.

Quò verò hanc dæmon accuratius adornaret fallaciam, & curiosas hominum mentes falsis imaginibus ex sententia luderet, conatus est insomnijs religionem attexere. quinetiā probatos mores postulare visus est, quo certius incautos virtutis ostensa specie deciperet. Hinc Orpheus exclamat:

Nuncie futurorum vaticinatur maxime,
Accedis ad animas somni quiete demulctas,
Easque compellans suscitas mentem,
Sententias numinum beatorum eis per somnium
subinseris,
Silens silentibus animis ventura pronuncians,
His inquam animis, quorum mens diuino cultu
rectissimè vtitur.

Apud Philostratum in vita Apollonij, Amphiaraus Vates ambientes oracula, cibo quidem integrū diē, triduo autem vino abstinere iubebat. Lib. 2. c. 14.

Qui

Et non respondit ei, &c.

Qui autem nunc somnia captant, hi Paganis nihilo meliores habendi sunt, quorum impietatem Christianæ Religionis contemptu, quam professi sunt, cumulant: quorum miror hoc tempore dolis complures capi. Sed hi scilicet sunt gemini hæresis partus, Magia, & Atheïsmus: quæ monstra vereor ne dissimulatio alat, dum nonnulli sperant alieno scelere suas opes, ac potentiam promoueri posse. Quæ dementia videri non potest vllam ad Deum aut homines excusationem sibi reliquisse, quandoquidem quæ adhibent omnia, manifestè diabolicas artes & idololatriam redolent. Iubent enim si qui indubia ac planè diuina somnia quærant, quæ futura liquidò portendant, cerebro esse atque animo à vaporibus atque perturbationibus libero, abstemios atque incœnatos quieti membra tradere, cubiculo mundo & purgato vti. Hactenus illecebræ. At quæ sequuntur, planè diabolica sunt. Somni domicilium consecrari iubent, atque exorcizari, non Ecclesiastica vtique benedictione, quæ dæmones fugaret, sed magico ritu. Iubent suffitum suo more fieri, tempora inungi, vinciri digitos somniorum annulis, submitti capiti cælestem imaginem, sacram chartam, sacris orationibus numen inuocari, hoc est diabolum: quorum omnium singulas præceptiones accuratè tradunt, quas nos idcirco referre dedecet, quod & impiæ sunt, & somniantibus præterea inutiles. Non enim illas quicquam efficiunt, sed diabolus quantum finitur, spectris plerunq; ænigmaticis somniantibus illudit, studens latere mendacium, quo plures in fraudem inducat.

Oneirocriticæ leges.

Quid igitur, an non somnijs habenda fides, quæ non rarò publicè priuatimque salutem attulerunt? quæ si prior ætas vtilia sæpenumerò experta est, cur non interpretandorum disciplina aliqua tradi possit, ne in exponendis illis allucinemur? Nam non intellecta quidem prodesse nullo modo poterunt, nocere frequenter, dum falsa spe atque expectatione pendet animus, aut noxia securitate torpet. Darium, inquit Curtius lib. 3. expectantem in exercitu Alexandrum, anxium de instantibus curis, agebant etiam per somnum species imminentium rerum: siue illas ægritudo, siue diuinatio animi præsagientis accersit. Castra Alexandri magno ignis fulgore collucere ei visa sunt: & paulò post Alexandrum adduci ad ipsum in eo vestis habitu, quo ipse fuisset, cùm appellatus esset Rex. Equo deinde per Babyloniam vectum, subitò cum ipso equo oculis esse subductum. Adhæc Vates varia interpretatione curam distraxerunt: alij lætum id Regi somnium esse dicebant, quòd castra hostium arsissent, quod Alexandrum, deposita regia veste, in Persico & vulgari habitu productum esse vidisset. quidam non ita augurabantur: quippe illustria Macedonum castra visa, fulgorem Alexandro portendere, quem regnum Asiæ occupaturum esse, haud ambigere: quoniam in eodem habitu Darius fuisset, cùm appellatus est Rex. Hactenus Curtius. Somnium porrò illud si commodè Darius potuisset interpretari, icto fœdere maluisset ab Alexandro pacis conditiones accipere, quàm commissâ pugnâ perire miserè & regno pariter ac vita priuari. At Ptolemæo melius cessit, cùm remedio per somnum oblato studiosè vsus esset. Ptolemæus, inquit idem Curtius lib. 9. maiore periculo quàm vulnere saucius, (Indi enim veneno tinxerant gladios) vbi in currum se recepisset, altior insequutus est somnus: ex quo excitatus, per quietem vidisse se exponit speciem draconis oblatam herbam ferentis ore, quam veneni remedium esse monstrasset. Colorem quoque herbæ referebat, agniturum, si quis reperisset affirmans: inuentamque deinde, quippe à multis erat requisita, vulneri imposuit: protinusque dolore finito, intra breue spatium cicatrix quoque obducta est. De seipso Xenophon hæc habet lib. 3. Exped. Cyri Min. Post Clearchi necem, & aliorum ducum, desperatis, vt videbatur, Græcorum rebus, cùm Xenophon vehementer angeretur, somnum capere non poterat. Leuissimè tamen dormitanti, huiusmodi somnium oblatum est. Paternam domum visus est videre sibi de cælo tactam, omni ea parte subito lumine coruscare: qua specie perculsus, cùm somno solutus esset, eodem somnio & læta sibi & aduersa significata esse interpretatus est. Nam quod in medijs laboribus ac periculis lumen sibi à Ioue magnum affulsisse visum est, ad salutis spem pertinere videbatur. Terrorem verò afferebat, quod cùm à Ioue Rege id somnium extitisset, ac circumquaque omnia visa essent flammis ardere, ne non posset ex loci iniquitate euadere, ac rerum omnium difficultatibus intercluderetur, metuebat. Atqui tandem spe confirmatus, tametsi non sine magno labore sese ex illis laqueis expediuit. Cui denuò, vt idem autor est lib. 4. cùm ad amnem Centritem in finibus Armenorum & Cadurchorum vndique difficultatibus cingerentur, instâtibus inde Cadurchis, inde Armenorum vario exercitu, in somnis nonnulla spes salutis ostensa est. Is enim in quiete se compedibus distineri putauit: eas verò compedes quibus distineretur, videre visus est repentè rumpi, seque liberum ac solutum quo vellet cumque ingredi. Quod verum statim probatum est, indicato confestim à quibusdam adolescentibus vado commodissimo, & ab impetu hostium remoto. Hactenus Xenophon. Non patiar plura referri, cùm passim magno numero apud historiarum scriptores occurrant. Sed quia negari non potest, cùm apud profanos, tum etiam sacros autores non rarò somnia laudari, nec singulorum ratio breuiter & compendiosè explicari potest, agamus de his paulò diligentius.

Curtius.

Darij somnium.

Ptolemæi somnium.

Xenophõtis somnũ.

De Somnijs.

Somnia tractaturus, de nomine primùm disseram: quoniam eo vsi Septuaginta videntur, quod in hunc locum minus aptè quadret. Varias deinde eorum species distinguam, & vnam atque alteram, quam vsus & consuetudo parit, aut valetudo generat, paucis exponam. Quæram tertio loco, an vlla sint præterea, quæ haberi debeant conscia futurorum, quæ cum à

Et non respondit ei, &c.

tus est Dominus, aut vlla spe dolorem eius demulsit, quin potius vbique repulsam passus est, ita vt se abdicatum à Deo sentiens desponderet animum, mœroréq; tabesceret. Psal. 126. legimus: *In conuertendo Dominus captiuitatem Sion, facti sumus* כְּחֹלְמִים *kebbolmim.* Hebr. *sicut conualescentes.* Targum, *sicut ægroti qui sanati sunt.* LXX. ὡς παρακεκλημένοι, *sicut consolati.* Nonnulli, *sicut somniantes.* Verti etiam potuit, *sicut dormientes.* Neq; enim semel aut iterum LXX. sed identidem ipsum quoque חֲלוֹם *bhalom.* ὕπνον *somnum* vertetunt, qui reuera corpus pinguetudine distẽdit, vires roborat, valetudinem confert, diurnas curas abigit, & mentes ipsas recreat ac reficit. Sed ea multò efficacius somnia præstabunt, si læta erunt, & secundas res certò polliceri videantur. Non enim iam vt somnus sopitis duntaxat proderit, sed vigiles quoque lætitia, robore, valetudine, gloria delitijsque perfundent. Quæ tametsi omnia binas illas voces חֲלוֹם *bhalom* & ἐνύπνιον manifestè probent ad prognostica somnia referri debere, (neque enim Scriptura aliorum vsquam habere rationem visa est) attamen eo argumento non vtar, sed communem Hebræorum sequar sentẽtiam, qui somnij etymon ducta ab ouo similitudine interpretantur hoc modo. *Est somnium,* inquiunt, veluti vitellum in albugine fluida, hoc est, somno: seu species illa est, quæ remanet, nec euanescit vt somnus, sed cuius post somnum reminiscimur. Ita illi חֲלוֹם *bhalom* definiunt, quæ haud dubiè in Artemidori ὄνειρον quadrant, eiusdem ἐνυπνίοις non conueniunt: at conueniunt LXX. pariter & Synesij ἐνυπνίοις. Distinctio tamen quam tum ipse, tum alij plures afferre solent, non erit ad huius quæstionis explicationẽ inutilis, si, quod hactenus probaui, memoriâ teneas, Septuaginta ἐνύπνιον, Hebræos *halom* dixisse, quod somniatores ὄνειρον vocant.

Hebræi de somnio.

Somniorum plures differentiæ, quarum nonnullas obseruant Medici, sed Onirocritici procul ablegant.

QVÆSTIO CXV.

PRimùm igitur Artemidorus ea quæ secundum quietem dormientibus accidunt, bifariàm distinguit, aliàs quidem ὄνειροι, aliàs ἐνύπνια nuncupans, quod in somnis mortales sibi videre videntur. Vtriusque discriminis explicationem non repetam, quam superiori capite ex eodem tradidi. Subinde verò capite septimo alteram distinctionem subijcit eorum, quæ in somnis offeruntur, alia quidem μεριμνητικὰ καὶ αἰτηματικά, hoc est, curiosa, & petitoria nominans: alia θεόπεμπτα, seu diuina, quæ quemadmodum ipse accipiat, ab eo paucis accipe. Sunt enim qui noscendarum rerum studio somnia à dijs expetunt, quibus cum similia eorum curis obtigerint, diuinationis expertia habenda sunt, eaque curiosa vocantur. Τὰ δὲ αὐτομάτως συστάντα ἐπιφαίνεσθαι καὶ προσαγορεύοντα τι τῶν ἐσομένων ἀγαθῶν ἢ κακῶν, θεόπεμπτα λέγω, quæ verò de nulla re curiosis instant, & futura bona, seu

Artemid. Somniorũ plures differentiæ.

mala prænuntiant, diuina appello. Et rursum, Diuina, inquit, vt nunc consuetudo obtinet, omnia inexpectata appellant. Denique τῶν ὀνείρων, idem ait, οἱ μὲν εἰσι θεωρηματικοὶ οἱ δὲ ἀλληγορικοί, somniorum alia sunt speculatiua, alia allegorica. Speculatiua sunt, quæ rei futuræ imaginem proximè repræsentant: allegorica, quæ nonnullo ænigmate seu scrupo adumbrant.

Nicephorus Gregoras in lib. Synesij de Insomnijs τῶν καθ' ὕπνους φαινομένων, eorum quæ in somnis apparent, ex veterum sententia species quinque constituit: quas quandoquidem Macrobius eo longè antiquior Latinis verbis commodè explicuit, ex eo potius statui referre. Aut enim est ὄνειρος, inquit, secundum Græcos, quod Latini *somnium* vocant: aut ὅραμα, quod *visio* rectè appellatur: aut est χρηματισμός, quod *oraculum* nuncupatur: aut est ἐνύπνιον, quod *insomnium* dicitur: aut est φάντασμα, quod Cicero (quoties opus hoc nomine fuit) *visum* vocauit. Vltima ex his duo cùm videntur, curâ interpretationis indigna sunt, quia nihil diuinationis apportãt, ἐνύπνιον dico, & φάντασμα. Est enim ἐνύπνιον, quoties cura oppressi animi, vel corporis, siue fortunæ, qualis vigilantem fatigauerit, talem se ingerit dormiẽti. Huic autem *insomnio* nomen, non quia per somnum videtur, (hoc enim est huic generi commune cum cæteris) sed quia in ipso somno tantummodo esse creditur, dum videtur, post somnum nullam sui vtilitatem, vel significationem relinquit. Φάντασμα verò, hoc est, *visum*, cùm inter vigiliam & adultam quietem, in quadam (vt aiunt) prima somni nebula adhuc vigilare se existimans, qui dormire vix cœpit, aspicere videtur irruentes in se, vel passim vagantes formas, à natura, seu magnitudine, seu specie discrepantes: variasque tempestates rerum, vel lætas, vel turbulentas. His duobus modis ad nullam noscendi futuri opem receptis, tribus cæteris in ingenium diuinationis instruimur. Et est *Oraculum* quidem, cùm in somnijs parens, vel alia sancta, grauisque persona, seu Sacerdos, vel etiam Deus, apertè euenturum quid, faciendum, vitandumve denuntiat. *Visio* autem est, cùm id quis videt, quod eodem modo quo apparuerat, eueniet. *Somnium* propriè vocatur, quod tegit figuris, & velat ambagibus, non nisi interpretatione intelligẽdam significationem rei quæ demonstratur.

Commodior distributio S. Thomæ 1. 2. q. 95. qui causarum rationem iniens, compendiosè docuit, à causis externis vel internis somnia proficisci. *Exterior* autem causa est vel animalis ψυχική, cùm phantasiæ dormientis occurrunt ea, in quibus eius studium, dum vigilat, elaborauit, aut cogitatio interdiu versata est: aut naturalis, φυσική, cùm phantasia dormientis immutatur ab aëre continente, rebusque vicinis, vel impressione cælestium corporum, vnde, quæ apparent dormienti, horum aliquid similitudine referunt. *Interior* causa, aut est corporalis σωματική, aut spiritualis πνευματική. Corporalis, cùm ex interiore corporis διαθέσει formatur motus, vel species tali διαθέσει conformis. Sic phlegmatici somnia sunt aqua, nix, &c. quæ tem-

Gregoras.

Macrob. in Somnium Scipionis l. 1. ca. 3.

Alia distinctio Somniorum.

S. Thomæ breuis & accurata distributio.

Et non respondit ei, &c.

peramentum indicant. Spiritualis, Deus, Angelus, Satan, &c.

Psychica insomnia, siue animalia.

ψυχικὰ insomnia graphicè describit nonnullus Poëta in fragmentis Petronianis.

---- Nam cum prostrata sopore
Vrget membra quies, & mens sine pondere ludit.
Quicquid luce fuit, tenebris agit. Oppida bello
Qui quatit, & flāma miserandas sauit in vrbes:
Tela videt, versasque acies, & funera Regum,
Atque exundantes perfuso sanguine campos.
Qui causas orare solent, legesque forumque,
Et pauidi cernunt inclusum corde tribunal.
Condit auarus opes, defossumque inuenit aurum;
Venator saltus canibus quatit: eripit vndis,
Aut premit euersam periturus nauita puppim.
Scribit amatori meretrix, dat adultera munus,
Et canis in somnis leporis vestigia latrat:
In noctis spatium miserorum vulnera durant.

Hactenus ille. Talia sunt igitur ψυχικὰ somnia, quæ ab occupationibus & studijs diurnis emergunt. Ab ijs enim quibus interdiu sensus foris afficiuntur, acceptæ cognitionis penes cerebrum, spiritus, aut neruos vestigia manent, quæ res objectas, postquam illæ sublatæ sunt ex oculis, instar speculorum referant. Hæc porrò quæcunque ratio commouerit, seu pungat cerebrum acrior fumi succus qui somnum conciliat, seu ventriculi feruenti exhalatio, velut aura in vela impacta aërias illas imagines spiritibus insidentes variè contorqueat, seu denique sic reuera rarior nebula capitis sinus compleat, vt nonnullus ad eas menti pateat aditus: quæcunque tandem ratio eas commouerit, eadem extemplò dormientibus suggerunt quæ vigilantes exercuerant. Sunt autem præterea & ipsa psychica, animi affectionum indicia; vt cupiditatis, spei, gaudij, ac lætitiæ, necnon habituum, quæ tametsi ab intimis animi sensibus manant, idcirco in hanc classem & ordinem externarum causarū redigimus, quòd ea primùm mens, quęsitosque habitus, à rebus foris objectis hausit.

Physica, siue naturalia.

Φυσικὴ, seu naturalis somniorum causa est, ambientis aëris, aut circumjacentis loci genius atque conditio, siue etiam cæli vis, aut quæ vulgò dicitur syderum influentia, quę vicinum aërem immutant. Nam cùm hæc corpus pulsant, tum ob naturalem sympathiam, sopitis licet sensibus externis, reconditiores excitant. Hinc se nonnunquam vectores ponto mergi somniantes clamitant, quòd inter vndarum fluctus dormientes, ab ijs ad naufragij versandam similitudinem inducantur. Dicet aliquis, blandè delinito tactu circumjacentis rei speciem ad phātasiam obrepere. Esto, nihil pugno. Cęlum igitur verbi gratia proximè aërem immutat. is verò nostra corpora contingens, noua qualitate afficit: vnde postea variæ imagines & visa in dormientibus excitantur. Sunt itaque à cælo multa effecta, quorum aliqua in phantasia, & vi seu facultate imaginante producit: alia in rebus ipsis. Id autem exemplo facile potest demonstrari. Reipsa in aëre seu nubibus est pluuia: in imaginatione autem cornicis talis ante pluuiam fit immutatio, vt crocitare incipiat. Effectus autem in phantasia dormientium, & in re, sunt proculdubio ab eadem causa: diuersitatem tamen à subiectis, in quibus fiunt, magnam sortiuntur. Nec dubium est, tenuem quandam & occultam similitudinem inter ista effecta esse. At huius proportionis vel analogiæ rationem, difficillimum est intueri. Quare etiam horum somniorum, si qua est, obscura certè diuinatio est, & prorsus inutilis obseruatio. Vt enim statuatur, in syderibus esse causam nonnullorum somniorum pariter atque effectuum, quis hæc somnia, quæ effectuum signa haberi debent in suam propriam causam, hoc est, ad quædam astra magis, quàm ad alia referre poterit? Certè admodum paucos, ne dixerim nullos, id arbitror posse. Deinde si etiam ad propria sydera referentur, quid ex illis iudicabimus euenturum, præsertim quoad contingentia, cùm Astrologia iudiciaria semper habita sit incertissima? In summa, imagines, spectra, atque similitudines, quæ futuros euentus dicuntur portendere, ita dubiæ sunt, incertæ, atque ambiguæ, vt nihil per eas videatur certò posse constare. Præterea huc accedit, quod cùm insomnia non ex vna, sed ex multis causis fieri possint, facilè in errorem incidemus, si certam vnam ex illis multis amplectamur. Proinde sustinendus est assensus, nec facilè quicquam ex insomnijs diuinandum, cùm facilius ipsa ex euentis iudicari queant, quàm ex ipsis euenta possint diuinari. Relinquitur ergo tantùm suspicio quædam ex insomnijs, quam etiam pertenuem esse oportet, quæque mentem potius cruciet, quàm erudiat.

Σωματικὰ, siue corporalia.

Σωματικὰ somnia sunt, quæ ex intimis corporis visceribus nascuntur, cùm pro naturæ qualitate, ac temperamento humorum in corpore præualentium, simulacra, imaginesq; mouentur. Vti flaua bilis viget, flammæ ignes, carbones, fulmina, rixæ, atque alia id genus vidētur. Quod si bilis atra superet, fumus, tenebræ, hiatus obscuri, speluncæ, cadauera, supplicia dira, carceres, terra & nigra omnia in somniantes incurrunt. Pituita verò excitat spectacula imbrium, pluuiarum, fluminum, glaciei, grandinis, & quæ copiosum humorem cum frigore coniunctum habent. A sanguine visa commouentur pulchra, pellucida, candida, suaueolentia, & quæ ad munditiem, & cultum, ac vsitatam rerum formam seu faciem accedunt. Nec à Medicis ista contemnuntur, imò de ipsis, vt docet Galenus & Hippocrates, ægrotos diligentissimè interrogant: quoniam inde facile conijciunt eorum, qui intus latitant, humorum tēperationem. Causa verò propter quam dormientes, & non vigilantes, istorum motuum naturam per visum sentiunt, ea est, quòd ab initio parui sunt, illorumque sensus in vigilia nos fugit. Fortioribus enim motibus ab externis, quæ in oculos incurrunt, aliò distrahimur: sed consopiti ab externis laboribus desistimus, & ab incursu crassiorum sensilium feriati, corporis atque animi tranquillitatem nanciscimur. Quamobrem per quietem spectra & imagines, quæ ab humorib. perpetuò mouentur, à phantasia magis comprehēduntur quàm in vigilia. Vt verò parua cùm dormimus, longè magis

Et non respondit ei, &c.

magis quàm per vigiliã sentiamus, inde apparet, quod strepitus quantumuis tenues, putamus fuisse magna tonitrua. Et si quid pituitæ dulcis linguæ aut palato fortassis adhæserit, videmur nobis mel, saccarũ, dulcia vina, & suaues epulas gustare, imò interdum largiter bibere, atq; affatim edere. Qui sunt igitur humorũ parui motus, per somnium, quasi sint ingentes demonstrantur: vnde licet Medicis hinc permulta cognoscere morborum principia.

Cibus quoque insomnijs dijudicandis spectandus.

Est etiam aliud expendendũ, vt rectè monet Galenus, quædam esse ciborũ genera, quæ cùm biliosa, melancholica, seu pituitosa naturaliter sint, ex qualitate sua circa phantasiã dormientium imagines & simulacra mouent, quę ijs humoribus congruunt; licet dormientiũ corporis temperamentum hisce humoribus per se non peccet. Quod item debet Medicus obseruare circa insomnia, nempe vt videat quo ægrotus cibo sit vsus. Quin & vinum, vt docet Aristot. immodicè sumptum, distortas imagines rerum in somnis refert.

Sunt qui simplicius somnia physica vocent, quæcunque causas naturales sortiuntur: quæcunque autem nascuntur ex consuetudine, moralia. Reliquum est, vt si quæ sint præter hæc prognostica, inuestigemus.

De reliquis somnijs quæ præsagire feruntur, & eorundem interprete arte Oneirocritica.

QVÆST. CXVI.

Qvæ hactenus insomnia stylo illustrauimus, ea Oneirocritici à se procul ablegãt: C nec disciplinæ suæ consideratione dignantur. At genus aliud somniorũ constituunt, quorum ipsi interpretationẽ profitentur, & iactant ope sua, quæ futura sunt, mortalibus edere posse. Hæc eorum nonnulli θεόπεμπτα seu diuina vocãt; nonnulla Deo censent indigna esse: Vtrique ea sic interpretantur, vt naturam vulgò consequi, & passim phantasiæ, quam μονογενεῖ ψυχῇ προσεχεστάτην καὶ ἀμέσως αἰσθήσει, diuiniorem, animæ finitimum, & sine intermedio proximũ sensum nuncupãt, adhærescere velint. De quib. Niceph. in Oneir.

Nicephor.

Nonnulli Deo sõnia tribuunt.

Impera in primis & affectibus & ventri,
Et lacrymas exprime ex oculis,
Preces fundens ex toto corde tuo,
Manusque tollens ad Deum Dominum,
Quando te quieti secundum humanitatis leges tradere voles. D
Sic enim videbis dilucidè & expeditè
Insomniorum vmbrosas imagines.
Falsa insomnia ventris parit saburra,
Et helucus ex nimio meri potu,
Et curarum caligo, & mentium nebula.

Hui, quàm operosè fucum facere studet! quis se non crederet in adyta veritatis vocari?

Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.

Statim enim somniorum oracula pandens, risum mouere velle videtur.

Αἰετὸν ἰδὼν, ἄγγελον θεοῦ νόει.
Ἀληκὲς εἰ ὄναρ τὸ ἀλεκτρυόνος.
Ὄρνις ζέοντας ἐσθίειν δηλοῖ νόσον.
Aquilam videns, nuntium Dei videre puta.

A *Verum est somnium galli gallinacei.*
Panes feruentes edere, significat morbum, &c.

Et non respondit ei, &c.

Hæ sunt nugæ, quas prece & lacrymis iubet à Deo expeti. At contrà Aristoteles somnia indigna putat, quæ censeantur à Deo mitti. Obseruauit idem opinor Niceph. Gregoras in Synesium de Insomnijs. Nam si ab eo, inquit, mitterentur, viris bonis & prudentibus ea daret. At secus vsu venit. Inepti quippe ac mali viri hanc facultatem plerunque sectantur: deinde bruta somniant. Quis autem illis diuinationem à Deo præstari contenderit? Non igitur in hunc finem visa circa phãtasiam versantur dormientium, vt inde futura præsagiant. Adhęc, si Deus visa immitteret, faceret id potius interdiu, vt homines ea diligentius contemplarentur. Nec facile est videre, cur ad id noctem sibi delegerit. B Et deniq; cùm Deus minimè sit inuidus, non tam obscurè illos moneret, quos de rebus futuris vellet instrui, sed illa dilucidè atq; apertè monstraret. Somnia verò ita sunt obscura, vt Prophetas & coniectores pro illorum interpretatione oporteat accedere. Hæc ferè colliguntur ex Aristotele, quibus à Deo rem prorsus ad naturam traducit, quasi rationes insomniorum tantùm inde petendæ sint. quam opinionem tametsi postea refutaturi simus, cùm sequenti quæst. ad diuina ventum erit: ex dictis tamen liquidò cõstat, cùm de diuinatione somniorum ageret, alia à diuinis intellexisse, quorum habendam rationem censeret. Nam de his ibidem disputat in hanc sententiam.

Aristot. in libello de Diuinatione per somnium.

Alij negãt.

Proponuntur rationes, quibus artis Oneirocriticæ autoritas asseritur.

Primùm, ait Aristoteles, hoc diuinationis genus non videri omninò abijciendũ, quòd ei vulgò plurimùm tribuatur: & quæ vulgò sunt ab omnibus propemodum recepta, nunquam sint in vniuersum falsa. Ijs addit, cõplura insomnia esse, de quibus apta cõmodaq; ratio reddi possit: quæ vt experiẽtia docet, non frustrantur homines, sed suum habent successum. Ideò non est consentaneum, vt omnem rationem diuinationis per somniũ contemnamus. Et tamen oportet cautè recipere, cùm de illa perdifficile sit causas reddere, cùm hac in parte natura obscurissimè agat. Hactenus Aristoteles.

Rationes Aristot. 1. 2.

Democritus insomnia ea, quæ fortuita referunt, ac procul distantia, sic explicat: Semper fieri à rebus ipsis defluxiones, quæ vsq; ad corpus dormientium ferantur, idque afficiant qualitate ac similitudine, quam secũ deferant: Easque in somnis duplici ratione magis sentiri, quàm in vigilia affirmat. Primò, quia facilius noctu aër mouetur. Vt enim aqua postquam ęstus deferbuerit, nec placidum ęquor procella sulcat, si in eam lapidem proijcias, in plures circulos vnda torquetur, seseq; motus latius porrigit: ita & aër, postquam illum turba frequens animantium, quę eundem interdiu motu continuo vexat, noctu agitare desierit, quęcunque ex qualibet parte hauserit, ea longè lateque transmittit. Altera causa est, quoniam à quietis & dormientibus leues quinque motus facilius percipiuntur.

Rationes Democriti. 3.

Et non respondit ei, &c.

Synesij. Nicephor. Gregoras.

Hanc eandem rationem Synesius in eo libro, quem scripsit de Insomnijs, pluribus adornat & instruit, otiosis & inertibus Platonicas nugas affatim suppeditans. Sapientes, inquit, eiusdem Scholiastes Nicephorus, hunc præsentem mundum simulacrũ & effigiem æternitatis esse dicunt: sequitur ergo opera quæ in eo sunt, simulacra esse eorum, quæ reipsa subsistunt, & in illo continentur: non solùm hoc, verumetiam imagines & simulacra, quæ inuicẽ vltrò citróq; alia ex alijs fiunt & contingũt, idola & ipsa nominant. Horum autem omnium subiectum aërem capacem esse asserunt: veluti exempli causa, sermonem enunciatiuè & articulatim pronuntiatum, miniméq; truncatum aër excipiens, & seipsum, tanquam speculum quoddam, occultè partiens in multiplices transfert auditiones, quia simili ratione affectus est cum articulorum vocisque iuncturarum constantia. Istud ipsum facit etiam ad omnes colores, cunctósq; vapores, & ad omnia quæ in mundo facultatibus vim sentiendi obtinentib. subiacent. Ista igitur ac talia etiam hic Synesius effluentia idola rerum sub sensum cadentium appellat, & concretorum fluenta ἀπορρέοντα εἴδωλα τῶν αἰσθητῶν. Hæc Grægoras. Sed operæpretium erit eundem ipsum Synesium consulere, audiréq; quo pacto volatiles istas imagines ad phantasiam applicet. Ὅσα, inquit, φύσις ἔχει, πάντων ὄντων, γενομένων, μελλόντων· ἐπεὶ καὶ τοῦτο τρόπος ὑπάρξεως· εἴδωλα ἀπορρεῖ, καὶ τῆς ὑποστάσεως αὐτῶν ἀποπάλλεται. Quæcunque natura habet, omnium quæ sunt, fuerunt, futura sunt, (quando & hæc existendi quædam ratio est) horum omnium idola effluunt, & ab ipsorum vibrata substantia foris micant. Quorum omnium, inquit, ἀπορρεόντων εἰδώλων, τὸ φανταστικὸν πνεῦμα, κάτοπτρόν ἐστιν ἐμφανέστατον, fluentium simulacrorum, phantasiæ spiritus clarissimum est speculum. Et præteritorum quidem, vt pote quæ iam reipsa extitêre, perspicua simulacra mittuntur, donec longinquitate temporis paulatim euanescant. Præsentium verò, tanquam adhuc manentium, vitalia magis atque clariora sunt: futurorum demùm incertiora minusque distincta: sunt enim naturæ imperfectæ germina velut exilientia, erumpentia reconditorum seminum indicia. Illustrat hunc locum Gregoras appositissima similitudine. Quemadmodum, inquit, si quis viator præteriens, amygdali florem conspexerit, nouit continuò quia fructus amygdali florem subsequitur: qualitatem certè, magnitudinem, & frugum perfectionem, opportunitatéque haud definitè nouit. Hunc in modum quæcunque simulacra è rebus futuris fluunt, prænũtiant quidem quidpiam euenturum, non tamen vt plurimùm apertè rei qualitatem. Ταῦτα, inquit Synesius, δεῖ τέχνης ἐπὶ μᾶλλον, idcirco arte ad futurorum cognitionem opus est.

4. Mundum siue aërem eorum quæ sunt, fuerũt aut erunt, simulacris plenum dictitant.

Quod si quæras eorum quæ nunquam extiterunt, quo pacto simulacrum vllum emergere possit: respondent, futuris operibus ab initio paratam esse materiam, ex cuius relatione intelligi possint quæcunq; futura sint. Nam postquam ad illam forma accesserit, eã fit quicquid in rerum natura est. Fit autem quia à principio

5. Τῆς ὕλης εἴδωλον etiam futura repræsentat.

nata erat eas formas induere. Quinimò ipsæ rerum formæ, quas efficiens causa producit, ab ea manant, & ex eius, vt aiunt, potentia educuntur. Quæ cùm ita sint, & ipsa latè fusum aërem imagine sua compleat, in qua rerũ omnium simulacra aut expressa siue in actu, vt puta existentium elucent, aut adumbrata siue in potentia delitescunt: quis neget, cùm eas species phantasiæ natura impegerit, vt solent enigmata, sic quoque futura arte explicari posse?

Esto. iacet, inquies, sopita mens, quandiu somno mergitur: quo pacto igitur quę tam obscura imagine sepulta latent, eruere in lucem poterit? quinimò, aiunt, in ijs qui temperanter viuunt, qui non dormiunt ebrij, non iacet prorsus τὸ διανοητικὸν, mens & intelligentia, sicut nec in brutis τὸ φανταστικὸν in totum quiescit: habent enim hæc quoque sua quædam somnia. Tantum abest vt in homine τὸ διανοητικὸν somno prorsus obruatur, vt tum sæpenumero clariorem acuminis ac solertiæ suæ significationem det. Neque enim rarò videmus nonnullos, qui de die accuratius meditando, ac vltrò citróque reuoluendo, quod quærebant, nulla animi contentione inuenerant, postquam se somno dedissent, in quiete per visum accepisse. Demus hoc illis.

Negat mẽtem somno sopiri.

Synes. ibid. pag. 150.

6. Nonnulla solutus curis animus in somnis inuestiget, ad quæ vigil caligauerat: num propterea vsque eò valere credendus est acie ingenij, vt etiam futura prospiciat? Arbitrantur illi ex superioribus sequi, vim quandam hominum mentibus insitam esse, quâ ventura valeat tanquam è specula eminus contemplari. quęrit sane S. Augustinus lib. 12. super Genes. ad litteram, cap. 15. An anima ex seipsa vim habeat pręcognoscendi futura, idque suâ naturâ? At negat id sibi videri: quoniam, inquit, vteretur, cùm tantopere omnes cupiant futura nosse. Quare visiones & somnia Prophetarum, non ex natura, verùm diuinitùs nanciscuntur suam veritatem. Sed nos hæc tantisper missa faciamus, dum reliqua Synesij argumenta proferamus in lucem.

S. August. Negat homini naturalem vim futura cognoscendi.

7. Deinceps igitur progrediens (Gregorę verbis vtor interprete Pichonio) libro quidẽ mundum comparat, literis omnes ipsius partes, animantia dico & plantas, aërem & aquam, saxa & reliqua omnia. quemadmodum igitur in libris literæ sunt diuersarum linguarum, & has quidam agnoscunt ac pronuntiant Ægyptiorũ, illas verò Gręcorum sapientes: hi quidem minus & adhuc imperfectè, haud secus atq; infantes legũt, aut per syllabas, aut confertim, vel dictionem simul, alij autem recitant orationem: Sic etiam, inquit, Sapientes, Prophetę, & Augures, animo perlustrantes ea quę in mundo continẽtur, tanquam ex aliqua specula, id quod futurum est, prospiciunt; hi quidem ex astris, aut stellis quæ fixæ manent in sphæra globóq; cęlesti, aut ex mis in aere micantibus, extis animalium, auium clangoribus, &c.

Mundus libro comparatur, singulæ partes literis.

8. Addit pręterea, mundum suâ naturâ animatum esse. Quemadmodum igitur quodcunque animal viuit, ex membris & partibus cõpositum est, quę societatem & cognationem mutuam inter

Mundum ponit vita sensuque præditum.

ET NON RESPONDIT EI, &c.

inter se habent: ita & mundus animal cùm sit vitæ particeps, cælo ac terra, rebusq; interiectis constat, & similia reliquis patitur, aut facit: partes quoque ipsius affinitatem & fraternam concordiam colunt ac seruāt, & proinde etiam exprimunt ac portendunt omnia mutuæ concordię euentura, quædam magis, quędam minus. Hactenus ille. Cuius argumenti hanc esse vim reor. Mundus animal est. Animal porrò eorum, quæ singulis ipsius membris accidunt, nihil omninò latet. Sed & partes cùm sint inter se mutuo nexu copulatę, quæcunque patiuntur aut faciunt, horum aliquem sensum cum alijs communicant. Ex quo sequitur, vt si quę sint iudicio ac ratione prędità, nullus eas animalis motus pręterire possit. Hęc porrò diuinatio est, si quis singularum mundi partium secretos conatus rimari queat. Sic enim fiet, vt plurima quæ non ante reliqui norunt quàm prodeant, longè antè inuestiget. Hanc esse vult, si quis diligenter exploret, vniuersalis mundi concētus, & singularũ eius partiũ sympathiæ efficaciam.

9. Docet quosdã esse deos qui herbis & odoribus pellici possint.

Postremò, hinc etiam aliud argumentũ elicit, eiusdem harmonię vi quadã arcana nescio quos deos posse pellici, qui cùm sint futurorum conscij, obscuriora quæq; nos doceant. Cùm sint enim omnia vnius, inquit, animantis partes, insitq; in his potius quàm alijs, quædam ad se inuicem affectio, inde accidit, vt ad deũ aliquem ex eorũ numero, qui mundi huius ambitu continentur, lapis apud nos aliquis herbave pertineat: ᾗς ὁμοιοπαθῶς εἶχε τῇ φύσει, καὶ γοητεύεται, quibus rebus cùm affectionis similitudine sit coniunctus, naturæ vi trahitur, ac pellicitur. Hic demùm suo sorex indicio prodit se, & Goetiæ fucus detegitur.

Argumentorum confutatio.

Ratio nona exploditur.

Nam vt ab hoc primùm argumento Synesij nugas refellere incipiã, Quod genus istud deorum esse dicemus, quod possit herbarum lapidumve illecebris capi? Deumne, qui nequaquã hoc orbe includitur: an sanctos Angelos eius, quos terrenæ contagionis felicitas expertes facit? Absit. Nam vt idem ait, καὶ ὅσον γὰρ ἔξω τοῦ κόσμου διῄρηται, ἅπαν ἐστὶν ἀγοήτευτον·

Mentes à materia separatæ corporeis illecebris haud capiuntur.

— ὁ δὲ ἀφειδὴς ἐν ἀκηδίῃ,
Οὐδ' ἔθειραι.

ὁ γὰρ νοῦ φύσις ἀμείλικτος· τὸ δὲ παθητικόν ἐστι τὸ θελγόμενον.

Eruditissimus Petauius ita vertit: Quicquid enim diuinum extra mundum positum est, nullis omninò præstigijs allici potest:

Quicunque est liber, cura vacat omni,
Nec pensi illi quicquam.

Natura quippe mentis nullo modo inflecti potest: patibileq; hoc ipsum est quod mulcetur ac pellicitur. Hæc ille. Quorum nihil in Deũ, aut cælestes Angelos conuenit. Sed habet alia præterea numina, quæ sunt nonnullis stirpibus lapillisq, obnoxia, quibus etiam inuitis vim afferat. Quod si verum est, miror quamobrem portenta ista, & seruilia numina, tam potentibus herbis non perpetuò adhærescant: aut quo pacto postquam ijsdem alligata fuerint, soluãtur. Nam si vllius rei ea vis esse credenda est, vt dæmones procul positos alliciat, eò magis præsentes ne discedant cohibere poterit. Non itaque deus aliquis, qui nullus est præter vnũ optimũ maximum: non Angelus, qui à scelere & mendacio abhorret: vt hæc portenta scriberes, tibi autor extitit, sed architectus ille malorũ omniũ diabolus, quo plures te duce atque antesignano magicis artibus perderet. *Hoc opus*, inquit epist. 153. quæ est ad Hypatiam, quam vocat Philosophiæ magistram, *Dei mandato scriptum, & ab eo examinatum ac perpensum est, quod imaginandi vi tanquã grati animi munus est consecratũ. &c. Vniuersum verò illud opus vna nocte elaboratũ est, seu noctis potius reliqua parte, per quam & de eo conscribendo oblata mihi visio est. Quinetiam in quibusdam orationis partibus bis fermè vel ter, tanquam alius forem, mei ipsius cũ ijs qui aderant, factus sum auditor.* Hæc ibi. Opus, inquit, imaginandi vi consecratũ. Non nos fallet noctis ille Deus, tametsi ne deprehenderetur, toto illo opere piorum mẽtibus tenebras offundere studuit. *Nam mysteria, inquis, nullo quidem modo nostra attingat oratio, Reip. legibus obtemperans.* Cur enim nos celes, aut quamobrem ea nobis inuideas? Quoniam his nobis leges interdicunt. Itane verò leges vlla mysteria, quæ ad salutẽ humano generi plurimùm conferre possent, execrãtur? Fatetur sua mysteria eadem esse cum Magorũ incantationibus, quæ legibus Imperatorijs vetantur: quippe eodem pariter fundamento niti. Cùm enim dixisset totius orbis partes, vt pote quæ eiusdem totius membra sint, mutua quadã necessitudine copulari, statim addit: *Nam à se inuicem attrahuntur non minus quàm significantur: Isque demum sapiens est, qui partium inter se mũdi cognationem intelligit. Quippe aliud alterius beneficio ad se pertrahit, præsentia, tanquam pignora quædam habens eorum, quæ maximo interuallo dissita sunt: cuiusmodi sunt voces, materiæ, figuræ.* quibus ipsis etiam dæmonibus vim afferri contendit. Hæccine verò sunt, quæ credi debeãt hominis phantasiæ consecrata? Agrippa Synesij mẽtem secus interpretatus est, qui eandẽ sæpius laudat in occulta Philosophia, & eiusdem rationibus plurimùm tribuit. Gregoram lege in hunc locum. Synesius, inquit, quasi cum sciente verba faciat, summatim & leuiter admodum hæc attingit. Nos verò minimè cunctabimur ea fusius explicare in amicorum gratiam, quæ ex oraculis & præceptionibus Chaldaïcis collegimus. Cùm itaque vocum, materiarum, & figurarum mentionem fecerit, de materijs primùm tractemus, &c. Nam plura refert: vnum hoc eligam ex Hecates oraculo, quod apertè docet ad hæc mysteria dæmones euocari.

Synesius in epist. loquitur de libro quẽ scripsit de Insomnijs.

Onirocriticorum mysteria legibus prohibentur.

Gregoras. Onirocritici dæmones inuocant.

Illecebris hos immensis ex æthere ducens
Absque labore in tellurem inuitos reuocasti:
At medios medijs clangoribus interfusis,
Ignibus absque sacris, diuinel somnia sicut
Inducis, fœdans non dignis dæmonas actis.

Chaldæi verò mendaces aiunt esse genios terricolas, tanquã procul à diuina cognitione remotos atq; amandatos. quod si vis veritatem ab his aliquã accipere de rebus futuris, fac aram, &

Terrestrem quoties venientem dæmona cernes,
Mactato lapidem Mnesurim, murmura reddẽs.

Et non respondit ei, &c. Etenim lapis hic vim habet aduocandi dæmonem maiorem, qui inaspectabili modo terrestri genio se admouens, docebit fortasse veritatem eorũ quæ inquiruntur, quam rursus ille aperiet ei homini à quo interrogatur. Itemque alibi: Operare, inquit, circa Hecatium circulum. Est autẽ Hecatius circulus sphæra aurea, quæ sapphirum lapidem in medio sui inclusum habet, ac per totam extremitatem characteres & figuras varias. Hanc sphæram vertentes, inuocationes perficiebant, quas etiam Iyngas vocitabant. Hæc & multò plura Niceph. Gregoras. quibus satis indicat, ea mysteria non absque inuocatione & idololatria peragi consuesse. quin imò idem ipse Synesius, Principum edicta nihil veritus, cæremonias peti iubet secretiore ex Philosophia, quibus phantasiæ spiritus defecatus diuinus euadat, Deumque excipiat. Ac postremò somnium capturos admonet, cùm eunt cubitum, si lectulo tanquam Pythio tripode vsuri sint, Iouis primùm opus esse manibus, ac fausta prece, votisque quæ somnum auspicentur. Cuius rei quempiam autorem facit, qui in hanc sententiam scripserit:

Manifestè idololatriã profitetur.

Hæc vbi lota fuit, purosque incinxit amictus,
Cecropiæ fert vota deæ.

εὐχας, inquit, αἰτήσομεν ὄνειρον, sic nos somnium postulabimus. Cæteri verò aliarum gentiũ Oneirocritici, quos Romanarũ legum cancelli non cohibebant, palàm & candidè eam artem cum dæmonium cultu coniunctam professi sunt. Baram, ὁ ὀνειροκρίτης Saanissan Persarũ Regis apud Achmetem in Oneirocr. c. 3. *Quisquis*, inquit, *somniorum interpretationis particeps fieri cupit, tenuiores, humilioresque cogitationes & amorem erga astrorum dominos sibi proponat.* Tarphan autem Ægyptius, & ipse somniorũ interpres, de Pharaone in Præfat. *Magno*, inquit, *deos amore prosequebatur, qui omnia singulatim ei euentura, visis nocturnis prius indicabant.* Recentiores Oneirocritici, quæ postulent, iam antea explicuimus, quæ ipsa quoque palàm & apertè idolomaniam clamitant. Quę porrò in Synesium scribo, non eo animo scribo, quo eius famæ detraham, qui postea ex diuinæ legis præscripto vitã instituit: sed quo eius sectæ fundamenta conuellam, quæ eiusdẽ autoritate gloriatur, & doctrina defenditur. Quod si Gregoræ fidẽ habemus, qui hoc opus scholijs illustrauit: Synesius hactenus Græcus erat, & Chaldæorum Platonicorumq; magis addictus: quorũ placita cùm seriò complexus esset, forsan etiam nefandis sacris operatus, afflatus per noctem stygio numine, eas rationes veterum inuentis suggessit, quibus ad hunc diem imperitis, & solidioris doctrinæ inopibus probarentur. Sed iam ad aliud argumentum aggrediamur.

Achmet.

8. Mundum ait ex veterum quorundam sententia animatum esse. Hoc quondam Stoïci commenti sunt. Sed mitto hæresis autores, animationis huius autorẽ requiro. Cum Atheïs sermonem contuli, qui negarent ab alio animatum. Habet igitur immensam quandã vim, quæ nullis finib. circunscripta sit. Admittunt. Non poterit igitur partibus coagmentari, quæ forma & qualitate dissideant: quippe singulas partes infinitas deficeret. quinimò aiunt, cùm mente præditus sit, ita variè sese fingere, & dissimiles formas inducere, quo se rebus producendis accommodet. Non est ergo quod fingitur, cùm sit illud finitũ, atque mutabile: sed hic est quidam velut summæ virtutis partus. Vnde sequitur, vt iam non de rebus ipsis, sed de nominibus vobiscum altercatio esse videatur. Nam pij quidem summã vim illam Deum, mundum eius opus nuncupant: vobis aliter nominare placuit; quod tametsi nequiter ac præposterè faciatis, vobis tamen Atheïs esse non licet. At negant alij, tametsi mundi neges ab alio manasse originem, infinitionem necessariò ascribi. Nugæ. Nam quod finitum est, eo maximè discrimine ab infinito secernitur quod huius quidem, si probè intellexeris, iudices causam nullam esse posse; alterius cùm extremas oras contemplatus fueris, statim nosse studeas quis modum statuerit. Cur enim hoc potius modo quàm alio se habeat? Cur ad hunc vsque terminum prodierit, nec vltra metam porrigitur?

Pluribus ostenditur mundũ animatum non esse.

Mundum itaque Deum prudentior quispiam animasse dicit. Cedo testem. Nam Moyses quidem, cùm initio Genesis mũdi fabricam describeret, multorum quidem meminit, quæ cùm Deus singula architectaretur, vita donarit, sed mundi ipsius in ea serie non meminit. Scripturas rides. audio: sed iam rationes ede cur ita facias. Nam qua tandem anima mundum ornabis & instrues? Rationali? Nihil fingi poterit absurdius. Quippe si rationi morem gereret, bonorum quidem cœptis faueret; malis autem adimeret nocendi licentiam. At contrà improbissimus quisque huius mundi opibus affatim fruitur, probus eget. Quo argumento liquidò constat, carere quidem mũdum iudicio ac prudentia, ab eo autem diuinitùs agi, qui supra naturæ vim habeat quo pacto bonorum quidem pietatem mercede cumulet, in scelera autem & fraudes animaduertat. quod si sensus fortè quispiam in eo residet, proderet vtiq; cùm vritur, cùm foditur, cùm mẽbra eius variè vexãtur. Nemo tamen hactenus ex ijs, qui è terræ visceribus lapides & metalla eruunt, vllũ doloris sensum in eo deprehẽdisse testatus est. Nam quod nõnulli montes flãmas euomant, nouimus incendio sulphure aut metallo fieri: terra verò cũ quatitur, eum motũ aër inclusus in altis specub. ciet. Accid t enim nonnunquã vt illum erũpens flãma sorbeat: qui vbi haustus erit, locusq; vacauerit, ne qua sese inanitas ingerat, labes repentè fit, terræq; subsidunt.

Non rationali, non sensitiua.

Esto. negare tamen, inquiunt, non poteris inesse mundo spiritum vitaliter vegetũ, & alentem omnia. Hunc enim, inquit Seneca, nisi haberet, quomodo tot arbustis spiritum infunderet non aliunde viuentibus? quomodo tot radices aleret? Respondeo, si viuat, alatur quoque necesse est. quis igitur eiusdem promus condus fuerit? Vnde penus? An fortè seipsum deuorat? Respondeo secundò, terram non suapte vi, seu velut causam efficientem, largiri vitam stirpibus, sed gignendis fouendisque materiam suppeditare. Alioqui verò & sentire quoque, ac moueri, vociferarique necesse sit, cùm putres-

Seneca li. 3. Quæst.

Non denique vitali anima.

Et non respondit ei, &c.

censanimalia pariat, & educet, quæ sensu, gressu, ac voce polleant. Tradit Plutarchus in vita Cleomenis Spartanorum Regis, quod cùm eius interfecti cadauer Ptolemæi iussu in crucẽ sublatum esset, paucis elapsis diebus draco visus sit ita corpori circũfusus, vt coruos à præda prohiberet. quod cùm omnes, quasi diuinũ quoddã prodigium venerantes suspicerent, prodita à sapientibus huiusce rei ratio est. Aiunt enim ex bobus apes, ex equis fucos, ex asinis crabrones generari: ex humanis verò corporibus, & medullarum succo, serpentes nasci plerunq; solere. Constat igitur ex ijs non posse confici, mundum animatum esse. Vt tamen vitam viuat, qualem sibi stirpes & arbusta vendicant, nihil magis quàm truncus ad diuinationem conferet.

Nec tamen propterea partium eius seriem nexumque respuimus, & admirabilem illũ causarum concentũ, quo ingens hæc machina ex diuersissimis rebus compacta cohæret, ex quibus qui statim naturales effectus consequantur, conijci possint. Sed eatenus valere intelligimus, qua sese mutuùm iuuent, & vires à natura datas exerceant, aliena non promittant quæ ex Dei hominumve arbitrio pendent: ne sua quidem in longum tempus polliceãtur. Nam quæ physicè portendunt, ni statim contingant, cùm ab alijs causis impediri possunt, quarũ nos vis occulta latet: tum à Deo maximè, & quicunque eodem autore libertate pollent, quorũ potestas est, vt aiunt, ad vtrumlibet, neque speciatim quicquam significat, neq; in eandẽ classem cum cæteris quæ agunt ex præscripto naturæ referri potest.

Harmoniæ mundi partium quãta vis habenda sit.

7. Contra præcedentis argumenti calumniã respondeo, eum librum rerum existentiũ esse, in quo res creatæ sic commodè literarũ instar collocatæ sunt, vt quicunq; ad eas animũ intenderit, statim autoris potentiam, sapientiam, bonitatẽ, suis ad viuũ coloribus expressas legat. Rerum autem futurarũ præsagitiones nequaquam cõplecti: quod neque mente præditæ sint, qua procul seu potius nusquam posita speculentur: neq; quicquam præter id quod sunt, aut edere physicè possunt, seipsis referant. Quod tamen postremũ ita accipiendũ est, vt edere posse, non certò edituræ videantur. Nam quæ necdũ prodierunt, nusquã sunt præterquã in Archetypo: cuius voluntas cùm sit libera, non aliunde perspici potest, quàm si vltrò prodiderit. Oneirocriticos porrò miror tandiu in hac hærere salebra, ex qua cõmuniter negent coniecturam capi. Negant enim diuersis ab ijsdem similia portendi. Hinc sibi priuatim quemq; Synesius artem parare iubet. & indignè fert annum vigesimũ attigisse, cui vate opus sit. Hinc Artemidorus somniorũ interpretem singulorũ mores iubet, ætatem, opes, patriam sedulò perscrutari: Hinc rarò Persæ, Indi, Ægyptij, apud Achmetem Arabem in suis canonib. consentiũt. Hinc Syrbacham Indus cap. 2. disertis verbis scribit Leone Tusco interprete: Μὴ ἀγνοείτω δὲ τις ὅτι μία τις ὄψις κρίσις καὶ λύσις οἰκέζονται εἰς τῶν διαφόρων προσώπων, &c. Nemo verò existimet vnius insomnij circa diuersas personas vnam esse interpretationem, ac solutionem. Nam & rerum insomnia suam habent interpretationem, & magistratuũ diuitumq; suam, & pauperum inopumq; vicissim suam. Similiter & alia est somniorũ, quæ mulieribus contingunt, significatio, alia eorum quæ viris. alia item æstatis, alia hiemis tempore. Hęc ille. Ex quibus nullo negotio statuas, quàm certa sit illa literarum quam fingunt in orbe descriptio.

Negant Onirocrit. eadem diuersis eadẽ portẽdere. Artemidor.

Quarta deinde ratiocinatio, quam Synesio tribuimus, ruat pariter necesse est, quæ tota mendacijs cõtexitur, & errore scatet. Ponit primùm mundũ hunc æternitatis effigiem esse, mundũ intelligens (vt Gregoras interpretatur) qui Lunæ concauo continetur, qui totus illi mole corporea constat, & ijs spectris & imaginibus quæ res corporeas repræsentant. quod tametsi secundum quandam analogiam dici possit, quatenus vnumquodque opus artificis sui præ se fert similitudinem, falsum est tamen æternitatis magnitudinem eo simulacro referri. Non enim Deus cùm orbem conderet, se totum effudit, aut in corpora sublunaria præcipua quæq; contulit, sed quantum satis esset ad humani generis œconomiam. Erudire etiam ex his instituit, non quo circa illa versaretur diutius, sed vt his tanquam gradibus ad rerum spiritualium contemplationem eueheretur. 4.

Fingit deinde, quo nihil absurdius excogitari potuit, earum rerum quæ non sunt, tanquam in speculo, sic in aëre adumbratas imagines vagari, quas, vbi sese per quietem ad phantasiã applicuerint, si quis sapienter ac sedulò excusserit, futurarum rerum notitiam assequatur. Sed illas fingere prius debuit vnde nascantur, vt apud nos fidem inueniant. Nam quod earũ originem videtur à materia petere, quæ nata est omnes formas induere, rem facit risu magis quàm stomacho dignam. Non enim puræ, vt aiunt, potentiæ adũbrari forma vlla potest, quæ species & genera distinguat. Deinde, quo pacto futurũ tempus indice, an huius quoq; præsens aliqua imago est? Non video quonã modo quod erat ante oculos, esse neges, futurũ intelligas. Non enim idola, quæ in phantasiã incurrunt, fari norũt: sed tu cùm ea spectes quę non potuerũt nisi ex veris nasci, non tamen esse, sed fore conijcis. 5.

Quoniam autem, ne si quidem illa demus, quę fundamenti vice statuerant, adhuc videri poterant ventura nuntiare, si non humana mens insita vi præsagiret, idcirco mendacium mẽdacio attexitur; nonnullam facultatem, quæ, si excolatur, futura penetret, penes nos consistere. Quo non hominum temeritas prorumpit! Verumenimuerò quæ in posterum existent, si pauca excipias quæ diuinitus proferũtur, haud aliter humani ingenij acies spectare poterit, quàm si ea in seipsis, aut saltem eorum causas speculetur. Nam earum rerum quæ postea emergẽt, haud dubiè longè antè formas intueri potest. Sunt enim illæ perpetuæ, quas apud Philosophos definitio circunscribere solet. Quippe definitio oratio est, quæ quid sit, de quo agitur, ostendit quàm breuissimè. Hæc rei cuiusq; proprias amplectitur potestates, vires explicat, naturã exprimit: sed nullam habet præterea temporis rationem. Quamobrem, ea non magis 6.

Formæque dicuntur ab æterno, quas definitio exprimit, à tempore abstrahunt.

Et non respondit ei, &c. quid futurum sit designat, quàm quid olim extiterit: omniū ætatum discrimina nullo inter se discrimine cohibet: Vnde sequitur, vt ne huius quidem beneficio quid deinceps prodeat, valeas colligere. Causas, inquies, perscrutabimur. Naturales, an diuinas? liberas, an necessarias? Causis liberis Deus ascribitur. Angelos quoque, & dæmones, hominesq; suo quodam modo liberos esse fides asserit. Iam verò causarum, quæ liberæ sunt, effectus ex arbitrio pēdet: quamobrem nisi suos cœptus & consilia patefaciant, nulla arte inuestigare possis. Naturales causæ, quæ indicij expertes manent, ac proinde necessariò feruntur, ad diuinationem quantū emolumenti conferant, ex superioribus nullo negotio colliges.

5. Democriti quæcunque sint illæ rerū defluxiones, quæ sese sopitis corporibus affricant, tentare illas sensus externos antè necesse est quàm se penitùs insinuent in phantasiam: neq; nos id genus diuinationis antè repudiauimus, cùm de naturalibus insomnijs dissereremus. Nā & similia quædā ijs accidunt qui ad mare cōmeant, vt vicinum ex aëris frigidiori qualitate præsentiant. Nonnullos quos noscendi studiū ad peruestigandos Nili fontes incenderat:

--- rubicunda prausti
Zona poli tenuit: Nilum videre calentem

Lucanus ait. Æstus scilicet zonæ torridæ qui latius spargitur, & ad finitimas regiones manat, eos ab incœpto deterruit. Canis feram quā non videt, odore venatur. Huiusmodi porrò qualitates, quæ sensibus externis affluunt, rerū sunt non futurarum, sed existentium. Ex quo conficitur, vt per has ea duntaxat intelligere liceat, quæ in rerum natura versantur: aut eos duntaxat effectus conijcere, qui ea naturaliter consequuntur: quæcunque autem in causarum liberarū manu ac potestate sita sunt, ea vt scienter auguremur, nunquam efficient.

1.
2. Aristotelis posterior ratio vera est de physicis & moralibus insomnijs. Prior cùm de his, tum de diuinis intelligi potest.

Iam artem Iosepho falsò ascribi. Quid si postremò sectæ principes recenseam, & eam artem ostendam ab ijs inuētam esse, qui dæmonum cultui addicti essent? annon constabit nullo pacto eidem fidem adhibendam esse? At sunt qui Iosepho Iacobi Patriarchæ filio artis originem acceptam referant. Scilicet Trogi est illud insomnium apud Iustinum lib. 36. Minimus, inquit, inter fratres ætate Ioseph fuit, cuius excellens ingenium veriti fratres, clàm interceptum peregrinis mercatoribus vendiderunt, à quibus deportatus in Ægyptum, cùm magnificas ibi artes (ita legit Freculph. chron. tom. 1. lib. 2. cap. 1. At vero Otto Phrising. li. 1. ca. 14. cum pluribus) cùm magicas ibi artes solerti ingenio percepisset, breui ipsi Regi percharus fuit: nā & prodigiorū sagacissimus erat, & somniorum primus intelligentiam condidit. Hæc ille. Neque desunt prætereà, qui Iosepho liberatori suo, populum Ægyptium, honorem diuinum nomine Serapidis detulisse autument. Otto Phris. li. 1. ca. 15. Effigies certè deo posita fuit cum modio capiti imposito, Suida autore, vel calatho, vt liquet ex Artemid. lib. 5. Oneir. cap. 93. quod videntur Ægyptij monumentum summi illius beneficij statuere voluisse, quo Ioseph, vt eiusdem etiam in posterū meminissent, promeruerat. Nam mensura illa, vt apparet, rei frumentariæ dispensationem, qua famem ab ijs depulerat, cōmodè designat. Porrò à Serapide potissimùm somnia votis expetebant. Testatur Cic. de Diuinat. l. 2. Artemid. l. 5. Oneiro. c. 72. 73. 74. Strabo Geographiæ li. 17. Canopus habet, inquit, Serapidis templū religiosè cultum, vt etiam nobilissimi viri ei credāt, & pro se, vel pro alijs insomnia ibi captent. Hæc Strabo. Inde nōnulli quæ Serapidi ab Ægyptijs adscripta essent, ex aliqua coniectura Iosepho tribuerūt. sed siue illi opinione fallātur, seu vera conijciāt, tantumq; ea gens insanierit: artem tamē suam Oneirocritici frustrà à Iosepho manasse contendunt; cùm nequaquam ille ad interpretanda somnia adhibitus artem professus sit, sed Dei hoc esse beneficium Pharaonē docuerit. Genes. 41. ver. 16. *Absque me*, inquit, *Deus respondebit prospera Pharaoni.* Itaque ibidem Pharao v. 38. *Spiritu Dei plenum* nuncupat. At Philo Biblicus harum ineptiarum Abrahamum autorem facit. Quis enim famoso nugatori credat?

Iustinus li. 36.

Otto Phrysing.

Strabo.

Habetur ea Oratio Biblioth. SS. PP. tom. 4.

Tatiani probabilior coniectura in Orat. ad Græcos. Etenim excellentes quidam, inquit, in Telmeso viri, diuinationem quæ ab insomnijs fit, inuenēre: Cares præsagium ex syderibus: Phryges & Isaurorum antiquissimi, auspicia: Cyprij haruspicinam: Babylonij astronomiam: Persæ magiam: Ægyptij geometriam: Phœnices denique literarum disciplinam. Hæc Tatianus. Quem virum miror quamobrem Hadrianus Iunius Animaduers. lib. 1. ca. 8. & eundem sequutus Dempsterus in Corpore Antiq. Ro. in album Martyrum referant, & cælo ascribāt, reclamantibus præsertim Patribus, qui eundem hæreticum & Encratitarum principem ac Coryphæum fuisse asserunt. De Telmessensibus, qui Cariæ à Cicerone, Lyciæ à Strabone tribuuntur. Tertullianus de Anima cap. 48. Telmessenses nulla somnia euacuant, imbecillitatem coniectationis accusant.] Erant hi porrò dæmonum cultui addictissimi. Neque tamen omnes in eo consentiunt, sed eius inuenti alij alios autores habent. Plinius lib. 7. cap. 57. Amphicthyoni Deucalionis filio, somniorum & ostentorum interpretationem assignat. Pausanias Amphiaraum ὀνειράτων διακρίσει in dijudicandis somniorum euentis excelluisse scribit in Atticis. Horum omnium scientia cum idololatria & superstitione coniuncta fuit.

Artis autores.

Tertull.

Qui de ea scripserint.

Qui de ea arte scripserint, hi numerantur ab Had. Iunio. Animaduers. lib. 1. cap. 18. Geminus Pytius tribus ea de re libris editis: Panyasis Halicarnasseus, Alexander Myndius, Phœbus Antiochenus, Demetrius Phalereus, cuius de eadem scientia quinque commentarij extitisse leguntur: Artemon Milesius, qui ad 22. Onirocriticōn libr. conscripsit: Nicostratus Ephesius, Astrampsychus, Artemidorus Daldianus è Lydia, & eo antiquior Atheniensis Antipho. Hos ille commemorat. Rigaltius non ita pridem vnà cum Artemidoro Astrampsychum,

Et non respondit ei, &c.

chum, Nicephorum, & Achmetem Arabem edidit: qui postremus non tam ipse proprio marte Oneirocritica scripsit, quàm aliorum scripta collegit, & commentarios Syrbacham Indi, & Baram Persæ, Tarphan denique Ægyptij in vnum volumen contulit. Ex quibus omnibus nihil colliges quod pietatem promoueat, aut veritatem indicet, sed nugas duntaxat, & superstitionem, quibus simpliciorum credulitati illudunt.

De diuinis somnijs quid sentiendum sit.

QVÆST. CXVII.

DE diuinis somnijs quid senserit Aristoteles, diximus præcedenti quæst. Somnia à Deo immitti inficiatur, hoc prętertim nomine, quod hanc diuinandi facultatem prudentibus ac bonis, non autem ineptis atque improbis viris daret. At contrà Syrbacham Indus apud Achmetem cap. 2. Non solis autem bonis, & virtute prędictis Deus insomnia mittit, sed etiam malis, & prauè agentibus. Atque hæc, inquit, propter immensam Dei misericordiam, qui eos etiam alit, à quibus contumelia afficitur. Hæc ille. Enimuerò vt Tertull. ait in lib. suo de Anima, Cùm Solem suum ac pluuiam tam iustis quàm iniustis distribuat, non mirum esse debet, si hæc etiam dona, quæ præsertim valent ad homines erudiendos, tam bonis quàm malis impertit. Et ne ignoremus eius morem, historia sacra tradit, Ethnicos persæpè à Deo fuisse admonitos, & correctos dormiendo. Sic Pharao Ægypti Rex iussus est Abraham reddere vxorẽ, & Abimelech Rex Geraræ similiter fuit admonitus. Subijcitque Tertullianus, Vt Deus quandoque in somnis prauos instruit, vt ad bonam frugem se recipiant: sic è diuerso diabolus dormientes pios inuadit, vt insomnijs eos à rectitudinis via seducat. Putauit Aristoteles, Deum in suis distribuendis muneribus prudentium, & cum primis Philosophorum debuisse rationem habere, cùm Christus omninò secus docuerit: *Gratias tibi ago*, inquit, *Pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à prudentibus & sapientibus, & reuelasti ea paruulis, &c.* Paulus etiam dixit, Vocationem Dei ad ignobiles, indoctos, & imbecilles maximè pertinuisse. Tametsi etiam plerunque fit, vt veri Prophetæ, qui à Deo insomnijs ac visionibus illustrantur, & boni sint, & pij. Sed quo non putetur vis diuina prudentiæ aut moribus hominum alligata, vult Deus quandoque malorum hominum operâ in ijs rebus abuti, quo magna & eximia eius prudentiæ vis declaretur, vt quæ omni genere instrumentorum vti queat. Postremò, aliam quoque huius rei rationem affert Sapiens Sap. 18. ver. 17. & 19. *Tunc continuo visus somniorum malorum turbauerunt illos, & timores superuenerunt insperati. Visiones enim, quæ illos turbauerunt, hæc præmonebant, ne inscij, quare mala patebantur, perirent.* De Ægyptijs hæc refert. quamobrem igitur sic quoque Saulem non afflixit? quòd ei parceret. At forsan illico resipuisset: & scelerum pœnitens, numinis voluntatem ad misericordiam inflexisset. Statim apparuit quid facturus esset. qui postquam nefandis artibus manes sollicitans, à Samuele de futuro exitio edoctus esset, potius quàm superioris vitæ flagitia, contumaciam, nefarios conatus damnaret, seipsum sua manu confecit.

Achmes.

Tertull.

Refellitur 3. argumẽtum Aristotelis negãtis à Deo somnia immitti.

2. Alterum argumentum erat, Bruta etiam dormiendo somniare, cùm tamen nemo dixerit, somnia eorum à Deo suggeri, & disponi. Decipitur is Philosophus, quòd arbitretur Deum, si aliqua somnia immittat hominibus, eum debere fieri omnium autorem: quod sanè alienum à nostro sensu est. Non enim omnia quæ naturalia sunt, in Deum ipsum referimus, vt peculiaria quædam effecta, quibus immediatè (vt cum Scholasticis loquar) homines de futuris instruat. Satis antea ostendimus, quibus de causis fiant in animantibus insomnia. Vtque dialecticè agamus: A priuata seu particulari propositione ad vniuersalem, non est firma connexio. Quare si Deus aliqua suggerit insomnia, inde colligendum non est, omnia siue in brutis, siue in hominibus ab eo immitti. Habent alioquin etiam bruta vim audiendi, neque desunt aures: & tamen, quia Deus non mittit Prophetas, qui eis loquantur, & futura indicent, non concludemus Deum ad homines non legare interdum sanctos viros, à quibus & moneantur, & instituantur. Synesius in libro de Insomnijs habet hos versus, quos etiam interpretatur.

Τοῖς μὲν διδακτὴν ἔδωκε φάους γνῶσιν λαβεῖν·
Τοῖς δὲ, καὶ ὑπνώουσι τῆς αὐτάρκειαν ἀλκῆς.
Notitiam edocta dedit his comprehendere lucis:
Virtũ at his fructũ in somnis dat habere suarum.

Vides, inquit, vt felicem sortem à disciplina secreuerit: Hic, inquit, vigilans, alter somnians edocetur; sed per vigiliam homo est qui instituit, dormienti verò Deus, virium suarum fructum obijcit, vt idem sit discere, quod assequi: nam fructum obijcere plus est quàm docere.

3. Aiebat præterea videri, non minus interdiu quam noctu Deum hæc debere facere, si esset insomniorum autor. Ego verò affirmo, Deo liberum esse, vt tempore vtro voluerit vtatur, cùm non minus diei quàm noctis, & somni quam vigiliæ sit Dominus. Et reipsa Prophetis visiones ostendisse, quandoquidem dormientibus, interdum vigilantibus, vt ei opportunius visum est, diuinæ literæ testantur. quinimò Artemidorus Oneirocrit. lib. 1. cap. 8. negat insomnijs, quæ manifestam causam non habent, referre quicquam noctu visa sint, an interdiu. *Μηδὲν διαφέρειν εἰς πρόγνωσιν τὴν νύκτα τῆς ἡμέρας,* &c. Nihil differre docet ad prænotionem noctem à die, aut crepusculum vespertinum à crepusculo matutino, si modò moderatè cibatus quis somnum petierit. Immoderati enim cibi neq; ad ipsam auroram verũ cernere permittũt. Tametsi reliqui, vt Tertull. autor est libro de Anima, c. 48. certiora & colatiora somniari affirmant sub extimis noctibus, quasi iam emergente animarum vigore prodacto sopore.

Artemid.

Deinde quid absurdi est, si noctis atque soporis commoditate sæpius vtatur, cùm ipsime

ET NON RESPONDIT EI, &c.

Philosophi ac Medici fateantur homines tunc temporis magis idoneos esse ad motus quàm leuissimos percipiendos? An ista commoditas inseruiet Medicis ad humores corporum deprehendendos, & Deo inseruire non poterit ad promouendam animorum salutem? In lib. Iob c. 33. pulcher & appositus locus habetur in hanc sententiam: *Quando sopor in homines irruit, & in stratis suis fuerint consopiti, Deus tunc reuelat aurem. & castigationes obsignat.*

4. Postremò illud opponebatur, Deum, si vellet monere homines, id apertè ac dilucidè facturum, non autem obscurè, seu per ænigmata. Respondeo, veros Prophetas, & à Deo afflatos optimè intellexisse quæ Deus in somnis illis dicebat: quocirca non erat eis opus coniectoribus. Tametsi enim Mardochæus & Petrus non continuò quid dracones & reptilia à se visa portenderent, intellexerint, statim tamen per seipsos, quæ Dei mens foret ac voluntas, interpretati sunt. Quod si quando Ethnicis Principibus (vt Pharaoni & Nabuchodonosori accidit) somniorum visa texit ambagibus, id effecit Deus, vt occultos Prophetas, nempe Iosephum & Danielem, notos & illustres redderet. Alioquin suis Prophetis iudicium & intelligentiam luculentam visionum, quas ipsis ingessit, est elargitus. Aristoteles verò eò decipitur, quòd tantùm impostores aspexit, qui eiusmodi vaticinia profitebantur, & homines dementabant, quasi possent omnia somniorum genera explicare, ac ostendere quid nunciarent. At nos neque de omnib. somnijs, neq; de quibusvis Prophetis intelligimus, quæ hactenus allata sunt. Pertinent quippe tantùm ad illa, quæ verè manant à Deo: quare huc non faciunt impostorum & circulatorum coniecturæ. Autoritas verò tanti Philosophi non est quod multùm nos moueat: quia tametsi cum eo faciat Epicurus, qui vt suos deos labore insomniorum curandorum leuaret, ea temerè ac fortuitò euenire statuit; è diuerso tamen Plato insomnijs diuinitùs missis multa tribuit: & Stoïci tanquam familiare ac domesticum oraculum nocturna somnia pronunciarunt, quibus à Deo nostro generi prouidè consuleretur. Sed etsi hi quoq; pariter inficiarentur, nos tamen sacræ Scripturæ autoritati refragari non possumus.

Scriptura probat nõnulla somnia diuinitùs mitti.

Quamobrem missis Philosophis, diuinarum literarum testimonijs confirmemus quædam insomnia diuinitùs mitti. Testatur Matthæus, Iosephum virum *Mariæ* in somnis ter ab Angelo fuisse admonitum. Vxor etiam Pilati per somnium intellexit, & marito nuntiari curauit, Christum innocentem non fuisse damnandum. Petrus in Act. Apostol. cap. 10. demitti è cælo discum vidit. & cap. 16. Paulo vir Macedo apparuit, eumque vti in Macedoniam iret, inuitauit. Eidemque in somnis iussit Dominus, vt ne Corintho discederet, quòd ingens populus in ea vrbe sibi esset. Possem alia permulta commemorare, tam veteris quàm noui Testamenti loca, nisi parcendum tempori iudicarem. Philo Iudæus, vt à sancto Hieronymo in libro de Scriptoribus Ecclesiast. dicitur, quinque libros de insomnijs diuinitùs immissis conscripsit. S.

A Cyprianus in epist. item refert, nonnulla suo tempore visa per somnum, ad Ecclesiæ ædificationem facientia: nec parum, imò permultùm illis tribuit. Polycarpus Martyr ardere in somnis capitis sui ceruical vidit: quo magis incensus, paratum sibi rogum paruipendens, non tam incendio perire, quàm cælestium rerum amore deperire visus est.

Quo pacto liceat, aut non liceat somnia obseruare.

Quanam ergo ratione, inquies, Deus somniorum cura nobis interdicit? Nam si hoc pacto res habeat, non contemnenda erunt insomnia, sed diligenter obseruanda. Respondeo, non omnem somniorum curam esse interdictam, sed illam tantummodò, quæ vanis & malis artibus procuratur, & cultu dæmonum solet impetrari. Nihil alioqui prohibet, per somnia iudicare de humoribus: aut si à Deo

B sint, & ab eo esse intelligantur, illis parere. Est præterea interdictum, ne somnia Physica vltrà quàm illorum natura patiatur, producamus. Id verò illi faciunt, qui ea fortuitis euentis accommodant, circa quæ nullam rationem vel causæ, vel effecti habent. Nec diuinatio superstitiosa per insomnia tantummodò à Christianis damnatur, sed etiam à legibus Romanis est confossa. Libro quippe nono, *Cod. de Malef. & Mathemat. L. Etsi excepta.* sancitur puniendos esse tales diuinos grauissimè, ita vt etiam si dignitate aliqua fulgeant, sintq; in ipso Cæsaris comitatu, possint adigi: quod alioqui non licuit facere viris nobilioribus. Exprimuntur autem his verbis: *Aut narrandis somnys, occultant artem aliquam diuinandi, &c.* Assignatum autem discrimen asseruationis legitimæ ac prohibitæ, in Ierem. cap. 23. pulchrè

C describitur. Ibi enim Deus per Prophetam somnia vana & inania detestatur, sed vera & diuina commendat. Sed & aliàs sæpius vitiosa malorum obseruatio perstringitur. legitima autem & bona vetanda non est: imò sanctis viris orare quandoque licet, vt admoneantur vel in somnis, de his præsertim quę opportuna iudicant, & per seipsos non possunt expedire. Beata Monica, mater sancti Augustini, nuptiarum eius cupida, quo illum ab obscœnis amoribus auocaret, Deum rogabat, vt ea de re vel in somnis aliquid sibi reuelaret: ac testabatur, se à Deo quendam gustum esse consequutam, quo discerneret quę per somnum ex seipsa videret, ab ijs quę Deo suggerente monstrarentur. Id

S. August.

D autem scribit S. Augustinus in Confess. l. 6. c. 13. Et absque illo certò scimus Danielem impetrasse precibus notitiam insomnij Nabuchodonosor Regis. quis igitur dubitet pios etiam voto, prece, ieiunio, eleemosynis somnia captare posse?

Quæ insõnia diuinis obseruẽtur

Nunc videndum est, quid statuendum sit de insomnijs, vel diuinitùs, vel à diabolo immissis. Cum Dei, vel Angelorum operâ in somnis aliquid pręuidetur, duo exiguntur: Primum est, vt notæ quædam seu imagines rerum quæ demonstrantur, phantasiam, imaginationemve informent. Deinde vt accedat iudicium, quo intelligatur quid tandem hęc portendant. quoad primum, sciendum est, has notas & simulacra nonnunquam sensibus ingeri, ob ea quę

Deus

Et non respondit,&c.

Deus exterius apparere facit, vt cum Baltazar, successor Nabuchodonosoris, in pariete vidit articulos manus pingentis, quæ in Daniele habentur. Aliquando vero absque vllo externo viso in ipsa imaginatione seu phantasia imagines & simulacra describuntur: quod bifariam accidit. Nam vel formæ seu species in animo cōseruatæ, in vsum quem Deus voluerit reuocantur; vt cum Ieremia olla feruens ostendebatur ad Aquilonem conuersa. Aut nouæ, quæ per sensus nunquam perceptæ fuerint, demonstrantur, vt si cœco ob ea ipsa natiuitate, colorum formæ ac simulacra ostenderentur.

Formæ in somniis sūt elementorum loco.

Sunt verò in hoc genere vaticinij spectra seu formulæ loco elementorum. Nam vt digeruntur atque componuntur, varia eduntur oracula. Quemadmodum in diuersa literarum permutatione, orationes ac sententiæ variantur. Doctores qui discipulos erudiunt, sub docēdi studio atque industria multiplices imagines possunt in animis auditorū conformare, quamuis iudicium & rectam intelligentiam præbere nō possunt. Deus verò vtrumq; suppeditat, nō quidem semper simul: nam aliquibus interdū formas tantummodo influit, vt Pharaoni, & eius pincernæ ac pistori, necnon Regi Babyloniæ, quibus omnibus interprete opus fuit, à quo visa explicarentur, nimirum Iosepho & Daniele. Et sanè ij, quibus tantum imagines futurarum rerum demonstrantur, non verè ac planè Prophetæ habentur, quandoquidem solum gradum quendam, inchoationem, & vestigium quodāmodo Prophetiæ habent: quemadmodum & Caiphas Sacerdotum princeps, Propheta nō est habendus, cum ea quæ dixit, non intellexerit. S. Augustinus 12. de Genesi ad literam, 3. ca. ait, genera visorum tria esse. Prima, inquit, ad sensus externos pertinere, quæ ab eo Corporalia vocantur. Deinde, alia quædam vocat Spiritualia, quæ imaginibus constent, & circa phantasiam seu vim imaginantem locum habeant. Postremo, Intellectualia nominat, quod tantum ratione ac iudicio mentis comprehendantur. Illa vero imaginaria, nempe media, tradit Prophetas non efficere, dicitque Iosephum longe verius quam Pharaonem Prophetam fuisse. In hoc ordine seu gradu Prophetantium, Daniel cæteros vicit. Is enim visa Regis non tantum interpretabatur: sed cum ille oblitus esset, quæ dormiēdo viderat, illi potuit in memoriā reuocare. Deinde non tantum aliorū visa sapiēter conijciebat, sed etiam de suis ipsius diuinitus erudiebatur.

S. August.

Visorum tria genera

Diabolica insomnia.

A diabolo etiam insomnia quandoque mittūtur. Nam S. Augustinus libro iam adducto de Genesi ad literam scribit, dæmoniacum per visa indicasse, qua hora esset ad se Presbyter venturus, & per quæ transiret loca. Et iā antea docuimus apud Ethnicos oracula fuisse, vbi homines ad visiones & insomnia impetranda pernoctabant. Tale fuit Amphiarai, Amphilochi, Trophonij, Æsculapij. Iis in locis dormientib. cacodæmō ostēdebat pharmaca & medicinas, quib. ægroti sanarentur: simulq; de aliis etiā negotiis respondebat. Vt autē visiones & somnia huiusmodi obtinerētur, imperabātur sciscitātib. nescio qui delectus ciborū, secubationes, & quidā puri castiq; dies. Pythagoræi quoque dicuntur fabas euitasse, quod somnia turbulenta faciant. At noster Deus, vt se non esse astrictū iis rebus indicaret, Danieli somniū Regis demonstrauit, cū ipse ac socij eius precib. id à se contēdissent. Diabolū vero se posse admiscere insomniis, dubitandū nō est, cum eius opera multi fuerint, & etiā nunc sicut pseudoprophetæ. Vnde S. Aug. eodē l. c. 19. *Si malus spiritus*, inquit, homines occupat, eósq; facit, aut dæmoniacos, aut arreptitios, aut falsos Prophetas: è diuerso spiritus bonus fideles Prophetas reddit, mysteria loquentes ad aliorum ædificationem.

Insomniū quale sit quo pacto agnosci queat.

Quærit ibidē ca. 11. qua ratione inter sese discerni queāt malorū & bonorū spirituum reuelationes. Et respōdet: non posse id fieri, nisi charisma discretionis spirituū adfuerit. Verū adijcit, malū spiritū semper tandē ad prauas opiniones & peruersos mores adducere: quamuis ab initio discrimen absq; dono Spiritus sancti non possit agnosci. In Epistola ad Euodium quæ cētesima est, cum idem quæsiuisset, inquit: Vtinam possem internoscere visa quę dantur ad errorē, ab iis quæ sunt ad salutem. Nihilominus bono debemus esse animo, quia Deus filios suos aliquādo tentari, sed perire nō sinit. Hæc ille. Ego sic arbitror, nullā nos somniorū rationē habere debere, nisi Deus seipsum authorem patefaciat; quoniā in his plerunq; fallaciæ latēt, nec veritas humana ratione inuestigari potest, nec vspiam nisi priuatim præceptū memini, vt mos somniis geratur. Deus ipse, siquidem ea excitarit, frustrà esse nō sinet: sed vt beneficiū agnoscatur, mentē sua luce collustrabit. quid si diuinū quidē constet esse insomniū, at diuini cōsilij scopus lateat, nec interpretatio cōmodè erui possit, an non licebit eas artes adhibere quæ similiū nodorū solutionē profitentur? Nego diuina mysteria vlla arte cōprehendi posse, aut posse quemquā, nisi Deus ipse dederit, Dei mentem & consiliū perscrutari. Quamobrē interpretādi felicitas ieiunio & precib. à Deo postulanda est, non ingenio aut arte humanis vel rationib. tentāda. Ita fecisse Danielē scriptura commemorat Daniel. 2. v. 17. *Tunc Daniel ingressus domum suam, Ananiæ, & Misaeli, & Azariæ, sociis suis indicauit negotium: vt quærerent misericordiam à facie Dei cœli super sacramento isto. Tunc Danieli mysterium per visionem nocte reuelatum est: & benedixit Daniel Deum cœli.* Et rursum vers. 27. *Et respondens Daniel coram Rege, ait: Mysterium, quod Rex interrogat, sapientes, magi, arioli, & aruspices nequeunt indicare Regi. Sed est Deus in cœlo reuelans mysteria, qui indicauit tibi Rex Nabuchodonosor, quæ ventura sunt in nouissimis temporibus. Et mihi nō propter sapientiam, quæ est in me præ omnibus viuentibus, secretum hoc reuelatum est: sed vt interpretationē Regi notificarem, & cogitationes cordis tui scires.*

Nisi quis aliter sentiat, ita cōsulimus.

Artis Oneirocriticæ non inutile experimentum.

Artis porro eius fallaciam quā Oneirocritici iactitāt, haud mediocri argumēto confutat Nabuchodonosor eod. c. v. 9. Nam cum sopore discusso quod viderat somniū eidē memoria excidisset, iussit ariolos, qui interpretationē pollicerētur, somniū prius edisserere. *Si ergo*, inquit, *sōnium non indicaueritis mihi, vna est de vobis sententia, quod interpretationem quoque fallacem, & de-*

ET NON RESPONDIT. &c. *ceptione plenam composueritis, vt loquamini mihi, donec tempus pertranseat. Somnium itaque dicite mihi, vt sciam quod interpretationem quoque eius veram loquamini.* Et hæc quidem Nabuchodonosor. Quid igitur Chaldæi, quid responderunt? Artis imbecillitatem seu potius vanitatem confessi sunt. Sed dicamus primùm quid de somniis, quæ memoria labuntur, Artemidorus sentiat: secundum hoc, & illa referemus, quæ Chaldæi responderint. (Artemidorus.) ἔτι δὲ τὰ μὴ ὁλοκλήρω μνημονευόμενα, ἀδιάκριτα νομίζειν, ἐάν τι τὸ μέσον, ἐάν τι τὸ πέρας ἐπιλελησμένος τις, &c. *Insuper verò & ea somnia, quorum memoria non ex integro retinetur, indicari non posse putandum est, siue quis medij, siue finis sit oblitus. Ad sanam* namque rationem expendere oportet totum quod euenire videtur; id vero solum apprehendi potest, quod integrũ nobis memoria suggerit, &c. lib. 1. Oneirocr. c. 13. Addamus his & verba Chaldæorum, quæ refert Daniel ca. 2. v. 11. *Non est homo super terram qui sermonem tuum, Rex, possit implere: nec reperietur quisquam, qui indicet illum in conspectu Regis: exceptis dijs, quorum non est cum hominibus conuersatio.* Mira hominum stultitia. ea quæ non ita pridem mente exciderunt, fatentur se nulla arte indagare posse: futura, quæ nusquam sunt, nec aliquando fuerunt, ad ea se penetrare posse confidunt. In minimis deficiunt; maiora, si credere fas est, exuperant.

VERSVS VII.

Dixitque Saül seruis suis: Quærite mihi mulierem habentem Pythonem, & vadam ad eam, & sciscitabor per illã. Et dixerunt serui eius ad eum: Est mulier Pythonem habens in Endor.

(Variæ trãslation.) QVærite mihi mulierem habentem Pythonem.] Sic quoque vertit Pagninus. Verùm Arias apud eundem verbum verbo exprimens, scripsit: *mulierem dominam Pythonis.* Hebraice enim hoc ipsum legimus, אשת בעלת אוב, *escheth, mulierem, baghalath, dominam; ob, Pythonis, dæmonis, nefarij spiritus.* Septuag. γυναῖκα ἐγγαστρίμυθον, *mulierem ventriloquam.* Alius quidam, *præditam Pythone.* Vatablus cum vulgata legit, *quæ habeat pythonem*; At Chaldæus, *quæ sciat educere pythones. Et sciscitabor per illam.*] Chaldæus, *& quæram ex ea.* Septuag. Καὶ ἐκζητήσω ἐν αὐτῇ, *& quæram in ea.* Sic quoque vertit Arias; Pagninus, *per eam.* Vatablus, *ex ea. In Endor.*] *Endor* oppidum est Manasse cis Iordanem, Iosue 17. 11.

Saül dudum à Deo defecerat, cuius voluntati in delendis Amalecitis obtemperare noluerat, cuius Sacerdotes sacrilega temeritate mactauerat, & à quo designatum principem omni conatu perdere tentauerat. quare mirum non est, si nunc à Deo vicissim destituatur. Itaq; constãter silentiũ seruat, nec consulẽti respondere dignatur. (Calamitas eorum qui à Deo deficiunt.) quis enim consulat illi, qui nolit audire, & imperium pertinaciter detrectet? qui autem ita destituuntur, ruunt miserabiliter, & turbant, ac miscent omnia: quemadmodũ Saülem hoc loco

A videmus relictũ à Deo confugere ad magos, & impuros dæmones. (QVÆRITE MIHI, &c.) Cùm enim videret nullũ sibi aditum patere ad Deum, quem ita perpetuò violarat, desperabundus & amens causam suam cum diabolo communicat, & ab eo rebus afflictis præsidium petit. Eò tandem apostatæ recidunt, & qui persequutionem in Sanctos mouent. Nota Iuliani Augusti historia. qui abdicato vero Deo, ne viscerib. quidem humanis pepercit cùm bellum Persis inferret, euentum pugnæ quæritans. Talem fere Theophilum Imperator. describit Suidas in voce Θεόφιλος. (Suidas.) Hic enim, inquit, υἱὸς Μιχαὴλ τοῦ Ἀμορραίου, cùm detestãdam Copronymi sectam innouasset, & ad Arij quoque partes transisset, necnon & Manichæorum hæresum portenta complexus esset, populator Ecclesiæ tanquam alter Nectenabo, Symmisten, & conscium scelerum Ioannem Patriarcham sortitus est, quem ornat Suidas ibidem B meritis elogiis. Μᾶλλον δὲ μαντιάρχην, ἢ δαιμονιάρχην, ἢ νέον ὄντως Ἀπολλώνιον, ἢ Βαλαὰμ ἐν τοῖς καθ' ἡμᾶς χρόνοις ἀναφανέντα λεκανομάντιν· Καὶ πάσης θεοστυγοῦς πράξεως, καὶ τερατείας δριμὺν ὑποφήτην. (Λεκάνη, peluis.) Mantiarchã, inquit, potius dixerim, seu diuinationis principem; dæmoniarcham, nouum reuera Appollonium, aut Balaamum, nostris temporibus exortum Lecanomantin, & omnis inuisæ Deo actionis, & præstigiarum acrem ministrum. τῷ διαβόλῳ ἐπιτήδειον ὄργανον, idoneum diaboli instrumentum. Hanc porrò Imperatoris sacrilegam audaciam vocat τὴν ἀφιλοθεΐαν, quod demens & insanus Dei optimi amore careret. Nec alio prorsus morbo hic quoque Saül laborabat.

C *Quærite mihi mulierem habentem Pythonem*] Ælianus lib. 8. hist. Animal. ca. 5. (Ælianus.) Auspices, inquit, quidã diuinãt, volatus auium & sedes considerãtes. Et in hac sapientia clari habentur Tiresias, Polydamas, Polydius, Theoclimenus, & pleriq; alij. Multi verò viscerũ situs & naturas præclarè tenuerunt, vt Silani, Megistanæ, Achæi, & alij permulti. (Varia superstitionum genera.) Alij farinis & cribris, & caseis futura præmõstrãt. Audio itẽ Lyciæ vicũ nomine Syrham esse, inter Myra & Phellum, vbi sunt qui ad pisces sessitando, sciant quid sibi velit piscium accessus & recessus, &c. Hos omnes ridet Ennius in Tragœdiis.

Nõ vicanos, inquit, aruspices, nõ de circo astrologos, (Ennius.)
Non Isiacos coniectores, non interpretes somnium.
Non enim sunt ij aut scientia aut arte diuini,
Sed superstitiosi vates, impudentésque harioli,
D *Aut inertes, aut insani, aut quibus egestas imperat:*
Qui sibi semitã non sapiunt, alteri monstrant viam.
Quib. diuitias pollicentur, ab iis drachmã ipsi petũt.
De his diuitiis sibi deducant drachmam, reddant cætera.
Non habeo denique nauci Marsum augurem.
Non vicanos arusp. &c.
Qui sui quæstus causa fictas suscitant sententias.

Hactenus non malè Ennius: At quæ sequuntur, digna sunt, quæ propria censeantur Epicuri gregis.

Ego Deum genus esse semper dixi & dicam cœlitũ,
Sed eos non curare opinor quid agat humanũ genus.

Quærite.] Quippe, si qua eius sectę superesset, latere nõ dubitauit legum metu. Sed quomodo suspicari potuit magam vllam superesse, cùm omnes

Quærite mihi, &c.

omnes dudũ tolli imperasset. Nouerat aulicorũ corruptelas, & vnumquemq; vitiis suis fauere, magiæ autem impensius, quod ea ars ad fraudes & insidias maxime comparata sit, quib. æmulis quidem perniciem parent, & sibi fauorem principũ concilient. Sperant etiam diuinationis beneficio secretos aliorum dolos & arcana consilia detegere posse, quo minus verentur sui capitis periculo, scelerum artifices ope latebrisq; iuuare. Nouerat pręterea magistratuum negligẽtiã, & incuriosos eorum satellites in perscrutandis maleficis, à quib. non rarò largitione corrũperentur. Deniq; difficillimum esse omnes idolatriæ reliquias, & fibras tollere. Rabini fabulantur, Saũlẽ huic vni pepercisse, quòd esset mater Abneri. Nequaquã igitur ignorare potuisset. Atqui *Quærite*, inquit: verebatur enim ne qua facilè inueniri posset. At citò indicant qui Principi comites aderant: hi enim maxime his artib. student, & eorum studio harioli seruantur. Testatur hoc S. Greg. Turon. lib. 7. hist. Franc. c. 48. Fuit tunc temporis, inquit, (nempe Guntchrãno Rege) mulier, quæ spiritum pithonis habens multũ præstabat Dominis diuinando quæstum. Eoque in gratia profecit, vt ab his libera facta, suis voluntatib. laxaretur. Si quis enim aut furtum, aut aliquid mali præterret, statim hæc quò fur abiit, cui tradidit, vel quid ex hoc fecerit, edicebat. Congregabat quotidie aurum argentúmq; procedens in ornamẽtis, ita vt putaretur aliquid diuinũ esse in populis. Sed cum Agerico Viridunẽsi Episcopo hæc nunciata fuisset, misit ad comprehendendũ eã. qua adprehensa & ad se adducta, iuxta id quod in Actib. legimus Apostolicis, cognouit in ea immundum spiritum esse Pythonis. Denique cum exorcismum super eam diceret, ac frontẽ oleo sancto perungeret, exclamauit dæmonium, & quid esset prodidit Sacerdoti. Sed cũ per eũ à puella extruderetur, abire permissa est. Cernens vero puella quod in loco illo habitare non posset, ad Fredegundem Reginã abiit, ibiq; & latuit. Hactenus S. Greg. Aula scilicet & comitatus Principis magorum portus tutissimus. Genus hominum, inquit Plin. petẽtib. infidũ, sperãtib. fallax, quod in ciuitate nostra, & vetabitur sẽper, & semper retinebitur.

Fabula Rabbin.

S. Gregor. Turon.

Aula plerũque magorũ receptus

Mulierem.] Harũ scilicet præstigiarũ mulieres maximè esse solent magistræ, & architectæ: partim, quod cum sint debiliores marib. & nõ possint gloriam adipisci ex rebus gestis, tamẽ in honorem, & gloriam venire velint ex malis artibus: partim, quod sint imbecili ingenio, & falli possint, & ea causa videantur instrumenta aptiora diabolo. Ab initio enim audiuit vocẽ serpentis: & adhuc diabolus videtur agnoscere instrumẽtum suum. Cornel. de vanit. scient. c. 45. Et quia mulieres secretorum auidiores sunt, ac minus cautè, atq; in superstitionem procliues, faciliúsq; illuduntur, ideo mali dæmones, quos Goetia aduocat, illis se præbent faciliores, faciúntque ingentia prodigia: cuiusmodi de Circe, de Medea, de aliis canunt Poëtę: testantur Cicero, Plinius, Seneca, S. Augustinus, & multi alij tum Philosophi, tum Catholici doctores, ipsę etiam sacræ literæ.] Eadẽ Rabbini tradunt in Pręceptis Lognace, seu Pręceptis negatiuis, prę-

Mulieres maximè magicis artibus deditæ.

A cep. 198. Sic deniq; & docent verba c. 22. Exod. quæ de muliere, non de viro loquuntur. vers. 18. מכשפה לא תחיה *mechascephah lo thechaié, maleficam*, Arias, *præstigiatricem non viuificabis, non sines viuere*. Succubas deniq; contentur dęmones appetere: nõ quod illos obscœna libido titillet, sed tamen gaudent falsa voluptatis imagine, & credi gygantum patres. Student etiam monstra gignere: & homini quidem certant irrogare iniuriam, conditorem autem si qua possent, afficere contumelia. Hinc famosę Thessalę.

Quærite mihi, &c.

Habentem pythonem.] Hebraica vox est אוב *ob*. Græca *Pytho*. Apollinem Pythium ita dictũ putant à Pythone serpente, quem occiderat. Serpentẽ autem putant dictum pythonem à putredine: vel quod natus esset è putri materia, vel quod omnia corrumperet. Alij putant Apollinẽ
B ita dictum à Pythone latrone, quẽ interfecerat. אוב *ob* vox Hebraica significat vtrem: quod Pythones strictis & compressis dentibus, aut ex ventre, tanquã ex vtre, aut ex pudendis partib. vocem redderent. Sic enim solebant Pythiæ Sacerdotes Apollinis cum sederent in tripode. Et ob eam causam dicebantur ἐγγαστρίμυθοι. Videtur autem pytho fuisse spiritus, qui fingeret se habere potestatem excitandi manes. Vniuersa autem hæc nequitia appellatur Græce νεκρομαντία, qua consuluntur homines mortui. Distinguitur autem in σκιομαντίας, qua excitantur tantum vmbræ. Quale est illud,

Pytho vnde dictus.

Νεκρομαντία.

Et mugire solum, manésque exire sepulchris:

Et in νεκυομαντίας, qua cadauer ipsum reuocatur è tumulo, vt reddat oracula. quale illud est, quod
C Lucanus describit in 6. lib. de muliere Thessala, quæ, excitato milite recens mortuo, prædixit Sexto Pompeio exitum pugnæ Pharsalicæ.

Et sciscitabor per illam.] De fraude dæmonũ qui futurorũ scientiam profitentur, Tertul. agit Apolog. c. 22. Omnis spiritus ales est. Hoc Angeli & dęmones. Igitur momẽto vbiq; sunt. Totus orbis illis locus vnus est: quid vbiq; geratur tam facile sciunt, quàm enunciant. Velocitas, diuinitas creditur: quia substãtia ignoratur. Sic & authores interdum videri volunt eorũ quæ annũciãt: & sunt plane malorũ nonnunquã, bonorũ tamen nunquã. Dispositiones etiã Dei, & nunc Prophetis concionãtibus excerpunt, & nunc lectionib. resonantib. carpunt. Ita & hinc sumentes quasdã temporũ sortes, æmulantur diuinitatem: dum furãtur diuinationẽ. In oraculis autẽ
D quo ingenio ambiguitates temperẽt in euentus, sciunt Crœsi, sciunt Pyrrhi. Cæterum testudinẽ decoqui cum carnib. pecudis, Pythius eo modo renunciauit, quo suprà diximus: momẽto apud Lydiam fuerat. Habent de incolatu aëris, & de vicinia siderum, & de commercio nubiũ cœlestes sapere paraturas: vt & pluuias, quas iã sentiunt, repromittant. Benefici sane & circa curas valetudinum. Lædunt enim primò, dehinc remedia præcipiunt ad remedium noua, siue contraria: post quæ desinunt lædere, & curasse creduntur. Quid ergo de cęteris ingeniis vel etiam viribus fallaciæ spiritalis edisseram? Phantasmata castorum, & aquam cribro gestatam, & nauem cingulo promotam, & barbam tactu irrufatam: vt numina lapides crederentur,

Tertullian.

Fraudes dęmonum futura prædicentium.

QVÆRITE MIHI, &c. & Deus verus non quæreretur. Hactenus Tertul. Non raro autem dæmones, vbi quod quæritur coniecturis nequeunt assequi, aut amphibolia fallere, impudenter mentiuntur, & incautos in fraudem inducunt. Exemplum vnum referam authore S. Gregorio Turon. lib. 5. histor. Francor. cap. 14.

S. Gregor. Turon. Vnà cum Merouoco, inquit, Chilperici filio, quem pater Fredegundis nouercæ insidiis interficiédum statuerat, Gunthchramnus Boso Dux, de morte Theodeberti suspectus, basilicæ S. Martini asylo se tutabatur. Statuit igitur Guntchramnus Pythonissam de futuris inquirere. Asserebat enim sibi ipsam antea non solum annum, sed & diem, & horam, in qua Rex Charibertus obiret denũciasse. Igitur missi pueri hæc responsa retulerunt. Futurum est, vt Rex Chilpericus hoc anno deficiat, & Merouęus inclusis fratribus omne capiat regnum. Tu vero ducatum totius regni eius annis quinque tenebris. Sexto vero anno in vna ciuitatum, quę super Ligeris alueum sita est, in dextra eius parte iacente populo Episcopatus gratiam adipisceris, ac senex & plenus dierum ab hoc mundo migrabis. Accepto nuncio ille vanitate elatus tanquã si iam in cathedra Turonicæ Ecclesiæ resideret, ad me hæc verba detulit. Cuius ego irridens stultitiam, dixi: A Deo hæc poscenda sunt. Nam credi non debent quę diabolus repromittit. Illi autem *ab initio mendax est, & in veritate nunquam stetit.* Illo quoque cum confusione discedente, valde irridebam hominem, qui talia credi putabat. Denique quadam nocte vigiliis in basilica S. Antistitis celebratis, dum lectulo decubans obdormissem, vidi Angelum per aëra volanté, cúmque super Sanctam basilicam præteriret, voce magna ait: *Heu, heu, percussit Deus Chilpericum, & omnes filios eius: nec superabit de his qui processerunt ex lumbus eius, qui regat regnum illius in æternum.* Merouęus igitur non credens Pythonissæ, tres libros super sancti Sepulchrum posuit, id est, Psalterij, Regum, Euangeliorum: & vigilás tota nocte petiit, vt sibi B. Confessor, quid eueniret ostenderet, & vtrum possit regnum capere, an non, vt Domino indicante cognosceret. Post hæc continuato triduo in ieiuniis, vigiliis, atque orationibus, ad beatum tumulum iterum accedens, reuoluit librum qui erat Regum. Versus autem primus paginæ quã reserauit, hic erat: *Pro eo quod dereliquistis Dominum Deum vestrum, & ambulastis post Deos alienos, nec fecistis rectum ante conspectum eius, ideo tradidit vos Dominus Deus vester in manibus inimicorum vestrorũ.* Psalterij autem versus hic est inuentus: *Veruntamen propter dolositatem posuisti eis mala: deiecisti eos, dum alleuarentur. Quomodo facti sunt in desolationem? Subitò defecerunt, perierunt propter iniquitates suas.* In Euangeliis autem hoc est repertum: *Scitis quia post biduum Pascha fiet, & filius hominis tradetur vt crucifigatur.* In his responsionibus ille confusus, flens diutissime ad sepulcrum B. Antistitis, adsumpto secum Guntchramno Duce cum quingentis aut eo amplius viris, discessit. At tãdem miserè periit c. 18. proprio iussu à suo familiari percussus, ne patri deditus cruciaretur.

Pythonissæ mendax oraculum.

Captat futuræ sortis cognitioné ex li. Scrip.

A Hæc omnia S. Gregorius. quibus liquido cõstat quàm vana fuerint Pythonissarum oracula.

ET SCISCITABOR &c.

Endor. *Est mulier Pythonem habens in Endor.*] Adrichomius in tribu Issachar nu. 27. *Endor*, inquit, ciuitas, sita in mõte Hermonio. In hac Saül Rex consuluit Pythonissam, quæ suscitauit illi Samuëlem Prophetam. Huius mentio fit in Ps. 82. Disperierunt in Endor, facti sunt vt stercus terræ. Est & hodie, ait S. Hieronymus in loc. Hebraic. grandis vicus Aendor, iuxta montem Tabor. Est & torrens Endor.

An dæmones futura cognoscant, & eosdem consulere liceat?

QVÆSTIO CXVIII.

B Dæmonas multa scire non dubitamus. Nã vt autores sunt Tertullianus, Lactantius, Capella, & Plato in Cratylo, à sciendo dicti sunt dæmones, quasi δαήμονες. Sed quæres, an futura etiam nouerint, propter quę maxime consuluntur. Nam inde quoque Phornutus Pythones dictos tradit ἀπὸ τοῦ πυνθάνεσθαι, id est interrogando, propter oracula, quæ consuli, & reddi ab iis solebant. Respondeo, futura non cognosci semper eodem modo. Primum futura non cognoscuntur tanquam præsentia, nisi à solo Deo. Ille enim æterno quodam ambitu omnia temporũ discrimina complectitur. Nam, vt Paulus ait, *omnia nuda sunt, & exposita oculis eius.* Alij rerũ effecta nõ vident præsentia, sed colligunt futura, idq; multis modis. Primum enim vident causas rerum, & ex illis colligũt effecta, quæ postea sint sequutura. Causæ autẽ aliæ necessariæ sunt, aliæ non necessariæ. Necessariæ, quales sunt in Mathematicis, & in oppositione, aut coniunctione cœlestium orbium. Ita periti homines astrorum ante multos annos prædicunt, quo tẽpore futuræ sint eclypses. Aliæ causæ non sunt interdum necessariæ, aut certæ. Effecta enim illarũ possunt impediri: qualia sunt quæ dicũtur raro contingentia, aut ad vtrumlibet. Ita nauta pronuntiat de tempestate, medicus de pulsu.

Quo pacto futura cognoscãtur.

C Iam si huiusmodi scientia datur hominibus, multò ea magis dáda est dęmonibus. Non enim impediuntur hebetudine, & mole carnis vt homines. Huc accedit diuturnitas & experientia. Nam si senes multò plura vidẽt quàm iuuenes, dæmones, qui æternùm viuũt, credibile est nouisse plurima. quod si corpus habent proprium & suum, vt quidam putant, nos negamus, habẽt agile, & expeditum, vt possint vbique terrarum spatio temporis breuissimo volitare, & quid vbique agatur, nunciare. Et ea de causa Tertullianus dæmones appellat volucres. Ea cùm faciunt, videri possũnt Prophetę: prædicunt enim illa, quæ postea nobis significantur literis. Et S. Augustinus de Ciuitat. Dei ait, eos ista prædicere, vt haberi possint pro Prophetis. Et in lib. de Genesi ad literam, commemorat historiam de quodam arreptitio, quem ait à nemine voluisse cibum sumere, nisi à quodam Sacerdote. Cùm autem ille Sacerdos procul habitaret ad quinq; ab illo milliaria, solitum eum prædicere, iã illũ egredi

Prima ratio, ob quã dæmones vẽtura pieraque nouerint.

D

2.

Tertull. sēpr. in explicat. literæ.

S. August.

Et sciscitabor &c. egredi è domo sua, iam esse in itinere, iam in taberna, iam accedere ad fundum, iam stare pro foribus. Sed huiusmodi prædictionem negat esse prophetiam. Nam, si turma militum accedat alicunde, & excubitor è specula videat venientem, & prædicat breui adfuturam, nō posse tamen eum videri Prophetam.

3. Deinde dæmones possunt ea prædicere, quæ Deus illis, vt sæpè fit, imperat facienda. Sæpe enim Deus eos iubet perdere, & vastare regiones: &, vt Dauid ait, *perdidit Ægyptum per angelos malos.* Ita hoc loco diabolus prædicit, vt nonnulli sentiunt, Saülem postridie esse moriturum. Ille enim erat iam in mancipio & peculio diaboli. Deinde cum videant, sibi præstitutum esse finem, pollicentur, modo sibi detur aliquid munusculi, se nolle sæuire longius,

4. & iram remissuros. Alia ratio est, quod collocati sunt in aëre, & ex illa regione, tanquam è specula, facilius sentiunt influxus, & euentus rerum, quàm nos ipsi possimus, quibus ea præsensio tardius allabitur. Deinde etiam vident

5. scripta Prophetarum, & quicquid agatur in Ecclesia: & quamuis alioqui multa sciant, tamen & ex Scripturis, & ex eo quod vident quid in Ecclesia geratur, fiunt multo doctiores. Itaque Paulus ad Ephesios ait, mysterium de Christo patefactum esse Principibus & Potestatibus ἐν τοῖς ἐπουρανίοις. Et cum Hermes Trismegistus prædixisset Asclepio futurum excidium & vastationem idolorum, idque deploraret, S. Augustinus de Ciuitat. Dei ait, eum illud intelligere potuisse ex prædictioni-

6. bus sanctorum Prophetarum. Multa etiam sciunt ex eo, quod intersunt diuinis consiliis, & vocantur ad imperata facienda. Ita enim, cum Deus deliberaret de fallendo Achab, prosiluit diabolus, & pollicitus est, se fore spiritum mendacem in ore omnium Prophetarum Achab: & alius quidam impetrauit à Deo potestatem vexandi, & exagitandi sanctum Iob. Nec mirum: diabolus enim est carnifex Dei. Sed cum ita vocantur ad consilia Dei, vident quid ille destinarit facere. Sæpe etiam ex effectis colligunt causas re-

7. rum: vt si quem videant recte ac pie viuere, suspicantur eum electum esse à Deo. Recte enim facta sunt fructus & effecta electionis, & cum Dei gratia causæ etiam futuræ beatitatis. Ita si quem videat sese componere ad religionem, & genua flectere, tametsi tantum mente oret, nec possit in animum eius descendere, eundem tamen dæmon ex iis quæ parent, precari conijcit.

8. Verum quæres, an etiam humanas cogitationes videant? Hic, qui respondent, vti solent duplici distinctione. Si animus intelligatur, vt sese prodit signis, & motu aliquo, ac gestu corporis, ita diaboli animum humanum videre possunt. Nam, qui irascuntur, calent: qui timent, frigent, & pallent. Et S. Augustinus ait, omnes cogitationes animi habere aliquas impressiones in corpore. Ex illis diabolus coniecturam potest facere, quid agitemus in animo. Nostri autem oculi non ita sunt perspicaces, vt ea videre possint. Idem (S. August.)

A tamen Augustinus in Retractationibus temperat vtcunque hanc sententiam: negátque ex tranquillis cogitationibus nasci vllas impressiones in corpore. At si animum ipsum per se intelligamus, non potest diabolus eo peruenire, vt intelligere possit, quid velimus, aut cogitemus. Atqui, inquies, cum intellectus humanus pendeat ex phantasiis, & formis, nonne potest easdem diabolus intueri? Potest quidem. Sed an intellectus noster versetur in illis, hoc videre non potest: multo autem minus videre potest, quid de illis voluntas statuat. Illa enim non eas formas, aut species sequitur, sed intellectum. Iam vero, si consulere volumus sacras literas, illæ clarissime respondent, diabolum humanas cogitationes explorare non

B posse. Deum enim appellant καρδιογνώστην: cúmque *solum* aiunt *scrutari renes, & corda.* Et addunt, *Neminem scire, quæ sint hominis, nisi spiritum hominis, qui est in eo: Et spiritum scrutari etiam profunda Dei.* Cum solus Deus & homo cor humanum indagare ac perspicere possit, necesse est excludi diabolum. Et Salomon in 2. Paralip. cap. 6. in solennibus illis precibus, quas habuit extructo iam templo, ita alloquitur Deum: *Tu solus nosti cogitationes hominum.* quasi diceret, Non homo, non Angelus, non vlla alia res creata. Et Hieremias, *Peruersum,* inquit, *est cor hominis, & profundum: quis scrutabitur illud?* Et addit ex persona Dei: *Ego Deus scrutans corda, & renes.* Deinde Deus non vult vnà cooperari cum diabolo, vt ille quoque hominum cogitationes, & sensa videre possit.

C Idque quidam putant ex misericordia Dei fieri. Nam si ille intima cordium nostrorum consilia videre posset, nos multo tentaret vehementius. Autor libri de Dogmatibus Ecclesiast. asserit pro re certissima, diabolum perscrutari non posse cogitationes hominum. Et S. Hieronymus in cap. 9. Matthæi, exponens illa verba, *Iesus autem videns cogitationes eorum*, hinc, inquit, satis liquere, Christum esse Deum, quod ad hominum corda possit pertingere. Sed non perinde tamen cogitationes illas plerique omnes explicant. Sunt enim qui idcirco dæmones curas & cogitata nostra latere existiment, quod tametsi formas & simulacra in phantasia insita speculetur, species tamen impressas in animo, aut etiam expressas nequaquam valeat intueri. Cur enim non possint cum harum notæ iniustæ

D menti inhæreant? Nam quæ spiritualia sunt, paribus oculis intuentur. Itaque alij hoc quoque posse concedunt. Sed ex illis qui sit sensus animi, quæ voluntatis propensio, negant inuestigare posse. quippe formas illas similes esse, siue quis neget, siue consentiat, & illas seu voluntate respuat, seu magis amplectatur. Nouimus qualem Poëtæ Chimeram finxerint.

Prima leo, postrema draco, media ipsa chimæra.

Seu fidem adhibeam, seu fabulam esse contendā, eadem tamen chimeræ imago impressa erit in animo. Siue Helenæ pulchritudine capiar, siue ab ea abhorreā, iisdem tamē lineamentis atq; coloribus illam nobis Homeri penicillus appinget. Itaq; mentis assensū, & voluntatis electionē

Et sciscitabor &c.

Dæmō arcanas hominum voluntates & cogitationes explorare nō potest.

S. Hieron.

Et sciscitabor &c.

dæmon rimari non poterit: in reliquas latebras penetrabit. Ex signis ergo diabolus potest suspicari, quid agitemus in animo: at quem in finem, & quorsum, quidue cogitemus, intelligere certè non potest.

Quare sæpe fallatur dæmones.

Tametsi vero futurorum scientiam tot rationibus possint consequi, tamen sępe falluntur, idque multis de causis. Primùm, quia Deus potest impedire causas, quantumuis necessarias.
1. Cùm pueri abiecti essent in fornacem ardenté, necesse erat vt comburerentur. Sed Deus sese mirabiliter interposuit, & ignis vim ac impetũ cohibuit. Verùm id diabolus non potuisset prę uidere. Deus enim interdum conseruat suos, interdum relinquit, vt moriantur. Ita fit etiam
2. sæpè in contingẽtibus ad vtrumlibet. Etsi enim maxima sit experientia dæmonum, tamen non ita magna est, quin falli possint. Est quidem agilitas dæmonum maxima, vt facilè videre, & nunciare possint, quid in disiunctissimis regio-
3. nibus geratur. Sed sæpe Deus instituta consilia reuocat. Etsi Deus forte imperet diabolo vt perdat, aut vastet aliquam regionem, & populus interea agat pœnitentiam, si diabolus id futurum prædicat, necesse est, vt mentiatur. Sæpe enim, cùm homines incipiunt ex animo resipiscere, Deus suam animaduersionem & supplicium, quo vsurus erat in eos, remittit eis & condonat. Vident quidem & sciunt prædictiones Prophetarum. Sed ea consilia, quæ Deus patefacit per Prophetas, interdum leniri, aut mutari possunt. Esaias prædixit, Ezechiam moriturum. At cùm ille sese affligeret, & ageret seriò pœnitentiam, adiecti sunt illi ad vitam quindecim anni. Id autem futurum esse, diabolus nunquam potuisset suspicari. Possunt ergo falli, partim quia nesciunt voluntatem Dei, partim etiam quia non possunt penitus intueri in animum nostrum. Boni autem Angeli idcirco non falluntur, quia semper omnia referunt ad voluntatem Dei.

Adhæc, Diabolus etiam sæpe ambitione ac superbia fallitur. Videri enim vult nihil nesci-
4. re. Itaque non dubitat ea prædicere, quæ vires ipsius superent. Et ob eam causam admiscet fucos, & ambagibus studiosè ludit, vt quicquid acciderit, videri possit vera dixisse. Est enim λοξίας & vafer. Eius est illud,

Aio te, Æacida, Romanos vincere posse.

& illud, *Crœsus Halim superans magnam peruertet opum vim.*

Rectè itaque Esaias cap. 41. *Prædicant*, inquit, *nobis, quid sit futurum: & dicemus, eos esse Deos.* Non quod non interdum vera renuncient: sed quod sæpe fallantur. Hoc ergo dicit Esaias: Respondeant nobis certò, & verè, & semper, & sine errore, quid euenturum sit, & eos tanquam Deos habebimus. Quàm autem turpiter diabolus allucinetur, apparet maximè in Christo ser-
S. August. uatore nostro. S. Augustinus lib. 9. cap. 21. de Ciuitat. Dei, Nouit, inquit, diabolus, & vidit multa in Christo admiranda: sed non nouit lumine illo salutari & viuifico, quo spiritus rationales purgantur: sed tantum experimentis quibusdã, & signis temporariis: longe tamen melius quàm homines. Magis enim, & propius videbat,

A quantum facta Christi omnem vim naturæ superarent, quàm acies vlla humana potest. Illam tamen notitiam diaboli Deus repressit & obtulit, cum vellet. Et ideo diabolus non dubitauit tentare Christum: quod certe, si vere Christum agnouisset, non fecisset. Notitia enim illa pendebat à signis quibusdam temporariis, quæ sæpe turbari possunt. Itaque Paulus ait, *Si sciuissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* At ista, inquies, dicta sunt de Pilato & Pontificibus. Sed hoc nihil est. Illi enim erant organa & instrumenta diaboli. Et Ioannes ait, *Diabolum immisisse in cor Iudæ vt Christum traderet.* Sed quid eum impediebat, inquies, quo minus perspicere posset diuinitatem Christi? Dicam. Multa quæ in Christo videbantur esse humilia, abiecta, & vilia. Colligebat enim,
B non posse eum Deum esse, qui tam indigna pateretur. Suspicio ergo ea fuit, non notitia. Sed cur ergo ipsi machinatur necem? quia non putabat regnum suum eo pacto ruiturum esse. Tamen ex altera parte, cum animaduerteret nutare tyrannidem suam & in dies labare imperium, voluit quàm primum occurrere. Et ea causa immisit ea insomnia vxori Pilati, quod iam suspicaretur esse Christum. Possem aliis exemplis ostendere, quemadmodum diabolus soleat decipi: sed ad præsens institutum hoc vnum putaui esse satis. Res quidem naturales videt satis expedite: nisi si forte Deus eum interdum velit cæcare, & auertere. Etsi
enim est rebellis & contumax, tamen est in 5.
manu & potestate Dei. Deinde impeditur e-
C tiam sæpe odio, inuidia, malitia, superbia. Experimur autem in nobis ipsis, quantum turbulentis huiusmodi affectionibus ratio so-
leat obscurari. Huc accedit etiam tormen- 6.
torum magnitudo, & pœnarum acerbitas, à quibus non rarò perturbatis eius oculis caligo offunditur, ita vt haud satis liquidò verum dispiciat. Sed de dæmonis cognitione hactenus: ad aliam quæstionis partem aggrediamur.

An dæmones consulere liceat?

QVÆSTIO CXIX.

D EX superiori disputatione satis liquere arbitror, siquidem ex iis certi nihil aut comperti discere possis. Placet tamen rursum eandem sententiam, quo verior est & vtilior, hominum mentibus pluribus argumentis inculcare. Rationes porrò quæ nos ab eo scelere deterreant, peti possunt vel ab ipso dæmone, vel à Deo, vel nobis ipsis. Dæmonis primum voluntatem exploremus, sitne credibile verum dicendo cuiquam homini gratificari velle.

Ex triplici capite probatur dæmoné consulendum non esse.

Primum igitur mali sunt, quod nemine latet: nec aliud agendo spectant quàm vt noceát. Ná
bonarum quidem actionum fons & origo Deus 1.
est: quicquid aliunde manat scelus & flagitiũ. A Deo porrò dudum dæmon ipse defecit: ex quo tempore præceps in omne maleficium ruit,

nec

ET SCISCITABOR, &c.

nec vllius boni factus est particeps. Inde nec si-
bi nec alijs bene studet, de hoc vno tantum ma-
le sollicitus, quo pacto cuiquam incommodet.
Itaque cuiuscunque obsequij sui non alius sco-
pus est quàm hominis pernicies atque interi-
2. tus. Qui cum hoc tempore suopte ingenio talis
est, tum hominis odio atque inuidia vehemen-
tius ardet, quòd amplissima bona, quibus te-
merè excidit, eundem videat diuino beneficio
adipisci. Hoc cum illi acrius dolet, tum si qua
ratione possit, nititur interpellare. Itaque nul-
lum non lapidem mouet, quà terrendo quà, as-
sentando, quà fictè obsequendo, quo hominem
à pietatis studio abducat, & in perniciem ba-
rathrumque deijciat. Quo pacto igitur verisi-
mile est consulentibus bene consulere velle?
3. Adde, quod alijs quoque per nos insidiatur,
quorum saluti inuidet, & tentat circumuenire
mendacijs, vt consulens pariter & qui ab eo fal-
so proditur intereant. Cuius nequitiæ exem-
plum sanè luculentum iam antea de Diuinatio-
ne disserens attuli. Vnde sequitur, vt dæmonũ
oracula cane peius & angue vitanda sint. Ex
alio deinde capite periculum nobis ab eo im-
4. minet. Nam cum iniustis odijs Deum condi-
torem suum & superbiæ vindicem prosequa-
tur, nec quod eum lædat commoliri quicquam
possit, odio prototypi in nos, qui ad Dei ima-
ginem effecti sumus, bacchatur & furit, aliàs
quidem palàm, cùm strages edit: hic verò clàm
5. & tanquam ex insidiis, cum oracula fundit. Ad-
de, quòd cum oderit veritatem, quæ Deus est,
mendaciis impensius indulgeat, & iisdem sum-
mopere delectetur: ex quo facile conijcias qua
fide respondeat, & quàm syncere ijs satisfaciat,
6. à quibus interrogatur. Sed & illud cum primis,
si sapimus, nos ab eo deterreat, quod valet acie
ingenij, & dolos nectere fallaciasque adornare
nouit, quibus nullo negotio callidiores capian-
tur. Quas cum ipse per te deprehendere non
possis, qua tandem stultitia vaferrimo præsti-
giatori aurem accommodes? Indues te statim
in laqueos ex quibus nequeas expedire. Ambit
7. præterea eo pacto diuinos honores: quos si no-
stra culpa consequutus erit, tum nos obruet su-
prema calamitas. Impossibile est enim *duobus*
Dominis seruire. quod si abdicato Deo huius li-
bidini obnoxij simus, quid ab eius immanitate
atque sæuitia expectandum sit, cogitate. Indi-
cat enim futura hominibus non in alium finem,
quàm vt ab illis oblationem aliquam, aut cul-
Seneca. tum extorqueat. Id Seneca cùm non intellige-
ret, in quarto lib. Natur. Quæst. ridet quædam,
quæ ad nostrum institutum videntur facere.
Dicit enim apud Cleonas fuisse consuetudinem,
χάλαζα, grando. vt χαλαζοφύλακες, cum vidissent ex aliqua nube
grandinẽ imminere vitibus, de ea re diligenter
monerent populum. Eos autem non ad pallium
aut penulam fugisse, sed ad sacrificium. Nam
qui erant aliqua fortuna, cædebant aut gallum,
aut agnum candidum. Tenuiores autem quibus
gallus, aut agnus non esset, ipsi sibi adferebant
manus, & acutissimo scalpello sanguinem sibi
eliciebant è pollice: quasi verò, inquit Seneca,
pusillus ille sanguis posset ad nubes peruenire.
Hæc ille. Sed vt dixi, non intelligebat ambitio-

A nem dæmonum, qui etiam non rarò priusquam
responsum edant, victima aut alia quapiam
mercede paciscuntur. Qua in re eo minus ex-
8. cusatione digni sunt, qui eos consulunt, quòd
partem maximam eorum quæ sciscitatur, igno-
rant: de quibus nos superiori quæst. disputaui-
mus. At nonnulla tamen norunt quæ nos scire
9. intersit, nec alia ratione inuestigare possumus.
Esto, non pauca spectent, quæ clam nobis sunt:
vt tamen certò noueris quæ ipsi sciant, nulla ar-
te efficies. Nam cum superbia tumeant, & glo-
riæ cupiditate sese insolentius efferant, nihil
non se scire profitentur: ignorantiæ pudet, &
futurorum conscii haberi volunt, atque ita sæ-
pe cum ea asserant quæ falso coniiciunt, cum
mentiuntur, tum consultores in fraudem & pe-
riculum coniiciunt.

B Quod si porro teipsum dispicias, tuique ra- 10.
tionem habeas, animaduertes teipsum non de-
cere frustrà discrimini obiicere, quod vtique
alienum est à viri boni officio. Tueri enim seip-
sum decet quoad iure fieri possit, non occasio-
nes quærere quibus pereas: quod facere vide-
tur quisquis hosti fraudulento ac perfido salu-
tem suam permittit. Quod si ratio manifesta nõ 11.
probaret, experientiæ tamen fidem habere de-
buimus. Ea porro, neque paucis, neque obscu-
ris exemplis, docet nos quàm luctuosum ac di-
rum exitum sortiantur, qui dæmonum oracula
captant, & responsa sectantur. Vtrique desertæ
fidei culpa liberari non possunt, quo scelere
quid fingi possit nocentius: Nam qui diabolo
credit, haud dubiè fidem negauit. Nam ea de-
C mum syncera est fides si diabolum non audias.
qui autem consulit, is palam videtur assensum
polliceri. Cur enim tam studiose captes quod
mente atque animo auerseris? Ni credas, fru-
stra erit consultationis labor. Sed plane inter-
rogas, quia tibi speres satisfactum iri. Addo his 12.
quod si forte votis tuis dæmon respondeat, nec
fidem fefellerit exitus, oraculum habeas bene-
ficii loco. Ea porro vis beneficii est, vt amorem
conciliet. Animum certe deuincit, & obstrictũ
tenet gratiæ referendę nexu. Hinc igitur nescio
quod monstrum mutuæ cum dæmone beneuo-
lentiæ nascitur, quo perditi homines illius qui-
dem monitis obsequuntur, ipse vero sic eorum
tutelam & patrocinium suscipit, sic eos sua cu-
ra complectitur, vt malis deinceps secum om-
nibus circunfluant. Rei certe, quod inficiari 13.
D nemo potest, superstitionis atque idololatriæ
manifeste tenentur. Non enim aliter quàm vo-
to, precibus, obsequio, confessione, sacrificio,
dæmonum inuocatio constat. Negas te horum
quicquam fecisse. At mago tamen vteris, cum
quo dæmoni ijs legibus conuenit. Hæc igitur
ille tuo nomine perficit, & nefandis sacris ope-
ratur; tu paratis vteris, & magi operas pacta
mercede redimis. Ex quo facile colligas, quàm
sine vlla ratione idololatriæ conscium te neges.

Deum denique consideremus, quàm grauis 14.
hoc pacto eidem irrogetur iniuria. Nam pri-
mum eius lex contemnitur, quæ ne hoc fieret
grauiter interdixit. Secundò, fides eius in du- 15.
bium vocatur. Nam qui dæmones cõsulit, haud
dubie de Scripturis ambigit, quæ passim eos

ET SCISCITABOR, &c.

disertis verbis mendacij insimulat. Tertiò, bonitas eius accusatur, tanquam ea quæ scire opus sit, tegere atque occulere maluerit. Quartò,
16. vis quodammodo prouidentiæ eius affertur,
17. cùm eorum quæ nos celare voluit, & apud se delitescere, aliũde nitimur cognitionem extor-
18. quere. Augetur autem mirum in modum contumelia, cùm ad rerum futurarum inuestigationem hostis eius capitalis atque infensissimi
19. opera ac beneficio vtimur. Sextò, quod longe grauius est, eo pacto quæ Dei sunt propria, nempe vt futura prospiciat, impuris dæmoni-
20. bus ascribimus. Ex quo septimò sequitur, vt quod maximè diabolus ambit & studet, diuinitatis opinione glorietur. Nam qui ea quæ necdum sunt, per seipsum speculatur & videt, si certò faciat, nec aberret à scopo, Deus audire meretur. Talis enim contéplator idem quo-
21. que architectus est. Neque enim aliunde certò nouit quàm quod ipse facturus sit. Sua ipsius consilia prodit & significat, quæ nemo alius possit indagare. Vnde conficitur, vt si dæmon futurorum vates certus habeatur, eorum autor haberi debeat, ac proinde etiam Deus: qua blasphemia non tantum diuini numinis labefactatur autoritas, sed etiam maiestas ruit, & solio deturbatur. Quid tandem quod ad ea quoque sacrificiorum religio accedit? An etiam hactenus quisquam dubitat, fasne sit dæmones consulere?

VERSVS VIII.

Mutauit ergo habitum suum: vestitusque est alijs vestimentis, & abijt ipse, & duo viri cum eo, veneruntque ad mulierem nocte, & ait illi: Diuina mihi in pythone, & suscita mihi quem dixero tibi.

Variæ translat.

MVtauit ergo habitum suum.] Sept. Ald. & Rom. Edit. *Καὶ συνεκαλύψατο Σαούλ, & cooperuit se Saul.* Complut. *ἠλλοιώθη, mutauit se.* Symmachus, *μετεσχημάτισεν ἑαυτόν, transfigurauit seipsum.* Hebraicè, וַיִּתְחַפֵּשׂ *vaijthhhaphes*, in Hithpaël, à verbo חָפַשׂ *hhaphas*, quod est *nudauit*, priorem habitum exuit, ac proinde etiam mutauit. *In pythone.*] vaticinare mihi ope pythonis, quo prædita es: *& suscita.*] Hebraicè, *& ascendere fac.* Alij, *& reduc quem dixero tibi.*

Repetit vomitum.

Saul redit nunc ad magos, quos antea fuerat persequutus: & in eo clarissimè proditur eius hypocrisis. *Si quid euerti*, inquit Paulus, *iterum ædifico, præuaricatorem me constituo.* Saul ergo, cum ista facit, accusat seipsum. Imo mulier illa, cum commemorat, quid Saul fecerit, & quàm grauiter in omnes ariolos, & magos animaduerterit, quid aliud, quàm eum accusat? Multa quidem erant alia flagitia Saulis, sed hoc vnum videtur fuisse palmarium. Quale enim est Imperatorem in rebus difficillimis, cum prope in conspectu habeat hostem, relinquere exercitum suum, & mutato habitu noctu se recipere ad sagam muliierculam? Mutauit vestē, ne agnosceretur, aut sagam perterrefaceret. Atqui Deus illum videt, & quacunque veste se tegat, tamen agnoscit esse Saulem. Mutauerat & Achab cum prælium iniret, neque tamen Deum latere potuit, aut Syrorum tela fugere, à quibus confossus est. Vxor quoque Ieroboam cum ex præscripto mariti plebeium mentiretur habitum, attamen cœco Prophetæ innotuit, & ab eodem merito increpita est. *Cur aliam*, inquit, *te esse simulas? ego autem missus sum ad te durus nuncius.* Totilas Gothorum Rex, cum accepisset S. Benedictum diuino numine afflatũ, futura prædicere; exploraturus an re ita esset, spatharium suũ regio ornatu & comitatu præmittit, qui se regem simularet. Quem vt ille vidit, Depone, inquit, fili, depone quod geris, nam tuum non est. Idem fecisse nobilis illa virago dicitur, quæ Anglos exegit Gallia: cum tentandi gratia Carolus Septimus alium pro se regio habitu adeunti obtulit. At Iacob Patriarchæ feliciter cessit, cuius tametsi artes pater senserat, vitare tamen potuit.

ET SCISCITABOR, &c. Deum latere nō possumus.

Lãpridius.

Mutauit habitum suum.] Lampridius in Alexandro, In animo habuit, inquit, omnibus officijs genus vestium proprium dare, & omnibus dignitatibus, vt à vestitu dignoscerentur: & omnibus seruis, vt in populo possent agnosci, ne quis seditiosus esset, simul ne serui ingenuis miscerentur. Sed hoc Vlpiano Pauloque displicuit, dicentibus, plurimum rixarum fore, si faciles essent homines ad iniurias. Hæc ille. Alij responsum ferunt: Ne serui exiguum ciuium numerum agnoscerent. At vero Principes nusquam non singulari cultu vsi sunt, qui eosdem à priuatis distinguerent. Tacitum Imperatorem Vopiscus scribit cum principatũ inijsset, togas & tunicas non mutasse. Reliquis secus visum est: nec temere, nisi cum latere vellent, vulgares cultus induti. De Traiano scribit Dion Cassius lib. 14. Cum nollet agnosci Agarenos oppugnans, vestem regiam deposuisse, nec tamen propterea periculum fugere potuisse. Barbari enim, inquit, canitiei dignitate, vultusque grauitate animaduersa, rati Traianum esse, non desinebant contra eum iaculari; equitemque, qui erat ei proximus, occiderunt.

Vopiscus.

Dion Cassius.

Seneca.

Et abijt ipse.] At Tiresias apud Senecam in Œdipo Creontem ad talia properantem inhibuit.

> *Ede*, inquit, *cui mandes sacrum:*
> *Nam te, penes quem summa regnorum est, nefas*
> *Inuisere vmbras.*

Et duo viri cum eo.] Hos Rabbini putant fuisse Abner & Amasa. *Veneruntque ad mulierem nocte.*] Profecti autem sunt noctu, videlicet ne agnoscerentur. Rabbini tamen scribunt fuisse diem: & illis in eo mœrore & angustia constitutis visum fuisse noctem. Talia sunt pleraque commenta Rabbinorum. Noctium porro magis quàm dierum in designandis temporibus maiores nostros rationem habuisse cõstat, cum ex antiquis apud Marculphum Formulis, tum lege Salica, & pluribus Regum nostrorum capitulis. Astipulatur etiam Cæsar de Bello Gallico. Galli, inquit, se omnes à Dite patre prognatos

Noctium olim in designandis temporibus ratio habita.

Cæsar.

VENERUNTQUE, &c.

gnatos prædicant, idque ab Druidibus proditum dicunt. Ob eam causam spatia omnis temporis non numero dierum, sed noctium finiūt, &c. Inde veteribus pragmaticis Gall. *Comparoir dedans les nuictz*, & similia. Tacitus de moribus Germanorum, Nec dierum numerum, vt nos, sed noctium computant, sic constituunt, sic condicunt, vt nox ducere diem videatur.] Alia ratio Saulis fuit quamobrem noctu mulierem conueniret. Primùm enim latere volebat. Deinde hostilis vrgebat exercitus postremò nefanda hæc mysteria noctu potissimum celebrari solent. Ouidius cum aquarum vires præter morem stupendas describeret, etiam lacus Arcadiæ meminit, de quo hæc habet.

Tacitus.

Est lacus Arcadiæ Pheneum dixere priores,
Ambiguis suspectus aquis, quas nocte timeto,
Nocte nocent pota, sine noxa luce bibuntur.

Nocte fretus & vmbrarum præsidio multa dæmon tentat, quæ Solem diemque ferre non possunt. Lux plerasque eius artes arguit, spectra fugat, phantasmata discutit, præstigiarum fucos procul amolitur.

Qui Pythones.

Diuina mihi in Pythone.] אוב *Ob* Pytho, dæmon: Spiritus, vt Hebræi interpretantur, qui in sepulchris mortuorum, & locis subterraneis interrogatus, voce stridula, responsa edit. Significat etiam eiusmodi sciscitatorem, qui talem artem exercet, vmbras & manes euocat, siue vir sit, siue mulier. Pythonissam superiori versu Targ. interpretatur, quæ nouit adducere, siue euocare pythones. Mulieres enim ἐγγαστριμῦθοι manes euocabant. Fauet huic interpretationi Esaias cap. 29. ver. 4. *Humiliaberis, de terra loqueris, & de humo audietur eloquium tuum: & eris* כאוב *cheob*, quasi pitho siue *pythonis de terra vox tua, & de humo eloquium tuum mussitabit* Apud Fagium in cap. Leuitic. 19. Pythonem Hebræi his coloribus depingunt. אוב *ob*, est qui dicitur pytho, inter cuius femora seu iuncturas ascendit, & sedet mortuus, vel inter axillas eius loquens admodum submissa voce, perinde ac si ex inferioribus terræ prodiret. Est quoque adhuc alia species pythonis, qua cranium mortui consulitur, & ab eo responsum dicitur. Vox Hebraica אוב *ob*, vtrem, seu lagunculam significat. Hinc quidam hanc speciem magiæ sic vocatam autumant, quod qui ea vterentur, obtusa voce tanquam ex laguncula aut cauea loqui viderentur. Septuaginta interpretantur ἐγγαστριμύθοις, quos nostri *ventriloquos* appellant, maximè Tertullianus, qui de hac re etiam peculiariter scribit. *Ventriloquas mulieres etiam tempestate nostra vidimus*, quibus sedentibus vocula quædam, ab earum pudendis excitabatur, respondebatque sciscitantibus, ipseque audire volui, non quod vllam fidem his adhiberem, sed vt dæmonum præstigias cognoscerem. Præstigiæ certè sunt, & miserarum genera vanitatum. Nascuntur ex his calamitosi errores, & incredibiles calamitates.] Huiusmodi scribunt Patres Græci fuisse Pythiam, cuius impurissimus dæmon, impurissimam & fœdissimam elegerat partem, in qua versaretur & inde responsa efferret. Rhodiginum lege lib. 8. cap. 10. quo loco se quoque vt Tertullianum in sua patria py-

Tertullianus.

A thonissam spectasse testatur. Lege & Serarium in hunc locum quæst. 1. qui serpentis genus, basiliscum præsertim, ab Ægyptijs οὐβαῖον vocari docet ex cap. 1. lib. 1. Horapollinis correcti. Vnde ὄφις Græcis fluxerit, & φοῖβος, nomen serpentis antiqui, qui simili ratione Pythius ab ijsdem dictus est. qui cùm Pythiæ diuaricatis cruribus tripodi insidentis, per medium an fractū ventrem subiret, tanquam vtrem fatidico spiritu complens, futura vaticinari visus est. quod cum esset apud Græcos vaticinandi genus præcipuum, inde alijs quoque speciebus nonnunquam tributum arbitratur; vti hoc loco patet, quo νεκρομαντία manifestè intelligenda est: quæ pluribus ibidem explicat. Sed nos his omissis, quæ nihil ad pietatem conferunt, facinus ipsum expendamus.

VENERUNTQUE, &c. Serarius.

B

An sine scelere quisquam possit à dæmone quærere veritatem?

QVÆSTIO CXX.

QVam potero breuissimè satisfaciam, vnius S. Thomæ autoritate veram sententiam confirmans: quam subinde Caietanus, & Gregorius à Valentia paucis explicabunt. Quæstionem hanc S. Thomas secun. secundæ quæst. 90. art. 2. proponit his verbis, *Vtrum liceat dæmones adiurare?* Et respondet in hanc sententiam: Respondeo, inquit, dicendum, quod duplex est adiurandi modus: Vnus per modum

S.Thomas.

C deprecationis, vel inductionis ob reuerentiam alicuius sacri. Alius per modum compulsionis. Primo autem modo non licet dæmones adiurare, quia ille modus adiurandi videtur ad quandam beneuolentiam vel amicitiam pertinere, qua non licet ad dæmones vti. Secundo autem modo adiurationis, qui est per compulsionem licet nobis ad aliquid vti, & ad aliquid non licet. Dæmones enim in cursu huius vitæ nobis aduersarij constituuntur: non autem eorum actus nostræ dispositionis subduntur, sed dispositioni diuinæ & sanctorum Angelorum: quia vt Augustinus dicit in 3. de Trinitate, spiritus desertor regitur per spiritum iustum. Possumus ergo dæmones adiurando per virtutem diuini nominis, tanquam inimicos repellere, ne nobis noceant spiritualiter, vel corporaliter, secundum potestatem diuinam datam à

Quo pacto dæmones adiurare liceat.

S. August. lib. 3. de Trinit. c. 4.

D Christo, secundum illud Lucæ 10. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpētes & scorpiones, & supra omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit.* Non tamen licitum est eos adiurare ad aliquid ab eis addiscendum, vel etiam ad aliquid per eos obtinendum: quia hoc pertineret ad aliquam societatem cum ipsis habendam: nisi forte ex speciali instinctu vel reuelatione diuina, aliqui Sancti ad aliquos effectus, dæmonum operatione vtantur: sicut legitur de S. Iacobo, quod per dæmonem fecit Hermogenem ad se adduci.

Ibidem Caietanus. Ad euidentiam, inquit, difficultatis sciendum est, quod hîc non est quæstio de inuocatione dæmonum, vt patet ex

Caietanus.

DIVINA MIHI IN, &c.

titulo dubij: quoniam illa est manifestè illicita, & peccatum mortale, spectans ad apostasiam; sed quæstio est de colloquijs & admissione seruitiorum, & huiusmodi, quando dæmon spôte se offert aut occurrit. Et dicendum est, quod dupliciter homo potest huiusmodi communes actus exercere cum dæmone, aut tanquam cum hoste, aut tanquam cum socio, seu non hoste. Si enim homo inquirit aliquid loquendum, vel faciendum à dæmone tanquam ab hoste, nullum peccatum est: quoniam dati sunt nobis in hostes, & hostiliter ad eos nos habere debemus. Et quoniam cum his hostibus nulla est induciarum concessa libertas, vt interim possit homo cum dæmone quasi treugæ tempore conuersari, consequens est, vt semper hostiliter ad eos nos habere oporteat. Ad hostes autem dupliciter nos inculpabiliter exhibemus, scilicet, expulsiuè vel compulsiuè. Et propterea his duobus solis modis per se loquendo licite ad dæmones nos habemus: vel expellendo, vt in exorcismis & orationibus supra arreptitios fit: vel compellendo, vt sancti viri sæpe faciunt, præcipiendo eis diuina potestate, qua se eos compellere posse sciunt, vt aliqua dicant vel faciant, non vt spontanei, sed vt hostes in captiuitate seruitutis redacti: quomodo Deus & Angeli vtuntur ministerio dæmonum. Aliàs peccatum esse mortale docet ex suo genere: fieri vero veniale propterea quod actus ille imperfecte socialis fuit; vt quando fit in transeundo. Ratio autem peccati, quoniam omnis eorum actio voluntaria peccatum mortale est, & semper perniciem nostram intendunt; vnde in nullo licet cum eis conuenire. Et rursum, Habet, inquit, rationem actus socialis perfecte (quod scilicet letaliter Deum offendit) vti dæmonis voluntaria confabulatione, seruitio, doctrina, & similibus: hæc enim socialis sunt vitæ. Hactenus Caietanus.

Cum dæmone tanquam cum hoste agẽdum est.

Quæ omnia fusius explicat Gregorius à Valentia, S. Thomæ, & interpretis eius Caietani communem sententiam cùm SS. Patrum testimonijs, tum etiam rationibus confirmans, atque adeo probans accurate, quo pacto neque concessa diuinitus potestate, cuius nullum extat in Scripturis argumentum: neque naturali, qua nos plurimum vincunt, liceat vllum genus officij à dæmonibus extorquere. Iam verò quod amplius & magnificentius beneficium à quoquam sperare possis, quàm vt te veritatem edoceat? Dices Ecclesiastica autoritate coactum respondere, nec tum posse fallere. Nempe vt nomen edat, aut comitum numerum recenseat. Cæterùm nescio an quicquam præterea vel Dominus ipse dicere permiserit, cum eos expelleret. Itaque non sine causa Origenes homil. 16. in Numer. Non vult, inquit, Deus auditores nos fieri & discipulos dæmonum: neque vult, vt, si quid volumus discere, discamus à dæmonibus. Melius est enim ignorare, quàm à dæmonibus discere. S. autem Augustinus lib. 8. de Ciuit. Dei, cap. 24. Quod possunt dæmones, tanquam dæmones possunt: vel quasi beneficia præstando magis nocentes, quia magis decipientes: vel aperte malefacien-

Gregor. à Valentia.

Origenes.

S. Augustinus.

A do. Denique S. Chrysostomus Marci 1. Concione 2. de Lazaro, exponens illud verbum Domini, quod Spiritui immundo dixit, *Obmutesce, & exi ab homine:* Salutiferum, inquit, hoc nobis dogma datur, ne credamus dæmonibus, quantuncunque denuncient veritatem.] Quanto magis cum dubia & incerta referunt, aut quæ nesciunt futura mentiuntur? Non potuit igitur Saul non peccare grauiter, qui belli futuros successus, qui ex Deo pendent, à dæmone sciscitaretur.

ET SVSCITA, &c.

S. Chrysostom.

Et suscita mihi quem dixero tibi.] Nicephorus Gregorius in lib. Synes. de Insomnijs, ψυχομαντία καὶ ψυχαγωγία καὶ νεκυομαντία, τὸ αὐτό ἐστι. Manium educendarum ars, euocandarum animarum scientia, & mortuorum euocatio idem sonant. Quod autem, inquit, significatur, tale est.

Gregoras.

B Nonnulli quibusdam imposturis & incantationibus vtentes, etiam alia monstrosa & prodigiosa faciunt, contenduntque defunctorum quorumcunque voluerint animas educere: itaque videntur per magica carmina & quasdam abiurationes animas adigere. Apparent enim, & ad interrogata respondent; sed ea quæ in conspectum veniunt, non sunt defunctorum animæ, at dæmonia quædam, quæ certe prius erant agmina angelica & lucida, deinde propter tumorem, fastum, elationem, superbiam & nequitiam in perpetuum disiecta ex illo cœlesti ac diuino choro cœtuque, circa hunc terræ adiacentem tractum fallunt, hominesque seducunt. Nefaria deinde mysteria artis huius teterrimæ describens, Magos, inquit, sortilegus Apollo

Necromãtiæ vis ac mysteria.

C exhortatur ista peragere: *Victimas occidens, Inferorum gratia defodito, & in scrobem sanguinem immittito. Funde mel Nymphis, ac Dionysij munera:* qualia iubet Homerica Circe Vlyssem facere, nimirum ad inferos descendentem.

Cumque huc appuleris, tunc heros siste carinam,
Effodiasque scrobem iubeo, cubitóque remensum,
In longum ducas, tantum quoque lata feratur.
Omnibus hic fundas vmbris libamina supplex:
Primò mellitos succos, mulsumque liquescens:
Dulcia deinde sacri feruentia vina Lyæi:
Tertia fac illis accedat & æquoris vnda.
His etiam canas addens confunde farinas,
Imbellesque vmbras genibus reflexus adora,
Et vanescentes animas in vota vocato:
Si liceat patrios Ithaca repetisse penates.
Te mactaturum sterilem promitte iuuencam,
D *Quæcunque excellat, quam tota armenta sequantur.*
Extructamque pyram fructu cumulare benigno
Te velle, æquoreaque Ithaca lacertis in arce.
Tyresiæ fac latus ouem cum vellere pullo
Deuoueas, quicumque greges per pascua vincat.

Homerus.

Talem verò sensum hæc continent, infit Gregoras; Mel quidem, eò quod veluti æmulum se ex aduerso objicit mortis amaritudini: lac autem propter fuscum & nigricantem tenebrarum colorem: vinum ob angores & molestias: Denique aquam, quandoquidem ex quatuor elementis homo constitutus est. Ouem porrò dixit, quia communia fiunt subterraneorum terrestriumque ea animalia, quæ quatuor pedibus

Explicatio Gregoræ.

ETSVSCITA MIHI, &c.

Mirare Magorum demētiam atq; ignorantiam.

bus incedunt: nigrum propter loci caliginem. Gladium, propterea quod mos est his qui incantationes dæmonicas adhibent, quoslibet gladios sub imperio tenere; ne fortè dæmones abiurationibus & inuocationibus violati, repentino impetu quidpiam mali adferant irruētes in abiurantē & euocantem. Eam ob rem gladios gestare coguntur, vt eorum adminiculo illos perterrefaciant, neque sinant prope se accedere, sed à longè interrogati respondeant. Quoniam enim viuaces sunt Spiritus, habentque crassitudinem ac spissitatem, ipsi quoque formidant sectionem ac diuisionem: etiam offenduntur, si vexantur, feriuntur & verberantur, &c. Et statim postea. Nihilominus qui manes eliciunt, & mortuorum animas ab inferis excitant, à nobis enumeratis veneficijs & euocationibus vtentes, quasi internūcios quosdam adducunt & alliciunt huiusmodi dæmonas, ad retrahendas quorundam mortuorum animas quas voluerint: sed cum non valeant animas adducere, ex necessitate reliquum est, vt in illorum defunctorum formas transmutentur tales dæmones, & cernantur agnoscanturque ab amicis, & ad interrogata respondeant, & iussa exequantur. In iacturam enim ac dispendium quorundam sæpenumero facere iubentur, ac sese morigeros præbent. Hactenus Nicephorus.

A animam Maga pelliceret. Itaque geminam perditus nebulo statuit Necromantiam. Altera, inquit, Necyomantia est, erigens cadauer, quæ non fit absque sanguine: Altera Sciomantia, in qua sola sufficit vmbræ euocatio. Delrio lib. 4. Disquis. Magic. cap. 2. quæst. 6. Sect. 2. Obseruat duos Necyomantiæ modos, Thebanum alterum, alterum Thessalicum. Thebanum quidem, per Sacrificium, & incantationem solam, quo vtebatur Tiresias; Thessalicum verò, adhibitis funestioribus ritibus, ossibus fibrisque mortuorum, & alijs rebus plane feralibus, quem Lucanus describit lib. 6. Et rursum, Prior illa species Tiresiæ, in qua nudum simulacrum seu idolum animæ exhibebatur, & sola perficiebatur inuocatione, σκιομάντεια propriè dicebatur: posterior verò, in B qua diabolus sæpe, cùm cadauer non aderat, totius humani compositi figuram simulabat; v. g. cùm quis Achillis habitum staturamue corporis videre volebat; ordinarie nunquam sine sanguinis effusione obtinebat; vocabatur stricte, νεκυομάντεια, vel νεκρομάντεια. Hoc Delrius. Qui ibidem vtriusque modi ex Seneca, Statio, Lucanoque exempla suppeditat: & prioris quidem, hoc est Sciomantiæ, in Senecæ Oedipode solennes ritus obseruat 25. in Satio 49. posterioris siue Necyomantiæ in Lucano lib. 6. 32. qui notari apud eum poterunt. Nos enim malumus artis fundamenta conuellere quàm præcepta docere.

ETSVSCITA MIHI, &c.

Cornelius. Necromātia duplex. Delrio.

An vera Necromantia manes euocet, qui de futuris respondeant?

QVÆSTIO CXXI.

Necromātia quid, & vnde dicta.

VIgesimæ Sextæ quæst. 5. cap. 14. *Nec mirum*, Necromantici his verbis describuntur: Sunt quorum præcantationibus videntur mortui suscitari, diuinare, & ad interrogata respōdere. Νεκρὸς enim Græcè mortuus, μαντεία diuinatio nuncupatur, ad quos suscitandos cadaueri sanguis adijcitur. Nam amare sanguinem dæmones dicuntur: ideoque quoties Necromantia fiat, cruor aquæ miscetur, vt colore sanguinis facilius alliciantur.] Verè quidem, vtinam & ingenuè ac candidè Archimagus ille Cornelius Occultæ Philosoph. lib. 3. cap. 42. Hinc, inquit, Necromantia nomen habet, quia in mortuorum cadaueribus operatur, ac per manes & mortuorum vmbras, subterraneosque dæmones responsa petit, alliciens illos in mortuorum cadauera, per stygia quædam carmina & infernales inuocationes, perque feralia sacrificia, & impias immolationes, quales apud Lucanum legimus de Erichthone illa malefica, quæ mortuum euocauit, qui Pompeio omnem Pharsalici belli euentum prædixit.

Verùm iste ritus hoc loco locum habere non potuit. Non enim huc ex monte Ephraim cadauer Samuelis aduectum est, aut aliud quodlibet tumulo erutum ad quod Samuelis

C

Argumenta Magorum, quibus Necromantiam suadere conantur.

Accepimus partim ex Tertull. lib. de Anima partim ex Cornel. lib. 3. de Occulta Philos.

Primùm igitur quod spectat ad Necyomantiam, animas illa captat prauas & impuras, quibus ad maleficia abutatur. Secundò, quæ vim passæ sint, & per iniuriam à corporibus auulsæ. Aut sane 3. quæ præcoci fato, & immatura morte prærepta sint. Nam hæ tantisper dum reliquatio ætatis compleatur, circa Sepulcra furunt & vagantur. Audet præterea Agrippa ille Acherontius docere Sanctorum animas corporum desiderio teneri, ac proinde nec inuitas aut reluctantes posse allici. Destinat autem huic sceleri corpora non expiata funebribus ceremonijs, qui- D bus iusta persoluta non sint. An forte horret Ecclesiæ suffragia, quibus ijs, qui de salute periclitantur, opitulari solet, quorum etiam reliquias benedictionis suæ præsidio tuetur? Nam illis expiationibus scribit animas procul amandari ad iudicij locum. Tradit ea quoque quæ insepulta iaceant, non parum ad mysteria Necromantiæ conferre; quoniam circa ea miseræ & infelices animæ versentur. Locorum deinde rationem habent. Arbitrantur enim, hæc non nisi in his locis fieri posse, in quibus huiusmodi animæ frequentius errant, vel propter cognatum aliquod, sicut corpus relictum eas alliciens: vel propter affectum aliquem in vita quondam impressum, animam ipsam ad certa lo-

Quas animas captet Necyomantia. Quæ corpora.

Quæ loca.

ET SVSCITA MIHI, &c.

ca trahentem; vel propter loci alicuius tartaream naturam icciрco purgandis vel puniendis animis aptum, cuiusmodi loca plurimùm experientia visionum, nocturnarumque incursionum, & consimilium phantasmatum occursione cognoscuntur, aliqua per sese satis nota sunt, vt cœmiteria, & loca illa in quibus fieri, solet executio criminalis iudicij, & in quibus recentibus annis publicæ strages factæ sunt, vel vbi occisorum cadauera necdum expiata, nec rite sepulta, recentioribus annis subhumata sunt. Expiatio namque exorcisatioque alicuius loci, tum ritus etiam sacer sepulturæ corporibus debitè adhibitus, sæpè animas ipsas accedere prohibet, longiusque ad loca iudicij repellit.

Subinde verò quibus illecebris manes allici possint docet his verbis. Patet quod animæ illæ, quæ post mortem adhuc relicta corpora diligunt, quemadmodum sunt animæ corporum sepultura debita carentium, seu quæ corpus suum violenta morte reliquerunt, & adhuc in turbido illo humidoque spiritu circa cadauera sua oberrant, tanquam circa cognatum aliquod eas alliciens; cognitis his medijs, per quæ quondam suis coniungebantur corporibus, per consimiles vapores, liquores, nidoresque facilè euocari & allici possunt, adhibitis etiam certis artificialibus luminibus, cantibus, sonis & huiusmodi, quæ ipsam animæ imaginatiuam spiritalemque commoueant harmoniam, sacris etiam inuocamentis & huiusmodi, quæ ex religione sunt, non neglectis, propter rationalem animæ portionem natura superiorem. Sic Pythonissa euocasse legitur Samuelem: sic Thessala vates apud Lucanum cadauer erexit.] Quæ res, & pharmaca adhibenda sint, statim narrat ex poëtis. Legimus, inquit, animas mortuorum non euocari absque sanguine & cadauere: vmbras autem ex illorum fumigijs facile allici, additis ouis, lacte, melle, oleo, vino, aqua, farina, tanquam aptum medium præstantibus animabus ad sumenda corpora; quemadmodum hæc apud Homerum longa instructione Cyrce docet Vlyssem.] Vt tamen non sine dæmone ea quicquam posse intelligas, & dæmones his rebus allici potius quàm animas, Necromantia inquit, per trucidatorum cadauera & ossa, & membra, & quæ ex illis sunt, operatur: quoniam adsit illis dæmonica potestas ipsis amica: ideoque improborum dæmonum defluxus facilè polliciunt, propter similitudinem proprietatemque valde familiarem: qui cùm in rebus terrenis humanisque possunt quamplurimum, illorum opera freti Necromantici, &c. Explicat autem & summa capita horrendi carminis. Infelices, inquit, animas appositione corporis, vel partis eiusdem assumptione allicientes, tum stygijs inuocationibus compellunt, obtestando per dispersa latis campis informia cadauera, & sepultura carentium vagabundas vmbras, manesque Acheronte remissos, & hospites inferûm, quos immatura mors in tartara abstraxit, perque horrenda damnatorum desideria, dæmonesque superbos, vltores scelerum. Hæc sunt summa rationum capita, quibus suam artem Necromantici exercent aut tuentur: quæ tametsi manifeste secum pugnant, & non modò non cohærentia inter se dicuntur, sed maxime disiuncta atque contraria: vt tamen quàm nullo fundamento nixa sit dira superstitio, liquidius appareat, Tertulliani primum argumenta, quibus eam pridem expugnauit, in medium afferam: deinde, si quid visus erit non attigisse, hoc quoque tentabo conuellere.

Fons erroris.

His dæmon fucum facit.

Horrendi carminis summa capita.

Tertullianus Magorum argumenta dissoluit.

Publica iam literatura est, inquit Tertullianus in lib. de Anima, cap. 57. quæ animas etiam iusta ætate sopitas, etiam proba morte disiunctas, etiam prompta humatione dispunctas, euocaturam se ab inferûm incolatu pollicetur. Quid ergo dicemus Magiam? quod omnes pene, fallaciam. Sed ratio fallaciæ solos non fugit Christianos, qui spiritualia nequitiæ, non quidem sociâ conscientiâ, sed inimicâ scientiâ nouimus, nec inuitatoria operatione, sed expugnatoria dominatione tractamus multiformem luem mentis humanæ, totius erroris artificem, salutis pariter animæque vastatorem. Sic enim Magiæ, secundæ scilicet idololatriæ, in qua se dæmones perinde mortuos fingunt, quemadmodum in illa deos. Quidni? cùm & dij mortui.

Itaque inuocantur quidem ahori & biæothanati sub illo fidei argumento, quòd credibile videatur eas potissimum animas ad vim & iniuriam facere, quas per vim & iniuriam sæuus & immaturus finis extorsit, quasi ad vicem offensæ: sed dæmones operantur sub obtentu earum: & hi vel maxime, qui in ipsis tunc fuerunt cum adviuerent, quique illas in huiusmodi impegerant exitus. Nam & suggessimus nullum pene hominem carere dæmonio: & pluribus notum est dæmoniorum quoque opera & immaturas & atroces effici mortes, quas incursibus deputant.

Hanc quoque fallaciam spiritus nequam sub personis defunctorum delitescentis, nisi fallor, etiam rebus probamus, quum in exorcismis interdum aliquem se ex parentibus hominem suis affirmat, interdum gladiatorem vel bestiarium, sicut & alibi Deum, nihil magis curans, quàm hoc ipsum excludere quod prædicamus, ne facile credamus animas vniuersas ad inferos redigi, vt & iudicij & resurrectionis fidem turbent. Et tamen ille dæmon postquam circunstantes circumuenire tentauit, instantia diuinæ gratiæ victus, id quod in vero est inuitus confitetur. Sic & in illa alia specie Magiæ, quæ iam quiescentes animas euellere ab inferis creditur, & conspectu exhibere, non alia fallaciæ vis est.

Operatior plane, quia & phantasma prælatur, quia & corpus adfingitur. Nec magnum illi exteriores oculos circumscribere, cui interiorem mentis aciem excæcare pertacile

Tertullianus.

Necromantia secunda idololatria est.

Ahori sunt præcoces mortes: bizothanati per vim sublati. Fraus dæmonum.

Fallaciam quondam ... dæmones, ... nos; ... occuparet.

Exemplis confirmat.

ET SVSCITA MIHI, &c.

facile est. Corpora denique videbantur Pharaoni & Ægyptijs magicarum virgarum dracones: sed Mosei veritas mendacium deuorauit. Multa vtique & aduersus Apostolos Simon dedit, & Elimas Magi: sed plaga cœcitatis de præstigijs non fuit. Quid noui æmulatio veritatis à spiritu immundo? Ecce hodie eiusdem Simonis hæreticos tanta præsumptio artis extollit, vt etiam Prophetarum animas ab inferis mouere se spondeant. Et credo quia mendacio possunt: nec enim pythonico tunc spiritui minus licuit animam Samuelis effingere, post Deum mortuos consulente Saule. Absit alioquin vt animam cuiuslibet Sancti, nedum Prophetæ, à dæmonio credamus extractam, edocti quod ipse Satanas transfiguretur in Angelum lucis, etiam Deum se adseueraturus, signaque portentosiora editurus, ad euertendos, si fieri possit, electos. Dubitauit si fortè tunc prophetam se Dei asseuerare, & vtique Sauli, in quo iam ipse morabatur: ne putes alium fuisse qui phantasma administrabat, alium qui commendabat, sed eundem spiritum & in pseudopropheride, & in apostata facile mentiri, quod fecerat credi, per quem Saulis thesaurus illic erat, vbi & cor ipsius, vbi scilicet Deus non erat. Et ideo per quem visurum se credidit, vidit: quia per quem vidit, & credidit.

Exodi 7. Actor. 13.

2. ad Corinth 11. 2. ad Thessal. 2.

Si & de nocturnis imaginibus opponitur, sæpe non frustrari mortuos viuos: nam & Nasamonas propria oracula apud parentum sepulchra mansitando captare, vt Heraclides scribit, vel Nymphodorus, vel Herodotus: & Celtas apud virorum fortium busta eadem de causa abnoctare, vt Nicander affirmat: non magis mortuos verè patimur in somnis quàm viuos, sed eadem ratione mortuos qua & viuos. At somnia quæ videntur vera sunt. Non enim quia videntur vera sunt, sed quia adimplentur. Fides somniorum de effectu, non de conspectu renunciatur.

Nulli autem animæ omnino inferos patere, satis Dominus in argumento illo pauperis requiescentis, & diuitis ingemiscentis ex persona Abrahæ sanxit, non posse relegari renunciationem dispositionis infernæ: quod vel tunc licere potuisset, vt Moysi & Prophetis crederetur. Sed etsi quasdam reuocauit in corpora Dei virtus, in documenta iuris sui, non idcirco communicabitur fidei, & audaciæ Magorum, & fallaciæ somniorum, & licentiæ poëtarum.

Matthæi. 24. Nulli iam incluso patet inferorum ianua, in Dei singulari priuilegio.

Atqui in resurrectionis exemplis, cum Dei virtus, siue per Prophetas, siue per Christum, siue per Apostolos in corpora animas repræsentat, solida, & contrectabili, & satiata veritate, præiudicatum est hanc esse formam veritatis, vt omnem mortuorum exhibitionem incorporalem præstigias indices. Hactenus Tertullianus.

Summa responsionis hæc est: Necromantiam alteram esse idololatriam, & ludum dæmonum, qui sicut dij, ita quoque manes haberi volunt. Præcoci leto, aut cæde prære-

Summatim Tertull. respons. complectimur.

A pros, quos condunt inferi: magicis carminibus delictos non erumpere è latebris ad rependendam vicem, sed tentare dæmones eorum nomine obrepere: qui cum illis in vita primum erroris ac tragœdiæ autores fuerint, tum subinde, postquam eos vita defecerit, quo viuos decipiant, eosdem reduces fingunt, vlciscendi studium simulant, personasque mentiuntur. Quam eorum hypocrisim eo argumento deprehendi ac conuinci posse autumat, quod etiam tum cum energumenos occupant, & ab exorcistis vrgentur, ijsdem artibus latere studeant, alienum nomen bestiarij scilicet aut gladiatoris, vel etiam parentis vsurpantes, quo quiduis potius quàm quod sunt esse credantur. Quam fallaciam eò maxime adornant & comminiscuntur, vt iudicij ac re-B surrectionis fidem labefactent, & salutarem mortalibus stygij carceris metum eorum mentibus abstergant, dum audiunt passim vagari animas, nec vinctas Acheronte concludi. Nam quod in Necyomantia plerunque spectra appareant, quæ oculis vsurpentur, ne hoc quidem priuatim quemquam mouere debere, cum & oculos circumuenire dæmones, & vicinum aërem quibus velint coloribus atque pigmentis inficere nullo negotio possint. Sed nec illud quicquam momenti habet, quod feruntur manes ad busta pernoctantibus somnia immittere. Nam ad ea quoque dæmones commeant, & dolos ac machinationes suas commoliuntur. Denique epuloni Christus in immensa illa auerni ignium voragine atque gur-C gite æstuanti ex persona Abrahæ respondit, mortuis ad viuos aditum patere non posse, vt quæ ipsi conspexerint ea superstites doceant. Quod si fortè pauca præsens & superior ætas exempla suppeditant, quibus ostendi possit nonnullos vita functos eandem post liminio recuperasse, sciendum est, hoc paucis datum vt mortuos excitarent, atque adeò tantam gratiam summi beneficij loco Sanctis collatam esse, quam cum impijs & sceleratis viris, prætterquam apud profanos autores nusquam communicatam legimus. Postremò illud obseruandum esse, si qui denuo ad vitam diuina virtute emerserint, horum corpora manibus attrectari potuisse, quæ Magi leuia atque inania specie tenus exhibere solent. Et quidem hactenus Tertullianus respondit. Nos dein-D ceps eandem impietatem pluribus refellemus.

ET SVSCITA MIHI, &c.

Accuratius earundem rationum examen atque confutatio.

Nam quod ad manes spectat quos euocant, quos iubent aoros atque biæothanatos eligi, non video quamobrem eosdem futurorum conscios prædicent. Nam si verum est quod asserunt, apud insepulta cadauera versari: vnde eam cognitionem hau-

Immatura morte prærepti, & circa tumulos errantes, nequaquam futurar. rer. conscij habendi sunt.

ET SVSCITA MIHI, &c.

rire potuerunt? Neque enim ibi quicquam præter consuetudinem vident: neque in his quæ circa eos sunt, futurarum rerum, præsertim quæ ex arbitrio pendent, vllum vestigium cernunt. quo pacto igitur, cùm superos ipsi minimè consuluerint, quæ necdum è latebris eruperunt, sed hactenus aut naturæ sinu conduntur, aut in diuinæ prouidentiæ thesauris delitescunt, postquam lumine cassi sunt rimari potuerunt? Rationem aliquam afferre debuerant, quamobrem infelices animæ tenebris & caligine demersæ, nec longius à cadauere recedentes, ea quæ procul sita sunt, aut etiã nusquam existunt, callere viderentur. An fortè quæ ventura sunt ea tanquam in imagine depicta vident, quæ eorum oculis obuersentur. Sed quæ tandem horum est tabula? An cœlum ipsum? Nam hoc nonnulli fingunt. Veruntamen eò nunquam commigrarunt. An potius aër? Dabunt hoc Magi, rerum quæ contingent, passim ac temerè simulacra in aëre vagari. Fac ita esse: ipsi tamen vicinum duntaxat aërem sorbent, reliquo minime potiuntur. Quamobrem haud facilè in ea incurrent quæ percontari velis. Deinde, vt ea spectra temere iactata ad eos appellant quæ ventura præseferant, obscura tamen cùm sint, vt ipsi perhibent, interprete indigent. An igitur quisquam manes eam artem statim à morte docet? Sed nec postremo absque aliqua specie impressa res obiectas intueri poterunt: quas cum elaborare per se nequeant, vt pote sensuum ac phantasiæ ministerio destituti, cedo cuius beneficio nacti videri possint. Numinis, inquies, beneficio hoc consequuntur. Atqui primum haud ita sentiunt Magi: deinde verisimile non est, quos ne communi quidem mortuorum sorte dignatur, dignos eos habuisse quibuscum arcanas consiliorum suorum rationes conferret. Adde his, quod nec illud credibile videatur, animas postquam è corporibus excesserint ijsdem diutius adhærescere: nam siue præmium illæ, seu pœnam commeruerint, neutris locus satis idoneus habendus est: sed reæ quidem vinclis ac carcere frænandæ sunt: innocentes & piæ à squalido & funesto loco ad amœniorem lætioremque traducendæ. Quinimo, aiunt, vel ipsas Sanctorum animas corporum desiderio teneri. Esto: non tamen putrium, sed ea primum à Deo instaurari postulant, & reddi sibi: quæ cum non ante restitutum iri nouerint quàm reliquus orbis incendio pereat, hoc interim spatio seculi moram ferunt æquo animo, & in Dei voluntate acquiescunt.

Nõ potest videri prophetandi gratia sceleratis animis statim à morte concessa.

Satis porro mirari non possum quam ob causam velint deprauatas animas, quo tempore ab eis criminum pœnæ repetendæ sunt, statim vates euadere, & quod virtutis ergo paucis in hac vita tribuitur, in altera, quæ supplicio destinata est, flagitiorum gratiâ adipisci futurorum scientiam. Neque enim, vt arbitror, tanquam in theatrum ad spectacula vocantur, sed ad cruciatus & supplicium. Nam quod rari admodum quondam nefarij homines in seculo prophetandi munere claruerint, non paucæ rationes occurrunt quamobrem factum videatur. Nam aut aliena salus, siue publica, siue priuata; aut propria ipsorum quærebatur; aut fidei constantia, non eorum virtus, testimonio commendanda erat. At quod sceleratæ animæ, postquam in diuini iudicij laqueos inciderint, vates appareant, & sciscitantibus oracula fundant, quibus fides habeatur, alienum videtur à numinis æquitate atque iustitia. Cur enim flagitia, quod præstantissimum est, præmium ferant? Deinde, quod iam antea notauit Tertullianus, ea opinio si se penitus insinuet, numinis seueritatem in dubium vocabit, & sensim fidei fundamenta conuellet.

Animas Ecclesia non arcet à corporibus sed dæmones.

At fauent, inquiunt, cadauera, quæ vel inhumata iacent, vel solenni ritu sacrisque ceremonijs lustrata non sunt. Haud dubitem ea dæmonem temere induere non posse, quæ Crucis signo consignata, Sancta mater Ecclesia tumulo à se benedicto commendauit: verùm his non ipsis manibus, pro quibus etiam orat: sed dæmonibus interdicit. Quo pacto manifeste proditur mendax dæmonis astutia: qui cum videri studeat vnus è grege manium, sub aliena persona suos ipse horrores pauoresque aperit. Non enim Ecclesiæ ritibus, qui suffragantur mortuis, arcentur à suis corporibus animæ: sed dæmon, qui sacrilega audacia ijsdem abuti studet ad viuorum perniciem. Ipsas porro animas non vlla vis Ecclesiastica, sed diuini iudicij decretum, aut procul amandat ad inferos, vnde ad superos euadere nequeant: aut cœli regia suscipit, & deliciarum molli complexu fouet longe semotos à contagione nostra. quæ posteriores tametsi liberrimam potestatem nactæ sint, nec à corporum consortio abhorreant, idcirco tamen ab ijs abstinent, primum quòd diuinæ prouidentiæ consciæ sint, quæ vitæ & mortis ab æterno tempore curricula discreuit. Deinde, quod perturbata membrorum symmetria, confusisque organis, inutilia sibi corpora fore iudicent: postremò, quòd ne siquidem instaurentur vt prius, immortali vitæ quam ducunt apta accommodataque videri possint. Sontes autem animæ idcirco sua cadauera non reuisunt, quod emergere ex illo gurgite, *superasque euadere ad auras*, æterna lege prohibeantur.

Quamobrẽ animæ sua corpora nõ repetant.

Locorum autem (præter sacra, quæ cane peius & angue dæmones vitant) non aliam rationem habent, quàm quòd ijs maxime delectentur, quæ flagitiosæ libidinis aut sæuitiæ vestigium aliquod impressum seruent. Captant præterea nonnullam fallendi occasionem ex antiquo vsu ac consuetudine loci, dum sperant familiares ac necessarios haud difficile persuaderi posse, mortuos hactenus locorum desiderio affici, quibus antea cupide inhæserant. Itaque frequenter illic insidias struunt. Sed & si quæ loca horror perfuderit, aut inculta vastitas silentij comes obsederit, flammæúe tristes, quas nonnullorum montium fauces eructant, perculerint,

In locis designandis dæmones quid spectent.

ETSVSCITA MIHI, &c.

lerint, non rarò fictis dæmonum gemitibus personant, quos credi velint ab ijs expressos, qui superioris vitæ sordes eluant. Id quod non eo consilio dico, vt complures negem diuersis locis variè torqueri: quod nonnunquam etiam Deo volente ijs indicent à quibus aut iuuentur ipsi, aut saltem audiantur, ne similia in posterum eosdem experiri contingat: sed quòd dæmones in omnem partem intenti, inde quoque nocendi ansam arripiant. At ridiculum est quod addunt præterea, animas quæ sacris funerum religionibus procurentur & expientur, eas compelli ad iudicij locum; tanquam nulla sit Numinis potestas: sed illæ passim quà lubet vagentur, nec aliter citatæ pareant, quàm si Ecclesiastica autoritate adesse iubeantur. Nolunt videri dæmones qui hæc fingunt, pudet eos imbecillitatis suæ, ideòque fugam suam alieno nomini adscribunt. Veruntamen, inquiunt, animæ postquam è corporis ergastulo emerserint, adhuc aliquanto tempore (inuenias magos qui annum totum designent) in turbido illo humidóque spiritu circa cadauera sua oberrant, veteris ac diuturnæ consuetudinis necessitudinisque dulcedine pellectæ. Quid quæso facturæ? Quippe ibi sunt, inquit Sanctus Thomas, vbi operantur. Non enim vt corpora, sic quoque animæ locum occupant. Sed cum omni prorsus mole careant, non alium ad locum respectum habent, quàm si quid ab eo patiantur, aut vicissim agant. Iam verò circa cadauera quid rerum agant non video. Non enim sensum aut vitam tribuunt postquam ex ijs excesserint. Sed nec quicquam moliri videntur quo serius illa tabescant. Non feras abigunt: à quibus lacerantur, non auium minorum morsum audaciamue cohibent. Patiuntur, inquies, pœnasque scelerum luunt. Cur enim aliena regione potius quàm sua? Nam proprium tormentorum locum inferos Deus esse iussit. Quamobrem autem aut quo iure, quaue freti potentia, descriptas ab eo sedes commutemus? Non igitur in his versantur defunctorum animæ, quæ statim ad iudicium rapiuntur: sed astuti dæmones, ad fallendum tempus aucupantes.

Non erant circa corpora defunctorum animæ.

Sed iam ad reliquas etiam illecebras accedamus, quibus animas postquam è vita desciuerint capi mentiuntur. Iisdem medijs, inquiunt, animas in corpora reuocari posse, quibus antea cum ipsis societatem conflauerant. quocirca si quis vapores consimiles, liquores, nidoresque adhibeat, quibus primùm corporibus alligatæ fuerant, futurum spondent vt denuo coëant. Vinum itaque laudant, mel quoque oleum, aquam, farinam, oua quoque & lac? quæ si manibus vt volunt obieceris, haud dubitent continuo allici posse. Sed quia portionem animæ non modicam, quæ in imaginandi vi consistit, conijciunt bellarijs, quæ soli palato sapiunt, non posse titillari: idcirco quo hæc quoque incitetur, artificialia quædam lumina, sonos, cantusque commenti sunt, quibus deliniatur. Et tamen adhuc post tot commenta impietas erubuit, nec ausa est asse-

Quibus illecebris animas in corpora pelliciant.

A rere intellectualem animam his rebus posse moueri. Itaque manes subinde tentant horrendis carminibus, quibus nefarij quicquid vbique est, numinis instar aduocant. Ne religioni quidem rebusque sacris scelerati nebulones parcendum docent. Atqui nihil horum perditos eorum conatus promouere quicquam poterit.

ETSVSCITA MIHI, &c.

Nam quæ ad religionem pertinent, ea ex institutione Diuina aut deuotione Ecclesiastica vim obtinent; ita vt si his rite atque ordine vsus fueris, quod promittunt Dei gratia ac benignitate consequaris. Sin ijsdem ad scelus & impietatem abuti volueris, prodesse quidem nullo pacto poterunt: at sacrilegum horrendi criminis reum constituent: quod vnum diabolus spectat dum religiones sacrilegio pollui iubet: B post hoc, inquit Poëta,

Securus], cadat, an recto stet fabula talo.

At diris, inquiunt, præterea carminibus cœlum terræ miscent, & inferorum claustra concutiunt. Fabulæ sunt, & inutilium portenta verborum, quæ nequicquam aërem verberant. Neque enim amplius quicquam præstare poterunt quàm vt laruas & spectra quædam inania exhibeant, quæ artis imperitos fraudisque nescios terrent. quamobrem frustrà citatur malorum cohors innumera dæmonum, triceps Cerberus, & tergeminæ Eumenides: nihil monstris illis infirmius: quæ si quid olim virium habuissent, dudum orbis machina con- C cidisset.

Veruntamen, inquiunt, phantasia sonis musicisque cantibus mulcetur. Esto: quid conferet ad manium euocationem? Annon pictis quoque tabulis, floribus, & colorum pigmentis pariter afficitur? Vtique si fortè ea in oculos inciderint, haud aliter phantasiam mouent, quàm si quispiam ad harmoniam canens, sonum auribus instillet. An igitur horum quicquam censes cùm hic insonuerit, aut canduerit, ad animas tanta locorum intercapedine distitas penetrare posse? Circumscripta est suis finibus cum rerum visibilium, tum etiam vocis & sonorum regio.

Deinde, qua tandem ratione putas etiamsi vel Stentorea vox intonuerit, cautes illas & immensos silices, quibus Orcus circum- D septus est, superari posse? Sed fac posse: quibus auribus manes accipient? An hos quoque auribus ducimus? Audiunt tamen, ais, cum præsentes humana voce compellantur. Esto: hoc etiam demus. Veruntamen vt mentes, non vt corpora, audiunt, & orationis sententiam eruunt, fortassis etiam incentionis leges modosque percipiunt: non tamen vt sensus aliquis corporeus, siue auris illa sit, siue phantasia, soni voluptate perfunduntur. Sed fingamus concentu capi, suaderique animas, vt corpora rursum ineant. An statim idcirco quod cupient, per seipsas consequi poterunt? Si possent, nequaquam, opinor, vt vellent, musicæ

ET SVSCITA MIHI, &c.

Si possent sontes erũpere ex inferis, nequaquam cithiræ lenocinio inuitandi forent.

cantionis lenocinio prolectandæ forent. Quis enim cum vinctus sit, non statim ex ergastulo liberari cupiat? Admirandum plane diuinæ iustitiæ carcerem prædicant, ex quo sontes vt exire velint, concentu & musica inuitandi sint. Atqui teterrimi dæmones, quorum in perferédis cruciatibus longè contumacior patientia est, cum per Christum ab energumeno, quem occuparant, exturbandi forent, potius quàm in abyssum compingerentur, spoponderunt vltrò se gregem suillum subituros, atque adeò, vt liceret, summis ab eo precibus contenderunt. Quo pacto igitur verisimile sit, infelices animas quas Tartarus hausit, si pateat exitus, non sponte prodituras. Hinc satis apparet quàm captiose non quidem ad manes eliciendos, quorum auris dudum ad nostras cantiones obsurduit: sed ad viuos in fraudem inducendos nænia conficta sit, seu potius horrendum illud carmen quo inferi tentari videntur; vt dum putant mortuos cantu ad se pertrahi, diabolo fidem adhibeant.

Quod ciborum nulla appetentia fingi posit, qua manes eliciantur.

Denique quis non in eo vehementius obstupescat, quod temere asserunt: si vinum potent animæ, & aqua pariter cum lacte rigentur, ac subinde etiam oleo delibutis fauum mellis impingas, denique subacta ouis farina pascantur, cum corpore denuo posse sociari? Nam quo tandem argumento aut signo hoc colligant? Vsqueadeone communis lucis expertes sunt, vt manes hactenus ciborum illecebris capi posse existiment? Quidni, inquiunt: annon frigidam epulo Christo teste poposcit? Quinimò & hoc tantillum subsidij postulasse fertur, quo linguæ incendium restingueret. Vnde nec minus aptè concludes, ne corpora quidem manes exuisse. At nos de mortuis loquimur, quos cum olim vita deficeret, statim animæ à corpore desciuerunt, quos non video quamobrem abdicatis gula & faucibus epularum appetentia prouocet. Sed quando id genus hominum infidelitate atque amentia cœcum sibi ipsi assentatur, & in his nugis non sine manifesto exitio acquiescit, ne quid nos mysteriorum suorum fugisse calumnientur, eorundem rationes excutiamus.

Gula caret & faucibus

Aiunt igitur his primum medijs cum corporibus animis conuenisse: his epulis coagmentatam esse mutuam beneuolentiam, fœdus ictum, denique coniunctissimam societatem coaluisse. Hoc primum miror, qua ratione freti, vel autoritate fulti, tam impudenter asseuerare audeant. Deinde aut hoc de prima huius vitæ origine se dicere intelligunt, cum primum animus corpori permistus est & in vnum hominem contemperatus: aut de eiusdem valetudine atque incolumitate: quam cibi non ij solum quos illi enumerant, tuentur, sed etiam alij plures, & quidem nonnusquam absque his,

A quos nobis in his regionibus familiaris vsus, & copia plurimum commendauit.

ET SVSCITA MIHI, &c.

Origo hominis duplex: neutri edulia illa contulerunt.

Origo porro hominis duplex est. Altera priuata eius, qui primus in lucem editus est: Altera communis omnium. Et quidem primus ille cunctorum hominum parens, quo aditu in hanc vitam ingressus sit, Genesis liber ostendit. Limum Deus finxit, membra articulatim compegit, artus decore atque vtilitate distinxit, postremò ori eius animam inhalauit, quam statim cœpit ducere, vitáque potitus est. Cæterùm vino, vt apparet, in fabricando homine, aut oleo, aut melle, ars diuina non indiguit. Posterior communisque omnium origo illa est, cùm vnumquemque nostrum natura opifex in aluo matris architectatur. Hanc porro etiam nihil eorum promouet, quæ Magi commiB nil nisfuscuntur: non vinum, non oleum, non mellis copia aut lactis, quod non ante fœtus sugere incipit, quàm vita animáque polleat.

Subinde tamen, inquis, puer lacte vescitur: quinetiam maturior ætas ijs maximè rebus vitam fouet & tolerat, quæ à Magis ad alliciendas animas adhibentur. Esto. Sed quo pacto tandem seu fruges illæ sint, siue succi atque liquores, ad vitalis auræ instaurationem vel incrementum conferunt? Annon illa primùm necesse est vt commolita dentibus per gulam in stomachum traijciantur, ventriculus ipse insito calore excoquat atque conficiat, iecur in sanguinem vertat, quem receptum venæ in omnes corporis partes transmittant? Sic enim C sit vt exhaustum viribus corpus reficiatur, cum sit alioqui pondus inutile cibus futurus.

Nullus vsus cibi ad tuendam vitam, nisi confiantur.

Sciendum, inqnit Cœlius, quod docet Aristoteles in 2. de Anima, esse organum duplex, quo altrix facultas perficitur: separatum, & coniunctum. Et alimentum quidem separatum intelligitur organum & inanimum: coniunctum verò, calor intimus, quo ipsum id vnde alimur, excoqui possit. Ex quo colligitur, animatum omne quod connutritur, calorem necessariò requirere, qui sit coniunctionis exordium. Cæterum altrix hæc facultas quadrifariam munus implet proprium: attrahit enim, aduocatque primò cibum: mox aduocatum perficit, digeritque inde secernit, quod nutricationi sit accommodum, retinetque: postremo retrimenticia, feculentaque excernit, aut secessu, aut vrina, aut sudore, aut alio quouis modo. Potestates verò hæ in Græcis autoribus, Græce ita nominantur, ἑλκτικὴ δύναμις siue ἑλκυστικὴ attractrix facultas, πεπτικὴ siue ἀλλοιωτικὴ concoctrix, alteratrix; καθεκτικὴ retentrix, ἀποκριτικὴ expultrix, quam alias διακριτικὴν dicunt, quod vtile ab incommodo secernat. Hactenus Cœlius. Nisi quod Græcas ipsas voces vsurpare malui, quæ à Gorrhæo fuse & accurate in Definit. Medic. explicantur: quem consulas suadeo, nam paucis ac breuiter ex Theodoreto quæstionem hanc absoluere statui.

Rhodigin. Lect. antiqu. lib. 2. cap. 15.

Altrices facultatem duplex organum.

Altrices facultatis potestas quadruplex.

D

Venter, inquit, stomachi opera cibum dentibus

ET SVSCITA MIHI, &c.

S. Theodoretus Orat. 3. de Provid.

Oeconomia altricis facul. pulchrè describitur.

tibus conscissum, & molarium vi comminutum attrahit, & attractum primò quidem seruat, succum illius elicit, alterat & transmutat, sibique similem efficit: deinde concoctum probè & mutatum rite & æqualiter discernit, & purissimam quidem illius partem iecinori coquendam attrahendamque concedit; quod verò in eodem superfluum est, expulsoria virtute intestinis transmissum eijcit. Similiter & iecur, vbi puram illā & synceriorem alimenti partem suscepit, purgatione & discretione ea, quam modo exposuimus, minimè contentum est, sed eandem denuo quasi per fauces quasdam & angustiores meatus discernit, & purgat: cuius densiorem & lutosam feculentamque partem per meatus quosdam lien ad se trahens, eas sibi alimentum facit. Alteram verò eius partem, quæ vltra modum excocta biliosam B qualitatem contraxit, pallidiorque facta est, bilis vesicula recipit. Quod verò in eadem fluxum nimisque tenue est, nec quicquam alere potest, in vesicam, humidis excrementis destinatum receptaculum secedit. Et sic quidem, vbi alimentum hoc plene purgatum, & iecinori conforme in sanguinis naturam transit, mox illum caua vena excipiens, cordi quidem, quantum opus est, confert, simulque in superiores corporis partes transmittit, tum in plures venarum ramos dissecta thoracem quoque nutrit; humeros & manus, quin ad ipsos quoque vngues peruenit, collum amplectitur, caput occupat, in clunes denique, femora, genua, tibias, pedesque descendit, imò omnes corporis partes ambit, nec vllum membrorum viuentium hac irrigatione destituitur. C Venæ enim canales & aquæductus similitudine referunt, quibus corporis irrigandi officium concreditum est.] Et ibidem rursum.

Nam quod, inquit, ad alimentum attinet, nos homines ab inanimatis arboribus nihil differimus. Perinde enim vt his, ita nobis quoque alimento opus est. Arbor quippe nisi nutriatur, arescit: & homo fame pressus, similiter omni exhausta humorum copia morti traditur. Quemadmodum igitur arbores, vbi vel è nubibus demissas pluuias, vel fluuiorum aut fontium latices susceperunt, per radices quidem humorem attrahunt, hoc autem & ramos, & corticem & medullam enutriunt, qui simul & folia producit, & flore enato fructus tandem ad maturitatem excoquuntur: sic & D animal hoc cibum quidem ore suscipit, qui illi instar fontis est, canalem autem stomachus refert: at venter ceu radix quædam hunc susceptum quasi per scalam quandam ramorum iecinori transmittit: iecur autem non sibi modo necessarium alimentum inde decerpit, sed eiusdem irrigatione omnia corporis membra reficit. Et corpus quidem hoc modo enutritum in pueris crescit, & in longitudinem & latitudinem extenditur, ac breui ad iustæ magnitudinis mensuram peruenit: vbi vero constitutum sibi attigerit limitem, tunc quidem augeri desinit, & nutritur solummodo.] Denique & de sanguine ad extremum fere hoc ha-

A bet. Vide præterea in quot colorum species sanguis mutetur. Hic enim primo cibus erat, qui dentium vi contritus ventri transmissus est. Hic sibi concolorem efficiens, album reddit. Eundem autem suscipiens iecur, in proprium colorem transmutauit. Postquam vero sanguinis natura hoc modo absoluta est, pars huius in cerebrum conscendens denuo albescit, & in ossa condensatur, ac in neruos densos quidem & firmos, sed flexibiles lentosque conuertitur.] Sed iam hactenus Theodoretus plura quàm promiseram.

At vero Gorrhæus Medicorum sententiam cum alibi sæpius, tum maximè in verbo Πέψις copiose explicat. Cibum negat alere posse nisi coquatur. Coctiones autem tres esse statuit. Ac in ventriculo quidem chylum, quem succum, vel, si placet, cremorem interpretare; in iecinore & venis mesenterij sanguinem; in solidis ipsis partibus ceu rorem effici. Et primæ quidem coctionis instrumentum ventriculus, alterius, iecur, postremæ, solidæ quæque partes, quam proinde multiplicem prædicat. Ac donec quidem chylus, sanguis, & ros, elaborantur, dicuntur concoqui: vbi vero horum quidquam parti nutriendæ apponi cœpit, iam non coqui sed alere, ipsaque actio nutritio appellatur.] Horum porro nihil in manes quadrat. Nam neque habent quod nutriatur, neque si habeant, ijs partibus instructi sunt, quibus cibi confici possint & excoqui. Sunt quippe corporis expertes, & ventriculo pariter atque hepate, solidisque partibus carent. Quo pacto igitur cibis allici poterunt?

Gorrhæus. Cibi coctiones tres numerātur

Cibos tamen, inquiunt, appetunt. Nihil eo absurdius dici fingiue potest. Nam cibi appetentia duplex est: Naturalis, & animalis, quarum neutra separatis à corpore mentibus tribui potest. Prior enim exusti corporis & arescentis affectio est. Posterior priuatim ventriculi, quæ non sine doloris aliquo sensu stomachum vellicat. Vtramque priore tomo ad cap. 14. ver. 28. ex Gorrhæo expressimus. Galenus paucis ita comprehendit: Quinque symptomata esse quæ ad apperet. à cibi sese gradatim consequantur. Nam exhauriri primum corpus humore necesse est. Deinde singulæ partes inedia vexatæ, cibum quo reficiantur naturaliter appetunt. Hāc naturalem sitim sequitur venarum suctus, quæ ex stomacho nituntur alimentum elicere. Eum conatum vētriculus tantisper dum nihil superuacaneum continet, non sine molestia excipit. Hanc Græci πεῖνα, nonnunquā etiam λιμός, Latini famem nūcupāt. Inde vero postremo ὄρεξις, seu cibi appetentia oritur. Et quidem posterior hæc quam fames parit, animalis est, vt pote quæ sit cum dolore sensuq; coniuncta. Neutra tamē absque corpore intelligi potest, cum sit prior illa quidem totius, posterior partis alicuius priuatim langor atque vexatio. Quamobrem absurda & futilis est illa Magorū ratiocinatio, nec cibi quicquam ad eliciendos manes conferunt: sed ipsi primum decepti à dæmone, reliquis deinde student imponere. Quòd si qua in cibis ad reuocandas animas vis ac potestas

Manes cibos appetere non possunt.

Appetentia cibi duplex

Galenus. Symptomata quinque appetentia consequitur.

ET SVSCITA MIHI, &c.

Et svscita mihi, &c.

esset, cur tandem morimur? Nam neque illa rata quæ adhiberi iubent, neque verisimile est quas absentes reuocare possint, præsentes ne facessant, cohibere non posse.

Sciomantia nihil præterea difficultatis habet. Solennes eius ritus ex Seneca Tragœdo, insertis duntaxat numeris, quibus Delrio placuit singulas nefandorum mysteriorum cerimonias distinguere, breuiter subijciemus.

Sciomătia, species altera Necromătiæ. Seneca in Ædipo act. 3.

Huc vt Sacerdos intulit senior gradum,
Haud est moratus, præstitit 1. noctem locus.
Tunc 2. fossa tellus, & 3. super rapti rogis
Iaciuntur ignes: ipse 4. funesto integit
Vates amictu corpus, & 5. frondem quatit,
Lugubris imos 6. palla perfundit pedes.
Squallente cultu mæstus ingreditur senex.
Mortifera canam 7. taxus astringit comam,
Nigro bidentes vellere, atque 8. atræ boues
Retro trahuntur 9. flamma prædatur 10. dapes,
Viuumque trepidat 11. igne ferali pecus.
Vocat 12. inde manes, teque qui manes 13. regis.
Et obsidentem 14. claustra letalis lacus:
Carmenque magicū voluit, & rapido 15. minax
Decantat ore, quicquid aut placat leues,
Aut cogit 16. vmbras: irrigat 17. sangis focos,
Solidasque 18. pecudes vrit, & multo specum 19.
Saturat cruore. Libat & 20. niueum insuper
Lactis liquorem, fundit & 21. Bacchum manu
Læua 22. canitque rursus, 23. & terram intuens 24.
Grauiore manes voce, & attonita 25. ciet.

Versvs IX.

Et ait mulier ad eum: Ecce tu nosti quãta fecerit Saul, & quomodo eraserit magos & hariolos de terra: quare ergo insidiaris animæ meæ, vt occidar.

Versvs X.

Et iurauit ei Saul in Domino, dicens: Viuit Dominus, quia non eueniet tibi quidquam mali propter hãc rem.

Eraserit.] ὡς ἐξωλόθρευσε, *quomodo exterminauit.* *Magos & hariolos.*] Eadem varietas interpretationum, quæ priùs. Hebraicè, הכריח *hichrith abscidit.* *Quare tu* מתנקש *mithnakesch* animæ meæ? Vulgata, *insidiaris*; Pagninus, *ponis offendiculum*: Quidam, *Cur te ponis in tendiculum vitæ meæ*? Vatablus, *cur laqueum tendis*? Alius, *cur causam quæris contra animam meam*? Aut sanè, Cur adducere me vis in capitis periculū? Sept. παγιδεύεις, *illaquearis* τὴν ψυχήν μου: animæ meæ? Non ergo malè Vulgat. *insidiaris*, dixit, *animæ meæ.* At Ionathan מתגרי *mithgari*, siue *concitatus es*, exposuit. Cur enim vni potius credamus quàm pluribus? Cæterum, nec illud absurdum erit aut alienum à proposito, si Legamus, *Quare tu impelleris contra animam meã,*

A *vt occidas me*? Nam iuxta vulgare prouerbium, *Conscia mens semper est pauida.* Quocirca vereri cœpit mulier, ne dum simulatè ad artis suæ experimentū prouocatur, manifestis indicijs deprehensa, ac prodita, capite plecteretur: idcirco quærit, qua gratia, quave iniuria prouocatus sibi perniciē moliatur? Sed priores à יקש *iakasc* deducunt, quod est *illaqueauit*: Solus Ionatham à נקש *nakasc*, quod in Hithpaël significat *impulit seipsum.*

Et svscita, mihi, &c.

Versu 10. *Non eueniet tibi quidquã mali propter hanc rem.* *Mali.*] Hebraicè, עון *ghauon*, quod culpã significat, & pœnã metonymice, à verbo עוה *ghauah*, quod idem est ac *contortus, obliquus, curuus*, & cum metaphorice ad mores animumque transfertur, *versipellem, prauumque* denotat. Itaque non vno modo vertunt in-
B terpretes: Pagninus habet punitionem: Arias apud eumdem *peruersitatem.* *Non eueniet tibi peruersitas in verbo isto.* בדבר הזה, *badauar hazeh*, Septuag. ἐν τῷ λόγῳ τούτῳ *in sermone isto.* Sed verbum pro re communiter Hebræi vsurpant: quanquam etiam commode intelligi posset, asserere, nullam subesse dictis fallaciam, nec eius perdendæ occasionem captare. Septuag. εἰ ἀπαντήσει σοι ἀδικία ἐν τῷ λόγῳ τούτῳ. Complut. *Si obuiabit tibi malum in sermone isto.* Rom. Edit. *Si occurret tibi iniustitia in verbo hoc.* Chaldæus, *Si contigerit tibi culpa in verbo hoc.* Scilicet, quæ detur tibi crimini, aut quam quisquam arguat: nemo tibi propterea molestiã exhibebit. Nam enim Saul mulierem, malis artibus operam dantem, scelere absoluere potuit: sed hoc pollice-
C tur, impune futurum. Quare non nemo, *Si occurrat tibi*, inquit, *propter hanc rem aliquid mali.* Vatablus, *Si quid culpæ hac ex re tibi imputetur.* At in Schol. *pœnam* siue *punitionem* interpretatur: quod notat fieri metonymicōs, cum Hebraice scriptum sit *iniquitas.* Quidam denique Hec res tibi fraudi non erit.

Ecce tu nosti quanta fecerit Saul.] Animaduertis hinc pudorem, inde timorem? habitum iste mentitur: illa expauescit. Omne malum, inquit Tertullianus Apolog. cap. 1. aut timore, aut pudore natura perfudit. Denique malefici gestiunt latere, deuitant apparere, trepidant deprehensi, negant accusati, ne torti quidem facile aut semper confitentur: certe damnati mœrent: dinumerant in semetipsos mentis malæ impetus vel fato, vel astris imputant. No-
D lunt enim suum esse, quia malum agnoscunt.] Subinde etiam de securitate Christianorum Martyrum triumphans, Christiani verò, inquit, quid simile? Neminem pudet, neminem pœnitet, nisi plane retrò non fuisse. Si denotatur, gloriatur: Si accusatur, non defendit: interrogatus vel vltrò confitetur: damnatus gratias agit. quid hoc mali est, quod naturalia mali non habet? timorem, pudorem, tergiuersationem, pœnitentiam, deplorationem? quid hoc mali est, cuius reus gaudet? cuius accusatio votum est, & pœna fœlicitas? Hactenus Tertull.

Tertullianus. Pudor & metus maleficij necessarij comites.

Quare insidiaris animæ meæ, vt occidar? Renuit mulier parere Saülis imperio, & commemorat leges & edicta quæ idem sanxerat. Hîc videmus,

QVARE INSIDIARIS, &c.

videmus, æternam disciplinam, etsi non flectat animos, id enim non est situm in manu principum, tamen multum efficere ad continendum populum in officio. Mulier ista, etsi mentem pristinam retineat, tamen non audet exercere, & profiteri artem suam. Itaque S. Augustinus reipsa, & euentu doctus mutauit sententiam de coërcendis hæreticis. Vidit enim Imperatorum edictis, & metu legum multos rediisse ad sanitatem. Ista porrò mulieris responsio, nisi iam Saül planè cœcus foret, eundem à scelere auocare poterat. Nam etsi tum illa Saülem sub aliena specie latentem non nouerat, attamen eius conscientiam his verbis compellabat. Acsi diceret: Ecquid te pudet, hominum leuissime, ad eas artes confugere, quas tu non ita pridem ferro & igni abolebas? Nam si illæ tibi probantur, cur eos artifices qui darent illis operam perdere conatus es? sin noxiæ &, inutiles visæ sunt, cur damnata priori sententia ab iis, quos antè profligaueras, rebus afflictis opem & auxilium postulas? Diuinæ legi scilicet obtemperare studebas. Esto: cur eandem nunc rescindis? An quia fortè numinis nulla fides? An quia spes promissorum eius te fefellit? An quia confidas in his artibus nostris, quas olim abdicaras, plus opis ac præsidij quàm in Dei cultu ac religione esse? Nemo siquidem in tanto periculo constitutus quemquam auersatur & fugit, nisi quem malæ fidei suspectum habeat: nemo se cuiusquam fidei permittit, nisi quem speret inclinatæ iam spei suppetias laturum. Hinc facile colligas, quàm grauis ea Saülis culpa fuerit, & quanta cum numinis iniuria Pythonissam consuluerit.

Quàm grauiter peccerit Saul Pythonissam consulens.

Iurauit ei Saul in Domino.] Studet Saül, ne qua res curas eius moretur, omnem insidiarum suspicionem à seipso amoliri. Iurat itaque, & sagæ fidem suam obstringit, nequaquam ob tantum scelus eam supplicio affectum iri. Iurauit miser, se nequaquam legi Dei, cui, si saluus esse vel parere debuerat, morem esse gesturum. Nam Deus iusserat, vt Magi, & Arioli tollerentur. Iurat autem per Deum: quo significat, eundem lynceis oculis intueri omnia, nihilque non posse. Ita & ornat nomen Dei, & illud turpissime dehonestat. Eo enim venerat, vt, aut, si seruare vellet iusiurandum, peccaret in legem Dei: aut si nollet, esset periurus.

An peccent, & quàm grauiter, iudices, qui Magos non tollunt.

Spectanda primùm ratio est, quam sequantur. Deinde quantum Dei hominúmque intersit reos plecti. Sunt enim qui idcirco à Magorum supplicio abstinent, quod negent vllos esse, qui ad patranda maleficia, aut eruenda quæ latent, dæmonum opera abutantur: sed quæ de his narrantur, ea omnia commentitia esse, & atræ bili aut etiam lycanthropiæ ascribenda.

Triplex ratio iudicum qui magos negligunt.

Alij, tametsi diabolicas artes negare prorsus non audeant, attamen satis liquidò constare negant, an eas priuatim quisquam exercuerit, cum ea quæ plerunque illis obijciuntur, manasse ab

A occultis naturæ causis potuerint; & si quæ præterea Magi aut Sagæ contulerint, ea ratione ac modo fecerint, qui à nobis deprehendi non possint. Nam quæ nonnunquam palàm proferuntur officula, aut herbę, tortiue crines, ea non videntur pauperiem facere potuisse. Quamobrem nec tutò de his ferri posse sententiam.

QVARE INSIDIARIS, &c.

Complures denique auaritia ab officio reuocat, quod ea quæstio nihil aut parum emolumenti allatura videatur: vel certè negligentia, aut largitionum corruptelæ, rerum curiosarum studium, denique similis conscientia sceleris ab insectandis damnandisque Magis absterrent. Quos ego (posteriores me dicere intelligo, quos vnà coniunxi) cùm nemo sit qui tueri paratus sit, nec tam certo consilio ac ratione peccent, quàm turpificati deprauatione animi, superuacaneum duxi in iudicium velle arcessere. At verò priores qui factum excusant, nec sine ratione aliqua, vt quidem sibi videntur, insaniunt: hi à nobis excutiendi sunt, & quàm grauiter in religionem ac publica commoda peccent, admonendi.

B

An reuera magi dæmonum opera in patrandis maleficiis abutantur.

QVÆSTIO CXXII.

QVidam hoc negotium vniuersum rident, putántque nihil nec à Magis fieri posse, nec à dæmonibus. In hac sententia est Plinius libro 30. Natur. Histor. cap. 1. Ait enim, certissimis rationibus deprehensum esse, vniuersam Magiam inanem esse, & nihil habere firmi, aut solidi. Neronem enim principem, vt ducebatur studio canendi, & aurigandi, ita etiam studiosum fuisse Magiæ. Non defuisse illi nec ingenium, nec potestatem, nec magistrum. Tyridatem enim Regem Armeniæ accepisse ab illo imperium: & eius iussu multos ex Oriente Magos doctissimos attulisse: Neronem etiam, vt erat curiosus, passum fuisse se initiari. Sed ad extremum rem omnem abiisse in nihilum. Idem de Iuliano Apostata dici potest. Postquam enim cœpisset se Magis dedere, ipse quidem nihil intentatum reliquit: omnia vero in peius ruere, ac retro labi cœperunt. Quod si isti tanti Principes, & quodámodo κοσμοκράτορες nihil potuerũt efficere, quid suspicari possumus de aliis? Et tamen istis duobus oportuit diabolos maximè obsequi. Erant enim infestissimi hostes religionis Christianæ. Sed vtcunq; ea res se habeat, haud dubiè à dæmonibus complura, quæ vires nostras superent, nullo negotio perfici possunt. Cur autem in Neronis, & Iuliani gratiam nihil præstare potuerint, nos quidem latet; Deum autem nihil præterit, qui dæmonis vim ac potestatem quibus placet terminis circumscribit.

C Plinius.

D

Vinclis, inquit ille, *ac carcere frenat,*
Ni faciat, maria, ac terras, cœlúmque profundum
Quippe ferant rapidi secum, verrántque per auras.

Et quomodo, &c.

Probatur Magos stupenda opera dæmonũ fauore perficere.

Nam quod multa Magi præter consuetudinem miranda edere possint, haud difficilè probari potest ex lege Dei. Nam 42. Exod. 20. Leuit. 18. Deuteronom. *Magi, Arioli, malefici, iubentur affici vltimo supplicio.* Idem etiam decernitur humanis legibus. Nam in 12. tabulis cauetur, Ne quis fructus alienos excantassit. Cuius rei & Plinius mentionem facit, & Seneca de quæstionibus natural. leges autem non feruntur, nisi de rebus, quæ existant, & soleant euenire. *In Cod. de malefic. & Mathemat.* extant de hac re complures leges, & maximè Constantij, quem certum est in Imperio collegam habuisse Iulianum: & fortasse eius nequitia (certum enim est, Iulianum multum huiusmodi ineptiis tribuisse) illis legibus tangebatur. In illis autem legibus ita statuitur: *Si quis maleficus accesserit ad alienam domum, vt cremetur: qui deduxerit, deportetur in insulam:* vt feriantur gladio: vt abijciantur ad bestias, quasi qui velint turbare humanum genus. *In Decretis* 26. *quæstion.* 5. nihil aliud agitur. *Extra* est titulus nominatim *de sortilegis.* Tot leges nunquam fuissent latæ, nisi certò constitisset, Magos, & maleficos aliquid posse conari. Et Dauid Psal. 58. *Venenum*, inquit, *illorum tanquam venenum serpentum: sicut aspidis surdæ obturantis aures suas: quæ non exaudiet vocem incantantium, nec venefici incantantis quantumuis sapienter.* Non laudet Dauid his verbis excantationem, sed haud dubiè ostendit, esse vim quandam excantandi. Deuteronom. 8. *Si quis Propheta fecerit signa, & portenta, & velit te abducere ad Deos alienos, non parces illi: manus tua erit super eum.* Et Matthæi 24. *Venient pseudoprophetæ, & pseudochristi, & dabunt signa, vt in errorem inducantur, si fieri posset, etiam electi.* Et ad Thessal. 2. Paulus ait, aduentum Antichristi fore in potestate, & signis, & prodigiis mendacij.

Idem historiis probatur.

Historiæ quoque hoc docent, non tantum sacræ, sed etiam profanæ. In Iob diabolus deduxit ignem de cœlo, & perdidit greges. excitauit ventos, & concussit quatuor angulos domus, & filios Iob oppressit. In Euangelio multi correpti sunt à dæmonibus, & afflicti ad terram, & abiecti in ignem. Alij cum multi essent, & vnum hominem occupassent, dicebant se esse legionem, & impetrarunt, vt mitterentur in porcos: & eos egerunt præcipites in mare. In historiis Ethnicorum, simulacrum Fortunæ bis loquutum est: semel se rectè esse collocatum: Deinde se bene esse cultum. Tuccia Vestalis, vt dilueret suspicionem stupri, aquam gessit in cribro. Claudia ea de causa nauem, in qua vehebatur Bona Dea, hærentem in arena, vt nulla vi humana moueri posset, zona tantum commouit, & attraxit ad ripam. Serpens Romam vsque sequutus est Æsculapium. Plinius ait, oliuetum Vectii Marcelli transisse publicam viam: & segetes sæpe vi Magica in locum alienum demigrasse. Hæc omnia fabulosa esse dicere, hominis esset minimum impudentis: præsertim, cum huiusmodi quædam constent nobis è sacris literis. Actius Nauius nouacula dissecuit cotem. Quid multa? infinitum esset

A omnia colligere, quæ de hac re dici possent: & nos iam antea ab initio huius capitis non pauca suppeditauimus.

Et quomodo, &c.

Distributio quæstionis.

Vt autem methodum aliquam retineamus, ita hanc vim distinguemus: Aut reipsa fiunt ea, quæ videntur: aut illusione simulantur. In illis, quæ reuera ita fiunt, vt videntur, tria ascribuntur dæmonibus. Primum posse eos colligere semina, & initia rerum, ex quibus sciunt aliquid fieri posse, eáque inter se componere, & agentia cum patientibus coniungere. Deinde posse eos aliquid mouere atq; impellere. Postremò, posse etiam induere corpora, & in illis cum hominibus versari familiariter. Qua de re nos postea sequent. versus decimoquarto. Nunc quod hanc quæst. B attinet:

An reipsa quicquam dæmones efficere noverévε possint?

QVÆSTIO CXXIII.

Primum illos colligere semina rerum, eáque materiæ applicare, S. Augustinus ait, & de Ciuitat. Dei, & de Trinitate libr. 4. capit. 7. & 8. Hoc illi pacto res stupendas efficiunt, & admirabiles. Et nos quidem effecta tantum videmus: nam viam, & rationem qua fiunt, videre non possumus. Ea verò miracula, quæ aut à Deo, aut à Sanctis viris nomine Christi fiunt, nihil opus C habent huiusmodi industria. Imò ne ea quidem quæ à malis fiunt nomine & virtute Christi, indigent huiusmodi mediis. Diabolus tantum ea quærit. Et tamen in illis ipsis nihil potest, nisi quantum Deus permittat. Non enim omnia potest pro libidine. Ad hoc explicandum S. Augustinus similitudine vtitur perquã accommodata ac propria. Hominibus, inquit, malis, & noxiis, & damnatis ad metalla, videmus & ignes & malleos inseruire: non tamen vt ea illi perdant, sed vt ad aliquem vsum accommodent. Ita diabolus potest non quantum velit, sed quantum illi Deus remittit frena, & habenas permittit. Idem sentiendum est de vi illa, qua diabolus aliquid impellit, & mouet. Nam si ille sibi permitteretur, totam terram, & cœlum vniuersum conuelleret. Itaque Magi D Pharaonis, cum produxissent ranas, & aquas conuertissent in sanguinem, tamen postea hærebant in pediculis: non quod ita difficile esset producere pediculos, sed quod Deus impediret. Itaque coacti sunt exclamare, *Digitus Dei est hic.* Dicebantur illi Magi, & idcirco vtebantur huiusmodi mediis. Mosi autem nihil illis opus erat, quamuis multo maiora, & admirabiliora efficeret: non enim erat Magus: quamuis Plinius perpetuus aduersarius religionis ita putat. Nam libr. triginta capit. secundo, cum dixisset, multas esse Magiæ vias, & rationes, vnum ait genus proprium esse Iudæorum: illúdque initium habuisse à Mose, Iambre, & Iatopa. Quo in loco ego Plinium arbitror non tantum in re errasse, sed etiam in

S. August.

Secretis naturæ viribus, quæ nos latent, dæmones in patrãdis suis miraculis vtuntur.

Plinius.

Et quomodo, &c.

in nomine: & cum appellasse Iatopam, quem Paulus ad Timoth. ait fuisse Iamnem vel Mambrem: aut certè Iosephum Patriarcham, somniorum potentem intelligit.

Tertullian.

De virgis Magorum, quomodo mutatæ fuerint in serpentes, non satis conuenit inter patres. Tertullianus in libr. de Anima, Magos putat tantùm oculis illusisse. Subductas enim ex oculis fuisse virgas: & dracones suppositos: quemadmodum Poëtæ fabulantur, Iphigeniam, cùm esset immolanda, ablatam fuisse ex oculis, & eius loco subiectam fuisse ceruam. Re autem vera credibile est fuisse serpentes, quòd diaboli non nescirent, quibus initiis & seminibus serpentes fierent: quódque ea, quæ alioqui opus haberent longo tempore, possent statim efficere. Etsi enim nos vim illam seminum non videamus, inquit S. Augustinus, tamen diaboli vident. Ait enim in Epiro esse fontem, in quo faces accensæ extinguantur, extinctæ accendantur. Eius efficientiæ semina, & initia sunt in illo fonte, etsi nos illa non videamus.

Virgæ Magorum in serpentes à dæmone mutatæ sunt.

S. August.

Non tamen dicimus, diabolum ista aut creare, aut facere: sed tantum ministrum esse naturæ. Ita agricola, cum colit, & serit agrum: & vinitor, cum putat, & repastinat vitem, non creant frumenta, aut vinum: sed tantum naturam iuuant. Ita S. Augustinus ait, Iacob non produxisse colorem in ouibus, sed tantum species, & imagines rite accommodasse. Vtque à spiritualibus etiam rebus exemplum petam, Sacerdotes per seipsos aut suapte vi non iustificant impium, aut peccata condonant: sed diuinæ bonitatis ministri sunt, quorum opera Deus ista efficit. Hinc illud Ioannis, *Hic est qui baptizat.* Et illud item Pauli, *Ego plantaui, Apollo rigauit: Deus autem incrementum dedit.*

Quo pacto tam celeriter?

Mirandum tamen videtur, quomodo possint ista tam celeriter efficere. Etsi enim aut celerrima habeant corpora, aut, quod verius est, nulla, tamen ad producendam rem naturalem videtur opus esse spatio. Sed considerare vtique debemus, initia, ista rerum naturalium esse tanquam instrumenta. Ea autem habent vim aliquam natura sua: sed Magni refert, in quorum manus ea incidant. Peritus enim artifex & pulcherrimè aliquid elaborabit & celerrimè. Dato eadem instrumenta homini imperito & rudi: nec facile efficiet, nec ita pulchre. Ita dæmon aliquis, tanquam peritus artifex, plus efficiet vno momento, quàm ordine consueto naturæ fieri posset longo tempore. Principia enim illa non ponderanda sunt natura sua. Quanquam etiam natura quædam videmus subitò quodammodo fieri: vt æstiuo tempore subitò ex imbre nasci ranunculos. Sed in ea re interponitur spatium quidem, sed exiguum. Ita circumforanei isti nugones videntur comedere panem, & repentè expuere farinam: & cùm biberint vinum, illud statim è fronte media effundere. Quod si in homine esse potest tanta celeritas, & dexteritas in agendo, cur non ea multo magis tribuenda est dæmonibus? Est enim in dæmone multò maior agilitas, quàm in homine. Non ergo producunt ista ex sese dæmones. Ita enim progigneret sibi similem specie, vt homo hominem: equus equum. Dæmon autem non producit dæmonem: sed, vt dixi, accipit semina rerum, eáque accommodat materiæ, & ita res admirabiles efficit. Quousq; autem progredi possit natura rerum, difficile est iudicare.

Et quomodo, &c.

Duplex ergo diabolo impositum est frenum: primum terminus naturæ: deinde voluntas Dei. Ita diabolus importare potest pestem, famem, vlcera. Scit enim ex quibus caussis, & initiis ista fiant. Afflixit enim Iob: dedit pestes, *& immissiones per angelos malos:* & Christus ait, *diabolum alligasse filiam Abrahæ decem & octo annos.* Boni etiam Angeli interdum idem faciunt. Angelus enim Domini vna nocte strauit exercitum Sennacherib: & Dauidis tempore inuexit pestem: & Dauid ipse vidit Angelum Dei in area percutientem populum. Ea verò, quæ omnino superant naturam, qualia sunt excitare mortuos, mutare homines in bestias, tantum sunt præstigiæ: non enim reipsa hæc præstant, sed simulant.

Diabolicæ libidini frenū duplex impositum.

Iam quod ad alteram partem attinet, diabolum mouere posse quædam, & impellere, non est dubium. Nam cùm anima, quæ multò magis alligata est corpori, quàm dæmon, possit corpus mouere, & regere, multò id certè diabolus magis potest. Id satis apparet ex ignibus, & tempestatibus toties à dæmone concitatis: & ex illa naui Claudiæ, & ex messe, & ex olfueto, de quibus ante diximus. Aiunt, cum Ascanius penates Lauinio transtulisset Albam, illos vltro ad sacrarium suum rediisse Lauinium. Adhæc dæmones interdum iaciunt lapides: & illi Magi, qui videntur per aërem equitare in canna, subleuantur vi occulta dæmonum. Eadem vi Simon Magus per aërem volitabat. Apollonius ex oculis repentè euanuit, & statim Roma Puteolos appulit.

Motu secundū locū dæmones corpora mouent.

De corporibus quo pacto ea nonnunquam induant, dicemus postea sequenti vers. 14. nunc illud superest, vt qua ratione sensibus illudant, explicemus.

An fingendo dæmones sensibus illudere, nocereque possint?

QVÆSTIO CXXIV.

Sensus multis modis falli possunt. Primùm agilitate quadam, & dexteritate: quod fieri videmus ab illis, quos vulgo iaculatores vocant. Illi enim efficiunt, vt vnum aliud videatur, idque sine ope aliqua dæmonum. Deinde fallunt etiam adhibitis quibusdam rebus naturalibus, vt metallis, aut suffitu: quibus efficitur, vt conclaue videatur stratum serpentibus: aut homines videantur esse caninis, aut asininis capitibus. De istis rationibus nobis hoc tempore sermo non est.

Plures modi, per quos sensibus illudi potest.

Diabolus autem vt fallat sensus, interdum

Et quomodo, &c.

vtitur rebus existentibus in natura: videlicet, vt admisceat colores, aut formas, ac magnitudines rerum immutet. Ita enim res aliæ longè videntur esse, quàm sunt. Interdum induit aliquod corpus, & sese objicit hominum oculis. Interdum obscurat medium, vt res seipsa maior videatur, aut interponit nubem & caliginem, ne omnino videri possit. Et tale quiddam videtur esse, quod Plato commemorat de Gyge, & Virgilius de Ænea. Interdum immutat organa sensuum, & oculis sanguineos humores affundit: vt omnia videantur sanguinea. Ita ægrotis, cum lingua perfusa est bile, omnia videntur amara. Interdum perstringit aciem oculorum, & homines percutit *ἀορασίᾳ*, vt nihil videre possint: vt olim Sodomitas, cum irrumpere vellent in ædes Loth. Ita Elisæus excæcauit hostilem exercitum, cum eum abduceret in Samariam.

B

Speciebus rerum sensibili ad fallendos sensus vtitur.

Potest etiam alia via imponi sensibus. Quam vt intelligamus sciendum est, ab illis rebus, quæ sentiuntur, oriri imagines, & ad sensus qui foris excubant peruenire: postea recipi ad sensum communem: Deinde ad phantasiam penetrare: postremo illabi in memoriam, atque ibi asseruari: imprimi autem illas, & exculpi in singulis istis partibus, tanquam in cera. Cum ergo istæ imagines seu rerum simulacra à memoria reuocantur ad phantasiam, aut ad sensus, referunt secum eadem sigilla, atque ita fortiter feriunt & afficiunt, vt ea iam sentiri, & præsentia esse videantur. Potest enim vis tanta esse phantasiæ, vt Aristoteles docet *de somno & vigilia*, vt quæ longe absint, ea quispiam se certissime putet videre, & tangere. Ista accidunt vigilantibus interdum, vt arreptitiis, & phreneticis: interdum etiam dormientibus. Quod ergo naturali ratione fit, id potest etiam fieri à diabolo. Is enim potest imagines rerum à memoria reuocare ad phantasiam, aut ad sensum, atque ita hominum oculos ludificari. Idque non tantum dæmones possunt, sed etiam Angeli boni. Verisimile enim est illos insculpsisse in phantasiis Prophetarum ea, quæ Deus voluit reuelare. Sed multum interest inter Angelos bonos & malos. Cum enim aliquid imprimitur à bonis, lumen naturæ confirmatur. Cum à malis, turbatur, & confunditur. Discrimen est partim in fine, partim in rebus ipsis. Nam quod ad finem attinet, Angelus bonus homines studet recte instituere, & species adhibet puras & castas. Mali autem non docent, sed fallunt: & res objiciunt ludicras, turpes, & obscœnas. Haudquaquam tamen necesse est, vt putemus immitti à diabolo, aut ab Angelo formas recẽtes, & nouas: illi enim vtuntur præsentibus. Dormientibus nobis occurrunt insomnia. Ea Angeli modo boni, modo mali iungunt inter se, & copulant, vt illis aliquid possit significari. Non possunt vlli vi sua efficere, vt cæcus natus aliquid sentiat de coloribus: aut surdus de sonis. Huiusmodi enim imagines in illorum animis nullæ sunt.

C

De his si plura velis, Mersennũ consule in Genes. ad 25. Obiect. Atheor. ca. 32. 33 34.

Tutissima ratio vitandi dæmonũ fallacias.

Sed dubitari potest, an cum dæmones objiciunt ista simulacra, nos cogamur de illis cogitare necessario. Non coguntur vigilantes. Exercitium enim animi pendet à voluntate. Ea autem non potest cogi. Itaque tutissimum est, vt nosipsos perpetuo exerceamus, aut in Scripturis sacris, aut precibus, aut iis rebus quæ ad pietatis cultum conducunt: neque quicquam est melius, quàm vt animum assidue reuocemus ab humanis rebus ad diuinas: vt, quemadmodum Sanctus Hieronymus ait, diabolus, quoties accedit, semper nos inueniat occupatos, nec ad eos, quos seria exerceant, falsis imaginibus aditus patere possit.

De Lamiis, Empusis, & similibus, quibus à diabolo miserè ac turpiter imponitur: & quàm sæuè crudeliterque noceant.

QVÆSTIO CXXV.

Illusionibus maxime valent mulieres vetulæ, quales illæ sunt, apud Horatium Canidia, apud Iuuenalem Gratidia. Appellantur à Græcis Empusæ, Lamiæ, Mormolyciæ, Stryges. De Lamiis scribit Duris libro secundo de Rebus Lybicis. Fuisse Lamiam mulierem formosissimam, & pellicem Iouis. Id Iunonem indigne tulisse, & filium, quem ex ea Iupiter sustulerat, occidisse, & eam turpissimum in modum deformasse. Illam autem impatientem tantæ iniuriæ primum cœpisse furere, deinde etiam liberos alienos trucidare. Esse autem hoc genus mulierum in Lybia in sinu maris arenosi: & naufragos homines hærentes forte in Syrtibus statim ab illis deuorari. Hieremias in Threnis capit. 4. ait *Lamias discooperuisse mammas suas*: habent enim pulcherrimas. Quanquam Hebraice habetur לִילִית *lilith*: de qua voce Rabini multa nugantur.

Duris.

Fabula Lamiarum.

De Empusis, Lamiis, & Mormolyciis scribit Philostratus in vita Apollonij Tyanæi, libro quarto, capit. octauo. Nam cum iuuenis quidam Menippus à muliere, vt quidem illi videbatur, pulcherrima, & ditissima inuitatus fuisset ad matrimonium, & iam eius amore ita arderet, vt eam omninò vellet vxorem ducere, Apollonius adhibitus ad cœnam nuptialem, statim intellexit fraudem: & ἡ χρηστὴ, ait, νύμφη, μία τῶν ἐμπουσῶν ἐστι, ἃς λαμίας τε, καὶ μορμολυκίας οἱ πολλοὶ ἡγοῦνται. ἐρῶσι δ' αὗται καὶ ἀφροδισίων μὲν, σαρκῶν δὲ καὶ μάλιστα ἀνθρωπείων ἐρῶσι, καὶ πάλλουσι τοῖς ἀφροδισίοις, οὓς ἂν ἐθέλωσι δαίσασθαι. i. Bona hæc sponsa, vna est ex numero Lamiarum, quas aliqui laruas, aliqui lemures appellant. Sunt autem ad amorem & Venerem pronæ, & humanas carnes vehementer expetunt: venereorum cupidine incendunt eos, quos cupiunt postea deuorare. At illa hæc audiens, Age, inquit, meliora loquere: & in nugas Philosophorum inuecta est. Verùm vbi aurea pocula, & quod videbatur argentum, inania euanuere ex oculis, pincernæque & coqui, ac reliqua familia ab Apollonio conuicta disparuit: Lamia lacrymanti similis rogabat

Philostrat. Apollonij Magi & Empusæ collusio.

D

ET QVOMODO, &c.

rogabat Apollonium, ne se torqueret, néve quid esset fateri cogeret. Cúmque ille acriter instaret, neque eam se dimissurum assereret, tandem sese Lamia confessa est, vt voluisse Menippum voluptatibus explere, & eius postea corpus deuoraret. Τὰ γὰρ καλὰ τῶν σωμάτων, καὶ νέα, σιτεῖσθαι ἐνόμιζεν, ἐπειδὴ ἀκραιφνὲς αὐτοῖς τὸ αἷμα. Consueuisse enim pulchorum & iuuenum hominum corporibus vesci, vbi ad summam sanguinis abundantiam peruenissent. Hæc illa apud Philostratum, quam Magam fuisse non dubito.

Magi & sagæ in venerem procliues.

Cæterum, quicunque viri ac mulieres hanc sectam sequuntur, libidinis æstum non ferentes, sese in stupra & flagitia ingurgitant. Itaque Satyri dicuntur à sati, hoc est, à pudendo membro, & Incubi, & Succubi, & Ephialtes ab insiliendo. Quanquam apud Medicos Ephialtes morbus est, quem nonnulli, sed imperfecte, ita definiunt: Τὴν εἰς κεφαλὴν ἀναφέρουσαν ἀναθυμίασιν ἐξ ἀδδηφαγίας καὶ ἀπεψίας, hoc est, vaporum in caput discursum ex nimio cibo & cruditate. Themison verò à suffocatione πνιγαλίωνα appellauit. Nonnulli πνίγμονα. Insidiatur scilicet dormientibus non humor, sed crassus & frigidus vapor, vt scribit Posidonius, qui vbi priores maxime cerebri ventriculos, phantasiæ sedem, oppleuerit, ne spiritus animales per neruos magna ex parte ferantur, prohibet, statimq; sequitur leuis apoplexia, cui, si diutius & frequentius incubet, præludere solet, sicut & epilepsiæ. Sed nos de morbo nunc non loquimur. De incubis & succubis multa sanctus Augustinus cum alibi, tum præsertim in libr. de Ciuitat. Dei. Erant gentes quæ origines suas ad illos referrent. Et Poetæ faciunt Deos suos lasciuos, & petulantes, quique interdum cum hominibus congrederentur. Sagæ autem mulieres, & viri malefici, vt istos spiritus ad se inuitarent, solebant se perungere vnguento quodam soporifero, deinde se conijcere in lectum: vbi ita profundè dormiebant, vt nec aciculis, nec ignibus possent expergefieri. Interim diaboli illis ita dormientibus multa proponebant ludicra conuiuia, choreas, & omne genus voluptatum. Nec tamen obstat, cum tantæ sint vires dæmonum, quantas antea descripsimus, quin homines interdum tollere possint, atque auferre in nemora, ibiq; illis huiusmodi spectacula exhibere. Nam Simon Magus per aërem volare potuit: Sed ad preces Petri repentè ex alto corruit. Cardinalis de Turri Cremata in *Decret. 26. quæstion. 5. ca. Episcopi*, ait vtrumque posse fieri. Accidit autem aliquando vt quidam, qui harum rerum studio impendio tenebatur, repentè abductus domo sisteretur in loco amœnissimo: vbi cum totam noctem spectasset choreas, & indulsisset epulis, manè cùm illa omnia disparuissent, videt se hærere in spinis, inter densissimas vepres: & quamuis antea visus sibi fuisset comedere, tamen tum miser cruciabatur fame. Nunc plerunque, vt pluribus indiciis conuinci potest, sagæ ad sua, vt vocant, sabbatha conuolant, aut si non procul designatus iaceat locus, eò se pedibus conferunt, & reipsa choros ducunt, & conuiuia aliàs quidem lauta & opipara, aliàs sordida turpiter exercent.

Ἐφιάλτης quid Medicis.

Sagis dormientibus dæmon illudit.

Reipsa tamen quandoque transferuntur, & choreas agitant.

A

Nec porrò tantùm ad libidinem mouentur, sed etiam ad crudelitatem. Specie enim catorum, aut canum ingrediuntur in ædes, occidunt, aut exuunt pueros. Itaque Horatius ait,

Aut pransæ Lamiæ viuum puerum extrahat aluo.

Sagarum sæuitia.

B

Potest ergo diabolus vel hominibus profundè dormientibus ita illudere: vel corpus aliquod induere, & ista efficere. Quanquam nocere non potest, nisi quantum Deus permittit. Permittit autem interdum ob graue parentum peccatum occidi liberos. Quidam eò crudelitatis adducuntur, vt occidant pueros, quod sperent ea ratione seruos sibi parare posse. Putant enim animas illorum euasuras in dæmones, & sibi obsequuturas. Ita in Itinerario Clementis legitur, Simonem Magum interfecisse homines, & illorum animis, vt quidem rebatur, vsum esse pro seruis; cum dæmones potius eorum nomine inseruirent.

Fraus alia nocentior.

C

Interdum diaboli apparent velut gygantes, séque bellorum potentes iactitant, & terrorem incutiunt. Nec mirum. Possunt enim fingere sibi corpora ex aëre, & hominum sensibus illudere. Possunt excitare tempestates, & omnia vastare: quod Iobum Patriarcham aliquando expertum legimus. Et in Apocalypsi potestas datur spiritibus perdendi segetes, & arbores. Repressi tamen sunt posteà, quo minus nocerent. Aiunt Lapones quosdam in Noruegia magnam habere consuetudinem cum dæmonibus. Cúmque habeant tres nodos in barba, si vnum dissoluant, sequi magnam tempestatem in mari: si alterum, fluctus iactari multò adhuc vehementius: si tertium, cœlum terrásque misceri, & certissimum impendere naufragium. Sanctus Augustinus libr. decimo octauo de Ciuitat. Dei, capit. nono, cum commemorasset fabulam illam, fuisse aliquando controuersiam, Palláśne an Neptunus imponeret nomen ciuitati Athenarum, & quod cum viri pro Neptuno, mulieres pro Pallade sua stetissent, mulieres vno suffragio vicerint: Neptunúsque iratus impulerit vndas vehementius, & magnam partem agri Attici submerserit: hæc inquam, cum commemorasset, addidit, diabolum potuisse ita facere. Posse enim eum modo incitare fluctus, modo reprimere. Tempus me deficeret, si vellem commemorare omnia. Satis sit ita strictim genera ipsa attigisse.

Dæmon in assumpto corpore pluribus imponit.

S. August.

D

ET QVOMODO, &c.

Quæritur quàm probabiliter ac certa ratione stupenda Magorum opera dæmonibus ascribamus, cùm possint, vt pleris que visum est, in causas naturales referri.

QVÆSTIO CXXVI.

TAmetsi nonnulli negent, ac præsertim Gentiles, ea quæ de Magis narrantur, & vt videtur naturæ vim superant, dæmonibus conuenienter adscribi; quod ea quæ non communiter ac publicè accidunt, sed tantum modo ab hoc modo ab illo nunciantur, non possint scire nisi ex hypothesi, si forte vera sint quæ referuntur: quoniam tamen impudentiæ vitio carere non posset, si quis ea quæ à tot Historicis, & bonæ fidei authoribus mandata sunt literis, inficiaretur, idcirco diuersi diuersas rationes inuenerunt, quibus expedire se atque explicare possent. Dicunt enim alias esse posse causas, vt nequaquam ad ea necessaria dæmonum opera videatur. Et multas quidem comminiscuntur, quibus credi possit natura communis vinci, & res admirabiles ac stupendas effici. Vires enim rerum occultas esse, & ignorari à vulgo: à doctis autem & exercitatis tantum intelligi. Nam in magnete, inquiunt, rusticus & ignarus mirabitur, rem stupidam & hebetem posse ferrum attrahere, & clamabit, opus esse Magicum. Deinde addunt, hominem summum esse inter res mundanas, & ex vi quadam, & proprietate indiuiduali sæpe mira quædam ex se fundere: quale illud est, quod Vespasianus sputo curauit cæcum: & contactu pedis restituit claudum. Adhæc addunt, tantam esse vim phantasiæ, vt concutiat sæpè, & tremefaciat totum corpus, & immutet vel ad frigus, vel ad calorem, vt in timore & iracundia fieri consueuit. Et Auicenna ait, si quis in sublimi trabe ambulet, eum facilè corruere, quod phantasia grauiter moueatur, & ille se putet omnino casurum, ac ideo titubet & labascat. Nec tantum nostrum ipsorum corpus huiusmodi phantasiæ commouent, sed etiam alienum. Ita enim veneficæ mulieres inficiunt eos, quos fixis oculis contuentur. Quare, inquit, cum ista naturalibus rationibus possint fieri, nihil opus est dæmonibus.

Quod causis naturalibus intelligi possit Magorum opera fieri.

Addunt præterea, omnia ista quæ videmus accidere stupenda, & mirabilia, reuocari posse ad corpora cœlestia: Deum enim & intelligentias posse ista efficere: non tamen sine aliquo medio, sed per cœlestes sphæras, & sydera. Itaque nihil opus esse dæmonibus. Quædam tamen fatentur esse, quæ non possint vlla naturali ratione constare: qualia sunt, excitare mortuos, & plura eius generis. Sed ea quoque si vrgeas, respondebunt esse fabulosa, πλάσματα, ab hominibus sapientibus conficta.

Aliæ causæ rursum afferuntur.

Plato enim in Republic. ait, publici alicuius commodi causa licere mentiri. Alij ista referunt ad humores humani corporis, & præsertim ad μελαγχολίαν. Aristoteles enim in Problematis section. triginta, ait Sybillas, & Imperatores præstantes, & magnos Philosophos, fuisse melancholicos. Et addunt fuisse quosdam, qui ita affecti loquuti sint repente multis linguis, quas nunquam didicerant: eósque postea curatos à Medicis ita loqui desiisse. Hæc illi. Mercurius Trismegistus, vt refert Sanctus Augustinus de Ciuitat. Dei libr. octauo capit. vigesimotertio, negat, vllos reuera esse dæmonas. Ait enim Deum fecisse Deos, & mentes à materia secretas, à quibus incitantur orbes: Deinde homines sibi quoque fecisse Deos. Respondet Asclepius, Puto te statuas dicere. Est ita, inquit Mercurius. Sed statuas intelligo ita ad quosdam aspectus syderum accommodatas, vt loqui possint, & homines sanare, & morbis affligere, & miracula edere: quæque sint animo, sensu, & spiritu præditæ. Alexander Aphrodisæus ait, vim quandam diuinam fusam esse per vniuersum, quæ possit omnia efficere: sed eam oportere prudenter contrahi ad effecta singularia. Vt enim videmus accidere in Sole, vt, quamuis eius calor sit communis vita rerum omnium, tamen ex eo variè accommodato alia, atque alia effecta producantur: (nam ex vite vuam procreat, ex arbore poma) ita, si vis illa diffusa, ab hominibus sapientibus per herbas, & lapides conuenienter contrahatur, effecta sequentur admirabilia, & quæ naturæ vim atque potentiam hominum iudicio exuperent. Sed illi quidem hactenus: nos vero deinceps obiectas ab illis rationes diluamus.

S. August. Trismegist. negat esse dæmonas.

Possunt, inquiunt, quæ de Magis prædicantur, fieri ex causis naturalibus. Fateor equidem, causas naturales sæpe magnas esse, & reconditas, & multa portentosa efficere: Sed hæc effecta, quæ nos dicimus, statuas loqui, & responsa dare, & voces humanas distinctas edere, futura etiam prædicere, eáque non quæuis, sed retrusa atque abdita, hominem rudem & imperitum repente didicisse artes, & scientias, Græce, Hebraice, Syriace loqui, & Philosophorum ac Poëtarum sententias citare, qui nec linguas eas didicerit, nec Poëtas aut Philosophos attigerit, ambulare inuisibilem, res procul positas commouere, funalem longe dissitum extinguere, procellas tempestatésque ciere, solo verbo figurísve aut characteribus, quæ suapte natura nihil conferant: quibus velint perniciem creare, terrere spectris, manes elicere, sublimes in aëre ferri; ista, inquam, maiora sunt quàm vt ea naturæ vis aut artis vlla facultas præstare possit. Quinetiam Magi, qui ista faciunt, adhibent preces, incantationes, adiurationes, imperia: in quibus certe nulla est vis efficiendi naturalis: adhibent etiam lineas, characteres, & circulos: quæ sunt in genere quantitatis. At quanta à Philosophis nunquam numerata sunt inter agentia. Temperatura corporis humani magnas habet vires: fateor: at non tantas, &c

Opera ipsa plerię; dæmoné præsentem arguunt.

ET QVOMODO, &c.

Confutantur reliqua argumēta.

& oporteret adhiberi contactum. Imaginatio multum potest. Est ita: sed in suo cuiusque corpore. At ne in suo quidem corpore quisquam, quantumuislicet phantasiæ neruos intendat, potest omnia. Nam si cui brachium aruerit, & nerui ita contracti sint, vt per eos Spiritus permeare non possit, adhibeat quàm velit magnam imaginationem, illud non curabit. De fascino ita non est ita mirum. Nam in vetulis mulieribus humores corrupti desident. Illi reuocati ad oculos facilè obuios inficiunt, præsertim pueros, & infantes, quorum corpora sunt quodammodo cerea. Sed sunt alia quæ vim omnem fascinorum superant: vt cùm sagæ absentes nullo manifesto contactu cruciant; cùm Magi Pharaonis admiranda metamorphosi aquam quidem fluminis cum cruore, virgas autem suas cum lentis colubris commutarunt: cùm Vespasianus sputo cœcum, claudum pedis ictu temerario pristinæ valetudini restituit. Si tamen quisquam vera esse putet quæ de eo narrantur. Apparet siquidem odio Christianæ religionis, quæ tum miraculis omnium sibi fauorem conciliabat, ea falsò conficta esse. Quæ, vt vera esse demus, quamobrem naturæ nostræ dignitati tribuant planè non video. Nam quî factum dicemus vt is solus, & quidem semel, tantum potuerit? An si qua naturæ prærogatiua est, non debuit illi cum reliquis esse communis? Cur itaque non item plerique alij? Cur idem ipse non alias? Quippe insita vi hoc fecit, aut arte atque industria. Si priore modo, perpetua esse debuit: sin posteriori, cedo quibus pharmacis vsus sit, vt quantum natura valeat nos quoque periclitemur. Sed hoc negant historici: & vt dæmonis figmentum esse intelligas, vt id ab eo peterent, per quietem docent fuisse admonitos. An fortè Vespasianus hoc quoque illis præstitit? Quinimo idem fictæ curationis, qui & insomnij habendus est artifex.

At illud quam inane & friuolum quod obijciunt, Deum & intelligentias omnia posse: horum autem vires per orbium cœlestium canales ad nos deriuari. Nam si ita est, cur rara sunt miracula? quid Magis arte opus est? quid lapillis, suffitu, radiculis: quid varij generis typis & characteribus? An sine his numen explicare radios suos non poterit? Quid illud, quod cùm ne ista quidem per se quicquam promoueant, non Deum aut intelligentias inuocant, sed dæmonibus sacrificant? quos cùm illi horrendis carminibus elicuerint, præsto adsunt, non rarò aspectabiles, & quæ rogantur aut mentiuntur, aut præstant. Quæ non pauci neque vulgares vsu tractandóque cognouere ea si negare pergas, communis sensus expers videbere. Verum quidem est cœlorum ministerio ac famulatu perferri ad nos pleraque Dei beneficia, & per eosdem lapillis, radicibúsque occultas vires infundi: sed ea vt Magi nouerint, & ad ea applicent, ad quæ conterunt, dæmonum beneficio consequuntur. Neque enim complura horum suo marte explorarunt. Neque porrò pars maxima vera

A sunt, quæ illis ascribuntur. Nam cùm eadem quilibet alius nactus erit, si tentet vti, frustrà conabitur. Pleraque enim per seipsum dæmon efficit, aut adhibet, cùm celeri motu vigeat, & ocyus in omnem partē feratur. Ossicula autem figurásque & portenta verborum, quibus habere se fidem simulat, tanquam fœderis symbola iubet admoueri.

Quid cùm ipsi dæmones manes mentiuntur, & eorum nomine apparent? quid cùm homines per aëra sublimes vehunt, ac pene nubibus inferunt? an ne tum quidem opera dæmonum hæc fieri cócedemus? Respondent ista esse tantùm πλάσματα quædam, excogitata à viris prudentibus, quibus populus contineretur in officio. Verùm nos scimus nihil esse fictum aut commentitium in Scriptu-

B ris. Illæ enim *sunt columna & firmamentum veritatis.*

Negatur pleraque Magorum opera melancholeæ posse ascribi.

At humores in humano corpore multum possunt, & veteres θεῖόν τι melancholiæ tribuerunt, & obseruat Auicenna ab ijs, qui eo morbo laborant, multa patrari, quæ vulgus dæmonibus ascribat. Hæc illi. Quantum porrò μελαγχολικὸς χυμὸς differat ἀπὸ τῆς μελαίνης χολῆς, tradunt Medici: nec dubito qui hæc obijciunt de posteriore loqui, quæ species quædam est τῆς παραφροσύνης, & à Medicis definitur *desipientia sine febre, timorem & mæstitiam sine causa inducens.* Ea verò nonnunquam toto corpore spargitur, nonnunquam solis hypochondrijs insidet, aliàs cerebrum occupat: estque

Melancholiæ plures species.

ea sæuior & contumax, & remedia plerun-

C que spernit. Febre autem caret tantisper dum is humor frigidus & siccus manet. quod si flauæ bilis illum flamma corripiat, febre incenditur, nec iam μελαγχολία, sed μελαγχολικὴ ἔκστασις, hoc est ἀγρία καὶ θηριώδης, nuncupatur. Vtraque porrò phantasiæ tenebras offundit: & cùm simulacra rerum, quæ in eadem insita sunt, temerè inter se commiscitat, non leues tragœdias excitat. Vnde postea sequitur, vt non illa modo imaginandi vim perturbet, sed ipsam quoque deinceps mentem de statu ac sede dimoueat. Quod vbi contigit, & nulla iam ratio aut pudor naturam cohibet: tum illa vires quàm longè latéque porrigi possunt, exerit, & multa tentat & audet quæ sani mirentur: sed nihil horum corporis vires superat.

Feruntur tamen nonnulli, quos melancho-

D lia peruaserit, insolita atque inaudita spectacula iactare, quæ oculis vsurpare se dictitent. Respondeo concussa phantasia imagines inter se conferri atque componi, ex quibus ea quæ se videre prædicant, oriantur. At præterea complura latentia produnt, & nonnulla quæ post futura sint, longe antè denunciāt. Ad hæc respondet doctissimus Laurentius Medicus De Morbis Melancholicis cap. 6. de perturbationibus melancholicis, & insomnijs, pariter sentiendum esse. Vt enim quædam somnia natura generat seu temperamentum corporis, quædam mores nostri, & quæcunque per diem vehemens animi perturbatio nos exercuerit, quædam etiam dæmon immittit: nam quæcunque neque naturæ, neque moribus accepta

Laurentius.

Non pauca melancholiæ symptomata dæmonem autorem habent.

referri possunt, ea supernaturalibus causis ascribenda sunt: ita & melancholiæ symptomata quæcunque neque corporis facultatibus, neque quæsitis artibus, aut moribus tribui possunt, sciendum est dæmonis fraude atque malitia importari. Doctrinam hâc infelix Saul exemplo suo comprobat, quem suprà legimus, cùm atra bile percitus fureret, à dæmone exagitatum in media domo sua prophetasse.

Ridicula Trismegisti doctrina contemnitur.

Trismegistus ait, inquiunt, homines facere sibi deos, statuas videlicet ita factas, & accommodatas ad aspectus cœli, vt loqui possint, & reddere oracula. Atqui stultum est, putare hominem posse sibi deos facere: & si possunt, cur se illis subdunt, & subijciunt? Cur illos adorant, quos fecerunt ipsi. Ridiculum enim est, putare causam inferiorem esse effectu suo. Hoc pulchrè ridet, & exagitat Esaias. *Homo*, inquit, *accipit lignum, & ex altera parte calfacit se, & coquit sibi panem: ex altera fabricatur sibi Deum.* Sed loqui possunt, & edere oracula. Imò Dauid multò verius ait, *Oculos habent, & non vident: aures habent, & non audiunt: os habent, & non loquuntur.* Et si possunt facere Deos, cur non seipsos potius Deos faciunt? Hoc enim certè multò esset consultius, ex seipsis potius deos facere, quàm ex lapidibus & truncis. Deinde si sunt dij, cur seipsos non defendunt? Illa enim idola iamdudum disiecta & ablata sunt. At si essent dij, seipsos haud dubiè defenderent & iniuriam publicè illatam vlciscerentur. Postremò, vt verum sit, quod Aphrodisæus obijciebat, esse communem quandam vim longè latéque diffusam, quæ per proprietates rerum, quales sunt herbæ, lapides, metalla, ad singula sit contrahenda, attamen nihil tale potest repentè fieri: nam opera naturæ sunt successiua. Deinde quæ arte fiunt ab hominibus, cùm pluribus egeant cum rebus tum actionibus, videntur cito ab illis absolui non posse: At Magi quod cupias, statim plerunque effectum dant. Denique, ne dum singula perscrutor longius moram protraham, non pauca eorum opera apparent, quæ nulla ars, nulla naturæ facultas efficere possit; vt cùm sublimes in aëre feruntur, & breui tempore amplissimas regiones collustrant, & quæ in ijs geruntur certò renunciant.

Aphrodisæo respōd.

Ex his omnibus manifestè colligimus, Magos & Ariolos in edendis oraculis, patrandisque maleficijs, opera dæmonum abuti. Quo pacto Iudices, quod primo loco obijciebant, nequaquam deinceps poterunt excusationis loco prætexere. Grauior & probabilior posterior illa excusatio est, qua negabant priuatim eius criminis quenquam cōuinci posse. Verùm nos illi dudum obiectioni satisfecimus, cùm versu tertio præced. doceremus, Iudices Lamiarum crimen, quantum satis esset ad ferendam sententiam, humana arte atque ingenio explorare posse. Quamobrem nunc illud denique superesse videtur quod inquiramus, nimirum,

A

Quàm graui scelere se obstringant Iudices, qui, cùm possint, in Magos & Ariolos non animaduertunt.

QVÆSTIO CXXVII.

Spectanda est, aiebam, ratio quam sequantur. Nam si idcirco delatis indulgeant, & eos suppliciorum metu absoluant, quòd Magos esse negent, qui dæmonum opera abutantur: id si pertinaciter faciant, manifestè fidem negarunt, & nefariæ hæresis rei tenentur.

Sin Magos quidem esse fatentur, sed argui posse desperant, atque adeò de ijsdem habere quæstionem nolunt, cùm præscriptas à lege
B formulas sequi teneantur, & sapientum consilijs morem gerere, si contempserint, neglecti officij excusari non poterunt. Quòd si autem desertæ prouinciæ spretíq. muneris damnentur, quo pacto eius damni, quod eorum negligentia dederit, absolui poterunt? quanti cuiusque intererit eos officium fecisse, seu potius eos officium non fecisse, tantumdem singulis obnoxijs manebunt.

Iudices damnū, quod eorum negligentia dederit, sarcire debere.

Atqui iniuriam hanc trifariam expendere possumus. Nam aut Deus ipse contumelia afficitur, aut ipsi sibi malum conciunt, aut alijs perniciem parant. Quod primum est, Numinis ipsius maiestatem attendamus quàm turpiter & proteruè violent. In primis enim Dei leges 1.
& scita contemnunt, imperium detrectant,
C pacta rescindunt; quicquid autem cum sanctissimis eius institutis ac voluntate pugnat, quo
ipsi ægrè faciant, cupidè amplectuntur. Secun- 2.
dò, quô eundem insolentius lacessere videantur, cum ipsius hoste infensissimo societatem coeunt, choros ducunt, nocturnas comessationes & antelucana conuiuia agitant: quicquid iusserit, ex animo se facturos pollicentur, & se
perpetuò iurant in eius potestate futuros. Ter- 3.
tiò, prorsus à fide deficiunt, & Christianæ religioni, quam à principio complexi erant, nuntium remittunt: negant se deinceps Scripturis fidem habituros, aut vllis Ecclesiæ decretis in
posterum obtemperaturos. Quartò, Baptismi, 4.
quo tincti erant, gratiam repudiāt, & diuinum illum characterem, per quem à Deo adoptati sunt, anabaptismo conantur inducere: reliqua
D item Sacramenta, quoad possunt, sacrilegè polluunt, & rebus sacris ad concinnanda maleficia
abutūtur. Quintò, Deum ipsum, quem amare, 5.
quem colere debuerant, acerbè & penitus oderunt, idque palàm conceptis verbis in nocturna illa concione profitentur, spondéntque sese manibus pedibúsque obnixè omnia facturos, quo eius gloriæ detrahant, & illi suísue cultoribus incōmodent. Sextò, reipsa summā illam
bonitatem conuitijs probrisq; lacerant, & eius 6.
apud quos se tutò posse confidunt, fidē eleuant, beneficia calumniātur; diabolum contra hymnis celebrant, & longè meliorē potentiorémq;
prædicant. Denique, quod capút malorum est, 7.
diabolum ipsum festis diebus ac ritibus colunt, vt numen adorant, sacrificio impertiunt, victimis

Quantis sceleribus Magi Deū violent.

Et quomodo, &c.

victimis etiam non rarò humanis, atque adeò
pignorum suorum mactatione dignantur.

Hæc sunt itaque summa scelerum fastigia, quibus cœci illi & amentes diuinam Maiestatem suo solio eruere ac deturbare conantur, & dæmonum imperium statuere, cui se perperam miseros addixerunt. Nam auspicantur ab inobedientia, statim verò ad proditionē deflectūt, quā mox sequitur defectio siue apostasia, quam multiplex sacrilegium confirmat, Numinis odium corroborat, obtrectatio & blasphemia tuentur. Dehinc bellum cum Deo palàm suscipitur, fœdus autem cum dæmone percutitur, quod humano plerunq; sanguine sancit turpis & degener idololatria. Quæ portenta flagitiorū si quis lentè segniter vindicanda censeat, non ille quidem præposteram illam suam lentitudinem nobis probabit, sed hoc potius efficiet, vt alieno animo à Deo esse videatur. Neque enim verisimile est quenquam qui Deum præ se diligat, séque totum eius gloriæ debere sentiat, tantam Numinis iniuriam patienter dissimulare posse. Verùm vt absit paris nequitiæ suspicio, nec ad iudicem conscientiæ contagio pertineat, proditor tamen audiat necesse est, qui cùm possit, Dominum ac imperatorem suum clandestinis appetitum insidijs non defendit. Quinimò vt scelerum omnium quæ non coërcet, sed dissimulando fouet & alit, correus & particeps habendus est. Tametsi enim eandem per se maculam non contraxit, nec stygiorum maleficiorum labe pollutus est, quia tamen tulit, ansam dedit ac probasse videtur. Iam verò qui maleficium probarit, religiosus & innocēs haberi qui poterit? Accedit postremò quo Magis sceleratior haberi debeat, quòd cùm à Deo institutus sit qui improbitatem & flagitia cohibeat, idem præterea fidem fallat, & diuinæ iustitiæ seueritatem ad malorum dæmonum arbitrium & libidinem inflectat.

Teterrimus Iudex habendus est, qui dæmonum imperium dissimulando fouet & promouet.

Magi quàm malè sibi consulant.

Sed iam ipsi quàm immaniter & acerbè in
seipsos sæuiant, exploremus. Nam eorundem
corporibus primùm à dæmone suus character
1. imprimitur, & hāc iniuriam pectore, humero,
2. genu, renibusúe accipiunt. Dolores deinde varios tolerant, quibus ab ipso, dum parcius no-
3. cent, asperè multantur. Non rarò præterea discrimen capitis adeunt, dū eius iussis impensius
4. obsequi studēt. De maleficio suspecti, honoris
iacturam faciunt, & statim apud omnes malè D
5. audiunt. Amicitias, quibus nihil est in vita iucundius, ars impia nō tam sensim dissuit, quàm
repente præcidit. quis enim putet huic se totò
credere posse, qui parere dæmoni paratus sit?
6. Incubum deinde succubumúe alterna venere
patiuntur, qua turpitudine atque ignominia
7. nulla maior esse potest. De vita quoque cum
infensissimo hoste paciscuntur, & eidem vitæ
necisque suæ potestatem tribuunt. Adde his,
8. quod ab eo plerunque in rabiem acti, lupi euadunt, & in hominum cæde bacchantur, séque
9. in humanas carnes ingurgitant. Nec hactenus
vitæ labentis infelicitate contēti, eandem cum
dæmone sortem æternùm experturos se Magi
10. recipiunt. Itaque postremò regni cœlestis spe
se abdicant, & quicquid illis Sacramentorum

A vsu iuris olim comparatum est, huic ipsi renuntiant, inferorum teterrimas sedes, vinclaque tormentorum, Numinis odio, paradisi delicijs anteferētes. Qui furor atque vecordia tametsi solis ipsis officere, nulli præterea fraudi esse videatur, nequaquam tamen propterea è reis eximendi sunt, cùm vel sic maximè Deum, Ecclesiam, atque Rempublicam offendant, quibus se sanos & incolumes, & disciplinæ ac beatitatis capaces perpetuò præstare debent.

Et quomodo, &c.

Malū quod sibi conciunt legibus vindicādum est, cùm sint ipsi dei quidem serui, mēbra autē Ecclesię, ac Reipub.

Quantis malis proximos vexent.

Illa denique scelera grauissima sunt, quibus
Magi proximos oppugnant. Plura silentio
obruam, præcipuas duntaxat species commemorabo. Frugibus primùm insidiantur, & segetes, oliueta, vineas, aut adurunt gelu, aut
grandine quatefaciūt, cælestiue igne populan- 1.
tur. Gregibus deinde atque armentis pestem
B inferunt, & cladem moliuntur. Adhæc, si forte 2.
matrimonio iuncti sint, fidem violant, & adul-
terio polluuntur. Postea captant infantulos, 3.
qui in cunis vagiunt, & eos maximè quos nec- 4.
dum Baptismi religio piauit: quos aut statim rapiant, aut lento sensim morbo conficiāt. Adul-
tos quoque varijs morbis atterunt, & acutissi- 5.
mis doloribus vexant. Non paucos præterea
venenis extingunt, quos nulla possis arte iuua-
re, cùm Medici languoris causam ignorent. Se- 6.
quitur sepulcrorum violatio, vt conditis cada-
ueribus ad maleficia abutantur. Quid deinceps 7.
νεκρομαντείας, quid Anthropophagiam commemorem, per quas ipsi in homines viuos inuadunt, & iugulatorum carnibus affatim vescuntur? Atrocior & immanior illa superstitio est,
quæ Sagæ nouella sua pignora, corpora & 8.
C animas diabolo offerunt, & eosdem sibi pro-
prios & addictos habere iubēt. Denique, quod 9.
caput omnium malorum est, quoscunque possint student sectæ suæ deprauatione inficere, idque perinde vt data fide spoponderunt, gnauiter & impigrè perficiunt.

Hæc omnia Magi & Lamiæ cùm in se admittant, seq; stupris omnibus atque flagitijs contaminent, quis putet sine scelere supplicio eximi posse? Fouet maleficiū quisquis cùm possit non cohibet, & alit impietatem quam non reprimit. Quicunque Iudex Magos non coërcet, nec diabolicas artes vlciscitur, is profectò Numinis contemptor habendus est, pestis religionis, & patriæ proditor: hic neque Deum colit, neque regem obseruat, aut leges timet, Ecclesiamue reueretur.* Petrus Anchoranus, cuius labor seriùs in meas manus incidit Tractat. 10. de Incredul. Iudic. hanc laudat externi cuiusdam Principis sententiam, *Pœnam penitus auferre, vel quem Deus ferit non ferire, non modo non liceat, sed par omnino sit flagitium, cum Saulis in Agagum lenitate. Et eo scelere se obstringit, quo cæteros liberat: & dum prauo crimen iudicio tegit, eiusdem criminis se, & iudicem facit & reum.*] Eandem ego quoque meo calculo comprobo.

Non possūt tot maleficiorum rei absque scelere supplicio eximi.

Petrus Anchoranus.

Sed & illud censet præterea idem Anchoranus, ibidem num. 19. quantum quisque damni fecerit magorum perfidiâ, tantundem Iudices, qui in eosdem non animaduerterint, sarcire debere. Nec dubito in hanc quoque des-

ET QVOMODO, &c.

cendere sententiam, siquidem scelus legum subsidio deprehendi potuerit. ipse verò tradita nobis à iure remedia spreuerit, aut, quod longè deterius est, ne his quidem, de quibus iam toties ab Ecclesia iudicatú est, fidem habuerit.

De Saulis iuramento.

De iuramento cùm frequens nobis antea tractatus fuerit, dicere supersedemus, ne eodem identidem reuoluamur. Certum est autem & liquet luce ipsa clarius, rem nefandam diuini nominis attestatione firmari non posse. Quare ne teneri quidem illo Sacramento potuit, aut impediri quominus Magam pœnæ subijceret. quinimò tum deliquisse grauissimè censendus est, cùm specie religionis eidem pepercit. Hîc itaque bifariam lapsus est, & duplici nomine in Dei offensionem incurrit. Nam primò spōsionis illicitæ, quod nefas est, Deum testem ac vindicem adhibuit: deinde falso quodam pietatis prætextu, ac conficta Numinis reuerentia, eiusdem leges ac decreta violauit.

VERSVS XI.

Dixitque ei mulier: Quem suscitabo tibi? Qui ait: Samuelem mihi suscita.

VERSVS XII.

Cùm autem vidisset mulier Samuelem, exclamauit voce magna, & dixit ad Saul: Quare imposuisti mihi? Tu es enim Saul.

VERSVS XIII.

Dixitque ei rex: Noli timere: quid vidisti? Et ait mulier ad Saul: Deos vidi ascendentes de terra.

VERSVS XIV.

Dixitque ei: Qualis est forma eius? Quæ ait: Vir senex ascendit, & ipse amictus est pallio. Et intellexit Saul quòd Samuel esset, & inclinauit se super faciem suam in terra, & adorauit.

Variæ trāslationes.

SEptuag. Τίνα ἀναγάγω σοι; *Quem reducam tibi?* &c. *ipsum Samuelem.* Hebr. *Quem faciam tibi ascendere?* Alij, *Quem euocabo tibi?* Versu 12. Hebraicè absolutè, *Et vidit mulier Samuelem.*] Sic quoque Chaldæus, Pagninus, Vatablus. Aldina quoque & Rom. edit. Lxx. Interpr. Καὶ εἶδεν ἡ γυνὴ τὸν Σαμουήλ, *Et vidit mulier ipsum Samuel.* Complut. autem, καὶ εἶπεν ἡ γυνή, τὸν Σαμουήλ; *Et dixit mulier, ipsum Samuelem? &c. Samuelem.* Vatablus, spectrum, siue similitudinem Samuelis: negant siquidem Hebræi Samuelem verè suscitatum fuisse. Alius, spectrum diabolicum specie Samuelis. *Tu es enim Saul.*] Quidam, quod dedicerat à diabolo quem euocauerat. Alter in Annot. Sed quomodo cognouit eum esse Saul? Respondent Hebræi, quòd Samuel A vocatus per pythonem, ascenderit capite sursum erecto, cùm cæteri pedibus sursum porrectis ascendere consueuerint: vnde mulier dignitatem regiam agnoscere potuit.

ET INTELLEXIT SAVL, &c.

Versu 13. *Deos vidi ascendentes de terra.*] Hebraicè, אֱלֹהִים רָאִיתִי עֹלִים *Elohim raithi gholim.* Pagninus, *Diuum vidi ascendentem, &c.* Arias apud eundem nobiscum legit, sicut & Lxx. Θεοὺς εἶδον ἐγὼ ἀναβαίνοντας ἐκ τῆς γῆς, *Deos vidi ego ascendentes è terra.* Vatablus in Schol. *Deum vidi ascendentem*, id est, hominem quemdam diuinum. Relatiuum singulare quod sequitur, ostendit *Elohim* plurale, vertendum esse per singulare, *Deum*, non *Deos*. Non nemo ad marg. *Deos.*] id est, diuinas quasdam imagines, quibus diabolus ante suas illusiones præludere solet. *vidi.*] ac proinde disparuerant, quum Samueli B apparituro præcessissent: Noëma. Kimhi exponit *hominem magnum, rectâ ascendentem statura.* Chald. *Angelum Domini vidi, qui ascēdit è terra.*

Νόημα, inuentio, seu argumentum fabulæ.

Versu 14. *Qualis est forma eius?* Sic quoque reliqui, nisi quod Lxx. vertunt, Τί ἔγνως; *quid cognouisti?* At quidam, *Quæ est forma huius*, quem adhuc vides? *Vir senex ascendit, &c.* Conueniunt reliqui interpretes, præter Græcos Ald. & Rom. edit. Sic enim respondent interrogationi: *Virum erectum*, siue ὄρθιον, *ascendentem de terra*: quod etiam habet Theodoretus q. 62. Complut. tamen legunt, γέροντα, senem, quod respondet Vulgatæ. *Et intellexit Saul quod Samuel esset.* Vatablus in Schol. Spectrum quidem vidisse, quod prophetam referret, pythonyssam, docent Hebræi, at vocem nequaquam; Saulem autem vocem quidem auribus hausisse, C sed idolum oculis vsurpare minimè potuisse. Scribunt hîc Iudæi, ait aliquis hunc locum, multa de Samuelis apparentia: sed non satis inter eos conuenit. De voce אוב *ob* Leuit. cap. xx. tradunt, nempe, quòd qui habet spiritum Pythonicum, is spiritus loquitur submissa voce, vel ex membris obscœnis, vel ex concauitate axillarum. Et hæc vna est species spiritus Pythonici. Est deinde alia species, qua responsa dantur vel ex cranijs defunctorum, aut sepulcris mortuorum: & huic annumeratur ea, quæ etiam mortuos suscitare videtur, de qua hic agitur. Alij verò dicunt, quòd Pythonicus in cranijs mortuorum offerat dæmonijs thura, & audit in memoratis fœtidis corporis locis optata responsa. Porrò quando mortuus susciD tari videtur, aiunt mortuum duplici apparere specie: suscitanti enim apparet in forma ipsa, absque verborum perceptione: illi autem, propter quem suscitatur, apparet non in sui specie, sed in allocutione. Et sic Samuel hîc apparuisse describitur. Mulier enim Pythonyssa solùm vidit illum, & loquentem non audiuit: Saul autem loquentem audiuit, sed non vidit. Et quidem omnes Hebræorum Rabbini hîc consentiunt, opus Pythonum esse, præter præstigium, vanitatem, mendacium, & deceptionem, omnino nihil. In hoc tamen loco inter se dissentiunt. Nam sunt, qui hæc omnia mulieris putant esse arte conficta, quæ ex certis coniecturis sic deluserit Saulem. Alij autem, vt Saadias, & Arias, putant hanc

Pythonum multa genera ex sententia Hebræorum.

ET INTELLEXIT SAVL, &c.

hanc veram fuisse visionem, non quidem mulieris arte, sed Dei virtute apparentem. Vnde & mulier ipsa, cùm præter solitum morem miranda videret, stupefacta, cœpit magna clamare voce. At Kimhi contra horum opinionem ludens, vt mihi videtur sic arguit. Si Deus suscitauit Samuelem, vt futurum euentum indicaret Sauli, cur euentum illum non magis reuelauit, per somnia, aut per prophetas, aut per sacerdotum oracula, quam per maleficam mulierem? Hactenus Hebræi.

Procopius. *Quem suscitabo tibi?*] Optandi potestatem facit. Quis non indignè ferat? Etenim, vt Procop. ait, Οὐ τί ἀσεβέστερον; εἰ περιέργων ἐπῳδαὶ ψυχῶν ἁγίων κρατήσουσιν, ὧν ἔτι ζώντων οὐκ ἐκράτησαν οἱ δαίμονες, *quid magis impium est, quàm si dicamus dæmones incantamentis curiosorum in animas potestatem habere, in quas, quoad homines vixerunt, potestatem nullam habuerunt?*

B Tertullian. Itaque Tertull. lib. de Anima c.57. postremis verb. Animarum Mortuorum omnem exhibitionem incorporalem præstigias esse docet.

Pamelius. Quam sententiam Pamelius inter Tertull. Paradoxa referens Num.10 scribit, Prima quidem facie videri istud Paradoxũ, sed agere Tertullianum ex instituto contra *Simonis Magi* discipulos *hæreticos, qui etiam Prophetarum animas ab inferis mouere se spondebant*, quod non nisi *mendacio in anima Samuelis Pythonico spiritui licuisse* ipse sentit; sed *transfiguratum satanam in angelum lucis* apparuisse. Negat quippe *vlli animæ patere inferos*, autoritate fretus Abrahæ, qui hoc docere diuitem Lucæ 16. videtur. Quum interim fateatur *quasdam animas in corpora Dei virtute posse reuocari*, quidni & singulari eiusdem priuilegio extra corpus etiam C exhiberi?

Procopius. *Quem suscitabo tibi?* Quo pacto possit explicat Procopius his verbis: Δαιμόνιον, inquit, πλάσαν τὸ σχῆμα τοῦ σαμουὴλ ὑπεκρίνετο, καὶ φησὶν ἃ πολλάκις ἀκήκοε τοῦ σαμουὴλ, τυχὸν ἀγνοοῦσα τὸ τοῦ Σαοὺλ τελευτῆς. *Spiritus impostor formam Samuelis simulat, & illa dicit, quæ sæpenumero ex Samuele audiuit, tametsi tempus Saulis necis ignorans.*]

Samuelem mihi suscita.] Vult excitari sibi Samuelem. Quanta est ista mutatio? quem ex præcepto Dei audire viuentem noluerat, eum nunc contra voluntatem, & præceptum Dei vult audire mortuum.

Credidit Saul Samuelis animam euocari posse. Sed an putauit, verum ad se Samuelem rediturum esse? an potius fore censuit aliquod spectrum, à quo de futuris doceretur? D Nihil hîc certi est, quod possit responderi. Tamen probabili ratione adducor, vt existimem illum credidisse, ipsum ad se Samuelem reuocari. Nam alioqui haud ita religiosè venientem excepisset. Non enim ita stupidus erat, vt vellet adorare spectrum. Sed nec ipsum nominatim postulasset excitari. Cur enim illius potius quàm alterius rationem haberet, si non illum, sed inane quoddam simulacrũ, quod in quamlibet formam facilè verteretur, respõsurum crederet? Cùm autem dico Samuelem, intelligo animam tantùm Samuelis. Animus enim gerit eius nomen, cuius olim in corpore habitarit. Ita in transfiguratione obtulerunt se Christo Moses, & Elias. Et Lazarus erat in sinu Abrahæ, Epulo in inferno: cùm ista sit Eliam excipias, de animis tantùm illorum hominum possint intelligi.

A

Theodoretus. *Cùm autem vidisset mulier Samuelem.*] S. Theodoretus: Illa quidem dixit quam vidit figuram: Saul autem ex figura coniecit esse Samuelem. Historia autem eum qui visus est nominat Samuelem, propterea quod sic crediderit. Ita etiam Angelos, qui Abrahæ apparuerunt, & illorum Dominum, nominauit viros, quandoquidem eos ita esse arbitratus Patriarcha mensam apposuit. (Genes. 18.) Ita etiam eos qui non sunt dij, deos nominat etiam Deus noster, qui est super omnes deos. Ita etiam hic eum, qui visus est, in figura Samuelis, Samuelem vocauit, vt cùm fideliter accepisset sententiam, gemens excederet è vita. Hactenus Theodor.

Procopius. Eadem Procopius reperit. Quibus addidit præterea. Etenim si hãc causam, quod nomen ipsius exprimitur, Samuelem fuisse putabimus, oportebit illos etiam, quos deos se vidisse dicit, veros deos putare, cùm tamen vnicus tantùm natura Deus existat. Nonnulli tamen dicunt, inquit, reuera quidem Samuelem apparuisse: sed Deo hanc animam reuocante, non saga. Μόνον γὰρ αὐτὴν ἰδεῖν τὸν σαμουὴλ, ἀλλ' οὐκ αὐτὴν ἀναγαγεῖν, ἡ θεία λέγει γραφή. Scriptura enim tantum dicit, hanc vidisse Samuelem, non autem reuocasse.

Lucianus. *Exclamauit voce magna.*] Lucianus in Necyomantia. Puteum effodimus, & oues iugulamus, & foueam sanguine conspergimus. At magus Mithrobarzanes interim accensam facem tenens, haudquaquã amplius iam summisso murmure, sed voce quàm poterat maxima clamitans, dæmones simul omnes conuocat, Pœnas, Erinnyes, Hecaten nocturnam, excelsamque Proserpinam: simúlque polysyllaba quædam nomina barbara atq; ignota commiscet.

Quid dæmones fingant cùm mortuos reduces simulant. Statim ergo tremere omnia, & rimas ex carmine solum ducere, ac porrò Cerberi latratus audiri: & iam res plane tristis ac mœsta fuit:

Vmbrarum timuit rex imis sedibus Orcus.

Ac protinus quidem inferorum patebant pleraque, lacus, Pyriphlegethon, ac Plutonis regia. Hactenus Lucianus.

Seneca. Tiresias magus alter apud Senecam Act. 3. in Oedipo.

Terram intuens
Graniore manes voce & attonita ciet.
Latrauit Hecates turba; ter valles cauæ
Sonuere mœstum; tuto succusso solo
Pulsata tellus. Audior, vates ait;
Rata verba fudi. rumpitur cæcum chaos,
Iterque populo Ditis, ad superos datur.
Terra se retrò dedit,
Gemuitque penitus ... vt daret functis viam,
Compage rupta sonuit. Et rursum:
Subito dehiscit terra, & immenso sinu
Laxata patuit. ipse pallentes deos.
Vidi inter vmbras; ipse torpentes lacus
Noctémque veram. gelidus in venis stetit
Hæsitque sanguis, sæua prosiluit cohors, [quæ
Et stetit in armis omne vipereũ genus, &c. Post,
Tandem, ait, vocatus sæpe, pudibundum extulit
Caput, atque ab omni dissidet turba procul,
Celátque semet. Instat, & stygias preces
Geminat Sacerdos, donec in apertum efferat
Vultus opertos Laius. Fari horreo, &c.

QVARE IMPOSVISTI MIHI? &c. Causa clamoris.

Non hæc causa clamoris. neque quòd Samuelis tanquam ex insperatò vultum exhorruerit, quem olim Magis & Ariolis infensum nouerat: hunc enim magicis criminibus excire tentauerat: sed quod ex ijs, quæ tum præter consuetudinem acciderant, Saulem eum esse qui percontaretur, agnosceret. *Quare imposuisti mihi? tu enim es Saul.*] Trepidat mulier, & de propria salute sollicita delusam se queritur, ac cum Saule expostulat: hinc illæ lacrymę, hinc illa est muliebris vociferatio. Impauida prius vmbras & spectra excipere solebat. At enim quo pacto Saulem deprehendere potuit? Rabbini putant Magam mulierem ex eo intellexisse fuisse Saulem, quod Samuel ad eum modestè & reuerenter accederet. Quidam dicunt, ait S. Theodor. q. 62. in lib. 1. Reg. quòd quæ per ventriloquas reduci videbantur animæ, reducebantur pedes sursum habentes: Alij autem, quod supinæ, vt qui sepeliuntur. Et ideo ventriloqua cùm vidisset Samuelem rectum ascendentem, obstupuit.] Hæc illi. Ex quibus quod quæritur, non videtur posse colligi. Cur enim Saulem potius quàm alium quemlibet esse suspicaretur? Nusquam enim non modestus Samuel, nusquam ab eo aduersus homines adhibita reuerentia est. nihil hîc priuatim fecisse Scriptura memorat, quo Regem impensius coleret. Quod si præter morem ritúsque necyomanticos rectus emergeret, potuit quidem mulier id quod insolitū fuit, obseruare sedulò, aut etiam terreri: quamobrem autem Saulem ex eo præsentem adesse conijceret, non video. Aliunde resciuisse arbitror. Cùm enim ars ipsa non procederet, nec auderet dæmon vetante Deo Samuelis personam induere, Saulis præsentiam apud mulierem excusationis loco prætexuit. Quippe eūdem insidiari sibi admonuit. Statim tamen Samuel diuina virtute ex inferis erupit: quem vt primùm conspicata lamia est, quem nouerat suis carminibus elici non potuisse, supra modum vereri cœpit, ne Samuel, qui fuerat diuinæ legis vindex acerrimus, deprehensam iuberet neci dari, & Saul impendentis mali formidine territus, ipsius primùm capite tanquam piaculari victima Numen placare statueret. Haud ita pridem, cùm amicus quidam noster à Magis, qui artis suæ specimen ederent, ad spectaculum inuitatus esset, ipse quidem subterraneam domum, in quam frequentes cōuenerant, subire renuit, & cum illis vnà versari dum sua mysteria peragerēt: at præ foribus excubias obseruaturum se recepit. Prodere decreuerat. Sed cùm detulisset, probauit quod dudum plures experti sunt, se surdis narrasse fabulam. Itaque quæ ab ijs gererentur cùm studiosius explorasset, omnia mecum communicauit: ad extremū autem circa noctem ferè mediam vidit accensas nigra pice tædas, quas vndecim aut etiam plures parauerāt, oborto repentè procelloso fumo extingui, & loco tenebras offundi. Quo casu consternatis Magorum animis, ipsi continuò fugam adornant, eidem perfidiam identidem exprobrantes, vt pote qui eos, quorum se studijs fauere simulasset, perdere tentaret. Dæmon scilicet cùm promissa prēstare non

Quo pacto Lamia Saulem agnouerit. S. Theod.

A possit, aut pactis satisfacere, insidiarum eos admonuerat, fidémque suam ea excusatione liberauerat.

Noli timere: quid vidisti?] Ergo metus clamores illos expresserat. *Noli timere*, inquit, pauorem absterge, atque omnem ex animo metum excute: non enim patiar tibi fraudi esse, quod votis meis obsequuta es. Diuinas potius leges rescindam, quàm vt tibi datam fidem violem. Haud dubiè Saul credidit magicis carminibus Samuelem excitatum esse. *Quid vidisti?*] Procopius, εἰώθασι δ' ἐν ταῖς νεκυομαντείαις, δαιμόνων ἀπάταις, σκιοειδῆ βλέπειν φάσματα. Ἔμφασις δ' ἦν δαιμόνιον ἦν τὸ φθεγγόμενον. Solent autem in necromantijs, dæmonum fraudibus, vmbrosas species videre. Hoc autem, quod vocem edit, species dæmonis est.

Procopius.

B *Deos vidi ascendentes de terra.*] Pausanias in Laconicis: In ipso Tænarum promontorio templum est speluncæ persimile: in cuius primo aditu prostat Neptuni signum. Hac Græcorum nonnulli versibus prodiderunt ab Hercule Plutonis canem extractū, cùm neq; meatus omnino vllus per eam specum subter terram subeat, neq; veri omnino cuiquam simile videri possit, Deorum vlla esse subterranea regna, quò animi conueniant, cùm è corporibus excesserint. Hactenus Pausanias. Ad quem proximè accedit impius quidam hæreticus, qui hunc locum explicans scribit in hanc sententiam: Ex eo quod dicitur, vidi ascendere, nata est opinio illorū, qui putabant, animas patrum ante Christum delituisse sub terra. Sed nihil opus est illa comminisci. Nos scimus, magnum C chasma esse inter sinum Abrahæ, & infernum: & Epulonem sustulisse oculos, vt videret Lazarum in sinu Abrahæ. Dicit autem mulier se vidisse Samuelem ascendere, quòd mortui defodiantur in terram, vt si velint redire, necesse sit eos ascendere. Hæc nebulo. Atqui nos nihil fingimus, sed cum Ecclesia Catholica Prophetis & Apostolis fidem adhibemus. Symbolum nostri? *Descendit*, ait, *ad inferos*. Sed ne calumniam patiatur non scripta traditio, Lucas dictum à Petro testimonium in literas misit, quod actutum tibi suppedito. *Hunc (Iesum)* inquit, *definito consilio & præscientia Dei traditum per manus iniquorum affigentes interemistis. Quem Deus suscitauit, solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo.* Quod D si Christus moriens inferos quoque lustrauit, quis neget ibidem Patres inuenisse, quos solueret?

Pausanias. Inferos negat.

Probatur fides de inferis.

Actor 2.

Verùm non pauca obijciunt, quibus eius testimonij fidem eleuent. Primùm enim negant *infernum* à Luca scriptum. Sic enim exaratum Græcè legimus. λύσας τὰς ὠδῖνας τοῦ θανάτου, *soluens dolores mortis*, quomodo Erasmus & Montanus transtulerunt. Contrà non rarò mors cùm in Apocalypsi Ioann. tum alibi passim in Scripturis etiam inferi dicuntur: hîc verò penè necessariò sic interpretandum est, quòd fingi dolores mortis nequeant, quibus Christum iam interemptum Deus absolueret. Itaque eruditè Vulgatus, cùm esset singulari iudicio præditus, non mortem, sed mortis imperium inferos

Lucas exponitur, & Vulgatus defenditur.

Deos vidi, &c.

inferos reddidit: quem Syriacus etiam æmulatus est exponens: *Deus autem suscitauit eum, soluitque funes infernorum, siquidem impossibile erat eum retineri in inferis.* Veruntamen nefas est inquiunt, arbitrari Christum, quum semel spiritum emisisset, in vllis postea doloribus fuisse versatum. Quamobrem quum mors ipsius cruciatus finem attulerit, qui dici potest solutis inferni doloribus resurrexisse? Respondeo primò, doloris quoque sensum pertinere ad animum, & ipsam adeò molestiam quam ex diuturna boni expectatione contrahimus, quæ sola tum Patres in Lymbo torsit, animi dolorem vocari; ipsam autem Christi animam à suo corpore per vim diuulsam, eiusdem arsisse desiderio quis neget? Quoniam tamen omnis molestiæ atque ægritudinis expers eius studium esse debuit, respondeo Scripturam humano more locutam: & idcirco dici Christum pœnæ à Deo exemptum, non quod vllos dolores secundum mortem hauserit, sed quod communi lege illi molestiæ foret obnoxius, nisi eipsum diuina virtute in libertatem vindicaret. Denique illud quoque annotandum est, nomen ipsum Hebraicum, quo verisimile est Petrum

Vox חֶבֶל cheuel exponitur.

vsum esse, quod est חֶבֶל cheuel, non solum ὠδῖνας, quomodo Lucas transtulit, Græcam editionem sequutus, sed etiam δεσμούς, vincula, funes exponi posse; atque adeò hanc dictionis significationem Syriaco interpreti magis arrisisse: quo pacto & adijsse loca infera videri possit, & statim ruptis vinculis emersisse. Quod si minus placet, illud demum obseruandum erit, eadem voce regionis quoque terminos exprimi, quibus imperium aliquod, sors & hæreditas circumscribitur. In eo sensu legimus Deuteron. 3. vers. 4. *Sexaginta vrbes, omnem* חֶבֶל *cheuel regionem, totum funem,* id est, synecdochicῶs *imperium Argob Regis Basan.* Nihil ea synecdoche in Scripturis frequentius: Quæ si hoc quoque loco probatur, ita exponi poterit, vt intelligatur Christus sic ad tartara penetrasse, vt Patres iugo solutos in libertatem assereret. Quo pacto nihil indignum sua gloria & existimatione fecisse videri poterit. Adde postremo חֶבֶל *cheuel* Græcis quidem ἀγέλην, Latinis vero chorum, siue cœtum, turbamue copiosam significare. Ita prius legimus huius libri cap. 10. ver. 5. *Et obuium habebis* חֶבֶל נְבִאִים *cheuel nebijm, chorum siue cuneum, cœtumue Prophetarum.* Hinc porrò ita commodè transferas, *soluens choros inferni,* quos hactenus vinctos moriens, & infernum populans, sua victoria liberauerat.

Psalm. 15. vers. 18. Patri sententiam Dauid confirmat.

Denique sententiam suam coryphæus Apostolorum Dauidis testimonio confirmat. *Dauid enim,* inquit, *dicit in eum: Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, &c. Quoniam non derelinques animam meam in inferno: nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* quem locum subinde Petrus explicans, *Prouidens,* inquit, *loquutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro eius vidit corruptionem.*

Bezæ in deprauanda Scriptura temeritas ab ipso autore accusata.

At negat Beza ita vertendum esse, cui potius hoc modo transferre placuit: *Quoniam non derelinques cadauer meum in sepulcro, nec sines Sanctum tuum sentire corruptionem.* idque denuo v. 13.

A sequenti reperit. Quid tum? An fortè nobis audiendus erit nebulo, qui Ecclesiæ fidem monstra vocitet, & Scripturam à se temerè deprauatam prædicet? *Quum vnius,* inquit, *& alterius vocabuli dubia interpretatio tot monstra pepererit, simpliciter malui pro anima, cadauer, pro inferno sepulcrum dicere, quam fœdos illos errores souere.* Hæc nugator tanquam ex Apollineo tripode. Sed qua tandem autoritate fretus? sua. ô hominis singularem impudentiam! apage cùm ista temeritate tua, qui priuatam opinionem publicæ fidei anteponere studuisti. Sed quibus tandem argumentis? hæc scilicet operæpretium erit agnoscere. In Psal. Hebraicè scriptum est, כִּי לֹא תַעֲזֹב נַפְשִׁי לִשְׁאוֹל לֹא תִתֵּן חֲסִידְךָ לִרְאוֹת שָׁחַת *ki lo-thaghazof naphsci lisceol: lo-thitthen chasidecha lireoth scachath.* Græcè autem, ὅτι οὐκ ἐγ-

B καταλείψεις τὴν ψυχήν μου εἰς ᾅδου, οὐδὲ δώσεις τὸν ὅσιόν σου ἰδεῖν διαφθοράν. *Quoniam non derelinques* נַפְשִׁי *naphsci,* τὴν ψυχήν μου *animã meam,* לִשְׁאוֹל *lisceol* εἰς ᾅδου *in inferno.* Hæc cùm ita Hebræis Græcisque ad amussim bellè responderent, quid putas hominem pudoris ignarum, fallendi studio commentum esse: Intelliges ex eius annotationibus, in quibus ratio interpretationis redditur. *Cadauer meum,* inquit, τὴν ψυχήν μου. Vel, *vitam meam.* An non miraris, lector, ingenij acumen & interpretandi felicitatem? Hebræis נֶפֶשׁ *nephesc* idem quod ψυχὴ Græcis, animam significat. Ea quoniam vitæ causa efficiēs est, idcirco vita quoque vocatur. Vitam autem

Bezæ singulare acumē animã, cadauer exponit.

Beza perinde vt cadauer habet, & nullo discrimine pro eodem interpretatur. Ad hanc porro nouam exponendi rationem quis non vehe-

C mentius obstupescat? Sed hic est fructus quinti Euangelij, monstra hæc peperit, quibus cadauer pro anima est. *Est enim,* inquit Beza, *quodammodo vita in sepulcro inclusa quandiu corpus illic mortuum iacet.* Mihi tamen illa interpretatio visa est ad hunc locum maximè accommodata, quum sic disertè accipiatur nomen נֶפֶשׁ *nephesc* Leuit. 21. vers. 1. vbi Græci interpretes לְנֶפֶשׁ *lenephesc* exposuerunt ἐν ταῖς ψυχαῖς.] Non istic modò Beza, sed alijs quoque pluribus locis, in quibus pro cadaueribus pugnatis, constanter animas transtulere. Leuit. cap. 21. vers. 11. cap. 19. vers. 28. Leuit. cap. 22. vers. 4. Numer. cap. 5. & cap. 6. vers. 6. & 11. in quibus omnibus non tantum Septuag. verterunt ψυχὴν, sed Pagninus quoque & Arias, qui omnibus religio-

D sissimè linguæ sanctæ proprietatem seruant, *animas* transtulerunt. Veruntamen, inquis Targum נְפַשׁ *nephesc* mortuum exposuit. Huius

Targũ exponitur, & Bezæ impudentia cõfutatur.

potissimum fide nititur Schindlerus in Pentaglot. vt *corpus exanime* nonnunquam significare *nephesc* indicet. Sed frustrà. nam Fagius qui apud Onkelum *super mortuo* vertit, statim in Comment. quomodo illud accipiendum sit annotat. Nam Leuit. cap. 19. vers. 28. cùm transtulisset *Læsionem super mortuo non faciatis,* continuò, Vox Hebraica *sebareth,* inquit, quam Paraphrastes noster chibbul, id est læsionem vertit, incisionem significat, quam faciebant pro anima, hoc est, pro homine defuncto, digitis & instrumentis lacerantes carnem suam vsque ad sanguinis effusionem. Et vt scribit Rab. Salo-

Deos vidi, &c.

Deos vidi, &c.

mo, Æmorrhæi soliti fuerunt isto modo lugere suos mortuos.] *Mortuum* itaque *hominem* nō *cadauer* significat. Quod si separatim partium ratio habeatur, anima potius quàm cadauer intelligenda erit. Primùm quidem, quoniam illius proprium nomen est: deinde, quoniam sola deinceps ærumnis obnoxia iacet, ac proinde luctu & comploratione digna; corpus ipsum vt sensus omnis, ita & doloris expers est. Sed & illud Apostoli ad Corinth. 1. cap. 15. *vt qui baptizantur pro mortuis*, aut animas duntaxat significat corporeis vinculis solutas, aut homines vita quidem functos, sed qui ex ipso sollenni ritu colligi possent esse resurrecturi. Qua fronte itaque Beza vice *anima*, quam hoc loco reliqui interpretes agnoscunt, *cadauer* asciscere ausus est?

B *In inferno.*] Vtique ita exponēdum fuit. Non enim cippus aut tumba potuit intelligi, siquidem de anima res esset, & eius hoc loco causa ageretur. Cōtraria tamen opinio Bezæ placuit. *In sepulcro*, inquit, εἰς ᾅδου. Hebraicè, לִשְׁאוֹל *lisceol*, quo vocabulo nemo est qui nesciat sepulcrum notari, à שָׁאַל *scaal*. i. à postulando, quod noua semper cadauera quodammodo videatur inexplebili quadā voracitate postulare.] Quàm verius hoc ipsum de inferno prædicet, qui Prouerb. 3. & 27. dicitur expleri non posse. Numer. cap. 16. dicuntur Dathan & Abiron viui terræ hiatu absorpti, *in infernum descendisse*. An hic quoque sepulcrum intelliges, siquidem voce שְׁאוֹל *sceol* tam Hebræus quàm Chaldæus autor visus est? Quid illud Lucæ cap. 16. vers. 23. cùm Epulo dicitur בִּשְׁיוֹל *basceoul*, ita habet Syrus interpres, hoc est, vt Lucas scribit, ἐν τῷ ᾅδῃ, *oculos in inferno leuasse*? An aliquam hic quoque fallaciam strues, quo te ex his Scripturarum laqueis expedias? Quid hoc homine facias? Nam etsi plerunque ignorantia labitur, nouerat tamen quod ad hanc vocem attinet, secus quàm exponat eam à Græcis acceptam esse. Itaque statim subijcit: Græci interpretes ᾅδην conuerterunt, quasi locum tenebricosum dicas, quum hoc vocabulo Græci poëtæ soleant significare quos Latini *inferos* vocant.] Confer postrema hæc cum his quæ prius scripserat, neminem latere שְׁאוֹל *sceol* sepulcrum notare, & inde conficies, mendaci ac subdolo haudquaquam fidem habendam esse: neque enim sic tumulum dictio illa denotat, vt non aptius cùm hoc loco, tum alijs plerisque *infernum* significet. Quinimò *Orcum* Castalio, tametsi is quoque hæreticus, apud Apostolum vertit. Manet itaque veteris Ecclesiæ inconcussa fides, quam nullis hactenus Beza calumnijs labefactare potuit. Et reuera Christus Lymbū, siue subterraneos domos, in quibus veteris testamenti Patres seruatori suo ac vindici præstolabantur, adiens, præsentiæ suę luce collustrauit.

Sceol in Scripturis inferos significat.

D

Deos vidi ascendentes è terra.] אֱלֹהִים רָאִיתִי עֹלִים מִן הָאָרֶץ *Elohim raithi gholim min-haarets*. idem. אֵל *El* nomen est Dei, à potentia: quæ maxima est in Deo. Inde quidam ductū volunt Elohim, de quo nos dudum copiosè Tom. 1. cap. 4. Trāsfertur autem non raro ad fictitios deos, & an-

A gelos, & ad principes, qui quodammodo obtinent locum Dei. Sed cùm significat viros potentes, aut deos fictitios, verbum adiunctum est in numero multitudinis: cùm autem verum Deum, est in numero singulari. Contra tamen legitur in 35. cap. Genes. vers. 7. *Quia ibi apparuit ei Deus*. Hebr. quia ibi נִגְלוּ אֵלָיו הָאֱלֹהִים *niglou elau haelohim*, *reuelati erant ipsi dij*. Sed eo loco interpres Chaldaicus *angelos* intelligit, nō *verum Deum*. Esto: tametsi mihi non probatur. quid Abraham an is quoque non verum Deum se dicere sentiebat, cùm diceret Genes. 20. vers. 13. *Postquam eduxit me Deus de domo patris mei?* quod Septuag. vertunt ἐξήγαγέ με ὁ Θεός, eodem sensu. Hebraicè verò scriptum est הִתְעוּ אֹתִי אֱלֹהִים *Hitheghou othi Elohim*. in qua oratione verbum quoque ipsum numerum multitudinis obtinet: vnde & Arias vertit, *Postquam fecerunt errare me Deus (Elohim) de domo patris mei*. Sed de his vt dixi nos suprà cap. 4. Hic, vt apparet, intelligitur potius vir aliquis *princeps & excellens*, qualem fuisse Samuelem non dubitamus. Tametsi Theodoretus quæst. 62. in hunc locum, illud quoque verisimile censet, *potestates* quasdam *sanctas & diuinas* circa eum fuisse, glorificante Deo suum prophetam, vt etiam vera viderentur, quæ erant ab eo prædicenda.]

Deos vidi, &c. Obseruatur visus vocis Elohim.

Qualis forma eius?] Ergone etiam manes videri poterunt, quibus corpus ademptum est? Suidas in verb. ἀόρατον, ἀναλαμβάνει, inquit, πῶς ὢν τὸ ἀόρατον ἡ ὄψις, οὐ τὸ μὴ πεφυκὸς ὁρᾶσθαι. Apprehendit igitur visus id, quod est inuisibile, non tamen id, quod sua natura cerni non potest. Sed illud ἀόρατον siue inuisibile τετραχῶς siue quadrifariam describit. quædam enim natura quidem sua cerni possunt, sed idcirco inuisibilia manent, quod lumen absit. quædam splendoris magnitudine oculorum vim superant; quædam nimia obscuritate latent: quæ omnia sensus arte atque industria tandem aliquando vincit. At præter hæc, τὸ καθόλου ἀδύνατον ὁρᾶσθαι est illud quod omnino videri nequit. Vt pote τὸ ὑποκείμενα ἄλλῃ αἰσθήσει, quæ alij sensui subiecta sunt. Nam & vox & odor sunt inuisibilia. Hæc ille. Adde & quæcunque nulli sensui subiecta sunt, vt sunt animæ, postquam illæ corpus exuerint. Lucianus tamen his, qui vita functi sunt, ossea quædam corpora appingit in sua Necyomantia. Verùm dignoscere, inquit, quemlibet haud procliue fuit: adeò nudatis ossibus omnes erant inuicem simillimi, nisi quod vix tandem eos diu intendentes agnouimus. quippe obscuri atque ignobiles nullum seruabant amplius pristinæ formæ vestigium. Cùm igitur multi simul ossei consisterent, inuicem omnino similes, qui terrificum quiddam per cauos oculorum orbes transpicerent, dentésque nudos ostenderent, hæsitabam sanè mecum, quonam signo Thersitem à Nireo illo formoso discernerem, aut mendicum Irum à Phæacum rege, aut Pyrrhiam coquum ab Agamemnone, quippe quibus iam nihil veteris permansit initij, sed ossa fuerunt inter se similia. Ὅμοια, inquit, τὰ ὀστᾶ ἦν, ἄδηλα, καὶ ἀνεπίγραφα, καὶ ὑπ' οὐδενὸς ἔτι διακρίνεσθαι δυνάμενα, quæ

Suidas. Inuisibile triplex.

C

Lucianus. Manes osseos describit.

QVALIS FORMA EIVS? quæ cognosci non possent, nullis inscripta titulis, nullique vnquam dignoscenda. His ille manes pingit coloribus. At Seneca in Oedipo nonnulla præterea veteris fortunæ ornamenta restituit.

Quo schemate Manium spectra appareant.

Seneca.

Primus, inquit, *emergit solo,*
Dextra ferocem cornibus taurum premens
Zetus; manuque sustinet læua chelym,
Qui saxa dulci traxit Amphion sono;
Intérque natos Tantalis tandem suos
Tutò superba, fert caput fastu graui,
Et numerat vmbras. Peior hac genetrix adest
Furibunda Agaue, tota quam sequitur manus
Partita regem. Sequitur & Bacchas lacer
Pentheus, tenétque sæuus etiam nunc minas.
Tandem vocatus sæpè Laius. &c.
Stetit per artus sanguine effuso horridus,
Pædore fœdo squalidam obtectus comam,
Et ore rabido fatur: &c.

Verùm hæc sunt, inquis, veterum figmenta poëtarum: Tu verò dic sodes,

---

An non ipsæ per se animæ exili aliquo corpore constent, perinde vt vulgus sentire videtur, vmbris nebulisue persimili? an reuera corporeæ prorsus molis expertes?

QVÆSTIO CXXVIII.

SAnctus Faustus, primùm quidem Lirinensis Abbas, deinde Regiensis Episcopus, quem cùm priori edit. *Sanctum à nonnullis impudenter*, vt ait Baronius, miratus esset *inscribi*, de eodem postea rescripsit: *Maneat igitur Fausto integra iura sua, nec ex nostris scriptis sentiat præiudicium: neque priuato iudicio nouitati liceat conuellere antiquitatem, tametsi de Scriptis eius immota maneant sententiæ Patrum.* Arbitratur autem Sanctum aut resipuisse prius quàm diem suum clauderet, aut certè obijsse, quàm damnatos ab Ecclesia errores suos esse resciret. Hic ille, inquam, Faustus, qui vitæ quidem suæ studium Ecclesiæ probare potuit, scripta non potuit: cùm in alios, tum in hunc errorem grauiter impegit, vt crederet, præter vnum Deum nihil incorporeum, aut carens prorsus materia dari. *Licet enim*, inquit, *pronuntiemus nonnullas esse spirituales naturas, vt sunt angeli, archangeli, cæteraque virtutes, ipsa quoque anima nostra, vel certè aer iste subtilis: tamen incorporeæ nullatenus existimandæ sunt. Habent enim secundum se corpus quo subsistant, licet multò & incomparabiliter tenuiora, quàm nostra sunt corpora, secundum Apostoli sententiam dicentis:* Et corpora cœlestia & corpora terrestria. *Quibus profectò pro manifesto colligitur, nihil esse incorporeum, nisi Deum solum.*]

Card. Bar. in Add & Emēdand. ad ann 490 quæ habētur ad calcem to. 10.

Faust. Reg. in libello De creaturis, quod illis incorporei nihil insit. In Bibliot. SS PP. to 4

1. At verò deinceps quibus potissimùm rationibus suam sententiam cōfirmet, paucis ita complexus est. *Si demonstrauerimus eam quantitate determinari, locóue concludi, consequenter eā etiam corpore contineri, nec ipse iam dubites.* Vrget deinde exemplo Lazari. *Nonne*, inquit, *eius anima, manente vita, intra corpus fuit, recedente autem vita, de habitaculo corporis exulauit, & iterum intra exanime refusa corpus, illuc vnde se absentauerat, euocata remeauit? Quomodo ergo non est localis, quam caro continet, vita coniungit, mors separat?* Et rursum: *Dic, quæso si locales non sunt, quomodo peccatores à cœtibus consortijsque iustorum, vastum illud chaos tristi interiectione discriminat, vt neque hinc illo possint accedere, neque inde huc transmeare? Iam illud manifestissimum est, quod quantitate circunscribantur, quæ spatijs continentur. Si agnouisti animam localem, concede corpoream.*

Rationes eorum qui animas corporeas asserunt.

2.

3.

Subinde etiam locales esse Angelos ex eo colligit, quod Scriptura teste, Patriarchæ Iacob in Bethel ascendentes descendentésque apparuerint. Qui vtique si locales non essent, & vbique essent, & adesse atque discedere ascensu descensúque non possent. Priuatim etiam de S. Gabriele prædicat, cùm ad B. Virginem accessisset, locum tantum in quo eam conuenit occupasse. Nec maior de apostatis difficultas: *quorum princeps*, inquit, *si corpus non habuit, in illa deiectione quid cecidit? Quid illi negas corporalem naturam, cuius negare non audes ruinam?* 4.

5.

Argumentatur etiam postea ne quidem ignium vim cruciatúmque, quo torqueri feruntur, perferre posse, si angelicæ humanæque mentes à corpore secernantur. *Alioqui Satanas*, ait, *si secum aliquid corporale de illa cœlesti arce non detulit, alienum, vt video, corpus ad tormenta portauit.* *Denique corpus est*, inquit, *quod inficitur, quod maculatur, quodcunque ex accedenti adiectione vitiatur. Hinc ergo dudum primogenitus angelorum, nunc princeps factus est tenebrarum.* 6.

Ad extremum etiam illis occurrit, quæ videbantur obijci posse; mentes humanas ocyore cursu quàm corporis conditio ferat, remotissimas peragrare prouincias, & inferos atque adeò cœlum ipsum inuadere. Neque enim hæc reipsa fieri docet, sed cogitatione duntaxat assequi, & tanquam in animæ speculo, siue memoria, depicta contemplari. *An putas*, inquit, *quicunque Petri Paulíue facta refricat, & eorum sibi vultus intueri videtur, eundem statim Paradisi sedes beatas, in quibus nunc habitant, penetrare?* An qui Epulonis æstum sitimque ac flammas speculatur, ad teterrima loca, in quibus nunc cruciatur miser, extemplo adire? Hæc omnia proculdubio secum intra pectoris arcana per varias similitudines fingit, quas nullo negotio memoria suppeditat. Sin verò anima vt primùm Alexandriam vel Hierosolymam cogitauit, illic reuera præsens interfuit, referat nobis situs locorum, vultus hominum, ritus actúsq; populorum. *Ecce*, inquit, *per hæc præsentis temporis momenta vos cogita, & animo reminiscente vos video: Et omnibus modis quid geratis, & vtrum quieti, an lectioni vel orationi vacetis, ignoro. Sed hoc ideo venit, quia ad vos cordis affecta, non ipsa substantia mea veritate peruenio.*

Occurrit Obiect.

Hæc ferè sunt rationes, quibus Faustus olim fretus corporeas animas asserere ausus est: Illud ad extremum addens tanquam coronidis loco, *Vnus ergo Deus incorporeus, quia incomprehensibilis, & vbique diffusus. Ex nullius enim facturæ corpore materiale sumpsit exordium.* Quas rationes tribus contra autorem libris editis

QVALIS FORMA EIVS? S. Mamertus Vienn.

doctissimè confutauit S. Mamertus Viennensis Episcopus, & contrariam sententiam validissimis argumentis vallauit ac stabiliuit. Quæ omnia perinde, vt explicuit copiosè referre cùm alienum videri possit ab interpretis officio, summatim colligam, eundem autorem secutus, qui libri 3. cap. 16. summam eorum se confecisse professus est, quæ toto opere sparserat, & summis ingenij viribus accuratè probauerat.

Quibus rationibus probentur animæ corporeæ molis expertes.

Primùm igitur, inquit, Deus incorporeus est, imago autem Dei est humanus animus, quoniam *ad similitudinem & imaginem Dei factus est homo.* Enimuerò imago incorporei corpus esse non potest. Igitur quia imago Dei est humanus animus, incorporeus est animus humanus.

B

2. Omne illocale [seu quod à natura loco non circunscribitur] incorporeum quoque est, porro ita corporis anima est, & in corpore viuente tam viuit pars minima corporis, quàm totum corpus. Tantum ergo vitæ in parte corporis est, quantum in toto corpore, & vita hæc anima est. Nec locale est quod tam magnum est in toto quam in aliquo, & tam magnum in paruo quàm in magno, non igitur localis est animus. Et quicquid illocale est, corporeum non est, igitur anima corpus non est.

3. Item ratiocinatur anima rationis, & substantialiter inest animæ ratiocinari, & ratio incorporalis atque illocalis est. Igitur incorporalis est anima.

4. Item voluntas animæ substantiæ eius est, & si tota vult anima, tota voluntas est, & voluntas corpus non est. Igitur anima non est corpus.

C

5. Item memoria illocalis quædam capacitas est, quæ nec multitudine recordabilium distenditur, nec paucitate tenuatur, & incorporaliter etiam corporalium reminiscitur. Et cum meminit animus, totus meminit, & totus memoria est qui meminit totus, & memoria corpus non est, Non igitur corpus est animus.

6. Item corpus in parte sui tactum ibi sentit, vbi tangitur, animus autem per non totum corpus, hoc est, per partem corporis totus sentit. Huiusmodi verò sensus illocalis est, & omne illocale incorporeum est, incorporea ergo est omnis anima.

7. Item corpus nec appropinquat Deo, nec recedit à Deo. Animus autem & proximat & longinquat illocaliter. Igitur animus corpus non est.

D

8. Item corpus mouetur per locum, animus autem per eundem non mouetur. Animus igitur non est corpus.

9. Item longitudo, latitudo, & altitudo in corpore sunt, & quicquid hisce caret, corpus non est. Hisce autem caret animus, corpus igitur non est.

Ita restituendum censuimus huius loci perturbatissimum ordinem.

10. Dextrum, sinistrum, sursum, deorsum, anterius & posterius in omni sunt corpore, in nulla autem sunt anima. Incorporea igitur omnis est anima.

Denique, En quousque, inquit, ex omni scilicet disputationum nostrarum parte contraximus, quæ istic quàm breuissimè recapitulauimus, quoniam quicquid toto opere moliti sumus, nisi præmissis disputationibus, fieri probabile non quiuit.] Hæc omnia S. Mamertus. quæ tribus libris ingeniosissimè, vberriméque persequutus est: quos sicut Philosophiæ candidatis vtiles fore non dubito, ita nec despero, si quibus illi desint, ex hoc breui argumentorum elencho percipere posse, quàm verè sapientérque humanas mentes à materia secreuerit.

QVALIS FORMA EIVS?

Neuter eius distinctionis rationem habuit, qua res in loco definitiuè aut circũscriptiuè poni dicũtur.

Pauca tamen sunt, de quibus lector admonendus mihi visus est. Primum est, quod cùm duplici ratione res in loco statui possint, aliàs quidem definitiuè, ita vt extra eundem nihil earum esse intelligatur: aliàs circumscriptiuè, sic vt ipsę locum occupent, quod eæ solùm pręstare possunt quæ mole constant, cùm prior is modus ne ab incorporeis quidem abhorreat: Faustus eius discriminis nullam rationem habuerit, sed de posteriori tantùm in illo suo libello disputet, vnde postremò factum sit, quod cùm ea, quæ passim animis in Scripturis tribuuntur, & ad primum genus spectant, posteriori ascribat, absurda plurima colligat, quæ putet Scripturarũ autoritate niti. Quem proinde errantem dum S. Mamertus acrius insequitur, ipse quoque nullo delectu habito, omnem prorsus locum abdixit, negans habere animas quicquam cum loco commune, atque adeò, vt ait, illocales esse. quod vt verum sit, de circumscriptione loci duntaxat accipiendum est.

Anima indistinctè partes omnes sphæræ actiuitatis suæ complet.

Secundo loco illud quoque animaduertendum est, quod cùm aduersarius inde potissimùm animas loco circumscribi asserat, quod illæ certos intra cancellos spatiorum cohibitę, non vbique passim vagentur, aut reliquum orbem impleant; Mamertus contrà, ex eo potissimum loci legibus solutas conficiat, quod intra sphæram, vt aiunt, actiuitatis suæ nullum certum responsum ad loci partem aliquam priuatim habeant, nec partitè distinctéque centrum, aream, atque adeò peripheriam occupét: sed in singulis partibus totæ sint, nec amplius quicquam in totam loci circumferentiam diffundatur, quàm pars minima quæque coërceat. Quantum enim, vt docet Aristoteles in Physicis auscultationibus, in omnibus quanti partibus inesse totum non potest. Vnde sequitur, vt quandoquidem anima in quacunque parte corporis, quod est quantum, tota residet, esse in loco nullatenus videri possit. Ipsam porrò totam animam in qualibet corporis sui parte versari probat S. Thomas 1. part. quæst. 76. art. 8.

S. Mamertus intellectum & voluntatem cum anima re atque essentia coniungit. Scaliger.

Tertio loco S. Mamertus intellectum ac voluntatem, quas dicere vires animæ solemus, cum ipsa anima re atque essentia coniungit. De quibus Scaliger, cùm subtilissimus haberi vellet: nam ibidem tertiò *subtiliss.* ad marginem notat: Scoti sententiam sequutus, quam docuit in 2. distinct. 16. scripsit Exercit. 307. num. 15. Dicimus, non esse accidentia, neque absoluta, neque relatiua: neque realiter, vt loquuntur vulgò, differre à se inuicem: neque vtrumuis ab essentia animæ. Decet enim animam propter

QVALIS FORMA EIVS?

propter suam dignitatem fungi suis officijs: suásque exercere potestates, absque vllius accidentis aut inhærentis, vel præsidio, vel adminiculo: sed sine vllo medio statim per essentiam suam. Quæ essentia sine reali potestatum disiunctione, est principium sibi ipsi αὐταρκής: idest, quod sit satis sibi, ad producendas affectiones suas: eásque non solùm simplices, ac vniformes, sed etiam compositas, sed etiam diuersas, sed etiam oppositas, propter suam simplicitatem, atque diuinitatem: ita tamen, vt seriatim vna post aliam educantur. Intellectus autem ac voluntas etsi sunt vna res, tamen distinguntur ratione. Sunt enim affectus animæ proprij, non accidentales, sed vna res cum ipsa: Sicut, Vnum, Bonum, Verum sunt affectus ipsius entis: vna sanè res, atque eadem cum ipso ente. Sed & ab eo, & inter se distinguntur per definitionem, ad hunc sane modum. Quia in prima natura statuitur ipsum ens. Quæ natura quodammodo seipsam profert, atque efficit, vt sit, Vnum, Bonum, Verum. Quæ est alia formalitas ab illa prima formalitate. Quia alia est apprehensio entis, vt est ens: alia, vt est vnum. Hoc enim ex illo sequitur, atque ex eo nascitur, sed non extra ipsum. Vna enim res est. Sic vna res, anima, intellectus, voluntas. Anima tamen essentiam dicit. Intellectus ea est ipsa essentia vt apprehendit. Voluntas est idem, quod illa essentia intelligens, atque extendens sese ad illam rem cognitam potiundam. Sic videmus eiusdem rei diuersas esse notiones: quas barbarè quidem barbaris, sed non inscitè, apud doctos formalitates appellabamus. Hactenus Scaliger, Scoti sibi subtilitates ascribens suppresso nomine: quæ tamen plerisque viris doctissimis atque in primis S. Thomæ probari minimè potuerunt. Sed quandoquidem Scotus Orthodoxus est, & in religiosissima familia nobilis scholæ princeps, nequaquam eius doctrinæ fidem quam complexus est, & à SS. Patribus hausit, auersamur; quin potius eodem fautore arbitramur ex ea necessariò sequi, quod pluribus ante eum seculis S. Mamertus argumentatus est, animam propterea neque localem neque corpoream esse. Reliquas Doctorum opiniones, que S. viri mentem interpretari possint, vide apud Paulum Nazarium to. 3. Commentar. in 1. part. S. Thomæ, quæst. 53. art. 3.

Hinc sequitur animam esse incorpoream.

Tametsi verò intellectus & anima reali inter se discrimine separentur, quandoquidem tamen mens & voluntas ex principijs eiusdem essentiæ fluunt, dubium esse non potest, quin anima ipsa materiæ expers haberi debeat. Manifestum est enim, inquit S. Thomas 1. part. quæst. 75. art. 5. *quod omne quod recipitur in aliquo, recipitur in eo per modum recipientis. Sic autem cognoscitur vnumquodque, sicut forma eius est in cognoscente. Anima autem eius intellectiua cognoscit rem aliquam in sua natura absolutè, puta lapidem, in quantum est lapis absolutè. Est igitur forma lapidis absolutè, secundum* propriam rationem formalem in anima intellectiua. Anima igitur intellectiua est forma absoluta. Si enim anima intellectiua esset composita ex materia & forma, formæ rerum reciperentur in ea, vt indiuiduales. Et sic non cognosceret nisi singulare, sicut accidit in potentijs sensitiuis, quæ recipiunt formas rerum in organo corporali. Materia enim est principium indiuiduationis formarum. Relinquitur ergo, quod anima intellectiua, & omnis intellectualis substantia, cognoscens formas absolutè, caret compositione formæ & materiæ. Hactenus S. Thomas. At rursum idem alio argumento confirmat, quod anima scilicet sit actus & forma corporis. Neque enim verisimile est animam prorsus esse nihil, quod Pherecrates & Dicæarchus apud Ciceronem dum corpori tribuunt omnia, asserere ausi sunt, cùm plures eius motus obseruemus, qui non videantur posse corporis viribus ascribi. Sed neque accidens est, siue συμπτώματι quippiam. Nihil enim, inquit S. Thomas, potest per se operari, nisi quod per se subsistit: non enim est operari nisi entis in actu. Atqui mens habet operationem per se, cui non communicát corpus. Vnde sequitur, vt sit aliquid incorporeum & subsistens. Non est ergo, quod nonnullis veterum placuisse video, ἁρμονία elementorum, seu numerus harmonicus, non κρᾶσις seu temperamentum cerebri vel cordis, de quatuor corporibus coagmentatum crama. Non quod Asclepiades Medicus commentus est, συγγυμνασία αἰσθήσεων, id est exercitium quinque sensuum sibi consonum; non denique accidens quædam intelligentia & sensus interiores: qui δυνάμεις sunt, vel ἐνέργειαι: sed substantia, ὑφιστάμενον, οὐσία, quæ his omnibus vitam impertit. non tamen illa σωματική, ὄγκος, καὶ ὑλώδης vt quibusdam visum, hoc est materia & corpore constans, sed verè ἄϋλος καὶ ἀσώματος ab omni fece corporis materiáque remota. Nam Stoici quidem animam πνεῦμα θερμόν, πῦρ φυσικόν esse dixerunt, naturalem quendam ignem, habitúmue igneum. Hippocrati potius visa est σῶμα αὐγοειδὲς καὶ αἰθερῶδες corpus æthereum, seu spiritus tenuis dispersus per omne corpus animantis. Heraclito ἀναθυμίασις, hoc est euaporatio, qui etiam docuit animam esse scintillam naturæ stellaris; vel, vt loquitur Macrobius, stellaris essentiæ. Sed neque incorporeas dicimus animas, quo pacto illi esse censuerunt, qui eas emphases & εἴδωλα nominarunt. Est autem ἔμφασις velut imago quæ relucet è speculo. Hi namque, vt autor est Psellus de Dæmonibus, solent corpora quidem crassiora, corpora nominare; corpora verò tenuiora, & quæ aspectum tactúmque effugiunt, incorporea frequenter cognominant. Et hoc sensu dæmones Angelos, Animásque volunt esse corporis. At verò nos sic animas à materia secernimus, vt nihil in illis corporeæ fecis residere concedamus. Quippe de ratione animæ est, inquit S. Thomas, *quod sit forma alicuius corporis. Aut igitur est forma secundum se totam, aut secundum aliquam partem sui. Si secundum se totam, Impossibile est quod pars eius sit materia*; materia enim potentia est, forma actus, cui potentia repugnat. Si autem sit forma secundum aliquam partem sui, illam partem dicemus esse animam: & illam materiam, cuius primò est actus, dice-

Contraria S. Thomæ sententia idem probat S. Thomas.

QVALIS FORMA EIVS?

Eiusd. qu. art. 2. in corp.

De animo veterum sententiæ.

Quæst. 75. art. 5.

QVALIS FORMA EIVS? musesse primum animatum. Et rursum eiusdem quæst. art. 1. *Manifestum est*, inquit, *quod esse principium vitæ vel viuens, non conuenit corpori ex hoc quod est corpus, alioquin omne* corpus esset viuens aut principium vitæ. Conuenit igitur alicui corpori, quod sit viuens, vel etiam principium vitæ, per hoc quod est tale corpus. Quod autem est actu tale, habet hoc ab aliquo principio, quod dicitur actus eius. Anima igitur, quæ est primum principium vitæ, non est corpus, sed corporis actus, sicut calor qui est principium calefactionis, non est corpus, sed quidam corporis actus. Hactenus S. Thomas.

Quod autem intellectus & voluntas ab ipsa anima re atque essentia secerni debeant, paucis ad hunc modum concludit idem Doctor Angelicus 1. part. quæst. 79. art. 1. *Tunc enim solum*, B inquit, *immediatum principium operationis est ipsa essentia rei operantis, quando ipsa operatio est eius esse. Sicut enim potentia se habet ad operationem, vt ad suum actum, ita se habet essentia ad esse. In solo Deo autem idem est intelligere, quod suum esse. Vnde in solo Deo intellectus est eius essentia: in alijs autem creaturis intellectualibus, intellectus est quædam potentia intelligentis.* Oportet siquidem, vt idem habet quæst. 54. art. 3. quod *secundum diuersitatem actuum, sit diuersitas potentiarum.* Sed de his iam satis superque, ad Mamertum nostrum redeamus, & quo pacto ea quæ ab aduersario obiecta sunt argumenta refellat, audiamus.

Omnis illa Fausti ratiocinatio, qua permiscere C *corporibus animas nisus est, S. Mamerti responsione dissoluitur.*

QVÆSTIO CXXIX.

Solutio 1. argum. SAncti Fausti prima ratio fuit quæ illum in errorem induceret, quod Apostolus 1. ad Corinth. cap. 15. vers. 40. *Alia* quidem *cælestia corpora dixerit, alia terrestria.* Cælestia porrò crediderit haud alijs quàm humanis pariter atque Angelicis mentibus ascribi. Negat S. Mamertus vllam eo loco animarum fieri mentionem, sed resurgentium corpora cum syderibus conferri; quorum vt nonnulla cætera claritate vincunt, ita & corpora alia alijs illustriora resurgent, pro ratione cuiusque meritorum. D

S. Mamertus lib. 1. De statu animæ c. 13.

2. Alterum Fausti argumentũ petitur ex Ioann. 11. quo loco cùm Lazarus primùm fato functus esset, post quartum diem ad vitam reuocatur. Abscesserat, redijt: quo pacto neges localem esse quæ mutat subinde locum? Vrget formidabili scilicet, inquit S. Mamertus, atque vt autumat, indissolubili syllogismo, vt anima vbi est, sit, & non sit vbi non est, tanquam nos eandem aut vbique, aut nusquam esse dicamus. Quum si vbique esset, Deus esset: Si nusquam esset, nihil esset. Illa quidem non in toto mundo est tota, sed sicut Deus vbique totus in vniuersitate, ita hæc vbique tota inuenitur in corpore. Quod si vbique tota in corpore, nequaquam ergo localiter. Sicut ergo in- A corporeo motu primum corpus vegetabat, ita & illocaliter postea excessit: & sic esse potuit illocaliter in qualibet mundi parte, sicut illocaliter fuerat in corpore. Sed fortè contendas, quomodo anima & in loco est, & localis non est: & ego te mutua consolatione (dic, *consultatione*) percontor, quomodo corporeus mundus localis est, & in loco non est. Quod si mundum in loco esse responderis, nihilo segnius quæro: Locus in quo est mundus, extra mundum, anne de mundo sit? Si de mundo, non in illo mundus, sed in alio ipse cum mundo est: Si extra mundum: rursus quæro, vtrum locus in quo est mundus, in loco sit: &c. Aut igitur Deo, qui solus infinitus est, corpus æquabis, aut mundum non in loco esse concedes. Istam nunc ergo rationem mente pertracta, & sicut tantum locorum tantumque spaciorum esse perspicis non in loco: Ita illud quod nullius est molis, nullius est spacij, intellige in illo loco esse posse sine loco: quia si illud quod locale est, in loco non est, multo minus in loco non est, quod locale non est. His & pluribus S. Mamertus Fausti ratiocinationem confutat.

Idem lib. 3. cap. 1. & 2.

Ibidem ca. 3. & 4.

Mundus cũ localis sit, in loco tamen non est.

At tertio loco idem obijcit: Si locales non sunt animæ, quomodo peccatores à cœtibus consortijsque iustorum vacuum illud chaos tristi interiectione discriminat, vt neque hinc illò possint accedere, ne inde huc transmeare? Si hæc, inquit S. Mamertus, localiter æstimanda sunt, alterutrum fateri cogeris: aut Abraham & diuitem nec sermocinatos inuicem, nec ad inuicem visos; aut vel infernum in paradiso, vel in inferno esse paradisum. Sed quoniam nec autoritati diuinæ pertinaciter obsisti potest, nec miserijs beatitudo misceri, proloquij huiusce perplexum, quia cum lippo imaginationum corporalium introspicere nequimus, semotis paululum locis corporibúsque videamus: & vbi itatenus inter quospiam iudicio discretos immensum dicitur spacium, vt etiam sermonis possit esse commercium, animaduertamus non locorum distantiam, sed differentiam meritorum. Cum iusto namque quantum ad corpus spectat, localiter esse iniustus potest: iniustus verò esse in innocentia iusti, quoadúsque iniustus est, non potest. Vnde quia post mortem nec pœnitere cuiquam, nec peccare possibile est, inter saluatos & perditos intransmeabile dicitur chaos indemutabilis status. *Ergo hic distantiam sine loco, verbum sine strepitu, gremium sine spacio intelligere necesse est.* Porrò autem corporea non sunt quæcunque ita sunt. Animæ verò Abrahæ, Lazari & diuitis ita sunt, corporeæ igitur non sunt. 3.

Lucæ c. 16. lib 3. ca 10.

Obijcit quartò ascendentes descentésque Angelos Patriarchæ Iacob apparuisse, & ad B. Virginem Gabrielem Angelum à Deo allegatum esse. Haud dubium quin Angeli ea corpora, quæ ascisscunt sibi, vltro citróque mouere queant. Sed & tum *mouentur Angeli per accidens*, vt scribit S. Thomas. 1. part. quæst. 51. art. 3. ad 3. *Motis huiusmodi corporibus, cùm sint in eis, sicut motores in mobilibus, & ita sunt hic, quod non alibi. quod de Deo dici non potest. Vnde licet Deus non moueatur motis his, in quibus est, quia vbique est: Angeli* 4

S. Thomas.

QVALIS FORMA EIVS?

Angeli tamen mouentur per accidens ad motum corporum assumptorum. Hactenus S. Thomas. Vnde sequitur, Angelos quidem mutare sedes, nec pluribus simul locis consistere, non tamen pariter circumscribi loco, aut corporeos esse, cùm non perinde vt corpora Angeli locum occupent. *Æquiuocè*, inquit idem Doctor Angelicus 1. part. quæst. 52. articul. 1. *dicitur Angelus esse in loco, & corpus. Corpus enim est in loco per hoc, quod applicatur loco secundum contactum dimensiua quantitatis. Quæ quidem in Angelis non est, sed est in eis quantitas virtualis. Per applicationem igitur virtutis Angelicæ, ad aliquem locum qualitercunque, dicitur Angelus esse in loco corporeo. Et secundum hoc patet, quod non oportet dicere, quod Angelus commensuretur loco, vel quod habeat situm in continuo; hoc enim conuenit corpori locato, prout quantum quantitate dimensiua. Similiter etiam non oportet propter hoc quod contineatur à loco. Nam substantia incorporea sua virtute contingens rem corpoream, continet ipsam, & non continetur ab ea. Anima enim est in corpore vt continens, & non vt contenta. Et similiter Angelus dicitur esse in loco corporeo, non vt contentum, sed vt continens aliquo modo. Sic enim forma solent.* Denique articul. sequent. *Sic igitur patet, quod diuersimodè esse in loco conuenit corpori, & Angelo, & Deo. Nam corpus est in loco circumscriptiuè: quia commensuratur loco. Angelus autem non circumscriptiuè, cùm non commensuretur loco, sed diffinitiuè: quia ita est in vno loco, quod non in alio. Deus autem neque circumscriptiuè, neque diffinitiuè, quia est vbique.* Hæc omnia S. Thom. Ex quibus Faustus nunquam conficiet corporeos esse Angelos, tametsi vltro citróque commeent, nec cœlum pariter ac terram sua præsentia compleant.

Quo modo Angelus in loco esse intelligi debeat.

Quo genere pugnæ Michael cùm dracone conflixerit; & eundem cœlo deturbarit?

QVÆSTIO CXXX.

5. QVinto loco quærit de principe dæmonum, cùm is propter elationem animi corruit, si corpus non habuit cùm præceps daretur, in illa deiectione quid accidit? Respondeo, quod moueri potuit. Angeli porro, dæmones, & animæ localiter moueri possunt. *Sed sicut esse in loco*, ait Doctor Angelicus, *æquiuocè conuenit corpori & Angelo: ita etiam moueri secundum locum. Quia enim Angelus non est in loco, nisi secundum contactum virtutis, vt suprà diximus: necesse est, quod motus Angeli in loco, nihil aliud sit, quam diuersi contactus diuersorum locorum successiuè, & non simul: quia Angelus siue dæmon non potest simul esse in pluribus locis. Huiusmodi autem contactus & continui esse possunt, & non continui. Quod si continui, transeat per medium necesse est: alias non est opus: quoniam,* vt habet Caietanus in eiusd. quæst. art. 2. in fine Comment. sui, *absoluta ab vno loco operatione, indifferentes, & indistanter se habet ad quemcunque locum.* Esto: dein-

S. Thom. 1. p. q. 53. ar. 1

Qualis sit motus localis Angelorum.

A ceps tamen aduersarij partes iuuabo, quæramque insuper, quo pacto, si corpus non habuit, commisso cum Michaele prælio, draco vinci cœlóque deturbari potuerit? Non enim apparet qua tandem ratione id quod est ἀσώματον, & omni prorsus dimensione caret, impelli, distrahi, vexarique valeat. Itaque

QVALIS FORMA EIVS?

Apocalyp. c. 12. v. 7.

Respondent plerique interpretes, pugnæ duplex genus esse, ferarum alterum, alterum Angelicum. Nam feræ quidem cùm in hostes inciderint, cornu, dente, calcibus, vngue sæuiunt. Angelos, quando bonos quoque cum apostatis & perduellibus Scriptura committit, verisimile est ijs telis & armis vti, quæ sunt ingeniorum propria. Vtriusque militiæ vnus homo tibi specimen edet. Nam in acie quidem, ferro; in academia, ratione dimicat. Posterior B hæc igitur palæstra angelos exercuit, cùm Draco quidem donis elatus, quæ plurima Deus in eum contulerat: præ se ferret Numinis contemptum atque superbiam; Michael contrà multis & grauibus argumentis præstare Deum omnibus docens, insolescentis temeritatem retunderet. *Ero similis Altissimo*, tantum ille sibi sui conditoris immemor arrogabat. At contrà Michael referebat, *Quis sicut Deus?* cùm sis opus & molitio illius, eidem nunquam similis euades. His ille, inquiunt, rationibus victus, cùm pudorem vltra non ferret, loco cessit, cœlúmque deseruit.

Pugnæ genus duplex.

Quo pacto Michael Draconem vicerit.

Quid si angelos vti ratiocinatione negem? quid si vt visus statim colores perspicit, sic illos rerum naturas obiectarum intueri asseram? An non hæc communis videbitur sententia scho- C larum? Respondent duplicem obseruari posse cognitionem Angelorum. gloriosam alteram, qua beati Deum vident, quam matutinam vocant: alteram naturalem, qua singulari prorsus ingenij acumine intra præscriptos naturæ limites Deum & omnia speculantur, quam vespertinam Theologis dicere placuit. Matutina, quæ Deum instar speculi limpidissimi contemplatur, ratiocinatione non indiget: quinimò ne vespertina quidem, tantisper dum intra cancellos se cohibet. Ast vbi primùm quæ naturæ negata sunt, ea temerè tentat irrumpere, & quæ insito lumine nequit, studet coniecturis assequi; tum humano more venatur, & ea quæ latent ex apparentibus signis certat eruere, tam incerto exitu vt non rarò fallantur. Hinc ple- D runque dæmones in captandis hominibus consilia mutant: & quos primùm aperto marte frangere se posse sperauerant, postquam hac non processit, alia clanculùm aggrediuntur via. Hinc quoque Luciferi oculos cùm admirabilis quidam singularis excellentiæ fulgor præstingeret, in eo statuit acquiescere, & oblatam beatitatem, quam liquidò nō nouerat, præ naturalibus bonis contempsit: tametsi si mentem adhiberet, eandem infinitis gradibus superare non dubitaret. Sed credidit seipso frui, séque ipso contentum esse, ad omnem felicitatis cumulum sibi satis supérque fore: idque diuinius, Deóque similius censuit, quàm si diuinæ gratiæ beneficio, ad participandam Numinis ipsius amicitiam & gloriam adhiberetur. Quæ

Cognitio duplex Angelorum.

QVALIS FORMA EIVS?

cœcitas non sine graui Numinis contumelia contigit, præsertim cùm in eum finem ab eo conditus esset.

Ratiocinatione dæmones non vtuntur.

Respondeo paucis, tametsi certum sit dæmones plerunque suspensos & incertos obscura spe, & cœca expectatione pendere, nusquā tamen ratiocinatione vti; quòd rerum cognitionem non aliunde captent ex notioribus, sed ex ipsis rebus hauriāt, quas vident necessario cursu an libero ad scopum ferantur. Nusquam itaque ratiocinando falluntur, nullus illos Syllogismus in fraudem inducit, sed deprauatio volūtatis iudicio tenebras offundit; vel sanè præceps & cœca temeritas, quæ mentis oculos illudit, ne ea circumspiciat, quibus ad officium & pietatem erudiri potuit. Inde adeò factum est, vt cùm per inconsiderantiam Numen prę-B teriissent, de sua felicitate perperam statuerent. Quæ autem semel iudicarint atque elegerint, ea sic amplectuntur, vt perpetuò inhæreant. Non enim quæ prius omiserant, ea ratiocinando repetunt, qua ratione posset voluntas inflecti: sed vt primùm voluntas elegit, ipsum mentis iudicium fixum immotúmque manet, nec ab eo quod semel placuit vlla ratione abduci potest. Hactenus sanè dæmones, & se peccasse negant, & à Deo iniuria affectos queruntur. Quo pacto igitur verisimile est Satanam à Michaele Archangelo rationibus de sententia potuisse deduci? Attamen conuictus est, inquis, nec pudorem tulit, atque ita cælis excessit, euasit, erupit. Vtique si talis quędam altercatio Platoni cum Aristotele orta esset, haud dubitem alterutrum argumentis vinci potuisse. Vt dæmon cederet, non ratione, sed vi opus fuit: sic illius tum contumacia debilitata est. Hinc colliges,

Non est verisimile tam fuisse draconem modestum atque humilem, vt statim rationi cederet.

Itaque Fausti error nonnulla ratione nititur, qui idcirco dæmones corporeos asseruit, vt cecidisse videri possent. Nam quæ nulla mole constant, eadem impelli non possunt. Necessaria est enim superficies, quam reliquæ dimensiones comitentur, vt in eam impetus à mouente imprimatur. Nonnullos autores lego, qui mouendi vim quandam Angelis præter intellectum & voluntatem tribuant. Erunt fortassis etiam in posterum, qui partem aliquam ascribant, qua moueri ab alijs secundum locum possint. Ego verò propriæ cùm sim conscius ignorantię, cuiusquam qui Catholicè sentiat, iudicium aspernari non soleo: si quæ ta-D men à S. Thomæ placitis abhorrēt, horum plerunque citra contemptum rationem non habeo. Quamobrem alio nobis ariete opus est, vt tumultuariā illam Fausti molitionē deijciamus.

Iamdudum autore S. Thoma docuimus, quo pacto Angeli in loco consisterent. Non enim ipsi loca occupant: sed perinde vt agunt aut patiuntur vspiam, ita esse dicuntur. Horum porrò locus à principio cœlum erat, quod torquere nati sunt, ac reliquę naturę prœesse. Illud igitur imperio obtinebant, imperio mouebant, haud aliter ferè quàm voluntas corporis artubus imperat, & ad opus admouet. Orbis imperio contenti, & reliquis naturę dotibus, quæ præstantissimæ in ijs elucescebant, Numinis atq; auto-

Alia ratio explicandi à nobis proponitur.

A ris sui nullam rationem habuerunt. Quod portentum ingrati animi quantum supplicij atque animaduersionis mereretur, nemo non videt. Primùm igitur Deū vindicem nacti, æternæ felicitatis spe, quæ certissima eos mansit, priuati sunt. Deinde & gratiæ decor amplissimus eos destituit: ipsa quoque naturæ species & insitus splendor plurimùm obscuratus est. Reliquum erat, vt se quoq; cœli naturæq; imperio abdicarent. Sed qua fuerunt temeritate atq; audacia, hactenus retinebant. Inuitos itaque, & fugam detrectātes, Michael cœlo deturbauit. Qua ratione? inquis. Statim audies. Non illos quadrupedes vinciendo atq; extrudendo tanquam saxa volueret. Qui enim fieri posset, cùm voluntate duntaxat & mente constet, quæ videntur stringi, distrahi, atque impelli non posse: Sed cælum prępipiendo quod rebelles regerent. Nam cùm cœli habenas S. Angeli tanquam Numinis vicarij ad se reuocarent, ijsdē reliquos cedere compulerunt. Atqui plerique rebelles, si naturę vires spectes, videntur fuisse Michaele potentiores. Non ibo inficias. Sed illud obseruandum censeo, in his quæ ad imperij gubernationem pertinent, tantum posse vnūquemq; magistratum, quantum Princeps iusserit: quemcumque magistratu abire iusserit, nullā eius potentiam videri. Atqui tum illud Numinis decreto atque autoritate accidit, vt proditoribus abrogaretur imperium, quapropter cùm S. Angeli statim in omnes cœli partes potestatem exercerent, ipsi quoq; perfugæ extemplò præcipites dati sunt. *Et ratio huius est*, inquit S. Thom. 1. par. q. 52. a. 3. C *quia impossibile est, quod duæ causæ completæ sint immediatæ vnius, & eiusdem rei. Quod patet in omni genere causarum: quia vna est forma proxima vnius rei, & vnum est proximum mouens: licet possint esse plures motores remoti. Nec habet instantiam de pluribus trahentibus nauem: quia nullus eorum est perfectus motor, &c. Vnde cùm Angelus dicatur esse in loco per hoc, quod virtus eius immediatè contingit locum per modum continentis perfecti, non potest esse nisi vnus Angelus in vno loco.* Hactenus S. Thomas. Cuius sententiam eo loco Caïetanus interpretatur de potentia naturali & physica, non logica.

Qua ratione Draco è cœlo cecidisse videatur.

Quo pacto ignis ille stygius separatas mentes cruciet & torqueat?

QVÆST. CXXXI.

SExto loco Faustus obijcit, ignium vim dæmones, & reliquos tartari cruciatus absque corporibus tolerare non posse. Perdifficilis & perobscura est quæstio de supplicio dęmonum, quo pacto ab igne corporeo torqueri possint, cùm mole corporis ipsi careant. Nodum hunc non ita pridem Leonard. Lessius expedire conatus est, & in eo mea quidem sententia omnium accuratissimè elaborauit. Sentētiam eius referam, quòd huic loco necessaria visa sit, & concionibus habendis ad popularem intelligentiam accōmodatior; tametsi, vt apparet, ab Angelicæ doctrinæ placitis abhorreat, & ipsa quoque in salebras & offensiones incurrat. 6.

A principio

Leonard. Lessius lib. 13. De perfect. diuin. cap. 30.

A principio vir eruditus nonnulla fundamenta iacit, quibus opinionis fides excitetur, quorum illud primũ est: Ignem suapte vi posse animam tãtisper dum versatur in corpore, doloris sensu afficere, licet is calor, qui manat ab igne, foris duntaxat in corpore resideat. Alterum est, dolorem hunc actum vitalem esse, qui è vitali principio proximè fluens, non absque medio corpore inhæreat. Tametsi enim anima corporis organo indigeat, quo ea quæ foris obijciuntur, naturali via ac ratione percipiat, ipsa tamen est quæ sentit, quæ videt, cui dolor inuritur. Nos enim, inquit Cicero 1. Tuscul. ne nunc quidem oculis cernimus ea quę videmus: neque enim est vllus sensus in corpore: sed viæ quasi quædã sunt ad oculos, ad aures, ad nares, à sede animi perforatæ. Tertium est, vim eam quæ sentit, ab anima mente tantùm ac cogitatione distingui, reipsa confundi. Vnde sequitur, vt ne morte quidem restingui queat, sed cum ea pariter euolet, tametsi forsan ea vti non possit, quòd sensus præsentes non habeat, quos natura rerum nuncios atque interpretes eidem attribuit. Quarto loco manifestum est, non idem esse sentire frigus, ac frigus ipsum quid sit intelligere. Vtrumque porrò anima sibi vendicat, quamuis non absque corporis instrumento prius illud consequitur: neque enim numeris omnibus absoluta est. Cæterùm rem absurdã facimus, si quæ natura vilior obtinet, ea sublimiori denegemus: siquidem poterunt perfectiori ratione comprehẽdi. Intelliget itaque dæmon non solùm quid sit calor, sed etiam vim eius absque corporis adminiculo sentiet, & dolorem experietur. Doctrina planè mirifica, quam nec ego labefactare constitui: sed illud duntaxat quod inde sequitur, quasi pertransiens obseruabo. Si doloris sensum capit, voluptatis etiam capit: nec absurdum erit, si naturam spectes, Angelos rebus venereis capi. Adde nunc Patrum quoque ac Theologorum nonnullis ita probari, &c. Hinc subinde ratiocinando conficit, quod necessariò colligi videtur: tametsi dæmones ignis calore ardere non possint, dolore tamen caloris ardere posse. Quod de animabus separatis pariter intelligendum est, siquidem cuiuscunque medij effectum nullo negotio diuina iustitia supplet. Quibus ita confectis concludit denique.

Eius opinionis, quæ dæmones arbitratur acerbo ignis sensu affici, fundam. 4. iaciuntur.

Incommodum haud ita leue inde videtur sequi.

Lessij conclusio.

Ex his patet, quomodo hæc pœna concipi possit. Sicut enim anima rationalis, natura ita coniungitur suo corpori, vt se ab illo diuellere nequeat: ita ipsa, & quiuis spiritus ipsi similis, etsi perfectior, virtute diuina sic alligari potest corpori igneo, vt se ab illo non possit vllo modo expedire. Neque hoc difficile est intellectu: cùm enim ipse sit omnipotens, & intimè præsens omnibus corporibus & spiritibus, assiduè omnia creans & formans; promptum ei est spiritum corpori applicare, & insolubili vinculo spiritali adstringere, sicut reus fune vel catena, cippo vel trunco in carcere alligari solet. Deinde, sicut anima in corpore existens, statim naturaliter sentit ardorem, qui corpori imprimitur, & vehementem dolorem; quia naturæ eius aduersatur, simul cum tanto calore quasi penetratiuè in eodem corpore vel spatio existere: ita

Dæmones ignis ardorem sentire.

A *ipsa vel alius spiritus alligatus corpori igneo, & simul penetratiuè cum illo in eodem spatio existens, diuina virtute id agente statim sentit ardorem illius corporis, & ingenti dolore afficitur.* Quo sensu videtur dictum à sancto Augustino, *Spiritus adhærendo corporalibus ignibus, miris & ineffabilibus modis inde accipere pœnam* seu dolorem. Et illud à sancto Gregorio, *Animam diuitis non solùm videndo, sed etiam experiendo pati incendia.* Quid enim est aliud *pati incendia experiendo*, quàm pati dolores incendij seu ignis, quales in hac vita pati solet?

S. August. lib. 21. de ciuit. Dei, cap. 10.

S. Gregor. lib. 4. Moral. cap. 19.

Hactenus Lessij sententiam paucis complexi sumus, quam dicendo ornare poterit qui eam probauerit: S. Thomas non vno loco respuit, præsertim verò 1. part. quæstion. 51. artic. 3. quo loco negat Angelos in assumptis
B corporibus opera vitæ exercere posse. *Neque enim quisquam*, inquit, *potest habere opus vitæ, quod non habeat vitam, quæ est potentiale principium talis actionis.* Et miror ego Lessium in constituendo sentiendi vitali principio non meminisse compositi. Rursum autem S. Thomas eiusdem part. quæst. 64. artic. 3. *Respondeo dicendum*, inquit, *quòd timor, dolor, gaudium & huiusmodi, secundum quod sunt passiones, in dæmonibus esse non possunt. Sic enim sunt propriè appetitus sensitiui, qui est virtus in organo corporali: sed secundum quod nominant simplices actus voluntatis, sic possunt esse in dæmonibus. Et necesse est dicere, quod in eis sit dolor: quia dolor secundum quod significat simplicem actum voluntatis, nihil est aliud quàm renisus voluntatis ad id, quod est vel non est, &c.* Sed quia, tametsi Do-
C ctori Angelico magis assentimur, tantisper tamen dum Ecclesia quid sentiendum sit, non definierit, contrariam sententiam oppugnare nolumus, idcirco nos satisfacturos officio credimus, si receptissimam opinionem pro modulo nostro explicemus.

S. Thomas.

Contraria sententia.

Quis cruciatus esse possit separatarum mentium.

Docet itaque S. Thomas dæmones æterno igni à Deo vindice alligatos esse, atque inde mœrore contrahi, doloréque tabescere. Quæ enim est, inquis, tantæ causa tristitiæ? nam spiritibus, quicunque mole caret, perinde est cœlis vinciantur vt igni. Neque enim quæ sola intelligentia constant, vllum habent cum ijs, quæ corporea sunt, mutuæ societatis commercium. Habent tamen à principio, vt suprà diximus, separatæ mentes quoddam in ea im-
D perium. Orbis autem imperio contenti dæmones, & reliquo flore naturæ, conditoris sui amicitiam contempserant; subinde verò cœli suprema regione deturbati, ignem infimum sortiti sunt. Hanc porrò ignominiam & pœnam acerbissimam interpretantur. quî tandem? neque enim habent vllam loci rationem, siue excelsus ille, siue infimus habeatur. Imò maximè. Inferorum siquidem regio à regni gubernaculis remotissima est: qui cœli summum verticem occupant, hi clauum torquent, & habenas orbi subiecto moderantur. Potestatem hãc cùm summo ambitu dæmon affectaret, spe temeraria frustratus est, in deterrimam conditionem coniectus in ignem duntaxat stygium, qui vindicandis sceleribus destinatus est, quantum

Conantur explicare.

QVALIS FORMA EIVS?

carnifici satis sit potestate permissa. Sic ille dum cœca ambitione Numen æmulatur, sordidus carnifex euasit. Nec video, cur quisquam iudicet, eum lentè ferre hanc contumeliam. Interea tamen, inquis, nihil ab igne violatur aut patitur. Quinimò quàm fieri potest grauissime. Semper enim illum ignem gerit præ oculis, in quo temeritatis suæ ingratissimum præmium spectat, & æternam ignominiam. Illum, inquis, sicut auersatur animo, ita & ab eo cogitationem auocet, tum sanè torqueri desinet. Cedo in quo tandem acquiescet? neque enim & Argus, aut draco quidam Hesperidum, sic quoque mens eius sopore aliquo demergi potest. Deum contemplabitur? At primùm quidem supra naturæ vires attolli non potest. Deinde Numinis meminisse, hoc demũ illi cruciatus ciet longè acerbissimos. Ad res creatas deflectet? Quibus tandem superba mẽs delectari poterit? Cælestibus? ijs excidit. elementaribus? in eas dolet se amisisse imperium. In homines oculos defiget? Quos homines? bonos? hos ferre non potest à quibus se victum meminit. Malos? Et hoc ad ignis illius acerbitatem attinet. Hoc itaque solum relinquitur, vt ad illum ignem, cui à Deo addictus est, animum applicet, sitque summum eius supplicium, non habere quò ab eo diuertat. Sed quoniam plerique intellectualium tormentorũ atrocitatem, quam mente consequi non possunt, ne credere quidem inducunt in animum. Nonnullam horum imaginem rudi penicillo describemus, seu potius à Cœlio depictam in hunc locum transferemus; vt si cui ea fortè arrideat, ad suam & aliorum vtilitatem ornet atque expoliat.

Rhodig. Antiq lect. lib. 10. c. 9. 10. 11. 12. 13. 14 de ijs de pœnis multa habet digna quæ legantur.

Quidam inquit, ex Doctoribus nostris haud ignobiles Philosophi, inuestigare volentes, quo modo incorporea anima igni possit affici corporeo, dicunt, *Postea quàm carne ipsa exuta est, sensitiuas remanere potentias*, & (vt Augustinus ait) omnes sensus vitali potestate retentari. Aliorum sententia est, ab anima non formari corpus eiusmodi, nec per ipsum afformari sensum, sed diuina potestate ita sanciẽte, animam, quæ sese prius corpore adobruerit, aqueo elemento vel igneo ita destinari, alligarique, vt obnoxia seruilique conditione indignationis plurimum inde concipiat, ac dolore conuellatur. In statu hoc comminiscitur Orpheus furias tres: ex quibus Tisiphone animam infestet ex corpore. Megæra lancinet ex odio, imaginarijque mali conflictatione formidolosa. Alecto perurat propter imaginarij boni cupiditatem. Has porrò furias excitari ab vltoribus dæmonibus, vt atrocius horribiliùsque exagitetur anima, Platonis sententia est: sed quam comprobet etiam Plotinus, ac antea constituerat Orpheus. Denique primas intemperantis animæ perturbationes persimiles volunt phreneticorum tumultibus, aut bile atra exagitatorum, vel etiam dormientium turbulentis formidolosisque somnijs. Sed & eo amplius impijs animis terribilium fallax imago occursat, quando alendi potestas nulla ibi est, vacant externi sensus, nullius omnino rei sese ingerit distractio, nec lenimenta prestò sunt vlla.

Icones siue imagines quædam infernitormẽtorum.

A Sola reliqua fit furens phantasia, vt Plato vult, aut phantasticæ rationis imperium: cui insitatæ formidabilésq; ostentantur imagines, &c. Cæterùm, inquit, ne quid relinquatur, quo legentium præpediri possit animus, sciant à Platonicis in separatis animis phantasiã dici sensum intimum: vel Peripateticorum more Auicennæ præsertim, affectum habitumq; potẽtiæ rationalis, quem sensibus obsequendo contraxerit, ad corporeas reclinatum perturbationes, in materiámq; vergentem. Hæc ille: quæ pluribus ibidẽ persequitur. Quæ tametsi nequaquã probo quo pacto à Platonicis intelliguntur, arbitror tamen æterni ignis quandam præ se ferre imaginem, qui in eum finem à Deo institutus est, vt qua ratione dæmones pati possunt, eos cruciaret. Etsi enim probabilius iudico dæ- B mones ignem sentire non posse, certum est tamen insita specie eundẽ intelligere, atque adeò arbitror pœnæ simul, quam quisq; meretur, simulacrum inuehi, seu potius pœnã ipsam, quæ angoribus mentem conficiat, & malo maiore mactet, quàm ferat corporis infirmitas. Sed de his hactenus. Quæ autem explicationis gratia afferre visus sum, non eo animo feci, vt Lessij sententiam reprehendam, cum quo collatus, vt aiebãt illi, ne locusta quidem videar: sed studio doctrinę Angelici Doctoris. Cæterùm siue hãc, siue illã amplecti placeat, apparet vtroq; modo ijs, quæ à Fausto obiecta erant, abundè satisfactum esse: quod eò diligentiùs ac penè necessariò feci, quòd Mamertus visus sit credere: & quanquam dæmones corporeos neget, ob eas tamen rationes, quas Faustus recensuit, corpo- C ratos fateri, & in errorem impingere haud multò leuiorem.

Reliquor. confutatio argum.

Reliquas subinde Fausti rationes itidem confutat. Sed nihil opus esse video, quamobrem in ijs refellendis abutar lectoris patientia. Quis enim nesciat etiã ijs, quæ incorporea sunt, sui generis maculã inuri posse, quæ eadem turpificet? Est sordis species quædam teterrima error, & iniustitia, quæ tametsi corpus nullo colore tingunt, ipsum tamen animæ vultũ inficiunt. Animas autem extra rapi cum eo negamus, tametsi de rebus cogitent quæ procul sita sunt, sed easdem intus in memoriæ speculo contemplari. Quoniã verò idem, vt ait, testimoniorum præterea penuria coactus, S. Hieronymi autoritate errorem suum fulcire studuerat; id quod D temerè ex tanti viri monumentis arripuerat, copiosè refellit lib. 1. c. 11. & eiusdem exemplo prouocatus, cùm philosophos, tum Catholicos Doctores laudat plurimos, & aduersariũ nube testium obruit. l. 3. c. 6. & nonnulli sequentibus. Quod si qui forte ex patribus aliter senserint, quãtum fidei in ea parte eorundem scriptis habendum sit, occasione S. Hilar. Pictau. edocuit. *Duo hæc*, inquit, *veris aduersa disseruit. Vnũ, quod quod nihil incorporeum creatum dixit. Aliud, nihil doloris Christum in passione sensisse. Cuius si vera passio non fuit, redemptio quoque nostra vera esse non potuit. Sed quoniam beatus Hilarius opinionis huiusce vitium virtute confessionis aboleuit, sic sustinet reprehensionis stylum, quod non patitur detrimenta meritorum. Quapropter eatenus diuinarum tractatoribus*

S. Mamertus de S. Hilario.

QVALIS FORMA EIVS?

toribus Scripturarum fidem adhiberi par est, quoad vsque eidem tenore astipulantur. Hactenus S. Mamertus. Opus intermissum repetamus.

Suidas in voce Ἔμπουσα.

Vir senex ascendit.] Empusæ meminit Suidas, quam scribit φάντασμα δαιμονιῶδες fuisse ὑπὸ τῆς Ἑκάτης ἐπιπεμπόμενον καὶ φανταζόμενον τοῖς δυστυχοῦσι. Spectrum dæmoniacum, quod ab Hecate immittebatur, & apparebat calamitosis hominibus, quod in varias formas se mutare putabatur. Sic dictum, vel quod vno pede incederet, vel quod alterum pedem æreum haberet, vel quod ex obscuris locis appareret illis, qui initiabantur. Aliàs etiam Onocole dicta: vel ob crus asininum, vel, vt alij malunt, quòd formas mutaret. Aristophanes Ranis pag. 142.

Ὀνόκωλος. κῶλον autem non pedē, crúsue tantùm, sed quoduis membrum sign.

X. *Atqui video per Iouem, feram magnam.*
D. *Qualemnam?* X. *terribilē. Omnigena enim fit.*
Nam modò quidem fit bos, modo verò mulus, modò verò rursus mulier
Formosissima quadam. D. *Vbinam est? Eia ad ipsam accedam.*
X. *At non amplius iterum mulier est: sed iam canis est.*
D. *Empusa igitur est.* X. *sic arbitror. Igne enim collucet ipsius*
Tota facies, & crus æreum habet.
D. *Per Neptunum ita est, vt dicis, & asininum alterum crus habet.*

Non erat igitur hic senex, quem saga tellure erumpentem vidit: Empusa ab Hecate missa: sed cùm esset Samuelis anima, noti quoque corporis habitum præ se ferebat.

Dæmō vestem postulat se algere simulās, cum potius ardeat.

Et ipse amictus est pallio.] Periander apud Herodotum libro quinto cùm ad Thesprotos, qui sunt ad flumen Acherontem, misisset nuncios sciscitatum Necyomanteon siue mortuorum oraculum, de hospitis deposito, Melissa eius quondam vxor apparens, negauit se indicaturam aut dicturam vbinam depositum esset collocatum, quoniam ipsa algeret, quia nuda esset. Itaque statim post eum nuncium per preconem edixit, vt omnes Chorinthiæ mulieres ad Iunonis templum prodirent. Eò tanquam ad diem festum quàm ornatissimè poterant quum issent mulieres, depositis clàm satellitibus, eas omnes sine discrimine exuit, atque eas vestes ad foueam comportatas Melissam precando cremauit. Tum demum Melissæ idolum respondit. Hæ sunt artes dæmonum. At Samuel noster pallio decenter ornatus apparuit. *Amictus pallio.* Habitus iste fuit Regius, Propheticus, & Sacerdotalis. Nam Reges & Sacerdotes habitu discernebantur à populo. Samuel fuerat Iudex, & in magistratu vsus fuerat pallio, idque semper vsque à puero. Nam mater illi quotannis dabat, & pallium & Ephod. Iosephus comminiscitur nescio quid de pallio Sacerdotali. Sed Samuel non fuerat Sacerdos. Erat quidem ex tribu Leuitica: ex familia tamen non Aaronis, sed Chore. מעיל *Meghil* Hebræis, vestis summa, longior, sine manicis, ornatior & honoratior, quam exuti nudi vocabantur. Primò vestis fuit sacra Sacerdotum. Exodi 28. ver. 31. Secundò Regum & Prophetarum, qualis ferè latinis toga. Iob 1. ver. 20. *Et surrexit Iob & scidit* מעילו *Meghilo, pallium suum*: in signum luctus. Hic Samuel dicitur opertus pallio, in quo forsitan sepultus fuerat. Græcis variè exponitur. Ποδήρης Exodi 28. ver. 4. στολὴ Iob 2. ver. 12. διπλοΐς 1. Reg. 2. 21. ἐπενδύτης, ἐπενδύτης tunica. μίτρα quoque Ezechiel. 26. ver. 16. Apparet autem mulierem istam non agnouisse de facie Samuelem cùm viueret. Nunc enim nihil aliud describit, nisi vestem eius & habitum.

Pallium.

Et intellexit Saul quod Samuel esset.] Saul, vt iam antea notauimus, nihil videbat. Rabbini aiunt, eos, qui astabant, nec vidisse, nec audiuisse quicquam: Saulem tantùm audiuisse: mulierem tantùm vidisse. Et probabile quidem est, comites illos Saulis non audiuisse: nam si ita responsa intellexissent, autores fuissent Sauli, ne committeret prælium, & omnia perderet. Ita enim vxor Cæsaris, cùm secundum quietem vidisset illum confodi pugionibus, vehementer illi suasit, ne postridie iret in senatum. Tale quiddam est, quod narratur de Paulo in Act. Apostolorum: comites eius vidisse quidem lucem, sed vocem non audiuisse: cùm tamen postea Paulus in Oratione sua apud Agrippam dicat, illos etiam audiuisse. Sed ista satis conueniunt. Tonitru enim & strepitum audiuerunt: vocem certam & distinctam, quam intelligerent, non audiuerunt. Vidit tamen mulier insuper & senis Prophetæ canos, ornatúmque notare potuit. Atqui seu diabolus hoc loco in scenam inductus illuderet, seu defuncti Samuelis animæ, manes pariter ac dæmones carere corpore pluribus antea docuimus. Quî fit igitur vt hoc loco mulier humani corporis speciem sibi videre videatur? Respondeo, bifariam accidere potuisse. Aut secundum imaginationem tantùm, dum ea quæ videri volunt, separatæ mentes interioribus sensibus specie tenus objiciunt: aut sanè reipsa, ac mole corporea, quod eo pacto fit, si vera corpora, aut corporum simulacra quæ conspiciantur induant. Quæstionem hanc duobus articulis breuiter expedijt S. Thomas 1. part. quæst. 51. Quorum

---

Primus est, *Vtrum Angeli assumant corpora?* Alter, *Vtrum Angeli in corporibus assumptis, opera vitæ exerceant?*

QVÆSTIO CXXXII.

Dæmones vera corpora quandoque induunt.

NOs solito more discutiemus. Nam quo pacto nonnunquam sensibus illudant, iam antea copiosè disseruimus. Primum igitur respondeo cum S. Thoma, non rarò eos cùm apparent vera corpora induere. Neque enim dubitari potest diabolum, cùm sit spiritus, penetrare posse in corpora solidissima. Hoc pacto induit se sæpè in statuas; loquutus est in serpente: soluit linguam asinæ. Assumit etiam humana corpora vel viua, vel mortua, eáque agit, vt vexat, & impedit eorum opera naturalia. Obseruat sæpe cursum Lunæ, vt infamet, quemadmodum ait S. Hieronymus, illud

Vir senex ascendit, &c.

Nonnunquam ipsi fabricant.

astrum, vel potius quod captet affluxum humorum, vt possit corpus torquere vehementius. Induit interdum corpus aërium: sed illud non informat, vt loquuntur philosophi; nec vt anima humanis artubus, sic illi vitam impertit. Sed nec in eandem transit hypostasim, vt quondam Dei Verbum in vnius & eiusdem societatem personæ carnem nostram asciscens. Angeli enim & dæmones statim vt illis visum erit, ascita corpora deponunt. Sunt enim in illis, vt Scholastici dicere solent, definitiuè: hoc est, ita in illis sunt, vt non sint alibi. Deus quidem in veteri Testamento exhibuit sese in aliqua forma interdum conspiciendum. Sed non erat in illa pariter definitiuè. Quippe ita ibi erat, vt esset tamen interim vbique. Diabolus autem, vt inquit S. Augustinus, aptat sibi corpus aliquod tanquam vestem. Et S. Chrysostomus de patientia Iob ait, illum, qui nunciauit illi ruinam domus, & excidium suorum, non fuisse hominem, sed dæmonem. Nam si homo eras, inquit, quomodo sciebas ventum ortum fuisse à deserto? Aut si ibi eras, quomodo non vnà opprimebaris?

Aëria potissimum corpora sibi consuūt.

Bona pars scriptorum putat, dæmones sibi fingere corpora ex aëre. Sympathiam enim quandam esse oportere inter locum & habitantem. Diabolos autem habitare in aëre caliginoso, omnes consentiunt: credibile ergo esse, ex familiari aëre sibi accommodare corpora consuesse. Deinde addunt, oportere corpora eorum esse agilia: dæmones enim, vt Tertullianus ait, esse quodammodo volucres, & celerrimè per omnia loca volitare. Adhæc addūt, experientiam docere, corpora illa esse aëria. Fuisse enim, qui ea conati sint aliquando scindere, & vulnerare: sed nihil potuisse: illa enim cessisse ictibus, & statim denuo coiuisse. Itaque ille pulchrè cecinit,

Virgil. Æneid. 2.

Ter conatus ibi collo dare brachia circum;
Ter frustrà comprensa manus effugit imago,
Par leuibus ventis, volucrique simillima somno.

Præterea illa corpora facillimè euanescunt. Quod si essent terrea, aliquid maneret solidi: si aquea, diffluerent: si ignea, comburerent, & attrectari non possent. Spissant autem dæmones, & condensant ista corpora ex compressione partium. Nam alioqui non possent videri aut tangi. Abraham vidit Angelos, & lauit illorum pedes, & illis apposuit cibos, denique etiam comederunt.

Probatur ex Scripturis apparitiones in assumptis corporibus non vsquequaque phantasias ascribi posse.

Quidam tamen putant, ea non esse corpora, sed tantùm imaginationes quasdam in animis hominum. Alij autem respondent, id non posse verum esse in vniuersum: illos enim, quibus illuditur huiusmodi imaginibus, alienari à sensibus. Sed ne id quidem certum est. Phrenetici enim ita luduntur sæpè, quamuis eos vti sensibus nihil prohibeat. Vident enim & audiunt, tametsi persuaderi non possint. Timent sane, fugiunt, pauent, clamant. Alij censent non esse phantasias, quòd conspiciantur simul à magna hominum multitudine. Difficile autem esse simul imponere posse multis. Porrò tota familia Loth, & Abraham conspectos fuisse Angelos. Sed sacræ literæ sine vlla dubitatione probant,

A non esse istas tantum inanes imaginationes. Verus enim diabolus ingressus est in serpentem, vt Euam induceret in fraudem. Idque satis docet eius execratio: *Super ventrem tuum gradieris: semen mulieris calcabit caput tuum.* Id enim non tantùm de Christo, & diabolo verum est, sed etiam de hominibus, & serpente. Deinde, vt suprà dixi, Angeli sese obtulerunt conspiciendos Abraham & Loth. Nec erant illæ phantasiæ. Adtrectabantur enim Angeli digitis: cumque Loth cunctaretur, per vim quodammodo extractus est ab illis è ciuitate. Israëlitæ viderunt interdiu fumū; noctu flammam: suberat Spiritus qui ea mouebat, quotiescunque iter esset faciendum. Vt enim lumen Solis penetrat aquam, nubem, aërem, ita Spiritus penetrat omnia. Cùm lex ferretur in

B Sina, conspectæ sunt lampades, vapores, exhalationes, ignes. Terra quoque concussa est terræ motibus. Christus cum iret in cœlum, comites habuit Angelos. Nā & illi videndi sui potestatem discipulis eius fecerunt, & eosdem quoque hac oratione compellarunt: *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum?* Impudentis ergo hominis est, velle dicere, ista omnia falsa quædam spectra fuisse, & ludificationes animorum. Imo ne Peripatetici quidem vnquam dixerunt, vana ista tantùm esse & inania simulacra. Confinxerunt alias potius rationes, humores, occultas naturæ vires, & corpora cœlestia.

Cur ergo, inquies, ait Paulus ad Thessal. Antichristum venturum in potestate, in portentis & signis mendacij? Nam si sunt vera,

C quomodo sunt signa mendacij? Respondeo, dici posse mendacia vel à causa, diabolus enim autor illorum est mendax: vel à fine; idcirco enim ea faciet, vt homines fallat. Et certè impij digni sunt, quibus ita imponatur. Vt enim Paulus ait, *Quia dilectionem veritatis non receperunt, mittet illis Deus efficaciam erroris.* Nec dubito falsa quoque miracula non pauca editurum. Nam etsi verum corpus ex elementis fingere poterit, nequicquam tamen supra naturæ vires conabitur. Fiunt autem ista interdum, vt Dei potentia clarius eluceat. Nam cùm sit tanta vis diaboli, oportet potentiam Dei, qua ille frenatur, & regitur, multò maiorem esse. Nostræ autem partes sunt semper Deo gratias agere, cuius solius beneficio & S. Angeli animæq;

D beatæ nonnunquam nobis apparent, & artes diabolicæ reteguntur.

Corpora ergo ista, quæ sibi dæmones architectantur, sunt aëria. Vt enim aqua cogitur in glaciem, & interdum durescit in crystallum: ita aër quo sese vestiunt dæmones & manes, densatur in corpus aspectabile. Quod si aër solus non videatur esse satis, possunt admiscere etiam aliquid vaporis, aut aquæ, vnde existant colores. Id enim fieri videmus in iride. Sic enim ille ait:

Qualia sint illa corpora.

Mille trahit varios aduerso sole colores.

Nihil autem necesse est tribuere dæmonibus & Angelis membra illa vitalia, pulmones, cor, epar. Non enim ea causa induunt corpora, vt ea viuificent, sed tantum vt videantur. Itaque illis

Vir senex ascendit, &c. S August.

illis vtuntur vt instrumentis. At comedunt, inquies: & Christus cùm esset excitatus à morte, melle ac pisce vesci visus est. S. Augustinus in Epist. 94. ad Deo gratias, quæst. 1. ait, id fuisse in Christo non necessitatis, sed potestatis. Et vtitur huiusmodi simili. *Aliter enim*, inquit, *arida terra sorbet aquas, aliter radius Solis. Illa necessariò: hic autem vi tantum quadam, & potestate. Ita, inquit, corpora excitata à morte, si non possent cibum capere, non essent perfectè felicia: rursus etiam, si egerent, essent imperfecta. Quod ergo Christus comedit, non necessitatis erat, sed potestatis. Comedit autem cum discipulis, ne illi oculis suis putarent illudi.*]

Cur Christus post resurrectionem comederit.

Atque ita dicimus, Angelos quoque & dæmones comedere: tametsi longè diuersa ratione. Etsi enim is motus qui ad cibum conficiendum requiritur, vtrinque verè concurrat, non est tamen perinde vt in Christo, sic quoque vitalis actio in Angelis: sed qualis conatus esse solet mouentis in mobili. Non enim vt formæ, quæ vitam tribuant, assumptis corporibus incumbunt: sed eadem vt motores exercent, & circunferunt. Imò hoc ipsum, inquies, est decipere, velle videri homines, quales esse non possunt. Respondeo, Boni Spiritus non fallunt. Non enim accedunt ea causa, vt probent se esse homines: sed vt exponant mandata Dei. Mendacium autem semper coniunctum est cum animo fallēdi. Ad extremum verò aliquo indicio satis ostendunt, se Angelos esse. Euanescunt enim, vt subitò sese auferunt ex oculis. Dupliciter ergo erudiunt homines: Primùm, quia quæ à Deo iussi sunt, ea mortalibus indicant: deinde, quia declarant naturam suam. Quod scimus factum ab illis Angelis, qui cōspecti sunt à Gedeone, & Manue. Mali verò Spiritus primùm docent falsa, & abducunt à Deo: deinde etiam videri volunt terribiles, & longe potentiores quàm sint: & pollicentur, sese velle multa aut dare, aut facere. Nec tantùm hominum vultus mentiuntur, sed etiam iactare se audent Angelos lucis. Sed hactenus satis.

Obiectio refellitur.

Et inclinauit se super faciem suam in terra, & adorauit.] Hebraicè, ויקד אפים ארצה וישתחו *Vaykod apaym arecsah vaysclhachou. Et inclinauit facies super terram, & incuruauit se.* 3. Regum cap. 1. ver. 23. & 31. iisdem verbis referuntur primùm Nathan, deinde & Bethsabee adorasse Dauid. Et supra huius libri cap. 20. ver. 41. ipse Dauid etiam וישתחו *vaysclhachou, inclinauit se, siue adorauit* tribus vicibus, priusquam in amplexus Ionathæ rueret. Quamobrem ciuilis habenda est hæc adoratio. Nec alia mihi fuisse videtur quàm Sunamitidis illius, quæ 4. Reg. cap. 4. cùm amisso filio ad Elisæum venisset in montem Dei, *apprehendit pedes eius: ad quam cùm accessisset Giezi vt amoueret eam, ait Homo Dei: Dimitte illam: anima enim eius in amaritudine est.* Scilicet is habitus ingenti calamitate perculsum decet: non autem idololatriam redolet, quod nonnullis visum est. Sed & illud obseruatione dignum quod habet Iosephus Antiquit. Iudaic. lib. 11. cap. 8. interrogatum à Parmenione Alexandrum quamobrem Iudæorum Pontificem adorasset, retulisse, Non

Ciuilis adoratio.

A hunc se adorasse, sed Deo, cuius is esset Pontifex, eum honorem habuisse.

Intellexit quod Samuel esset.

Sed num reuera hoc loco Samuel apparuit?

QVÆST. CXXXIII.

Respondet S. Theodoretus quæst. 62. in lib. 1. Reg. Ego autem legens librum Paral. inueni eum sic dixisse qui scripsit historiam. *Et mortuus est Saul in suis iniquitatibus, in quibus iniquè se gessit Domino secundum eloquium Domini: propterea quod ipsum non custodiuit, & quod interrogauit Saul in ventriloqua vt exquireret. Et respondit ei Samuel propheta: & non exquisiuit in Domino, & occidit eum.* Hinc est ergo perspi-B cuum quod ipse Deus vniuersorum, efformata vt voluit specie Samuelis, protulit sententiam, cùm hoc non potuisset facere ventriloqua, sed Deus, & minimè protulit sententiam per aduersarios. Audimus enim eum dicentem. *Etsi abieris ad pseudoprophetam, ego Dominus respondebo ei.* Hactenus Theodoretus. Etsi verò neq; Latina Vulg. neque Græca Complutens. Sed ne textus quidem Hebræus illud habere videatur, *Et respondit ei Samuel propheta*: habet tamen Græca Aldini editio, & Latina Nobilii. Καὶ ἀπεκρίθη αὐτῷ Σαμουὴλ ὁ προφήτης. Theodoretum sequitur Procopius. Vel δαιμόνιον πλάνον τὸ σχῆμα τοῦ Σαμουὴλ ὑποκρίνεται, Spiritus impostor formam Samuelis simulat, & illa dicit quæ sæpenumero ex Samuele audiuit, Saulinæ mor-C tis tempus ignorans: ἢ θεῖος ἄγγελος, ὡς ἠβουλήθη, τὸ εἶδος τοῦ Σαμουὴλ σχηματίσας, τοῦ Θεοῦ διὰ τῶν ἐναντίων τὴν ψῆφον ἐκφέροντος. Vel Angelus Dei, sicut voluit, formam Samuelis asciuit, Domino sententiam per contrarium efferente; qui inquit: Κἂν ἀπέλθῃς πρὸς τὸν ψευδοπροφήτην, ἐγὼ κύριος ἀποκριθήσομαι αὐτῷ, *si accesseris ad pseudoprophetam, ego Dominus respondebo ei.* Sic per Balaam, Spiritu Dei in ipso operante, benedixit populo, & orbis salutem prædixit. Hic igitur etiam nunc effecit, vt appareret forma Samuelis, quam Scriptura Samuelem appellauit. Sic Angelos etiam, qui Abraham apparuerunt, & Dominum eorum, viros appellauit. Qui dij non sunt, deos appellat Scriptura. D quemadmodum nunc etiam Samuelem; vt Saul, cui hoc videbatur, sententiam ex eo audiret, & cum eo gemitu è vita excederet. Hæc Procopius. Quæ Glycas etiam amplectitur parte secunda. Et ego in hanc quoque sententiam libens concederem, si aut ipsa Scripturæ autoritate aliqua niteretur, aut nos ratio aliqua cogeret à communi sensu verborum ad allegoriam deflectere.

S. Theodoretus. 1. Paral. ca: 10 v. 13 & 14. Deum censet in ficta à se Samuelis specie Sauli respondisse.

Num. 12. & 22.

Procopius Angelū aut dæmonem apparuisse asserit, Dominum ipsum respōdisse; vel etiam dæmonem.

Verumenimuerò quantum ex Scripturæ oratione conijcere possumus, & ipsa quoque historiæ ratio postulat, necessarium arbitror eum qui apparuit, vel Samuelem fuisse, vel dæmonem. Quippe magicas artes lamia adhibuisse dicitur, statim verò Samuelem emersisse ex inferis. Itaque passim interpretes in alterutram sententiam discedunt. Nam pauci omnino, in

INTELLEXIT, &c.

quibus Rab. Camius, commentum hoc mulieris fuisse dicunt, & quicquam apparuisse negant: quinimò pleríque omnes aut dæmonem fuisse asserunt, aut excitum ab inferis Samuelem. Quod si fortè posteriorum autoritate permoti, Samuelem eò venisse concedamus, quæretur iterum: An totus cum corpore & animo accesserit: an cum solo corpore: an denique separata duntaxat anima, qualis tum in sinu Abrahæ delitescebat. Nam si totus occurrit & animo constans & corpore, eundem resurrexisse oportuit. Id autem cùm sit maximum miraculum, non potest aut magæ tribui, aut diabolo. Imò sunt quidam, qui id ne Deo quidem tribuant. Sed illæ pestes facilè ab ipsa historia sacrarum literarum refutantur. Tres enim legimus reuocatos ad vitam in veteri Testamento: Vnum ab Elia, alterum ab Elisæo adhuc viuente, tertium ab Elisæi iam demortui ossibus: in nouo autem Testamento filiam Archisynagogi, filium viduæ, Lazarum, Eutychum, Dorcadem. Quare si negamus Samuelem rediisse ad vitam, non idcirco id negamus, quòd Deus non potuerit id efficere. (nam Christus resurrectionem probauit, & inquit Deum esse, *non mortuorum Deum, sed viuentium*: & Paulus in 15. 1. ad Corinth. multis rationibus ex professo resurrectionem mortuorum confirmat: & in 6. ad Hebræos, eam connumerat inter fundamenta Religionis nostræ: articulus est fidei nostræ: & ne Turcæ quidem, aut Iudæi negant, mortuos esse resurrecturos: Montanistæ autem, & Origenistæ, & similes furiæ, quę negant, ex Iob, ex Psalmis, ex Esaia, è Daniele, & passim è nouo Testamento refutantur) non ergo id negamus factum, quod non potuerit fieri: sed quod neque id Scriptura indicet, neque ad id quod quærebatur, necessarium videatur. Miracula autem, vt aiunt, absque necessitate multiplicanda non sunt.

Quęstionis partitio.

Non apparuit Samuel cū corpore & anima.

Num igitur probamus potius cum solo corpore aduenisse? Ecclesiastici cap. 46. versu 23. *Et post hoc (Samuel) dormiuit, & notum fecit Regi, & ostendit illi finem vitæ suæ, & exaltauit vocem suam de terra in Prophetia delere impietatem gentis.* Græcè, καὶ μετὰ τὸ κοιμηθῆναι αὐτὸν προεφήτευσε, *Et postquam dormiuit ipse, prophetauit, & ostendit Regi, &c.* Propter hæc Paulus Burgensis putat, non spiritum Samuelis aductum fuisse, sed cadauer. Omninò autem verum fuisse Samuelem. Sic enim scriptum esse in Ecclesiastico, *Et cùm dormiuisset.* Diabolum autem ait, non dormire. Et cum ait conquestum, quod se mulier conturbasset, quod eius cadauer iam acquiesceret. Sed ne hoc quidem est tanti. Primùm enim non videtur credibile, cadauer lacerum, & putre eò translatum fuisse. Deinde, si ita fuisset, Saul illud videre potuisset. Adhæc, certè cadauer per se res stupida est, & mortua: nec potuisset quicquam respondere, nisi illud diabolus induisset. Diabolus autem ista facere potuit etiam sine cadauere: nam ei licuit formam & figuram eius accipere. Denique, præter vnum Burgensem, nullus interpretum hoc vnquam somniauit.

Non cum solo corpore.

Burgensis.

Videamus ergo, an fuerit animus Samuelis,

A an diabolus: nam ea de re interpretes leguntur diuersa sensisse. Nam quidam non potuisse extincti Prophetæ animum sisti, ideirco asserunt, quod putent animos hominum post mortem non extare. Sed hæc impia atque insana deliria ducere debemus. Re enim vera piorum animæ restant funeri superstites, & viuunt coram Deo. Ita enim Deus ipse ait: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob*: Et Christus addit: *Non est mortuorum Deus, sed viuentium.* Et rursum Christus latroni: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Fuisset illud certè longum hodie, si iuberetur expectare vsque ad communem resurrectionem. *Sed mille anni*, inquiunt, *apud Dominum sunt tanquam dies vnus.* Fateor. Non tamen semper aduerbium illud *hodie* ita sonat. Imo sanctus Augustinus ad Dar-

INTELLEXIT, &c.

Animæ funeri superstites manent.

S. August.

B danum, aduerbium illud propriè accipiens, ait: Corpus Christi fuisse illo die in sepulcro: animam autem in inferno. Itaque necesse fuisse, vt latro fuerit cum diuinitate Christi in Paradiso: non enim dat vel animam vel corpus Domini tum simul in diuersis locis fuisse. Et Paulus ait ad Philippenses, *Cupio dissolui, &*, non ait dormire, & extingui, sed *esse cum Christo.* Adhæc, Lazarus in sinum Abrahæ ab Angelis asportatur: diues epulo abiicitur in infernum. Et alter diues, qui decreuerat apud se velle amplificare horrea sua, audit: *Stulte, hac nocte repetent à te animam tuam.* Et Chrysostomus in homil. 2. de Lazaro: Spiritus, inquit, hominum, non eadem conditione auferuntur: alij enim abeunt ad pœnam: alij stipati ab Angelis abducuntur in cælum. In Apocalypsi animæ beatæ *accipiunt stolas, stant ante thronū, & sequuntur agnum quocunque ierit.* Stephanus moriens ait: *Domine Iesu, accipe spiritum meum.* Si animus prorsus

S. Chrysost.

C erat moriturus, cur eum magis commendauit, quàm corpus? Certè Sancti nusquam leguntur corpora sua Domino commendasse. Et in 2. ad Corinth. cap. 5. *Scimus enim quod si terrena domus huius tabernaculi dissoluta fuerit, ædificium ex Deo habemus, domum non manufactam æternam in cælis.* Ista non intelliguntur post resurrectionem, quia ibi etiam corpus nostrum habebimus: de statu ergo medio accipienda sunt. Manent proinde animæ post mortem. Sed controuersia est, Fueritne iste Samuel, an diabolus? Qua de re non tantùm Rabbini, sed etiam Christiani Patres, inter se dissentiunt. Imò ex recentioribus quoque aliud sentit Burgensis, aliud Lyra.

D

Iustinus Martyr contra Tryphonem ait, fuisse Samuelem: quo in loco quædam habet, quæ haud ita facile concedi possunt. Ait enim omnes animas, etiam piorum, fuisse aliquo modo sub potestate diaboli: vt eas potuerit reducere, cùm vellet. Atqui Christus ait, Lazarum fuisse in sinu Abrahæ, non in potestate diaboli. Sed illa, inquies, est parabola. Esto: tamen ducta est à rebus verisimilibus, & quæ fierent. Deinde plerique negant fuisse parabolam. Tertullianus sanè eam narrationem ita habuit pro re gesta, vt Lazarum putet fuisse Ioãnem Baptistam, & Herodem diuitem epulonem. Christum autem voluisse parcere nominibus.

S. Iustinus docet fuisse verum Samuelem.

Contrà

INTELLEXIT, &c.

Terrul. diaboli figmentum fuisse putat.

Contrà tamen Tertullianus in libro de Anima, multa habet animaduersione dignissima. Summatim colligam, quoniam horum alibi mentio à me facta est. Artes magicas appellat secundam idololatriam. Vt enim in priori diabolus fingit se esse Deum: ita in posteriori sese fingit esse angelum, aut mortuum: & vtrobique quærit, vt adoretur. Nec mirum est, si exteriores hominum animos perstringat, cùm antea occuparit oculos mentis. Ita enim Magorum Pharaonis virgas visas fuisse serpentes. Sed postea mendacium deuoratum fuisse à veritate. Quod autem Simoniani dicunt, se posse suis carminibus reuocare mortuos, id spectrum tantùm fuisse, & rem ludicram. Ita enim hoc quoque loco diabolum illusisse & mulieri, & Sauli: & illius oculis, huius auribus imposuisse.

Origenes negat bonos spiritus obtēperare carminibus magicis.

S. Ambros.

S. Chrysost.

Origenes de hac re nihil ex professo scribit. Tamen in historia Balaam ait, Bonos spiritus non obtemperare carminibus magicis. S. Ambrosius in Lucam lib. 1. cap. 1. ait, Samuelem, etiam cùm mortuus esset, prophetasse. S. Chrysostomus de hoc Samuelis facto nominatim, quod sciam, non disseruit. Attamen in homil. 29. in Matthæum ait, nullo modo credendum esse, animas mortuorum versari in terris. Diues, inquit, petijt, vt Lazarus remitteretur: sed non impetrauit. Huc ego addo, Quo ergo pacto hoc impetrare potuit mulier maga de Samuele? Eadem enim erat vtrinque ratio. Animæ, inquit S. Chrysostomus, sunt in loco certo, & expectant iudicium, neque se inde possunt commouere. Et in homil. 2. de Lazaro, Si diabolus, inquit, nihil potest in viuos, quomodo potest aliquid in spiritus mortuorum? Et in homil. 4. Si ita esset, inquit, pateret magnus aditus diabolo ad imposturas. Rediret enim sub illa specie, & doceret errores. Sed nec S.

S. Hieron.

Hieronymus de hac re certi quicquam habet: nisi quod in septimo cap. Esaiæ ait, Multos putare Saulem accepisse signum è terra, & è profundo inferni, cùm videretur excitasse Samuelem. Hanc ait aliorum esse sententiam, non suam: deinde ait visum fuisse Samuelem, non autem fuisse. Et in Hierem. cap. 11. ita scribit. Non exaudit Deus in tempore necessitatis & angustiæ, quia & illi audire vocem Domini noluerunt: quod & Saul passus est. Cùm enim Pelisthim agmina reformidans, verbum Domini non meruisset accipere, conuersus est ad Pythonissam, vt ab idolis disceret, quod instantia orationis ac fletuum à Domino debuisset extorquere. Per quæ discimus, etiamsi Dominus non exaudierit, nequaquam esse cessandum, nec confugiendum ad dæmones, qui cultores suos adiuuare non possunt, sed ad Domini auxilium. Cæterùm ijs verbis S. Hieronymus non definit, an diabolus per seipsum, an per animam Samuelis reductā, responderit magicis interrogationibus. Sicut neque Ezech. 13. quo loco de Pythonissa loquens, quæ visa est, inquit, suscitasse Samuelem. Addam nunc & Basilium illum

S. Basil.

Magnum, qui de Samuele perinde sentire videtur, ac si illum saga euocasset. Καὶ ἡ ἐγγαστρίμυθος, inquit epist. 80. ἐν ταῖς μαγγανείαις αὐτῆς ψυχαγωγοῦσα τὸν Σαοὺλ, τὰς ἐπιζητουμένας ψυχὰς θεοὺς ἑωρακέναι φησίν. Et mulier illa Pythonica, quæ Saulem ab inferis incantationibus suis euocauit, cùm videret animas, quæ requirebantur, deos se videre dicebat. At Gregorius Theologus eiusdem æqualis, non absq; dubitatione quadam de eodem loquitur orat. 3. aduers. Iulian. De cruce coronata mentionem fecerat, quæ sacrificanti Iuliano in extis oblata est: quam cùm impius ex tempore ita interpretatus esset, tanquam eo prodigio circumuenti ac circumclusi vndique significarentur Christiani, ipse contrà contendit eo miraculo crucis victoriam portendi. Et addit: εἰ δ' ἀληθὲς, πάλιν Βαλαὰμ προφητεύει, καὶ Σαμουὴλ ἕλκεται ἡ δεξιᾶ δι' ἐγγαστριμύθου, καὶ δαίμονες, &c. Si autem verum, rursum Balaam vaticinatur, & Samuel per Ventriloquam trahitur, aut trahi videtur, & dæmones Iesum inuiti confitentur, ac per contraria, quo plus fidei atque autoritatis habeat, veritas demonstratur. Hactenus ille.

S. Gregor. Nazianz.

Num. 22.

Marci 1.

S. Augustini sentētia, qui multa in vtramq; partē disputat.

Reliquus est S. Augustinus, cuius sententiam paulo diligentius perscrutemur: non enim de hac re, quod facere solent qui non dubitant, semper scripsit eodem modo. Ad Simplicianū verò lib. 2. qu. 3. ait, vtrumque defendi posse. Veruntamen quod spectat ad partem asserentem, de hoc ambigit quo pacto Saul cùm esset abdicatus à Deo, potuerit cum Samuele colloqui, & Propheta, & iam inter Sanctos relato. Sed respondet, id non esse nouum. Nam in Iob malos spiritus colloqui cum ipso Deo: & in historia de Achab, spiritum mendacem obtulisse operam suam Domino. Imò interdum Principes colloqui cum latronibus: sed vt suspendantur; cùm interea cum probis hominibus, quos amant, & tueri volunt, non colloquantur. Sed quid potestatis, inquit, habuit in Samuelem, vt eum potuerit adducere? Respondet, eum potuisse vexare Iob: & expetiuisse, vt cribraret discipulos, & statuisse Christum in pinnaculo. Et si Christus sine vlla imminutione suæ dignitatis potuit tolli in crucem, & vexari tormentis, probabile esse, Samuelem quoque reduci potuisse sine vlla iactura suæ felicitatis: non quidem vi vlla, aut potestate diaboli, sed permissione Dei, vt Saul perterrefieret. Ita quidam intelligunt factum in Balaam: illum enim fuisse ariolum, & profectum vt magicis carminibus Iudæis imprecaretur: Deū autem aduentū diaboli anteuertisse. Sed de ea re ego nihil statuo, tametsi hoc S. Basilius epist. 80. palàm asseueret. Sed quærit præterea Augustinus, quomodo Samuel, cùm ita fuerit bonus, accesserit ad hominem malum, à cuius consortio viuens post latam à Deo sententiam abhorruerat. Verùm respondet, in hac quoque vita bonos solere ad malos accedere. At id infirmum est. Id enim homines in hac vita vel ex officio faciunt, vel ex necessitudine. Samuel verò extra hanc vitā erat, & vocabatur à maga, cui non debuit obtemperare. Sed putat S. Augustinus facilius responderi posse, si dicamus non fuisse Samuelem, sed tantùm spectrum & phantasma. Huic tamen sententiæ duo obstare non dissimulat: alterum, quod Scripturę ita semper loquantur, tanquā de Samuele. Verùm respondet, eam esse

Non absurdum censet Samuelis animam à dæmone educi potuisse.

INTELLEXIT, &c.

consuetudinem Scripturarum, vt similitudines appellent nomine ipsarum rerum, quas repræsentant. Ita enim imagines ligneas appellari Cherubim; & Salomonẽ fecisse boues æneos; & Palæstinos obtulisse mures aureos. Nec tamen mentiri sacras literas, cùm ita loquantur: homines enim vulgò ita solere loqui: & Deum voluisse ad humanum captum, & sensum se demittere. Alterũ est, quod verè prædixerit, quid esset euenturum: nimirum, Saulem occidẽdum esse cum filijs, & aciem Israëliticam esse profligandam. Sed respondet, ne id quidem nouum, aut mirũ esse: diabolos enim dixisse, Christum esse filium Dei: & in Actis tulisse præclarũ testimoniũ doctrinæ Pauli. Ita nunc Deus vtitur opera diaboli, vt Saulem perterrefaciat: vt qui malos spiritus consuluisset, malo responso affligeretur. Sed addit, quomodo futurus erat Saul cum Samuele, impius cum sancto Propheta? Hæc, inquit, est ars diaboli, vt semper falsis adhibeat aliquid veri. Re enim vera, inquit, magna sunt discrimina locorum inter animas felices, & perditas: idque probat ex historia de Diuite, & Lazaro. Sed respondet, dictũ illud Samuelis intelligi posse de communi statu mortis, non autem de paritate felicitatis. Deniq; cùm duo tantùm sint modi, quibus anima ex inferis exciri possit, aut magica excantatione, aut consilio & voluntate Dei: negat carminum vi inferorum claustra reserari posse. Sin Deus iubeat, animas nullo negotio erupturas. Ad quam sententiam ego quoque libens accedo. Quid enim impediat, si Deus velit, nihil video.

Decernit verum Samuelem fuisse.

Cætera prætereo, quæ non videntur digna tanto monumenta ingenio: ad superiora hoc vnum duntaxat adiungã, quod idem postea rescripsit ad Dulcitium qu. 6. quo vero Samueli impensius fauere videtur, & omnem ex animo scrupulũ euellere. Sic enim ait: Sed quàm non frustrà dixerim (ad Simplicianum scribens li. 2. qu. 3.) pedetentim nos in hoc genere simulatã Samuelis imaginem maligno Pythonissæ ministerio presentatam existimare debere, ne inquisitionibus diligentioribus præscribamus, mea posterior inquisitio declarauit, quando inueni in libro Eccles. vbi patres laudabantur ex ordine, ipsum Samuelem sic fuisse laudatum, vt prophetasse etiam mortuus diceretur. Sed si & huic libro, quia non est in Hebræorũ canone, contradicitur: quid de Moyse dicturi sumus, qui certè & in Deuteronomio mortuus, & in Euangelio cum Elia, qui mortuus non est, legitur apparuisse viuentibus. Hactenus S. August.

Soluitur obiectio autoris Quæst. vet. & noui Testam.

Obijcit autor quæst. vet. & noui Testam. præstigium tantùm fuisse & spectrum. Diabolum enim id fecisse, vt se in honorem adduceret: & persuaderet hominibus animas mortuorũ esse in sua potestate: & illas non esse post mortẽ ab eius manibus euasuras. Itaque Saulem illũ adorasse: & ita diabolum habuisse quod quæsierat. Id Samuelem nunquam fuisse passurum: dixisse autem illum, Saulem postridie secũ fore, quod ille impius esset, & æternũ periturus. Sed quid respondebimus de Ionatha, quem constat fuisse pium? Hoc ergo infirmũ quod ille autor obijcit. Nam quod eo pacto docet, diabolũ diuinos honores affectasse, credi quidem poterat, quæ mens eius est & insita superbia, si fecisse probaretur: sed hoc scilicet in dubium venit. Neque enim propterea quod numinis cultum ambit, Dei opera eidem ascribenda sunt. Respondet denique Galatinus: quod autem passus est se adorari, vel adorationem eam ciuilem tantùm fuisse, vel Saulem Deũ ipsum adorasse.

Galatinus.

Respondetur alijs obiectionib.

Alij postremò obijciunt, Primùm, cùm Deus Sauli respondere noluet, nec per Prophetas, nec per Sacerdotes, nec per somnia, non est credibile cũ voluisse illi responsa dare per mortuos, & præsertim cùm id lege disertè prohibeatur. Respondeo, ariolos æquè disertè lege proscribi. Et tamen ipse Dominus Balaam ariolo vsus est, quo & futura prædiceret, nominatim verò Saulis abdicationem: *Tolletur*, inquit, *propter Agag Rex eius*: & per eundem benè populo diceret suo. Amandarat quoque procul sculptilia, & ex finibus Israëlitarum exterminari iusserat. Respondit tamen tribui Dan, cùm ab ea sculptile in domo Michæ per Leuitã consuleretur, & fausta ac vera renuntiauit. Sed & iam suprà isti calumniæ satis abundè factum est. At vrgent deinde: Id oportuit aut voluntate Dei fieri, aut vi artis. Voluntate Dei non potuit: quia prohibuit. Non concludit nisi de voluntate signata & manifestata, non autem occulta & beneplaciti; hac potuit, illa non potuit. Nec vi artis. Magæ enim non habent potestatem in pios. Verum est. Nam neque vi physica, quæ in separatas mentes nulla est: neque altera illa, quam moralẽ dicunt, quæ precando maximè aut imperãdo perficitur, manes è sedibus suis possunt elicere: sed quod artis potentiæ negatum est, Deus hoc loco suã potẽtiã præstitit. Postremò, inquiũt, oportuit Samuelem aut sponte sua venisse, aut inuitũ. Non potuit sponte. consensisset enim arti magicæ: inuitũ autẽ venisse dicere, indignũ. Sponte venisse dicimus, non arti quidem magicę, sed diuinæ voluntati obsequẽtem.

Plures rationes ipsũ Samuelem fuisse confirmant.

Stat ergo fixa atque immota sententia, Ipsam Samuelis animam Dei voluntate hoc loco apparuisse, & loquutam esse. Prima ratio. Quoniam nulla hanc sententiã contraria argumenta labefactant, sed quæcunque à contumacibus obijciũtur, ea nullo negotio refellũtur. 2. Quia hoc loco Scriptura quinquies eũ, qui apparuit, Samuelem vocat, nusquã spectri meminit, aut fraudis diabolicæ, quam miror quosdam frustrà comminisci. 3. Hoc ipsum testatur lib. 1. Paral. cap. 10. quem locum antea laudauimus, cùm S. Theodoreti sententiam referemus: isq; hactenus Græcas edit. Ald. & Rom. occupat: neque leuis eius testimonij autoritas haberi debet. Accedit 4. loco liber Ecclesiastici, qui si testis idoneus habeatur qui fidem faciat, non poteris vltra quin vetus Samuel post mortem prophetauerit inficiari. Atqui Concil. Ephesinum circa ann. 430. eum librum nominat Scripturam diuinitùs inspiratam, in epist. ad Synodum Pamphiliæ. Quod si nonnulli quandoque Patres dubitarint, num in Canonem Ecclesię asciscendus esset, propterea quòd à Iudæis in suũ non ascriberetur meminisse nos opòrtet fasesse quandoque homines aliquid ignorare, quod satis explorare

INTELLEXIT, &c. plorare non potuerint. Tametsi si quis Coccij Thesauri tom. 1. lib. 6. art. 17. legere volet, in ea re perpetuum consensum Patrum tam Latinorum quàm Græcorum mirabitur. Quamobrem Tertull. lib. 3. Carm. aduers. Marcionem, cap. 5. breui elogio Samuelis maximas laudes retexens, non dubitauit eundem post obitum Prophetam asserere.

Tertull. *Mirificus Samuel*, inquit, *cui Reges vngere primum*
Præceptum, dare Chrisma, viros ostendere Christos;
Talibus in vitæ spatio laudabilis egit,
Vt quoque post requiem prophetica iura teneret.

Cætera missa facio, ne copia fastidium pariat. Dignus qui legatur in hunc locum Serarius quæst. 3. & item Salianus Annal. tom. ad ann. mundi 1979. à num. 76.

VERSVS XV.

Dixit autem Samuel ad Saul: Quare inquietasti me vt suscitarer? Et ait Saul: Coarctor nimis: siquidem Philisthijm pugnant aduersum me, & Deus recessit à me, & exaudire me noluit neque in manu Prophetarum, neq; per somnia: Vocaui ergo te, vt ostenderes mihi quid faciam.

Variæ trāslationes. QVare inquietasti me, vt suscitarer?] Pagnin. *Vt quid commouisti me, vt faceres ascendere me?* Arias, *Vt quid irritasti me ad faciendum ascendere me?* Isid. Clarius cum Vulgata quidem legit, sed habet præterea in Scholijs: Reuocans me scilicet à requie mea ad hæc negotia. Alij sic exponunt, *quare terruisti me?* Nam putabam instare diem iudicij diuini, cùm suscitares me à requie mea. Vatabl. Laur. *Vt quid commouisti me faciendo ascendere me?* Salmant. *Cur inquietum me reddidisti vt me reduceres?* In Schol. Cur mihi molestus fuisti, curando me suscitandum? Alius quidam, *Quare commouisti me, euocando me?* Vt enim notat ad marginem, sicut specie Samuelem, ita verbis mentiebatur diabolus. Non nemo præterea, *Cur me eliciendo inquietas?* Chaldæus consentit, *Vt quid commouisti me, ad ascendere faciendum me?* Lxx. edit. Complut. ἱνατί παρηνώχλησάς μοι τοῦ [Ald. simpl. μοι, τοῦ reijcit] ἀναβῆναί με; *Quare inquietasti me vt ascenderem ego?* Rom. edit. *Vt quid perturbasti me faciendo me ascendere?* Hebraïcè, לָמָּה הִרְגַּזְתַּנִי *lammah hirgaztbani*. Porrò רָגַז *ragaz* Hebræis idem quod motus, commotus fuit loco, metu, vel ira. Opponitur quieti cùm corporis, tum animi. San. Pagnino, *tremere*, contremiscere, conturbari, pauere, irasci significat. Sunt qui Lxx. sic interpretentur, *Quare fatigasti me?*

Rarior quidem, sed non aliena ab hoc tēpore & loco significatio, qua semel Lxx. vsi sunt, Esa. c. 32. v. 10. quo loco hoc verbū pro eo acceperunt, ac si dicas, μνείαν ποιεῖσθε ἐν ὀδύνῃ, *mentionem facio in dolore*. יָמִים עַל־שָׁנָה תִּרְגַּזְנָה sic Esaïas Hebraïcè, *Iamim ghol scanah thirgaznah*. Vulgat. *Post dies enim, & annū vos conturbabimini*. Arias,

A *Dies super anno turbabimini*. Pagnin. *Pauebitis*. Lxx. Μνείαν ποιήσασθε ἐν ὀδύνῃ, *Diei anni memoriam facite in dolore*. In quo sensu Propheta videri possit exprobrasse Sauli, sui denique in summo discrimine meminisse, quē felix & beatus contempserat. *Vt suscitarer?*] Hebr. לְהַעֲלוֹת *lehaghaloth*, *Ad faciendum ascendere me*. Vnà omnes consentiunt. Aliàs tamen עָלָה *ghalah* à Græcis Esaiæ c. 53. v. 2. ἀναγγέλλω, siue annuntio exponitur, quod benè quadrat in hunc locum, quasi diceret: *ad faciendum annuntiare me*. Quamobrem hoc tentare ausus es, vt à mortuo extorqueres futurorum præscientiam? quid quæris? In reliquis eadem ferè interpretes. *Et Deus recessit à me.*] Arias, *Et Deus recessit desuper me*. Chald. *Et dictum Domini proiecit me, & non accepit orationē meā amplius etiam in manu Scribarū,* B *etiam insomnijs*. Pagnin. *Et non respondit mihi vltrà. Vocaui ergo te.*] וָאֶקְרָאֶה לְךָ *vaekrach lecha*. Arias *& clamaui ad te.*

QVARE INQVIETASTI, &c.

Nicephor. Gregoras. Dæmones se cogi simulant, & mortuorū habitū mentiuntur.

Quare inquietasti me, vt suscitarer?] Antistites, inquit Gregoras in Synes. de Insomnijs, qui externam inquirunt diuinandi artem, magica arte vtentes, quibusdam carminibus vim incantandi habentibus, nonnullos dæmonas eliciūt, deducuntq; ac inuitos & reluctantes tyrannicè violenterq; custodiunt, & ab his sciscitātur quæ cupiunt scire. Id patet ex carminibus, quibus in medium adducūt Hecatem dicentem: *Post matutinum splendorem immensum, astris refertum, incontaminatam & amplam domū Dei reliqui, atque ascendo ad terram viuorum alumnam tuis monitis, suasuq; nefandorū versuum, quibus certè rudia immortaliū præcordia delinit mortalis homo.* Ac rur-C sus alius dæmon coactus loqui, ait: *Exaudi me inuitum, quoniam me ligauit necessitas, &c.* Nam hos dæmones esse docet idem Gregoras in sequentibus. Cùm enim, inquit, non valeant animas adducere, ex necessitate reliquum est, vt in illorum defunctorū formas transmutentur tales dæmones, & cernantur agnoscanturq; ab amicis, & ad interrogata respondeant. Et rursum alio loco: Videntur, inquit, per magica carmina, & quasdā abjurationes animas adigere. Apparent enim, & ad interrogata respondent: sed ea quæ in conspectum veniūt, non sunt defunctorum animæ, quin potius dæmonia quædam, quæ certè prius erant agmina Angelica.] Fingit autem post peccatum, ex elementis sibi corpora asciuisse, vimque indignè ferre, ac pro-D pterea Necromantiam magos ferro armare, ne quid illis noceant. Ne fortè, inquit, dæmones abiurationibus & inuocationibus violati, repentino impetu quidpiam mali adferant, irruentes in abjurantem & euocantem: Eam ob rem Magi gladios gestare coguntur, vt eorum adminiculo illos perterrefaciant, neque sinant prope se accedere, sed à longè interrogati respondeant. Quoniam enim viuaces sunt spiritus, habentq; crassitudinem ac spissitatem, ipsi quoque formidant sectionem, ac diuisionem: etiam offenduntur cùm vexantur, feriuntur, & verberantur.] Fabulæ, in quibus concinnandis totus est ibid. Gregoras irrito, vt antè dictum est, conatu: sed quondam scilicet dæmon pluribus imposuit. Itaque etiam Maga apud Lucan.

QVARE INQVIETASTI ME &c. Lucanus.

lib. 6. quo euocatæ animæ iracundiam mulceat, pollicetur eandem in posterum à simili iniuria immunem præstituram.

Dic, inquit Thessala, magna
Quod iubeo mercede mihi. nam vera loquutum
Immunem toto mundi præstabimus æuo
Artibus Æmonijs. tali tua membra sepulcro,
Talibus exuram Stygio cum carmine syluis,
Vt nullos cantata magos exaudiat vmbra.
Sit tanti vixisse iterum, nec verba, nec herbæ
Audebunt longæ somnum tibi soluere lethes.

Hæc olim dæmon commentus est, has leges Necyomantiæ scripsit: quàm accuratè, aliorũ esto iudicium, qui inferorum apud Poëtas inamœnas sedes legerint, statuantq; an grauatè manes ad nos redire videri debuerint. Quamobrem autẽ Samuel artis consuetudinem æmulari studuerit, & stomachans atque increpitans accesserit, illa causa esse potuit, vt qui à maga nefandis carminibus tentatus esset, ab eadem productus videretur. Quippe dignus erat Rex impius, cui sua temeritas illuderet, & qui Prophetam à dæmone excitari posse crediderat, ab eodem excitatum crederet, nec superstitione, quam sponte susceperat, liberaretur. Alia ratio esse potuit, quòd Regis temeritatem atque audaciã indignè ferret, qui eas artes, quas diuina lege proscriptas nouerat, & in quas non ita pridem seuerè animaduerterat, in summo Reipu. discrimine, quo tempore nullum non lapidem mouere debuit, quo numinis iram inflecteret: auderet in suam ac totius populi perniciem periclitari. Idcirco illũ à principio objurgans, durius increpat: *Quam ob causam inquietasti me, vt suscitarer?* Denique potuit fieri, vt primo aditu Saul perterritus, cùm rem nouam & incompertam experiretur, obmutesceret, atq; ideò prior Samuel stupentem & attonitum compellaret. Neque enim omninò necesse est, vt ea Samuelis percunctatio bilis ac stomachi plena censeatur. tametsi quæ sequuntur, indicent, non sine aliqua iracundiæ significatione hæc primùm à Propheta prolata esse. Vnde & prior sententia magis placet, quæ, vt apparet, tempori, ac loco, personæque magis congruit. Neque enim tantam numinis iniuriam eum dissimulare decuit, qui leuiores olim culpas haud leuiter in eodem exprobrauerat.

Quamobrẽ Samuel increpitãs apparuerit.

Quare, inquit, inquietasti me, vt suscitarer?] Vtitur Samuel duobus argumentis: altero à persona Saulis versu seq. altero à sua. Quod ad ipsum attinet: Ego, inquit, quiescebã. Quid me oportuit ita turbare? Indicat se fuisse in sinu Abrahę vnà cum beatis animis in altissima quiete. Ergo præsens vita, quam in hoc mundo ducimus, procella quædam est, & tempestas perpetua: at verò iustos molestis laboribus defunctos, postquam hinc excesserint, pax & animi tranquillitas excipit. Neque enim dubitamus iam olim ante *propalatam Sanctorũ viam, quam nobis initiauit Christus sanguine suo*, piorum virorum animas, qui ex præscripto legis vitam instituissent, vt primùm migrassent, versatas esse in summa securitate, & quiete. Nunc postquam cæli ianua patet, quam Christi victoria iustis omnibus reserauit: quicunque deinceps detersa labe pec-

Iustos ex hac vita migrãtes quies excipit.

cati, ex nobis prodeunt, non iam Abrahæ sinu conduntur, sed regnũ cæleste capessunt, & diuina beatitate perfruuntur. Ioannes in Apoc. cap. 6. iustorum animas in cælo sub altari Dei collocat. Et quamuis clament ad Deum, vt vltio aliquando sumatur de sanguine suo, nihilominus tamen acquiescunt. Ea enim ratio loquendi nihil aliud significat, quàm Deum sine omni dubitatione velle vlcisci. Quo eodẽ modo sanguis Abel dicitur clamare ad Deum, & expetere vindictam. Istis tamen animabus datæ sunt stolæ albæ singulæ: & iubentur disertè quiescere, donec fratres quoq; illorũ perficiantur. Queritur ergo Samuel, se ab illa quiete & tranquillitate ad curas & molestias huius vitæ reuocari. Vel sanè is sensus verborũ est. Quam rationem afferre potes quamobrem me mortuũ excitares? Nam si prosperè agis, votisque tuis dextrum numen adest, quid tibi in mentẽ venit quamobrem me accerseres, qui ad opem ferendam minime necessarius essem? Sin contrà Respub. labat, salusq; tua in discrimẽ vocatur, hęccine te sollicitare oportuit, quæ numinis iram potius accenderent, quàm misericordiam conciliarent? An sperasti me per summũ scelus euocatum adiungere ad partes tuas, & contra Dei voluntatem rebus tuis fauere posse? Quæ tandem hæc cœcitas est, vt eũ places quæ tibi succenseat, grauiori cumulare iniuria? Frustrà vim diuinæ iustitiæ afferre tentes. Sed nec ab illo mutatum me senties, qui cùm olim temerè ausus es diuina præcepta violare, in stultitiã tuam seuerè & grauiter animaduertit. Absit igitur, vt contra fas excitus, precibus tuis annuam, quin potius malefici vindex dira atque infausta omnia denuntiabo.

COARCTOR NIMIS, &c.

Coarctor nimis.] Excusatione vtitur angustiarũ suarum. In summum periculum adductus sum, vrgeor vndique, in me imminet sęua calamitas, nec iam quid iustum iniustumve sit, vacat inspicere: sed vndecunq; mihi subsidium parare cogor, cùm hostilis quidem acies iam ceruicibus meis impendeat, Deus autem suo me præsidio destituerit. quamobrem, condona, quæso, culpam hanc necessitati, & pietatis religionisque mentionẽ tantisper omitte, meq; quod in rem sit, præsenti consilio adiuua. quem secundæ res prius extulerant, nunc aduersæ deijciunt. Insolentiam, & dictorum atque factorum impotentiam debilitatio animi, abiectioq; consequitur. Mirare porrò impiorum hominũ ignorantiam. Cùm ob scelera & fraudes in pericula & ærumnas inciderint, tum maximè iuris & æqui obliuiscuntur, Deumq; valere iubent, ne qua ratio eos à propugnanda salute auocet. Nolunt enim rei cuiquam parcere, aut intactum quicquam relinquere, sed sacris ac profanis, licitis perinde atq; illicitis ad defensionem suam abuti. quę dementia plerunq; res eorum labentes & inclinatas prorsus impellit in ruinam. Non enim eos aduersariorũ libido deprimit, tanquam possint ipsi quos velint perdere: sed vltrix flagitiorum iustitia; quæ reis quidem, quos plecti æquũ est, terrorẽ incutit, hostibus autem vires animũque adijcit. Quocirca ea si placetur, haud absurdè victoria sperari poterit. Solet enim, quos pœnitentia

Improborũ hominum in calamitate cęcitas & amentia.

ET DEVS RECESSIT A ME, &c.

nitentia afflixerit, clementer erigere. Sin eadem se negligi sentiat, audaciámq; crescere, contumaces infelici successu pessundat ac proterit.

Philisthiim, inquit, *pugnant aduersum me.*] quid tum? an non illi homines sunt? an non eos sæpe profligasti? an non vnus Ionathas filius tuus cùm in eos irruisset ingentem eorum exercitum in fugam vertit? quid gener ille tuus, quem iniusto odio prosequeris, an non victorias victoriis attexés de iisdem perpetuò triumphauit? quid causæ esse dices quamobrem hoc tempore animum despondeas? Respondet: quoniam *Deus recessit à me.* Huius siquidem præsentia, non mea virtus, inuictum me præstitit. Arias legit, *recessit desuper me.* Sic enim nos ille tuetur donec superest, donec imperat, nobisque præsidet. Nec verò prior ille stationem deserit: sed contumaciâ nostrâ nos illum solio deijcimus, sícque demum inermes & præsidio nudatos periculis obijcit. *Sicut Aquila*, inquit Moyses in Cantico *prouocans pullos suos, & super eos volitans.* Aliàs, *Vmbraculum ab æstu.* Samsonis sacra cæsaries, quâ intactâ vinciri non potuit, ademptâ, statim victus captúsque est. Sunt qui scribant, si quis alectorium lapidem supra se gestet, victoriam de hoste consequi. Verùm tanta vis lapidis forsitan à nonnullis in dubium vocari possit: diuina virtus certa atq; indubitata fide pollet. Philippus Augustus Francorum Rex, cùm maximis auctus victoriis atque ingenti parta præda, larga manu in Ecclesiam beneficia conferret, inconsulta procerum turba ægrè tulit, Regémque delectus quidam ex amplissimo Iudicum ordine confidenter admonuit: ea potius in ærarium referret, quæ rebus olim præsidio forent: tot ducum curas, tot militum labores, hominum generi frustrà largiri, quod ocio atque inertiæ indulgens, nulla re Rempubl. iuuet. At ille statim excipit: Non mirari se hominem ita sentire, qui procul à periculis securè domi delituisset, nec Martis agones vnquam expertus esset, aut sciret quibus præsidiis victoriæ parentur. quippe seipsum quoque priusquam in aciem descendisset, & de regno pariter atque vita cum hostibus potentissimis dimicasset, vehementius admiratum esse, quo consilio Carolus Magnus cæteriq; Francorũ Reges tantas opes in Ecclesiam velut certatim profudissent: sed magistrà rerum experientià didicisse, non alia quàm diuina virtute hostes profligari, nec plus habere duces & milites roboris atque animi, quàm illis pro tempore Deus adiungat. quamobrem iure ac merito ingentes Deo gratias se habere debere, & de bonis acceptis partem aliquam delibare, quam Dei exercituum domesticis atque ministris offerret. Habes & illud Achior Ducis Ammon in lib. Iudith c. 5. v. 24. *Nunc ergo*, inquit, *mi Domine, perquire si est aliqua iniquitas eorum in conspectu Dei eorum: ascendamus ad illos, quoniam tradens tradet illos Deus eorum tibi, & subiugati erunt sub iugo potentiæ tuæ. Si verò non est offensio populi huius coram Deo suo, non poterimus resistere illis: quoniam Deus eorum defendet illos: & erimus opprobrium vniuersæ terræ.* Hactenus Achior de Iudæis coram Holopherne disserens: quàm vere, statim exitus comprobauit.

Deus suorum præsidium.

Sapiens Philippi Augusti responsum.

Neque per somnia.] Sed dices, an solebat Deus per insomnia voluntatem suam patefacere? Maximè. Nam eius rei extant infinita exempla, & testimonia. Iosephus per somnium vidit se adorari à Sole, & Luna: & manipulum suum adorari à manipulis fratrum. Commemorantur etiam illustria somnia Nabuchodonosoris, Pharaonis, & Danielis. Deus in Exodo respondet Aaroni, & Mariæ, se aliis quidem *loqui per visiones, & per somnia: Mosi autem ore ad os.* Et Ioël ait, *Filij vestri, & filiæ vestræ visiones videbunt: & senes vestri somnia somniabunt.* In Euangelio Iosephus monetur per somnium, vt accipiat puerum, & in Ægyptum fugiat: & Magi, per aliam viam reuertantur in domum suam. Fateor equidem, multum esse tenebrarum in somniis, nec illis temerè credendum esse. Nasci possunt, vt iam antea monui, ex variis causis: & maxime ex temperatura corporis. Nam hominibus melancholicis horrenda obijciuntur visa, & tristia: sanguineis iucunda, & læta: & aliis alia. Nascuntur etiam ex diurna vehementi cogitatione. Interdum etiam ex formis illis, quæ in imaginatione impressæ sunt, distortis, & dissipatis offeruntur visa absurda, & ridicula. quare non debemus facilè somniis nostris adhibere fidem. Multis enim modis possunt fallere. Sed interdum Deus abutitur somniis nostris, & suo spiritu format illas imagines, quibus velit nos instituti. Verùm vbi hoc acciderit, non debemus ad circulatores, aut ad coniectores referre, quod significetur, sed ad illum ipsum, aut seruos eius probatissimos, qui eas formas impressit. Nabuchodonosor enim & Pharao non potuerunt explicare somnia sua, quòd non haberent spiritum Dei. Itaque opus erat Iosepho, & Daniele. Sancti autem viri sæpe vtrúmque habent in se, & impressionem imaginum, & spiritum Dei. Sed ne insomniis, & visis simplicitati nostræ dæmon illudat, vita nostra componenda est ad præscriptum legis Dei. quod si interdum, vt fit, somnium aliquod offeratur à Deo, tamen credi non debet, nisi certò sciamus, ita esse. Est enim genus quoddam Prophetiæ, quæ cum sit afflata à Deo, non potest intelligi, nisi eodem spiritu, à quo profecta est. Iudæi hodie, quamuis habeant Prophetias, quia tamen non habent spiritum, nihil intelligunt. Idem ergo spiritus & dat, & interpretatur somnia. Et fortasse Sancti orabant Deum, vt aut apertè sibi voluntatem suam significaret, aut, si daret insomnia, vt vna etiam daret spiritum interpretandi.

ET DEVS RECESSIT A ME, &c.

Homines quandoque Deus secũdum quietẽ futura docebat.

Vocaui ergo te, vt ostenderes mihi quid faciam.] Nunc se paratum offert ad omnia: Doceri tantum expetit, obtemperaturum se pollicetur. Sed iam serius ad fores pulsat, postquam ianua clausa est. Audis quid sponsus intus respondeat? *Amen dico vobis, nescio vos.* quid ita? annon lampadem paratam vides? Video conflatam metu. Sed vbi oleum est quod flammam alat? Solus te pauor vrget, nec sponte currenti calcar addidit. Optas è tantis difficultatibus emergere, cæterum te nulla numinis cura tangit: nec superioris vitæ te vere & ex animo pœnitet.

Quamobrem paucis accipe dignam tua peruicacia sententiam. *Vocaui, & renuisti: ego quoque in interitu tuo ridebo.*

VERSVS XVI.

Et ait Samuël: Quid interrogas me, cum Dominus recesserit à te, & transierit ad æmulum tuum?

VERSVS XVII.

Faciet enim tibi Dominus sicut loquutus est in manu mea, & scindet regnum tuum de manu tua, & dabit illud proximo tuo Dauid:

VERSVS XVIII.

Quia non obedisti voci Domini, neq; fecisti iram furoris eius in Amalec: idcirco quod pateris, fecit tibi Dominus hodie.

Variæ trãslation. ET *transierit ad æmulum tuum?*] Arias, *& factus est æmuli tui.* Pagninus, & est cum inimico tuo. Vatablus Laur. & sit cum inimico tuo? Salmantic. factúsque sit hostis tuus? Et in Schol. Chaldæus Paraphrastes subaudit præpositionem *cum*, hoc modo, *& sit cum hoste tuo*: vel, *cum æmulo tuo*? id est, faueat illi?] Itaque alius quispiam vertit, *& factus est aduersarius tuus*? At verò Chaldæus pluribus exponit in edit. Regia. *Et erit in auxilium viri, cuius tu obtines inimicitias eius.* Sept. Καὶ γέγονε μετὰ τοῦ πλησίον σου; *& factus est cum proximo tuo?* Plerique nouatores, Iunius, Munsterus, & alij, *& factus sit inimicus tuus.* Hebraic. וִיהִי עָרֶךָ *vaihi gharecha.* עָר *ghar.* id est, *hostis*, qui odium & inuidiam conflat tibi. A verbo עוּר *ghor* siue עָר *ghar* quod est vigilauit. Sæpe namque hostes excubant quo aduersarios suos ex insidiis D opprimant. Loquitur ad mentem Saülis, qui talem Dauidem licet innocentissimum habuit. Sin de Deo accipi magis placeat, loquitur materialiter, vt aiunt, non autem formaliter. Non enim cuiquam Deus malitiam impertit, sed tamen sæpe malis, quibus eorum perturbationes accendantur fomitem ministrat. Alias idem nomen *propinquum* significat, vti hoc loco Græci interpretati sunt. Si puncta tollas, quomodo primum exarata biblia volunt, sic quoque reddi poterit: *& factus sit cæcus tuus, siue tibi*; ne te vltrà videat, aut illum tui quandoque misereat, עִוֵּר *ghiuer.* Τυφλὸς, cæcus.

Versu 17. *Faciet enim tibi Dominus.*] Pro *tibi* Hebræa habent לוֹ *lo*, quod Græci cum A Vulgata interpretantur *tibi*: Pagninus, Arias, & reliqui fere, qui nostro tempore Hebræorum lacunas exhauriunt, malunt *ei*. Vtique dictio ipsa לוֹ *lo* significat vel *si*, vel *illum*. Quidam id referunt ad Deum, & ita legunt: *Faciet sibi*; vt sensus sit, Deus id sua causa faciet: vt verum sit quod per me prædixit euenturum. Alij ad Dauidem: & ita legunt: *Faciet illi*, hoc est, in gratiam Dauidis faciet: illius bono, illius ergo. Alij putant enallagen esse personarum, vt sit, *faciet illi*, pro *faciet tibi*. Qui sensus præ cæteris cum Græcis cum etiam Vulgato placuit. Vatablus Salmantic. *Et Dominus quidem fecit quemadmodum loquutus est in manu mea, & scidit Dominus regnum de manu tua, deditque illud proximo tuo Dauidi*: Et in Ecphrasi, Possunt hæc verti per futurum, *faciet, & scindet*, vel *auferet. In manu mea.*] Per B me, cùm is mihi hanc potestatem fecisset iussissétque vt edicerem tibi. Chaldæus, *Et faciet illi Dominus iuxta id, &c. & transire faciet Dominus regnum à te, & dabit illud socio tuo Dauid.* Qvis INTERROGAS ME, &c.

Versu 18. *Neque fecisti iram furoris eius in Amalec.*] Chaldæus, *Et non fecisti fortitudinem indignationis eius in* homines *domus Ghamalec.* Vatablus Salm. *nec perfecisti iram furoris eius in Amalec.* id est, quod præceperat iratus contra Amalec. Hebraicè, וְלֹא עָשִׂיתָ חֲרוֹן אַפּוֹ בַּעֲמָלֵק *velo ghasitha kharon apho baghamalek.* Arias, *nec fecisti iram nasi eius in Hamalech: ideo* הַדָּבָר הַזֶּה עָשָׂה *hadauar hazeh ghasah, verbum hoc fecit tibi Dominus die hac.* Sept. edit. Complut. C Καὶ οὐκ ἐπλήσας θυμὸν ὀργῆς αὐτοῦ ἐν τῷ Ἀμαλήκ· διὰ τὸ ῥῆμα τοῦτο ἐποίησέ σοι Κύριος οὕτως τῇ ἡμέρᾳ ταύτῃ. *Et non implesti iram furoris eius in Amalec. propter verbum hoc fecit tibi Dominus sic die hac.* Aldina & Rom. edit. non habent οὕτως *sic*, reliqua in vtrisque concurrunt. θυμὸν ὀργῆς quidam ad verbum ex Hebræo interpretatur *accensionem iræ eius*, hoc est, *iram eius accensam.*

Quid interrogas me, cùm Dominus recesserit à te?] Responderat Saül se versari iam in summis angustiis: regnum suum inuadi, & vastari à Palæstinis. Se cùm fuerit alioqui ipse aliàs Propheta, nec per Prophetiam inuestigare quicquam posse, nec per somnia. Nam de Vrim & Thumim, vt supra monui, nihil dicit. Excipit Samuël, & Deus, inquit, te D contempsit, & nec Prophetam significat tibi voluntatem suam, nec per insomnia. indignus ergo es, qui cum ego debeam colloqui. Quid igitur vltrà ex me quæris? cur me consulis? An speras tibi postquam à Deo repulsam passus es, aditum ad me patere posse? Quis enim ego sum, vt te doceam quod Deus negarit: aut opem feram, postquam te Deus suo præsidio destituit? Disce quoniam nemo iuuare possit aut *corrigere quem Deus despexerit.* Nam neque vis vlla mea tanta est vt contrà niti possim, & quæ statuerit arbitrio meo conuellere; neq; si foret, alieno animo ab eius decretis esse queam. quamobrem frustrà me fatigas, tuque ipse ludis operam, consilium à me & auxilium expetens. Nemo potest corrigere quem Deus despexit.

Et

Et scindet Dominus, &c.

Et transierit ad æmulum tuum?] Recessisse & transisse ad æmulum Dominus dicitur, vt eodem Saul orbatum se intelligat. At non is sensus est verborum Domini cùm loqueretur ad Moysen numer.11.vers.17. *Et auferam*, inquit, *de spiritu qui est in te, & superponam super eos, & sustinebunt tecum impetum populi, & non portabis illos tu solus.* Quem locum S.Augustinus exponens lib.4.quæstio. in numer.quæst.18.ait, Ostendit vtique alium esse spiritum Dei, cuius particeps fit spiritus hominis per gratiam Dei: quamuis posset etiã sicut alij interpretati sunt, intelligi spiritus Dei in eo, quod dicitur *de spiritu tuo qui est in te:* vt dictum sit, *tuo*, quia fit etiam noster, qui Dei est, cum accipimus eum: sicut de Ioanne dictum est: *In spiritu & virtute Heliæ.* Non enim anima Heliæ in eum fuerat reuoluta. Quod si quidam hæretica peruersitate opinantur, quid dicturi sunt in eo quod scriptum est, *Spiritus Heliæ requieuit super Helisæum*, cum iam ille vtique haberet animam suam? nisi quia dictum est de spiritu Dei, vt etiam per illum operaretur, qualia per Heliam operabatur: non ab illo recedens, vt istum posset implere: aut dispertitus minus esset in illo, vt posset ex aliqua parte & in isto esse? Deus est enim qui posset esse in omnibus tantus, in quibus per illam gratiam esse voluerit. Nunc autem cum ita scriptum sit, *Et auferam de spiritu qui est super te:* nec dictum sit, de spiritu tuo, facilior est absolutio quæstionis: quia intelligimus nihil aliud Deum significare voluisse, nisi ex eodem spiritu gratiæ illos quoque habituros adiutorium, ex quo habebat Moyses: vt & isti haberent quantum Deus vellet, non vt ideo Moyses minus haberet. Hactenus S.Augustin. At nõ itidem de Saule dici potuit. nam is prorsus ea gratia caruit, vt primum in Dauidem collata est. Disces manifestè ex super.cap.16.v.13. & 14. *Et directus est*, inquit, *spiritus Domini à die illa in Dauid, & deinceps. Spiritus autem Domini recessit à Saul, & exagitabat eum spiritus nequam à Domino.* Quinetiam initio eiusdem capitis expostulat Deus cum Samuele his verbis, *Vsquequo tu luges Saul, cùm ego proiecerim eum ne regnet super Israël?* Ex quibus omnibus liquidò constat, sic transisse spiritum Domini ad Dauidem, vt eodem continuo Saul priuaretur.

S. August. Tom.4.

Exponitur quomodo Deus abstulerit de spiritu Moysis

Lucæ 1.v.17

Quarti Reg.2.15.

Et scindet Dominus regnum de manu tua.] Fortassis hoc dicitur propter Isboseth: qui partem aliquam eius regni aliquot annos obtinuit. Ita inter Dauidem & Isboseth quodammodo lacerabatur imperium. Vel sanè ita intelligendum, ereptum de manu tua regnum, & per vim ac cædem extortum, mandabit proximo tuo Dauid. Certa, inquit, & fixa est sententia ista Dei, & iam mutari non potest. Alludit ad ea, quæ in ca.15. ab eodem pronunciata sunt: *Deum non esse vt filium hominis, vt possit mutari, & duci pœnitentia.* Qui negant verum Samuelem ab inferis excitum esse, iubent nos hoc loco diaboli spectare vafritiem. Saul consilium petit: ille desperationem tantum obijcit: nihil præbet consilij. Monet enim non quid agendum, sed quid patiendum sit. Quare cauendum nobis quoque est diligenter, ne patiamur nobis im-

Diabolus peccato iã commisso illud exaggerat, vt sontes desperent.

A poni eodem modo. Videmus viam istam tristibus notatam vestigiis. Ita semper est consuetudo diaboli, vt exaggeret peccatum postquam semel commissum est, vt omnibus modis premat, & cruciet conscientiam: contrà autem, si quem velit ad peccatum incitare, vt illud quantum maximè possit, extenuet. Huiusmodi sunt conciones diaboli. Sed nequaquam hoc loco ea obseruatio necessaria est. Neq; enim aliis nunc vtitur verbis Samuel quàm antea, neque aliud periculum minatur & denunciat quàm quod pridem prædixerat, neque verum est, si orationis sententiam spectes, illum omnem aditum ad pœnitentiam Sauli præcludere, sed de regno sermo est, & præsenti vita, quam breui ob scelera amissurus sit. *Faciet*, inquit, *sibi Dominus sicut loquutus est.* Neque hoc loco præter B consuetudinem culpam illam verbis amplificat, vt videri idcirco possit diabolus esse, cum eum prius longè acerbius obiurgasset, & sceleris eius atrocitatem cum idololatria contulisset.

Et scindet Dominus, &c.

Et dabit illud proximo tuo Dauid.] Ea res præter cæteros morituros cruciat, si quæ ipsi parauerint, & summo studio complexi sint, in eorum potestatem veniant, quibus ipsi inuideant, quos odio prosequantur. Itaque Megapenthes Tyrannus cũ apud Lucianum in Cataplo ex Clotho audiisset, Diuitiis tuis Megacles potietur consobrinus tuus, respondit: O insignem contumeliam! Ille mihi inimicus, quem ego præ segnitia non occidi? *Clotho:* Ille ipse, qui non modo non paulo plures quàm tu viuet annos, verum & pellices tuas, & vestes, & quicquid est auri, nancisceetur. *Megap.* Præter æquum facis, ô Clotho, quod hominibus inimi- C cis, & hostiliter infestis meas fortunas attribuis. *Cloth.* Quasi vero, &c. *Proximo tuo Dauid.* quem dudum Deus ipse Principem designauit, qui olim sæpius de inimicis tuis victoriam reportauit, quem denique generum asciuisti, & tamen hactenus perdere conatus es: hunc Deus te abdicato atque ad inferos amandato, sceptro tuo, & corona donabit.

Morituros ea cura vehementiùs angit, ne hostes bonis suis perfruantur.

Quia non obedisti voci Domini.] At nunc imperata faciam, mandatis parebo, vltro morem geram. Herodotus, Iones, inquit, atque Æoles, vbi audierunt Lydos citra negotium à Persis victos, legatos Sardis miserunt ad Cyrum, vltro postulantes, vt iisdem conditionibus eos admitteret, quibus Crœsi subiectos in ditionem D accepisset. Verum Cyrus ad eorum postulata per huiusmodi similitudinem atque apologum respondit. Tibicen, inquit, quidam vbi pisces in mari conspexisset, canere tibia cœpit, ratus nimirum eos ad cantus suauitatem in terram progressuros: at spe sua frustratus misso in mare verriculo, ingentem piscium vim complexus est traxitque. Et cum palpitantes cerneret in sicco, dixit ad pisces: Temperate, inquit, nunc mihi quæso à saltationibus: quando non licuit vobis me canente saliendo progredi. Quæ verba Cyrus ideo Ionibus dixit, quod eo prius per legatos ad amicitiam inuitante, parere noluissent: at tum demum rebus non ex sententia succedentibus, parati essent Cyri iussis obtemperare.

Herodot. lib.1.

Fabula lepidissima.

NEQVE FECISTI, &c.

Quamobrem ira commotus, dicto responso eos dimisit.] Hactenus Herodot. An non simile quippiam hoc loco Saüli contigisse videtur? Tametsi reuera nec satis paratus videri poterat, qui solo metu vrgeretur, & non ex animi sententia Dei iussis obsequuturus esset. Itaque repulsam passus est: non quia resipiscentem Deus quemquam despiciat: sed quia veteris atque inolitæ proteruiæ Saülem verè & ex animo non pœniteret.

Neque fecisti iram furoris eius in Amalec.] Suidas in verbo Ἄγχθοι, Ὀργὴν δὲ καὶ θυμὸν καὶ θλίψιν ἐπὶ Θεοῦ, τὰς πικρὰς τιμωρίας καλεῖ. οὐ γὰρ φύσιν, οὐδὲ προαίρεσιν φησι. Iram, furorem, & afflictionem cùm Deo tribuuntur, sacra Scriptura acerbas grauésque pœnas vocat. Haud enim Dei naturam, neque voluntatem ipsius ita vocat. Hactenus Suidas. Ira porrò, furor, indignatio Græcis πάθος, Latinis affectus dicitur: qui quo pacto diuino Numini conuenire non possit, docet pluribus Claudianus Mamercus, quem Sidonius Papam vocat, nos Episcopum antea scripsimus, (tametsi etiam vel lectorem *simplicem Papam* apud Iuris Ciuilis authores dictum meminerimus) lib. 1. de Statu animæ statim à principio. *Quippe affectus*, inquit, *ab eo dicitur, quod aliquid afficiat. Quicquid autem afficitur, patitur. Pati verò non est nisi passibilis createq; substantia. Quæ quoniam à summa* essentia, quæ Deus est, vt existeret, vocata de nihilo est, inter illud de quo facta, & illud à quo est, media: Ita superioribus affici potest, vt proficiat; ita inferioribus vt deficiat. De anima quippe loquor humana. Igitur nec nihilum affici aliquo pacto potest, quia substantiam non habet. Nec Deus, quia detrimenta non sentit, augmentáque non recipit. Afficiuntur autem media, sicut suprà dictum est, vel profectu, vel defectu. Enimuerò quicquid afficitur, patitur: & quicquid patitur, non esse Deum nemo sanorum dubitarit. Insufficiens est, cui vtrumque mutuò reciprocatur. Vt nec mutabile nisi passibile, nec passibile possit esse, nisi mutabile. Quod autem, inquit, (*is cuius ipse sententiam confutat*) Philosophorum testimonio, misericordiam atque iustitiam & istiusmodi bona, affectiones passibilis dicit esse creaturæ, easdémque in Deo essentialiter non accessibiliter, haud intendit animo sibi semet aduersa proterre, quia affectio accessio est. Non autem aliquid Deo accidit, igitur affectioni non subjacet. Nam quicquid afficitur, contrariis congruentibúsq; pariter obnoxium ambifariè subditur passioni.] Et rursum explicans illud Psal. 37. *Domine ne in ira tua arguas me: Cùm res*, inquit, *quæ figuraliter accipienda sunt, haud satis solerter introspiciuntur*, non ad viuificantem spiritum peruenitur, sed in occidente litera remanetur. Sequitur scilicet, vt incontaminabilem præcelsæ diuinitatis essentiam passibilem fore credamus, Si vaticinia Prophetarum allegoricis animata secretis, in literæ tantum corpore cogitemus, quia cum Propheticis

Quod nulla passio, ira, furor, indignatio, Deo propriè conueniant.

S. Mamerc'

A oraculis vel irasci, vel pœnitere memoratur, effectus harum videlicet passionum considerandi sunt, non affectus. Hæc sanctus Mamercus: de quibus nos antea satis accuratè pro modulo nostro.

NEQVE FECISTI, &c.

Neque fecisti iram furoris eius in Amalec.] Hoc loco animaduertendum est, inquiunt, qui Samuëlem oppugnant, commemorari à diabolo vnum tantum peccatum, quod Saül commiserat in Amalechitas. Alia porrò æquè grauia, aut etiam maiora, quæ Samuële adhuc viuente patrauerat, dissimulat. Non ita dicit, Sacerdotes Nobenses occidisti: Dauidem innocentem profligasti: iniussu Domini sacrificium fecisti: nunc desperatis rebus, relicto Deo, ad magam mulierem, & idololatram confugisti. Non est pij concionatoris, quæ leniora sunt vehementius exprobrare: grauiora autem silentio premere. Quanquam verò Deus decreuisset Saüli abrogare imperium, tamen doctoris erat, qui officij ac pietatis meminisset, abdicandum reuocare ad pœnitentiam. Hæc enim peccata non erant ita grauia, vt non possent condonari. Nam alioqui peccata quædam Dauidis non minora aut leuiora erant, quàm ista Saulis. Sed Deus illi dederat cor flexibile, & cereum, vt facile adduci posset ad resipiscentiam. Hæc illi: quæ idcirco commenti sunt, quòd Samuelis mentem non satis accuratè perspicerent. Non enim hoc loco de flagitiis, quæ plurima commiserat, cum eo expostulare statuit, sed impendentem capiti eius ruinam nunciare, & supremæ calamitatis causam aperire. Ea porro non alia fuit quàm eiusdem in Amalec intempestiua clementia, quem Deus ob ingentia scelera dare neci præceperat. Nam cum id antea Samuel non sine stomacho eidem vaticinatus erat, tum etiam Balaam multis ante seculis non aliam eius abdicationis rationem prædixit. Numer. capit. 24. vers. 7. *Tolletur propter Agag, Rex eius, & auferetur regnum illius.* Ergo prioribus vestigiis insistens Samuël, non necesse habuit commemorare omnia, aut quæ grauiora essent religiose expendere, sed ipsam duntaxat acerbi casus atque infelicitatis originem monstrare. Hinc porrò, vt diximus, prima mali labes.

Ille dies primus lethi, primúsque malorum
Causa fuit.

Quæ deinde maleficia & cædes perpetua velut serie priora cumularunt, ex eo tanquam fonte manarunt. Sed nec alia opinor temeritas vlla est, quæ hanc audaciam superet, si cum facilè possis, nec quicquam impediat, ea quæ priuatim à Deo iubentur audeas contemnere. De pœnitentia quod objiciunt, nullius momenti est. Sic enim se habent oracula Prophetarum, quod Deus mandauerit, proferunt. Nec aliter Nathan Dauidem admonuit. Alius consilio locus. tametsi, cum sunt atrociores minæ, vehementior ad pœnitentiam adhortatio videri debeat.

VERSVS

Et dabit Dominvs, &c.

Versvs XIX.

Et dabit Dominus etiam Iſraël tecum in manus Philiſthiim: Cras autem tu & filij tui mecum eritis: Sed & caſtra Iſraël tradet Dominus in manus Philiſthiim.

Variæ tra-ſlation.

QVidam ita vertit: *Præterea traditurus eſt Iehoua Iſraelem quoque tecum in manum Palæſtinorum, ita vt cras tu & filij tui* futuri ſitis *mecum* mortui: *etiam caſtra Iſraelitar. &c.* Pagninus & Vatabl. Laurent. *& cras eris tu & filij tui mecum.* Arias, delet *eris.* Complut. edit Sept. Interpr. *Et tradet Dominus Iſrael tecum in manus Philiſthiim,* καὶ αὔριον σὺ καὶ οἱ υἱοί σου μετ' ἐμοῦ. καὶ τὴν παρεμβολὴν Ἰσραὴλ καὶ γε δώσει Κύριος εἰς χεῖρας ἀλλοφύλων. *Et cras tu & filij tui mecum. & caſtra Iſrael, & te tradet Dominus in manus Philiſthiim.* Ald. & Roman. καὶ αὔριον σὺ καὶ υἱοί σου μετὰ σοῦ πεσοῦνται. *Cras tu & filij tui tecum cadent. Mecum eritis.*] Iſidorus Clarius in Scholaſtic. Hoc eſt in alio ſeculo, mortui ſcilicet. Quidam tamen intelligunt, in thalamo iuſtorum. Interficieris, inquit, quidem tu & filij tui, propter grande illud peccatum, quod commiſiſti, occidendo Sacerdotes Domini, ſed peccatum illud expiabitur per obedientiam tuam, quando pro populo Dei pugnam non recuſas. Addit præterea: Scribunt hic Iudæi multa de hac Samuëlis apparitione, ſed non ſatis inter eos conuenit: verum omnes Hebræorum Rabini in hoc conſentiunt, opus Pythonum præter præſtigium, vanitatem, mendacium, & deceptionem aliud nihil eſſe. In hoc tamen loco inter ſe diſſentiunt. Nam ſunt qui hæc omnia mulieris putant eſſe arte confiđa, quæ ex certis coniecturis ſic deluſerit Saülem. Alij autem putant, hanc veram fuiſſe viſionem, non quidem mulieris arte, ſed Dei virtute apparentem; vnde & mulier ipſa, cum præter ſolitum morem miranda videret, ſtupefacta cœpit magna voce clamare. Hactenus Iſidor. Nos de ea de re quid ſentiendum eſſet ſuprà diximus.

Procopius.

Quod vero ſpectat ad illam temporis ſignificationem, *Cras tu & filij tui mecum,* Obijcere aliquis poſſet, inquit Procopius, ignorantiam mortis Saülis, non enim poſtero die, ſed diebus aliquot interiectis, videtur obijſſe. Niſi dicamus, per diem craſtinum interitum imminentem ſignificari. Aut certe Scriptura per anticipationem res Dauidis, & Amalech recenſuit ante Saülis obitum, quemadmodum dicere poſſent, qui reuera Samuëlem dicunt apparuiſſe; aut, per diuinam virtutem, ὑπὸ θείας ἐνεργείας σχῆμα τι ἐσχηματισμένον, ſpeciem non diſſimilem. Hæc Procopius. S. Theodoretus quæſtion. 62. in 1. Reg. Dictio *Cras,* inquit, non ſolum ſit ſignificare diem qui deinceps ſequitur, ſed etiam nonnunquam eum qui eſt proximus ei, qui ſignificatur. Nam & *hodie* & *nunc* accipiuntur non ſolum de tempore præſenti, ſed etiam extenduntur vlterius.] Hebraicum מָחָר *mahhar*

Cras non tantū proximum diē ſignificat, ſed nonnūquam etiā poſtea ſequentem.

A ſiue *machar* commutationem temporis ſignificat, vt מְחִיר *mehhir* commutatio rerum eſt. Pleriſque Scripturæ locis *diem craſtinum* indicat. Aliàs, *aliud,* vel *proximè,* aut *paulo poſt ſequens tempus, poſthac, in poſterum.* Exodi 13. verſ. 14. *Si interrogauerit te filius tuus* מָחָר *mahhar.* Sept. μετὰ ταῦτα, *poſt hac:* id quod de tempore proximè futuro duntaxat intelligi non debet; ſed obtinere debuit perpetuis futuris temporibus. Vnde ſequitur, vt nemo hinc vero Samuëli negotium faceſſere poſſit.

Necromantiæ reſponſa plerunq; dira.

Plinius.

Et dabit Dominus Iſraël in manus Philiſthiim.] Dæmones qui manes ab inferis excitos ſimulant, plerunque dira reſpondent, & infauſta nunciant. Appion Grammaticus, inquit Plinius Natur. Hiſtor. lib. vltim. capit. 11. viſus nobis B adoleſcentibus, dicebat ſe euocaſſe vmbras ad percuntandum Homerum qua patria, quibuſque parentibus genitus eſſet. Non tamen auſus profiteri, quod ſibi reſponſi ipſe dixiſſet. (Ita corrigit Aurelius in Tacit.) Antoninus Caracalla apud Dionem fraternæ pariter ac paternæ cædis reus, & viſis identidem acerbis fatigatus, multorum animas inferis euocauit, præſertim patris, & Commodi, ex quibus nemo ei reſpondit niſi Commodus, qui dixit, *Perge ocius ad ſupplicium.* Apud Senecam Creo de Laio reſpondēte, Fari, inquit, horreo, rabido ore fatur:

Dio in Anton. Caracal. lib. 77.

Seneca.

Te te cruenta ſceptra qui dextra geris,
Te pater multus vrbe cum tota petam,
Et mecum Erynnes pronubas thalami traham,
Traham ſonantes verbera; inceſtam domum
Vertam, & penates impio Marte obteram.

C Meminit & Saxo Grammat. Hiſt. Danicæ lib. 1. Harthgrepam Vagnhoſthi filiam, cum Hadingum amore deperiret, eius gratia manes ſollicitaſſe, & diris admodū carminibus ligno inſculptis, iiſdémque linguæ defuncti per Hadingum ſuppoſitis, horrendo carmine reſponſum illud accepiſſe:

Saxo Grammat.

Inferis me qui retraxit execrandus oppetat,
Tartaróque deuocati ſpiritus pœnas luat.
Quiſquis ab inferna ſede reuocauit
Me functum fatis examinemque,
Ac rurſum ſuperas egit in auras,
Sub ſtyge liuenti triſtibus vmbris
Perſoluat proprio funere pœnas.
------ *Quæ noſtra chao fata reduxit,*
Et dedit hoc rurſum viſere lumen,
Mirè corporeis nexibus indens
D *Manes elicitos ſollicitando,*
Quod niſa eſt temerè, flebit acerbè.
------ *Noſtros crimine preſſa ſuo*
Placabit cineres, ipſa futura cinis,
Quæ miſeris vmbris huc remeare dedit, &c.

Inferis me qui reduxit, &c. Tertiò repetit, diris caput eius deuouens, quæ manes & inferos tentare auſa eſſet. Digni certe qui à dæmonibus male audiant, & quibus ipſi male precentur & faciant, quicunq; malis artibus fidem adhibent, & ſperant diabolum, aut quæcunque ab eo tradita carmina, diuinæ iuſtitiæ carcerem reſtringere poſſe. Nec minora Saül temeritate ſua commeritus erat. Sed his interim omiſſis, quibus abundè ſatis inſtrui per ſe poterat, quæ quondam mala ſibi inobedientia conſciuiſſet;

CRAS TV ET FILII, &c.

ea in proximo parata esse, & eius capiti incumbere Samuël renuntiat.

Lucian. in Necyomātia.

Cras tu & filij tui mecum eritis.] Hæc spectanti mihi, quidam ait, persimilis hominum vita pompæ cuipiam longæ videbatur, cui præsit ac disponat quæque fortuna, ex his qui pompam agunt, diuersos variósque cuique habitus accommodans. Alium siquidem Fortuna deligens, regiis ornat insignibus, & tiaram imponens, & satellites addens, & caput diademate coronans: alium serui rursus ornatum induit: hunc formosum effigiat, hunc deformem atque deridiculum fingit, nam omnigenum, vt opinor, debet esse spectaculum. quin habitus quorundam plerunque in media quoque pompa demutat, neque perpetuò eodem sinit ordine cultúque progredi quo prodierant: sed ornatu commutato Crœsum quidem cogit serui captiuique vestes induere: Mæandrium autem olim inter seruos incedentem, Polycratis vicissim ornat tyrannide: & aliquantisper quidem eo cultu permittit vti: Verùm vbi iam pompæ tempus præteriit, apparatum quisque restituens, & cùm corpore simul exutus amictu, qualis antè fuit, efficitur, nihilo à vicino differens. Quidam tamen ob inscitiam, quum suos Fortuna cultus exigit, ægrè ferunt atque indignantur, tanquam propriis quibusdam bonis priuati, ac non potius alienis, quibus paulisper vtebantur, exuti. Hæc ille, quæ ad pietatis cultum nullo negotio inflectere possis, si non Fortunam, sed Deum: non temere, sed certo iudicio ac ratione rebus humanis moderari intelligas, vt habeat vnusquisque tantisper dum viuit, de Deo hominibúsque benemerendi potestatem.

Vita præsens Theatricæ pompæ similis.

Matt. Cromer.

Agebatur tum annus 1275. aut 6.

Admonitus septenniũ pœnitentię causa concedi, eo tẽpore abutitur.

Cras tu & filij tui mecum eritis.] Paulum Cracouiensem Episcopum multis nominibus non eo tantùm munere, sed vita quoque indignum describit Cromerus lib. 9. & 10. de rebus Polonor. Hic cùm aliquando Cracouiæ apud Dominicanos fratres commoraretur, quadam die cœlitus increpitus esse fertur, huiusmodi verbis: Væ tibi Paule Episcope: melius tecum actum esset, si natus non fuisses. Monachus prętereà quispiam per quietem vidisse dicitur, lupum erectis prioribus pedibus contra eum humana voce exclamantem: Væ tibi Paule Episcope, quoniam cœpisti, & occidisti. Hoc quoque cùm ille renunciante Monacho accepisset, expauefactus, fertur scelera sua maiorem in modum deplorasse. Dúmque solus in cubiculo fletibus indulget, rursus talibus dictis compellatum esse memorant: Ne timeas Paule Episcope: age quod lubet, septimo deinde anno morieris. Atque eum respondisse: Optimè secum acturam esse diuinam misericordiam, si sibi septem annorum spatium ad expianda præterita peccata concederet. Credibile est autem, vt Cromerus interpretatur, Satanæ eas voces fuisse, primùm desperationem, deinde securitatem illi, & maiorem licentiam ingerentis. Audaciæ tamen suæ aliquandiu modum imposuit: sed ea moderatio nequaquam perpetua fuit. Hic porrò Samuël cum Saüli præsentis vitæ occasum dun-

A taxat & interitum nunciaret, desperationis ansam afflicto Regi nullam præbuit, neque quicquam dixit aut fecit, quamobrem, si resipisceret, salutem non consequeretur. Neque rursus eidem malesuadam securitatem pollicitus est, ne concessis induciis ad contumaciam abuteretur. Sed terruit periculi præsentia, & veteris pertinaciæ admonuit, quo eundem à scelere & malitia ad pœnitentiæ studium reuocaret.

CRAS TV ET FILII, &c.

Superiori verò exemplo aliud ex eodem, quod proxime sequitur ad ann. 1276. attexam. Homo quidem, inquit Cromerus, splendidus equestris ordinis, sed violentus & rapax, & suis iuxta ac alienis hominibus grauis, cum grauiter ægrotaret, admonitus crebrò à religiosis quibusdam viris, vt ad Dei clementiam confugiens, animæ suæ saluti consuleret, negauit sibi B veniæ locum relictum esse. Iam enim diuino iudicio traditum se esse dæmonum potestati. Nec mora audiuntur à circumstantibus vehementium verberum & percussionum strepitus. Apparent in corpore ægroti fœdi liuores atque vibices, ita vt omnes obstupescerent. Inter hæc ille infelix nullam vocem, nullúmque gemitum edens, ter infelicem animam exhalauit. Hic orsus supplicia, quæ deinde apud inferos æternum expenderet: vt esset exemplo iis, qui ex aliorum incommodis student sua commoda parare. Hæc Cromerus. Quæ legens quispiam fortassis animum despondeat. Sed ne nos temere in diaboli laqueos induamus sic primum vita instituenda est, vt nulla ratio subsit quamobrem his fidem habeamus. Deinde C hoc semper in animo habendum, multa fingere dæmones, quibus nos in fraudem inducant: communi porrò lege atque sententia mortalibus ad vltimam vitæ periodum patere ad pœnitentiam aditum, quem pessimi, cum forte in incautos inciderint, figmentis ad terrorem compositis student præcludere. Sed oportet tum mentem nostram subeat diuinæ clementiæ magnitudo, nósque dolis & machinationibus à diabolo ex insidiis peti, quas nos contemnere decet, vt salutis æternæ, quam nostris meritis consequi non possumus, spem omnem in Dei misericordia collocemus. Doctrinam hanc si veterum monumenta vacaret eruere, non paucis exemplis confirmaremus. Verum ne semper aliena repetamus, præsertim cum domesticis abundemus, frater quidam meus eius rei, D quam diximus, in morte sua egregium specimẽ dedit: cuius historiam quàm potero breuissime commemorabo. Itaque

Hic verè desperat.

Nunquam de Dei misericordia desperandum.

Ludouicus Rangolius sesquianno me maior, cum ad annum, vt arbitror, duodecimum aut decimum tertium peruenisset, ex familiari Minimorum consuetudine atque adeò spiritali institutione mutatus, in religionis studium totus incubuit, ac subinde ludendi parcior, nugisque & lasciuia valere iussis, quæ id genus ætatis plurimum occupant, lectione, silentio, atq; oratione constantius quàm ferat ætas animum pascere instituit. Quod vbi cœpit, statim eius valetudo quassata est: siue illã arctior vitę ratio labefactaret, siue aliunde corporis tẽperatione corrupta

CRAS TVET FILII, &c.

rupta ea ægritudo obreperet. Morbus porrò in dies ingrauescēs sic eius vires exhausit ac sēsim corpus tabe consumpsit, vt sola compago ossiū lacero insuta corio relinqueretur. Flos tamen vultus, orisque decor perpetuus mansit: reliquos artus macies vorauerat. Ad anni quarti metas vbi attigit, ætatis suæ, vt arbitror, sextum supra decimum emensus, cùm mali contumaciam vltrà non ferret, præcipiti gradu ruebat in interitum. Quocirca in posterū charissimæ matris diligentiore cura obseruari cœpit. Accidit verò quandoque, vt cum nos iam nocte concubia somno indulgeremus, is quoque tantillum vt apparebat, quiesceret: qui vt statim vigilis animi significationem dedit, rogatus num quod solebat lac amygdalarum sorbere vellet, quo somnus illi conciliaretur, respondit: Nullo in posterum remedio sibi opus esse: cùm in summum discrimen venisset, periclitanti neminem affuisse: nunc postquam iacta esset alea, & decreta mors, serò medicinam parari: Dei sententiâ inferis & perpetuo supplicio se adiudicatum esse.

Primùm duodennis puer, subinde verò quadriennium atrocissima pœnitentia maceratus, fraude dæmonis de Dei misericordia desperat.

Id cum præter consuetudinem læuo nixus cubito, nec languenti similis, sed firma voce referret, matrem comitesque perterruit. quamobrem acciti concurrimus. Cubiculum ingressi cùm illum superioris vitæ admoneremus, nec debere Satanæ commentis temere commoueri, denique si quis forte scrupulus conscium pectus stimularet, posse hominem tantisper dum vita superest pœnitentia labem abstergere: excipit, se quoque olim paria legisse: cæterùm alia esse Dei iudicia quàm quæ libris traderētur, C experientia comprobasse. Posthæc rogatus à nobis vt prima Symboli verba pronunciaret, nihil cunctatus, dixit: *Credo Deum Patrem omnipotentem.* Interpellatus quam ob causam, *in*, particulam elideret? Quoniam, inquit, in eo deinceps spem nullam repositam habeo. Vt adderet tum extorqueri nulla ratione potuit. Salutationem quoque Angelicam recitauit haud ita grauate: sed vt orationem adiungeret, quam eidem Ecclesia coronidis loco attexuit, haudquaquam impetrauimus. Non consensit vt diceret, *Sancta Maria ora pro nobis.* Interea verò dum mœsti ac lugentes eundem de sententia deducere frustrà conamur, ad eundem accessit Pastor noster, quem matris sollicitudo arcessierat, qui nec ipse quidem monendo docendoque quicquam promouit. Identidem porro D concutiebatur metu, & mirari se dicebat, quo pacto igneos illos currus non animaduerteremus, quos dæmones ignem spirantes, ignem naribus efflantes in cubiculū agerent, nec incōditos clamores exaudiremus, quos ipsi ederent, dū se mutuò hortarētur, vt eū raperēt, & in tartarum darent præcipitem. Postremò cum nulla ratio mētis eius caliginem discuteret, sed Crucis imaginem quæ offerebatur ferocius repelleret, nosque pertinacius auersaretur oculis, communi consilio statuimus, orationis præsidio vim dæmonum haud dubiè profligari posse. Itaque statim circumfusi corona lectum cingimus, & genibus flexis septem Psalmos Pœnitentiales vnà cum Pastore nostro recitamus.

A Quibus perlectis cum Litanias inciperemus, solito languore fractus repente corruit. Extemplò mutatum deprehendimus. Percontamur vti se habeat? Vti Deo visum est, inquit, voce supra modum languida, & quæ defectas corporis vires præ se ferret. Tentatur an incorrupte Symbolum enunciet. Ipse mox palàm confessus est, *Credo in Deum.* Admonitus præterea B. Virginis suffragium imploraret. *Sācta Maria*, inquit, *ora pro nobis.* Hactenus tantum profecisse contenti, subinde Litanias absoluimus. Euestigio porro sciscitati sumus, num forte confiteri vellet? placere respondit. Postquam autem officio satisfecisset, impensius flagitare cœpimus, nobis edissereret, quid de illa tanta perturbatione sentiret. Respondit igitur, Per B mediam horam quam quiescere visus esset, se sibi visum esse ad diuinum iudicium rapi, sublimem Christum spectasse sedentem in solio, ornatu regali, quem dextrâ læuaque stipabant hinc quidem B. Virgo, inde S. Ludouicus, & Catharina Martyr, quos ille præcipuo amore & obsequio coluerat. Statim verò dæmonem accusationem ordiri cœpisse. Primum autem caput institutæ accusationis fuisse, quod tempore diuturnæ ægrotationis suæ lentius ac remissius in Dei cultum incubuisset. Alterum, quod nauseante appetitu morosius plerosque cibos respuisset. Tertium, quod cum mater indulgentius habuisset. Quibus ille commotus, & hostis audacia vehementius perterritus, qui ea verbis amplificaret cum iam non haberet dæmon quod amplius obijceret, custodem Angelum, qui præsens aderat, rogare instituisse, causæ suæ patrocinium susciperet. Negauit præuaricator, se habere quicquam quo obiecta dilueret. Itaque mox tristem sententiam sibi subire visus est, quæ eundem flammis æternis addiceret. Ipse ad pedes omnium sigillatim accedens, B. Virginem reliquosque SS. supplex obtestari, vellent meminisse sui. Illi se nosse aliquando negarunt; sicque repulsam passus est, iussusque in barathrum demergi. Tum aduectum currum igneum, & dæmonum phalangas lectulum obsedisse, paratas vim facere: seque protinus spem omnem salutis abiecisse. Ast hoc interim spacio, dum pro eo preces funderemus, diuinitus accepisse, iudicij pompam illā quam conspexisset, ad se decipiendum fictam à dæmone atque subornatam fuisse. Ad extremum, secundum hæc vnum atque alterum diem superstes mansit, & expiatam eo errore animam, atque ab inferni faucibus diuino beneficio ereptam, necnon & pristinæ innocentiæ restitutam, Deo Opt. Max. seruatori suo æternûm consecrauit.

Mira dæmonum fallacia, & supra modum extimescenda.

Mecum eritis.] Non est verisimile Saulem, cum ita esset moriturus, futurum fuisse cum Samuele: sed intelligit statum mortuorum. Ac si diceret, mortui eritis, vt ego sum. Etsi sciam, Rabbinos quosdam dicere, Saulem egisse pœnitentiam: idque ex eo colligere, quod auditis his verbis redierit in castra, tanquam ad certam mortem decretam à Deo. Sed id mirum non est Rabbinos affirmare. Habent enim alia multa ridicula. Sed Iosephus etiam addit, Saulem

VIR SENEX ASCENDIT, &c.

Nonnunquam ipsi fabricant.

astrum, vel potius quod captet affluxum humorum, vt possit corpus torquere vehementius. Induit interdum corpus aërium: sed illud non informat, vt loquuntur philosophi; nec vt anima humanis artubus, sic illi vitam impertit. Sed nec in eandem transit hypostasim, vt quondam Dei Verbum in vnius & eiusdem societatem personæ carnem nostram asciscens. Angeli enim & dæmones statim vt illis visum erit, ascita corpora deponunt. Sunt enim in illis, vt Scholastici dicere solent, definitiuè: hoc est, ita in illis sunt, vt non sint alibi. Deus quidem in veteri Testamento exhibuit sese in aliqua forma interdum conspiciendum. Sed non erat in illa pariter definitiuè. Quippe ita ibi erat, vt esset tamen interim vbique. Diabolus autem, vt inquit S. Augustinus, aptat sibi corpus aliquod tanquam vestem. Et S. Chrysostomus de patientia Iob ait, illum, qui nunciauit illi ruinam domus, & excidium suorum, non fuisse hominem, sed dæmonem. Nam si homo eras, inquit, quomodo sciebas ventum ortum fuisse à deserto? Aut si ibi eras, quomodo non vnà opprimebaris?

Aëria potissimum corpora sibi consuũt.

Bona pars scriptorum putat, dæmones sibi fingere corpora ex aëre. Sympathiam enim quandam esse oportere inter locum & habitantem. Diabolos autem habitare in aëre caliginoso, omnes consentiunt: credibile ergo esse, ex familiari aëre sibi accommodare corpora consuesse. Deinde addunt, oportere corpora eorum esse agilia: dæmones enim, vt Tertullianus ait, esse quodammodo volucres, & celerrimè per omnia loca volitare. Ad hæc addũt, experientiam docere, corpora illa esse aëria. Fuisse enim, qui ea conati sint aliquando scindere, & vulnerare: sed nihil potuisse: illa enim cessisse ictibus, & statim denuo coiuisse. Itaque ille pulchrè cecinit,

Virgil. Æneid. 2.

Ter conatus ibi collo dare brachia circum;
Ter frustrà comprensa manus effugit imago,
Par leuibus ventis, volucrique simillima somno.

Præterea illa corpora facillime euanescunt. Quod si essent terrea, aliquid maneret solidi: si aquea, diffluerent: si ignea, comburerent, & attrectari non possent. Spissant autem dæmones, & condensant ista corpora ex compressione partium. Nam alioqui non possent videri aut tangi. Abraham vidit Angelos, & lauit illorum pedes, & illis apposuit cibos, denique etiam comederunt.

Probatur ex Scripturis apparitiones in assumptis corporibus non vtquequaque phantasiæ ascribi posse.

Quidam tamen putant, ea non esse corpora, sed tantùm imaginationes quasdam in animis hominum. Alij autem respondent, id non posse verum esse in vniuersum: illos enim, quibus illuditur huiusmodi imaginibus, alienari à sensibus. Sed ne id quidem certum est. Phrenetici enim ita luduntur sæpè, quamuis eos vti sensibus nihil prohibeat. Vident enim & audiunt, tametsi persuaderi non possint. Timent sane, fugiunt, pauent, clamant. Alij censent non esse phantasias, quòd conspiciantur simul à magna hominum multitudine. Difficile autem esse simul imponere posse multis. Porrò tota familia Loth, & Abraham conspectos fuisse Angelos. Sed sacræ literæ sine vlla dubitatione probant,

A non esse istas tantum inanes imaginationes. Verus enim diabolus ingressus est in serpentem, vt Euam induceret in fraudem. Idque satis docet eius execratio: *Super ventrem tuum gradieris: semen mulieris calcabit caput tuum.* Id enim non tantùm de Christo, & diabolo verum est, sed etiam de hominibus, & serpente. Deinde, vt suprà dixi, Angeli sese obtulerunt conspiciendos Abraham & Loth. Nec erant illæ phantasiæ. Attrectabantur enim Angeli digitis: cumque Loth cunctaretur, per vim quodammodo extractus est ab illis è ciuitate. Israëlitæ viderunt interdiu fumũ; noctu flammam: suberat Spiritus qui ea mouebat, quotiescunque iter esset faciendum. Vt enim lumen Solis penetrat aquam, nubem, aërem, ita Spiritus penetrat omnia. Cùm lex ferretur in

B Sina, conspectæ sunt lampades, vapores, exhalationes, ignes. Terra quoque concussa est terræ motibus. Christus cum iret in cœlum, comites habuit Angelos. Nã & illi videndi sui potestatem discipulis eius fecerunt, & eosdem quoque hac oratione compellarunt: *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum?* Impudentis ergo hominis est, velle dicere, ista omnia falsa quædam spectra fuisse, & ludificationes animorum. Imo ne Peripatetici quidem vnquam dixerunt, vana ista tantùm esse & inania simulacra. Confinxerunt alias potius rationes, humores, occultas naturæ vires, & corpora cœlestia.

Cur ergo, inquies, ait Paulus ad Thessal. Antichristum venturum in potestate, in portentis & signis mendacij? Nam si sunt vera,

C quomodo sunt signa mendacij? Respondeo, dici posse mendacia vel à causa, diabolus enim autor illorum est mendax: vel à fine; idcirco enim ea faciet, vt homines fallat. Et certè impij digni sunt, quibus ita imponatur. Vt enim Paulus ait, *Quia dilectionem veritatis non receperunt, mittet illis Deus efficaciam erroris.* Nec dubito falsa quoque miracula non pauca editurum. Nam etsi verum corpus ex elementis fingere poterit, nequicquam tamen supra naturæ vires conabitur. Fiunt autem ista interdum, vt Dei potentia clarius eluceat. Nam cùm sit tanta vis diaboli, oportet potentiam Dei, qua ille frenatur, & regitur, multò maiorem esse. Nostræ autem partes sunt semper Deo gratias agere, cuius solius beneficio & S. Angeli animæq;

D beatæ nonnunquam nobis apparent, & artes diabolicæ reteguntur.

Corpora ergo ista, quæ sibi dæmones architectantur, sunt aëria. Vt enim aqua cogitur in glaciem, & interdum durescit in crystallum: ita aër quo sese vestiunt dæmones & manes, densatur in corpus aspectabile. Quod si aër solus non videatur esse satis, possunt admiscere etiam aliquid vaporis, aut aquæ, vnde existant colores. Id enim fieri videmus in iride. Sic enim ille ait:

Qualia sint illa corpora.

Mille trahit varios aduerso sole colores.

Nihil autem necesse est tribuere dæmonibus & Angelis membra illa vitalia, pulmones, cor, epar. Non enim ea causa induunt corpora, vt ea viuificent, sed tantum vt videantur. Itaque illis

VIR SENEX ASCENDIT, &c.

Vir senex ascendit, &c.

S August.

illis vtuntur vt instrumentis. At comedunt, inquies: & Christus cùm esset excitatus à morte, melle ac pisce vesci visus est. S. Augustinus in Epist. 94. ad Deo gratias, quæst. 1. ait, id fuisse in Christo non necessitatis, sed potestatis. Et vtitur huiusmodi simili. *Aliter enim*, inquit, *arida terra sorbet aquas, aliter radius Solis. Illa necessariò: hic autem vi tantum quadam, & potestate. Ita, inquit, corpora excitata à morte, si non possent cibum capere, non essent perfectè felicia: rursus etiam, si egerent, essent imperfecta. Quod ergo Christus comedit, non necessitatis erat, sed potestatis. Comedit autem cum discipulis, ne illi oculis suis putarent illudi.*] Atque ita dicimus, Angelos quoque & dæmones comedere: tametsi longè diuersa ratione. Etsi enim is motus qui ad cibum conficiendum requiritur, vtrinque verè concurrat, non est tamen perinde vt in Christo, sic quoque vitalis actio in Angelis: sed qualis conatus esse solet mouentis in mobili. Non enim vt formæ, quæ vitam tribuant, assumptis corporibus incumbunt: sed eadem vt motores exercent, & circunferunt. Imò hoc ipsum, inquies, est decipere, velle videri homines, quales esse non possunt. Respondeo, Boni Spiritus non fallunt. Non enim accedunt ea causa, vt probent se esse homines: sed vt exponant mandata Dei. Mendacium autem semper coniunctum est cum animo fallēdi. Ad extremum verò aliquo indicio satis ostendunt, se Angelos esse. Euanescunt enim, vt subitò sese auferunt ex oculis. Dupliciter ergo erudiunt homines: Primùm, quia quæ à Deo iussi sunt, ea mortalibus indicant: deinde, quia declarant naturam suam. Quod scimus factum ab illis Angelis, qui cōspecti sunt à Gedeone, & Manue. Mali verò Spiritus primùm docent falsa, & abducunt à Deo: deinde etiam videri volunt terribiles, & longe potentiores quàm sint: & pollicentur, sese velle multa aut dare, aut facere. Nec tantùm hominum vultus mentiuntur, sed etiam iactare se audent Angelos lucis. Sed hactenus satis.

Cur Christus post resurrectionem comederit.

Obiectio refellitur.

Et inclinauit se super faciem suam in terra, & adorauit.] Hebraicè, וַיִּקֹּד אַפַּיִם אַרְצָה וַיִּשְׁתָּחוּ *Vayikod apayim artsah vayschtachou. Et inclinauit facies super terram, & incuruauit se.* 3. Regum cap. 1. ver. 23. & 31. iisdem verbis referuntur primùm Nathan, deinde & Bethsabee adorasse Dauid. Et supra huius libri cap. 20. ver. 41. ipse Dauid etiam וַיִּשְׁתָּחוּ *vayschtachou, inclinauit se*, siue *adorauit* tribus vicibus, priusquam in amplexus Ionathæ rueret. Quamobrem ciuilis habenda est hæc adoratio. Nec alia mihi fuisse videtur quàm Sunamitidis illius, quæ 4. Reg. cap. 4. cùm amisso filio ad Elisæum venisset in montem Dei, *apprehendit pedes eius: ad quam cùm accessisset Giezi vt amoueret eam, ait Homo Dei: Dimitte illam: anima enim eius in amaritudine est.* Scilicet is habitus ingenti calamitate perculsum decet: non autem idololatriam redolet, quod nonnullis visum est. Sed & illud obseruatione dignum quod habet Iosephus Antiquit. Iudaic. lib. 11. cap. 8. interrogatum à Parmenione Alexandrum quamobrem Iudæorum Pontificem adorasset, retulisse, Non

Ciuilis adoratio.

A hunc se adorasse, sed Deo, cuius is esset Pontifex, cum honorem habuisse.

Intellexit quod Samuel esset.

Sed num reuera hoc loco Samuel apparuit?

QVÆST. CXXXIII.

Respondet S. Theodoretus quæst. 62. in lib. 1. Reg. Ego autem legens librum Paral. inueni cum sic dixisse qui scripsit historiam *Et mortuus est Saul in suis iniquitatibus, in quibus iniquè se gessit Domino secundum eloquium Domini: propterea quod ipsum non custodiuit, & quod interrogauit Saul in ventriloqua vt exquireret. Et respondit ei Samuel propheta: & non exquisiuit in Domino, & occidit eum.* Hinc est ergo perspicuum quod ipse Deus vniuersorum, efformata vt voluit specie Samuelis, protulit sententiam, cùm hoc non potuisset facere ventriloqua, sed Deus, & minimè protulit sententiam per aduersarios. Audimus enim eum dicentem. *Etsi abierit ad pseudoprophetam, ego Dominus respondebo ei.* Hactenus Theodoretus. Etsi verò neq; Latina Vulg. neque Græca Complutens. Sed ne textus quidem Hebræus illud habere videatur, *Et respondit ei Samuel propheta*: habet tamen Græca Aldini editio, & Latina Nobilij. Καὶ ἀπεκρίθη αὐτῷ Σαμουὴλ ὁ προφήτης. Theodoretum sequitur Procopius. Vel δαιμόνιον πλάνον τὸ σχῆμα τοῦ Σαμουὴλ ὑποκρίνεται, Spiritus impostor formam Samuelis simulat, & illa dicit quæ sæpenumero ex Samuele audiuit, Saulinæ mortis tempus ignorans: ἢ θεῖος ἄγγελος, ὡς ἠβουλήθη, τὸ εἶδος τοῦ Σαμουὴλ ἐσχημάτισε, τοῦ Θεοῦ καὶ διὰ τῶν ἐναντίων τὴν ψῆφον ἐκφέροντος. Vel Angelus Dei, sicut voluit, formam Samuelis asciuit, Domino sententiam per contrarium efferente; qui inquit: Κἂν ἀπέλθῃ πρὸς τὸν ψευδοπροφήτην, ἐγὼ κύριος ἀποκριθήσομαι αὐτῷ, *si accesseris ad pseudoprophetam, ego Dominus respondebo ei.* Sic per Balaam, Spiritu Dei in ipso operante, benedixit populo, & orbis salutem prædixit. Hic igitur etiam nunc effecit, vt appareret forma Samuelis, quam Scriptura Samuelem appellauit. Sic Angelos etiam, qui Abraham apparuerunt, & Dominum eorum, viros appellauit. Qui dij non sunt, deos appellat Scriptura. quemadmodum nunc etiam Samuelem; vt Saul, cui hoc videbatur, sententiam ex eo audiret, & cum eo gemitu è vita excederet. Hæc Procopius. Quæ Glycas etiam amplectitur parte secunda. Et ego in hanc quoque sententiam libens concederem, si aut ipsa Scripturæ autoritate aliqua niteretur, aut nos ratio aliqua cogeret à communi sensu verborum ad allegoriam deflectere.

S. Theodoretus.

1. Paral. cap. 10 v. 13 & 14.

Deum censet in ficta à se Samuelis specie Sauli respondisse.

B

Num. 12. & 22.

Procopius Angelū aut dæmonem apparuisse asserit, Dominum ipsum respōdisse; vel etiam dæmonem.

C

D

Verumenimuerò quantum ex Scripturæ oratione conijcere possumus, & ipsa quoque historiæ ratio postulat, necessarium arbitror eum qui apparuit, vel Samuelem fuisse, vel dæmonem. Quippe magicas artes lamia adhibuisse dicitur, statim verò Samuelem emersisse ex inferis. Itaque passim interpretes in alterutram sententiam discedunt. Nam pauci omnino, in

INTELLEXIT, &c.

quibus Rab. Camius, commentum hoc mulieris fuisse dicunt, & quicquam apparuisse negant: quinimò plerique omnes aut dæmonem fuisse asserunt, aut excitum ab inferis Samuelem. Quod si fortè posteriorum autoritate permoti, Samuelem eò venisse concedamus, quæretur iterum: An totus cum corpore & animo accesserit: an cum solo corpore: an denique separata duntaxat anima, qualis tum in sinu Abrahæ delitescebat. Nam si totus occurrit & animo constans & corpore, eundem resurrexisse oportuit. Id autem cùm sit maximum miraculum, non potest aut magæ tribui, aut diabolo. Imò sunt quidam, qui id ne Deo quidem tribuant. Sed illæ pestes facilè ab ipsa historia sacrarum literarum refutantur. Tres enim legimus reuocatos ad vitam in veteri Testamento: Vnum ab Elia, alterum ab Elisæo adhuc viuente, tertium ab Elisæi iam demortui ossibus: in nouo autem Testamento filiam Archisynagogi, filium viduæ, Lazarum, Eutychum, Dorcadem. Quare si negamus Samuelem rediisse ad vitam, non idcirco id negamus, quòd Deus non potuerit id efficere. (nam Christus resurrectionem probauit, & inquit Deum esse, *non mortuorum Deum, sed viuentium:* & Paulus in 15. 1. ad Corinth. multis rationibus ex professo resurrectionem mortuorum confirmat: & in 6. ad Hebræos, eam connumerat inter fundamenta Religionis nostræ: articulus est fidei nostræ: & ne Turcæ quidem, aut Iudæi negant, mortuos esse resurrecturos: Montanistæ autem, & Origenistæ, & similes furiæ, quę negant, ex Iob, ex Psalmis, ex Esaia, è Daniele, & passim è nouo Testamento refutantur) non ergo id negamus factum, quod non potuerit fieri: sed quod neque id Scriptura indicet, neque ad id quod quærebatur, necessarium videatur. Miracula autem, vt aiunt, absque necessitate multiplicanda non sunt.

Quæstionis partitio.

Non apparuit Samuel cũ corpore & anima.

Num igitur probamus potius cum solo corpore aduenisse? Ecclesiastici cap. 46. versu 23. *Et post hoc (Samuel) dormiuit, & notum fecit Regi, & ostendit illi finem vitæ suæ, & exaltauit vocem suam de terra in Prophetia delere impietatem gentis.* Græcè, καὶ μετὰ τὸ ὑπνῶσαι αὐτὸν προεφήτευσε, *Et postquam dormiuit ipse, prophetauit, & ostendit Regi, &c.* Propter hæc Paulus Burgensis putat, non spiritum Samuelis aductum fuisse, sed cadauer. Omninò autem verum fuisse Samuelem. Sic enim scriptum esse in Ecclesiastico, *Et cùm dormiuisset.* Diabolum autem ait, non dormire. Et eum ait conquestum, quod se mulier conturbasset, quod eius cadauer iam acquiesceret. Sed ne hoc quidem est tanti. Primùm enim non videtur credibile, cadauer lacerum, & putre eò translatum fuisse. Deinde, si ita fuisset, Saul illud videre potuisset. Adhæc, certè cadauer per se res stupida est, & mortua: nec potuisset quicquam respondere, nisi illud diabolus induisset. Diabolus autem ista facere potuit etiam sine cadauere: nam ei licuit formam & figuram eius accipere. Denique, præter vnum Burgensem, nullus interpretum hoc vnquam somniauit.

Non cum solo corpore.

Burgensis.

Videamus ergo, an fuerit animus Samuelis, A an diabolus: nam ea de re interpretes leguntur diuersa sensisse. Nam quidam non potuisse extincti Prophetæ animum sisti, idcirco asserunt, quod putent animos hominum post mortem non extare. Sed hæc impia atque insana deliria ducere debemus. Re enim vera piorum animæ restant funeri superstites, & viuunt coram Deo. Ita enim Deus ipse ait: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob:* Et Christus addit: *Non est mortuorum Deus, sed viuentium.* Et rursum Christus latroni: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Fuisset illud certè longum hodie, si iuberetur expectare vsque ad communem resurrectionem. *Sed mille anni*, inquiunt, *apud Dominum sunt tanquam dies vnus.* Fateor. Non tamen semper aduerbium illud *hodie* ita sonat. Imo sanctus Augustinus ad Dar- B danum, aduerbium illud propriè accipiens, ait: Corpus Christi fuisse illo die in sepulcro: animam autem in inferno. Itaque necesse fuisse, vt latro fuerit cum diuinitate Christi in Paradiso: non enim dat vel animam vel corpus Domini tum simul in diuersis locis fuisse. Et Paulus ait ad Philippenses, *Cupio dissolui, &c.* non ait dormire, & extingui, sed *esse cum Christo.* Adhæc, Lazarus in sinum Abrahæ ab Angelis asportatur: diues epulo abiicitur in infernum. Et alter diues, qui decreuerat apud se velle amplificare horrea sua, audit: *Stulte, hac nocte repetent à te animam tuam.* Et Chrysostomus in homil. 2. de Lazaro: Spiritus, inquit, hominum, non eadem conditione auferuntur: alij enim abeunt ad pœnam: alij stipati ab Angelis abducuntur in cælum. In Apocalypsi animæ beatæ C *accipiunt stolas, stant ante thronũ, & sequuntur agnum quocunque ierit.* Stephanus moriens ait: *Domine Iesu, accipe spiritum meum.* Si animus prorsus erat moriturus, cur eum magis commendauit, quàm corpus? Certè Sancti nusquam leguntur corpora sua Domino commendasse. Et in 2. ad Corinth. cap. 5. *Scimus enim quod si terrena domus huius tabernaculi dissoluta fuerit, ædificium ex Deo habemus, domum non manufactam æternam in cælis.* Ista non intelliguntur post resurrectionem, quia ibi etiam corpus nostrum habebimus: de statu ergo medio accipienda sunt. Manent proinde animæ post mortem. Sed controuersia est, Fueritne iste Samuel, an diabolus? Qua de re non tantùm Rabbini, sed etiam Christiani Patres, inter se dissentiunt. Imò ex D recentioribus quoque aliud sentit Burgensis, aliud Lyra.

INTELLEXIT, &c.

Animæ funeri superstites manent.

S. August.

S. Chrysost.

Iustinus Martyr contra Tryphonem ait, fuisse Samuelem: quo in loco quædam habet, quæ haud ita facilè concedi possunt. Ait enim omnes animas, etiam piorum, fuisse aliquo modo sub potestate diaboli: vt eas potuerit reducere, cùm vellet. Atqui Christus ait, Lazarum fuisse in sinu Abrahæ, non in potestate diaboli. Sed illa, inquies, est parabola. Esto: tamen ducta est à rebus verisimilibus, & quæ fierent. Deinde plerique negant fuisse parabolam. Tertullianus sanè eam narrationem ita habuit pro re gesta, vt Lazarum putet fuisse Ioãnem baptistam, & Herodem diuitem epulonem. Christum autem voluisse parcere nominibus.

S. Iustinus docet fuisse verum Samuelem.

Contrà

INTELLEXIT, &c.

Tertul. diaboli figmẽtum fuiſſe putat.

Contrà tamen Tertullianus in libro de Anima, multa habet animaduerſione digniſſima. Summatim colligam, quoniam horum alibi mentio à me facta eſt. Artes magicas appellat ſecundam idololatriam. Vt enim in priori diabolus fingit ſe eſſe Deum: ita in poſteriori ſeſe fingit eſſe angelum, aut mortuum: & vtrobique quærit, vt adoretur. Nec mirum eſt, ſi exteriores hominum animos perſtringat, cùm antea occuparit oculos mentis. Ita enim Magorum Pharaonis virgas viſas fuiſſe ſerpentes. Sed poſtea mendacium deuoratum fuiſſe à veritate. Quod autem Simoniani dicunt, ſe poſſe ſuis carminibus reuocare mortuos, id ſpectrum tantùm fuiſſe, & rem ludicram. Ita enim hoc quoque loco diabolum illuſiſſe & mulieri, & Sauli: & illius oculis, huius auribus impoſuiſſe.

Origenes negat bonos ſpiritus obtẽperare carminibus magicis.
S. Ambroſ.
S. Chryſoſt.

Origenes de hac re nihil ex profeſſo ſcribit. Tamen in hiſtoria Balaam ait, Bonos ſpiritus non obtemperare carminibus magicis. S. Ambroſius in Lucam lib. 1. cap. 1. ait, Samuelem, etiam cùm mortuus eſſet, prophetaſſe. S. Chryſoſtomus de hoc Samuelis facto nominatim, quod ſciam, non diſſeruit. Attamen in homil. 29. in Matthæum ait, nullo modo credendum eſſe, animas mortuorum verſari in terris. Diues, inquit, petijt, vt Lazarus remitteretur: ſed non impetrauit. Huc ego addo, Quo ergo pacto hoc impetrare potuit mulier maga de Samuele? Eadem enim erat vtrinque ratio. Animæ, inquit S. Chryſoſtomus, ſunt in loco certo, & expectant iudicium, neque ſe inde poſſunt commouere. Et in homil. 2. de Lazaro, Si diabolus, inquit, nihil poteſt in viuos, quomodo poteſt aliquid in ſpiritus mortuorum? Et in homil. 4. Si ita eſſet, inquit, pateret magnus aditus diabolo ad impoſturas. Rediret enim ſub illa ſpecie, & doceret errores. Sed nec S. Hieronymus de hac re certi quicquam habet:

S. Hieron.

niſi quod in ſeptimo cap. Eſaiæ ait, Multos putare Saulem accepiſſe ſignum è terra, & è profundo inferni, cùm videretur excitaſſe Samuelem. Hanc ait aliorum eſſe ſententiam, non ſuam: deinde ait viſum fuiſſe Samuelem, non autem fuiſſe. Et in Hierem. cap. 11. ita ſcribit. Non exaudit Deus in tempore neceſſitatis & anguſtiæ, quia & illi audire vocem Domini noluerunt: quod & Saul paſſus eſt. Cùm enim Peliſthim agmina reformidans, verbum Domini non meruiſſet accipere, conuerſus eſt ad Pythoniſſam, vt ab idolis diſceret, quod inſtantia orationis ac fletuum à Domino debuiſſet extorquere. Per quæ diſcimus, etiamſi Dominus non exaudierit, nequaquam eſſe ceſſandum, nec confugiendum ad dæmones, qui cultores ſuos adiuuare non poſſunt, ſed ad Domini auxilium. Cæterùm ijs verbis S. Hieronymus non definit, an diabolus per ſeipſum, an per animam Samuelis reductã, reſponderit magicis interrogationibus. Sicut neque Ezech. 13. quo loco de Pythoniſſa loquens, quæ viſa eſt, inquit, ſuſcitaſſe Samuelem. Addam nunc & Baſilium illum

S. Baſil.

Magnum, qui de Samuele perinde ſentire videtur, ac ſi illum ſaga euocaſſet. Καὶ ἡ ἐγγαστρίμυθος, inquit epiſt. 80. ἐν ταῖς μαγγανείαις αὐτῆς ψυχα-

A γωγοῦσα τὸν Σαοὺλ, τὰς ἐπιζητουμένας ψυχὰς θεοὺς ἑωρακέναι φησίν. Et mulier illa Pythonica, quæ Saulem ab inferis incantationibus ſuis euocauit, cùm videret animas, quæ requirebantur, deos ſe videre dicebat. At Gregorius Theologus eiuſdem æqualis, non abſq; dubitatione quadam de eodem loquitur orat. 3. aduerſ. Iulian. De cruce coronata mentionem fecerat, quæ ſacrificanti Iuliano in extis oblata eſt: quam cùm impius ex tempore ita interpretatus eſſet, tanquam eo prodigio circumuenti ac circumcluſi vndique ſignificarentur Chriſtiani, ipſe contrà contendit eo miraculo crucis victoriam portendi. Et

S. Gregor. Nazianz.
Num. 22.
Marci 1.

addit: εἰ δὲ ἀληθὲς, πάλιν Βαλαὰμ προφητεύει, καὶ Σαμουὴλ ἕλκεται ἢ δοκεῖ δι' ἐγγαστριμύθου, καὶ δαίμονες, &c. Si autem verum, rurſum Balaam vaticinatur, & Samuel per Ventriloquam trahitur, aut trahi videtur, & dæmones Ieſum inuiti confitentur, ac per contraria, quo plus fidei atque autoritatis habeat, veritas demonſtratur. Hactenus ille.

B

S. Auguſtini ſentẽtia, qui multa in vtramq; partẽ diſputat.

Reliquus eſt S. Auguſtinus, cuius ſententiam paulo diligentius perſcrutemur: non enim de hac re, quod facere ſolent qui non dubitant, ſemper ſcripſit eodem modo. Ad Simplicianũ verò lib. 2. qu. 3. ait, vtrumque defendi poſſe. Veruntamen quod ſpectat ad partem aſſerentem, de hoc ambigit quo pacto Saul cùm eſſet abdicatus à Deo, potuerit cum Samuele colloqui, & Propheta, & iam inter Sanctos relato. Sed reſpondet, id non eſſe nouum. Nam in Iob malos ſpiritus colloqui cum ipſo Deo: & in hiſtoria de Achab, ſpiritum mendacem obtuliſſe operam ſuam Domino. Imò interdum Principes colloqui cum latronibus: ſed vt ſuſpendantur; cùm interea cum probis hominibus, quos amant, & tueri volunt, non colloquantur. Sed

C

quid poteſtatis, inquit, habuit in Samuelem, vt eum potuerit adducere? Reſpondet, eum potuiſſe vexare Iob: & expetiuiſſe, vt cribraret diſcipulos, & ſtatuiſſe Chriſtum in pinnaculo. Et ſi Chriſtus ſine vlla imminutione ſuæ dignitatis potuit tolli in crucem, & vexari tormentis, probabile eſſe, Samuelem quoque reduci potuiſſe ſine vlla iactura ſuæ felicitatis: non quidem vi vlla, aut poteſtate diaboli, ſed permiſſione Dei, vt Saul perterrefieret. Ita quidam intelligunt factum in Balaam: illum enim fuiſſe ariolum, & profectum vt magicis carminibus Iudæis imprecaretur: Deũ autem aduentũ diaboli anteuertiſſe. Sed de ea re ego nihil ſtatuo, tametſi hoc S. Baſilius epiſt. 80. palàm aſſeueret. Sed quærit præterea Auguſtinus, quomodo Samuel, cùm ita fuerit bonus, acceſſerit ad hominem malum, à cuius conſortio viuens poſt latam à Deo ſententiam abhorruerat. Verùm reſpondet, in hac quoque vita bonos ſolere ad malos accedere. At id infirmum eſt. Id enim homines in hac vita vel ex officio faciunt, vel ex neceſſitudine. Samuel verò extra hanc vitã erat, & vocabatur à maga, cui non debuit obtemperare. Sed putat S. Auguſtinus facilius reſponderi poſſe, ſi dicamus non fuiſſe Samuelem, ſed tantùm ſpectrum & phantaſma. Huic tamen ſententiæ duo obſtare non diſſimulat: alterum, quod Scripturę ita ſemper loquantur, tanquã de Samuele. Verùm reſpondet, eam eſſe

Non abſurdum cenſet Samuelis animam à dæmone educi potuiſſe.

D

INTELLEXIT, &c.

consuetudinem Scripturarum, vt similitudines appellent nomine ipsarum rerum, quas repræsentant. Ita enim imagines ligneas appellari Cherubim; & Salomonē fecisse boues æneos; & Palæstinos obtulisse mures aureos. Nec tamen mentiri sacras literas, cùm ita loquantur: homines enim vulgò ita solere loqui: & Deum voluisse ad humanum captum, & sensum se demittere. Alterū est, quod verè prædixerit, quid esset euenturum: nimirum, Saulem occidēdum esse cum filijs, & aciem Israëliticam esse profligandam. Sed respondet, ne id quidem nouum, aut mirū esse: diabolos enim dixisse, Christum esse filium Dei: & in Actis tulisse præclarū testimoniū doctrinæ Pauli. Ita nunc Deus vtitur opera diaboli, vt Saulem perterrefaciat: vt qui malos spiritus consuluisset, malo responso affligeretur. Sed addit, quomodo futurus erat Saul cum Samuele, impius cum sancto Propheta? Hæc, inquit, est ars diaboli, vt semper falsis adhibeat aliquid veri. Re enim vera, inquit, magna sunt discrimina locorum inter animas felices, & perditas: idque probat ex historia de Diuite, & Lazaro. Sed respondet, dictū illud Samuelis intelligi posse de communi statu mortis, non autem de paritate felicitatis. Deniq; cùm duo tantùm sint modi, quibus anima ex inferis exciri possit, aut magica excantatione, aut consilio & voluntate Dei: negat carminum vi inferorum claustra reserari posse. Sin Deus iubeat, animas nullo negotio erupturas. Ad quam sententiam ego quoque libens accedo. quid enim impediat, si Deus velit, nihil video.

Decernit verum Samuelem fuisse.

Cætera prætereo, quæ non videntur digna tanto monumenta ingenio: ad superiora hoc vnum duntaxat adiungā, quod idem postea rescripsit ad Dulcitium qu. 6. quo vero Samueli impensius fauere videtur, & omnem ex animo scrupulū euellere. Sic enim ait: Sed quàm non frustrà dixerim (ad Simplicianum scribens li. 2. qu. 3.) pedetentim nos in hoc genere simulatā Samuelis imaginem maligno Pythonissæ ministerio præsentatam existimare debere, ne inquisitionibus diligentioribus præscribamus, mea posterior inquisitio declarauit, quando inueni in libro Eccles. vbi patres laudabantur ex ordidine, ipsum Samuelem sic fuisse laudatum, vt prophetasse etiam mortuus diceretur. Sed si & huic libro, quia non est in Hebræorū canone, contradicitur: quid de Moyse dicturi sumus, qui certè & in Deuteronomio mortuus, & in Euangelio cum Elia, qui mortuus non est, legitur apparuisse viuentibus. Hactenus S. August.

Soluitur obiectio autoris Quæst. vet. & noui Testam.

Obijcit autor quæst. vet. & noui Testam. præstigium tantùm fuisse & spectrum. Diabolum enim id fecisse, vt se in honorem adduceret: & persuaderet hominibus animas mortuorū esse in sua potestate: & illas non esse post mortē ab eius manibus euasuras. Itaque Saulem illū adorasse: & ita diabolum habuisse quod quæsierat. Id Samuelem nunquam fuisse passurum: dixisse autem illum, Saulem postridie secū fore, quod ille impius esset, & æternū periturus. Sed quid respondebimus de Ionatha, quem constat fuisse pium? Hoc ergo infirmū quod ille autor obijcit. Nam quod eo pacto docet, diabolū diuinos honores affectasse, credi quidem poterat, quæ mens eius est & insita superbia, si fecisse probaretur: sed hoc scilicet in dubium venit. Neque enim propterea quod numinis cultum ambit, Dei opera eidem ascribenda sunt. Respondet denique Galatinus: quod autem passus est se adorari, vel adorationem eam ciuilem tantùm fuisse, vel Saulem Deū ipsum adorasse.

Galatinus.

Respondetur alijs obiectionib.

Alij postremò obijciunt, Primum, cùm Deus Sauli respondere nollet, nec per Prophetas, nec per Sacerdotes, nec per somnia, non est credibile eū voluisse illi responsa dare per mortuos, & præsertim cùm id lege disertè prohibeatur. Respondeo, ariolos æquè disertè lege proscribi. Et tamen ipse Dominus Balaam ariolo vsus est, quo & futura prædiceret, nominatim verò Saulis abdicationem: *Tolletur*, inquit, *propter Agag Rex eius*: & per eundem benè populo diceret suo. Amandarat quoque procul sculptilia, & ex finibus Israëlitarum exterminari iusserat. Respondit tamen tribui Dan, cùm ab ea sculptile in domo Michæ per Leuitā consuleretur, & fausta ac vera renuntiauit. Sed & iam suprà isti calumniæ satis abundè factum est. At vrgent deinde: Id oportuit aut voluntate Dei fieri, aut vi artis. Voluntate Dei non potuit: quia prohibuit. Non conclusit nisi de voluntate signata & manifestata, non autem occulta & beneplaciti; hac potuit, illa non potuit. Nec vi artis. Magæ enim non habent potestatem in pios. Verum est. Nam neque vi physica, quæ in separatas mentes nulla est: neque altera illa, quam moralē dicunt, quæ precando maximè aut imperādo perficitur, manes è sedibus suis possunt elicere: sed quod artis potentiæ negatum est, Deus hoc loco suā potētiā præstitit. Postremò, inquiūt, oportuit Samuelem aut sponte sua venisse, aut inuitū. Non potuit sponte. consensisset enim arti magicæ: inuitū autē venisse dicere, indignū. Sponte venisse dicimus, non arti quidem magicæ, sed diuinæ voluntati obsequētem.

Plures rationes ipsū Samuelem fuisse confirmant.

Stat ergo fixa atque immota sententia, Ipsam Samuelis animam Dei voluntate hoc loco apparuisse, & loquutam esse. Prima ratio. Quoniam nulla hanc sententiā contraria argumenta labefactant, sed quæcunque à contumacibus obijciūtur, ea nullo negotio refellūtur. 2. Quia hoc loco Scriptura quinquies eū, qui apparuit, Samuelem vocat, nusquā spectri meminit, aut fraudis diabolicæ, quam miror quosdam frustrà comminisci. 3. Hoc ipsum testatur lib. 1. Paral. cap. 10. quem locum antea laudauimus, cùm S. Theodoreti sententiam referemus: isq; hactenus Græcas edit. Ald. & Rom. occupat: neque leuis eius testimonij autoritas haberi debet. Accedit 4. loco liber Ecclesiastici, qui si testis idoneus habeatur qui fidem faciat, non poteris vltra quin verus Samuel post mortem prophetauerit inficiari. Atqui Concil. Ephesinum circa ann. 430. eum librum nominat Scripturam diuinitùs inspiratam, in epist. ad Synodum Pamphiliæ. Quod si nonnulli quandoque Patres dubitarint, num in Canonem Ecclesiæ asciscendus esset, propterea quòd à Iudæis in suū non ascriberetur meminisse nos oportet fas esse quandoque homines aliquid ignorare, quod satis explorare

INTELLEXIT, &c. plorare non potuerint. Tametsi si quis Coccij Thesauri tom. 1. lib. 6. art. 17. legere volet, in ea re perpetuum consensum Patrum tam Latinorum quàm Græcorum mirabitur. Quamobrem Tertull. lib. 3. Carm. aduers. Marcionem, cap. 5. breui elogio Samuelis maximas laudes retexens, non dubitauit eundem post obitum Prophetam asserere.

Tertull. *Mirificus Samuel*, inquit, *cui Reges vngere primùm*
Præceptum, dare Chrisma, viros ostendere Christos;
Talibus in vita spatio laudabilis egit,
Vt quoque post requiem prophetica iura teneret.

Cætera missa facio, ne copia fastidium pariat. Dignus qui legatur in hunc locum Serarius quæst. 3. & item Salianus Annal. tom. ad ann. mundi 2979. à num. 76.

VERSVS XV.

Dixit autem Samuel ad Saul: Quare inquietasti me vt suscitarer? Et ait Saul: Coarctor nimis: siquidem Philisthijm pugnant aduersum me, & Deus recessit à me, & exaudire me noluit neque in manu Prophetarum, neq; per somnia: Vocaui ergo te, vt ostenderes mihi quid faciam.

QVare inquietasti me, vt suscitarer?] Pagnin. *Vt quid commouisti me, vt faceres ascendere me?* Arias, *Vt quid irritasti me ad faciendum ascendere me?* Isid. Clarius cum Vulgata quidem legit, sed habet præterea in Scholijs: Reuocans me scilicet à requie mea ad hæc negotia. Alij sic exponunt, *quare terruisti me?* Nam putabam instare diem iudicij diuini, cùm suscitares me à requie mea. Vatabl. Laur. *Vt quid commouisti me faciendo ascendere me?* Salmant. *Cur inquietum me reddidisti vt me reduceres?* In Schol. Cur mihi molestus fuisti, curando me suscitandum? Alius quidam, *Quare commouisti me, euocando me?* Vt enim notat ad marginem, sicut specie Samuelem, ita verbis mentiebatur diabolus. Non nemo præterea, *Cur me eliciendo inquietas?* Chaldæus consentit, *Vt quid commouisti me, ad ascendere faciendum me?* Lxx. edit. Complut. ἱνατί παρηνώχλησάς με τοῦ [Ald. simpl. με, τοῦ reijcit] ἀναβῆναί με; *Quare inquietasti me vt ascenderem ego?* Rom. edit. *Vt quid perturbasti me faciendo me ascendere?* Hebraïcè, לָמָּה הִרְגַּזְתַּנִי *lammah hirgaztbani*. Porrò רָגַז *ragaz* Hebræis idem quod motus, commotus fuit loco, metu, vel ira. Opponitur quieti cùm corporis, tum animi. San. Pagnino, *tremere*, contremiscere, conturbari, pauere, irasci significat. Sunt qui Lxx. sic interpretentur, *Quare fatigasti me?*

Variæ trãslationes.

Rarior quidem, sed non aliena ab hoc tẽpore & loco significatio, qua semel Lxx. vsi sunt, Esa. c. 32. v. 10. quo loco hoc verbũ pro eo acceperunt, ac si dicas, μνείαν ποιεῖσθε ἐν ὀδύνῃ, *mentionem facio in dolore*. יָמִים עַל־שָׁנָה תִּרְגַּזְנָה sic Esaïas Hebraïcè, *Iamim gbal scanah thirgaznah*. Vulgat. *Post dies enim, & annũ vos conturbabimini*. Arias, *Dies super anno turbabimini*. Pagnin. *Pauebitis*. A Lxx. Μνείαν ποιήσασθε ἐν ὀδύνῃ, *Diei anni memoriam facite in dolore*. In quo sensu Propheta videri possit exprobrasse Sauli, sui denique in summo discrimine meminisse, quẽ felix & beatus contempserat. *Vt suscitarer?*] Hebr. לְהַעֲלוֹת *lehaghaloth*, *Ad faciendum ascendere me*. Vnà omnes consentiunt. Aliàs tamen עָלָה *ghalah* à Græcis Esaïæ c. 53. v. 2. ἀνηγγείλαμεν, siue annuntio exponitur, quod benè quadrat in hunc locum, quasi diceret: *ad faciendum annuntiare me*. Quamobrem hoc tentare ausus es, vt à mortuo extorqueres futurorum præscientiam? quid quæris? In reliquis eadem ferè interpretes. *Et Deus recessit à me.*] Arias, *Et Deus recessit desuper me*. Chald. *Et dictum Domini proiecit me, & non accepit orationẽ meã ampliùs etiam in manu Scribarũ, etiam insomnijs*. Pagnin. *Et non respondit mihi vltrà*. B *Vocaui ergo te.*] וָאֶקְרָאֶה לְךָ *vaekraeh lecha*. Arias *& clamaui ad te*.

QVARE INQVIETASTI, &c.

Quare inquietasti me, vt suscitarer?] Antistites, inquit Gregoras in Synes. de Insomnijs, qui externam inquirunt diuinandi artem, magica arte vtentes, quibusdam carminibus vim incantandi habentibus, nonnullos dæmonas eliciũt, deducuntq; ac inuitos & reluctantes tyrannicè violenterq; custodiunt, & ab his sciscitãtur quæ cupiunt scire. Id patet ex carminibus, quibus in medium adducũt Hecatem dicentem: *Post matutinum splendorem immensum, astris refertum, incontaminatam & amplam domũ Dei reliqui, atque ascendo ad terram viuorum alumnam tuis monitis, suasuq; nefandorũ versuum, quibus certè rudia immortaliũ præcordia delinit mortalis homo*. Ac rursus C alius dæmon coactus loqui, ait: *Exaudi me inuitum, quoniam me ligauit necessitas, &c.* Nam hos dæmones esse docet idem Gregoras in sequentibus. Cùm enim, inquit, non valeant animas adducere, ex necessitate reliquum est, vt in illorum defunctorũ formas transmutentur tales dæmones, & cernantur agnoscanturq; ab amicis, & ad interrogata respondeant. Et rursum alio loco: Videntur, inquit, per magica carmina, & quasdã abiurationes animas adigere. Apparent enim, & ad interrogata respondent: sed ea quæ in conspectum veniũt, non sunt defunctorum animæ, quin potius dæmonia quædam, quæ certè prius erant agmina Angelica.] Fingit autem post peccatum, ex elementis sibi corpora asciuisse, vimque indignè ferre, ac propterea Necromantiam magos ferro armare, ne D quid illis noceant. Ne fortè, inquit, dæmones abiurationibus & inuocationibus violati, repentino impetu quidpiam mali adferant, irruentes in abiurantem & euocantem: Eam ob rem Magi gladios gestare coguntur, vt eorum adminiculo illos perterrefaciant, neque sinant prope se accedere, sed à longè interrogati respondeant. Quoniam enim viuaces sunt spiritus, habentq; crassitudinem ac spissitatem, ipsi quoque formidant sectionem, ac diuisionem: etiam offenduntur cùm vexantur, feriuntur, & verberantur.] Fabulæ, in quibus concinnandis totus est ibid. Gregoras irrito, vt antè dictum est, conatu: sed quondam scilicet dæmon pluribus imposuit. Itaque etiam Maga apud Lucan.

Nicephor. Gregoras.

Dæmones se cogi simulant, & mortuorũ habitũ mẽtiuntur.

lib. 6. quo euocatæ animæ iracundiam mulceat, pollicetur eandem in posterum à simili iniuria immunem præstituram. QVARE INQVIETASTI ME &c.

Lucanus.

Dic, inquit Thessala, magna
Quod iubeo mercede mihi. nam vera loquutum
Immunem toto mundi præstabimus æuo
Artibus Æmonijs. tali tua membra sepulcro,
Talibus exuram Stygio cum carmine syluis,
Vt nullos cantata magos exaudiat vmbra.
Sit tanti vixisse iterum, nec verba, nec herbæ
Audebunt longæ somnum tibi soluere lethes.

Hæc olim dæmon commentus est, has leges Necyomantiæ scripsit: quàm accuratè, aliorũ esto iudicium, qui inferorum apud Poëtas inamœnas sedes legerint, statuantq; an grauatè manes ad nos redire videri debuerint. Quamobrem autẽ Samuel artis consuetudinem æmulari studuerit, & stomachans atque increpitans accesserit, illa causa esse potuit, vt qui à maga nefandis carminibus tentatus esset, ab eadem productus videretur. Quippe dignus erat Rex impius, cui sua temeritas illuderet, & qui Prophetam à dæmone excitari posse crediderat, ab eodem excitatum crederet, nec superstitione, quam sponte susceperat, liberaretur. Alia ratio esse potuit, quòd Regis temeritatem atque audaciã indignè ferret, qui eas artes, quas diuina lege proscriptas nouerat, & in quas non ita pridem seuerè animaduerterat, in summo Reipu. discrimine, quo tempore nullum non lapidem mouere debuit, quo numinis iram inflecteret: auderet in suam ac totius populi perniciem periclitari. Idcirco illũ à principio objurgans, durius increpat: *Quam ob causam inquietasti me, vt suscitarer?* Denique potuit fieri, vt primo aditu Saul perterritus, cùm rem nouam & incompertam experiretur, obmutesceret, atq; ideò prior Samuel stupentem & attonitum compellaret. Neque enim omninò necesse est, vt ea Samuelis percunctatio bilis ac stomachi plena censeatur. tametsi quæ sequuntur, indicent, non sine aliqua iracundiæ significatione hæc primùm à Propheta prolata esse. Vnde & prior sententia magis placet, quæ, vt apparet, tempori, ac loco, personæque magis congruit. Neque enim tantam numinis iniuriam eum dissimulare decuit, qui leuiores olim culpas haud leuiter in eodem exprobrauerat.

Quamobrẽ Samuel increpitãs apparuerit.

Quare, inquit, inquietasti me, vt suscitarer?] Vtitur Samuel duobus argumentis: altero à persona Saulis versu seq. altero à sua. Quod ad ipsum attinet: Ego, inquit, quiescebã. Quid me oportuit ita turbare? Indicat se fuisse in sinu Abrahę vna cum beatis animis in altissima quiete. Ergo præsens vita, quam in hoc mundo ducimus, procella quædam est, & tempestas perpetua: at verò iustos molestis laboribus defunctos, postquam hinc excesserint, pax & animi tranquillitas excipit. Neque enim dubitamus iam olim ante *propalatam Sanctorũ viam, quam nobis initiauit Christus sanguine suo*, piorum virorum animas, qui ex præscripto legis vitam instituissent, vt primùm migrassent, versatas esse in summa securitate, & quiete. Nunc postquam cæli ianua patet, quam Christi victoria iustis omnibus reserauit: quicunque deinceps detersa labe pec- A cati, ex nobis prodeunt, non iam Abrahæ sinu conduntur, sed regnũ cæleste capessunt, & diuina beatitate perfruuntur. Ioannes in Apoc. cap. 6. iustorum animas in cælo sub altari Dei collocat. Et quamuis clament ad Deum, vt vltio aliquando sumatur de sanguine suo, nihilominus tamen acquiescunt. Ea enim ratio loquendi nihil aliud significat, quàm Deum sine omni dubitatione velle vlcisci. Quo eodẽ modo sanguis Abel dicitur clamare ad Deum, & expetere vindictam. Istis tamen animabus datæ sunt stolæ albæ singulæ: & iubentur disertè quiescere, donec fratres quoq; illorũ perficiantur. Queritur ergo Samuel, se ab illa quiete & tranquillitate ad curas & molestias huius vitæ reuocari. Vel sanè is sensus verborũ est. Quam rationem afferre potes quamobrem me mortuũ B excitares? Nam si prosperè agis, votisque tuis dextrum numen adest, quid tibi in mentẽ venit quamobrem me accerseres, qui ad opem ferendam minime necessarius essem? Sin contrà Respub. labat, salusq; tua in discrimẽ vocatur, hęccine te sollicitare oportuit, quæ numinis iram potius accenderent, quàm misericordiam conciliarent? An sperasti me per summũ scelus euocatum adiungere ad partes tuas, & contra Dei voluntatem rebus tuis fauere posse? Quæ tandem hæc cæcitas est, vt eũ places quæ tibi succenseat, grauiori cumulare iniuria? Frustrà vim diuinæ iustitiæ afferre tentes. Sed nec ab illo mutatum me senties, qui cùm olim temerè ausus es diuina præcepta violare, in stultitiã tuam seuerè & grauiter animaduertit. Absit igitur, vt contra fas excitus, precibus tuis annuam, quin C potius malefici vindex dira atque infausta omnia denuntiabo.

Iustos ex hac vita migrãtes quies excipit.

COARCTOR NIMIS, &c.

Coarctor nimis.] Excusatione vtitur angustiarũ suarum. In summum periculum adductus sum, vrgeor vndique, in me imminet sęua calamitas, nec iam quid iustum iniustumve sit, vacat inspicere: sed vndecunq; mihi subsidium parare cogor, cùm hostilis quidem acies iam ceruicibus meis impendeat, Deus autem suo me præsidio destituerit. quamobrem, condona, quæso, culpam hanc necessitati, & pietatis religionisque mentionẽ tantisper omitte, meq; quod in rem sit, præsenti consilio adiuua. quem secundæ res prius extulerant, nunc aduersæ deijciunt. Insolentiam, & dictorum atque factorum impotentiam debilitatio animi, abiectióq; consequitur. D Mirare porrò impiorum hominũ ignorantiam. Cùm ob scelera & fraudes in pericula & ærumnas inciderint, tum maximè iuris & æqui obliuiscuntur, Deumq; valere iubent, ne qua ratio eos à propugnanda salute auocet. Nolunt enim rei cuiquam parcere, aut intactum quicquam relinquere, sed sacris ac profanis, licitis perinde atq; illicitis ad defensionem suam abuti. quę dementia plerunq; rès eorum labentes & inclinatas prorsus impellit in ruinam. Non enim eos aduersariorũ libido deprimit, tanquam possint ipsi quos velint perdere: sed vltrix flagitiorum iustitia; quæ reis quidem, quos plecti æquũ est, terrorẽ incutit, hostibus autem vires animũque adijcit. Quocirca ea si placetur, haud absurdè victoria sperari poterit. Solet enim, quos pœnitentia

Improborũ hominum in calamitate cęcitas & amentia.

Et Devs recessit a me,&c.

nitentia afflixerit, clementer erigere. Sin eadem se negligi sentiat, audaciámq; crescere, contumaces infelici successu pessundat ac proterit.

Philisthiim, inquit, *pugnant aduersum me.*] quid tum? an non illi homines sunt? an non eos sæpe profligasti? an non vnus Ionathas filius tuus cùm in eos irruisset ingentem eorum exercitum in fugam vertit? quid gener ille tuus, quem iniusto odio prosequeris, an non victorias victoriis attexés de iisdem perpetuò triumphauit? quid causæ esse dices quamobrem hoc tempore animum despondeas? Respondet: quoniam *Deus recessit à me.* Huius siquidem præsentia, non mea virtus, inuictum me præstitit. Arias legit, *recessit desuper me.* Sic enim nos ille tuetur donec superest, donec imperat, nobísque præsidet. Nec verò prior ille stationem deserit: sed contumaciâ nostrâ nos illum solio deijcimus, sicque demum inermes & præsidio nudatos periculis obijcit. *Sicut Aquila*, inquit Moyses in Cantico *prouocans pullos suos, & super eos volitans.* Aliàs, *Vmbraculum ab æstu.* Samsonis sacra cæsaries, quâ intactâ vinciri non potuit, ademptâ, statim victus captúsque est. Sunt qui scribant, si quis alectorium lapidem supra se gestet, victoriam de hoste consequi. Verùm tanta vis lapidis forsitan à nonnullis in dubium vocari possit: diuina virtus certa atq; indubitata fide pollet. Philippus Augustus Francorum Rex, cùm maximis auctus victoriis atque ingenti parta præda, larga manu in Ecclesiam beneficia conferret, inconsulta procerum turba ægrè tulit, Regémque delectus quidam ex amplissimo Iudicum ordine confidenter admonuit: ea potius in ærarium referret, quæ rebus olim præsidio forent: tot ducum curas, tot militum labores, hominum generi frustrà largiri, quod ocio atque inertiæ indulgens, nulla re Rempubl. iuuet. At ille statim excipit: Non mirari se hominem ita sentire, qui procul à periculis securè domi delituisset, nec Martis agones vnquam expertus esset, aut sciret quibus præsidiis victoriæ parentur. quippe seipsum quoque priusquam in aciem descendisset, & de regno pariter atque vita cum hostibus potentissimis dimicasset, vehementius admiratum esse, quo consilio Carolus Magnus cæteriq; Francorũ Reges tantas opes in Ecclesiam velut certatim profudissent: sed magistrâ rerum experientiâ didicisse, non alia quàm diuina virtute hostes profligari, nec plus habere duces & milites roboris atque animi, quàm illis pro tempore Deus adiungat. quamobrem iure ac merito ingentes Deo gratias se habere debere, & de bonis acceptis partem aliquam delibare, quam Dei exercituum domesticis atque ministris offerret. Habes & illud Achior Ducis Ammon in lib. Iudith c. 5. v. 24. *Nunc ergo*, inquit, *mi Domine, perquire si est aliqua iniquitas eorum in conspectu Dei eorum: ascendamus ad illos, quoniam tradens tradet illos Deus eorum tibi, & subiugati erunt sub iugo potentiæ tuæ. Si verò non est offensio populi huius coram Deo suo, non poterimus resistere illis: quoniam Deus eorum defendet illos: & erimus opprobrium vniuersæ terræ.* Hactenus Achior de Iudæis coram Holopherne disserens: quàm

Deus suorum præsidium.

Sapiens Philippi Augusti responsum.

A vere, statim exitus comprobauit.

Neque per somnia.] Sed dices, an solebat Deus per insomnia voluntatem suam patefacere? Maximè. Nam eius rei extant infinita exempla, & testimonia. Iosephus per somnium vidit se adorari à Sole, & Luna: & manipulum suum adorari à manipulis fratrum. Commemorantur etiam illustria somnia Nabuchodonosoris, Pharaonis, & Danielis. Deus in Exodo respondet Aaroni, & Mariæ, se aliis quidem *loqui per visiones, & per somnia: Mosi autem ore ad os.* Et Ioël ait, *Filij vestri, & filiæ vestræ visiones videbunt: & senes vestri somnia somniabunt.* In Euangelio Iosephus monetur per somnium, vt accipiat puerum, & in Ægyptum fugiat: & Magi, per aliam viam reuertantur in domum suam.

B Fateor equidem, multum esse tenebrarum in somniis, nec illis temerè credendum esse. Nasci possunt, vt iam antea monui, ex variis causis: & maxime ex temperatura corporis. Nam hominibus melancholicis horrenda obijciuntur visa, & tristia: sanguineis iucunda, & læta: & aliis alia. Nascuntur etiam ex diurna vehementi cogitatione. Interdum etiam ex formis illis, quæ in imaginatione impressæ sunt, distortis, & dissipatis offeruntur visa absurda, & ridicula. quare non debemus facilè somniis nostris adhibere fidem. Multis enim modis possunt fallere. Sed interdum Deus abutitur somniis nostris, & suo spiritu format illas imagines, quibus velit nos instituі. Verùm vbi hoc acciderit, non debemus ad circulatores, aut ad coniectores referre, quod significetur, sed ad illum

C ipsum, aut seruos eius probatissimos, qui eas formas impressit. Nabuchodonosor enim & Pharao non potuerunt explicare somnia sua, quòd non haberent spiritum Dei. Itaque opus erat Iosepho, & Daniele. Sancti autem viri sæpe vtrúmque habent in se, & impressionem imaginum, & spiritum Dei. Sed ne insomniis, & visis simplicitati nostræ dæmon illudat, vita nostra componenda est ad præscriptum legis Dei. quod si interdum, vt fit, somnium aliquod offeratur à Deo, tamen credi non debet, nisi certò sciamus, ita esse. Est enim genus quoddam Prophetiæ, quæ cum sit afflata à Deo, non potest intelligi, nisi eodem spiritu, à quo profecta est. Iudæi hodie, quamuis habeant Prophetias, quia tamen non habent spiritum, nihil intelligunt. Idem ergo spiritus &

D dat, & interpretatur somnia. Et fortasse Sancti orabant Deum, vt aut apertè sibi voluntatem suam significaret, aut, si daret insomnia, vt vna etiam daret spiritum interpretandi.

Vocaui ergo te, vt ostenderes mihi quid faciam.] Nunc se paratum offert ad omnia: Doceri tantum expetit, obtemperaturum se pollicetur. Sed iam serius ad fores pulsat, postquam ianua clausa est. Audis quid sponsus intus respondeat? *Amen dico vobis, nescio vos.* quid ita? annon lampadem paratam vides? Video conflatam metu. Sed vbi oleum est quod flammam alat? Solus te pauor vrget, nec sponte currenti calcar addidit. Optas è tantis difficultatibus emergere, cæterum te nulla numinis cura tangit: nec superioris vitæ te vere & ex animo pœnitet.

Et Devs recessit a me,&c.

Homines quandoque Deus secũdum quietè futura docebat.

Quamobrem paucis accipe dignam tua peruicacia sententiam. *Vocaui, & renuisti: ego quoque in interitu tuo ridebo.*

Versvs XVI.

Et ait Samuël: Quid interrogas me, cum Dominus recesserit à te, & transierit ad æmulum tuum?

Versvs XVII.

Faciet enim tibi Dominus sicut loquutus est in manu mea, & scindet regnum tuum de manu tua, & dabit illud proximo tuo Dauid:

Versvs XVIII.

Quia non obedisti voci Domini, neq; fecisti iram furoris eius in Amalec: idcirco quod pateris, fecit tibi Dominus hodie.

Variæ trãslation.

ET *transierit ad æmulum tuum?*] Arias, *& factus est æmuli tui.* Pagninus, & est cum inimico tuo. Vatablus Laur. & sit cum inimico tuo? Salmantic. factúsque sit hostis tuus? Et in Schol. Chaldæus Paraphrastes subaudit præpositionem *cum*, hoc modo, *& sit cum hoste tuo?* vel, *cum æmulo tuo?* id est, faueat illi?] Itaque alius quispiam vertit, *& factus est aduersarius tuus?* At verò Chaldæus pluribus exponit in edit. Regia. *Et erit in auxilium viri, cuius tu obtines inimicitias eius.* Sept. Καὶ γέγονε μετὰ τοῦ πλησίον σου; *& factus est cum proximo tuo?* Plerique nouatores, Iunius, Munsterus, & alij, *& factus sit inimicus tuus.* Hebraic. וִיהִי עָרֶךָ *vaibi gharecha.* עָר *ghar.* id est, *hostis*, qui odium & inuidiam conflarit tibi. A verbo עוּר *ghor* siue עָר *ghar* quod est vigilauit. Sæpe namque hostes excubant quo aduersarios suos ex insidiis opprimant. Loquitur ad mentem Saülis, qui talem Dauidem licet innocentissimum habuit. Sin de Deo accipi magis placeat, loquitur materialiter, vt aiunt, non autem formaliter. Non enim cuiquam Deus malitiam impertit, sed tamen sæpe malis, quibus eorum perturbationes accendantur fomitem ministrat. Alias idem nomen *propinquum* significat, vti hoc loco Græci interpretati sunt. Si puncta tollas, quomodo primum exarata biblia volunt, sic quoque reddi poterit: *& factus sit cæcus tuus, siue tibi*; ne te vltrà videat, aut illum tui quandoque misereat, עִוֵּר *ghiuer.*

Τυφλὸς, cæcus.

Versu 17. *Faciet enim tibi Dominus.*] Pro *tibi* Hebræa habent לוֹ *lo*, quod Græci cum

A Vulgata interpretantur *tibi*: Pagninus, Arias, & reliqui ferè, qui nostro tempore Hebræorum lacunas exhauriunt, malunt *ei*. Vtique dictio ipsa לוֹ *lo* significat vel *se*, vel *illum*. Quidam id referunt ad Deum, & ita legunt: *Faciet sibi*; vt sensus sit, Deus id sua causa faciet: vt verum sit quod per me prædixit euenturum. Alij ad Dauidem: & ita legunt: *Faciet illi*, hoc est, in gratiam Dauidis faciet: illius bono, illius ergo. Alij putant enallagen esse personarum, vt sit, *faciet illi*, pro *faciet tibi*. Qui sensus præ cæteris cum Græcis tum etiam Vulgato placuit. Vatablus Salmantic. *Et Dominus quidem fecit quemadmodum loquutus est in manu mea, & scidit Dominus regnum de manu tua, deditque illud proximo tuo Dauidi*: Et in Ecphrasi, Possunt hæc verti per futurum, *faciet*, & *scindet*, vel *auferet*. *In manu mea.*] Per

QVID INTERROGAS ME, &c.

B me, cùm is mihi hanc potestatem fecisset iussissétque vt edicerem tibi. Chaldæus, *Et faciet illi Dominus iuxta id, &c. & transire faciet Dominus regnum à te, & dabit illud socio tuo Dauid.*

Versu 18. *Neque fecisti iram furoris eius in Amalec.*] Chaldæus, *Et non fecisti fortitudinem indignationis eius in* homines *domus Ghamalec.* Vatablus Salm. *nec perfecisti iram furoris eius in Amalec.* id est, quod præceperat iratus contra Amalec. Hebraicè, וְלֹא עָשִׂיתָ חֲרוֹן אַפּוֹ בַּעֲמָלֵק *velo ghasitha kharon apho baghamalek.* Arias, *nec fecisti iram nasi eius in Hamalech: ideo* הַדָּבָר הַזֶּה עָשָׂה *hadauar hazeh ghasah, verbum hoc fecit tibi Dominus die hac.* Sept. edit. Complut.

C Καὶ οὐκ ἔπλησας θυμὸν ὀργῆς αὐτοῦ ἐν τῷ ἀμαλήκ. διὰ τὸ ῥῆμα τοῦτο ἐποίησέ σοι Κύριος οὕτως τῇ ἡμέρᾳ ταύτῃ. *Et non implesti iram furoris eius in Amalec. propter verbum hoc fecit tibi Dominus sic die hac.* Aldina & Rom. edit. non habent οὕτως *sic*, reliqua in vtrisque concurrunt. θυμὸν ὀργῆς quidam ad verbum ex Hebræo interpretatur *accensionem iræ eius*; hoc est, *iram eius accensam.*

Quid interrogas me, cùm Dominus recesserit à te?] Responderat Saül se versari iam in summis angustiis: regnum suum inuadi, & vastari à Palæstinis. Se cùm fuerit alioqui ipse aliàs Propheta, nec per Prophetiam inuestigare quicquam posse, nec per somnia. Nam de Vrim & Thumim, vt supra monui, nihil dicit. Excipit Samuël, & Deus, inquit, te

Nemo potest corrigere quem Deus despexerit.

D contempsit, & nec Prophetam significat tibi voluntatem suam, nec per insomnia. indignus ergo es, qui cum ego debeam colloqui. Quid igitur vltrà ex me quæris? cur me consulis? An speras tibi postquam à Deo repulsam passus es, aditum ad me patere posse? Quis enim ego sum, vt te doceam quod Deus negarit: aut opem feram, postquam te Deus suo præsidio destituit? Disce quoniam nemo iuuare possit aut *corrigere quem Deus despexerit.* Nam neque vis vlla mea tanta est vt contrà niti possim, & quæ statuerit arbitrio meo conuellere; neq; si foret, alieno animo ab eius decretis esse queam. quamobrem frustrà me fatigas, tuque ipse ludis operam, consilium à me & auxilium expetens.

Et

Et scindet Dominus, &c.

Et transierit ad æmulum tuum?] Recessisse & transisse ad æmulum Dominus dicitur, vt eodem Saul orbatum se intelligat. At non is sensus est verborum Domini cùm loqueretur ad Moysen numer.11.vers.17. *Et auferam*, inquit, *de spiritu qui est in te, & superponam super eos, & sustinebunt tecum impetum populi, & non portabis illos tu solus.* Quem locum S. Augustinus exponens lib.4. quæstio. in numer. quæst.18. ait, Ostendit vtique alium esse spiritum Dei, cuius particeps fit spiritus hominis per gratiam Dei: quamuis posset etiá sicut alij interpretati sunt, intelligi spiritus Dei in eo, quod dicitur *de spiritu tuo qui est in te:* vt dictum sit, *tuo*, quia fit etiam noster, qui Dei est, cum accipimus eum: sicut de Ioanne dictum est: *In spiritu & virtute Heliæ.* Non enim anima Heliæ in eum fuerat reuoluta. Quod si quidam hæretica peruersitate opinantur, quid dicturi sunt in eo quod scriptum est, *Spiritus Heliæ requieuit super Helisæum*, cum iam ille vtique haberet animam suam: nisi quia dictum est de spiritu Dei, vt etiam per illum operaretur, qualia per Heliam operabatur: non ab illo recedens, vt istum posset implere: aut dispertitus minus esset in illo, vt posset ex aliqua parte & in isto esse? Deus est enim qui posset esse in omnibus tantus, in quibus per illam gratiam esse voluerit. Nunc autem cum ita scriptum sit, *Et auferam de spiritu qui est super te:* nec dictum sit, de spiritu tuo, facilior est absolutio quæstionis: quia intelligimus nihil aliud Deum significare voluisse, nisi ex eodem spiritu gratiæ illos quoque habituros adiutorium, ex quo habebat Moyses: vt & isti haberent quantum Deus vellet, non vt ideo Moyses minus haberet. Hactenus S. Augustin. At nó itidem de Saule dici potuit. nam is prorsus ea gratia caruit, vt primum in Dauidem collata est. Disces manifestè ex super.cap.16.v.13. & 14. *Et directus est*, inquit, *spiritus Domini à die illa in Dauid, & deinceps. Spiritus autem Domini recessit à Saul, & exagitabat eum spiritus nequam à Domino.* Quinetiam initio eiusdem capitis expostulat Deus cum Samuele his verbis, *Vsquequo tu luges Saul, cum ego proiecerim eum ne regnet super Israel:* Ex quibus omnibus liquido constat, sic transisse spiritum Domini ad Dauidem, vt eodem continuo Saul priuaretur.

S August. Tom.4.

Exponitur quomodo Deus abstulerit de spiritu Moysis

Lucæ 1.v.17

Quarti Reg.2.15.

Et scindet Dominus regnum de manu tua.] Fortassis hoc dicitur propter Isboseth: qui partem aliquam eius regni aliquot annos obtinuit. Ita inter Dauidem & Isboseth quodammodo lacerabatur imperium. Vel sanè ita intelligendum, ereptum de manu tua regnum, & per vim ac cædem extortum, mandabit proximo tuo Dauid. Certa, inquit, & fixa est sententia ista Dei, & iam mutari non potest. Alludit ad ea, quæ in ca.15. ab eodem pronunciata sunt: *Deum non esse vt filium hominis, vt possit mutari, & duci pœnitentia.* Qui negant verum Samuelem ab inferis excitum esse, iubent nos hoc loco diaboli spectare vafritiem. Saul consilium petit: ille desperationem tantum objicit: nihil præbet consilij. Monet enim non quid agendum, sed quid patiendum sit. Quare cauendum nobis quoque est diligenter, ne patiamur nobis im- A poni eodem modo. Videmus viam istam tristibus notatam vestigiis. Ita semper est consuetudo diaboli, vt exaggeret peccatum postquam semel commissum est, vt omnibus modis premat, & cruciet conscientiam: contrà autem, si quem velit ad peccatum incitare, vt illud quantum maximè possit, extenuet. Huiusmodi sunt conciones diaboli. Sed nequaquam hoc loco ea obseruatio necessaria est. Neq; enim aliis nunc vtitur verbis Samuel quàm antea, neque aliud periculum minatur & denunciat quàm quod pridem prædixerat, neque verum est, si orationis sententiam spectes, illum omnem aditum ad pœnitentiam Sauli præcludere, sed de regno sermo est, & præsenti vita, quam breui ob scelera amissurus sit. *Faciet*, inquit, *tibi Dominus sicut loquutus est.* Neque hoc loco præter con- B suetudinem culpam illam verbis amplificat, vt videri idcirco possit diabolus esse, cum eum prius longè acerbius obiurgasset, & sceleris eius atrocitatem cum idololatria contulisset.

Diabolus peccato iá commisso illud exaggerat, vt sontes desperent.

Et scindet Dominus, &c.

Et dabit illud proximo tuo Dauid.] Ea res præter cæteros morituros cruciat, si quæ ipsi parauerint, & summo studio complexi sint, in eorum potestatem veniant, quibus ipsi inuideant, quos odio prosequantur. Itaque Megapenthes Tyrannus cú apud Lucianum in Cataplo ex Clotho audiisset, Diuitiis tuis Megacles potietur consobrinus tuus, respondit: O insignem contumeliam! Ille mihi inimicus, quem ego præ segnitia non occidi? *Clotho:* Ille ipse, qui non modo non paulo plures quàm tu viuet annos, verum & pellices tuas, & vestes, & quicquid est auri, nanciscetur. *Megap.* Præter æ- C quum facis, ô Clotho, quod hominibus inimicis, & hostiliter infestis meas fortunas attribuis. *Cloth.* Quasi vero, &c. *Proximo tuo Dauid.* quem dudum Deus ipse Principem designauit, qui olim sæpius de inimicis tuis victoriam reportauit, quem denique generum asciuisti, & tamen hactenus perdere conatus es: hunc Deus te abdicato atque ad inferos amandato, sceptro tuo, & corona donabit.

Morituros ea cura vehementiùs angit, ne hostes bonis suis perfruantur.

Quia non obedisti voci Domini.] At nunc imperata faciam, mandatis parebo, vltro morem geram. Herodotus, Iones, inquit, atque Æoles, vbi audierunt Lydos citra negotium à Persis victos, legatos Sardis miserunt ad Cyrum, vltro postulantes, vt iisdem conditionibus eos admitteret, quibus Crœsi subiectos in ditionem D acceperisset. Verum Cyrus ad eorum postulata per huiusmodi similitudinem atque apologum respondit. Tibicen, inquit, quidam vbi pisces in mari conspexisset, canere tibia cœpit, ratus nimirum eos ad cantus suauitatem in terram progressuros: at spe sua frustratus misso in mare verriculo, ingentem piscium vim complexus est traxitque. Et cum palpitantes cerneret in sicco, dixit ad pisces: Temperate, inquit, nunc mihi quæso à saltationibus: quando non licuit vobis me canente saliendo progredi. Quæ verba Cyrus ideo Ionibus dixit, quod eo prius per legatos ad amicitiam inuitante, parere noluissent: at tum demum rebus non ex sententia succedentibus, parati essent Cyri iussis obtemperare.

Herodot. lib.1.

Fabula lepidissima.

ET DABIT DOMINVS, &c.

VERSVS XIX.

Et dabit Dominus etiam Israël tecum in manus Philisthiim: Cras autem tu & filij tui mecum eritis: Sed & castra Israël tradet Dominus in manus Philisthiim.

Variæ translation.

QVidam ita vertit: *Praeterea traditurus est Iehoua Israelem quoque tecum in manum Palæstinorum, ita vt cras tu & filij tui futuri sitis mecum* mortui: *etiam castra Israelitar. &c.* Pagninus & Vatabl. Laurent. *& cras eris tu & filij tui mecum.* Arias, delet *eris*. Complut. edit Sept. Interpr. *Et tradet Dominus Israel tecum in manus Philisthiim*, καὶ αὔριον σὺ καὶ οἱ υἱοί σου μετ' ἐμοῦ. καὶ τὴν παρεμβολὴν Ἰσραὴλ καὶ σὲ δώσει Κύριος εἰς χεῖρας ἀλλοφύλων. *Et cras tu & filij tui mecum. & castra Israel, & te tradet Dominus in manus Philisthiim.* Ald. & Roman. καὶ αὔριον σὺ καὶ οἱ υἱοί σου μετὰ σοῦ πεσοῦνται. *Cras tu & filij tui tecum cadent. Mecum eritis.*] Isidorus Clarius in Scholastic. Hoc est in alio seculo, mortui scilicet. Quidam tamen intelligunt, in thalamo iustorum. Interficieris, inquit, quidem tu & filij tui, propter grande illud peccatum, quod commisisti, occidendo Sacerdotes Domini, sed peccatum illud expiabitur per obedientiam tuam, quando pro populo Dei pugnam non recusas. Addit præterea: Scribunt hic Iudæi multa de hac Samuëlis apparitione, sed non satis inter eos conuenit: verum omnes Hebræorum Rabini in hoc consentiunt, opus Pythonum præter præstigium, vanitatem, mendacium, & deceptionem aliud nihil esse. In hoc tamen loco inter se dissentiunt. Nam sunt qui hæc omnia mulieris putant esse arte conficta, quæ ex certis coniecturis sic deluserit Saülem. Alij autem putant, hanc veram fuisse visionem, non quidem mulieris arte, sed Dei virtute apparentem; vnde & mulier ipsa, cum præter solitum morem miranda videret, stupefacta cœpit magna voce clamare. Hactenus Isidor. Nos de ea de re quid sentiendum esset suprà diximus.

Procopius.

Cras non tantū proximum diē significat, sed nonnunquam etiā postea sequentem.

Quod vero spectat ad illam temporis significationem, *Cras tu & filij tui mecum*, Obijcere aliquis posset, inquit Procopius, ignorantiam mortis Saülis, non enim postero die, sed diebus aliquot interiectis, videtur obijsse. Nisi dicamus, per diem crastinum interitum imminentem significari. Aut certe Scriptura per anticipationem res Dauidis, & Amalech recensuit ante Saülis obitum, quemadmodum dicere possent, qui reuera Samuëlem dicunt apparuisse; aut, per diuinam virtutem, ὑπὸ θείας ἐνεργείας σχῆμα τι πεπλασμένον, speciem non dissimilem. Hæc Procopius. S. Theodoretus quæstion. 61. in 1. Reg. Dictio *Cras*, inquit, non solum fit significare diem qui deinceps sequitur, sed etiam nonnunquam eum qui est proximus ei, qui significatur. Nam & *hodie* & *nunc* accipiuntur non solum de tempore præsenti, sed etiam extenduntur vlterius.] Hebraicum מחר *makhar*

A siue *machar* commutationem temporis significat, vt מחיר *mechir* commutatio rerum est. Plerisque Scripturæ locis *diem crastinum* indicat. Aliàs, *aliud*, vel *proximè*, aut *paulo post sequens tempus, posthac, in posterum.* Exodi 13. vers. 14. *Si interrogauerit te filius tuus* מחר *mahhar.* Sept. μετὰ ταῦτα, *post hac*: id quod de tempore proximè futuro duntaxat intelligi non debet, sed obtinere debuit perpetuis futuris temporibus. Vnde sequitur, vt nemo hinc vero Samuëli negotium facessere possit.

ET DABIT DOMINVS, &c.

Necromantiæ responsa plerunq; dira.

Et dabit Dominus Israël in manus Philisthiim.] Dæmones qui manes ab inferis excitos simulant, plerunque dira respondent, & infausta nunciant. Appion Grammaticus, inquit Plinius Natur. Histor. lib. vltim. capit. 2. visus nobis adolescentibus, dicebat se euocasse vmbras B ad percuntandum Homerum qua patria, quibusque parentibus genitus esset. Non tamen ausus profiteri, quod sibi responsi ipse dixisset. (Ita corrigit Aurelius in Tacit.) Antoninus Caracalla apud Dionem fraternæ pariter ac paternæ cædis reus, & visis identidem acerbis fatigatus, multorum animas inferis euocauit, præsertim patris, & Commodi, ex quibus nemo ei respondit nisi Commodus, qui dixit, *Perge ocius ad supplicium.* Apud Senecam Creo de Laio respondére, Fari, inquit, horreo, rabido ore fatur:

Plinius.

Dio in Anton. Caracal. lib. 77.

Seneca.

Te te cruenta sceptra qui dextra geris,
Te pater multus vrbe cum tota petam,
Et mecum Erynnes pronubas thalami traham,
Traham sonantes verbera; incestam domum
Vertam, & penates impio Marte obteram.

C Meminit & Saxo Grammat. Hist. Danicæ lib. 1. Harthgrepam Vagnhosthi filiam, cum Hadingum amore deperiret, eius gratia manes sollicitasse, & diris admodū carminibus ligno insculptis, iisdémque linguæ defuncti per Hadingum suppositis, horrendo carmine responsum istud accepisse:

Saxo Grammat.

Inferis me qui retraxit execrandus oppetat,
Tartaróque deuocati spiritus pœnas luat.
Quisquis ab inferna sede reuocauit
Me functum fatis examinémque,
Ac rursum superas egit in auras,
Sub styge liuenti tristibus vmbris
Persoluat proprio funere pœnas.
—— Quæ nostra chao fata reduxit,
Et dedit hoc rursum visere lumen,
Mirè corporeis nexibus indens
D *Manes elicitos sollicitando,*
Quod nisa est temerè, flebit acerbè.
—— Nostros crimine pressa suo
Placabit cineres, ipsa futura cinis,
Quæ miseris vmbris huc remeare dedit, &c.

Inferis me qui reduxit, &c. Tertiò repetit, diris caput eius deuouens, quæ manes & inferos tentare ausa esset. Digni certe qui à dæmonibus male audiant, & quibus ipsi male precentur & faciant, quicunq; malis artibus fidem adhibent, & sperant diabolum, aut quæcunque ab eo tradita carmina, diuinæ iustitiæ carcerem refringere posse. Nec minora Saül temeritate sua commeritus erat. Sed his interim omissis, quibus abundè satis instrui per se poterat, quæ quondam mala sibi inobedientia consciuisset,

CRAS TV ET FILII, &c.

ea in proximo parata esse, & eius capiti incumbere Samuel renuntiat.

Lucian. in Necyomātia.

Vita præsens Theatricæ pompæ similis.

Cras tu & filij tui mecum eritis.] Hæc spectanti mihi, quidam ait, persimilis hominum vita pompæ cuipiam longæ videbatur, cui præsit ac disponat quæque fortuna, ex his qui pompam agunt, diuersos variósque cuique habitus accommodans. Alium siquidem Fortuna deligens, regiis ornat insignibus, & tiaram imponens, & satellites addens, & caput diademate coronans: alium serui rursus ornatum induit: hunc formosum effigiat, hunc deformem atque deridiculum fingit, nam omnigenum, vt opinor, debet esse spectaculum. quin habitus quorundam plerunque in media quoque pompa demutat, neque perpetuò eodem finit ordine cultúque progredi quo prodierant: sed ornatu commutato Crœsum quidem cogit serui captiuique vestes induere: Mæandrium autem olim inter seruos incedentem, Polycratis vicissim ornat tyrannide: & aliquantisper quidem eo cultu permittit vti: Verùm vbi iam pompæ tempus præteriit, apparatum quisque restituens, & cùm corpore simul exutus amictu, qualis antè fuit, efficitur, nihilo à vicino differens. Quidam tamen ob inscitiam, quum suos Fortuna cultus exigit, ægreferunt atque indignantur, tanquam propriis quibusdam bonis priuati, ac non potius alienis, quibus paulisper vtebantur, exuti. Hæc ille, quæ ad pietatis cultum nullo negotio inflectere possis, si non Fortunam, sed Deum: non temere, sed certo iudicio ac ratione rebus humanis moderari intelligas, vt habeat vnusquisque tantisper dum viuit, de Deo hominibúsque benemerendi potestatem.

Mart. Cromer.

* Agebatur tum annus 1175. aut 6.

Admonitus septennij pœnitentiæ causa concedi, eo tēpore abutitur.

Cras tu & filij tui mecum eritis.] Paulum Cracouiensem Episcopum multis nominibus non eo tantùm munere, sed vita quoque indignum describit Cromerus lib. 9. & 10. de rebus Polonor. Hic cùm aliquando Cracouiæ apud Dominicanos fratres commoraretur, quadam die cœlitus increpitus esse fertur, huiusmodi verbis: Væ tibi Paule Episcope: melius tecum actum esset, si natus non fuisses. Monachus præterea quispiam per quietem vidisse dicitur, lupum erectis prioribus pedibus contra eum humana voce exclamantem: Væ tibi Paule Episcope, quoniam cœpisti, & occidisti. Hoc quoque cùm ille renunciante Monacho accepisset, expauefactus, fertur scelera sua maiorem in modum deplorasse. Dúmque solus in cubiculo fletibus indulget, rursus talibus dictis compellatum esse memorant: Ne timeas Paule Episcope: age quod lubet, septimo deinde anno morieris. Atque eum respondisse: Optimè secum acturam esse diuinam misericordiam, si sibi septem annorum spatium ad expianda præterita peccata concederet. Credibile est autem, vt Cromerus interpretatur, Satanæ eas voces fuisse, primùm desperationem, deinde securitatem illi, & maiorem licentiam ingerentis. Audaciæ tamen suæ aliquandiu modum imposuit: sed ea moderatio nequaquam perpetua fuit. Hic porrò Samuël cum Saüli præsentis vitæ occasum dun-

A taxat & interitum nunciaret, desperationis ansam afflicto Regi nullam præbuit, neque quicquam dixit aut fecit, quamobrem, si resipisceret, salutem non consequeretur. Neque rursus eidem malesuadam securitatem pollicitus est, ne concessis induciis ad contumaciam abuteretur. Sed terruit periculi præsentia, & veteris pertinaciæ admonuit, quo eundem à scelere & malitia ad pœnitentiæ studium reuocaret.

CRAS TV ET FILII, &c.

Hic read desperat.

Superiori verò exemplo aliud ex eodem, quod proxime sequitur ad ann. 1276. attexam. Homo quidem, inquit Cromerus, splendidus equestris ordinis, sed violentus & rapax, & suis iuxta ac alienis hominibus grauis, cum grauiter ægrotaret, admonitus crebrò à religiosis quibusdam viris, vt ad Dei clementiam confu-B giens, animæ suæ saluti consuleret, negauit sibi veniæ locum relictum esse. Iam enim diuino iudicio traditum se esse dæmonum potestati. Nec mora audiuntur à circumstantibus vehementium verberum & percussionum strepitus. Apparent in corpore ægroti fœdi liuores atque vibices, ita vt omnes obstupescerent. Inter hæc ille infelix nullam vocem, nullúmque gemitum edens, ter infelicem animam exhalauit. Hic orsus supplicia, quæ deinde apud inferos æternum expenderet: vt esset exemplo iis, qui ex aliorum incommodis student sua commoda parare. Hæc Cromerus. quæ legens quispiam fortassis animum despondeat. Sed ne nos temere in diaboli laqueos induamus sic primum vita instituenda est, vt nulla ratio subsit quamobrem his fidem habeamus. Deinde C hoc semper in animo habendum, multa fingere dæmones, quibus nos in fraudem inducant: communi porrò lege atque sententia mortalibus ad vltimam vitæ periodum patere ad pœnitentiam aditum, quem pessimi, cum forte in incautos inciderint, figmentis ad terrorem compositis student præcludere. Sed oportet tum mentem nostram subeat diuinæ clementiæ magnitudo, nósque dolis & machinationibus à diabolo ex insidiis peti, quas nos contemnere decet, vt salutis æternæ, quam nostris meritis consequi non possumus, spem omnem in Dei misericordia collocemus. Doctrinam hanc si veterum monumenta vacaret eruere, non paucis exemplis confirmaremus. Verum ne semper aliena repetamus, præsertim cum domesti-D cis abundemus, frater quidam meus eius rei, quam diximus, in morte sua egregium specimē dedit: cuius historiam quàm potero breuissime commemorabo. Itaque

Nunquam de Dei misericordia desperandum.

Ludouicus Rangolius sesquianno me maior, cum ad annum, vt arbitror, duodecimum aut decimum tertium peruenisset, ex familiari Minimorum consuetudine atque adeò spiritali institutione mutatus, in religionis studium totus incubuit, ac subinde ludendi parcior, nugísque & lasciuia valere iussis, quæ id genus ætatis plurimum occupant, lectione, silentio, atq; oratione constantius quàm ferat ætas animum pascere instituit. Quod vbi cœpit, statim eius valetudo quassata est: siue illā arctior vitę ratio labefactaret, siue aliunde corporis tēperatione corrupta

CRAS TVET FILII, &c.

rupta ea ægritudo obreperet. Morbus porrò in dies ingrauescẽs sic eius vires exhausit ac sẽsim corpus tabe consumpsit, vt sola compago ossiũ lacero insuta corio relinqueretur. Flos tamen vultus, orisque decor perpetuus mansit: reliquos artus macies vorauerat. Ad anni quarti metas vbi attigit, ætatis suæ, vt arbitror, sextum supra decimum emensus, cùm mali contumaciam vltrà non ferret, præcipiti gradu ruebat in interitum. Quocirca in posterũ charissimæ matris diligentiore cura obseruari cœpit. Accidit verò quandoque, vt cum nos iam nocte concubia somno indulgeremus, is quoque tantillum vt apparebat, quiesceret: qui vt statim vigilis animi significationem dedit, rogatus num quod solebat lac amygdalarum sorbere vellet, quo somnus illi conciliaretur, respondit: Nullo in posterum remedio sibi opus esse: cùm in summum discrimen venisset, periclitanti neminem affuisse: nunc postquam iacta esset alea, & decreta mors, serò medicinam parari: Dei sententiâ interis & perpetuo supplicio se adiudicatum esse.

Primùm duodennis puer, subinde verò quadriennium atrocissima pœnitentia maceratus, fraude dæmonis de Dei misericordia desperat.

Id cum præter consuetudinem læuo nixus cubito, nec languenti similis, sed firma voce referret, matrem comitesque perterruit. quamobrem acciti concurrimus. Cubiculum ingressi cùm illum superioris vitæ admoneremus, nec debere Satanæ commentis temere commoueri, denique si quis forte scrupulus conscium pectus stimularet, posse hominem tantisper dum vita superest pœnitentia labem abstergere: excipit, se quoque olim paria legisse: cæterùm alia esse Dei iudicia quàm quæ libris traderẽtur, experientia comprobasse. Posthæc rogatus à nobis vt prima Symboli verba pronunciaret, nihil cunctatus, dixit: *Credo Deum Patrem omnipotentem.* Interpellatus quam ob causam, *in*, particulam eliderect? Quoniam, inquit, in eo deinceps spem nullam repositam habeo. Vt adderet tum extorqueri nulla ratione potuit. Salutationem quoque Angelicam recitauit haud ita grauate: sed vt orationem adiungeret, quam eidem Ecclesia coronidis loco attexuit, haudquaquam impetrauimus. Non consensit vt diceret, *Sancta Maria ora pro nobis.* Interea verò dum mœsti ac lugentes eundem de sententia deducere frustrà conamur, ad eundem accessit Pastor noster, quem matris sollicitudo arcessierat, qui nec ipse quidem monendo docendoque quicquam promouit. Identidem porro concutiebatur metu, & mirari se dicebat, quo pacto igneos illos currus non animaduerteremus, quos dæmones ignem spirantes, ignem naribus efflantes in cubiculũ agerent, nec incõditos clamores exaudiremus, quos ipsi ederent, dũ se mutuò hortarẽtur, vt eũ raperẽt, & in tartarum darent præcipitem. Postremò cum nulla ratio mẽtis eius caliginem discuteret, sed Crucis imaginem quæ offerebatur ferocius repelleret, nosque pertinacius auersaretur oculis, communi consilio statuimus, orationis præsidio vim dæmonum haud dubiè profligari posse. Itaque statim circumfusi corona lectum cingimus, & genibus flexis septem Psalmos Pœnitentiales vnà cum Pastore nostro recitamus.

A Quibus perlectis cum Litanias inciperemus, solito languore fractus repente corruit. Extemplò mutatum deprehendimus. Percontamur vti se habeat? Vti Deo visum est, inquit, voce supra modum languida, & quæ defectas corporis vires præ se ferret. Tentatur an incorrupte Symbolum enunciet. Ipse mox palàm confessus est, *Credo in Deum.* Admonitus præterea B. Virginis suffragium imploraret. *Sãcta Maria*, inquit, *ora pro nobis.* Hactenus tantum profecisse contenti, subinde Litanias absoluimus. Eußtigio porro sciscitati sumus, num forte confiteri vellet? placere respondit. Postquam autem officio satisfecisset, impensius flagitare cœpimus, nobis edissereret, quid de illa tanta perturbatione sentiret. Respondit igitur, Per

Mira dæmonum fallacia, & supra modum extimescenda.

B mediam horam quam quiescere visus esset, se sibi visum esse ad diuinum iudicium rapi, sublimem Christum spectasse sedentem in solio, ornatu regali, quem dextrâ læuáque stipabant hinc quidem B. Virgo, inde S. Ludouicus, & Catharina Martyr, quos ille præcipuo amore & obsequio coluerat. Statim verò dæmonem accusationem ordiri cœpisse. Primum autem caput institutæ accusationis fuisse, quod tempore diuturnæ ægrotationis suæ lentius ac remissius in Dei cultum incubuisset. Alterum, quod nauseante appetitu morosius plerosque cibos respuisset. Tertium, quod eum mater indulgentius habuisset. Quibus ille commotus, & hostis audacia vehementius perterritus, qui ea verbis amplificaret cum iam non haberet dæmon quod amplius obijceret, custodem Angelum, qui præsens aderat, rogare instituisse,

C causæ suæ patrocinium susciperet. Negauit præuaricator, se habere quicquam quo obiecta dilueret. Itaque mox tristem sententiam sibi subire visus est, quæ eundem flammis æternis addiceret. Ipse ad pedes omnium sigillatim accedens, B. Virginem reliquosque SS. supplex obtestari, vellent meminisse sui. Illi se nosse aliquando negarunt; sicque repulsam passus est, iussusque in barathrum demergi. Tum adductum currum igneum, & dæmonum phalangas lectulum obsedisse, paratas vim facere: seque protinus spem omnem salutis abiecisse. Ast hoc interim spacio, dum pro eo preces funderemus, diuinitus accepisse, iudicij pompam illã quam conspexisset, ad se decipiendum fictam à dæmone atque subornatam fuisse. Ad extremum,

D secundum hæc vnum atque alterum diem superstes mansit, & expiatam eo errore animam, atque ab inferni faucibus diuino beneficio ereptam, necnon & pristinæ innocentiæ restitutam, Deo Opt. Max. seruatori suo æternũm consecrauit.

Mecum eritis.] Non est verisimile Saulem, cum ita esset moriturus, futurum fuisse cum Samuele: sed intelligit statum mortuorum. Ac si diceret, mortui eritis, vt ego sum. Etsi sciam, Rabbinos quosdam dicere, Saulem egisse pœnitentiam: idque ex eo colligere, quod auditis his verbis redierit in castra, tanquam ad certam mortem decretam à Deo. Sed id mirum non est Rabbinos affirmare. Habent enim alia multa ridicula. Sed Iosephus etiam addit, Saulem

CRAS TV ET FILII, &c. Non videtur Saul excusari posse.

fuisse virum iustum, nec defuisse officio suo, aut causam dedisse fugæ. Atqui ex historia nulla eius colligi potest pœnitentia. An autem in ipso articulo mortis agnouerit peccatum suum, & ad Deum redierit, nihil possumus definire. At redijt, inquiunt ad castra. Id erat prudentis hominis, & politici: non eius, qui ageret pœnitentiam. Et quamuis Saul esset impius, tamen non auferimus illi prudentiam ciuilem in rebus agendis. Et quid si impulsi diuino adductus fuerit, vt in castris occideretur? Certè Brutus, cùm ad lucernam multa iam nocte studeret, vidit sibi astare imaginem horrendo aspectu. Ille, vt philosophus, nihil perterritus, percontatus est, quis esset, at ille: Tuus, inquit, ô Brute malus genius: Philippis iterum me videbis. Postea in Pharsalia pridiè quàm confligeretur, eadem imago rediit: & Brutus sensit instare sibi præsentem mortem. Tamen vir fortis, & prudens nihil prorsus omisit, quod ad officium suum, & salutem exercitus pertineret. Et Pompeius cùm esset præfectus annonæ, & plebs Romæ fame affligeretur, eiusmodi autem tempestates excitarentur, vt tutò non posset nauigari, Soluite, inquit, nauigare necesse est: viuere non est necesse. Idem posset dici de Decijs, & Curtijs. Tamen istam in Saule non statuo fuisse veram virtutem: quia deerat fiducia de Deo. Deinde ipse sibi attulit manus: vt vix videri possit ingenuè resipuisse.

Non pariter iudicādū de filius.

Et si autem hîc audiamus filios Saulis vnà esse cum patre perituros, tamen non colligemus ex eo paterni sceleris conscios ac participes fuisse. Sed meminisse oportet quod aliàs docuimus, flagitia parentum nonnunquam pœnis filiorum lui. Neque tamen propterea inter patrem & filios hoc loco sortem mortis æquamus: sed quæ Saulem merito supplicio affecit, eadem Ionathan martyrij laurea coronauit. Tametsi hoc quoque dici potest, quanquam filij minus mali erant quàm pater, tamen eosdem non caruisse peccatis suis. *Si enim*, Ioannes ait, *nos peccatum non habere dixerimus, mentimur, & veritas in nobis non est*. Qui autem peccat, obstrictus est morti. Sed nō quisque semper, inquies, peccat ad mortem. Esto: difficile tamen est vt optimus quisque non aliquando corruat. Sed quo tempore mors illa oppetenda sit, positum est in manu Dei. Interdum Deus vult huiusmodi mortem inseruire prouidentiæ, ac disciplinæ suæ. Hoc tempore voluit prorsus interire familiam Saulis, quò Dauid regnum tranquillius & minori cum molestia obtineret. Nam cum ob vnum tantum Isboseth ita conflictatus sit, quid putamus fuisse futurum, si omnes filij Saulis fuissent superstites?

Gloriosum pro patria occumbere. Sacrilegos mors turpis & inhonesta manet.

Sed & castra Israël tradet Dominus in manus Philisthiim.] Dura lex proponitur. Nam si pro salute patriæ morti occumbendum esset, potuisset alacri animo conditionem accipere. Nā ita fecisse plures memorantur, qui voluntaria morte victoriam & incolumitatem suis ciuibus pepererunt. Athenienses Codrum suum prædicant; Romani Decios; Spartiatæ cum alios plures tum Regem Leonidam, qui cum oraculum audisset Regis interitu salutem Spartæ polliceri, eiusdem libertatem & gloriam sua cæde depacisci statuit. Pythia responderat:

STATIMQVE, &c.

Herodot. lib. 7.

Vobis, amplinaque colitis qui mœnia Sparta,
Aut vrbs clara dabit Persa victore ruinam:
Aut, si non erit hoc, oriundus ab Hercule quidam
Flebitur extinctus rex in Lacedamonis ora.
Nam neque taurorum, neque vim feret ille leonum,
Sed Iouis, & cuius rece haud tolerabile robur,
Alterutrum donec passim discerpserit horum.

Itaque statim Leonidæ mori placuit tanto proposito præmio. At Saul infami letho, & in gloria morte damnatur, qui non occumbit ipse modò, sed Reipubl. quoque secum ruinam trahit. Ergo sacrilegos mors turpis & inhonesta manet.

VERSVS XX.

Statimque Saul recidit porrectus in terram: extimuerat enim verba Samuelis, & robur non erat in eo, quia non comederat panem tota die illa.

Variæ translat.

S*Tatimque Saul cecidit porrectus in terram.*] Pagninus, *Et festinauit Saul, & cecidit plenitudo statura eius in terram.* Vatablus Laurent. *Statim autem Saul corruit quantus quantus erat in terram.* Salmant. *Et ilico corruit Saul in terram, quantus quantus erat.* In Schol. Hebr. *de plenitudine statura sua.* i. corruit vt erat erectus & stabat. Non nemo, *Hic Saulus repentè ad terram tota mole concidit.* Alius, *Tum Saul confestim cecidit tota statura sua in terram.* Septuag. Complut. edit. Καὶ ἔσπευσε σαοὺλ, ἔπεσεν ἀπὸ στάσεως αὐτοῦ ἐπὶ τὴν γῆν. *Et festinauit Saul & cecidit à statione sua super terram.* Ald. consentit, nisi quod loco ἀπὸ στάσεως, habet ἑστώς: quod Rom. translat. interpretatur *porrectus super terram.* *Tota die illa.*] Addunt omnes ex Hebræo tam Græci quàm Latini, *& tota nocte illa.* Vulgatus vsitatum loquendi morem sequutus est. Si quando enim quisquam, cum tempus designare velit, numerum dierum ineat, noctes pariter numerasse videtur. Quamobrem is qui decem dierum inducias pactus erat, & interdiu quidem quiescebat, noctu verò prædas agebat, & hostilem agrum populabatur, iniustè atque perfidè ludificari iudicatus est, quoniam dierum nomine ipsæ quoque noctes continerentur.

Statimque Saul cecidit.]

Frustrà præscias quod vitare non possis.

Εἰ μὲν ἦν μαθεῖν ἃ δεῖ παθεῖν,
Καὶ μὴ παθεῖν, καλὸν ἦν τὸ μαθεῖν.
Εἰ δὲ δεῖ παθεῖν ἃ δεῖ μαθεῖν,
τί δεῖ μαθεῖν; χρὴ γὰρ παθεῖν.

Thomas Morus vertit ad hunc modum in Epigramm.

Præscire si queas, qua oporteat pati,
Quaesque non pati, bonum est vi præscias.
At si te oporteat, licet scias, pati,
Præscire quid iuuat? necesse enim est pati.

Phauorinus item apud Gellium lib. 14. cap. 1. deterrere

Gellius.

STATIMQVE, &c.

deterrere volens, & depellere adolescentes à genethliacis, & alijs id genus qui prodigiosis artibus futura omnia dicturos pollicentur: nullo pacto adeundos esse, consulendosque huiuscemodi argumentis concludebat: Aut aduersa inquit, euentura dicunt, aut prospera. Si dicunt non prospera, & mentiuntur: miser fies, frustrà timendo. Si vera respondent, eaque sunt non prospera: iam inde ex animo miser fies, antequam fias. Si felicia promittunt, eaque euentura sunt: tum planè duo erunt incõmoda: & expectatio te spei suspensum fatigabit, & futurum gaudij fructum spes tibi iam deflorauerit. Nullo igitur pacto vtendum est istiusmodi hominibus, res futuras præsagientibus. Hactenus Phauorinus. Quod de diabolicis vatibus intelligendum est. Nam qui à Deo afflati sunt, hi mala impendentia ita prænunciant, vt pœnitentiam suadeant, qua deteriora fugiamus. Quî fit igitur vt eius hoc loco Samuel non meminerit? Quoniam talis à Saule haberi voluit, qualis ab eo credebatur, necyomantiæ ope ac beneficio elicitus. Talis porrò pœnitentiam non prædicat. Sed ne illud quidem satis probabiliter quæri videtur, cùm ostẽdi non possit, eundem, cùm adhuc superstes peccantem obiurgaret, vt resipisceret admonuisse. Saul porrò ex sua curiositate quid aliud præmij consequutus est, nisi vt diu vehementerque mortis illum formido cruciaret, qui futuri casus ignarus, & victoriam sperans, inter confertos milites potuerat sine sensu oppetere?

Otto Phrising.

Quàm vana & periculosa, etiã cùm vera prædicat, diuinatio.

C Heraclius Imperator, inquit Otto Phrising. Rerum gestar. lib. 5. cap. 9. à Sergio Patriarcha deceptus, Eutichianus hæreticus efficitur. Mathematicus etiam & Astrologus factus, præuidens in stellis circũcisos imperium suum vastaturos, arbitrans hos Iudæos esse, missis ad Dagobertum Regem Francorum nuncijs, omnes regni sui Iudæos baptizari postulat, & impetrat, ipseq; in regno suo similiter facit. Non multo post tempore, Agareni gens circumcisa Imperium vastant. Quos dum Heraclius misso exercitu cohibere vellet, centum l. m. perdidit. qua de causa dum apertis portis Caspijs, gentem sæuissimam, quam Alexander Magnus ob immanitatem sui super mare Caspium incluserat, educeret, bellumq; instauraret, nocte ab Angelo l. duo millia de exercitu eius percussa feruntur. Vnde fractus animo Princeps, & ex dolore in tumorem versus, ac hydropicus factus 27. Imperij sui anno viuendi finem fecit. Vide, ait Otto, iustissima Dei iudicia. Princeps iste, qui primò per virtutem Crucis de potentissimo Rege Persarum triumphauit, postmodum à Saracenis, amisso milite, ex dolore velut rationis expers, eiusque per quod antè vicerat, signi immemor factus, crudelissimam gentem, quam etiam Gentilis homo incluserat, impræmeditatè educens, à Domino iuste flagellatur, vt ipsi pœnitentiæ locus, & posteris exemplum correptionis relinqueretur. Hæc omnia ad contemptum mundi, amoremque Dei, qui & sperantes in se remunerat, ac contemnentes condemnat, nos prouocare debent. Hæc Otto.

STATIMQVE, &c.

A *Statimque Saul cecidit.*] Hebraicè, שאול ויפל, וימהר *vaiemmaher Scaoul vaiypol.* Ad verbum est *festinauit, & cecidit* idque quemadmodum Rabbini interpretantur, vt se dederet Samueli, & illi blandiretur, aut etiam adoraret, vt ex ijsdem Munsterus repetit in Annotat. quorum nihil huic loco conuenit. Nobilius in notis ad edit. Rom. *Festinauit*, ἔσπευσε. Hoc verbum respondet Hebræo, quod significat festinare: & Vulgata illud ita exprimit, *Statimque*: Verùm significat etiam trepidationem, & turbationem, vt ex loco proximè sequenti, & multis alijs constare potest. Hæc ille. Apud Hebræos מהר *mahar* alteri verbo additum, aduerbij vim obtinet. Genes. 27. *Quomodo*, ait Isaac, *tam citò inuenire potuisti?* Hebr. *Quomodo* מהרת *mihartha*, *festinasti inuenire?* Statim B itaque, e uestigio, actutum, illicò, significat. Hæc optima interpretandi ratio. Nonnulli tamen sic exponunt, festinasse eum vt inde se proriperet, quod vehementer esset consternatus. Hoc enim efficiunt responsa dæmonum. Vel festinasse, vt mature rediret ad exercitum. Egressum volunt, ex illo penetrali, aut solo, aut obscuro loco. Huiusmodi enim maleficia, & magicæ imposturæ non nisi in tenebris exercentur.

Cecidit porrectus in terram.] Alij enim cadunt in genua: alij ita, vt cubito se sustineant. Saul autem toto corpore repente prolapsus est, & iacuit quantus quantus erat. Exterruerat eum antea repentinus aduentus Palæstinorum. Hæc autem trepidatio multò est maior. Deus confirmat homines, & illis addit vires: diabolus illis metum & desperationem inijcit. Cur ita lapsus sit, causa naturalis reddi potest. Nam in magna trepidatione sanguis, & spiritus reuocantur ad cor: vnde fit, vt partes extremæ destitutæ, & labefactatæ, corpus non possint sustinere.

Lapsus ex ingenti trepidatione.

Potest etiam tam grauis esse concussio, vt homines magnitudine doloris prorsus exanimentur. Ita diabolus non tantum ludificatur animum, quemadmodum Paulus scribit 2. ad Thessal. 2. ver. 11. (Καὶ διὰ τοῦτο πέμψει αὐτοῖς ὁ θεὸς ἐνέργειαν πλάνης, εἰς τὸ πιστεῦσαι αὐτοὺς τῷ ψεύδει. Montanus vertit, *Et propter hoc mittet illi Deus operationem imposturæ, ad credendum eos mendacio.* Erasmus, *efficaciam illusionis.* Syrus Interpr. *efficaciam seductionis.* Vulgatus, *ope*-D*rationem erroris, vt credant mendacio*) sed etiam corpus interimit. Sunt ista fulmina grauissima iræ Dei: tamen nullæ hic audiuntur preces. Ita Saul iam prorsus obduruerat, vt nullo sensu pietatis tangeretur. Altera causa cur ceciderit, fuit, quòd iam esset exhaustus inedia. Non comederat præcedenti die, vel ob celeritatem, vel superstitioso ieiunio, quod ad hæc præstigia requireretur. Quare partim fame, partim terrore labefactatus corruit. Nam quæ Samuel denunciauerat, erant horribilia: ipsum postridie esse moriturum, victoriam staturam à Palæstinis, exercitum occidione occidendum, filios esse vnà perituros, Deum illi factum esse implacabilem, regnum rediturum esse ad Dauidem æmulum suum. Talia diabo-

STATIMQVE, &c. lus suis consultoribus solet solatia propinare. Tametsi enim verus Samuel respondit, quoniam tamen ope dæmonis eundem excire tentauerat, similium oraculorum morem ex parte imitatus est. Quare, quod Deus in lege prohibet, ne Magos, aut ariolos consulamus, id non sua, sed nostra causa facit: ne inducamur in fraudem, & miserè pereamus.

Extimuerat enim verba Samuelis.] Alexander Macedo ille Orientis domitor, cum ex Chaldæis audisset, Babylone sibi mortis periculum imminere, territus est, vt scribit Diodor. Biblioth. lib. 17. 11. (Diodorus.) Cumque eorum, inquit, hominum prudentiam, & magnum nomen identidem secum reputaret, animo plurimum frangebatur. Atque interim ea vrbe abstinuit, ducentis stadijs procul ab ea castra metatus, donec à Græcis Philosophicis rationibus persuasus in exitium suum consensit. At contrà Alexander Seuerus, cum eidem Thrasybulus Mathematicus renunciasset, *necessitatem esse*, inquit Lampridius cap. 62. *vt gladio barbarico periret*, primò lætatus est, quod sibi mortem bellicam & Imperatoriam crederet imminere: deinde disputauit ostenditque optimos quosque violenta morte consumptos, cum diceret ipsum Alexandrum, cuius nomen teneret, Pompeium, Cæsarem, Demosthenem, Tullium, & cæteros insignes viros, non quieta morte oppetisse: tantumque animi habuit, vt putaret se dijs comparandum, si in bello periret.] Hæc ille. At non magnopere talem felicitatem Saul optauit, quin potius eum nuncium vehementius exhorruit. Quàm ægrè atque inuito animo Tyranni ex hac vita commigrent, quamque velint posse moras nectere, describit facetè Lucianus in Cataplo: quem vide, si lubet. (Tyranni quam molestè mortem ferant.) Nam ibi Mercurius absque fuste & vinculis tyrannum duci posse negat. Etenim, inquit, de Megapenthe tyranno loquens, ex quo eum mihi tradidit Atropos, per omnem viam retrahere atque obniti nunquam destitit. Quin pedibus solo oppositis ita se obfirmauit, vt inter ducendum nobis non parum negotij exhibuerit. Aliquoties autem supplicabat ac deprecabatur, ingentia daturum se pollicens, si vel paululum dimitteretur. Coactus eiulatu complebat omnia, ingenti quadam ex felicitate se deiectum queritans, &c.

VERSVS XXI.

Ingressa est itaque mulier illa ad Saul, (conturbatus enim erat valdè) dixitque ad eum: Ecce obediuit ancilla tua voci tuæ, & posui animam meam in manu mea: & audiui sermones tuos, quos locutus es ad me.

VERSVS XXII.

Nunc igitur audi & tu vocem ancillæ tuæ, & ponam coram te bucellam panis, vt comedens conualescas, & possis iter agere. (A) (STATIMQVE, &c.)

VERSVS XXIII.

Qui renuit, & ait: Non comedam. Coegerunt autem eum serui sui & mulier, & tandem audita voce eorum surrexit de terra, & sedit super lectum.

VERSVS XXIIII.

Mulier autem illa habebat vitulum pascualem in domo, & festinauit, & occidit eum: tollensque farinam, miscuit eam, & coxit azyma. (B)

VERSVS XXV.

Et posuit ante Saul, & ante seruos eius. Qui cùm comedissent, surrexerunt, & ambulauerunt per totam noctem illam.

CONturbatus enim erat valdè.] Pagninus, *Et vidit quod territus esset valde.* (Variæ translat.) Vatablus vtrunque probat *territũ* & *conturbatum*. Septuag. Καὶ ἴδεν ὅτι ἔσπευσε σφόδρα. *Et vidit quod turbatus erat valde.* Ita Complutenses. Aldina consentit Græcæ lectioni. Rom. editio Latina, *Et vidit quia festinabat valde.* (C) Hebraicè נבהל *nibhal*. à verbo בהל *bahal*, quod in Piel & Hiphil cum actione celeritatem significat. At verò in Niphal subito commotum animo, ac terrore perculsum, conturbatum. In Piel quoque & Hiphil perturbare ac perterrefacere significat. Et posui *animam meam in manu mea.*] Chaldæus, *propè vt occideretur.* Vatabl. Salmant. *Deuoui animam meam. Et sedit super lectum.*] Septuag. ἐπὶ δίφρον, *sellam. Habebat mulier vitulum pascualem.*] עגל מרבק *ghegel marbek*, *vitulum saginarij.* A verbo רבק *rabat*, Rabbinis saginauit, pinguefecit. מרבק *marbek*, saginariũ, locus in quo vituli pinguefiunt. Septuag. Ald. & Rom. edit. ἦν δάμαλις νομάς. *Damalis* iuuenca, νομὰς degens in pascuis, inter armenta, *vitula pascualis.* Cõplut. μοσχάριον γαλαθηνὸν *vitulus lactens.* (D) Chaldæus cum reliquis *pinguem* aut *saginatum* explicat. Quidam, *vitulum quem domi altilem habebat.*

Ingressa est itaque mulier ad Saul.] Iam Samuel scilicet in sinum Abrahæ se receperat, nequaquam expectans dum à Maga discedendi potestas fieret. Atqui vi magica excitis solenne quondam hoc fuit, vt meminit Lucanus lib. 7. (Vi magica exciti abeundi licentiam expectabant.)

Sic postquam fata peregit,

Vmbra illa scilicet quam Erichto euocauerat, & cadauer subire coegerat, ipse mortuum vocat.

Stat vultu mæstus tacito, mortemque reposcit.
Carminibus magicis opus est, herbisque cadauer
Vt cadat, & nequeunt animam sibi reddere fata, (Lucanus.)
Consumpto iam iure semel. Tum robore multo
Exstruit

ECCE OBEDIVIT, &c.

Exstruit illa rogum: vadit defunctus ad igneis
Accensa iuuenem positum strue linquit Erictho,
Tandem passa mori, Sextoque ad castra parentis
It comes, &c.

Sed nimirum Samuel, quemadmodum non venerat maleficæ autoritate coactus, ita cum abire vellet, nequaquam ab ea licentiam postulauit.

Ecce obediuit ancilla tua voci tuæ.] Mulier hortatur, vt cibum capiat: & vtitur argumento, vt quidem sibi videtur, satis acuto: Ego, inquit, tua causa me conieci in periculum. Quare tu vicissim debes mihi obsequi mea causa. At ille recusat. Et prorsus videtur decreuisse, velle mori fame. Nec mirum. Postea enim se traiecit gladio. Perinde autem est, siue fame tibi mortem consciscas, siue gladio. Iosephus hanc mulierculam mirifice prędicat. Eam enim cum affecta fuisset à Saule tanta iniuria (ille enim non tantum artem prohibuerat, vnde ea victum sibi hactenus suppeditauerat, sed etiam fecerat capitale, si ea postea vti voluisset) tamen illi humanissimè, quicquid habebat, proposuisse: idque addidisse, se habituram pro magna mercede: & quod maius est etiam, illam id perditis Saulis rebus fecisse, cum nulla esset spes præmij.

Iosephus Lamiæ humanitatem cõmendat.

Iosephum Petrus Damianus æmulatus est seu potius eundem exaggerandis lamiæ laudibus, vicit, remque ipsam non adeò mirabilem pluribus quàm opus sit, mea quidem sententia, verbis amplificauit. lib. 2. Epist. 13. Quem non edificet, inquit, atque ad perfectionem charitatis excitet, quem, inquam, non solum ad officiosum piæ humanitatis studium exercendum, verumetiam ad bona pro malis redhibendum non prouocet hoc, quod de Pythonissa illa magnæ profecto laudis digna præconio legitur? Quæ videlicet ad imitationem Dei, Saul tam bene tractauit, non modo regio iam culmine desperatum, sed & in crastino Philisthinorum gladijs perimendum: & tanquam prudens iuxta Euangelium serpens, illi præstitit beneficium, à quo nullum se consequi posse sperabat emolumentum. Ille præterea, sicut ipsa conqueritur, omnes hariolos de terra Israël, & magos erasit: ac per hoc eidem mulierculæ omnem quæstum solitæ diuinationis ademit. Illa vitulum pascualem, qui sibi de consumpta vix paupertate superer at, coxit, & azymos panes de perexigua farina commiscés, illi vt vesceretur, apposuit. Quod cum ille lugubris, & contigua morte perterritus sperneret, ac cibum capere funditus recusaret, è conuerso illa precibus obnixis, & quibusdam velut argumentationibus incessabiliter insistebat, vt roganti talionem redderet; & sicut illa iubenti paruerat, sic iste supplicantis precibus annueret. *Ecce*, inquit, *obediuit ancilla tua voci tua, & posui animam meam, &c.* Quis hoc coruscante faceret Euangelio, quod hæc mulier sub vmbra legis egisse describitur? præsertim cum vetus offerat instrumentum: *Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum*? Euangelica verò tuba terribiliter intonet: *Quia nec*

B. Petrus Dam.

Matth. c. 10. ver. 16.

A *Pater vester dimittet vobis peccata vestra, si nõ remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris, &c.* Et rursum: Et hæc eo tempore laudabilis mulier fecit, cum illum nosset illicò moriturum: atque ideo nec speraret iam placidum, nec paueret iratum. Argumentis vtuntur homines, vt è proprijs domibus hospitari volentes eijciant, vt ad tabernas, vel emptoria vicina transmittant. Siquidem locus iste, &c. Hac igitur accuratione verborum, nil aliud agitur, quàm vt superuenientes aliud sibi prouidere compellantur hospitium. Hæc autem prudens, & ingenua mulier rhetoricatur, vt ita loquar, & oratorum orationibus vtitur, vt inimicus eius, dum respuit, ac resultat, ad edulium prouocetur. Hactenus Damianus.

ECCE OBEDIVIT, &c. Leuit. 19. ver. 18. Matth. 6. ver. 15.

B Quem ego miror qui fieri potuerit, vt saga illa teterrima, serpens potius Euangelicus, quàm diabolica vipera eidem visa sit. Semel atque iterum non mediocri laude dignam prædicat, quam Scriptura nefandi criminis ream accusat, & capitali supplicio damnat. Illius denique charitatem plurimùm commendat, quæ diaboli organum fuit, & pacto cum eo fœdere de humani generis peste atque interitu vnà coniurauerat. Idque satis leuibus argumentis confirmat. Meminerat, inquit, se ab eo grauissimis iniurijs violatam esse, quod & artis suæ necessarijs emolumentis eam priuasset, & vitæ eius pariter ferali edicto periculum creasset. Nouerat præterea citò eundem interimendum esse, ita vt iam nihil causæ esset, quamobrem aut ambiret eius gratiam, aut furorem
C extimesceret. quid igitur restat, nisi vt hanc tantam humanitatem strigis benignitati ascribamus. Apage malam bestiam. Neque verò illud verum est, quo tanquam confesso abutitur, resciuisse illam qui Saulem exitus in proximo maneret. Tametsi enim maga spectrum quod apparebat intueretur, ipsa tamen vocem loquentis non audiebat, vti supra diximus ver. 14. in Var. translat. Neque si sciret, idcirco statim metum poneret; cum vereri debuerit, ne studio placandi Numinis, aut certè odio artis maleficæ quæ tam dira nunciasset, eandem cum tota familia perderet. His addere possumus, mulierem illam astutam fuisse, & facile apud se cogitasse, si Rex apud se extingueretur, se postea daturam pœnas, ac si eius scelere interijsset.

Sagæ laudes immundicas execramus.

D Hoc præterea cogitandum est, Saulem id extorsisse à muliere, quod non licebat; quod autem honestum, & iustum erat, ab ea accipere noluisse. Cibum enim non cepisset, nisi eum comites adegissent. Credibile est eos monuisse, vt cogitaret se Regem esse, à quo penderet summa Reipubl. curaret corpus, vt posset pugnare contra Palæstinos, seruaret se meliori fortunæ: Nam quid Samuel respondisset clam illis fuit, nec ipse renunciauerat: interpretabantur autem eam animi consternationem ex nefandæ artis horrore atque insolentia contigisse. Mulier proponit illi cibos satis delicatos: qui deiecto & labefactato ventriculo conuenirent. Coquit placentas, quod domesticus panis aut nimis ater esset, vt fit, aut siccus, aut

ECCE OBEDIVIT, &c.

mucidus, aut denique ea consuetudo regionis, vt ex pluribus Scripturæ locis colligi potest. Cibati, castra repetunt: Tempus iam erat, vt Saul impietatis suæ pœnas daret. Atque hæc omnia administrantur prouidentia Dei: qua eadem prouidentia factum est, vt filij quoque Saulis abducerentur ad bellum.

Iulius Capitolinus.

Qui renuit, & ait: Non comedam.] At contrà Maximinus Imper. cùm se hostem à Senatu iudicatum resciuisset, vt obliuionem cogitationis acciperet, vino se primo die obruisse dicitur eousque, vt quid gestum esset, ignoraret. Iul. Capitolinus cap. 17. in eius vita.

Herodotus

Cum comedissent, surrexerunt, & ambulauerunt totam noctem illam.] Herodotus lib. 9. scribit se ex Thersandro Orchomenio accepisse, quæ sequũtur. Ab Attigino Thebano vnà cum Mardonio & alijs quinquaginta Persis ad cœnam inuitatus, eodem thoro cum quodam Persa discubuerat, qui postquam eius patriam didicisset, his illum verbis affatus est: Quoniam tu mihi mensæ consors & libaminum effectus es, volo tibi relinquere sententiæ meæ monumentum, vt ipse quoque præcius huius rei, queas tibi consulere. Cernis hos Persas in conuiuium acceptos, & copias quæ ad flumẽ in castris relictæ sunt? Horum omnium paruo post tempore paucissimos cernes superstites. Et inter dicendum multas lacrymas Persam effudisse. Admiratumque se eam orationem, ad illum dixisse; Nonne hæc Mardonio expedit dicere, & ijs Persis, qui secundum eum in honore sunt? & illum subiecisse. Hospes, quicquid ex Deo fieri oportet, id homini ineuitabile est. Nam ne credibilia quidem dicentibus credere quisquam vult. Atque hæc permulti Persarum quum sciamus, tamen Mardonium sequimur illigati necessitate. Est autem hoc in hominibus acerbissimum, eum qui multum sapit, minimè potentem esse. Hactenus ille. Celebrant quoque Græci apud eundem Herodot. lib. 7. Megistæ vatis epitaphium, qui vna cum Leonida ad Thermopylas occubit.

Quæ à Deo decreta sunt vitari non posse.

Nobilis hoc bustum est (Medi occidere) Megiste,
Sperchion ad fluuium: non sed inultus obit.
Qui vates obitum quamuis præsciret adesse,
Spartæ haud sustinuit deseruisse duces.

Idem quoque tumulis Saulis comitum inscribi potuit, mortem eos appetere maluisse, quàm Regem deserere: Si tamen eos oraculi siue futuri exitij fuisse conscios arbitrabimur, quod nusquam Scriptura indicat. Verisimilius autem est Regem, quod audiuerat, prodere noluisse; ne desertis castris priuatim sibi quisque fuga consuleret. Sed illud admiratione dignum est, quo pacto in animum induxerit, vt exercitum repeteret, & cum hostibus acie confligeret. Nam si saperet, debuerat potius certamen detrectare, & quam posset occultissimè relictis in speciem castris copias deducere.

At nonnulli Hebræorum propterea eius animi celsitudinem prædicant, vt qui mortem ferrumque contempserit. Quibusdam præterea probatur eius obedientia, quod vti nosset hoc Deo placere, vt veteres culpas cruenta morte lueret, se totum diuinæ iustitiæ permiserit, nec quod posse videbatur fugere tentauerit. Sed nihil horum mea quidem sententia ad Saulis laudem pertinet. Debuit enim quoad eius fieri potuit, publicæ saluti prospicere, & desperata victoriæ militem periculo non obijcere. Nam quod illi excusationis loco prætexunt, studuisse eum diuinæ iustitiæ morem gerere, nullius momenti haberi debet, cum nusquam decreuerit, vt quo supplicio nos plectere statuerit, hoc ipsum nobis alijsque accersamus. Quare stragis editæ excusari mihi posse non videtur. Nam & illa conditio tacita intelligi potuit, Israëlitas profligatum atque deletum iri, si manus consererent. Quamobrem receptui caneret, terretque tantisper hostium insolentiam, donec pœnitentia & lacrymis secum vnà populum cum Deo reconciliaret. Qui factum est igitur, vt nihil horum animaduerteret, sed cœco errore præceps rueret in exitium. quoniam *Deus illum*, vt Scriptura ait, *priuauerat prudentia sua.* Non enim illum consilio iuuabat, & ratione ac iudicio instruebat, quo posset id, quod in rem esset, aduertere: sed mente attonita atque ebrio similis, perstabat cladem & ruinam opperiens, quæ cito eum oppressura esset. Pleraque animalia, quæ pernici cursu interitum fugere poterant, postquam rugitus leonis eorum auribus intonuerit, collapsis viribus immoti manent, & metu prius quàm morsu exanimati præda fiunt. Ipse leo si ilicis folia pede attigerit, obtorpescit. Remora nauem sistit contra ventorum impetum. Alcedo hyemis procellas cohibet. Torpedo in quodlibet ab ea tactum animal stuporem infundit. Equus, lupi si vestigium calcet, torpore congelascit. Lupus ipse si pede terat folia scillæ: quamobrem ea vulpes luporum cubilibus injiciunt. Polypos ruta præstat immobiles: & miratur quisquam Deo minitante ac tonante, hominem metu ac pauore obstupescere?

Stupore attonitus non iudicio cladem expectare ausus est.

Ælian. lib. 1 de Animal. c. 36.

CAPVT

CAPVT VIGESIMVMNONVM.

Congregata sunt ergo Philisthiim vniuersa agmina in Aphec: sed & Israël castrametatus est super fontem, qui erat in Iezrahel. 2. Et satrapæ quidem Philisthiim incedebant in centuriis & millibus: Dauid autem & viri eius erant in nouissimo agmine cum Achis. 3. Dixeruntque principes Philisthiim ad Achis: Quid sibi volunt Hebræi isti? Et ait Achis ad principes Philisthiim: Num ignoratis Dauid, qui fuit seruus Saül regis Israël, & est apud me multis diebus, vel annis, & non inueni in eo quidquam, ex die qua transfugit ad me, vsque ad diem hanc? 4. Irati sunt autem aduersus eum principes Philisthiim, & dixerunt ei: Reuertatur vir iste, & sedeat in loco suo, in quo constituisti eum, & non descendat nobiscum in prælium, ne fiat nobis aduersarius, cùm præliari cœperimus: quomodo enim aliter poterit placare dominum suum, nisi in capitibus nostris? 5. Nonne iste est Dauid, cui cantabant in choris, dicentes: Percussit Saul in millibus suis, & Dauid in decem millibus suis? 6. Vocauit ergo Achis Dauid, & ait ei: Viuit Dominus, quia rectus es tu, & bonus in conspectu meo: & exitus tuus, & introitus tuus mecum est in castris: & non inueni in te quidquam mali, ex die qua venisti ad me, vsque in diem hanc: sed satrapis non places: 7. Reuertere ergo, & vade in pace, & non offendas oculos satraparum Philisthiim. 8. Dixitque Dauid ad Achis: Quid enim feci, & quid inuenisti in me seruo tuo, à die qua fui in conspectu tuo vsque in diem hanc, vt non veniam, & pugnem contra inimicos domini mei regis? 9. Respondens autem Achis, locutus est ad Dauid: Scio quia bonus es tu in oculis meis, sicut Angelus Dei: sed principes Philisthinorum dixerunt: Non ascendet nobiscum in prælium. 10. Igitur consurge manè tu, & serui domini tui, qui venerunt tecum: & cùm de nocte surrexeritis, & cœperit dilucescere, pergite. 11. Surrexit itaque de nocte Dauid ipse & viri eius, vt proficiscerentur manè, & reuerterentur ad Terram Philisthiim: Philisthiim autem ascenderunt in Iezrahel.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Hoc caput distinguitur in duas partes. In priori Achis reprehenditur à Principibus suis, quod Dauidem haberet non tantùm in ijsdem castris, sed etiam in summo pretio. In altera, importunitate Principum cogitur eum ablegare. Hinc porrò discimus quanta cura ac sollicitudine Deus suos tueatur, & ijsdem prospiciat, cùm in summum discrimen venerint, ne vel ipsi ab hostibus circumueniantur, aut necessitate coacti in flagitium ruant. Mirabili prouidentia Dauidem vtroque periculo exemit; ne vel ipsum Palæstini obruerent, vel fraterna cæde pollueretur, aut denique iura hospitij proditione violasse Barbaris gentibus videretur.

VERSVS I.

Congregata sunt ergo Philisthiim vniuersa agmina in Aphec: sed & Israël castrametatus est super fontem, qui erat in Iezrahel.

Aphec. IN *Aphec.*] De *Apech* iam nos antea priore tomo cap. 4. ver. 1. quo loco oppidum in tribus Aser collocauimus, quod rursum istic faciunt nonnulli interpretes, qui illud idem esse

A volunt quod Iosue 19. ver. 30. eidem Aser ascribitur. Sed mihi hoc tempore Adrichomij sententiam magis probatur, qui vrbem hanc Issachar tribuit, alioqui Saül procul à Philisthæis castra posuisse videri posset. De eadem Adrichomius hæc habet in Issachar num. 7. *Aphec*, vrbs est, cuius regem Io- Adrichomius.

B sue occidit Ios. cap. 12. ver. 13. In hac Philisthæi posuerunt castra, pugnaturi contra Israël, 1. Reg. 4. postea contra Saül 29. Ibidem Syri pugnauerunt contra Achab regem Israël quando dixerunt 3. Reg. 20. *Dij montium sunt dij eorum: pugnemus contra eos in*

SVPER FONTEM, &c. — Quarti Reg. 13.

vallibus, aut campestribus, & obtinebimus eos: Vbi & Benadab rex Syriæ victus est. Brocardus & Bridenbachius notant, eius ciuitatis ruinas adhuc suo tempore ostensas fuisse. Itin. 6. Est in campo magno non procul à Gelboë, ad Orientem montis Carmeli, quinque millibus à Tabor, vt notat Benedictus.

Fons in Iezraël.

Super fontem, qui erat in Iezraël.] Complut. edit. Septuag. Interpr. ἐν ναὶν τῇ ἐν ἰζραὴλ, *In Nain, quæ erat in Jzraël.* Aliquanto proprius, inquit Flaminius in notis, ad Hebræam dictionem, quæ significat *fontem*, quod habet Vulgata, Aldina & Rom. ἐν ἀενδὼρ τῇ ἐν ἰεζραὴλ, *in Aendor, quæ est in Jezraël.* Hebraicè בַּעַיִן *baghiin in Ghain*, עַיִן *ghain* oculum propriè significat, deinde etiam fontem. Fontes enim tanquam terræ oculi esse videntur. Frequens in Scripturis vtraque significatio. Chaldæus *fontem* vertit. Eundem Pagninus sequitur. Vatablus *in Ain, quæ est in Jesrael.* Et in Schol. Quidam aiunt nomen loci esse in Iezrahel: alij *fontem* vertunt. Quidam ad illud Iudic. 7. versus. 1. *Gedeon, & omnis populus cum eo, venit ad fontem qui dicitur Harad.* admonet eundem esse fontem videri, cuius meminit Samuel hoc loco, quia in Iezrahele situs est: & fortasse, inquit, Charod, (quippe sic legere placuit) quod sonat *trepidum*, dictus est, vel à trepidatione 22. millium, qui Gedeonem deseruerunt inf. vers. 23. Vel à trepidatione Madianitarum fusorum per Gedeonem ibi castra habentem: vel denique à trepidatione Saulis ibidem. 1. Reg. cap. 28. Hæc ille. De eodem Adrichomius hæc habet in Issachar Num. 21. *Fons Iezraël*, Niger Geograph. Asiæ com. 4. postea dictus fuit *Tubania*. Iuxta hunc Saul castra posuit, pugnaturus contra Philistæos. Meminit eius etiam Vuill. Tyrius & Breindenb.

Cassiodorus. — *Arethusæ fontis descriptio.*

Cæterùm fontem describit Cassiodorus lib. 8. Variar. Epist. 31. cui si Fons iste Iezraël haud dissimilem genium à natura sortitus erat, non dubitem, vicini exercitus fremitu commotum, haud mediocrem strepitum edidisse. Est, inquit, vt dicitur, sub pede collium supra maris arenam fertilis campus, vbi fons vastus egrediens: cannis in coronæ speciem riparum suarum ora contexit, amœnus admodum & arundineis vmbris, & aquarum ipsarum virtute mirabilis. Nam cùm ibi tacitus homo, & studiose silentiosus aduenerit, aquas fontis irrigui reperit sic quietas, vt in morem stagni non tam currere, quàm stare videantur. At vbi concrepans tussis emissa fuerit, aut sermo clarior fortasse sonuerit, nescio qua vi statim aquæ ibidem concitatæ prosiliunt: os illius gurgitis ebullire videas grauiter excitatum: vt putes aquam rigentem succensæ ollæ suscepisse feruorem: silenti homini tacita, loquenti strepitu & fragore respondens: vt stupescas sic subitò perturbatam, quam nullus tactus exagitat. Hæc est Arethusæ fontis in Sicilia descriptio.

Addam & alterum in gratiam eorum qui captant allegorias: qui Saulem obseruare poterunt supra fontem castra posuisse, qui est in Iezraël, quod est *semen Dei.* Hunc Cassiodorus in Leucotea Lucaniæ describit eodem lib. Epist. 33. his verbis. Hic erumpit aquarum perspicua & dulcis vbertas, vbi in modum naturalis antri absidis fabricata concauitas sic perspicuos liquores emanat, vt vacuum putes lacum, quem non dubitas esse plenissimum. Hic perlucidus vsque ad fundum patet: vt aspectibus tuis aërem potius apparere iudices, non liquorem. Æmulatur serenum diem aqua subtilissima: nam quicquid in imo geritur, inoffensa aëris claritate monstratur. Colludunt illic gregatim lectissimi pisces, qui ad manum poscentium sic intrepidi veniunt, tanquam se nouerint non esse capiendos: nam qui tale aliquid præsumpsit efficere, mox pœnam diuinitatis cognoscitur excepisse. Longa sunt, illius fontis memoranda describere. Veniamus ad illud singulare munus, sanctumque miraculum. Nam cùm die sacratæ noctis precem Baptismatis cœperit Sacerdos effundere, & de ore Sancto sermonem fontes emanare, mox in altum vnda prosiliens, aquas suas non per meatus solitos dirigit, sed in altitudinem cumulosque transmittit. Erigitur brutum elementum sponte sua, & quadam deuotione solenni præparat se miraculis, vt sanctificatio maiestatis possit ostendi. Nam cum fons ipse quinque gradus tegat, eosque tantum sub tranquillitate possideat, alijs duobus cernitur crescere, quos nunquam præter illud tempus cognoscitur occupare. Magnum stupendumque miraculum, fluenta labentia sic ad humanos sermones vel stare, vel crescere, vt eis credas audiendi studium minimè defuisse. Fiat venerabilis omnium sermone fons iste cœlestis. Habet & Lucania Iordanem suum. Ille exemplum Baptismatis præstitit, hic sacrum ministerium annua deuotione custodit. Hactenus Cassiodorus.

Alterius in Lucania.

Hic fons vtique seu Baptisma voles, seu mage Pœnitentiam, Saulem victorem præstaret, ni citò terrore panico fugatus à Deo ad Satanam deflecteret. Frigidæ primò visæ sunt illi fontis aquæ, & exhorruit: at si paulululum tolerasset, diuino quodam calore accensus hostium minas, & periculi magnitudinem contempsisset. Ostendunt Romani, inquit Pausanias, non longe ab vrbe trans amnem Anienem, albam aquam: in eam qui descenderint, initio tam frigidam sentiunt, vt exhorrescant: at si paululum fuerint immorati, nihil minus incalescunt, quàm si vehementer calidum medicamentum ebibissent. Ea profectò salutaris pœnitentiæ conditio est, vt metu primum gehennæ, verecundia, lacrymis suffundatur, & rigescat: at confestim certa spe veniæ recreata, animum refouet, vires largitur, & victoriam præstat.

Tropologia. — *Pausanias in Messeniacis.*

Videri magis potuit ad Salmacis fontẽ stationem habuisse, quem ferunt viros execranda metamorphosi

DAVID AVTEM &c. Philostratus.

metamorphosi mutare in fœminas, aut ad illum alterum quem habet, vt Philostratus autor est in Heroicis in Vinitore, Naulochus. Imbri promontorium, τὰ μὲν ἄῤῥενα τῶν ζώων, εὐνούχεις ἐργαζομένη. Suppl. πηγή. qui masculos eunuchos facit, ita illum hoc tempore virilis constantia destituit. Meminit

Pausanias.

præterea Pausanias in Messen. nigri fontis ad Astyra, cærulei in Thermopylis. Denique rutili prope ad sanguinis colorem ad Ioppen in terra Hebræorum: quo colore ex eo tinctam aquam ferunt, quod Perseus exectum caput ceti ea abluerit, postquam Cephei filiam liberasset. quod si verum esset, debuit hic fons deinceps post cladem exercitus, non aqua sed sanguine manare.

VERSVS II.

Et Satrapæ quidem Philisthiim incedebant in centurijs & millibus: Dauid autem & viri eius erant in nouissimo agmine cum Achis.

Pagninus, *Centeni & milleni*. Arias, *ad centena & millena*. Septuag. *ad centurias & millia*. Vatabl. Salmant. *per centurias, & chiliades*. Non quod tantus esset numerus principum, sed quod præessent alij centum militibus, alij mille. Principes non passim, aut inconditè incedebant, sed ordine, & composite. Dauid vltimo loco erat, videlicet, inter triarios. Nam in exercitu Romano ita milites disponebantur, vt primo loco essent primipilani, in proximo hastati, post eos principes, vltimo loco triarij. Anterior pugnantium pars, vt est apud Pollucem lib. 1. cap. 10. sect. 2. μέτωπον, καὶ ζυγὸν, καὶ πρόσωπον, Frons dicitur, iugum, & facies. Vtræque verò extremitates, πλευρὰ, κέρατα, δεξιὸν καὶ εὐώνυμον, Latera & cornua, dextrum scilicet & sinistrum: medium autem ὀμφαλὸς, vmbilicus. Ipsa aciei latitudo τεῖχος, murus vocatur. Sed quæ pars aciem ipsam sequitur οὐρὰ cauda, & οὐραγοὶ qui eam regunt. Tota porrò acies, dicitur exercitus, militia, phalanx, agmen, ordo, &c. Partes eius μυριοστὺς decem millium exercitus, χιλιοστὺς mille militum acies, πεντηκοστὺς quinquagesima, λόχος cohors, δεκὰς πεμπάς. Imperantes verò, totius quidem exercitus sunt, στρατηγοὶ Imperatores, συστράτηγοι collegæ, ὑποστράτηγοι secundum partium duces. Ταξίαρχοι aciei præfecti, οὐραγοὶ, caudæ duces, μυρίαρχοι, χιλίαρχοι, λοχαγοὶ cohortium præfecti, ἑκατόνταρχοι centuriones, δεκάδαρχοι decennarij, πεντάδαρχοι quinquenarij. Hæc Pollux. Ἐξελιγμῶν porrò, siue aciei explicationum duo sunt genera, vt docet Suidas in voce ἐξελιγμῶν. Vnum quidem cum acies ex-

Acies ordinata. Pollux. Suidas.

plicatur per manipulos. Alterum verò, per iuga. Et horum vtriusque generis promiscuè sunt tres species. Nam prima quidem, vocatur Macedonica. Secunda verò Laconica, Tertia autem Choria, quam & Creticam, & Persicam vocant. quomodo singulas explicet, vide apud eundem. Melius autem Ælianus in l. de instruendis aciebus.

Dauid autem & viri eius erant in nouissimo agmine.] Tertullianus de Idololat. cap. 14. Quid hoc? Et si non prohibet nos conuersari cum idololatris & adulteris, & cæteris criminosis dicens, *Cæterum de mundo exissetis*: Non vtique eas habenas conuersationis immutat, vt quoniam necesse sit & conuiuere nos & commiscere cum peccatoribus, ideo & cum eis peccare possimus. Ibi est commercium vitæ, quod Apostolus concedit: Hic peccare, quod nemo permittit. Licet conuiuere cum Ethnicis, commori non licet. Conuiuamus cum omnibus: conlætemur ex communione naturæ, non superstitionis, pares anima sumus, non disciplina: compossessores mundi, non erroris.]

Tertullianus. Conuiuere licet cum Ethnicis, non simul peccare.

Iam verò aduersus eos qui artibus illis dant operam, quæ superstitioni fauent, aut etiam hæresibus, & dicunt his nobis victum comparamus: Malè nobis, inquit, de necessitatibus humanæ exhibitionis supplaudimus, si post fidem obsignatam dicimus, non habeo quo viuam. Iam hic enim plenius illi abruptæ propositioni respondebo, Serò dicitur. Antè enim fuit deliberandum ex similitudine prouidentissimi artificis illius, qui prius sumptus operis cum viribus suis supputat, ne vbi cœperit defunctus postea erubescat. Sed & nunc habes facta Domini exempla adimentia tibi omnem excusationem. Quid enim dicis? Egebo. Sed felices egenos Dominus appellat. Victum non habebo: *Sed nolite*, inquit, *cogitare de victu*. Et vestitus habemus exemplum lilia. Substantia mihi opus erat: Atquin omnia vendenda sunt, & egentibus diuidenda. Sed filijs & posteritati prouidendum. *Nemo aratro manum imponens, & retrò spectans, aptus est.* Opera & conditionalis eram. *Nemo duobus dominis seruire potest.* Si vis Domini discipulus esse, crucem tuam tollas, & Dominum sequaris necesse est, id est, angustias & cruciatus tuos, vel corpus solum, quod in domum Christi est. (Quandoquidem verò locum hunc mutilum notat Pamelius adnotat. 87. nec facilè restitui posse, obiter ac velut in transitu perstringam. Explicatur quibus quisque legibus crucem suam ferat, qui Christum sequuturus sit: nempe, vt vel cruciatus etiam toleret, si se occasio dederit: vel sane opum iacturam faciat, & nudus euolet, elapso tantum corpore, quod *in domum Christi est*; Cùm sint *membra vestra*, vt ait Apostolus, *templum Spiritus Sancti*.) Sequitur apud eundem: Parentes, coniuges, liberi, propter Deum relinquẽdi erunt. De artibus, & negotiationibus, & de professionibus etiam liberorum & pa-

Ibidẽ c. 12. Non licet artes exercere, quæ superstitioni faueant.

DAVID AVTEM, &c.

rentum causa dubitas? Iam tunc demonstratum est nobis & pignora, & artificia, & negotia propter Dominum derelinquenda, cùm Iacobus & Ioannes vocati à Domino & patrem nauemque derelinquunt. Cum Matthæus de teloneo suscitatur. Cum etiam sepelire patrem tardum fuit fidei. Nemo eorum quos Dominus allegit, Non habeo dixit quo viuam. Fides famem non timet. Scit etiam famem non minus sibi contemnendam propter Deum, quàm omne mortis genus. Didicit non respicere vitam, quanto magis victum? &c. Quamobrem nulla ratione Dauid excusari potuit, vt cum Palæstinis vnà in cæde fratrum suorum baccharetur, & hæreditatem Domini pessundaret? nullo iure peccare concessum est. Ac proinde ne illud quidem voluisse, aut statuisse, aliquando credendum est.

VERSVS III.

Dixeruntque Principes Philisthiim ad Achis: Quid sibi volunt Hebræi isti? Et ait Achis ad Principes Philistiim: Num ignoratis Dauid, qui fuit seruus Saul regis Israël, & est apud me multis diebus, vel annis, & non inueni in eo quicquam ex die qua transfugit ad me, vsque ad diem hanc?

Variæ trāslat.

QVid sibi volunt Hebræi isti?] Pagninus, *Quid hîc agunt Hebræi isti?* dixerunt Satrapæ Palæstinorum, dum scilicet lustrant copias suas. Chaldæus, *Quid Iudæi isti?* Hebraicè ad verbum, *Quid Hebræi isti?* Hebraismus est, inquit Vatablus, ac si dicerent, *Quid sibi volunt, &c.* Græci etymologiam sequuntur. Aldina & Rom. editio, τίνες οἱ διαπορευόμενοι οὗτοι, *Quinam isti pertranseuntes?* Complut. οἱ παραπορευόμενοι οὗτοι, *Quinam isti incedunt.* Vulgata, *Hebræi*: & optime potest conuenire cum illo, οἱ διαπορευόμενοι, quippe Hebræa dictio vtrumque significat, vt iam dictum est: & hoc *Hebræi* in extremo agmine *transisse* feruntur, quo tempore lustraretur exercitus.

Et est apud me multis diebus, vel annis.] Hebraicè ad verbum, *qui fuit mecum iam diebus, vel iam annis.* Optimè Vulgata interpretata est, *multis diebus vel annis.* Difficilior Græcorum translatio. Ald. & Rom. edit. habent Γέγονε μεθ' ἡμῶν ἡμέρας, τοῦτο δεύτερον ἔτος, *Fuit nobiscum dies, hunc secundum annum.* Complut. ὃς γέγονε μετ' ἐμοῦ ἤδη δεύτερον ἔτος σήμερον, *qui fuit mecum iam secundum annum hodie*, Vel, *secundus annus hodie.* An fortè reuera anno superiore ad eum confugerat, & iam annus alter cœperat cum hæc diceret, tametsi neutrum Dauid apud eum impleuerat? Non satis ex-

Quantum tēpus Dauid inter Palæstinos versatus sit.

A ploratum habemus quod anni principium Palæstini obseruarint. At illud liquidò constat, ex Scripturis, ab anni exordio cœpisse quondam *reges ad bella procedere.* Hæc mihi nunc vna ratio occurrit quæ Græcos interpretetur: Nisi forte ad alterum annum respectum habuerit, quo primum ad eum transfugerat. tametsi tum apud eum haud diutius mansit. Chaldæus habet, *His diebus, aut his annis.* Hebraismum interpretatur Vatablus in Schol. Id est, dies aliquot, imo verò annos aliquot. Id est, & quem ego cognosco iam à multis annis. Quidam Hebræorum exponit, & eum tam bene noui, quàm si mansisset apud me annos aliquot. Alius quispiam, *Iam aliquot diebus, imo aliquot annis*: id est, iam altero anno: indefinite dictum. Non nemo

ET EST APVD, &c.

B præterea obseruat in Annotation. Quomodo dicit quod aliquot annis secum fuerit, qui solum quatuor mensibus apud eum fuit, & aliquot diebus? Respondent Hebræi, quod per illos quatuor menses adeò bene eius integritatem explorauerit, ac si tot annis secum commoratus fuisset. Vide quæ nos prius cap. 27. ver. 7. notauimus in Varijs translat. Kimhi negat Dauidem annum egisse apud Palæstinos. Ratio autem eius est, quia inter mortem Samuelis & Saulis interfuerunt tantum septem menses. Dauidem autem non est verisimile longius abfuisse. In eandem sententiam descendit Rab. Salomon, nisi quod iste ait, quatuor tantum interpositos fuisse menses inter mortem Samuelis & mortem

C Saulis. Idque ait se collegisse ex Seder Olam. Idem ait Paraphrastes Chaldaicus. Iosephus ait fuisse quatuor menses, & viginti dies.

Et non inueni in eo quicquam.] Chaldæus addit *mali, à die quo separatus est ad me vsque ad diem hanc.* Pagninus & Vatablus Laurent. *à die qua habitauit mecum.* Septuag. Complut. edit. ἀφ' ἧς ἡμέρας ἐπῆλθε πρός με, *à qua die venit ad me.* Quidam Latine, *à qua die dilapsus est ad me.* Symmachus, προσέφυγέ μοι, *confugit ad me*, aut *transfugit* cum Vulgata. Septuag. Ald. & Rom. edit. ἐνέπεσεν, ex qua die incidit ad me: & respondet dictioni Hebraicæ נָפְלוֹ *naphlo.* Vnde & Arias vertit, *à die cadere eius vsque ad diem hanc.* Veruntamen נָפַל *naphal* Hebræis multa significat: cadere proprie, procumbere, accidere, deficere, deinde, transfugere, venire in potestatem alicuius, manere, gradum

D sistere. Denique perire, mori. Inde nata multiplex translatio. Hoc loco transfugere, procumbere, manere non incommode poterit exponi.

Variæ trāslat.

Quid sibi volunt Hebræi isti?] Probus Imperator apud Vopiscum, cum accepisset à Barbaris sedecim millia tyronum, eos omnes per diuersas prouincias sparsit, ita vt numeris, vel limitaneis militibus quinquagenos, & sexagenos intersereret, dicens sentiendum esse non videndum, cum auxiliaribus Barbaris Romanus iuuatur.] *Dixerunt*

Vopiscus in vita Probi.

ET EST APVD, &c. runt Principes Philisthiim.] Apparet politiam inter Palæstinos non malè fuisse institutam. Rex enim admonebatur, & interdum liberè reprehendebatur à suis: vt non semper posset quicquid vellet. Talis fuit autoritas Agamemnonis in exercitu Græcorum. Contentio autem erat, vtrum Dauid retinendus esset in castris, an remittendus domum? *Quid isti Hebræi?* Ita videntur fastidiose, & contemptim loqui de satellitibus Achis. Quasi dicerent, Quod hoc tuum est consilium, vt inimicum tuum vnà tecum educere velis ad pugnam, & eum tuo capiti præficere? Contra Achis ita eum defendit: Est seruus Saulis hostis mei. Illustris est rebus gestis. Quomodò potest vobis ignotus esse? Porrò nihil potest esse periculi. Defecit enim à Saule ad me. Quare non dubito, eum contra tyrannum à quo B toties expetitus est ad necem, præclaram operam editurum. Deinde aliquot iam annos satis mihi eius probata est fides. Acsi diceret, non posse fieri, quin tempore hominum intima sensa & consilia retegantur. Verùm hoc argumentum valde infirmum erat. Nam hypocritæ longissime cogitationes suas cedant, & expectant tantùm occasionem, vt aliquid mali machinentur. Deinde Achis ait, satis se exploratam habere fidem Dauidis contra Iudæos. At ille finitimos tantùm agros vastauerat: Iudæorum bona non attigerat. Achis inquit Dauidem aliquot iam annis sibi seruisse, & tamen non fuerat multos, ne vnum quidem apud Achim. Itaque Chimhi, vt iam suprà diximus, exponit. Tam mihi explorata est eius C fides, quàm si fuisset apud me plures annos. Sed hæc credendi facilitas plerunque nocet, & incautos non rarò in fraudem impellit. Quamobrem.

VERSVS IIII.

Irati sunt autem aduersus eum Principes Philisthiim, *& dixerunt ei: Reuertatur vir iste, & sedeat in loco suo, in quo constituisti eum, & non descendat nobiscum in prælium, ne fiat nobis aduersarius, cùm præliari cœperimus: quomodo enim aliter poterit placare Dominum suum, nisi in capitibus nostris? D

VERSVS V.

Nonne iste est Dauid, cui cantabant in choris, dicentes: Percussit Saul in millibus suis, & Dauid in decem millibus suis?

A IRati sunt autem aduersus eum.] Sic quoque Pagninus, & Vatablus: Arias habet *super eum.* Symmachus ὠργίσθησαν, *irati sunt.* Theodotio exponit, ἐθυμώθησαν, *indignati sunt.* Chaldæus pariter interpretatur. Complutensis edit. cum Theodotione consentit. Aquila παρωξύνθησαν, *irritati sunt.* Rom. & Ald. Καὶ ἐλυπήθησαν ἐπ' αὐτῷ, *& contristati sunt super eum duces Alienigenarum. Ne fiat aduersarius nobis*] Græci ἐπίβουλος *insidiator.* Hebraicè, לשטן *lesatan*, *in satan*, hoc est, *aduersarium.* IRATI SVNT, &c. Variæ tráslat.

Irati sunt autem aduersus eum.] Ex altera parte Principes magnis rationibus contendunt, Dauidem non esse retinendum. Defecit, inquiunt, à Saule ad nos. Eiectus domo, & euersus fortunis omnibus cogitur exulare. Quid tum? Quo ille pacto melius redire potest in gratiam cum domino suo, quàm si nos magno aliquo malo afficiat? Hoc in Arixo Græci experti sunt, qui cum Cyro Minore ierant in expeditionem. Nam proditor eos perdere voluit, quo magis se Regi victori conciliaret, vt narrat Xenophon lib. 3. Exped. Cyr. Min. Lucius item Manius, vt est apud Appianum de bello Mithridat. qui Sertorianæ conspirationis cum Mithridate causa fuerat, defuncto iam Sertorio clàm ad Lucullum misit, à quo fide accepta Mithridatem suis consilijs perdidit. Huic autem persuasit, vt se velut transfugam emitteret citò ad se rediturum. At is veniam pactus eos prodidit, ad quos confugerat. Complura id genus exempla historiæ suppeditant. Neque tamen id vsqueadeo verum est, vt nulli transfugæ designari possint, qui ijs, quorum præsidio incolumitatem consequuti sunt, fidem seruarint. Demaratum Spartiatam, qui dudum regno abdicatus ad Xerxem se receperat, cùm aliquando Achæmenes Persa proditionis insimularet, Xerxes ipse non tulit. Quin potius Demaratus, inquit, quod optimum fore putauit, id suadet: eius tamen sententia à tua superatur. Neque verò illud admitto, eum nolle rebus meis bene consultum esse, vt ex ijs quæ antea ab eo dicta sunt, & ex ipsa re coniecto. Quoniam ciuis quidem ciui secundis rebus prædito inuidet, eumque malè odit: hospes autem hospiti prospera fortuna vtenti, omnium est beneuolentissimus, eique consultanti optimè consulit. Quapropter ab insectatione, qua in Demaratum vteris hospitem meum, posthac abstinere te iubeo. Sicut porrò Xerxi tum malè gessit non obtemperasse hospitis consilio, sic quoque postea Dario ruinæ atque exitij præcipua causa fuit. Nam cum Alexandro pugnante contra Darium, Græci milites, qui à Thymode ad Darium missi peruenerant, salubre consilium Regi dedissent, vt aut latos Mesopotamiæ campos repeteret, aut copias diuideret, neu sub vnum fortunæ ictum totas vires regni cadere pateretur: Minus, inquit Curtius, hoc consilium Regi, quàm purpuratis eius dis-

Transfugis haud temerè fides habéda. Xenophon. Appianus. Herodot. 7. in fin. Curtius lib. 3.

IRATI SVNT, &c. plicebat: ancipitem fidem & mercede venalem proditionem imminere. Dividi non ob aliud copias velle, quàm vt ipsi in diuersa digressi, si quid commissum esset, traderent Alexandro. Nihil tutius esse, quàm circundatos eos exercitu toto obrui telis, documentum non inultæ perfidiæ futuros. At Darius, vt erat sanctus & mitis, se verò tantum facinus negat esse facturum, vt suam sequutos fidem suos milites iubeat trucidari. Quem deinde amplius nationum exterarum salutem suam crediturum sibi, si tot militum sanguine imbuisset manus? Potuit itaque etiam Dauid fidus & constans haberi.

Sed non ea sola ratio mouebat Palæstinos, terrebat magis affinitas. Non enim tantum seruus erat, sed etiam gener Saulis. Adhæc Principes solent sæpè multa simulare, & inter se colludere. Nam ita simulatione Zopyri Darius cepit Babylonem. Sic Gabios Tarquinius Sexti filij proditione recepit. Sic Crœsi exercitum Cyrus per Araspam ficta simultate profligauit. quocirca idem Cyropædiæ Sanctus Gobryam monet, vt Gadatam vnum è principibus Assyriorum, qui ad ipsum deficere statuerat, doceat impensius Regis studium præ se ferre, quo eundem facilius circumueniat. Vbi autem, inquit, vnà cum eo fuerit, si noueris eum amicum esse velle, hoc moliendum est, vt clàm nobis amicus sit. Nec enim amicos quisquam aliter quodammodo pluribus in bello bonis affecerit, quàm si hostis esse videatur. Neque inimicis magis alio quodam modo nocuerit, quàm si putetur amicus esse.] Præterea obscurum non est, inquiunt, quid ille possit. Audiuimus enim quid de illo mulieres prædicarint in choreis: *Vicit Saul in millibus suis, & Dauid in decem millibus suis.* quod si ille & vult nocere nobis, & potest, an expectamus, vt ille nostris capitibus pacem sibi sanciat, & veniam à domino suo paciscatur? An verò tutum est retinere istum in exercitu, cùm sit multò fortior, & potentior ipso Saule? Ita à fronte & à tergo ceruicibus nostris hostis incumbet. At nequaquam probabile est eundem nocere velle. Esto: miserum tamen est pendere ex illius arbitrio in quam partem victoriam inclinet. Artabanus Xerxis patruus cùm in concilio de expeditione in Græciam dissereret, Darij meminit, qui paulo ante iuncto Bosphoro Thracio, ac flumine Istro pontibus commisso ad Scythas traiecerat. Quo tempore, inquit, si Histiæus Mileti tyrannus Scytharum precibus, & reliquorum quoque Ionum sententia adduci potuisset, vt pontem exscinderet, actum erat de rebus Persarum. Atqui res est, ait, dictu quoque horribilis, omnem Regis statum in vno viro positum fuisse. Autor Herodotus lib. 7.

Affinitas Dauidis cum Saule Palæstinos terrebat.

Herodotus

Postremò illud quoque Palæstinis in mentem tum fortè venit, difficile esse vt pari animo ac fide communique sententia bellum administrarent, qui religione dissiderent. Ita docet Anaxandrides poëta comicus.

Non vobiscum possem vnà pugnare equidem.
Neque enim mores consentiunt, neque leges
Nostræ, sed inter se longè distant.
Bouem adoras, ego dijs macto.
Anguillam maximum arbitraris demonem,
Nos opsoniorum longè maximum.
Non vesceris suilla, ego delector
Ea maximè. Canem colis, quem ego verbero,
Vbi opsonium ab eo deuoratum nouerim.
Sacerdotes hîc integris membris sint lege
Sancitur: apud vos, vt videtur, haud ita est.
Tu felem malis affectum si cernas,
Defles: ego libentissimè interfecto pellem detraho.
Araneus mus pollet istîc, apud me minimi.

Qui religione dissident, quo pacto armis conueniant?

Hæc ille. Quibus omnino probat se cum Ægyptijs belli societatem inire non posse. Moses verò Exodi 8. negat se in Ægypto Deo sacrificare posse. *Non potest*, inquit, *ita fieri: abominationes enim Ægyptiorum immolabimus Domino Deo nostro: quod si mactauerimus ea quæ colunt Ægyptij coram eis, lapidibus nos obruent.* Quo pacto igitur sperari potuit Dauidi cum Palæstinis posse conuenire? Habuit enim hæc quoque gens deos suos quos priuatim coleret, & leges ritusque sacrorum à Iudaïcis ceremonijs diuersissimos. Nemo porrò ea quæ numinis loco colit, & in pretio habet, conculcari ac proteri fert æquanimiter. Hinc facilè colliges, quàm difficile sit & arduum, eos, qui de religione dissentiunt, de belli pacisque studijs inter se consentire.

Cæterùm hæc oratio Palæstinorum satis videtur ciuilis, & politica. Ducitur autem à suspicionibus. Suspiciones pendent à coniecturis, quibus inquirimus, vel quid factum sit, vel quid possit euenire. Suspicio verò est notitia obscura de aliquo impendente malo, vnde nascatur timor. In suspicionem autem facilè inducuntur maleuoli, & senes, & qui sæpe læsi fuerint, & inimici. Et interdum iustæ sunt causæ suspicionum. Vt in *Digest. De suspectis tutor. & curat.* Suspectus est, qui talibus est moribus. Et, quamuis reipsa talis non sit, tamen satis est, si talis videri possit. Nam etsi Dauid non erat proditor, tamen ex eo, quod vulgò de eo ferebatur, eum esse proditorem, & affectasse regnum, prudenter fecerunt Palæstini, qui sibi ab illo cauendum censuerunt. Nam, quin suspiciones in animis nostris interdum exoriantur, nos quidem cauere non possumus. Non enim sunt in nostra potestate. Sed non debemus illis temere assentiri, aut ex illis iudicare. Sanctus Augustinus in Epist. 54. ad Macedonium, Homines, inquit, ex quadam philautia facile inducuntur ad iudicandum. Quisque enim amat cogitationes suas, & arbitratur se prudenter suspicari. Nihil tamen, inquit, hîc temere agendum est, quamuis causa maximè videatur esse probabilis.

Suspicionis definitio.

Suspicionibus non indulgendum. S. Augustinus.

Ne fiat nobis, &c.

bilis. Nam & multa credibilia sunt, & tamen falsa: & multa rursus incredibilia, & tamen vera. Sed dices, quid si quis præficiatur Ecclesiæ, aut Reipublicæ? Nonne debet prospicere in tempore, si quid mali suspicetur impendere? Debet quidem: Sed sine odio, & damno alterius. Itaque Iudices cauere debent, ne quem de leui suspicione torqueant. Miseri enim non rarò in cruciatu victi magnitudine doloris, ea fatentur sæpe, quæ nunquam cogitauerant. Sed hæc obiter. Erat ista suspicio Palæstinorum non ex grauibus orta causis, sed tantùm ex probabilibus. Itaque non iubent aut torqueri, aut occidi Dauidem: sed tantum ablegari tantisper dum manus ipsi consererent.

Suspicio ne cuiquam noceat.

Habuit Achis suas quoque rationes, sed non satis firmas. Et certe non habemus regulam vllam certam, qua explorare possimus, quid homines in animo cogitent. Est homo animal sociale. In societate autem colenda maximè opus est fide. Sed quoniam abdita, & abstrusa sunt hominum consilia, ex eo nascuntur magnæ sæpe calamitates. Quare cauere nobis debemus, quantum possumus. Tutissimum autem est, vt fiduciam nostram conijciamus in Deum. Ille enim vel prohibebit hominum animos, ne quid nobis malè velint: vel, si nobis insidientur, mille habet vias, & rationes, quibus nos eripiat. Sed potest fieri, vt Palæstini inuidia etiam commoti fuerint: Nam quamuis essent principes, tamen videbant se inferiori loco esse, quàm Dauidem. Et in ea re putabant sibi fieri iniuriam. Id enim solet vbique fieri, vt si peregrini Principis beneficio dignitates capessant, id ciues non libenter patiantur: maximè verò si aliqua intercedat inimicitia. Hoc ego non temerè addo. Nam alioqui Christus ait, Prophetam non esse acceptum in patria sua. Et Elias aluit viduam Sareptanam, cum suos non aleret. Et Elisæus curauit Naaman Syrum, cum non curaret Iudæos. Quid si hoc quoque verebantur, ne apud se quoque Dauidis nomini victoria adscriberetur. Nolunt quippe gloriosi milites partem vllam de sua gloria delibari, laudesque suas cum altero communicare. Probabile autem videbatur postquam is ad eos accessisset, à quo toties fusi fugatique essent, si forte victoriam reportarent, eiusdem animi magnitudini auspiciisque tributum iri. Ob hanc causam igitur eundem secum in acie stare vetuerunt, satis habentes si hostilis exercitus eius præsidio ac virtute destitueretur.

Tutissimũ Dei præsidium.

Hoc lucratus est Dauid ex fuga sua ad Achim, vt quamuis esset in honore, tamen venerit in suspicionem proditionis. Quare nunquam deficiendum est ad hostes fidei: id enim nunquam bene cessit. Esto enim possis persuadere Principi, te esse virum bonum: tamen difficillimum erit id persuadere multitudini. Dauid ergo iam bis exulat. Primum domo sua: deinde è castris Achis: idq; eo etiam tempore, cum iam libertas esset in foribus. Saül enim erat primo quoque tem-

A pore moriturus, & Dauid peruenturus ad regnum. Non dubito, quin Dauidi peracerbum fuerit, haberi pro proditore. Sed ista specie falsæ proditionis, Deus illum à periculo veræ proditionis liberat. Nam si mansisset in castris, & pugnasset, fuisset impius in patriam: si non pugnasset, fuisset proditor Palæstinorum. Quo autem animo Dauid in castra venerit, disputauimus antea. Deus illi adest ἀπὸ μηχανῆς. Nam sua prudentia nunquam se potuisset ex hoc labyrintho commode explicare. Illæ suspiciones Palæstinorum haud dubie, vt ab illis nascebantur ex inueterato in Iudęos odio, peccata erant: & fortasse etiam, vti diximus, accessit nonnihil inuidiæ: illis tamen Deus ad bonum abuti voluit. Nec tantum honori Dauidis consulit, sed etiam commodo. Bona enim omnia Siceleci-

B tarum vnà cum vxoribus, & liberis asportata fuerant interim ab Amalecitis. Erat ergo peropportunus reditus Dauidis, vt ea amissa recuperaret. Hinc elucet incredibilis prouidentia Dei, qua suos regit & gubernat.

VERSVS VI.

Vocauit ergo Achis Dauid, & ait ei: Viuit Dominus, quia rectus es tu, & bonus in conspectu meo: & exitus tuus, & introitus tuus mecum est in castris: & non inueni in te quid-

C quam mali ex die qua venisti ad me, vsque in diem hanc: Sed Satrapis non places.

VIuit Dominus.] Hebraic. חַי יְהוָה *hai Iehouah*. Vatablus Laur. *Viuit Iehouah*. Septuag. ζῇ Κύριος, *viuit Dominus*. *Quia rectus es tu, & bonus in conspectu meo: & exitus tuus, & introitus tuus mecum est in castris.*] Græci consentiunt. ὅτι εὐθὴς σὺ καὶ ἀγαθὸς ἐν ὀφθαλμοῖς μου, καὶ ἡ ἔξοδός σου, καὶ ἡ εἴσοδός σου μετ' ἐμοῦ ἐν τῇ παρεμβολῇ. Pagninus, *Quia rectus es, & bonus in oculis meis, egrediente te, & ingrediente te in castra.* Arias, *egrediendo te, & veniendo te mecum in castrametationem*. Vatablus Laur. *Quod rectus es,*

Variæ trãslation.

D *& bonus in oculis meis est egressus tuus & ingressus tuus mecum in castra*. Alius quispiam, *Vt viuit Jehoua, tu rectus es*. Sed hoc redolet temeritatem Iunij; *& bonum videtur in oculis meis egredi te & ingredi mecum in castra*. Id est, Conuersatio & administratio tua. Sic numer. 27. 17. Non nemo præterea ita vertit: *Iehouam testor, te mihi, tuámque castrensem consuetudinem, probari ac placere*. At Vatablus Salmant. *Viuit Dominus, quoniam rectus fuisti tu & bonus coram me, siue exires, siue ingredereris mecum in castris*. Quod ita explicat in Scholast. *Per Deum viuum quem colis*, habeo te pro viro probo & integro: & commercium tuum, siue conuersatio tua, & vita quam in castris meis vixisti, mihi grata fuit. Chaldæus, *Permanens ipse*

Vocavit Achis, &c.

Dominus quòd rectus tu, &c. Nam cum Vulgata facit. *Rectum* vocat quòd credat dolis vsum non esse. *Bonum* siue *vtilem*, quod prædas hactenus cum eo communicasset. *Egressum & introitum exprimit*, quod neque domi neque foris insidias eundem moliri compererit. *In castris*. Occurrit obiectioni. Etenim cum hactenus fidem meam expertus sis, cur à castris me ablegas? cur isthîc potius quàm in vrbe suspectus sim? Quinimò, inquit, *in castris*, maxime industria tua & fides mihi probatur: sed non perinde satrapis, quoque probari potuit; quorum me communi decreto par & æquum est obsequi.

Vocauit itaque Achis Dauidem.] Rex Achis vincitur à suis. Hæc est fortuna regum etiam piorum, vt non semper ea possint, quæ volunt. Darius coactus est à suis, vt Danielem conijceret in lacum. Imperatores Romani, qui militari tumultu creabantur in castris, erant postea militum suorum mancipia. Cogebantur enim dare congiarios, & exhaurire fiscum. Sæpe etiã à militibus occidebantur: quod de Alexandro Mammææ accidit. Sylla, Cæsar, Marius multa facere cogebantur eorum arbitrio, per quos vicerant: quæ alioquin nunquam facere voluissent. Dauid coactus est Ioabum tolerare. Zedecias principibus suis de Hieremia respondit, *non possum vobis negare quicquam.* Ita sæpe Principes reguntur à suis. Achis vocat ad se Dauidem, & magnam præ se fert erga eum beneuolentiam. Vidit enim, Dauidi molestum fore, cum se videret laborare suspicione apud principes. Itaque quantum potest lenit, & temperat rationem. *Viuit Dominus, quia rectus es tu, &c.* Ego, inquit, operam tuam, & fidem, & industriã in re militari plurimi facio. Si Principes aliter de te sentiant, id tu molestè ferre non debes. Quicquid illi calumnientur, ego te scio esse innocentem. Ita ille Dauidem prudenter & amicè consolatur. Quòque maiorem verbis suis fidem faciat, interponit etiam iusiurandum; non per Dagonem, aut idolum aliquod Palæstinorum, sed per Deum verum.

Viuit, inquit, *Dominus*, יְהוָה. Sed quomodo inquies, potuit Achis iurare per Deum verum, cum ab eius religione esset alienus. Rab. Kimhi putat, eum dedisse hoc pietati Dauidis. Itaque noluisse eum iurare per Deum suum, sed potius per Deum Iudæorum, quem coli nouerat à Dauide. Atqui id mihi non fit verisimile. Iurare enim per eum, in quem non credas, ludere est, non iurare. Itaque cum Laban & Iacob fœdus, & amicitiam inter se sancirent iureiurando, Laban iurauit per Deum Nachor, & patrum suorum: Iacob autem per timorem patris sui Isaac. Quamobrem eò magis accedo, vt rear Achim iurasse per Deum verum. Neque est absurdum, vt Ethnici prudentiores ex rebus creatis intellexerint, vnum esse principium rerum, & vnum Deum. Nam id & Plato, & Aristoteles, & vtroque antiquior Trismegistus videre potuerunt. Et Paulus ad Romanos ait, Gentes ex rebus visibilibus ad lucem aliquam, & cognitionem veri, & æterni Dei peruenisse. Quod si minus placet hoc

Quo pacto intelligendus sit Achis per Deum verũ iurasse.

A loco, attamen illud negari non poterit, postquã arca à Palæstinis capta esset, & tanquam in triumphum ducta, iisdem insigni popularium suorum strage edita, non leuem veri Numinis metum incussisse. Ex quo deinde sequi potuit, tametsi Dagonem restituissent, nec verum sibi Deum asciuissent, vt tamen eius iram plurimùm formidarent. Quod satis esse quondam duxerunt, vt eius rei quam vererentur, authoritate iuramentum firmarent. Stygem opinor olim deorum nemo coluit. Fingunt tamen poëtæ ne Deos quidem, cum eius aquas testati essent, ausos esse peierare. Sic igitur etiam Achis, quanquam à veri Dei cultu abhorreret, quod tamen eius vim expertus esset, nec fas duceret eundem lacessere: quo fidem faceret, per eius numen iurauit.

Viuit Dominus &c.

B At hîc, inquies, quæstio est non de re ipsa, sed tantum de nomine Dei *Iehoua*. Respondeo primo ex Iudæis illud discere potuisse. Secundò, nomen illud Dei tetragrammaton יְהוָה *Iehoua* in vsu fuisse apud antiquissimos patres. Cum Regio ipsa Cananæorum Cananæos incolas sortita esset, verisimile est ipsum Chanaam, cum illud nomen à maioribus suis accepisset, posteris etiam suis tradidisse. Deinde etiam Abraham, Isaac, & Iacob, aliique Patriarchæ in illa regione peregrinati fuerant. Nec credibile est eos nomen, & cultum veri Dei dissimulare voluisse. Adhæc ibi habitauit Melchisedech Sacerdos Dei, cui Abraham dedit decimas spoliorum, quæ ceperat de quinque regibus. At ille nec dedisset decimas Sacer-

Quo pacto nomen ipsum Iehouah nosse potuit.

C doti idolorum, nec eiusdem sacrificium participare voluisset, nec se denique ab illo passus fuisset benedici. Abimelech quoque Rex Geraræ, cum vellet consuetudinem habere cum vxore Abraham, & postea cum vxore Isaac, admonitus est à Deo vero, ne id faceret. Habebant ergo illi aliquam notitiam Dei: &, vt apparet, non erant ita malis moribus præditi.

Sed contrà in sexto cap. Exodi vers. 3. Deus ita loquitur. *Ego Dominus, qui apparui Abraham, Isaac, & Iacob.* באל שדי *beel sadai, in Deo omnipotente.* Hebraic. in *El*, *Sadai*, quæ duo nomina passim Deo tribuuntur. ושמי יהוה *vsemi Iehouah, & nomine meo Iehoua non cognitus sum eis.* Quare nomen illud *Iehoua* ante Mosem non innotuit. Respondeo quæstio-

Exodi c. 6. non de voce aut syllabis, sed de re significata agitur.

D nem non esse de pronunciatione, aut de flatu, aut de syllabis. Sensus autem verborum illorum hic est: Patres vestri nouerunt me nomine שַׁדַּי *Saddai*. Vox ea significat αὐταρκείας, ἢ ἐπαρκείας, aut cornu copiæ. Cùm pauperes, inquit, essent, ego illos feci diuites: cum essent abiecti, & obscuri, ego eos excitaui ad summam dignitatem & potentiam. Septuaginta, certè, Aquila, & Symmachus, non raro ἱκανὸν, id est *sufficientem*, sæpius tamen παντοκράτορα transtulerunt, hoc est *omnipotentem*. Quod si nonnullis fidem habemus, שַׁדַּי *Saddai* vberrimum designat, cuius bonitas permeat per vniuersas creaturas, dans illis essentiam, vitam, & motum. Quippe & שָׁדַד *sadad* apud eosdem vbertim ac copiosè fundere, largirique significat.

VIVIT DOMINVS,&c. cat. Talé, inquit Dominus, patres vestri nouerũt me. At si vox ea ducatur à vastando vti censet Pagninus, hæc erit sententia: Eripui hostibus illorum fortunas suas, & in illos contuli. Nomine autem *Iehoua* hactenus non nouerunt me. Non quod nomen illud fuisset patribus inauditum: sed quod ex illo effectu Deum nondum nouissent. Effectus autem ille erat de danda terra, quam promiserat, & multiplicando illorum semine. Ista, inquit Deus, patres vestri non nouerunt. Nondum illis hæc promissa feci. Vos autem scietis, quid sit *Iehoua*. Vos enim inducam in terram, quam patres vestri tam diu expectarunt. Veteres ergo nomen quidem Dei *Iehoua* audiuerant: sed ex isto, quem dico effectu nomen illud non nouerant.

Nominis Iehouah accuratior explicatio. Vtque res melius intelligatur, *Iehoua* dicitur ab הָיָה *haiah, fuit*, ו in י mutata: aut certe, vt quidam malunt, ab יהיה *erit*, seu potius אֶהְיֶה *ehiel*, quod est *ero*. Sic enim idem ipse Dominus loquitur Exodi 3. *Sic dices filijs Israël*, אֶהְיֶה *ehieh, ero, ὁ ὢν qui est, misit me ad vos:* quod videtur Ioannes Apocalyp. 1. vers. 4. absolutè magis per tria tempora expressisse, ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος. id est, *Qui est, & qui erat, & qui erit.* Illudque nomen omnium maximè Deo conuenit. Deus enim ita est, vt ab eo essentia redundet in alia omnia, quæcunque sunt, & ab illo pendeant, nec sine eius vi & præsidio possint existere. Postremò, etiam promissa ab illo habent vt vera sint, & præstentur. Itaque nomen illud *Iehoua* propriè attributum est Deo. A cuius vocis similitudine Iupiter quoque cum vellet haberi pro Deo, iussit se appellari Iouem. Rabbini aiunt, literas illas, quibus vox ea conficitur, esse *spirituales*. Et vtique Deus est spiritus. Spiritus autem primùm significabat res incorporeas, aut leuiter corporatas, vt vapores, & exhalationes: quæ res cum videantur esse leues, & tenues, tamen sunt maximarum virium. Ab illis enim excitantur terræmotus, concutiuntur maria, difflantur ventorum turbines. Itaque vox ea postea accommodari cœpta est ad animam humanam, ad Angelos, & ad Deum. Ista enim, cum alioqui tenuia videantur, nec mole constare, res maximas efficiunt. Alij elementa illa, ex quibus scribitur vocabulum *Iehoua*, aiunt esse *literas quietis*. Idque rursus in Deum optime conuenit. Nam cum omnes quæramus felicitatem & quietem, eam tamen nusquam nisi in solo Deo nancisci possumus. Sed de voce hactenus.

Significat ergo *Iehoua* summum ens. Vnde Plato habuit suum illud ὁ ὤν, &, vt res magis sit perspicua, alia Dei nomina ab eius substantia ducuntur, alia ab aliqua proprietate.

Duplex ratio nominum, quæ Deo tribuuntur. Substantialia sunt Iehoua, & אֶהְיֶה. Ea vox, vt dixi, sonat *ero*. Nulla autem creatura dicere potest *ero*. Nam si Deus retrahat vim suam, statim omnia concident. Deus solus ita potest vere dicere, quia destituere seipsum non potest. Alia nomina referuntur ad aliquam Dei proprietatem: vt אֵל *el* ad fortitudinem, קָדוֹשׁ *kadosc*, ad sanctitatem, שַׁדַּי *saddai* ad sufficientiam, aut αὐτάρκειαν. Ista tamen in Deo

A non sunt accidentia: Sed tantum prout nos ea nostris cogitationibus velut distincte ac separatim complectimur. Nam cum Deus sit infinitus, & totum complecti nequeamus, eum tamen ab effectis, & notis quibusdam, aliqua ex parte comprehendimus. Atque inde sunt illa nomina, quæ proprietatem aliquam Dei indicant. Iudæi nescio qua ratione inducti sacrosanctum illud nomen & tetragrammaton non pronunciant: Sed eius loco supponunt אֲדֹנָי *Adonai*, vel אֱלֹהִים *Elochim*; atque ita putant se nomen Dei castius, & reuerentius venerari. Inde factum volunt, vt in translatione Scripturarum Græci pro *Iehoua*, reddiderint *Dominus*. Vt hoc loco, pro *Viuit Iehoua*, ζῇ Κύριος. Et in nouo Testamento, cum Christus ita sæpe appelletur Κύριος, non

B excluditur ea voce eius diuinitas, vt quidam temere garriunt, sed potius constituitur. Certe Thomas vtrumque coniunxit: *Dominus*, inquit, *meus*, *& Deus meus*.

Gentes porro etsi Deum aliquo modo nouerant ex effectis, ipsum tamen vt tanta maiestate dignum fuit, nequaquam colebant, neque veram fidem ad eius cultum afferebant, sed eum potius nefariis ritibus ineptisq; ceremoniis lacessebant. Deinde non expectabant Messiam, in quem omnes Iudæi oculos suos referebant. Adhæc etsi aliquatenus colebant verum Deum, tamen eum colebant cum idolis, & diis suis. Ita Arnobius ait, Gentes sese excusasse, quòd, quamuis sacra facerent multis numinibus, tamen colerent etiam vnum, & verum Deum. Sed Deus no-

C ster zelotes est, & socia numina non patitur. Credibile est, cum vera religio post diluuium apud omnes nationes aliquandiu constitisset, eam postea cœpisse paulatim degenerare, vt vix quicquam vspiam sani relinqueretur. Tum Deus ex omnibus selegit vnum populum, in quo non tantum agnosceretur, sed etiam pie & rite coleretur ad præscriptum suum. Gentes autem aliæ sequutæ sunt singulæ inuentum suum. Non ita tamen, vt nemo prorsus vspiam extra Iudæam relinqueretur, qui Deum nosset. Erat enim Iob, erat Iethro, erant alij quidam pauci. Publice autem vt apparet, post datam legem nusquam cultus est verus Deus nisi in Iudæa. *Notus* enim, inquit Dauid, *in Judea Deus*. Nihil tamen

D obest quin vicini ex nonnulla consuetudine Iudæorum, veri Numinis quod spernerent, saltem nomen discerent, pérque illud iurarent, si quando cum iisdem res illis esset.

Achis autem non tantum Deus fatetur, sed etiam eius agnoscit prouidentiam. Confitetur enim Angelos. Nam Dauidem ait esse apud se instar Angeli Dei. Quod nisi Deus curaret res humanas, quid illi opus esset Angelis? Angeli enim sunt spiritus administratorij. Peripatetici Angelos huiusmodi non fatentur, nisi illas tantum intelligentias, quibus orbes cœlestes conuertuntur. Adhæc fert Dauidi egregium testimonium probitatis & fidei.

VIVIT DOMINVS, &c.

Rectus, inquit, *es, & bonus in oculis meis: ingressus & egressus tuus mecum est in castris.* Hoc est, Nec ad dextram deflexisti, nec ad sinistram: nec transuersum, quod aiunt, digitum ab officio discessisti. Industria tua in rebus gerendis multis modis mihi fuit vtilis, & commoda. *Et non inueni in te quidquam mali.*] Hoc longè maximum est quod ait, nihil se in illo comperisse mali. Multi enim sæpe, etsi aliqua in re sint vtiles, tamen in aliis vitæ partibus habent aliquid vitij. Ita enim in Alexandro, Alcibiade, Mario, Antonio, aiunt vitia cum virtutibus de palma certasse. *Ex die qua venisti ad me vsque ad diem hanc.*] Addit correctionem. Nam Dauid, antequam profugisset, multis modis Palæstinos afflixerat. Tantum Achis Dauidi tribuit. Sed in ea re longè fallitur: Dauid enim non in Iudæos incursiones fecerat, vt ille iusserat, sed in vicinas nationes. Sic quoque Demaratus cum à Xerxe fidei gratia plurimùm commendaretur, & principum suorum suspiciones refelleret, ipse interim erasa cera Regis consilium pugillarium ligno inscripsit, atque iterum cera obducta Lacedæmoniis prodidit. Quam artem, cum hærerent reliqui, prima Gorgo Leonidæ Regis vxor retexit. *Sed Satrapis non places.*] Illi arbitrantur se videre prudentius, quàm me: itaque nolunt te manere in castris.

Herodot. lib. 7. in fin.

VERSVS VII.

Reuertere ergo, & vade in pace, & non offendas oculos Satraparum Philisthiim.

Variæ trãslation.

CHaldæus, *Ito in pace, & non facies malum in oculis tyrannorum Pelisthim.* Septuag. Καὶ νῦν ἀνάστρεφε καὶ πορεύου εἰς εἰρήνην, καὶ οὐ μὴ ποιήσῃς κακίαν ἐν ὀφθαλμοῖς τῶν σατραπῶν τῶν ἀλλοφύλων. *Et nunc reuertere, & vade in pace: & non facias malum in oculis Satraparum Alienigenarum.* Vatablus Laurent. *Et ne committas rem ingratam Principibus Pelisthim.* Vatabl. Salmant. *Nec mali quidpiam designes in oculis Principum Palesthinorum.* In Scholastic. Id est, nec feceris aliquid quod non sit gratum Principibus meis. Alius quidam, *Quamobrem discede cum bona pace, ne quid Palestinos satrapas offendas.* Non nemo præterea, *ne facias quod malum videtur in oculis, &c.* Pagninus, *& non facies malum, &c.*

Et non offendas oculos Satraparum.] Quippe nisi hinc te proripis, in eorum offensionem incurres. non enim ferent æquo animo te diutius in castris versari. Tantisper dum per eos licet, educ maturè copias tuas, téque domum recipe. Libera eos metu; ne quod verentur à te sibi parari malum, id tibi facere occupent. Alij sic interpretantur, *Ne committas rem ingratam Principibus Philist.* Hoc est, Interim vide, ne quid aut dicas, aut facias, quod eos prouocet. Fuit hoc bonum, & vtile consilium. Neque enim est probi viri lacessere magistratum. Aufer te hinc, inquit, primo quoque tempore, dum res est integra: ne quid tibi ab istis creetur periculi. Nam si quid acciderit, quod nolim, me patrono vti non potes. Ita solicitus erat Achis de salute Dauidis. Iosephus aliud quiddam comminiscitur: Achim remisisse Dauidem, vt tueretur fines à finitimorum incursionibus: atque eam fuisse honorificam speciem dimissionis. Principes enim, cum educunt exercitum, relinquere solent aliquem, quem præficiant summæ rerum. Ita Polybius ait Hieronem, cum expeditionem facturus esset in Romanos, deliberasse, quem hoc interim spacio Syracusis præficeret: postremò eum duxisse vxorem filiam Leptinæ hominis potentis, & nobilis, & curam Reipubl. socero suo commisisse. Sed obijcies, Dauidem, cum ita fuisset ablegatus, multò plus damni potuisse dare Palæstinis, quàm si mansisset in castris. Respondeo, Principes alij, cum viderent Achim tantum confidere Dauidi, iussisse, vt eum remitteret in Siceleg: vt si quid ille turbarum dare voluisset, id Achis solius periculo fieret. quid si animum induceret ad Saülem reuerti? Facturum non crediderunt priusquam insigni aliquo hostium incommodo Saüli fidem suam probasset. Quod si faceret, attamen tutius fore rati sunt cum manifesto hoste palàm manus conserere, quàm proditoris clandestinas insidias perferre ac pati.

ET NON OFFENDAS, &c.

Iosephus comminiscitur remissum vt regionis fines tueretur.

VERSVS VIII.

Dixitque Dauid ad Achis: Quid enim feci, & quid inuenisti in me seruo tuo, à die qua fui in conspectu tuo, vsque in diem hanc, vt non veniam & pugnem contra inimicos Domini mei Regis?

Missio triplex.

QVid enim feci?] D. de re militari l. 13. Missionum generales causæ sunt tres: honesta, causaria, ignominiosa. Honesta est, quæ tempore militiæ impleto datur. Causaria, cùm quis vitio animi, vel corporis minus idoneus militiæ renunciatur. Ignominiosa, cùm quis propter delictum sacramento soluitur. Quo loco Macer addit præterea, etsi sine ignominiæ mentione missi sint, nihilominus ignominiâ missi intelliguntur. Quocirca non sine ratione Dauid succensere videtur, & iniuriam hanc cum Rege expostulare. *Quid feci?* Non enim morbi causa ablegor: non quod stipendia impleuerim: sed haud dubiè proditionis insimulor. qua tandem culpa? aut quo meo facinore in suspicionem veni? Grauis quidem hæc contumelia est in quemcunque intorqueas, sed in peregrinum & immeritum grauissima.

In me seruo tuo? Iure se illius seruum vocat, à quo seruatus est. Formula vetus. *Qui se in seruitio alterius obnoxiat. Dum instigante aduersario, & fragilitate mea praualente in casus graues cecidi, vnde mortis periculum incurrere potueram.* Sed

Vt non pugnem, &c. *dum vestra pietas me iam morti adiudicatum de pecunia vestra redemistis, vel pro mea culpa res vestras quàm plures dedistis: & ego de rebus meis, vnde vestra beneficia rependere debuissem, non habeo; ideo pro hoc statum meum visus sum vobis obnoxiuisse, ita vt ab hoc die de vestro seruitio penitus non discedam.* Hac legis formula Dauid videri potuit seipsum Palæstinorum Regi addixisse, si ita pepigisset: nunc autem seipsum obsequio ac beneuolentia, non conditione seruum nominat.

Vt non pugnem contra inimicos Regis.] Munsterus hæc habet in Annotat. Sed nunquid ex animo Dauid voluit pugnare contra populum suum Israel? Respondet Ben-Gerson, quod quidem tenebatur cum Achis domino suo, in cuius ditione cum suis morabatur, egredi: sed interim poterat suis magis prodesse quàm obesse, infatuando scilicet consilia Philisthinorum, & in periculis monendo Israëlitas: Id quod Satrapæ Philisthinorum aduertere facilè potuerunt. Hæc ille. Quem miror, quamobrem Dauidem obtemperare magis debuisse iudicet, quã seruare fidem. Quod si non officio, sed necessitate coactum fuisse Dauidem intelligat, vt Achis signa sequeretur: Haud dubitem vera sentire: quippe qui si detrectare visus esset imperium, statim in periculum incideret. Sed Achim nego aut Dauidis dominum iure fuisse, aut eidem imperare potuisse, cùm vitæ necisque potestatem Iudæis Deus in Palæstinos à principio tribuisset, & illi de facto magis quod aiunt & per vim, quàm iure Palæstinam hactenus occuparent. Quod autem potuerit hostium consilia perturbare, si fortè ab iis eius sententia rogaretur, non abhorret à verisimili. At quod eadem Israëlitis proderet, non arbitror temerè facturum; cùm Saulem ipsum non minus cauere debuerit, ne hostibus indicem patefaceret, dum eundem studet omni ratione tollere. Hæc est itaque Rab. Ben-Gerson sententia, Dauidem manere voluisse in castris, vt frustraretur consilia Palæstinorum, eàque indicaret suis. Postea certè, cum Absalon à patre desciscens seditionem concitasset, summisit Chusai Arachitem, qui consilia Achitophelis eluderet. An autem Dauid hoc tempore talem sibi rationem propositam habuerit, viderit Ben-Gerson: Ego quid de illius voluntate sentiendum sit suprà capit. 28. vers. 2. fusè disputaui. Quod huc attinet, verisimilius est, Dauidem, cum videret, se iam esse extra periculum, tantò confidentius ista de se prædicasse. Nam cum nesciret, Saulem tam citò esse moriturum, & videret fieri posse, vt Palæstini vincerentur, & ipsi necesse esset diutius hærere in exilio, omninò iudicauit, gratiam Achis regis sibi retinendam esse.

Rab. Ben-Gerson.

Vt non pugnem contra inimicos Regis.] Haud dubiè latet anguis in herba, seu potius amphibolia in verbis illius. Nam quo pacto credi possit ferro ciues perdere voluisse, cum vir Ethnicus tametsi pulsus ciuium inuidia, ante mortem sibi consciuerit quàm illum rex, cuius ope ac præsidio vitam fouebat, cum patria

A committeret. Themistocles, inquit Volaterranus Anthropologia lib. 20. Atheniensis, Nicoclis filius, prodigus ac lasciuus prima iuuentute, postea dux delectus res inclytas gessit. Piræum ædificauit: bello maritimo Persas apud Salaminem vicit: tandem ciuium inuidia exul ad Artaxerxem confugit; à quo cum pugnare compelleretur inuitus aduersus patriam, recente tauri sanguine hausto seipsum necauit.] At non erat, inquis, Dauid sibi manus allaturus, cum id nosset diuina lege prohibitum. Esto: fugere tamen nemo prohibuit.

Vt non pugnem, &c. Volaterra.

Vrges, erant igitur hæc verba meri adulatoris. Sunt enim adulatores, qui verba sua attemperant ad gratiam eius, cui assentantur, commodi alicuius causa. Est enim adu-
B latio, cum dictis factisque nos accommodamus ad alterius voluntatem, idque fictè, non verè, vt aliquid ab eo commodi consequamur. Qui ita sunt, omnia simulant, & prorsus pendent ex vultu & voluntate alterius. Neque tantum loquendo peccant, sed etiam sæpè tacendo. Ducitur vocis etymologia à δουλεύω: est enim prorsus seruile, & illiberale. Sanctus Chrysostomus homil. 5. ad Philipp. Adulatio, inquit, est, cum colimus aliquem, propter quæ colendus non est, vt auferamus ab eo aliquid boni temporarij. Idem Homil. 20. in I. ad Thessalonicens. Adulationem ait esse, cum aliquid parum virile tacimus, vitandi mali gratia. Nam si quid loquamur ad gratiam, non tamen simulatè, aut fictè, vt aliquem lucrifaciamus Christo, ea non est adulatio. Nam Pau-
C lus ipse, quamuis dicat, se non *cupere hominibus placere, sed Deo:* & addat, *Sermonem suum non fuisse per κολακείας*, tamen ad Corinthios ait, *se omnibus omnia factum esse, Iudæis Iudæum, illis, qui erant sub lege, tanquam si ipse quoque sub lege esset, denique omnia omnibus, vt omnes lucrifaceret.* Sed ea non erat adulatio. Ea enim, vt dixi, est, cum non verè nec syncerè, sed fictè accommodamus nos ad alterius voluntatem, vt reportemus aliquid commodi temporarij. Atque ita adulatio distinguitur à comitate Christiana. Dauid ergo, inquis, turpiter adulatur Achi, idque astutissimo genere adulationis. Nam Plutarchus in libello, *Quomodo discernendus sit adulator ab amico*, cum ait esse tectissimum adulatorem, qui, cum maximè adu-
D letur, tamen eam præ se ferat speciem libertatis, vt possit videri non adulari: sed potius refragari. Nam illa crassa, Ait, aio, negat, nego, omnes facilè odorantur. Plato verò ait, nocentissimum esse genus iniustitiæ, si quis iniustitiam suam ita tegat, vt videri possit iustus. Dauid ita adulatur, vt videri possit velle refragari Regi, & vel inuito reportare gratiam. Hoc est, in re iniusta speciem ostentare iustitiæ. Fingit enim se velle omnem suam operam, & industriam nauare Regi: & animo iniquissimo accipere, quod ita dimitteretur. Hodie planè in aulis Principum, nulla est via procliuior ad honores, quàm si quis ita se instituat, vt omnia omnibus aduletur. Dauid simulat se & molestè discedere, & cupidè voluisse manere. Simulat,

Assentator describitur.

S. Chryso.

Plutarch.

inquam, neque enim ita sensit. Nam si pugnasset fuisset impius erga suos: si non pugnasset, fuisset ingratus erga hospitem. Hæc ferè sunt argumenta aduersariorum qui Dauidem oppugnãt, nec tamen audẽt eundẽ statuisse asserere, vt in Iudæos incurreret, quos superior. ca. ver. 2. refutauimus. Quanquam postremum illud dilemma Procopius paulo secus intorquet. Θείας ἦ τῶν, inquit, προνοίας. Diuinæ prouidentiæ consilium illud Palæstinorum tribuendum est. Vel enim inquit, pugnasset contra populum Israëliticum, & sic suorum sanguine se contaminasset: Vel non deseruisset laborantem populum, sed maximam cum populi, tum etiam Saulis, curam habuisset, ἐν ἴσῃ παθῶν. Sed hunc dare pœnas impietatis suæ oportuit.] Ingratum futurum non dixit Procopius, tametsi Dauid Achim opprimeret: non enim reuera hospes, sed hostis erat infensissimus. Quippe ea lege Dauidem acceperat, vt suis noceret. Quinetiam ne sic quidem tutò satis apud eum fore videbatur, cum iam proditor audiret, nec satis eius fidei satrapæ confiderent. Achis tamen præsidio, inquis, vitam tuebatur. Tantisper aio dum eundem putat grassari in suos: qua ratione lædebat potius quàm vllo beneficio afficeret. Etsi verò quandoque hostes prodesse cõtingat, nullam tamen à nobis gratiam ineunt. Neque verendum est, ne si nos in posterum iisdem nocuerimus, ingrati habeamur. Non enim tam spectandum est quid ipsi nonnunquam conferant, quàm eorundem animus: captant siquidem illecebris quos perdere moliuntur. Statuerat Achis Dauidis opera regnum Israël euertere. Hoccine quæso beneficij loco, an magis iniuriæ haberi debuit? An ingratus hospes qui feram hanc belluam insidiis, oppressisset? Sed iam reliqua quæ ab aduersariis obiecta sunt, pariter diluamus.

Procopius.

Dauid ingratus videri nõ potuit, tametsi Achim in summo Reipublic. suę discrimine oppumeret.

Respondeo paucis quacúnque ab aduersariis in assentationis vitium grauiter & acerbè dicta sunt, ea probare me, negare tamen eadem in filium Isai vlla ratione quadrare. Fictè, inquis, ac simulatè loquutus est. Respondeo, quomodo licuit vt hostem falleret. Cum enim in vitæ discrimen incurrisset, & præsens ab hoste periculum impenderet, fas fuit ita verum diceret, vt tamen aduersario nocendi ansam non præberet. Ad gratiam, inquis, loquutus est. Si vere, cur succenseas? Temporalis, inquis, incommodi fugiendi gratia. Quid tum? An non igitur vt vitam serues non modò dicere, sed etiam facere liceat quod hostis probet, tantisper dum à veritate atque iustitia non abhorreat? At finxit. Fingere semper licuit: Sed quod nefas est, mẽtitum doce. Dixit, inquis, dolorem simulans quamobrem ablegor vt non pugnem contra inimicos Regis? Esto. Cuius Regis? Achis inquis. Cedo scripturam, quæ sic loquitur. Nulla est. Non ergo Achim, sed Saulem se dicere intellexit, pro cuius capite toties iam antea dimicauerat. Quocirca amphiboliam hoc loco agnosce, non adulationem, aut mendacium: quam antea sæpius cum bono & æquo consentire decreuimus. Sed quo res tota magis liqueat, quæram iterum.

Assentationis suspicio refellitur.

De facto Dauidis quid sentiendum sit: & num absque peccato cum fratribus potuerit cominus in acie pugnare.

QVÆSTIO CXXXIV.

HAnc fuisse Dauidis mentem non ambigo, vt à quibus populabundus abstinuerat, ab eorum cæde in prælio temperaret. Et quidem Regi, cui se toties olim ad necem quærenti pepercerat, quo pacto nunc videri potuit manus afferre velle, cum ex officio salutem populi defenderet? Absit à generosa & innocentissima illa anima tam dispar & sceleratum consilium, vt cuiusquam sanguine, qui Deum coleret, machæram suam cruentaret: quin potius cùm Dei prouidentiam iam toties expertus esset, quæ nouit ea quæ perturbata sunt, suauiter ad pacem componere, cultorésque suos inextricabilibus difficultatum labyrinthis commodè explicare: respondit quod æquissimum videretur pro conditione temporum, tametsi tum probe intellectum non est ob aliquam orationis ipsius amphibologiam. Siquidem *ire, pugnare, inimici, Dominus meus rex*, pro alterutro vsurpari poterant. Non est autem dubium quin Achis in fauorem suum interpretatus sit, cùm tamen ea omnia tribueret vir officij memor in Christum Domini, obsequio regis Israëlitarum. Quomodo verò his vitam eriperet, quorum opibus pepercerat? Quandoquidem autem iam certo consilio Deus decreuerat cõtumaci Regi imperium abrogare, atque adeò proximo certamine cum filiis interimendus erat: idcirco illi prælio defensorem adesse noluit. Sed & illud spectauit, ne quâ vel tenuissimâ labeculâ apud exteras gentes designati Regis existimatio læderetur: apud quas tametsi illius fides nullo iuramenti pignore obligata erat, attamen hominum opinioni ac famæ seruiendum fuit, & fidelitatis iura minime violanda. Nam qui Dauidem temerè violatæ fidei arguunt, docere primùm debuerant qua Sacramenti formula oppignerata fuisset.

Noluit Dauid cũ suis ciuibus iniquo certamine confligere.

Quàm porrò detestandum sit atque execrandum facinus, hostibus fidei in Catholicos grassantibus auxiliari, Tertullianus De corona militis cap. 11. non sine stomacho exaggerat. Credimusne, ait humanum Sacramentum diuino superduci licere, & in alium Dominum respõdere post Christum, & eierare patrem ac matrem, & omnem proximum, quos & lex honorari, & post Deum diligi præcepit? Hos & Euangelium solo Christo pluris non faciens, sic quoque honorabit? Licebit in gladio conuersari, Domino pronunciante *Gladio periturum, qui gladio fuerit vsus*? Et prælio operabitur filius pacis, cui nec litigare conueniet? Et vincula, & carcerem, & tormenta, supplicia administrabit, nec suarum vltor iniuriarum? Iam & stationes aut alij magis faciet quàm Christo? aut & Dominico die, quando nec Christo?

Tertullian.

Formula Sacramenti militaris hæc fuit, vt miles eierare patrem, matrem, ac proximum.

Et

Vt non pugnem, &c. — Et excubabit pro templis, quibus renunciauit: & cœnabit illic, vbi Apostolo non placet? Et quos interdiu exorcismis fugauit noctibus defensabit, incumbens, & requiescens super luncho, quo perfossum est latus Christi? Vexillum quoque portabit æmulum Christi? & signum postulabit à Principe, qui iam à Deo accepit? Mortuus etiam tuba inquietabitur æneatoris, qui excitari à tuba Angeli expectat? Et cremabitur ex disciplina castrensi Christianus, cui cremare non licuit, cui Christus merita ignis indulsit? Quanta alia in delictis circunspici possunt castrensium munium, transgressioni interpretanda? Ipsum de castris lucis in castra tenebrarum nomen deferre, transgressio est. Planè si quos militia præuentos fides posterior inuenit, alia conditio est, vt illorum quos Ioannes admittebat ad lauacrum; vt centurionum fidelissimorum, quem Christus probat, & quem Christus catechizat: dum tamen suscepta fide atque signata, aut deserendum statim sit, vt multis actum: aut omnibus modis cauillandum, ne quid aduersus Deum committatur, quæ nec ex militia permittuntur; aut nouissimè perpetiendum pro Deo, quod æquè fides pagana condixit. Nec enim delictorum impunitatem, aut martyriorum immunitatem militia promittet. Nusquam Christianus aliud est. Vnum Euangelium, & idem Iesus: negaturus omnem negatorem, & confessurus omnem confessorem Dei: & saluam facturus animam pro nomine eius amissam, perditurus autem de contrario aduersus nomen eius lucri habitam. Apud hũc tam miles est, paganus fidelis: quam paganus est, miles infidelis. Non admittit status fidei allegationem necessitatis. Nulla est necessitas non delinquendi, quibus vna est necessitas non delinquendi. Hæc & plura Tertullianus.

1. ad Cor. 8.

Lucæ 3. Matth. 8. Act. 10.

Matth. 10.

Ludit in voce *Paganus*, quæ sicut primò *non militem*, sic postea *non Christianũ* significauit.

Quæ si quis accuratè perspexerit, nec populari, vt aiunt, trutina, sed aurificis statera rationes eius expenderit, neutiquam eundem arbitror in castris hæreticorum deinceps posse mereri. Nam tot difficultates paucis complexus est, tot breuia & syrtes in his latere nos docuit, & fidei militantium insidiari; vt fieri vix possit, quin in aliquem ex his scopulum impingas, & oneris iacturam facias. præterquam quod ipsa per se militia naufragium est, si hæresis patrocinium suscipias; ita prorsus vt detrectare eiusmodi militiam non tam prudentia habenda sit, quàm mera necessitas. Nam si propter admixtam fraude dæmonis Romanæ militiæ muneribus superstitionem, milites Christianos martyrij necessitate constringit, quo non supplicio dignus erit, qui spreta animæ suæ salute, atq; adeò religione pessundata, in eam se militiam patietur ascribi, cui non qualiscunque superstitio admixta est, sed tota ipsa impietas est, & vnum habet sibi scopum propositum, nimirum synceræ atque Catholicæ Religionis interitum?

Qui hæresis patrocinium suscipit, Christũ abdicat.

A

VERSVS IX.

Respondens autem Achis, loquutus est Dauid: Scio quia bonus es tu in oculis meis, sicut Angelus Dei: sed Principes Philisthinorum dixerunt: Non ascendet nobiscum in prælium.

Scio quia bonus es tu, &c.

Scio quia bonus es tu sicut Angelus Dei.] Egregium planè testimonium, & quidem ab eo qui foris esset, quod olim in futuris Episcopis Apostolus desiderabat. *Sicut*, inquit, *Angelus Dei*. Non enim cum suis cũ conferre ausus est, qui suo iudicio non ijs tantùm, sed etiam reliquis hominibus virtute ac modestia longè præ-B stabat. Quantũ porrò Christiani veteres priscæ Philosophiæ sectatoribus doctrina atq; pietate præluxerint, multis ostendit Tertull. Apolog. cap. 46. quo loco à Dei cognitione orationem auspicatus, reliquas subinde virtutes pari stylo persequitur. Quid enim, ait, Thales ille Princeps Physicorum sciscitanti Crœso de diuinitate certum renuntiauit, commeatus deliberandi sæpè frustratus? Deum quilibet opifex Christianus & inuenit, & ostendit, & exinde totum quod à Deo quæritur, re quoque assignat: licet Plato affirmet factitatorem vniuersitatis, neque inueniri facilem, & inuentum enarrari in omnes difficilem. Cæterùm si de pudicitia prouocemus, lego partem sententiæ Atticæ in Socratem corruptorem adolescentium pronuntiatam. Sexum nec fœmineum mutat Christianus. C Noui & Phrynen meretricem Diogenis supra recubãtis ardorem sudantem. Audio & quendam Speusippum de Platonis schola in adulterio perijsse. Christianus vxori suæ soli masculus nascitur. Democritus excœcando semetipsum, quod mulieres sine concupiscẽtia aspicere non posset, & doleret, si non esset potitus, incontinentiam emendatione profitetur. At Christianus saluis oculis fœminam videt, animo aduersus libidinem cœcus est. Si de probitate defendam, ecce lutulentis pedibus Diogenes superbos Platonis thoros aliâ superbiâ deculcat: Christianus nec in pauperem superbit. Si de modestia certem, ecce Pythagoras apud Tyrios, Zeno apud Prienenses tyrannidem affectant: Christianus verò nec ædilitatem. Si de D æquanimitate congrediar, Lycurgus apocarteresin optauit, quod leges eius Lacones emendassent: Christianus etiã damnatus gratias agit. Si de fide comparem, Anaxagoras depositum hostibus denegauit: Christianus etiam extrà fidelis vocatur. Si de simplicitate consistam, Aristoteles familiarem suũ Hermiam turpiter loco excedere fecit: Christianus nec inimicum suum lædit. Idem Aristoteles tam turpiter Alexandro regendo potius adulatur, quàm Plato à Dionysio ventris gratia venditatur. Aristippus in purpura sub magna grauitatis superficie nepotatur. Et Hippias, dum ciuitati insidias disponit, occiditur. Hoc pro suis omni atrocitate dissipatis, nemo vnquam Christianus tentauit, &c. Sed dicet aliquis, etiã de nostris excedere quos-

Tertull. Christiani Philosophos, quod ad virtutem spectat, longo interuallo superarunt.

Ἀποκαρτέρησις, de eo vsurpatur, qui præ dolore animi vitam in secessu, vel inedia, vel laqueo finit. Inediã intelligit, vt sup. c. 4.

SCIO QVIA BONVS ES TV, &c.

dam à regula disciplinæ. Desinunt tum Christiani haberi penes nos. Philosophi verò illi cum talibus factis in nomine & honore sapientiæ perseuerant. Hactenus Tertull.

Scio quia bonus es tu in oculis meis.] Pauci interpretantur, *Quia places, quia gratus es in oculis meis.* Reliqui Vulgatum imitantur. Græci, Οἶδα ὅτι ἀγαθὸς σὺ ἐν ὀφθαλμοῖς μου, *Scio quia bonus tu in oculis meis.* Bonus Hebræis, טוב *tob*, Græcis ἀγαθός. Suidas, ἀγαθός, ὁ φρόνιμος. Bonus, prudens.

Suidas.

Bonum Categorias omnes cōplectitur.

Haud tamen pariter eademque ratione dicitur prudens, & bonus. Nam boni vocabulum latius patet. Ἀγαθὸς γὰρ, ὁ σώφρων, ὁ ἀνδρεῖος, καὶ οἱ λοιποὶ ἀγαθοὶ λέγονται. Nam bonus dicitur temperans, fortis, & quicunq; est aliqua virtute præditus. Rerum item periti, & qui bellica virtute præstant. Ipsum verò bonum, siue ἀγαθὸν, ὁμώνυμός ἐστι φωνή, quę nomen quidem vnum & idem habet: sed multa significat. Nam decem genera, siue decem categoriæ de bono dicuntur. Singillatim ostendit. Nam οὐσία, siue essentia, τὸ ἀγαθὸν quid bonum dicitur, vt Deus, mens. Τὸ ποσὸν *Quantum* quoque bonum dicitur, quod neque deficit, neque redundat. Τὸ ποιὸν *Quale* corporis atque animi ornamentum est. Λέγεται δὲ καὶ ὡς πρός τι, dicitur & *Ad aliquid*, siue quod refertur. τὸ γὰρ σύμμετρον, οὕτως ἀγαθόν, Quod enim commensum habet, quam Græci συμμετρίαν vocant, sic bonum censetur. Ποιητικὸν *Efficiens* boni hoc quoque bonum appellatur, vt medicina bona, cibus bonus. Καὶ ἐν τῷ πάσχειν In ipso etiam *Pati*, vt doceri, curari. Καὶ ἐν τῷ ποῦ, In ipso *Vbi*, locus enim plerunque ad corporis atque animi valetudinem confert. Templorum quoque sedes optima, asylorum tutissima. Τὸ γὰρ ἐν τῷ προσήκοντι καιρῷ γινόμενον, ἀγαθὸν λέγεται, Quod item opportuno fit *Tempore*, bonum est. Ἐν τῷ κεῖσθαι, in Categoria *Situm esse*. Quippe iacere in lecto, febricitanti bonum est. *Habere* quoque arma, & lorica indutum esse in acie, bonum est. Hæc Suidas.

Substantia.
Quantitas.
Qualitas.
Relatio.
Actio.
Passio.
Vbi.
Quando.
Situm esse.
Habere.

Talis porrò Dauid Achi visus est, qui numeris omnibus absolutus, bonus haberetur. Nam & corpore & animo valebat, & præstabat quoque corporis mole egregia: sed & corporis atq; animi robore ac virtute pollebat. Seruus etiam apparebat optimus, qui dominum suum singulari fide coleret. Agebat autem prædas, & nouas in dies cōuectabat, quibus Achis ditaretur. Obedientia porrò tanta videbatur, quantā optaret, quæ domi militiæq; hoc est, vbiq; proba retur: nec id breui aliquo tempore, sed à prima die qua ad eum confugerat. Situs etiā Dauidis illi ex voto contigerat, cùm hactenus fines tueri crederetur. Ipse porrò armorum habitus, & telis egregiè instructa cohors, supra modū eiusdem oculis arridebat, quòd victoriā præ se ferre atque ominari videretur. Talis Achi Dauid *vir bonus* visus est, non qualem parcè nimis Iurisconsulti describunt, quemlibet minimè astutum ac fallacē patremfamilias, qui sit idoneus, ac diligens, & integræ vitæ atq; existimationis. *Bonus vir est*, inquiunt, *qui ductu naturæ, infallibile iudicium conscientiæ sequitur, semotis affectibus alterutrius partis.* Sic boni viri mentionem facit Labeo *in L. insulam vno pretio. §. l. ff. locati.* & Iustinianus eodem modo definit *Nouel. 17. Mandata Principis. §. ἔξεστι δ.* Consule Prateiū. Horatius ex eorum autoritate,

Vir bonus quis Iurisconsult.

SICVT ANGELVS &c.

Horatius.

Vir bonus est quis?
Qui consulta patrum, qui leges iuraque seruat:
Quo multæ magnæque secantur iudice lites,
Quo responsore, & quo causa teste tenentur.

Non his finibus hoc loco Achis virum bonum circumscripsit: sed quod sibi vtilis foret, & fidem seruare, seu potius res suas agere videretur, idcirco Dauidem bonum nuncupauit.

De Angelis custodibus Ethnicorū sententia.

Sicut Angelus Dei.] Romana edit. LXX. Interpret. non agnoscit. Quidam exponit, *Secundè fluunt omnia vbicunque ades.* Alius vertit, *Quàm si diuinus esses Genius.* *Genios* (quos & *præstites*, quòd actionibus humanis præsint, vocat Martianus Felix) *hominum custodes* cum Hesiodo credidit omnis antiquitas, ita dictos, quoniam à genitura vnicuique adsocientur, quos à Virgilio etiam *manes* appellari autumat Seruius. De his nonnulla habet quæ ad Constantium Imperat. pertinent Ammianus, quæ idcirco referam, quoniam cùm Infidelis esset, ea ex Paganorum fontibus hausit, atq; expressit. Nocturnis, inquit, imaginibus terrebatur, & nondum penitus mersus in somnum, vmbram viderat patris obtulisse pulchrum infantem: eumque susceptum & locatum in gremio suo, excussam sibi proiecisse longius sphæram, quam ipse dextera manu gestabat. Id autem permutationem temporum indicabat, licet interpretantes placentia respondèrent. Posthęc confessus est coniunctioribus proximis, quod tanquam desolatus secretum aliquid videre desierit, quod interdum adfuisse sibi Squalidius æstimabat: & putabatur Genius quidam tutelæ salutis appositus eum reliquisse, mundo citius digressurum. Ferunt enim Theologi, in lucem editis hominibus cunctis, salua firmitate fatali, huiusmodi quædam velut actus rectura numina sociari, admodum tamen paucissimis visa, quos multiplices auxere virtutes. Idque & oracula & autores docuerunt præclari: inter quos est etiam Menander Comicus, apud quem hi senarij duo leguntur:

Ammianus Marcell.

Menander.

Ἅπαντι δαίμων ἀνδρὶ συμπαρίσταται
Εὐθὺς γενομένῳ, μυσταγωγὸς τοῦ βίου.

Addam & duos sequentes ex Clemente Alexandr. Stromat. lib. 5.

Ἀγαθός. κακὸν γὰρ δαίμον' οὐ νομιστέον
Εἶναι, βίον βλάπτοντα χρηστόν.
Mortalium cuilibet nato simul
Vitæ custos, rectorque Genius iungitur
Bonus. Nam malum non par est credere dæmonem
Esse, vt bonam lædat vitam.

Arrianus.

Menandri sententiam Arrianus in Epicteti libro primo, capite decimo quarto: Ἐπίτροπον ἑκάστῳ παρέστησε, τὸν ἑκάστου δαίμονα, καὶ παρέδωκε φυλάσσειν αὐτὸν αὐτῷ. καὶ τοῦτον ἀκοίμητον καὶ ἀπαραλόγιστον. Constituit, inquit, tutorem suum cuique dæmonem, & seruare quemque suum sibi iussit. Genio porrò neque fraus, neque somnus obrepit. Sequitur deinde apud Marcellinum. Itidem ex sempiternis Homeri carminibus intelligi datur, non deos cælestes cum viris fortibus colloquutos,

SICVT ANGELVS DEI, &c.

quutos, nec adfuisse pugnantibus, vel inuisse, sed familiares genios cum ijsdem versatos: quorum adminiculis freti præcipuis Pythagoras enituisse dicitur & Socrates, Numaque Pompilius, & superior Scipio; & vt quidam existimant, Marius, & Octauianus, cui Augusti vocabulum delatum est primo: Hermesque Termaximus, & Tyanæus Apollonius, atque Plotinus, ausus quædam super hac re disserere mystica, altéque monstrare, quibus primordijs hi genij animis connexi mortalium, quas tanquam gremijs suis susceptas tuentur, quoad licitum est, docentque maiora, si senserint puras, & à colluuione peccandi immaculata corporis societate discretas. Hactenus de Genijs Marcellinus ex opinione & schola Gentilium. An igitur ad hos respectum habuisse Achim interpretabimur? An potius quæ de nuntijs deorum Mercurio & Iride à Poëtis finguntur inaudiuisse? Sed nouisset Mercurium furti quoque & mendacij ab ijsdem insimulatum esse. Crediderim potius Palæstinos de Angelis ab Israëlitis edoctos esse, aut certè Regem vulgi opinionem sequutum, quæ veterum studio propagata, ad ea vsque tempora manarit.

Ingens laudis titulus cum Angelo conferri.

Bonus es tu sicut Angelus Dei. Illi, inquit, Achis, te non ferunt. At bono animo es. Ego potentior sum illis omnibus. Cede tantisper, dum ira Principum deferueat. actutum parta victoria securè tuum mihi studium probabis, teque solitâ beneuolentiâ complectar. Tu siquidem mihi es instar angeli Dei. Hoc est, Ego te habeo pro homine diuinitùs ad me misso. Est ista magna laus Dauidis. Eum enim Achis, C non cum hominibus confert, sed cum angelis. Τὸ γὰρ χρηστῶς πράττειν ἀγγέλοις συμπέφυκεν. At probè agere angelis innatum est, inquit sanctus

S. Isidorus Pelusiota.

Isidorus Pelusiota libro primo, epist. 163. Quippe qui ad benè agendum suopte ingenio ferantur, & difficultatem prætereà nullam patiantur, nec vllis denique dolis aut insidijs circumueniri possint.

Prima ratio quamobrē Angeli bona agere studeant.

Primùm enim Angeli ea mentis acie valent, vt earum rerum quæ agendæ sunt, nulla eos prætereat. Nam cùm eas explorant singulari ingenij acumine, tum easdem in limpidissimo
2. diuini Verbi speculo contemplantur. Sunt egregia prætereà voluntate præditi, qualis ab initio ijsdem à Deo insita est: quam subinde geminæ charitatis, qua Deum & homines complectuntur, æstus incendit. Sic prorsus, vt bonorum quidem semper desiderio ardeant, ma-
3. lum autem vbique auersentur. Accedit adhæc, quod ita Deum Opt. Max. velle intelligunt: cui summo studio parere student, eumque ha-
4. bent fructum iucunditatis suauissimum. Sed nec illud ignorāt, à Deo institutos se esse *administratorios spiritus, propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis*, quos suo consilio regere, ac præsidio tueri debeant, & si qui hostes in eos incur-
5. rant, eorundem impetum retundere. Hunc porrò vident hierarchiæ suæ finem esse, ac totius sacri ordinis scopum, vt quamplurimos ope iuuent, cælesti luce collustrent, & ad numinis cultum ac religionem beneficijs alliciant.
6. Addit calcar sponte currentibus, quod dū plu- A ribus faciunt benè, eò magis diuinam gloriam ac laudem, quam summoperè expetunt, pro-
moueant. Adde his, quod suos numeros exple-
re gaudent, & cæli ruinas sarcire. Nec verò mi- 7.
rum cuiquam videri debet, si quos sperant olim 8.
se regni consortes habituros, nunc de ijsdem
benemereri gestiant. Hominem prætereà vt ni-
tidissimum quoddam numinis speculū intuen- 9.
tur, & in eo expressam Domini sui speciem atque imaginem suspiciunt, cuius idcirco amore flagrant, & eundem singulari beneuolentia
prosequuntur. Deniq; vbi horum quemquam 10.
ad portum feliciter appulisse contigit, tum liquida illos voluptas circumfluit, ac mera lætitia perfundit, & tanquam parta victoria triumphant. Idcirco tantisper dum periclitantur, ijsdem impensiùs fauent.

B Quamobrem autem non faciant? Neq; enim 11.
hoc interim spatio dum nobis adsunt, dum ad pietatem iuuant, dum in periculis opitulantur, vllam felicitatis suæ iacturam sentiunt. nullum opus eam concutit, nullus locus interpellat, beatos Deus, qui semper & vbiq; est, semper &
vbiq; præstat. Ex quo proinde sequitur, vt sibi 12.
quidem nihil quærant, cùm summo bono affatim satientur, boni verò quicquid moliantur, ipsi suæ actionis emolumentū ad vtilitatem no-
strā conferant. Sed nec illud vereri possunt, ne 13.
dum impensius saluti nostrę student, vllius scelere violentur. nam neq; lædi vlla ratione pos-
sunt, neq; vlla ex causa molestiā affici. Adhæc, 14.
nullis animi perturbationibus conflictantur: non ira, non odio, non simultate aliqua, aut cupiditate, non vlciscendi libidine flagrant, quæ eosdem à beneficentiæ studio auocet. Norunt enim mobile hominis ingeniū, nec paucos diuturna pertinacia cœcatos ad pœnitentiam tan-
dem aliquando inflecti. Norunt prætereà, nul- 15.
lius siue dæmonis, siue hominis tantas vires esse, quæ suos conatus prohibere possint. Vni Deo cedunt: in cuius decretis miro omnes ve-
lut animorū concentu acquiescunt. Adde quod 16.
nec instar hominū, machinarū operosa mole indigeant, quibus ea quæ ceperint, perficiant: imperio siquidē & nutu vbi visum erit corpora mouent, instrumenta non adhibent: quorū nos sæpè inopia in ipso conatu destituit, & cœpta nostra disturbat. Habes hinc promptā atq; ex-
peditam agendi rationem, ac perinde etiam, vt 17.
existimare possumus, summā efficiendi vim atq;
D potentiam, quam morari aut impedire nulla vis possit. Quis enim liberæ voluntatis nutū cohi-
beat? Solus Dei legibus obnoxia manet. Hinc 18.
postremò etiam colliges, Angelum beneagendo defatigari non posse, cùm beneagendo non laboret, sed animo duntaxat libens obsequatur suo.

Cùm itaque Angelus ad benefaciendum tot habeat inuitamenta naturæ, tot gratiæ stimulis vrgeatur, nec vllam in agendo difficultatem experiatur, atque adeò strenuè atque impigrè de humano genere promereri studeat, iure ac merito si quem bonum ac beneficium, & salutarem prædicare voluerimus, secundum quandam analogiam cum Angelo conferemus. Quæ autem in nos beneficia conferant, quibusque

munijs in procuranda nostra salute exerceantur, sedulò collegit Serarius in libro Tobiæ. Quod autem ait, *in oculis meis*, perinde est ac si dicat, *meo indicio*.

SED PRINCIPES, &c.

Sed Principes Philist. dixerunt, Non ascendet nobiscum.] Apparet eum terrorem panicũ fuisse. Siquidem olim tam grauiter & acerbè in transfugas reduces animaduertebatur, vt eis longè satius fuerit quamlibet sortem apud hostes experiri. Testis Tarruntenus Paternus *l. 7. D. De re militari.* Proditores, inquit, transfugæ plerunque capite puniuntur, & exauctorati torquentur: nam pro hoste, non pro milite habentur. Et Modestinus *ibid. l. 3. §. 10.* Is, qui ad hostem confugit, & redijt, torquebitur, ad bestiasque, vel in furcam damnabitur, quamuis milites nihil eorum patiantur. Veruntamen sequutis temporibus, vt autor est Arrius Menander *ibid. l. 5.* qui transfugit, & postea multos latrones adprehendit, & transfugas demonstrauit, posse ei parci Diuus Hadrianus rescripsit. Admonet tamen ei pollicenti ea, nihil permitti oportere. Itaque Palæstini non sine ratione aliqua se proditum iri timuerunt, cùm necdum leges illæ Rom. seueriores rogatæ essent, aut Iudæis innotuissent, & credi posset Saul in hoc tam ancipiti certamine salutis suæ rationem habiturus.

Transfugæ reduces olim malè habiti.

VERSVS X.

Igitur consurge manè tu, & serui domini tui, qui venerunt tecum: & cùm de nocte surrexeritis, & cœperit dilucescere, pergite.

VERSVS XI.

Surrexit itaque de nocte Dauid ipse, & viri eius, vt proficiscerentur manè, & reuerterentur ad terram Philisthijm: Philisthijm autem ascenderunt in Iezrahel.

A CHaldæus, *Et nunc anticipa in aurora: & anticipauit Dauid in aurora, &c.* Nam in reliquis cum Vulgato consentit apud Complutenses. Pagninus, *Et nunc surge: & surrexit.* Arias, eleganti voce, *Et nunc manica in mane, & manicabitis: & manicauit David, &c.* Septuaginta Complut. Καὶ νῦν ὄρθρισον τὸ πρωῒ σὺ καὶ οἱ παῖδες τοῦ κυρίου σου οἱ ἥκοντες μετὰ σοῦ, καὶ πορεύεσθε εἰς τὸν τόπον οὗ κατέστησα ὑμᾶς ἐκεῖ. καὶ ὀρθρίσατε ἐν τῇ ὁδῷ καὶ φωτισάτω ὑμῖν καὶ πορεύθητε. καὶ ὤρθρισε Δαυὶδ αὐτὸς καὶ οἱ ἄνδρες αὐτοῦ τοῦ ἀπελθεῖν τὸ πρωῒ καὶ φυλάσσειν τὴν γῆν τῶν ἀλλοφύλων, &c. *Et nunc consurge manè tu, & serui domini tui, qui venerunt tecũ: & vadite in locũ vbi constitui vos ibi. Et surgite in via, & dilucescat vobis, & pergite. Et surrexit Dauid ipse, & viri eius, vt proficiscerentur manè, & custodirent terram Philisthijm.* Ald. & Rom. edit. post hæc verba, καὶ πορεύεσθε εἰς τὸν τόπον οὗ κατέστησα ὑμᾶς ἐκεῖ, addunt: καὶ λόγον λοιμὸν μὴ θῇς ἐν τῇ καρδίᾳ σου. ὅτι ἀγαθὸς σὺ ἐνώπιόν μου. Cætera consentiunt. *Et verbum pestilens ne posueris in corde tuo, quoniam bonus tu coram me, & diluculò surgite in viam, &c.*

Variæ translationes.

B

Monet Achis Dauidem, vt mane primo se subducat cum suis, idque clàm: ne illi à Principibus insidiæ instruerentur in via: aut, si mansisset diutius, ne ab illis opprimeretur in castris. *Et serui domini tui.*] Ita appellat fugitiuos illos, qui vel metu, vel odio Saulis sese contulerant ad Dauidem. Etsi erant iam exules, tamen obligationem, & obedientiam omnem erga eum non exuerãt. Vel certè eos appellat seruos Saulis, vulgi consuetudinem sequutus, quia tales hactenus fuerant. *Surrexit itaque Dauid.*] Dauid rectè monenti obtemperat. Abit tamen nonnulla cum ignominia, quasi qui vellet exercitum prodere. Et certè generosos & excelsos animos vehementer pungunt huiusmodi contumeliæ. Sed statim apparuit quo consilio Deus ita fieri permiserit. *Diligentibus Deum*, ait Apostolus, *omnia cooperantur in bonum.* Alioqui sanè vastata Sicelech, & abactâ prædâ, non leuem iacturam fecerat. In hoc præterea elucet prouidentia Dei. Nam si mansisset in castris, Palæstini non tulissent, vt mortuo Saule regnum iniret. At cùm esset in Siceleg, statim vt voluit, potuit in Iudæam se recipere.

C

CAPVT TRIGESIMVM.

CVmque venissent Dauid & viri eius in Siceleg die tertia, Amalecitæ impetum fecerant ex parte australi in Siceleg, & percusserant Siceleg, & succenderant eam igni. 2. Et captiuas duxerant mulieres ex ea, à minimo vsque ad magnum: & non interfecerant quemquam, sed secum duxerant, & pergebant itinere suo. 3. Cùm ergo venissent Dauid & viri eius ad ciuitatem, & inuenissent eam succensam igni, & vxores suas, & filios suos, & filias ductas esse captiuas, 4. leuauerunt Dauid & populus qui erat cum eo voces suas, & planxerunt donec deficerent in eis lacrymæ. 5. Siquidem & duæ vxores Dauid captiuæ ductæ fuerant Achinoam Iezrahelites, & Abigaïl vxor

Nabal

Nabal Carmeli. 6. Et contristatus est Dauid valdè: volebat enim eum populus
lapidare, quia amara erat anima vniuscuiusque viri super filiis suis & filiabus: con-
fortatus est autem Dauid in Domino Deo suo. 7. Et ait ad Abiathar Sacerdo-
tem filium Achimelech: Applica ad me ephod. Et applicauit Abiathar ephod ad
Dauid, 8. & consuluit Dauid Dominum, dicens: Persequar latrunculos hos, &
comprehendam eos, an non? Dixitque ei Dominus: Persequere: absque dubio
enim comprehendes eos, & excuties prædam. 9. Abijt ergo Dauid ipse, & sex-
centi viri qui erant cum eo, & venerunt vsque ad Torrentem Besor: & lassi quidam
substiterunt. 10. Persecutus est autem Dauid ipse, & quadringenti viri: substite-
rant enim ducenti, qui lassi transire non poterant Torrentem Besor. 11. Et in-
uenerunt virum Ægyptium in agro, & adduxerunt eum ad Dauid: dederuntque ei
panem vt comederet, & biberet aquam, 12. sed & fragmen massæ caricarum, &
duas ligaturas vuæ passæ. Quæ cùm comedisset, reuersus est spiritus eius, & refocil-
latus est: non enim comederat panem, neque biberat aquam, tribus diebus, & tri-
bus noctibus. 13. Dixit itaque ei Dauid: Cuius es tu? vel vnde? & quò pergis?
Qui ait: Puer Ægyptius ego sum, seruus viri Amalecitæ: dereliquit autem me do-
minus meus, quia ægrotare cœpi nudiustertius. 14. Siquidem nos erupimus ad
australem plagam Cerethi, & contra Iudam, & ad meridiem Caleb, & Siceleg suc-
cendimus igni. 15. Dixitque ei Dauid: Potes me ducere ad cuneum istum? Qui
ait: Iura mihi per Deum, quòd non occidas me, & non tradas me in manus domini
mei, & ego ducam te ad cuneum istum. Et iurauit ei Dauid. 16. Qui cùm duxis-
set eum, ecce illi discumbebant super faciem vniuersæ terræ, comedentes, & biben-
tes, & quasi festum celebrantes diem, pro cuncta præda, & spolijs quæ cœperant de
terra Philisthijm, & de terra Iuda. 17. Et percussit eos Dauid à vespere vsque ad
vesperam alterius diei, & non euasit ex eis quisquam, nisi quadringenti viri adoles-
centes, qui ascenderant camelos, & fugerant. 18. Eruit ergo Dauid omnia quæ
tulerant Amalecitæ, & duas vxores suas eruit. 19. Nec defuit quidquam à par-
uo vsque ad magnum, tam de filijs quàm de filiabus, & de spolijs, & quæcunque
rapuerant, omnia reduxit Dauid. 20. Et tulit vniuersos greges, & armenta, &
minauit ante faciem suam: dixeruntque: Hæc est præda Dauid. 21. Venit au-
tem Dauid ad ducentos viros, qui lassi substiterant, nec sequi potuerant Dauid, &
residere eos iusserat in Torrente Besor: qui egressi sunt obuiam Dauid, & populo
qui erat cum eo. Accedens autem Dauid ad populum, salutauit eos pacificè. 22.
Respondensque omnis vir pessimus & iniquus, de viris qui ierant cum Dauid, di-
xit: Quia non venerunt nobiscum, non dabimus eis quidquam de præda, quam
eruimus: sed sufficiat vnicuique vxor sua, & filij: quos cùm acceperint, recedant.
23. Dixit autem Dauid: Non sic facietis fratres mei, de his quæ tradidit nobis
Dominus, & custodiuit nos, & dedit latrunculos, qui eruperant aduersum nos, in
manus nostras: 24. nec audiet vos quisquam super sermone hoc. æqua enim pars
erit descendentis ad prælium, & remanentis ad sarcinas, & similiter diuident. 25.
Et factum est hoc ex die illa, & deinceps constitutum, & præfinitum, & quasi lex in
Israël vsque in diem hanc. 26. Venit ergo Dauid in Siceleg, & misit dona de
præda senioribus Iuda proximis suis, dicens: Accipite benedictionem de
præda hostium Domini: 27. His qui erant in Bethel, & qui in Ramoth ad Meri-
diem, & qui in Iether, 28. & qui in Aroër, & qui in Sephamoth, & qui in Estha-
mo, 29. & qui in Rachal, & qui in vrbibus Ierameel, & qui in vrbibus Ceni,
30. & qui in Arama, & qui in lacu Asan, & qui in Athach, 31. & qui in He-
bron, & reliquis qui erant in his locis, in quibus commoratus fuerat Dauid ipse, &
viri eius.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Hoc caput ita distribuitur, vt primo loco describatur Siceleg vastatio: quam secundo loco ingens reducis populi luctus consequitur. Tertio loco succedit Dauidis expeditio contra prædones: Deinde recuperatio bonorum: postremò distributio prædæ.

Versus I.

Cúmque venissent David & viri eius in Siceleg die tertia, Amalecitæ impetum fecerant ex parte Australi in Siceleg, & percusserant Siceleg, & succenderant eam igni.

Versus II.

Et captiuas duxerant mulieres ex ea, à minimo vsque ad magnum: & non interfecerant quemquam, sed secum duxerant, & pergebant itinere suo.

Variæ trãslationes.

Cumque venissent David & viri eius in Siceleg die tertia.] Lxx. Ald. edit. Καὶ ἐγενήθη εἰσελθόντος Δαυὶδ καὶ τῶν ἀνδρῶν αὐτοῦ τὴν σικελὰγ τῇ ἡμέρᾳ τῇ τρίτῃ. Rom. edit. Nobilij, *Et factum est intrante David, & viris eius in Sicelag die tertia.* Complut. Καὶ ἐγένετο ἐν τῷ εἰσελθεῖν Δαυὶδ καὶ τοὺς ἄνδρας αὐτοῦ εἰς Σικελὰγ τῇ ἡμέρᾳ τῇ τρίτῃ, *Et factum est cùm venissent David & viri eius in Sicelag die tertia.* eodem sensu. Chaldęus, *Et fuit quando venit David, &c. in die tertia.* Vatablus in Schol. Ab eius egressu scilicet. Alter paulò manifestius. Ex quo Dauid discessit è castris Palæstinorum: nam tantum itineris inter castrorum locum intercessisse docet initium sequentis libri ver. 2. *Amalecitæ impetum fecerant ex parte Australi in Siceleg.*] Lxx. Καὶ ἀμαλὴκ ἐπέθετο ἐπὶ τὸν Νότον καὶ ἐπὶ Σικελάγ. *Et Amalec impetum fecit in Austrum, & in Sicelag.* Edit. Nobilij, *incursionem fecit ad Austrum & ad Sicelag.* Chaldæus, *Et Amalecitæ extracti sunt super Meridiem, & super Sziklag.* Vatablus Salmant. *irruperant in meridiem, & ad Siclag.* Laurent. *grassati fuerant versus meridiem & Siclag.* Pagninus, *iuerant ad prædam versus meridiem & Siclag.* Arias, *diffuderant se ad meridiem, & ad Siclagh.* Hebraicè legimus, אֶל נֶגֶב וְאֶל צִקְלַג *el-negeb veel tsiklag.* Distinctè *ad Australem plagam, & ad Siceleg.* Idque testatur infrà puer ille Ægyptius ver. 14. Neque tamen propterea decet aspernari Vulgati interpretis iudicium: Reuera enim cùm prius meridionalem tractum Caleb & Cerethi populati essent, tum denique Siceleg incendio ac direptione vastauerant. *Et percusserant Siceleg.*] Sic quoque Pagninus: nec mutauit Arias. Chaldæus item & Septuag. Καὶ ἐπάταξαν τὴν Σικελάγ. Quærit aliquis: Sed quo pacto percusserunt Siceleg, cùm infrà dicatur, quod neminem occiderint? Dicendum, inquit, quod hic scribitur יַכּוּ *iakou* pro יַהַרְסוּ *iaharesou*, *subuerterunt.* הָרַס *haras* enim idem quod *destruxit.* הָרְסוּ *harasou, destruxerant.* Sed non videtur opus ea verborũ metamorphosi: satis enim ipsum נָכָה *nacah* quo facer historicus vsus est, hoc ipsum disertè significat. Quippe in Hiphil siue הִכָּה *hicah*, cùm de homine quidem accipitur, *occidit*, perdidit indicat: cùm de vrbe, *oppugnauit & expugnauit*: quod si nos populum dicere sentiamus aut exercitum, perinde est ac *vicit*, *superauit.*

A

Cumque venisset David, &c.

Versu 2. *Et captiuas duxerant mulieres.*] Vatablus in Schol. Meminit mulierum solùm, quia viri iuerant cum Dauide ad exercitum. *Ex ea.*] Pagninus *quæ erant in ea.* Hebr. אֲשֶׁר־בָּהּ *ascerbah.* Arias, *quæ in ea.* Consentit Chaldæus: & hoc loco distinguenda oratio est, vt Hebræis accentus notat. Plura Græci: Καὶ γυναῖκας καὶ πάντας τοὺς ἐν αὐτῇ. *Mulieres, & omnes qui in ea.* Rom. edit. πάντα *omnia*; in reliquis cum Ald. & Complut. consentit. *A minimo vsque ad magnum.*] Chaldæus, *à paruula vsque ad magnam.* Quidam, *à minori vsque ad grandiorem.* Vatablus, *à parua vsque ad grandem.* Malè cum præcedentibus coniungunt. Spectant enim ad sequentia. Nam sic Hebraicè scriptum est,

B

מִקָּטֹן וְעַד־גָּדוֹל לֹא הֵמִיתוּ אִישׁ *mikaton veaad gadol lo hemithou isc.* Id est, *à paruo vsque ad magnum non interfecerunt virum.* Ita vertit Pagninus, & Arias tuetur: *virum* duntaxat restituit pro *quemquam.* quinetiam & Vatablus *à paruo vsque ad magnum* habet in Schol. Lxx. nobiscum legunt, ἀπὸ μικροῦ ἕως μεγάλου οὐκ ἐθανάτωσαν ἄνδρα, *à paruo vsque ad magnum non mortificauerunt virum.* Addunt, quod in Hebræo non inuenies, οὐδὲ γυναῖκα *neque mulierem.* Erant enim relictæ in oppido non nuptæ tãtùm innuptæq; puellæ, sed imbelles quoque pueri, & rude donati senes. ἀλλ' ᾐχμαλώτευσαν, *sed captiuarunt:* alij, *abegerunt, abduxerunt.* Reliqua vndique ad amussim quadrant.

Cúmque venisset David & viri eius in Siceleg die tertia.] Deus repulsæ tempus & occasionem ita commodè temperauit, vt Dauid non sine maximo fructu castris excederet. Visus quidem est ablegari decreto Principum Philisthiim: sed reuera quod vtrosque tum latuit autore Deo necessarium commeatum accepit. Deus enim mortalium consilijs præsidet, & eorum voluntates arbitrio suo inflectit, non minus, imò magis quàm nos horologia, aut automata. Ab iniusto bello ad legitimam vltionem Dauidem reuocauit, vt Amalecitis prędonibus profligatis, vxores & liberos captiuos recuperaret.

C

Amalecitæ impetum fecerant in Siceleg.] *Aduersarius vester diabolus*, inquit Petrus, *tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret.* Quinetiam Christus Dominus in Euang. *Postquam*, inquit, *Spiritus immundus exierit ab homine, assumit septem Spiritus nequiores se, & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus.* Palæstini primùm Siceleg occupauerant. Subinde verò in potestatem Iudæorum venit. sed vt primùm eam aliò profecti virili præsidio nudarunt, statim irruentibus Amalecitis euersa est. *Amalecitæ impetum fecerant.*] Amalecitæ exosos habuerant Iudæos iam inde ab initio. Nam cùm illi redirent ex Ægypto, cœperunt carpere extremum agmen, & eos, quantum audebant, & poterant, vexare. Sed primùm fusi, & fugati sunt à Mose, deinde à Saule maxima clade penè obruti: postremò etiam vehementer occisi à Dauide. Itaque tot malis irritati, nacti hanc occasionem, quod Dauidem viderent abesse, &

D

Momenta temporum Deus ipse nouit.

Cumque venisset David, &c.

& vrbem defensore carere, diripiunt, & incendunt Siceleg. Præcipua tamen ratio ea fuisse videtur, quod cùm ea gens vastas & incultas solitudines incolat, nec agros colat ocio dedita, ex vicinarum gentium spolijs, quæ ad vitam sibi necessaria sunt, comparare soleat. Nam quod de Mardis scribit Suidas, ea in Amalecitas apprimè quadrant. Ἔθνος τὸ πᾶν λῃσταί. Gens tota latrocinijs dedita. Quos neque beneficijs in fide retinere, neque contrà tantis malis affligere possis, quin metu liberati, statim ad ingenium redeant, & aggrediantur ea, à quibus metu territi per aliquod spacium abstinuerant. Hæc Suidas de Mardis. Eadem ferè Saxo Grammat. Krantzius, & alij plures, de populis Aquilonar. quos docent more gentis piraticam olim exercuisse, & in maritimas quoque regiones inuasisse, ac prædas comportasse, quos sola tandem fides & Christi religio, vbi primùm mentibus illorum illuxit, ab insito prædandi studio potuit auocare. Nam & Græci olim, inquit Thucydides Belli Pelopon. lib. 1. & Barbarorum quicunque in continente maritimi erant, quique insulas incolebant, vbi cœperunt crebrius alij ad alios nauibus transire, ad latrocinium conuersi sunt, ducibus viris mediocris potentiæ, tum sui quæstus, tum pauperum victus gratia. Atque adorti ciuitates muro vacantes, vicatimque habitatas, diripiebant, ac maximam victus partem hinc comparabant: nullo ob id pudore, quum hoc factum nondum ignominiam, sed nonnihil gloriæ potius afferret. Quod declarant, cùm quidam etiam nunc in continente, quibus decori est hoc egregiè exercere; tum vetustissimi poëtæ, apud quos illi vltro citróque nauigantes interrogantur εἰ λῃσταί εἰσι, nunquid latrones sint, tanquam neutri indignum facinus censeant. Et in mediterraneis etiã homines mutuò prædabantur: & vsque adhuc pleræque Græciæ partes vetusto more incoluntur: vti apud Locros, qui vocantur Ozolæ, & Ætolos & Acarnanas, & finitimam continentem. Quinetiam arma ferre apud hos ex vetere latrocinio permansit. Primi, inquit, Athenienses arma posuerunt. Hactenus Thucydides. At nondum Amalecitæ, apud quos veteris instituti ad hunc diem vestigia manent.

Suidas in voce Μάρδοι.

Multi olim populi latrocinijs dediti.

Thucydides.

Et percusserant Siceleg.] Narrat Diodorus lib. 4. Rer. antiquar. quo pacto Maranæi, qui quondam Arabiæ maritimam oram incolebant, à Garindæis extincti sint. Meminit festi cuiusdã solemnis apud Phœnices, quod singulo quoq; lustro interpolabatur, ad quod ex vicina vndique regione concurrerent. Hinc porrò cùm immolatis victimis, sacrisque peractis redirent, aquam domum asportabant persuasi ad valetudinem eam conferre. Captata hac occasione Garindæi primùm ex Maranæis, eos, qui domi remanserant, interficiunt: deinde & eos, qui è Phœnicia patrios lares repetebant, ex insidijs aggressi, ad vnum omnes peremerunt, eorum prouincia in potestatem redacta.

Diodorus.

Et succenderunt eam igni.] Cùm subiremus, inquit Gellius Noct. Attic. lib. 15. cap. 1. montem Cispium (ille est in regione vrbis Exquili-

Gellius.

A na) conspicimus insulam quandam occupatam igni, multis arduísque tabulatis editam, & propinqua iam omnia flagrare vasto incendio. Tum quispiam ibi ex comitibus Iuliani, Magni, inquit, reditus vrbanorũ prædiorum, sed pericula sunt longè maxima. Si quid autem posset remedij fore, vt ne tam assiduè domus Romæ arderent, vœnum hercle dedissem res rusticas, & vrbicas emissem. Atque illi Iulianus læta, vt mos eius fuit inter fabulandum venustate, Si annalem, inquit, vndeuigesimum Q. Claudij legisses, optimi ac syncerissimi scriptoris, docuisset te profectò Archelaus Regis Mithridatis præfectus, qua medela, quáque solertia ignẽ defenderes, vt ne vlla tua ædificatio è ligno, correpta atque insinuata flãmis arderet. Percunctatus ergo sum quid esset illud
B mirum Quadrigarij. Verba igitur Quadrigarij in illo lib. hæc sunt: Tum Sylla conatus est, & tempore magno eduxit copias, vt Archelai turrim vnam, quam ille interposuit, ligneam incenderet. Venit, accessit, ligna subdidit, submouit Græcos, ignem admouit, satis diu conati, nunquam quiuerunt incendere. Ita Archelaus omnem materiam oblinerat alumine. quod Sylla & milites mirabantur, & postquam non succendit, eduxit copias. Hactenus Gellius. At contrà Philostratus in Apollonij vita lib. 3. cap. 1. In fluuio quodam, inquit, Indiæ Hypasi albus quidam vermis inuenitur, ex quo oleum conficitur, quod illico flammam concipit, nec aliter extingui potest quàm vitro tuso & in puluerem redacto, coniecto. Pro solo Rege capitur qui eo vtitur, si quid demoliri ve-
C lit. Nam leuiter affricatum istud oleum ita parietes incendit, vt nullus talis in natura sit, neque arte confectus ignis.

Et ucendenrunt eam igni. Insula in vrbe, domus vijs vndiq; cincta, siue etiam plures, vt placet Ascens.

Remediũ, quo flãma prohibetur ne naues aut ædificia corripiat.

Ignis è vermibus qui extingui nullo pacto potest.

Et succenderunt eam igni.] Cui bono? Quid incendisse iuuat? quid flammis aboleuisse reliqua, quæ auferre non possis? Equidem si hostes sint cum quibus bellum geras, apparet quo consilio id facias. Iuuat enim plurimùm hostium arces & munimenta disturbasse, ne obsistant: ædes diruisse, ne remaneant: denique alimenta corrupisse, ne vescantur & conualescant. Non enim duntaxat ex hoste commodi quippiam extorqueas, sed etiam ne quid in posterum noceat sedulò cauendum est. Vt autem quod profuturum sit, ab eo eripias, spoliandus tibi est: vt damnum vires, opprimendus.
D Itaque Samson Palæstinorum messes igne consumpsit, quo eorum vires attereret, & doceret proprio periculo alijs nõ obesse. At verò latronis, cùm belli finis præda sit, non victoria, interest plurimùm quos populetur eos locupletes esse, nec funditus bonis euerti: vt relictis tanquam radicibus nouæ semper opes accrescant, nec vnquam desit seges & materia latrociniorum. Sed qui in eorum mentibus dæmon bacchatur & furit, non tam quid ipsis priuatim vtile futurum sit, prospicit, quàm quòd vtrisque incommodet. Sic Madian & Amalec Iudic. 6. quæ deuorare nequibant, pedibus conculcabant: quos statim Gedeon seuerissimè vltus est.

Vt autem quis commodè suo sumptu vitam

ET CAPTIVAS, &c.

toleret, nec opus sit rapinæ subsidio vti, Phocylides poëta admonet labori ac bonis artibus gnauiter incumbendum. Sic enim cecinit in eo poëmate quod scripsit De mysterijs Iustitiæ.

Qui furabatur, iam non furetur: magis autem laboret, vt habeat unde tribuat necessitatem patienti.

Labora, vt de proprio labore partis viuas:
Omnis enim piger homo de furtiuis viuit manibus.
Quòd si quis artem non didicit, fodiat ligone.
Est in vita omne opus, si laborare volueris.
Nauta existens, si nauigare placet, adest mare:
Si verò agricultura vacare, lati campi.
Nullum opus hominibus facile est sine labore,
Nec dijs ipsis, quia labor virtutem admodum auget.
Formicæ cauis terræ secessibus relictis
Prodeunt victus indigentes, quando agri
Fruges detonsi, fructibus implent areas:
Ipsæ verò tritici excussum granum accipiunt,
Aut hordei: sempérque gestans gestanti instat,
Ab æstate in hyemem victum suum comportantes
Indefessum: gens sunt parua, sed laboriosa.
Operatur quoque aëria optiméque laborãs apis,
Siue in caua petra specu, siue in arundinibus,
Siue etiam in antiquæ quercus cauitate, siue in aluearibus
Infinitas ex floribus domos cereas extruens, &c.

Qui furabatur, inquit Apostolus, *iam non furetur; magis autem laboret, vt habeat vnde tribuat necessitatem patienti.* Pigros & inertes Sapiens ad formicas allegat.

Et captiuas duxerant mulieres.] Quid ita præ cæteris mulierũ meminit, cùm longè grauius sit virum libertate priuari, & alienæ libidini seruire? Nam mulieres quidem à prima ætate C de alieno discunt pendere arbitrio, & parentibus morem gerere, vt illo tanquam edoctæ tyrocinio postea maritorum imperium non detrectent: vt primùm autem in virorum manus conuenerint, eos colere, nutus obseruare, voluntatibus obsequi lex & consuetudo iubet. Quinetiam viduas, quas mors videri possit excusso iugo in libertatem asseruisse, antiquæ leges tutoribus obnoxias esse statuerunt. Neque porrò vspiam, præter paucissimas quæ hæreditario iure regna capessunt, earum actionum participes esse solent, in quibus libertas sita videtur. Nam neque populis imperant, neque regnis habenas moderantur: non exercitus ductant, non lites dirimunt, non rempubl. gerunt, non denique quid vtile, quid commodum reipubl. videatur, in commune decernunt, non sacra non profana potestas vlla penes illa est, sacerdotij expertes manent. Quid igitur ad eam seruitutem ad quam natæ & educatæ sunt, captiuitas tantum adijcere potuit, vt earum præ cæteris miseranda calamitas videretur? Pudoris anceps periculum, quem prædonis petulantię ludibrio ac despectui esse, hoc demum grauissimi casus acerbitatem altius exaggerat. Nam trucidari ac perimi tametsi non sine vi atq; adeò atroci iniuria contingat, tamen quæ sequitur mors naturæ debita videtur. In seruitutem verò redigi, & alienæ potestati per vim subijci, tametsi eò miserum est quod voluntati, id quod habet carissimum, libertas eripiatur, eadem tamen non

Fœminarũ præ cæteris miserãda captiuitas.

A diuersi generis, sed humanæ duntaxat addicitur. At grassatoris impuræ libidini succubuisse seu morem gessisse, idcirco miserrimum iudicamus, quoniam non iam illud homini cessisse est, sed fidem prodidisse, & seipsam teterrimis hostibus flagitio ac dæmoni dedidisse.

Et non interfecerant quemquam, sed secum duxerant.] Siceleg combusserant, & quæcunque asportari commodè poterant, diripuerant omnia: attamen neminem hominem occiderant. Maluerunt scilicet captiuos abducere, quos aut pretio distraherent, aut sibi priuatim ancillari cogerent, aut sanè quibus reduces apud suos illuderent. Non enim humanitatis gratia, sed quæstus, miseris vitã indulserant. Neque enim volebant parcere sanguini, sed lucrum captabant. Ita siquidem ardebant auaritia, vt non B potuerint exaturare odium suum erga Iudęos. Nam Dauid cùm ex illorum agris prædas ageret, neminem reliquit viuum. Isti ergo non rependunt, vt solet dici, mensuram pro mensura. Verùm Deus hoc curauit pro sua misericordia erga Dauidem. Noluit enim ita abduci vxores, & liberos Dauidis, quin possent ab illo recuperari. Ita Deus semper prospicit suis etiam aliud sæpè cogitantibus. Quis itaque nisi temerè animum despondeat?

VERSVS III.

Cùm ergo venissent Dauid & viri eius ad ciuitatem, & inuenissent eam succensam igni, & vxores suas, & filios suos, & filias ductas esse captiuas,

VERSVS IV.

Leuauerunt Dauid & populus qui erat cum eo voces suas, & planxerunt donec deficerent in eis lacrymæ.

VERSVS V.

Siquidem & duæ vxores Dauid captiuæ ductæ fuerant, Achinoam Iezrahelites, & Abigail vxor Nabal Carmeli. D

QVum ergo venissent Dauid & viri eius, &c.] Ista omnia tum demum Dauidi acciderunt, cùm iam sibi videretur in portu nauigare. Euaserat enim è potestate Saulis, & fortunas suas constituerat in Siceleg. Primùm inuitus trahitur ad bellum contra suos: deinde traducitur à Principibus vt proditor: postremò dimissus è castris cum ignominia, cùm redisset domum, inuenit sibi suisque perijsse omnia. Dolet ergo Dauid, idque non sua tantùm causa, sed etiam commilitonum.

Et planxerunt donec deficerent in eis lacrymæ.] LXX. Ἕως ὅτε οὐκ ἦν ἰσχὺς ἐν αὐτοῖς τοῦ κλαίειν ἔτι. *donec non erat robur in eis, vt flerent amplius.* Chaldæus,

vsquequo

DONEC DEFICERENT LACRYMÆ.

vsquequo non fuit in eis virtus ad plorandum. A Hebraicè עַד אֲשֶׁר אֵין־בָּהֶם כֹּחַ לִבְכּוֹת, *ghad ascer en bahem koach lifkoth, donec nō in eis vis ad flēdū.* כֹּחַ *koach* Hebræis est *vis*, robur, facultas, potentia. Est etiam *natiuus humor*, seu humidum radicale, quod membra conglutinat; in quo hominis robur & vita consistit. In senibus autem illud exarescit & deficit. Hinc Dauid Psal. 71. ver. 9. *Cùm defecerit* כֹּחִי *kobbi, virtus mea*, id est, cùm exhaustis iam viribus senectus obrepserit, *ne derelinquas me.* Et Psal. 21. ver. 16. hoc ipsum disertè magis exprimit. *Aruit tanquam testa* כֹּחִי *kobbi.* quid illud, nisi humor quispiam qui vires vitámque suppeditet? Græcis ita vertere placuit, *virtus mea.* metonymicῶs, effectus pro causa: id quod sequentia statim indicant. *& lingua mea adhæsit faucibus meis, & in* B *puluerem mortis deduxisti me.* Ex quibus sequitur, vt non incommodè possis hoc loco interpretari, *& tantisper fleuerunt dum exhausto humore lacrymæ deficerent.* בָּכָה *bachah* autem, vnde לִבְכּוֹת *lifkoth* illud deductum est, *flere*, plorare vagire significat. בֶּכֶה *becheh*, & בְּכִי *bechi*, *fletus*, ploratus, vagitus. Erant igitur vt Ennius ait,

Hebræa vox כֹּחַ *Koach* exponitur.

Mœrentes, flentes, lacrymantes, ac miserentes.

Atque ita vbertim fleuerunt, vt tandem lacrymæ deessent, & vires eis deficerent. Nam dolor vi sua exprimit lacrymas: quod idem ira etiam facit. Nam ira est dolor quidam. Quare ridicula est ἀπάθεια illa Stoicorum. Illi enim flagitium fieri clamitassent, si quis vel vultum paulùm immutasset. Alij, etsi huiusmodi permotiones animorum non damnarent, modum C tamen in illis adhiberi voluerunt: vt liceret, ferire frontem, percutere femur, plangere pectus. Solui autem in lacrymas, aut indulgere dolori muliebre esse iudicabant. Nos autem ex sacris literis scimus, Sanctos homines, & Apostolos, & Christum ipsum fleuisse largiter. Ita enim comparati sumus à natura, vt quemadmodum si corpus vulneretur, erumpit sanguis, ita vulnerata anima, erumpant lacrymæ. Lacryma enim est sanguis animæ. Quinimò Iosephus Acosta Hist. natur. Ind. lib. 6. cap. 20. Peruani cuiusdā regis meminit, quem Yquarquaquum dictum refert à sanguineis lacrymis, quòd cùm aliquando prælio victus in potestatem hostium venisset, præ doloris magnitudine sanguineas lacrymas fuderit.

Iosephus Acosta.

Sanguineæ lacrymæ.

Donec deficerent lacrymæ.] Fingunt veteres D poëtæ superbam quondam Nioben

Exanimes inter natos, natásque virúmque
Diriguisse malis.

& exhaustam lacrymis in saxum mutatam esse. Dehinc inquit Ouidius Metamorph. lib. 6.

Ouidius.

Fingitur à Poëtis Niobe exhaustis lacrymis in saxum diriguisse.

Nullos mouet aura capillos:
In vultu color est sine sanguine: lumina mœstis
Stant immota genis: nihil est in imagine viuum.
Ipsa quoque interius cum duro lingua palato
Congelat, & vena desistunt posse moueri:
Nec flecti ceruix, nec brachia reddere gestus,
Nec pes ire potest, intra quoque viscera saxū est.
Flet tamen, & validi circundata turbine venti
In patriam rapta est: vbi fixa cacumine montis
Liquitur, & lacrymis etiā nūc marmora manāt.

A Qua de re Pausanias in *Atticis.* Ego sanè, inquit, vt viderem Nioben, in Sipylum montem ascendi. Silex, & prærupta crepido imminet: quæ propè assistenti, neque mulieris, neque lugentis formam ostentat: qui verò procul aspexerit, mulierem lacrymantem & mœrentem videre sibi videatur. Hæc Pausanias, qui habuisse fidem fabulæ videri possit. At non item poëticum illud commentum est, sed verissima historia, quam legimus Genes. 19. ver. 26. *vxorem Loth in statuam salis conuersam esse*, cùm vrbis desiderio quàm proxima clades oppressura erat, ponè respexisset. Hactenus superstitem testatur Epiphanij Monachi Διήγησις: qui cùm esset Sanctæ ciuitatis accola, quæ viderat, vt verisimile est, narrauit. Habet autem hæc de statua. Καὶ πρὸς νότον τοῦ σπηλαίου, ὡς ἀπὸ μιλίων δύο ἵσταται ἡ γυνὴ τοῦ Λὼτ στήλη ἁλὸς βλεπομένη ὀπίσω. Καὶ πρὸς ἀνατολὴν αὐτῆς ἐστιν ὀπὴ ἀναβάλλουσα καπνόν, καὶ ἐξέρχεται φωνὴ ἐκ τῆς ὀπῆς λέγουσα, Οὐαὶ τὰ Σόδομα. Καὶ φέρεται ὁ λόγος ὅτι ἡ ἀναπνοὴ τοῦ ᾅδου ἐστὶν, ἔνθα εἰσὶ δεδεμένοι. Morellus ita vertit: Deinde ad Austrum speluncæ (τοῦ προδρόμου Præcursoris) circiter duobus millibus passuū, vxor Lothi stat instar columnæ salis retrò aspiciens. Atque ad Orientem ipsius est foramen emittens fumum: atque egreditur vox è foramine dicens, *Væ Sodomis.* Et rumor est spiraculum esse Orci, vbi sunt vincti. Hæc ille. Fumantis porrò hiatus illius, & vocis horrendum carmen personantis, an quisquam præterea meminerit, hactenus me fugit: nec falsa dicam aut vera quæ non audiuerim.

DONEC DEFICERENT LACRYMÆ. Pausanias.

Statua vxoris Loth.

Epiphanius Monachus.

De lacrymis, num illæ Christianum deceant?
Tum quæ sit earum ratio physica.

QVÆSTIO CXXXV.

IAm sæpius de lacrymis. Nondum tamen ex illis emersimus, quantum admonet misera temporum nostrorum conditio atque calamitas. Flere iuuat: hoc maximè remedio diuinæ iustitiæ fulmen extinguitur, quam huius ætatis labes continuò incendit.

O nauis, referent in mare te noui
Fluctus. ô quid agis? fortiter occupa
Portum. Nonne vides vt
Nudum remigio latus,
Et malus celeri saucius Africo,
Antennæque gemant? ac sine funibus
Vix durare carinæ
Possint imperiosius
Æquor?
Nil pictis timidus nauita puppibus
Fidit. Tu, nisi ventis
Debes ludibrium, caue.

Horatius l. 1. Ode 14.

Ad lacrymas interim animum aduertamus. Sed num flere decet? An non hoc laude dignius, si malum constantia silentio premat? Quinimo, ait S. Basilius, Apostolus nos flere iubet, & si quos mœrore consternatos nanciscamur cum ipsis lacrymarum fieri participes. Nam & ipse cùm ad Galatas scriberet, *inimicos crucis*

S. Basilius.

DONEC DEFICERENT LACRYMÆ. Lacrymæ probantur autoritate Scripturarum.

Christi gemitu lamentisque prosequutus est. Subinde verò etiam addidit in eadem Homilia quæ est De gratiarum actione: Καὶ τί δεῖ λέγειν Ἱερεμίαν κλαίοντα· καὶ Ἰεζεκιὴλ θρήνους ἀρχόντων ἐκ προστάγματος Θεοῦ γράφοντα· καὶ πολλοὺς δὲ τῶν ἁγίων οἰμώζοντας. Quid tandem opus sit commemorare Hieremiam flentem, Ezechielem ex Dei imperio in literas transmittentem threnos, lamentationes videlicet principum: multos insuper Sanctorum cernere liceat ingemiscentes? Hæc exempli gratia subiungit, quæ ex ipsis Prophetarum monumentis petita sunt. *Hei mihi mater, vt quid me peperisti?* Et, *Hei mihi, peryt pius è terra; & qui benefaciat in hominibus non est.* Et, *Hei mihi, quia factus sum sicut colligens stipulam in messe.* Denique iustorum voces vbiq; perscrutare: sicubi deprehenderis vocem depromentes inamœnam ac mœroris indicem, tibi persuadeto hos omnes ingemuisse mundi istius, & eius quæ in eo est, vitæ miserijs, &c. Quin ipse quoque Dauid, inquit, in suis Canticis ad nos vsque transmisit lamentationem super amico Ionathan, in qua quidem suum eadem opera luxit inimicum: *Doleo super te frater mi Ionatha.* Et, *Filia Hierusalem lugete super Saul.* Namque hunc & immortuum peccato luget: Ionathan verò vt indiuiduum vitæ suæ sodalem. Quid attinet cætera percensere? quando idem ipse Dominus lacrymas super Lazarum fudit, & super Hierusalem? Sed & lugentes beatos idem prædicat pariter & flentes.

Quamobrē Christus flere voluerit.

Subinde verò etiam rationes inuestigans ob quas Christus videri poslit flere voluisse, primam hanc annotat, quòd misericordiam præ se ferre studuerit, & stuporis Stoici opinionem à se procul amoliri. Deinde, quòd luctui nostro moderari voluerit, & intra modestiæ cancellos lamenta cohibere. Nam sic ille fleuit, vt tamen nihil indecens aut indecorum admitteret. quod cùm faceret, exemplo suo modum lacrymis legémque præscribebat. Addit porrò & tertiam, ne humanæ sortis expers haberetur, aut alienus à communi naturæ conditione. Vtique, ait, perinde vt Christus inediæ stimulum sensit simulac sumptus ab eo cibus exhaustus est, & sitis quoque molestiam pertulit statim vt potus absumptus, & neruis item ac musculis supra modum itineris labore contentis defatigatus est. non quòd diuinitas functione vlla grauioris operis frangi potuerit, aut quicquã pati, sed quòd ea symptomata corpus naturaliter consequantur: Ita & cùm res postulare visa est, lacrymas vbertim effudit, humani à se nihil alienum putans. Nam quod lacrymę hominum maximè propriæ sint, nec indignæ quæ luctum & ærumnas comitentur, pluribus deinceps argumentis ostendit. Vtar autem Tilmanni in interpretando solertia.

Idem S. Basilius.

Quippe lacrymari, inquit, contingit, quum particulæ cerebri concauæ euaparationibus ex tristitia collectis differtæ, quasi per tubos quosdam canalesue, per meatus oculorum pondus eius collectitij humoris egerunt. Vnde & post rerum minus lętarum inopinatã nec expectatam delationem, mox se in aures insi-

A nuant sonitus quidam & vertiginosæ reuolutiones, tenebrarúmque ob oculos effusio, ac proinde caput obuerti videtur vi vaporum, quos sursum versus remittit calor, qui se in imas partes retraxit. Ad hoc, ita equidem reor, quia quemadmodum nubibus aër addensatur in guttarum aspergines, sic & vaporum crassamentum in lacrymas resoluitur: Hinc quoque mœrentibus & in luctu constitutis clàm erepens nonnihil lætitiæ & iucunditatis oboritur, per fletum exinanito eo, quod degrauabat caput. Pergit & absterret periculi formidine à cohibendo necessario fletu. Ipsi enim nouimus, inquit, non paucos, qui cùm incidissent in laqueos miseriarum inextricabiles, obfirmato tamen animo temperarint à lacrymis. At horum statim aut paralysis valetudinem labefa-

DONEC DEFICERENT LACRYMÆ. Lacrymarũ ratio physica, nec plerunque sine graui periculo posse cohiberi.

B ctauit, aut etiam apoplexia animam interclusit: tanquam grauiori tristitiæ mole obruta, fractisque viribus natura corruit. Vt enim fumus, si exhalandi copiam neges, flammam perimit, ita & mœror, si non eructet lacrymas, vitalem Spiritum suffocat. Hactenus Basilius. Cuius oratio, ni fallor, nodum soluit, qui dudum nobilia ingenia torserat. Quærebat vtique Plinius: Quis ille humor est in dolore tam fœcundus & paratus, aut vbi reliquo tempore? Respondet S. Basilius, Cùm casus aliquis ex inopinato nos perculit, calorem illum, qui per omnes artus æqualiter fusus est, intrò se recipere, & ad arcem cordis conuerti; per illum autem, copiosum humorem, qui præcordia alluit, cogi in nubem, quæ cerebri sinus vacuos petat, qua statim solutâ lacrymosus imber to-

C tis oculis effluit. Sic ille pius lacrymarum fontem nobis aperuit: cuius rationem, quo cæteris quoque probetur, nonnullis aliorum commentis illustrabo.

Cœlius lect. Antiq. lib. 12. c. 3.

Sunt itaque, Cœlius ait, qui ita ratiocinentur, quæ ciborum partes caloris vi in vaporem resoluantur, ignea leuitate hinc ascita, scandere tamdiu ad superna, donec repercussa addensatáque frigescere incipiant, relabantúrque. Id quod in pluuia conuisimus & vasis, quæ ambica vocát. In humano autem corpore tres agnoci fumidas euaporationes, stomachi, iecinoris ac lienis, & cordis? quibus tria item respondeant membra supernè, oculorum, narium, aurium: sed narium mucum à stomacho esse: aurium sordes ab iecinore, organorum indicare

D situm: sic & lacrymas ex oculis demanantes ab corde defluere: quando & nobilior rei euentus nobiliorem præfert causam. In dolore autem hasce vbertim scatere, quoniam eius vi plurima secernatur euaporatio: quod agnoscés Homerus quoque calidas subinde lacrymas pronunciat. Nec omnis tamen dolor sic cordis calorem excitat, vt aiunt, vt qui in eo est, sequestretur humor, sed qui cum spe modo est: hanc enim efficere, vt exiliat cor vehementius, ac laxius fiat. Nec subsultus quilibet hoc effecerit, sed impetuosior, vt in rerum acerbitate: siquidem vbi spes abest, cordis cessat subsultio: quin comprimitur, meatibúsque occæcatis, augescente calore, feruet humor, nec euaporat. Vnde non raro doloris magnitudine vitali

Lacrymæ à corde manant.

Spes lacrymas parturit.

DONEC DEFICERENT LACRYMÆ.

tali spiritu in cordis occluso cauitatibus, præfocatio ac interitus consequitur. Semitas verò duas anatomici deprehendere, per quas ad oculos lacrymæ surrigantur. Priore loco venas statuunt, quæ in fronte sunt & temporibus ad oculos productæ: deinde esse intestinos meatus, qui eôdem protendantur. Quanquam monstratur & callis tertius, quia profluens humiditas in nares per ossium foramina in oculos desinentia, in illos corriuatur. Disputat postremò & de canthis oculorum, qui velut anguli palpebras vtrinque copulant, quorum ij syluestres dicti sunt, qui in tempora vergunt; domestici qui naso inhærent. Græcis chanteres, aliàs πηγαί, quod sint veluti lacrymarum fontes: Nam domesticos clandestina subeunt foramina per quæ manifesto humore madent: qui vbi copiosior influit, tum erumpunt lacrymæ, quas dolor ciet. Sed iam satis liquidò constat non esse alienas à natura lacrymas, quas ipsa nobis architectata sit.

Aristoteles. Lacrymæ hominum propriæ.

Addamus præterea ex Aristotele tertio de partib. Animal. sic eas hominum esse proprias, vt earum vsu cæteris animantibus interdixerit. quo Dauidi cum reliquo flentium choro æquiores in posterum esse debent, qui tantopere lacrymas auersantur, & humilis atque abiecti animi insimulant. Non enim illas metus ignobilis, aut degener humilitas parturit, sed dolor etiam cum virtute coniunctus exprimit. Quod si nonnullæ quandoque lacrymæ brutorum oculos rigare videantur, non is cordis succus est, quibus ex tristitia nunquam vehementius subsultat: sed hic, vt aiunt, ros oritur ex respiratione pulmonum, & eorum quasi vapor habendus est.

Postremò, hoc quoque nonnullis obseruatum est, quod illorum causæ impensius fauet, qui in tanta calamitate lacrymis affatim indulsisse feruntur: quod qui equo currunt, quo contentius cursum equus arripit, eò procliuius lacrymas fundant: & qui pedibus item, eò magis, quò se vehementius intenderint. Huius verò ratio euidens est. Aër namque occursans frigidus, frigus autem lacrymas mouet: quippe contrahendo constipandóque carnem, exprimit humorem. Nisi quis id astruat amplius, Calor sudorem elicit: Τὸ δ' δάκρυον, inquit Aristoteles, ἰδρώς τίς ἐστι, διὸ καὶ γίνονται ὑπὸ θερμασίας ἄμφω ταῦτα, καὶ ἁλυκά ἐστιν ὁμοίως. Hoc est, Lacryma autem sudor quidam est, quapropter à concalefactione vtrumque mouetur, & sudor & lacryma, salsáque pariter ambo sentiuntur. Calorem verò motus sine dubio efficit. Dicat aliquis, hoc item ictus ratione prouenire: vt enim aduersi flatus oculos perturbât, ita etiam qui se obiectat aër, quo quis contétius equum agitat, aut currit ipse, eo magis ictu quodam molli euerberat ac ferit, quo vt lacrymæ promantur, effici, meatibus oculorum laxatis appulsu eiusmodi. Omnis enim ictus vim aut secandi habet, aut collidendi & contundendi. Lacrymæ porrò quantum possint, antea quidem sæpius diximus: iam vero, vt statim audies, etiam amissa recuperant, & periclitantes liberos vxorésque libertati restituunt.

A

ET CONTRISTATVS, &c.

VERSVS VI.

Et contristatus est Dauid valdè: volebat enim eum populus lapidare, quia amara erat anima vniuscuiúsque viri super filijs suis, & filiabus: confortatus est autem Dauid in Domino Deo suo.

Variæ translationes.

ET *contristatus est Dauid valdè.*] Lxx. Καὶ ἐθλίβη Δαυὶδ σφόδρα. *Et tribulatus est Dauid valdè.* Hebraicè, וַתֵּצֶר לְדָוִד *vathetser ledauid, & angustia fuit Dauidi.* Ita quoque Chaldæus, quod Græci interpretati sunt, *& tribulatus est Dauid valdè.* Vatablus, *valdè anxius.* A verbo B צוּר *tsor*, siue צַר *tsar*, *compressit*, afflixit, compegit in angustias. Idem porrò צור *tsour* Chaldæis, Syris, Arabibus, *fingere* est ex quacunque materia, pingere, stylo formare, acupingere; ita vt non ineptè Dauid tum dici potuerit tanquam acu pictus, aut stylo elaboratus ad perfectionem, & virtutis pulcherrima specie depictus, cùm in acerbissimas ærumnas incidisset.

Quia amara erat anima.] Hebraicè כִּי מָרָה נֶפֶשׁ *ki marah nephesc.* idem. Nec dissentiunt Græci, διότι κατώδυνος ψυχή. Insperatus ille dolor, & iactura rerum charissimarum, in furorem eos agebat, & ducis charitatem extinguebat.

Volebat enim eum populus lapidare.] Arias, *Quia dixerunt populus ad lapidandum eum.* Qui? Sicelegenses? Minimè. Nam illi iam abducti C fuerant captiui. Fuerunt ergo ipsi Dauidis commilitones. Nunc ergo experitur ad necem, non tantùm à Palæstinis, sed etiam à suis. Accepta enim tanta clade, oderunt eum tanquam hominem execrabilem, & Deo hominibúsque odiosum. Illum aiunt vexasse tot malis Amalecitas, & crabrones irritasse, cùm minimè oportuerit: deinde cùm iret meditatum, nullum in vrbe præsidium reliquisse. Hæc ergo omnia eius solius causa, & negligentia accidisse. Fuisse autem commilitones, qui ita de Dauidis capite consultarint, Iosephus scribit. Neque enim aderant tum Sicelegenses. Et, si adfuissent, nihil tamen causæ erat cur Dauid eos tam paucos extimesceret. Habet ergo Dauid vno tempore quatuor genera hostium: pri- D mum Saulem: deinde Palæstinos: tertiò Amalechitas: postremò ne quid deesset ad summam miseriam, socios etiam suos. Quæ illi aut plura, aut grauiora accidere potuissent si mansisset in Iudæa? Amisit vxores & liberos. Venit in discrimen capitis: eo postremò loco est, vt fidere non possit suis. Itaque excitatus est illi tantus dolor. Scilicet, quemadmodum appetente iam die densior vmbra terris incubat, sic quoque Dauidem iam portum capessentem, & regno proximum, grauius vehementiúsque contigit affligi.

David in maximis angustijs cõstitutus.

Quia amara erat anima vniuscuiusque viri super filijs suis.] Euripidis Iambicum carmen est:

Ἅπασι δ' ἀνθρώποις ἄρ' ἦν ψυχὴ τέκνα.
Cunctis hominibus liberi anima & vita sunt.

Prolis amor maximus.

AMARA ANIMA SVPER FILIIS.

Philostrat. Apoll. vitæ lib. 2. cap. 7.

Id quod Apollonius apud Philostrat. maluit ita decantari.

Κτώεσι ᾗ ζώοις ἀρ᾽ ἴσω ψυχὴ τέκνα.

Animantibus cunctis anima sunt filij.

Quòd prolis amor non solos homines, sed cætera quoque animantia pariter afficiat. Quippe cùm videret aliquando Tyanæus, vt idem Philostratus autor est, elephantos Indum flumen transeuntes (accedebant autem ad numerum trigesimum: & duce vtebantur totius gregis minimo: Maiores autem suos fœtus sublimes ferebant in dentibus, promuscide tanquam vinculo ipsos complectentes) Hæc, inquit, ô Damis, nullo iubente ex seipsis naturali quadam prudentia ac sapientia faciunt. Vides enim quo pacto sarcinarum baiulos imitati, suos deferant pullos vinculo, ne fortè cadant, eos complexi. Quorsum igitur nonnulli frustrà quærunt naturalis sit, an non parentum erga sua pignora beneuolentia? Nam eam sibi à natura insitam elephanti prædicant. Neque enim sicut alia quædam ab hominibus didicere. Hi namque nusquam cum hominibus conuersati sunt, sed natura ducuntur, vt ament, quod pepererunt: ob eam causam illis studiosè prospiciunt, & eosdem educant. Neque verò hoc elephantis duntaxat vsuuenit, qui cæteris animantibus secundum hominem solertia & consilio præstant, sed vrsi quoque tametsi reliquas feras sæuitia superent, attamen catulorum gratia nihil non faciunt. Nec segnius lupi, tametsi gulæ studio prædæ semper inhient. Fœmina partum suo præsidio fouet & tuetur: cibos familiæ necessarios masculus venatur. Itidem & pantheræ faciunt, quæ sunt in venerem procliuiores, & fœmina catulorum nomine maribus imperant. Animaduertit vtique etiam Homerus, vt leo pro suis catulis toruè tueatur, & vires ad prælium colligat. Tigrim quoque, cuius immanis est feritas, in hac ipsa regione ferunt adusque mare Erythræum raptos catulos persequi, in pontum se dare præcipitem, & in naues inuadere: quos si se recipere posse desperarit, non rarò vlulantem in ipso littore emori. Auium subinde ac piscium meminit, additque postremo: Vidi ego in Ægis insula phocam à piscatoribus comprehensam, mortuum filium, quem in carcere, vt sic dicam, pepererat ita deplorantem, vt triduo à cibis abstinuerit, quamuis omnium belluarum voracissima sit. Balæna autem faucibus filios abscondit, si quando maiorem belluam fugere contigerit, &c.

Confortatus est autem Dauid in Domino Deo suo.] Non humanis viribus roboratus est, sed in Deo: nec in quouis Deo, sed in suo: hoc est, quem sibi fauentem & propitium & antea semper expertus erat, & tum maximè sentiebat. Non quod Deus Dauidis solius Deus esset: erat enim etiam aliorum Iudæorum: nec illorum tantùm, sed etiam omnium nationum. *Num Iudæorum Deus tantùm?* inquit Paulus. *Non, sed etiam Gentium.* Sancti autem Deum appellant suum, quod propriè eius bonitatem sentiant. His ergo vijs & rationibus Deus Dauidem ad pristinam fiduciam reuocat. Nam dudum fretus erat promissis Dei. Sed eorum memoriam præsens calamitas ad horam interpellare visa est. Deus itaque denuò fidem in Dauide accendit, ne animum despondeat. Ita Chaldæus ait, *Dauidem sperasse in verba Dei.* Cùm ergo istam in animo fiduciam collegisset, confirmatus est in Deo suo: & eum inuocauit, statimque exauditus est.

DAVID CONFORTATVS IN DOMINO.

Sic Dauid Christi Domini speciem præ se tulit: de quo Tertullianus disserens De corona militis cap. 15. Fauos, inquit, vt patet ex Euangelijs, post fella gustauit: nec ante *Rex gloriæ* à cœlestibus salutatus est, quàm *Rex Iudæorum* proscriptus in crucem, minoratus primò à Patre modicum quid citra Angelos, & ita gloria & honore coronatus. Hæc ibi Tertullianus. At cap. vltimo exprobrat idem Christianis insanam constantiam eorum militum, qui in Spelæo Mythræ, id est Soli initiabantur. Et B. Gregorius Nazianz. Orat. 1. in Iulianum Imperat. scribit, ab illo fuisse comparata martyria Christianorum cruciatibus, qui in Mithræ sacris celebrabantur. Super quo loco vetus Commentator, inquit Pamelius apud Tertullian. Huic Deo, ait, qui volunt initiari, colitur autem potissimùm à Chaldæis, duodecim contumelijs afficiuntur: per verbera, calorem, frigus, & alia huiusmodi. Apud Eliam Cretensem S. Gregorij interpretem, nos ista legimus. Et ij quidem, qui ipsius sacris initiandi erant, per duodecim cruciatus ducebantur, nimirùm per ignem, per frigus, per famem, per sitim, per flagra, per itineris molestiam, aliáque id genus, &c. Hæc illi.

Aduersa secundis præire solent. Tertullian.

S. Gregor. Nazianz.

Pamelius.

Elias Cretensis.

At nos Dauidis tyrocinij rudimenta paucis expendemus. tuum erit, lector, de ijsdem ratiocinari, an non duodenarium illa numerum superare videantur. Primùm enim cùm à principio ad pascendos greges à patre adhibitus esset, cum vrsis & leonibus non rarò dimicauit. Statim verò vt castra ingressus est, cum pugnandi studio voluntatem Regis percontaretur, probris & conuitijs à fratre malè acceptus est. Deinde victoriæ fructu amplissimo frustratus, Merob filiam Saulis, quam sibi iure præmij vendicabat, eundem pertulit alteri viro collocare. Adhæc semel, iterum, ac tertiò à Rege telo petitus penè ex insidijs oppressus est. Adde his obsessam domum, & vallatam militum stationibus, qui prima luce raperent ad necem. Subinde verò etiam apud Samuelem, cùm loci virique religione tutus agere videretur, ni Deus præsens afforet, vim & contumeliam pateretur. Adde nunc eius causa violatos sacrilegio Sacerdotes, & euersam vrbem, quorum iniusta nex ad eius dolorem grauissimum redundauit. Adde & profugos senes parentes, totámque familiam imminentis periculi metu patrijs sedibus exactam, inediam, sitim, & sexcenta incommoda, in quæ illi necessario incurrunt, qui sine tecto, sine laribus, omnium egeni exulant. Coactus denique est etiam Moabitarum fidem experiri, & apud Regem Palæstinorum de vita periclitatus est. Parum deinde abfuit quin à Ceilensibus,

Dauid rudimenta ad pietatis & religionis perfectionem.

Applica ad me ephod.

sibus, quos seruauerat, hosti infensissimo proderetur. Ter quoque à Saule proditione Ziphensium pene circumuentus est. Præterea Nabal, cuius opes suo præsidio defenderat, cùm speraret ab eo rebus necessarijs adiutum iri, in eundem acerbè inuectus est. Denique cùm Palæstinorum perfugio vti statuisset, primò apud eos audit proditor, statim verò ab Amalechitis vxoribus liberisque orbatur. postremò à contribulibus suis penè saxis obrutus est. Hæc si quis attentè considerarit, nihil causæ erit quamobrem Dauidem censeat tyronem ad regni gubernacula accessisse.

Versus VII.

Et ait ad Abiathar Sacerdotem filium Achimelech: Applica ad me ephod. Et applicauit Abiathar ephod ad Dauid,

Versus VIII.

Et consuluit Dauid Dominum dicens: Persequar latrunculos hos, & comprehendam eos, an non? Dixitque ei Dominus: Persequere: absque dubio enim comprehendes eos, & excuties prædam.

Variæ translat.

A*pplica ad me ephod.*] Haud perinde est, quod nonnulli censent, ac si diceret, *Indue me ephod*; sed *profer in medium*, vt Vatablus interpretatur. Gallicè exponi posset, *Tirez moy l'ephod*: inuolutum enim & reconditum illud seruabatur. Propriè *Accedere fac*, vt Arias vertit. Scribitur הַגִּישָׁה *hagisca*, *accedere fac*, à verbo נָגַשׁ *nagasc*. *Ad me*, לִי *li*, *mihi*, mea causa, vt quidam annotat. Aquila vertit, ἔγγισον μοι τὴν ἐπωμίδα.

Persequar latrunculos hos?] Hebraicè, *Persequar post* הַגְּדוּד הַזֶּה *hagedoud hazeh*. Pagninus, *exercitum hunc*. Arias, *agmen istud*. Vatabl. *turbam istam militarem*. Vulgatus, *latrunculos istos*. Alius *turmam istam*, & annotat גדוד *gedoud* ab Hebræis accipi pro cœtu fortium. Chaldæus, *exercitum* vertit. Lxx. Complut. Εἰ καταδιώξω ὀπίσω τοῦ στρατεύματος τούτου, *post exercitum hunc?* Aldina & Rom. editio Hebræam vocem seruauit γεδδοὺρ *geddur*. Quo loco Nobilius, Complut. inquit ὀπίσω τοῦ στρατεύματος τούτου, *post exercitum hunc, post agmen hoc*, itemq; paulò inferius, sed tertio loco, vbi idem in nostra repetitur, Complut. habent σύστρεμμα, *globum*. Theodoret. q. 65. ipsum autem σύστρεμμα Hebræus vocat γεδδούρ, quod alibi exponitur πειρατήριον. Vocatur autem sic *globus & agmen latronum*. lib. 2. Reg. c. 3. v. 22. Pagninus *gedur* vocat *castra*. Arias *agmen*. Lxx. τὴν ἐξοδίαν *excursionem*. Vulgatus, *cæsis latronibus* rediisse memorat, pro quo Hebræus habet *de gedur*. Verbum Hebr. est גָּדַר *gadar*, quod sepire, ac maceria circundare significat. item & congregare: vnde caulæ nomen non solùm deriuatur, sed etiam *gregis*: non *castrorum* tantùm, quod vallo munitur: sed etiam *turmæ* atque cohortis.

Dauid fiduciam suam collocauit in Deo. Itaque Deus eũ frustrari noluit. Decreuerat enim hoc illum pacto illustrare: at non sine lucta & puluere. Quare abuti voluit peccato Amalecitarum, partim vt Dauidi victoriam conciliaret, partim vt illi animos suorum adiungeret. Nam ille ex ista præda misit munera principibus Iuda. Et ita factum est, vt mortuo Saule facilius reuocaretur ad regnum. Hoc pacto Deus amplificare voluit gloriam Dauidi. Nam ille, cùm paulò ante habitus fuisset proditor, præter spem omnium repêtè rex creatus est. Successus iste Amalecitarum fecit ad eorum perniciem. Ita Deus temperat rerum vicissitudines.

Applica quæso mihi ephod.] Nunc primum Dauid, vt legimus, apud Palæstinos consulit Dominum. Antea enim neque cùm fugeret è Iudæa, neque cùm ab Achi oppidum peteret, neque cùm Amalecitarum & Gessuræorum agros, & oppida vastaret, neque cùm Achim sequeretur ad bellum contra suos, legitur Dominum consuluisse: tametsi, quæ fuit eius religio ac pietas, verisimile sit, vt iam sæpius scripsimus, nihil illum magni momenti inconsulto Deo aggressum esse. At nunc postquam ingrauescens calamitas omnem humanam opem ac consilium superare visa est, disertè legitur applicato ephod oraculum interrogasse, ne quid temerè susciperet. Minora quandoque pericula arte atq; solertia vitari possunt; vbi grauiora impendent, Numinis subsidium ac fauor implorandus est. Deus autem inuocatus statim adfuit, & conatus illius multis modis fortunauit. Saulem autem idcirco prius audire noluit, quòd multis sceleribus ac flagitijs contaminatus accederet, quorum ne tum quidem miserrimum pœniteret ex animo.

Furis etymol.

Persequar latrunculos hos?] Furem inde dictum refert Nonius ex Varrone, quòd veteres Romani furuum atrum appellabant: fures enim per noctem quæ atra est, facilius furantur. Noctu an interdiu prædones isti Siceleg diripuerint, non perinde constat ex Scriptura: arbitror tamen hoc interdiu potius contigisse. Nam si præcedenti nocte vrbem incendissent, non ita procul agere prædam potuissent, & graues sarcinas atque impedimenta portare. Statim Dauid in proximo hærentes comprehendisset. At nunc longius excurrendum fuit, ita vt non pauci labore fracti in medio itinere subsisterent. Quamobrem aut vastatam perendie Siceleg arbitror, aut etiam nudiustertius. Cæterùm quum hoc quoque Dauid ignoraret, incertus quò ferretur, & quantum viæ hactenus confecissent, Dominum interrogat.

Num persequar latrunculos hos?] Non quærit, vtrum iure eos persequi possit? Nam semper iustum illud bellum est habitum, si quis sua per vim erepta recuperet. Legibus 12 tabular. *Rei furtiuæ æterna auctoritas esto.* Extat apud Iustinianum *lib. 2. Institut. tit. 6.* Sententia legis hæc est, rei furtiuæ liberam, perpetuámque vindicationem esse debere. Repetijt eam aliquot annis postea Atinius, quando

Rei furtiuæ æterna autoritas esto.

NVM'PERSEQVAR, &c.

sic ad populum tulit: Furtiua res non vsucapiatur, nisi in potestatem eius, cui subrepta est, reuertatur. Iustinianus hanc legem ita explicat: Quod autem, inquit, dictum est, furtiuarum rerum vsucapionem per leges prohibitam esse, non eo pertinet vt ne ipse fur vsucapere possit, (vsucapere, est vsu rei autoritatem seu ius consequi) nam huic alia ratione vsus non competit, quia scilicet mala fide possidet: sed ne vllus alius, quamuis ab eo bona fide emerit, vel ex alia causa acceperit, vsucapiendi ius habeat. Quo pacto igitur Dauidi sua repetere non licuisset, quæ ne quidem adhuc prædones domum intulerant? Quinetiam posterior lex quædam sanxit autoribus Valentinian. Theodos. & Arcad. Augustis, vt priuatim cuique foris in grassatores animaduertendi potestas esset. *Cod. Quando liceat vnicuique se sine iudice vindicare l. 1.*

Priuatim cuique foris in grassatores animaduertendi potestas est.

B Liberam, aiunt, resistendi cunctis tribuimus facultatem: vt quicunque militum vel priuatorum ad agros nocturnus populator intrauerit, aut itinera frequentata insidijs aggressionis obsederit, permissa cuicunque licentia digno illico supplicio subiugetur: ac mortem, quam minabatur, excipiat: & id, quod intendebat, incurrat. Melius est enim occurrere in tempore, quàm post exitum vindicare. Vestram igitur vobis permittimus vltionem, & quod serum est punire iudicio, subiugamus edicto: vt nullus parcat militi, cui obuiare telo oporteat vt latroni. Siue, ait Gothofredus, ei parcere non potuerit sine vitæ periculo, siue potuerit. Et rursum *ibidem l 2.* Opprimendorum desertorum facultatem prouincialibus iure permittimus: qui si resistere ausi fuerint, in his velox vbique iubemus esse supplicium. Cuncti etenim aduersus latrones publicos, desertorésque militiæ, ius sibi sciant pro quiete communi exercendæ publicæ vltionis indultum. His etiam Tertullianus consonat in Apologet. In reos, inquit, maiestatis & publicos hostes omnis homo miles est. Ac si diceret, cuique ijs casibus reum capiendi, eúmque interficiendi ius permittitur. Vtriusque legis beneficio Dauid & prædam excussit, & latrones plerosque interemit. Nam quas leges postea Roma sanxit, natura dudum easdem reliquas nationes docuerat.

Et si verò Dauid lege factum suum tueri non posset, autoritatem tamen patris exemplum praclarissimum conciliabat. Nam cùm vicini reges, impressione facta, cepissent Sodomam, & Loth abduxissent, Abraham instructo domestico exercitu, vernísque armatis, victores insequutus est, occupauit imparatos, vicit, nepotem eripuit, prædámque & captiuos recuperauit. Huiusmodi storgæ impressæ à Deo in animis nostris, non sunt vituperandæ. Imò grauiter peccaret, si quis eas abijceret, & salutem suorum contemneret. *Nam qui suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit*, inquit Apostolus, *& est infideli deterior.* Laudandum ergo erat illud studium & Dauidis & Abrahami. Contrà incredibilis illa ignauia, & stupor Gallieni Imperatoris

A ratoris non potest satis vituperari. Nam cùm eius pater Valerianus à Sapore Persarum rege captus esset, & ignominiosissimè tractaretur, ille prorsus indulsit popinis & ganeis, & nihil de patris salute cogitauit.

TORRENTEM BESOR, &c.

Persequere, comprehendes eos.] Victoriam pollicetur, quam largiri solus potuit: & latrones haud dubiè comprehensum iri, quos statuerat opportuno loco inuadéti obijcere. Deus perstat in sententia, & quod pridem gentis scelere prouocatus statuerat, pergit constanter exequi. Nam ab initio deuouerat Amalecitas internecioni. Iurauerat enim *per solium suum, se delere velle nomen illorum sub cælo.*

VERSVS IX.

Abiit ergo Dauid ipse, & sexcenti viri qui erant cum eo, & venerunt vsque ad torrentem Besor: & lassi quidam substiterunt.

VERSVS X.

Persequutus est autem Dauid ipse, & quadringenti viri: & substiterant enim ducenti, qui lassi transire non poterant. Torrentem Besor.

C TOrrentem Besor.] Sic quoque Septuag. ἕως τοῦ χειμάῤῥου τοῦ Βοσόρ. Chaldæus tamen *fluuium* nominat. Adrichomius descripsit in tribu Simeon non ita procul Siceleg, qua iter est in solitudinem Bersabee & in Amalecitas. *Et lassi quidam substiterant.*] Καὶ οἱ περισσοὶ ἔστησαν. Rom. & Ald. Et residui. Hebr. וְהַנּוֹתָרִים *vehannotharim*, יִוָּתֵר *iathar*, *& reliqui siue residui*, vt etiam Græci, *substiterunt.* Rationem Vulgatus reddere voluit. Complutenses autem, καὶ καταλείπει ἐκεῖ διακοσίους ἄνδρας, *& relinquit ibi ducentos viros.* Theodoretus videtur habuisse διακόνους ἄνδρας, *ministros viros*, quos ebhaustos labore ex cursu dicit Aquilam exposuisse μεμενηκέναι, *mansisse.* Chaldæus, *& pars eorum relicti sunt.* Reliquos siue residuos Pagninus,

Variæ trãslationes.

D Vatablus, & alij plures. Apud Procopium legimus: ὑπέστησαν δὲ οἱ ἑβδομήκοντα ἄνδρες, substiterunt Septuaginta viri. Vnde acceperit ignoro. Aquila, ἐνάρκησαν τοῦ διαβῆναι, defatigati sunt, ita vt non possent transire.

Versu decimo. *Qui lassi transire non poterant.*] Septuaginta meminerunt lassitudinis, sed scribunt, οἵτινες ἐκάθισαν πέραν τοῦ χειμάῤῥου, *qui sederunt trans torrentem.* Chaldæus, *qui prohibiti sunt à transeundo fluuium BeZZor.* Alius, *qui ita defecti erant viribus, vt non possent traijcere torrentem Besor.* Hebraicè propriè *defecti à transeundo. Qui* פגרו *piggeron*, Pagninus, *fuerant lassi ne transirent.* Arias, *qui pigrescebant à transeundo.* Significat autem פגר *peger*, vt nonnullis placet, corpus quod est

Spiritu.

Abiit ergo David, &c.

Spiritu. Inde verbum *pigger* in Coniugat. daggessata, pigrescere & lassari. Vatablus, *qui resederunt, ne transirent torrentem.* In Schol. *qui lassi fuerant vsqueadeo, vt non possent transire torrentem.* Vel, *qui pigriores fuerunt, præfictâ lassitudine* scilicet, qui simulabant tantam lassitudinem vt non possent transire. Vox Hebræa significat *lassum esse*, & remissum: significat & *pigrum esse.*

Abiit ergo David ipse, & sexcenti viri.] Dauid oraculo fidem habuit. Quidni verò crederet? Romani Græcique credebant cantibus, & volatibus auium, auguribus, pullis, extis. Et Dauid non crederet vero & viuenti Deo? Credidit & insequutus est. Verùm, vt eius fides magis etiam probaretur & elucesceret, tristis casus alacritatem militum interpellauit. Nam ducenti ex militibus lassi statim impetum remiserunt, & negarunt vltrà se progredi posse: vt cùm essent in vniuersum tantum sexcenti milites, tertia iam parte exercitus destitueretur. Credibile est, Dauidem vehementer animo perculsum fuisse, cùm id accideret. Et fortassis ita secum cogitauit: Promisit mihi Deus victoriam: sed forsan non sine aliquo meo damno. Ita enim quondam victoriam promisit Israëlitis contra Beniamitas. Illi tamen ab eis bis antea duriter accepti & cæsi sunt, quàm Deus ea promissa præstaret. Nos quidem Amalecitas priores populando lacessiuimus: quamobrem nunc illi à nobis pœnas expetunt: sed non potuit ea res non probari Deo, qui eam gentem statuit funditus deleri. Quod si me pars laceri exercitus deserit, nequaquam tamen spes abijcienda est, aut me decet, qui Deo fretus sim, vlla copiarum defectione moueri. Subeat mentem Gedeonis audacia, qui minore comitum numero stipatus ingentem eius gentis exercitum profligauit. Illud porrò sedulò obseruandum est. Dauid cùm à principio haberet sexcentos milites, nihil tamen ausus est tentare inconsulto Deo. Nunc postquam accepto responso recreatus est, non dubitat etiam cum quadringentis congredi. Reliquit ergo ducentos illos fessos ad impedimenta: & cum reliqua manu profectus est in hostem: illis defatigatis consulit, & reliquos habet expeditiores. Non enim cogebantur secum impedimenta trahere.

Non semper sine sanguine victoriam largitur Deus quam pollicitus est.

Persequutus est autem David ipse, &c.] Deus permisit, inquit Procopius, liberos & vxores Dauidis, & sociorum eius, captiuas abduci, vt, dolore impulsi, Amalecitis bellum inferrent, & ipsos iuxta Domini vaticinium funditus extirparent. Adhæc, vt Dauid ingenti præda parta, suis contribulibus mitteret, & voluntates suorum sibi magis adstringeret, & conciliaret.

Procopius.

Substiterant enim ducenti.] Andocides apud Suidam, ὅτω ȝ δεῖ ϗ αὐτοὺς, ϗ τοὺς ἐκ αὐτῶν ἀτίμους τ. Sic autem oportebat ipsos, & ipsorum posteros infames esse. Pugnæ non pugnatæ crimen olim seuerè vindicatum est, seu naualis illa, seu terrestris foret. Pœna autem seu mulcta legibus constituta, ἀναυμαχίου ὄφλημα, vel δίκη, vel ζημία vocabatur. Lege Suidam in

Suidas.

Tom. II.

A voce ἀναυμαχίου. Sed hi digni erant qui præmio potius quàm supplicio afficerentur: quippe qui non ante substiterant, quàm vires eos deficerent; ita vt prius eos natura quàm animus destitueret: quod egregiam planè laudem meretur, & indicat quoad potuerint officio functos egregiè fuisse. De lassitudine nos antea copiosè cap. 14. ver. 31.

Et adduxerunt, &c.

Versus XI.

Et inuenerunt virum Ægyptium in agro, & adduxerunt eum ad Dauid: dederúntque ei panem vt comederet, & biberet aquam.

B

Versus XII.

Sed & fragmen massæ caricarum, & duas ligaturas vuæ passæ. Quæ cùm comedisset, reuersus est Spiritus eius, & refocillatus est: Non enim comederat panem, neque biberat aquam, tribus diebus & tribus noctibus.

Et adduxerunt eum ad David.] Lxx. *Et inuenerunt virum Ægyptium in agro*, Καὶ λαμβάνουσιν αὐτὸν, ϗ ἄγουσιν πρὸς Δαυὶδ αὐτὸν, *& capiunt eum, & ducunt ad David eum.* Chaldæus, *& venire fecerunt eum ad David.* Vatablus, *quem captum adduxerunt.* Hebraicè, וַיִּקְחוּ אֹתוֹ אֶל־דָּוִד *vaykchhou otho el-David*, Arias, *& ceperunt eum* C *ad David.* Pagninus, *& attulerũt eum ad David.* Verbum לָקַח *lakah* non rarò vtrumque significat, *cepit, & attulit*; vt Genes. 15. ver. 9. קְחָה לִי *kchhah li, Sume mihi* Vulgatus; alij, *accipe ad me*, nonnulli malunt *cape*, *& affer ad me vaccam triennem, &c.* Huic interpretationi hoc loco quæ de Ægyptij inedia & siti defectísque viribus narrantur, haud parum fauent. *Et biberet aquam.*] *& propinauerunt ei aquam. Sed & fragmen massæ caricarum,*] Arias, *fragmen caricæ, & duos botros siccos.* Chaldæus, *Et dederunt illi pondus caricarum, & duos botros vuarum passarum.* Lxx. Ald. edit. Καὶ διδόασιν αὐτῷ κλάσμα παλάθης, ϗ ἔφαγε, Rom. Nobilij, *Et dant ei fragmentum palathæ, & manducauit.* Complutensis addit cum Vulgat. ex Hebræo, ϗ δύο σταφίδας, *& duas vuas* D *passas. Reuersus est Spiritus eius.*] Lxx. Καὶ κατέστη τὸ πνεῦμα αὐτοῦ ἐν αὐτῷ. *Et reuersus Spiritus eius in eo.* ita Complut. *Et restitutus est Spiritus eius in eo*, Rom. edit. Nobilij. Chaldæus, *Et rediit Spiritus eius illi.* Alius quidam, *& restitutus est ei animus. animum recepit.* Vatablus, *rediit ad se.* Hebraicè, *Et reuersus est* וַתָּשָׁב רוּחוֹ אֵלָיו *ruchho elau*, Pagninus, *Spiritus eius in eo.* Arias, *ad eum.*

Variæ trãslationes.

Et inuenerunt virum Ægyptium in agro.] Qui inuenerunt? Qui nimirùm substiterant. Ita Vatablus. Sed nihil eo absurdius. Quo pacto enim qui præsentem comitari non poterant, currentem & iam longius progressum insequi potuissent? Inuenit itaque Dauid ipse cum suis dum vestigat omnia, & campos diligentius explorat. *Et adduxerunt eum ad David*, qui primi

GGgg ij

ET BIBERET AQVAM.

in eum incurrerant: nec dubito eorundem opera adiutum esse vt paululum procederet.

Iulianus. Panis vituperatio, & laudes.

Dederúntque ei panem vt comederet.] Iulianus ὁ παραβάτης in quadam epistola scribit: Quis igitur ignorat Æthiopum sermonem de cibo apud nos optimi alimenti? Cùm enim placentam gustassent, dixerunt, se mirari quomodo stercoribus vescentes viueremus, si cui Thurius ille (Herodotum se dicere intelligit) historiæ scriptor fide dignus esse videtur. Sed hæc illi, quoniam, vt illi tradunt qui terrarum orbem descripserunt, ἰχθυοφάγων καὶ κρεωφάγων αἰθιόπων φασὶ quæ gentes piscibus & carne vescuntur, ne per somnium quidem victus nostri rationem gustarunt. Quorum viuendi rationem si quis apud nos æmulari voluerit, cum eo non melius agetur, quàm cum illis, qui cicutam, aut aconitum, aut elleborum hauserint. At contrà Democritus, vt ferunt, cùm illum iam anima deficeret, eandem calentis panis odore recreauit, & vitam ad dies paucos produxit. *Panis*, ait Dauid Psal. 103. ver. 16. *cor hominis confirmat*: siue *fulcit*, vt Pagninus: aut *sustentat*, vt Arias. Itaque non rarò cùm in Psalmis, tum apud Prophetas *panis virga*, *baculus*, *firmamentum* nominatur. Ecclesiast. 29. ver. 28. *Principium* ἀρχὴ *vitæ hominis panis & aqua.* Deficienti Eliæ 3. Reg. cap. 29. Angelus *panem & aquam* subministrauit: quo cibo statim recreatus, quadraginta dierum iter absque labore confecit. Cibus quantum momenti habeat ad reficiendos eos qui corruunt, docet Xenophon lib. 4. Cyri Minor. expedit. Postero die, inquit, per niues perpetuas iter fecerunt, inter quas homines non pauci insana fame laborarunt: quos cùm humi passim iacentes Xenophon, qui extremum agmen ducebat, offendisset, primò rei nouitate perculsus est, cùm calamitatis eius causam ignoraret. Postea verò quàm ab ijs qui rerum vsu præstabant, cognouit insana fame eos concidisse, ac si quid comessent, fore vt repentè se erigerent, ad iumenta accedens, quicquid cibi aut potionis nactus esset, illis dabat, ac dimittebat valentiores, qui esurientes assequuti releuarent: At illi sumpto cibo recreati, vnà cum cæteris proficiscebantur. Hactenus Xenophon.

Xenophō.

Et aquam biberet.] Apud Senecam in Agamennone act. 3. delinquentem animam aspersa aqua reficiunt.

Famuli attollite,
Refouete gelido latice, iam recipit diem
Marcente visu: Suscita sensus tuos, &c.

Frigida deficientem animam recreat ac reficit. Delrius.

In quem locum Delrio, Frigida, ait, ijs qui deliquium animi patiuntur, prodest, autore Hippocrate in Aphorismis, & Aristotele in Problematibus: quia frigus spiritus cogit, & impedit ne dissoluantur: qui Spiritus plurimi ad faciem venire solent. Itaque aqua frigida in faciem diffusa illos congregat, quibus congregatis, sensibus functiones suæ redduntur, sicque euanescit λειποψυχία. Calida autem aqua illis prodest qui timuerunt, vel laborarunt vehementius. De gelida aqua habes exempla hîc, & apud Homerum Iliad. α. & ξ. Ait etiam Ouidius in epistola Laodamiæ,

Calida post laborem & metum nō parum prodest.

A
Lux quoque tecum abijt, tenebris exanguis obortis
Succiduo decor procubuisse genu.
Vix socer Iphiclus, vix me grandæuus Acastus,
Vix mater gelida mœsta refecit aqua.

ET BIBERET AQVAM. Ouidius.

Posterioris, scilicet de calida, exempla suppeditat Homerus Ὀδυσσ. ι. & ι. Et Plautus in Bacchidibus, inquiens;

Ba. Dabitur opera. aqua calet. Eamus intrò, vt laues.
Nam vt in mari vecta es, credo timida es. B. Aliquantum soror.
Simul hîc nescio quid turba est, &c.

Esto, inquies: sed quid ad potum? Nam hic quidem legimus, *& aquam biberet.* Quinimò hæc quoque pota plurimum conferet. Meminit enim Plato 1. de Republ. aquæ calidæ, qua refrigerentur intestina, & excitetur appetentia, quum sitim irritet frigida. Philemon quoque calidæ potum approbat. Sed & histor. 1. Herodotus scribit decoctâ ex Choaspe aquam semper habuisse secum Persarum regem, quocunque pergeret. Alij idcirco eam vtilem inediam passis arbitrantur, quòd vomitum ciere valeat. Scribit Auicenna primo Canonis, cùm edendi auiditas inferbuerit, non esse reficiendi differendum vorum, quoniam famis patientia non putris oplet stomachum humoribus. Euentus ratio est, quoniam à meseraicis & venis hepatis interim humores eliciuntur. Proinde, ait Galenus 3. Natural. facultat. ante cibum laudatur vomitus famem perpessis diuturnam, ne illatus cibus, & putridis permistus facilè corrumpatur. Et hæc quidem Medicorum placita lepidissimè suis notis Plautus expressit.

Plato.

B

Auicenna.

Galenus.

C

Plautus in Curculione.

Os amarum habeo, dentes plenos, lippiunt fauces [*fame*,
Ita cibi vacuitate venio lassis lactibus.

Nam per esuriem ipsum quoque os amarescere videtur; torqueri viscera, venis præter consuetudinem acrius mulgentibus; dentes inhærere visco, fauces telis aranearum obsideri. Nonnulli etiam aquam per se naturam fouere volunt, ac corpus alere. Albertus septimo de Animalibus scriptum reliquit, vidisse se virum melancholia laborantem, qui sine cibo septem hebdomadas perseuerauerit, alternis tantum diebus aquam sorbentem. Visam quoque in Hispania puellam autores grauissimi produnt, quæ comederet nihil, haustu tantùm aquæ vitam toleraret, & annum iam ageret secundum ac vigesimum. Agar certè, Genes. 21. cùm dixisset,

D

Non videbo morientem puerum, & procul è regione sedens fletu ac eiulatu cœlum fatigaret, de puteo tantùm legitur edocta ab Angelo: puer autem cùm bibisset, adoleuisse, & in virū sagittarium euasisse memoratur. Verùm hoc loco non aqua solùm, sed vnà cum pane exhibita est, haud dubiè necessaria quæ cibos maceret. Postremò eò nunc maximè aqua conducere visa est, quòd ea refrigeret quos fames incenderat. Siquidem inedia calorem, vt inquit Seneca, conuellit, ac nocet sanguini, cursúmque eius, venis laborantibus sistit: bilem ciet, quam potus magna ex parte temperat, & hominem sibi restituit.

Sed & fragmen massæ caricarum.] *Caricas* à copia nominatas inquit S. Isidor. Ficus à fœcunditate. Est enim cæteris arboribus illa feracior.

Sed et fragmen &c. *Ficus dulcedine præstat.* *Herodot. lib. 2.*

cior. Iulianus Apostata in epistola ad Sirapionem, Aristophanes ait, excepto melle, nil dulcius esse caricis: imò ne hoc quidem ipsum dulcedine ijsdem præferri debere. Herodotus scriptor ad indicandam vastæ regionis solitudinem hoc vnum dicere satis habuit: Apud eos neque fici sunt, neque aliud bonum vllum: tanquam ex omni fructuum genere nullum melius ficis inueniatur, neque vbi ficus sit, boni quicquam desideretur. Homerus ille sapiens cæteros fructus partim ob magnitudinem, partim ob colorem magnitudinemúe laudat: soli fico dulcedinis nomen attribuit. Mel etiam flauum vocat, veritus ne imprudens dulce id appellet, quod amarum persæpe est: at vni certè fico propriè hanc appellationem ascribit, vt nectari, quod ficus sola ex omnibus dulcis sit. Et non solum gustatu dulcis, sed etiam B odore antecellit. Iam adeò vtilis hominibus est, vt præsidium ad quæuis venena salutare Aristoteli videatur: ac mensis etiam inchoandis & claudendis non ob aliam causam adhiberi: tanquam hoc vnum pro omnibus sacrum remedium aduersus ciborum iniurias exhibeatur. Enimuerò dijs ficum consecrari, omnibúsque aris adhiberi, & quouis thure ad odores aptiorem esse, non mea est oratio, sed quisquis vsum eius didicit, à sapiente aliquo homine, sacrorúmque antistite manasse intelligit. Hactenus ille fidei desertor. At verò omnium fructuū, quos ὡραίους appellāt, vtilissimos esse ficos hominibus Herodotus Lycius apud

Athenæus. *Recens natis conducit.*

Athenæum libro tertio cap. 5. docet, ac ficuum succo recens natos puellulos optimè ali, vegetósque fieri, si illis nutriantur, affirmat. C Pherecrates autem, qui Persas edidit, inquit:

Aspexit nostrum si quispiam aliquando ficum recentem, cum tempestina est,
Puellulis, vt niteant, obtritam in cibum dat tanquam medicamentum non vulgare ficus sit.

Ficus porrò citò digeritur & coquitur, vt scribit Philotimus apud Athenæum lib. 3. & molem auget, ac corpori inseritur: ita vt hoc loco non parum contulisse videri possit, vt moribundus statim reuiuisceret. Athenienses ἱερὰν συκῆν sacram ficum vocant. Vocant & ἡγητορίαν, quod alendi dux fuerit, siue alimenti principium. Nam vt primum glande Arcades, ita & fico Athenienses vesci cœperunt. Non paucos sanè veterum Anachoretarum caricis D olim vitam sustentasse legimus. Quam vim medicam habeant, docet Galenus in Comment. de Euchymia.

Ficus annona quandoque militaris.

Sed vnde hîc militibus fici? Num fortè in Alcinoi hortos irruperant? quinimò vasta eremus regionem occupabat. An fortè hæc tum militaris annona est habita, cùm panis haud satis abundè suppeteret: nec visceratio perinde commodè ab expeditis & currentibus deferri posset? Polybius Megalopolites lib. 12.

Polybius.

Narrat, Philippum Persei patrem, cùm incursionibus Asiam vastaret, commeatus inopia, quia frumentum deesset, in cibaria militum à Magnesijs ficus accepisse, ideóque politum Myunte, pro datis ficis eum locum tribuisse

A Magnesijs. Quamobrem non imperitè Ananius Iambicus ficos auro præstantiores cecinit his versibus:

Sed et fragmen &c. *Ficus auro præstant.*

Εἴ τις καθείρξε χρυσὸν ἐν δόμοις πολὺν,
Καὶ σῦκα βαιά, κ' δύ' ἢ τρεῖς ἀνθρώπους,
Γνοίη γ' ὅσῳ τὰ σῦκα τοῦ χρυσοῦ κρείσσω.
In ædibus auri multum si quis concluserit,
Et paucas ficus, duosque vel tres homines,
Quanto ficus auro sint præstantiores intelliget.

Huc denique etiam illud attinet quod habet Apostata in illa epistola, ficus omnium fructuum diutissimè conseruari. Nam cùm cæterarum, inquit, arborum poma exigui temporis sint, neque ætatem ferant: sola ficus vltra annum viuit, & sequentis fructus ortum comitatur. Itaque Homerus in horto Alcinoi ait, fructus alios super alijs senescere. quod in cæteris fortasse poëtica fabula videri potest: in fico certè cum veritate consentiens oratio est, quia hic fructus omnium maximè ad diuturnitatem seruatur. Hæc ille. Amithrochates Indorum rex fertur per literas ab Anthioco caricas postulasse. Xerxes earum studio Græcis bellum intulisse. Athenienses Istro teste ne exportarentur edicto prohibuisse. Aristophanes reliqui fructibus dulciores pronunciauit. Alexis etiam τὸ θεοτραγὲς diuinum cibum.

De vuis passis. *Gorrhæus.*

Et duas ligaturas vuæ passæ.] LXX. Καὶ δύο σταφίδας. Σταφὶς, inquit Gorrhæus, in Definit. Med. est omnis vua insolata, & seruari possit. Non est dubium qualis vua fuerit secundum naturam, talem etiam esse eius facultatem postquam solem passa fuerit: dulcem scilicet ex dulcibus, austeram ex austeris, mistam ex ijs C quæ vtriusque qualitatis sunt participes. Stomachum & iecur maximè iuuant. Gemina species. Παρηλιωθεῖσα σταφὶς dicitur, quæ in vite adhuc manens à Sole siccata est. Θελωποδηλιωθεῖσα σταφὶς, quæ è vite detracta in vmbra aut Sole aruit. Modum tradit Columella lib. 12. Est autem ψυχόπεδον locus in quo vuæ siccantes, dictus ἀπὸ τοῦ ψύχεσθαι ἐν τῷ ἡλίῳ καὶ τῷ πέδῳ, hoc est, quod humore exhaustæ sint in Sole solóque. Cæterùm exploratores à Mose missi, cùm Palæstinā collustrassent oculis, & palmitem cum vua pendula, ficúsque & mala punica asportassent, & iam reduces legationis suæ rationem redderent, *Venimus*, inquiunt, *in Terram, ad quam misisti nos, quæ reuera fluit lacte & melle, vt ex his fructibus cognosci potest.* D Inde hos fructus auectos miles habuit, quos deficienti suppeditaret. Nam quod ad eam solitudinem attinet, in qua Dauid trans torrentem Besor Ægyptium nactus est, & Amalecitas profligauit, Populus Num. 20. cum Moyse expostulans, ait: *Adduxistis nos in locum pessimum, qui seri non potest, qui nec ficum gignit, nec vineas, nec malogranata, insuper & aquam non habet ad bibendum.* Quare ea omnia secum attulisse oportuit, cùm ignorarent quoto die pugnandi potestas foret.

Num. c. 13.

Quæ cùm comedisset, reuersus est spiritus eius, &, quod Vulgatus addidit explicandi gratia, *refocillatus est.*] Hoc est, vires animúmque recepit. Itaque prius illum anima defecerat, inedia morbóque confectus. Haudquaquam ta-

Non comederat tribus diebus. Lipopsychiæ & Syncopes distinct. atque defin.

men videri potest syncope laborasse. λειποθυμία fortassis siue λειποψυχία fractis viribus illum solo afflixerat, nondum tamen vitalem spiritum dissipauerat, aut calorem natiuum extinxerat: quibus maximè vinculis vita nostra continetur, nec sine mortis periculo per syncopem labant. Habet siquidem λειποψυχία & mitiores causas, vt docet Gorrhæus, & minora symptomata quàm συγκοπή. Quo factum est, vt Galenus libro primo ad Glauconem scripserit, à lipopsychia syncopes initium fieri, vt quæ syncopæ præuertere soleat, tanquam leuior quidam affectus grauiori. Languent quidem ægri, pulsus deficit, & ingrauescente malo sensus ipse motúsque concidunt, sed citra sudorem, qui velut limes quidam aut intercapedo media syncopen lipothymiámque discriminat. Vbi enim is oritur, solidas fluentésque partes ex æquo labefactatas indicat, & in summo discrimine collapsam naturam versari. Est ergo Syncope præceps omnium virium lapsus. λειποθυμία, defectus facultatis vitalis: quæ quoniam in corde sedem habet, iccirco ἐν τῇ λειποθυμίᾳ cordis facultas præcipuè laborat. λειποψυχία animalem duntaxat facultatem onerat & adobruit. Porrò summam hanc imbecillitatem mentis quoque alienatio consequitur, quæ natura necessario subsidio recreata statim excutitur. Propterea dicitur *Spiritus eius reuersus ad eam.* Hebr. ורוחו *rouhho.* Græcè πνεῦμα αὐτοῦ, *habitus*: animam vltrò citróque ducere cœpit, cùm antea videretur penitus exhalasse.

Non enim comederat panem, neque biberat aquam, tribus diebus.] Hei mihi!

Famis descriptio apud Ouid. Metamor. lib. 8.

> *Hirtus erat crinis: caua lumina, pallor in ore,*
> *Labra incaua situ, scabrique rubigine dentes,*
> *Dura cutis, per quam spectari viscera possent:*
> *Ossa sub incuruis exstabant arida lumbis.*
> *Ventris erat pro ventre locus: pendere putares*
> *Pectus, & à spinæ tantummodo crate teneri.*
> *Auxerat articulos macies, genuúmque tumebat*
> *Orbis, & immodico prodibant tubere tali.*

Gellius lib. 16 cap. 3. Vnde fames, & quo pacto extinguatur.

Esuritionem autem faciunt, vt Erasistratus scriptum reliquit, inanes patentésque intestinorum fibræ, & caua intus ventris, & stomachi vacua hiantia: quæ vbi aut cibo complentur, aut inanitate diutina contrahuntur, & conniuent: tunc loco, in quem cibus capitur, vel stipato vel adducto, voluntas capiendi eius desiderandique restinguitur. Scythas quoque ait, cùm sit vsus, vt famem longius tolerent, fascijs ventrem strictissimè circumligare. Ea ventris compressione esuritionem posse depelli creditum est. Siquidem ventre pleno, quia nulla sit in eo inanitas, fit ne esuriant. Dum autem venter compressus admodum est, caret inanitate. Addit & illud, eos qui sponte abstinent cibo, primis temporibus fame afficiuntur: post autem minus. Item vim quandam famis non tolerabilem, quam Græci βούλιμον, βούπειναν, id est esuritionem, & anxiam edendi sitim appellant, in diebus frigidissimis multò facilius accidere ait, quàm cùm serenum atque placidum est. Causam vero sibi incompertam. Hæc Erasistratus in lib. διαιρέσεων siue Diuisionum. At Ascen-

Frigore dira fames excitatur.

A siani Commentar. in Gellium. Famem, inquit, inualescere volunt sub frigoribus, quod repulso foris calore ad sedem decoctionis validior tunc fiat digestio.] Idcirco fortassis Ouidius Famem sub gelido axe Scythiæ collocauit Metamorph. 8.

Non comederat tribus diebus.

Ouidius.

> *Est locus extremis Scythiæ glacialis in oris,*
> *Triste solum, sterilis, sine fruge, sine arbore tellus.*
> *Frigus iners illic habitat, Pallórque, Tremórque,*
> *Et ieiuna fames.*
> *Deuenit in Scythiam.....*
> *Quæsitámque famem lapidoso vidit in agro,*
> *Vnguibus, & raris vellentem dentibus herbas.*

Atqui procul hic locus à Scythia iacuit, non niue candida, sed flauentibus arenis conspicuus. Vtut sit ego sic arbitror, quocunque loco cibus deficiat, eodem famem regnare. Nec æstus
B languentes iuuat. Tametsi enim appetentiam non acuit, vires tamen deijcit, quas exhausto humore debilitat.

Cyroped. lib. 6.

Itaque Cyrus apud Xenophontem de expeditione militari disserés, Parandum est, inquit, primùm satis cibi: nam sine cibo nec pugnare, nec vincere possimus. Addam verò & quod de vino statuit, quoniam hoc loco aquæ non vini mentio facta est, cùm verisimile sit in arentem & desertum locum perinde vinum vt aquam ferri potuisse, si vini copia penes eos esset. Vini autem, inquit Cyrus, tantum cuique est habendum, quantum satis futurum sit ad assuefaciendos nos aquam bibere: multum enim erit itineris quod vino caret, ad quod ipsum neque si vini plurimum parauerimus, satis futurum

Quo pacto aquam bibere discimus.

C est. Ne igitur, si repentè vino caruerimus, incidamus in morbos, ita faciendum est. Inter vescendum incipiamus continuò aquam bibere: hoc enim iam facientes, non admodum mutabimur. Etenim qui farinæ vtitur cibo, vescitur semper massa aquæ mista. Et qui panis vtitur cibo, vescitur pane aqua irrigato: & elixa omnia cum aqua plurima sunt parata. Post panificium autem si vinum non addimus potui, nihilo deterius habens animus quiescet. Dein verò, post cœnam quoque oportet vinum tollere, donec didicerimus fieri potores aquæ. Nam mutatio quæ sensim fit, naturam haud ita commouet. Docet hoc Deus ipse, qui paulatim nos deducit ex hyeme ad vehementiores æstus tolerandos, & ex æstu ad hyemem acerrimam: quem imitantes, ad quod eundum est, sensim
D assuefacti pergere debemus. Hæc ille.

Versus XIII.

Dixit itaque ei Dauid: Cuius es tu? vel vnde? & quò pergis? Qui ait: Puer Ægyptius ego sum, seruus viri Amalecitæ: dereliquit autem me dominus meus, quia ægrotare cœpi nudiustertius.

Variæ trãslationes.

CVius es tu? vel vnde? & quò pergis?] Pagninus, *Cuius es tu? & vnde es?* Illud antem, *Et quò pergis?* non agnoscit: nec alius quisquam

PVER ÆGYPT. &c.

quisquam interpretum. Hebraïcè מִזֶּה *mizeh, vnde*, vndenam. Quid si & *quò* interpretemur? A *Qui ait: Puer Ægyptius ego sum, seruus viri Amal. &c.* Sic quoque Chaldæus. Græci, *Et respondit τὸ παιδάριον, puer Ægyptius: Ego sum seruus viri Amalecitæ, &c.* Sic quoque Pagninus & Vatablus orationem distingunt.

Percontatur Dauid *cuius sit*, vel quod iunior esset, quàm vt per ætatem sui iuris compos esse videretur, vel quod vestis ipsa seruum proderet. *Cuius es?* quem patrem nactus, aut dominum? cuius imperio huc venisti? *Vel vnde?* quę patria tua est? ex qua regione oriundus? aut quam terræ partem nunc incolis? vnde huc prodijsti? *Et quo pergis?* quem locum petis? quò tendis? quid quæris? aut quid habes negotij? Hæc omnia singillatim Dauid interrogat, quòd speret, si in animum induxerit vera fateri, ex B his colligere posse qui prædones Siceleg vastauerint. Sciscitatur autem *cuius sit*, quòd militaris viri seruus appareret, & lixæ calonisque speciem præ se ferret. *Vnde* sit rogat, quòd tametsi suspectos haberet Amalecitas, plerique tamen Arabes ex rapto viuerent, & vicinos diriperent. Denique *quò pergat*, quærit: ne si fortè aberraret à latronum vestigijs, vastam eremum frustrà exploraret.

Qui ait: Puer Ægyptius ego sum.] Qui sit, ingenuè fatetur: nec gentem dissimulat, aut conditionem. Fingendi artes corporis & animi imbecillitas præripuerat: & à Dauide singulari affectus beneficio, statuit apud se huic potius seruiendum esse, quàm illi, à quo præda feris, auibusque relictus erat. *Puer Ægyptius ego sum, seruus viri Amalecitæ.* Anaxandrides Comicus:

Non est vsquam, bone vir, seruorum ciuitas:
Sed fortuna omnia transmutat corpora:
Multique nunc sunt non liberi,
Qui in crastinum Sunij, deinde postridie
Foro vsi sunt. Gubernaculum enim versat
Fortuna dea cuique, &c.

Sunij scribuntur à Strabone Persicæ classis naufragia collegisse, vnde forsan statim diuites euaserunt.

Hic scilicet cùm natus esset Ægyptius, ab Amalecita in seruitutem raptus fuerat. *Puer.* Pollux Onomast. lib. 3. cap. 8. sect. 2. Καλοῦνται δὲ καὶ παῖδες οἱ δοῦλοι, οὐδὲ ταῖς ἡλικίαις, κἂν ὦσι πρεσβύτεροι. Serui verò apud Atticos, Pueri dicuntur, etiamsi seniores sint. εἰ γὰρ ἀμφίβολον εἴτ' ἐπὶ τοῦ μὲν, τὸ πρὸ ἡλικίας, ἢ τύχης. Siquidem ambiguum est, num ætatis, vel fortunæ nomen sit. Pueri vocabulum, vt nonnulli volunt, Latini à Græco παῖς formauerunt, quo significant domesticos seruos, D præsertim tabellarios. credo quod non nisi pueris, & in iuuenili ætate constitutis, qui pedibus valerent, ad eam rem vti poterant. Ideò apud Ciceronem sæpissimè legitur: Pueri tui mihi à te literas reddiderunt. Paulus *D. de verborum signif. l.* 204. Pueri appellatio tres significationes habet. Vnam, cùm omnes seruos pueros appellamus. Alteram, cùm puerum contrario nomine puellæ dicimus. Tertiam, cùm ætatem puerilem demonstramus. Salica lex, & Regum nostrorum Capitularia, seruos Regis ac ministros *pueros Regis*, aut *Regios* vocant. *Capitular.* 6. *tit.* 319. Pueri qui mulctam per pagos exigunt. Sanctus Gregorius Turonensis histor.

Puer ætate aut conditione.

Pueri appellatio frequens pro seruo.

lib. 3. Lorum sub collo positum, ac sub mento ligatum trahentibus ad se inuicem duobus pueris, suffocatus est. Inuenio & *Iuniores* olim dictos à maioribus nostris. Iunior coqui eo sensu legitur *in leg. Alemann. tit.* 79. §. 5. & item Iunior pastoris *ibidem* §. 1. Iuniores etiam Ecclesiæ inuenies non semel in Capitular. apud Gregor. Turon. & quasdam Synodos. Sed Vadianus Iuniores dictos putat, delectos quosdam ad pauperum & peregrinorum famulatum fratres laïcos, vt eo ministerio exerciti, aptiores ad disciplinam Monasticam fierent. In Marculphi Formulis sunt qui velint Iuniores Iudices appellatos. Nam & Gloss. vet. Iuniores, id est, Iudices. Ego malim imperij ministros accipere, sicut & Comitum Iuniores, qui mandata peragant, & quæ decreuerint, exequantur. Marculphi *Formul.* 6. 10. 12. 177. legi, nec in his comperi quamobrem sententiam mutem. Lectoris esto iudicium.

PVER ÆGYPT. &c.

Iuniores etiam pro seruo, aut tyrone certè cuiusque artis, quod magis placet. Marculph.

Iam sæpius de seruitutis iugo disserui, & quàm diuersa ratione homines sponte nonnunquam, aliàs per vim aut iniuriam illud subirent, pluribus antea exposui: nunc addam & tertiam, quando nec sponte, nec vi, sed aleæ studio per ludum in seruitutem victori se mancipant. Testatur hoc Tacitus de Moribus German. Aleam, inquit, sobrij inter seria exercent, & nouissimo iactu de libertate, & de corpore contendunt. Victus voluntariam seruitutem adit: quamuis iunior, quamuis robustior, ligari se ac vinciri patitur. Testatur & sanctus Ambrosius Tobiæ ca. 11. Frequenter (de Hunnis sermo est) tanto ardore rapti, vt cùm ea, C quæ sola magna existimant, victus arma tradiderit, ad vnum aleæ iactum vitam suam potestati vel victoris vel fœneratoris addicat. Hæc illi. Quo nonnullis proceribus nostris æquiores esse debemus, si tantas opes, & amplissima patrimonia profundant, nec seipsos vnquam ære alieno liberent. Desipiunt enim pariter cum Barbaris, nec dissimili insania furunt. Quod cùm ita sit, quis venia dignos non iudicet? Non ita pridem cùm pius quidam Monachus iniuriam hanc cum illustrissimo Principe expostularet, & iuberet meminisse sui, ac familiæ parceret, hominem minimè malum ludens quàm familiariter asseruit, ne cucullæ quidem suæ eundem parciturum, si luderet. Quæ ratio non dubium quin ad excusandam aleam momenti plurimùm habeat. Sed eò redeat, vnde aberrauit oratio.

Aleę studio Germani, Hunnique de libertate periclitantur. Tacitus. S. Ambros.

Dereliquit autem me dominus meus.] Septuaginta, κύριός μου. Polluci Onomast. lib. 3. cap. 8. sect. 1. δεσπότης, δεσπόζων, κύριος, κεκτημένος: dominus, dominans, herus, possessor idem. Phrynichus enim in Satyris dominum, possessorem vocauit. Hebraïcè, אֲדֹנִי *adoni*. Est autē אֶדֶן *eden, basis*, columna, fulcrum. Inde אָדוֹן *adon*, siue *dominus*, qui basis instar sustentat, & regit domum. Ex hoc porrò appellatiuo formatur Dei nomen proprium, siue peculiare epitheton, per litteram י *iod* in fine additā præcedente *cametz*: vt אֲדֹנָי *Adonai*, quòd Deo priuatim tribuitur, eadem quæ יְהוָה *Iehouah* puncta habeat, & differat ab אֲדֹנִי *adoni* cum *chirek*, quod

Domini apud Hebræos etymologia.

DOMINVS MEVS, &c.

est *dominus meus*, sicut hoc loco legimus: & אדני *adonai*, *domini mei*, cum *patach*, quæ profana sunt, & passim quibusli bet ascribuntur. Huic porrò dictioni correlatiuè altera respondet, qua se prius Ægyptius iste Amalecitæ *seruum* nuncupauit. Manat enim עֶבֶר *gbeber*, qua voce hîc vtitur, à verbo עָבַר *ghabar*, quod *transgredi* est ac pertransire: ita prorsus, vt *dominus* quidem inde dicatur, quòd sedeat, aut mole sua stet; *seruus*, quòd ad eius moueatur imperium. Sic enim plerisque locis Septuaginta interpretati sunt. Psalmo 81. ver. 7. *Manus eius in cophino* תַּעֲבֹרְנָה *thaghabernah*, *transierunt* alij quidem interpretantur: at Septuaginta exponunt ἐδούλευσαν, *seruierunt*. Genes. quoque cap. 47. ver. 20. aut 21. quo loco Pagninus legit, *& populum transire fecit ad vrbes*, idem verbum transferunt, κατεδουλώσατο αὐτοὺς εἰς παῖδας, *subiecit sibi in seruos*. Nec secus Leuitici 25. δουλεύειν reddunt: λατρεύειν ibidem cap. 18. ver. 20. Rursum verò 2. Reg. cap. 19. ver. 18. ἐλειτούργησαν, *publicè ministrarunt*. Quin etiam & עֶבֶר siue עֵבֶר *gbeber*, quas voces alij Hebræum, & transitum vertunt: à Græcis non rarò οἱ δοῦλοι *serui*, ἡ δουλεία, *seruitus exponuntur*. עֲבָרָה *ghabarah* verò etiam λειτουργία, seu *publicum ministerium*. At iubent nos credere, qui non ita pridem Hebræas literas instaurarunt, LXX. viros doctissimos characterum similitudine deceptos, dum ר *res* pro ד *daleth* legunt, עָבַר *ghabar*, quod transire est, pro עָבַד *ghabad* legisse, quod seruire significat: atque ita non semel contigisse, vt alterius pro altero significationem vsurparint. quos lector probauerit, per me licet ipse sequatur: me tamen Græcorum magis mouet autoritas. Veruntamen עֶבֶד *gbebed* hoc loco Complutensis editio, & Pagninus habent.

Dominus meus.] Dominus est, qui quoquo tempore vsucepit ex causa emptionis, donationis, dotis, mutui, legati, hæreditatis, solutionis, transactionis, sententiæ, victoriæ, si fortè iustè bellum initum fuerit, vel similium, quæ Iurisperitis explicanda relinquo. Erasmo conditionis nomen dominus est, non honoris: tyrannicum, non magnificum: Barbaricum, non Romanum. Nam & leonem, ait, cui mancipia sint, dominum rectè dixeris. Veruntamen non recẽtiores modò viri doctrinâ & religione præstantes, sed etiam veteres honoris causa dominum appellare consueuerant. Vt cùm Nesennius ad Paulum scribens, *L. Nesennius ad L. Falcid.* Ex facto, inquit, domine, talis species incidit. Sic & mariti vxores suas, & maritos illæ quandoq; non solùm in Scripturis, sed etiam in iure Ciuili, & apud profanos historicos vocant. Sic & Plinius Traianum dominum, eadem scilicet consuetudine: cuius & Martialis quoque, & Seneca meminerunt. Certè apud Græcos κύριος frequenter honoris vocabulum est, δεσπότης non item: quemadmodum apud Latinos herus dominij vocabulum est potius, quàm honoris. 1. Petri cap. 3. versu 6. *Sara obediuit Abrahæ, κύριον dominum eum vocans.* Hoc habes Genes. 18. וַאדֹנִי *vadoni*, *& dominus meus vetulus est*. Cuius vtique non serua erat, sed vxor: non *ancilla*, vt ait, sed *libera*. Quinimò

Quis Dominus.

Nomẽ honoris causa olim sicut hactenus plurib. tributum.

A & serui nomen liberis quoque tribuitur. quo tempore non seruilem conditionem, sed prolixam beneuolentiam indicat. Sunt qui diligenter obseruent, cùm sint duo vocabula Hebræis quibus seruos designent, עֶבֶד *ghebed*, & מְשָׁרֵת *mescareth*, à verbo שֵׁרֵת *scarath*, quod est ministrauit: mancipiorum quidem illud, hoc verò liberorum esse proprium. Vtrumque manifestè patet Iosue 1. ver. 1. *Et factum est post mortem Moysi* עֶבֶד *ghebed*, *serui Domini*, *vt loqueretur Dominus ad Iosue filium Nun*, מְשָׁרֵת *mescareth*, *ministrum Moysi*. quo loco עֶבֶד *ghebed* Dei, & מְשָׁרֵת *mescareth* hominis est minister. Veruntamen ipsum quoque *ghebed* non modò liberis, sed etiam regibus tribuitur. Sic enim habes 3. Reg. cap. 12. ver. 7. Consulunt Senes Regi Roboam, vt populo onera deprecanti B obsequatur. *Si enim hodie*, inquiunt, *obedieris populo huic, & seruieris*, Hebr. עֶבֶד *ghebed fernus fueris, & cesseris petitioni eorum, loquutusque fueris mollia, &c.* Hæc omnia, scilicet obtemperare, cedere precibus, humanè loqui, ac benignè appellare, hoc ipso verbo seruire vocat, quæ nemo est, si cum virtute consentiant, qui putet à liberi hominis officio abhorrere.

DERELIQVIT ME, &c.

Serui nomẽ etiam ingenuis tributum.

Dereliquit me dominus meus, quia ægrotare cœpi nudiustertius.] Oportet eum hominem fuisse immanem, ac ferum, præsertim cùm hostis non vrgeret. Seruus enim ægrotus non ita difficulter aut imponi in currum, aut aliquo modo auferri potuisset. At iste seruum suum relinquit non aliter, quàm si fuisset brutum pecus. Sed meminisse debuit seruorum naturam eandem C esse, quàm dominorum: etsi non eadem sit conditio. Quid huic misero supererat, nisi vt aut moreretur fame, aut discerperetur à bestijs? Sed dominus ille non hoc inultum fert. Nam Deus illo seruo vsus est ad exitium totius exercitus. Est enim patronus hominum miserorum, & vindicat illorum iniurias. quid quod leges etiam tulit in seruorum gratiam. Primum enim edicit, vt si dominus ita seruum suum verberet, vt ille moriatur in manibus eius, ille dominus teneatur cædis. Deinde si dominus seruo suo oculum, aut dentem excusserit, vt seruum illum statim vindicta liberet: Adhuc, ne quis diutius quàm sex annos seruiat: & postremò ne manumittatur vacuus. Romanæ etiã leges magnam habuerunt rationem seruorum. D Nam *in Digest. de ijs, qui sunt sui, vel alieni iuris, l. 2.* extat rescriptum Antonini Pij Imperatoris ad Præsidem Aphricæ: Si dominus in seruum sæuiat, vt cogatur eum vendere, ne ille vnquã redire possit ad priorem dominum. Idem respondet, si dominus serui pudorem tentauerit, & vim pararit. Claudius item Imperator, vt Suidas autor est in voce Κλαύδιος, ἐπειδὴ γὰρ τινες τοὺς δούλους ἀρρωστοῦντας καὶ δημιας ἠξίουν θεραπείας, ἀλλὰ καὶ τῶν οἰκιῶν ἐξέβαλον, ἐνομοθέτησε πάντας τοὺς ἐκ τῆς νόσου σωζομένους ἐλευθέρους εἶναι, quoniam quidam seruos ægrotantes nulla cura dignabantur, sed domibus ejciebant, legem tulit; vt qui ita exturbati conualescerent, liberi essent. Hoc idem prius scripserat Dion Cassius in Claudio. Narrat quidem Plutarchus quemadmodum Cato Maior

Leges seruis fauent, & dominorum sæuitiã coërcent.

Suidas. Ægroti serui si negligerentur, lex eosdem libertate donabat.

Plutarch.

DE RELIQVIT ME, &c.

Virtutis quondam studiosi ne bruta quidem, quorũ operâ abusi essent, neglexerunt.

Maior mancipia senio confecta, seu inutilia venderet, sed statim operæpretium est audire ex eo, quàm grauiter in eum animaduertat. Hoc enim inhumanum esse censet, & à communi sensu pietatis alienum, atque adeò illorum duntaxat proprium, qui non aliam hominis cum homine societatem esse putent, quàm quæ lucri spe & vtilitatis gratia concilietur. Nam qui egregiè præter cæteros ad honestatis studium informati à natura sunt, aut virtutem olim coluerunt, etiam bruta, quorum labore rem illis amplificari contigisset, postquam ea consenuissent, non solùm munerum vacatione donarunt, sed etiam necessario cibo prosequuti sunt, nonnunquam etiam tumulis excitatis, qui laboris atque operæ memoriam posteris refricarent. Athenienses certè quum templum illud excitassent, quod ἑκατόμπεδον, siue παρθενών dictum est, mulos mulasque omnes quæ fabricæ materiem conuexissent, liberas esse iusserunt, nec à quoquam pastu prohiberi. Et hoc quidem publicè. At Cimon priuatim equas, quarum pernici cursu ter in Olympia palmam tulerat, postquam eas nigra mors abstulisset, sepulcris ornauit. Et Bucephali quidem nolo meminisse. Sed Xantippus Senior, vt ferunt, canem, quæ domini sui desiderio mare Salaminam vsque traiecerat, haud ignobili monumento dignatus est. Ad quæ postremò hæc addit Plutarchus: Neque enim animam habentibus perinde vt calceis aut instrumento quolibet domestico vtendum est, quæ diuturno vsu detrita abijcimus. Ne bouem quidem aratorem propter senium amandarem procul à præsepibus, nedum hominem loci & victus societate coniunctum, & tam ementibus quàm vendenti inutilem, vilissimi quæstus cupiditate domo exigerem. Hactenus Plutarchus.

Lege Suidam in ἑκατόμπ.

Cæterùm, quo detestabilior est barbari huius domini immanitas, eò magis spectanda venit, cùm Dauidis, tum etiam militum eius benignitas & misericordia. In ipso enim cursu, & ardore, atque impetu militari, hominem miserum & abiectum reficiunt, & caricis, passulis, alijsque regionum illarum delitijs mortuum penè ad vitam reuocant: idque cùm adhuc nescirent, nec quis, nec vnde esset. Imò cùm audirent Ægyptium esse, & seruum hostilem, tamen illum nihilo inhumanius tractauerunt. Sed non ludit operam suam Dauid. Eius indicio vsus, hostem persequutus est: prædam excussit, suosque recepit.

VERSVS XIV.

Siquidem nos erupimus ad Australem plagam Cerethi, & contra Iudam, & & ad Meridiem Caleb, & Siceleg succendimus igni.

Variæ trãslationes.

PAgninus, *Nos iuimus ad prædam, ad Meridiem Cherethi, & ad id quod est Iehudah, & ad Meridiem Chaleb, & Siclag combussimus igni.* Arias, *Nos vastauimus.* Vatablus Laurent. *Nos grassati sumus:* in reliquis cum Pagnino consentiunt. Vatablus Salmant. *Vastatores nos irrupimus ad Meridiem Cherethæorum,* (gens inquit, in Palæstina est) *& ad eam partem quæ est Iehuda:* quæ pertinet ad tribum Iuda, hoc est, in agrum Iuda: *& ad Meridiem Caleb, incendimusque Siclag igni.* Chaldæus, *Nos extracti sumus super Meridiem Cherith, & super qua Iehuda, &c.* Septuaginta Complut. edit. ἡμεῖς δὲ ἐπεθέμεθα ἐπὶ νότον τοῦ χερεθὶ, καὶ ἐπὶ τὰ τῆς Ἰουδαίας μέρη καὶ ἐπὶ νότον τοῦ χαλὲβ, καὶ τὴν σικελὰγ ἐνεπρήσαμεν ἐν πυρί. *Nos autem irruimus in austrum Chorethi, & contra Iudeæ partes, & contra austrum Chileb, & Siclag succendimus in igne.* Aldina, ἐπὶ τὸν νότον τοῦ χελεθὶ, καὶ ἐπὶ τὰ τῆς Ἰουδαίας μέρη, καὶ ἐπὶ τὸν γελβουέ. καὶ τὴν σικελὰγ ἐνεπυρίσαμεν ἐν πυρί. Edit. Nobilij, *Et nos incursionem fecimus ad Austrum ipsius Chelethi, & super partes Iudææ, & ad Austrũ Chelub, & ipsam, &c.* quidam annotat: *Cerethai,* id est, Philisthæi. vt ostenditur infrà ver. 16. & Sophoniæ 2. ver. 5. & Ezech. 25. ver. 16. *Et in meridianum tractum Calebi,* id est, quem possidet posteritas Calebi.

Nos IRVPIMVS, &c.

Siquidem nos erupimus ad Australem plagam, &c.] Disertè explicat, & prodit quid egerint, ignarus ijs se narrare historiam, qui iniuriam accepissent. Grassati itaque fuerant igni, ferro, & populationibus. At ecce cùm iam læti ouantesque redirent, spolijs, quæ amplissima rapuerant ex animi sui sententia potituri, serui vnius, quem non ita pridem ex Ægypto abegerant, valetudo tentari cœpit. Quid tum? num idcirco totum agmen morari, & in medio cursu gradum figere oportuit, donec vile mancipium conualesceret? Quinimò statim deserunt, & in vasta eremo iam agentem animam solum sine cibo & potu relinquũt. Non potuit igitur miseri calamitas reducis exercitus lætitiã ac triumphum interpellare. Quanta Dei sapientia est! Seruus, vt qui in posterũ futurus inutilis videretur, feris auibusque præda objicitur: & iam febre atque inedia languescens, propinquæ morti sopitis oculis conniuebat, cùm moribundum hostis occupat, & deficientem recreat, ac reficit, atque adeò iam sibi restitutum viam interrogat, qua prædones comprehendi possint. Ille vitam ab hoste pactus, ducem se præbuit: vnde statim præda recepta est, grassatores plerique deleti. Nimirum prædones semper à tergo sequitur vindex iustitia, nec ijs quæ per vim & iniuriam extorserint, vt sperauerant, ex voto frui licet.

Solon in Eleg.

Pecunias, aiebat Solon, equidem desidero habere: iniustè verò possidere
Nolo. prorsus enim vindicta tandem venit.
Diuitiæ quidem, quas dij conferunt, manent homini
Firmæ, ab extremo fundo ad verticem vsque.
Quas verò colunt homines, ab iniuria non rite
Proueniunt, sed iniustis operibus adductæ
Sequuntur inuitæ, & statim calamitati permiscentur.
Initium autem paruo momento fit, tanquam ignis.

Malè parta, malè dilabuntur.

NOS ERVDIMVS, &c.

Primùm quidem calamitas est exigua, sed valdè
grauis desinit.
Non enim diu mortalibus iniuriæ opera permanent:
Sed Iupiter finem inspicit omnium, atque repente,
Ut ventus nubes illico dissicit
Vernus. qui fluctuosi maris immensi
Agitans fundum, & per terram frumenti feracem,
Latas segetes vastans ad Deorum sedem in altum peruenit
Cœlum, & rursum serenitatem efficit, &c.
Talis est quoque vindicta Iouis.

Sed Amalecitæ diuinam iustitiam nihil morantur. Nam secus à prima ætate instituti erant: non iustitiam colere, sed cædibus latrocinijsque grassari didicerant, & otio atque inertiæ suæ ex aliorum incommodis subsidia parare. Cùm Amalecitas, tum reliquos etiam posteros Ismaël describere videtur sanctus Hieronymus epistola 129. ad Dardanum, quæ est de terra repromissionis. Ab Ioppe, inquit, vsque ad viculũ nostrũ Bethlehem, quadraginta sex millia sunt: cui succedit vastissima solitudo, plena ferociũ barbarorum, de quibus dicitur: *Contra faciem omnium fratrum tuorum habitabis:* & quorum facit Poëta eloquentissimus mentionem: *Latéque vagantes Barcæi:* ab Barce oppido, quod in solitudine situm est: quos nunc corrupto sermone Afri Barcianos vocant. Hi sunt, qui pro locorum qualitatibus, diuersis nominibus appellantur, & à Mauritania per Ægyptum, Africam, Palæstinamque & Phœnicem, Cœlen, Syriam, & Osrhohenem, Mesopotamiam, atque Persidem tendunt ad Indiam. De ijsdem rursum apud eundem Malchus Monachus: Saraceni in ipsa solitudine, quæ vicina est publico itineri, incertis sedibus huc atque illuc semper vagantur. quæ suspicio frequentiam in illis locis viatorum congregat, vt imminens periculum auxilio mutuo declinetur. Erant in comitatu meo viri, fæminæ, senes, iuuenes, paruuli, numero circiter septuaginta. Et ecce subitò equorum, camelorumque sessores Ismaëlitæ irruunt, crinitis vittatisque capitibus, ac seminudo corpore, pallia, & latas caligas trahentes: pendebant ex humero pharetræ, laxos arcus vibrantes, hastilia longa portabant: non enim ad pugnandum, sed ad prædam venerant. Rapimur, dispergimur, in diuersa trahimur. Ducimur, imò portamur sublimes in camelis, & per vastam eremum semper ruinam timentes, pendemus potius, quàm sedemus. Carnes semicrudæ cibus, & lac camelorum potus erat. Hæc sanctus Hieronymus. Audiui ego ex quodam fratre nostro, cùm diceret, quòd cùm aliquando cum pluribus, ad quos accesserant Ianissari quinque præsidij gratiâ, Ægyptias pyramides inuiseret, ex ea gente latrones ferè quingenti tentarint in eos inuadere, quos statim exonerato tormento bellico, omnes in fugam vetterint. Erant autem homunculi, colore nocti similes, paruis, ac macilentis equis insidentes, sed qui ventis currendo præuerterent: altero brachio, & di-

S. Hieron.

Genes. 16.

Describuntur Amalecitæ prædones.

A midio pectore nudi, reliquos artus cærulea tela vtcumque celabat. Eadem tela viris, quibus illos sanctus Hieronymus instruit. Narrabat præterea, quemadmodum inde digressi, in prædonum papiliones inciderant, quos lignea furca vna & altera transuersis lignis sustentabant. Ducentos fuisse referebat, aut etiam plures, eo ordine dispositos, quo solent ædes in vrbibus hinc inde vicorum partem vtramque vallare. In his senes aliquot, fæminæ item, & pueruli delitescebant, qui ex inopinato terrore perculsi, cùm se statim mactatum iri crederent, qui perire debuerant, alienâ clementiâ seruati sunt.

AD AVSTRALEM &c.

Ad Australem plagam Cerethi.] Ea scilicet Amalecitis vicinior erat, vt pote qui Australem solitudinem incolerent. Iudas terræ
B repromissionis meridionalem tractum occupabat: Caleb, Iudæ: Iosue capite decimo octauo, versu quinto: *Diuidite vobis terram in septem partes: Iudas sit in terminis suis ab Australi plaga, & domus Ioseph ab Aquilone.* Caleb verò non tantùm Hebron possedit, sed etiam Cariath Sepher, siue Dabir, vt patet Iosue capite decimo quinto, & Iudicum primo. *Cerethim* autem cùm sint Palæstini, hi quoque qua magis ad Austrum vergunt, à prædonibus vexati erant, ac priuatim Siceleg incendio deflagrauerat. Palæstinos dictos quoque fuisse *Cerethæos*, non vno loco Vulgata editio testatur, quæ non vno loco כְּרֵתִים *kerethim, Palæstinos* exponit. Ezech. cap. 25. ver. 15. 16. *Pro eo quod fecerunt Palæstini vindictam, &c. Ecce ego extendam manum meam super Palæstinos, & interfi-*
C *ciam* הַכְּרֵתִים *hakrethim, interfectores, & perdam reliquias maritimæ regionis.* quo loco cùm de Palæstinis loquatur, necesse est illud *kerethim*, aut nominis, aut epitheti vice fungi. Mare porrò eorum regionem alluebat. Itaque rursum Sophoniæ 2. cùm vastitatis metum Palæstinorum Prouincijs denuntiaret, & iam horrendum in modum intonuisset, *Gaza destructa erit, & Ascalon in desertum, Azotum in meridie eijcient, & Accaron eradicabitur:* denuò ait, *Væ qui habitatis funiculum maris, gens* כְּרֵתִים *kerethim.* Vulgatus, *perditorum:* Pagninus, Vatablus, *gens Cherethæorum:* Septuaginta, κρητῶν, *aduenis Cretensium.* Cæterùm, quocunque nomine censeantur, certum est Palæstinos intelligi, qui fortassis hoc eodem nomine, ob belli studium
D & sæuitiem appellati sunt. quippe כָּרַת *karath*, à quo hæc appellatio manauit, idem est atque *scidit*, excidit, amputauit. Sunt qui velint ex ea gentes bellicis artibus instructissima Dauidem corporis sibi custodes asciuisse, easque fuisse legiones Cerethi & Phereti, quarum non semel deinceps Scriptura meminit. Sed nunc qui fuerint, quod ad me attinet, non vacat diligentius inuestigare. Tantisper igitur dum reliquis damus operam, Damianus lectori pro me satisfaciet: tametsi, ne quid dissimulem, haudquaquam eius sententiæ subscribo.

Topologia.

Petrus Damianus libro secundo, epistola vigesima, quæ est ad Albericum Cardinalem: Quæris, inquit, qui erant *Cerethi & Phelethi,* qui

Et Siceleg, &c. bellatores dicuntur fuiſſe Dauid? Legitur in libro Numeri dixiſſe Dominum Moyſi: *Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenioribus Iſraël, quos tu noſti, quod ſenes populi ſint, ac magiſtri, & duces eos ad oſtium tabernaculi fœderis, facieſque ibi ſtare tecum: & auferam de ſpiritu tuo, tradamque eis, vt ſuſtentent tecum onus populi, & non tu ſolus graueris.* Ex iſtorum itaque ſtirpe duæ proceſſerunt cognationes, quarum vna *Cerethi*, altera dicebatur *Phelethi*. Et Cereti quidem *dans iudicium*, Phelethi *puniens* interpretatur: vt quos illi adiudicarent morti, promulgando ſententiam, iſti punirent irrogandi vindictam. Hæc ille. Quibus probat non has quidem legiones militum fuiſſe, ſed claſſes Iudicum, & carnificum cohortes. Oblitus eſt autem dicere, quo teſte id probet. Nos de iiſdem aliàs, ſi tamen Deus dederit, copioſius.

[Margin: Qui fuerint Cerethi. Num. 11. v. 16. Petr. Dam.]

Et Siceleg ſuccendimus igni.] Meminit Herodotus libro quinto, Vrbis Sardium Lydiæ Metropoleos, quæ cùm ab Athenienſibus & Ionicis capta eſſet, temerè arſit. Erant enim, inquit, Sardibus domus pleræque ex arundine ſtructæ: quæ autem lateritiæ, tamen ex arundinibus lacunaria habebant. Harum vnam quidam è militibus quum incendiſſet, repentè ignis è domo in domum elapſus, totam vrbem abſumpſit. Num fortè erant quoque Sicelegenſium ædes arundineæ, vt ſtatim igni cremari potuerint?

Cineres aſportaſſe Scriptura non memorat. At verò Beleſus Babylonius, qui Arbacem Medum ad ſpem regni erexerat, cùm iam exciſo imperio, atque euerſa Nina Babyloniæ præfecturam virtutis ergo conſequutus eſſet, incenſæ Regiæ cineres vt Babylonem deferre liceret precibus à Rege contendit, voti ſponſionem commentus, qua ſe Belo obligaſſet ex iiſdem cineribus euerſi, Aſſyriorum Imperij monumentum excitaturum. Quod cùm Rex annuiſſet, paratis nauigijs ſtatim incendij reliquias Babyloniam traiecit, colauit, & auri vim maximam collegit. Quæ fraus extemplo deprehenſa eſt, Regique innotuit. Plerique indignum facinus rati haud lentè tulere. Quamobrem communi procerum conſilio delecti Iudices, & quæſtio habita eſt. At is cùm iam non poſſet fallere, crimen confeſſus eſt. Conuictum eueſtigio capite damnarunt. Rex tamen eundem ſupplicio affici nequaquam paſſus eſt, maiora illius eſſe in ſeipſum beneficia dictitans, quàm vt poſſet eorum memoriâ ſimili aliqua offenſione obliterari. Quamobrem repertum à ſe aurum habere iuſſit, & conceſſo vti imperio, egregium Regiæ virtutis ac clementiæ ſpecimen edens, quo ſtatim omnium ſibi beneuolentiam, quam iiſdem opibus comparare neutiquam potuiſſet, conciliaret. Sed Amalecitæ ſcilicet non norant pleroſque theſauros cineribus condi, nec aurificum artes didicerant, quibus auri ramenta demerſâ fauillis aquâ eluuntur: nec ſi didiciſſent, commodè ſecum poſſent auehere.

[Margin: Diodor. l. 3. cap. 7.]

A

Versus XV.

Dixitque ei Dauid: Potes me ducere ad cuneum iſtum? Qui ait: Iura mihi per Deum quod non occidas me, & non tradas me in manus domini mei, & ego ducam te ad cuneum iſtum. Et iurauit ei Dauid.

Potes me ducere ad cuneum iſtum?] Pagninus, *Num deſcendere facies me ad exercitum iſtum?* Arias, *agmen iſtud?* Vatablus Salmanticus, *Poteſne me deducere ad turmam illam militarem?* Septuaginta, εἰ κατάξεις με. Ald. ἐπὶ τὸ γεδδοὺρ τοῦτο. Complut. ἐπὶ τὸ σύστεμμα τοῦτο. Rom. Nobilij, *Si deduces me de Geddur iſtud?* Complut. *Ad exercitum hunc?* Hebraïcè, אֶל הַגְּדוּד *el hagedoud?* Expoſuimus octauo verſu: *Geddur*, inquit Procopius, τὸ σύστρεμμα, καὶ πειρατήριον, quod apud Hebræos certum numerum militum, vel receptaculum latronum atque prædonum ſignificat. Sic autem appellatur τὸ λῃστρικὸν σύστημα, prædonum congregatio. Aquila expoſuit, μονοζώνων συστρέμματα.

[Margin: Variæ tranſlationes.]

B

Iura mihi per Deum.] Septuaginta, κατὰ τοῦ Θεοῦ. Hebraïcè, באלהים *belohim*, *in Deo*. Chald. *Firma mihi in dicto Domini.* *Quòd non occidas me, ſiue occides, &c.*] Conſentiunt interpretes. Hebr. אם *im*, *ſi occides me*. ואם תסגירני ביד אדני *veim thaſgireni beiad adoni. & ſi concludes me in manum domini mei.* *Et ducam te.* Hebraïcè, ואורדך *veoridecha*, Pagninus, *Et deſcendere te faciam.* Idem tamen apud Laurentium habet, *& aſcendere te faciam.* Sed arbitror Librariorum mendum eſſe. Nam ירד *iarad* reuerà deſcendere ſignificat; & alioqui cùm hoc verſu, tum ſequenti Pagninus apud eundem hoc verbum *deſcendere* vertit: & aliàs in Scripturis, qui è Iudæa Ægyptum peterent, deſcendere dicuntur. *Et iurauit ei Dauid.*] Nuſquam inuenio. Solus Vulgatus hoc habet, quod ex ipſo contextu orationis & hiſtoriæ ſeriè viſum eſt neceſſariò ſequi. Num igitur explicandi gratiâ additum eſt? an potius iam pridem Librariorum incuriâ in Hebræis codicibus perijt? Reperi autem & apud Complutenſes in ſola tranſlatione LXX. Interpret. καὶ ὤμοσεν αὐτῷ, *& iurauit ei*, verſu ſequenti.

C

Potes me ducere ad cuneum iſtum? Sed videtur Dauid autor eſſe ſeruo vt dominum prodat, ſeque obſtringat ſcelere perfidiæ. Minimè. Debuit enim ille iam Dauidi vitam. Et iure belli inciderat in poteſtatem eius. Leges Romanæ de hac re humaniſſimè ſtatuerunt. *In Digeſt. tit. Qui ſine manumiſſione ad libertatem perueniant, l. 2.* Seruus in graui morbo dimiſſus à domino, liber eſto. Tum enim deſeritur, cùm maximè iuuandus eſſet. Et *pro derelicto, l. vlt.* Si herus negauerit ſeruo ſuo alimenta, & alius ſuppeditet, ſit occupantis. Idem decernitur *in Codice, De infantibus expoſititijs:* Si quis aut filium, aut vernam exponat, habeatur pro derelicto: ſi aliena miſericordia alatur, non cogatur ſeruire priori domino.

D

IVRA MIHI, &c. Suetonius.

Quid Claudius statuerit, antea commemoraui ex Dione: repetam tamen ex Suetonio, quòd edictum copiosius retulerit. Cùm quidam (inquit capite vigesimo quarto) ægra & affecta mancipia in insulam Æsculapij tædio medendi exponerent, omnes qui exponerentur, liberos esse sanxit, nec redire in ditionem domini, si conualuissent. quòd si quis necare quem mallet quàm exponere, cædis crimine teneri. Hæc Suetonius in Claudio. Dauid ergo non adigit seruum ad perfidiam.

Adhæc Dauid, etsi certus esset de victoria, tamen audit seruum. Dei enim oracula non excludunt iusta media. Imò potius, quemadmodum destinat, & promittit exitum alicuius rei bonum, ita etiam destinat commodas perficiendi rationes.

Ælianus. Barbari omnes Deū agnoscunt.

Iura mihi per Deum.] Ælianus variar. histor. lib. 2. cap. 31. Et quis non Barbarorum sapientiam laudibus extollat? Siquidem nemo eorum ad contemptum deorum vnquam excidit: neque in dubium vocant, Sintne dij, an non sint, & curentne res humanas, an non. Nemo igitur, neque Indus, neque Celta, neque Ægyptius, eam cogitationem in animum induxit, quam vel Euemerus Messenius, vel Diogenes Phryx, vel Hippon, vel Diagoras, vel Sosias, vel denique Epicurus. Sed Barbari hi, quos dixi, contendunt & esse deos, & nostri curam gerere, &c.

S. Burchardus.

Iura mihi per Deum.] Burchardus Decret. lib. 19. Si per cælum, aut per terram, siue per Solem, vel per Lunam, aut per aliam aliquam creaturam (iurasti) quindecim dies in pane & aqua pœniteas.] Notabile iuramentum est, quod Marcellinus vir Clar. præstitit, cùm in causa Donatistarum iudex sedere deberet, vti id in Collat. Karth. prima, cap. 5. scriptum extat. Siue cum alio, siue solus in hoc negotio iudicaturus interero, nihil aliud me, nisi quod allegationes partium examinatæ potuerint demonstrare, & quod veri inuenerit fides, per admirabile mysterium Trinitatis, per Incarnationis Dominicæ Sacramentum, per salutem suprà memoratorum Principum, me esse iudicaturum promitto.

Marcellini Tribuni iusiurandū.

Quod non occidas me, & non tradas, &c.] Seruus exigit à Dauide iusiurandum, primùm ne se occidat: ita enim Principes sæpè solent proditores: deinde ne se reddat domino suo. Sciebat enim se statim ab eo interfectum iri. Nemo præter Vulgat. & LXX. Compl. edit. refert Dauidem iurasse. Haud tamen dubitem ijs testibus credere, eundem honestæ petitioni satisfecisse.

Et ego te ducam.] Quo tandem fretus? Neque enim video quibus argumentis victoriam ijsdem polliceri potuerit. Neque enim cohors illa Dauidis, si numerum spectes, vllo pacto cum Amalecitis potuit comparari. Cæsi ad vnum scribuntur infr. ver. 17. cùm tamen adolescentes quadringenti incensis raptim camelis cladem euasissent. Verisimile est itaque multò plures in ipsis castris trucidatos esse. Dauidē porrò non plures quadringentis sequebantur. Siquidem ducenti, siue lassi, siue impedimentis præsidio futuri substiterant. Quomodo igitur qui

A tam studiosè suæ vitæ cauerat, eandem non timuit manifesto periculo obijcere? An fortè qui illum viæ ducem Dauidi parauerat, & vires quoque ad conficiendum iter suppeditarat, idem nunc quoque, vt discrimen contemneret, animum adiunxit?

DISCVMBEBANT.

VERSVS XVI.

Qui cùm duxisset eum, ecce illi discumbebant super faciem vniuersæ terræ, comedentes, & bibentes, & quasi festum celebrantes diem, pro cuncta præda, & spolijs quæ ceperant de terra Philisthijm, & de terra Iuda.

B

Variæ trāslationes.

DIscumbebant. Pagninus, *Et ecce diffusi erāt.* Arias, *relicti erant.* Septuag. διακεχυμένοι, *effusi.* Vatablus Salmant. *disiecti iacebant.* Alij denique *prostrati, extenti, in superficie terræ.* *Et quasi festum celebrantes diem.* Sic quoque Græci, ἑορτάζοντες. Alij ferè *tripudiantes* vertunt. Hebręi etiam וְחֹגְגִים *vehhoggim, saltantes* exponunt. *Spolia* illa Hebræus *magna* vocat.

Ecce illi discūbebant comedētes, & bibentes, &c.] Amalecitæ, quasi iam extra omne periculum positi, ceperant securè & genialiter compotare.

Βίος θεῶν γὰρ ἐστὶν, inquit Antiphan. ὅταν ἔχῃς ποθὲν
Τ'ἀλλότρια δειπνεῖν, μὴ προσέχων λογίσμασι.
Vita enim diuina est, cùm aliunde nactus es,
Vt de rebus alienis cœnes, non obnoxius supputationibus.

C Huiuscemodi tamen securitas cùm victoriam proximè sequitur, non longè abesse solet à discrimine. Sed hîc de carnali tantùm loquor securitate, quā in humanis pręsidijs fiduciam ponimus. Illa enim securitas, qua Christum fidei ac charitatis beneficio complectimur, spiritualis, & cælestis est: itaque illi nunquam satis potest tribui. Hunc porrò sibi finem proponunt plerique milites hoc tempore. Cùm enim sint prædones, hoc tantùm student, & quærunt, vt partā prædâ, possint securè scortari, & citra pauorem abundè atque affatim heluari. Ita docent, moribusque suis præ se ferunt nihil amplius sapere, quàm feræ sapiant & pecudes, quas à natura ratio destituit. Quis enim bestiarum finis alius esse potest, quàm venter, & ea,

D quæ sub ventre sita sunt? At verò istos, dum ita securè festis epulis indulgent, insperata clades repentè opprimit. Sic quondam Cyrus Massagetas, vt est apud Herodotum libro primo, non acie, sed epulo instructo superauit. Sic Arbaces, cùm iam bis prælio fusus fugatusque esset, vt est apud Diod. l. 3. c. 7. tertio demùm repetito certamine, seu potius tumultuario superuentu Sardanapali copias profligauit. Hæc, inquit, Sardanapalus ignorans, memor superioris fortunæ, ad hilaritatem profusus, epulū militibus ex sacris, vinumque abundè præbuit, aliaque epulo accommodata. His intentis Assyrijs, Arbaces qui per transfugas hostium in castris negligentiam, vt qui cibo vinóque grauati, somno quietique indulgebant, norat, noctu castra

Securitas & epulæ non rarò victoribus perniciem afferunt.

Diodorus.

DISCVMBEBANT BIBENTES &c.

castra hostium expugnauit, acie instructi incompositos, parati imparatos adorti, multis interfectis reliquos in vrbem compulere. Hactenus Diodor. Quamobrem sapienter olim mihi fecisse videntur maiores nostri, cum in castris compotationibus interdicerent. Apud Ansegisum *lib. 3. cap. 72. Capitul.* Vt in hoste (sic illi castra dicere solebant) nemo parem suum, vel quemlibet alterum hominem bibere roget. Et quicunque in exercitu ebrius inuentus fuerit, ita excommunicetur, vt in bibendo sola aqua vtatur, quousque se malefecisse cognoscat. Hæc sanxere nostri maiores. At verò Cyrus apud Xenophontem idem pluribus suadere conatur. Non enim solummodo, inquit, post pugnam genio indulgentibus sæpe victoria eripitur, sed etiam confestim imperia parta ruunt. Equidem hoc ego, ait, ita sentio, si improborum hominum libidini obtemperantes, qui artes exercitationésque bellicas ærumnas, otium voluptatem arbitrantur, ad inertis vitę studium deflexerimus, non modo nobisipsis dedecori atque ignominiæ futuros, sed fore præterea vt breui bonis omnibus spoliemur. Neque enim, etsi quis vir bonus euaserit, satis esse potest vt numeris omnibus absolutus videatur, nisi quoque hoc studeat, vt talis etiam in posterum esse perseueret. Sed quemadmodum aliæ artes cum neglectæ fuerint, sensim depereunt, & corporis valetudo situ atque inertia labefactatur: sic quoque temperantia, robur, & continentia, si fortè studium remiseris, statim in idem vitiositatis barathrum relabuntur. Cunctandum itaque vobis censeo, & non præcipiti gradu ad voluptates ruendum. Egregię quidem virtutis opus esse reor si imperium pares: at maioris etiam postquam parau eris, si tueri possis. Quippe sola plerunque audacia imperium parit: at non sola fouet: Quinimo multa sæpe diligentia opus est, continentia quoque ac moderatione animi, vt quos antea sub iugum miseris, etiam postea in officio ac fide contineas. Quæ cum ipsi nouerimus, tametsi hactenus in his parandis virtutem studiosè coluimus, illa tamen impendio nunc magis à nobis colenda est. Nam quo plura quis possidet, eo plures eiusdem quieti inuident, & fortunis insidiantur: præsertim vero si quæ habeat, ab inuitis, vt fecimus, per vim extorserit. Hæc Cyrus. Quandoquidem vero securitatis, vt apparet, culpa contigit, vt, non prædones isti tantum, sed alij quoque numerosi exercitus post partam victoriam victis hostibus proderentur, & florentes reipublicæ pessum irent; idcirco nos operæpretium facturos duximus, si de eadem securitate fusius aliquanto disseramus.

Ansegisus. Compotationes in castris vetitæ.

Xenoph. Cyrop. li. 7.

De Securitate: quid sit, quas causas; quósue effectus habeat.

QVÆSTIO CXXXVI.

Quid securitas.

QVid itaque primùm Securitatem esse dicemus? Democritus auctore Tullio animi tanquam tranquillitatem esse vult, quam appellat εὐθυμίαν. Cicero paucis definit vacuitatem ægritudinis. Alij curarum requiem, ipsum esse sine curis: reuera enim, vt ipsa quoque docet nominis etymologia, Securitas curas seponit & à nobis procul ablegat. Hæc cum mentes hominum occuparit, quas diuini iudicii metus suspensas atque solicitas tenere debet futurarum rerum expectatione: cum immanem quandam superbiam seu potius animi cæcitatem parit, tum vltricis iustitiæ contemptionem, quæ mortalium facta nunquam non speculatur & plectit. Verum, vt res magis perspicua fiat, tria nobis ante oculos ponenda sunt, id est, Securitas, Spes, & Desperatio. Media spes, digna est quæ semper commendetur. Securitas vero spei quædam inanis redundantia est: Desperatio, eclypsis, defectio. Nam vt desperamus abdicando à nobis Dei misericordiam, sic iustitiā contēnendo, securitatem temerè induimus. Ex quo colligere possumus, Securitatem, Spem quandam immoderatam ac temerariam esse.

Causa & origo securitatis.

Nascitur autem primum ex eo quod rebus præsentibus contenti sumus, quibus sic prorsus immergimur, vt futurorum bonorum obliuio
nos capiat, neq; ad summā felicitatem amplius 1.
quicquam desideremus. Ea est enim præsentis voluptatis vis ac titillatio, vt animum quoque pelliciat, & libidinum illecebris irretitum à rerum spiritualium contemplatione ad corporis blandimenta reuocet, quibus sopita virtute cōniueat. Quod vbi fit, non vtique sine grauissima Numinis iniuria contingit. Neque enim vt in ea nos ingurgitaremus à Deo concessa sunt: sed vt tanquam necessariis ad fouendam vitam vteremur. Seipsum autem æternitatis præmiū instituit, ac veluti scopum proposuit ad quem plerique omnes collimarent: nec sine cōtēptu negligi, aut sine scelere contemni potest. Nascitur etiam secundo ex obscura quadam erroris 2.
caligine, qua cœcata mens, quæ caduca sunt, tanquam sint illa perpetua amplectitur. Nam si falsa hæc vt sunt, & statim peritura censeat, quo pacto rebus iis confidat, quæ nullo fundamēto nitantur? Si quis porrò ita sentit, non tantum Scripturis fidem abrogat, quæ hæc breui ruitura docet: sed ipsam quoque rerum negat inconstantiam, quas natura mutat nocturna diurnáq; vicissitudine, idq; passim quicquid vbiq; est experientiâ cōprobat. Quominus deinceps securitas digna venia videri poterit, quę neq; Deo, neque naturæ, nō deniq; rebus ipsis fidem habet.

Accedit ad hanc Numinis iniuriam & hominum contemptus lōgè grauissimus, quem summa quædam arrogātia pariat necesse est. Opor- 3.
tet enim, qui securè agere instituit, reliquos mortales bardos atque hebetes iudicet: seipsum autē illis pro numine esse, quem venerentur & suspiciāt: aut sanè vsq; adeo infirmos ac debiles, vt ne si quidē omnes velint, florentē rerū suarū statum concutere ac labefactare possint. Ea porro, vt ne quid grauius dicam, dementia est maxima, cum leuissimis in dies momentis stupendæ rerum inclinationes fiant.

Oriri etiam præterea videtur ex eo, quod aut nimium tribuimus viribus & prudētiæ nostræ, quasi per nos ipsos opinemur quiduis posse

DISCVMBEBANT BIBENTES &c.

consequi: aut si arbitremur id quoque in Dei misericordia positum, non putamus tamen eũdem votis nostris deesse posse, cùm hoc sibi merita nostra vendicent. Ita faciunt illi, qui sibi remissionem peccatorum pollicentur, vel æternam felicitatem, quamuis pœnitentiam non agant, sed impurè ac flagitiosè viuant. Vel denique inde ortum habet, quòd nullam esse diuinam iustitiam confidamus, quæ orbem circumspiciat, vt maleficia vlciscatur.

Opponitur autem Securitas, de qua loquimur, non tantum desperationi, sed etiam timori Dei. Nam desperatio nascitur ex nimio timore iustitiæ diuinæ, quæ flagitiis supplicia irrogat: Securitas vero de tali iustitia nihil cogitat. Quamobrem S. Bernardus prudenter dixit, Quemadmodum timor Dei est initium sapientiæ: ita Securitas est fundamentum omnis impietatis, & initium stultitiæ. Nam timor Dei (vt sacræ literæ de eo loquuntur) ad pietatem & religionem maximè pertinet. Vnde in actis cap. 10. Cornelius prædicatur *religiosus & timens Deum*. Iure itaque securitas coniunctam habet secum impietatem: vtque à malo principio manat & fluit, ita

Pericula & damna quę nascuntur ex Securitate.

Fructus etiam malos & vitiosos edit, ignauiam, torporem, desidiam. Ideo qui sibi fidunt, nec præsidium à Deo, nec auxilium ab hominibus quærunt. Laborant vtique negligentia: quę nihil aliud est, quàm studij eius remissio, quod ad res gerendas adhibere debemus. Ibi voluntas debilitatur, & corporis alacritas minuitur. Hoc Securitatis genus cum ab omni cura & prouidentia abhorreat, procul à periculo abesse non potest. Non enim propulsantur, quæ nocere possunt. Qui enim id fieret, cum securi ne consilium quidem ineant, aut de rebus futuris cogitent, nec de suis viribus, nec de Dei misericordia rectè sentientes? quinimò ne seipsos quidem satis nosse videntur. Si enim seipsos nossent, non ita securè agerent. Sanctus

S. August.

Augustinus in Psal. nonagesim. nonum scribit, Vbi maxima est securitas, ibi maximum est periculum. Atque addit, Nauem, cum in portum subducta est, putas esse in tuto, verum qua nauis ingressa est, ventus quoque ingreditur, & eam sæpè impellit, & allidit ad scopulum. Vbi ergo potest esse securitas? Adam cecidit in paradiso, Iudas in societate Christi, Cham in contubernio Noë, multi in lege, multi in Euangelio. Vbi ergo licet securè viuere? Certè nusquam. Idcirco Ecclesiasticus rectè monuit: *Fili, sta in timore Domini, & animam tuam prepara ad tentationem*. Israelitæ viderunt Aegyptios in mari rubro suffocatos. Ergòne licuit illis esse securis? Nequaquam. Imo paulò post tentati sunt in deserto. Christus baptizatus est à Ioanne: an idcirco securè eum agere licuit? Minimè. Statim à diabolo tentatus est. Quare tum maxime debemus esse soliciti, cum in gratiam Dei recepti sumus; tum enim diabolus maxime nostro exitio aduigilat, & nos quærit labefactare. Proinde nihil loci est Securitati.

Sed quo magis doctrina hæc eluceat, quæ

A hactenus dicta sunt subinde etiam exemplis illustrare conabor. Addam & illud, vt describam distinctius Securitatis necessarias comites, à quibus non solum in capitis discrimen adducitur, sed etiam in orci plerunque barathrum impellitur. Verumenimuerò vt inde potissimum exordiar vnde cœpit malorum omnium initium, dubitari vtique non potest, quin si quis se vallatum vndique, & firmissimo præsidio munitum existimet, ita vt expugnari sese non posse confidat, statim elatus animo superbia tumeat, & neque Deum timeat, neque homines deinceps reuereatur. Neque vero longe petenda huius rei confirmatio est. Hæc enim illa est clades, quæ florentem Nabuchodonosor perculit, cum Dei decreto feræ spolium induit, regnóque exactus est. Hæc pestis, quæ Pharaonem extinxit, cum ausus esset securus Numinis aperto mari se credere. Superbiam hostis contemptio, negligentia item & imprudentia sequitur, de qua iam antea diximus, quæ neque nocitura cauet, neque profutura prospicit. Hæc porro regibus illis quondam imposuit, quorum meminit liber Genes. capite decim. quart. qui cum Reges Pentapoleos commisso prælio fudissent, & spolia ampla diripuissent, sic ea victores asportabant, vt neglectis excubiis stationibúsque castra locarent, quieti atque epulis indulgentes; in quos statim Abraham noctu irruit, & somno vinòque, sepultos trucidauit. Exploratores quoque tribus Dan cum venissent Lais, *viderunt*, ait Scriptura Iudic. decim. octau. *Populum habitantem in ea absque vllo timore, iuxta consuetudinem Sidoniorum, securum & quietum, dixeruntque: Surgite, ascendamus ad eos: intrabimus ad securos, traditque nobis Dominus, &c. Veneruntque in Lais ad populum quiescentem atque securum, & percusserunt eos in ore gladij, vrbémque incendio tradiderunt.* Addam postremo & aliud insigne exemplum Regis Syriæ, qui Samariam obsidens cum præ hostis contemptu *biberet temulentus in vmbraculo, & reges triginta duo cum eo, qui ad auxilium eius venerant*, audissétque erupisse aduersarios è Samaria, *Siue*, inquit, *pro pace veniunt, apprehendite eos viuos: siue vt prælientur, viuos eos capite.* Atqui idem mox ne viuus in hostis potestatem veniret, dare se fugæ coactus est.

DISCVMBEBANT BIBENTES &c.

Securitatis necessariæ comites.

1. (beside "neque Deum timeat, neque")

2. (beside "securus Numinis aperto mari se credere. Su-")

3. Reg. cap. 20. ver. 18. (beside "exemplum Regis Syriæ")

D Tertio loco Securitas hominum animos luxu atque intemperantia corrumpit. Nam qui rerum omnium copia circumfluunt, & insuper certum ac persuasum habent ne in posterum quidem deesse posse, ij facile blandientis fortunæ corruptelis deprauantur. Itaque & præsentia temere prodigunt, & futuri temporis, cui mature consulere debuerant, nullam plerunque ineunt rationem. Ea res, cum à principio tellus bonorum omnium quæ natura desiderat abundantiam suppeditaret, prioris ætatis homines perdidit. Nam hoc interim spatio dum nulli præterea rei student, quam vt nouas voluptates comminiscantur, in dies, & in cœno libidinum assiduè 3.

Genes. ca. 6 Matt. ca. 24

DISCVMBEBANT EDENTES, &c.

assiduè volutantur, cataclysmus eos occupat, qui immensa mole aquarum orbem vniuersum obruit. Nec minor calamitas Palæstinorum principes oppressit, cum ipsi quoque capto Samsone securi testis epulis vacarent: nam hos quoque palatij ruina pessundedit, cum is columnas concussisset quæ ædificium fulciebant. De Ela Rege Israel legimus tertij Reg. capite decim. sext. *Erat autem Ela in Thersa bibens, & temulentus, irruens ergo Zambri percussit & occidit eum, & regnauit pro eo.* Legimus & de filiis Iambri libro Machabæorum cap. 9. quòd cum ipsi Ioannem fratrem Ionathæ comprehendissent, & apparatu bellico potiti essent, iam securi nuptias celebrarint. *At ecce cùm iam sponsus procederet, & amici eius, & fratres eius, cum tympanis, & musicis, & armis multis*, Machabæi fratres *surrexerunt ad eos ex insidiis, & occiderunt eos, & ceciderunt vulnerati multi: conuersæ sunt nuptiæ in luctum, & vox musicorum ipsorum in lamentum.*

Iudic. 16.

4. Ad hæc obseruare possis quemadmodum qui ita animo affecti sunt, cum sint expertes malorum, nequaquam eos alienæ calamitatis misereat. Nam quæ ratio præcipuè misericordiam commouet, ea est, si quis experientia didicerit, quantum incommodi res aduersæ patiant. Hinc quædam ait:

Non ignara mali miseris succurrere disco.

At qui res suas in tuto collocatas vident, nec metuunt fortunæ volubilis inconstantiam, hi plerúmque calamitosis illudunt, & durè atque inhumanè subsidium pernegant. Non ita pridem Dauid cum Nabalis opem implorasset, repulsam tulit. Diuitis epulonis immanitatem, qui pereuntem inedia Lazarum spectare potuit: & dignam tam atroci inhumanitate animaduersionem, quô cæteri flagitiosi hominis supplicio erudirentur, idem ipse Christus referre voluit.

5 Nec porrò intra eum gradum stat securitatis temeritas atque impotentia: Statim etiam erũpit in aliorum perniciem & tyrannidem affectat. Quid non Sodomitæ? Cùm reliquos hospites nullo non genere flagitii violarent, tandem etiam Angelis stuprum inferre tentarunt. Quod nequaquam illis impunè cessit. Quippe extemplo Deus, vt Petrus ait, *ciuitates Sodomorum & Gomorrhæorum in cinerem redigens, euersione damnauit: exemplum eorum, qui impiè acturi sunt, ponens: & iustum Lot oppressum à nefandorum iniuria ac luxuriosa conuersatione eripuit, &c.* Adonibezec nefarias quidem libidines Scriptura non memorat: at quanta hæc sæuitia est, quam superba crudelitas, dum rebus secundis elatus inuictum se atque inexpugnabilem iudicat? dixit enim, cum capto summas manus ac pedes filii Israel incidissent: *Septuaginta reges, amputatis manuum ac pedum summitatibus, colligebant sub mensa mea ciborum reliquias: sicut feci, ita reddidit mihi Deus.* Nec multo clementior Naas Ammonites cum crederet Iabenses imperium suum ferre non posse, reliquos autem Israelitas metu perterritos ne ausuros quidem omnino hiscere. Itaque cum iam deui-

Petr. epi. 2. ca. 2. ver 6 & Genes. 19 ver. 25.

Iudic. ca. 1. ver. 7.

1. Reg. c. 11.

DISCVMBEBANT EDENTES, &c.

ctos à se confideret, nec posse quemquam victoriæ cursum morari, non alia lege eosdem accipere in deditionem voluit, quàm *si erueret dextros eorum oculos, & poneret opprobrium in vniuerso Israel.* Subinde tamen cælo exercitu, fusus fugatusque est. Denique Aman sublimis de trabe pependit, cum paulò antea Regis fauore atque indulgentia fretus, crucem Mardochæo, Iudæis omnibus necem parasset. Hos illi fructus securitatis opinio nocentissima peperit. Sed illud longè detestabilius, quod ea pestis ne Numini quidem diuino parcit: cuius postquam metum exuerit, identidem audet conuitiis atque iniuria lacessere. 6.
Hinc illud Neronis apud Senecam in Octauia act. 2.

Stulti verebor, ipse cùm faciam, Deos.
Fortuna nostra cuncta permittit mihi.

Et item illud Rabsacis 4. Regum capite decimo octauo vers. 33. *Numquid liberauerunt dij Gentium terram suam de manu Regis Assyriorum? Vbi est Deus Emath, & Arphad? Vbi est Deus Sepharuaim, Ana, & Aua? numquid liberauerunt Samariam de manu mea? Quinam illi sunt in vniuersis dijs terrarum, qui eruerunt regionem suam de manu mea, vt possit eruere Dominus Ierusalem de manu mea?* Habes & aliud quod non minorem impietatem redoleat, Iudith cap. 6. *Vt ostendam tibi*, inquit Holofernes, *quoniam non est Deus, nisi Nabuchodonosor: cum percusserimus eos omnes, &c. Tunc & ipse gladio Assyriorum interibis, &c.* Denique 2. Machabæorum cap. 15. infelix Nicanor interrogat: *Si est potens in cœlo, qui imperauit agi diem Sabbatorum. Et respondentibus Iudæis, Est Dominus viuus ipse in cælo potens, qui iussit agi septimam diem. At ille ait: Et ego potens sum super terram, qui impero sumi arma, & negotia Regis impleri.* Hæc illi: quàm horrendas porrò impietatis ac blasphemiæ pœnas dederint, iisdem locis quos laudauimus Scriptura memorat. Postremo quam facile qui nullum timent, nec de periculo quicquam cogitant, Dei leges contemnant, & Numinis imperium detrectent, cùm alii plures, tum vnus Adam exemplo suo comprobabit.

Ergone, inquies, ita à Deo facti sumus vt nusquam securi consisteremus? Nequaquam. Est enim alia bona & laudabilis Securitas, quæ (vt autor est Sanctus Augustinus) in promissionibus Dei sita est, & in quibus nostra fides acquiescit. Hæc non torporem aut ignauiam, sed alacritatem gignit & industriam. De illa Dauid pulcherrimè cecinit in Psalm. 91. *Qui habitat in adiutorio altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur.* Vbi Latinè scribitur *adiutorio*, vox Hebraica significat *latibulum*, aut *occultum*, quod nemo apprehendit, nisi qui diuinis promissionibus fidem habet. Illo scuto defendimur, illa vmbra tegimur aduersus omne incommodum: hæc securitas est fidei per charitatem operantis, quæ nititur verbo Dei, & idcirco non potest non laudari. Altera verò est carnis, & detestanda, & execratione digna. Contra hanc extant apertissima Christi

Quæ probetur Securitas, quæ damnetur.

DISCVMBEBANT EDENTES, &c.

mandata, nempe, *vt semper oremus, pulsemus, quæramus & vigilemus: dies enim Domini vt fur veniet. Si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret vtique, nec sineret perfodi domum suam.* Orare debemus, & vigilare, quod licet *Spiritus sit promptus, caro tamen infirma est.* Paulus admonet, *vt induamus πανοπλίαν Dei, vt possimus resistere in die malo. State,* inquit, *succinctis lumbis baltheo veritatis, induti iustitiæ thoracem, & calceati pedibus, vt parati sitis ad Euangelium pacis, assumpto super omnia scuto fidei, quo possitis omnia iacula mali illius ignita extinguere: galeámque salutis accipite, & gladium Spiritus, quod est verbum Dei.* Ita etiam Petrus nos armat contra Securitatem in 1. Epist. cap. 5. *Aduersarius,* inquit, *vester diabolus, tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide.* Hoc igitur Apostoli monuerunt: hoc ante illos idem ipse Christus. *Quemadmodum enim,* inquit, *in diebus Noë comedentibus, bibentibus, nubentibus, ducentibus insperatum interuenit diluuium, ita erit & aduentus filij hominis.* Nec tantùm in illo extremo die ista accident, sed etiam in hac vita sæpe. Itaque Amalecitæ cum omnes iam curas, omnémque prudentiam vino somnóque obruissent, opprimuntur à Dauide; vt bestias videmus sæpe feriri à venatoribus, cum adhuc esca inter dẽtes hæreat. Pascebãt oculos pulcro spectaculo alienarum opum: videbant iam se affluere omnibus bonis. Sed cur ita solutè & securè viuunt? Primum, quod viderent se longe abesse à terra Iudæorum: deinde, quod crederent, Dauidem longe gentium agere. Itaque nulli erant exploratores, excubiæ nullæ. Itaque securè versantes opprimuntur ex improuiso. *Cùm enim dixerint, Pax, Pax, & secura omnia, repentinus illis superueniet interitus.*

Qui timor animaduersione dignus.

Cæterum quia dixi opponi timori securitatem, nolim quisquam putet omnem timorem esse laudandum: quia & malus timor inuenitur. Is autem oritur ex praua existimatione bonorum & malorum. Vt si quis res aduersas
1. huius mundi, & cruces quas electi ferunt, & omnino malas, & prorsus reformidandas putet. Aduersus ista oportet nos vnà cum Dauide canere, *Non timebo quid faciat mihi homo.* Est & alius reprehendendus timor impiorum,
2. quem praua conscientia gignit. Nam qui turpiter & scelerate viuunt, ij vindictam cœlestem sibi semper impendere verentur. Timores huiuscemodi Plutarchus in libello περὶ εὐθυμίας, vocat animi vlcera. Sunt, inquit, vlcera non minus in animo quàm in corpore. Statim vero etiam elegantem similitudinem abiicit. Vt qui in febri aut frigent, aut calent, quia intus algent, aut vruntur, grauius laborant, quàm si vel calor vel frigus foris ad corpus adhiberetur: ita qui animo cruciantur, multo grauius torquentur, quàm qui excruciantur corpore. Ad eundem modum nos dicere possumus: Semper ij trepidant & pauent, quorum conscientia perturbatur. Quare Dauid aiebat, *Trepidauerunt timore,* vbi non erat timor. Ita Cain, ita Iudas mirabiliter expauescebant. Seneca ad Lucillum, epist. 106. Prauum hominem nullus locus reddet tranquillum. Sic enim semper cogitat: Si adhuc deprehensus non sum, possum tamen deprehendi. Quodq; hactenus deprehensus non fuerim, fortunæ magis fuit quàm fiduciæ. 3.
Illi etiam vehementer timent qui formidolosi sunt, & terrorem aliis incutiunt. Nam est necesse vt metuat multos, quem metuunt multi.

Plutarch.

DISCVMBEBANT EDENTES, &c.

Quo remedio timor depelli possit.

Aduersus timores huiusmodi, Seneca hæc remedia excogitauit; vt iuste viuamus, nec vnquam quicquam iniqui committamus. Verùm hac ratione, quis vnquam erit securus? Quis enim est, qui non peccet? Nos multo melius in fide Christi acquiescimus, & officio quoad possumus aduersus Deum hominésque defuncti, in eius vnius misericordia omnem fiduciam nostram & securitatem collocamus. Ad hunc modum Paulus nos docet, *Iustificati,* inquit, *fide, pacem habemus apud Deum.* Valet hoc pharmacum contra omnes timores. Etiam Sollicitudo, quæ securitati videtur apponi, non semper est laudanda: quoniam in ea duo vitia sunt cauenda. Prius est, ne illa impulsi, quæramus impendenti malo iniquis rationibus mederi, quemadmodum Iudæi fecerunt, cùm dicerent: *Si hunc dimittimus sic, venient Romani, & tollent locum nostrum ac gentem.* Quare decreuerunt eundem quo iure quaque iniuria perdere.

Solicitudo vitiosa.

Cauendum præterea est, vt de rebus temporariis non ita commoueamur, vt spem ac fiduciam de bonitate ac prouidentia Dei abiiciamus. Itaque vera securitas est, quæ *fide per charitatem operante nititur,* & ex diuinis promissionibus constat. Paulus eam suggerebat, cum scriberet ad Romanos: *Si Deus filium suum pro nobis tradidit, quomodo non omnia pariter cum eo nobis donabit? Quis aduersus electos Dei crimina intentabit? Deus est qui iustificat. Quis igitur condemnabit? Christus est, qui mortuus est, imo qui & surrexit, qui etiam est ad dexteram Dei, & interpellat pro nobis. Quis nos separabit à charitate Dei? Num afflictio? num angustia? num persequutio? num fames? num nuditas? num periculum? num gladius? Scio & certus sum, quoniam neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque potestates &c.* Epist. ad Romanos cap. 8. ver. 39. Sed iam satis liquet, opinor, quæ securitas probetur, quæue damnetur: institutum opus deinceps vrgeamus.

Laudanda securitas.

VERSVS XVII.

Et percussit eos Dauid à vespere vsque ad vesperam alterius diei, & non euasit ex eis quisquam, nisi quadringenti viri adolescentes, qui ascenderant camelos, & fugerant.

VERSVS XVIII.

Eruit ergo Dauid omnia, quæ tulerant Amaleticæ, & duas vxores suas eruit.

VERSVS

A vespere usque &c.

Versus XIX.

Nec defuit quidquam à paruo vsque ad magnum, tam de filiis quàm de filiabus, & de spoliis, & quæcunque rapuerant omnia reduxit Dauid.

Et percussit eos Dauid à vespere vsque ad vesperam alterius diei.] Pagninus, *à crepusculo & vsque ad vesperam in crastinum: eorum* addit Arias ex fonte Hebræo. Vatablus, *à crepusculo vsque ad vesperam,* [*posterioris diei,*] *& vsque ad crastinum illarum, &c.* In Schol. *à crepusculo* subaudi nocturno. Id est, *Percussit eos à vespera vsque ad vesperam diei sequentis, & vsque in crastinam diem illarum vesperarum,* hoc est, vsque ad diem sequentem duas illas vesperas: quod dicitur, toto triduo percussit eos.] Hebr. מֵהַנֶּשֶׁף וְעַד הָעֶרֶב *mehannesceph vegnad hagnereb.* Quidam exponunt, vt refert Isidorus Clarius, & alij, נֶשֶׁף *nesceph* pro crepusculo matutino, quando illos cœpit cædere, durauitque ea cædes vsque ad vesperam eius diei. Et quando additur *crastina diei*: hoc referendum putant ad initium persequutionis. Nam circa vesperam incœpit persequi eos, & tota nocte insequutus, manè inuenit eos effusos super terram, &c. Alii accipiunt נֶשֶׁף *nesceph* pro prima vespera, עֶרֶב *ghereb* pro alterius diei vespera: & quod sequitur לְמָחֳרָתָם *lemahhorathamm* (*in crastinum eorum*) pro crastina die vtriusque vesperę, hoc est, pro tertia die primæ vesperæ. Sunt rursum, qui ם *mem* in dictione לְמָחֳרָתָם *lemahhoratham* referendũ putant ad Dauid, & viros eius; vt sit sensus: In crastina exitus eorum, *percusserunt eos ab aurora vsque ad vesperam.* Quidam ita vertit, *Percussit eos Dauid à crepusculo vsque ad vesperam, postridiè expeditionis in eos.* Chaldæus, *Et percussit illos Dauid à tenebris, & vsque ad vesperam diei sequentis.* Septuag. Complut. edit. Καὶ ἐπάταξεν αὐτοὺς ἀπὸ ἑωσφόρου, καὶ ἕως ἑσπέρας, καὶ τῆς ἐπαύριον. *Et percussit eos ab hora matutina, & vsque ad vesperam & crastinum diem.* Ald. & Roman. ἀπὸ ἑωσφόρου ἕως δείλης καὶ τῇ ἐπαύριον. *Percussit eos à lucifero vsque ad vesperam, & in crastina.* Nobilius in Notis, id est, à crepusculo matutino, aut vespertino. Aquila σκοτομήνης, *obscura luna.* Symmachus, ἀφ' οὗ συνεσκότασε, *ex quo cœpit obtenebrescere.* Optima Vulgati interpretis translatio *à vespera vsque ad vesperam alterius diei*: Nam cum appetente iam nocte in latrones Dauid incurrisset, eosdem tota nocte cecidit: quoniã autẽ noctis beneficio non pauci latuerãt in iisdẽ inuestigandis ac persequendis diem sequentem consumpsit, ac passim repertos trucidauit. נֶשֶׁף *nesceph* porrò tenebras & caliginem significat. Deinde etiam vtrumque crepusculum, noctis initium aut finem. à verbo נָשַׁף *naseaph*, flauit, aut circumegit. Tum enim plerunque venti erumpunt, cum Sol flectitur, seu petat Antipodas, seu redeat. עֶרֶב *ghereb* mixtio est, à verbo עָרַב *gharab* quod est, *mixtus*, commixtus fuit. Significat autem

A etiam *aduesperanit*, & *ghereb vesperam*, quoniam suprema illa tempestate dies vnà cum nocte, & lux cum tenebris permisceri videntur. *Nisi quadringenti viri.*] Septuag. παιδάρια siue pueros vocant.

Vers. 19. *Nec defuit quidquam à paruo &c.* Sept. Καὶ οὐ διεφώνησεν. Latina translatio Complut. *Et non defuit.* Romana Nobilij, *Et non dissonuit à paruo vsque ad magnum.* Scilicet, vt absoluta harmonia esset, nec quisquam querulis vocibus publicam lætitiam interpellaret. Nobilius in Notis, *Et non desideratus est.* Exodi ca. 24. ver. 11. quo loco habemus: *Nec super eos qui procul recesserant de filiis Israel misit manum suam*: Septuag. legunt, οὐ διεφώνησεν οὐδὲ εἷς, *& de electis Israel, non dissonuit nec vnus*: hoc est, nemo detrimentum accepit: quomodo etiam
B Ezechiel 37. διαπεφωνήκαμεν interpretandum est.

Et percussit eos Dauid] Menandri elegans illa sententia est:

Ne acum quidem
Charissime, desideres vnquam alienam.
Deus enim factis iustis lætatur,
Et non iniquis: sed labore suum sibi sinit paratum
Victum, exaltarier, terram arantem noctéque
Diéque. Deo autem sacrifica perpetuò,
Iustitiam exercendo, & munditia cum vestium
Tum cordis. Tonitru audito ne fugias,
Nihil ipse tibi conscius, here.
Deus enim è propinquo te respicit.

Iusto labore, nō aliena iniuria victus cōparandus.

Qui autem aliena rapiunt, cum manè spolia extorserint, vespertinus eos manet interitus. Hi vtique dicere seriò potuerunt, quod olim
C quidam ludentes apud Mnesimachum.

Gladiis cœnamus acutis.
Opsonij vice faces ardentes deuoramus.
Hinc statim infert bellaria.
Nobis puer post cœnam Creticos mucrones,
Quasi ciceres, iaculorúmque reliquias
Perfractas: vice puluinarium, scuta
Thoracésque habemus: pre pedibus, fundas
Et arcus: catapultis verò coronamur.

A vespera vsque ad vesperam.] Apparet cædem eam fuisse maximam, ex spatio, vel quod à vespera ad vesperam pugnatum sit, vel à crepusculo ad eiusdem diei vesperam. Nam in cæde interponitur longitudo temporis, vel ob numerum magnum eorum qui cæduntur: vel quod hostes vincenti resistunt diutius: vel quod impeditis locis captantes latebras tardius ex-
D pugnari potuerint. Non est autem verisimile lato ac patenti campo, qui habitus est arenosæ solitudinis, clara iam luce victorem latere potuisse. Cum itaque isti & inermes, & cibo potúque nimio graues, diutius morari victoriam minimè potuerint, & tamen tanto tempore strages edita referatur, restat, vt cæsorum numerus maximus fuisse videatur. Iosephus ait, Dauidem eos cecidisse à prandio vsque ad vesperam. Sed fieri potest, vt illi prandium ceperint primo manè.

Strages magna fuisse videtur.

Et non euasit ex eis quisquam.] Ex Amalecitis, qui in castris reperti sunt, nullus relictus est superstes: ex Dauidis militibus nullus desideratus. Sed in ea re Dauid videri potest

PERCVSSIT A VESPERA, &c

Iustissima cædes.

iniquè fecisse. Illi enim ex Sicelegensibus neminem occiderant. Quinimò latrones fas est neci dare: deinde etiam incendiarios, postremò coniugum, virginumq; raptores. Abigei quoque Romanis legibus multatúmque gentium capite plectuntur. Plectuntur etiam plagiarii, qui seruum ancillamve à dominis auertunt, qui liberos homines in seruitutem abripiunt. Atqui prædones isti vrbem incenderant, supellectilem omnem comportarant, pecora abegerant, seruos ancillásque abduxerant, vxores, filiásque rapuerant, libera pleráque corpora miseræ per vim seruituti addixerant. Quis itaque non iure cæsos iudicet? Præterea Dauid non spectabat humanum iudicium, sed consilium Dei. Sciebat autem Deum decreuisse eos prorsus ad vnum perdere.

Nisi quadringenti viri adolescentes.] quadringenti tamen conscensis camelis euaserunt, fortasse qui nuncij essent calamitatis. Septuag. vt iam antea diximus παιδάρια vocant. Erant fortassis pueri qui camelos curabant, ita vt ad primum hostis conspectum eosdem raptim incédere atque elabi potuerint. Aut certè filij eorum ætate minores: qui cum valerent pedibus, pernici cursu ante camelos occuparint, quàm à Dauide comprehendi possent. Alioqui ne minori quidem ætati Dauid parciturus erat. Ne vel ipsi iniurias à Dauide prius acceptas proderent, si fortè penes Saulem victoria stetisset, & ad Achim redeundum esset: aut ipse in Numinis offensionem incurreret, si seruaret quos Deus ipse damnauerat. Non est tamen necesse si qui nunc quoque prædas agunt, vt horum quoque adolescentulos filios τὰ παιδάρια supplicio afficiamus. Innocentiæ ratio habenda est, si qua ratione probari possit. Notanda lex Burgund. cap. 47. de latronum filiis. Circa filios, inquit, talium personarum hæc seruabitur ex lege distinctio; vt quicunque ex eis eo tempore, quo furtum admissum fuerit, quartum decimum ætatis annum excesserit, ex quo mater ipsius (de vxoribus proxime sanxit) amissæ libertatis præiudicio condemnetur, eius quoque dominio perpetua obnoxiatione deseruiat, cui furtum factum fuisse constiterit: quoniam in eo annorum numero constitutus commissum scelus absque vlla dubitatione cognoscit. Hi vero sceleratorum filii, qui perpetrati criminis tempore intra decimum ætatis annum inueniũtur, ab hac amittendæ libertatis condemnatione habeantur immunes: quia sicut in tam parua ætate intellectus eorum scientiam commissorum à patre criminum non habebit, ita nec culpari poterunt, nec ingenuitatis præiudicium sustinebunt: & sortem parentum, vel facultates, filii, qui innocentes fuerint, vindicabunt. *Qui ascenderant camelos, & fugerant.*] Narrat Philostratus lib. 2. Vitæ Apploniì cap. 3. Indos camelis, quos dromedarios vocant, quorum genua nulla iunctura flectuntur, vti, cum volunt aliquò pergere magnis itineribus, vt pote qui vno die quadraginta aut etiam quinquaginta leucas conficiant.

De latronũ filiis.

Lex Burgund.

Philostrat.

Contraria vicissitudo bonorum atque malorum.

Eruit ergo Dauid omnia, &c.] Ex hoc euentu colligimus, longe aliter res succedere piis, aliter

A impiis. Nam pioruũ calamitas exit in lætitiam: impiorum autem impotens lætitia in summam miseriam. Non enim ista sunt fortunæ tantum ludibria, aut à Marte, quem appellant ἀλλοπρόσαλλον, diriguntur. Est prouidentia Dei, qua omnes res humanæ, aut stant, aut cadunt. Non quod Deus per se delectetur huiusmodi mutationibus. Est enim constans, & immutabilis. Nos potius nostro vitio huiusmodi vicissitudines accersimus. Homines potentes & nobiles, de honoribus & diuitiis suis nimis insolenter sese efferunt: rursus populares homines, & tenues ita principum potentiam & splendorem admirantur, vt vix putent aliud esse numen. Quod nisi Deus huiusmodi aliqua ruina ostenderet, hæc non esse perpetua, & populus nimium stuperet ad inanes titulos, & principes

B nimium nimiúmque insolescerent. Hinc etiam fit, vt pii in calamitatibus ne desperent, sed sciant, in rebus humanis vicissitudinem plurimum posse.

VERSVS XX.

Et tulit vniuersos greges & armenta, & minauit ante faciem suam: dixeruntque: Hæc est præda Dauid.

Variæ translat.

PAgninus, *Et tulit Dauid omnes pecudes, & boues duxerunt ante gregem ipsum, & dixerunt: Hac est præda Dauid.* Arias. *Et cepit Dauid omne pecus, & bouem duxerunt ad facies acquisitionis ipsius; & dixerunt: Hoc spolium Da-*

C *uid.* Chaldæus, *Et cepit Dauid omnem pecudem, & boues tulerunt ante pecora hac, & dixerunt, hac præda Dauid.* Sep. καὶ ἔλαβε Δαβὶδ πάντα τὰ ποίμνια αὐτῶν, καὶ τὰ βουκόλια, καὶ ἀπήγαγεν ἔμπροσθεν τῶν σκύλων. καὶ τοῖς σκύλοις ἐκείνοις ἐλέγετο, ταῦτα σκῦλα Δαβίδ. *Et cepit Dauid vniuersos greges eorum* (Aldus & Rom. edit. Nobilij αὐτῶν *eorum* non meminit.) *& armenta boum, & abegit ante spolia, & spoliis illis dicebatur, hac spolia Dauid.* Quidam ita vertit: *Praterea cepit Dauid totum reliquum gregem & armentum,* (quæ hostes aliunde compilanerant) quod *abducentes ante pecora sua,* quæ sibi fuerant erepta, *dicebant, hac est præda Dauidis.* Vatablus Salmant. *Et tulit Dauid omnes greges & armenta,* quæ Amalecitæ abegerant de Iuda & aliis regionibus, *duxeruntque ea ante res illas, ante*

D *pecus,* id est, ante greges & armenta, quæ abegerant Amalecitæ de Siclag, *& dixerunt, hac est præda Dauidis.* Distribuerant greges in duas partes, nempe eos, quos abegerant Amalecitæ ex Iuda & aliis vrbibus, & in eos quos abegerant ex Siclag. Gregem autem Siclag nõ appellabant prædam: nam ea restituebantur suis Dominis. *Hac est præda Dauid:* præter vestra quæ restituuntur vobis, hæc adducit Dauid. Hactenus Vatablus.

Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.

Et tulit vniuersos greges & armenta &c.] Recuperat Dauid non tantum ea quæ amiserat, sed ingenti præterea præda potitur, quam Amalecitæ ex Palæstinis Iudæisque collegerant. Item Deus oraculi sui veritatem comprobauit; vt Dauid non tantum rediret ad sua, sed etiam

alienis

Et tvlit, &c. alienis ditaretur. Saul porrò, cum Agag regem Amalechitarum cepisset viuum, & eius armentis & gregibus pepercisset, abdicatus à Deo est, & propagādi regni spe deiectus. Dauid autem amplissimam prædam Amalechitarum seruat incolumem, & tamen nec damnatur, nec à Deo reijcitur. Cur ita? Quia siue seruetur præda, siue perdatur, quod ad rem ipsam attinet, nihil interest. At postquam semel accessit Dei voluntas & imperium vt perdatur, eam iam seruare sacrilegium est. Si quæreas, Cur Deus Sauli id magis præceperit, quàm Dauidi, tametsi videri possit hoc loco necessitatis atque inopiæ habuisse rationem, potius tamen est vt negemus à nobis causam explicari posse. Analysis ad illud vnum reuocatur, Deus voluit: idque nobis hoc loco debet esse satis.

B *Et minauit ante faciem suam.*] Milites eā prædam ante reliquam pompam præmitti voluerunt, Dauidis videlicet honoris causa. Illi enim sequentes faustis, & triumphalibus acclamationibus prædicabant, *prædam illam esse Dauid.* Hoc erat pæana canere, ac triumphum quodāmodo Romano more celebrare. Milites Dauidi victori applaudunt. Ita scilicet naturâ comparatum est, vt si res Imperatori feliciter succedant, prædicetur, & efferatur à suis: at si quid fortè offensum sit, communi omniū sententia & murmure condemnetur. Solent enim homines ex euentis res metiri, non ex consilijs. Milites antea cum rerum suarum atque adeò necessitudinum iacturam fecissent, tanto odio atque impetu ferebantur in Dauidem, vt eum viderentur lapidibus obruturi. Nunc postquam Deus meliorem successum, & auram gratiorem aspirauit, præ gaudio atque lætitia vix sui compotes eundem laudibus in cœlum ferunt, & virtuti ac pietati ducis, quem Deo curæ esse manifestis indicijs comprobarunt, impensius gratulantur. Sed rem ipsam vt æquum est, paulo distinctius explicemus.

Auræ popularis inconstãtia.

Gregis & armenti discrimen.

Et tulit vniuersos greges & armenta.] Grex differt ab armento, teste Valla lib. 4. cap. 24. quòd grex minorum animalium sit congregatio, vt ouium, porcorum, caprarum: armentum maiorum, vt camelorum, boum, equorum. quanquam & cum adiectiuo aut genitiuo terminātē pro alijs etiam grex vsurpetur, & translatiue etiam pro hominibus; vt seruorum greges & ancillarum. Armentum, inquit Festus, id genus pecoris dicitur, quod est idoneum ad opus armorum; vt sunt equi & boues. Nam equis in bellum curritur, clypei verò boum corijs armantur. Pagninus בָּקָר *bachar* hoc loco boues nominatim exposuit, quos magis accedit ad Pomponium, qui *ff. de verb. signific. l. 89.* ait, boues magis armentorum, quam iumentorum generis appellari. Quinetiam Vlpianus *ff. de ædilitio. l. 38. §. 4.* aliud, inquit, significant iumenta, aliud significatur pecoris appellatione, & §. 6. boues docet iumentorum appellatione non contineri, sed pecoris.

Festus.

Tulit.] *Cepit* Pagninus cum pluribus. Quæ dictiones tametsi significatione conuenire videantur, capiendi tamen verbum necessariam hoc loco emphasim habet. *D.* enim *de verbor.*

A *signific. l. 71.* Aliud est capere, aliud accipere. Capere cum effectu accipitur. Accipere est, si quis non accepit, vt habeat; ideoque non videtur quis capere, quod erit restituturus.

Tvlit greges, &c.

Minabat ante faciem suam.] Arias, *Ad facies acquisitionis ipsius:* in prima fronte agminis, præse agebant: in prima velut acie constituerat, armenta seu boues quæsitæ prædæ primos ordines ducebant. Hebraicè, לִפְנֵי הַמִּקְנֶה הַהוּא *Liphnei hammikeneh hahou.* Verbum ipsum קָנָה *Kanah* idem quod parauit, acquisiuit, indeptus est quoquo modo, generatione, industria, labore, pretio, præmio, &c. *D. de adquirend. vel amitt. possessione. l. 3. §. 21.* Genera possessionum sunt, quot & causæ adquirendi eius, quod nostrum non sit: velut pro emptore, pro donato, pro legato, pro dote, pro hærede, pro noxæ dedito, pro suo. Sicut in his quæ terra, marique vel ex hostibus capimus, vel quæ ipsi, vt in rerum natura essent, fecimus. Et in summa magis vnum genus est possidendi, species infinitæ. A verbo Hebræo manat מִקְנֶה *michneh* Mascul. & מִקְנָה *miknah* fœmin. quæ duo nomina nonnulli ita inter se distingunt, vt מִקְנֶה *mikneh* κτῆνος sit seu pecoris possessio: מִקְנָה *miknah* κτῆμα possessionem significet, siue κτῆσιν acquisitionem. Plerique tamen confundunt, & vtrunque nullo discrimine vtuntur. Septuag. verò non rarò τὰ ὑπάρχοντα substantiam interpretantur: hîc etiam (nescio an vsquam præterea) σκῦλα prædam, spolia transtulerunt. Inde adeo factum est, vt auderet Arias præter aliorum sententiam hoc loco *acquisitionem* interpretari. Quæ expositio quandoquidem nihil pugnat cum Vulgata, quam potius explicare videtur, nequaquam à nobis refutabitur. Alioqui verò Dauid hanc prædam reuera quæsierat: vnde mox subditur.

Quid possessio siue acquisitio.

C

Hæc est præda Dauid.] Nam quod iure belli ea quæ hostibus eruuntur victor sibi vendicet, & iusto titulo possideat, diuinis humanisque legibus confirmari potest. Sed exordiar ab humanis. *In ff. de Captiuis & postliminio reuersis. l. Postliminium.* Quæ in bello amisimus, vel circa bellum, ea si post recuperabimus, obtinebimus postliminio. Nam dum non recuperantur, ab hostibus possidentur. Hoc autem ius est erga eos, qui declarati sunt. Illi autem hostes declarati sunt, quibus populus Romanus publicè bellum indixit, aut qui populo Romano bellum indixerunt, vt habetur *in eod. tit. l. hostes.* Nam piratæ atque prædones non possunt hoc pacto dominium acquirere, aut quippiam armorum iure possidere. Oportet enim bellum geri, vt aliquid iure belli acquiratur. Et in *D. de Acquirendo rerum dominio l. Naturale. §. vlt.* Ea quæ ab hostibus capiuntur iure gentium, statim fiunt capientium. Atque ita humanæ leges in hanc rem satis sunt perspicuæ.

Parta iure belli victoribus ascribuntur.

D

Ita etiam res in diuinis legibus habet. Abraham, vt constat lib. Genes. cap. 14. bellum contra quatuor reges gessit, qui Loth captiuum abduxerant. Confecto bello præda illorum in potestatem & dominium Abrahami transijt: quod facile probari potest: quoniam ex illa præda Melchisedecho decimas dedit. Non au-

Hæc est præda, &c.

Præda Regum profligatorum propria Abrahami fuit.

tem licuisset decimas de alieno dare: sua igitur erant, de quibus dedit. Quocirca prædam illam in eius dominium peruenisse credendum est. Nam quod eam donauerit Regi Sodomæ, fuit mera liberalitas: non enim lege vlla tenebatur. Sin quisquam idcirco Pentapolitanam prædam restituere debuisse arbitretur, quod fœdere & amicitia coniunctus socijs opem tulisset, nec præter stipendia & sumptus, & quæ gratis offerrentur, exigere quicquam deberet: de spolijs tamen regum Assyriorum dubitare nemo poterit, quin ea iure optimo possideret, quorum duntaxat decimas consecrasse Deo, & Sacerdoti tradidisse, nonnulli videntur asserere. Possem adhæc commemorare quæ Iosue, Caleb, Othoniel, Dauid, Salomon, populus denique vniuersus iure belli pararunt ac tenuerunt. Nam cùm à principio veteres incolas vicissent, erepta hostibus venerunt in eorum potestatem. Sed non satis est, inquis, geri bellum, vt aliquid eius iure vindicetur; sed iustum esse oportet, quia nisi iustum sit, non bellum est, sed latrocinium & deprædatio. Esto: quis hoc bellum iustum neget quod Deus iussit, & vt seriò administraretur tantopere Iudæis commendauit.

De his quæ feris eripiuntur, cuius censeri debeant.

Reliqua tamen vna difficultas est, quo pacto ea præda Dauidis propria videri potuerit, quæ teste Ægyptio partem maximam Iudæis erepta fuit. Siquidem *Nos erupimus*, inquit, *contra Iudam, & contra meridiem Caleb, &c.* Quærit Vlpianus *D. de Adquirendo rer. dominio. l. 44.* An quod quisquam rapaci feræ eripuerit, illius censeri debeat, an priori domino, qui feræ audacia damnum acceperat, restitui? Pomponius tractat, inquit: Cùm pastori meo lupi porcos eriperent, hos vicinæ villæ colonus cum robustis canibus & fortibus, quos pecoris sui gratia pascebat, consequutus, lupis eripuit, aut canes extorserunt: & cùm pastor meus peteret porcos, quærebatur, vtrum eius facti sint porci, qui eripuit: an nostri maneant. Nam genere quodam venandi id erant nacti. Cogitabat tamen: quemadmodum terra marique capta, cùm in suam naturalem laxitatem peruenerant, desinerent eorum esse, qui ceperunt: ita ex bonis quoq; nostris capta à bestijs marinis & terrestribus, desinant nostra esse, cum effugerunt bestiæ nostram persequutionem. Quis denique manere nostrum dicit, quod auis transuolans ex area, aut ex agro nostro transtulit? aut quod nobis eripuit? Si igitur desinit: si fuerit ore bestiæ liberatum, occupantis erit: quemadmodum piscis, vel aper, vel auis, qui potestatem nostram euasit, si ab alio capiatur, ipsius fit. Sed putat potius nostrum manere tandiu, quãdiu recuperari possit: licet in auibus, piscibus & feris verum sit quod scribit. Idem ait, etsi naufragio quid amissum sit, non statim nostrum esse desinere. Denique quadruplo teneri eum, qui rapuit. Et sanè melius est dicere, & quod à lupo eripitur nostrum manere, quandiu recipi possit id, quod ereptum est. Si igitur manet: ego arbitror, etiam furti competere actionem. Licet enim non animo furandi fuerit colonus persequutus, quamuis & hoc animo esse: sed etsi non hoc animo; tamen, cum reposcenti non reddit, supprimere, & intercipere videtur. Quare & furti, & ad exhibendum teneri eum arbitror, & vindicari: exhibito, ab eo porcos esse. Hæc Iurisconf. Cur non perinde de præda sentiamus postquam illam aliquis hostibus tanquam feris excusserit, vt eam recipiat qui prius amiserat? Sed de his statim accuratius.

Versvs XXI.

Venit autem Dauid ad ducentos viros, qui lassi substiterant, nec sequi potuerant Dauid, & residere eos iusserat in torrente Besor: qui egressi sunt obuiam Dauid, & populo qui erat cum eo. Accedens autem Dauid ad populum, salutauit eos pacificè.

Versvs XXII.

Respondensque omnis vir pessimus, & iniquus de viris, qui erant cum Dauid, dixit: Quia non venerunt nobiscum, non dabimus eis quidquam de præda, quam eruimus: sed sufficiat vnicuique vxor sua & filij: quos cùm acceperint, recedant.

Variæ vsitat.

QVi lassi substiterant.] Pagninus, *Qui lassi fuerant, vt non possent ire post Dauid.* Arias, *qui pigri fuerant ab eundo post Dauid.* Vatablus Laur. legit cum Pagnino. At Salmanr. habet *qui resederant, ne sequerentur Dauidem.* In Schol. *Qui lassi erant, ita vt non possent sequi, &c.* vel, *quos piguerat sequi Dauidem.* Hoc est, qui præ lassitudine, siue vera, siue ficta non fuerant sequuti. Chaldæus, *qui prohibiti fuerant ab eundo post Dauid.* Quidam, *qui defectis viribus non potuerant sequi Dauid.* Septuag. edit. Aldinæ, ἄνδρας τοὺς ἐκλυθέντας τοῦ πορεύεσθαι ὀπίσω Δαυίδ. Edit. Nobilij, *qui remanserant ab eundo post Dauid.* Complut. τοὺς ἀπολειφθέντας τοῦ πορεύεσθαι ὀπίσω Δαυίδ, *relictos vt irent post Dauid. Et residere eos iusserat.*] Chaldæus, Pagninus, & alij, numerum multitudinis probant, vt intelligamus communi consilio factum quod Dauid iusserat, vt viribus fracti impedimentis præsidio essent: ibique gradum figerent, vnde si foret opus possent accersi: legunt itaque *iusserant, fecerant. Salutauit eos pacificè.*] Chaldæus, *& precatus est illis pacem.* Septuag. Complut. edit. Καὶ ἠρώτησεν αὐτοὺς τὰ εἰς εἰρήνην, *& interrogauit eos quæ ad pacem.* Aldus vero legit: Καὶ ἠρώτησαν αὐτὸν τὰ εἰς εἰρήνην, Rom. edit. *& interrogauerunt eum, quæ ad pacem.* Quidam, *& interrogabat eos de prosperitate.* Arias, *& optauit eis ad pacem.* Pagn. & Vatabl. cum Vulgato consentiunt. *Omnis vir pessimus & iniquus.*] Pagn. *vir malus & impius.* Hebraicè, *omnis* רע איש *isc rag vir malus & Belial. Porrò* רע *siue* רעע *ragh siue raghah, molestus*, durus, malus fuit,

VENIT DAVID, &c.

fuit, seu verbum seu nomen accipiatur. *Malum* autem denotat modò culpæ, quod est malitia, & ab homine: modò pœnæ, quod est afflictio seu miseria, & à Deo proficiscitur. Sep. πονηρὸς καὶ λοιμὸς *malus & pestifer.* Vatabl. *iniqui & perditi.* In Schol. *pessimi quique.*

Accedens salutauit eos pacificè.] Redit ad torrentem, vbi ducenti milites restiterant ad sarcinas. Eos Dauid pro sua humanitate comiter salutat. Alius dixisset, Noluistis mecum pergere ad pugnam, & laborem atque incommodum nobiscum vnà tolerare, dum prædones comprehenderemus: simulastis lassitudinem: nunc feretis præmium ignauiæ vestræ: decus hoc in integrum nostrum erit: vos eritis inglorij. At Dauid blande eos, & humaniter appellauit.

Pessimi vocantur, qui labore fractos non ignauia victoriæ fructu priuare student.

B *Respondensque omnis vir pessimus.*] Hoc est, Cùm primum ercíscundæ prædæ mentio facta est, veriti ne Dauidis indulgentiâ quam moleste ferebant, cum alijs pariter sortirentur; vel sane, cum viderent eos ab ipso blande appellari, eiusdem prolixam erga omnes beneuolentiam suspectam habentes, interpellare eius orationem ac salutationem castigare studuerunt, desertionis atque ignauiæ eos insimulantes, quos labor fregerat, & vires non animus defecerat. Horum nunc cum Dauidi, tum reliquis refricant memoriam, & à benignitate, quam suadebat spoliorum copia, conantur auertere. Erant illi *filij Belial*, hoc est, homines scelerati & impij. Non quidem ista dicta sunt ab omnibus, sed à paucis quibusdam: & illis ipsis Scriptura testimonium fert nequitiæ. Pestilentes

C autem idcirco Septuaginta interpretantur, quoniam hi plerunque clanculum mordentes, reliquos inuidiæ ac liuoris toxico inficiunt, & seditiones concitant. Illi autem, vt ista dicerent, adducti sunt auaritia. Quæ enim causa paulò ante suaserat, vt Dauidem vellent lapidare, eadem nunc efficit, vt conspirent contra fratres. Πλεονεξία enim omnium fere malorum est mater. Ex eo enim nascuntur inter homines dissidia, quòd quisque plus vel pecuniarum, vel potentiæ, vel honoris habere velit, quàm alter: idque non tantùm in Republ. sed etiam in Ecclesia.

Suidas. Qui fuci habendi sint.

Quia non venerunt nobiscum, &c.] Apud Suidam in voce κηφὴν, Bellisarius cum risu dixit, Non æquum esse, fucos quidem, rebus ab alijs magno labore partis frui, & alios mellis

D fructum sine vlla ærumna percipere; viros autem generosos, & fortes, & qui magnis cum laboribus, & periculis certarunt, suorum certaminum fructu priuari. Hesiodus autem ἔργοις καὶ ἡμέραις pag. 17. κηφήνεσσι κοθούροις dixit, fucos vocans sedentes & obseruantes apum exitum, οὖροι enim sunt ipsi custodes: κόθουροι igitur fuci dicti sunt, quasi κάθουροι, οἱ καθεζόμενοι οὖροι: id est, sedentes, & otiosi custodes, qui fores custodiunt, & obseruant apum exitum, vt mel ab ipsis paratum deuorent. Vel potius dicti κόθουροι, quasi κόλουροι, παρὰ τὸ κολούειν τὴν οὐρὰν καὶ τὸ ἐν αὐτῇ κέντρον. i. quod caudam tegant, & aculeum in ea latentem, quia non exerunt aculeum vt cæteræ apes. Sunt enim ἄκεντροι aculeis carentes: λέγεται

VENIT DAVID, &c.

A δὴ καὶ ἄνθρωπος, ὁ μηδὲν δρῶν ἀθυμάμενος. Hinc ergo homo fucus dicitur, qui nihil facere potest, piger, iners, ignauus. Nunc igitur isti, vt quidem videri volunt, Ignauum fucos pecus à præsepibus arcent.

At non continuò fuci dicendi sunt, si qui fortissimos corporis robore non æquent, si tamen illis non desit animus ad ea, quæ vires eorum non superent. Nam vbi vis & naturæ facultas laboris magnitudine vincitur, tum vitio cuiquam dari non debet si non possit vltra conari; quin potius laudem meretur, qui quod potuit hoc summum præstare studuit.

Est aliquid prodire tenus, si non datur vltrà.

Tradit. Hebraic.

Habent porrò Traditiones Hebraicæ, quæ S. Hieronymo tribui solent, hoc loco quod mi-

B remur. Sic autem habent: Cùm in Latinis codicibus legatur, *lassos quosdam substitisse ad sarcinas*; & in Hebræo habeatur, *iussos fuisse vt residerent ad sarcinas*: locus hic monstrat, Hebraicam veritatem in hoc loco sequi debere; quæ non *lassos*, sed *iussos* remanere ad sarcinas dicit fuisse. Ait enim ita: *Æqua erit pars descendentis ad prælium, & remanentis ad sarcinas.* Non ait, qui lassi remanserunt ad sarcinas, sed absolute, *remanentis ad sarcinas*: quia, si lassi remansissent, nulla eis deberetur de prædis portio. Hactenus illæ Tradit. Atqui nunc lassos substitisse legimus in Hebræo, vt patet ex varijs translat. quas suprà descripsimus. Dauidis porrò ea prudentia fuit, vt quos lassos comperisset, tueri impedimenta iuberet, ne manerent spoliorum expertes. Iam enim nonnullo-

C rum auaritiam ac temeritatem olfecerat, qui partem prædæ negaturi viderentur. Voluit igitur vel eo nomine ijsdem deberi quod sarcinis præsidio fuissent.

Propterea quòd non venerunt nobiscum, non dabimus eis quicquam de præda quam eruimus.] Non tulerunt laborem: ergo non est æquum vt fructum capiant. Ita isti & in Deum iniqui erant, & in proximos. In Deum, quòd victoriam, quam ille dederat, ascriberent suis viribus: in proximos, quod nollent illis partem aliquam eius prædæ communicari, qui rerum omnium penuria atque egestate laborabant. Neque enim direpta supellectile, incensis ædibus, & reliquis frugibus corruptis, opis ac subsidij quicquam aliunde suppetebat. Satis,

D inquiunt, erit, quod recipere possint vxores, & liberos. Pulchrè verò. Nam si vxores, & liberos recipiant absque præda, vnde eos alere possint? quæ tandem hæc benignitas est? quæ misericordia, vt coram fame perirent potius, quàm absentes & captiui desiderarentur? Hoc esset, non quidem gratificari miseris, sed onus & miseriam imponere.

Præda duplex.

Non dabimus eis quidquam de præda.] Duplex præda fuit: altera Sicelegensis, altera Palæstinorum, quos Cerethæos hoc loco Scriptura vocat, & Iudæorum qui regionis meridionalem plagam incolebant. Vtraque porrò in controuersiam disceptationemque vocari potuit, nec videntur seditiosi milites cum vxores tantum & liberos concederent, alterius exceptio-

NON DABIMVS, &c.

ne vsi. Verùm ambarum longe diuersa ratio fuit. Nam quæ Amalecitæ ex alijs prouincijs corraserant, ea videri poterant, nisi impedimenta seruassent, lassis nullo iure deberi. At quæ prius ipsi possederant, tametsi subinde prædones rapuerant, amisisse tamen non poterant, cum latrones vsucapiendi ius & potestatem non habeant. Quamobrem quod ad hanc prædæ partem attinet, frustrà negotium facessunt, & immeritò lassis exhibent molestiam. Quinetiam vt præda altera diriperetur, & ipsi partem acciperent, iure postularent, siquidem ipsi ad sarcinas excubuerant, dum expeditiores reliqui pugnam capesserent. Sed quia posterior hæc ratio in sequent. expenditur, quæ eodem spectant, nos interim missa faciamus: quod nunc vrget, studiose ac sedulo inquiramus.

An qui ciues prædonibus prædam excusserint eandem sibi vendicent? an ciuibus suis, pristinis possessoribus, restituere teneantur?

QVÆSTIO CXXXVII.

PRimùm omnium ne nos falli contingat, ac subinde falsa opinione delusos lectoribus imponere, distinctione opus est, quo tota quæstione tanquam ob oculos posita, & quasi per membra distributa, accuratius singula perscrutemur. Primo itaque loco videndum est, qui sint illi prædones, à quibus præda erepta sit: num ex numero hostium cum quibus nobis bellum ex præscripto iuris gentium legitime susceptum sit, siue illi per Fecialem suum nobis indixerint, siue nos ipsis inimicitias denunciauerimus; aut qui priores à nobis iniuria lacessiti iure recuperatorio res nostras inuadunt, & damni in integrum restitutione denegata iuste populantur: an verò latrones sint, qui nullo scelere violati, nec armis prouocati, opibus duntaxat nostris inhiant, & nulla iuris & æqui habita ratione, qua possunt, effrænata licentia in incautos irruunt, & ferro, cæde, incendijs ac direptionibus grassantur. Nam quæ priores illi hostes, iure gentium legitimi habiti, armorum vi ceperint, eorum iuri cedunt, nec vltra in potestate nostra sunt, sed eorum propria censentur qui rapuerint. Quemadmodum enim emptione, & alijs iustis contractibus, pacis tempore ius in rem consequimur: sic & belli tempore armis & comprehensione rerum possessionem ac dominium nanciscimur; ita vt deinceps pactis inducijs, aut etiam pace firmata, nisi quid aliter conuenerit, captiui pacis beneficio libertatem adipisci non possint, sed obnoxij seruituti remaneant. Etsi namque prima fronte iniustum appareat, vt qui æqua bella repetit, & suas iniurias legitime vlciscitur, ab aduersarijs nouo incommodo affici iure possit: Quoniam tamen ea plerunque armis persequimur, quæ si, facta respondendi vtrinque ex æquo potestate, apud alienos iudices ambigerentur, hæreret in ambiguo sententia, nec posset lis ob ancipitem legum interpretationem iudicio dirimi: idcirco cum placet ius bello experiri, vtrique parti iure quæsitum censetur quod armis ereptum sit. Quod non eo animo dico, quod quemquam posse putem incerto adhuc & dubio iure possessorem vllum armis lacessere: enimuerò perspecto atque explorato iure opus est antequam signa conferantur: sed quia quod certum atque indubitatum apud nos sapientum iudicio creditur, idem non raro apud aduersarios paribus rationum momentis, quas aut non aduertimus ipsi, aut repudiamus, in dubium reuocatur, aut etiam contraria sententia aliorum sapientum, qui diuersas partes sequuntur, calculo comprobatur. Quod cum sit, decedere de sua possessione nemo tenetur. Neque enim perinde vt Mathematicæ, sic quoque Iurisprudentia demonstrationibus constat: iuris pars maxima ab autoritate pendet, quod inter pares æqua lance libratur, nec sæpè aliter quàm armorum pondere in alterutram partem inclinat.

Legitimus hostis à latrone distinguẽdus

At si prædones qui nostra occuparunt, nullo quidem belli iure freti sunt, sed tantum audacia furunt, & rapiendi libidine bacchãtur, quæcunque latrocinando haud satis moleste corrogarint, bona fide possidere non possunt: sed semper eorum esse credenda sunt, ad quos antea pertinuerint. Quemadmodum enim ciues suo iure excidere per alienam iniuriam minime potuerunt, ita nec isti alienum ius sibi asserere. Vnde mox sequitur, vt ne is quidem quæsiuisse videri possit, qui à latronibus extorserit. Quamobrem si diuersam eorum conditionem spectemus qui prædas agunt, & aliorum spoliatione pascuntur, dicendum erit: quæ à prædonibus ablata sint, ad priores dominos redire debere: quæ vero à iustis hostibus, recuperatori cedere. Nam cum ea prius iure belli hostium facta sint, non tam ciuium bona recuperata dicenda sunt, quæ dudum eorum esse desierant: quàm spolia hosti detracta. In nonnullis tamen ius postliminij spoliatis ciuibus opitulatur, de quibus nos postea. Nunc qui hostes, qui latrunculi, abigei, fures, quondam habiti sint, ex iure Ciuili paucis accipere. *D. de Captiuis c. 24. Hostes* sunt, quibus bellum publice populus Romanus decreuit, vel ipsi populo Romano. Cæteri *latrunculi vel prædones* appellantur. Et ideo qui à latronibus captus est, seruus latronum non est, nec postliminium ei necessarium est. Ab hostibus autem captus (vt puta à Germanis, & Parthis) & seruus est hostium, & postliminio statum pristinum recuperat. Et *D. de Abigeis c. 3.* Callistratus. Oues pro numero abactorum aut furem, aut abigeum faciunt, quidam decem oues gregem esse putauerunt, porcos etiam quinque vel quatuor abactos, equum, bouem, vel vnum, abigeatus crimen facere.

Quæ latronibus erepta sunt, legitimis possessoribus restitui debent.

Verum aliæ quoque nobis peristases seu circumstantiæ inspiciendæ sunt quantum momẽti habeant ad difficultatis huius nodum dissoluendum. Sunt enim qui hoc quoque in hoc genere quæstionis spectandum putent, qui sint, &

NON DAMVS, &c.

Miles & ciuis pari iure prædam excutiunt.

& qua sorte ducti recuperatores qui prædam excutiunt. Nam aut sunt conducti milites, quos præsidij gratia Princeps, aut Respubl. suis stipendijs alit: aut certè quilibet è ciuibus, qui data occasione sese discrimini dederunt, & priuatis copijs cum hoste dimicantes ab eo receperunt, quæ populabundus abstulerat. Et milites quidem, quos ab arcendo malo dictos volunt, cum eo nomine æs publicum mereant, vt ciues tueantur, ac securos & sine damno præstent: non video quo iure ea sibi retineant, ad quæ tuenda, seruanda, ac recuperanda instituti sint, & ex officio teneantur. Ergone etiam quilibet tumultuarius miles, & euocatus non edicto Principis sed periculi præsentia, si quid eripuerit, restituere cogetur? Respondeo: Quemadmodum priuata autoritate nullum bellum indicitur, ita nec administratur & regitur. Sed quicquid geritur, siue à priuatis, siue à iurato milite, communi militiæ lege continetur. Ea porro militiæ lex prima & summa est, non modò vt ciuis ab hostium furore tutus sit, & sua possideat, sed etiam si quid ereptum sit, quoad eius fieri potest, recipiat. Siue itaque miles Sacramento obligatus, seu ciuis quilibet ex hostium faucibus prædam extraxerit, recepto legitimo sumptu restituat. Quippe non sibi, sed Domino rei recuperat quisquis militem induit, & eius partes occupat. Ita sanciunt Diocletianus & Maxim. Imperatores *Cod. De postliminio reuersis l.* 12. Ab hostibus capti, & non commercio redempti, sed virtute militum nostrorum liberati, illico statum quem captiuitatis casu amiserant, recipiunt: serui autem dominis suis restituentur. Receptos enim eos, non captos iudicare debemus: & militem nostrum defensorem eorum decet esse, non dominum.

Quid sit Ius postliminij.

Tertio loco eorum quoque ratio habenda est, quæ rapta sunt: neque enim omnia eodem pariter genere continentur: sed alia quidem postliminij iure ad possessorem redeunt, alia militibus, qui receperint, ascribuntur. Postliminium autem vt docet Paulus *D. de Captiuis, l.* 19. est ius amissæ rei recipiendæ ab extraneo, & in statum pristinum recipiendæ, inter nos ac liberos populos regesque moribus, legibus constitutum. Nam quod bello amisimus, aut etiam citra bellum: hoc si rursus recipiamus, dicimur postliminio recipere. Idque naturali æquitate introductum est: vt, qui per iniuriam ab extraneis detinebatur, is, vbi in fines suos redijsset, pristinũ ius suum reciperet. Hæc Paulus.

Quæ bona Postliminio redeãt, ex iure gẽtium aut ciuili didicimus.

Iam verò quo pacto illa discernimus? Plurimùm, vt opinor, ex iure gentium, neque enim certa lex iure diuino constituta videtur. Iuris porro gentium legitima ex antiquorum scriptis, qui eadem longo vsu, & diuturna consuetudine perceperunt, didicimus. Quamobrem ex eorundem autoritate bona ciuium, quæ diripi possunt, in tres classes distribuimus: hominum, mobilium, & immobilium. Hominum quidam liberi, alij serui. Liberorum, filij, vxores. Quod vero antiqua iura statuunt vxorem iure postliminij non redire, nisi con-

Bonorum triplex genus.

A sentiat, nunc quidem impium est, postquam matrimonia Christus æterno fœdere copulauit: at tunc temporis licere voluerunt. Sola nunc pudoris iactura, si sponte perierit, non quidem connubij nexum dirimit sed thori genialis vsum ac consuetudinem, si læsus abnuat, tollit. De filijs Pomponius D. *de Captiuis, l.* 14. Cum duæ species, inquit, postliminij sint, vt aut nos reuertamur, aut aliquid recipiamus: cum filius reuertatur, duplicem in eo causam esse oportet postliminii: & quod pater eum reciperet, & ipse ius suum. De seruis iam diximus. Sed non eadem omnium temporum sententia fuit: aut certè, si longius interuallum fuisset, iura notandum censuerunt. Sic enim lego *D. de Acquirenda vel amittenda possess. l.* 1. §. 1. bello capta protinus eorum fieri qui ceperint. Quo item loco Gothofred. quid si Erotem

B seruum dudum Mœnii captiuum cepero? num meus fiet, an prioris domini? vtique meus. Quid Mœnii immobilia? ad eundẽ Mœnium redeunt. Ad illa transeamus. Pomponius sanè de iisdem hæc habet *D. de Captiuis, l.* 20. Verum est, expulsis hostibus ex agris quos ceperint, dominia eorum ad priores dominos redire, nec aut publicari, aut prædæ loco cedere. publicatur enim ille ager, qui ex hostibus captus sit. An vero pariter de his quoque quæ moueri dicuntur, sentiendum est? haudquaquam. Nam de his ita sancitum legimus *D. de Captiuis, l.* 2. Nauibus longis atque onerariis propter belli vsum postliminium est: non piscatoriis, aut si quas actuarias voluptatis causa parauerunt. Equus item aut equa fræni patiens, recipitur postliminio: nam sine culpa equitis proripere se potuerunt. Non idem in armis iuris

C est: quippe nec sine flagitio amittuntur: arma enim postliminio reuerti negatur, quod turpiter amittantur. Pomponius *l.* 3. vestem etiam redire negat.

Gothofred.

Modus spectandus est quo res recipiatur.

Reliquum est vt modum quoque ipsum, quo præda recepta sit, inuestigemus: siquidem is plurimum etiam conferet ad propositi dubii explicationem. Pars enim nonnunquam ab eis precibus impetratur; pars derelicta occupatur: vt puta cum greges abigere commodè non potuerunt, aut properantibus aliqua exciderunt: denique non raro etiam per vim extorquetur. De impetratis & ab hoste donatis hæc Iustinianus statuit. Si quid à Totilane tyranno factum,

D vel donatum esse inuenitur cuicunque Romano seu cuique alio, seruare, vel in sua firmitate manere nullo modo concedimus: sed res ablatas ab huiusmodi detentatoribus antiquis dominis reformari præcipimus: quod enim per illum tyrannidis eius tempore factum esse inuenitur, hoc legitima nostra notare tempora non concedimus. Hæc ille Constit. 1. cap. 2. Qui rursum *ibid. cap.* 4. Sed & si quis res absentis, vel etiam capti, forsitan greges, per suam aut cuiuslibet autoritatem inuasit, vel petendo eas tenuit, reuerso eo vel liberato, sine vlla dilatione iubemus restitui ipsi, vel etiam hæredibus eius. At planius de inuentis gregibus disserit *cap. sequ.* 13. Cum autem cognouimus, inquit, inimicis Deo propitio diuersis

Non dabimvs, &c. expulsis prouincijs, quosdam greges inuenientes ab illis relictas (Greges fœminino genere dixisse veteres docet Lucretius exemplo suo lib. 4.) & suo eas vindicare dominio, licet ad alios antea pertinebant: sancimus, caussa discussa, quantum quidem ad eos pertinet, eis præstari. Si quid verò ab alijs agnoscetur, dominum sua recipere: quod verò excepto Domino non cognoscitur, inter illos distribui, qui per eandem prouinciam greges amisisse inueniuntur, diuisione pro rata portione scilicet facienda. Hactenus ibi.

In comment. vers. 20. Cæterùm inter ea quæ per vim prædonibus eripiuntur, nihil quidem priuatim de gregibus constitutum reperi, sed eandem horum rationem esse puto ac suprà porcorum, quos lupus inuaserat: qui cũ à vicino colono erepti essent Vlpianus censuit autore Pomponio proprio Domino restituendos esse. Quo loco id quod idẽ ait, *quod eripitur nostrũ manere quandiu recipi possit*, explicatione indiget. Nã si omnino recipi non potuisset, ne ille quidem colonus cum suis canibus eripuisset: sin verò ab eodem eripi iubeat qui iacturam fecit, dura satis videretur conditio. Itaque hanc eius orationis sententiam esse arbitror: tantisper nostrum censeri quod ereptum est, donec derelicto habeatur, nec possessor insequi curet; idque verum censeo quandiu cum feris res agi videtur. At non perinde res habet cum hominibus. Quoniam enim quicunque Reipubl. militat, mihi militat, per meipsum recipere putandus sum quicquid meorum miles receperit, aut quicunque militis munere defungitur. Conclusio.

Tandem subductis rationibus, & re ad calculos diligenter relata, hanc summam feci cogitationum mearum; quicquid quocunque tempore à latronibus eripiatur, antiquo Domino repræsentari oportere; sicut & quod à legitimis hostibus, si tamen statim & adhuc penè procincta classe eruatur. Sin autem ex interuallo & post diutinam hostis possessionem, legibus obtemperandum censeo: ex quarum præscripto nonnullæ res à quibuscunque receptæ sint, ad pristinos possessores redeunt iure postliminij. quod ni ita leges sanxissent, & publico nationum consensu receptum esset, existimarem ea omnia, quæ hosti adimuntur post legitimam possessionem, occupantis esse debere; cum is iure eripiat, & ab eo eripiat qui iure videtur possidere, nec vllo iusto titulo ei restitutio debeatur, qui rei dominio ac possessione dudum excidit. Verumenimuerò latis ac promulgatis legibus parendum est: quæ sicut & plæræque iuris gentium consuetudines ideo cum æquitate consentiunt, quoniam & si quid iuris naturalis laxitatem cohibere, & libertatem imminuere videantur, fieri tamen potuit vt communi nationum consilio, dum quisque tantidem de suo iure decedit quanti singulorum interesset, is vsus obtinuerit, cui nulla deinceps ætas, tametsi apud diuersos varietas aliqua notari potuerit, intercederet.

Versvs XXIII.

Dixit autem Dauid: Non sic facietis fratres mei de his, quæ tradidit nobis Dominus, & custodiuit nos, & dedit latrunculos, qui eruperant aduersum nos, in manus nostras.

Non sic facietis fratres mei.] Dauid contra eos habet orationem breuem quidem, sed satis aculeatam. Situm erat in eius arbitrio & potestate, vt de præda, quo pacto distribuenda esset, decerneret: tamen sine illorum voluntate nihil voluit statuere: ita tamen vt importunitatem illorum, & nimium habendi studium castigaret. Primum appellat *fratres*. Nam qui admonere vult alterum, dare debet operam, vt eorum sibi beneuolentiam conciliet. Id autem facillimè assequetur, si is qui admonetur, amari se ab illo arbitretur. *Fratres* autem vocat, vel quod religionem eorum, vel quod nationem spectet, vel quod cogitet, quid illi, quamuis nunc mali sint, possint aliquanto fieri. Nemo enim tam malus est, quin mutari possit. Itaque bene sperare debemus de omnibus. S. Augustinus hoc exemplum sequutus, Madaurenses adhuc idololatras appellat *fratres*. Spectauit enim, non quid tum essent, sed quid nati essent, quidque esse possent. Et S. Cyprianus De lapsis, quẽ locum Augustinus citat contra Parmenianum lib. 3. cap. 2. ait fuisse suo tempore Dei ministros, qui abundarent argento & auro, cum alij in Ecclesia esurirent, qui malis artibus captarent prædia, qui fœnora multiplicarent: tamen eos appellat collegas & *fratres*. Sed multo ante Cyprianum Stephanus, cum apud Pharisæos & Scribas fidei causam oraret, qui non ita pridem Christum occiderant, tamen eos quoque *fratres* appellauit: *Viri*, inquiens, *fratres*, &c. Hoc idem Paulus, idem Petrus fecit. Ita Dauid istos, quamuis tum pessimè ac seditiosè de fratribus sentirent, dulcissimo nomine appellat *fratres*.

Fratres etiam mali à bonis vocantur. S. Augusti nus. S. Cyprianus.

Eo nomine Christiani priores sese mutuò cõpellabant. Nihil eo frequentius Apostoli in epistolis vsurparunt. Hæc ferè solennis eorum salutandi formula, *Salutate fratres in osculo sancto*. Sed & passim hunc morem Ecclesiæ moribus receptum cùm alij plures, tum maximè Tertullianus, Iustinus, Athenagoras, Optatus in lib. aduersus Parmenianum tradiderunt. Fit, inquit S. Iustinus, vt pro ætatum gradu alios quidem filios & filias agnoscamus, alios autem fratrum & sororum loco habeamus, tum autem ætate prouectioribus patrum matrumque tribuamus honorem. Clemens Alexandr. lib. 5. Stromat. *fratres*, nos esse vt pote vnius Dei & vnius magistri, alicubi Plato dicere videtur hoc modo: Qui in ciuitate estis, omnino fratres estis. Minutius in Octauio, *fratres* vocamur, vt vnius Dei parentis homines, vt consortes fidei, vt spei cohæredes. Tertullianus Apologetici cap. 39. eius appellationis vim ac mysteria vt copiosius,

Fraternum nomen à prisc s Christianis in honore habitum. S. Iustinus. Clemens Alexandr. Minutius. Tertullianus.

Non sic facietis &c.

copiosius, ita & accuratius explicat. Sed & quod *fratres* nos vocamus, non aliàs, opinor, [Gentiles] infamant, quàm quòd apud ipsos omne sanguinis nomen de affectatione simulatum est. Fratres autem etiam vestri sumus, iure naturæ matris vnius, etsi vos parum homines, quia mali fratres. At quanto dignius fratres & dicuntur & habentur, qui vnum patrem Deum agnouerunt, qui vnum spiritum biberunt sanctitatis, qui de vno vtero ignorantiæ eiusdem ad vnam lucem expauerint veritatis, &c. quæ iam antea cap. 25. ver. 6. retulimus. Laudabo denique & hostis testimonium, quo manifestius appareat quanto in honore ea appellatio apud maiores nostros fuerit. Nam Lucianus agens de morte Peregrini, ὁ νομοθέτης ὁ πρῶτος, ἔπεισεν αὐτοὺς, ὡς ἀδελφοὶ πάντες εἶεν ἀλλήλων. Primus, inquit, Christianorum legislator eorum persuasit animos, quemadmodum omnes inter se fratres essent. Subinde etiam verbis exaggerat eorum beneuolentiam, & quam religiosè fraternitatem colerent ostendit. Proinde, inquit, apud illos omnia ex æquo habentur contemptui, existimanturque esse communia, quæ citra fidem exactè exploratam in communem vsum à quoquam deferente suscipiũt. Id autem Peregrini exemplo cumulatissime probat: qui cùm fidei ac Christianæ religionis nomine à Præside Syriæ in vincula coniectus esset, quibuscunque captiuus eguisset, eadem illi, vt testatur, Christiani summa fide ac diligentia præstabant. Ac manè quidem illicò videre erat iuxta carcerem præstolantes anus viduas quaspiam, & orbos puerulos. Illorum verò pars etiam vnà intus cum illo somnum capiebant, corruptis pecunia custodibus. Exin omnis generis cœnæ inferebantur variæ, ac sacri inter sese sermones dicebantur. Quinetiam in Asia plerasque vrbes fuisse constat, à quibus venerunt quidam laturi auxilium, Christianis mittentibus ex publico, neque non collocuturi, & virum consolaturi. Incredibile verò est, quantum studium & celeritatem in hoc ostendant, si quid tale vulgo innotuerit. Illico enim nulli rei parcunt. Etenim haud dubitanter sibi persuaserunt infelices illi se omnino immortalitate fruituros, perpetuoque victuros esse. Sed hactenus nebulo Christianæ pietati infensissimus.

Lucianus. Fraternitas Christianorum etiam Ethnicis admirationi fuit.

Vt primùm autem interpellata multitudinis vitio pristinæ charitatis flamma refriguit, eius nominis dignitas & prærogatiua penes Monachos potissimùm mansit. Hi fratum nomen quod pene reliquis ambitionis atque auaritiæ studio perijsse videbatur, studiosè conseruarunt. Quippe & opes à se abdicarunt, & rempubl. capessere recusarunt, & sanctam inter se societatem coeuntes, ex præscripto legum Euangelicarum honestissimum viuendi morem instituerunt. Vnde factum est, vt non immeritò hactenus quibus locis institutorum disciplina maximè collapsa est, nominis illustrissimi conseruati gloriam sibi arrogent, cuius muneris partes numeris omnibus absoluunt. Quinimo & cœtus ipsi chorique Deo militantium,

Monachi fraternum nomen & meritum seriò complexi.

A & ipsa vitæ ratio fraternitas dicta est. Inde Græcis quemquam assumere εἰς ἀδελφάτην, nihil aliud est, quam tyronis aut nouitij nomen in album fratrum referre. Cuius rei si plura exempla voles, Meursius affatim suppeditabit in voce Ἀδελφάτην. Imperatores etiam & Reges cùm olim tum hoc tempore nominis eius maiestatem complexi, ἀδελφοὺς itidem sese mutuò nuncupant. Sic Hiram, cum esset rex Tyri, Salomonem compellauit: *Hæ sunt ciuitates quas dedisti mihi frater?* Sic Achab regem Syriæ Benadab fratrem suum esse dixit. Apud Menandrum in Epistola Chosroæ: χοσρόης βασιλεὺς βασιλέων, &c. Ἰουστινιανῷ καίσαρι ἀδελφῷ ἡμετέρῳ. Nec semel ibidem repetit. Ἀδελφότητα autem nomen maiestatis fuisse docet idem Menãder de legat. B cùm ait: ἡ ἀδελφότης τοῦ καίσαρος πέτρῳ μαγίστρῳ τῶν ῥωμαίων καὶ εὐσεβίῳ ἐκέλευσε καὶ ἐπιτρέψει. i. *Fraternitas Cæsaris* Petro Magistro Rom. & Eusebio imperauit, & vt curarent iussit. Luitprandus quoque in Legat. de Othone Imperatore loquens cum Nicephoro Phoca item Imperatore, Sed & optimam, inquit, amicitiæ arrabonam *Fraternitati tuæ* nunc Dominus meus contulit, &c. Quo minus mirum videri debet, si Dauid, cùm esset iam designatus princeps, à quibus talis haberetur, eosdem *fratres* vocarit.

Fraternitas Cæsaris, hoc est maiestas.

Sanctus Isidorus fratres dictos scribit, quod ex eodem fructu, id est, eodem ex semine sint Ἀδελφοὶ Græcis vterini, siue qui ex eodem vtero prodierunt: δελφὺς quippe Græcis vterus est. Veruntamen dudum vsus obtinuit, vt ea dictio germanos vterinosque fratres nominaret. C Alterutrum parentem aut vtrumque communem fratres agnoscunt. Eò Dauid spectare potuit, quod vt cæteri facerent Isaias deinceps admonuit. *Audite me*, inquit, *qui sequimini quod iustum est, & quæritis Dominum: attendite ad petram vnde excisi estis, & ad cauernam laci, de qua præcisi estis.* Idem mox ænigma vberius explicat. *Attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram, quæ peperit vos: quia vnum vocaui eum, & benedixi ei, & multiplicaui eum.* Nigidio *frater* quasi *ferè alter* teste Gellio. Qui Græcam malunt originem his φράτηρ vel φράτωρ in primis probatur, vti qui sit ex contubernio eodem, vel tribu. Hebræi fratrem אח *ach* nuncupant à coniunctione siue consociatione. Siquidem אחה *achah* consuere, concinnare significat. Fraterni nominis vim D ac proprietatem nihil perinde exprimit, vt planta quædam Parthica, quæ propterea eandem appellationem sortita est. Hanc describit Apollodorus Rer. Parthic. lib. 4. quam asserit congruum naturæ nomẽ inuenisse. Nam cum, inquit, ex intercapedine sponte rami coierint, animato complexu cohærescunt, & in vnitatem iunguntur, deinde procurrentes viuos surculos pariunt. Quamobrem cultis fundis Parthi sepes ex eo prætendunt, in hortorum circuitu conserentes commissis tenuissimis virgis, ac implexis retis modo, quæ sic contextæ munimentum inaccessum & tutum per ambitum vndique præbent. Hactenus ille.

Fraterni nominis etymologia.

Isaias cap. 51. ver. 1. 2.

φιλάδελφος floris & plantæ nomen, fraternitatis symbolum. Athenæus l. 15. cap. 8.

NON SIC FACIETIS, &c. Frater 4. modis dicitur.

Porrò אח *ach* seu frater Hebræis quatuor modis dicitur. Primò naturâ; qua ratione fratres dicuntur, qui iisdem parentibus nati sunt. Secundò cognatione; quo pacto Loth Genes. 14. frater Abraham dicitur. Tertiò natione seu gente. Inde Iudæi omnes אחים *achim*, fratres dicti sunt. Quartò similitudine. Sic ὕπνου ἀδελφὸς ὁ θάνατος, somni frater, mors. Cùm tamen Ouidius dicat.

Stulte, quid est somnus, gelida nisi mortis imago?

Exodi 26. ver. 17. cortinæ tabernaculi hoc eodem nomine in genere fœmin. sorores dicuntur, quod essent inter se similes, & ex eadem materia æquali studio elaboratæ.

Apud Stobæũ serm. 82. ex Hieroclis lib. Quomodo vtendũ sit cognatis.

Iam vero quod hoc quoque magnopere deceat, nec inutile futurum sit, si ciues ac populares nostros *fratres* appellemus, ex Hieroclis sententia paucis expediam. Nam vnusquisque nostrum, inquit, vndique multis veluti circulis circumscriptus est: quorum alij minores, alij maiores sunt alij continent, alij continentur, iuxta diuersos & inæquales ad se inuicem habitus. Primus etenim & proximus circulus est, quem vnusquisque circa mentem suam, veluti centrum descriptus constituit, in quo & corpus nostrum, & ad vsum eius pertinentia insunt. Et minimus, ipsumque prope centrum attingens hic circulus est. Ab hoc secundus, remotior à centro, & primum intra se concludens, parentes, vxorem, liberos comprehendit. Tertius auunculos, materteras, auos, auias, nepotes ex fratribus, & consobrinos habet. Post illum est qui reliquos cognatos continet: Deinde popularium, mox tribulium, postea militum circuli sequuntur: ab illis vrbi vicinorum circulus, & alius gentilium, ambiunt. Extremus autem & maximus, omnes ambitu suo concludens, totius hominum generis est. His ita consideratis, officium illius fuerit qui singulis decenter vti studet, circulos ad centrum quodammodo trahere, & conari semper, vt qui in circulis continentibus sunt, ad contentos redigantur. Est itaque hominis cognationem suam amantis, parentes quidem & fratres pari secum studio & amore complecti (ita visum est restituere, quod locus hiet) cognatorum autem in vtroque sexu, ætate prouectiores, tanquam auos, auunculos, aut auias colere: æquales vero seu fratres, iuniores vt filios: ὡς αὖ καὶ τοὺς ὁμήλικας παρ᾽ ἡμῖν ... ita vt ætatis rationi benigna nominum liberalitas respondeat. Nam hic appellandi modus tum studij nostri erga singulos non leue argumentum fuerit, tum ad circulorum prædictam contractionem multum adiuuabit. Hæc ille. Quorum hæc sententia esse videtur. Vnumquemque nostrum ciues ac gentiles suos ijs nominibus appellare debere, quæ naturalis beneuolentiæ ac charitatis eximiam quandam vim testantur. Sic enim fore vt eorum nobis amicitiam conciliemus, & nos ipsi naturæ titulos atque apices reueriti, haud ita facilè in eorum offensionem incurramus. Quo pacto desideratissimam cum omnibus pacem & societatem tueri possis.

Omnes ciues fratrum loco habẽdos esse.

A *Quæ tradidit nobis Dominus, & custodiuit nos, &c.*] Addit rationem. Non enim satis est aliquem corripere, nisi id videaris cum ratione facere. Primùm enim fratres sumus: quo pacto paterna bona inter nos æqua sorte partiri debemus. Neque enim decet cum generis autor pari iure nos esse iusserit, alii quidem omnia sibi vendicent, alii hæreditatis aditione prohibeantur. At hæc scilicet, de quibus nunc inter nos ambigitur, non à patre accepimus, sed labore nostro ac periculo comparauimus. Obiecta diluit. Quinimo inquit, nostris viribus hæc victoria non stetit, sed beneficio Dei. Quis enim nos reuocauit ad hanc expeditionẽ? Deus. Quis nobis obtulit in itinere seruum Amalechitam? Deus. Quis nobis securos, ebrios, inermes in manum hostes dedit? Deus. Quis
B vires, quis animum addidit, vt longioris viæ difficultatem vincere, hostium multitudinem superare possemus? Deus. Itaque cum hæc omnia Dei beneficio contigerint, non debemus ea nostris consilijs ascribere, & excludere fratres. Ita Christus quoque instituit suos: *Gratis accepistis, gratis date.* Hæc si in animum induxerimus accurate nobiscum perpendere, magnus nobis stimulus subiicietur, vt velimus iuuare proximos. Deus enim ea causa opes & diuitias in nos confert, vt per nos transferantur ad alios.

QVÆ TRADIDIT, &c. Ratione Dauid persuadere conatur.

VERSVS XXIV.

C **Nec audiet vos quisquam super sermone hoc: æqua enim pars erit descendentis ad prælium, & remanentis ad sarcinas, & similiter diuident,**

VERSVS XXV.

Et factum est hoc ex die illa, & deinceps constitutum & præfinitum, & quasi lex in Israël vsque in diem hanc.

NEc audiet vos quisquam super sermone hoc.] Pagninus, *Et quis audiet vobis in re hac?* Hebr. לַדָּבָר, *ladabar, in verbo hoc*: eodem sensu.
D *Æqua enim pars erit descendentis, &c.* Pagninus, *Sed sicut portio descendentis ad prælium erit portio manentis ad sarcinas, pariter diuidentur.* Arias, *ad sarcinas*, maluit *super vasa.* Alius, *Nam prout est pars descendentis in prælium, ita etiam est pars residentis ad impedimenta, pariter partiantur,* Alterum argumentum est à iure militari; ex æquo censentur militare stationarij castrorum, & qui in aciem prodeunt. Vatablus Salmant. *Etenim æqua debet esse pars, & eorum qui descendunt prælium, & eorum qui manent ad impedimenta: simul partiantur.* Et in Schol. Hebr. *Qualis est pars descendentis in prælium*, (sup. talis esse debet eius qui remanet ad sarcinas:) *& qualis portio remanentis ad sarcinas*, (sup. talis esse debet eius qui descendit

Varia trãslat.

Nec avdiet, &c.

descendit in certamen: nam) *pariter partientur,* A id est, ex æquo partiri ac diuidere prædam solent, vel debent. Verti etiam potest, *Qualis est pars descendentis in prelium, talis & portio* (esse debet) *remanentis ad sarcinas.* Chaldæus, *Nam* sicut pars descendentis ad bellum, sic pars relicti ad custodiendum vasa, pariter diuident. Septuag. Complut. edit. καὶ τίς ἀκούσεται τῶν λόγων ὑμῶν τούτων, ὅτι οὐχ ἥττους ὑμῶν εἰσί, διὰ τοῦτο κατὰ τὴν μερίδα τοῦ καταβαίνοντος εἰς τὸν πόλεμον, οὕτως ἔσται ἡ μερὶς τοῦ καθημένου ἐπὶ τὰ σκεύη, καὶ μερισθήσονται κατὰ τὸ αὐτό. *Et quis audiet sermones vestros istos? quoniam non minores nobis sunt.* Aldus, ἥττω legit. Rom. edit. Nobilij, *quoniam non minoris nobis sunt. Propter hoc secundum partem descendentis ad prælium, sic erit pars remanentis ad sarcinas, & diuident secundum idem.* Ald. διότι B κατὰ, *quia secundum portionem descend. Sic erit pars sedentis super vasa, iuxta idem diuidentur.*

Versu 25. Septuag. Complut. Καὶ ἐγένετο ἀπὸ τῆς ἡμέρας ἐκείνης καὶ ἐπέκεινα καὶ ἐγένετο εἰς πρόσταγμα καὶ εἰς δικαίωμα τῷ Ἰσραὴλ ἕως τῆς ἡμέρας ταύτης. *Et factum est ex die illa & deinceps, & fuit in preceptum & in constitutum Israël vsque in diem hanc.* Chaldæus, *Et fuit à die illo & vltrà, & positum est in decretum hoc Israël vsque ad diem hanc.* Ald. editio, καὶ ἐγενήθη ἀπὸ τῆς ἡμέρας ἐκείνης καὶ ἐπάνω, καὶ ἐγένετο εἰς πρόσταγμα καὶ εἰς δικαίωμα τοῦ Ἰσραὴλ ἕως τῆς σήμερον. Edit. Nobilij, *Et factum est in die illa, & vltrà, & factum est in constitutionem, & in iustificationem ipsi Israël vsque in hodiernam.* Pagninus, *Et fuit à die illa & suprà, positum est hoc in legem,* C *& in ius in Israël vsque ad diem hanc.* Vatablus Laurentij, *Fueratque id ab eo die & suprà: & posuit illud in statutum & consuetudinem in Israële vsque ad diem hanc.* Vatabl. Salmant. *Fuit enim ab hoc die & iam olim constitutus hic mos, & ritus in Israële vsque in præsentem diem.* Et in Schol. Hebraismus. *Fueratque ab eo die & suprà, & posuit in statutum & consuetud.* id est, Id obseruatum fuerat ab initio vsque in eum diem: & Dauid constituit ab eo die eam legem quæ consuetudo seruatur & hodie quoque in Israële. Alius habet, *Quod fuit à die illo & deinceps,* siue obtinuit lex illa: *Nam imposuit illud statutum & iudicium Israeli.*

Hebraicè ad verbum, *Et fuit* מֵהַיּוֹם *mehaijom*, à die illa, וָמָעְלָה *vamaghelah*, & D מַעְלָה *maghlah.* à verbo עָלָה *ghalah* quod est *ascendit*, creuit, progressus est. Inde non pauca oriuntur, quæ videntur pro eodem accipi posse, tametsi qui thesauros concinnant, nonnullo discrimine distincta velint. Kirkerus in Concord. Hebr. ista confundit, מַעְלָה מִמַּעַל הַמַּעְלָה *mimmaghal*, *maghalah*: quæ passim Græci ἄνω *sursum*, ἐπάνω *desuper*, ὑπεράνω *suprà*, ἄνωθεν, ἐπάνωθεν *desuper* reddunt. מַעְלָה *maghlah* etiam *super*, מָעְלָה *maghelah* priuatim ἐπέκεινα *vltrà* significare apud eosdem obseruat. Autor Pentagl. מַעְלָה *maghaleh*, fœmin. מַעְלָה *maghlah* significare vult *vltrà suprà*, quantitatis & temporis. Miror quamobrem loci non addiderit. Nimirum statim attexuit ל cum *lamed* seruili לְמַעְלָה *lemaghlah sursum* esse; cui si מ *mem* seruile adiunxeris, *supernè* designari: מִלְמַעְלָה *milmaghlah.* Vtut sit, illud siue vltrà siue suprà quæritur, quo pacto hoc loco intelligendum sit? Nam de tempore necessario interpretandum videtur: sed superior, an posterior ætas accipi debeat, inter nos ambigitur. Manifestè Vatablus præteritum tempus exposuit, Vulgatus futurum. Vterque verè & commodè. At Vulgatus prudentius, & ad reliquam orationem magis apposite, quippe mox sequitur, *vsque in præsentem diem.*

Vox מַעְלָה exponitur.

Nec audiet vos quisquam super sermone hoc.] Ista vestra cogitata, inquit Dauid, ita absurda sunt, vt nemo illa audire possit. Quemadmodum probabile est, quod vel omnibus videtur, vel maiori parti, vel prudentioribus, ita contrà, quod nemini videtur, absurdum est. *Æqua enim pars erit descendentis ad prælium, & remanentis ad sarcinas.*] Dauid ergo statuit, vt præda ex æquo inter omnes diuidatur. Iustum enim decreuit esse, vt qui mansissent ad sarcinas, participes essent prædæ. Id autem multis de causis videtur esse iustum. Primùm, quod de communi omnium consilio mansissent: deinde, quod quamuis distarent locis, tamen non essent disiuncti societate. Adhæc, quòd cùm lassi, & defatigati substiterint, & alioquin in hostem ire voluissent, voluntas ea habenda fuerit pro facto: quodque ad commune periculum se contulissent. Nam si illi priores cecidissent, isti non potuissent diu esse incolumes. Quid quòd, si interea, dum Dauid aberat cum suis, hostis aliquis istos ad sarcinas oppugnasset, isti non minori in discrimine futuri fuerint, quàm illi qui perrexerant in Amalechitas? Cum Abraham armasset suos, vt quatuor illos reges persequeretur, & Loth seruitute liberaret, adiunxit sibi Aner & Eschol. Illi autem, quantum licet ex historia colligere, non pugnarunt. Fortasse relinquebantur apud impedimenta. Tamen profligato hoste Abrahamus illis quoque dedit partem prædæ. Vnde sequitur, vt Dauid hanc sententiam tulerit, & legem sanxerit, non ex æquo tantum & bono, sed etiam fretus exemplo maiorum, atque adeo autoritate Dei. Nam in Numeris cap. 31. cum pugna susciperetur aduersus Madianitas, & ex singulis tribubus armata essent singula millia, reliqui autem mansissent in tabernaculis, confecta victoria, præda ita distributa est, vt prima pars cederet tabernaculo, altera pugnantibus, tertia illis, qui in castris remanserant. Et in Leuitico Sacerdotes, qui ministrabant in tabernaculo, etsi non omnes quotidie ministrabant, tamen omnes alebantur ex oblationibus. Iosue cap. 22. cum filios Rubem, Gad, & dimidiam tribum Manasse profligatis ma-

Quæ rationes probēt hanc Dauidis sententiam fuisse iustā.

SED ERIT, &c.

gna ex parte hostibus domum *dimitteret, & benedixisset eis, dixit: In multa substantia atque diuitijs reuertimini ad sedes vestras, cum argento & auro, ære ac ferro, & veste multiplici: diuidite prædam hostium cum fratribus vestris.* Hæc ibi. Sed bona instituta sæpe hominum socordia obliterantur. Itaque piorum est primum curare, vt ea subinde reuocentur.

A

Ex malis moribus, inquit ille, bonæ leges natę sunt. Ita hîc ex istorum malitiosa importunitate bona instituta reuocata sunt. Ea porrò veteris consuetudinis æquabilitas, quam seditiosi isti milites tollere conati sunt, Dauid interpolauit: quantum deinceps ponderis ac momenti apud posteros habuerit, docet Machabæor. liber 2. cap. 8. quo loco fuso fugatóque Nicanoris exercitu ver. 28. *Post sabbatum debilibus, & orphanis, & viduis diuiserunt spolia: & residua ipsi cum suis habuere.* Rursum verò cùm Timotheum & Bacchidem cæsis viginti millibus profligassent, ver. 30. *Plures prædas diuiserunt, æquam portionem debilibus, pupillis & viduis, sed & senioribus facientes, &c.* Quo pacto cōmilitones labore fractos, & impedimenta tuentes, in præda ercifcunda præterire potuissent? Memini me quandoque apud Festum legere, *Sanatibus idem quod forctibus ius esto*: quod caput est 2. par 12. tabular. Sanates porro, ait Festus, dicti sunt, qui suprà, infraque Romam habitauerunt: quod nomen his fuit, quia cum defecissent à Romanis, breui post redierunt in amicitiam, quasi sine mente: Itaque lege 12. tabul. cautum est, vt idem iuris esset Sanatibus, quod Forctibus, id est, bonis, & qui nunquam defecerant à populo Romano. Legis æquitas manifesta est, vt ij scilicet qui benignitatem populi Romani experti essent, constantes deinceps in fide, atque ipsius maiestate comiter tuenda, permanerent: tum vt reliqui hoc tanquam inuitamento ad populi Romani societatem, atque amicitiam allicerentur. Hæc illis. Quid nostris militibus facere æquum fuit, quos nulla ingenij leuitas à reliquo exercitu abalienauerat, sed ne pariter sequerentur, corporis imbecillitas inuitos prohibuerat?

B

Festus.

Et similiter diuident.] De prædæ diuisione suprà copiose satis cap. 15. ver. 12. colum. 80. & sequent. Addam tamen etiam nunc pauca, si forte lucem aliquam huic sententiæ afferre possint. Sanctus Ambrosius in libro de Patriarcha Abraham, qui locus citatur etiam in *Decret. 23. quæst. 5. cap. Dicat.* ait, Milites rapere prædam, non sibi, sed imperatori: quæ distribuenda sit inter milites pro imperatoris arbitrio. Imperator autem ipse debet retinere sibi partem, quam appellant principalem. Nam alioqui vix videtur æquum, vt sibi quisque rapiat, quantum potest. Ita enim fieri posset, vt calo, aut vilis lixa incideret in optimam prædam, & dux aliquis militaris, aut miles bene meritus excluderetur. Hanc ergo Dauid sequutus est in diuidenda præda humanam, & æquabilem rationem: nec passus est, se illorum hominum importunitate, & calumnijs commoueri. Ita mihi illa videntur intelligenda *in*

C

S. Ambrosius. Prædæ distributio qua lege fieri debeat.

Digest. De acquirendo rerum dominio, L. Naturalem, §. vltimo: vbi scribitur, ea, quæ in bello capiuntur, fieri occupantium. Fiunt quidem, sed pro iudicio imperatoris, non pro sua cuiusque libidine. In distributione autem proportio seruanda est, non Arithmetica, sed Geometrica. Id annotauit S. Isidorus, qui laudatur *in Decret. distinct. 1. cap. Ius militare.* Ait enim, prædam diuidendam esse pro ratione dignitatis, fortitudinis, & laborum cuiusque: & seorsim seponendam esse portionem principalem. Nam ea portio ex vniuersa præda, quam milites comportauerant, deligebatur, & magno cum triumpho postea deferebatur in ærarium.

SED ERIT, &c.

S. Isidorus.

Cur ergo, inquies, partitus est Dauid prædam ex æquo inter omnes? Quidam respondent, eum ita voluisse consulere communi paci militum, & restinguere inuidiam. Omnes enim reclamassent, inique secum agi, se æque fortes esse, æque egregiam operam præstitisse, vt difficile futurum fuerit iudicium. Alij id factum putant, quod illa victoria non humanis viribus, sed Dei solius beneficio contigisset. Verùm id non ita videtur probabile. Etsi enim verum sit, Deum solum dedisse illam victoriam, tamen Dauid legem eam tulit, non in illud solum tempus, sed in perpetuum. Non autem est credibile, eum voluisse Geometricam porportionem abolere, aut, si Deus dedisset victoriam, idcirco iustum ordinem excludere. Nam eum Deus iussit, in illis etiam, quæ peculiari suo munere ac beneficio contigissent, retinere. Nam in distribuendis eleemosynis voluit in primis rationem haberi domesticorum nostrorum, & Fidelium. Quare Dauidi in distributione prædæ proportio quædam seruanda erat iustitiæ. Etenim Dominus in Euangelio plus illi dedit, qui quinque talenta lucratus fuerat, quàm illi qui tantum vnum. Quamobrem sic statuendum videtur, Dauidem non ex æquo diuisisse prædam, sed habuisse rationem cuiusque gradus militiæ, dignitatis, ac meritorum. Imo, inquies, duplex *Caph* indicat similitudinis æqualitatem. Ita enim Esaias ait, *Qualis populus, talis Sacerdos*: Et, *Qualis populus meus, talis populus tuus*: Et, *Quales equites mei, tales equites tui.* Est quidem æqualitas aliqua vtrinque reciproca etiam hoc loco: & Dauid tam hos quàm illos participes fecit prædæ, idque etiam eodem modo: ita tamen, vt ratio haberetur, quid quisque esset meritus, non tantum illorum qui pugnauerant in hostem, sed etiam illorum, qui remanserant ad sarcinas. Itaque cum primis hæc mihi sententia probatur, vt prædam quidem & amplissima spolia Dauid cum omnibus partitus sit, sed secundum cuiusque proportionem atque analogiam. Atque ita lex ea iusta erat, quæ alioqui iniusta videri potuisset. Nam quod aliquando obseruatum legimus Num. 31. vt prædæ pars media pugnantibus cederet, pars altera media reliquo populo tribueretur, nō videtur in hoc exercitu perinde obtinere potuisse: quippe tum pugnātium numerus, si cum relicta plebe cōferretur,

In prædæ diuisione non Arithmetica, sed Geometrica proportio seruata est.

D

Et similiter, &c.

minimus fuit; hic contrà longè superauit: quo pacto si inter vtrumque cuneū prædæ æquatio fieret, vincentium globus manifeste iniuriam acciperet. Plures enim cùm essent, singuli laboris ac constantiæ præmio minore donarentur. Etsi verò non animo, sed labore fractis facilis venia danda fuit; reliquis tamen quod egissent constantius, haudquaquam fraudi esse debuit.

Flauianus iis qui hæreticos cōfutarēt argumenta suppeditabat.

At Flauianus apud Antiochiam, vt hoc interim quod ad mores attinet, quasi præteriens historiæ interseram: tametsi in aciem prodire, & cominus cum hoste pugnare minime videretur attamen certantibus sedulò tela ministrabat, quibus ipsi aduersarios conficerent, & victoriam reportarent. Hunc igitur, qui tantum momenti attulit ad refellendam hæreticorum audaciam, & nefarios impetus retundendos, num idcirco donabis breuiore corona, quòd dum tela parat & acuit, manus ipse cum hoste non conseruerit? At ego contrà censeo toties illum pugnasse, & vicisse, quoties alij eiusdem armis instructi pugnarent & vincerent, atque adeò pariter cum reliquis omnium nomine coronandum. Factum narrat S. Theodoretus Historiæ Ecclesiasticæ lib. 4. cap. 23. Tantisper, inquit, dum exularet S. Meletius Archiepiscopus Antiochenus à Valente in gratiam Arianorum relegatus, duo presbyteri Flauianus, idem postea Archiepiscopus, & Diodorus gregis curam gerebant, Diodorus etiam prædicabat. At Flauianus quanquam id temporis in conuentibus Ecclesiasticis conciones non habebat, illis tamen qui hoc munus obibant, argumentorum ac sententiarū vim maximam suppeditabat, quas ipse è sacris literis collegisset. Itaque vt illi arcus velut in scopum in Arianam hæresim intendebāt, sic iste ex mentis thesauro velut ex pharetra iisdem sagittas affatim subministrabat. Hæc ille.

S. Theodoretus.

Duæ voces Chok & mispat exeutiuntur.

Constitutum & præfinitum, & quasi lex in Israël. Hebraicè Et posuit hoc לְחֹק *lebhok*, וּלְמִשְׁפָּט *oulmiscpat*. Cæterùm חֹק *bhok* & in fœmin. gen. חֻקָּה *bhukah* multa significat, morem, ritum, modum, consuetudinem, legem, siue scripta illa sit, siue duntaxat vsu & consuetudine recepta. Neque enim hoc loco legem Dauid in literas misit, & in æs incidit: sed suo exemplo atque autoritate obtinuit, vt quod hoc loco egisset etiam in posterum seruaretur. Porrò verbum ipsum חָקַק *bhachach* scribere, exarare proprie significat: sed quia leges plerunque scribuntur, idcirco legem quoque ferre, statuere, præcipere denotat. Sculpere quoque & pingere valet. Tales enim sunt res gestæ principum, vt impressam quandam sui effigiem in animis hominum relinquant. Quare etiam si verbi etymologiam spectes, verti non incommode potuit: *& posuit illud velut sculptam depictamue imaginem in Israël* exemplum statuit quod posteris pro lege esset. Exponi denique potuit, & posuit hoc partem cuiusque, siue hanc voluit esse partem cuiusque, qua tam illi qui prælium iniissent, quàm qui impedimenta seruassent, contenti essent. Quippe חֹק *bhok* accipitur etiam pro demenso diurno, siue parte ciborum quæ cuique in singulos dies necessaria est. Impigra & solers mater familias Prouerb. 31. ver. 15. *dat*

A חֹק *bhok* Vulgat. *cibaria ancillis suis*: quod interpretantur alij *demensum puellis*, *portionem cuique suam*. מִשְׁפָּט *mispat* quoque modum, rationem, consuetudinem, legem, iudicium significat, à verbo שָׁפַט *scaphat*, iudicauit: cuius dictionis cùm apud nos, tum apud Hæbræos vis ac potestas multiplex est. Ex quibus sequitur, vt Vulgata interpretatio optima censeatur, seu vim vocabulorū spectes, seu historiæ seriē.

Suidas.

Ἔθος, inquit Suidas, quam vocem Latini morem exponunt, interdum ponitur pro σημεῖον, quod est signū. Est autē νόμος ἄγραφος lex nō scripta. Τὸ ἔθος οὐκ ἔστιν εὕρημα ἀνθρώπων, ἀλλὰ βίου καὶ χρόνου, consuetudo non est inuentū hominum, sed vitæ ac temporis. Regit autē τῇ φιλανθρωπίᾳ τῆς βασιλείας humanitate quadam verè regia. Omnes enim ipsam absque necessitate volentes ac vltrò

Consuetudinis ac legis distinctio.

B sequuntur. Lex verò siue νόμος, ἔθος ἔγγραφον consuetudo est litteris mandata: tyrannidi similior, vt pote quæ vi ac terrore quod iubet extorquet. Tanta tamen æquitate atque adeo humanitate prædita, vt & calamitosis vtilior sit quàm cognati, & affectis iniuria ad ferendam opem suis ipsorum viribus potentior; parentibus beneuolentior quàm filij, & vicissim filijs quàm sint ipsi parentes, aut fratres fratribus. Πολλοὶ γὰρ ὑπὸ τῶν φίλων ἀδικούμενοι, πρὸς τοῦτον καταφεύγουσι. Multi enim, qui ab amicis iniuria afficiuntur, ad hunc confugiunt. Ne aliunde exemplum accerseris, satis hoc vno patet.

C *Quæ consuetudo, & quibus legibus obtinere debeat.*

QVÆSTIO CXXXVIII.

TAmetsi hactenus historia iam satis liquidò explicata videri possit, & ad reliqua nunc demum tutò pergere posse, quoniam tamen hoc loco consuetudinis mentionem fieri credimus, quæ cùm primùm à maioribus vsurpata esset, subinde etiam Dauidis autoritate firmata fuerit: visum est paucis de consuetudine differere, & quibus illa conditionibus introduci atque accipi debeat, breuiter interpretari.

Primum igitur vt habetur *Extra de Consuet. cap. vlt.* oportet eam consentaneam esse rationi, & legitime præscriptam. Leges Ciuiles

D consuetudini & præscriptioni decem & viginti annos assignant, Canones triginta vel quadraginta. Sed firmissima consuetudo ea est, cuius initij memoria inter homines non extat. Et illud in primis certa fide tenendum est, quæ pugnant cum verbo Dei diuinisque præceptis, nullo modo posse præscribere. Quinetiam hoc quoque ciuilia iura decernunt, Consuetudinem illam vitiosam esse ac rescindi debere, quæ vel cum natura pugnat, vel cum iure communi. Quod verò hoc loco asserimus, in diuinis Scripturis fundamentum habet. Nam cum Christus dixisset Pharisæis, Hypocritæ, quare violatis præceptum Domini propter traditionē vestrā? Deus enim dicit,

Consuetudo rationi consentanea quot annis præscribat.

ET QVASI LEX, &c.

Honora patrem tuum & matrem tuam. Vos autem dicitis, Quicunque dixerit patri aut matri, Munus, &c. potuissent illi præscribere consuetudinem: sed non licuit: quoniam id apertè diuinam legem abrogabat.

In Taurica regione consuetudo fuit, vt peregrini & hospites mactarentur. Apud Persas consuetudo fuit, vt de rebus grauibus nunquam deliberarent, nisi in conuiuijs & ebrij. Apud Sauromatas consuetudo fuit, vt inter bibendum filias venderent. Hæc non præscribunt, cùm ab æquitate & honestate palàm dissideant. Consuetudo autem præscribit, quæ nec verbo Dei, nec iuri naturæ, nec iuri communi aduersatur. Nam ius consuetudinis est ex approbatione & assensu tacito populi, Regisue, in quem populi potestas translata est: aut certè Pontificis, quem Christus Ecclesiæ suæ sui iuris vicarium dedit. Alioqui cur tenemur legibus? nisi quia consentiente & approbante populo sunt latæ, aut sanè à Deo, vel supremo Principe manarunt? Hoc enim interest inter consuetudinem & legem, quod in altera tacitus est assensus, in altera verò manifestus. Quare huiusmodi consuetudines citra periculum nequeunt reuocari. Aristoteles monuit in Politicis, quòd homines qui didicerunt sinistra facere, non sunt cogendi facere dextra. Proinde in rebus adiaphoris, & non magni momenti retinenda est consuetudo. Est vetus prouerbium νόμος ἢ χώρα. Quæuis enim regio habet suas quasdam consuetudines, quæ facile mutari nequeunt. Cæterum, vt dictum est, quando legi diuinæ, vel naturæ, vel iuri communi aduersantur, minime præscribunt: tum siquidem consuetudines non sunt, sed furiales impetus aut belluinæ ferocitates.

Cuius assensu tacito consuetudo obtinere possit.

Rectè *in Digestis de legibus & Senatusconsul. l. de quibus*, habetur, Consuetudo absque ratione non habet vim. *Et in Decretis distinct. 8. cap. Veritate*, inquit S. Augustinus: Reperta veritate, cedet consuetudo: nemo sit, qui ausit consuetudinem præferre veritati, & rationi. *Et in proximo Canone*, Christus dixit: *Ego sum via, veritas, & vita*: non dixit, ego sum consuetudo. S. Cyprianus contra Aquarios, Omnis consuetudo, quamtumuis antiqua, cedat veritati: alioqui Petrus, cum reprehenderetur à Paulo ad Galatas, potuisset obtendere consuetudinem, sed assensus est potius, vt consuetudo cederet veritati. Rursum in eadem epistola contra Aquarios, Consuetudo, inquit, sine veritate, est vetustas erroris: quoque magis obtinet, tanto magis grauat.

S. Augustinus.

S. Cyprianus.

Adhæc non satis est ad stabiliendam consuetudinem, vt quippiam ab aliquibus fiat, vel vt frequenter fiat, nisi sic fiat, vt in vsum recipiatur, & institutum obseruandum. Multa enim vel temere aguntur, vel necessariò: quæ tamen in consuetudinem trahi nolumus. In *Digest. de itinere, & actu priuato l. 1. & vlt.* Fac me ire per fundum tuum semel, atque iterum, & tertiò: quia forte publica via impedita est luto. An quia per agrum tuum aliquoties eo & redeo, & idcirco acquiro mihi in eo ius dominij aut seruitutis? Non: neq; enim eo animo per agrũ

A tuum ire volui, sed quia necessitate cogebar. In *Decretis, distinct. 1. cap. Consuetudo.* Dicitur esse quoddam ius, moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cùm lex defecit. Oportet enim hoc ius esse, & de more institutum, alioqui non potest consuetudo esse censeri. Vt cum primis Ecclesiæ temporibus, quando tyranni Christianam religionem diuexabant, quicunque piè viuere instituissent & eam fidem sectari, metu cogebantur per domos & κρύπτως noctu atque in tenebris conuenire. Quod si nunc velimus constituta dudum Ecclesia, necessariæ quondam consuetudinis auctoritatem sequi, deumque furtim & ad eundem modum colere, & ridiculi essemus hoc tempore, & non ferremur. Neque enim eo consilio necessitati paruerunt, vt quod tum fecissent coacti, post vindictam consuetudo posteris commendaret. S. Ambrosius, cum esset Catechumenus, Mediolani Episcopus designatus est. Num igitur quia hac ille sorte delectus est, nec ille solus, sed alij plures, eandem nunc quoque consuetudinem nobis æmulari licet, & Episcopos asciscere, qui nec sacra viderint, nec aqua Baptismi tincti fuerint? At illi sic fecerunt. Fecerunt quidem, sed temporum necessitate compulsi: quia non habebant alios, qui & pariter docti essent, & simili auctoritate præditi, quos Arrianis opponerent. Consuetudo porro non tantum exemplis firmatur, sed assensus præterea multitudinis necessarius est, & tacita saltem bonorum approbatio. Alioqui vero multorum locorum incolæ terra marique grassantur; comessatio item & ebrietas dies noctesque nonnullis exercentur. Sed quia hæc, qui plurimum sapiunt, in populo acriter reprehendunt, reliqui, tametsi gulæ illecebris capiantur, non tamen approbant, neque crapulæ intemperantiam suo patrocinio defendunt: sed qui horum maxime insaniunt, hoc solum contendunt loci genio gentisque moribus nonnihil indulgendum esse: idcirco hæc vim consuetudinis non obtinent. Hostiensis *tit. de consuet.* Hanc nobis consuetudinis definitionem suppeditat. Vsus est, inquit, congruus rationi, communi vtentium instituto comprobatus, cuius initij non est memoria, vel qui sit iusto tempore præscriptus & confirmatus, ita vt nullo contrario actu sit interruptus, sed contradictorio iudicio probatus. Hæc est, vt putat, plena definitio. Verum quod ille inquit, Vsum illum debere congruum esse rationi, sic accipiendum est, vt nec cum verbo Dei pugnet, quod pro summa ratione accipiendum est: Et comprobetur deinde instituto populi, & eorum voluntate qui summo iure clauum reipub. torquent. Nam si quid temere aut necessitate fiat, aut populi pars maxima dissentiat, clamue magistratu quippiam tentatum sit, quicquid horum contigerit, consuetudinis autoritatem rescindet. Cuius initij, inquit, non sit memoria, aut quod iusto tempore & legibus definito sit præscriptum, nec vllo actu contrario interpellatum. Nam si iudex aut princeps contra iudicarit, consuetudo interrumpitur, vt etiam in præscriptione vsuuenit, cùm quis de possessione deiicitur,

ET QVASI LEX, &c. *Consuetudo definitur.*

Alia consuetudinis definitio Hostiensis.

Et qvasi lex, &c.

deijcitur, aut res in ius vocatur, & lis est contestata, præscriptio interrumpitur. Item contradictorij iudicij approbatio intercedat oportet, id est, cum altera pars ius aut factum consuetudine tuetur, altera consuetudinem oppugnat, si pronuncietur pro consuetudine, confirmatio ei accedit. Sed & illud postremò notandum est, quod habetur *Extra. de Consuetud. cap.* 1. Ferri non posse consuetudinem, si sit onerosa Ecclesiæ.

Consuetudo quam vim habeat.

QVÆSTIO CXXXIX.

Respondeo, legis. Hierocles apud Stobæum, Serm. 37. Consuetudines, inquit, patriæ, legibus ipsis fortassis antiquiores, nihil minus quàm leges obseruandæ sunt: quoniam consuetudo lex est non scripta, optimi legislatoris inscriptum nomen habens, videlicet vtentium omnium comprobationem: Fortassis autem & naturali iustitiæ proxima fuerit patria consuetudo. Hæc ille. Vtique plerique Iurisconsulti Consuetudinem pariter definiunt ius non scriptum, moribus comprobatum. *l. 32. & seq. ff. de legibus.* Ius quod vsu diuturno & maiorum moribus sine vllis literis constitutum, non minus quàm quod Scriptum est, vsurpatur.] Vsus enim diuturnitas eius iuris firmamentum est. Diuturnitas autem ex maiorum moribus repetenda est, *arg. l. more maiorum*, 15. *ff. de iurisd. omn. iud. &c. Quare cum maiores propriè dicantur vsque ad tritauum*, *l.* 10. *ff. de Affinibus & gradibus.* Sequitur, vt minimum centum annorum spacium requiratur: nimirum vt singuli gradus plena pubertate alios superant. Hinc apparet quàm verum sit quod docet Vulteius in Comment. *Instit. tit. de iure nat. gent. & ciuil.* §. 10. *num.* 11. supra modum difficilem esse Consuetudinis probationem: quippe quæ præterea vt Hotomannus ait, clàm & obscurè nascatur, cùm lex palàm & repentè autoritatem sibi vendicet. Sed quando hic non de probatione, sed de iure Consuetudinis agimus, quantum sit illud inuestigemus.

Consuetudo vim legis obtinet.

Consuetudo, inquit Iustinianus §. *ex non scripto. Instit. de iure nat. gent. & ciuil.* Consuetudo legem imitatur. Legem porrò imitari dixit, id est, tantumdem præstare, & quasi legem repræsentare. Petrus Aldobrandinus ibidem. Sed & illud Consuetudini non parum autoritatis conciliat, quod in ipso Iure pars iuris esse dicatur; quòd voluntas populi rebus ipsis & factis declarata; quod tacitus consensus omniũ, *leg. de quibus. ff. de legib.* quod legem confirmare, quod optimè interpretari, quod ius facere, & rursum abolere prædicetur: quæ omnia cum leges & edicta principum, tum Canones & Decreta Ecclesiæ passim confirmant. Itaque secundum legem scriptam primus locus consuetudini datur. Atqui sunt qui idcirco scriptis legibus anteponendam censeant, quod ea longæui temporis priuilegio inualuerit, hæc statim promulgata obtinuerit. Quippe longum tempus multarum rerum experientiam parit, nec

Idem confirmatur.

Et qva si lex, &c.

A nisi temerè temeritatis argui potest, cum sæpe lex scripta ferri soleat subita quadam cogitatione, quæ non satis expendit singulas rerum circumstantias, atque adeo plerunque allucinatur. Verum esto in secundo ordine collocetur. Quæritur.

An consuetudo ita liget, vt qui eam violauerit, scelere se obstringat? Sunt qui putent eam ob causam ita sentiendum esse, quod graues animorum offensiones publicè esse soleant, si quis priuatim à communi ciuium more abstineat. Peccat siquidem grauiter si quis ab eo quod pluribus nocere intelligit, & infirmam eorum conscientiam sauciat, non omni studio abhorreat. Sin consuetudinis contemptus neminem offendit, neminem in fraudem inducit, arbitrantur absque culpa nos posse dissidere.
B Cur enim vulgi institutum sequamur, aut plebis moribus obsequamur, quos nulla Principis auctoritas sancit, nulla superior potestas valere iussit? Hactenus illi. Sed hæc sententia indigna est, quam nostro calculo comprobemus. Tametsi enim quisquis legis imperium detrectat, & alteri suo exemplo periculum creat, rem nefariam committat, non est tamen necesse, vt si clam id efficere studuerit, nec cuiquam paris delicti ansam præbuerit, statim criminis expers habeatur. Vt enim offensio nulla concitetur, peccat tamen qui leges perrumpit, & publicam autoritatem ludibrio habet. Quo pacto igitur consuetudo, quæ vim legis obtinet, absque flagitio contemni possit? Respondes, vulgi temeritate in mores inductam esse, quæ nullo iure
C nixa sit, quam nulla fulciat auctoritas. Quinimò plerisque locis maiestas est penes populum, multitudo summo iure imperat: quæ siue lege lata atque in æs incisa, siue diuturno vsu mentem suam ac voluntatem patefaciat, vtrobique par potestas est: nec qui legi scriptæ parere tenetur, innocens videri poterit si cõsuetudinem spernat. Quod si viuat populus obnoxius imperio, nec de lege ferenda sententiam rogari soleat, quod tanto tempore Princeps cum vetare posset æquo animo tulerit, aut etiam vsurpauerit, probasse censetur. Ita sentit S. Thomas 1. 2. quæst. 97. art. 3. Vnde sequitur, vt de Consuetudine perinde atque lege iudicare debeamus. De legibus autem plerique accuratè. Sed quidam hactenus residet scrupulus quem nescio an eorum quisquam euellere studuerit,
D Quantum delinquat qui consuetudinem aspernatur?

Peccat in publ. autoritatem qui consuetudinem clàm violat.

Iubent consuetudinem legis instar habere. Esto, plerunque consentiant: negari tamen non potest in eo plurimum dissidere, quod leges cum rogantur, sæpenumero pœna aliqua sanciuntur; consuetudines cum à principio nulla vi polleant, blandè ac sensim sese insinuant, quæ autem leges nullum supplicii metum contumacibus incutiunt, his putant si quis non paruerit, culpæ reum citari non posse. Poterit ergo consuetudo quælibet impunè contemni: neque enim harum vlla sanctione aliqua armata est, quæ multam aut pœnam iis qui contra faciunt irroget. Respondeo consuetudinum duplex genus constitui posse. Sunt enim quas nul-

Genus duplex Consuetud.

Et qvasi lex, &c.

iõ certo autore diuturni temporis reuerentia ratas esse iussit: quas si quis fortè non seruauerit, ego sic arbitror, quantum Reipub. aliorumque ciuium intersit, tantundem iure multatum iri. Sed sunt aliæ præterea, quæ cum ab initio multitudini aut sanè viris principibus placuissent, obseruari iussæ sunt: Deinde cum non essent in tabulas relatæ vt leges videri possent, attamen ætas posterior easdem suo vsu complexa est: quas nonnulli ius ἄγραφον dicere malunt, nos consuetudines vocamus: quo in genere morem illum statuimus, qui à Dauide ad posteros vsque manauit. Illa dico legitima, si quis deserere ausus erit, iisdem pœnis plecti oportere quibus ab initio vindicatum est: Sin nullum hactenus eius rei exemplum editum est, penes esto iudicem qualiter in reum animaduertat. Peccare autem contumacem haud secus iudico quàm si legẽ à principe impositam perrumpat. Verum hæc ad eas duntaxat consuetudines spectant, quæ aut vetant aliquid, aut imperant: de quibus opinor est illud S. August. in epistola ad Casulanum, quod à S. Thoma in eandem sententiam refertur 1. 2. quæst. 97. art. 3. Mos, inquit, populi Dei, & instituta maiorum pro lege sunt tenenda: & sicut præuaricatores legum diuinarum, ita & contemptores consuetudinum Ecclesiasticarum coercendi sunt.] Si quæ tamen voluntaria religione in consuetudinem venerunt, vt quod quisquam festo die non ante ieiunium soluat quàm rei sacræ operam dederit, nõ sunt hæc pari seueritate ad vnguem exigenda. Non enim vt eo quisquam teneretur, mos ille susceptus est: sed plerique omnes spõte quo Numen castius venerentur, vt olim, ita nunc quoque quibus locis Sacerdotes faciunt audiendi copiam, tantisper à cibo abstinent, donec Missæ interfuerint. Quod autem quisquam sponte boni faciat, si fortè aliquando remiserit, non debet intermissio Consuetudinis eidem fraudi esse.

In pœna sancienda Consuetudo quoque aut iudicis arbitrium obtinet.

B

S. Aug. epi. 86.

C

Consuetudinis quanta autoritas habenda sit in diuisione rerum.

Alia est ratio eius consuetudinis, quæ res communes in partes distribuens, quod quemque habere iubeat præscribit. Tanta est enim eius consuetudinis vis ac potestas, vt quod cuique addixerit, eius proprium esse censeatur. Ita prorsus, vt si quis deinceps parum sua sorte contentus decretam à consuetudine partitionem rescindat, & amplius aliquid vsurpet, furti reus iudicetur & lege repetundarum teneri. Itaque qui hanc consuetudinem violat, primùm peccat grauiter, deinde illud proximè sequitur, vt tantundem restituat quantum læsus ab eo damni acceperit. Non licuit itaque in posterum postquam ea consuetudo vsu inualuisset, eos qui manus conseruissent, maioris momenti quicquam prædæ subtrahere: sed eos oportuit, si fures haberi nollent, cum iis qui ad sarcinas excubassent, hostium spolia æquabili sorte diuidere.

D

Versvs XXVI.

Venit ergo Dauid in Siceleg, & misit

A dona de præda senioribus Iuda proximis suis, dicens: Accipite benedictionem de præda hostium Domini.

Et qvasi lex, &c.

Versvs XXVII.

His, qui erant in Bethel, & qui in Ramoth ad Meridiem, & qui in Iether.

Versvs XXVIII.

Et qui in Aroer, & qui in Sephamoth, & qui in Esthamo.

Versvs XXIX.

Et qui in Rachal, & qui in vrbibus Ierameel, & qui in vrbibus Ceni.

Versvs XXX.

Et qui in Arama, & qui in lacu Asan, & qui in Atach.

Versvs XXXI.

Et qui in Hebron, & reliquis qui erant in his locis, in quibus commoratus fuerat Dauid ipse, & viri eius.

Variæ translationes.

Venit ergo Dauid in Siceleg, &c.] Pagninus, *& misit de præda senioribus Iehudach amicis suis dicendo: Ecce vobis benedictio, &c.* *Proximis suis.*] Hebraicè, לְרֵעֵהוּ *leregbehou*, à verbo, רָעָה *ragbah*, pauit tam se quàm alios. Inde Nom. רֵעָה & רֵעֶה *regbeh*, socius, sodalis, conuictor, qui simul educatus est. Arias hoc loco *socius* vertit. Chaldæus *amantes se* interpretatus est. Vatablus cum Pagnino facit in Schol. *Sodales* exponit. distingũt Græci, quæ Latinis & Hebr. appositè legũtur. Complut. καὶ ἀπέστειλε τοῖς πρεσβυτέροις ἰούδα καὶ τοῖς πλησίον αὐτοῦ τῶν σκύλων. *Et misit senioribus Juda & proximis suis de spoliis.* Aldus etiam disertius, tametsi iisdem verbis, ob diuersum ordinem. καὶ ἀπέστειλε τοῖς πρεσβυτέροις σκύλων τοῦ ἰούδα. Καὶ τοῖς πλησίον αὐτοῦ λέγων. Nobilij edit. *Et misit senioribus Juda de spoliis, & proximis suis, dicens: Ecce de spoliis inimicorum Domini.* Atqui tam Aldus quàm Complutenses legunt: ἰδοὺ εὐλογία ὑμῖν ἀπὸ τῶν σκύλων τῶν ἐχθρῶν κυρίου. *Ecce benedictio vobis de spoliis inimicorum Domini.* Chaldæus, *Ecce vobis donum de spoliis odientium populum Domini.* Hebraicè בְּרָכָה *beracah*, benedictio. Sic quoque *munus & donum* vocant. Itaque Dauid hoc loco liberalitatem suam eo nomine dignatur.

Et misit dona, &c. Sanctus Cyrillus Collectaneor. in Num. cap. 14. Captiuitatis, inquit, spoliis diuisis inter eos qui se fortiter gesserunt, & in alium populi cœtum, iussit Deus diuidere Deo & Leuitis partem ex captiuitate, tam ex hominibus quam ex quadrupedibus. Et eos quidem

Numer. ca. 31.

S. Cyrillus.

Tropolog.

quidem qui se fortiter gesserant Deo offerre, ex quingentis quidem vnum: reliquum autem populum offerre Leuitis ex quinquaginta vnū. Nam qui pauca quidem habent peccata, pauca debent. Qui sunt autem pluribus delictis obnoxij, planè plura. Obseruat subinde etiam & aliud discrimen. Sed viri quidem fortes, inquit, Deo sortem offerunt, reliquus autem populi cœtus Leuitis: vt dictum est. Nam qui sunt quidem probatiores, citra medium Deo offerunt quæ à se rectè facta sunt. Qui post illos autem sunt probati, per eos intermedios qui Sancto Deo sunt dedicati, Deo dona offerunt, iis qui ipsi assident præbentes ea quæ sunt vsui, & sanctis opem ferentes ecclesiis. Et addit: Sed hæc quidem ex Dei præcepto. E domo autem sua & à seipsis, virorum fortium duces Deo obtulerunt armillas, torques, monilia, annulos, & brachialia. Nam qui in Christo sunt populi duces & præsides, in rectè factis sæpè superant præcepta Euangelica, vt qui ex se exerceant virginitatem, quæ non est lege decreta, & alia huiusmodi. Paulus enim iussus ali ex Euangelio, propriis alebatur manibus. Per enumerata autem vasa aurea, significantur diuersa genera venerandæ & præclaræ virtutis. Hęc autem omnia, inquit, sunt introducta in Dei tabernacula ad eorum monumentum. Eiusmodi enim rectè facta sanctorum, instar thesauri reconduntur ornamentum Ecclesiæ, ad monimentum eorum qui se rectè gesserunt. Hæc omnia quisquis ille est Sanctorum, Cyrillus, aut Maximus.

Et misit dona, &c

Non arbitror porrò Dauidem vlli pietatis officio defuisse, nec commisisse vt illum quisquam religionis studio superaret: quibus postquam iam satis supérque fecisse visus est.

Misit dona senioribus Juda.] Sequitur liberalitas Dauidis, quę multò est illustrior ex comparatione istorum auarorum militum. Ille enim mittit munera ad suos in tribum vsque Iuda: isti ne suos quidem qui fuerant ex iisdem castris donari voluerunt. Skioldus Daniæ rex, autore Krantzio Daniæ lib. 1. cap. 5. proceres suos non solum domesticis stipendiis colebat, sed etiam spoliis, ex hoste quæsitis: affirmare solitus, pecuniam ad milites, gloriam ad ducem pertinere. Dauid consultius, qui non militum modo, quorum opera indigeret, & studium cuperet accendere, sed aliorum quoque, qui procul positi essent, rationem habuit. Non erant autem ista munera largitiones, quibus deuinciret sibi suorum animos. Erant enim aliæ causæ iustissimæ, cur eos huiusmodi præmiis afficeret. Primùm enim illi eum fortè abdiderant apud se, cum à Saule quæreretur ad necem. Hæc ergo liberalitas ad iustitiam ex parte pertinuit. Oportuit enim illorum humanitatem aliquo beneficio compensare, nisi vellet videri ingratus. Deinde illi passi fuerant graues incursiones ab istis Amalecitis. Nam seruus ille Ægyptius indicauerat Dauidi, eos irrupisse non tantum in Palęstinam, sed etiam in tribum Iuda. Id autem illi fortassis ea causa maximè fecerunt, quod scirent Dauidem ex illa tribu esse oriundum, & ab illis fuisse adiutum. Voluit ergo donare eos, quod crederet illos sua causa magnas cala-

Krãtzius.

Prædam ad milites, gloriam ad ducem pertinere.

Quæ ratio tantæ liberalitatis.

A mitates pertulisse. Adhæc etiam cognati. Itaq; prędam, quam antea partiri solebat cum Achi, nunc multo iustius partitur cum suis. In primis autem id fecit, vt illi quoque scirent, Deum sibi dedisse victoriam, & eius nomen & gloriam prędicarent. Dauid enim semper aliàs omnia studia, & facta sua contulit ad gloriam Dei. Iosephus eum misisse ad omnes vrbes tribus Iudę. Sed quoniam Sacra Scriptura satis diligenter ista persequitur nominatim, satis erit, si intelligamus, Dauidem donasse eas ciuitates, quæ hîc recensentur. Non fecit iacturam humanitatis suę. Postea enim tribules eius constanter ab eo steterunt in ea controuersia, quam habuit cum Isboseth filio Saulis de regno. Non tantum mittit dona ad suos, sed ea etiam verbis ornat magnificè.

Et misit dona, &c.

B *Accipite benedictionem.*] ברך *barach* Hebraicè significat gratulari, laudare, aut bene precari. Hęc autem non tantum verbis fiunt, sed etiam sępe rebus. Munera enim testimonia quędam sunt, nos magnifice sentire de illo, quem ita volumus honorare. Itaque Aristoteles ait, Munera satisfacere & ambitiosis, & auaris. *De præda hostium Domini.*] Hoc addit, vt illi intelligant, se non persequutum esse suas priuatim iniurias, sed spoliasse communes hostes Iudaici nominis, hostes à Deo proscriptos. Hęc magna nobis consolatio esse debet, quoties aliquid patimur pietatis & iustitię causa, vt meminerimus eos, qui molestiam nobis exhibent, & vitę insidias struunt, hostes esse Dei.

His qui erant in Bethel.] Quidā vertit, *His qui* C *erant in domo Dei.*] Id est, in Cariathiarīū, siue vrbe Ierahimorum quo arca restituta à Palęstinis, translata resedit. Supra ca. 6. ver. vlt. & 1. seq. Cōplut. Βαιθὴλ. Ald. Βεθσοὺρ. Nobilii editio *Bethsur*, quam ob causam me fugit, cū Hebraicè scriptum sit *Bethel*. Sed deinceps quoque perpetua eius editionis & Hebręę discrepantia est in recensendis iis vrbibus & locis, ad quæ munera Dauid allegasse fertur. Describam ne quis forte desideret, tametsi in iis exp icandis moram non protraham: sed ad ea me conferam quæ Vulgatæ sunt propria. *Qui in Bethsur, & qui in Rhama Austri, & qui in Gethor, & qui in Aroer, & qui in Ammadi, & qui in Saphi, & qui in Esthic, & qui in Geth, & qui in Cimath, & qui in Saphec, & qui in Themath, & qui in Carmelo, & qui in ciuitatibus ipsius Hieremeel, & qui in ciuitatibus* D *ipsius Cenezi. & qui in Hierimuth, & qui in Bersabee, & qui in Nombe, & qui in Chebron, & omnia loca, quo transierat Dauid illuc, ipse & viri eius.* Aldus cum hac edit. Nobilii ferè consentit: Τοῖς ἐν Βεθσοὺρ καὶ τοῖς ἐν ῥαμᾶ νότου, καὶ τοῖς ἐν γεθθόρ. Addit & illud quod nusquam aliàs legi, & τοῖς ἐν κιναῖ. Complutensis ad Vulgatam proxime accedit.

Non censet porrò Salianus in solos Iudæos contribules suos Dauidem sua munera contulisse. Nam quæ prima nominatur *Bethel*, erat, inquit, in terra Beniamin. *Ramoth Galaad* in tribu Gad trans Iordanem. *Jether* in tribu Iuda, eàque Leuitica fuit. *Aroer* in tribu Ruben; *Sephamoth* Abulensis in tribu Iuda constituit, etsi in catalogo vrbium Iuda non reperiatur, nec

Salian. to. 3. ad ann. Mūdi 2979 num. 155.

alibi quàm hoc loco à Scriptura nominetur. *Esthamo*, quæ *Esthemo* dicitur in lib. Iosue, & in Leuiticis tribus Iuda cum *Iether* recensetur. *Rachal* hoc tantum loco legitur, & prætermissa est ab Adrichomio. Abulensis ait eam fuisse in tribu Iuda, licet non memoretur in catalogo, Iosue 15. *Ierameel & Ceni* fuerunt paruæ prouinciæ in tribu Iuda, vt suprà significatum est, & plura erant in vtraque oppida, & pagi. *Arama* in tribu Nephthali, Iosue capite decimnono, quamuis diuersa sit in Hebræo Scritio. *Lacus Asan* nomen oppidi est, quod Hebraicè dicitur *Chor Hasan*, nec proditũ est ad quam tribum pertineat. At de eodem iterum in Scholi. Assentior, inquit, Marianæ existimanti in Hebræo pro *Chor-hasan* legendum *Bor-hasan*, quod כ in ב malè mutatum fuerit, itàque legerint Hieronym. in Vulgata, & Septuag. Eam tamen vocem in Septuaginta non reperio. *Bor* autem puteum, lacum cisternam significat. *Athach* à Sancto Hieronymo in tribu Iuda ponitur, nec alibi vlla eius est in Scriptur. mentio. Postrema est *Hebron* prædictarum omnium ciuitatum clarissima, in montanis Iudæ, de qua sæpe dictum est. Hactenus Salianus.

His qui ERANT, &c. Iosue cap. 15. ver. 49.

Bethel quo pacto in tribu Iuda.

His qui בְּבֵית־אֵל *Bebeth-el in Bethel*. Non erat vrbs illa in sorte Iudæ: Sed attributa primum tribui Beniamin, ab Ephraim proditione capta est. Hanc postea delegit Roboam in qua vitulorum alterum consecraret. Consule Adrichomium in tribu Beniamin cap. 42. qui voces interpretari malunt, Cariathiarim exponunt, quæ *Domus Dei* dicta sit, quod ibi tum arca resideret. Est de Ierusalem ad quatuor milliaria & dimidium contra Occidentem euntibus Diospolim. Vrbs prius Gabaonitarum, postea tribus Iudæ, in sorte Dan; estq; terminus tribus Iudæ & Beniamin, sita in colle. Adrichom. 17. in tribu Dan. Ad hanc sententiam proximè accederem, consentit enim locus qui Iudæ ascribitur: si vsquam oppidum illud Iarimorum *Domum Dei* appellatam meminissem. Septuaginta Ald. & Rom. edit. *Bethsur* legunt, quam Iudas quoque sibi vendicat. Vicina hæc fuit Ierusalem, ad vallem Raphaim in claustris montium sita. Radices eius fons alluit. Eligat lector quod probabilius duxerit. Quicquid elegerit, in Iuda constitui velim. Sequitur.

Adrichom.

Et qui in Ramoth ad meridiem.] Hæc tribui Simeon ascribitur *in medio possessionis filiorum Iuda.* Iosue cap. 19. ver. 8. vocatur *Ramath contra Australem plagam.* Alij vertunt, *Ramatham Meridianam. Iether.*] Leuitarum in tribu Iuda. Tempore S. Hieronymi dicebatur *Iethira*, villa tum prægrandis in interiore Daroma, iuxta Malathan, in vicesimo miliario Eleuteropoleos, habitatores omnes Christianos habens, vt idem refert in locis Hebraicis. *Et qui in Aroer.*] Adrichomius binas eo nomine vrbes describit: alteram tribui Gad ascribit cap. 9. quæ primum possessa fuerat ab antiquissima gẽte Ommiim, deinde ea deleta venerat in potestatem filiorum Loth, & domina Moab seu metropolis habita; quam iisdem expulsis Seon rex Amorrhæorum iure belli vendicauit sibi; Postremo eodem à filiis Israel duce Moyse expugnato atque interfecto tribui Gad cessit in possessioné.

Aroër.

A Ipsa est *Ariel Moab* vt quidam volunt, siue Ἀρηΐς quod ibidem Martis idolum vsque ad S. Hiero. tempora coleretur. Sunt qui Petrá ipsam Arabiæ esse autument. Cõsule de eadem Adrichomium. Alterius meminit in descriptione tribus Manasse, cap. 17. quam docet vrbẽ fuisse regni Syriæ, & regionem in agro Damasceno sitam, cuius ciuitates prorsus deserendas, & gregibus esse relinquendas Isaias prophetauit, Isaiæ ca. 17. Locus Isaiæ quo fretus Adrichom. Aroer ciuitatem Damasco asseruit, sic se habet: *Onus Damasci: Ecce Damascus desinet esse ciuitas: & erit sicut aceruus lapidum in ruina. Derelictæ ciuitates gregibus erunt: & requiescẽt ibi & non erit qui exterreat, &c.* Quem locum cum S. Hieronymus exponeret, nequaquam ciuitatem esse credidit, sed vastitatis imaginem designari. *Aroer*, inquit, myrice interpretatur: quæ propriè B arbor in solitudine & vasta humo nascitur: & per hoc vastitas demonstratur. *Requiescent ibi:* subauditur, greges, *& non erit qui exterreat:* tanta enim erit solitudo, vt nec insidiator timẽdus sit. Hactenus S. Hiero. Huic autem fauet Chaldaica trãslatio, cuius hæc interpretatio est apud Complutens. *Derelictæ ciuitates eorum dilectæ domum mansionis gregum ouium erunt.* Sept. quoque cum apud Aldum & Nobilium, tum etiã apud Complut. Καταλελειμμένη εἰς τὸν αἰῶνα εἰς κοίτην ποιμνίων καὶ ἀνάπαυσιν, &c. Derelicta [Damascus] in seculum; in cubile gregum & requiem. Hoc loco Hebraicè legimus, בַּעֲרֹעֵר *bagharogher* in *gharogher*. Radix dictionis עָרַר *gharar*, siue vt alij עַרְעֵר, *diruit*, destruxit, vastauit, demolitus C est. Quamobrem hoc loco non ciuitas aliqua tam longè semota, & à tribu Iuda aliena intelligenda videtur: sed ita interpretandum, quos ab Amalechitis vexatos audiuerat, eos maximè sua liberalitate dignatum fuisse. Lector ipse iudicet, quæ potior sententia habeatur.

His qui ERANT, &c.

S. Hieron.

Et qui in Sephamoth.] Arbitror eã ob causã numero plurali vti, quòd circumiacentes pagos & castella intelligat, in quibus aliquãdiu morã traxerat nequaquã ab incolis prodit⁹, vti nõ semel à Ziphæis. Habes semel atque iterũ in numero singulari Nu. ca. 34. ver. 10. שְׁפָמָה *scephamah* & *scepham.* Terræ promissæ Orientalis terminus cõstituitur. *Inde, ait, metabũtur fines contra Orientalem plagam de villa Enã vsque Sephama, & de Sephama descendent termini in Rebla contra fontem Daphnim, &c.* Hinc Nephtali tribuitur. Proba- D bilius hoc loco ducerẽ alteram eius nominis in Iuda vocari, quod Abulẽ. & Salian. placuisse video. *Rachal* & *Athach* ad Iudã quoq; pertinuerunt. Sed siue illa oppida fuerint ab Iudæis post Chananæos exactos excitata, siue prisca nomina mutarint, horum prius Scriptura non meminit. *Arama*, siue vt Hebr. legit Pagninus, *Chorma*, ipsa est *Sephaath:* quam cum expugnasset Iudas, *vocatum est nomen vrbis* חָרְמָה *Horma, id est, anathema.* Iudic capit. 1. vers. decim. septim.

Et qui in lacu Asan.] Sũt qui velint ipsam esse *Asan*, quæ Simeoni ascribitur in meditullio Iudæ. Iosue cap. 19. ver. 7. *Ain, & Remmon, & Athar, & Asan.* Nec displicet Marianæ cõiectura, si pariter in aliis liceat, *Athach* quoq; in *Athar* reperiemus: nec difficile foret ex pluribus locis

Lacus Asã.

ET QVI IN SEPHAMOTH, &c.

in quibus hæremus euadere. Quod autem ait A Salianus, eam vocem [*Ber-basan*] in Septuaginta non reperisse, pene efficit, ne oculis meis deinceps fidem adhibeam. Sic enim mihi me legere apud Complutenses videor, καὶ τοῖς ἐν Βὴρ ἀσὰν, & qui in lacu Asan. Chaldæus apud eosdem, *Et qui in Ber ghassan.* Qua fide non disputo, cùm Chaldaicè scriptum sit, בְּבוֹר עָשָׁן *becbor ghascan.* Aldus legit, καὶ τοῖς ἐν Βηρσαβεὲ; Editio Nobilij, *Et qui in Bersabee. Rachal* porrò editio Nobilii *Carmelum* dicere videtur, quo loco diutius Dauid seipsum tutatus est; *Atach, Nombe* seu *Nobe* ciuitatem Sacerdotum, è qua Ierusalem, vt S. Hieronymus autor est, conspici potuit. Nec dubito, siquidem reliquiæ vllæ superessent, Dauidem sua potissimum dona his collaturum fuisse. *Et qui in Hebron.*] Celebratur ea ciuitas sepulchro Patriarcharum, Abrahami, Isaac, & Iacob, dudum Iudæ metropolis, & Dauidi prima regni sedes: De qua sequenti libro, si Deus dederit, pluribus erit disserendum.

ET QVI IN SEPHAMOTH, &c.

CAPVT TRIGESIMVMPRIMVM.

PHilisthiim autem pugnabant aduersum Israel: & fugerunt viri Israël ante faciem Philisthiim, & ceciderunt interfecti in monte Gelboë.
2. Irruerúntque Philisthiim in Saul, & in filios eius, & percusserunt Ionathan, & Abinadab, & Melchisua, filios Saul,
3. Totúmque pondus prælii versum est in Saul: & consecuti sunt eum viri sagittarii, & vulneratus est vehementer à sagittariis.
4. Dixitque Saul ad armigerum suum: Euagina gladium tuum, & percute me: ne fortè veniant incircumcisi isti, & interficiant me, illudentes mihi. Et noluit armiger eius: fuerat enim nimio terrore perterritus: arripuit itaque Saul gladium, & irruit super eum.
5. Quod cùm vidisset armiger eius, videlicet quod mortuus esset Saul, irruit etiam ipse super gladium suum, & mortuus est cum eo.
6. Mortuus est ergo Saul, & tres filii eius, & armiger illius, & vniuersi viri eius in die illa pariter.
7. Videntes autem viri Israël, qui erant trans vallem, & trans Iordanem, quòd fugissent viri Israëlitæ, & quòd mortuus esset Saul, & filii eius, reliquerunt ciuitates suas, & fugerunt: venerúntque Philisthiim, & habitauerunt ibi.
8. Facta autem die altera, venerunt Philisthiim, vt spoliarent interfectos, & inuenerunt Saul & tres filios eius iacentes in monte Gelboë.
9. Et præciderunt caput Saul, & spoliauerunt eum armis: & miserunt in Terram Philisthinorum per circuitum, vt annunciaretur in templo idolorum, & in populis.
10. Et posuerunt arma eius in templo Astaroth, corpus verò eius suspenderunt in muro Bethsan.
11. Quod cùm audissent habitatores Iabes Galaad, quæcumque fecerant Philisthiim Saul,
12. Surrexerunt omnes viri fortissimi, & ambulauerunt tota nocte, & tulerunt cadauer Saul, & cadauera filiorum eius, de muro Bethsan: venerúntque Iabes Galaad, & combusserunt ea ibi:
13. Et tulerunt ossa eorum, & sepelierunt in nemore Iabes, & ieiunauerunt septem diebus.

ARGVMENTVM CAPITIS.

HOc caput trifariam diuiditur. Primo loco describitur infelix pugna quam statim Israelis fuga sequuta est, & Saulis nefanda mors. Deinde, quàm crudeliter hostes eius cadaueri insultarint. Vltimò, quam honorificè Iabenses, cùm essent beneficij memores, eundem sepulturæ mandarint.

Et fvgervnt, &c.

Versvs I.

Philisthiim autem pugnabant aduersum Israel: & fugerunt viri Israel ante faciem Philisthiim, & ceciderunt interfecti in monte Gelboë.

Gelboë.

VVlgatus, & Chaldæus, & alij quidam vulneratos in monte Gelboë interpretantur, Reliqui ferè confossos & interfectos. Gelboë porrò mons siue montes ascribuntur ab Adrichomio tribui Issachar, & ab Iezraele ad Iordanem vsque per vndecim leucas porriguntur. B Sunt qui velint ciuitatem fuisse prope montes, quæ diceretur Gelboë, à qua ipsi nomen acceperint. Fuit & Gelbus vicus grandis, situs in monte Gelboë, vt Hieronymus autor est.

Philisthiim autem pugnabant aduersum Israel.] Mirum est qua fretus audacia, aut quo confidens Saul ausus sit ad certamen descendere, cum ex ipso Samuele, cuius manes nefanda arte sollicitauerat, audisset attonitus sibi statim pereundum esse. Futura porrò perscrutari quid iuuat cum agnita vitare non possis? At potuit, dicet aliquis, sibi fuga consulere, potuit à certamine abstinere, potuit loca quæque tutissima exercitu occupare, tantisper dum hostium impetum cunctando frangeret, & pugnæ studium refrigesceret. Nam si diutius pugnandi potestatem non faceret, haud dubium quin statim tædio victi pedem vltro referrent: aut si qua fors vrgeret cum iisdem potuit vel iniquis conditionibus pacisci. Sed nihil horum tum illi in mentem venit. Neque enim moles immensa terroris corporis vires duntaxat concutit: Sed ipsam quoque mentem de statu dimouet, rationem conturbat, & arcem consilii prudentiam labefactat; ità vt olim prudentissimus quisque postquam illum metus examinarit, tanquam in luce clarissima cœcutire videatur. Neque enim, opinor, corporis quidem vires à Deo habemus, mentem autem & consilii copiam à nobis ipsis: sed vtriusque beneficii idem nobis autor est, quodcunque est illud quod penes nos est, totum ex illo fonte hausimus atque accepimus. Quod si nobis illa solus contulit, haud dubium quin idem quoque possit repetere. Quod si faciat, omni tum præsidio corporis atque animi destitui necesse est. Quanta igitur hæc temeritas seu potius amentia, infenso atque irato numine, apud se statuere, vel ferro salutem parare sibi, vel si non succedat gloriosam mortem oppetere, cum non ipse modo vires animúmque ministret, sed etiam morti decus aut infamiam pro sua voluntate adiungat. Nam ita forsan quispiam secum animo reputauerit, Saulem haud aliter quàm longo interuallo Iudas Machabęus, inter cōfertos cuneos maluisse fortiter occumbere, quàm cedendo turpiter suæ, vt ait, gloriæ crimen inferre. Verum hoc auerso Deo sperare non licuit: longéque maiorem ignominiæ maculam suo nomini moriendo turpiter inussit quàm fugiendo contraheret, cum prudentiæ sit ictum aduersarii, quem retundere non possis, corporis vt aiunt declinatione effugere. Sed in nullo horum cogitationem posuit, aut rationis oculo lustrauit, quin potius cum esset tam funesti casus denunciatione perterritus, statim animum despondit, neque quid agendum esset quidve cauendum præ stuporis magnitudine prospiciens. Nempe ea vis est humani ingenii, hoc robur animi, ea mentis constantia, qua nihil est in rerum natura fragilius, quæ nisi diuina ope fulciatur, qualibet arundine citius iniuria inflectitur. Quid non magica carmina? Gygantibus vires adimunt, lacertorum firmitatem expugnant, sensibus illudunt, animo constantiam eripiunt, quod totum fit dæmonis arte atque fallacia. Ergone verisimile est plus posse dæmonem quàm Deum? aut maiora fraude efficere posse, quàm Deus sua potentia possit? Poterit dæmon quem magus optauerit, non raro corporis & animi robore priuare; Deus autem, cuius hæc dona sunt, si quando iustitia postulet, ipse non poterit? Exemplum ante oculos omnium statuit: Qui hactenus Deum non timet, Saulem intueatur, & à Numinis offensa in posterum abstineat.

Pauor mētem & consilium eripit.

Ne mors quidē sine dedecore absque Dei beneficio contingit.

A

Et fvgervnt, &c.

Et fugerunt viri Israel.] Pugna committitur in Gelboë. Ibi Israel a Deo deseritur. Iam matura erant peccata Saulis, vt eius pernicies longius differri non potuerit. Vocauerat eum Dominus antea sæpe omnibus modis: sed frustrà. Ille enim obfirmauerat animum, & audire noluit. *An ignoras,* inquit Paulus, *quòd patientia* C *Dei ad pœnitentiam te inducit? Tu autem secundum duritiem tuam, & cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei.* Hic ille dies est reuelationis iudicii Dei. Et cap. 9. idem Paulus ait, *Deus volens ostendere iram, tulit in multa patientia vasa iræ apta in interitum.* Nunc demum in Saulem effunditur ira Dei, & interitus. Fugiunt Israelitæ. Credibile est, Saulem id molestissimè tulisse. Ante enim semper solitus erat vincere. Grauius autem ferunt res aduersas, qui secundis vti consueuerunt. Fuga ista indicium erat iræ Dei. Quamobrem enim fugerent? Respondet Moyses Deuteronom. cap. 32. *Nonne quia Deus suus vendidit eos, & Dominus conclusit illos?* Idem rursum cùm alia multa populo minaretur, si à lege D Dei defecissent, hoc etiam addidit: *Vna via ibitis in hostem, & per septem vias fugietis.* At contrà, si steteritis in fœdere Domini, *vnus vestrum persequetur mille, & decem è vobis decem millia.* Miserum est imperatori, videre fugam suorum. Itaque boni duces semper dant operam, quantum maximè possunt, vt sistant, & restituant fugientes. Isti autem cum alibi caderent, alibi dilaberentur, restitui iam non potuerunt.

Fuga ex acie indiciū iræ Dei.

Et fugerunt viri Israel.] Suidas in Λυκοῦργος. Lycurgus, inquit, instituit vt ad tibiarum sonum in aciem Lacedæmonii prodirent, ignominiosam vitam morte deteriorem atque acerbiorem esse statuens, & demōstrans abolēdæ infamię eam rationem esse, si ignauus postea

Suidas.

Fuga cum infamia vitę coniuncta.

rem

Et ceciderunt, &c. rem fortiter gereret. Hoc accidit Aristodemo, qui *Trepidus* cognométo vocatus est, ob aciem ad Pylas desertam, qui deinceps ad Platæas fortiter dimicans, superioris vitæ ignominiam extinxit. Propter has leges, matres cùm filijs in bellum ituris scutum traderent, dicere solebát: ἢ τὰν, ἢ ἐπὶ τᾶς. hoc est, Vel cum scuto redeas incolumis, vel super scutum referaris exanimis. Habes item apud Stobæum Serm. 41. de Rep. solenne iuramentũ, quod Ephebi Athenis præstare solebant. *Non ignominia afficiam arma sacra, neque deseram meum astitem quocum iunctus fuero. Dimicabo pro sacris & profanis, siue solus, siue cum multis. Patriam non relinquam in deteriori statu, sed ampliori meliorique, quàm acceperim.* Semper Magistratui Præfecto prudenter obediam, & legibus constitutis parebo, atque alijs quibuscunque plebis consensu decretis. Quod si quis leges vel irritas facere, vel eis non obtemperare velit, non concedam: sed vlciscar tam solus, quàm cum pluribus. Sacra quoque patria colam. Horum dij mihi testes, & conscij sunto. Hæc apud Athenienses solennis formula sacramenti fuit.

Stobæus.

Sacramenti formula Epheborum Athenienſ.

Et ceciderunt interfecti in monte Gelboë.] Non enim facilis & expedita fuga in tanta multitudine: dum enim alij in alios incurrunt, sibi inuicem impedimento sunt. Et priores quidem ordines posteriores morantur, ne emergere ex angustijs possint; sequentes verò, dum eos qui præeunt vehementius vrgent, pariter obruti corruunt. Produnt deinde fugientes in montibus angusti calles, & plerisque locis rupes & saxa prærupta, ad quæ dum cœco impetu deferuntur, de ijsdem morituri præcipitant. Non videntur porrò diutius vi & armis decertasse, sed formidine perculsos ad primum hostis conspectum, & citra teli iactum, ingruentibus Palæstinis terga dedisse. Non enim aut corporis, aut animi robore, de hoste, præsertim qui videri non potest, triumphum reuehimus, sed Dei fauore atque clementia. Et eo quidem præsente nunquam non reportamus victoriam: sin verò à nobis pulsus ingratijs castra deseruerit, extemplò hostium furori succumbimus.

Versus II.

Irrueruntque Philisthijm in Saul, & in filios eius, & percusserunt Ionathan, & Abinadab, & Melchisua filios Saul.

Variæ translat.

I*Rrueruntque Philisthijm in Saul.*] Alij, *persequuti, assequuti sunt.* LXX. ξυνάπτουσιν, *& congrediuntur,* οἱ ἀλλόφυλοι τῷ Σαοὺλ, &c. Alius, *& inhærebant Philisthæi Saul & filijs eius.* Kimhi exponit, *Et apprehenderunt Philisthym Saul, &c.*

Irrueruntque Philisthym in Saul.]

Lento gradu ad vindictam diuina procedit ira.

Non fit, ait Solon, *quamlibet ob causam,*
Vt mortalis homo solet, Iupiter iracundus.
Cæterùm non semper latet in perpetuum, quicunque scelerosum
Pectus habet, sed omninò tandem arguitur.
Verùm hic quidem statim pœnas dat, ille in posterum. Etsi effugisse (innascerit:
Videantur aliqui, neque fatum ipsos deorum
Omninò tandem venit, atque immeriti facinora luunt
Liberi primorum autorum in posterum.
Nos verò mortales ita cogitamus: idem valet bonus & malus.
Quam sententiam vnusquisq; tam diu retinet,
Donec aliquid patiatur, tum rursus luget: antea vero
Oscitantes leui spe fouemur.

Et percusserunt, &c.

Et percusserunt Ionathan.] Hîc nobis proponuntur varia supplicia, quæ Deus inflixit hostibus suis. Alij enim occiduntur, alij fugiunt ex acie, alij relinquunt ciuitates. Sed quid sentiendum est de Ionatha? Ergone is quoque meritò pœnas dedit? S. Isidorus S. Cyrillum Alexandr. officij admonens, de Ionatha hæc habet. Terrorem mihi Scripturæ exempla incutiunt, atq; vt ea, quæ opus est, scribã, necessitate adducor. Nam siue pater sum, vt ipse ais, condemnationem Heli pertimesco, propterea quod peccantes filios non castigauit: siue, vt potius persuasũ habeo, filius tuus sum, quippe qui magni illius Marci speciem atque habitum præferas, angorem mihi ac solicitudinem affert Ionathę pœna, quia patrem Pythonissam quærentem minimè prohibuerat, ob idque ante eum, qui scelus admiserat, is qui prohibere poterat, in bello interijt. Quamobrem ne & ego condemner, & tu diuinum iudicium subeas, simultates ac dissidia comprime, &c.] Dices itaque iure cæsum videri. Nam & S. Bernardus ipse quoque in eundem seueriorem sententiam tulit, Serm. 26. in Cant. Planxit, inquit, meritò Dauid super Saul, & super Ionathã, quib. æquè absorptis semel, emersio iam non sperabatur. Et quidem resurgent, sed non ad vitam. Imò ad vitam, vt viui in morte infelicius moriantur. Quanquam, ait, de Ionatha, possit non immeritò hærere sententia.] Hactenus S. Bernardus. Cuius dubitationi impensius faueo, seu potius contrariã opinionem libentius amplector, Vener. Bedam sequutus, qui de eodem non minus verè, vt ego quidem sentio, quàm magnificè sentit. Nequaquam, inquit, Saul malus ibi post mortem, vbi Ionathas bonus potuit recipi, imo chaos magnum inter eos confirmatum est, quorum vnus in sinu est Abrahæ cum Samuele receptus, alter cum diabolo in inferni flamma sepultus.] Adstipulatur & Rabanus in cap. 20. lib. 1. Reg. Vt à perditione, inquit, inimicorum Dauid Ionathas ostenderetur immunis, quia diligebat eum secũdum legem Dei, qui etsi morte præuentus regnum terrenum cum eo, sicut sperabat, habere non potuit, absque vlla dubitatione regni cælestis consortium, cum eo quem pro virtutibus diligebat, cùm esset & ipse vir virtutum, accepit.] Hæc illi, cùm sit vterq; S. Bernardo antiquior. Apertiùs multò fauet S. Theodoretus, qui Ionathan mortuum laude dignum vocat quæst. 1. in lib. 2. Reg. Fauet & S. Ambrosius, tametsi aliquanto obscurius lib. 2. de Caïn & Abel, c. 8. Quippe de terra agens, quę sterilis ob parricidæ scelus euaserit, Iustũ, inquit, natura est impertita iudicium, ea loca in quibus erat futurũ parricidium, muneris sui dote priuando, vt ex innocentis soli quadam damnatione ostenderet

S. Isidorus Pelus. lib. 1. epist. 370.

Ionathas à nonnullis damnari videtur.

S. Bernard.

Defenditur ab alijs. Ven. Beda.

Rabanus.

S. Theodoretus.

S. Ambros.

ET PERCVSSERVNT, &c.

futura supplicia noxiora. Propter scelus igitur hominum, & ipsa elementa damnantur. Denique Dauid montibus, in quibus Ionathas cum patre interemptus est, perpetuæ pœnam sterilitatis optauit dicens: *Montes qui estis in Gelboë, neque ros, neque pluuia cadat super vos montes mortis.*] Nazianzenus quoque in Oratione 3. quam de pace habuit, cùm se diceret pacē supra mortales omnes cupere atque exosculari, & absentem luctu lacrymisque reuocare, qualibus nec olim Dauid interemptum Ionathan amicum suum defleuisset; subinde etiā memorans quam ob causam montibus, in quibus cæsus est, tam malè precatus esset, solius Ionathæ meminit. Quamobrem? quoniam vt sentire quoque videtur Ambrosius, non potuit innocentis & pij Principis cædes absque flagitio perpetrari. Saul porrò merito suo sibi mortem consciuerat.

S. Gregor. Nazianz. Orat. 14.

At Pelusiotæ præterea, dices, me mouet autoritas. Sed is de nece, non de æterna damnatione sententiam dixit. Nec si fortè, quod ait, re ipsa contigerit, vt patrem ad Pythonissam properantē Ionathas non absterruerit, videri possit propterea dignum morte facinus consciuisse. Neq; enim quisquam quod profuturum neges, irrito conatu suadere tenetur. Quid si accidat capitis periculum præterea? An fortè obscurum est quid facturus fuerit Saul in hoc tanto rerum discrimine, si filius tanquam in mari periclitanti reliquam è naufragio tabulam, quæ sola iam obmutescente Deo, spem supremam morabatur, tentaret eripere, cùm prius honesta atque vtilia monentem non tulerit, sed inter epulas penè confoderit? Lyranus itaque non dubitat Ionathan virtutis ergo salutem consequutum. Abulensis eidem defensę patrię laudem tribuit, ac pietatis meritum in eius morte commendat. Salianus denique ad ann. mundi 2979. num. 135. eundem cælo asserit: cuius ego consilium vtroque pollice laudo. Siquidem haud dubiè vir pius erat, & timens Dei, & optimo animo rem gesserat. Stetit enim generosus adolescens, fortiter pro patria, lege, atq; salute dimicans: nec cùm reliquos terga dantes cerneret, patrem deserere passus est: sed tandiu vmbone texit, donec telis sagittisque confossus occumberet. Perire, quàm officio deesse maluit. dignus planè, quem Dauid efflictìm deperiret, quem gloriosa morte sublatum elegiaco carmine celebraret, cui vitam fortuna fortunatior, si Deo ita visum esset, fortunaret, nec illum patris impietas & flagitia pessundarent. Verùm non rarò temporali vltione diuina iustitia ob patrum scelera in filios animaduertit: æterna merces, cui boni omnes præstolantur, non ea generi tribuitur, aut negatur: sed perinde vt per se quisque iustitiam ac religionem coluerit, ita illam sibi vendicabit. Nec porrò solus Ionathas, insani patris sapiens filius, proscripto parenti ad summum exitium comes præcucurrit, sed alij præterea duo filij, quos eadem Saulis calamitas pariter absumpsit. Ad quorum immortalem gloriam illud pertinere visum est, quòd non antè pater hostium telis obrui potuit, quàm ipsi è medio sublati essent. Non enim illis animus defuit, non fortis bello dextera, non Ionathæ inuicta virtus tot olim præclaris facinoribus comperta Palæstinis, sed Dei fauor defuit, quo negante, nemo victoriam consequi possit. Cæterùm vbi iam hastas à suis abijci sensit, nec posse vltrà incurrentium vim atque impetum cohiberi, nequaquam sibi manus attulit, aut vitam studuit abrumpere: sed moratus quoad potuit, exercitus periculum, pugnans oppressus est. Honorificum enim & laude dignum esse sensit, pro patria, proq; parente certantem emori.

Interpretamur doctissimū illum Pelus.

Plures è recentioribus Ionathan virtutis ergo cōmendant.

ET PERCVSSERVNT, &c.

Vel hinc apparet, eum cum Dauide contra patrem suum minimè conspirasse. Etsi alio pacto non posset, sanè hic casus declararet eius innocentiam. Mors autem ista Ionathæ non debet nos commouere. Vt enim impij, quocunque modo discedant, malè moriuntur: ita pij benè & feliciter occumbunt, quocunque mortis genere defungantur. Laudatur pulcherrima Salomonis sententia, Sap. capite 4. ver. *Iustus si morte praeoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* In Græco est, δίκαιος δὲ ἐὰν φθάσῃ τελευτῆσαι, ἐν ἀναπαύσει ἔσται, hoc est, *Si præreptus fuerit ante maturam ætatem: is, quicquid acciderit, quietem sortietur.* Ita scribitur in Apocalypsi: *A modo, requiescunt à laboribus suis.* At priuatur honore senectutis. Respondet Sapiens, senectutem non sitam esse in annorum numero. Πολιὰ δέ ἐστι φρόνησις ἀνθρώποις, καὶ ἡλικία γήρως βίος ἀκηλίδωτος. *Cani enim sunt sensus hominis*, siue, *canities est sapientia hominibus, & ætas senectutis vita immaculata. Placens Deo factus dilectus est, & viuens inter peccatores translatus est.* ἡρπάγη μὴ ἡ κακία ἀλλάξῃ σύνεσιν αὐτοῦ, ἢ δόλος ἀπατήσῃ ψυχὴν αὐτοῦ. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut dolus deciperet animam illius.* Satis diu vixit, qui & prudenter iustitiam coluit, & pietatem inconcussè seruauit. Huiusmodi vita, quacunque hora finiatur, breuis haberi non poterit, siquidem numeris omnibus perfecta, atque absoluta est. Annotat præterea, non rarò Deum optimum quemque præcoci fato rapere, ne qua libido mentem eius deprauet, & corruptelarum illecebris capiatur. Illis enim homines in fraudem acti atque occæcati plerunque turpe aliquid in se admittunt. Et quis scire potest, Ionathan, si fortè vitam diutius prorogaret, staturum fuisse in illa virtute animi & fide erga Dauidem. Fortasse parum æquis oculis, cùm maneret priuatus, Dauidem diademate coronatum spectaret. Itaque Deus, cùm eidem studeret, voluntatis eius inconstantiæ statuit anteuertere. Deinde Deus hoc exemplo disciplinam sancire voluit, vt patres diligenter sibi caueant à peccatis. Malè enim non tantùm ipsi pereunt, sed etiam liberos suos, quamuis bonos & sanctos, sæpè vnà rapiunt ad exitium. Solus Isboseth Saulis filius non occiditur: non enim erat in acie: vel quòd ineptus esset ad pugnam: vel quòd relictus esset domi, vt præesset regno, & familiæ.

Pretiosa mors Sanctorū quocunque irrumpat.

Iuuenibus, qui citò rapiūtur, præcoci morte nil deperit.

VERSVS

Pondus prælii, &c.

Versus III.

Totumque pondus prælii versum est in Saul: & consequuti sunt eum viri sagittarij, & vulneratus est vehementer à sagittarijs.

Variæ trāslationes.

Totumque pondus prælij versum est in Saul.] Pagninus, *Et aggrauatum est prælium contra Saul.* Alij, *Et inualescebat:* vel, *Et ingrauescente prælio, &c.* eodem sensu. *Et consequuti sunt eum viri sagittarij.*] Pagninus, *Et inuenerunt eum iaculatores viri cum arcu.* Nec secus Laurentij Vatablus. At Salmant. *Et deprehenderunt eum iaculatores, hi scilicet qui arcu valebant.* In Schol. Id est, telis suis appetiuerunt Saulem. Hebraïsmus, *homines cum arcu*, id est, periti artis sagittandi, certissimi sagittarij. Vel, *cum arcu*, id est, gestantes arcum. Hæc illi. An non meritò videntur à Vulgata discedere, quæ hos dixit *sagittarios?* Chaldæus, *Et inuenerunt eum iaculatores viri, artifices iaciendi in arcu.* Græcis, Οἱ ἀκοντισταὶ ἄνδρες τοξόται. *Iaculatores viri, sagittarij.* *Et vulneratus est vehementer à sagittarijs.*] *Timuitque valdè à sagittarijs.* Ita Chaldæus, Pagninus, & alij nonnulli. Munsterus, in Hebræo est, inquit, ויחל *vaiachel*, pro quo Ionathan, *Et timuit.* Est autem radix verbi חיל *chil*, siue חול *chol*, *timuit*, mœrore consternatus est. Vbi nostri perperam verterunt, *Et vulneratus est valdè.* Hæc ille: qui Vulgato interpreti perperam facit iniuriam. Nec verò nos mouere debet Nouatorum ignorantia atque temeritas, vt à veterum sententia discedamus, quorum cana est eruditio, & minimè suspecta fides. Sed nec desunt è recentioribus, qui Vulgatæ autoritatem sequantur. Nam & Arias apud Pagninum *vulneratus est* restituit, & ipse quoque Vatablus apud Salmant. pariter legit. Schindlerus in Pentagl. habet, *Et doluit à sagittarijs.* Dolor verò ad vulnus magis quàm ad metum pertinet. Septuaginta verò, qui Chaldæo Ionathæ sapientiâ, pietate, & eruditione præluxerunt, iam olim interpretati sunt, καὶ ἐτραυμάτισαν αὐτὸν εἰς τὰ ὑποχόνδρια. Complutenses vertunt, *Et vulnerauerunt eum in ilibus.* Aldus & Nobilius, καὶ ἐτραυματίσθη. *Et vulneratus est in hypochondria.* Theodotio vocat μέρος τὸ ἐγγὺς τοῦ ἥπατος, partem quæ prope iecur.

Munsteri temeritas retunditur.

Totumque pondus prælij versum est in Saul.] Saul non statim occiditur, Deus enim voluit illi tempus protrahere ad miseriam, vt videret, non tantùm milites, sed etiam filios suos interfici, & calamitati suæ superesset. Concluditur postremò vndique ab equitibus leuis armaturæ. Iam tandem intelligit, quantum Dauidis operâ indigeret. Ille enim quocunque se verteret, eò victoriam inclinare solebat. Iosephus ait, Dauidem eodem die triumphasse de Amalechitis, quo Saul in Gelboë interfectus est. Tantùm discriminis est inter pios Imperatores, & impios. Quare milites isti, qui omninò conduci volunt ad huiusmodi cædes, in primis videre debent, cui duci militare velint. At nunc audito tantùm tympano, statim sine iudicio accurritur ad signa. Nos quoque cauere debemus, ne militemus diabolo. Ille enim Oceanus quidam est mortis atque exitij. Christo potius militemus: nam in illo est certa vita. Itaque, *Ne regnet peccatum in nostro corpore mortali: sed exhibeamus nos, tanquam ex mortuis viuentes, & membra nostra arma iustitiæ Deo.* Palæstini Saulem maximè petunt, tanquam caput eius belli. Nos tamen ista paulò altius debemus considerare. Non enim tam Palæstini, quàm Deus ipse pugnauit in Saulem. *Si Deus pro nobis*, inquit Paulus, *quis contra nos?* Ita, si Deus contra nos, quis stare potest pro nobis?

Pondus prælii, &c.

Totum pondus prælij versum est in Saulem.] Cleombrotus, inquit Pausanias in Laconicis, cùm esset Spartæ Rex, inito cum Bœotijs ad Leuctram certamine, in prima acie fortiter dimicans occubuit. Et quidem hæc est, inquit, in magnis cladibus præcipua fortunæ iniuria, vt duces ipsos de medio tollat: Sicuti & Atheniensibus Hippocratem Ariphronis filium ad Delium, iisdem in Thessalia Leosthenem eripuit. Sed hoc Sauli serius accidit deleto iam ac profligato maiori ex parte exercitu: non enim primam aciem, sed mediam, aut etiam postremam ductauit. Nouerat Cyrus, inquit Xenophon Exped. Cyri Minor. lib. 1. Artaxerxem fratrem Persici exercitus mediam aciem tenere, cùm & cæteri, qui Barbaris præessent, medium semper inter suos ordines locum obtinerent: quod ita se tutiori loco esse putarent, si suorum robore vtrinque muniti essent: simulque id commodi in ea re esse, quod dimidio breuiore tempore, quæ nuntiari iussissent, ad vtramlibet partem perferri possent.

Pausanias. Ducis cædes maxima calamitas.

Reges medio agmen regebant.

In Saulem.] Ipse nimirum præ cæteris studiosius quærebatur, ipse velut scopus omnium iaculis petebatur. Neque enim antè parta victoria videri potuit, quàm dux ipse aut vitâ, aut castris exutus esset. Etsi verò deletis copijs solus cladi superesset, & incolumis ad suos euaderet, exercitum instaurare potuit, ac denuò tentare aleam: ast vbi ductor cæsus occubuit, spes simul omnis intereat necesse est. Quippe statim soluitur omnis disciplina castrorum. Siquidem perijt, qui vel præmio dignos afficiat, vel supplicio ignauos. Inde iam rarus miles circa centurionem: sed nec ipse quidem dicto satis audiens. Centurio circa tribunum infrequens, cui nec parere quisquam paratus sit, nisi ea imperet, quæ quisque magis e re sua esse iudicauerit. In quo cùm difficile sit vt plures conueniant: formido namque consilium præcipitat, & singulorum opiniones in diuersa rapit, nec vt quisquam de sententia decedat, cuiusquam autoritate adduci possit: inde adeò fit, vt priuatim quisque sibi fuga consulat, & dum palantes, & diuersi, sine duce, sine ordine huc illuc diffugiunt, hostibus prædæ sint, quorum hic totus labor est, fugaces consequi, & à tergo ferire. Haud aliter aiunt

PONDVS PRÆLII, &c. Solinus.

accipitrem, quo tempore coturnices in insulam Ortygiam illi volucrum generi optatissimam gregatim traijciunt, Ortygometræ agminis duci insidiari, & in eam singulariter inuadere; quòd nouerit si hanc iaceret, reliquum agmen in potestate sua futurum. Tanti non modò apud homines, sed etiam apud mutas animantes ducis incolumitas atque præsentia est. Nam de apibus quid loquar? quibus etsi nullus hostis negotium facessat, nec vlla de flosculis vicinioris prati controuersia eas exerceat, si tamen casus aliquis regem surripiat, extemplò perturbantur omnia, aluearia seditione feruent, labor pristinus interit, mella pereunt, ipsæ se mutuis vulneribus conficiunt, munia solita deseruntur; sicque florentissimæ quondam reipub. splendor atque felicitas momento concidit.

Exercitus cum humano corpore cóparatio.

Verùm vt ad Palæstinos nostros pedem referamus, à quibus similium quoque in alijs periculorum contemplatio nos abduxerat: Iphicrates quondam Dux Atheniensium, exercitum cum humano corpore ob similitudinem, vt aiebat, contulit. Et pectus quidem phalangem esse dicebat, manus autem leuis armaturæ milites, pedes equitatum nominabat, caput verò ducem. Quemadmodum igitur in corpore humano viuentc solet, vt vita tantisper superstes maneat, dum aut manum duntaxat amputes, aut alterum pedem ferro demetas; at si quod letale vulnus caput acceperit, statim totum emoriatur. Haud secus quoque in exercitu accidit. Nam si fortè pedes loco cesserit, aut eques fugam arripuerit, dux autem gradum sistat, exercitus minimè profligatur. At si fortè casus aliquis dum adhuc fortuna nutat, Imperatorem rapuerit, illicò desperatione & metu acies concussa ruit, & milites animis concidunt. Atque adeò istuc ipsum videri possit imago quædam eius belli, quod perpetuum cum hoste maligno gerimus: qui etsi iam pluribus iaculis nos confoderit, sensibus illuserit, mentem erroribus implicuerit, animam denique ipsam delitijs ac voluptatibus permulserit, nihil tamen hactenus se fecisse putat, donec cordis arcem expugnet, &, quod caput est operis, consensum voluntatis extorqueat.

Totum pondus prælij versum est in Saul.] Hoc explicat Amalecites libro sequenti cap. primo, versu sexto: *Currus & equites appropinquabant ei.* Currus quam stragem edant scribit Lucretius de rer. natur.

Curruũ falcatorũ maxima pernicies.

Falciferos memorant currus abscindere membra
Sæpè ita de subito, permixta cæde calentes,
Vt tremere in terra videatur ab artubus, id, quod
Decidit abscisũ, cum mẽs tamen, atq; hominis vis
Mobilitate mali non quit sentire dolorem:
Et simul in pugnæ studio quod dedita mens est,
Corpore cum reliquo pugnam cædesque petissit,
Nec tenet, amissam lauam cum tegmine sæpè
Inter equos abstraxe rotas, falcesque rapaces:
Nec cecidisse alius dextrã, cùm scandit, & instat,
Inde alius conatur adempto surgere crure,
Cum digitos agitat propter moribundus humi pes,
Et caput abscissum calido viuenteque trunco,
Seruat humi vultum vitalem, oculosq; patenteis.

ET CONSEQVVTI SVNT, &c.

A Nec minor equitum impetus, qui equorum calcibus iacentes proterunt & conculcãt. Curtius lib. 3. Tum verò similis ruinæ strages erat. Circa currum Darij iacebant nobilissimi duces, ante oculos Regis egregia morte defuncti, omnes in ora proni, sicut dimicantes procubuerãt, aduerso corpore vulneribus acceptis. Inter hos Aticies, & Romithres, & Sabaces prætor Ægypti, magnorum exercituum præfecti noscitabantur: circa eos cumulata erat peditum equitumque obscurior turba, &c.

Curtius. Strages circa Regem.

Et consequuti sunt eum viri sagittarij.] Si quando quisquam nec Deum timet, nec hominem reueretur, sed pro sua libidine sæuit in obuium quemque, hunc solemus feræ dicere similem, & aut cum leonibus & vrsis, aut cum Hyrcaniæ tygribus comparamus; quòd ea præ cæteris animalia ferociâ atque immanitate præstare
B videantur. At hoc immeritò meâ quidem sententiâ. Nam quid tandem in istis reperias, quod cum hominum crudelitate atque sæuitia conferre possis? Vt omittam cætera, ea duntaxat obiecero, quæ ex hoc loco manifestè peti possunt. Neque enim alijs quàm naturalibus armis vtuntur; vt puta vnguibus, dente, calcibus, & cornibus. At verò quot armorum genera in hostis perniciem bellator excogitauit? Deinde vt in multis feræ accusari possint, quòd homines iugulent, quòd carnes deuorent, quòd sanguinem sorbeant, certè in absentes non sæuiunt; qua in re immanes belluæ ab hominibus superantur. Nec enim restat vllum in fuga præsidium postquam, non iam à feris vrgemur, licet pernici cursu imminentibus, sed
C à sagittis, quæ procul positos eminus sauciant, & ventos præcipiti celeritate vincunt. Quanquam nec priora illa antiquæ ferocitatis instrumenta accedant ad reliqua, quæ postera ætas adinuenit. nimirum illa belli fulmina, quæ sulphure, igne, alijsque fomentis irritata, præsentissimam mortem ijs qui procul versantur, afferunt.

Homines feras sæuitiæ studio superant.

Sagittarij.] Cyrus apud Xenoph. Cyrop. li. 6. Iaculatores, inquit, post loricatos ordinabo, post iaculatores autẽ sagittarios: hos enim primos in acie quis ordinet, qui fatentur nullã posse pugnam cominus sustinere? Cùm verò loricatos habebunt ante se, manebunt: & illi iaculis, hi sagittis supra omnes ante se collocatos iaciendis, lædent hostes. Hæc Xenophon. More
D maiorum, inquit Pausanias in Messenic. Cretenses sagittarij in pedestris aciei subsidijs stabant.] Horum ferreum imbrem Ennius vocat. Et lib. Annal. 15.

Xenoph. 6. Sagittariorum locus in acie.

Vndiq; conueniunt, ait, velut imber, tela tribuno
Configunt parmam, tinnit hastilibus vmbo,
Ærato sonitu galea: sed nec pote quisquam
Vndique nitendo corpus discerpere ferro.

Ennius.

Suetonius in Iulio cap. 68. Vna, inquit, Sextæ legionis cohors præposita castello, quatuor Põpeij legiones per aliquot horas sustinuit, penè omnis confixa multitudine hostiliũ sagittarum, quarũ centum ac triginta millia intra vallum reperta sunt. Subinde verò etiam meminit Cassij Scæuæ Centurionis, qui excusso oculo, transfixus femore & humero, centum & viginti ictibus

Suetonius.

Et vvlnera-tvs est, &c. Suidas.

bus scuto perforato, custodiam portæ commissi castelli retinuit.

Et vulneratus est vehementer à sagittarijs.] Suidas in voce Ἀλαζίρνς, meminit eius nominis cuiusdam Gotthi, cuius sagittæ stridore multo, & celeritate incredibili ferebantur, adeò vt, si in lapidem, aut durum aliquid & contumax incidissent, id omne vi atque impetu dirumperetur. Romanum igitur quendam thoracatum conspicatus, de superiore loco sagittam in ipsum coniecit, & confestim ipsum virum cum thorace & scuto transfixit. De Romanis Crasso duce cum Parthis pugnantibus, Appianus libro de bello Parthico. Spasmo, inquit, & dolore circumsepti ob excitatum ingentem puluerem, vndique sagittis carpebantur, quas cùm vi educere tentarent, & mucrones, barbulasque è venis neruisque diuellere, seipsos affligentes, membra vndique traiecta lacerabant. In hunc modum intereuntibus plurimis, viuentes quoque nihil agere, aut moliri poterant. Hortante igitur Publio, vt cataphractos adorirentur, manus clypeis infixas, pedes à sagittis humi detentos ostenderunt, neque se prælio, neque fugæ amplius idoneos esse dixerunt.] An fortè horum instar Saul telis solo affixus est, ne fugam iniret, aut se tueri posset. Callicrates apud Herodotum, cùm esset Laconum Sacerdos armis præstantissimus, & sacris operam dante Pausania sedens in ordine, sagittâ per latera ictus esset, & alijs in prælium irruentibus, saucius exportaretur, morientem sese miseratus, ad Amnestum Platæensem ait: Non sibi dolere quòd pro Græciæ salute periret, sed quòd nihil manu vsus esset, nullamque operam nauasset dignam se, & eo animo quo in patriam affectus esset.

Appianus.

Herod. l 9.

Quæret forsan aliquis, quamobrem à sagittarijs obseruet esse vulneratum? Ne putares cum ijs tibi certamen esse, qui tantùm cominus ferire possent. Dæmones enim etiam eminus iaculantur: & quod mirere magis, non modò procul emissa iacula sauciant, sed etiam visa. Quid, oro te, Dauidem longo satis interuallo dissitum letali vulnere confecit? An non conspecta mulier, quam lauantem curiosius inspexit? Tu verò audes ad eas propius accedere, & inter satis bellè comptas versari? qua confidentia animi, seu potius cœcitate atque vecordia? Asphaltitem tametsi semotum flamma corripit: & tu medium ignem subiens, libidinis incendia vitabis? Appage funestissimam securitatem. Quo pacto parcat præsentibus, qui seiunctos sagittâ conficit?

Tropolog.

Versvs IV.

Dixitque Saul ad armigerum suum, Euagina gladium tuum, & percute me: ne fortè veniant incircuncisi isti, & interficiant me, illudentes mihi. Et noluit armiger eius: fuerat enim nimio terrore perterritus: arripuit itaque Saul gladium, & irruit super eum.

A Hvc tandem diuinæ legis contemptor, & sacrilegus Sacerdotum interfector euasit, vt quando sibi necessariò pereundum esset, supplicium fore leuissimum crederet, si ab ijs periretur, qui eum tueri debebant: quod vbi non impetrat, idem sibi nefariè mortem consciscit. Nec segnius quidam Palladius apud S. Gregor. Turon. Hist. Franc. lib. 4. cap. 24. cùm Episcopum suum probris atque conuitijs indignè lacerasset, in seipsum animaduertit. Iniuriam, inquit, intulerat Parthenio Episcopo, Aruernorum eiusdem loci comitatum adeptus Palladius, & coram Rege, præter Ecclesiæ rerum deprædationes, Episcopum effœminatum vocitarat. Vbi sunt, inquiebat, mariti tui, cum quibus stuprosè ac turpiter viuis? Sed hæc in Sacerdotem verba prolata, diuina confestim
B vltio subsequens aboleuit. Nam anno sequenti semotus à Comitatu Palladius, Aruernum regressus est. Vbi ille audiens à Sigiberto Rege debere interfici, falsò quidem, veruntamen ita est exterritus, vt minaretur se propriâ dexterâ interficere. Cumque à matre & suis obseruaretur, tamen accepto spatio solitudinis, euaginat gladium, cornuaque ensis pedibus calcans, acumen ad pectus erexit, impressusque desuper, gladius ab vna ingressus mamilla in spatulam dorsi regressus est: erectusque iterum similiter altera mamilla perfossus cecidit, & mortuus est: quod non sine diaboli opere perfectum scelus mirati sumus. Nam prima eum plaga interficere potuit, si non diabolus sustentaculum præbuisset, quo hæc nefanda perficeret. Currit mater exanimis, & supra filij corpusculum or-
C bata collabitur, atque omnis familia voces planctus emittit. Veruntamen ad Monasterium Dironensium delatus, sepulturæ mandatur, sed non iuxta Christianorum cadauera positus: sed nec Missarum solemnia meruit, quòd non ob aliam causam, nisi ob iniuriam Episcopi hæc ei euenisse probantur. Hactenus sanctus Gregor. Saulis porrò calamitatem cùm alij plures, tum etiam Theodoretus acceptam fert impiæ ac sacrilegæ Sacerdotum neci.

Percvte me, &c. Sacerdotij violator propria manu perit. S. Gregor. Turon.

Dixitque Saul ad armigerum suum.]

— Decebat roboris tanti virum,
Non esse sub dolore, nec victum malis
Dare terga: non est, vt putas, virtus, pater,
Timere vitam: sed malis ingentibus
Obstare, nec se vertere, ac retrò dare.

D *Percute me.*] Apud Appianum lib. Parthico, Publius Crassi filius, cùm iam manu vti non posset, sagittâ saucius, scutiferum vt se gladio conficeret, admonuit, vltróque illi latus obtulit. Eodem modo Censorinum decessisse memorant. Megabachus seipsum gladio peremit: quod genus mortis ab illustrioribus seruatum est. Antonius ibidem Parthos à tergo imminentes veritus, satellitem vnum ex libertis suis, nomine Rhamnum, ad se aduocans, sacramento adegisse dicitur, vt cùm iussisset ipse, mucrone se transfigeret, caputque reliquo corpori adimeret; ita vt nec viuus ab hostibus capi, neque mortuus dignosci posset. Mithridates quoque apud eundem De bello Mithridat. me-

Complures dum hostē timent, sibi mortē consciscunt. Appianus.

PERCVTE ME, &c. tuens ne Romanis traderetur, cùm tentata veneni vis nihil aut parum proficeret, qua duæ ante oculos eius puellæ filiæ extinctæ iacebant; Bititium quendam Celtarum Ducem intuens, Multa, inquit, ex tua in hostes dextera, & quidem præclara adeptus sum: nihil autem maius in præsenti consequi à te possum, quàm si me periculo eximas ad triumphi pompam reseruatum, tanti modò principatus Regem Imperatoremque, maximè cùm veneni vis nulla tollere possit, ob medicamentorum vim, quibus insidias veritus dudum assueui. Hæc ille. quibus permotus Bititius illacrymansque, indigenti Regi opem tulit. Hactenus Appianus. Apud

Iosephus. Iosephum Antiquitatum Iudaïcarum lib. 14. cap. 24. cùm Phasaëlus Herodis frater Parthorum proditione vinctus, Antigono deditus esset, séque neci destinatum rescisset, non tam mortem indigne ferens, quàm miserum ac turpe ducens inimici arbitratu cadere, cùm manus sibi afferre non posset, propter vincula, alliso ad saxum capite vitam abrupit: quod illi tum in tali necessitate constituto visum est honestissimum, ademptâ inimico potestate sæuiendi in se pro libidine. Iudicum cap. nono, Abimelech cùm à fœmina letale vulnus accepisset, ait ad armigerum suum: *Euagina gladium tuum, & percute me: ne fortè dicatur quod à fœmina interfectus sim.* Nec verò priuatim duntaxat viri ac mulieres, cùm in summum discrimen venissent, abrumpi sibi vitæ cursum postularunt: sed nonnullæ quandoq; vrbes, aut etiam nationes adducta in periculum libertate, voluntaria se cæde mactarunt. Vt reliqua ta-

Xenophō. ceam, narrat Xenophon lib. 4. Cyri Minor. expedit. Cùm in Armenia locum quendam quem Taoci tenebant, Græci redeuntes expugnassent: Hîc, inquit, miserabile spectaculum extitit: Fœminæ paruulos primùm filios, ac seipsas deinde de saxo præcipites mittebant, ac viri etiam idem faciebant. Quo loco Stymphalius Æneas centurio quendam conspicatus corporis ornamentis insignem, currentem vt se deijceret, quo eum à casu prohiberet, apprehendit: at ille & hunc in præceps traxit, atque ita ambo è summo saxo collapsi, vnà interierunt.

Ne veniant incircumcisi, & interficiant me.]

Martialis Martialis Epigramm. lib. 2.

Hostem cùm fugeret, se Fannius ipse peremit.
Hic rogo, non furor est, ne moriare mori?

Furor & scelus est se ipsum interimere. quinimò etiam scelus est, & quidem longè grauissimum. Idem Martial. lib. 3. de M. Antonio sibi vim afferente (nisi quis fortè de M. Tullio malit interpretari:)

Par scelus admisit Pharys Antonius armis,
Abscidit vultus ensis vterque sacros.
Antonij tamen est peior, quàm causa Photini.
Hic facinus domino præstitit, ille sibi.

Curtius Itaque prudenter Darius apud Curtium lib. 5. cùm scelere & proditione Bessi oppressus esset, Bubacem vocari iubet: quem intuens, Ite, inquit, consulite vobis, ad vltimum Regi vestro, vt decebat, fide præstita. Ego hîc legem fati mei expecto. Forsitan mireris quòd vitam non finiam: alieno scelere quàm meo mori malo.] Iosephus verò Belli Iudaïci lib. 3. cap. 14. cùm capta vrbe Iotapata, quam obsessam summis viribus defenderat, cum aliquot socijs in subterraneo specu delitesceret, & alij quidem omnes voluntaria morte deditioni præuertere statuerent, ipse nefarium leti genus exhorrescens, cùm alijs, tum his præcipuè rationibus deducere de sententia conatus est.

Verùm enimuerò, ait, quis timor nos prohibet quo minus hostium potestati nos permittamus? Nimirum mortis. Quæ quia apud hostes dubia nos atque ancipiti expectatione manet, idcirco nos metus exanimat: quamobrem igitur certa pernicie eam nobis asciscemus? Verùm, seruitutem dicet aliquis, cane peius est & angue, vitare debemus. Libertate scilicet hoc tempore admodum præclara fruimur. Esto: Viri tamen fortis est propria manu perire. Imò verò ignauissimi, quantum iudicio ac ratione consequor. Quippe & gubernatorem timidissimū semper esse duxi, qui metu procellarum ante vim turbinis naufragium occupat, & nauem vltrò submergit. Quin etiam, vt quis sua manu sibi exitium paret, à communi omnium animalium sensu ac natura abhorret; atque adeò eo pacto Creatoris summi Dei ius ac potestas scelere violatur. Nullū est animal quod sua sponte, aut ex industria in interitum ruat. Siquidem naturæ lex validissima, vt velint viuere, omnibus insita est: idcirco & qui nobis adimendum id putant, hostes ducimus: & quos remur vitæ nostræ insidiari, pœna persequimur. Deum verò indignè ferre non arbitramini, cùm donum eius homo despiciat? Ab illo enim vt essemus, primùm accepimus: rursumque vt occidere nos atque extingui iubeat, eidem permittendum est. Corpora quidem cunctis mortalia sunt, & ex caduca materia corruptioni obnoxia; anima verò perpetua immortalitate gaudet, Deique particula quædam est in corporibus collocata. Si quis ergo depositum hominis surripuerit, aut malè tractauerit, pessimus statim ac perfidiosus habetur. Qui verò Dei depositum proprio corpore exegerit, num eum quem læserit, se latere posse æstimabit? Et seruos quidem fugientes vlcisci, iustum creditur, quamuis nequam dominos fugerint: ipsi verò Deum fugientes, & optimum Deum, impiè facere non videbimur? An ignoratis, quòd eorum, qui lege naturæ vitâ exeunt, acceptumque Deo debitum soluunt, cùm id qui dedit, recipere voluerit, perpetua laus, domusque, ac familia, firmæ stabilesque permaneant? Puræ autem animæ, & quæ dicto audientes stationem non deserunt, locum in cælo sanctissimum sortiuntur: atque inde rursum voluentibus seculis casta corpora iubentur incolere. Quorum verò Tu ipse stare ad μακρο-χρονον, an potius resurrectionē corporis referre velis. manus in seipsos insanierunt, eorum animas tenebrosior Orcus deuorat. Pater autem illorum Deus autores iniuriæ per nepotes vlciscitur. Quapropter & Deus hoc facinus auersatur, & sapientissimus legis nostræ conditor in idem seuerè animaduertit. Denique si qui se occiderint, apud nos quidem vsque ad Solis occasum insepultos abijci decretum est, cùm etiam hostes sepeliri fas esse ducamus: apud alios autem & dextræ iubentur abscindi, quæ in

ILLVDENTES MIHI.

in propria corpora sæuierunt: quoniam vt corpus ab anima, ita manum esse à corpore alienam existimarent. Pulchrum est igitur, ô socij, iusta sentire, neque humanis cladibus addere, vt creatorem omnium impietate lædamus. Hactenus Iosephus. qui tamen tum nihil obtinuit, nec homines iam mori certos à proposito deterruit. An forte decantatæ veterum fabulæ fidem habuerunt, qui beatos vita functos esse prædicabant? Μακαρίτας, inquit Suidas, τοὺς τεθνεῶτας εὐφήμως, dicunt mortuos tanquam bene ominantes; quod defuncti beati sint, quia nullum malum amplius sentiunt. Dorienses quidam eos vocant ζαμαείτας, vt melioris maiorísque partis iam compotes factos. Nam particula ζα in compositione vim intendentis habet, & pro magno ponitur. Μακαρία, θυγάτηρ τοῦ ᾅδου. Felicitas enim siue beatitudo Plutonis filia credita est. Hinc illud prouerbium, βάλλ' ἐς μακαρίαν. Da, vel abi in Macariam. Κατ' εὐφημισμόν, per bonam ominationem; quia & mortui creduntur beati. Sed hæc falsa opinio nonnullos veterum fefellit. Reuera autem perinde vt quisque vitam instituerit, ita & post mortem aut virtutis præmia feret, aut flagitiorum pœnas dabit.

Suidas. Olim mortui apud Ethnicos beati habiti.

Illudentes mihi.] Hoc enim morte ipsa grauius atque acerbius fore visum est. Inter moras, inquit Suetonius, perlatos à cursore Phaontis codicillos præripuit Nero, legitque se hostem à senatu iudicatum, & quæri, vt puniatur more maiorum. Interrogauitque quale esset id genus pœnæ. Et cùm comperisset nudi hominis ceruicem inseri furcæ, corpus virgis ad necem cædi: conterritus, duos pugiones, quos secum tulerat, arripuit: tentatáque vtriusque acie vbi equites appropinquare sensit, quibus præceptum erat vt viuum eum attraherent, ferrum iugulo adegit iuuante Epaphrodito à libellis. Sic ille pœnæ formidine mortem occupauit. At Surena apud Appianum cum esset ductor Parthorum exercitus, & Crassi copias profligasset, ne mortuo quidem pepercit, quin eundem præter æquum & morem illuderet. Quippe qui tametsi caput dextrámque Crassi Orodi regi misisset, in Seleuciam tamen præmissis nuncijs Crassum captiuum duci, ridiculam pompam commentus est, per contumeliam triumphum agens. Nam captiuorum gratissimus Crasso Caius, vestem regiæ mulieris indutus, & pro Crasso iussus respondere, cùm Imperator vocaretur, equo insidebat: ante ipsum verò tibicines ac lictores camelis vehebantur, quorum virgis sacculi pendentes inerant, iuxta secures abscissa Romanorum capita, post hos Seleucides incedebant, cantoré s que, qui scurrilia plura & risu digna referentes, mollitiem Crassi, & ignauiam eius decantarent. Et hæc quidem omnibus conspicua erant. Seleucidarum verò seniores in vnum congregans Aristides, Milesiorum impudicos codices protulit: qui Surenæ contumeliarum materiam in Romanos suppeditarūt, &c.] Valerianum Romanor. Imperatorem Sapor cùm cepisset, vt vili atque abiecto mancipio abusus est. Nam quandiu vixit, idem incur-

Sueton. in Nerone, cap. 49.

Captis hostibus non pauci illuserunt, nō nulli etiam mortuis.

Appianus lib. Parthico.

Victor in Epitome.

A uato eo pedem ceruicibus eius imponens, equum ascendere solitus erat. Palæstini cùm primùm Samsonem oculis orbatum in pistrinum dedissent, subinde etiam prodire in theatrum & saltare iusserunt, & epulantibus ludibrio esse. Romanorum ducum triumphi quanto maiorem victoribus laudem & gloriam parere visi sunt, tanto maiore dedecore atq; ignominia hostes post tergum vinctos affecerunt; ita vt non pauci illi pompæ voluntaria nece subducere sese tentarint. Vtique qui prius occubuissent morti, beatos illos habuerunt. Inde est illud Hecubæ apud Senecam in Troade act. 1. in Choro:

Alio lacrymas flectite vestras,
Non est Priami miseranda mei
Mors, Iliades: felix Priamus,
B *Dicite cunctæ. Liber manes*
Vadit ad imos, nec feret vnquam
Victa Graium ceruice iugum.
Non ille duos vidit Atridas,
Nec fallacem cernit Vlyssem.
Non Argolici præda triumphi
Subiecta feret colla trophæis.
Non assuetas ad sceptra manus
Post terga dabit, currúsque sequens
Agamemnonios aurea dextra
Vincula gestans, latis fiet
Pompa Mycenis.

Seneca.

Nec verò soli Ethnici ita senserunt: quinimò & Razias lib. 2. Machab. cap. 14 *Gladio se petiit eligens*, ait Scriptura, *nobiliter mori potius, quàm subditus fieri peccatoribus, & contra natales suos indignis iniurijs agi.* Sunt enim, quorum C crudelitas hostium cruciatu expleri non possit: risum exaggeranda ignominia captant, faciendis contumelijs delectantur. Seneca lib. 3. Natur. quæst. cap 17. & 18. sui temporis luxuriam castigans, habet nescio quid simile de mullo, quo inter pocula & epulas expirante conuiuæ olim delectati sunt. Non sunt, inquit, ad popinam, dentibus, & ventre, & ore contenti, oculis quoque gulosi. Vitreis ollis inclusi mulli offeruntur, & obseruatur morientium color, quem in multas mutationes mors luctante spiritu vertit. Ipsa colluctatione animam efficienti rubor primùm, deinde pallor suffunditur, squamæque variantur, & incerta facies inter vitam & mortem coloris est. Illa quondam audiebamus. Nihil esse melius saxatili mullo. At nunc audimus. Nihil est morien- D te formosius. Da mihi in manus vas vitreum in quo exultet, in quo trepidet: vbi multum diuque laudatus ex illo perlucido viuario extrahitur. Tunc vt quisque peritior est monstrat. Vide quomodo exarserit rubor, omni acrior minio. Vide quas per latera venas agat. Ecce sanguineum putes ventrem, quàm lucidum quiddam ceruleúmque sub ipso tempore effulsit. Iam porrigitur & pallet, & in vnum colorem componitur. Hactenus Seneca. Sunt quoque suæ catto deliciæ dum captum murem ludit & exagitat. Sed nullum animal homine immanius voluptatem sectatur dum hostem excruciat.

Seneca in luxum sæuitiæ mixtum inuehitur.

Nihil mullo moriente formosius.

Et noluit armiger eius.] Atqui laudatur Phi-

ILLVDENTES MIHI.

ET NOLVIT ARMIGER EIVS.

Val. Maximus lib. 6.

locrates, qui C. Gracchum dominum suum ne in hostium potestatem veniret, orantem peremit. Laudatur & Pindarus C. Cassij libertus, qui eundem Philippensi prælio victum, iussu ipsius obtruncatum, insultationibus hostium subtraxit. Celebratur & quidam C. Marij seruus, qui vt herum Syllanæ crudelitatis expertem faceret, gladio traiectũ interemit. Cluentium denique Pelignum Italicensem, comprehensum à cohortibus suis, ne Pompeio traderetur, seruus eius occidit, & laudem ab historicis consequutus est. Verum illud quidem est. Sed illi cùm essent veræ lucis expertes, scelus pietatis nomine decorarunt. Itaque Gaileno equiti Franco, vt Aymoinus autor est, longè secus accidit. Cùm enim is Merouẽũ posteriorem Chilperici Suessionum regis filium è cœnobio, in quod coniectus fuerat, inuito patre elapsum, ac mortis cupidum gladio iussus traiecisset, postea in omnium odium incurrit, ac lenta morte truncis manibus pedibúsque, ac naribus fœdissimo vulnere disperijt. Hadrianus autem Imperator quum diuturni morbi impatientia (nam aqua intercute laborabat) mortem optaret, venenum aut gladium, tametsi pecuniam & securitatem pollicens, à nemine impetrauit. Postremò Mastorem quendam, barbarum hominem, Iazygem genere accersi iubet: deinde eidem locum sub mamma ab Hermogene medico commonstratum designat, pigmentóque circumscribit, vt secundum eum locum accepto mortifero vulnere, minore suo dolore moreretur. Sed is quoque sceleris magnitudine perterritus aufugit. Sunt qui putent Seuerianum, cùm is iussu Hadriani innocens periret, hoc summis precibus à Numine impetrasse, ne, cùm maximè vellet, extingui posset. Domitianus denique Epaphroditum capitali sententia damnauit, quòd Neronem sibi manus afferentem opera sua iuuisse diceretur; vt refert Suetonius in Domitiano cap. 14. Dauid Amalecitam libri seq. primo capite neci dedit, quòd diceret, tametsi falsò, in Saulem orantem quò citius mortem obiret, & eundem hostium libidini eriperet, incubuisse. Nam quo iure seruus dominum cædat? quia nocens. At autoritate opus est. Quia iubet. At nemo capitalem in seipsum fert sententiam. Superioris imperij ea potestas. Principi in alios non in seipsum iurisdictio mandatur. Dei est, qui regem cæteris suo nomine præesse voluit, si quid perperam egerit aut deliquerit, in eiusdem flagitia animaduertere. *Tu quis es qui iudicas alienum seruum? Domino suo stat, aut cadit.* Quid si stare eum decreuerit? quid si hoc aut illo cadere modo? *An non licet mihi*, inquit, *facere quod volo?* Liberam in reges iudicandi potestatem Deo permitte.

Nefarium scelus Ethnici virtutis laudibus honestarunt.

Aymoinus lib. 3. c. 20. ann. 582.

Cassius in Hadriano lib. 69.

Capitis dãnati, qui mori volẽtes iuuissent.

A B C D

Fuerat enim nimio terrore perterritus.] Solius Iunius legit, *Reuerebatur enim eum valdè.* Quàm prudenter, lectoris esto iudicium.

Arripuit Saul gladium, & irruit super eum.] Paulò antè diximus, Hermogenem medicum Hadrianum Imper. locum sub mamma docuisse, per quem confossus leuissimo doloris sensu periret. Panthea, Abradatæ vxor, viri desiderio quem in acie amiserat, acinace seipsam peremit, & imposito capite super viri pectore, mortua est. Ita Xenophon Cyropæd. lib. 7. Ense autem adeò strenuè pectus transfixit, vt ne gemitum quidem in vulnere emiserit, ait Philostratus Iconum lib. 2. in Panthia.

ARRIPVIT SAVL GLADIVM Xenophõ.

VERSVS V.

Quod cùm vidisset armiger eius, videlicet quod mortuus esset Saul, irruit etiam ipse super gladium suum, & mortuus est cum eo.

Saul ergo ipse sibi mortem consciuit. Atqui Hebræorum alij seipsum interfecisse negant, alij, tametsi sibi vim attulerit, peccasse tamen inficiantur. Iosephus ait, Saulem, cùm egregiam nauasset operam, & multos ex hostibus sua manu confodisset, videret autem spei nihil superesse, voluisse se recipere in locum aliquem tutiorem: sed interceptum ab hostibus, & vulneratum sagitta, non potuisse effugere. Addit deinde Iosephus, interuenisse seruum Amalechitam, & Saulem occidisse. At id Scripturæ non tradunt. Imò eum aiunt seipsum interfecisse. Tentasse quidem plerique volunt, & in subiectum ensis mucronem se dedisse præcipitem: sed in alteram partem casso impetu deflexisse Iosephus ait; Rab. Leui à lorica repercussum, ne in viscera adigeretur. Itaque reuera Amalecitæ opera corporis vinculis absolutum esse, quod statim initio seq. lib. narratur. Vt hoc ita demus contigisse, nequaquam tamen illum è reis exemerim. Suo enim iussu atque imperio, si Amalecitæ fidem habemus, necatus est. Sed ne illud quidem plerique concedunt, cùm manifestè ex ipsius Scripturæ verbis colligi videatur, Amalecitam commentitiam fabulam in suam perniciem adornasse. Nam quod Leui ait loricam impedimento fuisse, ne impactus ensis viscera traijceret, nullo negotio refellitur: potuit enim locum eligere, aut etiam patefacere qua parte transfigi posset. Amalechita autem mendacij arguitur, qui hasta confossum memorat, cùm prius Scriptura teste in proprium ensem incubuisset. Factum ais, cùm denuò vulnus repeteret. Cur enim hasta perire mallet quàm gladio? Nam eo pacto lenta magis, ac proinde etiam acerbior mors futura erat. Deinde, vt in machæram irruit, statim occidisse fertur. Fertur & armiger eius simili fato concidisse. Num huic Amalechita quispiam pariter expectandus fuit, qui seminecem trucidaret. Vtrique vnà cum eo, & quidem instar Domini sui, scribitur interijsse. Vidit armiger dominum suum ante oculos suos violenta perinde ac voluntaria morte sublatum: quem extemplò æmulatus, se quoque gladio periit. Amalechitam non vidit, cui fodiendum latus, aut amputandas ceruices offerret.

Iosephus.

Saul seipsũ sua manu peremit.

His rationibus victi plerique eorum manus dant, & propria manu fatentur extinctum: negant

IRRVIT ETIAM, &c.

Sententia R. Kimhi & aliquot aliorum Hebræorum Hebræor. argum. refelluntur.

negant tamen idcirco dextram scelere polluisse. Sunt autem hæc ferè argumenta, quibus eius innocentiam tuentur. Aiunt enim eo pacto Deo morem gerere voluisse. Nam cùm sciret se certò moriturum, fugæ præsidio vti noluit, nec in arcem aliquam se recepit, sed fortiter ad castra rediit, & nulla in parte officio defuit, sibi ipsi mortem, quam Deus decreuerat, & per Samuelem edixerat, consciscens. Atqui hoc nusquam Deum statuisse leges, & per seipsum sibi vitam eriperet. Habuisse aiunt rationem ipsius Numinis, cuius ipse vicariam in terris potestatem exerceret: cui si graues imponerentur contumeliæ, iniuria in autorem regni redundaret. Quinimo hoc maxime ad illustrandam diuinam iustitiam pertinet, si sontes digno supplicio plectantur. Religionis studio fecisse, ne ea in captiuo principe traduceretur. Respondeo, si quæ meritus erat ludibria & cruciatus patienter tulisset, eam laudem ad religionis commendationem spectare potuisse: desperatione ac metu nullum cuiquam decus & gloriam quæri. Negant euadere potuisse: itaq; facinus, quod futurum erat, occupare ante potuisse. Ineptissima planè ratiocinatio est. Non enim quia quisquam scelus admissurus sit, idcirco iure idem anticipes. Nam quo pacto deprauatum aliorum studium nostra flagitia corrigat? Innocentia cuiusque non alienâ malitiâ, sed rebus ipsius gestis expenditur. Itaque Dauid hanc Amalechitæ satisfactionem postea accipere noluit, sed regis interemptorem, tametsi ille diutius vitam prorogare non posset, & hostium sæuitiam atque insolentiam metuens optaret interimi, capite damnauit.

Irruit etiam ipse super gladiũ suũ.] Angelomus, armigerum istum, inquit, Hebræi Doeg Idumæum dicunt fuisse, qui cernens Saul mortuum, seipsum ob metum Dauid interemit. Hæc ille. Fides esto penes autores.

Curtius.

Et mortuus est cum eo.] Curtius lib. 4. Curru Darius, Alexander equo vehebatur: vtrumque regem delecti tuebantur, sui immemores: quippe amisso rege nec volebant salui esse, nec poterant.] Philocrates & Pindarus, quorum nos antea meminimus, quum Gracchο & Cassio ferales dextras commodassent, subinde etiam vltrò animam per vim posuerunt. Tacitus in eo libro quem scripsit de moribus Germanor. Infame ducunt, inquit, in omnem vitam ac probrosum, superstitem principi suo ex acie recessisse. Illum defendere, tueri, sua quoque fortia facta gloriæ eius assignare præcipuum Sacramentum est.] Exemplum eius fidei ac constantiæ habes apud Amm. Marcell. lib. 16. Nam postquam Chonodomarius victus Iuliano se dedidisset, comites, inquit, eius ducenti numero, & tres amici iunctissimi, flagitium arbitrati post regem viuere, vel pro rege non mori, si ita tulerit casus, tradidere se vinciendos. Hactenus Ammianus. De Soldurijs Cæsar lib. 3. de bello Gallico, quorum hæc fuit conditio, vt omnibus in vita commodis vnà cum his fruantur, quorum amicitiæ se dediderint. Si quid ijs per vim accidat, aut eundem casum vnà cum illis ferant, aut sibi

Plerisque turpe habitum non simul cum Rege mori. Tacitus.

Amm Marcell.

Soldurij qui fuerint. Cæsar.

A mortem consciscant. Hoc genus amicitiæ Græci συναποθνήσκοντας vocant. Celtiberi etiam nefas esse ducebant prælio superesse, cùm is occidisset, pro cuius salute Spiritum deuouerant. Valer. Max. lib. 2. cap. 1. Hic porrò non lege aliqua, aut gentis consuetudine; sed heri sui exemplo prouocatus, & maioris pœnæ formidine in mortem ruit, quem ne hactenus quidem furoris ac dementiæ suæ pœnitet.

ET MORTVVS EST CVM EO.

VERSVS VI.

Mortuus est ergo Saul, & tres filii eius, & armiger illius, & vniuersi viri eius in die illa pariter.

B B. Petrus Damianus ijs literis, quas ad Agnetem Imperatricem dedit, cùm eandem studeret à terrenarum rerum studio ad cælestium contemplationem traducere, breuiter & summatim ostendit, plerosque olim Imperatores violenta morte perijsse. Galba, inquit, Romanus Imperator quatuor tantummodo mensibus imperauit, & in Romæ foro gladio percussus, occubuit. Taceo Neronem, prætereo Ottonem, quos à semetipsis interfectos, Romanæ Reipubl. testantur historiæ. Nonne Vitellius interemptus est à ducibus Vespasiani? Nonne & Pertinax occisus est à militibus Prætorianis? Macrinus, Antoninus, Alexander, Philippus, Gallienus, Probus, nonne omnes
C hi Imperatores militaris impetus gladios pertulerunt? Domitianus præterea suorum coniuratione confossus est; Carus, dum castra supra Tygridem haberet, cælesti fulmine repente peremptus est. Sed qui vult plenius nosse, seriatim Romanæ antiquitatis percurrat historias, ibique liquidò videbit, quàm pauci Reipub. Principes communi morte defecerint. Nam & Gordianus, & Philippus, Decius, Gallus, Volusianus, Gallienus, Quinctillus, Aurelianus, Numerianus, Licinius, Constans, Constantinus iunior, Iulianus Apostata, Valens, Grarianus, Valentinianus iunior, Ioannes, Valentinianus tertius, Maiorianus, Anthemius, Nepos, omnes isti Romani Imperij rectores, nonne vel in otio seditiosa sunt suo-
D rum fraude necati, vel in procinctu hostilibus perierunt gladijs interempti? Meminit deinde & Valeriani, ac Iulij Cæsaris, quorum alter apud Persas ignobili seruitute consenuit, alter in ipso senatu triginta vulneribus cōfossus est. Agathias Valerianum pelle nudatum scribit lib. 4. Addere potuit & Augustum, cui venenatas ficos sua Liuia porrexit, vt cunctantem in sene animam citius educeret. Addere potuit & Tiberium, quem insidijs Caligulæ extinctum ferunt. Caligulam ipsum, & successorem eius Claudium, quem vxor veneno sustulit. Titum & Getam fratres sui; Septimium Seuerum filius; Commodum Martia pellex, quà veneno, quà ferro trucidarunt. Heliogabalum libidine, Maximinum sæuitia furentes, milites

B. Petr Damian. lib 7. epist. j.

Plerique Imperatores violenta morte sublati.

MORTVVS EST SAVL &c.

necarunt. Aurelianus fraude serui interijt. Didius Iulianus extenta damnatorum modo ceruice decollatus est. Florianus incisis à seipso venis, effuso sanguine consumptus. Diocletianus suspectans necem dedecorosam, venenum dicitur hausisse. Hi ferè ante Constantinum ita extincti sunt. Cuius temporis si reliquos numeres, quàm pauci apparebunt? Cùm ergo, inquit Damianus, fallax huius mundi felicitas tot mundi calamitatibus sit obnoxia, cùm potentia temporalis tot casibus varianda subiaceat, & rerum ordo sese velut scenicæ vertiginis alternitate confundat, quis sanæ mentis à rebus tam friuolis, támque fugacibus animum non auertat?

Mortuus est Saul.] Φθορὰ, διαφθορὰ, καὶ καταφθορὰ, non paruo inter se discrimine differunt. Nam φθορὰ quidem, id est, corruptio, inquit Suidas, est σωμάτων νέκρωσις, καὶ ἀκινησία τῶν ὀργάνων τοῦ σώματος, corporum mortificatio, & immobilitas instrumentorum corporis, animâ ab hoc separatâ. Διαφθορὰ verò, id est interitus, διάχυσις σώματος, καὶ παντελὴς ἀφανισμὸς, καὶ σκωλήκων καταβρῶμα, diffusio corporis, & vniuersè deletio, & vermium esca. Καταφθορὰ verò, id est interneccio, ὁ αἰώνιος θάνατος, est ipsa mors æterna. Ἢ παρανομίαι, καὶ παραβάσεις, καὶ ἁμαρτίαι. Vel iniquitates, & transgressiones, peccata, scelera, & omnia, quæ contra leges dicuntur, aut fiunt. Vt illud, *Populus in suis peccatis perijt.* Hactenus Suidas. Et quidem hoc postremo mortis genere dudum Saul interierat, cùm innocēti viro strueret insidias: at nunc etiam postquam seipsum ense confecit, corpore pariter & anima mortuus est.

Suidas. Mortis plura sympto mata.

Et tres filij eius.] Angelomus: hi tres filij Saul cum eo interfecti sunt, Ionathas, Abinadab qui & Iesui, & Melchisua. Isboseth autem domi erat, qui anno quo Saul rex constitutus est, natus fuisse dicitur, qui etiam quadraginta annorum fuisse legitur cùm regnare cœpisset: Vnde colligitur Saul xl. annis regnasse. Quærendum cur alibi legatur Iesui, & alibi Abinadab: Iesui enim interpretatur *æqualis*. Æqualis ideo dicitur, quia æqualis meriti fuisse cum patre filij memorantur. Abinadab interpretatur. *Pater meus sponte*: Sponte etenim sua pater eius Saul malè agendo adquisiuit, vt taliter vnà cum filijs perimeretur. Hactenus Angelomus.

Angelomus.

Et vniuersi viri eius.] Idem Angelomus, Viri, inquit, isti, pueri domestici eius intelligendi sunt.] Esto: pars tamen exercitus maxima eadem clade deleta est. Quid porrò æquitati magis consentaneū dici potuit, quàm vt qui prius ministri scelerum fuerant, etiam supplicij postea fierent participes? Ergo vna eadémque ruina simul omnes oppressit. Saul quidem fuerat totius maleficij caput, malorum incentor, & flagitiorum artifex: Deinde filij eius, quos si crimine placet absolui, dices parentem prolis interitu punitum fuisse: cuius vt sensum calamitatis animo perciperet, postremus ad pœnam venit. Subinde etiam ius armiger: qui, si fortè Doeg fuerit, vt Hebræi sentiunt, quis doleat, aut immeritas putet sacrilegum pœnas

Scelerū ministri fiunt supplicij participes

ET VNIVERSI VIRI EIVS, &c.

A dedidisse? qui vt regis iniquo odio obsequeretur, innocentem prodidit: & cùm cæteri satellites imperati facinoris horrore attoniti, regis imperium detrectarent, solus cœsis Sacerdotibus sacratum Deo sanguinem fundere ausus est: non alia dignus perire dextera quàm sua, vt pote quam Sacerdotum sacro cruore bipedum nequissimus ad omne facinus consecrarat. Postremò quicunque nequitiæ regis fauerant, horribili strage editâ pariter cum eo necati sunt. Nec quicquam Saulem iuuit tam diutino se macerasse labore quo Dauidem perderet, & hæreditarium regnum suis posteris assereret, quum illi antè occubuerint, quàm per illum infelicissima sorte ereptū, superstites filij ad regni gubernacula admoueri possent. O spes mortalium fallaces! quos postquam inanis quædam imago optatæ felicitatis illuserit, B ante dira mors occupat quàm votis potiantur. Et quidem splendor ipse pristinæ dignitatis statim euanescit: at hæret æternûm inusta veteris iniustitiæ macula, quam nulla delere possit obliuio; quæ miseram animam omni præsidio nudatam, ream Dei iudicio sistit; cui nihil præter culpam ex celebris fortunæ naufragio relinquitur, ob quam sempiternus eam manet interitus.

Tandem itaque scelus digno supplicio vindicatum est, & Dea Nemesis obtinuit, Numen, inquit Pomponius Lætus in Compend. Rom. Histor. quo qui ex malefactis delinquebant, puniebantur. Hæc Nemesis, quam plerique existimauere esse vim fortunæ, alij filiam iustitiæ, alij vim quandam esse inter cœlestes C discurrentem, quæ prima rerum semina, fatorum & fortium vires temperat atque emendat, rebus humanis trutinam adhibens, è cœlóque terrena despectans, nocentes punit, bonis præmia largitur: & cùm sit velocissima, quia diu non permittit impios præesse atque grassari, alata fingitur à veteribus, & eius pedibus supponitur rota, cùm citissimè discurrat. Sed tandem multitudine scelerum indignata, oculos iamdiu ab rebus humanis auertit: & cum genitrice in remotiore parte cœli, vltra terrarum regiones non reditura, renascentem expectat vrbem. Hæc Pomponius ex sententia Gentilium, quibus vltrix Dei iustitia suis ad viuum coloribus depingitur: quam tamen deseruisse terras, & sanctos improborum libidi- D ni permisisse, nequaquam verum est: sed serior ad pœnam venit, quò malis resipiscendi spatium tribuat. Nam si continuò vt quisque lapsus est, vlcisci properet, supplicijs vniuersum genus hominum interiret. Fert itaque scelera nostra lentius, nec peccantem confestim obruit. Quod si quis eius patientiæ beneficio ad cumulanda scelera contumacius abutatur, in hunc edere seueritatis suæ exemplum solet. Hanc reginam causarum Ammianus vocat, & arbitram rerum: Hæc, inquit, disceptatrix vrnam sortium temperat, accidentium vices alternans, eadémque necessitatis insolubili retinaculo mortalitatis vinciens fastus tumentes incassum, & incrementorum detrimentorúmque momenta versans, vt nouit, nunc erectas

Iustitia diuina scelerum vltrix.

Pompon. Lætus.

Ammian. Marcell.

Et vniversi, &c.

erectas mentium ceruices opprimit & eneruat: nunc bonos ab imo suscitans extollit, &c.

Mors Romana Lud. Aurel.

Arripuit Saul gladium, & irruit super eum.] Ludouicus Aurel. in lib. 5. Annal. Taciti, *Romana mors* dicitur. Quod Martialis ostendit lib. 1. epigr. 79. quem corrigo. leges apud eum. Quæ ad Saulem pertinent hæc sunt:

Martialis.

Nec tamen obscuro pia polluit ora veneno,
Aut torsit lenta tristia fata fame;
Sanctam Romana *vitam sed* morte *peregit,*
Dimisitque animam nobiliore rogo.

Dixit *nobiliore rogo*. Quamquam nemo nobilis qui præ impotentia & impatientia sibi lethum ciet. Nam pati satius & gloriosius quàm sua manu cadere. Qui desperat, Deum exasperat, nec bonum credit. At qui patitur, patiendo clementiæ Dei innititur. Vtque iniussus miles stationem non deserit; sic nec bonus vir vitam. Apud Paganos *vetant* leges Iouis, ait Poëta: apud Christianos, leges Christi. Sed & illud habet præclarum à Iosippo Gorionis filio, lib. 1. cap. 9. Stationem deserere antequam dux imperet, nefas. Deus est, qui dat & reposcit animas. Eius est claudere cuius aperire. Abraham pater est viuentium. Quis viuet cum Abrahamo, si cum Abrahamo non moritur? & ad formam Abraham? Mors grande bonum Sed huius Boni datio ad Deum tantum pertinet. Itaque qui ex Iudæis sibi manus inferebant, manibus amputabantur, sepultura viduabantur, Saulis imitatores erant desperati & inuisi. Denique concludit: Veniens non vocatus ad Regem, reprehenditur, & est veritas mera, & digna homine Deum timente. Hactenus apud Aurelium.

Vitæ stationem iniussu Dei deserere non licet. Iosippus.

Sed nunc postquam historiam ipsam interpretatione nostra vtcunque illustrauimus, operæpretium facturi videmur, si quæstionem illam nostro tempore non parum necessariam, quando eius generis non pauca exempla suppetunt, diligentius excutiamus.

An quemquam sibi manus afferre liceat, seu sponte mortem consciscere?

QVÆSTIO CXL.

NE lectorem diutius protraham, primùm dico, mortem sua natura malam esse. Deus enim nobis minatur, & infligit, vt pœnam. Deinde opponitur vitæ, quam non dubitamus esse bonam. Et Paulus 1. ad Corinth. cap. 15. ver. 26. Mortem appellas *hostem Dei*. Ἔσχατος ἐχθρὸς καταργεῖται ὁ θάνατος, *vltimus inimicus abolebitur mors.* Siue vt Vulgat. legit, *Nouissima autem inimica destruetur mors.* Possem idem alijs rationibus probare si esset opus. Nunc autem hoc tantum quæro, Si mors sit mala, quomodo interdum expetatur? Nihil enim expeti potest, quod non habeat aliquam rationem boni.

Sed dices eam tum habere rationem aliquam boni, cùm homines per eam liberantur à grauibus malis, quæ putent se aut non posse ferre, aut grauissime laboraturos in eis perferendis: vel cùm per eam eximium quoddam assequûtur bonum. Vnde etsi liqueat interdum ob alterutrum istorum fas esse mortem optare, adhuc tamen ambigitur, an horum gratia sibi necem parare liceat. Nunc ille mihi nodus soluendus proponitur. Nihil autem hoc tempore de illis agam, qui morbi aliqua vi, quæ menti tenebras offundat, & rationis lucem eripiat, seipsos temerè necant. Tametsi enim hi quoque fortè damnari possint propter ea scelera quæ sani prudentésque commiserunt, tamen postquam incáutos ea pestis in exitium egit præcipites, misericordia magis quam supplicio digni sunt: non enim sua deinceps sponte furunt, aut habent liberam rerum electionem, quemadmodum scribitur *15. q. 2. cap. Insanientes.* Sed neque de iis disputabo, qui casu, vel aliud agentes in interitum ruunt præter animi sententiam. Vtemur autem hac propositione:

Propter alterutrum illorum quæ proposuimus, nemo nisi sceleratè sibi vitam eripiat.

Id probo ex lege Dei, illa, inquam, lege, quæ lata est multò antequam Moses nasceretur. Nam in 9. cap. Genes. statim à diluuio Deus ita loquitur: *Requiram sanguinem vestrum de animabus vestris, de manu hominis, de manu proximi, & de manu bestiarum. De manibus*, inquit, *vestris*: hoc est, si quis seipsum occiderit. Vulgatus legit: *Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum: & de manu hominis, de manu viri & fratris eius, requiram animam hominis.* Pagninus, *Et profectò sanguinem vestrum animarũ vestrarum requiram.* Hebr. לְנַפְשֹׁתֵיכֶם *lenaphscotechem.* Arias, *animabus vestris.* Qui etiam potuit ex vsu eiusdem linguæ interpretari *in animabus vestris*, vel *super animabus vestris*, aut denique quod nonnulli asserunt, *de animabus vestris.* Quidam ita vertendum censent: *animarum vestrarum periculo sanguinem vestrum requiram*, si quid temerè in vosipsos deliqueritis. Nam ל *lamed* affixum maximè pronominibus, actionis commodum incommodumúe designat. Sequitur וּמִיַּד הָאָדָם מִיַּד אִישׁ אָחִיו *oumiiad haadam miiad isc achiu. Et de manu hominis, de manu viri fratris eius.* quo loco videtur *manum hominis*, à *manu fratris sui* secernere. Quæ autem illa possit esse, nisi quis ipse sibi manum attulerit? Hebræi certè verba illa *Sanguinem vestrum animarum vestrarum*, vt autor est Fagius in Onkelum, interpretantur de eo, qui sibi ipsi mortem consciscit.

Nefas sibi mortem cõsciscere.

Probatur dicta lege Noe tradita.

In lege autem Mosis ita sancitur, *Non occides.* Id autem pronunciatur in vniuersum, non tantum ne alium, sed ne teipsum quidem interficias. Præsertim, ait S. Augustinus, quia non addidit, proximum tuum: sicut falsum testimonium cùm vetaret: *Falsum*, inquit, *testimonium non dices aduersus proximum tuum.* Deinde ratiocinatur ad hunc modum. Nec ideo tamen si aduersus seipsum quisquam falsum testimonium dixerit, ab hoc crimine se puta-

Prob. lege Mosaica.

S. August. lib. 1. de Ciuit. Dei, cap. 2.

SAVL MORTVVS EST, &c.

uerit alienum, &c. Porrò si falsi testimonij non minus reus, qui de seipso falsum fatetur, quàm si aduersus proximum hoc faceret: cùm in eo præcepto, quo falsum testimonium prohibetur, aduersus proximum prohibeatur, possitq; non rectè intelligentibus videri non esse prohibitum, vt aduersus seipsum quisquam falsus testis assistat: quanto magis intelligendum, non licere homini seipsum occidere, cùm in eo quod scriptum est: *Non occides:* nihilo deinde addito, nullus, nec ipse vtique cui præcipitur, intelligitur exceptus. *Non occides*: non alterum, ergo nec te. Neque enim qui se occidit, aliud quàm hominem occidit. Regulam autem diligendi proximum à semetipso dilector accepit: *Diliges* enim *proximum tuum sicut teipsum.* Hactenus S. Augustinus.

Lege naturæ & aliis plur. ratio.

Deinde insita est cuique στοργή quædam à natura, vt vitam suam defensam & conseruatam cupiat. Qui ergo sibi consciscit mortem, pugnat cum Deo autore naturæ. Adhæc vita est donum Dei: itaque non potest sine scelere. Et qui se occidit, iniuriam facit humano generi, & communi hominum societati: tollit enim ciuem de Republ. idque per summā iniuriam. Huc adde, nec Prophetas, nec Apostolos, nec Patriarchas de se ita statuere vnquam voluisse. Iob cùm esset miserrimè afflictus, *Suspendium*, inquit, *elegit anima mea*: nec tamen se vnquam occidit. Christus emisit Apostolos, *tanquam oues inter lupos*: tamen eos iussit *fugere ex vna ciuitate in aliam*, non autem seipsos perimere. Et Christus ipse, quamuis morte sua liberaturus esset humanum genus, tamen nunquam sibi admouit manum, aut fata sua præcipitauit, sed Iudæis præstolari maluit, qui vltrò sibi machinarentur necem. Et in proximo libro, cùm ille Amalechita dixisset, se stetisse super corpore Saulis moribundi, & eum suo pondere pressisse, quo citius extingueretur, Dauid respondit, *Filius mortis es.* Quod si Sauli licuisset seipsum perimere, quo iure censeretur is iuuenis, qui sua opera laborantem iuuisset, & & mortem accelerasset, dignus qui capitale supplicium lueret? Etenim cuilibet opem ferre licet qui rei honestæ det operam, præ cæteris verò Principi. Et si lex prohibet, ne interimas alterum, multò magis prohibet, ne occidas teipsum. Quod enim non licet in alterum, id in teipsum non licet. Regula enim fraternæ charitatis, vt iam antea ex Augustino docebam, sumenda est ab ea charitate, qua diligimus nosmetipsos. Adhæc vel nocentem occidis, vel innocentem. Si innocentem, iniuriam facis legi: si nocentem, nihilominus iniurius es in legem. Præripis enim tibi tempus pœnitentiæ. Quod si Deus vitam tibi in plures annos prorogare voluit, ne tempus deesset quo tempore maculas superioris ætatis pœnitentiæ studio deleres, tu priuatus cùm sis, quos dies tantus magistratus comperendinarit, absque iniuria tollere non poteris.

S. Augustinus viginnes à cæde voluntaria deterruit.

Et quidem hactenus cùm ex sacris literis, tum maximam partem ex Augustino, qui lib. 1. de Ciuitate Dei à cap. 17. vsque ad 27. de hac re accuratè copioséque disputat. Causa autem

A cur pluribus verbis de morte voluntaria dissereret, hæc fuit, quod capta Roma, cùm Barbari vim facerent puellis, & matronis, multæ potius quàm vt obscœni quicquam paterentur, seipsas occiderunt. Augustinus verò autor erat, ne ita facerent, cùm aliena libidine pudica mens pollui non posset, nec per vim & iniuriam flos castitatis delibari. Et cap. 17. Nec propter bona, inquit, assequenda, nec propter mala vitanda licet se interficere: est enim homicidium, quod prohibetur lege Dei. Et S. Hieronymus in epistola ad Marcellam de obitu Blesillæ, sub persona Dei, Non recipio, inquit, tales animas, quæ me nolente exierunt è corpore. Et Philosophos qui ita fecerunt, appellat Martyres stultæ philosophiæ. Idem in

S. Hieron.

B Ionam, Non est, inquit, nostrum, mortem arripere, sed oblatam patienter ferre, absque eo, inquit, vbi periclitatur castitas. S. Chrysostomus in illa verba primi cap. ad Galatas, *Eripuit nos ex hoc seculo nequam*: Si ita esset, inquit, non malefacerent, qui seipsos occidunt, si hæc vita esset mala. At nos eos dicimus sceleratos esse, & peiores homicidis. Canones damnant eos quoque qui castrant seipsos: eósque canones illi, qui appellantur Apostolorum, vocant sui ipsorum homicidas. Quod si castrare seipsum non licet, occidere seipsum multò minus licet. Annotandum tamen est, non agi ibi de illis, qui morbi causa secantur à medico. *Ca. de occidendis. & cap. Tu dixisti. 23. q. 5.* Qui dixit *non occides* Deus, non tantùm alios, sed multò magis seipsum necare prohibuit. *Extra. De sepult. cap. Ex parte parentum*, iubetur de quadam

Quid Ecclesia de his statuerit.

C fœmina, quæ fugiens lapsa est in fluuium de ponte, ne defloraretur à quodam, qui eam violenter tenere volebat: quod non tradatur Ecclesiasticæ sepulturæ, si ipsa volens se proiecit in fluuium: si autem nolens se præcipitare, sed intendens effugere manus illorum, qui eam persequebantur, casu lapsa est, conceditur ei Ecclesiastica sepultura. Hæc ibi.

Ludouicus Imperator Bracharensis Concilij Sanctionem repetens, atque adeò autoritate sua confirmans *Additionis 4. tit. 58. Placuit*, ait, *vt qui sibi ipsis aut ferro, aut veneno, aut præcipitio, aut suspendio, vel quolibet morbo violenter inferunt mortem, nulla illis in oblatione commemoratio fiat, neque cum psalmis ad sepulturam eorum cadauera deducantur: multi enim sibi per ignoran-*

Brachar. Concilium.

D *tiam vsurparunt.* Gratianus idem subinde retulit in decretorum numerum *23 q. 3. ca. Placuit.* Nec secus Antisiodorensis Synodus statuit ca. 17. *Quicunque se propria voluntate in aquam iactauerit, aut collo ligato se suspenderit, aut de arbore præcipitauerit, aut ferro percusserit, aut qualibet occasione, voluntate se morti tradiderit, istorum oblata non recipiantur.* Ita quondam PP. decreuerunt, quo homines ab insano illo furore atque amentia reuocarent. Vt ne quid tamen dissimulem quod obijci possit, e reis eximi debuerant, quos ignorantia, vt Bracharensi Synodo placuit, in exitium egit præcipites. Quinimò nullam ea caligo veniam meretur, quam non naturales tenebræ, sed deprauati mores, & vitiorum corruptelæ pepererunt. *Excæcauit*, inquit,

Synodus Antisiodorensis.

Soluitur obiectio.

Ignorantia diuinæ legis non excusat.

SAVL MORTVVS EST, &c.

inquit, *ex malitia eorum.* Et Paulus ad Rom. 1. *Tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant ea quæ non conueniunt, repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, homicidijs, &c.* Non enim ea lex quę à natura manauit, & in tabulas à Deo relata est, ne quis ignorantiam delictis suis prætexeret, eosdem latere potuit: sed cùm consilium iracundiam, odium, libidinem, pessimas animi perturbationes adhiberent, fieri vtique non poterat, quin de rebus agendis perperam iudicarent. Itaq; cùm à natura ad honestatem, & omnem pietatis cultum instituti essent, suo studio in contrariam sententiã abierunt. Inde meretricios amores palàm coluerunt, & vlciscendi libidine sese insolentius iactarunt. Quod si res aduersa premeret, grauior quàm ferre possent, statuebant vltro mortem occumbere: & cùm eos animus defecisset, timiditatem atq; ignauiam suam falsa virtutis opinione ornare studuerunt. Verum eos naturæ ac rationi dicto audientes esse oportuit, non animi sui perturbationibus obsequi. Verumenimuerò

Philosoph. rationes quibus homines ab inferenda sibi nece absterrent.

Huc accedunt præterea Philosophi meliores. Meliores dico, quod sciam fuisse multos, vt, Cleanthem, Empedoclem, Zenonem, & alios, qui seipsos interfecerint. Id Plato in Phædone ait duabus de causis non licere. Primùm, quod non liceat occidere alienũ seruũ: omnes autem nos esse seruos Dei. Deinde quod milites damnentur, si iniussũ imperatoris reliquerint stationem. Deum autem nos tanquam in statione collocasse: quare, qui eius iniussu velit locum suum deserere, proditorem esse.

Plato. 1. 2.

Aristoteles. 3. Aristoteles in 5. Ethicor. Non licet, inquit, ciuem tollere iniussu legis, & magistratus: & ideo qui se interfecerint, grauiter puniendos esse, & infamia publicè notari. Hæc ille: etsi eũ tradant, postea declinandi periculi studio, interitũ sibi maturasse. Virgilius hoc genus hominum collocat apud inferos in graui cruciatu. Æneid. 6.

Virgilius.

Proxima deinde tenent mœsti loca, qui sibi letum
In sontes peperere manu, lucémque perosi
Proiecere animas: quàm vellent æthere in alto
Nunc & pauperiem & duros perferre labores?
Fata obstant, tristique palus innabilis vnda
Alligat, & nouies Styx interfusa coercet.

Tullius. 4. Quare, ait Tullius in Somn. Scipionis, ex persona Pauli, Et tibi Publi, & pijs omnibus retinendus est animus in custodia corporis, nec iniussu eius, à quo ille est nobis datus, ex hominũ vita migrandum est: ne munus humanum assignatum à Deo, defugisse videamini.] Quæ verba cùm illustraret commentarijs suis Macrobius, Hæc, inquit, secta & præceptio Platonis, qui in Phædone definit, homini non esse sua sponte moriendum. Ait enim eos qui potestatis imperio trudũtur in carcerem, non oportere inde diffugere, priusquam potestas ipsa, quæ clausit, abire permiserit. Non enim vitari pœnam furtiua discessione, sed crescere. Deinde vim afferri diuinæ prouidentiæ, si quisquam decreta ab ea tempora tentet conuellere. Hoc quoque addit, quod antea retulimus: nos Deorum esse iure mancipij & iure nexi. Quocirca si quis iniussu Numinis sibi vitam extorserit, non absolutionem consequi, sed reatum. Quæ

Macrobius 5.

6.

A Platonicæ sectę semina Plotinus altius exequitur. Oportet, inquit, animam post mortem liberam passionibus corporeis inueniri: quam qui de corpore violenter extrudit, liberam esse non patitur. Qui enim sibi sua sponte necem comparat, aut pertæsus necessitatis, aut metu cuiusquam ad hoc descendit, aut odio: quę omnia inter passiones habentur. Ergo etsi ante fuit his sordibus pura, hoc ipso tamen quo exit extorra, sordescit. Deinde mortem debere ait animæ à corpore solutionem esse, non vinculum: exitu autem coacto animam circa corpus magis magisq́. vinciri. Et reuera ideo sic extortæ diu circa corpus, eiusque sepulturam vel locum, in quo iniecta manus est, peruagantur. Addit præterea, solam esse naturalem mortem, vbi corpus animam, non anima corpus relinquit. B Constat enim numerorum certam constitutámque rationem animas sociare corporibus. Hi porrò numeri dum supersunt, perseuerat corpus animari. Cùm vero deficiunt, mox arcana illa vis soluitur, qua societas ipsa constabat. Et hoc est, inquit, quod fatum, & fatalia vitæ tempora vocamus. Anima ergo ipsa non deficit, quippe quæ immortalis atque perpetua est: sed impletis numeris corpus fatiscit: nec anima lassatur animando: sed officium suum deserit, cùm iam corpus non possit animari. Hæc est igitur verè naturalis mors: non cùm extorquetur vita corpori adhuc idoneo ad continuationem ferendi. Hanc quoque superioribus adijcit rationem non sponte pereundi: Cùm constet, inquit, remunerationem animis illis esse tribuendam, pro modo perfe- C ctionis, ad quam in hac vita vnaquæque peruenit: non est præcipitandus vitę finis, cùm adhuc proficiendi esse possit accessio. Nec frustià hoc dictũ est. Nam in arcanis de animæ reditu disputationibus fertur: In hac vita delinquentes, similes esse super æquale solum cadẽtibus, quibus denuo sine difficultate præsto sit surgere: Animas vero ex hac vita cum delictorum sordibus recedentes, æquandas his, qui in abruptum ex alto, præcipitique delapsi sunt, vnde facultas nunquam sit resurgendi. Ideo ergo concessis vtendum vitæ spatijs, vt sit perfectæ purgationis maior facultas.

SAVL MORTVVS EST, &c. Plotinus. 7.

8. Hic fuit error Gentilium errasse diutius manes eorum qui sibi manus attulissent, circa eorundẽ tumulos, & corpora. 9.

10.

Ergo, inquies, qui iam perfectè purgatus est, manum sibi debet inferre, cùm non sit ei causa remanẽdi, quia profectũ alterius non requirit, D qui ad superna peruenit. Sed hoc ipso, quo sibi celerem finem spe fruendæ beatitatis arcessit, irretitur laqueo passionis: quia spes, sicut timor, passio est. Sed & cætera, quæ superior ratio disseruit, incurrit. hæc Plotinus: ad quẽ postremo loco Euxitheum è Schola Pythagoreorũ adiungam. Is, vt autor est Clearchus Peripateticus li. 2. ἐν βίων vitarum, dicebat illigatos esse corpori, hicq; vitæ animos omnium, supplicij causa τιμωρίας χάριν, edixisseq; Deum, nisi cum his maneant, quoad sponte ille soluat, plures grauioresq; ipsos calamitates subituros. Quamobrem vnusquisq; ne præsens corporis status labefactetur timet, tametsi dudũ exisse cupiat, persuasus, solam, quæ accidit senio, mortem libenter obeundam esse, eamque duntaxat animi

Apud Athenæum l. 14 c 14.

Savl mortvvs est, &c.

dissolutionem arbitrio Domini nostri & decreto contingere. Horum, inquit, placita nos amplectimur.] Sed hactenus Philosophi, qui idcirco diuinæ legis non meminerunt, quod eos illa lateret: quorum propterea autoritas maioris momenti habenda est, nosque eorum rationes mouere debêt vehementius, quòd eas sola dictante natura didicerũt. Iam verò etiam iuris autores de ea re quid senserint, videamus.

Idem legũ autoritate probatur.

In Digestis, de bonis illorum, qui ante sententiam sibi manus attulerunt, aut corruperunt accusatores, *l. qui rei*: statuitur, vt qui se occiderint, illorum bona confiscentur. Et ratio est, quòd habendi sint pro confessis. Mitigatur tamen eius legis acerbitas per Antoninum Imp. Ille enim decreuit, legem illam valere oportere, si crimen dignum sit aut morte, aut deportatione. Itaque qui propter furtum seipsos occiderunt, excipiuntur. Excipiuntur etiam, qui tædio vitæ, aut impatientia doloris, seipsos extinxerunt. Adrianus etiam excipit patrem, qui suspectus occidisse filium suum seipsum occiderit. Videri enim, inquit, debet fecisse id, desiderio magis filij, quàm conscientia sceleris. Et si, cùm voluisset seipsum quisquam interimere, interuenientibus alijs fuerit impeditus, modò id impatientia doloris, aut tædio vitæ fecerit, eum quoque Adrianus excipit: at si id alia vlla causa fecerit, decernit esse plectendum. Nam qui sibi, inquit, ipsi non parcit, quomodo parcet alijs? *Digest. de iure fisci. l. in fraude. §. si quis.* Si quis pudore æris alieni se occiderit, illi quoque parcitur. Et *in Cod. de illis, qui possint facere testamentum.* Si quis testamentum legitimè fecerit, & se postea interfecerit, dubitatur, an illud testamentum valere debeat. Et respondetur eodem modo. At si deprehensus fuerit in crimine, aut factus reus non valebit. Vtque habetur *in Digest. de re militari. l. omne delictum. §. qui se vulnerauerit.* & Paulus Iurisconf. scribit *Digest. de pecu. l. si quis aliquid*, 183. *§. fin.* Miles qui sibi manus intulit, nec factum peregit, nisi impatientia doloris, aut morbi, luctusúe alicuius, aut alia causa fecerit, capite puniendus est, aliàs cum ignominia mittendus. Hæc Romani sanxerunt. Cur autem tam lentè tantam ipsius Numinis atque adeò Reipub. tulerint iniuriam, non possum cogitatione consequi, nisi forte hæc illos ratio commouit, quod meminissent, se habuisse in sua ciuitate Lucretias, Catones, Curtios, Brutos, quorum nollent celeberrimæ famæ detrahere.

Platonis lex.

An forte Platonem æmulari studuerunt, qui hanc legem scripsit libro nono de legibus? Vt qui sibi amicissimum, id est seipsum, vita priuarit, non iudicio ciuitatis, nec tristi, vel ineuitabili fortunæ casu coactus, nec pudore aliquo extremo compulsus: sed ignauia, & formidolosi animi imbecillitate, iniustè sibi mortem consciuerit: sepulturam habeat solitariam, vbi alius nemo condatur. Deinde vt in his locis condatur, quæ de duodecim regionis partibus, vltima deserta innominatáque sit: sic obscurus, vt neque statua, nec inscripto nomine sepulcra notentur.] Hæc

A ibidem. Prius tamen Tarquinius, vt Plinius autor est libro trigesimo sexto capite decimo quinto. Romanam plebem crucis metu, quibus sponte interemptorum cadauera suffigerentur, à consciscenda sibi morte absterruit. Vtopienses apud Morum lib. 2. Vtopiæ, Si quis temerè voluntaria cæde obierit causa non probata Sacerdotibus, & Senatui, hunc neque terra, neque igne dignantur, sed in paludem aliquam turpiter insepultum abijciũt. Si quem mortis desiderium cepit, Sacerdotes primùm consulat necesse est, qui de causa iudicium ferant. Nam quos aduersa valetudo torquet, aut grauis casus aliquis cui remedium adhiberi nequeat, his plerunque vt ferale votum expleant, indulgent. De Massiliensibus hæc narrat Valer. Maximus lib. 2. cap. 1. Venenum, inquit,

Savl mortvvs est, &c. — Plinius. — Plebs Romana Crucis metu à voluntaria morte reuocatur. — Thomas Morus. — Gentilium mira stultitia. — Valer. Maximus.

B cicuta temperatum, in ea ciuitate publicè custoditur, quod datur ei, qui causas Sexcentis (id enim senatus eius nomen est) exhibuit, propter quas mors sit illi expetenda, cognitione virili, beneuolentia temperata, quæ neque egredi vita temerè patitur, & sapienter excedere cupienti celerem fati viam præbet; vt vel aduersa, vel prospera nimis vsi fortuna (vtraque enim finiendi spiritus, illa ne perseueret, hæc ne destituat, rationem præbuerit) comprobato exitu terminetur. Quam consuetudinem Massiliensium non in Gallia ortam, sed è Græcia tralatam inde existimo, quòd illam etiam in insula Cæa seruari animaduerti, quo tempore asiam cum Sex. Pompeio petens, Iulida oppidum intraui. Fortè enim tunc euenit, vt summæ dignitatis ibi fœmina, sed vltimæ C iam senectutis (quippe nonagesimum annum iam transgressa erat) reddita ratione ciuibus cur excedere vita deberet, veneno consumere se destinarit, mortemq; suam Pompeij præsentia clariorem fieri magni æstimarit, &c. Ea demum auidè letiferam potionem exhausit, Mercurium precata vt se placido itinere in meliorem sedis infernæ partem deduceret.

At verò Athenienses seuerius de hac re statuerunt. Decreuerunt enim, ne, qui ita fuisset mortuus, in agro Attico sepeliretur. Non tantùm confiscarunt eius bona, sed etiam cadauer ipsum exportari voluerunt è suis finibus. Moris Atheniensium fuit, inquit Cœlius, Si quis sibi necem molitus esset, manum, quæ hoc peregisset, abscindere, ac seiunctim à corpore hu-D mo contegere.] Testis laudatur à Serario contra Ctesiphon. Æschines. Imo id genus hominꝭs recepto quodam more vstos non fuisse, sed sepultos memorat Philostratus, ex eo Brodæus lib. 1. Epistol. Græcar. cap. 5. In Charistijs etiam & Parentalibus carorum vita functorum nomina ciere solebant: at non eorum qui sibi mortem intulerant. Artemidorus lib. 1. nec eis iusta faciebant, Cassius, & Scaliger in Festum. Artemidori locus est lib. 1. cap. 5. Oneirocrit. Τίνας γὰρ μόνους ἐν τιμαῖς οὐ καλοῦσιν οἱ προσήκοντες. Hos enim solos in mortuorum cœnis cognati & affines non nominant.

Cœlius Rhodig. lib. 10. c. 5. — Artemidor.

Rigaltius.

In quem locum notat Rigaltius, Quod autem in feralibus epulis suspendiosos non nominari ait Artemidorus (qui de his loquitur, qui sponte

SAVL MORTVVS EST, &c.

sponte informis leti nodum sibi trabe nectunt ab alta) id ex libris pontificalibus fluxisse videtur, quibus cautum fuisse monet Seruius, vt qui laqueo vitam finisset, insepultus abijceretur. Et Varro ait, *Suspendiosis quibus iusta fieri ius non sit, suspensis oscillis veluti per imitationem mortis parentari.* quod fortasse ad ludibrium & deridiculi gratia fiebat.] Iidem non lugebantur ab vxoribus, *l. 11. §. 3. de his qui notantur infamia.* Denique apud Festũ leges in voce *Carnificis: Carnificis loco habebatur is, qui se vulnerasset, vt moreretur.* Christiana pietas hos maximè detestatur. Flandri grauissima quinque scelera numerant: Læsæ maiestatis crimen, hæresim, seditionem, fugam ex acie quo tempore cum Turcis manus conseritur, Proditionem patroni ligij, quibus suipsius parricidium attexunt: ob hæc crimina, præter gentis consuetudinem, damnatorum bona & facultates fisco vendicantur. Reorum corpora nos videmus vnco trahi, & pedibus suspensos è patibulis cæteros à pari scelere deterrere.

Festus.

Paucis demum concludimus, omnium ordinum consensu atque iudicio voluntariam cædem esse damnatam. Sed generatim hactenus eas sententias complexi sumus, quæ insanum illud studium ac nefarium facinus vniuersè damnarent: at deinceps illas etiam rationes singillatim expédemus, quæ probare videntur, nonnullos quandoque casus incidere posse, quamobrem sibi quispiam necem sponte machinari possit. Sunt enim qui putent communis decreti autoritatem priuatis quorundam rationibus conuelli atque labefactari posse. Qui ne fortè inauditos sese causa cecidisse querantur, & vulgaris opinionis calumnia oppressos, dum non satis accuratè consiliorum suorum momenta ponderantur, age etiam speciatim inquiramus,

An vlla ratione humanâ voluntaria cædes suipsius defendi possit?

QVÆST. CXLI.

Voluntariæ mortis duæ rationes.

EQuidem quantum animo ac cogitatione possum complecti, duæ mihi causæ fuisse videntur, quamobrem homines vltrò mortem appeterent. Aut enim malum fugere, aut bonũ consequi eiusdem beneficio studuerunt. Perinde autem vt bonum, ita & malum multiplici genere continetur. Iam verò, vt inde potissimum exordiar, paupertatis tædio, quam plures rerum cœlestium studio vltrò sectantur, quot olim, quot subinde etiam nostro tempore sponte perierunt? Κακὸν eam vocat ἔχθιστον Euripides, malum infensissimum.

1.

Euripides.

Πενίας, inquit Sophocles, οὐδεὶς ἔστι μείζων πολέμιος.

Nullus homini maior hostis est quàm paupertas.

Alcæus, Ἀργαλέον πενία, dirum quiddam paupertas est, κακὸν ἄσχετον ἀμηχανία σὺν ἀδελφεᾷ, intolerabile malum cum perplexitate sorore. Itaque nil veretur Theognis ijs, qui rerum inopia conflictantur, suadere, vt sponte mortem appetant.

A

Χρὴ πενίην φεύγοντα, καὶ ἐς μεγακήτεα πόντον
Ῥιπτεῖν, ὦ πετρῶν Κύρνε κατ' ἠλιβάτων.

Oportet fugiendo paupertatem vel in pontum ingentia cete nutrientem
Præcipitem se dare, ô Cyrne, aut ab excelsis rupibus cadere.

SAVL MORTVVS EST, &c. Theognis.

Anaxagoras cùm Sapientiæ laude floreret, vltrò mori statuit, seque fame atque inedia conficere, quod paupertatis molestias vltrà non ferret. Verùm Anaxagoræ Pericles maturè suppetias tulit, atque adeò seruatus est: sed alios plures, cùm deesset qui impetum moraretur, præcipites Orcus absorbuit. Quàm temerè seu potius nefariè, hoc vnum argumento esse potest, quòd Numinis prouidentiæ diffisi sint. Nam si Deum rebus humanis præsidere, & singulorum priuatim curam gerere confiderent,

B quamobrem animos desponderent: Neq. enim verisimile est ad opem ferendam eidem facultatem deesse posse. Quocirca etiam in Euangelio securos nos esse iussit, nec inutili solicitudine torqueri. *Nolite*, ait, *soliciti esse dicentes quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur: scit enim pater vester quia his omnibus indigetis.* Esto, inquies: veruntamen prisca illa ætas nouæ legis placita ignorauit, & plerosque veteres latuit, Deum singulum quemque sua cura complecti, tametsi generatim omnibus prospicere, & orbis habenas moderari non dubitarent. Quinimò ex his, quæ passim in oculos incurrunt, eadem nullo negotio colligere potuerunt. *Considerate*, ait, *aues, non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & pater vester*

Paupertas non potest videri causa satis idonea, ob quã sibi quis quam mortem consciscat.

C *cælestis pascit illas. Considerate lilia agri, non laborant, neque nent, &c. Nonne vos multò pluris estis? Quærite ergo primum regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis.* Non ergo leuis est Numinis iniuria, si quis inopiæ metu sibi vitam eripiat. Nam neq; Dei regno studet, cuius gloriam summo nisu promouere debuerat: neque eiusdem prouidentiæ, quam rerum omnium concentus prædicat, fidem habet. Vnde postremò sequitur quàm præposterè Roman. leges his indulgeant.

Sequitur contumelia siue ignominia, cuius acrior vis & molestior stimulus non paucos eò pepulit, vt volentes in exitiũ ruerent. Hæc maximas sæpè strages edidit: in principum autem virorum cædibus præcipuè bacchata est. Nam hi non rarò postquã mars infestior vires eorum

Sed nec contumeliæ atque ignominiæ metus.

2.

D perculisset, hostium insolentiã veriti, ne ijsdem ludibrio essent, per vim occupata morte contumeliæ præuerterunt. Priuati quoque nõ pauci, cùm ob scelera capite damnati, seipsos acerbissimũ vulgo spectaculum debere intelligerẽt, ignominiam morte ipsa grauiorẽ rati, maturata nece publicam expectationẽ fefellerunt. Complura horum exempla in hunc locũ non congeram: repeti poterũt quæ suprà commemoraui: sed & si quis plura desideret, vnus Tacitus affatim suppeditabit. Nobis hoc tẽpore instar omniũ Saul esse poterit, qui desperata salute, cũ se statim in triumphũ raptũ iri haud temerè conijceret, & se turpissima queq; cõuitia irrisionesq; manere, timorẽ suũ professus, actutũ per fossũ pectore vitã abrupit. Hãc animi imbecillitatẽ,

SAVL MORTVVS EST, &c.

Herodot. lib. 9.

quam nonnulli mirantur, ne Lacones quidem, qui Græcorum reliquis virtute præstabant, olim laudandam censuerunt. Testis Aristodemus, qui cùm ignauiæ nomine Spartæ male audiret, quòd cladi ad Termopylas acceptæ superfuisset, eam labem studens eluere, ad Platæas Pausania duce egregiam planè operam toti Græciæ nauauit. Quo in certamine cùm idem victor occubuisset, & omnium iudicio præstantissimus haberetur, eidem tamen idcirco fortitudinis palma negata est, quod palàm esset eundem mori voluisse. Ratio porrò duplex est, quamobrem eum, qui dedecus & infamiam fugiens, seipsum interficit, de vi damnemus, æternâque vita indignum censeamus. Prima est, quòd spem abiecerit, nec autore Deo, cuius pollicitis fretus esse debuit, fieri posse crediderit, vt tantum periculum euaderet; cùm tamen, vt omittam cæteros Mardochæum legamus à cruce atque ab ipsis faucibus Orci ad regium cultum, & opes, summámque potentiam reuocatum esse. Dauid ipse, cuius nos antea labores defleuimus, postquam ne in exilio quidem tutus consisteret, è summis difficultatibus ad regni solium erupit. Altera ratio est, quod *contra stimulum*, vt Christus ait, *ausus sit calcitrare*, nec contumeliarum aculeos, quos Deus ipse fixerit, pati voluerit. Siquidem illum oportuit revereri iudicia Dei, seu virtutem eius inimicorum probris & conuitijs statuisset acuere, seu flagitia plectere. Quo in vtroque genere. Iob & Manasses reliquis mortalibus egregium virtutis ac patientiæ specimen ediderunt.

3. Non seruitutis vitandæ studiũ.

Tertio loco Seruitutis metus non paucos in fraudem impulit, dum eam putant, si fortè iugum eius à ceruicibus tuis detestari atque auertere non possis, vel morte fugiendam esse. Ita docet Euripides.

Ἓν δ' οὖν μόνον πρόφρασαι, μὴ ἐπὶ δουλείαν ποτὲ ζῶν ἑκὼν
Ἔλθῃς, παρόν σοι κατθανεῖν ἐλευθέρως.

Vnum hoc tibi pronuncio, ne ad seruitutem vnquam viuus libens
Accedas, si liceat tibi libere oppetere mortem.

Itaque plures olim ciuitates, vt Saguntus, & Numantia, cùm vim hostium vltra non ferrent, potius quàm se dederent, communi consilio, publico incendio conflagrarunt. Sed hæc contumacia, vt apparet, insaniæ proxima est, & digna quę credatur ab aliquo morbo animi potius quàm ab vllo iudicio proficisci. Tametsi enim dura est seruitutis conditio, & Apostolus quoque consulat, vt, quoad fieri possit, libertatem consequi studeamus: æquum tamen videtur, vt qui libertatis beneficio malè vsi sint, alieno pareant imperio, & sub iugum mittantur. Neque porrò ea sors cum virtute, aut diuinis legibus pugnat. Nam plures cùm in eam calamitatem incidissent, ad summam pietatis ac religionis laudem emerserunt. Maximis tamen difficultatibus non rarò vallata est. Nam qui immitem ac sæuum Dominum sortitus erit, indignis sæpe modis lacerabitur. Non enim æquitatis rationem habet: sed infinitam quandam potestatem sibi vendicans, vt libet immerentem torquet, & cruciat. Sed ea vexatio fortem animum frangere non poterit, si Dei præsidio, qui nusquam suis non dexter adest, innitatur. Qui porrò nemini facit iniuriam, cùm quempiam alteri in seruitutem mancipiat. Siquidem nos ille summo iure possidet, atque adeò quibus vult addicit. Quæ autem ipsius est bonitas atque clementia, sic ille nos alieno imperio subijcit, vt tamen frenos addat eorum licentiæ, nec pro sua libidine sæuire permittat. Nam si præter ius & æquum torti opem eius imploremus, aut tormentis eripit, aut vires nostras cum cruciatibus æquat. Vnde manifestè sequitur, vt qui seruitutis iugum voluntaria morte tentat excutere, haudquaquam se liberet, quin potius grauiter læso Numine sese in laqueos induat, vnde expedire sese postea nunquam possit.

Ne dolor quidem. 4.

Æsopus hanc fabulam docuit, Prometheum, cùm hominem fingeret, lutum, subiectam materiam, non aquâ macerasse sed lacrymis. Inde sequi putat Themistius, vt nemo eas quoad viuit, funditus exhaurire possit. Virtus itaque, quæ *sola data est mortalibus ægris duros eorum solari labores*, non id agit quo illis omnem ægritudinis molestiam eximat: sed in eo desudat atque elaborat eius industria, quo doloris acerbitatem leniat, & tristitiæ fluctus procellásque cohibeat, ne in hominum perniciem erumpant. Et quidem illa tantisper dum dolor lentius vrget, & officium facere sinitur, satis commodè nostræ quieti consulit. Verùm vbi ille vehementior ingruit, non modò corporis robur virésque labefactat, sed etiam rationis arcem expugnat, & vsque eò pertinaciter insectatur & exagitat, donec ad saxa & scopulos allisa naufragio pereat. Sensus enim ille molestissimus cùm acrius furit & cruciat, tum nullum non lapidem mouemus quò à nobis citissimè excutiatur: quem si hærere altius sentiamus, nec iam posse conuelli, impatientia victi mortem appetimus, tanquam illa dolorem pariter cum vita finiat. Atqui ea res contrarium prorsus exitum sortitur. Non enim ijs, qui statutos à Deo vitæ fines audent præuertere, morte dolor extinguitur, sed accenditur. Corpus vtique postquam anima ab eo auolauit sensim sine sensu tabescit: sed animæ sensus nullo vnquam sopore deprimitur, quinetiam eò tum acrius viget, quò minus in posterum corporis mole obruitur. Dei verò potestas nullis finibus circumscribitur: sed vtriusque regni compos sortem vtramque regit, & morti pariter ac vitæ imperat. In mortuos tamen, vbi læsus erit, eius indignatio acerbius inuehitur. Hanc enim iudicijs suis legem dicere visus est, vt rogatus viuis haud grauatè delicti veniam faciat; iam fieri nihil, nisi quod iustum sit, impetrent. Itaque tantum abest vt qui iniussi è vita commigrant, suæ miseriæ modum statuant, vt contrà potius longè grauiores ærumnas sua temeritate accersant. Nec verò solam hanc ab illis iniuriam Numen accipit, quòd vitæ cursum, cuius ordiendæ principes esse nõ potuerunt, abrũpant: sed

SAVL MORTVVS EST, &c.

sed hoc illum præterea vehementius offendit, quòd apud pessimos mortalium bonitati suæ detrahitur. Quamobrem enim lucem oderint, & circundatos animo cancellos perfringant, quibus hæc vita continetur, si non desperet diuinam gratiam, vimque doloris eius præsidio tolerare posse? Atqui ea teterrima calumnia est, qua diuinæ clementiæ fama violatur, quam nullus vnquam, qui rite atque ordine peteret, necessario tempore desiderauit. Verùm perditorum hominum ea nequitia est, primùm quidem vt Dei beneficia, quibus eorum calamitas sanari poterat, nullo loco habeant: deinde, vt cùm in summum discrimen sua culpa venerint, se desertos querantur, vt Dei misericordiæ inuidiam conflent. Quæ flagitia si quis Deum putet statim ab interitu susque dequé laturum, periculosissimè fallitur mea quidem sententia, séque in barathrum miseriarum conijcit, vnde nullo vnquam tempore possit emergere.

Non conscientia scelerum. 5.

Nec porrò secus de conscientia scelerũ sentiendum est: cuius æstum cùm nonnulli ferre non possint, nec statim angoris eius aculeos vlla arte retundere, anhelantem animam séque ipsam fugientem interrupto per vim corpore profundunt. Verùm furias illas nequaquam præreptæ necis temeritas compescit, quinetiam tum licentiore petulantia bacchantur. Quippe mens conscia tantisper dum pectoris septo vallatur, multis rerum inuolucris tegitur, & quasi velis quibusdam carnis obtenditur, quibus vt primùm per mortem nudata est, conscientiæ telorum vim excipit, iaculisque configitur. Inde extemplò æternùm mœret, nec spes vlla relinquitur, tam dirum vulnus temporis diuturnitate posse consanescere. Furebat illa cùm diceret:

Senec. Hippolyt. act 5.

Hac manu pœnas tibi
Soluam, & nefando pectori ferrum inseram,
Animáque Phedram pariter ac scelere exuam.

Nec illa sanior aut prudentior,

Idem in Hercule Oetæo act. 3.

Quo fugam praeceps agam?
Mors sola portus, dabitur ærumnis locus.
Destituit animus membra, nox oculos premit.
Quid anime cessas? quid stupes factum scelus?
Eat per artus ensis exactus meos.
Inferi soluent ream.
A me ipsa damnor. purget has Pluto manus.
Stabo ante ripas immemor, Lethe, tuas.

Vana fides: *Hæret* siquidem *lateri letalis arundo: & Vermis eorum non moritur.* Iudas ipse cùm prodito Domino, cuius illum flagitij acerrimè pœnitebat, gulam sibi laqueo frangeret, non ille quidem seipsum cruciatu conscientiæ liberauit, sed noui sceleris accessione cumulauit. His porrò Deus idcirco vehementius succenset, quòd parcendi studium, quo maximè delectatur & gloriatur, eidem denegare videantur, & partem hanc maximam de laude eius delibare. Nam qui misericordiam in eo agnosse se dissimulat, eiusdem quoque bonitatem certis finibus circunscribat necesse est, & infinitam neget, quam desperat ad cõdonandam culpam inflecti pœnitentia posse. Quòd si postremò certis spatijs ac terminis Dei clementiam definias, omnino tollis quod Numen proprie dicitur, virtute ac potentia infinitum esse. De consciẽtia iam sæpius fusè latéque disseruimus.

Non senectus, ne tũ quidẽ cùm delirat. Seneca. 6.

Verumenimuerò non censet Seneca epist. 58. prouectæ ætatis incommoda diutius toleranda esse, si forte rationis arcem concutiant. Non relinquam, inquit, senectutem, si me totum mihi reseruabit: totum autem, ab illa parte meliore. At si cœperit concutere mentem, si partes eius conuellere, si mihi non vitam reliquerit sed animam: prosiliam ex ædificio putrido ac ruenti.] Rei contumacis oratio ista est, qui nolit decretum à Deo subire supplicium, sed tentet iudiciorum eius laqueos declinare, & pœnam effugere. Quicquid fors tulerit, æquo animo ferendum est, & viuendi curriculum à natura datum bona fide conficiendum; tametsi senilis stultitia, quam delirationem vocant, iudicij aciem obtundat, & mens quondam aptissima ad rerum scientiam vitæque constantiam, ætatis vitio titubet, ac desipiat. Nam quod senex repuerascit, pœna est, non flagitium.

7. Suispsius interfectionis.

Quid si verear, ne voluptatis delinitus illecebris, aut doloris victus acerbitate, pellicear ad peccandum, an ne tum quidem mihi me licebit αὐτοχειρίας beneficio discrimini eripere? De lenocinio voluptatis subinde priuatim disseram. Quod autem quisquam timeat, ne tormentorum vis eidem fidem extorqueat, aut λιθιάσεως, aliorúmue morborum acriores stimuli eò furoris ac dementiæ impellant, vt Numen ipsum diris deuoueat, non sine ratione facit, si soli sibi, nec alia quam propria virtute septo, cum morbis tyrannisque confligendum putet: sin speret autore Deo ac præside, virésque ministrante, se cum hoste commissurum, quamobrem desperet de victoria, aut sibi patientiæ vel martyrij lauream inuideat? An fortè metuis, ne diuina quidem gratia hostis impetum frangere non possit? Nam ijs vtique qui vere & ex animo opem eius implorant, nequaquam solet auxilio deesse. Prostant vbique passim Martyrum trophæa, & complures eorum triumphos Ecclesia prædicat, quos senilis, quos puerilis ætas de tyrannis reportauit: nec verisimile est impuberes pueros, meticulosásque virgines, ferrum, ignes, flagella proprio marte superasse. Quod si tantum potuit infirma ætas diuinæ gratiæ præsidio roborata, quid causæ erit quamobrem animos despondeamus? Cædere porrò insontem nefas est. Innocens verò est, quisquis necdum scelere se obstrinxit. At conijcitur ex naturæ fragilitate eò prolapsurus vt peccet. Nemo est qui labi omni tempore non possit, tametsi eum nemo impellat. Nemo quem diuina gratia sistere non possit, tametsi eum omnes certatim in barathrum impellant. Cur incertum facinus præceps occupes? cur eum qui hactenus spe dubia atque ancipiti pendet, in certam perniciem deijcias? Sed quid aio spem dubiam atque ancipitem? *Spes*, ait Apostolus, *non confundit.* Itaque ab Esaia scriptum est in hanc sententiam. *Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet, in veritate educet iudicium.* Vel, vt Matthæus, *donec eyciat ad victoriam iudicium.*

Non denique ea ratio, ne tormentorum vis fidem extorqueat.

Esaiæ cap. 42. 3. Matth. 12. vers. 20.

Non enim alioqui verum esse iudicium videri poterit, aut ad iustitiæ victoriam pertinere, si is plectatur qui admissi sceleris conuinci non possit. Digna est cuius nos misereat naturæ imbecillitas, quámque necessarijs subsidijs fulciamus. Sed sæui atque immitis ingenij argumentum est, si quis eam propterea tentet opprimere. Quod quisquam peccare possit, illud quidem culpa vacat, cùm ea sit libertas arbitrij. Sed si faciat, aut certè in ipso iam conatu versetur, tum maturè improbitas retundi poterit. Peccandi potestas sicut turpitudinis, ita & supplicij expers esse debet. Nulla lex hactenus eam pœnâ sanxit. Legimus quendam Indorum regulum, postquam familiam salutari Baptismo æternæ vitæ initiasset, vxorem liberósque iugulasse, ne cum venissent in hostium potestatem, fidem negarent. Eo pacto sibi visus est eorundem saluti optimè consuluisse. Errasse tamen grauiter non dubitamus. Sed datus est à Deo pœnitentiæ locus, quod arbitratus esset *obsequium se præstare Deo. Non sunt,* inquit Apostolus, *facienda mala, vt eueniant bona.* Quod si nullo iure permittitur vt quemquam neces, ne in peccandi periculum incurrat, ne teipsum quidem interficere poteris, etiamsi verearis ne cruciatu debilitatus à fidei constantia excidas; quin potius spem tuam in Deo colloces, qui te vacillantem suo robore confirmabit.

An excellentis alicuius boni gratia, quod speres morte consequi, sponte migrare liceat?

QVÆSTIO CXLII.

VErùm esto dices, voluntaria ista ἐξαγωγὴ quæ malorum propulsandorum gratia suscipitur, bonis omnibus haud placeat, placebit tamen si insignis alicuius boni consequendi spes affulgeat. Siquidem, vt Poëta ait, *degeneres animos timor arguit.* Morbum, inquit Seneca, morte non fugiam, duntaxat sanabilem, nec officientem animo: non afferam mihi manus, propter dolorem. Sic mori, vinci est. Imbecillus & ignauus est, qui propter dolorem moritur. Sed & Plato 9. de Legibus culpat eum duntaxat, ὃς ἀργίᾳ τε καὶ ἀνανδρίας δειλίᾳ ἑαυτῷ δίκην ἄδικον ἐπιθῇ: qui ignauia, & timidi animi imbecillitate, iniustam sententiam in se tulerit, exequutúsque sit. At boni adipiscendi studium quod excellens sit, rebúsque caducis præstet, Sapientem magnopere decet, vt ne vitæ quidem parcere suæ debeat quo minus illud assequatur. Atque in primis cupido gloriæ sic plerosque accendit, vt non aliter quàm morte immensam illam sitim extinxerint. Empedoclis plerique meminerunt, qui se in ardentem Æthnam præcipitem dedit, fuitque ea labes Pythagoræorum maximè propria. Notaui iam alibi in Apollonio Tyanæo. In India quoque ea pestis grassata est, eorúque Sapientes maximè quasi morbus quidam furoris illius peruasit. Curtius lib. 8. In India, inquit, vnum agreste & horridum genus est, quos Sapientes vocant. Apud hos occupare fati diem, pulchrum: & viuos se cremari iubent. Quibus aut segnis ætas, aut incommoda valetudo est, expectatam mortem pro dedecore vitæ habẽt: nec vllus corporibus, quæ senectus soluit, honos redditur. Inquinari, nisi qui spirantes recipit. Hæc Curtius. Itaque Calanus quidam ex eo grege, cùm esset sibi magnæ sapientiæ conscius, & iam senectutis incommodis tentari cœpisset, ad extremam vitæ periodum gentilis gloriæ cupidus, præsertim verò Alexandri præsentia concitatus, cuius celebri opinione suum funus apud posteros commendari posse intelligeret: Structa ingenti pyra seipsum coram victore orbis exercitu incendit. Alexander statim in cinerem solutum honorificè sepeliendum curauit: tametsi ne tum quidem defuerint, qui, vt Diodorus autor est lib. 17. inanem hominis ostentationem damnarent. Eodem spectat verba illa Demosthenis apud Lucianum in eiusdem Encomio. Moriar: honestum enim effugium mors est, quæ est extra omne periculum turpitudinis. Et nunc Archia (is erat Antipatri satelles) quantum in me est, non volo dedecorare Athenas, seruitutem accipiens abiecta libertate, in qua mori est honestissimum. Et rursum: Archias putat tantum arma & exercitus præsidia vitæ, & meum apparatum contemnit, quem expugnare neque Illyrici, neque Triballi, neque Macedones possint. Firmior est enim quàm ille murus ligneus, quem olim nobis Apollo respondit inexpugnabilem fore. Nam vt prudentia me in administratione Reipub. securum præstitit, ita me aduersus Macedones securum reddet. Nunquam formidaui Euctemonem, &c. Hactenus Demosthenes. Quæ vbi gloriantet iactasset, manum ori admouit deos orare simulans, venenum suxit, atque extemplo corruit. Quem inuictum & beatum Antipater, vt primùm reiecit, prædicauit. Decedit, inquit, victurus in beatorum insulis apud Heroas, vt dicitur, aut in cœlum peruenturus, vt Deus factus Comes sit Iouis Liberatoris. Hanc ille, cùm esset eodem errore cœcatus, de impio facinore sententiam tulit.

Sed nemo κενοδοξίας huius illustre magis specimen dedit quàm Peregrinus, qui cùm a principio pessimè vitam instituisset, séque nefandis sceleribus polluisset, insuper & compendij gratia Christianam pietatem simulasset, postremò Philosophum professus ad Cynicorum partes transisset, iam vetulus studio gloriæ, quod dudum erat promeritus, arsit. Infelix Peregrinus, inquit Lucianus, qui Protei nomine gloriabatur, illud ipsum Homerici Protei passus est: nihil enim non gloriæ causa fieri sustinuit: cúmque iam millies formam mutasset, ad extremum ignis quoque factus est. Τοσοῦτος ἄρα τῷ ἔρωτι τῆς δόξης ἥλω. Vsque adeò gloriæ cupiditate tenebatur. Et nunc optimus ille in carbones & fauillas redactus est, post Empedoclem, nisi quod hic temerarium facinus celare conatus, clanculùm in crateras se dedit præcipitem: porrò generosus ille frequentissimo

Seneca epist. 58.

1. Studium gloriæ voluntariam mortem non excusat.

Curtius.

Lucianus.

Demosthenis in morte iactatia.

Lucian. de morte Peregrini.

Græciæ

MORTVVS EST SAVL, &c.

Græciæ conuentu, cùm apud Græcos prius nonnullis orationibus habitis futurum facinus A iactasset, tot ac tantis testibus conscijs, in rogum insiluit. Ibidem porrò cùm alter quispiam eius vitam ab ineunte ætate recenset, & scelera, fraudes, ac flagitia commemorat, in quæ omnia seuerè & acriter animaduertit: tum Lucianus ipse, penè ad calcem operis, vlcus deprauatæ mentis aperit, & gloriæ sitim, qua præceps in exitium actus est. Dies nouem, inquit, antè quàm incendio se traderet, cùm præter modum crapulæ indulsisset, sub noctem vomuit, ac febri æstuare cœpit. Horum porrò mihi autor est, inquit, Alexander Medicus, qui rogatus, eundem inuiserat. Aiebat ergo se illum semet humi voluentem deprehendisse, æstum, doloremque non ferentem, ac frigidam cupidè poscentem, quam præbere noluisset. B Dicebat quoque hunc cum illo sermonem habuisse: Quòd si prorsus migrandi studio teneretur, ipsam vltrò mortem breui ad ianuam venturam esse, ita vt ignis sibi superuacaneus ad hanc maturandam esse videretur. Ad quæ ita respondisse Proteum aiebat: Ἀλλ' οὐχ ὁμοίως ἔνδοξος ὁ τρόπος γένοιτ' ἂν, πᾶσι κοινὸς ὤν. Atqui haudquaquam perinde celebris & gloriosa oppetendæ mortis futura est ratio, cùm omnibus ea communis sit. Itaque præscripto tempore, combustus perijt, & à nonnullis præ admiratione virtutis statim in deos relatus est. Itaque hanc pestem falsa virtutis opinio procreauit.

Peregrini dementia.

2. Verumenimuerò cùm vulgò crederetur, viri fortis esse, mortem sibi consciscere potius, quàm graue aliquod & acerbum malum perpeti: sapienter animaduertit Aristoteles, falsam C esse illam hominum opinionem: eosque qui ita facerent, non modò fortes, sed ignauos, paruique, & abiecti animi habendos pronuntiauit. Docent enim, se id quod fugiunt, ferre non posse, neque pares esse ei casui sustinendo, propter quem vitam relinquunt. Id autem effœminatam potius animi mollitiem, quàm magnitudinem arguit. Hæc ille. Aristotelis verba referam ex 3. Ethic. c. 7. ad Nicomach. Τὸ δ' ἀποθνήσκειν φεύγοντα πενίαν, ἢ ἔρωτα, ἤ τι λυπηρὸν, οὐκ ἀνδρείου, ἀλλὰ μᾶλλον δειλοῦ. μαλακία γὰρ, τὸ φεύγειν τὰ ἐπίπονα. καὶ οὐχ ὅτι καλὸν, ὑπομένει, ἀλλὰ φεύγων κακόν: Mori ob inopiam, aut amorem, aut aliud molestum, non est fortis viri, sed timidi. Mollities enim, fugere difficilia, & aspera. Neque mortem vt bonum sustinet, sed malum fugiens. Martialis D eandem sententiam paucis ita complexus est Epigramm. lib. 11.

Muretus Var. Lect. l. 4 cap. 2.

Non falsa virtutis opinio.

Aristot.

Martial.

Rebus in aduersis facile est contemnere vitam:
Fortiter ille facit, qui miser esse potest.

Sed & Euripides id antè docuerat: qui Herculem primò facit succumbentem magnitudini eius doloris, quem hauriebat è cæde vxoris & liberûm, quam ipsemet, furore diuinitùs immisso correptus, perpetrauerat: & ob id è vita discedere meditantem: deinde redeuntem ad se, & mutantem consilium, vereri ntem, ne id sibi ignauiæ ascriberetur, si lucem relinqueret, tanquam ægritudini impar ferendæ. Euripidis versus Lipsius vertit lib. 3. cap. 23. Manuduct. ad Stoïcam Philosoph.

Consideraui ego, malis etsi obrutus,
Ne quis timorem, vitâ abire, censeat:
Nā qui malis subsistere haudquaquā est potis,
Nec ille contra tela subsistat viri.

Euripid.

Pulchrè apud Curtium libro 5. Fortium virorum est, magis mortem contemnere, quàm odisse vitam. Sæpè tædio laboris, ad vtilitatem sui compelluntur ignaui: at virtus nihil inexpertum omittit. Itaque Atherbal apud Sallustium de bello Iugurthino: Vtinam, inquit, emori fortunis meis honestus exitus esset, ne viuere contemptus viderer, si defessus malis iniuriæ concessissem. Nunc quia neque viuere libet, neque mori sine dedecore licet, &c. Addam his & Cæsarem, qui lib. 7. de bello Gallico: Animi, inquit, est ista mollities non virtus, inopiam paulisper ferre non posse. Qui se morti vltrò offerant, facilius reperiuntur, quàm qui dolorem patiēter ferant. Exemplum vnum subijciam. Attila Hunnorum Rex, vt Paulus & Iornandes referunt, victus ab Ætio Romano Duce, & Merouco, desperatis rebus, sibi manus inferre volebat, ac pyra constructa, sese in flammas conijcere, ne tantarum gentium dominus in potestatem hostis veniret: nobilius ducens propria virtute quàm alienâ mori, vel alienâ veniâ viuere: iactans se impetraturum à gladio suo, ne hostibus prædæ & gaudio foret. Obstitit Ardarichus fide erga ipsum & consilio spectatus, & demonstrauit stultum esse Ducem præclarum animam proijcere, pro qua multi sæpe pugnarunt: & mortis incertæ metu vitam certam prærumpere, quasi nauem mergere, ne tempestate frangatur. Dicturos in posterum homines, Attilæ plus animi ad moriendum, quàm ad pugnandum fuisse, ac exercitum suum molliter deseruisse, & ferè simul iugulasse, imitarique crudelitatem Magnentij, qui Constantium Imperatorem fugiens, in Galliam Lugdunum peruenit, vbi Desiderium fratrem per beneuolentiæ speciem, tanquam hosti eriperet, deinde matrem & propinquos, seipsum denique confodit: nihil admodum virile faciens, cùm Dido fœmina amoris impatiens se peremerit, vt Lucretia pudicitiæ respectu. Per hæc Attila concitatum in se impetum coercuit. Disputauit eadem de re doctissimè ac sapientissimè sanctus Augustinus libro primo de Ciuitate Dei, multisque rationibus ostendit, Lucretiam, Catonem, cæterosque eiusmodi, frustrà in historijs à fortitudine laudari. Longiùs etiam progressus, demonstrauit nullam esse posse bono ac sapienti viro ἐξαγωγὴν, vt Stoïci loquebantur, εὔλογον. Augustini verba referam ex eiusdem lib. capite vigesimo secundo. Quicunque hoc in seipsis perpetrauerunt, animi magnitudine fortasse mirandi, non sapientiæ sanitate laudandi sunt. Quanquam si rationem diligentius consulas, nec ipsa quidem animi magnitudo rectè nominatur, vbi quisque non valendo tolerare, vel quæque aspera, vel aliena peccata, se ipse interemerit. Magis enim mens infirma deprehenditur, quæ ferre non potest, vel duram sui corporis seruitutem, vel stultam vulgi opinionem. Maiorq; animus meritò dicendus est, qui vitam ærumnosam

Curtius.

Sallust.

Cæsar.

Ita loquentem facit Forcatius li 5 Imper. & Philos. Gallor.

Nicephor.

S. August.

MORTVVS EST SAVL, &c.

magis potest ferre, quàm fugere: & humanum iudicium maximè vulgare, quod plerunque caligine erroris inuoluitur, præ conscientiæ luce ac puritate contemnere. Hactenus sanctus Augustinus. qui

3. Non immortalis vitæ cupido.

Subinde etiam & alium errorem suâ doctrinâ iugulat, qui nonnullos quondam in capitalem fraudem impulit. Nam cùm non esse hanc mortem quæ à multis creditur, ex quibusdam Philosophis intellexissent, sed patere magis per eam aditum ad immortalitatem, eius studio incensi, temerè sibi necem attulerunt. Non enim scelere, atque audacia, sed iustitia & pietate immortalitas comparatur. Si tamen, inquit, magno animo fieri putandum est, cùm sibi homo ingerit mortem, ille potiùs Cleombrotus in hac animi magnitudine reperitur: quem ferunt, lecto Platonis libro, vbi de immortalitate animæ disputauit, se præcipitem dedisse de muro, atque ita ex hac vita migrasse ad eam, quam credidit esse meliorem. Nihil enim vrgebat aut calamitatis, aut criminis, seu verum, seu falsum, quod non valendo ferre se auferret, sed ad capessendam mortem, atque ad huius vitæ suauia vincula rumpenda, sola attulit animi magnitudo. Quod tamen magnè potius factum esse, quàm bene, testis ei potuit esse Plato ipse, quem legerat: qui profectò id præcipuè potissimúmque id fecisset, vel etiam fieri præcepisset, nisi ea mente qua immortalitatem animæ vidit, nequaquam faciendum, quin etiam prohibendum esse iudicasset. Hactenus sanctus Augustinus. De Cleombroto extat Epigramma Callimachi Græcum, quod Viues ibidem Latinum exhibet.

S. August.

Callimach.

Vita vale, muro præceps delapsus ab alto
Dixisti moriens Ambraciota puer: (nis,
Nullius in morte mali credens: sed scripta Plato-
Non ita erant animo percipienda tuo.

Nam hoc prohibuit Plato in eodem Phædone, in principio asserens, maiori supplicio afficiendum desertorem vitæ, quàm desertorem militiæ. Neque enim frustrà, ait sanctus Augustinus eiusdem libri primi cap. vigesimo, in sanctis canonicis libris nusquam nobis præceptum permissúmve reperiri potest, vt vel ipsius adipiscendæ immortalitatis, vel vllius carendi cauendive mali causâ, nobismetipsis necem inferamus. Nam & prohibitos nos esse intelligendum est, vbi lex ait: *Non occides*: præsertim quia non addidit, *proximum tuum*.

4. Non martyrij spes.

Circumcellionum immane genus, & famosissimam audaciam describit sanctus Augustinus in lib. de Hæresibus, cap. 69. quos sanctus Philastrius Circuitores vocat. Hi Martyres asserebant quicunque vltrò mortem oppeterent, siue alterius ministerio, siue propria manu. Nam præterquam quod præcipitijs, suffocatione, flammis sibi vitam eripiebant, etiam obuios quosque in suum cogebant exitium. Hanc ego historiam dignam non arbitror, quæ nos disputando exerceat. Historiam duntaxat vnam ex Theodoreto repetam: quâ proditâ, se satis per seipsam conficiet. Ita ferunt basiliscum, si fortè à seipso in speculo visus erit, proprio veneno perire. Donatistæ, inquit, nouum insa-

S. Theodoret lib. 4. hæretic. fabular. De Donatistis.

A niæ genus excogitarunt, violentam enim mortem martyrium nominant: & qui hanc quidem appellationem assequi volunt, id longo ante tempore ijs, qui secum sentiunt, significant. Illi autem eos omni genere officij obseruant, eisque inseruiunt, & omne ciborum genus afferunt, veluti quædam sacrificio destinata animalia pascentes, & pinguefacientes. Cùm diuturno autem tempore in his delitijs lautè & opiparè vixerint, cogunt eos, quos in vijs inuenerint, ferro eos letaliter vulnerare. Et nonnulli quidem institutum assequuntur, alij verò ab eo excidunt. quis enim sana mente cædis manifestæ crimen in se susceperit? Instar Corybantum itaque furentes, & bacchantes, ex abruptis rupibus, & celsis montium iugis se dant præcipites. Ego autem interim dum de Arianis

B loquor, volo aliquid lepidum, quod eisdem contigit, in medium afferre. Cùm enim permulti ex ijs, instar phasianorum adipati, in generosum quendam iuuenem incidissent, deinde nudum ensem ei porrexissent, iusserunt vt eis afferret vulnera, & se eum interfecturos minati sunt, nisi imperata faceret. Is autem dixit se vereri, ne aliquibus occisis, qui superessent, pœnitentiâ ducti, pœnam cædis ab eo exigerent. Oportere itaque prius vnumquemque eorum vinculo constringere, deinde sic ensem adigere. Cùm illi autem assensi essent, & vincula accepissent, virgis eos cecidit egregiè; deinde vinctos relinquens, abijt. Hanc porrò, ait Theodoretus, verè dæmon malus phrenesim eis immisit. Hactenus ille. Feras Varro vocat, quicunque in se sæuiunt, dubitans qua specie

Insignis æquiuocatio, quâ ridere iuuat magis, quàm reprehendere.

C potissimùm eos designet.

Quámnam te dicam esse feram,
Qui manu corporis feruidos
Aperis lacus sanguinis,
Atque vitâ te leuas
Ferreo ense?

Varro.

Tam impium facinus natura auersatur. Vt enim nullam esse legem fingamus, quæ cædem prohibeat, ipsa tamen natura ab ea vehementius abhorret. Vnde & Stoici, qui mortem adiaphoram, siue indifferentem esse censuerunt, ipsam tamen inter apoproëgmena, siue reiectanea referri voluerunt. Vnde mox sequitur, vt monstra haberi debeant, qui sibi suapte sponte necem machinantur.

D Veruntamen Donatistæ, ne sine ratione insanire viderentur, suum errorem nonnullis cùm exemplis, tum etiam Scripturæ testimonijs tueri solebant. Ionam aiebant iussisse se abijci in mare. Hoc autem nihil aliud fuisse, quàm sibi ipsi mortem consciscere. Sed meminisse stultos oportuit, Ionam fuisse Prophetam, & perspectam habuisse voluntatem Dei, cuius instinctu ita fieri iusserit. Deinde etiam Deus voluit in illo extare typum de Christo: vt quemadmodum ille fuisset triduum in ventre piscis, ita Christus triduum foret in corde terræ. Postremò, non imperans, aut cogens, hæc verba Ionas protulit: sed cùm nosset suâ causâ nauim vectoresque in periculo versari, sciscitantibus quid facto opus esset, aperuit. At Razias quoque in historia Machabæorum seipsum occidit.

Rationes Donatistarum dissoluuntur.

2. Machab. cap. 14.

occidit. Nam cùm se videret vndique circumseptum à Nicanore, nec posse euadere, traiecit se gladio: deinde cùm videret vulnus non esse letale, dedit etiam se præcipitem, &c. Respondeo, non satis constare, an factum illud ab autore Scripturæ commendetur. Tametsi enim viriliter fecisse scribat, & voluisse potius nobiliter mori, quàm vt aliquid indignum suis natalibus admitteret, illud tamen potuit non ex propria sententia, sed ex opinione Raziæ inserere, qui putarit summam eam fore generis, & nominis sui turpitudinem, si Religionis ergo seruilem in modum torqueretur. Atqui Paulus, aiebant, 1. ad Corinthios, cap. decimo tertio: *Si tradidero,* inquit, *corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest.* Ergo, aiebant, licet, modò in charitate fiat. Nam Paulus id non reprehendit, nisi vbi desit charitas. Cæterùm illi imperitè & stultè Pauli verba detorquebant. Ea enim, vt Augustinus ait, sic intelligenda sunt: Si aut mors necessariò oppetenda sit, aut scelus aliquod admittendum, homini pio multò potius esse moriendum: non ita tamen, vt quisquam debeat esse autor mortis suæ: sed vt paratus sit à tyranno, & carnifice quidquid perpeti. Ita socij quondam Danielis videri possunt seipsos tradidisse, cùm dicerent, se mori potius velle, quàm statuam Nabuchodonosor adorare. Et Christus Dominus dicitur, seipsum pro nostra salute tradidisse. Tamen, inquit Paulus, si quis vel ita tradat se, vt à tyranno comburatur, modò ne sit in charitate, nihil illi proderit. Sed Donatistæ hoc etiam iactabant, arbitrium hominis in suis rebus esse liberum. Ergo fas cuique esse, vt seipsum occidere possit, si velit. Sed hoc ridiculum, & vanum est. Solus enim Deus vitæ nostræ ac necis dominus est, & si quos ipse potestatis suæ vicarios esse iussit. Nos Dei serui sumus. An quisquam alienum seruum iure interimat? Sed his iam valere iussis, alijs dicendi potestatem faciamus.

5. Nō patriç, amicorūve necessitas.

Laërtius inter Zenonia decreta, Εὐλόγως τέ φασιν ἐξάξειν ἑαυτὸν τοῦ βίου τὸν σοφὸν, καὶ ὑπὲρ πατρίδος, καὶ ὑπὲρ φίλων. Iustè & cum ratione sapientem educturum se è vita dicunt, pro patria & amicis. Nec desunt qui Catonem ita excusent, quasi exemplo suo docere voluerit, quantum malum in republica libera tyrannis esset: & communem patriæ libertatem vita ipsa videri oportere antiquiorem. Vita quidem nostra profundenda est pro libertate ciuium: sed in acie, & dimicatione. Sua autem manu nemini licet seipsum conficere. Populum autem omnibus iustis rationibus officij sui monere licet: malis verò exemplis docere non licet. Quòd si Cato ita erat studiosus patriæ, quid illi profuit moriendo? Viuus prodesse fortasse potuisset: ereptus nullo emolumento esse potuit. Infinitis partibus melius fecit Paulus noster. Is enim cùm esset in carcere, & acerbissima quæque pateretur, & pro magno lucro habiturus esset, si posset mori, tamen quia se videbat alijs prodesse posse, sua ipse commoda contempsit, & aliorum causâ viuere maluit. Hoc videlicet est boni ciuis, de communi ciuium suorum vtilitate cogitare, non autem exemplo pessimo

Valer. Max. lib. 5. c. 6.

A eosdem ad cædem & interitum prouocare. Quid si hoc patriæ poscat vtilitas, dijque suadeant? Objicitur enim Curtius Romanus eques, qui, cùm terrâ desedisset in medio foro, nec hiatus vllo modo repleri posset, & responsum esset ab aruspicibus, Terram matrem petere id, quod esset in ciuitate præstantissimum, venit eques & armatus in forum: Et dubitatis, inquit, Romanam ciuitatem quicquam habere præstantius, quàm arma & viros? Et incitato equo, desiluit in voraginem, statimque cicatrix obducta est, & pristinum habitum ipsa tellus recepit. Respondeo: Si Curtium istum conferre velimus cum Catone, videbimus eum multò fuisse fortiorem. Non enim ille impatientiâ se occidit, sed studio, & amore patriæ. B Deinde etiam ferebatur sensu aliquo Religionis. Hoc autem malum erat, quod fidem habuit diabolo, quem putabat esse Deum. Si itaque digna videtur eius idololatria, quam sceleris absoluamus, ipse quoque eiusdem impetus ad mortem, veniam merebitur. Nihil porrò ea dæmonis fraude quondam frequentius. Semper ille quidem humanum sanguinem sitit: sed tum præcipuè nectar habet, cùm propria manu scelerate funditur. Itaque non rarò oraculis illum suis expetijt, immissa plerunque calamitate, cuius propulsandæ spe facilius impetraret. Hæc fallacia Codrum Atheniensem, hæc Publium Decium vtrunque Romanos perdidit. Hæc Antipœni filias, quarum Pausanias in Bœoticis meminit. Cùm enim, inquit, Thebani, duce Hercule, cum Orchomenijs prælium commissuri essent, C oraculum redditum est, eius belli victoriam penes eos fore, quorum ciuis, qui generis claritate præstaret, sibi ipsi mortem vltrò consciseeret. Erat Antipœnus natalium dignitate omnium suorum ciuium facilè princeps: sed adduci is non poterat, vt libenter mortem pro populi salute oppeteret: at eius filiæ alacriter se deuouerunt. Necem itaque cùm sibi ipsæ consciissent, publicos honores promeritæ sunt.] Sed à profanis: nam nos, & quicunque cum Deo sapiunt, diabolicas artes damnamus, & execramur. Non enim scelere placatur Deus, aut videri potest Deo placere posse, qui pollutis suo sanguine manibus, & propriæ cædis reus, ad eum per vim erumpit.

D

An sibi quisquam iustitiæ studio, cùm sit nocens, aut etiam à Magistratu iussus, vitam eripere possit?

QVÆST. CXLIII.

Quid si quisquam iustitiæ studio, & vindicandi maleficij gratiâ in seipsum sæuiat? Docebat olim Petilianus vnus è grege Donatistarum, martyres habendos esse, qui se ob peccatum iugulassent: quoniam punijssent quod dolerent admisisse. At nos, inquit Augustinus lib. 1. cap. 26. hoc dicimus, hoc asserimus, hoc modis omnibus approbamus, neminem propter sua peccata præterita, propter quæ magis

S. August de ciuitate Dei lib. 1.

MORTVVS EST SAVL, &c. — Non potest reus seipsũ neci sponte dare. — Cap 25.

hâc vitâ opus est, vt possint pœnitendo sanari, spontaneam mortem sibi inferre debere. Suprà verò cap. 17. Nam vtique si non licet priuata potestate alicui hominem occidere vel nocentem, cuius occidendi licentiam lex nulla concedit, profectò etiam qui seipsum occidit, homicida est. Quis ergo, inquit, tam malus errór obrepit, vt homo se occidat, vel quia in eum peccauit, vel ne in eum peccet inimicus, cùm vel peccatorem, vel peccaturum ipsum occidere non audeat inimicũ? Postremò etiam cap. 17. quoniam aduersarij seipsos exemplo Iudæ tuebantur, quid de nece eius sentiendum sit, paucis aperit. Iudæ factum, inquit, meritò

Actuum 1. Petrus.

detestamur, eumque veritas iudicat, cùm se laqueo suspendit, sceleratæ illius traditionis auxisse potius quàm expiasse commissum, quoniam Dei misericordiam desperando exitiabiliter pœnitens, nullum sibi salubris pœnitentiæ locum reliquit. Et rursum, Iudas cùm se occidit, sceleratum hominem occidit: & tamen non solùm Christi, verumetiam suæ mortis reus, finiuit hanc vitam, quia licet propter suum scelus, alio scelere suo occisus est. Hactenus Augustinus.

1. Rationes autem afferri posse videntur: Prima,
quòd neminem etiam nocentem priuata auto-
2. ritate tollere liceat. Fieri enim aliquando po-
test, vt sontis industria reipublicæ necessaria
videatur, atque adeò Princeps animaduersio-
3. nem ac supplicium remittat. Fieri item non ra-
rò poterit, vt priuatus quispiam ira præceps
allucinetur. quamobrem reorum causas publi-
4. co iudicio permitti æquum est. Sed & illud
vnumquemque terrere debet, quod ait, *Nolle
Deum mortem peccatoris, sed magis vt conuerta-
tur, & viuat.* Nam quo pacto peccatoris volun-
taria cæde placari queat, cùm ab ea vehemen-
tius abhorreat? quamobrem verò eius qui de-
5. liquit optet interitum? Nam si iustitiæ splen-
dor quæritur, non illa satis in ea morte elucet,
quæ ne Sanctis quidem parcit, sed communis
est omnium, & breui temporis spatio circum-
6. scribitur. Sin misericordiam suam studeat no-
uis clementiæ suæ exemplis commendare, non
videtur eo pacto satis cõmodè illustrari posse,
cùm id genus supplicij sontibus irrogari soleat,
quibus indulgentia denegatur. Vnde sequitur,
vt non leui scelere seipsum obstringat, & numinis gloriæ splendorem maculet, quisquis, etiam cùm reus est, sibi machinatur necem.

Imperata mors sontibus. — Tacitus

Quid igitur si Magistratus, aut Princeps mortem mihi indicat, non possim, aut debeam exequi? Fuêre enim, & sunt tempora, aut regiones, quibus id fiat. Sub Tiberio, Nerone, Domitiano, commune mittere Tribunũ, aut Centurionem, *& extremam necessitatem denunciare.* Si quis pareret, & mortem occuparet; manebant testamenta, iusta funeris, prætium, ait Tacitus, festinandi. Sin autem; ecce carcer, carnifex, laqueus, Gemoniæ, fiscus. Diodorus libro quarto, cap. 1. Mos est Æthiopum Regibus,

Diodorus

neminem eorum qui imperio suo pareant, tametsi capitali sententia damnatum, morte punire: sed quidam ex lictoribus mortis signum præferens, ad reum allegatur, quo accepto domum se conferens, sibijpsi mortem consciscit. Reges ipsi, cùm Sacerdotibus visum esset qui in Meroë circa deorum cultum occupabantur, imperata morte, tanquam dijs morem gesturi sibi manus afferebant. Athenienses damnatis olim cicutam propinabãt. Apud Iapanes etiam hodie vsitari aiunt, vt Rex offensus nobilium alicui mandet: *Abi, ventrem tibi scinde:* & ille pareat, faciatque. In his igitur talibus ecquid dicendum? Non possis, inquit Seneca epist. 70. de te in vniuersum pronuntiare. Multa enim sunt, quæ in vtramque partem possunt trahere. Si altera mors cum tormento, altera simplex & facilis: quidni huic inijcienda sit manus? quemadmodum nauim eligam nauigaturus, domum habitaturus; ita mortem vtique, qua sum è vita exiturus, meliorem.] Definit ecce, eligi posse & debere viam eius mitiorem: & ipse à Nerone mori iussus, fecit. Quid autem, inquit Lipsius, nostri hîc Theologi? Firmiter nescio, & audio in Scholis dissentire. Si tamen verè dicimus Legem & Magistratum posse occidere: cur non etiam tali & tali modo, vel manu? Cùm mihi iubent, cur non paream? Iubent, dico: nam si tantùm permittant, vt quondam veneni sibi copiam fieri poscentibus sexcenti Massilensium, palàm est non licere. Ita Lipsius. Quod autem ait, non constare Theologis an reus Magistratui in paranda sibi nece parere teneatur, confirmat Franciscus à Victoria in Relect. 10. de Homicidio, num. 30. quo loco in dubium vocat, an id genus supplicij Magistratus imperare possit, quo sontes seipsos perimant. Nam quod quisquam iugulum paret, quo securi feriatur, aut scalas inscendat, quo furcæ laqueo appendatur, aut montis iugum superet, è quo præceps deijciendus sit, etsi quisquam hoc lege Magistratus faciat, non videtur voluntariæ mortis interdictum violare: sed tantisper dum manus à sua cæde abstinet, nihil facit ab officio alienum. At si quis venenum sorbeat, quo extinguendus sit, aut pectus ferro confodiat, non video qua ratione sceleris purus haberi possit.

Seneca. — Lipsius Philosophiæ Stoicorum li. 3. dissert. 23. — Valer. Max. lib. 2. c. 6. — Fr. à Victoria.

Non debet reus in paranda sibi nece Magistratui obtemperare.

Iussit, inquis, Magistratus, qui vitæ necisque potestatem habet: nec videri potest legem, quę cædem vetat, rescindere, cùm ille seipsum nocentem autoritate publica iuguler. Respondeo tamen (nam illi dubio non assentior) non vide-
ri eam potestatem Magistratui permissam, vt 1.
cuiquam etiam reo mortem imperet: alioqui etiam in absentes, qui latrunculatorem effugissent, sententiam ferre posset, qua cognita, statim sibi vitam abrumpere tenerentur: quod tamen Doctorum hactenus nemo asseuerauit.
quin etiã si qui inediâ aut supplicio perire iussi 2.
sint, docent, si possint, è vinculis fugere, & quemcunque cibum nacti erunt, debere comedere. Accedit quod αὐτοχειρία haudquaquam
necessaria videatur, quo Magistratus saluti pu- 3.
blicæ prospiciat, cùm possit noxios per eos, qui Reipub. seruiunt, è medio tollere. Deus autem imperij vim non amplius valere iussit, quàm opus esset ad sartam tectam tuendam Rempublicam. Adde quod ne obtinere quidem plerunque possit vt fiat, cùm ea res vires

humanas

humanas superet, & plerisque desit animus ad vitam per vim eijciendam. Præterea, naturæ lex est, quam non in scholis didicimus, sed ab
4. ipsa communi omnium parente hausimus, & expressimus, quamque nemo Princeps abroget, Ne sibi quisquam exitium accersat, aut
5. perniciem creet. Vsu quidem venire potest, vt se quispiam non defendat, nec grassatoris impetum prohibeat, quod speret breui incommodo diuturnas molestias fugere, & temporalis vitæ iactura æternas delitias consequi. Hoc enim Christus patientiæ præmium, si quis illius ergo iniuriam toleret, amplissimum proposuit. At quod quisquam carnificis, aut sicarij partes occupans, seipsum enecet, nusquam diuina lege probari legimus. At Iudex imperat. Esto. Scelus imperet: an idcirco obtemperandum erit? Imperium Iudicis suis limitibus circunscriptum est: intra cancellos permissæ potestatis continere se debet: sin foras erumpat, neminem decet illius autoritate commoueri. Quicquid cum iure naturæ pugnat, ab eo frustrà præcipitur. Huius siquidem Deus autor est, cuius decreta conuellere nemini mortalium datum est. Illud porrò primum atque adeò summum naturæ ius est, ne se quisquam destruat. Quinimò, inquis, eo pacto viam sibi atque aditum ad immortalitatem parat. Nam ea iustitiæ studio maximè comparatur. Res-
6. pondeo, qui hæc asserunt, grauissimo in errore versari. Non enim vitæ extinctione sceleris incendium restingui, sed pœnitentiâ. Cuius beneficio seipsum priuat, qui sibi lucem diemque eripit. Illa siquidem ad tempus præsens pertinet: post mortem frustrà suscipitur. Quamobrem, neque Magistratus voluntariam mortem imperare poterit, neque si faciat, reus tutò
7. sententiæ obsequi. Quòd si Magistratus audiendus sit, cur non magis ipsa lex? Hinc sequetur, vt etiam priuatus quisque, qui se id genus flagitium aliquod admisisse meminerit, quod diuina lex aut humana capite sanciat, seipsum iure trucidare possit. Quippe Magistratus autoritas ex lege pendet, cuius ille satelles, & minister est: cui non decet nos ignauè præstolari, siquidem statutæ morti fas sit præuertere. Iam verò quotusquisque nostrûm est, qui sic vitam à principio instituerit, vt non eiusmodi labe aliqua pollueretur? Is error, si fortè idoneum patronum inueniat, statim genus humanum pessundederit. Nam cùm ad sceleris conscientiam non rarò aliunde mœror accedat, qui fragilis vitæ statum fastidiat, complures rerum præsentium tædio victi, quo flagitij memoriam pariter cum ægritudine deleant, præcipitis leti remedium tentabunt: sicque breui pars maxima gentis excidet. Cur enim sibi quisquam parcat, quem res aduersæ premant, & conscientia stimulet, si malorum finem mors allatura sit? Nemo sponte miser senescit: ardemus omnes felicitatis desiderio: sed naturalem impetum iudicij metu Martyres cohibuerunt; quòd certò crederent voluntariæ cædis temeritatem morte sempiterna lui. Superest vt hoc quoq; tandem aliquando quæramus,

A

An tuendæ castitatis gratiâ sibi vitam eripere liceat?

QVÆSTIO CXLIV.

Sanctus Aldhelmus Occidentalium Saxonum in Anglia quondam Episcopus, in eo libro, quem scripsit de laudibus virginitatis, capite decimo quinto, paucis ita suam sententiam complexus est. Magna est puritatis prærogatiua, quam si quis amittere per vim compellatur, si ob hoc, humanum exosus consortium, communi vita sponte caruerit, apud centum quadraginta quatuor millia virginale carmen canentia in cælesti contubernio gratulabitur gloriosus. Quod Eusebius Græcorum historiographus, virgines Deo deuotas fecisse testatur, quæ se pro integritatis pudicitia conseruanda, rapaci gurgitis alueo, per præceps immerserunt. Vnde quidam Patrum: Propria, inquit, manu perire non licet, absque eo, vbi castitas periclitatur. Hactenus Aldhelmus. Eius porrò sententiæ quam laudat, autor est sanctus Hieronymus in caput primum Ionæ, in hæc verba, *Mittite me in mare:* Non est nostrum, inquit, mortem arripere, sed illatam ab alijs libenter excipere: vnde & in persequutionibus non licet propria perire manu, absque eo, vbi castitas periclitatur, sed percutienti colla submittere. At rursum sanctus Aldhelmus eiusdem libri capite decimo sexto: O mirandum negotium, & propemodum inuestigabile decretum! cæteris facinorum flagitijs, quæ mundi statum lugubriter conturbant, cùm quispiam mancipari inuitus cogitur, & spreto libertatis arbitrio, ratum scelus perpetrare compellitur: si sub prætextu cauendi noxam, & declinandi delicta, quolibet exitij genere vim vitæ crudeliter intulerit, extraneus ab Ecclesiæ societate inter biothanatous reputabitur: qua de re conijciatur, quàm pretiosa sit supernis municipibus pudicitiæ generositas, quam nec illud abolere, & obliterare quolibet pacto potest, quod perfectorum merita ludificari, & cuncta virtutum genera euacuare valet. Subijcit & Malchi Monachi exemplum, qui cùm inire matrimonium iuberetur, seipsum gladio petere statuerat, ni consors simulandi remedium obtulisset, quo domini imperium eluderent. Malchi porrò sancti senis apud Hieronymum huiusmodi oratio est. Quid agimus, anima? perimus, an vincimus? expectamus manum Domini, an proprio mucrone confodimur? verte in te gladium: tua magis mors timenda est, quàm corporis. Habet & seruata pudicitia suum martyrium. Iaceat insepultus Christi testis in eremo: ipse mihi ero persecutor, & martyr. Sic porrò fatus, inquit, eduxi in tenebris quoque micantem gladium; &, acumine contra me verso, Vale, inquam, infelix mulier: habeto me martyrem potius, quàm maritum. Hæc ille.

S. Aldhelmus. Voluntaria mors castitatis gratiâ nonnullis olim probata. Euseb. hist. Eccles. li. 8. cap. 12. vel sanè 14. in edit. Daræi.

S. Hieron.

Malchum Ecclesia celebrat Octob die 21 S. Hieron. in eius vita tom. 1.

MORTVVS EST SAVL, &c.

qui statim ostensa spe fallendi, impetum cohibuit.

Euseb hist. Eccl. lib. 8. c. 17.

Exẽpla earũ quæ petulãtiũ libidini spõtanea nece præuerterunt.

At non cohibuit Sophronia, cùm à viro tormentorum metu tyrannicæ libidini dederetur. Ea Præfecti vrbis, Maxentio tyrannidem occupante, vxor fuit. Cuius cùm pulchritudo Maxentio innotuisset, stuprorum ministros misit, qui fœminam ad se deducerent. Sophronia rem ad maritum detulit: qui altùm ingemiscens: Et quid, ait, faciemus, quibus aut hæc toleranda sunt, aut anima ponenda? Quid igitur tum illa? an victa pariter formidine necessitati succubuit? Finxit sanè, & perductores alloquens: Expectate, inquit, donec compta, vt decet, & ornata procedam. Subinde verò cubiculum ingressa, cùm priùs flexis genibus orasset, tanquam pudicitiam suam Deo immolatura, pectus ac viscera correpto mucrone transuerberat: Hæc tyranno mandans per puellas comites; Tales magis placeant tyranno Christianæ fœminæ. Hæc Eusebius. qui eiusdem libri capite duodecimo, complures autor est vitam præcipitio finijsse, ne pudicitiam amitterent. Meminit verò priuatim Antiochenæ cuiusdam nobilis fœminæ, quæ cùm præstantes formâ virgines duas educasset, mortem, ne pollurentur, ijsdem voluntariam suasit. Scitis, aiebat, dulcissimæ mihi filiæ, quomodo vos in disciplina Dei educauerim. Scitis quod à paruulis Deus vobis pater, Deus nutritor, Deus institutor extiterit, & quod pudicitiæ & castitatis bonum ita mecum pariter dilexistis, vt nec oculus quidem vester vnquam (sicut vobis conscia sum) lasciuiore fuerit maculatus aspectu. Quid igitur nunc agimus? Videtis quod ista omnis vis, aut à Deo nos studet, aut à pudicitia separare. Prostituentur ergo publicis lupanaribus membra, quæ aër penè ipse publicus habuit incognita? Ne, quæso, filiæ: quia nec tam parua nobis in Deo fides est, vt mortem pertimescamus: nec tam despecta pudicitia, vt viuere etiam cum turpitudine cupiamus. Quin potius, si placet, quod in omnibus tenetis, etiam in hoc sequimini matris exemplum. Præueniamus impuras carnificum manus, & impudicorum præripiamus incursus, mundumque hunc, qui nos ad impuram & impudicam compellet, ac pertrahet vitam, pura & pudica morte damnemus. His dictis, mater obtinuit vt communi voto mergerentur. Sed & alias præterea duas recenset virgines, quæ genere pariter ac decore insignes, cùm non ferrent publicis edictis ac legibus violari castitatem, in mare sese præcipitarunt. Hactenus Eusebius.

Romanis legibus & aliis cautũ, ne qua virgo necaretur

An fortè tum nouum genus supplicij decretum est, vt virginum pudor illuderetur? Nam hoc tentatum à tyrannis non rarò meminimus, quo earum fidei constantiam inflecterent. An carnificum duntaxat petulantiam atque libidinem notat? Arbitror ita lege cautum, ne qua virgo perimeretur. Strabo libro sexto ait, filias Dionysij Tyranni à Locrensibus stupratas, mox strangulatas, deinde vstulatas fuisse. Verùm illi iræ atque odio indulsisse potius, quàm legi paruisse videri possint. Tacitus

Strabo.

Tacitus.

A Annalium libro quinto, de Romanis agens occasione mortis Seiani filiæ: Tradunt, inquit, temporis eius autores, quia triumvirali supplicio affici virginem inauditum habebatur, à carnifice laqueum iuxta compressam: exin oblisis faucibus enectam. Sunt qui tantum facinus Tiberio ascribant. Vetus interpres Iuuenalis Satyra decima, ex Senatus sententia compressam narrat, vt iure cæsa videretur. Suetonius capite sexagesimo in Tiberium: quia more tradito, ait, nefas esse virgines strangulare, vitiata est prius à carnifice, deinde strangulata. quinimò eam legem etiam in masculis obtinere Nero videri voluit. Qui cùm Britannicum statuisset interficere, crebris, inquit Tacitus, ante exitium diebus, illusisse pueritiæ eius ferebatur; vt iam non puer, neque purus, sed corru-

Suetonius.

B ptus haberetur. Eam turpissimam consuetudinem accusare videtur Chrysostomus, quã vt fugeret Pelagia virgo, vix annos quindecim nata, sponte necem sibi maturauit. Παρεσκεύαστο μὲν γὰρ καὶ πρὸς βασάνους, καὶ κολαστήρια, καὶ ἅπαν τιμωριῶν εἶδος, ἀλλ' ἐδεδοίκει, μή τι τῆς παρθενίας ἀπολέσῃ στέφανον. Καὶ ἵνα μάθῃς ὅτι τὴν ἄθεσμον ἀσέλγειαν ἐδεδοίκει, προλαμβάνει καὶ τῆς ἀσχήμονος ὕβρεως ἑαυτὴν προεξαρπάζει. Parata enim erat, inquit, ad cruciatus, tormentaque, & omne suppliciorum genus perferendum: sed metuebat tamen, ne virginitatis coronam perderet. Hinc autem discas impiorum intemperantiam, Pelagiæ virgini timorem attulisse, quòd ab intemperata illorum hominum iniuria virgo se submonuit, ac præripuit. Nam si licuisset εἰ μὲν γὰρ ἦν καὶ τὴν παρθενίαν διασώσασθαι, καὶ τὸν τοῦ μαρτυρίου στέφανον ἐπιτυχεῖν,

S. Chrysost. tom 1. edit. Ducæi, in laudatione S. Pelag.

C & virginitatem ad finem vsque seruare, & martyrij coronam percipere, ad iudicium ire non recusasset: quoniam verò ἀνάγκη δὲ θατέρου πάντως ἦν ἐκπεσεῖν necesse erat omninò ab alterutro excidere, idoneam causam habuit, ob quam tali iacturæ voluntaria morte præuerteret.

Temerè factum, inquies, & ab adolescentula diuini perinde atque humani iuris ignara. Quinimò, Deo autore, atque adiutore, tantum facinus peregisse. Sanctus Chrysostomus autor est. Ille, inquit, virgini præsto erat, ille ipsius mentem & cor excitabat, ille animum confirmabat: solus, inquam, ille metum omnem eijciebat. Καὶ ἵνα μάθῃς ὅτι ἐκ θείας τοῦτο ἐγένετο, μάλιστα μὲν καὶ ἐξ αὐτοῦ τοῦ ἀπαρασκευάστου τῆς προθυμίας, δῆλον, καὶ τοῦ μὴ συνιδεῖν τοὺς στρατιώτας τὸν

D δόλον, καὶ τοῦ δοῦναι τὴν χάριν, καὶ τοῦ πρὸς τέλος τὸ ἔργον ἐλθεῖν· οὐκ ἔλαττον δὲ τῶν εἰρημένων, καὶ ἐξ αὐτοῦ τοῦ τρόπου τῆς τελευτῆς ἔνεστι συνιδεῖν. Sed vt discas, inquit, non sine diuina prouidentia id factum fuisse, hoc præcipuè licet apertè intelligere ex ipsius virginis proposito, & prompto animo: quodque milites illi virginis dolum non considerarint, sed quod illa petierat, libenter concesserint. quod denique ad exitum res ipsa perducta sit, licet etiam nihilominus & ex ipsa mortis ratione hoc intelligere.] Singula porrò argumenta singillatim copiosè tractat. Ostendit enim primùm solam à militibus domi comprehensam cùm parentes, cùm reliqua familia abessent, nec statim terrore perculsam,

MORTVVS EST SAVL, &c.

cussam, animum despondisse, sed præsenti consilio & mortem occupare statuisse, & artem modumque reperisse, quo perductorum manus procul à se auerteret. Fefellit enim eos secedendi licentiam postulans, quo mundiores cultus indueret. Illa verò haud aliter quàm ceruus è plagis ac retibus elapsa; montium inaccessas rupes celeri cursu superat, extemplò summum tecti fastigium petit, vnde turò venatoribus raptoribusque suis insultaret. Verumenimuerò ὁ Θεὸς, inquit, τὰς καρδίας αὐτῶν ἐπώρωσεν, Deus corda illorum excæcauit, ne dolum suspicione attingerent. Ipsum denique mortis triumphum ita verbis exaggerat. Multi è sublimi tecto deiecti, nihil mali passi sunt: alij verò, quibus corporis membra læsa & mutilata fuerant, post casum ipsum multo tempore superfuerunt. At in illa beata virgine nihil tale Deus ipse fieri permisit: sed statim iussit animam corpus relinquere, eamque ipse accepit, quippe quæ quantum satis fuit, certauerat, & rem omnem impleuerat: non enim mors illa eiusmodi casus naturam, sed Dei iussionem consequuta est. Hinc illi duplicem vestem tribuit: alteram virginitatis, alteram martyrij. In posteriori autem laudatione, quam habet Surius tomo tertio: Cum, inquit, animi fortitudine, & resurrectionis spe multa se induisset, atque corroborasset, ad ipsius tecti fastigium cucurrit, & illinc seipsam præcipitem dedit. Itaque palestræ genus illud exegit, quod vt magnum quippiam aliquando diabolus Domino ipsi proponere ausus erat, cùm diceret: *Si filius Dei es, mitte te deorsum.* Victus es, inquit, diabole: ad eam te puella quædam eius famula prouocauit. Sed hactenus de sancta Pelagia.

S. Chrysost. in Encomio SS Bernices & Prosdoces, atque Domninæ matris earum. Tomo 1. Ducæo interpr.

Subinde verò nec minus dignas habuit Bernicem & Prosdocem virgines, & Domninam earum matrem, quas festis encomijs ac panegyris celebraret. Mater siquidem cùm tyrannorum vim in patria metueret, gemina prole stipata, sponte solum vertit, & Edessam Mesopotamiæ vrbem cum filijs se recepit. Verùm vrgentibus edictis à viro prodita, pedem referre cogitur, & Hierapolim Asiæ Minoris vnà cum filijs venit: quo loco cùm fluuius viam præterflueret, hoc interim spatio dum milites epulis indulgent, matrem cum filijs vndas sponte subeuntes gurges absorbuit. Itaque duplex fuit, inquit, mulieris martyrium, imò verò triplex. Nam per seipsam semel, per filias suas bis martyrium passa est. quemadmodum enim cùm seipsam immittere debuit, multa illi opus fuit tolerantia: sic & vbi secum puellas traxit, altera tantâ indiguit tolerantiâ, immò verò multò maiori. Audiant, inquit, ista matres, audiant virgines: matres quidem, vt filias suas sic instituant; virgines autem, vt ita matribus obsequantur. Denique, ait, cum

SS inuocatio, & reliquiarū cultus.

ardore coram ipsarum reliquijs procidamus. ipsarum capsulas complectamur; neque die tantùm huius festiuitatis, sed alijs etiam diebus ijs assideamus, eas obsecremus, obtestemur, vt patronæ sint nostræ. Multam enim fiduciam obtinent non viuentes modò, sed &

A mortuæ; multóque magis cùm sunt mortuæ. Iam enim stigmata ferunt Christi; cùm autem stigmata hæc ostenderint, omnia Regi possunt persuadere, &c.

S. Ambros.

Chrysostomo in hac sententia astipulatur S. Ambrosius libro tertio de Virginibus, ad Marcellinam sororem scribens: Iam ad finem orationis, inquit, vela pandenti benè suggeris, Soror sancta, quid super eorum meritis existimandum sit, qui se præcipitauêre ex alto, vel in fluuium demerserunt, ne persequutorum inciderent manus, cùm Scriptura diuina vim sibi Christianum prohibeat inferre. Et quidem de virginibus in necessitate custodiæ constitutis enodem habemus assertionem, cùm martyrij extet exemplum.] Secundum hæc verò sanctæ Pelagiæ historiam repetit, quam suprà

B Chrysostomo narrante audiuimus. De qua tametsi Baronius in Notis Martyrologij ad diem 9. Iunij, in voce Pelagia diuersa ab vtroque referri censeat, nodum tamen illum satis commode soluit Ducæus in Notis in sanctum Chrysostomum, num. 55. Pelagiæ porrò hanc orationem tribuit sanctus Ambrosius. Et votum est, & metus est mori, quia mors non excipitur, sed adsciscitur. Moriamur scilicet, vel si nolunt licere, moriamur. Deus remedio non offenditur, & facinus fides ableuat. Iam enim sacrilegas aras præcipitata subuertam, & accensos focos cruore restinguam. Possumus mori nostris armis, possumus mori sine carnificis beneficio. Quam orationem alia matris cum filijs apud eundem excipit, quæ vitam aquis extinguere parabant. Fugiebant, inquit,

Fronto Ducæus.

C seu potiùs auolabant, cùm subitò hinc persecutoribus imminentibus, inde torrente fluuio exclusæ à fuga, inclusæ ad coronam, Quid vetemur? inquiunt. Ecce aqua: quis nos baptizari prohibet? Et hoc baptisma est, quo peccata donantur, regna quæruntur. Et hoc baptisma est, post quod nemo delinquit. Excipiat nos aqua, quæ virgines facit, cælum aperit, martyres reddit. Hinc incincto sinu, quo pudorem tegerent, nec gressum impedirent, consertis manibus tanquam choros ducerent, in medium progrediuntur alueum, vbi vnda torrentior, vbi profundum abruptius, illò vestigia dirigentes. Nulla pedem retulit. Statim verò mater, Has tibi, inquit, hostias, Christe, immolo, præsules castitatis, duces itineris, comites pas-

D sionis. Illa porrò iam defuncta, licet sensu carens pietatis, tamen adhuc seruabat amplexum: & religiosum quem strinxerat nodum, nec morte laxabat: quas ad martyrium iunxerat, vsque ad tumulum vindicabat. Hactenus S. Ambros.

Card. Baronius.

At scribit præterea S. Athanasius in Apolog. quod nonnullæ virgines Alexandrinæ, dum grassarentur in eas Ariani, sese in puteos præcipites egerint. Ita Card. Baronius in Notis ad Martyrologium 9. Iunij in Pelagia. Athanasij Apologias tres legi: primam ad Constantium, posteriores duas contra Arianos de fuga sua. Legi & epistolam ad vitam solitariam agentes, quæ quarta tribus annumerari possit: nec vsquam laudatum à doctissimo viro testimonium

MORTVVS EST SAVL, &c.

Martyrologiũ Rom.

reperi. quamobrem necesse est aut me fefellerit oculorum obtusa acies, aut idem non eo loco, sed alibi legerit. Martyrologium Rom. sanctæ Apolloniæ meritas laudes celebrat nona die Februar. quam testatur in paratum à carnificibus rogum maiori Spiritus sancti flammâ incensam sponte prosiluisse. Admirandam prædicat sanctus Dionysius Alexand. in epistola ad Fabianum siue Flauianum apud Eusebium histor. Eccles. lib. 6. cap. 34. VVenceslai Bohemiæ Ducis festiuam memoriam quotannis Ecclesia refricat Septembris die vigesima octaua: qui tametsi fraternas insidias prædixerat, sponte tamen in eas incurrit. Dicat igitur aliquis, inquit Syluius, homicidam suijpsius VVenceslaum fuisse, negetque cælo dignum, qui certæ se morti obtulerit. Nos Gothorum instante procella, plurimas Romæ fuisse puellas legimus, quæ pudicitiæ suæ vim inferri timentes, & ne in manus hostiles inciderent, in Tyberim sese præcipitauerunt, quæ postea miraculis coruscantes, Sanctorum honores meruêre. VVenceslai sanctitati qua die cæsus est, Deus testimonium præstitit. Hactenus Syluius.

Æneas Syluius Hist. Bohemicæ, cap. 15.

Reuera autem ἶσον, inquit sanctus Athanasius, ἐστι τὸ φονεύειν ἑαυτὸν καὶ διδόναι πάλιν ἑαυτὸν τοῖς ἐχθροῖς εἰς τὸ φονεύειν, in æquilibrio est, & seipsum occidere, & se inimicis ad occidendum tradere. Et Chrysostomus homilia 87. in Ioannem, non nisi autore diabolo quemquam sibi manus afferre docet. Quo pacto igitur tot tantosque Martyres, quorum spectata virtus, etiam post mortem stupendis operibus inclaruit, criminis absoluamus? Respondet sanctus Athanasius, non temerè hoc ab illis, neque inconsultè factum. Τοῦ γὰρ πνεύματος λαλοῦντος αὐτοῖς, ὥς ἀπαντῶντες ἐκείνοις θεοφιλεῖς τυγχάνοντες· καὶ οὕτω πάλιν τὴν ἑαυτῶν ὑπακοὴν καὶ προθυμίαν ἐπεδείκνυντο. Admoniti enim à Spiritu, sese persequutoribus obuios ferebant, etiam tum quoque suum obsequium promptitudinemque declaraturi. Et rursum postea: Εἰ δὲ καί τινες ἐξ αὐτῶν αὐτοῖς προσέρχονται τοῖς διώκουσι, καὶ τοῦτο οὐχ ἁπλῶς ἐγένετο, ἐμαρτύρουν γὰρ εὐθύς· καὶ πᾶσιν ἐγίνετο φανερὸν ὅτι παρὰ τοῦ πνεύματος ἦν καὶ αὐτοῖς ἡ προθυμία, καὶ ἡ τοιαύτη πρόσοδος. Quod si quidam ex ijs se persequutoribus dedidêre, non temeritate eò rapiebantur, sed palàm apud omnes profitebantur, quod vltrò accederent, hoc à Spiritu sancto profectum esse.] Cùm autem Deus iubet, inquit sanctus Augustinus, séque iubere sine vllis ambagibus intimat, quis obedientiam in crimen vocet? quis obsequium pietatis accuset? Et infrà: Qui ergo audit non licere se occidere, faciat si iussit, cuius non licet iussa contemnere. Tantummodò videat, vtrum diuina iussio nullo nutet incerto. Hæc ille. Tametsi reuera, vt Fronto Ducæus annotat in primo tomo Chrysostomi, num. 628. absque peculiari Spiritus sancti œconomia licere seipsum in mortis discrimen præcipitem agere, pudicitiæ tuendæ causa, docuerint olim Patres multi, vt Hieronymus in primo cap. Ionæ, & Ambrosius epistola septima, & citato de virginibus libro tertio. Nunc tamen hæc admiratione potiùs, quàm imitatione sunt digna.] Nec enim si quæ

S Athanas. in Apolog ad Imper. Constãtiũ

S. Chrysost.

S. Athanas. in Apolog. de fuga sua.

S. August. lib. 1. de ciuit. Dei, cap. 26.

Fronto Ducæus.

A nunc sibi manus attulerit, hanc magis Sanctarum exemplum, quas sponte perijsse diximus, sceleris excusabit, quàm parricidij excusabitur, si quis hoc tempore Abrahamum æmulatus, Deo filium immolet. Arbitror autem, si quæ olim hoc tentarint, solo pudoris, atque officij studio, non instinctæ afflatu Dei, ignorantiæ patrocinio potuisse defendi. Quis enim censeat puellæ meritò vitio dari, si ea nesciat, quæ Doctores maximi in dubium vocent. Ad hæc publica laus, quæ eas prosequebatur, quæ stuprum voluntaria morte vitarent, complures in fraudem impellere potuit, quarum temeritas innocentiæ proxima visa est, virtus æterno præmio digna. At hoc tempore, postquam crassior inscientiæ caligo depulsa est, & Doctores communi calculo detestantur eam
B audaciam, si quæ sibi mortem consciuerit, nequaquam veniam merebitur. Nisi fortè apud eas gentes, apud quas hactenus αὐτοχειρίας vsus obtinet; in quibus tametsi non pauci baptismo tincti sint, & Christianam pietatem toto pectore hauserint, necdum tamen ita cumulatè necessaria doctrina atque eruditione instructi sunt, vt ea certa, & explorata habeant, de quibus olim grauissimi Patres diuersa senserunt. Non enim Religionis institutio ac disciplina tota simul infunditur, sed ea sensim animos instillat, ac perficit. quamobrem, si quæ in ijs locis, quæ non ita pridem fax Euangelica collustrauit, ea tentarint pudicitiæ tuendæ gratiâ, quæ plures olim sanctæ virgines simili studio fecisse leguntur, haud dissimili ratione videntur à flagitij suspicione
C vindicari posse. Vt primùm autem contraria sententia, quam Ecclesia amplectitur, publicè innotuerit, nullus priuatim deinceps patebit excusationi locus.

Quam ob causã ignorantia nonnullã in hoc ventã digna censeatur.

Verumenimuerò, quo magis ea res inter omnes liqueat, & Solis luce clarius appareat, quantum id facinus cùm à Dei lege, tum etiam à recta ratione abhorreat, sancti Augustini argumenta repetam, quibus cùm aduersariorum tela retundit, tum suam ipse sententiam confirmat. Primùm enim in quo sita sit ea virtus, aperit, & quàm turpiter allucinentur, qui putent castitatis florem aliena vi posse delibari. Sit in primis, inquit, positum atque firmatum, virtutem qua rectè viuitur, ab animi sede membris corporis imperare, sanctumque corpus vsu fieri sanctæ voluntatis. Qua inconcussa ac stabili permanente, quicquid alius de
D corpore, vel in corpore fecerit, quod sine peccato proprio non valeat euitari, præter culpam esse patientis. Hæc ille libro primo de ciuitate Dei, capite decimo sexto. Nullus enim magnanimus, inquit idem sequenti capite decimo octauo, & pudicus in potestate habet, quid de sua carne fiat, sed tantùm quid annuat mente, vel renuat.]

Sedes virtutis animus.
S August.

Mens impudicam facere, non vsus solet.

Seneca in Hippolyto.

Auertenda noxa est à coacta in autorem delicti. Etenim mentem peccare, non corpus. Vnde consilium abfuerit, culpam abesse. At enim, inquies, ait Augustinus, ne vel aliena polluat libido

MORTVVS EST, &c.

Aliena libido polluere non potest.

do metuitur. Respondet, Non polluet, si aliena fuerit. Si autem polluet, aliena non erit. Quippe, si pudicitia, inquit, animi bonum est, etiam oppresso corpore non amittitur. Quin etiam sanctæ continentiæ bonum est, cum immunditiæ carnalium concupiscentiarum non cedit, & ipsum corpus sanctificatur. Et statim postea. Neque enim eo corpus sanctũ est, quod eius membra sunt integra, aut eo quod nullo contrectantur attactu, cũ possint diuersis etiam casibus vulnerata vim perpeti: & medici aliquando saluti opitulantes, hæc ibi faciant, quæ horret aspectus. Obstetrix virginis cuiusdam integritatem manu velut explorans, siue maleuolentia, siue inscitia, siue casu dum inspicit, perdidit. Non opinor quemquam tam stultè sapere, vt huic perisse aliquid existimet, etiam de ipsius corporis sanctitate, quamuis membri illius integritate iam perdita. Quocirca proposito animi permanente, per quod etiam corpus sanctificari meruit, nec ipsi corpori aufert sanctitatem violentia libidinis alienæ, quam seruat perseuerantia cõtinentiæ suæ. Hactenus cap. 18. Hinc quidam, inquit cap. 19. cum de Lucretia & Sexto ageretur, nõ quid coniunctione membrorum, sed quid animorum diuersitate ageretur, attendens: Duo, inquit, fuerunt, & adulterium vnus admisit. Hæc omnia Augustinus.

Ibid. ca. 18.

Cædis seu potius parricidij rea, quæ se pudoris tuendi gratia interficit.

Ex quibus sequitur, vt si quæ propterea quod vim passa sit, seipsam interimat, non possit non rea cædis haberi. Cur enim homo, inqt, qui mali nihil facit, sibi malefaciat, & seipsum interficiendo hominem interficiat innocentem, ne alium patiatur nocentem: atque in se perpetret peccatum proprium, ne in eo perpetretur alienum? Vos appello leges, inquit cap. 19. Iudicésque Romani. Nempe post patrata facinora, nec quemquam scelestum indemnatum impunè voluistis occidi. Si ergo ad vestrũ iudicium quisquam deferret hoc crimen, vobísque probaretur: non solum indemnatam, verum etiam castam & innocentem interfectam esse mulierem: Nonne eum qui id fecisset, seueritate congrua plecteretis? Et sup. cap. 18. Quod si non habet, quod in se morte spontanea puniat fœmina, sine vlla consensione sua violenter oppressa, & alieno compressa peccato: quantò minus antequam hoc fiat, ne admittatur homicidium certum, cum ipsum flagitium quamuis alienum, adhuc pendet incertum? Denique cap. 25. Quis ergo, inquit, tam malus error obrepit, vt homo se occidat, vel quia in eum peccauit, vel ne in eum peccet inimicus, cum vel peccatorem vel peccaturum ipsum occidere non audeat inimicum?

Ibid. ca. 25.

At enim timendum est & cauendum, ne libidini hostili subditum corpus illecebrosissima voluptate alliciat consentire peccato. Proinde, inquiunt, non iam propter alienum, sed propter suum peccatum, antequam hoc quisque committat, se debet occidere. Sanctus Augustinus respondet: Nullo modo quidem hoc faciet animus, vt consentiat libidini carnis suæ
1. aliena libidine concitatæ, qui Deo potius eiusque sapientiæ, quam corporis concupiscentiæ

A subiectus est. Et rursum: Absit, inquit, à mente Christiana, quæ in Deo suo fidit, in eóque spe posita, eius adiutorio nititur: absit, inquam, vt mens talis quibuslibet carnis voluptatibus ad consensum turpitudinis cedat. Quod si illa concupiscentialis inobedientia, quæ adhuc in membris moribundis habitat,
præter nostræ voluntatis legem quasi lege sua 2.
mouetur: quantò magis absque culpa est in corpore non consentientis, si absque culpa est in corpore dormientis?] Verùm demus hinc non leue periculum castitati impendere, ipsa tamen ascita mors graue peccatum est: Quis igitur, inquit August. ita desipiat, vt dicat: Iam
nunc peccemus, ne postea fortè peccemus: iam 3.
nunc perpetremus homicidium, ne fortè postea incidamus in adulterium? Nonne si tantum
B dominatur iniquitas, vt non innocentia, sed potius peccata eligantur, satius est incertum de futuro adulterium, quàm certum de præsenti homicidium? Nonne satius est flagitium committere, quod pœnitendo sanetur,
quam tale facinus, vbi locus talis pœnitentiæ 4.
non relinquitur?

Hæc dixi, inquit, propter eos vel eas, quæ non alieni, sed proprii peccati deuitandi causa, ne sub alterius libidine etiam excitatæ, suæ fortè consentiant, vim sibi qua moriantur inferendam putant. quod si liceat, cur baptizatus sibi
quisquam parcat? Cur liberatum caput tot 5.
rursus vitæ huius periculis inserat, cum sit facillimę potestatis illata sibi nece omnia deuitare; scriptúmque sit: ***Qui amat periculum, incidit in illud***? Portò si quisquis hoc aggrediendum

Ibid. ca. 27.

C atque persuadendum putat, non dico desipit, sed insanit, qua tandem fronte homini dicit: Interfice te, ne paruis tuis peccatis adiicias grauius, dum viuis sub domino barbaris moribus impudico, qui non potest nisi sceleratissimè dicere: Interfice te, peccatis tuis omnibus absolutis, ne rursus talia vel etiam peiora committas, dum viuis in mundo tot impuris voluptatibus illecebroso, tot nefandis crudelitatibus furioso, tot erroribus & terroribus inimico? Hoc quia nefas est dicere, nefas est profectò se occidere. Hactenus S. Augustinus: cuius nos sententiæ libentissimè subscribimus.

D

VERSVS VII.

Videntes autem viri Israel, qui erant trans vallem, & trans Iordanem, quod fugissent viri Israelitæ, & quod mortuus esset Saul, & filij eius, reliquerunt ciuitates suas, & fugerunt: veneruntque Philisthiim, & habitauerunt ibi.

Vocis Enos complures significationes.

VIri Israel,] אַנְשֵׁי יִשְׂרָאֵל anscei iisrael. אֱנוֹשׁ enosc, calamitosus, ærumnosus. Ea dictio viles plerunque homines significat, quorum dies in laboribus doloribúsq; versantur. Origo

VIDENTES VIRI, &c.

petitur à verbo אנש *anasc*, doluit, grauiter & desperatè ægrotauit. Hinc nonnulli illud Ieremiæ cap. 17. vers. 16. *Et diem* אנוש *anousc non desideraui*; quod Septuag. ἀνθρώπου, Vulgat. *hominis* interpretati sunt, exponunt: *& diem miserum non desideraui*. Eius tamen vocis longè diuersus vsus est lib. 1. Reg. cap. 2. ver. 33. Nam ibi *iuuenes* haud dubiè designat. *Pars magna domus tuæ*, inquit, *morietur, cum ad virilem ætatem peruenerint*. Hebraicè, *morientur* אנשים *anascim* hoc est, *iuuenes*, præcedit enim, *Ne sit senex in domo tua*. Tametsi nec incommodè verti poterat, *infelices & miseri morientur*. Sunt quidem iuuenes ad capessendam fugam magis idonei: arbitror tamen ne senes quidem, parentésq; suos hostium libidini prodidisse. Ezechiel. 24. ver. 17. אנשים *anasim*, lugentes exponuntur. *Et cibum*, ait, *lugentium non comedes*. Nec dubium quin tum Israelitas grauissimus luctus oppresserit, cùm solum vertendum esset, & sedes patria relinquenda. Nec porrò soli viri fugisse credendi sunt: fugit omnis ætas atque in primis mulieres, quarum sexus præ cæteris contumeliis obnoxius manet. Illæ נשים *nascim* Hebræis dicuntur (tametsi נשות *nescoth*, quoque Talmud vsurpet) ab eodem verbo vt apparet, & pari significatione: quanquam vt aiunt per aphæresin literæ א, vt congruat cum אשה *nascah*, oblitus est; quia filiæ nomen familiæ amittunt: sicut contrà זכר *zecher* masculus à *memoria*, quod familiæ nomē retineat & cōseruet ne deleatur.

Maris & fœminæ Hebraica Etymol.

Qui erant trans vallem & trans Iordanem.] Sic quoque Septuag. πέραν τῆς κοιλάδος. Alius legit, *qui habitabant circa conuallem illam, & qui circa Iordanem*. Hoc est, ab vtraque parte loci, in quo prælium fuerat commissum. Pagninus maluit, *qui in transitu vallis, & qui in transitu Iarden*. בעבר *begbener*, Valet autem *in latere, in parte vlteriori*, aut *citeriori, trans, è regione, citra, vltra, contra*. עבר *gbeuer*, transitus, latus, pars & regio vlterior aut citerior pro loci conditione ac circonstantia. Terra Israelis, vt Hebræi docent, tres habebat regiones; terram Iuda, trans Iordanem, & Galilæam. Septuag. πέραν, trans, vltra, plerunque interpretantur. Esaiæ tamen cap. 7. ver. 20. quo loco nos legimus, *in his qui trans flumen sunt*; Hebraicè בעברי נהר *begbeure nahar*, Septuag. transtulerunt ἐξ ἀμφοτέρων τῶν μερῶν αὐτῶν, *ex ambabus partibus ipsorum*. Eam partem hoc loco accipiendam arbitror, quæ Palæstinis citerior fuit. Vallis illa iacet ad radices montis Gelboë, & ex altera parte à Iordane alluitur. Sed vtrinque valles montem obsident: hinc quidem *Illustris*, quæ ad dimidiam tribum Manasse pertinuit: inde altera, quam dicunt *Iezrael*. Hanc Issachar quondam sortitus fuit. Vtraque si Palæstinam spectes, citra Iordanem sita est. An forte ab vtraque fuga facta est? Neutra certè præclaris vrbibus caruit.

Quod fugissent Israelitæ.] Robur exercitus. Non ergo plerique omnes pariter occidione occisi sunt. Pars maxima fugæ præsidio incolumis euasit. Terrore scilicet à Deo incusso perculsi Regem & aciem deseruerunt. Cur enim diutius periclitentur Deo contra pugnante? Atqui martyrii palmam auferre potuerant, si pro Dei lege atque hæreditate sanguinem fundere statuissent. Sed sui duntaxat, non diuinæ gloriæ, aut publicæ salutis rationem habuerunt. Postquam enim Rex sese à Deo alienasset, paulatim quoque populus à Deo deficere cœpit. Inde factum est, vt plerique defectionis sibi conscii haud satis constanter eius promissis fiderent. Vt primum igitur inclinare aciem perspiciunt, & hostem trepidis ac nutantibus ferocius incumbere, statim sese in fugam conferunt, & Regem deserunt, qui suis sceleribus cladis autor fuerat.

VIDENTES VIRI, &c.

Reliquerunt ciuitates suas, & fugerunt.] Hebræi itaque, qui habitabant vltra Iordanem, & vltra vallem, relictis ciuitatibus, recipiunt se ad loca munitiora. Hîc rursus fuga testimonium est iræ Dei. Isti ita trepidant, vt putent se vix vspiam posse tutò consistere. Rectissimè, inquit propheta, *percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis*. Viri fortes, si aliquam offensionem, vt fit, acceperint in bello, conferre solent se in arces & præsidia. Istis autem panicus, & repentinus pauor prorsus omne iudicium, & rationem excussit. Neque enim videbantur Palæstini captis parcituri, à quibus tantis sæpè incommodis affecti fuerant, nuper etiam rege creato, qui eosdem assiduo bello lacesseret. Sed nec vllę militares copię quibus se tuerentur, suppetebant: non dux aliquis qui stragis reliquias cogeret, & cuius auspiciis cum hoste confligerent, aut etiam victoriam extorquerent. Solebant Persæ, vt autor est Herodotus libr. sext. vbi prouinciam, quę defecisset, armis in potestatem redegissent, eandem si fieri posset consertis manibus totam lustrare, ne quis desertor latitans se pœnę subduceret. Persarum, inquit, nauales copię circa deuictam Miletum hybernantes, cùm adiacentes insulas, Chium, Lesbum, Tenedum cepissent, euerriculabant. Euerriculant autem hunc in modum. Viri manum mutuò tangentes, à mari Aquilonari ad Australe pertranseunt: post hęc omnem insulam peragrant, venando homines. Formosissimos quosque puerorum seligentes castrauerunt, exectis testibus facientes eunuchos: virgines forma pręstantissimas ad Regem transportarūt, vrbes cum ipsis templis cremauerunt. Non deerat ratio cur etiam grauiora Israelitę à Palęstinis extimescerent. Nam hi quoque irę indulgere poterant, cum essent ab iisdem non rarò grauissimè lęsi, quorum non ita pridem iugum excusserant: Accedebat ad frequentes iniurias, & internecinum illud odium quo mutuò flagrabant, regionis litigiosa possessio. Nam de patria & auitis sedibus inter eos ambigebatur quis eas retineret. Neque verò iuris experiundi apud delectos iudices vlla potestas erat, sed ferro litem dirimi oportuit; vt quę pars vinceret ea locum sibi vendicaret: quę victa foret, funditus interiret; ne deinceps tanquam iure postliminii

Persarum mos in euerriculandis deuictis prouinciis.

Reliqverunt civitates, &c.

postliminij paternas domos repeterent. Hoc veriti Israelitæ exilium vltrò occupant, ne prorsus deleantur. Hæc autem non de omnibus Iudæis intelligenda sunt, sed de illis tantum, qui in finibus habitabant. Neque hoc statim, vt verisimile est, accidit, sed postea, cum oppressum ruina Saulem & exercitum profligatum accepissent. Narratur tamen hoc loco, vt intelligamus, quanta calamitas istam cædem sequuta sit. Istæ fortasse ciuitates illæ sunt, quas Palæstini postea coacti sunt Dauidi & Salomoni reddere. *Venerunt Philisthiim, & habitauerunt ibi.*] Palæstini ingressi occupant, & vacuas habitatore ciuitates colere incipiunt. Non est credibile eos statim duxisse colonias, pro tempore tantum vrbes occuparunt, & præsidiis tenuerunt: deinde vbi prædam in patriam asportassent, & victoriam festis epulis ludisque celebrassent, cum fractos calamitate Hebræos quiescere & regione cedere intelligerent, communi gentis consilio in subactam prouinciam colonos deduxerunt. Hæc olim veterum non inepta ratio fuit, quo certius & minore negotio ea, quæ bello quæsiuissent, in pace tuerentur. Hoc loco autem Dominicæ sententiæ meminisse iuuabit, quæ asserit, *postquam immundus spiritus exierit ab homine, eundem non inuenta requie redire, & assumptis septem nequioribus se, in pristinam domum per vim irrumpere, & fieri nouissima illius peiora prioribus.*

Versvs VIII.

Facta autem die altera, venerunt Philisthiim, vt spoliarent interfectos, & inuenerunt Saul, & tres filios eius iacentes in monte Gelboë.

Versvs IX.

Et præciderunt caput Saul, & spoliauerunt eum armis: & miserunt in terram Philisthinorum per circuitum, vt annunciaretur in templo idolorum, & in populis.

Versvs X.

Et posuerunt arma eius in templo Astaroth, corpus verò eius suspenderunt in muro Bethsan.

Facta autem die altera.] Postridie eius diei Palæstini egrediuntur in campum, vbi pugnatum fuerat: & quos antea priuauerant vita, eos nunc armis quoque spoliant. Disciplina militari in primis cauere debent Imperatores, ne miles hostem interfectũ statim spoliet. Primum enim vincere oportet, deinde spoliare. Postridie ergo detrahunt spolia: & ex ea re duplex capiunt commodum. Primum enim arma auferunt, quæ quærebant: deinde vident numerũ cæsorum, colliguntque qui, qualésque effugerint. Autor est Herodotus lib. 9. cæso Mardonio Persisque profligatis, Pausaniam Græcorum ducem edicto vetuisse, ne quis prædam attingeret, sed iussit seruos omnem comportare pecuniam. Illos verò per castra dispersos reperisse tentoria auro & argento referta, lectósque auro & argento constratos: crateras etiam aureos, phialásque, & alia vasa potoria, necnon saccos super plaustra, interlucentibus intus inclusis ex auro argentóque lebetibus. Quinetiam è cæsorum cadaueribus exuebant armillas, & torques, & acinaces aureos. Nam varii generis vestiméta nullius momenti habebantur. Sed hæc scilicet fortunatæ gentis vberrima spolia fuerunt. Hebræi Persis nequaquam opibus pares longè minorem prædam victoribus exhibuerunt. Non est autem prætereundũ, inquit Cromerus Rer. Polonic. lib. 21. cùm Tartari Podoliam inuasissent, id quod nulla non ætas miretur, egregium fortis viri facinus, tolerantiæque exemplum singulare. Ioannes Vulodicus, gente Sulimæus, multis vulneribus confectus, cum inter cadauera iacens à victoribus spoliaretur, ita compressit vitalem spiritum, vt cum barbarus caligas de pedibus eius non sine vulnere rescinderet, digitúmque cum annulo præcideret, tamen nullam doloris atque sensus significationem ediderit, sed incredibili patientia vitam seruauerit. Vidisse eum se postea cum illis notis, Dlugossus memorat. Hactenus Cromerus.

Reliqverunt civitates, &c.

Herodot.

Patientiæ exemplum singulare.

Et præciderunt caput Saul.] Ipsam primùm grammatis supellectilem excutiamus. Aldina editio sic habet: καὶ ἀπεστρέψαν αὐτὸν, &c. *Et conuertunt eum*, quasi resupinant. Necessarium fuisse videtur vt eum agnoscerent, nam in gladium ruens, in faciem procubuerat: & Amalecites insuper armilla ac diademate nudauerat, quæ regem prodere potuerant. Complutenses legunt: ἀποκεφαλίζουσι, decapitant, capite minuunt. Alij narrant pluribus Καὶ ἀπεστρέψαν αὐτὸν, καὶ ἐξέδυσαν τὰ σκεύη αὐτοῦ, καὶ ἀπεκόψαν τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ; *Et conuertunt eum, & spoliauerunt vasa eius, & præcidunt caput eius.* Quod autem pertinet ad illud, inquit Nobilius, *& spoliauerunt vasa eius*, optimè respondet Hebræo. Complutens. autem, καὶ ἐκδιδύσκουσιν αὐτὸν τὰ σκεύη αὐτοῦ, *& exeunt seu expoliant eum vasis eius.* Chaldæus, Pagninus, Vatablus, *caput absciderunt, & detraxerunt arma eius.* Non nemo tamen legere maluit; *& extraxerunt indumenta eius.* Sic ille vasa interpretatur. Capiuntur enim hic vasa pro omnibus, quæ adhærebant corpori: hoc est, pro vestibus, armis, & pretiosis ornamentis, quæ regium cultum decebant. *Annunciantes.*] Εὐαγγελιζόμενοι, Al. εὐαγγελίζοντες, *euangelizantes.* Pagninus, *ad annunciandum.* *In templo idolorum suorum.*] Hebraicè בֵּית עֲצַבֵּיהֶם *beth ghatsabehem.* Pagninus cũ Vulgat. tacit. Arias prępolit. *in* delet. & vertit *domo dolorum suorum.* Chaldæus, *in domo errorum suorum.* Alius, *in æde terriculorum suorum.* Terrent enim idola superstitiosórum animos, non erudiunt. Nos iam suprà cap. 12. ver. 21. cum idoli Hebraica nomina inuestigaremus, huius quoq; dictionis עָצַב *ghotseb* etymon exposuimus. Nihil tamen oberit, si addamus præterea hoc tépore

Idoli plures interpretationes.

ET PRÆCIDERVNT, &c.

quàm variè Græci eam vocem diuersis locis transtulerint. Tametsi enim multiplicem vocabuli vim atque emphasim esse voluerunt, quascunque tamen significationes eidem tribuerunt, pleræque omnes bellè in idola quadrant. Et εἴδωλα quidem, & τὰ γλυπτὰ *sculptilia* pluribus locis nuncupant quàm breuiter recenseri queant, τὰς λύπας etiam *ærumnas* siue *tristitiam* sæpius interpretantur, maximè verò statim à principio Genes. cap. 3. ver. decim. sext. quo loco quicquid parturiens molestum ac triste patitur, ea voce designatur. Græci porrò ita reddunt, ἐν λύπαις τέξῃ τέκνα. *In tristitia paries filios*. Cum hac idolorum cultus non absurdè comparatur. Nam si ea spectes quæ sequuntur, nulla res parem tristitiam afferet. Nec alia ratione πόνοι quoque nonnunquam exponuntur. Pariunt enim idola *laborem*, quem nulla quies aut emolumentum excipit. Τῆς ὀδύνης quoque siue *doloris* meminerunt Psalm. 126. 3. & Esaiæ 14. 3. & ἀνομίας siue *iniquitatis* Psal. 138. 23. Horum enim copiosam segetem semper idola suppeditarunt. Aliàs quoque συντρίμματα *contritionem*, vt Psal. 146. vers. 3. & διάπτωσιν *perturbationem* 1. Paral. 4. 9. vocitant; quinetiam αἱ ἀσθένειαι eidem titulo ascribuntur: Psalm. 15. ver. 3. Quippe idolorum seruitus nos conterit, ipsa quieti nostræ inuident, cum nihil sit iisdem imbecillius. Contemptim etiam vt arbitror *sordes & quisquilias* idola appellauere. Vtique eadem vox quæ hoc loco idola designat, Ieremiæ cap. 22. ver. 28. à Græcis περίψημα siue *ramentum* exponitur. Prouerbiorum 15. ver. 1. Scribitur: *Sermo* עצב *ghetsef* (quod *idolum* hoc loco denominat) *suscitat iras*. Arias *verbum doloris* transfert, alius, *molestiæ*; Pagninus *verbum dolore afficiens*. Septuag. λόγος δὲ λυπηρὸς ἐγείρει ὀργάς. *Sermo tristis seu molestus*. Aquila cum Vulgato sentit: huic enim σκληρὸς est siue *durus*, θρασὺς siue *audax & temerarius* Symmacho; πονικὸς *à labore* S. Theodoreto: quorum nihil est quod idolis Gentium non apprimè conueniat.

Prou. 5. ver. 10.

Et præciderunt caput Saul.] Saulis cadauer non tantum spoliant, sed etiam truncant capite. Hæc est vindicta Dei. Noluit illudi sibi viuo: nunc posthuma mortuus afficitur ignominia. Atqui tum sensu carebat, inquis, nec quid hostes agerent, postquam is vita excesserat, illius quicquam interfuit. Reuera si animus pariter cum corpore extinguitur, nihil ad eum hæc ignominia pertinuit. Sed si mortuo corpore pars nostri melior superstes manet, nec desunt stygii carnifices qui eadem illis renuncient, non video quamobrem non iudices eosdem tanta accepta contumelia non posse torqueri. Quo illis ægrè faciant, eadem illis dæmones coram spectacula exhibent. *Præciderunt caput.*] Thalmudici enumerant in *Sutach* cap. decim. viros potissimùm quinque, quibus iisdem in rebus, in quibus excelluerant, pœna inflicta sit. Samsonem in suo robore; 2. Saulem in collo altiori; 3. Absalonem in capillo; 4. Sedechiam in oculis; 5. Asa regem in pedibus. Quid si his sextum Iacob addamus qui in neruo percussus est, quo etiam Angelum superabat? *Præciderunt caput.* τὴν κεφαλὴν, inquit Pollux, ὑπόκειται τράχηλος.

Ignominia & cōtumelia post obitum vrit mortuos.

Percussi in egregiis.

Pollux lib. 2. cap. 4. Sect. 28. & 30.

A Capiti collum subiacet. Hinc τὸ ἐκτραχηλίζειν decollare. Ἐξ ἰσων δὲ σπονδύλοις ἑπτὰ ὁ τράχηλος. Septem porrò spondylis seu vertebris collum insistit. Homerus ἀστραγάλους vocitat. Pherecrates στρόφιγγας cardines, ab aliis στροφεῖς seu verticilli vocantur. Totidem præterea neruorum paribus constat, quæ non modo ceruici, genis, cæterisque capitis partibus motum impertiunt, sed ipsum quoque thoracem cum diaphragmate & lato musculo, omoplatam denique cum brachiis manibúsque quantum satis sit commodè torquent. Spondylorum primus, qui vnâ cum collo vertitur, ἐπιστροφεὺς seu conuersor dicitur. Huius pinnæ, capitis coronæ. Secundus ἀκίνητος ὢν immobilis existens, ἄξων axis. Septimus, tanquam qui reliquos ferat, Ἄτλας Atlas. Totus colli ambitus, δειρὴ, σφαγὴ ὑπάρχει.

B anterior pars infima, quæ gemmis ornari solet. quæ proxima clauibus, ea iratis tumet, σφαγὴ dicitur. Idem quoque partes alias enumerat. Sed satis erit quod ad præsens attinet, illud obiter obseruasse, non fuisse collum illius sicut Sponsæ, quod cum turri confertur, quæ expugnari non possit. Dudum enim à Deo vindice suo ac protectore defecerat. Itaque statim ab hostibus ferro amputatum est. Iosephus addit, filiorum quoque Saulis cadauera capitibus truncata fuisse eodem modo. At id non constat è Scripturis. Imo in Hebræo numerus apparet vnitatis.

ET PRÆCIDERVNT, &c.

Colli descriptio.

Et miserunt in terram Philisthinorum.] Caput Saulis domum remittunt, vt monumentum victoriæ: Saulem autem ipsum truncum relinquunt; qua re nulla mortuo accidere potuit

C grauior contumelia. Cùm Dauid Goliath occidisset, eius caput per pagos & vicos circumtulit cum triumpho, & eum mulieres festis carminibus & cantibus celebrabant. Eadem nunc fiunt de capite Saulis. Huiusmodi vicissitudines frequenter in rebus humanis experiri licet. Antea tamen Palæstini non videntur ita fuisse crudeles cùm Ophni & Phinees filios Heli interfecissent. Nec mirum: ex eo enim tempore creuerat odium. Sæpe enim postea grauiter afflicti fuerant à Samuele, à Saule, à Dauide. Sed & illud suspicabantur perpetuum fore incommodum, si quis se regem deinceps profiteri auderet. Huiusmodi autem malis ac suspicionibus hominum animi redduntur efferatiores. Cum Mar. Brutus esset mortuus, Antonius iussit illum, quamuis hostem, honorificè sepeliri.

D Et ne quid deesset ad splendorem funebrem, adiecit etiam purpuram suam. Idem postea Ciceronis inimici sui capiti impotentissimè illusit, illudque illudendum tradidit Fuluiæ, ac postremo in rostris publicè collocauit.

Et miserunt in terram Philisthiim.] Autor est Suidas in voce θεὺς Ἄρης, olim Petræos Arabas Martem impensius coluisse. τὸ δὲ ἄγαλμα, inquit, λίθος ἐστὶ μέλας τετράγωνος, ἀτύπωτος, ὕψος ποδῶν τεσσάρων, εὖρος δύο. ἀνάκειται δὲ ἐπὶ βάσεως χρυσηλάτου. Simulacrũ autem eius est lapis niger, quadratus, nullã figuram incisam habens, altitudine pedum quatuor, latitudine 2. aureæ porro basi innititur. Lapis est, inquit. Atqui nihil durius silice, nihil Marte immitius. Is etiã color morti simillimus est,

Suidas.

Martis statua exphicatur.

Et miserunt, &c. est, qua nimiopere Mars ipse delectatur. Trunco lapidi nulla facies impressa est, ne videretur speciem aliquam humanitatis induisse. Aureæ basi insidet: nerui belli pecuniæ esse feruntur. Duos tantum pedes latus est. Binarius iustitiæ quædam velut imago est. Ea sola suscipiendi belli ratio esse debet, vt æquitas seruetur, & hostes quæ damna dederint sarciant. Sed pedes quatuor dupla mensura in altum porrigitur. Nusquam Mars seruat modum. Leues iniurias grauiter vlciscitur, & plerumque post ereptam animam adhuc in corpora sæuit. Alcibiadi milites cum caput amputassent, Pharnabazo attulerunt. Xerxes ipse Persarum maximus Imperator interempti Leonidæ corpus cruci affixit. Diodorus de Galatis Rer. antiqu. lib. 6. cap. 9. Capita hostium in acie cadentium abscissa, equorum alligant collo. Hostium spolia sanguine perfusa famulis tradunt, in foribus domorum cum cantu atque hymnis affigenda, quemadmodum feras solent venatu captas. Hostium nobiliorum capita aromatibus vncta, in thecis condunt summa diligentia; ostendentes ea hospitibus: nulloque pretio ea vel parentibus, vel alijs reddunt. Tradunt eorum nonnullos tantundem pensi auri pro capite nolle accipere. Hæc ille quondam de Galatis. Quos mirum non est si in hostium cadauera insultarint: erat enim gens cùm feritatis plena, tum à vera pietate ac fide aliena. At illud horrendum prorsus ac stupendum quod de Sergio summo Pontifice Luitprandus commemorat lib. 1. capit. octauo de rebus per Europam gestis, illum videlicet iam defuncto ac sepulto Formoso, qui non ita pridem Ecclesiæ præfuerat, turpiter atque immaniter illusisse. Quæ tamen idem Sergio tribuit, ea Baronius obseruat Stephano Septimo Pontifice contigisse. Sed quod idem Sergius vt scelus admitteret, Stephano autor extiterit, & ad patrandum sacrilegium impulerit, non immerito eiusdem nomini flagitia ascribi. Vterque porrò tyrannicè Petri sedem occuparunt. Formosum dum adhuc viueret, & sua merita plurimum Ecclesiæ commendarant, & post elatum funus cadauer contumelijs indignissime vexatum, ereptumque naufragio, SS. imagines stupendo miraculo salutarunt. Formoso, inquit, defuncto, is qui post necem Formosi Papa constitutus est, expellitur, Sergiusque Papa per Adelbertum potentissimum Marchionem constituitur. Quo cõstituto vt impius doctrinarumque sanctarum inscius, Formosum è sepulchro extrahi, atque in sedem Romani Pontificatus Sacerdotalibus indumentis indutum decollari præcepit. Cui & ait: Cum Portuensis esses Episcopus, cur ambitionis spiritu Romanam sedem vniuersalem vsurpasti? His expletis, sacratis exutum vestimentis, digitisque tribus abscissis, in Tyberim iactari præcipit, &c. Atqui Pausanias Græcorum dux, iam parta insigni victoria, cum fuisset simili flagitio prouocatus, & nonnulli autores essent vt pariter in hostem animaduerteret, id tamen sceleris exhorruit. Lampon Ægineta Pausaniam adiens

Capita hostium amputata.

Baronius ad ann. Christi. 897.

Luitprandus.

Immanis sæuitia.

A his illum verbis compellauerat, vt scribit Herodotus lib. 9. Fili Cleombroti, rem tu mirificam & magnitudine & fulgore gessisti, cui dij tribuerunt vt liberata Græcia, omnes quos nouimus Græcos gloria superares. Quod superest in hac re, agas ita vt tu maiore fama celebreris, & aliquis Barbarorum posthac caueat nefanda perpetrare facinora in Græcos.

Et miserunt, &c. Herodotus. Indignum iudicat sæuire in mortuum.

Etenim Leonidæ apud Thermopylas interempti, reciso capite Mardonius ac Xerxes truncum in crucem sustulerunt: quibus si vicem reddes, laudem primum apud Spartiatas, deinde & apud reliquos Græcos inuenies. Siquidem suffixo Mardonio Leonidam patruum tuum vltus fueris. Quam orationem vbi ille audijsset, statim retulit. Tuam, inquit, hospes Ægineta, beneuolentiam atque prouidentiam B amplector: erras tamen nec æquum iudicas. Nam & me, & patriam, quos in altum extulisti ob hæc gesta, ad nihilum redigis, quum suades mihi sæuire in mortuum, aisque me auditurum melius si istud fecero, quod Barbaros decet potius facere quàm Græcos, quodque in illis exprobamus. Quare ego neque Æginetis, neque ijs, quibus ista probantur, assentiori contentusque sum Spartiatis placere vt honeste agam, honesteque dicam. Leonidæ autem, cui me iubes parentare, affirmo & ipsi & cæteris, qui apud Thermopylas occubuerunt, magnifice esse parentatum, innumeris horum funeribus. Tu verò posthac ad istud consulendum ne me adieris: quod tibi impune esse, loco beneficij ponas. Hactenus apud Herodotum C Pausanias.

Vt annunciaretur in templo idolorum, & in populis.] lib. 1. Paralip. cap. 10. ver. 9. *vt ostenderetur idolorum templis & populis.* Tandem verò postquam per omnes circumlatum esset, ver. 10. *caput affixerunt in templo Dagon.* In templa scilicet frequentes populi conueniunt: sed & sexus omnis & ætas, quibus foro & curia interdicitur, impune sacras ædes adeunt, quamobrem prædicari in eis victoriam, & caput hostis ostendi Satrapæ statuerũt. Sed & illud præterea spectabant, vt dijs ea felicitas ascriberetur, & eorum laudibus templa personarent. Religionis itaque gratia, gratulandique studio caput Saulis in fana deorum infertur. Ita Romani confecta aliqua insigni victoria, ad puluinaria deorum supplicationes indicere solebant. D Vnde colligimus, Saulis interitum non tantum ipsi & reipublicæ damnosum, sed etiam contumeliosum in Deum fuisse. Palæstini enim de Iudæorum Deo tanquam victo à se, & profligato, triumphos agunt. *Dag.* Hebraice *piscem* sonat. & fortasse Dagon erat Neptunus. Illi verò quod de victoria Deo putabant agendas gratias, nihil errabant. Sed quod Dagonem putabant esse illum Deum, qui solus bella conficit, & victoriam in quam vult partem inclinat, cuique gratiæ deberentur, in eo grauissime errabant. Vnus enim est verus Deus, non alio modo inuocandus ab hominibus, quam per Christum Iesum. Extra hanc fidem qui sunt, nec Deum intelligunt, neç illi credunt. Istæ verò gratulationes Pa-

ET POSVERVNT &c.

Deus patienter fert suo nomini illudi, quo suos ad pœnitentiam reuocet.

læstinorum redundant in summam contume- A liam Dei. Spoliant enim Deum honore suo, dum ornant suos. Sed Deus patitur ad tempus istas contumelias inuri nomini suo, vt hoc pacto suos reuocet in viam. Populus enim alioqui non sumpsisset supplicium de Saule: sed potius eius exemplo deteriores euasissent. Ita Deus seruare quidem potuisset populum, sed perditum moribus ac corruptum. Statim autem postquam is calamitate oppressus fuerit, eundem emendatum recipiet. Palæstinus autem non diu lætitia ista perfruetur. Neque enim Deo rationes vnquam deerunt, quibus illum quoque possit castigare. Hoc enim omnium historiarum monumenta produnt, crudeles tyrannos, postquam in cæde Fidelium bacchati essent, non ita multò post dedisse pœnas & nefando exitio perijsse. Id Syrorum, Ba- B bylonioru m, Macedonum, Romanorum excidio comprobatur.

Idola quare dicantur dolores.

Idolorum suorum.] Idola, vt iam suprà notatum est, Hebraica voce *dolores* appellantur: quia cruciant animos, nullam autem certam consolationem adferunt: vel quia superstitioso corporis cruciatu colebantur. Idololatræ enim plerisque locis solebant se ieiunijs conficere, & corpus lanceolis confodere, & humi cubare, & mille alijs rationibus, quæ valetudinem quidem corporis labefactabant, religionem autem & pietatem nihil promouebant. Itaque

Paulus ad Coloss. ca. 2. ver. 23. Translat. Syriaca.

Paulus ad Colossenses ait, huiusmodi superstitionem *videri* quidem *habere rationem sapientiæ in specie humilitatis & timoris Dei: neq; parcere corpori, non in eo quod honestum est, sed in ijs quæ vsui sunt carni.* Cũ enim temerè corpus læserint, & quæ ad vitã tuẽdã data sunt, abdicarint, libidine furunt, nec vllam honesti rationem habent.

Astaroth.

Et posuerunt arma eius in templo Astaroth.] *Astaroth* erat aut Iuno, aut Venus. *Astaroth* Hebraicè sonat greges, aut caulas ouium. Itaque Sanctus Augustinus putant *Astaroth* fuisse Iunonem. Nam ea colebatur forma ouis: vt Iuppiter Ammon forma arietis. Dicitur autem in numero multitudinis *Astaroth*, fortasse, quod plures essent Iunones. Erat enim alia Samia, alia Argiua, &c. Cicero in 3. de natura deorum putat Astarthẽ deam Sidoniorum fuisse Venerem. Sed credendum in hac re Augustino magis est, quàm Ciceroni. Lingua enim Punica compluribus in vocibus erat simillima Hebraicæ. Hic apparet Palæstinos non ita parum vidisse, quin intelligerent victoriam esse donum Dei. Itaque decernunt supplicationes ad omnia deorum templa. Sic enim Romani solebant ornare templa hostium exuuijs, & spolia in Capitolium inferre. Romulus cum Acronem sua manu occidisset, Ioui Feretrio opima spolia consecrauit. De Palæstinis qui hoc loco dicuntur *arma Saulis posuisse in templo Astaroth*, scribitur 1. Paral. 10. *arma eius consecrasse in fano*

Cœlestis dea, siue Vrania.

Dei sui. Hebr. אלהיהם Elohehem. Quod nomen commune cum esset omnium deorum, videtur vtrique sexui nullo discrimine tribui potuisse. De dea Cœlesti siue Vrania, quam non pauci Astarthen fuisse putant, tametsi nos antea pluribus cap. 7. ver. 4. nihil tamen oberit, si quæ nunc occurrunt, ea obseruasse. Persæ, inquit Herodotus lib. 1. Vraniæ quoque sacrificant; sic nimirum ab Assyrijs Arabibusque edocti. Arbitror eandem cum Venere facere, quam Assyrios Mylittam vocare docet, Arabes Alittam, Persas Metram. Scythæ autem, qui Regij vocantur, Cœlestem Venerem, vt idem lib. 4. auctor est, Artimpasam nominant.

Pausanias.

De ea Pausanias in Atticis, Non longe abest, inquit, Ἀφροδίτης Οὐρανίας siue Cœlestis Veneris delubrum, quam primi omnium Assyrij coluere: à quibus Paphij in Cypro acceptum sacrorum ritum, cum Phœnicibus qui in Palæstina Ascalonem vrbem incolunt; Phœnices cum Cytherijs communicarunt. Athenis vero eam religionem induxit Ægeus, cum Veneris ira & sibi prolem deesse, & sororibus calamitatem immissam putaret. Eandem Parcarum natu ma- B ximam ex Epigrammate docet. Æginæi, inquit in Achaicis, præ cæteris Cœlestem religiosissime colunt, in cuius ædem penetrare viris nefas. Meminit denique in Bœoticis tres Veneres ligneas Thebis fuisse; quas factas ferebant de rostris Cadmi nauium, qui vtique è Phœnicia soluens eò quondam appulerat: Οὐρανίαν, Πάνδημον, καὶ Ἀποστροφίαν; Vraniam, purum significans, & corporum cupiditate vacantem amorem: Popularem, ob Venerios congressus; Apostrophiam siue Auersatricem, quæ ab exlege cupiditate, & incestis stupris hominum genus auerteret. Ad extremum addam & quod Lucianus habet in narratione sua de Dea Syria. Nam cũ

Lucianus.

dixisset nonnulla Syrorum templa cum Ægyptijs de antiquitate certare, statim aliquot exẽ- C pla protulit, atque inter cætera hoc ipsum quod ad deam nostram pertinet. Est autem, inquit, & aliud templum in Phœnicia magnum, quod Sidonij celebrant, Astartæ, vt quidem ipsi dicunt. Astarten autem ego puto Lunam esse. Sacerdotes Europæ illud esse memorant, Cadmi Sororis & Agenoris regis filiæ; quæ cum euanuisset ex oculis, Phœnices finxerunt à Ioue raptam, & templo eandem honorarunt. Ita Lucianus.

Astarte quæ fuerit.

Idolis quæ autoritatẽ conciliarẽt

Idola porrò veteres variis artibus ac dolis commendabant. Nam præter oracula quæ ipsi plerunque mentiebantur, vt docet Lucianus in Alexandro Pseudomante: idolorum alijs falsa miracula ascribebant, alia è celo delapsa prædicabant, pleraque etiam animata deoque plena. Canopo cuidam Ægyptiorũ idolo fraus D Sacerdotis autoritatem maximam conciliauit, & reliquis superiorem præstitit. Nam cum

Suidas in Κάνωπος.

Chaldæi ignem, quem numinis loco colebant, insolentius iactarent, & reliquarum gentium deos vicisse gloriarẽtur, Sacerdos Canopi fictilem hydriam crebris foraminibus interpunctã aqua plenam ceraque obductam variis coloribus depinxit, ac veteris idoli caput eidem inseruit: quæ vt primum ad ignem admota incaluit, liquefactâ cerâ, & aquis erumpentibus, Chaldæorum numen extinxit. Inde Canopo celebris fama parata. Quod si fingendi miraculi copia deesset, simulacrum cœlo allapsum commenti sunt, non rarò clàm necatis artificibus quo religio facilius serperet, & propagaretur in dies. Huiusmodi idolum Διιπετὴς dixerunt

Idem in Διιπετής.

Et posuerunt &c.

runt à Ioue delapsum, siue ἐξ οὐρανοῦ κατερχόμενον A
de celo descendens. Sic quondam Ptolemæus eos, qui Dianæ Alexandrinæ simulacrum elaborauerant, clandestinis insidijs oppressit ac terra obruit. Postremò eò demum impudentia erupit, vt nonnulli viuentia simulacra certis argumentis deprehendere se affirmarent. Vbi enim in hæc incidissent, toto corpore atque animo commoueri ac velut numine corripi: si quæ diuinæ mentis expertia forent, ab his nullo inspirationis sensu affici. Sic enim Heraiscus Ægyptius, cum esset magus, & religionis ac sanctitatis opinione passim celebraretur, complures in fraudes induxit. Sed de his iã satis superq; t. 1. c. 5

(Idem in ἱερολόχοις.)

Posuerunt arma in templo.] Locus inquit Pollux in quo Deos, ἱερὸν καὶ ναός templum & fanum vocatur: quo vero Deus collocatur σηκός, τέμενος; Sacellum & delubrum dicitur. Quod ante B
sacellum est, πρόδομος, vestibulum: ἢ καὶ τὸ κατόπιν siue pars posterior, ὀπισθόδομος postica: per quam ingredimur, προπύλαια porticus nominatur. In templo itaque victi Saulis arma collocata sunt. Ea consuetudo olim apud omnes obtinuit. De Romanis testatur Liuius lib. 10. de Æde Quirini per Papyrij Consulis filium dedicata: Exornauit, inquit, hostium spolijs. Valer. lib. 7. cap. 6. tit. 2. Opera M. Iunij Dictatoris Rempub. administrantis, spolia hostium affixa templis, deorum numini consecrata, instrumenta militiæ futura. Nam ea quandoque bello vrgente inde auulsa fuisse poëtæ testantur. Statius 12. Thebaid.

(Pollux lib. 1. cap. 1. Sect. 2.) (Hostium arma templis affixa.)

> *Pax inuenta perit, patrijs modò fixa reuellunt*
> *Arma deis, clypeisque obducunt pectora fractis.*

Et Silius lib. 10. *Ite, ocyus arma* C
> *Diripite, ô pubes, templis; vos atria raptim*
> *Nudate, & clypeos in bella refigite captos.*

Sed ea fixa idem graphicè depingit l. 1. Punicor.

> *In foribus sacris, primoque in limine templi*
> *Captiui currus, belli decus, armaque rapta*
> *Bellantum ducibus, sæuaque in marte secures,*
> *Perfossi clypei, & seruantia tela cruorem,*
> *Claustraque portarum pendent.*

Nec alio spectat illud Lucani Poëtæ Pharsal. l. 6.

> *Non tu bellorum spoliis ornare Tonantis*
> *Templa potes, non tu lætis vlulare triumphis.*

Apud Herodotum lib. 8. cum Phocenses Thessalorum exercitũ profligassent, tribus millibus scutorum potiri, dimidiam partem apud Abas, alteram dimidiam apud Delphos dedicauerũt. D
Alcæi poëtæ arma cum rapuissent Athenienses eo fugiente, apud templum Mineruæ in Sigeo suspenderunt. Pausanias in Atticis in æde Mineruæ Poliadis meminit Masistii loricæ, qui ad Platæas Persarum equitum dux fuerat: & acinacis, qui Mardonii ductoris exercitus fuerat, Xerxis legati. Nulla frequentior religio. Quin etiam si propria hosti eripuissent, ea tẽplis affigebant. Testis parma Atheniensis Cydiæ, quæ hosti erepta est, cũ ipse fortiter occubuisset. Illa Ioui liberatori dicata inscriptionẽ hanc habuit.

(Pausanias in Phocicis)

> *Cydiæ erat parma hæc iuuenili corpore clari,*
> *Hospes quam sacram conspicis esse Ioui.*
> *Huic cubitum inseruit flammato corde sinistrum,*
> *Cum premeret Mauors armipotens Galatas.*

(Horatius.) Nec Horatius aliud innuere videtur, cùm lib. 4. ode 15. ait:

> *Et signa nostro restituit Ioui,*
> *Direpta Parthorum superbis*
> *Postibus.*

Et posuerunt &c.

Iudith verò historiæ eius cap. 16. ver. 23. narratur post victoriã *vniuersa vasa bellica Holophernis, obtulisse in anathema obliuionis.* Iudas verò Machabæus cæso cum exercitu Nicanore, *præcepit caput eius, & manum cum humero abscissam, Hierosolymam perferri. Quò cùm peruenisset, conuocatis contribulibus, & Sacerdotibus ad altare, accersiit, & eos qui in arce erant. Et ostenso capite Nicanoris, & manu nefaria, quam extendens contra domum sanctum omnipotẽtis Dei, magnificè gloriatus est: linguam etiam impii Nicanoris præcisam iussit particulatim auibus dari: manum autem dementis contra templum suspendi.*

(1. Machab. cap. 15. v. 30)

Corpus autem eius suspenderunt in muro Bethsan.] De capite iam diximus, illud affixum fuisse tẽplo Dagon. At Iudas *Nicanoris caput in summa arce suspendit, vt euidens esset & manifestum signum auxilii Dei.* Id sæpè factum ab aliis, quo terror hostibus incuteretur. Triumuiri Lepidus, Antonius, atque Octauius cùm nobilissimos Romanorũ libertatis vindices proscripsissent, eorum abscissa capita in rostris collocarunt. Artaxerxes Cyri minor, fratris sui caput, & manũ, tanquam de ea triumphans, circumtulit. Ctesias Persicor. lib. 20. apud Photium. At Onesili caput, qui Cypriis autor fuerat vt à Persis deficerent, cùm Amathusii supra portas suspendissent, iam exinanitum cùm examen apum subiisset, fauo refersit. Hinc religione coorta consultoque oraculo, depositum caput humarunt, & quotannis tanquam Heroi sacrificarunt, immanitate primum, deinde superstitione amẽtes. Narrat Herodotus lib. 4. Quo loco etiam Pheretimæ meminit, quæ vlciscendi studio cum Barcæos cædis Arcesilai filii sui autores suffixos sudibus per ambitum murorum statuisset, mãmas etiã fœminatũ circa muros appendit. Sed nõ ita multò post viuẽs vermibus computruit.

(Capita hostium.)

Corpus suspenderunt in muro Bethsan.] Alij, *Affixerunt clauis ad murum.* Alij *in platea muro iuncta.* inf. 2. Reg. 21. ver. 12. De Bethsan Iud. 1. 27. Adrichomius in tribu Manasse num. 13. Bersan quoque & Nisan dictam scribit, postremò etiam Scythopolin, cum à Scythis instaurata & habitata esset. Solinus fabulatur à Libero patre conditam, delectis ad incolendum Scythis. Huius apud S. Hieronymum & Iosephum frequẽs est mentio. Vrbs Decapoleos maxima, sita in planitie & campo magno, & delicato valde, inter montem Gelboe & Iordanem, à quo medio miliario distat. Ex hoc oppido tribus Manasse accolas pristinos nõ potuit expellere. Nominat illam Scriptura interdum *domum San,* quod inimicum sonat. Cæterum S. Hieronymus? duas Bethsan facit: Alia est, inquit, Bethsan in Iudicum, alia in Iosue. Sunt qui dicant confinium esse Ephraim & Manasse, vrbem Manasses in Isachar. Sane hanc esse vicinam oportuit monti Gelboe, & ciues ijs moribus, quibus Iosephus Scythopolitas describit Iudæorum generi infestissimos. Fuit hæc quondam Metropolis tertiæ Palæstinæ sedes Archiepiscopalis, cuius suffraganei Episcopi nouem numerantur. Hoc tempore oppidulum, raro habitatore cultum,

(Bethsan.)

Corpus suspenderunt &c. Diodorus. Plerosque Reges parata mausolea frustrantur.

Suspenderunt.] Plerique reges extructis magnificè sepulcris nequaquam perfruuntur. Ægyptij quondam reges miracula pyramidum pro monumentis sibi excitarant. Diodorus lib. 2. rationes earum sumptuarias recognoscens, docet in opus prioris impensam pecuniam in olera tantùm & herbas, cibos opificum, ad mille & sexcenta taléta peruenisse. Verùm, inquit, nullus ex ijs, qui eas sibi pyramides in spem sepulturæ condidere, in illis sepultus est. Nam partim labor, qui nimius populum insanis substructionum molibus oppresserat, partim ipsa regum crudelitas atque insolentia ita superstites concitauit, vt eorum aut corpora dissiparent, aut monumentis eiicerent. Quocirca plebis iram veriti plerique domesticis mandarunt, vt eorum corpora obscuro atque ignobili loco clanculum terræ mandarent.

Suspenderunt corpus.] Palæstini non contenti occidisse Saulem, & eius caput amputasse, cadauer etiam eius suspendunt ad mœnia vrbis Bethsan. Nec eius tantum cadauer suspenderunt, sed etiam filiorum. Id intelligimus ex eo quod sequitur, Iabenses cadauera Saulis, & eius filiorum de mœnibus sustulisse. Crudele autem erat, illudere cadaueribus: quod poëtæ quoque in Mezentio tyranno damnauerunt. Deus in lege sua edixit, vt cadauera ante occasum Solis tollerentur de furcis: idque Iosue in Regulis illis, quos suspenderat, obseruauit. Id tamen Gabaonitæ postea sequuti non sunt in posteris Saulis. Contempserat prior diuinas leges cum sanguinem innoxium funderet, parceret nocenti: neque dignus erat qui legis beneficio frueretur. Saul ergo, qui ante fuerat benedictus Dei, nunc factus est execrabilis. *Maledictus enim est omnis, qui pendet in ligno.* Nec tãtum Saul, sed etiam Deus ipse videtur quodãmodo factus execrabilis. Palæstini enim victores eius nomini, & religioni insultant, quod nõ intelligerent, eius decreto hæc ita contigisse. Putabant enim Deum infirmum esse, nec potuisse populum suum defendere. Ista ergo pertinent ad ignominiam, non tantum Saulis, sed etiam Dei. Hoc vidit Moses: & idcirco ad húc modum intercessit pro populo apud Deum. Ne occidas, inquit, ô Deus, illos in deserto. Sunt quidem illi digni, in quos ita sæuias. Sed Gentes non ita accipient. Dicent enim, te non potuisse inducere eos in terram, quam illis promisisti: & idcirco occidisse eos in vasta solitudine: atque ita nomen tuum afficietur ignominia. Et Ezechiel cap. 20. ita inducit Deum loquentem. Se quidem eleuasse manum, vt populum illum perderet: sed id efficere noluisse propter nomé suum. Non dicit propter illorum pœnitentiam aut quòd illi facti essent meliores. Hoc tamen Deus non semper facit: quandoque enim affligit populum suum ad tempus, etsi non ita diu. Hic ergo videmus, Deum duplici causa affici ignominia: vel propter grauia peccata, vel propter supplicia suorum. Nam si nos perdite viuamus, dicent statim Infideles: Quis iste Deus est, qui talem habet populum? At si suppliciis atteramur, dicent nos in imbecillem & miserum Deum incidisse, qui nos tueri suo

Suspendio si quondam sepultura donati.

Seruorum Dei contumelia apud ignaros eiusdem iudicorum in ipsum redundat.

præsidio non possit. Ita hodie Turcæ, cùm videant plerosque Christianos turpiter & impure viuere, & sæpe à se superari, iactant religionem suam longe esse meliorem. Et certe si spectamus euentum, Palæstini videri potuerunt sanctiores quàm Iudæi, & Turcæ hodie quàm Christiani. Verùm nos oportet non successibus metiri religionem nostram, sed lege atque institutione Dei.

Corpus suspenderunt &c.

De salute Saulis nihil possumus statuere: difficile enim est de alterius in suprema vitæ periodo conditione iudicare. Nihil tamen offertur nobis in Scripturis, vnde possimus de illo bene existimare: omnia de illo horrenda proponuntur ad exemplum nostrum, vt nos nobis caueamus. In Paralipomenis scribitur eum occubuisse in bello, regnum transiisse ad alium, & postremo eum mortuum esse in peccato suo. Quãquam id non incommode intelligi potest, sceleris ergò interiisse quod admiserat. Seruauerat Agag, quem Deus proscripserat, quemque cum omni gente sua deleri præceperat: occiderat Sacerdotes, quos sacra vnctio, quos innocentia securos atque inuiolabiles præstare debuerat: Samuelem ad sacrificium non expectauerat, tametsi Deus ita imperasset: Dauidem innocentem persequutus fuerat, & illi semel, iterum, ac tertiò fefellerat fidem: Pythonem nefarie consuluerat. Postremo tanquam pro colophone ipse sibi consciuit necem. Sed nec vspiam veræ pœnitentiæ vestigium vllum reliquit, Quid ergo superest quod de eius salute speremus? Deus tamen potuit (quod fecisse non apparet) eidem in vltimo spiritu constituto afflare pœnitentiam.

Versus XI.

Quod cùm audissent habitatores Iabes Galaad, quæcunque fecerant Philisthiim Saul,

Versus XII.

Surrexerunt omnes viri fortissimi, & ambulauerunt tota nocte, & tulerunt cadauer Saul, & cadauera filiorum eius de muro Bethsan: veneruntque Iabes Galaad, & combusserunt ea ibi.

Quod cùm audissent habitatores Iabes Galaad.] De ea vrbe & monte nos antea pluribus cap. 11. ver. 1. Iosephus ait eam vrbem aluisse viros præstantissimos. Istos sane apparet, non tantum corpore robustos fuisse, sed etiam fortes animo. Videntur enim sui capitis periculo redimere voluisse regiam sepulturam. Nec tantum priuatum erat illud periculum, quod prouocabant, sed etiam publicum. Fieri enim potuisset, vt Palæstini hac audacia commoti, in illorum ciuitatem arma conuerterent. Iabéses meminerant, se summo eius quandoque affectos fuisse beneficio. Liberauerat enim eos ab Ammonitis:

Cvm avdissent, &c.

Ammonitis: qui non tantùm eos in seruitutem depoposcerant, sed etiam præterea minati fuerant, se velle illis oculos dextros extundere. Eius ergo beneficij memores Iabenses, Saulis, & filiorum cadauera furtim auferunt à furcis, & honorificè sepeliunt. Illud factum probatur etiam Dauidi, iustissimo alioqui Saulis inimico. Et quoniam Dauid erat vir Dei, & propheta, non est dubium factum illud probatum fuisse etiam Deo. Sed aduersati sunt, inquies, consilio Dei: ille enim eos & ita mori, & ita suspendi voluit. Res autem non spectandæ sunt ex secundis causis, sed Numinis voluntati obtemperandum. Quemadmodum enim scribitur in Paralip. Deum occidisse Saulem ministerio Palæstinorum, ita eundem per eos suspendit. Pugnátne ergo cum consilio Dei? Minimè gentium. Deus enim vtrumque voluit, & Saulem ita suspendi, & Iabenses esse gratos in eum, à quo fuissent affecti beneficio. Ista non ita pugnant, quin Deus vtrumque velle potuerit. Quamuis autem Deus ita statuisset Saulis cadauer à Palæstinis vexari contumelijs, nusquam tamen hoc illis priuatim imperauerat: sed satis est vt hoc intelligamus, eorum vlciscendi libidinem ac sæuitiam cohibere noluisse. Iabenses autem ita à Deo instituti erant, vt patrem ac matrem quouis honore dignos ducerent. *Honora*, inquit, *patrem ac matrem*. Quæ verba etiam quemlibet magistratum complectuntur: is enim est communis patriæ pater. Huc etiam accessit alia obligatio, quòd Saul illos diræ seruituti ereptos in libertatem vindicasset. Palæstini quidem grauiter peccabant, quòd nimis impotenter animo, atque odio suo, & corruptis affectibus indulgerent. Deus tamen cùm soli iustitiæ studeat, in eodem facto omni odij suspicione vacat. Saul etsi statim post adeptum regnum reliquo vitæ tempore malus fuerat, antea tamen bonus fuisse prædicatur: & Iabensibus opem ex animo tulerat, cuius beneuolentiæ nequaquam eos obliuisci decuit.

Sed quæ potest esse charitas erga hostes Dei? Primùm respondebo generatim: deinde ad Saulem regrediar. In vniuersum quod attinet ad impios, non possumus statuere, illos excludendos esse ab omni fraterna charitate. Videndum enim est, non tam qui sint, quàm qui esse possint. Possunt enim se quod aiunt ad meliorem frugem recipere, & fraternum nomen quod abdixerant rediuiua pietate mereri. Debemus quidem eos prolixiori benignitate complecti, qui virtutem reipsa colunt, & fidem suam ac religionem bonis operibus ornant. Nam Philosophi quoque suo more aiunt, actum potentiæ anteponi debere. Itaque etiam Dauid in Psalm. ait, *Sanctis, qui sunt in terra eius, omnis voluntas mea est*; vt Pagninus vertit. Et Paulus item ait, nos oportere in primis beneficos esse *erga domesticos fidei*. Et rursum ad Ephesios, Per omnem orbem terrarum auditam esse illorum *charitatem in sanctos*. Sed sanctitas vel in actu esse potest, vel in potentia. Quod ad Saulem attinet, iam quidẽ in melius mutari non poterat. Confecerat enim cursum

Ne mali quidẽ, donec spes aliqua manet pœnitentię, odio habendi sunt.

A suum. Sed cùm incertum esset in quo statu migrauerat, & num priusquam exhalaret animam, Deo autore resipuisset, nullum ei charitatis officium denegari debuit. Nam & corpora Sanctorum omni studio nos curare decet, & si qua forte superioris vitæ culpa laborant, enixè conari, vt quamprimùm nexu soluantur. Veruntamen, vt ego quidem arbitror, hoc factum Iabensium magis ad obseruantiam pertinet, qua regem colere debuerant, & gratitudinem erga Deum. Quemadmodum enim antea per Saulem à Deo beneficium acceperunt, ita nunc vicissim per Saulem meritam Deo gratiam memori mente persoluunt. Nam etsi pater sit nequissimus, tamen filius ab eius obedientia non absoluitur: nisi si fortè pater illum sollicitare velit ad peccandum.

B Palæstini nullam habebant iustam causam cur ita in Saulem mortuum desæuirent: sed Deus habuit. Sed illi quoniam in vltione non tenent modum, postea dabunt pœnas. Ita Prophetæ toties prædicunt de Babylonijs. Et Deus apud Zachariam, *Ira magna ego irascor super gentes opulentas: quia ego iratus sum parum, ipsi verò adiuuerunt in malum*. Vos, inquit, animaduertendi licentiam in eos cupidè arripuistis: sed in malum, vt expleretis odium vestrum & funditus eos perderetis, non vt illos meliores faceretis. Sed quis, inquies, illis præscribebatur modus, aut terminus vltionis? Respondeo, humanitatis: vt essent videlicet erga illos animo placabili. Id enim lex ipsa naturæ præscribit. Iabenses autem sequuti sunt officium suũ.

Zachar. c. 1. ver. 15.

Humanitas in reos cõmendatur.

C Ita Ionathas, quamuis non nesciret peccatum patris, tamen eum pro officio suo sequutus est ad bellum. Et Samuel, etsi sciret Saulem abiectum esse à Deo, tamen ab officio suo non discessit. Et iudex ciuilis etsi ex lege pronunciet sententiam capitalem, tamen tangi debet misericordia erga illum, quem condemnat. Ita Nero in illo suo quinquennio, cùm esset adhuc bonus princeps, rogatus vt subscriberet sententiæ capitali, Vtinam, inquit, nescirem literas. Quod diximus autem, non esse deserendum officium nostrum erga malos, id ita contrahendum est, quatenus liceat per verbum Dei. Nam si Deus secus iubeat, nulla habenda est ratio officij. Idcirco Saul peccauit grauiter, cùm Agag seruaret incolumem. Deus enim iusserat eum interfici. Achab quoque peccauit,

D cùm seruaret Regem Syriæ Benadab, quem Dominus tradiderat in potestatem eius, ne vltrà molestus esset Israëlitis. Deinde etiam videndum est, ne obsequium nostrum foueat alienam impietatem. Sed hic magno opus est iudicio. Vt enim sumus philautiæ corruptelis deprauati, sæpè nimiùm indulgemus prauis affectibus. Satius autem multò est in alteram partem benignitate peccare. Minus enim mali est in iuuando malum, quàm in lædendo bonum.

Et tulerunt cadauer Saul.] Cùm Prussi idolorum cultui dediti, S. Adalbertum Apostolum suum de Christo concionantem, ac sacris mysterijs operantem, confodissent atque interemissent, Boleslaus Primus Dux Poloniæ, dilata

Cromerus.

ET COMBVSSERVNT EA IBI.

in aliud tempus vltione: eius corpus ab eis redemit: & minimo quidem, inquit Cromerus, propterea quòd appensum in statera corpus, perexiguum ponderaret, diuina (vt creditum est) virtute efficiente. Tantum enim argenti, siue auri, vt alij volunt, barbari pacti erant, quantum corporis ponderi responderet. Ita narrat Cromerus lib. 3. de reb. Polon. in Boleslao 1.

Tullius. Varij gentium ritus in sepeliendis corporibus.

Et combusserunt ea ibi.] Cadauera mortuorum non omnes quondam pariter habuere. Nonnullos diuersarum gentium ritus M. Tullius lib. 1. Tuscul. paucis ita complexus est. Condiunt Ægyptij mortuos, & eos domi seruant. Persæ etiam cera circumlitos condiunt, vt quàm maximè permaneant diuturna corpora: Magorum mos est, non humare corpora suorum, nisi à feris sint antea laniata. In Hircania plebs publicos alit canes, optimates domesticos, nobile autem genus canum illud scimus esse, sed pro sua quisque facultate parat, à quibus lanietur. Hos Cicero: Longè plures Silius Italicus lib. 13. Punicor.

Cura ista per omnes, inquit,

Silius Italicus.

Discrimen seruat populos, variátque iacentum
Exequias, tumuli & cinerum sententia discors.
Tellure, vt perhibent, is mos antiquus Iberâ,
Exanima obscœnus consumit corpora vultur.
Regia cùm lucem posuerunt membra, probatum
est
Hircanis adhibere canes. Ægyptia tellus
Claudit odorato post funus stantia saxo
Corpora, & à mensa exanguem non separat
vmbram.
Exhausto instituit Pontus vacuare cerebro
Ora virum, & longum myrrhata reponit in æuū.
Quid qui reclusa nudos Garamantes arena
Infodiunt? quid qui sæuo sepelire profundo
Exanimes mandant Lybicis Nasamones in
oris?
At Celtæ vacui capitis circundare gaudent
Ossa (nefas) auro, & mensis ea pocula seruant.
Cecropidæ ob patriam Mauortis sorte peremptos
Decreuere simul communibus vrere flammis.
At gente in Scythica suffixa cadauera truncis
Lenta dies sepelit, putris liquentia tabo.

Romanorum morem describit Virgil. Æneid. lib. 6.

Virgilius.

Principio, ait, pinguem tædis, & robore secto
Ingentem struxere pyram, cui frondibus atris
Intexunt latera, & ferales ante cupressos
Constituunt, decorantq; super fulgentibus armis.
Pars calidos latices, & ahena vndantia flāmis
Expediunt, corpúsque lauant frigentis, & vngunt.
Fit gemitus: tum membra toro defleta reponunt,
Purpureásque super vestes, velamina nota,
Coniiciunt: pars ingenti subiere feretro
Triste ministerium, & subiectam more parentum
Auersi tenuere facem, congesta cremantur
Thurea dona, dapes, fuso crateres oliuo, &c.

Hactenus Virgilius eius consuetudinis præcipua quæque capita perstrinxit, cuius Varro apud Nonium, Heraclidem Ponticum autorem facit his verbis:

ET COMBVSSERVNT EA IBI. Varro.

A *Quare Heraclides Ponticus plus sapit,*
Qui præcepit vt comburerent, quàm Democritus,
Qui vt in melle seruarent: quam si vlgus (sententiam)
Sequutus esset, peream si centum denarijs
Calicem mulsi emere possimus.

Eustathius. Causæ veterum in cremandis corporibus

Eiusdem consuetudinis varias rationes affert Eustathius Iliad. α. quarum præ cæteris illam doctis placuisse video, vt eo primùm consilio à priscis cremata defunctorum corpora credantur, quòd ea quæ impura credebant, flamma purgaret. Atqui longè secus lib. 7. cap. 54. veterum mentem Plinius interpretatur. Ipsum cremari, inquit, apud Romanos non fuit veteris instituti. terra condebantur. At postquam longinquis bellis obrutos erui cognouêre, tunc institutum.] Hactenus Plinius.

Plinius. Gutherius.

B Sed Plinio non assentitur Gutherius De iure Manium lib. 1. cap. 26. Siquidem contrarium, inquit, & Numæ leges, & XII. Tabulæ probant. Frustrà enim rogo vinum infundere prohiberet Numa: frustrà Decemuiri mortuum in vrbe sepelire vel vrere.] Constat vtique Cœlius ait, veterem fuisse Græcis morem cadauera comburendi, quod à Septentrionalibus diu item seruatum animaduertimus. Ad quæ statim hæc addit: Exustionis verò ratio affertur non vna, alijs opinantibus, quod in nobis diuinum est, igneo veluti vehiculo ad superna subuectum cœlestibus inseri, subsidente quod terrenum est. Alij (quod antea referebamus) in eo purificationem quandam intelligere maluerunt: quoniam sit ignis ἁγνιστικόν quiddam, id est expurgandi vim habens: nam & purgationes, quas catharmos vocant, nō citra ignem fiebant; quod significat Euripides, vbi Clytemnestræ corpus igni depuratum scribit. Sed sententiam priorem in Scyllæ rogo approbare videtur Lycophron, & præterea Indorum Gymnosophistæ. Heraclitus, qui ignem prodidit rerum principium, in eundem corpora resolui debere pronunciauit. Cuius instituti Herculem nonnulli autorem perperam faciunt. Sed ille hactenus.

Rhodigin. lib. 17. c. 21.

C

Nunc illud inter nos ambigitur, Saulísne corpus & natorum eius, Iabenses, siue Herculis, siue Heraclidis aut etiam Heracliti, seu potius antiqui moris autoritatem sequuti, incendio consumpserint? Negat Calchas apud

D Philostratum in Heroic. in Aiace Telamonio, eos qui sibi manus attulissent, licere igni sepelire. quamobrem idem Aiax humi sepultus est. Deinde non erat illa consuetudo Iudæorum, vt cadauera comburerent. Imò ea sepulturæ ratio à Christianis nunquam recepta est. Isti tamen ita facere voluerunt, vel quòd illa cadauera iam computruissent, vel ne illa à Palæstinis denuò repeterentur. Vatablus Roberti, *Combusserunt*, quòd scilicet iam essent putrida, & plena vermibus, combusserunt carnem vsque ad ossa. Iunius, id est carnem eorum, tum quia iam Soli & aëri exposita computruerant, tum quia hac ratione prospiciebatur, ne rursus corpora illa ludibrio exponerentur; atque hanc eandem rationem, putà vt ludibrijs eximerentur

ET COMBVSSERVNT EA IBI. tur cadauera, veteres obseruauerunt: quemadmodum de L. Sylla Dictatore testantur Tullius lib. 2. De legibus, Plinius lib. 7. Nat. Histor. cap. 54. & Plutarchus. Hæc ille. Isidorus Clarius. Quidam, ait, dicunt, quod carnem corporis, quæ iam vermibus scatere cœperat, combusserint, indignum rati, quod Rex cum vermibus sepulturæ traderetur. Hæc ille. Textus ipse fauet. Statim enim sequitur: *& tulerunt ossa eorum.* Primi quoque Paralip. cap. 10. ver. 12. *Attulerunt cadauera Saul & filiorum eius in Iabes, & sepelierunt ossa eorum subter quercum, &c.* Alij tamen incensos duntaxat odores interpretantur. Repete quæ supra scripsimus in ver. 1. cap. 25. Isidorus Clarius in hunc locum. Quidam, ait, intelligunt per hanc combustionem, aromaticam perfusionem: sicut & Ioseph patrem suum in Ægypto aromatibus condiuisse scribitur. Eadem habet Munsterus quæ probare non possum: non enim corpora sed ossa sepulturæ mandata Scriptura refert. Non itaq; corpora condita sunt: sed si quis odoribus pateat locus, illi simul, quo grauem vstrinæ odorem depellerent, cum laceris artubus cremati sunt. Etsi verò neque caro ipsa flammas pasceret, neque viscera vnguentis conditentur, ipsum tamen funus regium ex incensis odoribus redolere consueuisse Scriptura memorat. Idq; hoc loco à Iabensibus vsurpatum Chaldæus asserere videtur, cùm ait: *Et cremauerunt super illos, sicut cremant super reges ibi.* Festus acerræ meminit, quam aram fuisse definit, quæ ante mortuum poni solebat, in qua odores incendebantur. Decemuiralis lex eas adhiberi prohibuit, quo sumptibus parceret. Matronæ Rom. quantam odorum vim in funus Syllæ certatim contulerint, lege apud Plutarchum in eius vita. Statius cùm Priscillæ exequias eleganti penicillo describeret, odorum quoque meminit his versibus:

Odores in funeribus.

Statius.

Quis carmine digno
Exequias, & dona malè feralia pompa
Perlegat? omne illic stipatum examine longo
Ver Arabum, Ciliciùmque fluit, floresq; Sabei,
Indorumque arsura seges, præreptáque templis
Thura, Palæstini simul, Hebræique liquores
Coryciaque comæ, Cynareiaque germina, &c.

Odores in funere lancibus portabantur, vnguenta vasculis, quæ statim vi maxima in corpus infusa rogi flamma sorbebat. Quod autem alij censent referente Clario, asportata cadauera statim Iabenses myropolarum arte condiuisse, idq; verbis istis significari, haud ita facilè in animum induxerim. Si quis tamen Hebræorum fabulæ fidem habeat, nouerit id genus officij haud illepidè à Corippo depictum lib. 3. de laudibus Iustini Minoris Num. 1.

Corippus.

Thura, inquit, Sabæa crepant, fragrantia mella locatis
Infundunt pateris, & odoro balsama succo.
Centum aliæ species, vnguentáq; mira feruntur,
Tempus in æternum sacrum seruantia corpus.
Supremum patri talem celebrabat honorem
Augusto melior Iustinus Cæsare princeps.

Sed mihi prior illa sententia magis probatur, & huc magis accedo, vt carnes igne consum-

A ptas putem, & si qui odores oblati sint, hos quoque arcisse credam. ossa duntaxat, quæ in sepulcrum inferrentur, funeri superfuisse. ET TVLERVNT, &c.

VERSVS XIII.

Et tulerunt ossa eorum, & sepelierunt in nemore Iabes, & ieiunauerunt septem diebus.

ET tulerunt ossa eorum.] Hoc quoque, ait Herodotus lib. 9. apparuit postmodum in his mortuis carne nudatis (Persas se dicere intelligit, quos ad Platæas Pausanias profligauerat) vt cùm eorum ossa comportarent vnum in locum Platæenses, inuentum sit caput nullam suturam habens, sed ex vno osse solidum: item maxilla, cum eo quod super maxillam est, habens dentes, etsi distinctos, tamen ex vno osse vniuersos tam molares quàm cæteros. qu netiam ossa viri quinque cubitorum. Ita Herodotus. Herodot.

B

Et tulerunt ossa eorum.] Atqui hoc vetabant XII. Tabulæ apud Romanos. *Homini mortuo ossa ne legito.* Extat apud Ciceronem l. 2. de legibus. Sed hanc pluribus interpretatur Iacobus Ræuardus *l. Etsi. 14. §. impensa. & l. Diui fratres. 39. D. de relig. & sumpt. fun.* Multum, ait, interesse puto inter ossa homini mortuo legere, & inter ossa hominis mortui legere. Nam ossa hominis, quæ dispersa sunt, & non cohærent, cùm simul colliguntur, tunc homini ossa legi dicuntur. Seneca lib. 2. de Ira: Dignus fuit, cui permitteret à conuiuio ad ossa filij legenda discedere. Sed homini mortuo leguntur ossa, cùm eius cadaueri aliqua ossa adimuntur. Eoq; sensu viuis ossa legere dixit idem Seneca lib. de Consolat. Legere siquidem pro adimere, & auferre veteres dixerunt. Pertinet autem ad hunc morem id quod Festus scribit, Membrum olim abscindi mortuo solitum, ad quod iusta fierent, reliquo corpore combusto: id quod hac lege Decemuiri fieri prohibent, nisi quis *aut peregrè, aut in bello mortuus esset.* Tum enim permiserunt ei ossa legi, quo post funus fiat: hoc est, membrum aliquod adimi, ad quod seruatum iusta Romæ fierent, reliquo corpore apud peregrinos flāmis tradito. Hæc ferè Ræuardus. Hoc loco non alio consilio collecta ossa legimus, quàm vt in proximo nemore conderentur. Id genus officij apud Romanos paucis ita describit Virgilius in funere Miseni lib. 6.

Hominis, aut etiam homini ossa legere. Ræuardus.

C Seneca.

D

Postquam collapsi cineres, & flamma quieuit:
Reliquias vino, & bibulam lauere fauillam,
Ossaque lecta cado texit Chorineus aheno. Virgilius.
Idem ter socios pura circumtulit vnda,
Spargens rore leui, & ramo felicis oliuæ:
Lustrauitque viros, dixitque nouissima verba.

At explicat amplissimè, ait Gutherius lib. 1. de iure Manium, c. 28 Hunc ossium legendorum ritum Tibullus poëta lib. 3. Eleg. 2. docetque Funeræ hoc fuisse officium, vt reliquias legeret cùm flamma quieuisset. Funera Seruio, mulier est, ad quam funus pertinet. Hæc distincta, pedibus nudis, nigra veste, crinibus passis, la-

Et sepelierunt, &c. Suetonius. Dio lib. 55.

crymisque ora rigantibus colligebat. Augusti, ait Suetonius cap. 10. reliquias legerunt primores equestris ordinis, tunicati & discincti, pedibusque nudis, ac in Mausoleo condiderunt. Ossa matris & fratrum defunctorũ Caligulam sua manu legisse ferunt. Collecta sinu excipiebant, & lota vino ac lacte osculabantur, & vnâ cum odoribus lacrymisque, quæ vitreo vasculo continebantur, prius quàm refrixissent, vrnâ includebant, & in tumulum inferebant. Hæc & plura Romani in funeribus obseruabant, quæ non dubito quantum superstitio aberat, & lex ipsa sinebat, à Iudæis hoc loco vsurpata fuisse.

Et sepelierunt.] Phocylides in Poëmate De mysterijs Iustitiæ:

Phocylides

Terram impertire insepultis cadaueribus,
Nec tumulum mortuorum refodias, neque non aspectabilia
Soli monstres, diuinámque iram accersas.
Inhonestum est hominis compagem resoluere.
Et mox è terra speramus in lucem prodituras
Defunctorum reliquias: postea verò dij erunt.
Animæ namque incorruptæ manent in mortuis.
Spiritus enim Dei est imago, & vsus mortalibus.
Corpus verò ex terra habemus, & omnes in eam
Resoluti puluis sumus: cœlum verò Spiritũ recipit.

Hæc ille penè Christianè. Rite sepultos deos manes euadere plerique veterum crediderunt, & animam è sepulcro aut rogo erumpere. *Animámque sepulcro condidimus* ait Virgilius. At nos

S. Epiphan.

οὐ γὰρ θάπτομεν, inquit S. Epiphanius in Ancorat. Τὰς ψυχὰς ἐν τοῖς μνημείοις, ἀλλὰ τὰ σώματα. haudquaquam sepelimus animas in monumentis, sed corpora: quæ vbi posita sunt, accedunt, & inclamant nomina proferentes eorum qui siti sunt, ἀνάστα, φάγε, πίε, εὐφραίνου, *Surge tu, comede, bibe, & lætare:* tanquam hactenus delitescens in sepulcris anima horum quicquam exaudiat. Quod si Phocylides, ea quæ ex Philosophorũ sententia protulit, ad resurrectionem futuram contulisset, haud dubiè videri poterat cum Religionis nostræ placitis conuenire. *Sepelierunt.*] Ossa eorum, quæ carne nudauerant. Fuit autem quondam *Ossuarium* dictum, in quo ossa iacerent. *D. de sepulcro violato lege 2.* quo loco *Ossuarium* lex appellat autore Celso Græcè ὀστεοθήκη. Sic Castellano in Prouincia veteri inscriptione, Iulia fuscinia *Ossuarium* viua sibi fecit. Consule Cuiacium 10. Obseruat. 37. in fin.

Ossuarium.

Sepelierunt.] Veruntamen Scholæ Rhetorum personant: *Homicida sui insepultus abijciatur.* Sed hunc ritum siue legem potentiores plerunque studio superstitum eluserunt. Nam & Erigone suspensa laqueo, vt virgo inter astra ignita colitur: & Gordianus senior qui laqueo gulam sibi fregerat, inter deos à Senatu recensetur. Denique hoc nusquam apud Iudæos obtinuit. Achitophel lib. 2. Reg. cap. 17. ver. 23. Sponte *suspendio perijt, & sepultus est in sepulcro patris sui.*

Minutius Fel.

Capitolinus in Gor.

In nemore Iabes.] Non enim erat tum vsus cœmiteriorũ. Ita Iacob nutricem Rebeccæ sepeliuit sub arbore. אשל *escel* generatim significat omne lignum. Sed in Paralip. vna tantum species ligni nominatur אלה *Elah*, vel *allah*, quam variè LXX. Τερέβινθον, τὴν δρῦν transferunt. Hebraica vox, vt quibusdam visum est, execra-

Genes 8. ver. cap. 35.

In nemore Iabes. &c.

tionem denotat: fortasse quod dignus haberetur quem omnes execrarentur, qui nobilem aliquam arborem sustulisset. Hoc loco generale illud nomen Scriptura vsurpat אשל *escel.* Vatablus, Alij vertunt *sub vlmo.* LXX. Complut. *sub arboreto.* Aliàs ὑπὸ τὴν ἄρουραν *sub aruo.* Alij aliter. Optimè Vulgatus *in nemore Iabes, au bois de Iabes*: quam translationem ex nouatoribus Iunius æmulatus est.

In nemore Iabes.] Statim à principio nascentis Ecclesiæ Ecclesiastica benedictio cœmiteria designauit, in quibus Fidelium corpora conderentur. Sed vt primùm excitatis basilicis siue Ecclesijs, in eas Sanctorum reliquiæ translatæ sunt, ibi quoque sedulò quisque sepulturæ locum captare cœpit, tametsi is impetus aliquandiu legibus Ecclesiasticis impeditus sit. *Capitul. lib. 1. tit. 169.* Mortuos in Ecclesia nullus sepeliat. Theodulphus Aurelian. Episcop. ad fratres Compresbyteros, Antiquus, inquit, in his regionibus in Ecclesia sepeliendorum mortuorum vsus fuit, vt plerunque loca diuino cultui mancipata, & ad offerendas Deo hostias præparata, cœmitaria siue poliandria facta sint. Vnde volumus vt ab hac re deinceps abstineatur, vt nemo in Ecclesia sepeliatur. Hæc ille. Concilium Bracar. 1. can. 18. Placuit vt corpora defunctorum, nullo modo in basilica Sanctorum sepeliantur, sed si necesse est, deforis circa muros basilicæ, vsque adeò non abhorret.] Sed ea lex dum quisque sibi Sanctorum præsidium parat, obtinere non potuit. Quinimo apud Iulianum episcopum Toletanum lib. 1. Prognost. cap. 19. 20. videmus Fideles quoscunque in ecclesijs sepeliri solitos, & quidem apud memorias Martyrum, vt ipse inquit. Constantinus apud Eusebium vitæ suæ lib. 4. c. 60. Constantinopoli inter duodecim thecas Apostolorum in templo quod extruxerat, sepeliri voluit. Ὡς ἂν καὶ μετὰ τὴν τελευτὴν ἀξιῷτο τῆς ἐνθάδε μελλούσης ἐπὶ τιμῇ τῶν Ἀποστόλων συντελεῖσθαι εὐχῆς, sic *fore* προορῶν *prouidens, vt defunctus quoque, precationum, quæ ibidem essent ad Apostolorum gloriam offerendæ, particeps efficeretur.* Πλεῖστα ψυχῆς ὀνησιφόρον τὴν τῶν ἀγίων μνήμην γενέσθαι αὐτῷ πιστεύων, *quamplurimum vtilitatis illorum memoriam animæ suæ conciliaturam existimans.* Nec verò solus Constantinus, tametsi ne huius quidem leuis autoritas habenda est: tantum sibi de vicinia sepulcri polliceri ausus est: sed idem quoque S. Ambrosius Satyro fratri in Ecclesia S. Nazarij ad latus Martyris sepulto celebri epitaphio spopondit.

Aliquando vetitum, ne locus in Ecclesijs sepulturæ esset.

Ad memorias Martyrum quamobrem veteres optarint sepeliri.

Eusebius.

Vranio Satyro supremum frater honorem
Martyris ad læuam detulit Ambrosius.
Hæc meriti merces, vt sacri sanguinis vmor
Finitimas penetrans adluat exuuias.

Apud Gruterum in Inscriptionibus pag. 1167.

S. Ambros.

Hanc spem veterum atque fidem complura testantur epigrammata, quæ Gruterus sepulcra legens passim collegit, atque illud in primis quod Vercellis Sarmatę presbytero inscriptum est Inscript. pag. 1169. postremi versus hæc loquuntur: *Sarmatam*

Nazarius pariter Victorque beati
Lateribus tutum reddunt, meritisque coronant.
O felix, gemino meruit qui Martyre duci
Ad Dominum meliore viâ, requiémq; mereri.

S. Augustinus

Et ieiunaverunt, &c.

S. Augustinus.

Sanctus Augustinus in lib. De cura pro mortuis cap. 4. *Non video*, inquit, *quod sit adiumentum mortuorum, nisi ut sepeliendis corporibus apud memoriam Sanctorum locus, nisi ad hoc, vt dum recolunt vbi sint reposita eorum quos diligunt corpora, eisdem Sanctis illos tanquam patronis susceptos apud Dominum adiuuandos orando commendent.* Audet amplius aliquid sanctiss. ille Paulinus Nolanus, sanctorum Patrum elogijs celeberrimus, & cum filiolum Compluti in basilica SS. Martyrum Iusti atque Pastoris terræ mandasset,

S. Paulinus in Panegyrico de obitu Celsi pueri.

Propinquis, ait,
Coniunctum tumuli fœdere Martyribus,

Subinde mentem suam aperiens, docet hoc pacto à se filiolo autoritatem quæri,

Vt de vicino, Sanctorum sanguine ducat,
Quo nostras illo purget in igne animas.

Hæretici in SS. Basilicis volũt sepeliri.

In quem locum non pauca Ros-Vveydus in Not. quorum nonnulla studiosè delibaui. Hactenus verò nostrorum temporum hæretici, tametsi à Catholica fide abhorreant, & Sanctorum negent vllo patrocinio posse defendi, per vim in eorum basilicas irrumpunt, & suis cadaueribus clàm noctu aut aperto marte illatis Ecclesias nostras polluunt. Ornari volunt maiorum suorum titulis, qui meram pietatem ac religionem prædicant, & eosdem Sanctis commendant, quos ipsi per summam stultitiam abdicarunt. Qua mente, quoue consilio, etsi quæram maxime, non inuenio, nisi forte quæ palàm verbis asserunt pertinacissime, haud satis firma fide teneant.

Et ieiunauerunt septem diebus.] Statius Papinius Syluar. lib. 5. 1. Abscantium ereptam sibi coniugem mœrentem talibus affatur:

Statius.

Felix piorum obitus.

Quid nunc immodicos iuuenum lectissime fletus
Corde foues? &c.
Nempe times, ne Cerbereos Priscilla tremiscat
Latratus? tacet ille pijs: ne tardior adsit
Nauita, proturbetque vadis? vehit ille merentes
Protinus, & Manes placidus locat hospite cymba.
Præterea si quando pio laudata marito
Vmbra venit, iubet ire faces Proserpina latas,
Egressasque sacris veteres Heroidas antris
Lumine purpureo tristes aperire tenebras,
Sertaq. & Elysios animæ prosternere flores.

Hæc ille finxit quo amici desiderium leniret, quod capiebat è coniuge, cùm tamen in summa rerum, quæ post mortem sequuntur, caligine versaretur. At non finxit Chrysostomus, qui certa fide nouerat quanta numerò felicitas eos, qui, quæ pertinent & ad veritatem, & ad fidem non migrassent, migrantes ad Deum exciperet. *Principio quidem*, inquit, *super mortuos planctus & lamentationes fiebant: nunc autem Psalmi & cantus Hymnorum. Fleuerunt igitur Iacob quadraginta diebus, fleuerunt & Moysen totidem & alij Iudæi & planxerunt, quoniam mors tum temporis mors erat: iam verò non ita, sed Hymni sunt, preces & Psalmi, quæ omnia volu-*

S. Chrysostomus in Homil. de Bernice & Prosdoce soror. Martyribus. Tom. 1. Edit. Duc. homil. 51.

A *ptatem in ea re esse declarant. Psalmi enim tranquilli & hilaris animi signum sunt: Æquo* enim est animo quis in vobis? Psallat: *quoniam igitur lætitia affluimus, idcirco Psalmos super mortuos Psallimus, qui nos cohortantur vt mortem non timeamus.* Conuertere enim, *inquit*, anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. *Vides beneficium esse mortem ac requiem? qui enim ingressus est in requiem illam, ab operibus suis requieuit, vt à proprijs Deus.* Et rursum Homil. 4. in Epistol. ad Hebræos, Τί βούλονται αἱ λαμπάδες αἱ φαιδραί, τί δὲ οἱ ὕμνοι; *Quid sibi volunt claræ lampades? quid autem Hymni?* οὐχὶ τὸν θεὸν δοξάζομεν, καὶ εὐχαριστοῦμεν, ὅτι λοιπὸν ἐστεφάνωσε τὸν ἀπελθόντα, ὅτι ... τὴν ψαλμῳδίαν, ταῦτα πάντα χαιρόντων ἐστίν. Εὐθυμεῖ γάρ φησί τις, ψαλλέτω. *Annon Deum glorificamus, & gratias agimus, quod eum, qui excessit, iam coronauerit? non ideo psalmodia? Hæc omnia sunt lætantium.* Est enim quispiam, *inquit*, æquo animo? Psallat. Quod ne temere quisquam dici opinetur, aut frustra morti lætitiam ascribi, accipe quæ de eadem paucis Chrysostomus prædicet. Ἀνάπαυσις γάρ ἐστιν ὁ θάνατος, καὶ πόνων ἀπαλλαγὴ, καὶ ἱδρώτων ἀντίδοσις, καὶ ἀγωνισμάτων καὶ στέφανος. *Est enim requies quædam mors, laborum finis, sudorumque retributio, ac certaminum præmium & corona.* Quamobrem igitur illam tátopere prisci quondam patres exhorruerũt, & remis quod aiunt velisque fugerunt? Οὐκ ἐστὶν, inquit, αὐτῶν ἔγκλημα. *Non eorum culpa contigit,* non debet is metus ijsdem vitio dari. Τῆς φύσεως ἦν ἡ ἀσθένεια, οὐ τῆς προαιρέσεως ἡ κατηγορία. *Naturæ quippe imbecillitas erat, non crimen arbitrij. Formidabilem esse tum temporis Deus mortem volebat, vt gratia postea magnitudo innotesceret. Formidabilem illam esse voluit* καθάπερ γὰρ ἦν διὰ τὸ ... τῆς καταδίκης τὴν ἀπειλὴν, ἵνα μὴ, *&c. supplicium enim erat, idcirco dissolui supplicij minas noluit, ne segniores homines postea redderentur. Maneat, inquit, ad eos terrendos coercendosque sententia. Erit enim, erit tempus, quo & metu isto liberabuntur, quod vtique accedit: nos quippe liberatos ab eo fuisse hoc metu declarant cùm Martyres, tum ante Martyres Paulus. Audisti in Veteri Testamento dicentem Abraham,* Te quidem vendicabunt, me verò interficient? *audisti Iacob dicentem*, Erue me de manu Esau fratris mei, quoniã eum timeo ego? *vidisti Heliam mulieris minas mortis caussa fugientem? audi quomodo Paulus erga rem istam sit affectus, an formidabilem illam censeat vt illi: num imminente tristetur, num metuat: Imò vero ait,* Dissolui me, & esse cum Christo multo melius. *Ac meritò sanè.* Τότε μὲν γὰρ πρότερον ὁ θάνατος εἰς τὸν ᾅδην κατῆγε, νυνὶ δὲ ὁ θάνατος πρὸς τὸν Χριστὸν παραπέμπει. *Olim enim ad infernum mors deducebat, nunc autem ad Christum mors transmittit.*] Quod cùm olim maioribus nostris Euangelii præcones suasissent, eaque fides eorundem mentibus altius insedisset, Sanctorum non tam funera quàm triumphos, non vt quondam fletu & lacrymis, sed festis acclamationibus, neque næniam sed pæana canentes celebrarunt. Testem laudabo Hieronymum, qui cùm funebrem pompã pœnitentis Fabiolæ describeret, Sonabant, inquit, Psalmi, & aurata tecta templorum, reboans in sublime quatiebat alleluia.

Et ieiunaverunt, &c. Iacob. 5. 13.

Psal. 114. 7.

Eadem homil. 51. de Bern. & Prosd.

Phil. 1. 23.

S. Hieronymus in Epitaphio Fabiolæ.

Et ieiunaverunt, &c.

Hic iuuenum chorus, ille senum, qui carmine laudes
Femineas, & facta ferant.

Non sic Furius de Gallis, non Papirius de Samnitibus, non Scipio de Numantia, non Pompeius de Ponti gentibus triumphauit: illi corpora vicerant, hæc spirituales nequitias subiugauit. Tunc suos in vnum populos Roma conspexit: fauebant sibi omnes in gloria pœnitentis: nec mirum, si de eius salute homines exultarent, de cuius conuersatione Angeli lætabantur in cœlo. Hactenus S. Hieronymus.

Lucæ 15.

Quamobrem similem plausum Iabenses Sauli non dederint, disertè satis opinor non ita pridem Chrysostomus explicauit: mereri tamen videri poterat, si non suo scelere, sed scelerum pœnitens, scelere Palæstinorum Martyr occubuisset. Quæ porrò mors flagitiorum sordes non eluit, sed æternas pereuntibus maculas inurit; ea demum lacrymis luctuque prosequẽda est. Quæ si forte ambigitur, nec satis liquido constat quàm sortem supremus dies obtulerit, tum nos squalore & ieiunio decet diuinā misericordiam lacessere. Plures enim cū videri possent corpore pariter atque anima interijsse, Sanctorum precibus intra vitæ metas reuocati sunt Et hos fortassis Ecclesia lugens ab *æterna* postulat *morte liberari*. Nam qui purgandi exulant, aut flammis vt aurum probantur, haud dubie iam periculo defuncti sunt. Tametsi, vt verum fatear, non ausim temere in eam partem Ecclesiæ mentem detorquere. Sed illud manifestissimum, idcirco eam psalmos in iustis persoluẽdis vnà cum Iobi precibus & lamentis permiscere, quòd & Fidelibus defunctis gratuletur victoriam, & eorum, si quem forte accepta vulnera dolorem reliquerunt, vicem doleat. Nouimus enim non rarò accidere, vt qui hostes profligarit, hostili ferro saucius aliquādiu male habeat. Si tamen letale vulnus non fuerit, medicamentorum ope statim consanescit. At hoc interim spatio dū arte Podaliria curatur, ingemiscit, & dolore ardet, quem filijs iam vita functis dolorem Ecclesia mater ieiunijs, suppliciisque exhaurire conatur, illud apprime studens, vt quamprimum cœlesti voluptate circumfluant. Sed quia hæc Ecclesiæ pietas perduelles hæreticos offendit, & ab ijsdem in cõntrouersiam disceptationemque vocatur, pauca quædam ex S. Paulini monumentis testimonia referam, quæ temeritatis, seu potius impietatis reos arguant, aut certe insciẽtiæ, quæ plurima eorum mentes occupat. Quod si quis pluribus opus esse iudicet, Bellarminus & Coccius affatim suppeditabunt.

Squalore & ieiunio vita functis Dei misericordia cõciliāda est.

Primum itaque Epist. 19. fratris sui animam, qui nuper è viuis excesserat, S. Delphini precibus etiam atque etiam commendat. *Contristatos autem nos vehementer* fatemur, inquit, non tam de obitu corporali fratris nostri, quàm de negligentia eius spiritali, qua relinquendarum istic potius curarum, quàm prouidendorum illic remediorū memor, posthabenda præposuit, & præponenda posthabuit. Vnde petimus, vt paterna affectione compatiens huic nostro dolori, meminisse digneris, & illum quondam spiritalem tibi filium gratia Dei fuisse progenitū, & ideò tuæ specialiter curæ hanc esse causam, ne pietatem tuam, quæ nobis filijs gloriabatur, dilapidata hereditariæ portionis substantia cõfundamus: sed potius vt orationibus tuis condonetur tibi, vt & illius animam vel de minimo sanctitatis tuæ digito distillans refrigerij gutta respergat, &c. His ille Sancti Delphini Burdigalensis Episcopi opem & auxilium implorat, quò frater eius supplicio, quod eiusdem socordia commeruerat, post mortem ocyus eximatur. Sequenti verò Epistola etiam Sanctum Amandum, quem Delphinus moriens successorem accepit, precatorem adhibet, & vt mortuo supplicij vim à Deo deprecetur, vrget ac sollicitat. Quia, inquit, ex his, quæ gesta ab ipso ad finem eius vel ordinata sunt, peccatis magis nostris quàm votis congrua egisse perspeximus, vt mallet ad Dominum debitor transire quàm liber. Ob hoc impense rogamus, vt quasi frater vnanimos fratres iuuans, & hanc meritis fidei tuæ mercedem accumules, vt pro eo infirmitati nostræ compatiaris, & orandi labore conspires; vt *misericors & miserator Deus, qui facit omnia in cœlo & in terra, & in mari, & abyssis*, refrigeret animam eius stillicidijs misericordiæ suæ per orationes vestras. Quia sicut ignis accensus ab eo ardebit vsque ad inferos deorsum, ita proculdubio etiam ros indulgentiæ eius inferna penetrabit, vt roscido pietatis eius lumine in tenebris ardentibus æstuantes refrigerentur. Hæc ibi.

S. Paulinus fratrem suum vita functum Sanctorum precibus commendat.

Psal. 134. 6.

Deuteron. 32. vers. 22.

Subinde verò etiam idem Paulinus Alethiū, quod epulum defunctæ coniugis nomine Romanis pauperibus dedisset, Epistola 33. pluribus commendat. *Sua cuique parti*, inquit, debita persoluisti, lacrymas corpori fundens, eleemosynam animæ infundens. Itaque patronos animarum nostrarum pauperes, qui tota Roma stipem meritant, multitudinem in aulam Apostolicam congregasti, &c. Et ibidem rursum: Egena corpora fouens, benedictæ coniugis animam refecisti; in illam transfundente Christi manu, quæ tua pauperibus erogabantur, cum in ictu oculi permutata in cœlestes cibos carnalis esca transiret.] Ad extremum ait: Iam honoratur tuis illa meritis, iam pascitur tuis panibus, & affluit tuis opibus; in vestitu deaurato circumamicta varietate, pretioso lumine; non æget alienæ manus digito refrigerari, proprijs ipsa digitorum suorum roribus, id est dexteræ tuæ operibus infusa. Non æque ampla dote nubentem locupletaueras, vt nunc ditificas quiescentem. Quantam enim tunc partem munerum tuorum cepit, cùm eo solo, quod poterat induere, frueretur? nunc quamtumcunque contuleris, totū simul, omnium sensuum voluptate diues, animo possidebit.] Addam postremò quæ in eandem sententiam ad S. Pammachium scripsit, cū is Paulinam S. Paulæ filiam, suam olim coniugē, in ipso ætatis flore præreptam vbertim lacrymis eleemosynisque prosequeretur. *Vt euocationem*, inquit, ad Deum sanctæ sororis meæ, ita deuotionem pietatis in Christo tuæ pariter audiui; isto etiam patrefamilias, per quem scripsi, indicante prudentiam & sanctitatem

Paulinus eleemosynas laudat mortuorū gratiā erogatas.

Idem S. Paulinus Epist. 37.

ET IEIVNAVERVNT, &c. veræ in coniugem charitatis tuæ; quam non vacuam fletibus (vt maxima pars mortalium) neque vano (vt spei nostræ expertes solent) pomparum inanium honore comitatus es; sed remediis salutaribus & viuis opibus, hoc est eleemosynis prosecutus, debito ordine primum charo funeri iusta persoluens, piis lacrymis & largo charitatis rore perfusus, religiosiùs exequias honorasti.] Sed de his hactenus.

Hæc autem idcirco copiosius retuli, quòd Vener. Beda visus sit hanc ceremoniam eo trahere, vt per eam defunctorum animas iuuari posse Iabenses crederent, haud aliter quàm deinceps Iudas Machabæus sacrificia iisdem

Vene. Bed. opitulari posse credidit. *Rectè*, inquit, *& ad literam* pro mortuis, vt ad requiem peruenire valeant, septem diebus ieiunatur, quia post sex huius seculi ætates, in quibus in carne laboramus, septima est in illo seculo ætas requietionis animarum carne exutarum, in qua beatæ tempus illud glorificum, quando resurgere mereantur, expectant. Hæc ille Sanctus, cuius sententiam Bellarminus & Serarius suo calculo confirmant. Alij, quod ad numerum spectat, putant habuisse rationem induciarum, quas olim in summum discrimen adducti cum Rege Ammonitarum septem dierum pepigerant, intra quos ab ipso Saule periculo erepti sunt. Ego sic arbitror, cum immensi luctus atque acerbissimæ tristitiæ fidem facere vellent, septem dies inedia se macerare voluisse, quod is numerus apud Hebræos magnarum rerum veluti cumulus, seu potius symbolum fuit. Quod ad ieiunii scopum attinet, sic Iabensium mentem Iose-

Iosephus. phus interpretatur, vt humanitatis atque officii fuisse velit. Iabenses, inquit, populariter eos deploratos in celeberrimo agri sui loco sepeli-

Lucian. de luctu. uerunt, & indicto ob Regis, & filiorum cædem luctu, ac ieiunio dierum septem, in lamentis & planctu eos exegerunt.] Dauid ob eundem postea, & Abnerum quoque exercitus ducem, publicè & communiter abstinuit vno die. Nusquam sancitum legimus vt exequiæ ieiunio celebrarentur, quod si qui ita facere instituissent, eorundem potestas & arbitrium fuit quot inediæ dies præscriberent. Ridet Lucianus Ethnicos triduum funeris ergo maceratos, quòd exequiali cœnæ præuertere pudor vetaret. Post hæc omnia, inquit, superest exequialis cœna. Iamque adsunt necessarii, vt defuncti parentes consolentur, suadéntque vti cibum capiant:

Cœna exequialis. quanquam illi per Iouem non illibentes ad id compelluntur, quippe perpetuum iam triduum enecti fame. Et quousque quæso flebimus? Sine quiescant Plutonis manes. Quod si tibi certum ac decretum est omnino flere, vel ob hoc ipsum cibus est capiendus, quo tanto luctui par esse possis. Tum denique, tum ex omnibus contexuntur duo versus Homerici:

Nam cœpit meminisse cibi Niobe auricapilla.

Tum illud.

Vita defunctos flere haud sinit aluus Achiuos.

At capiunt quidem illi, sed initio pudibundi, verentésque ne post charissimorum obitum videantur adhuc affectibus humanis commoueri. Hæc ille, quæ ridicula vocat, cum alie-

A nus esset ab omni humanitatis sensu, nec vllam mortuorum rationem habẽdam duceret, quod crederet animam pariter cum corpore interire. At vera religio neque doloris vim nimiam probat, & lugendi furialem impetum, neque eorum quos nigra mors hausit, omnem curam & solicitudinem abiicit: sed imponit quidem mœstitiæ modum, horum autem quibus potest modis solitudinem adiuuat. Quorsum enim cum plerique alii, tum hi maximè quos nusquam Scriptura temeritatis insimulat, lugentes sese inedia excrucient? Frustrà corporis robur atterunt, si nihil hinc ad mortuos emolumenti redundet. At lugebant, inquis, in illo funere vel damnum suum, quod ereptus esset Reipub. fortissimus princeps: vel commune peccatum, vel iram Dei. Qui verò ita sunt affecti, non

B possunt vacare deliciis. Ita amici Iob, cum animaduerterent tantam eius calamitatem, septem dies cibo potúque abstinuerunt. Verisimile autem est, Iabenses publicas & ingentes Reipub. ærumnas defleuisse, & lacrymis preces addidisse, quas ieiunium Deo præcipuè commendat. Nam alioqui ieiunium, si orationis sanctæ præsidio destituatur, nullum per se fructum edet. Esto: etiam hoc addas per me licet, idcirco eum ad sepulturam raptum, quod cernerent ignominiosam illam tractationem Regii cadaueris ad dedecus & infamiam Numinis pertinere, neque enim horum quicquam cum sententia nostra pugnat, & probabile iudico eadem simul illis in mentem venisse. Sed cur priuatim Iabenses solique præ cæteris in

C communi omnium periculo atque pernicie dandi potestate sibi interdixerint, si nihil ea res ad Saulem spectauit, ratiocinando consequi non valeo. Quinimò ne Dauid quidem lib. sequent. cap. 2. cum eo nomine Iabensibus gratias ageret, & iisdem ob pietatem diceret bene, vsquam ieiunii meminit, quod in Reipub. tempora contulissent, sed quicquid egissent Saulis sepulturæ adscripsit. *Benedicti vos Domino, qui fecistis misericordiam hãc cum Domino vestro Saul, & sepelistis eum, &c.* Iabensium ieiunium *misericordiam* vocat, quam Sauli impertiuerint: Nos vero hactenus dubitamus, an illius gratia se macerarint, quod si frustrà, nec laudem meruit, nec præmium, quod eosdem à Deo manere constanter asseuerat. Sed dabitur in posterum commodior disputandi locus.

D *Ieiunauerunt.*] Hebraicè וַיָּצֻמוּ *vaiathumou* Ieiunii plares etymologiæ.

à verbo צום *thom*, Græcis *ἐνήστευον*, *ieiunauit*: *νηστεία ieiunium*. Vt literarum transpositione, ita modo tantum significandi variat & distinguitur à verbo מוץ *mots* quod est *emulgere*, eo quod ieiunium emulgeat & exhauriat vires, & corporis pinguitudinem מוץ *mots* Hebræis puluis, palea, folliculus triturando excussus, gluma. Comperi *ἄνθος* siue *florem* Sophoniæ 2. ver. 2. interpretari, tametsi *puluerem* Vulgatus ibidem maluerit. An quia ieiunium flos quidam temperantis animę haberi debeat צום *thom* affligere quidam exponunt. Vnde Alben Ezra inquit, vbicunque in sacris literis afflictio animæ inuenitur, ibidem intelligitur ieiunium. Affinis huic voci alia est צמא *thame*, quæ sitire signifi-

Et ieiunaverunt, &c. cat. צמא *tsama* sitis est: quoniam qui multum ieiunant, sitire consueuerunt, quia corporis succus inædia & ieiunio, sorbentur. Græci ieiunium νηστείας nuncupant, à νη particula priuante, & σθένωμαι, quod est validum & firmum esse; quod ieiunio robur corporis imminuatur. Sed quia particula νη potius extensiua est, videtur significari admodum firma & robusta res, quod homo ieiunus fide & constantia polleat, ita vt malit dolorem pati, quàm à proposito discedere. Denique alio nomine ieiunium indigitant. ἀσιτίας enim nonnunquam nuncupant, quod qui ieiunant se priuent alimento. Etenim σῖτος & frumentum sonat & cibum.

Num Magistratibus parere necesse sit, cùm ipsi ieiunia imperant, & Iabensium ieiunium videri possit Saulis causa susceptum?

QVÆSTIO CXLV.

Ieiunium porrò aliud ad tuendam valetudinem pertinet, quod Medicorum filii sibi vendicant: aliud ad salutem animæ cõsequendam, quod temperantia imperat, aut ex præscripto Religionis suscipitur. Religiosum hoc fuisse non dubito. Neque enim vlla temperantiæ lex hoc cuiquam populo edicit publicè, vt totos septem dies præter morem & consuetudinem ieiunio se maceret. At Religioni frequentatum olim & familiare Scripturæ prædicant.

Ieiunii quanta autoritas etiã apud Ethnicos. Ieiunium porro religiosum non tantum Hebræi didicerunt ex diuinis legibus, sed etiam Ethnici eiusdem vtilitatem ac fructum naturæ instinctu agnouerunt. S. Augustinus in lib. de Ciuitate Dei scribit Porphyrium docuisse, abstinentiam à carnibus & cibis crassioribus hominum animos purificare, quo fiant expeditiores ad res diuinas, & ad familiaritatem cum dæmonibus Plutarchus etiam in libello de Iside, & Osiride, ait Sacerdotes Heliopoleos prorsus abstinuisse ab omnibus cibis, qui carnis petulantiam alere ac augere possunt, & vinum in templum Dei sui nunquam intulisse. Nefas quippe ducebant inspectante Deo suo vinum interdiu bibere. Cæteros ait, vsos quidem fuisse vino, sed non multum, & eos ipsos multas ἁγνείας ἀοίνους coluisse. Idem Plutarchus De cohibenda iracundia tradit, apud Athenienses fuisse quædam sacra νηφάλια, quæ aqua tantum absque vino peragerent. Illud autem egregium in primis quod eodem libello continetur, Empedoclem solitum esse dicere, Oportere hominem maximè à malitia ieiunare. Titus Liuius memorat, cum Romæ accidissent portentosa non pauca, quæ viderentur ingens aliquod malum præsagire, missos esse Decemuiros ad Sybillinos libros inspiciendos, responsúmque

Non paucas ceremonias abstenios obiuisse.

A fuisse, vt publicum ieiunium in honorem Cereris instituerent, quod quinto quoque anno deinceps repeteretur. Ea ratione iram deorum posse placari. Sed ne semper profanos testes memorem, Ionas Propheta cum Niniuitas vrbis imminenti excidio terruisset, nequaquã illi de diuina misericordia desperarunt, sed ad pœnitentiam se receperunt, omnésque à Rege vsque ad infimum ciuẽ cum iumentis & gregibus ieiunarunt: & cum vehementer & ardenti studio Dei misericordiam implorarent, eandem consequuti sunt. Ergo etiam Ethnici perculsi metu impendentium malorum, quo Numinis iram deprecarentur ieiunii gratia atque auctoritate vsi sunt.

B Hebræos vero cum grauis aliqua vrgeret necessitas, aut etiam cladem acceperant, tum Magistratus sacer aut politicus, præter ea ieiunia quæ lex anniuersaria religione sanxerat: aut etiam Propheta à Deo allegatus ad populum, publicè extemporalem in vnum pluresve dies ieiunii legem ferebat. Atque hoc est *Sanctificare ieiunium*, quod aliquando in sacris literis occurrit. Huius generis multa extant exempla, & in primis illud ieiunium quo seipsos filii Israel afflixerunt Iudic. cap. 20. cum iam semel atque iterum profligati, tertio demum cum filiis Beniamin signa conferre pararent. Antea quoque huius libri cap. 7. Cum Palæstini Iudæos grauiter attererent, populus vniuersus hortante Samuele conuenit in Masphat, fleuit, ieiunauit, culpam confessus est, & idola sua abiecit. Dauid etiam cum suis omnibus, audita clade

In rebus afflictis frequentata ieiunia.

C populi & morte Saulis, ieiunauit. Iabenses quoque hoc loco cum Regis cædem ferrent molestissimè, & acerbi casus misericordia frangerentur, publicè ieiunium indixerunt. Sed & illud publicum ieiunium fuit, quod Iosaphat obseruari iussit 2. Paralip. capit. 20. Regina Esther rebus in summum discrimen adductis, per Mardochæum obtinuit, vt Iudæi omnes quotquot Susis habitabant, pari studio ieiuniis operam darent. Israelitæ quo tempore seruitutem seruiebant, vt refert Zacharias capite 7. *ieiunium quinti mensis & septimi* religiosè coluerunt; quod quinto mense direptio ciuitatis & templi desolatio contigisset, & septimo mense Godolias fuisset interfectus, vnde tot in posterum calamitates consequutæ sunt. Publicum etiam ieiunium fuit, quod Iezabel indixit, mu-

D lier alioqui scelerata & hypocrita. Huius factum indicat morem fuisse, vt cum aliquod magnum flagitium admissum esset, tota Synagoga ieiunaret, quasi commune supplicium deprecans. Hoc exegerunt nonnunquam Prophetæ, vt Ioel cum diceret, *Sanctificate ieiunium.* Esdras etiam ieiunium prædicauit, cap. 8. Ieiunia igitur, cum res postularet, pia quadam ratione publicè indicebantur.

Verum quæri potest, cum indicũtur ieiunia à Principibus & Magistratibus, num astringantur homines obtemperare? Astringuntur sanè lege fidei atque obedientia. Nam cum ieiunia proponantur quę cum Dei lege minimè pugnant, & eiusdem iracundiam mulcere posse videantur,

Et ieiv- navervnt, &c.

Imperata ieiunia seruāda sunt.

videantur, quomodo possit, qui Deo credat, ea detrectare? Hoc tamen de ijs intelligendum est, qui eo statu & conditione sunt, vt ieiunare possint. Nam si quis aut ætate, aut morbo, aut laboribus impediatur, in eo valere debet quod Scripturæ dicunt, *Misericordiam volo, non sacrificium*. Qui autem non impediuntur, debent obtemperare. In Concilio Gangrensi, capite trigesimo statuitur, Vt si quis non pareat ieiunijs, quæ ei imperata sunt ab Ecclesia, vtcunque iactet perfectionem, citra necessitatem corporalem, & superbiens, & Ecclesiæ præcepta contemnens, ἀνάθεμα sit. In Canonibus Apostolorum, can. 68. præcipitur, Vt Clerici qui non ieiunāt citra necessitatem corporalem, deponantur. Infantes nullo pacto ad ieiunium adigantur: illorum enim sanitas & valetudo detrimentum acciperet. Ioël tamen ait: *Sanctificate ieiunium, congregate senes, & pueros lactantes*. Et Niniuitæ ad prædicationem Ionæ, iumenta & infantes ieiunare coëgerunt. Sed hæc præter morem & consuetudinem, autore Deo, extra ordinem imperata sunt, quæ admirari, non æmulari debemus. Postremò, illud quoque obseruandum, ieiunio consecratum diem festum fuisse. Non enim licebat in publico ieiunio vel operari, vel rem familiarem curare; non quod festos dies inerti otio terere debeamus, sed quod in ijs versari necesse sit, quibus in Deo acquiescamus: à profanis duntaxat operibus, quæ quæstum magis quàm pietatem augent, iubemur temperare. Credere autem, precari, agnoscere peccata, proximo opem ferre, sunt opera Dei, & ideò non interdicta festis diebus, sed potius imperata.

Ieiunij dies Hebræis quondam profestus erat.

Ieiunia priuata.

Suscipimus autem etiam priuata ieiunia, cùm proprijs & domesticis calamitatibus affligimur: siquidem nemo est, cuius non aliquando aut valetudo, aut familia vexetur. At si eueniat, vt nulla fortè priuatim sua suorúmve calamitate grauetur: tamen pro alijs quandoque lugendum est. Nam si membra sumus eiusdem corporis, fratrum nostrorum incommoda pertinere ad nos ipsos existimandum est. Ita Dauid pro illis orabat, quos postea hostes habuit, quique malis eius insultabant. Ita Iobi amici, cùm eum coràm grauissimis plagis vexari comperissent, septem dies totos in puluere & cinere iacuerunt, antequam ei quicquam loquerentur: tantopere viri eius calamitate commouebantur. Proinde voluerunt, antequam aliud cum eo agerent, ieiunio & precibus Deum orare, vt illius tam grauem miseriam temperaret. Ita Dauid cùm Abner interfectus esset, non tantùm luxit in funere, sed etiam iurauit eo die se non gustaturum cibum ante Solis occasum. Idem fecit reprehensus à Natham Propheta: & cùm accepisset nuntium de morbo pueri, toto sanè tempore quo ille ægrotauit, nunquam cibum sumpsit. Nehemias, capite primo, cùm resciisset in quantis malis & ærumnis versarentur Iudæi reduces, qui vrbis parietinas incolebant, & ruinas instaurare conabantur, seipsum ieiunio afflixit, & Deum mœrore consternatus orauit. Daniel quoque, cùm legisset ea, quæ Ieremias scripserat de captiuita-

A te septuaginta annorum, confessus est peccata & populi & sua, vbertim fleuit, & arctissimè ieiunauit. Priuatum igitur sicut & publicum ieiunium, pro nobis ipsis non tantùm debet suscipi, sed etiam pro alijs.

Et ieiv- navervnt, &c.

Ieiunare pro mortuis licet, vt à peccatis soluantur.

Verùm esto, fas sit pro ijs omnibus quos subsidio aliquo iuuare debemus, immolare Deo macerati corporis inediam, annon ridiculum fore videtur, si nos eorum nomine, qui iam siti sunt, & positi extra omnem aleam pariter excruciemus; non quidem dolori indulgentes, quod raptorum desiderium identidem ab inuitis extorquet: sed certo iudicio ac ratione, ne qua in re aduersùm illos officio defuisse censeamur? Respondeo, non magis quàm si pro ijsdem sacrificium facias, quo placetur Deus, & ipsi melius habeant. Atqui hoc quondam B cæsis militibus suis Iudas Machabæus præstitit, vt eorum nomine res sacra fieret, ipsi à peccatis soluerentur. Cur ergo Iabenses pro Rege quondam seruatore suo non ieiunarent, quem dudum nouerant iram in se numinis concitasse, nec satis hactenus quem vitæ exitum sortitus esset, liquidò constaret? Quod si præter æquum & morem tentassent, aut foret ea religio à veritate & fide aliena, nequaquam toties in posterum Dauid idem exemplum vsurpasset. Nolim hoc loco diutius immorari: nec multis vrgebo: hoc vnum respondeant, qui pietati in mortuos refragantur, & vitâ functis negant superstites auxilio esse posse, quorsum Martha apud Ioann. cap. 11. ver. 21.22. his verbis Dominum interpellet: *Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus: sed & nunc* C *scio, quia quæcunque poposceris à Deo, dabit tibi Deus?* Neque enim si vos de ijs qui obierunt, vera prædicatis, ratio vlla fuit quamobrem post elatum funus suo fratri quicquam à Deo impetrari cuperet. Nam felicium quidem, si vobis creditur, sors & gradus vnus est, omnium par & æqua felicitas. Itaque, ais, hoc solùm spectabat, vt eundem à mortuis excitaret. Verumenimuerò quod ea cogitatio ne quidem in mentem ipsi venerit, historiæ series manifestis argumentis ostendit. Nam cùm eidem statim Christus responderet, *Resurget frater tuus*, illa excipit, *Scio quia resurget in resurrectione*, siue, vt Syriacus interpres vertit, *in consolatione in nouissimo die*. At subinde, inquis, Christus illam docuit, extemplò fratrem eius surrecturum. Esto. Vt tamen Marthæ sensum ac men- D tem percipias, non tam spectandum est quid reuerà Christus voluerit, quàm quid illa tum intellexerit. Oratio autem Christi hæc fuit: *Ego sum resurrectio* (Syr. *consolatio*) *& vita: qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet: & omnis qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc?* ait. illa respondit: *Vtique, Domine, ego credidi quia tu es Christus filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti.* Excitandum itaque, inquis, certa fide credebat, quando hoc ipsum ea oratione Christus pollicebatur, ita sanè postea mentem ipse suam Christus interpretatus est. Nunc tamen quod ad preces Marthæ attinet, non tam quærimus quid eam Christus sperare iusserit, quàm quò ipsa eius-

ET IEIVNAVERVNT, &c.

dem sententiam detorserit. Nam quod de fratris præsenti resurrectione ne cogitarit quidem, illud argumento esse potest, quod vbi primùm Christus reserari sepulchrum iussit, illa contrà vetare institit, asserens tetro cadaueris odore offensum iri. Itaque rursum eandem manifestius edoceri oportuit. Antea tamen iam nonnihil fratri deprecata fuerat. quid illud? non vtique mortem. Credidit igitur etiam post mortem ope iuuari posse. Nullum porrò tale incommodum, quod mortuos vexet, comminisci possumus, nisi si fortè delictorum pœnas luant: non æternas illas quidem, quarum *vermis non moritur, & ignis non extinguitur:* sed

A temporarias, quas reconciliatâ cum Deo amicitiâ subeunt, priusquam eodem beatè perfruantur. Quas pœnas si quidem orando deprecari liceat, cur non liceat ieiunando? *Bona est*, inquit, *oratio cum ieiunio, & eleemosyna.* Quod si neutrum à pietate ac fide abhorret, cur hoc loco factum negetur planè non video. Iabenses itaque voluntariâ inediâ grauiores Saulis molestias leuare studuerunt.

ET IEIVNAVERVNT, &c.

Commentarium huius libri primi à meditatione mortis auspicati sumus: at nunc denuò postquam Deo dante ad metas peruenimus, cogimur admonere, ne cuiquam eorum, quæ secundum mortem sunt, memoriâ excidat.

Benedictio, & claritas, & sapientia, honor, virtus, & fortitudo Deo nostro in secula seculorum. Amen.

FINIS.

INDEX

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ QVÆ ADNOTATIONE ALIQVA ILLVSTRAVIMVS.

EX LIB. GENES.

Cap. 1. *ERunt in signa & tempora,* 1174
Cap. 2. *Hoc nunc os ex ossibus meis & & caro de carne mea,* 1333
Cap. 3. *In quacunque die comederis, ex eo morte morieris,* 256
Cap. 4. *Quare concidit vultus tuus* 602.
Ibid. *vox sanguinis fratris,* 1083
Cap. 6. *Pœnitet me fecisse hominem,* 68 69.70.71
Cap. 13. *Ecce vniuersa terra coràm te est,* 401
Cap. 20. *Postquam eduxit me de domo Patris mei,* 1696
Cap. 21. *Non videbo morientem puerum & procul è regione sedens, &c.* 1808
Cap. 24. *Inueniam gratiam coràm vobis,* 530
C. 30. v. 33. *Respondebit mihi cras iustitia tua,* 1090
C. 31. v. 19. *Deos suos.* 569
35. 36. *Fratribus quoque eius & matri dona obtulit,* 530
Cap. 34. *Beniamin filium dierum,* 1013
Cap. 35. *Ana in solitudine cùm pasceret asinos,* 811
C. 36. v. 24 *Tu eris super domum meam & ad sermonem meum armabitur omnis populus meus,* 684
C. 42. v. 35. *Et ecce viri vniuscuiusque,* 1269
Cap. 44. v. 30. *Igitur si intrauero ad seruum tuũ Patrem nostrum & puer defuerit.* 474
C. 49. v. 3. *Prior in donis & maior in imperio,* 511
Ibid. *Non auferetur sceptrum de Iuda,* 795

EX EXODO.

Cap. 17. *NOn facies tibi Idolum.* 566
Ibid. *Honora patrem & matrem tuam.* 788
C. 21. v. 10. *Quod si aliam ei acceperit,* 1324
Cap. 22. *Si nocturnum furem quis occidisset, &c.* 815
Ibid. v. 18. *Maleficos non patieris,* 1555
Ibid. v. 16. & 17. *Si deduxerit quis Virginum necdum desponsatam, dormieritque cum ea,* 514
Cap. 24. *Reddens iniquitatem patrum in filios,* 31 34
C. 28. v. 30. *Pones autem in rationali iudicij doctrinam & veritatem,* 953. & seq.
C. 38. v. 8. *Obseruarent ad ostium tabernaculi,* 12

EX NVMERORVM LIB.

C. 4. v. 23. *NVmera omnes qui ingrediuntur & ministrant in tabernaculo fœderis,* 11
Cap. 6. *Eleasar Sacerdos Consulet Dominum ad verbum eius egredietur. &c.* 1613
C. 11. v. 16. *Congrega mihi 70 viros de senioribus Israel, quos tu nosti, quod senes populi sint ac Magistri & duces eos ad ostium tabernaculorum fœderis,* 1821
Cap. 20. *Adduxisti nos in locum pessimum qui seri non potest, quia nec ficum gignit, nec vineas, nec malogranata insuper & aquam non habet ad bibendum,* 1810
Non est Deus quasi homo vt mentiatur, 164 C. 23. v. 19.
Tolletur propter Agag rex eius, & auferetur regnum illius, 1736 C. 24. v. 7.
Pro hoc si quid agendum erit, &c. 956 C. 27. v. 21.
Pro hoc si quid agendum erit Eleazar Sacerdos consulet Dominum, ad verbum eius egredietur & ingredietur ipse, 27. 1603 Ibid.

EX LEVITICO.

ET posuit super eum boscen, 954 Ca. 8. v. 8.
Statim obtulit Aaron & filios eius, 955 Ibid. v. 7.
Si mulier dormierit cum viro fluxu seminis, &c. 119. 720 Cap. 15.
Non erit criminator nec susurro in populo, 803 C. 19. v. 16.
Læsionem super mortuo non faciatis, 1694 Ibid. v. 28.
Panem & Polentam, 76 Cap. 24.

EX DEVTERONOMIO.

SI quis Propheta fuerit signa & portenta & velit te abducere ad Deos alienos, non parces illi, manus tua erit super eum, 1671 Cap. 8.
Filij estote Domini Dei vestri, 1128 Ca. 14. v. 1.
Non poteris alterius gentis hominem Regem facere, 809 Cap. 17.
Ne Rex multiplicet sibi vxores, 1326 Ibid.
Non misereberis testis mendacis, sed animam pro anima, oculum pro oculo, &c. 189 Cap. 19.
Omnem prædam exercitui diuides & comedes de spolys, 79 C. 20. v. 14
Nonne quia Deus sanè vendidit eos & Dominus conclusit eos, 1872 Cap. 22.
Si vir in agro puellam repererit, &c. 815 Ibid. v. 25.
Non ingredietur Manzer, siue de scorto natus in Ecclesiam Domini, 317 C. 23. v. 2.
Non arabit, &c. 727 Ibid.
Non offeres mercedem prostibuli, 1070 Ibid. v. 18.
Canticum Mosis. Ingente stulta irritabo illos. Cap. 32.
Quando separabat filios Adam, 258 Ibid.

EX LIB. I. REGVM.

SPiritus Heliæ requieuit super Heliseum, 1733 C. 2. v. 15.
Et præcidam brachium tuum & brachium domus Patris tui, 886 Cap. 2.
Nunquid non filius feminis ego sum, 796 Ca. 9. v. 21.

EX LIBRO IOSVE.

OBediemus tibi, tantum sit Dominus Deus tecum, 873 Ca. 1. v. 17.
Diuidite vobis terram in septem partes, Iudas sit in terminis suis ab australi plaga & domus Ioseph Ca. 18. v. 5.

ab aquilone, 1820

EX LIB. IVDICVM.

C. 7. v. 1. *Gedeon & omnis populus cum eo venit ad fontem, qui dicitur harad,* 1755
Iepteo, 1091
Cap. 11. *Parentes autem eius nesciebant quod à Domino fieret,* 764
Cap. 14. *Deus meos quos mihi feci, tulisti,* 569
C. 18. v. 24 & 17. *Et Iudic. 17. v. 5.*

EX LIB. 2. REGVM.

Cap. 3. *Nunquid ego, &c.* 1070
Cap. 9. *Miphibosepth dicit,* 1070
Cap. 11. *Audiuit autem vxor Vriæ,* 1321
C. 14. v. 2. *Lugere te simula & induere veste lugubri,* 203
Cap. 16. *Dimitte eum vt maledicat, &c.* 1412
Ibid. *Quare maledicat canis hic mortuus Domino meo Regi,* 1070
C. 18. v. 18. *Absalon appellauit statuam iuxta nomen suũ.* 173
Cap. *Denudauit se quasi vnus ex scurris,* 600
C. 24. v. 13. *Aut septem annis veniet tibi fames,* 1456

EX LIB. 3. REGVM.

Cap. *Achab inuenisti me, &c.* 1280
C. 19. v. 20 *Osculer oro te patrem meum & matrem meam,* 683
C. 31. v. 14 *Quid faciam cùm surrexerit Deus?* 650

EX LIB. 4. REGVM.

C. 7. v. 1. *Vas mod.* 1205
Cap. 8. *Asael,* 1070
C. 11. v. 12. *Testimonium vestes Regias,* 237

EX 1. PARALIP.

C. 10. v. 12. *Attulerunt cadauera Saul & filiorum eius in Iabes, & sepelierunt ossa eorum subter quercũ,* 1945
C. 21. v. 12. *Elige quod volueris, &c.* 1456

EX 2. PARALIP.

Cap. 6. *Tu solus nosti cogitationes hominum,* 1642

IVDITH.

C. 5. v. 24. *Nunc ergo mi Domine perquire si est iniquitas aliqua eorum in conspectu Dei eorum, ascendamus ad illos, quoniam tradens tradet illos Deus eorum tibi & subiugati erunt sub iugo potentiæ tuæ,* 1729
Ca. 8. v. 2. *Cui vir suus reliquerat diuitias multas,* 1324

1. ESDRÆ.

C. 2. v. 63. *Donec surgeret Sacerdos doctus, atque perfectus,* 922

TOBIÆ.

Cap. 12. *Sacramentum Regis abscondere bonum,* 695

IOB.

C. 1. v. 16. *Ignis Dei cecidit de cælo,* 1559
Ibid. *Filijs tuis & filiabus tuis vescentibus & bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti, &c.*
Si vidi Solem cùm fulgeret & Lunam incedentem clarè. 682 Cap.
Animæ esurienti etiam quæ amara sunt dulcia videntur, 699
Militia est vita hominis super terram, 12 Ca. 7. v. 1.
Saltem nunc intelligite quia Deus, &c. 1084 C. 13. v. 18.
Cunctis diebus quibus nunc milito, 12 Cap. 14.
Breues dies hominis, 1384 Ibid.
Sonitus terroris semper in auribus illius, 803 Cap. 15.
Quando sopor in homines irruit, &c. 1631 Cap. 33.
Si fuero iudicatus, &c. 1084 C. 19. v. 6.
Quis mihi tribuat vt cognoscam & inueniam illum, 1084 Cap. 23.
Non dignabar ponere cum canibus gregis mei, 1070 Cap. 30.
Separantur filij earum & pergunt ad iustum, 1612 Ca. 34. v. 4

LIBRI PSALMORVM.

Apprehendit disciplinam, &c. 682 Psal. 2.
Iurauit affligere se & non mutauit, 580 Psa. 15. v. 5.
Perdes omnes qui loquuntur mendacium, 584 Psalm.
Prouidebam Dominũ in conspectu meo semper, 1693 Ps. 15. v. 18.
Circundederunt me canes multi, 1070 Psal. 21.
Hic accipiet benedictionem à Domino, 1104 Psal. 24.
Ego dixi dij estis, 1443 Psal. 29.
Immutauit os suum, 719 Psal. 33.
Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt, 1274 Psal. 35.
A Domino gressus hominis dirigantur, 893 Psal. 37.
Mensuras mensurabiles, 323 Ps. 39. v. 6.
Dixit insipiens in corde suo, non est Deus, 1256
Impij non dimidiabunt dies suos, 1318
Odio habuerunt me gratis, 1345
Ecce in iniquitatibus conceptus sum, 722 Psal. 50.
Venenum illorum tanquam venenum serpentum, &c. 1671 Psal. 58.
Et sanctum Israel crucifixerunt, 760 P. 78 v. 41
Aquilonem & mare tu creasti, 1014 Pl. 88.
Qui habitat in adiutorio altissimi, &c. 1830 Psal. 91.
Nolite tangere Christos meos, 837 Psal. 104.
Conuertit cor eorum vt odissent, 1414 Ibid.
Occidit Deus in grandine vineas eorum, 1559 Ibid.
Credidi propter quod locutus sum, 1017 Psal. 115.
Oculos habent & non videbunt, &c. 1083 Psal. 113.
Quo ibo à Spiritu tuo & quo à facie tua fugiam. 693 Psal. 118.
Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena, 1428

LIBRI SAPIENTIÆ.

Os quod mentitur occidit animam, 585 C. 1. v. 11.
Quoniam inutilis es nobis, &c. 1345 Cap. 2.
Tunc continuò visus somniorum malorum turbauerunt illos, 1629 Cap. 10.
Iustus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit, 1876 Cap. 4.
Nihil odisti eorum quæ fecisti, 62 Cap. 11.
Sicut impetus aquæ sic cor Regis in manu Dei, 1414 Cap. 21.

CANTICORVM.

Adiuro vos filiæ Hierusalem, &c. 12 Ca. 2. v. 7.
Dilectus meus candidus, 243 C. 5. v. 10.
Caput tuum vt Carmelus, 76 Cap. 7.
Nasus tuus sicut turris libani, 114 Ibid.

LIBRI ECCLEASTIS.

PROVERBIORVM.

Est qui promittit & quasi gladio pungitur, 1278 C. 12. v. 18.
Impius cum in profundum venerit malorum contemnit, 34 Cap. 18.
Septies in die cadit iustus, 1287 C. 24. v. 16
Canes, &c. 1701 C. 26. v. 11.

ECCLESIASTICI.

ECCLESIASTICI.

C.7.v.14. *Considera opera Dei quod nemo possit corrigere quem Deus despexit,* 204
C.13.v.22. *Omnis caro ad similem sibi coniungetur.* 1070
Cap.19. *Vinum & mulieres auferunt cor,* 1309
Cap.33. *Seruo malo tortura & compedes,* 1186
C.29.v.28 *Principium vitæ hominis panis & aqua.* 1807
C.47.v.3. *Cum leonibus lusit,* 414

ESAYÆ.

Cap.3. *Dabo pueros vt sint principes eorum,* 1149
Cap.7. *Priusquam noueris puer vocare patrem aut matrem accipiet virtutem Damasci,* 407
Cap.10. *Ad gentem fallacem mittam eum contra populum*
Ibid. *Assur virga furoris mei,* 1540
Furoris mei mandabo eum, 206
C.29.v.9. *Obstupescite & admiramini, &c.* 1297
C.51.v.21. *Audi hoc paupercula & ebria non à vino,* 1297
C.32.v.15. *Et erit desertum & Carmel in saltũ reputabitur,* 75
Vers.12. *Super vbera plangite,* 1126
C.33.v.7. *Angeli pacis amarè flebunt,* 686
Cap.36. *Nunquid sine Domino ascendi ad terrã istam,* 961
C.40.v.2. *Quoniam completa est malitia eius,* 12
Ibid.v.13. *Quis Consiliarius eius fuit,* 586
Cap.38. *Dispone domum tuam, nam morieris tu,* 961
C.42.v.3. *Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet, in veritate educet iudicium,* 1906
C.51.v.1.2 *Audite qui sequimini quod iustum est & quæritis Dominum, attendite ad Petram vnde excisi estis, & ad cauernam laci de qua præcisi estis,* 1850
Cap.56. *Canes impudentissimos qui nescierunt saturitatem,* 1070

IEREMIÆ.

Priusquam te formarem in vtero, &c. 208
Cap.3.v.21.23. *Hæc dicit Dominus Deus exercitium Deus Israel.* 134
Cap.17. *Diem hominis non desideraui,* 1074
Populus stultus non cognouit me, 1256
Cap.32. *Et fecerunt accidere sibi omnia mala hæc,* 6
Ca.34.v.5. *Non morieris Sedecia Rex in gladio ei,* 27
C.18.v.8. *Si pœnituerit illos viæ suæ, me quoque pœnitebit de omni malo,* 63
C.52.v.24 *Et tulit Magister militiæ Sarciam sacerdotem primum,* 992
In Threnis, conuerte nos Domine & conuertemur, 204

EZECHIELIS.

Ca.2.v.3. *Fili hominis mitto ego te ad filios Israel,* 664
Cap.14. *Et Propheta si errauerit, &c.* 1414
Cap.6. *Omnibus meretricibus dantur mercedes, &c.* 666
Ca.9.v.2. *Et vir vnus in medio ipsorum,* 880
C.24.v.16 *Et factum est Verbũ Domini ad me dicens, &c.* 1126
C.24.v.21 *Ecce ego polluam superbiam imperij vestri & desiderabile oculorum vestrorum,* 17
Cap.28. *Clypeus fortium eius rubefactus,* 241
C.39.v.9. *Et egredientur habitatores de ciuitatibus Israel & succendent, &c.* 415

DANIELIS.

Cap 4. *Vigil & sanctus,* 886
Cap.9. *Exterminabitur vnctio,* 207
Cap.10. *Lugebam trium hebdomadarum diebus.* 203
Diuidebat gentes altissimus, 258 Ibid.v.15.
Impiè agent impij, 1060 C.12.v.10.

AMOS.

Leo rugiet quia non timebit, 415
Væ desiderantibus diem Domini, 1073 Cap.5.
Non est malum in ciuitate quod non fecerit Dominus, 1264

OLEÆ.

Fac tibi filios fornicationum, 577 Cap.1.
Et absque Ephod & Theraphim, 569 C.2.v.4.
Perditio tua ex te Israel, 206 Cap.13.
Colligata est iniquitas Ephraim, 1269 Et ver.12.
Illi regnauerunt, sed non ex me, 208

MALACHIÆ.

Et parcam eis sicut parcit vir filio seruienti sibi, 17 Ca.3.v.17.

AGGÆI.

Qui congregauit mercedes, 1169 Cap.1.v.6.

ZACHARIÆ.

Ira magna ego irascor super gentes opulentas, quia ego iratus sum parum, 1942 Ca.1.v.15.
Apparet Iosedec sacerdos magnus indutus sordidis vestibus. 923 Cap.3.

I. MACHABÆORVM.

Post Sabbatum debilibus & orphanis & viduis diuiserunt spolia & residua ipsi cum suis habuere, 1855 Cap.8.

EX EVANGELIO MATTHÆI.

Si res tua aut manus tua aut oculus tibi est offendiculo, &c. 1483 Cap.5.
Audistis quia dictum est oculum pro oculo, &c. 189 C.5.v.38.
Iesus autem videns cogitationes eorum, &c. 1641 Cap.9.
Tu es Petrus & super hanc Petram, &c. 106 Cap.16.
Tradidit eum tortoribus quoadusque, &c. 776 Cap.18.
Videns Iesus cogitationes eorum, &c. 231
Venient pseudo Prophetæ & pseudoChristi & dabunt signa, &c. 1671 Cap.24.
Quale & volui congregare te, &c. 606
Quod si dixerit malus seruus moram facit Dominus 730 Cap.24.
Media nocte clamor eius est, 1362 Cap.25.
Heli, Heli, Lamazabathani, 109 Cap.27.
Bonum opus ipsa fecit, 726 Cap.26.

MARCI.

Qui etiam dicebant, Spiritum immundum habet, 169 Ca.3.v.29
Nabitha. 38.39 Ca.5.v.41.
Non est bonum sumere panem filiorum & dare canibus, 1070 Cap.7.

LVCÆ.

Erant iusti ambo ante Deum, 87 Cap.1.
Filij huius sæculi generant & generantur, 1163 Cap. vlt.
Finxit se longius ire, 763

IOANNIS.

Meus cibus est vt faciam voluntatem eius qui misit me, 238 Cap.4.
Oues meæ vocem meam audiunt, 1167 C.10.v.18 29.
Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus, 1958 C.11.v.11. & 12.

ACTVVM APOSTOLORVM.

Cap. 2. *HVnc Iesum definito Consilio & præscientia Dei traditum per manus iniquorum affligentes interemistis, quem Deus suscitauit, solutis doloribus Inferni iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo,* 1691
C. 15. v. 9. *Deus corda nostra purificat,* 218
Cap. 17. *Tempora huius ignorantiæ despiciens Deus, &c.* 1089.

EX EPIST. AD ROMANOS.

Cap. 1. *INuisibilia Dei per ea quæ facta sunt, &c.* 1256
Ibid. *Tradidit illos Deus in reprobum sensum,* 1897
Ca. 3. v. 8. *Mala facienda esse vt bona eueniant,* 585
Cap. 8. *Quis nos separabit à charitate Christi,* 1267
Cap. 9. *Non est volentis, neque currentis,* 64. & 204
Cap. 9. v. 3. *Optabam anathema esse pro fratribus meis,* 23
C. 11. v. 29. *Sine Pœnitentia sunt dona Dei,* 65
C. 12. v. 8. *Qui miseretur in hilaritate, &c.* 40
Cap. 13. *Initio omnis. &c.* 861
Ibid. *Potestatibus sublimioribus subditi estote,* 1042

I. AD CORINTH.

Cap. 5. *NOn commisceamini fornicarijs,* 743
Cap. 6. *Plures Vers. Apost. non ire deffendentes charissimi, sed date locum iræ,* 401
Cap. 7. *Alioqui filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt,* 33
Cap. 10. *Videte ne licentia vestra offendiculum fiat infirmis,* 747
C. 16. v. 22. *Qui non diligit Dominum Iesum sit anathema,* 23
Cap. 15. *Ego plus omnibus laboraui, non ego autem, sed gratia Dei mecum,* 64
In momento in Iulij oculi, &c. 618
Cap. 8. *Qui eos congregauit mercedes,* 1269
Cap. 13. *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, &c.* 1913
C. 9. v. 22. *Omnibus omnia factus sum,* 941
Cap. 6. *Corpora vestra Templa sunt Spiritus sancti,* 1163

II. AD CORINTH.

Cap. 1. *EGo testem Deum inuoco in animam meam,* 45
Cap. 5. *Scimus enim quod si terrena domus huius tabernaculi dissoluta fuerit ædificium ex Deo habemus, &c.* 1720
Cap. 5. *Spero autem & in conscië tijs vestris manifestare necesse,* 1278

AD COLLOSSENSES.

Cap. 3. v. 5. *Quæ est idololatria,* 119

I. AD THESSALON.

Cap. 5. *Videte ne quis malum pro malo reddat,* 1077

II. AD THESSAL.

Cap. 2. *Pro eo quod dilectionem veritatis non receperunt.*

AD PHILIPPENSES.

QVorum Deus venter est, 182 Cap. 3.
Canes videte malos operarios videte Concisionem, 1070

AD EPHESIOS.

NOn ex operibus legis quæ fecimus nos, 1443 Cap. 2.
Accipite armaturam Dei, &c. 340 Cap. 6.
Filij obedite parentibus vestris, 787 Ibid.
Nolite inebriari vino in quo est luxuria, 1303
Viri diligite vxores vestras sicut Christus, &c. 1334

I. AD TIMOTHEVM.

DEus det illis pœnitentiam, 204
Qui Episcopatum desiderat bonum opus desiderat, 1233 Cap. 3.
Volo ergo viros orare in omni loco, 1031 Ca. 2. v. 8.
Alexander ærarius multa mihi mala ostēdit, 1071 Cap. 4.

II. AD TIMOTH. IV.

Bonum certamen certaui, 1442

AD GALATAS.

VObis quoniam si qui mecum erat cum esset gentibus, 746 Cap. 2.
Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si, &c. 746 Ca. 5. v. 2.
Sub ingressi falsi fratres ad explorandam nostram libertatem, 1008 Cap. 2.
Ego confido de vobis quod nihil aliud sentietis, 1050 Cap. 5.
Dies obseruatis & menses. 1174 Cap. 4.

AD HEBRÆOS.

Cap. 13. v. 17. 857
Beneficentia & communionis nolite obliuisci, 942 Ibid. v. 16.

IACOB. EPIST.

Quicunque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus, 132 Cap. 2.

2. PETRI.

Canes muti non valentes latrare, 1071 Ca. 2. v. 21.

1. IOAN. EPIST.

Est peccatum ad mortem, 169 Ca. 5. v. 16.
In veritate ambulate, 583

2. IOAN. EPIST.

Qui dicit illi aue communicat operibus eius malignis, 741

APOCALYPSIS.

Vsquequo Domine non iudicas, 1085 C. 6. v. 10.
Et datum est ei vt cooperias se bissino, 881 C. 19. v. 8.

INDEX

INDEX
RERVM MEMORABILIVM
QVÆ IN HIS COMMENTARIIS
CONTINENTVR, SECVNDVM ORDINEM
Alphabeticum digestus.

A

Abelis sanguis Deum vindicem appellauit, 1083.b
Abias Rex Iuda voce fortissima 1392. a, habebat exercitú conflatú octingenta millibus militum, ibidem.
Abiathar Achimelech quo pacto euadere potuit ad Dauidem 884. d, 885.a. quomodo intelligendum sit, eum Ephod tulisse in manu sua 912.c.d, quam ob causam vestem sacram auferre studuerit 913.d, tum adolescens fuit, vtpote qui post annos quadraginta à Salomone iussus sit domum se recipere 888.a, b, c, illius parentes, ibid.
Abigaelis laus 1151. a, b. humilitas, 1321.d
Abigail potuit periculo familiæ largitione prospicere 1210. d, orat Dauidem 1243. b, illius orationis procemium ibid. quid petierit ab eo 1244. b, c, d, 1245. a, b, c, illius virtus 1247.c, offert munera Dauidi 1260.d, munus suum verbis non exaggerat, 1263.c
Abigail excusatur, quòd vocauerit maritum stultum 1247. d, 1248. a, quare iurarit per Deum, 1257. b
Abigail prædicit Dauidi persecutionem sui à Saule 1266. d, quare non nominauit Saulem 1266.d, 1267.a, prędicit exitium Saulis, 1267.b
Abigaelem quare Dauid optauerit vxoré, 1320. b, c
Abisai adhortatur Dauidem, vt neci consentiat hostis, 1358. b
Ἀθρόα καὶ ὅλα inter se differunt, 1322.a
Abraham fudit Chodorlahomor fugauitque, 1063. a
Abraham parere vxori suæ iussus est à Domino 1202.a, bellum aduersus quatuor Reges gessit 1838. d, 1839. a, an illorum Regum profligatorum præda illius fuerit propria, ibid.
Abrogatis electionibus quanta calamitas Ecclesiam inuaserit, 917.c, d, 918.
Absalon, occiso fratre, fugit Gessur 1314. a, reductus est à Ioab Hierosolymam, ibid.b
de Absentibus quid Cyrus cogitaret, 651. a
Abstenij plerique præstantes viri, 1190.a, b, c
Abstenij, an vini potores benigniore somno perfruantur, 1387.d, 1388. & seq.
Absteniorum somnia longe præstátissima 1388. b, c, eorum somnus leuior & suauior, ibid. d, & 1389
Abusus quondam vulgaris probationis, 830. a
Acceptio personarum septem de causis excusari potest, 52.b, c, d
Accipere personam iura nonnunquam vetant: alias iubent, 51. 52.a
Achates gêma vna ex ijs, quæ *Rationalem* exornarent 940.c, d, 941. eius vires, 941. c, d
Achimelech Pontifex, ille ad quem transfugerit Dauid, quis ille 692.d, 693.a, b, quærit à Dauide causam fugæ 693.c, d, 694.a, quare illo viso obstupuit, 694. c, d
Achis quomodo intelligendus sit iurasse per Deum verum, cùm ab eius religione esset alienus 1767.c, d, quomodo nomé ipsum Iehouah nosse potuit, 1768.b
Achitophel suspendio interijt, quare, 1232.c
Acies ordinata, eiusque partes, 1757.c, d
Acquisitio quid sit, 1838.a, b
Acridophagi, eorum victus, 1176.b
Actionum suarú homo plures fines habet propositos, 389. c, d
Actio malæ tractationis, 1245.b, c
Adamas, lapis ex ijs, qui *Rationalem* mirificè exornabant, 936, a, b
Adeps quid sit, & eius vsus in corpore, 184, b, c
Admonitio æquò animo ferenda, 1285.a
Adorantium varij gestus, 682.a, b, c
Adorandi ritus, 681.c
Adorare quid sit, 1048.a, b, c
Adorati Principes, ibid.
Adoratio liberi populi Legato indigna, 1049.a
Adoratio ciuilis, 1717.c, d
Adrustia, siue Nemesia, quid, 1280. b
Aduersis in rebus Dei meminisse debemus, 1060. b
Aduersitate ac necessitate vrgente ieiunia frequentata apud Hebræos, 1936. b, c
in Aduersis sæpissimè denegantur nobis postulantibus, quæ nos in prosperis contempsimus 1734. c, d, fabula lepidissima, ibidem.
Aduersa secundis præire solent, 1800, a, b
Adulatio quid, 1774.b
Adulatoris descriptio, ibid. b, c
Adulterij labe contaminatur, quicunque thori consortio superstite aliam duxerit, 1331.b, c
Ægidius Episcopus qua iudicij forma maiestatis damnatus, 841. b, c, d,
Ægyptius vocalissimus, 1392.b

Ægyptij nefas esse putant mortuos comburere 1138.c, domos nostras appellant diuersoria, sepulcra autem sempiternas domos, ibid.d
Ægyptij, abeūte Nilo, quo pacto suos agros recuperabant 308.c, eorum lex prædicanda aduersus otiosos ac nebulones homines, 775.c
Ægyptiorum lex aduersus interimentes filios, 671.d
Ægon quantum panis comedebat solus, 1204.c
Ægritudinis animi plures species, 499.d
Æquiuocationem in verbo aut sermone negat esse Diodorus, 1525.c
an Æquiuocatione & amphibologia prædones ludere liceat 1115.c, d, duo sunt in quibus vti nefas 1116.a, an ea ipsa sit permissa ad seipsum innocentem periculo liberandum, 1525.b, & seqq.
Ærarium spolijs hostium instaurari debet, 81.d
Ærea quondam arma fuerunt 333. c, d, quare ærea potius quàm ferrea, 338. b, c, d
Æris etymologia Hebraica, 337.d
Æromantia, species diuinationis, 1592.c
Æstimare; plerique alios moribus suis æstimant, 1053.a
Ætas militaris, 356. d
Ætatum humanæ vitæ descriptio, 432.b, c
Æternitas quantum momenti habeat ad terrorem incutiendum, 1532.a, b
Æthiopum sacratissimum iusiurandum, 1109.b
Afflicti quo pacto consolandi, 687.d, 688
Agathenses, populi, 1519.a
Ager quid, 1145.b, c
Aglais Megaclis filia quantum sola consumebat in vna cœna, 1294.c
Aglaopus, lapis, qualis, 1584.c
S. Agobardus contra insulsam vulgi opinionem de grandine & tonitruis 1557. c, d, negat posse Maleficos magos ope dæmonis tempestates ciere, ibid. d, 1558. de Magorum explorando crimine 1570. exponitur ibid. contra Tempestarios, 1577 d
Agonia, quid sit, 754.d
Agricolæ Indorum belli tempore manent inuiolabiles, 899. b, c
Agricoli & rustici possunt diebus festis agrorum culturæ inseruire secundum Constantinum 643. a, quod negatur & conuellitur à Leone Philosopho, ibid. b
Agrippa de Magis 1553. d, illius ficta palinodia, 1554.c
Ahori, qui, 1656.c
Ἄλας ἄγει [illegible], prouerbium Græcum, 1350. b, c
Alæ palliorum, 158.b
Alce, siue *Ellant* fera 1010. inueniri & capi difficilis, ibid. & 1011. a
Aleæ studio Germani Hunnique de libertate periclitantur, 1814.b, c
Aleticum, modus scribendi literas, 678. a
Alexander præmia potantibus proposuit 1298. illius benignitas & humanitas erga Gregarium militem 649. d, figmentum quo quondam Ethnicos illusit 977.c, d, quantum territus est postquam audiuisset, Babylone sibi mortis periculum imminere 1747. a, b, quo pacto seditiones fugere tentaret, 1648.b
Alexander Seuerus quàm lætatus, cum mortem bellicam sibi & Imperatoriam audiuit imminere, 1747.b
Alexander Pori constantiâ, & libera admonitione flectitur, 55.b
Alienare dominium num liceat Principi vel Regi. vide *Reges*.
Alienatorum complura exempla, quæ Iurisconsultorum doctrinam refellunt, 1511.a, b
Alienatio à mente quomodo fit 1250.c, triplex est ibid. d. variæ item aliæ species, 1251.a, b
Ἄλω quid, 898.b
Alphæi dulces aquæ salsugine maris non corrumpuntur, 1430.a, b
Ἄλφιτα, quid, 1205.d
Altricis facultatis duplex organum 1664.c, potestas quadruplex ibid. c, d, illius œconomia egregiè describitur, ibid. d, & 1668
Amalec vnde ortus: gentis studia, 15.c
Amalecitæ populi, à Deo proscripti 1517. 1522. c, quare David eorum spolia vsurpauerit sibi ibid. eos omnes spoliat & trucidat 1522. c, d
Amalecitæ latrocinijs dediti, 1789.a
Amalecitæ prædones describuntur 1819. b, c, d, eorum quanta strages à Dauide facta. 1823.d
per Amalecitas quid designatur, 1810.b, c, d
Amantium iræ amoris redintegratio est 555. a, 1529. d, 1530.a
Amare, quid sit, 627.d
Amasis apud Ægyptios legem condiderat, vt singulis annis omnes vnde viuerent demonstrarent, 775. c, d
Ambarualia, quid, 1591. a
Ambiguitas sermonis, an ea seipsum innocentem fas sit periculo liberare, 1525.b, c, d, & seq.
Ambulare in armis, 424.b, c
Amethystus, vna ex gemmis, quæ *Rationale* exornabant, 945
Amici ac beneuoli discrimen, 481.d, 482.a
Amici portus tutissimus, 610.a, b
Amici præsentia mœrorem excutit, 987.d, 988
Amicis reconciliatis non magna fides habenda, 1116.c, d, 1117
Amicitia nulla tanta, quæ non aliquādo iurgijs conflictetur, 554.d, 555.a
Amicitiæ specimen egregium 994. b, fundamentum, pietas in Deum, 627.d
Amicitiæ definitio, 628. a, b
Amicitiæ singularis egregia quędam exempla, 480.c, d, 481.a, b, c
Amicorum paria, 627.c
Amnon occisus ab Absalon fratre, quare, 1514.a
Amoris triplex genus: vis philautiæ, 480.b, c
Amor in patriam singularis, 1426.b
Amor obscœnus quid, & vnde alatur. 520.d, 521.a, & 1409 d
Amor à natura virtuti consecratus 475. b, c, qualis sapientem decet 473. c, d, 474. a, illius magnitudo exprimitur 474. b, c, d, 475. cum vinculo comparatur ibid. in armis illius potentia, 537.d
Amor Ionathæ quantis de causis Dauidi conciliatus sit, 475. d, 476. 477. a, b
Amorem quæ incendere soleant, 519. 520.a
Amoris constantia mulierum erga maritos 563. c, d, 564.a, b

Amos Propheta dicens, *Væ desiderantibus diem Domini, &c.* explicatur, 1073.d.1074.a,b
S. Anastasius male tractatus à Constantio Imperatore 837.a,b, non condemnatus ab eo, sed nomen illius delatum vt condemnetur ab Episcopo, 837.c,d
Anathema Hebræis triplex 23. illius materia, & causa efficiens explicantur, finis item & forma, 24.c,d
Anathematum apud Græcos olim duplex genus, 22.d
Anaximenes quo pacto Alexandrum sedauit iratum, 1288.c,d
Ancyra quondam Sybillæ oraculis celebrata, 156?.b
Angelus qualis habendus apud Daniel. qui Gabriel. restitit, 258.b,c,d
Angeli dicuntur exercitus Dei 21.c. dicuntur fleuisse metaphoricè 686.a,b, quomodo dicuntur esse in loco 1705.a,b, qualis sit illorũ motus localis ibid.d, eorum cognitio duplex 1706.c,d, quamobrem bona semper agere studeant 1781.c,d, rationes hoc ipsum probantes, ibid.& 1782
cum Angelis conferri magnus laudis titulus 1781.b,c
Angelos præter Michaelem, Gabrielem, & Raphaelem nullos Ecclesia nomine nouit, 679.d, 680.a
de Angelis Custodibus Ethnicorum sententia, 1780.a,b,c,d
Angeli, vtrum assumant corpora 1714.d, & seq. & vtrum in corporibus assumptis, opera vitæ exerceant, ibid.
Angli quōdam inhumani in naufragos, 1510.b
Anglorum feritas ac barbaries aduersus Catholicos, 614.b
de Anima veterum sententiæ, 1701.c,d
Anima נפש nephesc, Hebræis triplex est, 472
Anima hominis quid: eius partes 1037.d, sedes 1037.a
Anima indistincta omnes partes sphæræ actiuitatis suæ complet, 1700.c
cum Anima intellectum & voluntatem re atq; essentia coniungit S. Mamertus, 1700.d
Animæ nō errant circa corpora defunctorum, 1661.b, quamobrem sua corpora non repetant 1660.c, quibus illecebris in corpora pelliciantur 1661.d, 1662.a,b,c,d, eas Ecclesia non arcet à corporibus, sed dæmones, 1660.b
Animæ ipsæ per se an aliquo exili corpore constent, vmbris nebulisue persimili: an reuera corporeæ molis prorsus expertes 1697. & seqq. rationes quæ corporeas esse probare videntur 1697.d, 1698. confutantur à S. Mamerto, 1703. & seqq.
in Animis nihil incorporei secundum Festum inest, 1697.c,d, 1698
Animæ quibus rationibus probentur esse incorporeæ, 1699.
Animæ funeri superstites manent, 1720.a,b,c
Animarum separatarũ quis cruciatus esse possit, 1710.b,c,d
Animæ à Ventriloquis euocatæ, qua forma, & quomodo redeant, 1691.b
Animalia pleraque musica capiuntur, 300.d
Animalia sine præmio ad pugnam se parant, 386.c,d
Animalia quadrupedia bisulcia in Ponto felle carent; in Naxo duplici abundant, 1148.d
Annulus, cuius beneficio posteriora conspiciebantur, 1037.a
Annulus pronubus, 531.b,c,d
Annulus Gigis, cuius beneficio latebat, 1281.a
Annuli sponsalitij, 531.c
Anthias, piscis sacer, 1201.a
AntiChristus cum dicitur venturus in signis mendacij, quomodo hoc intelligendum, 1716.c
Antiochus primus viuo Sacerdoti successorem dedit, 833.c,d
Antoninus prædixerat de funeribus Martyrum, 1131.d
Antoninus negat regium esse, facti reddere rationem, 871.b
Antonius Caracalla, naturæ dans operam, interimitur, 1031.a
Ἀιδοιοτομία, 1552.d
Aod non est impius, quòd occiderit Eglon Regem Moab, 1062.d
Aouoth Hebraicum quid significet, 1548.c
Aphec, vrbs, quænam, vbi sita, 1754.a,b, 1715.a
Apocalypsis locus, *Vsquequo Domine non iudicas, &c.* explicatur, 1085.b,c
Ἀπαγχόμενος de eo vsurpatur, qui præ dolore animi vitam in secessu vel laqueo finit, 1778.d
Apologia Dauidis, 1053.c,d
Apollo Pythius quare sic dictus, 1737.a,b
Apollonius, Magus & præstigiarum artifex, Principem quemque officij sui immemorem, ac potestate abutentem occidebat 1602.c, confutatur, 1604.d, 1605.a
Apollonius immortalis maxime cupit videri 1123.b,c, sepulcrũ illius vbi sit nescitur ibid. pudet eum incantatorẽ audire, quem frustra defendit Philostratus 1582.c,d, quo pacto Memphiticum reum absoluerit, 1591.b
Apollonij & Empusæ collusio, 1676.c,d
Apostolus, de conuersando cum hostibus fidei, explicatur 743.a,b, de Idolophitis, 747. 748
Apparitiones Angelorum, tam bonorum, quàm malorum in assumptis corporibus non vsquequaque phantasiæ ascribendæ, 1715.d, 1716.a
Apparitores, qui 573.b,c,d, quomodo nominati, ibid.
Appetentia cibi duplex 1666.c. quinque symptomata eandem consequuntur, ibid.
Aqua ingenium acuit, 1190.a
Aqua inextinguibilis dicta, fidem seruantibus gustu dulcis, periuris vero aduersatur, 638
Aqua frigida deficientem animam recreat ac reficit 1807. callida vero post laborem & metum non parum prodest, ibid.
Aquæ virtutes & encomia, maximè quæ petuntur à Religionis nostræ mysterijs, 1190.d, 1191
Aquæ nomine quibus potus intelligitur, 1192.b
Aquæ laudes & virtutes, 1807.d, 1808.a,b,c,d

Aquæ albæ apud Romanos vis admirabilis, 1755. d
Aquam quo pacto bibere discamus, 1812. b, c. eam nutrire non pauci asserunt, 1189. d. Vide *Abstemij.*
Aquarum vsus fræquens in antiquorum conuiuijs, 1189. b, c
Arabes humani generis hostes publici, 1518. c
Arbitrij libertas malis non eripitur, 1415. a. b, c
Arbitrij libertas causa est, quamobrem multi non resipiscant, 606. b, c
Arbores quædam in honore habitæ, 309. a
Arcades musicam discere legibus cogebantur, 264. d
Arcera, quid sit, 576. a
Archippocomus, 295. b, c
Arcus triumphales, 78. c, d, 79
Arcus etiam vita functis positi, 79. c
Arethusæ fontis descriptio, 1755. c, d
Argilæ, populi minoris Africæ, per naues iurant, 1109. b
Ariel, siue Αχτις, quid, 1868. a
Ariæus proditor, 1761. b
de Ariolis, 1545. d. 1546. a. dicuntur & Harioli; vnde, 1549. d. eorum etymologia, ibid. quinam sint, 1592. d
Arioli, Augures, Aruspices, Chaldæi, Genethliaci & Thessali sæpè confunduntur, 1549. d
Aristagoras quare triginta potius millia Atheniensium, quàm Cleomenē Regem decepit, 596. a, b.
Aristipi documentum ad voluptatem pertinēs, 1295. a.
Arma peditum, 423. c. Arma quamobrem priscis ærea, 338 b, c, d
Arma in fœderibus Sanciendis, 482. c, d, 483. a
Armilustria, quid, 1591. a
Armenti & gregis differentia, 1837. c, d
Armiger quis sit & quis dicatur, 295. 296. quis illius vsus fuerit, 340. d
Armoricorum, siue Britanniæ minoris exactio in naufragos, nomine *Varech*, anathemate damnata, 1520
Armorum Goliath expositio allegorica, 340. c, d
Aroër, vrbs, 1897. d, 1898. a
Artes discendæ, ne nos contingat aliena viuere quadra, 775. d, 776. a, eæ non sunt exercendæ quæ superstitioni faueant, 1578. b, c, d
Artes tyrannicè viuentium, 809. c
Arrogantia Regum quorundam, 77. d. 78. a
Ars bellica longa exercitatione indiget, 406. b, c.
Asinum Ammonij ferunt disciplinarum studiosissimum, 289. b
Asini Scenophori Græcis dicuntur, 289. c
Αννια ἀδικεῖν, quid, 1242. d, 1243. a
Ασωτοι, qui, 1201
Assensus, quo bonum amplectimur, ex Deo est, 64. b, c
Assentator, oblectator & innocuus, 1049. b, c
Assentator, qui bonorum vitæ ac fortunis insidias struit ibid. c. d
Assentator & Assentatio vide *Adulator & Adulatio.*
Assyrij Reges suos adorabant, quo modo, 1047. c.
Assyriorum suplicandi ritus, 1240. d
Astaroth, quid sit, 1935 c
Astarte quæ fuerit, 1936. c
Αγυρται, qui, 1202. b
Astra cursus siue definita custodiunt, 1546. c
Athalia nō erat legitimus Princeps Hebræorum, 1062. regiam Dauidis stirpem ferro demetere voluit, 885. c
Atharicus de habitantibus, 1144. a, b, c
Athenienses distributi in Tribus, Curias, & Gentes, 796 b, c
Athenienses Xenophon immaniter vltus est, 1223. c, d, 1224. a, b.
Athenienses, eorum humanitas erga etiam bruta, quorum opera vsi fuerint, 1817. b
Athenis quinam nomen imposuerit; Pallas-ne, an Neptunus: hac de re fabula, 1678 c, d
Athletæ victoriam auspicantur à celibatu, 652. d, 653. a
Auaritia proinde ac largitionibus Principum, cum ipsos, tum rempub. non raro euerti. 799. d, 800. a
Auaritia Idolorum seruitus, 120. a, b, c
Auaritia Principum in vectigalibus adinueniendis, 392 c, d
Auari pueris similes, 1195. a
Augea Epeorum Regis pecuariç facultates, 734. d, 735.
Augures, quinam, 1592. d
Augusti sapiens responsum, 1729. c, d
Augustus Deorum conuiuia studuit æmulari, 1291. a.
S. Augustinus virgines à cæde voluntaria deterruit, 1895. d
Αυτανδρωσία, 1552. d
Aula Principum plerumque Magorum receptus, 1657. b, c
Auræ popularis inconstantia, 1857. b, c
Aureliani maxima & laudabilis lenitas in Thianæ vrbis captione, 1217. b. mors illius, 1041. a, b.
Auspices, quinam, 1592. d
Authoritas, cui refragari religiosum, quæque vera dicere cogat, quænam sit illa, 1114. d. 1115. a, b.

B

S. Bachiarius de Sanctorum quorundam nece, 877. b
Baculus manus.
Balænæ amor in suos, 1799. d
Baldi authoritas de Regum iuramento ab vsu pendet, 1492. c
Balistea, *les Balais* ad inimicam saltationem pertinent, 489. c, d
Barangi, milites; quinam, 1400. b
Barbarorum nominum Emphasim aliena lingua non exprimit, 1201. b. c
Barbari omnes Deum agnoscunt, 1823. b
Bardariotæ, milites; quinam, ibid.
Barritus, vociferatio militum, cum pugnam ineunt, 374. b, c, d, ad pugnam alacriores efficit, 448. b, c
Basilius, dum sibi ab Imperatore metuit, eundem iugulat & Imperium occupat, 1457. a, b, c

Belial,

Belial, hæc vox vnde componitur, & quid denotet, 1198.c
Bellum Græcis à non loquendo dictum, 440.d, à comedendo dictum, 408.d
Belli Hebraïca & Syriaca Etymologia, 373.d
Belli suscipiendi causæ duodecim, 19.d, & 20
Bellum res odiosa diuitibus, & ijs maxime qui rura colunt, 1168.a,b,c, non nisi authoritate publica decerni potest, 19.b,c, intra proprios parietes, an hostili solo gerere tutius videatur, 310. 311.312.a,b, sine cibo & potu friget, 1811.b,c, qui bellum iniussu Imperatoris gesserit, & qui in bellis cesserit hostemque arcere renuerit, eiusdem criminis tenentur, & cuius, 613.a,b,c
Bellum à Palęstinis aduersus Saulem nequaquam iustè susceptum esse, 1539.d
de Belli stratagematibus quid Cambyses filio suo Cyro diceret, 1526.c,d,1527.a,b
Belli iure parta victoribus ascribuntur, 1838. c,d.
Bello nemo prior iure quemquam lacessit, 18. c,d.
Bella seruilia, 1182.c,d,1183.1184
Benedicere, quid sit, 1448.c, & 1260. a,1161.a,b
Benedictio Domini, 1448.c,d
Benedictio etiam mali Principis magni ducenda est, 1448. d
Beneficium, quatuor gradus eorum qui conferunt in alios beneficia, 1213. c, d
Beneficiorum Dei duo sunt genera, 1214 d
Beneficia sua quo tempore prædicare liceat, 1097.a.
Beneficia quędam nos accepisse pudet & eorum Authores, 1116. d
Beneficia diuina ad obediendum nos prouocant, 7. d
Beneficia temporalia quæ maxima censeantur 8.a,b.
Beniamin de lino AEgyptio, 882.c
Beneuolentia mutua, 812. b,c
Berillus, lapis, 950.d, & seq. fortitudinem repræsentat, 951.c.d
per Berulos intelligit Interpres Plinij *Crapaudines*, 929.b
Bethel quo pacto in tribu Iuda, 1867.b,c,d
Bethsan, vrbs, 1938.c,d
Beza contra Reges, 1368.b,c
Bezæ calumnia refutatur, 942.d
Bezæ in deprauanda Scriptura temeritas ab ipso Authore recusata, 1693. d, 1694. a, singulare acumen *Animam* cadauer exponens, 1694.b, c, illius impudentia confutatur, ibidem d, mira impudentia, 91.b,c
Biæothanati, qui, 1656.c
Bilis atra duplex, 1251. b
Boleslai III. Polonorum Principis reuerentia erga Patriarcham, 1071. d,1072.a
Boni malos lugent, cùm ipsi suum dolorem non doleant, 198.a, b, quomodo à malis secedant, 196.d
Bonis qui benefaciunt, à Deo præmio afficiuntur; supplicio, qui nocent, 48. a,b
Bonorum migratio quàm luctuosa, 196 c,d
Bonorum Ecclesiasticorum plures differentiæ, 729.d,730.
Bona & fortunas alterius qui seruauit, mercede dignus est, 1071.c,d
Bonum vox homonyma, 1172.d, decem Cathegoriç illud sibi vendicant, 1172. d.1173.a.b.c.& 1779.a.b.c.
Bona male parta, male dilabuntur, 1818.d.1819. a.b.
Bona Ecclesiastica videntur quidem Clericorũ stipendia; Monachorum autem patrimonia, 704.d.
quæ Bona Postliminio redeant ex iure gentium ciuili didicimus, 1845.d
Bona Monasteriorum legitimis artibus & contractibus comparata, 705.d.706.a.b
Bonorum triplex genus, 1845.d.1846.a
Bonos Deus cum malis vexat, vt eosdem studeant à scelere reuocare, 32.a.b
Bonorum res aduersæ fidem exercent, ibidem. b.c.
vir Bonus quis apud Iurisconsultos, 1779.d. 1780.
Bonus magnus potator, ipseque quantumlibet, securus & sobrius, 1196.d
Bonorum atque malorum contraria vicissitudo, 1835.d.1836
per Brachium patris in Scriptura quid intelligatur 886.c.d
Bruniam aut gladium vassallo suo Episcopus, &c. ne præbeat, 737.a
Bruta animalia supplicium luunt, etiam innoxia, 26. a.b.c. d. quamobrem supplicio afficiantur, 58.b
Bruta etiam flere natura docuit, 686.c,d
Brutis animantibus qui humanè vsi sunt, 25. c.d.
Buchananus contra Reges, 1368.d
Byzares, populi in Ponto, 1250.d

C

CAbus, quæ mensura, 1205.a
Cædes voluntaria suiipsius an vlla ratione defendi possit, 1901.c.d
Cædem nullus Prophetarum aut Apostolorum principum docuit, 1385.b
Cædes iustissima, 1835.a
Cædis seu potius parricidij rea, quæ se pudoris tuendi gratia interficit, 1915.b.c
Cædis imperatæ libellus, 544.a
Cælestium rerum desiderium denotatur per Saphirum, 934.a.b.c.d
Cæna exequialis, 1953.d.1954.a.b
an Cænæ Sacramentariorum quisque fieri vllo in tempore particeps, 746 d.& seqq.
in Cænis sedebant Heroes non accumbebant: 622. a. b. c. sedebant & mulieres, ibid. b. prisci Romani quoque, ibid. c. AEgyptij, ibid.
Caleb, quis, 1162.c
Calendæ, quid, 621.a.b. 624.a. b. vnde ortum habuerint, 621.c.d
in Calendis mensium offerebant Hebræi victimas pacificas, 624.c
Caligula honorem mensuræ suæ vendidit, 623. b. dormire nequibat præ conscientia, 1280. a.b.
Caluinus confutatur, 87. 88.89. illius obiectio

de Sacerdotibus & alijs Ecclesiæ ministris debita reuerentia, 847.848.849
Caluinus contra Reges, 1368.b
Calumniæ descriptio, 1421.b.& 1049.d.1050.a. illius depulsio, 123- d.1238. a.illius antidotum, humilitas, 1227.d.1228.a.b
Calumnię familiaris ac perpetua Hęreticorum, 614.c.d.
de Calumnia, 1421.c.d.& seqq. illius descriptio, 1421.b.
Cambyses docet filium suum de belli stratagematibus, 1526.c.d.1527.a
Campus caninus, 435.d
Canis mortuus non mordet, 1067.b
Canis pro Rege habitus, 1069. c.d. vilissimæ conditionis symbolum in Scripturis, 1070.a. b. huius nominis vsus & significatio. ibid. a. b. c.d. & 1071.a.b. hoc nomen in Scripturis hostes Christi designat, 1070.c
Canes ducenti Garamantum Regem ab exilio reduxerunt, 1068.d
Canes Dij habiti, 1069. d. in bello pugnant, 1068. d.1069.a.b.
Canes venatici cum lampadis Ecclesiæ oleum sorbuissent, in rabiem acti sunt, 26.d
Canum vtilitas, 1067.b.c. alij custodes: alij venatici, ibid.
Canum publicæ custodiæ, 1068.d
Canon *Episcopi* de Magis acuratè exponitur, 1562. c. d. 1563. quid sit quod anathemate feriat, 1565. b. non Canon fidei, sed iudicialis sentẽtia videtur, ibid.c.d. mẽs sũmi Pontificis in Præfatione decreti de hoc Canone, 1565. d.1566.a. de hoc Canone consulendus Anchoranus 1566. d. alia huius Canonis interpretatio. ibid. 1567.a.b
Canones indagatorij, quibus maleficia eruantur, 1571.a,b,c
Capra excellit auditu, 291.a. quomodo medeatur suffusioni oculorum, 291.b
Capræ & hædi præsciunt tempestates, imbres, pestem, ibid.
Capræ spiritum ducunt auribus, 1149 c. nonnullis locis tondentur, 1150.a.b.c. nunquam sine febri sunt, 1149.c. oculum affectũ quomodo curant, ibid.d. earum tonsura in Cilicia primùm instituta, 1150.a. b. ex ea pannus conficitur, ibid.
Caprarum commoda, 1149. a. earum multitudo perniciem sibi creat, ibid.b. earum numerus minor quàm ouium, quare, ibid. a. b. pellium vis admirabilis, ibid.c
de Capris 572.b.c
Caput suum omne animal sedulò tuetur, 99. b.c.
Caput Iurisconsult. quid significet, 110.b.c
Capitis Hæbraïca Etymologia, & translationes, 101. d. 102.103.104. vsus varius & multiplex Latinis, 110.a. b.c.d
Capita hostium amputata, 1933. apposita in triumphum, 1938.b.c
Caracallarum forma, 919.c
Carbunculus lapis, 931.b.c.d.& seqq. illius virtutes, ibid.
Carcer Decanica Ecclesiæ, 852
Carcer libertati præiudicat, 780.d.781.a
Cardanus de Sardio, lapide, 926.c. d. de Topazio, lapide, 928.a
Caricæ quid, 1203. b. vnde dictæ, 1808.d
Carmel, vox ipsa quid significet, 75.d. 76.a.b.c.
Carmelus duplex, si locum spectes, 74.c.d.76. a.b.c.
Carmelus mons, 1145.c.d
Carmelus quid significet, 1166.c
Carmen apud Iudæos in funere, 1127. apud antiquos Christianos, 1133.b
Carnifices quam ob causam vulgo malè audiunt, 193.
Carthusianorum in pauperes prolixa liberalitas, 701.b
Casimirus diuina vindicta sæuit, quòd manum in Christum Domini misisset, 844.b.c
Cassiodorus de honoribus à Regibus habitis Ecclesiastico ordini, 838.c.d
Castitas corporis nos aliquatenus cum Sanctis æquat, 719.a.b
Causam qui voluit, quo pacto iudicetur effectum quoque voluisse, 657.c.d
Cazimiri optima lex contra nimis effrænatam militum prędandi licentiam, 1165.c. d. 1166. a.b.
Ceila, ciuitas, quænam, 897.d.898.a
Ceilani, quantum gratiæ debuerint Dauidi, 978.d.
Celsa quæ sunt, his imminet ruina, 755.b.c.d
Censura Parisiensis haud obscurè Regem Tyrannum notat, 1379.b
Census militum apud Hebręos nusquam prohibitus, 39.b.40.a
Cepha ab Orientalibus passim rupes exponitur, 106. b.c. illius Græca Etymologia defenditur, 105.106.107
Ceraunius lapis, 929.a
Cerebri descriptio, 111.d
Ceremoniæ cedunt necessitati, 117.b.c.d.739.d. postponendę sunt Decalogo Religionis, 718. a.b. quo tempore obtinere debent, ibid. d
Cerethi, populi, quinam, 1820.d.1821.a
Certamen singulare multis de causis reprobatur, 469.470
Certamen cum feris olim laudi datum, 421.b
Certamus & vincimus opitulante Deo, 1442.d. 1443.
Ceyx, auis maxima aduersus somnum validissima 1354.a.b. symbolum boni Principis, ibid. excubias agit Mergis dormientibus, ibid.
Charitas, lapis, 932.b.c
de Charitate, 676.b.c.d
Charitatis singulare exemplum, 1193.d.1194.d
Cheuel Hebraïcè, quid significet, 1645.b.c
Chydra Græcè, quid sit, 1206.a.b. quomodo differt à pulte & polenta: ibid. a. b.c.d. quondam rusticorum delitiæ, 1207.a
Chimerę descriptio, 1642.d
Chonomor quo pacto Maclianum à morte liberauit, 571.b
Chopinus, de Domanio Regis non alienando, 1504.d.
Choreæ quibus legibus tolerentur, 495
Choreas & saltationes ludicras damnarunt Romani, Græci probarunt, 490

Choreas

Choreas SS. PP. amandant procul à cœtu fidelium; rationes, 491.492.493.494
Chox & *Mispat* explicatur, 1857.c,d
Christiani nunquam Imperatori insidias struxerunt, 1061.c,d,1062.a, quondam fratres sese mutuò vocabant, 1167.a,b
Christianis olim voluntas vlciscendi defuit, non facultas, 1054.a,b
Christiani Philosophos antiquos quod ad virtutem longo interuallo superarunt, 1778. b,c,
christianum nomen defenditur, 1248. d, 1149.a,
christianum nefas iniuriæ meminisse, 905. d, 906.a,
Christus, lapis, 428.429.a, post Resurrectionem comedit, 1717.a,b
christus, cum dicitur inferni doloribus solutis resurrexisse, quomodo id intelligendum, cum nullos dolores post mortem passus sit, 1693.a,b,c,d,1694. hac de re Petri sententiam confirmat Dauid, 1693.& Bezæ in deprauanda Scriptura temeritas ab ipso Authore accusata, 1693.d,1694
Christos Domini qui tangere ausi sint, quàm malè eis cesserit, 843. b,c,d, & seqq. an cuiquam mortalium iure humano liceat in eos manum mittere, 835.d,& seqq.
chrysolithas, lapis, 946.a, b, c, d, temperantiam repræsentat, 947. a,b,c,d
cibus syluestrium hominum, quos panis deficit, 996.a,b,c,d,
cibus quantum momenti habeat ad reficiẽdos eos qui corruunt, 1807. b, nullus illius vsus ad vitam, nisi conficiatur, 1693.b,c, tres illius coctiones, 1666. a,b, appetentia cibi duplex, 1666.b,
cibus insomniis dijudicandis spectandus, 1617. a,b,
ciborum copia & varietas valetudini officit, 1293. c,
Cimon priuatim equas sepulcris ornat, 1817. b
Cinæi qui fuerint, quibus in locis habitarint, 45.a,b,c, pluribus beneficijs Israëlitas affecerant, 45.d,46. a
circenses agitatores plerumque Malefici, 1599. d,1600.a,b,
de Circoncisione, 746.a,b,c, erat pluribus gentibus communis, armis Iudæorum, 535.d
circunstantiæ expendendæ in Lamiorum crimine explorando, 1572
Cirus maior terram sibi tumulum optat, 1138.d
cithara, 270.c,d
cithara Christi typus, 278.a, b,c, orbis imago, 276. Deum mysticè repræsentat, 277. b, c,d
ciues non libenter ferunt peregrinos dignitates capessere, 1765.c
ciuium vtilitatis ratio habenda & vt fortiter agendo laudem tibi pares, 902.a
ciuitate donari, honorificum, 1490.b,c
coaguli in caseo ob minimam quantitatem ratio habenda non videtur, 369.c,d
claues olim familiæ nuptis datæ: quare, 1210. c,d,
Clearchus apud Xenophontem de iuramento, 1107.a,b, de suspicione, ibid.b
Clementia Dei admirabilis eaque, qua suos complectitur, 1067,d,1068.a,b,c
clementiæ laus, 878.c,d
Cleomenes Spartanorum Rex interfectus, atque in crucem sublatus, 1625. a, mirum quid hac in re, ibid.
apud Cleonas consuetudo, quando grandinem imminere vitibus videbant, 1645.d
Cleopatræ Ægypti Reginæ incontinentia, 665.d,
Clodoueus Galliæ Rex; illius pietas ac Religio, 1605.a,b,c,d,
Gothos fudit, & Alaricum eorum Regem occidit, ibid.
Cluentius Pelignus Italicensis occisus à seruo suo, ne Pompeio traderetur, 1199.a
Cnoxius contra Reges, 1368.c
colis meatus tres, ac totidem humores, 652.c
colli descriptio, 1952.a,b
cœtus pij prohiberi non debent, 591.a
color vultus pulcherrimus, 243.b,c,d
colores hominum varij notantur, 283.a
Comas Abbas, de illius sepultura, historia, 1139. b,c,
combustio in funere quænam ab Hebræis vsurparetur, 1127,b,c
de Commendis & Commendatariis quid sentiendum, 705.d,& seqq.
commendarum triplex genus, 703.d, quodnam genus earum in disceptationẽ vocetur, 704. a,b, earum instituendarum ratio, 110.b,c
commendatarij cuiusdam Episcopi inhumanitas & auaritia nimia, 710.d, 711.a
commendatariorum immensa licentia superfluos fructus sibi vendicandi nullo iure probari potest, 711.d, 712.a
commentum Regis Ethnici de Dei præsentia, 440.b,
Commineus de ratione qua Principes se gerere debeant erga delatores, 807.b,c
commoda & fortunas nostras parare non est studendum ex aliorum incommodis ac infortunijs: egregium exemplum, 1740.a,b
Concilium Toletanum, quo prohibetur, ne Reges Clerum, quem accusatores detulerint, temere pœnæ subijciant, 867.a,b
Concilium Constantiense contra Regum parricidas, 1372. & seqq.
Concilia non firmat Principum authoritas, 864.d,
concubitus legitimus cum vxore, an à sacra Communione abarceat, 720. a, b, c, d, & seqq.
confessio peccatorum speciatim fieri debet, 148.b, c,
confessio sceleris non quælibet labem abstergit, 147.d,148.a
confessio hypocritica, quæ in alium culpam deriuat, 148.d
confessis credendum, si nihil aliud impediat, 1571.a,b,
congregationis non leue emolumentum, 1599.a
coniugis emptio non videtur apud Iudæos obtinuisse, 530.c
Conscientia, plures illius definitiones, 1275. b,c,d, 1276. est spiritus corrector, & animæ

pædagogus, 1276. d, actus est non potentia, 1277. a, b, plerumque memoria excitatur, 1279. a, b, ne Regibus quidem parcit, 1280. a, b, c, d, ea mille testes, 1281.a,b
Conscientiæ cruciatus & pauor, 174.a,b,1274. a,b,c,d, æstus, 1038.d
conscientia scelerum quantas strages ciet, 1905. b,c,d.
conscientiæ tranquillitas virtutis maximum præmium est, 1273.c
conscientia fascinorosa, instar vlceris in corpore, 1274.a
conscientiæ varia acceptio in Scripturis, 1277. c, d, 1278.a, ea dicitur bona & mala; quare, 1278.a,b.
conscientiæ examen, 1363. a,b, de illius stimulo quem Abigail vocat singultum cordis, 1274. c, d, & seqq. illius æstus quantus, & quales quantasque perturbationũ procellas in nobis excitet, 1278. c, d, & seqq. illius pœna congrua sceleri, 1278.c,d, illius scelus carnificina sequetur, 1279.b,c,d
conscientiam habere bonam Principem, plurimum interest, 1273.d
qui Conscij habeantur Historicis & Iurisconsultis, 1275.a
consensus populi duplex intelligi potest, 1510. c.d.
consensus interpretatiuus Prælati, vel mariti, vel patris, 1208.b
consilia nostra prodere non cogimur, 582.a,b
Consiliarij mali Principes transuersos agunt, 1419. c,d.
consolari afflictos, quibus rationibus fieri potest, 687.d,688
Constantinus, de Incantatoribus, reprobatur, 1581. a,b,c.
Constantius Imperator nocturnis imaginibus vexabatur, 1780. b, c, ægre ac vehementer carpitur à Lucifero Caralitano, quòd S. Athanasio palam machinaretur malum, 837. a,b, non condemnarat S. Athanasium, sed falso nomen illius detulerat & condemnari iusserat ab Episcopis, 837.c,d
consternatio, quid, 754.c
Consuetudinis genus duplex, 1862.d, 1863. a, illius definitiones, 1860. a, b, c, d, quanta authoritas in diuisione rerum, 1863.c,d
consuetudinis ac Legis distinctio, 1858.a,b
consuetudinem quicumque clam violat, peccat in publicam authoritatem, 1862.b,c
consuetudo vim legis obtinet, 1861. b, quam vim obtineat, 1861.a, b,c,d, & seqq. rationi consentanea, quotannis præscribat, 1854.d, an Iudicis arbitrium obtinet in sancienda pæna, 1863. a, b, cuius assensu tacito obtinere possit, 1854.a,b,c,d
quæ Consuetudo, & quibus legibus, obtinere debeat, 1858.c,d.& seqq.
consuetudo dira & inhumana in prædandis naufragorum bonis, 1619.a,b
Consules ab aratro vocati, 139.d
contemptio simplex quid, 1231. Rationes quæ videntur exaggerat illius iniuriam, ibid. Rationes, quibus mœror ex illius opinione conflatus euanescat, 1231. a,b,c
Contemptio quid, 1228.d
contemptus, etiam minimus, aliquando maxime lædit, 1215. c
Continere quis dicatur, 722.d
Continentia quid, ibid. differt à temperantia, ibid.
Contuberniorum in castris ratio, 371.c.d
Contumelia quid, 1229.b, repulsam comitatur, 1236.b, quamobrem quis alteri contumeliam faciat, ibid. c, quanta mala pariat, 1902. c,d
de Contumelia tertia specie despicientiæ, 1236. 1237.1238.
Contumeliæ locus non videtur dari, 1238.c.d
Conuersatio hominum valde saluti periculosa, 1034.d, 1035. c,d, exemplum in Dauide, ibid.
Conuitium quid, 1180.a, iniuria grauissima, 1155. a,b,c.
Conuitijs quando exagitamur, quid tum nobis agendum, 1196.b.c
Conuitiis quemquam lacessere non est regium, 664.c.
Conuiuio quàm superbe Reges Persarum amicos exciperent, 623. b,c
Conuiuiorum antiquorum luxus, 1291.c,d
Cor animi sedes, 1038.a. motus illius, ibid.b
Coram Domino exponitur, 195.b,c
Cornu quam multa significet, 251.b
Cornu olei tropologice S.Gregor. explicat, 252. a.b
Corpora cremabant veteres quãobrem, 1944. a,b
Corporis puritas necessaria sacris habita, 651.c, d, 652.a.
Corporis mundities quibus olim modis quæsita. 652.d, 653.a
Corporis cultus nimius in mulieribus perniciosissimus, 668.a,b,c,d
Corporis incommoda quæ sequuntur ebrietatem, 1307.c,d
Corporis optima temperatio, 1252.b,c
Corpus vnum plura capita metaphorica habet, 101.b.
Corporis & oris humani symmetria, 284
Corrigere nemo potest, quem Deus despexerit, 1732.c,d.
Cortinarij, milites, qui, 1400.c
Corycæus Deus quidam, dicta factaque hominum explorans, 1075.a
Corycæi, qui, ibid.
crater veniæ, quid, 1590.d
Cras non tam proximum diem significat, sed nonnumquam etiam postea sequentem, 1737. d, 1738.a.
Credentia, quid sit, 715.d.716.a
Credimus ea facile, quæ vera esse cupimus, exemplum de Achi, 1521.d
Creditor olim ne pudori quidẽ pepercit, 777. b,c.
Crimen læsæ Maiestatis, quodnam, 612.a,b, illius species viginti duæ, ibid.c, definitur, ibid. c,d, illius pæna, 613.c,d
in Crimine Maiestatis quinam honos habitus sit à Regibus Ecclesiastico Ordini, 838.c,d, excusatur inita amicitia cum amicis Regis, 823.b,c,d.
Crimina pecunia æstimata, 1431.a

Criminum multiplex differentia, 611.b,c,d
Crocodilus alacritate prædandi suos approbat, 664.c.
Cræsus domum Alyattis Mercatoris Dianæ consecrat ob illius ingratitudinem, 1215. b,c.
Cromneli in Anglia nefanda & abominanda feritas, 614.b, eius finis & exitus, ibid.
Crucis vis & efficacia, 605.a,b,c
Crudelitas quid sit, 194.a
Crudelitates in stomaco vnde proueniant, 1293.
Crystallus calore, non frigore lapidescit, 1450
Cubitus Hebr. 322.d
Cuiatius de non alienando à Regibus Domanio Franciæ, 1497.a,b, legem Regni Francorum non agnoscit, ibid.
Cupiditas insana regnandi, 1365.a,b
Cura somnum fugat, 1351.c. Contrà, curas somnus soluit, 1354.a,b
Cura grauior nonnunquam somno opprimit, 1351.c,d.
Curruum falcatorum maxima pernicies, 1879.d.
Custodes Regum latrones vocati, 1399.b qui segnius custodissent, puniti, 1401.b
Cynici cuiusdam testamentum satis facetum, sed impium, 1160.c,d, 1161.a
Cyrus quare Iones & Æoles in pacem admittere noluit, 1734.c,d, quomodo milites suos, aduersus fratrem pugnaturus, incenderit, 797.d, 798.a.

D

DÆmon duplici ratione hominem cruciat, 162. ieiunio & oratione, non citharæ cantu abigitur, 271. c,d, vesperè & mane insidiatur, 363. b, illius studium in perdendo homine, quod sola humilitate vincitur, 1025. c,d, non paucos nocte superat, 1362. a,b, est mendacij pater: à veritate abhorret: homines odit: exemplo probatur, quo neque ipsi Dæmoni neque illius oraculis fidendum esse probatur, 1595.d, 1596. 1644. & seqq.
Dæmon quomodo varias animalium formas homines induat; an vera metamorphosi, 1575. c,d, an sine scelere quisquam possit ab eo veritatem quærere, 1650. & seqq. arcanas hominum voluntates & cogitationes explorare non potest, 1641.d, 1642.a,b,c, in assumpto corpore pluribus imponit, 1678.c, vestem postulat, algere se simulans, cum potius ardeat, 1713. illius potestas, 1589.b,c, quibus artibus stultis imponat, 1590.b
Dæmoni non est concessa miraculorum potestas, sed vtendi naturalibus tributa licentia, 1559.d, 1560. a, nihil nisi precibus impetratur ab illo, 1578. b,c, agendum cum illo tanquam cum hoste, 1651.a,b, non licet ab eo, neque concessa diuinitus potestate quicquam exigere, 1651.c,d, consultus, eundem fatetur Deum, 134 b, scientiam citò conferre non potest, 1589.d, 1590.a
Dæmoni nulla noua cogitatio succedit, quæ sententiam mutet circa finem, 168. illius possessionem haud facile deprehendi posse: quibus argumentis explorari possit, 265. d, 266.
Dæmones formidolosi, nocte potissimum, 1360.d, possunt tempestates ciere, si permittantur à Deo, 1559.a,b,c, diuinæ iustitiæ sunt lictores & ministri, 1560.a,b, diuinos sibi pasciscuntur honores, 1597. b,c, rationes, propter quas multa nouerint ventura, 1640. c,d, vbi quid quæritur, & coniecturis assequi non possunt, impudenter mentiuntur, & incautos in fraudem inducunt, 1637.a,b, c,d, an fingendo sensibus illudere, nocereque possint, 1674. d, & seqq. quo pacto tua tam celeriter agant, 1673. c,d, vt sensus fallant, vtuntur speciebus sensibilium rerum, 1675.b,c, tutissima ratio hac in re vitandi eorum fallacias, 1675.d, 1676.a
Dæmones vnde dicti, 1640.b, vocantur volucres à Tertuliano, quare, ibid. d, an futura cognoscant, & eosdem liceat consulere, 1640. & seqq. an consulere liceat, 1644. d, & seqq. non sunt consulendi: rationes plurimæ quæ id maxime probant, ibid.
Dæmones nunquam sceleris penitet, quo pacto, 168. quare sæpe fallantur, 1643. 1644. quam rei sint qui consulunt eos, 1646.b,c,d, 1647.a, b, quo pacto liceat eos adiurare, 1650. c, d, fallaciam suam confessi, cum Energumenos occuparent, 1656.c, d, quomodo corpora mouent, 1674. b,c, an reipsa quicquam efficere, nocereue possint, 1672. b,c,d, & seq. cogi se simulant, & mortuorum habitum mentiuntur, 1716.b,c,d
Dæmones, in locis designandis ad euocationem Manium, quid spectent, 1660. d, 1661.a, quid fingant cum mortuos reducere simulant, 1690.c, d, quo pacto ignem stygium, & reliquos tartari cruciatus tolerare possit sine corporibus, 1708. & seqq. in patrandis suis miraculis vtuntur secretis naturæ viribus quæ nos latent, 1672. c, vera corpora quandoque induunt: qualia sint illa corpora, 1714. d. 1716.d, nonnunquam ipsi fabricant, 1715. a, aëria potissimum sibi consuunt, ibid. b,c, quomodo, ibid. quod probatur ex Scripturis, ibid. d, & 1716.a,b, ipsi sunt Dei carnifices, 1641.c, aliquando Deus imperat illis vastare Regiones, &c. ibid. a
Dæmonum fraus & contumacia, 503.d, 504. a,b, & 1560. b.
Dæmonum malitia in Manium euocatione, 1656. c,d, probatur rationibus & exemplis, ibid. & 1657.a,b,c.
Dæmonum malitia & prauitas, 1644.d, 1645
Dæmonum ambigua responsa, 902.c,d
Dæmonum fraus futura prædicentium, 1637. c,d.
Dai, i, populi, magni piratici, 1520.b,c, apud eos piratica cœpit, 1521.d
Dantes Aligerius de alienatione fisci, 1497.d, 1498.a, Ecclesiam oppugnat, ibid. & 1500. d
Darius quo pacto ad Scythas traiecit, 1763. c,d.

Darij somnium, 1609.c,d
Darij & Xerxis crudelia facinora, 357.b
Dauid Christi typus, 453. d
Dauid à pueritia duriter educatus, quam ob rem, 411.b,c
Dauid incircuncisum despicit,& circuncisione gloriatur,397. quo fretus audet cum Gygante concurrere, 419. d, 420. quibus de causis à Goliath contemptus, 431. c, d, 432. a, non præmij cupiditate, sed Dei gloriæ studio, & salutis populi cum Goliath manum conseruit,395. b,c,d,cum leonibus dimicans Herculis audaciam vicit, 413.414.a
Dauid non ob censum sed arrogantiam punitus, 39. b,c
Dauid quàm seuere Ammonitas vltus sit,600. c, cum dicitur nudus ante Arcam saltasse, quomodo hoc intelligendum, 600.b
Dauid cum Angelo collatus, 1781.b,c
Dauid non est mentitus Achimelech, 695.c,d, 696.d, 697. a, quare petit ab eo quinque panes, 700.a,b,c
Dauid fugit de Naioth, 609. a, b, quare fugiebat Saulem,cum esset tam generosus,611.a,b quis ille Pontifex ad quem se receperit, 692. d,693.a, b,quare fugit,ad Sacerdotes,737.b,c receptus apud Palæstinos, quod exemplis confirmatur, 742. b,c,d, qua ratione potuit ad hostes fidei confugere,744.a, ex contemptu proprio nomine abstinet, 797.a,b,non potest defectionis accusari, licet sub signis milites habuerit, 772. d, 773. a,b,774.mens illius & consilium defenditur,773.c,d,quàm patienter ferat ingratos, 981. c, d,quo sensu desperasse intelligendus sit, 1016.d,1017. a,b,c.
Dauid ratione suis persuadere conatur, vt ijs, qui remansissent ad sarcinas partem prædæ communicarent,1852.a,b,quibus rationibus hanc Dauidis sententiam fuisse iustam,1854. b, c, d, quo pacto stragis editæ reus sit habēdus,899. d, quamobrem oraculum denuò peteret: vera ratio, 908. c, d, quæ iumenta abegerit, 911.c,d
Dauid comparatus cum Moyse,1093.c,1095.d, illius Iustitia non lædendo Saulem, 1099.d, 1100.a,& 1180. b,c,tanta illius charitas,vt solum Deum meruerit remuneratorem, 1101. b,c, exiens è spelunca confertur cum pueris è camino Babilonis egressis,1046.d,cum Daniele, 1047. a, adorauit Saulem,ibidem,b,c, quam ob causam transfert in alios, 1050.c, quare Saulem vocat patrem, 1055.b
Dauid quantum tempus inter Palæstinos versatus sit, 1759.d,1760.a,b
Dauid an absque peccato cum fratribus potuerit cominus in acie pugnare, 1776. & seqq. noluit cum suis inito certamine confligtari, 1776.a,b,c.
Dauid cur fugerit ad Achim,1461. a, b, an peccarit à Saule ad Achim Regem Geth transfugiens, 1461.c,& seqq.argumenta,quæ hac in re Dauidis innocentiam oppugnant,ibid. eorum confutatio, 1466. b, c,d,& seqq. neque scandali suis ansam præbuit, 1469. a,nec Palæstinis animos addidit, ibid. b, pars negans statuitur & asseritur Dauidis innocentiâ, 1470. b, c, d, & seqq. qualiter eum aduersarij peccasse velint, 1464.d
Dauid quare volebat manere cum Achi, 1773. a, b, c, d, exulat & discessit è castris Achis, 1784.& 1765. d, 1771. c, d, 1772. a, quare, secundum Iosephum, 1772.a, ingratus videri non potuit, tametsi Achim in summo reipublicæ suæ discrimine opprimeret, 1775. a,b,c,assentationis suspicione liberatur,ibid. c, d,in maximis angustijs constitutus,1798.d, & 685.b, confirmatus & roboratus in Deo, 1799.d,1800.a.
Dauid hostis sui posteris præstitit plus quàm pollicitus esset, 1108. b, c, luxit mortem Samuelis, 1126. a, orando vitæ subsidium petit à Nabal;non per vim extorquet, 1165.b,c, quare decem tantum mittit, non plures, nec pauciores, 1166. illius Orationis summa, 1170.b,prędabatur ad vitam ex hostibus,non ex alijs,1166. c,quare suas iniurias cum Saule expostulat, Deumque iudicem appellat, 1414. d, 1415. non ægrefert à femina doceri, 1265.a,b,quo nomine Zipheis formidolosus, 1347. a, b, improbitatem Saulis sex rationibus expugnat, 1405. b,c
Dauid an iure potuerit Nabalem vlcisci, & an non temerè iurarit, 1218. b, c, d, & seqq. an quoque Nabalis familiam innocentem cædere debuerit, 1220. b, c, d, illius iuramentum in Nabalem temeritatis damnatur, 1221. b, piè ac religiosè iuramentum suum rescindit,1289.a,b,c, lætatus est,auditâ morte Nabalis;quare,1318. a,b,c,d, quamobrem Abigaelem optauerit vxorem sibi, 1320.b,c
Dauid potuit licitè fugere ad Achim;quia antea licite trāsfugerat ad Moabitas, 1470.b,quod probatur etiam exemplis, 1472.b,c,d, necessitate, 1473. d, 1474. rationibus, 1475. potuit vrgente necessitate citra Religionis periculum Ethnico Principi stipēdia mereri, 1470. d,1471.a,b,quare seorsum ab Achi Rege studuerit habitare, 1476. a,b,c
Dauid in crimen à nonnullis vocatus defenditur ab Authore,1524.c, d, an reuera statuerit pro Palæstinis cum Hebræis manum conserere, 1529. d, & seqq. & an debuerit, ibid. quo iure prædas de tot gentibus egerit:& an cuiquam liceat in bona Naufragorum inuadere,1517.a,b,c,d,& seqq. quare non paruerit legi Anathematis in seruāda præda Amalecitarum, ibid. b, c,quid iuris in Gessuræos & Gezræos, ibid.d, 1518. a, omnes omnino Amalecitas necat ac trucidat, eorumque omnia, ad armenta vsque, & greges secum abducit, 1522. d,1523.a
Dauid quid per hæc velit; Aliquando incidam in manus, &c. Commentar. Variè interpretantur, 1453. b, c, d, 1454. 1455. 1456. huius verbi *Incidam* inuestigatio thematis seu significationis, 1455. d, Salianus quibusdam difficultatibus in id oppugnatur, 1454.d
Dauid orat talionis lege secum agi, & meritis vicem rependeri, 1447. b, c, d,quamobrem non sit reuersus cum Saule, 1449. d,1450. a, illius querellarum ratio, 1427.c,d

Dauidis, adolescentis, sex egregiæ dotes numerantur, 279. a. b. c. aspectus, 245. d. illius numerum interpretatio, 291. a. b illius milites non erant serui, imo fugitiui, 1189. a. mansuetudo atque benignitas, 1358. d. 1359. a. 899. c. d. 900. audax facinus, authore Deo, feliciter cessit, 1386. a. b. perfecta charitas illius demonstratur, 1386. c. d. humanitas, 1165. b. c. eloquentia, ibidem, d. præceps ira, 1195. c. d. triumphus, de Saule, 1046. a. b. c. modestia, 1049. b. apologia, 1053. c. d. vocat se canem, quare, 1067.d.1071.b.c
Dauidis nominis Etymologia, 292. c. d.
Dauidi quàm difficile fuit parcere Sauli, 1034. b. c. d. 1035. quo tempore pepercit ei, 1057.a. quorsum surrexerit in speluca, 1039.a. quid à cæde Saulis eum reuocauit, 1036. c. d. 1040. d. an peccauerit Dauid præscindendo clamydem Saulis, 1037. Commentum Iudęorum hac de re, ibidem. illius votum pro inimico, 1040. c. d. excusat inimicum, 1042. d. humanitas & modestia erga Saulem, 1043. b. c. ne alieno quidem scelere voluit vti vt eum vlcisceretur, 1044. a. b. an potuerit iure Saulem occidere, 1044. c. d. 1045. a. b. præstantissima quæque ad amorem cum Saule conciliandum inerant, 559. c.d
Dauidis affinitas cum Saule terrebat Palæstinos, 1763. studium illius erga parentes, 769. c. d. humanitas erga Ægyptium quendam, 1813. a. b. 1017. c
Dauidem sola pietas meticulosum fecit, 905. b. c.
Dauidis iuramento erga Saulem verè deuincta fides, 1116.b
Deambulatio, 549. b. c
Debita remittebant Reges Lacedemon. Magistratus ineuntes, 77.b.c
Debitor an si forte quisquam ad incitas redactus sit, à creditore in carcerem condi iure queat, 779.a.b.c.d. & seqq.
in Debitores olim sæuè atque adeò inhumaniter animaduersum, 776. b. c. d.
Debitorum seditiosa gens, & publicæ quieti impatiens, 777.d
de Debito agitur ex furto contracto, ibidem.
Decanica Ecclesiarum, quid sit, 592. d. 593. a.
Decretum summi Pontificis de Canone *Episcopi*, 1565.c.d.1566.a.b.c
Decipere plures facilius est quàm vnum, 595. a. b.
Decretum sacri Constant. de Regum ac Tyrannorum cæde, 1372. b. c. d. 1373. & seqq. illud voluisse Regum ac Tyrannorum cædi prospicere, probatur, 1377.d
Definitio, quid sit, 1626.d
Degener vocari quanta iniuria, 1163.c
Degenerare vitio non naturæ tribuendum, ibidem.
Delati calamitas, 1423.d.1424.a
de Delatione, 1421.c.d.& seqq.
de Delatoribus, 803. d. & seqq. 1421. c.d.1422.
Deierare, quid sit, 641.a
Delatores coerciti, 805.b.c.d. 806. a. notabantur in fronte litera K. 805. d. simili pœnæ, quam talionem vocant addicti, 806. b. qua ratione exploretur eorum fides, 807.b.c.d. 808.
contra Delatores, 1420.c.d
Delatoribus quinam primi vsi fuerint, 804. a. b.
Delatorum præmia, 804.b
Delatorum sæuitia & improbitas, ibid. c.d. 805.a.
Delatorum duo sunt genera, 806.c.d
Delatoris auditor, siue fautor, quanta calamitas illius, 1425.a.b.c
Delirium, quid, & vnde, 354.a.b.c
Demarato proditionis olim insimulanti quid Xerxes dixerit, 1722.c.d
Demens ebrius dicitur, 1297.b
Democratię vitia corrupti Religiosorum mores æmulantur, 1224.c
Democritus excæcauit se, quòd mulieres sine concupiscentia aspicere non posset, 1778.c
Demosthenis in morte iactantia, 1908.b
Deprauatio animi complura alioqui licita corrumpit, 39.b.c
Dermaticum, modus scribendi literas, 678.a
Descriptio, vel depictio, temporis oportuni præclara, 1033. d. 1034. a. b. c. d. calumniæ, 1049.d.1050.
Despicientia, quàm varia ac multiplex: & quibus artibus eidem succurri possit, 1228.c.d.& seqq.
Despicientia, quid sit, eiusque species, 1228.c
Deus corda rimatur, 224. b. c. d. cor intuens quid videat, 231. d. 1648. a. eum latere non possumus, 1647. bonos eligit, 161.c
Deus nobis non indiget, 164.c.d.165.a
Deus immutabilis, 68. b.c
Deus quo pacto non mutetur, tametsi eundem peniteat, 66.c.d.67.a.b
Deus non mutatur, tametsi perinde vt meremur, diuersum nos experiri contingat, 154.b
Deus mendacij expers, 211.c. omnium miserętur, 62. b. c. pectora hominum patere noluit, 513.d.
Deus quo pacto malos ad malum mouere intelligendus, 106.b.c.d. neminem nuper eligit, sed electio eius ęterna est, 208.a.b
Deus quamobrem electos aliquanto tempore deserit, 153. d. 154. a. à se primum deficientes deserit, 153. quamobrem elatos deprimat, attollat humiles, 444.d
Deus quatuor modis hominibus sua peccata manifestat, 60. c.d
Deus suos doloribus exercet, vt patientiam coronet, 358.a.b
Deus donis non capitur, sed habet pietatis rationem, 129.c.d.130.a
Deus hominum vtilitati maxime publicæ consulit, 29. d
Deus primos motus, siue impetus ad malum, προπαθείας non vlciscitur, 34. d. non offen-

ditur, si quis infirmas vires causetur; vult tamen sibi morem geri, 217. c,d
Deus suorum præsidium, 1729. b, suos studiose tuetur, 1267. c,d, 1268. suorum vindex, 637. a, b, miserorum patronus est, 1816. c quorum vult misereatur, 204. d, 205. 206. & 1286. a, b, quod non misereatur omnium, non fit ipsius vitio, 1286. a, b, nemini tribuit quo deterior euadat, 204. d, 205. 206
Dei nomina, eorumque duplex ratio, 1769. d, 1770. a, illius præsidium tutissimum, 1765. b, c, potentia in flectendis mortalium animis, 595. b, c, summa facilitas & prolixa beneuolentia, 909. a, b, promissiones non tempore, sed constantia metiendæ sunt, 207. d, illius præscientia neminem cogit, 1411. b, c.
Dei optima custodia, 561. d
Deo quo pacto voluntas duplex tribuatur, & quæ mutationi obnoxia, 64. d, illius voluntatem, non quamcunque, sed lege præscriptam sequi debemus, 71. d
Dei vis & natura ex effectis per partes intelligitur, 437. illius beneficia externis symbolis & monumentis consignanda sunt, 76. d, 77. a, b, omnes illius actiones cum animi voluptate coniunctæ sunt, 62 a, b, illius beneficia ad obediendum prouocant, 97.
Dei ac *Domini* vocibus quid significetur, 11. a.
Deus quare sæpe non exaudit preces, 1606. b, quem despexerit nemo corrigere potest, 1732. c, d, pijs adest in tempore opportuno, 1019. a, sordibus corporis propter se non offenditur, 1031. d, 1032. a, b, fert patienter illudi suo nomine, quo suos ad penitentiam reuocat, 1935. a, patientiæ suæ sequester, & iniuriæ vindex, 1441. a, b
Deus verus haud facile coli poterat extra Iudæam, 1428. c, tribus modis deprimit homines, 1286. d, intentator, malorum est, 1409. a, non est author mali, 1410. a, b, agit in cordibus hominum motum voluntatis eorum, 1414. a, b, quo pacto malos inuitet, 1412. c, d, non in iubendo malum imperat, sed dicit: & quid sit dicere, 1413. d, habet in sua potestate voluntates hominum, & quo vult impellit: quomodo intelligendum, 1413. b, c, operatur in cordibus hominum ad inclinandas voluntates siue ad bonum siue ad malum: & quomodo, 1414. c, d, præsidet hominum voluntati ac mentibus, & eas gubernat, 1788. c
Deus cum gentem aut familiam vlciscitur, vni cuipiam fere semper parcit: homines vero prorsus delere conantur, 885. c, d, ratio vtriusque, ibidem, & 886. a, b, nouit ipse momenta temporum, 1788. d, an reuera homines ad malum incitet: & quo pacto, 1410. & seqq. sæpius ipse Prophetas misit, qui Reges à scelere deterrerent, 1607. c
Deus fons vnicus totius boni, 1285. c, author boni, mali autem depulsor, 1258. d, habet duo genera beneficiorum, 1214. d, compensat etiam ea, quæ præ se habent speciem virtutis, licet fiant ab impiis, 1222. a, b
Deum consulere vrgente necessitate naturale est, 1603. d, 1802. b, c, quomodo consulebatur apud Hebræos, 1603. d, 1607
Deum appellare Iudicem, cum quis per calumniam iniquo iudicio opprimitur, & diem aduersario dicere licet, 1073. 1074. 1075. 1076. 1077. negatiuam partem tenens confutauit Feuardentius, ibid. Amos & Ieremias hac de re explicantur, 1073. 1074. 1075. quid obseruare debeat, qui prouocat & diem dicit alteri, 1077. a, & d, exempla eorum qui Deum iudicem appellarunt, 1079. d, 1080. quibus legibus Deum appellare iudicem licet, 1092. b, c
Deum alij vindicem, alij iudicem appellant, 1082. b, c, d, quomodo intelligendum, ibid. Deum vindicem appellare licet, si quis obfirmato animo noceat, 1083. a, confirmatur exemplis, ibid. c, d, quid tum Iudex debeat facere, 1092. d, 1093. a, Deum agnoscunt omnes Barbari, 1823. b, omnia cooperantur in bonum diligentibus eum, 1856. d, 1737. a
Deũ appellantes auditurum se pollicetur, 1087. a, b, quæ fas sit ab eo postulare, ibid. c, d, qui videátur appellare posse, 188. b, rationes quę Deum appellandi licentiam damnare videãtur, ibid. c, d, 1089. 1090 1091. temerè nequaquam appellãdus est Deus, 1060. b, c, 1076. c, cum aduocatur testis, defertur illi summus & singularis cultus, 1157. c, d
Deum non penitet, 161. 163. 164. non posse penitere probat Philo sex rationibus, 68. b, c, d, quomodo peniteat, explicatur: tres modi afferuntur, 63. absque dolore penitet, 62
Deo humani affectus vtiliter ascribuntur, 71. a. b, nulla propriè passio, ira, furor indignatio conuenit, 1735. b, c, d, optima quæque offerenda, 93. d, ei quæcumque feliciter cesserint ascribenda, 1357. d, illi bene dicere, quid sit, 1285.
Deum relinquentium, ac deserentium calamitas, 1635. d, 1636. a, b, à Deo deseri, quàm sit horrendum, 674. d
mira Dei clemẽtia, & singularis cura, qua filios complectitur, 1067. d, 1068. a, b, c, illius præsentiæ recordatio quantum iuuet ne peccemus, 1072. a, b, c
cui Deus faueat odisse, maximum scelus est, 540. c, d.
Dij quidam qui herbis & odoribus pelliciãtur, secundũ Synesium, 1621. refutatur, ibid. c, d
Deorum pluralitas vnde venerit, 1770. b, c
Deus nihil videt, 1071. d, quæ ab eo decreta sunt fugere non licet, 1750. b, c, d
Diabolus quo pacto dicatur Spiritus Dei malus, 259. a, b, c, captat illecebris, quos sub iugũ mittat, 1531. d, insomnijs admiscere potest, 1634. a, peccato iam commisso illud exagerat, vt sontes desperent, 1833
Diabolicæ libidini frænum duplex impositum, 1674. a, b, typus diabolicæ fraudis, 561. d, 562. a
Diademate quando primùm Saul & Dauid vsi videantur, 76. b, c
Dianianæ mulierculæ à Concilio *Episcopi* damnatæ: quid hæreticum & quid erroneum crederent,

credereut, 1563.a,1564.c,d,1565.a
Dictio; suæ sunt peculiares cuique genti proprietates in dictionibus & vocibus, 1201.b
Diem Domini desiderare apud Prophetas Amos, ac Ieremiam, quomodo intelligendum, 1073.d. 1074. 1075. a, b
Dierum delectus, qui non damnetur, 1174. c, d, superstitio Gentilium in bonorum & malorum delectu, 1173. d, 1174. a,b,c,d.
Digestiones cibi, quatuor, 1293.b
Diogenes de mortuorum sepultura, 1138.b
Dissidia Principum regna pessundat, 1536. c, d.
Diuinatio quàm vana & periculosa, etiam cum verum prædicit, 1745. c, d, pertinet ad Magos beneficos. 1591. d, quid sit, 1592. a, b, ipsa perniciosissima, neque fides prorsus adhibenda: quod exemplo probatur, 1596.
Diuinatio superstitiosa per insomnia damnata à Christianis, sed & à Legibus Romanis, 1632.a.
Diuinationis species ab ipso iure nominatim prohibitæ, 1591.b,c, quot sunt, ibid.
Diuinatio petita ex Rege prandente, 649. a, b.
Diuinatione magna fit Angelis iniuria, 1597. b, c.
Diuinandi studium, etiam absque prece & sacrificio damnatum, 1594.b
Diuinantium vanæ rationes, & quo eas consilio dæmon docuerit, 134.d, 135 a,b,c
Diuini à Patribus damnati, 1593. b,c, à Gratiano, 1594. a, b, à Canonibus, ibidem c, à Legibus Romanis, ibid. d, ab Vvisigothis, 1595.a,b,c,d.
de Diuinis quid sentiendum; & an eorum ferenda stultitia, 1591. d, & seqq.
Diuinus quid significet, 1583.d
Diuitiarum laudes & commoda, 1146.a,b,c, earum inconstantia nos cohortari debet ad liberalitatem, 1193.b,c
Diuitiæ quantum mali pariant, 1161. b,c,d, 1162. nonpaucis nocent qui deserunt officium, 1160.c, d, bene vtenti multum conferunt ad salutem, 1161.b
Diuitis inhumani mores, 1158.d,1159.a,b
Diuitum vitia, 1159.d,1160
Doeg Idumæus quis, 733.d, 734. a, huius vocis Etymon, 734.a
Doeg an Sacerdotem deferens non poterit excusari à scelere, 814. & seqq.
de Diuortio, 1328.b,c, d, & seqq. pluribus olim rationibus licuit, 1329. b, c, lapsus Iustiniani & LL. ciuilium hac de re, 1330.b,c
de Dolo, & an eo quandoque vti liceat, 577.d, & seqq. illius definitio, 578. b, Etymologia, ibid.a.
Dolos complures Scriptura commendat, 577. b,c,d.
de Dolo malo, qui cum iniustitia coniunctus est, 578.c, species, ibid. effecta, d.& 579.a
Dolus malus cum iustitia coniunctus, an licite adhibeatur, 579. b, c, dolo & vsura hostem vexare licet, 580.a, b, dolo iniustum hostem licet circumuenire, 579. d, modò iuramento non fuerit sancita fides, 580. c, cum amicis non agendum dolo, 579.d
Dolori modus adhibendus, licet etiam piè ac iustè doleas, 1225.a
Domini apud Hebræos Etymologia, 1814.d, 1815.a,b,c.
Dominus quid dicatur, 1815. c, hoc nomen honoris gratia olim; sicut hactenus pluribus tributum, 1815. c, d, Dominos se non pauci Imperatores appellari vetuerunt, 1818. a, b, & 267.b.
Dominorum sæuitia in seruos arguitur, 1816. b, c, d, cruciatus etiam in eos pro libidine, 1186.d, eorum fastus atque superbia ibid.b,c, Dominis etiam discolis honos habendus, 1041.a.
propter Domitianum interemptum quantum Senatus Rom. lætatus sit, 1105.d.1106.a
Dommim, quid significet, 308.b
Domorum construendarum diuersi modi, 1218.a.
Donari ciuitate honorificum, 1450.b,c
Dona sponsæ matri fratribusque dari solita, 530.c,d.
Donationum species duplex: pura, & conditionalis, 1491.b,c
Donationum solemnes formulæ, 707.a,b,c,d, 708.709.
Donatistæ violentam mortem appellant martyrium, 1911.d, 1912.a, eorum rationes dissoluuntur, 1912.d
Dormire, non rarò Hebræis idem quod mortuum esse, 1359.d
Dos, quid; olim concessa filiæ nominæ, 533.b,c, illa, quam sponsus olim tribuebat, diuersa à nostro doario, variat apud diuersas nationes,
Doarium dotis compensatio, 533 d
Draconis descriptio, 418.d,419.a,b
Draco instituit iudicia rerum sensibilium, 58. c,d, expugnatus à D. Michaele non tam fuit modestus atque humilis, vt rationi statim cederet, 1707.b,c, qua ratione cecidisse è Cœlo videtur, 1708.b
Dracones quamobrem sublimes in sublicis supplicat. ferantur, 417.418
Drusus sibi vim attulit, quòd non posset fugere, 562.c
Duellum Euangelico & Ecclesiastico iure prohibitum, 455.c,d
Duelli lex non manauit à Francis, 468. b, Hæreticos authores habuit, & cum fide pugnat, ibid.c,d.
Duellum in causa publica Serarius probat, 957. d, in priuata causa experiri non licet, 457.b,c
Duello litem dirimere non licet, 465. b, illo experiri non licet, maioris periculi vitandi gratia, ibid.c,d, duello iure ciuili interdicitur, 456.b,c.
Duellorum vsus & abusus antiquissimus, 347. d,348. a.
Ducis cædes maxima calamitas, 1878.b
Ducum fauor & industria formidolosa Principibus, 509.a
Dux vigilantissimus, 1354.d.1355.a
Dux Aureliæ, necis illius historia, 1378

E

EBonis rei maiestatis iudicium, 842.b.c
de Ebrietate; & quam Deus illam exosam habeat, 1302.c.d.& seqq.
de Ebrietate, siue temulentia Aquilonaribus maxime populis familiari; & an illa gentis aliquo præuilegio possit excusari, 1297.d. & seqq.
Ebrietas duplex, 1302. d. nonnunquam vtilis Medicorum iudicio: ab Auerroe tamen improbatur, & indigna est Christiano nomine, 289. c. d. & 290. a. b. prohibetur & damnatur, 1303. b. c. d. quanta pestis habenda sit, 1304. b. c. relatio aduersariorum refellitur, 1305.b.c
Ebrietas incendi, 1317. d. vitia detegit, 1310. Opes exhaurit, 1311. b. c. turbas concitat, 1295. d. occultari non potest, ibidem b. hanc discutit amor, 1314. d. illius incommoda, quæ corpus & animum pessundant, 1307. a.b.c.d. & seqq.
Ebrius dicitur quicumque re aliqua plenus est, 1296. d. 1297. a. desipit Ebrius. 1308. b.c.
Ebrij brutis deteriores, 1308. c. d. sibi manus afferunt, 1309. a.b.c.d. illis mors optata, siue digna, 1317. d. proximis quantum noceant 1310. d. 1311. verba sæpe verberibus excipiunt, 1312.b.c. loquaces præ seipsis contemnentes, 1295. d.1296.a
Ebriorum exempla, quibus Ebrietatis promanantia mala patent, 1304. c. d. 1305. a. 1306.
Ecdicij summa & singularis charitas tempore famis ingentis, 1193.d.1194.a
Echo quomodo fit, 1394. c. d
Ecclesia rebus aduersis crescit, 982. c. d. quid de ijs statuerit qui seipsos castrant, 1896. b.c.d. quas pœnas sancit aduersus Reges tyrannos, 1373. a
Ecclesiæ caput describitur, 114. d. 115. a. illius reditus, si quid Ecclesiasticorum necessariam dispensationem redundet, pauperibus cedit, 700. c. d. quicumque bona illius ad se deriuant, hi quondam sacrilegi habiti, 702. b. c
Ecclesiarum fundatores quid maxime spectauerint, 707. 708. 709
Ecclesiastico ordini qualis honos habitus à Regibus, in crimine Maiestatis, 838. c. d.
Ecstasis, quid sit. 755. a. 1389. d. 1390. c. d.
Edaces & parasiti conuiuijs adhibiti, 1294. b.c.
Edicta Principum ac mandata olim cruce & iuramento firmata, 554.c.d
S. Edmundus clandestina mulieris munera respuit, 1262.c
Eglon iure cæsus, quia non erat legitimus Princeps Hebræorum, 1062.d
Eiurare, quid sit, 640.d
Eleemosina gratiarum actionis sacrificium est, 1169.b.
Eleemosinas mortuorum gratia erogatas laudat Paulinus, 1952.c.d
Elephantorum amor in suos, 1799. a. b.
Elias Deum iudicem appellauit. 1084. d
Eligi post abdicatum malum, non parua laus est, 161. c.d
Elohim, vsus huius vocis, 1696. a. b.
Emptitij apud Romanos & Græcos quomodo tractati, 1531.c.d
Empusa quid, 1713. a
de Empusis lamijs & similibus, quibus à Diabolo misere ac turpiter imponitur; & quàm sæuè crudeliterque noceant. 1676. & seqq.
Enos, complures huius vocis significationes, 1926.d.1927.a.b.
Ἐνύπνιον, insomnium, quid, & quomodo differat ab *ὄνειρος*, somnium, 1611. a. b. c. d. 1614. b. quare dicitur insomnium, ibid.
Epheborum est discere, nec antè in aciem prodire debent, 405.d.406.a
Epheborum & Atheniensium sacramenti formula, 1873.a.b
Ephialtis quid apud Medicos. 1677.b
Ephod, vestis Mosaïcæ legis: cuius tria sunt genera, 600. b. quid sit & illius explicatio, 737. d. 738. a. b. & 880. b. c. d. 901. b. c. illius forma describitur, 919. a. b. c. d. 920. a.b.
Ephodem perijsse, quo tempore templum à Chaldæis excisum est Scriptura nusquam asserit: sed neque asseruatum, 921. a. b. c. neque restitutum, ibid. d. nulla illius memoria post excisum templum extat, 923.a.b.c.d. 924.a.b. illius gratia quãdo videatur Ecclypsim passa, 922.b.c
Ephod, seu potius post Ephod stola pontificis à Principibus studiose asseruata, 913.a.b
Ephori maximè modesti erga Clazomenios quosdam, 1194. d. quibus locis instituti sunt, possunt Reges ad officium armis cogere, 771.b.c.
Episcopi munus & etymologia, 698.c.d.699.a.b
Episcopi qua reuerentia, & quo cultu sint excipiendi, 816. c.d. 817. a. Regum patres; Reges Episcoporum domini, 817. b.c.d. Maiestatis olim accusati, dãnati aut absoluti sunt: quibus iudiciorum formulis: exẽpla, 838. b.c.d. & seqq. qui quondam in iure ciuili, 698. b. quomodo se gererent Reges olim cum Episcopis reis Maiestatis, 839.a
Episcopi, quæ post suam suorumque necessariam impensam redundant ex reditu Ecclesię, debent ea in pauperes erogare, 700. c. d. eos decet pauperes prolixa liberalitate fouere, 727.c.d. 728.
Ἐπίσκοποι τῆς χώρας, qui, 1452 b
Episcopus quinquennis electus, 916.b
in Episcopo creando abrogatis electionibus, quanta calamitas inuaserit Ecclesiam, 917. b.c.d.918.
Episcopus quàm grauiter peccet, seu quiuis alius

alius è Clero, qui, quod alendæ familiæ superest, id in alios sumptus deriuat potius quã vt pauperum necessitati & inopiæ subueniat, 729. & seqq.
Episcopus quando repetundarũ reus censeri debet, 730. d, 731. 732. is, & alij Cleri ne bruniam aut gladium præter quam vassallo præbeant, 737. a
Episcopus in Synodo ab Imperatore accusatur, 842. c, d
Επιθυμία, quid sit explicatur, 1006. b, c
Epulum sacrum in profanas compotationes citò degenerauit, 221. a
Epulum seruis datum statis anni diebus, 1192. b, c, d
Equi magicis artibus territi, 1599. c, d
Equinarius Baro, testis locuples eorum, quæ nunquam legit, neque vidit, 1495. d
Eremus Prophetis, quod carcer Martyribus, 411. c, d
Eremi laus, 1144. d, 1145. a
Errantium pro Deo idem dux & rector est, 983. a, b, c
Esau fratrem Iacob ab exilio reducem omni officio coluit, 1530. d
Esaias dicens, *Super vbera plangite*, explicatur, 1126. b
Ethnici per quid iurabant, 1110. a, fidei datæ maximè religiosi, 637. c, d, religio circa dies festos, 643. c, d, 644
Ethnici persæpe à Deo dormientes admoniti, 1629. c, erant etiam apud eos oracula, vbi homines ad visiones & insomnia impetranda pernoctabant, 1633. d, quid ad ea impetranda faciendum, ibid.
Ethnici nefarium scelus virtutis laudibus honestarunt, 1887. a, apud eos mortui habiti sunt beati, 1885. a, b
Ethnici hominis querelæ, 504. b
cum Ethnicis viuere licet, non peccare, 1758. a, b, apud eos quid necessariò cauendum: vide *Gentilitas*.
Euaporationes sunt tres in corpore fumidæ, 1796. c
Ευλογίας plures acceptiones, 1261. b, c, d, 1262
Eulogiæ, quid, 716. b, c
Eunapius paganus de Martyrum funeribus, 1131 c. d
Excidia vrbium quo pacto ad Dei gloriam pertineant, 23. d, 24. a
Excidisse, 145. a, b
Excubias agit Ceyx Mergis dormiẽtibus, 1354. c
Excubias deserentium supplicium, 1402. a, qui malè custodissent puniti, 1401. b
Exempli vis maxima, 9. b
Exercitationum gymnasicarum vtilitas, 410. b, c, d. 411. a
Exercitatis arma non oneri, sed alis sunt. 424. a
Exercitus Dei qui dicantur, 11. 12. 13
Exercitus decursio armata, 487. d, 488. a
Exercitus cum humano corpore comparatus, 1879. b, c
Exilium defenditur, 1426. c, illius molestiæ & incommoda, 784. b
Exilio quidam opes & dignitates consecuti, d. 1426. 1427. a, b
de Exilio Teles apud Stobæum, 1426. c, d
Explorationis etymologia, 1349. b, c
Ezel vocis Hebrææ explicatio, 644. d

F

FAcies cordis speculum, 229. a, b
Facinus atrox & immane, 463. b
Fæminæ fortis exemplum, quæ maritum inuito patre seruauit, 563. c
Fæminarum præ cæteris miseranda captiuitas, 1791. c, d
Fallere plures, non est tam difficile, quàm vnum solum, 959. a, b
Famæ aut libidinis studio complures grauiora pati, quàm nos virtutis gratia perferamus, turpe est, 1026. b, c, exempla eorum qui acerbissima tolerarunt, ibid. c, d, 1028. a, b
Famæ Galli temerè credunt, 972. b, c. d
Fames vnde: & quo pacto extinguatur, 1811. c, d. illius descriptio, ibib. c. illius antidota, 1176. a, vitanda, 1177. b, c
Fames dira frigore excitatur, 1811. d, optimum condimentum, 1175. b, c, d, 1176. & 699. b, c, d
Fames ingens, & extrema necessitas, 1175. b, c, d
Famem illudunt Lydi ludo, 1176. d
Famelici iracundi, 1177. a, b, c
Fasciculus viuentium apud Hebræos, quid, 1265. d, adagium est Hebræum: illius explicatio, 1268. b, c, d, 1269. 1270
de Fascino, 1681. a, b
Fastum regium, atque animi impotentiam retundit Sotades Comicus, 669. d
Fatuus & Fatuitas: vide *Stultus* & *Stultitia*.
Fauor plebis plerumque exitialis. 498. c, d
Faustus animas esse corporeas dicit, 1697. c, d, 1698. confutatur à S. Mamerto, 1703. & seq.
Felicitas humana quid maximè spectet, 860. a, illius inconstantia, 497. c, d
Feris erepta cuius censeri debeant, 1839. b, c, d
in Ferijs vim cuiquam fieri, religiosum fuit, 624
de Ferro candenti ad criminum extorsionem, 830. b, c, d, 831. a, b
Festa esse obseruanda, 641. c, d, 642. a, b, c, d. circa ea Ethnicorum religio, 643. c, d
Festis diebus quæ fieri prohibeantur, 641. c, 643. 644
Festorum luxus damnatus à Tertuliano, 662. a, b
Ficus vnde dicta, 1808. d, dulcedine præstat, 1809. a. illius laudes. ibid. a, b, c, d. recens natis conducit, ibid. c
Ficus quandoque annona militaris, 1809. d, auro præstant, 1810. a, omnium fructuum diutissimè conseruantur, ibid. a, b
Fides vnde dicta, 1529. b, c. est finis; via verò, quæ eò ducit, est suaderi, ibid. d, distinguitur, 1446. b, ea sola nos augustissim. Sacrament. communione dignos non efficit, 218. c, d, 219. a, b, de Inferis probatur, 1692. c, d, famem non timet, 1759. a
Fides etiam hosti seruanda 581. a, b, seruata miseris non rarò hostibus honori fuit 582. c, d
eam qui Deo non seruat, quomodo seruabit hominibus, 1061. b, c, egregium exemplum,

ibid. eam esse seruandam docet Xenophon, 637. c
Fides eadem & charitas pios inter se copulat, 1167. b
Fides Iudæorum militum, 1538. d, 1539. a
sine Fide nulla pax animi, 1288. b
Fidei desertoris pœna, 1430. b, c
Fides malorum anceps & dubia, 554. b
Fidem violatam Deus vlciscitur, 657. c
Filia insidians patri, 989. d
Filiam quibus conditionibus præmij loco proponat, 391. 392. a
Filias ætas prima non commendat: quare tamen primogenitæ præferendæ, 512. c, d
Filij non raro boni ex malis; & ex bonis mali nascuntur, 33. c
Filij Prophetarum qui, & vnde dicti, 588. b
Filij parentum sunt, nihil suum possident, 785. c
Filij quot modis parentum iniquitates ferant, 30. b, c, ob scelera parentum pœnis temporalibus affliguntur, non æternis: quàm iustè, pluribus rationibus probatur, 27. d, 28. adulti præsertim non plectuntur ob scelera parentum, nisi ea imitentur, 35. 36. 37
Filiorum complura discrimina, 315. c, d, vtilissima possessio 351. d, 352. gratissimum spectaculum, 351. b, c
Filiorum reuerentia erga parentes, 1071. d, 1072. a, pietas laudatur, 784. c, d
Filios interuenientium pœna, 671. d
de Filijs non est pariter iudicādum ac de patre, 1743. b, c
Fingere licet, simulare nunquam, 763. a, b
Flamma: remedium, quo prohibetur ne naues aut ædificia corripiat, 1790. a, b
Flere iuuat: hoc enim remedio diuinæ iustitiæ fulmen extinguitur 1794. d. quamobrē Christus flere voluerit 1795. c. fleuisse Angeli metaphoricè dicuntur 686. a. b. bruta etiam flere natura docuit. 686. c
Flere & Fletus; vide *Lacrymæ.*
Fœdus Hebræis vnde dictum, 479. b
Fœderis amicitiæ leges 479. c. d. 635. d. 636. a. solemnes ritus 635. a. b. c. illius resecrandi mos, 636. b
Fœderis violati Deus esse solet, 931. c. d
Fœdera non mutant hominum conditionem 629. a. b. mala precatione sanciebantur 631. d. 632. a. b
Fœdus Dei quamob causam dicitur. 627. b
Folia à vento mota, stridere acutum. 1394. a. b
Fons in Epiro, in quo fasces accensæ extinguuntur; extinctæ accenduntur. 1673. b
Fons in Iezrael. 1755. a. b
Fontes tanquam oculi terræ, 1755. b
Fontis egregij in Lucania descriptio: exemplum Baptismatis 1756. a. b. c. alij fontes vis admirabilis. ibid. & 1757. a
Forma naturalis nulla diuinum quicquam in se continet. 1587. c. d
Formæ, quæ dicuntur ab æterno, quas definitio exprimit, à tempore abstrahunt. 1616. d
Formæ elegans descriptio. 240. b
Formido, quid sit. 754. d
Fornicatio sceleris ab Apostolo damnatur. 381. 382. 383. a. b
Fornicationi quæ argumenta fauere videbantur refelluntur, 377. 378. 379. a. eam lex vetus prohibet. 379. c, d. 380. a. b
Fortissimi ruina, reliqui in fugam conuertuntur. 446. b. c
Fortitudo repræsentatur per Beryllum. 951. c. d
Fortitudinis plures species ibid. d. 952. a. b. illius necessariæ comites. 952. c. d. 953. a. b
Fortuna mutat mores, 118. d
Francorum veterum pallia, 1028. c. d
Francorum Reges ante electionem Episcoporum, & sacri Chrismatis vnctionem non videntur leges sanxisse. 1496. d
Frater Fratri quàm sine ratione inuideat. 399
Frater quatuor modis dicitur, 1851. a
Fratris duritia quo pacto vinci possit, 402. a. 403. a. b
Fratrum loco ciues omnes habendi sunt. 1851. b. c. d
Fratres etiam mali à bonis vocantur. 1848. a. b. c
Fratres omnes sumus 1167. b. Hebræi quondam, & Christiani ita sese mutuò vocabant. ibid. a. b. c
Fratrum discordiæ maximæ quidem, sed non perpetuæ. 1529. d. 1530. a. b
Fraternitas Cæsaris, hoc est, Maiestas, 1850. b.
Fraternitas Christianorum etiam Ethnicis admirationi fuit. 1849. b, c. quodnam symbolum fraternitatis. 1850. d
Fraterni nominis Etymologia, 1850. b. c
Fraternum nomen & meritum Monachi serò complexi 1849. d. à priscis Christianis in honore habitum. 1848. c. d
Fraus & doli dæmonum. 970. b
Fremitus, quid sit, 754. d
Friderici auia & mater naufragio seruituti addictæ. 1520. a
Frigore dira fames excitatur. 1811. d
Fuga ex acie indicium iræ Dei. 1872. c. d
Fuga cum infamia vitæ coniuncta, ibid. d. Dauidi cessit feliciter. 1490. c. d
Fugitiuus quis habendus. 1187. d. 1188. a
Fugitiuos recipere nefas Romanis legibus, 1188. b
Fundā; quinam primi eā inuenerint. 429. b. c. d. 430. a
Fundatores Ecclesiarum quid maximè spectarint: vide *Donationum solemnes formulæ.*
Fundus, quid. 1145. c
Funera apud Hebræos quo pacto celebrabantur. 1127. a, b, c, d
Funera Martyrum quo ritu celebrata initio nascentis Ecclesiæ 1131. a. b. c. de ijs, qui longè antè vaticinati sint. 1131 d. 1132. a
in Funeribus item tertiæ diei, nonæ item, ac quadragesimæ, rationes. 1133. c. d
in Funeribus odores, 194. b, c, d
qui Furabatur iam non furetur: magis autem laboret, vt habeat vnde tribuat necessitatem patienti. 1791. a, b, c
Furens describitur. 259. d. 260. a. b. c
in Fures & latrones animaduertendi cuique potestas est. 1803. b. c
Furis etymologia. 1802. c
Furiosi, si cędis innocentes haberi velint, dum adhuc ratio viget, occasiones fugere debēt. 558. c. d

Furor & scelus est seipsum interficere. 1883.d
Furtiuæ rei æterna authoritas. 1802.d
Fustuarium certamen describitur, litigantibus olim permissum apud nos, 425.d. 426
Futura quo pacto cognoscantur. 1640.b,c

G

GAbaonitæ quare non interfecti à Iosue. 581.b
Gadara, vide *Gazer*.
Galetis pueri benignitas & humanitas. 553.d
Galearum materia & formæ plures, 331.b.c.d. 332.a.b
Galieni Imperatoris stupor. 1803.d.1804.a
Galli famæ temerè credunt, 972.b.c.d
Gallia à Nortmannis oppressa, quomodo, 1536. c.d
Galliarum priuilegium, lactarijs in Quadragesima vesci. 370.d.371.a
Garamantum Regem ducenti canes ab exilio reduxere. 1068.c.d
Garindæi, populi, quomodo Maranæos interfecerunt & extinxerunt. 1789.d
Gazer & Gazera vrbs regia Regis Achis 1514. b.c. huius loci difficilis inuestigatio. 1515.b
Geddur apud Hebræos, quid, 1822.b
Gelboe mons, vel montes. 1598.c.d
Gellia per vniones iurat. 1109.d
Gemitus & lacrymarum Physica ratio. 684.c.d
de Generatione spirituali, & carnali. 1162.c.d. 1163.a.b
Generi à soceris dicti filij. 1093.d
Generosi quique hostis calamitate commouentur. 1259.c
Genethliaci, qui. 1591.d
de Genijs. 1780.a.b.c.d. 1781.a.b
Gentiles quo pacto Deum colebant, 1770.b.c. sacrificabant Pallori, & Pauori 1599.b. per quid iurarent. 1109.b.c.d
Gentilium planctus funebris, 1128.b.c.d. superstitio de mortuorum sepultura acriter reprehenditur, 1141.b.c.d. superstitio in dierum bonorum & malorum delectu, 1173.d.1174. a.b.c.d.1175.a. loci sacri, quid de his sentiendum; 1476.d. ritus in captandis insomnijs, 1608.d. error de Manibus eorum, qui sibi manus per vim attulissent. 1898.a.b.c.d. 1899
Gentiles, quo pacto quis inter eos absque scelere conuersari possit, 1476.d. & seq. nomina eorum quæ ab ijs colebantur, 588.d
in media Gentilitate, à quibus artibus abstinere debemus 1477.b. quæ necessariò cauenda 1478.d. an Magistratum gerere liceat. 1478. c.d
Genua in religione habita apud veteres. 1141.d. 1472
Gerasa: vide *Gazer*.
Gergesa: vide Gazer.
Gergesæi, populi: eorum origo 1514.c.d. huius loci difficilis inuestigatio, 1515.b
Germani aleæ studio de libertate periclitantur. 1814.b
Gerson contra Reges 1369.b.c.d.1370. queritur Ioannis Parui propositiones à Concilio Constant. fuisse damnatas. 1380.c.d. illius mira modestia 1381.b. nulla illius mentio in Concilio Constant. facta. ibid.c.d
Gerzæi qui, & quid iuris in eos haberet Dauid, 1517.d.1518.c. proscripti à Deo. 1518.b
Gerzi, qualis locus 1514.b. huius loci difficilis inuestigatio. 1515.b.c
Gessuri, vrbs, siue regio 1513.d. 1514.a. huius loci difficilis inuestigatio. 1515.b.c. duplex est. 1516.a.b
Gessuræi, populi, quinam. 1517.d.1518.c. quid iuris haberet in eos Dauid. ibid. proscripti erant à Deo. 1518.b
Germantia, species diuinationis. 1592.c
Ghar ער quid significet, & vnde dictum. 1731. c.d
Gigantes fuerunt ingenti mole corporis. 324.d. 325.326. quamobrem Deus eos nasci voluerit 328.329.a. nonnunquam dæmonis ope nascuntur. 320.b
Gigantum prisca viuendi ratio 321.a. plures Etymologiæ, 320.b. robur, & ars bellica eorum propria fuerunt. 324.b.c.d
Gigantem exprobrantem insidijs opprimere liceat. 362.d.363.a
S. Gildas Deum iudicem appellauit: stupendum hac de re miraculum. 1085.d.1086.a.b. c.d
Gladius Domino consecratus. 739.d
Gladij nonnulli, quos fama nobilitauit. 739. a.b.c
Goëtici, quales habendi. 1553.d
Goliath ruentis descriptio. 443.a.b
Gomer, mensura. 288.c
Gomor, mensura, 1103.a.b
Græci, ne Reges adorarent, pertinacissimè recusarunt 1048.c.d. eorum supplicandi ritus. 1240.d
Gradus vno gradu diuidi & separari apud Hebræos, quid. 617.d.618.a
Gradus temporis, quid: & qui. 618.b.c.d.619. a.b.c
in Grassatores animaduertendi cuique potestas. 1803.b.c
Grati animi argumenti, 1282.d.1283.a
de Gratia, Pelagianorum error. 1444.c
Gratiæ definitio 1171.d.1172.a. post eam acceptam, per eam mereri incipimus, 1443.d. 1444.a.b
in Gratia reconcilianda optimum alteri præuertere. 403.c
Gratiæ haud nudæ primùm pictæ. 600.c
Gratianus multa sæpe de Canone *Episcopi* vnà copulasse ostenditur. 1556.c
Gregis & armenti discrimen. 1837.c.d
S. Gregorius Maiestatis delatus. 840.d
Grauitatis Imperatoris specimen egregium. 1292.b
Guefactus Ægypti Rex cibos suauiores despexit: quomodo. 699.c
Guelphus Bauariæ Dux in oppido Vinsperga armis obsessus à Conrado III. Imperat. quomodo euaserit, fœdúsque percusserit cum Imperatore, 564.a.b
Gulæ voluptas quatuor digitis. 1293.a.b.c.d
Gurrimberdus propter suam nimiam auaritiam

miſerabiliter vitam finiit, iuſtitiâ diuinâ ita volente, 711. b.c

H

HÆreſis quanta mala procreet, 1536. a, b. quàm perniciosa, 984. b, c,d. illius qui patrocinium ſuſcipit, Chriſtum abdicat, 1777. c, d

Hæretici noſtri temporis ipſis Tyrannis peiores, 1530.d.1531.a

Hæreticorum noſtrorum ſententia de abdicandis Regibus, 1367. 1368. confutantur, 1371. b, c, d

Hæreticorum familiaris ac perpetua calumnia 614. c.d. immanis ſæuitia 906.b,c, d. eorum libri nullo modo legendi, 744. d

cum Hæreticis quantum nobis liceat, in his, quæ ad fidem pertinent 644.d.745.de Sacramentis quid ſentiendum, ſeu potius obſeruandum ſit, 745.c,d, de Circuncisione, 746. a, b, c

Hæreticis gratificari ad quos forte confugerit, in his, quæ ad Religionem pertinent, quomodo, abſque ſceleris conſcientia, quis poſſit, 744.b,c,d, & ſeqq.

Hæreticus quidam Patriarcham etiam ingemiſcit, non ferens Pontificis contumeliam. 864. a

ab Hæreticis præceptoribus abſtinendum, 1481. c. d

Hhalom חלום, ſomnium ſimul & inſomnium ſignificat: huius vocis etymologia, 1612. a, b, c

Harmoniæ mundi partium quanta vis habenda, 1625. b

Haruſpices, qui, 1592.d

Haſta quondam pro ſceptro habita, 559. a, & 794. d, 795. a, partes eius, 338. d, imperij ſymbolum, 339. a, b, bellum indicebat, & prælium inchoabat, 339. b, c, d, & 704. c. d, illius etymologia, 795. b, c

Haſta donati egregij milites: haſtæ puræ, 339.a, 340. b

Haſtæ quondam miſſiles, 339.c, d

Haſtæ pro dijs cultæ. 795. b

Hebræi populi diſtributio, 796. c, d

Hebræi quibus artibus confeſſionem criminum extorquebant, 819. c, d, quam combuſtionem vſurpabant in funeribus, 1127. b, c, de mala muliere, 1246. b. fratres quondam ſeſe mutuò vocabant, 1167. a, nullum aſciſcebant externum Principem, 1061.d

Hebræi veteres non videntur carnifices habuiſſe, 192. c,d

Hebræorum planctus ſuper morte Samuelis, 1125. d, 1126. 1127. amictu ora velabant illi, & comedebant panem lugentium, 1127.a

Hecatomphonia, ſiue centicidium, 538.a,b

Henrici Regis Angliæ eximia pietas in naufragos, 520.b

Hegeſiſtratus in vincula coniectus, quo pacto ſe liberarit, 564. d

Heraclides qua ratione immortalem ſe populo perſuaſit, 1122. d,1123.a

Heraclius Imperator, Hæreticus factus, quam turpiter Imperiũ vitamque amiſerit, 1745. c,d

Hercules vi extorquet reſponſum ab oraculo, 810. c, d

Herculis cum leone Nemeo certamen, 413. b, c, d

Hermes Ægyptius, longè ante Antonium, de funeribus Martyrum vaticinatus, 1132. a

Hermonium, beneficium, 1204

Hherem חרם anathema exponitur, 23. b

Hidebertus Cœnomacenſis Epiſcopus, de vi ſacris hominibus facta, 869. d

Hiſpani præ auaritia aquam bibentes, 1190, b, cum nouam vrbem perluſtrarunt vſi ſunt canibus, 1069. a

Hieroſolyma euerſa funditus, quare, 1515. d

Hiſtorici inepti & inſulſi ſtudium, & importuna diligentia, 330.d.331.a

Hodie & *Nunc* acceptio, 1737. d

Hœdus odioſum animal, 290.c

Hœdi, dum ſaltant, ſerenos dies pollicentur, 291. c

Hœdus cur Baccho ſacrificabatur, & non Mineruæ, 290.c,d

Hœdina caro plurimum nutriens & delitioſa 290.d,291.a

Homo ad imperandum natus, 345.b, poſt mortem tribus modis melior euadit, 1547. b, c, ab animatis corporibus, quoad vitam, nihil differt, 1665. c, d, illi naturalem vim futura cognoſcendi negat Auguſtinus, 1620. c. quid ei noceat, 1226. b. idolum & vmbra, 571. b

Hominis origo duplex: neutri edullia contulerunt, 1664. a, conſilia maximè abſtruſa, cognitaque difficillima, 1765. b, virtus in quo potiſſimum ſita, 1226. c, d, illius temeritas atque amentia, 594.b,c,d

Hominem bene Deo dicere, quid ſit, 1285. b

Homines peccatorum ſuorum quatuor modis admonentur, 60. c, d, voluntate, non natura à Deo auerſi ſunt, 89. a, b, iniurias Dei lentius perſequuntur: in proprios hoſtes ſæuiunt, 55. c, d, accipitribus comparati, 1444. b. non fortuna, ſed moribus æſtimandi, 1185.d

Homines feras ſæuitia ſuperant, 1880. b, c. duplici lingua præditi, 975. a. à luto non ſilice ficti, 1116. d

Hominum à Deo relictorum ſtatus miſerabilis 674. d, cura longè difficilior quàm pecudum, 237.a.b

de Honore, 1139. d

Honoris contemptus vindicatus, 78. b

Horoſcopi, qui. 1192.d

Horror, quid ſit, 754.c

Hoſtire, quid ſit, 1521. c

Hoſtis legitimus à latrone diſtinguendus, 1843. c, d

Hoſtes fidei, an fas ſit periculi vitandi gratia ad eos transfugere, 1458. d. & ſeqq. rationes nonnullæ, quæ negare videantur, 1459. b, c. quid fas, quid non fas in tanta neceſſitate, ibid. b. c

Hoſtes publici erant, in quos omnis homo eſt miles, 1518.c

ad Hoſtes fidei, an quis ſe recipere poſſit, ſi vita ſua clam & aperta vi à Rege petatur, cùm ſit

sit innocens, nec alia salutis expediendæ ratio appareat, 740. d. & seqq. negandi rationes. ibid.
Hostibus captis non pauci illuserunt, nonnulli etiam mortuis. 1885.b.c.d
Hoste vicino, castra munienda, 309.b.c.d
Hostium filios impuberes Deus quondam iussit interfici. 22. b. c
Hostes non raro sæuiunt in absentium propinquos. 770.b.c.d
Hostorium & Hostimentum. 1521.c
Humanitas in reos commendatur. 1942.b.c
Humana imbecillitas iactata persecutionum fluctibus quò tandem recurrat. 694.b.c
Humanæ infirmitatis argumentum perpetuum 1028. d. 1029. a. b
Humani ingenij imbecillitas. 1009. b, c, d
Humilitas propria Sanctorum, 515. a.b.525.c.d. repræsentatur per Lyncurium lapidem, 939. c. d. præsentissimum remedium aduersus calumniam & despicientiam, 1227.d.1228.a.b
Humilitati cedunt omnia. 326. b.c
Hunni aleæ studio de libertate periclitantur, 1814. c
Ioann. Hyrcanius quantæ dignitatis & authoritatis apud Iudæos. 1121.c
Hydromantia species diuinationis, 1592.c
Hylophagi, eorum victus, & mira ascendendi ramos peritia. 1176. c
Hyperides, de non lugendis mortuis, 1135. b
Hypocritarum humilitas, 94. c. eorum nequitia celatur tantum ad tempus. 1061.a.b

I

IAcob Deum vindicem appellauit. 1083.d
Iactantia, & hostis contemptus non raro victoriam eripiunt. 444.b.c
Iad יד Hebr. vocis multiplex significatio. 73
Iarad ירד Hebr. vocis significatio. 1822. c
Iarchas Indorum Sapientum Princeps, ad iustitiam pertinere non censet, si quis abstineat à malo. 1097.c. d
de Iaspide siue Adamante, gemma, 935 936.a.b. spem repræsentat. 935. d 936. a. b
Icones, seu imagines quædam Inferni tormentorum. 1711.c.d
Ideoni Hebraic. vocis significatio. 1545. d. 1585. d
Idola quare dicuntur dolores. 1935. b.c
Idololatriæ scelus quam longè latéque porrigatur. 136.b
Idoli plures interpretationes. 1930. d. 1931. a, b
Idolis quæ authoritatem conciliarent. 1936.c.d. 1937
de Idolothytis quid senserit Apostolus, 747. a. b. c. & eorum priuato vsu. 750. d. 751. 752. 753. a
Idolium, quid sit. 747. c. d. 748. a, b. c. quamobrem ne doctus quidem & ignarus possit in eo recumbere. 749. b.c.d.750.a.b.c
Idolum, quid sit, 569. a. 571. c. d. similitudines & imagines. ibid.
Ieduah, quale animal. 1583. d
Iehouah, huius nominis accuratior explicatio. 1769. b. c. d
Iehu solus absque scelere Principem violauit. 1063. a. b
Ieiunare pro mortuis licet, vt à peccatis soluantur, 1958.a. b.c.d. 1959
Ieiunantes dicuntur exercitus Dei. 12. a
Ieiunij plures etymologiæ 1954. d. 1955. quanta illius authoritas, etiā apud Ethnicos. 1955.c. d
Ieiunij dies Hebræis quondam profestus erat. 1957. b
Ieiunio & squalore vita functis Dei misericordia concilianda est. 1951. b. c
Ieiunia in rebus afflictis frequentata sunt, 1956. b. c. d. imperata, seruāda sunt, 1956. d. 1957. a. b
Ieiunia priuata, 1957. c. d
Ieremias dicens: Et diem Domini non desideraui, &c. explicatur. 1074.c.d. 1075.a.b
Iesu Græca & Hebr. Etymologia. 108. c. d
Iesuitarum vera laus & commendatio. 589. a, b, c
Iesse Hebraicè quid significet. 351.a
Ignis sacer & æternus apud Persas. 1240.d
Ignis è vermibus, qui extingui nullo modo potest. 1790. b
Ignis stygius quo pacto separatas mentes cruciet ac torqueat, 1078. d. & seq.
Ignominia & contumelia post obitum vrit mortuos. 1931. c.d.1932
Ignorantia, res perniciosissima. 1438. b. c
Ignorantiam iuris & facti Regis Edictis suis ingenuè fatentur. 1438.d.1439.
Illecebris captat diabolus quos mittat sub iugum, 1531.c.d
Illusio obiectiua corpus falsum repræsentans, cùm sint ipsa quidem numina nulla, dæmones etiam incorporei. 1568.b
Imaginatio, visio spiritualis, 1276.d
Imagines rerum quomodo formentur in nobis, 1675.b
Imagines, ac statuas quantum Iudæi detestati, 570. b. c. d
Imaginibus sacris Eunapius testimonium impertit. 1181.c
Imaginosi homines, vel alienati à mente, vocantur *Byzares*, 1150. d
Imbellis crimen. 613.a.b
Immortalitas, Philosophorum quorundam dementia, immortales videri se cupientes, 1122. d. 1123. a. b. c. d
Immunditiæ legales, quæ ante sacrificiū erant purgandæ. 112. c. d
Impar viribus singulare certamen recusare potest. 347.c
Impatientia diabolum perdidit, 499. a. b. laudis alienæ quantas calamitates pariat, 505. b. c. d. illius nequitiæ. 1196. c.d
Imperatores Romani ac Principes præstantissimi vocabantur *Patres patriæ*. 1055. c
Imperatores Romani militum suorum mancipia. 1767
Imperium qui studio iuris & æqui detrectarunt laudantur, 874.d
Imperium Romanum quare ita fractum atque minutum, 1535. d.1536.a
Impij fauere Deum suis conatibus falsò gloriantur. 960.c.d

Impij experiuntur etiam conscientiæ aculeos, & ad horam resipiscunt, sed statim redeunt ad ingenium. 1102.c.d.1104,c
Impij quas ob causas iustum oderint. 1345.1346. beneficijs fiunt deteriores, 1449. b.1450.a.b
Impijs nonnunquam Sancti malè precabantur, 1421. b.
ab Impijs egredietur impietas : Prouerbium Hebraicum; cuius hic interpretatio & expositio, 1057. d. 1058. a. b. 1060. c. d. 1061.
Impios à tergo diuina iustitia vrget. 1318.c.d
Impiorum nulla quies, 1281. c. d. securitas illorum proxima periculo. 1290. d
Improborum hominum in calamitate cœcitas & amentia. 1728.c.d
Impossibile nemo quicquam dicere potest, cùm nesciat Dei quanta sit virtus. 1016.a.b
Incessus pinguium & effeminatorum, qualis. 185. a b
Incommodatio species contemptionis, 1229. a. quid, 1231.d. nonnullæ rationes quibus videtur exaggerari, 1232.. refutatur, 1233.d.1234.1235
Incommoda corporis à nimio potu promanantia, 1037. c.d
Incontinentia maxima & mira mulierum, 665. c. d. 666. 667. hæc instituto quondam veteres quidam, ne mulieribus probro esset, obtinuerunt, 667. b. c. sæuerissimè coërcita. 667. d. 668. a
Indicina, 1005. d
Indulgentia nimia Principis arguitur. 56.b.c.d
Indorum vexillum Draco, 1022. d. æquitas, 1023. a. b
apud Indos agricolæ belli tempore inuiolabiles manent, 899. b.c
Infamia mendax terrere nequaquam debet, 1227. a. b. c. d
Inferi per hanc vocem *Sceol* in Scripturis designati, 1695.c.d. in nobis ipsis describũtur, 257
Inferos negat Pausanias. 1692.b
Inferorum ianua nulli iam inclusa patet, ni Dei singulari priuilegio, 1657. si ex ijs fontes erumpere possent, nequaquam citharæ lenocinio imitandi forent, 1663. a
Infernus probatur. 1692.c.d. 1693. a. b
Infideles insidiis potissimum Principes appetunt. 1061.c.d. 1062
Infideles, quibus tandem legibus cum illis versari & habitare liceat, 1479. a. b. c. d. & seq. multis nominibus licet, 1479. b. c. priuatis licet, qui docti sunt & fortes, modo cautiones adhibeantur : quænam illæ cautiones, 1480. a. b. c. d. probatur ex Scripturis, ibid. d. & 481. indoctis & infirmis quantum in hac parte liceat, 1481. b. quàm sit necesse rudes & indoctos ab eorum societate seiungi, cum ratione, tum pluribus Scripturarum testimonijs, probatur, 1482. d. & seqq.
Infirma Deus eligit, vt fortia confundat, 430.b
Ingratitudo publica generis humani calamitas, 552. d. 553. a. b
Ingratitudinis reus apud Persas damnatur. 1219. b, c
Ingratorum plures species, 1214. a. b. cum illis quo pacto se gerere deceat. ibid. b. c
Ingratitudinem etiam Deus detestatur. 1219. d
Ingratum animum ciuium suorum complures & acerbè tulerunt. 1223. b. c
Ingrati animi labem omnes auersantur. 552. d
Inimicitiæ contumacis argumenta. 1530. c. d.
Inimicitiæ, maxime cognati sanguinis, non debent esse perpetuæ : exemplis probatur. 1530. a. b. c
cum Inimicis nostris quo pacto sit agendum, 1096. c. d
Inimicis parcere arduum & difficile, 1101. a. qui parcunt. Deo similes euadunt, ibid. c. d. 1102. a
Iniquitas quid, 1242. d. 1243. a. est pestis hominum. 1242. a
Iniuria non vno modo dicitur 1479. c. d. quomodo fit, ibid. quæ sit atrox iniuria, ibidem. nihil inter est prouocans, an prouocatus malefacias, ante Deum 1196. d. quandoque condonare non licet, quare. 1446. c. d
Innocens damnatus duello, si liceat, salutem tueri potest. 458. a, b, c
Innocentia nihil securius. 619. a
Inobedientia duplex. 137. d
Inobedientia perinde vt idololatria religionem tollit, 136. d. 137. a. similis non æqualis idololatriæ prædicatur, 137. c. d. 138. a. b
Inopia, quæ culpa caret, pœnæ subijci non debet, 782. b. c. d
Insanus, & Insania, vide *Stultus* & *Stultitia*.
Insensibilia quamobrem supplicio afficiantur. 58. c. d. 59
Insidiæ militares probantur, si dolus malus absit. 42. c. d. 43. a. b
Insidias Romani veteres non probabant. 42. a. b
Insidias Regum fugere difficillimum. 1452. d. 1453. a
Insipientia describitur, 1252. d. 1253. a. b. c. illius pedissequæ, 1253. c. vide *Stultitia*.
Insomnij Græca Etymologia, 1608. d. causæ. 1611. b
Insomnia arte captare Deus vetuit, 1608. quibus ritibus Gentiles ea captabant, 1608. b. c. d. 1609
Insomnia Physica, siue naturalia, quænam, 1615. c. d. 1616. a. b. Physica seu animalia, quænam, 1615. a. b. Σωματικα, siue corporalia, quænam, 1616. c
Intemperantis & Incontinentis discrimen. 92. d. 93. a
Intentio quid sit, 125, a
Intentio bona & mala. 125. b. c
Intentionem fides dirigere debet, 125. d. 126. a. b
Interesse illius debet qui prouocet, 342. c. d
Inuidi calamitas describitur, 502. d. 503. a
Inuidi cum icterico comparatio, 540. b
Principes Inuidi. 500. c. d
Inuidia cui rei parcit, 510. c. d
Inuidiam vultus ipse prodit, 501. b. c
Inuidia, labor & molestia maxima. 1024. c. d
Inuidiosi hominis descriptio, 557. b. c
Inuido nocet otium, labor & exercitatio prosunt, 558. a. b. c
Inuisibile triplex, 1696. b. c. d
Inunctio sacra, alia à Sacram. quid conferat. 142
Iob se iustum prædicat, 87. b. c. Deum ipsum in

in ius vocauit, 1183.d.1184.a.b.c
Iocus thori fidem violans, capitale crimen, 664. d. 665. a
Ionathæ apologia pro Dauide, 551. 552. a, b, c
Ionathas amicum acciem nequaquam spernit, 620.d. quare toties detestabat Dauid, 640. exi-luit è mensa Saulis patris, quare, 674.c. magnitudo sui amoris erga Dauidem, 676. a. b. ait Ionathas ad Dauid: *Egrediamur foras in agrũ*, &c. variæ interpretationes in illud, 630.631
quanta Ionathæ virtus, probant fratrum cædes mutuæ, quas peperit regnandi cupiditas, 988. c, d, 989. a, b, c
Ionathas à nonnullis damnari videtur, 1874. b. c, defenditur, ibid. c, d, 1875. a, b. plures è recentioribus eum virtutis ergo commendant, 1875. c. d
Iosephus gratis odio habitus, 1348.a.b
Iosephi an valeat authoritas in describendis sacris vestibus, 920. c. d, & seqq. quamobrem nonnulla fides ei adhibenda videatur, 924. c. d, 925. a
Iosias tertius misit ad Oldam Prophetidem, 1607. b
Iræ definitio, 674. a
Ira non semper vindictam appetit, 673. c. d. maximè in Superiores excandescit, 1431. c. potestati dæmonum addicit, 503. b. c. tempestati comparata, 1094. d
Iræ dandus est locus, 401.d.402. a.b.c
Iracundiæ cœcitas, 960.c
quod Ira cœca velut tempestas, eripit oculis, illud gratiæ reconciliatio restituit, 1094. c, d
Iram semper aliqua voluptas cõsequitur, 1116.a
Isai octo filios habuit, 233 d
Ismenias Thebanus Persarum Regi illusit, in illius adoratione. 1048.c.d
Iudæi per quid iurarent, 1109. b.c.d
Iudæi quantum ab imagine abhorruerint, 570. b, c, d. Festorum obseruantissimi 641.c. quare Hierosolyma euersa internecione deleti, 1535. d
Iudæi primùm ad mensam sedebant. 649.c
Iudæi nusquam relegarunt fontes extra Iudæam, 1418.d.1429. a, b, pro mortuis orabant, 1265. c. d. 1266. a
Iudæorum militum fides. 1538. d
Iudex, qui Magos non coërcet, is contemptor Numinis, pestis Religionis, &c. 1686. c, d. Petrus Anchoranus hac de re. ibid.
Iudicare, ne quis iudicet, cum sua causa agitur. 1196. a
Iudicem, tametsi reum capitis damnarit, reo interficere non licet, 1066. d
inter Iudicem iuratum, & Principem differentia. ibid.
Iudices quàm graui se scelere obstringant, qui cùm possint, in Magos & Ariolos non animaduertant, 1664. & seqq. eorum triplex ratio. 1669.d
Iudices damnum, quod eorum negligentia dederit, sarcire debent. 1683. b. 1686. d
de moribus Iudicum. 1245.c.d
Iudicium futurum frustra prædicatur, si necessitate non arbitrio peccamus, 1411.d, 1412.a
Iudicij forma, 841
Iudicium, quo damnatur Ægidius Episcopus Maiestatis, 841.b.c.d
Iudiciorum legitimorum forma, 819.d
Iudith corripit Oziam, 1201.d
Iumenta nobis obediunt cum ipsi minimè Deo pareamus, 288.d
Iumentum quid fuerit antiquis, 575. c.d
Iunioris appellatio pro seruo, aut tyrone certæ cuiusquã artis, quod magis placet vsurpata, 1814
Iunij absurdum commentum. 281. b
Iunij commentum refellitur, 485. a
Iurare per id, quod non noueris, ludere est, nõ iurare, 1767. per creaturas nõ licet, 1257. c, d
Iurare: an cum quis circumuentis insidijs, ac periculi metu perterritus, iurauerit, Sacramenti religione sit obstrictus. 1112. 1113 1114. 1115. 1116.
Iurare per salutẽ Cęsaris, 451.c.d.452. a.b.453.a
Iurare per arma, vel in armis, 482.c, d
Iurare quo pacto liceat per salutem Principis, 453. b, c
Iurandi optima ratio; per Deum, 1110.d
Iurandi duplex formula, 1258. a.b.c
Iuramentum, duplex genus, 451.d. & 580
Iuramenti formulæ variæ, ac diuersæ pro diuersis nationibus, 1109. a.b.c.d. duplex vinculũ 1112. b. illius præcipua religio esse debet, 1111.d
Iuramentum omne mendacio fidem faciens mortale peccatum est, 1113. d. 1114. a. b
Iuramenta obtinent, si Deus ita velit; iurare autem oportet ex animi sui sententia, 1108. d
Iuramentorum ex temporales ceremoniæ. 1110. d, 1111. a
qui Iuramenti conceptionem ab alio propositam immutat, captare videtur oportunitatem fallendi. 1111. c
Iuramentum de re iniusta & impia, irritum habendum est, 581. b
Iuramentum Dauidis in Nabalem temeritatis damnatur. 1221.b
Iuramentum debent tria comitari, sine quibus, non iuramentum, sed periurium, 1289. b. c. temerè conceptum, prudenter reuocandum est: alioqui graue peccatum. ibid.c
Iuramenta, quæ vis, aut metus causa facta sunt trifariam spectari possunt, 1112. d
si quis Iurauerit incurrens in latrones, & ab ijs vitam constituta mercede pactus fuerit, conuenta præstare debet: manet tamen repetendi potestas. 1112 d. 1113. a
si quispiam Iuret quod pręstare nolit, an obstrictus sit illud præstare, 1113. b. c
Iurisiurandi religio 1107. a, b. comites necessariæ, 1221. a
in sponsionibus Iureiurando firmatis, tria in animo, tria quoque in externa actione spectanda. 1113. b. c
Iusiurandum quid, 1257. c
Iusiurandi Marcellini Tribuni, 1823. c
Iurisconsulti æquiuocationes in respondendo probant, 1525. b, c, d
Ius Postliminij, quid sit. 845. c. d
Iustitia diuina vitari non potest 118. a. scelerum vindex, 88. b, c, & 1892. b, c, d. impios vrget à tergo, 1318. c. d
Iustitiæ vis ac potestas, 1059 c

Iustitiæ vis à natura patefacta in dilectione inimicorum. 1103.a.b
Iustitia & misericordia Hebraicè vna & eadem voce significantur. 1103.c.d
Iustitia vindicans non pugnat cum Christiana charitate, 1077.b.c.d
Iustitia legis quæ fuerit, 88.b.c
Iustitia non minus quàm misericordia delectat. 62.a,b
Iustitiæ vltricis sacrificium, 179.d.180.a
Iustitia quo pacto Dei, quo pacto etiam nostra, 1441.d.1442.
Iustitia repræsentatur per Onychiũ, gemmam, 949.b.c.d. illius encomium, 950.b.c
Iustus an quisquam sit habendus, quòd à scelere aut ab inferenda iniuria abstinuerit, 1097.c.d.& seqq.
Iustorum & iniustorum moriendi diuersa ratio. 1122
Iustus quo pacto septies in die cadat. 1287.d. & 893.a,b.c
propter Iustus etiã conseruãtur iniusti, 1288.b.c
Iusti quare impijs exosi, 1345.1346
Iusti securus in adeundis periculis animus, 1352.c.d.1353.a.b
Iustos ex hac vita migrantes quies excipit, 1727.d.1728.a,b
Iustinianus, & LL. Ciuiles errarunt de permittendo diuortio. 1320
Iuuare: magnorum virorum adiutores. 586.b.c
quatenus Iuuare liceat damnatum à Principe. 586.d,587.a
Iuuenibus, qui citò rapiuntur, præcoci morte nihil deperit. 1876.b,c,d

K

Kalah apud Hebræos quid significet. 626.a,b
Kali קָלִי quid. 1205.b
Karath, illius verbi vis & energia, 635.a
Καιρός. 1390.c
Καταφορά, quid. 1389.d.1390.a
Kebir exponitur, 565.b,c,d
Kenæi, populi, quinam. 1523.c
Κεράφολα, quid, 1159.c
Κόπτω, quid significet, 1119.c

L

Laban Deum vindicem appellauit. 1083.d
LEa Lebes quæ consensum sequitur, à sacris altaribus absterreri debet. 656.b,c,d
Laborandum ad vitam. 1791. 1834.b.c
Lacedæmonij nefas esse dixerunt apud se, hominem adorari, 1048.c
Lacrymæ aliquando necessariæ: rationes complures, 1136.b.c. an deceat Christianum: earum ratio Physica, 1794.c.d,& seqq. probantur authoritate Scripturarum. 1794.d.1795.a,b
Lacrymæ manant à corde, 1726.d, sunt hominũ propriæ, 1797.b. duæ sunt viæ per quas surrigantur ad oculos. 1797.a, virum fortem & Christianum decent, 686.c.d
Lacrymæ erumpentes refrixisse, vindicandi studium loquuntur, 687,a.b
Lacrymæ sanguineæ, 1795.c.d. eas parturit spes, 1796.d
Lacrymasse etiam Angeli dicuntur: quomodo 686.a.b. Bruta quoque lacrymas fundunt, ibid.c
Lacrymarum ratio Physica, nec plerumque sine graui periculo cohiberi posse, 1795.d,1796.a.b.& 684.c,d. 785.a
Lacticinijs in Quadragesima Ecclesia interdixit 368.a
Lætitia modum seruare nescit, 85.c.d
Lætitia publica hoste confecto. 485.d
Lætus, Commodi seruus, quare affectus supplicio, 1041.c
Laici quidam à S. Machute anathemate icti, quare, 702.d.703.a
Laméta Gentilium ridet Lucianus, 1134.a.b.c.d
de Lamijs, 1557.& seqq. 1676.& seqq.
Lamiarum crimen an Iudices humano ingenio explorare possint, 1570.& seqq. circumstantiæ omnes in hoc expendendæ, 1572. vide *Stryges* earum fabula, 1676.b.c
Lamia in euocatione Samuelis quomodo cognouerit Saulem, 1691.a, quare clamauerit ad Saulem, ibid. illius erga Saulem humanitas commendatur, 1749.a.b.c.d.1750.a, quam Author valdè execratur, 1750.b,c,d
Lana caprina, 572.b.c
Lana alba cæteris præstantior. 1151.c
Lapis resipiscentiæ. 442.c
Lapis Caspius, 427.b
Lapis Alectorius. 442.c
Lapides quinque Dauidis 427.c.d.428
Lapides vini in Areopago, contumeliæ, & impudentiæ, 123.b,c
Lapones in Noruegia magnam habent cum dæmonibus consuetudinem, 1678.c. cœlum, terram, ac mare possunt ciere, ibid.
Lapsus ex ingenti trepidatione, 1746.c
Lapsi lugendi, non imitandi, 197.c
Larium vndè dictum, & quid, 1140.c
Latrocinijs nationes multæ sunt deditæ, 1789.a,b,c
Latrones quinam dicantur, 1516.c. vide *Fur.*
Latronibus quæ sunt erepta, legitimis possessoribus sunt restituenda, 1844.b.c.d
Laus virtutis etiam cum hominibus communicatur, 1286.b,c
Laudis veneno nihil nocentius, 753.c,d
Lectica cubile vocatur à Seneca, 576.c. ea delati ægri in iudicium, 576.b
Lecticæ dormitoriæ. 576.c
Lex de Regijs nuptijs Deut. exponitur. 1326.b
Lex vetus omnes puberes inimicæ gentis referebat in reos, & iubebat victos neci dari, 22.b
Legi posteriori parendum, 124.a.b
Leges Romanæ diuortij potestatem negant esse pænes patrem, 1328.c. Romanæ contra Polygamiam, 1335.d.1336.a.b. in diuinatores, 1594.d.1595. Christianæ Politicæ nunquam Reges proscribunt: quid in Principe spectent, 1374.c. Ciuiles filios reorum læsæ Maiestatis bonis paternis exuunt, 31.a.b. Siculę Clericos vetant à Iudicibus prophanis iudicari, 851.b
Leges Valentis Hæretici impiæ à Theodosio rescinditur, 851.a
Legis definitio, secundũ Petr. Rattium. 1496.c
Legis Iuliæ examen, 1505.a.b

Leones

Leones 412. a, eos non pauci & Vrsos vicerunt, 415. d. 416
Leo Imperator Gentilium superstitionem de sepeliendis mortuis reprehendit & abrogat, 1141. b, c, d. iubet Constantini Legem, quæ beneficas incãtationes probat, ex legum quasi fundo tolli, 1581. b, c, d
Leo Pictauiensis mutus, surdus, amensque mortuus est, quare. 705. b
Leonis Porphyrogeniti candor in probandis excubiis, 1199. b
Leontius Tripoleos Lydiæ Episcopus adolescenti vnico filio mortem à Deo impetrauit, quòd vitia potius quàm virtutem sectari videretur, 671. d. ipse mira de reuerentia Episcopis debita. 816. c, d. 817. a
Lescius Albus facilius regno quàm amico caruit. 670. d
Lessius de pœnis & cruciatu dæmonum in Inferno, 1709. a. b. c. d. eos ignis ardorem sentire putat, ibid. d. contrarium tenet D. Thomas, 1710. a. b. incommodum quod inde sequi videtur. 1709. c
Lessum, quid, 1130. a
Libertas est conscientia bona. 1281. a
Libertas Episcoporum in admonendis Regibus. 121. c, d. 122. a. b
Libertas dicendi, atque arguendi, quæ probanda, 120. c. d. 121. a
Libido quo pacto refrænata, 652. d. 653. a. c. aliena libido polluere non potest. 1925. a. b
Lictores olim monasteria intrare vetitum fuit & interdictum. 591. c, d
Ligaturæ characteres, & amuleta magica damnantur. 1579. b, c. d
de Lino, lineisque vestibus, quibus Sacerdotes vsi sunt. 880. d. 881. a. b
Linum quam ob causam visum sit Sacerdotibus conuenire. 881. b. c. d. 882. a. b. c. d
Lindembrogus de Lege Salica, 1496. b
Lipopsychia definitio, & quomodo differat à syncope, 1811. a. b
Liuor Spiritus Domini malus. 557. b. c
Locustæ, cibus ordinarius Acridophagorum, 1176. b
Locus superior victoriæ oportunus, 309. b
in Loco esse aliquid duplici ratione potest, 1700. a. b
Lorica. 423. d
Loricæ plures, materia & forma diuersæ, 322. c. d
Loricæ Goliath pondus. 335. a. b
Loth: illius vxor in statuam conuersa, 1794. a. b. & 1316. c
S. Lucas, de Inferis, exponitur, 1692. d
Lucianus Gentilium lamenta, Platonis regnũ, & ipsa tartara ridet. 1134. a, b. c. d. 1135. a. b
de Luctu 1953. c. illius complures rationes, 1136. b. c, d. 1137. a. b. illius ceremoniæ apud Iudæos, 203. c. Etymologiæ plures, ibid. b. c
Luctui tempus aliquod præscriptum, antequam viduæ nuberent, 1320. c
Luctus annui rationes, 1321. c
Ludimagistrorum officij admonitio, 1585. a
S. Ludouicus à calumnia vindicatur, 1494. c. illius innocentia asseritur. 1493. d
Luna innouari quando dicatur, 661. c
Lupus hiauit Prouerbium, 577. a
Lustra, quid. 1591. a
Lutheri impietas, & insolentia aduersus Reges, 1367. d
Luxus antiquorum conuiuiorum, 1291. c. d
Luxus sæuitiæ mixtus carpitur à Seneca, 1886. b. c
Lyconides matrem orauerat, ne secretum proderet, quod, vt postea communicaret, reserare oportuit, 636. c
Lydi ludo famem illudunt. 175. d
Lyncurium, gemma, mira & præclara, 936. c. d. 937. 938. 939. 940. a, b, c, humilitatem repræsentat. 939. c. d. 940
Lyræ veteris descriptio. 175. b. c

M

S. Macharius cessit somno. 1356. a
Machiauelli impia & inhumana cæcitas. 1106. a. b
Magia definitur, 1548. illius species, ibid.
Magia, quæ benefica fingitur, quadruplex. 1577
Magia Naturalis, quid, 1550. b. c. diabolica, quid; & quotuplex. ibid. d
Magi vocabulum vnde & illius Etymologia, 1548. d. 1549
Magi olim mercede conducti, qui tempestates cierent, 1577. c. d. qui eorum vtuntur beneficio infideles vocati, 1578. a. an reuera dæmonum opera in patrandis beneficijs abutantur, 1670. 1678. opera stupenda dæmonũ fauore perficiunt: quod maximè probatur rationibus & exẽplis, 1671. a, b. c. d, sunt procliues in venerem, 1676. 1677. a, b. quàm probabiliter, & certa ratione illorum opera stupenda ascribamus, cum possint, vt plerisque visum est in causas naturales referri, 1679. & seqq. rationes quibus eorum opera causis naturalibus fieri videantur. 1679. b, c, d
Magi malefici, quinam, 1551. 1552. benefici etiã, ibid. c. an malefici iure capitis pœnas luant, 1552. & seq. capite sanciuntur legibus & damnantur, 1555. 1556
Magi quantis sceleribus Deum violent, 1663. b, c, d. quam male consulant ibid. c, d, quãtis malis proximos vexent, 1686. a, b. c, malum quod sibi consciunt legibus vindicandũ est, cum sint ipsi quidem Dei serui membra autem Ecclesiæ ac reipub. ibid. a. sunt Hæresis rei, 1554. b, inita cum dæmone societas, 1555. a, b, Platonicorum reminiscentiam ponunt, 1588. c. d
Magia expiationum Magicarum fraus nocentissima, 1590. c, d, inanis est, & nihil habet firmi ac solidi secundum Plinium, 1670. c. illius fundamenta Cœlius Rhodiginus locat ex Ariolorum sententia, 1584. b. c. d
Magi horrenda precatio ad dæmonem, 1578. c. d
Magorum & Hæreticorum non est par ratio, 459. 460. a. illorũ dementia atque ignorantia, 1653. a. argumenta & rationes, quibus Necromantiam suadere conantur, dissoluuntur, 1650 b, c, d, & seqq. eorundem argumentorum & rationum examen atque confutatio: 1658. d. & seqq. eorum complura maleficia, 1552. c. d. 1553. conuocatio: huiusce rei exemplum. 1691. c, d

an Magos è medio tollere liceat, 1550. 1551. & seqq.
qui Magicus artes ad commodum delectationemve conferunt, nec cuiquam nocere studēt: an hi quoque supplicij digni sint. 1577. & seqq.
qui Magicis artibus scientias hominum mentibus instilare posse confidunt, reosque criminum piaculo soluere: hi quoque è medio tolli videantur. 1583. & seqq.
vi Magica quondam exciti abeundi licentiam expectabant. 1748. d
Magonia Regio. 1558. d
Magos coire societatem cum dæmone non est dubium, 1561. b. c. d. 1562. a. b
S. Magdalenæ liberalitas in profusione alabastri laudata. 728. c. d
Magistratum gerere, an non liceat apud Ethnicos, 1478. c. d
Magistratus patrimoniales quo iure alienationi fisci intercedant, 1497. c
Magistratus vnde dictus. 9. b. c
Magistratuum duæ partes præcipuæ, ibid. a, b, c
Magnetes accolæ Meandri canes secum ad bellum adduxerunt, 1068. d. 1069. a
Maiestatis occulta vis non paucos à cæde Principum absterruit. 1036. b, c
Maiora veris pleraque ab antiquis ficta esse, 321. c, d
Maiorum nostrorum religio ac pietas, 1605. a
Mala Deus vindictæ gratia mortalibus irrogat, 117. c
Mala qui perpetrat multa, hic in æternum seruiet, 1531. b. c
Mala quæ dicenda, 1409. b
Malæ tractationis actio, 1245. b, c, incommoda, 1247. a, b
Maledici maximè nos deterret à flagitijs, 1237. a, b, c
Malefacere: nihil interest prouocatus an prouocans malefacias, ante Deum. 1196. d
Mali sua scelera alijs ascribunt, 93. c. ijs vicem Deus rependet, 1600. d, 1601. 1602. donec spes aliqua pœnitentiæ manet, non sunt odio habendi, 1941. c. d. 1942. a, ijs non eripitur arbitrij libertas, 1415. a, b, c. eorum nocendi studium piorum diligentia superat, 1346. d
Malorum mala societas, 792. b. c
Malitia hominum, 513. b. c
Malorum pœnæ origo à Deo, 263
Malitiæ plures significationes, 1264. b. c. d. quid propriè significet, 1264. d, 1265. a
S. Mamertus de anima an sit corporea vel incorporea, 1699. 1700. intellectum & voluntatem, cum anima re atque essentia coniungit, & proinde incorpoream, 1700. 1701. a, b. confutat Faustum, corporeas esse animas asserentem, 1703. & seqq.
Manasses captiuus in Babylonem abductus, quòd pios vexaret, 1535. d, Deo reconciliatus ab eo est ad pristinam regni dignitatem reuocatus. 1532. d
Mandata & iustificationes quid sint explicatur, 90, a. b
Manè quid significet, 675. b
Manes offei à Luciano descripti, 1696. c. d. quibus illecebris allici possint secundum Agrippam, 1655. b, c, d. nulla ciborū appetentia elici possunt, 1663. b. c. d. & seq. gula carent & faucibus 1663. c. cibos non possunt appetere, 1666. c. eorū spectra quo schemate appareāt, 1697. a
Manubiæ Principis propriæ habitæ, 91. c
Manue, desperantem de Dei misericordia, vxor erexit, 1102. a
Maranæi, Arabiæ populi, quomodo extincti sint. 1789. d
Marcellini Tribuni iusiurandum. 1825. c
Mardi, populi, quinam. 1789. a
Margaritas qui venantur in æquore abstinent à venere. 652 d
Margaritæ salutaris Hostiæ, quænam. 715. d
Mariandyni dedunt se Heracleotis in seruitium: quo pacto. 1184. d. 1185. a
Maris & fœminæ Hebr. etymologia. 1917. b. c. d
Maritus quænam debeat vxori, 1324. b. c. vetare non potest eas eleemosynas, quas vxores ex consuetudine largiuntur, 1208. c. d
in Maritis & vxoribus diligendis quid spectarent antiqui. 513. a
Martis statua explicatur, 1932. d
S. Martinus vocatur, seu potius rapitur in iudicium, 863. b. damnatur Imperatoris iussu 863. c. d. 864. a, quam ob causam etiam ingemiscit impius Hæreticus, 864. a, illius iudicij rationem habendam in causa Pontificis negat S. Maximus, 864. b. c. d
Martyres nebulo quidam seruos flagitiosos vocat, 1181. b, eorum funera quo ritu celebrata initio nascentis Ecclesiæ, 1131. a. b
Mater quo pacto venialiter tantum peccet, quæ animaduersionem, quæ iurando promiserat, filio remittit, 1289. d. 1290. a
Mathematici, qui, 1593. a, damnati, 1594. b, fidem nugis suis non habent. 1593. d
Matrimonij definitio, 518. b, nexus perpetuus, 1332. a, b, de illius fide & constantia, 1331. d, 1332. a, tria in eo spectanda, 1334. d, 1335. a
Matrimonia clandestina irrita facta decreto Concil. Trident. 539. d
Matrimonium legitime contractum an possit pater dissoluere: vide *Diuortium* impedire possunt non dirimere Principes suis legib. 1331. a, b
Matronarum erga maritos nobile ac generosum factum, 564. a, b
Megapenthes tyrannus moriens, quid molestè ferret, 1734. b. c
B. Melania offerens argentea vasa, correcta vehementer à Palladio, quare. 1263, c
Melancholiæ plures species, 1682. b. c. effectus 1682. b, c, d, magorum opera non debent ei ascribi, ibid. non pauca illius symptomata dæmonem habent authorem, 1682. d
Melancholiæ adustę species quatuor, 1251. c
Melancthon contra Reges, 1368. a
Memoria 13. 14. Ethnicis Dea habita, 13. d, Deo propriè tribui non potest, quo pacto tribuatur, 14. c, e, eam infideles Deo diphtheramque tribuerunt, 13. d
Memoriæ Athenienses non vino, sed aqua melle diluta sacrificarunt. Poëtæ finxerunt Musarum parentem, 13. d
Memphiticus reus quo pacto absolutus ab Apollonio. 1591. b

Mendacium

Mendacium quid sit, 213.a,b, 584.a,b, illius Etymologia, 214. c, triplex genus, 584. c, detestandum multis nominibus, 584. c, d, nunquam ne sit admittendum, 585.a,b,c
Mendaces, quæ sibi male precati fuerint, ea sæpissime sortiuntur, 632.d
Mendacium dicere & mentiri quomodo differant, 1526.a
Mendax infamia nequaquam terrere debet, 1127.
de Mendacio statuere, integra prius oratio spectanda est, 662. d
Mendacium patroni, 213.d, 214.a
Mendacij suspicio à Samuele depellitur, 152. b,c,d.
Mentiri nunquam licet, 213. 214. & 583. b, sed verum non dicere quandoque licet, ibidem, d, non decet autem, vt boni quidquam facias, 1003. d
an quandoque Mentiri liceat, dum propria alteriusue saluti contra ius petitur, prospiciatur, 583.& seqq.& 212.a,b,c
non Mentitur, qui ex certa ratione tegit veritatem, 696.c,d
Mês, quid, 1057.d, eam somno non sopiri, 1620. a, b, duobus modis fit abalienatio mentis, 1250.c, cuius tria sunt genera, ibid. d
Mentes à materia separatæ corporeis illecebris capiuntur, 1621. c, d, quos patiantur cruciatus, 1710.b,c,d
Mensæ accumbere nonnulli solebant antiquitus, 623. b, sedebant vero Ægyptij, 622. Romani. ibid. Heroes, ibid. a,b, mulieres, ibid. d, Iudæi primùm sedebant, 649.c, quomodo, & quare in lectis accubuisse ferantur, ibidem.
Mensæ Regiæ quinam adhibiti, 650. apud Danos, ibid.c
Mensis, quid, 621. b, de primo mensis die, ibid. vnde dictus, ibid. mensium ratio apud Romanos, ibid.c,d
Mensuræ plures, 320. a, de mensuris, 617.b,c
Mensuræ Hebraicæ cum aliis conferuntur, 323.c,d, 324.a,b.
Mensura corporis humani summa septem pedes, 322.b,c
Mercedem bene agendo quo pacto spectare liceat, 390
Mercurius apud Ægyptios Rex, vates, & Sacerdos, 1121.c
Meretrices olim apud Romanos professæ, 376. c,d.
Mergi quomodo capiuntur, & quomodo proteguntur aduersus homines, 1354.c,d
Merita humana S. Augustini, ab operibus bonis sedulo ac religiose distinxit, 1445.d
Meroueus Pythonissæ non credens captat futuræ sortis suæ cognitionem: eiusque finis & obitus, 1637.b,c,d
Methæ quid apud antiquos, 625.a
Metus quid sit, 754. a, nihil culpæ habet, sed pœnæ plurimum, 756. b,c, acerbius torquet ipsa calamitate, 759.a,b,c,d, 760.a
Meursij fides de statua, quam tulit Michol super lectum, vacillat, 566.c
S. Michael quo genere pugnę cum Dracone conflixerit, 1705.c, d, & seqq. quomodo eum vicerit 1706.b
Michol monet Dauidem de illius, à patre, intenta sibi nece, hortaturque ad fugam, 562. d, 563.b.
Milites cum agnis comparati, 40. b, c, d, illorum ius omne præda, aut manubiæ, 81. d, ne cuiquam oneri sint, 508. a, eorum prædandi licentia apud Polonos quomodo coercita, 1165.c,d, 1166.a,b.
Milites Prętoriani, genera septem, 1400
Milites stipendiarij non sibi, sed Imperatori prędam rapiunt, 81.d
Militum sancti Sepulchri ordinatio, 873.d, 874. a,b,c.
Militibus olim agri dati: quibus legibus, 798.d
Militare Sacramentum, 1401.c,d, illius formula, 1776.d
Militaris prudendia, cum suauitate morum coniuncta, authoritatem plurimam conciliat, 484.a,b,c
Militia diutina absente Principe factioni proxima, 507.b
Minima non raro maxima superant, 406.d
Mirando plurimi casu obruti stupent, 1315.a,b,c
Misericordia, nomen hoc Hebraicum explicatur, 47.c,d, multis nominibus commendatur, 54.d, 55.a, quid significet, & eius definitio, 46. Dea priscis habita: huic aram Athenienses, 54.d.
Misericordiæ diuinæ plures rationes afferuntur, 62. b,c
Misericordia Dei non raro prædam Diabolo eripit, 1531. b, c, de ea nunquam desperandum, 1532. b, c, d, & 1714.c. historia egregia, ibid. & 1741. ea ob parentum scelera tertiam & quartam generationem vlciscitur, 31.d, 32.33.
Misererè Hebraicè & Græcè explicatur, 47.a,b,c
Missio triplex, 1772. c, d
Mnestheus seruus nequam Aureliani Domini sui mortis author, 1031. a, b, ipse postea bestiis obiectus, ibid.b
Moabitarum consortio præ cæteris Deus Iudęis interdixerat, 1471.d, 1472.a
Modestia mulierem decet, 1154.b,c,d
Mœror Ebrietat m discutit, 1314. d, ab eo iacentes & afflicti quibus rationibus reuocentur, 688.a,b,c
Mola aurea Persarum donum maximũ, 798.c
Monachi Prophetarum studium æmulantes Euangelica perfectione mũdum illustrarũt, 588.c,d, 589.a,b,c, communiter possidet, 704. c, quod illis redũdat rectigal est propriũ, 705. a, eorum mira liberalitas, 701. c,d, quæ olim eis donata sunt, ea iure ab ijsdem possideri, 706.c,d, eorum voto professio firmata, 592. eos, licet pauperes prolixa liberalitas fouere decet, 727.c,d, 728.a,b
Monachos & Martyres prius quidem Philosophorum pessimi quique, deinde & nebulones Hæretici insectati sunt, 1131.b,c,d, 1132.a
Monachorum veteris & Apostolicæ Ecclesiæ studia & mores, 591.b,c,d
Monasteria & Ecclesiæ attributum sibi vectigal *panum ciuilium* alienare vetantur, 714.d
Monasteriorum adita lictoribus olim interdi-

ctum fuit, 592. c, d, eorum bona bnis & legitimis contractibus comparata, 705. d, 706. a, b.

S. Monica qua arte ferocem demulceret, 1312. d, 1313. a.

Monomachiâ certare licet, ne ignominiam subeat, 463. c, d, 464. ea diuino iure vetita, 455. b

Morbi definitio, 574. d

Morbus quis excusetur, 573. d, 574. a

Morbus Pontificis, quis, 574. a, 575. d, 576. a

Morborum copiosa nominum supellex, ibid.

de Moribus iudicium, 1245. d

Mors corporis & animæ separatio est, 187. a, b, amara: ab antiquis tamen melli comparata: Vita felli, 186. c, d, nocenti pœna: innocenti fruendæ mercedis exordium, 1121. a, b, Ebrijs optata siue digna, 1317. d, illius conditio vitam æmulatur, 1315. d, illius tria sunt genera, 1384. b, à solo Deo præscribitur, 1384. c, d, homini quietem parat, 1546. b, purpurea vnde dicta, 442. d, illius contemptus apud infideles, non virtus, sed imbecillitas fuit, 181. b. c. morte immatura prærepti, & circa tumulos errantes, nequaquam rerum futurarum conscij habendi sunt, 1658. d, 1659. a, b, c

Mors Romana, 1893. a, Sanctorum pretiosa, 1876. a, b, mortis statua explicatur, 1932. d, illius plura symptomata, 1891. b, c, morte violenta plerique Imperatores sublati, 1890. b, c, d, sontibus imperata, 1915. d, nô sine dedecore, nisi Dei beneficio contingit, 1871. d. 1872. a, b, morti nullus inauditus addicêdus, 614. a, mortem perditissimorum hominum optare licet, & legitimis actionibus moliri, 1075. c, mors Inferi dicta, 1692. d, 1693

Mors voluntaria castitatis gratia nônullis probata, 1918. a, b, c, d, exempla earum quæ idcirco petulantium libidini spontanea morte præuerterunt, 1919. a, b, c, d, quæ se interficiunt pudoris tuendi gratia cædis sunt reæ seu potius parricidij, 1925. d, 1926. an cuiquam licet sibi manus afferre, seu potius mortem consciscere, 1893. d, & seqq.

Mortem sibi côsciscere nefas, 1894. b, c, d, 1895. 1896. quod hac de re statuerit Ecclesia, 1896. b, c, d, Philosophi quibus rationibus homines ab inferenda sibi nece absterrerent, 1897. b, c, d, 1898. an vlla ratione humana defendi possit, 1901. d, & seqq. an non excellentis alicuius boni gratia licet, 1907. c, d, & seqq. an non Iustitię studio, cùm sit nocens, aut etiam à Magistratu iussus, 1914. d, & seqq. studium gloriæ non excusat, 1907. c, d

Mortis voluntariæ duæ rationes, 1901. d, 1902. a, b, c, d.

de Morte Peregrini, 1908. d, 1909. a

Mori pro patria gloriosum, 1743. d, cum Rege gloriosum quoque plerique esse duxerunt, 1889. c, d, mori non licet iniussu Dei, 1893. b

Mori volentes qui iussissent, capite damnati, 1887. c, d.

Moriendi iustorum & iniustorum diuersa ratio, 1122. a, b

Morituros etiam Infideles timor occupat: Inferi terrent, 147. c

Morituros ea cura vehementius angit, ne hostes suis bonis fruantur, 1734. b, c

Mortui apud Ethnicos olim habiti beati, 1885. a, b, sæuire in eos indignum, 1934. a, b, nonnulli illuserunt illis, 1885. c, d, eorum gratia eleemosinas erogatas Paulinus commendat, 1952. c, d, an sint lugendi: rationes negantes non paucæ, 1135. b, c, d, & seqq. eos Sancti luxerunt, 1136. a

Mortuorum reliquias in vrbe condi, æquum, pium, & vtile videtur, 1141. a, b, c, d

Mortuis Dei misericordia ieiunio, & squalore concilianda, 1951. b, c, 1955. b, c, 1956. Sanctorum precibus, 1951. d, 1952. a, b, Eleemosinis, 1952. c, d.

Mortuum non cadauer significat, 1695. a

Moyses Ægyptiacè ab aqua dictus, 1191. d, Deum iudicem appellauit, 1084. d, de illius spiritu quomodo Deus abstulerit, 1733. a, b, c

Mulier Pythonis, spiritum habens in Gallia, Guntchramni Regis tempore & quomodo exorcizata, 1657. b, c

Muliebris formæ descriptio, 1152. c, d, 1153. muliebris animi cultus, 1153. d, 1154. a, b, ambitio difficile cohiberi potest sæuitia in seruos, 1186. d, 1187. a, b.

Mulieris bonæ laus, 1152. a

Mulier prudens rara auis, 1155. a, debet esse modesta, 1154. b, c, d, quo pacto se cum marito gerere debeat, 1157. c, d, 1158. a, b, c

Mulieres non paucæ, regnandi studio incensę, ne patribus quidem pepercerunt, 563. a, b, quondam emptæ, 528. c, d, ieiunantes exercitus Dei, 12. a, eas acrius pungit veneris cupido, quàm viros, 665. quæ cultui corporis nimiopere student, hæ quo vltro viros rapiût, 669. a, b, c, d, exempla quarundam quæ vltro rapere studuerint, 665. c, d, 666. capiebant olim cibum sedentes, 622. c, maximis Magicis artibus deditæ, 1637. c, d, mulierum quatuor genera, 1155. b, earum multiplex ingenium, varijque mores, ibid. c, d, 1156. a, b, c, d, 1157. a, b, quænam bonæ sint, 1157. a

Mulieres Dianianæ, quænam sint; quænam heretica, quæ erronea credant, à Concilio Episcopi damnatæ, 563. a, b, 1564. c, d, 1565. a

Mulorum laus & commendatio, 812. 813. eorum mutua beneuolentia, 812. malum portendunt, 813. b

Muli Atheniensis religio, 812. d, 813. a

Mullo moriente nihil formosius, 1886

Mundium, quid sit, 1147. c

Mundus libro comparatus: singulæ partes illius litteris, 1620. c, d, quæ futurorum pręsagitiones non complectuntur, 1625. c, natura sua animatus, vita sensuque pręditus, secundum Synesium, 1620. d, 1621. a, reprobatur & refutatur ab Authore, 1623. d, 1624. a, b, c, d

Mundi insanium iudicium, qui damnat in seruis Dei, quę in alijs miratur, 1180. d, 1181. a

Mundus, siue aer eorum, quæ sunt, fuerunt aut erunt simulacris plenus secûdum quosdam, 1619. a, b, c, d, refutatur ab Authore, 1626. a, b.

Mundus illius partes quęnam sint: dextra & læua, 1013. a, b, c, dextram partem Scripturæ interpretes meridiem accipiunt, ibid. d, 1014.

in loco non est, licet sit localis, 1704. a, b.
Munera pauperum hami, 291.c
munera Principibus offerri solita, ibidem,d.
munera accipere indicium animi placati, 1288. a,b.
Munsteri temeritas retunditur, 1877. b,c.
Murtati, milites, quinam, 1400.d
Musæ primùm pudicæ & religionis maxime studiosæ, 299,a,b,c
Musica vnde deriuetur à Damiano, 1191.d. illius præstantia, 300. quid præstet: eius encomia, 268. d, 269. 270. a,b, morbis medetur, 272. b, c, authoris mores redolet, & eius varia genera, 269. d, 270. a, b, illius stupenda remedia, 274. c, d, 275. a. Principum filijs digna habita, 270. c, d, quo pacto Saulem iuuerit, 271.d
Musici à prælijs immunes, 356. d, eorum tres classes, 272.d
Musicorum instrumentorum genera distinguuntur, 270.c
Mycithi, serui, prudentia, 1199.d,1200.a

N

Nabal quibus de causis & rationibus debebat Dauidi opem ferre victumque suppeditare, 1170. c, d, 1171. 1172. maxime ingratus erga Dauidem, 1214. a, b, an illius innocens familia debuerit à Dauide puniri, 1220.b,c,d.
Nabal quid significet, 1244. c, 1249.a,b,c, illius stultitia quænam, 1256.b,c
apud Nabathæos stagnum est, quod aliorum fluuiorum aqua nunquam dulcescit, 1450.b
Nabi Hebraicè Etymologia, 599.c
Nabuchodonosor quare somnia sua ipse non potuit interpretari, 1730.c
Nænia quando introducta, 1130.c, est triplex, ibid.
Naioth Prophetarum Schola, 587.c,d
Nani in somnum procliues, 1355.c
Naphal & Niphala harum vocum interpretationes, 601.c,d,602.603.604
Nasamones, populi, 1518.d
Naturalia quid possint, 1589.a
Naufragi à Rhodianis lege spoliati, 1519.d, 1520
Naufragorum bona an quemquam liceat inuadere, 1517.& seqq.
Nebel Hebraicè, quid, 1204.c
Necessitati iura cedunt, 1170.c, cedunt ceremoniæ, 717.b,c,d
Necessitas publica inimicitias priuatas sopire debet, 964.a,b,c,d
Necessitatis ea esse videntur, quæ ad corporis cultum pertinent, 859.c,d,860.a
Necromātia quid, & quomodo differat à Sciomātia, 1657.b, eius vis & mysteria, 1652.b,c,d quid & vnde dicta, 1653, c,d, an reuera Manes euocet qui de futuris respondeant, ibid. & seqq. quibus argumentis magi eam suadere conantur, 1654. c, d, & seqq. ea est duplex, 1654.a, illius responsa plerumque dira, 1758. a,b,c,d, est secunda idololatria, 1656.b. fraus & fallacia Dæmonū in ea, 1656 d, 1657.a,b,c, summa rationum capita qui Necromantici artem suam exercent ac tuentur, 1655.b,c,d, 1656.a, eorum argumenta & rationes dissoluuntur, 1656. & seqq. eorum ipsorum argumentorum examen atque confutatio, 1958. & seqq.
Necromanticorum erroris fons, 1655. b,c,d.
Necyomantia quas animas capet, 1654. c, quæ corpora, ibid. quæ loca, d, 1655.a
Nemesis, siue Adrastia quid, 1280.b
Nemesis, Dea, 118.a,b, illi sedes post aurem data quid significet, 14.a
Nesciomantia, species Necromantiæ quid, 1654.a.
Nigrinus Platonicus contra conuiuiorum luxum, 1293.a
Niobe fingitur à Poëtis in sexlum exhaustis lacrymis diriguisse, 1317.a, & 1793.d
Nobe, quid esset, 692.a,b,c, duplex erat, ibid.
Nobilitatis priuilegium, quo à tributis excipitur explicatur, 394.c
Noctium olim in designandis temporibus ratio habita, 1648 d,1649.a
Noctis descriptio, 557. b, Etymologia, 561.b.
Nocturnis tenebris potissimum formidolosi dęmones, 1360.d
Nocturnum tempus studiis & orationi aptum, 72.b.
Nox dæmonibus fauet, 1361.a,b
Noe Deum appellauit vindicem, 1083.b,c
Nolle, quid sit, 1056.c,d, medium inter nolle velle, ibid d
Nomē Christianum defenditur, 1248.d,1249.a
Nomen quatuor de causis homines abhorrere solent, 1248. d,1249.a
in Nominibus imponendis habita est ratio Etymologię, 1248.b,c
Nominum similium apud Hebręos varia supellex, 1249.c,d,1250.a,b
Nominum varia supellex, quæ ad timorem pertinent, 1314.d
Nominum, quæ Deo tribuuntur duplex ratio, 1769.d,1770.a.
Nortmanni quo pacto primùm in Galliam inualerint, 1536.c,d,153 . expulsi bello victi, quo pacto remanserunt etiamnum, 1537.a,b,c, eorum feritas & clades, 1536.c,d
in Nouilunio quare dies secundus lege Dei non iubetur esse festus, 660.c.d
Nubendi tempus, 515.516.a
Nudipedalia, 633.b
Nudis pedibus olim adorandum sacrificium, 653.b.
Nuditas pedum quantum valeat aduersus libidinem, 653.c
Numinis decreta rescindi nō possūt, 165.b,c,d
Numinis optima custodia, 560 d,561. illius præsentię sæpius excitanda memoria, ne peccemus, 1072.a,b, c.
Nundinatio quarum rerum prohibita censeri debet, 1477.b,c

Nuptæ ingredienti claues familiæ olim datæ, vt intelligeret rei familiaris potestatem sibi esse permissam, 1220.c,d
Nuptiarum amor legitimus conciliator est, 518. c,d, solemnes ritus earum apud omnes, 538.
Nuptiæ secundæ plurimum à perfectione desciscunt, 1322.c,d,1323.a,b
Nuptiale votum, 1325.d
Nymphæ quomodo vocantur Græcè, 1148.b

O

OB Hebraicè, quid significet, 1545.c
Obedientia sacrificiis præstat, septem rationibus, 130. b,c,131. illius est habenda ratio magis quàm vtilitatis, 57.b,c
Obedientiâ nostrâ salutaris Hostia potior est, 131.a.
Obiectiones quædam de Regum tyrannorum cæde, contra Concil. Constant. dissoluuntur, 1375. 1376. & seqq.
Obitus felix piorum, 1949.c.d,1950
Obiurare, quid sit, 641.a
Ocreæ militares, 315.d
Oculi describuntur & commendantur, 246.a, & 244.245. plures effectus denominant, 245. b,c,d, eorum encomia, 433. a,b fulgor mirabilis, ibid. b,c, varij colores, 249.b,c,d, quales non probantur, 246.a
Oculi leonum, 415.c
Oculorum aciem debilitat & nimius veneris vsus, & liuoris suffusio, 1056.a
Odoretur sacrificium (inquit Dauid) diuersæ in hæc verba explicationes, 1406. c,d,1407. 1408. 1415. d, 1416. Commentum Iunij reprobatur, 1406.c
Of Hebraicè quid significet, 1548.c
Offendere, quo pacto cum eo, qui nos læserit, agendum, 1096
Okam de alienatione dominij à Regibus, 1502.b.
Olaus Daniæ Rex moriens quomodo diuisit imperium, 1520.c
ex Oleæ semine fit oleaster, 1165.a
Oliua suplex appellata, 1241
Onagri vrina lapidescit, 938.a
Ὄνειρος, somnium, definitur, 1611. quomodo differat ab ἐνύπνιον, ibid.a,b,c,d
Oneirocriticæ leges, 1609.a,b
Oneirocriticæ artis authoritas quibus rationibus asseritur, 1618. c, d, Principes & authores, 1627.1628. quinam de ea scripserint, 1628. d, non inutile experimentum, 1634.d
Oneirocritici Dæmones inuocant, 1622.d, manifeste profitentur idololatriam, 1623. b,c, negant eadem diuersis eadem portendere, 1625. d, eorum mysteria legibus prohibētur, 1622.b,c.
Ὀνύχωλος κάλει quid significet, 1613.a,b
de Onychino, gemma, 948. 949.950. repræsentat Iustitiam, 949.950.a,b,c
Opera ex circunstantijs, maxime ex fine iudicanda, 1037.c
Opera bona, quæ Deus nos habere dedit, in nobis ipse coronat, 1445.b,c
ab Operibus bonis humana merita sedulò ac religiosè distincta, 1445.d
Opinione nostra cæteros vulgò metimur, 1105. b,c.
Oraculum, quid, 1614. c, illud percuntandi modus, vt Iudæis placet, 969. b, c, illius sententia ad Dauidem quo pacto vera intelligi possit, 975. d, 976. a, b, c, quo pacto quæsita iudicaret, 958.a,b
Oraculi frauduléti ac commentiti artes describuntur, 976. b, c, d, 977. a, b, annuus illius quæstus, 977.b
Oracula Dæmonum plura, in quibus Dæmonum fallendi studium elucet, 971.b,c,d
Orbis noui Insulanorum duritia, 1159.b
Ordo necessarius in exercitu Spartiatarum laudatur, 40. d
Oris species pulcherrima, 243.b,c,d
Orphei cytharam pulsantis egregia descriptio, 298.c.
Osculum discessuri & redeuntes impertiri solebant, 683. a, b, ad venerationem pertinuit, 682. c,d, illius multiplex vsus, 684
Oscula basia, & suauia distinguuntur, 683.c,d
Ossa, præter consuetudinem, vt nerui flectuntur, 414
Ossa hominis & homini legere, 1946.b,c,d 1947.
Ossuarium, 1947.c
Otium inuido nocet, 558.a
Oues in Ponto felle carent: in Naxo duplici abundant, 1148. d, nonnullis locis non tondentur, sed lanæ velluntur, 1151.b,c
Ouium exercitus in Hispania, 1147.c, vtilitas, 1148.c.

P

PActum salis, 636.d
Paganus: ludit Author in hac voce: hęc sicut primò non militem, sic postea non Christianum significat, 1777.c
Palæstini Cerethęi dicti, 1810. b,c,d, iniuste bellum aduersus Saulem susceperunt, 1519.d
Pallium quam vestis honorata, 1713. d, 1714. a, huius nominis Etymologia, forma, & vsus, 157.d,158.a.
Pallori & Pauori sacrificabant Gentiles, 1599.b
Palmus Hebr. 523.a,b
Panis Etymologia, 766.b. vituperatio & laudes, 1807,a,b,c, apud Hebræos quadruplex, 715.c
Panis benedicti vsus apud antiquos, 1261.d,1262 a,b, quid, 716.a.
Panis sacer triplex, 715
Panes laïci vel ciuiles: qui, 714.c,d
Panes calidos & recentes duodecim iubebantur Sacerdotes in lege Mosaïca singulis Sabathis ponere super mensam Propositionis, 725.b,c.
Panes Gentilium suo more sacri habiti, 726. a,b,c.
de Panibus Propositionis, 726.d
Panis quantum vnicuique militum Dauidis tulerit Abigail, 1204. quantum S. Benedictus in sua Regula Monachis constituerit, ibid.6
Pantomimorum ars mirifica, 488. d, 489. a, b ignorantibus eorum linguam poterant gestu loqui, 489.a,b

Papa

Papa, huius nominis origo, 1055.d
de Parentibus honorandis, 785. b, c, d, & seqq.
Parentes tanquam dij aspectabiles quidam, 785.d, 786. a, b, c, d, filiorum reuerentia erga eos, 1071.d, 1072. a, plures species parentum, 1217.c, d, eorum, qui filios interimunt, pœna, 671. d, non semper optimos filiorum deligunt præ cæteris, 235.a
Parentum optimorum mali filij, quoniam virtus ex traduce non est, 1162. d, 1163.a, b, & parentis mali bonus filius, 545. b, 550. b, studia Parentum filij æmulantur, 15.c
Parentum scelera filiorum pœnis lui, iniquum, 834.a, b, c.
Parcendi reo complures rationes afferuntur, 52.c, d, 53.a, b.
Parricidas Regum vltio sequitur, 1364. c, d, ij damnati sunt à Concilio Constant. 1373.b, c
Paruulorum offensio vitanda etiam cōditione, 748. c, d.
Paschæ Græca Etymologia, 107.d, 108.a
Pastores quales eligendi, 412. d, qui sint allegoricè, 358. c, d, olim non ignobiles, nec vilis ars pastoritia, 286.b, c, d, 287.a
Pastoris & pecuarij discrimen, & vtriusque differentia, 359.360.a, b
Pastoritia ars futuris Regibus vtilis, 236.d
Pastoritia vita secundo loco à Varone numeratur, 235.c
Pastorum omnium spiritualium cura, studium, ac diligentia erga suos, 730. c, d, 731. 732.
Pater plectitur, qui filium delectus tempore subtraxerit, 355. c, immunis pater, qui tres filios milites præbuisset, 356.a
Patri an semper obtemperandum, 546
Patres non raro boni malos; mali bonos filios sortiuntur, 31. c
Patientis habitus, 801.b
Patria parentes ipsos charitate superat, d, 1425. d, 1426.a, eximius amor in eam, 1426.b
Patricius Ochelius Martyr moriens diem dixit Hiberniæ Proregi, eumque ad Deum Iudicem prouocauit, 1079. c, d, 1080. a, b, c.
Patritiorum familiæ insignium virorum sui generis imagines religiose seruabant, ad acuendos posterorum animos, 1072.a
Paulus Craconiensis Episcopus septennium admonitus penitentiæ causa concedi, eo tempore abutitur, 1739. c, d
Pauor, quid sit, 754. c, mentem & consilium eripit, 1871.c
Pauori Simulacrum Corinthi, 1599.c
Pauperes nobiles, 526.c, explorari curiose nonuult S. Chrysostomus, 1194.b
Pauperis amor diuitis fastidio præferendus, 226.d, 227.a, b.
Paupertas magistra morum, 1177.d
Paupertas non potest videri causa satis idonea, ob quam quisquam mortem sibi consciscat, 1902.a, b, c.
Paupertas eorum leuanda est qui reipublicæ seruiunt, 482.b
Paupertatis cum virtute coniunctæ laudes & commoda, 1146.d, 1147.a
Pausanias & Agathon mutuo inter se flagrabant amore: crebris tamen aliquando iurgijs ipsi conflictabantur, 554.d, 555.a
Pax animi nulla, sine fide, 1288.b, pacis nomine quam multa significentur, 1168.d, 1169.a, b, pacis encomia, 167.c, d
Peccamus per imprudentiam aut de industria, 1405. d.
Peccans moritur, 256.b, c
Peccatum nullum, est quod pœnitentia deleri non possit, 169.c. d, 170
Peccata non sunt omnia æqualia, 152. b, c, quatuor modis manifestantur hominibus, 60. c, d, eorum illecebræ, & scandali fugiendæ, 493.c, d, 494.a, b.
Peccatores non nisi summa diligentia curari possunt, 74. a, eorum salus nunquam desperanda, 126.c, d, 127. a, b, eorum ad bonum mutatio à Deo est, 64. a, b, c, peccatoris anima præ boue vilior est, 57.c
Peccatum commissum exagerat diabolus, quare, 1734.d, 1734.a
Peccatum lōgè grauius cum opere, quàm cum sola voluntate perficitur, 1286.c, d, 1287. a, vnusquisque suum debet portare, 1221.b, c, d, illius retributio, 1531.a, b, c
Peccamus citò, tarde penitemus, 1562.a
Peccator publicus publice corrigendus, 533.c
ad Peccandū quæ vis impellat homines, 1413.a
Pecora & armenta non minima quondam Regum possessio, 734. c, d, 735, antiquorum diuitiæ, 1147. 1148. ex iis duo species fructuum, 1148.d.
Peculium vnde dictum, 1147.d
Pecunia: hoc nomen vnde dictum, ibidem.
Pectus impauidum, virtutis præmium, potius quàm materia, 756.c, d
Pelagianorum error de Gratia, 1444, c
Pelleuenses quare, cùm Promachum post mortem multum honorarent, ab illius tamen nomine abstinuerint, 797.b
Perditorum hominum ruinas lugere licet, 199. a, b, 203.d.
Perdix, 1408. b, haud facile capitur, 1435.c, d, 1436.a.
Perdices humanas voces æmulari, 1433.a. cantu commendantur, ibid. pascuntur in montibus, 1432.c, ibi venantur pulices, 1434.a, panphagas esse volunt, 1432.d
Perdicum Cyrrhæorum admiranda prudentia, 1436.b, c.
Perduelles quinam sint habendi, 1518.c
Peregrinis propter eorum virtutem respublica commissa, 1518.a, b
Perfugas tecto, aut cibo iuuare crimen est, 820. a, b, eos aliquando Principes recipiunt suo malo: exemplum Achis & Dauidis, 1522.c, d
Periculum probabile cedit necessitati, 141.c, d, Periculo alieno sibi cauere nefas, 1065.c
Periuri diuinitus vlciscuntur, 637. c, 638.a.
Periurare, quid sit, 640. d, 641.a
Persarum mos in euerriculandis prouinciijs deuictis, 1928. c, d, leges eorum & Lacedemonū ineuntes magistratū debita remittebāt,

778. b, c, adorabant ij Reges, quomodo, 1047. c, nefas esse ducunt mortuos comburere, 1138. c, supplicandi ritus, 1240. fuit illis capitale crimen sedere in sella Regum, 649. d, qua mercede olim Regi Persarum bene consulere licuit, 810. d, eorum temperantia, 1029. b, c.
Persarum venando abstinentia mira, 699
Personarum acceptio septem de causis excusari potest, 52. b, c, d, 53. a, b
Personam accipere iura nonnunquam vetant: alias iubent, 51. 52. a
Persequitur passiuè sumitur, 1435. b
Perseus debitores sollicitat, 778. d
Phago edax & parasitus excellens. 1294
Phalaris de planctu, 1129
Phalaris Tyrannus negat vllam certam hominum esse fidem, 802
Phani ianua, 564. c
Φαντασία quid, 1574. d, 1575. a
Φαντάσμα quid, 1574. d, 1575. a, & 1614. b
Pharao absorptus à mari cum suis, quòd pios vexaret, 1535. d
Φοινίκ: quæ nutior, quę sæuior, 1251. c, d
Pheleti populi, quinam, 1820. d, 1821. a
Φελώνης quid, 914. d
Philacteria Dei nomine conficiuntur sæpissime, 1579. d, 1580. a, b, damnantur iure canonico, 1580. c, iisdem Imperatores interdixerunt, ibid. d.
Philippus Persei pater, commeatus inopia, ficus dedit militibus, 1809. d
Philomela, 1144. c
Philophotos, lucis amator, 677. d. quomodo fit, ibid.
inter Pios & Impios discrimen, 877. d, illorum diligentia, superat horum nocendi studium, 1346. d
Pios semper aliqua calamitas exercet, 985. d, 986. a, eadem fides & charitas inter se copulat, 1267, b, c, eorum felix obitus, 1949. c, d, 1950. cum vexantur clades plerumque regna obruit, 1535. d
Pietati qui student non sunt iugo tenaces, nec placari difficiles, 703. a
de Piratis multa & pręclara, 1517. 1518. & seqq.
Piratica apud Danos cœpit in vrbe Roskilmia, 1521. d, illius disciplina satis egregia, ibid. 1522. a, b.
Piscis sacer. 1201. a
Piscis quàm superbè illatus in conuiuium, 1292. c.
Pisidæ reipsa Parentes Deos haberunt & conuiuas, 786. b, c, d
Planctus distinguitur à fletu & lacrymis in funere, 1127. d
Planctus Hebræorum, mortuo Samuele, 1125. d, 1126. a, b.
Planctus Hebræorum in funere describitur, 1126. c, d, 1127. 1128. Gentilium, 1128. b, c, d, 1129. a, b, Troadum, 1128. d, Romanorum, 1129. d, 1130. a.
Planctum cruore manātē lex prohibet, 1129. a, b
à Planctu ad precandi studium statim animi Christianorum traducti sunt, 1123. a, b, c, d
Planctus super Mortuum, 1546. c, d
Platonis sententia de summo reipub. pastore, refellitur & ostenditur non posse conuenire cum Religione Christiana, 859. & seqq. ipse vsum vini suis legibus præscripsit, 1299. a, b.
Plumbatæ, quid, 819. c
Pœna detrectantium militiam, 355. c, d
Pœnæ æqualitas non Arithmeticam, sed Geometricam proportionem æmulatur, 51. d, 52. a
Pœnitentia Latinis, Græcis, Hebræis quid significet: vocis Etymologia, 61. eius fructus, 149. c, quatuor causæ explicantur, 66. & seqq. eius pudet, peccati non pudet, Diaboli fraude, 173. a, b, si vera sit, semper culpæ condonationem consequitur, 167. beneficia temporalia non semper instaurat, 149. c, d, non eadem causa eam in nobis Deoque efficit, 66. b, eam suadere Principi audet nemo, 273. a, Deus illi indulget, 166. a, b, si vera, semper æternas, non autem temporales pœnas tollit, 63. d, 64. a, fucatæ Deus non pauca indulget, ne à vera deterreat, 177. b, c.
Pœnitentiæ veræ & inutilis diuersa ratio & finis, 169. a, b, repræsentatur per Topazium, 928. b, c, d.
Pœnitentia quo sensu Deo tribuatur, 171. d, 172. a
Pœnitentia diuina circa delicta nostra versatur, 67. c, d, 68. a
Pœnitentiæ diuinæ, ipsa eiusdem voluntatis constantia ratio est, 66. c, d, 67. a, b
Pœnitentia Dauidis admissa est: Saulis reprobata, 207. a, b
Pœnitere plura significat, & quid in Deo, 69. 70. Hebræis quàm variè exponatur, 163. 164. a, b, c.
Poëtæ Regum familiares, 268. b, c, quondam etiam musici, ibid.
Polenta, 366. b. quid, & quomodo fiat, 1205. b, c, d, 1206. 1207. a.
de Polygamia multa & præclara, 1333. 1334. & seqq.
Πολυκρέτιον Græcorum, 451. c
Pollutio voluntaria, 719. plures species, ibid. b Hebræis homicidium habita, 721. a, b
Pollutio voluntaria, & legitima viri cum vxore, an à sacra Communione abarceat, 720. & seqq. Romanorum vsus & consuetudo hac in re, & lauacri purificationem quęrere, & ab ingressu Ecclesiæ paululum reuerenter abstinere, 722. b
de Pollutione, 652. b, c, d, & seqq.
Pollutionem quęnam argumenta videatur sceleris arguere, 653. d, 654. quænam ratio illius habenda sit, quæ à crapula, 654. d, 655. ea, quam naturæ superfluitas aut infirmitas parit, non est timenda, 658. b, c, quantum cogitatio hac in re habeat momenti, 655. d
Pollutis nocturna etiam & inuoluntaria pollutione quamobrem Deus olim interdixerit templo, 659. a, q
Polygraphiæ plura genera, 678. a, b, c, d
Pontifex Ecclesiæ caput multis titulis dicitur, 99. d, 100. 101. a, b, 103. b, 104. & iure dici probatur,

batur, 113. 114. a, Scripturâ, 104. d, 105. a, PP. authoritate, 115.c.d,116
Pontifex gladium Imperatori tradens quibus verbis vsus sit, 18.c
Pontificis Decretum contra Naufragorum bona prædandi consuetudinem Britanniæ minoris, 1520.c,d,1521.a
quis ille Pontifex ad quem se receperit Dauid, 692.d
Portus suspecta fides, 572.a
Portæ quondam iudiciorum sedes, 962.d, 963. a, b.
ne Portæ quidem aut seræ Sanctos cohibere possunt, 961.c,d
Potantibus præmia proposita, 1297.d, 1298. 1301. d, 1302. a, vide *Ebrius* & *Ebrietas*.
Potentes haud facile sua consilia tegunt, 616. 617.a,
Præceptum de honorandis Parentibus examinatur, 787. a, b, c, d, quare primum mandatum est, ibid. c, d, vocatur duarum tabularum μεθόριον, 788.a. b,c,d
Præda & manubiæ explicantur. 82. d, illius diuisio, 79. d, 80. & 1855.d, ex æquo distributa quo pacto intelligenda sit, 83. a,b, illius prima pars Deo selecta ac seposita, 8. b,c, pars militum manipularium, 82.c,d, quota portio Principi, 81.b
Prædam milites non sibi, sed Imperatori rapiunt, 81.d
Prędæ distributio qua lege fieri debeat, 1855.d, hic non Arithmetica, sed geometrica proportio seruata, 1856.b,c,d
Prędam ad milites, gloriam ad Duces pertinere, 1865.c
Prædestinationis & reprobationis breuis explicatio, 206.b
Prędium quid, 1145.b,c
in Prędones animaduertendi libera potestas, 1065.a, & 1521.d.
Prędones qui dicantur, 1516. c, communes omnium hostes, 1521. c, eos semper à tergo sequitur vindex iustitia, 1818.c
Pręfecturæ cupiditas, 800.d
Præfecturas qui vendunt Regnum cum Aristocratia commutant, 1800.c
Præfectus Prætorio, quis, 1397. illius olim quanta fuit authoritas, 1397.d
Præficæ apud Iudæos in funere, 1117.d
Pręiurare quid sit, 641.a
Præscias frustra, quod vitare non possis, 1744.d
Pręsentia facile mouent: absentia cito obliuiscuntur, 1142.b
Pręsidium Dei tutissimum, 1765.b,c
de Pręsumptionibus, 821.b,c,d,& seqq.
Præsumptio quid, 821. c, d, quadruplex, 821.a,b, Iuris & de iure, 825.c, hæc vero ex lege diuina, 825.d, quę autem *iuris* simpliciter dicitur, 826. b, c, hanc Pontifex depellit à se, ibid.d, & 827.a, Presumptio famæ, 827. a, Naturalis, ibid.b,c, facti, ibid. c, necessaria, ibid.d, violentia, ibid. d, probabilis, ibid. vniuersalis, ibid. temeraria, 828.b
Pręsumit non rarò Iudex in occultis, 821. b,c.
S. Pręætextatus apud Synodum accusatur à Chilperico, 839,b,c,d, 840.a,b
Prætorianorum militum genera septem, 1400.
Primogenituræ ius: Romanis quondam incognitum, 232.c,d, 233.a
Primogenitorum prærogatiua, 511. 512. a,b,c.
Primogenitorum Regum appellationes variæ, 512.a,b.
Princeps amando subditorum sibi amorem conciliat, 294. d, bellicis suorum virtutibus inuidet, 498. b, histriones à nuptiis ablegat: pauperes larga manu donat, 274. a, quamobrem prolixam suorum in quemquam beneuolentiam ægreferat, 509. d, 510. a, b, illius portio è præda, 81. b, nihil illi humile nisi odisse, 295. a, non licet illum duello certare, ne gens tota certam aleam subeat, 466. illius incolumitas populo curæ esse debet, 267. d, 268.a.
Principes honoribus captant & affinitate contrahéda, quos student perdere, 521.c, d, nonnullos iusta de causa immunes pręstare possunt, 394.a, b, illorum doli & artes, malefida statio Aulicorum, 522. c, d, illorum fauori non esse confidendum, 197.a,b
Principes molestè ferunt officij admoneri, 671.c,d.
Priuationum mensura vnde petenda sit, 133. c,d.
Priuatus, humilis: in Magistratu, superbus & impotens, 97. b,c
Probus Imperat. quid de tyronibus acceptis à Barbaris fecerit, 1760 d
Proceritas siue mensura militum Romanorum 314.d.
de Proditoribus & Proditione, 1002. 1003. & seqq. & 998. 999. & seqq.
Proles sequitur parentis malitiam, 25.a,b, prolis amor maximus, 1798.d, 1799
Promissa fallentes sibi fidem derogant, 516. c,d.
Prophetæ temporibus verborum aliis atque que aliis vtuntur, 143. c, d, 144. a, diuina authoritate Regibus imperant, 7.b
Propheta quis: eiusque nominis Etymologia Græca, 790.b,c,d
Prophetæ à Deo missi ad deterrendos Principes à scelere, 1607. c, illis opus fuit Iudæis: quare, 791. a, b,c,d, habebant Scholam, vbi docerent suos, 587. c, d, 588.a, in ea Prophetæ omnes à iuuentute edocebantur, & illuc mittebantur, ibid. quando tangebantur Spiritu Dei amittebant sæpenumero sensuum exterorum vsum, 597. a, b, vnde dicti Prophetę, ibid. d, bonorum ac malorum discrimen, 598. b, c,d, vtebantur alia veste singulari, 600. b, Prophetarum filij vnde sic dicti, 588.b.
Prophetia, quid, 598.a
Prouidentiæ diuinæ mira encomia, 374
Proximus quis habendus, 160.b
Proximi nomen quam variè apud Hebræos exponatur, 160. d, 161. a,b
Proximi Regum ciues omnes habendi, 160.b.

Prudentia corporis viribus præstat, 282. c. illius partes quatuor, ibid. d. quibus rationibus comparetur, 283. a. b
Publius Tribuni cuiusdam Publij filius, propter debitum in seruitutem redactus, 777. b. c. maxime castus, ibid.
Pudor quid, 754. c. & 1236. d. repræsentatur per Sardian vel Sardan, 927. a
Pudor & metus maleficij comites, 1668. c, d
Pudor quàm præter rationem nos à pœnitentia absterreat, 173, b, c, d
Pudicitia apud Gallos osculo non delibatur, 532. c. illius magnum argumentum, 778. c
Puellæ quondam reis saluti, 520. c. eis facta potestas quos vellent maritos optandi, ibid. b
Puer qui dicatur, 404. d. 405. a, puer Syris, agnus Hebræis exponi potest, 38. d. 40. c. ætate aut conditione, 1813. c. d. sumitur pro seruo, ibid. d
Puer blando risu carnificinam ferociam superat, 883. b. c.
de Pueris, quos iracundia Saulis perdidit. 884. a. b
Pueri qua ratione docendi, 1526. d. 1527. a, b, c, qua ætate olim sic dicti, 281. b, c, d
Pugil nudus armatum militem vincit, 426. d. 427. a. b
Pugnæ genus duplex, 1706. a. pugnæ non pugnatæ crimen olim sæuerè vindicatum legibus. 1805. d. 1806. a, pugnæ quales in ascensu & descensu montium, 1015. b. c
de Pulchritudine. 281, a, 434, b, c, 247, b, c, d, 248, a, b, c. 249, c, d, 295, 283.
Pulchritudinis Socraticæ elegantissimæ species, 246. b, c, d, 247, a
Pulchri quinam dicantur, 283. d
de Pulice 1431, 1432, 1434, b, 1435, a, b, vnde dictam: & Etymologia, ibid.
Puteus culpæ quid sit, 1590. d
Pythagoras immortalis videri maximè studuit, 1123. d. 1124. a. b. c
Pythagorici immortalitatis famam affectabant, ibidem. per Quaternarium iurabant, 1110. b
de Pythonibus. 1545, c, d, 1614, b, 1637, a, b, 1639, a, b, c, d, 1649. a, b, c, d

Q

Quadi, Germaniæ populus, mucrones pro numinibus habebant ipsisque eductis iurabant, 1111. b
Quæstionis, tormentorum vsus, veteribus incognitus, 828. d
Quasi particula, quid significet in Scripturis, 138. c. d

R

Rabsacis ironia, 1540. c
Ludouic. Rangolius post admirabilem vitæ austeritatem, adhuc puer, tamen desperat de Dei misericordia: quomodo ad se reuersus mortem obierit, 1740. 1741. 1742
Radere genas quid, 1150. a
de *Rationali* Ephodis præcipuo ornamento, & de gemmis illius, 925. b. c. d. & seqq.
Rationem facti reddere non est regium secundum Antonium, 871. b
Ratiocinatione non vtuntur dæmones, 1707. a, b
Reconciliationis perfectæ exemplum, 555. b, c, d
Recordatio, quid, & vndè, 1283. c. d
Reddere significat dare, 1096. d
Regalis muneris dignitas & amplitudo, 860. b. c
Reges capita populorum, 986, non sunt iuris & æqui authores, sed pręsides, 551, a, b, ætate minores qua lege accepti, 237, c, d, 238, a, iudiciorum nulli imperio abdicati 154, ad seruandas Dei leges præ cæteris astringuntur, 8, c, d, 9, iudicum ac censuram subire coacti, 174, c, d, illi præmia, alij pœnas irrogent. 544, c, Dei legem à Sacerdotibus doceri debent, 9, c, admonentur vt sibi temperent, 159, c, illorum ciuilis administratio est: Ecclesiastica constitutio Pastorum atque Doctorum, 159, a, b, eorum vicaria potestas, 8, c, d
Reges an non vere sint Reges Sacerdotum 861, c, d, & seqq. Reges bonos aut malos familiares amici faciunt, 875, c, d, sunt plerique meticulosi 796, a, b, in Scriptura ciuium fratres sunt vocati 808, d, 809, a, b, eorum pericula 1030, b, c, d, priuatis in Reges adnimaduertendi potestas nulla est, 771, c, d, 772, Reges à populis adorati, 1047, c, d, Reges Deû vereri necesse est 1059, b, nulla est ciuibus in eos permissa potestas, 1063, b, eorum incolumitas quibus rationibus sacra esse debeat, 1065, d, 1066, a, b, eorum cædes maiores plerumque excipiunt calamitates, 1066, b, c, Reges lædere, est Deo contumeliam facere: sunt tanquam legati Dei & administri, 1063, b, eorum maxima cura est, competitorum stirpem euellere, 1105, c, d, 1106, a, b, filij Regum pastores, 1148, b
Regum dignitas, 1041, d, 1042, a, 1063, b, vita apud Æthiopes pendens ex Sacerdotum arbitrio. 154, c
Regibus ita parendum est vt Deo primùm obedias, 873, a, b, c, futuris Regibus vtilis est ars pastoritia, 236. d
Reges Iudæorum nulli imperio abdicati. 154. d
Reges Christiani non pauci abdicare iussi. 155
Regum parricidas vltio sequitur, 1364. c. d
Reges mali ac Tyranni qua pœna mulctantur ab Ecclesia, 1375, a, nusquam proscripti legibus Christianis politicis, 1377, c, licet in tyrannos degenerent occidere non licet, ex Concilio Constant. 1375, 1376. & seqq. edictis suis ignorantiam iuris & facti fatentur 1438, d, eorum insidias fugere difficillimum, 1452, d. 1453, a
Regis cum pulice antithesis, 1434, d
Regum voluntas difficilis flecti, 550. a
Regem peccantem quis spiritus reliquerit, 255. d, 256, a
Regis cum populo arcta connexio, 159, d, 160,

ius ac potestas in personas ciuium, 477.d. 478.a
Reges quamuis pij, sæpe tamen coguntur à suis, 1767.b
Regis in sella consedisse, Persis capitale fuit, 649.d
an Reges iurent cum Principatum ineunt, quę ad fiscum pertineát se non alienaturos 1491, c, d, & seqq. quod fecisse Reges nostros docent Sauaro, Summa Astensis, Cunerius, licet malè, 1491, d, 1492, licet non iurent, an vetentur lege aliqua aut ratione res Imperij alienare, 1495, a, b, c, d, & seqq. ab alienando dominio lege Regni prohiberi docet ipse Sauaro, 1495, b, c, rationes idem negantes expenduntur, 1497, d, & seqq. si eadem Regis est potestas, quæ reipublicæ tribui solet, non videtur alienandi potestate priuari posse, 1500, c, d
an Regi liceat vrbis cuiusquam, quę regni esse censeatur, abdicare se potestate, & alteri addicere 1507, b, c, d, & seqq. negant Baldus, & Panormitanus, inuito populo posse, 1507, d, non posse inuitos minus digno addicere: digniori posse, 1508, b, c, neutro modo fieri posse censet Petr. de Bella Pertica, 1508, c
Rex non est alieni villicus Imperij, sed sui, quod tamen communiter possidet cum ciuibus, 1503, a, b
Rex iustis de causis partem Patrimonij alienare potest, 1511, a, b, c
Reges Principes Dei, non reipub. ministri in Scriptura vocati 1500, a, duplici titulo nonnulla possident Oppida, 1508, d, quondam rei pecuariæ studiosi, 734, c, d
Regis egregium virtutis ac clementię specimen, 1821, c, d
an Regis imperium iure detrectes, cum innocentem perdere studeat, 967, b, c, quo pacto sit agendum cum illo, 974, c, d
Reges hydropotę, 1385, c, d
Reges plerosque parata mausæola frustrantur, 1839, a, medium agmen in bello regebant, 1878, c. etiam cum male se gerant, sacri atque inuiolabiles habendi sunt, 1041, c, 1065, b, c, d, & 1066
Regum stipatores quinam, 1398, c, d, 1399, eorum Custodes latrones primum dicti, 1399, b, speculatores quoque, ibid. c, eorum nonnulla Epitheta, 1402, b, c
ad Reges Apologus, 670, a, b
Rex populo nocentior quo pacto haberi decet, 50, d
Regnandi libido, quanta excitauerit mala, 988, c, d, 989, 990, 991, insana ista cupiditas, 1565, a, b, c, quàm perniciosa, 1429, c, d, ne religioni quidem parcit, 1429, ibid.
aliena Regna profugis asyli loco esse solent, 1458, b, c
Regia potestas non obnoxia apud mortales redd. rationibus, 140, b, dignitas autem reliquis Dei beneficijs temporalibus maior habetur, 8, a, b
Regię mensæ quinam adhibiti, 650, c, d
Regna Deus confert quibus ab æterno destinauit, 208, c, d
Regnat qui amatur, 509, b, c
Religio Christiana naturalem finem non habet: neque Sacerdotes humana lege sunt instituti, 860, d, 861, a, b, prior est Lege Salica quam nunc habemus, 1495, c, d
Religio vnde dicta, 715, b, maiorum nostrorum religio 1605, a, b, c, ea qui dissident quàm difficilius possunt armis cõuenire, 1763, d, 1764, a, b, tempora calamitatis potissimum occupat, 1603, b, c,
Religionis expertes, indigni prorsus laude, 1460, d, non spernenda, 1419, c, d
Religionis ac pietatis exemplum à Rege Gentili, 1429, d
Religiosus quis, 717, a, Religiosum quid, 715, b
Religiosorum abstinétia, 699, d, 700, a, Horum corrupti mores democratiæ vitia æmulantur, 1224, c, d, quanta semper fuerit eorum potestas ad labefactandos stabiliendósque Reges, 175, c, d, 176, a, b
de Reliquijs Sanctorum, 1921, 1922, 1923, earum defensio, 1132, b, c, d, non planctu, sed veneratione fuisse quondam honoratas, 1131, 1132, 1133, & seqq.
inter Remiges plures ordines, 800, d
Reminiscentia quid præstet, 14, b
Reos ducendi mos antiquus ad supplicium, 1142, c
Reprobationis & Prædestinationis breuis explicatio, 206, a
Resecrandi mos apud Romanos, 636, b, c
Responsiones ęquiuocę probantur à Iurisconsul. 1525, b, c, d
Respublica Peregrinis commissa virtutis ergo, 1538, a, b, reipub. status miserrimus, 1537, d, tria sunt illi necessaria, 859, b, c, 860, a, de summo illius Pastore sententia Platonis refellitur, 859, & seqq.
Reuerentiarum duplex genus, 861, d, 862, a
Rhegini ieiunant publicè & vniuersim, quo Tarentinis subsidio esse possent, 1193, c
Rhodia lex Naufragos spoliat, 1519, d, 1520, a
Rixa quid, 455, b
Robertus Rex Francię de deiectione Arnulphi Archiepiscop. è sede sua, 843, c, d, 844, a
Robur pulchritudine pręstantius, 281, a, multitudini cedit, 343, b, c, hominis insolitum robur, ibidem. corporis robore præstantes, 414, c, d
apud Romanos, Imperatores suos adorabant & quomodo, 1047, d, quid agerent Patriciorum familię ad excitandos posterorum animos ad virtutem, 1072, a, Iurandi formulę, 1111, a, b, mortuos in vrbe, verum & in singulis ędibus humabant: deinde extra vrbem, 1140, c, d, 1141, a, b, aliquando seruos excipiebant conuiuio, quando, & quare, 1192, c, d, ingredienti nuptę claues totius familię committebant, 1210, c, d, quare dedit illis Deus Imperium, 1222, a, b, nonnulli diuitias suas pascendis gregibus & armentis amplificare studuerunt, 735, c, d
Russi coloris etymologia Hebr. 245, c, d,

plures appellationes, 240,d,241.a b capillitij ruffi commendatio, 242, a, b, c, d, 243,a. color iste plurimũ à Dauide laudatur, 240,c,d capillus ruffus seu flauus quo nomine male audierit, 242,c,d
Rugitus leonum, 415,b
Ruris commendatio, 549, b. ruris amplissimi descriptio, 800,b

S

SAbaccus regno cedere, maluit, quàm Sacerdotes violaret, 834,d,835
Sabaoth Etymologia fuse exponitur, 11, 12, 13
Sacerdotes & serui Dei honorandi, 1084, d, 1085,a
Sacerdotes Mosaicæ legis gladio feriebant, 192, b. illi & Læuitæ dicti sunt exercitus Dei, 11, c, d. quantus honos redditus illis à Gentilibus, 833,c,d, 834,d,835,a. abrogato Sacerdotio, Sacerdotes ipsos reseruarunt apud se. 833, c
Sacerdoti Domini dicuntur, 889, a, b. in nouo Testamento sunt celibes, 721,c,d. non ita de veteri, ibid. in veteri Testamento erant viginti classes, 721,c
Sacerdotes & omnes Cleri quanta religione obseruandi, & quantum ab eorum læsione cauendum, 1084,d,1085,a. & 843,844,& sequent. qui tollit eos, seipsum diuino præsidio nudat, 868,c,d
Sacerdotes seu Christos Domini, an LL. Ciuilium authoritas ad sua tribunalia vocari vetet 846, & seqq. & an sint LL. Ciuilibus & à prophanis Iudicibus ipsi iudicandi 846,847 & seqq. & 852. & seqq. non sunt humana lege instituti, 860, d,861,a,b
Sacerdotum Reges verè sunt ipsi Reges, tametsi sacra prophanis miscere non debeant, 861,c, d, & seqq.
Sacerdotes gradu deiectos, perinde vt laicos, manet à Rege supplicium, 862, c, d. quare Gentilium Sacerdotes Regi subdebantur, 860,b,c
Sacramentum militare, 1401,c, d. quænam fuit illius formula, 1776,d. etiam Epheborũ Atheniensium, 1873,a,b
de Sacramentis Hæreticorum: an quando cum illis conuersamur participes sumus illorum, 745,c, d, 746. & an Sacramentariorum Cœnæ vllo in tempore quisquam possit fieri particeps, 946,d,& seqq.
Sacrificium ex fine plura genera, 1417, d,1418, a, b
Sacrificia veterum qua ratione peccata delerẽt, 1417,b,c. eorum ritus describuntur, 221,c,d, 222,a,b
Sacrificiorum sex partes præcipuæ, 220
Sacrificio prophanorum cum sacris collatio, 221,c,d
Sacrificio Romani Principes inaugurabantur, 219,d
Sacrificia & Victima Deus ab initio non imperat, 130,d,131,a,b
Sacris initiandi antiquitus 12, contumelijs afficiendi, 1800, b. in Sacris rebus vsurpandis periculosa intemeritas, 701,b
Sacrilegi quinam olim dicti, 202, b. hos manet mors turpis & inhonesta, 1743, d
Sacrilegij dira plane vltio, 883,884,a,b
Sacrilegæ cædis, apud Ethnicos vltio, 869,a,b
Sacrum quid, 715,b
Saddai & Saddad. Hebr. quid significent, 1768, c, d
de Sagis & earum sæuitia, 1677, 1678,& 1561,a
de Sagittarijs & Sagittis, 1888,1881,a,b,c
Salis pactum, 636,d
Saliuę & spumæ discrimen, 761,b,c,d
Saltatio definitur 486, d. eius plures species, 487, a. gesticulatoriæ saltationis tres partes, 488,c
Saltatio armata, Phyrrica, hormus, 487,b,c,d, 488,a,b
Salutandi formulæ Hebræorum, 1164,b,c,d
Samuelis ætas & obitus, secundum Salianum, 1121, b, 1122,a, b,c. secundum Authorem, ibid. c, & 1125. Dauid luxit illius mortem, 1126, a. hunc planxerunt Iudæi, non sine causa, 1137, c, d. an illius anima reuera apparuerit, & quomodo, 1718,& seqq. 1721,a,b,c, 1724.c,d,1725,a. quid prædixerit Sauli, 1736, a,b,c,d
Saulem luxit & pro eo orauit, 199, 200. Imperium Sauli non abrogant, 141. quare à Saule abire voluit, 157, a, b. interficiens Agag nihil indignum egit, 193. accusatus imprudentiæ à Iunio temerè, defenditur, 224, b. quo pacto Dominum apud Isai consuluerit, quo pacto responderit: *Vocem auditam negamus* 222,226,227,228,a,b
Sãcti magna libertate Reges arguerũt, 95,b,c,d pericula extimuerunt: quis fructus huius timoris, 109,b,c,d, & 623. pluribus in locis de Draconibus victoriam reportarunt 417, d, 418. pro malis orant, vt det illis Deus pœnitentiam, 204,b,c. in castigandis Principibus cõstãtia, 151. illorũ tyrocinia, 697,b,c,d, corũ preces defenduntur contra Vigilantium, 1132,d, 1133, a. de eorum inuocatione & Reliquiarum cultu, 1132, 1133, 1921,d, 1922, 1923, 1951,d, 1952. illorum mors preciosa, 1876,a,b. aliquando impijs male precantur, 1421,b
Satan captos bonos oppugnat. 398,d
Saul reus acceptionis personarum, 51, b. arreptitius nõ fuit, 264,a,b,c,d. multis nominibus regnum amisisse credendus est, 145,c,d. multis rationibus probatur non ante obitum regno, 144,b,c, d. non propter clemẽtiam sed inobedientiam damnatus, 139,d, 140,a. quæ fuerit illius perturbatio & vexatio, 263, b, c, d. quo animo fuerit cum Dauid iam iam capiendus esset, 1017, d. quare vniuersum populum ad signa vocauit, 965,c,d,966. an verè prophetarit, 599,c,d,600,a
Saulis nuditas quid portenderit, 601, a. qualis intelligenda sit nuditas, ibid. a,b,c. Sacrilega eius temeritas in Sacerdotes Domini, 867,d, 868,a,b. hoc fuit peccatorum illius maximũ, 869, b, c. quàm grauiter peccarit Pythonissam consulens, 1669, b. credidit Samuelis animam euocari posse, 1689,c,d, 1690,a,b

1691.a. quare nunquam ad bonam se recepe-rit frugem, licet illi multa Deus contulerit beneficia, 606. b. c. non videtur excusari posse, 1743. a, b. cur ceciderit porrectus in terram, 1746. a, b, c, d. attonitus stupore, non iudicio ausus est cladem expectare, 1751. a. b. c. maxime ingratus erga Dauidem, 556. d. 557. a. b. liuor illius excrudescit in Dauidem, 557. a, b. quænam fauerent inuidiæ illius aduersus Dauidem, 560. a. b
Saul tametsi hostem & ingratum, Dauid appellat honorificè, 1043. b. c. agnouit Dauidem, vocátque filium: & hoc non sine miraculo, 1095. c. d. vtrum illius oratio ad Dauidem sit simplex & candida 1062. b. c. est deprecatoria, ibid. d. non suspicatur Dauidem esse regnaturum 1104. d. suis moribus illum æstimat 1105. omnes filij eius excepto Miphiboseth Dei iussu in crimen suffixi sunt, 1108. d. an luxerit mortem Samuelis non apparet, 1126. a. illius iniquitas, 1327. b. c, quare timuit videns Philisthæorú exercitum, 1599. a. b. conscientia tua terruit. 1600. c. quare non fuit à Deo exauditus, 1606. b. relicto Deo confugit ad Mag. 1535. d. 1536. & quare cum omnes tolli imperasset, 1636. 1637
Scalæ quondam apud Hebræos pro theatris habita. 617. d
Scelus quicunque fecit aliquod minus, audebit & maiora, si detur facultas, 871. d
Scelerum ministri, supplicij quoque participes, 1891. d. 1892. a. b. vltrix scelerum diuina iustitia, 1892. b, c, d
Sceol in Scripturis, Inferos significat, 1695. b, c, d
Sceptra vulgo Babylonij, sicut hodie Franci, gestabant, 559. a
Sceptri etymologia, 795. b. c
Scithæ per vim oppressi quomodo opem implorarent, 1059. d
Scribendi litteras ac Scripturæ varij ac diuersi modi, 678. a, b, c. d
Scripturæ quædam loca conciliantur, 1606. c. d. 1607
Seculum aureum quale fingatur fuisse, 1184. b. c
Secundiniani nauis capta & vacuefacta, 1519. c. d
Secundus siue alter apud Hebr. quinam, 992. c. d. 993
Secundis rebus non fidendum. 139. b. c
de Securitate: quid sit, quas causas quosque effectus habeat, 1825. d. & seq.
Securitas duplex in homine, 1291. a
Securitas periculosa, 1350. c. d
Securitas & epulæ non raro victoribus perniciem afferunt, 1824. b. c. d
Seneca in luxum sæuitiæ mixtum. 1886. c
Senectus viuax, 1125. b. c
Senes consilio valere creduntur, 353. a. cum peccant, quã difficile & prudenter monẽdi. 553. d
Senes Gallorum legibus à ducandis exercitibus non immunes, 354. d. 355. a
Senes integris sensibus & longæui. 354, c. d
Seniores qui olim apud Persas habiti; eorum exercitia. 353. a. b
Senex 115. annũ agens testimoniũ dixit. 1125. b. c
Senex cur funera defleat, 1145. c
Sensibus quibus modis illudi potest, 1674. d
Septorum quatuor genera. 1217. c
de Sepulchris, 1139. b. c. fideles mortuos cum Infidelibus sepulchro mandari non decet, 1139. b. c
Sepulchrum admirabile, 1119. d
Sepeliri volunt Hæretici in SS. Basilicis, 1949. b. c
Sepeliri veteres quamobrem optarint ad memorias Martyrum, 1948. b, c, d, 1949. a
in Sepeliendis corporibus varij gentium ritus. 1138. c. d. 1943. a. b. c. d
de Sepultura mortuorum, 1138. c. d. 1946. a. b. c. d & seqq. eam contemnere Cinicum est, 1138. b. eius studiosi Sancti, 1139. b, c, d. ea priuari vltio quædam diuina est, 1139. d. 1140. a
ne Sepulturæ locus in Ecclesia esset veterum aliquando, 1948. a. b. c
Sepulturæ aut Resurrectionis dominicæ typus 641. b
Serui publici, cum gens tota seruiret, 346
Seruitus omni studio fugienda 344. c. d. 345 a. venit ex peccato 344. d. quinam primus eam inuexerit 345. d. misera si dementi & stulto seruias 1199. d. honesta quædam ratio, 1184. d. causæ, 1185. a. b
Serui ægroti, si negligerentur lex eosdem libertate donabat 1816. d. minimè negligendi, ibid. pueri appellati, 1815. d. iuniores item & appellati, 1814. a. hoc etiam nomen ingenuis tributum, 1816. a. b. his leges fauent, dominorúmque sæuitiam coërcent, 1816. c. d. antiquitus quomodo vocati, 1186. a. b. crudelis in eos dominorum animaduersio, ibid. & 1187. muliebris in eos sæuitia 1186. d. 1187. a, b. ex ijs plures exercitus olim cõflati, 1188. c, d. creditoribus addicebantur, qui soluendo non essent 1189. a. aliquando conuiuio excipiebantur ab antiquis, 1792. c. d. horum olim turba plurima. 1181. d. 1182. a. b. quinam primi eos pretio compararint, puniti 1184. a, b. eos etiam Deus curat, 1185. c. non necessitate, sed voluntate, vituperandi, 1185. d
de Seris, 963. c, d. ne Seræ quidem & portæ Sanctos cohibere possunt. 961. c. d
Seruilia bella. 1181. c
Seruilis nominis contumelia. 1186. a. b
Seruus, à Domino in graui morbo aut aliqua necessitate derelictus, non amplius ipsi Domino tenetur, 1822. d. 1823. a
Seruorum Dei proprium est semper incidere in Doegos, 733. d. 734. a
Seruorum Dei contumelia, apud ignaros iudiciorum eiusdem, in ipsum redundat, 1839. c. d
Seueritate in Dei hostes vtendum est, clementia in proprios, 16. a. b
Seueritas in Principe commendatur, 56. b, c, d
Siceleg vrbs: an noctu interdiuve vastata, 1801. c, d
Siclus nummus & mensura, seu potius Hebræorum, 334
S. Sidonius Apolinaris, charitas illius summa erga pauperes 1107. b. c

Signa prognostica magnarum calamitatum, 159. c, d.
Signorum in re militari tria sunt genera, 647. b. c
Signorum analogia, ibid. c
Similes Dei quo pacta euadamus, 1214. c. 1215. a, b
Simile Simili gaudet, 1144. a, b, c, d
Simonides de mulieribus, 1155. c, d, 1156. 1157
Simulare non licet, fingere autem quandoque, 763. b
Simulatio quid sit, 763. a. est peccatum, ibid.
Singulare certamen naturæ iure prohibitum, 454. c. d. 455. a
Singulare certamen quibus legibus, & in quem finem probari queat, 467. a. b
Singulare certamen vires ostentandi gratia reprobatur, 462. b. c. d
Singulare certamen captandi ominis gratia damnatur, 461. 462. a
Singulari certamine exteros vlcisci nefas est, 464
Singulari certamine veritatem explorare non licet, 459. 460
Singulari certamine carnem & spiritum Deus inter se commisit, 467. c. d
S. Sixti tertij contra calumniatores constantia, 1127. b. c
de Smaragdo gemma, 929. 930. 931. a
fidem Smaragdus repræsentat, 930. b. c
Soceri parentis locum obtinent, eadémque obseruantia colendi, 1093. d
Socrates per quid iuraret, 1110. summa illius frugalitas & abstinentia, 1176. d
Solis Græca Etymologia, 675. c. d
Soldurij quinam fuerint. 1889. d
quid circa Solemnitates Hæreticorum est obseruandum, quando cum illis diuersamur, 1478, a, b, non sacrificantibus interesse liceat alia de causa, ibid. quid facient inseruientes, ibid. c
Solitudo Dauidi quantum contulerit, 236
Solitaurilia, quid. 1591. a
Solum natale dulce, 1424. d
de Somnijs, 1610. & seqq.
Somniorum causæ, 1611. b. 1614. 1730. plures differentiæ, quarum nonnullas obseruant Medici, sed Oneirocritici procul ablegant, 1613. & seqq.
Somnij effectus. ibid. a
de Somnijs quæ præsagire feruntur & eorundem interprete arte Oneirocritica, 1617. & seqq.
de Somnijs diuinis quid sentiendum, 1619. 1630
Somnia Deo nonnulli tribuunt, 1617. c. d. quod alij negant, 1618. a. b
Somnia à Deo immitti negat Aristoteles, 1618. a. b. qui tamen refutatur ab Authore, 1619. 1630
Somnia diuinitus mitti nonnulla Scriptura probat, 1631. d. quo pacto liceat illa obseruare, aut non liceat, 1632. a. b. c
Somnia diuina vel à Deo missa quæ: & quomodo dignoscenda. 1632. d. 1633. a. quid in illis obseruandum. ibid.
Somnijs formæ sunt elementorum loco, 1633. b
Somnia diabolica, 1633. d
Somnium quale sit, & quo pacto agnoscatur, 1634. b. c
Somnijs non est adhibenda fides, nec eorum vlla habenda ratio, nisi Deus authorem seipsum patefaciat, 1630. b. c. 1634. b. c. eorum verò, quæ iam exciderunt è memoria nulla ratio haberi potest. 1655. b
Somnia idem Spiritus dat, & interpretatur, 1730. d. in illis debemus ad Deum, vel ad seruos eius probatissimos ad eorum explicationem confugere, 1730. b. c. d
Somni regio 1351. a, b. enigma 1353. c. d. definitio, 1353. d. 1354. a. b
Somnum expellit fuga. 1351. c
Somnus mortis imago, & limen, 1359. b, c. in illum procliues Nani, 1355. b, c. curas soluit & communis omnium voluptas est, 1353. d. 1354. a. b
Somno nonnunquam grauior cura opprimit, 1351. d
Somni noctisque pericula, 1360. a. b. c. illius procellas ac tempestates describit Plato, 1361. a. b
Somno quo pacto nos tutò committamus, 1362. c. d
Somnus absteniorum longè præstantissimus, 1388. b. c. leuior & suauior, ibid.
Somnum Regis interpellasse, crimen capitale, 1396. a
qui dedit occasionem Somno, quo officio deesset, tametsi is immissus à Deo feratur, innocens haberi non poterit, 1402. d. 1403
Spes repræsentatur per Iaspidem, 955 d. 956. a. b
Spiritus qualis in Dauid directus est. 254. a. b. c
Spiritus malus non ipsos tantum dæmones, sed etiam perturbationes ab ipsis excitatas significat, 260. c. d
Sponsæ intolerabilius quàm mancipia veneunt 530. b
Sponsalium definitio. 528. c
Sponsalium donorum plura genera. 527. c. d. 528. a
Sponsalia largitas explicatur. 532. b. c. d
Spurij 313. d. 314. a. b. huius nominis etymologia 314. d. 315. a. quamobrem abdicati 318. d. 319. a. b. c. si religiosè vixerint non sunt contemnendi 317. c. d. 318. a. b. c. à singulari certamine & militia quondam abstinere iussi, 343. c. d. quantum leges illis tribuant, 316. c. d
de Statua quam posuit Michol super lectum, complures & diuersæ sententiæ, 566. a. b. c
Statuæ cædis damnatæ. 58. d. 59. a
Stoici confutantur asserentes peccata æqualia, 132. d. 133. a
Stratagema definitur, 42
Stratagemata Deus suos docuit 43. a. b. illorum vsus & plures modi. 41. c. d. 44. a. b
Studium diuturnioris famæ immortalitatis argumentum est, 186 b
Stultus etsi quemquam despiciat non offendit, 1247. c. d
Stultorum plures classes, 1253. d. 1255. d. encomia & comparationes variæ, 1254. b c, d

Stulti

Stulti omnes impij, 1256, c. vocantur Nabales, 1257, a
Stultitia describitur, 1252, d, 1253, a, b, c. comites siue pedissequæ, 1253, c. causæ Phisicæ, 1250, b, c, d, 1251
Stultitia Nabalis explicatur, 1256, b
Stupor quid sit, 754, d
Succubus appetunt dæmones, 1638, a
Supplicandi varij Gentium modi, 1240, b, c, d, 1241
Superstitionum varia genera, 1636, c, d
Superstitio maxime vitanda, artésque ei fauentes, 1758, b, c, d
Suspicionis definitio, 1764, c. nemini cuiquam nocere debet, 1765, a. ei non est indulgendũ, 1764, c. quinam facile in eam inducantur, ibid. c. quanta mala parias, 1107, b
Syncopes definitio, 1811, a. quomodo differat à lipopsychia, ibid. & b
Syluæ feris, homines generis sui societate gaudent, 1144

T

TAlionis lex, 187, c, d
Talio damnantur ex nonnullorum sentẽtia, 188. excusatur ab alijs, & exponitur, 189, a, b
Talionis æquitas asseritur, 189, c, d, 190, 191
Tarentinis obsessi, ieiunio Rheginorum libertati, 1193, c
Targum exponitur, & Bezæ impudentia de descensu ad Inferos confutatur, 1694
Tartari quantam hominum prædam ex Polonia secum abduxerint, 1528, a. eorum immanitas aduersus hostes, ibid.
Taurus syluestris, 412, c
Telaim Hebraicè & Syriacè exponitur, 38. 40, b, c
Teles de diuitijs pulchrè, 1146, a, b, c, 1167, b, c, d 1162, a, b
Temperantiæ repræsentatur per Chrysolithũ, 947, a, b, c, d
Temporis opportuni egregia descriptio, 1033, 1034, a, b
Temporis gradus & diuisionis, 618, c, d, 619, a, b, c
Temporis breuitas pluribus scripturæ phrasibus designata, 618, c
Temporum momenta Deus ipse nouit, 1788, d
Tempora sacra, 614, c, d
Templa miseris asyla esse debent, 871, b, c. supplices enim è Templis quicumque extraxerint misere perire, 872, b, c, d
Tempestarij, qui, 1557, d, 1558, & 1577, c, d
Terra quomodo vocetur: ager fundus, & prędium, 1145, b, c
Tertulianus benedicit Martyres, 1265, a, b
Testamentum lepidum, sed impium, 1160, c, d, 1161, a
Testamentum S. Remigij prius est Lege Salica, 1495, c, d
in Testibus quæ consideranda, 1125, c
Testimonium dixit quidam senex, centesimum & decimum quintum annum agens, 1125, b, c
Thalestris Amazonum Reginæ incontinentia, 665, c
Thaliæ apud antiquos, qui, 625, a
Tharaph, Hebraicè quid significet, 565, a
Thardemeth Hebraicè, quid, 1389, 1390, a
Thanah Hebr. explicatio, 760, d, 761, a
Theatrorum vsus nullus apud Hebræos, 617, d
Themistocles Atheniensis ciuis, Nicoclis filius maiori maluit, quam contra patriam arma ferre, 1774, a
Theodulphi Episcopi carmen de prærogatiua sua à crimine, 832
Theodosius Imperat. seueritatis in noxios admonetur ab Eremita, 56, d, 57, a
Theophilus Imperator, relicto vero Deo, quãtæ mala intulerit Ecclesiæ, 1636, a
Theraphim, quæ sit vis huius vocis, & quid ea ex vsu Scripturę significet, 567, & seqq.
Thespesion iustitiam non censet à malo abstinere, 1098, a, b, non iniustum à Iusto discernitur, ibid. c, d
D. Thomas nulli vnquam Ecclesię præfuit, idque maxime respuit, 1234, a
Thoringiæ mulieris Childerico nuptæ intemperantia, 667, a, b
Theurgici quales habendi, 1554, a
Theungelida, herba, qualis, 1583, c
Thraces, populi 1518, d. Naufragos prædantur, ibid. damnati quod præter pactas inducias prædarentur, 581, c
Thrasybuli tyrannica vox, 670, b, c
Thrasicles Philosophus quàm turpiter in conuiuio bacchatetur, 255, b, c
Thronus quid, 622, b
Thuris vsus in Ecclesia tempore Tertuliani, 1477, c, d
Tibiæ funebres apud Iudæos in funere, 1127, c, d
Timor quid, 754, a. vnde oriatur, 1282, b. varia nomina ad timorem pertinentia, 1314, d. non pauci mirando casu obruti stupent, 1315, a, b, c, quibus artibus pugnaturis excuteretur, 383, d
Timent etiam Sancti, 613, c, d
vt Tonsura Hebręis, sic quondam Rom. Imp. celebrata vindemia, 1165, a
Tonsuræ ouium tempus, 1150, d, 1151, a, b. ratio vel modus, ibid. c, d
Tonsuræ tempore cõuiuium solemne instituebant veteres, quò inuitarent amicos, 1165, a, 1170, a
Tormentorum varia genera, quibus criminum confessio extorquetur, 829, d, 830, 831
Torquentur impubes Christianæ, Religionis causa, 819, a
Totilas Gothorum Rex quo pacto S. Benedictum tentarit, vt sciret an reuera prædiceret, 1648, a
Toxilus per amicitiam obtestatus aliquem, postea resecrat, 636, c
Traianum mutata veste, quo pacto Agarani cum agnoscentes interfecerint, 1648, a

Transfugæ reduces olim male habiti, 1783.a.b
Transfugis haud temerè adhibenda fides, 1762.a, b, c, d
Tremor, quid sit. & vnde, 754.c. & 185.c, d
Tremor in morte, iudicij post mortem quędam præsagitio est. 186.a, b
Trepidatio, quid sit. ibid.
Trepidantium aluus soluitur, 1029.c.d
Trimodius de funeribus veterum Christianorum, 1133.c.d
Tribuni iuniores, 508.d
Tribunorum munus & officium, 507.d
Tribunis constituta salaria, 508.b, c
Tristitia noxiorum propria. 1282.b
Triumphi vnde hoc nomen, 486.b
Triumphans fortunæ fragilis admonebatur, 84.b.c
Trismegistus negat esse dæmones, 1680.a.b. confutatur ab operibus & effectis, ibid. c.d. illius doctrina contemnitur, 1683.b
Tumulus, vide *Sepultura.*
Turci, cum in seruis habetur suspicio furti, quid faciant ad criminis confessionem, 831.c, d
Tyranni, plures in eos coniurarunt 1064.a.b.c. eorum artes, 809.c. quam sit ipsorum misera conditio, 801.b.c.d. & seqq.
Tyranni cum sue lepida comparatio, 809.d
Tyranni quam moleste mortem ferant, 1747.b, c. eorum duplex genus. 1373.b, c
Tyrannorum & Hæreticorum proprium Sanctos sepultura priuare, 435.b.c
Tyranno nulla grauior victima Deo secundum Gersonem, 1369.b, c, d, 1370
Tyrannorum est, *sic volo sic iubeo.* 543.a.b
Τυφλός, cæcus, 1731.d
Τυροφάγος septimana apud Græcos, qualis & à quo instituta, 368.d.369.a.b

V

VAiakon vox Hebræa exponitur, 650.a
Valentis Hæretici leges impiæ à Theodosio rescinduntur, 851.a
Valentinianum Iustinam asciuisse, Seuera superstite, non omnibus probatum, 1341.a. & 1342.a
Varech quid. 1510.c
Vates futurus procul à turbis educatur, 287.b
Vectigalium complures species, 392.c.d, 393.a, b
Vectigalia noua Reges nostri quondam reprobarunt. 393.c.d
Velle quid, 1056.c, d. medium inter velle & nolle, ibid. d
Velocitas diuinitas creditur. 1637.c
Venandi Deus varias habet rationes, 604.c.d
Veneni vis balsami pastu extinguitur. 597.c
Venereus humor, si fortè ob superbiam corpus maculauerit, quid sentiendum, 657.a.b
Venter Deus cui habitus. 183.b
Verba & res ex instituto significant, 647.b
Verbi diuini vis & efficacia, 593.b, c, d
Veritas quid sit 584.c.1102.d. quibus modis inuestigari debeat, 459 c. est pars iustitiæ, 696.a. quo pacto filia temporis habeatur. 696
Verum non dicere quandoque licet: mentiri nunquam. 584.d.585.a
Verecundia quid sit, 754.b
Vestes in solemnibus ciuilibus debent esse tersæ & nitidæ. 1478.a
de Vestibus sacris, 920.b.c, d. & seq.
Vestium sacrarum in Ecclesia allegoria, 914.a. his vestibus non alligatur Sacerdotium, 415.a, b, c
Veteres cremabant corpora propter varias rationes, 1944.a.b.c.d
Victi complures sibi manus afferunt, ne in hostium potestatem veniant, 50.c
Victores pueri. 432.c.d
Victoris quāta potestas sit in domitos, 21.a.b.c. insolentia haud facilè se cohibet, 83.c.d. 84.a.b
Victoribus nimia securitas sæpe perniciem affert. 1824.c.d
Victoriam sæpe cunctatio parit, 360.a.361.a.b
Victoriâ partâ, Deo gratiæ habitæ, epulum populo datum, 85.c.d.86.a
Victoriæ Deo ascribendæ, 438.b.c.d.439.a.b.c
Victoriarum quis finis esse debeat, 439.d. 440.a
Vidua ἄγαμος, 1324.b
Viduæ, si ad secundas nuptias conuolent, suo iure cadunt, 1325.a
Viduis antequam nuberent erat tempus aliquod præscriptum ad luctum, 1320.d.1321.a
Romuli lex de Viduis, 1324.c.1325.c
Vir quis dicatur 408.b. caput est mulieris, 69.d.100
Viri eximij obscuris parentibus nati, 514.c.d
Vim vi repellere licet & quo pacto. 18.d.19.a.& 1065.b, c, d
Vindemia apud Imp. Rom. ita celebrata vt tonsura apud Hebræos, 1165.a.b
Vindicta mortem authori suo parit, 1259.a
Vinum lætificat 290. mœstitiam fugat, 1104.d. lætitiam parit. 1295.b.c
Vini Græca Etymologia 1295.b.c. vsus legibus proscriptus à Platone 1299.a.b. complures illius dotes 1299.d. 1330.a.b.c. moderatè sumpti vtilitates & commoda. 1302.b.c
Vini potores an abstenij benigniori somno perfruantur. 1387.d.1388. & seqq.
Vino rabies concitatur, 1318.a.b
Vinum miscere necesse est: vnde primùm ea ratio tradita est, 1300.d. 1301.a. quis modus adhibendus, ibid.b.c. vnde tanta varietas in vino. 1296.b
Virga qua Ægyptij metiebātur agros ἄκαινα vocabatur: & quare, 308.c
Virgæ magorum in serpentes à dæmone mutatæ. 1673.a.b
Virgo virorum conspectum fugit, 519.c.d. nisi consentiat, frustra parentes spondent, 518.c.d
Virgines omnes quare seruari incolumes; cæteros autem tam homines quàm fœminas necari iuberet Deus: quare, 1528.a.b
Virgines necari Romanis legibus prohibitum, 1919.d. 1920.a, b, c, d
Virginitas grata Deo. 1528.b
Viridarij somnium de Regum iuramento, 1492.c.d. Ecclesia proscriptum est, 1504.d
Virtus anteponitur pulchritudini, 285.c

Virtus Deum placat magis quàm victimæ 124.c præmium illius est Deus, 387. c.d. ei iniuriam facit quisquis eam quæstus gratia sequitur 387. b, illius sedes est animus, 1924. c.d
Virtutes non sunt causa electionis diuinæ: sed electio virtutum, 131. a. b
Virtutes non sunt inter se contrariæ, 1077.b.c
Virtus hominis in quo sita, 1226.c.d
Virtus animalis habet duas potestates. 1250.b
Visio quid, 1614.c
Visitare quid significet in Scripturis. 10.c
Visorum tria sunt genera, 1635.c
Visores & oculi Principum, 1055.d.1056.a
Vita præsens theatricæ pompæ similis, 1789. huius tres sunt gradus, 235. b.c.d. & 1148.a
Vitæ humanæ breuitatem Xerxes lacrymis prosequitur, numerosum exercitum contemplatus, 41.a.b. vitam conditio mortis æmulatur. 1315.d.1316.a
Vitari ac fugi non possunt quæ à Deo decreta sunt, 1751. b. c
Vitium; vnaquæque res à proprio vitio deprauatur, 1225.d.1226. a
Vitia virtutibus respondent, 1264.c. ab ignorantia manant, ibid. neglecta crescunt, 672.b
Vlcisci quàm difficile & laboriosum. 1007. c.d
Vlciscendi libido teterrima, 1215. b.c
Vlciscendi spem voluptas quædam consequitur, 1216.a.b
Vltio in 3. & 4. generationem, apud Baptismo renatos locum non habet, 35.d.36. & quomodo, 31.32.33.34
Vnio in Scripturis decem modis fieri prædicatur, 473.a,b
Vnctio in captiuitate vetita, 207.c
Vocationis diuinæ admirabile exemplũ. 604.d
Voluntas constituit reum, 1364.b. est origo mali, 1410.d
Voluntas semper fertur in bonum 1286. a. intus à Deo mouetur, 1285
Voluntas mala causa est, quamobrem homines non resipiscant. 170. b.c.d
Voluptatis plures species, 1294. d. documentum Aristipi ad Voluptatem, 1295.a
Votum nuptiale, 1325. d
Vox Sanctorum quàm sit potens & efficax, 1095. a.b
de Voce: quid, 1392. c, d. sua cuique vox, 1404. vnde tanta vocum varietas, 1393. c, d. quæ iuuent & acuant, 1393. c. quæ impediant, 1394. d
an Vox Dauidis audiri potuerit à militibus, illo clamante in vertice montis, 1392. c,d, & seqq.
Vocis stupenda vis, 348.b,c
Vocis magnæ exempla, 341. d.342,a
Vrim & Thummim: obseruationes in hæc verba, 1603. d. 1604. quibus liceret per eas Deum consulere secundum Hebræos, 810. b. c, quid essent & quo pacto diuinis oraculis inseruirent, 1607. b.c. 953. c. d. & seqq. corporeæ fuerunt, 953. d. non cuiusquam artificis industria elaboratæ, ibid. & 954.c, d, non videntur præter voces gemmas in Rationale intextas nihil fuisse, 954. c, d, illarum materia secundum Hebræos, 957.a,b,c,d. secundum Interpretes nostros, 958.c, d. secundum Authorem, 959.a.b
Vuiclefus author impiæ sententiæ, 1366.d,1367. a,b.
Vulgatus deffenditur, 811.b.c, 210. a,b,c,d,211. a,b,365.366.a, de Inferis exponitur, 1692.d, 1693.a.
an Vxori liceat inconsulto viro quidquam opis largiri pauperibus & quid, 1207. d, 1208. & seqq. si quid habet præter dotem donare potest, 1207. d, in Hispania minime, 1208.a,b
Vxor non est mancipium viri, sed socia, 1208.d, 1209. a, quondam domina vocabatur, 1209. c,d, illius authoritas ac potestas, 1209. b,c,d, 1210. maxime apud Ægyptios, 1210.b
Vxorum licentia in deserendis viris, 1245.d, 1246.a.
an Vxor subducens aliquid marito faciat furtum, 1262.d,1263.a,b
Vxores non sunt excusatione dignæ quæ viros non ferunt, 1313.b,c
Vxor Loth in statuam salis conuersa, 1316.c
Vxori quæ debeantur à marito, 1324.b,c
Vxores imperandi studio quædam viros suos iugularunt, 991.a,b
Vxores antiqui emebant, 529.530.a
Vxorem prædiuitem Martialis non probat, 537.a.

X

XAntippus senior haud ignobili monumento canem dignatus est, 1817.b
Xenophon de Persarum filiis & eorum educatione, 1144.d, vltus est immaniter Athenienses, cùm esset veræ pietatis expers, 1223. c,d, 1224. a, b, illius somnium, 1610.b,c

Z

ZAcharias Deũ Iudicem appellauit. 1085.a
Zacharias & Elizabeth iusti, 87.88.89 90.91.92
Zalislao, virtutis ergo, data manus aurea. 1046.c
Zebach Hebr. vocis acurata explicatio. 210.d. 211. a, b
Ziph ab Adrichomio describitur, 985.a.b
Ziphæi pergunt perdere velle quæ iam antea prodiderant 1344. a, b. quare timent Dauidem 1347. eorum origo, & inhumanum ingenium, 957. a,b

FINIS.

Digitized by Google

1-6-2

Digitized by Google

Digitized by Google